
GAUDEO.

HISPANIAE ILLVSTRATÆ

SEV

RERVM IN HISPANIA ET præſertim in Aragonia geſtarum Scriptores varii.

In Germania nunquam hactenus excuſi.

EX BIBLIOTHECA REVERENDISSIMI DOMINI IOANNIS PISTORII SS. Theologiæ Doctoris, Cathedralis Vratislauienſis Eccleſiæ Præpoſiti, S. Cæſ. Maieſt. Conſiliarii.

Tomus III.

Librorum ſeries poſt præfationem aſcripta: additæ regiarum Aragoniæ & aliarum Hiſpaniæ familiarum tabulæ genealogicæ: ſubiunctus ſub finem index copioſiſſimus.

FRANCOFVRTI,

Apud Claudium Marnium, & Hæredes Iohannis Aubrii.

MDCVI.

Cum Gratia & perpetuo Cæſ. Maieſt. Priuilegio.

INDEX LIBRORVM, QVI IN HVNC TERTIVM TOMVM CONueniunt.



INDICES RERVM AB ARAGONIÆ REGIBVS GESTARVM.

Liber Primus.

REGNI Gothorum initia ab Ataulfo in Hispania facta, AERA. cum huius gentis arma, maiestate primo Romani Imperij, mox opibus labentibus terra, mariq; late paterent, regio sanguine sunt polluta. NAT. CHR. Theudericus deuictis Sueuis, quorum furoris pars maxima Hispanias, vsque ad Oceani Gallaici oras peruaserat, è Narbonensi Gallia, quam Gothiam ipsi appellauere regni sede Pyrenęum traducta, primus regnum constituit. Suintilla demum exactis Romanorum armis, vniuersæ dominationi fastigium imposuit. Cum firmata iam, & stabilita in Hispania pace Gothica gens floreret, neque externo premeretur hoste, bellicosissima natio desidiæ, atque ignauiæ dedita, armorum cessatione, & inerti luxu bellis desuefacta, non ab horridis, vt antea, Scytharum gentibus, sed à totiens deuictis Afris, & Numidis, qui intra aliena Arabum arma commigrauerant, posternitur, funditusque deletur.

SARRACENI, QVI Arabiæ partem, ab oriente in meridiem deflexi incolebant, Scenitæ Arabes antea nuncupati, vasto solitudinum recessu septi, & Mesopotamię adiuncti, altera totius Orbis pernicies, atque calamitas, regni Heraclij Imperatoris Anno Septimo, quem vetusta quædam monumenta in annum Incarnationis Christi DCXXVI conferunt, Romanorum Imperio repugnantes stabili sede, ac propriis, certisque domiciliis egressi, incursionibus vicinas regiones infestissime proterunt: adeoque instant, vt Heracleus ad eos arcendos Theodorum germanum fratrem præmiserit. 664.626 Hi Mahmete duce, homine improbissimo, & perfidissimo, qui se se & genere, & prudentia suæ genti, vehementi plebis concitatione vsus fallacissimè venditaret, haud aliter, ac si sapientissimi viri animus multa in posterum præsentiret, & præsagitio eius menti diuinitus inclusa esset, cui vti veteratori, & callido duci eius belli administrandi dominatum, principatumq; detulerant, Arabiæ, Mesopotamiæ, Syriæque prouincias inuaserant. Theodoro demum cum omni nobilitate, & militiæ robore ad Gabatham Syriæ oppidum ad internecionem redacto, omnium prouinciarum, quas inuaserant, potiuntur: & Damascum splendidissimam Syriæ vrbem regni sedem, atque arcem constituunt. Abubeccar Mahmetis locum, principatumque obtinuit: qui in Persas arma conuertit: & Hamer eius successor vires Orientis omnes commouens, magnam Ægypti partem, Alexandriamque metropolim Imperio subiicit: & cum post Hamerem Etheman Sarracenorum Imperio princeps admoueretur, Pentapolim, Libyam Marmaricam, & Æthiopiam, quæ supra Ægyptum vastis, ac desertis regionibus prætenditur, in suam potestatem, ditionemque redigunt. Mohabia tanti iam Imperij gubernacula tractans aduersus Constantem Augustum, qui ingentem classem ornarat, rem feliciter gerit. Abdalla duce Africam, & Mauritanias subigit: atque decursionibus maritimam oram deuastat: cum Wamba, cui Gothi Hispaniarum, & Galliæ prouinciæ imperium detulerant, pie, ac sancte regnum administraret. Mohabiæ Izit: huic vero eius filius Mohabia Sarracenorum imperio substituitur. Moha-

AERA. NAT. CHA. bia iuniore vita functo, Sarracenorum exercitus duos ex cunctis sibi duces deligunt Abdallam,& Maroam,atque eorum opes, ac vires in contrarias distrahuntur partes: magnisque vltro, citroque inlatis cladibus Maroa nouem annorū induitiis cum Constantino Imperatore pactis, prouincias inter filios partitus, Abdebmelc natu maximo Persidem, Armeniam, Mesopotamiam, Osdroenem, Arabiam,& Syriç regiones dereliquit: Abdelazizio vero Ægyptū, Æthiopiæ vlterioris tractus,& Tripoleos, Africam, & reliquas ad Gaditanum fretum adiacentes prouincias attribuit: exercitibus, atque classibus Mahmetem filium præficit: Sed Vlith Abdelmelc filius, cum à patre Abdelazizius frater Regno deturbatus esset, Sarracenorum vniuerso Imperio à patre præficitur: qui hostes, ac vicinas omnes gentes contudit: atque confregit: & Indiæ, vt vetustus eiusdem ætatis scriptor perhibet, dominatur: atque idem auctor ita subdit. In oc-
" ciduis inquit partibus Regnum Gothorum antiqua soliditate firmatum apud Hispa-
" nias, per ducem sui exercitus nomine Muzam adgressus edomuit: & regno ablato ve-
" ctigales fecit. Tam paucis res tanta, taleque, ac tātum, quantum alias nunquam ea celeritate confectum est bellum, à vetusto scriptore perstringitur: & magnis tenebris incredibilis, & inaudita clades inuoluitur. Hi omnes qui summo Arabum imperio sunt potiti, suæ gentis nomine, tanquam Regio, & imperatorio munere fungentes Miralmuminimi sunt cognominati. Satis constat repentinam eam calamitatem non fuisse: sed regno malis ciuilibus oppresso, Witiza Rege rerū potiente, Zemam, quem
745.707 alii Seniam vocant, Arabum Ducem AERA DCCXLV ad irrumpendas Hispaniæ oras classem comparasse: eoque anno Tariffium ingentium copiarum ductorem freto transmisso Bæticam inuasisse. Tariffium autem Arabum itidem ducem vetustis monumentis Tarik vocatum comperio.

747.709 Ruderico regnante AERA DCCXLVII & Witizæ Regis filiis arma commouentibus, quos Rudericus, regni, quod ipse inuaserat, successione deiecerat, & Iuliano Spathariorum Comite Witizæ consobrino, & Egicæ Regis genero acerbissimo animi sensu patrati à Ruderico adulterii dolore percito: quod Rex vxori, Faldrinam vocatam memoriæ proditur, probrum intulerat, siue Caiæ filiæ illuserat, hostiū vires concitāte, ductoribus Muza militiæ principe Azuiri filio, & Tariffio Arabes ad Calpem, non prædonum more, sed vti in propria emigrantes irrumpunt: ac tota se prouincia Bætica, & Lusitania repentinis incursionibus effundunt.

748.710 Cum misera, & calamitosa tempora instarent Rudericus totius regni copias, non iam illo Getico, & Martio furore truces, atque insultantes, sed molles, atque eneruatas colligens, & inter Sericium, & Assidonam vrbem in extremum rerum omnium certamen, atque discrimen deueniens, non gentem modo, sed regnum in interitum, & exitium dedit: imperii enim, vitæque eius finis idem fuit. Incredibili impetu Arabes Hispaniarum potiuntur: vt non tam rerum publicarum proditione nefaria filiorum Witizæ aut Iuliani Comitis, vt ferunt, regni proditoris, extinctorisque patriæ
748.710 scelere conciderit, quam cælesti ira regnum Hispaniæ ipsius exitio partum Gothicæ gentis internecione euersum sit. Hostes, quod ex Mauritaniis in Hispanias transmiserint, à nostris Mauri vocati: vt hoc quoque nomine vti, temporibus seruientes cogamur: omnes eiusdem sectæ homines Mauros appellando.

Annorum præterea ratio, æræ nomine adscripto diuisa temporibus, & serie rerum connexa intermitti non debuit: vt rei tot sæculis ab Hispanis vsurpatæ sua exstaret vestigia: quoad eius nominis memoria apud nostros exoleuit. Octo, & triginta annorum interuallo Christi Saluatoris nostri natalem antecedit. Hispani enim Ægyptios imitati ex eo sua notare, & conseruare tempora voluerunt, quod eo anno in potestatem, ditionemque P.R. venerint: C. Cæsare, qui Augustum nomen adeptus est, rerum potiente. Ciuitates enim quasdam Italiæ diem, quo primum ad se Augustus aduentasset, initium anni fecisse, alias vero Asiæ annorum origines ab eius nomine, & dignitate duxisse comperimus.

752.714 Maior scriptorum pars hoc anno de summa rerum à Ruderico Rege decertatum prodit: exstantque vetusti annales, qui AERA DCCLII Mauros ante diem iij. Id. Nouemb. in Hispaniam appulsos referant. Multo vetustiores prodidere eo ipso tempore Astures in Maurorum potestate, ac ditione fuisse: & eodem anno Pelagium filium Fafilani Ducis ex Regia progenie ortum cælesti vi, diuinoque numine ex spelunca Asseuuæ montis egressum hostes profligasse: & regni initia in Asturum regione, inter ipsas gladii reliquias, & hostiles perfugas constituisse. Innumeri enim Christianorum populi Maurorum imperia perferentes, sub eorum dominatu graue seruitutis iugum perpe-

AERA. NAT. CHR.

perpetiuntur. Mozarabes appellati: quod Chriſtiani mixti Arabibus eſſent. Ingens enim Mauruſiorum, Numidarum, & Afrorum, & earum gentium multitudo per Hiſpanias circumfuſa immane quanta celeritate ad regiones quoque longinquas progredientes, populis ad internecionem pæne deletis late peruagantur. Iique ex Chriſtiano populo ſuperfuere, qui captiui: aut dedititii manſerant: aut quos refugia montium receperant, Nobilitas omnis ac Regio genere prognati ad Aſtures, & Francos confugiunt: Pyrenæique clauſtra obſident.

Mauri Pyrenæi ſaltus tranſgreſſi Aquitaniam, & Narbonenſem prouinciam eodem furore perciti adoriuntur. Ea tempeſtate Zema ſiue is Senia eſt Burdigalam, & 753.715 Pictonum vrbem expugnat. Volcarum Tectoſagum, qui Gallia, quam nunc Gothiā vocant, continentur, potitur: & Francorum nationem bello laceſſit. Cum Mauri Toloſam obſiderent, Zema interempto Dux Eudo magnam hoſtibus cladem intulit. Regio, quæ ad Aragonem amnē, vix tunc niſi indigenis cognitum, & Pyrenęi culmina pertinet, XVI. M. P. patens, & montium iugis anfractibuſque conuallium ſepta, minima Vaſcitaniæ portio miſeris, & afflictis reliquiis incolitur. Hi ab impiis gentibus ad faſtidium perdomiti, ſpreti, & in montium vaſtas ſolitudines repulſi, in militaria munera operas conferentes, in ſumma omnium rerum inopia diuinos cultus neque deſerunt: neque intermittunt. Sacra, ac ſanctorum veneranda corpora alia cauis montium, atq; humo cælantur: alia in finitimas vrbes, trans Pyrenæum, & in editiſſima caſtella arcentur: vt pie religio, ipſis etiam regionibus ab impiis poſſeſſis, coleretur. Ex eo Aragonia terra ab amne dicta. Nam ne quis exquiſitius reconditam nominis rationem indagare velit, id magis veriſimile vetuſtas ipſa edocet: cum Indiæ, Ægypto, Hiſpaniæ vniuerſæ, olim Hiberiæ dictę, & inſigni prouinciæ Bæticę à fluminib. impoſita nomina appareant. Iam plures in iuga Pyrenæi abſceſſerant: & caſtella rupibus indita. Bellum inde impeditum, arduum, cruentum, atque perpetuum.

Inter tot exſciſas, & funditus deletas vrbes, atque ipſas in perpetuum euerſas prouincias Germanorum primo incurſionibus, qui XII annis ſub imperatore Gallieno Hiſpanias peruaſtauere, poſtea Wandalorum, Alanorum, Sueuorum, atque Gothorum, & Arabum bellis vaſtas, atque deſertas, vnā legimus, inter ipſa euerſionis incendia, ab Aiubio Aboualibio Arabum Rege, ſupra Bilbilis vix relicta veſtigia IIII. M. P. in Salonis amnis ripa conditam: Bilbilis enim Celtiberorū nobilis vrbis acri montis iugo ſublatæ, atque ſuſpenſæ, ſiue Gothorum, ſiue Maurorum incendiis conflagrauerit, præter nomen reliquiæ nullæ manſere. Oppidum vero ab Aiubio conditum, & molli cliuo ſitum, quod eius opus eſſet, & populo frequentatum Calataiubium dictum.

Quæ huic loco de Augerio Catalone, & magnis illis, ſiue Germanicæ, ſiue Fran- 796.758 corum gentis proceribus in Cataloniam tranſcenſis, iuſto coacto exercitu ſacrum bellum geſturis fabula inſeritur, qua ferme res antiqua alia apud vulgus non eſt inſignior, ne incertæ, vanæque rei auctor ſim, reiici mihi digna viſa eſt: cuius neque priſcis in annalibus, neque teſtatis rerum geſtarum monumentis vlla veſtigia apparent. Ne pro certo traderem, cum ipſius rei, de qua agitur dignitas, tum ipſi vetuſti rerum Barcinonenſium auctores efficiunt: qui nihil eorum geſtum prodidere: propagatamque fabulam ex vana quadam Petri Tomichij oſtentatione videmus. Scio homines prudentes, & graues, & rerum vetuſtarum gnaros his minime oblectari: & ab iis, qui earum fabularum lenociniis, & illecebris deliniantur mihi vitio verti non poſſe, aut calumniam adhiberi, ſi res eas inanes, & futiles homo peregrinus reiecerim: quæ à Hieronymo Paullo Barcinonenſi viro antiquitatis peritiſſimo, patrum noſtrorum memoria, non ſine conuitio exactę, & exploſæ feruntur.

Cum æqualis illis temporibus ſcriptor nullus exſtet, in ſumma obſcuritate rerum geſtarum verſamur. Vetus rerum Aragonenſium auctor, qui ante CC annos Regum facta compoſuit, in artificio, & opera quam tenui, & exili, quum alias nullam adhibuiſſe diligentiam videatur, in recenſendis regni originibus longe ſe, & cæteros omnes ſuperat: ſed falſo quæſita propriæ gentis laus leuiorem auctorem facit: præſertim cum Rudericus Simenius Toletanus antiſtes propior temporibus harum rerum ſcriptor, & longe vetuſtior, apud quē clariora, certioraque domi militiæq; geſta exponuntur, Reges, quos ille noſter commemorat, ſilentio prætermiſerit. Hic vero prodit Garciam Simenium cum vxore Innica primum, ex quo Mauri Hiſpaniarum potiti ſunt, in Vaſconum regione regnum conſtituiſſe: quod Nauarræ poſteri vocarunt: & hoc anno Aznarium Comitem Aragonenſibus præpoſitum fuiſſe: Oſcæ vero regnum Abdurrahamenem Maurum obtinuiſſe. Tamen hunc Regem Garciam, & V. ex ordine

AERA. NAT. CHR.

ſequentes, cum à nullo alio vetuſto ſcriptore commemorentur, & illa commentatio rerum obſcuritate penitus incluſa in veritatis lucem, aut rerum geſtarum, aut certa temporum ſerie proferenda eſſet, cogimur nuda tantum nominum commemoratione recenſere. Ipſa vero regni primordia in Vaſcitania cis Pyreneum facta idem auctor, vt Regni à Pelagio inter Aſtures, & Cantabros conſtituti initijs adæquarentur, altius repetita hæc fuiſſe commemorat: vt Nauarræ regnum Garciæ Simenio attribuat: Aragoniæ vero Comitatum Aznario.

Præterea, ſicut ab eodem proditur, rem exponendam cenſeo: ne vetuſto ſcriptori & ſacris cœnobij vetuſtiſſimi Ioannis Pinnatenſis addicto fides abrogetur. Mau-
796.758 ris Hiſpanias debellantibus, qui eorum furori ſuperſtites fuerant, alios in Aſturiam, Ordoniam, & Viſcaiam, in montoſa alios Suprarbij Ripacurciæ, & Aragoniæ loca ſe abdidiſſe: arceſque, & caſtella exædificaſſe. Omnes eas regiones à Maurorum ſe dominatu, & imperio liberaſſe. Aſtures Pelagium ſibi Regem adſciuiſſe. Tamen is auctor re ipſa & ſuperiori, & inferiori ſententia ſatis ſibi conſtare videtur: ita enim ſubdit: Circiter ccc qui hoſtilia arma euaſerant, prope vrbem Vaſconum Iaccam in deuios ſaltus receſſiſſe: Vroelum montem obſediſſe: vicinum collem obiicibus viarũ difficillimo aſcenſu, atq; aduerſis montiũ arduũ, & infeſtũ Panon vocatum, vicatim habitaſſe: caſtellis, atq; arcibus cõmuniſſe: & omnes ſuas copias eo contraxiſſe. Ea tamẽ præſidia breui ab Abdemelico Abencatano Abderrahamenis Abenmõzauiæ Cordubenſis Regis duce diruta: atq; euerſa fuiſſe cõfirmat. Eo tempore virum in primis venerandũ nomine Iohannẽ in ſpelunca delubrũ D. Iohanni Baptiſtæ ſacrum conſtruxiſſe cuius & viui, & mortui inſignis ſanctitatis fama ad oẽs vicinas regiones fuerit peruagata. Eo ſe mox applicuiſſe Othonẽ, & Felicem fratres: Cæſarauguſta profectos: tanquã in regionẽ, q̃ in oẽs partes ſolitudines clauderent: eoſq; cõſecutos fuiſſe Benedictũ, & Marcellũ: oẽs ſanctitate inſignes viros: eiuſq; ſacri receſſus ſolitudinẽ Garcia Simenio regnante, propter religionẽ loci pie, ſancteque ob omnibus fuiſſe habitam, cultamq;. Satis hæc fuerint manifeſta indicia & hoſtilis furoris, & communis exitij: vt nihilominus Aragonia Regio à crudeli dominatu oppreſſa fuerit, quam reliquę opimæ, fertileſque nationes: & æquis, planiſque locis expoſitæ. Inde certe, & ſingulorum geſta, & publica monumenta rerum, ſi quæ exſtiterant, prorſus interiere: vt non deſint, qui propius fidem eſſe exiſtiment, eos ſex principes, quorum is vetuſtus ſcriptor meminerit, Regiæ dignitatis apicem in Suprarbienſi, & Pompelonenſi regno minime fuiſſe adeptos: ſed militari munere functos, earum regionũ duces, & collectitiarum copiarũ quaſi ſigniferos fuiſſe: vt rerum maxime ſcitu dignarum memoria non modo vacillet, ſed potius iaceat. Is rerum ſtatus erat: vt quicunque ſiue duces, ſiue Reges ſummæ rerum præfuerint, grauiſſima illa tempora, quæ diu perpeſſi ſunt, fortiſſime ſuſtinerent: loca idonea opportunaq; pręſidiis occuparent: ne hoſtes intrare ad ſe, atque interiora munire poſſent: oppidaque circummunire cœperunt.

GARCIAS SIMENIVS. GARCIAS INNICVS.
FORTVNIVS GARCESIVS. SANCTIVS GARCESIVS.
SIMON GARCESIVS. GARCIAS. SIM. F. GARCESIVS.

Simone Garceſio, & Garcia eius filio mortuis idem auctor eſt regnum diu cuſtode, gubernatoreque Reip. caruiſſe: nulla ab eo Aragonenſium Comitum mentione facta, præterq̃, q̄ Fortunio regnante Aznarius Comes Aragoniæ deceſſerit: cui hęres ſucceſſerit filius Galindus. Ab eodẽ ſolo proditũ eſt, penes quẽ fides ſit, Sãctio regnũ adepto, Mauros Gallaicis victoriis exultãtes Pyrenæũ tranſcẽdiſſe: ac Toloſã vſq; Galliam incurriſſe, copias Chriſtianorũ, quæ ad S. Iohannis ſpeluncã conuenerant, DC. virorum numerum compleuiſſe: & Innicum Aragonenſem Epiſcopum cœnobiũ conſecraſſe.

816.778 Carolus Francorum Rex, qui rerum geſtarum gloria, & Imperatoris, & Magni nomen eſt conſecutus, Chriſtianorum populis Pyrenæi ſaltus obſidentibus, à quibus primum montium clauſtra, iugaque ipſa ſunt perdomita, vt quiſque maxime opis indiget, opitulatur: fidei hoſtes bello perſequitur. Ad eam diem Maurorum imperiũ, ac ditionem in Hiſpaniis Præſides obtinuiſſe, neque Regiam dignitatem antea fuiſſe conſecutos à vetuſto ſcriptore memoriæ proditum comperio: Cordubæ vrbe Patricia, vt priſca tempora tulerant, tunc vero iam Regia, regni ſede conſtituta. His in diuerſas factiones, & ditiones diffuſis, atque diſperſis, vt intra ſuam cuique patriam regnum finiretur, hoc anno Carolum in Hiſpaniam tranſgreſſum, inter antiquos rerum ſcriptores conſtare video. Pompelo vrbs Vaſconum in primis nobilis, cum haud multum ab hoſtili expugnatione abeſſet, deditione irruptionem euaſit. Cum Cæſar-

augustam

auguſtam Ædetanorum celeberrimam vrbem caſtris circumſediſſet, Mauri ingenti pecuniæ vi collata, & obſidibus traditis vrbem dedunt: Ibnabala regulo, qui ſub Regijs ſignis meruerat, Cæſaraugustanis præpoſito. Cum in Aquitaniam Carolus regreditur, Pompelonis muri euertuntur: atque diruũtur. Franci Pyrenæum tranſcendentes à montanis male multantur: eorum copiæ funduntur: diripiunturque. AERA. NAT. CHR.

Mauri, qui Gerundæ Auſetanorum vrbis potiuntur, ſub Caroli imperium, ditionemque deueniunt. Barcino Laletanorum ciuitas illo ſæculo ampliſſima, atque ornatiſſima Francis obtemperat. Hoſtes continentibus bellis Barcinonenſes adoriuntur: atque vi expugnant. 823.785

In eum ſtatum Aſturum Reges rempublicam adduxerant, vt in iis regionibus, quæ ad Oceanum pertinent, vſque ad Oeaſonem Pyrenæi promontorium late dominarentur. Cum Cantabris, & Vardulis Vaſcitaniæ finitimis qui in eorum ditione erant, Pompelonenſes, & Iaccetani adiungerentur, auxilia, & duces aduerſus Mauros mutuo, viciſſimque arceſſuntur. Alfonſus cui Caſto cognomentum perhibetur, ab Aſturibus ad regnum deligitur. 829.791

Felix Vrgellitanus Epiſcopus, vt in annalibus rerum à Carolo Magno geſtarum perhibetur, hæretica prauitate imbutus, compoſito libro impium, & execrabile dogma prodente, cum eius erroris, atque hæreſis, præſente Carolo Rege in Baioaria ab Epiſcoporum concilio eſſet conuictus, & Romam ad Hadrianum ſummum Pontificem reiectus, in eius conſpectum productus in Baſilica S. Petri hæreſim abiurat: ſceleriſque deteſtationem deprecatur. 830.792

Cum Zaetus Maurorum regulus Barcinonem Caroli Regis Francorum ducibus tradidiſſet, Aquiſgranum ad Carolum pergit: ſeque Regi addicit. 835.797

Ludouicus Caroli F. Oſcam Ilergetum vrbem obſidet. Azenius regulus ſe illius legibus, & Imperio ſubiectum tradit.

Prœdones Mauri claſſibus ex Hiſpaniæ portubus in omnem oram maritimam peruagantes Baleares inſulas incurrunt: & depopulantur. 836.798

Alfonſus Rex Galleciæ, & Aſturiæ regionibus Luſitaniam inuadens, & aſſiduo bello Mauros perſequens, cum Oliſiponem celebrem Luſitaniæ vrbem oppugnaſſet, diripuiſſetque, vt Regino, & Annonius prodidere, Fruelam, & Baſilicum Legatos ad Carolum cum Regiis donis mittit: & tam longo locorum interuallo diſiuncti, magna armorum ſocietate aduerſus impios hoſtes, & in republica gerenda coniunctione coiere.

Ludouicus Caroli F. Auſetanorum, & Ilergetum regionibus Mauris bellum infert. Euerſione, ac populatione agros, ac tecta vaſtans Ilerdam vi expugnat. Oſcam circumſidet: ſummaque virium obſtinatione à ciuibus propugnatur. 839.80

Barcino biennium obſeſſa, quod Zaetus à Rege defeciſſet, in Ludouici poteſtatem redigitur. Barcinonenſibus BERNARDVM Comitem præficit. Is, quæ comitum ratio, munuſque præcipuum erat iuridicundo, & bello gerendo dux creatur.

Tarraco Coſetanorum vrbs non modo primaria, ſed totius prouinciæ Hiſpaniæ citerioris caput, firmamentum quondam imperij, dignitatiſque ornamentum, Gothorum, & Maurorum bellis exinanita Ludouico deditur: qui bellum Auſetanorum, Ilergetum, & Ilergaonum regionibus promouens Hiberum traiicit: Dertoſam vrbem caſtris circumſeſſurus. Hiſembardus, Hademarus, Bernardus, & Borellus, Ludouici copiarum ductores mediterraneis locis pugnas, & ſtrages edunt. Villamrubeam Ilergaonum oppidum quod vndique locorum natura continebatur, diripiunt. Noſtri ex eo vaſtare, vrere, trahere prœdas. 840.802

Wigebertus Caroli copiarum præfectus hoſtes acri perſequens bello, prope Dertoſam ſigna conferens prœlio cum hoſtibus decertat. Cum victor euaderet, vrbis tamen non eſt potitus. 841.803

GALINDO Comes Aragonenſis Aznarii Comitis F. Is, vt memorant, cum culmina Pyrenæi iam quaſi perpetuæ poſſeſſionis cauſa occupauiſſet, iugaq; ac prærupta montium muniſſet, caſtellatimque firmaſſet, Atareſiam arcem, & aliquot eius regionis oppida, quæ Vaſconum, & Ilergetum confiniis continentur, condit. Acomüeri S. Martini Cercitenſis cœnobium conſtruxit: alij D. Iohanni dicatum ferunt.

Pompelonenſes, & Vaſconum copiæ, qui ſaltus Pyrenæi obſederant, ad quos omnis aditus, qui pæne ſolis patuit, obſtructus erat, cum à Maurorum dominatu defeciſſent, Francorum regno ſe, ſuaque ſubiiciunt. Annonius. 844.806

Mauri ex Hiſpania prœdones, cũ in ſinus interni maris incurſarent, in Sardinia prœ- 845.807

ÆRA. NTA. CHR. das facientes profligantur. Cum in Corsicam traiecissent, deuictis, atq; in naues compulsis magnam Corsi cladem attulerunt.

847.809 Ludouicus bellum in Ilergaonibus continenter gerens, cuius ductorum Heriberti, Luitardi, & Hisembardi virtus egregia enituit, Dertosam eius gentis primariam vrbem vi expugnat.

Aurelius Comes, qui à Ludouico finibus præfectus Oscensium, & Cæsaraugustanorum ditionibus imminet, à Mauris eluditur. Fraudibus enim atque fallaciis tempus ducentes, magnam Carolo Imperatori spem afferunt, in eius se potestatem redacturos.

Vasconum populi, quorum fines ad summum Pyrenęum pertinent, qui ditioni se, & regno Caroli subiecerant, ab eo deficiunt. Iis turbantibus Ludouicus Pyrenæum transcendit: & Pompelonem aduentat: maiorque eorum pars in eius se potestatem tradit. Carolus Asturum regnum Bernardo nepoti appetit: & vti ab Alfonso Rege adoptetur, summopere contendit. Magno comparato exercitu cum Pyrenæum esset transgressus, Astures, Gallaicique proceres externum dominatum formidantes Bernardo Carpio Regis Alfonsi sororis F. ductore, & Marsilio Cæsaraugustani populi Rege adiuncto, obuiam Carolo prodeuntes, in ipso Pyrenæi transitu, vt prædicant, Francos calamitoso illo, & nunquam satis decantato prœlio, fundunt. In eo certamine fortissimos quosque duces, & primarios viros interisse, & Rhollonem in primis Britanniæ Ducem, in cuius persona, veteres heroum fabulas, & mirifica gesta, fictosque luctus imitantur, constans est opinio: ad vulgarem, popularemque sensum mire accommodata.

851.813 Heribertus Caroli copiarum præfectus Oscam obsidione premit, Mauri acerrime propugnant.

852. 814 Carolus Imperator Aquis degens K. Februa, è vita excedit. Ludouicus Caroli Augusti patris morte ad Imperii gubernacula adscitus, rebus mox in Germania, & Gallia magno seditionum motu, atque impetu ruentibus, à sacro bello inferendo, & à sperata gloria regni in Hispania constituendi desistit. Hispaniensibus bellis ductores in Septimania, & Catalonia, atque Vascitania præficit. Cataloniam prius Catteloniam à Cattelanis populis, siue ii Ptolemæo Castellani sunt, dictam firma, & stabilis opinio mihi insita est: Gothalanorum nomine exploso: quo vsos non fuisse veteres auctores, certo scimus. Ea Cattelanorum regio ab oriente Ausetanis, A meridie Laletanis continetur: à septentrionibus vero, & occasu Lacetanis, & Ilergetibus terminatur: in cuius nomen vicinæ regiones paulatim cessere.

Aragoniæ Comites, qui ea tempestate Aragonis, & Gallici fluminum ripis: & Pyrenæi conuallibus ditionem sibi constituerant, castellaque munierant, & aditus omnes claustris, & præruptis montium obseptos tenuerant, incredibili virtute, Aspa, Suprarbio, & Ripacurcia auxiliaribus copiis cōtractis, & ciuitatibus sociis in spē prœdæ traductis acre, & magnum bellum summa virium contentione Mauris inferunt: cum primo neglecti, & saxorum asperitate, atque impendentium montium altitudine, ac mox incultorum locorum sterilitate, & vasta solitudine freti terribiliores virtute hostibus esse cœpere. Breui ingens coalita multitudo Gallici fluminis conualles occupat. Fons eius ex summo Pyrenæi cacumine aquarum diuortio defluens, & magno strepitu excurrens loco Salientis nomen indidit: & quasi ex ipsa Gallia maiore vi, ac mole agētem vndas, & Vascitaniam ab Ilergetum regione terminantem Gallicum appellauere: qui summa tellure flexu deuius Cæsaraugustano in agro in Hiberum influit.

Bernardus Comes Dux, atque Marchio, ea enim cognomina rerum gestarum dignitate iure merito præfert, Ripacurcię regione, quæ iugis montium cincta latis, & fertilibus agris culta atque referta est, dignus potestate, & dominatu habitus Theudam Galindonis Comitis filiam ducit. Is, vt ex vetustis annalium monumentis eruimus, Caroli Magni auorum stirpe ortus, eo genus ducebat: cuius virtute, cum maiorem Suprarbii, Ripacurciæ, & trans Nochariam fluuium Paliariensis regionis partem Mauri potirentur, montosis, & præruptis munitionibus exturbantur: & longe, lateque eius regionis vrbes, oppidaque sub Imperium, ditionemque suam subiunxit. Suprarbia terra supra Arbrem mōtem, qui Vero, & Cinga fluminibus terminatur, ad Pyrenæi valles Ilergetum regione pertinens, & cęli temperatione, & agrorum fœcunditate, vbertateq; nobilis, merito his temporibus regni nomen sortitur. Eius regionis Ainsa est peruetus oppidum: & quodāmodo arx primaria: ipso situ loci pręcellēs. Quod supra Arbrem montē, Pyrenęum versus late patet, Suprarbium dictū. Nostri Calasanctium vsque saltus, atq; aditus omnes à

Gradu

Gradu, quem Aras vocabant, in eum tractum, qui S. Christophori Gradus vocatur, & à fluuio Isauena ad iugum, quod incolæ Ripacurciæ castellum vocant, & munitionibus, præsidiisque obstruunt, & regionis eius solitudinem incolarum cœtu frequentant. Plura à Bernhardo Castella atque arces construuntur. Sub Ripacurciæ montis crepidine, in ipsa Isauenæ ripa cœnobium quod Ouarram vocant, exædificat. Paliariensem in Lacetanis regionem, quæ Pyrenæo late funditur, & impendentium montium iugis continetur, ab impiorum dominatu vindicat. AERA: NAT: CHR:

Eodem tempore Comes alter Bernardus prouinciæ Narbonensis, & Septimaniæ præses, earum regionum finibus rem bellicam administrat: Comes, & Marchio Barcinonẽsis sub Ludouici imperio, eius auspiciis militans cognominatur. Septimania id temporis vetus nomen retinuit: cuius quandam regionis caput Bliteræ exstiterant.

Frodoinum Episcopum Barcinonensem Ludouicus Imperator fouendum, atque ornandum in sua ditione suscipit. Ecclesia Barcinonensis sacrosanctæ Crucis inuentioni dicata, qua in æde D. Eulaliæ corpus conditum fuit, reficitur, consecraturque: cærimoniæ sacræ summa cum religione instaurantur.

Sexto regni Imperatoris Ludouici anno omnium Sanctorum festa celebritate Sisebutus Vrgellitanæ ecclesiæ Episcopus Vrgelleti templo sacram eius diœcesis sedem consecrat, dedicatque: assidente Seniofredo Vrgellitano Comite: qui Vrgellitani Comitatus ditioni, potestatique ab Imperatore Ludouico præfectus erat. Diœcesis iisdem finibus constituitur, qui Caroli regno attributi fuerant: & ecclesiæ Bergensis, Cæretana, Paliariensis, Cardonensis, Riparcurciensis, Anabiensis, Erbiensis, & Gestabiensis eidẽ contribuũtur. Ea sanctio summorũ aliquot Pontificũ scito, atq; decreto, & Ludouici ope firmat. 858.820

Ermengaudus cis Pyrenæum Indigetum regione Emporitanus Comes classe adornata Mauros Hispaniarum prœdones piraticam facientes Gallico, & Hiberico mari felici euentu est persecutus: & gloriosam victoriam ab Abdurrhamene Mauro ductore consequitur: qui Cataloniæ oras continuis incursionibus non destitit populari: & ferro, igniq; agros vastauerat Barcinonensium, & Gerundensium.

Berga, & Ausa incolis, atque habitatoribus frequentantur. Comites earum ditionibus Ludouici sacramento præficiuntur.

Cardona, aliæque arces earum regionum incolarum præsidio firmantur. His, vt Antonius est auctor, Borellus Comes præficitur: quem Vrgellitanum principem illa ætas cognominat. Is ex Engelrada vxore Ermengaudum, & Engelradam liberos habuit. Castrum vetus ecclesiæ Vrgellitanæ condonat: quod sibi Caroli Magni successione quæsitum commemorat.

Res Aragoniæ à tam aduersis initiis, & exilibus profectæ, cum paullulum iam roboris, ac firmamenti in vastis, & desertis locis accessisset, fidei, & religionis constantia, diuino nomine omnium virtutum originem, & progressionem assequuntur.

Bernardus Barcinonensis Comes clam aula Regia Francorum aufugit: quod ij, qui Bernardi Caroli Augusti nepotis regno summæ rerum consulunt, vehementes accusatores essent, cum Augusta eum fuisse adulteratum. Neque memoriæ proditur quis Bernardo in ea præfectura successerit.

Cum Ludouicus Imperator Lotharium filium Wormaciensi conuentu dimisso, in Italiam cum Imperio præmisisset, Bernardum Comitem Barcinonensem, qui Hispano limiti, Marcham vocabant, præfuerat, Regio cubiculo præficit: scilicet vti Francorum annales memorant, camerarium in palatio suo constituit. 866.828

Idem Ludouicus Imperator Augustus Possidonio Episcopo Vrgellitano, quod hostili incursione improborum hominum audacia, aliquot Ecclesiarum ditiones, quæ ab Imperatore Carolo parente & à se Vrgellitanis Episcopis attributæ fuerant, auerterat & incuria superiorum Antistitum Cæretaniæ Comites parochiam Iuliæ Lybicæ inuaserant, vt amissam possessionem vsurpet, author est, neue aliquid de earum possessione detrahatur, aut decumas seu quas vocat, functiones aliquas ab eis extorqueat vel eripiant, edicit: Ecclesias Vrgellitanam, Bergitanam, Cæretanam, Palliariensem, Anabiensem, Tirbiensem cum S. Deodatæ oppido, Ripacurciensem quoq; & Gestabiensem Ecclesias circumscriptis regionibus D. Mariæ Vrgellitanæ Ecclesiæ dicatas, à Possidonio posterisque Episcopis perpetuo retinendas, irrogato priuilegio decernit atque constituit. Eam rem Lugduni A. D. XII. Cal. Ianuarij, anno XXII Imperii Ludouici piissimi Augusti Indictione XV gestam archetypo monumento apparet.

A. D. XII K. Iul. Ludouicus Imperator decedit. Lotharius F. ad imperium adsciscitur. Bello inter fratres coorto, Francorum regnum Carolo Caluo cedit. 878.840

AERA. NAT. CHR.

882.844 Carolus Caluus Francorum Rex Barcinonensibus siue Hispani, siue Gothi essent, immunitatem, libertatemque elargitur, qua Franci vti assueuerant: permittitque, vt Gothicis legibus iura inter se, foraque constituant. Immunitas ea à Francis in Hispania Frankitas dicta. Francorum enim nationem Germanicam Germanis reliquis & Frisiis commodiore immunitatis conditione antetulerat.

883.845 Barcinonensis, Emporitanus, Ruscinonensis, Cæretanus, Vrgellitanus, Paliariensis Bergitanus, & Ripacurciensis Comites Francorum Regi Carolo vti præfecti, copiarumque militarium ductores parent.

Ex Bigeronibus Aquitaniæ ciuitate Innicum cognomento Aristam Simonis filium adscitum, & ad militaris Imperii ductum ab iis, qui Pyrenæi claustra, præsidiaque firmauerant, euocatum, atque delectum vetus, & publica opinio est: quæ ex antiquissimis
883.845 nostrorum litteris, atq; monumentis constitit. Eum principem virum rebus præclare è dignitate Imperatoria gestis ad regnum merito arcessitum apparet: vt cui summa totius belli, omnium voluntate deferretur, is iure regnum obtineret: quod militari concursu, atque consensu ad eum delatum esset Imperium: vt certo iure, ac legibus militaribus, & ciuilibus in Maurorum perniciem sub vnius potestatem conuenirent. Nam non abnuerim eos Principes, qui in Asturibus, & Vasconibus Hispaniarum euersione primi Regale munus, ac nomen vsurpauere, maxime illis assimiles fuisse, quos perhibent, cum Regia dignitas primo constituta est, tanquam perpetuos militarium copiarum ductores, atque imperatores à populis delectos fuisse. Bene enim gerendæ rei, vt ferunt, & iustitiæ fouendæ causa bene morati Reges olim & cognominati sunt: & constituti: vt plane regnum Innici Aristæ concessu, & beneficio militum, non ciuitatum, quæ nullæ fere eo tempore cis Pyrenæum institutæ, aut perdomitæ erant, constitutum esse videatur. Huius tamen initia regni, certaue tempora notare non ausim: quod vetusti scriptores ea minime posteris prodiderint: neque incorruptis, quod sciam, monumentis innotuerit. Coniecturam tamen facere possumus exitiosa coniuratione aduersus Ludouicum Imperatorem à filiis summa impietate facta, & patre ab Imperio deturbato, & in cœnobium incluso, postremo diffidentibus inter se filiis, & de regni ditionibus armis decertantibus aditum ad pauperis regni nomen Innico & pugnaci, & strenuo in primis viro cis Pyrenæum fuisse patefactum: quod exhorridis initiis, & abditis, & montosis sedibus, atque speluncis, cum bella finitimis, non tuendi, sed proferendi imperii causa iam inferrentur, vi, & diuino numine mirabiliter in tantum fastigium euaserit. Pampelone Vasconum vrbe primaria sedem regni, atque Imperii domicilium collocatum memorant. Nostri in Suprarbia terra Ainsæ constitutum arbitrantur: ac leges tunc latas ferunt, quibus fori Suprarbii nomen inditum sit: quas rudibus hominum animis, & militaribus ingeniis, vt pote bello viuere assuetis, montanis, atque agrestibus simplices, & militares fuisse apparet. His legibus & in Nauarræ Regno, & Guipuscoæ regione iura dici consueuisse vetustus scriptor refert. Iohannes præterea Simenius Cerdanus, qui Præfecturam, quam vocant iustitiæ Aragonum, plures annos auorum ætate gessit, cuius præstantissimi viri magna est apud omnes, & inprimis grauis auctoritas, prodit eundẽ magistratũ, cui nostri summam rerum deferunt, initio regni constitutum: vt quemadmodum apud Lacedæmonios Ephori Regibus oppositi fuerant, sic apud Aragonios is magistratus vim maiorem, atque impotentiam Regiæ potestatis coerceret: & quodammodo præses, atque custos libertatis haberetur. Inde eum magistratum introductum ferunt: præsidia communi libertati suppeditãtem: cuius vis in libertate retinenda emineat: vt nemo ius suum amittere posset, nisi qui eum gerat, auctor sit factus: & in posterum certum mansisse perfugium aut intermissæ, aut retentæ libertatis: adeóque integrum, purumque esse voluerunt, vt ipsius iustitiæ nomine insignitum produxerint. Aragonensium certe legum, atque institutorum serie liquido constat, magnis interdictorum præsidiis eam præfecturam septam fuisse: atque communitam: cum regno latius patente, de libertate retinenda maiores paulatim cautum sibi decreuere: ne in posterum extraordinariis potestatibus libertas adimeretur: neue quid de eius magistratus dignitate minueretur. Huius principis præstanti virtute nostris animi adduntur: ac veluti è latebris, ac præruptis montium se eripiunt. Cum maiestatem quæsitæ dominationis firmasset, bellum aduersus hostes, qui Suprarbii, & Ripacurciæ arces obsederant, magna virium contentione infertur: & geritur. In plana Pompelonis loca, atque conualles, Nauarram incolæ vocauere, regni fines, terminique proferuntur: & regni nomen producitur. Nostri inaccessi primo mõtibus, & inuiis regionibus septi, mox veluti ex superioribus locis irruẽtes, tãq̃ turbine aliquo, aut subita tẽpestate hostes proterunt: atq; peruertunt: neq; Mauri inuiti planis,

nis, & irriguis conuallibus, delicijsq; affluentibus montosas, & horridas cautes commutant. Diuinum numen, cælestiaque signa Christianorum exercitu prœliante apparuisse, vetus opinio, iam vsque à priscis temporibus aucta Aragoniam oppleuit: indeque regia insignia exorta argentea cruce in summo scuti cyanei coloris vmbone dextro apposita, & cuspidatim ab imo præacuta memorant. His insignibus prisci Reges militari, regioque ornatu decorari consueuerant: indeque defluxisse constanti fama, atque omnium sermone celebratur. Hinc enim perpetuum ornamentum regni effluxit: indicium verum, & insigne cœlestis numinis: cuius diuino munere tantæ res gestæ fuere. Inde generis, nominis, atq; decoris insignia, & ornamenta à principibus nostris præferuntur. Iam vero Innico Aristæ Regi Simonem parentem Regem effingere, res plena futilitatis, summæque leuitatis esse conuincitur. Aristæ præterea nomen inditum inde commemorant: quod is esset impetus animi, ea cupiditas manus cum hoste conserendi, vt veluti spicarum aristæ ardore flammæ conflagraret.

AERA, NAT. CHR.

INNICVS ARISTA SIMONIS F. SVPRARBIENSIVM ET POMPELONENSIVM REX. WIFREDVS COMES BARCINONENSIS.

Vetustus auctor rerum à Comitibus Barcinonensibus gestarum perhibet Wifredum, qui hoc tempore Barcinonis gubernandæ, & finium tuendorum, & propagandorum munus obierat, castelli Arriæ Cæretanæ regionis ad confluentes Thelis amnis, eiusque ditionis dominatum possedisse. 887.849

Senior Cæsaraugustanus Episcopus.

Wilesendus Pompelonensis Episcopus firmo, & graui D. Eulogij testimonio præclari antistites.

Wifredus Barcinonensis Comes in regia Francorum aula Regi assidens à Salomone Cæretaniæ Comite interficitur. 896.858

Carolus Francorum Rex XIII Cal. Decembris Indictione IX, anno regni XXI Panagoni Guisado Vrgellitano Episcopo priuilegia à Carolo Magno & Ludwico Impp. irrogata firmat atque sancit. Decimas præterea Andorrensis pagi, ferri & picis debitas attribuit, & quemadmodum Ecclesiis septimaniæ tertia pars telonij, siue id tributum, prætoriumue aut vectigal erat, quod ab iis, qui nundinarentur, conferebatur, Ecclesiæ quoq; Vrgellitanæ contribuit. 899.861

Cum Innici Aristæ Regis obitus tempora mihi dubia sint, si pro certo, atque concesso sumerem, aut inanis operæ, aut confidentiæ crimen esset extimescendum. Eo fit, vt eius regni & aliquot posterorum Principum tempora, qui regnum auito iure sunt adepti, neque à me excutiantur, neque explicentur. Ad Saluatoris in Legiriensi cœnobio sepultum vetus rerum Aragonensium scriptor perhibet: & ex Theuda vxore Garciam Innicum filium susceptum patri successisse. Multo vetustior earum rerum auctor prodit anno Domini DCCCLXII Garciam Innici Aristæ filium mortuo parente regnum obtinuisse. 900.862

GARCIAS INNICI F. II. SVPRARBIENSIVM ET POMPELONENSIVM REX.

FORTVNIVS SIMENIVS ARAGONIÆ COMES.

GALINDO AZNARIVS ARAGONIÆ COMES.

Mahomades Abdurrahamenis F. qui Hispaniarum prouinciarum Imperium sub sua ditione constituerat, & in suam potestatem redegerat, ac regale solium Cordubę collocauerat, ea namque vrbs quondam florentissima, ac potentissima Mauris victoribus, & summo eorum dominatui domicilium, ac sedem præbuit, exitiale bellum Vasconibus infert: qui Pyrenęi iugis effusi Hiberum attingunt. Nauarri postea cognominari cœpti. Pompelonensem tractū Mauri vastāt: regionemq; circumcirca depopulantur. Tris insignes arces ea irruptione expugātas ferunt: quarum nomina auctor Arabicæ historię suppressit. Is eam rem prodit hoc anno gestam: qui in CCXLVI regni Mahmetis inciderit. Vna earum arce expugnata commemorat virum primarium Fortunium captum Cordubam perductum: & XX demum anno magnis cum donis, muneribusque dimissum: & adeò exacta ætate confectum, vt CXXVI annum compleuerit. Sunt qui arbitrentur eo tempore nostros se in speluncam ingenti montis crepidine, cui Pano nomen erat, abdidisse: atque in eo natiuæ specus antro, quod omni aditu circumcisum, atque diremptum erat, veluti in religioso, ac sacro loco deserto, & ab hominum accessu semoto, templum S. Iohannis fuisse constructum. Ad DC præterea cum vxoribus, & 906.868

AERA. NAT. CHR.

liberis in eum locum vltima desperatione perterritos profugisse: atque non modo in di-
uinarum rerum contemplationem versos, in assiduas preces, suppliciaque se effudisse,
sed in propulsandis hostibus strenuam operam nauasse:& aliis aris admotis summam ve-
nerationem sacri secessus augentibus rem publicam ex eo instaurari cœpisse:& regni ini-
tia fuisse deducta. Temporum ratio non discrepat ab ea re gesta, quam Rudericus Tole-
tanus Antistes prodit, Ordonii Regis, eius nominis primi regno accidisse: sed in quem
annum conferri possit, haud quaquam liquet: Muzam Gothicæ gentis virum domo, ac
factione Mahmeticæ sectæ addictum à Rege Cordubensi defecisse: Toletum, Cæsarau-
gustam, Tudelam, & Oscam vi expugnasse: in Cataloniam, & Galliam Gothicam irru-
pisse: horribilesque cædes, ac strages factas: Carolum Francorum regem, ne in rerum o-
mnium discrimen veniret, donis, ac muneribus hostes deliniuisse: & tam aduersam, &
turbulentam auertisse tempestatem.

WIFREDVS WIFR. F. COMES BARC.

912. 874 Wifredus Barcinonensis Comes Wifr. F. vt à plerisque traditum est, ditionem o-
mnem, quam antea præfecturæ munere, & militaris imperii auctoramento, & dignitate
Comites Barcinonenses obtinuerant, proprii iuris, ac dominatus functione sibi, posteris-
que pacto conuento quæsitam retinet. Suprema vero iura dominatus, ac potestas integra
926. 888 Francorum regibus excipiuntur.
Garcias rex paterni decoris gloriam consecutus Innici patris regnum adipiscitur. Iam
enim vsu inoleuerat, vt continua regna stirpi traderentur. Is & laude paterna concitatus,
& diuino instinctu, promouendorum finium cupidine Mauros bello persequitur: nec
suos modo fines ab hostilibus excursionibus tuetur, sed suorum virtute regnum auget:
& rēpublicam in dies amplificat: cuius dignitatis augēdæ rebus prospere gestis impulsus
finitimos armis, aut metu sub imperiū, ac ditionē cogit. Vrracā, siue vt alii volūt Enengā
Fortunii Simenii Aragoniæ Comitis F. vxorē ducit. Simillimū tamē veri apparet Endre-
goto Galindo patre, Galindi Aznarii Comitis F. fuisse genitā. Iā vero Aragonēses Comi-
tes nulla certa tēporū cōplexione à vetusto auctore produ̅tur. Tamē tabulas exstare vi-
deo, non archetypo exemplari descriptas, quibus testatum accepi AERA DCCCCV Galin-
donem Aznarium Comitem pietatis causa aliquot prædia donasse Ecclesiæ beati Petri,
quæ in pago, qui Siresia dicebatur, condita fuerat: regnante Carolo Rege in Francia,
Aldefonso in Gallia Comata, & Garcia Ennecone Pompelone. Galliciam vero Galliæ
Comatæ nomine designari, aut perridiculum, aut certe inauditum, reconditumue vide-
ri potest.
Cœnobium in Riuipullensi pago ab Wifredo Comite Barcinonēsi D. Mariæ dicatur.
Daginus Abbas monachorum conuentui præficitur. Eo in cœnobio Wifredum senio-
927. 889 rem sepultum ferunt.
Elleca Cæsaraugustanus Episcopus A.D. II. Non. Mai consecrationi Sisnandi Com-
postellani Episcopi cum Naustio Conimbricensi, Argimiro Lamecensi, Recaredo Lu-
censi, Homādo Egiditano, Theudemiro Visensi, & Iacobo Auriensi Episcopis assidet. In
ea enim conditione rerum respublica Christiana constituta fuerat, ex quo fidei hostes
prouinciarum Hispaniarum potiebantur, vt in eum statum perueniret, quo etsi oppres-
sos seruitute, atque afflictos piorum cœtus tenerent, in his tamen ciuitatibus, quibus E-
piscoporum sedes stabilitæ fuerant, & Archiepiscopi, & Episcopi præsiderent: & termi-
natas diœceses ab Wamba Gothorum Rege definitas obseruarent: pios, & sacros cultus
retinerent: & piorum populi, quoad eius fieri posset, tametsi aliqui à propriis sedibus ex-
storres in Gallias profugerent, aut apud immanes, & efferatos hostes in lautumiis, & er-
gastulis conficerentur, acerbissimumque seruitutis iugum perferrent, in religionis cultu
tuendo, atque conseruando Maurorum conatibus obuiam ire niterentur. Quamuis
septi, stipati semper, atque inclusi, & non quotannis modo, sed in dies tributa confer-
rent, & sanguinaria impiorum iuuentus inimicissima esset, Episcoporum tamen sancti-
tas, & Christiani populi pietas Deum opt. Max. placatum efficere nitebantur. Statæ
inde, solemnesque cęrimonię Pontificatu continebantur: & Christiana religio pio cul-
tu à maiorum institutis non abhorrebat. Cæsaraugustæ satis constat, reliquis sacris ædi-
bus, siue sartis tectis, siue depopulatis sanctum, & religiosum templum D. Mariæ vir-
gini dicatum, quod vulgus de Pilari nuncupat, miseris illis temporibus sanctitatis, reli-
gionis, & consilii publici tanquam sacram aram, & perfugii portum nostris fuisse. Vnde
& Ellecę, & Seniori, ac superioribus, posterioribusque Episcopis, Ecclesiasticoque cœtui
sacrosancta ea ædes sedem, ac domicilium præbuit: atque inde amplissimos, & maximos
hono-

honores eius fani antistitibus semper habitos,& vetustis tabulis,& memoria superiorum temporum pro certo firmare possumus. AERA. NAT. CHR.

Garcias Rex ad Larumbem Nauarræ oppidum signa cum hostibus conferens prælians interficitur. Eam pugnam in Aiuaria valle pugnatam vetus rerum Aragonensium scriptor memorat. 930. 892 Cum regina prægnans filium aluo contineret, siue eo prælio, siue vt idem perhibet, incursantibus postea hostibus occisam ferunt: & infantem enecta parente genitum: & cæso vtero exectum. Is enim rerum status erat, vt inter horridas cautes, ac montium claustra, & perpetuas excubias è contuberniis hostis conspiceretur: & continentibus bellis, assiduisq; incursionibus manus consererentur, cum non tyrocinia solum, verum etiam incunabula in ipsis castris ponerent: quorum pueritia inter varios bellorum conflictus militia videri poterat. Nutricium pueri tali sorte geniti, alii ex Gueuara, ex Abarca alii familia fuisse commemorant: cuius prouido, & sagaci consilio, & educatus clam infans fuerit, & ad regni fastigium sit adscitus.

In peruetusto codice Conciliorum cœnobii S. Æmiliani Cogullensis nuncupati, 943. 905 quem AERA MXXXII à Belasco Sisebuti Episcopi iussu descriptum Gothicis litteris vidimus, qui nunc in Regia S. Laurentii bibliotheca magna vetustatis veneratione asseruatur, memoriæ traditum eadem librarii manu comperimus, Sanctium Regem Garciæ F. Pompelone AERA DCCCXLIII. regnum obtinuisse: eamque vrbem suo subdidisse iuri: territoriiq; omnis Aragonensis dominatum tenuisse: ac regionis, quam Degensem nominat, cum oppidis potitum. Aliquot etiam monumentis testatum comperio in conuentu procerum virtutis ergo ad Regiam dignitatem Sanctium fuisse euectum: ea vis animi, virtusq; egregia in eo enituit.

SANCTIVS GARCIAE F. III. SVPRARB. ET POMPELONEN. REX.

Sanctium Regem Garciæ Regis F. Innici nepotem Garseanem cognominatum vetusta monumenta testantur. Galindi etiam cognomen habuisse S. Iohannis Cœnobii Pinnatensis vetustis tabulis apparet: idq; nomen Galindi Aznarii proaui Aragoniæ Comitis videtur hereditaria ditione fuisse partum: quod Aragoniæ ditio Suprarbiensi, & Pompelonensi regno subiuncta esset. Nam Abarcæ inditum cognomen non modo in castris, sed pæne profligata in acie genito, & in militum contubernio educato, militari vocabulo, siue ioco accidisse verisimile est: quod eo tegmine pedum, quod ex crudo perone Hispani Abarcas vocant, vteretur: quo pastores, rusticanique homines montani niuibus maxime accommodato assueuere: neque eo nomine in litterarum monumentis fuisse appellatum quis non videat? haud aliter, atque priscis illis Imperatoribus contigit: quos Caligulæ, & Caracallæ nomina testatiores posterioribus sæculis reddiderunt. Rudericus Toletanus antistes grauis in primis, & locuples auctor commemorat, quosdam qui Regio sanguine prognati fuere ab Abarca sua ætate cognomen retinuisse. Regi Sanctio fere initio regni diuina spe, ac fiducia rei bene gerendæ non continens modo, sed naturale quoddam bellum, atque in animo insitum tantulis copiis cum Mauris fuit: quod magna contentione commotum, atque confirmatum calamitoso, & exitiabili exitu hostes proterit. Oppida omnia, quæ paterna clade, & regno imperatore orbato in Ripacurciæ, & Suprarbii regionibus à Mauris direpta, & vindicata fuerant, in libertatem, & regiam ditionem asseruntur. In tam secundis rerum prouentibus virtus eminuit egregia Centulli: qui de communi libertate optime meritus, nō virtute modo, atq; animi præstātia hostes perpetuo afflixit, sed ratione, & cōsilio incredibili inuestigandi, & persequēdi sagacitate peruertit: pluresq; ex primorib. homines barbaros, qui acerrime nostros lacessiuerant, insidiis circumuentos in Regis potestatem tradidit. Rege tot bella versante, 943. 905 & operosis concursationibus distento, Mauri Pompelonem subita incursione oppugnant: ipse vero accelerandum ratus, & exercitum eo conuertens, montium anfractibus discussa niue patefactis, in hostes irruens, gloriosam victoriam est consecutus: ad quem omnes vndique cis Hiberum copiæ congeruntur: & proximi quique populi increscente multitudine fluxere.

SVPRARBII ET ARAGONIÆ SVBIVNCTIO.

Beronum, & Autrigonum regiones, regni arce Naiaræ vrbe Regia, atque primaria,

AERA. NAT. CHR.

haud procul Tritij ruinis constituta, quæ Hibero amne adluuntur, quas Cantabriæ Duces regere solebant, Rex in suam redigit potestatem. A Naiara enim, vti ex Belascone eius ætatis auctore, cuius supra mentionem fecimus, comperimus, in Tudelæ vsque fines, Vasconum ad Hiberi ripas oppidi, & Oscæ vrbis vnam tandem piorum populorum, regnique formam perficit. Pleræque arces, castellaque ab eo constructa, ex illa rerum tenuitate in dies frequentantur: atque præsidiis tenentur. Neque inculto, atque horrido re-
952.914 gno contentus, plura Celtiberiæ, & Carpetaniæ oppida armis subigit.

Wifredus Barcinonensis Comes è vita excedit: cuius sepulchri basim cum inscriptione neglectam, & humi ad D. Paulli in Barcinonensi suburbano iacentem inuenimus. Inscriptio tamen hæc est minime diserta: vtpote incondito illo dicendi genere, ac rudi sæculo conscripta.

I. P. A. ω. SVB HAC TRIBVNA REQVIESCIT CORPVS CONDAM WIFREDI COMITI FILIVS WIFREDI SIMILI MODO COMITI BONÆ MEMORIÆ DIMITTAT EI DNS AM. QVI OBIIT VI. kl's MADII SVB ER DCCCCLII ANNI DNI DCCCCXIIII REG. KARVLO REGE POST ODONI.

Quattuor Wifredo liberi superstites fuere. Rodulfus ex monacho cœnobij Riuipullensis Vrgellitanus antistes: Wifredus vi veneni, vt ferunt, sublatus: Myro, qui in Barcinonis, Besaluni, Ruscinonis, & Cæretanię ditionibus heres factus est: & Seniofredus Comes Vrgellitanus.

MYRO COMES BARCIN.

Abenhaia Cæsaraugustani populi regulus Ramiro Legionensi Regi, cum Celtiberiam, & Ædetaniam ingenti coacto exercitu inuasisset, & aliquot arces, & castella vi expugnasset, se subiicit. Postea vero rebellione facta ad Septimancas in Vaccæis memorabili prœlio ab eodem Ramiro deuincitur.

964.926 In obruta, & confusa temporum serie, & rerum à Sanctio Rege gestarum eius mortis memoriam in vetustis litteris exstare video: quibus testatum accepimus magno ab hoc anno, temporis interuallo, nempe A. D. VIII K. Ian. AERAE MXXVIII fato perfunctum: sepultumque in D. Ioannis Pinnatensis cœnobio: atque in eius sepulchro Vrracam Reginam Ferdinandi F. vxorem fuisse conditam: quæ aliquot annos post mariti mortem vixit. Contra vero Belasco eius ætatis scriptor magnopere dissentit: cuius verba in re tam dubia, & controuersa operæpretium erit, ni fallor, referre. De rebus enim Sanctij Regis, & morte ita subiunxit.

„ Dehinc expulsis omnibus Biotenatis, forte Biothanati cognomẽto hostes designat,
„ vicesimo regni sui anno migrauit à seculo. Sepultus S. Stephani portico regnat cum
„ Christo in polo. Obiit Sanctio Garseanis AERA DCCCCLXIIII.

964.926 Cuius temporis ratio, si ab AERA DCCCCXLIII computes, quo anno regnum obtinuisse retulit, mirifice congruit: quæ res cogit, vt ad eam controuersiam afferendam satis idoneus auctor videatur. Rudericus Toletanus Antistes Theudam Sanctij Regis vxorem tantum commeminit: ex qua Garciam Sanctium filium sustulerat: & filias quattuor: Simenam, Mariam, Theresiam: quæ Ramiro secundo Legionensi Regi nupsit: filiumque genuit Sanctium Crassum cognominatum regni heredem. Filiarum minima natu fuit Velasquita: quæ in matrimonium Munioni Vizcaiæ Comiti collocatur. Recta, & à prudentissimis viris tracta ea ratio mihi semper visa est, nec culpare, nec coarguere quemquam ex iis, qui res gestas posteris tradidere. Fides inquiunt, penes auctorem esto. Pudenter sane, ac modeste. Sed eos potissimum pręferri verum est, qui adhibita in rebus prodendis qualicumque ratione, & diligentia, earum gentium, in quibus ipsi prodidere, facta domestica, atque quodammodo vernacula, non externa, & ab vltimis repetita terris commentantur. Gothifredus vetustus scriptor rerum illa ætate gestarum perhibet, Othonem III. Romanorum Imperatorem Mariam vxorem duxisse: mulierem adeò temerariam, & procacem, vt probri, atque flagitij insimulatam, atque conuictam viuam Imperator comburi iusserit. Eum auctorem Cuspinianus, & alij quos à me recenseri non est necesse, ab Hibero, & Aragone amnibus longo terrarum tractu remotos, & seiunctos sequuti, Mariam Augustam Aragoniam nuncupant. De ea tamen re ne verbum quidem à nostris auctoribus proditum comperio. Iam vero, si rem adeò miseram, & intestabilem prætermitti nostræ gentis pudor cogeret, illud tamen silentio prætereundum minime videbatur, Aragoniam feminam Othoni Imperatori Max. Augusto nupsisse. Tempora tamen si Othonem, & Mariam Sanctii Regis filiam respicias, satis cõgruere videntur: neque quid diffideat, apparet: præter ipsius facti atrocitatem: & nostrorum hominum incredibilem indiligentiam.

GARCIAS

GARCIAS SANCTII F. IV. SVPRARB. ET POMPELONEN. REX.

AERA. NAT. CHR.

Moritur Myro Comes Barcinonensis. Tres filios reliquit: Seniofredum Barcinonensem Comitem: Oliuam cognomento Capretam Besaluni,& Cæritaniæ Comitem: & Myronem Comitem: qui Gerundensis Episcopus fuit. Omnes à patre in tutelam Seniofredi Vrgellitani Comitis patrui traduntur: quorum ditiones, in eius virtutis bellicæ præsidio xx annos mansere. 967.929

Cum Tarraconis vrbis, quæ olim Hispaniarum florentissima, potentissimaque fuerat, siue potius illius vestigiorum,& tenuiū reliquiarum Mauri dominarentur,& Ecclesia, quæ inter primarias excelluerat, pastore careret, Gothicæ prouinciæ Episcopi in conciliū conuocantur:& in ædē sacrā D. Iuliani martyris oppidi Fontis cooperti Narbonensis territorii conducuntur. Præfuit ei concilio Arnustus metropolitanus Narbonensis Ecclesiæ Episcopus:& ex prouincia frequentes assedere Antigisus Vrgellitanus, Eudericus Barcinonensis, Wigus Gerundensis, atque Adulfus Paliariensis Episcopi. In eo sacro cœtu summa contentio, quæ inter Vrgellitanum,& Palliariensem, de tota diœcesum ditione impendebat, deciditur. Erat enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione certatio: quod Palliariensis XXIII annos Palliariam ditionem, ac diœcesim inuasisset: constiterat que antea longo temporis spatio Vrgellitano fuisse attributam. De ea re patres decreuere, sanxereque: vti Adulfus, quamdiu viueret, sacris Episcopi functionibus, atque muneribus defungeretur: eaque diœcesis illi assignaretur: eo vero fato perfuncto Palliaria terra vetustæ Vrgellitanæ diœcesi contribueretur. 978.940

SENIOFREDVS COMES BARC.

Seniofredus Myronis F. Barcinonensis Comes, Seniofredo Comite Vrgellitano patruo libente ditionis suæ gubernacula, dignitatemque consequitur. 988.950

Seniofredus Comes Vrgellitanus moritur. In patris locum Borrellus F. succedit heres. 989. 951

Bella inter Hugonem Ducem magnum Roberti F. & Ludouicum Francorum Regem de regno suscepta,& summa contentione decertata principes Francos à rebus Hispaniensibus aliquot annos auerterant. Tandem A.D. XIII. Apr. vt paci publicæ consuleretur, res ad concordiam deducitur. 991.953

K. Decembris tertio Lotharii Francorum regni anno Raimundus Comes ditionis Ripacurciæ potitur. Is ex Garsendi vxore Francorum gentis quatuor filios susceperat: Wifredum, qui patri succedit, Arnaldum, Isarnum, & Odissendum. Hic cum Rotæ Ripacurciensi oppido ecclesiastica sedes constitueretur, in Basilica D. Vincentio martyri dicata eius ecclesiæ Episcopus consecratur: & ab Aimerico Archiepiscopo ea diœcesis Narbonensi prouinciæ contribuitur: quod Tarraco acerbissimum seruitutis iugum non repulisset. 995.957

Garciæ Regis strenui alioqui principis res gestę nullæ magnopere illustri laude, vel summatim scriptorum incuria celebrantur: quem ferunt tremulum vocitatum: non animi mollitia, aut lenitudine, sed quod bellico quodam furore incitato, cum prœlia inirentur, eius artus tremere totius corporis perturbatione,& conquassatione viderentur. Ne illud quidem prætermittendum. Cum Abdurrahamenus, qui Maurorum imperio terra, marique præpotens erat, adiunctis transmarinis militaribus copiis magnum exercitum conficiens, Ordonio Regi Legionensi bellum magno impetu intulisset, in Celtiberiam inde traiicit. Vascones quā tumultuosissime adoritur:& in eum penetrat regni Pompelonensis locum, qui Muezius Ruderici Toletani antistitis ætate appellabatur. Noster vero Garcias, cui tenues opes, exiguæq; copiæ erant, non diffidens, aut rebus suis desperans, bellum ducit: arcessitisque Ordonii auxiliaribus copiis, cū Ordonius satis magnas comparasset, & subsidio affectis rebus accurreret, Valle Iuncaria signis collatis exitioso prœlio decertant. Nostri magna accepta clade funduntur: atque profligantur. Captiui in hostium potestatem venere Dulcidius Salmanticensis,& Hermoigius Tydensis Episcopi: & in Hermoigii patrui locum Pelagius obses traditus, quod Christum Seruatorem Deum viuum,& verum detestari,& eiurare nollet, Cordubæ morte cum ingenti cruciatu afficitur:& in diuorum numerum refertur. Pelagium Episcopum AERA DCCCCLXIV crudeli morte affectum quidam Annales testantur.

K. Septembris AERÆ MLIII Garciam Regem decessisse vetustis aliquot monumentis proditur: quod auctoritate Belasconis falsum coarguitur:& conuincitur. Illa enim ipsa ætate, ita ab eo memoriæ traditum comperimus: Nam cum de Sanctii Regis eius patris morte tempus adnotasset, ita subdit. 1004. 966

Item filius eius Garſea Rex regnauit annis XL. Benignus fuit: & occiſiones multas
AERA. „ egit contra Sarracenos: & ſic deceſſit. Tumulatus eſt in caſtro S. Stephani. Superſunt eius
NAT. „ filij in patria eius: videlicet Sanctio. Reliqua deſiderantur in eo codice: at in peruetuſto
CHR. „ itidem codice Alueldenſi, qui in Regia etiam S. Laurentij bibliotheca aſſeruatur, ita legi-
1004. „ mus. Superſunt eius filij in patria: videlicet Sanctio, & frater eius Ranimirus: quos ſal-
966 „ uet omnipotens per multa curricula annorum amen: diſcurrenti præſenti æra (tempus
„ deſignat, quo hæc ab eo librario memoriæ prodebantur) MXIIII. Si ab initio regni Gar-
„ ciæ Regis, æra nempe DCCCCLXIIII, vt idem auctor ſcripto prodidit, cõnumeres, in æram
hanc MIV incidat neceſſe eſt: non MVIII: quod in codice Conciliorum S. Æmiliani, e-
iuſdem Belaſconis manu deſignatum legimus: ac multo minus MLIII: facili notarum ſi-
militudine: ac deprauatione. Ad D. Iohannis Pinnatenſis ſepultum noſtri referunt: ſol-
lenniq; Principũ põpa funeratũ: & gentili Regũ monumento conditũ: q̃ futuris Regum
ſepulchris dicatũ fuerat. Simenã vxorẽ duxit: ex qua natus eſt Sanctius F. qui regnũ infans
adipiſcitur: Maiorisq; cognomentum inuenit. Eũ principẽ cũ vxore Simena, & Varraca
Regina cœnobio Ciresię Verdunũ oppidũ & ſaltus, q̃ Beraldo & Aragone fluuiis cõtinẽtur,
q̃ auorũ Regũ tẽpore quęſita fuerãt, cõdonaſſe vetuſtis tabulis apparet. Qui tres alios Re-
ges, vt ſuperiorum Regũ tẽpora inter ſe cohæreant, inter Innicũ Ariſtã, & Sanctiũ hũc Ma
iorẽ comminiſci auſus fuerit, nempe Fortuniũ, Sanctiũ, atque Garciam, & veluti in ſce-
nam immiſerit, atque produxerit, ſtuporis, ac quodammodo amẽtiæ vetuſtiſſimos quoſ-
que rerum ſcriptores, qui tot ſæculis in Hiſpania viguerunt, coarguens: quaſi tres Princi-
pes, qui regnum adepti fuerant, aut obliuione, aut ignorantia prætermiſerint, næ ille vere
communi ſenſu carere videri poteſt. Ante hæc certe tempora, ne fando quidem eſt audi-
tum, vt quiſpiam qui ſe res vetuſtas penitus perſcrutari profiteretur, in ea verſaretur, i-
gnoratione, vt intra trecentos proximos annos, tres Principes domeſticos, atque, vt ita
eloquar, vernaculos, qui ſummæ rerum præfuerint, ignarus, atque imprudens dereliquе-
rit: atque de ſtatu regni deiecerit. Adde tot vetuſtiſſimorum, & grauiſſimorum ſcripto-
rum conſenſum: quem qui diuellere conetur, ſucceſſiones, vitas, atque obitus Regum,
qui iure ciuili certi, atque conſtantes & ducuntur, & habentur, & rerum geſtarum ordi-
nem omnẽ perturbarit: ac vetuſtati, cuius magnã eſſe vim apparet, inſignẽ notã inflixerit.

SANCTIVS MAIOR V. SVPRARB. ARAG. ET POMPELONEN. REX.

Barcinonenſium rerum veteres ſcriptores, quibus à me magna fides adhibetur, non
1005. comperio tradidiſſe, quam nam vxorem Seniofredus Comes Barcinonenſis duxerit. A-
967 licuius ſcriptis exſtare video Mariam Regis Sanctij F. duxiſſe. Satis tamen conſtat nullis
ſuperſtitibus liberis deceſſiſſe. In eius locum Borellus patruelis frater Comes Vrgellita-
nus ſurrogatur: nam vt quidam tradidere Oliuam Capretam legitimum ſucceſſorẽ pro-
ceres ditione Barcinonenſi euerterant: quem vti impium notatio, & animaduerſio pru-
dentiſſimorum virorum & decoris, dignitatiſq; ſplendore indignum decernit.

BORELLVS COMES BARCINONEN.

1008. Raimundo Ripacurciæ Comite mortuo Wifredus F. Palliarienſis, & Ripacurcienſis
970 ditionis fit compos: nulla iuris ſummæ poteſtatis Sanctij Regis, aut ſupremi dominatus
habita ratione: ſeque, ditionemque ſuam Francorum Regi Lothario ſubiicit: atque ad-
dicit: cuius ope, atque auxiliaribus copiis, cum Sanctius regni iura nondum conſtituiſſet,
ſtabiliſſetue, ſiue vt alij volunt ſe ſacro bello implicuiſſet, & in interiorem Celtiberiam
arma promouiſſet, totius fere Lacetaniæ, quę montoſis earum ditionum regionibus con-
tinetur, vi potitur: eaſq; poſteri ex ipſius ſtirpe generati, non minore labore quam cõpa-
rauerat, tutati ſunt: quoad Sanctius Rex ætate corroboratus, & Ramirus eius filius
Ripacurciæ regionem in ſuam redegere poteſtatem: & Regali nomine cohoneſtauere:
I fuit annus, quo Wifredus earum ditionum potitur, Lotharij regni XV: qui in hunc an-
nũ incidit. Sanctiã vxorẽ duxit: nulliſq; ſuperſtitib. liberis mortuus eſt. Ad D. Mariæ Alao-
nis, Ripacurciæ regionis cœnobio ſepelitur: cui monaſterio multa donarãt more maiorũ.

In Wifredi fratris locum ſuccedit Iſarnus: qui ad Montionem Ilergetum oppidum
cum Mauris prælio decertans occumbit.

Palliarieſi ditioni antea præfuerat Comes Borellus, & Lupus eius F. Suniarius Comes
Lupi F. Theudam Wifredi, & Iſarni Comitũ ſororẽ in matrimoniũ ducit: qui & Comes,
& Marchio Palliarienſis eſt cognominatus. Suniario vita functo Theuda ex Cãtabris ad ſe
arceſſit Iſarnum Iſarni fratris F. qui apud auunculum Regẽ Sanctium, vt quędam teſtan-
tur monumenta, degebat. Hic Ripacurciæ ditioni, & Comitatui præficitur: qui ab Ara-
næ vallis incolis, quam Garumna amnis interfluit, interficitur: quod eorum dominatum,
cuius

cuius pater atque auus, & Atho Episcopus Bernardi Comitis frater potiti fuerant, palam appeteret. Isarno minori Guilielmus F. Comes heres succedit. AERA. NAT. CHR.

Plures eadem tempestate ditionum Ripacurciæ, & Palliaris potitos comperio: siue ij hereditario iure, siue militaris muneris imperio fungerentur. Vetera enim monumenta Athonem Ripacurciæ Comitem ferme hoc ipso tempore, & Mariam eius vxorem commemorant.

Suniario Comiti, & Marchioni Palliariensi ex Theuda vxore Raimundus F. Comes heres fuit: qui Raimundum genuit: ex quo auitæ hereditati succedit Petrus F. Comes.

His temporibus alterum Guilielmum Palliariensem Comitem prisca monumenta testantur: Myri Comitis, & Gemmonis eius vxoris filium: qui Palliariensem, & Ripacurciensem ditiones inuaserant: iugaque, ac culmina montium, & saltus à Gestabiensi, Lisata, & Benasca vallibus ad Anabiensem vallem, quam Nocharia fluuius intra Palliariensem ditionem, infra Petræ blancæ, & Valentiæ Anabiensis saltus interfluit, circumsederant. Conualles vero, quæ claustris, faucibusque Pyrenæi continentur, & Broti, Bionis, Puertolarum, Bielsæ, & Gistai cognomina sumpsere, & supra Suprarbium ad Pyrenæi iuga pertinent, Suprarbiensi regno subiiciuntur.

A. D. III. K. Iulias in vetustis tabulis Endregoti Galindij fit mentio: qui vna cum Rege Sanctio Garciæ, quem prolem suam nominat, & Vrraca Ferdinandi Regina eius 1009. vxore Exaberium oppidum pietatis causa donasse fertur Sirasiensi Ecclesiæ: eamque rem 971 gestam memorant regnante Sanctio Garcia, & Vrraca Regina in Aragone, & Pompelonensi ciuitate: & scribendo adfuisse Degium Episcopum Aragonensem, Blascum Episcopum Pompelonensem, & Benedictum Episcopum Naiarensem: sed ea temporum ratio mihi in suspicionem venit.

Borellus Barcinonensis Comes, & Marchio cum Ledgardi vxore, & Raimundo F. & 1011. Ermeruesa Vicecomitissa, & Witardo Ermeruesæ F. Salla Episcopo Vrgellitano, & Vi- 973 cecomite Guilielmo Solsonæ arce, quæ Seniofredi Comitis tempore constructa, & colonis frequentata fuerat, tamquam earum regionum propugnaculum, firmumque præsidium militaribus copiis confirmat.

Wifredus Ruscinonis Comes, à quo Ruscinonenses Comites fluxere, Lotharij Re- 1019. gis Francorũ permissu Colliberim desertũ, & dirutũ oppidũ, trans Pyrenæi promontori- 981 um maris litori impositum construendum, condendumque curat. Nomen ab Illiberis vetustæ vrbis reliquiis inuenit: quam etsi mediterraneam fuisse satis constet, cum vrbs ea opulentia floreret, haud longe tamen à mari sitam fuisse, vestigia ipsa testantur. Neque mediterraneum nomen eam vim obtinet, vt longo à mari spatio disiungi conueniat. Satis enim constat Saguntum, & Valentiam insignes Aedetaniæ vrbes, quæ pertenui à mari discrimine, nempe III. M. P. separabantur, & Olisiponem, quæ pæne Oceano ipso alluitur, mediterraneas à priscis vocatas.

Lotharius Colliberim oppidum Wifredo posterisque eius condonat: quod & situs accessu, & portus appulsu plurimas, & maximas commoditates Ruscinonensibus repræsentat. In Archetypis tabulis à Lothario Wifredus Dux cognominatur, & rem eam Laudini vrbe regia Anno INCARNAT. DOM. 981. Indictione IX. VII Idus Iulii gestam regnante D. Lothario Augusto serenissimo Anno XXVII: filio vero eius. D. Ludwico adolescente egregio regnante Anno III.

Myro Episcopus, & idem Gerundensis Comes Myronis Barcinonensis Comitis F. moritur. 1022.

Borellus Barcinonensis, & idem Vrgellitanus Comes, cum Mauros insultantes coërcere conatur, qui fines Laletaniæ, & Cosetaniæ depopulantur, coacto exercitu in Vallesia regione, haud longe à Moncada castello in patenti Matabouio Campo prœlio decertat: magnaque accepta clade funditur. Ad D. nobiles viros occisos ferunt. Cum Barcinonem Comes ex prœlio se reciperet, hostes vrbem obsident. 984

K. Iulij IV. Feria Mauri, qui copias omnes commouerant, denuo Barcinonem castris circumsident. Copiis militaribus pæne omnibus, oppidanisque longo bello vrbe ex- 1024. hausta, cum Comes obsidionis periculo ciues liberare non posset, propugnationem dese- 989 rit: & in Manresanos montes sese abdidit.

A. D. II. Non. Iul Mauri Barcinonem irrumpunt: propugnatores, ciuesq; omnes ad vnum cæduntur: capiunturque. Familiarum nobilium stirpes, quæ ante CC. annos ea in vrbe floruerant, ac nominis Francici memoria delentur. Qui gladio non cõficiuntur, & de funesto patriæ exitio superfuere, Cordubam delati, & in alia Maurorum regna dispersi

AERA. NAT. CHR.

miserandæ seruitutis iugum perpetiuntur. Ea tam terribili, ac truculenta clade accepta, arces, castellaque omnia oræ maritimæ raptim atque turbate amittuntur: deduntur que hostibus: solæque Moncadæ, & Ceruilionis arces natura, ac situ munitissimæ, vt fertur, à nostris propugnantur.

Borellus incredibili virtute, atque animi magnitudine aduersis rebus incitatus copias omnes militares Manresæ colligens in hostes irruens, re felicissime celerrimeque gesta Barcinonem, ingenti suorum strage, & publica calamitate ereptam horribili impetu, admirabilique conatu recuperat. Eo bello immunitas data iis qui equo militaria stipendia merent. Ad nongentos fuisse traditur: quorum ex genere eorum effluxerint familię, quos de Paratico nominauere: quod non capitecensi, aut relati in ærarios, sed tanquam bene peculiati pro ingenuis ciuibus se gererent: censerenturque.

1025. 987 In donationum regiarum, & assignationum agrorum monumentis S. Petri Tabernæ, ex quibus minutatim rerum memoriam vetustarum decerpere cogimur, hoc anno K. Ian. Sanctii Regis, & Vrracæ eius vxoris, & trium liberorum Garciæ, Ramiri, & Gonzalui fit mentio. Vrracæ vero nomen ad Sanctium Abarcam Regem, liberorum ad Sanctium eius nepotem rem referendam demonstrat: atque huius etiam anni ratio vitio non caret: cum nec dum nati ea tempestate esse videantur Garcias, Ramirus, & Gonzaluus: qui Sanctio Maiore patre mortuo, quisque regnum adipiscitur suum: vt plane ea res in annum incarnationis domini MXXV, non æræ reiicienda sit: adeo in fallaci, & ancipiti, ac lubrica temporum serie versamur.

1027. 989 Sanctius Rex Cœnobio S. Iohannis Pinnatensis, quod loci religione permoti illius sæculi principes auguste, sancteque venerabantur, Mattem, Baguesium, & Huertolum oppida condonat.

1028. 990 Moritur Oliua Besaluni, & Cæretaniæ Comes. Bernardus Taliaferrus F. quasi incisor ferri cognominatus, in Besalunensi succedit ditione. Minor natu Wifredus Cerretanię hereditario munere præficitur. Oliua eorum frater monachus ex Riuipulli Abbate Ausetanus fit Episcopus.

1031. 993 Borellus Comes Barcinonensis è vita excedit. Hunc principem primo Ledgardim vxorem duxisse, & filium ex ea Raimundum suscepisse comperimus. Secundis nuptiis in matrimoniũ Aimerudim adiunxerat. A. D. VIII. K. Oct. eius testamenti tabulę obsignantur: quibus Raimundum Barcinonensis, & Gerundensis ditionis heredem scribit. Raimundum, Borellum, & Suniarium Comites fratris filios, & Guilelmum Vicecomitem, vna cum Raimundo filio exequendo testamento præficit. Ermengaudum natu minorem F. Vrgellitanæ ditionis heredem instituit: à quo Vrgellitani Comites fluxere, qui Ermẽgaudi sunt omnes nomine appellati: quod idem videtur, ꝙ Erminigildi. Cœnobium Riuipulli Borellum anno DCCCCXC instaurasse memorant: atque in eo conditum arbitrantur.

RAIMVNDVS BORELLVS COMES BARCINONENSIS.

1041. 1003. Mauri ad Albesam maximo, & memorabili prœlio funduntur: & profligantur: magnaque clade illata ciuitates pæne omnes Laletanorum, Ilergetum, & Cosetanorum, quæ ab hostibus obtinebantur, & nunc Catalonię finibus continentur, Raimundo Borello Comiti tributa conferunt. Berengarius Episcopus Helenensis eo in prœlio occũbit.

1048. 1010 Sacrum bellum Hispaniarum principes summa virium contentione gerunt. Barcinonensis magno exercitu instructo, & auxiliaribus copiis Paliariensium, Ripacurciensium, Suprarbiensium, & Aragonensium adiunctis, Castellanorum, & Legionensium exercitus consequitur. In Bæticam prouinciam tanquam Imperii arcem, & propugnaculum inuadunt: ac Cordubensem agrum incurrentes, haud longe ab ea vrbe maximo, & cruento prœlio configunt. In ea pugna Ermengaudus Vrgellitanus Comes, & Marchio, quem Cordubensem, ob eius cædem postera ætas nominat, & Arnulfus Ausetanus, Aëtius Barcinonensis, & Otho Gerundensis Episcopi mortem occumbunt.

1055. 1016 Raimundus Borellus Barcinonensis Comes moritur: in cuius locum BERENGARIVS RAIMVNDVS F. succedit Barcinonensis ditionis heres.

1058. 1020 Bernardus Taliaferrus Oliuę Comitis F. Besalunensis Comes Rhodanum traiiciens demerso nauigio periit. Is Guilhelmum Bernardum cognomento Crassum filium reliquit Besalunensis ditionis heredem.

Wifredus Cæretaniæ comes Bernardi Taliaferri frater Raimundum Wifredum F. Cæretaniæ ditionis heredem instituit. Huius quattuor alios filios commemorant: Wifredum Narbonensem Archiepiscopum, Berengarium Gerundensem, & Guilielmum Vrgelli-

Vrgellitanum Episcopos. Vetus auctor rerum Barcinonensium, qui eos recenset, vnam AERA.
tantum vxorem Wifredi Comites Cæretaniæ commeminit: neque cuius gentis fuerit, NAT.
traditur. CHR.

A. D. VI. Id. Ian. Anno incarnationis Domini MXXV, AERA MLXIII. Indict. VIII. 10063.
anno XXVIII. Regni Roberti Francorum regis Berengarius Raimundus Barcinonen- 10025.
sis Comes libertatis tuendæ iura, possessiones, bonaq; ciuibus Barcinonensibus, & totius
eius ditionis incolis confirmat: atq; sancit: vna cum vxore Sanctia: vt mos genti, & illo-
rum temporum principibus fuit: vt is vxoribus honos adhiberetur: neq; sexum in impe-
riis discernerent. Sanctiam Infantem nominat: & filiam potentissimi Comitis Sanctii es-
se asserit: vt Sanctii Castellæ Comitis filiam, aut Sanctii Guilielmi Vasconiæ Aquitanicæ
Comitis fuerit: qui eadem vixere ætate. Vetusta enim monumenta, & priuilegia exstare
video à Sanctio Rege hoc ipso anno irrogata, quibus Simenæ Reginæ eius matris, & Ma-
ioris Reginę vxoris, Garciæ, Ramiri, Gonzalui, & Ferdinandi filiorum fit mentio: & San-
ctius Guilielmus Vasconiæ, & Berengarius Barcinonensis Comites, qui scribendo adfu-
ere, commemorantur: donationesq; à Rege factas auctoritate sanxere.

Sanctio Castellæ Comite, & Garcia Infante eius F. vita functis, Sanctius Rex here-
ditario vxoris iure, quæ Garciæ Infantis soror fuit, quam alii Maiorem, Eluiram alii vo-
cant, Castellæ dominatum ditionemque obtinuit. Infantes vero vocari, non regum tan-
tum liberos iusto matrimonio genitis, sed Regio genere ortos, vti de Carrionis, & Laræ
Infantibus Petrus Portugalensis Comes confirmat, mos Hispaniæ gentis fuit: quod ve-
tusta consuetudine, & prisco more comprobatum comperio.

Regnum Suprarbii, Aragoniæ, & Pompelonense tam exiguis initiis constitutum, di- 10064.
tione ea, quam Sanctius Regis auus vi expugnauerat, & Cantabriæ Ducatus decoraue- 10024.
rat cognomine, iam iusti regni, non finibus modo, sed decore augetur. Sanctius Pyrenæ-
um transgressus, vti quidam auctores prodidere, magnam Vasconiæ partem imperio sub-
iicit: quam Pictonum Comiti pretio, vti ferunt, addixit. Ex Suprarbii montosis locis
Comitem quendã, siue is Ripacurciensis, siue Paliariensis erat, qui vi plura castella expu-
gnauerat, auertit. Ad eam potentiæ, & maiestatis amplitudinem, quæ illorum tempo-
rum erat conditio, euectus, nullam enim maiorem, à Gothici regni euersione memi-
nerant, Imperatoris nomen vsurpat. Plura bella cum Veremundo Legionensi Rege
gessit: plura confecit: donec reconciliatione concordiæ Veremundus Sanctiam soro-
rem Ferdinando Sanctii Regis F. non natu maximo in matrimonium tradit. Rex oppi-
da omnia, atque arces, quas vltra Pisoracam amnem expugnauerat, & suo imperio adie-
cerat, Ferdinandi, & nurus ditioni attribuit. Pisoraca enim Castellæ ditionem à Legio-
nensi regno diuidit. Rex præterea S. Victoriani cœnobium in Affaniensi Ripacurciæ re-
gione situm, quod Gesaleci Regis Gothorum regno, religione loci, summa veneratione
cultum, & amplificatum, & à Mauris postea violatum, ac funditus dirutum fuerat, in-
staurat: atque exædificat. Id cœnobium Rex ipse & antiquissimum, & religiosissimum
appellat. In S. Iohannis Pinnatensis sacra æde monachos, quos ex Cluniacensi cœnobio
D. Benedicti instituto addictos arcessierat, collocat: & religioso cœtu ad piam commu- 10064.
nitatem consociantur Paterno Abbate præposito: eaque res permissu Mancii Aragonen- 10026.
sis, & Sanctii Pompelonensis Episcoporum constituitur. atq; sancitur.

Filera, Ruesta, Vllum, Penna, Sos, Lobera, Vncastellum, Luesia, Librana, Eliso, Ca-
stelmanco, Aguero, & Morillum oppida, atque arces & construuntur: & muniuntur: in-
colisque frequentantur.

Sanctius regnum sanguine maiorum traditum, & summa virtute, & gloria depulsis 10072.
hostibus partum, vt inter filios stirpem, ac semina malorum omnium rescinderet, liberis 10034.
diuidit. Grauissima inter eos suborta fuere dissidia: quæ eo processerant, vt ipsius facti
atrocitas, siue indignitas, aut omnino culpa augeri non posset. Garcias enim, & Ferdi-
nandus domesticis furiis exagitati Reginam parentem probri, & adulterii insimulant: &
heroica quadam virtute Ramiri priuigni, qui aduersus impios, & consceleratos fra-
tres, matris eorum innocentiam armis tueri, ac defendere audet: eiusque flagitii pœna,
quam præsenti morte, quasi in manifesto facinore deprehensam, patriis legibus, &
constituto iure dependere erat necesse, liberat. Garciæ natu maximo Pompelonense re-
gnum, & eam ditionem, quam Cantabriæ Ducatum illa ætas nominare assueuerat, &
Vadum Longum, ac tractum omnem, qui ab vrbe Naiara ad Aucæ montes est interie-
ctus, & Ruestam, atque Pitillam oppida, cum continenti vicorum ditione attribuit. Fer-
dinando Castellæ regnum, ac Comitatum condonat: fuitque is primus, qui eius domi-
natus regale nomen vsurpat: nam Sanctius pater, non se Castellæ, & Aragoniæ Regem

ERA. NAT. CHR.

nuncupauerat: sed in eis ditionibus regnare litterarum elogiis tradebatur. Ramiro, siue Ranimiro, vt tunc loquebantur, filio, quem ex primaria Aiuarę veteris, & illustris familiæ femina susceperat, Aragoniam terram tradit: aliquot vero castella eius ditionis Garciæ contribuit: & Pompelonensis regni alia Ramiro: quæ cum vterque, vti maioris coniunctionis pignora, & fraterni fœderis, atque fiduciæ vincula sua haberet in potestate, magnæ dissensionis inter fratres, atque exitialis dissidii causa fuit. Gonzaluo natu minimo Suprarbiensem, & Ripacurciensem ditiones assignat: & à Troncedo Ripacurciæ oppido, ad Martinetum continentem ditionem, & Loharii, & S. Emeterii arces contribuit. Ea omnia Comitis cognomine viuente patre obtinet: eo vero mortuo, sunt qui testētur Regio cognomento fuisse vsum: cum vetustis etiam tabulis constet, Gonzaluum viuente patre mortuum: & Regem Sanctium Ramirum filium in ditione Ripacurciensi Gonzaluo fratri substituisse. Reginam ferunt, vt insigni caritate maternum officium se priuigno præstaturam ostenderet, & filios ex se se genitos, tanquam degeneres, & maioribus dedecori fuisse, veluti grauissimo iudicio, quoad eius fieri poterat, testaretur, Ramirum adoptasse: & Garciam natu maximum auita Castellæ ditione euertisse. Adoptionis ius, illorum temporum instituto more, rite sancitum tradunt: qui is inoleuerat, vt quæ adoptaret, per stolæ fluentes sinus eum, qui adoptaretur, traduceret. Inde dotalis Aragoniæ hereditatem, nouercæ indulgentia eam adoptionem fuisse secutam perhibent. Inde origo intestinorum inter fratres bellorum, & exitia rerum.

1072. 1034 A.D.XV.K.Nou. Sanctius Rex summam, & perfectam gloriam consecutus illustri, & peruagata fama multorum in rempublicam meritorum, imperio, & dignitate, & maiestate amplificato è vita excedit. Oueti vrbe Asturum regia sepelitur: & à Ferdinando F. Rege in D. Isidori cœnobium ad Legionem VII. Geminam insignem Asturiæ vrbem constructum infertur: quod sepulchrum ipsius, liberorum, posterûmque eius Regum esset. Rotensis cœnobii monumenta sexagesimo quinto regni anno Sanctium Regem AERA MLXXIII decessisse testantur.

RAMIRVS VI. AB INNICO ARISTA ARAGONIÆ REX.

1073. 1035. EX eo Aragonia Regni cognomentum obtinet. Rex finitimos omnes aut bello domuit: aut condicionibus sui iuris facit.

Berengarius Raimundus Barcinonensis moritur: cui succedit RAIMVNDVS BERENGARIVS F. Duos præterea filios reliquit: Guilielmum Berengarium Manresanum Comitem, & Sanctium Berengarium: cui fratris Manresana obuenit hereditas. Berengarium Comitem imbecillem, & valde pusilli animi fuisse veteres prodidere auctores: atque eo rerũ potiēte Mauros eas regiones incurrisse, atq; vi expugnasse, quibus Cataloniæ nouæ cognomentũ fuit: eæ enim erant, q̃ cis Rubricatũ fluuiũ pater, atq; auus armis vindicauerant: & imperio, ac potestati suæ subiecerant.

1074. 1036 Ricardus Episcopus Bigeronensis, Garcias Ferto, & Guilielmus itidem Ferto ex proceribus Labadanæ regionis Aquitaniæ Augusto mense Ramiro Regi Gisbergam tradunt: Bernardi Rogerii Bigeronum Comitis filiam: & Garsendæ eius vxoris. Eam Rex in matrimonium ducit. Vetus rerum Aragonensium scriptor Gisbergæ nomen sacri fontis baptismate sortitam fuisse perhibet: & vocitatam Ermesendam: nomine tamen Ermesendæ vsam vetusta monumenta testantur.

Turbatis rebus malorum extremum discordia accessit: nam dum induci non possunt, vt intra præscriptam portionem se quisque contineat, initia ipsa regnorum inter fratres cruenta fuisse, & ad cædem, & internecionem inter se contendisse satis constat. Inter Garciam præsertim, & Ramirum non finium modo tuendorum, aut propagandorum causa, sed de tota ditione magna belli contentione est decertatum. Cum Garcias viuente, vt ferunt, patre, pia peregrinatione Romam profectus esset, vt Apostolorum Petri, & Paulli basilicas viseret, & sacra limina veneraretur, & Ramirus fœdere Cæsaraugustanum, Tudelanum, & Oscensem regulos sibi adiunxisset, vt facile appareret bellum parari, nec vltra ad arma ire dilatatum: in regnum fratris irrumpit: & Taffaliam oppugnat. Frater peregre reuersus coacto exercitu obuiam illi procedit: & prœlio magna virium con-

contentione decertato, Ramirus turpi fuga, cum castra hostes diripuissent, magna AERA
accepta clade profligatur. Aragoniæ pæne totius Garcias potitur: Ramirus in Suprar- NAT.
bium, & Ripacurciam se abdidit: & destitutum se videns cæsis suorum cateruis in montes CHR.
concessit.

Ermengaudus Vrgellitanus Comes, quem Peregrinum vocitauere, sacra peregrina- 1075.
tione religionis causa obita, Hierosolymis decedit. Ermengaudus F. annos V. natus ex 1037
Constantia vxore in patris locum succedit heres.

Raimundus Barcinonensis erepta patris tempore armis vindicat: atque adeo feliciter rem gerit, vt laudem, & gloriam bellis partam, & imperij fines propagatos summi decoris honoribus amplificauerit. Satis constat XII. Maurorum Reges ex latis Hispaniarum prouinciis tributarios, ac stipendiarios sibi reddidisse.

Raimundus Fulcho Vicecomes Cardonensis Guila matre genitus Cardonensē sacrā 1078.
ædē D. Vincentio dedicat: Eribaldo Episcopo viro sanctitate insigni Vrgellitanæ Eccle- 1040
siæ præside. Eribaldo Ermengaudus succedit Episcopus: cuius religionis, & sanctitatis splendor, quasi magnum lumen per omnes Hispaniarum oras nostris gentibus eluxit.

Hugo S. R. E. nuntius Apostolicus in Hispanias legatus Barcinone prouinciale munus rerum sacrarum administrat: eoque assidente Raimundus Barcinonensis, proceresque Cataloniæ ex Gothicis legibus, quib⁹ fora, & iudicia in terra Catalonia indici, & constitui superioribus sæculis consueuerant, & in Castellæ, & Legionis ditionibus Reges iura statuebant, quas Ferdinandus Rex Ramiri frater in sua ditione firmarat, aliquas tollunt: & exceptionibus leniores efficiunt: nouasque condunt: easque, quod vsu cottidiano, communique consuetudine, quæ vim legis obtinet, collocarentur, ac sancirentur, Vsatica appellauere. Dignitatum, honorumque ordines Raimundum primum distinxisse, atque in Vicecomitū, Baronum, & Valuasorum gradus collocasse, edita, & corroborata opinio est: eaque ex antiquissimis litteris, & monimentis constitit: quæ sola Petri Tomichij de Augerio Catalone, & nouem illis proceribus, cum innumerabilibus copiis Arana, & Anabiensi valle in Cataloniam irrumpentibus commentum, & ea quæ tamquam veteri opinione, & omnium firmata consensu prodidit, nempe à Carolo Magno Imperatore nouem Comitum, Vicecomitum, & totidem Baronum ordines distinctos, atq; constitutos plane conuellit. Nam quod persuadere nititur nouem etiam diœceses Episcopatuum, Rotensi adiecta quæ Ilerdensi cesserit, ab eodem Carolo terminatas, quæ tot ante sæculis definitæ fuerant, incuriam hominis satis refellit: atque coarguit.

A. D. XV. K. Oct. Rege in arce Laquerensi adsidente, cum Eribaldus Vrgellitanus antistes conquestus esset, Sanctio Rege Ramiri patre annitente Ripacurciensem, & Gestabiensem diœceses ab Vrgellitana ecclesia fuisse diremptas, quæ Ludouici Imperatoris regno illius Episcopo contributæ fuerant, vetustæ iurisdictioni restituuntur. Rota Ripacurciensis, cuius Mauri longo tempore potiti fuerant, & Sanctius Ramiri pater ab eorum dominatu vindicauerat, & Narbonensi prouinciæ contributa fuerat, Vrgellitanæ diœcesi adiungitur.

RIPACVRCIÆ SVPRARBII ET ARAGONIÆ SVBIVNCTIO.

Gonzaluo Suprarbiensi, & Ripacurciensi, siue Rege, siue Comite, vt supra memora- 1083.
uimus, interempto, quem Ramonetus Vasco ad Monclusi pontem insidiis circumuen- 1045
tum interfecerat, Ramirus fratris ditione potitur: & Regē se Ripacurciæ, Suprarbij, & Aragoniæ appellat. Gonzaluus ad D. Victoriani sepelitur.

Hoc ipso anno Sanctij Ramiri Regis filij fit mentio: quem ex muliere susceperat, cui cōnubij cum eo ius, fasq; non erat: & alterius item Sanctij ex Ermesenda iusta vxore eodem hoc anno geniti: qui patri regni succedet heres. Vetustæ præterea tabulæ exstare in cœnobio S. Iohannis Pinnatensis Gothicis litteris inscriptæ feruntur, quibus Ferriolus Bolea, qui se cum Nuennone fratre ei sacro cœtui addixerat, dum hostium feritatem, atque immanitatem deuitat, & Paganos vocat, perhibet hoc anno Ramirum Regem in Aragonia, Suprarbio, & Ripacurcia, Almugdadirium Cæsaraugustæ, & Almudafarem Ilerdæ regnare.

Sanctius Episcopus Iaccetanus. Paternus Abbas Pinnatensis.

K. Dec. obiit Ermesenda Regina: & ad D. Iohannis Pinnatensis sepelitur. Ex ea Rex 1087.
alterum filium nomine Garciam habuit. Is Iaccetanus fuit Episcopus. Duas ex eo con- 1049
iugio filias suscepit: Sanctiam, quæ Tolosati Comiti nupsit: & Theresiam Guilielmi Bertrandi Prouinciæ Comitis vxorem.

Sanctium filium maiorem natu Aiuaris, Xabierris, & Latris heredem instituit: & vti
AERA. ferunt Comitatus dignitate decorat: & Ripacurciæ præterea dominatum attribuit.
NAT. Stabile, & perpetuum bellum inter Nauarræ, & Aragoniæ Reges fratres germanos
CHR. permanserat: quod reprimi nisi alterius internecione non potuit. Cum tandem summa
10091. externarum virium contentione Garcias, & Ferdinandus armis decernerent, Ramirus
10053. ereptam Aragoniam recuperat. Cum enim non mitioribus furiis Garcias, & Ferdinandus iactarentur, & Ferdinandus iam præpotens, & excellens Castellæ ditioni Legionense, & Gallaicum regnum adiecisset, de Riogiæ, & Burueuæ ditione, quæ ad Hiberum pertinet, decertantes, Garcias, vt frater vltra Aucæ montes se reciperet, cogit. At Ataporcam, id vico nomen est, collatis signis prœlio cum decertarent, Garcias contumacis, & superbi animi princeps, & qui iuniorem fratrem regnorum imperio superiorem sua inuadere æquo animo pati non posset, in ea pugna mortem occumbit. Ex eo Ferdinandus regni fines Hiberi ripis terminat: & Pompelonense regnum: quod Hibero, & Pyrenæi iugis contineretur, Sanctio Garciæ fratris F. reliquum esse voluit. Aragonia, Suprarbium, & Ripacurcia Ramiro libera remanent. Non tamen his finibus Ramirus contentus, mense Ianuario non Aragoniæ modo, Suprarbij, & Ripacurciæ se Regem, sed Pompelonensis ditionis appellat. Tres filios Garciam Regem suscepisse veterum scriptorum testimonio apparet: Sanctium, quem regno destinatum ad Pennalenem Nauarræ vicum, viuente patre interemptum tradunt: & alterum itidem nomine Sanctium: qui patri regni successit heres: tertium Raimundum: qui postea sibi regnum appetens Sanctium Regem fratrem interemit.

Mauris, qui Ripacurciæ penitus exacti nondum fuerant, acre bellum à Rege infertur. Benauarrium ab eis receptum vi expugnat.

10092. In Commentarijs rerum à Ruderico, Biuario gestarum, quem Cidum sua ætas appel-
10054. lauit, & heroum veteres casus imitatum illa memorant carmina, quæ multis sæculis declarorum virorum laudibus in conuiuiis cantitantur, scriptum reperimus summa contentione, & dissidio inter Ferdinandum, & Ramirum Reges de Calagurris vetustæ Vasconum vrbis ad Hiberum sitæ iure, ac dominatu fuisse concertatum: armorumq; discrimini eam controuersiam, vt gentis priscus mos fuit, commissam: vt Cidus Castellę Regis, Martinus Gometius, quem totius Hispaniæ acerrimum, & fortissimum virum idem auctor gestorum commemorat, Aragoniæ Regis iura, & partes armis vindicent: & pro suo quisque regni decore ferro dimicet: vt qui certamine victor euaserit, eius nationis regnũ vrbi imperitet. Martino ex prouocatione deuicto, atq; interempto de Calagurri Ferdinando Ramirum concessisse. Eum virum, qui in publica causa mortem oppetiit, cui tantus honos, etiam ab inimicis defertur, regia Pompelonensium Regum stirpe ortum, & ab eo proceres illos maiorum gentium, qui Lunæ cognomento agnationibus tot illustrium familiarum distinguuntur, generosa propagine profectos apud veterem scriptorem comperio.

Ramirus, & Sanctius Garciæ Regis F. pactione arcium tradendarum fœdus sanciunt: & eæ arces veluti obsides vtrinque acceptæ. Pacto eo conuento Ruesta, & Pitilla à Ramiro Sanctio traduntur: arx vero Sanguesana, Lerda, & Onduesium pactione auxilii aduersus Ferdinandum Regem conferendi Ramiro, posterisque eius à Sanctio sunt attributa.

10093. Raimundus Berengarius Barcinonensis Comes, & Almodis eius vxor Senescaliam
10055. Cataloniæ Raimundo Myroni tradunt: quod genus imperii præcipua rerum bellicarum administratione adiuncta ad strenuos in primis viros, & virtute, potentiaque præstantes, & Comitum Barcinonensium propinquitate coniunctos deferri consueuit: summæq; rerum præficiebantur: penes quos opes, & arcana regni in Gallia spectarent. In Aragonia vti in Galliæ regno Maiores domus appellabãtur: quod aulæ Regiæ præfecti essent: quorum vis, ac potestas domi, militiæq; plurimum pollerent. XXV. anno regni Henrici Francorum Regis eam rem gestam vetusto monumento perhibetur.

10094. A.D.XVIIII.K.Febr. AERA MXCIV. in concilii decretis à Cresconio Apostolicæ ec-
10056. clesię Iriensis Episcopo, & Vistrasio Lucensi Metropolitano, & Suario Dumiensi Episcopo Compostellæ factis in Basilica beati Iacobi Apostoli apparet XXI. annum regni Ferdinandi connumerari: vt eadem temporis ratio Ramiri eius fratris regno adæquetur: & apposite conueniat.

10096. Ali Sarracenus qui Dianii, & Balearium insularum dominio potitur, earum ditio-
10058 num ecclesiastica iura hoc anno, vt in vetustis tabulis apparet, Ecclesiæ S. Crucis, & Sanctæ Eulaliæ Barcinonensis, & Guilaberto Episcopo. VII. K. Ian. contribuit. Guilabertum tamen

tamen Episcopum Barcinonensem VIII. Id. Octobris Anno domini MCXX. à Sarracenis in prœlio interemptum vetusta quædam monumenta testantur.

AERA. NAT. CHR. 1098. 1060

Cum Ferdinandus Rex, qui gestarũ rerũ gloria Magni nomen est consecutus, Cæsaraugustum enim, Toletanum, Portugallensem, atque Hispalensem Maurorum Reges sibi parere, atque tributa quotannis pendere coëgerat, immemor malorum, quę tot per annos illa ætas fraternis dissidiis tulerat, regni ditionibus à patre disiunctis, & inter filios diuisis, ipse itidem Sanctio, Alfonso, & Garciæ liberis regna & tradita, & bellis parta diuidit: & perpetuum odium, atque dissidium, summamque inuidiam, & infamiam opera sua illis conflauit, Sanctius adepto regno fratres inexpiabili odio persequitur: eius vero frater patruelis Sanctius Pompelonensis Rex, quoad eius fieri poterat, fratribus implicitis bello, erepta vindicat.

Ramirus Rex paulatim proferendo fines, præsidiaria castra extollens altius, & castella, turresque frequentes opportunis locis construens Mauris bellum infert: omniq; Suprarbio, & Ripacurcia pellit: aut suo imperio subiicit. Almugdadiriũ Cæsaraugustanum, & Almudafarem Ilerdensem Reges, quotannis tributa conferre cogit. Bis signis collatis, vt erat acer, & pugnax, Oscensem Regem maximis prœliis deuincit. Palliariensem ditionem, cum sibi virum præpotentem, & nauum Regia cognatione adiunctum Rigolfum Florentium conciliasset, ac fœdere deuinxisset, imperio adiungit. Rigolfus castellum ad Toris ripas obstructum opere, ac natura munitum Palliariensis regionis arcem, atque receptaculum constituit. Castellionem appellat. Ex Eincelina primaria femina Bernardum, & Amatum filios reliquit: qui arcem eam Regi, patre Rigolfo vita functo tradidere: & Eincelinæ Beranũium Castellum ad Isauenæ ripas situm condonatur. Palliariensis regionis ex eo Rex se potiri sperat.

Hoc ipso anno Sanctius Ferd. F. in Pompelonis, Alauæ, & Castellæ ditione regnare traditur: Ramirum vero Sanctij patruum Aragoniæ regni potiri.

Sedes Episcopalis Rotæ constituitur: diœcesisque Palliariensis, & Ripacurciensis illi contribuuntur,

Sanctius Episcopus Aragonensis.
Paternus Episcopus Cæsaraugustanus.
Arnulfus Episcopus Rotensis.

Hi antistites, & Guilielmus Vrgellitanus Wifredi Cæretanię Comitis F. Heraclius Bigeronensis, Stephanus Olorensis, Gomecius Calagurritanus, Iohannes Lectorensis, Episcopi Austindo Auxitano Archiepiscopo assidentes Iaccæ vetusto Vasconum oppido concilium eius prouinciæ celebrant: quam & cis Pyrenæum, & ea Aquitaniæ regione, quæ Vasconia illis temporibus dicta est, nunc Gascunia vocatur, aut Regi Ramiro paruisse, aut fœdere fuisse adiunctam, nõ opinione solum, sed etiam plane ad veritatem hoc vno monumento mihi persuadeo. In primo Concilij consessu Rege vna cum filiis, ac regni proceribus assidente maxima frequentia, atque applausu in Dei opt. Max. laudes populus erumpit. Regem benignissimum, ac serenissimum principem compellat: prosperaque acclamatione diuinum implorat numen, vt hostium, ac gentium victor existeret. Summa religione, ac pietate eo in concilio cærimoniarum sacra, magna corruptela, propter assiduos bellorum tumultus intermissa sanciuntur: deprauatique mores patrij in ordinem rediguntur: & perfecta instituta maiorem reuocantur. Ne quid ex sanctorum patrum ritu, negligentia, fraudeve prætermitteretur, sacra omnia pie, riteque ex Catholicis sanctæ Romanæ ecclesiæ decretis, atque sanctionibus instaurantur: ne inter ipsas clades, ac feros bellorum exitus aut continuum armorum vsum, sacræ religionis viderentur nostri negligentiores. Data Sacerdotibus lex, ne quo alio more, quam Romano præcarentur: neq; Gothica, vtpote peregrina piacula, exsoluerentur. Ecclesiastica sedes Iaccæ constituitur: quæ priscis temporibus Osce collocata fuerat: decernuntque, vt quãdoque diœcesis caput ab impiorum dominatu eriperetur, illi Iaccetana sedes subiiceretur: & tamquam filia parentem pie, sancteque coleret. Fines diœcesis terminantur: ac circumscribuntur. Paternus Cæsaraugustanus Episcopus permissũ sacri concilij ecclesiam sanctarum Massarum Cæsaraugustæ vrbis, quæ innumerabiliũ martyrum cineribus compactæ erant, ad Orbe, & Hiberi confluentes ripas vetustis temporibus constructam, quæ sacris reliquiis consecrata fuerat, & D. Encrati dicata, regio honori tribuens, atque gratificans Iaccetanæ ecclesiæ contribuit: eamque rem, ac terminatos fines Gregorius VII. Pont. Max. decreto suo postea confirmat. Præter decumas tertia tributorum portio, q Cęsaraugustani, & Tudelani populi reges Mauri pensitãt, ecclesiasticis munerib. assignat. Ex eo Episcopi, q ad eã diẽ Aragonię cognomẽto vsi fuerãt, Iaccetani etiã appellãtur.

AERA. Sanctius Caſtellæ Rex cum Carpetaniæ,& Celtiberiæ regionibus bellum intuliſſet,
NAT. quarum regulos Ferdinandus pater ſuo ſubiecerat imperio,Cæſarauguſtam circumſi-
CHR. det:& eius fines incurrit:quoad Mauri ſe,ſuaque illi traderent:ea conditione,vt ab hoſti-
1101. um incurſionibus vindicentur:nam eam vrbẽ Rex Ferdinandus Sanctio F. & eius regno
1063 cum appendicibus attribuerat.Inde de regnorum finibus ſumma inter Reges contentio: dum hac fertilitate,atque amœnitate Cæſarauguſtani agri vterque perfrui cupit: atque eo gradu terminos promouere, vnde ſi porro anniterentur, ad oras maritimas, ac lætas cultu regiones aſpirare poſſent:& magnis Regibus tam decore, quam virtute æquarentur. Sanctius ſumma implacabilis iracundiæ acerbitate in patruum graue bellum conuertit:illata cauſa,quod Nauarris opitularetur: ſuaſque ac Cæſarauguſtanorum copias colligens in Suprarbium improuiſus, ac repentinus inuadit: circumcirca cuncta depopulatur,& vaſtat:patruo arcem Gradus obſidente:quam Mauri ad Eſeræ ripas ſitam munierant.Subita hoſtium irruptione noſtri funduntur:& Ramirus Rex prœlians interficitur.. Vetuſtis annalibus perhibetur pugnam eam A.D.VIII. Id. Mai fuiſſe pugnatam. Ad D.Ioannis Pinnatenſis ſepelitur:gentiliciique tumuli ſepultura corpus humatur.Gregorius VII.Pont.Max.præclaro impertito teſtimonio regẽ ſummis laudibus extulit: Chriſtianiſſimum appellans:& ſedi Apoſtolicę adeo deditum,atque addictum,vt vna cum liberis ſeſe, regnumque tributarium illi conſtituerit:eius pietatem, ac religionem collaudat:quod tanquam alter Moſes primus poſt deuaſtatas à Mauris Hiſpanias Romana ſacra,canonicaque inſtituta pie,ſancteque adſciuerit:& Toletanã ſuperſtitionem pergentes fuſam,ſunt qui his verbis Magorum portẽta innui arbitrentur,cuius illuſione hominum mentes imbuebantur,amouerit: atque proiecerit. Quæ eo à ſummo Pontifice extolli,atque prædicari videntur,quod Rege annitente, atque inſtante vetuſtis ſacrorum ritibus more Romano,rebus diuinis opera daretur:precationes conſecrarentur,ſollemnia, ſtataque ſacrificia rite peragerentur: ac vota perſoluerentur. Magnas enim ſollemnium precationum diſſimilitudo in Hiſpaniarum prouinciis turbas,ac contentiones excitauerat.

SANCTIVS VII. ARAGONIÆ ET SVPRARBII REX.

Sanctius duodeuiceſimum annum agens patri ſuccedit heres.

Arnaldus Myro Myronis F.in Palliaria,ac Ripacurcienſi regione præpotens ea tempeſtate late ditionem continuat. Agerenſi caſtello præſidio firmato regionem omnem, quæ Nocharia Ripacurcienſi,& Palliarienſi,itẽ Nocharia fluminibus,& à Septemtrionibus montis Sicci iugo, & meridie S. Liciniæ arce continetur, impiis expulſis hoſtibus armis vindicat.

Caſteldaſium caſtellum Maurorum irruptione,atque impetu vi expugnatur.

1102. Initio regni Iaccam vetuſtum Vaſconum oppidum,& ciuium frequentia, & ſitu,&
1064 Beneharnenſi ſaltu,nunc Aſpenſem vocant, celebrem, Galliarum commercio, atque commeatu, externiſque commoditatibus opportunum Rex vrbis appellatione cohoneſtat.Habitari enim tanquam vrbem,frequentarique,quod totius regni præſidium,atque propugnaculum eſſet,corpuſque ei ciuitatis,ſenatus,& plebis concilium attribui, & magiſtratus ad iura reddenda quotannis creari è dignitate regia cenſuit.Leges ciuibus ſancit:militaribus,incultis,atque horridis illis hominibus conſentaneas:forumque indicit,Iaccetanum nuncupatum:quo & ciues, & regni incolæ,colonique firmum ius tenerent.Leges in iuſtum poſtea volumen, quod hodie exſtat, referuntur: eæque à Rege, in Nauarræ regni populorum inſtitutis ſcitæ fuere.

Rex Sanctio Pompelonenſi Regi patrueli fratri fœdere adiunctus,patris vlciſcendi cauſa Sanctium Caſtellæ Regem patruelem itidem fratrem bello perſequitur.Prœlio ad Vianam commiſſo Caſtellæ Rex profligatur.

Hugo Candidus presbyter Cardinalis S.R.E. ad Hiſpaniarum Reges ab Alexandro II.P.M.de ſumma Chriſtianæ reipublicæ legatus,quo de ſummo Pontificatu controuerſia eſſet,maximaque impenderet contentio,ſummo cum honore à Rege excipitur. Verum Chriſti Vicarium Alexandrum tanquam rite ad eam dignitatem adſcitum Rex, omniſque regia,ac populi profitentur:& legato Alexandri nomine parent:atque obedientiam adhibent. Cœnobia, eorumque vectigalia, quod ab Epiſcopis vindicarentur, Rex poteſtati, atque arbitrio ſummi Pontifi. ſubiicit: vt à ſede Apoſtolica conſeruentur.

1103. Cum Aragoniæ,& Caſtellæ Reges ab armis recederent, & Sanctius Ferd. F. in fra-
1065 tres germanos omnem conatum,atque impetum vertiſſet, Aragonius Abdurrahameno Oſcenſi

Oscensi Regi bellum infert: Barbastrum nobile Ilergetum oppidum ad Veri fluuii ripas situm vi expugnat. In ea obsidione occumbit Ermengaudus Vrgellitanus summæ potentiæ princeps: cuius filiam Feliciam Rex in matrimonium duxerat. Mauros tamen postea eius vrbis potitos comperimus. Barbastrensem ecclesiam Salomoni Rotensi Episcopo attributam quædam monumenta testantur: cum satis constet Arnulfum Episcopum aliquot annos post vrbem eam primo captam vitam perduxisse. AERA. NAT. CHR.

Raimundus Berengarius Comes Barcinonensis, & Almodis eius vxor de controuersia, quam cum Vicecomite Raimundo Bernardo Trencauello habent hereditaria comitatus, ac ditionis Rhodensis Galliæ prouinciæ, & vicecomitatus Conseranensis, & Conuenatis, & iurisdictionis ciuitatum Carcasonensis, & Narbonensis, Mineruinæ, ac Tolosatis transigunt: atque decidunt. Trencauellus Comitibus sese obstringit: supremumque eorum dominatum, & summam potestatem sancit. Ea pactione Carcasonis Comitatus Trencauello mancipatur: recipiuntque Comites Carcasonensem ciuitatem: & eas possessiones, quæ Episcopi iuris erant. His constitutis Raimundus Arnaldus Carcasonensis Vicecomes, & Raimundus Iazbertus Vicecomes Rhodensis Comitibus Barcinonensibus, posterisque eorum se, suosque subiiciunt: atque addicunt. 1106. 1068

Raimundus Wifredus Cæretaniæ Comes moritur.

Guinardus Ruscinonensis Comes Perpinianum oppidum, haud procul Ruscinonis vetustæ vrbis vestigiis condit: eo in loco, vbi duæ tabernæ, & diuersoria erant, quæ Bernardi Perpiniani nuncupabantur.

Sanctius Regis frater Ripacurciæ ditioni præficitur.

Hoc ipso anno, qui regno Philippi Francorum Regis Henrici filii octauus fuit, Arnaldus Myro Monasterium S. Petri Agerensis condit. Hic clarus, ac præpotens vir prole virili orbatus Valentiam filiam Raimundo Raimundi F. Suniarii Comitis nepoti Comiti Palliariensi in matrimonium collocat: & Ledgardim alteram filiam Pontio Vicecomiti Caprariensi vxorem tradit: quorum filius Gerardus Capraria Agerensis item Vicecomitatus fit heres.

Sanctius Rex Ferdi. Regis F. cum non Alfonsum modo, & Garciam fratres hereditariis regnis expulisset, sed sorores Vrracam, & Eluiram vlcisci, & persequi statueret, & Vrracam in Zamoranam arcem compulisset, atque eam obsidione premeret, & nulla spes esset diutius obsessos inopiam laturos, à Belidio Ataulphio Zamorensi optimate, qui ad stationes regias dolo peruenerat, perfidia, ac proditione interceptus, crudeli morte mactatur. Certum auctorem eiusdem ætatis exstare comperio, qui prodit, Vrracam summi consilii feminam cum Petro Ansurio Comite, & Zamorensi ciuitate ab Rege desciuisse: ac rebellionem fecisse. 1110. 1072

In aliquot annalibus, quibus memoriæ publicæ retinendæ causa, res insignes singulorum annorum litteris consignabantur, qui complures exstant, testatum comperio: Rudericum Biuarium Cidum cognominatum, postquam Sanctius Rex interemptus fuit, & Simonem Garcesium Torelliam ex prouocatione singulari certamine armis decertasse: & Torelliam virum in primis strenuum, atque primarium à Biuario deuictum: neque de qua controuersia conflixerint, memoriæ proditur: sed causam Alfonsi Regis Castellæ Sanctii Regis fratris Biuarium tuendam eo certamine suscepisse. In iisdem præterea annalibus traditum est, eundem post ea Biuarium singulari itidem certamine Farizium Sarracenum vehementem bellatorem ad Medinam Zelimi nobile oppidum deuictum contrucidasse.

Rudericus Biuarius Cidi cognomentum sortitus, cuius animi magnitudinis, & rerum gestarũ commemoratio ea est, vt supra hominis priuati fortunam esse videatur, ab Alfonso Castellæ Rege desciscens, qui in demortui Sanctii Regis fratris locum successerat, Celtiberiæ arces munitissimis locis à Mauris obstructas vi expugnat: & in Valentini regni fines irrumpẽs, firmissimo robore copiarũ suarũ acre bellũ aduersus Mauros gerit: & suis, sociorumque viribus in hostes consurgens totam belli molem in eam regionem auertit. Eodem conatu in intimas hostium regiones penetrans plura oppida, castellaque expugnat: quorum excidiis militem Præda locupletat. Mauri deliciarum luxu fluentes à militaribus copiis externis, & armorum vsu obduratis funduntur passim: cæduntur-que.

Gregorius VII. P. M. Regi nostro tota mente, atque omni animi impetu bellum sacrum meditanti, atque molienti, gratificaturus, tribuit, atque condonat vt prouentus, ac decumas ex agris vectigalibus attributas ecclesiis, delubris, sacellis, & cœnobiis quæ construerentur, atque à Maurorum dominatu vindicaretur, suo arbitratu ipsis ecclesiis, 1112. 1074

delubris, sacellis, & cœnobiis assignare, atque adnectere posset. Id ius à Gregorio fir-
AERA. matum Vrbanus II. P. M. postea Aragonensibus Regibus, posterisque eorum firmum, ac
NAT. ratum sancit.
CHR. Sanctius Rex Garciæ Regis F. ad Rotam interficitur. An Rudericus Toletanus An-
1114. tistes necis auctorem sciens, ac prudens reticuerit, affirmare non ausim: satis enim ex ve-
1076 tustis monumentis constat, à Raimundo fratre, seu dira regnandi cupidine, siue cæca, ac temeraria sui vlciscendi insania fuisse interemptum: & Raimundum regium nomen inuasisse.

Ea occupata tyrannide Raimundus non diu oppressum seruitute regnum obtinere potuit. A Pompelonensibus enim regni finibus est expulsus: Sanctiumque Aragoniæ Regem sibi deligunt, atque adsciscunt: qui ex eo tempore regni Pompelonensis, Naiaræ Regiæ Vrbis, & totius eius ditionis, quæ Hibero amne, & Aucensibus montibus continetur, conniuente Alfonso Castellæ Rege Ferdin. Regis filio potitur: cuius supremum potestatis ius, atque dominatum eidem Alfonso recipit: atque sancit. Raimundus fraterno sanguine pollutus extorris à Cæsaraugustano Rege Mauro excipitur: & in summa miseria, atque ærumna vixit. Neptem reliquit Marchesiam Aznarii Lupi vxorem. Regis Sanctii Pompelonensis F. Ramirus, ea in conuersione rerum, & perturbatione ad Cidum deducitur: cuius filiam in matrimonium duxit.

ARAGONIÆ ET POMPELONEN. REGNI SVBIVNCTIO.

Bellum à Rege ad Ripacurciæ confinia geritur: Maurique cæduntur: & coercentur. Arcem munitissimam Munionem vocatam ad Secastellam oppidum IIII. M. P. à Gradibus magna virium contentione expugnat. Adfuisse eo in prœlio Garcias Iaccetanus Regis frater, & Arnulfus Rotensis Episcopi traduntur. Insigni, & cruenta victoria parta, ad D. Victoriani principem aram mense Augusto, summa cũ pietate Rex vota persoluit. Is rerum status erat, vt perpetuæ stationes agendæ continentibus bellis essent.

Raimundus Berengarius Barcinonensis exacta ætate, summa, & perfecta gloria perfunctus è vita excedit: & in æde maxima Barcinonensi sepelitur. Duos reliquit filios: Berengarium Raimundi: quem natu maiorem priscus auctor confirmat: & Raimundũ Berengarii: quibus Cataloniam omnem, vt omnis controuersiæ dissensio tolleretur, diuidi voluit: finesque imperii singulis constitui. Carcasonensem ditionem Raimundo attributam comperimus. Hunc Guilielmi Tolosatis Comitis fratrem ex Almodi matre memorant.

BERENGARIVS ET RAIMVNDVS COMITES BARCINONENSES.

Sanctia Regis soror, Tolosatis Comitis vxor D. Mariæ cœnobium in S. Crucis finibus constructum affluentibus copiis ditat. Sororum, id est feminarum pie, sancteque degentium receptaculum esse voluit: indeq; nomen inuenit. Sanctia in eo sacello sepelitur.

Aimericus Vicecomes Narbonensis Mahaltis F. Raimundo Barcinonensi, quẽ germanum appellat, ego vterinum fratrem fuisse suspicor, iura potestatis arcis, ac ditionis Fo-
1114. nolletiæ, & Petræ Pertusæ recipit: atq; auctoramenti sacramento sancit. Huius egregia o-
1076. pera enituit, quod Raimundo opem, atq; auxilium tulerit, in eo bello, quod aduersus eos proceres gessit, qui Rhodensem, & Carcasonensem ditionem inuaserant.

1118. Couinum, & Pitilla arces à Rege vi expugnãtur. Ad Cæsaraugustam prœlio cũ Mau-
1080. ris decertat. Pina oppidum situm ad Hiberi traiectum, Gradum vocant, incursione hostili deflagrat. Post finitima vi, vel metu subacta castrorum, & castellorum munimentis oppleta Aragonia est: & iam assuefacta terrori esse accolis omnibus, quos antea formidauerat: & deuicti paulatim in amplitudinem gentis concessere.

Rerum Barcinonẽsium vetus scriptor Raimundum Barcinonensem perhibet Roberti Viscardi Apuliæ, & Calabriæ Ducis potentissimi Principis filiam in matrimonium duxisse: neq; deesse video, qui vereatur, ne falso memoriæ proditum fuerit. Gaufredus enim monachus, qui eiusdem Roberti, & Rogerii Siciliæ Comitis eius fratris res gestas, ipsius Rogerii rogatu posteris tradidit, cum de ea re mentionem nullam fecerit, Mathildim tamen Rogerii F. Raimundo Prouinciarum Comiti nupsisse, commonstrat. Rem dignam censeo in qua animaduertenda eius verba apponantur.

» Anno dominicæ incarnationis MLXXX Raimundus famosissimus Comes Prouinciarũ
» famam Rogerii Siculorum Comitis audiens propter strenuitatem, quæ de ipso refereba-
» tur, legatos dignos, qui à tanto ad tantum dirigerentur, mittens, Mathildam filiam suam,
» quam de prima vxore, admodum honestæ faciei puellam habebat, sibi in matrimonium
» copulandam expostulat.

Apponit

Apponit præterea, ne plura subtexam, Raimundum in Siciliam profectum, digno exceptum apparatu, pactiones renouatas, dotem dictam, sponsalia celebrata: & inconditis etiam carminibus faces nuptiales decantat: vt qui in ea re præsens adfuerit: ac falli minime potuerit. Iam vero, quod Prouinciarum Comitem appellet, & rerum status, & illarum ditionum Galliæ prouinciæ conditio, & temporum ratio subinnuere videri poterant, Raimundum Comitem Barcinonensem fuisse, cui Mathildis nupserit: cui & media Catalonia, & Narbo, & Carcaso primariæ ciuitates Prouinciæ ea tempestate parerent: atque eius supremum sustinerent dominatum. Cum vero idem Gaufredus sexto postea transacto anno, Raimundo Barcinonensi Comite interempto eiusdem Raimundi Prouinciarum Comitis mentionem fecerit, & Mathildis sororem ab eodem Raimundo Claramontio Comiti collocatam, quæ classe ad S. Egidium prouinciæ Galliæ oppidum appulerat, vt Philippo Francorũ Regi nuberet, cuius fuere diremptæ nuptiæ, haud absurdum fuerit, si asserere ausim Mathildim Raimundo S. Egidii, & Tolosatium Comiti nupsisse: qui Prouinciarum Comes ab eo auctore sit appellatus: vt vere Barcinonensis Raimundus Viscardi filiam in matrimonium duxerit. AERA. NAT. CHR.

Garcia Iaccetano Episcopo Regis fratre, & Raimundo Dalmatio Rotensi Episcopis de diœcesum finibus contendentibus certi limites terminantur: scribendo adfuisse Sanctium Galindium Comitem, qui Boltagnę, Ataresii, & Sosii dominabatur, & Centullum Bigeronensem Comitem, & Sanctium itidem Ramiri Regis filium vetustis tabulis Rotensibus comperimus.

Cum regni tenues opes, atq; exiles essent: ac virium, & armorum firmamento, ac robore constaret, atq; ea spe nostris animi adderentur, si ex mõtosis saltubus, & asperis, pręruptisq; locis in vberes, ac fertiles regiones, quarum hostes potiebantur, arma transferrent, ac bellum ipsos aleret, Rex, quod in decumas ecclesiarum, atque eos agrorum fructus, qui sacris functionibus assignabantur, primitias vocant, manus iniecisset, atque in militares vertisset vsus, magna se religione obstrictum videt: tantaque vis fuit pœnitendi, vt in D. Victoriani cœnobio, ad D. Vincentii aram, Raimundo Dalmatio Episcopo assidente, eius noxæ religionem expiarit. 1119. 1081

Bolea in Vasconum, & Ilergetum confiniis sita, & opere munita, ac situ, à nostris vi expugnatur. De ea re Gonzaluus Garcias, cui Sanctæ Mariæ cognomen fuit, Cæsaraugustanus ciuis, & in primis iuris scientia clarus, qui de rebus gestis Regum Aragoniæ opus latino sermone contexuit, hęc prodidit. Anno vero millesimo octogesimo primo debellauit Boleam: vnde egressi sunt, originemq; duxerunt duo generosi viri: quorum cognomen ante nuncupabatur à Turribus: sed quia in expugnatione loci, vltra vires humanas conflixerunt, cognomen eis mutatum: ac à villa expugnata sumptum. Hæc eadem, ferme totidem verbis, à Gauberto monacho, earum itidem rerum scriptore, qui eiusdem Gonzalui ætate opus suum concinnarat, traduntur.

A. D. VIII. Id. Dec. Raimundus Berengarius Comes Barcinonensis ad Astoris perticam, is locus est inter Gerundam vrbem, & S. Celedonii oppidum, ab impio, & conscelerato fratre Berengario trucidatur. Raimundo filius A. D. III. Id. Nouemb. natus fuerat: qui patris nomen tulit. Is diuina ope seruatus, & patris, & patrui ditione, qui meritas parricidii pœnas dedit, potietur: & ad summum perueniet imperium. 1120. 1082

Bernardus Guilielmus Comes Besalunensis.
Guilielmus Raimundus Comes Cæretanus.

Gradus Ripacurciæ oppidum vi expugnatur: quod cum Ramirus Rex, si eius esset potitus, D. Victoriano se dicaturum vouisset, votum à patre nuncupatum pius Rex soluit: & cœnobio D. Victoriani attribuit. 1121. 1083

Magnam ab hostibus Christianorum stragem hoc anno editam ad Rotam oppidum, prope Salonis ripas situ munitissimum memorant. Eam rem Alfonsi Castellæ Regis ope, atque consilio gestam comperio: qui suas opes, atque copias Mauris adiunxisset, quod cum Aragonio Rege de Pompelonensi, & Nauarræ regno certaret: fratrumque discordia prope ad vltimum dimicationis ventum. Eo in prœlio Ramirum Infantem Sanctii Nauarræ Regis filium occubuisse ferunt.

Aierbium oppidum à Rege conditur: & cõmunitur haud procul Gallici fluminis ripis: eo situ quo Ebelinum vetus oppidum via consulari, quæ Cæsaraugusta Beneharnũ ducit, constitutum apparet. Proximis gentibus perdomitis, virium accessione robustior, aduersus finitimos bella gerens, totius Vascetaniæ populos, aut subigit, aut in fœdera cogit.

Festo natiuitatis Domini die Rex prœlio cum impiis hostibus ad Petrampisadam decertat. 1122. 1084

Non. Apr. sacro cœnæ domini die, & item postero VI. Feria sancta corpora Indaletii
AERA. & Iacobi eius discipuli Vrgitanæ Ecclesię Episcoporum, quos ex sacro illo collegio disci-
NAT. pulorum beati Iacobi, & aliorum Apostolorũ in Bæticæ oras appulisse comperimus, fre-
CHR. quentissima celebritate à Rege, & Petro eius filio, in cœnobio S. Iohannis Pinnatensis
1122. conduntur: quæ Almeria vrbe aduecta pie, sancteque à nostris coluntur.
1084. Arguedas oppidum Rex paulo post vi expugnat.

A. D. X. K. Iun. Siecastellæ arcis Rex potitur. Eodem mense ad Tudelam cum Mauris signis collatis prœlio dimicat. Nostri adeo fidenter bella gerunt, vt iam non prærupta tantum collium, montiumque ardua occupauerint, sed in immensa, ac vasta camporum se effuderint.

Hoc anno A. D. VIII. Id. Febr. ab hora sexta, vsque ad horam nonam, trium horarum spatio defectione solis facta, adeo obscurato sidere diem obductam memoriæ proditur, vt quasi nocte offusa, terris in tenebris, & obscura caligine omnia iacerent. Commutationem rerum periculumque Principibus portendisse, morte trium maximorum Principum subsecuta, sæculum illud quodammodo agnouit. Eo enim ipso anno obiere Gregorius VII. P. M. & Guilielmus, qui primus ex Normannorum ducibus regnum in Britannia, quam Angliam vocauere, multa virtute capessiuit: & Rob. Viscardus eiusdem gentis: qui Apulis, Calabris, Campanis, Bruttiis, & Siculis à se, & Rogerio fratre perdomitis, cum Macedoniæ, & Græciæ arma intulisset, & Constantinopolitano imperio cum Boamundo F. strenue immineret, summa, & perfecta gloria vitam amisit.

1123. Rex, cuius victoriæ longe, lateque diffusæ magnum hostibus terrorem iniecerant,
1085. Petro F. natu maximo Suprarbii, & Ripacurciæ ditiones attribuit: & regale nomen, dignitatemque impertit. Cum primogenitum Regii nominis appellatione dignatus esset, patria virtute, & maiestate pollentem, Sanctio Petri fratri Benauarri ditionem, & comitatum recipit: atque tradit.

PETRVS SANCTII REGIS F. SVPRARBII ET RIPACVRCIÆ REX.

A. D. VIII. K. Iun. D. Vrbani festo die Toletum vrbs regia, & totius Hispaniarum imperii veluti arx, quam Alfonsus Rex castris circunsederat, postquam imminentes colles firmis præsidiis occupasset, & hostes à commeatu, & reliquis copiis interclusisset, Regi traditur: quare feliciter gestis, maiorum suorum victorias ingenti laude superauit.

1124. A. D. VIII. K. Mai. Felicia Regina moritur. Tris ex ea Rex liberos susceperat: Pe-
1086. trum, Alfonsum, & Ramirum. Omnes regiam dignitatem consequentur.

Artallus Palliariensis Comes Artallis Comitis, & Luciæ F. Luciam Almodis Barcinonensis Comitis F. memorant.

1125. Mauri, qui Almorabides vocabantur, cum ab Abenhabeto Hispalensi Rege, vltro
1087. & Africæ, & Mauritaniæ prouinciis essent arcessiti, vt Alfonso Regi genero opitularentur, magnisque copiis ex delectu Africano comparatis fretum traiecissent, Abenhabetum ipsum regno deturbant: atque eo interempto, pæne totius Bæticę potiuntur: & magno impetu per Hispaniarum oras effunduntur.

Bernardus Toletanus Archiepiscopus, quem rebus sacris in Hispaniarum prouinciis Gregorius VII. P. M. præfecerat, & omnium antistitum primarium constituerat, Tolosæ concilium celebrat: cui adsedere Narbonensis Archiepiscopus, & Galliæ Gothicæ Episcopi. Mox ecclesiæ Tarraconensis instaurandæ pręfuit: eoque administro Tarraconense, & Toletanum templum dedicatione consecrantur. Vrbanus P. M. Tarraconensi Ecclesiæ Berengarium Ausetanum Episcopum præficit.

1126. Mense Maio ad Moreliam cum Mauris à Rege dimicatum vetus auctor memorat:
1088. & in eo prœlio Cidum deuictum. In quibusdam annalibus. A. D. XIX. K. Sept. res gesta traditur.

1127. Non iam repens bellum, sed acre, & magnum à Rege ad Cingæ fluminis ripas ge-
1089. ritur. Festo S. Iohannis Baptistæ dominica die vna cum Petro F. Rege Montionem validum Ilergetum oppidum, & ad omnia opportunum, arce septum & situ munitum vi expugnat: pręsidioque firmat. Rudericus Toletanus antistes insigni laude Titionis primarii iuri id oppidum irruptum fuisse, atque expugnatum commemorat: & mox dolo amissum Barcinonensi Comiti fuisse traditum.

1128. Abderrahamenus Oscensis Rex tributarium se Regi, ac stipendiarium constituit.
1090. Alfonso Regi bellum aduersus Almorabides Mauros, qui in Hispanias irruperant, gerenti difficilimo tempore à Rege subuentum est: eiusque subsidii causa Toletum proficiscitur

ficiſcitur. Stella oppidum intra Nauarræ regni fines conſtitutum populo, & ciuitate incolitur. AERA. NAT. CHR.

Caſtellare ad Hiberi ripas, XX. M. P. ſupra Cæſarauguſtam loco præcelſo, atque edito, velut arcem ſuis finibus impoſitam condi, atque muniri Rex iubet: vti eo munimento, crebris ad Hiberum diſpoſitis præſidiis Cæſarauguſtani, non incurſionibus modo, ſed continenti veluti obſidione premerentur: cuius præſidium, vacuos per agros, cuncta infeſta commeatibus hoſtium fecerat: idq; receptaculum noſtris exercitibus patuit. 1129. 1091

Ad Arbis montis radices S. Eulaliæ, Almenara, & Nauale oppida à noſtris irrumpuntur. Collis ſupra Oſcam vrbi imminens, quem Sanctii vocitauere, communitur: atq; obſtruitur: & ad eius vrbis obſidionem animi omnium conuertuntur. Lohatri, Marcuelli, & Alquezaris munitiſſimæ arces in anguſtiis montium præſidiis firmantur: vicinæq;, & finitimæ regiones illis clauſtris continentur. Ex eo caſtella, quibus hoſtes in Hiberi, Gallici, Canadris, Veri, Guatazulemæ, ac Cingæ ripis pręſidia ſuæ propugnationis conſtituerant, maiore vi, atq; incitatione expugnantur. Oſca primaria vrbe circunſeſſa, omnia loca ſuperiora, atq; itinera à noſtris obſidentur.

Iunio menſe Rex copias omnes diſperſas in Montionis arcem cogit vti Ermengaudo Vrgellitano affini aduerſus Mauros, qui Ilerdæ, Fragæ, & Dertoſæ dominantur, bellum gerenti ſubſidium comparetur. Tot per idem tempus ciuitates propagatę, conditęq; fuere, vt maxime auctum iuris communione Aragonium nomen ſit.

Luna oppidum in Vaſcetania conditum, & cœtu incolarum frequentari cœptum. Eius oppidi ditio Bachallæ, ex proceribus primario viro à Rege attribuitur: vnde eius poſteri Lunæ cognomen inuenere. Gens in primis longo ſtemmate inſignis.

Berengarius Barcinonenſis Comes, cum Cataloniæ partis dominaretur, & reliquam poſt fratris necem tyrannide appeteret, totius ditionis potiundę furore incitatus ingens bellum orſus fuerat: cuius Vrgellitanus & fautor, & adiutor exſtitit.

Ermengaudus Comes Vrgellitanus ſummę potentię princeps moritur. Is Gerpius eſt appellatus: quod ex Gerpo Caſtello Balaguerim vrbem ad Sicoris ripas ſitam, & arce, & vbertate agrorum in primis nobilem, aliaque plura Ilergetum oppida, & Maurorum præſidia ad deditionem compuliſſet. Ilerdenſem, & Cæſarauguſtanum Reges ingentem pecuniam quotannis pendere cogit. Ex Lucia vxore Ermengaudum filium genuit. Adelaidam prætetea vxorem prouinciæ Galliæ Comitem, & Sanctiam filiam in teſtamenti tabulis commeminit. 1130. 1092

Rex Ramirum F. minimum natu ſacris, & diuino cultui dedicat: ſacraque vota ſuſcipere, eorumque ſponſione apud Frotardum abbatem obſtringi, & pie, ſancteque profiteri curat: & Cœnobio S. Pontii Tomerienſis Galliæ prouinciæ, in territorio Narbonenſi ad Iauri ripas, Araurium eſſe arbitramur, addicit: quem ex pueris non exceſſiſſe eo tempore arbitror. Res digna, quæ litteris conſignaretur: mandareturque monumentis: atque ideo concepta literarum verba hoc loco adponere operæ pretium viſum: vt Catholicum Principem maximis, & periculoſiſſimis bellis vota victoriis ſuis nuncupantem audiamus. 1131. 1093

In nomine ſummi, & æterni Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Notum ſit omnibus ſanctæ Eccleſiæ filiis: præſentibus ſcilicet, & futuris: quod ego Sanctius gratia omnipotentis Dei Rex Aragonenſium, necnon Pompelonenſium Regis Raimiri filius: qui fuit quondam: memor verborum Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quibus ipſe dicit: Date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis: & quoniam eleemoſyna à morte animam liberat: & ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum: facio donationem ex alodibus meis propriis omnipotentiſſimo, ac clementiſſimo Deo: & almæ genitrici Dei Mariæ: atque glorioſiſſimo martyri Pontio: necnon Tomerienſi cœnobio: quod eſt ſitum in pago Narbonenſi ſuper fluuium Iauri: & domno Abbati Frotardo: ſeu ſucceſſoribus eius: & monachis: moderno tempore degentibus: & in antea futuris. Igitur ego volens præfatus Sanctius Rex placare in omnibus Diuinitatem, ob immenſa beneficia à Deo conlata: quoniam debet felicitas hominis beneficiis reſpōdere Creatoris: calore Sancti Spiritus ſuccenſus offero amabile mihi pignus ſcilicet Raimirum filium meum Deo: & glorioſiſſimæ ſemper Virgini Mariæ, & glorioſo martyri Pontio cœnobii præſcripti, atque Abbati præſcripto, & monachis ibidem degentibus in perpetuum: ea videlicet fideli deuotione, quatenus ſit Monachus ſecundum regulam ſancti Benedicti præſcripti cœnobii: & imploret Domini bonitatem pro me: & matre ſua: cunctiſque propinquis ſuis. Poſt hanc itaque donationem, atque oblationem cariſſimi filii mei in primis dono prælibatis ſanctis, ac præſcripto cœnobio

AERA. NAT. CHR.

monsterium Sancti Vrbicij de Serrauol: cum omnibus suis pertinentiis: & cum omnibus decimis suis: cum villis, & mansis, & palatiis suis, & possessionibus: & cum omnibus hominibus, & mischinis suis, & posteritate illorum: cum terris, vineis, pratis, pascuis, boscis, siluis, garricis, arboribus fructiferis, molendinis, aquis, aquarumque exitibus, & regressibus earum, viæ ductibus, & reductibus earum: tam vrbanorum, quam rusticorum: montosum, siue decliuum: quicquid dici, vel nominari Romano ore potest: omnia, & in omnibus sicut ego vmquam habui: vel tenui, seu habere debui per qualescunque voces: sine vlla re. Similiter dono illam Ecclesiam Apostolorum Christi Simonis, & Iudæ: de Castro, quod dicitur Lauatella: cum omnibus Ecclesiis: & capellanis suis: quæ ibidem fuerint cum decimis, & primiciis suis, & cœmeteriis: simulque alodibus suis: & pertinentiis suis. Simili tenore dono omnes primicias, & decimas, & oblationes, necnon alodia de ipsis Ecclesiis, & villis, quæ ad prædictum castrum transmigrarunt: idest Morraes, Bastares, & Banizi: cum omnibus suis pertinentiis. Dono & Ecclesiam Sanctæ Ciciliæ cum decimis, & primiciis: & cum oblationibus suis: siue cum omni Ecclesiastico suo: & cum cuncta medietate de suo termino, cum suis pertinentiis. Insuper dono Deo, & præscriptis Sanctis, ac cœnobio Tomeriensi illud Castrum, quod vocatur Villelas: cum suo, & alodibus suis cunctis, siue affrontationibus, pertinentiis liberum, & ingenuum: cum Ecclesiis, & Capellaniis, quæ ibidem fuerint: si Deus concesserit: cum omni Ecclesiastico earum: sine vlla reseruatione cum suis pertinentiis. Similiter dono ipsam pariam, & tributum, ac fabricam, quæ mihi soliti erant facere ipsi Ismaelitæ: cum omnibus seruitiis suis: quæ debent facere. Dono etiam casas in Iacca: quæ fuerunt de Garsia Arceiz: qui fuit Marinus de prædicta Iacca: & sunt in medio supradictæ ipsæ casæ. Adhuc etiam dono ipsam turrim cum ipsas casas de Castro, qui vocatur Mons Aragonum iuxta casas filij mei Petri: & ante casas caput Ecclesiæ cum ipso alodio, & molendino: quod dedi prædictis Sanctis: in campo qui vocatur Floren iuxta flumen inter Teirch, & Chiluert. Dono etiam capellam Zudæ de Osca: si Deus eam mihi dederit: vel filio meo. Sunt autem hæc omnia in territorio Oscensi. Adhuc etiam ego Sanctius præscriptus gratia Dei Rex amore Christi prouocatus dono Sanctiæ Mariæ, & Sancto Pontio Tomeriensis cœnobii prælibati, & monachis ibidem commanentibus Ecclesias, & Capellanias de Castro, quod vocatur Arguedas: quæ ibidem sunt modo: & in antea erunt: & in omni termino suo: cum decimis, & primiciis: simulque oblationibus suis: & cum omnibus pertinentiis suis: atq; vniuersis, quæ ad prædictam Ecclesiam, vel Capellaniam pertinent: seu pertinere debent: vel aspicere videntur: totum ab integro sine vlla reseruatione. Simili modo dono decimam de paria prædicti Castri: & de termino suo: & decimã, ac primiciã de Puliera: necnõ de omni termino suo. Similiter dono ipsam decimam de illa paria de Castro, quod dicitur Valterra: & Quatreti: & de omni termino suo: cum Ecclesiis, & Capellaniis suis: quæ ibidem erunt: si voluntas Dei fuerit: cum decimis, & primiciis: simulq; oblationibus: & pertinentiis suis: cum omni Ecclesiastico suo. Insuper dono Deo, & præscriptis Sanctis illud Castrum, quod nuncupatur Morel: iuxta Hiberum fluuium: cum suo termino: & alodibus omnibus: cunctisque affrontationibus: & vniuersis suis pertinentiis: vt sit liberum: & ingenuum: cum Ecclesiis, & Capellaniis: quæ ibidem fuerint: si Deus auxilium præbuerit: cum omni Ecclesiastico suo: & cunctis suis pertinentiis. Dono etiam Ecclesiam, & Capellaniam de Tutela: si Deus omnipotens eam mihi dederit: quæ ibidem sunt: aut erunt: vel in omni termino suo: vbicunque fuerint: intus aut foris: vt proprium alodem Sanctæ Mariæ: & Sancto Pontio: cum omni Ecclesiastico suo: vna cũ omnibus pertinentiis suis. Sunt autẽ hæc superius iam dicta in termino de Tutela. Addo etiã, & dono Ecclesias, & Capellanias de Castro, quod vocatur Saloi: quod est iuxta Terragonam: cum omni Ecclesiastico suo: & pertinentiis suis. Oues vero S. Pontii, ceteræ bestiæ volo vt sint liberæ, & ingenuæ: scilicet ipsæ bestiæ, quæ in præscripto honore, quem ego dono Sanctæ Mariæ, & Sancto Pontio ob remedium animæ meæ, & aliorum propinquorum meorum. Dono etiam Ecclesiam & capellaniam de Tortosa ciuitate, si Deus omnipotens eam mihi dederit: scilicet ipsas Ecclesias: quæ ibidem sunt modo: & in antea erunt: cum capellania: vel Capellaniis: quę ibidem sunt: aut erunt: cum omni Ecclesiastico suo: & cunctis suis pertinentiis. Hæc autẽ omnia dono Deo, & præscriptis Sanctis: & prælibato cœnobio: cum medietate insulæ, quę vocatur Aiaceca: cũ suis omnibus pertinentiis: & appendiciis. Hęc autẽ omnia iam dicta superius, ego Sanctius præfatus Rex vna cũ carissimo filio meo Petro, qui est Rex in Suprarbio, & in Ripacurcia, & in Mõtesono, vno animo, vnaq; bona voluntate, atque consensu nos ambo simul donamus, concedimus, atq; confirmamus domino

mino Deo, & almæ genitrici Dei Mariæ, sanctissimoq; nostro Pontio, ac præscripto cœnobio Tomeriensi: & monachis ibidem degentibus ad proprium alodem: & honorem possidendum in perpetuum. Amen. Igitur hæc omnia superius scripta ego Sanctius præfatus gratia Dei Rex bono animo, & voluntate dono Deo, ac prædictis Sanctis, cœnobioque præscripto pro remedio animæ meæ, patris, matrisue, ac filiorum meorum, necnon aui mei Sanctij, omniumque propinquorum meorum, siue parentum: vt ipsi monachi Sancti Pontij, quos speciali amore præ ceteris diligo, deprecentur Domini pietatem pro statu regni mei: & pro peccaminum meorum absolutione: & hæc mea ablatio acceptabilis sit Deo: quatenus det victoriam contra inimicos nominis Christiani: & de isto regno transitorio valeam transire ad regni cælestis gaudia: & in die tremendi examinis merear in electorum numero aggregari: atque audire illam desiderabilem, & optabilem vocem: venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Vos igitur confratres mei de S. Pontio miseremini amantissimo filio meo Raimiro: quem dono, & offero Deo: & prædicto cœnobio: ea videlicet deuotione, & fide, qua obtulit Abraham filium suum Isaac Deo: & Anna Samuel filium suum sacerdoti Heli: in conspectu Dei: quatenus in templo Dei semper deseruiat: atque eius exemplo, & vita, ac doctrina prouocatus, necnon precibus prædicti filij mei, ac vestris adiutus valeam peruenire ad virentis paradisi gaudia. Amen. Si quis vero Regum, Imperatorum, Sacerdotum, Clericorum, Iudicum, ac sæcularium personarum, siue aliquis posteritatis meæ, aut aliqua persona vtriusque sexus contra hanc chartam, vel donationis scripturam meę venerit ad dirumpendum, nō valeat hoc vindicare quod requirit: sed componat ista omnia in duplo: & meliorata. Et in antea ista charta, vel scriptura firma, & stabilis permaneat. Facta ista charta, vel scriptura V. Non. Maij AERA MCXXXI: in anno Dominicæ incarnationis MXCIII. Regnante me Sanctio Dei gratia Rege in Aragone: & in Pompilona: Petro autem filio meo prælibato regnante in Suprarbio: & in Ripacurcia: & in Montesono. Signum Sanctii Regis: qui hanc chartam fieri iussi: & manu mea propria firmaui: & testes rogaui firmare. Signum Aimerici Abbatis: Signum Aldefonsi. Arnaldus monachus, & Sacerdos rogatus scripsit.

Cui hæc perpendenti, atque æstimanti non vere admirabilis fama incredibilium vir- 1131.
tutum huius Principis esse videatur? qui maiorum suorum exempla persequens, ita se 1093
pro augenda, & amplificanda religionis causa deuouerat, & quodammodo in ipsas hostium armatas acies immiserat, vt Oscensibus continens bellum inferens, cui propinquis locis adesse celerrime poterat, quos tantæ molitionis opus erat sub imperium subigere, cum omnia inimica, & infesta essent, Dertosanis, & Tarraconensibus, satis longo à mari ad Pyrenæum tractu remotis, iam iamque se imminere arbitraretur: filium sacris, se vero pro religione, ac fide insigni pietate hostibus offerret.

Abderrahamenes Rex, qui Oscæ vrbis dominatur, cum nimia iam Regis potentia, &
eius se premi victoriis videret, ab Alfonso Rege contra tantam vim longinquum subsidi- 1132.
um expetit. Comitem Sanctium magnis equitum, & peditum copiis præmittit. Huic 1094
cum longissime Rex Petro, & Alfonso filiis comitatus ad Biturim Vasconum oppidum obuiam processisset, Sanctius vnde venerat regreditur. Nulla interposita mora omnibus circumquaque collibus occupatis, Rex Oscam vrbem circumsidet: ab omniq; commeatu se hostes interclusurum confidit: & noua auxilia arcere. Cum mœnia, & situm, descriptionemque vrbis obequitans exploraret, eoque progrederetur, vnde in omnes partes circumspectus esset, aditusque acri, & attento animo circumspiceret, sagitta latus configitur: letalique vulnere cum traiectus, exanimatusque concidisset, A. D. II. Non. Iun. occidit. Pulcherrimi iurisiurandi religione iam moriturus Petrum, & Alfonsum filios deuincit: ne vrbem, nisi deditam obsidione eximerent. Corpus tandiu manet insepultum. Postea Montaragonis cœnobio, quod construi curauerat, tumulo infertur: atq; incursionibus Maurorum vrgentibus ad S. Iohannis Pinnatensis conditur. Princeps vere magnus: & qui primus videri possit, firmissimis viribus contra hostium potentiam regnum constituisse: nec gloria magis rerum gestarum, quę ingens erat, quam religione insignis.

PETRVS VIII. ARAG. ET POMPELON. REX.

Guilielmus Raimundus Cæretaniæ Comes moritur. Filium reliquit Guilielmū Ior- 1133.
danem: qui eius ditionis potitur. Is sacro Hierosolymitano bello ordines duxit. 1095

AERA. NAT. CHR. 1134. 1096.

Gaufredus Ruſcinonis Comes. Is ſtirpe ortus erat Wifredi:qui Lotharii Francorum Regis ætate Cæretaniæ eſt dominatus.

Rege Sanctio interempto, Oſcenſes adeo obſtinatis animis vrbem propugnant, vt omnia ferre, ac pati tolerabilius ducerent, quam ſe in noſtrorum ditionem dedere. Cum neque externorum auxiliorum apparatus intermitteretur, vndique contractis viribus ſigna cum Rege conferre ſperant:& prœliis interdum laceſſentes noſtros obſidione auertere conantur. Tamdiu propugnatum, vt vix à quibus obſideri vrbs cœperat, expugnari poſſet, crederetur: itaque iam noſtris maior ſpes in obſidione, quam in oppugnationibus erat:& conſilium fuit hiemando bellum ducere: nec obſidionis tædio victos abſcedere. Biennium obſidionem protraxere.

PROELIVM ALCORACENSE.

Abderrahamenes Oſcenſis Rex ad externa, & longinqua Chriſtianorum auxilia profugiens, magnis, aduenticiiſque copiis Gonzalui Comitis, & Garciæ Ordonii Capræ Comitis Naiarenſis eſt adiutus. Almozabenius præterea Cæſarauguſtanus, ſiue præſes is erat, ſiue militiæ princeps, Almorabides enim omnem dominatum in ſuam ditionem verterant, cum de ſumma rerum deuictis Oſcenſibus, confligendum etiam ſibi videret, innumerabiles copias ex Maurorum delectu cogit. Cum in auxilium Oſcenſibus multæ, ac validæ gentes commeatent, & in tanto rerum diſcrimine ad extrema ventum eſſet, atque ſumma reipublicæ in eum ſtatum adduceretur, Rex magni, & excelſi animi Princeps ſuis animos addit: & potius in diuinæ virtutis auxiliis, quam in humana potentia ſpem ſibi derelictam videt: & non aliunde petendum eſſe, quam à diuino numine præſidium. Rudericus certus inprimis auctor firmat, D. Victoriani martyris corpore iuſſu Regis ad ſtatiua caſtra perlato, diuinum numen cæleſtemque vim præſentem adfuiſſe. Rex itaque ad gloriam erectus, diuinam opem conteſtatus, vt ea res ſibi, regno, exercituique feliciter eueniret, vna cum Alfonſo fratre inuicti animi adoleſcente, properantibus hoſtium copiis, qui maximam victoriæ fiduciam in numero repoſuerant, ad Alcoracium, id loco nomen eſt, quo magis feſtinantes videt, eo impenſius retinet agmen: emiſſiſque equitibus, libero curſu in hoſtes inuehitur: ſummaque contentione noſtris decertantibus immenſæ hoſtium copiæ funduntur:& profligantur. Maximi, & ſummi diſcriminis dies: quo deſperata ab hoſtibus victoria, in mortem dimicatur. Ad XL. M. hoſtium cæſa priſca, & incorrupta monumenta teſtantur: & Garciam Comitem manſiſſe captiuum. Noſtri vix M. deſiderati: vt omnibus apparuerit diuino numine hoſtium potentiam, & ferociam fuiſſe reuictam. A. D. XIIII. K. Dec. ſacro dedicationis baſilicarum Petri, & Paulli Apoſtolorũ die prœlio hoc maximo, quod Alcoracenſe illa ætas appellat, dimicatum comperio. Tunc vere vinci pertinacia Maurorum cœpta à noſtris eſt: ac longe auerti: quæ res tam reciſi operis ſerie à vetuſto auctore digne exprimi non potuit: cum nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clariuſue fuerit. Inſignem laudem eo in prœlio ſibi peperere præſtantiſſimi Aragoniæ proceres Gaſto Bielius, à quo Corneliorum familia in primis ampla, & præpotens originem duxit: qui in vexillis, & militaribus paludamentis Cornicum inſignibus decorari eo cœpere tempore, Barbatuerta, Ferricius Lizana, Bachalla, qui Thahuſti, & Lunæ oppidorum potitus eſt, Garcias Atroſ-filius, Lupus Ferrencius Luna, Gometius itidem Luna, Fortunius Maza, Latro, Simon Aznarius Oteicia, & Sanctius Penna.

Profligatis, ac pæne ad exitium deductis externis hoſtibus, perditis rebus, ac ſpe omni dempta, & diuina à noſtris victoria parta, Oſcenſes munitionibus diffidẽtes, quod ſola temeritate niti non poſſent, vrbem dedunt: quam olim Romani exterarum nationum, & gentium victores VRBIS VICTRICIS cognomento cohoneſtauere. A. D. V. K. Dec. Regi Felici, Pio, Victori, Maximo deditur.

A. D. XVI. K. Ian. templum vetuſtate, & opere inſigne, priſcis etiam ſeculis ſanctum apud Oſcenſes, & religioſum, ex ſacro à Mauris fero, atque impio cultui dicatum iiſdem veſtigiis expurgatum ſiſtitur: atque reſtituitur: & reliquiæ prioris delubri inſtaurantur. Chriſto Nazareno Deo, Opt. Max. D. Mariæ genitrici, Petro Apoſtolorum principi, Iohanni Baptiſtæ, & Iohanni Euangeliſtæ diuis præſidibus, quorum in tutela populus, ciuitaſque Oſcenſis eſſet, conſecratur: Berengario Tarraconenſi, & Amato Burdigalenſi Archiepiſcopis, Petro Iaccetano, Fulchone Barcinonenſi, Petro Pompelonenſi, Sanctio Laſcarenſi Epiſcopis aſſidentibus. Petrus Iaccetanus Epiſcopus ex eo Oſcenſis cognomentum habuit.

Re maxime memorabili, ac pæne cæleſti à Rege geſta, inſignia Regia, ornamentaque militaria vexillorum, quę labaris adiungi conſueuere, variantur:& tanquã perpetuæ felicitatis

felicitatis monumenta distinguuntur. Scuto argenteo punicea crux apposita index præsentis numinis, quattuor capitibus in quadrum redactis, & sanguine delibutis discernitur: capitaque ipsa fasciis cretatis, tamquam diademate deuincta satis indicant, quattuor eo prœlio Reges Maurorum mortem pugnantes oppetisse. Inde scuta, trabeæ, atq; ceteri paludamentorum apparatus, & ornamenta regia nouis præfulgent insignibus.

Habuit hic annus insigne quiddam ad decus, & gloriam Christiani nominis: cum vires omnes, armaque occidentis aduersus impias gentes, non sine cœlesti quodam mentis instinctu commouentur: sacra Hierosolymitana expeditione suscepta: qua Guilielmus Cęretaniæ, & Guitardus Ruscinonensis Comes, & Guilielmus Canetius ductores nostri, ad non dubiam laudem ex vltimis gentibus cucurrerunt.

Post eam rem fauste, feliciterque gestam Rudericus Antistes confirmat, Regem à Cido prœlio deuictum in eius potestatem fuisse redactum: sed continuo liberatum. Neque id semel scripto prodidit: adeo se certum auctorem eius rei profitetur. Inde Valentiam vrbem à Cido obsessam perhibet. In nostris annalibus tota ea res prætermissa est. Noster enim varie rem disserit: & Petrum Regem Cidum aduersus Alfonsum Regem enixe iuuisse: eiusque adeo industriæ, & gloriæ fauisse, vt Buchare cum transmarinis auxiliis aduentante, cum Valentia à Cido arcta obsidione premeretur, à Rege, & Alfonso fratre, magno Aragonensium, & Nauarrorum comparato exercitu, ex ipsius belli ore, ac faucibus fuerit Cidus ereptus. Ea pugnata pugna, ingentibus hostium copiis interemptis, Valentiam Cido traditam Rudericus perhibet. Neq; satis certis auctoribus asseruerim Regis filium Cidi filiam in matrimonium duxisse.

Artaldus, siue is est Arnaldus Comes Palliariensis, & Eissonzis eius vxor, cum præstanti, ac florenti rerum omnium statu pollerent, & incolarum negligentia delubra sanctissimis religionibus antiquitus consecrata depeculata essent, funditusque interissent, dum in pristinum statum summa pietate redigi curant, præ cæteris nouere cœnobium vetustissimum D. Mariæ Dei genitrici, & Michaeli, Iohanni Baptistæ, & Vincentio Gersensi ad Nochariam fluuium in Vrgellitana diœcesi dicatum nobile antea, & sacra supellectili abundans à regulari ordine ad sæculi conditionem omnino reiectum, atque deuolutum: & Richardi abbatis cœnobii S. Victoris ad Massiliam vrbem in Gallia prouincia maxime celebris, & clari consilio ad pristinam formam, ac regulam redigunt reuocantque. A.D. VI. Id. Iul. ædem sacram, & cœnobium cum sacello D. Petro dicato instaurant: & renouatas fani reliquias in amplitudinis fastigium postea promouēt: & abbati, & cœnobio S. Victoris tradunt: informandumque conuentum perpetuo committunt: vt abbates D. Benedicti institutis & cœnobii S. Victoris regulis addictos deligant: sufficiantque: & in ordinem redigant.

Noua à Rege continuo bella cum finitimis populis, & potentissimis suscipiuntur: geruntur que: & in Cæsaraugustanos omnis vis, tempestasq; belli vertitur. Ex quo Maurorum præsidibus, qui rebus præficiebantur, parere desitum est, primum ex Maurorum gente ferunt Mudirim Cæsaraugustanum regnum inuasisse Hyheiæ filium. Huic successisse tradunt filiũ Yram Almudafare: atq; eo mortuo populos earũ regionũ, quæ Christianorum finibus terminabantur, se, suaq; Zulemæ Abenhucio Hamatis filio subiecisse: qui Cæsaraugustanũ regnũ Hamati filio tradidit: cui filius succedit heres Iuceffius. Huius Iuceffii hereditariũ regnum Hamat filius suscipit cognomento Almuzacimius: & huic successisse memorant filium Abdelmelc: qui tradidit regnum Hamati filio cognomento Almuzacayto: cui Almorabides Arabes adeo horrificum bellum intulere, vt tanta mole mali oppressus regno fuerit depulsus: & ditio ea omnis ducibus, & militarium copiarum pręfectis traditur: quibus Sanctius Rex acre bellum intulit.

Calasanctium castellum prope Boleam à Rege obsidetur. Acerrime Mauris repugnantibus, & desperatione accensis inceptam obsidionem deserit. Eodem anno. VIII. K. Sept. vi expugnatum fuisse Rotensia monumenta testantur. 1136. 1098

Cum Barbastrenses Mauri deuicti maiore conatu, quam alias vmquam defecissent, omne certamen eo vertitur: magnaque contentione id geritur bellum. Septembri mense arcem obstrui Rex curat, quam Trabem appellauere. 1137. 1099.

Pertusa peruetus Ilergetum oppidum ad Canadris ripas situm, vi à nostris expugnatur.

Rex Barbastrum castris circumsidet. Mauri vrbem dedunt. 1139.

Villulæ castellum prope Vallem Lupariam, ea oppidis nomina indita, à nostris recipitur. 1101

AERA. NAT. CHR.

Cum Rex operam dediſſet, vt Barbaſtrenſi Eccleſiæ Epiſcopus præficeretur, eiuſque honoris ſedes, & dignitatis conſtitueretur, & ob eam rem Pontius Rotenſis Epiſcopus Romam legaretur, re impetrata Barbaſtrenſis Epiſcopi cognomen ſuſcipit.

Quod Regis gloria victoriis non ſolum præclaris, ſed perpetuis ingens eſſet, & Aragonia iam adulta viribus exultaret, Princeps ſe regnare à confiniis regni Caſtellæ, ad vltimos Palliarienſes fines teſtatur.

1140. 1102

RAIMVNDVS BERENGARIVS COMES BARCINONENSIS.

Berengario Raimundo fratricida imperium totius Cataloniæ occupare conante, Catalanis veterem laudem, libertatemq; aſſerentibus, quam à maioribus acceperant, & impotenti dominatui reſiſtentibus, Raimundus fratris F. à patrui tyrannide vindicatur: eiuſque imperium ſuorum fide, ac iureiurando ſancitur: rebus ingenti incremento auctis. Berengarius manifeſto numine ſupplicia miſerrima pertulit: nam vix mente conſiſtens, lingua inhærente, vt loqui non poſſet, inteſtabilis, & inuiſus Hieroſolymis per ſummum dedecus vitam ſuſtentat. Raimundus princeps, validus, & præpotens, non tam precario, quam ſumma virtute imperium adeptus Dulciam Giberti Prouinciæ, & Aimiliani Comitis F. in matrimonium ducit: quæ patri earum ditionum ſuccedit heres.

Atho Carcaſonenſis Vicecomes, qui eius ciuitatis dominatum occupauerat, à ciuibus armis fugatus, pulſuſque eſt. Vrbem, arceſque Raimundo, vti iuſto, & legitimo domino tradidere.

Ermengaudus CCC equitibus, magnoque peditatu ad Mulieruciam decertans A. D. XVIII. K. Oct. mortem occumbit. Neque vetuſtis annalibus perhibetur Chriſtiani, an impii hoſtes eſſent. Is Mariam Petri Anſurii Comitis, qui Valliſoleti in Vaccæis dominabatur, & Elonis eius vxoris filiam duxerat: ex qua genitus eſt Ermengaudus, qui in Caſtella ab auo eſt educatus. Huius ſoror Maior nomine Petro Fruelæ Filio Trauenſi Comiti, viro in Gallecis primario nupſit.

1141. 1103 Guilielmus qui Iordani cognomentum ſumpſit, Cæretaniæ Comes in ſacro Hieroſolymitano bello, cum fortem, & ſtrenuam operam nauaſſet, & eximium conſilii, animique ſpecimen, & nequaquam vulgatæ laudis dediſſet, prope Tripolim vrbem Syriæ arcem obſtruens ſagitta ictus occumbit. Eius ditionis Bernardus Guilielmus frater ſuccedit heres.

1142. 1104 K. Febr. ſiue vt aliis proditur annalibus A. D. XV. K. Sept. Sanctius Regis F. decedit nullis ſuperſtitibus liberis. Vxores Petri Regis duæ memorantur: Agnes: & Bertha: quam Tuſcam fuiſſe coniectura ducimur: quod eiuſdem nominis vxorem ex eadem gente, ea ipſa tempeſtate Alfonſus Caſtellæ Rex duxerit: & Henrico Imperatori eodem ferme tempore Bertha Othonis Marchionis Italici filia nupſerit: quę mater fuit Conradi Regis: & Henrici Imperatoris. Vetus auctor memoriæ prodit, eadem, qua Regis filius deceſſerit die, Iſabellam eius ſororem vita functam.

A. D. IIII. K. Oct. Rex ampliſſimis rebus perfunctus, omnia ſumma ſperans, quo regnante, omnis, de republica cura, aut metus reſederat, in curſu gloriæ è vita decedit. Ad D. Iohannis Pinnatenſis ſepelitur. Regni frater Alfonſus ſuccedit heres: ſollemniaque regni capeſſit.

Cum Vrbanus P. M. Regi, poſteriſque regibus, atque regni proceribus condonaſſet, vti in ditionibus à dominatu Maurorum vindicandis decumas perciperent, ſedes dignitateſque Epiſcoporum excipit.

ALFONSVS VIIII. ARAGONIÆ ET POMPELONEN. REX. HISP. IMPERATOR.

1144. 1106 Initia regni Alfonſi Regis, cum alioqui acerrimum ſe, & acerbiſſimum hoſtem dum frater regnaret, Mauris præſtitiſſet, & longæ pacis inſolens eſſet, pacata fuiſſe comperio: ſiue acciſis Alcoracenſi prœlio hoſtium rebus, tamdiu indutiarum iura rite ſeruarentur, dum ad præſentis quietem ſtatus rebus publicis cōſuleretur: ſiue ad Caſtellanas res conuerſus, propagandi imperii cupidine concitatus, nuptias Vrracæ Alfonſi Regis F. ambiens, eo progreſſum eſt, vt grauiora mala, contra quam fas, iuſque erat, vnde minime decuit, exorirentur.

A. D. III. K. Iul. feſto Apoſtolorum Petri, & Paulli die Iudæus quidam, qui cognitione diſciplinarū, & ingenii ſolertia in ea natione lōge antecelluit, & Hebræis, Chaldaiciſq; arcanis, atq; inſtitutis omnibus eiuſdē ætatis præſtitit, non ſine diuino afflatu impiam ſectam eiurans, ſacrum baptiſma in æde maxima Oſcenſi à Stephano Epiſcopo ſuſcepit: ſacroque fonte à Rege exceptus eſt. Petri Alfonſi nomen editum. Is meditato com-

commentario edito Iudæorum perfidiam, vanissimæ nationis opinione, ob ingenium gentis,& superstitionis peruicaciam,penitus mentibus insitam,atq; comprehensam conuellit.Neq; Iudæorum modo fraudes ab intestino scelere vltus est,sed Sarracenorum impiam sectam,atq; institutionem labefactauit. AERA. NAT. CHR.

Alfonsus Castellæ Rex exacta ætate filio Sanctio orbatus, Vrracam natu maiorem filiam quæ Raimundo Guilielmi Burgundiæ Comitis filio nupta fuerat, & in viduitate manserat,consilio primatis,& antistitum regni, Alfonso Aragoniæ Regi despondet:neq; vt Rudericus perhibet, viuo socero in Aragoniam ducitur. Nam Munio Alfonsus,qui illa ætate res gestas D.daci Gelmirii primi compostellani Archiepiscopi composuit, sponsalia viuente patre minime data fuisse confirmat: qui mihi fidem facere videtur: nam regni proceres, vt ipsemet testatur Rudericus, renuente,atque inuito rege, externas nuptias auertere nitebantur: contenderantque, vti potentissimi,clarissimiq; Regis filia Comiti Gometio homini subditicio enuberet.

Castellæ Rex Alfonsus moritur: Vrraca filia regnorum hærede relicta: ea, vt ferunt conditione, vt si nuptura esset, Gallaicum regnum Alfonso nepoti traderetur: & 1147.
parente mortua regnorum omnium hæreditatem cerneret. Procerum omnium vno cōsensu Aragoniæ Rex ad nuptias, & regnum adsciscitur. Sed quod legitimæ eæ nuptiæ 1109.
non essent, cum sacris sanctionibus soluti non fuissent, res in contentionem venit. Proauus enim vtrique Sanctius Rex fuerat: cognomento Maior. At vero & Regi forti, & magnanimo latissimi,& opulentissimi regni possessione adepta, antiquiorem laudem, & gloriam quam regnum ipsum fuisse,casus,euentusque rerum docuit: cum procerum factiosorum insanias euerterit.

Regina vni nupta & Regi, & fortissimo viro,cum neque famæ pudore,neque timore viri deterreretur, quin pluribus videretur proposita, & matrimonii vinculo, vti præ se 1148.
ferebat, soluta, remota turpitudinis verecundia,& metu, suo tantum ingenio vteretur,& 1110.
optionem suam esse conditiones quotidie legendi arbitraretur, Rex arcibus, atq; propugnaculis regni Castellæ,atq; præsidiis Aragonenses viros egregie fideles præficit.

Coloniæ, atque veterani Bilforadum, Valeranicam,Soriam,& Almazanum deducuntur.Eæ oppida à Rege in Castellæ regno populis, ac ciuibus frequentari,incolique iubentur: primum in Beronibus, reliqua in Areuacis: quod vasti, ac deserti earum regionum tractus essent.

Petrus Ansurius Comes, qui ex Castellanis proceribus in magna potentia erat, Balagueris se,cum Elone vxore recipit:vt Ermengaudi pueri nepotis ditionem Mauris oppositam tueretur, ac sustineret. Balagueris arcem, Azudam nominant,ac tris vrbis regiones Regi condonat: & cum castella,propugnaculaque suæ ditionis Castellæ regni à Rege suscepisset, se Regi ea irato, aut pacato traditurum sacramento spondet.

Cum satis pacatæ foris res viderentur,acre bellum aduersus Mauros à Rege geritur. Exeam nobile Vasconum oppidum vi expugnat. Iulio mense, vt oppidum frequentissimè coleretur habitareturq;, ciuibus Frankitatis, id est, ingenuitatis ornamenta ab Imperatore præstantur,& vt ingenui ciues Exeani essent,priuilegio irrogatur, & vt commodiori conditione essent quam cæteri, qui stipe collata vectigalia pensitare consueuerant, domus atq; hæredia illis immunia traduntur. Ea re feliciter gesta,Exeæ Imperatoriæ maiestatis insignem titulum regiæ dignitati adiungit: quem socer rerum gestarum gloria sustinuerat:& genero dignissimus visus est.Francorum exercitus eo in bello regia stipendia meruit.Proceribus Gallis Imperator gratificaturus ecclesias, atq; sacella, quæ Exeæ construenda curauerat,monachis S.Benedicti monasterii Magnæ siluæ in Aquitania celebris apostolico priuilegio Petro regi fratri irrogato attribuit.

Ad Valterram Rex cum Abuhazaleno Cæsaraugustano Rege confligit:qua in pugna Maurus Rex occumbit.

Bernardus Guilielmus Besalunensis Comes senectute confectus, LX. enim annis eius 1149.
ditionis potitus fuerat,nullis superstitibus liberis decedit. Eam hereditatem Raimundus 1111.
IIII. Barcinonensis adit.

Garcias Sanctii Comitis F. Ramiri Regis nepos, Alfonsi Regis frater patruelis, qui se Infantem nominat, Ataresii,& Xabierii ditionū,paterni nominis patrimonii,dominatur.

Mense Iunio Rex cum Vrraca Regina vxore in Castella,& Legionensi ditione regnat: neq; dū dissidio,atq; dissensione facta eam in potestate habet. Paullo post vis improborū compresso odio collecta,vt iam iam prægraue Regis esset imperium,erumpit.Rege vxorem coercente,ac reprimente magnæ rerum commotiones excitantur: & Regina in intimam Castellaris arcem,cum à Rege abdita esset,clam euehitur.

AERA. NAT. CHR.

Gallaici proceres fœdera inter se iciunt: arma capiunt: vt Regem dotali dominatu pellant, conspirant: summoq; opere nituntur, vt Regina à viro diuertat. Paschalis Pont. Max. Didaco Gelmirio Cōpostellano Episcopo cōmittit, vti Reginā incesti flagitio obstrictam, quod propinquitate adiuncto Regi nupsisset, coërceat: & matrimonii ius, quod neque castum, neque legitimum esset, eo decreto sublatum iudicat. Contenderat enim Regina asseuerans, quamuis nuptiæ consensu procerum regni, patre fato functo, celebratæ fuissent, inuitam, atque abhorrentem nupsisse. Pontifex enim ita statuerat, atq; decreuerat: vt in Apostolicis apparet literis.

» PASCHALIS seruus seruorum Dei venerabili fratri D. Compostellano Episcopo sa-
» lutem: & apostolicam benedictionem. Ad hoc te omnipotens Deus populo suo præesse
» constituit, vt eorum peccata corrigas, & domini annunties voluntatem. Stude igitur, se-
» cundum datam tibi diuinitus facultatem, tantum incesti facinus, quod à Regis filia per-
» petratum est debita vltione corrigere: vt vel à tanta præsumptione desistat, vel ecclesiæ
» consortio, & sæculari potestate priuetur. Huius rei noxa non in belli modo euentum, quod varie gestum est, sed in summam dedecoris infamiam Reginam peruertet.

Siue fieri diuortium, & affinitatis dissidium Rex doleret, seu quod nouas res moliretur: satis constat Burgensem, & Legionensem Episcopos ab ecclesiis pulsos, Pallantinum captum, Archiepiscopum Toletanum sedis Apostolicæ legatum biennium extra diœcesis fines exulasse: S. Facundi Abbatem de cœnobio deductum: & Ramirum Regis fratrem in eius locum suffectum. Cum hæc omnia Regina conquereretur, & deploraret, qua erat dementissima temeritate, & audacia etiam confirmat, Regem Alfonso priuigno necem struere, atque moliri.

1149. IIII. Proceres regnorum Galleciæ, & Legionensis populi deliberant, an Alfonsum puerum ad regnum adsciscant: quæ res non minus vehemens in matrem, & inuidiosa fuit, quam in vitricum.

Cum remoto pudore in dedecora prorumpens Regina procaciter sibi indulgeret, & in Gallecia palam omnia turbarentur, ac veluti pro republica proceres, populique arma cepissent, Rex magno comparato exercitu Aragonensium, & Nauarrorum in Galleciam irrumpit: arcem Monterosi vi expugnat: earum vrbium, & arcium, quæ Pallantinis Campis continentur, & regionum, quæ Durii ripas, & extremas oras attingunt, potitur.

Interuentu Episcoporum, & aliquot procerum pugnæ non ciuiles modo, sed domesticæ, & vxoriæ sedantur: pacem inter virum, & vxorem conciliant. Regina enim ita abhorret, ne proceres, quibus filius in tutelam traditus erat, summæ rerum admoueantur: vt virum auersata fuerat: in cuius potestate diu esse non poterat. ea erat feminæ leuitas, & inconstantia.

Petrus Traua Comes Fruelæ filius summæ homo potentiæ, & magnæ cognationis Henricum Portugaliæ Comitem, qui Theresiam reginæ sororem in matrimonium duxerat, in Galleciam vltro arcessit: externarum copiarum ductorem: bellumque iis infert, qui Alfonsum puerum, ad regnum adsciscere recusant. Traua Reginam commouet, vt à viri potestate secedat: & filium ad regnum euehat: atque vt id consequi possit, Regina Ferdinandum Comitem cognatione sibi propinquum, virum, cum potentia inter suos, tum factis clarum, & virtute præstantem ad se se allicit.

Alfonsus puer Regis priuignus in Compostellana æde maxima more gentis leuatus, solemni apparatu Rex salutatur: & ab Episcopo Compostellano sacro oleo perungitur. Rex Vrracam, quam in Sorianam arcem abdiderat, liberat: nuntium remittit: & conditionem eius repudiat.

Castellani proceres Imperatoris dominatum, & regnum, vt iniquum eiurant: arces, & propugnacula Reginæ tradunt. Ea patrata re Castellani, & Legionenses, quasi natura, & genere disiuncti inter se diffident: & armis dimicant.

Gometius Comes, qui reginæ nuptias patre regnante ambierat, cum carior illi, quam filius esset, ac se iam pro marito palam gereret, Aragonios regno pellit. Petrus Gonzaluius Larensis Comes non inimicus tantum, sed riualis, & competitor cum Gometio haud aliter, ac si certamen regiæ dignitatis esset, maximas turbas facit.

Imperator audaciam, & conatum furentis Gometii, & Petri Larensis compressurus, magno Aragonensium, & Nauarrorum coacto exercitu in Castellam inuadit. Immensum exarserat bellum, cum ad Sepuluegam Areuacum oppidum signis collatis, in campo, cui Spinæ nomen est, maximo prœlio decertat. Vix ferrum, ac manus contulerant, & Larensis relicto vexillo, & insignibus Imperatoriis detractis, se ex acie eiecit: & Burgos, ad

gos, ad Reginæ gremium citato equo contendit. Gometius fusis: ac profligatis Castellanorum copiis prœliãs mortem occumbit. Adfuit Imperatori eo in prœlio Henricus Portugalliæ Comes, non vt affini, sed vt patriæ perduellium vindici. AERÆ NAT. CHR. 1149. IIII.

Temeritate Castellanorum compressa, Imperator Legionenses, & Gallecos vlturus, Durio transmisso, per Pallantinos campos Legionem contendit. Arma iam, viresq; Aragoniæ late pollebant: victore Aragonio exercitu omnia deuastante, atque diripiente. Ad fontem Anguium, id loco inter Asturicam, & Legionem nomen est, denuo contra hostium conspirationem confligitur: qui Alfonsum puerum Regem adsciuerant: & suæ temeritati præfecerant: atque in castra pæne infantem perduxerant. Fusis, & fugatis hostibus, & internecione deletis Comes Ferdinandus interficitur: & Petrus Trauensis pueri Regis nutricius, summæ inter Gallecos existimationis, & auctoritatis vir, qui Ermengaudi Vrgellitani Comitis filiam nomine Maiorem, in matrimonium duxerat in acie dimicans captiuus remanet. Didacus Gelmirius Compostellanus Antistes paruulum Regem secum ex acie educit: & ad parentem, quæ in Orzilonis arcem se abdiderat, perfert. Non alias illis temporibus pugna clarior fuit.

Regina magno comparato Legionensium, & Asturum exercitu, & eorum oppidorum, quæ Pallantinis continentur campis, Asturicæ bellum instaurat: quod Imperator Carpetanis iugis transcensis, Toletanum regnum suæ ditioni subiiceret. Cum Carpetanos in suam ditionem redegisset, A. D. XIIII. K. Mai vrbe regia triumphali pompa excipitur.

Cum Imperator Tritienses, Burgenses, Pallantinos, Zamorenses, atque Legionenses, qui se illi addixerant, suis adiunxisset, Asturicam castris circumsidet. Martino Munione regiarũ cũ copiarũ ductore, cũ CCC. loricatis equitibus ex Aragonia in castra properante, insidiis loci iniquitate circumuento, turmæ omnes funduntur: atq; cęduntur. Munio interclusus in hostium potestatem venit. Ea re male gesta, Imperator intempesta nocte castra mouet: & Carrionem se recipit. Effusis copijs, & præsidiorum collocandorum, & muniendorum causa diductis, plures dies Carrione obsidionem pertulit.

Abbatis Clusensis sedis Apostolicæ legati interuentu aliquot dierum indutiæ fuere pactæ. Cum indutiarum dies exisset, acre bellum in oppida, atq; arces Petri Larensis geritur. Vir minime bellicosus amore, & deliciis flagrans sese Montionis arce prope Pallantiam, vna cum Regina abdit; cum ea nihil, quod facere, aut pati turpiter femina posset, inausum, infectumque relinquit.

Vincentium Cęsaraugustanum Episcopum Lunense templum hoc anno consecrasse Ferdinandus Aragonius eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus memoriæ tradit: & eius consecrationis monumenta vetustis, & exolescentibus literis insculpta apparent: & supremo Dominico die mensis Septembris huius anni rem gestam fuisse proditur.

Reginæ exercitus Burgorum arcem circumsidet: Castellani regni propugnaculum, atq; præsidium. Nostri diuturna obsidionis perpessione confecti, ac fame perditi, de se, & de auxilio desperantes arcem Reginæ tradunt. 1150. IIII.

Cum Petrus Larensis Comes Reginam multarum nuptiarum mulierem in matrimonium ducere speraret, à Gutetio Ferdinando Castro captus, in Mansillæ arcis regni Legionensis custodiam includitur.

Infestum renatum bellum inter Reginam, & eos, qui filium ad regnum adsciuerant, geritur. Cum sese Regina Legionem recepisset, & turribus, & propugnaculis vrbis se, ac fortunas suas tueretur, grauem obsidionem pertulit. Periculo obsidionis liberata, in Soberosi arce à Theresia Regina Portugalliæ sorore, & Petro Fruelæ F. Trauensi obsidetur: & cum denuo erepta ex eo discrimine esset, Compostellam aufugit.

Summa omnium consensione Alfonsus Reginæ F. ad regnum adsciscitur. Petrus Larensis Comes extorris ad Barcinonensem profugit Comitem.

Gibertus Prouinciæ, & Aimiliani Comes decedit: cui earum ditionum succedit hæres Dulcia filia: Raimundi Barcinonensis vxor. Raimundus Marchionis prouinciæ cognomentum suscipit.

Sanctium Franconem Præfectum iustitiæ Aragonum in aula Regia hoc anno ius dixisse, sunt qui testificentur.

BELLVM BALEARICVM. 1151. IIII.

Raimundus Barcinonensis cum adiuncta ditione Prouinciæ imperium auxisset, bellum aduersus Balearium incolas Mauros suscipit. Tum primum Catalanæ classes nostris in maribus pollere incipiunt: & in vltimos nostri orbis terminos præteruehũtur. Pisanorum etiam classem arcessit: quorum, & Genuensiũ, Arelatensiumq; eo tempore late mari

AERA. NAT. CHR. patebat potestas. Mauri continentis Cataloniæ, qui sub eius imperio, atque tributo pacati erant, raptim arma capiunt: & in Barcinonensem tractum incurrunt: vt Raimundum à maritimo bello, & Balearium pernicie auerterent.

Guitardus Comes Ruscinonensis, sororis Guilielmi Raimundi Cæretaniæ Comitis filius, qui Vallespiriæ ditionis, & Illiberitanæ arcis dominabatur, interficitur. Is Perpinianum oppidum iuxta Ruscinonis vetustæ vrbis monumenta collapsa condiderat.

CAESARAVGVSTANVM BELLVM.

Imperator vltro, citroque per longa spatia discurrens, dum bello, & armis rempublicam
1152. attollere nititur, vicinarum gentium crebris victoriis insignis, cum intestinorum
1114 bellorum pertæsum esset, regni Aragonij statui prospiciens, bellum aduersus Cæsaraugustanos gerit: qui opima, & fertili regione dominabantur. Ianuario mense Castellari oppido milítares omnes manus cogit: veteranorum præcipue, quos Almogauares nuncupauerant: quod firmatus vsu miles esset: & belli domitor externi. Ii enim in statione prope perpetua infestarum regionum stipendia merebantur. Ex Castellarensi arce Cæsaraugustanos incursionibus, & populationibus vexat: & diutina obsidione premit.

Tahustum nobile ad Hiberi ripas situm oppidum, virtute præstantis ducis, & proceris expugnatur Bachallæ: qui rem optime ductu suo gessit.

Magnæ ab Imperatore copiæ Francorum ex delectu Galliæ comparantur: vt veterano nostro, & externo milite cum præpotenti hoste bellaret. Duxere ordines in eius exercitu Gasto Beneharniæ ditionis dominus, Conuenarum Comes, Rotro Perticarum, & Centullus Bigeronum Comites: Gabarreti Vicecomes, Lescarensis Episcopus, Augerius Miramonius, Arnaldus Vicecomes Labadensis: qui Oriam Palliariensem Comitem in matrimonium duxit: ex qua Raimundum Rogerium suscepit.

Magno ii consensu declarati externarum copiarum duces: qui haud dubie tum primi
1152. omnium ductores habentur: omnesque inter se illustres viri noti erant: & potentia in-
1114 ter suos præstantes. Proceres ex Aragonia, & Nauarra adfuere, qui ordines duxerant, Didacus Lopezius Latro, Simenius Fortunionius Lehetius, Simon Fortunionius ex Podio Castello, Petrus Momezius, Almorauidius, Lupus Simenius Torrelias, Lupus Sanctius ex Ogabre, Caxal, Petrus Simenius Iustitiæ Aragonum Præfectus, Iohannes Galindius Anrilionius, Lupus Fortunius ex Albero, Titio, Berengarius Gombaldus, petrus Myr Entenza, & Raimundus Peresius Erilius.

Petrus Simenius Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Is magistratus primo Maior iustitia appellatus fuit: quod supremum ius, ac potestatem à Regibus obtineret. Postea vero legibus ita septus fuit, atque munitus, vt libertatis, à supremo dominatu vindicandæ, atque tuendæ commune perfugium, atque præsidium esset.

Rotro Perticarum Comes ab Imperatore cum delecta militum manu præmissus Tudelam nobile Vasconum oppidum, ad Hiberi ripas munito loco situm Augusti mensis fine expugnat. Imperator supremo dominatu regio excepto, eius ditionis dominium Rotroni, posterisque eius attribuit.

Raimundus Barcinonensis magna suarum ditionum, Pisanorumque classe comparata, in Maiorem Balearium insulam opibus claram, copias è nauibus educens bellum infert: vrbem operibus claudit: & commeatu priuat: atque obsidione premit. Raimundus Barcinonensis Episcopus in ea expeditione decedit.

1153. Cum Maioris Balearium insulæ coloni, atque indigenæ, militaresque manus se &
1115 vrbe, atque oppidis, aut montibus tenuissent, acriterque repugnassent, vrbs à nostris expugnatur: atque in arcem natura munitam nostri concessere.

Bernardus Atho Vicecomes à Carcasonensibus vrbe exactus Guilielmo Pictonum Comiti fœdere adiungitur: qui in Tolosatem ditionem inuaserat: cuius ope à Carcasonensibus recipitur. Cum Rogerius Bernardi F. in vrbem introisset, in ciues summo supplicio excruciatos crudeliter animaduertit. Pater supremum eius ditionis ius, & dominium Raimundo Barcinonensi Comiti fidelitatis auctoramento cauet: atque recipit.

Oldegarius ex Barcinonensi Episcopo ad primam Tarraconensis Ecclesiæ dignitatem adsciscitur: vir pietate, & sanctimonia in diuorum numero venerandus.

Moreliæ arcem & natura, & situ munitissimam nostri expugnant.

1154. Bertrandus Tolosatium Comes Raimundi Comitis F. qui in Tripolitanæ Phœniciæ
1116. nobilis vrbis obsidione mortem occubuit, & Eluiræ Alfonsi Castellæ Regis filiæ, Maio mense Barbastri Imperatorem visit: & sub eius potestatem se, suaque tradit. Subiicit eius imperio, atque supremo dominio Comitatum Tolosatem, & Rhodensem, Narbonem præter-

præterea, Narbonensemque ditionem: & Biliterensem comitatum: Agathenses: Cadur- AERA.
cios: Albenses: & Carcasonenses: atque eam ditionem, honorem vocabant, quam à To- NAT.
losatibus Comitibus Fuxensis obtinuerat Comes. Imperator ditiones eas omnes, atque CHR.
ciuitates Comiti tradit: atq; addicit: supremo dominatus iure sibi, posterisq; suis recepto.

Bernardus Guilielmus Cæretaniæ Comes Guilielmi Iordanis frater germanus, nul- 1155.
lis superstitibus liberis decedit: cui Cæretanæ ditionis Raimundus Barcinonensis succe- 1117.
dit heres.

Toletana ciuitas, quæ ab Imperatore defecerat, Alfonso Regi Vrracæ F. se addicit. A.D.XVI.K.Dec. regio apparatu, vt iure legitimo ad regnum adscitum excipit.

Imperatore cum Alfonso Rege in Castellæ regno bello implicato, & armis decertan- 1156.
te, neque parte ex altera sacri belli curam remittente, Francorum exercitus, qui in Cęsar- 1118.
augustana expeditione meruerat, Idibus Mai exactis ad Aierbii Lacunam venit: & eo loci castra metatur. Mox Almadeuarem Ilergetum oppidum, Burtinam veteres appellauere, traducitur. Cum satis firmo præsidio à Mauris teneretur, vi expugnatur. Eodem impetu, atque incursu Sarinienam, Salcium, & Roboretum expugnant: & duo præterea ad Gallici fluminis ripas oppida in eorum potestatem deueniunt, Zuera, & Gurrea: quæ vetustis sæculis Gallorum Fori nomen est adepta. Cum iam ipsi vrbi Rex terribilis adesset, intra octauum diem, ex quo nostri Cæsaraugustam circumsederant, regionem vrbis trans flumen, Atabahas appellabant, irrumpunt: & continentia omnia ædificia, extra vrbis mœnia expugnauere. Ad Mezimezeriũ vicũ castra metatur: & loco Dei voluntatis nomen imponitur. Cũ aspera montiũ iuga, nudosque colles, & perpetuo gelu rigentes ditibus Ædetanorum, & vberibus campis, agrisque mutarent, nihil veterano militi ad bella promptius fuit.

Cæsaraugustani plures annos à nostris exagitati, qui per tot antea annos imbelles egissent, obsidione premuntur. Eius regni, vti Arabum annales memorant, Almorabides dominabantur: qui ex Mauritaniis in Hispaniam transmittentes diuisa regna, & suæ sectæ regulos crudeli dominatu oppresserant. Hi cum vrbem totius Hispaniæ opulentissimam, beatissimamque ab Imperatore summa virium contentione circumsederi viderent, transmarina auxilia arcessunt. Teminus Maurus Rex magno comparato exercitu, vt opem obsessis ferret, ad Orbæ fluminis ripas, supra vrbem XII. M. P. ad Mariæ arcem, quam hostes loco edito præsidio munierant, castra metatur. Cum se robustissimo nostrorum exercitui æquari, & rem confici Teminus diffideret, in intima Celtiberiæ loca aspera, & iniqua regreditur.

Anno circumacto Decembri mense, cum magnas copias ex totius Hispaniæ Maurorũ delectu hostes coëgissent, & Cordubensis Rex, cuius imperio omnes parebant, filium præfecisset, cuius patruum Teminum Regem fuisse vetustis monumentis proditur, idq; subsidium extremum, atque vltimum esset comparatum, Imperator eo intentior in hostes versus, ad Cutandam vicum prope Darocam obuiam progressus, ingenti certamine signis collatis confligit. Hostes funduntur: & cum magna internecione cæduntur: eorumque dux in Regis potestatem venit. Adfuit prœlio Pictonum Comes: qui eo in bello sexcentorum equitum ductor militauit. Insigni ea victoria parta, cum Imperator Cæsaraugustæ toto animo immineret, eam enim regnorum caput, eam omnium bellorum originem esse videt, rem maxime vrget: consiliis ab obsidenda vrbe ad oppugnandam versis.

Alagonum, & Vrreatum familiæ nobilissimæ in primis, & potentia præstantes ex honoraria oppidorum Alagonæ, & Vrreæ ditione primariis proceribus attributa nomen inuenere. Satis constat Artallum hoc tempore Alagonæ dominatum obtinuisse: qui se Artautum cognominare assueuerat: feruntq; ex Vandrensium clarissima gente, & in Aquitania præpotenti ortum. Posteri Alagones dicti. Primariorum enim procerum familiæ eo tempore, tamquam maiorum gentium floruere Corneliorum, Lunarum, Azagrarum, Vrreatum, Alagonum, Romæorum, Fociorum, Entenzarum, & Lizanarum. His & nobilitate, & potentia pæne æquales Verguæ, Mazæ, Tramacetii, qui ex Entenzarum gente in Tramacetiam familiam se inseruere, Atrossilii, Antilonii, Orticii, à quibus Atorella, qui Quincti dominabatur, originem duxit: Ataresii stirpe regia orti, Titiones, Caxales, S. Crucis, Pardi, Castellitioli, Hortæ, Podii, Peraltæ, Vidaurii, qui Podiorum hereditatẽ adiêre, Pennę Rodenis, & aliorũ oppidorum domini, Sesesii, Ahonesii, Naiæ, Beneuentani, Aierbii vetusta nec tamen regia familia geniti, Stadæ, Calasanctii, Spesii, Alcalani, & Artusellæ. Minorum vero gentium viri quos Mesnadarios vocauere, quod Regia in domo educati essent, eo tempore clari habebantur, atque illustres

Fontouæ,Pinæ,Alberi,Gudales,Pomarii,Lirii,Vallimannæ,Gurreæ,Valtoreſii, Abarcę, Embuni,Azlorii,Tobiæ,Rotæ,Vroſii,Funes, Lihorii. Hos poſtea conſequuntur Zapatæ,Vrieſii,Nuzæ,& Veræ.

AERA. NAT. CHR.

Vt equitatus, copiaſque externorum auxiliorum pulſas Cæſarauguſtani nouere, atq; deletas, & eum exercitum, cui maxime confidebant, fuſum, ac cæſum animaduertunt, aliis diffiſi,oppreſſi,& ab omnibus deſperati, vrbem A. D. X V. K. Ian. Imperatori dedunt: conditionibus, legibuſque parent. Ea regio infeſta antea, breui pacata imperium accepit: regnique vrbium princeps,& clariſſima ſedes Cæſarauguſta, atque caput exſtitit. Ex eo vrbs cum frequentia creſcere: tum tota ſimul ædificiis exurgere cœpit: ac poſtea in ſummam amplitudinem euehitur, Regibus impenſas adiuuantibus; & eo regni faſtigium,atque arcem transferentibus.

Eccleſia Cæſarauguſtana primis propagatæ Chriſtianæ religionis ſæculis ſacra, & S S. Valerii,& Braulii infulis,ac Vincentii martyris illuſtrata doctrinis, ſacrorumq; conciliorum ſanctionibus orbis Chriſtiani celebratione commemorata,à nefariis impii cultus veſtigiis ſollemni cæremoniarum religione expiatur: & Deo Opt. Max. Seruatori ex voto,quod Imperator pulcherrimæ,florentiſſimæ,potentiſſimęq; vrbis eſſet potitus, feſtis laudibus inſtauratur:& conſecratur.

Petrus Librana Epiſcopus Cæſarauguſtanus: qui vrbe nondum à Mauris erepta adſcitus,atque conſecratus fuerat.

Gaſtoni Beneharenſi Vicecomiti eæ vrbis regiones ab Imperatore ſunt attributæ, quæ ſub impio etiam dominatu à Chriſtianis incolebantur: quas longo tempore, & Thereſia vxor, & Centullus Gaſtonis F. Honorario iure poſſedere: dominique Cæſarauguſtæ, vt priſcus mos tulerat, appellantur. Rotroni Perticarum Comiti alia vrbis pars virtutis, atque honoris ergo condonatur: cuius regionis vici ab eo principe nomen inuenire.

1156. 1118. Ad Villulam ſigna promota.Id in Ilergetibus oppida nomē eſt ad Hiberū flumē XXXVI. M.P. ab vrbe ſito: quod Iuliæ quondam Ramanorum coloniæ, cognomento Celſæ tenue nūc exſtat veſtigium: vbi extinctæ, & funditus deletæ vrbis ſolū nomen permanſit. Nam vicinum oppidum Mauri ſupra ipſam Villulam, propius Cæſarauguſtam millia paſſuum tria Xelſam appellauere. Inde noſtri incurſione, atque impetu armorum Ilergetum, atque Ilergaonum regionibus hoſtes diuexant: qui terrore, & periculo repulſi, Dertoſam vſque,& Ilerdam,& ad ipſas interni maris oras fugantur,atque auertuntur.

1157. 1119. K. Febr. Vido Archiepiſcopus Viennenſis Raimundi Comitis, Alfonſi Caſtellæ Regis patris germanus frater, Guilielmi Burgundiæ Comitis F. Francorum Regum ſtirpe ortus Cluniaci, ab iis Cardinalibus, qui iuſtis funeribus Gelaſii Papæ interfuerant, ad Pontificatum maximum Gelaſii ſucceſſor adſciſcitur. Caliſtus ſecundus dictus: cuius reſpectu, fuit enim non minus religione, & ſanctitate venerandus, quam regio genere clarus, à bello,quod in fratris filium Caſtellę Regem gerebatur, Imperator ſibi diſcedendum conſtituit: ab eoque,patrui dignitatis reuerentia, longo interuallo deſtitit.

BELLVM CELTIBERVM.

Cæſarauguſta dedita,& imperii ſede in eam tranſlata,non finitimi modo reguli animos ſummiſere,ſed longinqui etiam Reges: neque ad inducias tantum petendas, ſed ad fœdera magnis tributis ſancienda, vt Imperatori ſe ſubiiciant, conueniunt. Totam belli molem in Celtiberiam auertit aſperam, & montoſam regionem. Ab Ædetania profecti in agros, atque oppida Celtiberum bellum inferunt. Tamen cum hoſtes, ne ſignis collatis de ſumma rerum decernerent, funeſtis ſucceſſibus deterrerentur, Imperator eam inferendi belli rationem inſtituit, idque ſupereſſe vidit bellandi genus vrbium, arciumque expugnandarum: quarum irruptionibus, atque excidiis militem præda allicere,& hoſtem paulatim conficere poſſet,atque longius repellere.

Turiaſo,quam Chalybs amnis ex Cauni montis radicibus ortus interluit, opima, & fertili regione,& amœnitate,vbertateque agrorum diues ab hoſtium dominatu eripitur. Ædes ſacra,eccleſiæque ſedes Gothicis temporibus clara inſtauratur. Michael Epiſcopus præficitur: eiuſque diœceſis magna Celtiberiæ parte effunditur.

Rota,& Ricla ad Salonis ripas ſitæ à noſtris expugnantur: olim Segontiæ, & Nertobrigę nominibus in Celtiberis vrbes in primis nobiles, quarum incolæ, etſi non latiſſimos,feraciſſimos tamen agros poſſident: aquas enim Salone fluuio emiſſas per agros rigant: diſſipataſque magno prouentu riuis diducunt: quarum deductionibus mirabilem terris fœcunditatem impertiunt. Cum ea loca ſitu, & natura munita hoſtibus

oppoſita

opposita essent, & velut claustra inde, angustique aditus arcerent, & illis recuperandi ea superioribus ex locis, & nostris, cum quid noui moliretur, propugnandi, tuendiq; ingens, & diuturnum certamen erat. AERA NAT. CHR.

Cum ea bellandi ratio esset, vt ad singulas vrbes bellum circumferretur, & Mauri op- 1158.
pidis, arcibusque se tenerent, aut deficiendo sæpius nostros solicitarent, & publicis, pri- 1120
uatisque consiliis, quo se verterent, hærerent: & complurum regulorum imperium diuisum inutile bello esset, disiecti, & dissipati, ad sua quisque tendendo consilia, opprimuntur.

Sacro D. Iohannis Baptistæ die Calataiubium nobile in primis Celtiberiæ oppidum Imperatori deditur: quod nostri, veluti propugnaculum, atque arcem, præsidiumque prouinciæ Maurorum incursionibus, & vicinis regni Castellæ regionibus opponunt.

Darocenses, qui ad Silocæ ripas angustiis Celtiberiæ, & difficili aditu continentur, & imminentium collium castellis muniũtur, Imperatori se, arcesque suas dedunt. Is oppidi situs est, vt claustra earum regionum tenens aduersus Molineses, & Conquenses, & Valentini regni opposita castella, magno nostris exercitibus pręsidio, & ad rem bene gerendam adiumento fuerit. Quod agri coloni essent, milites veterani, eo deducti: & in his Auxiorum ex Aquitania nobilis familia effloruit.

Rex, quem iure, & merito summum, atque perfectum Imperatorem illa ætas appellare potuit, cum in magno nomine, & gloria esset, & omnem regni conatum in Maurorum perniciem comparasset, multorũq; annorum cladibus domiti essent, & imperii fines maris nostri litoribus terminare, & maritimas vrbes suo aditu, atque aduentu patefacere cuperet, & Ædetanorum, Celtiberũmque tractus Valentini regni finibus continentes, & bellis infesti, & assiduis incursionibus vasti vltra Sagunti vetustos muros essent, vulgo Moruiedrum vocant: inexuperabili mœnium ambitu, munimentisque veteribus cognitum, vnde nomen inuenit, ad Silocæ amnis salientes edito loco vrbem ædificat: cui Montis regalis nomen est inditum: & conuentui sacræ militiæ dedicat: illius instituto, quę Hierosolymitano templo, sacro bello dicata fuerat. Magna vectigalia, & tributa huic ordini à Rege consignantur: Guilielmo Auxitano Archiepiscopo ad sacram expeditionem Hispanię populos adhortante: & scelerum, atque impietatum, quarum pœnituissent, culpas expiante. Ex ea veluti communi earum regionum arce, recuperata pœne omni Celtiberia, quæ tot per annos in ditionem concesserat hostium, & præsidia defensionis regni constituuntur, & calamitas, perniciesque longinquis etiam hostibus comparatur: qua regio deserta excipit.

Cum priscis sæculis in præstanti, atq; florenti Romani Imperii fortuna CÆSAR- 1159.
AVGVSTA colonia immunis esset, merito iure cum ab impio dominatu erepta fuit, 1121
ciuibus immunitas data: & ingenuitatis ornamenta sunt attributa: & Infantiones: Ermunii, quasi immunes dicti. Priuilegium præterea ab Imperatore irrogatur, xx. virũm à iuratis magistratibus, & decurionibus, quotiens vis maior vrgeret, creandorum quibus potestas à Cæsaraugustano concilio dari cõsueuit, vt videant operamque dent, ne quid detrimenti res publica capiat: ne plus paucorum vis atque impotentia, quam plebis libertas possit: & eorũ virorum ductu, atque prouisione omnes in sua causa publicis commodis adsint: iusque datum eos, qui non paruerint, constringendi: atque comprimendi: quoad ciuitati cedant: seque summittant. 1160.

Imperatore Morlanis in Aquitania commorante Maio mense Centullus Bigeronũ, & 1122
Lordę Comes se illi subiicit: ditioneq; eam, & quæ adquirere posterum in tempus posset, Imperatori accepta refert. Rota oppido, & Rotensi arce, ad Salonis ripas munitissima, & media Turiasonis vrbis, eisque agri parte Imperator Centullum donat. Albarrazinum præterea nobilem vrbem, in capite Celtiberiæ ad Turiam amnem sitam, simul à dominatu Maurorum liberasset, se illi attributurum spondet: stipendiaque cc. equitum pollicetur: honoraria ex earũ ciuitatum vectigalibus, quæ sacro bello vindicarentur. Beneficia ea militaria erant: quæ proceribus attribuebantur: proceresque ea suis equitibus partiri consueuerant: vnde nomen inuenere.

Iunio mense Rex, qui se Hispaniæ Imperatorem appellat, ex Aquitania reuersus, cum in claustris Pyrenæi arcem exædificasset in ea regione, quã Caput de Sobala nominat, in eo loco residens his, qui Vallem Eciam ex saltu, quem Angustum appellabant, versus culmina Pyrenæi incolebant, posterisque eorum tributa omnia remittit: modo sibi in incursionibus, & exercitibus assistant: ingenuitatisque munus condo-

AERA. NAT. CHR. nat: & scripturæ vectigal, herbaticum ea ætas appellabat, ne à Montione ad Caunum montem pensitent, elargitur. Quod eorum hominum maxime fideli opera ipse, superioresque Reges vsi fuissent, excubias, & custodias sui capitis & nocte, & die illis tradit.

BELLVM ILERGETICVM.

1161. 1123 In Ilergetibus acre bellum ab Imperatore geritur: & nostris angustias omnes locis asperis, & montosis occupantibus, regiones eas depopulantur, quæ Cinga, & Sicori fluminibus continentur.

Alcolea oppidum vi expugnatur.

Septembri mense ad Ilerdæ vrbis muros Imperator castrametatur: tumulumque paulo editiorem occupat, communitque: qui vrbi, & flumini imminet: Almoaliam Gardeniensem illa ætas nuncupauerat: quem locum Cęsariana obsidio, & res plæclare à summo Imperatore aduersus Pompeianos duces gestæ in primis effecerant memorabilem.

Eodem tempore Imperator bellum ex Celtiberia in Ædetaniam, & Contestaniam conuertens, quod inde subministrata hostibus auxilia intelligebat, Valentini regni regiones percurrit. Sucrone amne transmisso Alcaracium nobile Contestanorum oppidum oppugnat. Ab eius oppidi expugnatione maiore conatu, ad perdomandas vicinas regiones exercitum circumducit. In Almeriense postremo regnum, & Bæticæ vberrimos tractus inuadit: omnium gentium, locorumque, quos adierat, victor: Longius penetrata Bætica, quam quisquam priorum peruaserat. Nec quicquam, quod inimicum nostris crederetur, non euersum, atque vastatum reliquit. Finitimi populi vltro ad eum pacem petentes accurrere: ac ne vastarentur agri, tributum pacti dant fidem pacis: & ab Rege accipiunt.

Cum Cordubensis Rex ad Arinzolum, ingentibus copiis, tumultuario delectu coactis obuiam nostris processisset, & pro aris, & focis certamen esset: magna contentione vtrimque decertatur. Hostes, cum omnibus copiis in campum descensum esset, & ingens hortamen, ad omnia pro republica audenda, animos accenderet, conferta pugna cæduntur, sternunturque: & magna eorum iactura victoria constitit. Vetustis etiam rerum Castellanarum monumentis memoriæ proditur, ingenti prœlio Imperatorem ad Arinzolum cum XI. regulis Maurorum conflixisse: eosque profligasse AERA CLXI. Ea in expeditione affuisse traditur vir singulari virtute Gasto Beneharnensis Vicecomes. Tot regionibus infestis signis peragratis, & hostilem in modum incursis prædæ ingentes aguntur: & hostium multa millia trucidantur. Demum nullo accepto detrimento, & ingenti gloria parta, summa exercitus salua nostri in Celtiberiam reuertuntur. Eam Imperator ea expeditione laudem est consecutus, vt hostium non agros, sed regna victricibus copiis incesserit, & perlustrauerit: ac pæne subiecta, atque obnoxia sibi fecerit.

1162. 1124 Iulio mense Medina Zelimi, insigne in Celtiberum, & Carpetanorum confiniis oppidum maxime edito, & præcelso colle situm, ab Imperatore vi expugnatur.

Raimundus Barcinonensis Comes Alfonso Tolosati & S. Egidii Comiti bellum infert. Imperator pacificatorium interponens munus ad colloquia cum Barcinonensi congreditur.

Mense Decembri Calistus P.M. Alfonsi Castellæ Regis patruus decedit.

1163. 1125 Barcinonensis Tolosatem vrguet: & acri bello insectatur. Neque parua de re inter eos contentio vertitur. Tolosas oppidum, arcemque Belicadri, Argentiæ territorium, Prouinciæ Comitatum tamquam erepta repetit. Ad eam tandem pactionem deuentum est. Barcinonensis, & Dulcia eius vxor Belicadri arcem, Argentiæ ditionem, & eam Prouinciæ Comitatus partem, quæ Druentia, & Isara fluminibus continetur, & Valobregæ arcem Tolosati condonant. Mediam Auenionis vrbis partem, & castelli, oppidique Pontis Sorgæ amnis, & eius vrbis territorii, aliquotque arces sibi recipiunt. Eo pacto conuento Tolosas, & Faidida eius vxor Barcinonensibus Comitibus, posterisque eorum reliquam Auenionis partem, & Comitatum Prouinciæ, cum Mesloagæ arce, iisdem finibus, quibus à Druentiæ fluminis ortu, qui ex Iano monte profluit, terminatur, & eius fluminis regione in eum locum, quo in Rhodanum influit, & in mare effunditur, remittunt. Paciscuntur vti alter in alterius locum, nullis relictis liberis, earum ditionum heres succedat. In ea pacta conuenta descensum est A.D XVII. K. Septemb.

Honorius II. ad summi Pontificatus dignitatem adscitus Humbertum presbyterum Cardinalem S. R. E. legatum ex latere in Hispanias prouincias mittit. Is Legionem regiam

regiam Afturum Vrbem concilium earum prouinciarum indicit: cui adfuere Alfonsus AERA.
Castellæ Rex, & Didacus Gelmirius Compostellanus Archiepiscopus: cui à Calisto E- NAT.
meritensis prouincia contributa fuerat. Res in primis digna, quæ publica memoria reti- CHR.
neatur, eo in conuentu accidisse fertur: nam cum Alfonsus Rex Berengariam Raimun-
di Barcinonensis filiam in matrimonium duxisset, veritus fuit, ne in eo Episcoporum 1163.
consessu decreto sanciretur, vt ab ea, tanquam non iusta vxore diuerteret: quod illi pro- 1125
pinquitatis vinculo coniunctus esset. Ex paterno ne, ea propinquitas Raimundi Comitis
Vrracæ mariti genere, an Constantiæ Reginæ Vrracæ matris, quam Alfonsus Rex ex
Gallia terra in matrimoniū duxerat, aut ipsius Alfonsi Regis stirpe, qui Tolosatis auus e-
rat, deducta fuerit, quum ab antiquis scriptoribus tacitum, prætermissumque sit, inter ce-
tera vetustate incomperta, hoc quoque in incerto, & abdito positum. Berengariæ ma-
trimonium stabile, ac certum permansit.

Sanctius Lopezius Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Vrraca Regina, quam suum flagitium de sanitate, ac mente deturbauerat, cum gra- 1164.
uida esset, ex partu filio edito, in Saldaniensi arce A.D. VI. Id. Mart. decedit: cum liberius 1126
viueret, quam Reginam deceret.

Alfonsus Rex Vrracæ F. arces, & oppida, quæ Imperatori parent, oppugnat: & Pe-
tro Gonzaluio Larensi Comiti bellum infert: se, exercitumque suum Imperatoris exer-
citui opponit: statiuaque castra facit: ac res in vltimum venit discrimen.

Mense Iunio Imperatore ad Hiberum amnem iuxta Pharum oppidum castra mē-
tante, Christianis, qui sub Maurorum ditione, ac dominatu commorātur, quos Mozara-
bes appellabant, & Aragoniæ vrbium fines incolunt, quibus incolendi causa apud hostes
remanere licebat, immunitas, & libertas data: pluresque ex diuersis locis, in Aragoniæ
vrbes confluxere. Ea tempestate Imperator se in castella regnare, publicis monumentis
testatur. Nam cum neque Reginæ obitus concordiæ fœdera conciliasset, prope ad vlti-
mam dimicationem deuentum est: veteri inter se regnorum odio stimulante.

Cum castra Alfonsi Regis, Imperatoris castris collata essent, proceresque regni Ca-
stellæ se in pacificationem interponerent, Rex demissa, & humili precatione ab Impera-
tore deposcit, vt regnum à se hereditate partum, pro auita necessitudine, & coniunctio-
ne, & singulari fide, ac religione deponat. Ea prece, & obsecratione, princeps animi ex-
celsi, & inuicti commotus protinus arces, & propugnacula, quæ à nostris tenebātur, libe-
ra tradi imperat. Tantum abfuit ab insolennia gloriæ, vt commiseratus sit fortunam Re-
gis, qui suorum prauis consiliis pæne concidisset. Ex eo Imperator, ex tanti belli terrore
illato, Castellæ Regem, quasi paterna necessitudine coniunctum semper habet: & præsi-
dia ab vrbibus deducit.

A. D. XI. K. Iul. moritur Raimundus Barbastrensis Episcopus sanctitate veneran-
dus.

Hoc anno cum Mauris in Catalonia ad Coruini castellum cruento, & calamitoso
prœlio à nostris fuisse decertatum, magnaque clade accepta, in maximum periculum, &
summum prope discrimen rem publicam fuisse perductam vetusta monumenta testan-
tur. Imperator vt præsidium labantibus, & inclinatis rebus ferret, in Cataloniam ad Bar-
cinonensem cum delectis militum copiis accurrit.

Stephanus Cæsaraugustanus Episcopus.

Imperator Castellano bello extincto, in tanto fastigio regni collocatus, rebus in- 1167.
gentibus gestis, Molinensem ciuitatem tributa pendentem ad deditionem redigit. Op- 1129
pida enim omnia, aut vi capta, aut in deditionem recepta præsidiis nostris tenentur: cun-
ctaque ea Celtiberiæ regio Aragonio Imperio paret: & stipendiaria efficitur.

Septembri mēse cum Imperator Taffaliç commemoraretur, in Pompelonis, quam 1168.
Iruniam indigenæ illa ætate nominant, cōtinentes vicos, Burgum vocant, ad S. Saturnini 1130
plana, & æquata suburbii loca veteranorum Francorum coloniam deduci imperat. Ea-
dem iura sancit, ac leges describit, quæ à Sanctio Rege patre Iaccetanis promulgatæ fue-
rant: & forum indicit. Scribendo adfuere, auctoritatesque deducendæ coloniæ tribuere
Stephanus Oscensis, Sanctius Iruniensis, Sanctius Naiarensis, Michaël Turiasonensis,
Petrus Rotensis Episcopi: Rotro Perticarum Comes qui Tudelæ dominatum obtinet,
Gasto Beneharnensis, Atorella, qui Riclæ, & Sanguessæ, & Francus Lupius, qui Soriæ,
& S. Stephani oppidi ad Durii ripas in Areuacis siti dominantur.

Vetustis annalium monumentis proditur Gastonem Beneharnensem & Sthepha-
num Oscensem Episcopum, hoc ipso anno, cum prœlium cum Mauris commisissent, fu-
isse interemptos: neque quo loco conflixerint, commemoratur. Locus honorificus se-

AERA. pulchro in sacello Ecclesiæ beatæ Mariæ Cæsaraugustæ designatur: quo Beneharnensis
NAT. inferretur.

CHR. Moritur Raimundus Berengarius Barcinonensis: omnium, qui in eis ditionibus sunt
1169. dominati, longe princeps. Ex Dulcia vxore liberos suscepit maximum natu eiusdem no-
1131 minis, & cognomenti. Huic Barcinonensis ciuitatis dominium, & iura ditionum, ac finium, quæ Hispaniensibus expeditionibus bello vindicarentur, attribuit. Tarraconensem præterea, & Ausetanum Comitatum illi addicit: & Ceruariensem ciuitatem, quæ Ausetanis erat contributa. Ad hæc Manresæ, Gerundæ, Besaluni, Vallespirii, Petræ Pertusæ, Cæretaniæ, Confluentis, & Bergæ Comitatus applicat: & Carcasonensem, & Rhodensem item Comitatus adiungit.

Berengario Raimundo natu minori F. Comitatum Galliæ prouinciæ, & Aimiliani, maternæ hereditatis bona, atq; iura condonat. Gabaldani præterea Comitatum, & Carladensem ditionem, vt in eius potestate esset attribuit.

Filiam natu maiorem Berengariam Alfonso Castellæ Regi desponderat: & Cæciliam Rogerio Bernardo Fuxensi Comiti in matrimonium collocauerat. Ex ea nascitur Raimundus Rogerius eius ditionis heres. Has duas filias, si filii nullis superstitibus liberis decederent, in eorum locum heredes earum ditionum substituit. Alias præterea reliquit filias: quas in tutelam Berengario Raimundo F. tradit. Eæ in Gallia nupsere: & earum vna Aimerico Narbonensi Vicecomiti in matrimonium collocatur: quæ mater fuit Ermengaudæ Vicecomitis.

RAIMVNDVS BERENGARIVS COMES BARCINONEN.

Cum bellicosissima natio semper in armis esset, Imperator Pyrenæi saltu transcenso, Baionam in Tarbellis ad Oceanum situm oppidum, mense Octobri castris circumsidet: neq; quis eius obsidionis exitus contigerit, memoriæ proditur: etsi coniectura ducimur, id oppidum vi fuisse expugnatum, aut in deditionem acceptum: nam regnare paulo post vetustis monumentis traditur ab Bilforado Beronum oppido ad Palliariensem ditionẽ & à Baiona Montem regalem vsq;: & iis finibus imperium eius terminari: atque is annus magis nouo, quam magno bello erit insignis.

Decembri mense Calataiubiensibus Imperator immunitatem, & libertatem largitur: propriumq; forum irrogat. Decreto Apostolico ecclesiastica beneficia, vt indigenis conferantur, sancitur: eamq; sanctionem Lucius II. P.M. confirmat. Haud parua regni accessio ea ciuitas fuit: quæ neque oppidi amplitudine, neque agri vbertate, vlli cederet populo.

Garcias Guerra Cæsaraugustanus Episcopus.

1170. Colonia ab Imperatore Malienium deducitur: quam militiæ sacræ Templariorum,
1132 & eorum conuentui dedicat. Templarii id oppidum postea cum Hospitalariis Hierosolymitanæ militiæ Nouilliarum oppido permutauere.

1171. Martio mense classem longarum, atq; actuariarum nauium ad ipsa vrbis Cæsaraugu-
1133 stæ mœnia Hibero amne deductam, in veteribus rerum vrbanarum monumentis inuenimus: rem, si hæc tempora spectentur, æque difficilem operosa concursatione, atque incredibilem: nec æstate alto satis amne, & pontium, moliumq; substructionibus, riuorumque deductionibus artiore alueo. Definemus tamen mirari, si perpenderimus, Vespasianis principibus, eum amnem per CCLX. M.P. à Varia oppido nauium capacem fuisse. Secundo flumine Mequinenciam, ad confluentes Hiberi, & Sicoris, Etobisam, siue Octogesa ea est, vetus oppidum esse arbitramur, edito loco sitam Iunio mense nostri vi expugnant. Egregiam operam eo in bello nauarunt Perticarum Comes, Centullus Vicecomes Bigeronum, Garcias Ramirius qui Montione dominatur, Lupus Garcesius, Peregrinus Alagon, Sanctius Iohannius, qui honorariæ ditioni Oscensis ciuitatis præfectus erat, Caxal, Petrus Titio, Gasto Bielius, & Iohannes Galindius. In Mequinenciana vero expugnatione virtus egregia enituit Petri Biotæ, qui antecursorum copias ducere consueuerat, Adalides eos duces Hipano nomine vocāt, & Innici Fortunionis, & Simonis Garcesii: quib. Rex oppidū Nonaspe, ad Mataraniæ ripas sitũ, & eius arcẽ attribuit.

Ea tempestate magna ex parte Africanis, & Mauritaniæ classibus maria obsidebantur: & extra Herculis columnas Lusitaniæ, & Galleciæ regiones depopulantur. Interno mari Arelatenses, Genuenses, & Pisani nauticarum rerum scientia præstantes feruntur.

Imperator Mequinencia potitus, oppido ad bellum aduersus Ilergetes, & Ilergaones prosequendum, & cõmeatu, & reliquis copiis intercludendum maxime apposito, Scarpiũ in Cingæ ripa situm, & opportunum oppidum exercitu tenet: atq; inde Fragam Augusto mense circumsidet. Cum

Cum diuturna obsidione Fragam in decliui,& præcipiti loco sitam, & Cingæ flumini impositā imperator premeret, magnoq; viriū conatu propugnaretur,ꝙ Mauri externis, & transmarinis auxiliis nūquam diffisi essent,& claustris,faucibus collium,& excelsis vndique anfractibus sepirentur;cum Abengama Ilerdensi Rege,qui obsessis opem tulerat, Iustæ,& Rufinæ festo die cruento prœlio dimicat: magnaque clades nostris est allata. AERÆ: NAT. CHR. 1172: 1134:

Fragensem obsidionem nostris vrgentibus, cum ad famam eius, delectus haberi cœptus esset,& Imperator Soriæ finibus accurrisset, vt non modo ex propinquo, sed externo delectu exercitum suppleret,& hostium palantes copię Montionem vsque,regionem cum incurrissent,& ccc.equitum turmis Imperator subsidio suis aduentaret: circumfusis immanibus copiis Maurorum equitum,tumultuario certamine pugnam conserens,& in acie dimicans mortem occumbit cum gloria oppetitam: haud aliter, atque pater,& auus oppetierant: vt vere familiare fatum illis principibus constitutum fuerit: vt luendis publicis cladibus piacula hostibus opponerentur. Nam dum acrius,quam cautius dimicat,confossus vndique obruitur. Vita omnis imperatorie acta æque venerandum ac ipsius regni maiestas effecerat. Ita per XL.annos bella gesserat, vt militaria opera semper obiret: & longa ætas inuictum Imperatorem vertenti fortunæ præbuerit. A. D. VII. Id.Sept.eam pugnam ante Sarinienæ oppidi muros decertatam ferunt. Periere vna Centullus Beneharnensis,& Aimericus Narbonensis Vicecomites: Gometius Luna,& Lupus Caxal magni nominis ex nostris proceribus. Cum plurima bella ductu, ausuque suo & gesserit,& confecerit: nam cum hoste nouies,& vicies signis collatis dimicasse, vetustus auctor confirmat: quasi desultorio certamine occubuit. Ad Montis Aragonum sepultum fuisse, quidam prodidere: alii vero eius cadauer nusquam comparuisse commemorant: siue obrutum superstratis cæsorum tumulis,aut alio casu neglectum,aut dilaceratum inueniri non potuit. vt summus Imperator,atque animi vigore præstantissimus,principum illius sæculi maximus,& honore sepulturæ, & iustis funeribus caruerit. Pietate longe ceteris eius æui principibus excelluit: qua vna virtute,aut æquauit magnorum superioris ętatis Regum gloriam, aut excessit. Ad partam tot bellis, atque victoriis laudem accesserat, quod cum illo simul iusta, ac legitima regna ceciderant. Hierosolymitani sepulchri custodibus,& Hospitalis,atque Templariæ militiæ cōuentibus regnum testamento dedicat. Plura oppida,& ingentes vectigalium prouentus ecclesiis,& cœnobiis largitur. Iureiurando ea Regio iussu sanxerāt Lupus Lupezius,qui Riclæ dominabatur, Rudericus Peresius Vrrea, Lupus Garcesius, Peregrinus Fortunius, Orticius Focius, Lupus Sāctius Bellitanæ ditioni præfectus, Artallus Alagon, Quadratus Prætor vrbanus, Comes Fortunius Aznarius Turiasonensis, Petrus Myr Entenza, Petrus Gisbert⁹, Berengarius Gombaldus, Petrus Raimundi F. Erilius, Arnaldus Myr Comes Palliariensis, Petrus Raimundi F. Stata, Titio, Iohannes Antilionius, Lupus Fortunius ex Albero, Fortunius Azlorius, Fortunius Lopezius Aierbius, Gasto Bielius: compluresque alii ex Nauarrorum,& Aragonensium nobilitate viri.

Nauarri,& Aragonii super adsciscendo Rege, Borgiæ cum conuenissent,& consiliis, & studiis dissident. Alfonso Castellæ Rege palam regnum armis,& castris,legitimo successionis iure appetente, Nauarri Garciæ Ramiri filio,& Sanctii Regis, qui Rotæ occisus fuerat, nepoti Pompelonense regnum deferunt.

Cum Aragonii Alfonsum Castellæ Regem regno euertere conarentur,& quis nam deligeretur, perquirerent, atque omnium ore Petrus Ataresius Garciæ Infantis, vti coniectura ducimur, & Theresiæ Caxalis filius, Sanctii Comitis nepos,& Ramiri Regis pronepos celebraretur, & se intempestiua superbia stolide elatū,atque insolentem in Borgiensi conuentu,haud aliter,ac si regnum esset adeptus, præbuisset, Petro Titioni,& Peregrino Castellitiolo,studio in partes discedentibus ludibrio fuit. Regem clam alium efflagitant: atque ordines Regni,ac conuentus arbitrium deligendi Principis sibi permittunt: quo lenius ea competitorum contentio acciperetur. Plures ex proceribus occulta spe, prout quis fuator, amicus,aut cōtubernalis hunc,vel illum vulgi rumoribus antetulerant. Demum Montionem conuentu translato Titio, & Castellitiolus, ne Castellano subiiciantur imperio, si Alfonsus ad Regnum,cui legitimo iure deferendum erat,adscisceretur, cōsilia exquirentes,quibus Regni status maxime contineretur, Ramirū Alfonsi Imperatoris fratrē,qui instituto D. Benedicti, ac cœnobio Tomeriensi à patre pæne infans puer dicatus fuerat,& sacerdotii,& Episcopi infulis honoratus ex Burgēsi Pompelonēsi,& Rotēsi electo Episcopo ad Regnū euehere summopere adnitūtur. Rē dignā admiratione gestā fuisse apparuit: quādo duo hi proceres suopte cōsilio iura Regni trāsferēda

AERA. NAT. CHR.

ſuſcepere: extra ſtudia ordinum flagrantibus iam vulgi animis: ſummaque grauiſſimorum virorum auctoritate, alio, quam conuentus ordines primo deſtinarant. Regnum eſt tranſlatum. Tam feſtinanter ea comitia & habentur, & geruntur, vt Ramirus Octobri menſe Barbaſtri, ſe in regno paterno, & Cæſarauguſtano, publicis tabulis regnare teſtificetur: & ſe Regem, & ſacerdotem nuncupet.

RAMIRVS II. ARAGONIÆ X. REX.

Aragonij veriti, vt ferunt, ne deficiente Ramiri Regis ſtirpe, externo dominatui parendū eſſet: adnituntur, vti Ramirus à Pontif. Max. ſanctionibus Canonicis ſolutus, quod pæne infans votorum damnatus eſſet, & ita è republica videretur, neue plura detrimenta publicis rebus, ſi ad arma deſcenſum eſſet, importarentur, vxorem in matrimonium duceret. Ducit acta ferme ætate Agnem Guilielmi Pictonum Comitis, Aquitaniæ Ducis ſororem: Leonoræ, quæ Ludouico iuniori Francorum Regi nupſit, & Petronillæ eius ſororis, vti ego exiſtimo amitam. Apud vetuſtum annalium auctorem comperio Mathildem vocatā: & matrē fuiſſe Vicecomitis Toarzenſis: & Ramiro canonicis inſtitutis à Pont. Max. ſoluto eam in matrimonium collocatam: quod cōfirmare liquido haud poſsū.

Nauarræ regnum ab Aragoniæ Regum ditione, quorum in poteſtate fuerat, diſiungitur. Sanctij enim Roſæ Pompelonenſis Epiſcopi, & Latronis Innici Velæ filij, Guilielmi Aznaris Oteiciȩ, Simonis Aznarii Torreſii, & aliorum procerum conſilio Garciȩ Ramiri Infantis filio, & Cidi nepoti Regnum deferunt: quem Montione Guilielmus Aznarius & Fortunonius Innici filius Lehetius in Nauarram deduxerant: & Pompelone Regiis inſignibus decoratur.

Decembri menſe Alfonſus Caſtellæ Rex, cum cis Hiberum amnem ditionum, & ciuitatum omnium eſſet potitus, Raimundo Barcinonenſi affini, Ermengaudo Vrgellitano, Alfonſo Iordane Toloſate, & Fuxenſi, Palliarienſi, Conuenate, & Ruderico Gonzaluio Comitibus, & Guilielmo Montis peſſulani domino aſſectatoribus, regioque comitatu, vti iuſtus, & legitimus Rex Cæſarauguſtam ouans introiit. Ramirus Cæſarauguſtano regno exactus, ad montoſa regna, & eos, qui iureiurando fidem fecerant, ſe recipit.

Garcias Cæſarauguſtanus Epiſcopus in Eccleſia Beatæ Mariæ Conuentui canonicorum ſæcularium præſidet.

Cum omnia infida, atque inimica noſtris eſſent, nec ita multo poſt Ramirus in Su-

1173. prarbienſem regionem ſe recepiſſet, Moncluſi arce, Februario menſe Aragoniæ, Suprar-

1135 bii, & Ripacurciæ ditionibus ſe regnare conteſtatur: vt pacto conuento Cæſarauguſtano regno ceſſiſſe præ ſe ferat. Garciam Ramirum Nauarræ Regem ſubditicium, id eſt vt illa ætas conſueuit, vaſſallum nuncupat.

Caſtellæ Rex Aragoniæ, & Cæſarauguſtani populi Regem ſe peruulgari, atque edi imperat: atque ea tempeſtate Legione imperatoriis inſignibus decoratus ſollemnia imperii capeſſit: & Auguſtȩ maieſtatis cognomentum, quaſi Hiſpaniarum prouinciarum ſupremum dominatum conſecutus, ſuſcipit.

A. D. V. K. Oct. Pradilliæ oppido ad Hiberum amnem Alfonſus Imperator, & Garcias Nauarræ Rex congrediuntur. Cū Nauarrus fidelitatis iura Imperatori obſtrinxiſſet, ac ſe illius dominationi deuinxiſſet, & Imperator ſtatuiſſet incepto abſiſtere, Cæſarauguſtano regno ab Imperatore donatur. Ramirum bello perſequi ſtatuunt. Adfuit eo in congreſſu Berengaria Regina. Proceres Aragonii Caxal, Ferricius Oſcenſis, & Petrus Atareſius earum controuerſiarum arbitri iudices dati: & ex Nauarrȩ regno Latro, Guilielmus Aznarius Oteicia, & Simon Aznarius Torreſius alienigenam Regem perhorreſcentes, cum ad Vadum Longum, id vico nomen eſt, conueniſſent, id ſubſidium contra maiorem vim comparauere, vti Garciam, & Ramirum inter ſe diſſidentes ad colloquium deducerent. Pompelone congreſſi, regna iis regionibus terminauere: quibus Sanctius Maior definierat. Ramirus Garciam, quoad viuat, ea regione, quæ Roncaualle Biozalem vſque continetur, donat: adiungitq; oppida Alaſos, Quadreitam, & Valterram. Cum officia ſua, quȩ fuerant, omnia præſtitiſſe viderentur, Ramirus occultas inſidias indicio Innici Aiuarij veritus, quas ab inimico Rege paratas delatum eſt, cum Pompelone commutata perſona noctu, ne captus, & comprehenſus teneretur, Caxale, Ferricio, & Petro Atareſio Comitibus aufugiſſet, in eodem diſſidio Reges manſere. Latronem Innici Velæ filium Comitis titulo, atque honore decorat.

1174. Crudele, & inauditum facinus à Rege, & monacho, & ſacerdote, & qui clandeſtinis

1136 conſiliis, & pæne precario in puſilli regni poſſeſſionem veniſſet, conſciſcitur. Nam ſiue ludibrio, & deſpectui ſe omnibus eſſe videns illuſtre exemplum edi voluit, ſiue maior procerum pars ab eo defeciſſet, & ea lege obſides traditi eſſent, vt capite luerent, ſi pactis non

non ſtaretur, in omnem ferme nobilitatem ſæuiit. In xv. enim primarios proceres, quorum peruulgata ſunt nomina, ſummo iure agens, Oſcæ adeo crudeliter exarſit, vt capitis omnes condemnarit: & præſenti morte, aut ſuæ, aut alienæ perfidiæ pœnas dependerint. Vetus rerum Aragonenſium auctor memoriæ prodit, conſilio Abbatis S. Pontii Tomerienſis ad id faciendum facinus prorupiſſe. Nam cum plura oppida, atque arces proceribus regni condonaſſet, & contempti, & abiecti regni nomen illis eſſet, ſummaque eorum diſſenſione, atque audacia regni partes labefactarentur, & Abbatem Tomerienſem regnandi inſolens conſuluiſſet, homo verſutus, & veterator ad exemplum Thraſybuli Mileſii Periandro Corinthi tyranno propoſitum, & à Tarquinio vltimo populi Romani Rege repetitum deuenit. Nullo namque reſponſo nuntio reddito, hortulum ingreſſus, prægrandia, & luxurioſa proceritate diffluentia caulium cacumina decuſſit: vti ea imagine admonitus Ramirus regnare diſceret: & in eos, à quibus ſe contemptum videret, regio iure animaduerteret: ac deſertores merita pœna afficeret. In xv. regni proceres crudeliter animaduerſum, & quinque primarios ex eadem gente viros, vltimo ſupplicio punitos memorant: ex quib. diuerſæ Lunarũ familiæ in primis ample, & illuſtres diſtinguũtur. Eos apud vetuſtũ auctorẽ cõperio Bachallæ filios, & nepotes fuiſſe Lupũ Ferrenciũ, Rudericũ Simeniũ, Petrũ Martiniũ, Ferdinandũ, & Gometiũ Lunas. Reliquos cõmemorant Ferrıciũ Lizanã, Petrũ Verguã, Egidium Atroſſiliũ, Petrũ Corneliũ, Garciã Pinnã, Raimundum Fociũ, Petrum Lueſiã, Michaelẽ Azloriũ, & Sanctiũ Fontouã: viros genere atque auctoritate præſtantes. Ne rẽ eam futilem, aut eius, vanum auctorem arbitremur, qui primus ſcripto prodiderit, vetuſtæ tabulæ efficiunt: quibus teſtatum comperio Ramirum Regem apud generum conqueſtum fuiſſe, ſe à proceribus contemptum, & deluſum: & poſteris traditur hoc ipſo anno obſides vltimo ſupplicio Oſcę affectos fuiſſe. Nam quæ vulgo feruntur, Ramirum adeo rebus gerendis ineptum, & quodammodo ſtolidum fuiſſe: vt cum hoſtibus decertaturus clypeo, & haſta præpeditus, habenas mordicus tenẽs, equum moderaretur, ac ſuſtineret, ineptiis pœne anilibus ſimilia videntur iis, qui nouere, illius ætatis viris, qui ſacris præficiebantur, quos domeſticis inſultibus hoſtium quotidie occurrere erat neceſſe, nullos potiores duces habitos: inſignesq; ante milites quam antiſtes fuiſſe: ne dum Reges: regumque filios: qui iam inde ab incunabulis bellis imbuti, atque aſſueti erant. Iidem commenticiæ rei fidem adhibere cogunt, qui memorant, cum Ramirus Oſcam conuentum indixiſſet, ſuos conuentos voluiſſe, quod cymbalum fundere vellet tam late, plenumque ſonans, vt totius regni cymbalum haberetur: atque in eam procerum carnificinam fuiſſe progreſſum: quæ per Hiſpaniæ regiones, haud inanes ſonos effuderit.

Cum is rerum ſtatus eſſet, vt Ramirus Rex inſtituto potius priſtino, & anteactæ vitæ aſſentiri, quam præſentibus regni tumultibus conuenire poſſet, turbatis rebus, tempori ſuccumbendum ratus, Raimundo Barcinonenſi Alfonſi Caſtellæ Regis affini pacis auctore, & Caxali internuntio Alfonſo Regi ſe ſuaque tradit. Paciſcuntur, vti Ramirus tamquam Alfonſi ſubditicius vrbes, oppida, arceſque omnes, quæ Alfonſo cis Hiberum traditæ fuerant, honorario iure teneat, atque poſſideat. Alauonæ, ad Hiberi amnis ripas xvi. M. P. ſupra Cæſarauguſtam, ad colloquium ſacro D. Bartholomæi die congreſſi Alfonſus Cæſarauguſtanum regnum Regi Ramiro tradit: atque noſter Cæſarauguſtani ſe regni compotem, Alfonſus vero Imperator Legione, Toleti, Soriæ, Calataiubii, & illo ipſo Alauonæ oppido regnare publicis monumentis teſtantur. Vti eæ ratæ, firmæque pactiones eſſent, Petronillam Ramiri F. obſidem Imperator accipit: deliberantque, vti Raimundo in matrimonium collocetur. In ea re tranſigenda Guilielmum Raimundum Cataloniæ Seneſcallum officia, & partes, pro dignitate Barcinonenſis ſuſcepiſſe, magna quod apud Ramirum gratia polleret, proditur.

Carrione Vaccæorum oppido inter Imperatorem Alfonſum, & Barcinonenſem cõ- 1175.
uenit: pactioque fit, vti Cæſarauguſta, Turiaſo, Calataiubium, & Daroca, aliaque oppida 1137.
quæ cis Hiberum à Caſtellanis præſidiis tenebantur, fidelitatis ſacramento, & honorario iure Barcinonenſi tradantur. Iureiurando Barcinonenſis obſtringitur, ſupremum dominium earum ciuitatum, ac ſummam poteſtatem Imperatori liberam permanſuram. Præterea fœdus iciſſe traduntur, vt vna bellum Garciæ Nauarræ Regi inferant.

Cum Garcias omnes, quæ in Nauarræ partibus erant, copias militares, & quas trans Pyrenæum arceſſierat, collegiſſet, & Imperator propotenti exercitu eius regni fines eſſet inuaſurus, & in Gallurem, & Cortes oppida ſignis collatis acies vtrimque concurriſſent, Aprilis menſis dominico die, qui octauus celebrationis Reſurectionis Domini fuit, pugna deſtitere. Nauarri dignitati, & honori Ludouicus Francorũ Rex magno commodãdi

AERA. NAT. CHR. ſtudio fauet. Garcias excelſi animi princeps Pompelone, Naiaræ, Alauæ, Vizcaiæ, & Guipuzcoæ regionibus dominatur: & cum Margaritam Rotronis Perticarum Comitis F. duxiſſet, Tudelam dotalem tulit.

Non. Iul. Anno XXVIII. regni Ludouici Francorum Regis Raimundus Barcinonēſis Guilielmo Raimundo Cataloniæ ſeneſcallo Moncadæ ditionem, qua plures arces, & oppida continebantur, honorario iure condonat: dignam ſcilicet mercedem eorum ſpōſalium, quæ eo arbitro, atq; auctore cum Petronilla Ramiri Regis F. fuere depacta. Hinc maxime illuſtres, & ampliſſimæ Moncadarum familiæ fluxere.

A. D. III. Id. Aug. Ramirus Rex Raimundo Barcinonenſi Petronillam F. quam in matrimonium ducat, vna cum regno tradit: eamq; regni conditionem, & ſtatum illius conſtituit, quibus Sanctius pater, & Petrus, atq; Alfonſus fratres obtinuerant: liberum nempe: & immunem. Leges, quæ Aragonenſibus promulgatæ fuerant, iuraq; eadem, ac fora integra, ac ſancta permanere ſtatuit: & certos regni fines terminat.

A. D. VI. K. Sept. cum Ramirus Rex Gerpienſi arce deſideret, omnia, quæ inſcio genero, ex quo ei filiam tradiderat, à ſe donata fuerant, reſcindit: & irrita facit.

Menſe Octobri Raimundus Barcinonenſis Cæſarauguſtam, regium dominatum, & principatum adeptus ouans introiit.

Id. Nou. cum Ramirus Rex ad vrbem eſſet, edicit, vti ii, qui arces, caſtellaque præſidiis ſuo nomine tenent, à genero obtineant: & eius mandato repræſentent: illi pareant: atq; illum obſeruent. Cum omnia tamen conceſſiſſet, excipit, & genero denuntiatum eſſe voluit, vti regnum ſub dominatu, poteſtate, ac fide ſua obtineat: ſua iuſſa, & vetita rata, atque firma habeat.

Ferunt iis omnibus collocatis, atq; conſtitutis ad priſtinum vitæ inſtitutum, & ſacrorum ritus obeundos ſe retuliſſe: & religionis ſtudia, quæ retenta animo, & totius vitæ conſtituto ſpatio, tam paruo temporis interuallo intermiſſa fuerant, reuocaſſe: & D. Petri ſacra æde Oſcenſi abditum, regali tamen habitu latuiſſe. Ab vxore diuertiſſe ſimilimum veri apparet: neq; cum longius ætate prouectus fuerit, ad publicas ſe res in poſterum applicuiſſe, pro certo firmare poſſumus. Illud tamen omnibus dignum admiratione videri debet, tam celeri conuerſione rerum peragi hæc potuiſſe: vt vix trium annorum ſpatio decurſo, Ramirus & regnum hæreditarium adierit, vxorem duxerit, filiam ex eo matrimonio ſuſceperit, genero nuptui tradiderit, & regni adminiſtratione ceſſerit.

CATALONIÆ PRINCIPATVS ARAGONIÆ REGNO ADIVNGITVR.

1175. Explicatis ordinibus temporum, ad noſtrorum annalium rationem ſatis apte, con-
1137 uenienterque congruit ſeries ea, quæ ex initiis regni Ramiri Regis eius nominis primi ad hæc tempora ducitur. Nam vt in veteribus rerum Barcinonenſium commentariis ſcriptum eſt, quorum auctor ēa tempeſtate eſt commentatus, CIIII. anni, ex quo Ramirus Ramiri auus regnare cœperat, ad hanc Cataloniæ, cum Aragoniæ regno adiunctionem connumerantur.

RAIMVNDVS BERENGARIVS ARAGONIÆ PRINCEPS COMES BARCIN.

PETRONILLA XI. REGINA ARAG.

Vt ſatis conſtiterit Raimundum Barcinonenſem Principis, non Regis cognomentum vſurpaſſe, ita confirmare poſſumus Petronillam, quæ regio cognomine ſemper vſa fuit, nunquam ſe ad publicas pacis, aut belli rationes, ſiue domi, ſeu foris, marito viuente adiunxiſſe. Inſignia vero militaria Comitum Barcinonenſium, quæ aureo ſcuto, quattuor tæniis puniceis virgato præfulgent, regiis Aragoniæ inſignibus ex eo prælata fuere: & Catalonia terra principatus nomen adipiſcitur.

Pontius Hugo Emporitanus Comes Hugonis F. Raimundo Principi aduerſus Roccabertinium Vicecomitem conciliata gratia adiungitur. Caſtra Carmenzonis, & Roccabertini oppidorum delentur: diruunturque.

Oldegarius Tarraconenſis Archiepiſcopus, cuius & illo, & poſteris ſæculis ſancta religionis, & pietatis memoria fuit, è vita excedit. Huius ſanctiſſimi viri commemoratio in diuorum numero conſecratur.

Petrus Tarrogia Cæſarauguſtanus Epiſcopus.

1177. Alfonſus Henrici Portugalliæ Comitis F. qui Ducis cognomentum ſuſceperat, ſum-
1139 mis principibus, & animi magnitudine, & nominis, generiſque ſplendore merito æquandus, Imperatoris Alfonſi frater, cuius animos ad regnum capeſſendum Alfonſus Rex

auus,

auus,& Hẽricus pater,nõ modo exsuscitãt,sed maiores ẽt faciũt,ꝗ suis finib. cõtineri posset, AERA
cũ regionẽ,ꝗ Durio,& Minio fluminib.terminat̃,obtineret,sub imperiũ,potestateq́; suã magnã Lusitaniæ partẽ redigit:& glorioso prœliorũ exitu ad Vrichiũ cãpũ hoc an. cũ Mauris de- NAT. CHR.
certãs diuina ope victor euadit. Pridie ꝗ signis collatis decerneret, regio cognomẽto ornat̃. Princeps maxime dignus,cui ab Eugenio III. P.M. sãctitas regia, regaliaq́; insignia decerneret̃: eaq́; posteris repsentaret:eiusq́; nominis memoria amplissimis consecraretur monumentis.

A.D.IX.K.Mar.Carrione Imper. Alfonsus,& Raimũdus Princeps eius affinis Garciæ regnũ, 1178
ditionesq́; oẽs inter se partiũt̃:paciscũturq́;,vt Maranio,& oppida omnia,ꝗ Alfonsus Rex Im 1140
peratoris auus cis Hiberũ possederat,Imperatori tradãt̃. Princeps ea,ꝗ Garcias ex Aragoniæ regno recepat,optimo iure,vti Sanctius,& Petrus Reges obtinuerãt, teneat: reliquorũ vero oppidorũ Nauarræ,ꝗ Sanctius,& Petrus Reges ab Alfonso Impatoris auo honorario iure obtinerãt,tertia pars Impatori cũ arce,& oppido Stella attribuit:reliq. vero Principi honorario iure cũ Põpelonẽsi ciuitate cedũt:iisdẽ cõditionibus, quib. Reges Sãctius, & Petrus ab Alfonso rege obtinuerãt.Sed virtus egregia Garciæ puicit,ne vllo pactionũ,aut cõspirationis genere, vi,fraudeue regno euerteret̃.In comitatu Principis adfuere Petrus Ataresius,ꝗ Borgiæ dominabatur, Artallus Alagon, Bernardus Guilielmus Entenza Aragonii pceres:Catalani vero Raimũdus Folchius Vicecomes Cardonẽsis, Guilielmus Raimũdus Moncada,& Galcerãdus Pinosius. A.D.VIIII.K.Nou.Imper.& Berengaria Augusta,atq́; Garcias Rex ad Hiberi ripas inter Calagurrim & Pharũ cõgressi spõsalia Sãctii Imperatoris filii,& Blãcæ Garciæ filiæ paciscũt̃:Garcia Rege,& Raimũdo Principe in pristina cõtẽtione,& dissidio pmanẽtib.

Chalamera & Alcolea oppida,ad Cingæ amnis ripas,ꝗ Mauri psidiis munierãt,ab iis,quos 1179
Princeps ppugnãdis,& tuẽdis regni finib. pfecerat,expugnãt̃. Guilielmo Hierosol.Patriar- 1141
cha adnitẽte,& Raimũdo Hospitalariorũ ordinis magistro internũtio, sũpioris anni Sept.mẽse,pmissu Folchii Hierosſ.Regis,& Andiũ Comitis cũ Aragoniæ Principe, sup eo iure, ac ditione depactũ est,ꝗ Tẽpli,& Hospitalis Hierosol.magistri in Aragoniæ regno,ex Imp. Alfonsi testamẽto repetũt. A.D.IIII.K. Sept. Hierosolymis pacta cõuẽta à Hierosol. Patriarcha rata fiunt. Ordo & cõuẽtus Sacerdotũ Regularium S.Sepulchri Hierosol.in Aragonia,& Catalonia à Gerardo S.Hierosol.Sepulchri canonico institutus:& Calataiubii bonis pdibus,fructuosisq́; pdiis,& nobilissimis possessionib.fana, cõuentusq́; ditãtur. Societas,& militia ordinis Tẽplariorũ in eisdẽ ditionib.cõstituitur.Eũ ordinẽ Princeps Mõtione, & aliis oppidis, atq́; arcib.donat:& affluentib.copiis,atq́; vectigalibus ditat:haud indignũ tantæ virtuti prẽmiũ fore ratus.Lõge.n. nõ initia modo regni,sed pgressus ipsos ea superat cõpẽsatio. Sollẽni præterea voti religione obstringitur,ad cõciliandã cũ Mauris pacem,numꝗ operã, nisi Tẽplariorũ permissu nauaturũ. Raimũdus Princeps Aragonẽsis Darocã oppidũ magnis mu- 1180
nitionibus firmat:& Aragoniæ ppugnaculũ psidiũq́; regni exteris nationib.opponit:ob- 1142
iicitq́;.Regio oppido cõtributa latius excitat̃:& certi fines à Principe,terminiq́; cõstituũtur.

A.D.V.K. Dec.cũ Princeps Raimũdus Gerũdæ cõuẽtus ageret,Vidone Cardinali S.R.E.A- 1181
postolico legato assidẽte,pacta cũ Tẽplariis cõuẽta iurisiurãdi sacramẽto sancit: atq́; confir- 1143
mat:ꝗ ab Hadriano IIII.P.M. postea stabiliũt̃. Adsedere cõuẽtui,scribẽdoq́; adfuere Bernardus Cæsaraugustanus,Dodo Oscẽsis,& Guilielmus electus Rotẽsis Episcopi,Gregor.electus Tarraconẽsis Antistes,Arnaldus Myr Palliariẽsis,Bernardus Cõuenarũ,& Petrus Bigeronũ Comites:Raimũdus Dapifer,Galcerãdus Pinosius,Guilielmus Corbera,Raimũdus Tarrogia,Berẽgarius Agerius,& Raimũdus Villademullius.Princeps id iusiurãdũ iurat interpositis iudicibus, testibusq́; aliquot Tẽplariorũ militiæ primariis viris Eberardo, Ostano S. Ordonii, Hugone Borraio,Petro Anticho,& Bernardo Reginolio. Garcias Nauarræ Rex,cũ Prĩceps in extremis regni finib.cõmoraretur, vltro Cæsaraugustanũ agrũ incursat:egressiq́; hostes repẽtino, tãto tumultu inuasere fines,vt ad vrbẽ quoq́; terrorẽ ptulerit:late,lõgeq́; oĩa depopularetur. Garcias.n.dũ hæc in hostico gerũt̃,nõ solũ fœdere,atq́; amicitia,aut affinitate,sed gemina cognatione Imp.adiũgitur:& mortua Mergellina vxore Rotronis Perticarũ Comitis F. Vrracã Alfonsi Imperatoris F. vxorẽ ducit: ex Cõtruenda concubina & Didaci Aprici sorore natã. Ex eo matrimonio Garciæ Sanctia F.suscipitur:quæ Petro Molinæ Comiti, Ermesendæ Vicecomitis Narbonẽsis F.nubet.Hi vero Aimericũ Narbonẽnsem Vicecomitẽ progenuere.

Bernardus Cæsaraugustanus Episcopus.

Cũ acre & magnũ bellũ Berẽgarius Raimũdus Prouinciæ Comes cũ Raimũdo Baucio,ꝗ Stephaniã Gi- 1182
berti Aimiliani Comitis natu minorẽ filiã duxerat,gerit, Princeps Raimũdus fratri cũ exercitu subsidio ac- 1144
currit:& Mõpelleriũ expugnat.Baucius,& eius filii,Bauciorũq́; gẽtis familiæ ppotẽtes copiis,atq́; opib. firmæ,& amplæ in terra Gallia,ꝗ illustres clientelas splẽdidæ prouinciæ ad se traduxerãt,audacius,ex sultãt:magnosq́; motus,& mutationes ciẽt. Berẽgarius Prouinciæ Comes in Melgoriẽsi portu à pdonib.interficit̃. Is Raimũdũ Berẽgariũ F.heredẽ dereliquit:ex qua vero cõiuge nõ prodit̃:quẽ patruus Princeps summis affectũ difficultatib.tuet̃,ac sustinet:arcesq́; oẽs,ac psidia retinet: Prouinciæ Marchionis cognomẽtũ patruus 1183
suscipit.Princeps Raimũdus ex Prouincia regressus Turiasonẽ vrbẽ recuperat:ꝗ Imperator Alfonsus cuiusdã
proceris nomine Portolis fidei cõmiserat. Atho Sanctius Præfectus Iustitiæ Aragonum. 1145

Alfonsus Imper.cũ Raimundo Principe & Garcia Nauarræ Rege ad S.Stephani oppidũ ad Durii ripas in 1184
Areuacis Nouembri mẽse cõgressus,cum ad pacis condiciones eos accessuros speraret,inducias fieri curat. 1146

AERA. CHR. NAT. 1185. 1147. Expeditioni sacræ Imperator intentus magnum exercitum conficit:& auxiliaribus Nauarræ Regis copiis adiunctis in Bætica cum Mauris belligerat. Abengamia Rex Cordubensium in deditionem coactus vrbem tradit. Beatia vi expugnatur. Almeriam in Bastetanorum,& Contestanorum confiniis nobilem vrbem,& regni veluti arcem mari impositam terra marique oppugnat. Princeps Raimundus classe comparata, maritimi belli partes sustinet,Genuensium classe adiuncta:qui Imperatoris stipendia meruere, A. D. XVI. K. Nou.admotis machinis,& irruptione facta,vrbem expugnant:& qua moliti erant aditum irrupere in arcem. xx. Maurorum M. qui in arcem confugerant,in deditionem rediguntur:& amplissima pecunia redimuntur.

Olisiponem celeberrimam Lusitaniæ vrbem Alfonsus Rex Portugalliæ XII. K. Nouembris expugnat:ingenti classe Germanorum, Anglorum,& Flandrensium ad Portugalliæ litus appulsa. A. D. XVII. K. Sept. Ramirus Rex è vita excedit: Oscæ in D. Petri æde, S. Georgii sacello sepelitur.

1186. 1148 Raimundus Princeps bellum in Ilergaonibus terra,marique aduersus Mauros gerit: magnaq; suorum comparata classe, & Genuensium adiuncta Barcinone A. D. III. K. Iul. ostio Hiberi aduersis fluctibus eos portus tenet, qui in fauces,aditumque fluminis proiiciuntur:& castris Dertosam vrbem circumsidet. Cum milites vrbem vetere fortuna opulentam sibi ad diripiendum tradi sperarent, XL. dierum cum hostibus pactæ sunt induciæ:& in deditionem accipiuntur. Vrbem, arcem,& propugnacula omnia A. D. II. K. Dec. dedunt. Interfuit huic bello Guilielmus, qui Mompellerii dominabatur:& virtus enituit egregia Guilielmi Raimundi Moncadæ Cataloniæ Senescalli: cui à Principe Raimundo tertia vrbis pars honorario iure est attributa: atque tertia item portio Genuensi populo condonatur. Sedes,& Episcopalis dignitas instaurantur. Ea victoria parta, & recepta vrbe natura,& situ in primis nobili,& nauigabili commercio peropportuna magnum Raimundi nomen in principibus fuit:& Dertosani Marchionis cognomento decoratur.

Raimundo Ilergaonensi bello, & Dertosanæ obsidioni intento Garcias Nauarræ Rex bellum in Aragoniam infert:& magna concitatione Taustum, & Faios in Cauni montis radicibus situm oppidum vi expugnat.

1187. 1149 Berengaria Augusta Alfonsi Hispaniarum Imperatoris vxor, & Raimundi principis soror Februario mense decedit, Imperator Richam vxorem ducit: Boleslai Polonorum Ducis,& Frederici Imperatoris amitæ filiam.

Princeps Raimundus, qui omnem sui regni conatum in Maurorum perniciem parauerat, Ilerdam Septembri mense castris circumsidet.

A. D. V. Non. Oct. Princeps Raimundus cum Ilerdam obsidione premeret cœnobio D. Christinę summi saltus Aspe, veteres summum Pyrenæum appellauere, & peregrinis hospitibus prouentus opportunos elargitur.

A. D. IX. K. Nou. Ilerda,& Fraga deduntur: illa nobilis,& præpotens vrbs: hæc situ natura septa, atque munita:& regia quoque clade insignis. Ilerdam honorario iure, & fidei sacraměto Princeps Ermengaudo Vrgellitano Comiti attribuit: potestate,& supremo dominatu recepto:& satis magno equitum,peditumque præsidio præficit: vti hostes præruptis Pratensium montibus præsidentes assiduis incursionibus infestet. Sedes,& Episcopalis dignitas Ilerdensis instauratur:& in Guilielmum Peresium Rotensem Episcopum confertur.

1188. 1150 Vetustis monumentis memoriæ proditur AERA MCLXXXIIX: Ilerdæ Raimundum Barcinonensem Comitem, Principem Aragonium nuptias suas coniunxisse: nam Petronilla Ramiri Regis filia infans ei tradita fuerat: quæ cum iam nubilis esset, post mortem patris Raimundo Comiti nupsit.

A. D. XI. K. Dec. Garcias Nauarræ Rex Lorcæ Nauarræ vico repentina morte decedit.

1189. 1151 Garcia Rege vita functo, Imperator fœdere rupto, quod tot affinitatis,& cognationis vinculis ictum erat, eius regno imminet. A. D. VI. K. Febr. Tudileni prope aquas cum Raimundo Principe ad colloquium congreditur:& nouorum fœderum pactione aduersus Sanctium Garciæ F. coniunguntur. Denuo ad regni partitionem, quam Carrione constituerant, deueniunt. Quæ neque Alfonsi Regis Imperatoris aui, neque Principis possessione quæsita fuerant ex Nauarræ regno, & Sanctius, & Petrus Aragoniæ Reges obtinuerāt, pro rata portione inter se partiuntur: Stella oppido Imperatori & Pompelone vrbe Principi addictis. Princeps honorario iure, atque fidelitatis sacramento portionem illam sibi attribui agnoscit. Tudelam præterea vrbem, atque eius fines, arcesque omnes, atque

AERA. NAT. CHR.

atque oppida, quæ Garcias Rex cis Hiberum versus Caunum montem possederat, æquis partibus diuidunt: eaque excipiunt, quæ Principis iuris, potestatis, atque ditionis erant. Regiones etiam, quarum Mauri dominabantur, quas quisque iure belli repetere, & obtinere possit, vt cum iusto, & legitimo hoste res geratur, definiunt. Valentia, inter Hispaniarum vrbes celeberrima, & portio Ædetanorum, & Ilergaonũ à Sucrone amne ad Dertosani regni fines, Dianium præterea, & Dianiensis ager, iisdem finibus, quibus à Mauris continebantur, eodem honorario fidelitatis iure Principi attribuuntur: quo Sanctius & Petrus Reges ab Alfonso Imperatoris auo Nauarræ regnum obtinuerant. Murtiensis etiam populi regnum eodem iure Principi contribuitur. Ilorci, & Baream oppida, eorumque fines Imperator recipit: & earum pactionum veluti obsides Alauonam, Riclam Mariam, & Bellitanam arcem, quæ in sua potestate, ex quo Aragoniæ regnum inuaserat, attinuerat, opponit. Vt vix credibile sit, eã illorũ temporũ fuisse malitiã, vt à principe maximo per fidẽ religio violetur: eiusq; regno insidię tendãtur, qui gener fuerat, & filii socer. Nã Raimũdus inimicitias hostiles deponere, reipublicę nomine susceptas, quas insitas, & habere, & gerere decebat, minime poterat: quin totius regni ordinibus permissurus esset.

Princeps Narbonem contendit: qua in vrbe Trencauellus Biterensium, & Carcasonensium Vicecomes, qui à principe defecerat, se illi Nouembri mense addicit: & ab eo Carcasonem, & Rhodam vrbes, & earum arces, atque ditiones, & Lauracensem arcem honorario fidelitatis iure retinet: vti Bernardo Athoni condonata fuerant.

Huius anni fine Princeps Raimundus Lupo Valentini populi Regi stipendiario, atque fœdere sibi adiuncto, cum exercitu aduersus Mazmutes Mauros eius hostes, nimia potentia audacius exultantes proficiscitur.

Petrus Atarefius Garciæ Infantis F. Sanctii Comitis N. qui certus regni competitor 1190.
fuerat, A.D.IX.K.Mart. nullis superstitibus liberis decedit. Verolæ Cœnobio, quod ipse
D.Bernardi monachis construxerat, sepelitur, Princeps Theresiam Caxalem Petri ma- 1152.
trem Turiasone vrbe, & oppido Borgia donat.

A.D.II.Non.Apr. cum Petronilla Regina grauida esset, & iam partus appropinquaret, successioni, & statui regni prospiciens, regnũ filio, si eo partu ederetur, hereditariũ relinquit: ea scilicet conditione, qua Alfonsus Imperator patruus obtinuerat: liberum nẽpe & nullius dominationi deuinctum, neq; Castellæ Regibus obnoxiũ. Tradit enim Alfonsum patruum numquam hereditaria regna, aut bello parta Castellæ Regibus accepta tulisse: vti Raimundo Principi viro suo acciderat: sed immunia, & libera vindicasse. Nascitur Reginę filius, qui quoad pater vixit, Raimundi cognomentum tulit.

Petrus Villabeltranus Cæsaraugustanus Episcopus.

Iohannes Diacius Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Montani Pratenses impendentiũ montiũ altitudine atq; asperitate cõfisi, diutiꝰ repu-
gnãtes à cõmeatu, & reliquis copiis interclusi Principi dedũt. Arx Siurana edito in loco & 1191.
natura, & situ munitissima expugnat: omniq; ea Cosetanorũ regione Mauri exterminãt. 1153.

A.D.XVI.K.Apr. Cœnobium Iuncariense Cisterciensis ordinis, & instituti Cæsaraugustano in territorio situm fundatur: quod postea in amœnum locum è regione Scatronis oppidi, quod Hiberi amnis ripis adluitur, est translatũ: & Rotense cognominatur.

A.D.IX.K.Sept. Mirabetana arx expugnatur: quam, cum tot sæculis Mauri aduersus nostrorum irruptiones retinuissent, & in ea regionis eius incolæ Ædetani suæ defensionis præsidia collocassent, Princeps Petro Roueiræ Templariorum magistro tradit.

Populus, ciuitasque Genuensis Dertosæ vrbis, & territorii partem bello partam XVI.M. nummorum morabetinorum Marroquinorum, quos marinos illa ætas vocare consueuerat, pretio addictam Principi venũdedere: Henrico Guerchio, Martino Moro, Guilielmo Nigro & Guilielmo Lusio rempublicam administrantibus. S.Laurentii insulam Genuenses excipiunt, ac retinent: ea conditione, qua antea obtinuerant: & vti quotannis festo natiuitatis domini die ecclesia S.Laurẽtii tapete decoretur. Ad hæc princeps illis condonat: vt nemo ex Genuensibus, qui eius ciuitatis loca, à portu Veneris ad Monœci portum incoleret, quoduis vectigal, portoriumue Dertosæ penderet. Nostris Dertosa potitis in Valentinorum fines aditus recluduntur: quæ res Alcaniciensium, & Peniscolensium animos vehementius fregit.

Pontius Hugo Emporiarũ Comes decedit. Ad Populetum in Cosetanis cœnobiũ D. Mariæ Cisterciensis ordinis insigni, & Regia ædificiorũ magnificẽtia dicatur: & præclaris, excelsis, & splendidissimis operibus adornatur à posteris Regibus. Princeps locũ construẽdo cœnobio designatũ, & terminatos fines A.D.VII.Id.Sept. Sanctio Abbati monasterii Fontisfrigidi Narbonensis diœcesis donat: & Gerardus Abbas monachorum conuentui præficitur.

ÆRA. Ludouicus Francorum Rex sacram D.Iacobi ædem Compostellanam inuisit. Ab Im-
NAT. peratore Alfonso socero, cum Toleti conuentus ageret, magnificentissimo apparatu, &
CHR. amplissimis muneribus, exquisitissimisque honoribus excipitur. Adfuere in maxima
1192. illa congressus celebritate Princeps Raimundus, Reginę Francorum auunculus, & San-
1154. ctius, & Ferdinandus Reges fratres: quos Imperator pater ad regni dignitatem euexerat.
Princeps Ludouicum domum regredientem Iaccam vsque vrbem est prosecutus.

A. D. IIII. K. Iul. Ermengaudus Vrgellitanus Comes Petri Ansurii Comitis N. in Castella moritur.

1193. Princeps magno comparato exercitu in Galliam Prouinciā inuadit: & Hugoni Bau-
1155. cio, & eius fratribus, qui rebellionem fecerāt, acre bellū infert. Hi eius ditionis dominari
contendunt ex priuilegio, quod ab Imperatoribus Conrado, & Friderico Conradi fratris filio Hugoni irrogatum fuerat: quo ditionem omnem à Giberto Comite, & Gisberga Principis auis possessam concesserant. Contendit Hugo eo priuilegio Marcham, & Prouinciæ comitatum contineri. Baucium oppidum, pluresque arces expugnantur. Trecataiarum castellum acerrimæ à nostris oppugnatum, hibernis tempestatibus ingrauescentibus in rebellione permanet.

Mozarabes Aragonii, Cæsaraugustani præsertim, & Calataiubienses ab Imperatore Alfonso in Zoritam oppidum, ad Celtiberię, & Carpetanię confinia, iuxta Tagum situm, coloni deducuntur.

Raimundus Princeps Roncaualle potitus Nauarris bellum infert. Garciam Almo-
1194. rauidium primarium ex Nauarris proceribus virum, qui egregiam eo in bello operam
1156. nauauerat, Vrrozio, & Ouanis Roncæuallis oppidis donat.

Pacta ad Tudilenias aquas aduersus Sanctium Nauarræ Regem conuenta à Principe Ilerdæ firmantur. Sponsalia Raimundi Principis filii, & Sanctiæ Imperatoris, & Richæ augustæ eius coniugis filiæ sanciuntur. Imperator, etsi pacta ea rata habuerat, clandestinis tamen consiliis Sanctii Regis partes fouet.

Princeps Narbonem contendit: vt Hermengardam Aimerici Narbonensis ex soro-
1195. re filiam patre vita functo, tueatur: atque sustineat. Ea se, ditionemque Narbonensem,
1157. arcesque omnes Februario mense auunculo committit.

Alfonsus Imperator, cuius memoriæ felicioris ad posteros nomē fuit, decedit: eoq; vita functo, princeps Raimundus, & Raimundus Berengarius Comes Melgoriensis Berengarii Raimundi prouinciæ Comitis F. magno procerum comitatu in Carpetaniam proficiscuntur.

Petrus Monio Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Berengarius Bardaxinus in Ripacurcia terra vir præpotens, atque primarius societati Monasterii D. Mariæ, & S. Victoriani addicit: possessionesque nobilissimas, & carissimas donat, quæ in Bardaxina valle, & ad S. Mauræ à rapinis, ferro, flammisq; latrocinantium, & grassantium hominum à se armis vindicari consueuerant. Ab eo Bardaxinorum splendida familia eo nunc robore, & his fulta radicibus effluxit.

1196. Februario mense Naxamæ Sanctius Castellæ Rex, & Princeps Raimundus eius a-
1158. uunculus ad colloquia congressi, cū inter eos, non de finibus, sed de totius Cęsaraugustani Regni, cis Hiberum possessione, quod ab Imperatore Alfonso Ramiri Regis fratre bello partum fuerat, summa impenderet contentio, & iniquis conditionibus ex libero, & iusto regno subditiciū, & alienæ fidei obnoxium à se constitutum fuisse Princeps obtenderet, de ea controuersia statuunt, atque decidunt: vti vrbes, oppida, atque arces, ditionesque cis Hiberum omnes Principi, posterisque eius addicerentur: supremum dominatum Castellæ Regibus, vti subditicii deferrent. Excipiunt, ne iratis, aut pacatis castellæ Regibus arces, castellaue tradantur: sed fidei sacramento obtineantur. Conuentum est, cum Castellę Reges diadema suscipiāt, festo celebritatis eius die, si Princeps, posteriq; arcessiti essent, gladium vagina vacuum in pompa præferant: vt ea summissio index sit, Castellæ Reges summam imperii tenere.

Princeps è Carpetanis regressus Nauarræ finibus acre bellum infert. Nostri Bure-
1197. tam, arcesque aliquot à Nauarris ereptas recuperant: adeoq; hostem commouent, vt Sā-
1159. ctius Rex ad colloquium ex ipsis castris cum Principe congressus sit: belloque sibi supersedendum constituerint.

Richam Augustam, & Sanctiam, nurum Princeps in Aragoniam deducit: eaque cognatione domus Aragonia Frederico Imperatori, & Austriæ, & Sueuiæ principibus summo necessitudinis, & propinquitatis vinculo coniungitur.

Lupus Murtiensis populi Rex, & alii finitimi reguli Raimundo Principi tributa quotannis conferunt.

Augu-

Augusto mense Princeps Henrico Angliæ Regi amico, & affinitate coniuncto ad- AERA
uersus Raimundum Tolosatem auxiliares copias mittit. Bellum ambo vna gerunt: & NAT.
Tolosam oppugnant. CHR.

Henricus Angliæ Rex, & Princeps Raimundus ad Blauiæ castellum congressi arti 1198.
oribus fœderum vinculis adiungi cupientes constituunt, vti Ricardus Regis Henrici F. 1160
Principis filiam in matrimonium ducat. Anglus doti Aquitaniæ Ducatum dicit. His collocatis in Normanniam bellum infert: Princeps vero, & Trencauellus Biterensis in Tolosatibus belligerant.

Ordo sacræ militiæ Vclensis D. Iacobo dicatæ institutus. Princeps Montalbanum oppidum, atque arcem eius societati, atque conuentui dedicat.

Bellum aduersus Baucienses in Gallia Prouincia à Principe geritur. Hostes suis, so-
ciorumque viribus ad id certamen consurgunt. Turres, & propugnacula Arelatis vrbis 1199.
à nostris diruuntur. Trencataiarum castellum rebellium receptaculum, & totius Prouin- 1161
ciæ præsidium nostris obiectum, machinis Rhodano amne admotis expugnatur, & euertitur. Baucienses copiæ, atque clientelæ comminuuntur: & dissipantur.

Frederici Imperatoris legati ad Principem missi nuptias Raimundi Berengarii, fratris Principis filii, & Richę Augustæ Castellæ Reginę Frederici consanguineæ paciscuntur. Vtrique dominatus, & ditio Prouinciæ honorario fidelitatis iure ab Imperatore attribuitur. Statuit, vti ea obtineant condicione, qua maiores à Druentia flumine ad nostri maris oras, & Alpium iugis ad Rhodanum possederant: iisdem finibus, quibus terminata fuerant, pacto cum Alfonso Iordane Tolosate Comite conuento. Ad hæc adiiciuntur cis Druentiā arces: & quæ Auenione obtinuerāt. Arelatē præterea vrbē, eodē iure attribuit: receptis ecclesiæ Arelatēsi, & Archiepiscopo vectigalibus, & possessionibus, quas intra c. annos obtinuerāt. Folcalquerii Comitatus prouinciæ Comitatui eadē subiicitur condicione: & qui eius ditionis dominatur, q̃ Imperatori non paruisset, neque eius dicto audiens esset, ea deiicitur. Quod Prouincia, & Regnum Arelatense in ditione Romani imperii essent, tributum XV. Marcharum auri ponderis Coloniensis in singulos annos indicitur: eæque vt Imperatori pendantur, paciscuntur. His constitutis conuentum est, vt A. D. K. Aug. proximas Fredericus, & Princeps, & Prouinciæ Comes Taurini in congressum, colloquiumque deueniant. Fredericum in Italiam ad ea colloquia proficiscentem comitantur Conradus electus Archiepiscopus Maguntinus, Hermannus Fardensis, Henricus Leodiensis, Vdo Licensis, Hermannus Hildenechumensis, & Vuicio Vercellitanus Episcopi: Hermannus Abbas Helisfeldensis, Fredericus Dux Sueuiæ Conradi Regis filius, Conradus Frederici item Imperatoris frater Comes Palatinus Rheni, Ladislaus Dux Polonię, Vdalricus Dux Bohemiæ, Albertus Saxoniæ Marchio, Otho Palatinus Comes Witelinesbachius, Burchardus arcis Magdeburgensis pręfectus, Vlricus Hurmingēsis, Guilielmus Monferratensis Marchio, & Manfredus Vasti item Marchio. Cum summa id temporis in Ecclesia Dei, de Pontificatu maximo orta esset dissensio, pactio ea omnis eo spectat, vt Alexandrum III. Pont. Max. rite ad summi sacerdotii fastigium euectum sacra apostolatus sede Fredericus deturbet: & Octauiano competitori obtemperetur.

Raimundus Princeps, & Raimundus eius fratris F. Prouinciæ Comes quod Tauri- 1200.
ni cum Frederico Imperatore congressuri erant, cum classis Ligustinam oram tene- 1162
ret, Genuæ commorantur. Princeps in grauem morbum cum iter faciens, incideret, ea ęgritudine confectus prope Taurinorum vrbem, S. Dalmatii suburbio, Burgum appellant, A. D. VIII. Id. Aug. gloria ingenti naturæ concessit: cuius mortis, cum desiderio principis magni, tum incommoditate temporis, tristis nuntius fuit. Iusta funera, quantum militaribus elogiis funus vllum celebrari potuit, decorātur: & Imperator luctu, non minus quam debitis laudibus, memorabilis principis mortem est prosecutus.

A. D. XV. K. Sept. Fredericus Prouinciæ, & Folcalquerii ditiones, vrbemque Arelatensem, priuilegio irrogato, Raimundo Prouinciæ Comiti, posterisque eius confirmat. Insigni, & alte petito procemio vsus testatur, se pro summis in Richam Reginam consanguineam Principis eius patrui meritis gratiam eam referre: perpetuæque illius virtutis esse præmium: qui Reginā singulari exemplo, & fouisset, & in honore habuisset. Vetustis etiam monumentis proditur Raimundum Comitem Barcinonensem, & Aragoniæ Principem ab Imperatore Comitatu Prouinciæ donatum: quod Augustam falsæ criminationis oblatæ suspicione heroica virtute liberauisset.

Raimundi Principis corpus in Cataloniam relatum, in Riuipulli cœnobio maiorum tumulo sepelitur.

AERA. NAT. CHR

Petronilla Regina cum tutelam filii, & regni administrationem suscepisset Oscam conuentum indicit: vti vltima Principis voluntas, & testamentum propalam proferantur. Adfuere eo in conuentu Martinus Turiasonensis, & Petrus Cæsaraugustanus Episcopi: Arnaldus Myro Palliariensis Comes, Peregrinus Castellitiolus, Palazinus Alagon, Marcus Ferricius Lizana, Petrus Lupius Luna, Simon Vrrea, Blascus Maza, aliique proceres. Ex Catalonia in eum conuentum aduenere Bernardus Tarraconensis Archiepiscopus, Guilielmus Barcinonẽsis, Petrus Ausetanus, Guilielmus Gerundensis, Artallus Helenensis, Guilielmus Peresius Ilerdensis, & Wifredus Dertosanus Episcopi. Proceres aũt Catalani quos Barones ipsi vocãt, adfuere Raimũdus Pogii alti, Guilielmus Ceruera, Geraldus Iorba, Guilielmus Casteluellius, Raimundus Folchius Vicecomes Cardonensis, Bertrandus Castelletius, Arnaldus Lercius, Otho Bernardus Roccafortius, Raimundus Tarrogia, & Guilielmus qui Mompelleriæ ditionis dominabatur. Regina consensu publico de toto rerum statu consultat: vti certiora omnia de ciuitatum statu sciscantur: & rebus compositis, regni successio fundetur. A. D. II. Non. Aug. Princeps Raimundum Berengarium natum maximum ex liberis regni Aragonii, & Barcinonensis Comitatus, ditionumque omnium à se possessarum instituerat heredem. Cæretaniam terram excipit: quam Petro filio attribui iubet: eo iure, quo Bernardus Guilielmus obtinuerat. Carcasonensem præterea ditionem, & quam Trencauellus Biteris à se fuerat consecutus, & Narbonensia iura, Ermengardæ Vicecomiti sororis filiæ à se addicta Petro filio contribuit, ea conditione, vti Raimundo fratri supremũ earum ditionum dominiũ, fidelitatẽq; deferat: cui ea omnia cõmittuntur, quoad Petrus militiæ sacramento, atque auctoramẽto obstringatur. In Petri demortui locum Sanctium F. earum ditionum heredem supponit: & eos Raimundo, si fato perfungeretur, in hereditate regni, maiorem natu anteferens, substituit. Dulciæ F. mentio facta non est: quæ Sanctio Portugalliæ Regi nupsit. Filios, regnum, ditionesque omnes Henrici Angliæ Regis tutelæ, atque præsidio subiicit: & quod eius amicitia bona, atque honesta sibi permansisset, & Leonoram Petronillæ Reginæ consanguineam in matrimonium duxisset, eius fidei committit. Petronillæ vero Reginæ præstantissimæ, & optimæ feminæ consilio, cum puero tradere statim imperium ausa non esset, omnem regni molem æqua rerum gubernatio, atque procuratio consequitur: Cataloniæ rem publicam Raimundus Prouinciæ Comes gerit: atque administrat: quoad pueri Regis ætas rebus publicis subuenire possit: cui Raimundi nomine deposito, Alfonsi nomen imponitur.

Regina, vt regnum filio stabiliat, cum Sanctio Nauarræ Rege XIII. annorum inducias paciscitur.

Lararum, & Castrorum familiæ magnas in Castellæ regno turbas mouent. Sanctio Rege Imperatoris F. fato perfuncto, Alfonsum Sanctii F. puerili ætate Malricus Comes, & Aluarus, & Nunnius Peresius eius fratres Larenses Soriæ asseruant: ne Ferdinandus Legionensis Rex patruus puerum in suam deducat potestatem: aut gubernaculis regni manus iniiciat.

Cũ extitisset quidã longa peregrinatione transacta, qui in Imperatoris Alfonsi nomen inuaserat, quod prœlio ad Fragam commisso, nusquam comparuisse ferebatur, & communi fama, atque sermone opinio ea percrebuisset, & clandestinis primo cœtibus celebraretur, mox pluribus, aut rerum nouarum cupidine, aut odio præsentium, ad celebritatem nominis erectis, summo Reginæ consilio de medio tollitur: & dementis, & turbulentæ temeritatis pœnas reipublicæ luit.

Petrus Metallia Præfectus Iustitiæ Aragonum.

1201. A. D. XVIII. K. Iul. Barcinone procerum consilio, Regina Alfonso F. qui XII.
1163. annum attigerat, Aragoniæ Regni gubernacula tradit. Principis vltimam voluntatem ratam, atq; firmam esse statuit. In Besalunensem Comitatũ, & Ripensem tractum, quibus à viro donata fuerat, secedit. Regnum filio ad puberem ætatem Reginæ matris animi magnitudine incolume mansit: vt plane eius consiliis res Aragonia, & paternum, auitumq; regnum puero Regi constiterit.

ALFONSVS II. REX XII. ARAGONIÆ.

Aragoniæ regni nomine Oscense, & Cæsaraugustanum regnum censentur: & regiones omnes, quæ cum in Maurorum ditione essent, continentibus finibus bello partæ fuere, Dertosani, & Valentini regni ditionibus terminantur.

Conuentus à Rege Cæsaraugustam, in festum D. Martini diem indicitur. Iureiurando sancit, se ex ea die, quoad militiæ auctoramentum profiteatur, quemcunq;, qui arces, Castellaue regia tradere renuerit, regno exterminaturum: & honorariis hereditatibus, & iuri-

& iuribus euersurum. In eos præterea, qui pacis, aut induciarum iura violarint, maiestatis AERA.
lege animaduersurum, & bonis eos & honoribus multaturum edicit. Proceres omnes NAT.
vt id ratum, firmumque maneat, pro virili parte operam daturos spondent. CHR.

Wifredus Ruscinonis Comes moritur. Guinardus Comes eius ditionis succedit heres.

Blasco Romæus aulæ regiæ præfectus.

Octobri mense Raimundus Prouinciæ Comes, & Raimundus Tolosas, & S. Egidii 1203.
Comes Belicadri congressi, consiliorum omnium, viriumque societate, ac fœdere, con- 1165
iunguntur. Comitatum Folcalquerii, & quæ à Tolosate in posterum bello parta fuerint,
certis conditionibus partiuntur. Ditionem eam excipiunt, quam Comes Delfinas mortis
tempore obtinuerat. Paciscuntur, vti filia Comitis Prouinciæ Tolosatis filio nubat: mediaque Folcalqueriæ, & Melgoriensis ditionis pars dotis nomine assignantur: cum ea portione, quæ in Auenionensi vrbe Folcalqueriæ ditioni contributa erat.

Guilielmus Despugnolus, bonaque Catalani equitatus pars, cum Murtiensis regni fines incurrissent, Id. Oct. cum hostibus prœlio congressi funduntur: cæduntur que. Equitatus robur, & Guilielmus ductor occumbunt.

Raimundus Prouinciæ Comes moritur. Vetus rerum Aragonensium auctor tra- 1204.
dit, prœlio cum Nicensibus commisso, ex acie saucium elatum, accepti vulneris plaga 1166
fuisse confectum. Rex illico Marchionis Prouinciæ cognomentum procerum consilio suscipit, vti à patre, Berengario Raimundo fratre fato functo, factitatum fuerat: & in Prouinciam proficiscitur.

A. D. XVI. K. Sept. Arelate Hualgerius Miliariensis arcem, propugnaculaque Mi- 1205.
liariensia tradit. Proceres Prouinciæ se Regi addicunt: quod Raimundus Tolosas ditio- 1167
nes eas omnes inuadere, & vti sponsalia filiæ Comitis Prouinciæ, ex pacto conuento filio tradantur, summopere adnititur. Nuptias præterea Richæ Reginæ ambit. Ea spe commotus, magna belli contentione cum Rege dimicat.

Trencauellus Vicecomes Biterensis à suis proditus in æde D. Magdalenæ interficitur. Is Carcasonem vrbem à principe Raimundo honorario iure fidelitatis obtinuerat. Rex, quod mortuo Petro fratre eam hereditatem adierat, Carcasonensem ditionem Rogerio Biterensi Vicecomiti eadem fidelitatis conditione tradit.

Iunio mense, Cæsaraugustę priuilegia omnia Ecclesiis, proceribus & ciuitatibus, à superioribus principibus irrogata, à Rege sanciuntur, atque firmantur.

Sanctius Garcesius S. Eulaliæ Præfectus iustitiæ Aragonum.

Magno conatu Rex bellum aduersus Mauros adornat: iisque infertur, qui prope ri- 1206.
pas Algasii, Matarraniæ, Lupi, & Caladæ fluminũ cõsederant: & Ilergaonũ Ædetanorũq; 1168
regiones incolunt, Caspe nobile prope Hiberum amnem oppidum, aliquotq; castella expugnantur. Alcanicii præsidia, equitatusque firmantur: & fines ad Martini, & Alhambræ fluuiorum conualles promouentur.

Pelagius Peresius Vclensis magister Ædetano, & Ilergaonensi sacro bello ordines 1207.
ducit. Petrus Ferdinandius Montalbano præsidio præficitur: præsidiaque ciuitatibus iis 1169.
deducuntur, quæ procul à finibus hostium aberant: & de regionibus hostium depopulandis agitari cœptum.

Rex statam K. Ian. religionem Rotensi cœnobio pro cultu suscipit: sollemniaque 1208.
incipientis anni D. Vincentii sacello sacris precationibus celebrat. Ab Guilielmo Pere-
sio Ilerdensi, & Rotensi Episcopo, sacerdotumque collegio impetrat, vt D. Valerii caput 1170
qui Diocletiani Imperatoris sæuiente furore, vetus Christianæ fidei Antistes, & propugnator inuictus mortem pro Christo sæpe appetiuit, Cæsaraugustam, cuius ecclesiæ diuinus pastor, & Pontifex præfuerat, deueheretur: sacraque ea in æde eius præsens numen, atque auxilium ciues venerarentur: atque supplices implorarent. Eius voti religione Rex obstrictus Rotense cœnobium Monterogo oppido donat.

S. Iohannis Apostoli, & Euangelistæ festo die Regis, & procerum precibus, & eiusdem Episcopi, collegiique consensu corpus beati Raimundi Rotensis Episcopi, cuius sanctitas viui, & mortui diuinitas, cum diuis enim memoria eius consecratur, quasi quoddam lumen eluxit, festa celebritate dicatum in locum transfertur.

Iaccam Maria Vicecomes Beneharnensis aduenit. A. D. II. K. Mai. eius ditionis, & terræ Gasconiæ iura, quarum Petrus Gauarretus pater, & Gasto frater obitus tempore potiti fuerant, Regi defert: & fidelitatis sacramento suo, posterûmque nomine sancit: neque in vllam familiam nupturam, ni Regis permissu spondet. Rex se eam regiis subsidiis sustentaturum pollicetur. Hereditatem, & honores quos Mariæ maiores in Hispania à

AERA. NAT. CHR.

nostris principibus obtinuerant, confirmat. Bernardus Oloronensis, & Guilielmus Lascarensis Episcopi, Beneharnensesque aliquot proceres iureiurando Mariæ promissa, pactaque firmant: eademque Oloronenses, Morlanenses, Aspenses, & Orsalenses populos obseruaturos, & Gabarretiam, Mantietiam, & Cadeloniam arces, earum pactionum veluti obsides tradituros pollicentur.

Nondum sopitæ erant inter Castellanos, & Aragonios simultatum veteres offensæ, & bellum inter Alfonsos Reges Turiasonis, & Phari finibus repente commouetur. Calagurrim cum noster castris circumsedisset, Guterius Ferdinandius Castro, cuius in tutelam Castellæ Rex venerat, obuiam magno comparato exercitu procedens, & Calagurritanis subsidio accurrens, prœlio nostros cædit, funditque.

Et si bellum exitiosum à Regibus potentissimis susceptum videbatur, procerum tamen consilio ad S. Facundi festa pace congressi summis fœderum, & amicitiæ vinculis coniunguntur. Cæsaraugustam Iunio mense Castellæ Rex contendit: eaq; in vrbe pacta conuenta sanciuntur: obsidibusq; arcibus firmatur. Iura pacis, & belli aduersus principes omnes vna constituunt: & Henricum Angliæ Regem excipiunt: eumq; vnum obseruant.

Turiasone Septembri mense nuptiæ Alfonsi Castellæ Regis, & Leonoræ Henrici Angliæ Regis F. summo apparatu, ornatuque celebrantur. Nouam nuptam ex Aquitanis comitantur Bernardus Archiepiscopus Burdigalensis, Elias Agennensis, & Pictauēsis, Engolismēsis, Sanctonensis Petrogorius, & Vasatensis Episcopi: & cōplures proceres ex Anglia, & Aquitania, & Venetica regione, quā Britanniam vocant, & Normannia: quorum hi ceteris pręstant. Rodolfus Faya Senescallus Aquitaniæ, Elias Comes Petrogorius, Guilielmus Vicecomes Castri Eraldi. Raimundus Vicecomes Tartaxiensis, Bertrandus Vicecomes Baionensis, Rodolfus Mortinerius, & Ruellus, Vicecomites Castellonensis, & Bedomensis Folchus Engolismensis, Amaneus Lebretensis, Arnaldus Guilielmi F. Marzanus, Petrus Motta, Thibaldus Cabotus, Guilielmus Maengotius, Iaufredus Tauna, & Fulcandus Archiacensis.

Lupum Murtiensem Regem, qui simulatq; in Prouinciam Galliam Princeps Raimundus profectos illo arma verterat, ab eo defecerat, & Regi Castellæ se addixerat, tributum dependere renuentem veterem pactionem obseruaturum, & fœderum iuri pariturum Rex Castellæ repromittit: & stipendia repræsentaturum Guilielmi Raimundi Moncadæ, & Guilielmi Iorbæ procerum arbitratu: qui Principi Raimundi mandato, ea receperant, Rex, si Maurus pactis stetisset, Mazmutorum eius rebellium partes deserturum, neque eis auxilium submissurum pollicetur.

Petrus Ruizius Azagra à Lupo Maurorum Rege, cui magnis fœderum, & amicitiæ vinculis coniunctus erat, Albarrazino vrbe, montosis locis, & situ præmunita, & eius ditione, quę Turiæ, & Tagi ripas attingit, donatur. Eam vrbem, eiusque propugnacula firmissimis pręsidiis tenet: nullo eius ditionis supremo dominio, potestateue Regibus Aragoniæ, aut Castellæ recepta: seque summa confidentia, quod nullius imperio pareret, subditicium hominem D. Marię Albarrazini appellat. Auctore Hiacintho Cardinali S. R. E. apostolico legato, & Episcoporum Toletanæ prouinciæ consilio Episcopalis sedes ea in vrbe constituitur: quæ haud longe à Segobrigensis vetustæ sedis vestigiorum ruinis disiungebatur.

Bellum aduersus Mauros Alhambræ, & Turiæ fluminum continentibus Celtiberûm, & Ædetanorum regionibus geritur. Multa castella aut deleta hostiliter, aut expugnatis præsidiis integra in Regis potestatem venerunt. His in fidem acceptis, ad alias deinde gentes peruentum est: & earum finibus in deditionem redactis, arcibus præsidia imposita. Magnæ inde prædę actæ sunt, pecorum, armentorumque. Turolium nobile in primis oppidum Turiæ flumini impositum Regi deditur.

Mauri Pratenses, qui montibus, & siluestribus locis dissipati, eorum asperitate freti rebellionem fecerant, cæduntur: atque pelluntur.

1209. Guilielmus Aquilonius Roberti principis F. qui Oldegario, & Bernardo Archie-
1171 piscopis honorario fidelitatis iure Tarraconis vrbis, eiusque territorii principatum obtinuerat, quinta parte antistiti, & ecclesiæ recepta, cū ab Hugone Ceruilionio Archiepiscopo de principatus ditione, acri contentione dissideret, A. D. X. K. Mai consceleratus, & impius Hugonem obtruncat.

A. D. V. Id. Aug. cum subita cælo, & Cauni montis iugis imbrium tempestas coorta esset, sæuique procellarum turbines exstitissent, & continui imbres campis omnibus inundarent, strages magna edita Turiasonēsi agro cladē intulit. Postero die D. Laurentio sacro à monachis Verolensibus nouum cœnobium à Petro Ataresio conditum incoli cœptum.

Cum

AERA. NAT. CHR.

Cum profligatum bellum esset, qua Aragonii regni finibus hostes continebantur, & alterius belli fama; & cura exoriretur, quo Valentini regni regiones nostri persequerentur, Turolium Ædetanorum regione, incurrendis hostium finibus, tamquam propugnaculum, præsidiumque eius prouinciæ à Rege constituitur: & veteranos milites, coloniamque eum in locum deduci imperat. Oppida Turoliæ ciuitati contributa Valentiam versus finem Aragonii imperii statuit. Berengario Entenzæ de more Turolium honorario iure attribuit. Incolis vetustum Sepuluegæ Areuacorum oppidi forum à Comitibus Castellæ irrogatum sancit: easdemq; leges condit. Victi omnes in ditionem, nomenque Aragonium concessere.

Sanctius Garcesius S. Vincentii Præfectus iustitiæ Aragonum.

Extrema cum hieme bellum Rex apparasset, & Lupus Murtiensis Rex decessisset, in- 1210.
eunte huius anni vere suscipit. Exercitum Cæsaraugusta Februario mense in expeditio- 1172.
nem educere parat.

Mense Martio Cæsaraugustę Guilielmus Moncada fidem suam Regi se præstaturum spondet, & supremi dominatus ius delaturum in Benebarnensibus ditionibus, quas suo, aut liberorum iure assequi posset. Rex Guilielmo repromittit in eis ditionibus adipiscendis opem laturum: & sub ditionem, potestatemq; regiam Guilielmum suscipit.

Rex ad expeditionem paratus, cum exercitum Ædetanorum finibus eduxisset, Valētiam, cum aliquot oppida improuiso nostrorum aduentu opprimerentur, circumsidet. Cum ante mœnia Rex castris permunitis consedisset, equitatus opimam, & fertilem regionem, quę varietate fructuum, & amœnitate, & maritima, & mediterranea ab Pyrenæis montibus ad Gaditanum fretum, fama sui nominis implet, igni ferroque depopulatur. Ciuibus se Regi addicētibus, vrbs per pactionē integra, atq; inuiolata ab omni clade belli manet. Stipendiis exercitui persolutis, tributa in singulos annos pēdere pollicētur. Rex in Setabitanum agrum omnem belli molem transfert. Vrbem Maio inito mense oppugnat.

Sanctius Nauarræ Rex, cum copiæ regiæ omnes Aragoniæ, & Rex ipse in intimam Contestanorum regionem penetrauisset, adductaq; res publica in maximum periculum, & extremum pæne discrimen videretur, induciarum iure violato, magno comparato exercitu, Aragoniæ fines incurrit.

Rex pactis cum Mauris induciis, ac solutione tributorum Murtiensium non impedita, cum de ea re Murtiensium Rex cauisset, atque idem obsequium Regibus Aragoniæ se præstaturum spopondisset, in Aragoniam regreditur. Catalanorum vexillis dimissis, quod Regis Nauarræ auxiliaribus copiis bellum augeretur, militares omnes Aragonię manus cogit: & hosti obuiam procedit. Nauarrus eo concursu cauet, ne prœlium ineat: & dimisso exercitu præsidia firmat. Nostri Tudelæ finibus incursantes, quacumq; incedunt, vastitatem efficiunt: oppidum, arcemque Arguedarum expugnant: præsidium illis, & confinibus oppidis relinquitur.

Petrus Ruizius Azagra bellator in primis dux, non apud suos solum, sed etiam apud exteros clarus, & in omni fortuna, pace, belloque princeps, Albarrazini oppidi, arciumq; potitus, singulari, & incredibili virtute præstans, se, suaq; inuitis Castellę, & Aragoniæ Regibus tuetur: neq; vlli eorum aut addicitur: aut obtemperat. Reges alioqui potentissimi, & maximi, vt eum ditione pellant obsidibus, castellisque traditis inter se comparant: & fœderum pactione adiunguntur: ac bellum vna priuato homini inferunt. Albarrazinum pacto inter eos conuento, ditioni, & Aragonio regno contribuitur. Reliquæ vero arces, atque oppida, Castellæ dominatui addicuntur. Præterea aduersus Nauarræ Regem, qui Azagræ studet, fœdere quoque vinciuntur. Harum pactionum causa Farizam oppidum, atque arcem eorum finium munitissimam Rex Alfonso Castellæ Regi tradit.

Hugo Emporitanus, & Guinardus Ruscinonēsis Comites decessere. Guinardo Gerardus Comes succedit heres: eoq; fato perfuncto, ea ditio Regi obuenit.

Bertrandus Melgoriensis Comes Decembri mense fidelitatis sacramento se, ditionemq; Melgoriensem, atq; arcem Regi addicit: quæ res magno adiumento Prouinciali bello fuit: quod Rex aduersus Raimundum Comitem Tolosatem, super eius ditionis iure, atque hereditate gerit.

Petrus Ferdinandius Castrensis Præfectus Iustitiæ Aragonum.

A.D. III. Id. Octob. Petronilla Regina Barcinonæ è vita excedit. In æde maxima Bar- 1211.
cinonensi sepelitur. 1173

Raimundus Folchius Cardonensis Vicecomes subita defectione, & alienatione eorum, qui ab eius dominatu desciuerant, interficitur.

Aragoniæ, & Castellæ Regibus disiunctis, & animo, & voluntate dissidentibus, cum 1212.
E 4 1174

AERA. NAT. CHR.

conuentum esset, vt Rex Emmanuelis Constantinopolitani Imperatoris filiam in matrimonium duceret, & Mompellerium regio comitatu deducta esset, Rex ad pactas antea à patre Sanctiæ Alfonsi Imperatoris, & Richæ Augustæ filiæ nuptias deuoluitur: & Emmanuelis F. Guilielmo, qui Mompellerii dominabatur, nubit.

A. D. XV. K. Feb. Cæsaraugustæ sollemnia nuptiarum, quibus Rex Sanctiam Imperatoris Alfonsi & Richæ Augustæ F. duxerat, magnificentissimo apparatu, & gratulatione innumerabilium legationum celebrantur. Ea die militaribus insignibus, & militiæ sacramento, assidente Hiacintho Cardinali S. R. E. legato, qui in summi apostolatus principatum euectus Cælestini nomen edidit, auctoratur.

Cum lacessiti nostri causam belli haberent, aduersus Sanctium Nauarræ Regem Iulio mense geritur. Milagrum oppidum expugnatur: diruiturq;.

Simon Artusella Aulæ Regiæ Præfectus.

1213. 1175 Aragoniæ, & Castellæ Reges, qui Pompelonensi regno imminent, cum aut ipsi bellum semper mouissent, aut inferentibus tulissent auxilia, aut causa armorum essent, delectu intentius, quam ad finitima bella habito, duraq; conquisitione cum exercitus conduxissent, Nauarræ fines inuadunt: omnia vastant, atq; diripiunt. Leguinam arcem munitissimam vi expugnant.

1214. 1176 Rex de procerum suorum sententia Manfredo Marchioni Buschæ, Mobiliæ Comitis Buschæ filio Drolam, eiusque ditionis fines, & supra Drolam quidquid Longobardię finibus terminatur, honorario fidelitatis iure atq; sacramento attribuit. Manfredus se Regi pacis, ac belli iuribus subiiciens, vti Prouinciæ Comiti addicit.

A. D. XIII. K. Mai Rex, & Raimundus Tolosatium Comes in insula Gernica Tarasconi, & Belicadro interiecta ad colloquia congrediuntur. Super eo iure Prouinciæ, quod Tolosas sibi dotis, ac nuptiarum filiæ Comitis Prouinciæ nomine, quæ Tolosatis filio Regis permissu nuptura erat, sibi arrogauerat, inter se pepigere. Neq; de Prouinciæ tantum ditione, & Aimilianensis Comitatus iure contenderant: sed Gabaldanam etiam ditionem, & Carladesiam Tolosas repetit: quarum dominatum filiæ Prouinciæ Comitis, & Richæ Augustæ matri attribui debere Rex contendit. Apud Hugonem Iaufredum Templariorum militiæ magistrum compromittunt: arbitris honorariis adiunctis Raimundo Moncada, & Arnaldo Vilademulio, qui regia iura tueantur: & Narbonensi Vicecomite, quæ Tolosatis partes sibi tuendas susceperat. Deciditur ea contentio: ac Tolosas ius omne Prouinciale à se repetitum remittit: partitionisq; eius iura agnoscit, qua Alfonsus Comes Tolosas, & Raimundus Berengarius Comes Barcinonensis Regis auus vsi fuerant: recipiuntque Tolosas Gabaldanum terram, & Rex Comitatum Melgoriensem: vti ius suum quilibet repetere, & lite, atq; iudicio persequi possit. Huius concordiæ causa Rex se III. M. C. argenti marchas Tolosati persoluturum spondet. Dum pecuniæ dies veneritarcem Alberonis, atque Comargem insulam, quæ in vtriusque ostii Rhodani aditum proiecta est, pro pignore tradit. Neq; Tolosatis filius Comitis Prouinciæ filiam ducit: sed Beatricem Trencabelli Biterensis Vicecomitis sororem in matrimonium sibi collocat.

Maio mense, vt in antiquis annalium monumentis inuenimus, Sanctia Regina, viro in Prouincia Gallia pacanda, ac moderanda distento, propugnacula, atque arces omnes Ripacurciæ terræ, in suam potestatem, ditionemque redigit.

1215. 1177 Castellæ, atque Aragoniæ Reges Concham Celtiberum nobilem vrbem, excelso, atque arduo colle sitam, ad Sucronis ripas obsident. Oppugnando, quod neque commeatus ex montibus inuecti, neque auxilia intromitterentur, & subsidia firma, ne qua eruptio fieri posset, opposuissent, ad deditionem subegere. Vrbs à Mauris Regi Castellæ traditur. Ex ea tempestate Aragoniæ regnum liberum, atque immune Regi, posterisque, ab eo dominatu, quem Raimundus Princeps Regis pater Sanctio Castellæ Regi detulerat, permansit: atque in sua potestate, ac ditione, & imperio versantur.

Cum super Molina oppido, summa inter Aragoniæ, & Castellæ Reges contentio suborta esset, atque Malricum Larensem Comitem, vtriq; magna necessitudine coniunctum arbitrum delegissent, & is ex vtriusque regni finibus partes subduceret, atq; subtraheret, vtrumque, siue probroso, siue vrbano iudicio illudens, vrbem, ditionemque eam sibi adiudicat. Iura, leges, agri, libertas Molinensibus ciuibus relicta. Malricus, vt Petrus Portugalliæ Comes Dionysii Regis F. est auctor, Hermescendam Aimerici Vicecomitis Narbonensis filiam vxorem duxerat: liberosq; susceperat Petrum Molinæ Comitem: & Mofaldam, quæ Alfonso Portugalliæ Regi nupserat.

Capta Concha pari subinde periculo, gloriæq; euentu Rex bellū in Contestanis intermissum aduersus Mauros gerit: & Ilorcitanum agrum incurrit. Octobri mense Turolium regreditur.

Comes

Comes Alfonſus Siculus Sicilienſem claſſem Guilielmi Siciliæ Regis nomine Regi AERA
pollicetur: qui Balearicum aduerſus Mauros bellum parat. NAT.
Gerardus Ruſcinonenſis Comes nullis ſuperſtitibus liberis decedit. Rex Perpinia- CHR.
num Iulio menſe contendens, omnibus iureiurando adactis, arcium eius ditionis poti- 1216.
tur: & Aragoniæ ſe Regem, Barcinonenſem, & Ruſcinonenſem Comitem, & Marchio- 1178.
nem Prouinciæ appellat.

Cum bellum paſſim, & Ædetanorum, & Conteſtanorũ regionibus aduerſus Mauros
Rex circumferret, Moruiedrũ oppidum, ad Sagunti veteres muros obſidet: validũ in pri- 1217.
mis, & arciũ propugnaculis, quo ſe regionis eius fuſæ copiæ cõtulerant, munitiſſimũ. Inde 1179.
Conteſtanorũ regionem incurrens in Bæticam traiicit. Cazolæ cũ Caſtellæ Rege Alfonſo congreditur. Ne noui fines ſtatuerentur, ſed obſeruarentur veteres bellicis in expeditionibus aduerſus Mauros, A.D. XIII. K. Apr. eo in oppido, nouis fœderum vinculis adiuncti, paciſcuntur, vti Valentinum regnum, Setabis, Biarium, Dianienſeq; regnum Aragonio cedant: vltra Biarienſem vero ſaltum oppida, atq; ditiones Regi Caſtellæ attribuantur. Aduerſus Nauarræ Regem, eius regni pactione fœdera icunt. Ea fœdera Regis Caſtellæ nomine ſpondent Petrus Arazurius, Gomecius Garcias Regius ſignifer, & Tellus Pereſius. Aragonii Regis iuſiurandum ſacramento ſanciunt. Sanctius Horta Aulę Regiæ Præfectus, Artallus Alagon regius itidem ſignifer, & Cæſarauguſtanus Epiſcopus. Caſtellani Logronium, Nauarretum, Granionem, Virroueſcam, aliaq; oppida, quę Nauarrus ad Auceníes vſq; montes obtinuerat, expugnant.

Vix fœdera iunxerant, cum pacta conuenta à Caſtellę Rege franguntur: & cum Aragonio acriter decertat.

Quod Caſtellę Rex Farizã inuito Rege retineret, & nomine pacis bellũ inuolutũ eſſet, & Oſcę cõuentus agerẽtur, Berẽgarius Ilerdenſis Epiſcopus, & Mõtis Aragonũ idẽ Abbas Regis frater, & Raimundus Moncada ad Caſtellæ Regẽ legantur: atq; id oppidũ repetũt. Hortantur præterea, vt ab inferendo bello Ferdinando Legionenſi Regi patruo deſiſtat: alioqui ſe bellum repetitis rebus denuntiare teſtantur: indicuntq; : atque prouocant. Legionenſis non Aragonii modo Regis auxilia, ſed Portugalenſis, & confinium Maurorum vires, atq; arma concitat, Caſtellani finibus noſtris excedunt. Fariza Regi in antiquum ſtatum reſtituitur.

Sanctius Horta aulæ Regiæ Præfectus.

Sanctius Tobias Præfectus iuſtitiæ Aragonum.

Rogerius Biterenſis Vicecomes Sauræ filius, qui Trencabello patre vita functo ſumma leuitate Carcaſonem vrbem Raimundo Toloſati tradiderat, Regi ſe, ditionemque omnem dedit: atque addixit. Mineruæ præterea arcem tradit.

A.D. IIII. Non. Nou. Rex Carcaſone honorario fidelitatis iure Carcaſonem, & eius ditionis arces, Lauracum, & Lauracenſem tractum, Rhodam, Linoſum, Saltum & eius territorii propugnacula, Thermas, & Mineruæ arcem Rogerio condonat. Si Rogerius nullis ſuperſtitibus liberis decederet, Rex illi in his ditionibus Raimundum Trencabellum fratrem eiſdem conditionibus ſubſtituit.

Nouembri menſe noſtri Bilielẽ arcẽ Turiæ flumini impoſitã vi expugnant. Oppida omnia, atq; cõfinia, quę Aragoniæ Regũ imperio cõtinebãtur, & Mauri ad eam diẽ armis tueri poterãt, ab impiis hoſtibus vindicãtur: atq; in eos fines, quibus Rex imperiũ protulerat, tractũ omnẽ à Pyrenæi iugis Aragoniæ nomine cẽſuere: cum regni initio Aragonia terra tã anguſtis finibus contineretur, vt vix XVI. M. P. ab Aragonis amnis ripis includatur.

Farizæ Martio menſe Rex Alcanicium militiæ Calatrauenſi, & Martino Ruizio A-
zagræ eius ordinis magiſtro donat: ea lege vti eius ordinis viri aduerſus Mauros regiam 1218.
militiam obeant: eiuſq; pacem, atq; inducias obſeruent. Ea res procerum regni Blaſci Ro- 1180.
mæi, qui Cæſarauguſtæ dominatur, Artalli Alagonis, Blaſci Mazæ, Simonis Romæi, Petri Ortizii, Simonis Vrreæ, Petri Caſtellitioli, Michaelis S. Crucis, Petri Latronis, Petri Soſii, Gombaldi Beneuentani, Marci Ferricii, Fortunii Stadæ, Peregrini Caſtellitioli, Sãctii Hortæ aulæ Regiæ Præfecti conſilio, ac conſenſu ſancitur.

Rex ad externum bellum profectus, in prouincia Gallia, aduerſus Arnaldũ Athonem Nemauſenſem Vicecomitem, vniuerſam eam gentẽ ad arma conciuit: quod ſupremum eius ciuitatis dominatum, & arciũ eius ditionis poteſtatem Regi non deferret: vti maiores Barcinonenſibus Comitibus detulerant: atque præſtiterant. Is cum reſipuiſſet, Biteris Octobri menſe Nemauſum vrbem, & eius ditionis arces Regi tradit.

Sacro reſurrectionis domini die Bertrandus Baucius ex inſidiis, ſcelerate à ſuis inter- 1219.
imitur: qui in terra Gallia præpotens, prouinciali bello Regi ſe, aduerſus Raimundum 1181.

ÆRA. NAT. CHR.

Comitem Tolosatem, & S. Egidii addixerat: atque in asserenda, atque vindicanda ea ditione egregiam operam nauauerat. Nam cum Alberonensi in arce Rex esset interclusus, fideli, & præstanti eius opera ex periculo est ereptus: bonamque eius ditionis partem Regi tradiderat. Eius vlciscendi causa, vti supplicium de sceleratis proditoribus sumat, Rex in Prouinciam proficiscitur. Morullum castellum obsidet, atque expugnat. Acre bellum aduersus Tolosatem geritur: pluraque oppida diruuntur.

Tertia Dertosæ vrbis pars à Rege Templariorum militiæ, & eius magistro condonatur.

1222. 1184. A. D. III. Id. Aug. cum Ermengaudus Vrgellitanus Comes, & Galzerandus Salas eius frater Valentini regni oras, magno comparato equitatu incurrissent, neque præda parta, equitum turmas retinere possent, dissipati, & palantes prope Requenam cæsis, profligatisque copiis à Christianis interimuntur. Stephania soror eorum, Arnaldo Myroni Palliariensi Comiti nupsit.

1223. 1185. Februario mense Raimundus Tolosatium Comes pactionem eam firmat, quam Regi in insula Gernica sanxerat: adiicitque bona fide ei præsto adfuturum aduersus omnes, qui ex saltu Blusensi ad Alpes, & in Cadurcorum, ac Tolosatium regione rebellionem facerent. In prosequendo iure, quod ambo in Auenionensem ditionem obtenderant, fœdere adiunguntur. In eo fœdere ita edicunt, vt Francorum, & Legionensium Reges, & Folcalquerius Comes nominatim amici excipiantur.

Mense Aprili Rex, & Ricardus Pictonum Comes Angliæ Regis F. magno propinquitatis vinculo coniuncti Naiaco ad colloquia congrediuntur. Sua aduersus Tolosatem fœdera icunt. Ricardus id ius, quod in Carcasonensem ditionem prætenderat, & in eam regionem, quam Rogerius Biterensis, ac Trencauellus eius frater obtinuerant, Regi remittit, atque condonat.

Alfonsus Portugalliæ Rex, cum supra nonagesimum annum vitam perduxisset, summam & bellicarum rerum laudem, & regni à se fundati gloriam consecutus A. D. VIII. Id. Dec. è vita excedit.

1224. 1186. Petrus Ruizius Azagra incredibili animi virtute, ac robore, & laudis gloria concitatus Alharrazinien sem ditionem, inuitis, & repugnantibus Aragoniæ, & Castellæ Regibus armis tuetur, ac sustinet: neque in animum inducit, vt alterutri eorum, regii siue imperiis, & potestatibus pareat: adeoque se in vtramque partem strenue versat, vt alterius ope, aduersus alterum bellum gerat: & vtriusque fœderatam potentiam inuicto animo propulset. Ianuario mense Agredæ Reges congrediuntur: atque inter se comparant, ne auxilia Azagræ clam, palamue submittantur: neque eum, fratresue eius recipi patiantur: & Gonzaluum Ruicium Azagram eius fratrem excipiunt, Castellæ Regi subditicium hominem.

1225. 1187. Februarii mensis initio Gasto Beneharnensis Vicecomes Regem Oscę inuisit: seque, ac Beneharnensem, & Gasconiæ ditionem Regi fidelitatis sacramento subiicit: & ab eo dominatu aliquot oppida excipit, quæ Ricardo Pictonum Comiti parent: qui Henrico patri Angliæ Regi paullo post succedit heres.

A. D. VI. Non. Oct. Saladinus Vidone Lusiniano Hierosolymitano Rege prœlio deuicto, & capto, Sanctæ Hierosolymorum ciuitatis potitur: nam cum hostis rerum omnium præpotens vndique vrgueret, pii circumuenti, cæsique sunt.

Raimundus Castellitiolus Cæsaraugustanus Episcopus.

1226. 1188. Oscæ conuentus à Rege anni initio peraguntur. Sanctii Portugalliæ Regis legati Chæsaraugustæ Regem conueniunt: vetustorumque fœderum, ac pactionum commonent.

Petrus Sesesius Præfectus iustitiæ Aragonum.

1228. 1190. A. D. VIII. Id. Sept. Aragoniæ, & Nauarræ Reges Borgiæ in congressum, colloquiumque deueniunt. Fœdera aduersus Castellæ Regem oppidis, atque arcibus traditis icunt: quæ Petro Ferdinandio Azagræ committenda erant.

Montanianam Ripacurciæ arcem Rex obsidione ad deditionem cogit: coactique incolæ præsidia in loca munita accipere.

1229. 1191. Legati Sanctii Portugalliæ, & Alfonsi Legionensis, & Gallecię Regum Oscæ Regem Sanctii affinem conueniunt. Fœdus inter Reges ictum Maio mense iureiurando sanxere: eorumque amicitia, ac societate fides deuincitur. Æquo pactionum iure aduersus Alfonsum Castellæ Regem astringuntur.

1230. 1192. Cum Rex Pontium Capreram, aduersus Ermengaudum Vrgellitanum Comitem, in hereditaria controuersia enixe fouisset, Comitem ad se pellicit. Tarracone Aprili mense di-

se ditionis Ilerdensis iura, & oppida à Principe Raimundo Comitis patri condonata sancit, atque confirmat. AERA. NAT. CHR.

Septembri mense Rex Gastoni Beneharnensi, qui Bernardi Conuenarum Comitis filiam, Centulli Bigeronum Comitis neptem in matrimonium duxerat, ea Regis erat cōsobrina, Comitatum Bigeronum, ditionisque eius suprema iura dotalia, tradit. Ea conditio, ac lex constituitur, vti Regi integra restituantur, si Gastonem nullis superstitibus liberis decedere contingeret. Vallem præterea Aranam, suis terminis circunsciiptam, quā Garumna amnis præterfluit, quæ Pyrenæi iugis continetur, Rex sibi posterisque suis Regibus recipit, atq; addicit. Lerdæ castelli potestas, ceterarumque Bigeronum arcium, à Vicecomitibus Beneharnensibus Regi, posterisque eius, siue irati, siue pacati sint, vt Hispano more tradantur, sanxit.

Rex Oscæ Martio mense Caspe, ad Hiberi amnis ripas nobile Ædetanorum oppi- 1231.
dum Hospitalis Hierosolymitani militiæ, & Ermengaudo Aspæ eius ordinis Magistro 1193
donat.

A.D.XIIII.K. Apr. Guilielmus Raimundus Moncada, sacrilega immanitate efferatus 1232.
Berengarium Vilademulium Tarraconensem Antistitem interimit. 1194

Sanctius Nauarræ Rex summa virtutis præstantia princeps, qui sapientis cognomen habuit, Iunio mense decedit.

Rem Hispanam nouus circumsteterat metus totius Maurusiæ, & Numidæ gentis 1233.
Bæticam licentius perrumpentis. Iucessus Mahozemutus Abdelmonis nepos, qui Al- 1195
mohadum Sarracenorum in Africa ductor totius gentis imperium obtinuerat, cum exactis Almorabidibus & ad internecionem redactis, expugnata Hispali, Bæticæ prouincię late, longeq; potiretur, Marianis montibus transcensis in Oretanos, & Carpetanos bellum piis gentibus infert. Alfonsus Castellæ Rex, magni alioqui animi princeps, cum se plures annos ignauiæ, atque desidiæ dedidisset, & luxu animū infecisset, omnibus imminentis periculi metu defixis, subito ad tantam belli molem consurgens, vt hostium impetus, ferociamque comprimeret, ad Larcurim vicum, vrbem opulentam quondam, & nobilem prœlio decertans, A.D.XV.K. Aug. victus, ac profligatus in extremum pæne discrimen seque, remque publicam deduxit.

Hoc anno cœnobium Cisterciensis ordinis in Celtiberis Petrinum nuncupatum summa loci amœnitate constitui, quo cataractæ fluuium insigni spectaculo excipiunt, qui per arduas, excisasq; rupes insurgit, à Ferdinando Aragonio Cæsaraugustano Archiepiscopo, qui se ei conuentui ex præfecto Alcanicienſi dicauerat, memoriæ traditur. Fluuius inde Petrinus cognominatus infra Bilbilitanorum aquas in Salonem influit.

Ilerdæ Aprili mense Rex Gilberto Horallo Templariorum militiæ transmarinis in 1234.
prouinciis Magistro, & Pontio Rigaldo Franciæ, Arnaldo Claramontio Galliæ prouin- 1196.
ciæ, & aliquot Hispaniarum prouinciarū eius ordinis præfectis, & eorum militari conuētui Alhambræ, & Horreorum castella, & Cidi arcem, quam Pennā Cidi vocabant, donat.

Cum superiores Reges ex minimo, tenuissimoque regno robustū, & valens, florensque reliquissent, Rex in Gallia Aragonium nomen & vrbibus, & nationibus ingenti gloria propagauit. A.D.VII.K. Mai. Perpiniani moritur. Petrum ex liberis natu maximum Regni Aragoniæ, Cataloniæ principatus, Ruscinonensis, & Paliariensis ditionum heredem instituit: ciuitatesque eas omnes attribuit, quæ Biterensium finibus, & Aspensi saltu continentur. Alfonsum Prouinciæ, Aimiliano, Gabaldano, & Rhodensi Comitatibus donat: atque id ius contribuit, quod in Mompelleriensis ciuitatis ditione obtinuerat. Ferdinandum sacris initiari instituto D. Bernardi Cisterciensis ordinis, in Populeti cœnobio, sepulchris Regum dicato, quod ipse exædificauerat, & pater cōdiderat, iubet. Quattuor filias susceperat: Constantiam, quā Emerico Hungariæ Regi collocauerat: Leonoram, & Sanctiam, quæ Raimundis Tolosatibus comitibus patri, ac filio nupsere: & Dulciam, quę Xixenensi cœnobio, ad Canadris fluminis ripas constructo inter virginum cœtus colendis sacris præfuit. Petrum, quoad xx. annum ageret, Sanctiæ Reginæ parenti in tutelam tradit. Ad Populeti sepelitur.

Pestis, & fames funesta calamitoso hoc anno magnam in Catalonia vastitatē efficiunt.

PETRVS. II. REX XIII. ARAGONVM.

A.D.XVII.K. Iun. Cæsaraugustæ Petrus, & Regina mater exequias funeris Regii prosecuntur: supremisque illius funeribus plures, exquisitique honores additi. Illo ipso die iustis funeribus confectis Petrus fora, vsus, mores patrios, institutaque maiorum, & irrogata priuilegia regni ab Imperatore Alfonso, Ramiro Rege eius fratre, & Raimūdo Principe sancit: atq; confirmat.

AERA. NAT. CHR.

Septembri mense Darocam conuentus indicitur: cui Regina Sanctia cum Petro F. præfuit. Reginæ, & totius conuentus permissu, maximoque applausu Petrus regiam hereditatem adit: & regale nomen suscipit. Denuo fora, mores, atque priuilegia iureiurando, de more sancit. Adfuere eo in conuentu Raimundus Castellitiolus Cæsaraugustanus, Garcias Frontinus Turiasonensis, Gombaldus Ilerdensis, & Ricardus Oscensis Episcopi: & ex proceribus Ferdinandus Ruizius Azagra, Guilielmus Castellitiolus aulæ Regiæ Præfectus, Petrus Latro signifer, qui Turoli dominabatur, Artallus Alagon, Petrus Cornelius, Simon Cornelius, Berengarius Entenza, qui Calataiubij dominatum obtinuerat, Petrus Simenius Vrrea, Simon Rada, & alii proceres. Fortunio Capitoni Hospitalis Hierosolymitani in Aragonia magistro oppidi, atque arcis S. Petri prope Calandam donationem firmat: quæ ab Alfonso rege patre testamento sancita fuerat.

Rex honores, ac militaria beneficia, & arcium præsidia, ac potestates suscipit: & in manus sumit: vt in quos proceres deceret, quemadmodum sibi libitum erit, partiatur: cũ propter ætatem alieni etiam tum arbitrii esset.

1234. 1196. Inceſſus Maurorum Imperator ad perniciem profligatis Larcuritano prœlio, ac pæne ad exitium deductis rebus, horribilem belli formidinem, atque impetum in Carpetanos infert. Cum plura Castella expugnasset, pluraque vastasset, & eam regionem depopulatus esset, Toletanique diutius obsidionis damna sustinuissent, in Celtiberiam transgressus Concham obsidet. Obsidione omissa, depopulata Carpetania, & magna illata calamitate hostes finibus nostris excessere.

Rex copias omnes militares Darocæ cogit: vt affecta, & prostrata republica, cum exercitu subsidio accurrat. Ambo Reges pulsis Mauris Carpetanos montes transeuntes, bellum Alfonso Legionensi Regi inferunt: & Vettones, atque Astures incurrunt.

Guilielmus Castellitiolus Regiæ aulæ præfectus.

1235. 1197. Ermengaudus Vrgellitanus, & Raimundus Rogerius Fuxensis magna armorum cõtentione inter se decertant. Nõ Pyrenæi impendentis vasti saltus obstitere, quo minus Fuxensis Vrgelletum obsidione premat: vi expugnet: atque diripiat: quorum etiam factionibus Catalonia bello flagrat.

Simon Cornelius aulæ regiæ præfectus.

1238. 1200. Initio regni, cũ magnę inter Regẽ, cuius alioqui mirifica indoles virtutis apparebat, & Reginam parentem & obtrectatio inuidiæ, & maleuolentia coorta esset, summeq; inter se diffiderent, A. D. II. K. Oct. Farizæ cum Castellæ Rege ad colloquium perueniunt. Paciscuntur, vti Regina Farizæ, Embiti, & Epilæ arces filio tradat: quæ cum externi regni finibus propinquæ essent, haud leuis causa suberat, vt inde grauis oriretur suspicio: & intestinum odium cum acri diffidio existeret. Apparebat enim Reginam liberos aditus, atq; exitus ex Castellanis regionibus comparauisse.

Leonora Regis soror Raimundo Tolosati nubit.

1239. 1201. Cum Rex pacta cum regina conuenta, fœderaque, siue mobilitate, & leuitate animi, seu iuuenili licentia, aut prauis cõsultoribus induct⁹, fregisset, & rursus intestinis seditionibus lacerarentur, interuentu Berengarii Entenzæ, Guilielmi Castellitioli, Garciæ Romæi, Guilielmi Cardonæ, Alberti Castelluellii, Raimundi Vilademulii, Raimundi Gurbii Tẽplariorũ Magistri, Simonis Labatæ Magistri Hospitalariorũ Ampostæ pręfecti, Simonis Cornelii, Garcię Orticii, Artalli Alagonis, Petri Sesesii, Michaelis Luesię, Arnaldi Palatini, Arnaldi Foxani Darocæ Nouẽbri mense ad colloquiũ cõgredientes, obsidib⁹ vltro, citroque datis, fides reconciliationis firmata est: & in pristinã concordiã reducuntur. Iurisiurandi religione proceres ii obstringuntur, Regem, parentem, vt par erat, obseruantia, cultuque, & honore reueriturum: neque oppidorum, aut arcium, quæ à Rege viro traditæ illi fuerant, possessione exclusurum: atq; in ea regio præsidio permansuram. Arcium earum præfecti Reginę iussu, Regi se irato, aut pacato parituros, atque eius imperio obtemperaturos, fidelitatis sacramento obtestantur.

1240. 1202. A. D. XIII. K. Iul. Agramontensi campo Raimundus Ceruera, ex proceribus Catalanis vir primarius, & Agramontensis ciuitas armis confligunt. Ceruera cum IIII. M. peditum ordines duceret, & aliquot equitum loricatorum turmis decertaret, ab DCCC. peditibus profligatur: atque deuincitur.

K. Nou. monachi instituto D. Bernardi deuoti, qui prope Iuncariam, Cæsaraugustano in Agro Cœnobium condiderant, Rotam, adhiberi ripas è regione Scatronis oppidi, quo ab Alfonso Rege donati fuerant, emigrant.

A. D. IIII. Non. Nou. Guilielmus, qui Mompellerii dominabatur, decedit: Maria vnica filia herede relicta.

A.D.III.K.Mart.Raimundus Rogerius Fuxensis, Arnaldus Castelbonus,& alii eius factionis Catalani proceres ab Ermengaudo Vrgellitano cæduntur: atque ex prœlio ducuntur captiui. AERA. NAT. CHR.

Nondum perfunctum cura Regem rerum suarum, aut expeditionis bellicæ aduersus Mauros, tumultus Gallici fama atrox inuasit: quod Alfonsus Prouinciæ Comes frater & Guilielmus Folcalquerius Comes Garsendæ patruus, quam Alfonsus Rege patre adnitente vxorem duxerat, inter se magna armorum contentione præliarentur. Guilielmus Rege defuncto, aliquot oppida, atque iura ditionis Garsendæ interuerterat: ad seque transtulerat. Sanctius Regis patruus, cui Rex ditionem Ruscinonensem tradiderat, Alfonsum fratris filium deserens, Folcalquerii partes fouet: pluresque Franci proceres eas sustinent. Rex in Prouinciam profectus ad fossas Marianas, Aquas mortuas vocant, inducias fieri contendit:& vti se arbitro,& Narbonensi,& Tolosate proceribus, Episcopisque aliquot adiunctis, res, quæ in disceptationem vocabantur, constituerentur,& collocarentur: impetrat. Cum de Sistarici oppidi, atque arcis ditione cõtrouersarentur, Rex amborum nomine in manus suscipit. Paciscuntur, vti Alfonso,& Garsenda, nullis superstitibus liberis vita functis, Sistaricum, Sistaricique arx Guilielmo cedant. Salinæ, portusque Tarasconis Alfonso contribuuntur:& reliqui portus ad Longobardorum fines, amborum ditioni adiudicantur. 1241. 1203

Ad Campillum, Susanum vocabant, quasi superiorem nomines, Agredæ, & Turiasonis finibus interiectum vicum, Castellæ,& Aragoniæ Reges congressi, finium controuersias componunt: eisque terminandis arbitros adiiciunt. Aragonii Garcias Romæus, & Petrus Sesesius dati. Communi sententia Caunum montem aquarum diuortiis Aragoniæ regno attribui edicunt.

Haud parua expeditio hoc anno à Rege facta est: si regii apparatus, sumptusque spectentur: frequentissima celebritate,& totius Italiæ clarissima luce expositi. Rex Gallia ex Prouincia soluens, classe Genuensem portum tenet. Nouembri mense Tiberis ostio inuectus, ab aliquot Cardinalibus,& Senatore, populoq; Romano in vrbem deductus, Innocentium P.M. de more veneratur:& in Vaticano, Pontificiis in ædibus Regi paratur hospitium. Perendino die præsentationi D.Mariæ dicato, summus Pontifex in ędem D. Pancratii traductus Regem sollemni pompa vrbis regionibus ouantem excipit: atque in ea æde à Petro Portuensi Episcopo sacro oleo perungitur. Regium diadema capiti Regis ab Innocentio imponitur: atque regiis insignibus decoratur. Rex fidelitatis sacramento se Pontifici Maximo, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ addicit. In Vaticanum reuersus, in sacello D.Petri regiis insignibus depositis,& gladio Pontificis manu accepto, militiæ auctoramentum profitetur. Regnum tributarium ecclesiæ constituit: & CCL. Mahozemutinorum aureorum nummorum tributum in singulos annos, ab Aragoniæ Regibus conferendũ indicit: summa à se proposita mercede, ꝙ Pontificis manu diadema sumpsisset. Ii numi à Iuceffio Mahozemuto iactati, nuncupatique, qui summum in Mauros imperium in Hispania obtinuerat, singuli sex solidis regalium expendebantur: æstimabanturq;. Pontifex priuilegium irrogat, vt ab Archiepiscopis Tarraconensibus coronæ, in posterum Regibus Cæsaraugustæ imponantur: modo caueant, se id ecclesiæ præstituros, quod à Rege sancitum fuerat. Grauiter proceres mox, populique conqueruntur: ꝙ ex libero Regno,& ab omni munere soluto, Rex stipendiarium cõstituerit. Res digna visa est, quæ vti vetustis monumentis gesta perhibetur, commemorari debeat. Anno VII. Pontifica- „ 1242. 1204
tus domini Innocentii Papæ III. Mense Nouembri Petrus Rex Aragonum ad Apostolicam sedem accessit: vt ab eodem domino Papa militare cingulum,& Regium acciperet „
diadema. Venit autem per mare cum V. galeis. Applicuit apud Insulam: inter portũ,& O- „
stiam: adducens secum Archiepiscopum Arelatensem,& Præpositum Magalonensem: „
cum quibus interfuit electus Montis maris:& alii quidam clerici nobiles,& prudentes. „
Proceres quoque secum adduxit Sanctium patruũ suum: Hugonẽ de Baucio, Trogelium „
de Massilia, Arnaldum de Fociano,& alios multos nobiles,& potentes. Missis autem ad il- „
lũ equitaturis Romanis pæne CC, fecit eum apud S. Petrum ad præsentiam suam idẽ do- „
minus Papa venire: mittens in occursum ipsius quosdam Cardinales: Senatorem Vrbis „
& multos alios nobiles:& magnates: fecitq; illũ apud S.Petrum, in domo Canonicorum „
honorifice hospitari. Tertio vero die: in festo videlicet S. Martini pręfatus dominus Papa „
cum Episcopis, Presbyteris,& Diaconibus Cardinalibus, Primiceriis,& Cantoribus, Senatore, Iustitiariis,& iudicibus, aduocatis,& scriniariis, multisque nobilibus, atque po- „
pulo copioso ad monasterium S.Pancratii martyris prope trans Tiberim est profectus: „
ibique præfatum Regem per manus Petri Portuensis Episcopi fecit inungi: quem post- „

AERA. NAT. CHR.

modum ipse manu propria coronauit:largiens ei Regalia insignia vniuersa:mantum videlicet,& Colobium,sceptrum,& pomum,coronam,& mitram:corporale ab eo recipiens iuramentum:cuius tenor est talis.

Ego petrvs rex Aragonũ profiteor,& polliceor q; semper ero fidelis,& obediens domino Papæ Innocentio:eiusque Catholicis successoribus,& Ecclesiæ Romanæ:Regnumque meum in ipsius obedientia fideliter cõseruabo:defendens fidem Catholicam ,& persequens hæreticam prauitatẽ: libertatem,& immunitatem ecclesię custodiam: & earum iura defendam. In omni terra meę potestati subiecta pacem, & iustitiam seruare studebo: sic me deus adiuuet:& hæc sancta euangelia.

Deinde Præfatus Rex cum multo laudis præconio,& fauoris applausu coronatus rediit iuxta dominum Papam:ad Basilicam S.Petri:super cuius altare sceptrum, & diademã deposuit:& de manu eiusdẽ domini Papę militarẽ ensem accepit:Regnumq; suũ S. Petro Apostolorũ principi obtulit:illudq; sibi constituit censuale per priuilegii paginam: quam eidem domino Papæ tradidit super ipsum altare:cuius tenor est talis.

Cum corde credam,& ore confitear,quod Romanus Pontifex, qui est beati Petri successor,vicarius sit illius,per quem Reges regnant,& Principes principantur, qui dominatur in Regno hominum, & cui voluerit donabit illud: Ego petrvs Dei gratia Rex Aragonum,Comes Barcinonensis,& dominus Montis Pesulani cupiens principaliter postea beati Petri,& Apostolicæ sedis protectione muniri, tibi Reuerendissime pater, & domine summe Pontifex innocenti, & per te Sanctæ Romanæ ecclesiæ offero regnum meum : illudque tibi , & successoribus tuis in perpetuum diuini amoris intuitu, pro remedio animæ meæ,& progenitorum meorum constituo censuale:vt annuatim de camera Regis cc l. Macemutinæ Apostolicæ sedi reddantur:ac ego,sicut & successores mei specialiter ei fideles,& obnoxii teneamur:ac lege perpetua seruiendum fore decerno:quia spero firmiter,& confido,quod tu,& successores tui me,ac successores meos, & Regnum prædictum auctoritate Apostolica defendetis:præsertim cum ex multo deuotionis affectu,me ad sedem Apostolicam accedente, tuis, quasi beati Petri manibus, in Regem duxeris sollemniter coronandum. Vt autem hæc Regalis concessio inuiolabilem obtineat firmitatem ,eam de consilio Procerum Curiæ meæ, præsenti venerabili patre meo Arelatensi Achiepiscopo,& Sanctio patruo meo,& Hugone de Baucio,& Arnaldo de Fociano Baronibus meis sigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud S. Petrum anno Dominicæ Incarnationis mcciv. iii.Id.Nouembris. Anno Regni mei iix.

His omnibus rite peractis,fecit eum dominus Papa per vrbẽ ad Ecclesiam S.Paulli deduci:vbi galeas inueniens præparatas intrauit:& Apostolica benedictione ad propria meruit cum prosperitate redire.

Super coronatione vero Regum & Reginarum Aragonum in posterum facienda, tale sibi priuilegium dominus concessit.

Cvm quanta gloria,& honore,impendiis,& applausu Regium Romæ,de manu mea in monasterio B.Pancratii susceperis diadema,postquam per venerabilẽ fratrẽ nostrum Petrum Portuẽsem Episcopum in Regem te fecimus coronari,tua sublimitas non ignorat. Vt dilectionis autẽ affectum,quam ad tuam habemus personã,per exhibitionẽ operis euidẽtius monstraremus, Regalia insignia vniuersa,mantũ videlicet,colobiũ, sceptrum, & pomum,coronã,& mitram ad opus tuum non minus pretiosa,q̃ speciosa fecimus præparari:& ea liberaliter tibi donauimus:in signum gratię specialis. Tu vero tanquam princeps,& Catholicus Rex super altare beati Petri Apostolorum principis Regnũ tuũ nobis & per nos sedi Apostolicę,cũ multo deuotionis affectu,per priuilegii paginam obtulisti: illud ei cõstituens in perpetuũ censuale:firmiter promittẽdo,q; iuramẽtum fidelitatis, & obedientiæ in coronatione tua nobis exhibitum inuiolabiliter obseruabis:& ad illud exhibendũ,& obseruãdum successores tuos obligari volebas.Nos igitur gratiã tuã nobis exhibitam ad successores deriuari volentes,præsentium auctoritate cõcedimus,vt cum ipsi decreuerint coronari, coronã à sede Apostolica requirentes,de speciali mãdato per Tarraconensem Archiepiscopum apud Cęsaraugustam sollemniter coronentur:præstita super prædictis idonea cautione. Et quoniam iure ciuili cautum est,vt mulieres maritorum honoribus decorentur,præsenti auctoritate concedimus,vt per manus eiusdem Archiepiscopi eis liceat coronari. Nulli ergo,&c. Nostræ concessionis,&c. Si quis autem.&c.

Sollemnibus susceptę coronæ Romæ celebratis, Rex in Prouinciam Galliam renauigans , aduersus Folcalquerium bellum gerit:quod fœdera cum Alfonso fratre icta neglexisset:atque violasset:& fratrem captiuum contra ius,fasque detinuisset:quem Rex in libertatem vindicat.

Cum

Cum Alfonsi Castellæ, & Legionensis Reges patrueles fratres, nouo affinitatis vinculo adiungerentur, & Legionensis Berengariam Castellæ Regis F. duxisset, vna cum Aragonio Rege Sanctio Nauarræ Regi bellum inferunt. Roncauallem, & Aiuarum expugnant. Cum eas ciuitates Aragonius repeteret, atque suæ ditionis, ac iuris esse contenderet, nostris traduntur. Matrimonium postea Regis cum Nauarri sorore paciscuntur: sed cum eæ nuptiæ legitimæ esse nequirent, quod tertio consanguinitatis gradu adiūgerentur, Innocentius eas tamquam incestas dirimi sancit. AERA. NAT. CHR.

Augusti mensis Kalendis Rex Iaccam exercitu coacto iniit: magnoque comitatu ad colloquia Regis Angli congreditur. Proficiscentem comitantur Raimundus Roccaber- 1243. tinius Archiepiscopus Tarraconensis, Gombaldus Dertosanus, Garcias Oscensis, & Rai- 1205. mundus Cæsaraugustanus Episcopi: Arnaldus Alascon aulæ Regiæ præfectus, Innicus Martinius Sobiza, qui Burgiæ dominabatur, Artallus Alagon, Garcia Romæus, cui Rex id temporis oppidum Pratellam, atque arcem tradiderat, Simon Cornelius, Petrus Pomarius, Assalitus Gudalis, Adam Alascon, Aznarius Pardus, Petrus Alcalanus, Atho Focius, Rudericus Stada, Bernardus Beneuentanus, Petrus Sesesius, & Simon Luesia. Oscæ Nouembris mensis fine, cum Rex large, & effuse regium patrimonium profunderet, & in sumptibus effundendis nimius esset, ac prodigus, eiusque benignitas in largiendo esset exhausta: nouum vectigal imponitur: cui monetatici nomen publicani inuenere.

Arnaldus Alascon Aulæ regiæ præfectus.

Sanctia Aragoniæ Regina adnitente, ac se in vtramque partem versante Hispaniȩ Reges Lusitano dempto, Phari ad colloquium congrediuntur. 1244.

Didacus Lupius Lupi Naiarensis Comitis, qui Viscaiæ dominabatur, F. acre bellum 1206. aduersus Castellæ Regem gerit: quod Legionensis ab Vrraca Lupia sorore diuertisset. Is, regibus fœdere adiunctis, Valentiam properans, bellum Regi, Aragoniæ finibus infert: quem cū Valentiā Rex inclusisset, & ad portas venisset, murumq; iaculo traiecisset, & vrbē acerrime oppugnaret, suffosso equo, summum vitȩ discrimen adit: ex quo ab ipso Didaco ereptum ferunt.

Cū magna celebritate famæ, Regis egregia virtus in vltimis regionib⁹ percrebuisset, & Hierosolymitani regni vires summis difficultatib⁹ affectæ atq; afflictæ essēt, & à Turcis premerētur, Maria Amalrici Hierosolymitani Regis vxor, eiusq; regni proceres Mariam Amalrici neptem Conradi Monferratensis filiam regni heredem Regi collocari summopere student. Ptolemaide, recentior ætas nuncupauerat Acconem, A. D. XI. K. Oct. auia Regina, assidentibus Petro presbytero Cardinali tituli S. Marcelli, A. Patriarcha Hierosolymitano, Petro Cæsariensi, C. Tyrensi, A. Nazareno Archiepiscopis, & Acconensi, & Bethlehemiti Episcopis, & S. sepulchri Priore, & Iosaphati, & Taboris Abbatibus, atque Hospitalis S. Iohannis Magistro, iurisiurandi religione obstricta spondet. Mariam neptem in A. D. K. Nou. secundas nupturam modo conuentis Rex staret: & Pontifex Maximus id ratum haberet. Rex sibi in matrimonium adiunxerat Mariam, quæ Mompellerii dominabatur, filiam Guilielmi Mompelleriensis, & Mathildis Emmanuelis Constantinopolitani filiæ. Nuptiis celebratis Rex Mompellerii dominatus cognomentum suscipit. Cum insignem probitate, & sanctitate feminam duxisset, & quæ Constantinopolitani imperii ius materna hereditate repeteret, Mathildis enim Alexio fratre Andronico interempto, legitimo iure id regnum appetierat, ab vxore, pellicum amore flagrans diuertere nititur.

Cum Rex solutis, & vagis amoribus in concubinarum cupidinem, & contubernium 1245. se transfudisset, & connubii diuortium fieri contendens sanctissimam feminam exturba- 1207. re, niteretur, clam, quasi cum alia concubiturus, ancillari dolo, furtim Reginæ admittitur. Ea nocte filius concipitur: quem diuino numine Christianæ reipublicæ, & religioni propagandæ genitum res ab eo gestæ testantur. Mompellerii K. Febr. nascitur: & sortito Iacobi nomen inuenit.

Octobri mense Castellæ, & Nauarræ reges in Carpetanis Guadalaiaræ congressi, depactis in quinquennium indutiis, & vt earum iura seruarētur, arcibus etiam traditis, Castellanus pollicetur, se in ea fœdera Aragoniæ Regem deducturum: vt fraterna vnanimitate, aduersus exultantes Maurorum conatus obuiam eatur. Quamuis magna contentione Aragonius, & Nauarrus dissident, & Rex Roncauallem, & Burgui arcem Gastoni Vicecomiti Beneharnensi, Bigeronensi Comiti pro pignore L M. solidorum Morlanensium tradiderat, quæ belli præcipua causa fuerant, summo Regis Castellȩ studio, ea Regum conspiratio, & concordia ad rempublicam tuendam, Regem ad se deduxit.

AERA. Conftantia Regina Regis foror, quæ Emerico viro Hungariæ Rege vita functo, Leo-
NAT. poldi Auftriæ Ducis ope, principis propinquitatis vinculo Aragoniæ domui adiuncti, ad
CHR. fratrem reuerfa fuerat, adnitente Sanctia Regina parente, Frederico Siciliæ Regi Cæfar-
1246. auguftæ defpondetur. Hæ nuptiæ ab Innocentio P. M. Frederici tutore fanciuntur: qui
1208 enixe ftuduit, vt Fredericus pæne puer, & Siciliæ arces à Marchoaldo, Regina Conftantia Frederici matre defuncta, oppreffæ in libertatem vindicarentur. Ad hæc Pontifex, & Regina pactionem fecerant, fi Fredericus ante matrimonium initum decederet, Siciliç regnum ab Ecclefia Ferdinando Conftantiæ fratri, quem pater facro ordini dicauerat, deferretur.

Nouembri menfe Sanctia Regina, quæ fe Xixenenfi virginum cœnobio, quæ cultui diuino facratæ erant, Hierofolymitani inftituti à fe conftructo, addixerat, & eo ritu facris initiata fuerat, è vita excedit: & in ea facra æde fepelitur.

Ermengaudus Vrgellitanus Comes decedit: eorum principum vltimus, qui à Borello Barcinonenfi Comite virili ftirpe genus ducebant. Ex Eluira Sobiratenfi Comite vxore Aurembiaxim filiam fufceperat. Super eius ditionis hereditate, quæ ampla, & præpotens erat, bellum inter Regem, & Gerardum Caprariam Vicecomitem exoritur. Aurembiaxis, quod mater Eluira verita effet, ne à Gerardo ditione ea euerteretur, qui confobrinus erat. Nam Pontius pater Caprariæ Vicecomes Miraglum Ermengaudi fororem duxerat, hereditariis iuribus Regi cedit: atque ea condonat. Aurembiaxim Rex fub poteftatem, manumqne fufcipit. Balaguerium Gerardum includit: eoque obfidione, & acri oppugnatione ad deditionem compulfo, totius pæne Vrgellitanæ ditionis potitur.

1247. Alfonfus Prouinciæ Comes Barcinone foluens, Conftantiam Reginam fororem ad
1209 ad Fredericum maritum Siciliæ Regem, magno prouincialium, & Catalanorum procerum comitatu deducens, in Siciliam Februario menfe appellit. Funeftæ eæ nuptiæ morte Alfonfi, & plurium procerum, qui magna vi morbi ingrauefcente Panhormi decedunt, fuere. Ex Garfenda vxore Folcarquerii Comitis nepte Alfonfus filium fufceperat Raimundum Berengarium. Is Prouinciæ Galliæ dominabitur.

A. D. II. Non. Iun. ad Malienem Aragoniæ, & Nauarræ Reges ad colloquia conueniunt: Rex à Nauarro XX. M. nummorum aureorum, quos morabetinos vocabant, mutuatur: eorumque pignori arces, & oppida Pinæ, Efconis, Pitillæ, & Galluris opponit: adeo in fumma difficultate nummaria non Rex modo, fed ea tempora verfabantur.

1248. Martii menfis exitu Montione Rex militares copias cogit: & in Valentini regni fines
1210 inuadit. Duces exercitui præbiti Simon Cornelius, Garcias Romæus, Artalius Alagon, Blafcus Romæus, Petrus Sefefius, Atho Focius, Guilielmus Ceruilionius, Guilielmus Peralta, Arnaldus Palazinus, Arnaldus, & Adam Alafcones, Atorella, Sanctius Antilionius, Guilielmus Moncada, & Guilielmus Raimundi Moncada Cataloniæ Senefcallus. Adamuzium, Caftrum fauibium, & Sertella oppida, & eorum arces expugnantur. Eæ non Aragonio regno, fed Valentino contribuuntur: quæ ipfa propinquitate regionum in extremis finibus pofitæ, velut appendices effent maioris expeditionis. Vicina caftella ad deditionis fœdera recepta imperata faciunt. In Adamuziana oppugnatione Atorella qui Quincti dominabatur, Petri Oticii F. egregie operam nauauit: eoque ipfo die Rege, & Cæfarauguftano Epifcopo præfentibus Petro Montacuto Templariorum magiftro, & eius ordini fe addicit, vouetque. In eo bello ex proceribus præfto Regi adfuere Garcias Frontinus Turiafonenfis Epifcopus, Garcias Romæus, Simon Cornelius, Michael Luefia, Simon Aiuarius, Arnaldus Alafcon, Latro, Aznarius Pardus aulæ Regiæ Præfectus, Atho Focius, Affalitus Gudalis, & Petrus Crexelius.

A. D. XIII. K. Oct. ad Villam, quam Felicem vocant, Rex Dertofam vrbem, & arcem, quæ Azudæ cognomen habuit, & eius vrbis propugnacula Petro Montacuto Templariorum Magiftro, atq; eius militiæ ordini donat.

Aznarius Pardus Regiæ Aulæ Præfectus.

1249. Bellum facrum, quod Hifpaniarum Reges, & præcipuus eius auctor, & concitator
1211 Caftellæ Rex in vltima rerum defperatione, aduerfus victorem Maurum moliti funt, pro præfenti terrore, ac rerum infigniter geftarum laude, & gentis Hifpanæ robore, ingenti gloriæ fuit. Confirmatis enim partibus, cum omni vi niti cœpiffent, & Caftellani exercitus licentia, luxuriaque corrupti, ad feueriffimam militiæ difciplinam reuocarentur, omniaque reciderentur deliciarum inftrumenta, quafi de fumma reipublicæ in certamen, atque difcrimen deuenire parant. Pontifex Max. facræ expeditionis præfidia, atque noxiarum expiationes indulget: & facrofanctæ Crucis prædicatione

tione exteræ nationes,& gentes in vltimas terras pietatis ergo confluunt:præcipuo con- AERA.
cionatore,& quodammodo sacri belli lituo Ruderico Simenio Toletano Antistite. NAT.
Castellæ Rex cum Ferdinando F. Valentini regni fines Setabim vsque incurrit. CHR.
Maio mense in Carpetanos regreditur. Ferdinandus illico Lusitanorum Maurorum prę-
sidia Trugilli,& Montanciis firmata oppugnat:& in ipso belli conatu A.D. II. Id. Octob.
decedit:cuius morte vniuersa Hispania in luctu,& squalore fuit.

PROELIVM VBEDENSE.

Hispano robore aduersus Maurorum vires, qui ex transmarinis prouinciis fretum 1250.
transmiserant,& Bæticis, Contestanis,& Lusitanis se adiunxerant, maximo prœlio, Ma- 1212
riano in saltu, ad Tolosæ conualles Castellæ, Aragoniæ, & Nauarræ Reges decertant. Quantis nunquã ante alias simul copiis hostes conueniunt: castraq; saltuosis, ac siluestribus locis metantur. In comitatu Aragonii Regis ad bellũ proficiscuntur viri fortissimi nobilissimiq;, qui ordines duxerant Garcias Frontinus Turiasonensis, & Berengarius Barcinonensis Episcopi: Sanctius Comes Aragonii Regis patruus, Garcias Romæus, Simon Cornelius, Guilielmus Peralta, Michael Luesia regius vexillifer, Aznarius Pardus, Nunnius Sanctii Comitis ex Sanctia Nunnia filia Nunnii Comitis Larensis filius, Lupus Ferrencius Luna, Artallus Focius, Petrus Maza, Atorella, Simon Aiuarius, Rudericus Lizana, Petrus Ahonesius, Emporiarum Comes Gerardus Capraria, qui Vrgellitani Comitatus hereditatem inuadere conatus fuerat: Raimundus Folchius, Guilielmus Cardona, Guilielmus Ceruera, Berengarius Petramola, Guilielmus Aquilonius Tarraconensis, & Arnaldus Alascon. Aragonius exercitui ductores præficit Garciam Romæum, Simonem Cornelium, Aznarium Pardum, Artallum Focium, Atorellam,& Petrum Mazam. Præterea Petrus Tomichius prodit, penes quem fides sit, Dalmatio Crexelio Catalano, qui inter omnes suæ ætatis duces rei militaris scientiam percalluisset, cum Reges de dirigendis, & ordine collocandis aciebus, inter se dissiderent, eam curationem, & distributionem traditam. Primo concursu, adeo æquis viribus gesta res est, ac si pares acies vtrinque conflixissent: tantaque cæde nostri prorupere cuneos, turbatis hostium ordinibus, vt prœlium deinde illis non constiterit: nec fuga explicari sine ingenti cæde potuerit. Diuinum numen pia arma respexisse visum. Nam cum de summa rerum eo in prœlio certaretur, facile inclinata res: pulsique hostes: capta castra: & Mauri à tergo circumuenti: nulla ex Christianorum parte cæde ostentata. Pugna Lunæ die, A.D. XVII. K. Aug. commissa est: qua nihil adhuc Hispanæ gentes nobilius videre. Nulla enim tam exigua tantas copias prostrasse fertur: vt vere, sicuti Innocentius summus Pont. in gratiarum actione testatur, Deus Optimus Maximus, qui superbis resistit, & humilibus, atque demissis commodat, antiqua innouando miracula, gloriosam tribuerit victoriam de perfidis gentibus. Insigni animorum præsentia adfuere Alfonso magni, & alti animi Principi eo in prælio Aragoniæ,& Nauarrę Reges: qui ingenti laude bellica opera executi, & pari in munere versati, ingenti gloria parta, dignos se maioribus suis præbuere. Summis enim conatibus, haud minore sua, quam militum virtute, imperatoriisq; artibus ac muneribus magnam sibi gloriam,& laudem protulere. Ad C.M. armatorũ ex firmo exercitus Maurorum robore interempta memoriæ proditur. Leopoldus Austriæ Dux, vt prœlio interesset, in Hispaniam contenderat:& regio apparatu à Rege Aragoniæ, magna necessitudinis propinquitate sibi adiuncto excipitur.

Diuina victoria parta, præsens certe numẽ piis gẽtibus affuit, tot opibus, copiisq; vna die profligatis, vt nõ vinci modo barbarorũ pertinacia,& auerti cœperit, sed eius imperii maiestas in Hispania cõciderit, Beatia,& Vbeda in nostrorũ potestatẽ venere. Expugnatæ Vbedæ decoris pars maior ad Lupũ Ferencium Lunã defertur, ex Aragoniis proceribus primarium: quòd eius milites, qua cõsederant, primi in mœnia euasissent: irrupissentque.

A.D. VII. Id. Nou. Thausti Rex Constantiam F. ex concubina genitam Guilielmo Raimundo Moncadæ Catalonię Senescallo, ex proceribus primario viro, despondet. Illo ipso tempore Rex diuortii causam maxime vrguet.

Interim illa calamitas accidit apud Regem reipublicæ: cum Reginam eximia san- 1251.
ctitate feminam connubio euertere nititur: exegitque. In causa matrimonii, quæ diutius 1213
agitata fuerat, hæc Regem intendisse comperio: Hugone Tarrogia Regis consanguineo apud Pont. Max. connubiũ conuellente. Matrimoniũ Regi suspectum esse, quod Regina maritũ alium haberet superstitem Comitẽ Conuenarum: cui in Ecclesiæ facie copulata fuerat. Adhæc Regem se alteri feminæ commiscuisse, quæ Reginã cõsanguinitatis linea contingeret. Neque Regina abnuit patre viuente, ac procurãte cum Conuenarum Comite contraxisse: sed id matrimonium maritali fœdere fuisse irritum: quod Comes sibi

AERA. NAT. CHR.

eſſet conſanguinitate pariter, & affinitate coniunctus: & cum id matrimonium cōtraxerat, duas haberet vxores: G. filiam A. Barcæ, & Comitis Bigeronum filiam: quæ Reginæ conſanguinitate adiuncta erat. Præterea Rex contenderat Conuenarum Comitem conſanguinitatis linea ſe contigiſſe: atque inde aliam affinitatem inter ſe, & Reginam fuiſſe ſubortam. Regina Romam profecta, Pontifex cauſam publico in conſeſſu examinat: & ea cognita ſtatuit: atque huiuſmodi decreto interpoſito legitimum ius conſtituit.

„ INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Kariſſimo in Chriſto filio P. illuſtri Aragonum Regi Sal. & Apoſtolicam ben. Nouit ille, qui eſt teſtis in Cælo fidelis, cui omne cor patet, & nullum latet ſecretum, quod in cauſa matrimonii, quæ inter te, & Kariſſimam in Chriſto filiam Mariam illuſtrem Reginam Aragonum coniugem tuam, diutius noſcitur agitata, via regia ſemper inceſſimus: neque ad dexteram declinauimus, vel ſiniſtram: quod teſte conſcientia, in cauſis fecimus vniuerſis, quæ ad noſtrum perferuntur examen: cum illius vices diſponente ipſo, exerceamus in terris, qui iuſtus, & iuſtitiam diligens, ſine acceptione iudicat perſonarum: nec ignoramus legis diuinæ mandatum: quo habere pondus, & pondus, menſuram, & menſuram, quorum vtrumq; apud Deum eſt abominabile, prohibemur: & æqua lance cauſas, & merita penſare præcipimur ſingulorum. Licet igitur inter alios Mundi Principes te ſicut opera ipſa declarant, amplexemur ſpecialis dilectionis affectu, & ad perſonæ tuæ honorem, & commodum aſpiremus, vbi tamē ad iudicii peruenitur examen, in quo nec reſpicere pauperem, nec potentis vultum honorare permittimur, nullam tibi, vel alii gratiam facere poſſumus, aut debemus: & maxime vbi agitur de matrimonij ſacramento: quod ante peccatum, in Paradiſo à Domino inſtitutum, præter propagationis humani generis fructum, illud ineffabile ſacramentum cōiunctionis, Chriſti videlicet ad ſanctam Eccleſiam Dei, ad fidelem animam, & ipſius verbi, ad humanam naturam noſcitur figurare: Apoſtolo atteſtante: qui de bono matrimonij agens, inquit: Ego autem dico magnum in Chriſto, & Eccleſia ſacramētum. Dudum igitur: cum matrimonium contractum inter te, & eamdem Reginam proponeres te habere ſuſpectum, pro eo, quod eadem ferebatur maritum alium habere ſuperſtitem videlicet nobilem virum N. Comitem Conuenarum, tuque prius carnaliter mulierem quamdam cognoueris, Reginam ipſam conſanguinitatis, vt dicebatur, linea contingentem: & ſuper hoc conſcientiæ, ac ſaluti tuæ conſuli poſtulares, cauſam bonæ memoriæ Pompilonenſi Epiſcopo, & P. de Caſtronouo, & fratri Rodulpho monachis Fontis frigidi, qui duo tunc erant Apoſtolicæ Sedis legati, meminimus commiſiſſe: coram quibus, cum lis fuiſſet, ſuper duobus præfatis articulis, per partium procuratores legitime conteſtata, nobili virō Hugoni de Turre rubea conſanguineo tuo, tunc matrimonium, vt dicitur, accuſante, legatis eiſdem interim ab hac luce ſubtractis, & Pampilonēſi Epiſcopo pro ſuis, & Eccleſiæ ſuæ negotiis apud Sedem Apoſtolicam occupato, cauſam ipſam venerabilibus fratribus noſtris Narbonenſi Archiepiſcopo, tunc Ciſtercienſi Abbati, ac Vticenſi Apoſtolicæ Sedis legatis, & Reginenſi, tunc temporis officio legationis fungenti Epiſcopis duximus committendam: ſub ea forma, qua præfato Pampilonenſi, & ſuis coniudicibus fuerat ante commiſſa: nullo in poſterioribus litteris addito, vel mutato: vt videlicet ſi appareret legitimus accuſator, cauſam conuocatis partibus audientes, eam, ſi de partium voluntate procederet, ſine Canonico terminarent: alioquin geſta omnia fideliter conſcribentes, ea nobis, ſub ſuarum teſtimonio tranſmitterent litterarum præfigentes partibus terminum competentem: quo per procuratores idoneus noſtro ſe conſpectui præſentarent: iuſtum, Deo auctore, iudicium accepturi. Te igitur, ac eadem Regina, ſicut ex actis intelleximus, perſonaliter in ipſorum iudicum præſentia cōſtitutis, proponere curauiſti, quod Regina ipſa tibi, de iure ſociari non poterat fœdere maritali: tum quia dicto Comiti Conuenarum adhuc ſuperſtiti fuerat in Eccleſiæ facie matrimonialiter copulata: per quod conſtabat, eam tecum contrahere nequiuiſſe: cum ab eodē Comite ſeparata per iudiciū Eccleſiæ nō fuiſſet. Regina vero ibidē fuit abſolute confeſſa; quod re vera, patre ſuo viuente, ac procurante contraxerat cum Comite memorato: ſed ad iecit, quod huiuſmodi matrimonium de facto contractum fuerat, non de iure: cum idem Comes ſibi eſſet conſanguinitate pariter, & affinitate coniunctus: & inſuper duas haberet vxores: tempore, quo contraxerat cum eadem ad quæ probanda ſibi dari terminum poſtulauit. Et licet fuerit ex tua parte reſponſum, quod eius, ſuper his, exceptiones recipi non deberent, donec eſſet præfato Comiti, cum quo ſe contraxiſſe confeſſa fuerat, reſtituta, nec tu exceptionibus tenebaris huiuſmodi reſpondere, ad vltimum tamen ita fuit, de partiū voluntate prouiſum vt ſcilicet, ſalua tibi exceptione ſeu replicatione prędicta, vtriuſq; partis probationes, ſuper

AERA: NAT: CHR:

per præmissis articulis audirentur. Postmodum B. Aimerii, quem procuratorem in negotio constitueras memorato, de consensu tuo, tria se obtulit probaturum: scilicet: matrimonium prius fuisse contractum inter dictam Reginam, & Comitem Conuenarum: & matrimonium, si quod fuit, inter eundem, Comitem, & G. filiam A. de Barca, fuisse iudicio ecclesiæ separatum: ante quam cum Regina contraxisses eadem: & filiam Comitis Bigorræ, vxorem Comitis ante dicti fuisse tibi consanguinitate coniunctam: & sic terminus fuit partibus assignatus: facta promissione hinc inde, quod alias dilationes non peterent, ad proponendum aliud: vel probandum. Cumque partes termino constituto, in duorum Iudicum prædictorum præsentia, tertio litteratorie suam excusante absentiam, conuenissent, Regina proponens se infirmitate grauatam, testes suos medio tempore producere nequiuisse, dilationes alias postulauit: quas licet dictus procurator tuus assereret, sibi non esse vllatenus concedendas, pactionem factam de non petendis dilationibus allegando, ac super hoc fuisset diutius disputatum, tandem de consensu partium concessa fuit, sub præfata conditione seu pactione dilatio: & terminus assignatus R. procuratori sæpe dictæ Reginæ: ac rursus dilationes alias postularet, dicto procuratore tuo eas sibi non debere concedi omnimodis contendente, Iudices ad Montempesulanum, vna cum ipsis procuratoribus accesserunt: vt ibi præsente Regina negotium tractaretur: vbi cum super dandis, vel non dandis dilationibus fuisset à partibus diutius litigatum, tandem dicto procuratore tuo adhibente consensum, Iudices sub conditione præmissa dilationes alias concesserunt: locum & terminum partibus assignantes. Porro partibus, præfixo termino, in Iudicum præsentia constitutis, absente Regina, eius tamen procuratore præsente, procurator tuus de nouo proposuit: quod dictus Comes te consanguinitatis linea contingebat: per hoc inter te, ac Reginam probare aliam affinitatem intendens: super quo, quamquam lis minime contestata fuisset, & conuenisset, vt dictum est, inter partes, quod de nouo proponere aliquid non deberent, Iudices tamen testes, qui nequaquam iurauerant, nisi super illis dumtaxat articulis super quibus lis fuerat contestata, recipere præsumpserunt: super quo, de ipsorum prudentia non possumus non mirari: & si procurator tuus coram omnibus multipliciter conatus fuerit demonstrare: in hoc articulo legitime fuisse processum. Demum cum probationibus, & allegationibus, fuisset renuntiatum hinc inde, licet Regina, quod non opponeret appellationis obstaculum iuramento præstito promisisset, quia tamen facultas à nobis sententiam audiendi si mallet, eidem in litteris nostris fuerat reseruata, vti volens beneficio earundem humiliter postulauit, vt ad nos causa remitteretur instructa: præfixo partibus termino competenti: cuius petitione, sicut ius exigebat, admissa, dicti Iudices acta omnia, pro vt à nobis in mãdatis acceperãt, vt ad nos sub sigillis suis fideliter transmiserunt. Cum ergo Regina, & dilectus filius magister Columbus procurator tuus, vir vtique litteratus, prouidus, & fidelis, ac de sollicita diligentia, & diligenti sollicitudine in eodem negotio habita merito cõmendandus, propter hoc ad nostram præsentiam accessissent, causam in consistorio publico sollemniter examinauimus: & attente. His igitur quæ à partibus prudenter, subtiliter, ac fideliter, tam super actis in præsentia Iudicum prædictorum, quam coram nobis fuere proposita, diligenter auditis, & subtili examinatione discussis, quia nobis constitit euidenter, quod sæpe dicta Regina & Comes Conuenarum prædictus se in distãtia tertii, & quarti gradus consanguinitatis, & affinitatis contingunt, & idem Comes prius in conspectu Ecclesiæ cum nobili muliere Beatrice contraxerat, à qua non est probatum, ipsum Ecclesiæ fuisse iudicio separatum, cum super proposito affinitatis articulo, nihil legitime probatum fuerit contra eam, de communi fratrum nostrorum consilio eandem ab impetitione tua super his, quæ in iudicium fuere deducta, sententialiter duximus absoluendam: eandem, ex eo nequaquam ream esse periurii decernentes: quod causam ad nos remitti postulauit instructam: cum id, sicut est expressum superius, in nostris sibi fuisset litteris reseruatum. Monemus igitur serenitatem tuam, rogamus, & obsecramus in Domino, Celsitudini tuæ nihilominus ex animo consulentes, quatenus non moleste sustinens, nec admirans, quod tibi non detulimus contra Deum: sed potius cogitans, quod non tam tuæ curauimus voluntati consulere, quam saluti: ac ideo nostris acquiescens consiliis, quæ tibi semper vtilia exstiterunt, Reginam eandem in plenitudinem gratiæ Regalis admissam benigne recipias: & maritali affectione pertractes: præsertim cum filium susceperis ex eadem: & sit mulier Deum timens: multa prædita honestate. Vnde pro certo speramus, multa ex ipsius consortio, maxime si ad Deum respectum habeas, ipsam, sicut Reginam honorifice, ac decenter tractaueris, Serenitati tuæ commoda prouentura: cum vir etiam infidelis, per fidelem

F 4

AERA. NAT. CHR.

„ mulierem saluetur Apostolo attestante. Alioquin nec tu videreris à principio motæ litis „ tuam, pro vt asserebas, voluisse sanare conscientiam, sed potius sauciare. Nec nos, quan- „ tumque tuæ deferri sublimitati velimus, quos Deus coniunxit, humana sustineremus „ præsumptione seiungi. Denique noueris nos venerabilibus fratribus nostris Carcasonẽ- „ si, Auinionensi, Auraficensi Episcopis per nostras dedisse litteras in mãdatis, vt si nostrum „ super hoc, quod non credimus, neglexeris adimplere mandatum, ipsi te, ad id per censu- „ ram Ecclesiasticam, sublato appellationis impedimento cõpellant. Dat. Laterani XIIII. „ K. Febr. Pontificatus nostri Anno XV.

Nouo subinde bello exorto, maior rerum moles Regi imponitur. Crucis fit expeditio prædicatore beato Dominico Hispano: aduersus impiã Albigensium, Tolosatium, & Carcasonensium sectam: qui à sacris fidei institutis desciuerant: & ab Ecclesia Catholica defecerant: & bellum acre Simone Monforti Comite ductore in Gallia Prouincia geritur.

Rex in Prouinciam Galliam proficiscitur: vt Raimundo Tolosati opem ferat: non vti impiæ gentis duci, & fautori, aut eorum scelerum labe contaminato, sed vti affini assideat: & eius ditionem à bellicis incursionibus tueatur: cuius affinitas Regem paulatim in tam perditam causam imposuit. Februarii mensis initio in Ruscinonem reuertitur. Regem graui, externoq; bello implicitum, miserando casu sors suis subtraxit. Augusti mensis fine denuo in Galliam reuersus pro Tolosate aduersus Ecclesiæ exercitum bellum suscipit. Tolosas, Conuenâs, & Fuxensis Comites Regi adiuncti rem bellicam administrãt. Proceres Aragonios, & Catalanos pręsidiis præficit: in cohorte vero Pretoria Sanctiũ Antilionem Blascum Alagonem, Rudericum Lizanã, Michaelem Luesiam, Latronem, Gomezium Lunam, Michaelem Radam, Guilielmum Podium, & Aznarium Pardum, retinet. A. D. III. Id. Sept. Tolosa egressi, cum in Murelli castellum ad Garumnæ fluminis ripas situm venissent, idque obsidione premerent, postero die Monfortius Rege inspectante, opem suis laturus in arcem subit: & cum ad deditionem pæne esset impulsus, insequẽti die, eruptione facta, pugnam conserit. Nostris repentino tumultu cæsis, & profligatis vniuersi in vnum Regem impetum faciunt. Magna cæde, multisque occisis, Rex, dum cedere pudoris existimat, & in prœlium ruit, à suis relictus, atque desertus, fortissime dimicans mortem occumbit. Cum Aragonii strenue operam nauassent, Azarius Pardus, & Petrus Pardus Aznarii Filius, Gomezius Luna, Michael Luesia, Michael Rada, & primarii pæne omnes Aragonii mortem oppetunt.

Ea tempestate procerum auctoritas deminui cœpta: quod Rex honores, militariaque munera dissipauisset: beneficiapue bellica interuertisset. Iurisdictio Præfecti Iustitiæ Aragonum, libertatis tuendæ, ac muniendæ causa, communi consensu magnis præsidiis postea munita, ab iis initiis aucta, suarum virium originem, & progressionem persequitur: ne quid de libertatis iure deminui possit. Publicis tamẽ procerum consiliis res administrantur: neque pacem, bella, fœdera, societatesve illorum iniussu Reges inire consueuerant. Horum ea erat existimatio, atque auctoritas, & in suos imperium, vt cum publicis pariter, ac priuatis Regni consiliis interessent, copiis etiam equestribus præficerentur, & his beneficia militaria, ac stipendia tribuerentur: quibus oppidorum Regiorum attributorum nominibus indita sunt cognomina: quorum prouentus ab eis in equitum turmas erogabantur.

Cum inter Reginam, & Guilielmum eius fratrem super Mompellerii dominatu controuersia orta esset, atq; eam ditionem Guilielmus repeteret, & lite, atque iudicio persequeretur, Pontifex Max. Reginæ adiudicat: atque eius fratrem ex non iusta, neque legitima vxore genitum decernit.

IACOBVS XIIII. REX ARAGONIÆ.

In regiis commentariis, qui ab ipso Iacobo Rege scripti feruntur, quibus nulla exstant rerum nostrarum clariora, magisve insignia monumenta. Rex ipse perhibet se quartum decimum in Aragonia regnare: vt & stirpis, & regni initia ab Innico Arista Rege rite repetantur.

Petro Rege bellum pro Tolosate gerente, & Maria Regina Iacobi parente Romæ commorante, puer filius Carcasone Simonis Monfortii cura, cui à Pontifice Maximo commendatus fuerat, educatur. Profligatis Regiis copiis Nunnius Sanctii Comitis filius, Guilielmus Moncada, qui in acie non fuerant, Guilielmus Vicecomes Cardonensis, reliquiq; Aragonii, & Catalani proceres, cum exercitus reliquias collegissent, in Narbonensi regione bellum aduersus Vidonem Monfortium gerunt. Simon Cornelius, Guilielmus Ceruera, & Templariorum magister, ac Petrus Ahohesius viri primarii Rege interempto,

empto, rei publicæ cauſa ad Pontifi. Max. legantur: vt ſuis Rex puer tradatur. Regni ordines legatis in mandatis dederant, vt Monfortium, ſi puerum tradere recuſet, ad ſingulare certamen, qui mos illorum temporum fuit, prouocent: & propter violatam fidem in iudicium armorum capitis arceſſant. Hiſpanus Segorbienſis Epiſcopus, eius rei ergo Petro Ferdinandio Azagra, qui Albarazini dominabatur, adnitente ad pontificem legatus, egregiam reipublicæ operam & ſtudium nauat. AERA. NAT. CHR.

Potentia, atq; factione procerū, quorū animi infecti partibus erant, regni vires, atque opes, perquā tenues illæ quidē, & exiles dilacerantur: quibuſdā Sanctio Ruſcinonēſi Comiti, aliis vero Ferdinando pueri patruis opem, atq; operam tribuentibus: qui regni competitores legitimo iure puerum regno exturbare nituntur. Sunt qui pueri cauſam propugnent: & ſub eius imperio fideliter, atq; obedienter futuros polliceantur: & reliquos, vt Regis fidem ſequantur, hortari non deſinunt.

Petrus Beneuētanus Diaconus Cardinalis S. R. E. legatus cōcilio Mōpellerii celebrato, 1252.
in Cataloniā puerū Regē, ad ſuos regio comitatu deducit. Narbonē proceres Regni regi- 1214
arū partiū obuiā Regi procedūt. Cōuentus regio nomine Ilerdā indicitur. In eā vrbē, legato aſſidēte aſſumptionis B. Mariæ feſto die nondū inito, Rex, & Raimundus Berengarius eius frater Prouinciæ Comes deducuntur. Eo in cōuentu, quod infirma ætate Rex puer eſſet, ſeptimū enim annū agebat, & regnū partiū diſſidiis flagraret, legatus operā dat, vt in Regis verba omnes regni ordines iureiurādo adigantur: atq; ſe in fide manſuros obteſtētur: neq; eius incolumitatē, & ſalutē ſe deſerturos recipiant. Iuſiurandū enim poſcit, vt q; ex vſu regni intelligāt, cōmuni cōſilio adminiſtrēt. Omnibus ad iuſiurādū adactis, ſanctiſſima iuriſiurandi religione confirmant. Magno id cōceptis verbis conſenſu factitatū: cū Spargus Tarraconenſis Archiepiſcopus ex Barcarū familia Mompellerię præfecturę Regis auunculus puerum in vlnis geſtaret. Ex eo in more patrio, inſtitutoque maiorum poſitum, vti ordines regni, regnare incipientibus, fidei religione, ac iuriſiurandi ſacramento aſtringantur: modo ipſi principes in leges, atq; inſtituta maiorum prius iurent. Ab eo conuentu Sanctius, & Ferdinandus Regis patrui aberant: quod incredibilis, & ſingularis bonorum conſenſus in puero ornando, & tuendo exiſteret.

Totius conuentus Ilerdenſis conſilio, atque conſenſu Rex Guilielmo Monredonio Templariorum Magiſtro nutricio traditur: & Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes nonum annum agens ei adiungitur: vt Montione regio pręſidio aſſeruarentur: quod munitiſſima eius oppidi arx eſſet.

Sedis Apoſtolicæ legatus, id auxilium, ſpemque reliqui temporis ſatis futuram arbitratus, tris regni procuratores, atq; vicarios rebus gerendis præponit: quorum vnus Cataloniæ præficitur. Petrus Ahoneſius in amicitia Petri Regis clarus, & præpotens ab Hibero amne ad Pyrenæi iuga Aragoniæ admouetur procurationi: & Petrus Ferdinandius Azagra, qui Albarazini dominatur ſummo loco natus, & ſummæ domi potentiæ cis Hiberum in vltimos regni fines procurator conſtituitur. His collocatis, conſenſu ordinum Sanctius, qui Prouincię Comitis cognomentum vſurpauerat, vniuerſę procurationi pręficitur: vt eo munere delinitus, ab amenti rerum nouandarum conſilio decedat.

A. D. III. Non. Oct. Alfonſus Caſtellæ Rex, & eiuſdem menſis fine Leonora Regina eius vxore è vita exceſſere. Henricus F. puerili ætate regni gubernaculis admouetur.

Septembris menſis initio Oſcæ conuentus ab Aragonenſibus agitur. Guilielmus Cer- 1253.
uera, & Petrus Ahoneſius reipublicæ cauſa à Sanctio Comite ad Innocentium P. M. cui 1215
ſummæ rerum deferri conſueuerant, legantur.

Innocentius Lateranenſi concilio Raimundum Toloſatem maieſtatis delatum, atq; conuictum, Toloſatium ditione multat. Simoni Monfortio, eius ius, & dominatum addicit. Biterenſes eiuſdem Simonis imperio ſubiiciuntur.

In eo concilio, quod ſumma totius orbis Antiſtitum frequentia celebratur, Rudericus Simenius Toletanus Antiſtes Bracarenſi, Compoſtellano, Tarraconenſi, & Narbonenſi Archiepiſcopis, publico in conſeſſu litem intendit: quod ſibi, tamquam earum prouinciarum primario honos, & ſuperior poteſtas priuilegiis ab Honorio, Gelaſio, Lucio, Hadriano, & ipſo Innocentio irrogatis non deferretur. Conteſtata lite Auſetanus Epiſcopus Spargi Tarraconenſis abſentis mandato, & ſuo, atque aliorum antiſtitum nomine, primariam eam dignitatem conuellere, atq; à Toletana ſede auertere, iudicio eo contendit.

Simon Monfortius, cum Carcaſonenſium, Toloſatium, & Narbonenſium vrbium muros, & propugnacula dirui, ac funditus euerti imperaſſet, & earum ciuitates magis oneribus, & acerbiſſimis pecuniarum exactionibus premerentur, rebellionem faciunt. Toloſas ex Catalonia profectus bellum reintegrat. Raimundus Toloſatis F. Auenionen-

AERA. NAT. CHR.

ſibus adiunctis oppida omnia, atque arces cis Rhodanum amnem, & Belicadri caſtellum ditionis paternæ recipit. Graue aduerſus Vidonem Simonis fratrem, & Aimericum F. bellum geritur. Toloſatis partes ſuperiores euadunt.

1254. Ad defectionem procerum nouum bellum acceſſit: ſummaque partium conten-
1216 tio in ipſis regni initiis, in republica verſatur: Sanctio, & Ferdinando pueri Regis patruis regnum palam appetentibus. Sanctii Comitis partes tuentur, ac ſuſtinent Petrus Ahoneſius, Atorella, Simon Vrrea, Arnaldus Palazinus, Bernardus Beneuentanus, & Blaſcus Maza. Ferdinandum vero affectantur Petrus Ferdinandius Azagra, Petrus Ferricius Lizana, & Blaſcus Alagon. At Petrus Cornelius, & Valles Antilionius principes iuuentutis, atque alii, qui honorariis beneficiis à Rege nondum donati fuerant, modo harum, modo illarum partium fautores, adiutoreſq; extiterant. Vnus tamen Simon Cornelius vir, & conſilii magni, & virtutis, & qui inter proceres omnes primarius exacta ætate, & ſapientia ceteris optimatibus præſtaret, vt tot malis afflictæ reipublicæ medeatur, optimates fœdere adiungit: qui Septembri menſe Montione Regi operam ſuam aduerſus impotentes aduerſariorum conatus offerunt. Conſtituunt, vti Sanctius procurationi regni præſit: dum rebus publicis conſultum velit: quod Aragonenſium conſuetudo hæc eſſet, à maioribus tradita. Ea res aſſenſu procerum ſancita Aldemari Claretii Gardenii præfecti, qui in Aragonia, & Catalonia Templariorũ Magiſtri munus obiit, Bernardi Aquilulę Montionis prȩfecti, Aldemari Campani Mirabetis prȩfecti, Ruderici de Ayſelis Ampoſtę Magiſtri, & Fortunionis Pomarii, & Blaſci Auerii Hieroſolymitanam militiam profeſſorum, Blaſci Alagonis, Guilielmi Pogii, Petri Pomarii, Raimundi Moncadæ, & Guilielmi Raimundi Moncadæ, Iordanis Peraltæ, & Raimundi Caſtelli veteris.

Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes ſuorum conſilio, Petro Augerio Nutricio, & duobus adminiſtris comitatus, clam Montionis arce egreſſus, in Tarraconis portum, Salonium vocant, profectus, actuaria naui in prouinciam Galliam nauigat. Is Beatricem Thomæ Maurienſis, & Sabaudię Comitis filiam in matrimonium ducet.

Sanctius Ahoneſius Cæſarauguſtanus Epiſcopus.

1255. Annum agens decimum Rex, cuius mirifica indoles virtutis magnam rebus ſpem
1217 afferebat, animos optimatibus addidit, vt rem publicam capeſſant. Montione menſe Iunio Bouatici tributum Regi à Catalanis, à Sicori, ad Salſulas condonatur. Id nomen inuenit, quod pro boum iugis, & capitum armentorum, & pecudum exactione penderetur: quod initio regni in Catalonia exigi conſueuit. Primo Petro Regi penſitatum reperimus anno MCCXI. in ſumptus bellicos aduerſus Mauros: & ſacra expeditione, qua Vbedenſi prœlio debellatum fuit, & in auxilium dotale, quum tris ſorores in matrimonium collocaſſet. Rex ſumma ſpe & animi, & ingenii præditus Simonis Cornelii conſilio, qui ſapiens habitus eſt, & eorum procerum opera, qui ſe Ferdinandianæ factioni addixerant, cum Montionenſi arce XXX. menſes aſſeruatus eſſet, Sanctio patruo inuito, ea excedit. Oſcenſem, & Cęſarauguſtanam ciuitatem ſibi adiungens, rem publicã gerere, atq; etiam bellicam ductu, imperioque ſuo exercere, vix decimo ætatis anno exeunte parat.

A.D. VIII. Id. Iun. Martis, vt ferunt, die, puerili in certamine ludicro puer Henricus Caſtellæ Rex Pallantiæ tegulæ ictu ſaucius moritur: cui regni ſuccedit heres Berengaria ſoror Alfonſi Legionenſis Regis vxor: cum Blanca natu maxima Berengariæ ſoror Ludouico Philippi Francorum Regis filio nupſiſſet.

Petrus Ferdinandius Azagra Albarrazini dominans Aulæ regiæ præfectus.

1256. Iulii menſis initio Rex Tarracone Catalanorum conuentum agit. Septembri Iler-
1218 dæ Catalanis, & Aragonenſibus conuentus celebrat. Sanctium eo in conuentu aliquot oppidorum, honorario fidelitatis iure attributorum pactione ad ſe allicit: & Sanctius regni procurationem eiurat. Ea pactio Ferdinandi Regis patrui conſenſu ſancitur. Regio conſilio frequẽtes aſſedere Spargus Tarraconenſis Archiepiſcopus, Sanctius Ahoneſius Cæſarauguſtanus, Berengarius Ilerdenſis ſimulque Rotenſis, & Pontius Dertoſanus Epiſcopi, Garcias Artigua Ampoſtæ præfectus, Caſtellanum nuncupãt, Pontius Mariſcallus Montionis prȩfectus, Sanctius Comes, & Ferdinãdus Regis patrui, Guilielmus Moncada Vicecomes Beneharnenſis, & Caſtelbonius, Petrus Ferdinandius Azagra, Simon Cornelius, Petrus Ahoneſius, Rudericus Lizana, Artallus Luna, Guilielmus Ceruera, & Raimundus Ceruera, Raimundus Galcerandius, Hugo Mataplana, Bernardus Portella, Lupus Forrencius Luna, Atorella, & Atho Focius.

Res nummaria eo in cõuentu, de cõmuni ſententia conſtituitur: & Iaccetanus nũmus, à patre poſtremo iactatus firmatur. Iuriſiurandi religione Rex obſtringitur, nõ permiſſurum, vt alij nummi diſſimili nota ſignentur: neue maiore, aut imminuto pondere, cũ impenſis reſpublica non ſufficeret, feriantur. Hoc

Hoc ipso anno à Rege sacrum ordinem institutum D. Mariæ Mercedis nomine dicatum perhibetur: eiusque antistites regiis insignibus, argentea cruce D. Eulaliæ Barcinonensis variatis decorantur. AERA. NAT. CHR.

Summa sterilitate, atque siccitate non messes modo, sed ipsi saltus arescunt: quod 1257.
non cælestes tantum aquæ defuerint, sed montosa quoq; loca ingenito humore egentia, 1219.
vix ad perennes amniũ haustus sufficerent: magnaque fames, & pestilentia subsequũtur.

Maria Regina sanctissima femina Romę è vita excedit. Moriẽs sacra, piaq; religionis fœdera obtestãs Honorii P.M. & Ecclesię præsidio filiũ, atq; eius regnũ tradit: atq; cõmẽdat. In Vaticana D. Petri æde prope D. Petronillæ tumulũ humatã ferũt. Mõpelleriæ ditionis heredẽ filiũ instituerat: cui Mathildim, & Petronã filias substituit: ex matrimonio, quo Cõuenarũ Comiti collocata fuerat, genitas. Filiis secũdos heredes instituit Raimũdũ Gauceli nũ Luneli dominũ, Raimũdiq; filios: atq; his Raimũdũ Rocafulliũ, & Arnaldũ Rocafulliũ fratres, & alios ex ea familia substituit: & fratres iusto matrimonio nõ genitos exheredat.

Sacri Prędicatorũ, & Minorũ, quos vocare cœperãt, pœnitentiæ Iesu Christi ordines à Dominico Hispano, & Francisco, viris summa religione, & sãctitate excellentib. instituti. Earũ societatũ templa, atq; cœnobia publice Barcinone, & Cæsaraugustæ primũ exædificãtur. Adeo id diuino nutu, puisũ, vt vere ii ordines Catholicę Ecclesię columẽ extiterint.

A. D. VII. K. Aug. Reate Honorius P.M. põtificatus anno quarto Regẽ Aragonię regnũ, Cataloniam terram, ac ditionem Mompellerienſem, & bona, quæ in posterũ Rex adipisci posset, sub beati Petri, & sui præsidii tutela suscipit. Pręterea B. tituli sanctorũ Iohannis, & Paulli presbytero Cardinali, Apostolicæ sedis legato cõmittit, quando indutias, inter eas ditiones, quæ Regi parẽt, & eas regiones, q̃ in Narbonẽsi, & Auxitana, puincia sedis Apostolicæ imperio cõtinebantur, obseruari pceperat, Regẽ mandatis apostolicis obtẽperantem tãquam præcipuum Ecclesiæ Romanæ filium foueat: neq; eius ditiones, cũ infectæ hæretica prauitate nõ essent, ab aliquo impugnari patiatur: sed eas tueretur: atq; defenderet. Earum litterarum Apostolicarum quod apponemus exemplum, exstat archetypon.

HONORIVS Episcopus seruus seruorũ Dei. Dilecto filio B. tituli Sanctorũ Iohannis, & Paulli presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis legato salutẽ: & Apostolicã benedictionẽ. Sacrosãcta Romana Ecclesia pia mater deuotos, & humiles filios ad pietatis suę gremiũ recurrẽtes nõ solũ honorat amplexibus, verũ etiã maternę cõsolationis nutrit vberib⁹ & exaltat: illos præcipue diligentiori studio refouens, quos magis suæ recreationis cernit solatio indigere. Hac itaq; consideratione inductus Carissimus in Christo filius noster Iacobus Aragonum Rex illustris nobis humiliter supplicauit, vt ipsum sub alatum nostrarum vmbra dignaremur protegere: ac protectionis Apostolicę clypeo communire. Nos igitur præclarę deuotionis, & fidei puritatem quam ad Deum, & ipsam Ecclesiam progenitores suos habuisse didicimus, recolentes, attendentes quoque, quod eundem Regem inclitæ recordationis M. Regina Aragonum mater sua, cum terra, & aliis bonis suis eidem Ecclesiæ commendauit: agens dudum apud Sedem Apostolicam in extremis, nostrę sibi dilectionis præcordia dignum duximus aperire: quatinus, qui in ætate tenera esse dignoscitur cõstitutus, dũ fauoris Apostolici brachiis sustẽtatus fuerit, roborari adiuuãte domino valeat, & suscipere incremẽtũ. Regiis itaq; supplicationib. inclinati psonã Regis eiusdẽ Regnũ Aragonię, Terrã Catalonię, Villã, & terrã Montis pessulani cũ omnib. aliis bonis suis, quę in pręsentiarũ rationabiliter possidet, vel in futurũ iustis modis præstante domino poterit adipisci, sub beati Petri, & nostra ptectione suscepimus. Sane quia de tua deuotione fiduciã gerim⁹ specialẽ, sic te nobiscũ credimus vnanimẽ, vt quos diligim⁹ in Domino, diligas: illosq; foueas: cũ ordo exigat rationis, vt & mẽbra respõdeant capiti: & partes cõueniant suo toti. Cũ igit inter terras ipsius Regis, & terras, quę in Narbonensi, & Auxitana prouinciis auctoritate Sedis Apostolicę detinẽtur, treugã firmari mãdauerim⁹, & seruari, discretioni tuę per Apostolica scripta mandam⁹, quatinus dictũ Regẽ parentẽ mãdatis Apostolicis, in hac parte, tãquã specialẽ Ecclesię Ro. filiũ habẽs, ppensius cõmẽdatũ, terras suas, pſertim cũ infectę nõ sint hęretica prauitate, nõ patiaris ab aliquo impugnari: quin immo manuteneas eũ taliter, & defendas, qđ idẽ Rex nostrã penes te sibi sentiat gratiã efficaciter profuturã: & nos tuę sollicitudinis, & diligentię studiũ dignis possim⁹ in Domino laudib⁹ cõmendare. Dat. Reate VII. K. Aug. Pontificat⁹ nostri anno Quarto.

Spargum pterea Tarraconensem Antistitẽ, Simonẽ Corneliũ, Guilielmũ Ceruetam, & Petrum Ahonesiũ consilio Regis primarios administros, propter pueri ætatẽ, præficit.

Septembris mensis initio Oscæ conuentus à Rege Aragonensibus celebratur.

Rex puerili in ætate arma aduersus Rudericum Lizanam, & Petrum Ferdinandium 1258.
Azagram dicto non parentes, qui sæpe, & sine causa tumultuarentur, sumere cogitur: vt 1220.
turbatas seditione res, principibus eius tumultus procul amotis componat.

AERA. NAT. CHR.

Romæ denuo, turbatis in Aragonia rebus, & aliquot proceribus res nouas molientibus, A.D.VIII.Id.Mai Honorius Regem, & regnum, & ditiones regno contributas sub S. Petri, & suo præsidio, ac tutela suscipit: cum iam turbidi, concitatique procerum motus exorirentur.

Iulio mense Petrus Ferdinandius Azagra Albarrazino vrbe inclusus à Rege obsidetur. Regi assident Simon Cornelius, Guilielmus Ceruera, Petrus Cornelius, Valles Antilionius, Petrus Ahonesius, & Peregrinus Ahonesii frater, & Guilielmus Pogius: & Cæsaraugustanorum, Ilerdensium, Calataiubiensium, Darocensium, & Turolensium copiis præficiuntur. Vrbem, arcemque regii admotis machinis oppugnant. Proceres, omnesq; vicini populi communi animo, consilioq; consenserant, vt ex obsidione Azagram eriperent. Cum se Rex à suis, Ahonesis, & Guilielmo Pogio demptis, ludificari videret, vrbem obsidione liberat. Azagra se Regi submittit: & illius erratis ignoscitur.

Blascus Alagon Regiæ aulæ præfectus.

1259. 1221 Simon Cornelius, Guilielmus Ceruera, & Guilielmus Raimundus Moncada Cataloniæ Senescallus, qui Constantiam Regis sororem in matrimonium duxerat, quod Comes Sanctius, & Ferdinandus Regis patrui palam regnũ appeterent, nuptias Leonorę Alfonsi Castellæ Regis filiæ Regi conciliant. Regem Agredam proficiscentem, vt nouam nuptã exciperet, comitantur Sanctius Cęsaraugustanus, & Garcias Oscensis Episcopi, Guilielmus Allaco Templariorum, & Fulcho Hospitalariorum Magistri, Nunnius Sanctii Comitis filius, Guilielmus Raimundus Moncada Senescallus, Simon Cornelius, Blascus Alagon aulæ Regiæ præfectus, & Petrus Ahonesius.

A.D.VIII.Id.Febr. Agredæ nuptiæ celebrantur: tam tenera Regis ætate, vt illis ipsis diebus XIII. annum attingeret. Leonora à Berengaria Regina sorore, & Ferdinando Rege sororis F. Turiasonem regio comitatu deducitur: atq; ea in vrbe Regi in matrimonium collocatur. Solemnibus nuptiarum celebratis, Rex de more, militaris auctoramenti splẽdore, atque dignitate decoratur.

Hoc ipso anno Fredericus Imperator, & Constantia Regina eius vxor, Regis Aragoniæ amita Romæ ab Honorio P.M. regium Imperii diadema suscipiunt.

Petrus Peresius Præfectus Iustitiæ Aragonum.

1260. 1222 Martio mense Darocæ frequentissimo in conuentu, qui in eo oppido peragitur, Gerardus Vrgellitanus Comes, Vicecomes Caprariæ Regi se, suaq; addicit, ac subiicit.

Constantia Augusta Regis amita Catanæ moritur: & in Panhormitana æde maxima sepelitur. Ex eo coniugio Fredericus Imperator Henricum filium susceperat: quem pater Romani regni successorem sufficit: & regio cognomento cohonestat.

Guilielmus Moncada, qui Garsendam Beneharnensem Vicecomitem duxerat, & eius ditionis dominabatur, summæ potentiæ adolescens, & Nunnius Sanctii Ruscinonensis Comitis F. magna armorum contentione in Aragonia, & Catalonia inter se dimicant: repentiniq; eorum motus tranquillas res commouent. Cum in dies maximas turbas facerent, Rex coacto exercitu, vt illorum conatus comprimat, obuiam procedit: in eum vindicaturus, qui vt tumultus sedentur, dicto non pareat. Augusto mense ad Castelionem prope Montionem castra metatur. Eo tempore Guilielmo Raimundo Moncadæ Cataloniæ Senescallo, qui Constantiam sororem duxerat, Serosii, Aitonæ, & Sosii oppidorum donationem à Rege Petro factam sancit: firmatq;: atq; ratam habet.

A.D.XII.K. Ian. Terrerii Reginæ Leonoræ, Sanctii Comitis, & Ferdinandi patrui consilio Rex Gerardo Capreræ comitatum Vrgellitanum tradit: modo experiundi iuris gratia, ad constitutum cum Aurembiaxi Ermengaudi Comitis filia regio iudicio se stiturum spondeat: vt de ea controuersia, iure apud se potius, quam inter se armis disceptent.

Metu grauioris in ea regione belli Rex in Catalonia aduersus Guilielmum Moncadam Beneharnensem copias ducit, & bellum gerit: neque segnius apparatur, quam si cũ legitimo hoste res esset. Ætas vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia eius opera decorabat.

Artallus Luna Aulæ regiæ præfectus.

1261. 1223 Ferdinandus Regis patruus, & nouandarum rerum, & nouorum semper auctor consiliorũ, Guilielmus Beneharnensis, & Petrus Ahonesius, qui Petri Regis amicitia ad summam dignitatem peruenerat, vt primum facultas data est honorum, atq; dignitatum augendarum fœdere inter se conciliati, atq; adiuncti, vt Regem, & Reginam in sua potestate habeant, efficiunt. Rege inuito, & conquerente, atq; indignantibus proceribus, Ferdinandus regni procurationem vsurpat.

1262. 1224 Proceres militaria regni beneficia, atque honores inuito, ac repugnante Rege, nullo decreto interposito, inter se partiuntur: & diuidunt.

Iohan-

Iohannes Brenna Hierosolymitanus Rex Non. Apr. Toletum regia pompa à Ferdinando Rege exceptus ingreditur. Compostellanum D. Iacobi sepulchrum inuisit. Sacra peregrinatione obita, Berengariam Ferdinandi sororem in matrimonum ducit. Is Constantinopolitani Imperij procurationi ab Ecclesia, Balduinique imperatoris tutor admotus, Martham filiam, quam ex Berengaria vxore susceperit, Balduino collocauit. AERA. NAT. CHR.

A. D. II. Id. Mart. Cæsaraugustæ priuilegia ciuibus eius vrbis à Regibus irrogata Rex firmat. 1263. 1225 Gonzaluo Iohannio Calatrauensi magistro, atque illi societati Alcanicii ditionem, & eius donationem, & contributa oppida decreto suo sancit.

Proceribus ad arbitrium, libidinemque suam Regis ætatem eludentibus, spernentibusque, Rex cum Dertosam concessisset, inscio, nec opinante Ferdinando patruo, vrbe ea excedit: atque Hortæ substitit. Inde militari edicto proceres, & militares manus aduersus Mauros accitu suo arcessit: & Turolium in certam diem euocat: in Valentini regni fines incursaturus.

Rex nondum parti bello sacro decoris auidus, cum intestinorum etiam motuum, ciuiliumq; armorum pertæsum esset, K. Octob. hostilem regionem incurrẽs, Peniscolam, Ilergaonum oppidum obsidet. Is situs est, vt scopulo impositum, pæne mari cinctum sit: & è re vulgatum nomen inuenit. A Græcis apparet ob eam causam etiam Cherrhonnesum dictum. Cum ex proceribus tantum Blascus Alagon, Artallus Luna, & Atho Focius ordines ducerent, à suis desertus, eo expeditionis labore sibi supersedendũ videt: & inducias cum Zeitio Abuzeitio Valentinorũ Rege paciscitur. Quinta vectigalium pars, ac portoriorum vrbium Valentiæ, & Murtiæ in annos singulos, Regi contribuitur.

Bello sacro intermisso, quod Rex procerum consiliis traheretur, & Petrus Ahonesius ambitione præceps, cum super fortunam animum gereret, in hostium fines inuasurus, suo ductu rem gerere cuperet, aut certe simularet, neque Regi parendum, aut induciarum, quæ cum hoste depactæ fuerant, iura seruanda præ se ferret, neque regiis precibus bello abstinere in animum induceret, & Buruagenæ à Rege attineri iusso manus iniicerentur, dum minax, atque insolens repugnaret, & valentem, ac repugnantem Rex demoraretur, seque eriperet, & facto à Regiis impetu in fugam se coniecisset, vt Cutandæ castellum ditionis Cæsaraugustani Episcopi fratris concitato cursu contenderet, à Sanctio Martinio Luna, qui fugientem persequebatur, hasta transfixus interimitur. Ahonesius summæ vir audaciæ magis præpotens: quam origine splendidus erat: & ob eius necem, in magna turba, & cõfusione rerum ciuitates, & proceres regni versantur.

Initium hoc defectionis, ac belli futurũ Rex arbitratus in Suprarbium, & Ripacurciam militares copias traducit: quod in eis ditionibus Ahonesij opes, & splendidæ clientelæ late paterent. Arces, castellaque præsidiis Ahonensibus firmata oppugnat. Bolea in Oscensi tractu arcium præcipua à Ferdinando Regis patruo, & Petro Cornelio qui Ahonesiis se adiunxerant, propugnatur. Cum acciri copias Rex iussisset, & signa in oppidum inferri, oppugnare adorto, rebellandi causam inde alii obtendunt proceres.

Bellum à Rege, haud quaquam memorabile aduersus contumaces gestum est: eoque Suprarbiensi bello implicito, concitata omni iuuentute, & ad defectionem compulsa, ciuitates omnes Aragoniæ, Calataiubiana excepta arma Ferdinandi, & Petri Cornelij 1264. ductu, tamquã pro communi libertate capiunt. Cum magnum exercitum confecissent, 1226 Guilielmum quoque Moncadam Beneharnensem arcessunt. Rex Almudeuarem, & Pertusam præsidiis firmat. Alauonæ Blascus Alagon, & Artallus Luna copiis Regiis comparatis bellum Cæsaraugustanis inferunt. Sanctius Ahonesius Cæsaraugustanus Episcopus vrbe egressus Alcubierrenses diripit. Demum Cæsaraugustani à Blasco Alagone, & Artallo Luna male multantur.

Etsi crimen defectionis à publica fraude, in paucos auctores versum esset, tamẽ summa vi à Rege aduersus Ferdinandum patruum, & ciuitates, quæ illi se addixerant, bellum geritur. Cum Oscenses Regem acciuissent, pollicentes se eius imperio obtemperaturos, ac nullis adiunctis militaribus copiis, eorum se fidei tradidisset, atque in vrbem recepisset, populari commotione, ac seditione tumultuantes arma capiunt: vrbis vicos obstruunt: atque omnes aditus obsepiunt. Rex inuitis ciuibus vrbe excedit: & Pertusæ subsistit.

Atho Focius Regiæ Aulæ Præfectus.

Cum per aliquot dies incerti proceres rerum omnium, suspensiq; de statu reipublicę agerent, & rem dies complures Rex tenuisset, & si cunctaretur, se omnia assequuturũ videret, & diffidentes in suam sententiam perducturum, dum se conari simulat, Raimundõ Folchiũ Vicecomitẽ Cardonẽsem, atq; eius factionẽ Guilielmo Beneharnẽsi, acerrimo Cardonensis factionis aduersario adiungit. Diffidia Ferdinãdi patrui, & Nunnii Sãctii

AERA. NAT. CHR.

ſ.a opera ſedantur. Optimates demum omnes ad ſe deducit: qui A. D. X. K. Iun. communem cauſam, ac propria iura in regia fide, ac religione deponunt. Fidei illius ſe, imperioque deuinciunt: atque obnoxios ſtatuunt.

Cæſarauguſtana, Iaccetana, & Oſcenſis ciuitas conſortionem ſociabilem inter ſe, ſalutarem ſibi, reique publicæ futuram animaduertentes, Id. Nou. de republica tuenda, atque conſeruanda, & aduerſus latronum, & graſſatorum vim, atque violentiam, ſocietatem, maieſtate, & fidelitate regia integra, atque ſalua, coeunt. Vnionem ipſi appellauere.

Siccitate, & inopia frugum calamitoſus annus fuit. Februario, & Martio menſibus
1265. Barcinone, & vniuerſa ferme Catalonia miſerabili fame populi premuntur.
1227 Aprili menſe Raimundus vltimus Toloſatium Comes, quod ab Eccleſia defecerat,
1266. dirarum obnuntiatione, per tot annos execrandus, & ſacris interdictus, Eccleſiæ Catho-
1228 licæ, Romano S. Angeli Diacono Cardinali, ſedis Apoſtolicæ Legato in æde maxima Lutetiæ Pariſiorum nudus publice commiſſorum pœnitens reconciliatur. Cruce inſignitus ſacramentum auctoramenti ſacri, & tranſmarini belli dicit: quo, ex Auguſti Kalendis proximis, intra vertentem annum, in quinquenium ſe militaturum ſpondet: atque adiurat. Conuenit præterea vti Iohannam, quam ex Sanctia Aragonia Regis amita vnicam filiam ſuſceperat, Francorum Regi Ludouico tradat: quæ vni, ex eius fratribus, ab Eccleſia ſacris ſanctionibus ſoluto nubat. Pars quædam Toloſatium ditionis, Raimundo vita functo Francorum Regi cedet: reliqua Raimundi genero attribuitur. Toloſati ditioni Agennenſis, & Rhodenſis diœceſes contribuuntur: atque ea diœceſis Albigenſis pars, quæ vltra Becharem fluuium, ad Galliacum pertinet. Albigenſis ciuitas Regi Francorum excipitur: & tractus omnis, qui in ea diœceſi cis fluuium, Carcaſonem vſque continetur. Cadurcorum diœceſis Raimundo cedit: præter eam ciuitatem, & ea iura, quæ à Philippo Francorum Rege Ludouici auo poſſeſſa fuerant: atque ea ditio, vti proprii iuris Raimundo addicitur: quæ filios legitime natos heredes ſequatur. Ditiones omnes reliquæ, quas Toloſates Comites vltra Rhodanum in Francorum regno obtinuerant, ac iura omnia Eccleſiæ cedunt. Pollicetur Raimundus ſe Toloſæ, & XXX. oppidorum, aut arcium, quas deſignaret Legatus, muros, & propugnacula euerſurum. Vti hæc rata, ac firma in poſterum obſeruentur, Toloſatem arcem, quam Narbonenſem vocabant, & Pennam Albigenſem, atque alia propugnacula tradit. His peractis Francorum Rex Raimundum feſta celebritate, militari ornatu accingit: Regioque auctoramento obſtringitur. Iohanna Raimūdi F. Alfonſo Pictonum Comiti Regis fratri nubit.

Cum Aurembiaxis Gerardo Capreræ hereditatis actionem intendiſſet, neque ille iudicio ſe ſiſteret, homo omnibus conſiliis præceps, & deuius, Rex Vrgellitanum comitatum Aurembiaxidi honorario fidelitatis iure attribuit: excipitque regio dominatui Ilerdam vrbem. Gerardum ius ſuum armis tuentem Rex ditione omni exigit: & Aurembiaxis in poſſeſſionem venit: & Petro Sanctii Regis Portugalliæ F. nubit: Raimundi Berengarii principis nepoti.

BALEARICVM BELLVM.

Inde ab ſeditione, & bello ſedatis rebus inclinauit pars maior curarum in expeditionem Balearicam: vt maiora iam hinc bella, & longinquitate regionum, vel temporum ſpatio, quibus bellatum eſt, ſuſcipi cœperint. Ipſi Cataloniæ proceres Regem hortantur, vt bellum aduerſus Baleares inſulas paret: quarum prædones, aliquot mercatorum naues euerterant: atque diripuerant. Abohihes Balearium Rex, cum pro ſuis opibus, & facultatibus ſuperbiorem ſe, multa aduerſus noſtros hoſtiliter molitus, in ea fortuna præbuiſſet, & legatum, qui res repetitum tranſmiſſus fuerat, per iocum irrideret, & vix ſe continuiſſet, quin eum pulſari, contra ius gentium iuberet, menſe Decembri Barcinone à Rege conuentus agitur: & de bello Balearicis inferendo refert. Cum res domeſticæ cōmodiorem in ſtatum perueniſſent, pax, & indutiæ à Cinga flumine ad Salſulas, trans Pyrenæi promontoriū inter proceres cōſtituuntur. Bouatici vectigal in ſumptus bellicos cōfe.unt. Egregie in ea expeditione obeunda operā nauarunt Berengarius Palous Barcinonenſis Epiſcopus genere, ac nobilitate ſuæ ciuitatis facile primus, Nunnius Sanctii Comitis filius, & Guilielmus Moncada Vicecomes Beneharnenſis. Epiſcopi ſigna affectantur Guilielmus Raimundus Moncada eius conſobrinus, Raimundus Solſona, Raimundus Montaniana, & Arnaldus Dezuilarius. Ad Nunnii ductum ſe applicuere Gaufredus Roccabertinius, Oliuerius Thermes, Raimundus Rogerius, Guilielmus Alberti Barcinonenſis, Pontius Vernetius, Petrus Barbera, Bernardus Hiſpanus, Bernardus Oliues, Bernardus Monteſquiuius, & Caſtelroſius: & duo Caſtellani proceres: quorū nomina non eduntur. Beneharnēſis magnas copias ex ſuo delectu cōpararat: & ii

& ii duces illi paruere: Guilielmus S. Martini, Gerardus Ceruilionius, Raimundus Alemanus, Guilielmus Claramontius, Huguetus Mataplana, Guilielmus S. Vincentij, Raimundus Bellocius, Bernardus Gentilias, Guilielmus Palafogius, & Berengarius S. Eugeniæ. AERA. NAT. CHR.

Iohannes Episcopus Sabinensis à Gregorio IX. P. M. in Hispaniam Legatus Calataiubii Regem conuenit. Legatione obita renuntiat de dissidio connubii Leonoræ Reginæ: quæ etsi Regis potentissimi filia, Reginarum soror, & probitate & fæcunditate digna tanto matrimonio esset, cum tam diuturnæ nuptiæ iustæ non extitissent, quod propinquitate adiungerentur cognationis, vt sine scelere dirimantur, siue non nolente, siue inuito Rege Pontifex iudicio Legati committit. 1267. 1229

Aprili mense Zeitius Abuzeitius Valentini populi Rex, regno exactus, suo, & Zeitii Abahometis filii nomine Regi fœdere adiungitur. Sex arces eius fœderis pignora se traditurum spondet: Peniscolam, Moreliam, Cullarim, oppidum ad Pontem vocatum Exericam, & Segorbium. Rex religionis fide adstringitur, se illi opem laturum: & Castelfauibium, & Adamuzium oppida, earum pactionum iure tradit. Is Pontifici Maximo, & ipsi Regi magnam spem iniecit, se Christianę religioni, eiurata impietate Mahometica addicturum: & sacrum baptisma suscepturum.

Turiasone à Sabinensi Episcopo Ecclesiæ Legato matrimonium Regis, & Leonoræ dirimitur: eiusque fit diuortium. Cum filium ex ea bona fide Rex suscepisset, antequam Legatus sententiam ferret, Regē conceptis verbis, hac formula expressa, atq; constituta, ne à me eius verba inuertantur, ita præfatum comperio.

VOBIS domine Legate, & omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis ecclesiasticis personis, qui hic assistunt, necnon & nobilibus, & popularibus innotescat, quod nos carissimæ vxori nostræ Alienor per Ecclesiam coniuncti fuimus: & credidimus nos eidem legitime fuisse coniunctos: & ex ea suscepimus carissimum filium nostrum dominum Alfonsum: quem nos arbitrantes legitimum heredem, & successorem regni nostri iā pridē constituimus: & à vassallis, & nobilibus regni nostri eidem fecimus iurari, & assecurari regnum nostrum. Nunc autem coram vobis constituti, & nescientes quid super nostra coniunctione decernere proponatis, in præsentia vestra, & omnium assistentium, quod de supra dicto filio nostro, sicut prædictum est, fecimus, confirmamus: & si legitimatione aliquatenus indigere videatur, nos auctoritate, & potestate regia legitimamus ad omnia, ad quæ legitimari potest auctoritate regia: & heredem, & successorem regni nostri constituimus: & declaramus: præcipimus, quo sicut ei iuratum est regnum, tamquam verus heres, post nos ab omnibus vassallis nostris, & à toto regno in dominum recipiatur: & Regem. Petimus quoque à vobis, & supplicamus domine Legate, & ab omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, qui hic præsentes sunt, vt hoc factum nostrum litterarum vestrarum testimonio roboretis. Nos igitur, inquit Legatus, ad instantiam prædicti Regis, præsentibus annotari fecimus: in testimonium veritatis. Hæc autem acta sunt præsentibus domino R. Toletano Archiepiscopo, domino S. Archiepiscopo Tarraconensi, & venerabilibus patribus Burgen. Calagurritanen. Segouien. Seguntinen. Oxomen. Ilerdensi, Oscen. Tirasonen. & Baionen. Episcopis. Apud Tirasonam III K. Mai. Anno Domini MCCXXIX.

Rex Turiasone concitato dispositorum equorum cursu Tarraconem contendit: atq; K. Mai se sistit: vt Balearicam expeditionem maturet.

Ilerdę à sedis Apostolicæ legato, in frequentissimo conuentu Rex, proceresque cruce insigniti, sacræ militiæ auctoramento deuinciuntur.

Ingentibus, tam naualibus, quam terrestribus copiis contractis Salonio portu, classe CLV. nauium, quas maiores vocabant, Rex egreditur. Nocturna aura prouectus in Balearem maiorem nauigat. Ex alto tempestate iactati, reflatu reiiciuntur: sedatisque fluctibus, & tempestate commutata CCXL. stadiis ab vrbe deflectentes Septembri mense insulæ portum tenent: quem Palumbariam incolæ appellant. Primus terram attigit hostiū Bernardus Argentona: qui vexillo sublato, vt se sequantur, nostros hortatur: & ex proceribus primi copias exponunt Nunnius Sanctii Comitis filius Raimundus Moncada, Bernardus Sanctæ Eugeniæ, Gilabertus Cruillias, & Bernardus Campanus Templariorum Magister. Dum Rex operitur, vt terrestres copiæ traiicerentur, & onerariæ ex agmine suo per altum dissipatæ consequerentur, cum raptim milites exponerentur, atque omnia agerentur turbate, conserta pugna nostri cæduntur. Guilielmus Beneharnensis, & Raimundus Moncada, atque VIII. Moncadarum gentis proceres, & Hugo Mataplana interiere: & in prima acie nostri profligantur: ac victi pelluntur. Inordinato exercitu co-

AERA. NAT. CHR.

acto,& in ordines deducto Rex vrbem castris circumsidet. Cum Rex clade accepta, satis omnibus instructis, comparatisque ad hostes perrexisset, & locum idoneum statiuis delegisset, ac nostri stationibus quieti tempus tererent, aliquot castella vicina expugnantur.

Castra cum castellis nostri præsidiisque firmassent, & hostes nulli extra mœnia adoriretur, nec quisquam extra portas propellere auderet, aggerem, & vineas agens, turres quoque muro admouens Rex summa vi obsidionem vrguet. Quamuis continuus labor, neq; die neq; nocte remissus hostes subegisset, locusque inuadedi vrbē nostris datus esset, qui nulla eruptione impediri posset, in transmarinis auxiliis extremam spem reponentes, obstinatis obsessi animis obdurant. Rex acrius obsidioni insistens, ingenti militum alacritate mœnia vndique aggressus, diuiso exercitu, & in eam partem circumductis copiis, quam hostes tenent, incredibili virtute instat. Qui pro munitionibus pugnant, vix prima impressione sustentata, proiectis armis, se fugæ dedunt: quibus veterani immixti, decliuem per locum, nullo vltra obsistente, in vrbem inuadunt. Miles tota vrbe peruagatus, prœdæ cupiditate incensus magnam stragem edit. A. D. II. K. Ian. capta vrbs, direptaque fuit. Abohihes, & eius filius XIII. annorum in Regis potestatem venere. Arce, quam Almudenam Mauri vocant, summo virium conatu nostri potiuntur: immiti cæde fugientium pariter, & repugnantium. Rex primo, & vicesimo ætatis anno vix exacto, & militari, & Imperatorio munere egregie perfungitur. Diuidundæ, ac partiendæ prædæ Berengarius Barcinonensis, & Lupus Ilerdensis Episcopi, Nunnius, & Pontius Hugo Emporitanus Comes, Petrus Cornelius, & Simon Vrrea præficiuntur: atque his Rex adiungit Raimundum Alemanum, & Raimundum Berengarium Agerem curatores datos Gastono Beneharnēsis Vicecomitis filio pupillo. Cum magna in castris super manubiarum partitione suborta esset seditio, aliquot tabernacula Episcoporum, & procerum sunt à militibus compilata: atque direpta. Plures ex proceribus morbo graui, & mortifero afficiuntur. Rebus Balearicis cum exercitu, subsidio ex Aragonia proficiscuntur Petrus Cornelius, Atho Focius, & Rudericus Lizana.

1268. 1230 Post accisas hostium res, montani Maioris Balearium expugnantur: locisque montosis, & siluestribus expelluntur: & vniuersa insula in regiam potestatem redigitur. Quod Episcopi sedes propter eius insulæ frequentissimam celebritatem, & summam frugum, fructuumque vbertatem constitueretur, ecclesiastica diœcesis Episcopo, & ecclesiæ Barcinonensi subiicitur.

A. D. V. K. Mai. Rex Palumbariæ portu soluens, in Cataloniam transmittit. Festo omnium Sanctorum die, ad Populeti sacrorum celebrationi assidet. Regis nomen magna ad omnes gentes gloria fuit. Nuntii de Alfonsi Regis Legionensis morte Regi offeruntur: qui filiam Sanctiam natu maiorem, quam ex Theresia Sanctii Portugalliæ Regis filia genuerat, nuptui Regi traditurum pollicitus fuerat, tamquam regni heredem: cum Ferdinando filio, quem ex Berengaria Regina iusta vxore, ac sanctissima femina susceperat, Legionensis regni hereditas veniret.

In controuersiam, & disceptationem Regi cum Berengario Episcopo Barcinonensi venerat super Ecclesia in Maiore insula constituenda: & Episcopo, qui illi præsideret, deligendo Id enim ius Episcopus, & Conuentus Ecclesiæ Barcinonensis ad se spectare contenderant: eius donationis causa, quam olim Sarracenus, qui Balearium insularum, & Dianii dominabatur, fecerat: qua ditionem eam Episcopo Barcinonensi, & conuentui eius Ecclesiæ detulerat: cui donationi & Comites Barcinonenses, & Archiepiscopi Episcopique consenserant: & à Sede Apostolica firmata, atque stabilita fuerat. Sed omni ope, & opera enitente Rege animaduertentes ecclesiastici ordines Barcinonēses, quod ꝓ frequentia, atq; cultu Maioris insulæ æquum esset, vt Sedes pontificia eo in regno constitueretur, quam Rex pollicebatur, affluentibus copiis ditare, voluntati regiæ paruerunt: & interuentu Abbatum Populeti, & S S. Crucium, & aliorum, ad eam pactionem deuētum est: vt ea in insula Episcopus crearetur: & Sedes Pontificia constitueretur. Is vero eo tempore primus ad eam dignitatem adsciseretur, quem Rex præficiēdum videret: cautumque, vt ei nominationi assentirent: eo vero defuncto selectio eius, qui in demortui locum sufficeretur, à Barcinonensi Episcopo, & clero in posterum regio permissu è gremio Ecclesię Barcinonēsis, aut Maioris insulæ: aut ex alia Ecclesia fieret: modo ne vltra duos mēses ea selectio differatur. Ea res Populeti A D. VIII. Id Nouemb. sancitur. Episcopi Maioricenses nūcupati. Primum ad eam dignitatē adscitū memorant Raimundū Torelliā.

1269. 1231 Sanctium Nauarræ Regem, qui plures annos Tudelana arce abditus latuerat, Rex inuisit: adeoque inter se conciliantur, atque fœdere coniunguntur, vt alter alterum, non sui

AERA. NAT. CHR.

ſui tantum iuris,& decoris defenſorem,atque vltorem, ſed regni heredem, & ſucceſſorem adoptet. A. D. IIII. Non. Febr. Dominico die,& Purificationis beatæ Mariæ ſacro, ſollemni ſtipulatione mutuæ adoptionis Aragoniæ, & Nauarræ Reges alligantur: quam regnorum proceres, ciuitateſq; ratam,ac certam definiunt. Vter eorum vita ſuperſtit,ad eum alterius regnum perueniat,ſtatuunt. Vt earum adoptionum iura obſeruentur, qui ſe ex Aragonia,& Nauarra ſponſione obſtrinxerāt,hos fuiſſe comperimus. Sanctius Ferdinandius Montacutus,Iohannes Pereſius Baztanus,Petrus Martinius Subiza,Petrus Martinius Lehetius,Simō Aiuarius,Petrus Iordanis,Garcias Garceſius Aoizius, Lupus Garceſius Arcius, Michael Guerrezius,Garcias Simenius Varaizius,Petrus Garceſius Arronius,Petrus Simenius Olleta, & ſeni procuratores ſingularum ciuitatum regni Nauarræ. Ex Aragonia fidem ſuam obſtringunt,Petrus Ferdinandius Azagra, qui Albarrazini dominatur, Atho Focius Aulæ Regiæ præfectus, Guilielmus Moncada,Rudericus Lizana, Artallus Luna, Simō Vrrea,Blaſcus Maza,Petrus Pereſius Iuſtitię Aragonum prępfectus, & Petrus Sanctius regiarum epiſtolarum magiſter. Sanctium vt inofficioſus,ne dicam inhumanus appareret,Theobaldum Campaniæ Comitis ex ſorore filium regno deturbās, & Regem vicinum robuſta ætate, & ſummæ ſpei iuuenem adoptans, maior vis vrguet: dum caſtellæ Regis impotentem,& exultantem conatum propulſet:à quo continenti, & inteſtino bello premitur. Noſter,niſi regnandi cupido allicit,& tranſuerſum agit, qua nā ratione compelli potuit,vt omnia iura diuina,& humana peruertat? Adoptat tertium, & viceſimum annum agens externum, graui ſenecta, & diuturna, & deſperata valetudine confectum:& vnicum filium,quē pæne infantem puerum innocentem iam odiſſe nō poterat, non modo nō coheredē adiungit,aut ſubſtituit,ſed plane exheredat. Aurembiaxis Petrum Portugalliæ Regis filium maritum,nullis ſuſceptis liberis heredē dicit:& Vrgellitanæ,& Valleoletanæ ditionis,Gallaicarumque hereditatum ſucceſſorem inſtituit. Petrum Rex Tarraconenſis territorii oppidis donauerat: & cum Balearibus inſulis,quarum dominatum, Pityuſis adiunctis Rex quoad viuat,attribuit, Vrgellitanam ditionem commutat. Almudenæ,Oloronis,& Pollentiæ propugnacula,Maioris Balearium arces regiæ poteſtati recipit. Mauri Balearici arcibus Pollentiæ, Santueris, & Oloronis, ſiue proditis, ſiue expugnatis ſe in libertatem vindicant: & aſpera,& montoſa loca circumſident. Cum his Tunetanorum Rex ſubſidio magna comparata claſſe aduentare perhiberetur, Rex Salonio portu, CCC. equitum turmis coactis ſoluit: & in Maiorem inſulam traiicit. Expugnatis arcibus, incredibili celeritate, vnde profectus fuit, reuertitur: vt Nauarrenſibus rebus occurrat: eo enim verſæ erant omnes regiæ curæ, proſperis eo anno bellis. Cum Rex operam,atque opes ſuas Sanctio Regi pollicitus eſſet, ac denuo Tudelæ eum inuiſiſſet, & expeditionem aduerſus Caſtellæ Regem pacto conuento properandam acrius cohortaretur, & Nauarrus ſenio, & veterno languens, & iners theſaurum circumplexus,bellicis ſumptibus deterreretur,ac diem, de die duceret, noſter ab ea cura abductus,ſe,atq; omnem regni pubem,& cuncta populorum arma tota mente in ſacrum aduerſus Mauros bellum conuertit.

Balearici Mauri,cum ſe impendentium montium aſperitate, & reductis, atq; abditis 1270.
ſpeluncarum cauernis obſtinatis animis, infinita altitudine tuerentur, ac confecto bel- 1232
lo,ſe miſere,ſerino ritu ſuſtentarent,atque omni cultu, & victu humano carerent, nec ſe
dedere, niſi Regi vellent,eo traiicere primo vere parat.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INDICES RERVM AB ARAGONIÆ REGIBVS GESTARVM.

Liber Secundus.

AERA. NAT. CHR. 1270. 1232

QVONIAM adoptionis consilia, & regni Nauarræ obtinendi euentus non satis ex sententia processerant, & ipsa per se res anceps esset, ita expediri posse visum: ne Alfonsi filii officere, & obstare successioni videantur. A. D. II. Non. Mai Tarracone Rex filium denuo auctoritate regia, legitimis natalibus, quasi iusto connubio natum restituit: qui à Leonora matre, educabatur. Heredem præterea Aragonii, & Balearici regni, Barcinonensis, Vrgellitanæ, & Mompelleriæ ditionis, omniumque earum regionum, quæ sacro bello vindicarentur, renuntiat: & insignibus principatus ornat. Filio Raimundum Berengarium Prouinciæ Comitem, & eius liberos, & his Ferdinandum patruum, ac regia propinquitate affines substituit. Præterea filium tutelæ sedis Apostolicæ, & Spargo Tarraconensi Antistiti auunculo committit: tutoresque filii instituit Tarraconenses antistites, Templariorum, & Hierosolymitanorum magistros: & Guilielmum Cerueram, ex optimatibus Cataloniæ virum primarium: qui ad Populeti, monachorum instituto se addixerat. Ea res præsentibus Guilielmo Moncada, Petro Cornelio, Bernardo Guilielmi F. Regis auunculo, Valle Vergua, Assalito Gudali, & Petro Peresio Iustitiæ Aragonum præfecto sponsione sancitur. Hoc potissimum prouidet, vt Montione filius à tutoribus educetur: si mater, & Castellæ Rex illis tradendum curent. Mirum quod his adiicit: si forte filius externarum copiarum vi regnum inuadere niteretur, proceres illi, ciuitatesve parere minime debeant: nisi pacatus, quemadmodum dominum ad subiectos venire decet, adueniret: vt iam femina malorum, quæ dissidio filii à patre, in contrarias partes se postea verterant, excitari videantur.

Salonio portu Rex classem soluit: ac tertio die vrbis portum Balearis Maioris tenet. In minorem insulam classem transmitti imperat: & eius ductoribus Mauri se, suaque dedunt. In ea expeditione ordines duxerant Ferdinandus Peresius Pinna, Atorella, Lupus Sanctius Rota, Sanctius Horta, & Garcias Horta eius frater: ac Petrus Lupius Pomarius.

Iulio, & Augusto mensibus ea expeditione confectis, Rex in continentem Cataloniam renauigat. Balearici Regis filius cum cultum, puramque Christi religionem suscepisset, Iacobi nomine edito, Euam Martini Roldani filiam, & Roldani ex Alagonia gente neptem in matrimonium ducit. Rex Illüeciam, & Gotoriam hereditatem illis firmat: sancitque.

VALENTINVM BELLVM.

Magno conatu suscipitur, nec in longum dilata est Valentini regni inuadendi expeditio. Omnis militaris ætas excitur: & intentior, quam vnquam antea muniendi, exercendiq; militem cura ducibus fuit: quod hostes aduersus maritimos, & terrestres apparatus, ingentibus animis suas copias educunt, armantque.

Rege regni finibus egresso, & hostilem regionem incursante Morelia, & Ares munitissimæ Maurorum arces, atque earum regionum propugnacula regiis dedantur: & pleraque tractus eius regiæ facta ditionis: Blasco Alagone primario ex Aragoniæ proceribus, incredibili virtute prostratos, ac perculsos Mauros proterente, atque profligante.

Nouembris mensis initio Turolii Zeitius Abuzeitius Rex denuo in Regis verba adigitur: & sacro bello se militaturum aduersus Zaënem Regem, à quo regno exactus fuerat, palam profitetur. Zaënes Modosi F. & Lupi Regis nepos erat.

Montio-

Montione crucis prædicatio promulgatur: quam Gregorius IX. P. M. sacro bello obeundo indulserat. Rex, proceresq́; ac duces, & militares manus sacro insigni decorantur, & mediterraneis, ac montosis à locis digressis mare versus Ædetana regione fines regni proferuntur. AERÆ NAT. CHR.

A. D. VII. Id. Decemb. Catalani Bouatici tributum in sumptus bellicos Regi condonant.

A. D. VIII. K. Mart. Calataiubii festo cathedræ beati Petri die Rex Blascum, Ala- 1271.
gonem, ex proceribus Aragonensibus primarium, ducem egregium, & naturæ, fortunæ- 1233
que omnibus bonis instructum, & qui longe tum princeps Aragonii nominis esset, Sastagi arce, & oppido, ac Mariæ arce, posterosque eius donat: quod strenua eius opera Moreliam, regionis eius propugnaculum, initio tam insignis expeditionis obtinuisset. De consilii sententia ea res sancitur: cui interfuere Sanctius Ahonesius Cæsaraugustanus, & Guilielmus Turiasonensis Episcopi: Atho Focius Regiæ Aulæ præfectus, Sanctius Sesesius, Petrus Ferdinandius Azagra, Garcias Romæus, Atorella, Petrus Peresius Pinna, Simon Vrrea, Blascus Maza, Fortunius Aznarius, Latro, Roldanus Lainus, Galcerandus Cornellanus, & Petrus Peresius Iustitiæ Aragonum Præfectus.

Cum Valentini in se omnem belli molem vertissent, nostros, nec nouum bellum, aut nouus hostis terret. Rex Turolii finibus CXX. equitibus, & Turolensi peditatu oppidanorum, tam exiguis copiis, in Valentinum regnum infertur: sperans propediem magnas copias in eam expeditionem conuenturas. Coacto exercitu, Exericæ nobilis Ædetanorum oppidi amœnum agrum depopulantur: & Segoniam vallem incurrēdo, Idibus Mai confectis Burrianam, haud procul à mari situm oppidum castris circumsident. Non alia vrbs fortius obsidionem tulit: cum in maiori discrimine res verterentur.

In ea obsidione permansere Ferdinandus Regis patruus, Berengarius Erilius Ilerdensis, Sanctius Ahonesius Cæsaraugustanus, Petrus Dertosanus, & D. Segorbiensis Episcopi, Prior Sanctæ Christinæ summi Pyrenæi, Raimundus Patotius Templariorum Magister Galliæ prouinciæ & Cataloniæ, atque Aragoniæ, Magister Hospitalariorum, Blascus Alagon Aulæ regiæ præfectus, Rudericus Lizana, Petrus Ferdinandius Azagra, qui Albarrazinienfibus dominatur, Simon Vrrea, Blascus Maza, Petrus Cornelius, Bernardus Guilielmi F. Regis auunculus, Berengarius Entenza, Assalitus Gudalis, Valles Vergua, Rudericus Simenius Luesia, Ferdinandus Perezius Pinna, Sugerius Melendius, Peregrinus Bolasius, Guilielmus Aquilonius, Præfecti Alcanicienfis, & Montalbanus, Simon Peresius Turiasonensis Petri Peresii præfecti Iustitiæ Aragonum frater, & Ferdinandus Diacius Aulæ regiæ itidem præfectus: & cohortes oppidanæ Darocensium, Turolensium, & Calataiubiensium. Ex Catalonia ordines duxere Guilielmus Ceruera, qui Iunedæ dominabatur, Guilielmus Cardona Raimundi Fulchonis Vicecomitis Cardonensis frater, & Guilielmus Moncada, atque illi militiæ fidem suam prȩstitere Ilerdenses & Dertosani.

Ferdinandus Diazius Aulæ regiæ præfectus.

Burrianenses castra, vallantemque Regem sæpe adorti, incredibili audacia effusi, in nostra ruunt munimenta. Rex labore potius militum, quam periculo inceptum peragens, magno apparatu, tormentis, machinisque mœnia aggredi iubet: ambulatoriisque turribus, quas plurium tabulatorum confecerant, vi, atque impressione irrumpere conantur. Præsentis, & acris animi princeps, cum desperata expugnatione, propius temeritatem multa crebro auderet, aliquando discincto thorace, diloricatoque amictu contra difficultates omnes incedens, sagittarum ictibus occurrere visus est, ne obsidionem, nisi cum vitæ discrimine deserere cogeretur. Vicit tandem, & superior discessit mira Regis constantia, & firmitas animi: & arietibus admotis munimenta concussit. Ductus ad mœnia exercitus, completisque fossis, scalæ admotæ: & maximo impetu nostri in oppidum irrumpunt. Iulio mense expugnatur: qua in oppugnatione, & comprimendis hostium eruptionibus Regis virtus egregia enituit. Obsidio non tam claritate vrbis, quam oppidanorum virtute, & regio decore parto nobilitata. Acrius instante victore Rege, Simonis Vrreæ opera, & interuentu plura oppida, castellaque oppugnata: nec obsessa sunt. Peniscola, Chiuertum, Ceruera, & Polpes coactæ obsides dare, & ciuitates suas iureiurando obstringere, regi deduntur. In his oppidis, quæ ad Regem Zeitii opera defecerant, satisque munita loco, aut mœnibus erant, præsidia imponit. Variæ à nostris excursiones in hostico fiunt: expeditioneque ea Rex aliquot populos, aut vi subigit, aut conditionibus in deditionem, pactionemque accipit. Castellio Burrianensis, Burriolum, Cryptæ Vinromanenses, Cueuas

vocant,& Villafames in deditionem,poteſtatemque Regis rediguntur. Nam cum obſidionem tolerare non poſſent,traditis oppidis,pacti vt incolumibus, ſuis legibus vti liceret,in eis manſere.

AERA. NAT. CHR.

Simon Vrrea ex primariis proceribus ſummæ dignitatis vir, bello ſtrenuus, & conſilio bonus,atq; inſigni virtute pręſtans,ductu ſuo Alcalatenam arcem,deiectis Mauris,qui in præſidio erant,recipit. Noſtri Rege ductore,expedito agmine ad populandos hoſtium agros incedentes omnia ferro,igniq; vaſtātes,regiones eas, per quas Sucro amnis defluit, effuſe,lateq; depopulantur. Prædæ vndique actæ.

Blaſcus Alagon Aulæ regiæ Præfectus.

1272. 1234 Almazora à noſtris expugnatur. Occupato oppido Rex ibi præſidium collocat. Noſtris non animi tantum in dies,ſed vires ſubminiſtrantur.

Gregorii P. M. interuentu nuptiæ Regis,& Iolantis Andreæ Hungarorum Regis filiæ, & Iolantis Reginæ eius vxoris: quæ Petri Antiſiodorenſis Cōſtātinopolitani Imperatoris filia erat,deſpondētur. Barcinonē ob eā cauſam legati ex Pannoniis aduenerāt Bartholomæus Quinqueeccleſienſis Epiſcopus,& Comes Beraldus. Res ea Barcinone, A. D. X. K. Mart. trāſigitur. Dotis nomine X. M. marcarum argenti dicuntur:ex materna dote debita; & CC. auri; quarū debitor Auſtriæ Dux erat: addiciturque certa Nemorenſis comitatus in Flandria portio: atq; ea ditio,quam in Gallia puellæ aui obtinuerant: & ea oppida, quæ in Hungarię regno Iolans ipſa poſſideret: & quę in Burgūdia matris hereditate obuenerant.

Rex Montalbano in oppido Maio menſe Blaſco Alagoni, qui in eo bello ſtrenue operam nauarat, Morelliam quoad viuat, fruendam attribuit: ac Celoquiam præcipuam arcis turrim recipit: quæ Ferdinando Diacio,aut Simoni Pereſio Turiaſonenſi tradatur: vt veluti pignus retineatur à ſuis ſupremi dominatus.

A. D. VII. Id. Apr. Sanctius Nauarrę Rex Tudelæ decedit. Nauarri Theobaldum Campaniæ Comitem Sanctii ſororis F. arceſſunt: ſibique Regem adſciſcunt: atq; in eius verba adiguntur: non tamen Rex hac de cauſa à ſacro proſequendo bello ſibi deſiſtendū cenſet.

A. D. XV. K. Oct. Hortæ, in ipſis regnorum confiniis Iacobus Rex, & Ferdinandus Rex Caſtellæ congrediuntur: ad colloquiumque deueniunt: de controuerſia ſedanda, quæ inter regem,& Leonoram Reginam,à qua diuerterat,orta erat. Farizam oppidum, atque arcem Leonoræ Rex,quoad viuat,attribuit. Sacramento adigitur ſe, ea inuita Alfonſum filium ab eius educatione,& gremio non abſtracturum.

Mompellerii Rex omnium ſanctorum diem feſtum concelebrat. In Prouinciam Galliam in Medio belli conflictu profectum apparet,quod Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes frater Margaritam natu maximam filiam Ludouico Gallię Regi ea tempeſtate deſponderat. Is ex Beatrice Sabaudiæ Comitis F. quattuor filias ſuſceperat: omnes magnis principibus nuptas. Leonora enim,& Sanctia Henrico Angliæ Regi,& Ricardo eius fratri collocantur: & Beatrix,patre vita functo, Carolo Ludouici Regis fratri, qui poſtea Siciliæ regnum adipiſcitur,nubit: & Prouinciæ ditionem natu minima tulit. Ita euenit: vt ſtirps Aragonia ſumma virtute firmata atque floreſcens, maximorum totius orbis Regum familias generoſa propagine inſeuerit.

Concitato curſu Rex in Cataloniam regreditur. Ilerdæ confectum pæne Decembrem menſem commorans,& maritimam,& terreſtrem expeditionem vrguet: cui cupide inſtat. Supplementa exercitibus ſcripta ſunt: indictis per ciuitates tirociniis.

A. D. VII. Id. Decēb. Ilerdæ Rex Guilielmo Mongrinio ſuffecto Archiepiſcopo Tarraconenſi, poſteriſque Pontificibus Ebuſum, & Colubrariam inſulas, à priſcis Pityuſas dictas honorario iure attribuit: modo arcem, atq; oppidum Ebuſitanum ſuis copiis, & ductu expugnet.

1273. Ad reparandas vires, bellumque de integro renouandum Rex intendit animum.
1235 Duo inſignia Ædetanæ regionis oppida à Maurorum dominatu eripit, præſidiisq; firmat Segorbium,& Moruiedrum: quibus clauſtra Valentini regni tenet. Primum Maurorum opus fuit: & cum rerum priſcarum memoria ſua vetuſtate obſoleuiſſet,& Mauris incolis omnia inuerterentur,noſtri Segobrigam,vetuſtam Celtiberiæ vrbē ſe recepiſſe,ſimili appellatione literarum arbitrantes,Eccleſiaſticæ ſedi addicunt: diœceſisq; Valentinæ partem ſubtrahentes Albarracinienſi diœceſi contribuunt: conuulſisq; finibus,vix poſtea inter vicinos Epiſcopos rerum vetuſtarum inſcientia, iudiciariæ controuerſiæ finis fuit. Moruiedrum ex Sagunti vrbis,illius fide,& ærumnis inclitæ parietinis,conditū, nomen, vt memorauimus,inuenit. Is ſitus eſt, & natura loci vt montes circa perpetuos, arduo,& præcipiti colle contineat: & facillimus aditus mare verſus, & ad ipſa Valentiæ vrbis in plano ſitæ mœnia ſit: cui velut prouinciæ totius communis arx impoſita imminet.

Bellum

Bellum iam aduersus hostes, non continentibus finibus, sed intimis eorum regionibus geritur. Cullarim, quam Sucro amnis influit, nostri obsident. Obsidione ea desistentes Moncadam, & Museros expugnant: nobiles inter alias Valentini agri insignes turres: quas Valentiæ ocellos, propter summam orarum, & hortorum amœnitatem Rex ipse appellare consueuerat.

Petrus Portugalliæ Regis F. & Nunnius Sanctius Sanctii Ruscinonensis Comitis F. satis magna comparata classe maiorem ex Pityusis Ebusum insulam à Maurorum dominatu, & potestate eripiunt, Minor priscis temporibus Colubraria dicta: à nostris Frumētaria: omni æuo deserta à populo, atque cultura hominum fuit.

Nunnius, quod Cæretanum Comitatum confluentem regionem, Carcasonensem, & Bergadanam ditionem, Trencauelli honorem, & Narbonensem Vicecomitatum substitutione testamentaria Barcinonensis Comitis aui, & donatione ab Alfonso Rege patruo, Sanctiæ Nunniæ matri facta, quæ Nunnii Larensis filia erat, repeteret, à Rege dissidet. Rex super Colliberis, Vallespirii, & Capsiris iure, & dominio, quę ditiones Ruscinonensibus finibus appendices cesserant, aduersus Nunnium actionem suscipit. Demum Rex Nunnium, & orbum, & regia stirpe sibi adiunctum in pristinam concordiam reducere curat. Colloquio dies constituitur A. D. III. Non. Mai. Apud Lupum Diacium Pharensem Vizcaię dominum Nunnius, Rex apud Guilielmum Ceruerām compromittunt: Hugone Monlauro Templariorum magistro honorario arbitro adiuncto. Pecunia Rex eam litem redimit. Ditiones Ruscinonensi comitatui confines Nunnio, quoad viuat, attribuit.

Iolans Regina ex Pannonia ad virum, regio comitatu deducta, Barcinonem appellit. Ea in vrbe nuptiarum solemnia A. D. VI. Id. Sept. celebrantur. Præstantissima omnium eius sæculi feminarum: vere digna, quæ ex vltimis gentibus, connubio principis post homines natos fortissimi, & animi maxime excelsi, & inuicti adiungeretur: non modo consiliorum, sed discriminum, periculorumque omnium socia, atque consors: Reginam in Hispaniam proficiscentem comitati fuerant Episcopus Quinqueecclesiensis, & Comes Dionysius: cui cognatio cum Regina erat: qui magnis præmiis à Rege donatur: & filios habuit Amorem Dionysium, & Gabrielem Dionysium, atque inde Dionysiorum familia exoritur maxime insignis, atque illustris: quæ in Vrreas insita fuit.

Huius anni initio Tarragæ Regi cum Pontio Capraria super Vrgellitanæ ditionis 1274
contentione conuenit: eiusque compotem Rex, atque participem Pontium facit. 1236

A. D. XIII. K. Iun. Calataiubii Petrus Portugalliæ Regis F. qui Balearium, & Pityusarum insularum dominabatur, cum earum ditionis iura ad heredes non esset transmissurus, Regis imperio, summum dominium, quod Regi receptum fuerat, Iolanti Reginæ, & eius liberis, iurisiurandi religione, ac fidelitatis sacramento sancit. Scribendo adfuere Petrus Ferdinandius Azagra, Petrus Cornelius, Atorella, Garcias Romęus, Marcus Ferricius, Trencauellus Vicecomitis Biterensis, Ferdinandus Peresius Pinna, & Simon Peresius Turiasonensis.

Turolii Maii mensis fine Rex Zeitio Abuzeitio Valentinorum Regi, qui Christianam fidem professus fuerat, & Vincentii nomen ediderat, vxoremque duxerat, Dominicam Lupiam Cæsaraugustanam ciuē, Riclæ, & Magalionis oppidorum donationem, quæ ei tradita fuerant, ratam, firmamque constituit. Is ex vxore Dominica Aldam Ferdinandiam susceperat, quæ Blasio Simenio Arenosio nupsit. Zeitius se Regi, eiusque liberis, & Iolantis Reginę perpetuo addicit: nulla Alfonsi Regis filii mentione facta: quem acerbe, & penitus pater oderat.

Rex aulico equitatu, & oppidanis Darocensium, & Turolensium copiis, Exericium, & Torrestorresium agrum incurrit. Bellum deinde ab repentina maritimæ oræ populatione cœptum: quod omnis ea regio pluribus, ac frequentibus vicis habitaretur: nam summa tractus amœnitas non indigenas modo detinet, sed etiā aduenas inuitat: & Maurorum qui Ædetaniæ, & Celtiberiæ vrbibus in deditionem redactis, à nouis incolis pulsi fuerant, receptaculum erat.

Cum Rex milites Ianuario mense ex hibernis in expeditionem euocasset, eduxissetque, Enesæ tumulum inter Moruiedrum, & Valentiam situm, qui mari alluitur, loco ad iuuandam suorum paucitatem maxime apposito, nostri magnis operibus muniunt: & in eo castra locant. Valentini ex ea veluti arce premuntur: & excursionibus arcentur. Castris Rex summum, & singularem virum præficit Bernardum Guilielmum auunculum. Is milites excursionibus sufficiendo, & prœliis leuibus oppidanas manus experiundo assuefecerat: paruaq; certamina animos addunt: & in summam totius spei proficiunt:

AERA. NAT. CHR. 1275. 1237

Octobri mense Montione, magna Aragonensium, & Catalanorum frequentia, & celebritate conuentus aguntur: & de prosequendo sacro bello, a Rege refertur. Ex ordinibus Regni, & Cataloniæ interfuere Guilielmus Mongrinius Ecclesiæ Tarraconensis procurator, & Barcinonensis, Cæsaraugustanus, Vicensis, & Dertosanus Episcopi: Templariorum, & Hospitalis Magistri, & aliquot prætereа religione præstantes viri: inter quos Raimundus Penafortius ex instituto prædicatorum singulari sanctitate, & præcipua doctrina excellebat. Ex proceribus Catalanis adfuere Ferdinandus Regis patruus, Rogerius Bernardus Fuxensis, Pontius Capraria Vrgellitanus, Petrus Vgo Emporitanus Comites: Nunnius Sanctii Comitis F. Gerardus Vicecomes Caprerensis, Guilielmus Cardona, Raimundus Berengarius, Guilielmus, & Petrus Moncadę, Berengarius Pucuertius, Guilielmus, & Berengarius Anglesolæ, Bernardus Portella, Hugo Mataplana, Galcerandus Pinosius, Guilielmus Aquilonius, Raimundus Peralta, Petrus Vicecomes Villamurius, Raimundus Guilielmus Odena, Berengarius Erilius, Guilielmus Ceruera, & plures alii viri nobiles. Ex Aragoniæ proceribus conuentui adsedere Petrus Cornelius aulæ Regiæ præfectus, Bernardus Guilielmus Regis auunculus, Garcias Romæus, Simon Vrrea, Atorella, Artallus Luna, Blascus Alagon, Rudericus Lizana, Blascus Maza, Berengarius, & Gombaldus Entenzæ, Simon Focius, Assallitus Gudalis, Fortunius Vergua, & Simon Luesia. Præsedit eo in conuentu Petrus Peresius Aragonum Iustitię Præfectus.

Petrus Cornelius aulæ regiæ Præfectus.

Induciæ inter Aragonenses, qui factionibus dissidebant, firmantur. Nummi Iaccetani, vti eiusdem ponderis, rationis, atque notæ in Aragonia, Ilerdensi, & Dertosana ditione adiūctis, perpetuo signentur, lege sancitur. Statuunt, vt ii, qui supra XIIII. annū ætatē agunt, iurisiurādi sacramēto adigantur, se operā daturos, vt res ea nummaria firma, rataq; sit. Ob eam rem Aragonenses tributum Regi, posterisque Regibus condonant: quod singulæ familiæ, quarum bona ex censu X. nummis aureis, aut pluris æstimentur, septimo quoque anno pendant. Id tributum Morabetinum appellant: & ex pecuniæ summa, quæ pendebatur, nomen inuenit: cuius collocandæ ratio perpetuos, quanquam exiles Regibus sumptus suppeditet. Vix enim ex portoriis circumuectionis, aut decumis, scripturaue, conseruari vectigalia in rei militaris administrandæ vsus poterant.

Zaënes Valentini populi Rex firmissimo robore copiarum insultans, quas à Setabi ad Ondam præsidiis præfecerat, DC. enim equites, XL. M. peditum coegerat, oriente sole ad Enesana castra oppugnāda irruit. Bernardus Guilielmus & Berengarius Entenza præstantissimi nostrorum ductores, cum animis magis, quam viribus resisterent, & omnis spes in virtute esse reposita, incredibili animorum constantia, & firmitate commoti, & ope diuina freti, non satis pro dignitate bellica, & imperatoria existimantes, se munitionibus septos castra propugnare, eruptione facta, cum Bernardus suos hortatus esset, meminissent hominis, generis: quorum maiores innumerabiles gentium copias parua manu sæpe fuderint, quasi non periculi socios exigeret, sed consortes victoriæ; & diuinam opem exposceret, efferatis militia animis, C. grauis armaturæ, & CC. leuis armaturæ equitibus, & II. M. peditum in hostium acies inuehuntur. Hostes nulla interposita mora cæduntur: atque profligantur: quos nostri ad riuulum, Siccum appellant, IIII. M. P. cis vrbem insecuti magnam multitudinem fugientium conciderunt: ingentemque stragem edidere. Nam effusi immensis agminibus hostes, adeo præcipiti, & ruenti turba comprimuntur, vt potius illisi, quam ferro interempti fuerint. Ex nostris Rudericus Simenius & filius Simonis Peresii Tiergæ, & signifer Bernardi Guilielmi fortissime irrumpentes mortem occumbunt. Ad X. M. hostium nullo vulnere saucios concidisse memorant. Mense Augusto eam pugnatam pugnam accepimus: qua singularis Bernardi Aquilonis virtus enituit: qui conserto prœlio, cum maiore in conflictu res verteretur, parte equitatus irrumpens, suo impulsu ingentes hostium copias pepulit. Hic dies & nostris refecit animos & hostem summe perculit.

Cum in Bætica acre, eadem tempestate, aduersus impios hostes, bellum à Rege Ferdinando gereretur, exploratorum ductores, quos Adalides Mauri vocare assueuerant, die, ac nocte continuato itinere, ingens, & immane facinus ausi nocte intēpesta scalis admotis, turrim & propugnacula Cordubæ vrbis adorti, ex improuiso diu anceps prœlium fecerant: & successu regiarum copiarum, celeberrima totius prouinciæ vrbe potiuntur.

Bernardo Guilielmo vita functo, cuius morte magnam iacturam factam apparuit, quod ad eius maxime arbitrium, atque iudicium summa omnium consiliorum recide-

rat,

rat, cum à militibus Enesana castra desererentur, regiorum præfectorum imperio contempto, Rex palam in sacello eius arcis aram tenens, nuncupatis votis, iurisiurandi religione obstringitur, se eos fines non derelicturum: neque Vdeconium fluuium traiecturum, quoad vrbis Valentiæ esset potitus. Reginam, ac Iolantem filiam, ne se à proposito declinare, aut à sententia deflectere, vnquam videre sperent, in castra deduci imperat. Regina vxore incursantibus hostibus, aliquando comitatus, non degenerem ad pericula est expertus. AERÆ NAT. CHR.

Postquam præpotentem armis Regem nec acies subsistere vllæ, nec arces, vrbesue poterant; Zaënes cum animaduertisset, nec maiori ratione bellum administrari posse, quam à nostris gerebatur, ac summis copiis, & commeatibus in dies exercitum suppleri, Regi pollicetur, se eas arces traditurum, quæ Dertosa, Turia flumine, Turolioque continentur. Arcem præterea in Zaidiensi suburbio ad vrbem exædificaturum: quę regio præsidio firmetur: & quotannis X.M. Besantiorum tributi nomine persoluturum recipit: modo præsidia, quibus Valentiam vrbem obsederat, deducat. Cum proceres grauem legem ab hoste, & conditionem sibi constitui prædicarent, eamque præferendam censerent, à Rege reiicitur: quod simulatione deditionis, atque tributi tempus à Zaëne extrahi videret, & obsidionem ferre Mauri obstinate decreuerant.

Bernardus Montacutus Cæsaraugustanus Episcopus.

Quia celeritate ad opprimendam obsidione vrbem opus erat, regio circumcirca 1276.
ferro, ignique vastatur. Almenara, Vxo, Nules, Castrum, Alfandechum, Paterna, Betera, 1238
& Bulla arces expertæ, quid arma regia in se pollerent, Regi deduntur. Valentia vrbs regia, & situ, & ciuitatis amplitudine, ac singulari opere, murorumque ambitu in primis nobilis, tam exiguis copiis à Rege obsideri cœpta est, vt vix expugnandę cuilibet arci pares esse viderentur. Cum Aragonenses, & Catalani exercitus se Regi adiungerent, castris primo leui munimento positis circumsidetur. Separatim oppidanæ singularum ciuitatum copiæ, tentoriaque collocantur. Angli, Gallique operam suam vltro pollicentes, satis magnis cōparatis copiis, sacro bello militaturi, in castra conuenere. Petrus Amelius Narbonensis Archiepiscopus XL. equitū, & DC. peditū ductor, & Angli proceres, qui in Hispaniam, ab Henrico Rege missi fuerant, statiua sibi castra faciunt, Barcinonenses proxime ad mœnia accedentes castra metantur.

Petrus Ferdinandius Azagra, & Simon Vrrea suorum equitatu, & peditum copiis adiunctis Ciliam, amœno prætendenti se stagno, Arabes Albuferam nominant, impositam oppugnant: & machina percellunt. Cilienses, cum acriter vtrimque pugnatum esset, Regi deduntur.

Cum idonea nostri statiuis loca delegissent, Valentia & tectis, & apertis cuniculis, summa tormentorum, & machinarum vi oppugnatur: quod Mauri iam, non assiduis eruptionibus, vt ante in stationes nostrorum, sed dispositi per muros, & propugnacula ex tuto pugnarent: & armati muris superstantes instar munimenti essent. Prœlia ante vrbem multa, & varia: sed nostris virtute, & ducum consilio, & principis præsentia pręstantibus sępius prospera euenere.

Classem XII. longarum nauium, & VI. aliarum actuariarum, quas zabras illa ætas nominabat, ad Valentinæ stationis Gradum Tunetenses Africani appellunt: vt Valentinis obsessis animos adderent: seque præsentis auxilii compotes breui futuros sperarent. Sed cum inanis ea ostentationis species esset, litus relegentes Peniscolam adoriuntur. A nostris in naues repulsi, mutata velificatione in altum peruehuntur: & hostes ne vmbra quidem transmarini auxilii subleuari potuere: cuius spei moram cum obsessorum fortuna diutius pati nequiret, ex prope certa fiducia in magnam desperationem vertit. Litora omnia à Pyrenæi promontorio ad Dianium nostrorum classibus tenentur: maritimosque prœdones consectando, mare tutum reddidere. Motus summæ rei, & postremo desperatio incesserat: & spes reliquas omnes hosti abstulit.

Regia classis libero mari nauigans, ex omni prouincia magni commeatus, & priuati, & publici subsidiis exercitum sustentat: qui adeo auctus, amplificatusque erat, vt Rex M. equitum, & LX. M peditum copias compararit. Rege non modo imperatorium munus, sed gregarii militis operam obeunte, cum in repentinis eruptionibus, atq; certaminibus, propinquiori se discrimini obiiceret, transfixa galea, sagitta frontem configitur: Sed breui cum conualuisset, in vno res publica ad comprimendos hostium conatus, & vrbem expugnandam, fortior euadit.

Bellum diuturnum, ac frequens: variaq; victoria fuit. Ex eo cum tot bellorum faustis successibus, magnis semper accessionibus regni opes, viresque augerentur, tanta belli

AERA. NAT. CHR.

mole Regem implicitum, atque constrictum res Italicæ, præclara famæ rerum ab eo gestarum celebritate, ex vltimis terris, tamquam publicæ libertatis vindicem, cum eius nominis gloria, insigni laude, apud exteras nationes vigeret, ad se vocant: vt maxime florentem, ac felicissimum Imperatorem sibi præficerent ducem. Gregorius IX. P.M. quod Fredericus Imperator, qui ab Ecclesia non modo altus, & educatus, sed regni stabilimentum, & Germaniæ imperium adeptus fuerat, summo impietatis scelere ab ea desciuisset, & Cremonensibus, Mantuanis, & Ticinensibus finibus bellum inferret, quo motu Italia omnis concussa erat, Regem inuicto animi robore, & gloriæ laude præstantem magnis pollicitationibus commouet, vt laboranti Ecclesiæ, & labantibus Italiæ rebus opem ferat: sperans priuatas etiam iniurias ea expeditione Regem vlturum. Nam Fredericus, qui impius in sacrosanctam parentem Ecclesiam, & Christi sacerdotes iura diuina peruerterat, sæuus, & inhumanus in Henricum filium, cui inter fratres ætas prouectior, Regis consobrinum extitit: quem ad Germaniæ regnum adscitum, in carcerem intrusum, quod Pontificias partes foueret, non modo regno sed vita frui vetat. Mediolanensis ciuitas, & Placentina Othonem Cendatarium, Bononiensis, & Fauentina Iulianum Leonardum legatos mittunt: qui summe sollicitent, vti Ecclesiæ, & communi omnium parenti Italiæ, quarum interitus ab impio tyrãno pararetur, subueniat: ecclesiasticique status tutelam suscipiat. In eius expeditionis sumptus CLM. librarum imperialium, & in singulos annos, iura, atq; annuos redditus, qui Imperatoribus in Cisalpina Gallia pendebantur, pollicentur: & Regem patroni, defensoris, ac gubernatoris loco adsciturum. De re maxima Regi deliberanti, qui non modo nouum bellum, vbi virtus eius enitescere posset, sed externum, & Italicum exoptat, Regina, Vitalis Canelias Oscensis, Bernardus Montacutus Cæsaraugustanus, Bernardus Vicensis, Simon Segorbiensis Episcopi, Raimundus Berengarius Templariorum, & Petrus Exea Hospitalariorum magistri, Rudericus Lizana, & Simon Vrrea, ne florenti, ac plaudenti fortunæ ad res magnas bene gerendas adiunctæ desit, consulunt. Hæc consultorum deliberatio cum regia fiducia summe consentiens, rem eo deduxit, vt Id. Iunii in ipsis castris Rex cum legatis pacisceretur. Recipit se in Italiam II.M. equitum ex nobilitate delectorum bellico apparatu transmissurum: & in Lombardia, Marcha Treuisana, aut Romandiola se bellum aduersus Fredericum, & Cremonensem, & Ticinensem ciuitatem gerentem commoraturum: & eas ciuitates bello persecuturum: quæ Frederici sectam sequuntur. Fredericus tamen homo versutus, & callidus, qui fidem sacrilegio, pietatẽ parricidio violasset, se falso Pontifici concilians, & Ecclesiam ludibrio, & despectui habet, & externum hostem à sua pernicie auertit.

Septembri mense inito Zaënes oppressus iam, desperatusq;, non à transmarinis modo auxiliis, sed despectus etiam à propinquis Murtiensium, & Almeriensium regulis, vrbem, & arces, oppidaque cis Sucronem omnia Regi tradere, ea conditione spondet, vt obsessi conseruati, & incolumes auro, argento, armis, bonisq; exportatis Cullarim, & Dianium deducantur. Dianienses enim sub ditione, & potestate Zaënis esse consueuerant: in extrema eius regni regione maritima locati. Zaënes se ad Ruzafam pactis conuentis pariturum Regi offert. Deditur vrbs Valentia totius Hispaniæ pulcherrima, & ornatissima: statione, & naualibus, diti commercio peropportuna: cui tanti erant antiquitus omnium rerum ad bellum apparatus prouisi, tantaq; machinarum, & propugnatorũ multitudo, vt si virili animo hostes propugnationi institissent, in summo, & difficillimo tempore obsidionem longius protraxissent. Zaëne vrbe excedente, ad L.M. Maurorum egressos regiis commentariis testatum inuenimus.

A.D. IIII. K. Octob. Rex cum assuetus victoriis omnia euicisset, & gloriosam palmam esset consecutus, ouans vrbem, faustis laudum insignibus introiit.

IIII. Viri agris diuidundis, & partiendis, adiunctis finitoribus præficiuntur Berengarius Palatiolus Episcopus Barcinonensis, Vitalis Canelias Episcopus Oscensis, Petrus Ferdinandius Azagra, & Simon Vrrea ex proceribus primarii viri: vt de commodis procerũ, atq; militũ, & pręmiis tribuẽdis atq; augẽdis ęqua ratio iniri posset. Ad CCCLXXX. nobiles viros, proceribus exceptis, ex Aragonia & Catalana nobilitate herediis donatos constituit: quorum familiæ, ex ea expeditione, bellica laude floruerint: & tamquam maiorum gentium agnationibus distinguantur. Vrbs pæne tota Catalano, & Aragonio siue milite veterano, siue oppidano incoli cœpta: agris viritim diuisis. Valentinis suæ leges scribuntur: propriumq; forum indicitur: & cum noui incolæ, & coloni expeterent, ne extra suum forum vadimonium promittere, sistereve cogerentur, nostri proceres Aragonio iure, ac foro se, suaq; heredia, ac Valentinas possessiones censeri contendunt: maiorq; indẽ domi exorta

exorta moles: gliſcente in dies ſeditione inter plebeios, & egentes: atque proceres, & Aragonios optimates. AERA. NAT. CHR.

Epiſcopi Sedes Valentina in vrbe conſtituitur: atque inſtauratur: cuius diœceſis, etſi Vuambæ Gothorũ Regis temporibus, Toletanæ prouinciæ contributa fuerat, Rex cum eius vrbis potitus eſſet, voti reus Tarraconenſi ſubiiciendam, attribuendamque curat. Ferrarius Sancti Martini cognomento Tarraconenſis Eccleſiæ prępoſitus à Gregorio P. M. Valentinæ eccleſiæ præficitur: quem Rex, Archiepiſcopus Tarraconenſis, Magiſtri Templariorum, & Hieroſolymitani Hoſpitalis, proceresſque alii delegerant: ſummoque Pontifici ſacrandum obtulerant.

Raimundus Fulcho Vicecomes Cardonenſis, & Artallus Alagon Valentini, & Murtienſis regni fines incurrentes Vilienam, & Saxium, neq; operibus, aut tormentis admotis oppugnant. In Saxii oppugnatione, cum ſimul, & portæ refringerentur, & vis vndique in muros fieret, Alagon lapide percuſſus occumbit. Morte primarii ex proceribus viri, & Blaſco patre memorabilis, inſignis accepta clades.

Præſidiis Valentini regni diſpoſitis, Rex Mompellerium contendit. A. D. IIII. Non. 1277.
Iun. Iouis die vrbem iniit. Poſtero die, ab hora ſexta ad horam fere nonam ſol obſcurari 1239
cœpit: cuius defectu, adeo repentinæ tenebræ, obſcurato, ac pene obruto ſidere obducũtur, vt oſtento ſimile fuerit. Cum incurſione ſeditionis, vis multitudinis factioſorum partibus concitaretur, & populi impetus, Rege etiam præſente eſſent, ſeditioſi, & turbulenti ciues vrbe exacti, & bonis multati, eorumque domus dirutæ.

Cœnobium ordinis Ciſtercienſis, cui Fontis Clari nomen eſt inditum prope Alcoleam, ad Cingæ amnis ripas, à Rege hoc anno conditum, & à conuentu monachorum frequentari cœpiſſe Ferdinandus Aragonius Cæſarauguſtanus Antiſtes, & eiuſdem inſtituti monachus memoriæ prodidit: eumq, monachorum cœtum in ſuburbanum Cæſarauguſtanum poſtea ad Orbæ ripas traductum: & S. Fidi dicatum.

Fragenſibus Oſcenſe forum indicitur.

Rege in prouincia Gallia commorante cum defectio nulla timeri poſſet, & induciarum iura à noſtris violarentur, dediticiiſque Mauris bellum inferretur, omnes ſe in liber- 1278.
tatem vindicant. Chium caſtellum noſtris obſidentibus, eruptione facta, hoſtes prœlium 1240
ineuntes cæduntur. Ea pugna ſacrum numen Chriſtiano populo affulſiſſe, cæleſtia monumenta teſtantur: quæ ſumma veneratione DAROCÆ viſuntur. Diuino enim Euchariſtiæ ſacramenti myſterio linteum ex eo inſignitum apparet.

Zaenes Rex, qui Dianio ſe abdiderat, cum de compoſitione actum eſſet, Alicantinam arcem mari impoſitam ſe Regi traditurum pollicetur, ſi Minorem Balearium condonet. Rex etſi ad occupandas maritimas Conteſtanorum vrbes animum adiecerat, cõditionem reiicit: quod arx ea terminatis finibus regnorum, Murtienſi regno, & Caſtellæ Regum ditioni iure belli eſſet contributa.

Bairena arx, bello aduerſus tumultuantes Mauros ſæuiente, Regi traditur.

Petrus Ferdinandius Azagra Albarrazini dominus, Petrus Cornelius aulæ regiæ præfectus, Artallus Luna, Garcias Romæus, & Simon Vrrea cum à Rege defeciſſent, Iulii menſis fine ſe illi addicunt.

Viliena Alcanicienſi præfecto, & Calatrauenſibus militibus deditur. Rex cum in Cataloniam proficiſceretur, vicem regiam in Valentino Regno gubernando Ruderico Lizanæ committit. Cum Berengarius Entenza à Rege defeciſſet Setabitanis finibus in Turolenſes bellum infert: & decurſionibus regionem vaſtat.

Setabis Conteſtanorum vrbs excelſa arce, & agri amœnitate nobilis, & prope firmiſſima earum regionum ciuitas à Rege caſtris circumſidetur. Cum caput ea Conteſtanorum longe ditiſſimum, atq; opulentiſſimum armis, viriſq; eſſet, omnem conatum in eam obſidionem parat. Garcias Romæus tamquam, iniuria facta eſſet non ferenda à Rege, ab eo deſciſcit.

Aprili menſe Petrus Ferdinandius Azagra, qui ex ſummis princeps inter Aragonios
proceres cenſebatur, & ſuo, & Caſtellæ Regis equitatu Granatenſi Regi bellum infert. 1279.
Mompellerii Rex, Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes Regis frater, & Rai- 1241
mundus Toloſatium Comes congreſſi ad turpẽ, & omni dedecore famoſam pactionem deueniunt. Nam de communi ſententiæ iudicio Rex, & Raimundus Gaucelinus Lunelli dominus, & Albeſa ſelecti iudices decernunt, vti Comes Prouincię operam det Sanctiam Regis amitam Toloſatis vxorem, à delegatis à ſede Apoſtolica iudicibus expoſtulaturàm de matrimonii diuortio ſententiam ferant: & ſi renuat, ex Prouincia Gallia exterminet. Ad hæc conſtituunt, vti Toloſas, quoad eius fieri poſſet, ab vxore diuertere con-

AERA. NAT. CHR.

tendat: & dotis nomine, quæ dicta fuerat, M. argenti marchæ, & centenæ singulis annis Sanctiæ condonentur. Id nempe eniti eos apparuit, vti Tolosas conditione priore repudiata vxorem ducat: & Iohannam filiam, quam ex Sanctia susceperat, Alfonsi Pictonum Comitis coniugem, Tolosatium ditionis hereditate, & bonis patriis exturbent. Hæc Mompellerii Non. Iunii stipulantur.

Vincentius Cæsaraugustanus Episcopus.

1281. 1243 Darocæ conuentus à Rege agitur: cui Ilerdenses Aragonensibus conuentibus interesse soliti, adfuere. Eo in conuentu in Alfonsi Regis filii verba, vti regni iusti successoris adiguntur. Constituunt, vti regni fines Sicoris fluminis ripis terminentur: quod Petrum ex Iolante Regina genitum Rex Cataloniæ ditione, atque hereditate donare decreuerat. Hæc lege, huius anni fine stabiliuntur: quotidiana Catalanæ gentis querimonia. Ea enim natio paullo restrictior, & sui admodum iuris tenax, eum tractum, inter Sicorim, & Cingam interiectum suis finibus subtrahi dolet: & Ilerdensem ciuitatem, à Barcinonensi ditione immerito seiungi. Superiorum enim Regum edictis, quibus induitiæ Catalanis edebantur, à Cinga ad Salsulas, earum iura obseruanda promulgari consuesse cotendunt. Lege ea recenti, rerum nouarum causa quæsita: mox graue odium in Regem exarsit.

In demortui Ferrarii Episcopi Valentini locum Arnaldus Peralta K. Mart. à Petro Albalatio Tarraconensi Antistite, & Valentinę Sedis Canonicis deligitur. Eam electionem Innocentius IIII. P. M. Lugduni A. D. IX. K. Iul. eiusdem anni firmat.

1282. 1244 Conuentu à Rege Catalanis Barcinonem indicto, acres publici iuris vindices se, eo tractu, qui Sicori, & Cinga fluminibus continetur, & Ilerda vrbe deiici, & possessione dimoueri conqueruntur: & in pristinum statum restitui expostulant. A. D. XII. Febr. Rex edicit: Barcinonensem comitatum, & Cataloniam terram à Cinga flumine, ad Salsulas contineri: Aragoniæ vero regni fines à Cinga Fatizam vsque terminari. His finibus constitutis, Petrum filium Cataloniæ principatu donat: summaque de ea re dissensio exorta est: quod Aragonenses Ripacurcia, & Palliaria ditione iniquo iudicio se excludi contendunt: quarum Ramirus, & Sanctius, Sanctiique filii Petrus, & Alfonsus Reges belli iure dominati fuerant.

Februarii mensis initio Calataiubii Alfonsus Regis F. cum à patre dissideret, magnas equitatus copias sibi adiungit: & rem ad arma deduci nititur. Studia Aragonensium in Alfonsum accensa. Turbatis rebus Ferdinandus Regis patruus Cœnobii Montis Aragonum Abbas, Petrus Portugallensis, & Petrus Ferdinandius Azagra, & Iohannes Gonzaluus Heredia, cuius spectata, & nobilitata virtus in Valentino bello enituit, via ea, quæ & reipublicæ, & popularis habetur, sequuntur: clamantes Alfonsū inhumane, à patre auito regno, & recens parto expelli, atque exturbari. Ciuitates omnes Valentinæ, & Aragonenses partibus inficiuntur. Rebus in armorum exitum spectantibus, Alfonsus Castellæ Regis vires ad se se allicit: cuius causa à consobrino Rege summe defensa est. Portugallensis socius, & administer omnium consiliorum ab Alfonso assumitur. Ex eo Rex inimicissime atque infestissime cum filio contendit: & immortale odium cum crudelissimo dissidio extitit: ac belli aduersus Regem suspicio primo, deinde inuidia exoritur.

Alfonsus Ferdinandi Regis F. Murtiensis regni potitus, eius limites transgredi parat: & Valentini regni fines inuadere. Alfonsum Regis Castellæ filium Murtiensium finibus copiarum ductores primarii assistunt Gonzaluus Episcopus Conchensis, Pelagius Peresius Correa militiæ Sancti Iacobi Magister, Martinus Martinius Templariorum in Regno Castellæ, Portugalliæ, & Nauarræ itidem Magister, Gonzaluus Ramirius Ramiri Fruelæ F. Ferdinandus Ruizius Manzanedo, Didacus Lupius Pharensis, qui Viscaiæ dominabatur Regis Castellæ signifer, Lupus Lupius Pharensis Lupi Diacii Pharensis F. Alfonsus Tellius, qui Cordubensem ciuitatem moderabatur, & Iohannes Alfonsus eius F. Petrus Nunnius Guzmanus Aluarus Egidius Egidii Amalrici F. & Petrus Lupius Franco. Eam veritus Rex insolentiam, Aprili mense Hugone Folcalquerio Ampostę præfecto, & Hierosolymitana manu comitatus, propter repentinos Castellanorū motus fines incursantium, Setabim vrbem obsidione premit: & arcis præfectum certis conditionibus deuincit: deditionisque mora indutię agitantur. Petrus Vilaragutius ex Hierosolymitanis ductoribus, Simon Peresius Pinna, Garcias Aguero, & Guilielmus Pax Regi strenuam operam nauant.

1283. 1245 Iunio mense in Aruernis, ad sacram D. Mariæ Podiensis ædem Aragoniæ, & Gallię Reges ad colloquium congrediuntur.

Rudericus Ahonesius Cæsaraugustanus Episcopus.

Algezira Contestanorum oppidum cum propugnaculis Regi ea conditione deditur, ne here-

ne herediis incolæ Mauri deiiciantur: eamve sectam eiurare cogantur, qua Almohadum regno initiati fuerant. AERA.

Alfonsus Ferdinandi Regis F. cum Ilorcim, & Mulam oppida à Maurorum dominatu eripuisset, Valentinis finibus imminet. NAT. CHR.

Aragoniæ, & Castellæ Reges pactiones, ac noua fœdera nuptiis filiorum conciliant. Alfonsus enim Castellæ Regis F. Iolantem Regis Iacobi filiam in matrimonium ducit. 1284.
Eæ nuptiæ Valleoleti Nouembri mense celebrantur. 1246

Sacro Epiphaniæ festo die, Rege conuentui Oscæ assidente, procerum, & ciuitatum consilio leges, ac vetusta regni scita, atque instituta in vnum corpus rediguntur, promulgantur, atque sanciuntur. Curauit is princeps inter armorum strepitum, legibus scriptis, iudiciisque constitutis Aragonenses deuincere: cum antea patriis moribus, institutisque ciuilibus maiorum, facinorumque vsitatis exemplis de manu, in manum traditis, vterentur: & communi quodam in vsu versarentur. 1285. 1247

A. D. IIII. Id. Iun. Rudericus Simenius Toletanus Antistes, cum Lugduni Pontificem Maximum inuisisset, & Rhodano flumine in Hispaniam nauigaturus, naui veheretur, è vita excedit. Hortæ cœnobio in ipsis regnorum Castellæ, & Aragoniæ confiniis sepelitur: cui Hispania summum beneficium debet, quod res à suorum temporum memoria, propter vetustatem abolitas atque remotas insigni opere posteris tradidit. Vere is Hispanos, Hispania in terra peregrinantes, errantesque, quod de M. Varrone Cicero cōmemorat tanquam hospites, quasi domum deduxit.

Rex totius regni dignitati, commodisque in posterum consuli sperans, & totum eius statum in filiorum concordia positum esse, atque defixum autumans, regna liberis partitur: vt imperii fines singulis constituerentur. Ex Iolante vxore quattuor filios susceperat: Petrum, Iacobum, Ferdinandum, & Sanctium. Filiæ totidem editæ hac tempestate erant: Iolans, Constantia, Sanctia, & Maria. Valentiæ A. D. XIIII. K. Febr. publico testamento condito, Alfonsum Aragonii regni instituit heredem: & ab oriente sole, in occidentem Cinga flumine Farizam vsque, & à septentrionibus, D. Christinæ summi Pyrenæi saltu, in meridiem ad Aluentosæ fluuium, finibus circumscribit, Cataloniam, adiuncta Ripacurcia terra, & his oppidis, quæ trans Cingam amnem debellata fuerant, & Balearium, & insularum adiacentium regnum Petro filio attribuit. Iacobum Valentini regni, & Ferdinandum Ruscinonensis comitatus, Confluentinæ, Ceretanæ, Mompelleriæ ditionis, Castelnoui, arcis Latensis, & Frontinianæ, Omeladesii territorii, & iurium Melgoriensis, Monferensis, Pailiani, Lupiniani, Carcasonensis, Thermitani, Thodensis, Fernoliadensis, Gabaldani, & comitatus Aumilianensis heredes scribit. Sanctium sacris initiandum Ecclesiæ dicat. Secundos heredes substituit: neque in hereditatis partem filiæ ab eo vocantur: sed ex Iolante filia nepotes substituuntur: modo regni Castellæ successor, Aragoniæ regni hereditatem non adeat: & is qui regnum adeptus sit, Castellæ Regi subiici ne possit. 1286. 1248

Alfonsus Regis F. & Petrus Portugallensis maiores in dies turbas cient: & quam maximas possunt, copias armant.

Cum oppugnationis diuturnitas negligentiores Setabitanos effecisset, & repetita obsidione Aprili mense à Rege premerentur, inuito, & contra tendente Alfonso Regis genero, vrbs deditur: plenoque, atque opulento oppido Rex potitur: quod suæ ditioni, & Murtiensi regno gener adiungere contenderat. Oppida oræ maritimæ breui incolarum frequentia aucta.

Fines Valentini, & Murtiensis regni terminantur.

Arnaldus Peralta ad Cæsaraugustanum Episcopatum ex Valentino Episcopo est postulatus: eamque postulationem Innocentius IV. P. M. Neapoli A. D. IX. K. Nouembris ratam habuit. Andreas Albalatius ex instituto Prædicatorum, Petri Albalatii Tarraconensis Archiepiscopi frater, dissidente Canonicorum Valentinorum cœtu, P. M. consensu, atque permissu ab Archiepiscopo Tarraconensi, & Archidiacono, & præcentore sedis Valentinæ A. D. II. Non. Decembr. in Arnaldi locum sufficitur. Is magnæ religionis Antistes Cœnobium Carthusiensium monachorum in agro Valentino construendum curauit: cui Portæ Cęli nomen est inditum.

Hispalis celeberrima, & opulentissima Hispaniarum vrbs S. Clementis festo die Ferdinando Regi deditur.

A. D. V. K. Oct. Raimundus Tolosas Aimiliani decedit: Iohanna vnica filia Alfonsi Pictonum Comitis coniuge herede relicta: nulla pactionis, quæ cum Apostolica 1287. 1249

AERA. sede inita fuit, mentione facta: vt sua iura integra, atque salua Aragoniæ regibus reseruare visus sit.

NAT. CHR. 1288. 1250 Aragonenses & Catalani Alcanicii conuentui agendo, Februario mense concurrunt: & de sedandis seditionibus, quæ dissidio Regis, & Alfonsi filii subortæ fuerant, deliberant. Iudices à conuentu, qui de controuersiis omnibus sententiã ferant, cõstituuntur Petrus Albalatius Tarraconensis Archiepiscopus, Vitalis Canelias Oscensis, Guilielmus Ilerdensis, & Petrus Antilius Barcinonensis Episcopi, Guilielmus Cardona Templariorum Magister, Petrus Alcalanus Ampostæ præfectus, Comes Emporitanus, Raimundus Cardona, Raimundus Berengarius Agerensis, Iacobus Ceruera, Artallus Luna, Petrus Cornelius, Garcias Romæus, & Simon Focius: & aliquot ciuitatum procuratores. XII. viri ex proceribus, & ciuitatibus dignitate præstantes ex delegatis iudicibus ad Alfonsum legati mittuntur. Hispali Alfonsus, & Petrus Portugallensis iurisiurãdi religione adacti pollicentur, se iudicum selectorum sententiæ parituros: sperantes fore, vti per colloquia controuersiæ omnes componantur: & Regnandi ius, & successionis spes Alfonso reseruetur. Regi, & Iolanti Reginæ se aduersus Alfonsum fœdere adiungunt Guilielmus & Petrus Moncadæ, Petrus Cornelius, Guilielmus Entenza, Garcias Romæus, Simon Focius, Simon Peresius Arenosius, Sanctius Antilionius, & Petrus Martinius Luna.

Iudices tamen de controuersia, quam Alfonsus cum Rege patre habet hereditaria, constituunt: vti patriæ voluntati pareat, atque obediat, & eius se potestati tradat. Pater filium regnorum Aragonii, & Valentini procurationi præficiat. Portugallensi Tarraconensis campus, & Ebusus Insula, aliaque bona restituuntur: excipiunturque Morelia, Segorbium, Moruiedrum, Almenara & Castelio: quæ oppida, atque arces iudicibus deduntur: quoad de omni controuersia definiant: quod ex iis arcibus, atque prȩsidiis Portugallensis bellum Regi contra ius, fasque intulisset. Rex pollicetur Rudericum Martinium, quem captiuum detinuerat, Portugallensis nepotem è custodia liberaturum. His constitutis Rex conuentum dimittit.

Martinus Peresius Artassona Præfectus Iustitiæ Aragonum.

A. D. III. K. Iun. Cæsaraugustæ Iacobus Balearici Regis Abohihis F. Gotorio oppido, & arce iure hereditario à Rege donatur. Is, vti supra memorauimus, Euam Martini Rollandi Alagoniæ gentis filiam vxorem duxit: qua ex stirpe Gotoria familia exoritur. Ex eo matrimonio Blascus Gotorius nascitur Michaelis Peresii Gotorii pater: eoque generis cognomine vetus, & illustris familia Gotoria vsa est. Hoc anno moritur Fredericus Imperator: fax quædam funesta, non Germaniæ modo patriæ, sed Italiæ communis parentis, & totius Ecclesiæ: illius enim sæculi malorum pernicies, eo opifice, atque machinatore, cum ecclesiastici ordinis, & sedis Apostolicæ calamitate coniuncta fuit. A. D. XVI. K. Ianua. Florentini, eius regionis vico, quam Capitinatam vocant, testamentum condit: morti propinquus. Conradum filium Hierosolymitani regni consortem adscitum, Imperii, vt ipsius verbis vtar, heredem, & Siciliȩ regni, omniumque quæ adeptus fuerat instituit. Huic Henricum, & Henrico Manfredũ filios substituit. Manfredum Conradi absentis procuratorem, atque gubernatorem Italicis ditionibus, & Siciliæ præcipue regno prȩficit: & Tarentino principatu, & vrbe, atque honore S. Angeli donat. Frederico nepoti, Henrici Regis Germaniæ filio, Aragoniȩ Regis consobrini, Ducatus Austriȩ, & Stiriæ, quos à Conrado patruo teneat, attribuit. Arelatense præterea regnum condonat Henrico filio. Manfredus non iusto connubio genitus, neq; contentus in spem successionis tanti regni, à patre se fuisse euocatum, Conrado viuente, Siciliæ regnum, Bruttios, Calabros, Apulos, Samnium atq; Campaniam omnem interuertit, ad seque transfert.

1289. 1251 Cum Barcinonem Catalanis conuentus esset indictus, denuo A. D. VII. K. Apr. Rex, quod Ferdinandus F. decesserat, regna partitur. Petro Cataloniam à Cinga ad Salsulas eisdem finibus, quibus Pyrenæis montibus, Arana valle, & interno mari continetur, attribuit: eiusque vsufructu reseruato, in possessionem mittit Pontius. Hugo Comes Emporitanus, Bernardus S. Eugeniæ, Guilielmus Aquilonius, Albertus Cruillius, Hugo Anglesola, Arnaldus Guilielmus Cartalla, Raimundus, & Calcerandus Durgii, Guilielmus Moncada, Guilielmus Ceruilionius, Iacobus Ceruera, Raimundus Moncada, Bernardus Raimundus Ribellias, & Raimundus Timorius, ciuitasque Barcinonensis, Rege adsidente, in Petri verba iureiurando adiguntur. Iacobum Valentino regno, Balearibus, & Ebuso insulis donat.

Iolans Regina Octobri mense Oscæ obsignato testamento Petro, Iacobo, & Sanctio filiis

AERA. NAT. CHR.

filiis Posanæ Comitatū, qui à Bela Hungarię Rege fratre possidetur, legat: cuius se heredem Reginam matrem instituisse memorat. E vita hoc anno Reginam excessisse ad D. Mariæ Salensis sunt qui falso confirment: alii Leonoram, cum qua Rex diuortium fecerat, fato perfunctam tradidere. Iolans ad Vallembonam, cœnobium id Sanctimonialium ordinis Cistertiensis est in Catalonia, humari se iubet.

A.D.III.K.Iun. Ferdinandus Castellæ Rex, qui magnam Bæticæ partem ab impio
Maurorum dominatu eripuit, princeps in primis sanctus & religiosus Hispali decedit. 1290.

Septembri mense Rex Biarium, munitissimam Valentini regni arcem castris cir- 1252.
cumsidet: neque tota hieme obsidionem intermittit.

Februarii mensis initio Biarium à Muza Almorabidio arcis præfecto deditur. Ni- 1291.
hilo minus fœde dedito oppido, quam si captum foret, paucis data venia, qui inermes in 1253
deditionem venere.

Setabi, & Biario in Regis potestatem traditis, arces omnes, & castella, quæ Sucrone amne, & Murtiensis regni finibus continentur, Regi deduntur: isque dies Valentini regni debellandi, & finium propagandorum finem intulit.

Alfonsus Castellæ Rex à dissidio soceri Regis regni initiū ducit. Ab Iolāte enim vxore diuertere dicitur: & Christinam Regis Noruegiæ, Abroditas quidam existimant, filiam arcessendam curat futuram coniugem: quæ, cum Iolante Regina partum enixa aduentasset, qua erat animi leuitate, Philippo fratri sacris addicto, & Hispalensi Ecclesiæ præfecto Christinam despondet. Hinc indignatione, & odio concitato belli causæ inter socerum, & generum commouentur.

A. D. VIII. Id. Iul. Pompelone Theobaldus Nauarræ Rex decedit. Is Margaritam Archimbaudi principis F. vt Antistes Toletanus tradit, vxorem duxit. Quorum vero Archimbaudus hominum fuisset, nesciremus, nisi ex vetustis monumentis, vir doctissimus, & vetustatis obseruantissimus eruisset: quem honoris causa nominarem, si ea compellatione, qualiscunque dignitas clarissimo viro adiungi posset. Constitit enim Archimbaudum Dambetrensem ex Borbonia familia principem virum, Margaritę Reginæ parentem fuisse. Ea viro demortuo, Regem Aragonium, vti vnicum regni, & Theobaldi, & Henrici liberorum columen ad se arcessit.

K. Augusti Tudelæ, Rex, & Margarita Regina ad renouanda fœdera, & confirmanda in colloquium veniunt. Paciscuntur, vti Theobaldus regni heres Constantiam, aut Sanctiam Regis F. vxorem ducat. Rex pollicetur, se Reginæ, atque Regi filio, aduersus Castellæ Regem, Nauarræ regnum appetentem opem laturum. Colloquio adfuere Alfonsus Regis F. Garcias Episcopus Turiasonensis: & pactio ea iurisiurandi sacramento à proceribus Aragoniis, & Nauarris sancitur. Hi fuere Garcias Romæus, Petrus Cornelius, Simon Focius, Simon Peresius Arenosius, Ferricius Lizana, Petrus Martinius Luna, Sanctius Antilionius, Palatinus, & Artallus Focii, Guilielmus Podius, Rudericus Peresius Turiasonensis, Martinus Peresius Artassona Iustitiæ Aragonum Præfectus: Garcias Almorabidius, Sanctius Ferdinandius Montacutus, Garcias Gomecius Agoncilio, Gonzaluus Iohannius Bastanus, Corbaranus Lehetius, Martinus Garcesius Eusa, Petrus Gonzaluus Morentius, & Martinus Gonzaluus Morentius, Guerrerius Sirus, Simon Grossius, Petrus Simenius Valterra, & Lupus Arcezius Decanus Tudelensis.

Æstatis extremum erat cum copiæ ingentes à Castellæ Rege, Nauarræ regnum inuasuro coguntur: magnoque etiam à Rege adiunguntur: vt genero, extra fines regni resistat. Vt sint induciæ Castellani ab Rege impetrant.

A. D. IX. K. Octob. Barcinone, coram Rege, frequenti conspectu, & consilii procerum consessu, Alfonsus Regis filius ratas, firmasque sancit donationes: & Assignationes Petro, & Iacobo fratribus à Rege factas. Cauit se, neque primigenii iure, neque iurisiurandi religione, qua se Ilerdenses ciues illi obstrinxerant, atque in eius verba, tanquam veri heredis, & successoris Darocensi conuentu adegerant, vnquam Ilerdensem vrbem, aut territorium repetiturum: & Iurisiurandi vinculo eos soluit. Patre Rege pollices eius de more, vinciente, atque manibus implicante, quod fœdus sacrum habetur, fidem suam obstringit. Scribendo adfuere Archiepiscopus Tarraconensis, Episcopus Barcinonensis, Hugo Comes Rhodensis Gallię prouincię, Raimundus Fulco Vicecomes Cardonensis, Guilielmus, & Berengarius Anglesolæ, Bernardus Sanctæ Eugeniæ, Simon Peresius Arenosius, Galcerandus, & Raimundus Durgii, Guilielmus, & Berengarius Cardonę, & Bernardus Centilias.

Aprilis mensis initio Rex, & Theobaldus Rex Nauarræ Montacuti oppido congressi, 1292.

 1254

ÆRA. NAT. CHR.

concordi amicitiæ fœdere adiunguntur: mutuaque caritate inter se deuinciuntur. Non. Apr. arcibus traditis, tamquam obsidibus, aduersus omnes inimicos fœdus sanciunt. Mirum eo fœdere extitit: Regem, neminem suo nomine exceptum voluisse, præter Carolum Andium, & Prouinciæ Comitem: Francorum Regis fratrem germanum: qui postea Siciliæ regnum adeptus, capitales inimicitias cum Petro Regis F. gessit. Nauarrus Francorum Regem, & eius fratres excipit: & indutias in A. D. III. K. Oct. cum Alfonso Castellæ Rege paciscuntur. Ea fœdera se obseruaturos pollicentur ex Aragoniæ regno Bernardus Guilielmus Entenza, Petrus Cornelius, Garcias Romæus, Aluarus Peresius Azagra Petri Ferdinandij Azagræ, qui Albarrazini dominabatur F. Guilielmus Podius. Bertrandus Ahonesius. Hi proceres erant: & ex militari auctoramento deuinctis fœdus sanxere ex Aragonia Furtatus Lihorius, Petrus Peresius Turiasonensis, Innicus Orizius, Petrus Iordanis ex Exea, Rudericus Simenius Luesia, Petrus Remirius Oria, & Pontius Cellius: & nouem primiciues Turiasonenses. Ex proceribus Nauarris fidem suam obstringunt Sanctius Ferdinandius Montacutus Senescallus, Egidius Rada, Garcias Almorabitius, Ferdinandus Leratius, Gonzaluus Iohannius Baztanus, Martinus Simenius Aiuarus, Ramirus Peresius Aronizius, Corbaranus Lehetius, Artallus Luna, Petrus, & Sanctius Peresios Varillæ, qui in numero procerum censebantur. At ex militari ordine se iureiurando deuinciunt Regis Nauarræ nomine Simon Sanctius Funes, Iohannes Garcias Peralta, Roldanus Peresius Aransius, Martinus Inicius Orizius: & sex primiciues Tudelani.

Mauri, qui Valentino in regno, confecto bello, Regi se subiecerant, quæ genti est animis insita, atque innata infidelitas, Regi bello externo implicito, ab eo, Alazdraco ductore deficiunt: & magna conspiratione tumultuantur. Nostri magno tumultu, atq; propinquo permoti, auxilium nusquam, nisi ab Rege petiuere.

Rex Calataiubio Valentiam properans, opera & consilio, affectis reipublicæ rebus præsto fuit. Edici imperat, vt intra mensem Mauri regni finibus excedant: quos neque maritima opportunitas, neque Almeriensium, & Granatensium vicinitas desperatis rebus, & domum reditionis spe sublata, ab armis deducit. Cum magis dolo, quam virtute niterentur, & insidiis occultis in aperta latrocinia effunderentur, XII. castella expugnant. Ad LX. demum M. exceptis mulieribus, & pueris, qui per ætatem ad pugnam inutiles videbantur, arma capiunt: ad omnia pericula subeunda paratiores. Rege bellum vrguente, equitatus ex omni regno cogitur. Publica fide Vilienam hostium maior pars emigrat: & Murciensi, & Granatensi regno, & Spartario campo, quem Arabes Manxam vocant, & Oretanis, Carpetanisq; regionibus disijciuntur.

Alazdracus in rebellione permanens, suis copiis bellum nostris infert: cui animos addidere Alfonsus Castellæ Rex Emmanuel, & Fredericus eius fratres: vt supra biennium, cum animi obstinatione omnis spes salutis consisteret, nostris repugnaret.

Iunio mense Valentiæ Aluarus Peresius Azagra, qui mortuo Petro Ferdinandio patre Albarrazini dominabatur, se Regi addicit.

Cum Alfonsus à patre diffidere, in tanto rerum tumultu non intermitteret, Rex, vt eius animum regnandi cupidine inflammatum leniat, Aragonij, & Valentini regni procurationi præficit. Biario Alfonsus Regi pollicetur, se Alfonsi Regis causam, quam in summam expectationem perduxerat, deserturum: neq; cum eo societatem coiturum: aut fœdus facturum. Vt res componantur, & ab armis discedatur, Rex summopere contendit.

Stellæ Nauarræ oppido, Augusto mense Didacus Lupius Pharensis, Vizcaiæ dominus, qui à Castellæ Rege desciuerat, Iacobi Regis imperio se subijcit. Rex sacramentum apud se dicere iubet: & militaribus beneficiis ornat: quæ illi in D. equitum stipendia conferuntur. Scribendo adfuere Andreas Valentinus Episcopus, Bertrandus Ahonesius, Sanctius Gonzaluius Heredia, Ortius Ortizius Stunica, Ferdinandus Ruicius Miancias, & Sanctius Martinius Bannarius.

Aragoniæ, & Castellæ Reges, cum ad id temporis facultas colloquendi non fuisset, & ea tempestate vtrobique res nouarentur, opera, & interuentu prudentissimi viri Bernardi Vitalis Besalunensis, ad colloquium inter Agredam, & Turiasonem deueniunt. De compositione agitur: constituuntque, vt Nauarræ regnum in tutelam, ac propugnationem Regis tradatur. Magna generi inconstantia breui renouato bello, ad pristinam concertationem recidunt.

Oscæ Decembris mensis initio Rex Alfonsum filium iudicio Simonis Focij, Bernardi Guilielmi Entenzæ, & Simonis Peresij Arenosij iurisiurandi vinculo adstrictum subijcit: qui de controuersiis omnibus sententiam ferant.

Huius

Huius anni initio Rex Calataiubium contendit: veritus ne gener, mobilitate ingenii pacem, atq; bellum mutare solitus: in Nauarræ fines inuadat. AERA. NAT. CHR.

A. D. VII. Id. Mai Cæsaraugustæ Rex Exerica oppido, eiusque ditione omni Theresiam Egidii filiam Vidauriam nobilem feminam, & filium, qui ex ea nasceretur, donat: cum qua contubernii necessitudo plures annos intercessit: quæ postea Regi, cui connubii ius fuit, enupsisse traditur. 1293. 1255

A. D. VIII. Id. Septemb. cum ab Alfonso Rege Nauarrensibus oppidis, atque arcibus vis, atque arma inferenda denunciarentur, & Rex, vt omnem eius conatum propellat, Stellæ assidet, Henricus Alfonsi Regis frater, & Lupus Diazius Pharensis, qui mortuo Didaco patre Viscaiæ dominari cœpit, ab Rege Castellæ desciscentes, se Regi tradunt: atque eius imperio subiiciunt. Rex eorum causam aduersus generum se propugnaturum spondet. Lupum Pharensem primarii, & præstantes viri cognatione illi adiuncti comitantur Sanctius Garcias Salzedius, Didacus Lupius Mendoza, Gonzaluus Ruicius Vega, Lupus Velascus, Gonzaluus Gomezius Aguero, Gonzaluus Gonzaluius Luzius, Innicus Simenius Lanclarius, Didacus Ruicius Tresponius, Lupus Diacius Mendoza, Michael Innicius Zuacius, Sanctius Gonzaluius Heredia, Lupus Garcias Salarzal, Didacus Gonzaluius Zuallius, Sanctius Martinius Bannarius, Ferdinandus Ruicius Miancias, Didacus Lupius Francus, Rudericus Sanctius Landa, Lupus Innicius Horoscius, Fortunius Sanctius Veraffurius, Iohannes Martinius Heredia, Sanctius Peresius Gazeus, Guterrius Gonzaluus Maia: & Gōzaluus Ruicius. Omnes fidem suam obstringunt Pharensem pactis conuentis mansurum: & sacramento adacturum, cum ad legitimam ætatem perueniret: neque cum Rege Castellæ pacis fœdera initurum: quoad ea controuersia, quæ Regi cum genero vertebatur, Sanctii Garciæ Salzedi, & Lupi Valasci sententia decideretur.

Martio mense, cum Rex præsentibus reipublicæ temporibus potius conuenire videret, se placabilem genero præbere, quam pristinæ dissensioni indulgere, & gener ad maiores se res applicuisset, & animum ad Imperii Romani gubernacula capescenda admouisset, ac se, statumque omnem rebus externis tradidisset, controuersias omnes, ad concordiam adduci posse sperantes, Soriæ ad colloquium congrediuntur. Eo in oppido fœdera, quæ facta quondam à superioris ætatis Aragoniæ, & Castellæ Regibus fuerant, sanciuntur. Recipit Castellæ Rex, se arces, eius fœderis veluti obsides traditurum. In eam pactionem à Rege deuentum est: quod Mauri Valentini, qui in defectione perstiterant, Castellanis, & Carpetanis auxiliis adeo niterentur, vt Alazdracus eorum ductor veterator, & impiger, & qui in Valentinos fines ferociter incursaret, in arcium propugnaculis vexilla Regis Alfonsi, & Emmanuelis eius fratris prætenderet. 1294. 1256

A. D. II. Id. Apr. Margarita Nauarræ Regina Theobaldi maioris Regis vxor ad Priuignum obiisse, & ad Claramuallem tumulo humata fuisse vetustis annalibus perhibetur.

Guilielmo Romanorum Rege perempto, assidentibus VII. Viris, Germanorum regni principibus, qui vetustis Othonis III. Imperatoris institutis electioni Regum, in Imperatoriam, & Augustam dignitatem sufficiendorum præficiuntur, cum in octauis Epiphaniæ Ricardus Cornubiensis Comes Regis Anglorum frater, à Coloniensi Archiepiscopo, qui suo, & Moguntini Antistitis nomine conuenerat, assidente, & consentiente Palatino Comite, Rex adsciceretur, & Aquisgrani coronatus, & inunctus fuisset, Archiepiscopus Treuerensis, Saxoniæ Dux, & Bohemiæ Regis procurator Palmarum Dominica die constituta, Alfonsum Castellæ Regem, Philippi Imperatoris nepotem, in Imperii fastigium euehunt. Ea principum distractione, Alfonso Rege ad Imperatoriam dignitatem euocato, ipsius Regis opes, & regna discerpuntur: & dilacerantur.

Iuuat me rem maxime occultam, præclaro monumento producto, in lucem proferre: ne aliquot virorum doctrina præstantium opinione, qui nostra ætate Iohannis Auentini excitandam animaduersionem, & diligentiam operæ pretium existimauerunt, in manifestum errorem rapiamur. Neque enim quemquam in re, quæ permagni momenti est, falsa opinione, aut errore duci oportet: vt arbitretur Gregorium V. Pont. Max. & ipsum natione Saxonem, non fuisse primum, qui ad creandi Imperatoris institutam sanctionem animum adiecerit: & lege perlata, assentiente Othone III. Imperatore, qui legitima prole careret, decreuerit, ne in posterum iure successionis Imperatoria dignitas traduceretur: sed tres primarii Germaniæ antistites, totidemque proceres, adscito Rege Bohemiæ, vbi paria suffragia in Imperio mandando inirentur, Augustorum

AERA. NAT. CHR.

comitiorum auctores, atque sequestres constituerentur: sed Frederico II. ex humanis exempto, dissentientibus Germaniç Principibus, formulam eam creandi Imperatoris prolatam. Ego illos, inquit Auentinus, post fata Frederici II. institutos, & à Gregorio X. Pont. Max. confirmatos esse compertum habeo. Tam fidenter ius Principum Electorum id temporis constitutum pro re comperta tradidit. At Vrbanus IIII. qui & Gregorium ipsum, & Clementem itidem IIII. Pontificatu Maximo antecessit, cum Ricardum, & Alfonsum, quibus eius honoris, & dignitatis certamen erat, ad concordiam reducere conatur, hortaturque, vti se iudicio Apostolico sistant, sanctionem eam antiquiorem memoria omni fuisse commemorat. Litteræ Apostolicæ dignæ maxime visæ sunt, quæ hoc in loco recenseantur.

„ VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei R. in Romanorum Regem electo. Qui cælum terramque regit, is nimirum cæli nouit ordinem: & in terra potest cælestis ponere ordinis rationem. Is exempla de superis ad inferiora deriuans, sicut in firmamento Cæli duo luminaria magna constituit, vt mundum vicibus suis illustraret, sic & in terris maxima dona sua, Sacerdotium videlicet, & Imperium ad plenum spiritualium, mundanorumque regimen, ad firmamentum Ecclesiæ militantis instituens, vtriusque potestatis ita discreuit officia, vt eorum officiosa diuersitas nulla sibi aduersitate dissentiat: sed in commissi executione regiminis, ex officii debito in voti vnitate concordet: & ipsorum proculdubio pro futura concordia alterutrius alternis fulta præsidiis, ac vtriusque mutuis fota fauoribus opus iustitiæ liberius operetur: pacem mundo pariens: tranquillitatem inducens, & nutriēs vnitatē. Imperium si quidem ad salutem Sacerdotali auctoritate dirigitur: & ipsius adiutum suffragiis, sedatis procellosis interdum imminentium tempestatum turbinibus, tranquillum redditur, & quietum. Sacerdotium vero pium, & tutum habere debet refugium: Imperialem mansuetudinem cum sua veneratione coniunctam: vt Imperii Romani fastigium, & eius culmini præsidens, specialis aduocati, & defensoris præcipui circa Ecclesiam gerat officium: & in ipsius fortitudine brachii defensentur Ecclesiç libertates: & iura manu teneantur ipsarum: extirpentur hæreses: cultus Christianæ fidei amplietur: & inimicis consternatis eiusdem, in pacis pulchritudine sedeat populus Christianus: & in requie opulenta quiescat. Verum humani generis inimicus pacis impatiens, amator litium, discordiæ seminator vtriusque profectibus inuidens claræ memoriæ Wilhelmo Romanorum Rege rebus humanis erepto, inter te, & carissimum in Christo filium nostrum Regem Castellæ, ac Legionis illustrem in Romanorum Regem electum, circa obtinendam eiusdem Imperii dignitatem, contentionis materiam suscitauit: vt vobis circa hæc contendentibus, careret Imperialis regiminis commodis orbis terræ: & tanti brachii, tam vtilis, tam necessarii, tam cari carentiam, ex ipsius vacatione diutina, molestam admodum, & nociuam damnosa experiētia ecclesia prædicta sentiret. Sentit itaque, sentit mater Ecclesia tam populi sibi commissi, quam suam grauem de huiusmodi contentione iacturam. Creuit namque peruersorum audacia, & ipsorum abundante malitia, dum eorundem vacante Imperio, ipsi ecclesiæ defensionis debitæ suffragia subtrahuntur: liberius peccatis insistitur: hæreses pullulant, scandala suscitantur, multiplicantur cædes, & strages, iniuriæ inualescunt: in persecutionum turbinibus Petri nauicula fluctuat: & interdum, qui fidelium ipsius censeri nomine gloriantur, in arcum peruersum, fidei debitum non seruando, conuersi, tam in suis iuribus iniuriose impetunt, & molestant: illa nunc denegando pro libito: nunc illicite occupando: propter quod eadem ecclesia non immerito huiusmodi vacationem deplorat Imperii: & de animarum periculis, quæ peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens suspiria, ingemiscit. Ex eo insuper quam dure, quam grauiter materna eius viscera quatiuntur, quod ipsa tam caros filios, tam inclitos Principes in suo sentiens vtero collidentes, prudenter aduertit tuam, & prædicti Regis potentiam in Christi blasphemos, & inimicos nominis Christiani potenter, & magnificę more solito exercendā, in proprium, & grāde domesticorum fidei detrimentum talibus contentionibus implicari. Hæc igitur, & alia incommoda dissensionis huiusmodi eadem ecclesia materno pensans affectu, in his auxilii sui dextram non subtraxit: sed vigilauit attentius: & attentione sollicita vigilanter intendit: multaque sollicitudine peruigil laborauit, vt discriminibus tantis occurreret: teque: ac ipsum Regem à discordiarum dispendiis præseruaret. Et licet inter vos iudicis partes assumere, non sine causa distulerit, præsertim, cum tam tui, quam ipsius Regis nuntii, in recordationis felicis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, nostra, & fratrum nostrorum præsentia constituti, super prædictis, iudiciarium Apostolicæ Sedis examen expresse vsque ad hæc tempora declinarint, dilationem tamen huiusmodi, etiam illa vtilitatis vtriusque partis considera-

ratio,

ratio,& paternæ pietatis cautela, pro vobis consilium capiens persuasit, vt vestris animis ad hoc habilitatis, interim ad reformanda inter vos amicitiæ fœdera, congruentia tempora captarentur: vt remedia promptiora paterent: per quæ occasione discordiæ sublata, vos glutinum solitæ caritatis vniret: ac in vestræ soliditate concordiæ, quam tractatus, qui super hoc, inter vos dicebantur haberi, promittere videbantur, sub sui Principis ducatu pacifico daretur eidem sabatthismus Imperio: & sedatis scandalis, quietis optatæ iucunditas prouenire: pestis exterminaretur hæretica: animarum pericula vitarentur: Ecclesia Cæsareo munita præsidio, & ab hostilibus erepta persecutorum incursibus respiraret: ac eorum, qui sub simulatę fidelitatis audacia nocent fidentius, temeraria nocendi confidentia refrænata, suorũ iuriũ integritate gauderet. Hæc quidē hactenus expectauimus anxij, hęc desiderauimus anxia expectatione diutius: in his prędecessoris, nostra, & fratrum ipsorum sollicitudo non defuit: secundum Apostolicæ circumspectionis iudicium, de contingentibus nihil omittens. Et quamquam, vt votis nostris satisfieret in hac parte, huiusq; non fuerit ex alto cōcessum, tamen ad id nostra semper suspirauit intentio, ad id plenis desideriis anxiamur: non proponentes à cœptis desistere: quin circa negotiũ huiusmodi, sub spe illius, qui facit magna, & inscrutabilia, qui facit concordiam in sublimibus, prosequi pacis semitas intēdimus: quidquid per nuntios, & procuratores partium, corā nobis nouissime his diebus propositum, petitumve fuerit, & responsum. Et quidem venerabilis frater noster Laur. Episcopus, & dilecti filii Guilielmus Archidiaconus Roffensis, ac Robertus de Baro, ꝓcuratores, & nuntii tui, à te plenariam potestatē habētes, vt in nostro consistorio tua proponerent negocia, & peterent cū sollēnitate, qua cōueniret, vocationē tuā sollemniter ad coronā, ac vniuersa, & singula circa hæc gererent fideliter: ac procurarent: quæ per veros nuntios, ac procuratores, ad hoc specialiter deputatos legitime possent agi: peti: & etiam procurari: coram nobis, & eisdem fratribus proponere curauerunt: quasdam consuetudines, circa electionem noui Regis Romanorum, in Imperatorem postea promouendi, apud Principes, vocem in huiusmodi electione habentes, qui sunt VII. numero, pro iure seruari: & fuisse hactenus obseruatas: à tempore, cuius memoria non existit: secundum quas infra annum, & diem, postquam vacat Imperium, talis debet electio celebrari: quacumque parte ipsorum anni, & diei, q̄ ad hoc iidem Principes duxerint deputandam: & ad Archiepiscopum Maguntinum, & Comitem Palatinum Rheni, vel ipsorum alterum, altero nequeunte, vel forsitan non volente, pertinet ad electionem ipsam celebrandam, diem præfigere: ac ceteros electores Principes conuocare. Quibus omnibus, vel saltem duobus ex ipsis, die præfixa conuenientibus apud oppidum de Franckenford, intus, vel extra ipsum oppidum in terra, quæ dicitur Franckforde, loco quidem ad hoc deputato specialiter ab antiquo, ad electionem ipsam procedi potest, & debet: secundum morem ipsius Imperii approbatum: & electione taliter celebrata electus, si electioni consenserit, ante Aquisgrani per dies aliquos facta mora infra annum, & diem post celebratā electionem eamdem, quando electus voluerit, per Coloniensem Archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, inungitur, consecratur, & etiam coronatur. Quo facto via præcluditur contra electionē, vel electum iam Regē Romanorū effectum dicendi aliquid: vel etiā opponendi: sed idem electus prædicto modo inunctus, consecratus, & coronatus pro Rege habetur: & ei tamquam Regi debetà subditis, & vassallis Imperii obediri: suo more homagia, & fidelitatis iuramēta præstari: assignari ciuitates: oppida: castra: & specialiter castrū de Treueris: ac alia iura Imperii infra annum, & diē, à tēpore coronationis eiusdem: ita q; si qui de vassallis Imperii ea homagia non præstiterint cōsueta, & nō reddiderint ciuitates, castra, & alia supradicta, illis, quæ ab imperio tenent eodem, sunt & ipsi priuandi. Et si votis Principum, ad quos spectat eligere, ad eligendū conuenientium, diuisis in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit, ad prædictū Comitem Palatinum, tamquam ad huius discordię iudicem, est recursus habendus: ni forsan super electione, vel coronatione huiusmodi suborta discordia, per appellationem, vel querelam prædictorū Principū ad examen Sedis Apostolicæ, quo casu, ipsius est in tali casu cognitio, deferatur. Intelligitur autem is electus esse concorditer, in quem vota omnium electorum Principum, vel saltem duorum tantum modo in electione præsentium diriguntur. In discordia vero is etiam reputatur electus, de quo in loco non solito electio celebratur: & in termino, de communi consensu dictorum Principum non statuto, quē si forsan prædicti Principes infra annū & diē, à die vacantis Imperii concorditer statuant, licet non exprimāt, quod ipsum peremptoriū esse velint terminum, terminus tamē ab eis prefixus taliter, peremptorius reputatur. Porro iidē procuratores his,

AERA. NAT. CHR.

& aliis quibusdam prælibatis consuetudinibus adiecerunt, quod vacante Romano Imperio, die per omnes prædictos Principes, pro celebrãda Regis Romani in Imperatorem postea promouendi electione, statuto, in Octauis Epiphaniæ Anno Domini MCCLVI. apud memoratum oppidum de Franckenford quinque tantum de dictis Principibus, tum per se, tum per alios, videlicet bonæ memoriæ Maguntinus Archiepiscopus, qui legitimo impedimento detentus, ipsi Coloniensi Archiepiscopo ea vice, in hoc commiserat vices suas, & dilectus filius nobilis vir Comes Palatinus apud Franckẽford, bonę memoriæ vero Treuerensis Archiepiscopus, & dilectus filius nobilis vir Dux Saxoniæ intra dictum oppidum conuenerunt. Cumque idem Treuerensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ præfatos Archiepiscopum Coloniensem, & Comitem nec ipsum oppidum intrare permitterent, nec ad eos exire vellent, super hoc sæpius requisiti, dicti Archiepiscopus Coloniensis, & Comes attendentes, ex lapsu temporis periculum imminere, si forsan non fieret electo illa die, quæ ad hoc fuerat peremptorie constituta, præsertim cum de anno, & die, post vacationem Imperii quindecim dies solummodo superessent, infra quos nullo modo potuissent, propter locorum distantiam, & alias facti circumstantias præfati Principes iterum conuenire, cum Prælatis, Ducibus, & aliis ibidem præsentibus deliberatione præhabita, de ipsorum communi consilio, & assensu ad electionem procedere decreuerunt. Et tandem præfatus Coloniensis pro se, & dictis Maguntino, cuius vicem gerebat, & Comite præsente, ac consentiente, Dei nomine inuocato, te in Regem Romanorũ elegit: & mox electionem huiusmodi, Magnatum, & aliorum astantium copiosæ multitudini publicauit: cui electioni, per carissimum in Christo filium nostrum Regem Bohemiæ illustrem post paucos dies consensu præstito, demum tu, ad tuorum electorum, & aliorum Imperii optimatium, qui propter hoc ad te, in Angliam accesserunt, instantiam, & requisitionem instantem eidem electioni, post diligentem super hoc tractatum habitum, consensisti: ac personaliter Alamaniæ Regnum ingressus: & moram apud Aquas Grani, quantum decuit, faciens, nec inueniens resistentem, post modum fuisti per sæpe dictum Coloniensem Archiepiscopum, ad cuius id spectabat officium, consecratus, inunctus, coronatus, ac inthronizatus regio more, in sede MAGNI CAROLI nullo se inibi, coronationi tuæ re, aut verbaliter apponente. Recepisti quoque homagia magnatum regni eiusdẽ: ac fidelitatis etiam iuramenta. Obtinuisti ornamenta, & insignia Imperialia, quibus Rex Romanorum solet ornari, cum Romæ inungitur: ac consecratur per manus summi Pontificis: & sacrum Imperii suscipit diadema: & sine quibus aliquis ad vnctionem, consecrationem, & coronationem huiusmodi non solet, nec debet admitti. Reddita insuper tibi fuerunt quam plurima oppida, castra, villę & iura Imperii, tamquam Regi: tuque ipsius regni possessionem adeptus ipsam tenes: & per sex annos, & amplius tenuisti. Ex his autem procuratores tui arguere videbantur, quod cũ memorati Treuerẽsis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ recusando dicta die procedere, reliqui vero non veniendo ad terminum concorditer assignatũ, se alienos ab electione reddiderunt ea vice, tu ab omnib⁹ Principibus, vel saltẽ ab iis, in quos totaliter ius eligẽdi reciderat, cẽseri debes elect⁹: pro certo, ac indubitato ponentes ius in regno, & Imperio supradictis, tibi electo, prædictis consuetudinibus obseruatis vbi, & à quibus id fieri debuit, & nulli alii acquisitum: ac regium nomen, & Imperii diadema indubitate deberi. Supplicauerunt instanter, & humiliter petierunt, tibi & huiusmodi nomen ascribi: maxime cum antedictus prædecessor noster id tibi, de fratrum suorum consilio ascripsisset: te in eisdem regno, & Imperio, quibuslibet aliis præferendo: sicut per ipsius litteras ostendere nitebantur: teque per nos inungendum, consecrandum, & coronandum in Romanorum Imperatorem, aduocatum, ac defensorem Ecclesiæ, ad ipsum diadema, de nostris suscipiendum manibus, sine despendio vlterius moræ, vocari, & Apostolicum tibi fauorẽ impendi, præsertim cum non tãtum maior pars Principum prædictorum, immo omnes, excepto nobili viro Marchione Brandeburgensi, qui etiam paratus est tibi obedire, vt iidem nuntii proponebant, electioni de te factæ consentiant: & tibi, tam ipsi, quam alii magnates Alamaniæ generaliter, tamquam suo Regi obediant: & intendant: petitionem suam illa indubitata, sicut asserunt, in Imperio, & iure munita consuetudine fulcientes, qua dicta electione in Romanum Regem, secundum solitum morem Imperii, vbi, & à quibus debet, & postmodum per supradictum Coloniensem Archiepiscopum inuncto, consecrato, & coronato, eo ipso regiũ nomen adquiri: & si electæ personæ impedimenta non obuiant, vocandum sine dilatione aliqua per summum Pontificẽ ad coronam: ad id non solum morẽ Imperii approbatum, sed etiam quamdã felicis recordationis INNOCENTII PAPÆ III. prædecessoris nostri decretalẽm epistolam allegantes ac dicentes: per contradictionem memo-

AERA. NAT. CHR.

memorati Regis, vel electionem, quæ de ipso facta dicitur, petitionem præmissam non debere aliquatenus impediri: cùm secundū prædictas consuetudines, & termino ad hoc statuto, de communi Principum prædictorum consensu, transacto, & post electionem tuam legitimam non cassatam, à solo nominato Treuerensi, qui propter noua pedagia, quæ in terra sua imposuit, erat tunc excommunicatione ligatus, nulla omnio forma seruata, in camera eiusdem Treuerensis Archiepiscopi, contemptis aliis principibus, clandestine acceptata: cum nullā ab eisdē Principibus, super hoc potestatem haberet: quam, etiam si ab aliquibus habuisset, sicut quædam pro parte altera exhibitæ litteræ innuebāt, formam tamen ipsius, quæ secundum tenorem litterarum ipsarum, ad certam diem se tātummodo extendebant, non eligendo ipsa die minime obseruauit. Ex parte vero supradicti REGIS CASTELLÆ per venerabiles F. N. Garsiam Siluensem, & fratrem Dominicum Abulensem Episcopos, ac dilectum filium magistrum Iohannem capellanum nostrum Archidiaconum Compostellanum ipsius procuratores, actores, & negotiorū gestores generales, & speciales omnes in solidum, ita quod occupantis non sit melior conditio, mandatū habentes ab ipso, ad petendum pro eo, & suo nomine à nobis, & prædictis fratribus nostris coronam Imperii: & assignari sibi diem ad recipiendam ipsam: & ad agēdum, respondendum, defendendum, & tractandum iura sua, & Imperii: & quidquid honori ei⁹ expedire viderent: siue in ordinario, siue in extraordinario iudicio ageretur, fuit è contra propositum. QVOD prædictus dies Octauarum Epiphaniæ non ad eligēdum, sed ad tractandum super electione futuri Regis, & Imperatoris, & ad assignandum diē ad celebrandam electionem eamdem, non per omnes, sed per quosdam ex ipsis Principibus, extitit assignatus: qua die præfati Treuerensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ per se, ac dilectum filium nobilem virum Marchionem Brandeburgensem, qui eidem Treuerensi Archiepiscopo, vices suas cōmiserat, nec non & procuratores memorati Regis Bohemiæ, ad prædictum oppidum tamquā viri pacifici accesserunt. Supradicti vero Coloniensis Archiepūs, & Comes cū ingenti armatorū multitudine, ad loca circū vicina ipsi oppido venientes, requisiti per Treuerēsem Archiepūm, Ducē, & procuratores prædictos, qui eorū impressionē verisimiliter formidabant, vt idē oppidum intrarent cum societate decenti, de assignando die ad electionē celebrandā, prout terminus exigebat, si ad hoc essent habiles, vna cū ipsis pacifice tractaturi, nō solū id facere contēpserunt, verū etiā proprii persecutores arbitrii præsumpserūt te in Regē Alamaniæ non sine multo contēptu aliorū Principū, nominare. Memorati autē Treuerensis Archiepiscopus, Dux, & procurator nominationē huiusmodi attendentes penitus esse nullā, præsertim cū dicti Coloniēsis Archiepiscopus pro eo, ꝙ bonę memorię P. S. Georgii ad Velū aureum diaconū Cardinalē tūc legatū in Alamaniæ partibus manus iniecerat: ac venerabilem F. N. Podebiunn. Episcopum præsumebat detinere captiuum: propter, ꝙ per eumdem etiam legatū extitit excommunicatus. Comes vero propter clericorum, & religiosorum cædes, & notorias captiones, & quia contra sententiam felicis recordationis INNOCENTII Papæ IV. prædecessoris nostri, quondam Frederico, olim Romanorum Imperatori, & Corrado nato eius præstiterat publice consilium, auxilium, & fauorem, erant ipsius electionis tempore tam à Canone, quam ab homine variis excommunicationibus innodati: & Maguntinus Archiepiscopus, cuius idem Coloniensis Archiepiscopus se vices gerere asserebat, in vinculis teneretur: propter quod carens arbitrii libertate, præstare non potuit, prout iura exigunt, liberū in electione consensum: nec etiam de futuro præstitit: ad electionē celebrādam, certū terminum statuerant, subsequentem Dominicam passionis. Quo quidē termino, vsq; ad Dominicam proximam Palmarum, continuato de die, in diem, & memoratis Maguntino, tunc à vinculis liberato, Coloniensi Archiepiscopo, & Comite requisitis, & nolentib⁹ interesse, dict⁹ Treuerēsis Archiepūs à prędictis Rege Bohemię, Duce, & Marchione sibi, super hoc potestate cōmissa, dictū Regem Castellę suo, & aliorū nomine publice, ac sollemniter in eodem oppido de Franckford, Dei nomine inuocato, in Romanorum Regem, & Imperatorem elegit: & electionem ipsam, omnibus astantibus publicauit: ideoq; Rex Castellæ ipsa electione sibi, per complures Magnates Imperii, ad ipsum propter hoc in Hispaniā accedentes, postmodū pręsentata, electioni consensit eidē. Ex præmissis sane iidem procuratores, & nuntii prælibati Regis Castellæ dicentes electionem ipsam, vbi, & à quibus debuit, celebratam legitime, allegabant electionem eamdem impediri non potuisse per tuam: quæ, sicut dicunt, nulla extitit ipso iure. Nam cum prædictus dies octauarum, non ad eligendū, sed ad tractandum de statuenda die & ipsam statuendum, ad electionem celebrandā noui Regis, fuerit nō per omnes prædictos Principes, sed per aliquos ex eis, vt præmittitur assignat⁹, qui, etiā si ad eligendū statut⁹ fuisset,

,, per maiorem partem eorundem Principum, minoris partis non obstante contradictio-
,, ne, mutari, & prorogari potuit, & exstitit prorogatus, cōstat electionē de te, maxime per
,, pauciores de ipsis Principibus excommunicatos, ipsa die octauarū factam nullam peni-
,, tus exstitisse. Excommunicationem etiam contra memoratum Archiepiscopum Treue-
,, rēsem obiectam, & consuetudinem, quæ de celebranda à tempore vacantis Imperii infra
,, annum, & diem, Regis Romanorum electione proponitur, ac alias omnes negantes alle-
,, gabant: quod si veritate huiusmodi propositio fulciretur, electio tua, quæ xv. diebus, de
,, ipso tempore tunc restantibus, celebrata fertur, ex hoc etiam nulla esset: cum non licue-
,, rit minori parti, maiori cōtempta, diem vltimam ipsius temporis præuenire. Per quæ ap-
,, parere dicebant, quod electores eiusdem Regis Castellæ, nolendo illo die eligere, non
,, fuerunt eligendi iure priuati: nec si etiā, vt pars aduersa proponit, ad minorē partē renuis-
,, sent exire. Nam cum infra prædictum oppidum de Frankeford Romani Regis, & Impe-
,, ratoris, & non alibi debeat electio celebrari, minor pars non poterat ad locum alium co-
,, arctare maiorem. Adiecerunt præterea inunctionem, consecrationem, ac possessionem
,, prædictas, quam quidem possessionem omnino negabant, & cetera pro parte tua, indu-
,, cta, cum ex electione tua, quę, vt prędicitur, nulla exstiterat, secuta fuerint, tāquam nulla,
,, nullum potuisse tuo munimentum afferre: aut eiusdem Regis Castellæ iuri præiudicium
,, generare: subiungentes Coloniensem Archiepiscopum supra dictum consecrationē, vel
,, inunctionem, seu coronationem, quæ ius tribuant, dare non posse: nisi ei, qui à maiori, &
,, saniori parte prędictorum Principum est electus. Alioquin illa sequeretur absurditas, ꝙ
,, solus Coloniensis Archiepiscopus precibus inductus, vel corruptus pretio, cui vellet
,, Imperium dare posset. Quod autem de litteris supradicti prædecessoris Alexandri præ-
,, mittitur, in quibus tibi Regiū nomē dicebatur ascriptum, teq; in prædictis Regno, & Im-
,, perio fuisse prælatū, multipliciter cōfutabant: tū quia, quoties corā ipso prædecessore A-
,, lexandro, ac fratribus suis, de imperii negotio agebatur, idē prædecessor Alexāder publi-
,, ce asserebat, ꝙ super eodem negotio, nihil in dicti Regis Castellæ præiudiciū attētaret: ꝙ
,, etiam ipsi Regi Castellę p̱ litteras, & quondā A. de Ferentino suū capellanū, & nuntium
,, intimauit: propter ꝙ prædictæ per te inductæ literæ merito sunt suspectæ: nec credendæ,
,, de eiusdē prędecessoris A. cōscientia emanasse: tū etiā, quia si de ipsius conscientia, & fra-
,, trum suorū consilio processissent, cum iniuriosæ sint debēt merito reuocari. Vnde iidem
,, Regis Castellę procuratores, & nūtii electionē de ipso factā, electione tua prędicta & his
,, quę pro te fuerunt obiecta, nō obstātibus, fore legitimā, vt pote celebratā à maiori parte
,, ipsorū Principū, quos iidē ꝓcuratores, & nuntii variare nō potuisse allegāt, & variasse nō
,, credūt: immo fictione iuris ab omnibꝰ: cū alii, vtpote inhabiles, electioni nō potuerint, vel
,, saltē noluerint in loco solito, & tēpore debito interesse: ac ipsū potiorē in prędictis Regno,
,, & Imperio arguētes, cum instātia postularūt ipsi Regi Castellę cōsuetū, fauorē & debitā in
,, huiusmdi negotio iustitiam exhiberi: apertius exprimētes hāc fore iustitiā debitā, hūc esse
,, fauorē in talibus cōsuetū: videlicet, ꝙ quando aliqui ad Imperiū in discordia Principū eli-
,, guntur, Sedes Apostolica illū, qui electus est à parte maiori, personæ impedimētis cessan-
,, tibus, denuntiat, electū canonice: ac Regē nominat parte aliqua nō citata: & ei fauorem
,, pręstat, illiq; terminū, ad recipiēdā coronā assignat: etiā si alter taliter electorū Regni pos-
,, sessionē præsumpserit occupare: sicut in electionibꝰ LOTHARII, CORRADI, OTHONIS, &
,, PHILIPPI, & aliorū pluriū obseruatū fuisse dicebāt: ad hoc prędictā Decretalem episto-
,, lam inducentes. Eisdem autē præfati Regis Castellæ nuntiis petitioni prædictæ, super de-
,, bita iustitia exhibenda, porrectæ insistentibus, nos memoratum Rosensem Episcopum,
,, & alios tuos procuratores, de prædictorum fratrum consilio duximus, requirēdos: si vel-
,, lent super præmissis subire tuo nomine nostrum, & Apostolicæ sedis examen: qui habito
,, consilio respōderunt, ꝙ cum sis Princeps Catholicus, nobis, & Ecclesiæ Romanæ deuo-
,, tus, ipsam caput Christianitatis, & fidei, tuamq; matrem, & dominam recognoscens, nec
,, intēdas illius declinare iudicium, in quibus illud subire debes, & de iure teneris, & in Im-
,, perio ius habeas, ac Regni Alamaniæ, & eius iurium possessionem obtineas, parati erāt, in
,, quātum prædicti mandati, quod à te habebant, se vires extendunt, pro te, ac tuo nomine,
,, tanquam pro Rege vero ac legitimo, priore, iudicium nostrū, & Ecclesię Romanę subire
,, si quis appareret, qui te super præmissis velit impetere: aut aliquid, quocunq; modo pro-
,, ponere: propter quod tibi possit aliquod præiudicium generari saluis semper in omnibus,
,, & per omnia iurisdictione, potestate, officio, auctoritate, dignitate, honore, ac libertate
,, sacri Romani Imperii: eiusq; Principū: ad quos specialiter spectat Romani Regis electio:
,, & quibus præiudicare non intendebant: vel alias quomodolibet derogare: petitionē tuo
,, præmissam nomine nihilominus repetentes. Ecce fili carissime dum ad petitionem iusti-
tiæ,

tiæ, ab vna parte proceditur, nec ab altera iudicio ceditur, sed ipsius prosecutioni constanter instatur, nos, qui sperabamus, quod per tuam, & ipsius Regis concordiam, & concordem supradicti ordinationem Imperij, desideratæ quietis nobis serenitas arrideret, in iudiciorum inquietos anfractus ingerimur: & expeditæ iustitiæ constantia in ipsorum nos fluctus impellit. Ecce pacem expectauimus, & non venit: requisiuimus bona, & turbatio strepitus iudicialis offertur. Profecto non id desiderabat Ecclesiæ, Imperiali auxilio releuanda necessitas: non id exigebant laceræ partes Imperij: occupantibus expositę manibus direptorum: non id requirebat Christianitatis, maxime his temporibus, miseranda conditio: quam & intrinseca, plusquam ciuilia bella concutiunt: & inhumaniter efferarum immanitates gentium: ac præcipue Tartaricæ feritatis affligunt: quibus potius debebatur, vt per tractatus pacificos, Cæsarei culminis accelerāda prouisio, in vnitate capitis, viribus reintegratis Imperij, contra tot discrimina prouideret. Nos itaq; pacis cogitatus sollicite cogitantes, ac de illius sperātes omnipotētia, & immēsa virtute, sub quo curuantur, qui portant orbē, qui ventis imperat: & ad eius nutū stat spiritus procellarum: pacis tractatibus prouidimus insistendū: & ideo hinc inde propositis à nobis, & prædictis fratribus nostris, in discussione exactæ deliberationis inductis, de ipsorū cōsilio, tā ad magnificentię tuæ pręsentiam, quā ad dictum Regem Castellæ nuntios deliberauimus destinandos: qui vos ad pacē inuitent: ad q; dilectū filium magistrum Guilielmum capellanū nostrū Archidiaconū in Ecclesia Parisiensi, virum vtiq; prouidū, consilij maturitate conspicuū, & nobis, ac eisdem fratribus plurimū merito suę probitatis acceptū, de cuius industria, & fidelitate nos, & ipsi fratres plene confidētes, ad tuā magnificentiā specialiter destinamus. Et nihilominus, cū simus omnibus in iustitia debitores, nec debeamus eā personis denegare sublimibus, qui super ipsa, etiā ab humilibus requisiti, nostri partes officij nō negamus, te, & eundē Regē Castellę citandos decreuimus: & te, de prædictorum fratrum consilio, peremptorie præsentium tenore citamus: vt secundo die Mai proxime venturi Apostolico conspectui, per procuratores idoneos te præsentes: qui tuæ conscientiæ cōscii legitimum, & plenum à te mandatum habeant: ad pacis tractatum, si Dominus dederit, ineundum: & ad procedendum in ipso negotio: prout honori Ecclesiæ, ac pensata talis, & tanti conditione negotii, sine offensa iustitiæ, videbimus expedire.

Hęc fusius fortasse, latiusq;, quā instituti mei tenendi ratio tulerat, sunt apposita: ne his, quæ ab Onufrio Panuinio, qui Auentinianam opinionem, tota mente penitus insitam comprehenderat, in peculiare commentarium referuntur, in eundem errorem, qui se vetustatis amatores profitentur, induci possint.

Valentini regni arces, quæ in defectione perstiterant, à Rege vindicantur. Induciis cū Alazdraco pactis, vt regni finibus excedat, constituitur.

Pontius Caprera Vrgellitanus Comes moritur: cui Ermengaudus F. succedit. Ermēgaudo breui fato functo Aluarus frater sufficitur.

Ilerdæ Augusto mense fœdera inter Aragoniæ, & Castellæ Reges Soriæ conuenta 1295.
confirmantur: atque denuo sanciuntur. Iudicium damnorum, & detrimentorum vtrim- 1257.
que illatorum constituitur. De ea re definienda à Rege mandatum habent Martinus Peresius Artassona Pręfectus Iustitiæ Aragonum, Rudericus Peresius Turiasonensis, Simon Tobia Gonzaluus Lopesius Pomarius: & Valentino regno Rex Simonem Focium, virū inter Aragonios proceres primarium præficit.

Quod Nauarri Regis Imperio non parerent, & ab eo deficerent, neque pactis cum Theobaldo Rege, conuentis assentirentur, regnorum finibus bellum commouetur. Id. Nouemb. cum Gaufredo Beamontio Nauarræ Senescallo indutiæ fiunt.

Rex Mompellerium contendit. Carbolio cum Ludouico Francorum Rege ad col- 1296.
loquium deuenit: quo in loco Maio mense summæ coniunctionis vinculis deuinciuntur. 1258.
Constituunt, vti Isabella Regis filia natu minima Philippo Ludouici F. regni successori nubat. Dotis, & arrarum nomine Isabellæ vetusto Galliæ more, & instituto, quinta regni pars, arcibus, & propugnaculis receptis, assignatur.

A.D.V. Id. Mai Carbolio Reges actiones de controuersiis omnibus vtrimq; cōstitutas remittūt: iuraq; cōdonāt. Ludouicus enim Rex, Barcinonēsis, Vrgellitanæ, Ruscinonēsis, Emporitanę, Cęretanę, Cōfluentinę, Gerundensis, & Ausetanę ditionū suprema iura, potestatem, & fidelitatis dominatum repetierat. Noster vero Carcasonensem, Rhodensem, Lauracensem, Biterensem, Leocatensem, Albigensem, Rhuensem, Fuxensem, Cadurcēsem, Narbonensem, Mineruensem, Fonoliadensem, Saltuensem, Petrapertusensem, Aimilianā, Crodonensem, Gabaldanam, Nemausensem, Solensem, & S. Egidii ditiones, & earum iura, & potestates à capite arcessit. Vicissim alter alteri, iure suo cedit.

Eo ipſo tempore Rex id omne ius,quod repetere,in Gallia Prouincia Folcalqueri-
AERA. enſi, Arelatenſi, Auenionenſi, & Maſſilienſi ditione, aut obtinere poterat, Margaritæ
NAT. Francorum Reginæ,Raimundi Berengarii Prouinciæ Comitis fratris filiæ attribuit: ſed
CHR. cum earum ditionum Carolus Ludouici Francorum Regis frater germanus, qui Bea-
tricem Raimundi Berengarii Prouinciȩ Comitis filiam natu minimam duxerat,eſſet po-
titus,eas quo iure,quave iniuria,Ludouico Rege frater permittente,ſibi vſurpat.

1297. Cum Alfonſus Regis F.inhumane,& indigne à patre habitus,ab Aragonenſibus,&
1259 Catalanis proceribus incitatus præcipiti motu,atq; impetu ruere videretur,Rex,vt com-
motionem ſedet,Valentinum regnum Aragonio contribuit,& eorum heredem Alfon-
ſum inſtituit.

Quod Bonifacium Sabaudiȩ Comitem Taurini tumultuantes comprehenderant,
qui ab eius imperio defeciſſent,Aſtenſes adhibito dolo,eum ſibi ſubtrahunt.Mox liberis
in cuſtodiam Aſtenſibus traditis Bonifacium dimiſerant.A.III.K.Mart.Rex Mompelle-
rii, ciuitati Aſtenſi bellum ſe inlaturum minitatur:prouocatque: niſi intra menſem Bo-
nifacii filios qui miſere in vinculis attinebantur, liberent:neue in Bonifacii ditionem ir-
rumpāt cōmonet. Ea Regis prouocatione deterritis,& ſubſidiariis copiis Petrus Bonifa-
cii patruus confiſus,eius ditionis Bonifacio vita functo potitur.

Aluaro Caprera Vrgellitano Comite à Rege diſſidente Raimundus Fulcho Cardo-
nenſis,& magna Catalanorum procerum pars patrio more,atq; inſtituto,quod lege per-
miſſum eſſet,à regio dominatu deſciſcunt.

Alfonſus Caſtellȩ Rex pactis Soriȩ conuentis,Alfonſo Lupio Pharenſi Ceruerȩ,A-
1298. gredæ,Aquilaris,Arnedi,& Autolis oppidorum arces earum pactionum pignora tradit.
1260 Totidem arces Aragoniæ Bernardo Guilielmo Entenzȩ à Rege traduntur.

Regis F. Alfonſus Conſtantiam Gaſtonis Benebarnenſis filiam vxorem ducit.Bre-
ui eæ nuptiæ factis ſponſalibus,morte Alfonſi funeſtantur:qui nullis ſuperſtitibus liberis
decedit.Ad D.Mariæ in Cœnobio Verolenſi tumulatur:princeps fortuna,cum ſua,tum
publica aduerſa,adflictaque verſatus.

A. D. V. K. Aug. Barcinone interuentu Guiroldi Poſtæ,Maioris Egnatienſis,& Ia-
cobi Moſtacii,Manfredi Siciliæ Regis legatorum, Conſtantia Manfredi F. quam ex Be-
atrice Amadei Comitis Sabaudiȩ filia vxore ſuſceperat,Petro Regis filio deſpōdetur.Dos
L.M. auri vnciarum Conſtantiæ à patre dicitur. Beatrix antea Marchioni Salaſſo nu-
pſerat.

Raimundus Penafortius ordinis Prædicatorum vir inſigni ſanctitate venerandus à
Rege ad Vrbanum IIII. Pont. Max. legatur: qui eius fidem obteſtetur, vti Manfredum
ſupplicē,miſericordiamq; implorantem ſibi,& Eccleſiæ cōciliet. Quæ Rex ſummis prȩ-
cibus contenderat,non modo obtenta non ſunt,ſed nihil Pontifex,quantum eniti potuit
prætermittit:quin Regem à Manfredi coniunctione,& affinitate auocet: deterreatque:
ne amicitiam cum Hanfredo Principe Tarentino coëat:Eccleſiæ inimico,atque perdu-
elli.Eæ tamen nuptiæ diuino numine,atque prouidentia omnibus anteponuntur:quibus
maximæ noſtris principibus & fortunæ,& dignitatis acceſſiones fiunt.

Bellum maius in conſpectu domi erat,quam à ſubita defectione,& alienatione pro-
cerum geri poſſe crederetur.Aluarus Vrgellitanus aliquot arces recuperat: & extra diti-
onis ſuæ fines incurrens Barbaſtrenſibus plura detrimenta infert.

Petrus Regis F.alti animi princeps,qui indulgentia paterna, hereditario regno Al-
fonſum fratrem natu maiorem pepulerat,nimis magna cupiditate Iacobum fratrem ſua
hereditate euertere cupiens, quod vereretur Valentino regno à patre donatum iri, Id.
Oct.Barcinone clam admotis aliquot familiaribus obteſtatur,ſi firmum,ratumve teſta-
mentum patris, donationemve ſtipulatione ſanciret, metu regio perterritum, inuitum,
atq; maiore vi permotum fuiſſe:& ſe inuito,atq; repugnante factum.

Septembri menſe vniuerſæ ciuitates regni ſocietatem, & communitatem inter ſe
coëunt.Vnionem vocant:quod durius, quam mores,& inſtituta maiorum ferunt, leges
ſciſcunt: vt impotenti,& effrenatæ latrocinantium,& graſſantium audaciæ,& temeritati
obuiam eatur.Cum ob eam cauſam,armis incitatæ ius ſuum exequi conarētur,conſcele-
ratorum manus grauiſſimas ſcelerum pœnas reipublicæ pendunt.

Id. Apr.Valentiæ Rex Ferdinandum Sanctium F. ex contubernio filiæ Sanctii An-
1299. tilionis,ex proceribus Aragoniæ primarii genitum, quem naturalem filium appellat, &
1261 Guilielmum Torrelliam in Siciliam prȩmittit:vt iis arbitris nuptiȩ Conſtantiȩ Manfredi
Regis filiæ ſancirentur:& nurum ad ſe regio comitatu deducant.

Mur-

Murtienses Mauri tumultuantes rebellionem vna die faciunt: & Regi Granatensi adiuncti, à quo sollicitati fuerant, proditione vrbium, ingentem terrorem efficiunt: quod AERA. externi etiam illorum defectionem sequerentur. NAT.

Sacro Pentecostes die nuptiarum Philippi Francorum Regis F. & Isabellæ Regis F. CHR. sollemnia Claramontis Aruernorum oppido celebrantur. 1300.

Constantia Manfredi Regis F. in Prouinciam Galliam deuehitur: & Mompellerium 1262 à Bonifacio Anglano Montalbani Comite, Manfredi auunculo, aliisq; Siculis proceribus deducitur. A.D.XVII.K.Iul. Petro in matrimonium collocatur.

Petro, & Iacobo regiis filiis de regnorum successione contendentibus, atq; diffidentibus, Rex existimans se discordiarum, & seditionum omnium sementem sublaturum, si rato eorum assensu regna partiretur, A.D.XII.K. Sept. Barcinone Aragoniæ regnum, & Barcinonensem Comitatum à Cinga ad Pyrenæi promontoriũ, quod illa ætas Crucium caput vocat, & in Periliosium, & Panizasium ipsius Pyrenæi colles, Petro attribuit: & Valentinum regnum adnectit. Iacobo Balearium, & Pityusarum insularum regnum, Ruscinonensi, Illiberitana, Confluentina, Cærretana, & Vallespiria ditione adiuncta, & Mompelleriensi dominio contributo, condonat. Filios heredes alterum alteri substituit: Petro de paterna iniuria conquerente, quod se, immensa donatione in fratrem collata, defraudaret: cum diuideret, quæ separari è re publica non esset. Præterea Rex minorem natu filium, eiusq; heredes, earum ditionum vsu contentos esse, dominium vero, & potestatem supremam penes primigenium, eiusq; posteros redigi statuit.

Cum de finibus, inter Castellæ, & Aragoniæ regna controuersiæ orirentur, VI. viri 1301. eis terminandis præficiuntur. E regno Castellæ Paschalis Episcopus Iaenensis, Egidius 1263 Garcesius Aza & Gonzaluus Rudericius Atienza: ex nostris vero delegantur Andreas Albalatius Episcopus Valentinus, Sanctius Calataiubius, & Bernardus Vitalis Besalunensis. Constituunt, vti Reges damnorum vltro, citroq; illatorum æstimationem suis dependant.

Non. Mart. Cæsaraugustæ Petrus Iohannius Calatrauensis militiæ Magister Regem conuenit: exposcitq; vti regni finibus appropinquet: & labantibus generi rebus opem, auxiliaresq; copias admoueat. Mauri, qui ex Mauritaniis transmiserant, Murtiensibus, & Granatensibus adiuncti immane tumultum, & vastitatem Bæticæ inferunt. Rex Catalanos Barcinone, Aragonenses Cæsaraugustæ ad conuentus agendos cogi imperat: vt videant, nequid in ancipiti causa, respublica detrimenti capiat.

Ilerdæ Pontius Peralta, & Bernardus Mauleo, Rege de more assidente, armorum iudicio inter se decertant. Præfuit ex maiorum instituto, singulari eorum certamini Petrus Moncada Cataloniæ Senescallus: cuius magistratus iura, & prouentus cum vetustate obsoleuissent, & de ea re controuersia cum Rege oborta esset, eius definiendæ IIII. viri deliguntur: Simon Peresius Arenosius, Thomas cognomento Sancti Clementis, Guilielmus Zasal., & Arnaldus Boscanus militarium, & castrensium legũ scientia prestantes.

Guilielmus Rocafullius Mompellerii procurator à Rege ea de causa ad Allobroges legatur, vti cum Petro Sabaudiæ Comite, de Beatrice Amadei Comitis eius fratris filia, Iacobo filio in matrimonium collocanda transigat.

Babyloniæ Soldanus præclara de Rege fama commotus, Alexandria legatos ad Regem mittit: voluntatis, & studij erga eum indices. Rex Raimundum Ricartum, & Bernardum Porterium eo legat: qui magnificentissimo apparatu Alexandriæ excipiuntur. Honoris, & dignitatis causa Soldanus Aragonium vexillum propter se in Arsacitarum solio constitui imperat. Certum exstare eiusdem ætatis auctorem comperio, qui prodiderit, Porterium, missarum solemnibus celebratis, Soldani filium, ipsius Soldani rogatu militaris cinctus auctoramento, Regis Aragoniæ nomine decorasse.

A.D.II.Id.Feb. Cæsaraugustæ Rex Arnaldo Barcinonensi Episcopo, & Pontio Hugoni Comiti Emporiarum committit, vti de Maria filia in matrimonium filio Roberti Atrebatensium Comitis, Ludouici Francorum Regis fratris, aut filio Ducis Burgundię tradenda partes suscipiant. Deliberat etiam, vti Iacobus filius filiam eiusdem Burgundiæ Ducis vxorem ducat.

A.D.VI.K.Mart. cum Rex Cæsaraugusta Exeam contenderet, militaribus copiis quas 1302. Alfonsi Regis subsidio pręmittit, Arnaldum Fontouã, Ferrizium Lizanã, Simonem Pere- 1264 sium Aierbium, Fortunium Ahenem, & Fortunium Peresium Isuerrium duces præficit: toti tamen officio maritimo Petrus Ferdinandius Regis filius præponitur. Cum magnos sumptus Rex in eam classem comparandam fecisset, à prædiuiti Iudæo, & eius nationis in primis nobili Iahudano maximis facultatibus subleuatur.

AERA. NAT. CHR.

Catalani, qui Barcinone conuentui agendo intersunt, A.D.IX.K.Decemb. Bouatici tributum, quod Balearico, & Valentino bello dependerant, in sumptus bellicos Murtiensis expeditionis Regi condonant.

Cæsaraugustano in conuentu Rex, cum de subsidio Regi genero, tam affectis rebus inferendo referret, & Bouatici tributum in eos sumptus impendi æquum esse iacit, priuatas causas, publicis, & honestis rationibus nostris anteponentibus, magnæ turbæ, & noua mala miscentur: atq; concitantur: dum acerbissimam capitum exactionem, & externa, & numquam impensa, aut vsurpata tributa reiiciunt. Præcipuis suasoribus, & impulsoribus Ferdinando Sanctio Regis filio, & Simone Vrrea eius socero adeo grauis excitatur tempestas: vt leges, & instituta maiorum intermissa, & violata vniuerse proceres conquerantur: ac de libertate retinenda, & vindicãda conspirent. Plures ex proceribus vrbe egressi Alauonam, cum fœdus inter se coiissent, & societatem iniissent, secedunt: & omnia raptim, atq; turbate aguntur.

Conuentu, non de more, cum celebrari, ac peragi rite desiit, dimisso, sed pertumultuose dirempto, & proceribus ad arma conuolantibus, Rex suas copias, vt eorum conatus comprimat, Montione cogit. Cum proceres in eo eniterentur, vti cõtrouersiæ omnes, actionesq; litium Præfecti Iustitiæ Aragonum iudicio, atq; sententia transigerentur, deciderenturq;, Regi æquũ visum fuit, vt omnes iudiciariæ controuersiæ, & lites quæ inter se, & regni proceres, & ingenuitatis, & nobilitatis iure fungentes verterentur, à Præfecto cõstituerẽtur: easq; Præfectus, & regio, & procerũ, nobiliũq; consilio, qui in regia aula cõmorarentur, decideret: modo ne partiũ cõpotes, aut participes essent. Adhæc cũ is magistratus Præfecti Iustitiæ Aragonum, & à se, & à superioribus Regibus renuntiari soleret, se cum morem in posterum retenturum pollicetur: & eum magistratum viris militaris muneris auctoramento perfunctis mandaturum. Induciis depactis de controuersiis omnibus Rex, & proceres apud Cæsaraugustanum, & Oscensem Episcopos compromittunt.

Rex Petro Sesesio primario, & nobili in primis viro Medianam, & vicos omnes, qui Medianæ erant contributi condonat: eo iure, quo à Petro Rege parente Petro Sesesio patri fuerant attributa.

1303. 1205 Aprili mense, peractis Exeæ conuentibus, plures leges sciscuntur. In primis sanciunt: ne Rex, eiusue posteri Reges honores, & militaria beneficia condonent: nisi iis, qui cognatione paterna, & stirpis natura, ex procerum sanguine, & ortu procreatus sit: neue exteris hominibus tribuantur. Ne quis procerum, nobiliumve bouatici, aut scripturæ tributum herbaticum ipsi appellare consueuerant, dependat. In controuersiis omnibus, quæ inter Regem, & nobilitatem subortæ sint, Præfectus Iustitiæ Aragonum iudex sit: easq; consilio procerum, & nobilium dirimat: reliquas vero procerum, & militaris ordinis virorum causas Præfectus Iustitiæ Aragonum, Regis, & procerum consilio dijudicet. Rex liberis iusto matrimonio genitis honores, militariave beneficia ne attribuat. His cõstitutis proceres ab seditione, ad bellum Murtiensibus inferendum versi.

Rege Alfonso aduersus Granatenses bellante, socer Murtiensibus bellum indicit.

MVRTIENSE BELLVM.

Nouus hostis veteri adiunctus animum Regis maxime commouit: vt omni virium conatu bellum gerat. Cum in procinctu res esset, ex II. M. equitum, quos sub signis stipendia mereri recensuerat, ad DC. conuenisse comperit. Setabis, & Biarii finibus bellum infert.

Vilienenses, & Eldenses primi deduntur. Hos sequuntur Illicitani, Origuelenses, & Alicantenses: qui vastatis agris in deditionem venire, obsidesque dare coguntur. Traiecto Tadere flumine Alcaracii Rex cum genero ad colloquia congreditur. Cum bellum & suscipi, & geri pro dignitate regia, ac confici oporteret, Rex militares omnes copias, & veteranas, & oppidanas exciuit.

Manfredo Siciliæ Rege execrationibus ab Ecclesia interdicto, & potestate regia, atq; imperio abrogato, Clemens IIII. P.M. Perusii A.D.XI.K.Iul. Pontificatus anno I. A. Basilicæ XII. Apostolorum presbytero, R. Sancti angeli. I. S. Nicolai in carcere Tulliano, & I. S. Mariæ in Cosmedin diaconis Cardinalibus committit, vt Carolo Andium, & Prouinciæ Comiti leges imponant: quibus ad Siciliense regnum ab Ecclesia adsciscì debeat.

Delegati à summo Pont. Cardinales Romæ apud Lateranum in Basilica Saluatoris, quæ Constantiniana appellatur, ante sacratissimum altare ipsius Basilicæ, A.D.IIII.K.Iul. conditionibus Carolo Comiti propositis, regnũ Siciliæ, & quam terrã citra Pharũ vocabant, vsq; ad confinia terrarũ Romanæ Ecclesię, quę regio Siciliensi regno cõtributa erat,

vrbe

vrbe Beneuentana excepta, perpetuo eidem Carolo, & heredibus eius Pontificio mandato conferunt: & de more, tradito Ecclesiæ vexillo, in possessionem mittunt. Ea re transacta Carolus, satis magno comparato exercitu in Samnium, & Campaniam inuadit: vt Manfredum regno deturbet. AERA. NAT. CHR.

Ad summam Valentini regni felicitatem, eo tempore defuit, vt ingens, & perniciosa sentina reipublicæ exhauriretur: Maurorum natione ab eius finibus exterminata: atque expulsa. De ea re Clementem IV. P. M. magnopere Regem voti reum admonuisse accepimus: dignaque ea cohortatio visa est, quæ hoc in loco repræsentaretur: quod non Regi modo, sed futuris etiam Regibus diuina ea commonitio se penitus insinuari videatur.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei I. Regi Aragonum illustri. Agit, nec immerito, mater Ecclesia, dum lætanter tua magnifica gesta commemorat, dies festos iucunditatis, & lætitię cantica replicat: tui zeli feruorem, & strenuitatis merita, tã cari, & deuoti filii, quasi recenter quotidie delectabiliter recensendo. Exsultat, & iubilat in tuorum felicium commemoratione successuum: per quos contra Sarracenos nominis sui blasphemos, & Catholicæ fidei persecutores infestos, salutem populi Christiani dextera Domini virtuose in tuis manibus, & data tibi ab ipso virtute direxit. Apud bonorum omnium largitorem preces deuote multiplicat: vt in hac zeli rectitudine, in hac fidei puritate, te in tempora longiora conseruet: quod nos eo postulamus auidius, eo instantius petimus, quo tibi vinculis caritatis solidioris adstringimur: ad honorem tuum soliditate sincerioris dilectionis afficimur: & salutem tuam sincerius affectamus. Hæc quidem nos mouent efficaciter, & inducunt: vt serenitatem tuam paternis adeamus commonitionibus: & attentis exhortationibus excitemus aduersus ea, quæ grandia pericula temporaliter etiam tibi, & posteris tuis ingerere, tui nominis claritatem inficere, ac Creatorem tuum contra te possent grauiter prouocare. Considera igitur fili, considera: cum te tam experientia cogat aduertere, quam familiaria etiam exempla ignorare non sinant: quam grauibus sit res plena periculis. Sarracenorum in terra tua retentio: qui licet ad tempus occultent iniquitatis suæ, necessitate cogente, propositum: illud tamen quam auide, quam ardenter, immo etiam quam inique captata opportunitate reuelant. Profecto nec discreti consilii est, nec tutum, tam perfidos, tam plenos nequitia inimicos habere domesticos: vel tenere vicinos: non magis quam nutrire serpentem in gremio: vel ignẽ in sinu. Quod si te forsan ad huiusmodi retentionem ipsorum, aliqua ex illis proueniens inducit, immo vt verius dicamus, seducit vtilitas, tanto præponderet in tuæ magnanimitatis iudicio, & recto libramine rationis acerba tui contumelia Creatoris: quam assidue patitur: Sarracenis eisdem inter Christicolas diebus singulis, clamore publico, certis horis, nomen extollentibus Machometti: quanto proculdubio ferres, & re vera ferre deberes acerbius illatas, inter tuos subditos celsidutini tuæ iniurias: quam inter eos, qui tuæ non essent ditioni subiecti. O quam debet esse detestabile, quam amarum, tibi præcipue qui ab annis teneris illius cultores, & cultum infra fines ipsorum totis viribus persequendo, ad eorum exterminium laborasti: nunc ipsum in regnis tuis pati, per culturam huiusmodi taliter exaltari. Nonne consideras, quod per hoc detractorum linguis exponeris? qui quasi verisimiliter afferent, quod in omnibus tuis laboribus, quos nullis vitatis periculis, in ipsorum persecutione, ab adolescentiæ tuæ initiis pertulisti, non exaltationem fidei, sed tua venabaris commoda: tuis solummodo vtilitatibus intendebas. Porro etiam amicorum forte alternabũtur iudicia: si propter vtilitatẽ pecuniariã, sic tuis laudabilibus actibus detrahi, tantũ superni Regis opprobriũ, tãtam Christianitatis infectionem, q̃ ex eorundem Sarracenorum cohabitatione horribili, detestandis horroribus & horrendis spurcitiis non est dubium prouenire, amplius patiaris. Et quidem vel huiusmodi obloquẽtium detractioni consentiens, vel ipse tibi contrarius videreris: si Sarracenos eosdẽ in suis partibus persequens in tuis ipsos sustines patienter. Hæc si discussa debitæ meditationis examine, in rationis consistorium introducas, ipsos, nec dubium, prout excellentiam tuam decet, prorsus abiiciens, & profugans, extra tuæ ditionis terminos effugabis: ad quod magnificentiam regiam, vt tuæ saluti prouideas, vt tuæ famæ consulas, vt consultius periculis, quæ tibi, & ipsis posteris, vt præmittitur, per eos imminere possunt, occurras: & paterno affectu, & omni, quo possumus studio inuitamus: præsertim, vt reddas altissimo votum tuum, quo ad id publice diceris obligatus: sicque oppilentur ora contra te inique loquentium: tuque prout es, & fidei zelator præcipuus, & ad ipsius exaltationem labores dirigere censearis: ad quã cum feruẽter intendas, regalem prudentiã oportet attendere, quod Ecclesiæ status, & fidei, earumque negotia, ea sunt indiuisibili vnione coniuncta, vt altera, reliqua in honore non habita, honorari non possit. Nec enim potest fidei derogari, quin nimis Ec-

AERA. NAT. CHR.

„ clesiæ detrahatur: nec ipsius Ecclesiæ honori, ac libertati detrahi, quin & fidei, quantum
„ in detrahente fuerit, derogetur. Nec igitur tu, qui eiusdem fidei vacasti semper, & adhuc
„ vacas semper negotio, eidem si Ecclesiæ iniuriosus fueris, existas iniurius decet. Præterea
„ quod Iahudanum Iudæum quæstoriis muneribus præfecerat, pia etiam illa, quæ ad Iu-
„ dæorum peruicaciam coercendam, admonitio pertinet, minime tacita erat prętereunda:
„ ita enim subdit.
„ Vt autem Princeps inclite zelus tuus erga defensionem eiusdem orthodoxæ fidei,
„ quam, tamquam Christianissimus indefesse prosequeris, vndique contra ipsius hostes, &
„ æmulos aperte reluceat, in ipsius auxilium contra Iudæos, qui prę cæteris eamdem fidem
„ persequentibus, & nomen blasphemantibus Christianum, & illud blasphemant amarius,
„ & illam nequissime persequuntur, fauor tuus apertissime inualescat: vt Iudæos de cætero
„ ad aliqua officia non admittens: ipsos in aliquo non extollas: sed in quantum concessa eis
„ à Sede Apostolica priuilegia patiuntur, ipsorum refrenando malitiam, deprimas: & con-
„ culces: nec prætereas illorum blasphemias incorrectas: sed illius præcipue castiges auda-
„ ciam: qui de disputatione, quam in tua præsentia cum dilecto filio religioso viro fratre
„ Paullo de ordine Prædicatorum habuerat, multis confictis, adiectisq; mendaciis, librum
„ composuisse dicitur, quem ad sui dilatationem erroris in varia exempla multiplicans, per
„ regiones varias destinauit: cuius ausum temerarium sic debite censura iustitiæ, absque ta-
„ men mortis periculo, & membrorum mutilatione castigetur, vt quod excessus meruerit,
„ districtionis seueritas manifestet: & ipsius exemplo aliorum audacia compescatur. Super
„ his igitur serenitatem regiam monemus, &c.

Quod tamen ad Sarracenos attinet, ita diuino nutu, atque prouidentia omnia admi-nistrante euenit, vt leuiore opera, cum inexpiabiles hostes essent, expugnarentur: & vir-tute, victoriisque frangerentur, edomarenturq;: quam deuicti, & subiecti expellerentur. Satis constat Regem, forte vt animos Sarracenorum, qui in Aragonia permanserant, mu-neribus leniret, & commodorum compensatione ad pietatem traduceret, multa fuisse largitum: priuilegiumq; illis, posterisq; eorum Exeæ, A.D.VI.K. Mart. Anno MCCLXIII. irrogauisse: quo à primiciarum tributis, quæ ex prædiorum fructibus pendere consue-uerant, vindicauit.

1304. 1266 A.D.IV.Non.Ian. Rex Origuela egressus Murciam castris circumsidet. Obsidio in-de primariæ vrbis, & munitiones, & interdum per occasionem impetus oppidanorum in regias stationes: præliaque haud parua fieri, & tempus teri, neutro inclinante spe: videbaturque diuturnus futurus labor, si spatium ad opem ferendam, oppugnantes dedissent.

Rege vrbem primo impetu oppugnare adorto, postquam is conatus parum proce-dit, opere ac vineis demum muro admotis, in Regis ditionem vrbem, atque agros dedere pollicentur. Pactis induciis, paratos esse imperata facere, & certam ad diem nostros pro-pugnaculis vrbis, atq; vicinis oppidis recipere, spondent.

Cum Manfredus bellum trahere posset: siue nimia confidentia, siue suos, ac regnum desperans, Carolo regni fines inuadenti ad Beneuentum occurrit. Manum cum hostibus ingenti prœlio, A.D.IIII.K. Mart. conferens, suis pulsis, atq; in turpem fugam conuersis, in acie prœlians mortem occumbit. Carolus omnium cis fretum regionum, & Sicilien-sis regni breui potitur.

Februarii mensis fine Murtienses Mauri Regi deduntur. Arces omnes ab hostibus ereptæ, quæ inter Murtiam, & Ilorci rebellionem fecerant, recuperantur. Insignis à Re-ge gloria parta: quod regnum sacro bello quæsitum, & Maurorum defectione ereptum, profligatis hostibus, genero in veterem dignitatem vindicauerit. Vilienensibus, & Ali-cantensibus finibus copiarum ductores pręficiuntur Artallus Luna, Simon Vrrea, Beren-garius Arnaldus Anglesola, & Galcerandus Pinosius.

Petrus Sanctius Præfectus Iustitiæ Aragonum.

1305. 1267 Quod æreus nummus lamina aurea perquam tenui obductus pro aureo iactaretur, atq; signaretur, & adulterini ii nummi passim tota Hispania, pro legitimis expenderentur, & nobiles quidam viri eius criminis infamia affecti postularentur, & in eos crimen inten-deretur, cum iudicio conuicti essent, Rex Turiasone, A.D.VII.K. Nou. more maiorum in eos animaduerti imperat: eique maleficio supplicium constituitur: vt viui in flumen mergantur.

1306. 1268 Rex Alcanicii festum natiuitatis Domini diem celebrat. Sollemnibus incipientis an-ni Dertosæ peractis, Valentiam contendit.

Maria Regis F. Cæsaraugustæ moritur: & in æde Saluatoris sepelitur.

Martio

Martio mense Aluaro Caprera Vrgellitano Comite vita functo, magnæ in Catalonia turbæ miscentur à Raimundo Fulchone Cardonensi: qui eius ditionis potiri contendit: vt Ermengaudum Aluari, & Cæciliæ Fuxensis Comitis sororis filium, quem non iusto connubio natum constabat, in possessionem mittat: reiecta Leonora Aluari F. quam ex Constantia Moncada legitima vxore susceperat. Rex in Cataloniam omni festinatione properat. Cerueræ subsistens oppida Vrgellitanæ ditionis sibi addicta præsidiis muniri imperat: ac reliqua inuadere nititur. AERA. NAT. CHR.

Rex cum omnium sanctorum festum diem Ceruerae celebrasset, in Carpetaniam proficiscitur: quod à Sanctio filio Toletano Antistite Toletum arcesseretur: vti in Natiuitatis festa celebritate, primis eius missarum sollemnibus mysteriis, sancto, augustoque regiæ vrbis fano assideret. A genero Alfonso Rege Hortæ, in ipsis regnorum confiniis excipitur.

Regiæ maiestatis imperium eo reciderat, vt haud dubie virtute, ac rerum gestarum gloria, magnum apud vltimas gentes Regis nomen esset. Adhæc terminatis finibus, maximis bellis confectis, cum votis nuncupatis, Rex eorum damnatus, sacrum bellum professus esset, classem, vt in Palæstinam nauigaret, comparauerat, & minus idoneam tempestatem nactus, in aliud tempus eam expeditionem reiecerat. Hæc cum orientis finibus peruulgarentur, à Michaële Rege, Romæorum Imperatore, Duca, Angelo, Comnino, Palæologo, qui neque bello, neque pace antea Regi cognitus erat, & magno Chaamo Tartarorum Rege, quos non pia causa commotos apparuit, sed quod domesticos hostes externo se bello auertere, & vlcisci posse arbitrarentur: Legati Valentiæ Regem conueniunt & de expeditione sacra Hierosolymitana, à Rege obeunda transigunt. Olaon tamen Tartarorum Rex, quod Vrbani IIII. P. M. litteris comperimus, Iohannem Hungarum ad eundem vrbanum legauerat, quod summe expeteret, secundum veram, Catholicam, Euangelicamque doctrinam, quam sancta Romana Ecclesia fatetur, & prædicat, sacri baptismatis renasci vnda: & Christiani nominis titulo insigniri. Clemens præterea Vrbani successor Regem asperioribus verbis commonefacit: vt votum altissimo reddat: quo dicitur obligatus. Rege se totum sacræ expeditioni transmarinæ addicente, lecta nomina procerum, ducumque euocantur: & omne iuuentutis robur excitur. 1307. 1269

A. D. II. Non. Sept. Barcinone Rex classem soluit: eaque pæne tempestate euersa, cum ad aquas Mortuas portum caperet, iam grandis natu, si rerum gestarum primordia, & progressus, & ipsa regni initia spectentur, Hierosolymitana expeditione desistit. Petrus Ferdinandius classis præfectus, & Ferdinandus Sanctius Regis filii contentum nauium cursum tenentes, in Palæstinam appellunt. Classe in Hispaniam renauigantes, cum Siciliam præterueherentur, nec liberalius, aut honorificentius à Carolo Rege accipi, atq; tractari possent, & Ferdinandus regia manu militiæ auctoramento esset insignitus: ex eo Petrus frater in eum hostili odio fuit: & inimicitiis incensa contentio exitum fœdum, & perniciosum tulit. Per mihi mirum visum est, quod à Bernardo Vidone, in Pontificia historia memoriæ proditur: Regem cum classem, & insignem exercitum anno MCCLXIX. comparasset, vt sacram Hierosolymitanam expeditionem obiret, & eius classis pars cursum tenuisset, mulierculæ consilio, vt ferebatur, à tanto gloriæ cursu destitisse.

Burgis sollemnia nuptiarum Ferdinandi filii Castellæ Regis, & Blancæ Ludouici Francorum Regis filiæ celebrantur. Eo Rex filiis comitatus accedit: Ferdinando nepoti gratificaturus. Adfuere Philippus Francorum Regis, & Eduardus Anglorum Regis primigenii filii: & Martha Augusta Balduini Constantinopolitani Imperatoris vxor: quã vt virum regno exactum restituat, & magno ære alieno oppressum in libertatem vindicet, eximia liberalitate ab Alfonso Rege consobrino, & præstanti beneficentia fuisse subleuatam, constanti fama, atque omnium sermone celebratur. Martha filium genuit Philippum: qui Constantinopolitanum imperium asserere conatus, duxit vxorem Caroli primi Siciliæ Regis filiam: cui Catharina filia gignitur Constantinopolitani Imperii heres: quæ Carolo Valesio Philippi Francorum Regis fratri nupsit: eaque filias habuit: Catharinam, Philippi Tarentinorum Principis, & Roberti Siciliæ Regis fratris germani vxorem: & Margaritam: quæ Vidoni Comiti Blesensi nupsit: Caroli Blesensis matrem.

Hoc eodem tempore in Aragoniam veniunt Constantia Augusta Manfredi Regis soror, Calo Iohannis Batazi Græcorum Imperatoris vxor, & Irene Lascaris, Theodori Lascaris Imperatoris F. Guilielmi Intemeliorum Comitis vxor: quę à Rege eximia benignitate acceptæ, propter cognationem, qua Aragoniæ domui adiunguntur, Valentino in regno, ditione oppidorum, atq; aliis beneficiis donantur.

Rudericus Castellitiolus Præfectus Iustitiæ Aragonum.

AERA. NAT. CHR. 1308. 1270 Philippus Regis Alfonsi frater, Nunnius Larensis, Lupus Diazius Pharensis Viscaiæ dominus, pluresque alii proceres, & ciuitates à Rege Castellæ deficiunt: & Lermæ cõuenientes, multa in republica moliuntur. Ingentes Maurorum manus fretum transmittunt: & aliquot arces ad traiectum sitas oppugnant.

Rege Valentiæ assidente, dum inter eum, qui regnum regio nomine moderatur, & Guilielmum Scribam opibus, & factione pollentem discordiarum, & seditionum semina dissipantur, inter Bunolium, & Requenam socer, & gener Reges congressi, & Iolans Regina Valentiam contendunt. Rex cum magnum ex pernicie reipublicæ discrimen trahi videret, Murciensis regni propugnationem suscipit. Maritima omnis ora, & Bætica prouincia ingenti tumultu exarsere: aduentuque repentino transmarini hostis terror augetur. Orimbloium prope Dianium, & Mons tabernarius in valle Albaida oppida nouis colonis frequentantur.

Iacobus Regis F. in Galliam proficiscitur: vt Niuernensis Comitis F. eius ditionis heredem in matrimonium ducat. Eorũ sponsalium pactis diremptis, Sclaramundam Rogerii Bernardi Comitis Fuxensis sororem ducit.

Augusto mense denuo Rex, & Alfonsus Rex gener ad colloquia congrediuntur: Alicantumque concessere. Confirmat Alfonsus aliquot Aragoniæ proceres, cum iis, qui, à se defecerant, cum Mauris cõsensisse: societatemque coiisse: vt per dolum, atque insidias petita pace, vltro bellum inferant. Rex commonet, vt indutiarum iura, quæ cum Granatensi Rege pactæ fuerant, à genero obseruentur; eique opem atque operam suam benigne pollicetur.

Petrus Cadreita, & Guilielmus Colonicus ex Prædicatorum instituto hęreticæ prauitatis Inquisitores, à sede Apostolica delegati, in erroris Albigensium, & aliarum hæresum suspectos, atque conuictos in diœcesi Vrgellitana, assidente Aprili Vrgellitano Episcopo seuere animaduertunt. Arnaldum Castelbonium Vicecomitem, & Ermesendam Fuxensem Comitem eius filiam, Rogerii Bernardi Fuxensis Comitis auiam impietatis condemnant: & eorum famam, memoriamque detestandam sanciunt. Ossa erui, atque inuri iubent. Rogerium Ermesendæ nepotem, eodem crimine in iudicium arcessunt. Hæreticorum fautoribus, atque affectatoribus graues pœnæ infliguntur. Nam cum plures ex impiorum elluuie, ex Tolosatibus, Biterensibus, & Carcasonensibus in Cataloniam migrantes labem, atque perniciem prouinciæ Hispaniæ Citeriori inferrent, Raimundus Pennafortius religione, & sanctitate venerandus summopere cõnititur, vti Rex à sede Apostolica obtineat, vt hæreticæ prauitatis iudicium in hereditariis regnis, & bello partis, seuera animaduersione, ex sacrarum sanctionum Apostolicis decretis cõstituatur.

Ludouicus Francorum Rex, insigni sanctitate Princeps in sacra expeditione Tuneti, A. D. VIII. K. Sept. in Cælum migrat. Classe in Siciliam appulsa, Theobaldus Nauarræ Rex Drepani, & Isabella Regina eius vxor Ludouici Regis F. nullis superstitibus liberis excessere. Theobaldum Non. Decemb. obiisse vetustis monumentis apparet: & ad Priuignum sepulchro conditum honorifico.

Eo ipso anno Isabella Philippi Regis Francorum vxor, Regis Aragoniæ F. vita defungitur.

Octobri mense Guilielma Noncada Gastonis Vicecomitis Beneharnensis filia Sãctio Castellæ Regis filio despondetur.

1309. 1271 Augusto mense Sauonæ Alfonsus Pictonum Comes, & Tolosatium, & Iohanna eius vxor nullis superstitibus liberis decedunt. In cœnobio S. Mariæ Garsiensis ex instituto S. Augustini, diœcesis Parisiensis Iohanna sepelitur, Galcerandæ Amalrici Vicecomitis Narbonensis consobrini filiæ arcem, & oppidum Insulæ Nauesiniæ legat: Margaritæ vero Galcerandæ sorori, quæ Arnaldo Athoni Leomaniæ Vicecomiti nupta fuerat, & eius successoribus Cauillonensem ciuitatẽ attribuit. Carolo Siciliæ Regi, & Prouinciæ Comiti, eiusq; ex Beatrice consobrina Regina liberis Venexiniũ Comitatũ condonat. Ditionis Agennensis, Cadurcensis, & Rhodensis heredem instituit Philippã Arnaldi Athonis, & Margaritæ filiam: quæ Archimbaudo Petrogoriorum Comiti nupserat: omneq; id ius attribuit, quod à se & Raimundo Tolosate Comite patre quæsitum, atque adeptum fuerat.

Philippus Francorum Rex ex pacto cum Raimundo Comite Tolosate conuento, Tolosatis ditionis hereditatem adit. Ciuitas eius imperium, dominatumque detrectat: Petrum Regis F. tamquam iustum dominum arcessunt: qui cum magnas equitum, peditumque copias inuito patre, compararet, vt eam ditionem afferat, à Rege commonetur, vti ea

AERA. NAT. CHR.

vti ea causa desistat. Expeditionem Petro vrguente, & exercitum educere properante, Id. Octob. Cęsaraugustę Rex, proceres, atq; oppidanas, & veteranorum copias ab eius signis euocat, atq; deducit. A fratribus, & ab iis, quorum auxilia implorauerat, deseritur. Ex eo summa dissidii contentio, quæ inter Petrum, & Ferdinandum fratres intercesserat, acrius exardescit. Petrus fratri, tanquam hosti necem machinatur: quod sibi persuasum fuerat, cum proceribus conspirasse, vt se regno exturbent: spe à Carolo Siciliæ Rege Ferdinando iniecta, se illi opitulaturum, vti ad regnum, fratre à gubernaculis dimoto, adsciscatur. Ferdinando Sanctio Simon Vrrea socer, qui in magna potentia erat, oppresso, desperatoq; ab omnibus opitulatur. Vnus namq; Vrrea non modo gentis suæ vires, & Corneliorum, quorum Princeps Petrus Cornelius sororis filius illustres, & splendidas clientelas Regni ad se traduxerat, & proceres pæne omnes Aragonios commouerat, sed & Catalanos continuata cognatione, & magnis necessitudinibus, ac fœderibus sibi deuinxerat. Quo fit vt totius regni concursu, quem Ferdinandi Sanctii salus concitauerat, noua quędam miscerentur mala: atque vnus inuentus sit, qui ea adniteretur, atque auderet, quod omnium fugisset, & formidasset audacia.

Regem tot bellis perfunctum acres, & hostiles filiorum concertationes exagitant. Palam armis dimicant: magnæq; à proceribus, distractione partium, turbæ miscentur: 1310. 1272.
præsertim quod Petrus, qui rem publicam pro Rege gerebat, ad summum imperiũ acerbitatem naturæ adiungens, Guilielmum Raimundum Odenam antiquissima stirpe ortum in confluẽtem demergi iusserit. Rex conuentum Exeam indicit. K. Mart. eo in conuentu Palliariensi Comiti, & generatim Catalanis proceribus, ne Fuxensi bellum cum Francorum Rege gerenti opem ferant, interdicit. Petrum filium à regni procuratione, procerum consilio cum regię dignitatis, & imperii, primigenii iure, vicarius esset, subtrahit: eaque iurisdictione primigenium deiicit. Ruderici Castellitioli Præfecti Iustitiæ Aragonum sententia Artallus Luna, eiusque assectatores, quos Rex in ius vocauerat, quod ad constitutũ nõ venissent, contumaces pronuntiantur. Rex consilio procerũ Artallum relegat: & quinquennale exilium edicit. Lupus Orticius Sentia, Simon Ahenes, Didacus Gurrea, & Petrus Orticius, qui Artallum secuti Zuerenses bello persecuti fuerant, exilio decem annorum solum vertunt. Maiestatis crimen à Petro Ferdinando Sanctio fratri, iudice assidente patre, intẽditur: eiusq; probri aliquot proceres arcessuntur: & in quęstionẽ venit vtrũ paratæ patri insidiæ à filio forẽt. Algeziræ conuẽtus Aragonẽsiũ, & Valẽtinorũ peragitur: vt fraterna dissidia, & tumultus sedentur. Petrus, cũ patrẽ obtestatus esset, ne quid de absente, incognita causa statuat, summa animi summissione se Regi subiicit: atq; tradit.

A. D. XV. K. Iul. Narbone decedit Berengaria Alfonsi Comitis Molinæ Castellæ Regis patrui filia, Regi, cum quo contubernii necessitudo ei fuerat, Gallaica aliquot oppida, eius hereditate veniunt.

Regi domesticis curis intento nouus hostis exoritur. Finitimum bellum concitur: & cum Henrico Theobaldi Nauarræ Regis fratre, de regni successione concertat.

Philippus Regis Castellæ frater, Nunnius Larensis, & plures Castellani proceres ab Alfonso Rege desciscentes Granatam secedunt. Rex cum genero Requenæ congreditur. Mutua aduersus transmarinos hostes auxilia pollicẽtur: q; Abeniuceffius Maurusiorũ Rex Bęticę prouincię immineret. Rex Mõpelleriũ proficiscitur Gaufredo Vicecomite Roccabertinio, Bertrãdo Belpucio, Ermẽgaudo Durgio, & aliis proceribus comitatus.

Philippo Francorum Rege bellum aduersus Rogerium Bernardum Fuxensem, & Gerardum Armeniacensem Comitem gerente, & Pamias obsidere parante, Rex & Beneharnensis Fuxensis socer obuiam accurrunt: expostulantes, vti ab armis discedat. Conuenit, vti Fuxensis se regiæ potestati tradat: qui in Carcasonensem arcem includitur.

Petrus Ianuas Cæsaraugustanus Episcopus.

A. D. III. K. Feb. Rex Mompellerii edicit, vt procerum copiæ omnes militares fini- 1311. 1273.
bus regni Murtiensis appropinquent: ea enim regione nostros hostes adoriri parant: ingentemque terrorem intulere: cui Rex se opponere nititur: quod multiplex vndique bellum eodem tempore instaret.

Ilerdę Regem expeditionem maturante, Cardonẽsis, & alii proceres ab eo desciscunt.

K. Apr. Ilerdæ, cum Rex in Bæticæ fines contendit, & suarum ditionum se finibus excessurum videt, Bernardum Oliueliam Tarraconensem Antistitem vniuersæ procurationi regni Aragoniæ, & Cataloniæ præficit: & prouocationum cognitionem, regio iudicio reseruatam committit, & delegat. Finibus hostium præsidiorum, & copiarum ductores præficit Iacobum, & Petrum filios: quos ex Theresia Vidauria, tanquam legitima vxore genuerat, Ferdinandum Sanctium, & Petrum Ferdinandium filios

AERA. NAT. CHR. noniusto matrimonio natos, Simonem Vrream, Bernardum Guilielmum Entenzam, Garciam Orticium Azagram, Ferticium Lizanam, Corbaranum Vidaurium, Petrum Martinium Lunam, Peregrinum Montacutum, Blaſcum Mazam, Blaſcum Simenium Arenoſium, & Petrum Simenium Simonis Pereſii Arenoſii filios: Simonem Pereſium Orizium, Blaſcum Gothorium, Sanctium Martinium Oblitam, Petrum Iordanem Rodenium, Petrum Garceſium Nuezium, & Ogerium eius fratrem: Fortunium Verguam Podium, Egidium Radam, Blaſcum Atroſſilium, Rudericum Sanctium Pomarium, qui Fraillæ, & Olſonis dominabatur, & Gonzaluum Lupezium Pomarium, Petrum Lazanum, Athonem Focium, Artallum Hortam, Simonem Pereſium Zapatam, & Petrum Zapatam Calagurritanum.

Regiis monumentis apparet, Regem eo tempore cum Abeniuceſſio Fecenſi Rege fœdus iciſſe. D. militum auxilia x. onerariis nauibus, & totidem actuariis, & aliorum xxx. nauigiorum claſſe in Mauritaniam, ſtipendiis Fecenſis, qui Septam vrbem obſederat, traiiciunt.

1312. Anni noui initio Rex Murtiam introiit: vt incolis animos addat: & omnes militares
1274 copiæ regni finibus prætenduntur.

Februario menſe Algeziræ Petrus Alcalanus à Gregorio X. P. M. legatus ſummi Pontificis hortatu, Regis officium requirit: vt Lugdunum contendat: quo totius orbis Concilium cogi edixerat. Rex nimia in Apoſtolicam ſedem pietate, & ſummo amore, grato, liberalique animo iter eo conferre apparat.

A. D. VII. Id. Mart. Rex Raimundo Fulchoni Vicecomiti Cardonenſi, Petro Bergæ Galcerādo Pinoſio, Guilielmo, & Maimono Caſtellauliniis, Berengario Cardonæ, & Guilielmo Ragiadelio Catalanis proceribus, qui ſe, in expeditionem ſacram proficiſcētem ſequi recuſauerant, vt eorum contumaciam, atque inſolentiam puniat, militaria beneficia adimit: eoſque honoribus priuat. Arcium poteſtatem, quæ illis, ſupremo iure fidelitatis recepto, commiſſa fuerat, tradi edicit. Ea enim lege, eæ arces, Hiſpano more committi conſueuerant, vt earum poteſtas Regibus iratis, aut pacatis tradi deberet. Cum Cardonenſis aliquot arces traderet, & Cardonenſem, Caſtelaulienſem, & Zatallenſem, Camaraſenſem, & Cubelliam, tamquam immunes, & regii iuris exortes retineret, ad arma cum primoribus Catalanis proceribus deuentum eſt.

Lugduni, quo Gregorius X. P. M. vniuerſale Concilium orbi Chriſtiano indixerat, magnificentiſſimo apparatu Rex excipitur. Pontifex Maxim. ſacram expeditionem aduerſus Soldanum, re cum Rege, virtutis bellicæ præſtantiſſimo, militariumque rerum ſcientiſſimo, qui tot rerum geſtarum gloria ſe, regnumque honorauiſſet, conſulta, atque explorata, inſtaurare nititur. Frequentiſſimo enim illo totius orbis conuentu viſus eſt omni bellica laude dignus: & animi vigoris excellentia, exacta ætate venerandus: atque omnis ætatis, ac memoriæ Regum clariſſimus.

Michaël Palæologus cum Laſcaram gentem, non modo funditus deleuiſſet, ſed Balduinum Conſtantinopolitanum Imperatorem auito regno, & Philippum eius filium exturbaſſet, vt Gregorii, Francorum Regis Caroli Siculi, qui Philippi Imperatoris generi cauſam tuendam ſummo virium conatu ſuſceperat, claſſes & ingentis molitionis apparatus à Boſphori faucibus, & ipſius Imperii, & Bizantinæ ciuitatis ceruicibus terra, marique auertat, Pontificē Maximum ludificans, vltro nobili illa, & præclara legatione Lugdunum miſſa, Eccleſiam Grçcam, quæ à ſacris Catholicæ Eccleſiæ, & ſanctorū patrū inſtitutis defecerat, & à maiorum ſanctitate paulatim impie degenerauerat, ſe ſacroſāctæ Romanæ Eccleſiæ adiuncturum, & Canonicis ſanctionibus obtemperaturum ſpondet. In eam rem ſumma oſtentatione ſe, ſuamque, & Conſtantinopolitani Patriarchæ, & totius regni procerum fidem interponit. Libet in re memorabili, & quæ ad omnes pietatis cauſa maxime pertinet, diutius, quam noſtri inſtituti ratio ferre viſa eſt, immorari. Bona enim ſpes, vt ille inquit, cum omnium rerum deſperatione confligit. Magna iure merito ſummis Pontificibus illorum temporum fiducia à Michaele Palæologo, Græcorum Imperatore oſtentata eſt: quæ ſummopere Chriſtianam rempublicam erexit: Græcorū ſcilicet Eccleſiam laceram, & à capite ſeiunctam, Romanæ Eccleſiæ Catholicæ aliquando adiungendam fore. Cum vero Eccleſia nec fallat, nec vmquam falli poſſit, quod corde firmiter credit, & ore ſimpliciter confitetur, Imperatori plene à Clemente I I I I. ſummo Pontifice propoſitum fuit: & notam eſſe voluit deſcripto vniuerſis profeſſionem fidei: quam ab Imperatore, clero, & populo exigebat. In eo ſumma iudicij, cauſaque tota conſtitit: vt infinitæ, concertationumque plenæ diſputationes tollerentur. Ipſius Pontificis ad Palæologum verba, omni memoria digna apponenda cenſeo.

PORRO

ÆRÆ NAT. CHR.

PORRO præſcriptam purdiſſimam, ceriſſimam, & ſolidiſſimam orthodoxæ fidei veritatē, Euangelicæ doctrinæ conſonā, à ſanctis patribus traditam, & Rom. Pontificum, in ſuis ſynodis definitione firmatā, ſicut nec decet, ſic nec volum⁹ nouę diſcuſſioni, ac definitioni ſubiicere: ipſam quaſi per hoc, quomodolibet contra fas, & licitum, in dubium reuocando. Ideoque licet in præfata ſcriptura, de conuocatione Concilii ageretur, licet per tuas præfatas litteras Concilium in terra tua conuocari petieris, nos tamen nullo modo proponimus Concilium ad diſcuſſionem, ſeu definitionem huiuſmodi reuocare. Non quod cuiuſquam faciem vereamur, vel eamdem ſacroſanctam Romanam Eccleſiam Græcorum ſuperari prudentia timeamus: ſed quia prorſus indecens foret, immo nec licet, nec expedit in dubium reuocari præmiſſam veræ fidei puritatem: tot ſacræ paginæ auctoritatibus, tot ſanctorum roboratam ſententiis, tot Romanorum Pontificum ſtabili definitione firmatam: pro cuius defenſione: ſi neceſſe foret, parati eſſemus ſubire martyrium, & morti etiam exponere corpus noſtrum: quam ideo ad præſens nequaquam auctoritatibus, quarum tamen ſatis copia nobis pro voto ſuppeteret, iuuare curabimus: ſed in ſimplicitate veridica, ſic pure, ſic explicate, tam prędictis tuis exhibendam nuntiis, quam tibi decreuimus deſtinandam.

Pia ac ſancta, & ſummo paſtore omnibus viſa digna ſententia. Imperator vero, qui, vt poſtea apparauit, vt regnum ſtabiliret, per ſcelus partum, & ad ſe delatum, falſo religionem obtenderat: Ludouicum Francorum Regem, cuius inſignis ſanctitas viri per cunctis orbis regiones ſe effuderat, obteſtatus ꝑ nuntios ſuos fuerat, vt ipſe Rex in tam pio, & vtili negotio arbitrii partes aſſumens, ad ipſius confirmationem ſollicita pietate intenderet. Clemente P. M. vita functo Epiſcopi, presbyteri, & Diaconi Cardinales, qui Viterbii ſede vacante conuenerant, Idib. Martii anni MCCLXX. per ſingula inſignia loca Imperii Græcorum, viros idoneos deſtinari præcipiunt: per quos fidei profeſſio ſollemnis celebrari poſſet. At Gregorius X. ſummam Apoſtolatus dignitatem adeptus generale conciliū in K. Mai anni hui⁹ Lugdunum indixit: & indutias inter Balduinū Conſtantinopolitanum Imperatorē, & Carolum Siciliæ Regē, & Palæologum fieri enixe ſtuduit: quorum claſſem, & militares copias Palæologus, quoquomodo, à pernicie regni, quod inuaſerat, auertere concupierat. Legantur Lugdunum Germanus ipſius Palæologi nutricius, qui Patriarchali ſedi Conſtantinopolitanæ præfuerat: & cœnobio monachorum ſe addixerat, Georgius Acropolita magnus Logotheta, & Theophanes Metropolita Nicenus, Bithyniæ primâs, ſummæ auctoritatis viri. Georgius Imperatoris nomine ſchiſma ea formula, præſente patrum conuentu abiurat.

EGO Georgius Acropolita, & magnus Logotheta nuntius domini noſtri Imperatoris Græcorum Michaelis Angeli, Ducas Comnini, Palæologi habens ab eodem ſufficiens, ad infra ſcripta, mandatū, omne ſchiſma prorſus abiuro: & ſuſcriptam fidei veritatē, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, nomine dicti domini noſtri veram, ſanctam, Catholicam, & Orthodoxam fidem eſſe cognoſco: eam accepto, & corde, & ore profiteor: ipſamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia, ipſum inuiolabiliter obſeruaturum, nec ab ea, nullo vmquam tempore receſſurum, quoquo modo deuiaturum, vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Rom. Eccl. prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius Eccleſiæ obediētiam, nomine ipſius, & meo ſpōtaneus veniens, pro ipſo, & pro me fateor, recognoſco, accepto, & ſponte ſuſcipio: & ipſum omnia præmiſſa, tam circa fidei veritatem, quam circa eiuſdem Eccleſiæ Roma. primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſeruantiam, & perſeuerantiam ſeruaturum, præſtito in animam ipſius, & meam corporaliter iuramento, promitto: & confirmo: ſic ipſum, & me Deus adiuuet: & hæc ſancta Euangelia. Cum ab Innocentio V. poſtulatum eſſet, vt publice idem Imperator ſchiſma abiuraret, ſuum munus exequi minime renuit: nam cum Gregorio vita functo in eodem negotio ſummopere Innocentius idem, & Hadrianus V. Iohannes XX. & Nicolaus III. Pontifices Maximi eniterentur, vt Græcorū natio ad ſacroſanctæ fidei Catholicæ rationes piis, æquiſque conditionibus perduceretur, Palæologus in priſtina ſententia permanſit: aut belle ſimulauit: ac ſchiſma publice eiurauit: vt Nicolai ipſius teſtimonio didicimus: quod etiam apponere operæpretium viſum eſt.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruorum Dei Cariſſimo in Chriſto filio M. Palæologo Gręcorum Imperatori Illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sicut ex litterarum tuæ magnitudinis, ſedi Apoſtolicæ nouiſſime directarum, grata lectione collegimus: illud ad laudem tui nominis magis claret, immo clari ſideris inſtar irradiat: quod ad Catholicæ fidei veritatem, quam ſedes eadem tenet, & prædicat, zelo deuotionis afficeris:

AERA. NAT. CHR.

» ipsam deuotus complecteris, ad eius vnitatem cunctos tibi subditos adducere satagis, & debitam ei reuerentiam inuariabili proposito conseruare promittis. Quid enim puriore luce relucet in principe, quam fidei rectæ sinceritas,& vera religio? quæ cum in luminis & vitæ diriguntur auctorem,tenebras respuunt:subiacere defectui nesciunt: nec verentur occasum. Probant autem laudabilem tuæ in his sinceritatis affectum, eiusdem veræ Catholicæq; fidei tua fidelis, clara,& aperta professio: primatus sacrosanctæ Rom. Eccl. deuota recognitio,spontaneaque susceptio, debitæ sibi obedientiæ prompta, & humilis sponsio corporaliter à te præstito iuramento firmata: schismatis abiuratio per te publice facta: ac in earundem litterarum serie,iuxta formam per eamdem sedem traditam,plene, ac seriatim expressas,quas ipsi Sedi per tuos aprocrisiarios præsentatas, non solum ad veritatis testimonium,sed & ad memorabile tuæ laudis præconium,tam præsentibus,quam posteris memorandum in archiuo eiusdem Ecclesiæ facimus conseruari. Sane fili dum ardorem desiderii, quod ad Latinos, & Græcos antiquo schismate separatos, in caritatis mutuæ vinculo, & vnitate fidei vniendos, per sanctos patres Romanos Pontifices prædecessores nostros est suspiratum ardentius,& labores immensos,quibus est hinc inde diutius laboratũ,memori memoria recensemus, ꝙ in præmissis actũ esse ab excellentia tua cõperimus,tãto votis nostris cedit acceptius,quãto solet haberi gratius,& reputari ꝓclarius ꝙ anxie q̃titur,& laboriosius obtinetur. Et quidẽ cunctis Christianæ religionis cõmunionẽ habẽtibus,in his,quę de irrogatione religionis,eiusdẽ cõmunionis ꝓstantur excitatiua lætitiæ: sed nobis eo maioris iocunditatis,& gaudii specialior causa succrescit,quo magis, dum minori fungebamur officio,eorundem fuimus laborum participes,& desiderii non expertes. Quo singularius hęc à nobis ad Apostolatus culmen assumptis diligentiam promotionis exposcunt, quæ prius cooperationis tantummodo commune nobis,& aliis ministerium exigebant. Sed & tu Princeps magnifice te lætanter in his considera præducem: & lætare, per alios etiam tuum imitaturos exemplum, tibi retributionis præmium, aliis concurrentibus meritis adaugendum. Considera,quod fortes animo,nec debiles viribus, qui prudenter sui operis afficiuntur ad exitum, quo plus fini propinquant,diligentius operantur. Sed & ii, qui in agone contendunt,quo minus restat de cursus instantia, eo currere nituntur instantius:& quo de victoria magis sperant,ad brauium plus aspirant. Eia igitur & tu fili, qui tantum in te,ac aliis,& præcipue in dilecto filio nobili viro Andronico nato tuo sic desideratum dedisti principium,tantum sic accepto vnionis perutilis opere processisti,cum præsto tibi fatearis potentiam virium,nec promptum diffitearis,aut differri te deceat animum,insta opportune,immo si opus fuerit,& importunus insiste: insta: vt quod in te ipso cœpisti feliciter,in prælatis,& aliis,& ore,& opere compleatur. Suppleantur omnino,quæ desunt: nec vlterius prætermittantur,aut differantur omissa. Cum igitur,sicut non solum famæ, verum etiam missorum dudum ad te nuntiorum ipsius Ecclesiæ relatio perhibet, & veritas, & tua nihilominus habet assertio, quod totaliter à te huiusmodi, eiusque dependet consummata perfectio, tuæ decet esse sollicitudinis, tuæ curæ, vt idem negotium celerem desiderate,sed proculdubio prorogate consequatur effectum. Ideoq; nos,qui ad hoc summo desiderio suspiramus, tibi singulariter innitentes, ad id,apud tuam excellẽtiam,& cum ea,quin potius & per eam,apud ceteros scilicet pręlatos,ac alios exacta diligentia procurandum, venerabilem fratrem nostrum Bartholomæum Episcopum Grossetanum,& dilectos filios fratrem Bartholomæum de Sena ministrum Syriæ,Philippum Perusinum,& Angelum Vrbeuetanum lectores ordinis Minorum Catholicæ fidei zelatores,scientia præditos,obseruatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos ad tuam præsentiam destinamus: Celsitudinem tuam rogantes in domino nostro Iesu Christo, quatenus ipsos, ob reuerentiam Apostolicæ sedis, & nostram,ea,quæ tantum decet principem,benignitate recipiens,illa,quę ad pleniorem eiusdem negotii consummationem,soliditatem,roburq; solidius,tam per te ipsum,quam per alios facienda suaserint,clementer audias:& vt efficaciter impleatur,ad augendum retributionis tuæ præmium,& ampliandum laudis titulum operosius intendas. Ceterum moram Apocrisariorum tuorum apud Sedem eandem,quam ipsius sedis vacatio tibi,vt credimus non ignota,& nostrę promotionis nouitas induxerunt,habeat tuæ mansuetudinis circũspectio excusatam. Ad petitionem autem per eos,coram felicis recordationis Gregorio, & Innocentio: V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris propositam, & nouissime in nostra,& fratrum nostrorum pręsentia repetitam,credimus per speciales literas eiusdem prædecessoris Innocentii plene,prout suasit facti qualitas,fuisse respõsum: quam quia nulla postmodum nouitas immutauit: nec nos responsionem putauimus immutandam. Dat. Viterbii Non. Octob. Anno primo.

Is fuit

AERA. NAT. CHR.

Is fuit annus incarnati Verbi MCCLXXVII: necessario enim huius anni metas transcendimus. Andronicus item Palæologus Michaelis Imperatoris F. Catholicæ E. fidem professus, primatum eius agnoscit: & sex & viginti Metropoles, si eiusdem Andronici litteris fidem adhibere par est, cuius perfidia, & scelere, immane quantum religio violata fuit, Catholicæ fidei sacris sanctionibus obtemperaturas spondet. Diuina demum quædam, & inaudita virtus Imperatoris Palæologi omnibus videri: cum nihil simile, ex omnium sæculorum memoria, post imperium tot calamitatibus fractum, & afflictum piæ vidissent nationes. Dum tamen quæ sua sunt quærunt, & Palæologus expeditionis belli Hierosolymitani sacramentum se dicturum recipit, & vti pax ab omnibus Latinis principibus sibi pręstetur, efflagitat: vt Philippi Imperatoris Constantinopolitani, Balduini Imperatoris filii, & Caroli Siciliæ Regis eius affinis vim arceat, qui præpotentes eius imperio nimis imminere videbantur, nefarie religionis causa proditur: & gentis leuitate, atque insigni inconstantia, & Iosephi Patriarchæ Constantinopolitani proteruitate, & fallaciis, & summo Andronici scelere atque impietate, vnius omnium nequissimi, natio ad ingenium versa sacra omnia fœdera religionis violat, confundit, & perturbat: & tenebris sempiternæ noctis offusæ eorum mentes, imbutę inueteratę prauitatis erroribus inuoluuntur: quos summa, & sacrosancta religionis necessitudo in officio retinere non potuit.

Rege à summo Pontifice exposcente, vti coronę regiæ insignibus eius manu decoretur, id renuit: nisi tributa à patre indicta, denuo Ecclesiæ sanciantur: & quæ persolui in singulos annos desita erãt, pendãtur. At Rex, cum potius gloriosam mercedem, à summo Pontifice, pro tantis rebus gestis, & tã insigni decore Christianæ reipublicæ parto expetendã, quam regni maiestatem, & immunitatem se auctore minui æquum censeret: ab ea re destitit: & Mompellerium regreditur.

Id. Iul. Barcinone Rex edicit, vt copiæ omnes militares aduersus Cardonensem cogantur. Eius expeditionis causam obtendit, quod Cardonensis Bertrandum Canelliam foueret: qui immane facinus commiserat: cum Rudericum Castelliriolum præfectum Iustitiæ Aragonũ contrucidasset. Cardonensis arces omnes tradit. Cũ Cardonẽsi contra Regem Solsonæ coiere Hugo Emporitanus, Arnaldus Rogerius Paliariensis, Ermẽgaudus Aluari F. Vrgelitanus Comites, Guilielmus Anglesola, Berengarius Puduercius, Petrus Berga Berengarius Arnaldus Anglesola, & Raimundus Anglesola.

A. D. XI. K. August. Pompelone Henricus Rex decedit, Paulo ante Iohannam vnicam filiam, quam ex Roberti Atrebatensis Comitis, Ludouici Francorum Regis fratris filia susceperat, à Nauarris regni heredem, iurisiurandi religione obstrictis, adsciscí imperauerat.

Ex Nauarris, cum summa partium contentio in republica versaretur, alii Iohannam regni heredem, Henrici Regis F. Regi Castellæ tradendam, & eius consilio in matrimonium collocandam censent: alii in Galliam traducendam. Plures Regem Aragonium ad regnum adsciscendum contendunt: Regina Nauarris tumultuantibus in Aquitaniam cum filia traiicit: vel iniquissimam conditionem Gallicam, iustissimo connubio Hispano anteferens.

Rodolfo Asburgensi, omnium principum electorum consensione, excepto Bohemiæ Rege, ad Imperii gubernacula adscito, & Aquisgrani diadema adepto, Gregorius P. M. Alfonsum Castellæ Regem hortatur, vti ea causa desistat: quod illi, mortuo competitore Ricardo, nullum præterea præcipuum ius quæsitum fuerit. Cum Alfonsus minus prouidenter recepisset, pollicitusque esset, se Pontificis Maximi iudicio obtemperaturum, Gregorius Lugduni A. D. VI. K. Oct. consulto, & summo Cardinalium collegii consensu, Rodolfi electionem ratam habet: titulo Regis Romanorum cohonestat: Imperii principibus, vt illi dicto audientes sint, imperat: & Rodolfum in Italiam arcessit.

Nauarris ad Reginæ Pontem, id oppidi nomen est, conuentum ineuntibus, Petrus Regis F. Turiasonem contendit: quod Rex eo iure, quo se Sanctius Rex in heredem filium adoptauerat, promissum Regnum repetit. A. D. XI. K. Oct. Garciam Orticium Azagram, Ferrerium Manresam, & Iohannem Egidium Tarinum Cæsaraugustanum Prætorem, legatos ad Nauarrorum conuentum præmittit. Regia causa de successione Pompelonensis regni allata, frequenti conuentu Azagra perorante, inuidia eorum, qui alio transferebant, detecta, æquissimis propositis conditionibus obtineri visa. Nam Olitum conuentu traducto K. Nou. spondent, se operam daturos, vti Iohanna Henrici Regis F. Alfonso Petri filio collocetur. Si Iohanna in eam conditionem deduci non possit, curaturos se pollicentur, vti filia Iohannis Britannici Ducis, & Blancæ eius vxoris, hæc Henrici Regis soror erat, aut ex aliis Henrici sororibus delecta, Alfonso nubat: ad quos regni

AERA. NAT. CHR.

hereditas perueniat: neque permissuros, vt ex puellæ aliis principibus adiungantur. Si id vero transigi nequiret, vt aliqua ex Henrici sororibus Alfonso, fratrive Alfonsi nubat, CC. M. marcharum argenti persoluturos in eos sumptus, quos in regni Pompelonensis propugnatione Petrum expēdere oporteret, recipiunt. Ex Nauarris proceribus, & primariis viris, qui se sponsione Petro Regis filio his conditionibus deuinxerant, hi feruntur: Petrus Sanctius Montacutus, qui Cascanti dominabatur Regni gubernator, Gonzaluus Iohannius Baztanus Regni signifer, Garcias Martinius Lupezius & Martinus Innicius Orisii, Aluarus Peresius Rada, Petrus Zapata, Roldanus Peresius Daransus, Martinus Valterra, Martinus Garcesius Eusa, Gomezius Peresius Arronizius, Simon, & Rudericus Simenius, & Iohānes Martini⁹ Olletę, Aznarius Innici⁹ Corellia, Petrus Martini⁹ Mualua, Didac⁹ Martinius Morētius, Egidius Martinius Aiuar⁹, Martin⁹ Diacius Mirafontius, Lupus Innicius, & Adā Sadæ, Gōzaluus Peresius Azagra, Alfonsus Diacius Morētius, Arnaldus Raimundus Mauleo, Rudericus Sanctius, & Didacus Perezius & Roldanus Perezius Sotesii, Rudericus Lupezius Marzilla: aliiq; plures ciuitatum procuratores. Hęc & si iurisiurandi religione à Nauarris sanciuntur, inania, & irrita euasere: quod Philippus Francorum Rex Iohannam Henrici F. nurum sibi adoptauerat: & breui Nauarrorum animis partibus infectis, & præcipuis arcibus à Regina Franco traditis, eius regni potitur. Petrus vero iam dudum tacita consilia alio deriuauerat.

Ferdinando Sanctio Regis F. qui coniurationem nobilitatis fecerat, & plebi maxime acceptus erat, Cardonensi, & aliis Catalanis, & Aragoniis proceribus adiuncto, ac magnas turbas miscente, Petrus oppida fratris oppugnat: & militares aduersus eum copias cogit. Cardonensis, & Hugo Emporitanus, Arnaldus Rogerius Comes Paliariensis, ac pęne vniuersi Catalonię proceres à regio dominatu se subtrahunt: atque Regem de more, prouocant: quos ad se æquis conditionibus perducere studet: ne ad grauiora supplicia progredi necesse habeat: non ignorans, quanta ex dissensionibus ciuilibus incommoda oriri consueuerint.

A. D. XIII. K. Dec. Barcinone x. dierum cum proceribus induciæ fuere pactæ.

A. D. VIII. K. Dec. Barcinone res eo deducitur, vt Ferdinandi Sanctii, & eorum procerum, qui eius sectam sequuntur, nuntii à regio dominatu eos subtrahi, ipsi Regi contestentur. Inde inducias paciscuntur: & maioribus indies odiis aula regia exardescit, & fratrum dissidio cōcutitur. Cardonensi Vicecomiti, & reliquis proceribus à Rege diffidentibus, vt eos ad se alliciat, iudices dati Archiepiscopus Tarraconensis, Gerundensis, & Barcinonensis Episcopi: & Fontis frigidi Abbas: totidemq; proceres Raimundus Moncada, Petrus Vergua, Gaufredus Roccabertinius, & Petrus Queraltus: conuentuq; procerum Ilerdam indicto, de iudicum sententia controuersias omnes decidi statuit.

Rex acta ferme ætate, à pacto cum Theresia Egidia Vidauria nobilissima fœmina connubio diuertit. Cū ecclesiastico iudicio eæ nuptiæ legitimæ fuisse decernerētur, Rex Pontificē appellat. Satis cōstat Iacobū, & Petrū filios siue casto eo cōiugio siue cōtubernio genitos à Rege in testamēti tabulis, quę Mōpellerii A. D. VII. K. Sep. anni MCCLXXII. cōscripte fuerant, legitime susceptos ex domina Theresia Egidii de Vidaure commemorari: & legitimis filiis, posterisque eorum virili pro legitime natis in hereditario regni iure substitui: & nepotibus Reginarum Castellæ, & Galliæ, & Constantiæ filiis anteponi. Iacobū F. Exerica, Tauro, Essida, Beho, Ahino oppidis, atque arcibus donat: & alia oppida contribuit: Petrus vero Aierbio, Lusia, Ahuero, Liso, Artaslo, Castellione, Siestico, Borota, Azuere, Cabatraiis, & Binimiena oppidis, arcibusq; donatur. Inde Exericarum, & Aierbiorum admodum amplæ, & regales familiæ fluxere.

1313. 1275 Alfonsus Castellæ Rex in prouinciam Galliā ad Gregorium P. M. proficiscens, Barcinone festum natiuitatis Domini diem vna cum Rege socero celebrat: non tamen eius saluberrimis cōsiliis, atque monitionibus mouetur, quin re iam desperata, & præiudicata, imperii causam vrgueat: & summum Pontificem intempestiuus conueniat: præsertim cum Regem Francorum adeo infestum, & inimicum vereretur, vt fide publica iter peragere, fuerit necesse.

Sacro Epiphaniæ die Raimundus Pennafortius Barcinone, in cœnobio Prædicatorum è vita excedit: cuius summæ religionis, & veteris sanctitatis nullum illustrius exemplum illa tempora in Hispania tulere. Eius funere Reges, & Regum filii, & ingēs principum turba, ad exequias cohonestandas conuenere.

A. D. VII. K. Feb. Barcinone Rex Ilerdam Catalanorum, & Aragonensium conuentum in A. D. II quadragesimæ ieiunium indicit. Proceribus amicis, ac natu maioribus in consilium adhibitis insanienti seditiosorum procerum temeritati obuiam it: quarum prin-

principes erant Vicecomes Cardonensis, Emporitanus, & Paliariensis Comites, Ferdinandus Sanctius Regis F. Artallus Luna, & Petrus Cornelius. Hi cum assectatoribus conuentus decreta subterfugientes Corbinũ secedunt. Populos, qui trans Sicorim incolunt, ad suam sententiam, & in parem iuris, & libertatis conditionem, atq; ipsi versantur, perducere nituntur. Conuentus dirimitur. A. D. II. Id. Mai Ilerdæ Rex Hugoni Emporiarum Comiti se infensum, atque inimicum, de more denuntiari imperat: & à Iacobo F. illi bellum inferri. Petrus Regis F. patris imperio, aduersus Ferdinandum fratrem, & proceres tumultuantes bellum gerit. Cum Ferdinandus animo præruptus, & præceps, earum seditionum præcipuus stimulator, & concitator esset, & mobilitate, & leuitate animi nouis rebus studeret, neque indutiarum, eis per scelus violatis, iura seruarentur, à fratre in Pomarium castellum inclusus, cum commutata persona eripere se niteretur, ex insidiis capitur. Petrus in fratrem grauius statuens, pœna postremæ desperationis, atque amentię constituta, in Cingam amnem demergi imperat: oppida, atque arces omnes Ferdinandianæ Petro deduntur. Ferdinandus ex Aldoncia Vrrea vxore Philippum Ferdinandium filium reliquit: qui paternam hereditatem redditam, atq; restitutam postea adiit: & ex ea stirpe Castrorum familia regia, & illustris propagatur. AERA. NAT. CHR.

Multiplex inde excitus terror, omnes Hispaniarum oras concussit: quod Abeniuceffius Maurusiorum Rex à Granatensi Rege arcessitus fretum innumerabiles copias traiecisset, & Hispalensem tractum incurreret. Granatensis Iaenensibus finibus bellum infert Nunnius Larensis, adeo spectatæ virtutis dux, vt maximum munimentum rerum Rege peregre profecto, esset, ad Astigim cum Abeniuceffio dimicans interimitur: eiusq; copiæ occidione cæduntur. Maio mense eam pugnam commissam ferunt: qua plures bello, ac militiæ spectati viri, ducesque periere.

Dum hæc in Turdetanis geruntur, Sanctius Toletanus Antistes Regis Aragoniæ F. ex Carpetanis iuuentute excita, subsidiarias copias educens, Castulonensi saltu transcenso, Iaenensi bello occurrens, ac Larensi adiungi sperans, in victorem hostem incidit. Cum hostibus raptim, & turbate decertans, nostrorum copiis profligatis interceptus, dũ hostes de opimis spoliis ferundis, & captiuo Imperatore ducendo, inter se dimicant, Sanctius tragula confixus cadit. Nec satis stolidæ crudelitati barbarorum visum: caput, & manus pontificiis annulis præfulgens pręciduntur. Summo in discrimine, & incredibili rerum perturbatione omnia versantur.

Iunio mensę Rex Hugonem Emporitanum Comitem in Indigetibus bello persequens, Rhodam inclusum obsidet: & ad deditionem compellit.

Tantis subito difficultatibus subortis, Augusto mense, Villaregali Ferdinandus Regis Castellæ F. primigenius, omnis spei extremum & commune solatium, & regni columen, atq; subsidium e vita excedit. Omnia obrui visa ni vnus vir ingentis animi obstitisset, Sanctius Ferdinandi frater iuuenis acer, & expertæ virtutis: qui ruentibus rebus, patriæ opem ferens, vnicum præsidium fuit.

Ilerdę Alfonsus Petri F. Regis N. ab Aragonensibus, Catalanis, & Valentinis proceribus, & ciuitatibus iurisiurandi sacramento, vti legitimus heres, & regni successor futurus auo, & patre vita functis, renuntiatur: & in eius verba omnes adiguntur.

In hac tantarum commotione rerũ Petrus Regis F. tot rebus aduersis, ad caput belli subsidio properans, M. equitum, & V. M. peditum coacto exercitu, Granatensis regni fines inuadit: & Almeriensem agrũm incurrit. Granatenses copiæ primo quoq; tempore Malacensibus auxilium ferunt: & Abeniuceffius ab eis se deseri videns, Algeziram freto adiacens oppidum regreditur.

Montesani, qui per se antea Regi infideles erant, Abeniuceffio bellante, & tot prosperis successibus elato, atque ruente, aperte bellum parare incipiunt: & aliquot castella 1314. præsidiis firmant. Noui Maurorum exercitus exorti ad populandos fines, per Contesta- 1276 nos in Ædetanum agrum transcendunt.

Valentinis tam interno motu concussis, vt prope illatum mœnibus ipsis bellum videretur, repens hostis Regem ipsum exacta ætate ductorem quærebat: & quãuis in morbũ incidisset, & satis vehemẽter, diuq; ægrotasset, multis bellis eius gentis infidelitatem expertus, cũ etiã plures annos eorum vim, atq; audaciã sustinuisset, Valentiæ A. D. III. Id. Mart. militares omnęs copias cogit: & Aprili mense Algeziram progressus, inde Setabim copias educit. Hostes Alcoium oppugnant: & in ea oppugnatione Alazdrachus ille primus defectionis auctor interimitur. Nostri non satis sibi facientes, quod virili animo oppidum propugnassent, hostes persecuti, cum primæ eorum turmæ insidias intrauissent, ad vnum omnes interimuntur. Is dies, Martis fuisse constitit: adeo nostris longe grauissi-

AERA. NAT. CHR.

mus fuit, vt Setabitani eum, tanquam funeſtum reipublicæ obteſtetur. Prælio equeſtri maxime aduerſo facto, noſtris magnæ hoſtiũ multitudinis aditu perterritis, turmæ Maurorum equitum, perceleri curſu, vltro, citroque magnas ſtrages edunt.

Petrus Moncada Templariorum Magiſter, Garcias Orticius Azagra, & alii proceres ad Lucentum cum hoſtium copiis D. equitum, & III. M. peditum pugnam conſerunt. Noſtri cęduntur: atq; ingens fit Setabitanorum cædes. Azagra interimitur: & Moncada in hoſtium poteſtatem recidit.

Rege Setabi Algeziram regreſſo, cum grauius morbo affligaretur, & mortis periculum inſtare videret, imperium deponere ſtatuens, regno ſe abdicat: eo conſilio, vt Populetenſi cœnobio D. Bernardi inſtitutis initiaretur. Regnum filio tradens, hortatur, ita rem publicam capeſſat, vt quam in fortunam, & in quam amplitudinem regnum deduxerit, ſemper meminiſſe velit.

A. D. VI. K. Aug. Rex Valentiam delatus è vita excedit: cuius res geſtæ, & glorioſa facta, ſi animi virtute, & robore expendantur, omnium iudicio haberi poſſit Rex vere principum maximus: cuius tãnta vis animi fuit, vt nemo eo fortius, aut bella ſuſceperit, aut pro regia dignitate geſſerit: perfeceritve. Eiuſdem ætatis ſcriptor memoriæ prodit, regno tot bellis, atq; victoriis parto, religionis cultus adeo ab Rege propagatos fuiſſe, vt ad duo millia fanorum, & delubrorum fecerit. Triciens cum impiis hoſtibus ſignis collatis manum conſeruit. Quatuor filiorum legitima prole deficiente, Iolantis, Conſtantię, & Iſabellæ filiarum liberos ad regnum, excluſis matribus, arceſſit. Ex nobili præterea muliere Berengaria Ferdinandia Petrum Ferdinandium filium ſuſceperat: quem Ixeritana ditione donat: hinc Ixeritanæ ſtirpis ſplendida familia fluxit. Conſtantiam, & Sanctiam grandes, & nubiles filias ſuis conditionibus cũ tradere vellet, Conſtantia Emmanueli Regis Alfonſi fratri nubit. Sãctia vero, cũ ſe totã diuino cultui addixiſſet, & ꝑpetua cura ſollẽnia ſacra obiret, tãdẽ regali ꝑſona depoſita, nemini nota, aut manifeſta, Hieroſolymã profecta, ad ſacroſanctũ domini ſepulchrũ, in peregrinos pauperes, & ægritudine cõfectos ſumme hoſpitalẽ ſe ꝑbuit: cuius obitu, inſignia eius ſanctitatis miracula eluxere.

Auguſti menſis fine Petrus Regis F. trium menſium inducias cum rebellium Monteſanorum ductoribus paciſcitur. Ab earum induciarum iure plures arces excipit: quo hoſtes omnes ſuas fortunas contulerant. Valentię, rebus bellicis cõſtituendis, atque collocandis tempus omne in Octobris menſis finem conſumit: non tamen regium nomen vſurpat, quoad de more, coronatus regalibus inſignib⁹ decoretur. Quod bellũ cũ Nauarris gereretur, Borgiæ Regni finibus primariũ ductorẽ Lupum Ferrenciũ Lunã præficit.

Segouiæ Areuacorum vrbe conuentu coacto, Alfonſus Caſtellæ Rex Emmanuelis fratris, & Lupi Diazii Pharenſis Viſcaię domini, & aliorum procerum conſilio, & ſuaſione, Sanctium F. regnorum heredem renuntiari imperat: magna Petri eius affinis querela: quod Alfonſus Ferdinandi primigenii F. regni ſucceſſione exturbaretur: & ab auo Sanctius nepotibus eſſet antepoſitus. Ob eam cauſam, cũ Sugerius Calatrauenſis Magiſter, & Iohannes Arias ab Alfonſo Rege Valentiam ad Petrum legarentur, vt vetuſtorum fœderum iura, regnum adeptus ſanciret, in id tempus reiicit, quo regni munia procerum conſilio coronatus obiret.

A. D. XVI K. Dec. Cæſarauguſtæ in æde ſacra Saluatoris Petrus, & Conſtantia eius vxor, regio apparatu, & ornatu, diadema ſuſcipiunt: & ſacro oleo à Bernardo Oliuellæ Tarraconenſi Antiſtite peruncti regalibus inſignibus decorantur. Cauet Rex poſteris ſuis: & ante impoſitum diadema obteſtatur, ſe ab Archiepiſcopo Tarraconenſi, ea conditione coronam non ſuſcepturum, vt Eccleſiæ adeſſe cogatur, aut vt illi obſit: ne ſe tanquam Eccleſiæ dediticium, aut ſtipendiarium vltro profiteatur: quod à Petro Rege auo vſurpatum, & inductum regni proceres conqueſti fuerant. His ſollemnibus publico in conuentu celebratis proceres, & ciuitates regni Alfonſum Regis F. iurſiurandi religione obſtricti regni futurum heredem, & ſucceſſorem profitentur.

Peracto conuentu Rex Decembri menſe nondum decurſo, Valentiam proficiſcitur: vt belli rationibus conſulat: aut ſicubi eſſet, auertat.

PETRVS III. MAGNVS XV. REX ARAGONIÆ.

IACOBVS II. BALEARIVM REX.

Fortunius Ahenes Præfectus Iuſtitiæ Aragonum.

1315. Iolans Regina Caſtellæ Petri Regis ſoror Guadalaiarum ſuę ditionis oppidũ venire ſi-
1277 mulans, regni fines egreſſa Farizã contendit: Blancã nurum, & Alfonſum, ac Ferdinandũ nepo-

nepotes secum educens: quorum se incolumitati consulere palam profitetur: quod San- AERA:
ctius eorum patruus viuente patre suo, eorum auo rerum potiretur. Rex Valentia eo emi- NAT.
grat: vt sororem inuisat. CHR.

A.D.VI. Id. Ian. Rex Segouiensi Episcopo, repentinæ sororis profectionis consiliũ patefacit: seque operam dedisse, vti soror, sororis nurus, ac nepotes in potestate Alfonsi Regis ne essent: quod Sanctius regia iura, viuo parente inuasisset.

Alfonsus Rex ira, & furore percito commotus, Fredericum fratrem interimi, & Simonem Ruizium Camerensem, principem virum, Frederici generum viuum comburi imperat: consilii profectionis Reginæ participes, & nouandarum rerum auctores: eoque patrato facinore, cum ingenti periculo, in vltimum rerum suarum discrimen ruit.

Auertit ab eis curis Aragonium Regem ingrauescens bellum: & Aprili mense Mauris, qui defecerant, bellum infert: & eorum agros depopulatur. In Montesæ arcem munitissimam circiter xxx. M. virorum includuntur. Montesam castris circumsidet. Propugnatores virium numero confisi, crebris eruptionibus nostros percellunt.

Montesani assiduis oppugnationibus compressi, cæteræq; rebelliũ arces auxilium desperantes, Regi se obtemperaturos pollicentur: & in deditionem, potestatemq; A.D.III. K.Oct. rediguntur. Nam & si Rex tanta ira, odioq; bellum gerit, vt victis interitum minetur: bellum, quod instaret intuens, in deditionem accipit.

Vix dum depositis Montesanorum armis, nouus minime idoneo tempore tumultus exoritur. Rogerius Bernardus Fuxensis, Arnaldus Rogerius Palliariensis, & Ermengaudus Vrgellitanus, Aluarus Ermengaudi frater, Raimundus Fulcho Cardonensis, Bernardus Rogerius Erilius, Raimundus Anglesola, Guilielmus Raimundus Iossa: & alii Cataloniẹ proceres, homines, nõ tã parendi, quã bellandi cupidi, cũ proximis ciuitatibus pacẽ, & amicitiã cõciliant: cõfirmãtq;, vt Regi bellũ denuntient: atq; inferant. Fœdere ciuitatibus adiuncti, vt se sequãtur ꝑsuadẽt: magnaq; Cataloniẹ pars viriũ, & armorũ cõcitatione cõmouetur. Eã tumultus causam prætexũt, quod Rex adepto regno, cõuentũ Barcinonẽ nõ indixisset: neq; mores, atq; instituta maiorũ à Barcinonẽsib⁹ Comitib⁹ sancita, firmasset. Bernardus Dezclotius eiusdẽ ætatis scriptor memorat, Regẽ contendisse, vt aliquot instituta, quæ corruptela malæ consuetudinis deprauata fuerant, abrogarentur, tollerenturq;.

Rex festum natiuitatis Domini diem Valentiæ celebrat. Calataiubium proficiscitur. 1316.
Arces, & castella finibus regnorũ opposita præsidiis firmat. Farizæ arci, insigni regni pro- 1278.
pugnaculo exteris nationibus obiecto Rudericus Gonzaluius Funes præficitur. Vndiq;
noui motus nuntiantur: omniaq; inde suspecta erant.

Quod Sosenses, & Filerenses de finium limitibus cum Sagueslanis decertant, Rex inducias cum Eustachio Belmacho regni Pompelonensis procuratore paciscitur.

Irene Lascaris Theodori Lascaris Grẹcorum Imperatoris F. Guilielmi Intemelii Comitis vxor Calataiubii Regem inuisit.

Id. Apr. Valentiæ Rex Episcoporum, procerumq; omnium conuentum à Resurrectionis festo die in tres hebdomadas Tarraconem indicit: vt inde Valentiam profecti, patris corpus Populetum tumulandum deuehant: magnaq; exequiarum, Pompæ, & laudationis celebritate translato, iusta funera apparatu regio magnifice peraguntur: & sepultura, cum ciuitatum legati supremo, erga memoriam Regis, munere fungerẽtur, de more perficitur. Summus memoriæ, ac nominis honos habetur.

Alfonsus Castellæ Rex summe enititur, vt Iolans Regina vxor, & Alfonsus, & Ferdinandus nepotes ad se deducantur. Legatis vltro, citroq; ea de re crebro commeantibus, cum tandem Emmanuel Regis Aragonii affinis, qui eam curam enixe susceperat, vt Sanctium in regni successione stabiliret, & Alfonsum, & Ferdinandum Alfonsi Regis nepotes auita regni hereditate auerteret, Turiasone Regem conuenisset, in eam pactionem deuentum est, vt Iolans ad virum reuertatur: nepotes, Regis Petri custodia attineantur: quod Sanctius summopere curat, ne in Galliam ad auunculum Regem deuehantur. Iolans ad virum ingratis decedit: quæ magnorum Regum filia, vxor, & parens, summo dedecore, impudicitiæ famam effugere non potuit.

Rex inexpiabili bello proceres persequitur: nemini enim dubium erat, quin omnium consensu dux in eos destinaretur.

A.D.V. Id. Iun. cum Agramontem Ermengaudi Vrgellitani oppidum Rex obsideret, Henricum Rhodensem Comitem commoneri imperat, vt in aula Regia se sistat: atque Carladensis ditionis suprema fidelitatis iura, & summam potestatem Regibus exceptam sanciat: & tributa persolui desita pendat.

Rex, vt Fuxensem ad se pelliciat, qui nobilitate, potentia, & virtute bellica omnibus

AERA. NAT. CHR.

præstat,& late in Catalonia potens pollensq; dominatur,operam dat,vt Constantia Comitis filia natu maior Iacobo filio suo nubat.

A.D.III.K.Id.Dec. Agramonte cum Rex Ermengaudo, ad pacis condiciones deditionemq; spem non ademisset,& ad imperium demum redegisset, ditionem omnem Vrgellitanam,eiusque iura,interuentu Fuxensis attribuit.

A.D.XIX. K.Ian. Ilerdæ Rex ditione omni,quam in Ripacurciensi, & Palliariensi regione obtinere potest,à Gessæis montibus, qui Tamarito imminent, Pyrenæum versus,& quæ Cinga,& Nocharia Palliariensi fluminibus continetur, adiunctis castellis omnibus,atq; arcibus,regii dominii Iacobum filium donat:si Fuxensis filia in matrimonium illi collocetur.Fuxensis filiæ Castelboni Vicecomitatū dotis nomine dicit:heredemque Fuxensis ditionis instituere pollicetur. Sed eæ pactiones quæ interuentu Pontii Hugonis Emporitani,& Arnaldi Rogerii Palliariensis Comitum, Raimundi Peraltæ, Pontii Ribellæ & Petri Martinii Artalsonę constitutę fuerant, dirimuntur: & Fuxensis denuo a Rege diffidet.

1317. 1279 Cum inueterata ira Rex Iacobum fratrem Balearium Regem prosequeretur quod immensa ditionum assignatione,quibus à patre donatus fuerat,indigne se priuari doleret & iuribus se fraudari ęgre ferret, quibus Fuxensis,& Emporitanus Aragoniis Regibus obstringebantur,& Perpinianum improuisus iniisset, in eam pactionem, A. D. XIII.K. Febr. deueniunt. Assidente Rege in regali solio, in cœnobio Prædicatorum Iacobus supremam regni Balearium potestatem,& adiacentium insularum,Ruscinonensis, Cæretanæ, Confluentiæ, Vallespiriæ,& Iliberitanæ ditionis,adhęc Vicecomitatuum Omeladesii, & Carladæsii, & arcium omnium potestates Mompelleriensis ditionis Regi addicit, atque attribuit. Melgoriensis Episcopi iura excipiuntur: & aliorum oppidorum recens quæsitorum.Se,posterosque Balearium Reges fideles,subditicios,& dicto audientes Aragoniis Regibus constituit: tradituros que spondet iratis, aut pacatis Aragonum Regibus Maioris Balearium vrbem, Cæretanam arcem, & Perpinianum. Obstringitur præterea sacramento,posteros Reges Balearium, conuentibus Cataloniæ indictis, si arcesserentur, interfuturos: modo in Maiore insula, id temporis non commorentur,resideantve.Ruscinonensi in ditione nummos Barcinonensis notæ,nulla ponderis deminutione expendendos recipit. His constitutis conditionibus,Rex donationes à patre factas confirmat:Iacobo palam conquerente, & se indignum ducente: quod graues leges imponerentur à fratre:cum eas ditiones immunes,& nullius imperio,potestatiue addictas à patre suscepisset: vetusque ea suscepta simultas facti indignitate augetur: & plurium malorum causa exstitit:cum fraternum odium indies ingrauesceret. Balearici Regis nomine fidem suam sacramento obstringunt,curaturos se,vt Balearii Reges his legibus obtemperent,Fuxensis,& Emporitanus Comites, Dalmatius Roccabertinius Vicecomes Castellionoui,Raimundus Durgius,Guilielmus Canetius,Bernardus Hugo Serralonga, Dalmatius Castellinoui, Pontius Zagardia, Arnaldus Corsauius, & Guilielmus Sous:& procuratores Perpinianenses,& Balearici.

A.D.XVIII.K. Octob. inter Requenam, & Buniolium Rex, & Sanctius sororis F. congressi,artiori fœderis vinculo adiunguntur.Inde Rex in Cataloniam festinanter proficiscitur: vt tumultuantibus proceribus obuiam eat.

Conradus Lanza Reginæ Constantiæ propinquitate adiunctus, regiæ classis præfectus Mirabusacium,qui Tunetano regno exactus à fratre fuerat, distractis Africæ viribus,fraudem hostium vlciscens,cum potior retinendo regno visus esset,nostrorum militum copiis,ad regium imperium regniq; possessionē deducit.Inde cum Africæ,& Mauritaniæ oras IIII. longis nauibus præteruehitur, ad Alhabibam insulā Mauritaniæ litori adiacentem cum x. longis Maurorum nauibus congressus,pugna commissa, profligatis,& deuictis hostibus,eorum nauium potitur.

A.D.XI.K.Decemb.Francorum,& Castellæ Regum legati Valentiæ Regem conueniunt. Hi principes super Castellæ regni successione diffidentes, vnusquisque Regem ad se trahere nititur.

Eadem die Rex Iacobum Peresium filium ex Maria Nicolosia concubina genitum Segorbiensi vrbe ac ditione donat:& Sāctiam Ferdinandi Diazii filiam in matrimonium illi collocat.

A.D.VII.Id.Dec. Tarracone Bernardus Tarraconēsis Archiepiscopus, Arnaldus Barcinonensis, Bernardus Gerundēsis, Raimundus Ausetanus,qui se Vicēsem cognominat, Guilielmus Ilerdēsis, Petrus Vrgellitanus, Arnaldus Dertosanus, Petrus Cęsaraugustanus, Iacobus Oscensis, Iaspertus Valentinus Episcopi,itē Abbates & alii pręlati,qui concilium

ea vr-

cu vrbe celebrant, totiusque consilii vniuersitas enixe litteris Nicolaum P.M. deprecan- AERÆ
tur, vti Raimundi Pennafortii viri sanctissimi memoria sua certa, destinataque sententia, NAT.
religione omnium consecretur: aræq; ei inter diuos rite sollemni precatione statuantur: CHR.
cuius sanctitas viri insigni splendore apud omnes nationes præfulgeat.

Dionysius Portugalliæ Rex Alfonsi Castellæ Regis nepos, qui superiore anno patre 1318.
vita functo regnum adeptus fuerat, legatos Iohannem Vellum, Iohannem Martinium, & 1280
Blascum Peresium ad Regem mittit: & Isabellam Regis F. maiorem natu, sibi in matrimonium collocari exposcit.

Quod Fuxensis Comes CCC. equitum, & VII.M. peditum copias coëgisset, & proceribus Cataloniæ adiunctis bellum vrgueret, Rex cum longius eorum amentiam progredi videret, magno comparato exercitu, Iunio mense, repentinos eorum impetus coërcens, Fuxensem, Palliatiensem, Vrgellitanum, & Cardonensem Balagueriuṁ includit. Vna in oppido inclusi obsidentur primarii proceres Pontius Ribellias, Arnaldus Rogerius fratris Palliatiensis Comitis F. Raimundus Abella, Petrus Iossa, & Guilielmus Canetius Roccafortius. Cum eam animorum concitationem Regis aduentus fregisset, & intentior in mœnia hostium versus, viis omnibus obsessis, haud procul iusto prœlio res esset, ac vi maiore indies obsiderentur, Regi, qui obsessor restiterat, & castris vrbem circūsederat, breui ad spem euentus respōdet. Nec spe, nec animo certiore se, proceres suaque omnia in fidem, atq; potestatē regiam permittunt: quos cū Alfonso filio tradi imperasset, in Ilerdensem arcem contruduntur. Fuxensis seditionum auctor, & princeps valde pertinacis, & obstinati animi vir, in Siuranam arcem traductus, longo temporis spatio, dura vinculorum custodia continetur.

Cum Philippus Francorum Rex Alfonso Regi nulla ratione suadere posset, vt cum filio, ac nepote regna partiatur, neue nepotem regno exheredet, cum Aragonum, & Baleariū Regibus Tolosæ congreditur. Recipit Francus Mempellerii dominatus iura integra Regi reseruaturum: neque permutationis causa, cum Magalonensi Episcopo factæ, ius aliquod in eam ditionem quæsiturum: neque de liberandis Alfonso, & Ferdinando fratribus, Regis Castellæ nepotibus, quidquam eo in colloquio transigitur.

Sanctius Alfonsi Regis F. regni cupiditate inductus, quod viuente patre appetierat, Gonzaluum Ruizium Gironem Vclesium Magistrum, & Marchionem Monferratensem suum affinem ad Regem legatos mittit: qui operam dent, ad colloquium cum patre deueniat: sperans in eo congressu successionem regni, auunculi consiliis stabilire. Leuitatis enim paternæ, & inconstantiæ gnarus, magnopere veretur, ne aliquorum procerum suasu labefactatus regna cum nepotibus partiri velit: quod proceres eum regni statum sibi apprime accommodatum, atque obnoxium fore vident.

A. D. VI. K. Apr. facta colloquia, è rebus publicis, vt prætenderant, non incommo- 1319.
da, ab Aragoniæ, & Castellæ Regibus ad Campillum in ipsis regnorum finibus, loco inter 1281
Turiasonem, & Agredam interiecto Castellę Regem ad colloquia proficiscentem comitantur Emmanuel eius frater, Sanctius, & Iacobus Regis filii, Iohannes Alfonsus Pallantinus, Petrus Ciuitatensis, & Ferdinandus Gaditanus Episcopi: Guilielmus Marchio Monferratensis: qui Beatricem Regis Alfonsi F. vxorem duxerat, & Iacobum Affinem generum sibi adsciuerat, Alfonsus Alfonsi Infantis Molinæ F. Iohannes Alfonsus Pharensis, Iohannes Gonzaluus Baztanus, Munio Diacius Castaneda, Sanctius Martinius Leua. Gonzaluus Garcias Strada, Tellius Gutterrius iustitiæ domesticorum Regiorum præfectus, Garcias Gaufredus Loaisa, & Garcias Perezius Dambrius. Aragonium Regem assectabantur Alfonsus, & Iacobus filii: Garcias Episcopus Turiasonensis, Bonanatus Nuntius Apostolicus, Petrus Costa electus Segorbiensis Episcopus, Hugo Metaplana Præpositus Massiliensis, Magister Arnaldus pro Cancellario Regis, Petrus Ferdinandius Ixeritanus, Iacobus Exerica, & Petrus Aierbius Regis fratres, Castellinoui Vicecomes, Guilielmus Raimundus Moncada, Artallus Luna, & Lupus Ferrencius Luna eius frater, Petr⁹ Cornelius, Petrus Moncada, Bertrand⁹ Belpucius, Sanctius Antilionius, Gilabertus Cruilias, & Rudericus Simenius Luna. Cōuenit, vt Nauarræ regnum inter se partiantur: & ad eam pactionem consulto venit Sanctius: & Aragonio auunculo iure Nauarræ regni cedit. Pollicetur Alfonsus Rex, se non permissurum, vt Berengaria filia Philippo Balduini Constantinopolitani Imperatoris filio, Caroli Siciliæ Regis affini nubat. Sanctius Albarrazinum vrbem, eiusque ditionem regni Aragonum iuris, potestatisq; esse, seorsim auunculo sancit: probatque. Ex eo pactionum, colloquiiq; fœdere ad id recisū est, vt Alfonsus, ac Ferdinādus Regis Castellę nepotes in Setabitanæ arcis custodiā intrudantur. Arces Podiana, & Ferrelionia, & fines Puteolani, de quib. Reges

AERA. NAT. CHR.

controuerſabantur, iudicio Martini Romæi Veræ Prætoris Calataiubienſis, & Sanctii Martinii Leuæ, & Gonzalui Pereſii Epiſcopi Segouienſis Aragonio regno adiunguntur. Pollicetur præterea Caſtellæ Rex ſe Aioram, Palatiolos, Thereſam, Xeram, & alia oppida cum Aiorenſi valle Regi poſteriſq; Regibus traditurum: quæ Emmanueli fratri condonauerat. Emmanuelem Eſcalonæ oppidi compenſatione leniunt. Inde Reges Agredā contendunt. Iohannes Nunnius, Larenſis, & Iohannes Nunnius, & Nunnius Gonzaluius eius filii, quos ex Thereſia Aluari Azagra vxore ſuſceperat, & Aluarus Nunnius, & Ferdinandus Perezius Pontius, quem Aragonius Rex affluentibus copiis locupletauerat, Alfonſi, & Ferdinandi Regis Caſtellæ nepotum iura, & cauſam palam tuentur: ac ſuſtinent.

Petrus Martinius Artaſſona Præfectus Iuſtitię Aragonum.

Iſabella Regis F. Dionyſio Portugalliæ Regi nubit: quam Michael Palæologus Imperator Andronico filio collocari ambierat. Conradus Lanza, & Bertrandus Villafranca Eccleſiæ Tarraconenſis camerarius in Portugalliam legantur: vt Regis Aragoniæ nomine Dionyſium Regem, & Alfonſum fratrem eius germanum: qui in armis erant, & acerrime inter ſe prœliabantur, ad concordiam deducant.

Cum Alfonſus Rex promiſſorum, ac pactorum, ad Campillum conuentorum immemor, Berengariam filiam Philippo Imperatori Balduini F. in matrimonium dare conſtitueret, Rex legatum ad eum mittit Andream Prochytam: vt à ſententia deterreat.

SICILIENSE BELLVM.

Maiora, & magis aſpera aggredi, Regi tempus viſum eſt. Nam ab anno MCCLXXVII. ad LXXX. aſſiduis internuntiis Iohanne, & Andrea Prochytis fratribus, tanti facinoris miniſtris, & ſatellitibus fœdus arcano ictum inter Nicolaum III. P. M. ex Vrſinorum gente præſtantis animi virum, & Michaelem Palæologū Imperatorem, ac Petrum Aragonum Regem, tam longe locorum interuallo diſiunctos aduerſus Carolum Regem, pactione regni Siciliæ ſancitur: ingenti, vt ferunt, pecunia Regi, ad neceſſarios belli ſumptus corrogata. Regem ad eam expeditionem obeundam cohortantur, ac de ſua opera prolixe pollicentur inter proceres Italos inſignes in Etruria, & Gallia Ciſalpina viri, Marchio Monferratenſis, Guido Nouellus Comes, Conradus Antiochenſis Frederici Imperatoris nepos: qui Galbani Comitis F. duxerat: & Guido ex Monte Feretrio. Nicolao breui vita functo, Martinus IV. ſufficitur: qui ſe Carolo Regi addicit. Siculi obſtinate Caroli imperii iugum repellere nituntur: quod auare, ac ſuperbe imperitatum ſibi quererētur: cum Carolus pæne totius Italiæ imperium obtineret.

Rex Hugonem Mataplanam ſacri ordinis virum, in primis nobilem, & induſtrium ad Summum Pontificem legat: legationiſque cauſam prætendit, vti totius regni nomine expoſcat, vt Raimundum Penafortii ſanctiſſimi viri memoria conſecretur: & in diuorum numerum referatur: Pontificiſque Max. mentem exploret: à quo indigne, & accipitur, & reiicitur: cum Nicolaus de conſecratione anquirendum conſtituiſſet. Boqueron Cōſtantini Africæ populi regulus, Bugienſis Regis F. auxilia regia aduerſus fratrem implorat: polliceturq; Conſtantinam vrbem Regi traditurum.

A. D. VIII. K. Iun. Rex Cardonenſem, & Palliarienſem, reliquoſque Cataloniæ proceres ſacramento alligatos, deuinctoſque in poteſtate habet: vnaque complexione ſibi obſtringit: Fuxenſi, Vrgellitano, Aluaroque Caprera Vrgellitani fratre exceptione reiectis: à quibus fidem ſæpius læſam viderat.

Siculi Carolum Regem regno exturbaturi auxilium, vireſque Regis implorant. Vt expeditionem maturet, priuſquam clandeſtina conſilia efferantur, obteſtari non ceſſant. Rex omnibus rebus anteuertendum videns, claſſem ingenti apparatu adornari imperat: magna famæ celebritate: tamquam Conſtantinienſibus rebus opem, atque auxilium laturus.

Galcerandus Thimor à rege Romam legatus Pontifici Maximo denuntiat, regiam claſſem inſtructam, comparatamque, vti Sarracenis Africæ prouinciæ bellum inferat. Depoſcit, vti ſacra ſubſidia in bellicos ſumptus conferantur: regnum abſentis, & bellum ſacrum gerentis de more defendat, ac protegat: decumarum pecuniis, ex Aragoniæ regno corrogatis in eos ſumptus opituletur. Pontifex palam teſtatur, Aragoniæ Regem, nō Chriſti hoſtibus, ſed Carolo Regi Eccleſiæ filio apprime caro, fœderatoque inſidias, periculumq; ſtruere, atq; moliri. Tantis de rebus legati reſponſum nullum aliud domum retulere.

Sanctius Alfonſi Caſtellæ Regis F. eos proceres, qui à patre defecerant, & ex quo Fredericum fratrem interimi iuſſerat, extorres profugerant, ad ſe pellexit. Principes fuere ex

AERA NAT. CHR.

re ex his Lup⁹ Didacius Pharensis, qui Vizcaię dominabatur, Didacus Lupezius eius frater, Ramir⁹ Didacius, Petrus Aluarus Astur, Nunnius Larensis, Ferdinandus Rudericus Caprera, & Ferdinandus Rudericius Saldania. Inde crudelissima dissidia inter patrẽ, & filium incredibili odio exarsere, Alfonsus Rex ab omni curatione, atque administratione regni, ac statu regio omnium ordinum consensione, ab Emmanuele fratre sententia promulgata deiicitur, atque amouetur. Causas tanti facinoris obtendunt, quod Fredericum fratrem, & Simonem Ruizium virum primarium, indemnatos occidi imperasset: immunitatẽ, ac iura sua nobilitati abrogasset: & publicas opes ærario regio exhausto, minutisq; vectigalib. dilapidasset. Procurationi regni Sãctius, veluti legitimus successor præficitur.

1320. 1282. A. D. III. K. Apr. Festo Dominicæ Resurrectionis die, Panhormitanus populus tumultnario, simul sine ducibus certis, sine imperio, pro communi salute, ac libertate ira exardescens, atq; arma capiens, toti⁹ nobilitatis, & iuuẽtutis signiferis Palmerio Abbate, Alaimo Leontino, & Gualterio Calatagironio, consiliariis, & auctoribus in p̃sides pręfectosque Regis Caroli, impotenti concursu concitatur: atque in Gallos omnes periculum capitis infert. Neque illorum crudelitas ea calamitate satiatur: quin sæuus furoris turbo Corelione insatiabilem sæuitiam exerceat: coniurationesque vniuersa insula palam factæ: quod ab Carolo crudelissimo dominatu premerentur. Neque vmquam de Frederici Imperatoris, & eius filii Manfredi sæua tyrannide Pontifices Maximi conquesti sunt ægrius, quam legimus Clementem ipsum, à quo Carolus ad regnum adscitus fuerat, grauissimas querelas, iecisse, neq; tantorum vulnerum remedia, atque alleuamenta esse adhibita: cuius litteras libet hic adponere, quasi diuinantis prædicta.

Clemens Episcopus seruorum Dei K. Regi Siciliæ illustri. Frequenter ante tuæ cõsiderationis oculos ponentes nunc verbo, nunc litteris statum miserabilem regni tui, sperabamus, quod ad reformationem illius, quod amare deplorat, & conqueritur, se ministrorum tuorum, non solum deformari malitia, verũ etiam penit⁹ dissipari, oportunum prouisionis remedium adhiberes: tuæ in hoc, & subditorum tuorum indemnitati prouidens: & nihilominus periculis, in quæ iidem tui ministri, te, ac regnum præfatum, quasi scienter ingerunt, prudenter occurreres. Cum autem sciamus adhuc huiusmodi non cessasse malitiam, sed eam inualescere potius, validorum clamorum frequentia inualescentium iugiter, & oppressionum, quas inibi cotidie tui officiales inculcant: & aggrauant, euidentia manifestet: nec nostra penes tuam excellentiam cessabit instantia: quo minus te ad soliditatem status tui, quam in his specialiter quærimus, & ipsius regni ordinario verisimiliter pollicetur: & ad releuandas eiusdem regni pressuras, prout nostrum decet officium, inuitemus. Verum si forte id eo minus in his vana relatione quorumlibet, aut æmulorum suggestionibus forsitan arbitraris, regiæ serentati consulimus, & sacro consilio suademus, ac nihilominus tuæ vtilitatis obtentu, magnificentiam tuam requirimus, & hortamur, quatenus à religioso viro fratre A. de Rupe domorum ordinis militiæ Templi Hierosolymitani præceptore in Francia, quem nuper venientem de regno prædicto, potuit in multis oculata fides, in pluribus vero fama communis, ne infamiam dicamus, instruere, quemque non dubitas, tuæ prosperitatis, & famæ zelatorem de horribili desolatione regni eiusdem diligentius percõcteris. Miramur quidem, si tuis sæpe non insonet auribus, quantus est ibi afflictorum, gemitus, vlulatus, & clamor: quot, & quanta Ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum grauamina: quot oppressiones, non solum solutarum, sed etiam cõiugatarum, & virginum, quot pauperum spoliationes: quot diuitum concussiones: quot iniuriæ: quot calumniæ omnium: quot postremo deprædationes vndique: ac rapinæ. Profecto fili hæc nimis periculose dissimulas: nec sine multa indecentia, & tui detrimento nominis pateris prædictos officiales, & familiares eorum, in præfatos tuos subditos sic lasciuiendo sæuire: vt eis abundantibus de subditorum ipsorum iniuriis, tu per ipsos, tuis fraudatus iuribus, & odiosus reddaris omnibus: & propter ipsorum excessus, ea etiam in sua interdum conuertentium commoda: quæ in tuam deberent vtilitatem cedere, non solum vraris infamia, sed & paupertatis incommoditate premaris.

Quanto vero illa vehementiora, & grauiora, quæ ab eodem summo Pontifice Consentino Archiepiscopo inculcantur: quum de eadem re, quanta potest contentione clamat, atque testatur?

Vbi ergo nunc ille tunc Consentinus Archiepiscopus, qui de compassione ad incolas regni Siciliæ, iugo, vt dicebat, Pharaonicæ seruitutis oppressos, quæsito colore, de animarum zelo titulo vsurpato, non dubitauit sub vitæ discrimine, sub variis mortis euentibus mundi lustrare climata: & ad eiusdẽ regni negotium excitatẽ Franciam lacrimis, monere

suspiriis,& gemitibus commouere? Tunc quidem defensorem gentis tuæ quærebas eminus:& nunc etiam peculiari tuo proposito, ad defensionem eo minus positus, non assurgis contra eum, qui regis vices, & regni gubernacula, quamquam vsurpator agebat. Laborare videbaris intrepidus:& nunc lates contra latrunculos,&c. Ita nempe euenit, vt tanto temporis interuallo, princeps alioqui maximus dignis remediis incolumitati regni subueniendum non putauerit:& humanam sortem neglexerit.

Herbetus Aurellianensis Caroli Regis vicarius incertus, quod malum repentinum, externum, an intestinum regiam vrbem inuasisset, VII. longis nauibus adornatis Messana Panhormum nauigat: si qua auxilia tumultuantibus rebus afferri possent.

A. D. III. Id. Apr. Neapoli Carolus Rex initium defectionis à Panhormitanis ortum videns, ne Siculi omnes ad præsentem terrorem deficerent, atque arma caperent, Mamertinorum fidem obtestatur: dum affectis rebus accurrat:& ingenti comparata classe, opem ferat.

Cum Panhormitani, aliquot ciuitatibus adiunctis, quando maxime poterant, cum tumultu aduersus Gallicam nationem pro republica, ad arma decurrerent, A. D. V. K. Mai Nicolaum Copulam,& Raimundum Portellam Catalanum legatos ad Petrum Regem mittunt: deprecatores publicæ salutis, vti supplicent, Siciliæ regnum in sua tutela suscipiat: & ab impotenti dominatu vindicet. Eius virtuti, fidei, ac felicitati seque remque publicam commendent. Quod delectus à Rege accuratior, quam ad domestica, aut propinqua bella haberetur, eiusque fama longinquis regionibus percrebuisset, A. D. XIII. K. Iun. Alexander Loesa, & Iohannes Carcoaixius Philippi Regis Francorum legati Regem Dertosæ, iam nauim conscendere parantem commonent, vti Regem fratrẽ, atque amicum de molitione sua, bellicarumque rerum apparatu certiorem reddat:& quam nam expeditionem adornet. Fratris Regis opes, si sacrum bellum apparet, pollicẽtur. Iaciunt ad hæc, si ea classis aduersus Carolum Regem patruum rerum nouarum causam quæreret, Regem existimaturum sibi, regnoque suo insignem iniuriam impositam. Rex præsentis animi consilio vsus, statim respondet: se summa ope, atque consilio operam daturum, vt id consequi possit, quo animum adiecerat: quod felix, faustumq; Deus Opt. Max. verteret. Bellum enim suo consilio initum suis, suorumque viribus executurum. Dimissis legatis animo voluens, quanta sint in regno temporum momenta, cum amplam occasionem esset nactus, non illi animus, non vires, non denique consilium defuere. Illo ipso tempore Imperatoris Michaelis Palæologi legati Regem conuenerant: de fœderibus inter se sanciendis: contenduntque, vti Iolans Regis F. Andronico Imperatoris F. nubat. Res memoria digna in procinctu accidisse traditur. Nam cum Arnaldus Rogerius Palliariensis Comes secreto, procerum omnium nomine ex Rege sciscitaretur quo arma descriptis ordinibus, ætatibus, classibusque vertenda essent, percunctanti, atque executienti Rex ita respondisse fertur: se læuam manum abscissurum si dexteræ cõsilia, motus atque conatus exquirere,& perscrutari auderet.

A. D. IV. Non. Iun. Rex Alfonsum F. natu maximũ regno Aragoniæ, Barcinonensi Comitatu,& supremo, proprioq; iure,& poteſtate Balearici regni & Ruscinonensis,& Confluentinæ, ac Mompelleriæ ditionum donat: adfuere scribendo Regis amici Petrus Queraltius, Gilabertus Cruillias, Iohannes Prochyta, Blascus Perezius Azlorius,& Bernardus Mompahonius.

Postera die idonea tempestate, ex portu Fangosio, ad Hiberi ostium soluens, in Magonis, Minoris Balearium insulæ portum classe appellit. Inde trasmissus Alcollum Constantiniensis ditionis portum tenet. Exposito exercitu, decursionibus Constantiniensem agrum vastat. Regulis Africæ,& toti oræ maritimæ magnum terrorem, ac tumultum infert. Ductores nostri ad insignem laudem concurrunt maxime celebres, & præstantissimi viri Ermengaudus Vrgellitanus, & Arnaldus Rogerius Palliariensis Comites, Rudericus Simenius Luna, Petrus Queraltius, Simon Artieda, Pontius Ribellias, Petrus Ferdinandius Ixeritanus, Petrus Arnaldus Botonachius, Sanctius Antilionius, Bertrandus Belpucius, Blascus Alascia,& Gerardus Estorius. Inter omnes Arnaldi Rogerii Palliariẽsis Comitis virtus egregia eminuit: quem, cum ferro decerneretur, tragula transuerberatum Vrgellitanus Comes, & Bernardus, & Vitalis Sarriæ fratres præstanti virtute ab extremo pæne vitæ discrimine eripiunt.

A. D. XVI. K. Iul. Carolus Rex paucis diebus magno,& forti conducto exercitu, superbo delectu, duraque conquisitione collecto, ingenti classe fretum traiiciens Messanam castris circumsidet:& arta obsidione oppugnat. Tam affectis Siciliæ rebus, bello publico vniuersę gentis tuendi socii erant: omniq; exercitu ex Africa ad id bellũ auocato,

Rex

Rex arma, classemque in Siciliam transfert: omnisque vis regiarum copiarum eo conuersa est.

A. D. II. K. Sept. classis Aragonia Drepanum appellitur. Panhormum transuecta, die tertio à Siculis Rex Siciliæ, dominusque, Rex Petrus constituitur: atque illi regnum sacramento defertur. Obsidionis initio Mamertini cum supplices manus tenderent, & vt sibi ignosceretur à Rege Carolo, & Gerardo Parmensi S. Sabinæ Episcopo, sedis Apostolicæ legato postularent, singulari Regis intolerantia, & contumacia reiiciuntur. Re pęne iam desperata, ad perspicuam mortem se suosque deuouent. Demum pertinacia Mamertinorum perspecta, quorum obstinatiores animos nulla vis potuit à repugnando depellere, Carolus Messana vehementer oppugnata, & summis obsidionis periculis liberata, de regni possessione pulsus, magno dolore impeditus, quod iam parta victoria è manibus eriperetur, fretum transmittit.

Petrus Rex Randacio antea progressus, ne per vim oppugnari Messanam, se præsente diripiq; pateretur, subsidio festinans, prope vrbis muros castra facit. A. D. VI. Non. Octob. in vrbem cum insigni laude recipitur.

PETRVS ARAGONIÆ ET SICILIÆ REX.

Carolus Regem, quod externum regnum dolo, ac fraude inuasisset, læsæ, ac proditæ fidei arcessit. Vt cum centeno equite ad certamen prodeant, ad pugnam prouocat. Rex delegati certaminis discrimen se subiturum spondet: quod fidem non fefellerit.

Iacobus Perezius Regis F. classi præficitur. A. D. II. Id. Octobris in Siciensi freto classes regiæ confligunt: insignique victoria à nostris parta, Nicoterum oppidum irrumpunt: diripiuntque. Quod Sanctius Alfonsum Regem parentem à gubernaculis regni, & rerum publicarum imperio deiecisset, & bellum partium factione intestinum gereretur, senex ab omni dominatu pulsus ab Hispalensibus recipitur. Miser, atque egens fortunam suam deplorans, atque lamentans, cum Pont. Max. & piorum principum fidem, misericordiamque obtestaretur, à suis, & exteris destitutus Abeniuceffi opem implorat: & ab impio, & communi hoste principis maximi calamitas subleuatur. A. D. VI. Id. Nouemb. Hispali regali in solio sedens, frequentissimo populi conspectu Sanctium dirarum obnuntiatione deuouet, & execratur: & iure regni priuat, tamquam impium, parricidam, & læsæ maiestatis conuictum: & qui à perenni, contestataq; virtute maiorum degenerauerat. Nullum illustrius exstat exemplum seueræ animaduersionis in filium, non solum crudeliter ingratum, & summi beneficii immemorem, sed dignum qui impius cognominetur: quam ob rem merito iure ipsius latæ sententiæ formulam adiungemus.

VT DE VVLTV DEI iudicium nostrum procedat, Nos ALFONSVS Dei gratia Castellæ, Legionis, Toleti, Sibiliæ, Cordubæ, Murriæ, Gienii, atque Algarbii Rex per præsens scriptum, ad notitiam præsentium, & memoriam futurorum facimus omnibus manifestum: quod SANCTIVS filius noster maior nobis graues, & multiplices iniurias nequiter irrogauit. Nam tractauit, & fecit coniurationem contra nos: & contra nostrum dominium in Cordubensi ciuitate existens cum Baronibus, ac religiosis quibusdam: videlicet cum Magistris ordinis Calatrauæ, & Vclesii: & cum Priore Hospitalis: ac cum Commendatore Templi, vices, & locum tenente Magistri Castellæ, & Legionis: nec non etiam cum aliquibus ciuibus. In eodem etiam loco existentes, cum ad instantiam suam eidem cōcessum fuisset à nobis, vt cum Rege Granatæ Sarraceno tractaret aliquam bonā viam treugæ seu concordiæ, quæ in Dei seruitiū, & terræ vtilitatem, ac nostrum redundaret honorem, idem Sanctius cum dicto Sarraceno, & posteris suis amicitiam, & pacem iuramento, & instrumentis firmauit perpetuam contra nos, & nostrum dominium: & pecunias ac tributa à dicto Sarraceno nobis debita in semetipsū retorsit: in hoc contra nos proditiose, ac falso procedens: eo quod nobis per suas scripsit litteras, quod ordinatum erat inter ipsum, & dictum Regem Granatæ, quod ad nostram misericordiam veniens noster vassallus fieret: ac tributa certa nobis præstaret: contra omnes huius mundi fideliter nos iuuādo: & ad firmandū pdicta, chartas albas sigillo nostro sigillatas petiit sibi mitti: quas cū penes se habuit, multa per eas operatus est redundātia in graue damnum nostri dominii, & honoris. Post hæc, cum sciuissemus eum de Corduba recessisse, sollemnes nuntios ad eum misimus: vt ad præsentiam nostram apud Hispalim accederet: volētes deliberare, ac prouidere cum ipsius, & aliorum bonorum virorum consilio, qualiter terra Vandaliæ haberet milites frontarios: & bellatores idoneos: & paratos ad tuitionem patriæ contra Sarracenorum Africæ impetum: quem verisimiliter timebamus: & vt etiam per salubre ipsius, & aliorum cōsilium, corda hominum nostri dominii ad vnitatem,

AERA. NAT. CHR.

& tranquillitatem reduceremus: eo quod significatũ nobis fuerat, quod multi se reputa- bant grauatos à nobis. Responsio autem ipsius, per suas litteras, & dictos nuntios nobis missa fuit: quod propositũ suum erat, ad Regna Castellæ, & Legionis accedere: pro se- dandis, & tranquillandis cordibus plurimorũ: quæ in tantum erant commota, quod po- terat inde contra nos, & nostrum dominium graue dispendium prouenire. Ad tran- quillitatem autem terra inducta, & cordibus hominum pacificatis, ad nos rediret: factu- rus, & dicturus nostra beneplacita: quia paratus erat, nobis in omnibus deseruire. Qua responsione data in dolo, prout postmodum rei probauit euentus, iuit in Castellam per ciuitates, & p omnia loca populosa: transiens vsq; Burgos: conuocatis habitatoribus lo- corum, vbilibet prędicabat: contra nos concitans populos: dicendo: quod nos foros, & li- bertates, ac bonas consuetudines eis infregeramus: & collectis, ac variis angariis terra per nos destructa fuerat: sed ipse volebat eos reducere ad foros, & libertates, & consuetudi- nes: quas tempore Regis Ferrandi, & aliorum Regum præcedentium habuerunt. Exegit etiã, & recepit ab eis iuramentũ, & homagia publice, quod cũ eo tenerent & iuuarẽt eũ: & versa vice ipse se eis, per iuramenta, & homagia obligauit: quod eos defenderet: & iuua- ret: contra omnes homines huius mundi: & dabat, & concedebat eis ex tunc foros, con- suetudines, libertates, & priuilegia olim habita: & obtenta: & hoc eis seruaturũ perpetuo se promisit. Prædicta autem omnia non solum per se fecit dictus Sanctius, sed etiam per fratres suos: quibus chartas albas sigillatas sigillo suo tradidit: & sic omnes homines terræ nostri dominii per se, & alios concitauit. Nec omittendum censemus, quod dictus San- ctius in suis prædicationibus, quibus contra nos populos concitabat, in multis locis mul- ta indigna contra nos euomuit: inter alia frequenter dicens tam ipse, quam sui nuntii: REX INSANVS EST: ATQVE LEPROSVS: ET IN MVLTIS FALSVS: ATQVE PERIV- RVS: HOMINES INTERFICIENS SINE CAVSA: QVEMADMODVM FREDERICVM, ET SIMONEM INTERFEC. Dictis autem iniquis facta peruersa continuans inuasit, & vsurpauit sibi regnorum nostrorum dominium: ciuitates alcassares, castra, fortalitias: & villas occupans: remouẽdo iudices: & alcaidos nostros: & officiales à suis officiis: ponẽs suos: capiens nostros homines familiares: & alumnos: tam clericos: quam laicos: ac curso res: nec non & nuntios nostros: vel ad nos vndecunque venientes: thesauros nostros, pe- cunias, ac iocalia tam in Toleto, quam alibi, vbicumque inuenit, rapuit violenter. Multis etiam nostris familiaribus, seruitoribus, & alumnis, per diuersas regnorum nostrorum partes, abstulit possessiones: & hereditates: & bona etiam mobilia: quæ omnia aliis dedit: & in omnibus, in quibus nobis, & nostris familiaribus, ac seruitoribus, & vasallis fideli- bus potuit grauamẽ, & displicentiam facere, nullatenus hoc omisit. Sciri etiam volumus, quod nos audientes rumorem super præmissis, ex paterno affectu, à tanto eum reuocare cupiẽtes errore, ad ipsũ nuntios honorabiliores destinauimus: citando eũ & vocãdo p no stras litteras: vt ad nostrã præsentiã veniret: &, vt ea, quę agenda erant, oportunius &, cõ- modius possent fieri, locum, quem securiorem, & aptiorem, pẽsata negotiorum, & tẽpo- ris qualitate iudicauimus, eidem assignauimus: Toletum videlicet: aut Villam regalem: seu quemcunque alium locum eligeret: ad quem cum proceribus regnorum nostrorum, & cum quibuscumque vellet, accederet: quos ad bonum statum terræ ordinandum, vti- les & idoneos iudicaret. Nos enim parati eramus iuxta suum, & Prælatorũ, ac Baronum, & aliorum virorum bonorum consilium grauamina omnia, si qua erant, penitus reuoca- re: & corrigere omnia corrigenda: & ad bonum statum pacem, & tranquillitatẽ reduce- re vniuersa. Sibi etiam, si in aliquo dubitaret, quod honorem suum vellemus deminue- re, securitatem præstaremus plenariam talem, ac tantam, quod cor suum non deberet deinceps in aliquo vacillare. Præfatus autem Sanctius his auditis, respondit nuntiis su- pradictis, ꝙ ipse nobis, per suos certos nuntios responderet: & dictos nostros nuntios, ne redire possent ad nos, secum detinuit violenter. Post hæc autem omnia, conceptam cõtra nos malitiam occultare non valens, ambitionis ardore cæcatus, missis litteris, ac nuntiis per totũ nostrum dominium, Pręlatos sæculares, ac religiosos, Barones, ac milites, ciues, & populares conuocans ad Vallem Oleti, curiam generalem, si tamen debet dici curia, congregauit: in qua statim per publicum instrumẽtum homagio, & iuramẽto vallatum, coniurationem contra nos, & nostrum dominium prius factam in diuersis locis particula riter, tunc omnibus ad nostrum dominium pertinentibus vniuersaliter innouauit. Quo facto ex iis, qui erant in dicta curia, si tamen, vt dictũ est, curia dici debet, plures corrupit promissionibus: alios datis pecuniis, alios, castris, villis, locis, hereditatibus, redditibus eis dem datis, & assignatis, in enormẽ regnorum nostrorum læsionem attraxit: reliquos mi- nis, & terroribus grauibus confregit: & induxit: vt omnes, tam isti, quam illi contra nos, &

contra

AERA NAT. CHR.

contra nostrum dominium rebellarent: & in prædicta curia, nobis non citato, non monito, non confesso, non conuicto pronuntiari fecit, non à iudice, immo per hostes, & conspiratores, quod nos deinceps non faceremus iustitiam: nec fortalicias teneremus: nec pecunias, aut redditus aliquos ad regnum pertinentes reciperemus: nec in castro, ciuitate, aut villa aliqua reciperemur: & vlterius, quantum potuit, institit per se, & suos familiares, ac complices, pro viribus laborando, quod ipsum Regem, aut dominum Castellæ, ac Legionis, & Vandaliæ deinceps nominarent: nos in omnibus exheredans: in se vsurpando honorem, & dominium non sibi debitum: quod nobis rapit: & rapuit violenter: &, vt ex supradictis patet, etiam fraudulenter. Ad cumulum autem malorum omnium, non solum est vitæ nostrę insidiatus, sed etiam contra nos se potenter armauit. Nam deliberato consilio, & per suos familiares, & complices publicato, adeo quod ad notitiam, non solum præsentium, sed etiam multorum absentium longe, lateq; peruenit, de Castella Cordubam veniens, vt nos caperet, congregauit, & conuocauit concilia de Giennio, & Beatia, & Vbeta: nec nõ de Anduiar: vt simul cũ eis, ac Cordubensib. accederet hostiliter cõtra Hispalim: vt ibidẽ nos caperet mala, & impia captione: & in hoc conatũ tantũ ostẽdit, quod esset merito parricida cẽsendus. Sed hunc tã crudelem conatũ ipsius Dominus impediuit: à ciuibus Hispalensibus, & aliis nostris fidelibus, nec nõ etiã, q; dictu mirabile est, nostris, & nostræ fidei hostib. ad defensionẽ nostrã præstãdo auxiliũ opportunũ. Et cum Sanctius conceptionẽ impiã cõtra nos explere nõ posset (vt est in ipsi⁹ Alfõsi regis Archetypis litteris) cõtra Pacensẽ ciuitatẽ nobis fideliter adhærentẽ accessit, & cũ eã capere non posset, prout potuit, deuastauit: & ibidẽ plures homines interfecit. Ad ciuitatẽ vero Cordubẽsem rediens, eã contra nos clausã tenuit: & muniuit: & cũ nuper nos illuc personaliter accessissem⁹, ad ciuitatẽ appropinquantes, extẽso, & explicato vexillo nostro Regali, ipso Sanctio audiẽte, ex nostra parte clamatũ est, vt nos in ciuitate ipsa reciperẽt: & tã ipse, quã loci illius habitatores hoc facere recusarunt: quin immo fuit contra vexillũ nostrum sagitta missa. IGITVR cum prædictus Sanctius præmissas graues iniurias, ac multas alias, quas longũ esset scribere, vel referre, timore diuino postposito, ac paterna reuerẽtia penitus abiecta, nobis irreuerẽter intulit, ipsũ paterna maledictione dignissimũ, à Deo reprobatũ, & ab hominibus merito reprobandũ maledicimus: & sit deinceps maledictioni diuinę, & humanę subiectus: & eundẽ nobis rebellẽ, inobedientẽ, & contumacẽ, tamquam ingratũ, immo ingratissimũ filiũ, sic degenerẽ exheredamus: & omni iure successionis, q; ei cõpetebat in Regnis nostris, dominiis, ac terris, honoribus, & dignitatibus, vel quibuscunq; rebus aliis, ad nos quoquo modo spectantib. ipsum priuamus: & vt, nec ipse, nec aliquis pro eo, vel descendens ab eo in posterũ, in aliquo nobis succedere possit, sententialiter condẽnamus. Hãc autẽ irrefragabilẽ sententiã in præsentia testiũ infra scriptorũ, & multorũ aliorũ latã mandamus sigilli nostri appensione muniri. Actũ est Octauo die mẽsis Nouẽbris intrantis Anno Domini Millesimo CCLXXX. secundo: in Palatio Hispalensis ciuitatis pdicto domino Rege sedẽte pro tribunali. Præsentib. domino Raimũdo Archiepo Hispalẽsi, domino Suggerio Epo Gadicẽsi, fratre Ademaro electo Abulensi, Pelagio Petri Abbate Valleoletano, Petro Petri Archidiacono Hispalẽsi &c. dõno Martino Egidii de Portugallia, Suggerio Petri de Baruosa, dõno Iohãne de Auoyn, Gũdisaluo Ferdinãdi nũtio Regis Portugallię, Dominico Petri Cãcellario Reginę Portugallię, Iohãne Raimũdi Maiordomo eiusdẽ Reginę, Tellio Guterrii Iustitia dom⁹ Regis, Petro Garsię de Harroniz, Garsia Gaufridi de Loaysa, Petro Roderici de Villiegas, Ferrãdo Aluari Potestad, Ferrãdo Martini Curutello, Aria Martini de Roureda, Roderico Stephani maiori Iudice ciuitatis Hispalẽsis, Didaco Alfõsi curię domini Regis, iudice Gomezio Petri Alguazillo maiori ciuitatis Hispalẽsis, &c. & astãte alia cleri, militũ, ciuiũ, & populi magna multitudine.

Martinus P.M. Monteflascone A. D. V. Id. Nou. pro æde D. Fabiani Cardinalium collegio assidente, Petrum Aragonium exsecratum, sacris interdictum esse attestatur: & eos, qui eius arma sequantur, eandem noxam sustinere. Siculos omnes, qui à suo Rege defecerant, eadem dirarum imprecatione detestatur. Inimicum, atq; Ecclesiæ hostem Regem denuntiat: neque Regi modo, sed eius regnis sacris interdicitur.

Exitu prope anni Regi, cum Carolo conuenit, vti in terra Aquitania, quæ in ditione, ac potestate Angliæ Regis erat, Burdigalensiumque finibus, in certamen centeno equito comitati deueniant. Kalendæ proximæ Iuniæ discrimini eius pugnæ constitutæ Bertrando Canellia Catalano, & Reginaldo Lemouici Mamertino, & Simone Artieda Regis legatis de ea re transigentibus: decidentibusq;: & iudicio XII. virorum dies, & locus constituitur conferendæ pugnæ. VI Galli fuere: totidemque ex nostris: Iordanis Insula, Iohãnes Vicecomes Temblaius, Iacobus Busonus, Eustachius Ardicurtius, Iohannes Nisius,

AERA. NAT. CHR. &Egidius Salsius: Guilielmus Castelnouius, Rudericus Simenius Luna, quem Rex Ennæ,& Galliani arcibus præfecerat: Petrus Queraltius, Simon Artieda, Rodolfus Emmanuel Drepanitanus,& Reginaldus Lemouix. Quadrageni vero primarii viri sacramento obstringuntur, se daturos operã, vt leges regibus ad id certamẽ deuenturis indictæ obseruẽtur: alioqui vter eorũ Regũ legibus nõ paruerit, is infamis, periurus, exlex, intestabilis, & regio nomine indignus cẽseatur. Ex nostris inter XL. viros deliguntur sex iudices loci, & tẽporis designandi a Rege dati: & reliqui adiungũtur: Palliariensis,& Vrgellitanus Comites, Petrus Ferdinandius Ixeritanus, Regis frater, Iacobus Perezius Regis F. quem Rex socium obeũdo certamini delegerat: & classibus Rogeriũ Lauriã præfecerat, Lupus Ferrencius Luna, Põtius Ribellias, Sanctius Antilionius, Petrus Arnaldus Botonachius, Alaimus Leontin⁹ Magister iudiciarius regni Siciliæ, Balduinus Intemelius Isclæ Maioris Comes, Fredericus Musca Modicensis Comes, Orlandus Apellius, Gualterius Calatagironius, Bernard⁹ Rogerius Erili⁹, Rogeri⁹ Lauria, q̃ classi pẽrat, Lup⁹ Ferrenci⁹ Atrossilius, Bernard⁹ Mõpahonius, Petr⁹ Garcesi⁹ Nuezius, Bertrand⁹ Belpucius, Guilielm⁹ Bellera, Garcias Garcesius Arazuri⁹, Simon Lopezi⁹ Embunius, Raimũdus Molina, Simon Azlorius, Blascus Maza Ganalurius, Egidius Rudericius Montuenga, Garcias Arnaldus Cillius, Berengarius Offigatus, Bertrandus Villafranca, Raimũdus Cortada, Iacobus Oblitas, Geraldus Azconius, Stephanus Nunnius, & Blascus Alascia. Omnes spoponderant à sui Regis imperio, & nomine, ac dignitate defecturos, si dictis legibus non permansisset. His constitutis Rex acer in rebus gerendis bellum instruit: & in Bruttios infert: ac Rudericum Simeniũ Lunã cũ quattuor nauibus longis in Cataloniam præmittit: vt Constantia Regina cum Iacobo, & Frederico,& Iolante liberis in Siciliam deuehatur. Reginam vero eo consilio arcessit, vt se bellis implicito, summæ rerum Siculo in regno præficiatur.

1321. 1283 Huius anni principia statim ingenti bello exarsere. Multi per eos dies motus, multique impetus hinc, atque illinc acti. Rex Siciliensi freto transmisso Bruttiis bellum infert. A.D. XVI. K. Mart. Rhegini vrbem dedunt. Motta, S. Lucidi,& S. Agathę arces, Pantadactylos, atq; Hieracium idem cõsilium sequuntur. Raimundus Baucius hostilium copiarũ ductor primarius à veteranis militib. Gurusanæ interclusus, & circũsessus interimitur. In Semenarã nostri oppugnatione irrũpunt: spectata, & nobilitata virtute Petri Peretalladę Gilaberti Cruilliæ filii: ex amicis Regis viri magni cõsilii: primusq; filius in vrbẽ irruperat.

A.D. XII. K. Apr. Martinus P. M. Vrbe veteri, de Collegii sententia, Petrum Aragonium, vti Ecclesiæ subditicium, & perduellionis conuictum regno, ac ditionibus omnibus multat: & Catholicis Principibus occupandas exponit. Perætereà Eduardo Angliæ Regi interdicit, ne Siciliæ, & Aragoniæ Reges Vasconiæ fines ingredi patiatur: aut sui præsentis copiam faciat: locumve certamini bellico destinet: aut regni vicarios ministeriũ aliqđ adhibere permittat: q̃ pactionẽ certaminis obeũdi à Siciliæ Rege factã, irritã Pontifex ipse fecisset. Litteræ ipse Pontificię dignæ visæ sunt, quæ hoc in loco, apponant.

MARTINVS Episcopus seruus seruorum Dei, E. Regi Angliæ illustri. Decet excellẽtiam regiam, & saluti tuæ nihilominus congruit, quod in te semper vigeat sic ordinatus affectus, vt animum libẽter ad promouenda Christi negotia dirigas: tranquillitatem publicam votiue promoueas: desideranter horum impedimenta præpedias: & prout ex alto conceditur, incrementa procures. Ideoque conuentiones multa indecentia plenas, & temeritate non vacuas, reprobas quidem, & merito reprobandas inter carissimum in Christo filium nostrum Carolum Illustrem Siciliæ Regem, & Petrum, exigentibus suis excessibus, per sedem Apostolicam vinculo excommunionis astrictum, quondam Aragonum Regem, non absque nimiæ animositatis inordinatione habitas, circa quod ambo, cuilibet eorum comitiua centum militum assistẽte, ad illud concurrant, altrinsecus in simul confligant, celsitudini Regiæ confidenter exponimus: &, vt tibi earum qualitas plenius pateat, sub bulla nostra, ipsarum, de verbo ad verbum seriem, prout eam à memorato Siciliæ Rege recepimus, destinamus. Ex quarum inspectione manifeste circumspectio regalis aduertet, quãtum sint conuentiones eædem obuiæ Crucifixi negotiis, & pręcipuę terræ sanctæ: quantumque toti Christianitati damnosæ: cum illarum prosecutio, non solum memoratum Regem, ab eisdem negotiis, & ipsius Christianitatis promouendis vtilitatibus abstrahat, sed & alios Principes, & magnates ceterosque fideles, qui circa prosecutionem eamdem in se, vel in suis occupantur, auertat: & proinde manifesto exponatur terra præfata, discrimini: dum eius subsidium, multis excogitatum vigiliis, multisque sumptibus, & laborib. præparatũ damnabiliter impeditur. Nec minus attendere poterit eiusdem tuæ circũspectionis industria, quam periculosa potest inter Christicolas, ex prosecutione huiusmodi excitari cõmotio: quãtaq; illis, corporũ, & animarũ pericula ingeri: ac quan-

ac quantum nobis, Ecclesiæ, tibi, cunctisque Catholicis, quibus est eis quomodolibet obuiare possibile, posset à Deo, & hominibus negligentia imputari: ad quantam notam adscribi, si talia procedere pateremur? Propter quæ, nec non & alia, non facile numeranda discrimina, quæ dictarum conuentionum executio, Christiani proculdubio prodiga sanguinis, animarum inimica saluti, publicæq; pacis æmula, & quietis verisimiliter cōminatur, nos illis promptis remediis obstare volētes, promissionē factam à memorato Rege Siciliæ, super dictis conuentionibus obseruandis prorsus illicitam, vtpote rem prohibitam expressius continentem, cum non solum in principibus, similibusque personis, sed etiam in priuatis duellum non sit ab Ecclesia tolerandum: reprobandam, irritandamque duximus, & penitus vacuandam, & iuramentum super eis præstitum, non solum temerarium declarantes, sed & carere viribus: ipsumq; Regem Siciliæ ad illorum decernentes obseruantiam non teneri. Absoluendo eo nihilominus ab eisdem, quatenus processerunt de facto, sibi districte præcipimus: vt à prosecutione promissorum, & iuratorum taliter prorsus abstineat, & omnino desistat: eidem nihilominus sub pœna excommunionis, & comminationis processus cuiuslibet, quã contra eum quomodolibet habere posset Ecclesia, ne ad executionem tam damnati certaminis, tam nefandi procedat: & vniuersis, & singulis Christi fidelibus, ne illa sibi prosequenda suadeant: neue consilio, auxilio, vel fauore in illis prosequendis assistant, districtius inhibendo. Cum itaque impediendi tam detestabilia, tam nociua tibi sit in promptu facultas, pro eo, quod sicut earumdem conuentionum docet inspectio, loci determinatio ad huiusmodi conflictus exercitiũ deputandi, de arbitrio tuo dependet, & secundum earumdem conuentionum tenorem, idem conflictus, nouo eorumdem Siciliæ, & olim Aragonum Regum non interueniente consensu, absque tua præsentia non procedit: expedit, vt ad id te promptum exhibeas: solers, & operosus occurras, ne si, quod absit, perturbare tam peruersa negligeres, ea fouere non immerito censereris: sicque pœnæ, & comminationis adiectæ in præmissa nostra prohibitione periculum, vt decet tam Catholicum principem, non vitares. Quocirca serenitatem regiam monentes, rogantes, & hortantes, ac obsecrantes in Domino nostro Iesu Christo, & per aspersionem sui pretiosi sanguinis obtestantes, & nihilominus in remissionem tibi peccatorum iniungentes: quatenus conflictum huiusmodi tam detestabilem, tam horrendum, eiusque præparatoria omni studio, quo potes, impedias: dictorum Siciliæ, & quondam Aragonum Regum aduentum ad ciuitatem Burdegalensem, eiusq; territorium, quin etiam ad partem quamcunq; Vasconiæ, omni quo poteris remedio præpeditionis impedias: apertius interdicas: tuam nihilominus in his præsentiam denegando: & tuis insuper in partibus illis vicariis, & officialibus acrius iniungendo, ne prædictorum Regum guardiam recipere, vel ad dictum locum deputare certamē, aut aliquod aliud in his ministerium exhibere præsumas: super quibus eis omnem penitus adimas potestatem. Nos enim ad tam perniciosa, tam noxia omnimodis euitanda, ne dictos Siciliæ, ac dudum Aragonum Reges ciuitatem eamdem, seu quamuis, vt prædicitur, Vasconiæ partem, ad hæc ingredi patiaris, neue in his, tuæ præsentiæ copiam facias, aut promittas, seu locum sæpe fato certamini deputes, aut dictos tuos in eisdem partibus vicarios, siue officiales, in his aliquod ministerium exhibere permittas, districte subiicimus prohibitionis edicto: ac illa omnia, & singula, quantumcumq; in aliis, regio intendimus honori deferre, tibi, & eis, sub pœna excommunionis expressius inhibemus: sub eadem pœna mandantes: vt si ad horum aliquod est processum, illud studeas cum celeritate, qua poteris, reuocare. Et nihilominus dilectum filium nostrum, tituli Sanctæ Cæciliæ presbyterum Cardinalem, virum vtiq; grandi scientia præditum, prudentia, & morum honestate decorum, quem suæ probitatis obtentu, grandi affectione prosequimur, cuiusque consiliis te in his adquiescere rogamus, & petimus, ad id inter cetera destinamus: vt tam te, quam prædictos vicarios, & officiales tuos, per se, si facultas adfuerit, per suos nuntios, vel litteras efficaciter moneat, & inducat ad parendum præmissis Apostolicis monitionibus, inhibitionibus, & mandatis. Alioquin per excommunionis in personas, & interdicti sententias, si opus fuerit, in regnum tuum, & alias tuas, ac eorundem vicariorum, & officialium terras, Apostolica, prout expedire viderit, auctoritate compellat. Non obstantibus, aliquibus priuilegiis, vel indulgentiis tibi, vel eisdem vicariis, siue officialibus sub quacumq; verborum forma, seu expressione concessis: quod tu, vel iidem vicarii, & officiales excommunicari, vel interdici non possitis: aut eadem regnum, & terræ nequeant ecclesiastico interdicto supponi, per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, seu de verbo ad verbum de priuilegiis, & indulgentiis huiusmodi, siue obtinentium eadem, nominibus mentionē: & qualibet alia eiusdem sedis indulgentia cuiuscunq;

AERA. „ formæ, vel tenoris existat: per quam præsentibus non expressam, aut totaliter non insertam, NAT. „ effectus earum quomodolibet impediri valeat, vel differri. Dat. apud Vrbem vete- CHR. „ rem Non. Aprilis.

A. D. II. Id. Apr. Petrus Aierbius Regis frater cum copiis militaribus Aragonensium, & Catalanorum nauigans, in Siciliam appellit. Aliquot oppida præsidiis confirmat.

A. D. X. K. Mai. Constantia Aragoniæ Regina cum Iacobo, Frederico, ac Iolante liberis, quasi dijudicata iam belli fortuna, Messanam deuehitur: Alfonso vetustissimo liberorum, & Petro natu minimo ad tutelam Aragoniæ regni relictis.

Iacobus Regis F. Panhormi à Siculis, vti Siculi regni heres, atq; successor iurisiurandi religione adsciscitur. Rex consiliarios Reginæ de summa rerum amicissimos, & maxime strenuos viros adiungit Guilielmum Galcerandum Catalanum generis nobilitate præstantem, quem regni vicarium præficit: & Catanciarii comitatu, & militiæ auctoramento cohonestat: quo neq; fortiorem, neq; præstantiorem virum illa ætas tulit: Alaimũ Leontinum, regni Iustitiarium, vti vocant Magistrum: Iohannem Prochytam, & Rogerium Lauriam. Alaimum, qui asserendæ à Gallico dominatu Siciliæ princeps pæne, & auctor consilia versauerat, oppidis, atq; arcibus Bucheræ, Palatioli, & Odegrilli donat: & tamquam pignora fidei, & consensus, ac societatis consiliorum, & voluntatum, & iustæ, veræque amicitiæ equum, hastam, & gladium, galeam, & scutum, quibus in prœliis vti assueuerat, tradit: & summam rerum administrandam committit.

Rex ita rem nauticam constituerat, vt XXV. nauium longarum classis conficeretur: cui Rogerium Lauriam, Regia aula Manfredi educatum præfecerat. Singulis nauibus bini gubernatores, vnus Catalanæ nationis, alter Italicus admouentur: & quaterni Catalani nauarchi, & totidem externi adiunguntur. Pari ratione nautæ, qui proræ assident, administrant. Remiges omnes Itali erant: sagittarii vero Catalani. Milites reliqui omnes ex Hispano delectu scribuntur. Ea condicione omnes naues in posterum instrui edicit.

Gualterius Calatagironus res nouas in Sicilia molitur: & conspiratio ab eo conflata, Gualterio, & iis qui eius coniurationis participes fuerant, captis, & summo supplicio affectis, celeriter restincta est.

A. D. V. Id. Mai Rex IIII. longis nauibus, & lembo quibus Raimundum Marquetium, & Berengarium Maiolium ductores præfecerat, portu Drepanitano soluens, præteruectus ex alto ad Sucronis Gradum, Cullaris vocant, A. D. XVII. K. Iun. appellit. Postero die Valentiam contendit.

Alfonsus Regis F. qui in procuratione erat regni, strenuos maxime ex procerum nobilitate, & virtute pręstantes viros, cogit: ex quibus ii deligi possent, qui in Burdigalensi certamine cum Rege consocientur. Res adeo fuit præclara ad gloriam capessendam, vt delectorum eorum virorum nomina in maxima laude sint ponenda: quod magni interesse ad decus, & ornamentũ regni iudico: tot primariis viris nomine, & memoria dignis, ad pulcherrimum, & præclarissimum facinus selectis. Qui Ilerdæ Regem præstolari iussi sunt, ii fuere: Pontius Hugo Comes Emporitanus, Dalmatius Roccabertinius, Bernardus Centilias, & Aimericus, & Gilabertus Centiliæ eius filii, Raimundus Moncada, qui Fragæ, & Raimundus Moncada, qui Albalatis dominabantur: Petrus Moncada, Guilielmus Peralta, Raimundus Villamurius, Arnaldus Corsauius, Bernardus Hugo Serralonga, Iazbertus Castellinoui, Geraldus Ceruia, Pontius Sanctapacius, Berengarius Vrriolius, Arnaldus Guilielmus Cartaia, Arnaldus Villademanius, Raimundus Capraria, Geraldus Ceruilionius, Berengarius Entenza, Alamanus Ceruilionius, Berengarius Pucuertius, Guilielmus Anglesola, Bernardus, & Galcerandus Anglesolæ, Raimundiolus, & Raimundus Anglesolæ, Raimundus Ceruera, Marcus S. Eugeniæ, Iacobus Besora, Guilielmus Caulerius, Arnaldus Foxanus, Raimundus Folchius, Raimundus Rogerius, Galcerandus Pinosius, Raimundus Durgius, Guilielmus Raimundus Iossa, Berengarius Montsenius, Guilielmus Almenara, Raimundus Alamanus, Gerardus Aquilonius, Petramola, & Iacobus Petramola, Bernardus Mauleo, Petrus Metas, Bernardus Spesius, Guilielmus S. Vincentii, Acartius Murius, & Gombaldus Beneuentanus. Constituerat Alfonsus Regis F. cum proceribus Aragoniæ, & reliquis, quos ex Aragonia nobilitate, & iuuentute delegerat, quo die Oscæ Regi in Galliam festinanti præsto essent: adfuereq; XL. præstantes in primis proceres, & primarii viri Simon Vrrea, Petrus Cornelius, Artallus Alagon, Guilielm⁹ Podius, Petrus Iordanis ex Penna, Martin⁹ Lehetius, Lupus Simenius Agonius, & Simon Garcesius Agonius, Garcias Lazanus, Rudericus Sanctius Pomarius, Petr⁹ Pomarius, Gonzaluus Lupius Pomarius, Rudericus Gonzaluius Pomarius, & Simon Gonzaluius Pomarius, Petrus S. Vincentii, Gonzaluus Vera ex Faiis, & Garcias Matthæus eius

AERA: NAT. CHR.

eius F. Didacus Garcias Vera, Garcias Lupius, & Simon Perezius Turiaſonenſes, Petrus Momezius, Martinus Simenius Agonius, Blaſcus Maza ex Cellis, Egidius Atroſſilius, Guilielmus Caſtellinoui, Lupus Guilielmus Oteicia, Aznarius ex Oſſera, Petrus Martinius Artaſſona, Fortunius Daheius, Gartias Perezius Lainus, Gonzaluus Vergua, Gaſto Caſtellorius, Petrus Iordanis ex Alcolea, Blaſcus Horta, Iohannes Martinius Dandueſius, Iohannes Perezius Ahoneſius, Petrus Alamanus ex Gradibus, Aznarius Rada, Rudericus Simenius Luna, & Artallus Luna Lupi Ferrentii Lunæ F.

Rex mutatis ad celeritatem iumentis, comitatu trium ex intimis, commutata perſona, nocte, dieq; itinere non intermiſſo, ad Burdigalæ muros ſe ſiſtit. Comites vetuſto quodā monumento fuiſſe comperio Blaſcum Alagonē Artalli fratrem, Bernardum Peratalladā, & Conradum Lanzam: Raimundus tamē Montanerius, & Bernardus Dezclotius eiuſdem ætatis ſcriptores vnius Peratalladæ meminere: & vetuſtus quidē earū rerum ſcriptor Siculus fuiſſe commemorat Simonem Vrream, Gilabertū Cruilliā, & Peratalladam Gilaberti F. Omnes tamen conſentiunt trium tantum procerū comitatu perceleri curſu eam viam in Aquitaniam perrexiſſe: & Dominicum Ficariam tanquam totius comitatus herum Regi, ac proceribus fuiſſe adiunctum: hominem in terra Gallia notum atque teſtatum, vtpote qui venaliciorum equorum in Galliam tranſmittēdorum domeſticum mercatum inſtituiſſet. Hunc Montanerius Cæſarauguſtanum, at rerum Aragonenſiū vetus ſcriptor, & is q res geſtas Alfonſi Caſtellę Regis cōpoſuit, Calataiubienſē ciuē fuiſſe cōmemorāt. Cū nullus Carolus hoſtis, aut Angliæ Rex adeſſet, ꝙ Pontifex deteſtabile certamē ſacro interdicto vetuiſſet, Rex pſentiā ſuā Iohāni Greilio Aquitaniæ Pręſidi, Seneſcallū vocabāt, denuntiat. Quaſi pignora præſtitæ fidei galeam, ſcutum, haſtā, & gladium Præſidi tradit: & confeſtim alio iter faciens, Baiona in Aragoniam reuertitur.

Illo ipſo tempore, quo Rex in Galliam perrexerat Turiaſone Sanctius Regis Caſtellæ F. illi occurrit: quod Iacobus Sanctii frater, Iohannes Nunnius Lara, & Iohannes Alfonſus Pharenſis in Nauarræ regno militares copias cogerent: vt illius regni procuratori adiuncti Pharenſes, & Lucroniēſes fines aduerſus Caſtellæ Regē & Sanctiū eius F. quam tumultuoſiſſime adorirētur. Rex Turiaſonē reuerſus, Lupo Garciæ Salazari, & Michaëli Lupezio Lupariæ I.C. legatis committit, vt Iohannē Nunnium Larenſem prouocēt: bellumq; illi indicāt: ꝙ aduerſus Caſtellæ Regē, & Sanctium ſororis F. res nouas moliretur: Edicit præterea Martino Romæo Veræ Prætori Calataiubienſi, & Darocēſi ac Turolēſi Prætoribus, vt Larēſi, & Albarracinienſibus ciuibus, ꝙ ea vrbs Larēſi, tāq̃ Thereſiæ Azagrę eius vxoris doti attributa pareret, cōmeatus publicos & priuatos prohiberent: vt ſuſcepto cū Larēſi bello à cōmeatu, & reliquis copiis intercluderetur. Vndiq; bellum apparatur. & domeſticis copiis inſtruitur: nō ad Larēſis tātū pniciē: ſed vt Nauarri inferri poſſet: ꝙ Philippus Gallię Rex, & Regis affinis, qui Nauarrę regni potiretur, inimicus, & hoſtis eſſet. Primarii duo Nauarri proceres Garcias Almorabidius, & Iohānes Gonzaluius Baztanus à Philippo Rege deficiūt: ac ſuas opes, operamq; Regi pollicētur: & Vela Nunnius Gueuara ex primariis itidē proceribus Nauarris, & cōplures alii ex eo regno antea ſe Regi addixerāt: ꝙ Galliæ Rex Hērico Nauarræ Rege mortuo, eius ditionis iura atq; arces inuaſiſſet: & Euſtachiū Belmachiū hominē Gallum moderatorē, & ducē Nauarrę regno præfeciſſet: ac Pōpelonenſes ob eā rē, & aliquot regni ciuitates maximas turbas facerent.

A.D. VI. Id. Iun. Rogeri⁹ Lauria Regię claſſis pfect⁹ Gaulis pgreſs⁹ nauali pugna cū claſſe Caroli ad Melitā inſulā dimicās, inſigni laude victorię x. hoſtiliū lōgarū nauiū potitur.

Rege Turiaſone adſidēte, dū fines tueri, & Sāctio ſororis F. opitulari, & ſubuenire ſtudet, copiæ haud exiguę Regis Frācorū Sāgueſſæ finibus, Nauarris adiunctis incurſantes, cōtinētes agros depopulātur. Lerdā, Vllum, & Filerā oppida vaſtāt: atq; diripiunt. Cum Vllū Simō Artieda fortis in primis, & ſtrenuus vir, qui oppido dominabatur, propugnandū ſuſcepiſſet, in hoſtiū poteſtatē venit: & in Narbonēſem Toloſæ vrbis arcē cōtruditur. Hoſtes inde ad Pinzanam vallem penetrantes Bailiū, atq; Arbueſium agrum inflammant & vallem quam Arago amnis interſecat, tranſgredientes Verdunum vſque perueniunt: Saluaterraque oppido potiti arcem exædificant: aggereque, ac præſidio muniunt.

Cū fœdus inter Eduardū Anglię, & Petrū Aragonię Reges pactione cōnubii Alfonſi Aragonię Regis filii primigenii, & Leonorę Anglię Regis F. ictum eſſet, Pōtifex Vrbeueteri Non. Iul. ab ea cōſociatione Anglum auertere nititur: inceſtaſq; eas nuptias, & illicitū cōtuberniū, nō legitimū coniugiū fore prædicat: ꝙ Leonora Regina Eduardi Regis mater, Amadei Sabaudiæ Comitis ſoror fuiſſet: & Amadei Māfredi Regis ſoceri Alfonſus pnepos eſſet. Seueris pręterea cōmonitionibus Eduardū cohortatur, ne cū Petro Eccleſię hoſte, & perduelli affinitate ſe ſe deuinciat: grauiuſq;, & vehemētius, niſi paruerit, minitatur.

AERA.
NAT.
CHR.

GENERALIS ARAGONIÆ VNIO ATQVE COITIO.

Rege Turiasone conuentum celebrante, cum tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, à suis non modo non subleuaretur, sed graues, & assiduæ querelæ iactarentur, easque proceres, ac populi deplorarent, quotidianisque precibus nihil se proficere viderent, inter se fidem, ac iusiurandum dant: libertatis retinendæ, atque tuendæ causa. Primarij ex proceribus viri eo in conuentu adfuere Simon Vrrea maior, Petrus Ferdinādius Ixeritanus, & Petrus, qui Aierbii dominabatur Regis fratres, Petrus Cornelius, Artallus Alagon, Lupus Ferrencius Luna, Atho Focius, Sanctius Antilionius, Gombaldus Beneuentanus, & Simon Vrrea minor. Hos adsectantur viri Regia domo educati Lupus Guilielmus Oteicia, Petrus Iordanis Penna, Gombaldus Tramacetius, Egidius Vidaurius, Petrus Garcesius Nuezius: compluresque alii genere præstantes. Nisi Rex patriis legibus, & institutis, aut Alfonsus eius F. obtemperandum duxerint, se ab eorum imperio defecturos pollicentur: & omnes bello persequuturos, qui ad eam rationem non adhærescerent. In tam turbido, concitatoque animorum motu Rex conuentum transfert: Cæsaraugustamque indicit. Tanta vniuersi regni consensio fuit libertatis vindicandæ, vt neq; beneficiis, neq; regiæ amicitię memoria ab instituta coitione remouerentur: ea illata causa, ne iure, & legibus commutatis, regiis satellitibus subiecti perpetua seruitute premerētur. Ad externū, longinquū & ꝓpinquum bellū tumultu domestico collato, tumultuantibus procerib. Rex Cæsaraugustano in conuentu A.D.V.Non. Octob. priuilegiū, quod generale vocant, Aragonensibus sancit: quo in pristinum statum intermissa libertas vindicatur: vetusti mores patrii, atque instituta maiorum regno consentanea, non modo reuocantur, sed leges, quibus ipsi etiam Reges obtemperent, sanciuntur. Cum grauis offensio à ciuitatibus in Regem concitaretur, quod sale inuecto promiscue vti vetuisset, salis commercium dedit. Sic compositis rebus proceres hortari non desinit, ciuiles iras in exitium hostibus vertant.

Coitio procerum, atque populorum Aragonensium libertatis tuendæ causa, Vnionem appellauere, seditiose, ac populariter stabilitur: addita licentia, quoquo vellent, populum compellēdi. Neque initium repentini tumultus ciuitatum coactu, sed procerum, quorum nimia potentia, atque auctoritas erat, coortum est. Pacta iureiurādo inter se cōfirmant: obsidibusq; cauent. Societate, ac fœdere, quos possunt, adiungunt, deuinciuntq;: illata, atque interposita causa, quod de recuperanda communi libertate, commune regni consilium initum esset: & celeriora, quam tutiora consilia, Rege tot bellis implicato, atq; distento præferuntur. Tum enim primum reperta sunt, quæ per tot annos rempublicam pessum dedere. Rex Petrum Martinium Artassonam Iustitiæ præfectum reiectione interposita, tamquam suspectum, & infensum iudicem perhorrescit.

1322. 1284 Mense Ianuario, Catalanis proceribus turbantibus, cum de recuperanda itidem communi libertate Barcinone conuenissent, consiliaque inissent, morum vetustorum statuta, atque scita, Vsatica vocant, Rex assensione, atque auctoritate sua confirmat. Cum Rex militares copias in Catalonia cogi imperasset, & in Nauarram profecturas asseręret, à Coitionis concilio ad Regem cum procuratoribus ciuitatum legantur Lupus Ferrencius Luna, Atho Focius, Lupus Gurrea, & Petrus Garcesius Nuezius: q. Regi, & Alfonso eius primigenio denuntient, se non permissuros, vt externæ, & aduenticiæ copiæ in Aragoniæ regnum traducantur. Ea legatione Regi Illerdæ A. D. XIIII. K. Apr. renuntiata, adeo se lenem, & facilem præbuit, vt non modo cum legatis nihil de ea re expostulet, sed recipiat, polliceaturque se Cæsaraugustam aduenturum: & daturum operam, vt omniū querelæ, quæ apud Coitionis ordines de ipso habebantur, atq; iniurię vindicentur. Iacobus Exerica Regis frater, & Artallus Alagon gener Valentino in regno ad eam Coitionem, quos possunt, polliciunt: magnæque ex eo turbæ, seditionesq; concitantur: quod Valentinæ ciuitates Aragonium forum reiicerent.

A. D. III. Non. Mai. Indict. XII. apud Vrbemueterem Martinus P. M. Carolo Philippi Regis Francorum F. Aragonii, Valentinique populi regna, & principatum Cataloniæ attribuit: non secus, acsi sub Ecclesiæ imperium ditionemque recidissent. In eius veluti sacræ expeditionis subsidium, omnium ecclesiasticorum redditυum, prouētuum & obuentionum regni Galliæ decumam Regi Francorum in quadriennium largitur.

Iohannes Nunnius Larensis Albarrazini dominus à Rege, quod ab eo defecisset, ea in vrbe obsidetur. Obsidionis metu vi bē deserit. Cū Rex Ermēgaudo Vrgellitano, & Raimūdo Folchio Vicecomite Cardonēsi, Raimūdo Anglesola, cui oppidanę Turolensium cohortes

AERA. NAT. CHR.

cohortes traditæ fuerant, & Raimundo Moncada primariis ductoribus vehementissime oppugnaret, labefactaretque propugnacula natura, & situ in primis nobilis vrbis, quæ Turia torrens amnis præterfluebat, ciues seque, vrbemq; dedunt. Rex Ferdinandum F. quem ex primaria femina Agne Zapata concubina susceperat, Albarraziniensi ditione donat.

Aprili mense Alfonsus Rex Hispali decedit. Testamento denuo Sanctium F. exsecratur: ac diris exagitat, & imprecationibus. Proditoris labem filio aspergit, & vt crudeliter ingratum, & beneficii immemorem exheredat. Alfonsum nepotem regni heredem dicit. Alfonso regni ditione spoliato, patruus regnat. Vclesii cum Aragoniæ Rege auunculo ad colloquia congreditur.

Quod Rex Petro Martinio Artassona Iustitiæ Aragonum præfecto magistratũ abrogasset, eius magistratus iura præsidio legum muniuntur, atque vallantur. Eo fit vt leges in posterum ab ipsis Regibus, & regni ordinibus publicis in conuentibus sancitę vim maiorem, quam ipsorum Regum imperium, obtineant. Petrus Martinius Luna, & Calataiubienses à Coitione desciscunt. Rex vt iurisiurandi religione se Coitioni addicant, imperat: & sua auctoritate præscribit. Arnaldo Rexacho, & Bernardo Orle internuntiis, Rex de maiestate damnatus Martinum P.M. iniquum, & inexorabilem iudicem exhorrens, atque reformidans reiicit: & iniquo iudicio, pluribus latis sententiis agitatus à Pontifice Maximo appellat: Ecclesiæque se submittit: & ad summũ Pont. minime suspectum, aut inuisum, infensumve prouocat. A. D. X. K. Iul. Rogerius Lauria in sinu Stabiano Surrentini litoris, Castri maris vocant, maximo prœlio nauali commisso, Gallos hostes deuincit: quo capti fuere Carolus Salernitanus Princeps Caroli Regis F. Iacobus Bussonus Gallicæ classis præfectus, Reginaldus Gallardus, & Comites Aceranus, Brenensis, Monopolitanus, & Villagensis: & Guilielmus Estendardus: ac plures Itali, Gallique proceres. Vetusto, ac certo auctore externo comperio, Aragoniam classem XLI. longis nauibus cõstitisse: & cum LXX hostium tanto impetu, viriumque conatu decertasse, vt XLII. fuerint à nostris captæ. Rogerius Beatricem Constantiæ Reginæ Aragoniæ sororem, quæ diutius apud Carolum Regem captiua arta custodia septa in arce S. Saluatoris Castelli, quod ad mare vocant, sibi reddi imperat. Princeps in Matagryphoniam Messanæ vrbis arcem detruditur: & in Ricardum Risum, & Henricum Nicænum summo supplicio tãquam in transfugas animaduertitur. Rogerius præclarissima victoria parta, magni ducis laudem consecutus, eius certe victoriis, bellicisque rebus auctum imperium fuit, protinus inde Bruttios terra, marique oppugnat: Scaleam, Citrarum, S. Lucidi oppidum, & Montiam in deditionem redigi curat: magnaque eorum ditione potitur. Aliquot oppida expugnat continentis regionis, quam Basilicatam nominant. Feruidi animi vir Rogerius ferox viribus, & armorum vsu, in quo vno regimen omnium naualium rerum maritimorumque bellorum fuit, quotiens decoris, & laudis discrimina adeunda essent A. D. II. Id. Sept. in Meningem clarissimam totius Africæ Insulam traiiciens, in Regis eam potestatem, ditionemque redigit. Marganus Sarracenus qui Montanorum Tripolitanorum ditionis potitus, se Tunetanum Regem cognominat, à prœdonibus Catalanis interceptus in Regis potestatem deuenit: & in Matagryphoniam custodiam coniicitur.

Cum Siculis deliberatum, constitutumque publico conuẽtu esset, vt Carolus Salernitanus Princeps, eo mortis supplicio afficeretur, quo Carolus eius pater in Conradinum Conradi Regis F. Frederici Imperatoris N. tam acerbe, crudeliterque vsus fuerat, ac totius regni nomine Principi testatum, manifestumque esset, Regina Constantia, Iacobusque F. insigni clementiæ laude, Siculorum animos temere cõcitatos retinent. Vt saluum, incolumemq; conseruent, ex Matagryphonia Mamertinorum arce, in Cephaleditanam transferunt. Mamertini in captiuos Gallos, qui in custodias traditi fuerant, periculum capitis inferunt: & plures eorum ferro trucidantur. Rex reliquos à morte vindicari, liberariq; imperat: modo ne bellum aduersus se inferant: aut cum hoste consentiant: & vnius Reginaldi Gallardi Gallicę classis præfecti, in ea re fides egregia enituit.

Ciriæ Castellæ oppido, in ipsis regni finibus colloquium inter Reges Petrum, ac Sanctium Petri sororis F. habitum. Inde Borouiam vicinum oppidum ineunt: vbi fœderum pactiones instaurantur: renouanturque. Sanctius auunculo pollicetur, se aduersus Francorum Regem comparaturum, si eius regnum inuaderet: atq; in ipsa acie, vna cum auunculo prœlio decertaturum.

Raimundus Botonachius Regis legatus Rodulphum Imperatorem in amicitia, ac fœdere, quo Gibellinæ factionis à Rege partes in Italia deuinciebantur, confirmat. Permutationis pactio ea à legato obiicitur: vt Rodulpho iura ditionis Allobrogũ Sabaudiẽsis

AERA. NAT. CHR.

comitatus, quæ Rex liberis suis deuoluta contendit, tribuantur: eorum oppidorum commutatione, quæ Regiis in ditionibus Templariorum ordinis militiæ addicta erant. Pollicetur Rodulphus se Italiæ finibus Regi auxilium aduersus Carolum hostem laturum: breuique Alpes transcensurum se sperare, vti diadema regni more suscipiat. Gisbertus præterea Botonachius Episcopus Valentinus ad Margaritam Reginam Ludouici Gallorum Regis vxorem legatur: quod Rex speraret eius interuentu Philippum Galliæ Regem filium, inimicitias contumaciæ nomine susceptas depositurum: sed vltra Parisios Episcopum progredi vetant: quod Reginæ cum Carolo Rege magna simultas intercederet: ex quo Prouinciæ dominatum vxoris nomine interuertisset: cum Margarita Regina natu maxima filiarum Raimundi Berengarii Prouinciæ Comitis fuisset.

Augusto mense Philippo Francorum Regis natu maiori F. Iohanna Henrici Nauarræ Regis F. atque regni heres in matrimonium collocatur. Regalibus insignibus Pompelone ornatur Philippus: & id temporis Rex Turiasone exercitu coacto, ad Tudelæ vrbis muros prope Hiberi ripas castra metatur: & Iohannes Nunnius Larēsis, qui Tudelæ propugnationem susceperat, equitatu, & peditatu immisso, eas copias qui nondum Hiberum transmiserant, prœlio tentat: atque lacessit. Rex Nauarræ finibus bellum infert: cum continua bella per biennium in Italia, & Sicilia gererentur: & maiora instarent. Exercitu dimisso, cum Cæsaraugustam Nouembri mense iniisset, & militaria stipendia inter proceres esset partitus, benigne suam operam Regi pollicentur: sed Petrus Ferdinandius Ixeritanus Regis frater, & Artallus Alagon gener, & Petrus Iordanis Pinna operam nauare abnuunt, atque recusant. Rex Magalionensia, & aliorum oppidorum decreta stipendia subtrahi illis imperat.

1323. 1285 A. D. VII. Id. Ian. Rex Carolus Fogiæ mortem obit: princeps, cui, etsi haud dubie virtute, ac rerum gestarum gloria opulentissimum regnum tenuerit, cum vita suppeditauisset, ad extremum, & consilium, & fortuna, & ipsius partæ gloriæ splendor defuit.

Complures Apuliæ, Calabriæ, atque Campaniæ ciuitates Carolo Rege defuncto, res nouas moliuntur. Regis nepos Carolus Caroli Principis Salernitani F. regni res confestim administrat: geritque: cū in tutelam Roberti Atrebatensis Comitis, fratris patruelis Salernitani Principis traderetur. Gerardus Parmensis Sedis Apostolicæ legatus ducis munia Ecclesiæ nomine sustinet.

A. D. VII. Id. Mart. Rex Oscæ publico conuentui præsidet: & inde Zufariam in A. D. VI. K. Apr. transfertur. Cum ad eam diem Rex se non stitisset, qui coitionis regni partes sustinent, assueti quidem regio imperio, sed maiori libertatis præsidio, à Iohanne Egidio Tarino præfecto Iustitiæ Aragoniæ, tamquam legitimo conuentus iudice, qui iudex sedit, & causis præfuit, quas consilio ordinum decidere erat necesse, cum Rex contenderet, à se iudices dari oportere expostulant, vti absente Rege, secundum præsentes iudicet: in eis postulatis, quæ interposita erant: Regique intenta. Cum Rex citatus non adfuisset, Magistratus secundum eorum causam iudicat. Eo tum statu res erant, vt qui se ad eorum procerum amicitiam aggregauerant, meliore condicione, atque æquiori imperio se vti arbitrarentur. Interfuere ei conuentui Bernardus Guilielmus Entenza, Simon Vrrea maior, & Simon eius F. Artallus Luna, Petrus Aierbius, Petrus Cornelius, Lupus Ferrencius Luna, Atho Focius, Sanctius Antilionius, Guilielmus Podius, Gombaldus Beneuentanus, Amor Dionysius, Petrus Martinius Luna. Ex his qui se Regis domesticos appellare consueuerant, adfuere Guilielmus Alcalanus Xarci dominus, Gombaldus Tramacetius, Egidus Vidaurius, Petrus Maza ex Cellis, Guilielmus Alcalanus Quinti dominus, Petrus Sesesius, Artallus Horta, Didacus Perezius Escoronus, Lupus Ferrencius Luna, qui Lurcenii dominabatur, Petrus Garcezius Nuezius, Lupus Gurrea, Rudericus Sanctius Pomarius, Simon Perezius Pinna, Alfonsus Castellinoui, Petrus Pomarius. Totius nobilitatis Valentini Regni nomine adsedere Simon Sanctius Aradrius, & Ferdinandus Sanctius Aiuarius. Quod Rex pollicitus fuerat, se Præfectum Iustitiæ natione Aragonium, Valentino in regno creaturum, qui ciuitatibus, atque proceribus, quibus scita, priuilegia, & fora, quæ vocant, Aragonia facta, irrogata, & indicta fuerant, ius diceret, & in eius iudicium causæ controuersiæque omnes deducerentur, vniuersi regni magistratui præficit militaris ordinis virum Aragonium Alfonsum Martinium: & ciuitatibus eius regni iudices dantur: qui ea obseruent, quæ scita erant in Aragoniæ regni legibus: atque institutis. Præterea decretum fuit, vt in posterum Rex Ripacurcienſi d tioni proprium, & præcipuum iudicem daret: qui Gradibus, eius regionis oppido, pro tribunali sederet: atque pronuntiaret: & primarum reiectionum eius iudicis factarum aut Barbasti, aut apud Præfectum Iustitiæ Aragonum iudicia fierent: secundæ

vero appellationes ad Regem reiicerentur: & eorum iudicum sententiis, quos Rex elegiſſet, litibus, & controuerſiis finis, & modus terminaretur. Regis etiam nomine coram Præfecto Iuſtitiæ Aragonum lites aliquot proceribus intenduntur: & cum lites conteſtatæ eſſent, & iudicium damni iniuria conſtitutum, Præfectus de conſilii conuentus ſententia, de tribunali pronuntiat: eiuſque iudicia, quod Rege abſente, fierent, à Rege ipſo firmantur: & ſtabiliuntur. ABRAS NAT. CHR.

Iohannes Egidius Tarinus Præfectus Iuſtitiæ Aragonum.

Cum de vniuerſo genere belli, quod à Francorum Rege, de regno Aragoniæ, filio aſſerendo parabatur, multa, & pæne incredibilia, ac de præſenti hoſtium apparatu fama efferrentur: non vana magis ſpecie, quam efficaci euentu extitiſſent, niſi vnius principis omnium fortiſſimi, & animi maximi virtus obſtitiſſet. Namque non modo ab Hiſpaniæ Regibus finitimis, & cognatione adiunctis, ſed à ſuis turbantibus, & res nouas molientibus deſertus, cum externorum principum in vnum, tamquam Eccleſiæ hoſtẽ, veluti ſacra expeditione vires, atque arma concitarentur, verterenturque, illo robore animi fuit, vt labantibus rebus, aucta potius per eum, quam immunita regia maieſtas dici vere poſſet. CXL. naues longæ, ac LX. quas taridas vocabant, tranſmittendis equis idoneæ, præter innumeras alias minores naues, in prouincia Gallia, & Liguſtinis litoribus adornantur: armanturque. Maximus hoſtium, fortiſſimuſque exercitus conficitur. Bernardus Dezclotius, præclarus in primis auctor ætatis eius ad XIIX. MDC. equitum, C. L.M. peditum conſcripta, ac centuriata fuiſſe, & lixarum, & calonum numerum L.M. perhibet: ac X.M. ſagittariorum recenſet eo in exercitu meruiſſe: & admirandam machinarum, ac tormentorum molitionem adhibitam. Philippus Rex, quod duce, & Imperatore bellum gerebatur, finibus regni appropinquans, Toloſæ ſubſtitit. Pyrenæi ſaltus à noſtris occupantur. Petrus Rex Pyrenæo tranſcenſo Perpinianum regiam fratris Balearium Regis ſedem, fratre pulſo, occupat. Fratris filios retinet: quod belli faciendi cauſa cum hoſte conſenſiſſe iudicaretur: & Gallorum Rex ſummi Pontificis decreto Valentinum regnum Balearico Regi obtuliſſet: ſi aduerſus fratrem maritima, & terreſtria auxilia adiunxiſſet. Dalmatium Roccabertinium Vicecomitem, Comitemque Emporitanũ potentes in Indigetibus regulos cũ reiecti, & relegati longe à ſe viderentur, Rex conciliare ſibi, atque ad vſus belli adiungere, quod eorum ditiones, primos hoſtium aditus interclуſuræ erant, ſtudet. Gallorum exercitus Ruſcinonis regionem inuadit ea via, quæ Salſulas vicum ducit. Caſtra in ſuburbano Perpinianenſi faciunt: oppidumque circumſident. Philippus Rex duobus filiis comitatus Nauarræ Rege, & Carolo, qui ſe Aragonium Regem nominabat, ad Caſtrum Zarochæ ſtatiuum ſibi præſidium collocat.

Sanctius Rex neglecto ſacramento, obtentu proprii diſcriminis, quod ſibi à Iuceffio Mauritaniæ Rege, intra Bæticæ fines intendebatur, rogatus auxilium ferre Regi auunculo, propinquo, finitimoque, labantibus rebus, & pæne deſperatis recuſat. Res præterea memorabilis ab antiquo ſcriptore traditur: conterritis noſtris, cum publicis, priuatiſque deliberationibus trepidarent, neque conſilium in tam affectis ſuppeteret rebus: ex intimis conſiliariis regiis Petrum Martinium Boleam tutius, quam honeſtius cum dignitate conſilium exquirentem, callide in fraudem vertiſſe. Nam cum Sanctius regni ſtabiliendi cauſa, cum Philippo Rege conſenſiſſe traderetur, Bolea callidum conſilium tegens, & generale mandatum accipiens, ementita legatione, Sanctio Calataiubium oppidum, ditionemque eam Regem condonaturum pollicetur: modo bellum ne inferat. Eo dono Sanctium illectum ab nefario ſcelere ſe cohibuiſſe. Dum vero ditionem eam ex pacto Sanctius repetit, Rex, qui in fide violanda, inexpiabilem eam fraudem conceptam fuiſſe neſciebat, Boleam Sanctio dedi imperat: qui ab eo dimiſſus fuit: neque de dolo malo in iudicium adductus. Vtcumque ea res geſta ſit, Regem alioqui animi inuictum, tot principum conſpiratione, atque conſenſu grauiter eo tempore fortuna concuſſit: vt maioris ſplendoris, & gloriæ compotem redderet.

Simon Vrrea, Attallus, & Lupus Ferrencius Lunæ, Rudericus Simenius Luna, & Didacus Perezius Eſcoronus bellum aduerſus Iohannem Nunnium Larenſem, & in Caſtellæ fines inferunt. Michaël Perezius Iſuerrius Baianæ arcis præfectus arcem firmo præſidio tuetur: & Soſium, Thermæ, & Saluaterra aduerſus finitimos Nauarros muniuntur.

A. D. X V I I. K. Apr. Rex nominatim ex omnibus ciuitatibus nobiliſſimo, & fortiſſimo quoque euocato, in ipſo Pyrenæi aditu, atque aſcenſu, acri, & veterano

AERA. NAT. CHR.

milite vſurus: & copias omnes, quod bellum trahendum videt, præſtolaturus, Ficarias oppidum contendit. Cum exigua manu, & montanis, qui ſaltuoſos locos incolunt, colles circumſidens, Iuncariam tenet. Inde Pyrenæi iugum, collem Panizaſium vocant, ſupra viam, qua exercitus hoſtium montes tranſcenſurus erat, præſidio munit. Adeo vero perexiguæ copiæ conuenerant, vt vix ipſa montium culmina obſiderentur. A. D.VI. Id. Mai Galli Ruſcinonenſem tractum incurrentes, & Perpiniano potiti, Helenam vrbem expugnant. Balearicus Philippum Regem, vti amicum, & eiuſdem fœderis ſocium excipit. Gallis Pyrenæum traiicientibus, dum noſtri, & ſi montani, & aſperi homines, in armis vitam degentes montium clauſtra obſediſſe videntur, & hoſtium ingentes, immenſæque copiæ iugis omnibus ſe effudiſſent, neque reſiſtere, ac repugnare, tot, tamque valentibus cohortibus poſſent, ſaltu anguſto ſuperatis montibus, ſtatim deiiciuntur: funduntur que. Rex tamen, in quo vno omnis ſpes, ratioque vincendi collocata erat, quæ illius fuit animi magnitudo, & ætas militaribus laboribus exercita, copias auxiliares puſillas, atque oppidanas dimittit: dum furentes, ac violenti impetus hoſtium comprimerentur: eoque conſilio vtitur, vt bellum in hiemem ducat, & Sicilienſem claſſem arceſſere poſſit: proceribus, & euocatis, ac veteranis militibus retentis.

Victa præſenti metu Indigetum oppida complura in deditionem conceſſere. Cardonenſis Gerundam nobilem vrbem hoſtibus ſubiectam, atque oppoſitam, tuendam ſuſcipit: tribus ſtrenuis viris Catalanis comitatus Guilielmo Caſtleaulinio, Guilielmo Angleſola, ac Bertrando Canellia. CXXX. equites, veteranique milites haſtati, & ſagittarii II. M.D. præſidio propugnaculorum collocantur. Hoſtes caſtrum Lerzium magna tormentorum vi oppugnant. Cum propugnatores non ſolum vires, ſed ſpes omnis defeciſſet, ſeque, caſtrumque dedunt. Eo loci, ac ſi earum regionum primariam arcem expugnauiſſent, Carolus Philippi Regis F. legato auctore, Barcinonenſis comitatus, principatusque Cataloniæ poſſeſſionem vſurpat. Ampliſſima dignitatis præmia beneficiariis ſuis conſtituit: & Cataloniam terram inter eos partitur. Militaribus muneribus obeundis Imperator, caſtrorumq; dux deligitur, quem Seneſcallum vocant.

Operibus ingentibus ſepta Gerunda eſt. Turres, vineæ, teſtudineſq;, & alii oppugnandarum vrbium apparatus admouentur: neq; his intra muros noſtri coercentur: cum agger promotus ad vrbem, & vineæ iam iniunctæ mœnibus eſſent, vallo foſſaque obſideri cœptum. Ita hoſtibus expugnandi pariter, cogendiq; ad deditionem ſpes iniecta, Noſtris fortiter reſiſtentibus, atq; repugnantibus, diu nequicquam propugnata eſt.

Rex, quod equitum opera in montoſis, & ſilueſtribus locis non deſideraretur: maiorem equitatus partem Oſtalrico, & Beſaluno collocat. Aliis locis ſtrenuos duces admouet Albertum Medionam, Bernardum Angleſolam, Berengarium Puchuertium, & Berengarium Roſanem: qui incurſantes, & diffluentes hoſtium copias coercerent: ac male multarent. Copiæ, quæ maxime veteranæ erant, coguntur.

Vnionis, quam vocabant, ſocietas Cæſarauguſtæ ipſis Iulii K. lege ſancit, vti Aragoniæ proceres, equites, militareſque manus in ſubſidium Regi ad bellum, aciemque præſto ſint: iis exceptis, qui in Nauarræ finibus, & ad Albarrazinium, in propugnatione earum regionum ſtipendia merentur. Copiis auxiliaribus Petrus Aierbius Regis frater præficitur.

Raimundus Marquetius, & Berengarius Maliolius ſtrenui rerum nauticarum duces, à Rogerio Lauria regiæ claſſis præfecto, ex Siculis oris in Hiſpaniam præmiſſi, cum X. nauibus longis XXIIII. hoſtium longas naues, quæ ad Rhodam, & S. Felicis ſtationem commorantes, noſtros portubus, atq; omni ea maritima ora prohibebant, & ſuſcepto bello, ne ſui commeatu, & reliquis copiis interclouderentur effecerant, adoriuntur: & inſigni prœlio nauali ſuperant. Cum victoriam ſtabilitate, atq; conſtantia eſſent conſecuti, naues IIX. capiunt: & in iis prætoriam, cum ipſo duce Gallo Guilielmo Lodena.

Rex Oſtalrico, cum delecto nobilitatis, ac militiæ flore, ad D. equites, & V. M. veteranorum peditum fuiſſe conſtitit, eo conſilio procedit, vt equitum Gallorum turmas, reliquaſq; manus, Auſetanorum, & indigetum regionibus incurſantes peruellat: atq; coerceat. Cum ingenti parte equitatus Gallici, & hoſtilium copiarum albente cœlo congreſſus prœlium committit. Læti, atq; ouantes hoſtes accepere pugnam: quæ longa, atq; anceps fuit. Magna diei parte pugnatum: magna vtrimque cæde. Strenue ab omni parte res geritur. Rex in primis ſtragem edens, pulcherrimi facti laudem tulit: qui cominus in acie pugnans, magno impulſu, atque conflictu obſiſtens, Niuernenſem Comitem, & Claramontium ſua manu occidit. Cum Niuernenſis Regem eminus venabulo tranſuerberaſſe crederet, Rex eum perſequens claua ictum equo deturbat: & Guilielmum Scribam, qui

qui Regi prœlianti aderat, vt hostem obtruncet, imperat: atque Guilielmus, dum ensem illi detrahere nititur, vna mortem occumbit. Pugna ea, A. D. XVIII. K. Septemb. pugnata constanti illorum temporum fama celebratur: quod clarissimus, qui vnquam fuerunt Rex, duxque, maxima virtutis gloria præstans, & Gallica procerum nobilitas, atq; ingens eorum equitatus robur, infestissimis animis conflixerint. Hostilis equitatus duces fuisse accepimus Iohannem Ancurtum regiorum Galliæ castrorum præfectum, Connestabulum vocat, Comitem Marchiæ, & Rullum Rasium. Exteri omnes ad vnum auctores Aragonium Regem eo prœlio deuictum, atq; ex acie saucium elatum referunt: & breui defunctum: quod falso memoriæ proditum conuincitur.

Gerunda magnis vltro, citroque illatis detrimentis, incredibili constantia propugnatur. Cum extremo tempore obsessis subueniri non posset, vrbem dedere paciscuntur: nisi intra xx. dierum inducias, nostris auxilia missitarentur. Omne id tempus contrahendis auxiliis, & reficiendis veteranorum copiis consumitur.

Alaimus Leontinus regni Siciliæ magister Iustitiarius, quo auctore, & consiliorum primario administro, atque ductore Galli insula Sicilia exacti fuerant, maiestatis minutæ conuictus, quod ad Gallorum Regem cum Machalda vxore, & filiis, ac Proratio Augustano, & Mattheo Scaleta affini, & Iohanne Mazarino, & Dinolfo Mineo fratris filiis defecisset, in Siuranam arcem detrusus pœnam suo scelere dignam suscipit.

Id. Iul. Rogerius Lauria Bruttiorum, & Apuliæ oras classe preteruectus, expositis militibus Tarentum obsederat, atque irruperat. Delectis xxxvi. nauibus longis in Hispaniam nauigans, ad Barcinonensem stationem, A. D. V. K. Octob. appellit. Incredibili festinatione hostium classem consecutus, quæ xl. nauibus longis constiterat, A. D. VI. Non. Octob. cum quattuor actuarias Siciliensis classis sibi adiunxisset, ad S. Felicis stationem in certamen deuenit. Galli in ipso impetu, atque conatu profligantur: xiii. naues intercipiuntur: & Iohannes Scotus Gallicæ classis præfectus captiuus remanet. Nostri reliquas naues perceleri cursu velificantes, ad Narbonensem stationem, Gradum vocabant, persequuntur: quibus Henricus Marius Genuensis præfuerat.

A. D. XV. K. Octob. Tiburi Honorius IIII. P. M. qui in Martini demortui locum suffectus fuerat, ob iniqua, & grauia onera, quę à Frederico Imperatore, eiusque filiis imposita fuisse obtendebatur, & à Martino ipso Caroli Regis consensu in ordinem redacta erant, Apostolico decreto sancit: vti tributorum onera, quæ prouincialibus Siculis intolerabilia imponebantur, tollerentur, sperans eo emolumento, Siculorum animos à se permulceri, atque allici posse: vti ab Rege Petro deficerent.

Castra Regis Francorum funesta peste in Indigetibus vastantur: atqua in dies singulos deseruntur. Philippus Rex valetudinis vitio, atque ægritudine animi laborans, Castellionem vicum in ipsis Emporiarum vetustæ vrbis vestigiis situm, recedit.

Gerunda hosti exactis indutiis, confecta paucitate propugnatorum opere, vigiliis, & vulneribus, quæ semper eosdem perculerant, ex pacto deditur. Vix per conditiones tradita fuerat, cum subito castra deseri cœpta sunt: quod hostes inclusi montibus, firmiore se munimento à nostris circumuallatos, quam à se vrbem viderant. Tantum enim terrorem Petrus Rex perpusillis copiis fecerat, vt vix credibile esset, tam affectis rebus, solos per se ad bellum suscipiendum coortos. Fugæ magis modo complures manus, manipularesque cohortes per inuios saltus funduntur: & occursu nostrorum militum recedentibus signa inferuntur. Cum obsepta culmina vidissent, in angustiis montium palantes hærent. Sed nostri cum saltus, per quos exercitui regressus erat, insedissent, versis signis, & vasis conclamatis, ægre tot agminibus, aut regressus, aut effugium, periculosis saltubus superatis, patuit. Dum omnes hostium copiæ proximos montes cepissent, nec quidquam satis tuti loci regredientibus esset, & de iugis, quæ ceperant, funderentur, Almogauares, veteranorum manus irrumpentes stragem fecere. A. D. II. K. Oct. exercitus hostium fusus, & ad fugam pronior, Panizasium Pyrenæi collem transcendit.

Philippus Rex Perpinianum moribundus lectica delatus, A. D. VI. Non. Octob. moritur.

Nostri Gerundam hostibus deditam oppugnant. Propugnatores xx. dierum indutias paciscuntur: quibus exactis vrbem dederent, nisi subuentum esset. His constitutis Rex Barcinonem festinanter contendit: & in vrbem A. D. IV. Id. Oct. cum ingentem sibi laudem, & gloriam peperisset, introit: haud quaquam tam insigni victoria lætus, quam quod præter exiguam Indigetum, & Ausetanorum partem incendiis, & incursionibus deformatam, cetera contra spem salua, sua virtute, aduersus ingentes copias fecisset.

AERA. NAT. CHR.

Ea tempeſtate, dum hoſtis malis victus, ſubactuſque bello eſſet, Simon Vrrea, Lu- pus Ferrencius, Artallus, & Rudericus Simenius Lunæ Aragonii proceres, & Didacus Pereſius Eſcoronus, qui regni finibus in Celtiberis prætendebantur, cum ea manu, quæ Iohannis Nunnii Larenſis ductu Molinæ Præſidio collocata erat, in certamen, ancipiti pugna deueniunt.

Fuerat Carolus princeps Salernitanus à Iacobo Regis filio Cephaledi traditus tri- bus ſtrenuis viris Catalanis Raimundo Alemano, Simoni Dezlorio, & Guilielmo Pon- tio: ea conditione, naui in Cataloniam deportandus, vti iureiurando aſtringerentur, quoduis potius mortis periculum ſe adituros, quam in aliorum poteſtatem Princeps ve- niat: aut priuſquam dedere cogantur, in mare demerſuros. Ad fœderum pactiones Saler- nitanus, & Iacobus Regis F. deuenerant: pollicetur que Salernitanus ſe iure regni Siciliæ Iacobo ceſſurum: & inſularum adiacentium: ſuo, & heredum nomine: & Blancam F. illi in matrimonium traditurum: & alteram, ex filiis Frederico Iacobi fratri collocaturum: & Tarentinum Principatum, atque Honorem S. Angeli, quemadmodum Manfredus Rex obtinuerat, dotis nomine adiecturum. Præterea ſponſione cauet, vt Ludouicus F. Iolan- tē Iacobi ſororē vxorē ducat: & Bruttiorum ditionem dotalem dicit: ſeq; filios earum pa- ctionum obſides relicturum recipit: & eis adiecturum complures ex proceribus Galliæ, & Prouinciæ, & regni Angliæ. Adhæc ingentem pecuniæ vim condonandam eſſe reci- pit: eiuſq; periculum facturum, niſi intra biennium ea fœdera à Sede Apoſtolica, & Gal- liæ Rege ſancirentur: alioqui in Regis Aragoniæ poteſtatem venturum.

Dum Rex, omni celeritate, & ſtudio incitatus operam dat, vt militares copiæ in Ba- learem Maiorem tranſportarentur fratrem bello, odio penitus inſito, perſecuturus, A. D. VII. K. Nou. Barcinone, eo conſilio proficiſcitur, vti Salonio portu primo quoque tem- pore claſſem ſoluat. Iter Tarraconem faciens graui morbo, æſtu, febrique iactatus, me- dia via, ita repentino concidit, vti humeris Villamfrancam reportaretur. Supremum di- em adeſſe ab Arnaldo Villanoua nobiliſſimo, & optimo illius ſæculi medico intelligens Alfonſum filium, vt Balearicam expeditionem maturet, hortatur. Dum animam agit, certior redditur, Carolum Salernitanum Principem captiuum Barcinonem delatum: & Gerundam ſuis deditam.

Cum incredibili animi affectu Rex peccatorum confeſſionem, noxiarumque pœ- nitentiam eſſet teſtatus, & ad ſacroſanctum Euchariſtię ſacramentum ſe proieciſſet, vn- ctioniſque ſacræ extremo eſſet expiatus, præſentibus Bernardo Oliuellia Tarraconenſi Antiſtite, & Valentino, atque Oſcenſi Epiſcopis, & magna procerum turba inſigni re- ligionis pietate, A. D. IV. Id. Nou. vt Dezclotius perhibet, defungitur: ſabbatho enim quod feſtum S. Martini diem anteceſſit, obiiſſe teſtatur: Princeps ad omnia ſumma na- tus: & verè magnus: cuius nominis ſplendore æternæ laudis gloriam eſt conſecutus. I- cœnobio SS. Crucium D. Bernardi ſepelitur: cum more regio iuſta magnifice feciſſen s Publicis enim exequiis ducitur ingens funeris pompa: qui ſupremus Regibus hono habetur.

Teſtamento regnorum, & ditionum paternarum Alfonſum filium heredem reli- querat: nulla Siciliæ regni mentione facta: quod illo ipſo die, quo nauim conſcenderat, in Africam nauigaturus teſtamentum in procinctu feciſſet. Iudices ab eo in teſtamenti tabulis deſignantur Archiepiſcopus Tarraconenſis, Epiſcopus Valentinus, Rudericus Pereſius Pontius Alcanicienſis præfectus, Artallus Alagon, qui Thereſiam Pereſiā Regis filiam in matrimonium duxerat, Artallus Focius, & Gilabertus Gruillias.

Fuit is annus trium præclarorum Regum, & Martini P. M. morte inſignis.

ALFONSVS III. ET XVI. REX ARAG.

Alfonſus Regis F. viuo, & ſpirante Rege, cum naues, quæ in Catalonia erant, refice- rentur: expedirenturque, portu Salonio nauim conſcendens claſſem ſoluit: patruum Ia- cobum regno exturbaturus. Ad Porrazam Maioris Inſulæ ſtationem terram attigit: & ex- poſitis militibus ad vrbem caſtra metatur. Præcipui eius expeditionis ductores Alfonſo à Rege adiuncti fuerant, Blaſcus Alagon Artalli frater, Sanctius Antilionius, Petrus Gar- ceſius Nuezius, Petrus Seſeſius, Blaſcus Simenius Aierbius, Simon Pereſius Andoſilla ex Aragoniæ regno. Catalani proceres eo in bello militauere Petrus Moncada, Raimun- dus Durgius, & Maimonus Plegamanius. Cū in ciuitate diuturnitate otii, multitudo in- ſolens belli tumultuaretur, Conrado Lanza internuntio, ciuibus ſe, ſuaque dedentibus, Rex Inſula potitur: & in ea ſe Regem Aragonium, Maioricenſem ex Inſulæ nomine, & Valentinum, Comitemque Barcinonenſem nominat Rogerius Lauria in Siciliam claſſe tranſmiſſurus, fœderum vinculis ſummæ coniunctionis, & amoris artiſſimis Alfonſum

Regem

Regem astringit: vti Iacobo Siciliæ Regi fratri opituletur: & ad tuendum regnum, & vindicandas ditiones Campaniæ, & Apuliæ, & continentium regionum subueniat. AERA.

Iacobus Regis frater mortis paternæ nuntio accepto, A. D. XVII. K. Ian. regium Siciliæ nomen vsurpat: ac se Regem Ducatus Apuliæ, ac Principatus Capuæ nominat: eoque titulo posteri Reges Siculi Aragoniæ stirpis vsi fuere: quamdiu cum Caroli Regis nepotibus bella gesserunt. NAT. CHR.

IACOBVS SICILIÆ REX DVCATVS APVLIÆ ET PRINCIPATVS CAPVÆ.

Anni initio Rex classe, ex Maiore Balearium insula in Ebusum transmittit. Arcem natura ac situ egregie munitam, armisque septam incolæ dedunt. Ex Ebuso Alicantis portum tenet. Regi ad vrbem Valentiam aduentanti obuiam processere Iacobus Exerica patruus, Iacobus Perezius frater, Guilielmus Raimūdus Moncada, Bernardus Belpucius, Amor, & Gabriel Dionysii fratres, Petrus Iordanis Penna, Rudericus Sanctius Calataiubiensis, Petrus Zapata, qui Toui dominabatur, Carrocius Rebolleti dominus, Berengarius Laciolius, & Simon Romaninus: & omni auctoritate aulæ regię communita regnū cum dignitate obtinet. A. D. IIII. K. Feb. S. Valerii festo die in ęde maxima Saluatoris Cæsaraugustæ ordines regni, qui eo loci conuenerant, Bernardum Guilielmum Entenzam, & Simonem Vrream legatos ad Regem præmittunt orantes, expostulantesque, vti primo quoque tempore Cæsaraugustam adueniat: & iurisiurandi religione de more, leges, atq; instituta, & fora, ac priuilegia, & vetustos patriæ mores sanciat: & regalibus insignibus, & militari auctoramento decoretur: nam dum ea comitia non peragerentur non esse a superioribus Principibus vsurpatum, vt regio nomine, aut eius muneris functione vterentur. Ea legatione Regi ad Moruiedrum renuntiata, Rex benignissime respondet: & non sibi è dignitate visum esse, cum ab Archiepiscopo Tarraconensi, & Episcopis, proceribus ac ciuitatibus Cataloniæ regali nomine compellaretur, Infantis nomen à se populo edi: atque peruulgari. Regii funeris exequias supremi diei celebritate prosequitur, Arnaldum Rogerium Palliariensem Comitem à Cinga ad Panizasium collem pro Rege Cataloniæ præficit. 1324. 1286

A. D. IIII. Non. Feb. sacro D. Mariæ purificationis die Iacobus Rex Panhormi festa, ac sollemni cærimonia regium diadema suscipit. Insignia regia, aquila Regis Manfredi aui, argenteo scuto expansa, & tæniis puniceis Barcinonēsibus in quadrum distincta variantur. Ea celebritate cccc. primarii ex Siculis viri militatibus insignibus decorantur.

Gisbertus Castellerius Catalanus, & Bartholomæus Nicastrensis Siculi Regis legati Romam, eius rei causa proficiscuntur, vti de more Pontificis maximi voluntati, Iacobum Regem perpetuo pariturum obtestentur. Spreti, ac repudiati continuo dimittuntur. Barcinonem legationis causa Regis Castellæ nomine conueniunt Didacus Lupezius Pharensis, & Michael Simenius Aierbius Ecclesiæ Toletanæ Archidiaconus, & Rudericus Perezius Pontius Calatrauensis militiæ Magister: fœderum initorum non tātum sanciendorum oratores, quam vti Alfonsus, & Ferdinandus, qui Setabitanæ arcis custodia attinebantur, Regi Castellæ patruo tradantur: vti præsidia stabilitatis regni obtineat. Aragonius pacta ea renuit: quod Castellæ Rex totum se Gallorum Regi dedidisset.

A. D. XIIII. K. Apr. Petrus Cornelius inter primores Aragonios longo stemmate insignis, & virtute pręstans, qui Iaccæ earum regionum dux præsidebat, prelio Nauarros vincit: quo Iohannes Corbaranus Lehetius eorum dux capitur.

Rex Cæsaraugustam vrbem die cænæ Domini sacro. A. D. II. Id. Apr. ingreditur. Festo paschatis, ad maximam Saluatoris aram regium diadema suscipit manu Iacobi Oscensis Episcopi: quod Tarraconensis Antistes aberat: & Cæsaraugustana Ecclesia pastoris curatione, administrationeque vacaret. Maxima celebritate, militaribus summi imperii, atque honoris insignibus ornatur: vt priscus mos fuit Aragonię Regibus. Puncto eo temporis, obtestatione paterna vtitur: se proprio, perenni, ac præcipuo suo, non adsciticio iure regnum esse adeptum. Cum Rex leges, priuilegia, fora, & immunitates omnes iureiurando sanxisset, & regni libertas stabilita esset, magna inter proceres dissensio, atq; concertatio suboritur: quod plures contēderent, vt deprauati mores aulæ regiæ ordinū consilio, & totius conuentus in ordinem redigerētur: repugnantibus, & contra tendentibus Petro Aierbio Regis patruo, Artallo Luna, & Lupo Ferrencio Luna, Ruderico Simenio Luna, & Sanctio Antilionio: & maiore parte regiorum domesticorum: & aliorum, qui conuentui intererant. Rex neque lege, neq; priuilegio cautum vnquam fuisse contendit, vti Reges eorum hominum arbitrio, consiliove domesticas res componerent: aut gubernarent: moderarenturve. At proceres priuilegio generali cautum esse obtestantur, vt Rex

AERA. NAT. CHR.

domesticas res conuentus consilio in ordinem redigeret. Recipiente Rege, ac pollicente, se de consilii regii sententia domesticis, & priuatis rebus consulturum, neque assentientibus proceribus, Cæsaraugusta Alauonam iniit: & magna inde diffidia, inter eos, qui in conuentu adsederant, concitantur. Cum de censorio iudicio, & notione inter se controuersarentur, & vt corruptelarum domus regiæ modus imponeretur, complures, contenderent, ad eam pactionem deuentum est: vti arbitrio XII. virorum earum gentium quas Mesnadas vocabant, ex vtraque factione selectorum, controuersia ea decideretur: modo singuli proceres singulos militaris ordinis viros adiungerent: & Cæsaraugustani procuratores IIII. & aliarum ciuitatum singuli accederent: & omnium suffragio censoria notatio transigeretur.

Antonius Dunelinensis Episcopus, & Iohannes Vesseius Eduardi Regis Angliæ legati Oscæ Regem conueniunt. Vltro pollicentur, offeruntq; Eduardum medium inter Aragoniæ, & Franciæ Reges interiectum, paci inter eos, & concordiæ conciliandæ operam daturũ: & vt Rex in sinum, & gremium P. M. & Ecclesiæ suscipiatur. Renuntiata legatione, Rex ad Eduardum, Petrum Martinium Artassonam, & Iohannem Zapatam præcipuos consiliarios, & administros legat.

Aragonensis coitio consiliarios Regi constituit: ac deligit quattuor ex proceribus Petrum Aierbium Regis patruum, Petrum Cornelium, Artallum Alagonem, & Petrum Martinium Lunam. Ex his, qui domestici cognominabantur, selecti fuere Egidius Vidaurius, Rudericus Sanctius Pomarius, Alfonsus Castelli noui, & Ferdinandus Perezius Pinna. Ex militari ingenuorum ordine deliguntur Fortunius Sanctius Vera, Simon Peresius Salanoua, Simon Peresius Vera, & Arnaldus Castrensis: & regni Valentini nomine adscribuntur duo qui ex militari ordine deligerentur: & Cæsaraugustani ciues duo: & singuli ex Oscensi, Turiasonensi, Iaccetana, Barbastrensi, Calataiubiensi, Turolensi, & Darocensi ciuitatibus. Ad hæc decreuere, vt quamdiu Rex in Aragonia, & Ripacurcia, aut Valentino in regno resideret, in regio aulę comitatu cõmorarentur duo ex procerib9, & bini ex domesticis, & ordine militari regni Aragoniæ, & vnus ex Valentino regno, & quattuor procuratores ciuitatum Aragonensium. Nouis prætereà sacramentis adstringuntur: vt ea rata, ac firma permaneant: & suorum consiliariorum legatione Fortunii Sanctii Veræ & Sãctii Martinii Lacunellæ & procuratorum Cæsaraugustæ, Oscæ, & Turoli Regem certiorem faciunt: adduntq; se prouentus omnes Regios intercepturos, & beneficia militaria, & honoraria eorum procerum, qui his sanctionibus non assentirentur.

A. D. Non. Mai Oscæ Rex Philippo Castro fratri patrueli Pomarium castellum, ac ditiones alias, quas Petrus Rex Ferdinando Sanctio fratri inimico, & hostiles inimicitias gerenti Philippi patri interuerterat, restituit: cum in Philippi gratiam, & conciliationem Sanctius Antilionius, Petrus Aierbius, Rudericus Simenius Luna, Lupus Ferrencius Luna & Petrus Sesesius suas partes interposuissent. Ex eo Castrorum familia præpotens, & Regia cognatione insignis pristinæ dignitatis, atque potentię robur adipiscitur.

Id. Aug. Barcinone nuntius Regi perfertur à legatis, quos ad Eduardum miserat, pactas inter eum, ac Franciæ Regem Philippum fuisse inducias: quarum diem constituerat ex A. D. VI. Id. Sep. in A. D. III. K. Oct. & ex ea die toto vertente anno duraturas: vti eo temporis interuallo ad concordiam res adduci posset.

Rex Tarraconem properat: & custodiæ Caroli Principis Salernitani, qui in Siurana arce continebatur, ex Aragonia, & Catalana nobilitate XII. præficit. Hi erant Raimundus Peresius Naualis, Petrus Pucuertius, Gonzaluus Bertrandus Borgia, Bernardus Mõpahonius, Petrus Garcesius Vrrosius, Guilielmus Curtius, Michaël Peresius Isuerius, Berengarius Espinelius, Garcias Lopezius Anzanus, Gerardus Comalatius, Arnaldus Torrellias, & Bernardus S. Ciliæ.

Tarracone Augusto mense exacto, Rex legatos Romam mittit Gilabertum Cruilliam, Rudericum Sanctium Calataiubiensem, Raimundum Reusium Archidiaconum Ilerdensem, & Petrum Costam: qui à Rege mandata habent, vti Honorio P. M. se obedientem integro, ac libero animo perpetuo futurum more testificentur.

Oscæ & Horti conuentibus celebratis, de stabiliendo Aragonio foro Valentino in regno indicto decreta sanciuntur. A D. III. Id. Sept. Rex Valentiam vrbem introiit: quo eius regni conuentum indixerat. Valentinis iura, ac priuilegia irrogata sanciuntur, atque firmantur.

Bernardus Sarria, & Berengarius Vilaragutius strenui, & prouidi Regis Siciliæ duces, ille XII. actuariis nauibus Campanię littoribus, hic XX. Calabris oris hostili in terra bellum inferunt.

Rex

Rex classe instructa Nou. mensis fine Salonio portu classem soluit: bellum Sarracenis Minoris Balearium insulæ inlaturus. A. D. IIII. Non. Dec. Maioris terram attigit. Exercitui ducem præfecerat Petrum Cornelium: & tribunos militum deligit Garciam Garcesium Arazurium Aragonium, & Acartum Murium ex proceribus Catalanis virum primarium. AERA. NAT. CHR.

Natiuitatis Domini die festa celebritate exacto, Rex portum Magonis Minoris Balearium tenet. Sarraceni in receptaculum castelli S. Agaicis truduntur. 1325. 1287

Dux eorum Regi arcem, propugnaculaque A. D. XII. K. Febr. tradit. Rex liberum commeatum Sarracenis in Africā transmissuris condonat: ductoribus Raimundo Marquetio, & Berengario Maiolio.

A. D. IIII. Non. Febr. ex Magonis portu Rex soluens in Barcinonensem stationem transmittit.

Sanctius Castellæ Rex cum Francorum Rege Philippo depactus, pacis fœdera, quæ cum Rege Petro auunculo constituerat, rescindit. Iohannes eius frater, & Lupus Didaci F. Pharensis Viscaiæ dominus res nouas molientes, regia Sanctii Regis aula excedunt.

A. D. XIII. K. Apr. Barcinone Rex legatos ad Eduardum Regem mittit Gilabertum Cruilliam præpositū Solsonensem, Raimundum Reusium, Petrum Martinium Artassonam, & Iohannem Zapatam: qui pactionibus faciendis intersint. Burdigalæ cum Pontificis Maximi legatis, & Henrico Seyo Lincoliensi Gomite, Carolo Ludia quęstore, Dunelinensi Episcopo, & Iohanne Vesseio primariis Regis Angliæ consiliariis, deliberationes de republica habent. Donationem Regni Aragonii à Pont. M. Carolo Galliæ Regis filio adeo iniustam, & vitiosam fuisse docent, & commonefaciunt, vt pro irrita, infectaque habenda esset: in qua causa omne certamen vertebatur. Cum inter eos minime conuenire posset, id initur consilium vti Reges Angliæ, & Aragoniæ ad colloquium, cōgressumque deueniant.

Olorone Aquitaniæ oppido Angliæ & Aragoniæ Reges ad colloquiū congrediuntur. Cōuenit, vti Carolus Salernitanus Princeps custodia liberetur: vt eo pactorū cōuentorū præcipuo sponsore, & internuntio, publicæ totius Christiani orbis paci, & quieti consuli possit. Principi, vt in libertatem tradi queat, eæ leges dicuntur. Ne regni finibus egredi possit, quin tris filios Regi obsides tradat. Rex Anglo Petrum fratrem, Vrgellitanum, & Palliariensem Comitem, & Cardonensem Vicecomitem tradet ea sponsione, vt liberis Principis regi traditis, Princeps statim liberetur. LX. ex proceribus prouinciæ Galliæ à Rege Aragonio delecti ipsi obsides tradentur. Principe regni fines nondum egresso, præcipuæ Galliæ prouinciæ arces, & ciuitates regio se imperio, obstricta ciuium fide subiiciant. Pollicetur Princeps, se libertatem consecuto, operam daturum, vt Carolus natu maximus F. intra vertentem annum Regi obses tradatur: aut L.M. marcharum argenti persoluturum. Eius conditionis causa, ex L.M. argenti marchis, antequam Princeps custodia dimittatur, XXX. M. præsentia pendet. Ad hæc Princeps recipit: se curaturum, vt à sede Apostolica, Francorum Rege & Carolo Regis Francorum fratre, & eorum fautoribus trium annorum induciæ obtineantur: neue Regi, aut Iacobo Siciliæ Regi fratri, & eorum ditionibus, eius temporis interuallo bellum inferatur. Si induciarum constituto tempore Princeps tutam, tranquillamque pacem, cum Regibus fratribus, eorum arbitratu stabilire nequiuerit, C.M. marcharum argenti damnas esto: & filii Principis, & prouinciales obsides Regi nexu tradentur. Spondet præterea se operam daturum, ne Ecclesia suas ipsius Principis partes suscipiat: tueaturve: neue permittat, vt Francorū Rex Carolusve eius frater, aut quiuis alius Aragoniæ, & Siciliæ Regibus damnum: detrimentumve inferat: moliaturve. Sin autem hæc omnia vertente anno rata, certa, atque firma minime permanserint, Princeps in regiam custodiam se dedat. Obsidibus tradendis tempus statuitur.

Aragoniæ proceres in summis affectæ reipublicæ asperitatibus disiuncti, ac dissidentes maximas turbas faciunt: & inter se prœliantur: dum Regi alii parent: alii vero rerum nouarum molitioni regnum misere laceranti obsequi student.

Dum pacis rationes, condicionesque vehementius apud Anglum agitantur, Gerardus Parmensis Cardinalis, & Attrebatensis Comes Campaniæ, & Apuliæ vicarij classem regio apparatu instructam in Siciliam transmitti imperant: Episcopo Marturanensi, Ricardo Murrono, & Riginaldo Apello classis prędecto ductoribus: quod aliquot insulę populos clandestinis consiliis ad se pellexerant. Arcem Augustæ vrbis inuadunt, occupantque.

AERA. NAT. CHR.

Iacobus Siciliæ Rex cum exercitu, incredibili celeritate subsidio accurrens Augustanam arcem obsidet:& A.D.IX.K.Iul. vi expugnat.

Ea ipsa die, qua Augustana arx à Rege recipitur, Rogerius Lauria maximo nauali prœlio, in ipsius Neapolitanæ ciuitatis, celeberrimæ Cāpaniæ vrbis cōspectu cū hostium classe confligit. Dimicatum prœlio vtrimque atroci, atque incerto euentu est: donec summa Lauriæ virtute, à nostris hostes cæduntur, ꝑteruntur q́;. Gallicæ classi præfuere summæ nobilitatis duces Galli, Italique: Comes Brennæ, Guido Comes Monfortius; qui Viterbii Henricum Ricardi Romanorum Regis F. immanitate efferatus à sacris penè altaribus retractum interemerat, Raimundus Baucius Comes Auellini, Philippus Comitis Flandriæ F. Comes Iohannes Ianuilla, & Monopolitanus, Aquilanusque Comites. XLIV. hostium actuariæ naues captæ: & Comites omnes ferè captiui. Rogerius tam gloriosam victoriam consecutus, cum regni vicariis, Aragoniæ, & Siciliæ Regum nomine in A.D.III.K.Oct. proximas, & ex ea die in A.D.III.K.Oct. sequentes inducias paciscitur: grauissima, ob id factum Iacobi Siculi Regis querela.

Id. Dec. Tarracone Rex secreto bonorum donationes, assignationesque quas largitus fuerat, ex quo regnare cœperat, Vrgellitano, & Palliariensi Comitibus, Cardonensi Vicecomiti, Petro Ferdinandio Ixeritano, Blasco Alagoni, Petro Iordani Pennæ domino, & pluribus aliis primariis viris rescindit. Cæsaraugustanam etiam ciuitatem, Valentinam, Setabitanam, & Saguntinam, & alios Valentini regni populos, qui, ne extra Aragoniæ forum vadimonium promittere cogerentur, obtinuerant, eadem beneficiorum assignatione multat.

Fortunius Vergua Cæsaraugustanus Episcopus.

1326. 1288 Rex Cæsaraugustæ Natiuitatis Domini diem festum concelebrat. Cum conuentus, in quē edictus erat diem, haberetur, & in curam Gallici belli, aut Castellani animos conuertissent, A.D.V.K.Ian. à Rege Aragonensibus duo priuilegia irrogantur: quæ vnionis nomine censentur, nuncupanturque: quæ postea ab vltimo Rege Petro publico cōuentu rescinduntur: quod iis dignitas, maiestasque regia esset imminuta. Altero enim eorum cautum sibi voluere, si rex, eiusve heredes irrogatas leges abrogassent: ius fasque Aragonensibus esset, alium sibi Regem adsciscere: nulla læsę fidei nota, ignominiave. Cauerat etiam Rex se munita castella XVI. primariis vnionis fautoribus traditurum: vt tamquam præcipua pignora, si pactis non stetisset, retinerentur. Dum ea traduntur, Carolus Salerni, ac Peloponnesi Princeps ex Siurana arce extractus, Cęsaraugustanis XII. viris Iuratis magistratibus, & Præfecto Iustitię Aragonum obses traditur. Id summa conquestione eorum fit, qui castellis præfecti erant: afferentium neque fando apud Hispanos auditum, vt subditicii à Regibus obsides acciperent.

Iacobus Balearium Rex, qui & propria indignitate commotus, & Francorum Regis suasu adductus bellum aduersus Regem fratris F. susceperat, liberius, audaciusque peruagatus, mense Apr. Emporitanum agrum incurrit: & Castellum Cortauinionem obsidet.

A.D.III.Id.Iul. Cardinalis S. Cæciliæ Apostolicæ sedis legatus, ad nouas pacis conditiones ferendas à Nicolao IV. P. M. Honorio vita functo missus, Lugduni Reges Francię, & Castellæ inter se conciliat, coniungitque. Regnum Murtiensis populi Alfonso, & Ferdinando fratris filiis immune Rex Castellæ remittit: illique cauetur, pro iure successionis regnorum Castellæ, & Legionis: quod Francorum Reges obtendere assueuerant: ad se pertinere contendentes hereditario iure Blancæ Reginæ D. Ludouici Regis parente: quæ Berengaria Regina sorore maior natu fuerat. Quæ quidem facta, atque commissa per se præclara, atque ingentia: sed quæ sine maximo certamine à Sanctio Rege obtineri nō possent: Alfonso Rege Aragoniæ consobrino inimico: cuius imperio Alfonsus, & Ferdinandus legitimi eorum regnorum heredes, Moreliana in arce cōtinebantur: quib' dimissis, ingentes turbas suboriri erat necesse. Hinc statim nouum bellum conflatum.

Alfonsus, & Ferdinandus Alfonsi Castellæ Regis nepotes ex Moreliana arce liberi dimittuntur: & Septembris mensis initio, Alfonsus Iaccæ Rex Castellæ, & Legionensis populi à Didaco Lupio Pharensi Lupi Comitis F. quem Sanctius Rex Phari occidi imperauerat, & pluribus aliis Castellanis proceribus renuntiatur, salutaturque: & regiis insignibus decoratur.

A.D.IV.Id. Sept. Veneris die Eduardus Angliæ Rex Iaccam vrbem introiit. Postero die Montis regalis, & Rauennæ Archiepiscopi, sedis Apostolicæ legati de pace missi, eodem loco conuenientes, Regi notas Pontificis Maximi litteras efficiunt: quæ in ipso pontificatus initio ad Regem datæ fuerant: dignæ, quæ hoc etiam in loco recenseanrur.

NICO-

Nicolavs Episcopus seruus seruorum Dei nobili viro Alfonso nato quondam, Petri olim Regis Aragonum, spiritum consilii sanioris. Si graues, & enormes excessus, atroces iniurias, & offensas multiplices, quas quondam Petrus olim Rex Aragonum pater tuus diuina, & Apostolicæ sedis reuerentia prorsus abiecta, in salutis propriæ molitus dispendium, suique nominis, quod cautius custodiri debuerat, derogationem non modicam animatus, contra Romanam Ecclesiam, matrem cunctorum fidelium, & magistram, illicitis ausibus perpetrare, sibique irrogare præsumpserat, insulam occupando Siciliæ, ac partem regni Sicilæ alteram ad ius, & dominium eiusdem Ecclesię pertinentes, quas claræ memoriæ Karolus Rex Siciliæ ab eadem Ecclesia tenebat in feudum, validis impugnando conatibus, & in diuersis aliis eiusdem regni partibus statum Ecclesiæ memoratæ pacificum, quam plurimum perturbando, quosque tu, & Iacobus frater, & Constantia mater tui, iam dicto Petro sublato de medio, eius inconsulte sectando vestigia, commisistis, prædictis fratre, ac matre insulam detinentibus, partemque alteram impugnantibus supradictas, teque illis in his impendendo consilium, auxilium, & fauorem, velimus innarrare per singula, & seriosis aperire sermonibus, longum esset: ingensque audientibus tædium generaret. Sed tu ex quo potissime iam dictam perturbas Ecclesiam, ipsius mentem vehementer amaricas, eamque in intimis dure pungis: quod carissimum in Christo filium nostrum Karolum claræ memoriæ K. Regis Siciliæ primogenitum, magnum vtique ipsius vassallum Ecclesiæ, suumque fidelissimum filium, & deuotum virum, vtique iniuste detentum, & quo ad eum, in prœlio iusto captum, ac regnum, iuraque paterna debite, ac legitime defendentem: non inuadentem tuam, vel tuorum terram, non occupantem aliqua tua, vel ipsorum iura, vel bona, nec alias tibi, vel eis iniuriam inferentem: sed à quibusdam, more quasi piratico interceptum, carceralibus vinculis detines alligatum: in diuinę maiestatis offensam: grande tuæ famæ, salutisve dispendium: & graue scandalum totius pæne populi Christiani. Quia igitur tot, & tantos excessus pati æquanimiter, vrguente nos conscientia, non possumus, nec debemus, nobilitatem tuam præsentium tenore monemus, vt præfatum primogenitum, sublato difficultatis obstaculo, plenæ restituas libertati: nullumque præfato Iacobo fratri tuo, vel alii, seu aliis quibuscumque in insula, & regno prædictis, Ecclesiam quomodolibet impugnantibus, vel turbantibus supradictam, impendas per te, vel alium, seu alios fauorem, consilium, vel auxilium publicum, vel occultum. Et nihilominus infra sex menses à receptione præsentium computandos, compareas peremptorie coram nobis: nostris, & eiusdem Ecclesiæ mandatis, & beneplacitis, super præmissis humiliter, & efficaciter pariturus. Alioquin non ignorare te volumus, quod contra te spiritualiter, & temporaliter, prout qualitas facti suaserit, & expedire viderimus, procedemus. Quodque propter præmissam monitionem nostram, vel aliquam citationem emissam, seu etiam emittendam, vt certo tempore coram nobis compareas, super præmissis nostris, & Ecclesię beneplacitis pariturus, siue infra ipsum tempus curaueris, seu renueris, aut distuleris comparere, non intendimus contra te, tuosque fautores, seu adiutores processus spirituales, vel temporales omittere, vel differre, aut omitti facere vel differri, qui per nos, vel per alios occurrerint, seu apparuerint faciendi. Dat. Romæ apud S. Petrum Id. Martii: Pontificatus nostri Anno primo.

Aera. Nat. Chr.

Aragoniæ, & Angliæ Reges Campumfrancum ad vicum congrediuntur. Is locus, tamquam medius, ad ipsa Pyrenęi culmina, vtriusq; colloquio deligitur: atque eo Salerni Princeps deuehitur: vt consilia erigendæ ex præsentibus ærumnis Christianæ reipublicæ Olorone agitata, explicentur. Is tractandis, de se liberando conditionibus, interest: quæ coram Regibus, eodem in vico, iureiurando A.D.IV.K. Nou. ab eo firmantur: sanciunturq;. Ludouico, ac Roberto liberis pacis, & fidei obsidibus traditis: & XXXVI. proceribus, & XL. ciuibus Anglicæ gentis in custodias adductis, qui ab Aragoniæ Rege obsides imperati fuerant, Princeps liber dimittitur. XXIII. M. marcharum argenti, præsenti pecunia Regi penduntur: & de VII.M. Princeps obsidibus cauet. Decernitur, vt Raimundus Berengarius Principis F. obses etiam dedatur. Ad hæc Rex sibi per Eduardum Regem cauet, vt Carolus Principis F. natu maximus intra x. menses obses tradatur: alioquin pater CXX.M. marcharũ damnas esto. Indutiis vero trium annorũ pactis, & ab Ecclesia, Rege Francorũ, & Carolo eius fratre, atq; eorũ fautoribus minime firmatis, atq; cõstitutis neq; Principe in Regis custodiam reuerso, obsides nexu Regi tradentur: Prouincia Gallia ditioni, atq; imperio Regis addicetur: cedetq;: & L.M. marcharum multa irrogatur. His conditionibus Rex se, & priuatam, & publicam pacem perpetuo redimere posse arbitratur: quam Princeps se præstiturum intra trium annorum inducias pollicitus fuerat.

AERA. NAT. CHR.

A.D.VII.Id.Dec.Darocæ pacta inter Regem, & Alfonsum, qui se Castellæ Regem nominat, conuenta aduersus Sanctium Regem confirmantur: Gastone Beneharnensi, & Didaco Lupio Pharensi, Lupi Comitis filio, & Didaco Lupio eius patruo præsentibus: qui Alfonsi partes tuentur.

Dec.Id. exactis Turolio Rex Petrum Aiuarium in Castellam legat. Is Pallantiæ coram Sanctio Rege fidem Regis liberat: atq; vinculo amicitiæ solutum obtestatur: & tamquam hosti bellum intra xxx.dies inlaturum denuntiat: prouocatq;.

1327. 1289 Ludouicus, & Robertus Caroli Regis filii, regali enim nomine è custodia dimissus vti cœpit, obsides Regi traditi, in Siuranam arcem, quo pater in custodiam abditus fuerat, includuntur. Ex viginti obsidibus, ex Massiliensi nobilitate delectis, qui Barcinone traditi fuerant, ii qui quintum decimum annum non attigerant, custodiæ causa ciuibus Barcinonensibus distributi: reliqui vero in nouam arcem missi. Sexaginta ex Gallia prouincia in Ilerdenses, & Momblanquenses custodias inclusi continentur.

Valentia Rex Cæsaraugustam contendit: quod à factiosis proceribus multa turbarentur. Vnionis enim factio consiliarios Regi deligit, atq; imponit. Consilio, & domesticis officiis, ac muneribus eos præficiunt, qui in summa audacia & magna apud populum gratia, atque confidentia pollent: Regiis amicis conquerentibus, & in eo maiestatem regiam minui prædicantibus, obtestantibusque tantam mali labem numquam in republica fuisse: neq; ad plures pertinuisse. Consiliarii vero hi selecti fuere. Petrus Aierbius, & Petrus Ferdinandius Ixeritanus Regis patrui, Bernardus Guilielmus Entenza, Petrus Cornelius, Simon Vrrea, Petrus Iordanis Penna Arenosius, Amor Dionysius, Simon Cornelius, Iohannes Vidaurius Iacobi Exericæ nomine, Petrus Simenius Irancius Iacobi Perezii Regis fratris loco. Ex domesticorum nobilitate deliguntur Guilielmus Alcalanus qui Quinti dominabatur, Egidius Vidaurius, & Simon Peresius Pina. Gubernationi regni, & Ripacurciensis ditionis, domesticisq; Regiæ aulæ functionibus suos etiam deligunt consiliarios, atq; administros Michaëlem Simenium Vrream ex proceribus, pro Cancellario, Martinum Peresium Oscensem iudicem causarum domesticarum, Innicum Lopesium Iaccetanum quæstorem, & Iohannem Ficariam cubiculo, & Arnaldum Aimericum rationibus præficiunt: & reliquis muneribus, functionibusq; suos delegant administros. Alterna præterea consilia constituunt: vt gubernationis munia ad alios transferantur: omnibusq; communicentur. Turiaso, Sosium, Thermæ, & arx Baiana nouis præsidiis, operibus, munitionibusq; aduersus Nauarros sepiuntur: atq; firmantur.

A.D.VI.K.Iul.Calataiubii Alfonsus, qui Castellæ ius, ac nomen vsurpat, Murtiensis populi regnum Regi condonat. Carthaginiensis, & Murtiensis ciuitas ei regno contribuitur. Secreto ea res interuentu Petri Martinii Artassonæ, & Ferdinandi Peresii Pinæ transigitur: cum Alfonsus sua fœdera aduersus patruum cum Alamirio Mahomate Abennazario Granatensi Rege fecisset. Cum Rex nouo se Castellano bello onerauisset, & ingentes copias ea expeditione comparasset, quæ se Castellanis Alfonsi copiis adiunxerant, Montacuti oppidi finibus magno exercitu Castellæ regni præsidia adoriuntur. Moronum vi expugnat: & Martinus Peresius Portucarrerius, qui propugnationi præfuerat, sagitta ictus occumbit. Sanctius cauens, ne prœlium ineat, Turiasonenses fines incurrit.

Didacus Lupius Pharensis Lupi Comitis frater Conchensibus, Optensibusq; finibus Sanctio Regi bellum infert. Turolensibus adiunctis Rudericum Paium Sotomaiorem, ad Pagiaronem vicum prœlio superat. Vexilla hostilia Turolii, tamquam tropæa statuta, eius victoriæ insignia fuere: donec à Petro Rege, qui Turolium cepit, & diripuit, sublata sunt.

Gilabertus Cruillias, & Bernardus Guilielmus Pinelius, qui ad Francorum Regem legati eius rei causa fuerant, vti de pacis condicionibus deliberent, ab Aimerico Narbonensi regulo indigne habiti, acceptiq;, & per fidem circumuenti, cum hostium quoque iura, & fas gentium, & sacra legationis violarentur, in asperam, duramque custodiam truduntur.

Gallorum, Nauarrorumq; exercitus incursiones in extrema finium Aragoniæ factæ. Saluaterram oppidum oppugnant. Submissis à Rege auxiliis Simon Vrrea, & Petrus Cornelius vi oppido potiti hostes fundunt: fugantq;: Castellum vero penes hostes consistit.

A.D.IV.K.Iun. Pontifex rescissis, irritisque pactionibus, quæ cum Rege initæ, & constitutæ fuerant, Carolum Salernitanum Principem regiis insignibus decorat: & cognomen regni Siciliæ, Ducatuum Apuliæ, & Calabriæ, Campanique Principatus attribuit.

Iacobus

Iacobus Siciliæ Rex Bruttios,& Campaniam terra,mariq; diuexat.Caietam circumſidet. Carolus ſubſidio aduentat. Cum caſtra caſtris collata eſſent, præclara concertationum facinora à Regibus conſciſcuntur. Legati demum Apoſtolici interuentu inducias paciſcuntur. Tertio die, A.D.III.K.Sept.Siculus nauim conſcendens, Bruttiorum oram præteruectus,turbulenta, vehementiq; tempeſtate iactatus, A.D.VII. Id.Sept. ex alto in Meſſanæ portum tranſuehitur. AERA. NAT. CHR.

Conuentus Aragonenſium, Valentinorum, & Catalanorum Montionem indicuntur.

Ioannes Zapata Præfectus Iuſtitiæ Aragonum.

Hugo Mataplana Cæſarauguſtanus Epiſcopus.

Guilielmus Galcerandus Catanzari Comes à Rege Siciliæ ad Sanctium Regem legatus tractandis fœderum pactionibus interuenit. Vt Iſabella Alfonſi, & Blancæ Molinæ dominæ filia Siciliæ Regi nubat, deliberant: cuius proauus Rex Alfonſus fuerat.

Ptolemaide à Sultano obſeſſa, VII.actuariis nauibus Iacobus Rex obſeſſis auxiliares copias præmittit.

Rogerius Lauria Ptolemætam Africæ prouinciæ vrbem vi expugnat,diripitque: & Marganum,qui eo ſe coniecerat,recuperat.

Carolus Rex inter Panizaſium Pyrenæi collem,& Iuncariam,armatorum manu ſeptus,ſimulat ſe in poteſtatem,atq; cuſtodiam Regis deditum: quod Eccleſiæ, & Francorum Regis concordiã,ac pacem,quam præſtaturus erat,tribuere non poſſet,condicione, qua ſe obſtrinxerat. Ea ſimulatione palam ludificari,calumniarique viſus, Perpinianum ſtatim reuertitur.

Bellum in Catalonia inter Moncadas, & Entencias acre, & magnum geritur.

Iam in exitu annus erat, cum Francorum, & Balearium Reges bellum aduerſus Aragonium facere,atq; inſtruere adoriuntur.

Februario menſe Rex Ilerdæ ad ſummum Pont.legat Galcerandum Mirallium,Bernardum Fonollarium,Guilielmum Aimericum, & Guilielmum Iafferium de pace oratores: & de ſummis rebus mandata illis à Rege dantur. Iacobus præterea Rex Iohannem Prochytam Romam legatum pręmittit: qui ſuo nomine ſummum Pontificem obteſtetur, vt ſe Eccleſiæ conciliet: & interdicta tollantur. Pontifex legatos Sicilienſibus rebus Benedictum Columnam S.Nicolai,& Gerardum Parmenſem S.Sabinę Cardinales pręficit.Carolus Rex denuo inter Panizaſium collem,& Iuncariam cum Rege ad colloquiũ congreditur.Inducias ſuo,& Gallorum Regis nomine in K.Nou.quarum initium futurũ erat, A.D.IX.K.Mai,paciſcitur. 1328. 1290.

Iohannes Nunnius Larenſis ad Ciciliam Stephanum Ferdinandium Caſtrenſem, copiarum Regis Caſtellę ductorem in primis ſtrenuum,atq; primarium prœlio deuincit. A.D.XI.K.Sept.Valentiam contendit: & iuriſiurandi ſacramento ſuo, filiorumq; nomine,ſuam obſtringit fidem:pollicetur q; ſe Regi pariturum,militaturumque: neq; inducias cum hoſte Sanctio, niſi Rege conſcio,depacturum.Rex eadem ſe pactione obſtringit:interuentu Lupi Ferrencii Lunæ,Raimundi Angleſolæ,Gonzalui Ruderici Stunicæ, Acarti Murii,Petri Martinii Artaſſonæ,Alamani Gudalis, & Iohannis Zapatæ Præfecti Iuſtitiæ Aragonum:qui Larenſem Regi conciliauerant:niſi ſumma hominis inconſtantia, & mentis mutabilitate,irrita cum leuitate, tum etiam periurio manſiſſent.

Copiæ militares, cum Caſtellanum bellum lentius duceretur, & Regis ſtipendia mererent, Molinæ finibus, Segontiæ, Atientiæq; loca,agroſq; decurſionibus depopulantur,& Valeranicam vſq; incurſant.Cum hiems appeteret,haud ſecus,quam dignum erat, omnes infenſi,bellum propalam minantes,ad ſuos reuertuntur.Noſtri copias incolumes, præſidiis Caſtellis,in confiniis impoſitis,deducunt:adeoq; valida pręſidia diſpoſita erant, vt inde hoſtes leui opera auerterentur.

Totius Catalani conuentus conſenſu XL. viri deliguntur, qui de pacis condicionibus deliberent:& maximis conſultationibus diſputent.

Februario ineunte Hugo Mataplana Cæſarauguſtanus Epiſcopus, Raimundus Angleſola,Berengarius Puchuertius cancellarius, Eccleſiæque Solſonenſi præpoſitus, Guilielmus Lunfortius,& Bernardus Guilielmus Pinelius iuris, & publici, & priuati peritiſſimus, Regis legati Taraſcone cum Apoſtolicis, & Francorum Regis legatis pactiones, ac pacis fœdera iis condicionibus icunt,conficiuntq;. Martini P.M.donatio Carolo Francorum Regis fratri aſſignata reſcinditur: ea lege, vt Rex, poſterique Aragoniæ Reges, quot annis vncias auri XXX.Eccleſiæ pendant. Balearicum regnũ regio Aragoniæ Regum 1329. 1291

AERA. NAT. CHR.

iuri addicitur. Proceres Aragonii, Catalaniq; ex Sicilia exigantur, amandenturque. Festo natiuitatis Domini proximo Rex se Romæ sistat: exercitum aduersus Ecclesiæ hostes conducat: Siciliam adeat: parenti, fratrique persuadeat, vti regnum Siculum occupare desistant: alioqui bellum illis indicat: inferatque. Non ea tamen pax nostris, sed turpis, infamisque pactio visa: quod Rex matris innocentissimæ sanctissimæque feminæ non eandem causam putauerit, paremve rationem duxerit: & à pacis condicionibus semouerit. Fratris etiam germani quodammodo proditor, atque desertor habitus. Cæsaraugustanus, & Solsonensis Romam proficiscuntur: vti more, regio nomine, in Pont. Max. verba iusiurandum sanciatur. Guilielmus Casteluinius, & Bernardus Segalaris ad Sanctium Castellę Regem legantur ad indutiarum iura, quę Tarascone depactę fuerant, sanciēda: quæ à Sanctio Rege refutantur: quamuis Irene Lascaris Theodori Lascaris Imperatoris F. de ea re instanti tempore Sanctium Regem commonefecisset.

Fide publica, vt ad colloquia, congressumque Rex, & Carolus perueniat, decernitur: & Priori S. Egidii suam fidem Regis nomine obstringunt iurisiurandi religione, Raimundus Rogerius Comes Palliariensis, Berengarius Puchuertius, Iazbertus Vicecomes Castellinoui, Gaufredus Roccabertinus, Raimundus, & Galcerandus Anglesolæ, Petrus Queraltius, Arnaldus Corsauius, Berengarius Cardona, Galcerandus Cartella, Lupus Gurrea, Ioannes Zapata Præfectus Iustitiæ Aragonum, Guilielmus Durfortius, Berengarius Caprera, Galcerandus Mirallius, & Arnaldus Caprera. Adhæc Raimundus Collius Tarraconensis Archiepiscopus, Cæsaraugustanus Episcopus, Berengarius Puchuertius Præpositus Solsonensis, & alii Antistites de dolo malo, & fraude Regi Carolo cauent.

A. D. VII. Id. Apr. Rex, Carolusq; cum duodenis proceribus, gladiis tātum succinctis, ad collem Iuncariæ, quem Podium speculæ vocitabant, qui inter Panizasiū, ac Pertusum collem est interiectus, ad colloquium deueniunt. Certas, ratas, fixasq; pacis condiciones habent: approbantq;.

Ea tempestate Carolus Clementiam F. Carolo Francorum Regis fratri collocat: & Comitatum ditionis Valesiæ condonat: vti de suo iure, quo Aragoniæ regnum appetierat, decedat.

Regis, & Leonoræ Eduardi Regis F. nuptiæ plenæ dignitatis, & concordiæ constituuntur. Ineunte Maio Berengarius Beluisius sanctioris ærarii Ausetani præfectus, Iohannes Zapata Præfectus Iustitiæ Aragonum, & Guilielmus Durfortius leganturab Rege ob eam causam, vti doti dictam pecuniam redigant.

A. D. XIII. K. Iun. Raimundus Folchius Cardonensis, cum splendidissimo, ornatissimoq; nobilium virorum comitatu proficiscitur: vti nouam nuptam ex Aquitanię finibus, ad Regem virum deducat. Cum amplissimi, apparatissimiq; ludi maxima celebritate à nostris pararentur, repentinum, inopinatumq; malum, nō modo regnum gaudiis exultans, sed publicam orbis pacem obturbat. Rex funesta peste correptus, tertio die, in ętatis flore, animi excelsi, atq; inuicti magnitudine, & robore præstans, vniuerso regno eripitur. Decedit Barcinone A. D. XIV. K. Iul. cum septimum, & vicesimum annum ageret. In cœnobio Barcinonensi fratrum Minorum sepelitur.

Petrus Regis frater, qui Darocensibus finibus belli gerendi curam susceperat, fraternę mortis conscius proceres regni Cęsaraugustæ cogit: vt videant, ne quid detrimenti respublica capiat. Conuenere Iul. K. Simon Vrrea, Bernardus Guilielmus Entenza, Petrus Cornelius, Philippus Ferdinandius Castrensis, Atho Focius, Iohannes Simenius Vrrea, Sanctius Antilionius, Artallus, & Blascus Alagones fratres germani, Lupus Ferrencius, Petrus Martinius, & Rudericus Simenius Lunæ, Gombaldus Entenza, Simon Cornelius Petri Cornelii F. Petrus Iordanis Penna, qui Arenosii, & Rodenis dominabatur, & Petrus Sesesius. Quod repentino pax erepta esset, rem bellicam administrant.

IACOBVS II. REX XVII. ARAGONVM.

Iacobus Siciliæ Rex, cum graues de fratris morte nuntii venissent, gubernaculis regni, summæque rerum Sicularum Fredericum fratrem admouet: præficitque. A. D. X. K. Aug. Drepanitano portu soluit. In Maiorem Balearium inuectus, & in Tarraconense litus nauigans, Barcinonem A. D. XVII. K. Sept. applicat. Inde Cæsaraugustam, ad conuentus initio regni agendos contendens, A. D. XV. K. Octob. vrbem introit. A. D. IIX. K. easdem in Saluatoris æde, conuentu assidente, Rex iureiurando sancit: vt rata, ac firma sint, quæ institutis maiorum, legibus, ac foris superiores Reges sciuerant, cōstituerantque. Regni diadema more suscipit: iisdem cærimoniis, quibus pater, ac fra-

ac frater coronati fuerant. Conteſtatur itidem ſe regni iura, non fraternæ hereditatis cretione, aut adſciticio iure, ſed paternæ, auitæque ſucceſſionis, propinquitatiſque vinculis adeptum: quod natu maior eſſet: vt ius ſuum in Siciliæ regno retineret: quod ad Fredericum fratrem Rex Alfonſus teſtamento transferri decreuerat. Inde fratres inter ſe grauiſſimè diſſentiunt. AERA NAT. CHR.

A. D. III. K. Dec. Montacuti Rex cum Sanctio Rege congreditur: ſummaque inter eos conſenſio, & amicitia coniugatur: nuptiis inter Regem, ac Iſabellam Sanctii F. pactis.

Kal. Dec. denuo Soriæ Reges, vt res communi conſilio collocentur, atque conſtituantur, ad colloquium deueniunt. Inde Calataiubium contendunt. Eo in oppido fœderum pactiones, quas matrimonii ſponſalibus icerant, confirmantur. Rex Iſabellam ſponſam in domū regiam ducit annos IX. natā Arcibus tanquā obſidibus traditis, & pacis fœdera, & pactæ nuptiæ ſanciuntur: & regnorum proceres, vt ratæ, firmæq; ſint, iuſtis ſacramentis aſtringuntur. Cū proceres Aragonii infeſti partibus eſſent, & armis decernerent, Sanctius Rex pacis, & concordiæ, compoſitioniſque auctor eſſe non deſiſtit: Rogerius tamen Lauria, & Bernardus Sarria rerum omnium præſtantia excellentes æmulatione penitus inſita, perpetua contentione inter ſe diſſident.

Iniqua hæc omnibus pactio viſa: & nouæ coniunctionis neceſſitas Regi iuueni minime callido impoſita: quod in ditione, ac poteſtate Eccleſiæ, turbatis morte fratris fœderibus, quibus etiam expulſus, atque excluſus fuerat, non permaneret: præſertim, quod cum maior vis belli in Siciliam propendeat, nullum Rex ſibi ex Caſtellæ regno auxilium, tranſmarinum ve ſubſidium adiungat. Inde pax ea multis ſuſpecta eſt: atque inuiſa.

Ea tempeſtate fœdus inter Regem, & Genuenſes Guilielmi Durfortii, & Bernardi Fonollarii regiorum legatorum interuentu ſancitur: cum eius reipublicæ gubernator eſſet Guilielmus Brunus Aſtenſis: & externus copiarum ductor Alafranquinus Suargius Bergomas: & primarii eius ciuitatis optimates Obertus Spinula, Obertuſq; & Conradus Oriæ. Maiorum enim gentium eius ciuitatis familiæ Fliſcorum ſcilicet, Spinularum, Nigrorum, Oriarum, Grimaldorum, atq; Voltarum ſummis Imperatoris Frederici, & Conradi, & Manfredi filiorum beneficiis affectæ fuerant.

Blaſcus Alagon vir genere, factiſque clariſſimus, & conſilio, & manu promptus in Brutiis ſtrenue rem gerit. Cum Montaltum obſidione liberaſſet, Guidonem Primeranum Caroli Regis copiarū ductorem prœlio deuincit. Alagon Siculis in expeditionibus omniū conſiliorū non particeps ſolum, ſed etiā princeps fuit: atque interim, dum fraternæ ſeditiones conflantur, atq; inteſtina bella, quæ ad internecionem geſta ſunt exarſere, vnus dignus habitus eſt, qui tot proceribus Siculis, & Catalanis, atque Aragoniis præeſſet: cum omnia in eo duce repoſita eſſe viderentur.

Iunio menſe Rogerius Lauria, in quo ſumma rei bellicæ terra, marique tum vertebatur, iam eximiis honoribus, ſimul atque virtutibus, tot victoriis partis, cuius ductu acciſæ res hoſtium erant, ad Crotonem, vetuſtam Bruttiorum vrbem, Guilielmum Eſtendardum Caroli Regis copiarum præfectum, ac ducem, magna virtutis laude ſuperat. 1330 1292

Sanctius Rex magno comparato exercitu Tarifam nobile oppidum, in ipſis Gaditani freti faucibus ſitum, Carteiam quidam priſcis ſæculis nobilem fuiſſe autumant, terra, marique adoritur. Aragonia claſſis Berengario Montoliuio ductore regiæ claſſi adiungitur: & Septembri menſe Tarifani vi expugnantur.

Artallus Alagon Petrus Cornelius, & Smon Vrrea à Rege diſſidentes, quod ſolum verterent, vt alii Regi ſe applicarent. Rex inſtituto more maiorum, ac lege, eorum coniugum, liberorum, bonorum, ſubditiciorum, oppidorumque, atque arcium patrocinium, & propugnationem ſuſcipit: ipſique recipiunt ſe ea, Regi præſtaturos, quæ ea conditione conſtituta, lex cauiſſet. Philippus Salaſſus Salaſſorum Marchionis F. Regis patruelis frater, qui ſe ei deſtinarat, atque omni obſequio addixerat, à Rege ditione oppidorum, atq; arcium Iuſſei, Laſquaris, Laguaris, Luzaſii, Stopiniani, & Viacampi donatur.

Fredericus Ralco, Rogerius Ieremias, Pandolfus Falcon Mamertinus, Hugo Talacus, Iohannes Calatagironus, & Thomas Grilus Panhormitanus à Siculis de re publicà ad Regem legantur: vt eum à Gallico fœdere, & amicitiæ pactione auertant.

Artallus Alagon Regis affinis Darocenſibus, Turolenſibus, Morellianis, & Oſcenſibus finibus bellum infert. Rex Arcainum eum includit, obſidetque. Interuentu demum Sanctii Caſtellæ Regis, & Berengarii Cardonæ Templariorum in Aragonia, & Catalonia Magiſtri, Petri Garcezii Nuezii, Petri Simenii Monebæ, Iohannis Zapatæ Præfecti Iuſtitiæ Aragonum, & Petri Sanctii Prætoris Calataiubienſis Rex noxas omnes

AERA. NAT. CHR.

remittit. Artallus Arcaini, Olietis, & Aris iure, ac ditione cedit: & Rex Pinam & Alcubierem illi condonat. Petrum præterea Cornelium, & Simonem Cornelium eius F. Rex ad se allicit: & Alfaiarinum, & Alfamenem oppida, permutatione ditionum, quę in Pyrenæi conuallibus, proauorum hereditatibus obtinuerant, attribuit.

Tarinorum, & Tarbarum, & Bernardinorum factiones Cæsaraugustanorum ciuium tumultuantes, & ruentes omnia perturbant: & de magistratibus mandandis inter se dimicant: mœnia, & propugnacula vrbis obstruunt.

1331. 1293 A.D. XIIII. K. Sept. Rex cum socero Rege Logronii congreditur. Nonnullis Rex Sanctius in suspicionem venit, minas genero iactasse: ac fuisse demoratum: dum auxiliarium copiarum subsidio cedat: quod pactionum initarum ratione sibi socer, aduersus Francorum Regem obtulerat.

Nouembri mense Rex, & Carolus inter Panizasium collem, & Iuncariam, cum denis proceribus, ac duodenis consiliariis ad colloquium deueniunt. Nouas indutias paciscuntur: summaque consensione, ac spe recedunt, se ad pacis conditiones descensuros.

Simon Peresius Salanoua Præfectus iustitiæ Aragonum A.D. IV. Non. Mart. Barcinone in Iohannis Zapatę locum sufficitur.

1332. 1294 A.D. XV. K. Aug. Rex Raimundum Villanouam primarium ex intimis virum ad Reginam parentem in Siciliam legatum mittit. Eius legationis eam causam fuisse comperio: vti Reginæ, Frederico fratri, Siculisque proceribus persuadeat, ad pacis conditiones animos intendant. Maxime enim publicæ quieti interesse videt, cum Ecclesia sancta Dei & potentissimis principibus, per ingens beneficium, perpetuam firmare pacem, amicitiamque.

A.D. XII. K. Dec. Raoulus Claramontius Comes, & Francię Connestabulus, & Petrus Flota Regis Francorum legati Regem Barcinone conueniunt.

Cum Nicolao P.M. defuncto, biennium sedes Apostolica summo pastore careret, & Non. Iul. Perusii Cælestinus v. insigni sanctitate venerandus, extra amplissimi sacerdotii collegium, ad summum Pontificatum euectus esset, primo quoque tempore Raimundum Pontium Valentinum Episcopum, & Bonifacium Calamandranam legatos ad Aragonum Regem de ea re præmittit: vt vna cum legatis Regis Francorum de pacis conditionibus deliberent. Nuptias inter Aragonium Regem, & Isabellam Sanctii Regis F. pactas Cælestinus irritas facit: easque rescindit.

A.D. II. Id. Dec. Neapoli Cælestinus pontificatu maximo se abdicat. In eius locum A.D. IX. K. Ian. Bonifacius IIX. sufficitur.

1333. 1295 Februarii mensis initio Lutetiæ Parisiorum Philippus Rex suo, & Caroli Alanzonij, Valesij, & Andium Comitis fratris nomine Aurelianensem Episcopum, & Abbatem S. Germani Pratensis legatos de communi pace Neapolim mittit. A Rege Gilabertus Cruillias, Guilielmus Lunfortius, Petrus Costa, & Guilielmus Galbanus, qui iuris ciuilis intelligentia, atque omni prudentiæ genere præstabat, legantur.

A.D. VII. K. Mai Sanctius Rex Toleti moritur.

Bellum per tot annos, tot discriminibus, & tantis laboribus gestum non ante cepit finem. Bonifacius Pont. Max. & Carolus Rex Anagnię conuenientes, legatorum Regis Aragonii interuentu, res inter diffidentes principes, in pristinam concordiā redigunt. Iacobi Regis nuptiæ cum Isabella Sanctii Regis F. pactę rescinduntur: atque irritę fiunt. Secreto paciscuntur: vti Rex de iure regni Siciliæ decedat: & Sardinia, & Corsica insulæ Aragonum regno contribuantur: quas Pont. Max. Ecclesiæ nomine condonaturus erat. Balearico Regi, qui Gallico bello, Maiore Balearium insula exactus fuerat, de regni Balearici iure, eo fœdere seorsim cauetur.

Inter Francum, & Aragonium Reges amicitiæ fœdus secreto icitur: comparantque ne proceres alterius regni, suis maneant, militetve ditionibus. Pollicetur Rex se XL. actuariarum nauium classe, Franco auxilium Anglico bello laturum: quæ XL. M. librarum Turonensium à Franco in quattuor menses persoluendarum, stipendia mereant. Sin vero classis duos alios menses attineatur, XXX. M. persoluantur. Singulis nauibus deni nautæ totidemque, qui ad proram munus obeant: & centeni, atque octogeni milites assignantur: compensato numero, pro ratione maiorum, minorumve nauium. Ea lex dicitur: vt arces, oppidaque Anglico bello expugnata Franco cedant: prædæ vero, atque manubiæ à Regibus partirentur. Præfectus hostilis classis ab Aragonio captus, Rege Franco absente, vt Aragonio dediticius sit, constituunt. Sed intestina, & domestica bella regiam classem ab Anglico bello auertere.

Frede-

AERA. NAT. CHR.

Fredericus Regis frater, regni Siciliæ vicarius Pontificis Max. arcessitu in Italiam nauigat. Ad Velitras Iohanne Prochyta, & Rogerio Lauria præstantissimis viris comitibus summum Pontificem inuisit. Pollicetur Pontifex Catharinam Philippi Constantinopolitani Imperatoris filiam, & Balduini Imperatoris neptem, ad quam eius regni iura deuoluta erant, Frederico coniugio collocaturum. In sumptus bellicos C. M. vnciarum auri, quattuor proximis annis suppeditaturos, si Constantinopolitanam expeditionem capessat, Pontifex, & Carolus Rex spondent.

A.D. IX. K. Iul. Reges pacis conditiones vltro, citroque accipiunt.

Inter eas pacis leges conuenit, vti Rex Blancam Caroli filiam vxorem ducat. Blancam Rex pater, & S. Clementis Cardinalis Apostolicus legatus Perpinianum vsque comitantur: & transcenso Pyrenæo Peraladam perducitur.

Siculi ad Regem legauerant Gualterium Fisaulam, Petrum Philosophum Panhormitanum, Sanctorem Bisalam, Cataldum Russum, & Gualterium Bonifacium Mamertinum: contenderantque vt Rex iureiurando astringeretur publicis in conuentibus, nunquam Siciliæ Regnum, aut insulas Siciliæ adiacentes ab Aragoniæ ditione separaturum: atque eadem sacramenti religione Petrus Regis frater, & quinquaginta primarii ex proceribus Aragoniis, Catalanis, & Valentinis obstringeretur, se daturos operam, ne ob eam causam à Rege Siculis bellum inferatur. Mandata præterea habent, vt ex filiis Caroli Regis, qui obsides erant, aliquis illis à Rege traderetur: & media obsidum pars, qui in Catalonia priuatis, & publicis custodiis asseruabātur: in Siciliam transmitteretur: neque finibus regni Siciliæ excedant: quoad pax Siculorum arbitratu conficeretur.

A. D. IV. K. Nou. in Villabeltrano vico Rex legatis Siculis renuntiat, se de iure regni Siciliæ decessisse: iuraque suprema Ecclesiæ agnouisse. Haud potuere legati grauioribus verbis vulnerari, si hostibus insulam dedere iuberentur: & Cataldo Russo perorante, legati Siculi pacis conditiones lamentabili querimonia detestantur.

Die sequenti Dominico, sacra, sollemnesq; cærimoniæ, quibus vniuerso regno, per tot annos interdictum fuerat, noxis absolutis, repetuntur: statque religione conficiuntur: vt non solum in pristinum statum recidisse, sed omnium temporum dignitatē, & gratiam antecessisse res sacræ viderentur. Ea sæculi pietas, is cultus rerum diuinarum erat.

Rex Carolus Ficarias accedit: eoque oppidulo filiam Regi tradit.

A. D. II. K. Nou. qua die Carolus Regi filiam tradit, Ludouicus, Robertus, & Raimundus Berengarius Caroli Regis liberi obsides liberantur: & Regina Blanca à patre Villabeltranum vsque deducitur. Postridie celebri omnium sanctorum festo die, eo loco regiæ nuptiæ concelebrantur.

Dum Carolus Rex Pertusio Pyrenæi saltu regreditur, Ludouicus, Robertus, & Raimundus Berengarius eius filii, quos obsides Alfonsus Rex imperauerat, quæ Francorum Rex, fraterque eius Carolus promiserant, laudant, comprobantque: quibus iura Aragonensis, & Valentini regni, & Cataloniæ ditionis Regi, posterisque Regibus libera atque immunia remanent.

Barcinone summa cunctorum lætitia, atque alacritate ludi, festique nuptiarum dies concelebrantur. Petrus Regis frater germanus Guilielmam Moncadam Gastonis Beneharnensis F. vxorem ducit.

Pontifex Episcopum Vrgellitanum, & Bonifacium Calamandranam ordinis S. Iohannis Hierosolymitani in transmarinis ditionibus Magistrum in Siciliam legat: qui cum Regis legatis Siculos à desperato, & præcipiti consilio dehortentur: vt pacis constitutis conditionibus obtemperent. Sed quod magnopere desiderabat respublica Siciliensis maturant: & A. D. III. Id. Dec. Panhormi conuentibus publice coactis, proceres regni, & ciuitatum, municipiorumq; procuratores Fredericum Regis fratrem dominum sibi adsciscunt: summæque rerum, vti eos tueatur, regatque præficiunt. Ex eo in publicas decretorum sanctionumque tabulas, libellos, ac litteras refertur, dominante Frederico præpotentis Regis Aragonum, ac Siciliæ filio, & rerum potiente ea acta, gestaque fuisse. Ea regni deferendi initia fiunt.

Festum natiuitatis Domini diem, annique noui K. Ian. Rex Cæsaraugustæ celebrat. 1334.
Blanca Regina more coronam, regiæque dignitatis insignia suscipit. 1296

Raimundus Ribellias ordinis Hospitalis D. Iohannis in Hispania præfectus, & Berengarius Cardona Templariorum militiæ in Aragonia Magister Daroca in Carpetaniam Isabellam deferunt: Sanctii Regis F. quæ Regi nuptui tradita fuerat. Ea postea Iohanni Britanniæ duci nubit.

A. D. XIIX K. Feb. Catanæ proceres Siculi Siciliensiumque ciuitatum procuratores

& primarii,qui aderant,Aragonii,Catalaniq; viri, in maxima eius vrbis æde, de Frederico in Regem adſciſcendo referunt: regioq; nomine Rogerius Lauria eum appellat: aſſerens id vi,nutuq; prouideri diuino:& teſtamento Regis Alfonſi fratris prçiudicatum eſſe: atq; vniuerſorum Siculorum conſenſu præcautum.

A.D.XIII.K.Febr.pontificatus Bonifacii IIX. anno ſecundo Romæ ſummus Pontifex Regem Aragonium vexilli ferum,ducem,& maritimarum rerum, claſſiumq; Eccleſiæ præfectum,ammiratum vocat,in terræ ſanctæ ſubſidium, & aduerſus Eccleſiæ hoſtes inſigni laudis teſtimonio creat. Obſtringitur Rex LX. nauium longarum claſſem Eccleſiæ ſumptibus, in ditionum ſuarum portubus,atq; ſtationibus inſtructurum. XXXV.M.ſolidorum Barcinonenſium ſtipendia in ſingulas naues, in quattuor menſes ab Eccleſia aſſignantur.

Rex edici imperat,vti Aragonii,& Catalani proceres,primariiq; viri Sicilia inſula excedant.Qui ſecus faxit,in deſertorum,ac proditorum numero ducatur.

A.D.XII.K.Febr.Rex,& Alfonſus Regis Caſtellæ nepos Bordaluæ in proſequendo iure,quod in Caſtellano regno,atq; hereditate Alfonſus repetit, ad eam concordiæ rationem veniunt.Ob eam opem,atq; auxilia,quç in inferendo bello Rex pollicetur,Regi Alfonſus pactione Murtienſis regni fœdera icit: & eius regni ditione, in Regis gratiam cedit. Paciſcuntur præterea,vt Iohannes patruus Ferdinandi Regis Caſtellæ pueri, Legionenſe,Gallaicum,atq; Hiſpalenſe regnum obtineat: Alfonſo Caſtellanum, Toletanum, Cordubenſe,Murtienſe, & Iaennenſe regna reliqua maneant. Ad eam pactionem deueniunt Iolans Regina Alfonſi auia,Aragonum,Portugalliæ,& Granatenſis Reges.Conſtituunt,vti Alfonſus Iolantem Regis ſororem ducat: quæ cum Regina matre in Sicilia aberat. Petro Regis Aragonii fratri Concha, Alarcon,Moia, & Cannetum oppida attribuuntur.

A D.IIX.K.Apr.quo die reſurrectio Domini, & annuntiatio B.Mariæ Deiparæ virginis feſti dies concurrunt, Panhormi Fredericus, qui regni gubernaculis admotus fuerat, regiis inſignibus à Siculis decoratur. Ex ea die ſe Fredericum III.Siciliæ Regem,Ducatus Apuliæ & principatus Capuæ nuncupat.

FREDERICVS III. SICILIÆ REX: ET DVCATVS APVLIÆ ET PRINCIP. CAPVÆ.

A.D.VI.Id.Apr.Fariza Alfonſus Ferdinandi Regis competitor:& Petrus Regis Aragonum frater maximo, fortiſſimoq; exercitu comparato Montacuti, Almazaniq; finibus in Caſtellam inuadentes,arma in Legionenſis regni fines vertunt. Militant in eo exercitu ex Aragoniæ regno vti Montanerius auctor eſt, mille equites grauis armaturæ, & peditum L.M. Ingenti contentione exercitu ducto, non modo hoſtiles copias ſubmouere,ſed intra ſua metipſa mœnia ſunt compulſæ. Cum Legionem vrbem perueniſſent Iohannes Ferdinandi regis patruus Rex conclamatur. Alfonſus ad S.Facundi more gentis, in regni Caſtellæ faſtigium ſubleuatus,expeditionem vrguens Maiorgam obſidet. Rem bellicam proceres ductoreſq; Aragonii adminiſtrauere Simon Vrrea,Petrus Cornelius, Petrus Ferdinandius Ixeritanus,Raimundus Angleſola,Lupus Gurrea,Petrus Garceſius Nuezius,Ferdinandus Pereſius Pina, Bartholomæus Eslaua, Ludouicus Diazius Rada, Berengarius Tobias,Petrus Simenius Moneba,& Guilielmus Vergua.

Eadem tempeſtate Rex coacto exercitu,quem ſeparatim confecerat,Murtienſe regnũ inuadit.Cum exterritç improuiſo malo vrbes ad arma concurrerent,fugaq;non modo agreſtium, ſed populorum paſſim fieret, plurimum terroris celeritas ipſa hoſtibus intulit:& quod claſſis regia eam oram præteruecta mare teneret,arces,caſtellaq; deduntur. Vrbs ante oppugnationem traditur. Hæc in A.D.IV.Non.Aug.geſta ſunt. Perſtant in armis Alcala,Ilorci,& Mula. Regi eo in bello ſuum munus præſtitere Iacobus Pereſius eius frater,qui pro Rege Valentino Regno præfuit,Raimũdus Folchius Vicecomes Cardonenſis,Iacobus Exerica, Petrus Aierbius, Lupus Ferencius Luna, Petrus Martinius Luna,Sanctius Antilionius,Guilielmus Entenza, Atho Focius,Philippus Salaſſus,Simon Pereſius Arenoſius,Ferdinandus Lupezius Luna, Raimundus Alamanus, Galcerandus Angleſola, Iazbertus, & Dalmatius Çaſtellinoui, Berengarius Villaragutius, Pontius Ribellias,Amatus Cardona,Guilielmus Lurfortius,Raimundus Villanoua,Egidius Ruizius Lihorius.

Petrus Regis frater in Maiorgæ obſidione æſtu, febriq; iactatus Oterdeſumos oppidum deflectit.Inde incepta oppugnatione relicta,dum bellum maiore animo, quam conſilio geritur:& magnas acerbitates perferunt,Caſtra vnde venerant,mouentur.

A.D.

AERA. NAT. CHR.

A.D.III.K.Sept.Petrus Regis Aragonii frater Oterdefumis moritur acerbissimo omnium mœrore.Dispersis,dissipatisque nostris,hostes animos sustulere.Petri corpus militares veteranorum copiæ Pallantinis Campis iter facientes,& ante ipsas Vallisoleti portas,quo in oppido Rex Ferdinandus,& Maria Regina mater,eius seculi feminarum præstantissima commorantur,remeantes Cæsaraugustam deferunt:Simonis Vrreæ,& Raimundi Anglesolæ intimi Petri amici cadaueribus comitatum. In cœnobio fratrum Minorum sepelitur:& iustis exequiis,supremi diei celebritate,militari lustratione funus cohonestatur.Anglesola pone ipsius Petri sepulchrum situs est.

Vbi Murtiense quoque regnum Rex suo imperio adiunxit, quantus non vnquam antea exercitus, classisque comparatur. Acies omni arte bellica instruuntur, atque firmantur.Eximii,factisque nobiles,& veterani duces fortissimi deliguntur. Rex ipse tantæ expeditionis vnicus Imperator omnium votis destinatur:nec dum satis certus hostis extiterat:nisi Fredericum fratrem regno euertere cupiat.

Fredericus Rex inita æstate terra, marique in Bruttiis bellum gerit. Scylacium Catanzarum,Terra,quam vocant Iordanam,Croto,S.Seuerini, & Rossanum oppida Regi deduntur.Rocca Imperialis Rogerii insigni opera,obsidione liberatur: quam Iohannes Monfortius Comes obsederat.

Rogerius Lauria Frederici causam,armaque deserere,& ad Iacobi se Regis imperium, fidemque potissimum applicare constituit. Beatricem Lauriam F. Iacobo Exericæ Iacobi F.& Iacobi Regis N.in matrimonium collocat: & Aragoniis classibus summo maritimarum rerum imperio à Rege commisso,præficitur.

Alfonsus Peresius Guzmanus magnitudinis animi, & fortitudinis præclaris operibus insignis,& in bellica laude egregius,longeque omnibus præstans, Tariffam se Regi traditurum certis conditionibus pollicetur: vti à vi,& impressione Henrici Alfonsi Regis fratris,& Maurorum liberet:incolumemque,ac saluam, in ea rerum commotione, nostris in societatem adscitis,Ferdinando Regi puero præstet:atque retineat.

Simon Luna Cæsaraugustanus Episcopus. 1335.

A.D.III.Id.Febr.Raimundus Pontius Valentinus Episcopus Regius Cancellarius 1297
& Guilielmus Namontaguda Regis legati Messanæ Fredericum Regem cohortantur,ad colloquium cum Rege fratre in Aenaria,aut Prochyta insulis ineundum.Publico Siculorum concilio decernitur,ne Fredericus ad Regem fratrem adeat, ad colloquiumve deueniat:quod frater bellum impium suscipere non detrectet.

Rogerius Lauria Hadriano mari classe vectus Litium incredibili virtute oppugnat: Hydrunte potitur.

Constantia Regina cum Iolante F.quæ Roberto Caroli Regis F.despõsa fuerat, Iohanne Prochyta, & Rogerio Lauria fidissimis comitibus Mylis IV.actuariis nauibus soluens,Regis, Aragonum filii suasione,atque consilio Romam deuehitur. Ea manifesta signa apparuere inter fratres intestinis armis,& hostili odio bellandum esse.

Arnaldus Hispanus Rogerii Conuenatis F. in Palliariensem comitatum bellũ infert: quantum conniti animo, viribusque poterat, contendens Fuxensis Comitis auxiliaribus copiis,ea ditione potiri:quam hereditaria controuersia repetit.

Martio mense exacto Rex classe Tiberina ostia præteruehitur.Eodem tempore cum Carolo Rege socero Romæ congreditur.Nuptiæ inter Robertum Calabriæ Ducem Caroli F.& Iolantem Regis sororem magna celebritate coniunguntur.

SARDINIÆ ET CORSICÆ REGNVM ARAGONIÆ REGIBVS ATTRIBVTVM.

A. D. II. Non. Apr. pontificatus anno III. Romæ apud S. Petrum Bonifacius P.M. Iacobo Regi Sardiniæ, & Corsicæ regnum, & eius heredibus vtriusque sexus legitimis perpetuo condonat:atque attribuit. Præsenti Regi donationem eam, crateræ aureæ pignore,fœdere,ac fide sancit:supremũq; fidelitatis ius,& vim summę potestatis,sibi,& futuris Pontificibus recipit. Quibus temporibus, & quo militari siue terrestri, siue nauali auxilio subueniendum Ecclesiæ sit,eius donationis causa decernitur: cauetur q; II. marcharum argenti Sterlingorum census,atq; tributum imponitur.

A.D.VII.Id. Apri. Gerardus Parmensis,Sabinensis Episcopus in Lateranẽsi æde Rogerium Lauriam,reliquosque,qui Siciliensi bello militauerant, ex perduellium numero eximit:& dirarum,excrationumque obunciationibus soluuntur:ac liberantur. Rex perpaucis diebus in Tarraconensis litus renauigat.

AERA. NAT. CHR.

A. D. IIX. Id. Mai Rex Igualadæ fautorem se Sibyllæ Comiti Palliarienſi præſtat: quæ Arnaldi Rogerii Palliarienſis Comitis,& Laſcaris eius vxoris filia natu maior Hugoni Mataplanæ primario viro nupſerat. Aduerſus Fuxenſem Comitem, Arnaldum Hiſpanum,& Rogerium Arnaldi F. opem laturum ſpondet: dum Palliarienſis ditionis potiri queat.

A. D. III. Non. Iul. Rex Palliarienſibus infeſtus caſtellum Leortium circumſidet: vt eam ditionem Sibyllæ vindicet.

Blaſcus Alagon cc. grauis armaturæ equitibus,& exiguis veteranorum copiis ad Catanzarum, cum Bruttios, in Frederici Regis poteſtatem redigere, ac retinere receptos cuperet, qui ſummum imperium inter præfectos regios iam tum obtinet, vir cum claritate, tum belli vſu præſtantiſſimus Rogerium Lauriam, Petrum Ruſſum Comitem,& Reforciatum Regis Caroli duces, qui DCC. grauis armaturę equitibus pręficiebantur, prœlio fundit: cæditque:& ingentibus factis hoſtes perſequitur.

1336. 1298 Alfonſus qui Regis Caſtellæ nomen vſurpauerat, ne Rex partes ſuas deſerat, Conchæ vrbis,& Moiæ, Alarconis,& Canneti oppidorum ditiones,& arces, quę Petro Regis fratri condonatæ fuerant, Regi addicit. Molinæ præterea,& Requenę ditiones attribuit.

A. D. VII. Id. Apr. Valentiæ Iohannes Nunnius Larenſis ſe imperio, ac poteſtati Regis, auctoramenti ſacramento, dextris in fœdere, more implicatis, pollicibus inter ſe deuinctis, ſubiicit. Suo, ac poſterum nomine fideliter Regi obtemperaturos ſpondet. Rex Larenſi Albarrazinum vrbem,& vrbis arcem, propugnaculaque tradi imperat. Larenſis ſponſione obſtringitur Alfonſi cauſam,& partes propugnaturum:& in ſuſcepto bello ſuam operam nauaturum.

A. D. III. K. Iul. in Argilienſi Ruſcinonenſis ditionis caſtello Rex cum Iacobo Rege Balearico patruo congreditur. In amicitia, ac vetuſto fœdere manſere. Maior, Minorque Baleares patruo reſtituuntur. Balearicus Regibus Aragonum ſupremę poteſtatis propria iura, fidelitatis ſacramento recipit: atque ſancit.

Rex LXXX. actuariarum, pluriumque onerariarum claſſe inſtructa, bellum fratri, pro liberanda Sicilia inlaturus, ad Tiberina oſtia claſſem appellit. Romam,& viſendi & conſulendi Pontificis cauſa properat. Pontifex ſua manu Eccleſiæ vexillum Regi ſollemni religione tradit.

Neapolim cum claſſem appuliſſet, Robertus Regis affinis Calabriæ Dux,& Landolphus Volta Cardinalis ſedis Apoſtolicæ legatus nauim conſcendunt. Inde A. D. IX. K. Sept. ſoluentes, Pactęſem oram Siciliæ attingunt:& inſulam præteruecti terra, mariq; Syracuſas Octobri menſe exacto circumſident.

Bellum fraternum, atque ciuile inter duces,& militares manus lingua, moribus, armorum genere, inſignibus,& inſtitutis ante omnia militaribus congruentes crudeliter exarſit.

Ad Murtillam, ſtationem fretenſem Mamertini XXII. actuariis, quas incredibili celeritate armauerant, inſtruxerantque, cum Iohanne Lauria Rogerii fratre XX. longarum nauium ductore confligunt. Hoſtes XVI naues, cum victores euaſiſſent, cum prætoria capiunt:& inſigni victoria inſolentes Lauriam, Iacobumque Roccam ducem capite plectunt.

Diuturna rerum infeſtarum perpeſſione Rex Syracuſana in obſidione iactatur. Afflicta peſtilentia caſtra erant,& vulgari contactu in militares manus morbi adeo ingruerant: vt ad XIIX. M. bellatorum interierint. Caſtra deſeruntur:& regia claſſis fretum traiicit.

1337. 1299 Funeſta expeditio omnibus ea viſa eſt: nam morbo exercitu implicito, cum Rex afflictas vires ſuas in vnum contuliſſet, aduerſa tempeſtate nauigat:& graui hieme, aliquot naues ad Liparim inſulam afflictæ eliduntur: reliqua claſſe in Neapolitanum portum Februario menſe tranſuehitur.

Blanca Regina in arce Neapolitana, Nouam appellant, filium parit: cui Alfonſi nomen eſt inditum. Is ad regium faſtigium poſtea deuehitur. Neapoli Rex in Martii menſis finem permanet. Barcinonem inde tranſmittit.

Cum ea, quæ ſuperiore anno bello geſta fuerant, pro faſtigio rerum,& ſumma expectatione non reſpondiſſent, in ſequenti hoc anno multiplex bellum excipit. Inſtaurata claſſe Rex denuo in Italiam nauigat: terra, marique fratrem vlturus.

Rex Maio menſe Neapoli ſoluens, Roberto Calabriæ Duce,& Philippo Tarentino Principe Roberti fratre comitatus ingenti claſſe, cum ſecuta exercitum effuſa militum, proce-

procerumque multitudo esset:nullo,qui per ætatem operam nauare posset,militiam detrectante,in Siciliam nauigat.

Fredericus Rex,cum spes vnica Siculi regni esset,plus enim in illo iuuenili animo, nō virtutis modo,sed consilii,quā in omnibus aliis ducibus Siculis visum est eo applausu, secundisq;rebus prēfidens,in extremū discrimē,ac dimicationē fortunę se,regnumq; deducit. Cūxl.actuarias naues egregie adornasset,& Rex A.D. Non.Iul. Veneris die Tyndaritanam oram attingeret,ad promontorium,quod Orlandi vocāt,Fredericus obuiam fratri procedit:vltroque nostros lacessit. Pugnatum infestissimis animis:hinc ira stimulante aduersus rebellantes,illinc vincere assuetis,ab vltima iam dimicantibus spe. Calamitosum hoc prœlium,postridie,quam nostri in litus appulerant, à Frederico cōmissum est:eiusque classes profligantur.Rogerius Lauria acerbe,crudeliterq; victoria vsus,fratris Iohannis Lauriæ vlciscendi ira incitatus,supplicium de victis generatim sumpsit. Naues xiix.hostium captæ:& ingens strages edita.Fredericus vix viuus ex medio ardore pugnę euasit.Cum hostibus magno animo,& fortiter,excellenterq; eo in prœlio ex nostris manus conseruerunt Gilabertus Centillias,Gerardus,& Ferrarius Alamani,Petrus Sesesius Raimundus Captera,Guilielmus S.Vincentii,Petrus Montacutus,Simon Bellocius,Riambaudus Dezfarius,Thomas Prochyta,& Petrus Montornesius. Rex cū in Sicilia Calabriæ Ducem bellicis rebus præfecisset,classe in Salernitanam oram traiicit: belloq; desistit.Neapoli soluens in Cataloniam, vna cum Constantia Regina parente deuehitur: Pontifice Maximo, socero, Gallisque omnibus reditionis improuisam celeritatem exprobrantibus, execrantibusq;: quod victoria vti nesciret:aut certe nollet:cum etiam fratri,& Siculis in acerbissimum odium venisset.

Rex Albarrazinum,eiusque vrbis arcem & propugnacula recuperat: quod Larēsis pactis conuentis non maneret Ex eo Regiæ ditioni Albarrazinienses contribuuntur.

Catana per summam ciuium fraudem à Frederico Rege deficientium , Roberto Calabriæ Duci traditur.

K.Dec.prœlium atrox Drepani à Frederico Rege aduersus Gallos hostes cōmittitur,Regem ira,spes,ardor certaminis,auidum hostium sanguinis in prœlium rapit.Gallicæ copiæ funduntur,cæduntur que: Philippo Tarentino Principe earum copiarum imperatore,& Rogerio Sanseuerinate Comite superatis,captisque.

Blanca Regina Cæsaraugustę Cœnobium sanctimonialium instituti Prędicatorum D.Agneti dicatum exędificari,condi,constituique imperat.

Bonifacius P.M. sacrum Iubileum orbi Christiano, centesimo quoque anno cele- 1338.
brandum iis,qui peccata confiterentur,delictorumque veniam pie, sanctéque depreca- 1300
rentur, indulget. Sacræ ædes, Romanaque templa, incredibili nationum, gentiumque frequentia visitantur.

Disciplinarum gymnasia, philosphorumque scholæ Ilerdæ explicantur:& artium, doctrinarumque ingenuarum,ac liberalium magistri,& præceptores,vti in maxime apposito,& saluberrimo loco constituuntur. Ex eo domicilium in illa vrbe remansit studiorum:ac veluti seminarium est habitum doctrinæ:ex quo plures studio, atque doctrina præstantes viri prodiere.

Blascus Alagon,& Guilielmus Galcerandus Cartalla,rerum gestarum gloria pæne pares duces,quorum virtute Frederici regnum nititur, longe ante alios militum animis acceptissimi,pridie,quam quadragesimæ ieiunium iniretur,ad Galianū Gualteriū Brennę Comitem prœlio superant:& deuictis Gallicis copiis Gualterius captiuus ducitur.

Æstate ineunte Rogerius Lauria, cuiuscunq; principis auspiciis imperio præesset, signaue inferret,fatalis dux ad excidium aduersæ gentis,augendique Aragonii regni, ad Pontiam insulam nauali prœlio commisso,Frederici Regis classem, Aragonia classe deuincit.Capitur Conradus Oria hostilis classis præfectus.Rogerius nimius imperii,& vehemens,vitioque ingenii, immanitate efferatus Genuensibus militibus, qui in prætoria naui scorpionibus vsi fuerant,manus auferri oculosque effodi imperat. xxiix. hostium naues à nostris intercipiuntur.

Robertus Calabrię Dux Rhegium castra admouet:& terra, marique Messanam oppugnat: cum Fredericus Rex Decembri ipso mense Aidonum castellum, quod in potestate hostium erat,obsideret.Rhegio præfuit Hugo Emporitanus Comes:& cum ea vrbs & Messana à Roberto oppugnarentur,Blascus Alagon, & Guilielmus Galcerandus subsidio Mamertinis accedentes Gallicas copias pellunt:fretumque traiiciunt, quod nostri eorum castra oppugnare adorirentur.Cum fretum hostium classis teneret à mari oppugnationem ostendit.

AERA. NAT. CHR.

Blaſcus Alagon cum Mamertinæ propugnationi præeſſet, è vita excedit: cuius obitu Siculorum res ſummum in diſcrimen recidiſſe videtur: quod imperatorem clariſſimum ea gens amiſerat.

Rex Murtienſi expeditioni intentus, cum Ilorci oppidum obſideret, A. D. XV. K. Ian. ciues paciſcuntur, ſe oppidum, arcem, & propugnacula dedituros, niſi intra L. dierum inducias ſibi ſubuentum eſſet.

Ilorci Rex feſtum natiuitatis Domini diem celebrat. Eo in oppido cum Mahomate

1339. 1301 Aboabdille Granatenſi Rege fœdus icitur. Mauris ſpondet ſe, cauſam, armaq; Alfonſi, qui regni Caſtellæ iura inuaſerat, ſuſcepturum.

Murtiæ Ianuario exacto Rex militates copias cogi imperat. Omnes, qui arma ferre poterant, exciti: quod Ferdinandus Caſtellę Rex ſuas copias Optem conduxiſſet. Vtrimque validi exercitus profecti.

Oppidum Regale nuncupatum, ad Nauarrę, & Aragonię confinia ſitum, ex Anduesii, Vlli & Fileræ colonis incolitur, & præſidio firmatur.

Valentiæ Aprilis menſis fine, Rex legatos ad Philippum Francorum Regem mittit: opem Alfonſi Ferdinandi filii, Alfonſi Regis nepotis rebus affectis oraturos. Vt eius cauſam deſertam, & abiectam armis ſubleuet, nulla cohortatione, miſerationeve permouetur: cum æqualis propinquitatis, cognationiſq; vinculis Francus Alfonſo deuinctus eſſet: & tam parata, expeditaque auxilia Nauarræ regni finibus inferri poſſent: quod in eius poteſtate erat. Cum legationem renuntiaſſent, & orationem mandatis conuenientem adiecissent, tenui quadam excuſationis venia Philippus eſt vſus: ſe bello Belgico implicitum, quod in eius ditiones imperium expeteret, ad inſtaurandum Hiſpanienſe bellum perpelli non poſſe.

Sanctius Antilio Regiæ aulæ præfectus ea tempeſtate fuit: cuius magiſtratus iura paulatim exoleuere.

A. D. II. K. Mai proceres, nobileſque Aragonii homines, Cæſarauguſtæ, in cœnobio fratrum Prædicatorum, quo conuentus agi conſueuerant, coitionem faciunt: de Regis iniuriis, qui id temporis Ilerdæ commorabatur, expoſtulantes: Iacobo Exerica Regis fratre patrueli, & Lupo Ferrencio Luna primariis ducibus: & anteſignanis: quos ferme nobilitas omnis ſecuta eſt. Coitionis, expoſtulationiſq; æquitas hæc prætenditur: ſe ſtipendiis militaribus, quę merebantur, à Rege fraudari. Huius, & aliarũ actionũ ſuſceptarũ cauſa, nõ more, non iure cõcitati ad arma petulãter deueniunt. Rex vti ii motus conatuſq; improuiſi rite, iureq; prohibeantur, conuentus Cæſarauguſtã in A. D. K. Sept. indicit. Cõſtituto die in æde Saluatoris maxima, iis, qui turbas fecerant, actionem perduellionis intendit: & de ea controuerſia Iuſtitię Aragonum Pręfectum iudicem ſumit: qui ei quæſtioni præfuit. Is magiſtratus, de conſilii vniuerſi ſententia ſtauit: iuſque eſſe decernit: vti ii, qui contra morem maiorum, de ſuo iure ſtatuere conati fuerant, cauſa cadant. Eorum pacta, ac ſacramenta infecta, irritaq; ſint. Adhæc ſancit, vt eorum fortunæ, ac bona regio nutui ſubmittantur: modo ne capitis periculum irrogetur: cuſtodiave contineantur: perpetuove exilio efficiantur extorres. Eo conſilio à Rege inito, oppreſſi auctoritate publica, quod vi adoriri nituntur, iure paſſi ſunt.

K. Octob. aſſidente conuentu Iacobus Regis F. natu maximus ſacramento, vti legitimus regni futurus heres, ac ſucceſſor adſciſcitur.

Sicilienſis belli fama, ſucceſſuſque effecerant, ne ſe Robertus pugnæ committeret: ſed obſidione Meſſanam premeret. Exercitu, claſſeque diuiſa, partim per finitimos populos prædari placuit: partim continenti oppugnatione Mamertinos obſideri. Cum vrbem obſeſſam ex hoſtium manibus eripere Fredericus nõ poſſet, popularem turbam mœnibus egreſſam in tuta recipit: & confirmatis propugnatorum animis, inter hoſtium tela, ex arce digreſſus, conſilio hoſtem peruertit: & ad induciarum pactionem, interuentu Iolantis ſororis pellicit.

Robertus Calabriæ Dux, ac Iolans eius vxor Syracuſas ingrediuntur. Mox Iolans, & Fredericus Rex eius frater, ad Maniaci turrim, ad colloquium, pro re nata, congredientes, poſtea cum Duce ſub dio congreſſi, inducias in aliquot menſes paciſcuntur.

1340. 1302 Regina Maria Ferdinandi Regis mater, cum Bituri Vaſconum oppido, publicis belli, ac pacis rationibus animum intendit, ſingularis exempli femina Lupum Ferrencium Lunam, & Iohannem Simenium Vrream ex primariis proceribus Aragoniæ, qui nouis ſe implicuerant rebus, ſumme incitat, vti ipſi, reliquique proceres, qui ſolum verterant, filii ſtipendia mereant: dum Murtienſe regnum recuperet.

Carolus Valeſius Andiũ Comes, Robertus Calabriæ Dux, & Raimũdus Berengarius eius

eius frater, magna comparata classe Thermitanam Siciliæ stationem, A.D. V.K. Iun. appellunt. Thermas expugnant. Corilionem, appositis machinis, obsidione premunt. In ea oppugnatione Ducis Brabantiæ frater, Gallicarum copiarũ præfectus pugnans mortem oppetit. Castra Xacam transferunt: vrbemque eam circumsident. AERA. NAT. CHR.

Constantia Regina Regis mater Barcinone decedit: cuius sanctitas atque religio, quasi lumen quoddam illis temporibus eluxit. In cœnobio fratrum Minorum eius vrbis sepelitur.

Iolans Constantiæ Reginæ F. Roberti Ducis vxor, quæ se in pacificationem inter virum, & fratrem interposuerat, Thermis in Sicilia decedit.

A.D. XIV. K. Septemb. Caroli Valesii, qui pacificatoris partes susceperat, interuentu, inter Carolum, & Fredericum Reges, res ad concordiam deducitur: modo Fredericus in animum inducat, penes se Sicilię regnum, dum viuat, maneat: & se fato functo, ad heredes Caroli perueniat, eosque sequatur. Paciscuntur, vti Fredericus Leonoram Caroli Regis F. in matrimonium ducat.

Eodem mense Valesius, & Robertus inter Calatabellotam, & Xacam cum Frederico ad colloquia centenis equitibus comitati congrediuntur. Eo loci ad pacis conditiones deueniunt. Pollicentur, se operam daturos, vti Sardinię, aut Cypri regnum Frederico, eiusq; posteris deferatur, attribuaturq;. Fredericus quoad viuat, Sicilia insula potiatur: & eo defuncto Caroli regno, Carolive heredibus adiungatur. Statim traduntur oppida, quæ Frederico in Bruttiis parent.

Interdictum, quo Siculi sacris arcebantur, tollitur.

Valesius, & Robertus mari Catanam proficiscuntur: & in eam vrbem Philippus Princeps Taretinus, & Gualterius Brennæ Comes, q custodiis attinebãtur liberi deferuntur.

A.D. XIV. K. Nou. Sanctius Iacobi Regis Balearici F. Gerundæ, quod Iacobus eius frater, natu maior vitam, actionesque omnes suas sacris addixerat, & instituta D. Francisci ordinis Minorum illi erant tenenda, iura, & supremum regni dominatum iurisiurandi religione Regi sancit: vti Balearici regni, & ditionum Ruscinonis, & Cæretaniæ heres institutus.

Bonifacius P. M. Philippum Francorum Regem edicto monet, vti Ecclesiæ supremo iuri, potestatique, extra sacra, ac religionis scita obediat, obtemperetque. Dum Pontifex id iustum vti ratum, firmumq; maneat, sacris interdictis contendit, magni in Gallia tumultus exoriuntur. Inde magnum Philippi Regis aduersus Pontificem odium cum acerbissimo, & crudelissimo dissidio exstitit: & concilium à Pontifice Romam indicitur. Vetustis aliquot monumentis memoriæ proditur decreuisse Pontificem regnum Galliæ, vti alia regna, ditionesq; Christianorum principum sub potestatem Romani Imperii subiici. Sed vtcumque ea se res habeat, quod in Gallia incredibilis ordinum motus, concursusque concitaretur, Aragoniæ Rex se in eam pacificationem interponit: & Pontifex Anagniæ, A.D. VI. K. Iul. Pontificatus anno IIX. ecclesiastico ordini regni Franciæ testatum esse voluit: se his, quæ Philippo Regi suo nomine renuntiata, aut Apostolicis litteris proposita, promulgatave fuerant, nihil decreto suo sanxisse, quod iuri, libertati, aut honori Regio, ditionumve eius derogaret: ac se velle vti iura, libertas, & honos Regi, ac Fraçiæ regno incolumia, ac salua, & minime læsa permanerent. 1341.

Initio huius anni Alfonsus, qui in hæreditatem regnorum Castellæ auitam minime 1303 faustis, felicibusque armis egerat, & exheres est vocitatus ex Gallia adueniens, Villafrancæ Regem inuisit. Eodem tempore Henricus magnus Alfonsi patruus, & Iohannes Emmanuelis Henrici fratris filius, aliiq; Castellani proceres spondent, se Alfonso operam, auxiliumq; laturos, & eius partium factionem, causamque defensuros: qui cum respectum ad Alfonsum, & Alfonsi ęquam conditionem non haberent, eam sibi viam ad opes, viresque amplificandas patefaciunt.

Maio mense Iohannes Emmanuelis F. magnæ potentiæ adolescens Setabi Regem inuisit. Paciscuntur, vti Iohannes Constantiam Regis filiam intra constitutum IIX. annorum spatium in matrimonium ducat.

A.D. V. Id. Iun. Cæsaraugustæ Iuuencus Vbertinus, & Apparicius Villanoua Frederici Regis legati, de fœderum pactionibus initis Regem certiorem faciunt: quas ratas, firmasque à Bonifacio Pont. Max. habitas, vetus rerum à Frederico gestarum auctor perhibet: & XV. M. florenorum tributum à Pontifice Frederico impositum in singulos annos Ecclesiæ conferendum: proprii iuris ac dominatus Siciliæ regni, & Insularũ adiacentium causa. Cautum eo fœdere, à Pótifice fuisse, ne Fredericus Siciliæ Rex, sed Trinacriæ appelletur, idẽ auctor firmat: & eam pactionẽ à Cardinalium collegio fuisse cõprobatam:

AERA. NAT. CHR.

Matthæo Russo Vrsino sanctæ Mariæ in portu Diacono Cardinali contratendente, atq; repugnante.

A.D.XII.K.Iul.Rex, Henricus, Iohannes Emmanuelis F. Didacus Lupius Pharensis Vizcaiæ regulus, & Lupus eius F. Farrizæ ad colloquium congrediuntur. In eam pactionem ii proceres fidem suam interponunt, se curaturos, vti Alfonso Iaennense regnum attribuatur. Vallem Cornegiam, Pedrazam, Almazanum, aliaque oppida, quę illi hereditario iure relicta fuerant, retineat. Id etiam stipulantur, vti Ferdinando Alfonsi fratri germano, eius ditionis, hereditatisque libera iura conferantur, quæ in Castellæ regno, ad regios liberos pertinere consueuerant. Infantaticum vocant.

CATALANI EXERCITVS EXPEDITIO.

Ex annalium nostrorum, & regiorum commentariorum vetustate eruenda, fuit veteris memoriæ non satis antea, pro dignitate rerum gestarum, explicata recordatio. Cum dearmatus Frederici Regis exercitus esset, vt insulam, quę tot mala, diuturno bello perpessa fuerat, colluuie copiarum diffluentium releuaret, persuasum est Frederico, vt militares manus in Macedoniam, & Thraciam emitterentur. Hoc ipso anno Rogerius Florius Brundisinus, qui Frederici auspiciis, Siculo in bello plura egregia facinora ediderat, ad quem perditi omnes, & dissoluti adolescentes semper confugerant, & scelere, & egestate profligati, instructa classe, collecticio veteranorum Catalanæ, & Aragoniæ gentis, quos Almogauares vocabant, exercitu, ad IV.M. fuisse traditur, ex Sicilia Constantinopolim nauigat: Andronici Romæorum Imperatoris Comnini Palæologi stipendiis, aduersus Turcarum incursiones militaturus: qui ex Asia tunc primum emigrantes, complures eius imperii regiones depopulabantur. Is totius exercitus imperator, copiarum ductores deligit Berengarium Entenzam: & primarios aliquot ex Aragonensibus, & Catalanis: qui Frederici stipendia meruerant. Rogerius benigne ab Andronico habitus, statim Megaducis, magni nempe Imperatoris nomine, atque insignibus ornatur. Vxor in eius manum conuenit, Imperatoris, Zauræ, vti vetusta monumenta testantur, & Adronici sororis filia. Exercitus Catalanorum societas appellatur: quorum tanta ad vltimas gentes virtutis fama peruaserat, vt Constantinopolitani Imperii principes, opinione, & amicitia eorũ, aduersus barbarorũ, ex Asia insultantium impetus, tutos se arbitrarentur.

1342. 1304. Rogerio Florio, rebus in Asia, pręclare aduersus Turcas gestis, Cæsaris nomen, perpetuæ virtutis præmium tribuitur. Sed acerbo Michaelis Palæologi Andronici Imperatoris filii odio excitato Hadrianopoli, inter sacra mensæ, cum iis, qui aderant, circumuentus, atque armis exutus impiæ neci traditur: & crudelissima morte mactatur. Inde societas Catalanorum, quę Rogerii Florii ductu, Adronici stipendia bello Turcico meruerat, Callipoli, ad ipsas Hellesponti fauces, vallo se, ac fossa cingit, munitque. Eius munitionis rebus institutis, atque collocatis Berengarium Entenzam ducem sibi præficiunt. Entenzæ egregiam operam præstitere primarii duces Ferdinandus Ahonesius, Corbaranus Lehetius tribunus militum, & alter item tribunus Bernardus Roccafortius, Raimundus Montanerius, qui res eas memoriæ prodidit, & Guilielmus Siscarius, & Simon Albertus. Præterea Entenza in Siciliam præmittit Garciam Lupezium Lupariam, Raimundum Marquetium, & Raimundum Coponium: qui à Frederico Rege subsidium transmarinum efflagitent: & exercitum Catalanæ societatis in asserendo Constantinopolitano imperio, Frederico militaturum polliceantur. Michaelem Imperatoris F. in prœlia poscunt, prouocantque: tanquam in proditionis crimen vocatum, Thraciæ oras assiduis incursionibus depopulantur.

Entenza inclitus ea tempestate dux, penes quem præcipua laus eius belli fuit, ea virtute, eoque consilio, rem gessit: vt benigno alloquio, & comitate alliciendo, & beneficiis, quos poterat, sibi conciliando, publicis pariter, ac priuatis consiliis dignus omni imperio videretur. Instructa classe decem actuariarum nauium ab Helespontо totam eam oram maritimam percurrens, omnia loca vastat, quæ incurrit. Cum in ea trepidatione Calo Iohannes Andronici F. CCCC. equitibus, magnisque collecticiorum copiis obuiam aduentaret, ad Pontem regium VI.M.P. à Constantinopoli A.D. II.K.Iun. profligatur: ceditur-que. Ingenti præda parta, cum Entenza Callipolim reuertitur, insidiis interclusus, & summa perfidia deceptus, ab Eduardo Oria, qui XVI. Genuensium actuariis nauibus præerat, intercipitur: nauesque omnes amittit. Peram deportatus Trapezuntem transmittitur. Catalanorum societas Callipoli continetur: quoad Entenza liber è custodia educitur.

Non.Iun. Perusii Vitalis Villanoua, & Guilielmus Ceria Regis legati, regio nomine fidei sacramentum interponentes, Benedicto XI. P. M. qui in Bonifacii locum ad summum Apostolatum euectus fuerat, iura regi Sardiniæ, & Corsicę, ab Ecclesia Regi collata

reco-

recognoſcunt. Pontifex Cardinalium collegio aſſidente iuriſiurandi ſanctionem, ſupremi dominii ratione recipit. Die ſequenti eccleſiaſticas decumas Regi in eius regnis largitur in triennium: & legationem Apoſtolicam in eas inſulas conſtituit.

Iidem legati, cum Neapolim ſe contuliſſent, nuptias inter Sanctium Balearici Regis F. & Mariam Caroli Regis filiam coniungunt: & ſponſalia Sanctiæ, Sanctii ſororis, & Roberti Calabriæ Ducis paciſcuntur.

Ineunte Auguſto menſe Dionyſius Portugalliæ Rex, Torellias oppidum, ad Cauni montis radices, inter Turiaſonem, & Agredam interiectum, ſplendidiſſimo, ac vere regali ornatu, apparatuque ingreditur. Rex affinem, & Iſabellam Reginam ſororem, quæ cum marito, ad eum congreſſum conuenerat: ſumptuoſo, ac magnifico ornatu accipit.

Torelliis A. D. VI. Id. Auguſti Dionyſius Rex, Iohannes Caſtellæ Regis patruus, & Simon Luna Cæſarauguſtanus Epiſcopus iudices conſtituti ſuper controuerſo Murtienſis regni iure, quæ cauſa inter Aragoniæ, & Caſtellæ Regis vertitur, ſententiã, iudiciumq; pronuntiant. Certi Murtienſis regni fines, & termini vtrique aſſignantur, atque attribuuntur Didaco Garcia Toleto Regni Caſtellæ Cancellario, & Gonzaluo Garcia Aragonii Regis intimo conſiliario arbitris, & iudicibus delectis: cum vterque Regi amicitia reliquis omnibus longe antecellerent. Carthago noua, Gaurdamare, Alicantũ, Illicis, cum Illicitano portu, & eorum oppidorum agri, fineſque, qua Tadere fluuio dirimuntur, verſus Valentini regni fines, Aragonio cedunt. Villiena oppidum ditioni noſtræ contributum, Iohanni Emmanuelis F. condonatur. Murtia, & Molina ſicca Caſtellano excipiuntur.

Eo metipſo die multo maior controuerſia deciditur: quæ inter Ferdinandũ Caſtellæ Regem, & competitorem Alfonſum verſatur: iudiceſque accepti fuerant Aragoniæ, & Portugalliæ Reges. Decernunt, vti Alfonſo aliquot oppida, condonentur, pro eo regnorũ Caſtellæ, & Legionenſis populi iure, quod ſibi tanta bellorum commotione aſſerere contenderat: quorum ſpes iam diu erat fruſtrata. Regium nomen Alfonſus, regaliaq; inſignia amouet: quæ perexiguis dignitatis, emolumentique commodis compenſantur. In Gallia Alfonſus Hiſpanus vocatus: id à regia Philippi Francorum Regis liberalitate conſequitur, vt Moſaldam, ſi coniectura duci ad prodendum licet, ex Narbonenſium Vicecomitum familia in matrimonium ducat: & Lunellum, Narbonenſis ditionis oppidum dotale accipiat.

Poſtero die Dominico Aragoniæ & Portugalliæ Reges cum Ferdinando Rege ad Campillum regiis congreſſibus dicatum vicum, ad colloquium deueniunt: is enim præſtituitur componendis fœderibus locus totiens expetitus.

A. D. XVI. K. Febr. Valentiæ decedit Rogerius Lauria dux omnium, quotquot vmquam maritimis rebus, naualibuſque bellis præfuerunt, præſtantiſſimus. In cœnobio ſan- 1343.
ctarum crucium pone Petri Regis ſepulturam cadauer eius humatur. 1305

A. D. IV. K. Mart. Hortæ, in ipſis regnorum confiniis, in cœnobio D. Mariæ Ciſtercienſis inſtituti Reges Aragoniæ, & Caſtellæ in colloquium, congreſſumq; veniunt. Eorum mandatis Didacus Garcias Tolletanus, & Gonzaluus Garcias, vterque ſuo Regi amicus, intimuſque, controuerſiam finium regni Murtienſis decidunt. Ex ea regione, quæ Aragonũ Regũ ditioni contribuitur, Rex Ferdinando Regi Carthaginem vrbem remittit, atque condonat: vt Alarcone Celtiberiæ oppido, & nobili, & natura, ac loco in primis præmunito Iohanni Emmanueli genero cedat.

A. D. IV. K. Nou. Perpiniano Rex Gonzaluum Garciam legat, committitque: vt Clementi V. P. M. ſuo nomine ſuprema Sardiniæ, & Corſicæ regni iura recipiat: & fidei ſacramento ſanciat. Pontifex cum abſentis Regis rationem habendam minime cẽſuiſſet, mandatumque reieciſſet, Regi perſuadet, vt Mompellerium contendat.

A. D. XII. K. Ian. Genuenſium legati Regem Cæſarauguſtæ conueniunt: expetuntq; vti pacis, fœderiſq; conditiones ferat. Verentur enim ne Sardiniæ obeundæ cauſa, & ab externo dominatu vindicandæ Genuenſi ciuitati bellum à Rege inferatur.

A. D. X. K. Mai. Rex Valentiæ ſanctioris ærarii Eccleſiæ Maioris Balearium præfe- 1344.
ctum, & Petrum Martinium Gotorum oratores legat ob eam cauſam, vt Pontifici Maxi- 1306
mo de more iurium regni Sardiniæ, & eius ditionis ratione iuriſiurandi fide obedientiam præſtent. Cum Burdigalæ Pontificem Maximum conueniſſent, A. D. V. K. Iun. honorifice recepti iuſiurandum ſanciunt.

Octobri menſe Barcinone Fracíſcus, Conradinus, & Marcellus Malaſpinæ Marchiones, & Brancha Oria, & Barnabas eius F. Theodoricuſq; Turritanus Archiepus recipiũt,

AERA. NAT. CHR.

Pollicenturque, se Regi in obeundo, vindicandoq; Sardiniæ regno, si conditiones ferat, parituros. Statuit etiam Rex, & molitur, quo Florentinam, Lucensemq; ciuitatem, & Rogerium Taliaferrum, qui Populonii dominatur, fœdere deuinciat, & in Sardiniam auxiliares cohortes transmittant. Lucenses exposcunt, ne Rex sinat, Iohannam Vgolini Gallurae Iudicis filiam, quæ ingentis ditionis hereditatem aditura erat, Caralitanique regni partem adepta fuerat, Barnabæ Oriæ Branchæ filio in matrimonium collocari. Maxime enim eam coniunctionem regio statui aduersaturam prouident. Rex ab Azone Marchione Estensi Iohannæ auunculo, cuius puellæ tradendæ optio, potestasque erat, vt ab Oriarum connubio eam diuertat, deprecatur.

1345. 1307 Rex Oscam adire properat: quod Ludouicus, qui Vtini cognomen inuenit, Francorum Regis F. in Nauarram traiecisset: & matre Regina defuncta eius regni legitima herede, regiis insignibus esset ornatus. Multi enim, & varii timores: sed inter ceteros eminebat, tam propinqui hostis terror: ne Francus Regem ab Italicis rebus, & ab Sardoa expeditione, aut Siciliensi bello, quod imminere omnes vererentur, auertere contendat.

A.D.III.Id.Oct. Philippi Francorum Regis edicto omnes, qui auctoramento militiæ, ac sacrorum Templi Hierosolymitani deuincti erant, tota Gallia veneris die, vno nuntio, atque vna litterarum significatione intercipiuntur. Comprehensi omnes in custodias includuntur: & in eos tanquam hæreticos, ac nefariorum, scelestorumq; facinorum reos anquiri cœptum.

A.D.XVII.K.Nou. nuntii à Francorum Rege in omnes Christianorum principum regiones deferuntur, expostulantes: vti in sua quisque ditione, fidei Catholicæ asserendæ causam, aduersus eos, qui Templi Hierosolymitani sacris addicti erant, suscipiat. Regi ea res nota, testataque fit, cum Valentię, in arce regia, K. Dec. degeret. A.D.III. Non. Decem. Rex capi omnes eius sectæ homines, bonaque conscribi imperat. Iohannes Lotgerius ex Prædicatorum instituto, de fide Catholica iudex, & generalis in Aragoniæ regnis quæsitor ab Apostolica sede constitutus, summa in iure dicendo seueritate vsus studiosos, & fautores reorum coercet. Bona eorum pars in munitissimas Carthaginis veteris Ilergaonum oppidi, Montionis, Miraueti, Villeli, atque Alfambræ arces confugiunt: quibus facile rapugnari, atque obsisti posse sperant: ne indicta causa in se animaduertatur. Eodem in Catalonia, cum spes reliqua non esset, vtuntur perfugio. Rex eos vi oppugnari imperat.

Valentiæ Decembri mense exacto, Rainerius Sampacius, Iohannes Russus Gualandius, & Ilerdinus Guascapa Pisanorum legati, reiectis iniquis conditionibus, quas de Sardiniæ iure retinendo, obtulerant, à Rege dimittuntur: quod neque è republica, neq; ex dignitate, aut Pontificia, aut Regia censerentur.

1346. 1308 Rex Valentiæ festo celebritatis natalis Domini peracto, Bernardum Sarriam primarium virum regiæ classis præfectum in Siciliam legat: cui mandata deferuntur, vt nouam dissensionem, quæ inter Fredericum, & Carolum Reges commota fuerat, pacificet. Is Calanam, Mottam, Fumarium murum, atque Catonam Bruttiorum castella, de quibus inter se controuersabantur, Regis Aragonum nomine recipit. Præterea Carolus moleste præ se tulerat, Fredericum generum, non Trinacriæ, quod pacto conuenerat, sed simplici titulo Regem nuncupari: & à Tunetano Rege tributum, quod sibi dependi oporteret, à Frederico exigi.

Bellum aduersus Templarios, qui arcibus præsidentes in armis erant, maiore conatu apparatur, quod minore, quam Rex veritus fuerat, dimicatione perficitur.

Cum Hispanienses classes aduersus Granetenses Mauros omnibus rebus ornatæ instruerentur, Castellæ Rex Didacum Garciam Toletum imperio maritimo præficit: & in eius locum substituit Gonzaluum Zapatam Aragonium: atq; eo administro, Regis Aragonii permissu manus militares coguntur nostris in litoribus, atque armantur.

A.D.XVI.K.Iun. cum Artallus Alagon Aragonię regni procurator Montionis arcem magna ballistarum, ac tormentorum vi oppugnauisset, cuius propugnationi Bartholomæus Beluisius Templariorum dux præerat, propugnaculum, quod ante arcem firmo præsidio munierant, Muelam vocabant, deditur. Paulo post arx etiam traditur. In postremis Castellotum, Carthagoque vetus munitissimæ arces deduntur.

Clemens P.M. decernit, vti Valentinus Episcopus regius Cancellarius de Templariis omnibus, qui inter reos relati erant, cognita causa statuat.

Bernardo Sarria internuntio Rex Genuenses, & Branchaleonem Oriam eius populi ductorē, & Barnabā eius F. sibi adiungere studet: quod in Sardinia Turitani regni, & Ludoriæ regionis, Luquidonesios vetustas appellauerat, potiretur. ccc. equitibus militaturos

turos se regi in Sardoa expeditione pollicentur. Florentinos, & Lucenses, & Welforum partes ad se etiam perlicere tentat: qui pecunias erogent, vnde necessarii sumptus in classem, ac rem militarem suppeditentur.

A. D. XIV. K. Ian. Alcala oppido ad Henarem fluuium præsentibus Bernardo Sarria, & Gonzaluo Garcia Regis legatis, Ferdinandus Rex Almeriense regnum Regi attribuit: quod sexta Granatensis regni portio, illi pacto contributa esset: in eos sumptus, qui in Granatense bellum à Regibus susceptum, terra mariq; nostris classibus, & exercitibus, impendent. Iurisiurandi religione coram legatis Regi cauet.

Decembris mensis fine Reges Aragonum: & Castellæ Hortæ denuò colloquuntur. In eo congressu fœdus sancitur eius belli, quod Marrochensi, & Granatensi Regibus inlaturi erant. Paciscuntur, vti Iacobus Regis F. Leonoram Regis Ferdinandi F. vxorem ducat.

Reges Horta regressi Monregale Aragoniæ oppidum contendunt: & in eo loco pactionem, quæ cum Alfonso inita fuerat, stabilem, & in perpetuum ratam fore decernunt.

Michael Palæologus Andronici Imperatoris F. ad Apros vetustam Thraciæ vrbem, à Bernardo Roccafortio, qui capto Entenza, ductoris munus obierat, societatemque Catalanorum ad se conuerterat, & aliis Catalanis ducibus, cum signis collatis valde pusillis copiis conflixissent, horribili strage profligatur: & summa cũ ignominia, & dedecore, capitisque periculo erumpens, euasit. Res in eo bello gestæ iusto volumine à Raimundo Montanerio posteris produntur: non modo eius ætatis scriptore, sed qui copiarum ductor Entenza imperatore eo in bello meruit: & ne fidem rebus commenticiis ad eum vnum, aut rei gestæ orationem adhibere videamur, & si Nicephorus Gregora earum rerum Græcus auctor, pæne eiusdem ætatis scriptor exstat, exterus aliquis auctor ad memoriam rerum nostrarum erit excitandus: cui nemo, tametsi breuiter, impoliteque dicenti maxima de re, valde assentiri non debeat. Is Brochardus est Teutonus ex instituto Prædicatorum: qui ad Philippum Francorum Regem anno MCCCXXXII. commentarium misit de Sacri belli expeditione aduersus Turcas obeunda: cuius oratio ad verbum, hoc in loco est à nobis expressa. Ita enim subdit.

Hæc quæ narro, cum in Constantinopoli, siue Pera, quod idem est, degerem, contigerunt. Catalani etiam, qui modo vocantur Societas, quæ nunc est in Ducatu, & dominio Athenarum, qui nõ habebant duo millia, & quingentos equites ex quibus non erant ducenti homines de sanguine militari, eundem Michaelem cum quattuordecim millibus equitum exeuntem, & cum peditum multitudine copiosa aggressi fuerunt cum audacia desperata: & ipsius ordinatas acies destruxerunt: & fugauerunt: & de ipsius exercitu multitudinem maximam peremerunt: & ipsum Michaelem de equo turpiter deiecerunt: sed adiutus à suis, & in equum subleuatus fugit è prœlio acriter vulneratus: Quem etiam fugientem insequentes in ciuitatem Andrinopolim includi fecerunt: & ibi obsessum diebus plurimis tenuerunt. Postmodum totam illi ciuitati adiacentem patriam cursitantes ferro, & incendiis vastauerunt: cástra multa ceperunt: & ab illo loco, vsq; ad terram, vbi nunc sedes detinent alienas, fere omnia destruentes nullum prœlium inuenerunt: sed Græci miseri sunt facti pusillanimes, & excordes: ipsos diuina gratia deserente & vltione debita persequente. Paulo post idem memorat Catalanorum eam nationem Imperatorem Constantinopolitanum tributum quotannis ferre coegisse.

Andriolus Morus Genuensis VI. Byzantinorum, & II. Genuensium longis nauibus præfectus cum Theodorum Palęologum Andronici Imperatoris F. in Italiam deduceret, qui Monferratensis ditionis heres, mortuo Guilielmo Monferratensi Marchione auunculo successerat, & Opicini Spinulæ F. ducturus erat, viri in republica Genuensi primarii, qui in magna potentia erat, Callipolim, quam Catalani inuadendis terra, marique hostium finibus, arcem sedemque delegerant, summa vi oppugnat. Dum à Raimundo Montanerio, qui propugnatoni præfectus fuerat, & à nostris strenue repugnatur, Morus & DC. circiter milites cæduntur.

Rex festum natiuitatis Domini diem Cæsaraugustæ concelebrat. 1347.

Carolo, ac Frederico Regibus dissidentibus, quod Carolus Iaccitanam Siciliæ arcem retineret, & tributa à Tunetanis Regibus Frederico pensitata sibi impendi debere contenderet, Rex pacificatorio munere inter socerum, & fratrem functus, Fredericum socero conciliandum & adiungendum repetitis rebus curat. 1309

Ianuarii mensis fine Rex Barcinonem proficiscitur. Bellum instruere aduersus Mauros, & Almeriensibus finibus inferre maturat. In eos sumptus, sacrum bellum gesturo, Pontifex Maximus ecclesiasticas decumas elargitur.

AERA. NAT. CHR.

Henrico Lucemburgensi ad Imperii gubernacula adscito, Amadeus Sabaudiæ Comes eius affinis, & Vido Nemurcius Flandrensis Comitis frater Auenione à Pontifice Maximo impetrant, vt Henrici creatio confirmetur. Duo Cardinales legantur qui Romæ imponēdo diademati præsideant. Pisani Henricum in Italiam arcessunt: & vt profectionem maturet, adhortantur. Florētini, & Lucenses, qui Henrico aduersantur, Regem, vti expeditionem Sardoam vrgueat, magnis pollicitationibus suadent. Morroellus Manfredi F. Francisquinus Morroelli F. & Conradinus Opicini F. ex Malaspinarum familia Marchiones Regi se addicere in ea rerum commotione student. Pisani vero omni conatu de Caralitana arce, & oppidis, quorum in Sardina potiuntur, retinendis separatim elaborant: & regiam expeditionem auertere conantur.

Iohanna Vgolini Galluræ Iudicis F. Ricardo Camino Treuisi domino Gibellinarum partium primario nubit: qui se totum Regi addicit: quod Pisani Galluræ ditionem interuerterant: & præsidiis deuinxerant.

A. D. III. Non. Mai Carolus Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Hierosolymorumque Rex è vita excedit.

ALMERIENSE BELLVM.

A. D. XV. K. Aug. Rex ora Valentina soluens, classe ad Contestanorum promontorium, quod illa ipsa ætas Aliubii caput vocat, præteruehitur. Omisso enim Sardoo Almeriense sacrum bellum suscipit: cuius tam vicinæ expeditionis metu moti Mauri armati, paratique obuiam Regibus procedunt: ex diutino metu animis ferociores. Omnes præcipuæ vires aduersus Aragonios, quod maritimis classibus pollerent concitantur. Copiæ nostrorum omnes terrestres ad Aliubium coguntur. Ferdinandus Rex alio suas vires verterat. Ex Catalonia egregii copiarum ductores arcessiuntur Guilielmus, & Otho Moncadæ, Bernaldus Centillias, Guilielmus Anglesola, Gerardus Ceruilionius, Bernardus Cruilias, Berengarius Pucmultonius, Berengarius Portella, Pontius Ragiadelius, Petrus S. Vincentii, Bernardus Spesius, Petrus Queraltius, Acartus Murius, & Dalmatius Castellinoui &, Albertus Mediona. Cum numeri militares recenserentur ex nostris ordines duxere, militauereq; Petrus Ixeritanus nomine Aragonii Regis Ecclesiæ in exercitu signifer, & princeps, Aluarus Ferdinandius Alcanicienfis Præfectus, Iohannes Simenius Vrrea, qui Alcalatenensis præfecturæ, & Montacuti dominabatur: inter proceres primarius: & qui summum, & præstantissimum se ducem vniuerso exercitui præbuit: Petrus Martinius Luna, Ferdinandus Lupezius Luna, Petrus Ferdinandius Vergua, Sanctius Horta, Petrus Guilielmus Castellonus, & Fortunius Aznarius Castellonus, Gombaldus Tramacetius, Simon Focius, Guilielmus Podius, Iohannes Sanctius Antilionius Sanctii F. Simon Velazquius Aierbius, Lupus Gurrea, & Michaël Gurrea eius F. Petrus Pomarius, Lupus Sanctius Luna, Iohannes Vidaurius, qui Marianæ ditionis dominabatur, & Petrus Martinius Vidaurius, Michaël Peresius Gotorius, Rudericus Gometius Sesesius, Ferdinandus Lupezius Heredia, Garcias Simenius Embunus, Petrus Simenius Irancius tribunus militum, Berengarius, & Simon Tobiæ. Ex Valentino regno rem bellicam administrauere Iacobus Exerica, Iohannes Garcesius Lihorius, Petrus Iordanis Arenosius Gonzalui Simenii Arenosii F. Simon Peresius Arenosius, Berengarius Lanciolius, Gerardus Aquilonius, Gonzaluus Garcias Regi in primis carus: & Nobilis Carrocius: qui Rebolletiæ ditionis dominatum obtinuit.

Iulio mense decurso Iazbertus Castellinoui Vicecomes, quibus præfectus erat actuariis nauibus, & Maurisiorum Rex terrestri exercitu Septam Mauritanię, ad traiectum sitam vrbem adoriuntur: & vi expugnant: ingentique præda potiuntur.

K. Aug. Robertus Caroli Regis F. Hierosolymorum Rex, & Sanctia Regina eius vxor Auenione, magna celebritate à Pont. Max. diademate, & regiis insignibus decorantur. Arnaldus Villanoua nobilissimus, atque optimus huius ætatis medicus, & summo Pontifici carus, à Rege in Prouinciam Galliam ad Robertum legatur: qui suadeat, vti ius regiumque nomen Hierosolymitani regni ad Fredericum transferat: quod bellum sacrum suscipere summopere cōcupierat: si Robertus eam eroget pecuniarum vim, quam sibi cauerat, si Sicilię regno decedat: modo thesauri sacro bello Hierolymitano dicati, decumæq; Italicæ, & adiacentium insularum, in eam expeditionem conferātur. Robertus, neque tanti decoris splendorem amittere, neq; Siciliæ regno tot annos priuari, æquo animo potest induci.

A. D. XIIX. K. Sept. Rex ad Almeriam castra metatur. Vallo & fossa, maximo aggere, ac sepimento vallatus contra ascensum, atque transgressiones, & eruptiones hostium munitur. Regina Blanca virum ad sacrum bellum proficiscentem prosequitur: & Gui-

& Guilielmus Roccabertinius Archiepiscopus Tarraconensis, Simon Luna Cæsaraugustanus, & Raimundus Pontius Valentinus Episcopi, & alii Antistites Reginam comitantur. Is enim mos penitus insederat, & inueterauerat, vt Reginæ viros ad bella proficiscentes comitarentur.

Artallus Luna, qui Aragonii regni procurationi præfectus fuerat, & veteranorum militum agmina coegerat, magnosq; sumptus in rem militarẽ fecerat, continuis itineribus, vltra contra hostes castra facit. Is Lupi Ferrencii Lunæ F. Constanziam Peresiam Iacobi Peresii F. Petri Regis neptem vxorem duxerat: & Segorbiensis ditionis, & aliorum oppidorum, quæ dotalia susceperat, dominabatur: & egregie fortem, & bonum imperatorem præstitit. Aimericus Beluehinus, Raimundus Marimonius, & Bernardus Marquetius x. actuariis nauibus, & v. lembis Gaditanum fretum obsidẽt. Iazbertus Vicecomes Castelnouius apud Maurusiorum Regem tamdiu resederat, dum tertia pars portorii Mauritaniæ, quod Regi pendebatur, & Septenses manubiæ exigerentur.

Ferdinandus Rex A. D. VI. K. Aug. exercitus corona Algeziram Alhadræ in ipso freto sitam obsederat. x. nauibus longis freti traiectum tenet. Iazbertus Castelnouius Aragoniæ classis præfectus præsto Castellanæ classi coniungitur: vt hostium littoribus inuehantur.

Simul armis, simul operibus, machinisque oppugnari Almerienses cœpti, A. D. X. K. Sept. Granatensis Rex, omni regni equitatu, qui ingentibus turmis constiterat, & vario peditatu ad Almeriæ vrbis muros subsidia accelerat. Ingens, & tumultuosum certamẽ ab hostibus infertur: qui quanta maxima vi poterant, in nostros, equites concitant. Insigni animo, extra vallum prouolat Rex: atque infestis ordinibus in medium agmen hostium ruit. Cum signa contulissent, & summa vi niterentur, decertarentque, Mauri funduntur, fuganturque: & montibus auertuntur. Dum manus conseritur, qui vrbe eruptionem fecerant, vallum inuaserunt: regiorum castrorum partem conuellunt: & Ferdinandus Iacobi Balearici Regis F. excelsi, & inuicti animi adolescens, qui obsessis repugnaturus, in castris manserat, prẹstanti militum fortitudine, & eximia sua virtute furentes eorum impetus, conatusque coërcet: cum summis copiis castra oppugnarentur.

Cum regiæ classes fretum tenerent, & Iazbertus Ferdinãdianæ classi præesset, sinusque eos obsedissent, pars exercitus Castellani Gibraltari oppido, in Calpis radicibus sito potitur.

Rege Almeriam oppugnante, Petrus Marsilius ex instituto Prædicatorum expeditionis Almeriensis prosequendæ causa, ad Pont. Max. legatur: qui cum indigne, ne dicam temere, atque arroganter, legationis munus obiret, neque Pontificis imperium, vti par erat, reueritus esset, vinctus relegatur.

A. D. XIII. K. Octob. Pont. Max. nuntius Apostolicis litteris Regẽ cohortatur, vti Venetis omnib⁹ in nostris regionib⁹ cõmorantib⁹ perduellionis actionẽ intẽdat: quod Ferrariam ecclesiastici iuris vrbem, atq; ditionis Dux, Venetusq; senatus occupare niterentur: & in arcem Thebaldi, & alia vrbis propugnacula copiæ eorum militares irrupissent: cum Ferrarienses ciues Ecclesiæ dominatui obtemperantes Freschum Azonis Estensis Marchionis filium, qui parentem in custodiam intrusum necauisset, vrbe exterminassent. Die namque sacro cænæ Domini Pontifex Auenione dirarum imprecatione Venetos eius sceleris noxa contaminatos deuouerat: & eorum bona publicarat: ac sacrum bellum aduersus eos indixerat. Rex se operam daturum respondet, vt Veneti regia ditione expellantur: modo nostri homines Venetiis, & eius ditionis finibus egrediantur. Hugo Pontius Emporitanus Comes piraticam faciens, aliquot Venetorum naues diripit: atque euertit.

Id. Octob. M. leuis armaturæ equitibus Mauris, ex ea militia quos illa ætas equitatum Granatensis domus appellare consueuerat, robur, ac firmamentum regni, æquatam agri planitiem ante Almeriæ muros obtinentibus, ingentes Maurorum peditatus copiæ, ad XL. M. fuisse feruntur, continenti collium tractu, quod res posita in celeritate esset, castra regia incredibili impetu adoriuntur: oppugnantque: vt subsidiariis copiis introitus in vrbem pateat. Cum totam aciem nostri in hostes obuertissent, vniuersis viribus, primo impetu impulere: fusisque hostibus vniuersam eorum aciem auertere. In eo certamine Simon Peresius Arenosius, Garcias Simenius Embunus, & Martinus Baldouinus Cæsaraugustanarum copiarũ ductor fortiter dimicantes mortem occumbunt. Rex memoria digna accidisse proditur: vt qualis ratio militaris disciplinę, quam à maioribus acceperant cõstaret, intelligi possit. Nam cum Petrus Martinius Luna, qui Polę, & Almonazirii dominabatur, Simonis Cęsaraugustani Episcopi frater, princeps inter proceres, & insignis

AERA. NAT. CHR. virtutis præſtantia excelleret,neceſſe ei fuit, Regi iuriſiurandi ſacramento obteſtari publico in conſeſſu,ſe eo in prœlio, quo Simon Pereſius Arenoſius oppetierat, non interfuiſſe: neque vitæ conſulentem locum deſeruiſſe: vt quem tueri debuerat, deſertum à ſe pateretur. Præterea Martino Simenio Aiuario maieſtatis actionem conſtitutam ſatis conſtat: quod cum beneficio militari Simoni Pereſio Arenoſio obſtrictus eſſet, è prælio aufugiſſet: & quod probatione firmaſſet, ſe in acie non fuiſſe, iudicio liberatum.

Cum perendino die A.D.ſcilicet XV.K.Nou.denuo hoſtium equitatus, adiunctis pedeſtribus copiis ſubſidio Almerienſibus aduentaret: dum auxilium ſupra vires ſuas præſtare conantur,à noſtris funduntur:qui tumultuantem equitatus partem deiiciunt, deturbantq;.

Ferdinandi Regis exercitus in A.D.XVII.K.Dec. cum Algezirienſi obſidioni fortiter inſtitiſſet,Iohannes Regis patruus,Alfonſus Iohannis F. & Iohannes Emmanuel cognatione regii ſanguinis,& virium potentia præſtantes,aliiq; proceres, eorumq; aſſectatores,ad D. equites fuiſſe traduntur, cupiditatem ſuam potius, quam ignauiam ſimulantes caſtra deſerunt. Rex à ſuis deſtitutus, cum Granatenſi Rege paciſcitur, vt obſidione vrbe liberata,Queſada, Bedmariumq; oppida ſibi tradantur.

Nuntio Algezirienſis pactionis allato: Rex aliquot dierum indutias cum hoſte paciſcitur: & de captiuis omnibus reddendis, qui ex ditione regia ſeruitutem perpetiuntur, cum Granatenſi Rege conſtituitur.

Rege Almerienſi bello implicito,Rogerius Conuenas Arnaldi Hiſpani Conſeranenſis Vicecomitis F.bellum aduerſus Hugonem Mataplanam Palliarienſem Comitem gerit:multaq; in Catalonia turbantur:hereditatis Guilielmæ Moncadæ obeundæ cauſa.

1348. Rex in Almerienſi obſidione in A.D.VII.K.Feb. permanet: & Alicantũ regreditur:
1310. quo in loco Rex, & Iohannes Emmanuel gener congrediuntur. In eo bello Ferdinandi Balearici virtus egregia maxime enituit.

Maio menſe decurſo Rex Turolio Bernardum Fonollarium ad Clementem Pont. Max.legat:neq; leui de cauſa mandata perferuntur. Cõmittit,vt vna cum Iohanne Nunnio Larenſi ſuo,ac Regis Caſtellæ nomine ſummiſſe ſupplicet,ne permittat rem maxime atrocem,& indignam:vt in demortui Bonifacii Pont.Max. memoriam, famamq; iudicii periculum intendatur:aut acerba ſeueritate ſtatuatur:quod enixe,atq; impie Francorum Rex contendit. Neq; enim id fieri ius,faſq; videri poterat.

A.D.II.Id. Octob. Blanca Aragoniæ Regina Barcinone decedit. In cœnobio ſanctarum crucium ſepelitur.

1349. Algeziræ Valentini regni oppido Rex diem feſtum natiuitatis Domini celebrat.
1311. A.D.XIV.K.Iun.Cæſaraugſtæ inito conuentu,Iacobus Regis F.natu maximus Aragonenſibus irrogatas leges, regniq; ſcita,atq; inſtituta, patrioſq; mores, & quas libertates vocant,ephebus iureiurando ſancit.

Iulio menſe nuptiæ inter Mariã Regis natu maximam filiam, & Petrum Ferdinandi Caſtellæ Regis fratrem coniunguntur.

Florentini,& Lucenſes interuẽtu Gilaberti Cruilliæ,qui à Roberto Rege munus præfecturæ Romandiolæ obtinet,Regem hortantur, ſuadentq;,vt Sardiniæ regnum à tyrannorum dominatu vindicet. Vt aduerſus Henricum Imperatorem Regis auxiliis ſe ſuaque tueantur ampliſſimam pecuniam in ſumptus bellicos pollicentur. Ea tamen inferendo bello mora fuit,vt poſtea dubia,& ancipiti fortuna geratur.

Concilium ſacrum œcumenicum Viennam Galliæ prouinciæ vrbem indictum eſt, atq; coactum.

A.D.XVII.K.Nou.prima fit ſacri conuentus aſſeſſio: referuntque de Templariorum ordine abrogando. De ea re, quid fieri è republica eſſet,deliberant.

Rex ſedis Apoſtolicæ opem, operamq; precatur,atq; implorat:vt res maritimas,bellicaſq; in aſſerendo Sardiniæ regno, & Granatenſi bello reuocando, obire poſſit: quod ſumma benignitate Bonifacius, & Benedictus, eccleſiaſticas decumas in eos ſumptus largiendo, præſtiterant. Qualis rerũ Granatenſium ſtatus eſſet, Petrus Queraltus,Petrus Builius,& Guilielmus Aulomarius Regis legati,qui eius mãdato ſacro concilio interſunt, denunciant. Nam Pontifici Max.& ſollemni patrũ cœtui referunt, aſſeruntq; rem commemoratione poſteritatis maxime dignam. Cum Granatenſis ciuitas, eiuſque vrbis populus, illo ipſo tempore cenſeretur, ad CC. M. populum eſſe cenſum: vixq; quingentorum capitum numerum impleſſe,qui Mauri ſtirpe eſſent, reliquos vero patre, aut auo Chriſtianam fidem profeſſis genitos. Præterea L.M. cenſeri eorum hominum,qui fidem,pietatemq;

AERA. NAT. CHR.

tatemq; Catholicā eiurassent: & supra xxx. M. Christianorum in ergastulis, atq; lautumiis in custodias includi: atq; iis mortem quotidie ob oculos versari.

Darocæ Rex conuentus agit.

A. D. Id. Nou. in conuentu refertur: an Guilielmus Moncada Fragæ dominus ex proceribus Aragoniæ sit censendus. Simon Peresius Salanoua Præfectus Iustitiæ Aragonum de consilii Regis, & totius conuentus sententia statuit: ab eo conuentu alienigenam esse: quod Fraga intra Cingæ, & Sicoris ripas sita finibus Cataloniæ contineretur: quo in oppido, præcipuo iure sedem omnium rerum, & fortunarum suarum, domiciliumque Moncada collocauisset.

Ferdinandus Castellæ Rex, & Constantia Regina eius vxor, Iohannes Ferdinandi 1350
patruus, Petrusq; frater Calataiubii vna cum Rege festum natiuitatis Domini diem con- 1312
celebrant. Eo in oppido Petrus Mariam Regis filiam in matrimonium ducit: & Leonora Castellæ Regis F. Regi nurus traditur: quæ Iacobo primigenio nuptura erat.

Cum Rex Turoli degeret, & dies ludorum festos, indictis filiæ, & nurus sponsalibus celebrasset, Februario mense Conradus Verhebangus Græcis in Germania præfectus, Frederici Austriæ Ducis, & Stiriæ, atq; Carniolæ domini, Roberti Romanorum Imperatoris F. natu maximi legatus Regem conuenit: & de Isabella Regis F. Frederico in matrimonium tradenda renuntiat. Rex Valentiam confestim contendens, Februario exacto de dimittendo legato, & his nuptiis collocandis, quæ dignitatis plenæ visæ sunt, deliberat. Insigni enim Frederici virtute mouetur: principis iam pridem iuuentutis: & Franciscum Xarquium in Germaniam legat: vt Leopoldus, Albertus, Otho, & Henricus Frederici fratres legitimo iure ditionum auitarum, & hereditatis paternæ Frederico cedant.

Castellæ & Portugalliæ Regibus, super regnorum finibus diffidentibus, & præcipue de Serpa, & Mora, & Algarbiensi regno decertantibus, Rex tamquam honorarius arbiter statuitur. Satis constat re cognita, neque à Rege diiudicata, Algarbiensem regionem, quæ Ana flumine continetur, in ius, ditionemq; Portugalliæ Regis concessisse.

A. D. XI. K. Apr. Viennæ Pontifex M. priuato consensu, & consilio, Templariorum societatem dirimit: & scita, atq; instituta eius ordinis abrogat.

A. D. IV. Id. Apr. in consessu sacri concilii, præsentibus Philippo Francorum Rege, Carolo Valesio eius fratre, Ludouico Nauarræ Rege, & Philippo, & Carolo Regis Francorum liberis, abrogationis Templariorum instituti decretum in tabulas publicas refertur.

A. D. II. Non. Mai tertia sacri conuentus assessio celebratur: & concilium dimittitur.

Iacobus Balearium Rex peruigilio festi Pentecostes è vita excedit: cui Sanctius filius regni succedit heres.

SANCTIVS BALEARIVM REX.

Meninx, Cercinaque insulæ ditioni, ac iuri Regum Siciliæ deduntur. Raimundus Montanerius eius sæculi rerum a nostris principibus gestarum certus auctor Meningi, & præsidio in ea insula collocato præficitur.

Arana vallis, quam vltra Pyrenæi saltum amnis Garumna permeat, castellumque Leon, quæ bello Gallico occupata, præsidiisque interclusa à Gallis fuerant, à Francorum Rege pristino iuri, & ditioni Regum Aragoniæ restituuntur: Barcinonensiq; ciuitati contribuuntur.

A. D. VII. Id. Iul. Barcinone Sanctius Balearium Rex Iacobi Regis F. propria regni iura, potestatemq; Ruscinonensis, & Cæretanæ regionum, aliarumq; ditionum Balearico regno contributarum, Aragoniæ Regibus parta iurisiurandi fide sancit.

Fredericus Rex fœdus, quod cum Henrico Imperatore icerat, sancit. Cum Cisalpina Gallia, Etruria, ac Latium in armis essent, & Italia omnis bello arderet, ex quo Henricus exercitu præpotens Alpes transcenderat, bellum inter Fredericum, & Robertum diu præmeditatum commouetur: tantoque maiore, quam proximo conatu apparatum est, quanto plus simultatis inter affines Reges intercesserat: & peregrina iuuentus Germani, Galliq; atq; Hispani vtriq; operam suam pollicentes ad id bellum confluunt: & ad partiū studia non Itali modo, sed exteræ nationes concitantur.

Iohannes Grauinæ Comes Regis Roberti frater, magnis Aragonensium, & Catalanorum copiis in Latium inuadens, & in vrbem inuectus Capitolio, Hadriani mole, Crescentini turrim postera ætas, nunc S. Angeli vocant, & Vaticano potitus, arces eas presidiis obstruit: vt Henrici aduentū, perturbatis sollēnibus coronæ Imperii capessendæ indictis,

AERA. coërceat. Pugnatur acriter ab iis cohortibus, & Columnensi factione, quæ Henrici partes tuentur: & Lateranensem ædem, Titi Amphitheatrum, Coliseum vocant, & Pantheon, diuersaque alia templa, & domus obsederant: & præsidiis sepserant. Cum præcipiti furore, atque armorũ impetu concertaretur, & vtrimque magnæ concurrerent copię, K. Aug. Henricus Lateranensi in æde insignibus regiis decoratur. Ex eo Robertum sibi, & Imperio hostem pronuntiat. Fredericus Rex amplam occasionem nactus Roberto bellum infert.

NAT. CHR.

A. D. VII. Id. Septemb. Ferdinandus Castellæ Rex moritur repentino.

1351.
1313

Exacto Decembri mense, Petrus Calataiubii Regem socerum conuenit. Exposcit vti suas partes in eo contentione tueatur, quæ illi super tutela legitima Alfonsi Regis Castellæ, qui infans remanserat, vertitur: in cuius tutelam deuenerat. Super ea controuersia, infensis animis decertant Petrus ipse, & Iohannes eius patruus. Ciuitates omnes partibus inficiuntur.

K. Aug. Fredericus Rex ingenti coacto exercitu fretum traiicit. Regium, quod circumsederat, aliaque Bruttiorum oppida deduntur. Quamuis initio magna auxiliorum spe arma ceperat, tamen bellum suo consilio initum, suis viribus exequitur. Huius motus causa Rex ab inuadenda Sardinia desistit: cuius adipiscendæ magna se obtulerat occasio.

A. D. IX. K. Sept. Henricus Imperator Bonconuento è vita excedit: cum Fredericus Rex magna adornata classe Pisas appulisset: vt Henricum principesque Gibellinæ factionis sibi deuinciat. Cum Imperii partium spes eum frustrata esset, & in Siciliam reuehitur: maximis subito coortis tempestatibus iactatus, A. D. III. Id. Nou. XXXIV. actuariis Drepani portum tenet. Robertus omnem sui regni conatum, & Welphæ factionis vires in Frederici perniciem parat.

A. D. II. Id. Octob. Barcinone sponsalia Isabellæ Regis F. Rodolpho Lichtenstenio, & Henrico Balsio Frederici Austriæ Ducis legatis apparato regio dantur.

A. D. XV. K. Nou. Fredericus Austrius ab Archiepiscopo Coloniensi, Rodolpho, & Ludouico, iuniore Baioariæ Ducibus, Waldemaro Bandamburgensi Marchione, & Alberto maiore Saxoniæ Duce in Romanorum Regem sufficitur. Reliqua electorum factio ab iis dissidens, & partibus infecta, Ludouicũ Ducis Baioariæ fratrem deligit.

A. D. XVII. K. Dec. Isabella noua nupta Gerundensi Episcopo, & Philippo Salasso Regis Iacobi consobrino comitata ad Fredericum virum Romanorum Regem proficiscitur. Prouincia Narbonensi Allobroges transgressi, in Tiroliam regionem iter faciunt.

Cum Fredericus Siciliæ Rex Ferdinandum Balearicum patruelem fratrem Societati Catalanorum, quæ Callipolim pręsidiis, armisque munierat, quorum res ad summã desperationem peruenerant, imperatorem pręfecisset: indeque signa mouissent, summa inter Berengarium Entenzam, & Roccafortium duces, & eorum cohortes exoritur dissensio. Tumultuante exercitu, cum armis in eo esset turbatum, Entenza, cui inter duces, & virtutis laude, & generis primæ partes deferebantur, interimitur. Balearicus insanientem, ac temerariam militiam subterfugiens, cum in Siciliam IV. actuariis nauibus velificaretur, in Eubœa, quæ Caroli Valesii imperio parebat, interceptus Gaulterio Brennæ Athenarum Duci traditur: & in Atheniensem arcem, quam Santomerium vocant, includitur: donec ad Robertum Regem affinem perduceretur.

Bernardo Roccafortio, & Alberto eius fratre à Theobaldo Sipoisio Eubœę præfecto interceptis, cum Catalana Societas imperatore castrorum, ac duce careret, Macedoniam que percurrissent, tanta celeritate vsi sunt: vt prius in Atticam cum copiis peruenerint: & in capite, atq; ceruicibus eius gentis restiterint: quam alio fine certamine amoueri poßet. Dum sperant Athenarum Ducis stipendia merere, is coacto exercitu, vt suis finibus insolentissimas, atq; egentissimas copias à progressu arceat, obuiã festinus procedens, prœlio commisso, occidione occiditur: & eius exercitus internecione profligatur. Catalani & Athenarum vrbe, & Attica terra potiuntur: & fortunis, diuitiisque Francorum, per tot sęcula quæsitis locupletati, connubia, & affinitates nobilium Gallicæ gentis mulierum sequentes, quasi in domicilium suum peruenissent, neque regionibus exclusi intra aliena Arma recidißet, stabilẽ sedẽ omniũ rerũ, & fortunarũ suarũ Athenis ipsis Atticis collocãt.

1352. Id. Ian. Clemens P. M. cum Montellis ad Carpentoractum degeret, nuntium ad Regem delegat: cohortans, vt Catalanorum copias ex terra Attica demoueat. Id vero tem-
1314 poris iam ea natio dominum, ducemque sibi adsciuerat Manfredum Frederici Regis F. & Fredericus Alfonsum Fredericum F. cum X. actuariis nauibus, & auxiliariis cohor-

cohortibus in Atticam pręmiserat: qui summę rerum præficitur. Libet litteras Pontificias adiungere.

AERA. NAT. CHR.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Iacobo Regi Aragonum illustri salutem, & Apostolicam benedictionem. Abolim clamor validus, & multiplicitas querelarum de partibus Ducatus Athenarum prouenientes Apostolicum pulsarunt auditum: immo nos, qui sicut in cunctorum fidelium pace quiescimus, & tranquillitate lætamur, sic in eorum inquietudine, & oppressionibus, quas pestilentiæ inducit hostilitas, multum offendimur, grauissime in intimis perturbarunt. Habet enim eiusdem clamoris iam pluribus annis præteritis continuata, & accumulans mala malis assertio: quod nonnulli, qui olim ad partes illas credebantur in fauorem fidelium accessisse, & à quibus spectabantur eorundem fidelium partes defendi, non exercentes eorum vires in exteros, sed in Ecclesias, & personas ecclesiasticas, eosdemque fideles, pro dolor, conuertentes, in propria catholicorum viscera immisericordi crudelitate desæuiunt: & in Ecclesias, ac fideles eosdem, eorum conatus illicitos exercentes, eisdem grauioris depopulationis iacturam, & crudelium hostilitatum insultus, non absque personarum excidiis, ac Ecclesiarum, & bonorum ecclesiasticorum, & fidelium illarum partium incendiis, spoliis, & deprædationibus inferunt: quã fuissent, quantũlibet peruersi hostes fidei eisdẽ fidelibus illaturi: & quod horribilius est vt licetius possent mala huiusmodi perpetrare, societatem ad inuicem contraxerunt: ex quorum quidem consortio, quod horrenda peruenerint, status illarum partium miserabilis manifestat. Nam inter innumerosa scelera, quæ in illis partibus perpetrarunt, quondam Gualterium de Brenna Ducem Athenarum, qui ad defensionẽ dictorum fideliũ, tamquam Christi verus athleta, & fidelis pugil Ecclesiæ, aduersus græcos schismaticos laborabat, nequiter occiderunt: filios eius pupillos, & nobilem mulierem Iohannem de Castellione relictam eius viduam hostiliter impugnantes, bona eorum, & Ecclesiarum, ac personarum ecclesiasticarum, multorumq; aliorũ fidelium illarũ partiũ, data in prædã, & diripientiũ spolia occuparunt: ac in personas, tã ecclesiasticas, quã alios fideles innumeros funestis exertis gladiis, strage data, eorum sanguinem immisericorditer effuderunt: à quibus horrendis sceleribus nondum cessant: sed clades cladibus continuando, hostilitatis execrandis incursibus dicuntur cõtinue cumulare. Cum itaque maior pars societatis eiusdem de regno tuo traxisse dicatur originem, tibiq; ex eo, quod in dicto regno maiorem partem fortunarum suarũ, ac filios, & propinquos, ac domicilia habere dicuntur, pariturі sperentur, tamquam eorum domino temporali, & tam celsitudinis tuæ, quam vniuersorum fideliũ quos fidei zelus angit, intersit huiusmodi pestilenti sæuitiæ reproborũ solicitis studiis, celeribus, & opportunis remediis obuiare, Serenitatem Regiam rogamus, & obsecramus in Domino, tibi in remissionẽ peccaminum iniungẽtes, quatinus pie considerans, quam sit meritorium apud Deum, partes illas cultas fidelibus, ac tot sollemnes Ecclesias, & alia innumera pia loca, ecclesiasticasque personas partium earundem, ab huiusmodi peste, & exterminio liberare: vniuersis de regno, & terris tuis in dicta societate morantibus, sub certis temporalibus pœnis, prout celsitudo tua expedire cognouerit, des per tuas litteras in mandatis, ipsos alias salubribus monitionibus, & hortationibus inducendo, vt partes illas, castra, terras, & villas, ac loca quæcumque, quæ in dictis partibus fidelibus abstulerunt, & occuparunt, & detinent occupata, Ecclesiis, & nobilibus, aliisque fidelibus illarum partium, quorum esse noscuntur, libera, & expedita dimittant: nec deinceps in præiudicium partium illarum societati adhæreant supradictæ: sed partes ipsas omnino dimittant: ad illas, in præiudicium fidelium, eas habitantium, nullatenus reuersuri: preces huiusmodi quas magnitudini tuæ ex corde dirigimus, sic grato, & intento percepturus intellectu, sicque ad votiuæ exauditionis effectum sollicite, & efficaciter admissurus, quod præter retributionis æternæ præmium tibi exinde, absque dubio prouenturum, tuæ in hac parte, piæ, & perutilis interpositionis instantiam innumeris proculdubio fidelium populis profuturam, dignis in Domino possimus prosequi actionibus gratiarum. Dat. Montiliis Capentoractenn. diœc. XIX. K. Febr. Pontificatus nostri Anno Nono.

Tamen Alfonsus Frederici Regis F. cũ Bonifacii Veronensis viri summæ in Euboea insula potentiæ filiam duxisset, multa stabilitatis suæ præsidia, in ea ditione asserenda, constituit.

Meninx, & Cercina insulæ in Frederici Regis ditione, ac regno, Rogerio, & Carolo Rogerii Lauriæ filiis, & Rogerone nepote Caroli F. mortuis permanent. Buiahia Zacharias Almiri Abulabesii F. Tunetensis Rex, qui ab Almiriis Raxendiis longe cognationem repetebat, in singulos annos V. M. aureorum nummorum, quos duplices vocant, Aragonię

AERA. NAT. CHR.

Regi pendere obstringitur. Guilielmus Raimundus Moncada, Siculis, & Catalanorum copiis, quæ Tunetensia propugnacula constituerant, præficitur.

Aprili mense exacto Valentiæ Nimiocensis Episcopus, & Hugo Baduinius Henrici Cyprii Regis legati paciscuntur, vt Maria Cyprii Regis soror natu maior Regi nubat.

Sacro, festoque Pentecostes die Isabella Aragonia Frederici Romanorum Regis vxor, Basileæ insignibus regiæ coronæ ornatur: atque vna Leopoldi Frederici fratris nuptiæ concelebrantur: qui Amadei Sabaudiæ Comitis Catharinam F. in matrimonium ducit.

Ermengaudus Caprera Vrgellitanus Comes Iulio mense decedit. Testamento Theresiam Entenzam sororis filiam heredem scribit, modo Alfonso Regis F. nubat.

A.D. V. Id. Aug. Robertus Rex maxima adornata, instructaque classe, oram Siciliæ prope Panhormum, inter Carinim, & Castellum, quod maris sinus vocant, interiectam tenet: matre, atq; vxore comitibus: & Philippo Tarentino, & Iohanne Achaiæ principibus fratribus sociis, & bellicæ expeditionis consortibus adiunctis. Fredericus Rex in intima Siciliæ regione ad Ennam, Castrum Iohannis vocant, commorans, eadem die Regis Siciliæ cognomen, quod deposuerat, sumit. Nec finem alium belli, quam victoriam videns, non impetu potius, quam perseuerantia gerit.

A.D. XVII. K. Septemb. Robertus terra, mariq; Drepanum obsidet.

Septembri mense Ilerdæ Rex ad Soldanum Babyloniæ Guilielmum Casanatalem, & Arnaldum Bastidam legatos mittit: de Christianis captiuis, ab hostibus, è seruitute redimendis: quorum magnum fuisse numerum constitit: nostris commercii causa, tota Asia, ac Syria, & Ægypto longe lateq; peregrinantibus. Rara dona ex vltimis terris, à Rege missa tyranni animum deliniuere. Pollicetur captiuos se dimissurum: potestasq; permittitur iis, qui mansissent, templa, atque Ecclesias construendi: & vti sacra fierent, atque celebrarentur.

Octobris mensis fine Fredericus Rex, magno coacto exercitu, ex S. Georgii campis procedens, ad Erycinum montem, S. Iuliani vocant, Ferdinandi Balearici copiis coniungitur: vt terrestri exercitu classeq; hostes adoriantur.

A.D. IV. Id. Nou. Ilerdæ nuptiæ Alfonsi Regis F. qui XIV. agebat annum, & Theresiæ Entenzæ Vrgellitanę ditionis heredis celebrantur.

A.D. XVII. K. Ian. Regina Roberti Regis mater, & Sanctia vxor, pacis inter affines Reges conciliandę administræ, inducias in K. Mai proximas, & ex ea die inuertentem annum paciscuntur: quibus magnopere Fredericus releuatur: quod plures annos ab hostibus exagitatus, bello intestino premitur. Induciæ interuentu Thomę Marzani Scylacensis Comitis, Regis Roberti legati, & Comitis Richardi Pasaneti, quem Fredericus Rex legauerat, sanciuntur.

Catanæ primo Apr. mensis sabbatho nascitur Iacobus Ferdinandi Balearici F. & in-
1353. tra alterum, & tricesimum diem Isabella eius parens decedit. Ea heres legitima principa-
1315 tus Peloponnesi erat, Iacobus ad auitum Balearium perueniet regnum. Ferdinandus Balearicus classe instructa in Peloponnesum transmittens, Clarentiam primariam vrbem vi expugnat. Auxiliaribus Catalanorum societatis copiis, qui Atticam præsidiis deuinxerat, adiunctis, Peloponneso omni potitur, Cyprii Regis sobrinam vxorem ducit: quæ Ferdinandum filium genuit. Is Eschiuam Hugonis Cyprii Regis filiam ducet. Ferdinandus vero pater, tot laboribus bellicis susceptis, periculisq; aditis, cum rerum gestarum præmium, gloriam ipsam esset consecutus, breui in medio cursu, è vita excedit: princeps ad summam dignitatis gloriam natus: cuius obitu Peloponnesiacæ res pessum iere.

A.D. V. K. Dec. Maria Cyprii Regis soror, quæ Regi nupta erat, Emporias appellit. Gerundæ & nuptiarum sollemnia, & insignium dignitatis regiæ capessendorum celebrantur. Reginam comitatu regio prosecuti sunt Balduinus Famaguſtēsis Episcopus, Nicolaus ex S. Bertino Paphi ciuitatis gubernator, Robertus Ardianus Syrorū Cypriorum regulus, & Petrus Legaunus Cypriæ classis præfectus.

1354. Februarii mensis fine iam induciæ exierant: quæ pactæ inter affines Reges fuerant.
1316 K. Mart. Frederici copiæ castellum, quod maris vocant: in Panhormitano sinu obsident: Bernardo Sarria ductore. Pertinaciter ab hostibus defensum A.D. XVIII. K. Mai vi expugnant.

A.D. IV. K. Mai Tarracone Rex Petrum Ferdinandium Ixaris dominum patruelem fratrem animi magnitudine, & rei militaris scientia præstantem legat oratorem: de pacis conditionibus inter Robertum, & Fredericum Reges referendis.

A.D. VI. Id. Aug. Thomas Marzanus Scylacii Comes LXX. actuariarum classem ad Drepa-

Drepanitanam oram appellit: & Gallico exercitu ad Lilybæum promontorium exposito, AERA. oppidum Marsalam vehementissime oppugnant: & Francisco Intemelio Giracensi Comite, & Gilaberto Apilia acerrime repugnantibus, per eos vrbs obsidione liberatur. Horribili armorum strepitu tumultus, ac bellum tota Sicilia commouetur. NAT. CHR.

A. D. IIX. Id. Sept. Iohanne XXII. ad Pontificiam dignitatem euecto, Rex Ilerdæ Pontium Barcinonensem Episcopum, & Vitalem Villanouam oratores præmittit, de iure regni Sardiniæ, & Corsicæ fidei sacramento, Ecclesiæ, vt mos est, subiiciendo. Si transigi de pace, inter Robertum, & Fredericum posset, Regis partes, operamq; pollicerentur. Inter alias fœderum conditiones regio mandato renunciant: vti pro Siciliæ possessione, ac iure, de Macedoniæ regno, Albaniam vocabant, & Peloponnesi principatu Frederico attribuendis Pontifex constituat: & vt Dyrrachium regni caput, aliæq; vrbes, quas Iohannes Roberti frater inuaserat, Frederico statim tradantur. Hæc Pontifex, tamquam vana afferrentur, aspernatur: firmatq; Burgundiæ Ducem in Peloponnesi ditionem ius sibi asserere: deq; ea re eius legatos mandata edidisse.

Petrus Luna Cæsaraugustanus Episcopus.

A. D. VII. Id. Apr. Auenione Iohannes P. M. Ludouicum Tolosatium Episcopum, Re- 1355. gis Roberti fratrem, inter diuos, cælestesq; viros colendum sancit: eiusq; nominis comme- 1317 moratio, æternaq; memoria consecratur. Litteris Pontificiis ea res testata Regi est.

IOHANNES Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Iacobo Regi « Aragonum illustri salutem: & Apostolicam benedictionem. Habes fili carissime vnde « Domino Deo tuo in vocem exultationis, & confessionis erumpas: exultes in eo: & fatea- « ris humiliter tibi, & domui tuæ de immenso ipsius dono concessum, quod inclita domus « Siciliæ, cui & consanguinea propinquitate, & affinitate propinqua coniungeris, virum « produxit Angelicum, consortem gloriæ Angelorum: cuius sperare potes in cælis patroci- « nio, fauore apud Homines, & apud Deum intercessionibus communiri. Etenim magni- « tudini tuæ ad gaudium intimamus, quod adueniente nuper Paschalis corporis puritate, « die Iouis videlicet, post festum resurrectionis Dominicæ venerandæ memoriæ LVDO- « VICVM Episcopum Tolosanum germanum claræ memoriæ Blanchæ Reginæ Arago- « num coniugis tuæ, quem omnipotens Dominus, propter illius merita gloriosa conciuem « Sanctorum, domesticum suum, & ęternę beatitudinis possessorem effecit, de fratrum no- « strorum, & nonnullorum prælatorum, tunc apud Sedem Apostolicam existentium con- « silio, & consensu canonizatione sollemni Sanctorum catalogo duximus adscribendum. « Tu ergo fili gratias agens altissimo, qui in sublimatione confessoris eiusdem, tam immen- « sis benedictionibus te præuenit, in odorem vnguentorum suorum currere propera: sicq; « ad exemplar cõfessoris ipsius bonis operibus vacare procura, quod tandẽ vna cũ eo side- « reas mansiones incolere merearis. Dat. Auenione XVII. K. Maii. Pont. nostri anno Primo. «

Iunio mense Pontificis Maximi, & Regis, & Isabellæ eius sororis Portugalliæ Reginæ internuntii, inducias à Roberto, & Frederico obeundas, atq; obseruandas in festum Natiuitatis Domini diem, & ex ea die in tris annos sequentes paciscuntur. Eæ induciæ præconis voce Panhormi A. D. X. K. Iul. prædicantur.

Fredericus internuntiis Apostolicis, & legatis regiis Rhegium, & arces, quæ in Bruttiis præsidiis munierat, tradit. Hoc ipso tempore Henricus Cyprius Rex Constantiã Frederici Regis natu maximam filiam in matrimonium ducit. Ludouicus Francorum Rex actionem, litemq; Sanctio Balearium Regi de iure, ac ditione Mompellerii dominatus intendit: & iudicio in Parisiensi senatu, in diem certam sisti imperat. Interuentu Aragonum Regis mox ab ea causa desistit. Ordo, conuentusq; militiæ S. Mariæ, & S. Georgii in Valentino regno, à Pontifice Maximo Montesæ institutus. Guilielmus Erilius ei ordini Magister præficitur.

Marchesia Theobaldi Nauarræ Regis, & Marchesiæ Lupeziæ Radæ F. Petri Ferdi- 1356. nandi Ixeritani Regis Aragonum patrui vxor cœnobium Cæsaraugustæ, ad Hiberi amnis 1318 ripas, S. Nicolai templo continens construendum, exædificãdumq; curat: & Sanctimonialibus ordinis Hierosolymitani Sepulchri dedicat.

A. D. II. Id. Iul. Pont. Max. Auenione Cæsaraugustanam Ecclesiam, quæ Episcopi iurisdictionis, munerisq; erat, primi Episcopatus honore, dignitateq; promouet. Oscensis, Turiasonensis, Pompelonensis, & Calagurritana Ecclesia primariæ attribuuntur: quæ antea Tarraconensi prouinciæ contribuebantur. Ad hæc, quod inter Toletanum, & Tarraconensem Antistites, de Albarrazinensi diœcesi controuersia esset, atq; suis vterq; limitibus contineri contenderet. Pontifex eorum iuris atq; ditionis exortem relinquit: & Cæsaraugustanæ metropoli attribuit.

AERA. NAT. CHR.

Petrus Luna Cæsarauguſtanus Archiepiſcopus.

A.D.IV.K.Auguſt. Gerardus Roccabertinius,& Vitalis Villanoua Regis legati Auenionem obeunt: & in tractandis conditionibus pacis inter affines Reges, ſtudium, & egregiam operam nauant. Neq; adfuere Reges: vti conuenerat. Franciſcus Antiochenus Archiepiſcopus Panhormitanus,& Franciſcus Intemelius Giracenſis Comes Frederici oratores legationem renuntiantes,tanquam æquam condicionem iacerent, de Anconitana regione,quam Marcham vocabant,aut Romandiola Roberto,à ſede Apoſtolica cōdonanda,atq; attribuenda,referunt:offerūtq; vltra vetus tributū,Fredericum in ſingulos annos IV.M.vnciarum Regni Siciliæ iure ſibi reliquo,Eccleſiæ penſitaturum: aut ea conditione Sardiniæ,& Corſicæ regnum Regi Roberto tradatur: dum æqua commodorum, & honoris compenſatio Aragonio Regi fieret. Confeſtim Roberto Genuam properante, & partium Welpharum robora ad ſe conducente, vniuerſa Italia noui belli fremitu exardeſcit: diſcordiaque ira acerbior inter Reges excitatur: & incitatiores ad bellum vrguendum feruntur. Welphorum partes proſequuntur Grimaldi, Flīſci, Saluagii, & Malaucelli. Frederico autem Regi ſe applicuere Oriarum, & Spinularum familiæ: & vniuerſa Gibellinorum factio: & cum in vrbe armis decernerent, Conradus Oria eius factionis princeps, & Spinulæ, eorumque aſſectatores armis fugati, pulſiq; è ciuitate in exilium recipiuntur. Cum Artallus Alagon, & Simon Cornelius factione,& contentione partium, ancipiti certamine diſtracti regnum ipſum diuellerent, & maiorum inſtituto, ac lege Regi permiſſum eſſet, factioſorum hominum audaciam coërcere,vt à bello gerendo abſtinerent: & Rex Simonem Pereſium Salanouam Iuſtitiæ Aragonum Præfectum conſuluiſſet,quid ſibi faciendum eſſe cenſeret,& ab eo reſponſum,atque decretum tuliſſet,Rex edicit,vt aſſectatores ab armis diſcedant. Quod ingens vbiq; tumultus eſſet, atq; trepidatio,datur opera,vti de ea re,qua controuerſantur,Regem iudicem ſumant.

1357. 1319. Magnæ ſeditionis incurſiones,nobilium diſſenſione in Catalonia fiunt: Alfonſo Regis F.Vrgellitano Comite vnius factionis principe auctore: alterius vero concitatoribus Raimundo Fulchone Vicecomite Cardonenſi,& Raimundiolo, & Guilielmo eius filiis, ac Raimundo Cardona Vicecomitis conſobrino, qui Torani dominabatur, & Malgaulino Comite Emporitano. Res ad compoſitionem deuenit: Iohanne Alfonſi fratre, qui Archiepiſcopus Toletanus creatus fuerat,ſe in eam pacificationem interponente. Ex A.D.XIIX.K.Sept.in induciis res fuit.

Non.Sept.Balaguerii naſcitur Petrus Alfonſi,& Thereſiæ Entenzæ Vrgellitanæ Comitis F.Regis N.Quamuis ſeptimo menſe genitus,& corpore eſſet,& natura imbecillior, patri ſuccedens,vltra quinquageſimum annum regnat: cuius ingeniū ad oſtentationem ſæuitiæ præferox inuiſum fuit.

A.D.XII.K.Dec.Barbaſtri Simon Pereſius,Salanoua Pręfectus Iuſtitię Aragonū cum Rex per litteras eū cōſuluiſſet,an lege,moreve,& inſtituto maiorū Raimundo Cardonę Torani domino,ex Catalonię proceribus alterius principis auſpiciis,ſtipendiisq; militare ſe inuito, & recuſante ius, faſq; eſſet,quod in Italiam profectus, & Roberto Regi ſe addicens eius claſſi,exercituiq; præfectus eſſet,reſponſum tulit, militaria iura, atq; beneficia, ſtipendiaq; equeſtria legitimis cauſis,à Rege abrogari proceribus poſſe.

A.D.XIX. K.Ian.Tarracone publico in conuentu Rex decernit,ſancitque, vti dominatus,atque imperium, iura, vectigalia regia regnorum Aragonenſis, & Valentini, & Barcinonenſis comitatus ita inter ſe cohæreant communi regno, vt diſſolui, ſeparative, aut ſeiungi nullo pacto poſſint.

Cum Iacobus Regis F.in procuratione regni rem publicam non comiter, ſed horridius,& plerumq; formidatus adminiſtraſſet, & natura non moderata, & miti, ſed aſperior, & durior haberetur ſeueriſſimi imperii iuuenis, paucis ante diebus factis ſponſalibus, non præceptis ſolum patris, ſed precibus contumaciter reſiſtens, tametſi nuptiarum fœdera ſancirentur, patri denuntiat: ſe voti reum eſſe, ne rempublicam gerat: regnumve adminiſtret. Religione etiam obſtringi confirmat, ne vxorem adiungat. Abhorrente & tergiuerſante patre, tandem cum A.D.X.K. Ianuar. emancipatus eſſet, Tarracone, in cœnobio fratrum Minorum,Rege conuentibus aſſidente, hereditariam regni ſucceſſionem abrogat: & ordines regni iuriſiurādi ſanctione,ac vinculo,quo illi, vt primigenio regnorum heredi deuincti erant, ſoluit. Eodem temporis momento veſtitus ſocietatis Hieroſolymitanæ mutatione, regalem ornatū deponens, coram Bernardo Solerio,qui eum veſtitu Hieroſolymitano cinxit, eius ordinis ſacram militiam ſollemnibus cærimoniis profitetur: præſentibus Iohanne fratre Toletano, Simone Luna Tarraconenſi Archiepiſcopis, Berengario Auſetano Epiſcopo, & Raimundo Emporitano Cataloniæ Priore

Hiero-

Hierosolymitanæ militiæ præfecto, aliisque primariis eius societatis viris. Post aliquot AERA.
menses ex Hierosolymitano habitu, atque vestitu in Montesanę societatis sacra desciscit: NAT.
atque deflectit: cuius instituto, reliquo vitæ tempore inseruiuit: & regia dignitate, & CHR.
capite deminutus. Vidit hæc ætas, quod ex omnium sæculorum memoria aliquando commemorari mirificum esset: tris regios adolescentes religioni deditos hereditaria regna abiecisse. Sed Ludouicus Caroli Regis, & Iacobus Iacobi Balearici filii ex instituto D. Francisci se perpetuo acerbæ, atq; austeræ vitæ addixere: hic noster voluptatibus, quæ prima ætate compressæ, atque constrictæ fuerant, cum vitam suam, veluti quibusdam vinculis solutus omni intemperantiæ dedidisset, subito se profundens, ignauiæ, atq; desidiæ plenus in turpissima inertia delituit.

Eo actu transacto tam re, quam dictu inopinato, atq; mirabili, illo ipso temporis interuallo Alfonsus Regis F. tamquam legitimus heres, atq; regnorum successor adsciscitur: & fratres germani, aliiq; proceres manus osculo dominationem, ac principatum hereditarium illi deferunt: & in futuri Regis verba patre vita functo adiguntur.

Varia in aliis principibus hoc ipso tempore ratio, ac dispar condicio rerum nouarum causa exstitit. Dionysius Portugalliæ Rex, & Alfonsus eius F. qui patrem regno euertere summe concupiuit, capitali odio ita inter se dissident, vt armis, & castris dimicent, Rex Sanctium fratrem pacificatoria legatione ad affinem Regem præmittit: neque Alfonso persuaderi potuit, vt ius suum impietate, & scelere quæsitum armis persequi desistat.

A.D. VII. K. Iul. Cum Petrus Regis Castellæ patruus, & Iohannes Sanctii Regis frater 1358.
germanus, satis magno comparato exercitu Granatensium fines incurrissent, & Solorii 1320.
montis radicibus Granatam vrbem obsidione premere, & vastitate terrere niterentur, Ozminius strenuus hostium dux, & ea tempestate inclitus, qui omnibus præsens periculis semper nostros lacessierat, regio Granatensis domus equitatu obuiam procedens, ingenti impetu prœlium conserit. Nostris signa, ac manus continenti spiritu conferentibus, regii ductores, neq; pulsis, aut dissipatis suorum copiis, æstu, & solis feruore exanimati, neque vllis vulneribus confecti, aut sauciati mortem occumbunt. Insignis ea clades fuit: quod ipsorum ducum tam præclara edidit funera.

Oriatum, & Spinularum familiæ, omnisq; Gibellinorum factio, qui Genua extorres profugerant, dominatui, & patrocinio Regis Frederici se dedunt, subiiciuntq;.

A.D. XVI. K. Aug. Fredericus Rex Messanæ conuentum agit. Neq; iam bellum suis finibus excipere, aut finitimis populis indicere, sed maiore inde mole cum longinquis hostibus gerere parat: vt non modo arcere, sed vltro etiam inferre posse videatur. XL. actuarias naues in sinum Ligustinum nauigare imperat: vt sociis opem ferant: extorresq; domum deducant. Siciliensem classem XI. Genuenses naues sequuntur Conrado Oria præfecto. Summus Pontifex, & Robertus Rex, quiq; Welpham partem, causamq; sequuntur in prouincia Gallia, Neapolitaniq; regni littoribus LV. actuariarum classem ædificant, ornantq;: eaq; celeriter effecta, Raimundo Cardona præfecto ad Italiæ litora appulsa Genuensibus rebus subsidio accurrere nituntur.

Septembris mensis initio, cum Frederici classis Genuensem portum appulisset, terra, mariq; Siculi, & Genuenses extorres vrbem oppugnant. Castrucius Antelminellius, qui Lucensibus dominatur, & Frederici partes susceperat, vir bellica laude, & rerum gestarum gloria insignis, subsidio oppugnatoribus terrestri itinere aduenerat. Cum ab obsessis insigni virtute propugnaretur, non operum iactura, magno molimento factorum, non tædium longinquæ oppugnationis, non hiemis vis ab vrbe circumsessa classem regiam amouere poterant. Vicit tandem obsessorum virtus: & dubia oppugnandi spe classis Sicula Ligustinam oram hostiliter populatur: Vulturium oppidum vi expugnat: & Nouembris mensis initio in Siciliam nauigat.

A.D. XVII. K. Octob. Cæsaraugustæ, Rege Aragonensibus conuentum celebrante, Alfonsus F. vti heres legitimus regni successor renuntiatur. Conuentu dimisso Rex Leonoram, quæ Iacobo filio in matrimonium collocata fuerat, diremptis sponsalibus Calataiubium deducit. Inde ad Mariam Castellæ Reginam auiam referunt: quæ Alfonso ipsi postea nubet.

Hoc anno Iohannes Regis F. qui ad Archiepiscopi Toletani dignitatem euectus fuerat, Ilerdæ Simone Luna Tarraconensi, & Petro Luna Cæsaraugustano Archiepiscopis assistentibus consecratur. Cum in eorum Antistitum prouinciis, Hispaniarum primarii munere fungi Iohannes contenderet, Tarraconensis, & Cæsaraugustanus in dignitate ea commoti Iohannem ecclesiastica censura execrantur: & populos qua commearet,

AERA. NAT. CHR.

sacris interdicunt. Rege ipso Iohannis patre Cęsaraugustæ conuentus agente, Iohannem
vrbem Labari insignibus obeuntem Petrus Cæsaraugustanus Antistes sui muneris, reli-
gionisq; pietate defunctus, priscarum sanctionum exempla persequens ecclesiastica exe-
cratione deuouet. Cum Rex insignem iniuriam, & ignominiam se præsente, filio imposi-
tam Pontifici Maximo conquestus fuisset, de ea re id responsum Pontifex reddit: quod
non alienum visum est hoc in loco apponere.

IOHANNES Episcopus seruus seruorum Dei Carissimo in Christo filio Iacobo Re-
„ gi Aragonum illustri salutem: & Apost. ben. Personam tuam fili carissime à gratiarum di-
„ stributore omnium adeo gratiis variis nouimus illustrari, quod dicta, & facta hominum
„ ex personis ipsorum, & aliis circumstantiis debitis nosti pensare debite: ac de illis recto iu-
„ dicio iudicare. Sane fili si personas venerabilium fratrum nostrorum Tarraconensis, &
„ Cæsaraugustani Archiepiscoporum attenderis diligenter, si causam, quare venerabili fra-
„ tri nostro Iohanni Archiepiscopo Toletano nato tuo, infra ipsorum prouincias crucem
„ deferenti, Apostolico priuilegio nō ostenso, se opposuerint, & processus aliquos fecerint,
„ contra ipsum, profecto, quoad personas, reperies ipsas tibi multiplici vinculo obligatas,
„ propitias, & deuotas: quæ in tuam, vel in Archiepiscopi nati tui prædicti iniuriam, nihil
„ ex proposito, præsumendum est attentasse. Causam autem reperies zelum quendam Ec-
„ clesiarum iura tuendi, & ipsa illibata seruandi. Ideoque in istis supponere debet pruden-
„ tia regia iniuriandi prorsus animum exulasse. Quamquam autem gratum nostris acces-
„ sisset affectibus, & acceptum, quod fuisset inter ipsos Archiepiscopos de portanda, vel
„ non portanda cruce concorditer ante ordinatum, tamen ex quo sic processum exstitit,
„ cum tam ex parte portantis, quam ex parte resistentium zelus conseruandi ius Ec-
„ clesiarum sibi commissarum fuerit, non iniuriam alicui irrogandi, serenitatem re-
„ giam deprecamur, attente vt factum istud deducens in rectæ considerationis ex-
„ amen, ex hoc animus regius non turbetur: nec affectum immutet solitum erga ipsos. Si
„ enim præfatam resistentiam attenderit, ipsam reperiet ad honorem regium pertinere.
„ Et nos processibus factis contra præfatum Toletanum Archiepiscopum intellectis, de
„ fratrum nostrorum consilio in eodem consistorio ipsum à sententiis contra ipsum latis,
„ ad cautelam, cum de iuribus nobis partium non constaret, de potestatis plenitudine du-
„ ximus absoluendum: dispensantes cum eo super irregularitate si quam contraxerat, se, vt
„ prius sic ligatus diuinis officiis immiscendo. Sibi nihilominus licentiam concedentes, vt
„ suos familiares possit absoluere, & cum ipsis similiter dispensare. Quæstionem autem prę-
„ dictam ad nostram duximus audientiam reuocandam: partibus, vt occurratur scandalis,
„ interdicere intendentes, quod pendente quæstione huiusmodi, nec Toletanus in di-
„ ctis prouinciis crucem ante se deferri facere debeat, nec alii contra ipsum sententias per
„ consequens promulgare, nisi mandatum sedes Apostolica aliud duceret ordinandum.
„ Per hoc autem neutri partium in possessione, seu proprietate volumus, nec intendimus
„ præiudicium aliquod generari. Dat. Auenione II. Id. Nouemb. Pontificatus nostri an-
„ no Quinto.

1359. Siciliæ regno sacris interdicitur: secundoque eo interdicto Siculi plures annos sacris
1321 arcentur.

Hugo Sera, qui in Arbonensi Sardiniæ ditione Iudex succedit, in primis clarus, ac
præpotens vir, & Branchaleo Oria Hugoni fœdere adiunctus Regem aduersus Pisa-
nos, ad Sardoam expeditionem adhortantur: omnesque opes suas ad Regem deferre
pollicentur.

Mense Martio Alfonsus magnis ex delectu Cataloniæ comparatis copiis, aduersus
Raimundum Folchium Cardonæ Vicecomitem, aliosq; proceres, qui Mantesanam ci-
uitatem bello persequuntur, aciem struit. Castellum Orpinium Raimundi Tortii oppu-
gnat. Deditum dirui imperat.

Barcinone Apr. mense seditione inter Iudæorum nationem, & reginæ Mariæ mi-
nistros coorta armis decernitur. Regina breui decedit: & Dertosæ in cœnobio prædica-
torum sepelitur.

SARDOVM BELLVM.

Æstate progressa Rex Gerundæ Catalanorum conuentum agit. Singulari obsequen-
tia portoria, vectigaliaq; sua in sumptus bellicos Sardoę expeditionis pollicentur, institu-
unt, exiguntq;. Ea pecunia classis longarum, onerariarumq; nauium instruitur. Alfonsus
Regis F animo, ac viribus par, regiiq;, ac paterni decoris heres tantę expeditioni pręfici-
tur. Sanctius Balearium Rex, xx. longas naues suis stipendiis, in quattuor proximos men-
ses adornat.

Tarra-

Tarracone Rex festum natiuitatis domini diem concelebrat. Eo ipso die Elicsendim AERA
Othonis Moncadæ sororem grandis natu in matrimonium ducit: & Alfonsus F. regium NAT.
vexillum Sardoi belli signum magna adhibita pompa, in arce proponit. CHR.

Petrus Frederici Regis F. patre adnitente, omnibus Siciliæ regni ordinibus vna men- 1360
te, magnoque applausu assentientibus, atque è republica fore censentibus, in regnum, re- 1322
giumque nomen adsciscitur: vt vna imperii consortes regnum administrent. A. D. XIII. K. Mai sacro resurrectionis Domini die à patre regalibus, sollemnibusque cærimoniis Panhormi coronatur: & sacro oleo perungitur: quibus Siculi antistites interdicti causa non interfuere. Ea consociatio stabiliendo regno in tam ancipiti rerum statu maxime consentanea Frederico visa est. Petrus altero vertente anno Isabellam Henrici II. Carinthiæ Ducis F. qui Bohemiæ regnum appetiuit, in matrimonium ducet.

FREDERICVS, ET PETRVS FRED. F. SICILIÆ REGES.

A. D. XIII. K. Iun. sacro Ascensionis Domini die Rex Ilerdæ Petro F. Comitatum Ripacurciæ condonat. Dignitatis supremæ iura, & summam ditionis potestatem sibi, posterisque Regibus cauens, recipit: sollemniq; cærimonia, in sacra maxima æde vestitu, insignibusque Comitis exornat. Veteribus, communibusque Barcinonensium consuetudinibus, assiduisque vsibus, Cataloniæque institutis, imperio, potestatique Ripacurciam terram subiicit. Emporitano etiam comitatu, quod Malgaulinus nullis superstitibus liberis è vita excesserat, Petrum F. donat.

A. D. II. Non. Iul. Raimundus Cardona copiarum Ecclesiæ, & Regis Roberti in Cisalpina Gallia præfectus castellum in Padi ripa situm, Roccam Bisagni vocabant, obsidet. Cum subsidium obsessis vndique comparatur, Marcus Vicecomes Mediolanensis II. M. CC. equitatu, & peditatu ingenti, atq; ex alia regione Gerardinus Spinula collecticio exercitu vno impetu Cardonensia castra adoriuntur: oppugnantq;. Cum bis irruptionibus Mediolanenses repulisset, demum Raimundus maxima prœlii commotione deuincitur.

A. D. IV. K. Octob. Martis die calamitosum, funestumque prœlium inter Fredericum Romanorum Regem, & Ludouicum Baioiarium eius competitorem committitur. In eo certamine, discessu eorum ducum, qui Frederico consociati fuerant, siue eorum culpa, siue infelicitate Imperatoris ignominiosa clades accepta. Fredericus victus, captusque in hostis potestatem venit.

Rex Tarracone festum natiuitatis Domini diem concelebrat. 1361

Res nautica mira festinatione, atque industria expeditur. Classes Barcinonensibus, 1323
Tarraconensibus, Dertosanis, Valentinis, & ad Sucronis Gradum naualibus constitutis, exædificantur, adornanturq;. Nam cum portubus nostri neque accommodis, neque magnis vterentur, dempto Fangosio, qui ad ostium, aditumque Hiberi proiectus classibus nostris maxime tutum recessum præbuit, & inuectionibus, exportationibusque plurimas illis sæculis, & maximas commoditates, mirabilisque vtilitatis fructum præstitit, summo consilio, atque vigilantia in stationibus, atque ipso Sucronis ostio rem naualem administrant.

Vitalis Villanoua Regis legatus, A. D. XII. K. Febr. Auenionem auxilia aduersus Pisanos hostes petens contendit: breuem occasionem ferendi auxilii, & inuadendæ, asserendæque Sardiniæ memorans. Haud enim segnius, quam è re publica dignum erat, exercitus ductus, comparatæque classes erant. Pontifex interuentu Cardinalis Tusculani, Neapolionis, Lucę Flisci, & Petri Columnæ Cardinaliũ, qui ad eã diẽ regię expeditionis causam promouerãt, ab ea Regem deterret. Iacobus præterea Caietanus Cardinalis, aliique eius collegæ operam dant, ne bello, de asserendo Sardiniæ regno, sed iure contendat. Rex vana spe auxilii elusus Gibellinorũ, & Welphorum factiones sibi conciliare, & præcipue Florentinos, Senenses, Bononienses, Pistorienses, ac Perusinos partium Welpharum, internuntiis Marco, & Angaraimo Biserni Comitibus adiungere nititur. Sed cum Florentini Pisanorum perpetui hostes, ne Rex pactionum fœdera cum ciuitate Pisana adiungat, exposcunt, & ea res Sardois rebus maxime officeret, à Regis amicitia auertuntur.

Id. Apr. Hugo Bassi Vicecomes, Iudex Arborensis bellum Pisanis, qui in Sardinia arces retinent, infert: magnamque stragem edit. Prœliis compluribus secundis factis, Pisanorum ciuitatis partes deserit: causam enim Regis se suscepturum, eiusque dignitati, & gloriæ enixe fauturum, Auenione, Neapolionis Cardinalis, & Vidonis Archiepiscopi Arborensis interuentu Vitali Villanouæ Regis Legato spoponderat: cuius promissi, &

AERA. NAT. CHR.

fidei mira constantia fuit, Hugoni Rex ditiones omnes, quibus in Sardinia potitur, pro regio iure condonat.

Rex Welphum Donoratici Comitem, Lucę Flisci Cardinalis consobrinum sibi adiungere studet: quod is possessiones aliquod nobilissimas carissimasque in Sardinia sibi vindicare exoptat.

Proceres, iuuentusq; omnis ex tota Citeriore Hispania in externum hostem, & longinquum excitur: & fortissimus quisq; & maxime strenuus accitu Regis arcessitur: euacatorum firmę manus comparantur: imperia ascribuntur nouæ inuentuti: & delectus sublatus vacationibus habentur. Neq; Italici Principes Sardiniæ asserendæ causa tantam belli molitionē parari existimant: sed præpotentes terra, mariq; Principes Aragonios Italiæ imperio imminere verentur: & Genuensibus præcipue rebus prospiciendum vident.

Dalmatius Roccabertinius Vicecomes, Geraldus Roccabertinius eius patruus, Bertrandus Castelletius, Hugo Sanctapacius Catalani proceres cum imperio in Sardiniam pręmittuntur: vti Hugoni Arborensi, ad Pisanorum copias euertendas, subsidiarias manus adiungant. Cum tris onerarias naues adornassent, A. D. II. Non. Mai Barcinonensi statione anchoras soluunt. Eæ naues CLXXX equites, & aliquot veteranorum cohortes transportauere. Montanerius ad II. M. peditum, & CC. equites præmissos commemorat.

A. D. III. K. Iun. Alfonsus portu Fangosio classem soluit. LX. actuariarum, & XX. onerariarum fuisse satis constat. Inter minora nauigia ad CCC. naues paratas, instructasq; ferunt. Classi Franciscus Carrozius præficitur. Cum commode magis quam festinanter nauigarent, Id. Iun. ad promontorium Sulcitanum, S. Marci vocant, classem appellunt: & Sulcitanæ Palmæ portum tenent: id loco nomen est, ex Sulcorum vetustæ vrbis, Carthaginiensiumq; coloniæ parietinarum vestigiis.

Exposito exercitu Alfonsus ad vrbem, quam Ecclesiarum villam vocant. A. D. IV. K. Iul. castra facit: & aliquot oppugnationibus oppidum insigni opere munitum adoritur. Bellum mari, terrestribusq; copiis acri, vehementique incitatione infertur. Barnabas Oria Brancaleonis F. & alii ex ea gente illustres viri, cum Alfonsus ad vrbem castra haberet, se illi dedunt: addicuntq;: & Sacerensis ciuitas eos prosequitur. Caralitani, Ecclesienses, Aquafredenses, Ioiosaguardenses, Orgullosii, Oleastrenses, Quirrani, Patrenses: & Terranouenses tuendorum Pisanorum causa bellum suscipiunt, & gerunt.

Eodem temporis interuallo primariam eius insulæ vrbem, ac veluti arcem nostri obsident. Castrum Caralitanum vocant. Maior oppugnationis vis ab eo colle imminet, quem Boni aeris appellant. Huic obsidioni Dalmatius Roccabertinius præficitur: & Caralitano portu, quem Franciscus Carrozius XX. longarum nauium classe tenuit, obsidionem vrguent.

Alfonsus mari, æstuq; iactatus cum corpus defatigatione ingrauescit, nihil ab vlla parte curę, aut laboris remittens, A. D. XI. K. Octob. in grauem morbum, & periculosum incidit. Omnis præterea exercitus ex saluberrimis Hispaniæ regionibus conductus, calamitosi cæli grauitate, valetudine tētatus, grauibus morbis implicitus afflictatur: & morbi contagio in omnes vulgatur.

Die Martis, quæ natiuitatis Domini festum diem antecessit, XXV. actuariæ Pisanorum naues Terram nouam appellunt. Manfredus Reinerii Comitis Donoratici F. & Aragonii Regis consobrinus expositis copiis, CCC. Tautoni equites, & CC. sagittarii fuisse produntur, obsessis Caralitanis, contra tantam vim auxilium tulit.

Olzinarum, & Soleriorum factiones, quarum contentio plures annos Valentino in regno versata fuerat, & intestino tumultu, ac motu, proceres cōcitabantur, interuentu Arnaldi Solerii Montesani ordinis Magistri, qui se in pacificationem interposuerat, sedantur: & ab armis discedunt.

Rex Iacobum F. non modo degenerem, & religionis metas egressum, sed turpi, & flagitiosa vita flagrantem coercet: cum se totum libidini, & ignauiæ adiecisset.

1362. 1324 Ecclesienses, cum ab Alfonso circumsessi plures dies oppugnationem sustinuissent, & omnium rerum amissione, desperationeque conflixissent, ac vires victusq; deficerent, A. D. VII. Id. Febr. oppidum, propugnaculaque Alfonso dedunt. Propugnatores, quos sors reliquos fecerat, & quæ supererat militaris iuuentus, in Caralitanam arcem emigrant.

Præclari in Ecclesiensi obsidione viri mortem obiere Artallus Luna, & Artallus eius F. Gombaldus Beneuentanus, Dalmatius Castellinoui, Gerardus Roccabertinius, Gila-

Gilabertus Centillias, Petrus Queraltus, Raimundus Berengarius Ceruilionius, Raimundus Alamanus, Galcerandus Sanctapacius, & Raimundus Cardona. Sed cum tot procerum morte victoria constiterit, Artalli Lunæ, & Artalli eius filii funeribus, magna facta est iactura. AERA. NAT. CHR.

A. D. VI. K. Mart. Alfonsus signa, castraque mouet: & Caralitanam arcem circumsidet.

A D. II. K. Mart. Pisanorum exercitus nauibus expositus ad Decimum, id vico ad decimum à Caroli lapidem nomen est, collecticiis Sardorum copiis, quas sibi adiunxerant, Caralitanis subsidio aduentat. Alfonsus obsidionem deserens, postero die Boni aeris colle egressus, hostem præueniens, & longe procedens signa confert. Commisso prœlio hostes funduntur: cæduntur q́; Manfredus Pisanorum ductor, ex acie saucius elatus, in Caralitanam arcem se abdit. Ad Lucocisternam res ea memorabilis insigni nostrorum laude, Mercurii die, quadragesimalis ieiunii initio geritur: quæ magnam hostibus cladem inuexit. Alamanus Lunæ Petri Martinii Lunæ, Simonis Lunę Tarraconensis Archiepiscopi fratris F. fortiter dimicans eo in prœlio mortem occumbit.

Castrucius Antelminellius, qui se Lucæ partiumq́; Pistoriensium Germanici imperii dominum appellabat, eo rerum prouentu Regi recipit, se Pisarum ciuitati bellum indicturum: illaturumq́;. Cum ad Regem mandata à Castrucio exponerentur, Rex eam pollicitationem reiicit, Pontificis Maximi causa: quod Castrucio infestus, inimicusque esset.

Eo ipso die, quo Alfonsus cum hostibus in Sardinia feliciter confligit, Raimundus Cardona partium Welpharum Imperator minime faustus à Galeacio, & Marco Vicecomitibus ad Pontem Nauri, non sine magno reipublicæ detrimẽto profligatur: atq́; vna cum filio in hostium potestatem venit. Cardonæ postea Florentinis adiuncti cum prœlio cum Castrucio decertarent profligati, & deuicti in Castrucii potestatem veniunt: & Raimundus à Castrucio Azoni Vicecomiti Galeacii F. captiuus traditur.

A. D. VI. K. Apr. Barcinonensi statione XIIX. actuariis nauibus Alfonso in Sardiniam supplementa submittuntur: & quod in eiusdem ætatis Catalanorum nauali disciplina memorabile est, adeo eæ naues instructæ armis, virisq́;, & ad bellandum paratę erãt, vt institutum esset, si ita casus tulisset, vt in hostium classis conspectum venirent, quæ XXIV. longis nauibus constiterat, eas adorirentur: neue certamen detrectarent, aut subterfugerent.

Cum continentibus oppugnationibus Caralitani premerentur, nec nostros satis cohibere intra munitiones, nec suis munimentis arcere vim, ac tueri ab externis irruptionibus possent, Aprilis mẽsis fine sabbathi die Mãfredus Donoraticus arce Caralitana omnẽ equitatũ educens, ad D. Teutonos fuisse cõstitit, firmissimis veteranorũ cohortibus adiunctis improuiso in Alfonsiana erumpit castra. Acerrime vtrimq́; pugna commissa, hostiũ cohortes fundũtur: & Manfredus magno accepto detrimento, intra Caralitana præsidia pellitur: & paucis intermissis diebus moritur. Ad CCC. equites occidione occisos memorant.

A. D. II. Non. Mai. Rex Barcinone Raimundum Berengarium F. Comitatu Pratensi, Montanorumq́; ditione, eorumque oppidorum, quæ Guilielmo Entenzæ paruerant, donat.

Afflictis, & desperatis Caralitanorum rebus, Barnaba Oria pacis interprete, & internuntio adhibito, cum Pisanis amicitiam petentibus ictum est fœdus.

A. D. XIII. K. Iul. ad concordiæ pactionem res deducitur. Arcem, vrbemq́; Caralitanam Alfonso dedunt: iisque traditis Sardiniam omnem, & Pisanorum rempublicam, sub Regis imperium, ditionemq́; redactas apparebat; quod Pisanorum res funditus deleri viderentur: si Sardinia insula exacti essent. Fide data, & captiuis receptis Alfonsus vrbem, arcemque Pisanorum Senatui tradit: supremi iuris, ditionisque dominatu Regibus Aragoniæ recepto. Conuenit ea fœderum pactione, vt arces Aquafredæ, Terræ nouę, Quirræ, Fabæ, Opposadæ, & Gucoiteili, & Petresæ oppidum à Pisanis Regi tradantur: & Pisanorum ciuitas se Regis imperio, ac potestati subiicit. Reinerio vero, & Bonifacio eius filio Donoratici Comitibus Rex Ioiosam guardam, arx ea Caralitani regni est, reliquaq́; oppida, & portionem eam, quam in argentariis metallis Ecclesiensibus, Pisanis rerum potientibus possederant, attribuit: suprema potestate Regi futurisque principibus itidem salua.

Alfonsus bene gesta republica, & Catalanorum, Aragonensiumq́; gentibus, cognationibusque eorum, qui vna militauerant: oppidis, certisque agrorum modis, ac finibus

AERA. NAT. CHR.

æqualiter,aut ſorte aſſignatis, Philippum Salaſſum Sardiniæ præficit: & Berengarium Carrozium,Franciſci claſſium ducis F. militaribus numeris ducem delegat, & ei præſidio inſidet,quod in arce Boni aeris collis:Caralitanæ arci propinquum,atque oppoſitum muniri Alfonſo placuerat. Franciſcus Carrozius toti muneri maritimo præponitur: ad quem imperii ſumma reſpicit.

A.D.XV.K. Aug. Alfonſus claſſem ex Caralitano portu educit. Secundum terram prouectus, cum ad S.Macarii ſtationem, equitatus omnis in naues conſcendiſſet, biduo anchoras ſoluit. Barcinonem A. D.IV.Non. Aug.appellit: inſigni gloria victorem exercitum reducens:gemina victoria duobus prœliis parta,profligatiſq; hoſtium copiis,atque claris facinoribus editis inluſtris. Rem memoria dignam Gonzaluus Garcias,& Gaubertus monachus referunt. Cum pater filio ouanti occurreret,& Sardorum maſtruca indutum videret,fuiſſe auerſatum:& eius ſermonem, congreſſumq; aſpernatum eſſe: quoad paludatus ſe patri obtulit. Tunc honorificentiſſime exceptum memorant: quod victoris,non deuictæ gentis cultu eſſet ornatus: qui à victoris inſignibus, in deuicti habitum tranſiſſet. Caſtrucius,vt Genuenſium aduerſariorum iniurias vlciſci queat,acrius incumbit,Regem,Alfonſumq; filium cohortando de Corſicæ regno ab eorum dominatu vindicando: & Corſo bello ſuſcipiendo. At contra Barnabas Oria,de primariis eius inſulæ viris regiæ ditioni deuinciendis,& vti Regis ſtipendia mereant,operam nauare ſimulat.

Franciſquinus Maſtinus,Brancha Oria,Vinciguerra Oria, pluresque aliæ ex Oriarum gente familię earum factionum principes,qui Saceris in ſignis Sardiniæ ciuitatis dominantur,rerumq; potiri affectant,nouis rebus ſtudentes,aduerſus regios miniſtros arma capiunt. Præſidium Sarecenſi vrbe deiicere nituntur. Poſtremo aperte deficiunt.

A.D.II.Non.Sept.Formicariis Cæretaniæ oppido moritur Sanctius Balearium Rex. Cum id regnum à Rege affectaretur, quod Sanctius ex Maria Regina vxore, quæ ſoror Roberti Regis erat,liberos non ſuſcepiſſet, Alfonſus Regis F. Ruſcinonenſem, & Cæretanam ditionem exercitu immiſſo,vi occupat. Sed Philippo Sanctii fratre, qui Cæſaraugustæ Regem conuenerat, adnitente,atq; deprecante Rex de ſententia deſiſtit:& Iacobo puero Ferdinandi Sanctii fratris F. agnationis iure, regno Balearico, & reliquis ditionibus illi contributis, ſuprema poteſtate recepta,cedit.

IACOBVS III. BALEARIVM REX.

K.Oct.Rex Barcinone Petrum F.Ripacurciæ Comitem ad Pontificem Maximum, tributi,quod II.M.Marcharum ſterlingorum, Sardiniæ, & Corſicæ regni Eccleſiæ pendebatur,minuendi,& ad D.redigendi mittit. Adhæc legatur cohortium auxiliarium,quę ſub Eccleſiæ ſignis militaturæ erant, ex parte dimidia deducendarum, & tributi eius regni remittendi cauſa. Petrus regio apparatu benigne Auenione excipitur. In biennium Pontifex eccleſiaſticorum fructuum decumas Regi elargitur:& in decem proximos annos dimidiam Sardi cenſus partem,ac militarium copiarum ſtipendia, quæ pontificiis ſignis militaturæ erant,pro dimidia itidem parte remittit.

1363. Robertus Rex CXIII.actuariarum nauium claſſem cum adornaſſet, Carolum Cala-
1325 briæ Ducem F.Sicilienſi expeditioni præficit.

Martio menſe Bernardus Ceſpuiades Catalanus claſſis XII. actuariarum dux, præfectuſq; in Sardiniam præmittitur: quod Piſani, qui arcis Caralitanæ præſidium obtinebant,ſimulac eis primum occaſio viſa eſſet, defectionem facturi viderentur. Barnabæ Oriæ,qui iam deceſſerat,Regiq; firmus,& fideliſſima gratia coniunctus fuerat, filii Caſſanus,Galeotus,Gaufredus,& Branchaleo nouis rebus ſtudent. Fredericus præterea, Azo, & Iohannes Malaſpinæ Marchiones,quorum opes in Sardinia late, longeq; diſperſæ, ac diffuſæ erant, arma capiunt. Horum auunculus Chriſtianus Spinula Regi in primis carus erat.

A.D.VII.K.Iun.Carolus Calabriæ Dux in Panhormitanam ſtationem claſſem appellit: cui neque æqualem illa ſæcula ad Italiæ litora appulſam viderant. Expoſito exercitu Panhormum vrbem caſtris circumſidet:-cuius propugnationi à Frederico Rege Iohannes Claramontius præficitur. Deſperata expugnatione Dux A. D. XIII. K. Iul.caſtra mouet. Cum aliquot loca incurriſſet, A. D. XV. K. Sept. inglorius in Bruttiorum oras nauigat.

Gaſpar Oria XXII.actuariarum nauium Genuenſis factionis ductor, eorum qui Sauonæ aſſidentes Germanici Imperii partes proſequuntur,cum Frederico Regi ſubſidio affuturus videretur, quo tempore Calabriæ Dux ex Sicilia regreditur, Frederici cauſam deſerens,Rege Aragonum illuſo,ac pæne prodito, cum Piſano ſenatu paciſcitur: & eius ciuitatis claſſis præfecturam ſuſcipit. Nec illud ſaltem reueretur, quod XXII. illæ naues, quibus

quibus præfectus fuerat, ſtipendiis à Frederico Rege perſolutis inſtructæ, armatæque fuerant.

Piſani Genuenſibus factionis Gibellinæ adiuncti bellum noſtris in Sardinia inferunt.

Franciſcus Carrozius regiarum claſſium præfectus, expeditis veteranorum cohortibus in naues conſcenſis, Caralitanam arcem circumſidet. Crudele, & exitioſum bellum aduerſus Genuenſes, in fortunas noſtrorum incurſantes, ſuſcipit.

K. Sept. Cæſarauguſtæ conuentus Rege celebrante, Priuilegium, quod Generale vocant, Aragonenſibus à Petro Rege patre irrogatum, nouo decreto ſancitur. In eo conuentu legem rogant, conduntq; ne in cuiuſquam caput quæſtio habeatur: niſi nummorum adulterinorum delatione: Romanorum prudentiſſimorum hominum inſtituta imitati: qui cum de ſeruis in dominos quæri noluiſſent, de inceſtu tamen, & coniuratione quærendum putauerunt. Nam inſtituta Athenienſium, & Rhodiorum nimis acerba viſa ſunt: quod apud eos liberi, ciueſq; torquerentur. Cautum præterea lege atq; ſancitum eſt: ne cuiuſpiam bona, niſi proditionis conuictorum publicentur. Scribendis legibus adfuere Petrus Luna Cæſarauguſtanus Archiepiſcopus, Sanctius Aragonius Regis frater pro Magiſtro ordinis Hieroſolymitani, Iacobus Exerica, Simon Cornelius, Petrus Martinius Luna, Iohannes Simenius Vrrea, Simon Focius, Raimundus Peralta, Petrus Cornelius, & Raimundus Cornelius Simonis Cornelii filii, Petrus Luna, Blaſcus Maza ex Vergua, Martinus Egidius Atroſſilius, Petrus Ferdinandius Vergua, Atho Focius, Iohannes Martinius Luna, Gombaldus Tramacetius, Guilielmus Entenza: & procuratores Blaſci Alagonis, Lupi Lunæ, & Alfonſi Ferdinandi Ixeritani: Michael Pereſius Gotorius, Egidius Garceſius Atroſſilius, Michael Gurrea, Thomas Pereſius Focius, Blaſcus Maza ex Cellis, Simon Pereſius Pinna, Atorella Orticius, Garcias Pereſius Penacuta, Sanctius Lopezius Valimania, Simon Tobia, Petrus Ruizius Azagra, Pontius Hugo Entenza, Lupus Simenius Luna, Petrus Lainius, Rudericus Orticius Veſimbrius, Michael Pereſius Zapata.

A.D. XVII. K. Oct. Cæſarauguſtano in conuentu Petrus Alfonſi F. Regis N. iuriſiurandi religione, omnium ordinum conſenſu, regnorum heres, & auo, patreq; vita functis futurus Rex adſciſcitur. Id ſummo cōſilio conſtitutū: quod Petrus eius patruus Ripacurciæ comes, ſi Alfonſus frater, Rege patre viuente, è vita excederet ad ſe agnationis iure, regnorum dominatum, iuraq; obuenire contenderet: atq; deuolui: & Simone Cornelio partes Petri Regis N. ſuſcipiente, magna procerum contentio in regno verſata fuerat. Petrus in fratris filii verba iurare renuens, vertente anno eius iuriſiurandi fide deuincitur.

Iacobo Balearico Regi XI. annum agenti ſponſalia dantur Conſtantiæ Alfonſi F. Regis neptis: quæ V. annorum puella erat.

A.D. IV. K. Ian. Frāciſcus Carrozius cum Piſanorum claſſe, cuius Gaſpar Oria ductor erat, in Caralitano ſinu confligit. De hoſtibus victoria eſt parta. 1364. 1326

Stampacium oppidum, nauali certamine profligatis hoſtibus, à Franciſco Carrozio, & Raimundo Peralta terreſtris exercitus ductore circumſeſſum vi expugnatur.

Magna ſeditione in caſtris, à Franciſci Carrozii, & Peraltę copiis facta, incurſione, atque impetu militum, & ducum ipſorum, cum caſtra ſanguine infecta tanto ſcelere contaminarentur, vt vix niſi ipſorum ducem ſupplicio expiari poſſent, paullum abfuit, quin magnam cladem Sardoæ expeditioni attulerint.

A.D. IIX. K. Mai. Regi, Alfonſo F. & Piſano ſenatui res ad concordiam adducitur: qua Piſani Sardiniæ dominatu arcentur, pelluntur que.

A.D. V. Id Iun. Arcis Caralitanæ propugnacula regiis ducibus deduntur.

Azo Malaſpinæ Marchio, & Fredericus ac Iohannes, eiuſq; fratres, Sacerēſiſq; ciuitas Regi ſe ſubiiciunt: eiuſq; obtemperant, obediuntq; magiſtratibus.

Bertrandus Baucius Andriæ Comes Neapolitana claſſe in Siciliam tranſmittens, A. D. VII. Id. Iun. ſtationem maritimam tenet, quæ inter Panhormum, & Thermas interiacet. Omnes eas oras bellicis incurſionibus oppugnat.

Cum inter Iohannem Regis F. Toletanum Antiſtitem, & Iohannem Emmanuelem eius affinem graues eſſent inimicitiæ ſuſceptæ, Alfonſus Caſtellæ Rex Toletano regia ſigna, quibus tabulæ publicæ, litteræq; obſignantur, adimit: quæ Toletanis Archiepiſcopis tradi, moris vetuſti fuit: & eius muneris functione, Cancellarios ſe Caſtellæ nominãt. Antiſtes ea indignitate vehementer commotus Archiepiſcopatum Toletanum reſignat: & administratione Tarraconenſis Eccleſiæ & eius prouinciæ attributa, in Alexandrini Patriarchatus gradum euehitur. Simon Luna ex Tarraconenſi Eccleſia in Toletanam arceſſitur.

A.D. IV. K. Dec. Alfonſus Caſtellæ Rex ſollemni regioq; apparatu, Conſtantia Io-

hannis Emmanuelis filia, Regis Aragonum nepte in matrimonium ducta, Valleoleti spōsalia celebrat: quæ paullo post rescinduntur: magnæq; seditionum incursiones, & procerum diffidia ob eam causam concitantur.

AERA. NAT. CHR.

Arnaldus Rogerius Palliariensis Comes Hugonis Mataplanæ Comitis F. & Raimundus Folchius Vicecomes Cardonensis bellum gerunt. Vniuersa Catalonia eo tumultu concitata, Alfonsus Regis F. Palliariensis affinis, qui Vrracam Entenzā Theresiæ Entezę vxoris sororem duxerat, partes fouet. Earum seditionū originem, & molitionē Cordonēsis quærit: quod Palliariensis Guilielmum Queraltum, ex proceribus virum maxime illustrem interemisse diceretur.

Præterea Valentino in Regno Iacobus Exerica ita ruit atque turbatur, vt parentem Beatricem Lauriam arcium possessione armis euertere tentet. Neq; ea vis comprimi potuit, quin Rex Beatricis partes tuendas susciperet: & Alfonsus Regis F. Iacobo Exericæ fautor, & adiutor existeret. Mox datur opera, vt Bernardus Sarria gubernationis Valentini Regni vicarius Egidium Ruizium Lihorium, qui arma pro Exerica sumpserat, è custodia liberet: atq; Rex pacis, & concordiæ auctor esse destitit. Exerica Mariā Balearium Reginā Roberti Regis sororē, quæ pudicitiæ suæ parum pepercit, in matrimonium ducit.

1365. K. Sep. Iohannes Regis F. qui ex Ecclesia Toletana, ad Tarraconensem traductus fue-
1327 rat, ad Patriarchatum Alexandrinum auocatur.

K. Oct. Barcinone Iacobus Balearium Rex iura Balearici regni, & Ruscinonis, Cęretaniæ, Vallespirii, & Colliberis, Mompelerii dominatus, & Vicecomitatuū Omeladesii & Carladesii ditionū regno cōtributarū, quæ potestatis summæ Regū Aragonię censebātur, Regi iurisiurandi fide agnoscit: sancitq; patruo Philippo tutore, & Petro, ac Berēgario regis liberis, Gastone Moncada Oscensi Episcopo, Sanctio Aragonio Regis fratre Amropostæ Præfecto, Raimundo Emporitano, Raimundo Ceruilionio Azconensi præfecto, Othone Moncada, Bernardo Capraria, Geraldone Anglesola, Berengario Villaragutio Aldemaro Mossetio, Pōtio Caramanio, Raimundo Melanio, Simone Tobia & proceribus aliis assidentibus. Res ea formula sancitur, quam Sanctio Regi patruo, & Iacobo auo Baleariū Reges Regibus Aragonii constituerāt. A. D. XV K. Nou. Laurentius Gomezius Abreus Alfonsi Portugalliæ Regis legatus Regi denuntiat, de Maria F. Alfonso Castellæ Regi in matrimonium collocanda, Regem pacisci velle: quod Castellę Rex Constantiæ Regis Aragonii nepti nuntium remittere deliberaret. Ea renūntiata legatione Constantiæ sponsalia, non sine aliquorum scelere dirimuntur. Maria vxor ex Lusitania ab Alfonso Rege arcessitur.

A. D. V. K. Nou. Cæsaraugustæ moritur Theresia Alfonsi vxor: Regis nurus: Petro, Iacobo, & Constantia liberis relictis. In cœnobio fratrum Minorum eius vrbis sepelitur.

A. D. IV. Non. Nou. Barcinone Rex è vita excedit: cum sextum, & sexagesimum annum ageret. In cœnobio Sanctarum Crucium regia funebri pompa tumulo humatur. Huius Principis mores adeo iusti, integri, & religiosi fuisse ferūtur: vt æquabilitatē publici iuris, præstātia regiæ dignitatis minime transgrederetur: moris patrii, veterum consuetudinum, & priuilegiorum irrogatorū scita, atq; instituta rite, ac more, institutoq; maiorū ab eo non obseruarentur modo: sed quodāmodo colerentur: neq; cōmunis libertas tradita vnquam intermitteretur: aut immutaretur vetustus vsus Aragonii fori: & pristinus mos iudiciorum. Memoriæ proditur insignē eius fuisse notationem, animaduersionemque censoriam. Nam cum Simonis Aluari Radę ingenio, & corruptela plerumq; iudicia præuaricata essent, & eorum, qui in eius clientela erant propositis mercedibus, & quæstuosis damnis patrimonia exhaurirentur, vidit sæculum illud eum, tanquam sceleratum exilio fuisse affectum: atq; multatum: vt incorrupta quædam iudiciorum integritas tunc maxime vigeret.

ALFONSVS IV. ARAGON. XIIX. REX.

1366. Barcinone Alfonsus Rex festum Natiuitatis Domini diem celebrat: neq; Conuen-
1328 tu in eam vrbem indicto, à patris regno tranquillo, & leni exorsus instituta, & quos vocant vsus Cataloniæ, libertatesq; sancit; quoad coronæ insignibus decoretur. Sacramento in eius verba Catalani adiguntur.

A D III. Id. Ian. Barcinone perpetuæ possessionis iura, ac potestas ciuitatis, & ditionis Segorbiensis, quæ Artallo Luna Artalli F. vita functo, regio imperio deuoluta fuerant Lupo Lunæ Artalli fratria Rege traduntur, atq; condonantur. Raimundus Gasto Valentinus Episcopus cum Albarraziniensi & Segorbiensi Episcopo, quod vterq; suam diœcesim, finesque tueretur, acriter, & vehementer decertat. Albarraziniensis suam diœcesim à XII. M. P. prope Valentiam terminari, & ab eis finibus propagatam contenderat: atque ea re-

ea regione constare, quæ Puteolana, Moruedriensi & Liriensi ciuitate, Castelfauibiũ vsque continetur: & ditiones, quarum Iacobus Exerica, & Gonzaluus Simenius Arenosius dominabantur, suæ diœcesi esse contributas. Rerum vetustarum ignoratio litigatoribus, & iudicibus mirationem intulit: & omnes in eo hallucinantur, dum Segobrigensis diœcesis finibus vetustate intermissis, atq; interceptis, Segorbiensem ciuitatem collatione, & similitudine nominis contineri autumant: & Segorbiensem tractum, qui Ædetanorum finibus includitur Segobrigæ vetustæ vrbis in capite Celtiberiæ sitæ territorio adnectunt: tam longo locorum interuallo distento. Barnabas Oria in Sardinia res nouas molitus, arcem natura munitissimam, Castellum Genuense nuncupauerant, inuadit: quam Cassanus, & Galeacius Oriæ patrui præsidiis obstruxerant. Dum Azo Malaspinæ Marchio subsidio Barnabæ accurrit, ab iis copiis, quas Cassanus, & Galeacius præmiserant, circumuentus in hostium potestatem incidit. Petrus Arborea Iudicis Arborensis F. Constantiam Philippi Salassi F. Raimundi Peraltæ sororem in matrimonium ducit.

A. D. X. K. Mart. Ilerdæ Rex Blascum Mazam Verguam ad Regem Castellæ oratorem de retinenda Constantia sponsa sororis F. monitoremq; præmittit: quando id matrimonium è re, dignitateq; sua constituerat: & iura omnia diuina, atque humana cogebant. Iohannes Emmanuelis F. dimissa à Rege Alfonso Constantia F. pro rei indignitate suas vlturus iniurias bellum Castellæ Regi infert. Iacobus Exerica, & Petrus eius frater regia stirpe orti, summæque potentiæ, Emmanueli fœdere adiuncti Almansæ, & Cincillæ, quæ oppida in Oretanis Emmanueli parent, copias cogunt: & fines Requenæ incurrunt. Alcaracitanum agrum deuastant. Adeoque effuse peruagantur, vt in Areuacos transgressi, Atienzæ, Ailionis, & Sepuluegæ populos, & eorum agros diuexent, atque diripiant. Pinnam fidelem natura munitum oppidum, quod in Vaccæis Emmanuelis ditionis erat, contendunt. Emmanuel exercitu coacto Optem obsidere adoritur. Castellæ Rex Scalonam circumsidet: neque tumultuario eo bello deterretur, quin à Constantia diuertat.

A. D. III. Non. Apr. sacro resurrectionis Domini die Rex magnificentissimo, summeque exquisito, sumptuosoq; apparatu Cæsaraugustę, in maxima Saluatoris æde coronatur: & à Petro Luna Antistite sacro oleo perungitur. Ab ęde sacra funali equo ouantem & in arcē ascendentē regalibus insignibus ornatū apparatissimi ludi prosequūtur. Fuit is annus maxime insignis harum ceremoniarum pompa: nam Ludouicus Baioarius Romę Ianuario mense Philippus Eburouix Nauarrę Rex, qui Iohannam Ludouici Vtini Francorum Regis F. in matrimoniū duxerat, mense Martio Pompelone, & Philippus Valesius Francorum Rex in octauis sacri diei Pentecostes coronantur. Militari auctoramento à Rege in maxima illa celebritate honoribus, præmiis, atq; summo splendore hi proceres decorantur: Iacobus Exerica, Petrus Arborensis, Raimundus Folchius Cardonensis Vicecomes, Arnaldus Rogerius Comes Palliariensis, Lupus Luna, Alfonsus Ferdinandius Ixeritanus, Guilielmus, & Berengarius Anglesolæ, Iohannes Simenius Vrrea, Petrus Cornelius, Guilielmus Cerulionius, Otho Moncada: & Atho Focius. Celebrata peruigilatione singuli eorum procerum militari auctoramento ad CLXXX. alios virtute, & nobilitate præstantes viros cohonestauere. Præterea Petrus Regis frater Castellinoui, & Villamuri Vicecomites Guilielmum Erilium, & Gilabertum Cruilliam, & Raimundus Berengarius Regis itidem frater alios eisdem insignibus iuris, legumq; militariū societate deuinxere: & à Raimundo Folchio Vicecomite Raimundus Cardona eius frater, Amorosius Ribellias, & Petrus Aragal eodē auctoramento obstringuntur. Ad CCL. auctoratos Montanerius memorat: & ad cantus, tibicinesq;, insigni pompa, quæ summā speciem & dignitatem lychnuchorum frequentia prætulit, ex arce regia Aliaferiæ in ædē maximam Saluatoris Regem fuisse prosecutos. In frequentissima horum regiorum ludorum celebritate adfuit Henricus Bomallia Iohannis Bohemię, & Poloniæ Regis, Comitisq; Lucemburgensis legatus: vltro se offerentis, pollicentisq; in Hispaniam aduenturum: vt sacro aduersus Mauros bello, vna cum Aragonum Rege Christianæ reipublicæ operā nauet. Sed ea pollicitatio in insignis cuiusdā impudentię ludibrium recidit. Postea enim excusatione militię aduersus Duces Brabantis, & Lotharingię, Comitemq; Barensem obeundæ, sacro bello prætermisso, ac neglecto est vsus.

Eo sollemni perfecto A. D. XVII. K. Iun. Rex Iacobum F. natu minorem Vrgellitano Comitatu, & Vicecomitatu Agerensi donat.

A. D. III. K. Iul. Rex Ilerdę Guilielmum Costam Barcinonensis conuentus Pręicatorum Priorem ad Fredericum patruum Siciliæ Regem legatum mittit: cōmonefacitq;,

AERA. à fœdere,quod cum Ludouico Baioario Ecclesiæ inimico icerat,absistat. Cuius hortati-
NAT. one,precibusque fraternis adeo Siculus non commouetur,vt Isabellam filiam Stephano
CHR. Baioariæ Duci,natu minori Ludouici F.in matrimonium collocet.
A.D.VI.Id.Aug.Rex ad oppidum Carinienam accedit: & cum legatis Abubacaris
Mirabuzecri filii Tunetensis,& Bugiensis Regis,& Abdurrahamenis Benmuzæ Treme-
zenii Regis inducias paciscitur:& ab externis ferme bellis otium fuit.
Petrus Siciliæ Rex L .actuariis nauibus,& xxx. ex Gibellinorum Sauonensium de-
lectu freto Siciliensi nauigans A.D.XIX.K.Sept. Aenariam insulam traiicit. Campaniæ
oram prętervectus loca,quę incurrit,depopulatur. A.D.XI.K.Sept.Herculis portus osti-
um aditumque tenet. Eo loci Dux Branzuichius,& Comes Iohannes Claramontius
Regem adeuntes,Ludouicum Baioarium,qui Germanici Imperii iura inuaserat,in Cor-
netanam oram,ad colloquium,congressumque descensurum confirmant:& in Neapo-
litanum regnum inuasurum.Orbitellum,Lilium,& Telamon deduntur. In eo Regum
conspectu,congressuq;,cum omnibus in rebus satis eorum coniunctioni amorique esset
factum,A.D.IV.Id.Sept.digressis,Petrus Rex Pisas contendit:& A.D.IV.K.Octob.classe
in Siciliam deuehitur.
A.D.XIII.K.Sept. Darocæ Rex statuit, decernitq;:ne intra x. proximos annos vr-
bes,oppidave,aut præfecturæ,arcesue à regia ditione aut dominatu separentur: aut ex-
terno iuri deferantur:propriumue ius,aut iurisdictio,vectigaliave regia pretio, aut dono
alienentur.Eo interposito decreto,cum ei Rex postea derogatum voluisset,magnæ inter
liberos turbæ,seditionesque concitantur.
A D.IIX.K.Nou.Barcinone Iacobus Balearium Rex suprema iura Balearici regni
& ditionum contributarum potestatem Regi cauet:saluaque,& propria posteris Regibus
mansura,fidei sacramento recipit atque sancit.
A.D.III.Id.Nou.moritur Carolus Calabriæ Dux:Roberti Regis,& Iolantis Arago-
num Regis amitæ F.Hic princeps vxorem primo duxit Catharinam Frederici Romano-
rum Regis,Aragonii Regis Iacobi generi sororem: ex qua nulla proles exorta est. Postea
dux it Mariam Caroli Valesii F.& filias ex eo matrimonio genuit Iohannam,quæ Rober
to Regi auo regni heres successit:& Mariam posthumam.
A.D.II K.Febr. Agredæ Aragonum,& Castellæ Reges pacta, quæ Medinæ Vaccæ-
1367. orum oppido,Octobri mense, à Rege Castellæ constituta fuerant, in æde D. Michaelis
1329 sacra sanciunt:atq; confirmant.In ea pactione Alfonsi etiam Portugalliæ Regis fides de-
uincitur.Fœdera,quæ à Iacobo, Ferdinando, & Dionysio Regibus facta fuerant, reuo-
cantur,atq; repetuntur.
Postero die Reges Turiasonem ineunt:& in ea vrbe nuptiæ Regis,& Leonoræ,Ca-
stellæ Regis sororis, quæ à Iacobo sponso Regis fratre diuerterat, celebrantur. Castellæ
Regem comitantur Petrus Toletus Episcopus Carthaginiensis, Iohannes Episcopus V-
xamensis,Vascus Ramirius militiæ S.Iacobi Magister,Iohannes Nunnius Calatrauensis,
& Suggerius Peresius Alcantarensis militiæ Magistri, Petrus Ferdinandius Castrensis,
Iohãnes Alfonsus Pharensis,qui Cameriorũ dominabatur.Rudericus Aluarus Astur,cui
Noroniensis dominatus subiicitur,Ferdinandus Ruicius ex Villaluporum,Didacus Go-
metius Castaneda,Iohannes Martinius Leua regni finium præfectus,& Alfonsus Gaufre-
dus Tenorius:cui maritimum imperium à Rege Castellæ delatum fuerat.
Turiasone Reges sponsalia Plancæ Petri Castellę Regis patrui,& Marię Regis sororis
filiæ,& Petri Alfonsi Portugalliæ Regis filii pepigere. Constantia Castellæ Regina Blan-
cam secum in Castellam ducit. Hæ tamen nuptiæ postea dirimuntur: quod Blanca sen-
sus stupore mentis compos non esset.
A.D.IIX.Id.Febr.Turiasone,nulla ad id tempus belli suspicione interposita,ne im-
bellem agerent annum, de inferendo Granatensibus bello, fœdera à Regibus sanci-
untur.
Bernardus Caprera Murtiensis regni finibus acre,& magnum bellum Mauris infert.
Rex Valentiæ Iunio mense, Valentini regni conuentus agit.Summo odio,atq; dissi-
dio ordines,quibus regnũ constituitur ecclesiasticorum, optimatũ, & popularium inter
se,magna partium contentione cõcertant:de iis oppidis,quæ legibus,institutisq; Arago-
nensis fori constituta erant. Magna enim suborta est controuersia: an in eorum ditione,
extra Valentina,municipaliaq; iura,ac fora, Aragonensia iura exerceantur.
In vetustis monumentis inuenio Fredericum Austrium, qui cum Ludouico Baio-
ario,de Imperii successione armis contẽderat,Septembri huius anni mense demortuum
Iohannes Cuspinianus, cui fidem derogare non ausim, Id. Ian. proximis vita functum
perhi-

perhibet. Isabella Regina vxor, Regis Aragonum soror sanctissima femina, calamitosa viri sorte iactata, in miserabili luctu, & inaudito squalore, quoad vir triennium custodia cōtinetur, permanens, angori se animi dedens, oculorum etiam lumina amisit. Frederico filio infante vita functo, ex Anna, & Isabella filiis, quæ viris adiunctæ sunt, nulla superstes soboles relicta est.

A. D. IV. Non. Nou. Valentina in arce concordiæ, & pacis, quæ Agredæ constituta fuerat, pacta conuenta à Lupo Ferdinandio Paciecco Alfonsi Regis Portugallię legato cōfirmantur.

Valentiæ Ferdinandus F. Regi, ex Leonora Regina vxore nascitur: cui Dertosana ditio, Marchionatum vocant, & Albarraziniensis dominatus statim subiiciuntur. Rex sanctione ea, quæ de non alienando, separandove, aut effundendo regio patrimonio lata fuerat: cum lator ipse legis esset, filium soluit. Ea re constituta, quod Rex vxorio arbitrio deuinctus, plures alias ditiones è patrimonio regio diuellere conaretur, adeo magnæ turbæ miscentur, vt Petrus primigenius metu nouercæ, aditum sibi in Aquitaniam patefaciens ad Iaccetanos, iuxta Pyrenæi claustra, suorum consilio, se contulerit. Petro opera, & consilio adsident Petrus Luna Cæsaraugustanus Archiepiscopus, in quo summa apud omnes auctoritas, & amplitudo erat, Michaël Guerrea Petri nutricius, qui procuratoris regni munus sustinet, Simon Gurrea eius frater Montaragonensis Abbas, Vitalis Villanoua, Garcias Lorizius, & Michaël Perezius Zapata. Sed breui Petrus patri conciliatus procurationi regni præficitur: quæ primigeniis lege est attributa.

Franciscus Oria Leonardi F. suo, & Alionis, Mariani, Fabiani, Dignanini, & Ni- 1368.
colosii Oriarum nomine Regi se sistit: Regemque deprecans, supplices omnes Regi 1330
esse, & obnoxios profitetur: si oppida, quæ ex regii iuris proprietate receperant, condonet: & eorum fidem recipiat. Rex vti eos in suam potestatem redigat, neue Sacerenses, qui defecerant, & insula exacti fuerant, foueant, benigne pollicetur. Permittit etiam eos, qui in minima fuerant culpa, Sacerem reuerti: modo ne quis ex Cathonum, Paliumve familiis, eorumve factione, aut ex Oriarum numero, qui à Berengario Carrozio maiestatis crimine condemnati fuerant, in Sardinia commoretur. Sacerensibus locus, qui eorum cœtu frequentetur, extra vrbis mœnia assignatur: modo ne turres ædificent, aut domorum aditus obstruant. Ea vero nationis leuitas fuit, & amentia, vt si vnus, aut alter in fidelitate permanet, reliqui pæne omnes perfidiæ infamia flagrent: & omnes insidias aduersus nostros intendant.

Aitonus Oria IX. longis nauibus & II. pristibus, quas sagittias vocant, & aliarum nauium classe, ex delectu militum Genuensium Gibellinorum instructa, qui Sauonæ commorabantur, Sardiniæ oras præteruehitur. Ad promontorium, quod Caput terræ appellant, nouem Catalanorum nauigia intercipit: atque euertit, Arcem Caralitanam, ac pæne insulam omnem obsessam tenet. Sardi etiam hac impulsi occasione, qui iam ante se regio imperio subiectos dolerent, ex eo adeo tumultuose tota insula peruagantur, vt nostri omni exitu, & commercio intercludantur: & nostris in Sardinia ingens bellum, multis ex gentibus concitur.

A. D. XIIX. K. Mai. Barcinone Rex Raimundum Cardonam, qui magnum in republica, & militari vsum habuit, vt male affectis rebus prouideat, Sardiniæ præficit.

Quod Aitonus Oria classem suppleuerat, & XVI. longas naues instruxerat, æstatem omnem in depopulandis Sardiniæ maritimis locis confecit. In Corsicam traiiciens, & Bonifacii portum tenens, aliquot dies castellum Cinerchæ, quod eius præsidium regia stipendia mereret, & eius ditioni præfectus Lopatxellus, Iudicis Cinerchæ fratris filius Regi fidus, carusq; esset, summa vi oppugnat.

Cum acre bellum inter Genuenses, qui Sardiniæ dominatum affectant, Welfæ, & Gibellinæ factionis, & Sauonæ commorantur, & eos, qui regi in Sardinia parent, qui vno nomine Catalani nuncupantur, commoueretur, & omnes classiarii regii in oppugnatione præsidiorum Sardonicorum, & Corsorum attinerentur, & ex Pisano Sardiniæ castello, quod præcipuum receptaculum hostium classibus pateret, plurima nostris detrimenta afferuntur, Barcinonensem, Balearicamq; classem Rex armis, virisque instrui imperat. Præterea mense Decembri Valentiæ Guilielmus, & Ombertus Azlorii actuarias aliquot naues adornant.

Brennæ Comes, qui Athenarum Ducis cognomen gerit, magna comparata classe, DCCC. equites ex Gallico delectu, & D. ex Tuscia milites, ac plures ex Apuliæ, & Calabriæ litoribus peditum cohortes educens, Brundisino portu soluens, Peloponnesum præter-

AERA. NAT. CHR.

uectus Athenienſium portus tenet. Catalanis terra, marique bellum infert. Breui Dux diſſipatis copiis magno dedecore rem deſerit.

Cum ſuos pacatos Caſtellanus Rex reddidiſſet, Aragonio in ſocietatem armorum aſſumpto, ſumma vi Granatenſes adoritur. Omnis hoſtilis iuuentus aduerſus tanti belli terrorem, tuendorum finium cauſa arma capit. Monteſani ordinis Magiſter, Ampoſtæ, Montalbani, & Alcanicii præfecti, & Capreræ Vicecomes equitatu ex familia aulaq; regia coacto, Aprilis menſis fine Origuela Ilorci concedunt: hoſtileſque agros depopulantur. x. actuariæ naues ad Herculeum vſque fretum, Granatenſis regni maritimam oram tenent: & appulſus Mauruſiorum auxiliorum obſeruant.

Alfonſus Caſtellæ Rex, inſignis animi princeps, intimis Bæticæ regionibus copias deducens Vrſaone exercitum conficit: cui Magiſter ordinis Auiſii D. equitum delectorum turmis, ex Luſitania aduectis adiungitur. Cum caſtra Rex inde mouiſſet, Thebam oppidum obſidet. Ozminius ſingularis præſtantiſſimæque virtutis dux VI. M. Mauris equitibus, obſeſſis auxilium, opemq; adiungere feſtinans, in mediū rerū certamen deuenit. Vincitur, & profligatur Ozminius maiore equitatus parte deleta. Fuit hæc victoria Auguſto mēſe parta. Theba, & Cannetum, & aliæ arces deduntur. Granatenſis dominatui Regis Caſtellæ ſe ſubiicit: & vnius anni induciæ cum eo ſunt pactæ.

Sanctius Simenius Aierbius Præfectus Iuſtitiæ Aragonum.

1369. 1331 Conſtantia Regina Cypri, Frederici Siciliæ Regis F. Armeniæ Regi nubit.

Petrus Ripacurciæ, & Emporiarum Comes Regis frater Iohannam Fuxenſis Comitis ſororem vxorem ducit.

Ianuarii menſis initio Valentiæ, cum Rex arma, & Sardoum bellum ſpectaret, adeoq; immineret, vt periculoſiſſimo tempore hoſtes in Sardinia noſtrorū mœnibus inſiſterent, eiuſque defectionis indies creſcente cura, naualeque opus noſtris maxime vrguentibus, Raoulus Roccafortius Philippi Francorum Regis legatus, de inferendo Granatenſibus bello Regem commonet. Pollicetur, Francorum, & Angliæ Reges, qui in pacis conditiones deſcenderant, Scotiæ præterea, Bohemiæ, & Nauarræ Reges, Burgundiæ, Britanniæ, & Borbonis Duces, Carolum Comitem Alanzonium Regis Francorum fratrem, & Annoniæ, Flandriæ & Beamontis Comites, atque alios inſignes Galliæ proceres ſacro eo bello militaturos. Delphinum Viennę, & Sabaudię Comitem, qui bellum gerūt, depoſitis armis infeſta in Granatenſes ſigna illaturos. Cum Francus in communi cauſa maximam ſui expectationem concitaſſet, Rex ſuper tanta, ac tam immenſa re deliberaturus, conuentus Dertoſam in K. Iul. indicit. Petrum fratrem & Iohannē Simenium Vrream ad Francum mittit: legationem eius eludens. Ab Rege enim reſponſum attulerant; Caſtellæ Regem non ſiturū externos principes ſua bella gerere: & ab ingreſſione ſuarum ditionū omnes, qui ſe inuito arma in Granatenſes inferant, armis propulſaturum: quod pactæ cum Granatenſi induciæ eſſent. Francorum tamen Rex, qui alio animum intenderat, Hiſpanienſem expeditionem immenſa quadam cupiditate obtendens, Lutetiæ Pariſiorum publico in congreſſu ſacram militam ſe profeſſurum teſtatur. Ea ſimulatione, & impudenti fraude ad turpiſſimum quæſtum inuenta, aurum, argentumque ſacrum omne Gallicum à ſummo Pontifice efflagitat. Decumas omnes eccleſiaſticas è Chriſtiana republica in VI. annos ſibi attribui expoſcit: & vti à ſe eccleſiaſtica beneficia cōferantur. Ad hæc etiam contendit: vt Arelatenſis, & Viennenſis ditionis regium nomen natu maiori F. & dominatus Italiæ Carolo fratri aſſignentur. Pontifex intolerabilia poſtulata à Franco interpoſita deteſtatus, & pro rei indignitate ſumme commotus, eum aſpernatur, ac reiicit: aſſerens exactos annos XL. eſſe, ex quo Francorum Regibus Gallicæ decumæ in ſacrum Hieroſolymitanum bellum attributæ fuerant: earumq; quæſtum in prophanos vſus, ac motus aduerſus Chriſtianos principes fuiſſe conuerſum.

Aprilis menſis initio Rege Valentię aſſidente, Lucas Fliſcus Genuenſium qui Genuę commorantur, vir primarius internuntio Franciſco S. Eulaliæ Regi pollicetur, ſi paciſci cum ciuibus ſuis velit, & damna, quæ noſtris data erant, condonare, aduerſus Gibellinos Sauonenſes, qui Sardoum bellum commouent, ſe regia ſigna ſecuturum: & regiis auſpiciis, claſſem XV. longarum nauium deducturum. Rege promiſſionē Fliſci, ac pactionem accipiente, interim cum regia claſſis XL. actuariarum nauium, & XXX. lemborum Cataloniæ litoribus egreſſa eſſet, menſe Auguſto Liguſtinam oram præteruecta igni ferroque licentius peruagata, hoſtiliter culta, atque amœna Genuenſium prædia populatur.

Dertoſa Rex hiemis initio Valentiam adit: nuptias celebraturus, quibus Petrus Exerica, & Bonauentura Hugonis Iudicis Arborenſis filia adiunguntur. Cum ludis intentus eſſet, qui fuere apparatiſſimi, Granatenſis Rex violatis induciis, omnibus coactis copiis,

piis, & magno comparato exercitu, equitatus robora in Valentini regni fines immittit: Roduano eorum confiniorum præsidiis præfecto: & Abucebetio Ozminii filio, & Machlissio, qui Antiquarię præerat, ductoribus. Ad V.M. equitum, & XV.M. peditum, V.M. sagittariorum in criectis fuisse traduntur. Origuelensem agrum depopulantur: ac vastant. Guardamare oppidum circumsident. Festo D. Lucæ die, acerrima, & fortissima contentione oppugnant, & in oppidum irruunt.

AERA. NAT. CHR.

Gaufredus Gilabertus Cruillias equitatu, peditatuq; omni delecto, Octobris mensis fine, Rege Dertosam regresso, Illicim procedit. In eo oppido præsidia collocantur: quod vniuersa ea regio maritima vasta, ac deserta esset.

Genuenses, qui se Internos vocant, quod vrbis Genuæ propugnacula obtinerent, eiusq; potirentur, clade à nostris illata afflicti, & Gibellini Sauonenses, qui ex ciuilibus dissidiis, ac domesticis seditionibus inimici in armis erant, aduersus Aragonia conspirantes arma Roberto Rege in eam se pacificationem interponente, in pristinam concordiam rediguntur. Pactione ea inita, Oriæ, & Spinulæ excipiunt, vt Siciliensi bello, quas velint partes prosequi liceat: Spinulæ enim Roberto, Oriæ Frederico Regi se adiunxerant.

A.D.V.Id.Apr. Roduanus X.M. equitum, & XXX.M. peditum fines Illicitanos adortus 1370.
Illicim obsidet: & die Dominica Palmarum sequenti magna vi oppugnat. Quod nostro- 1332.
rum copiæ militares conuenissent, A.D.XII X.K.Mai Illicitani obsidionis periculo liberantur.

A.D.IV. Non.Iul. Isabella Regina Dionysii Lusitaniæ Regis vxor, & Alfonsi Regis amita, sanctissima femina moritur: cuius insignem religionem, ac pietatem, & sua tempora venerata sunt: & eius commemoratio consecrata à posteris colitur.

Genuenses cum partium contentio esse desiisset, classem ex LX. nauibus longis, aliisq; adiunctis conficiunt: & Cataloniæ oras depopulantur: magno maritimarum regionum detrimento. In Barcinonēsi statione V. actuarias naues oppugnant: quæ cum in litus deferuntur, & nauibus, & remigibus sunt potiti. Magna præda parta, Octobri mense Genuam appellunt.

A.D.XII.K.Nou. Raimundo Cardona Sacerim profecto, XIII. actuariæ Genuensium naues in Caralitanum portum deuehuntur: nauesque nostras, quæ anchoras iecerant adorti, acri conserto prœlio Genuenses magno accepto detrimento portu pelluntur.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INDICES RERVM AB ARAGONIÆ REGIBVS GESTARVM.

Liber Tertius.

AERA. NAT. CHR.

ETERVM cum ad eum Regni ſtatum Principes noſtri perueniſſent, vt condicio melior externarum victoriarum à iuſto hoſte partarum, quam domeſticarum proponeretur: dum certos fines regnorum, iam à priſcis temporibus ipſi Hiſpaniarum Reges ſibi conſtituiſſent, inde Aragoniis Regibus conſilium fuit, eos hoſtes bello perſequi, cum quibus nulla pacis ratio eſſe poſſet. Bellum erat paratum eiuſmodi, vt noſtri alacres, & erecti, quaſi ad tutandam rempublicam, ad decus labore partum, & laudem excitarentur: & eas copias, quas promouendis finibus maiores comparauerant, ad eorum perniciem conuerterent, qui claſſibus, & naualibus copiis, virtute, & victoria edomandi eſſent: & comprimendi. Res tamen Sicilienſes, & Sardoæ eos de curſu ſuo in poſterum demouerunt: & Catalanorum, vſque ad auorum noſtrorum memoriam, diſciplina naualis omni ex parte perfecta, cumulataque laude remanſit. Iam enim his temporibus, eorum tanta fuit induſtria, tantumque excelluerunt in ſtudio, & ſcientia rerum nauticarum, vt Indigetum, Auſetanorum, Ilergetum, Coſetanorum, & Ilergaonum litoribus, omnes namque eæ ciuitates mare ſecutæ ſunt, magnis inſtitutis claſſibus, atque ornatis, vltimas interni maris oras perluſtrantes Syriæ, Palæſtinæ, Ægypti, & Africæ extremas regiones peruestigarent: atque Arelatenſibus primo, plurimum enim ea ciuitas & infero, & ſupero mari pollebat, & mox Piſanis, & Genuenſibus, qui maria omnia ſibi patefecerant, & Africanis prœdonibus inſigni laude opponerentur: & ab exteris gentibus mediterranei Cataloniæ populi immenſa lucra aucuparentur: ac veluti è ludo, & pueritiæ diſciplina ad externos exercitus, & in militaria munera delecti ſoli, ex noſtris nationibus, generatim duces, milites, nauarchi, claſſiariique exteris gentibus vim, terrorem, calamitatemque importarent. Ea demum hoc tempore euenit tempeſtas, vt Piſanorum reſpublica, quæ & diſciplina, & potentia nauali omnes excelluerat, quorum maiores nauticis exuuiis, & hoſtilium claſſium ſpoliis vrbem ornatam reliquiſſent, non Sardiniæ modo, ſed maris etiam poſſeſſione decederet. Catalanis vero cum acerrima Genuenſium ciuitate, ſumma contentione decertantibus, vtraque natio, non de victoria tantum, ſed pæne de exitio alterius acerbiſſime, & maxime crudeliter bellum gerit: & tamquam certamen honoris, & dignitatis etiam conſtitutum eſſet, in eo viſi ſunt ſumma vi, & impetu contendiſſe, ne maris poſſeſſione pellerentur: cum alternis prœliis, grauiſſimæ inter eos clades intorquerentur. Adeo tamen reſtitit, & peruicit Catalanorum conſtantia, & ſtabilitas, vt ea illo ſæculo exterarum gentium opinio, & exiſtimatio maneret, nullos hoſtes eis naualium rerum vſu, & ſcientia, aut virtute, & animorum firmitate anteferendos eſſe: & Aragoniæ, & Siculæ claſſes late, longeque diffuſa laude peruagarentur: Catalanique ductores digniſſimi poteſtate, atque dominatu rerum maritimarum exiſtimarentur. Eam laudem præmio, & pœna conſtitutis, Principes noſtri conſecuti fuerant: quibus duabus rebus rempublicam contineri, non fruſtra præſtantiſſimum ſapientiæ firmare ſolitum ferunt. Nam eam ſeueritatem in nauali diſciplina, illa ætate à Regibus adhibitam memoriæ proditur, vt lege capitis pœnam repeterent à nauium ductoribus, nautis, & gubernatoribus, quaſi in manifeſto facinore deprehenſis, qui actuariam nauim, vt hoſtium impreſſionem ſubterfugerent, in litus eieciſſent. Brochardus certe Teutonus monachus, in cuius mentionem ſupra incidimus, eius ætatis ſcriptor ad Philippum Francorum Regem, de excellenti Catalanorum præſtantia hæc ſcripto prodidit.

» Super alias gentes maris, quæ maiori perſonarum præeminent probitate, armorum
» fortitudine, & vigore, induſtria in factis maris, & experientia certiori, fidelitate, atque conſtan-

constantia firmiori sunt Catalani, & Ianuenses: qui de vasis maris, & gente melius, facilius & cõmodius administrare, & exhibere possunt copiam abundantem. Inter istos tamen nunc est actualis guerra grauis: & quia ista guerra sic stante, passagium in his defectum non modicum pateretur: nam omnes aliæ gentes, quæ mare nauigant, quantum ad probitatem, & industriam nauigandi, nihil sunt penitus respectiue: omnino expedit: quod inter istos pax, & concordia componatur: quæ quidem pax faciliter obtinebitur: si maiestas regia voluerit interponere partes suas: cum Catalanis Rex Aragoniæ, & Ianuensibus Rex Siciliæ dominetur: qui in tanto, ac tali negotio pacem facere tanto domino non negabunt. Vt in ea re hoc maxime admirari soleam: cum summam in amplitudinem potentiæ, & maiestatis postea Aragonii Reges peruenerint, & sub eorum imperium, ditionemque tot regna ceciderint, qui fieri potuit, vt in præstanti, ac florenti eorum fortuna Catalanorum ditioni iam desuefactæ à maritimis, & naualibus rebus, vix commercium vllis rei cum exteris nationibus permanserit?

Marianus, & Iohannes Arborenses Hugonis Arboreæ Iudicis filii aulæ se regiæ addicunt: cum inter Orias in Sardinia armorum vi omnia agitarentur: turbarenturque. Galeotus, & Barnabas Oriæ arcem ipsam Oriam oppugnant: & Cassanus Oria cum par illis nullo modo esse posset, ditionem sibi attributam Sardonicorum oppidorum Regi addicere tentat. Marianus Arborensis Timborem Roccabertiniam Vicecomitis Roccabertinii F. in matrimonium ducit.

Magna dissidia, seditionesq; in ditionibus regiis suboriuntur: atque commouentur: de ciuitatum iure, quas Rex Ferdinando filio condonauerat: conquerente Petro primigenio, vetante lege, priuilegium fuisse irrogatum: & Leonora Regina nouerca acerbum in priuignum odium struente: & excitante. Rex tamen, vt bonus in primis auctor Oldradus asserit, iurisiurandi religione obstrictus testatur, se ea sanctione, quam de non separando regio patrimonio condiderat, noluisse vxorem Reginam, aut liberos, ex eo matrimonio genitos deuinciri. Reginæ tamen in priuigni amicos, & administros acerbum odium excitatur. Hi fuere Michaël Gurrea regni procurationi admotus ipsius primigenij nutricius ex proceribus, Simon Gurrea Abbas Montaragonius eius frater, Garcias Lorizius, Michael Peresius Zapata. Lupus Concutius epistolarum magister cum in eculeo, in caput aliorum torqueretur mox turpi morte afficitur: quasi Reginam veneficiis infecisset. Petrus Luna Archiepiscopus Cæsaraugustanus cum Regina de priuigno suspecta esset, ne illi traderetur, procul amandandum curat: & in intimos Iaccetanorum saltus ablegandum.

Cum de appellationum intercessione eorum oppidorum, quæ iurisdictionis Præfecti Ampostæ erant, controuersia suboriretur, Præfectus Iustitiæ Aragonum causa cognita statuit: vt Hortani ciues Regem appellent: quod ea ciuitas ex foro Aragonio censeretur: & Aragonium tributum, quod Moraberinum vocant, penderet: neq; Catalanis indictionibus subiiceretur.

Ianuario mense Henric[9], & Fredericus fratres gemini ex Leonora Nunnia Guzmana
concubina, nobilissima femina Alfonso Castellæ Regi filii nascuntur: tam dispari sortis 1371.
euentu, vt alter à Petro Rege fratre crudeli morte sit affectus: alter ipso Petro Rege à se in- 1333
teremptо, regnum inuaserit: quod filio, posterisque tradidit.

Castellum, quod in Panhormitano sinu Maris vocant, Roberti Regis classis nauibus aliquot submissis, insidiis factis, deditur hostibus: & à Frederico Rege statim recipitur.

Albuhacenius Maurusiorũ Rex ingentes, immensasque copias Mahomati Granatẽsi Regi subsidio mittit. Ad VII. M. equitum fretum traiecisse commemorant. Anni initio transmisere: quibus Abulmelichius Maurusiorum Regis F. præfuit imperator. Ad Algeziram, in ipso freto sitam vrbem consistunt. Gibraltarium oppidum Calpi monti suppositum Februario mense obsident: summaque vi adoriuntur. Rex veterno languens, & Aragoniis classibus Sardoo bello intentis, difficilimis rebus affini fratri adesse non potest. Iacobus Exerica collecticiis copiis, Constantinę Castellono Regi adiungitur. Vtrimque vrguentur obsessi: nec impetus hostium, ex superiore montis iugo decurrentium sustinent: & Iunio mense Gibraltarium hostibus traditur: multorum annorum cladibus domitum.

A.D.X.K.Iun. Barbastri Petrus, & Guilielmus Lupezii fratris germani cum Enneco, & Sanctio Lopeziis itidem germanis fratribus, propinquitatis vinculo sibi coniunctis armorum discrimini, atque iudicio se subiicientes, & mutuo ad pugnam prouocantes ferrum, ac manus conferentes confligunt. Adfuit de more, eorum certamini Petrus Regis F. regni procurator. Cum præcipiti, & efferuescenti insania, & furore vtrimque decer-

AERA. NAT. CHR.

taretur, paresque in diutina belligerandi contentione viderentur, Petrus eos gladiatoria illa pugna educi imperat. Othonis Moncadæ consilio strenui, & præstantis viri, & de cōsilii sententia, opere, & munere suo functos decernit, ac prædicat. Ex Aragonum enim moribus, militaribusque regni institutis, re non diiudicata, in posterum diem certamen reiici poterat: vt in deuictos more maiorum animaduerteretur.

Petrus, cuius promptum ad asperiora ingenium erat, patre Rege graui, & mortifero morbo affecto, in suspicionem venit, clam, & adhibito dolo, in Setabitanam arcē, quam Reginæ nouercæ Rex attribuerat, irrupturum. Omnis ea regio partium factione commouetur. Priuignus ingenio, & natura vehemēs & qui summā imperii seueritatem addidisset, opinionum prauitate, & nouercalibus odiis imbutus, donationi Ferdinando fratri factæ, vti immensæ assentiri, libere proteruus denegat.

1372. 1334 A.D.X.K.Febr. Darocæ Rex nuptias Petri filii, & Iohannæ Nauarræ regis filiæ constitutas iureiurando confirmat. Dos à parentibus filiæ dicta est C. M. librarum: eorum nummorum, qui Sanctietes appellantur: qui nummus Turonēsium librarum lege appēdebatur. Castella vtrimq;, & arces veluti obsides traduntur. Cum ea dos dicta esset, cautum, vt L X. tantum millia dissoluantur.

Iohannes Emmanuelis F. Castelfauibio, ad ipsa Valentini regni confinia, Regem affinem conuenit: quorum cōgressui Leonora Regina interfuit. Artioribus fœderibus obstringuntur: paciscunturque vt Iohannis filia Ferdinando Regis F. nubat. Rex principatus Vilienæ titulo Iohannem donat: decernitq; vti Viliena, & alia oppida Vilienæ contributa, quæ Valentini regni finibus continebantur, & eorum ditio Principatus nomine cēseantur. Non. Mart. eo in oppido, eius honoris Iohanni, posterisq; eius priuilegium irrogatur. Excipit Rex, ne nummus in ea ditione excudatur, iacteturve.

Vetustis monumentis traditur, Iacobum Regis fratrem, qui hereditarium Regni ius abrogarat, hoc anno, Iulio mense Tarracone vita functum.

A.D.XV.K. Sept. ad Populum vicum moritur Iohannes Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscopus Tarraconensis Regis frater: vir insigni pietate, sanctitate, summaque sacrorum librorum litteratura præditus. Corpus Tarraconem defertur: & D. Augustini festo die sepelitur. Huic Antistiti vere magno, apud posteros maximæ gloriæ fuit: quod cœnobium monachis Carthusiensibus ab Alfonso Rege anno Domini MCLXVII. in paupertatis patientia dicatum, ornatumq;, & à Petro eius F. Scalæ Dei nomine indito, & Iacobo nepote Regibus, honoribus, & præmiis amplissimis decoratum, & ædem continentem ample, magnificeque exornarit. Ex eo enim cœnobio in solitudine, & sacro quodam recessu, ad Cosetanorum, & Ilergaonum confinia sito, quasi cœlesti cœtu, sacræ religionis fontes hausere ceteri Hispaniarum conuentus: qui eisdem sacris institutis se addixerant: & ad similem laudem, supra quadringentesimum annum sunt propagati.

A. D. III. K. Sept. Burgis nascitur Petrus Castellæ Regis F. fax quædam funesta Hispaniarum: vt aliqui obfirmauerint, quod à Petro Aragonum Rege eius inimico proditum accepimus, non ex Rege Alfonso procreatum: sed à Regina Maria, quę liberos ex sese non pareret, propter fœcundū Leonoræ Nunnię Guzmanæ pellicatū, fuisse suppositum.

Leonora Regina intimo in priuignum odio, siue metu concitata, Attecæ Alfonsum Regem fratrem conuenit. Iacobus, & Petrus Exericæ fratres, se Reginæ opitulaturos, qui à Petri amicitia, eius causa se remouerant, pollicentur. Priuignus, vt erat æstuantis, & flagrantis animi, in sui iuris, commodique iacturam conuentum videns, ægre se tenet, quin viuo patre, de regio iure, armis decernat.

Oriarum familiæ, qui Sardiniam incolunt, & à Rege defecerant, reliquique Genuenses bellum in Sardinia permouent. Cum ipsi nullo duce, communiter bellum gererent, & pararent, Quirræ castellum armatis septum, & natura munitum, atq; in ora maritima situm adoriuntur: cui regio ea omnis paret, quam Barbariam vocant: totiusque Caralitani regni propugnaculum erat. Sed cum is labor frustra esset susceptus: quingenti equites agrum Galluritanum incurrentes, Terramnouam vi expugnant. Maritima oppida, ex Olbiæ vetustæ vrbis reliquiis constructa, quæ aliquando florens, potensque nunc ita diruta iacet, funditusque deleta, vt vix ipsa vestigia appareant, circumcirca depopulantur.

Iohannes F. Regi ex Leonora Regina nascitur.

1373. 1335 Fredericus Rex Iohanne Pont. Max. vita functo, Episcopus omnes regni Siciliæ, & viros dignitate, religione, atq; doctrina præstantes vnum in locum cōactos consulit: an sacro interdicto parendum esset. Communi consensu decernunt, tolli debere: q; summus Pōtifex moriturus execrationes omnes, atq; interdicta, quę à se pmulgata fuerāt, cōsulto resci-

rescidisset. Ingenti animorum alacritate, & lætitia Id. Ian. pie, sanctęque à Siculis rebus sacris opera datur. Sed Benedictus XII. qui in Iohannis locum suffectus est, execrationes easdem, atque interdicta in Baioarium, & eius fautores, & assectatores, vti in Catholicæ Ecclesiæ hostes redintegrat.

Ingrauescente indies Regis morbo, Fuxensis Comes, interuentu Balearici Regis, & Petri Regis fratris, qui Fuxensis erat affinis Regem commonent, quod tempus monebat, veterno enim Rex conficiebatur, de testamento videat: & sibi de Vrgellitano comitatu caueat: satisfaciatque: nam eam ditionem Fuxensis iure repetit. Rex congressum Fuxensis summe exoptat: quod veretur, ne Rogerio Côuenate adiuncto, externo milite Vrgellitanam ditionem inuadat.

Mense Februario Rex Valentia Raimundum Berengarium fratrem ad Benedictum Pont. M. oratorem mittit: de potestate supremi iuris regni Sardiniæ, & Corsicæ, fidelitatis sacramento Ecclesiæ sancienda: & census remittendi causa. Sumptus enim bellici ob defectionem Oriarum, & Genuensium in propugnanda Sardinia, & Corsica, regiis thesauris sustineri non poterant. Iure se id postulare Rex confirmat: quod Bonifacii decreto Iudex Arborensis, Oriarum familiæ, Marchiones Malaspinę, & Donoratici Comites, præter eos Aragonenses, & Catalanos, quorum fructui plurima oppida fuerant condonata, Sardinia omni potirentur: & regiæ ditioni mansérant reliqui Caralitani, Ecclesienses, Sacerenses, & eæ arces quæ Pisanorum iuris, atq; ditionis fuerant. Regio enim quæ Banahyra vocabatur, inculta, atq; horrida nôdum nostrorum armis domita fuerat: quod aspera esset, & montosa. Neq; regia vectigalia XXXVI. M. librarum, nummorum Alfonsinorum pluris erant: quæ bellici sumptus longe superant.

Petrus Alfonsi Portugalliæ Regis F. Blancæ sponsæ, Mariæ Aragonum Regis sororis filiæ nuntium remittit: quod vecordi, atq; amenti ingenio esset. Constantiam Iohannis Emmanuelis F. Blancæ consobrinam in matrimonium postea duxit.

Iacobus Exerica, & coniugio, & stirpe regiæ domui coniunctus è vita excedit. Is, vti supra memorauimus, Mariam Reginam, Roberti Regis sororem, quæ Sanctio Balearico Rege defuncto vidua manserat, vxorê duxerat. Cum procax ea, & temeraria mulier, non matrimonii consortione, sed sceleris societate alterius se contubernio adiungeret, Rex impudentiam eius cohibet: & ad fratrem deduci imperat.

Henricus Guliacus regni Nauarræ procurator bellum in finitimos Guipuzcoanos infert. Petrus Regis F. Nauarro quingentorum equitum auxilia subsidio præmittit: quibus Michaël Gurrea ex Aragoniæ proceribus longe ætate prouectus, præficitur. Michael Peresius Zapata CC. equitum ductor in primis fortis, ac strenuus Nauarrorum cohortibus aliquot adiunctis, cum Castellanos fines incurrisset, ad Tudelam certamen cômittit. Hostes superiores discedunt. Nostris fusis, ac fugatis Zapata in hostium potestatem deuenit.

Iohannes Claramontius Modicensis Comes rebellione facta, à Frederici Regis causa desciscens, Roberti classi præficitur: & Siciliæ oras depopulatur. Raimundo Peralta XVI. longarum nauium Catalanarum pręfecto Drepanitanum portum tenente, & in Sardiniam nauigaturo, ea regio ab incursione hostium liberatur.

Sarraceni Meningis insulæ, qui Frederico Regi paruerant, XII. longarum nauium Genuensium, & III. Roberti Regis appulsu arma capiunt: propugnatoribus ad vnum interfectis, Sarraceni arce potiuntur.

A.D.II. Non. Iun. Rex in Valentina arce cum Abulhaceno Abencomixa, & Paschali Cirera legatis Iuceffij Granatensis Regis, iisdem conditionibus pacem, induciasque paciscitur, quibus à Rege Castellæ depactæ fuerant. Publicæ rei causa Granatam Raimundus Boilius, & Guilielmus Augustinus legantur.

Leonora Regina facinus adorta, Verdegium, & Sometium Aragonię castella, in ipsis 1374.
regnorum confiniis sita, Regi fratri tradere parat: vt facillimos aditus ad fratrem sibi pa- 1336
tefaciat. Petrus priuignus, qui attente insidiatur, & omnia nouercæ côsilia obseruat, Idib. Ian. operam dat, vt præsidiis firmentur. Eodem temporis interuallo, Rege animam agête, Regina Barcinone se in fugam conferens, traiecto Sicori amne Fragę substitit. Arces, oppidaq; filiorum Ferdinandi, & Iohannis præsidiis, munitionibusque obstrui imperat.

Rex ægra, & diuturna valetudine conflictatus, A.D.IX.K. Febr. Barcinone regiis in ædibus Mercurii die hora matutina decedit. In cœnobio fratrum Minorum eiusdem vrbis sepelitur: cum sepulturæ locum in Ilerdensi cœnobio eiusdem instituti sibi delegisset.

Paucis ante obitum Regis intermissis diebus, nuptiæ Iacobi eius F. & Cæciliæ Conuenatum Comitis, & Mathæ eius vxoris F. sunt depactæ. Raimundus Peralta regiarum classiû præfectus, eâ ob causam in Galliâ legatur. Petrus F. regium nomen statim vsurpat.

PETRVS IV. ARAGONVM XIX. REX.

AERA. NAT. CHR.

A. D. VI. K. Febr. Rex iustis paterno funeri nondum indictis, Cæsaraugustæ magna cum inuidia noui principatus, cuius hoc primum specimẽ edebatur, Ferrerium Apiliam Iacobi fratris nutricium præmittit, qui Reginam, quę viuente adhuc Rege Barcinone excesserat, in Castellam properantem, & ingentes thesauros, vti ferebant, secum auehentem anteuertat. Ea vero nimia festinatione montes transgressa, Dertosa Hiberum traiiciens Turolium, atque Albarrazinium contendens Burgensi Episcopo, & Petro Exerica comitantibus in Carpetanos emigrans priuigni manus euasit. Hinc non simultas modo, sed apertum bellum inter Alfonsum, & Petrum Reges suscipitur.

Arcis Setabitanæ præsidium, quod Reginæ nomine occupatum fuerat, Regi deditur.

Ciuitates Cataloniæ Regem commonent, priusquam de more regiis insignibus ornatus coronam suscipiat, Barcinonem adeat: instituta, atque vsus principatus iureiurando sanciat. Contra vero Aragoniæ proceres coiere, ne qua ex summa indignitate labes regni dignitati aspergeretur: si in ea rerum celebritate, & decore Catalani Aragoniis anteferrentur. In eo potissimum enituntur, & summo cum studio instant Iacobus Comes Vrgellitanus Regis frater, Simon Gurrea Abbas Montaragonius, Iohannes Simenius Vrrea, qui Biotensium dominabatur, Petrus Cornelius suo, & Simonis Cornelii patris nomine, Lupus Luna qui Segorbiensem ditionem obtinuerat, Atho Focius, Raimundus Peralta, Raimundus, & Thomas Cornelii Simonis Cornelii filii, Gonzaluus Diazius Arenosius, Philippus Castrensis, Iohannes Ferdinandius Luna: quibus se adiunxerant ex domesticis regiis viri genere, & dignitate præstantes Gombaldus Tramacetius, Thomas Peresius Focius, Simon Peresius Pina, Sanctius Peresius Pomarius, Lupus Gurrea maior, Michaël Gurrea, qui S. Encratis oppidi dominabatur, Garcias Ferdinandius Castrensis, & Garcias Lorizius: & aliquot primarii ex Cæsaraugustanis ciuibus. A. D. XVI. K. Apr. obtestantur, vti primo quoque tempore à Rege Aragoniæ leges sanciantur, atque irrogentur. Maxima de re deliberanti placuit regiis insignibus primum decorari. Petrus, & Raimundus Berengarius patrui, Regi dignitate proximi ægre id ferentes, & Arnaldus Cescomius Tarraconensis Antistes Cæsaraugusta excedunt: neque ex proceribus Catalanis celebritati regi decoris adfuit quispiam præter Othonem Moncadam, & Raimundum Peraltam. Mox publico in conuentu leges iureiurando sanciuntur.

Dominica die, quæ resurrectionis Domini diem festũ subsecuta est, Cæsaraugustæ in Saluatoris maxima æde Rex dignitatis regiæ, potestatisque insignibus, magno apparatus splendore decoratur, coronaturque. Ludos Rex magnificentissimos apparauerat: sic, vt nemo ex superioribus principibus sumptuosiores populari lætitia ediderit. Ouans ex æde maxima in Regiam funali equo vectus muneribus, & congiariis, epulisque publicis regni ordines, & cunctum populum deliniuit. Ferunt Robertum Regem peritos cœlestium admouisse, qui penitus siderum motus dimensi, eorum positus, ac spatia perscrutarentur: quibus Regi diadema imponeretur: vt properum, tardumve regni finem coniectando eliceret: sic enim est traditum.

Calatrauensis militiæ præfecti aliquot, à Magistro, qui ei ordini præpositus erat, secedentes cum Garcia Lupio Magistro, cui eius ordinis conuentus magistratũ abrogarat, ex Oretanis Alcanicium perfugerant: & iis, qui eo in loco commorabantur, eiusdem instituti adiuncti in Garcię Lupii demortui locum Alfonsum Perezium Taurinum Magistrũ deligunt: & in secessione plures annos permanent.

A. D. IV. Id. Iun. Ilerdæ in arce regia leges constitutiones, & scita Barcinonensia, & priuilegia à Rege Catalonis sanciuntur: atque irrogantur: neque donationes, aut assignationes à Rege patre ex A. D. XIII. K. Sept. factas, ratas habet. Ea re coustituta Catalani more, in regis verba fidei sacramento adiguntur.

Iohannes Emmanuelis F. fœdere cum Alfonso Portugalliæ Rege inito, bellum Castellæ Regi illaturus, quod filiæ Constantiæ conditionem repudiasset, amicitiæ societate, & pactionum complexione Aragonum Regi se addicit: mutuoque fœderis vinculo adiũguntur. Id. Mai Cæsaraugustæ Rex principatum Vilienæ, qui regni sui finibus continebatur, Iohanni confirmat. Eo fœdere, quod Iohannis præpotentis viri longe paterent vires, & dominatus in Castella late esset effusus, Rex aduersus Alfonsum Regem, & Reginam nouercam, suas vires satis muniri existimat.

Prosperæ ea tempestate res in Sardina multæ consecutæ sunt. Azo, & Iohannes Opicini filii Malaspinæ Marchiones, Donoratici Comites, & ciuitas Pisanorum, cui aliquot in ea

AERA. NAT. CHR.

in ea insula oppida, omni propugnaculorum vi disiecta, neq; munita patebant, Petrusq; Arborẽsis Iudex, & Marianus, & Iohannes fratres Regi obsequuntur. Oriæ ad Ardẽnam à Raimundo Cardona cæduntur. Adhæc Pont. Max. Francorum, & Siciliæ Reges, Stephano Columna internuntio nituntur, vt compositis, & constitutis conditionibus Oriæ qui à Rege defecerant, pacificentur: Regiq; pareant.

Pax cum Francorum, & Balearium Rege, & Genuensi ciuitate conficitur: Cassani, & Galeoti Oriarum filiis: aliisq;, qui obsides traditi erant, à Rege dimissis. Oriæ sub specie infidæ pacis, quieti tamdiu manent, dum intestinis seditionibus distrahuntur. Quod vi, & impressione Rex nouercam euertere studet, & regni initia inde ducerentur, Castellæ Regis legati Mendius Lupius Toletanus, & Iohannes Ruizius Gaona de pluribus iniuriis Reginæ, & eius filiis illatis, repetitis rebus graues querelas iaciunt.

Alfonsus Portugalliæ Rex Alfonso Regi genero bellum indicit: quod Mariam F. quæ in eius manum conuenerat, & in matrimonium ducta fuerat, repudiaret: atq; ei nuntium remittere vellet. Fama enim percrebuerat eo tẽpore, quo regiis insignibus Burgis adornari summa celebritate constituerat, de ducenda Leonora Nunnia Guzmana concubina, & coronanda deliberasse: & ab eo consilio destitisse, quod id temporis Maria vxor prægnans fieret.

Iohannes Emmanuelis F. à dominatu, atque ditione Castellæ Regis testimonii denuntiatione se asserit. Eæ tabulæ A. D. XIX. K. Sept. in arce regia Valentina Regi proferuntur.

Rex aduersus Petrum Exericam summa vi bellum gerit. In oppida eius, atque arces inuadit: quod Reginæ Leonoræ omnes suas opes, auxiliumq; detulisset. Didacus Lupius Pharensis, Iohannes Martinius Leua, Lupus Didacius Rogius, & alii ex domesticis Regis Castellæ proceres magno equitatu, atq; peditatu, quem, vti Exericæ subuenirent, coegerant, bellum Regi inferunt. Exerica Setabitanis finibus Engueram vsque, suas copias in expeditionem educit.

Anetensi in arce diœcesis Carnutensis, quo in oppido Philippus Rex Nauarræ, & Iohanna eius vxor resederant, Epiphaniæ festo die sponsalia Regis Petri, & Mariæ Nauarræ Regis F. contrahuntur: cum antea cum Iohanna natu maxima filia depacta fuissent. 1375. 1337 Fidem suam obstringunt, omni opera curaturos, vti Nauarræ regni ordines spondeant, demortua Nauarræ Regina ad quam regni iura peruenerant, liberis virili prole non superstitibus, in Mariæ verba se fidei sacramento adacturos: & eorum liberos in parentum locum successuros. Iohanna postea nubet Vicecomiti Rhotomagensi: & Blanca natu minima Philippo Valesio Francorum Regi adiungitur: ex qua prognata est Iohanna quæ Iohanni Gerundensi Duci Petri Regis F. primigenio nupsit. Dos eadem LX. M. librarum dicitur: quæ sorori Iohannæ dicta fuerat. Rex fœdus cum socero icit: vt sibi mutuo opitulentur.

A. D. VII. Id. Ian. Bernardus Villaragutius, Arnaldus Morera, & Azbertus Galiaza Valentiæ à Rege ad Benedictum Pont. Max. legantur: qui iura regni Sardiniæ & Corsicæ Ecclesiæ addicta, regio nomine summo Pontifici sanciunt.

Bonifacius Nouellus Donoratici Comes dux Copiarum militarium, & custodiæ vrbis Pisarum Regi fidem suam præstat, eorum oppidorum causa, quæ in Sardiniæ regno à Rege possidet.

Beltraminus electus Episcopus Theatinus, & Henricus Astensis sacri palatii Auditor Pontificiarum causarum, nuntii Apostolici ad Regem mittuntur: de bello amouendo quod Castellæ Rex, sororis Reginæ causa inferre parat.

A. D. VII. K. Iul. Fredericus Rex LXV. annum agens, morbo oppressus, morti appropinquans Paternione Catanam proficiscitur. Iter faciens in ædicula D. Iohannis Hierosolymitani moritur: longe omnium in re bellica princeps: virtutumq; Rege dignarum præstantia excellens: & omnis laudis genere præclarissimus. Cum Barcinonem corpus deferendum decreuisset, iuxta matris, & fratris, Alfonsi sepulchra sepeliendum: Catanæ in æde maxima sepelitur. Petrum regni heredem, ditione Apuliæ, & Campaniæ principatu adiunctis instituit. Athenarum, & Neopatriæ ditiones, quas Ducatus vocat, Guilielmo filio attribuit.

PETRVS II. SICILIÆ REX.

Cum Alfonsus Castellæ Rex potius ostentaret, quam gereret bellum, & Aragonius Darocæ, exacto Iulio in A. D. XIII. K. Decemb. veluti hostibus oppositus substitisset, omnem contentionem, quæ cum Regina, & Exerica intercesserat, Petro patruo Ripacurciæ Comiti, & Iohanni Emmanuelis F. dirimendam remittit.

AERA. NAT. CHR.

Albuhacenius, Bellamarinius Maurusiorum, & Tremecensis Rex, qui in Mauritaniis ad summum barbararum gentium imperium peruaserat, nec Africano regno contentus, Hispaniæ regnis, angusto freto diremptæ imminet, cuius tam late terra marique præpotentis imperium patet, vt ad vniuersas Africæ nationes Babyloniæ Soldano præferretur, ingentes copias, fretum transmissurus comparat. Abomelichius eius F. cum Algeziram Gibraltarumq; præsidiis contineret, Baream oppidum ditionis Granatensis vi expugnat. Valentino regno id bellum, propter propinquitatem inferri, Rex veritus, quod eæ Contestanorum, Ædetanorumq; regiones à dediticiis Mauris incolerentur, vires omnes suas in eam expeditionem intendit. xxx. actuariæ naues adornantur: quæ ex regio, & Balearico delectu conficiuntur: quibus à Rege Gaufredus Gilabertus Cruillias præficitur: quod Raimundus Peralta Siculi Regis auspiciis classem duceret.

Simon Luna Toletanus Antistes moritur: & in eius locum Egidius Aluarus Albornozius cognatione ei adiunctus, matre enim Therefia Luna genitus erat, sufficitur.

Peregrinus Anzanus Præfectus Iustitiæ Aragonum.

1376. 1338 Cum Rex Valentiæ sacrum natiuitatis Domini diem celebrasset, Guilielmus Orgolius, & Bernardus Petraleuada Prædicatorum instituti, ab Eduardo III. Angliæ Rege legati, vetustorum fœderum commonent: quæ reintegrari expetunt. Quod bellum à Philippo Francorum Rege aduersus Eduardum permotum esset, eius belli Regem participem, socium, & adiutorem exposcunt. Sed turbatis domi rebus, neutrà in partem mouetur: & A.D. III. Id. Febr. Garciam Lorizium ad Francum pacificatoria legatione mittit: si qua indutiarum inter eos principes spes esset.

A.D. II. Non. Febr. Catanæ nascitur Ludouicus Petri Siciliæ Regis F.

Febr. mensis fine Rex Auenionem ad summum Pont. legat Sanctium Lopesium Aierbium ex ordine Minorum virum religione insignem: qui sacræ confessioni Regi adsidet: & Tarraconensi Ecclesiæ postea præficitur. Is operam dat, vti pacto Mariæ Nauarræ Regis F. matrimonio, Rex sanctione ea canonica soluatur, quæ propinquos, & affines matrimonio adiungi vetat. Exposcit præterea Magistri, à societate Calatrauensi Alcanicii creati electionem iussam, ratam, atq; firmam habeat. Sed ea res impetrari nequit: quod partium factione concitati Alcanicienses, contra eius ordinis instituta Magistrum sibi delegissent: & diutina ea seditio inter Calatrauenses socios viguit.

Martio mense Rex Barcinone Petro Ruizio Azagræ Villæ felicis domino in mandatis dat, vt controuersias finium componat. Is Conchæ Castellæ Regem conueniens, qui A.D. X. K. Iun. in eã vrbẽ aduenerat, de fœdere aduersus Mauros ineundo pacifcitur.

Iulio mense Maria Regina Alauonam ingreditur: Philippo Cabilonensi Episcopo patruo, & aliis proceribus viris comitata. Cũ eo in oppido valetudinis curatione attineretur, sollemnia nuptiarum celebrantur A.D. IIX. K. Aug.

Intemeliorum & Antiochenorum familiarum factiones ductoribus Francisco Intemelio Comite, & Comite Frederico Antiocheno rempublicam Siciliensem armis cõmouent: atque perturbant. Claramontii & Palicii eis adiuncti aduersus Petrum Regem, belli faciendi causa, cum Roberto Rege consentiunt.

Carolus Atrebatensis, Sanseuerini, & Carinulę Comites, Comes Fredericus Antiochenus, & Aldoinus Francisci Intemelii Comitis F. classis Roberti Regis ductores Sicilienses oras incurrentes, Rochellæ statione, A.D. V. Id. Mai copias exponunt. Tertio die Golisanũ, Grateriũ, Brucatũ, & Montis S. Angeli castellũ Neapolitano Regi traduntur. L. nauium actuariarum, quas Taridas vocant, ea classis erat. Atrebatensis Neapolim regressus, A.D. XIII. K. Iul. Mylas denue traiiciens, ea statione DCCC. equites exponit.

A.D. XI. K. Sept. Thermę Roberti Regis ductoribus deduntur: quibus magna Siciliæ parte diuexata, atq; direpta, in Campaniæ litora reuersis, Graterium, Golisanum, & Brucatum Petro Sicilię Regi deduntur.

Ea ipsa die, qua arces hostibus tradebantur, Guilielmus Petri Regis frater Dux Athenarum, & Neopatriæ, cuius præcipue virtute, atque consiliis Siculi regni fundamenta constituebantur, è vita excedit.

Tertio Siciliæ regnum sacris interdicitur.

Rex Marianum Petri Arborensis Iudicis fratrem, tituli Gothiani comitatus Sardoę ditionis splendore cohonestat.

Res in Sardinia suspensæ, & incertæ obscura spe pacis, aut belli timore vacillant. His præsidiis respublica fulta erat, quod arces Caralitana Aquæ frigidæ, Ioiosaguardensis, Quirrensis, Castelliorgullosi, Gallicelliensis Castelpedresiensis, Fabensis ad Olbiensem tra-

tractum, Osoliensis, Sacerensis, Sorritanumq; propugnaculum, cui Bastidæ nomen im- AERA.
posuerant, à nostris tenerentur. Omni prouinciæ Raimundus Ribellias præsidet: arci ta- NAT.
men Caralitanæ Iacobus Aragonius Iacobi Regis F. præfectus fuerat, quæ tamquam cõ- CHR.
mune nostrorum receptaculum communita: & obstructa erat. Neq; tam nostrorum vigilantia, aut virtute res sustentantur, quam ciuilibus dissensionibus Genuensium: & discordia, quæ inter Oriarum familias flagrat. Malaspinæ suis etiam seditionibus scinduntur. Donoratici Comites, Damianus, Barnabas, & Brancaleo Oriæ in regia fide se permansuros pollicentur: & spes iniecta est Bernardi Boxadosii legati interuentu, in rerum nouandarum metu perutilem eorum operam, & fidelitatem futuram.

A. D. XIII. K. Sept. Cæsaraugustæ Rex Michaëlem Lehetium ad Alfonsum Portugalliæ Regem, in summo Africani belli terrore, & tumultu, vetustorum fœderum confirmandorum causa delegat.

Rex Valentiam profectus militares ordines, manusque recenset: præsidiaque mediterranea Pinnaguilæ, Madronæ, Castallę, Pinnacadelli, Saxonæ, Guadalesti, Castelfauibii, Adamuzii, & oppidi, cui ad Pontem cognomen est inditum, firmantur.

Octobri mense Petrus Ripacurciæ Comes, Regis patruus in Castellam ad Alfonsum Regem legatur: concordiæ initæ cum Regina nouerca firmandæ causa. Madriti conditionibus modum finiuit. Dotalia vectigalia ciuitatum Oscæ, Calataiubii, Setabis, Castellionis, Morelię, Moruiedri, Algeziræ, Momblanchi, & Tarragæ à Rege marito constituta restituuntur. Regina Valentiam remigrat.

Madriti, de consilii sententia Iohannes Emmanuelis F. Iohannes Nunnius Larensis, 1377.
Iohannes Alfonsi F. qui Iohannis Sanctii Regis fratris nepos erat, Egidius Aluari Albor- 1339.
nozius Toletanus Antistes, Gonzaluus Martinius Ouiedus Alcantarensis militiæ Magister, qui Castellani regni consiliorum summæ præsunt, ad fœderum pactionem cum Gõzaluo Garcia, & Lupo Perezio Fontecia Valentino Decano, & Archidiacono Burgensi Regis legatis, quos eam ob causam, A. D. III. Non. Apr. Valentiæ legauerat, deueniunt. Constituitur, vti classes regiæ maritimam oram ad fretum vsque, ab excursionibus Maurusiorum tueantur: & eorum appulsus, atque transmissiones reprimant: atque coërceant: stationes, litoraque omnia, & portus fretenses longe, lateque classibus occupent. Aragoniæ classi, & imperio maritimo Gilabertus Cruilias præficitur. Rex, omni bello in Bastulorum regionem ad traiectum, aduersus Mauros compulso, Setabi sistit: præsidia firmat: & regni proceres eis præficit. Cocentainæ Alfonsum Rogerium Lauriam Petri Exericæ fratrem, Gonzaluum Garciam Moxenti, Bernardum Villaragutium Albaidæ, Olphum Prochytam Lucenti, Francisium Carrozium Oliuæ, Petrum Zapatam Thoi, Arnaldum, & Matthæum Lanzolios Villælongę, Bernardum Boxadosium Ondaræ, Iohannem Ruizium Coreliam regni finibus præesse imperat: Vitalem, & Raimundum Villanouas Mensæ, & Popi: Petrum Scribam Arnaldi F. Rafali. Hi delecti duces cum firmissimo copiarum robore rem bellicam administrant: quod in omnium rerum certamen sacro bello suscepto, deueniendum esse omnes arbitrarentur.

Condicio ea status Aragonii regni fuit, & communium rerum in sacro obeundo bello inclinatio eo reciderat, quando intestinæ discordię, & nouercalia dissidia sedata videbantur, & restincta, nec reliquus, nisi impius, & transmarinus hostis appareret, vt fraterna odia excitarentur: exitialesque exitus haberent. Nam quod Iacobus Balearicus Rex, qui Constantiam Regis sororem duxerat, diem de die ducendo, Regi iura regia, potestatemque supremam iurisiurandi religione sancire, in cursu bonorum consiliorum cunctaretur, tergiuersareturque, & nihil ab eo longius abesse videretur, quam ea iura agnoscere, quæ patruus, auusque non distulerant, sancire, & ipse Alfonso, & Iacobo Regibus stabiliuerat, pæne inuitus, & recusans Barcinone, A. D. VI. K. Aug. se pacta conuenta obseruaturum, genibus Regis aduolutus, conceptis verbis adiurat: seque in Balearico regno, & insularum adiacentium, & Ruscinonensi, & Cęretana ditione, atq; Omeladesia, & Carladesia continentiumq; oppidorũ, & Mompellerii dominatu, honorario, & precario imperio defungi contestatur. Scribendæ sponsioni adfuere Petrus, & Raimundus Berengarius Regis patrui, Iacobus Vrgellitanus Comes, & Vicecomes Agerensis Regis frater, Arnaldus Cescomius Tarraconensis Antistes, Ferrarius Barcinonensis, & Helenensis Episcopi, Raimundus Emporitanus Hierosolymitani ordinis Præfectus, Petrus Fenolletius Insulanus, Bernardus Caprerienfis, & Iohannes Sous Ebolensis Vicecomites, Berengarius Villaragutius, Bernardus Sous, Pontius Lupianus domesticis Regis rebus Præfectus, Arnaldus Lordatius pro Cancellario Regis Balearium, Bernardus Boxadosius, Petrus Mompahonius, Raimundus Boilius regius Quæstor, Lupus Gurrea

ianitoribus regiis Præfectus, Iohannes Ferdinandius Munionius, & Dominicus Tarba, qui pro Cancellario Regis munus obeunt: & Iacobus S. Clementis, Guilielmus Naiarensis, Simon Olzetus, & Bernardus Rouira consiliarii Barcinonenses. Excipiuntur iura Episcopi, & Ecclesiæ Magalonensis. Iacobus ea se deminutione multari existimans incredibili dolore, & ira exardescens, quasi de suo iure, Regis iniquitate, & iniuria decidisset, Perpinianum reuertit.

Iulio mense Barcinone, cū Archiepiscopus Tarraconēsis, & omnes eius ꝓuinciæ Episcopi ꝓuinciali cōcilio adsiderēt, vt de subsidiis ecclesiasticis Regi cōferēdis deliberarēt, Regesque, & Aragonum, & Balearium Reginæ, & Elicsendis Regina vidua, Cardinalis Rhodensis Hispaniarum à sede Apostolica legatus, Petrus, & Raimundus Berengarius Regis patrui, Iacobus Vrgellitanus Comes, & Ferdinandus Balearici Regis frater germanus in ea celebritate comparerent: corpus S. Eulaliæ sacra pompa, sollemniq; religione, sub maxima ara, in sanctius sepulchrum transfertur, conditurque.

Barcinone Rex Ilerdam proficiscitur: & in ea vrbe Iolantem amitam, quæ Philippo Romaniæ Principi, Despotum vocabat, Philippi Tarentini Principis, Regis Roberti fratris filio primo nupserat, Lupo Lunæ Segorbiensis ditionis domino, homini nobilissimo, & potentissimo, regio genere orto, & disciplinis regiis educato collocat. Is namque, ex quo Artallus pater, fraterque Artallus natu maior in Sardinia, expeditione bellica obita mortem obierant, ab Iacobo, & Alfonso Regibus, eodem cultu, atque liberi regii domi altus, habitusque est. Harum nuptiarum adiunctio plena concordiæ fuit. Nam cum Petrus Ripacurciç Comes Iolantis frater, & Petrus Luna Cæsaraugustanus Antistes Lupi patruus animo, & voluntate partibusque, de summa regni administratione, & curatione rerum, cum Rex ex pueris vix excessisset, diffiderent, quam maxime ea coniunctione ad beniuolentiam conciliantur.

Rex comitatu Petri patrui, & Tarraconensis Archiepiscopi, Iohannis Simenii Vrreæ, qui Biotensium ditionis dominabatur, & Petri Queralti, & aliorum procerum, vt Pontificem Maximum inuisat, Auenionem contendit. D. Martini festo die, Tarrascone egressus, ad Druentiæ transitum à XXII. Cardinalibus excipitur: & Balearico Rege comitatus Neapolioni collegii Decano, ex Vrsinorum gente, & Conuenati Cardinalibus medius interiectus regio apparatu vrbem introiit. Postero die, dum per vrbem regia pompa transuehitur, insolenti ministerio stratoris, qui funali equo Balearici Regis præit, ira commotus, paulum affuit: quin in ipsum Regem affinem gladium vibrarit: vt series futuri in Balearicum exitii iam oriretur. In sequenti die Pontifici Max. iura regni Sardiniæ: & Corsicæ sacramento recipit, atque sancit. Quod summum Pontificem in se ingratum esset expertus, neque in postulatis à se interpositis, benigne sibi ab eo esset factum, eodem die Villanouam regreditur.

Petrus Regis patruus rerum diuinarum contemplationi deditus, cuius vita iam diu à splendore populari, & ambitione remota erat, paulatim à consuetudine rerum publicarum abstrahitur: & Nicolaus Ianuilla Gallus summæ potentiæ vir, qui in Bruttiis Comitatui Terrçnouæ dominabatur, & Margaritam Rogerii Lauriæ F. in matrimonium duxerat, summæ consiliorum à Rege admouetur.

Iunio mense Gaufredus Marzanus Scylacii Comes classis Regis Roberti præfectus quæ XXV. actuariarum erat nauium, & vnius onerariæ viris, armisque apprime instructæ in Æolias insulas transmittens, Liparim vrbem oppugnat: & in Nouembrem mensem circumsidet. Petrus Siciliæ Rex vix vnius, & viginti nauium longarum classem Catalanorum, & Genuensium militum conficiens, Iohannem Claramontium Modicæ Comitem, Imperii Germanici Marescallum, qui Petri sororem duxerat, & Orlandum Aragonium fratrem Liparæis subsidio mittit. Cum commeatus, & integra militum manus sauciorum loco summitti possent, obsessi desperata, & inaudita animorum obstinatione subsidiariam opem reiiciunt: nisi obsidione omnino liberentur: & hostes insula auertātur. Siculi desperatione eorum commoti, pares se esse hostibus posse, nimium confidētes, dum præsidio obsessis, vt essent, citati feruntur, simul est concursum, ingens fuit cum hoste certamen: Siculique profligati, atque deuicti internecione cæduntur. A. D. X. K. Dec. pugnatum memoriç proditur. Cum Marzanus Neapolim transmitteret, subitoque tempestates maximæ essent ortæ, VII. Siculis nauibus ab hoste interceptis, in Siciliam appulsis, & vna Pisas traiecta nautæ, vectoresque ad II. M. liberantur. Claramontius, & Orlandus, reliquique proceres capti Neapolitanis arcibus, & Nuceriæ, Calabrisque Castellis, & Narbonensis prouinciç custodiis traduntur.

Castellæ Rex Hispali exercitu coacto Rodensibus finibus, Arcidionensibus, & Antiquariis

quariis hostiles Maurorum regiones circumcirca depopulatur: & primariis ductoribus AERA. Iohanne Emmanuele, Egidio Albornozio Toletano Antistite, Alfonso Mendio Guzmano ordinis S. Iacobi Magistro, Leonoræ Nunniæ, quæ Regi in concubinæ locum ducebatur, penes q̃ omnis potestas erat fratre germano, Iohanne Nunnio Larensi, Iohanne Alfonso Alburquerquio, magna propinquitate Portugalliæ Regi coniuncto, Petro Ferdinandio Castrensi, Petro Pontio Legionensi, qui Marcienæ dominabatur: & Beatricem Petri Exericæ sororem in matrimonium duxerat, incendio, & incursionibus vastat. Cum Rex hiberna legatis, præfectisq; tradidisset, Abulmelichius Maurusiorum Regis F. Algeziris egressus VI. M. equitum turmis Xericiensem, Assidonensem, & Nebrissensem agrum incursat. Gonzaluus Martinius Ouiedus Alcantaræ Magister prædæ onustis obuiam procedens acie decertat. Hostes profligantur, & occidione cæduntur: Periit in eo prœlio Abulmelichius: clarissimaq; ea pugna multis sæculis fuit. Nullo enim vnquam prœlio fugæ minus hostium, nec plus cædis fuisse meminerant.

NAT. CHR.

K. Sept. Tauromenii nascitur Fredericus Petri Siciliæ Regis F.

A. D. IIX. Id. Sept. Gaufredus Gilabertus Cruillias, cuius singularis opera omnibus bellis enituit, IIX. actuariis nauibus Septæ Mauritaniæ portum ad traiectum tenens, aliquot Maurusiorum actuarias deprimit, capitque. Ea classe maritimam eam oram incursionibus præteruectus, refertus spoliis, ingenti gloria parta, Algeziras reuertitur: quod gaudium duci neq; proprium neq; diuturnum fuit. Paucis enim intermissis diebus, dum naualia terrestribus certamina terrestria classicis miscentur, ne deseruisse victoriam, sed præripuisse videretur, cum ex classe naualibus copiis eductis, terrestri certamini se immiscuisset, sagitta ictus mortem occumbit. In eius locum, cum fretum nostri classibus occupauissent, regiæ classi præficitur Petrus Moncada Othonis F. Rogerii Lauriæ ex Constantia F. nepos: iuuenis patre, auoque, & vsu, exercitationeque militari insignis.

Rex Cæsaraugustæ festum Natiuitatis Domini diem celebrat. 1378. 1340

Iohanne Conuenate Comite vita functo, Bernardi Conuenarum Comitis filio, Iacobus Vrgellitanus Comes Regis frater, actione hereditariam intendit: q. Cæciliæ vxori successionis ius deuolutum esset: atque eam pro herede se gerere æquum videt: quæ soror Iohannis esset. Cæciliæ causam Rex tuetur: interuentu Iohannis Normanniæ Ducis, Philippi Valesii Francorum Regis filii, Caroli Alanzonii Comitis Regis fratris, Ludouici Hispani Claramontii Comitis Alfonsi Castellæ exheredis filii: qui summæ consiliorum, rerum in Gallia gerendarum præsunt. Francus Petrum Raimundum Conuenatem, exclusa Cæcilia, in possessionem mittit.

Garcias Ferdinandius Castrensis præfectus Iustitiæ Aragonum. Huius à Iohanne Simenio Cerdano, qui eundem Magistratum gessit, facta mentio non est: sed Peregrino Anzano Peregrinum Oblitam in eo munere substituit.

Fredericus, Azo, & Iohannes Malaspinæ Marchiones Opizini Marchionis filii, qui Malaspinæ, & Villafrancæ, & aliorum oppidorum Ligustinæ oræ dominabantur, ita inter se comparant, ditionesque omnes partiuntur, vt Iohanni Sardoæ hereditates cedant: qui cum Iohanne, & Moroello consobrinis, Francisci, Opicini fratris, filiis de hereditaria successione decertat.

Genuensis, & Pisanorum senatus, & Luchinus Vicecomes, qui Mediolanensis dominatus, mortuo Azone Vicecomite, is vnicam filiam reliquerat, potitur, vt nostros in Sardinia bello persequantur, mutuis fœderibus adiunguntur. Rebus nouis, & incertum quo vergerent, Arborenses ea tempestate, Iohannes Malaspinæ Marchio, & Donoratici Comites Regi obsequuntur. Missi qui fœdus in easdem leges renouarent, quibus pacem à Rege acceperant. Oriæ in quattuor factiones diuisi, graui partium contentione decertant, Sardiniæ à Rege Bernardus Boxadosius præficitur. Aleriensis Episcopus ab Hugone Cortingo, à Petra Allerata, & Lupo Cinercha Ornano Corsicæ primariis viris ad Regem missus legatus, de Corsica à Rege asserenda atque vindicanda, & regiis viribus in eam expeditionem intendendis commonet. Sed Rege eo bello implicito, quod Maurusiorum Rex Hispaniæ Regibus, collectis Africæ viribus commouet, ab ea molitione sibi omnino supersedendum censet.

PROELIVM TARTESSIVM.

Cum vero non vnius potentissimi Regis, aut Imperatoris, sed totius Africæ regnorum

AERA NAT. CHR. & prouinciarum bellum Hispaniæ Regibus immineret, & pæne repentino omnia plena hostium transmarinorum essent, ad LX. M. equitum, & CCCC. M. peditum fretum traiecisse commemorant, vt in vno, aut altero certamine ad exitum experiunda res esset, summa vi, nō Reges modo, sed vniuersi populi cooriuntur: vt nemo pro tā iusta causa, donec quidquā virium superesset, aut sibi, aut liberis, aut sanguini suo parcēdum, nedū fortunis existimaret; ac de suo quisq; militari munere ita defungitur, vt omnes corpora addicta, atq; operata reipublicæ præstent. Garcias Ferdinandius Barrosus ab Alfonso Rege Castellæ Barcinonem legatus, vt Aragonia classis expeditionem maturet, enititur. Petrus Moncada, & Galcerandus Marquetius XII. actuariis nauibus, & lembo, vt ad fretum præsto sint, prima nauigatione transmittunt. Equestres, pedestresq; nostrorum copiæ Regni Granatensis finibus opponuntur: & Setabi suas collocant Sanctius Aragonius Ampostę Præfectus, Alfonsus Peresius Calatrauensis Magister, Vitalis Villanoua Montalbani Pręfectus, Petrus Alquerius, qui Prioris S. Iohannis Cataloniæ vicem gerit: Petrus vero Thousius Montesanus Magister equitatum Montesę finibus educit: & Petrus Exerica, qui gubernationi Valentini regni, & exercitui imperator præpositus erat, castra Origuelanis & Alicantensibus finibus promouet: & VII. actuariæ naues nostrorum delectu institutæ Aragoniam classem consequuntur. A. D. IV. K. Dec. Alfonsi Castellæ, & Portugalliæ Reges prope Carteiam, Tartessum à Græcis dictam, ad fretum situm oppidum iuxta Salsum fluuium, maximo illo, præclarissimoque prœlio Abulhacenum Maurusiorum Regem, & Belamarinium, & Granatensem Reges deuincunt. Res memorabilis gesta est: & pæne cælestis. Sempiternis enim sæculorum ætatibus, diuina ope victoriam fuisse partam memorabitur. Regis Castellæ in eo conflictu prope inaudita virtus enituit. CC. M. hostium cæsis, & ingenti gloria parta victoria incruenta fuit.

Rex sacri belli causam prætexens, vt militum animos spe prædæ deliniat, finibus Almeriensis regni bellum inferre minatur. Barcinone eo ipso tempore, Raimundum Cornelium, mox Valentiæ A. D. X. K. Ian. Sanctium Aragonium patruum, & Ferrerium Cannetium ad Benedictum Pontific. Maxim. decumarum ecclesiasticarum in tres annos conferendarum, & tributi Sardiniæ regni in quinquennium remittendi causa, oratores mittit.

1379. 1341 Valentiæ Rex festum natiuitatis Domini diem celebrat: & Castellæ Regi non de bene gesta modo, sed conseruata republica, internuntio Iohanne Scriba, ex consiliariis viro primario gratulatur.

Francorum, & Balearium Reges, de Mompellerii, & vicecomitatuum Omeladesii, & Carladesii ditione asserenda, cum eorum summum dominatum, potestatemque Francus sibi vindicaret, in magnam contentionem veniunt. Adhæc Francus earum ditionum arces, & propugnacula suis præsidiis occupat. Communi ea causa Balearicus antestatur, Aragoniumque commonet, vti sibi, si arma inferantur, opituletur. Magnam inde Rex turpitudinis, & auaritiæ labem sustinet: cum se, eo vinculo vinctum, atque obstrictum, indigna Rege fraude, exsoluit: & affinem Regem percellit. Eodem enim temporis momento Balearicum compellat, citatque: & Barcinone conuentibus agendis, pro instituto fœdere, sibi ab eo assideri imperat. Actionem præterea maiestatis intendit: quod nummi ab eo, in Ruscinonensi ditione excuderentur. Inde consilia futuri exitii in Balearicum Rex meditatur: seminaque sparguntur.

Multis eodem tempore, Regia familia Balearica infausti generis vexatur cōtumeliis: multis iniuriis iactatur. Hugo Cyprii Rex Ferdinandum generum, Balearici Regis fratrem bello persequitur: & interuentu legatorum regiorum res ad concordiam deducuntur. Sed adeo breui Ferdinandus vita defungitur, vt ferro, aut veneno è medio sublatum plures suspicentur.

Sanctius Aragonius Regis patruus, & Iohannes Ferdinandius Heredia de iure præfecturæ Ampostanæ armis inter se decertant. Heredia Azconensem, Mirabetanam, Hortanam, & Vldeconensem arces inuadit: occupatque. Rex veritus, ne Heredia Ferdinandi fratris Dertosani Marchionis partes tuendas susciperet, cui Rex aliquid calamitatis semper moliri, & struere destinarat, Herediam magni consilii virum ad sese allicit: & Sanctio Aragonio mortuo eam præfecturam adipiscitur.

Rege Alfonso bellum in Bastulis aduersus Mauros, magna contentione gerente, XX. actuariæ naues classis Aragoniæ, & IIX. Balearicæ freti Herculei angustias obsident: cum ex pacto conuento in Alfonsiana classe LVI. esse oporteret. Permansere tamen ex Hispaniensi delectu Alfonso Regi VII. & XX. Ligustinæ, quæ eius Regis stipendia mererent.

Guiliel-

Guilielmus Ceruilionius Sardiniæ præfectus Brancaleonis Oriç partes armis tuetur. AERA.
Is mortuo Barnaba fratre, à Cassano, & Nicolosio Cassani F. & Fabiano, & Damiano Cas- NAT.
san fratribus, & Morroello, ac Valerano, cum omnes ex Oria gente genus ducerent, bel- CHR.
lo exagitatur.

Matthæus Palicius Noharæ Comes, quod cum Iohanne Athenarum, & Neopatriæ Duce Siciliæ Regis fratre summa contentione dissideret, & Damianus Palicius eius frater, quique eam factionem studio partium prosequuntur, à Petro Rege in Sicilia deficiunt, hos Comes Escalor Vbertinus magnæ potentiæ vir affectatur: & omnes Roberto Regi se addicunt. Fredericus Antiochenus classis Roberti Regis præfectus XL. actuariis nauibus ad stationem S. Nicolai Blerensis A.D.XVI.K. Iul. appellit. DCCC. equitibus expositis, & omni peditatu Mylas obsident.

A.D.XIV.K. Sept. Leonora Regina Frederici Regis coniux, & eiusdem Roberti sorot in æde S. Nicolai ad Catanam vrbem è vita excedit. Catanæ sepelitur.

Hoc anno Cœnobium ordinis Cisterciensis D. Mariæ, & S. Fidi ad Orbam fluuium, in suburbano Cæsaraugustano dicatum, à Michaële Peresio Zapata condi, construique cœpit: quod ex Fonteclaro prope Cingæ ripas regionis Ilergetum translatum fuisse, supra commemoratum est.

Valentiæ Rex festum Natiuitatis Domini diem celebrat.

Petrus Siciliæ Rex ad II.M. CC. equitum, & magnis peditum copiis vnum in locum 1380.
coactis, Martio mense Mylis obsessis subsidio procedit. Hostes certamen detrectantes, se 1342.
situ loci continent, tuenturque. Rex infecta re regreditur.

Calataxibetæ A. D. XV. K. Sep. Petrus Siciliæ Rex decedit. In æde maxima Panhormitana sepelitur: & sepulchro prophyritis marmoris Imperatoris Frederici ataui infertur.

LVDOVICVS SICILIÆ REX.

A. D. XIII. K. Sept. qui Mylarum arce obsidetur, cum xxx. dierum essent cum hostibus pactæ induciç, Roberto Regi deduntur. In ea obsidione Comes Fredericus Antiochenus, qui Roberto Regi se addixerat, in leui pugna ferrum, manumque conferens mortem occumbit: & Escalor Vbertinus, & aliquot primarii viri captiui mansere. Messanæ Theopaldus Pipinellus, & eius filius, & gener rei capitalis damnati morte afficiuntur. Robertus Rex vlciscendi libidine cōcitatus, in Guilielmum Dezlorium Catalanum, & Luchum Grisaphium, & in duos alios viros nobiles, qui in nauali pugna ad Liparim insulam in hostium potestatem venerāt, Neapoli summo supplicio animaduerti imperat.

Ludouicus Petri Siciliæ Regis F. quintum annum agens annitente Iohanne patruo, qui tutor pueri Regis institutus fuerat, Panhormi, Talamonis regia A. D. XVII. K. Oct. coronatur: & sacro oleo à Iohanne Tolone, ex instituto Minorum Andreuillensi Episcopo Catilano perungitur: quod Panhormitanus, & Siculi Antistites sacro interdicto, eius functionis munere arcerentur. Simon Claramontius Manfredi Comitis Claramontii F. à Rege militari auctoramento decoratur. Eo ipso tempore Messanæ aliquot ex Paliciorum factione à Rege deficiunt: & Mamertinorum Prætorem interimunt: & cum arcem S. Saluatoris ad freti fauces firam ir up.ssent, munissentque, Roberti Regis vexillum perditis ciuibus proponunt. Eo facinore patrato, arcem Carolo Saluacossæ Petri Saluacossæ Aenariensis F. qui Rhegium præsidio tenet, tradunt. Iohannes vero dux Athenarum summa celeritate vsus arcem oppugnat: irrumpitque.

Factiones Tarinorū, & Bernardinorum, qui in Cæsaraugustana ciuitate populariter concitabantur, incursione seditionis, & vi, impetuque multitudinis reipublicæ statum conuellunt. Rex Lupo Lunæ summæ potentiæ viro, & Iuratis Magistratibus, & aliquot primariis ciuibus committit, vt illorum furor, atque temeritas coerceatur.

Petrus Moncada regiæ classis præfectus cum Regis Castellæ classi ad fretum adiungi maturaret: xx. actuariis nauibus XIII. Maurusiorum occurrit: & certamine inito quattuor eorum naues intercipit: & duæ ad Steponam in litus depelluntur. Mai mensis fine pugnam eam pugnatam vetustis monumentis proditur.

BELLVM FRATERNVM BALEARICVM.

Omne sacrum, Sardoumque bellum in Balearicum Regem, nihil minus quam vim, aut arma extimescentem versum, atque compulsum, Rege eius machinatore, cum causæ iustæ inter propinquos, & affines Reges non exstitissent, ex indignitate, & fraterna iniuria exoritur: cum Aragonius in regnum Balearicum animum intendisset. Clementis P.M. qui in Benedicti locum suffectus est, interuentu, nam Regem hortari non destiterat,

AERA. NAT. CHR. vt de controuersiis suis, iure potius cum fratre, quam bello disceptet, Balearicus vna cum Constantia vxore IV. actuariis nauibus, fide publica Barcinonem proficiscitur. Rex callido quodam consilio, causas eius exitii struens, aut forte oblatas, arripiens, primo spe pactionis perpulit. Mox Regem, & sororis virum, & maximis praeterea propinquitatis, & necessitudinis vinculis sibi coniunctum in inuidiam falsi criminis adducit: & calamitatem hospiti machinatur. Simulat enim, & affingit, tunc Balearicum operam nauare, vt ipse, & Petrus patruus, ac Iacobus frater sublicio ponte, qui ex aede sacra Minorum stationi maritimae adiungitur, contineturque, aueherentur: & actuariis nauibus in Maiorem Balearium deportarentur: atque attinerentur Alaronis arce: quoad foederum vinculis, quibus Aragoniae Regibus astrictus erat, solueretur. Rex Constantiam sororem, cum missum eius virum fecisset, demoratur. Balearicus, cum generis praesidia omnia extincta essent, domum regreditur: haud aliter, ac si sibi bellum esset indictum.

Arnaldus Erilius, & Guilielmus Bellera regiarum copiarum ductores, Catalonia omni in Balearicum commota, fines Ruscinonenses, cum magna manu ex improuiso inuadũt: & cum praedatorio equitatu in Cęretaniam bellum inferunt: ac ducibus pluribus, & exercitibus res administratur.

1381. A. D. XII. K. Febr. moritur Neapoli Robertus Rex: princeps maximis rebus gestis
1343 memorabilis: summa auctoritate, & prudentia praeditus. Iohanna ex Carolo filio neptis regnum obtinet. Sanctia Regina Balearici Regis amita, & Roberti vxor Antonium Episcopum Casetanum, & Raimundum Flotam legatos ad Regem mittit: vt conatus bellicos à Balearici pernicie auertat.

Cum bellum Balearicum in expectatione esset prius quam à Rege susciperetur, Petrum Moncadam XX. actuariarum ductorem è freto Gaditano ad se arcessit: & VII. longis nauibus, quae in ostio Sucronis amnis, & Valentina in statione institutae fuerant, Iacobum Scribam praeficit: & naualem, & terrestrem expeditionem aduersus Iacobum Regem vrguet. A. D. IX. K. Mart. Barcinone praeceps animi ad explendam cupidinem, cum in solio, ornatu regali sederet, more patrio, dum populo iura statuit, quippe qui Balearicum regnum animo iam inuaserat, sententia sua Iacobum Balearium Regem, quod edicto regio euocatus, neque iussus, neque citatus adesset, vt contumacem condemnat. Regia iura, vectigalia, bona, fortunas, possessionesque omnes Balearici regni, & reliquarum ditionum regno contributarum describi, notariq; imperat. Si vertente anno adesse iussus, atq; citatus non stiterit, & de impositis criminibus se non purgauerit, regnum, ditionesq; omnes, bona, fortunę, & possessiones publicentur: in fiscumq; conuertantur, decernit. Balearicus ea necessitate adductus auxilii petendi causa, ad Francum primo, mox ad Pontificem Maximum profectus re infecta rediit: cum tantum ex improuiso malum accidisset.

Rex classe CVI. nauium Rubricati fluminis ostio, A. D. XV. K. Iun. soluit: & in Balearem Maiorem nauigans A. D. X. K. ad Palumbariae stationem appellit: & Porracio portu anchoras iacit. Ordines in ea expeditione duxere Petrus Regis patruus, qui Senescalli Cataloniae functus munere, rerum militarium imperium obtinuit: Petrus Moncada maritimo imperio praepositus, Petrus Exerica, Blascus Alagon vexilli Regii ductor, Iohannes Simenius Vrrea, Philippus Castrensis, Iohannes Arborensis, Petri Iudicis Arborensis frater, Alfonsus Rogerius Lauria frater Petri Exericae, Galbanus, & Raimundus Anglesolae, Acartius Murius, Arnaldus Erilius, Gonzaluus Dianus, Mizius Arenosius, Gonzaluus Garcias, Iohannes Ferdinandius Luna, Artallus Focius, Michael Perezius Zapata, vir bellica laude praestantissimus, Petrus Iordanis Vrries, & Iordanis Vrries, Gonzaluus Simenius Arenosius, Galcerandus Belpucius, Gilabertus Centillias, Olphus Prochyta, Sanctius Peresius Pomarius, Petrus Pardus ex Casta. Balearicus CCC. equitibus, & XV. M. peditum obuiam procedens, vt hostium expositas copias à progressu arceat, atque prohibeat, dum signa conferre parat, summa suorum ignauia desertus, turpi fuga insula cedit.

A. D. II. K. Iun. Rex in vrbem receptus regium Balearium nomen assumit.

A. D. X. K. Iul. Rex apparatu, insignibusque regiis ouanti similis per vrbem magna pompa vectus, eius regni possessionem vsurpat. A. D. VI. K. Iul. nauim conscendens Barcinonem nauigat. Arnaldum Erilium Balearico regno gubernatorem praeficit. Numeris militaribus Gilabertum Centilliam ducem constituit. Minoris Balearium gubernationi Gilabertus Ceruera, & Ebusi Michael Martinius Arbes admouentur.

A. D.

A. D. IV. K. August. Rex, quasi materia quærendæ bello gloriæ præbita, affinem vlturus, cum id bellum non incidisset, sed eius causa vltro esset illata, Iuncaria excedens, iusto exercitu coacto, Pyrenæi saltum transgressus in Ruscinonensem agrum inuadit. Canneti, & aliarum arcium potitur. AERA. NAT. CHR.

Cardinalis Rhodēsis tituli S. Cyriaci Thermis, Balearici belli causa in Hispaniā legat[9], cum Ruscinonensis ager incurritur, deuastaturq;, A. D. XVII. K. Sept. ad Clairanum in regia castra descēdens, Bernardo Oliuerio Valētino ex instituto ordinis S. Augustini Oscēsi Episcopo eius legationis administro, & aliquot Antistitibus comitatus Regē conuenit: habitusque est illi à Rege honos: & bellum intermittitur. Rex ita pacem dari pronuntiat: si Balearicus de summa rerum liberum de se, & de vniuerso regno statuendi ius permittat.

Quod Rogerius Conuenas, & Gallicarum copiarum ductores Arana valle minarētur se in Palliariensem tractum transcensuros, vt Balearico Regi opitularentur, Rex Thomæ Peresio Focio, qui gubernationi Aranæ vallis præfectus fuerat, & Leonis arcis præsidio præfuit, committit vt claustra, saltusq; omnes obsepiat. Is ex Aragoniis procerib. erat.

A. D. XI. K. Sept. maiore equitatus parte Rex Panizasio colle regressus, Pyrenæum transcendit. Reliquæ equitum turmæ, & impedimenta Clusa, & Pertusio saltu transgrediuntur.

Augusto mense Ceruerae nobili agri Ilergetani oppido nascitur infans immane, ac fœdum mōstrum: biceps, facieque gemina: & quattuor cruribus. Viuus parentibus facinori consciis defoditur: & in eos vti in parricidas more maiorum est animaduersum.

Cum Rex Balearico maiestatis actionem intendisset, crimenque obiectaret clandestina, & infidelia aduersus se consilia cum Franco, & Castellano Rege, ac Regina nouerca, eiusq; liberis, & Genuensium, ac Pisanorum ciuitatibus consociasse, A. D. IV. K. Apr. in sacello maioris regię Barcinonensis sollemni cærimonia regnum Balearicum, & ditiones regno contributas regiæ potestati, ditioni, & iuri veluti in fiscum conuersa addicit: atque adiungit. 1382. 1344

Cum Rex in ea regione esset, quæ rebus à se aduersus affinem Regem gestis, imperium regno suo, definiret, magnæ seditiones Cæsaraugustæ à turbulentis, & perniciosis ciuibus concitantur: & aliquot proceribus per vim, & factionem ruentibus, ius, & fas omne intercidit. Iohannes Simenius Vrrea Alcalatensis arcis præfectus, Blasci Alagonis frater, qui Sastagi, & Pinæ dominabatur, & in magna potentia erat, & Martinius Egidius Atrossilius, & Lupus Ferrencius Atrossilius eius frater proceres factiosi, & primarii de Estercuelensi ditione, quæ Mariæ Simeniæ Atrossiliæ Iohannis Simenii Vrreę vxori attributa fuerat, & actione hæreditaria armis decertant. Garcias præterea Lorizius, regni gubernationi admotus, aduersus Sanctium Turiasonensem Episcopum, qui illo ipso tempore pontifex sacratus fuerat, belligerare non intermittit: & eius militares copiæ in Sammanem Episcopi ditionis oppidum irrumpunt: Hominesque ad vim, & facinus delecti Concilios, eius oppidi Lorizius dominabatur, se abdidere. Maiori tamen Athonis Focii impressione, omnes regni partes acerbo dissidio commouentur. Is enim parato equitatu, & peditatu, copiisque instructus Arinium oppidum machinis, & telorum tormentis admotis percellit: irrumpitque: cum in eo Maria Pomaria Athonis Azlorii vxor cōmoraretur: quæ Iohannis Azlorii F. nomine in eius possessionem venerat. Rex ea indignitate commotus prouētus omnes, & vectigalia Athonis Focii, militariaq; beneficia notari, describique decernit: & Focius Garciæ Ferdinandii Castrensis Iustitiæ Aragonum Pręfecti intercessione, atq; interdicto notationē eam abrogandā contendit: summaq; de iurisdictione cōtrouersia suboritur. Regii enim aduocati eo actionē intenderāt, vt Pręfectū Iustitię Aragonum reiectione interposita, iudicem aspernentur: atque repudient: id ius esse asseuerantes, vt in generali cōuentu, de iis controuersiis diiudicet, atq; definiat, quæ cum Rege haberētur: neq; illi ius, fasq; esse, extra conuentum, Regem in iudicium deducere: neq; aduersus regiam dignitatem, pro aliquo iudiciū accipere: nisi in ingenuitatis actionibus: aut in eis litibus, quibus Rex, tamquam auctor obstrictus esset: & in his quæstionibus, quæ aduersus regios magistratus, & iudices constituerentur. Quod Regii administri vererentur, ne Pręfectus, qui Athoni Focio cognatione coniunctus erat, notationem bonorum, & militarium beneficiorum abrogaret, Rex Michaeli Peresio Zapatæ, qui in Garciæ Lorizii locum, regni procurationi admotus fuerat, & Præfecto cōmittit, vt Focium in carcerem mittant: qui regia vetita, & iussa contemnens, & pro nihilo ducens, facinorosorum, & Tarinorum factiosorum hominum manus colligens, Cæsaraugustę maximas turbas facit: & cum Aznario Pardo Petri Pardi Castæ fratre pugnam conserunt.

AERA. NAT. CHR.

Cum multos, & præpotentes viros Rex videret Focio fautores esse, neq; à Gubernatore, & Præfecto eam seditionum labem, atque perniciem arceri è ciuitate posse, ad illud extremum, & vltimum perfugium decurrit, quo superioribus temporibus à Principibus nostris, in dissensionibus ciuilibus discessum est: contra turbulentissimorum & præpotentium virorum audaciam: vt Iuratis magistratibus Cęsaraugustanis eas partes, ac legem imponeret, vt viderent, ne quid detrimenti respublica caperet.

Regi bello Ruscinonensi maxime intento, transacto Resurrectionis Domini die festo, nuntius aduenit, Algeziram Alhadræ, longinqua obsidione à Rege Castellæ circumsessam: in cuius propugnationem omnes Maurorum, atque transmarinorum auxiliorum copiæ, atq; vires conuenerant, conspirauerantq;, cum res in magnũ discrimen recidisset, in deditionem coactam. Iacobus Scriba, & Matthęus Mercerius xx. actuariis nauibus nostrarum classium maritimos Maurusiorum hostium appulsus arcentes, & propulsantes insignem laudem, eo in bello sunt consecuti. Ea re prospere gesta, Matthæus Mercerius, v. actuariis nauibus hostiles naues, quæ ex Monœci, & Illiberis naualibus, Balearici stipendiis maritimas Cataloniæ oras incursauerant, persequitur.

Clemens Pont. Maxim. Armandum Auxitanum Archiepiscopum ad Regem legatum mittit: pactarum inter Reges indutiarum, in S. Michaëlis festum diem, prorogandarum causa. Cum Rex legati precibus non assentiret, A. D. II. Id. Mai Ficariis Iuncariam procedit. Postero die instructis aciebus, Panizasium Pyrenęi saltum transcendit: & Ruscinonensem agrum incurrit: adeoq; incitatus fertur, vt crudele, & exitiosum bellum suscepisse videatur. Helena vrbs deditur.

Pollicetur Armandus cum liberis Balearicum in Regis potestatem venturum: arces, & propugnacula traditurum: modo in iudicium capitis ne vocetur: aut in custodiam tradatur.

Balearicus ad vrbis Helenæ muros, se Regi offerens, animo demisso, atque humili, Regis ad pedes, Rex ipse prouolutus, eius fidem, ac misericordiam obtestatur, atque implorat: & præsens se, regnumque ditioni eius permittit. Petrus Exerica Balearicum Helenam deducit.

A. D. XVII. K. Aug. Rex Perpinianum Ruscinonensis ditionis arcem, & propugnaculum ingreditur: & summa lætitia à ciuibus excipitur.

Reges equitantes II. M. P. à Perpiniano, comitantibus eos Iacobo Regis fratre, & Petro Exerica, congrediuntur. Summisse Balearicus supplicat, per Regem sibi liceat, suum ius persequi: neue summo iure Rex secum contendat. Ad hæc expostulat, Ferdinandi fratris germani liberis, tamquam legitimis heredibus, sua iura salua, & incolumia remaneant. Quamuis æqua, honestaque postulatio videri poterat, summa perfidia, & iniquitate præferox Regis animus, & implacabilis, & inexorabilis iracundia, ac demum ipsa vicit vtilitas: & cæca, ac temeraria cupido.

Perpiniani A. D. XI. K. Aug. festo D. Magdalenæ die, in æde D. Iohannis, id decretum, quo Rex Balearicum Regnum, & ditiones illi contributas Aragonio Regno subiunxerat, peruulgat: atque edi populo imperat: firmatq;.

BALEARICI REGNI SVB ARAGONIAM DITIONEM SVBIVNCTIO.

Hugo Vicecomes Cardonensis, & Galcerandus Pinosius adeo inter se diffident, vt armis dimicent.

A. D. XVI. K. Sept. Balearicus, nullo comi à Rege accepto responso, Ruscinonensi regione excedit: ac Bergæ subsistit: quem locum sibi assignari petierat: vti in eo demoraretur.

A. D. IV. Id. Sept. Rex Barcinonem properans, apparatu regio, magnoque applausu, veluti de hostibus victoria iusto bello parta, acclamante & assentiente populo excipitur. Celeberrimo consiliariorum congressu, quod se respectum ad Balearicum Regem habiturum spoponderat, de consilii sententia iniquam illi legem, & miseram condicionem constituit: & de regni possessione deturbat: neque honos imperii seruatus: & regno multat. Statuit, vti X. M. librarum quotannis Balearico in sumptus assignentur: quoad illi extra regni fines ditio, aut dominatus attribuatur: remittitque regalia iura, si quæ sibi obtigerant, Omeladesiæ, Carladesiæ, & Mompelleriæ ciuitatis: atq; earum ditionum supremam potestatem: modo regio titulo, regiisque insignibus Balearicus cedat. Tamen is cum internuntiis Petro Moncada, Philippo Boilio, & Garcia Lorizio Regio nomine eę leges imponerentur, condicionum iniquitatẽ perspiciens, omnes reiicit: consilio enim suorum præstare visum est, omnes difficultates extorrem perpeti, quam tanta indi-

indignitate, & contumelia affectum impotenti tyrannidi Regis affinis. atq; propinqui aſſentiri. Bellum deintegro à Rege, vt eum regno exterminet, comparatur: & arces præſidiis muniuntur. Balearicus Petrum Exericam ad certamen prouocat: quod in ferendis condicionibus fidem ſciens fefellerit: & per ſimulationem amicitiæ nefarie prodiderit. Artallus Palliarius, Iohannes Balearicus, Petrus Raimundus Codoletius, Berengarius, Vlmius, Gaufredus Eſtendardus, Raimundus Villarnaldus, Perrinus Balma, Dalmatius Dezbolius, & alii Ruſcinonenſes, & Gallici viri Exericam eodem crimine, in ſummum certaminis diſcrimen arceſſunt. Exerica omnibus ſatisfeciſſe viſus eſt: & fidem ſuam liberaſſe. Petr⁹ Cornelius, & Raimũdus Corneli⁹ eius frater, Petrus Moncada regiæ claſſis præfectus, Michaël Pereſius Zapata, qui gubernationi regni Aragonii præpoſitus erat, Philippus Boilius, Garcias Lorizius, & Egidius Ruizius Lihorius ab Exerica fidem Balearico, ſumma promiſſi conſtantia, præſtitam obteſtantes, ſe Gallicis, & Ruſcinonenſibus viris contratendentibus, & certaminis diſcrimini opponunt.

AERA NAT. CHR.

Balearicus armis, & infami iudicio de regno, ac pæne fortunis omnibus exterminatus, atque expulſus ad Cæretanos recedens, Gaufredi Stendardi Galli, qui Puicerdanæ vrbis præſidio præfectus fuerat, ope, atque conſilio eius regionis potiri ſperat: ſed à ſuis deſertus, & proditus, è Cæretanis miſerabiliter eiicitur. A. D. IIX. K. Decemb. Pyrenæum tranſcendens Pimorentio ſaltu, qui Cæretanos ab Aquitanis ſeparat, cum montes niue obriguiſſent, frigore, ac fame pæne enectus, tanta animi deſperatione erupit: vt conatus fuerit, ſibi mortem conſciſcere. Poſtremo odiis, atque fraternis diſſidiis euerſum, diuina, & humana iura obteſtantẽ, in abiecta, & contempta fortuna, cum ſpes omnis in armis reliqua eſſet, inteſtino ſcelere paulatim externa auxilia deſtituunt: ſtatuq; detrudũt.

Balearico Ruſcinonenſi ditione, & Balearibus inſulis expulſo Rex A. D. II. K. Decemb. Perpinianum introit: quo Ruſcinonenſibus conuentum edixerat. Aimericus Vicecomes Narbonenſis bene geſtæ reipublicę gratulaturus Regem inuiſit. Maria Regina, Conſtantia, & Iohanna, quæ A. D. VII. Id. Nouemb. Barcinone nata fuerat, filiis ſecum deductis, eodem contendit.

Guilielmus Roccauallus, Orlandus Ornanus, Henricus Cortingus, & Strambii, qui in Corſica inſula regias partes proſequuntur, atque tuentur, Regem, ad eam aſſerendam hortantur. Aliquot actuariæ naues, & Catalanorum lembi eius inſulæ oras incurſant: & in Syracuſanum portum, Bonifacii appellant, inferuntur.

Raimundus Villaragutius Ludouici Siciliæ Regis legatus, de Conſtantia Aragonia Regis F. Ludouico Regi in matrimonium tradenda, legationem renuntiat.

Ea tempeſtate xv. actuariæ, ex noſtrorum etiam hominum delectu adornantur: quæ Iohannis Athenarum, & Neopatrię Ducis, Marchionis Randacii, Ludouici Sicilię Regis patrui ſigna ſequuntur. Is in Atticam nauigaturus erat.

Feſto natiuitatis Domini die Rex inſignibus regiis, apparatuque regali ornatus, velut iuſto bello proſtratis, deuictiſque hoſtibus, triumpho exultans, victoria, non opimis 1383.
ſpoliis, ſed fraternis exuuiis parta, Perpiniano tranſuehitur: fœda tamen imbrium ſubito 1345
coorta tempeſtate, ingloria ea pompa diſiicitur. Didacus Garcias Toletanus Regis Caſtellæ legatus, de controuerſia, inter Regem, & Ferdinandum, & Iohannem eius fratres dirimenda Regem conuenit: numquam enim Rex ſe mitem, ac placatum fratribus præbere poterat.

Ferdinandus Iohannis Emmanuelis F. Iohannam Raimundi Berengarii Regis patrui, & Blancæ Romaniæ Deſpinę, Philippi Principis Tarentini filiæ matrimonio genitam vxorem ducit.

Nicolaus Ianuilla, is Comes Terrenouæ inter regios conſiliarios principem locum obtinet, Gallicæ gentis, & ſummæ potentiæ vir, qui Margaritam Rogerii Lauriæ F. duxerat, cui pro pluribus in rem republicam meritis, & honores à Rege habentur, & gratiæ referuntur, Michaël Pereſius Zapata, Iohannes Ferdinandius Munionius regiis rationibus, & Bernardus Olzinelias ærario præpoſiti inſignem legationem ad Põtificem Maximum obeunt: à quo benigne, comiterque Auenione, A. D. II. Id. Mart. accipiuntur. Hi quaſi publici regni nuntii iuſte, ac de more legati commonent, ne Pontifex de reſtitutione Balearici regni amplius laboret: contendatve. Nihilo ſecius Pontifex honorificus in Regem fuit: decumaſque eccleſiaſticas horum regnorum in x. annos, in ſumptus claſſium, quę ad Herculeum fretum Mauruſiorum appulſibus reſtiterant, largitur. Dimidia ex parte Sardoum tributum, in totidem etiam annos remittit.

Conſtantia Balearici vxor iuſſu ſummi Pontificis à fratre Rege dimittitur: quam Lectorenſis Epiſcopus nuntius Apoſtolicus ad virum deducit.

AERA. NAT. CHR.

Quod Balearicus sortem omnem fortunæ, regniq; sui cum Gallicis rebus inuoluisset, ne Francorum Rex de Balearico in regnum restituendo, operam insumat, Rex Iohannam Nauarræ Reginam socrum interponit. Vt artioribus præterea fœderibus concilientur, curat: & altera ex filiis Carolo natu maiori Iohannis Normanniæ Ducis filio, & Bonę eius vxoris nubat: & earum rerum obtinendarum causa Rex sibi amicitia deuinctos habet Ludouicum Hispanum Fortunatarum insularum Principem Claramontium Comitem, qui & Telamonis Comitis cognomen suscipit, Carolum Alanzonium Comitem, Borbonium, & Burgundium Duces, Armeniacensem Comitem: & Arnaldum Roccafulium, qui summæ consiliorum apud Francum præponuntur.

Insidias Regi à Ruscinonensibus parari, collocariq; ad eum interficiendum, muliercula fides adhibetur. Franciscus Vlmius, Richelmus Vernetius, & Guillotus Claira, qui deferuntur coniurationis principes, vincti Barcinonem mittuntur. In sontes animaduersum. Petrus Galcerandus Pinosius Perpinianensis arcis præfectus, aliquot equitum turmis, & peditum copiis coactis, Puicerdanum contendit: quod coniurationem à ciuibus haberi Rex vereretur. Arnaldus Saga Cæretanis præfectus Querolis, & Liuiæ castellis præsidia collocat.

Perpiniani Andreæ Danduli Venetiarum Ducis legati Septembri mense Regem conueniunt: cuius ciuitatis ita late patebat dominatus, vt Dalmatia, & Croatia prouinciæ in eius ditione essent: quartæque partis, & dimidiæ Romæorum Imperii se dominari Dux attestetur. Hi à Rege impetrant, vt pacem à Guilielmo Ceruilionio Sardiniæ præside, cum Venetorum senatu pactam confirmet: veretur enim ne Genuenses Regis Balearici impulsu, nouas res moliantur. Eo metu præcipuo Rex sollicitus, atque suspensus Galeazium, & Brancaleonem Orias, qui à se defecerant, largitione ditionum Sardonicarum conciliare studet.

Gaufredus Marzanus Scylacenus Comes, qui XL. actuariis nauibus fretum transmiserat, Non. Iul. ad stationem S. Stephani Mamertini litoris copias nauales exponit. Messanam obsidet: cuius propugnationi Orlandus Aragonius cum institisset, & XXX. actuariis nauibus, & terrestri exercitu Iohannes Athenarum Dux subsidio aduentaret, postero die A.D.IV. Id. Augusti Marzanus Rhegium remeat.

A.D.XVII. K. Oct. cum Rhegii Marzani classis in anchoris esset, Andreas Ludouici Hungariæ Regis frater, qui Iohannam consobrinam Reginam vxorem duxerat, domesticis insidiis, & intestino scelere circumuentus, fœda morte, Auersæ laqueo est interemptus. Iohanna Ludouico Tarentino nubit, Philippi Tarentini principis filio, & Catharinæ Caroli Valesii filiæ, & secundæ eius vxoris: quæ Philippi Constantinopolitani Imperatoris filia fuit, & Balduini neptis. Eo patrato facinore, rebus Neapolitani regni perturbatis, Siculi regni status vicino, & præpotenti hoste implicito, respirare libere, & acquiescere cœpit.

1384. 1346 Tarracone Martii mensis initio Rex classem aduersus Genuenses hostes institui, & adornari imperat. Rege Populetensi in cœnobio Augusto mense degente, Ludouicus Hispanus Alfonsi, quem exheredem illa ea ætas cognominauerat, F. & Alfonsi Castellæ Regis pronepos Claramontius, & Telamonius Comes, in eam expeditionem, quam de asserendis Fortunatis insulis, & à barbaro, & fero dominatu vindicandis susceperat, quæ à summo Pontifice fuerat illi commissa, & titulo Fortunæ Principis est cohonestatus, auxiliares à Rege copias exposcit. Summus pontifex de ea re Archiepiscopum Neopatrensem, & Rodolphum Loseiram nuntios ad Regem legat. Cum large, & honorifice Rex pollicitus esset, ab ea expeditione, ob funestam cladem ad Cresiacum ab Anglis hoc ipso tempore Philippo Francorum Regi illatam, cui Ludouicus maxime acceptus, & carus erat, desitum est. Alfonsus exheres, silentio enim prætermittendum non erat, Mõfaldam vxorem duxerat: vti coniectura ducimur, stirpe Narbonensium Vicecomitum genitam: cui Lunellum oppidum dotale est attributum. Ex eo matrimonio Alfonsus filios suscipit Ludouicum hunc Claramontium Comitem Iohannis Cerdæ parentem, à quo Cerdarum familia effluxit, & Carolum Hispanum Connestabulum Franciæ.

Turbatis Neapoli, Regis Andreæ morte, rebus, Iohannes Ludouici Siciliæ Regis patruus Dux Athenarum Mylarum arcem, quæ in hostium potestate manserat, obsidet. A.D.II. Non. Aug. Mylæ deduntur. Qui in eo præsidio reliqui fuerant, cum bonis in Bruttios Tropæam, Rhegiumq; dimittuntur.

Valentiæ Rex festum natiuitatis Domini diem celebrat. Expeditis Balearicis rebus,

1385. atq; eo bello confecto, cum de hereditaria regni successione Constantiæ F. asserenda
1347. Rex deliberasset, quod liberos virilis sexus non suscepisset, superque ea re dissensio

cum

cum Iacobo germano fratre commota esset, & regnum filiæ affectans nõ procerum modo, sed popularium libertatem aduersam habuisset, animo inquies, & suapte natura, & ingenio deuius, ad vim promptus, & ad seditionem paratus sensim fratrem in fraudem, & insidias induxit: impulitque: cum se ius suum persequi, grauissimorum iuris prudentum aduocatione confirmat: in quorum numero celebre Iacobi Butrigatii iuris ciuilis peritissimi nomen fuit. In ipso dissensionis initio fratrem, cuius non dubia eo tempore successio vt qui facilis capessendis inimicitiis esset, procuratione regni, quę legitimo heredi deferri consueuit, priuat: ac deiicit. Iacobus Alfonsum Castellæ Regem, Ferdinandũ fratrem, Valentinum populum, & regni Aragonii ordines ad se perlicit: vt se in regia procuratione tueantur. Intra breue deinde spatium belli ciuilis initia exarsere.

Maria Aragoniæ Regina Valentiæ filium enixa, qui, quo die editus fuerat, moritur, quinto die è vita excedit: Constantia, Iohanna, & Maria filiis superstitibus. In D. Vincentii cœnobio eius vrbis sepelitur.

Belamarinius Maurusiorum Rex naualem rem magno apparatu adornat: & Valentino regno, & Balearibus insulis exitiosum bellum minitatur. Riffio flumine, quod inter Velezium, & Targam maritimas Tingitaniæ prouinciæ vrbes in mare effunditur, Tamudam esse arbitror, XL. actuariæ naues adornantur.

Lupus Gurrea, & Petrus Guilielmus Estaimbosius à Rege ad Alfonsum Regem Portugalliæ, de Leonora Portugalli F. in matrimonium Regi collocanda, legati mittuntur. Alfonsus Castellæ Rex Ferdinando Peresio Aiala, & Iohanne Alfonso Alburquerquio internuntiis, summopere enititur eas nuptias auertere: vt Ferdinando sororis F. Regiis Aragonii fratri nubat: quod eo pacto matrimonio, Aragonium ab amicitia Portugalli seiungi sperat. Cum in eo enixe elaborat, & legatos finibus Lusitaniæ intercludit, obita tamen legatione, annitentibus Iohanne Emmanuelis F. & Constantia Iohannis Emmanuelis filia quæ Petro Portugalliæ Regis filio nupserat, & Maria, Simenia Cornelia Petri Portugalliæ Comitis Dionysii Regis filii vxore, & duobus magnis Portugalliæ Regis amicis Ferdinando Gonzaluo Cogomino, & Lupo Ferdinandio Pacieco Ferrariæ domino, nuptiæ sunt pactæ.

VNIO ATQVE COITIO VLTIMA ARAGONENSIVM.

A. D. IV. K. April. Rex gubernationis regnorum magistratus iis, qui Iacobi Vrgellitani Comitis fratris nomine id munus obierant, abrogat: & Valentini regni procurationi Petrum Exericam præficit: & A. D. VII. Id. Apr. emancipata Constantia F. gubernationis munus, quæ primigeniis attribui consueuit, filiæ tanquam legitimę regnorum heredi defert. Ea res Hugonis Ausetani Episcopi, Petri Thousii Montesani Magistri, Petri Exericæ, Petri Fenolletii Insulensis Vicecomitis, Aldemari Mossetii, Gonzalui Diacii Arenosii, & Galcerandi Belpucii procerum consilio sancitur. Petrus Regis patruus Constantiæ tutor constitutus, in eius verba iurisiurandi sacramento adigitur: ea lege, vt si Rege viuente decerneretur, Iacobo eius fratri, aut alteri successionis ius deferendum esse, pro irrito, & infecto id iusiurandum duceretur. Magna procerum turba consentiens, & pæne conspirans Regi se addicit.

Iacobo Vrgellitano Comite à Rege diffidente, & populos concitante, vt procurationis regni munus sustineat, ingens in Aragonio, & Valentino, regno, de libertate vindicanda, atque retinenda fit seditio: vnionisque vetustæ, quæ colluuio, atque euersio ciuitatum erat, denuo nomen, & partes excitantur: profanaque, & sacra armorum licentia permiscentur. Pluribus seditionum ducibus delectis cum eius mali contagio per clara nomina vigeret, & inde ad perditam atq; infimam populi fæcem labi cœpisset, Cæsaraugustæ conuentus agunt. Conuentu discusso, omnium rerum ius ac potestas ad seditiosorum concilium peruenit. Tanta plerosq; labes audaciæ, & confidentiæ oppressit, vt noua insignia in vexillis appinxerint: & signa cælauerint Regis effigie, ornatu regali in solio sedentis: & populi astantis: manus ad Cęlum tollentis supplices. Crebræ inde continuis diebus, ex concursu multitudinis concitationes factę.

Primo vere Balearicus diffidentibus, tumultuantibusq; populis occasione captata, classem adornans, Gallicæ classi adiunctus, cuius Carolus Grimaldus, qui portum Herculis Monœci præsidio obsedetat, ductor, ac præfectus erat, Maioris Balearium portum tenens, vrbem adoritur. Cum eius insulæ spes eum esset frustrata, Illiberim renauigans Confluentem, quam vocant regionem incurrens, Vinzam obsidet, viqueexpugnat. Iunii mensis initio, Rex obuiam illi anteuertens cum prodiret, Confluenti omni tractu eiicit: atque excludit.

AERA. NAT. CHR.

Rege Perpiniani contra Balearici conatus aſſiſtente, ac ſimul ſeditionum inteſtinarum cauſa, quibus regna flagrare cœperant, infeſta eorum conſilia præcauente, qui amentia præcipites feruntur, A. D. V. Id. Iunias amicis, & conſiliariis Epiſcopo Auſetano, Petro Fenolletio Iuſulæ Vicecomite, & Galcerando Angleſola Belpucii domino arbitris, & auctoribus, callida quædam ratio initur. Secreto enim Rex conteſtatur, ſi quæ inſtituta in poſterum à ſe ſanciantur, aut priuilegia irrogentur, quæ è republica non eſſent, aut lege, ac foro, ſanctionibuſve patriis condi æquum non ſit, minimeve oporteat ſanciri, ea omnia reſciſſa, irrita, infectaque ſunto. Quod Iohannes Vrrea Biotæ dominus, & Iohannes eius F. ac Petrus Cornelius ex Aragoniæ proceribus earum ſeceſſionum, ſeditionumque auctores, & principes eſſent, fœderis eius commonet, atque appellat, quo initio regni eos ſibi deuinxerat. Hi enim ſeorſum, ad Regis pedes genibus innixi, pollicibuſque apprehenſis in Regis verba iurauerant: more à priſcis temporibus inſtituto, quando ſubditicii ſe imperiis Regum deuinciunt, atque obnoxios conſtituunt. Sed cum eos ad ſe venire Ilerdam imperaſſet, & vt in fide maneant, obteſtatur, dicto minime obtemperant: & ad voluntarium interitum ruere non deſiſtunt.

Quod Balearici tumultus occaſione quæſita, Cæſarauguſtæ palam à proceribus, qui facem belli extulerant, in republica magno motu, atque impetu omnia turbarentur, Rex proceres oẽs, atq; optimates Catalanos euocat: & optimũ quẽq; ex ciuitatibus ad ſe elicit.

K. Iul. Granoleſio Barcinonenſis agri vico, in ſummo rerum tumultu, atque trepidatione Rex ſibi, ac ſuis diffidens, quod earum ſeditionum incurſio, ac labes cunctorum animos infeciſſet, & communis libertatis cauſa arma caperent, viuendique licentiam, atque impunitam omnium rerum libertatem amplexarentur, amicos, ac domeſticos iuriſiurandi fide obſtringit; ne ſe deſerant: neue quid de maieſtate, dignitateve regia deminui patiantur. Hi inter primos ſacramento adiguntur: Michael Gurrea Aragonii regni gubernationi admotus, Garcias Lorizius, qui Torrelliarum ditionis dominabatur, Petrus Iordanis Vrrieſius Cubiculo regio præfectus, & Iordanis Pereſius Vrrieſius, Petrus Simenius Pomarius, Lupus Gurrea minor, Iohannes Scriba, Matthæus Mercerius, & Nicolaus Pereſius Oteicia. Rex dum videt ſeditionem Valentino in regno gliſcere in dies, Cæſarauguſtæ Turolium oppidum VII. Id. Sept. vrbis cognomine donat, atque cohoneſtat: quod ea ciuitas in primis fidelis iura regalia, iuriſdictionemque, ac regios omnes nutus obſeruet. Haud ferme vlla ciuitas intacta labe eius motus fuit: ſed poſt Cæſarauguſtanos primi Valentini erupere: apud quos maior moles exorta: quanto ciuitas opulentiſſima externis armorum incurſionibus magis opportuna. Valentinę ſeditionis auctores cum aperte bellum parare cœpiſſent, Ferdinandũ Regis fratrem ex Carpetanis euocatum ducem ſibi adſciſcunt. Petrus Exerica populi partium maxime aduerſus, ceteriq; proceres regiarum, optimatumque partium vindices Villaregali conueniunt: vt popularium furori, atque præfidenti, & indomitæ violentiæ reſiſti poſſit.

Seditioſorum factiones, manuſque Valentinæ, & Aragonenſes, dato ab omnibus iureiurando, de bello conſilia inire incipiunt audacius: fœderibus facinorumque ſocietate implicantur: & ad arma concurritur. Ferdinandus, & Iohannes Regis fratres D. equitibus Caſtellanis delectis ſtipati, ſeptique Cæſarauguſtanæ ſeditioni ſe addicunt: cuius coitionis, quam Vnionem vocant, inſtituta fœdere, ac ſacramento ſanciunt.

Cum eò prorupiſſet ſeditioſorum hominum audacia, vt palã omnia ruere viderentur, Rex Cæſarauguſtam properans conuentum in A. D. XIIX. K. Sept. indicit, agitque: cum ab inito regno ad eam diem, & tumultu domeſtico, & Balearico bello præpeditus, conuentus Aragoniis indicere intermiſiſſet. Conuentus in cœnobio Prædicatorum coguntur: quo cum omnes, qui coitionem fecerant, armis tecti impotenti audacia concurrerent, Rex Ruderico Diacio pro Cancellario committit, vt conuentus in poſterum diem prorogentur: & Garcia Ferdinandio Caſtrenſi Præfecto Iuſtitiæ ad ſe arceſſito conteſtatur, ſe vrbe diſceſſurum, niſi vis, atque arma ſeditioſorum hominum, & facinoroſorum comprimantur. Præfecto de ea ipſa re conquerente, & nihil à ſe prætermiſſum eſſe obteſtante, quod aut pro tumultu, & vi ſedanda deplorandum eſſet, Ferdinandi, & Iohãnis Regis fratrũ excuſationem fuiſſe indicat: ſe inſtituto more armis tectos conuentui agendo intereſſe: non in cuiuſpiam perniciem: ſed vt ſine motu, ac tumultu rixæ dirimerentur. Rex, vt ſatis præſidii prouiſum eſſet, Iuratis magiſtratibus Cæſarauguſtanis edicit, vt videãt, ne quid detrimenti reſpublica capiat: qui de vi, hominibus armatis interdicunt: & eorum iuſſu prædicatur, ne quis armis tectus conuentui interſit: & ſi ſecus faxit, grauiſſimæ pœnę ſunt ab eis conſtitutæ. Aliquot prætereà turmis equitũ peditumq; cohortibus per vrbem diſpoſitis, cum pacatæ res viderentur, & conuentus celebrari cœpiſſent,

pissent, neq; de republica referretur, sed vt Catalani omnes Regis consiliarii è conuentu expellerentur: communi ordinum consensu pelluntur. Incredibili inde, & exitioso tumultu, atque impetu ab conuentu disceditur: & omnia turbantur: & infima summis permiscentur. Inuitus, & recusans Rex consiliarios, quorum fideli, & perutili opera tam affectis rebus vtitur, domo, atque curia exigit: & seditiosorum coitio alios in eorum locum substituit. Qui consiliarii Regi eo inuito, admouentur ij fuere: Iohannes Simenius Vrrea, qui Biotensium dominabatur, Petrus Cornelius, Simon Peresius Pina, Arnaldus ex Francia, Michaël Simenius Gurdus Cæsaraugustanæ ciuitatis procurator: & Gilabertus Redonius Oscensis, & Guilielmus Peresius Xixena Barbastrensis procuratores. Bernardus Caprera princeps in consiliis de republica capiendis Galatianum Tarbam, & Aluarum Tarinum factionis Tarinorum duces in regias partes traducit: & eorum interuentu Rex ad se allicit Lupum Lunam: qui Segorbiensium dominabatur: præpotentem virum. Hunc sequuntur Petrus Luna & Iohannes Martinius Luna, Thomas Cornelius, Petri Cornelii frater, & Iohannes Simenius Vrrea Alcalatensium præfectus, & Blascus Alagon eius frater.

In ea rerum commotione, republica tantis difficultatibus domi affecta, & ciuilibus seditionibus prostrata, res Sardoæ in summum discrimen decidunt: Matthæo, Nicoloso, Iohanne, Antonio, & Iuliano Oriis, & aliis duobus eorum fratribus arma suscipientibus: & Alguerium, & alia regia propugnacula Oriæ genti opposita inuadentibus: vsurpantibusque. Oriæ Alguerio, & arce, quam Genuensem vocant, Sardiniam omnem incursant. Inde Sardi dissipati vertunt impetum in nostrorum stationes: atque præsidia: & libere per campos funduntur hostiles copiæ.

A. D. X. K. Aug. Huguetus Ceruilionius fratris Guilielmi Sardiniæ præsidis F. Gombaldus Ribellias, Berengarius Erilius, Raimundus Thimorius, Raimundus Corbera, Berengarius Ragiadelius, Dalmatius Auenionius, Gerardus, & Raimundus Clarianæ, Iacobus, & Alamanus Carrozii, Agradas Moncada, & Franciscus Villarasa statione Barcinonensi classem soluentes viris, atque armis optime instructam Sardoo bello cōcitato nostris subsidio approperant: quod prope serum auxilium, iam pæne circumuentis occurreret. His constitutis, Guilielmus Ceruilionius Sardiniæ præpositus, quod nuntiis acceperat Genuæ classem adornari, vt Oriis subsidio nauiget, & ipsi Oriæ propugnaculum Sorræ, Bastidam vocabant, regio præsidio munitum continenti die, ac nocte prœlio oppugnarent, ad famam hostium intentus, cum accidere visa esset facultas bene gerendæ rei, eam accelerans, coacto exercitu, hostibus obuiam procedens, signis collatis prœlium conserit. Nostris profligatis, hostes magnum eorum numerum, qui signa deserunt, cæcidere. Cadunt Huguetus, atque vna Gerardus, & Monicus Guilielmi filii: cursu, ac lassitudine exanimati: vulneribusque confecti: & magna equitatus pars deletur. Ipse Guilielmus præstantis ducis munere functus, strenuus, peritusque militiæ, ad ancipitem, maxime pugnam equo aduectus, perditis rebus quando in apertum discrimen res euaserat, acie excedens, nemore abditus, æstu, sitique enectus, mortuus concidit. Magna in eo conflictu à nostris clades accepta: tot præcipue illustrium virorum amissione Ceruilioniæ gentis. Sardois rebus Riambaudus Corbera præficitur, & Pontius Sanctapacius toti imperio maritimo præponitur. Præterea Rex Gerardum, & Barnabam Donoratici Comites ad sese allicit: eo emolumento captans, quod ditiones omnes Thomæ Donoratici Comitis, eorum fratris, qui nullis superstitibus liberis decesserat, illis attribuit: cum nulli Bonifacii Donoratici, & Rainerii eius filii heredes reliqui essent. Ad eam diem Marianus iudex Arborensis in fide manserat: & Iohannes, & Nicolaus Arborenses eius fratres omni opera, Regi se penitus dediderant.

In Aragonia cum partium contentio, in ciuili dissensione acriter versaretur, & maiori dissidio indies distraherentur, pluresque ex optimatibus eum rerum statum odissent, Lupus Luna, qui Segorbii dominatur, Petrus Exerica, Blascus Alagon, Petrus Luna, Petrus Ferdinandius Ixeritanus, Thomas Cornelius, Iohannes Simenius Vrrea Alcalatenæ arcis præfectus, & Iohannes Martinius Luna summæ potentiæ proceres, magno consensu, aduersus Iacobum Regis fratrem, ad liberandam rempublicam conspirant. Rex reconciliatis sibi optimatibus, Bernardi Capreræ monitu, viri, & summi consilii, & maximi animi Petrum Ripacurciæ Comitem patruum summæ consiliorum præficit: sed Caprera inter regios amicos primum obtinet gradum: omnes enim ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, copiæ denique omnes conferuntur: vir omnium æstimatione optimus: & omni fortuna dignissimus iudicatus. Qui cum commeatum à Rege adquiescendi à publicis, & militaribus muneribus petiisset, ac se in

AERA. NAT. CHR.

cœnobio Saluatoris ad Bream vicum, ſacrorum cultui addicere, tamquam emeritis ambitionis ſtipendiis, ſperat, miſero ſuo, funeſtoq; caſu, ad rem publicam eſt compulſus: cuius inſignis virtus priuatæ gratiæ aditum apud Regem patefecit: vt regiis arcanis admoueretur.

A.D.IIX.Id.Septemb.tumultuoſo, & ſeditioſo conuentui Rex Cæſauguſtæ aſſidens, priuilegium ab Alfonſo III.Rege Aragonenſibus irrogatum, quo XVI. caſtella, atq; arces, veluti pignora dedi imperantur, quæ alii Regi tradi poſſent, niſi ea rite obſeruarentur, quę ipſo cauentur priuilegio, palam confirmat: quo maxime ſeditioſam eam coitionem ſtabiliri arbitrantur.

A.D.IX.K.Nouemb.Rex publico in conuentu Cæſarauguſtæ, in æde maxima Saluatoris ſuggeſtum aſcendens, concione habita, conuentum dimittit: & Iacobo fratri regni procurationem reſtituit: cuius perceleri interitu, & quod vinculis frater eum attineri conſtituerat, veneno necatum, omnibus eſt perſuaſum. Moritur Barcinone: Rege in eam vrbem profecto.

Ea ipſa die, qua Iacobus Regis frater è vita excedit, claſſis Portugalliæ Regis, qua Leonora eius F. aduehitur, Barcinonem applicat: quam Rex ſumme concupierat, ſibi in matrimonium collocari, inſigni pulchritudine feminam: ſed ob eam præcipue cauſam, vt à Ferdinandi fratris connubio ſeparet. Eæ tamen nuptiæ nulla alacritate, aut lætitiæ voluptate populum afficiunt: quod acerbiſſimis odiis, & inteſtinis ſeditionibus, atque armis ciuilibus regnum arderet.

Quod ſeditioſorum manus Valentino in regno, ſæpe prælio noſtros laceſſerent, A.D. II.Non.Decemb. obuiam itum hoſti: & ad Setabim ancipiti primo prœlio, dimicatum eſt: Gilaberto Scintilia, & Alfonſo Rogerio Lauria Petri Exericæ fratre, regiarum copiarum ductoribus. Regii à collecticia popularium equitum, militumque colluuie cæduntur, atque fugantur. Andreas Guilielmus Scriba, qui Valentini Regni procurationi Petri Exericæ loco, admotus fuerat, & eius filius mortem occumbunt.

Cum Aragonia bello arderet, & veluti inter ciues calamitoſum, & exitiabile malum indies ingraueſceret, A.D.V.Id.Decemb. Cæſarauguſtani vexillum ſollemni cærimonia, in Eccleſiam beatę Marię Maioris ſacrandum traducunt: publiceque proponunt. Militares ſeditioſorum copiæ coguntur: & Valentiam ſubſidio fœderatorum feſtinanter approperant: Lupo Luna, & Iohanne Simenio Vrrea, Iohannis Simenii F. ductoribus: ſed Lupus & optimates, qui ſe Regi addixerant, coitionis partes palam deſerunt: & Darocæ intercludere omnes ſeditionum vias, & regni præſidia munire adnituntur.

Paucis poſt Setabitanum prœlium intermiſſis diebus, cum infenſis animis Valentini vtrimque concurrunt, & quotidie ſigna in aciem proferunt, Petrus Exerica, & Alfonſus Rogerius eius frater, Petrus Thouſius Monteſæ Magiſter, Gonzaluus Diacius Arenoſius, & Raimundus Ruiſecius regiarum copiarum ductores ad Beteram, cum Valentinis ciuibus confligunt. Proceres, eorumque copiæ fuſæ, fugatæq; cæduntur. Occumbunt ea pugna Arenoſius, & Petrus Munionius qui Turoli quæſitoris, ac iudicis munere fungebatur. Reſpublica Valentini regni in maximum periculum, & extremum pæne diſcrimen deducitur. Nulla pax, nulla concordia: bello ciuili publice ſæuiente.

Raimundus Peralta Siculæ claſſis præfectus Liparim vrbem, quæ in Iohannæ Reginæ ditione erat, terra, mariq; circumſidet. Liparęi Ludouico Sicilię Regi ſe dedunt: atque eius imperio addicunt.

Iohanna Regina ſeditione Neapolitanorum commota, & à Ludouico Hungariæ Rege obſeſſa, pacem cum Siculo conficit. Condiciones has paciſcuntur. Siculus Siciliæ regni titulo dempto, & Trinacrię ſuſcepto ſpondet, ſi Hungarico bello Regina, prematur, ſe claſſe XV. actuariarum nauium ſubſidio aduenturum: & CL. grauis armaturæ equitum auxilia miſſurum. Præterea pollicetur, ſe in ſingulos annos III. M. vnciarum tributum Reginæ, poſteriſq; Neapolitanis Regibus conlaturum: quod Regina, auus, ac proauus feſto Sanctorum Petri, & Paulli die Eccleſiæ pendere conſueuerant. Recipit præterea IX. M. vnciarum perſoluturum debitorum Eccleſiæ tributorum ratione. Regina iure Sicilię regni, & adiacentium inſularum cedit: & ab Apoſtolica ſede ſe impetraturam pollicetur, vt dirarum, execrationumq; noxæ, & ſacra interdicta tollantur.

Ludouicus Hungariæ Rex Apuliæ, Calabrię, & Campaniæ ditionum potitur.

1386. 1348. Exitioſum bellum in Valentino, & Aragonio regno Leonora Regina nouerca, & eius liberis coitionis principibus, atq, fautoribus commouetur. Ferdinandus Regis frater ciuitates Valentini regni partim vi, alias voluntate imperio ſuo adiungit.

Iohannes

Iohannes Simenius Vrrea minor Morelia, cum iis copiis proficiſcitur, quas ex delectu Aragonio, & ſeditioſorum, & conſceleratorum colluuie comparauerat. Ad D. equites, & XIX.M. peditum conueniſſe proditur: & Valentiæ Ferdinando Regis fratri adiungitur. AERA: NAT. CHR.

Cum belli ciuilis ſumma Valentino in regno, à ſeditioſis ciuibus Ferdinando Regis fratri delata eſſet, neque dubitaret ipſum caput, atque opes regni adoriri, optimatum partium proceres, regiarumq; copiarum ductores, qui aduerſus Iacobum Regis fratrem coniurationem habuerant, Ixeritano dempto, qui a Rege denuo defecerat, Darocam, extremum Celtiberûm oppidum in primis nobile, proximumq; Ædetanorum finibus vallo, ac foſſa, aggereque muniunt. Copiis coactis, Cæſarauguſtanis, reliquiſq; fœderatis coitionis ciuitatibus bellum inferunt.

Abbas Merenſis Pont. Max. Apoſtolicus nuntius pacificatoria legatione functus, ſi res vlla pacis, ac fœderum condicione ſedari poſſent Regi, ac Reginæ Leonoræ nouercæ, & eius liberis tolerabiles condiciones fert: conaturque, vel iniquis rationibus Regem ad eas perducere: modo exercitus dimittant, & præſidia remoueantur. Seditioſorum tamen viribus, atque armis maxime vigentibus, Rex hereditaria iura Ferdinando fratri defert: cum Moruiedri haud aliter, atq; in libera cuſtodia attineretur. Statuit regni ſucceſſionem fratrem aditurum, ſi ipſe liberis maribus non ſuperſtitibus decedat.

Rex Moruiedri coactus, ac recuſans, Valentiam contendit. In ea vrbe indigne, atq; inhonorate, neque pro regiæ maieſtatis decore Rege habito, incurſione ſeditionum, & vi, atque impetu populari nouæ turbæ concitantur: & duces plus inter ſe irarum, partium factione, quam aduerſus impios hoſtes animi gerunt: & ſupplicia ciuium a ciuibus ſunt exacta. Intus multi mortales cæſi, & ſaccis obuoluti, in profluentem deiecti.

Bernardus Caprera gnarus, & prudens impendentium malorum, qui ex Regis amicis ad intima eius conſilia peruenerat, principemque locum obtinebat, cum è Valentina colluuie Regem vi, atq; armis oppreſſum educere nequit, proceres, ciuitateſque Cataloniæ commonet: earum ſeditionum pœnas expetant: & armis reipublicæ hoſtes perſequantur: vt dignitas, maieſtaſq; regia conſeruetur. Nihil per eos dies inauſum, intentatumve ſeditioſorum, & pernicioſorum ciuium duces relinquunt.

Contagio peſtis funeſtæ pæne omnes orbis regiones peruagatur: & ſimul belli terror in Aragonia infremuit: & peſtifera vis incubuit.

Iniquæ leges, grauesq; condiciones Regi ſunt à Ferdinando fratre, & Valentinis ciuibus, ſeditionumq; auctoribus per vim, iuris, ac fidei oppreſſione conſtitutæ. Cum regni ſtatus conuerſionem omnem, in illo temporis veſtigio repoſitam boni, & innocentes viri arbitrarentur, Rex Valentia, Valentinoq; regno, vt ſe in libertatem vindicet, Iunio menſe egreditur.

Quod crebris belli ciuilis Valentini, & Aragonii rumoribus Sardi animos ſuſtuliſſent, Oriis noſtros graui bello prementibus, Riambaudus Corbera egregia animi virtute rebus labantibus ſubuenit. Sacerim diuturno tempore ab hoſtibus circumſeſſam obſidione liberat: quo in bello virtus enituit egregia Mariani Iudicis Arborenſis: & Iohannis eius fratris: cuius fidelia, & maxime opportuna auxilia fuere.

Cum Oriæ exacti Sardinia inſula eſſent, Brancaleonis opera ciuitas Genuenſis pacis fœderibus violatis, bellum noſtris infert, Iohanne Murta Genuenſi reipublicæ præfidente, & Ducis nomen obtinente. Eo tempore tum fidelitas, tum ipſa potentia enituit Gerardi, & Barnabæ Comitum Donoratici: quibus ditionem, oppidaque Nouelli Rainerii Donoratici Comitis patris, magni Piſanorum, & Lucenſium ductoris Rex attribuerat. Gerardus tamen, & Barnabas, & Roccharum familia à Piſano populo ciuitate pelluntur: cum in ſuſpicionem veniſſent appetendi dominatus. Sed neque eorum exilio contenti Lonius Monterchius, quem poteſtatem vocabant, & Rainerius Merula copiarum ductor, & vniuerſus Piſanorum ſenatus ſummopere nituntur, vti ab Rege Sardinia pellantur: & bona eorum publicentur: eorum ditio, & oppida Vgolino attribuantur, Guidonis Gonzagę Mantuæ domini filio. Is Æmiliam eo tempore vxorem duxerat: Rainerii Comitis ſororem, Bonifacii Comitis filiam. Maxime in eo elaborant, & enituntur Ludouicus Gonzaga Mantuæ, & Regii dominus, & Guido, Philippus, & Phelcenius eius filii: & Maſtinus Scala, qui Veronæ, & Vicentiæ dominabatur.

A. D. II. Non. Apr. Iohannes Athenarum, & Neopatriæ Dux, Ludouici Siciliæ Regis patruus Catanæ moritur: Frederico F. ex Cæſaria vxore herede relicto. Dum Siculæ vires ab externo hoſte premi non poſſent, Iohanne Ludouici Regis patruo vita functo, penes

AERA NAT. CHR.

quem regni regendi gubernacula manserant, intestinis seditionibus diuexatæ, in vltimum decidunt discrimen. Isabellam Reginam Regis parentem causam omnium malorum subministrasse satis constat: dum Claramontium, & Paliciorum partes fouet: & inter eas familias, & Blascum Alagonem Mistretæ Comitem summæ potentiæ virum, & Catalanos, & Aragonios, qui Blasco adhærent, acerrimæ pugnæ concitantur.

Grauius bellum à Rege inter suos, quam aduersus externos geritur: & domesticis malis nostri affliĉtantur: dum ipsa seditio & bello aleretur, & bellum aleret. Cum regiæ vires ad omnia ea bella minime suffecturæ viderentur, accitis ex Castellæ regno DC. equitibus Aluaro Garcia Albornozio duce, qui propinquitatis necessitudine Lupo Lunæ erat coniunctus, præsidiis dispositis, & communitis arcibus Lupus Turiasonensibus, coitionis labe infectis bellum infert: & cum plura oppida sub ditione hostium essent, neque ad ea circumferri bellum posset, auxilia regia præstolatur: neque huic spei, & expectationi diffisus manus conserere distulit. Ferdinandus Regis frater disiectis, & interclusis regiis copiis, cum depopulatis agris, haud facile ab oppidis vim regiarum copiarum prohibet, accelerandum ratus, A.D. XII. K. Aug. Cæsaraugusta egressus Epilam regio præsidio munitam oppugnare adoritur: sed popularis turba militiæ insolens, rixæ, quam pugnæ aptior erat. Constitutis haud procul porta signis, Lupo subsidium Epilensibus maturante, prœlium inter læua mœnium, & dextrum fluuium Salonem committitur. Lupus in laude bellica in primis dux egregius transgressos hostes felici rerum euentu fugauit, ac fudit: nec dubia, nec difficili victoria dimicat. Regius equitatus ordines perrumpit: quacumq; impetum dedit: & populares fugantur: cæduntur que. Ferdinandus, cum in nostrorum potestatẽ venisset, ex acie saucius effertur, atq; dimittitur. Iohannes Simenius Vrrea Biotæ dominus, ex proceribus aduersarum partium princeps, & Gombaldus Tramacetius, Simon Peresius Pina, & Galbanus Anglesola mortem oppetunt. Iohannes Vrrea, Iohannis Simenii filius, & Petrus Ferdinandius Ixeritanus captiui remanent: sed in Iohannem grauiore pronuntiata sententia, non palam est animaduersum: sed intra tabernaculum ducis obrutum fuisse paulo post apparuit. Non alias magis anxia, & pauens ciuitas Regi victori, & externo militi obnoxia, expositaque: neque acerbe, pro ingenio Rex victoriam in plebem exercuit. Nonnulli proceres iudicium veriti profugerunt. Ixeritanus cum in Castellanorum manus incidisset, LXXX. M. solidorum pecunia calamitatem redemit. Huius pugnæ victoria libertate assuetis dominationis metum iniecit.

Insignem adeo calamitatem Lupus Luna eo prælio, internecione exercitus hostibus intulit, vt in Aragonia bellum confectum sit: in quo duce vis animi, consiliique maxime viguit.

A.D. III. Non. Aug. copiis à Rege Cariniensæ coactis, victoria Epilensi prælio parta, Cæsaraugustam init. Cæsaraugustani legatos sui purgandi gratia ad Regem miserant: & vti rem omnem publicam, & fortunas in eius potestatem redigant. Cum prauis consiliis à regia fide defecissent, & veluti frenis exsoluti proruperant, proiectis armis mortem deprecantur.

Galatianus Tarba Præfectus Iustitiæ Aragonum.

A.D. X. K. Octob. Rex Lupum Lunam Comitem Lunæ appellat: atque eius oppidi ditione donat: successoribusque attribuit: quam cum precario teneret, hereditario iure obtinuit: quo dignitatis decore, numquam antea quispiam à superioribus Regibus, in Aragonia cohonestatus fuerat, nisi filius, aut regia stirpe generatus.

A.D. IV. Non. Octob. cum Rex conuentum Cæsaraugustæ ageret, vt obliuione præteritorum discordiæ ciuiles finirentur, scita, instituta que popularia, coitionis impressione facta, & singillatim duo illa priuilegia ab Alfonso Rege III. Aragonensibus irrogata, & quod ipse turbatis rebus constituerat, & confirmauerat, resciunduntur. Noua à ciuitate in seditiosorum capita instituta sanciuntur: & aliquot ciuibus factiosis, & turbulentis rei capitalis damnatis, generatim eo instituto à ciuitatibus pœnæ, multæque irrogantur: & vt quisque præcipuus turbator, conquiritur: atque ita merito euenit, ac iure: vt priuilegia, quæ commotione, atque populi impressione quæsita fuerant, atque parta, & quæ armis tuebantur ciuilibus: armis amitterentur: Aragonia bellis dilacerata, & intestino malo pressa. Cum in eo conuentu iudiciorum causa suscepta esset, nihil antiquius duxerunt summo ordinum consensu, quam vt Gubernationis regni magistratum, qui reliquos omnes antecellit, perturbatione rationis, atque ordinis diffluentem coërcerent: & in ordinen redigerent: & modum quendam adhibentes, iudiciorum seueram honestatem, & decus sincerum conseruarent. Nam cum ad eam diem eius magistratus muneri plerumque proceres regni, & in veteri nobilitatis dignitate, fortuna-

fortunaque nati præpotentes viri præficerentur, corruptaque ab eorum administris, contaminataque iudicia essent, & leges ac iura communisque regni libertas labefactarentur, & tradita, atque inueterata consuetudine, in nobiles viros præsentis mortis pœna animaduerti non posset, neque in iudicium capitis vocarentur, rerumve capitalium condemnarentur, cautum est in posterum, & diligenter lex perscripta est: ne proceres, nobilitatisue decore insignes viri Gubernationis magistratum gerant: sed indigenis regni mandaretur, qui simplici auctoramento militiæ decorati essent: vt par, & æqua pœna in eum, qui iura violaret, & traditam libertatem conuelleret, constitui posset: & sine inuidia culpa capite etiam plecteretur.

VNIONIS NOMEN, ET VIRES DELETÆ.

Coitionis, & vnionis nomine, atque memoria viribusque rogatione deletis, bella intestina in Aragonia perpetuo sedantur. Sublatis enim vnionis priuilegiis, de vnione perpetuo abroganda lex promulgatur. Ex eo magistratus, & Præfectura iustitiæ Aragonum stabiliendæ communis libertatis causa antiquitus legibus septa, atque munita, in eo vires suas exercere cœpit, ne quis contra regiorum ministrorum extraordinariam potestatem, iussa, atque imperia auxilii egeret: aut potentiorum iniuria premeretur: ac fere de omnibus controuersiis publicis, priuatisque ne vis inferatur, constituit. Si quis aut priuatus, aut populus eius decreto non steterit, grauissima pœna afficitur: neque petenti ius redditur: aut vllus honos communicatur: eiusq; auctoritas è ciuitate exterminatur: idque legibus habent sancitum. Institutum vero eius Præfecturæ interdictis tale temperamentum fuit, vt tenuiores, & qui locum ciuitatis infimum tenent, cum principibus viris æquari se arbitrentur: & eam sciscendarum legum rationem nostri secuti videntur, in eo magistratu muniendo, vt regiis iudicibus opponeretur: quemadmodum Lacedæmone Ephori à Theopompo Spartanis Regibus oppositi fuerant: & apud Romanos Consulibus Tribuni plebis. Sed ne existimatio, atque auctoritas eius magistratus vnquam imminui posset, aut popularis fieret, atque omnes iussis supremæ legis obtemperarent, & cum omnibus ea lex semper vna, atque eadem voce personaret, vt vere populi salus suprema lex esset, ac vinculum, & firmamentum libertatis, atque omnes, quod dici solet, quasi sacræ legis cathenis constringerentur, ea cautio adhibita est, ne ex infimo ordine, aut populari suffragio, quispiam eum magistratum adipisceretur: sed militari decore cohonestatus: & à Rege adscitus: atque suffectus. Moderatione quoque ea Præfectura, non ad popularem auram profecta, sed temperatior à maioribus instituta est, quàm Ephororum magistratus à Lacedæmoniis fertur introductus: qui se adeo insolenter efferre consueuerant, vt in more, institutoque positum esset, vt in tribunali sedentes Regibus ne assurgerent: neue eos venerarentur: & singulis mensibus iurisiurandi religione obstringerentur: Reges se patriis legibus obtemperaturos: Ephori vero se Regum imperio obedientes fore: dum leges, ac scita, institutaque maiorum ab illis obseruarentur. Inde euenit, vt non dissensione, ac dissidio, sed more instituto in vnius Præfecturæ magistratu respublica Regiis magistratibus opposita non imbecilla esset: sed magnum applausum assentiente populo consequeretur: & turbidi, concitatique motus inposterum comprimerentur: atq; intestinæ dissensiones sine vllo tumultu, aut motu sedarentur.

Octobris mensis initio, adeo pestifera vis morborum Cæsaraugustæ in cubuit, vt eius contagionis vitiis magna ciuitatis pars infecta sit: & conuentus dirimerentur. In A. D. III. Id. Nouemb. prorogantur: & Turolium transferuntur.

Leonora Regina eodem mense Exericæ, nullis superstitibus liberis è vita excedit.

Valentini in seditione permanentes, cum suo nomine, & sua sponte bellarent, semperq; spes victoriæ redintegraretur hostibus, & publicæ mallent ruinæ succumbere: quam sua proteri: & plerique, quos ad bellum spes rapinarum, aut nouarum rerum studium illexerat, dilaberentur, A. D. II. Non. Decemb. Rex Moruiedro exercitum ducit: & castrorum munitione ad Mizlatam Valentiam obsidet, & oppugnare adoritur. Tamdiu ab oppugnatione desistit, dum spem deditionis ciuibus non adimat. Sed cum à suscepta causa, obstinataque sententia nulla vis, aut periculum depellere posset, & leuiore quadam incursione inita, prœlium ad Mizlatam collatis signis committeretur, quod insigni virtute, & præstantia fortissimorum ducum Michaëlis Zapatæ, & Raimundi Riuseci aliquot equitum turmæ improuiso in munitiones hostium Mizlatenses irrupissent, Valentinis profligatis, atque cæsis vrbs deditur.

AERA. NAT. CHR.

Rex vrbe Valentia potitus, vt erat acris, & vehementis animi, feroxque natura, vt pro tali facinore, stirps, nomenque ciuitatis funditus tolleretur, vrbem inflammandam, & aratrum, sparso quod aiunt sale, circumducendum constituerat: vetusti moris exemplum secutus: quod euersis vrbibus aratrum imprimeretur hostile: & Carthagini euenisse memoriæ proditum est. Cum eruendam, delendamq; vrbem opulentissimam censuisset, ab immani tamen, & fera sententia, suorum consilio deterretur. Nihilo tamen minus tam superbe, atque elato animo initam vrbem apparuit, quam si capta foret. In ciues lenius vindicatum, quam criminum magnitudo poscebat. Instructis aciebus vrbem A.D.IV. Id. Decemb. introiit. Vt acerba Principis seueritas ad remissionem animi contorqueretur, in Iohannem Ruizium Corelliam, Raimundum Scornam, Iacobum Romaninum, & Pontium Solerium nobiles viros, more maiorum animaduersum. Ab impunitate excipiuntur Berengarius Villaragutius, Bartholomæus Machoses, Gerardus Fabra, Garcias Lupesius Peralta, Petrus Espluguas, Franciscus Esquerrius, Iohannes Ceruatonus, & Petrus Zapata Thousius. Damnorum à seditiosis ciuibus illatorum iudicio, à Rege præficiuntur Iohannes Lupesius Sesesius, Garcias Lorizius, Thomas Marzanus, Blascus Ferdinandius Heredia, Egidius Ruizius Lihorius, Arnaldus Iohannius, & Munionius Lupesius Tahustius. Cum Ferdinandus Regis frater illo temporis puncto Requenæ finibus exercitum cogeret, tamquam in Aragoniam inuasurus, magnus terror de ea re Cæsaraugustanæ ciuitati iniicitur. Michaël Gurrea regni procurator arcessitis proceribus Blasco Alagone, Thoma Cornelio, Petro Luna, Iohanne Simenio Vrrea, Petro Ferdinandio Ixeritano, Iohanne Martinio Luna, & Athone Focio, & ciuitatum procuratoribus, huic sollicitudini subuenit: & propinquis oppidis opitulatur. Pontius Sanctapacius Valentini regni finibus Ferdinando opponitur.

Guilielmus electus Cæsaraugustanus Archiepiscopus, & à sancta sede Apostolica confirmatus, & sacrari iussus.

Iacobus Balearicus multis, magnisque præsidiis nequicquam perditis, vt de integro
1387. bellum sumat, Mompellerii iura, ditionem, ac dominatum CXX. M. nummis aureis, quos
1349. scutatos vocant, Philippo Francorum Regi addicit. Ex eo, regno, & auitis ditionibus, & fortunis omnibus paternis euersus, Clarentii cognomen sortitur. Magnam in Galliæ prouinciæ litoribus classem adornat: & caput ipsum regni adoriri parat: magnisque equitum, peditumque copiis auxiliaribus à Francorum Rege, & Iohanna Regina arcessitis, expeditionem maturat. Rex Valentinis rebus componendis implicitus, Raimundum Berengarium patruum Catalanis exercitibus præficit: vt Ruscinonensibus, & Cæretanis subsidio accurrat. Clarentio Animus accessit: & Regi timor iniectus est: non auxiliis tantum externis hostem excitari, sed ope, & arcessitu fautorum Valentinarum & Aragonensium seditionum commoueri.

Mense Maio cum in procinctu Ferdinandus Regis frater rem accelerare videretur, & omnes vererentur eum in Valentini regni fines incursaturum, Rex obuiam illi procedere statuit: atque eius accitu euocantur Petrus Moncada, Galcerandus Pinosius, Insulensis, & Cannetensis Vicecomites, Berengarius Castellinoui, Raimundus Rogerius Comes Palliariensis & Artallus Palliariensis eius frater. Petrus Gonzaluus Heredia ex proceribus, turmis equitum grauis armaturæ aduersus Balearicum præficitur.

Videbantur finita ciuilium bellorum mala, cum longinqui hostis infidelitate aucta sunt. Nam pace domi parta, compositisq; intestinis seditionibus arma intentantur: & Sardinia bello flagrat. Oriæ, Malaspinæq; conspirantes Sacerim obsidione premũt. Cum soluendæ obsidionis causa Huguetus Corbera, Riambaudi Corberæ præsidis frater, qui in Cataloniam nauigarat, Sacerensibus, qui in diutina conclusione, plures menses obsidionis mala pertulissent, opem ferens, cum Oriis confligit. Nostri cæduntur: maleque multantur.

Abohanenus Albohaceni Benamarinii Regis F. patrem regno pellit. Rondam, Zaharam, Gibraltarum, Ximenam, Marbellam, & Steponam, à patre possessa oppida præsidiis occupat. Alfonsus Castellæ Rex generosi, & bellicosi animi princeps, quod ea oppida ab Albohaceno, qui cum pactæ erant ab Aragonio Rege induciæ, defecissent, bellũ Abohaneno illaturus, nouæ pacis conditiones Regi offert: & Gibraltarum terra, mariq; obsidet.

Rex Bernardum Capreram Vicecomitem ad Alfonsum Regem legatum præmittit: de Iohanna filia in matrimonium Henrico Alfonsi Regis F. Trastamaræ Comiti tradenda. A. D. IV. K. Sept. Gibraltari Caprera, & Iohannes Alfonsus Benauidius conditiones fœderum paciscuntur. IV. actuarias naues Raimundo Villanoua ductore Rex ad Herculeum fretum nauigare imperat: CCCC. sagittariorum præsidio munitas: quod in præcipiti, amico

amico Regi magna cura subuentum esse cupit. Paulo post Caprera totidem longis nauibus Villanouæ adiunctus fretum tenet. AERA. NAT. CHR.

Cum ad inuadendam Maiorem Balearium insulam Clarentius classem comparasset, suam Rex, si qua vis externa ingrueret, adornat: cui Petrum Moncadam præficit. Is in Siciliam militaribus copiis coactis nauigaturus erat: Frederico Randacensi Marchioni Iohannis Athenarum, & Neopatriæ Ducis F. & Catalanis, atque Aragonensibus, aduersus Claramontios, & Palicios, qui intestinis seditionibus Siciliam armis diuexant, auxilium laturus. Clarentius tamen XIV. actuariis nauibus & IIX. onerariis, quibus CCCC. equites, & III. M. peditum cohortes imposuerat, anteuertit. Earum copiarum ductores Carolum Grimaldum Monœci dominum, & Aitonem Grimaldum, Genuensesq; aliquot primarios viros, quibus Maiorem insulam addixerat, attribueratq;, præficit. Armatus vindex fortunæ, dignitatisq; suæ, vt viro forti dignum erat, quodcumq; belli casus tulerit, pati cõstituit: ne priuatus superstes regno suo in contemptu, atq; inopi dedecore vitam perducat. His copiis expositis cum signa in vrbẽ inferrentur, Gilabertus Cruillias, Balearico regno præfectus, cum Minori Balearium Vmbertum Siscarium præfecisset, & Riambaudus Corbera, qui commodum in Maiorem ingentibus copiis appulerat, ad DCCC. equites, & XX. M. peditum conuenisse, vetustis monumentis proditur, obuiam Clarentio prodeuntes, prœlium committunt: & magno impetu deturbatur hostis. Pariter resistentes, fusiq;, inermes, atq; armati cæduntur. Occumbit Clarentius fortiter dimicans: neq; aliam laudem ei defuisse, præterquàm fortis successum apparuit: cui à veterano milite, ceruicibus caput est abscissum. Iacobus filius pugnans, ne spes reliqua afflictę miserabiliter genti superesset, saucius in nostrorũ venit potestatem. Ærũnosi principes, & misera, afflictaq; fortuna ad perniciem, & exitium semper iactati. Pugnata est ea pugna Dominico die A. D. IIX. K. Nou. & in ea virtus eniruit egregia Riambaudi Corberę.

Vetusta fœdera à Rege, & Iohanna Nauarræ Regina, & Carolo, & Philippo Reginæ liberis renouantur: & terminandorum finium causa Michaël Gurrea, & vnus ex Nauarris proceribus præficiuntur: neq; diu Regina viuit: & Carolus in regnum adsciscitur.

Claramontii, & Palicii, qui Ludouicum Regem puerum oppressum tenent, nostros in Sicilia atroci bello persequuntur: neq; modus Aragonensium, & Catalanorum internecioni paratur. Classes Genuensis, & Monœcia Constantino, & Emmanuele Oriis ductoribus, qui in Sardinia defecerant, hostibus adiunguntur. Præcipui hostium ductores rem bellicam administrant Comes Matthæus Palicius, & Franciscus Palicius Mamertinus, Scalor ex Vbertis Florentinus, Fredericus Claramontius Agrigentinus, Ottobonus, & Conradus Oriæ Genuenses, Ludouicus Incisa: & plures alii proceres: qui ad delendum Aragonium, & Catalanum nomen pæne omnium generum, atque ordinum consensu conspirauerant. Hi Messanam præsidiis tenent. Blascus Alagon Mistretensis Comes, & regni vicarius, Fredericum Iohannis Athenarum ducis F. cui tutor datus fuerat, secum educens Catanam se recipit: eoquę ex nostris includuntur Guilielmus Peralta Calatabolletæ Comes regni Cancellarius, Guilielmus Raimundus Moncada Augustanus Comes regii vexilli præfectus, Henricus Russus Aidonensis Comes præfectus, ratiocinatoribus, Orlandus Aragonius Frederici Regis F. Franciscus Valguarnera, & Thomas Spathafora: atq; omnes Aragonii, & Catalani proceres, ducesq;, qui maximo furore, & scelere inflammatos hostes euaserant. Bonanato Iafferio Catalano in Cataloniam pręmisso, contra tantam vim transmarinum subsidium exposcunt: atq; is ad opem afflictis rebus ferendam, nationes nostras concitauit.

Leonora Ludouici Siciliæ Regis soror, quę Regi in matrimonium collocata fuerat, Valentiã classe aduehitur: atq; in ea vrbe, sollemni cęrimonia nuptiæ à Rege celebrantur.

Petrus Moncada IX. actuariis nauibus præfectus, optime instructis, paratisq;, Siciliensi bello intestino nostris opem laturus ad Catanensem stationem Decembris mensis fine appellit: & copias exponit. Cum soluta esset obsidio, & signis collatis nostri superiores euasissent, arces, & propugnacula ab hostibus intercepta Genuensibus fautoribus traduntur. Cum hostilis Genuensium classis Messanæ portum teneret, nec Moncada nauali prœlio rem in discrimen deducere vellet, in Cataloniam renauigat. Variis, diuersisque pugnis summa Blasci Alagonis virtute certatur: & ad Catanæ muros conserta pugna Guilielmus Peralta Comes Calatabellotæ Raimundi Peraltæ F. occumbit. Orlandus Aragonius, & Franciscus Valguarnera strenuam in ea reipublicæ miseria operam nauant: & vnius Blasci Alagonis præstanti virtute, & consiliis, labantibus rebus, fide, atq; opibus, miseros reipublicæ casus sustentat.

Clemens Pont. Max. cum Iubilei sacri expiationes centesimo quoque anno celebrari 1388.
1350.

NAT. CHR. Bonifacius IIX. statuisset, ad quinquagenalis celebritatis decursum pietatis, & religionis ergo redigit: vetustæ legis ritum imitatus: quę quinquagesimum quemq; annum, ob remissionem noxarum sacrare sanxerat.

Valentiæ Rex festum Natiuitatis Domini diem concelebrat.

Profligato iam, & ad exitum deducto Balearico bello, Petro Fenolletio Insulæ & Canneti Vicecomite legationem ad Fracorum Regem obeunte, super Mompelleria ditione, & Omeladesii, & Carladesii dominatus iure, quæ Balearicus Franco addixerat, Rex cum eo paciscitur. Decidunt, vt rata sit emptio à Franco facta: modo reliqua pretii summa Regi dissoluatur. Præterea cũ de collocanda Constantia maiore natu Regis F. Carolo Iohannis Normannię Ducis F. Philippi Francorũ Regis nepoti, cui hoc ipso tempore Viennensis Delphinatus attributus fuerat, antea in deliberationẽ venisset: paciscuntur, vt Ludouico Caroli fratri Andegauensi Comiti nubat. Eo fœdere, q Rex ici primo quoq; tẽpore sperat, Ferdinandi, & Iohannis fratrũ consilia præuenit: quos male oderat, quod in successione regni Constantiæ filię se antetulerant: & in eadem iuris contentione permanent: & armis, si ita ferat occasio, ius suum persecuturos Rex maxime veretur.

Iohannes Lupius Sesesius Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Dies festi magna celebritate, cum recentibus beneficiis Bernardi Capreræ viri & potẽtia, & regia amicitia præclari, tũ generi, nomini, & familiis Caprerarũ & Lunarũ debiti Cæsaraugustæ agitantur: quod nuptiæ matrimonii dignitate splendoris plenæ coniungerentur. Bernardinus Caprera Bernardi Capreræ F. Margaritam Fuxensem ducit: Vicecomitis Castelbonii, & Constantiæ Lupi Lunensis Comitis sororis F. Constantia vero Artalli Lunæ F. ex Constantia Peresia genita fuerat: quæ filia fuit Iacobi Peresii Regis Petri filii. Bernardus Caprera filium Vicecomitatu Caprerensi donat. A. D. V. K. Iul. Pompelone Carolus Nauarræ Rex cum XVII. annum ageret, regium diadema suscipit.

Quod diuturna obsidione Sacerensium, Sardoæ res in summum periculum essent adductæ, Rex Brançaleonem Oriam, & Manfredum, & Matthæum eius fratres sibi conciliat: atque vt Oriarum aduersam Brancaleoni factionem, & Malaspinæ Marchiones ad se pelliciant, curat.

Iacobus Erecius Pisanorum legatus, eorum senatus, & Gerardi, & Barnabæ Donoratiei Comitum nomine pollicetur, eos in Sardoo bello regias partes suscepturos.

Rex Iohannem Valutem Genuensem Ducem, qui se defensorem Genuensis populi appellat, & Genuensem senatum, populumque commoneri imperat, vt ab propugnatione Algueris vrbis, & Oriarum perduellium desistant.

Vi pestilentiæ toto orbe, omne mortalium genus depopulante A. D. VII. K. Apr. Alfonsus Castellæ Rex, cum Gibraltari arcem acri obsidione premeret, eius contagione attactus interiit.

A. D. VII. K. Sep. Cæsaraugustæ, cum conuentus celebrarentur, omnium ordinum consensu Turolensi oppido vrbis appellatio, dignitas, auctoritasque virtutis ciuium ergo sancitur.

A. D. XVII. K. Ian. Perpiniani Rex decretum interponit, quo in posterum tabularum, litterarumque publicarum monumenta, non Æræ, quod Hispaniarum prouinciis, ex Gothorum regno in hęc sæcula vsurpatum fuerat, aut Incarnationis Domini annorum ratione, atque interuallo obsignentur: sed Natiuitatis Domini annorum series connumeretur: vt stata, sibiq; congruens annorum ratio, non variata, ac discrepanti, sed certa constantiq; conuersione, simpliciq; obseruetur.

1351. Perpiniani Rex festum Natiuitatis Domini diem sollemni cærimonia concelebrat.

A. D. VI. K. Ian. D. Iohannis Apostoli, & Euangelistæ festo die filius ex Leonora Regina vxore Regi nascitur: cui Iohannis est inditum nomen: quæ res maxima lætitia populos omnes affecit: quasi stirpem, ac semen malorum omnium sustulisset genitus infans.

A. D. XII. K. Febr. Rege in Perpinianensi arce residente, Iohannes F. Gerundensis ciuitatis ditione, & dominatu donatur: & Ducis nomine, ac titulo decoratur: cuius cognomine in posterum Regum liberi primigenii, regnique heredes nuncupentur. Paucis intermissis diebus, vt mos fuit illius sæculi Hispaniæ Regibus, vt natis liberis nutricios statim imponerent, qui ab ipsis crepũdiis teneram infantium ætatem informarent, regerentq;, Rex Bernardum Capreram prudentissimum, & sapientissimum virum, & genere, ac nobilitate præstantem, assiduum comitem, moderatorem, educatoremque filio adiungit.

Cum

NAT. CHR.

Cum Rex in filii verba iurari à Ruſcinonenſibus concupiſceret, Petro Exerica Iohāne Ferdinandio Heredia Hieroſolymitanæ militiæ in Aragonia pro Magiſtro, & Iohāne Lupio Seſeſio Iuſtitiæ Aragonū Pręfecto, & aliis primariis cōſiliariis ſuaſoribus ab eo propoſito deſiſtit: quod Reges ad ea vſq; tempora Regumq; primigenii filii ab Aragonenſibus Cæſarauguſtæ more primum iuriſiurandi ſacramento in regiam dignitatem, atque legitimam ſucceſſionem adſciſcerentur: eueherenturque. Viſus namque eſt Rex depoſita iam dominii, & regii iuris acerbitate adſueſcere æquum ſe præſtare ſuis: & parentem, atque auum Reges imitari, qui caritate potius, quam metu ſuos ſibi adiungere maluerant.

A. D. XI. K. Apr. Perpiniani Rex Valentini regni militares copias cogi imperat, quod Ferdinandus frater, noui principatus Petri Caſtellæ Regis cōfidentia, magnas equitum turmas, & armatorum manus inſtruxerat: minitareturq; ſe Valentinum regnum inuaſurum: fœduſq; cum Mauris iciſſet.

Philippo Francorum Rege vita functo, cum Iohanne eius F. qui ad regnum eſt euectus, de pacis conditionibus agitur. Vltro à Iohanne Perpinianum legantur Raimundus Salga Pariſienſis Eccleſiæ Decanus, Guilielmus Durantius, Iohannes Leiuiſius Mariſcallus Miralpexis dominus, & Robertus Balhadartus. Rex Bernardo Capreræ, & Petro Fenolletio Canneti, & Inſulæ Vicecomiti, is Capreræ affinis erat, vti de pacis, ac fœderum conditionibus vna cum legatis tranſigant, committit. A. D. VI. Id. Febr. paciſcuntur: quod conſtitutum fuerat cum Philippo Rege, vt Conſtantia Regis F. Ludouico Andegauenſi Comiti Iohannis F. nuberet, naua pactione ſtatuunt: Ludouicus Iohannam natu minorem Regis F. ducat. Francus Ludouicum F. Mompellerio dominatu, Latenſi arce, atque omni ditione, quam Balearicus adiunxerat, donet. Rex filię dotem L. M. florenorum conficiat: Mompelleria, & Latenſi ditione cedat: & Omeladeſio, & Frontiniano, ac ſummo Carladeſii iure. Præterea vti artiori fœderis vinculo aſtringantur, Francus L. M. florenorum Regi numeret: quæ liberis Ludouici, & Iohannæ aſſignentur. Matrimonio, nullis ſuperſtitibus liberis ſoluto, aut minime adiuncto, Francus Regi CL. M. florenorum intra tres annos diſſoluat: ex quo nuptię coniungi debierint. Eorum pactorum confirmandorum cauſa Francus Cameracenſem Epiſcopum ad Regem legatum mittit. Is A. D. V. Id. Mai in ſacello regiæ Barcinonenſis, iuriſiurandi religione ſpondet: Francum Ludouici filii nomine ſollemnia nuptiarum, deducta Iohāna celebraturum: modo nexu propinquitatis ſanctionibus canonicis à ſummo Pontifi. ſoluantur. Id pactum Galcerandus Angleſola Belpucii dominus regio nomine confirmat: & Iunio menſe proximo Francus ad S. Audoenē, prope fanū S. Dionyſii, & Rex Valentię ſacramento rata, atq; firma futura ſpondent. Pecuniæ pignore, q̄ Regi aſſignatur Miralpexis, & Roccafulli domini obſides tradūtur: quæ cum tot vinculis aſtricta eſſent inania, atq; irrita, is horum Regum mos fuit, euaſere. Rex Genuenſi bello intentus Iohannam Reginam, & Ludouicum eius virum, qui in prouincia Gallia commorantur, amicitiæ fœdere ſibi deuincit. Paciſcuntur, vti Iohannes Gerundę Dux Catharinam natu maiorem Reginę filiam, nec dum nubilem in matrimonium ducat: qui hoc ipſo anno genitus fuerat. Contendit pręterea Rex, vti prouinciæ Galliæ, & Folcalquetii Comitatus Catharinæ doti addicantur: ſolutoque matrimonio, aut nullis eius matrimonii liberis ſuperſtitibus, ii Comitatus regno Aragoniæ cedant, atq; contribuantur. Ob eam cauſam in prouinciam Galliam legantur Abbas Ripollius, Bernardus Caprera, Lupus Gurrea, & Bernardus Olzinellias I. C. quibus legatio ad ſummum Pontificem data fuerat. Margarita tamen, & Franciſca Iohannę Reginę filiis pueris infantibus mortuis, pactiones eæ dirimuntur.

Quod Rex Ferdinandum fratrem calamitatem ſibi moliri, & externis Caſtellæ Regis auxiliis aliquando erupturum, belli que fortunam periclitaturum timeret, Carolum Nauarræ Regem ab amicitia Regis Caſtellæ auertere conatur. Curat præterea ne ſinat Blancam ſororem, quæ vidua puella, ex Philippi Francorum Regis connubio manſerat Caſtellæ Regi in matrimonium collocari. Nauarrus in ea rerum commutatione Regem ea ſuſpicione ſollicitum, metuq; ſuſpenſum liberat: confirmans veteri Galliæ conſuetudine obſeruatum, ne viduæ Reginæ, quamuis in pueliari ætate conſtitutę denuo nubant. Eo ipſo tempore Nauarrus, quod magna mobilitate, & leuitate animi nouis ſemper rebus ſtuderet, amicitiæ, ac fœderis neceſſitudine Petrum Caſtellæ Regem ſibi deuincit. Menſe Maio Nauarrus, & Aragonius Momblanco congrediuntur: & cum in eo ſumme Rex elaborat, vt Nauarrus Leonoræ Reginæ vxoris ſororem ducat, matrimonio ſibi adiungit Iohannam Iohannis Francorum Regis natu maiorem filiam.

Gaſto Fuxenſis Comes, Soi, & Queraguti arcium ſummū dominatum, ac iuri Oneſani

oppidorum,atq; aliarum ditionum poteſtatem ſupremam A. D. II. Non. Mai Barcinone
NAT. CHR. Regi iureiurãdo ſancit. Pollicetur Rex,ſe opem illi laturum,ſi Anglus ditione ea euertere
conetur: & manu quod aiunt, tenere:atq; ſub ſua poteſtate recipit.

Bello inter Genuenſes,& Venetos acri, & magno commoto, Iohannes Gradonicus
Venetorum ad Regem legatus ſumme contendit, vti Rex cum Venetis aduerſus Genu-
enſes fœdus pactione ſanciat. Magna de ea re inter Regis conſiliarios diſſenſio ſuboritur:
aliis Genuenſium amicitiam,rebus Sardois peſſime affectis, præferentibus : quorum ea
tempeſtate erant vires,opeſque in re nauali pręſtantes: aliis vero contratendentibus, ſua-
dentibuſq;,inſignem eorum perfidiam, atq; exultantem audaciam contundendam, atq;
armis eſſe vindicandam. Huius conſilii princeps, & auctor fuit Caprera. Bonifacius pri-
mo Camulius, & mox Chriſtophorus Paullus Genuenſium legatus inſtat, atq; vrguet:&
à Rege requirit: ſuam de pace cum Genuenſibus ineunda, aut bello indicendo, ſententi-
am proferat. Demum Gerundæ A. D. XIII. K. Mai Genuenſibus ſpes pacis præciditur.
Conſiliis & publicis,& priuatis hi præcipue admouebantur: Nicolaus Ianuilla Terræno-
uæ Comes, Petrus Moncada, Petrus Fenolletius vicecomes Inſulenſis, Bernardus Ca-
prera, Aldemarus Moſetius, Galcerandus Angleſola,qui Belpucii dominabatur, Raimũ-
dus Riuſetius, Bernardus Sous, Garcias Lorizius, Thomas Marzanus, Rudericus Diazius
pro Cancellario, Bernardus Codinachius ratiocinatorum præfectus, Ferrarius Mantefa,
Bernardus Olzinellias,& Iacobus Ezfarius.

Fœdere cum Venetis icto,Barcinone A.D.III.Non. Auguſti miſſis Genuam fetiali-
bus, Duci, Senatui, populoq; Genuenſi bellum indicitur. Legati Genuenſes dimiſſi mina-
ces,atq; inſolentes,arroganti iactantia verborum efferuntur. Res nauticæ conſilio Ferra-
rii Manreſæ, Bonanati Dezcollii, Franciſci Feneſtris, Guilielmi Morei, Andreæ Oliuel-
liæ,& Iacobi Boſcani prouidentur:& expediuntur.

Pontius Sanctapacius,ex Catalanis proceribus vir ſingulari virtute,& generis nobi-
litate præſtans,regiæ claſſis præfectus Septembris menſis initio, Magonis portu, XXVI.
actuariis nauibus ſoluit: Thoma Gradonico, & Blaſio Marionio Venetis Quæſtori-
bus comitatus. Hæ naues apprime paratæ, atque omni genere armorum inſtructæ
erant. Cum Caralitanum portum tenuiſſet, & in Siciliam pleniſſimis velis nauigaret,
Sicilienſi freto Pancratius Iuſtinianus XX. actuariarum Venetarum ductor, regiæ claſſi
Mamertino in portu adiũgitur. Quod hoſtilis claſſis in Thraciam nauigaret, de ea Peram
vſq; perſequenda deliberant:cuius oppidi Genuenſes, ad vrbis Conſtantinopolis mœnia
potiuntur:fretenſiq; portu prouehuntur. Perinus Grimaldus Genuenſis claſſis ductor,
quam LXV. actuariarũ confecerant, cum Chalcidem nobilem Eubœæ inſulæ vrbem, quæ
in ditione Venetorum erat, circumſideret, oppugnatione relicta, Conſtantinopolim ver-
ſus vela facit. Regiæ, Venetæq; claſſibus Nicolaus Piſanus Venetus, qui XIV. actuariis na-
uibus ſubſidio Chalcidenſibus proceſſerat, & Bernardus Ripollius Catalanus IV. actua-
riis, ex Valentino delectu inſtructis, ſumma hieme adiunguntur.

1352. Id. Febr. in ipſis Ponti faucibus, ac Boſphoro Thracio, cum IX. actuariæ naues Io-
hannis Palæologi Conſtantinopolitani Imperatoris, qui aduerſus Genuenſes bellum ge-
rit, noſtris adiungerentur, ad ipſius Conſtantinopolis vrbis conſpectum, prœlium nauale
committitur: celebritate famę maxime memorabile. Neq; enim erat quiſquam omnium,
aut Genuenſium, aut Venetorum, qui non in eius pugnæ ſucceſſu, rerum publicarum
ſtatum contineri arbitraretur: vt nullum aliud tempus ad conandum habituri videren-
tur. Cum diu, atq; ſupra humanas vires, pugnatum eſſet, tanta virtute regii, Venetiq; eni-
tuntur, vt quamuis grauiſſima hieme omnes & cæli, & maris ſæuiente tempeſtate afflicta-
rentur, ſuperiores pugnando euaderent. Præter eas hoſtium naues, quæ vi tempeſtatis in
litus incitatæ deprimuntur, XXIII. à noſtris ſunt interceptæ: maiorq; militum, & nautarũ
pars in mare demerſa perit: reliqui occidione ſunt occiſi. Ex regia claſſe XII. naues tẽpeſta-
te depulſæ in litus detruduntur: milites, nautæq; Conſtantinopolitana ora euaſere. Duæ
ex noſtris nauibus, in quas hoſtes impetum fecerãt, capiuntur:& in earum propugnatio-
ne Ripollius occũbit. Pontius ſumma & animi, & corporis defatigatione oppreſſus, Mar-
tio menſe Conſtantinopoli moritur. Ex Venetis mortem in eo prœlio oppetiiſſe Stepha-
num Contarenum, Iohannem Stenum,& Bonanatum Bembum M. Antonius Sabellicus
in Veneta hiſtoria prodidit:& Pancratium Iuſtinianum vulneribus exceptis paucis inter-
poſitis diebus interiſſe: vt pæne pari euentu regię,& Venetæ claſſis ductores corruerint.

Primo vere Aragoniæ, Cataloniæq; proceres, copiæque militares ad regni confinia
præſto occurrũt: vt Ferdinando Regis fratri minitanti,& res nouas molienti reſiſtant. Sed
Ferdinandus, quod in Caſtella res nouarentur, Leonora Nunnia Guzmana à Rege Pe-
tro,

NAT. CHR.

ero, fratrum Leonoræ filiorum incredibili odio interempta, quos Alfonsus Rex pater affluentibus fortunarum copiis ditauerat, ab armis desistit: magnæq; seditionum turbæ inter Henricum, & Regem fratrem concitantur.

Maio mense, cum Ilerdæ Rex naualibus expeditionibus instaret, is enim locus, & commeatuum exportatione, & vicinis stationibus ad eam rem maxime appositus videbatur, & Genuenses x. actuarias naues, aut refecissent, aut magna industria armassent, & Andreas Dandulus Dux Venetiarum totidem à Rege exposceret, x II, instrui, armarique imperat: quibus Matthæum Mercerium nauum, & industrium virum, & rei naualis scientissimum præficit. Is classem soluens XI. actuatiis, quæ Byzantino litore regiæ classis reliquias collegerant, & Venetæ classi ad Eubæam adiungitur.

Pontifex Max. vt Venetorũ, & Genuensium paci consulatur, & terra, marique omnia pacata reddantur, è republica esse censens, Regem summopere ad compositionem ineundam, vt animum adiiciat, hortatur. Imperator preterea Carolus, & Iohannes Francorum Rex, vt ab armis recedatur, se in eam pacificationem interponunt. Rege expostulante, vt Genuenses Corsica insula excedant: & quæ in Sardinia eorum armis expugnata fuerant, tradantur, pristina bellandi sententia non desistitur.

Non. Sept Cæsaraugustæ in æde maxima Saluatoris, Rege conuentibus assidente, Iohanni F. Gerundæ Duci legitima regnorum successio, sacramenti fide vti primigenio sancitur.

Raimundus Coponius, & Franciscus Romanus Regis legati Auenione, de conditionibus pacis cum Venetorum legatis deliberant. Pontifex sedis Apostolicæ nomine, rei tam arduæ consultationi Prænestinũ, & Talairandum Episcopum Albanensem, & Sabinensem Episcopum, & Guilielmum tituli S. Stephani in monte Cœlio, & Egidium Aluarum Albornozium tituli. S. Praxedis S.R.E. Cardinales præficit.

A.D. IV. Non. Octob. interuentu Iohannis Alfonsi Alburquerquii regia cognatione Portugalliæ domus illustris, Metellinensium domini, & Bernardi Capreræ, ab Aragoniæ, & Castellæ Regibus legationem obeuntium, cum aliquot Regum consiliariis, qui in Turiasonensibus finibus conuenerant, concordię fœdera sanciuntur.

A.D. XIII. K. Decemb. Valentiæ Rex Raimundum Lullium ad Andream Dandulum Venetiarum Ducem de apparanda, atq; instruenda classe aduersus Genuenses communes hostes, legatum mittit. Nam Iohannes Gradonicus, & Nicolaus Quirinus Veneti legati, eandem ob causam Regem conuenerant.

Genuensibus conditionibus pacis, quibus Corsicæ propugnaculis cedere cogebantur, non consentientibus, breui Pontifex è vita excedit: qui Auenione A.D. IIX. Id. Dec. moritur. Intra diem vndecimum in eius locum sufficitur Stephanus Albertus Cardinalis Ostiensis, maior pœnitentiarius Lemouix: Innocentius nũcupatus: cuius suasu, in ipso Pontificatus initio induciæ inter Genuenses, & Venetos sunt depactæ: vt se arbitro, perpetuæ paci consuli posset.

Cum Genuenses Alguerii, & arcis, quam Genuensem vocant, in Sardinia potirentur & bellum aduersus nostros gererent, Marianus Arborensis Iudex, qui nihil prorsus intactum, neq; quietum patitur, capto Iohanne fratre, quem vnum eius nationis expertus Rex fidelissimum fuerat, ne farie res nouas molitur. Fredericus, & Azo fratres Malaspinæ Marchiones, qui Sardoo bello à Rege defecerant, Regi parent: seq;, ac sua in Mariani defectione Regi dedunt. Osolum castellum, & alia oppida, quæ ab Alfonso patre, victoria de Sardis parta Malaspinis fuerant attributa, Malaspinarum familiis condonantur: & Iunio mense Ilerdæ rex Fredericum earum ditionum honorario iure donat.

Riambaudus Corbera Sardiniæ pręses Montisleonis castellum, quod Matthæi Orię ditionis erat, & Terrænouæ arcem, quæ Iohanni Arboreæ Mariani fratri parebat, præsidiis firmat: & Roccaforti propugnaculum construit, munitq;: vt Mariani insolenti audaciæ obuiam eat: qua indignitate Mariano commoto, magno in Riambaudum odio, & in regium imperium graui offensione concitatur, neque ex insidiis, sed aperte rem gerit: & bellum vtrimq; summa ope paratur.

Rex dum naualem aduersus Genuenses apparatum vrgueret, aliquot naues excipit, quas & equitum turmis, & sagittariorum cohortibus armat: quibus Stephanum Aragonium Guilielmi Athenarum Ducis F. & Frederici Siciliæ Regis nepotem pręficit: vt difficilimo tempore Sardois rebus subueniat.

Cum Neapolitani Reges ab Hungarico bello Innocentii Pont. Max. ope, atq; auxilio liberati, atq; soluti essent: arma ad excidium Siciliensium rerum, & Ludouici Regis conuertunt. Claramontii, & Palicii, qui antea aduersus Alagonios, & Aragoniam, &

NAT. CHR. Catalanam nationem bellauerant, Neapolitanorum copiis freti, aduersus Ludouicum aperte deficiunt.

A. D. II. Non. Nou. Rege in arce Penifcolæ oppidi adsidente, & formidoloso bello externo, & longinquo & maritimo instante, de consilii sententia decernitur, vti L. actuariæ naues in litoribus, stationibusque Catalanis, & Valentinis Genuensi bello adornentur. Classi, quæ in Barcinonensibus naualibus construitur, ex Pratensibus montibus, ad Siuranę castellum longe à mari sitis, quæ res maxime memorabilis visa est, siluæ cæduntur.

1353. Valentiæ Rex Natiuitatis Domini diem festum concelebrat.

Valentini regni ciuitates, atque oppida, sacrique, & militares ordines in apparatus bellicos magnos sumptus conficiunt.

Matthæus, & Manfredus Oriæ fratres cum à Rege defecissent, denuo in eius verba adiguntur. A. D. II. K. Febr. Valentię Monteleone, & Claromonte, & aliorum oppidorum ditione donantur.

Rex K. Febr. Valentiæ Ceruaræ oppidum Comitatus iure, & ditione cohonestat: & Iohanni filio attribuit.

Adornata classe XLV. actuariarum, quas vxeres vocabant, & IV. lemborum, & V. onerariarum à Rege Villafrancæ Penedensium oppido conuentum agente, Catalani in sumptus nauales benigne operam, opesq; suas pollicentur: modo Rex Bernardum Capreram classi præficiat: quo neq; pręstantiorem neq; fortiorem, aut ad pericula constantiorem illa ętas tulit: omnes enim ad vnum, Capreram Imperatorem expetunt. Id munus obeunti Rex Vicecomitatum Basensem donat.

Classis regia ad Magonis portum vniuersa conuenit.

Rege Valentiæ expeditionem naualem maturante, Iohannes Vicedomus Arretinus Caroli Imperatoris Regis Bohemiæ epistularum magister Regem deprecatur ad conditiones, pactionesq; accedat: quæ inter Genuenses, ac Venetos, pacificatorio Imperatoris interuentu proponūtur. Rex se Innocentii, & Clementis summorum Pontificum reuerentia pacem concupiuisse, atque pollicitum esse affeuerat: dum Corsica insula Genuenses decedant: se ea tunc lege, quamuis ingenti pecunia in classem erogata, arma depositurum confirmat.

A. D. XV. K. Sept. Caprera Magonis portu classem soluit. Minus idoneam tempestatem nactus ad Alguerienfem stationem octauo die appellit. Vrbs ea à nostris obsidebatur: quod arcis hostes essent potiti. Cum terra, marique Alguerienses premerentur, & Riambaudus Corbera oppugnationem vrgueret, Nicolaus Pisanus XX. actuariarum Venetarum ductor regiæ classi adiungitur. Genuensium classis præsto aduentat: quę L. actuariis, & V. onerariis nauibus constiterat Antonio Grimaldo ductore. Caprera, penes quē summa imperii redigitur, spei bonę plenus, atq; animi hostili classi occurrit: & acerrimū vtrimq; certamē conseritur. Connisi omnes vno animo hostem adoririt XXXIII. hostium nauibus captis, nostri gloriosam victoriā sunt consecuti: quę Martis die ad portum, quem vulgo Comitis vocant, A. D. VI. K. Sept. parta fuit. Ad IIX. M. hostium occidione occisis, III. M. CC. captiui remanent.

Alguerienses profligata hostium classe, cum ad vrbis defensionem spes nulla reliqua esset, Oriis dimissis, in deditionem rediguntur. A. D. III. K. Sept. vrbem init Caprera: & ingenti applausu in arce regium vexillum collocatur. Postero die, medio in foro Fabianus Ruffus Oria, qui captus in nauali prœlio fuerat, & perpetuam defectionem fecerat, capitis supplicio pœnas luit.

Alguerienfi pręsidio Caprera Gisbertum Castelletium præficit. Nec dum naues conscēderat, cum Alguerienses ad seditionem commoti, cum prœlio nauali bellum confectum videretur, subito Mariano iudice Arborensi qui Sardiniæ regnum, regiumq; nomen appetiuerat, & consilia cum Ioahnne Vicecomite Mediolanensi Archiepiscopo, & Mediolani domino consociarat, Sardorum nationem concitante, suscepto scelere, arma rapiunt. Marianum in ea defectione allectantur non Genuenses modo, & Oriarum factio, sed maior Sardorum nobilitatis pars: qui ad ea tempora Regi fideles perstiterant: atque ii præcipue, qui in Caralitano regno nimia potentia dominantur: adeo hoc malum in eas vrbes inuaserat. Timbor Roccabertinia Mariani vxor, impotens animi femina, & regni, supra quam credibile sit, appetens, tanquam furia virum præcipitem agitat.

Cum Caprera Caralitanum portum classe teneret, & Sardi armis ad Caralitanos vsq; muros nostros persequerētur, in vico, quem quarto ab vrbe lapide Quartum vocant, signis collatis confligit: magnumq; hostium numerum cædit.

Sardoa

Sardoo bello suscepto, ne Sacerenses reliquis copiis intercludantur, aliquot militum cohortes Caprera summittit: & in eius vrbis præsidio collocat: Caralitanam arcem, & reliqua castella commeatu, præsidiisq; firmat: & in Cataloniam nauigat: Riambaudo Sardiniæ præside, & Arnaldo Palliariensi rebus bellicis præfecto delectis, præbitisque.

Nouembri mense Rege Valentiæ commorante, Lupus Gurrea, Bernardus Thoūsius, & Franciscus Romanus legati ad Innocentium Pont. Max. mittuntur. Hi de more Pontifici, atq; sedi Apostolicæ Regem subiectum, atq; obedientem futurum iurisiurandi fide sanciunt: & iura regni Sardiniæ suprema, Ecclesiæ stipulatione addicunt. Cum Pōtifex summopere niteretur, vti Rex, Genuenses, Venetiq; bello districti rursus in pristinam concordiam reducerentur, quod nisi res ad pactionem veniret longius videret bellum futurum, regii legati conditiones omnes reiiciunt, nisi Bonifaciana arce, & Corsica omni Genuenses permissu Mediolanensis Archiepiscopi cedant: & cuius se imperio, remque publicam nimis demisse, ac suppliciter addixerant, ab eius se dominatu in libertatem vindicent.

Zacharias Contarenus Venetorum legatus, cum Valentiam venisset, magnopereq; contenderet, vt bellum aduersus Genuenses, summa virium contentione, omniq; conatu geratur, quod ope, auxilioq; Mediolanensis Archiepiscopi, cui res suas omnes tradiderant, magnam ædificarent, ornarentq; classem: Rex ea mente bellum suscipit, vt primo quoq; tempore in Sardiniam se transmissurum cōfirmet: quod vt faciat, idq; maturet, Decembri mense Barcinonem contendit: & expectatione hominum maiore, quam spe, Sardoi belli molem suscipere statuit.

Barcinone Rex festum Natiuitatis Domini diem celebrat. 1354.

Michael Peresius Zapata, dux ea ætate prouectus, & rei militaris scientia, & consilio ceteris præstans ductoribus XII. actuariis nauibus in Sardiniam LXXX. grauis armaturæ & XX. leuis armaturæ equitibus, & D. sagittariis impositis, vt Riambaudo Corberæ, & Artallo Palliasio subueniat, præmittitur: quod Sardorum furiosis conatibus obiecti, & oppositi in maximis periculis, insidiisque versantur.

Ianuarii mensis initio Barcinone sollemni celebritate, atque cærimonia vexillum in arce proponitur: regiæ expeditionis insigne.

A. D. II. Id. Apr. Alcanicii Rex Oscam, quæ vetustis Romanorum temporibus à Q. Sortorio maximo duce, vti disciplinarum omnium; & humanitatis aptius receptaculum, Hispanæ nobilitati constituta fuit, sanctione publicis litterarum gymnasiis præficit: vt in ea vrbe disciplinarum omnium scholæ explicentur: honorariaq; priuilegia artium liberalium magistris, viuendiq; præceptoribus irrogantur.

Lupus Ferdinandius Luna Cæsaraugustanus Archiepiscopus.

Quod atrox in Sardinia bellum, omnibus eius gentis viribus in arma accensis ortum esset, classem L. actuariarum, & XX. onerariarum nauium Rex ædificandam, armandamque curauerat: copiasque militares mille grauis armaturæ, equitum, & D. leuis armaturæ, & militum partim mercenariorum, partim imperio, aut gratia comparatorum ad X. M. numerum expleuerat. Naualibus, ac bellicis rebus Bernardus Caprera præponitur: ad quem summa imperii recidit. Cum tot annos varie in Sardinia bellatum esset, multæque clades acceptæ, & bellum numero hostium ingens exoriretur, socii etiam principes, & externi duces exciti regia signa sequuntur. Regis Poloniæ patruus, nomen non editur, & Robertum Baioha riæ Ducem fuisse arbitror: qui Leonoræ Aragoniæ Reginæ sororem duxerat: Roberti Ducis parentem: qui ad imperium, Vencessao Imperatore ab Imperii gubernaculis deiecto, est adscitus, cum aliquot equitum turmis, militumq; cohortibus, vt Regi operam nauet, Barcinonem, mutatis ad celeritatem equis properat: & Iohannes Grellius, Buchi capdalem vocant, & Sparræ dominus ex Aquitania ad Regis exercitum, atque in eius militiæ disciplinam proficiscuntur. Proceres, ac duces belli gerendi administratores Rex secum in expeditionem educit in rebus bellicis administrandis maxime acres, & industrios: quorum nomina hoc loco adscribuntur. Lupus Lunensis Comes, qui Segorbiensis ciuitatis dominabatur, Philippus Castrensis, Iohannes Simenius Vrrea, Iohannes Martinius Luna, Ferdinandus Ruizius Tahustius Montalbani Præfectus, Blascus Ferdinandius Heredia, Lupus Gurrea, Stephanus Aragonius Ducis Athenarum F. Petrus Iordanis Vrriesius, & Iordanis Peresius Vrriesius, Didacus Gonzaluius Cetina, Raimundus Peresius Pisa, Emmanuel Entenza, Simon Gurrea, Iohannes Zapata, Petrus Gilbertius, Garcias Lupesius Cetena, Raimundus Linianius. Hi ex Aragoniæ regno ordines duxerant. Valentinorum vero turmis, atque cohortibus præficiuntur Petrus Exerica, Gilabertus Scintillias, Olfus Prochyta,

NAT. CHR.

Alfonſus Rogerius Lauria, Petrus Maza, Raimundus Ruiſecius, Gisbertus Caſtelletius, Matthæus Mercerius, Gonzaluus Caſteluiſius, Petrus Lupeſius Oteicia, Rogerius Rauenachius,& Petrus Boilius Præfectus ſtabuli. Catalani ex proceribus hi ordines duxere: Hugo Vicecomes Cardonenſis Bernardus Caprera maritimo imperio Præfectus, & Bernardinus Vicecomes Caprerenſis eius F. Andreas Vicecomes Cannetenſis, Otho Mõcada, qui Seroſii,& Mequinenciæ dominabatur,& Rogerius Bernardus Vicecomes Caſtri boni. Sacramento obſtringuntur, ſe in ea expeditione militaturos Iohannes Ferdinandius Heredia Ampoſtæ Præfectus, Arnaldus Rogerius, & Raimundus Palliarienſes, Artallus Focius, Guilielmus Bellera, Bernardus Cruillias prouecta ætate vir: qui in Italia bellicæ laudis inſigne nomen eſt conſecutus: & alter Bernardus Cruillias, qui tyro in eo exercitu fuit: Gilabertus Cruillias, Pontius Fenolletius, Franciſcus Ceruia, Galcerandus Pinoſius,& Galbanus Angleſola.

Rege nauim conſcenſuro Mariani Arborenſis nuntius pollicetur oppida, quæ inuaſerat, omnia traditurum: & magnam pecuniæ vim, quæ in nauales, bellicoſque ſumptus erogata fuerat, curaturum: & Marianum ſe cuſtodiæ Petri Regis patrui commiſſurum: quoad promiſſa, pactaque ſeruentur. Rex, quod veretur Marianum interpoſitam fidem habiturum ludibrio, mandata reiicit. Petrũ patruum procurationi regnorũ præficit.

Eccleſienſes, quorum oppidum munitionibus, operibuſque, inter omnes Sardiniæ arces maxime ſeptum, atque à noſtris præſidio firmatum erat, hoſtibus deduntur: arce in noſtrorum poteſtate remanente. Eo fit, vt pæne vniuerſa inſula hoſti pareat. Regiis enim præſidiis, munitionibuſque tantum continentur arcis Caralitanæ propugnacula, Ioioſaguarda, Aquæ frigidæ, & Eccleſienſium arces, Saceris vrbs, & eius arx, Oriſ, Oſolique caſtella: in quæ Aragonenſes, Catalaniq; omnes ſe abdiderant.

A. D. XVII. K. Iul. Rhodæ percelebris olim Indigetum vrbis portu Rex claſſem ſoluit. Minus idonea tempeſtate vſus Sardiniæ portum, XXIV. ab Alguerio ſtadiis, quem Comitis vocant, tenet: & A. D. X. K. Iul. exercitus, mognaque tormentorum vis educitur. Beati Iohannis Baptiſtæ feſto die Alguerienſes terra, mariq; arta obſidione circumſidentur. Portæ ſtationibus, murique præſidiis firmantur: magna auxilii intromiſſionis in vrbem ſpe.

Quattuor Sicu lae actuariæ naues, Orlando Aragonio Ludouici Regis patruo ductore, regiam conſequuntur claſſem: & Rege obſidionem vrguente XXX. actuariæ Venetorum noſtris adiunguntur. Sed Orlandus magis à Rege auxilia expoſtulatum venerat, vt inteſtino Sicilienſi bello claſſe ſubueniat, quam vt noſtris opem ferat. Genuenſes X. longarum nauium claſſem inſtituunt, vt Alguerienſibus auxilia ſubminiſtrentur. Rege terra, marique oppugnationem vrguente, Iohannes Contarenus patricius Venetus ab Andrea Dandulo Venetiarum Duce legatus Regem hortari non deſtitit: vt mandata legatis, quos Auenionem præmiſerat, det: de pacis fœderibus,& conditionibus, cum Genuenſibus,& eo principe, qui Mediolanenſibus dominabatur, ineundis. Rex enim id mandatum legatis dare renuerat: niſi primo Genuenſes Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui eius ciuitatis dominatum inuaſerat, opitulari deſiſtant. Curat præterea, vt Archiepiſcopum fœdere deuinciat ſpe earum ditionum, quas in Gallurenſi regione, tamquam legitimo ſucceſſionis iure appetierat: atq; eo munere à Genuenſium amicitia auertere. Is adeo infenſo animo ſe Regi oppoſuerat, vt Raimundum Lullium Regis legatũ captiuum attineret: in quo vno Marianus Arborẽſis Iudex ſpẽ ſibi omnẽ,& firmamentũ repoſuiſſet.

A. D. V. K. Nouemb. Oterdeſillis Caſtellæ Rex à Petro Regis patruo procurationi regnorum prępoſito expoſcit, vt Ferdinando Regis fratri bellum indicat, inferatq;: quod aduerſus ſe, vna cum Iohanne fratre,& Henrico,& Tellio, ii Caſtellæ Regis fratres erant, & Iohanne Alfonſo Alburquerquio, & Ferdinando Caſtrenſi magnæ potentiæ proceribus nouas res molitus eſſet: magnoque ii factionis conſenſu aduerſus Regem conſpirauerant: quod Blancam Borboniam vxorem exegerat: atque de matrimonio deturbauerat. Sed cum paulo poſt, conſtanti rumore perferretur, Ferdinandum ipſum magnas procerum Caſtellæ copias coëgiſſe, & amicitiæ fœdere Caſtellæ Regi ſe adiunxiſſe, vt inuadenti Aragoniæ regnum auxilia deferantur, Michael Gurrea, qui regni Aragoniæ gubernationi præpoſitus erat, & Iohannes Lupius Seſeſius Iuſtitiæ Aragonum Præfectus crebris ad regni confinia diſpoſitis præſidiis, omnia firmant: & nobilitatem omnem commouent, vt in eo tumultu Ferdinandi molitionibus, qui mobilitate, & inſigni leuitate animi, Rege longinquo,& extero hoſte diſtracto,& acri bello terra, marique implicito, nouis rebus ſtudet, obuiã iri poſſit: cuius audaciæ, ni mature ſubuentũ foret, diſcordiarum, armorumq; ciuiliũ reliquiis collectis rempub. perculiſſet. Satis conſtitit mortuo Iohan-

Iohanne Alfonso Alburquerquio, quem proceres Castellani,qui coitionem fecerant,si- NAT. bi delegerant ducem, sacro fœdere aduersus Aragonium Regem eos proceres fuisse de- CHR. uinctos: qui Ferdinando eius fratri regnum inuasuro opem laturos polliciti fuerant:& se sacra Eucharistię cõmunione ad ea fœdera obstrinxerant:& hi fuisse perhibentur. Ferdinandus, & Iohannes Regis Aragonii fratres germani, Henricus Comes Trastamarensis Regis Castellæ frater,Iohannes Cerda Ludouici Comitis Claramontii, & Telamonis,& Fortunatarum Principis F. Fredericus Vclensis ordinis Magister, & Tellius,qui Larę, & Viscaiæ dominabatur Regis Castellę fratres,Ferdinãdus Castrensis,& alter Ferdinandus eiusdem Castrorum gentis Petri Guerræ Castrensis F. & Iohannes Alfonsus Benauidius. Ad hæc Ferdinandus Petri Aragoniæ Regis frater summę coniunctionis vinculo, Alfonso Portugalliæ Regi,ac Petro eius filio adiungitur: pactis sponsalibus Mariæ Petri filiæ,& Constantiæ eius vxoris,Iohannis Emmanuelis filiæ. Regi ad odium, quod in fratrem cõceperat, nihil acerbius accidere potuit. Solemnia nuptiarum Eboræ magno apparatu celebrantur.

Cum Genuensibus, qui Algueriæ propugnationem, summa animorum contentione susceperant, res nulla ad virtutem deesset, & à nostris vehementissime oppugnarentur, Marianus, qui vniuersæ Sardiniæ potiri posse sperans, Matthæum Oriam sibi adiunxerat, ac Iohannem fratrem, reliquosque Regi fideles, contra ius, fasque in custodias tradiderat, & frater, fratrisque F. in vinculis mortem obierant, II.M. equitum, & XV.M. peditatu, ad quartum ab Alguerio lapidem signa proferens, inter Sacerim,& regia castra consistit: cuius auxilium, in re trepida ab obsessis imploratum erat. Petrus Exerica Mariani affinis Marianum à temerario armorum conflictu auertere nititur:& vt Regi pareat, summopere elaborat. Exacto Octobri mense cum Marianus, Exerica,& Caprera congrederentur, ad conditiones, pactionesque cum ignominia, ac dedecore est accessum. Cum eodem tempore Marianus Quirranam arcem obsedisset, ab oppugnatione non desistit, quo ad Rex, qui in grauem morbum inciderat, satisque vehementer, diuque ægrotarat, pacta conuenta confirmet.

Deditur Regi Alguerium: & quod cæli grauitate exercitus magna parte deminutus, atque infirmatus esset, A.D.V.Id.Nou. vrbem equitatu omni comitatus init.

Alguerium Catalano,& Aragonensi ciue,ac populo constituitur: fundiq;,& agrorum modi singulis in eius territorio definiuntur.

Abrahinus Tunetensis,& Bugiensis Rex imperio, potestatiq; Regis se subiicit, atque addicit: pollicetur q; II.M. nummorum, duplices vocant,tributum,in singulos annos,ex regni portorio collaturum.

A.D.VII.Id.Dec. Alguerio Rex VII. actuariis nauibus,Reginam secum educens,Caralim versus nauigat:& insulam,quam Rossam vocant,tenens,quę à Caralitano promontorio CCCC. distat stadiis, in terram egressus, inde terrestri itinere Caralim proficiscitur: cum Genuenses XL. actuariarum classe,& aliquot onerariarum Hadriaticum sinum prætervecti essent.

A.D.IIX. Id.Ianuar. sacro Epiphaniæ Domini die Rex Caralitanam arcem ingredi- 1355. tur. Classis in Malfatæ portum ex alto inuehitur.

Febr. mense Rex cum Gerardo Donoratici Comiti vita functo actionem perduellionis intendisset, quod Mariani consiliorum auctor, defectionisque fautor fuerat, in arce Caralitana, regali in solio, ornatu regio sedens, cum sceptro, & insignibus regiis, maiestatis lege condemnat. Ex eo Donoratica familia, inter Italicas nobilissima, Sardois opibus expulsa ad interitum redigitur. Malaspinæ etiam Marchiones Sardinia exacti, Niceæ Massiliensium dominio ad continentem incumbunt.

Cum eodem tempore Rex conuentui prę sideret: quem Sardis,& iis,qui à Regibus patre,& auo, atq; à se possessionibus donati fuerant, Caralim indixerat, Marianus, quem Rex non in se contumacem modo,sed nefarium hominem cognouerat, adesse renuit: neq; Caralim Regis salutandi,aut visendi causa accedit: aut militares copias dimittit: adeoq; palam regnum appetit, vt suis condicionibus stare noluerit.

Marianus nõ expectata Regis in Hispaniam profectione, animo magno,& elato, quod Rex Galluram terram, pacto conuento non tradidisset, bonorum direptiones, iniqua nostrorum iudicia, vim deniq;,& contumelias, quibus Sardos oppresserant, publica periculi denuntiatione conquestus,& minis, ac barbaro, atq; immani terrore insectatus, veluti pro communi salute arma capit.

Petrus Exerica, & Bernardus Caprera exercitu coacto, insultanti Mariano obuiam egressi, D.Iohannis Baptistæ sacro die, cum hoste leui certamine confligunt: qua pugna

NAT. CHR.

Africæ regulus quidam regia signa secutus, siue is Tunetensis Regis legationem obierat, occumbit. Quoad debellatum cum hostibus esset, passim manus conseruntur: alia enim regione Artallus Palliarius Pisanorum oppida oppugnat: atq; alii duces Matthæum Oriam bello persequuntur. Marianus ipse belli modo, modo pacis mora Regem ludificari non desistit.

Innocentius P. M. qui magno conatu paci semper consuluerat, atque eam inter Venetos, ac Genuenses conciliarat, de compositione tantum confecit, vt ab armis recederent: atque in perpetua pace, vt eæ nationes esse possent, Rege ab ea reiecto, Auenione prouiderit: Venetorum Duce Marino Fallero ad eam pactionem traducto, qui eodem tempore, occupato tyrannidis dominatu, de opprimenda republica conspirarat. Veneti legatos ad Regem mittunt: atque secreto confirmant, pollicenturque, si exploratam cum Genuensibus pacem tamdiu obtinere cupiat, dum fœderis vinculo inuiolata Regi cum Venetis concordia maneat, firmam, stabilemque futuram. Quod si eam conciliari nolit, se quam constituerant concordiam non confirmaturos. Rex quod se inscio pacem confecissent, & Marianus, Matthæusque Oria suo obtemperaturos imperio pollicerentur, tractandis pacis condicionibus animum conuertit.

A. D. V. Id. Iul. quod Rex iustis legibus, & æquis condicionibus bellum componere cupit, Sanlurij oppido pax Mariano datur: confirmaturque. Iurisiurandi religione Marianus obstringitur, se fidelem Regi perpetuo mansurum: & vna cum Matthæo Oria supplicem se profitetur: & ad Regis pedes iacuit. Sed Oriæ insigni scelere, atque perfidia pax ea, paucis interiectis diebus violatur: & rebellione facta Mariano animos addidit: vt ope, atq; auxilio Oriarum totius insulæ ditionem, & propugnacula obtinere speret.

Compositis, quoquomodo Rex se expedire potuit, transmarinis rebus, A. D. VII. K. Sept. Caralitano portu nauim conscendit: & vniuersa classe Alguerium versus prætereuehitur. Comitis portum ingresso, cum classem soluturus esset, certi à Mariano nuntii referunt, Vrisenses Galluræ oppidanos, Regis imperio non parere, neq; arcem tradere: quod Marianum præstare debere, ex pacto conuenerat: vt quo in statu res collocatę essent, appareret: qui deterior esse non poterat. Nihil enim se absente, profide Marianum facturum Rex arbitratur: cū præsentis, & victoris imperium neglexisset: vir animi, belliq; obstinatissimus: & qui belli moram redimere tantummodo videbatur: & insita pertinacia æqua semper aspernaretur. Cessit itaq; Rex ei, quem bello deuicerat.

A. D. IIX. Id. Sept. Rex Comitis portu egressus imposito exercitu naues soluit. Idonea tempestate vsus, A. D. II. Id. easdem terram attigit Laletanorum. Ad Betulonem, haud procul Barcinone quietam nactus stationem anchoras iacit.

Iulio mense Fredericus Dux Athenarum, & Neopatriæ Iohannis Athenarum Ducis F. Frederici Regis N. Blascus Alagon Comes, quorum virtute, atq; potentia Catalani, quibus Siciliensis respublica sustinenda tradita fuerat, sustentabantur, mortem obiere. Ludouicus Rex Attica, & Neopatrēsi ditione Fredericum fratrem donat. Cum nihil mali esset, quod nostri in ea expectatione rerum non sustinerent, Artallus Alagon Blasci F. Mistretæ Comes insigni laude suas opes, viresq; omnes Claramontiis opponit.

A. D. XIIX. K. Nou. Ludouicus Siciliæ Rex annum agens XVI. Iacii moritur. Catanę sepelitur: in cuius locum Fredericus frater sufficitur: annos natus XIII. Ludouicus ex concubina Antonium & Ludouicum Aragonios filios reliquit: & Antonius Beatricem Petri Exericæ natu maximam filiam in matrimonium duxit: & successionis Exericiensium ditionum spes eum est frustrata.

FREDERICVS PETRI II. F. SICILIÆ REX DVX ATHENARVM ET NEOPATRIÆ.

Erat in procuratione regni Siciliæ, propter Frederici pueri ætatem Euphemia soror & cum intestinarum seditionum vi, belloq; externo omnia turbarentur, non quod antea acciderat, inter Catalanos, & Claramontios diffidia modo vigent, sed inter eiusdem nationis familias, earumq; cognatos, atq; propinquos. Neque ad regalia statim insignia, nomenve regium adsciscitur Fredericus: quoad cum Artallo Alagonio, aliisq; proceribus pacificatur. Ea tempestate res Siculę in vltimum decidunt discrimen: sacris ab Ecclesia interdictis: bello acerrimo à Iohanna regina inlato: deficientibus etiam ab imperio, ac regio nomine Claramontiis: ac Rege demum ipso puero vecordi, ac pęne amenti, & femina regni gubernacula moderante. Primus ex Siculis Regibus Fredericus ditionis Athenarum, & Neopatriæ titulum vsurpat: & posteris Regibus tradit.

Caroli

Caroli Nauarræ Regis iussu Carolus Hispanus Alfonsi F. Ferdinandi nepos, Regis Alfonsi Castellæ pronepos Franciæ Connestabulus Aigle oppido, in lecto iacens interimitur. A Francorum Rege socero Nauarrus diffidens Ducatus Burgundiæ ditionem repetit tamquam maternam hereditatem. Regina enim Iohanna Nauarri mater Ludouici Hutini Francorum Regis F. erat: & Margaritæ filiæ primigeniæ Roberti Ducis Burgundiæ. Præterea Campaniæ, & Briæ Comitatus repetit. NAT. CHR.

Decembri mense Rege Perpiniani commorante Nauarrus, qui à Rege Francorum socero defecerat, Iohanne Cruzatæ Tudelensi Decano internuntio, vt Rex Eduardo Angliæ Regi, aduersus Francum fœdere adiungatur, summopere contendit: & Constantia Mariæ Aragoniæ Reginæ sororis filia Eduardo Waliæ Principi Angliæ Regis filio nubat. Rex, qui Franci amicitiam complexus fuerat, artiorique fœderis vinculo ei adiungi concupierat, ea fœdera pactione nuptiarum Constantiæ filiæ, quæ mox Frederico Siciliæ Regi nupsit, recusat. Quin in ea sententia perstat: vt Iohanna natu minor filia Ludouico Francorū Regis filio nubat: interuentu Iohannis Armeniacensis Comitis regni Galliæ procuratoris: & ob eam causam Carcasonensis Senescallus ad Regem Perpinianum legatus fuerat.

Rex Auenionem, summi Pontificis conueniendi causa proficiscitur.

Festo Natiuitatis Domini die, Auenione Rege assidente, sacra à Pontifice Maxim. 1356.
summa religione, sollemniq; cærimonia conficiuntur. Peractis sacris, in eodem sacello Dianium Contestanorum oppidum, vetustate antiquissimum, ac portu insigne, Comitatus honore, tituloq;, à Rege decoratur: quo Alfonsum Petri Ripacurciæ Comitis filium patruelem fratrem a Rege donatum, Regis commentariis proditur.

Pontifex de tradenda à Rege, condonandaque Genuensi ciuitati Corsica insula consultat: de re publica deliberationem suscipiens: quod potestatis Ecclesiæ, ac supremæ ditionis esset: modo Regi ius propriū supremumq; dominatū Genuenses excipiant, sanciantq;: & tributū quotannis pendant. In se magnopere exposcere Pontifex testatur: quod Genuenses, mediæ eius insulæ partis, quaante CC. annos à summo Pontificē, se fuisse donatos contendūt, certum sibi ius prætenderent. Rex L.M. florenorum annuum tributum sibi pensitari postulat. Inter eas conditiones Mediolanensis princeps ius suū persequitur: quod Vicecomites, qui Mediolani dominati fuerant, in Galluræ ditione ex successione, atq; agnatione filiæ Nini Galluræ Iudicis ex Vicecomitum gente prognati, quæ Ricardo Camino Treuisi domino nupserat, sibi vsurpauerant. Sed eæ controuersiæ, neque tolluntur Pontificis interuentu, neque sedantur. Pontifex aliqua in re gratificari Regi cupiens, canonicis sanctionibus Constantiam Regis filiam, quæ Frederico Siciliæ Regi consanguinitate propinquo nuptura erat, soluit: contentionemque omnem, quæ Siculo Regi cum Ecclesia vertitur, Bononiensi, Prænestino, & Magalonensi Cardinalibus committit.

Ianuarii mensis initio Rex Auenione Perpinianum reuertitur.

Franciscus Periliosius Ianuario mense Perpiniani legatione ad Francorum Regem suscepta, de matrimonio Iohannis Gerundæ Ducis, vni ex Regis Francorum filiis adiungendo, & Euphemia item Reginæ sorore, Petri Siciliæ Regis filia Alanzonio Comiti in matrimoniū tradenda, mandata retulit. Præterea Rex deliberat, vt Blanca, & Iolans Euphemiæ sorores matrimoniis Francorum procerum Regis propinquorum, aut affinium collocentur. Retulit etiam de Isabella Balearici Regis filia Iohannis Comitis Armeniacensis filio in matrimoniū collocanda: adeo Rex omni fœdere, atque cognatione regiam Francorum stirpem sibi deuincire studet. Isabellæ à Rege dos ex ea summa dicitur, quæ Iacobo fratri Balearici filio pretii Mompellerii dominatus, à Francorum Rege constituta fuerat.

Quod Francorum Rex Carolum Nauarræ Regem captum in custodiam tradidisset, Gasto Fuxēsis Nauarri affinis Perpinianū Iulio mense contendit: summoq; opere adnititur, vt Rex à Gallico fœdere deflectat: & Nauarro affini, atque oppresso opituletur. Aragonius summa stabilitate, atque constantia, in amicitia Franci permanet. Francorum enim Rex Iohannem Thalemardem consiliarium, & Petrum Statislem quæstorem ad Regem legauerat, vt de iniuriis à Nauarro sibi inlatis, & cum ignominia regi decoris impositis Regem perdocerent.

Martii K. Rex Ausam nobilem quondam vrbem, quæ Ausetānis prouinciæ Hispaniæ Citerioris populis nomen indiderat, & calamitosorum bellorum euentu, Maurorum in Hispanias irruptione, ad Vici nomen, & miseram conditionem redacta fuerat, comitatus titulo, atq; honorario munere donat. Regionē IV.M.P. vrbi continentē cōtribuit: atq;

NAT. CHR.

eo honore, ac ditione Bernardinum Capreram Bernardi Capreræ ex Timbore Fenollecia primaria femina F. donat: Comitemq; Aufonenfem appellat.

Cum biennio pacis condicionibus tractandis Regis legati Auenione adfediffent, neque Rex æquitatem reiiceret, Genuenfes ius, fafque omne infolentius afpernantur: quod Matthæus Oria fœdere violato Oriam arcem occupaffet: & plane hoc fpectant: vt eo duce bellum geratur. Sardis contra fœdus auxilia miffa.

Claffe comparata, vt Sardois rebus fubueniri poffit, fummis difficultatibus affectis, Rex Gilabertum Scintilliam exercitui præficit: armatura varia peditatus, & equitatus, inftructo. Cum Barcinonenfi ftatione claffis ea foluiffet, & ad Iliberitanum portum militares copiæ Mai menfis fine naues confcendiffent, Iulii K. alto prouehuntur. Galcerandus Fenolletius Lugudoriæ regioni præficitur.

BELLVM CRVDELE ET EXITIABILE A CASTELLÆ ET ARAGONIÆ REGIBVS VTRIMQVE SVSCEPTVM.

Atrox & inteftinum bellum inter Aragoniæ, & Caftellæ Reges, vtrique non grauiffimorum modo inter fe motuum, fed pæne exitii caufa fuit. Francifcus Periliofius IX. actuariis nauibus præfectus, quæ Francorum Regis ftipendiis, in Cataloniæ ftationibus armatæ, inftructæq; fuerant, & in Veneticum Oceani litus nauigaturæ erant, Herculeum fretum præteruectus, cum Gaditanum portum fubire vellet, naues duas Placentinorum, qui mercaturas fecerant, inuadit: & coram ipfo Caftellæ Rege: ludicra forte exercitatione, & thynnorum captura ludibundo litus incurfante, intercipit: diripitq;: neq; Gutterio Gomezio Toleto internuntio, vt liberarentur Regi pręfenti, & roganti honos, aut refpectus habitus: quod Genuenfium hoftium effe dicerentur. Præda accumulata, non fatis ducens Periliofius Regis præfentis imperium fibi ludibrio effe, oftio Bætis fluminis inuectus XVI. M. P. apertiffime prædatus, nauigationi intentus, in Gallaicis portubus piraticam facit. Petrus Caftellæ Rex fæui alias, & præferocis animi ira exardefcens, & pro rei indignitate concitatus, cum Egidium Velazquium Segouienfem, aulæ regiæ Prætorem Barcinonem res repetitum legaffet, & is quod ius, ac pacta fœdera Rex imminuiffet, atq; violaffet conqueftus effet, & Regem commonuiffet, vt Gonzaluum Meffiam, & Gomezium Carillium, qui in Caftella res nouas moliti fuerant, ex Aragonia pellerentur: atque Epifcopus Segontinus, qui fe in Aragoniam receperat, captus attineretur, & Rex pollicitus effet, fe eos proceres regni finibus exacturum, Catalanos, Aragonenfesq; mercatores, quotquot Hifpali, aut aliis in locis fide publica commorantur, cum bellum indictum non effet, in vincula coniici, & eorum bona publicari imperat. Præterea expoftulat, Periliofium fibi conftrictum dedi. Regi Aragonio, fe ius, iudiciumque in Periliofium, fi iuris actio cõftituatur, feuere adminiftraturum recipienti, pollicentiq; bellum indicit: prouocatq;. Mirum inde quanta rerum moles: quotiens in extrema fummi difcriminis ventum. Acerbiffimo enim bello res cum grauiffimo, & præpotenti hofte fuit.

Cum Rex omnibus rebus imparatiffimus neceffarium, ac fubitum bellum fufcepiffet, Murtienfis regni, & Molinæ confiniis geri cœptum eft: atq; eo impotentius concurritur vtrimq;, quod proximi regionibus concitantur. Deferuerant Aragonii incolæ finitimas fedes: & in munitiora loca, aut in auios, filueftresq; montes confugerant: & defperata plurium oppidorum propugnatione, in arces conceffere: multaq; ignobilia oppida deferta à fuis, in hoftis venere poteftatem.

Caftellæ Rege mentis infania, atque furore, & ira efferato, atque præcipite, vires omnes regni concitantur. Aragonius acerbitate itidem morum, & animi pertinacia, atque obftinatione, cum laceffitus effet, inimici vlcifcendi caufa acrius, grauiufq; in id bellum incumbit.

Didacus Garcias Padillia Calatrauenfium Magifter, magnis equitatus, peditatufq; copiis in Valentinum agrũ inuadit. Chinofam, & Montem Noueriũ vi expugnat. Requenenfes VII. Aquas, id Valentino oppido nomen eft, irrumpunt. Molinenfes Darocenfibus finibus incurfantes eius ditionis agrum deuaftant: aliquot vicos depopulantur: & Oculi nigri, & Blancæ oppida exuruntur. Gallicantinum campum, & Fufetios fines incurrunt.

Vniuerfo regno in bellum inftincto, Lupus Lunenfis Comes, Blafcus Alagon, Petrus Luna, Iohannes Martinius Luna, Petrus Ferdinandius Ixeritanus, & Iordanes Perefius Vrriefius Gubernationis regni procurator regni Aragonię confiniis duces pręficiuntur. Valentini regni ductores Alfonfus Dianienfis Comes, & Petrus Exerica: ille vltra Sucronem amnem, hic citerioris prouinciæ præfectus conftituuntur. Valentinæ ciuitati imperatoria dignitate Raimundus Berengarius Regis patruus pręficitur. In Aragonia rebus

bus bellicis administrandis præcipui consiliarii admouentur Michaël Peresius Zapata, Iohannes Lupius Sesesius Iustitiæ Aragonum Præfectus, Michaël Gurrea, Petrus Iordanis Vrriesius, Lupus Gurrea ex procerum familia, regio cubiculo præfectus, & Lupus Gurrea: qui Gurreæ oppidi dominabatur. NAT. CHR.

Quod Rex vereretur maiorem belli impetum in Aragoniæ fines irrupturum, contentionemq; omnem armorum eo incursuram, vt furentes, ac violenti hostium conatus comprimantur, Calataiubii, atq; Darocæ emunito situ, præsidiorum apparatu arces, castellaq; eorum confiniorum obstrui imperat. Nam Almansæ aditus, & ea regio, quę Arabum lingua, quod Spartarii campi aquæ egentissimi sint, Montaragonis Manxę nomen inuenit, nunc vero interuerso cognomine Aragoniæ Manciam vocant, ad ducendum bellum minime apta visa sunt: neq; diuturno tempore exercitū alere posse: quod quorum in finibus bellum geratur, eorum opibus hostes subleuari sit necesse.

Lupus Lunæ Comes, signis collatis cum Guterio Ferdinandio Toleto Molinensium confiniorum duce confligit. In eo certamine Gomezius Carilius Guterii F. occumbit. Vici supra L. & Requenæ suburbana nostrorum incursione conflagrauerunt. Direptis, & incensis proximus vicis, vagi, palantesq; circumiecta populantur. Vterque ita bellum gerit, vt neq; inferre differat, & intra fines suos accipiat: neq; aliud vniuersis regionibus agi, quam bellum apparari.

Cum vero nuptiæ Ludouici Andegauensis Comitis Francorum Regis filii, & Iohannæ Regis natu minoris filię in Septembrem mensem reiectæ essent, & eam ob caussam bello intestino sequente, Rex Perpiniani resideret, maximum illud prœlium inter Francos, & Anglos in Pictonibus est commissum: quo & exercitus Gallicus funditus deletur, & Iohannes Francorum Rex in Eduardi Waliæ Principis potestate captiuus remanet. Ea calamitate res Gallicæ in summum discrimen decidunt: & Ludouicus, quod ita è republica esse existimaret, Iohannæ conditione repudiata, Mariam Britanniæ Ducis F. in matrimonium ducit.

Constantię natu maiori F. sponsalia parum fauste, feliciterq; Perpiniani, A. D. XI. K. Octob. celebrantur. Nam cum in Sardiniam profectura esset, vt inde ad Fredericum sponsum Siciliæ Regem transmitteret, nuntius Regi aduenit, Mamertinorum ciuitatem à Rege defecisse: & Ludouico Regi, & Iohannæ Reginæ eius vxori se dedidisse. Id proditione Nicolai Cæsariæ A. D. V. K. Decemb. patratum: cum Messanæ Blanca, & Iolans Frederici Regis sorores, & Conradus Oria Siculorum classis præfectus demorarentur. Claramontiorum præterea factione vigente maioris insulæ partis hostes potiuntur.

A. D. VI. Id. Nouemb. Pinę oppido, ad Hiberi amnis traiectum Henricus Trastamaræ Comes, qui Castellæ Regi fratri perpetuus hostis semper fuit, & eius arma deserens, belli adoriundi nostris auctor erat, Regi Aragonię se vti subditicium addicit: & iurisiurandi religione fidem suam astringit, se Regi operam, in fraterno bello nauaturum: & regiis auspiciis militaturum: cuius expeditionis caussa ex Gallia, in quam extorris profugerat, aduentarat. Complures arces, atq; oppida in Aragonio, & Valentino regno, & Cataloniæ Principatu Henrico traduntur: atq; eæ ditiones præcipuæ illi attribuuntur, quæ Leonoræ Reginæ, & Ferdinando, & Iohanni Regis Aragonii fratribus dotis nomine & hereditario iure obuenerant. Iurisiurandi fide Henrico obstringuntur, Regem fœdera cum eo pacta obseruaturum, Lupus Ferdinandius Luna Cæsaraugustanus Archiepiscopus, Petrus Oscensis Episcopus regius Cancellarius, Episcopus Turiasonensis, Bernardus Caprera, Blascus Alagon, Petrus Ferdinandius Ixeritanus, Lupus, & Michaël Gurreæ, qui inter proceres censebantur, & Gonzaluus Ferdinandius Heredia. Ex eo Aragoniis exercitibus ductores præficiuntur Lupus Luna, & Henricus Comites. Exitiosa inde Regibus odia, & immania excitantur.

Valentinis finibus Castellę Rex ad bellum incumbens, quod Ferdinandus Regis Aragonii frater Alicantum, & Origuelam oppida sibi tradidisset, Murtię copias omnes militares cogit. Sed Dianiensis Comes, & Petrus Exerica Alicantensem arcem, & situ, & opere munitissimam à Castellanis ereptam recuperant. Cardonensis Vicecomes, Dalmatius Queraltius, Raimundus Alamanus Ceruilionius, & Petrus Galcerandius Pinosius Catalanarum copiarum ductores subsidio Valentinis rebus accurrunt. Exteras Galliarum copias Fuxensi Comite, & Narbonensi, & Conseranensi Vicecomitibus, & Rogerio Bernardo Fuxensi Vicecomite Castelliboni Lupi Lunensis Comitis sororis filio, & Montlesano Comite ductoribus Rex ad se arcessendas curat, vt præpotenti hosti resistere posset.

NAT. CHR. A. D. IX. K. Ian. Ludouicus, & Iohanna Regina eius vxor Messanæ regio apparatu excipiuntur. Blanca, & Iolans Frederici Regis sorores Neapolim ablegantur.

Cum Frederico Regi, præter Catanam vrbem & aliquot arces, aduersa eius fortuna nihil reliquum esse, ea tempestate voluisset, Siculique pæne omnes in Reginæ Iohannæ fide manerent, Constantia Regis F. triennium demoratur: quod ad virum tuto perferri nequit: quoad Siculorum res, & totus Frederici status in vnius Artalli Alagonii Comitis virtute, atq; præstantia defixus, mirabili rerum conuersione instaurari potuit.

Anni huius fine cum Innocentius P. M. in Cardinalium collegium sex insigni religione, & doctrina præstantes viros cooptasset, Nicolaus Rossellius Maioris Balearium insulæ ciuis amplissimo eo sacerdotio collega adsciscitur. Is Aragoniæ prouinciæ, Prædicatorum instituto, multos annos præfuerat: & causis fidei quæsitor, iudexque præsederat.

Graue bellum ad Molinæ confinia à Castellæ Rege conuertitur: maximoque conatu, atque impetu infertur. Rex obuiam hosti processurus Carinienæ festum Natiuitatis
1357. Domini diem concelebrat. Darocam, ad conuentus agendos, finibus appropinquans, statim commigrat: sed Castellæ Rege Molina egresso, & II. M. CC. equitum copias ducēte, iam prope hieme confecta, ne prœlium inuitus committat: quoad externis auxiliis exercitus suppleri possit: quorum ductores erant Fuxensis Comes, Narbonensis, & Conseranensis Vicecomites, & Rogerius Bernardus Fuxensis Castelboni Vicecomes: Lupi Lunensis Comitis sororis F. Cæsaraugustam regreditur. Cum præcipuæ arces in regni finibus firmarentur, Turiasonensem tractum, & ea oppida, quæ ad Borgiensem fluuium sita sunt, tuenda, & propugnanda Petrus Peresius Caluillius Turiasonensis Episcopus, Lupus Gurrea ex proceribus, qui Gurreæ dominabatur, & Michaël Gurrea, ac Iohannes Peresius Caluillius egregii, & præstantes ductores suscipiunt.

Ingenti, ac terribili bello conflato, auxiliis ex vniuersa Hispania vtrimque confluentibus, Ferdinandus, & Iohannes Regis fratres M. equitum, & II. M. peditum ductores, cum Valentini regni fines incurrerent, Benilupam oppugnare adorti, omissa spe, per vim, atque arma irrumpendi, detrimento accepto reiiciuntur. Alicantensem inde agrum, hortosque vastantes regni finibus excessere. Iohannes Regi Castellæ adiungitur: qui Sisamonem castris obsidet: & altera exercitus parte Cubellum circumsidetur. Hæc omnia celeritate ingenti acta, omnisque vis belli in Celtiberiam vertitur.

Præsidiis arces cum firmarentur, neque regiæ copiæ, quamuis distractæ non essent, præpotenti aduersario pares esse possent, Rex bellum sibi ducendum ratus, & ad callida consilia conuersus enititur, vt Fredericus S. Iacobi ordinis Magister, & Tellius qui Viscaiæ dominabatur, Regis Castellæ fratres, Iohannes Cerda Ludouici Telamonis Comitis, & Fortunatarum Principis F. Aluarus Peresius Guzmanus, atque alii Castellani proceres à suo Rege deficientes, transitione facta, sua signa sequantur. Cerda, & Guzmanus, quos priuatæ accendunt iniuriæ, domesticasque contumelias vlcisci concupierant, quod Alfonsum Ferdinandium Cornelium socerum Rex morte affecisset, & Aldonciam Corneliam Guzmani vxorem contubernii necessitudine sibi coniungeret, cōfiniorum præsidia deserentes, & in Bæticam properantes, intestinū bellum tanta confidentia, & temeritate inferūt, vt prouinciam pæne omnem cum Aragoniæ Rege partiri sperent: & Regi Hispalim, Cordubam, Algeziram, Gades, Iaenium, Tariffam, & alias insignes vrbes suopte ingenio attribuant: reliqua omnia sibi vindicent.

Februario mense, cum Celtiberiæ finibus omnem belli molem inclinaturam hostis censeret, denuo in Aragoniam ea regione irrumpit. Bordaluam vi expugnat: castellum, cum spes omnis in mœnibus, non in viribus esset, præfecti ignauia deditur. Cum Embitum oppidum ipse Rex irrupisset, & castellum ingenti balistarum, & tormentorum molitione labefactaretur, summa vi propugnacula defensa sunt: & locus erat munimento, naturaque tutus: quoad Simon Lupezius Tolon præfectus sagitta confixus mortem oppetit: cuius stabilis virtus arcem tutata erat.

Guilielmus S. Mariæ in Cosmedin S. R. E. Cardinalis pacificatoriam legationem obiturus, A. D. V. Id. Febr. Cæsaraugustam aduenit. Recta Deciam ad Regem Castellæ pergit: quo in loco ingentes copiæ militares conuenerant. XV. dierum inducias paciscitur.

Induciis violatis, præcipiti furore Castellæ Rex Turiasonem circumsidet. A. D. VII. Id. Mart. in vrbem irrumpit. Ciuitatem diripiendam militi tradit: deditur q; arx, quā Cinctum vocant: Rege nullis militaribus copiis coactis Cæsaraugustæ adsidente: quod arces, castellaque præsidiis firmare constituisset. Sed quod neque eo in loco se tuto esse arbitraretur,

retur, tantis ſubito difficultatibus obiectis, Cæſarauguſtanam arcem Regiam, Aliaferiam vocant, & omnia vrbis propugnacula obſtrui, munirique imperat, præſidiiſque maioribus firmat.

Exitioſo, inteſtinoque bello, non modo domi in Aragonio, & Valentino regno, ſed in Sardinia, & Sicilia aduerſus noſtros ſæuiente, quam miſera, & calamitoſa ſit Galliarum condicio, hinc perpendi poteſt: quod Iohannes Armeniacenſis Comes Gothicæ prouinciæ procurator, ſummopere à Rege contendit, vt militares manus ex Aragonia, & Catalonia ducere ſibi liceat: quæ Regis Francorum ſtipendia Anglico bello mereri velint. Cum Cæſarauguſtam Garinum Abehiri dominum eam ob cauſam delegaſſet, Rex Caſtellanorum copiis, quæ ſuis merent ſtipendii, libens ſi abire malint, permittit: modo ne iis ſtipendiis militent, quæ Traſtamaræ Comes Henricus, Iohannes Ludouici Telamoni Comitis F. & Aluarus Perezius Guzmanus à Rege promereantur.

Tum Aragonia maximis concuſſa eſt motibus. Martio menſe exacto, hoſtis Borgiam circumſidet. Fuxenſis regiis auſpiciis militaturus in Aragoniam venit, Magalionemque contendit: quo Rex obuiam hoſti proceſſerat, vt obſeſſis Borgienſibus ſubueniat. Altera vero ex parte Alebretius eiuſque fratres Turiaſone hoſti adiunguntur: qui VII. M. equitum Hiſpanæ armaturæ, & II. M. leuis armaturæ, quos Ginetes vocant, & maximo peditatu exercitum confecerat. Rex copiis multo inferior inſigni virtutis præſtantia, parem ſe belligerando præſtat: atque hoſti occurrens, prope Borgiam, collem occupat: loco ſituque munitum: Molam appellant. Hoſtis cum prœlio ſigna inferret, aciemque inſtrueret, & leuia certamina conſererentur, noſtri hoſtem inſultantem, atque acriter irrumpentem ſupprimunt: neque certamen loco confiſi, ſignis collatis detrectant. Hoſte Turiaſonem regreſſo, ac Rege Magalione demorante, cum Legatus Apoſtolicus conditionibus pacis tractandis animum intenderet, eo rem deducit: vt omnibus in rebus, quæ in controuerſiam vocantur, Reges aliquot arbitris, atque diſceptatoribus, ſuo interpoſitu vtantur. A Rege Caſtellæ Iohannes Ferdinandius Fineſtroſa regio cubiculo præpoſitus, Iohannes Alfonſus Benauidius, & Innicus Lupius Horoſcius, & noſtrarum partium Petrus Exerica, Bernardus Caprera, & Aluarus Garias Albornozius arbitri dati. Legatus indutias ex A.D. VI. Id. Mai in feſtum D. Iohannis proximum, atque ex ea die in vertentem annum paciſcitur: aliique LX. dies adiiciuntur: qui indutiæ appellantur redditiæ.

Turiaſo, quæ pacto conuento, XV. dierum ſpatio Legato tradenda erat, non libera, præſidioque vacua, ſed Caſtellanis habitatoribus, atque equitum turmis obſepta relinquitur. Traditis à Rege, vt conuenerat, Alicanto, & eius arce, atque Aquis Alicantenſis agri, Legatus ea fraude violatas indutias diiudicans, A.D. VI. K. Iul. Tudelæ in æde beatæ Mariæ, coram Conuenate, & Turiaſonenſi Epiſcopis, Garcia Pereſio Regis Caſtellæ procuratore, Berengario Apilia, Franciſco Romano pro Cancellario, Iacobo Ezfario, & Iacobo Hoſpitali Regis Aragonii conſiliariis, lata ſententia Caſtellæ Regem in dirarum obnuntiationem incidiſſe, & eius regna ſacrorum interdicto ſubiici pronuntiat. Eo magis hoſtis excitata immanitas.

Reges in bellũ tota mẽte, atq; animi impetu incũbentes externa auxilia arceſsũt. Hoſtis Eduardi Normanorũ Ducis, & Angliæ Regis eiꝰ patris opera ſuas fortunas fulciri ſperat.

Carinienam Rex conuentum indicit, agitque. Equitatus grauis, leuiſque armaturæ tuendis regni finibus inſtituitur: & Petrus Regis patruus ductor præficitur. Petrus Luna Borgienſi regione, Iohannes Martinius Luna Calataiubienſi, Petrus Ferdinandius Ixeritanus Darocenſi, & Iohannes Simenius Vrrea Montalbani præfectus Turolenſi equeſtribus copiis hoſtibus opponuntur. Cæſarauguſtani muri, & propugnacula foſſa, valloque muniuntur: ac duces præſidiis, confiniiſque præficiuntur. Iohanni Lupio Seſeſio Iuſtitiæ Aragonum Præfecto militaris imperii munus committitur: & omnes ciuitatis vires ſe ad eius ductum applicauerunt: vicariuſq; ſuccedit in eo munere, eiuſq; partes ſuſcipit Ferrarius Nuza. In ea trepidatione, ac tumultu res verſabantur, ac ſi ad portas hoſtes caſtra metatus eſſet: & omnibus vrbis regionibus tributim, & centuriatim deſcriptis ordinibus, duces delecti: vt quiſque eis tuendis, conſeruandiſque aptior præeſſe poſſe viſus eſt. D. Paulli regio, qua magna vrbis pars continetur, ad Innici, & Bartholomæi Liſonum ductum traditur: & D. Mariæ regio, quæ plena erat virorum præpotentium ſic, vt nulla tota vrbe frequentior haberi poſſet, Martino Lupeſio Nuzæ Ferrarii F. eſt attributa. S. Iacobi Saluatoris, S. Nicolai, S. Iohannis, & S. Michaëlis regionibus duces delegati Ferdinandus Lupeſius Seſeſius, Simon Gurdus, Raimundus Tarba, Nicolaus Hoſpitalis, & Sanctius Paternueius Cypreſii Paternueii F.

NAT. CHR.

Rex Ludouicum Caroli Nauarræ Regis fratrem pacto fœdere deuincit: ne Castellæ Rex eum ad se traducat. Ea re constituta, Turolium A. D. VII. K. Nou. ingressus Bernardum Capreram, Bernardum Thousium, Bernardum Olzinelliam, Franciscum Romanum pro Cancellario & Petrum Iordanem Vriesium domus regiæ præfectum Oscam ad Apostolicum legatum nuntios præmittit.

A. D. XII. K. Decemb. Oscæ Legatus Apostolicus sententiam pronuntiat: qua Castellæ Regem ob violata pacta C.M. marcharum argẽti pœna multat: à fidelium communione arcet: & diras grauiori obnuntiatione infligit. Decretis Apostolicis edicit, vt Eduardus Angliæ & Petrus Portugalliæ Reges Leonora Regina, Regis Aragoniæ nouerca, & Ferdinandus eius F. Princeps Walliæ, Lancastriæ Dux, Ludouicus Nauarræ Regis frater Armeniacensis, & Leguni Comites, Alebretius, eiusque filii, ac nepotes coniunctione, communicationeq; Regis Castellæ, quod execrationibus deuinctus esset, arceantur: neue illi opitulentur.

A. D. VII. Id. Decemb. in silua conuallis, quæ Callis Puteoli vocatur, territorii Albarraziniensis, vasta quadam in solitudine, Berengario primum Apilia, mox Acarto Murio, & Petro Cima, demum Bernatdo Caprera internuntio, ac fœderis interprete Rex, & Ferdinandus eius frater, ad colloquia, secretosque congressus perueniunt. Ferdinandus Regi se addicit: procurationeque regni donatur. Cum Rex Turolii commoraretur, Suggerius Garcias Garciæ Suggerii Toleti F. cuius consilio Tellius Henrici Trastamarensis frater se ad Aragonium Regem traduxerat, & ad eius partes, & arma conuerterat, pollicetur, se daturum operã, vt Gonzaluus Gonzaluius Luzius, quem Castellæ Rex Tupiasonis vrbis propugnationi ducem primarium præfecerat, vrbem Regi dedat. Rex spõdet, si vrbis propugnacula sibi tradantur Luzium X L.M. nummorum aureorum, quos Florenos nuncupabant, donaturũ: & X.M. Suggerio repræsentaturum. Ea res interuentu Bernardi Capreræ, Gilaberti Scintilliæ, Petri Iordanis Vriesii, & Matthæi Mercerii sancitur: quæ minime irrita euasit.

Rex, vt vitia Sardorum totiens deficientium, ac fraudes ignominia notet, ac multet: Galluritanam regionem, & præfecturam, quæ antea in Sardinia regni, Iudicatusque nomine censebatur, in posterum regio decreto Luquidonesij, & Caralitani promontorii cognomine appellari, vsurparique imperat. Bernardum Guimeranum ei regioni gubernatorem, procuratoremque præficit. Caralitanæ regionis gubernatio Olfo Prochytæ traditur: & copiarum ductores Berengarius Carrozius, Iohannes Carrozius, Emmanuel Entenza, Vmbertus Dezgatellius, Raimundus Emporitanus, & Franciscus S. Clementis rem bellicam administrant. Procurationi Luquidonesiæ Alguerienfis, & Sacerensis ciuitas contribuuntur.

Matthæo Oria, qui diu in defectionem reciderat, vita functo, datur opera, vt Branca Oria Brancaleonis Matthæi fratris filius, ad quem hereditas peruenerat, Regi se dedat, addicatque. Oppida, ac possessiones publicatæ illi tradantur, liberenturque. Sed summa inconstantia, atq; animi mobilitate, & perfidia, modo se obeundæ hæreditatis causa Regi dedendo, modo ab eo deficiendo Mathæum patruum infidelitate, longe prætergreditur. Arborensis Iudex tributa Arborensis ditionis nomine pẽsitari solita Regi pẽdere renuit.

Maior Siciliæ pars à Claramontia familia, quæ à Rege defecerat, opprimitur: & Neapolitanis regibus Messanæ vrbis potitis, cuius ex Italia non solum introitu, sed omnio aditu Siculi arcentur, intercluduntur que, Fredericus Rex summo in discrimine versatur: neque vllum aduersæ eius fortunæ perfugium, nisi in soceri Regis auxiliis relinquitur, tam infirmis ac longe remotis. Pactorum tamen sponsalium conditionibus initis, Rex summopere elaborat, vt generum Pontifici, Ecclesiæque conciliet. Neapolitani Reges veriti, ne Aragonia classis labantibus rebus opem ferat, Messanæ bellum, quod instat, gerere approperant. Iacim oppidũ Catanæ propinquũ obsident: sed cõstantia, ac virtute Artalli Alagonii Mistretæ Comitis, Francisci Intemelii Comitis Golisani & Guilielmi Peraltæ Calatabellotæ Comitis, qui circiter II.M. CC. equites delectos coegerant, & duabus Catalanorum actuariis nauibus, quæ forte ad Catanensem stationem appulerant, & tumultuaria alia classe adiuncta, noctu V. hostium actuarias adoriuntur, dissipantque: quarum tris intercipiunt. Obsidio Iaccitana deseritur: & hostes fugantur, atq; cæduntur. Raimundus Baucius, qui & vetustate generis, & maiorum gloria, & sua virtute floreret, in Siculorum potestate captiuus remanet.

Fredericus Rex, summa omnium rerum amissione, & desperatione recuperandi, aut stabiliendi regni Leonoram sororem Aragoniæ Reginam Siciliæ regno, donat: & Athenarum, & Neopatriæ ditionibus, & Comitatu Carinthiæ: qui hereditate materna illi obue-

obuenerat Isabellæ Reginæ Henrici II. Carinthiæ Ducis filiæ: qui, vti supra docuimus, Bohemiæ regnum appetiuit. NAT. CHR.

Festus Natiuitatis Domini dies à Rege Valentiæ celebratur. Belamatinio, Maurusiorumque Regi aduersus Castellæ Regem hostem nimis ferum, atque capitalem amicitia adiungitur. Cum ea fœdera Innocentius maxime detestaretur, & hortaretur, vt ad pactionem cum vicino, & præpotenti Rege ineundam animum inducat: Rex, quod sibi tam crudeliter inimicus esset, & Ferdinandus frater auxiliis Granatensibus exitiosum bellum Valentino regno intulisset, externam opem, aduersus Mauros communes hostes, tam propinquos necessario arcessiuisse causatur. 1358.

A.D.X.K.Mart.S. Mariæ Pogio Valentini agri nascitur Leonora Regis F.

Castellæ Rex, quod Ferdinandus fratri Aragonio Regi se adiunxisset, animo irato, & percito, per ipsum indutiarum tempus, contra ius gentium acerrimum bellum Valentinis finibus infert. Fredericus S. Iacobi magister, Henrici Trastamaræ Comitis frater Iumillam oppidum, nostrorum præsidio munitum obsidet, quod paulo post vi expugnat: & in arcem irrumpit.

Turiasonensibus finibus Castellani Ferrelionio oppido, in Cauni montis tumulo sito potiuntur: neque tam sæuo animo præceps in nostros hostis concitatur, atque in ipsos fratres: in quos infensum eius odium cum funesto dissidio erupit: cuius imperio Fredericus eius frater, non tam perspicax ad cauendas fraudes, quā virtute cognitus, & bellandi arte in primis spectatus, & Iohannes Regis Aragoniæ frater crudelissima morte mactantur. Leonora Aragoniæ Regina amita, Iohannis mater, & Isabella Larensis Iohannis vxor Castri Xericiensis arce morituræ contruduntur.

Violatis indutiis Rex, cum Gerundæ Mai mensis initio adsideret, Henrico Trastamarensi imperat, vt coacto exercitu in Castellam inuadat. Alcarracii Ilergetum oppido militarium copiarum recensione facta, Soriæ finibus bellum infert. Duxere in eo exercitu militares numeros Tellius Trastamarensis frater, Lupus Comes Lunensis, Blascus Alagon, Simon Vrrea, Petrus Ferdinandius Ixeritanus, Petrus & Iohannes Martinius Lunæ, Philippus Castrensis, Raimundus, & Gombaldus Anglesolæ, Raimundus Spesius, Martinus Ruicius Focius, Petrus S. Vincentii, Gōbaldus Tramacetius, Iohānes Ferdinādius Vergua, Ludouic⁹ Cornelius, Iohānes Diazius Latro, Iohānes Remirius Arellianus, Atho Focius, Guilielmus Raimūdus Mōcada, Augerius Monfalconius, Petrus Mōcada, Petrus Ferdinandius Vergua, & Rudericus Diazius Latro. Seronē oppidū expugnant: & cum Alcazarensem arcem natura, ac loco munitissimam admotis machinis oppugnarent, obsidione liberata est. Rege omne id tempus Gerundæ commorante subsidia militarium copiarum ex Gallico delectu, Aimerico Narbonensi Vicecomite, Iohanne Greillio, quem Buchii Capdalem vocant, Arnaldo, & Bertrando Hispanis, Naiqueno Guilielmo Sparræ domino, Guilielmo Pomerio, Arnaldo Rocafullio, & Hortæ Vicecomite fœderatis, amicisq; & aliis Gallis proceribus ductorib. cōparat: vt externi militis robore vernaculas copias fulciat. Rex perfidiæ probrum hosti obiectans, quod pactam indutiarum fidem rupisset, ad pugnam prouocat: & hostem in prœlium deposcit: ea lege vt vicenis, aut quinquagenis, centenisve equitibus sociati, vno armorum iudicio, litem discernāt: & proprio sanguine publicis damnis parentent: ac de fortunis omnib. ferro dimicent. Petrus Tomichius auctor est, Franciscum Romanum pro Cancellario à Rege Auenionem ad Innocentium P. M. legatum: vt Castellæ Regi læsę fidei actionem intenderet. Ita constitutum memorat: vt Bernardus Galcerandus Pinosius, qui id temporis Auenione resederat, quod solum exilii causa vertisset, ex Catalanis proceribus insigni virtute, & generis nobilitate præstans, coram summo Pontifice singulis diebus in frequenti consessu Castellæ Regem proditæ fidei arcesseret: & ad certamen prouocaret. Vt Rex, & Pinosius in eo discrimine, & dimicatione consociati Castellæ Regi, & alteri eius compari opponerentur: & ne Pinosius à Castellæ Rege reiici, aut repudiari posset, Regem decreuisse eum dignitate Balearici regni decorare: quod vere ne acciderit, an inaniter fuerit confictum penes auctorem fides sit. Satis certe constat, eam prouocationem, qualiscumque ea fuerit, ludibrio, ac despectui inimico Regi fuisse.

Cum bellum atrox, atque intestinum Regis ceruicibus immineret: hostis non terra modo se superiorem, sed nauali classe præstare posse iactans, Bæti flumine XII. actuarias naues optimo delectu instructas deducit: & VI. alias Genuensium adiungit. Contestanorum oram prætereuectus, Guardamarem terra, marique circumsidet: & A. D. XVI. K. Septemb. vi expugnat. Cum arcem, cui Bernardus Cruillias præerat, magna cōtentione, machinarumque impulsu oppugnaret, subito maxima tempestate coorta, classis in litora

NAT. CHR. depellitur, diſſipaturque. Naues adeo tempeſtas afflixit, vt XVI. nautis, vectoribuſq; vacuæ eliderentur: & naufragio interirent. Duæ reliquæ naues in Carthaginis portum refugiunt. Deſperata arcis oppugnatione ſoluta obſidio eſt. Cum oppidum, diſiectaſque naues incendiſſet, & ab obſidione receſſiſſet, magno accepto detrimento, atque ignominia Murtiam ſeſe recipit.

A. D. IX. K. Sept. Epilæ, ſiue vt alii malunt, Tamaritio Litterenſis regionis oppido naſcitur Iohannes Henrici Traſtamaræ Comitis F. patris in Caſtellæ regno futurus heres: cuius liberis, is fuit temporum motus, & tanta rerum conuerſio, & Caſtellæ, & Aragoniæ regna ſubiicientur: cum hoc ipſo tempore Henricus pater regis Aragonii ſtipendia mereret.

Vix dato ſpatio ad comparãdum de integro bellum, Lupus Lunæ Comes, Henricus, & Tellius fratres Farizæ, & Darocæ finibus gerunt. Menſam, & Vilielem oppida vi expugnant. Hoſtis ex Conteſtanis ad Celtiberos conuerſus Almazano, ad Aragoniæ confinia ſubſtitit. Biiũeſcam, & Torrigios vi expugnat.

A. D. II. Non. Sept. Barcinone Iſabellam Balearici Regis F. Rex auunculus in matrimonium Iohanni Monferratenſi Marchioni tradit. L. M. florenorum dotem dicit. Ea Balearico iuri, & Ruſcinonenſis, & Ceretanæ ditionũ, & Mompellerio dominatu Regi cedit. Iohãnes Coconati Comes, & Bonifacius Coconatus, ac Iohannes Cereſetus Trãſalpini proceres nouam nuptam domum deducunt: & Franciſcus Periliõſius ad virum proficiſcentem apparatu regio comitatur.

Almuniæ Rex feſtum Natiuitatis Domini diem concelebrat.

1359. A. D. XVII. K. Apr. Rex Alaueſio campo hoſtium fines aggreſſus, Pharum caſtellum obſidet, atque vi expugnat. Scoparium vicinum oppidum adortus: caſtra prope Medinam Zelimenſem metatur: oppidumque circumſidet: & natura, ſituque, ac præſidio munitiſſimum. Commeatu exercitum deficiente, ab obſidione deſiſtit: igni ferroque regionem vaſtat: vt hoſti ſolitudinem faciat: & in maritimas Cataloniæ oras ſubſidio accurrit: quod hoſtis magna comparata claſſe, in Laletanos circumuehi ferretur: vt maritimam eam oram tutari, & inimicum Regem à litoribus arcere poſſet.

Rex A. D. V. K. Apr. Cæſarauguſtam introit: & rebus bellicis adminiſtrandis ſummæ auctoritatis, & ſingularis induſtriæ viros Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum Iohannem Ferdinandium Herediam Ampoſtæ præfectum, Lunenſem, & Traſtamarenſem comites, Petrum Exericam, & Petrum Lunam præficit. Quod viri ingenuitatis immunitate fungentes, quos Ermunios appellare conſueuerant, lege, atque inſtituto more maiorum, Regi expeditionem bellicam capeſſenti adeſſe, non obſtringerentur, niſi prœlium ſignis cum hoſte collatis commiſſuro, aut arcem, caſtellumve obſeſſuro: & ſigna militaria proſequi non conſueſſent, niſi trium dierum cibario pane conuecto: Rex Cæſarauguſtanis ciuibus, qui ſe eo bello in Caſtellam inuadenti proſecuti fuerãt: quod ea immunitate, & militiæ vacatione perfungerentur, agnoſcit, ac præ ſe fert, rem minime præiudicatam eſſe: & priuilegiis irrogatis ſtaturum: conſenſurumque.

Guido Bononienſis Portuenſis Epiſcopus S. R. E. Cardinalis regio genere ortus, cui & ſumma auctoritas, & amplitudo erat, à ſummo Pontifice in Hiſpaniam legatus, vt inter Reges conueniat, ſi ad pactionem contentio deduci poſſet, magnopere adnititur: quod tam atroci bello omnia in Hiſpaniarum regnis ruerent, atq; turbarentur. Sed hoſte impetu animi, vincendique cupiditate raptim, turbateque ruente, cum contra immanem eius potentiam æquis conditionibus ſe muniri Rex ſperat, iræ peruicax, & ſcelerum ferox ſpẽ omnem pacis perpetuo eripit: Ferdinandum Regis fratrem, & Henricum, Henriciq; fratres, & omnes, qui in Aragoniam refugerant, maieſtatis crimine, inſigni quadam nota, & ignominia condemnans: & quod immanitatem omnem ſuperat, efferа vi animi Leonoram Reginam amitam, ac Iohãnem Larenſem ſtirpis regiæ feminam Tellii fratris vxorem crudeli morte afficit. Iſabellam præterea Iohannæ ſororem, quæ Iohanni Regis fratri nupſerat, eius iuſſu veneno necatam ferunt.

Ne vnquam quieti, aut liberi à bello eſſent, ipſi etiam Reges propinqui, fœderatiq; paſſim fidem, iuſiurandumque negligunt: cum nulla apud eos ſummæ amicitiæ, nulla coniunctionis eſſet reuerentia. Petrus Portugalliæ Rex nouis pactionibus Caſtellæ Regi ſororis filio addictus, & cui in maritima expeditione claſſe opitulatur, hoc ipſo tẽpore interuẽtu generi ſui Ferdinãdi, aduerſus eũ cũ Aragonio amicitiæ fœdera inire cõtendit.

Ferdinando Murtienſe regnũ inuadere conante, & copiis omnibus Valentini regni cõparatis, IX. hoſtiũ actuariæ naues, & lembus ſubſidio accurrentes Carthaginis portum tenent,

tenent: & Alicantum prouehuntur. Hostis Algeziris egressus, XXIIX. actuariis, & IV. lembis, & X. item longis nauibus Mahomatis Granatensis Regis, & LXXX. onerariis, Carthaginiensem portum subit. Guardamarem terra, mariq; obsidet, viq; potitur: & arcem expugnat: cursumq; ad Hiberi vsque ostium perficit. Garcias Gaufredus Loaisa Iohannis Garciæ Loaisæ F. qui Petrerii oppidi dominabatur, hostiles partes deserens se, atque arcem Regi cum Aluaro Nunnio fratre addicit. Legatus Apostolicus, qui Dertosam magna festinatione, secundo flumine iter præripuerat, vt Castellæ Regem ad indutiarum pactionem pelliceret, in ipso ostii Hiberi aditu ventis, remisque in Cataloniæ oras properantem à contento cursu cohibere nequit. Ad ipsas fluminis fauces Lanzarotus Pezania Genuensis Portugalliæ classis præfectus X. actuariis nauibus, quas Portugallus Castellæ Regi in subsidium miserat, Castellanæ classi adiungitur.

Rex, quod in Sardoam, Siciliensemque expeditionem magnam classis partem conuerterat, incredibili celeritate classem adornat: instruitq;: cui Bernardinum Capreram Ausonensem Comitem, & Huguetum Cardonensem Vicecomitem ductores præficit. Vetusta ratio naualis disciplinæ magna seueritate à Bernardo Caprera, Iacobo Boscano, & Iohanne Lombarda est instituta. Sed hostis anteuertens XXX. actuariis, & aliquot lembis, & XL. onerariis nauibus A. D. V. Id. Iun. in Barcinonensem stationem subito, improuisoq; prœlio irrumpit. X. actuarias, quæ moli adhærent, & onerarias adortus summa vi oppugnat. Neq; nostri, aut Rex ipse animi præsentia in repentino vrbis terrore, minore animo, aut fiducia decertat: & copiis per litus prætensis, & nauibus, quas sagittariis, tormentisq; compleuerant, cum acre prœlium consereretur, magnaque animorum obstinatione vtrimq; certaretur, multi mortales, nequicquam opem ferentes ferro, ignique absumuntur: & magno afficiuntur hostes detrimento. Vt aqua eos prohibeant, ad Rubricati amnis vada certamen conseritur. Nostris compulsis, cæsisque hostes in Laletanam, Cosetanamq; oram incursantes in Ebusum insulam transmittunt: vrbemque obsident. Ausonensis, Gilabertus, & Berengarius Cruilliæ, Bernardus Margaritus, & Petrus Albertus nauibus, quibus præerant, in Illiberitanum portum ex alto inuehuntur. Mouit ea res præsentem Regem haud secus, quam si Barcino ipsa capta nuntiaretur: & A. D. IX. K. Iul. Barcinonensi statione, classe L. actuariarum vela faciens, A. D. V. Non. Iul. in Maiorem Balearium appellit: vt Ebusitanis difficillimo tempore subueniat. Hostis, cum Aragonia classis præsto adesset: omniaq; raptim turbarentur: tormentis, munitionibusq; derelictis obsessionem omittit: & perceleri cursu Carthaginis portum inuehitur: neq; eo portu omnis classis cursum conficit. Caprera Comitis Ausonensis pater, tanta auctoritate dux XV. longis nauibus partem hostilis classis Almeriam vsq; insequitur: & Castellæ Rex omni postea classe collecta Alicantum prouehitur.

Cum bellum summa vi gereretur, & in Valentini regni ciuitates eius vis omnis, tempestasq; terra, mariq; conuersa esset, Celtiberum prœlium cœptis interuenit. Quod Aragonii cum Castellanis ducibus, & eorum militaribus copiis diffiderent, & Rex eam sibi rē maxime cauendam, & prouidendam videret, Iordanem Peresium Vrriesium regni gubernatorē consilio Henrici Trastamarensis admouet. Præterea quod Henricus Imperatorio munere in Aragonia defungeretur, Cęsaraugustanū Antistitē Iohannē Ferdinandiū Herediā, Lunensem Comitē, Petrum Exericam, & Petrū Lunam cōsiliarios, ad eas deliberationes, quæ de re publica, & bellica habiturus erat, applicat. Henricus, & Tellius fratres, Petrus Luna, Iohānes Martinius Luna, Iohannes Ferdinandius Heredia Hierosolymitani ordinis in Aragonia præfectus DCCC. equitum turmis, & peditatu Agredæ fines incurrunt: & cum Castellanis eorum confiniorum ductoribus, qui M. CC. equites sub signis coegerant, acri prœlio ad Cauni montis radices, in æquata agri planitie, Arauianæ campum appellant, confligunt. Hostes funduntur: cæduntur q;. Pugnata est ea pugna A. D. X. K. Octob. qua Iohannes Ferdinandius Finestrosa, eorum confiniorum primarius ductor vir egregii animi, atq; consilii, Ferdinandus Garcias Ducius, Petrus Ruizius Osores, & Gomezius Suggerius Figueroa ordinis S. Iacobi in Legionensi regione præfectus occumbunt. Interclusi, captique sunt Innicus Lupius Horoscius, Ferdinandus Ruicius Villalupius, Iohannes Gomezius Bahabon, Furtatus Diacius Mendoza, & Didacus Sanctius Porras: illustris gentis viri: & inclitæ famæ, virtuteque præstantes: qui præclaram, insignemque nostrorum ducum victoriam efficiunt. Gonzaluus Sanctius Vlloa Ferdinandi Castrensis signifer signum prætendens fortissime dimicans interficitur.

Ilerdæ festus Natiuitatis Domini dies à Rege concelebratur. 1360.

Non præsenti modo bello, sed etiam reliquo tempore, victoria ad Arauianam à nostris

NAT. CHR.

parta, ferociore hoste reddito, cum bellum in dies singulos vehementius ingrauesceret, Rex A.D.III.Non.Ian. Cęsaraugustam init: & conuetus peragit. Stipendia M.CC. equitum contribuuntur: magna industria officinis armorum institutis bellum apparatur: & quo studiosius armarentur, ornarenturque insignius, præmia sunt à Rege proposita: atque constituta. Præterea quod Gonzaluus Gonzaluius Luzius Turiasonensis præsidii à Castellæ Rege præfectus transitione, vti memorauimus pacta, vrbem Regi traditurus erat, Rex Magalionem procedit: & A. D. IV. K. Mart. præsidio dedito Turiasonem vrbem ingreditur. Luzius Iolantem Iohannis Simenii Vrræ, qui Epilensi prœlio occubuit, & Eluiræ Corneliæ F. vxorem ducit: & Biotæ, Baii, & Asinii oppidorum iura, ac ditiones dotis nomine attribuuntur. Vrbi, & arci Turiasonensi Petrus Simenius Samperius spectatæ, & nobilitatæ virtutis dux præficitur. Illo ipso tempore Petrus Ferdinandius Velascus hostilium copiarum regni Murtiensis ductor à Rege Castellæ deficiens Aragonio se addicit.

Aluarus Vazquius Petralzada, & Gonzaluus Iohánnius Begia Petri Portugalliæ Regis legati Regem ad pacis conditiones deducere nituntur: sed secreto fœdere Reges aduersus Castellæ Regem adiungere student: quod à Ferdinando Regis fratre relatum fuerat. Impetrant, vt fœdus detur: & ob eam causam Petrus Boilius à Rege in Portugalliam legatur.

Trastamarensis, & Ausonensis Comites Turiasonensibus finibus M. D. equitum, & III. M. peditum exercitu coacto, in Castellam inuadentes Pharum castellum vi expugnant. Sanctius Trastamarensis frater Pharensi præsidio præficitur: Ad Naiaræ vrbis muros, cum magis nostri inferrent, quam arcerent pugnam, & communis adhuc Mars belli esset, nec dum discrimen fors fecisset, prœlium cum Rege inimico conserũt. Hostis cum acie multo esset superior, clade suorum victor euasit.

Quod Rex, Simonq; Buccanigra Genuensium dux controuersiarum omnium iudicem Iohannem Monferratensem Marchionem, qui Isabellam Balearici Regis F. in matrimonium duxerat, constituissent, Astæ A. D. VI. K. Apr. pacis conditiones statuit. Rex Alguerium, Genuenses Bonifacium Corsicę primariam arcem concordiæ pignora, in quinquennium Monferratensi tradant. Edicit præterea A.D.XI.K.Iul. vti Oriis, qui à Rege defecerant, si ei se addixerint, paruerintq;, bona, possessionesq; omnes Sardoæ ea conditione reddantur, qua anno trigesimo supra millesimum, & trecentesimum obtinuerant. Caralis, Alguerium, & Saceris vrbes, Ecclesienseque oppidum excipiuntur.

Lupus Lunæ Comes fato perfungitur: vir & auctoritate, & potentia præstans: qui longe princeps inter Aragonios proceres: primarias & insignes regni familias auita nobilitate fuerat complexus. Rex Egidii Aluari Albornozii Cardinalis S. Sabinæ Episcopi, sedis Apostolicę in Italia legati permissu, & interuentu Briandæ Agaoutæ Comitis vxoris, Bertrandi Agaouti Comitis filiæ, qui Clementis V. Pont. M. fratris filius erat, Martinum filium natu minorem maiori natu Lupi Comitis filiæ Marię matrimonio adiungit. Maria omnium Lupi patris ditionum, & possessionum ditissimarum, latissimarumque heres existit.

Matthęus Mercerius IV. actuariis nauibus Onensem Tingitaniæ portum ingressus Bohamonis Abdalię Muzæ Tremezenii Regis partes secutus, qui cum Algarbii Rege inimico, quod Tremezenium vi eripuerat, bellum gerebat, à Georgio Tartaro V. actuariarum Regis Castellæ ductore interclusus cum prœlium iniret, nostrorum naues expugnantur, & intercipiuntur. Mercerius in continentem delatus in hostium potestarem venit: & in eum, & complures alios Castellæ Rex supplicium constituit: Hispaliq; capite plectuntur. Pontius Altaripa à Rege aliquot actuariis nauibus præficitur, vt à prima ora Granatensis regni, vsq; ad Oceani fretum armata classe instationes omnes incurrat. A.D. II. K. Aug. Rex Barcinonem introit: vt classem adornet: quę in Sardiniam nauigatura erat.

A.D.II.Non.Nou. Olfus Prochyta Sardiniæ pręses classe IV. actuariarum, & II. onerariarum nauium Barcinonensi statione Constantiam Regis filiam, quæ Frederico Siciliæ Regi nuptura erat, in Sardiniam educit. Caralim classe præteruecta, quod hiberna nauigatio Reginæ molesta esset, Carali hiemali tempore residet.

Ludouicus Andegauensis Comes Iohannis Francorum Regis F. qui Iohannam Regis F. ducturus erat, Mariæ Caroli Blesensis, qui Britãnię ditionẽ appetierat, filiæ matrimonio adiungitur. Innocentius Pont. Maxim. & ipse Rex Iohannes Regi confirmant, patre inuito, atq; Calete ad Itium portum arcta custodia incluso, sponsalia ea depacta fuisse.

Anni

Anni fine duæ Cypriæ actuariæ naues Barcinonem appellunt: quibus a Petro Lusiniano Cypri Rege, qui Hugoni patri regni heres successit, & Leonoram Petri Regis patrui, Ripacurciæ Comitis filiam vxorem duxerat, inter alia regalia dona mittuntur pardus inaudita celeritate, vna cum venatoribus, aliarum ferarum venationi assuetus: vestesque Tartarorum Regum: arcusque cum pharetris Tartaricis, & sagittis veneno tinctis: quibus prœliari consueuerant. NAT. CHR.

Blascus Ferdinandius Heredia Iustitiæ Aragonum, in demortui Iohannis Lupii Sesesii locum à Rege præficitur. Is Iohannis Ferdinandii Herediæ Ampostæ Præfecti, cuius magna apud Regem, & in primis grauis auctoritas fuit, frater germanus erat.

Barcinone Rex Natiuitatis Domini diem festum concelebrat.

Castellæ Rex homo propalam ferus, trucidatis insignibus viris, cum virtutis ipsum ornamentum, & decus, hac ipsa tempestate excindere concupisset, Guterio Ferdinandio Toleto interfecto, cui infensum, ac præter animum ad flagitia præcipitem, se inimicum præstat, quod in dando consilio, summa & fide, & religione rationes omnes exquirens vir pius in primis, & sanctus vteretur, haud aliter, ac si tyrannidem occupasset, fit odiosior. Proceres Castellani pæne omnes ad Ferdinandum Regis Aragonii fratrem, regni Castellæ legitimum heredem se vertunt: quod Rex iusta vxore Blanca viuente, ex Maria Padillia concubina liberos tulisset: quibus regnum destinarat. 1361

Cum animi Castellanorum procerum indies, ad Regis odium renouarentur, & Ferdinando iam primas partes in expeditione bellica, tamquam herede legitimo assumẽte, Barcinone Ianuarii mensis exitu Leonoræ Reginæ interuentu, & Iohannis Ferdinandii Herediæ, & Bernardi Capreræ, & Frãcisci Romani pro Cancellario, penes quos summa cõsiliorum vertitur, ad eam pactionem, Rex, & Ferdinandus frater veniunt. Rex II. M. D. equitum auxiliaribus copiis, in quatuor menses fratrem prosequi, quæ Ferdinandi stipendia mereant, spondet. & D. equitum & totidem sagittariorum Aragonia stipendia pollicetur. Ferdinandus paciscitur regno tyrannum exigat, Murciense regnum, atq; vrbes omnes, & insignia oppida in confiniis regnorum sita Regi contributurum: aut omnem ditionem addictur ũ, quæ armis vindicaretur. Secreto ea pactio conuenit interuentu Acartii Murii & Arnaldi Franciæ, qui ad intima Ferdinandi consilia peruenerant: quod Henricus Trastamarensis Comes cum Ferdinando graues inimicitias gerens, magnas Aragoniæ procerum factiones, & clientelas, & præcipue Lunensem, quæ Ferdinãdo palam aduersabatur, sibi deuinxerat: quæ res haud multo post Ferdinando exitio fuit.

A. D. XIV. K. Mart. Rex Barcinone Ilerdam incitato cursu proficiscitur. Cum eo in locc mensem integrum rem bellicam administrans, commoraretur, Armeniacensis Comes, & Iohannes eius F. hostilium partium fautores Ruscinonenses fines incurrere adoriuntur. Rex Raimundum Berengarium patruum Comitem Emporitanũ summæ Ruscinonensium rerum præfecit: Francisco Ceruia primario ex Catalanis proceribus viro gubernationis munus obeũ e: qui militares copias cogit: vt in eo tumultu obuiam hostili incursioni eat.

A. D. III. Id. Apr. nuptiæ Frederici Siciliæ Regis, & Constantiæ Aragoniæ Catanę regali apparatu celebrantur.

Iohanna Regina, & Ludouicus eius vir Artalli Alagonii Mistretensis Comitis virtute, & insigni animi præstantia terra, marique prope Catanam profligati, Messana egressi, desperatis Siciliensibus rebus, domum regrediuntur. Præter Messanam, & Liparim insulam, nihil ex tanto conatu illis fit reliqui, Claramontii desciscentes, vbi se desertos ab eis videre, quorum fiducia arma sumpserant, Frederico Regi adiungi, addicique student.

Rex Terrerium, satis magno comparato exercitu, vti affectę vires, opesque regni ferebant, cum hoste signa collaturus, contendit. Cum Cardinalis Bononiensis legatus summopere institisset, vt ab acerrima armorum contentione discederetur, Non. Mai. Calataiubium regreditur: quoad pacis, bellique liberum arbitrium esset.

Tractandis pacis condicionibus, fide indutiarum interposita, qui auctores paciscendæ amicitiæ fuerant, Bernardus Caprera, & Mendus Rudericius Biedma sequestribus, atque arbitris Petro S. Benigni Digunensis, & Iohanne Fiscampensi Abbatibus Apostolicis internuntiis congrediuntur. Pace interuentu legati facta, ab armis recedũt. In primis paciscuntur, vt Ferdinandus Regis frater, & omnes Castellani proceres, & eorum militares copiæ, quæ stipendia Aragonii Regis auspiciis merentur, spatio dierum IIX. Hiberum transeant: neue quisquam ex Castellanis proceribus ordines

NAT. CHR.

ducat. Arces, & Castella capta, vt restituantur, obsidesque dentur, pactis conuentis cauetur. Conuenerat ad hæc, vt Ferdinandus regnorum procuratione amoueretur. Pax ea a Rege Calataiubii A. D. II. Id. Mai sancitur: quã pridie eius diei hostis, cum apud Deciam maximo, & fortissimo comparato exercitu castra haberet, fidei religione stabiliuerat. Ex Aragonio regno se eas pacis, ac fœderum, conuentorumq; condiciones obseruaturi, præstaturiq; erant iurisiurandi sponsione Iohãnes Dux Gerundensis, Tarraconensis, & Cæsaraugustanus Archiepiscopi, Valentinus, Dertosanus, & Turiasonensis Episcopi, Petrus Exerica, Dianiensis, & Ausonensis Comites, Gilabertus Scintillias, Petrus Luna, & Bernardus Olzinellias: ac Tarraconensis, Cæsaraugustanæ, Valentinæ, Maioris Balearium, Turiasonensis, Calataiubiensis, Darocensis, Turolensis, & Setabinæ ciuitatum procuratores. At ex Castellæ regno ea se iurisiurandi fide obstringendi erant Carthaginiensis, Burgensis, Ouetensis, & Calagurritanus Episcopi. Ferdinandus Castrensis, Iohannes Põtius, Alfonsus Peresius Guzmanus, Henricus Henricius; Bertrandus Gueuara, Iohannes Alfonsus Benauidius, Mendus Rudericius Biedma, Egidius Buccanigra classis regiæ præfectus, Martinus Lupius, & Martinus Iohannius: ac ciuitates Burgẽsis, Toletana, Hispalensis, Cordubensis, Murtiensis, & Conchensis atq; oppidani Molinenses, Sorienses, Medinazelinenses, & Almazanenses. Ad hæc constituunt, vti Aragonius earum pactionum obsides tradat Ausonẽsem Comitem, & Petrum Lunam: Castellanus vero Ferdinandũ Castrẽsem, & Martinum Egidium Alburquerquium Iohannis Alfonsi Alburquerquii F. qui Nauarræ Regis, aut Ludouici eius fratris custodiæ committendi erant, ea condicione constituta, vt obsides eius Principis, qui intra quattuor menses pactis conuentis non stetisset, aduersario Regi nexui traderentur: & in eos vitæ, ac necis potestate vteretur. Arces præterea tamquam obsides eorum fœderum à Rege Aragonio tradendæ erant Ferizensis, Verdegiensis, & Alhamensis & à Castellano Rege Deciesis, Alcazarensis, & Ciguelensis. Nominatim ab ea pace excipiuntur qui à Castellę Rege defecerãt, & in Aragoniam emigrauerant, & Ferdinandi: & Henrici partes prosecuti fuerant Petrus & Gomecius Carilii, Petr9 Lupius Padillia, Suggerius Peresi9 Quinionis, Didacus Peresius Sarmentus, Spongalus Gonzaluus Gonzaluius, Luzius, Garcias Lassus Carillius, Aluarus Peresius Guzmanus & Petrus Rudericius Saudoual.

Bononiensis Legatus latam à Castellæ Rege sententiam, qua Ferdinandum Regis fratrem, Henricum Trastamarensem comitem Petrum & Gomecium Carillios proceresque alios regni Castellę maiestatis condemnauerat, rescindit: in pristinamque condicionem, & statum restituit: quod indicium adeo Castellanum afflixit, vt quasi repentina aliqua vis atque tempestas perculisset, pauculis intermissis diebus horribilis armorum fremitus repentino sit exauditus: maximæque ex eo bello vtrinque calamitates sint acceptæ.

Pace superiore anno inter Eduardum Anglorum & Iohannem Francorum Reges composita cum exercitus dimitterentur ad XXV M. numero, vt hominum fama erat fusi per oppida ac dispersi Malandrinorum nomẽ in vulgus retinuerant, passim tota Gallia vagantur maximasque prædas faciunt: & oppida hostiliter irrumpunt. Cum bona eorum pars in Ruscinonensem tractum inuasisset Rex Barcinone D. XI. K. Sept. Gerundam contendit: eas prædonum manus bello finibus euersurus Gerunda signis promotis egresso nec dum transcenso Pyrenæi saltum hostiles copiæ in Galliam repelluntur. Bernardin9 Caprera Comes Ansonẽsis, Dalmatius, Rocabertinius vicecomes, Gilabertus Cruillias, & Bernardus Palous res repetitum in Castellã legantur. Conuenerat enim vt arces Villelia & Iumalliensis, quarum altera Aragonii Valentini, altera regni finib. continebantur, nostris traderentur, obita præterea legatio ea est vt iurisiurãdi Antistitũ & procerum stipulationibus scribendis adessent. Rege vero Castellæ cunctante tergiuersante & conquerente quod Rex pactis cõuentis non stetisset, quod ante prẹfinitum IIX. dierum spatium Ferdinandus Hiberum amnem non transisset quamuis Cæsaraugustæ grauiter ægrotare cæpisset, & Hiberum & Cingam traiicit: & Fragam dicionis suæ oppidum emigrat, eumque Rex vt regnorum procuratione abstraheretur cõmonuerat. Nec tamen his constitutis arces, quæ à rege Castellæ veluti eorum conuentorum obsides tradendæ erant, deduntur, cum Rex suas Iohanni Reminco Arelliano tradi imperasset. In tam ancipiti & incerto rerum exitu Bernardus Caprera Decembri mense de tradenda in matrimonium Castellæ Regi quod pacto conuenerat Iohanna Regis filia in Castellã legatur. Rex Barcinone festũ Natiuitatis Domini diẽ concelebrat.

1362. Cum opera daretur vt firma & perpetua amicitia Reges adiungerentur, ac de matrimonio

trimonio Iohãnæ Regi Castellæ collocãdæ & de Alfonsi, Regis Castellæ & Mariæ Padilliæ filii & Leonoræ Regis filię sponsalibus condiciones ferrentur, vt beneficiis parta gratia pax perpetuo obtineretur contra religionem iurisiurandi bellum subitum atque improuisum non nascitur aut sensim infertur, sed repente exardescit atque erũpit: Rege Castellæ præpotenti exercitu fines inuadente: & pactiones omnes bellicas & hostiles interuertente ac perturbante.

Petrus Exerica regia cognatione & insigni virtutis laude vir præstantissimus cum bello sacro aduersus Granatenses Mauros expeditionẽ adornaret, vt Castellæ regis honori inseruiret, ad castrum Graciæ Munionis id oppido nomen est, vita perfungitur, & in sacello regio Ecclesię Cordubensis post Alfonsum Regẽ se humari iubet. Exericæ illustris gloria magnorum in patriam meritorum constanti fama peruagata est. Sanctiũ & Iohannem Alfonsum atque Henricum filios ex iniusto connubio reliquit. Ex eo Exericarum regia familia deficere cœpit.

Mai. K. Iacobus Balearici Regis F. qui custodia durissima septus in arce noua Barcinonensi continebatur, cum ferrea cauea noctu includeretur, adulterinis clauibus castra refringens excubiis necatis & Nicolao Rouira arcis præfecto iugulato, è vinculis emittitur. Adeo opportune id effectum est facinus: vt non libertatem modo consequatur, sed ex vinculis & ipso pæne tormentorum aspectu, ad opulentum, & magnum regnum capessendum excitatus videatur: cum illis ipsis diebus, A. D. VII. K. Iun. Ludouico Neapoli fato perfuncto eius regni possessio vertente anno Balearico offertur Iohanna Regina in matrimonium ducta: si insigni leuitate fœminæ, & impudenti audacia coercita viris parere didicisset.

Quod hostis suo maxime tẽpore, & nostris alieno adoritur bellum, & omnia opportuna loca præoccupata ante ab eo fuerant, quam nostri obuiam procedere possent, Castellæ, & Nauarræ Reges, Aragonio in vltimis Ruscinonis finibus externo bello implicito, & pacis fœderibus deuincto, repentinum bellum inferunt. Nauarrus Sosium oppidum confine castrorum obsidione oppugnat. Fariza, Atteca, Terrerium, Mori, Cetina, Bilbilitanorum Aquæ, cui oppido, è re, a Mauris Alhamæ nomen est inditum: quod calidi in eo fontes scaturiant, vi a Castellæ Rege expugnantur. A. D. III. Id. Iun. Calataiubium nobile in primis oppidum castris circũsidet. In Perpinianensi arce A. D. VII. K. Iul. Mahometus Abenedrizius, & Incessus Abenabdalla Bohamonis Abdalla Tremezenii Regis legati pactionem, & Induciarum fœdera cum Rege in quinquennium ineunt. Scribendo fœderi adfuere Petrus Tarraconensis Archiepiscopus, Bernardus Caprera, Reimundus Alamanus Ceruilionius, Artallus Focius, & Franciscus Ceruia. Qui in Mercerianis nauibus, in Mauritaniæ litis delatis intercepti fuerant, & in Algarbiorum ergastulis continentur, liberantur. Quod equorum summa esset inopia, qui pacis tempore, & Contestanis Alcaraciorum saltubus, & Turdetanis Bæticæ regionibus ad nostros importabantur, neq; eorum commercium esset, aut educendi potestas fieret, mille equi in vsus bellicos ex Maurisiis aduehuntur.

Calataiubium fossa, ac vallo septum, castris circumsessum summa vi hostes oppugnant; & mœnia ipsa adoriuntur: vineis, aliisque operibus percellunt. Nostri stratis ariete muris, summis obsidionis periculis deturbantur. Tantæ enim hostium copiæ conuenerant, vt XII. M. equitum, & XXX. peditum constiterint: cum hostis ad murum castra posuisset. Guilielmus Domirius Prætor vrbanus, ex primariis ciuibus, ne patriæ superesset, se ipsum deuouens, & in armatas hostium copias immittens, inter intenta tela fortiter dimicans occumbit. Sunt, qui ferant, cum ex prouocatione cum hoste supra fontem confligeret, vna in flumen demersos. A. D. IV. Id. Iul. Regi Filius nascitur Perpiniani: cui Alfonsi nomen est inditum.

Bernardinus Caprera Ausonensis Comes, Petrus Luna, & Artallus eius frater, Gutterius Diacius Sandoual, & Raimundus, & Vitalis Blanii fratres cum Calataiubiensibus obsessis, quocumq; capitis periculo subuenire, quod prætore, duce, & imperatore ciues carerent, & furtim in vrbem euadere nituntur, ad oppidum Miedesium à Rege Castellæ interclusi. A. D. XVI. K. Sept. hosti deduntur. Nam cum arcem, in quam confugerant, oppugnare Rex esset adortus in deditionem cogit. Miedesii Guilielmo Estorio duce singulari virtute repugnante hostili furori obsistunt: quoad pactis indutiis, Estorio internuntio regio iussu oppidum dedunt: & Barocam fide publica emigrant.

A. D. IV. K. Sept. cum essent depactæ cum hoste à Calataiubiensibus XL. dierum induciæ, & rerum desperatio omnium animos occupauisset, neque subsidii spes reliqua esset, quod crebris prœliis, quibus mœnia tutabantur, & opera hostium impediebant, ac munere quodam necessitatis, & graui opere essent perfuncti: Rege con-

NAT. CHR.

scio & assentiente, ostium hosti. Regi ea condicione dedunt; vt iura municipalia pristinamque libertatem retineant. Omnis ea regio hosti paret.

Rex cum Mahomate Granatensi, & Mahomate Abdurrahamenis filio Fecensi, & Algarbiensi Regibus concordiæ fœdera sancit.

Conuentus Montionem in A. D. IIX. Id. Nouemb. à Rege indicitur: quod ex acri, & vicino bello maius, & crudelius exoriretur: Anglicis & Aquitanicis auxiliis ab hoste arcessitis: eo enim subsidio se aduersus Francum Regem inimicum, Blanca vxore Francorum Regis fratris filia crudeli morte interempta, muniri sperat.

1363. A. D. V. K. Feb. Rex Iohannem primigenium F. dominationis omnium regnorum, & ditionem regiarum vicarium constituit: ac lege eum liberat: nam ætas eius muneris obeundi legitima non erat: quod XIII. annum ageret: & iuris dictionem eam absoluit.

Februario ineunte Rex Turolio, Monregali, & illius ditionis oppidis, atque confiniis Petrum Vrgellitanum Comitem fratris F. militaribus copiis, atque præsidiis præficit: Darocensibus vero Petrum Municium Gothoium Calatrauensis militiæ Magistrum: qui se totum Trastamarensi addixerat. Cubellum, Abantum, Fontes Silorenses, Monterdum, Pardi, Sometum, & Nueuali, & eorum oppidorum arces, & castella muniuntur. Darocensium rerum gubernationi à Rege præficiuntur Petrus Gilbertus Brunus, Petrus Martinius Turrianus, Egidius Garlon, Sanctius Manies, Lupus, Atienza & Iohannes Simenius Algarada Carinienensib. satis magno equitatu in præsidio collocato Ludouicus Cornelius præfuit. Hostis anni huius initio ex Bætica festinãter magno comparato exercitu Calataiubium contenderat: & cum militares copiæ ad Aragoniam aduentare dicerẽtur; eius exercitus pars Sometiamarcem obsidet: & quod polliciti essent qui eius propugnationi impositi fuerant, se Regi Castellæ in deditionem redacturos nisi intra aliquot dierum spatium subuentum foret, pactis induciis Municius Gothoius & Petrus Gilabertus Brunus Darocensis arcis præfectus incredibili celeritate & præstanti virtute opem & salutem obsessis intulere: & obsidione liberantur Fontani. Silocenses strenue operam nauantes oppidum & castellorum receptacula ab expugnationibus tuentur summis viribus tanti belli discrimen aditurus, quo maiore animo capesseret bellum, vndique copias contrahit.

Cum Magalionis oppidi propugnationi præfecti fuissent præstantes inprimis Andreas Fenoletius Cametẽsis & Insulẽsis vice comes & Aimericus Scintillias, oppidũ hosti deditur: & in eius potestatẽ duces tradũtur. Borgianis itidẽ oppressis iam & ab omnibus desperatis oppidum hosti deditur: & Beringarius Carrozius & Petrus Simenius Samperius, qui equitatus pręsidio id oppidum firmauerãt, in hostis quoque potestatem veniunt. Turiaso denuo in victoris manus recidit, tãtoq; violẽtiæ præpotẽtis impetu nostrorum vires opprimuntur Rege tot incommodis conflictatoq;, vt inexpugnabilia castella arcesq; omnes aut dedantur aut complanentur.

Iohannes Ferdinandius Heredia & Franciscus Periliosius Regis legati Villanouæ Auenionensi vico vrbano V. in demortui Innocentii locũ suffecto Aprilis mensis initiõ in pacis fœdera cum Franciæ & Nauarræ Regib. conueniunt. Francus contentionem eam quæ cum Nauarro de Burgundiæ successionis iure vertitur, ad Regis arbitrium reuocat. Horum legatorum opera magna Gallicarum copiarum pars, quæ confectis stipendiis in Gallia tumultuabantur, ad Regis stipendia perlicitur.

Henricus Trastamarensis ingentes copias ex Gallia in expeditionem aduersus fratrem educens A. D. VI. K. Apr. Montionem ingreditur. Eius aduentu, facta commutatione rerum admirabili & prope incredibili confidentia regnum appetens, Rege fratre præpotenti & rebus feliciter gestis victore & rerum potiẽte, & Ferdinando iusto ac legitimo regni hærede in ætatis flore proceres pæne omnes Castellæ in suas partes omni cautione & fœdere deuinciente, Regis fidem in eam diem & stipendia secutus A. D. II. K. Apr. cum Rege transigit: suadetque, vt se regali solio deturbantem fratrem regnumq; occupantem, atq; inuadentem iuuet, tueatur atque conseruet. Spondet sextã omnium vrbium, ditionum, atque oppidorum partem, quæ bello vindicentur Regi addicturum traditurumque: quæ Regis arbitrio Aragonio regno contribuantur. Ex quo ea pactio inita fuit, qua tantum dedecus est admissum, fratres fratrib. perniciẽ exitiumq; moliũtur.

Buretæ Aragoniæ oppido cũ procerũ suorũ conuentũ in eum locum Castellæ Rex indixisset, aliquot ciuitatũ defectione maxime permotus Beatricẽ, Cõstantiã, & Isabellã ex Maria Padillia filias regni hæredes pronuntiat: quod Alfonsus F. fato esset perfunctus. Darocæ confiniis atrox, cruentumq; bellum infert: & in Valentinum regnum maiorem

maiorem belli molem transfert. Vaguenæ castellum vi expugnat: in cuius arcis propugnatione Michaël Barnabas præfectus fortissime dimicans, ne arcem dedat, crudelissima morte turpitudini anteposita, flammarum incendio viuus comburitur. Ob id facinus à Rege ordinum frequentia communi consensu deposcente Michaëli Barnabæ filio puero, pueri sororibus & eius posteris, non modo viris, sed & feminis, agnatis, atq; gentilibus ingenuitatis ornamenta sunt constituta. Cum fines regni ad Carinienam vsque, & Epilam hostis non modo peruasisset, sed vindicasset, vrbes, oppidaq; muniuntur capta: & arcibus præsidia imponuntur. NAT. CHR.

A. D. XVI. K. Mai hostis Carinienam, Care oppidum vetustis sæculis nuncupatum, obsidione premit: atque vi expugnat. Crudeliter in victos exardescens, excruciatos necari imperat: suppliciaq; morte miseriora constituens pedes, manus, atque nares plerisque abscinduntur.

Cum Cariniena in intima regni regione obsideretur, adductaque esset publica res in summum discrimen, & inexpiabile bellum cum immani, ac præpotenti Rege sibi susceptum Rex videret, in vnius prœlii exitu victoriam terminari destinauerat, quippe externa auxilia operiri, & trahere bellum, exitiosum omnibus videri: & in populos perquam graue. Sed à temerario consilio deterretur: quod Ferdinandus, & Henricus Castellanarum copiarum, quas suis stipendiis adiunxerat, ductores, grauioribus inimicitiis susceptis exagitati, adeo inter se dissident, vt Rex magnopere vereretur, ne armis decernerent. Maior earum copiarum Castellanarum pars, quæ Henrici ductu militant, ab eo deficiēs Ferdinando, quem iam vti Regem suscipiunt, atque obseruant, se adiungit.

Afflictis, ac pæne euersis calamitate regiis viribus, in tanto impetu, cursuque rerum, omnis ferme nobilitas, atque iuuentus ex Catalonia excitur. Præclara opera, atque omni laude digna commonet, vt insignium virorum nomina recenseantur: qui pæne occidenti regno opem tulerant: hi enim fuisse comperiuntur: Raimundus Berengarius Regis patruus Emporitanus Comes, & Iohannes Emporitanus eius F. Iohannes Comes Pratensis Regis cōsobrinus, Raimundus Rogerius Comes Palliariensis, Hugo Cardonensis, Rogerius Bernardus Fuxensis Castelboni, Dalmatius Roccabertinius, Petrus Villamurensis, & Bernardus Sous Ebolensis Vicecomites, Gasto Moncada, & Guilielmus Raimundus Moncada, Raimundus Ribellias, Berengarius Apilia, Berengarius Cruillas, Arnaldus Erilius, Petrus Galcerandus Pinosius, Guilielmus Raimundus Ceruilionius, Guilielmus Galcerandus Roccabertinius, qui Caprencii dominabatur, Raimundus Arnaldus Bellera, Raimundus Anglesola Berengarii Anglesolæ F. Berengarius Castellinoui, Sicartus Lordatius, Huguetus Sanctapacius, Franciscus Ceruia, Iaspertus Castelletius, Pontius Caramanius, Gilabertus Cruillias, Petrus Melanius, Berengarius, & Petrus Cardonæ, Dalmatius Murius, & Acartus Talarnus: omnes ex procerum familiis orti. At ex reliqua nobilitate hi memorantur: Raimundus Alamanus Vrriolius, Petrus Raimundus Coponius, Guilielmus Palafogius Berengarii Palafogii F. & filius Berēgarii Castellaulinii, Guilielmus Barbara, Iacobus Cornelianus, Bernardus Gerardus Boxadosius, Bartholomæus Villafranca, Bernardus Senesterra, Gaufredus Castelaulinius, Petrus Casteluinius, Berengarius Besora, Guilielmus Crexelius, Guilielmus Montoliuius, Berengarius Vlmius, Franciscus Viues, Bartholomæus Falchius, Galcerandus Villarixius, Bernardus Sortius, Guilielmus Togores, Gerardus Vlugia, Iohannes Berengarius Ragiadelius, Raimundus Peguera, Iacobus Marchius, Bernardus Tagamanentius, Pontius Lupianus, Petrus Mōtornesius, & Guilielmus Zacirera. Cum Rex, vt labantibus rebus subueniat, L. M. florenorum Fuxensi Comiti expendi imperasset, vt externis auxilis stipendia persoluantur, Fuxensis Armeniacensi bellum inferens Hispanam expeditionem omittit: cum in eam rem se, suamque fidem interposuisset.

Quando pares nostrorum copiæ non essent, quæ signis collatis dimicarent, vnum hosti superest belli genus vrbium expugnandarum. Turolium, Segorbium, & Moruiedrum nobilia, & valida in primis oppida in fœdam, & ignominiosam deditionem coguntur: cum obsidione liberari non possent.

A. D. XII. K. Iun. Valentia ab hoste summa vi tamquam ipsum rerum caput, obsideri cœpta. Hostis primo ad Zaidiense cœnobium, inde ad arcem regiam prope vrbis muros castra metatur. Vrbis opulentissimæ, & pulcherrimæ propugnationi Alfonsus Dianii, & Ripacurciæ Comes, Regis frater patruelis præficitur: qui potentissimo Regi, & maximo, & fortissimo exercitui oppositus, hostium conatus omnes, & acerrimos impetus, insigni animi virtute, & robore propellit: & exsultantis hostis audaciam contundit.

NAT. CHR.

Ad D. Matthæi fanum Ilergaonum oppidum Rex copias omnes recenſens aduerſus hoſtem exercitum ducit: qui Valentina obſidione relicta, ne ſignis collatis dimicet, ſuis diffiſus, Moruiedrum, tamquam munitiſſimam arcem ſe recipit.

A.D.II.Id.Iun. iuxta Moruiedrum regia caſtra in conſpectum hoſtibus data. Explicatis in Nulenſi campo aciebus, Rex prope Loſæ fontem intento, atq; infeſto exercitu, in ſpem victoriæ deductus hoſtem prœlio laceſſit. Cum ſe murorum, munimentorumque propugnaculis contineret, noſtri in Burrianenſia plana regrediuntur.

Cum Rex in Burrianenſibus campis caſtra metatus eſſet, & tentandas ſibi hoſtis vires prœlio, atque vlterius procedendum conſtituiſſet, Fiſcam penſis Abbas Apoſtolicus nuntius nimia perſeuerantia inſtat: debere Regem ſuarum virium rationem inire: & iracundiæ acerbitatem deponere: ac pertinaciæ finem facere: neq; amplius tot iacturis, atque incommodis acceptis fortunam periclitari. Demum Ludouici Nauarræ Regis fratris interuentu, qui in Caſtellæ comitatu aderat, Regem ad ſpem concordiæ deducit. Reges enim ipſi, quia traheretur diutius ſpe ipſorum bellum, à finienda tam difficili, ac terribili armorum conflictione, & concurſu non abhorrent. Nec recuſandam pacem Rex ſtatuit: nec committendum, vt in diſcrimen tanti caſus ſe, regnumq; obiiciat. Alfonſus Dianienſis Comes, Bernardus Caprera, Raimundus Alamanus Ceruilionius, & Berengarius Paus ad Regem Caſtellæ Moruiedrum legati de compoſitione A.D.VI. Non.Iul. mittuntur. Cum tractandis condicionibus vtrimque conueniſſent, in eam pactionem deuentum eſt. Vrbes, oppidaque Aragoniæ omnia, atque arces, quæ ab hoſte bello expugnata, aut dedita fuerant, dotis nomine Iohannæ regis F. addicantur: quam Caſtellæ Rex vxorem ducet. Iſabella Caſtellæ Regis F. Alfonſo Regis F. nubet: & vrbes, arces, atq; oppida Valentino in regno capta, deditave dotalia accipiet. Vt pacta conuenta à Regibus confirmentur indutiæ in A.D.XIII.K.Sept. ſunt pactæ: quibus condicionibus Rex magnam indignitatis iacturam, atq; honoris ſe facturum animaduertit. Neq; dubium fuit, ea fœdera per ſummum dedecus, atq; ignominiam fuiſſe ſancita: nam poſtea palam hoſtis teſtatus eſt, ea ſe illico diremiſſe: quod ſacramento Caprera obſtrictus eſſet, Regem Aragonium operam daturum, vti Ferdinandus, & Henricus trucidarentur: & pactis non ſtaretur.

A.D.XVII.K.Aug. Rex Iohannem F. cum XIII. annum ageret vniuerſæ gubernationi regnorum præficit: cum antea vicariæ poteſtatis partes tradidiſſet. Satis conſtat ſiue Ducis, ſiue Vicarii, ſiue gubernatoris munere fungeretur, iuriſdictionem ab eo fuiſſe abſolutam.

Iulio menſe Catanæ è vita excedit Conſtantia Regina: Maria vnica filia relicta.

Rege Caſtellionem Burrianenſis agri Caſtris metatis regreſſo, & Ferdinando fratre, ob pacta fœdera, copiis omnibus militaribus, quæ illius ſignis merebant, in Galliam proficiſci nitente, Henrici eius inimici fraude, atq; fallaciis facinus iam diu præmeditantis, Caſtellionem ad prandium inuitato, cum ab immiti fratre conuiuio exceptus eſſet, & attineri eum imperaſſet, ne Caſtellanis copiis deſtitutus, hoſtis furori, poteſtatiq; obiiceretur, neq; ſibi vim magni animi princeps inferri ſineret, fratris Regis imperio obtruncatur. Inſigni Henrici confidentia, quem inimicum infeſtum Ferdinando palam omnes cognouerant, id flagitium patratum fuit: qui Rege conſcio, & adminiſtro Caſtellanum regnum viuente Ferdinando legitimo herede appetierat.

Dertoſæ A.D.XIII.K.Aug. Rex Berengarium Carrozium & virtute, & generis nobilitate præſtantem comitatus Quirrenſis titulo, atq; inſignibus donat. Is ab ineunte adoleſcentia Sardo, & Sicilienſi, & mox Caſtellano bello mirabilia facinora ediderat. Petro Lupeſio Bolea ductore militares copiæ in Sardiniam tranſmittuntur: qui egregiam itidem operam in Sardois, & Genuenſibus expeditionibus Imperatoribus nauauerat.

Caſtellæ Rex hoſtis nimis ferus, & immanis condiciones, pactionesq; omnes Moruiedri initas, atq; conuentas periurio perturbat, violatq;: & princeps inferendi belli nefarium, & omni odio imbutum bellum redintegrat. Semper eo in ſtatu res erant, vt longe ſuperiores hoſtes haberentur.

Carolus Nauarræ Rex fecerat potius cur Regi ſuſpectus eſſet, quam ſatis ſtatuerat, vtram foueret partem: conſilioque magis, & perfidia, quam impetu his, aut illis ſe adiuncturus videbatur. Eum omni ratione Rex ad ſe perlicere ſtudet: apud quem honeſtate vtilitas ſemper erat antiquior: prætenta per dolum amicitiæ fide. A.D.IIX.K.Sept. Vncaſtelli oppidi arce, ad concordiæ colloquium peruenientes, interuentu Henrici Traſtamarenſis fœderum vinculis ſe mutuo aſtringunt: ſeorſimq; deuincientes Caſtellæ regna ſecreto inter ſe partiuntur. Ad turpem præterea, & infamem, atque iniquam pactionem deuen-

NAT. CHR.

deuentum est: Rege pollicente, se vrbem Iaccam, & Iaccetanam conuallem, quam Canalem vocant, Sosium, Vncastellum, Exeam, & Thermas oppida, & CC.M. nummorum florenorum Nauarro condonaturum, si Castellæ Rex interemptus, aut captiuus sibi traderetur. Castellæ quoque Rex simili odio incitatus, atq; incensus recipit, se bello parta Regi traditurum, si Trastamarensi nex afferretur: anti hostiles inimicitias susceptas æstimant. Eo ipso tempore Ludouicus Regis Nauarræ frater, cum Aragonenses fines hostiliter incurreret, sciens, ac prudens in Alfonsi Ripacurciensis Comitis potestatem defertur captiuus.

Castellani Castelfauibiam arcem vi expugnant.

Henricum Trastamarensem, insidias sibi à Rege paratas, mortemq; imminere existimantem, simulantem ve, quod Rex, vt belli damna redimat, hosti eius exitium pollicitus esse traderetur, omni cautione, fœdere, atque execratione eum vt deuinciat, summopere curat. A.D.II.Non.Oct. Castellione, ad Cingæ fluminis ripas congressi, Rex vt omni metu liberet, Henrico Alfonsum F. obsidem tradit. Petrus Clasquerinus Archiepiscopus Tarraconensis Regem iurisiurandi religione obstringit, liberos Comitis Ausonensis, Bernardi Capreræ nepotes, cum quo Henricus immortales inimicitias susceperat, & regiorum amicorum & intimorum consiliariorum filios Raimundi Alamani Ceruilioni, Francisci Periliosii Petri Iordanis Vrriesii regiæ domus præfecti, Iordanis Peresii Vriesii Aragoniæ gubernatoris, & Lupi Gurreę earum quoque pactionum obsides traditurum. At contra Henricus Iohannem F. & Rudericum Municium Gonzalui Messiæ consobrinum, & natu maiores liberos Iohannis Gonzalui Bastani, Suggerii Peresii Quinionii, Gonzalui Gonzaluii Luzii, Gomezii Carilii, Ruderici Gonzaluii Transmerensis, & Gonzalui Messiæ Pontani, & Iohannis Ferdinandii Grigialuæ fratrem, & Petri Ferdinandii Velasci, & Petri Gonzalui Carilii filias Iohanni Ramirio Arelliano, aut Iohanni Martinio Lunæ se obsides traditurum pollicetur. Ea omnia secreto perniciose, & pestifere in vnius Bernardi Capreræ exitium à Rege, & Henrico sanciuntur: & inde multo grauius de integro, & atrocius bellum exarsit.

Decembri mense Castellæ Rex, cùm tot bellorum faustis successibus, maximis semper auctibus efferretur, Alicātum, Illicim, Creuillenium, & eius arces vi expugnat. Mola, Callosa, Monfortium, Dianium, Gallinaria, Rebolletum, Gandia, Oliua, aliaq; castella initis conditionibus deduntur. Saxonæ dolo potitur: & Valentiam denuo castris circumsidet. Bellum atrox, & exitiosum vtrimque ingenti rerum commotione suscipitur.

Rex Ilerdæ Natiuitatis Domini festum diem concelebrat. 1364.

Ludouicus Regis Nauarræ frater, & Iohannes Honacurcius Montione Regem conueniunt: & legationem de pactionum fœderibus cum Nauarro ictis, sanciendis, atque confirmandis obeunt. Sarinienæ transigunt, vti Reges denuo ad colloquium congrediantur: & sacro Epiphaniæ Domini die Bernardus Caprera summæ pactorum omnium constituendæ, & loci congressus, & colloquii assignandi causa ad Nauarrum legatur.

Cum regii auxilii aduentu, & Rege ipso imperatore Valentinæ res egerent, neque in præsentia rem, non inclinatam modo, sed pæne desperatam obsessi sustinerent, quandiu Rex ad exitiosa colloquia cum Nauarro congreditur, Iohannem F. quem summæ rerum XIV. annos natum præfecerat, præmittit: comitesq; illi adiungit Petrum patruum, qui instituta sacra D. Francisci professus, se religioni addixerat: & Petrum Vrgellitanum Comitem fratris F. & Cardonensem Vicecomitem: quibus summa imperii, bellique administrandi permissa est: consilii vero principes, bellicæ laudis præstantes viros Catalanos delegat: Berengarium Apiliam, Bernardum Scum, Guilielmum Guimeranum, & Thomam Marzanum: quorum consiliis adeo Rex innititur, vt nihil geri imperet, nisi quod tribus, aut duobus ex IV. viris placeret: modo Marzanus vnus eorum assentiatur. Adeo Marzani consilia in ea rerum confusione, tanquam clarissimum lumen, omnibus anteferuntur.

A.D.VII.K.Mart. Aragoniæ, & Nauarræ Reges dum inter se captantes fraude, & auaritia certant, occulta colloquia expetunt, & legationes infames commeant, Sanguessę congrediuntur: & post biduum Sosium ineunt: quo in loco K.Mart. pacta inter eos conuenta denuo firmantur Rex Martinum F. eorum conuentorum obsidem se traditurum pollicetur: & vt artior ea colligatio esset, non propinqui modo, cognatiq; regii, sed maior procerum pars sacramenti religione, ad ea fœdera conseruanda deuincitur.

Mortuo ad Londinum vrbem Iohanne Francorū Rege, & Carolo eius filio Normanniæ Duce, & Viennēsi Delphino ad regni gubernacula adscito Rex Franciscū Periliosiū,

NAT. CHR.

& Francisium Romanum pro Cancellario ad Carolum legatos mittit: veterum pactionum, & fœderum sanciendorum, & confirmandorum causa. Hi Iohanni Ferdinandio Herediæ Hierosolymitani ordinis in Aragonia præfecto adiuncti Tolosæ A.D. VII. Idus Martias, cum Ludouico Andegauensi Duce, Regis fratre, & Marescallo Audenensi, Petro Dauoirio Cancellario regio, Petro Statisse, & Iohanne Hospitali quęstoribus regiis, & vetusta fœdera confirmant: & noua aduersus Nauarræ Regem icunt: Ludouico recipiente, atque obtestante, se Nauarræ regnum inuasurum, & Regi attributurum: eoque ipso temporis momento & Francus, & Nauarrus concordiæ fœdere deuinciuntur: & Rex se ad Nauarri amicitiam applicat: omnium fœderum, & pactionum fide contempta.

Dominicus Cerdanus Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Regina Aragoniæ, Nauarræ Rex, & Henricus Trastamarensis Alfonsi Ripacurciensis Comitis, Berengarii Apiliæ, & Iohannis Ramirii Arelliani interuentu scelesti, & nefarii facinoris consilia in Capreræ falsis criminationibus insimulati exitium ineunt: quod Almudefari à Regibus sacro passionis Domini die, conspirante eorum consensu conflatur: Caprera in proditionis crimen vocato. Cum veritati, & innocentiæ nusquam perfugium esset, & vndiq; circumuentus, & exitii certus acerbam temporis procellam coitione inimicorum, & inuidia falsi criminis oppressus insidias subterfugere niteretur: Rex sæuus, immitis ira, atq; impotentia præceps elabi conantem intercipi iubet: Nauarro Rege adminiſtro, cuius imperio, in Noualesium castellum includitur: cum ad Nauarrum vicinum Regem, quasi fidissimum subsidium, perfugisset: & paulo post Cæsaraugustam retrahitur: vir omni decore, & laude ornatus, & nullius ante flagitii compertus.

Aprili mense exacto, ingentes Gallorum copiæ militares, quæ tumultuosa emeritorum stipendiorum licentia, & temerario impetu, tota se Gallia effuderant, in Confluentis Cæretanæ regionis confinia, ad ipsa Pyrenæi iuga procedunt: quarum incursatione Castellæ, Aragoniæ, & Nauarræ Regibus magna bellici tumultus trepidatio incutitur: sollicite respectantibus populis quanta à veterano, & extero milite impendeat tempestas: siue hostis is sit, siue hospes.

In tanta temporis atrocitate tot, tantisq; difficultatibus afflicta, ac pæne enecta republica, & præpotenti hoste totius ferme prouinciæ cis Hiberum, & Valentini regni potiente, neq; Rege modo, sed ciuitatibus rebus omnibus exhaustis, & hominibus exinanitis, quanquā Vrbanus, ex quo in pontificatum euectus fuerat summa in Regē benignitate vsus fuisset, & beneficia omnia ecclesiastica Cardinalium, & aliorum morte vacantium indigenis elargitus esset, decumasq; eorum in aliquot annos Regi contulisset, manus in vectigalia, ac fructus omnes sacros Cardinalium, & absentium Pontifice Maximo inscio & obsistente, edictis publicis propositis iniecit. Cum de ea re, ad senatum summus Pontifex retulisset, censent, Regem imprecationum, & interdictorum pœna coercendum: & Sardiniæ regno, Arborensi Iudice Rege constituto, multandum. Earum pœnarum, quæ proponuntur, terrore commotus Rex Petrum patruum, & rerum gestarum decore, & religione & prouecta ætate venerandum, & Gasparem Treguram iuris & publici, & pontificii scientissimum oratores deprecandi causa, datis mandatis, per quæ Pontificem lenirent, ad summum Pontificem delegat. Cum excusatione peruulgata vterentur, Regem inuitum, ad ea subsidiorum remedia, grauissimorum virorum, & doctrina præstantium consilio descendisse, qui extremæ necessitati, qua res premebantur, & funditus pessum ibant, parendum, & consulendum decreuissent, eoque rerum conflictu, cum aræ, & foci, & penates ipsi hostili furori subiicerentur, licere non vectigalia modo ecclesiastica, sed aurum, & argentum omne sacrum, ex sanctioribus ærariis, & dona præterea fanis, atque delubrorum sacrariis propter religionem dicata, auferre: dum in necessarios propugnationum vsus conuertantur: quibus & sacri, & profani ordines, reipublicæ tuendæ causa æque astringuntur: modo Ecclesiis cautum sit, vti in certum tempus ablata reponantur: Pontifex de consilii sentētia amplius pronuntiat: & iudicium in posterum differt. Verum quod sedes Apostolica exsecuta ad extremum non est, id Arborensis Iudex suapte perfidia adnititur: vti Regem Sardinię regno vi atq; impressione euertat. Tum in ore vulgi, & in communi prouerbio dictum antea versatum, sæpissime à nostris hominibus vsurpatur: Regi, quantumuis pręstanti, atq; præpotenti satis, superque haberi: si vnicum tantum bellum gerat.

A.D.V.K. Mai Rex cum tanta se belli mole vrgueri videt, & Henricum Trastamarensem, & Henrici copias, infami capitis Caprerę pactione, & obsidibus traditis, suis adiunxisset,

iunxisset, Burrianensibus campis castra promouens III. M. equitum, & iusto exercitu co- NAT.
actis, hosti obuiam procedit: signa postero die conserturus. Hostis, cum totius oræ ma- CHR.
ritimæ potiretur, & miseras ciuitates euerteret, Ilergaonum regionem, qui ad Hiberum amnem se effundunt, & Dertosam vrbem eius regionis arcem irrumpere conatus, inter Valentinum Gradum, & vrbem Valentiam consederat: vt maritimis commeatibus interclusis, desperatisque auxiliis, Valentini in deditionem redigerentur. Petrus Boilius vrbis præfectus, cum ciuitas in opere, ac labore assiduo reficiendorum propugnaculorum teneretur, cunctis in partes muneris sui benigne operam pollicentibus, & senioribus, qui per ætatem, ac valetudinem sufficere poterant, per se munus vigiliarum obeuntibus, cum vrbi præesset, armata iuuentute, dispositisque præsidiis, singulari virtute, tuta omnia atq; tranquilla, in tanta bellici tumultus commotione facit: & insultantem hostium ferociam coërcet: cum annona Valentinis, in Aprilis tantum finem suppeteret.

Hostis repentino Regis aduentu, Valentinam obsidionem deserens Moruedriensi arce includitur. Postero die Rex insigni laude parta, & magno triumpho exsultans Valentiam vrbem iniit: cum pro explorato haberet, hostem prœlio non esse concertaturum.

Rex denuo castra deducit: vt prœlio cum hoste signis collatis dimicet. Cum ad D. Mariæ Podium castra fecisset, & Puteolano in agro biduo hostem, vt prœlium ineat, armis lacessit, Saguntina se hostis arce continet. Noster, postquam satis, diuq; aduersarium à se ad dimicandum prouocatum supersedere pugnæ animaduertit, copias reducit.

Interea hostilis classis, quæ XXIV. actuariis, & LVI. onerariis, & aliis minoribus nauibus constiterat, ad Moruedriensem Gradum adiuncta nostrorum commeatus intercludit. Cardonensis Vicecomes XII. actuariarum ductor Sucronem amnem classe subit: vt hostium incursus deuitet.

Castellæ Rex Moruedriensi Gradu nauim conscendens classe A. D. XIII. K. Iun. Sucronis ostium occupat: & III. depressis nauibus, fluminis fauces obstruit: actuariasq; scaphis annectens, & anchoris distinens aditus, atque incursus nostrorum propugnationi accurrentium impediens Cardonenses naues oppugnat. Cum riparum fluminis aggere magnis sagittariorum cohortibus dispositis hostium impetus reprimeretur, neque nostrorum nauibus detrimentum aliquod afferri posset, breui sæua tempestate coorta, cum in extremum discrimen hostilis classis deuenisset, hostis vniuersa classe in Moruedriensem Gradum reuehitur: & morbo conflictatus Turolium recedit. Tam duris, & impeditis regni temporibus, Maria Petri Portugalliæ Regis F. Ferdinandi Regis fratris vxor, quod Rege inuito, & repugnante ad patrem proficisci decreuerat, Oscæ continetur: & custodiæ Elfæ Gurreæ, & Theudæ ex Rigulis vxoris Petri Iordonanis Vrriesii maioris quæstoris matronarum optimatum committitur. Rex vt eius parentem ab amicitia Castellæ Regis reuocet, Cardonensem Vicecomitem, & Olsum Prochytam classe ad Lusitanum de nuptiis Iohannæ filiæ, & Ferdinandi Mariæ fratris collocandis delegat.

A. D. VII. K. Aug. Cæsaraugustæ, cum accusatio aceruo criminum in Caprerum congesta esset, proditionis insimulatum, & nullius flagitii conuictum, sed consilii suspectum, ex quo filium dolo hosti obsidem tradidisse arguebatur, Iohannes Regis F. in solio, ornatu regali sedens maiestatis, & nefariorum scelerum crimine, lata sententia, capitis condemnat. Summum supplicium, cum tormentorum cruciatu constituitur: Iohanne ipso iudicii præside, & in nutricium animaduertente: Præfectoque Iustitiæ Aragonum Dominico Cerdano libertatis custode, ac vindice assessore. Cæsaraugustæ, in ipso foro illuuie, & pedore obsitus, squalensque, vir exacta ætate, virtute, & consilio præstantissimus, atque nobilissimus, summa rerum gestarum gloria parta, capite obtruncatur. Caput eius Barcinonem ad Regem, Regis ipsius iussu defertur: qui eo patrato facinore, verum prouerbium effecit: Aragonio foro cautum, vsurpatumq; esse, vt pro magnis meritis, acceptisq; beneficiis, non præmia, sed supplicia rependantur. Commentariis regiis, quibus earum rerum memoriam Rex breuiter complexus est, res memorabilis traditur: cum imminens mors supplicii causa constituta à Berengario Apilia, & Iacobo Monelio pro Cancellario Capreræ denuntiaretur, & se maiestatis, & rei capitalis delato, indicta causa, non iudicium modo de factis, famaque sua fieri, sed capitis condemnari diceret, & postularet, vt sine inuidia, neque præiudicata causa, culpa plecteretur, Apiliam respondisse: vera ea, atq; testata esse. Sed illius facti in mentem veniret: quod eum morem primo ab eo suasore, & impulsore introductum viderant: quando Iohannes Simenius Vrrea, qui Epilensi prœlio captus fuerat, ex Aragoniis proceribus vir primarius, & Raimundus Marquetius Barcinonensis ciuis, qui demersus regio iussu in mare fuit, quod Raimundum S. Vincen-

NAT. tij interemiſſet, indicta cauſa, capitis pœnas pependiſſent. Cæde Capreræ patrata, Regi
CHR. tali facinore incredibile odium execratione procerum omnium contrahitur. Hic exitus
viri militiæ, domiq; pręclariſſimi fuit. Magna ſine Rege ſtrenue, ac feliciter geſſerat: Rex
ſine illo nihil magnę rei opere, aut cõſilio aggredi auſus. Ita vir optimus, regiq; antea maxi-
me acceptus, & carus, cuius neq; cõſiliũ vmquã, neq; virtus fruſtra fuerat, à quibus mini-
me debuit, circumuentus, indigna principibus viris fraude interiit. Neq; Ferdinandi fra-
tris cędes maiorem Regi excitauit inuidiam. Ditiones omnes, ac bona Caprerę, quod Re-
gis furor omnibus eius fortunis immineret, publicãtur: & in regium fiſcũ conuertũntur.
A. D. III. Non. Aug. Iohannes Emporiarum Comes Raimundi Berengarii F. Regis
frater patruelis Blancam Frederici Regis Siciliæ ſororem in matrimonium ducit.
Caſtellæ Rex Caſtelfauibianam arcem irato, & percito animo obſidet: quod iterum
à ſe ciues defeciſſent: vt in iis regionibus vſu venit, in quibus acerbum, diuturnumque
bellum verſatur. Quod Rex tum Cæſarauguſtæ conuentui præſideret, & de republica
retuliſſet, contenderetq;, vt Iohannes F. regni gubernationi præficeretur, cauſam obti-
nere non potuit: quod filius quartum decimum annum non haberet. Vt conſentaneæ le-
ges eo in conuentu imponerentur, promulgarenturq;, & aliæ diſſoluerentur & abroga-
rẽtur XVI. viris munus delegatur. Quaterni ex ſingulis ordinib. deliguntur Lupus Ferdi-
nandius Luna Cæſarauguſtanus Antiſtes, Simon Epiſcopus Oſcenſis, Abbas S. Iohannis
Pinnatenſis, Guilielmus Apilia pro Præfecto Ampoſtæ, Alfonſus Ripacurcienſis, & Pe-
trus Vrgellitanus Comites, Ludouic⁹ Cornelius, Philippus Luna, Petrus Iordanis Vrrie-
ſius, Raimundus Tarba, Garcias Perezius Caſuanus, Simon Pereſius Salanoua: & duo
Cæſarauguſtani ciues Garcias Pereſius Nagia, & Fortunius Liſo: Martinus Anzanus O-
ſcenſis, & Guilielmus Crexencianus Barbaſtrenſis ciues. Rex cum Caſtelfauibianis ob-
ſeſſis opẽ ferre deſtinaſſet, ne conuentus reſcindatur, Dominico Cerdano Iuſtitiæ pręfe-
cto, regiam omnem decernendi, & ſtabiliendi publico in cõuentu poteſtatem permittit.
A. D. XVI. K. Nou. Rex Montalbanũ emigrans, eo loci ſex dies militaribus copiis cogẽ-
dis cõmoratus Morã XII. M. P. à Caſtelfauibio procedit: cuius propugnationi militariũ co-
piarum ducem præfecerat Sanctium Lupeſium Orunium. Obſeſſi, cum indutias cũ hoſte
pepigiſſent, neq; earũ tempus exiſſet, inter ipſas indutias deficientes arcem hoſti tradunt.
Caſtelfauibio in deditionẽ coacto, hoſtis Aiorã vi irrumpit. Caſtris Origuelã circũſeſ-
ſurus Illicim contendit. Origuelam omni tormentorum, machinarumque vi oppugnat.
A. D. VI. K. Dec. Rex Villaregali caſtra promouet: Algezirãq; cõtendit: vt Origuelana
obſidione ſuos liberet: cũ hoſte cõcertaturus. Sed hoſtis ipſis copiarũ ſuarũ ductorib. diffi-
dẽs, quorũ animos exploratos, & alienos habere veretur prœliũ refugit. Noſter, cũ in Ori-
guelanã cõuallẽ, A. D. III. Id. Dec. deſcẽdiſſet, eo loci ſex dies cõmorat᷑: vti pſidio, & cõme
atu Origuelanos muniat. Regia hoſtiũ caſtra Illici ꝓmota Calpẽ maritimũ oppidũ circũ-
ſidẽt. Guterius Gomezius Toletus Alcãtarẽſis militię Magiſter, cũ Moruiedrũ pſidio, &
cõmeatu cõfirmare niteret᷑, & Alfonſus Ripacurciẽſis Comes Petrus Municius Gothoius
Calatrauẽſis Magiſter, & Valẽtię vrbis militaris manus obuiã egrederẽtur, cõſerta prope
Alcublas pugna, victus mortẽ occũbit. Iohãnes Martinius Rogius, & cõplures alii nobiles
viri in noſtrorũ poteſtatẽ deueniũt. Ea clade accepta, hoſtis Calpis obſidione abſiſtit. Hi-
ſpalimq; proficiſci ſtatuit. Cardonẽſis Vicecomes claſſe Calpẽſibus ſubuenire cõtendẽs,
cũ hoſtili claſſe cõfligit. Noſtris prœlio ꝓfligatis hoſtes V. actuariis nauib. potiũt᷑: & Rege
ipſo Carthaginẽ introeũte, & in milites noſtros, atq; remiges doloris iracũdia erũpẽte, oẽs
contrucidantur: his tantum cõſeruatis, qui recõcinnãdis remis operã nauare cõſueuerãt.
K. Ian. Rex Valentia Dertoſam, q̃ in vrbẽ cõuẽtus agẽdos Catalanis indixerat, ꝓficiſci-
1365. tur. Ingentẽ, vt illa ferebãt tẽpora, pecunię vim pollicẽtur: curãtq;. Ad DCCC. L. M. librarũ
Barcinonẽſiũ fuiſſe cõperio: vnde ſumptus neceſſarii in rẽ militarẽ in bienniũ ſuppeditẽ-
tur: atq; eo ſtipendiorũ, & cõmeatuũ auxilio aduerſus pꝑotentẽ hoſtẽ adeo ſubleuatur, vt
magnã Aragonię, & Valẽtini regni partẽ ab hoſtib. interceptã, quę, vti Rex ipſe teſtatur, i-
pſius Valẽtini regni fines ſuperaret, eripuerit. Ad Luſitanũ Regẽ Guilielmũ Coniliũ cœ-
nobii Barcinonẽſis Prædicatorũ Priorẽ delegat: de dimiſſa Maria Regis Luſitanię F. Fer-
dinãdi fratris vxore certiorẽ faciẽs. Frãciſcus pterea Perilioſius, & Frãciſcus Romanus de
inito fœdere Toloſę cũ Andegauẽſi, & vetuſtis fœderib. ſanciẽdis ad Frãcorũ Regẽ legãt᷑.
A. D. X. K. Mar. Rex S. Matthęi fanũ cõtẽdit, & Caſtra Moruiedro admouet, oppidũq; cir-
cũſidet: cũ Origuelã ipſo tẽporis ſpatio hoſtis fortiter oppugnaret. A. D. XIII. K. Iũ. hoſte O
riguelã oppugnãte Alfons⁹ Pereſi⁹ Guzman⁹, ex Caſtellanis ꝓcerib. primari⁹, hoſtilia ſigna
inferẽs mœnib⁹, eo in certamine occũbit. Intra octauũ diẽ ciues vrbẽ hoſti, arcẽq; dedũt:
Ioãne Martinio Eſſaua ex ꝓcerib. arcis pfecto ſagitta cõfixo: q venenata plaga cõfect⁹ eſt.
Quod

Quod Moruiedrum à nostris vehementissime oppugnaretur, & obsessi summa vi premerentur, neque hostis periculo obsidionis suos liberare, aut nostros inde arcere aggrederetur, Hispalim proficiscitur. Summam imperii discedens nulli tradit. NAT. CHR.

Militares Castellanorum copiæ, quæ in Moruiedrensi præsidio permanserant ductoribus Gomecio Peresio Porriano S. Iohannis Hierosolymitani Priore, Petro Manrico Castellanorum limitum præfecto, Aluaro Peresio Castro, & Alfonso Ferdinandio Montemaiorio, post Regis sui discessum diffidentes, & rebus desperantes oppidum Regi tradunt. A.D. XIIX. K. Octob. Rex Moruiedrum introit. Deditícii, quod Regis Castellæ summum, & crudele imperium vererentur, ad Henrici se ductum, Regis Aragoniæ auspiciis applicauerunt.

A.D. XIII. K. Nou. Valentini regni parte pacata, Moruiedro Rex Barcinonem contendit. Cum conuentum in A.D. VII. K. Decemb. Cæsaraugustam indixisset, & Barcinone res bellicas administrat, neq; ad constitutam diem venire posset, conueniendi tempus prorogat. Quod vero Gallicas militum copias, ad sua stipendia aduentantes excepturus esset, neque conuentui agendo interesse tot, tantisq; rebus implicito facultas esset, Duci Gerundæ filio committit, vti conuentum & agat, & transferat. Duce vero ordines regni in curiam cogente, obrestantur, ne eius coitionis causa præiudicium, libertatis deminutione in posterum fiat: quod is conuentus, neq; dici Rege absente, saluis legibus, neque agi, peragive posset: perindeque esset, ac si singillatim, nulla potestate, mandatove conuenissent.

Iohanne Alfonso Benauidio Segorbiensis præsidii, & arcis præfecto, Hispalim ad Regem Castellæ proficiscente expostulatum, vt suis obsessis, & præpotenti vi circumuentis subueniat, in vincula à Rege coniecto, & Petro Vrgellitano Comite obsessos vrguente, qui vrbi, arciq; præfecti fuerant, in deditionem rediguntur.

Cum Galliæ pene totius oras, quacumq; militares copiæ, diuturno bello confecto dimissæ iter fecissent, quasi calamitas quædam peruasisset, vagisq; discursibus raptarentur: 1366. Vrbanus Pont. Max. & Carolus Francorum Rex summopere sunt adnisi, vti ex suis prouinciis tam magna, & perniciosa reipublicæ sentina exhauriretur. Rege vero Aragoniæ pro virili parte ad se, eas copias deducere conante, vt eorū auxiliis tam diuturna belli mala finiantur: Petræ Regis patruo, & Francisco Periliosio internuntiis conuenit: vti Pontifex, Regesq; Aragonum, & Francorum centena M. florenorum dependant: cuius summę subsidio in Hispaniam emigrent. Præter id viæ auxilium iusta stipendia à Rege, & Henrico Trastamarensi decernuntur. Neq; minoribus Henrici pollicitationibus, atq; promissis ea natio pellicitur: quod eius impotenti fortitudine, atque audacia innixus fratrem regali solio, ac fortunis omnibus se deturbaturum in animum induxerat. Exciti fuere, ad eas copias in Hispaniam deducendas viri bellicæ laudis virtute, & decore in primis præstantes Bertrandus Gesquinas Longauillæ Comes Britto, Audenani dominus Galliæ Mariscallus, Clareuallis dominus, Hugo Caluileius Anglus, & Marciæ Comes. Ad X M. equitū Ruscinonis, & Cæretaniæ regionibus Pyrenæum transgressos, memoriæ proditur: neque maiores exterarum gentium copias in Hispaniam ex Vbedensi prœlio aduentasse constitit. Ian. K. Barcinone Gallici duces à Rege magnifico, & splendido apparatu, tempestiuo conuiuio accipiuntur.

A.D. V. Id. Ian. Rex Bertrandum Gesquinam Borgia, Elda, & Nouelda oppidis honorario Comitis titulo donat. Barcinone A.D. XII. K. Febr. Tarraconem contendit: & Cæsaraugustam venire properat: vt decreta stipendia militaribus numeris persoluerentur. Id. Febr. in vrbem introiuit. Trastamarensis Tamarito Litterensi iter faciens, eo loci Iohannam sororem Regis Alfonsi F. Philippo Castrensi, qui Castri, & Peraltæ ditionum dominabatur, collocat: & Gonzaluo Messia, Gomezia Carillio, & Didaco Lupesio Paciecco comitatus, & vrbem ingressus capessendi regni consilia inire cœpit.

Henricus Trastamarensis, cum inuictum exercitum ex militibus Gallis superbissimo delectu conduxisset, & ipso anni tempore ad gerendum bellum vocaretur, Phari oppidi finibus Calagurrim contendit: & in ea vrbe cum purpura, & sceptro, & insignibus regiis, regale Castellæ, & Legionis nomen faustis acclamationibus suscipit. Ea rerum inclinatio, minimo temporis momento facta est: vt vrbes, arcesque omnes, atq; oppida, quæ in Aragonio, & Valentino regno hosti parebant, quibus Nouæ Castellæ nomen indiderat, repentino ab hostibus deserantur: tradanturq;: Rege Cæsaraugustæ conuentui præsidente. Eo in conuentu A.D. III. K. Apr. Rex Franciscum Periliosium consilio, & manu præstantem virum, virtutis ergo, nobilitatis decore cohonestat: & Vicecomitē Rotæ appellat. Rotam atq; Epilam oppida Saloni flumini imposita, eius iuri, atq; ditioni attribuit.

Cæſarauguſtano conuẽtu Calataiubium prorogato, atque traducto Calataiubium, & Daroca vrbium cognomine, & ampliſſimis honoribus, atq; præmiis, ob egregiam in eo bello à ciuibus nauatam operã à Rege decorãtur. Omniũ ordinum conſenſu Rex pręclarũ iudicii teſtimoniũ Calataiubienſibus ciuibus, mortuis ac viuis, vt nec Iudæos quidem, aut Sarracenos exciperet, virtutis, & fidelitatis ſummę erga patriam tribuit: Dominico Cerdano Iuſtitiæ Aragonum Præfecto Conuentus iudice aſſidente.

Cum Burgis Henrico, veluti legitimam regnorum poſſeſſionem vſurpanti, ſollemni cærimoniarum pompa regium diadema eſſet impoſitum, Iohanna eius vxor Cæſarauguſtæ A. D. VII. K. Iul. in ſacrario Cœnobii Minorum iuriſiurandi fidem interponit, ſe enixe operam daturam, atque omni conatu curaturam, vt pacta à viro conuenta incolumia, ac ſalua, integraque retinerentur : eaque pars regni Caſtellæ traderetur : quam Aragonio regno contribuendam pepigerant: Epiſcopo Gerundenſi ſacrum Domini corpus præ ſe ferente. Ei ſanctioni ſcribendæ obteſtatione, ac pœna ſacratæ adfuerunt Iacobus Alfonſi Ripacurcię Comitis frater Dertoſanus, & Innicus Gerundenſis, Epiſcopi, Vicecomes Cardonenſis, Gonzaluus Gonzaluius Luzius, & Aluarus Garcias Albornocius. Iulio menſe ineunte, Leonoram Regis filiam ſecum ducens ad virum proficiſcitur. Leonoræ enim, & Iohannis Henrici filii nuptiæ depactæ fuerant. Cæſarauguſtanus Antiſtes, & Bernardus Thouſius, & Dominicus Lupeſius Sarnes, qui à Rege ad Henricum legati fuerant, Leonoram magno comitatu proſequuntur.

Petrus Caſtellæ Rex imminentem fratris, & Gallicarum copiarum tumultus furorem deuitans, & ad externa etiam, & aduenticia auxilia decurrens Luſitaniæ, & Galleciæ regionibus Baionam Aquitaniæ vrbem, & inde ad Eduardum Angliæ Regem cum theſauris, quorum cautior, quam regni cuſtos fuerat, contendit.

Bugienſis, Conſtantinenſis, & Tunetanus Reges tributa quotannis Regi conferre aſſueti, cum ob inteſtina bella dependere intermiſiſſent, nouorum fœderum pactionibus, conditionibuſque alliciuntur. Cacinus Abuhalmalius Zahabenus Babylonius Imperator, Sultanum vocabant, Chriſtianos omnes in Aſia, & Ægypto negotiantes, commorantesque, cum comprehendi imperaſſet, quod Petrus Luſinianus Cypri Rex ſubita incurſione Ægypti oras incurriſſet, & Alexandriæ partem diripuiſſet, Omberto Fonollario, & Iasberto Camplongio à Rege in Ægyptum legatis, reſpectu ad Regem habito, Catalanos omnes, & Aragonios dimitti iubet. Iſque Regi honos eſt habitus, vt D. Barbaræ corpus, quod Ægyptio quodam fano pie, religioſeque aſſeruabatur, & Rex ad ſe deduci ſummopere poſtulaſſet, quod etiam Alfonſum Regem, Ferdinandi Regis, qui magnam Bæticæ prouinciæ partem à Maurorum dominatu vindicauerat, filium maxime concupiuiſſe memoriæ proditur, Sultanus ad Regem aſportari permiſerit. Summa tamen ſiue pietate ſiue obſtinatione Chriſtianorum, qui vaſtas Ægypti ſolitudines, atq; receſſus incolunt & Diuæ reliquias ſancte venerari, colereq;, ac fauorem deprecari conſueuerant, ne ad noſtros deuehantur, occuluntur.

Marianus Arborenſis Iudex, & Salebroſus Oria bellum in Sardinia, quod cum Genuenſibus pace, & otio reſederat, noſtris inferunt. Olſus Prochyta claſſe in Sardiniam tranſuehitur: & Hugo Santapacius aliquot militares copias comparans Sardois rebus Octobri menſe ſubuenit: & Berengario Carrocio Quirrenſi Comiti adiuncti bellum hoſtibus inferunt: cum Arborenſis ſuperior eſſet. Sanctapacius Galluritana regione copiis coactis ſe reficiens, fortiter hoſti reſiſtit: ac Fabanam arcem communito pręſidio obſtruit: & Oliuerium Togorem nauum, & ſtrenuum virum arci præficit. Iohannes Carrocius Alguerienſibus dux delegatur. Quod Piſani Regis permiſſu denuo aliquorum oppidorum, atque arcium Sardiniæ poſſeſſionem vſurpauerant, atq; ii omnes Mariano potiſſime opitularentur, Rex Iohannem Agnellum Ducem Piſarum, ac ſenatum cohortari, ac commonere non intermittit, quo ab eo conſilio deſiſtant: neue Francus, aut Aimericus Vicecomes Narbonẽſis ſinant, vt in portubus, ſtationibuſve ſuis Mariani claſſes inſtruãtur: aut armenẽ. Piſani vero, vt à Rege imperia quoquo modo perferãt, grauiſſime dolẽt.

Rogerius Bernardus Fuxẽſis Caſtelboni, & Franciſcus Perilioſius Rotæ Vicecomites Septembri menſe exacto Toloſæ, cum Ludouico Andegauenſi Duce Regis mandato, aduerſus Nauarrum fœdera icunt: qui ſe Anglis, & Petro Caſtellæ Regi addixerat. Eo in colloquio paciſcuntur: vt Francorum, & Aragonum Reges, & Henricus Traſtamarenſis fœderibus adiuncti Eduardo Angliæ Regi, Waliæ principi eius filio, & Nauarræ Regi bellum inferant.

Rudericus Oricius ex intimis Nauarræ Regis, & Egidius Garcias Dianizius copiarum militarium Nauarrorum, & Anglorũ ductores Aragonię fines incurrẽtes Septembri menſe

mense Iaccam vrbem circumsident: oppugnantque. Garcias Latrasius Iaccetanarum co- NAT. hortium præfectus in ea propugnatione mortē occumbit. Cum frustra obsidio suscepta CHR. esset, regionem eam deprędantes, vastanteſque in Nauarram regrediuntur.

Petrus Portugalliæ Rex, qui artiori fœderis vinculo, ad Henrici se Trastamarensis 1367. partes applicuerat, moritur. Ferdinandus eius F. in regnum adsciscitur: qui magnis propinquitatis, & affinitatis vinculis Regi erat adiunctus. Cum eo, & Iohanne, ac Dionysio fratribus A.D.IV.Non.Mart. Alfonso Castelnouo Regis legato internuntio, vetustorum fœderum pactiones firmantur: Ferdinando in S.Irenes finibus, regia Alcannaharum villa residente.

A.D.VI.Id.Mart. Ilerdæ in arce regia, cum Abiceno Galipo Alcapelli Mahomatis Granatensis Regis legato pacis fœdera aduersus Petrum Castellæ Regem sanciuntur. His pactionibus ora omnis maritima à promontorio Contestanorum Ceruerio nuncupato, ad Leucatam supra Salsulas Narbonensis prouinciæ oppidum, & adiacentes insulæ continentur.

A.D.III.Non.Apr. ad Naiaram vrbem Petrus, & Henricus fratres de sua potentia, atq; imperio externis auxiliis, exitioso prœlio dimicant: quo vires Henrici omnes delentur, atq; prosternuntur. Eduardi Waliæ Principis virtute, atque excellenti præstantia, & Angli militis robore victoria ea constitit. Henricus acie profligatus, ac pæne ad exitium deductus, pernici equo impositus euasit: atque erupit: & dum non maiore equitum præsidio, quam quibus vitam committere audet, in fugam se coniicit, summum vitæ discrimen adit. Demum latebris, ac saltubus se eripiens, & in Illūecam Iohannis Martinii Lunę oppidum se conferens, comite Petro Luna Iohannis fratre, transuersis itineribus, & commutatis personis Aragoniæ Regem, haud aliter, atq; hostem deuitans, Iaccetano saltu in Elusares, Fuxenses vocant, transgreditur. Capti memorabili eo prœlio fuere Sanctius Henrici frater, Alfonsus Ripacurciæ Comes, & Bertrandus Gesquinas Gallicarum copiarum primarius ductor, consilio, & virtute in eo bello insignis. Walus tantæ ferocitatis victorem, ne in suos sæuiret, comprimere non potuit. Nuntio eius cladis accepto Toletanus, & Cæsaraugustanus Antistites, qui Burgis cum Iohanna Henrici vxore perstiterant, contento cursu Reginam, & Leonoram nurum deducentes in Aragoniam perfugiunt: & ex victoris hostis manibus elabuntur.

Tam insperato rerum euentu Rex, postquam extenuari spem suam, atq; euanescere videt, præsertim Henrico, qui in ipso regni aditu Murtiense regnum, atque ingentem aliam regionis ditionem, quę cum Aragoniæ regno continens est, si regnum adeptus esset, attributurum spoponderat, tradere renuente, ad noua se consilia traducit: & Regi victori, & Waliæ Principi fœderum pactione adiungi nititur. Tantum momenti in vna victoria fuit: vt plane Henrici res non accisæ modo, sed desperatæ omnibus viderentur. Præcipui consiliarii Regis ad Angli amicitiam traducendi fuere Romæus Ilerdensis Episcopus, Petrus Vrgellitanus Comes, Vicecomes Cardonensis, Iohannes Ferdinandius Heredia Ampostæ præfectus ordinis S. Iohannis Hierosolymitani in Castellæ & Legionis regnis Prior: quorum suasu Rex ad Petrum Castellę Regem de fœdere ineundo Sanctiū Gonzaluium Herediam legauerat: & ad Waliæ principem, ob eam rem, Burgos à Rege legati fuerant Raimundus Peguera, & Iacobus Ezfarius. Walus Armeniacensem Comitem, vt de ea re transigeretur, Deciam præmittit: & Ilerdensis Episcopus, Vrgellitanus, Cardonensis, Prior Hierosolymitanus, Lupus Gurrea, & Iacobus Ezfarius Moris oppido subsistunt: vt consilia cum Armeniacensi propius communicentur. Eo colloquia reciderant, vt iam legatorum consilio Aragonius, & Walus cum Nauarræ, & Portugallię Regibus Castellæ, & Legionis regna partirentur.

Henricus singulari, & incredibili virtute, admirabiliq; festinatione vsus, vndiq; periculis cinctus celeritate consilii, atq; ope Caroli Francorum Regis, & Ludouici eius fratris se, suasque res ex innumeris difficultatibus & incommodis explicat. Copias militares repentino delectu conducens Arana valle, & Ripacurciensi Pyrenæi saltu in Aragoniam Rege inuito, atq; repugnante accelerans, cum à transitu arceri non posset A. D. VIII. K. Oct. II.M. P. ab Osca subsistit. Rege conuentum Cęsaraugustæ agente, equitatus omnis educitur, vt Henrici copiæ intercludantur: sed itineribus deuiis antecedens, & ad Azagram oppidum Hiberum traiiciens Calagurrim contendit. Cum fratris immanis dominatus eo erupisset, vt vix iam reliquum esset, vnde se reficeret, aut vbi lapsus resisteret, in tanto mortalium odio, ciuitates pęne omnes aditum ad regnum capessendum Henrico patefaciunt. Burgensi castello, totius regni arce, & Iacobo Balearico Neapolitano Rege, qui in eius arcis custodiam à Petro Rege inclusus fuerat, Henrico traditis, tāta status, atq;

NAT. CHR. imperii conuersio subito fit, vt præter vtriusq; spem, ad alterum species victoriæ peruenerit, fructus alteri partus sit: & Henricus pæne vrbes omnes, atq; arces transcenso Pyrenæo ad se traduxerit: fratre in vltimis terris commorante.

A.D.III.K. Nouemb. Barcinone Rex Albarazinienſem ciuitatẽ sub regale imperium subiungit: & in regiam ditionem, potestatemq; redigit.

Rex, & Waliæ Princeps, & Nauarrus haud aliter, ac si regnorum Castellæ, & Legionensis populi hereditariam auctionem constituerent, quasi ea dare alterutri fratrum, aut adimere possent, Tarbam Aquitaniæ vrbem legatos mittunt: quem in locum Petri ipsius Castellæ Regis legati concesserant. Nouembri mense, de auxiliis Petro mittendis deliberant: pactione vrbium, & oppidorum, quæ vnusquisq; eorum Principum iam spe, & opinione obduxerat. Eo ipso tempore Rex interuentu Cardonensis Vicecomitis Anglo, & Petro adiungi, & cum Ferdinando Portugalliæ Rege, & Nauarro concordiæ fœdera sancire, vt regna Castellæ, & Legionensis populi inter se partiantur, constituit. Seorsim sua Henrico fœdera, præcipiti cupiditate regni, imperiiq; dilatandi sanciuntur.

Vrbanus P.M. hoc anno Cardinalium collegio dolente, ac bene coacto Auenione Romam nauigat.

1368. Cum Rex Anglo, & Waliæ Principi eius F. pactione fœderum adiungi constituisset, magnę Gallorum manus turbulenta, & temeraria incursione vagantes, Februario ineunte Arana valle erumpentes, aliquot oppida diripiunt, atque incendunt. Rege suspicante, id facinus Regis Francorum consilio patratum, vt se ab Angli amicitia reuocet, Franciscum Periliosium, & Iacobum Ezfarum in Galliam, C. M. florenorum, ex Mompellerii pretio exigendorum causa, & damnorum, eruptione earum copiarum illata, resarciendorum, quod regiis stipendiis aduentasse fama percrebuerat, legatos mittit: Paciscuntur, vti Francus Regi, aduersus Petrum Regem, & Arborensem Iudicem opituletur: & Henrico bellum inferat: nisi suo iudicio dirimendam eam controuersiam statuat, quę illi cum Rege, de Murtiensis regni donatione, ab eo postremo facta, vertitur. Francus Periliosium rebus maritimis præficit: & classibus, bello cum Anglo redintegrato, viri præstantia, & virtute cognita, penitusq; perspecta, ducem præbuit.

Sardis totiens vinci assuetis, & nunquam pacatis, aut omni ex parte perdomitis, Mariano Arborensi omnium defectionum principi, & regnum appetenti, qui tot oppida, atque arces vi expugnasset, postremo Sanlurienses, & Eccleſienses deduntur. Rex difficillimo tempore, vt suis subuentum sit, classi, quam comparauerat, Petrum Lunam, qui Almonezirii, & Polæ dominabatur, virum ex Aragoniis proceribus primarium præficit. Copiis expositis, & bello illato, cum Arborensis nostrorum impressione se in Oristanam arcem abdidisset, atque in eum locum compulsus, castris circumsederetur, Luna rei bene gerendæ studio ad dimicandum impellitur. Deminutis paullo post copiis, & excubiis, vigiliisque desidia, atque nostrorum ignauia intermissis, eruptione facta, obsessi castra adoriuntur. Nostri cæduntur, atque profligantur. Luna, & Philippus eius frater mortem in certamine occumbunt. Cum ea accepta clade, maximo in discrimine res Sardoæ versarentur, tot detrimentis acceptis, Rex in Sardiniam se traiecturum, vt suis omni ratione subueniat, palam denuntiat.

A.D.X.K.Iul. Rex Martinum F. Besalunensi ditione, honorario Comitis titulo, atq; cognomine donat.

A. D. XII. K. Aug. indutiæ cum Petro Castellæ Rege pactæ in A. D. K. Sept. prorogantur.

Henrico bellum in Vaccæis gerente, cum Oterdefumos oppugnat, Bernardinus Caprera Ausonensis Comes, qui se Henrico, patris alioqui extinctori addixerat, in oppugnatione fortiter dimicans occumbit.

Cum Henricus arta obsidione Toletum circumsedisset, Francorum Regis legati obtestantur, vti de controuersiis omnibus, quæ in disceptationem, cum Aragonum Rege vocantur, Francum iudicem sumat: & in certam diem dirimantur. Iurisiurandi religione, præsentibus Petro Regis patruo, Toletano Antistite, Petro Ferdinandio Velasco, Ferdinando Peresio Aiala, Didaco Gomezio Toleto, Gonzaluo Messia Pontano, & Petro Tenorio Archidiacono Cauriensi in tabernaculo obstringitur, se in Francorum Regis iudicium controuersias eas reiecturum.

Copiæ per Gallias prouincias in fortunas omnium temere incursantes, Decembri mense Pyrenæi saltu in Palliariensem tractum inuadunt. Trempim Lacetanorum oppidum vi expugnant, diripiuntque: & regionem eam omnem depopulantur. Eo tumultu nuntiato,

nuntiato, cum improuiso oppressis, nec animi satis ad resistendum, nec virium esset, Rex NAT.
Decembri mense ferme decurso, Ceruteram properat: hostiles copias montosis locis ex- CHR.
trusurus. Iohannes F. in Aragoniam accelerans equitatum, peditatumq; omnem in eam expeditionem exciuit.

Francisco Sanclemente, & Berengario Dezprato legatis inter Aragonium, & Anglum Reges conuenit: vt Portugalliæ, & Nauarræ Regibus adiunctis Petrum, & Henricum ad fœdera à se pacta cohortentur: & eis renuentibus: & tergiuersantibus ad regnorum Castellæ, & Legionensis populi partitionem, atq; irruptionem congrediantur. Sed in eam pactionem deueniunt, quod neq; Rege Sardoo bello implicito, ab Henrici concordia secedere iusta, aut vtilis videtur causa, si pacta conuenta seruentur: neq; Waliæ Princeps honeste fœderi cum Petro inito deesse potest, si Viscaia, & aliæ ditiones promissæ tradantur.

Barcinone à Rege Kalendæ Ianuariæ, sollemnia incipientis anni, vetusta religione, 1369.
moreque celebrantur.

A.D.XVI.K.Febr. Rex, quod in Sardinia regiæ opes contusæ, hostiumq; auctæ erant, Berengarium Carrozium Quirræ Comitem Sardoi belli gerendi administratorem, & imperatorem creat. Arborensis capitalis hostis oppidis, præsidiisq; regiis exitiosum bellum infert. Brancaleo Oria ex perduellium numero definitus, quod Arborensis imperio se addixisset, voluntarii facinoris veniam consecutus, & in fidem receptus, regio se imperio committit. Rex vt maius fidei testimonium illi tribuere videatur, insigni regio militari anchoræ, quo vti assueuerat, eum decorat: ac veluti auctoramento deuincit.

Sardoo bello tam acerbo, atq; diuturno nostros opprimente, simulatum proficiscendi in Sardiniam consilium à Rege refertur: & denuo se traiecturum confirmat. Vexillum regiæ expeditionis insigne, postridie festi diei resurrectionis Domini in Barcinonensi arce, sollemni cærimonia proponitur. Cum Rex totus mente, vt apparet, & animo in bello Sardorum insistit, atq; ei bello gerendo imperator destinatur, dum naues adornantur, atq; impedimenta conquiruntur, exilio aut morte damnati restituuntur, & pecuniæ creditæ tabulis nouis, debitoribus prorogantur, labantes res, spe profectionis diutius fulsit, atque sustinuit.

Arborensi Sacerenses se dedunt: & nostri in arcem confugiunt: quam hostes cum vehementer oppugnarent, Sanctius Simenius Aierbius Sanctii Simenii Aierbii Iustitiæ Aragonum Præfecti nepos in propugnatione occumbit.

A.D.II.Id.Mart. Petrus, & Henricus fratres de summa regni ad Montielem in Oretanis dimicant: quo in prœlio, cum Petri acies funderentur, eo in arcem Montielanam refugiente, atque compulso, & muro, ne elabi posset, & corona militũ septo, cum fide & pollicitationibus Bertrandi Gesquinæ inductus se illi tradere constituisset, & fraude, ac fallaciis impulsus in Bertrandi tentorium descendisset, quod ab hostis manibus se eum ereptum spoponderat, in fratrem incidens cum ferro, in tenebris dimicant, atque luctantur, Petrus miserandum in modum contrucidatur. Nam ad pedes prostrati, nisi Henricus à suis subleuatus esset, mutuis se ictibus, quod de Thebanis Regibus fratribus fabulæ ferunt, concidissent. Henrico, non tam impotenti ambitu, & armorum impressione regnum adepto, quam sæua fratris tyrannide à cunctis ordinibus euocato, atque adscito in ipsis regni primordiis, dum maxime imperium fundet, atq; stabiliat, se Gothicæ gentis more, atq; instituto electum, & ad regnum vocatũ testatur: vt adscitus potius, electusq; à re publica, quam armorum vi, & fraterna nece principatum consecutus videatur: aut regnum scelere partum.

Molinensis, Requenensis, Canetana, Fonsalicensis, & Algariensis arces in tam celeri rerum commutatione Regi Aragonio deduntur: qui pactis cum Henrico Rege conuentis, se & Murtiensis regni, & plurium aliarum ditionum Aragoniæ finibus continentium potiri sperat. His in fidem acceptis Henricus bellum aduersus Regem parat: quo arces eas, & Molinensem tractum vindicet. Rex Molinensibus præsidiis Ferdinandum Lupium Sesefium, atq; Garciam Veram, & ducem Ferdinandum Aluarum Cueuam præficit. Albarrazinensibus finibus Ferdinandus Lupius Heredia, & Farizienfibus Sanctius Gonzaluius Heredia equestres copias cogunt: & vniuersi Episcopi Turiasonensis, & Martini Lihorii ductui, & imperio parent.

Iacobus Balearicus, qui in potestatem Henrici venerat, à Iohanna Regina vxore LXX. M. nummûm aureorum, quos duplices vocant, Rege inuito, & contra dicente, redimitur.

A.D.XV.K.Mai Alfonsi Regis corpus Barcinonẽsi tumulo ad D. Francisci humatum, Ilerdam in cœnobium fratrum Minorum Regis filii iussu, & iustis funeribus assidentis transfertur.

NAT. CHR.

Molinæ, & Requenæ finibus nouum bellum excipit: quod Henricus Bertrando Gesquinæ Molinam, & eius oppidi ditionem addixisset: & pactiones omnes confectas, atque conflatas, conditionesque perturbasset. Requenensis arx à nostris deditur.

Rex, quod omne ad se bellum translatum videt, Ferdinando Portugalliæ, Mahometo Granatensi, & Abaiferio Abdelazizio Algarbiensi, & Fecensi Regibus, & Waliæ Principi aduersus Henricum pacta conuenta rescindentem fœderum vinculis adiungitur.

Rege conuentui agendo Valentiæ assidente Aragonensibus conuentum in A.D.K. Iul. Rubiolos oppidum indicit. Sed Præfecto Iustitiæ Aragonum, & Garcia Lupesio Sesesio Regni gubernatore, & his, qui conuocati fuerant, non comparentibus, quod Præfectus non adesset, conuentus in eam diem, quam Rex destinarat, prorogari non potuit: & necessario in aliam indictionem reiicitur.

Petrus Lusinianus Rex Cypri ex Leonora Regis consobrina, Petro filio puero relicto, insidiis, & proditione suorum necatur. Leonora Regina, & Iacobus Lusinianus Cypri Connestabulus demortui Regis frater, & Ianus Lusinianus Iacobi F. Antiochenus Princeps gubernaculis regni præficiuntur. Rex Francisco Vilarasæ, & Iacobo Fibellerio Cypriam legationem committit: vt suis verbis Reginam consolentur: & regno pueri stabiliendo, atque confirmando operam impendant.

A. D. IX. K. Iul. Valentiæ Rex Martino filio Senescaliæ Cataloniæ munere, atque imperio iniuncto, rerum militarium, & bellicarium notionem, ac summum iudicium attribuit: adiungitq;, atque adnectit proprium officium, & munus Connestabuli: & instituit, vt regnorum cis mare, & vltra Connestabuli cognomen vsurpet: & ei muneri in posterum, aut liberi regii, aut regio sanguine orti præficiantur.

1370. Ianuario mense Dertosę Rege ad Sardoum bellū animū intendente, nondum hieme confecta in demortui Petri Lunæ locum rebus bellicis Berengarius Carrozius Quirensis Comes præficitur imperator: & Rex maturius de bello sibi cogitandum statuit. Benuentus Graphæus Partanæ dominus ex Sicilia classe in Sardiniam præteruectus Caralitanam, & Algueriensem ciuitatem, arcesque, cum celeri opus esset auxilio & à commeatu & reliquis copiis intercluderentur, extranea vi subleuat. Ioiosegüardæ, Aquefrigidæ, S. Michaelis, & Quirræ oppidorum arces muniuntur.

Primo vere ineunte Brancaleo Oria Arborensi bellum infert. Commisso certamine Arborenses ab Oriis profligantur. Rex, tametsi post id factum paulo quietiorem Sardiniam habet, tamen profectionis suę famam semper adaugens, quasi propinquo tempore profecturus, diutissime suorum expectationem decipit.

Cum Saluaterra, & Regale oppida Nauarræ finibus sita, & à Nauarris intercepta restituerentur, fœderum factiones cum Carolo Rege firmantur: eaq; concordia aduersus Henricum, ambo reges conciliantur.

Dertosa Barcinonem Rege profecto, Martinus Eborensis, & Iohannes Siluensis Episcopi, Martinus Alcobaciensis cœnobii Abbas, & Iohannes Alfonsus Barcelorum Comes Ferdinandi Portugalliæ Regis legati, nauium actuariarum classe in eam oram Iunii mensis fine appulsi vetusta fœdera renouant. Rege maiorem Lusitaniæ motum expectā te, cum à proximis impetrare non posset, vlteriorem temptandum sibi, & alliciendū Lusitanum arbitratus regnorum Castellæ, & Legionensis populi pactione, cum vndique à Lusitana bellum parari videret, cum eo consilia communicat: & hæc prius Henrico detrahenda auxilia existimat: quam ipsum aperto bello lacessat. Hoc inito consilio, deliberat de Leonora filia Lusitano in matrimonium tradenda. Rex fidem suam obstringit, se Septembri mense proximo ineunte Henrico bellum illaturum: Murtiensi regno, & Molinæ, plurimumque aliarum vrbium, & oppidorum ditione sibi attributis. Cum sponsalia, Regis Ferdinandi mandata, Barcinone celebrarentur, & Ferdinandi fratre, & Vianę Comite, Barcelorum Comitis filio obsidibus postea traditis firmarentur, pacta omnia breui dirimuntur.

Nuptiis Iohannis Gerundæ Ducis, & Iohannæ Philippi Valesii Francorum Regis filiæ ex Blanca eius vxore, Philippi Eburouicis Nauerræ Regis filia, Lupi Gurreæ, & Berengarii Apiliæ Regis legatorum interuentu pactis, quibus Rex adiungere sibi Gallorum gentem sperat, cum coueniſſet, vt reliqua summa ex pretio Mompelleriæ vrbis ditionesq; Regi dependeretur, & Iohanna ad maritum cum magno comitatu, apparatuq; regio aduentaret: graui morbo Bliteris afflictata, vehementiusq; ingrauescente, magno omnium mœrore, puella excellenti formæ pulchritudine, Decembris mensis fine moritur.

Magna ea tempestate contentio, ciuilesque motus, Catalonia in partes diuisa oriuntur:

tur:Rege ipso maximas turbas concitāte. Nobilitas enim pæne omnis Regis consilio,atq; NAT.
consensu,aduersus Petrū Vrgellitanū,&Iohannē Emporitanū Comites & Vicecomites CHR.
Cardonæ Castelboni coiit:q; nobiles omnes suæ iurisdictioni subiicere tanq̄ subditicios
conarētur.Cū ad Noiæ amnis ripas,ꝑpe Martorellū,Comites copiis coactis cōsedissent,
pæne ad arma res deducitur:ingētesq; tumultus,Rege nobiliū factioni fauente,atq; opitulante excitantur. Vulgo ea nobiliū coitio,Cōuenientiæ nomē sortitur:& Rege Comites coërcente,omnes in ditionē,potestatemq; regiā paulatim rediguntur.Imperio,ac ditione Comitum imminuta,& in ordinem redacta,inter Regem,& Petrum Vrgellitanum
ex ea cōtentione,summa de iurisdictione dissensio fuit:quod Petrus Comitatus Vrgellitani,& Vicecomitatus Agerensis supremum ius, potestatemq; summam sibi vindicaret.

Vrbanus Pont.Maxim.reipublicæ Christianæ pro virili parte consulens summopere adnititur,vt Hērico Regi cæteros Hispaniæ Reges cōcordiæ fœdere deuinciat. Eius rei causa Bertrandū Conuenatē,& Agapetum Brixiensem primo,& post Olisiponensem Episcopos legat: sed Massiliæ Decembri mense re infecta moritur. Nam cum bellum sacrum,tot per annos in Hispania intermissum esset,nulla,nisi in Regum concordia spes reliqua,ducebatur:& eam per ęqua,& iniqua reconciliandam esse vniuersæ Christianę reipublicæ constituerat.

Sardois rebus summis difficultatibus affectis,& Arborensi indies imperium,arma- 1371.
que promouente,& Rege profectionem, & expeditionem, non modo desperante, sed neque auxiliorum ratione vlla omnino domi apparente,ea spes fit reliqua, vt Brancaleo Oria in Aprilem inducias cum hoste paciscatur. Eo temporis interuallo Berengarius Ripolius VI. actuariarum nauium ductor Caralitanam, Alguerienseмq; arces præsidiis, commeatuq; firmat. Arborensis rempublicam ægram, labantemq; adeo vrguet,premitque,vt omni ex parte bellum in Sardiniam peruaserit: & nisi Dominicus Campofregosus Genuensium Dux, & maior Genuensis senatus pars in fide permansissent, & pactis conuentis stetissent, funditus omnia euerterentur: & Aragonium nomen in Sardinia deletum esset.

Berengarius Carrozius Comes Quirrensis Auenione exercitum externo milite conducit.Is exercitus M.equitum turmis,quorum singuli ternis equis merent,& D.hippotoxotis binos equos ducentibus, & M.peditum cohortibus, quibus Gualterius Benedictus Anglus excellenti virtute ductor præerat,constitit: conuenitq;, vt externa ea auxilia Liburno portu conscenderent: quo commodissimus in Sardiniam traiectus est: vt equitatus,& impedimenta vectoriis,grauioribusque nauigiis expeditius transportarentur.Cum à nostris in Sardoos sumptus intolerabilia tributa exigerentur, nec ferri æqualiter possent,aut continentia bella finē afferrent tributorum,& quotidie raptaretur,lacerareturq; populus,clamitare omnes,vt Sardiniam vastam,ac desertam, cæloque, & loco calamitosam,& pestilentem, perpetuis paludibus, siluisq; munitam, varie possessam,& sæpe amissam partibus,Rex mastrucatis Sardis,vilissimæ,vanissimæ, & sordidissimæ nationi relinquat:& internis discordiis Genuensium tradat:si Aragoniæ vltioni consultum velit. Sed quamuis ea ab iis, qui deponendi belli auctores erant, passim iactarentur, & damna bellorum deflerent,atque assidua expeditionum pericula exsecrarentur, magno tamē Rex cōnatu,rebus afflictis, ac perditis subuenire constituit. Rege Caspe oppido ad Hiberum,cōuentum Nouembri exacto agente,Gualterius Benedictus Anglicarum copiarum ductor honorario Arborensis comitatus titulo, & ditione donatur. Adornata classe Olfus Prochyta ei præficitur, & in onerarias naues equitum nostrorum turmæ Berengario Garrozio ductore imponuntur. Ex Gallia item prouincia aliquot copiæ in Sardiniā transportantur:quibus Philippus Lambertus Villasausæ dominus,Ludouicus Rosus, & Raimūdus Augerius Pōtis Sorgę delecti sunt duces:sub quibus stipēdia faciunt.

Ea ipsa tempestate Iacobus Balearicus Auenione, ex Narbonensis item prouinciæ delectu copias cogit:vt in Ruscinonensem tractum,Cæretanumq; bellum inferat: quorum finibus Rex Vicecomitem insulæ & Canneti præficit.

Philippus Castrensis regia Aragoniæ domus prosapia ortus,& Parietensi ditione ab Henrico Rege affini in Vacceis donatus,ab oppidanis rusticanis hominibus,eius imperium detrectantibus interficitur: Leonora filia, ex vxore Iohanna Henrici sorore relicta.

Gregorio XI.Pont.Max.iu summum Pontificatum euecto,qua erat in rempublicā 1372.
Christianam pietate,summopere adnitente vt pia,æternaq; pax Hispaniæ Regibus sanciretur,in ipso summi Apostolatus aditu,iisdem internuntiis,quos Vrbanus legauerat, etiā atque etiam id ipsum vrguet, instatque. Eo adnitente,atque cohortante Henricus Rex

NAT. CHR.

Burgensi Episcopo, & Aluaro Garciæ Albornozio, Rex vero Ilerdensi Episcopo, & Raimundo Alamano Ceruilionio, vti de controuersiis omnibus deliberent, atq; consultent, commendant: atq; concredunt. Castelfauibij Conuenati Episcopo, qui in in Cardinalium collegium cooptatus fuerat, adiuncti statuunt: vti concordiæ, pactionumque summam tractandam, conficiendamque Reges ad Pont. Max. & amplissimum ordinem, in proximos IIX. menses decidendam reiiciant.

Cum A. D. II. Non. Ian. Alcanicii Conuenate Cardinali assidente pacta conuenta firmarentur, & A. D. III. Non. Febr. Petro Lupio Padillia Henrici legato præsente denuo sancirentur, summo Henricus opere adnititur, vt controuersiæ omnes, suo potius ipsorum Regum consilio, & arbitrio, quam alieno iudicio componantur: & bello finem auctoritate sua imponant: cui in nouo principatu stabiliendo summa inerat ad præcauendum, consulendi astutia. Demum omnia polliceri: modo integris suis finibus bellum compositum foret. Fœderibus enim ab Henrico violatis, cuius filio Rex filiam suam collocare, pactione ditionum sibi tradendarum spoponderat, quod Rex affinitate ea se se ei deuincire renuit, summam pecuniæ augẽdo sperat Henricus pretio pacem, & amicitiam Regis coëmere: & ditiones regias retinere.

Summo Pontifice insigni sanctitate prædito principes omnes pacatos reddere adnitente, grauissimoque ad instituendam pacem auctore, & ad confirmandam virtute animi, atque iustitiæ, & innocentiæ exemplo maxime idoneo, summa perpetuaque concordia Frederico Siciliæ Regi, & Iohannæ Neapolitanæ Reginæ continenti bello implicitis constituitur: & A. D. V I. K. Septemb. Villanouæ ad Auenionem confirmatur. Vt artioribus coniunctionis vinculis astringantur, cum summæ consiliorum præessent, Guihelmus Peralta Calatabellotæ, Artallus Alagon Mistretæ, Matthæus Moncada Augustæ, & Adorni Comites, Iohannes Claramontius, & Franciscus Intemelius æquis conditionibus pace composita conuenit, vt Fredericus Antoniam Francisci Baucii Andriæ Ducis filiam ex Margarita vxore, ea Philippi Tarentini Principis, & Catharinæ Constantinopolitanæ Augustæ filia fuit, Iohannæ consobrinam in matrimonium ducat. Ea constituta pace, interdicta, quibus tot per annos Ecclesia Siculos execratur, & sacrorum aditu arcentur, tolluntur: & ob eam causam Salernitanus Episcopus in Siciliam legatur: piaculisque Siculi omnes soluuntur. Iohannæ, liberisque eius, posterisque eorum legitimis summa supremaque regni Trinacriæ potestas, & adiacentium insularum à Frederico attribuitur: & eius mandato sacramento sanciri decernunt. Fredericus X. actuariis nauibus, & C. grauis armaturæ equitibus, auxilia Iohannæ, si hostes eius regnum adoriantur, ferat. Quotannis Sanctorum Petri, & Paulli festo die, Neapoli III. M. vnciarũ auri, quæ XV. M. florenorum summam conficiunt, dependet: eius tributi habita ratione, quod Iohanna ex Siciliæ insulæ regni iure quæsito Ecclesiæ in singulos annos pendit. Præteritorum annorum tributa remittuntur: atque condonantur. Liparis insula Iohanna mortua Frederici regno contribui debere censetur. Cum ea pacta conuenta à summo Pontifice sancirentur, decretum interponit, quo cauetur: vti feminæ Trinacriæ Regum filiæ, virorum prole non superstite, regia iura adipiscantur: nominatimque Maria Frederici Regis F. Aragonum Regis neptis ea conditione ad paternum regnum hereditarium adsciscitur, arcessiturque. Aragonius nimis graue præiudicium in se à Pontifice factum conqueritur: quod feminis ad regni Siculi hereditatem obeundam, aditus daretur: quas Fredericus Rex maior patruus in partem hereditatis minime vocasset: & ad se eius regni hereditas à propinquis Regibus veniret: & eius rei causa Raimundum Alamanum Ceruilionem ad Pontificem legat: vt obtestetur: se suo tempore ius suum armis persecuturum: quamuis primum eo ipso tempore à Sede Apostolica Aragoniis principibus legitima iura Siciliæ regni sunt quodammodo constituta: quæ tot bellorum discriminibus quæsita, ac parta fuerant.

Iunio mense Barcinone Iohannes Gerundæ Dux Matham Iohannis Armeniacensis Comitis sororẽ in matrimonium ducit; Dos CL. M. Francorum dicitur. Illo ipso tempore nuptiæ Martini Regis filii, & Mariæ Lupi Lunæ Comitis filiæ sollemni cærimonia concelebrantur.

A. D. II. Non. Iul. Barcinone Exericiensis ditio Martinio Regis filio comitatus honorario titulo attribuitur. Ex eo Comes Exericæ, & Lunæ, & ciuitatis Segorbii dominus appellatur.

Bernardino Capreræ Bernardini Capreræ Ausonensis Comitis F. qui in Timboris Fenolletiæ auiæ, & Margaritæ Fuxẽsis matris potestate erat, paterna, auitaq; bona, & possessiones, ditionesq; omnes, honestasq;, ac dignitas restituuntur. Agnoscit enim Rex, atq; pro-

profiretur, ſe peruerſis, prępoſteriſq; cõſiliis inductum, in Bernardum auum animaduerti imperaſſe: vt iam res minime dubia eſſet, qua gratia preſſus, quibus inimicitiis circumuentus, & in exitium actus fuerit. Ab ea reſtitutione Rex ſibi, poſteriſq; principibus Auſam vrbem, comitatumque excipit. NAT. CHR.

Februario menſe, nocte concubia in Lacetanis, & Ilergetibus adeo magnos terrę motus factos memoriæ proditur, vt ingentia ex Pyrenæis iugis ſaxa, crepidineſq; Ripacurciæ regione conuulſæ, proſtrataq; ſint: & multi mortales in montoſis, atque æquis, & planis locis perierint: multæq; turres, atque arces corruerint: pluribuſque in locis labes facta ſit: magnaque edita ſtrages. 1373.

A.D. XI. K. Apr. Oliſipone pacis fœdera inter Hericum, & Ferdinandum Reges palam aduerſus Angliæ, Aragoniæ, & Nauarræ Reges prædicantur: quorum conditiones Bononienſis Cardinalis interuentu ſunt depactæ.

Franciſcus Perilioſius Rotæ Vicecomes, cum ad Iohannem Lancaſtriæ Ducem Eduardi Angliæ Regis F qui regnum Caſtellæ, vxorio Conſtantiæ Petri Regis F. Iure appetierat, à Rege legatus miſſus eſſet, & legatione obita, Baſtulorum oram præteruehitur, à Mauris interceptus, ad Mahomatem Granatenſem Regem protrahitur. Valentini præterea, Catalaniq; mercatores, qui in Granatenſi regno negotiantur, in vincula coniiciuntur: quod Petrus Bernardus actuariarum nauium ductor, qui Sardoo bello merebat, nauim Mahumatis Regis, in Carthaginienſi Africę litore irrupiſſet euertiſſetque.

Rex Barcinone toto ferme vertente anno, rebus bellicis conſulens demoratur. Nam Genuenſes, quamuis pactionum fœdere deuincti, primo ſe vere, magna comparata claſſe in Sardiniam tranſmiſſuros, & Arborenſi opitulaturos minantur. Supplementum rebus Sardois, Gilaberto Cruillia ductore Luquidoneſiæ regionis prędide adiicitur.

Balearicus Ruſcinonenſibus finibus, & Henricus Rex Luſitano adiunctus ſuis confiniis, magnis comparatis exercitibus adoriri minitantur: & duplex inde terror noſtris illatus. Cum Angliæ, Francię, Nauarræ Aragoniæ, & Caſtellæ Reges exitialibus bellis concitarentur, & eorum regna communi arderent incendio, noſter deteriore vt ſtatu ſit, externa Sardinię bella efficiunt.

Henricus Rex, qui interuentu ſummi Pontificis pacem prætenderat, & priuato conſilio ſummo ſemper opere Regi adiungi curauerat: Ludouico Andegauenſi Duce adminiſtro, & ſequeſtre pollicetur, æquis cõditionibus obtemperaturum, Bernardo Soo à Rege eam ob cauſam Carcaſonem ad Ludouicum legato, recipit Ludouicus Henricum Molinæ comitatum ea conditione, qua Regi hoc ipſo tempore ſubiicitur, attributurum: Murtienſe regnum condonaturum: & mediam earum vrbium, oppidorumq; partem, quæ Henricus continentibus Aragonię finibus ſe contributurum ſpoponderat, addicturum. Sin vero Henricus vrbes eas, ac ditiones à Caſtellæ regno ſeiungi, ſeparari ve renuat, curaturum, vti pecunia compenſentur: modo pactæ nuptiæ ſanciantur. Neq; multo poſt euenit, vt Ludouicum ex arbitro pacificatore hoſtem Rex & grauem, acremque inimicum ſentiat.

Iunio menſe Rex Dominico Cerdano Iuſtitiæ Aragonum, Arnaldo Orcao Ruſcinonis præſidi, & Bernardo Bonaſtrio epiſtularum magiſtro committit, vt tranſigendis cum Henrico Rege conditionibus interſint. Poſtea vero Reges decidendas controuerſias omnes Guidoni Portuenſi, & S. Rufinæ Epiſcopo Cardinali S. R. E. legato deferunt: adiunctis Regis Aragonii nomine Cæſarauguſtano Archiepiſcopo, & Raimundo Alamano Ceruilionio: & Henrici legatis Salmanticenſi Epiſcopo, & Iohãne Remirio Arellano Camerorum domino. Interuentu præterea Iohannis Emporiarum Comitis, qui Iohãnam Regis filiam in matrimonium duxerat, & eiuſdem Iohannis Remirii induciæ ſunt pactæ.

Octobri menſe Balthaſar Spinula Angliæ Regis, & Iohannis eius F. Lancaſtriæ Ducis legatus Barcinone, de fœdere aduerſus Henricum, cum Rege ineundo, legationem renuntiat. Pollicetur Rex ſe Lancaſtrio aduerſus Henricum opem, auxiliaque laturum ſi eæ ditiones attribuantur, quas Henricus ſpoponderat, adepto regno, delaturum. Inania vero ea promiſſa Rex parui eſſe ducenda videns, nec ſatis firmitatis habere, ab Henrico iam præpotenti, & vicino, finitimoq; ſeiungi veretur: niſi magnis pignoribus ab Anglo retineatur.

Cum Ilerdę Catalanæ copię conueniſſent, quas tranſuectione K. Sept. facta, ad DCCC. equites grauis armaturæ fuiſſe conſtitit, quod ex iis regionibus militum, & veteranorum, & tyronum manus quotidianis delectibus exhaurirentur, Nouembri menſe in Cærentaniæ, & Ruſcinonis fines tranſcendunt. Nam Balearicus Henrici Regis arceſſitu, &

NAT. CHR. pollicitationibus inductus, magnas armatorũ copias coëgerat. Eo enim actũ Hẽricus magni & animi, & cõsilii princeps, modo minas iactando, & pericula intẽdendo, modo pacis fœdera prætendendo, id se consecuturum sperat: vti pactiones, quibus Regi astrictus, regnum appetierat, & inuaserat, rescindantur: aut Regem ad suas conditiones deducat.

Henricus, & Carolus Nauarræ Rex legati Apostolici interuentu fœdere deuinciuntur. Nauarrus Biturim, & Lucronium oppida Henrico restituit: paciscunturq́;, vt Carolus Nauarri F. Leonoram Henrici F. in matrimonium ducat. Ea pactione inita, nihil magis aduersum Regi euenire potuit: qui ope externa Henricum ad se traducere sperat: vt pactis conuentis pateat.

Genuenses pace erepta, quam Montisferratensis Marchio pepigerat, ab Arborensi
1374. in Sardiniam arcessiti, vt Caralim artiori obsidione premant, Polę pręsidium oppugnant. Ingenti Gilaberti Cruilliæ virtute, qui Berengario Carrocio Quirrensi Comite mortuo, copiis præpositus fuerat, propugnatur. Brancaleo Oria in magno rerum discrimine Algueriensibus subuenit.

Iohannes Lancastriæ Dux magno comparato exercitu Castellæ regnum adoriri parat. Rex ad eum Raimundum Alamanum Ceruilionem ad renouanda fœdera, & vt hostilia arma inferre properet, legatum mittit. Hac legatione in Aquitaniam relata Lancastrius Burdigalæ Ianuario mense, amicitiam Regis omni conatu expetens, Rogerio Bernardo Fuxensi Castelboni Vicecomite, Garcia Ferdinandio Viliodre, Guilielmo Helmano, & Gualterio Benedicto ad Regem missis oratoribus, Regi fœderum pactione adiungi nititur.

Res Aragoniæ ea tempestate pessime afficiuntur: & in magnum decidunt discrimẽ: reputante Rege publicum sibi odium concitari: magisq́; fama, quam vi regnum, & res suas stabiliri: tot exteris nationibus armata vi, vndiq; Hispaniam interno bello consumptam cingentibus, inuadentibusq́;: & Henrico Rege Molinæ confiniis arma intentante: regiis classibus, copiisq́; mari longinquo bello distentis: ad summam Rege adnitente consiliis, & astu res externas moliri: arma procul habere.

Ianuario mense, Comes Henricus Russus arma, & seditionem spectans à Frederico Rege desciscit: & Messana vrbe potitur. Rege duabus longis nauibus, aliisq; actuariis Mazara cum Antonia Regina vxore Messanæ portum præteruecto, quod Mamertinos, & Russum ipsum ad se deducere confideret, nocte, quæ consecuta est, Russus Fredericum, nihil minus opinantem, excubiasq́;, & vigilias intermittentem naui vna longa, & myoparonibus aliquot naues regias, quæ in Rhegina statione anchoras iecerant, repentino incursu adoritur. Cum nauis, quam Regina conscenderat, oppugnaretur, propugnareturque à nautis, & vectoribus, animus Reginam liquit: eaque in continentem transmissa, sequenti die pestilenti, & mortifero morbo affecta, postero è vita excedit. Fredericus actuaria euadens Catanam deuehitur.

Augusto mense ineunte, turmę M. grauis armaturæ equitum, fratre Bertrandi Gesquinæ ductore, qui Balearici stipendia meret, Ruscinonis comitatum adoriuntur, incurruntq́;. Cum eorum equitatus liberius prædandi, vastandiq; causa, se in agros eiecisset, Perpinianum & opere, & præsidio egregie munitum transgressis, ducente secum Balearico Isabellam sororem Monferratensi viro orbatam Panizasio colle arcentur: quod Pertusii saltus, & Indigetum regionis arces validis præsidiis continerentur. Balearici expeditionem & Henricus, & Francus, & Ludouicus Andegauensis magno auxiliorum supplemento iuuerant.

Eadem ferme tempestate Bernardus Fuxensis, quem vulgo Beneharni bastardum vocabant, Medinæ Zelimi Comes, qui Isabellam Ludouici Hispani Telamonis Comitis filiam in matrimonium duxerat, & Gaufredus Rechonus Brito, aliquot collecticiis copiis adiunctis Sometum, & Nueualos confiniorum Celtiberiæ oppida scalis admotis irrumpere adoriuntur: prædicantq́;, se id bellum auspiciis, & stipendiis Balearici gerere.

Barcinone in regia ad Templariorum ædem, moritur Leonora Regina. Ad Populetum, in D. Mariæ cœnobio regio sepulchro conditur. A. D. II. Id. Iun. testamento heredem Iohannem filium reliquit.

Cum Balearicus aditu, ascensuq; Pyrenæi, armorum vi ab impediendo, ac lædendo, earum regionum finibus repulsus esset, omnesq́; nostrorum copiæ eo se conuertissent, Cęretano saltu Vrgellitanam Sedem contendens, Sicoris fluminis conuallibus, montium faucibus superatis in Lacetaniam irrumpit. Septembri mense exacto Rex, domestici belli causa obuiam Balearico processurus, Ceruerræ substitit: atque eo in loco copiæ omnes coguntur. Iohannes Dux Gerundensis in eo rerum motu, atq; tumultu Aragonię regno pro

pro Rege præficit Blaſcum Alagonem: & conſiliarios illi proxime adiungit Cæſarauguſtanum Antiſtitem, Dominicum Cerdanum Iuſtitiæ Aragonum Præfectum, Dominicum Lupeſium Sarnem quæſtorem primum Blaſcum Azlorium: & VIII. Cæſarauguſtanos ciues Michaëlem Capellam, Dominicum Palumbarium, Fortunium Liſonem, Martinum Lorbem, Iohannem Aldeguerium, Iacobum Hoſpitalem, Petrum Simenium Ambelem, & Simonem Gurdum: vt in conſtituendis, & collocandis, obeundiſq; rebus bellicis, & militaribus Imperatorio munere, eorum conſilio defungi poſſet: quod ingruentibus bellis apud maiores factitatum erat.

1375. Huius animi initio, ea fuit in Aragonia agrorum vaſtitas, atq; ſterilitas, meſſis enim nulla præterito anno fuerat, & ſiccitate adeo laboratum eſt, vt inopia frugum, quibus in locis ſementem facere conſueuerant, frumento ex Mauritania, & Africa importato, impenſo pretio vtantur.

Balearico Catalonia expulſo, cum Henricus omni ratione eum aduerſus Aragonium, & Lencaſtrium ad ſe deducere nititur, Rechonum Britonem CCL. grauis armaturæ equitum ductorem, cuius in Aragoniam irruptione, aliquot oppida expugnata, & præſidiis munita, & magna accepta detrimenta fuerant, & Petrum Manricum, vt Balearicum Nauarræ finibus excipiant, præmittit. Ea Balearici irruptione, in tanto motu armorum, atq; tumultu à Rege ſatis præſidii prouiſum eſt. Copiæ externæ, quas fama ingentes eſſe prædicabat, cum per extremos Eluſatium fines iter facerent, quo facilius montes tranſcenderent, & ſubſidium Henrico ferri poſſet, Pyrenæi faucibus ſuperatis, in Vaſconum conualles irruentes, Ianuario menſe, è regione Gallici fluminis, præcipiti via, plana loca deuaſtant. Cum ex omni prouincia cōmeatu & publico, & priuato prohiberentur, & reliquis copiis, prę́ſidiorum vi intercluderentur, & à noſtris à repentina incurſione peruellerentur, in Caſtellanos fines, & eorum pacata loca truduntur. Confiniis Soriæ, & Almazani fuſis, ac diſperſis, neque cum finitimis prœlio congreſſis Balearicus decedit. Soriæ, ad D. Franciſci humatur. Iſabella ſoror, & Iohannes Maleſtitus earum copiarum ductor, aliique duces Iohannis Henrici Regis F. ope, atq; prouiſione in Aquitaniam conceſſere. Concurſio vero ea adeo turbulenta fuit, & ratio rei gerendæ, temporaq; periculoſa extiterant, vt plures ex intimis familiaribus, domeſticiſque Regis in ſuſpicionem venerint, Balearici expeditionem fouiſſe: aditusq; ex Catalonia, & Aquitania in Aragoniam clam patefeciſſe: & de ea re anquiri cœptum.

Depulſis, diſſipatiſque externis Balearici copiis, & Lancaſtrio Hiſpanienſe bellum vrguente, Henricus alterutram ad condicionem deſcendere cogitur: vt ditiones, quæ depactæ fuerant, Regi attribuantur: aut pecunia eas redimat. A.D.X.K.Mai Almazani in D. Franciſci cœnobio Iohanna Regina Henrici vxore, & Iohanne F. adſidentibus, Cęſarauguſtani Antiſtitis, & Raimundi Alamani Ceruilionii regiorum legatorum interuentu ſummæ rerum conſulitur. Pace inter Reges pacta Iohannis Henrici filii, & Leonoræ Aragoniæ nuptias paciſcuntur. Dos CC.M. florenorum dicitur: quam pecuniam Henricus, cum in Caſtellam inuaſerat, Regi dinumerauerat. Rex Molinam Henrico reſtituit: & bellicorum ſumptuum impenſorum ratione CLXXX. M. florenorum Regi numerantur. Id vero magnâ eſt admiratione dignum: Regem inuitum, & recuſantem ad earum nuptiarum fœdera eſſe protractum: diuinoque id nutu ac prouidentia conſtitutum: vt non modo ex Regis nepotibus maior natu Caſtellæ regnorum potiatur, ſed vt minor etiam auita Aragoniæ regna adipiſci queat: & ab nepotibus omnia Hiſpaniarum regna, Portugalliæ regno dempto, cedant.

A.D.XIV.K.Iul. cum Leonora Regis F. Soriam à Cæſarauguſtano Antiſtite, & Raimundo Alamano Ceruilionio regio comitatu deducta eſſet, nuptiæ ſollemni cærimonia celebrantur: Iohanne Henrici F. puellam ducente.

Ludouicus Andegauenſis Dux bellum primo quoq; tempore nouo regni iure adepto illaturus Regem prouocat. Nam Iſabella Balearici ſoror Balearicum regnum, ditioneſque omnes regno contributas Ludouico detulit. Inſperata, nec opinata res Regem cum perculiſſet, conuentus Montionem Aragoniis, Valentinis, & Catalanis, & Balearicis indicit.

A.D.II.Non. Dec. Barcinone Rex Hugonem Cardonam Comitatus Cardonæ cognomine, & eius honoris ſplendore decorat.

1376. A.D.XVI.K.Apr. Rege Montionem ingreſſo, & in eius oppidi arce conuentum agente, de bello à Ludouico Andegauenſi indicto refertur. Expoſcit Rex, vt conuentus ipſius ſcito facto pecunia numerata in ſtipendia M. grauis armaturæ equitum decernatur. Conuentus nomine Regi de ea re reſponſum latum eſt: ſe in eam diem, maioresque ſuos,

NAT. CHR. Regibus, bellis vrguentibus præsto adfuisse. Iudæorum vero, & Maurorum conuenticula consuesse, stipe conlata bellicis sumptibus inseruire. Adeo enim in summa nummaria difficultate regnum constitutum erat, vt vix in eorum militum stipendia exigi posset, qui periculum, quod à Ludouico in omnes intenditur, propulsent. Nam nihil æque plebem ea tempestate diuexat, quam pecuniarum exactio: & conquisitio: quæ necessitate armorum excusata, intermissoque bellorum conflictu, pacata etiam tempora comitantur.

Repulso externo Gallici hostis motu, Sardois rebus transmarinum subsidium efflagitantibus, in tantis periculis nostri versantur, vt communes omnium calamitates Rex nequiret, non modo iuuare, sed nec miserari: Caralitanæq; arcis præfectus fame compulsus destinauerit fuga, & maritima opportunitate, desperatione quæsita, arcem vrbis incendio, & flammis conflagrandam relinquere.

Mariano Arborensi hoc ipso tempore vita functo, Hugo F. in patris locum heres succedit. Hic & in suos intoleranda tyrannide, & in Regem insigni perfidia, omni diritate, atque immanitate teterrimus, longe patri antecessit. Iohanne Arborensi Mariani fratre, & Petro eius F. qui arta custodia, tot annos diuexati fuerant, mortuis, Rex Benedictæ Arborensi Iohannis Arborensis, & Sybillæ Moncadæ F. quæ Iohanni Carrozio nupsit, Bosam vrbem, quæ Iohannis Arborensis ditionis fuerat, propter multa patris in rempublicam merita, & eius posteris condonat. Benedictæ libri Berengarii Carrocii hereditate Comitatum Quirrensem iure repetunt.

Iohannes Ferdinandius Heredia summus, & singularis vir, qui vsum in republica magnum, auctoritatemq; erat consecutus, ordinis Hierosolymitani Magister, cum aliquot actuariis nauibus ex Italia in Rhodum nauigat, in prædonum Turcarum manus de improuiso incidit: diutiusq; manet captiuus.

Septembri mense Gregorius Pont. Max. Auenione egressus, amplissimi ordinis collegio comitatus Rhodano flumine in Italiam nauigat: vt sacrosanctum pontificium tribunal Romę augusta, consecrataque in sede, ex diuturno exilio, & summa indignitatum, & rerum difficilium perpessione, in communi omnium terrarum, & gentium patria collocet: & sacræ, religiosæq; sedes, ac fana, delubraq; diuina ope constituta, & fundata, & Principum tot sæculorum magnificentia & pietate amplificata, & ornata, totius orbis terrarum concursu pie, sancteque adirentur, & colerentur.

Februario mense, de Antonia Barnabouis Vicecomitis Vicarii Imperii, & Galliæ
1377. Cisalpinæ, & Mediolani domini filia Frederico Siciliæ Regi in matrimonium collocanda, Arahone Spinula Lucullo Comite Palatino, & Balthasare Pusterla Barnauobis in Siciliam legatis missis transigitur. C X X. M. florenorum dos dicta est. Nuptiis vero nondum celebratis, neque Antonia in Siciliam transmissa, A. D. VI. K. August. Fredericus è vita excedit. In testamento Frederici patris Maria filia Siciliæ regni & ditionum Athenarum, & Neopatriæ, & insularum Siciliæ adiacentium heres scripta erat: Melita, & Gaulis exceptis: quas Comiti Guilielmo Aragonio F. & eas Germaniæ vrbes, quæ materno Carinthiæ domus iure sibi obuenerant, relinquit. Guilielmum F. quem naturalem filium vocat, Mariæ F. secundum heredē instituit: & in eius locum, nullis superstitibus liberis Aragonii Regis filios heredes scribit: quib. duas filias Guilielmi Peraltæ Calatabellotensis Comitis, & Leonoræ eius vxoris, quæ Iohannis Athenarum Ducis patrui filia erat, substituit. Summæ rerum, in procuratione regni Artallum Alagonem Mistretæ Comitem præficit. Vetera dissidia inter Artallum Alagonem & Manfredum Claramontium, & eorum factiones denuo excitantur: & Sicilia bello, & ciuilibus seditionibus ardet. Manfredi partes Frāciscus Intemelius Comes & eius fratres, Comes Henricus Russus, & Guilielmus Raimundus Moncada suscipiunt.

MARIA TRINACRIÆ REGINA DVX ATHENARVM ET NEOPATRIÆ.

Rex Episcopum Segorbiensem, & Andream Valterram eius fratrem mittit legatos ad Gregorium P. M. de Siciliæ regno à se, hereditaria Regis Frederici maioris patrui actione vindicando, & repetendo: ne sinat, vt ius suum armis persequi necesse habeat: pollicenturque Regem supremum eius regni dominium Ecclesiæ excepturum: quæ à Pontifice reiiciuntur: qui legitimam excusationem habuit: quod Petrus Rex Re-

gis

gis proauus nullo tempore ab Ecclesia ad regnum fuisset adscitus: & vetustarum donationum lege, quas Ecclesia concessu suo sanxerat, feminæ etiam ad hereditarium regnum arcesserentur: vti Reginæ Constantiæ Frederici Imperatoris parenti obuenerat. NAT. CHR.

Præfecti arcium Athenarum, & Neopatriæ, ducesque, atque earum ditionum procuratores, militaresque manus, Frederico Siciliæ Rege vita functo, & femina vacuæ regni possessionis herede, cum de principatu inter Mariam, & Aragoniæ Regem eius auum controuersia orta esset, à Maria, & eius regni procuratoribus deficiunt: & Regi se addicunt: vexilla, insigniaque regia Aragonum Principum Athenarum arce extolluntur.

Iohannes Hugonis Cardonæ Comitis F. natu maximus Iulio mense Iohannam Aragoniam Alfonsi Ripacurciæ Comitis, & Vilienæ Marchionis filiam vxorem ducit.

Bonanatus Zapera ad Babyloniũ Imperatorem, quem ipsi Sultanũ vocant, de Rege, & Regina Armeniæ, eorumque filiis captiuis redimendis legatur. Hi à superiore Sultano, cum Armeniæ minoris potitus esset, capti fuerant: & Hierosolymis regiis custodiis asseruabantur. Præcipue vero à Rege datur opera, vt Maria Regina Armeniæ senior, quæ Siculis Regibus, maximis propinquitatis vinculis adiuncta erat, primo quoque tempore liberetur.

Gregorio Pont. Maxim. decedente, exitiosum dissidium in Ecclesia Dei exoritur. 1378.

Vrbanus VI. Clemens VII.

Rex qua erat prudentia, & calliditate, & alta quadam mente præditus, in summo religionis discrimine, lacerataque Christiana republica, duobus de Pontificatu maximo dissidentibus, & infestissime contendentibus, de grauissimorum, & sapientium virorum, procerumq; sententia Epis suarum ditionũ interdicit, ne in suis diœcesibus ius alterutrius competitorum aut fulciatur, aut refutetur: atque vnus ex Christianis principibus neutram in partem mouetur. His constitutis ad eos, quorum honoris, & dignitatis pontificiæ certamen erat, legati à Rege mittuntur: si tanto accepto incommodo, ad veram concordiam deduci possent. Rationes omnes earum rerum, quæ in controuersiam, disceptationemq; ducebantur, conquiri, explicariq; iubet. Ad Vrbanum legatur Matthæus Clemens regius consiliarius iuris sacri, ciuilisque peritissimus.

Regnum Siculum à Rege hereditaria Frederici Regis maioris patrui substitutione expetitur: quod in ea feminæ à regno reiicerentur: legitimumque se successorem asserit: repulsa ea pactione, quam Gregorius inter Fredericum minorem, & Iohannam Reginam sanxerat: cuius decreti sanctioni fæminæ ad regni hereditatem arcessuntur. Sed Vrbanus Pisano auo generatus, maxime infestus Regi visus est: & Sardoæ, & Siculæ expeditioni aduersarius. Cum sermo ea de re multis audientibus esset institutus, Vrbanus iacit, Regem Sardiniæ regno ab Ecclesia fuisse multatum: seque operam daturum, vti ea res palam denuntietur: & regnum Arborensi Iudici attributurum. Sin autẽ Siculorum rempublicam iniquo imperio misceat, regnumq; inuadat, Aragoniæ regno euersurum, multaturumq;. Sed tãtum abfuit, vt earum minarum terrore Rex commoueretur, vt magna classe adornari iussa, quæ in Sardiniam traiiciat, & Siculis rebus accurrat, ea se transmissurum confirmet.

Valor Ligius Arborensi propinquitate coniunctus Regi se addicit: & Gothianum, & alia oppida Arborensis ditionis illi attribuuntur.

Damianus Catanæus Nicolai Goarcii Genuensis Ducis legatus, & consilium XII. virorum, quibus seniorum nomen indiderant, qua appellatione antiquitus, ii etiam cẽsebantur, qui potestate insignes erant, pactionum earum, quæ cum Genuensibus à Marchione Monferratensi constitutæ fuerant, fœdera renouat.

Arrigus Rocca in Corsica regiarum partium fautor aduersus Genuenses bellum gerit.

Alfonsus Ripacurciæ Comes, quem Henricus Rex, pro tantis in se meritis, amplissimo, & opulentissimo Vilienæ ditionis beneficio, Marchionis cognomine donauerat, Siciliæ regnũ suo iure repetit: cuius actioni Rex se, & Mariam neptẽ, & postremo Iohãnem, & Martinum filios Ludouici, & Frederici Regum sobrinos, propinquitatis iure antetulit: & Alfonsus ab ea mente destitit. Petrus Alfonsi F. Iohannam Henrici Regis, Et Eluiræ Inniciæ Vegæ filiam in matrimonium ducit. Ex eo connubio Henricus Vilienæ cognomine, & Leonora liberi nascuntur.

Vrbanus Iohannam Reginam Neapolitano regno multat: & Carolo Dyrrhachii Duci suppremo Ecclesiæ iure attribuit: quæ res exitio Reginæ fuit. Carolus Ludouici

NAT. CHR.

Dyrrhachini,& Margaritę Sāſeuerinatis Roberti Sāſeuerinatis filię erat fili⁹: q̄ Margaritā conſobrinam vxorem duxit: Caroli Dyrrhachini Ducis, & Mariæ Iohannæ Reginæ ſororis filiam. Ludouicus Pannoniæ Rex, & Carolus Dyrrhachinius, & maior Italiæ pars Vrbano obtemperant: obediuntq́;: Gallus vero Rex Clemētem, tanquam verum Chriſti vicarium denuntiari imperat.

Anni huius initio Epiſcopi, Eccleſiaſticiq́; ordinis viri primarii, & prudentiæ, doctrinæq́; laude præſtantes Regis iuſſu Barcinone congregantur. Fructus, & annui redditus, ac bona Apoſtolico ærario debita, & quæ in poſterum eius iuris futura erant, ſequeſtro committuntur.

Clemente in Galliam prouinciam concitata nauigatione remeante, itinere toto Galliæ ciuitates aduentus eius feſtos, atque ſollemnes dies celebrant. A. D. XII. K. Iul. Auenionem ingreditur. Ex eo ingraueſcens diſſidium, non modo ægre opprimitur, ſed pęne infinitum malum in Eccleſia Dei ſerpere cœpit.

Cum Artallus Alagon Mariam Sicilię Reginam, quam in ſua poteſtate habet, Iohanni Galeatio Virtutū Comiti, Barnabouis Mediolani domini fratris filio in matrimoniū collocandam pacto conuento ſpondet: & claſſe adornata Iohannes Piſano è ſinu in Siciliam traiecturus eſſet: Gilabertus Cruillias repentino v. actuariis nauibus claſſem adoritur: eaque incenſa, milites nautæque ad internecionem cæduntur. Conſumpta, & exhauſta claſſe, Iohannes de ſuo curſu, & mox à matrimonio obeundo reuocatur.

Guilielmus Raimundus Moncada Auguſtæ Comes Aragonum Regis copiarum præſidio, quibus Rogerius Moncada præfectus fuerat, Mariam Reginam, quæ ſub Artalli poteſtate manſerat, ex Catanenſi arce furtim, oppreſſis cuſtodibus extrahit: & actuaria naui deducens in Auguſtæ arcem includit: & paulo poſt Licatam, Manfredi Claramontii oppidum transfert. Sunt, qui eam rem geſtam ſuperiore anno A. D. IX. K. Febr. teſtificentur: & Vrbanum P. M. oculos adieciſſe, vt Maria Regina Franciſco Prægnano fratris F. deſponderetur.

Philippus Dalmatius Vicecomes Roccabertinius Athenarum, & Neopatriæ ditionibus à Rege præpoſitus, comparata claſſe, propugnationi arcium Sardinię occurrit: & vrbes, quæ in Regis ditione erant, præſidiis munit. Aduerſus Bulahabezium Regem, cui Tunetana, Bugienſis, & Conſtantina ciuitates parebāt, quod tributum in ſingulos annos debitum conferre recuſat, bellum gerit: & inde in Atticam traiicit.

A. D. XIII. K. Iun. Henricus Rex ad S. Dominici fanum, quod viæ Traianæ imminet, è vita excedit: patre Rege, maioribuſq́; ſuis digniſſimus: & qui non nefario fratris parricidio obſtrictus regnum inuaderet, ſed qui iuſte, & legitime regnaret.

Iohannæ Neapolitanæ Reginæ legati Barcinonem, ad Regem miſſi de Regina Regi ipſi, aut Iohanni eius F. in matrimonium collocanda legationē renuntiant. Nā Matha Iohannis vxor Armeniacenſis Comitis F. mortem obierat. Quod in magna rerum deſperatione verſeretur, pollicentur Neapolitanum regnum Aragonio contributuram. Rex nuptias reiicit: quod Sibyllam Fortianam, quæ Artallo Focio nupta fuerat, ducere decreuiſſet. Laurentius Valla, qui ex antiquorum annalium monumētis, ac Regum cōmentariis, & plura conquiſiuiſſe & Ferdinandi Aragoniæ Regis, Petri Regis nepotis hiſtoriam concinnaſſe videtur, à Sibylla haud honeſte, & laudate, antequam Regi nuberet, actam vitam innuit: & Iſabellam filiam, quam ex ea ſuſcepit, ante nuptiarum ſollemnia genitam. Iohanna reiectis ab Aragonio nuptiis, Othoni ex Pranſuicienſibus Ducibus enubit.

1380. Huius anni initio Hiberus magnis, & aſſiduis auctus imbribus æqua, & plana Cæſarauguſtæ vrbis loca ſtagnans, in aliū curſum adeo contortus eſt, & deflexus, vt relabentem ſecuta ſit ædificiorum, & prædiorum, hominumq́; ſtrages. Coërcendo flumini extra ripas diffluenti immenſi ſumptus impenſi.

A. D. III. Id. Iun. Barcinone Rex Martinum filium Siculo regno donat: quod eius regni ius Frederici Regis ſenioris teſtamento ad ſe peruenerat.

A. D. III. K. Iul. Neapoli in Oui arce Iohanna Regina Ludouicum Andegauenſem Ducem filium ſibi adoptat: ditionumq́; cis fretum Sicilienſe, futurum Regem inſtituit: Prouinciæ, Folcalquerii, & Pedemontis ditionum heredem ſcribit: Calabriæ Ducatum vti legitimo ſucceſſori attribuit. Ludouicus tanto dono Reginæ addictus, & fœdere obſtrictus, ſacramento adactus obteſtatur, ſe pro regno, & Reginę incolumitate, & Othone Pranſuicienſi Duce Principe Tarentino, aduerſus Franciſcum Andriæ Ducem acerrimum Reginæ hoſtem, tanq̄ pro cōmuni ſalute, arma capturū & Reginæ iniurias vlturum, perſecuturumq́;. Clemēs Auenione XI. K. Aug. iuſſa ea rata atq́; firma futura ſancit: vt Ca-

vt Carolum Dyrrhachinum inimicum, atq; hostem, & Vrbano competitori addictum de regno deturbet. NAT. CHR.

Cæsaraugustæ Ianuario mense conuentus à Rege aguntur. Petrus Luna qui in Cardinalium collegium à Gregorio Pont. max. cooptatus fuerat, à Clemente legatus Hispaniarum regna obit. 1381.

Ianuarii mensis exitu, tanto apparatu Cæsaraugustæ Sibyllæ Reginæ diadema impositum est, & tam frequenti ludorum celebritate popularis lætitia exiluit, vt maiore splendore fieri nequiret, si Rex tunc primum nouus sponsus prodiret: aut regnum adipisceretur.

In Cæsaraugustano conuentu Aragoniæ proceres, & ii, qui hominibus subditiciis dominantur, summo in eos, & supremo iure vti posse, & consuesse, summumque imperii dominatum in caput, & fortunas eorum obtinere: quos ditioni suæ, ac potestati subiectos habent: & à se premi posse atque in eos vitę, necisque potestatem habere contendunt. Nam cum Anzanegi oppidani malæ tractationis actionem, aduersus Petrum Sanctium Latrasiũ, eius oppidi dominũ intendissent, iudiciumq; de ea re constitutum à Rege esset contratendentibus proceribus, & libertatem imminui conquerentibus, eius actionis iudiciũ rescinditur: eiusq; rei nullam esse actionẽ, & nullum experiundi ius constitutum, in posterum obtinent. Deinceps aliis traditum: vt quod nec communi gẽtium, nec legitimo iure perscriptum, aut sancitum erat, publicave, aut priuata lege, aut priuilegio irrogatum, in sua possessione frequenti vsu, & diuturna obseruatione retineant: vt nec Regibus ipsis eius actionis iudicium constituere aduersus impotentem eorum dominatum permissum sit: & maior ea vis, & eius pœna nõ humano, sed diuino iudicio pro maleficiis, ad extremum punienda reseruetur: & quod præclare à prudentissimis viris vsurpatũ dici solet, vnum Deum vltorem, & vindicem habeant.

Dissidentibus inter se potentibus, & factiosis proceribus Lupo Simenio Vrrea, & Ludouico Cornelio, & armis dimicantibus, quod Brianda Luna, Mariæ Lunensis Comitis soror, quę Lupo Simenio Vrreę nupta fuerat, & ab eo diuerterat, Ludouico nupsisset: seditione, & armis ciuilibus Aragoniæ ordines perturbantur.

Iohannes Castellæ Rex Salmanticæ A. D. XIV. K. Iun. consilii mandatiq; paterni immemor, quasi diiudicata Vrbani, & Clementis cõtrouersia, quæ Christianorum Principum distractione Ecclesiam ipsam dilacerat, se Clementem tanquam verum Christi Vicarium suscipere, atq; agnoscere profitetur: suisq; edicit, vti ab vniuerso regno, generatimq; à singulis obseruetur: obtempereturq;: qua in re Regem parum honeste Franco gratificatum apparuit.

A. D. II. Non. Iun. Iohanna Regina vi armorum à Carolo Dyrrhachino hoste oppressa, Ludouicum Andegauensem, quem sibi legitimum filium, & heredem adoptauerat, tumultu Gallico implicitum, in regni societatem adscituram spondet: dum eius præsentia & aspectu frui liceat: sperans ea pollicitatione contra tantam vim, auxilium primo quoq; tempore miseræ matri laturum.

Qui Athenarum, Neopatriæq; ditionum potiebantur, ex acerrima Catalanorum gente prognati, cum Ludouici Nauarri, Caroli Regis Nauarræ fratris, Dyrrhachii Ducis, 1382. qui Iohannam Caroli Ducis Dyrrhachii, & Mariæ, Iohannæ Reginæ sororis filiam duxerat, copiis coactis prœlio deuicti essent, & hostes victoriæ compotes Athenas irrupissent, magna virtute resistunt: & eorum populorum auxilio, qui Helladem incolebant, & Catalanis Atticam ditionem obtinentibus se, suaq; subiecerant, Lebadeam vrbem, quam Nauarri inuaserant, & eius arcem vi expugnant: & ereptæ arces recuperantur: & præsidiis maioribus muniuntur: ac magnis munitionibus firmantur. Classe, auxiliaribusq; copiis, Roccabertino Vicecomite ductore, eorum reliquiæ, dissipatis, perterritisq; hostibus instaurantur. Roccabertinius ex Augustæ arce Mariam Siciliæ Reginam eripit: & in Caralitanam arcem transfert. Regis iussu haud multo post in Cataloniam deuehitur. Ludouicus Andegauensis Auenione à Clemente regni Siciliæ insignibus decoratur: regaleq; nomen suscipit: & eo regno Iohannam, ab Vrbano ditione mulctatam, & Ludouicum Clemens donat: atq; illis, posterisque eorum A. D. III. K. Iun. attribuit. Sed eo ipso tempore Iohanna in Caroli Dyrrhachini Ducis, qui Neapolitanum regnum inuaserat, potestatem venit: & Ludouici Pannoniæ Regis iussu strangulatur.

Petrus Lusinianus Cyprii Rex, Petri Regis filius & Petri Ripacurciæ Comitis ex filia nepos, vt Bernardinus Corius Mediolanensium rerum scriptor perhibet, hoc anno moritur: quem tradit ex Valentia Barnabouis Vicecomitis Mediolani domini filia, filiam progenuisse, quæ patri successit. In nostrarum tamen rerum commentariis apparet Iaco-

bum Petri iunioris patruum Cypri Connestabulum regno fuisse potitum. Iohannes Ca-
NAT. CHR. stellæ, & Ferdinandus Portugalliæ Reges summo virium conatu bellum gerunt. Cum
Ferdinandus Edmundum Cantabrigiæ Comitem Angliæ Regis F. in belli partes adsci-
uisset, Iohannes fines Lusitaniæ incurrens Alfonsum Vilienę Marchionem exercitus du-
ctorē, castris ad Mirobrigam, Ciuitatē Ruderici vocant, admotis, A. D. II. Non. Iul. Con-
nestabulum regni creat: fuitque is primus, qui in eo regno eius magistratus imperium, di-
gnitatem, ac decus est consecutus. Cum exercitus vtrimq; conuenissent, signis in Caia-
no campo inter Pacem Augustā & Ielues oppidum conlatis: ad pacis fœdera Petri Lunæ
Cardinalis pacificatoris suasu deuentum est: pactumq́;, vt Ferdinandus Iohannis F. natu
maior Beatricem Ferdinandi Regis F. in matrimonium ducat.
Leonora Regina Iohannis Regis vxor, Regis Aragonum filia Idib. Augusti Cuellari
appropinquante partu, è vita excedit. Iohannes Beatricem, quæ Ferdinando filio de pa-
cta fuerat, vxorem ducit: vnde semina malorum in contrarias partes se vertere.
Hugone Arborensi Iudice, cuius mores feri, immanisq; natura erat, à suis acerbissi-
1383. ma morte affecto, omnibus enim cruciatibus confectus necatur, & dignum meritis suis
vitæ exitum tulit, Sardinia ad spem libertatis erecta est. Classem Rex institui imperat: vt
Sardois rebus accurrat. Vt in Sardiniam cum classe adornata nauiget, Pontio Senesterræ
ex proceribus Catalanis, qui Violantem Berengarii Carrocii Quirrensis Comitis F. du-
xerat, committit: & Violanti Quirrensis ditionis, & Comitatus iura, honorario titulo at-
tribuit. Brancaleo Oria, qui Leonoram Hugonis sororem in matrimonium duxerat, Mō-
tione a Rege conuentus agente benigne excipitur: & in celeberrima frequentia militari-
bus insignibus: & Montisleonis honorario Comitis titulo decoratur: Marmilæq́; oppido,
ac ditione donatur. Sardi, quod ea maxime tempestate iugum seruile deiicere, aut Genu-
ensi ciuitati se addicere nituntur, portus omnes occupant, tuenturque.
Rex ab Vrbano, si in se aut promerendi, aut proferendi beneficii locum habere ve-
lit, facile impetrare sperat, dum res publica Christiana tanto dilaceratur dissidio, vt Sicilię
regnum iisdem conditionibus, pactisq; sibi attribuatur, quibus ab Vrbano item IV. P.M.
Carolo primo delatum fuerat. Sardoum etiam tributum, Ecclesiæ debitum cum conti-
nentibus bellis, ob eius insulæ propugnationem, ingenti suorum stragē atq́; internecio-
ne Aragoniæ regna exhausta, ciuitatesque exinanitæ essent, condonari, ac remitti expo-
scit. Decumarum ecclesiasticarum fructus in decennium in sumptus bellicos redigi, &
vti Montesæ magistratus, Ampostæ Hierosolymitanæ militiæ præfectura, & Cataloniæ
eiusdem instituti prioratus à se conferri possint, & vectigalia militiæ D. Iacobi, & Cala-
trauæ suorum regnorum, nouo ordini à se instituendo contribuantur: & plura alia digni-
tatis, supremiq́; Pontificii iuris postulat: Darocamq;, & Setabim vrbes Episcopalibus
sedibus decorari: & vt diœceses illis assignentur deposcit. Tam multis de rebus, atque
tantis ad Vrbanum à Rege Petrus Guilielmus Estamboisius, & Matthæus Clemens Apo-
stolicarum causarum iudex, Regis consiliarius legantur: atque eorum legationi comites
admouentur Guilielmus Valsicca, & Petrus Zacalmus iuris, & Canonicarū sanctionum
consultissimi viri: qui penitus naturam, rationemque iuris, & rei gestę à competitoribus
perscrutentur.
Dertosæ A.D.IIX.K.Mai. Rex conuentus Montionem indicit. Cum Aragonii, Va-
lentini, Catalani, Balearicique eum in locum conuenissent, de summa maiorum suorum
Aragonię Regum, & Barcinonensium Comitum, & perfecta gloria multorum, & ma-
gnorum in patriam meritorum concionatur. Summatim eorum commemoratione re-
petita recenset, à Vulturis monte, qui supra Oscam, inter Pyrenæi iuga eminet ad Origue-
lam Contestanorum vrbē, & Tamarito, maritimo ad Tarraconē oppido ad Turiasonem
celebrem Celtiberûm vrbem, insignia videlicet regna, maxime fideli, & opportuna suo-
rum opera armis subacta: & à Maurorū crudeli dominatu vindicata. Eo vsus exēplo, ad si-
milem virtutē, & simile factum eorū stirpē excitans, Sardois rebus ope, atq; consilio auxi-
lioq; suorū subueniri oportere prędicat. Conuētus de re publica referendū censent. Mar-
tinus ipse Regis F. quod admirationem magis mouet, totius conuentus nomine refert, in au-
la regia, & Ducis Gerundæ fratris domo contra ius, fasq; perniciosa, & iniusta iussa vige-
re: acerbissimis exactionibus imperatas pecunias cogi: remiges, arma, tormenta, vectu-
rasq; imperari: regium statum deminui, atq́; conuelli. Ea omnia Regis, ac Ducis Gerundę
consiliariorū culpa induci: atq; irrogari. Eos esse, qui arcana regni, summæq; rerum Petro,
& Henrico Castellæ Regibus, atq́; Arborensi, & Ludouico Andegauensi, & Genuensi
senatui, Siculisque proceribus turbantibus protulerint: & qui Balearicum arma inferen-
tem, exterasque nationes subita, atque improuisa formidine incursantes pellexerint,
atque

atque ad nos traduxerint: quibus, pro tantis flagitiis, atque sceleribus magna essent præmia persoluta. NAT. CHR. Cum Rex in eos studiose inquiri imperaret, aliquot proceres, primarique viri & aula, & Ducis domo exiguntur. Magna mox contentio toto conuentu exoritur: quod ex eo consessu, Rex Vicecomitem Rotensem, proceresque alios depellere imperasset. Hi fuere Gasto Moncada, Aimericus Scintillias, Iohannes Bellera, & Garcias Ferdinandius Heredia Ausetanus Episcopus. Magnæ inde seditionum incursiones vi, atque impetu procerum concitantur.

Leonoræ Arborensis ductu petulantis, & ad facinus audacis feminæ magnum in 1384.
Sardinia bellum concitatur. Cum ducis munia per eos dies obiisset, plurimarum arcium, & oppidorum Hugonis fratris potitur. Brancaleo eius vir, apud Regem commorans, cum in suspicionem venisset, profectionem suam in Sardiniam maturare, vt arma caperet, totius conuentus consilio, quamuis fide publica in Cataloniam venerat, domi septus, liberali custodia retinetur. Cum pollicetur Fredericum Oriam filium, quem Sardi Iudicem sibi adsciuerant, atq; in eius verba iurauerant, obsidem traditurum, huius anni initio Bartholomæo Togori, & Lupo Aluaro Speculo à Rege traditus in Sardiniam deuehitur. In Caralitanam arcem inclusus, in ea custodia, quoad Rex decedit, retinetur. Nam Leonora eius vxor impotentis, & effrænati animi femina, non minore impetu, atque conatu, quam pater, fraterve occupare tyrannidem adnititur: Genuensique ciuitate nixa Sardoregno imminet.

Conuentu Montione in Februarium mensem producto, Tamaritum Litterensis regionis oppidum, & inde Fragam transfertur. Eo in conuentu ditiones, oppidaq; à Rege Sibyllę Fortianæ Reginę vxori, & Isabellæ filiæ, Bernardoque Fortiano Reginæ fratri donata rata, firmaque fiunt. Hinc acresconte ntiones, atque dissidia, non modo Iohanni priuigno cum nouerca, sed patri cum filio exstitere: Rege perpetua obliuione obruto, quæ in ipso regni adipiscendi aditu, aduersus nouercam, eandem ob causam molitus fuerat.

Iohannes Gerundæ Dux patre inuito, & refutante, qui Mariam Siciliæ Reginam neptem in matrimonium filio collocare statuerat, Iolantem filiam Roberti Barensis Ducis, & Mariæ Iohannis Francorum Regis filiæ ducit: magnaque inter eos seditio, atque discordia concitatur. Eo feminarum æmulatio eruperat, vt in partes domum regiam distraxerit: & procuratione regni paulatim filius, ad quem lege peruenerat, amouetur.

Rex Iohannem Emporiarum Comitem patruelem fratrem, & primo affinem, ac mox generum, quod Iohanni primigenio à se dissidenti se addixerat, bello persequitur: eumq; Castellionem, in ipsis vestigiis Emporiarum vetustæ vrbis, pluribus ante sæculis prostratæ, atq; dirutæ situm oppidum includit: obsidetq;. Totius Emporitani tractus celebris, & amœni loca oppugnat: atque incursionibus vastat.

Vitta, aliique Galli ductores c c c. equitum galeatorum turmis præfecti stipendia Emporitani Comitis merentes, qui suum auxilium Iohanni Gerundēsi pollicitus fuerat, omniq; festinatione suasore, atq; impulsore Iohanne ipso regis F. Comiti subuenire properantes, in Ruscinonensem comitatum Marzano Pyrenæi saltu transgrediuntur. Eiusdem Iohannis suasu, atq; consilio, qui Emporitanum pessundedit, M. equitum Gallorum turmas prouinciam Galliam incursantes, atque deuastantes Comes mercede conducit: quibus omni Catalano equitatu, peditatuq; Rex vna cum Iohanne ipso filio ad Pyrenæi radices occurrit: totaque hieme in armis permanet: quo facilius subsidium prouinciæ ferri posset.

Martio mense Bernardus Armeniacensis Comitis Armeniacensis frater, qui Io- 1385.
hanni Emporitano Comiti, contra tantam Regis vim, auxilium se laturum pollicitus fuerat, vltro bellum inferens Narbonis vrbis finibus appropinquans, Isabellæ Balearici sororis causam, bellumq; suscepisse prædicat. Rex Gastonem Mōcadam ad Riuipulli tractum bellicis copiis præficit: vti externarum copiarum aditum, atque incursum arceat.

Iohannes Gerundæ Dux, qui & auctor, & concitator eius tumultus fuerat, exploratis hostium rationibus, Pyrenæi saltu transcenso, c c c. tantum equitibus comitatus cōcubia nocte, incredibili festinatione accelerans, albente cælo, Durbanum oppidum Ruscinonensi regioni finitimum, quo se exultantes Gallorum copiæ receperant, tanto impetu adoritur, atque oppugnat, vt capti pæne imbelles, direptique fuerint.

Externo hoste in terra Gallia male multato, ac pæne deleto, cuius timore antea diuidere præsidia, & oppida munitione circumdare Rex cogebatur, Vitta, aliique Gallici ductores, qui in Ruscinonensem regionem inuaserant. A.D. I X. K. Iul. fide publica

X 4

NAT. CHR.

Carmencionem regrediuntur: vt in Galliam prouinciam inde reuertantur. Emporitanus propugnationis Castellionensis diffisus actuaria naui Vrgellitani Comitis Auenionem Rhodano subuectus, eo consilio, atq; animi obstinatione contendit, vt bellum nouo delectu, aduersus Regem cūcta affinitatis iura proterentē atq; conculcantē redintegret.

Rex Ficariis repentinæ incursionis timore sublato, cum bellum, aut illatum defendit, aut Emporitano infert, in æstiuis rem militarem collocans, Augusto mense in grauem morbum incidit: adeoque vehementer ægrotat, vt eius desperaretur salus. Breui conualescens bellum Emporitana regione promouet: & genero infensus, exacta ætate nihil antiquius Castellionensi obsidione ducit: nullum sibi inexpugnabilem locum arbitratus.

A. D. XIX. K. Sept. ad Aliubarotam Iohannes Castellæ Rex funesto, & calamitoso prælio cum Iohanne Dauisii Magistro, Ferdinandi Regis fratre, penes quem regimen summæ rerum ceciderat, de Portugalliæ regni successione, ac iure decertans profligatur. Cecidere ex Castellana nobilitate, captique fuere maxime splendidi, atque inlustres viri. Petrus Alfonsi Comitis Ripacurciæ, & Marchionis Vilienæ F. mortem occumbit.

Cum Regi, & Sibyllæ Reginæ cum Iohanne Gerundę Duce summa esset dissensio, diuisa namque, & discors aula erat, vehementibus in Fortianam, aut Iolantem studiis, Iunio mense Iohannes Castelfollitum cum Iolante vxore se recipit: Garcia Ferdinandio Heredia Ausetano Episcopo, & Insulę, & Roccabertini Vicecomitibus, ex primariis consiliariis eos affectantibus. Rex summa vi nititur, vt Constantiam, quæ Francisco Periliosio viro vita functo, Petro Fenolletio nupserat, & Iolantis Iohannis Ducis Gerundensis vxoris arcanorum compos, atque quodammodo moderatrix erat, summęq; consiliorum eius factionis præficiebatur, è nurus domo exigat: eiusque bona publicat.

Rex aduersus Emporitanum, summo cum studio, de bello instat, atque vrguet.

Regina Fortiana operam dat, vt primores regni ciuitates sponsione, pro sua salute, ac defensione, aduersus priuignum obligentur: ditionesque ac bona tueantur.

Castellio Emporitanus Regi deditur. Comes nimium pertinaciter Regi infensus, & obstinatione bellum alere cupiens, Iohannem Bononiensem Bononiæ Comitem, DCCC. grauis armaturæ equitum ductorem, ex vltimis Morinis deducendum curat, vt Emporitanam ditionem ereptam recuperet.

1386. Barcinone sacrum Resurrectionis Domini diem Rex festa, sollemnique pompa, regioque apparatu celebrat: quod quinquagesimus regni adepti annus conuersus esset. Eam ob causam, quod ne fando quidem erat auditum, ab Episcopis, & ecclesiastico ordine, in suæ quinquagenariæ lætitiæ sacra celebranda, pecuniarum subsidia appetit: atq; deposcit: vniuersque à regnorum incolis ea collatio indicitur.

Aprili mense Iohannes Gerundæ Dux, & Carolus Caroli Nauarræ Regis F. Cæsaraugustæ magnis fœderum vinculis deuinciuntur: paciscunturq;, vti Iohanna Caroli F. Iacobo Iohannis primigenio filio nubat: & regni Nauarræ, & ditionum Galliæ, Castellæ, & Gothicæ prouinciæ, hereditatem, si nulli superstites liberi prolis virilis Carolo fuerint, adeat. Iohanni non spes modo propinquæ successionis, sed ipsa patris alienatio gratiam, dignationemque apud ceteros auxerat.

Rex Barcinone A.D. X. K. Mart. Dominici Cerdani Iustitiæ Aragonum magistratum gerentis, quod Primigenii causam iuris præsidio fouet, neq; eum inauditum de procuratione regni deiici permittit vitæ, bonis, ac familiæ vniuersæ perniciem minatur: nisi Constantiam Periliosiam in carcerem detrudat.

Iohannes Bononiensis Gallicarum copiarum ductor ad Ruscinonis fines aduentat: & Emporitanus se illi adiungens Emporitanam ditionem vindicaturus Citgiæ subsistit. Maior exercitus pars Cabestani finibus Vittam, & Bruniqueli Vicecomitem cc. galeatorum equitum ductores præstolantur. Copiis tamen suis diffisi, neque ad Emporitanam ditionem recuperandam se pares arbitrantes, præsertim cum intra impendentium montium altitudines castra metaturi essent, omnesq; aditus septos pertimescentes, repugnante Emporitano Pyrenęi iuga, saltusq;, non modo conscendere, sed Ruscinonensem regionem adire recusant: & in Aruernos regrediuntur.

Rex Iohannem filium procuratione regni priuat: imperatque atque edicit, ne quis primigenio pareat. Iohannes anxius exploratis in se patris, nouercæque odiis, vt aduersus regiam potestatem iuris imploraret auxilium, Dominicum Cerdanum summo Iustitiæ Aragonum magistratui Pręfectum appellat: ad eumq; prouocat: eoq; perfugio, & legum præsidio aduersus maiorem vim regiæ potestatis munitur. Præfectus, vt est consuetudo, de vi interdicit. Tantum communi libertati tribuitur: vt princeps de suo iure, & de legibus

gibus disceptaturus ad eum potius magistratum venire, necesse habuerit: cum is magistratum gerat, qui à Rege creatus sit. Eius namque magistratus interdictis oppositis, nihil regii imperii, aut summæ potestatis sit reliqui: quoad magistratus suum, de interdicti iure iudicium pronuntiet: & sententiam ferat: ne dignitatis regiæ præstantia, æquabilitatem cōmunis iuris transeat: aut vi oppressos extraordinario imperio coerceat. Cerdanus in causa populari, maximeque plausibili perpetua constantia in proposito, susceptoque consilio permansit. Eam enim vim intercessionum, inhibitionumque Præfecturæ Iustitię Aragonum maiores esse voluerunt, vt nihil inuiolabilius, sanctiusve ducant: & ad eam summam omnia referri velint: vti ii restituantur, qui vi compressi, constricti, aut depulsi, deiectiue fuerint: eaque religione obseruant, & in ea positum fuit semper ratione, atque sententia, vt eius Magistratus ea vis sit, vt præscribat regiis iudicibus, ne quid aduersus interdicta, intercessionemque attentent: moliantur ve. Inde id perfugium, quasi pręsidium communis salutis, legum, & institutorum venerantur: obseruant: arte tenent: accurateq; tuentur: ac primigenium regni heredem ad ea legis præsidia decurrisse, ciuitates omnes gloriantur.

Augusto mense exacto Leonoræ Arborensi, & Sardis, qui à Rege defecerant, certæ pacis conditiones dicuntur. Ditio omnis à Mariano Iudice patre, ante defectionem possessa filiæ attribuitur. Brancaleo Oria maritus ex Caralitana arce emittitur.

Condicionibus Sardoæ pacis institutis, cum Antonioto Adorno Duce, Senatuque Genuensi à Berengario Apilia Aragonii Regis mandato, & Lucino Escaramupio Antonioti Adorni Genuensis Ducis nomine legatis pactum est: ne actuariæ naues in Ligustina ora à Monœci portu, ad Coruum vsque, nisi Genuæ, Sauonæ, Albigauni, Albintimilii & Veneris portu ædificentur, instruantur, armenturve. In reliquis maribus Peræ, Caphę, Famaugustæ, & in Chio insula instituantur, ornenturque. A nostris ædificandarum, armandarumque nauium stationes, portusque designantur Barcinonensis, & Valentina statio: Maioris, Minorisque Balearium, Ebusitanus, Caralitanus, & Alguerienſis portus: instituta q; Rhodiorum imitati nauigationi, commercioq; maritimo consulunt. Pacta ea Barcinone A. D. IV. Non. Nouemb. confirmantur.

Iohannes Lancastrius magna adornata classe, in Galleciam nauigat: & Castellæ regnum vxorio Constantiæ Petri Regis filiæ iure adoriri conatur.

Philippo Dalmatio Roccabertinio classe Aragonia Siciliensibus, & Sardois rebus implicito, Rogerius, & Antonius Lauriæ fratres Rogerii Lauriæ nepotes rebus Atticis, & Neopatrensibus præficiuntur: ditionesque eas ab hostilibus incursionibus tuentur. Ludouico vero Frederici filio Aragonio Solensi Comite vita functo, Helena Cantacuzina primaria, & præpotens femina eius vxor, quæ à vicinis iam Turcis bello premitur, à Rainerio Acciaiolo vrguetur: vt filiam Petro Sarracino, is erat Rainerii affinis, & primarum in Eubœa partium, in matrimonim collocet. Sed Helena Rainerii audaciam, atque arma vltura, filiam Xuro Simeoni Imperatoris Valachię filio Græcis, & Francis inuitis despondet. Ex eo, laceratis intestino dissidio ditionibus Atticis, Catalanorum stirpis natio in medium rerum omnium certamen, atque discrimen decidit.

Regi cum Petro Clasquerino Tarraconensi Antistite, pro absoluenda eius ciuitatis iurisdictione, acre certamen suboritur. Raimundus Alamanus Ceruilionius oppidis ecclesiasticæ ditionis, ac iuris bellum infert.

Quod Rex Cum Margarita Regina Caroli Dyrrhachini Regis vxore, qui libere Neapolitano regno potiuntur, plurima summæ coniunctionis vincula constituere decreuisset, Octobri mense Regina Antonium Carletam ad Regem legatum præmittit: de Isabella Regis filia Ladislao filio in matrimonium tradenda.

Cum Gerundæ Iohannes Dux diuturno, & iam desperato morbo conficeretur, vt vim veneficii vicina iam morte in se grassari sentiret, ea enim fama emanarat, Rex A. D. XI. K. Nou. imperat, vti iurati magistratus Gerundenses Iacobum Iohannis natu maiorem filium in suā potestatem recipiant: ne patre vita functo, aut Iolans mater, aut ii proceres, qui Iohanni se addixerant, nepotem intercipiant. Accedebant muliebres offensiones nouercalibus Reginæ in Iolantem stimulis.

A. D. IV. K. Ian. Barcinone Rege animam agente, Sibylla Regina media nocte, Iohannis priuigni intimum, & inueteratum odium pethorrescens è regia cum sorore aufugit. Reginam in tanta rerum perturbatione Hugo Palliariensis Comes, & Reginæ domus administri comitātur. Iohāne eius rei cōscio, Martinus frater regiæ pcurationi pręficitur: & Barcinonē cū imperio pmittit. Iolās vxor omnib. Reginæ, eiusq; assectatorū ditionib⁹, possessionib⁹, atq; fortunis, quasi lęsę, & deminutę maiestatis, rei atq; cōuicti esset, donat. 1387

Carolus Nauarræ Rex K.Ian.decedit.

NAT. CHR.

Martinus Barcinone copias educens Reginam, atque eos, qui in fugam se contulerant, persequens, A. D. III. Non. Ian. Zaroccæ castellum obsidet: quo Reginam incluserant: qui eam fuerant persecuti. Vere, ac libere, vt institutum nostrum postulat, hoc dici potest: eo vno facinore Iohannem nondum exploratis regni primordiis, patrem imitari atque exprimere visum: si in extremo patris spiritu, & ipse præterea grauissimè ægrotans, sui vlciscendi causa, supplicium de nouerca sumat: cum parentis alioqui laus magna ex parte fuerit: quod se dignum maioribus suis præbuerat: nisi in fratrum sanguinem desæuisset.

Non. Ian. Barcinone, in minore regia Rex ætate prouecta, & variis, diuersisque generibus bellorum & intestinorum malorum perfuncta, cum vehementer pœnituisset, quod in ditionem ecclesiastici iuris Tarraconensis irruisset, è vita excedit. Ea opinione tota Tarraconensis ciuitas obstricta est, tantaque religio mentes illorum inuasit, vt nulla frequentior fama sit, quam cuius Gonzaluus Garcias S. Mariæ, & Gaubertus monachus auctores sunt: Regem vltricibus furiis, & recentis facinoris, ac sceleris vindicibus agitatum mortem obiisse. Nam cum superiore anno in iura, & ditionem Tarraconensis Ecclesiæ inuasisset, & sacerdotes immissis copiis diuexasset, & ecclesiastica ditione euertisset, neq; vllo iuris præsidio, humanove imperio regia vis coërceri posset, eum ordinem D. Teclæ tutelaris numen implorasse memorant: & Regem reum citasse: vt ante Dei Opt. Maxim. tribunal sexagesimo die adesset. Præstituta die, manu percutientis diuæ, acris sui numinis vindicis ore stimulato, commissi sceleris cruciatu incitatum, erepta restitui iussisse: & graui, & manifesta pœna exacta, morte fuisse multatum. Ad Populeti regio tumulo sepelitur: neq; funeris sollemne, in tanto noui principatus tumultu, perinde, ac superioris ætatis Regibus celebratur. Nam Reginę fuga, & obsessione, plus quam alia vlla ex re terroris ortum: interna diffidia, & externam vim, Rege morbo confecto, circumspectantibus.

IOHANNES XX. ARAGONVM REX.

Fortiana Regina, & qui se in Zaroccæ castellum abdiderant, A.D.IIX.Id.Ian. Martino Regis fratri deduntur.

A.D.XVII.K.Februar. Granolesio vico, Rege Barcinonem contendente, & animi vires graui corporis infirmitate retardante, Martinus frater Momblanci oppidi ditione, & Ducatus honorario cognomine decoratur.

Cum Barcinone Rex adeo graui, & desperato morbo esset affectus, vt ei mors appropinquare visa esset, veneficiisq;, & cantationibus confici contenderent, de veneficio constituitur quęstio: & seruilem in modum habetur. Fortiana Regina ceteriq;, qui cũ ea capti fuerant, in quęstionem postulantur: & tormentorum cruciatibus nouerca à priuignoRege subiicitur: crudelesq; inde quęstiones in propinquos, clientesq; Reginę habitę: & quod positas Regi insidias deferrentur, graues aduersus eos, seueræq; sententiæ feruntur.

A.D.II.Non.Febr. Barcinone Rex Petro Luna Cardinale legato assidente, quasi pro suo iure edicit, atque decernit, prima Cardinalium comitia quibus RomęVrbanus Pont. Max. renuntiatus fuerat, vi, atq; impressione habita: ea vero, quibus Clemens creatus erat, legitima, iusta, sanctaq; fuisse: eiq; obedire, & parere omnes, vti vero Christi vicario ius, fasq; esse. Consilio muliebri, vt aiunt deteriori, tanta res gesta est. Nam Frossardus, grauis in primis eiusdem ætatis auctor perhibet, Regem à Iolante regina eius vxore, Barensi Duce suasore, atq; impulsore inductum, vt in Clementis verba adigeretur: cum pater consulto neutram in partem moueretur: maximoque id populi applausu, acclamationeque acceptum: vt est nouarum rerum cupiens, præposterusq;.

A.D.IIX. Id. Mart. Barcinone, in minori arce, constituta, & scita Barcinonensia, & priuilegia more à Rege iureiurando sanciuntur. Donationes à patre ex A.D.XIII.K.Ian. anni MCCCLXV. in eam diem factas reiicit. Catalani fidei sacramento in eius verba iurant.

Cum Lancastrius in Gallaicis bellum aduersus Iohannem Castellæ Regem moliretur, ac de inito fœdere cum Eduardo fratre Waliæ Principe, & equitum, peditumque auxiliis mittendis Aragoniæ Regem compellasset, deque ea re Archiepiscopum Burdigalensem legatum misisset, isque Regem patre fato functo, pertinaci, & nimis acerba locutione, atque minaci perculisset, Rex indignitate permotus legatum in ordinem redigit: liberaliq; custodia detineri iubet. Anglorum copiæ, quod legatus indignissime attingeretur, transcenso Pyrenæo bellum inferunt: & Castellum Rossanum subita irruptione expugnant. Burdigalensis Pontifex è custodia emittitur. Frossardum vnum auctorem eius rei exstare comperio.

A.D.

A. D. XV. K. Apr. Barcinonensi statione Philippus Dalmatius Vicecomes Rocca- NAT.
bertinius classe in Peloponesum nauigat: qui Athenarum, & Neopatriç ditionibus à Re- CHR.
ge præfectus fuerat. Arces, propugnaculaq; omnia earum ditionum, quæ in potestatem Petri Paui redacta fuerant, à Rege Roccabertinio tradi imperantur.

Ianuario mense Rex Leonoræ Arborensi ditionem paternam, quæ in fiscum con- 1388.
uersa fuerat, recepto supremo regio iure, ac potestate attribuit. Sardiniæ, & Corsicę insulis Simonem Perezium Arenosium præsidem, ac propugnatorem præficit.

A. D. VI. Id. Apr. Barcinone in cœnobio Valdoncellensi pacta cum Leonora Arborensi & eius filio inita, rata, & firma Regi fiunt. Simon Arenosius cum ccc. galeatis equitibus, in Sardiniam nauigat.

Iulio mense Robertus Praga Venceslai Romanorum Regis legatus Regem salutat. Benigna is oratione retulit: Venceslaum conciliari Regi ad beneuolentiam, quam maxime cupere: & vt Iohannam filiam illi in matrimonium collocet. Similitudo magna morum illicere, atq; attrahere hos maxime Principes visa est. Ambo aucupio, atq; venationi supra modum dediti, belli studia deposuerant. Symphonia, & cantu vocum, neruorum, & tibiarum totæ regiæ personabant: intempestiua semper conuiuia, multarumq; deliciarum comes extrema, vt ille inquit, saltatio: & molli, & effeminata copia omnia ad voluptatem referebantur. Adeoq; more, & instituto id vsurpatum, vt Henricus Viliena, non minus multiplici, & recondita litteratura, quam antiquissima Regum Aragoniæ, & Comitum Barcinonensium stirpe, & Henrico Castellæ Rege auo materno clarus, referat, haud secus, ac de suis rebus maximis Regem legatos ad Francorum Regem, sollemni, publicaq; legatione misisse, vt vernaculæ linguæ celebres poetæ in Hispaniam ex Narbonensis prouinciæ scholis traducerentur: & studia poetices, quam Gaiam scientiam vocabant, instituerētur. His vero, quorum ingenium in eo artificio elucere videbatur, magna prēmia industriæ, & honoris insignia, monumentaq; laudis esse cōstituta. Postremo Rex desidiæ, atq; inertiæ deditus, non modo patris, flagrantis animi Principis, & regio plane spiritu prēditi, sed ceterorum Regum omnium longe dissimilis comessationibus & voluptatibus affluens, vxorio arbitrio se, & gubernacula regni, & rempublicam tradiderat.

Rex suorum regnorum, & adiacentium insularum conuentus Montionem: in A. D. III. Non. Nou. indicit. In eo conuentu, cum morum, & veteris disciplinæ seueritas, & frugalitas desiderarentur, ac quodammodo nostri patriam virtutem proiecisse viderentur, & molles cultus, muliebriaq; imperia viri fortes detestarētur, exposcerentq;, vt disciplina militaris ad priscos mores redigeretur, de conformandis moribus, & Regis, Reginæque aula ad pristinam temperantiam communienda, & in ordinem redigenda referunt: & vt certi dissoluti, profligatæque vitæ homines domibus regiis exigantur. Aliquot præterea capita exponuntur, explicanturque aduersus Carrociam Villaragutam primariam feminam: cui se Regina toto animo dediderat, addixeratque: & in cuius sinu status regni mysteria reponebantur: cuius arbitrio, cum omnium Regis consiliorum, aut conscia, aut particeps esset, honores, dignitatesque, præmia, & beneficia inconsulte, & temere, nulloque adhibito modo, conferebantur. Harum se partium veluti censores, & morum magistri, profitentur Alfonsus Vilienæ Marchio, Iacobus Dertosanus Episcopus eius frater, Iacobus Pratensis, Bernardus Caprera, Insulæ, & Rotæ Vicecomites, Petrus Queraltus, Iohannes Bellera, & Raimundus Bagius: qui magnis coactis copiis, cum Calasanctium recessissent, seditioque magna concitaretur, aliquot ex regiis intimis eos ad pugnam prouocant. Res eo deuenit, vt contractis vndique auxiliis, armis decernerētur: nisi Regis mansuetudo, & lenitas ab his longe abhorreret.

A. D. VI. Non. Mart. Cæsaraugustæ ad Orbæ fluuii ripas, in æde D. Encratis tumuli 1389.
eius diuæ, & S. Lupercii martyris, effodiuntur, cum fundamenta ruderibus reiectis iacerentur, quibus sacra corpora condita fuerant: summaque veneratione ac religione eorum sacrarium constituitur: quos præcipue diuos nostri precari, venerariq; consueuere: quod iis populus, ciuitasq; Cæsaraugustana in tutela sit. Ædem eam sacram à D. Braulio Cæsaraugustano Episcopo insigni sanctitate illustri, & non solum amicitia, sed studiorum communione D. Isidoro coniuncto exædificatam, sunt, qui non sine certa ratione opinentur. Illud satis apparet, Isidorum ipsum, Cæsaraugustam vrbem, non modo loci amœnitate, & deliciis affluentem cunctis Hispaniæ vrbibus præstitisse, asserere, sed sanctorum martyrum sepulchris. Cœnobium consecratæ ædi continens priscis temporibus monachis D. Benedicti dicatum, & patrum memoria sumptu, ornatuq; regali constructum sub D. Hieronymi tutela, & instituto incolitur.

Cum corruptelæ omnis generis inoleuissent, & ob eā causam magna partiū contentio

NAT. CHR.

secessione procerum in regno versaretur, A.D.VI. K. Sept. fides publica à Rege Alfonso Vilienæ Marchioni datur: vt cum Martino fratre Binefari, vna cum assectatoribus ad colloquium, congressumq; veniat.

A.D.VII. Id. Septemb. vti fide publica Montionis conuentui Marchio, eiusque partium assectatores assideant, à Rege est permissum: sigillatimq; Lupus Simenius Vrrea, Iohannes Simenius Vrrea Atrossilius, Alfonsus Ferdinandius Ixeritanus, & Garcias Sesesius, qui Marchioni, eiusq; expostulationi diffluentium regiæ domus morum coërcendorum se applicuerant, fide publica in conuentum veniunt.

Garcias Ferdinandius Heredia Cæsaraugustanus Archiepiscopus.

Regio edicto Carrocia Villaraguta domo regia exigitur. Consuetudine præterea, & familiaritate Reginæ, Gerundæ Ducis Regis primigenii, Martini Regis fratris, regiæque stirpis procerum interdicitur: ab omniq; fungendo munere amouetur: conuentusq; decreto sancitur. Decernitur etiam: vti diffluentes regiæ mores in ordinem redigantur, coërceanturq;: & dum notio, opusq; id censorium conficitur, Archiepiscopus Cæsaraugustanus Montione excedat.

Vrbano vita functo, qui Romæ A.D.VI. Id. Oct. obierat, Perinus Thomacellus Neapolitanus S. Georgii Cardinalis, nuncupatus Bonifacius IX. in eius locum sufficitur.

Bernardus Armeniacensis Comitis Armeniacensis frater, magna Anglorum, & Gallorum collecta colluuie, quamuis initio latrocinantium more grassarentur, iusto exercitu coacto, traiecto Pyrenæo, in Emporitanum agrum incurrit. Eæ copiæ ita ruunt, atq; turbantur, vt earum motus, atq; impetus quo pertineat, vix à Rege prouideri posset: horribilisque strages toto eo tractu edita.

Hoc anno in Montioniana arce decedit Ferdinandus Regis, & Iolantis Reginæ filius.

Barcinone Rex festum Natiuitatis Domini diem celebrat.

1390. Bernardus Armeniacensis nimius animi, Reges contemnere, & odisse visus, bello gerendo dux creatus in intimam Cataloniam bellum infert, & strenue gerit. Neq; alia bellandi potior causa visa est, quam vt eæ copiæ temerario cursu insultantes bello se alant.

Id. Februar. Dominico die Carolus Nauarræ Rex Comes Eburouix in Pompelonensi Ecclesia regium diadema suscipit: & à Martino Zalba Pompelonensi Episcopo, Petro Luna Cardinali legato Apostolico adsidente corona imponitur.

Februario mense externarum copiarum exercitus Armeniacensi ductore Bisuldunum nobile oppidum ad ipsa Ausetanorum, & Indigetum confinia obsidet. Omnes, qui per ætatem arma ferre possint, æreo sonitu more gentis, ad bellum coguntur: concitanturq;. Bernardus Caprera, quo in adolescente magna indoles virtutis fulgebat, cum in tam præcipitem casum res publica recidisset, anteuertens, ne nostri oppido desperarent, cum in eo præcipua defensionis præsidia constituissent, obsidionem subit.

Armeniacensis Comes magnas militum copias ex Armoricis ciuitatibus Ducatus Britanniæ, & Comitatus Monfortis cogit: vt fratri opem, auxiliumq; ferat: neque ea res obstitit, quod Britanniæ Dux Iolantis Aragoniæ Reginæ auunculus esset. Vt mirum videri debeat, quod à Petro Tomichio Catalanarum rerum scriptore, cuius ætas in hæc tempora incidit, memoriæ proditur, earum hostilium copiarum manus XIIX. M. leuis armaturæ equitum numerum compleuisse.

Mense Martio, Rege Gerundæ assidente, cum Galli, non Emporitano modo tractu, sed Indigetum, & Ausetanorum regionibus se effudissent circiter IV. M. equitum, ingentique peditatu, graui delectu collecto, Bernardus Caprera, quod in omnes partes Gallici equites quam latissime peruagarentur, celeritate præcurrens, ad Nauatam, cum hostilis equitatus parte confligit: acerrimaque pugna summo conatu pugnata hostes cæduntur, atq; delentur.

Raimundus Bagius ex Catalanis proceribus dux præstantissimus cum Mastino externarum copiarum ductore primario, ad Cabanias in certamen deuenit. Hostes funduntur, & Mastinus à Berengario Villamarino Emporitano strenuo duce in acie capitur.

Cum hostes ferocius primo insultantes male multati repulsi essent, Rex, qui suos à prœlio continuisset, atque in præsentia satis habuisset hostem rapinis, pabulationibus, populationibusque prohibere, cum exercitum confecisset, K. Apr. sacro Cœnæ domini die, Gerunda magno impetu egreditur: cum hoste prœlio dimicaturus. Galli cognito Regis aduentu, subito terrore percussi prœlium deuitantes, ad montes se conuertunt: & Pyrenæum concitato cursu transcendunt. Ea ipsa die instructis aciebus, cum ea manus mirabili

rabili pugnandi alacritate flagraret, Rex Petrum Latronem Villanouam insigni virtute, NAT.
& nobilitate præstantem virum, Vicecomitatus Villænouæ,& Cieluæ honorario cognomine decorat. CHR.
Eo etiam tempore, vt Petrus Tomichius perhibet, Rex nobilitatis ornamenta tribuit Castellariis, Calataiubiis, Villanouis, Corelliis, & Beluisiis: & aliis generosæ stirpis Valentini regni viris, quorum familiæ, à parto à Mauris regno propagatæ fuerant. Satis constat ab eodem Rege inlustri Scribarum familiæ eadem ornamenta fuisse attributa.

A.D.VI.Non.Mai Ladislaus Caroli Dyrrhachini Regis F. Siciliæ, & Hierosolymorum Rex, qui superiore anno totius Neapolitani regni potitus fuerat, cum Constantia Regina vxore Manfredi Claramontii F. à Florentino Cardinale, qui à Bonifacio Pont. M. legatus fuerat, Caietæ festa celebritate coronatur.

A. D. XV. K. Iun. Rex, & Maria Regina Ludouici Regis, Andegauensis Ducis, qui mortem obierat, vxor paciscuntur de Iolante Regis F. in matrimonium Ludouico iuniori Ludouici Regis F. Hierosolymorum, & Siciliæ Regi tradenda.

Eo ipso tempore Maria Siciliæ Regina Frederici Regis F. Martino Exericæ Comiti, Martini Momplanci Ducis F. despondetur. Earum nuptiarum pactio diu, ac multum consulta fuerat: vt Martinus pater Siciliæ à tyrannis asserendæ expeditionem susciperet.

Iohannes Simenius Cerdanus Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Is in Dominici patris locum sufficitur: cuius constans, & perpetua defensio libertatis in interdictorum, intercessionumq; præsidio ferendo, proponendoq; his iudicibus, quos Cæsaraugustani aliquot ciues horrebant, adeo fuit insignis, vt contra vim regię potestatis Zuerræ vitam pro libertate regni in discrimen adduceret: IIX. viris procuratoribus regni communi libertati opem subsidiumq; comparantibus.

Andreas Claramontius, Manfredus Alagon, & Artallus Manfredi F. Artallo Alagone Comite vita functo, fœdera inter se artissima sanciunt: quibus eorum fides deuincitur: vt Martino Momblanci Duci, qui magna comparata classe regnum Siculum filio, ac nurui in libertatem vindicare nititur, summa vi repugnent.

Armeniacenses aduersus nostros in Ruscinonensi regione, & Marigotus Marxes Aruernus Regis Aragoniæ auspiciis aduersus Francorum Regem bella gerunt: isque status rerum erat, vt gregales duces potentissimis Regibus bellum inferrent. Marigotus præterea in Aruernis, & Roërga, ac Lemouicibus Armeniacensem Comitem bello persequitur.

Septembri mense ineunte, Barcinone Vlricus Herbespel Venceslai Imperatoris legatus, de Iohanna natu maiore Regis filia Procopio Marchioni Morauiæ Principi collocanda, legationem renunciat: sed is Isabellam Regis consobrinam, Ruperti Baiohariæ Ducis Comitis Rheni Palatini sororem, Petri Siciliæ Regis neptem in matrimonium ducet.

Rex in Aragoniam omni festinatione properat: quod Mahomates Abulhagigis F. Granatensis Rex copias ingentes colligens, Valentini regni fines adoriri minatur: qui cũ Petrus Rex pater pacis fœdera corroborauerat: confirmaueratq;.

A.D.VII.Id.Octob. Iohannes Castellæ Rex Dominico die Alcala Carpetanorum ad Henarem fluuium oppido, admisso equo deturbatus, cum latus vehementer offendisset, fractis, & comminutis ceruicibus interiit: Henrico, & Ferdinando ex Leonora Regina Regis sorore, liberis relictis.

A Brancaleone Oria, & Sardis, arma, veluti pro communi salute capiuntur. Vrbem, 1391.
arcemq; Sacerensem, & alia castella aut occupant, aut vi expugnant. Omnis tractus, ac ditionis Galluræ iuuentus ad eam defectionis insaniam à Brancaleone excitur. Cum sæpe alias, tum ea re nuntiata, tumultus hostium præcipuus terror omnium mentes inuasisset, & Aragonensis, Catalanaque natio continentibus duorum, & viginti annorum bellis in Sardinia esset exinanita, & copiæ militares imminutæ essent, Rex Cæsaraugustæ, A. D. V. Id. Febr. ex Hispano delectu suppleri imperat: & ii, quibus bona, ditionesue Sardoæ hereditate venerant, intra quattuor menses in Sardiniam proficisci coguntur.

Id. Febr. Cæsaraugustæ Rex Raimundum Periliosium Rotensem Vicecomitem Periliosii Vicecomitatus cognomine cohonestat: eoque titulo, virtutis ergo donare prædicat.

Non. Aug. festo Dedicationis D. Mariæ ad Niues die, Barcinone Iudæorum synagoga à Christiano populo diripitur. Eo ipso die, in celeberrimis Hispaniæ vrbibus, & oppidis conuenticula eius nationis omnia expilantur, vastanturque: & ex immensa, & inter-

NAT. CHR.

minata in omnes regionum partes eius gentis multitudine, innumera eorum vis occidione est occisa.

Quod Henricus Castellæ Rex, ob ætatis imbecillitatem, grauitatemq; rerum, gubernandi munus, & summi imperii procurationem sustinere nō posset, & seditionum, & discordiarum vi regni status conuelleretur, omniaque turbarentur: auunculus Rex in pacificationem se interponens, Gerardum Queraltum summi consilii virum, qui Iohanni Castellæ Regi in priuatis rebus conscius fuerat, & S. Felicis oppido Gallecorum nuncupato, ab eo donatus erat, in Castellam legatum mittit: neq; compositionis auctor esse desistit.

A. D. XIV. K. Dec. Auenione Pontificatus Clementis anno XIV. Martino Duce expeditionem Siciliensem maturante, Clemens collegii permissu, Mariæ Trinacriæ Reginæ, cum Martino Exericæ Comite libere contrahendi facultatem elargitur: quod Gregorii XI. Pont. Max. decreto cautum esset, si forte contingeret feminam, nec dum nuptam in Trinacriæ regno succedere, ea summi Pontificis explorato consilio, viro Catholico, ad regni propugnationem idoneo, & Ecclesię Romanę non suspecto, aut Iohannæ Reginę, & eius successoribus inimico nuberet.

REX MARTINVS, ET MARIA TRINACRIÆ REGINA.

DVCES ATHENARVM ET NEOPATRIÆ.

K. Decemb. Citgiis Tarraconensis territorii vico, Martinus Dux Berengarium Cruilliam, & Gerardum Queraltum Siciliæ regni procuratores creat: præmittitq; operam daturos, vt Siculos proceres, ciuitatesque, de illa animorum prauitate, qua defecerant, deducant: & Martini Regis filii, & Mariæ Reginæ nurus partes suscipiant: & ad sanæ mentis consilia descíscentes reuocent.

1392. Ineunte Martio Martinus Dux Siciliæ à tyrannorum dominatu vindicandæ, & filiis in libertatem asserendæ expeditionem adornans, magnum, & in primis validum exercitum conficit. Cum procerum omne nomen, militumq; robur concitaretur, lustrato exercitu, Fangosio portu classem soluit. C. actuariis, onerariisq; nauibus constiterat. Ad II. M. grauis armaturæ equitum, & ingentis peditatus copias conuenisse memorant. Ædificandis nauibus, contrahendoque militi, ac remigi, naualibusq; adsuescendo certaminibus, atque exercitationibus, ac demum vniuersę classis imperio vnus Bernardus Caprera præficitur.

Cum A. D. IX. K. Apr. Classis ad Faninianam insulam appulisset, postridie Drepanitano portu copiæ omnes exponuntur. Quod Panhormitanorum, eiusque insulæ partis Andreas Claramontius Modicæ Comes potiretur, & in superbissimo dominatu esset, Dux itinere terrestri, infesto exercitu, castra apud Panhormum facit: Vrbe obsessa muros labefactare, & obsessos vrguere non intermittit. Inde inter eruptionem sępius temptatam compulso in vrbem hoste, cum occasio data esset nostris irrumpendi, sponsione in deditionem accepti.

A. D. XV. K. Iun. Panhormus Duci deditur. Andreas Claramontius, Manfredus Alagon, & Iacobus Manfredi F. ac ferme omnes primarii domus, ac stirpis Claramontiæ in Ducis arbitrium, potestatemq; veniunt.

Ladislaus Rex Constantiam Claramontiam vxorem exegit: ea illata causa, quod socrum ad se Martinus Momblanci Dux pellexisset. Neque contentus iustæ vxoris conditionem repudiasse, inuitam pæne, ac reluctante Andreæ Campano Altauillæ Comiti in matrimonium collocat. Mox Ladislaus Mariam Cypri Regis sororem ducit: quæ breui nullis superstitibus liberis decedit.

A. D. IIX. K. Iun. Barcinone sollemnia nuptiarum Iolantis Regis filiæ celebrantur: quæ Ludouico Andegauensi Hierosolymitano, & Siculo Regi, præsentibus Ludouici legatis, despondetur.

K. Iunii Andreas Claramontius Modicensis Comes, Panhormitano in foro, maiestatis lege, capitis pœna afficitur: & Claramontia familia vetus admodum, atque inlustris, quam satis constat maiorum fuisse in ea insula gentium, extinguitur, & funditus deletur.

A. D. II. Non. Iun. Matthæus Fuxi Comes, qui Barcinonem concesserat, Iohannam Regis ex Matha Armeniacensi filiam in matrimonium ducit.

A. D. XII. K. Iul. Dux Martinus, Rex filius, & Maria Regina vrbem Panhormum inuehuntur. Filius rebus communiter gestis cum patre insigni victoriæ laurea triumphat.

Dux

Dux Momblanci, vti legitimus filii tutor, ac procurator Bernardum Capreram, qui exercitui, & classi præpositus fuerat, vt pro magnis in rem publicam meritis honos ei haberetur, Modicæ comitatu, & opulentissima eius ditione donat: qui eius expeditionis consiliarius princeps, ac pæne auctor fuerat: & in eo bello egregia eius virtus quam maxime enituit. NAT. CHR.

Artallus Alagon Manfredi F. proceresq; omnes Alagonii, cuius gentis familiæ in eo regno maxima in laude floruerant, Catanam, & eius vrbis arcem præsidio, & classe, vti vnicum perfugium munire nituntur: sed veriti ne commeatu, & reliquis copiis intercludantur, cum assectatorum auxilia implorant, vrbem deserunt.

Rege Sardoum bellum animo moliente, & in Sardiniam primo quoq; tempore transmissurum præ se ferente, ac significante, Iulio mense, Barcinone vexillum regium, futuræ expeditionis insigne, in arce proponitur: ac more, ex ea die stipendium, tabulis quæstoriis palam propositis, militibus numeratur: classique regiæ Gilabertus Cruillias præficitur. Nobilissimus quisque, & fortissimus ad eam expeditionem obeundam accitu regio euocantur: atque ii in primis suam operam, opesque antetulerant: Artallus, & Franciscus Alagones, Iohannes Simenius Vrrea Arrossilius: qui Biotæ, & Baii dominabatur, Alfonsus Ferdinandius Ixeritanus, Antonius Luna Petri Lunæ F. qui Almonezirii, & Polæ hereditariam ditionem obtinuerat: Lupus Gurrea Regiæ domus præfectus, Iohannes Peresius Caluillius fratris Petri Turiasonensis Episcopi F. cubiculo regio præpositus, Martinus Lupezius Nuza, & Petrus, & Ferrarius Nuzæ, Galacianus Tarba, Arnaldus, & Berengarius Bardaxini, Lupus Hospitalis, Arnaldus Francia, Rudericus Peresius Abarca, Blascus Azlorius, Martinus Pomarius, Gonzaluus Peresius Pomarius, Petrus Sanctius Latrasius, Sanctius Peresius Pomarius, Raimundus Turrellias Ferdinandus Gallocius, Bertrandus Cosconius, Petrus Murius, Petrus Casseda, & Iohannes Donelfia. Raimundus Vicecomes Perilliosius, & Rotensis, Rogerius Moncada Valentini regni gubernator, & Raimundus Roccafullius, qui se Regis Castellæ ditioni addixerat, magnis comparatis copiis Regi eam expeditionem molienti inseruiunt: eique maxime se ostentant. Quod Granatensis Rex belli denuntiatione nostros terret, & magna coacta manu in Contestanos, Valentiam versus omni impetu, per concitatos equites irruere contendit, Rex profectionem in Octobrem mensem distulit: & actuariis nauibus, quæ Sardiniæ oras tuerentur, Pontius Ribellias à Rege præponitur. Caralitana, Aquafrigidensis, Longosarda, & Algueriensis arces præsidiis à nostris firmantur. Longosarda à Brancaleone Oria, & aliquot actuariis, quæ ex Corsica traiecerant, oppugnatur.

Procerum Siculorum in Regem proditione, ac perfidia, res in vltimum pæne discrimen decidunt. Comes Guilielmus Peralta, Guilielmus Raimundus Moncada Comes Augustæ, Magister, vt vocant, Iustitiarius, & regni Connestabulus, Antonius Intemelius Golisani Comes, pluresq; alii proceres, atque optimates aduersus Siciliæ Regem deficiunt: subitoq; ea fit rerum conuersio, vt Dux, Rex eius filius, & Regina Maria in Catanensem arcem includantur: obsideanturq;.

Rege profectionem suam in Sardiniam prædicante, & vt apparet, vrguente, & fratri se subuenturum, & Sardois rebus oppressis, ac pęne iam desperatis, opem laturum pollicente, cũ cunctatione ficta ludificaretur, Bernardus Caprera, profectionis regię lentum negotium iudicans, & regiis auxiliis subdiffidere incipiens, adductasque res Sicilienses in maximum periculum, & extremum discrimen videns, oppigneratis paternis, auitisquę ditionibus, ac fortunis omnibus, incredibili celeritate ex Catalanis, Aquitanis, & Morinis militibus exercitum conficit: & priuatis vt opibus, ita consiliis magna ausus, & singulari virtute conata executus, in Siciliam traiiciens, Ducem, ac Regem F. obsidionis periculo liberauit. Catanensi arce egressi vrbem obsident. 1393.

Cum Ampostæ interea, & Dertosæ Rex commoraretur, intermissa profectione Chersonesum vicinum oppidum inita hieme contendit: & A.D. XII.K.Ian. Comitem Arrigum Roccam Sardiniæ, & Corsicæ præsidem creat. Is ex Corsica, vt Alguerienſi arce obsessis subueniat, traiicit.

Valentiæ festi Natiuitatis Domini dies à Rege celebrantur. 1394.

Rex profectionis Sardoæ consilio, ac fama absistens, quod frater legatos subsidium rogatum misisset, classis regiæ parti, xxv. nauibus longis constitisse ferunt, Petrum Mazam Lizanam præficit: & ad eius ductum insignes, & præstantes viri, vt Petrus Tomichius commemorat, se adiunxere Raimundus Apilia, Olfus Prochyta, & Gilabertus, ac Thomas Prochytæ eius fratres, & Villaragutiorum familiæ, Petrus Marradas, Petrus Andreas

NAT. CHR.

Castella,& Franciscus Castella eius frater, Petrus Marzillia, Garcias Saias, Petrus Luxanus, Ferdinandus Munionius,& Petrus, & Michaël Arinii. Cum Lilybei portum tenerent: oppidum vi expugnant, diripiuntq;. Classe Pachynum promontorium prętervecta, Catanam appellit: quæ à Duce Momblanci obsidione premebatur: adeoque res in extremum periculum deuenerant, vt non minus nostris, quam obsessis clades, atque calamitas impendere videretur. Idem Tomichius auctor est, eo ipso temporis momento, quo classis appulerat, Ducem, cum in actuariam se recepisset, à Mamertinis interceptum: & cum Messanam aueheretur, suorum repentino appulsu, incursuq; liberatum.

Februario mense exacto, Rogerius Moncada aliquot nauium classem adornat: & copiis, suis stipendiis instruit: quod Momblanci Ducem, & Martinum Regem à domesticis hostibus oppressos, constanti rumore, ex Sicilia perferebatur.

Brancaleo Oria Alguerium arta obsidione premit. Calalitana, & Longosarda arces, earumq; præsidia maximo in discrimine versantur.

Catana castris circumsidetur: & A.D.III. Non. Iun. in ea obsidione Martinus Siciliæ Rex Ferdinandum Lupesium Lunam auunculum Hieraciensi Comitatus ditione donat: qui ob Henrici Intemelii Comitis defectionem publicatus fuerat. Cum Antonius Intemelius Golisani Comes, Francisci Intemelii Comitis F. nostros vi irritaret, ferroq; lacesseret, & repentinus semper occurreret, prope Ennam Gerardum Alamanum Ceruilionem, & Raimundum Basium primarios proceres prœlio deuincit, captiuosque retinet. Mox ipse in insidias Hugonis Sanctapacii delatus, à Ruderico Zapata strenuo viro intercipitur: quæ res, ad hostes proterēdos, & adipiscendam victoriam, permagni momenti fuit.

A. D. V. Id. Aug. Catana Duci deditur. Comes Artallus Alagon Manfredi F. qui maioris Artalli Comitis frater fuerat, & Fredericus Aragonius, pluresque alii proceres, qui vrbi propugnandæ præfuerant, aliquot actuariis nauibus in Ligustinum litus nauigant. In ea obsidione Petrus Maza Lizana summa virtute, fideque, & animo singulari, inter illius sæculi proceres insignis, cui nihil solidæ laudis, ac veræ dignitatis præstantius accidere potuit, quam Ducem, ac Regem, & Reginam, cunctumque exercitum extremo periculo eripere, è vita excedit.

Dux tota Sicilia, infestis signis exitiosum bellum, vastitatemque perduellibus infert.

Artallus Alagon Comes, ceterique proceres, qui ex Sicilia extorres profugerant Iohanni Galeacii Virtutum Comitis, qui Mediolani, non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos obtinet, auxilia implorant.

A. D. XVI. K. Octob. Auenione Clemens Pontifex Max. decedit.

Vnius, & viginti Cardinalium collegium Auenione in cōclaue ascenderant: & nuntii à Carolo Francorum Rege missi hortabantur, ne palam, clamve suffragia in Pontificatu mandando inirentur: quoad aduersarii voluntas, in concordia Ecclesiæ procuranda, exploretur. Patres, cum comitiis supersederi, è republica esse, minime censeret, satis futuræ concordiæ caueri, prouiderique existimant, si iusiurandum omnes iurent: daturos se operam, vt quisquis Pontifex Maximus renuntiatus sit, si ita è republica videatur, maximo se sacerdotio abdicet. Pæne inuitus, ac recusans Petrus Luna tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Aragonius eo iureiurando obstringitur. Conceptis verbis eam rem sic spondent.

„ NOS OMNES, & singuli S. R. E. Cardinalis congregati pro electione futura in con-
„ claui, ante altare, in quo missa communis celebrari consueuit, pro Dei seruitio, vnitate
„ Ecclesiæ suæ sanctæ, ac salute animarum fidelium omnium promittimus, & iuramus ad
„ sancta Dei euangelia corporaliter per nos tacta, quod absque dolo, fraude, & machina-
„ tione quibusque, ad vnionem Ecclesiæ, & finem imponendo schismati pro dolor, in Ec-
„ clesia nunc vigenti, quatenus in nobis erit, laborabimus fideliter, & diligenter, quatenus
„ ad nos pertinet: seu etiam pertinebit: & dabimus pastori nostro, & gregis dominici, ac vi-
„ cario Iesu Christi Domino nostro futuro, qui erit pro tempore, auxilium, consilium, &
„ fauorem: nec ad impediendum præmissa dabimus cōsilium, vel fauorem directe, vel in-
„ directe, publice, vel occulte. Et ista omnia, & singula, & alia vltra præmissa, omnes vias
„ vtiles, & accommodas ad vtilitatem Ecclesiæ, & vnionem prædictam eiusdem sane, &
„ veraciter, sine machinatione, seu excusatione, vel dilatione quacumq; seruabit: & procu-
„ rabit: posse tenus, quilibet nostrum: etiam si assumptus fuerit ad Apostolatum: etiam vsq;
ad ces-

ad ceſſionem incluſiue per ipſum de Papatu faciendam : ſi dominis Cardinalibus, qui nunc ſunt, vel erunt in futurum, de iis, qui ſunt, nunc vel maiori parti eorundem, hoc, pro bono Eccleſiæ, & vnionis prædictæ videatur expedire.

NAT. CHR.

Libentibus animis ad illius iuriſiurandi formulam accommodatis, A. D. IV. K. Octob. omnibus ſuffragia ferentibus, & ea, vt mos eſt, ſcrutantibus, atque excutientibus, in demortui Clementis locum Petrus Luna Cardinalis Aragonius, aduerſās, atq; repugnās, quod ipſe litteris ad Regem miſſis obteſtatus eſt, creatur: atq; ſufficitur. Benedicti XIII. nomen edidit. Litteræ dignæ viſæ ſunt, quæ hoc in loco adponantur.

Benedictvs Epiſcopus ſeruus ſeruorū Dei cariſſimo in Chriſto filio Iohanni Regi Aragonum illuſtri Salutem: & Apoſtolicā benedictionem. Mirabiles elationes maris huius ſæculi: magni quidem, & ſpatioſi: illic enim reptilia, quorum non eſt numerus, ſpiritualis videlicet monſtra nequitiæ, quæ cum ipſum mare nauigantibus, portūq; ſalutis, remige fido petentibus formidabili congreſſione luctantur: denſis nempe ſurgentibus, vndiq; ventis, horrida ſæuit tempeſtas: & exaltantur terribiliter fluctus eius: quod etſi ſemper ſit turbidum, ſemper penitus inquietum, his tamen infauſtis temporibus, ſuperabundantibus ac exigentibus demeritis peccatorum, & diſſenſionum exitioſa diſcrimina, quibus inter ſe diſſident, ac nō ſine grauibus humanorum corporum ſtragibus, miſerandiſq; cædibus debacchantur omnes fere Reges, & populi Chriſtiani: præterque mala cetera vix enarrabilia, quibus miſerabiliter concutitur totus Orbis, ſchiſmaticæ diuiſionis in Dei Eccleſia ſuperuenit diſcordia: cuius pernicioſiſſimum diluuium catholica climata nunc inundans nō modicam fidelium abſorbuit portionem. Mirabilior tamen in altis Dominus dominans poteſtati maris: ac motum fluctuum eius mitigans, & tranquillans Petri nauiculam, ipſius maris fluctiuagis agitatam procellis, & variarum perſecutionum alliſam ſcopulis, timentemque cum Chriſti fidelibus, qui præfati diluuii clade territi, ad ſaluificum ipſius pręſidium confugerant, tam ſęuis inundationibus prorſus obrui, tantaq; tempeſtate demergi ſemper à naufragii perditione liberat: & dum magis de ſuprema periclitatione formidat, tunc eam mirabilius, præter mortalium ſpem, erigit in ſublime. Dumque naucleri ſui, eidem pro tempore præſidentis ab hac luce migratio, pro mortalitatis humanæ neceſſitate contingit, ne pro rectoris defectu periculum ſubmerſionis ſubeat, ſecundum exigentiam temporum, & inferiorum merita, ex ineffabili ſuæ bonitatis clementia prouidet ſucceſſorem: nec ſemper ad tanti ſupportationem oneris ſatis idoneum, ſed infirma mundi eligens, vt fortia quæque confundat, vtque liquide pateat, quod ipſe nauiculam ipſam per ſe conſtructam, ſuoq; ſanguine pretioſo redemptā per ſe ipſum regit: protegit, & gubernat. Et ne dictæ nauiculæ, inter tanta pericula, ſaluatio humanis adſcribatur ſuffragiis, nonnunquam eius regimini præficit imbecillem: ſicut nos homuncionem viribus debilem, ac inſufficientē meritis, ad ipſius nauis clauum, ſuæ videlicet Eccleſiæ regimē ſua dignitate vocando, feciſſe noſcitur his diebus. Felicis ſiquidem recordationis Clemente Papa VII. prædeceſſore noſtro, ab huius terreſtris incolatu miſeriæ, nuper ad ſupera, ſicut pie credimus, Chriſto vocante, tranſlato, corporeq; ſuo, prout mos, & debitum expoſcebant, honorifice tradito ſepulturę, Venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales, inter quos, & de quorum numero tunc eramus, in palatio Apoſtolico Auinionenn. vbi dictus prædeceſſor vitā temporalem finierat, pro electione futuri Romani Pontificis congregati in humilitatem noſtram, vtinam non exorbitante iudicio, concorditer, & vnanimiter, per viam ſcrutinii concordantes: nos tunc Petrum S. Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem ad ſummi Pontificii cathedram euexerunt. Verum nos gradus altitudinem, & oneris imminentis tantæ celſitudinis aſcenſori molem, præſertim huius deflendi ſchiſmatis procelloſo tempore, nobis in Cardinalatus diuerſarum legationum officio, experientiæ longę participio non ignotam attenta meditatione penſantes, eligentium, & offerentium inſtantiæ, inſufficientiæ noſtræ imparitatem obiecimus: debilitatem noſtram dictante conſcientia, cum repetita multotiens relaxationis ſupplicatione humiliter allegantes. Cum nec ſic ceſſaret inſtans fratrum importunitas eorundem, ſed vim inferens noſtro propoſito Collegii iuſſus vrgueret, nos ex defectuum noſtrorum conſcientia diffidentes, de illius tamen confidentes omnipotente clementia, qui pacis, & vnitatis amator vtraque fecit vnum: ac diuerſos parietes in ſe ipſo angulari lapide copulauit: ſperanteſq;, quod operi manum ſuarum dexteram porrigens, nos in tam profunda maris altitudine poſitum non relinquet, noſtris, per fratres eoſdem multiplicibus excuſationibus non admiſſis, nec lacrimoſis deprecationibus exauditis, ne mundi, graui bellorum multiplicatione diuulſi, potiſſime tamen Eccleſiæ ſacroſanctæ ſchiſmaticæ peſtis, nunc miſerabiliter laceratæ diſſidio, noſtrum electioni prædictæ

NAT CHR.

,, denegando consensum discrimina negligere cẽseremur, quanquam iniuncti oneris mo-
,, lem insufficientia nostra diffugeret, de superabundanti tamen plenitudine misericordiæ
,, Dei nostri confisi, & nostræ imbecillitatis subiecimus imperfectum: ac debiles humeros
,, Apostolicæ superposuimus seruituti. Incussam vero menti nostræ, de tantæ molis graui-
,, tate formidinem non mediocriter minuit, & ad eam subeundam minus timidos nos effi-
,, cit ea, quam de sublimitatis tuæ, ceterorumque Catholicorum Principum potenti iuua-
,, mine, circa prætacti totalem extirpationem schismatis, & procurandam ecclesiasticam
,, vnionem: opportunosque fauores nouis in his, & aliis impendendos principaliter post
,, Deum gerimus, firma spes, ac confidentia specialis. Nos enim ad sedationem schismatis,
,, & procurationem pacis, ac vnionis huiusmodi animum regium, non modo relatibus, tu-
,, isque, & alienis scriptionibus, sed ex collocutione seriosa inter nos, & te, dum in partibus
,, regni tui, legationis Apostolicæ fungeremur officio, super hoc sępius habita, à certo sci-
,, mus voluntarium, & intentum: ad quæ nos etiam, sicut officium vrguet assumptum, mo-
,, dis omnibus possibilibus intendere, ceteris omissis proponimus, ac toto conamine labo-
,, rare. Quare serenitatem tuam attente rogamus, ac per Dei misericordiam obsecramus,
,, quatinus pensato perpensius, quantum supernæ retributionis præmium, quantum etiam
,, humanæ laudis acquires præconium, si Ecclesiam, tam dubie nunc nutantem, nosque
,, ipsius ministrum, qui de præfato regno tuo traximus originem, adiuues: & ad ipsius vnio-
,, nem, cum fidei sinceritate labores: cor nostrum filialis affectionis exhibitione lętifices: &
,, ad instar claræ memoriæ progenitorum tuorum, per quorum potentiam, ac operam effi-
,, cacem Ecclesia semper hactenus fuit in suis necessitatibus mirifice releuata, nunc accin-
,, garis ad opus: ac tuum pręfatum, sanctum vtiq; piumq; propositum, prout Deus permise-
,, rit, ad executionẽ deducere non postponas. Nunc itaq; carissime fili exsurgens miserearis
,, Sion: quia tẽpus miserendi eius: quia nunc, vt credimus, opitulãte Domino venit tempus.
,, Insuper etiam amantissime fili potentiæ tuæ subsidio, in his quę ad robur sunt ecclesiasti-
,, cæ libertatis, impositi nobis oneris quæsumus alleues grauitatem: vt per hæc, apud Regẽ
,, æternum, & temporalis prosperitatis augmentum, & perennis coronam gloriæ merearis:
,, nosque in te gaudentes, benedictionis filiũ, & salutis reperisse ministrum: eaq; quę ad ho-
,, norem, commodumq; gloriosi sceptri tui redundare censuerimus, fauorabilius prosequi
,, teneamur. Dat. Auenion. V. Id. Oct. Pontificatus nostri anno primo. De curia, Siffredus.

Illo ipso die Auenione Benedicto Pontificium diadema imponitur: nullaq; ab Aragoniæ, & Castellæ Regibus fit mora, quin illi pareant: & eius obtẽperent, obediantq; sanctionibus. Vt Ecclesiæ partes distractæ capiti cohæreant, & in pristinam concordiam reducantur, Auenionensis, & Ferdinandus Peresius Caluillius Turiasonensis Episcopi à Benedicto ad Francorum Regem, & Marchionis Salassorum filius, Cardinalis Salassi frater, frater itidem Cardinalis Agrifolii, & Gaufredus Boilius, qui Auenione legationem Regiam obierat, ad Aragonium Regem legantur.

Turbidis procerum Castellę, concitatisq; motibus, cum ex pueris Henricus Rex non excessisset, neq; gubernacula regni prendidisset, Alfonsus Ripacurciæ Comes, cuius Hẽricus Rex auus tot, & tanta merita habuit, Connestabuli magistratu, & Vilienæ ditionis statu deiicitur: ea ab aduersariis causa illata, è republica non esse, tam opulentam, & late parentem ditionem à præpotenti viro, & ex stirpe Aragoniæ Regum prognato possideri.

Iohannes Biturigum, & Aruernorum, & Philippus Burgundiæ Duces Caroli VI. Francorum Regis patrui, & Ludouicus Aurelianensis Dux frater germanus Auenionem contendentes à Benedicto vehementer expostulant, vt summo Pontificatu se abdicet: magnaq; ob eam rem commotio in vrbe est facta. Iohannes Cambrillacus ex intimis Francorum Regis administer ad Regem missus, de vetustis fœderibus confirmandis, & Christiana republica dilacerata in antiquum statum restituenda, vt in vnum, & idem sacrum corpus confluat, ac redigatur, legationem renuntiat. Ad hæc retulit, cum magnopere matrimoniorum vinculis, Regum amicitiæ artius obstringantur, & ea inita ratione data opera fuerat, vt Iohanna Iohannis Francorum Regis soror, quæ in via è vita excesserat, Regi nuberet, cupere Regem Francorum, vti Carolus Lebretius eius consobrinus Lebreti domini F. cuius ampla ditio, dominatusq; in Aquitania pollens, potensq; erat, quẽ vnice diligeret, quod vna alti, educatiq; essent, Isabellam Sibyllæ Reginæ F. Regis sororẽ ducat. Amice, ac beneuole ad ea responsum: sed de Isabella Lebretio in matrimoniũ tradenda, illud in præsenti obstiterat: q; antea de ea Iano Lusiniano Antiochiæ Principi Iacobi Cypri Regis F. collocanda, Rex pepigisset. Hęc tamen legatio vni tantum Benedicto maxime infensa & aduersa erat: nam illo ipso tempore Villaënsis Vicarius, homo Gallus Riba-

NAT. CHR.

Ribadeſis Comes,& Thibaudus quidam ad Regem Caſtellæ,de Benedicto, ad ſummum Pontificatum abdicandum compellendo,legantur.

Benedictus Ducibus patruis Francorum regis, & fratri, qui vt abdicet, enixe contendunt,pollicetur: ſi quis congreſſus ſibi cum aduerſario fiat,operam daturum,vt certis viris,dignitate pręſtantibus totam eam controuerſiam decidendam committant:qui verum Chriſti vicarium denuntient:eaque via, iuriſiurandi vinculo,quo ſe, antequam deſignaretur,obſtrinxerat,piam,æternamque pacem Chriſtiano populo præſtaturum. Duces in ſententia perſtant: ac ſponderi contendunt,ſi Imperator,Angliæ,& Hungariæ Reges,aliiq; principes,& potentatus,qui alteri parti ſe addixerant,ita animati ſint, vt ius,faſque alia via agnoſcere nolint,niſi vterque abdicet,Benedictum abrogaturum.

Biturigum,Burgundiæ,& Aurelianenſis Duces Auenione, Benedicto non ſalutato excedunt.

Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus Carcaſonēſis Eccleſiæ adminiſtrator,& S.Michaelis Abbas,aliquotq; Pariſienſis ſcholę viri doctrina pręſtantes ad Regem legati Perpinianum concedunt. Summo ii opere Regem hortari non deſinunt, ſi veram concordiam orbi Chriſtiano conſtituere velit, reſignationis ratio præferatur: quam Rex palam reiicit. Legatione obita in Caſtellam proficiſcuntur. Diſſidii prætererea quædam haud leuis inter Aragonium,& Francum Reges cauſa interuenit. Ricardo enim Angliæ Rege nuptias filiæ Regis, & Iolantis Reginæ ambiente, cum Regina parens, niſi Francorum Regis conſobrini permiſſu Anglo collocandam renueret, & Francus iniquum eſſe iactaret,ſi conſobrinæ filia hoſti ſuo nubat,nuptiæque, eam ob cauſam diſiungerentur, Francus nulla interpoſita mora, impudentiæ ludibrio Iſabellam filiam, nec dum nubilem Ricardo deſpondet: paciſcunturque, vt Aquitaniæ ditio eius matrimonii filio, natu maiori cedat:condonaturque.

Peſtifer,& funeſtus is annus æſtate in Catalonia, & Valentino regno fuit. A Setabi ad Alcollum maior peſtilentiæ vis, vulgatiq; contactu in homines morbi ingruunt. Rex in Balearem Maiorem inſulam nobilem, & amœnam emigrat: atque in ea inſula in Nouembrem menſem exactum reſidet:amœnitatem,& ſalubritatem ſecutus.

Rogerius Moncada à Rege, cum in Baleari Maiore aſſideret, Sardiniæ & Corſicæ præficitur. Cum is non exiguas copias traieciſſet,Longoſardum oppidum, quod Brancaleo XXXV. dies terra,marique oppugnauerat,obſidionis periculo liberat.

Iohannes Luſinianus Baruti dominus, Iacobi Cypri Regis fratris filius de nuptiis Iani Luſiniani Antiochię Principis,Regis Cypri natu maioris filii,& Iſabellę,Regis ſororis,quas iam collocauerāt, coniungendis,ad Regem in Cataloniam legatur:quarum ſanciendarum cauſa Raimundus Periliofius Rotenſis Vicecomes,& Raimundus Alamanus Cerui lionius in Cyprum legati miſſi fuerant.

A.D.V. Non. Mai Ficariis Regina Iolans,penes quam ſumma rerum vertebatur,& 1395.
cuius arbitrio omnia conſtituebantur, Guilielmum Coponium ad Regem Francorum, & Duces patruos,ac fratrem germanum legatum mittit. Is denuntiat, expoſcitque ne ſinant, vt copiæ, grauiſque armaturæ equitatus, qui in Comitatu Valentino Viennenſis regionis in æſtiuis erant, in Ruſcinonſem tractum tranſcendant. Periliofii, & Rotæ Vicecomes,quod ea manus fines appeteret, tumultuareturq;, Benedicti, & Regis nomine, ne iter id ſuſcipiant,potioribus donis,muneribuſq; auertere alio nititur: ne eius belli moles in Cataloniam transferatur:cum ſuperiorum Regū virtute,& fortuna geri non poſſet.

Cum Rex in Foxano nemore, pomeridiana luſtratione agrorum, ante Vrriolium Caſtellū in luporū venationem animū intēderet,& immani excitata, & agitata lupa,cum eam inſequitur, cohorruiſſet, equo deturbatus mortuus eſt inuentus. Siue, quod vetuſtas credidit,eius ferę viſus noxius ſit,vocemque homini, quem Lupi priores intueantur, adimi: ſeu quod credibile eſt, immodica exercitatione, & graui, immoderatoque cibo obſtupefacta mente contraxerit animum, & letale, funeſtumq; malum oppreſſerit: ſatis conſtitit,repentina morte,in ea venatione,* Veneris die, A. D. XIV. K.Iun. interiiſſe. Is princeps ſummæ rerum parum conſulens deſidiæ, atq; ignauiæ deditus,& vxorio imperio addictus,inglorius vixit: & acerbiſſimo caſu morte eſt affectus. Ad Populeti ſepelitur:& iuſta regio funeri ſoluuntur.

Martino Momblanci Duci, cum hoſtes eſſet tota Sicilia inſecutus,rem bene, & feliciter gerenti,& filium Regem perduellium Siculorum armis vindicāti, Aragonię regna legitimo ſucceſſionis iure deferuntur. Maria enim eius vxore præſtantiſſima femina Barcinone aſſidente, atq; adnitente Cataloniæ ordines, eorumq; delecti viri regale nomen Martino Duci,magno aſſentientis populi applauſu impartiunt: iureq; ad regnum aſciſci ferunt:fratre nullis ſuperſtitibus liberis virilis ſtirpis, vita functo. Y 4

A. D. VI. K. Iun. Maria Momblanci Dux, quæ Iohanne Rege mortem obeunte, regale statim nomen vsurpat, commune, summumq; consilium cogit. Consiliis interfuere Innicus Valterra Tarraconensis Antistes, Bernardus Pinosius, Hugo Anglesola, Rogerius Moncada, Michael Gurrea, Franciscus Aranda: qui illis temporibus prudentissimus, & sapientissimus habitus est, Bernardus Michael, Guilielmus Puiadas, Gerardus Palolius & Bernardus Zatrilla: ac de consilii sententia summæ rerum, & procurationi regni consulit, prouidetq;. Quod Iolans Regina prægnantem se esse relictam omni asseueratione confirmat, & obseruari partum decreuissent, quattuor assignantur ex ciuitate primariæ, optimatesque matronæ: quæ adhibeantur ad partum. Sed simulatione ea Reginam fuisse vsam statim apparuit.

MARTINVS XXI. REX ARAGONVM.

Hugo Bagius Dertosanus Episcopus, Iohannes Folchius Cardona Cardonæ Comitis F. Emmanuel Ragiadellus, Raimundus Zaual Barcinonensis ciuis, & Petrus Grimaldus ex Perpiniana ciuitate in Siciliam eius rei causa legantur, vt à Rege celerem eius reditum deprecentur.

K. Iun. Barcinone, de consilii communis sententia, libentissimis omnibus, plures proceres, iurisq; prudentes viri Regis Iohannis consiliarii in arcem nouam includuntur: liberalibusque, & priuatis custodiis continentur: quod regnante Iohanne regia amicitia, legibusque, & iudicum maiestate ad quæstum, & libidinem abusi traderentur.

Tabulæ testamenti Iohannis Regis obsignatæ proferuntur: quo Martinus frater Rex scriptus est: si nullis virilis stirps liberis superstitibus decedat. Iolans enim Regina conditionem spei, quam in aluo contineri ediderat, palam renuntiat. Iohanna Regis Iohannis natu maior filia Matthæi Fuxensis vxor, legitimo successionis iure prætento, se regni competitricem profitetur: & armis ius persecuturam.

FVXENSE BELLVM.

Antistites, proceres, vniuersæq; Aragoniæ ciuitates propugnationi finium regni consulentes, Iulio mense Cæsaraugustam conueniunt. Martinum Momblanci Ducem, vti legitimum regni successorem agnosci, suscipique debere Olorensi Episcopo, & Proayro Matthæi Comitis Fuxi, & Iohannæ eius vxoris, qui regnum appetunt, legatis pronuntiant. Regalem potestatem, nomenq; Martino deferunt.

Iohannes Emporitanus Comes quod belli faciendi causa cum Fuxensi consensisse iudicaretur, captus in Casteluiniam Rosanensis ditionis arcem contruditur: sed innocentia liberationem culpæ statim impetrauit. Omnium generum, atque ordinum consensu, qui Cęsaraugustæ mortuo Iohanne Rege conuenerāt rerum stabiliendarum causa, A. D. VI. Non. Oct. in æde D. Francisci cōuenientes primo attestantur: quod qualicumque cautione & pręparatione ad tuendam, & conseruandam ab hostilibus Fuxensis incursionibus rempublicam à se adhibita, præiudicium in posterum nolle fieri: quin comitate, liberalitate, & beneficentia sua id factum, gestum, prouisumque appareat: neue ob eam curationem admouendam, vsus, & instituta maiorum, aut leges, & communis libertas patriæ imminuta esse videantur. Omnes ordines Regni in A. D. Id. Oct. vt Cæsaraugustæ conueniant, hortantur: alioqui publicis regni rationibus, & eius incolumitati se, quibuscumque rebus possent, consulturos commonent. Eorum officiorum momenta, in ea conuersione rerum adeo insignia, & inlustria fuere, vt digni habiti sint qui eo in conuentu adfuere, vt eorum nomina hoc etiam in loco recenseantur: nam hi adfuisse regiis commentariis traduntur: Garcias Ferdinādius Heredia Cæsaraugustanus Antistes, Iohannes Martinius Murillius Abbas Montaragonius, Petrus Ferdinandius Ixeritanus Montalbani, & Guilielmus Raimundus Alamanus Ceruilionius Alcanicii Præfecti, Petrus Ruicius Morius pro Ampostæ præfecto, Prior Rotensis, Abbas S. Fidis, Petrus Latro Vicecomes Villanouensis, qui Mancianerę dominabatur, Lupus Simenius Vrrea, Ferdinandus Lupesius Luna, Iohannes Martinius Luna, Alfonsus Ferdinandius Ixeritanus, Petrus Ferdinandius Vergua, Franciscus Alagon, Petrus Simenius Vrrea Lupi F. Ludouici Cornelii, Artalli Alagonis, Iohannis Simenii Vrreæ Atrofilii, Petri Galcerandi Castrensis, & Antonii Lunæ procuratores: nam absentium etiam ratio, non horum tantum procerum, sed & aliorum habita est. Ex militari, & ingenuorum ordine adfuere præsentes Iohannes Simenius Cerdanus Iustitiæ Aragonum Pręfectus, Guilielmus Palafoxius, Michael Gurrea, Garcias Lupesius Sesesius, Martinus Lupesius Nuza, & Ferrarius Nuza, Sanctius Gonzaluius Heredia, & Blascus Ferdinandius Heredia, Lupus Sanctius Ahuerius, Iohannes Peresius Lumbierius, Iohannes Peresius Casseda, Ferdinandus Simenius Gallucius, Raimundus Francia, Petrus Sanctius Latrasius, Iohannes, & Gutterius Vrę, Galacianus

cianus Tarbà, Iohannes Lainius, Sanctius Orunius Sancti F. Gonzaluus Linianus, Ferdinandius Sesetius, Berengarius Bardaxinus, Ferdinandus Diacius Pomarius, Andreas Martinius Peralta, Simō Arbea, Rudericus Lacunula, Iohānes Mercerius, Iohānes Arcainus, Iohannes Diazius Cōamina, Galcerādus Castelbellius, Aluarus Medranus, Arnaldus Bardaxinus, Petr⁹ Linianus, Gilbercus Rotūdus, Raimūdus Castanus, & Garcias Lupesi⁹ Pitillas. Ex Ciuitate Cęsaraugustana, totius ciuitatis nomine interfuere IX. Ciues Petrus Cerdan⁹, Iohānes Martinius Alfocea, Petr⁹ Simenius Ambel, Martinus Sunienus, Dominicus Nagia, Antonius Palumbarius, Iohannes Tarba, Iohannes Artus, & Iohannes Capalbus: atq; ita comparauerant, vt tres Iurati Magistratus Cæsaraugustani, & totidem procuratores, ac ciues adessent: & his ciuitatum, & oppidorum regiorum procuratores adiungerentur. NAT. CHR.

Matthæus Fuxensis, & Iohanna eius vxor, regnum ad se delatum contendentes, quod ita consentiente Petro Rege cōuenerat: vt Iohanne absq; liberis virilis stirpis vita functo eius natu maior filia regni heres esset: idq; appetere, atq; occupare conantes, auxiliis Armeniacensium, & Iohannis Biturigum Ducis Francorum Regis patrui, & aliorum Galliæ procerum, magno comparato exercitu, A.D.V.Non. Oct. Arenensi Pyrenæi saltu M. grauis armaturæ equitū, & III.M. leuis armaturæ, quibus illa ætas Pilarrorum cognomen dedit, copiis coactis, in Castelboni Vicecomitatū transgrediuntur. Ferraria valle in Villamuri conuallem traiiciūt; per saltuosa loca, & tramites exercitum ducentes. Eo ipso temporis momento varii impetus, & incursiones armorum ditione Castelbonia, Cæretana, & Capsiri regione fiunt.

A.D.XVII.K.Dec. Fuxenses Camarasam vi expugnant. In eo certamine Raimundus Spesius, qui eius oppidi propugnationi præpositus fuerat, fortiter dimicans in hostium potestatem deuenit. Sub ipsis radicibus montium consedere: qua illis descensus erat in Aragoniam properantibus.

Martorellum, Castellum Rosanense, & arces, quę Fuxensi, in ditione Castelbonia parebant, quæ iuris erat Geraldæ Fuxensis matris, Reginæ Mariæ deduntur.

A.D.V.K.Dec. Cum Fuxensis exercitus Pyrenæi faucibus emersisset, & Sicoris fluminis ripis inhæreret: & equitatus opimam Ilergetum, & fertilem regionem, atq; vberes campos incurreret, maleque à Catalano equitatu peditatuq; esset multatus, inter Alguairum, & Almenaram eo consilio hostis substitit, vt Montionem, aut Barbastrum insignia regni Aragoniæ oppida castris obsideat: alteroq; eorum oppidorum expugnato, & communito, quasi arcem, ac receptaculum belli constituat: quod ea regione Gallicis subsidiis prope esset occursurus. Inde ad Castellionem Farfanię castra facit. Petrus Vrgellitanus Comes ab Aragoniæ ordinibus, qui Cæsaraugustæ conuenerant, bellicis, militaribusq; functionibus, & coactis copiis imperator præficitur. Nouembris mensis fine Fuxenses Aragoniæ fines ingressi regale nomen, regiaq; insignia vsurpantes Barbastrum obsident: acerrimeq; oppugnant. Cum in vrbis partem irrupissent, arcem propugnatores singulari, & præstanti virtute retinent.

A. D. XV. K. Ian. magni terręmotus in Valentino regno, & Castellæ confiniis, & montosis locis Dertosam vsque fiunt: satisque constat plures turres, templaque, & Valdignæ cœnobium Cistercienfis ordinis corruisse: terrasq; desedisse. Martinus Alpartilius eiusdem ætatis scriptor, in rebus à Benedicto gestis perhibet, in Algezirienſi Valentini regni agro, duos fontes putiscentes, cinerei coloris profluxisse: cælestesq; faces visas miroſq; terrores sereno iniectos.

Cum viæ, aditusq; omnes à nostris obsiderentur, & Fuxenses, ex omni prouincia, & publico, & priuato commeatu prohiberentur, ac vi, ferro, & formidine opprimerentur, Barbastrēsem obsidionem destituunt. Postquā vident montibus, atq; hostiū copiis se vndiq; clausos, Oscensi via, Montaragone, Bolea, & Aierbio montium lateribus communiti, cum ab Vrgellitano Comite peruellerentur, maleque multarentur, Luesia via properantes, A. D. IX. K. Ian. Caparrosum Nauarræ oppidum contendunt. Inde desperata fuga Pyrenęo transcenso in Beneharnum traiiciunt.

Insulæ Comes, & Vicecomes Caramanius Fuxensi addicti, Leonachi dominus, Arnaldus Guilielmus Barca copiarum Galliarum ductores, & manus domini Fontinellis Fuxensium stipēdia merentes, cum in Palliarienses fines irruere niterentur, à Palliariensi Comite, & Rogerio eius F. Arnaldo Guilielmo Bellera, Francisco Erillio, & Vrgellitano Episcopo, ac Gerardo Guimerano præstantibus viris, qui ingentes armatorum copias, vt eos fines tueantur, coegerant, arcentur, & propulsantur.

Maria Martini Ducis vxore nondum regnum adepta, Gilaberto Scintillia ductore,

ex Valentino regno, satis magnę equitum copiæ in Siciliam transmiserant. Petrus præterea Galcerandus Castrensis, ex primariis Aragoniæ proceribus auxiliarias Aragonensium militum cohortes adeo commode, & peropportune tulit, vt Drepanum vrbem, pæne ex hostium manibus eripuerit: & eo subsidio Martinus Leontinum, Calatagironem, Plateam, & Ennam vi expugnauerit: & Nicolaus Peralta Comes Guilielmi Comitis F. & Leonoræ Iohannis Athenarum Ducis filiæ Regi se dediderit. Postremo cum Hugo Sanctapacius DC. equites transmisisset, hostes, non vt antea insultantes, passim tota insula vagari: sed in castellorum, & montium, siluarumq; receptacula compelluntur: primariæq; omnes arces expugnantur.

Cum Artallus Alagon se pariturum Regi pollicitus esset, & Melitæ insulæ comitatu donaretur, donumq; reiiceret, in vetere defectione perseuerans insula exigitur. Ex eo gens Alagonia, quorum maiores in perdomanda, & armis subigenda Sicilia, & in ditionem stirpis Aragoniæ redigenda tam strenue operam nauauerant: quiq; tam late patentem ditionem, ac dominatū eo in regno sibi stabiliuerant, ad interitū, exitiumq; peruenit.

Bartholomæus Aragonius, & Fredericus eius frater Vinciguerræ Aragonii filii, summæ potentię, atq; auctoritatis viri in defectione permanentes, adeo is furor omnium animos infecerat, Camaratæ comitatu, & plurium oppidorum ditione eiiciuntur.

1396. Etsi Regis Iohannis mortis nuntio ad fratrem perlato, bellum Siculum confici visum est, tamen cum haud leuis operæ esset, Siciliam tyrannorum armis vindicare, qui diu oppressas seruitute ciuitates tenuerant, reliquosq; imperio coërcere: Rex cunctandum sibi censet: dum regnum non modo armis, sed consiliis, & institutis filio stabiliat.

Rex Guilielmum Raimundum Moncadam Augustæ Comitem Melita insula donat: & Marchionis cognomine decorat: reputansq; magna in eum beneficia à se esse collata, regni gubernationi, & summi imperii procurationi vicarium præficit. Consiliarii summæ rerum filio Regi admouentur, Petrus Serra Catanensis Episcopus, Franciscus Zagarriga, Hugo Sanctapacius, aliiq; ex Catalonia, & Aragonia viri optimates.

Id. Decemb. classe comparata, Rex Messanæ portu soluens in Sardiniam traiicit.

1397. Caralitana arce, cum Rex Sardois rebus consulens, & rempublicam, militaremque expediens, diutius commoratus esset, Alguerium transuehitur: & pacatis, vt videbatur, rebus, de totius regni statu, dignitate, commodisq; omnibus sententiam ferens, in ea vrbe, in A.D. II. Id. Feb. remanet.

Rege in Corsicam transmittente, vt suos in fide contineat, foueatque, Vicentellum Istriam Cinerchæ Comitem, & Iohannem Istriam eius fratrem, ceterosque eiusdem factionis, & Rocharum gentem, quorum perutilis opera, & insignis fidelitas fuerat, plurimis beneficiis afficit. Oppida, & arces, quæ in regia potestate erant, præsidiis, commeatuq; muniuntur.

Ex Allatensi Corsicæ portu, quo Rex in A. D. X. K. Mart. commoratus est, in Segonensem eiusdem insulæ portum traiicit: & in eo in A. D. V. K. easdem primam nauigationem præstolatur. Idoneam nauigandi tempestatem nactus in Galliam prouinciam classe appellit. Ex alto in ostium Rhodani inuectus Arelatem, & inde Auenionem A. D. II. K. Apr. VII. actuariis nauibus præteruehitur. Magnifica, & gloriosa aulæ pontificiæ, ciuitatisq; ostentatione excipitur.

K. Apr. die Dominico, qui dies rosæ à summo Pontifice principi alicui Catholico donandæ dicatus est, eo sacro, & religioso munere, pietatis ergo Rex est impartitus: & de more manu gestans tota vrbe, sollemni pompa, summa specie, ac dignitate transuehitur.

Festo Dominicæ Resurrectionis die sollemnibus celebratis sacris, in maiori Pontificii palatii sacello, Rex à Benedicto suprema regni Sardiniæ, & Corsicæ iura, & summum dominatum recipit: sacramentoq; sancit.

Cum is congressus Regis cum Benedicto, colloquiaq; eo spectarent, vt pia, æternaq; pax sacrosanctæ Ecclesiæ, amplissimiq; sacerdotii consensus, & status priuatis commodis potiora ducantur: Rex Auenione ad Bonifacium Petrum Queraltum, & S. Cucufatis Abbatem legatos eius rei causa mittit: vt eum commonefaciant, interesse reipublicę communi q; salutis, vt æquis condicionibus, à tam funesto dissidio discedatur. Prętercea ad Regem Francorum, cum iisdem mandatis Albertum Zatriliam delegat. Legationi tantis de rebus renuntiatæ Francus non aliud responsum dedit: quam aliam se pactionum rationem non initurum, nisi qui de summo Pontificatu contendunt, abdicent: atq; resignent. Legati tum ab eodem Franco ad Benedictum mittuntur: diemq; statuunt, intra quam de suo iure decedat.

Cum

Cum Venceslaus Romanorum, & Bohemiæ Rex Benedicto se addixisset, & ei parere cœpisset: Francorum Rex in Germaniæ confiniis cum eo congreditur: vt à Benedicti obedientia auertat. Sed cum compositio tanti dissidii, sine summa difficultate, magnoque temporis interuallo constitui non posset; data Regi à Benedicto venia, A. D. V. Id. Mai Auenione soluit. Ligni sacrosanctæ crucis haud modica portione à Pontifice, amplissimi collegii permissu, pluribusq; aliis sanctorum reliquiis donatur. Ad Betulonem, haud procul Barcinonensi statione appellit. NAT. CHR.

Febr. mense proximo consessus ordinum regni Cæsaraugustæ IIX. legatos ad Regem miserat. Insignes, & præstantes viri legationem obiere Garcias Ferdinandius Heredia Cæsaraugustanus Antistes, Petrus Ferdinandius Ixeritanus Montalbani Vclensis militiæ Præfectus, Lupus Simenius Vrrea, Ferdinandus Lupius Luna Mariæ Aragoniæ Reginæ frater, Garcias Lupius Sesesius: Iohannes Ferdinandius Heredia, Iacobus Hospitalis, & Stephanus Pentinas. Hi vniuersi regni nomine: ex Cæsaraugustana vero ciuitate tres iurati magistratus, & III. alii ciues seorsim legantur. Tam insignis legatio eam ob causam constituitur: quæ Regem commonefaciat, vt in Cataloniam appulsus, primo quoque tempore, nulla in loca diuertens, recta Cæsaraugustam contendat: neque regni negotia administret: quoad more, maxima in æde sacra Cæsaraugustana leges, fora, libertatemque suis legibus viuendi sanciat. Betulone A. D. IIX. K. Iun. hæc legatis agentibus, quamuis is mos insitus magis priscis institutis, & horrida initiorum regni seueritate, quam tot nationes, quæ in regis imperium, ac ditionem confluxerant, aut rerum status pati possent, neque visa esset, aut æqua, aut comis postulatio: præsertim, quod ante iurisiurandi sanctionem, & diadema susceptum necesse esset, complura munia à Rege & obiri, & administrari: benigne tamen ad ea, comiterq; responsum. Regem iactatione maris defessum, cum Barcinone paullum interquieuisset, profectionem maturaturum.

A. D. VII. K. Iun. Rex auito regno hereditate adepto, & altero opulentissimo, pluribus victoriis filio parto, Barcinonem ouans, & prope triumphans init.

Rex Barcinone in solio, regali ornatu sedens A. D. IV. K. Iul. publica sententia Matthæum Fuxensem Comitem, & Iohannam eius vxorem fratris filiam maiestatis condēnat. Castelboni Vicecomitatus, & alia oppida, atq; ditiones, quæ illis in Catalania hereditate obuenerant, publicantur, fiscoque addicuntur. Id. Aug. S. Felicis vico ad Rubricati ripas sito, quo Rex amœnitate ad delectationē reuocatus secesserat, omni ratione Sardois rebus pessime affectis subueniendum vidēs, Rogerium Moncadam præstantis virtutis virum classi præficit: vt in Sardiniam primo quoque tempore nauiget: & Caralitana, Polensis, S. Michaëlis, & Aqua frigidensis arces muniri imperantur. Cum Brancaleone Montisleonis Comite, & Leonora eius vxore, & Mariano Arborensi Iudice filio indutias vt paciscatur, Francisco Iohannio S. Columbæ delegat.

Augusto mense Parisiensis scholæ consessus Auenionem nuntios mittit: qui Palatinis foribus libello affixo, Benedictum reiicientes, ad futurum, certum, & minime dubium Pontificem maximum prouocant.

Septembri mense Vitalis Blanius, & Raimundus Francia Pontificii iuris, sacrarumque sanctionum apprime peritus, Regis legati Salmanticæ, quo plures religione, & doctrina præstantes viri de dissidio ab Ecclesia extirpando consultaturi conuenerant: Hēricum Castellæ Regem, à consilio cum Rege Francorum, ea de re ineundo, auertere conantur. Nam Francus summe sollicitat, vt abdicandi ratione suscepta, pacem Ecclesiæ cōcilient. Salmanticensis consessus patres, delectique viri censent, è Christiana republica esse; si Benedictus, & Bonifacius ad colloquia, cōgressumque perueniant: vt inter se comparent, prouideantque, vti funditus tam exitiale dissidium ab Ecclesia Dei tollatur: diemque statuant, intra quam verus, & vnicus pastor Christi vicarius Catholicæ ecclesiæ constituatur. Sin vero id consequi nequeant, vterq; sibi summum Pontificatum abroget.

Cum Afri, Maurique prædones, regiis classibus Sardoo bello intentis, Hispaniæ oras depopularentur, & Torralbam, & Orpesam Dertosanæ diœcesis oppida diripuissent: Benedictus prædicationem crucis, & sacri belli in triennium, in Aragonensi, Valentino, & Balearico regno, & Cataloniæ principatu indulget.

A. D. XII. K. Octob. Ferdinandus Peresius Caluillius Turiasone oriundus: & insigni litteratura præditus Turiasonensis, Petrus Serra Catanensis Episcopi, Gaufredus Boilius Valentini in Cardinalium collegium à Benedicto cooptantur.

Quod vniuersa maritima ora Barcinone Auenionem vsq; magna pestilentiæ vis ingrueret, maiorq; collegii pars ea calamitate pmota, ab Auenione recessisset Benedictus in

NAT. CHR.

Sorgæ pontis vicum emigrat: & D. Luciæ sacris peruigilationibus Berengarius Anglesola Gerundensis Episcopus, Ludouicus Roberti Ducis Barensis F. Iolantis Aragoniæ Reginæ frater germanus Gallorum Reginæ consobrinus, & Bonifacius de Amannatis ex Pistoriensi ciuitate genus ducens iuris prudentiæ consultissimus in amplissimi sacerdotii numerum aggregantur.

Cardinales Galli, qui Auenione pestilentiæ causa recesserant, à Benedicti imperio, ac nomine, quod abdicare renuit, deficiunt. Benedictus Auenionem regreditur.

Raimundus Bagius cum delecta militum manu subsidio à Rege in Siciliam mittitur: quod Siculi proceres multa turbantes seditionum vi agitarentur.

Subita inundatione Hiberi, & Orbæ, qui immenso auctu refusi plana, ac iacentia stagnauerant, Cæsaraugustæ suburbanis magna ædificiorum, & hominum strages edita. Pons sublicius Hibero impositus est interruptus: & turris in medio fluminis alueo lapidea mole compacta diruitur.

Non. Octob. die Dominica Rex Cæsaraugustam regia pompa init. Illa ipsa die Iohanne Simenio Cerdano Præfecto Iustitiæ Aragonum assidente, Rex leges, fora, veterúq; instituta, & mores patrios iurisiurandi sacramento firmat, atq; sancit.

1398. Rex festum Natiuitatis Domini diem Cæsaraugustæ concelebrat. Benedictus in Castro Pontis Sorgæ eisdem sollemnibus celebratis, A. D. XIV. Febr. Auenionem contendit: cuius faustum, felicem, fortunatumq; aduentum dolose ordines omnes Auenionenses præfabantur: & ingenti honoris specie, & insigni pompa adhibita tamquã verum Christi vicarium innumeris laudibus prosequuntur.

A. D. II. Non. Mart. Cæsaraugustæ, conuentus in ipsam vrbem in A. D. III. Id. Apr. à Rege indicitur. Quod die, quam ad conueniendum edixerat, præsidere nequit, in A. D. III. K. Mai conuentus dies producta est.

Constituta conuẽtus agendi die, Rex è solio regio, pro ara maxima Saluatoris, concione celeberrima, & grauissima nostrorum hominum optimam, & spectatissimam fidem summis laudibus ad cælum effert: eorumq; fidelitate, innumerabiles superiorum Regum victorias constitisse: & tot bellicæ laudis insignia, monumentaque fuisse parta prædicat: qui nõ minus fideli opera, quam armis imperium stabilierint. Postremo ad fidelitatis iusiurandum sanciendum compellat: postulatq;: vt in Martini filii Siciliæ Regis absentis verba iurent: eumq;, & pro legitimo regnorum herede, & futuro Rege suscipiant. Libentissimis omnibus A. D. VI. K. Iun. iusjurandum patri, ac filio sancitur: cum antea Siciliæ Regis mandato eius nuntii spospondissent, regnorum coniunctionem, copulationemque confirmaturum, conseruaturumque: & leges, fora, veterumq; instituta, patriosq; mores, illa ipsa in æde, assensione, & auctoritate sua comprobaturum, sciturumq;. CXXX. M. florenorum eo in conuentu Rex donatur: vt ære alieno oppressum regium patrimonium, & effusum liberetur, retineaturq;: & XXX. M. in sumptus regios condonantur.

Rege conuentum agente, aliquot Fuxensis equitum, peditumque copiæ, Tardensi Notho ductore, Sarazalio Pyrenæi saltu irruentes Aragoniæ fines incurrunt: & improuiso Thermas Vasconum oppidum irrumpunt: & arcem vi expugnant. Egidius Ruizius Lihorius regni procurator CC. grauis armaturæ equitibus, quos galeatos vocare assueuerãt, & CCCC. sagittariis obuiam hosti occurrit.

Cum Ferdinandus Lupius Luna Regis affinis, magnis comparatis copiis, montosa Iaccetanorum loca, & aditus obsideret, hostes Thermarum oppido, arceq; deserta, in Aquitaniam regrediuntur: neq; multo post Fuxensis, nullis superstitibus liberis decedit.

Alfonsus Ferdinandius Ixeritanus, & Iohannes Martinius Luna Aragonii proceres factionibus partium inter se diffidentes maximas turbas faciunt.

Augustæ, & Intemelii Comites, aliiq; Siculi proceres defectionem struentes intestinum bellum moliuntur. Bernardus Caprera classe adornata, rebus pessime affectis subuenit: adeo in tempore subsidio externa auxilia aduentant. Re prospere gesta Connestabuli Siciliæ imperatoria dignitas Iacobo Pratensi, summæ virtutis, & regii sanguinis viro defertur.

Comite Augustæ vita functo, Antonius Intemelius, qui in Golisani comitatu Francisco patri successerat, & à Rege defecerat, Regi se addicit. Gerardus Carretus Sauonensis Marchio in eo bello, Martino Rege imperatore meret. Carolus Francorum Rex consilio, & impulsu Biturigum, & Burgundiæ Ducum patruorum, & Ducis Aurelianẽsis fratris germani, & decreto, ac cohortatione vniuersitatis Parisiensis A. D. V. K. Aug. à Benedicti nomine, imperio, & dignitate, reiectione ad futurum indubitatum summum Pontificem interposita, deficit.

Augusto

Augusto mense Philippus Dalmatius Roccabertini Vicecomes Valentina, & Balearica classe actuariarum nauium comparata, Tedelicium Bugiensis regni oppidum expugnat: diripitq́. Dum præda onusti raptim, turbateq; in naues se recipiunt, Hugo Anglesola Balearicarum copiarum ductor mortem oppetit. NAT. CHR.

K.Sept. Dominica die Villanouæ diœcesis Auenionensis oppido, Carolo Francorum Rege Benedicti causam deserente, & eius imperium eiurante, edictis regiis promulgatur Antistites Galliarum, & ecclesiasticum ordinem à Benedicto desciuisse. Postero die Cardinales Galli, & eius nationis comitatus Auenione decedunt. Cardinales hi vrbe excessere: Petrus de Corsinis Florentinus Episcopus Portuensis, Guido de Maloesso Lemouix Prænestinus, Iohannes de Grangia Burgundio Ambianensis, Nicolaus Brancatius Neapolitanus Albanensis, Iohannes de Nouocastro Burgundio Ostiensis, Bertrandus Lemouix Episcopus Sabinensis Hierosolymitanus nuncupatus Episcopi: Guilielmus de Agrifolio Lemouix collegii Decanus, Leonadus de Giffono Siculus ex instituto Minorum, Iohannes Viuariensis Auxitanus tituli Sanctorum Iohannis, & Paulli, Petrus de Turreio Lugdunensis, Iohannes de Parma natione Longobardus Venetiarum, Iohannes Gebennensis tituli S. Anastasiæ Vicecancellarius Viuariensis, Iohannes de Murolio Aruernus, Petrus Lugdunensis tituli S. Petri ad Vincula maior pœnitentiarius Aniciensis, Guilielmus de Verzeio Burgundio Presbyteri: Hugo de S. Martiali Lemouix, Petrus ex Vernio Lemouix, Amadeus Salassus ex Salassorum Marchionibus, & Petrus Blauii S. Angeli Diaconi Cardinales. Benedicto parentes, atq; obedientes permanent Martinus Zalua Nauarrus tituli S. Laurentii in Lucina doctissimis studiis, atq; artibus præditus, Ferdinandus Peresius Caluillius Turiasonensis, Berengarius Anglesola Gerundensis Presbyteri, Gaufredus Boilius, & Bonifacius de Amannatis tituli S. Hadriani Diaconi Cardinales. Busicaudus Gallicarum copiarum ductor, Venexinio comitatu potitus, ad vrbem properat: & A.D.VI.Id.Sept. festo die Natiuitatis beatę Mariæ Auenionensi plebe concitata, & armis irrumpente, Benedictus vrbe expulsus, in arcem compellitur: & à Busicaudo obsidetur: oppugnaturq́. Dum Benedictum ad deditionem cogant, omni tormentorum vi circumlabefactare, & cuniculos agere non desistunt. Cardinales, qui Auenione secesserant, ab obedientia Benedicti se subtrahunt: quorum defectioni Prænestinus, S. Martialis, & Auxitanus Cardinales minime consensere: & S. Martialis, & Auxitanus ab eorũ consortione desciscunt. Præsidio turris pontis Auenionensis duces à Benedicto Simon Saias, & Antonius Zorita præficiuntur: qua ingenti tormentorum oppugnatione labefacta pacto à propugnatoribus deditur: cum illo ipso tempore Palatium Auenionense, quo se Benedictus abdiderat, vehementissime à Busicaudo, & Auenionensibus ciuibus oppugnaretur. Qui acerrime pro salute, & incolumitate Benedicti propugnantes fortem, ac strenuam operam nauauerunt, ii fuisse feruntur: Ferdinandus Peresius Caluillius Cardinalis Turiasonensis, Petrus abbas S. Iohannis Pinnatensis, Gonzaluus Forcenius Bornales, Iohannes Romanius, & Hieronymus Ochon Benedicti cubicularii, Petrus Garcesius Cariniena, Simon Saias, Simon Lupius Embunus, Garcias Vera, Iulianus Loba, & Martinus Alpartilius. Ex Cataloniç Principatu cum Cardinale Gerundensi plures adfuere viri excellenti virtute præstantes: & Valentini regni Gaufredo Boilio Cardinali egregii propugnatores astitere Didacus Heredia Episcopus Segorbiensis, Iohannes Prochyta, Gerardus Lanzolius, & Iacobus Coponius: inter quos Vincentii Ferrarii ordinis Prędicatorum, qui Benedicti sacris confessionibus admouebatur, insignis pietatis, & religionis sanctitas splendidissimo fulgore eluxit. A.D.IIX.K.Dec. festo S. Chrysogoni die induciæ trium mensium inter Auenionenses: & Apostolici Palatii propugnatores sunt pactæ. Cum Aragonia classis subsidio Benedicti rebus accurreret, & in Rhodani ostium, atq; aditum proiiceretur, adeo flumen exaruerat, vt actuariæ naues supra insulã Valobregam, summa hieme transmittere non possent: adeoq; magnis tempestatibus hiberna nauigatione ad magnitudinẽ frigorum milites, & nautæ sunt conflictati, vt magna eorum pars fœde perierit.

A.D.XV.K.Decemb. Martino Siciliæ Regi ex Maria Regina filius nascitur: cui Petri nomen editur.

Id.Apr. Cæsaraugustæ, in sacra æde maxima Saluatoris, Rex magnificentissimo apparatu, ornatuque, & sollemni cærimoniarum pompa regium diadema suscipit: & sacro oleo à Garcia Ferdinandio Heredia Cæsaraugustano Antistite perungitur. Coronato Rege, vexillum eius manu Alfonso Marchioni Villienæ, insignibus regiæ familiæ Ripacurciæ decoratum traditur: & pileo eius capiti imposito, Rex Gandiæ Ducem creat: eiusque decoris cognomine, atque dignitate, rerum gestarum gloria præstantem cohonestat. 1399.

NAT. CHR.

D. Georgii die festo Reginæ Mariæ corona imponitur:
& sacro oleo inungitur.

Cum hi ludi magna celebratione omnis generis hominum florerent, & hilaritatis, & exsultantis lætitiæ omnia plena essent, ac summæ voluptatis gaudiis ciues, peregrini, atque aduenæ baccharentur, præpostero tempore, & perturbato ordine ferme miscentur: atque permutantur. Nam quod in Petrum Latronem Vicecomitem Villanouanum, qui Mancianeræ, & Cieluæ vallis regni Valentini dominabatur, cuius ditiones Aragonio foro, atque institutis nostris, ac legibus censebantur, & in eius homines subditicios Valentini regni Gubernator, & eius ciuitatis Iurati magistratus actionem extra id forum intendissent, & iniquo iudicio pressus Latro interdicto, & intercessione Præfecti Iustitiæ Aragonũ vsus, pro ea interdicta se iudicio sisti, & in dicto foro restitui oportere cõtendisset, & non modo ea interdicta respuerentur reiicerenturq;, sed Valentini magistratus à Præfecto citati nõ adessent, aut in iudiciũ venirent, quin immo iuris actiones, & locũ Latroni reo constituerent, & eum, eiusque subditicios homines damnis, & pœna multassent, & Præfecti apparitorem, qui ab eo missus erat, vt Latronis ditiones in regia potestate haberet, comprehendissent, & in custodiam tradidissent, Iohannes Simenius Cerdanus Præfectus, cum hæc Iohannis regno accidissent, & dolentius conquererentur regni ordines, pro rei indignitate decreuit: vt Valentini regni legati, qui ad eam celebritatem conuenerant, pignoribus ablatis coërcerentur: & non modo patiente, sed libente Rege, communis libertatis beneficio Latro ius suum obtinuit.

Rex cum Arcimbaudo Grailio Matthæi Fuxi Comitis sororis viro, ad quam Fuxensis ditionis, & Beneharni dominatus hereditas peruenerat, ad pactionis condicionem venit: & Vicecomitatum Castelboni tradi, restituique imperat.

Fœdera cum Castellæ, & Nauarræ Regibus superioribus temporibus inita sanciuntur.

Legati Philippi Burgundiæ Ducis, Francorum Regis patrui, sponsalia Ducis filiæ natu minoris, & Petri Siciliæ Regis filii paciscuntur. Ob eam causam in Burgundiam à Rege Gerardus Alamanus Ceruilionius est missus.

Benedicto circumsesso, & tam hostiliter in Auenionensi palatio oppugnato, afflicto, atq; pæne euerso Rex legatos ad eum, & Francorum Regem præmittit Abbatem Riuipullensem, Gerardum Alamanum Ceruilionium, Petrum Zaquamum iuris publici, & Pontificii consultissimum, Petrum Marinum ex instituto Minorum Aragonię prouinciæ ministrum sacris studiis, ac doctrinis, & canonicis institutionibus apprime eruditum, & Petrum Pontanum regiarum epistularum magistrum: Hi A. D. IIX. K. Dec. superioris anni Auenionem applicuerant: & Cardinalium, qui à Benedicto defecerant, & Auenionensium ciuium fide publica arcem ingressi Benedictum cohortantur, vt rerum omnium decertationem, omnem partem existimationis, ac spem dignitatis suæ, & suscepta negotia concordiæ, & coniunctionis Ecclesiæ vnius Philippi Burgundiæ Ducis Caroli Francorum Regis patrui fidei, potestatique, si publicæ Orbis Christiani paci consultum velit, committat. Ea renuntiata legatione Benedictus anxio, & sollicito animo dubitatione æstuat: quod ad Aurelianensem Ducem de concordiæ ineundæ conditionibus Vicecomitem Rotensem legauerat: animaduertens eorum Principum, qui ei se addixerant, tantam incuriam esse, vt summa indignitate salutem, & incolumitatem suam deseruerint: & re perspecta Aurelianensis, vt se ab obsidione liberaret, iter ad Auenionem vna cum Rotensi Vicecomite direxerat. Suscepta tandem cum legatis difficili deliberatione, eo Benedictus recidit: vt causam Ecclesiæ, ac suam potestati Regum, qui suarum partium obedientiam non abiecerant, committat: & si duorum Regũ iudicio res transigenda erat, Francorum & Aragoniæ Regum sententia decideretur. Sin autem Regis Francorum ægritudine, in insaniam enim dementia deprauatus inciderat, sentẽtiam non ferret, vnus ex Ducibus Regis patruis, aut Aurelianensis ei9 frater germanus Regis nomine sententiam pronuntiet. Ea re constituta, legatis Lutetiam Parisiorum contendentibus, ac rem in iudicium deducere properantibus, Aurelianẽsis ex itinere rediit: & in eam pactionem à consilio Regis Francorum deuentum est: quam ad verbum exprimere libet.

„ Primo: si propter reuerentiam Dei, & saluationem gregis Christi Benedictus præ-
„ dictus velit acceptare viam cessionis, & promittere, quod intruso cedente, mortuo, vel
„ ægroto ipse renuntiabit Papatui ad finem, quod eligatur vnicus, verus pastor, & vicarius
„ Iesu Christi, & penitus dimittere viam facti, & abiicere à se gentem armigeram, quam se-
„ cũ habet in palatio, & alibi: tam in terra, quam in aqua, Rex procurabit, & faciet cũ effe-
„ ctu, quod domini Cardinales sacri collegii, ciuesque, & habitatores villę Auenionensis à
„ quacumq; via facti cessabunt penitus: & omnino.

Item

NAT. CHR.

Item etiam idem Benedictus teneatur promittere, & promittat, quod ipse directe, vel indirecte quouis modo non faciet, nec procurabit aliquid, per quod vnio Ecclesiæ valeat retardari: nec via cessionis quomodolibet impediri: & hoc etiam iurabunt personę quę apud ipsum manebunt: quodque eidem Benedicto, si contrarium facere vellet, non consentient: nec dabunt consilium: aut fauorem.

Item similiter promittet: quod quotiens expedierit, ipse ibit ad conuentum, seu cõgregationem: quæ fiet pro vnione sanctæ matris Ecclesiæ: vna cum illis, qui ad eundem ad conuentum, seu congregationem prædictam sunt, vel erunt ordinati: de parte, quæ obediuit felicis recordationis domino Clementi VII. & eidem Benedicto.

Item mediantibus prædictis, quia dicti Ambaxatores præfati domini Regis Aragonum satis approbauerunt, quod ante quam aliquis pro parte domini Regis Aragonum reciperet ipsum Benedictum in sua regia, & speciali protectione, etiam cum domino nostro Rege Francorum prædicto oporteret primitus ipsum dominum Regem Aragonum adire: & per hoc bonum huiusmodi negotii posset multum differri, dictus dominus noster Rex obtulit eis: quod ipse recipiet personam ipsius Benedicti, & illorum, qui secum erunt, vsq; ad numerum centum personarum sine armis, cum eorum bonis omnibus in sua speciali custodia: seu protectione. Et ex nunc deputabit sibi personas notabiles ecclesiasticas, & sæculares: qui ipsum custodient: associabunt: & honorabiliter tractabunt: in palatio: in quo nunc est: vel alibi: vbi eius mansio expediens, & honorabilis videbitur. De quo tamen loco promittet non recedere sine consensu Regum: qui sibi obediuerunt: & sacri collegii: & ad hoc dabunt operam de consensu suo, deputandi ex parte Regis: quantum fieri poterit honestius.

Item quod personæ, quæ cum ipso Benedicto, & ad eius seruitia manebunt, iurabũt, & promittent similiter: quod ipsum Benedictum non permittent à dicto loco recedere: nec ad hoc sibi dabunt directe, vel indirecte: auxilium, consilium, vel fauorem.

Item faciet Rex sibi, & illis, qui cum illo erunt, vsq; ad numerum centum personarum sine armis ministrare victualia: & alia necessaria eorum expensis honeste, sicut decet: & vna cum Regibus Castellæ, Aragoniæ, Nauarræ, & Scotiæ ad pacem, & vnionem Ecclesiæ habendam incessanter, quantum plus poterit, laborabit sic: quod per Dei gratiam in breui idem Benedictus, & ceteri omnes Christicolæ pacem Ecclesiæ se videre gaudebunt. Per prædicta tamen in nullo intendit Rex prædictus à conclusione denegationis obedientiæ nuper per Ecclesiam regni sui, & Delphinatus recepta, in aliquo recedere: seu ab ea aliqualiter deuiare.

Item si Benedictus prædictus suprascripta facere velit, Ambaxatores dicti domini nostri Regis intrabunt palatium, ad loquendum cum eo super prædictis: & faciendam circa prædicta, quæ videbuntur necessaria: seu etiam opportuna: prouiso tamen: quod sibi reuerentiam Papalem non exhibebunt. Si vero concordare, & promittere noluerit prędicta, ingressus, & collocutio Ambaxatorum domini nostri Regis non videtur necessaria, nec honesta: & vt breuius prædicti Ambaxatores possint esse expediti, ex nunc Rex tradidit gentibus suis litteras suas super securitate prędicti Benedicti: & litteras etiam, per quas committet effectum dictę securitatis: guardiamq; seu custodiam gentium, & bonorum suorum Archiepiscopo Narbonensi: & tribus Baronibus suis: videlicet Senescallo Bellicadri, & dominis de Casenatico, & de Volta: & etiam domino Georgio de Marle: Senescallo Prouinciæ: vel eorum tribus: aut duobus. Et ne ista causa Dei ducatur per dilationes frustratorias, prædicti Ambaxatores promittent, & iurabunt in ingressu palatii, non remanere ibidem vltra tres, vel quattuor dies.

Cum A. D. II. Non. Apr. Abbas S. Michaelis in Periculo, vt vocant, Maris, Guilielmus Tignouillæ, & Egidius de Campis sacræ litteraturæ magister Francorum Regis legati cum legatis Aragonii Regis Auenionense palatium introiissent, Benedicto responsum Regis Francorum obtulere: atque eo secessionem, vim, & contumelias, quibus oppressus erat, conquerente, neque lege, aut instituto more, sanctionibusve canonicis de rebus sacris iniquas legum conditiones à Principibus profanis sibi imponi: forti, & cõstanti animo respondit, vel mori satius esse, quam æternam maculam, ac labem suæ senectuti, & Pontificiæ dignitati inurere: sed vt rata ea haberet, auctoribus Cardinalibus Palatinis, suasoribus, & impulsoribus in animum induxit: & Pompelonensis, & S. Hadriani Cardinales, qui à ciuibus Auenionensibus attinebantur, captiui dimittuntur. Nihilo tamen minus arta custodia in eodem palatio Benedictus circumuallatus continebatur.

Iohannis Galeacii Vicecomitis Ducis Mediolanensis legatus, de fœdere cum Rege sanciendo instat: idque Rex reiicit: nisi Siculi proceres, qui à se defecerant, eius ditione

NAT. CHR. expellantur: extermineturq́. Aragonia classis LXX. longarum,& onerariarum nauium, quæ sacro obeundo bello adornata fuerat, in Siciliam præmittitur: quod Ladislai Regis qui Neapolitano regno potitus est, vires maxime pollerent:& eius præstanti, florentique fortunæ ita plausum erat, vt Siciliæ regno imminere videretur: proceresq́; omnes Siculi, quos Martinus Siciliæ Rex vltimo bello profligauerat, in Bruttios profugerãt. Huic classi Petrus Marradas Valentinus, & Berengarius Tagamanentius Balearicus cum imperio præficiuntur. Ea classe in Siciliam appulsa, bellum conficitur:& vniuersum regnum Martinus Rex præstanti virtute, in suam ditionem, potestatemq́; redigit.

Natio ex Allobrogibus religionis causa excita, & Alpes transgressa, lineo vestitu, capitibus obuolutis, ad talos amicti, fæcem ciuitatum ex tota Italia commouent: pœnitẽtiumq́; modo vagantes Siciliensi freto non continentur: quin ingentem terrorem pacatis Siciliæ rebus incutiant.

1400. Iolans Iohannis Regis F. in Galliam prouinciam à Raimundo Agaouto Reginæ Mariæ Aragoniæ auunculo Saltus domino, & Iohanne Maironio Ludouici Andegauensis Hierosolymitani,& Siculi Regis legatis Barcinone ad virum Regem deducitur. Proficiscentem Iacobus Pratensis regio comitatu affectatur. Dos CLX. M. florenorum dicta est: & ne in patris locum hereditatem regnorum, se vllo tempore adituram sperare audeat, aliorumve bonorum, quæ hereditario iure obuenire poterant, A.D. IV. Id. Octob. hereditatis obeundę ius abrogat: atq; de suo iure decedere contestatur.

Robertus Baiohariæ Dux Palatinus Comes Rheni, Roberti Adolfi Baioariæ ducis filius, Adolfi Palatini nepos, & Rudolfi senioris, qui frater Ludwici IIII. Cæsaris erat, pronepos (teste Cuspiniano) matre Beatrice Fridrici Regis Sicilię filia genitus fuit. Ego Petri secũdi Siciliæ Regis Robertũ hunc nepotẽ fuisse arbitror. Is igitur, Venceslao Imperatore & Bohemię Rege ob ignauiã, atq; socordiã in quo omnia ad pniciẽ, pfligata, atq; perdita erant, ab Imperii gubernaculis reiecto, atq; demoto, ad Imperiũ adsciscit̃. Mẽse enim Augusto Magũtin⁹, Treuirẽsis, & Coloniẽsis Archiepiscopi, ac Baiohariȩ Dux societatẽ vel pmii, vel sceleris coëuntes Vẽceslaũ stabili & certa possessione Imperii deturbãt:& Baiohariũs in Vẽceslai locũ sufficitur. Rex cõsobrino, nepotes enim ambo Petri II. Siciliæ Regis erant, q, eum ad Imperium euectum summa laus, & summa Germanię principũ gratia prosecuta esset, insigni proposita legatione, congratulatur. Vrrearum, & Lunarum factiones in Aragonia potentia, & viribus præstantes, magna partium coitione, seditioneq́; concitata, principibus, atq; auctoribus Petro Simenio Vrrea, & Antonio Luna, regnum diuexant: & armorum seditionibus perturbant.

Raimundus Agaoutus Saltus dominus, & Refortiatus Agaoutus fratris eius filius, Refortiatiq́; fratres, quorum in Gallia prouincia late, longeq́; potẽtia, ditioq; diffusa erat, Benedicto in arce Auenionensi incluso, plura oppida in eius verba adegere:& in Venexinium comitatum, magnis comparatis copiis bellum inferunt:& à mœnibus, & arce Auenionensi, ad vicinas, & Benedicto infestas vrbes bellum transferunt.

Henricus Castellæ Rex, qui à Benedicti imperio, & nomine, quod abdicare renueret, defecerat, Antistitesq́; omnes & religione, & doctrina præstantes viros vnum in locum congregauerat, cum in consultationem res veniret: eorum consilio statuitur: sacrosanctæ Catholicę Ecclesiæ dissidium vniuersali concilio indicto tollendum.

Rubinus Bracamontius Normannus Regis Castellæ legatus qui in Castellæ regno vxorem duxerat, & Guilielmus Molo Delphinas ex Regis Francorum intima familia, vt Benedicti incolumitati, & propugnationi consulant, fide publica à Rege Francorum, & Ludouico Aurelianensi Duce eius fratre tradita, Auenionensi arce incluso admouentur. Parent ea tempestate Benedicto, & eum obseruant inclusum alioqui, & constrictum Aragoniæ, Scotiæ, & Cypri Reges, & Allobroges. Andegauensis itidem, & Aurelianensis Franciæ Rege publico in consilio assidente obtestantur, & profitentur, se Benedicti imperio obtemperaturos.

A. D. IIX. K. Iun. Maria Siciliæ Regina: cum aliquot antea diebus Petrus eius filius spei extremum, & commune solatium mortem obiisset, è vita excedit. Ex eo Martinus Rex quem Maria testamento heredem fecerat, & suo iure, & patris Regis mandato regni Siciliæ gubernacula tractat.

1401. Martinus Siciliæ Rex Iohannæ Ladislai Regis sororis nuptias expetit: dignitatis, & cõiunctionis plenas fore persuasus: eiusq́; rei causa Ludouicum Ragiadellum Neapolim legat. Rex ab eo consilio filium deterret: constanti præsertim fama, Iohannæ sponsalia, cum Guilielmo Austriæ Duce Leopoldi Ducis filio esse contracta:& Ladislao, & Ludouico Andegauensi de regno inter se contendentibus.

Franco-

Francorum, Angliæ, & Nauarræ Regum Martinum Siciliæ Regem generum ex- NAT. poscentium legati Regem conueniunt: & Alturæ Segorbiensis agri oppido, Nouembris CHR. mensis fine nuptiæ Blancæ Nauarri filiæ sunt pactę. Dos C.M. florenorum Aragonensium dicitur: & à Benedicto affinitatis vinculo soluuntur. Earum nuptiarum causa Petrus Serra Cardinalis Catanensis à Martino Siciliæ Rege in Aragoniam præmittitur.

A. D. II. Id. Sept. Alfonsus Ruderici Salmanticensis I. C. & Alfonsus Erguellus ordinis fratrum Minorum minister, Regis Castellæ ad Benedictum legati Auenionense Palatium ineunt: ac bonam spem Pontifici iniiciunt Henricum Regem, qui à Benedicto inductu, atq; impulsione Petri Frię Cardinalis Hispani desciuerat, eius se nomini, ac ditioni, & potestati, sacrisq; sanctionibus addicturum: pariturumque.

A. D. XIII. K. Feb. Martinus, & Carolus Aragoniæ, & Nauarræ Reges confiniis regnorum inter Mallienem, & Cortes oppida congrediuntur. Rex Cortes Nauarræ op- 1402. pidum introit. Postero die in ipsis finibus Blanca nurus Regi traditur: & in Valentinum regnum deducitur.

A. D. VII. K. Sept. Ludouicus Antegauensis Siciliæ Rex Auenionem vesperi contendens, Benedictum obsessione oppressum inuisit: & in palatio vna sunt pransi: in quo Rex pernoctauit. Cum se Pontifici supplicem profiteretur, ad pedes iacens iurisiurandi sacraméto Neapolitani regni iura propria, ac legitima vti Ecclesię subditicius, reuinctis, & constrictis more pollicibus, fideliter sancit: seq;, ac Carolum Principem Tarentinum fratrem germanum Benedicti nomini, atq; potestati addicit.

Septembri mense Bernardus Caprera classi regiæ præfectus Blancam Reginam ad virum, in Siciliam deducit.

Cum dissidia, factionesque Lunarum, & Vrrearum, Gurrearumque in Aragonia magno motu vigerent, & armis decerneretur: vt pacatæ, tranquillæque ciuitates grassatorum conatibus obuiam ire possent, earum coitio, populorum libertate abrogata, fit: atque inter se comparant: qua ratione grassatores, sicarios, atq; latrocinantes armis persequantur. Sed quod tot incommodis, id vnum remedium leue videretur: & maiore imperii vi coërcendi essent, Rex Valentiæ A. D. VII. Id. Sept. Alfonsum Dianiensem Comitem, Alfonsi Gandiæ Ducis filium regia cognatione sibi coniunctum procuratorem regno præponit: & vicarium: vt quoad Valentino in regno demoratur, imperatorio ducis munere defungi posset. Ea res plurimum Aragonenses excitat, atq; commouet: libertatem in eo minui arbitrantes: & ad Iustitiæ Præfectum prouocant. Ad id munus exteræ nationis virum neq; in Aragonia natum, creari non posse contendunt: & nobilium dissensione, & motu populi, armorumq; impetu maius excitatur incendium: seminaq; malorum, quæ Martino Rege mortuo, illa ætas tulit, sparguntur.

A. D. II. K. Oct. Iacobus Pratensis regni Aragoniæ Connestabulus, Iohannes Valterra iuris ciuilis, & Franciscus Blanius sanctionum Canonicarum cõsulti, & Vitalis Blanius Aragonii Regis legati Auenionense Palatium ineunt: & cum & Prænestino, & Salasso Cardinalibus, qui à Benedicto secesserant, coniunctionis conditiones feruntur.

Consiliariis Regis Siciliæ, cum partium magna contentio in regno versaretur, inter 1403. se diffidentibus, & Bernardo Caprera Modicę Comite Margaritæ Peraltæ Calatabellotę Comitis nuptias filio ambiente, cum Siciliæ Rex Artallo Lunæ Ferdinandi Lupii auunculi filio Margaritam tradidisset, Bernardus à Rege secedit. Vniuerso regno in duas factiones discisso, cum omnia armis miscentur, atq; turbantur, satis constat Capreram à iuuene Rege, & amicis addicto perniciosis consiliis insectatum, exagitatumq; fuisse.

A. D. IV. Id. Mart. S. Gregorii festo die, albente cælo Benedictus ex Auenionensi arce, Iacobi Pratensis, & aliorum legatorum consilio, & Pompelonensis Cardinalis, qui Arelate commorabatur, à Iacobo Pratensi obsessionis, & oppressionis periculo ereptus, comitatu Pratensis, & Francisci Pacis, Iohannis Valterræ, & Francisci Blanii, parata infra Rhodani pontem scapha in Reginaldi castellum, ad Druentiæ ripam IV. M. P. ab Auenione situm emigrat. Ludouicus Siciliæ Rex eo loci A. D. II. Id. easdem Benedicto accurrit. A. D. II. K. Apr. Auenionensis ciuitas imperio se, ac potestati Benedicti, faustis signis eius laudis addicit.

A. D. III. Non. Maii Benedictus Carpentoracte se transfert.

A. D. IV. K. Maii Henricus Castellæ Rex sollẽni cærimonia Valleoleti Benedicto se pariturum pnuntiat: & eius sacris sanctionibus, nomini, ac ditioni se, regnaq; sua subiicit.

Benedicto ex Auenionensi obsidione erepto ea subito fit in Gallia rerum conuersio, vt A. D. VII. K. Iun. Rex Carolus patruorum, & fratris consilio, & de communis consilii sententia, omnes Benedicto obedientes, audientesque esse imperet.

NAT. CHR.

Cum Benedictus Carpentoracte in Sorgæ pontem regressus esset, A. D. III. K. Aug. Petro Lunæ Iohannis Martinii Lunæ fratris filio Dertosanæ Ecclesiæ administratori Toletanam Ecclesiam, Petri Tenorii Antistitis obitu vacantem confert. Alfonsus Exea ex Obilensi Episcopo in Archiepiscopum Hispalensem promouetur.

A. D. VI. K. Nou. Martinus Zalua Cardinalis Pompelonensis, qui in Cardinalium collegium à Clemente cooptatus fuerat, ad Sellonem, quo Benedictus pestilentiæ causa secesserat, decedit: & in cœnobio Bonipassus Carthusiensis ordinis sepelitur. Benedictus A.D. VI. Id. Nou. ex Sellonis castro Massiliam proficiscitur: primo vere in Italiam nauigaturus: ac præ se fert, se operam daturum, vt ecclesiastici ordines distracti in pristinam cõcordiam reducantur. In cœnobio S. Victoris magnificentissimo hospitio accipitur. Ludouicus Aurelianensis Dux Caroli Francorum Regis frater Benedictum Nouembri exacto, Tarascone inuisit.

Iohanna Iohannis Regis F. quæ Matthæo Fuxensi vita functo, nullis superstitibus liberis in viduitate, ac solitudine, in Elusatium ditione, manserat, à Rege honorifice, benigneq; interuentu Iacobi Scribæ, qui eius rei ergo in Galliam legatus fuerat, recipitur: & Valentino in regno III. M. florenorum in singulos annos, in eius victum, cultumq; à Rege suppeditantur. Neq; vberiores redditus ei, quæ tot regna appetierat, assignantur.

Partium contentione, & potentium, ac factiosorum hominum audacia Valentina respublica conuellitur Hinc Scintilliarum, & Soleriorum nomina per vim, & factionem exsultant: atq; concitantur.

1404. Iulio mense Petrus Rabanus S. Pontii Tomeriensis Episcopus, Petrus Zagarriga Ecclesiæ Ilerdensis electus Antistes, qui ex Ilerdensi Episcopo in Innici Valterræ Tarraconensis Archiepiscopi locum postea suffectus est, S. Facundi cœnobii Abbas, & Bertrandus Rodolfus ordinis fratrum Minorum minister, à Benedicto legati rei publicæ causa ad Bonifacium mittuntur: vti Ecclesiæ sanctæ negotium procurent.

Martino Siciliæ Rege bellum in Bernardi Capreræ Modicę Comitis oppida, arcesq; inferente, Caprera in Regis potestatem se, suaq; tradit.

Vicentellus Istria Comitis Arrigi Roccæ sobrinus, cuius opes, copiæq; in Corsica insula late patebant, magnam eius insulæ partem in Regis ditionem potestatemq; redigit. Cinerchæ arci Garcias Latrasius præficitur.

Martino Lupio Nuza, & Petro Cerdano potentibus, & factiosis viris armis dissidẽtibus, intra Cæsaraugustana mœnia crebræ cædes, & occisiones fiunt: eaque fit rerum commotio, vt Valentia Rex Maëlliam in A.D. VI. Iul. conuentum Aragonensibus indicere cogatur. De intestinis malis sine vllo tumultu, aut motu sedandis, à Rege refertur. In eo consessu, vnam in orbe terrarum Aragonensium nationum regio imperio fidelissimam haberi prædicat: atq; in omni fortuna perutilem semper Regibus eius gentis operam, atq; fidelitatem fuisse: eosq; veros esse Celtiberos: qui superesse prœlio nefas ducerent, cum is occidisset, pro cuius salute spiritum deuouerant. Demum pollicetur accitu suo, se Sicilię Regem filium arcessiturum: vti prouideat, præsensque animum intendat, qua ratione leges, institutaq; maiorum sarta tecta ab omni vi, impressioneque conseruentur. Nam adepto, aditoque regno, graue id nimis regnandi impotentia, principibus visum iri: quod cetera regna, non ratione legibus parendi, sed repentina, maiore ex parte voluntatum inclinatione, gubernentur. Recte, atque ordine, exque republica tumultuantibus hominibus obuiam itum est. Iustitiæ Aragonum Præfecto priuatarum rerum cognitio, iudiciumque defertur: eoque administro, & cognitore ab armis discessum Factionum coitiones, seditionesque dirimuntur.

A.D. X. K. Oct. Romæ Benedicti internuntii, assidente IX. Cardinalium collegio, Bonifacium cohortantur, vt inter se comparent, prouideantque, ne quid detrimenti res publica Christiana patiatur: & eius rei causa, tutum in locum conueniant, congrediantur que. Neq; satis commodo, vt illis visum est, accepto responso, denuo ad congressum, colloquiaq; cohortantur: Biduo tamen post Bonifacius moritur. Benedictus Massilia Nicæam nauigat.

A.D. IV. Id. Octob. nuntii Benedicti Cardinalium collegium in conclaue inclusum ab electione dehortantur: & paucis interiectis diebus Cosmatus Sulmonensis Cardinalis sufficitur. Innocentii VII. nomen edidit. Nuntii Benedicti à Præfecto molis Hadriani in arcem captiui truduntur. & V. M. nummorum aureorum redimi coguntur. Quemadmodum ea res acciderit Benedicti ad Venceslaum Imperatorem, qui se Benedicti obedientiæ dicarat, exstant litteræ. Nam Robertus ad Imperium adscitus totum se Bonifacio addixerat. Visusque est Benedictus difficilem, & operosam concordiæ viam polliceri: sim-

simplici abrogationis spe reiecta: nisi primo ipsi ad colloquia congrederentur: in qua sententia nimium pertinaciter quoad vixit, permansit. NAT. CHR.

Ianuario mense, Martinus Siciliæ Rex Drepanitano portu soluens, in Sardiniam, & Corsicam nauigat. Contento cursu mox in prouinciam Galliam vela faciens, aduersa tempestate in alto iactatus, A. D. VI. K. Febr. ad Ramatuellam Galliæ prouinciæ stationem appellit. Benedicto mox annitente, cum eo, & Ludouico Rege, in Nicæensi portu congreditur. Martinus, & Ludouicus fœdere adiunguntur. Sed cum ea pactio Galliæ, & Aragoniæ Regibus insciis, neque re consulta, aut explorata, constituta esset, statim rescinditur. 1405.

A. D. III. Non. Apr. Martinus Siciliæ Rex ad Barcinonensem stationem classem applicat.

Gerundensis, & Catanensis Cardinales A. D. VI. Id. Apr. duabus maximis actuariis nauibus triremium instar Barcinone ædificatis, & instructis, quarū ductores, & nauarchi erant Galcerandus Marchetius, Antiochus Almogauar Barcinonensis ciuis Barcinone soluentes, Maii K. Nicæam applicauerunt. Nonis Maii Benedictus VI. actuariis nauibus, tribus Genuensium, & totidem Barcinonensium Genuam nauigat: & ex Cardinalibus Auxitanus, Viuariensis, Aniciensis, Catanensis, & Gerundensis presbyteri, & Xalantius, & Pompelonensis iunior diaconi ad eius comitatum accesserunt: nam reliqui Cardinales Gallici defectionis vitiis infecti tenuis excusationis veniam impetrauerunt. Ea die quod Nicæa classe in altum inuectus crebri, & vehementes fulgores, & tonitrua, iactusq; fulminum, & maximi imbres effluxissent, portum Villafrancæ tenuit: & ad Monœci arcem, & Album Ingaunum, & Sauonam summo honore, ex Pontificia dignitate afficitur. Sauonæ Flisci Cardinalem, qui se Bonifacio bellum nostris inferens addixerat, eiurato schismate, offensionis, & inuidiæ venia data sibi conciliat. A. D. VII. Id. Maii Barcinone in veteri regia arce, constituta iura, scita, & priuilegia Barcinonensia à Rege Catalanis sanciuntur.

A. D. XVII. K. Iun. Benedictus Genuam, magna à ciuibus adhibita pompa introit. Prædicatio Beati Vincentii Ferrarii Valentini, ex instituto Prædicatorum Apostolici viri: & insigni sanctitate præditi ad omnes gentes celebratur. Complures impiarum gentium, & Iudæorum, Sarracenorumq; nationes Christi fidem, pietatemque eo perorante, profitentur. Neque diuinitate modo concionandi, sed multa diuinitus prouidendo sancta apud omnes eius nominis veneratio fuit. Satis constat multa miracula edita: quibus cælestis fauor ostenditur. Cum sermocinaretur, Valentinum sermonem Græcis, barbarisque nationibus, & vltimis gentibus, tamquam patrium habitum, & expositum: & oculorum tabe notis, manibus, pedibusque ægris, debilibusque, humana ope insuperabilibus salubrem vim, integramque diuino nutu adhibitam: furibundis, & vesano dæmonum spiritu concitatis placidam quietem restitutam. Neque conuersos tantum ad vsum artus, aut cæcis diem reluxisse, sed exanimes, & elatos feretro ad vitam reuocatos. Bonifacii quoque Ferrarii eius fratris ordini Carthusiensi præpositi ea, illo ipso tempore fuit summæ religionis sanctimonia, ac rerum diuinarum, & sanctionum Apostolicarum, iurisque ciuilis scientia, vt nec illius virtutum aciem splendor fraterni nominis præstingueret: aut eius luminibus officeret sanctitatis altitudo, & gloria.

Cum proceres Sicilia extorres absente Rege multa molirentur, neque cum Ladislao Rege satis firma, rataque amicitia esset: eadem classe Siciliæ Rex A. D. IIX. Id. Augusti in Siciliæ regnum renauigat.

A. D. IIX. Id. Octob. quod Genuæ pestilentia grassaretur, Benedictus Sauonam regreditur. Petrus Serra Catanensis Cardinalis ea contagione infectus Genuæ decedit.

Nouembris mensis initio, longa naui Barcinonem appulsa, quattuor argenteæ statuæ auro gemmis, margaritisque interstinctæ, summoque artificio factæ, Benedicti dono inuehuntur, Cæsaraugustamque perferuntur: quibus sanctorum Valerii, Laurentii, Vincentiique, & D. Encratis reliquiæ includuntur: quas hodieq; sacris litaniarum lustrationibus, magnæque celebritatis festis diebus sollemni pompa, thensarum vehiculis gestari summa religione, pietateq; videmus: & commeritam tutelaribus diuis gratiam iustis honoribus, integra, incorruptaque mente, & voce persolui.

Petri Simenii Vrreæ, & Antonii Lunæ magnorum procerum dissidentium, & concertantium factionibus nobilitas omnis in partes scinditur: nouaque semper mala miscētur: & concitantur. Iurati magistratus Cæsaraugustani facinorosos è ciuitate exturbant: vrbem muniunt: aditus, perfugiaq; factiosorum obstruunt. Iohannes Luxanus Vrreanarum copiarum ductor è ciuitate exigitur.

NAT. CHR.

Cum grauis, inimicitiisque incensa sine intermissione contentio Bernardo Capre-
ræ Modicæ Comiti, cum Sanctio Ruizio Lihorio impenderet, incursionibusque seditio-
num, & vi, impetuq; multitudinis Siciliæ regnum euerteretur, ipsiq; Regi periculum in-
tenderetur, Caprera aula, & paulo post insula pellitur. Lihorius, & Iohannes Ferdinandi-
us Heredia, & Archiepiscopus Panhormitanus aula quoq; regia demouentur.

1406. Martinus Alpartilius Dertosanæ Ecclesiæ Camerarius, & Innicus Pharensis ordinis
militiæ Hospitalis S. Iohannis Hierosolymitani à Benedicto Sauonæ ad Martinum Sici-
liæ Regem Februarii mensis initio Apostolici nuntii legantur: & Martio mense Arago-
niæ, & Nauarræ Reges Ilerdæ congrediuntur.

Benedictus Sauonæ in sacris festi Pentecostes diebus Berengarium Anglesolam Ge
rundensem Cardinalem Portuensem Episcopum creat.

Vniuersa Parisiensis schola denuo à Benedicto Iunio mense secedit: deficitq; Bene-
dictus pedestri itinere Sauona vrbe Nolim proficiscitur: & in Castellũ Finarium ditionis
Marchionis Carreti Cardinalis Flisci fratris filii Monœcumq;, & inde Nicæam emigrat.
Nicææ in Nouembrem mensem subsistit.

A. D. IX. K. Sept. Monœci arce Michaël tituli S. Georgii ad Velum aureum Pompe-
lonensis Cardinalis, senioris Cardinalis Pompelonensis sobrinus moritur: & Nicææ in
fratrum Minorum cœnobio sepelitur.

Non. Nou. Innocentius Romæ moritur, Pontificiis comitiis pie, ac sancte à sacro
collegio Christianæ reipublicæ paci, ac tranquillitati consulitur: in eam enim sententi-
am prolata formula, in posterum cautum esse voluerunt.

„ In nomine sanctę, & indiuiduæ Trinitatis Amen. Anno à natiuitate Domini nostri
„ Iesu Christi MCCCCVI. indict. XIV. die Martis XXIII. mensis Nouembris in die S. Clemen-
„ tis, Apostolica sede vacante per obitum felicis recordationis domini Innocentii Papæ
„ VII. congregati, & ad inuicem collegialiter coadunati pro futura electione futuri Ponti-
„ ficis celebranda, infrascripti Reuerendissimi patres, & domini dominus Angelus Episco-
„ pus Ostiensis Episcopus Florentinus, Henricus Tusculanus Neapolitanus, & Antonius
„ Prænestinus Aquileiensis Episcopi: Angelus tituli S. Potentianæ Laudenensis, Vulradus
„ tituli S. Chrysogoni Melitensis, Angelus S. Marci Constantinopolitanus, Iordanus tituli
„ S. Martini in montibus de Vrsinis, Iohannes tituli S. Crucis in Hierusalem Rauennas, &
„ Antonius tituli S. Praxedis Tudertinus, presbyteri: Rainaldus tituli S. Viti in
„ Macello de Brancatiis, Landulphus S. Nicolai in Carcere Tulliano Barrensis, Odo
„ tituli S. Georgii ad Velum aureum de Columna, Petrus S. Angeli, & Iohannes SS.
„ Cosmæ, & Damiani Leodiensis vulgariter nuncupati diaconi S. R. E. Cardinales
„ in capella communi S. Nicolai sacri Apostolici Palatii Romæ apud S. Petrum in-
„ tra conclaue consuetum, quam pro loco ad infrascripta idoneo elegerunt: & etiam de-
„ putarunt, in præsentia mei Barronci de Pistorio, & aliorum notariorum infrascriptorum
„ & testium: Considerantes Christianæ religionis infamiam, detrimenta, & graues fideli-
„ um molestias, ac pericula, quæ hactenus emerserunt: & emergere verisimiliter est cen-
„ sendum, nisi salubriori remedio, ac in tempore diuina fauente clementia, cuius res agi-
„ tur, occurratur, ex pestifero, & damnabili schismate, quod tantis, pro dolor, temporibus
„ in cissuram Christianæ fidelitatis grauissime perdurauit: & durat: nec per prouisiones a-
„ lias, pro eiusdem schismatis remotione per eos factas, effectum aliquem produxisse, ac in-
„ tendentes ad remedia fortiora, non quidem iure pro parte ipsorum, iustitia suadente, quod
„ ius verissimum est, & plena veritate fulcitum, sed quod pro integratione, & vnitate Chri-
„ stianorum, ex malitia temporis de facto, & si non de iure eligentes, & in speculam eorum
„ cõsideratione extollẽtes, quãti posset esse discriminis, si dilatio in electione futuri summi
„ Pontificis fieret: temporum malignitate pensata vniuersaliter singuli, & singulariter vni-
„ uersi vnanimiter, & concorditer nemine discrepante, ex certa scientia conuenerunt, vo-
„ uerunt Deo, ac eius matri Virgini gloriosæ, ac sanctis Apostolis Petro, & Paulo, totiq; cæ-
„ lesti curiæ iurauerunt: & ad inuicem vnus alteri, & è conuerso se obligando sollemniter
„ promiserunt: Quod si quis eorum assumptus fuerit ad apicem summi Apostolatus, pro
„ integratione Christianorum vnitatis renuntiabit effectualiter iuri suo, & Papatui: pure,
„ libere, & simpliciter: si, & quando Antipapa, qui est, & pro tempore fuerit, consimiliter
„ renuntiabit: & cedet prætensis iuri suo: & Papatui: siue decedat: dummodo Anticardina-
„ les effectualiter velint cum eisdem dominis sacri collegii sic conuenire: & concordare:
„ quod ex hoc sacro collegio sequatur iuste canonica electio vnici summi Romani Ponti-
„ ficis. Ac etiam se promittentes facturos, & curaturos omni dolo, fraude, ac mali-
„ gna interpretatione cessantibus pro posse, quod si quis ex dominis absentibus, vel

de extra

de extra collegium per eos assumetur in Papam: eandem faciet obligationem. Ac quod infra mensem à die suæ intronizationis numerandum, per suas extensas, & Apostolicas litteras Regi Romanorum, Antipapæ, eius prætenso collegio, Regi Franciæ, & omnibus aliis Regibus illustribus, ac Principibus, Prælatis, & Vniuersitatibus, & communitatibus Christianitatis, secundum videre præfatorum dominorum de collegio, præmissa omnia indicabit: & ea omnia se offeret impleturum: & paratum ad cessionem modo prædicto: & ad omnem aliam viam rationabilem: per quã prædictum schisma tollatur: & vnionis sequatur integritas in Ecclesia Christianorum. Et quod super omnibus supradictis vltra præmissa suos sollemnes destinabit oratores, infra tres menses à die intronizationis prædictæ computandos, illis, quibus de consilio præfatorum dominorum sacri collegii sui videbitur. Et ipsis ambaxatoribus cum effectu imponet cum consilio eorum dominorum, de loco, seu locis decentibus eligendi ab vtraque parte: eisque potestatem plenariam dabit de loco conueniendi habili, & decenti. Ac etiam promittet similiter, vt præfertur, quod pendente tractatu vnionis huiusmodi effectualiter, & realiter ex vtraque parte, non creabit, nec faciet aliquem Cardinalem: nisi causa coæquandi numerum sui sacri collegii cum numero prætensi collegii Anticardinalium prædictorum: nisi ex defectu steterit aduersæ patris: quod vnionis præfatæ conclusio infra annum, à fine dictorum trium mensium computandum, non fuerit subsecuta. Quo casu eidem liceat Cardinales eligere: & creare: prout, pro statu sanctæ matris Ecclesiæ eidem videbitur conuenire. Et hoc de non creando Cardinales in forma congrua insinuabit Antipapæ: & eius prætenso collegio prædictis: vt ipse similiter sic faciat: necnon, quod omnia præmissa inchoata, & inchoanda mediabit, prosequetur, & fine debito terminabit: nihil de contingentibus, necessariis, & vtilibus, vel quomodolibet opportunis omittendo: quantum in eo fuerit. Eademque statim post eius electionem, & ante ipsius publicationem omnia, & singula supradicta confirmabit: approbabit auctentico modo: & denouo similem promissionem faciet in omnibus: & per omnia: coram dictis dominis de collegio: testibus: & notariis: & subscriptionem faciet manu propria in instrumentis: prout infra de Cardinalibus continetur. Et consimiliter huiusmodi ratificationem, approbationem, votum, & promissum effectualiter faciet in primo consistorio publico, vel generali: quod post coronationem suam, ad hoc commodo, consueto, & congruo tempore celebrabit. Insuper præfati domini Cardinales fouerunt, iurarunt, & ad inuicem promiserunt: quod per suas litteras, infra mensem à die intronizationis prædictæ collegialiter insinuabunt de electione facta: & de voluntate, & promissione quo ad vnionem prosequendam: & omnia supradicta omnibus præfatis dominis prout, & sicut facere tenetur, qui erit electus. Ac etiam inchoata mediabunt, prosequentur, & finient quantũ in eis fuerit: nihil de contingentibus, necessariis, & opportunis quomodolibet, vel vtilibus omittendo. Quæ omnia, & singula promiserunt inter se, ad inuicem, & vicissim: vt supra attendere, obseruare, facere, exsequi, & effectualiter adimplere: bona, pura, & sincera fide: omni dolo, & fraude cessantibus: & sic quilibet ipsorum iurauit corporaliter manu tactis sacrosanctis Euãgeliis corã eis præsentialiter positis seruare, adimplere, ac exsequi: prout superius continetur: quodque à prędictis promissione, voto, iuramenti præstatione, & obligatitone, ac eius obseruatione, & omnibus, & singulis supradictis nullus eorum absolutionem petet: seu impetrabit: per se, vel alios: & impetratis, seu impetrandis vtetur: & sibi concessa nullatenus acceptabit: nec data potestate per ipsum alteri, se faciet absolui: seu etiam secum in aliquo dispensabit: sed vellet perpetuo dicto vinculo remanere obligatus. Et nihilominus ad maiorem certitudinẽ, & firmitatẽ prępmissorum, quilibet ex dominis de collegio supradicto teneatur se subscribere manu ꝓpria in omnibus, & singulis instrumentis cõficiendis exinde: quorũ instrumẽtorum quilibet ex ipsis dominis de collegio vnum, vel plura habere valeat, pro eius arbitrio voluntatis. Actum in Capella præfata præsentibus venerabilibus, & circũspectis viris dominis Frãcisco de Duce Apostolicæ cameræ clerico, Iacobo de Caluis, & Petro de Sacco Canonicis Basilicæ Principis Apostolorũ de vrbe: & multis aliis in instrumẽto cõtẽtis.

Ego Banotus Philippi de Pistorio litterarum Apostolicarum scriptor, & adbreuiator publica, & Apostolica auctoritate notarius, &c. Et sic omnes alii notarii.

Ego Angelus Episcopus Ostiensis Cardinalis Florentinus sicut pręmittitur voui, promisi, iuraui, & in testimonium me manu propria subscripsi. Et sic reliqui successiue duodecim Cardinales nominati se subscripserunt.

A. D. II. K. Dec. Angelus Corrarius Constãtinopolitanus Patriarcha Venetus Cardinalis, vir insigni doctrina, & religione venerandus, & ab amplissimi sacerdotii collegio

NAT. CHR.

optimus, & selectissimus vir iudicatus, & qui in Bonifacii Pontificatu in Ecclesiæ coniunctione, vt prodesset, summe elaborauit, in Innocentii locum sufficitur. Gregorii XII. nomen edidit: & decretum ab vniuerso collegio constitutum hac formula stabiliuit.

„ Anno Domini MCCCCVI. Indict. XIV. die Mercurii prima die mensis Decembris, hora XII. noctis eiusdem diei Sanctissimus in Christo pater, & dominus noster dominus Gregorius diuina prouidentia Papa XII. secunda die creationis suæ sua spontanea, & libera voluntate, in præsentia Reuerendissimorum patrum dominorum Cardinalium, notariorum, & testium intus in isto instrumento contentorum, & in Palatio, ac Capella præfatis, & intra dictum conclaue ratificauit, approbauit, & firmauit, ac de nouo vouit, iurauit, & promisit omnia, & singula, quæ in isto instrumento continentur, tenere, seruare, prosequi, & effectualiter adimplere, & finire: nec in aliqua sui parte contrauenire. De quibus omnibus, & singulis præfati domini Cardinales, & ipsorum quilibet petierunt per me Stephanum notarium, & quemlibet aliorum notariorum rogatorum fieri vnum, & plura publica instrumenta.

„ Ego Gregorius XII. hodie vltima die Nouembris MCCCCVI. assumptus in Romanum Pontificem, sic vt præmittitur, iuro, voueo, promitto, ac confirmo omnia supradicta.

Ea re constituta, litteris ad Benedictum missis recipit, polliceturq; se Pontificatu abdicaturum, si Benedictus eiuret: neq; quemquam in Cardinalium collegium cooptaturum: vt duobus collegiis æquo numero aggregatis verus, ac minime dubius Christi Vicarius deligatur. Litteræ Pontificiæ maxime dignæ visæ sunt, quæ palam vniuersis, & generatim singulis proponantur.

„ GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis, & vnionis affectũ. Qui se humiliat, inquit veritas, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur: cuius saluberrimam monitionem, quanto nobis ex alto permittitur, obedienter secuti, decreuimus per litteras nostras, omni contentione seposita, benigne te affari: & ad redintegrationem Ecclesiæ cohortari: immo te inuitare ad id consilium capessendum: quod nos ipsi pro pace Christianorum accepimus. Vides quanta mala: quanta pericula, quanta incommoda, quanta deniq; Christianæ religionis infamia iam per triginta annos, ex hac pestilenti, & nefaria seditione, in populo Dei peruenerint: quantaq;, nisi prouideatur, sint quotidie prouentura. Horum omnium malorum qui causa ab initio fuerint, certum videtur: quibus rigor iustitiæ non cessit: nec forsitan æquitas persuasit. Nihilominus tamen graues molestias Christianam religionem perpessam non dubitatur. Si ergo quoque nunc eodẽ modo fiat, dubius est remedii locus: quominus Ecclesia in solitis remaneat angustiis: in qua re tu, de re ipso, ac de conscientia tua videris. Nos mentem nostram, atq; intentionem apertissime profitebimur. Non est consilii nostri tempus aliquo modo terere: sed quo validiora, certiora, & firmiora sunt iura nostra, tanto laudabilius ducimus ea pro pace, & redingratione Christianorum relinquere. Non enim semper de summo iure disputandum est: sæpe rigor ipse vtilitati, & tempori cedit. Nam si mulier illa & iuri suo renuntiare, & proprio filio spoliari se voluit, ne sectionem vnius pueri videret: quanto magis nobis, si malitia operante, ad optatam vnitatem venire non possumus, per iustitiæ vias pie cedendum videatur. Quare exsurgamus ambo in vnum vnionis affectum: concurramus: feramus salutem Ecclesiæ hoc diuturno morbo afflictæ. Ad hoc te hortamur: ad hoc te inuitamus: paratiq; sumus, & offerimus nostro verissimo iuri, & Papatui cedere: & renuntiare: & efficaciter faciemus, si, & quando tu renuntiabis, & cedes prætensis iuri, & Papatui tuo: vel decedes vel quicumq; successor tuus renuntiabit: & cedet prætẽsis iuri, & Papatui suo: vel decedet: dummodo illi, qui apud partem tuam, pro Cardinalibus se gerunt, sic conuenire, & concordare cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus velint cum effectu: vt exinde canonica vnici Romani Pontificis sequatur electio. Itaq;, vt prædicta expeditiorem sequantur effectum: celeriter mittemus oratores nostros: qui tecum de loco habili, & decenti ad huiusmodi rei confectionem disponant. Et insuper pendente huiusmodi vnionis tractatu, non faciemus, neque creabimus aliquem Cardinalem; nisi forte causa adæquandi numerum fratrum nostrorum: cum numero illorum, qui apud te pro Cardinalibus se gerunt: vt sic pares ex vtraq; parte ad sollemnem, & canonicam electionem vnici Romani Pontificis deuenire possint. Extra hunc autem coæquationis casum nullum, vt dictum est, Cardinalem creare decernimus: nisi ex defectu tuo, vel partis tuæ exstiterit: quominus vnionis præfatę conclusio intra annum, & tres menses, à die inthronizationis nostræ computandos, fuerit subsecuta. Hoc autem quod de non creandis Cardinalibus, tractatu huiusmodi pendente diximus, ita lo-

NAT. CHR.

ita locum habere intendimus: si tu quoque idem obseruaberis. Hanc vero oblationem, & insinuationem de Cardinalibus non fiendis, ac superiorem oblationem renuntiationis, modo prædicto, vt strictiori vinculo fierent, iurauimus, vouimus & promisimus ante electionem nostram: eodem vinculo efficaciter implendas cum singulis ex nostris fratribus antedictis, in casu, quo aliquis nostrum ad apicem Apostolatus esset assumptus, post ipsam assumtionem, id ipsum, ad firmiorem constantiam, denuo iurantes, vouentes, promittentes, atque ratificantes. De hoc autem, quod bulla sine impressione nostri nominis est appensa, præsentium nullus debeat admirari: nam ante nostræ coronationis sollemnia, vsus præfatæ bullæ cum huiusmodi impressione nominis non habetur. Datum Romæ apud S Petrum die XII. ab assumptione nostra: XI. vero Decembris Anno à Natiuitate Domini MCCCCVI. Zucarus.

A.D. IIX K. Decemb. Sibylla Fortiana Regina Barcinone mortem obit. In D. Francisci cœnobio regio tumulo infertur.

Rege Francorum annitente, vt Benedictus Pontificio, palatinoq; comitatu in Galliam regrediatur, quod Italiæ ciuitates, potentatusque magnis pollicitationibus ad se se eum pellicerent, Massiliam A.D. II. Non. Dec. appellit. Adeo magnæ Valentino Baleari-coque regno tempestates sunt coortæ, vt nunquam illis locis maiores aquas fuisse constaret.

Festo Natiuitatis Domini die Henricus Castellæ Rex, qui semper infirma, atque ægra valetudine vixit, Toleti moritur. 1407.

A. D. III K. Ian. Maria Aragoniæ Regina Villa regali Valentini agri oppido mortem obit. Ad Populeti sepelitur.

Benedictus Massiliæ ad D. Victoris A.D. II. K. Febr. Pontificatus anno XIII. easdem concordiæ conditiones, quas Gregorius tulerat, perfert. modo antea, tuto in loco ambo primo congrediantur.

A. D. XII. K. Apr. sacra in hebdomade Raimūdus Boilius Valentini regni gubernator, cum Valentiæ regia arce egreditur, per insidias interficitur. Quod Philippus Boilius eius frater in turpissimo flagitio particeps factus esset, manus est illi abscissa: aliique capite plectuntur.

A.D. XI. K. Maii Methonensis sororis Gregorii F. & Tudertinus Episcopi, & Antonius Butrius iuris scientia clarus Bononiensis Gregorii legati, qui Massiliæ Benedictum A.D. II. K. Apr. conuenerant, & Petrus Zagarriga Ilerdensis Episcopus, & Franciscus Aranda, qui illo sæculo vir admodum prudens, ac prouidus habitus est, & se ex intimis arcanorum regni consiliis Carthusiensis religionis institutis dediderat, tractandis conditionibus adiuncti, ex pacto & conuentu Sauonam vrbem colloquio competitorum deligunt: & S. Michaelis dies, quo conueniant, edicitur.

A.D. III. K. Iul. Valentiæ Iacobi Aragonii Petri Vrgellitani Comitis filii, & Isabellæ Regis sororis nuptiæ celebrantur.

A. D. II. Non. Aug. Benedictus Massiliensi portu soluens Sauonam ex pacto conuento, vt cum Gregorio congrediatur, nauigat: & in D. Honorati insula, commoratur, atque inde Non. Sept. Nicæam applicat. Eo in loco à Patriarcha Alexandrino, quem Francorum Rex Romam legauerat, certior fit, Sauonem, vt minime tutum conueniendi locum à Gregorio reiici. A.D XIIX. K. Octob. Benedictus Sauonam contendens Villafrancæ portum tenet: & A.D. IIX. K. easdem Sauonam applicat: neq; Gregorius constitutis S. Michaelis, & omnium Sanctorum diebus, vti conuenerat, eo loci se sistit.

Augusto mense filius Martino Siciliæ Regi ex Blanca Regina vxore genitus decedit. Exequiæ magna funeris pompa, tanquam primigenii celebrantur. Rex vxoris, & nepotis morte summo animi dolore affectus in Vallis Christi Cœnobium Carthusiensis ordinis secedit: quod ipse construi, exædificarique laxe, & splendide fecerat: & Alturæ, & Alcublarum ditione, ac prouentibus, & omnium rerum affluentibus copiis ditauerat.

Iohanna Regis Iohannis F. Fuxi Comes hoc ipso anno Valentiæ moritur.

Benedictus, & Gregorius paciscuntur, vt in confiniis suarum ditionum ad colloquium congrediantur. Benedictus A.D. II. Non. Ian. Mercurii die portum Veneris tenet: & Gregorius Lucam A. D. VI. K. Febr. contendit: ad quem à Benedicto Rhotomagensis & Tarraconensis Archiepiscopi, & Generalis minister ordinis Prædicatorum, & Toribius auditor sacri Palatii legantur. Cardinales fere omnes Gregoriani causa illata, quod Gregorius pactis non stetisset, & inuito, ac repugnāte collegio in amplissimum ordinem tres Cardinales, & in his Methonēsē Episcopū sororis F. cooptasset, vetentesq;, vt ferebāt, 1408.

ne ſibi vincula iniicerentur,cum Gallicis Cardinalibus,qui Benedicto parebant Piſas cō-
migrant:& à ſuis partibus deficiunt: ſecernuntq;. Qui à Benedicto defecere hi fuiſſe lit-
teris Benedicti traduntur: Guido de Maloëſſo Præneſtinus, Nicolaus de Brancaciis Al-
banenſis,Iohannes de Brunitia Oſtienſis, Petrus Gerardus Tuſculanus Epiſcopi: Petrus
de Turreio tituli S.Suſannæ,Petrus Frias tituli S.Praxedis Hiſpanus presbyteri: Amadeus
de Saluciis S.Mariæ nouæ,Petrus Blauii S.Angeli,Ludouicus de Barro S.Agathæ,Anto-
nius de Xalanto S.Mariæ in via lata Diaconi S.R.E.Cardinales.

Ladislaus Rex Imperii vicarius,& perpetuus vrbis Romæ ſenator à Gregorio crea-
tus, maximo comparato exercitu, ad XII.M. equitum coëgiſſe Martinus Alpartilius eſt
auctor,vrbem obſidet: & A.D.IX.K.Maii in eam irrumpit.

Conuenerat inter Benedictum, & Gregorium, vt inter Lucam, & Portum Veneris
quædam loca ad eorum congreſſum deligerentur:quæ Gregorii ditioni parebant: & in-
ternuntiis duobus Venetorum legatis, qui Benedictum in Veneris portu conuenerant,
Benedictus obtulit,ſe libēti animo Liburnum acceſſurum: modo Gregorius Piſas cōmi-
gret: cum ea oppida in ditione Gregorii eſſent. Ea re denegata, neque publica fide tradi-
ta, Cardinales Gregoriani eum, vti ſupra docuimus, deſeruerunt: ac ſe Luca vrbe Piſas
tranſtulerant:& Benedictum deprecati fuerant, vt eo proficiſceretur:& Liburnum acce-
deret:ſed dum legatos præmittit,vt à Lucenſibus,& Florentinis fide publica in eorum di-
tionibus ſibi, ac ſuis liberi commeatus traderentur,& Benedicto denuntiatum eſſet,Frā-
corum Regem,cuius fide publica in Genuenſi ditione tuto ſe commorari arbitrabatur,&
tam periculoſo itineri commiſerat,ſtudioſiſſime curaſſe, vt in eum, & aliquot Epiſcopos
manus iniicerentur,inexpectata, & repentina fuga in Galliam prouinciam celerem redi-
tum dirigit. Portu Veneris vela facturus A.D.XVII.K.Iul.Pontificatus anno XIV.Conci-
lium Perpinianum Helenenſis diœceſis oppidum indicit.Cardinales Benedictini, Gre-
gorianique, qui Piſas ſeceſſerant,& eo ſe conceſſurum Benedictum ſpoſpondiſſe prædi-
cant, ſeorſim Concilium Piſas indicunt: & inde à religioſiſſima concordiæ pactione Be-
nedicto, & Gregorio reſilientibus,in ſe non rite,nec pure, ſed ſacrilego more abrogatio-
nis actionem intendi obteſtantur.Benedictus tota Liguſtina ora, & Gallia prouincia ex-
pulſus ad Illiberitanum portum A. D. VI. Non.Iul.appellit: & Eccleſia tot calamitatibus
affecta,atq; conuulſa,malorum ſemina in contrarias partes ſe vertunt.

Petrus Vrgellitanus Comes Iunio menſe è vita excedit. Margaritam Marchionis
Monferrati filiam vxorem duxerat: & ex ea liberos ſuſceperat Iacobum Vrgellitanæ, &
Agerenſis ditionis heredem; Thadæum, qui ante obierat: & Iohannem: quem ditionis
Entenziæ Barbaſtrenſis, & aliorum oppidorum heredem ſcripſerat. Filias tris reliquit:
Leonoram, & Iohannam,quam Iohanni Cardonæ Comitis filio deſponderat: & Iſabel-
lam,quæ ſe ſacro cœtui addixit.

A. D. X. K. Aug. Benedictus Helenam vrbem,& poſtero die Perpinianum introiit.
A.D.VI.K.eaſdem Carolus Nauarræ Rex Iacobo Borbonio Marciæ Comite,& Fuxenſis
Comitis filio generis comitatus Cæſarauguſtam aduentat.Barcinone Regem,Perpiniani
Benedictum inuiſit.

Benedictus à Cardinalibus,qui à ſe deſciuerant,& Piſas ſeceſſerāt,deſtitutus, A.D.X.
K.Oct.Iohannem Armeniacenſem, Rhotomagenſem, & Petrum Rauatium Toloſatem
Archiepiſcopos,Iohannem Martinium Murilium Abbatem Montis Aragonis,Carolum
Vrriē,& Alfonſum Carilium Gomecii Carilii filium in Cardinalium collegium cooptat.

Cum Brancaleo Oria,Mariano Arborenſi Iudice filio vita functo, totius pæne Sar-
diniæ eſſet potitus,& Caralim,Alguerium,Longoſardum,aliquotq; arces,quę in fidelita-
te regia permanſerant,vehementer oppugnaret,& Genuenſium auxiliis regnum appete-
ret,Sardi quod crudeli Oriarum dominatu premerentur,Aimericum Narbonenſem Vi-
cecomitem,qui Beatricem Leonoræ Arborenſis Brancaleonis vxoris ſororem duxerat,
vltro arceſſunt:quod is,ex quo iunctus Mariano affinitate fuerat,in omnia belli,paciſque
ſe conſociauerat conſilia:magnoq; comparato exercitu,vt in Sardiniam tranſmittat,Sar-
di ſummo conatu ad arma irruunt.

Martinus Siciliæ Rex excelſi,altiq; animi princeps Sardoo bello occurſurus,X.actua-
riarum nauium claſſe,cui Sanctium Ruizium Lihorium præfecerat, quod Iacobus Pra-
tenſis mortem obierat,Octobris menſis fine Drepanitano portu ſoluit.Ad Alguerienſem
ſtationem copias exponit.

Alguerio Bernardum Caprerам Modicę Comitem,& Egidium Ruizium Lihorium
Aragoniæ regni procuratorem inſignem omnibus laudis, & conſilii notis virum ad pa-
trem oratores mittit de claſſe, & exercitu ad ſe primo quoq; tempore tranſmittendo. De-
creuiſſe

creuisse enim se testatur, Sardinia non excedere, nisi in suam, patrisque ditionem, & imperium redigat: & tyrannorum dominatu liberet. NAT. CHR.

A. D. V. Id. Nou. secunda noctis hora Ætna maximis conquassatur terræ motibus: tantoq; flagrat incendio, immensos flammarum globos eructans, vt Catanę dies illuxisse, nubesq;, ac faces ardentes cęlo volitare viderentur. II. M. P. supra D. Nicolai templū, quod Reginæ incolæ vocant, quinq; ignei crateres XII. dies continenti incendio conflagrauerunt: sulphureas proiicientes flammas. Cinis egestus pruinis immixtus pæne Messanam, aliquotq; Bruttiorum oppida obruerat: cum Blanca Regina præstantissima femina Catana non excessisset: sed cum D. Agathæ sacro corpore mœnia perlustrarentur, diuina ope vrbs tanto incendio minime conflagrasse visa est.

K. Nouembris Omnium Sanctorum festo die Benedictus Perpiniani sollemni cœtu, & frequentissima celebritate concilium habet: & sacris in aula regia Maioricensi arcis Perpinianensis a Pontifice peractis, Alfonsus Exea Patriarcha Cōstantinopolitanus Hispalensis Ecclesiæ administrator celeberrimam, & gratissimam cōcionem habuit: & absentium ratione sacris comitiis habita, in A. D. XVII. K. Decemb. concilium prorogatur. A. D. II. Id. Nouemb. Benedictus sanctioris ærarii Magalonensis præfectum Ecclesiæ Astensis administratorem Patriarcham Antiochenum, & Franciscum Simenium ordinis Minorum Valentinum virum insigni sanctitate, & magna, & multiplici doctrina, ac diffusa scriptorum copia clarissimum Hierosolymitanum Patriarcham creat: qui ab Auxitano Episcopo Cardinale A. D. XIIX. K. Decemb. sunt consecrati. Postero die Benedictus ex arcę regia in ædem beatę Marię Regalis sacrorum ordinum cœtu comitatus procedit: & peractis ab eo Missæ sollemnibus, concilium haberi cœpit. Sabattho A. D. XV. K. Dec. secunda Concilii assessio celebratur: & concione, vt mos est, habita, & professione recitata fidei Catholicę Benedictus responso dato, se illam fidem firmissime tenere, & simpliciter confiteri asseuerat. Mercurii die A. D. XI. K. Decemb. cum tertia concilii assessio celebraretur, præmissa, vt moris est, concione, series, & continuatio rerum à Benedicto gestarum, ex quo in summam Pontificatus dignitatem est euectus, vniuerso cœtui recitatur: atque proponitur: & quot, & quantas, & quam incredibiles calamitates hausisset: quantisque in discriminibus versatus esset, vt summæ pacis coniunctio Ecclesię Dei conciliaretur. Demum quinque aliis assessionibus varii actus, actionesque consiliorum, & euentorum in procurandis ecclesiasticæ concordiæ negotiis recensentur: & quemadmodum inter Benedictum, & Gregorium legatorum interuentu cōuenerat, vt Sauonæ cum suis collegiis festo S. Michaelis, aut Omnium Sanctorum die congrederentur. Concilio interfuere Prælati pæne omnes Regnorum Castellæ, Aragoniæ, & Nauarræ: & nonnulli Franciæ, Prouinciæ Galliæ, Vasconiæ, & Sabaudiæ: omnes circiter CXX. Præter eos, quorum supra mentio facta est, Patriarcha Alexandrinus, Petrus Luna Toletanus, Garcias Ferdinandius Heredia Cęsaraugustanus, & Petrus Zagarriga Tarraconensis Archiepiscopi concilii decretis adsedere. Cum patres Benedictus consuluisset quid è republica Christiana esse censerēt: ne in progressione rerum, & noua molitione ad reliquias Ecclesiæ lacerandas, & distrahendas prauis consiliis conuerteretur: summa dissensione, atque dissidio in contrarias partes patrum opiniones in deliberando distrahuntur: quibusdam censentibus à Benedicto legatis mandata danda esse: vt eius nomine pontificiam dignitatem nulla interposita mora abrogent: aliis vero tempus ducentibus: & maxime disiuncta, atque contraria asserentibus. Ea opinionum, & sententiarum discrepantia eo rem deduxit: vt Perpiniano pæne omnes discesserint: & XIIX. in sententia permanentibus, tandem ab eis tanta de re dignum eo cœtu responsum tulit: quod hoc in loco adnectere operæpretium duxi.

"Sanctissime Pater: ac beatissime: hoc sacrum Concilium generale supplicat & consulit humiliter, & deuote V. S. quod nō obstantibus quibuscumq; tribulationibus, persecutionibus, & impedimentis vobis datis, dignemini propter Deum, & bonū Christianitatis prosequi efficaciter factū vnionis Sanctæ matris Ecclesiæ per viam renuntiationis: ipsam viam aliis viis præmittendo: nulla alia tamen via exclusa.

"Item supplicat, & consulit præfatum sacrum Concilium V. S. quatenus oblationem per eandem V. S. factam intruso de renuntiatione, in casu renuntiationis, vel mortis dicti intrusi dignemini extendere ad casum deiectionis eiusdem intrusi: si fiat de iure: secūdum fidem, & obedientiam partis suæ: ac etiam effectualiter: & de facto.

"Item supplicat, & consulit præfatum concilium V. S. quatenus pro celeri, & debita expeditione, & conclusione præmissorum obtinenda, dignemini certos nuntios, probos viros, Deum timentes, & ad hoc idoneos pro parte V. S. & vestri collegii, ac totius sacri

NAT. CHR.

„ Concilii mittere ad intrusum: & suos Anticardinales cum ipso, vel Pisis, aut alibi degentes: nec non & ad illos dominos Cardinales Pisis existentes: & ad alios, qui in hoc sancto vnionis negotio proficere poterunt: cum plena, libera, ac sufficienti potestate tractandi, concordandi, firmandi & obligandi omnia & singula necessaria, vtilia, seu opportuna ad præmissa: & vt eis videbitur tempus breue, & congruum: & locum idoneum, & securum: & de securitatibus, & libertatibus in eundo, stando, & redeundo recipiendi, concordandi, & obligandi. In quo S. V. omnia illa, quæ concordata fuerint per ipsos efficaciter exsequatur personaliter: vel si personaliter ire noluerit, vel infirmitate corporali impeditus nō potuerit, per alium, seu alios habentes plenariam, & liberam potestatem ad omnia, quæ S. V. facere poteft: & posset vsq; ad renuntiationem inclusiue.

„ Item supplicat, & consulit præfatum sacrum Concilium quatenus dignemini tales constitutiones, & prouisiones adhibere: quod si ante optatam vnionem, quod absit, contingat V. S. ab hac vita ad aliam euocari, posset ad vnionem debite, & canonice procedi: taliter, quod post obitum V. S. prop er defectum prouisionum, non differretur, seu impediretur vnio: aut, quod absit, scandala, seu subschismata sequerentur.

„ Item supplicat, & consulit præfatum sacrum Concilium: quod in casu, quo aliqui, quod absit, præmissis spretis scandala, seu subschismata suscitare vellent, dignetur V. S. per debitas constitutiones, & remedia prohibere: ne ad similia perpetranda procedant: sub pœnis, decretis, & prohibitionibus ad hoc necessariis & opportunis.

Sanctam eius congregationis commonitionem, & Benedicti ipsius pollicitationem aduersarii postea in Pisano primum, ac demum in Constantiensi Concilio in durissimum eius os iure merito retorserunt: quamuis Benedictus se viam cessionis Sauonę amplexum fuisse contenderit: & in Portu Veneris Gregorium per nuntios, & litteras ad eam pactionem fuisse cohortatum: ac tuta conueniendi loca obtulisse, quæ omnia fuerint ab aduersario refutata: atq; repulsa: neq; sibi posset obiectari neglegentia: aut contumacia.

1409. K. Febr. Alfonsus Exea Patriarcha Constantinopolitanus Benedicto in Concilii consessu responsum à patribus decretum offert.

A. D. VII. K. Apr. XIV. Sessio Concilii Perpinianensi arce, cum maior pars prælatorum à Perpiniano recessisset, & per paucos res transigerentur, celebratur. Eo in consessu à Benedicto VII. legati Pisas mittuntur: vt perscrutarentur, quibus conditionibus res ad concordiæ pactionem deduci possint. Ad spem obtinendæ rei, grauissimi viri deliguntur Petrus Zagarriga Archiepiscopus Tarraconensis, Seguntinus, Mimacensis, & Senensis Episcopi, Bonifacius Ferrarius Domnus Carthusiēsis, Prior Cęsaraugustanus, & Minister prouinciæ Galleciæ: sed Tarraconensi, vt Benedicti nomine ad Francum Regem legationem obiret, in Catalonia remanente, reliquos oratores Nemausi, cum illis iter longum conficiendum instaret, Francorum Regis ministri detinent: ac demorantur: & mandata quæ Benedictus legatis dederat, intercipiuntur: quæ rei spem omnem adipiscendæ concordiæ, & Benedictum ad abrogationem deducendi contudit: atq; confregit.

A. D. XI. K. Iun. Archiepiscopus Tarraconensis Benedicti nomine, & Gerardus Ceruilionius Cataloniæ gubernationi præfectus, Sperandeus Cardona pro Cancellario regio, Vitalis Blanius, & Petrus Bassetus I. C. ab Aragoniæ Rege ad Francum legantur: ecclesiastici dissidii dirimendi causa.

Quod Americus Narbonensis Vicecomes cum Brancaleone affini societatem coiisset, & nostros Sardinia pellere niterentur, Narbonensisq; magna comparata classe, in Sardiniam traiecisset, summæq; spei, & expectationi, quæ proponebatur, magna Genuensis ciuitatis auxilia præstolarentur, Rex nobilitatem, atq; iuuentutem omnem toto regno exciuit. Classem CL. nauium omnibus copiis, & opibus ornatam, & instructam filio subsidio præmittendā curat. Petrū Torrelliā, ex intimis maxime carū classi præficit. Iohānes Fuxius Vicecomes Castelboni, & Arcimbaudus eius frater Arcimbaudi Grailii Comitis Fuxi & Isabellę Matthæi Comitis sororis filii, Lusæ dominus, aliiq; ex Aquitania proceres, ad Regis exercitū, atq; in militiæ disciplinā proficiscūtur: & militari auctoramēto adigūtur. Copiis militaribus ex Aquitania excitis Gerardus Mauleo pręficitur. Castelbonio Galcerādus Pinosius, Petr⁹ Galcerādus eius frater, & Hortēsis Vicecomes adiunguntur. Ex Catalanis proceribus Comes Cardonēsis, & Antoni⁹ Cardona eius frater, Comes Quirtēsis, Bernardus Sous Ebolēsis Vicecomes, Berēgarius Arnaldus Ceruilionius, Galcerādus Sāctapacius, Acartus Murius, Galcerādus Cruillias, & Bernardus Spesius rē bellicā administrant. Benedictus Iohannē Martiniū Lunā, & Rudericū Lunā fratres germanos fratris filios cū insigni equitatu in eā expeditionē delegat: quos Iohānes Bardaxin⁹, & cōplures viri nobiles comitantur. Modicēsis, Augustanus, & Intemelius Comites, Comes Henri-

Henricus Ruffus Mamertinus, Artallus Luna Calatabellotæ Comes, Gilabertus, & Iacobus Scintillię, Bernardus Anglesola, Augerotus Larta Siciliensium copiarum ductores ad similem laudem proficiscuntur. Inter omnes maximam laudem consequuntur Egidius Ruizius Lihorius Aragonii Regni gubernator: & Sanctius Ruizius Lihorius classis Siculæ præfectus, & Iohannes Ferdinandius Heredia Egidii filii, Gerardus Queraltus, & Iohannes Cruillias: cuius singularis virtus, & animi præstantia, & consilia prudentiæ, & fidelitatis plena magnis in rebus enituere. Vni tamen Petro Torrelliæ, ea condicione extraordinarium imperium defertur, vt sine eo res m litaris administrari non posset: atq; ita & classibus, & exercitibus pręfuit: vt proceres omnes, & regia propinquitate coniuncti ei parerent: & dicto audientes essent: ac regia amicitia, & firmissimis opibus adeo munitus erat, si Tomichio fides adhibenda est, vt tamquam regulus, aut dynastes illis temporibus haberetur. Statione Barcinonensi ea classis A.D.XIV.K.Iun. soluit: quæ longe ceteris omnibus antecellere visa est. NAT. CHR.

Siciliæ Rege Alguerio Caralim classe prætervecto, cum Sardi ad præsentem obtinendam libertatem, mira animorum obstinatione, & magna rerum commotione ruerēt, equitatu, quem satis magnum, optimumque ex Sicilia Rex traiecerat, & eo adiuncto, quem ex Hispano delectu arcessierat, acre bellum æternis hostibus infert: quo in bello, & virtus, & præstantia, & fortuna Regis enituit: quæ pæne ab inconstantia, & temeritate seiungi nō potuit. Vnum omnibus, idemq; votum: ferro, igniq;, atq; omni dehinc vi passim hostes persequēdi. Caralis, Alguerium, & Longosardum vrbes solæ impetum, atq; incursiones hostium, belliq; curam sustinuerant: cum XL. annos obsidionem, perpetuumq; bellum pertulissent.

Classe regia nondum in Sardiniā appulsa, VI. Genuensiū actuariæ naues, partim mercenarias, partim imperio, aut gratia cōparatas copias subsidio hostiū in Sardiniā transportāt: quibus cū Rex suas obuiā præmisisset, quarū Franciscus Coloma ductor erat, cum ad Linairæ stationem, ad certamen concurrissent, nostri in hostium naues irrumpunt: viq; expugnant. Capti fuere Guilielmus Mollo hostilis classis præfectus, Carolus Lomelinus, Simon Marius, Ambrosius Grimaldus, & eius frater: earum nauium ductores.

A.D.IX.K.Iul. Petrus Philaretus Cretensis, ex instituto fratrum Minorum Mediolanensis Archiepiscopus, ab iis, qui Pisano conuenticulo assederant, Pontifex Maximus creatur: cui Alexandri V. nomen est inditum. Pisani concilii decreto interposito Benedictus, & Gregorius Ecclesiæ inimici, & hostes censentur. Benedictus A.D.V.Id.Iul. Perpinianensi concilio instituto dimisso, & Pyrenæo transcenso cœnobium Rhodense prope Emporiarum vetustæ vrbis vestigia emigrat: quo communi fama, atq; omnium sermone inter omnes constabat, priscis temporibus summum quendam Pontificem relegatum se contulisse. Inde Benedictus Barcinonem, vti de summa Christianæ reipublicæ cum Rege deliberet, cōtendit: & graui, ac pestilenti anno in turri regia diuturno tempore permanet. Quod Aimericus Narbonensis ad Sanlurium & suas, & Sardorum copias omnes collegisset, A.D.VI.K.Iul. Rex obuiam illi procedit: prœlio decertaturus: cuius exercitus expositis copiis III.M. equitum, & IIX.M. peditum robore instructus erat. Hostes circiter XIIX.M. numerum confecerant. Dominica die, A.D.II.K.Iul. collatis signis prœlium à Rege committitur. Hostes magna edita strage cæduntur: atq; profligantur. Hortensis Vicecomes, Petrus Galcerandus Pinosius, & Iohannes Villasausa in acie, cum prœliarentur, mortem occumbunt. Aimericus cum acie excessisset, citato equo Montem regalem contendit: & in arcem se abdit. Nostri Sanlurium, eiusq; arcem irrumpunt: expugnantq;. Cum irruptione copiæ Comitis Modicensis, & Bernardi Galcerandi Pinosii arcis potirentur Genuenses, & Sardi, propugnantes occidione cæduntur. Insigni ea victoria parta, cum in ore omnium summis laudibus Siciliæ Regis nomen ad cælum effertur, Caralim se recipit felix: vt æstiuis habitis, Septembris mensis initio Oristanum vrbem obsideat: quam veluti belli arcem Aimericus delegerat.

Id.Iul. Ecclesienses Iohanne Sena internuntio, & administro Regi deduntur: munitoq; oppido Gantinus Sena arci præficitur.

Siciliæ Rex, cum ex diutino labore, & grauissimo, & maxime calamitoso cælo in febrim incidisset, grauius, vehementiusq; ea afflictatus, A.D.IIX.K.Aug. in præstanti, plaudentiq; fortuna, cum omni genere virtutis, & rerum gestarum gloria floreret, Carali è vita excedit: nullis ex Blanca vxore superstitibus liberis. Ex Tharsia Fredericum Aragonium, & ex Agathuza Siculis concubinis Iolantem susceperat: quæ Henrico Nebulensi Comiti postea nupsit. In æde maxima Caralitana sepelitur. Ea calamitas tātusque mœror, Regi parenti graui morbo affecto à Benedicto, & Vincentio Ferrario nuntiatur. Miseran-

NAT. CHR. de nempe tam immatura fortissimi, & maximi animi Principis mors omnibus visa est: qua tot vndique ærumnæ premunt: eaque fit subito rerum conuersio: vt non Siciliæ modo, & Sardiniæ regna armis quæsita, & tot victoriis parta, tantisque cladibus retenta: sed hereditaria, tot sæculorum ætatibus pacata, atque stabilita in extremum discrimen deciderint.

MARTINVS ARAGONIÆ ET SICILIÆ REX DVX ATHENAR. ET NEOPATRIÆ.

A. D. XVI. K. Sept. Petrus Torrellias, & Iohannes, ac Petrus Moncadæ in Oristanum agrum irrumpunt. Hostes dum vrbe egressi, insidiis redeuntes intercludere conantur, prœlium committunt. Aduersus incitatas hostium turmas stetit immota nostrorum acies: nec parte vlla pelli, aut perrumpi potuit. Postquã irritum inceptum erat, & recepti hostes post signa prœlio excedere conantur, fundũtur: cæduntur'q;: ad IV. M. eorũ occisis.

Iacobus Vrgellitanus Comes controuersia regni, viuo Martino Rege constituta, regia virilis stirpis cognatione, tanquam haud dubius regni heres regnum appetens, vti iustus, legitimusque successor, ad procurationem regni, quæ primigeniis deferri consueuerat, aspirat. Eo munere à Rege A. D. IIX. K. Sept. commisso, atque concesso deliniturː & Connestabuli magistratus potestas, quæ regia stirpe ortis conferri assueuerat, attribuitur. Sed clam à Rege ipso, dum secum voluit, quo nam modo Vrgellitanum peruertat, opera datur, ne procuratione, vt præiudicium factum esse videatur, defungi possit: & ab Vrrearum factione, & Lihoria, Herediaque gente, per interdictum præfecti Iustitiæ Aragonum, Vrgellitanum procuratione euertere contendit. Concita ad rixam Cæsaraugustana plebe, Vrgellitanus præruptæ audaciæ Princeps vrbe turpi fuga expellitur.

Rex casum, & orbitatem regiæ domus deplorans, & ærumnam, ac solitudinem deflens, cum vxorem ducere decreuisset, Margaritam Petri Pratensis, ex Iohanna Caprera filiam, Iohannis Comitis Pratensis neptem regia stirpe ortam, veterno prope confectus puellam excellentis pulchritudinis A. D. XV. K. Octob. in matrimonium ducit.

Ludouicus Siciliæ Rex, qui Iolantem Iohannis Aragoniæ Regis filiam duxerat, & Ferdinandus Petri regis Aragonum ex Leonora filia nepos, à Rege interuentu legatorum expetunt: vt palam enunciet, quis in eius locum regni heres sit successurus. A Ferdinando, cum Antiquariam celebrem Bæticæ prouinciæ vrbem Maurorum dominatu oppressam obsidione premeret, Ferdinandus Guterrius Vega, & Iohannes Gonzaluius Azeuedus iuris prudentia clarus, summæ industriæ viri eam ob causam ad Martinum Regem legantur: & vt procerum, & ciuitatum animos, atque consilia, cum omnia factionibus, atque seditionibus excitarentur, secreto explorent. Rege tergiuersante, & renuente, quod Frederico nepoti, Siciliæ Regis filio regnum Siculum appeteret: maior successionis perturbatio, atque confusio subsequitur: ac palam Rex visus est, odio in superbiam, atque arrogantiam Iacobi Comitis Vrgellitani, Petri patruelis fratris filii concitato, popularem iactationem, & gratiam nepoti conciliauisse: vt magnis iam tum Aragonii nominis rebus, nondum tamen ad summum elatis, validis per Hispaniam finitimis Castellani regni opib⁹, in posterũ regnorũ subiũctionis, & summæ imperii fundaméta struerét.

Quod Sardi noua auxilia ab Aimerico Narbonensi arcessiuissent, Rex Emporitano comitatu, atque ditione L. M. florenorum pignore Barcinonensi ciuitati opposita, atque addicta, classem parari iubet: quæ K. Octob. Barcinonensi statione in Sardiniam transmissura soluit.

Octobri mense decurso, cum in suburbano Barcinonensi, Belesguardum vocant, Rex assideret, & à Bernardo Caprera Modicæ Comite res in Sicilia turbarentur, quod Rege inuito Panhormum vrbem introisset, Catanamq; occupare niteretur, qua in vrbe Blanca Regina commorabatur, Rex classem adornari imperat: denuntiatq;, primo quoq; tempore se in Siciliam traiecturum.

Benedictus Barcinone A. D. XII. K. Nou. Pontificatus anno XVI. X. Cardinales, qui à se defecerant, & Pisas secessrant execrationibus publicis, & ecclesiasticis interdictis condemnat: & contra se, ac Romanam Ecclesiam conspirantes, sacrilegos, schismaticos, & nouorum, vt nominat, subschismatum fautores, læsæ maiestatis, perduellionis, & parricidii conuictos lata sententia denuntiat.

1410. Festum Natiuitatis Domini diem Benedictum, Anno MCCCCIX. exacto Cæsaraugustæ celebrasse, ex epistola illa Iohannis Simenii Cerdani Iustitiæ Aragonum Præfecti clarissimarum rerum, & antiquitatis plena elicimus. In ea enim commemorat in æde maxima Saluatoris, nataliciis sacris, cum horis matutinis Pontifex, Martino Rege viuente assideret, quintam lectionem, quæ Ecclesiæ more instituto, coram summo Pontifice à nobili

nobili quodam viro stricto gladio palam vniuersis recitari consueuit, Pontificis iussu Iohanni ipsi Simenio Cerdano recitandam fuisse commissam: tamquam primario viro eum Magistratum gerenti: cui similis, aut æqualis in terris non sit: quam rem sequenti anno gestam arbitror: & Cerdanum in ea tradenda, memoria vacillasse. Satis enim constat ex commentariis Martini Alpartilii Operarii Cæsaraugustani, qui in intimis ipsius Benedicti erat, & eius varios actus, actionesq; ferme omnes consiliorum, & temporum, ex quo in summum Pontificatum est euectus, diffuse complexus est: Benedictum post adeptam Pontificiam dignitatem Cæsaraugustam minime introisse: nisi mortuo Martino Aragoniæ Rege.

A.D. XIV.K. Apr. Petrus Torrellias Sardoo bello redintegrato omni pecunia ex manubiis, & ea, quam in prędæ dissipatione milites coëgerant, disturbata cum innumerabiles sumptus in rem militarem fierent, Oristanam vrbem, & eius vrbis ditionem Marchionatus cognomine: & Gotiani Comitatum Leonardo Cubello, posterisque eius regio mandato, ingenti pretio addicit: bellumque trahitur.

Aprili ferme exacto, aliquot Cardinales, qui Benedicti imperio, nominiq; ad eam diem parebant, & ciues Auenionenses ductoribus Bellicadri Senescallo, & Delphinatus gubernatore, ac Vicario Venexinii Comitatus, qui expulso Ruderico Luna ei ditioni prępositus fuerat, repentina defectione Auenionense palatium circumsident: ac omni machinarum vi, & tectis, & apertis cuniculis, aggere, vineis, & turribus oppugnant. Cum ei propugnationi Bernardus Sous Vicecomes Ebolensis, Martinus Alpartilius, & Petrus Bertrandi arcis Palatinæ maioris præfectus ccc. propugnatoribus præessent: Benedicti ipsius mandato propugnacula dedunt: & Narbonem fide publica, cum omnes salui conseruarentur, deducuntur. Eadem tempestate Antonius Cardona Cardonæ Comitis frater, & Petrus Moncada instructa classe, Barcinonensi statione soluentes, ad Aquas Mortuas præteruehuntur: maritimamq; oram incurrentes, ac depopulantes, aliquot naues euertunt, depmuntq;: quibus Aimerici Narbonensis copiæ in Sardiniam transportabantur.

A.D. V. Non. Maii Alexander Bononiæ vita fungitur. In eius locum Baltassar Cossa Cardinalis sufficitur: & Iohannis xxiii. nomen edit.

A.D. II. K. Iun. Rex in cœnobio Sanctimonialium Barcinonensi muro adiuncto, vulgus Vallis puellarum cognominat, morbo, veternoq; oppressus è vita excedit: qui siue odio occulto in Iacobum Vrgellitanum Comitem incitatus, siue nimia in Fredericum nepotem Lunensem Comitem indulgentia inductus, cui Siculum regnum appetierat, cum regnum perpetua pace, successore constituto, libentibus omnibus stabilire posset, in exitium pæne, atq; interitum, nullis superstitibus liberis deduxit. Inde malorum initia: cum Regi successor quæreretur: non constitueretur. Regii funeris iustæ exequiæ vix persoluuntur: & ad D. Mariæ Populeti sepelitur: vltimus Aragoniæ Regum ex virili Barcinonensium Comitum prosapia: qui stirpem antiquissimam in dc. annum, admirabili quadam continuatione, regnorumq; serie propagauerant: cum repentino tantæ molis gubernacula ita diuulsa essent, vt vix in pristinam speciem redigi posse viderentur.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

ROBERTI VISCARDI CALABRIÆ DVCIS, ET

ROGERII EIVS FRATRIS CALABRIÆ, ET Siciliæ Ducis Principum Normannorum, & eorum fratrum rerum in Campania, Apulia, Bruttiis, Calabris, & in Sicilia gestarum Libri IV. Auctore GAVFREDO MALATERRA monacho Rogerii ipsius hortatu.

ROGERII SICILIÆ REGIS RERVM gestarum, quibus Siciliæ regnum in Campania, Calabris, Bruttiis, & Apulia usq; ad ecclesiasticæ ditionis fines constituit: Libri IV. Auctore ALEXANDRO COENOBII *S. Saluatoris Vallis Celesinæ Abbate: qui & hortatione Mathildis eiusdem Rogerii sororis eam historiam conscripsit.*

GENEALOGIA ROBERTI VISCARDI, ET EORVM PRINCIPVM, QVI SICILIÆ regnum adepti sunt: ex Ptolemæi Lucensis Chronicis decerpta: qua Dyrrhachinæ domus Principum propagines certa, & constanti complexione appinguntur.

Anno Domini M. DC. V.

ANTONIO AVGVSTINO ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI OPTIMO ANTISTITI.



VANTVM *priscæ vetustati ad magnas res conficiendas, iustissimis de causis in omni artium, doctrinarumque studio semper detuleris optime Antistes, summo huius sæculi beneficio, perpetuæ tuæ lucubrationes, sine vlla intermissione testantur. Hanc te vnam venerari, & colere, supraq; oblectationem omnem, & humanarum curarum requiem suspicere nouimus: quam semper admirari, & in omnium prospectum, cum maximas legationes reipublicæ causa obieris, producere merito iure concupiuisti: cum eius affluentibus opibus, atque ornamentis locupletatus, ad ea, quæ in tantis horum temporum calamitatibus, quibus tot terrores, periculaq; iam adesse, atque imminere videntur, vniuersæ Christianæ reipublicæ maxime conducunt, summe profeceris: & aduersus impiam hæreticorum contumaciam, qui Ecclesiam sanctam Catholicam, quam diuina prouidentia afflictam semper excipit, corruere nunquam sinit, perfidia violare, & reliquas piorum gentes sacrilego scelere contaminare nituntur, in eo officio, quod præcipue tuum fuit, enixe ad Dei gloriam prouideris, atque consulueris. Illud certe maiorum vigiliarum munus quod ad summam virorum doctrina præstantium existimationem dimanauit, à te grauissimi, & litteratissimi viri requirunt: atq; efflagitant: quo innumerabilia Sanctorum Patrum, & summorum Pontificum scita, atq; decreta, & sacras synhodos obliteratas in tot volumina retulisti, vt singulari tua assiduitate, & vigilantia, cum te totum ad sacrarum constitutionum seriem, & veritatem illustrandam traduxeris, quam maximus Canonicis sanctionibus, atq; decretis cumulus accesserit. In eo præterea te vehementer omnes admirantur: quod in grauissima, & perpetua sacrarum sanctionum commentatione doctrinarum omnium studia promouere, & assidua, ac vehementi occupatione omnem conatum in contemplatione rerum, & liberalium disciplinarum scientia collocare, & non ludis, & feriis, quod studiosissimi viri solent, aut, quod aiunt, subseciuis horis, sed omne id tempus quo vitam viuimus, & maxime expeti, & sustentari consueuit, & communi spiritu fruimur, remissioris litteraturæ studiis, tamquam alleuamento quodam, & laxamento tribuere numquam intermittis. Hinc illæ diuitiæ, atque ornamenta ingenii: quorum fructus adeo vberes, & fecundos es consecutus, vt cum ad hæc nostra studia, tamquam in leuiorem ludum, & popularem lætitiam ad animi remissionem descenderis, maiores omnis doctrinæ thesauros explices, ac propalam colloces, quam cæteri, qui omne otium, ac tempus in communium litterarum, aut politioris humanitatis meditationibus cõtriuerunt. Sed quoniam neque instituti, aut iudicii mei erat, tuas laudes, quæ grauissimorum virorum ingeniis omnium mortalium fama celebrantur, perstringere: tamen hanc me occasionem, te grauissimo vetustatis vindice, custode, atque antistite non diffitebor arripuisse: vt vetustissimi hi rerum scriptores, qui Principum Normannorũ in Italiam aduentum, & res ab eis in Campania, Apulia, Calabris, & Bruttiis, & in insula Sicilia gestas ante quadringentos annos posteris tradiderunt, in tui primum nominis præ-*

sidio in lucem exeant. Neque inculta eorum, & derelicta oratio, & inops series rerum & inconditi Gaufredi monachi versus, quamuis hebetes, ac rudes, aut praepostéri, peruersique numeri de sententia demouerunt: quin res ipsae à nemine auctorum, quod ego sciam, ad hanc diem traditae in publicum proferrentur. Tantum enim me in ea editione à reprehensione ineptiae abesse arbitrabar, vt propius nihil sit factum, quam vt his Normannicarum rerum scriptoribus Bartholomaei Neocastrensis Siculi vetusti scriptoris poeticum opus, cui Messanae nomen indidit, & XV. libris hexametris versibus composuit, adnecterem: tametsi non aliquo sagacis, aut bonae mentis instinctu, aut artificiosa constructione, sed enormi, & pingui contextu de rebus à Petro Aragoniae Rege in Sicilia, aduersus Carolum eius nominis primum Siciliae Regem opus id fuerit cõstitutum: adeo mihi prorsus persuasum est, verborum iacturam tolerabilem esse: cognitionis vero rerum, causarum, & euentorum inaestimabilem. Perspicuum enim hoc est, & in vulgari prudentia situm principem, & primariam esse illam sapientiam, qua maiore voluptate afficimur ex rerum ipsarum scientia: vel vilissima compositione traditarum: quas in animis insitas, & quasi consignatas notiones inhaerere oportet: quam ex superuacanea, & diffluenti oratione: cum praesertim eam maxime ex rerum ipsarũ traditione efflorescere, & redundare conueniat. Quam ob rem cum tibi in vniuersa rerum sacrarum functione, & Pontificalis auctoritatis, & reliquae iurisdictionis absoluendae prouincia, atq; in tanto officio, tantoque munere incredibilis cura numquam defuerit, quin doctrinarum studiosis vndiq; prosis: magna spe ducor, cum tua summa grauitas cum singulari comitate cõiuncta sit, & qua es lenitate munitus minimum hoc munusculum, ac si insignitae cuiusdam notae esset, te non aspernaturum, aut refutaturum: si cuiusvis vel tenuissimae vtilitatis, & emolumenti fructum praebere, & vetustarum rerum memoriam, quas diligẽtissimi antiquitatis inuestigatores omni inquisitione veri indagare nituntur, possit patefacere. Vt eos tamen scriptores indicibus rerum ab Aragoniae Regibus gestarum adiungerem, ea me ratio, & consilium impulit: quod, vt omittam Aragoniae Reges abhinc tercentum annis in Normannicam stirpem gemina cognatione se inseruisse, ditiones omnes, quae à Normannis, & mox Sueuis Principibus tot victoriis quaesitae, & partae fuerant, Aragoniis postea Regibus & hereditario, & belli iure, & ab Ecclesia publicis consiliis beneficii loco delato munere, caelesti, diuinaque sorte obuenere. Ad D. Encratis ex suburbano Caesaraugustano A. D. XVI. K. Maii. M D L X X I I X.

Amplitudinis tuae obseruantissimus.

Hie. Surita.

INCI-

INCIPIT LIBER DE ACQVISITIONE REGNI SICILIÆ, CALABRIÆ, APVLIÆ ET INSVLÆ SICILIÆ PER

gloriosum Principem Robertum Guiscardum: & fratres de Normannia venientes: compilatus à Gaufredo religioso, & honesto viro beati Benedicti Monacho: ad petitionem Illustris Principis Rogerii Trinacriæ Comitis: quam de infida tyrannide Sarracenorum ad deuotionem Christi reduxit.

Incipit Liber Primus.

HIC SVNT CAPITVLA PRIMI LIBRI.

INCIPIT EPISTOLA RELIGIOSI VIRI GAVFREDI BEATI BENEDICTI MONACHI DESTINATA AB EODEM AD VENERABILEM PATREM DOminum Catanenſem Epiſcopum.

BEATÆ Memoriæ Georgio Catanenſi Epiſcopo frater Gaufredus ab anteceſſoribus Malaterra agonem trahens, infelici curſu mundano cum Martha habito, ad felicitatem quietis Mariæ cum Lazaro fratre reſuſcitari. Quandoquidem ſanctiſſime pater quadam peculari familiaritate, à ceteris Epiſcopis, qui quantum ad habitum, alterius inſtitutionis eſſe præfigurantur, habitu religionis, quo concingimur, quamuis indignus, vobis me vniri cognoſco, peculari etiam ſpe, à ceteris de vobis prçſumens fruor: & vos mihi in omnibus negotiis tutorem expoſco. Per vos itaq;, aut ſaltē veſtra prçſentia librũ hunc reputari expoſtulo: vt veſtrę auctoritatis fauore Principi gratioſior fiat: vel ab æmulis, ſi forte aliqui inſurgãt, ob reuerētiam veſtri, minus remorderi p̃ſumatur. Sciendũ tamen vobis eſt, ſiue alteri, quicũq; libri huius recitator, vel certe interpres acceſſerit, ſi ſeriatim, minus ordinate ſecũdũ tēpora, quibus facta ſunt, quæ adnotãtur, vel certe aliqua obliuione p̃tergreſſa repereritis, nõ hæc tã mihi, quã relatoribus, culpando adſcribantur: præſertim cũ de ipſis temporibus, quibus fiebãt, prçſentialiter non interfuiſſem: ſed à tranſmontanis partibus venientē, nouiter Apulũ factũ, vel certe Siculum ad plenum cognoſcatis. Si autem de incultiori poetria quæſtio fuerit, ſciendum eſt, quoniam etiam ſi eſſet vnde limpidius, aut certe pompoſius eructare potuiſſem, ipſa Principis iuſſio ad hoc hortata eſt, vt plano ſermone, & facili ad intelligēdum, quo vt omnibus facilius quidquid diceretur, pateſceret, exararē. Ego igitur ſiue iſtud ſiue illud opponatur, ſub vmbraculo veſtri tutaminis refugiũ expeto: vt tãto auxilio innixus, inimico dēte mordere attētantes minꝰ ꝑtimeſcamꝰ: & Principis noſtri ſuſtētamine fruar.

OMNIBVS, quibus per vniuerſam Siciliam Epiſcopale, vel clericale nomen aſſignatur, Gaufredus Malaterra cum aſſignatione nominis, & ſignificatum. Antiquorum philoſophorum traditione futuræ propaginis humanæ mos inoleuit, fortium facta virorum, apicibus adnotata ad poſteros tranſmittere: ne facta memoranda, cum ipſis, à quibus fiunt, ſilentio depereant: ſed potius ita litteris commendata, & à futuris lecta, vel cognita, ipſos, à quibus facta ſunt, quadam vitæ memoria, quodammodo quaſi viuere faciat. Quod commendat Salluſtius ille inter hiſtoriographos laudabilis rhetor: qui in principio ſui libri ſcripſit dicens: „ Omnis hominis, qui ſe ſe ſtudent præſtare animalibus, „ ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant: quomodo pecora: quæ natura prona, ventrique obedientia finxit. Talibus edoctus auctoribus, ſibi veterum hiſtorias recitantibus, famoſiſſimus Princeps Rogerius laborioſos, & non ſine magno diſcrimine triumphos ſuos, qualiter videlicet primo Calabriam, deinde vero Siciliam armata manu ſubiugauerit, poſteris, conſilio ſuorum mandare decernens, mihi, vt ad huius operis laborem dictandum accingar, iniunxit. Sed quia præcedente in me beneficio ſuo, quidquid iniunxit negare nequeo, minus erudito ſtylo, & enerui poëtria, quaſi lacum profundiſſimum natandi neſcius, timidus ingredior: voſque, veſtramque aduerſum me indignationem plurimum pertimeſcens, præſertim cum vos limpidiſſimo fonte grammaticæ artis debriatos, non autem me, talis ſcientiæ pane ieiunum ad tale opus accingi oportuit. Sed prædictus Princeps vos maioribus vtilitatibus occupatos, interdum, videlicet Eccleſiarum curis cum Martha, interdum vero beatæ contemplationi, cum Maria inſudantes cognoſcens, vobis, ne à meliori propoſito vos reuocet, parcit. Me vero, quaſi vacantem, & nulli exercitio deditum, quadam manu pulſationis vigilantiorem reddere ſatagit. Rogo itaque vos, vt memores ſcripturæ dicentis: Inuicem onera veſtra portate: & ſic adimplebitis legem Chriſti: & quod alibi dicitur: frater fratrem adiuuans ambo conſolantur: ad debile carmen meum ſuſtentandum pedem veſtri fauoris porrigatis: vt clypeo veſtræ auctoritatis munitus incurſus detrahentium, & inimico dente aliorum dicta, vel facta rodere tentantium minus pertimeſcam. Sunt enim quidam, qui cum alicuius ſcientiæ gradus vtcumque attigerint, & exinde humanæ laudis fauorem adepti fuerint, tumenti ſupercilio, tanta inuidia ſuperfluunt, vt neminem ſibi litteris æquipollentem

tem ex proximo habere velint. Sin autem eos habere contigerit opus alienum, detrahendo mordaci dente appetere non desistunt: alterius laude suam minui timentes. His competenter assignari potest illud scripturæ: qua dicitur. Scientia inflat: sed non subsequitur in eis: caritas ædificat. Adsunt alii è contra, quorum scientia, & mores ipsos in tantum nobilitant, vt quantum plus philosophico fonte debriantur, tanto minori extollentia rapiãtur: gressum mentis semper in humilitate figentes: aliorum dicta, vel facto nõ remordentes: sed quod minus ornate dictum ab eis audierunt, cum mansuetudine intra se ipsos, non autem in publico, ne forte scandalizentur, corrigunt. Et vt eos apud potentes huius seculi gratiosos verbis faciant, extollere nituntur: eorũ laudẽ, vel lucrũ, quasi suum æstimãtes. Horũ affectuosã beneuolentiã aduersũ me inuitari exposco. Ego vero quęcũq; dictauero vobis corrigẽda, & rosis vestrę sciẽtiæ exornãda reputabo: vt vinea à vobis exarata, cultu vestrę sciẽtię putata vberiores fructꝰ reddẽs, in maiorẽ laudẽ, & gratiã peueniat Principis.

I. NORMANNIA patria quædam est in partibus Galliæ, quæ quidem non semper Normannia dicta fuit: sed regalis quondam Frãcorum Regum fiscus, cum toto suo, cuius pars erat generali nomine Francia nuncupabatur: vsq; Rholo dux fortissimus pirata à Dacia, vel Norueia, coadunata sibi plurima fortiũ manu militum, nauali exercitu se pelago credentiũ Frisiã, & quæq; maritima loca, versus occidentẽ deuastans, tãdem in portu, quo Sequana fluuius in mare defluẽs intrat, appulsus est: cuius per alueum maxima classe profundiores partes Francię penetrãs, amœnitate locorũ inspecta, præ ceteris, quas pertransierat regiones, hãc amore amplecti, & sibi adoptare fecit. Est enim piscosis fluminibus, & feralibus siluis abundantissima: accipitrum exercitio aptissima: frumenti, & ceterarum segetum fertilis: piscinis vberrima: pecorum nutrix. Quamobrem ex vtraque ripa prosilientes incolas illius regionis imperio subiugare cœperunt.

II. REX autem, qui tunc temporis Frãciæ pręerat Ludouicus, vt credimus secundus, comperiens hostes fores imperii sui inuasisse, primo quidem indignatus commoto exercitu, hostibus occurrendum, & Ducẽ, & eos à finibus arcere instituit. Sed cum hoc nõ sine magno detrimento suorũ, se agere posse cognosceret, varios euẽtus belli pertimescẽs, suorum sanguini parcens, seniorum vsus cõsilio, fœdera pacis, & seruitium, quod ab ipsis, sibi offerrebatur, accepit: eisq; maximam partem terræ quam peruaserant, in beneficium concessit. Itaq; terra illa cõcessa à pago Pontiniensi, quẽ ab orientali parte sui habet, secus mare Anglicũ, quod ab Aquilonari parte adiacet, vsq; in Britanniã: quę fines eius occidẽtales claudit, ab occidẽtali vero, & meridiano cornu, pago Cenomanico terminatur: vsq; in Carnotensẽ, & à Carnotensi clauditur Velcasino, & Beluacẽsi vsq; Pontinũ. Hanc terrã sibi determinatã à Rege Francorũ Rholo dux hereditali feudo suscipiẽs, inter suos, prout conuenire cognoscebat, distribuit: pretiosiora quæq; pro suis vsibus reseruans. Quia vero procinctus terræ paucis perstrinximus, de more quoq; gentis aliqua dicere vtile videtur.

III. EST quippe gens astutissima, iniuriarum vltrix, spe alias plus lucrandi, patrios agros vilipendens: quæstus, & dominationis auida: cuiuslibet rei simulatrix; inter largitatem, & auaritiam quoddã medium habens. Principes vero delectatione bonæ famæ largissimi: gens adulari sciens: eloquentiis in studiis inseruiens: in tantum, vt etiam ipsos pueros quasi rhetores attendas: quæ quidem nisi iugo iustitiæ prematur, effrenatissima est. Laboris, inediæ, algoris, vbi fortuna expedit, patiens. Venationi, accipitrum exercitio inseruiens. Equorum, ceterorumque militiæ instrumentorum, & vestium luxuria delectatur. Ex nomine itaque suo, terræ nomen indiderunt. North quippe Anglica lingua, aquilonaris plaga dicitur. Et quia ipsi ab aquilone venerant, terram ipsam etiam Normanniam appellarunt. In cuius quidem prouincia ciuitas est, quæ Constantinum dicitur: in cuius territorio villa est, quæ Altauilla nuncupatur: non quidem tantum pro excellentia alicuius montis, in quo sita sit: sed quoniam, vt credimus, aliquo auspicio ad considerationem prænotantis euentum: & prosperos successus eiusdem villæ futurorum heredum, Dei adiutorio, & sua strenuitate gradatim altioris honoris culmen scandentium. Nam nescimus vtrum in præcedentibus partibus, vel certe in postea futuris heredibus, aut etiam in vtrisque diuina prouidentia quod sibi placeret inspiciens, heredes ipsos in tantum prouexit, vt sicut Abrahæ repromissum est, in gentem magnam crescentes, & suum Imperium armis dilatantes, multarum gentium sibi colla subdiderint: quod paulatim perstringendo stylo prosequemur.

IV. ERAT miles quidã præclari admodum generis, qui ab antecessoribus suis hereditario iure sibi hãc villã relictam possidens, Tãcredus nomine duxit vxorẽ moribꝰ, & genere splendidã mulierẽ: nomine . Ex qua legali successionẽ annorũ, quinq; filios postea futuros Comites suscepit: Guilielmũ videlicet cognomine Ferrea brachia, Drogonẽ,

Hunifredum, Gaufredum,& Serlonem. Horum matre defuncta, cum ipsa ætas adhuc viridis patri continentiam denegaret, honestus inhonestos coitus abhorrens, secundas nuptias celebrauit: malens vna, & legitima esse contentus, quam fœdo concubinatum amplexu maculari: memor illius Apostolici dicti: vnusquisque accipiat vxorem propter fornicationem deuitandam. Et quod sequitur: Fornicatores,& adulteros iudicabit Deus. Ducta vero Fransendis vocabatur: generositate, & moribus priore non inferior: quæ legitimis terminis marito septem peperit filios: non minoris precii, vel dignitatis, à prædictis fratribus futuros: quorum nomina subtitulamus hic. Primus Robertus Guiscardus: postea totius Apuliæ Princeps, & Calabriæ Dux: vir magni consilii, ingenii, largitatis, & audaciæ. Secundus Malgerius. Tertius Guilielmus, Quartus Alueredus, Quintus Humbertus, Sextus Tancredus, Septimus Rogerius minor: postea Siciliæ debellator,& Comes. Mater vero accuratissime,& materno affectu filios suos nutriens, tanto amore ipsos, qui non sui, sed mariti sui, ex præcedenti vxore erant, amplectebatur, vt vix discernere posses, nisi ex aliqua causa didicisses, quis filius vel quis non filius esset. Vnde & à marito plus amabatur: & à circummanentibus plurimum adpretiabatur. Infantes verò, vt ætas illis ministrabat, pueriles annos transcendentes, cum iam adolescentiam vnus post alium attigissent, cœperunt militaribus disciplinis adhærere: equorum, & armorum studia frequentare: discentes se ipsos tueri: & hostem impugnare.

V. Sed cum viderent vicinis senibus deficientibus, heredes eorum pro hereditate inter se altercari,& sortem, quæ vni cesserat, inter plures diuisam singulis minus sufficere, ne simile quid sibi in posterum eueniret, consilium inter se habere cœperunt: sicque communi consilio prima ætas, præ cęteris adhuc minoribus magis roborata, primo patria digressi, per diuersa loca militariter lucrum quærentes, tandem apud Apuliam Italiæ prouinciam, Deo se ducente peruenerunt.

VI. Audientes itaq; inter duos famosissimos principes, Capuanum videlicet,& Salernitanum, quibusdam controuersiis insurgentibus, inimicitias efferbuisse, causa militariter aliquid lucrandi, quia viciniorem, via qua veniebant, viam inuenerunt, Capuano sese obtulerunt: vbi aliquantisper commorati, cum multa strenue, remuneratione accepta, peregissent, tenacitate Capuani cognita, illo spreto, ad Gaimarii Salerni Principem transiuerunt: à quo decenter suscepti, propter militarem laudem, quæ iam ipsos per vniuersam Apuliam famosissimos effecerat,& maxime quia ab inimicante sibi Principe, ad se transierant, multis donariis ad fidelitatem eius inflammati diuersis,& crebris incursionibus Capuanos lacessentes, totam prouinciam, ac si pestilens calamitas detonaret, adtriuerunt circumquaque: & Salernitani passim iniurias Principis vlciscentes, indefessi idẽ facere adiuerunt: in tantumq; rebellantes antea Principi compescuerunt, vt omnia circumquaque se pacata silerent. Longobardorum vero gens inuidiosissima, & semper quemcunque probum suspectum habens, ipsos apud eundem Principem inimico dente mordente, occulto detrahebant: suggerentes quatenus eos à se repelleret: quod ni faceret, facile futurum, vt gens tantæ astutiæ, tantæ strenuitatis, addentes etiam, ex sui cordis malitia, tantæ perfidiæ, vt Principe exheredato, ipsi sua calliditate, hereditate eius potirentur. Vnde & cor principis eisdem artibus imbutum facile in deterius procliue peruertunt. Sed Princeps quamuis prauis consiliis suorum assentiens, quod hortabantur facere moliretur, tamen strenuitatem illorum timens, quod animo occulte agebat, minus in propatulo aperire præsumebat.

VII. Maniacvs autem quidam natione Græcus, à Constantinopolitano Imperatore his, quæ apud Calabriam, vel certe Apuliam erant sui iuris, præfectus, Siciliam, ad vtilitatem debellandi applicare disponens, vndecumq; sibi auxilia conduxit: vnde & ex parte Imperatoris Salernitano Principi, vt amico imperii mandat, quatenus ipsos, per quos inimicos suos debellauisse fama erat, in auxilium sui imperii mittat: promittens etiã multis præmiis remunerãdos. Princeps autẽ nactus occasionẽ, qua honeste eos à se dimittat vocat: arcessitos, ad quod hæc rogatus erat, hortatur: præmia, quæ pollicebãtur, vt eos ad id facilius impellat, verbis enumerans, etiam de suis pollicetur. Porro illi non tam imperio Principis, quam spe eorum, quæ pollicebantur, illecti, apparatis, quæ necessaria erant, ad Maniacum vsq; peruenerunt. De quorum aduentu Maniacus nõ minimum gauisus, plurimum eorum auxilio fidens, nauigio aptato, Siciliam numeroso exercitu inuadunt. Primoq; Messanam, quia ripæ applicuit, contiguam oppugnans, deditione fœdus secum inire coegit. Nam quamuis apud Messanam strenuissimi suæ gentis milites essent qui ab vrbe progredientes, in congressu Græcos plurimum collidebant, sed tamen Græcis cedentibus, nostris congrediendi locus patuit. Messanenses, nostrorum strenuitate non-

nondũ experta, primo quidẽ acriter inſtare cœperunt. At vbi vident ſe, plus ſolito vexari, quaſi nouæ gentis militiam abhorrentes, terga præbuerunt noſtris: vſq; in proximum vrbis, extremos quoſque cædentibus. Maniacus noſtrorum cauſa nactus vrbem, in pretio eos habere cœpit: doniſque, & promiſſionibus corrigere ad militiam. Inde ergo profundiores partes Siciliæ attentando, & omnia ſubiugando progredientes, Syracuſam vſque peruenerunt. Arcadius quidam, qui vrbi principabatur, noſtris infeſtus, multas ſtrages dabat: quo Guilielmns Tancredi filius, qui Ferreabrachia nuncupatur, plurimum indignatus, impetu facto, ſuper eum irruit: fortiterque congrediens haſtili robore deiectũ interfecit: vnde & maxima laudis admiratione deinceps apud Grecos & apud Siculos fuit. Siculi itaque vſq; ad ſexaginta millia congregati Maniaco: & ſuis, in partibus Trainæ vrbis bellum offerre tentant. Porro Guilielmus filius Trancredi laude militiæ ferox, armis ſtrenuus, Græcos ad certamen præueniens, certamine inito, cũ ſuæ gentis tantum militibus cum hoſte congreditur: antequam Græci ad locum certaminis perueniant. Fortiter agendo plures ſtrauit: reliquos fugat: victor efficitur. Græci ad locum, quo certatum fuerat, peruenientes, noſtris hoſtes inſequentibus, ſpolia diripiunt: inter ſe diuidũt nulla portione noſtris, qui ab hoſte excuſſerant, reſeruata.

IIX. Qvod cum noſtri, à perſequendo hoſtes redeuntes, cognouiſſent, iniuriam rati, per Arduinum quendam Italum, qui ex noſtris erat, quia Græci ſermonis peritiam habebat, Maniacum vtique improuiſe, an ex deliberatione induſtriæ ſpolia diuiſerit, ad rationem ponunt. Porro ille indignatus, quaſi poteſtati ſuæ contradicere præſumpſerint, cum liceat de eiſdem ſpoliis ſibi, pro libito ſuo agere, per ſpatia caſtrorum fuſtibus cædendo, ad ignominiam gentis noſtræ contumeliis affici præcepit. Arduinus rediens cũ talia nuntiat, noſtri graue ferentes, in Græcos inſurgere deliberant. Sed Arduinus vix eos cõpeſcens, vtilius conſilium dedit: ſcilicet vt ira diſſimulata, ipſe cultioribus veſtibus in præſentiam Maniaci procedat: donec illis minus ſuſpicantibus, ipſe à notario Maniaci, cuius amicitia fruebatur, chirographum, quo liberius tranſeant Pharum, quouis aſtu accipiant. Quod cum ſic machinatur, Maniacus his, quæ agebantur ignarus, beniuolentiam militis laudare, munera promittere, ſubſannando tamen cum ſuis ridere. Vt autem chartulam à notario, quaſi aliquod negotium verſus Calabriam habens, Arduinus accepit, noſtri clam, de nocte Meſſanam vſque progreſſi, Pharum impune tranſeunt: ſicque verſus Apuliam tendentes, Calabriam, & quæcunque Græcorum iuris eſſe ſciebant, vaſtant percurrentes. Sicq; faciendo vſq; in Apuliam peruenerunt: ſed doloſitatem Gaimarii principis cognoſcentes, ad ipſum minime tranſierunt: verum prouinciam inuaſtando ſibi eam ſubiugandi conſilium accipiunt.

IX. Sed cum ſine caſtro, quo ſe tuerentur, patriæ illius incolæ eſſent, caſtrum, quod Melfa dicitur, conſtruxerunt: vbi cum quingenti tantum milites eſſent, Græci, qui terræ illi principabantur, maxima multitudine ex Calabria, & Apulia ſibi coadunata, vſque ad ſexaginta millia armatorum, vt eos à finibus ſuis propellerent, verſus illos ire cœperunt: legatoque præmiſſo mandant, vt quod maluerint eligant: aut certamen in craſtino ſecum habere, aut pace ſibi indulta, incolumes à peruaſis finibus recedere. Legatus vero, qui ad hæc miſſus fuerat, cum pulcherrimo equo inſideret, quidam Normannus Hugo, cognomento Tudextiſem, equum manu attrectare cœpit. Vt autem mirabile aliquid de ſe, ſociiſque ſuis, vnde terrerentur, Græcis mandaretur, nudo pugno equum in ceruice percutiens vno ictu, quaſi mortuum deiecit. Reliqui vero Normanni proſilientes Græcum, qui cum equo deiectus fuerat, & ſolo timore læſus, quaſi exanimis humi iacebat, erigunt: equum autem vſque ad quoddam præcipitium pertrahentes deiiciunt. Porro Græcus, cum vix conſolatione Normannorum ad mentem rediiſſet, meliori equo ab eis accepto, certamen paratum ſociis refert. Sed cum quod acciderat, principibus populi ſui tantũ retuliſſet, illi admiratione, & metu percuſſi, verbum inter ſe comprimebant: ne ſi forte in propatulo diceretur, exercitus territus refugeret. Mane itaque facto, ſummo diluculo à Normannis occurritur fortiterque congredientes acerrime vtrimque pugnatur. Intererant huic certamini de filiis Tancredi Guilielmus Ferreabrachia, & Comes Dragon: nec dum quiſquam fratrum eos ſubſecutus fuerat. Iſti vero, vt fortiſſimi milites ſocios animantes, ſed & ipſimet fortiter agentes, multis ex hoſtibus proſtratis, tandem in fugam reliquos dederunt: quos inſequentes, & poſteriores quoſque cædentes victoriam obtinuerunt: multis hoſtibus in flumine, quod Oliuetum dicitur, dum tranſnatare cupiunt, ſubmerſis.

X. Victi, nec dum autem defatigati, ſed ſe ipſos inuicem animantes, multo ampliori exercitu congregato, duce Annone, qui ad hoc ab Imperatore Conſtantinopolitano

missus fuerat, iterum bellum parant. Quibus Normanni bello non segnes, sub Montepiloso occurrentes, fortiter congressi, ostendentes se bellum nolle refugere, sed potius quasi ex delectatione appetere, in congressu Græcis contra ipsos fortiter agentibus, cum iam Normanni fatigari præ nimia cæde cœpissent, Guilielmus quartanæ febris typo laborabat: & præ nimia infirmitate, qua premebatur, certamini interesse non poterat: sed procul iacens exitum rei expectabat: cum videret iam suos minus fortiter agere, & pæne deficere indignatione, & ira, infirmitatis, qua premebatur oblitus, arma corripiens se se, quasi leo furibundus hostibus medium dedit: suosque verbis exhortatoriis recreans, fortiter agendo hostes in fugam vertit: duce Annol, duce exercitus, qui caudatus erat, quasi boue interfecto. Viribus itaque suis diffidentes, & fortunæ minus credentes, castra sua munientes, vltra decertare cum Normannis, nisi muris interpositis, non præsumebant: sed neq; ipsi muri contra Normannos tueri poterant. Nam crebris incursionibus eos lacessentes vineta, & oliueta eorum extirpabant: armenta, & pecora, & cetera, quę ad vsum necessaria sunt, nihil extra castra relinquentes, diripiebant. Sed & ipsa castra, ipsis intra reclusis, exercitu vallantes oppugnabant: machinamentisq;, quibus doctissimi artifices erant, ad id officij agendum, necessariis apratis, muros, & turres crebris ictibus impingēdo, funditus diruebāt. Ruptis muris, aditis patentib⁹ irrumpentes, omnia sibi diripiebant: vnde & reliqua circūquaq; castra, id sibi inuicē cernētes, vltro se se eorū ditioni subdebāt.

XI. IVNIORES vero fratres, quos ætas adhuc domi immorari cogebat, præcedentes seniores fratres apud Apuliam fortiter agendo, altioris culmen honoris, & dominationis ascendisse, fama referente cognoscentes, quam cito ætas permisit, ipsi quoque subsecuti, duobus tantum in patria relictis, ne hereditas, vel competēs stirpe alienaretur. Abeuntes vero remanentibus, vt remanerent, vix persuaserunt: sed in hoc potius præualuerunt: quod heredibus eorum, si se sequerentur, de his, quę adquisituri erant, se se benefacturos polliciti sunt. Sed perlongum est huic operi, per singula perstringendo inserere qualiter apud Apuliam egerunt. Hoc tantū summatim non solū nos, sed etiā res ipsa testatur, quod omnem patriam armis domantes sibi subiugauerunt. Subsequente enim se suorum, & parentum, & compatriotarum, sed & reliquarum circum adiacentium regionum spe quæstus, maxima multitudine, ipsi impigri largitores, quasi fratres suscipientes equis, armis, & vestibus, ac diuersis muneribus ditabant. Quibusdam etiam terrarum loca largissime impertiebantur: omnibus diuitiis huius mundi, auxilia fortium militum præponentes. Quamobrem nihil incepti in cassum illis præteribat. Vnde & illud Euāgelicum illis prouenit: vbi dicitur: Date: & dabitur vobis. Quanto enim ampliora largiebantur, tanto maiora lucrabantur.

XII. IGITVR seniore fratre Guilielmo videlicet Comite infirmitate præueniente, defuncto, magnus dolor omnes Normannos inuasit. Quippe qui tanti consilii virum, tam armis strenuum, tam sibi munificum, affabilem, morigeratum vlterius se habere diffidebant. Sed exequiis, ex more accuratissime, & cum maximo planctu, nō immerito celebratis, secundus frater Drogo totius Apuliæ dominatū suscepit: vir quidem, vt succincte dicamus, per cuncta laudabilis. Hic fratrem suum Hunifredum Abagelardo Comitem, apud castrum, quod Lauel dicitur, virum prudentissimum, consilio Apuleiensium, & Normannorum ordinauit: Robertum vero Guiscardum in Calabria posuit: firmans ei Castrum in valle Cratensi: loco, qui Scribla dicitur: ad debellandum Consentinos: & eos, qui adhuc in Calabria erant rebelles.

XIII. LONGOBARDI igitur Apuleienses, genus semper perfidissimum, traditione per vniuersam Apuliam silenter ordinata, vt omnes Normanni vna die occiderentur, determinato die, cum Comes Drogo apud Castrum Montis olei, quod corrupte ab incolis Montolium dicitur, moraretur, summo diluculo, ad Ecclesiam, vt sibi mos erat, properās, cum iam Ecclesiam intraret, quidam Risus nomine, eius Comitis compater, & sacramētis fœderatus, post ianuam latens, fœdere rupto, ferro eum suscepit: qui cum pluribus suorum, paucis aufugientibus, occisus est. Sed per diuersa Apuliæ loca plures hac traditione occubuerunt. Porro Hunifredus Abagelardo nece fratris turbatus, honorem sibi vindicans castra, quæ frater possederat, insiluit: Normannosque, qui periculum traditionis euaserant, sibi alligans, in vindictam fraternæ necis insurgit: multoque tempore castrum, quo frater suus occisus fuerat, oppugnās, tādem deuicit: fratrisq; interemptorem, cum sibi assentientibus, diuersis cruciatibus afficiens, eorum sanguine iram, & dolorem cordis sui aliquantulum extinxit.

XIV. APVLIENSES vero necdum traditionibus exhausti, per occultos legatos IX. Leonem Apostolicum, vt in Apuliam cum exercitu veniat, inuitant: dicentes Apuli-

Apuliam sibi iure competere: & prædecessorum suorum temporibus iuris Ecclesiæ Romanæ fuisse. Se illi auxilium laturos: Normannos imbelles, viribus enerues, numero paucos. Ille, vt assolet, quamuis prudentissimus esset, ambitione captus. Alamanorum exercitu, ab imperatore sibi in adiutorio recepto, confidens in auxilio Longobardorum Apuliam intrat. Comes vero honestius ducens cum honore vitam finire, quam cum dedecore vita comite, suscepto honore priuari, commoto exercitu, audacter hostibus occurrit: ordinataq; acie suorum certamen iniens, cum primo congressu fortiter, vt solitus erat, agere cœpisset, Lōgobardi territi fuga se ipsos tueri nituntur: Alamanis in prœlio relictis. Qui cum fortiter dimicarent, nullum refugium, nisi in armis habentes, Normannis vincentibus, pene omnes occubuerunt. Apostolicus fuga vitę asylum expetens, intra vrbem prouinciæ Capitinatæ, quæ Cimitata dicitur, se se profugus recepit. Quem hostes insequentes armato milite obsident: aggeres portant: machinamenta ad vrbem capiendam parant: incolas minis terrent: vt Apostolicum reddant. Illi vero semper perfidissimi, nulla pactione ad vtilitatem Apostolici, nisi vt se ipsos tuerentur, adquisita, eum per portas eiiciunt: quem hostes suscipientes, ob reuerentiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cum magna deuotione, eius prouoluuntur pedibus: veniam, & benedictionem eius postulantes. Sed & vsq; ad loca, quo exercitus castra, & tentoria fixerat, cum omni humilitate illi seruire executi sunt. Quorum legitimam beneuolentiam vir Apostolicus gratanter suscipiens, de offensis indulgentiam, & benedictionem contulit: & omnem terram, quam peruaserant, & quam vlterius versus Calabriam, & Siciliam lucrari possent, de S. Petro, hereditali feudo sibi, & heredibus suis possidendam concessit: circa annos M.LII.

XV. APOSTOLICVM itaq; Romam regredientem Comes Humfredus, quousq; sibi placuit, cum honore conduxit. Vbi vero licentiam redeundi concessit, in Apuliam reuersus omnem terram placidam, & sibi obedientem inuenit, quam longo tempore in pace rexit: vt vix in aliquo loco suæ dominationis latro, vel qui suis imperiis contradicere auderet, posset inueniri. Duos itaq; fratres suos comites fecit: Malgerium Capitinatæ: Guilielmum vero in Principatu. Sed Malgerius moriens cum omnem Comitatum suum Guilielmo fratri suo reliquisset, Guilielmus Gaufredum fratrem suum diligens sibi concessit.

XVI. ROBERTVS vero Guiscardus cum apud Scriblam moraretur, Calabros fortiter impugnans, cum videret suos, propter infirmitatem loci, & aeris diuersitatem languescere, saniorem locum expetens, non quidem hostes deuitando, vt timidus retrorsum vadens, longius recessit: sed potius quasi in hostem hians, in viciniorem se conferens, castrum, quod S. Marci dicitur, firmauit. Sed cum firmato castro, quid motus introduceret, non inueniret, abstraxerant enim circum manentes ad proxima castra quæque habebant, ne ab ipsis diriperentur, quodam vespere dapifer, qui omni domui suæ præerat, requisiuit ab ipso, q̄d in crastinū comesturi erāt ipse, vel milites sui: dicēs se neq; victū, neq; pretium ad emendum habere. Quod si pretium haberet, nusquā, vbi cum pace adiri posset, inueniri posse. Guiscardus vsque ad sexaginta, quos Sclauos appellant, totius Calabriæ gnaros secum habens, quos quasi fratres fidelissimos sibi beneficiis, & muneribus missis effecerat, sciscitatus est ab eis, vtrum locum adibilem scirent: quo præda posset capi. Quibus respondentibus se vltra montes, via præruptissima, in profundissimis vallibus, per maximam scire: sed sine magno discrimine extrahi non posse, Robertus tale fertur dedisse respōsum. Eia tutissimi vitæ meę fautores, ita ne patiemini Guiscardum, sed & ne vos fame affici? Causa victus adquirendi, dubia fortuna, vsq; in periculo vitæ temptanda est. Nam & temptantes sæpe triumphaliter euasisse audiuimus: neminem vero, qui fame interierit, laudari. Ite inquit nocturni prædones: ebrietas Calabros minus vigiles esse permittit. Nam & hunc diem celebrem habentes, ex more cōuiuiis, & potationibus studuerint. Præite: subsequar militibus armatis. Sicque lecto parato, cum iam collocatus esset, de nocte, nullo sciente consurgens vili veste, & scarpis, quibus pro calcariis vtuntur, ad similitudinem abeuntium sese aptans, illis medius adiungitur. Sicque per totam noctem ignotus comes illis factus, nulli eorum verbum effecit. Nam neq; excreare volebat, ne forte ita quis esset deprehenderetur. Quia enim eiusdem gentis erant, non ex toto sese credebat illis. Porro vbi ad locum prædæ ventum est, quidquid ibi inuenerunt ante se colligentes, ipse crebris saltibus, & vibrante hastili, vt reditum accelerent, socios hortabatur. Sed antequam illucesceret, ii quibus damnum illatum fuerat, sua ablata perpendentes, cum ducerent, militibus vt prædam excutiant, prosecuntur. At Guiscardus insequentes approperare videns, & socios, ne præda priuari patiantur, se se inuicem audacter cohortari audiens, vt audaciores redderet, iam quis esset, aperuit. Guiscardus inquit ad-

sum particeps laboris vestri. Sine me nil periculi patiemini. Forti animo estote: & insurgamus hostibus. Nam Deo fortunam prosperante, facile præualebimus. Hæc dixit: & hostibus cum maximo furore occurrens, dum certat, multos perimit: plures capit: reliquos fugat: victor efficitur. Sicq; triumphalibus spoliis acceptis, de peditibus suis equites fecit: deniq; iã securus, captiuos secũ deducens, præcedit: paucis, qui prædam post se minent, relictis. Milites vero sui, cum iam lux esset orta, eos armatos versus castrũ aduenire cognoscerẽt: hostes suspicati, dominum suũ vbi esset, nescientes, per totum castrum clamore requirunt. Non inuenientes turbantur: audacter tamen castro prosilientes illis, quos hostes suspicabantur, occurrere accelerant. Porro Guiscardus equum in quo sedebat, calcariis vrguens, alta voce Guiscardum ingeminando, occurrit: sicq; agnitus ab illis, de præsentia sua, & de felicitate fortunæ omnes hilares reddit. Redarguitur tamen plurimum ab ipsis, quod talia præsumpserit: & ne vlterius præsumat, admonetur: ne fortuna quæ nunc arrisit, post modum si tempretur, in peius cedat. Sic castrum præda, & redemptione captiuorum ditans, Calabros crebris incursionibus plurimum lacessiuit.

XVII. Qualiter vero Petrum de Turra, qui apud Bisinianum morabatur, acceperit, silentio prætermittendum non est. Erat quippe idem Petrus ditissimus ciuis Bisinianẽsis: sed & consilio, & virtute ceteris pollens, omnibus principabatur. Soliti autem erant multotiens conuenire hic, & Rober. Guiscardus: quasi ad placitum, de pluribus controuersiis, quæ inter suos eueniebant. Porro Guiscardus cum sciret eũ maxima pecunia abundare, & præ ceteris castro dominari, cœpit animo tractare, qualiter per eũ & castro potiri posset: & pecuniam, quam possidebat abstraheret. Quod secum diu reuoluens, tandẽ cõsilio cum suis habito, quadam die, nullo fœdere interposito: extra castrũ Bisinianense, in campo, in quo colloqui consueuerant, cum venissent, Guiscardus videns maximam multitudinẽ cum Petro venisse, nuntio præmisso mandat: se illi multitudini intermiscere nolle: ne forte inter ipsos, tumultus ex aliqua re fieret: sed lõgius promotis vtriusq; partis sociis, ipsi duo in mediũ collocuturi conuenirent. Prædixerat tamen suis, quid facere disponebat: & cum necesse foret, sibi citius auxiliaturi occurrerent. Assentiente itaq; Petro his, quæ à Guiscardo mandata sunt, sibi minus prospiciens, sociis à longe dimissis, ipse medio loco Guiscardo obuianti accelerat. Confidentes ergo, & diu sibi ad inuicem loquentes, cum iam discessuri assurgerent, Guiscardus enormitate, & mole corporis illius inspecta, viribus suis minus diffidens, erat enim in omnibus præsumptuosissimus, & magnarum rerum audacissimus attentator, Petrum medium corripiens, collo suppositum versus suos asportare cœpit. Accurrentibus itaq; vtriusq; sociis, Bisinianensibus, vt Petrum eruerent, Normannis vero, vt dominum suum iuuarent, Guiscardus Petrum eneruiter reluctantem interdum portando, interdum volutando, interdum trahendo vsque ad suos perduxit. Calabrenses vero de Petro iam desperantes, & pro ipso cum Normannis minime certare prænitentes, fugiendo se se in castrum Bisinianense receperunt. Normanni vero gaudentes quasi de triumpho, vsque ad castrum S. Marci Petrum secum adducunt: vbi aliquandiu in captione detentus, pecuniam mirabilem persoluens, se ipsum à captione liberauit: sed ciuibus non assentientibus, castrum minime reddere potuit. Tali calliditate, & huic similibus Calabrenses de Guiscardo cõpertis, genus formidolosissimum, omnes ante eum tremebant: quippe cui neminem assimilari posse armis, & ingenio, sed neque viribus dicebant.

XIIX. Tanta itaq; pecunia Guiscardus accepta suos abundanter remunerando, in sui fidelitate roborat: Calabrensesque infestiores reddit: quotidiano impetu lacessens Bisinianenses, & Consentinos, Marturianenses, & his adiacentem prouinciam secum fœdus inire coëgit: tali videlicet pacto, vt castra sua retinentes, seruitium tantummodo, & tributum persoluerent: & hoc sacramentis, & obsidibus spoponderunt. Hunifredus igitur Comes Apuliam gloriosissime, & laudabili pace gubernans, infirmitate præuentus, quod dolor est dicere, mortuus est: quod Guiscardus, qui tunc temporis, apud S. Marcum morabatur, audiens, versus Apuliam magno cum dolore animi accelerat: susceptusque à patriæ primatibus, omnium dominus, & Comes in loco fratris efficitur: ordinatisq; rebus suis, & tota Apulia sibi in pace conciliata, quod primum animo cõceperat, minime obliuisci potuit: sed iam ampliori imperio dilatatus, & maioribus viribus, militum videlicet copia auctus, ad quod cœperat peragendum, iterũ intendit. Exercitu itaq; cõmoto, & his, quę ad expeditionẽ necessaria erant, versus partes Calabrię aciẽ dirigit: pertrãsiensq; Cõsentinos fines, & Marturianẽses, iuxta calidas aquas, super flumine, quod Nocato dicitur, biduo permansit: vt exercitũ itineris asperitate fatigatũ recrearet: & terrã certius exploraret. Indeq; pertransiens vsq; ad castrum, quod Scyllatium dicitur, iuxta litus maris iter inten-

intendens, Rhegium vſque peruenit: vbi triduo ſitu loci inſpecto, cum videret ſe ciues vrbis, nec minis, nec blandimentis flectere poſſe, quibuſdam negotiis verſus Apuliam ſe reuocantibus reditum parat. Decedenti Leucaſtrum, & Maia, & Canalda pacem facientes ſe ſe dediderunt.

XIX. Rogerivs vero minor frater, quem adhuc domi iuuenilis ætas, & amor parentum detinuerat, ſubſecutus in Apuliam venit: de cuius aduentu Guiſcardus non minimum gauiſus, honore, quo decebat, eum ſuſcepit. Erat enim iuuenis pulcherrimus, proceræ ſtaturæ, eleganti corpore, lingua facundiſſimus, conſilio callidus, in ordinatione agendarum rerum prouidus, omnibus iocundus, & affabilis, viribus fortis, militia ferox: quibus artibus, breui tempore omnem gratiam meruit. Quia vero factioſus erat, & laudis, vt in tali ætate aſſolet, appetens, factioſos quoſque ſibi alligans, quæq; habere poterat, libenter, & largiſſime illis impertiebatur. Porro Guiſcardus fratris conſtantiam, & militarem audaciam certius experiri volens, cum ſexaginta tantum militibus plurima millia hoſtium debellaturus, in Calabriam dirigit: qui audacter pergens, in altiori cacumine montium Vibonenſium caſtrametatus tentoria fixit: vt longe, lateque viſus, incolas circumquaq; facilius deterreret. Quod cum compertum fuiſſet per omnes ciuitates, & caſtra illius prouinciæ, & totius vallis Salinarum, territi omnes, legatos, qui pacem poſtulet, dirigunt: munera plurima dantes fortiſſima caſtra eneruiter reddunt: in ſeruitutem iuramentis, & obſidibus fœderantur.

XX. Sic terra ad ſuam, & fratris fidelitatem pro libito ordinata, plurimum pecuniæ, quam acceperat, in Apuliam fratri per legatos miſit: euentus ſuos, qualiter egerit, mandãs. Ipſe vero caſtrum, quod Inciſola dicitur, ſtudioſiſſime turribus, & propugnaculis firmãs, armatis militibus muniuit: omnibus, quæ ad victum neceſſaria erant, ſufficienter introductis. Guiſcardus vero pecunia, quæ ſibi à fratre directa eſt, accepta, & ſtrenuitate eius agnita plurimum gauiſus eſt: eiuſque colloquium deſiderans, vt ad ſe venire acceleret, mandat. Ille ſex tantummodo milites ſecum ducens, reliquis ad tuendum caſtrum, quod fecerat, & prouinciam premendam, ne fraudes præſumerent, relictis, in Apuliam, ad fratrem venit: à quo cum decenter fuiſſet ſuſceptus, euentus ſuos alternatim conferentes, mutua collocutione locuti ſunt.

XXI. Sicqve cum moratus eſt, donec communi conſilio paratis his, quæ ad expeditionem neceſſaria erant, maxima manu equitum, & peditum iuga montium Calabriæ tranſcendentes, verſus Rhegiũ incedunt. At cũ in vallem Salinarũ ventũ eſt, Guiſcardus audiens Rhegienſes omnia circumquaq;, quę ad victum neceſſaria erant, ſecum infra vrbem clauſiſſe, & nihil relictum, quod exercitui contiguum foret, prouidens ne obſidenda vrbe famis anguſtia exercitum propelleret, Rogerium fratrem, cum trecẽtis militibus, verſus caſtrum, quod Geracium dicitur, in prædam dirigit: ſummopere admonens, vt quidquid ad victus neceſſaria rapere poſſet, apud Rhegium exercitui deferat: ipſe recto itinere gradiens, vrbem obſidere accelerat.

XXII. Rogerivs vero ſtudens ad gratiã fratris, & totius exercitus, quod ſibi iniunctũ erat, peragere, altiſſimos colles, cum profundiſſimis vallibus perluſtrans, vt fidelis, & ſtudioſa apes onuſtiſſimus ad exercitum, cum maxima præda rediit: iamq; pæne deficientes omnes abundantia recreauit. Guiſcardus vero videns ſe verſus ciuitatem minus proficere, & exercitum hiemis aſperitate turbari, obſeſſionem ſoluens, diſceſſioniſq; dans licentiam, ipſe apud Maiam hiemandi gratia, cum paucis ſeceſſit.

XXIII. Rogerivs itaque cum, quod militibus ſuis largiretur, minus abundaret, & ipſi ſibi in exigendo importuniores eſſent, à fratre expetit. Ille vero prauorum cõſilio verſus, cum ceteris largus eſſet, illi ſtrictior quam oportebat, eſſe cœpit. Videbat deniq; propter ſtrenuitatem, quam habebat, militiam iuuenum totius Apuliæ ei potius, quã ſibi adhærere: vnde, & ne contra ſe inſoleſceret, metuebat: & vt paucis contentus ſecum moraretur, penuria cogere volebat. Porro ille, vt magni animi erat, ſciens ſe à fratre recedens, * in Apuliam iuit.

XXIV. Qvod audiens frater ſuus Guilielmus Comes videlicet totius Principatus legatos mittit: vt ad ſe veniat inuitat: quæ habet ſimul accipiat: nihil ſe excepta vxore, & liberis, ab illo proprium habere velle repromittens. Veniens itaq; honore, quo decebat, ſuſceptus eſt: aliquandiuque cum ipſo moratur. Tãdem caſtrum, quod Scalea dicitur, ab ipſo accepit: per quod multas incurſiones verſus Guiſcardum faciens, circumquaque laceſſiuit. Quod cum Guiſcardo relatum fuiſſet, exercitu moto dictum caſtrum obſeſſum vadit. Guiſcardus quidem oliueta, & vineta vrbi contigua deuaſtabat. Guilielmus autem milites eius crebris congreſſibus, & haſtili robore militariter deiiciens, numero minue-

bat. Ille vero cernens se versus vrbem minus proficere, & numerum suorum diatim magis, ac magis minui, ne maiori damno grauaretur consilio habito à loco recessit.

XXV. NON multo post per internuntios pace, ad tempus, inter ipsos facta, inuitatus à fratre Rogerius cum quadraginta militibus fidis sibi seruitum vadit: vbi quidem plurimum penuriarum passus est: sed latrocinio armigerorum suorum in multis sustentabatur: quod quidem ad eius ignominiam non dicimus: sed ipso ita præcipiente, adhuc viliora, & reprehensibiliora de ipso scripturi sumus: vt pluribus patescat, quam laboriose, & cum quanta angustia, à profunda paupertate, ad summum culmen diuitiarum, vel honoris attigerit. Habebat siquidem armigerum quendam Blettiua nomine coram, quo nil tuebatur, ad quod furãdum intendebat. Hic ipse penuriosus adhuc iuuenis, post modum ditissimus futurus Comes, cũesset cupiens quosdam equos, quos apud Melfam in eiusdem domo viderat, ad hæc persuasit, vt secum vadens, nocturno furto abstractos abduceret.

XXVI. CVRRICVLO itaque mensium duorum fratris seruitium studiose peragens, cum ab ipso, nil inter se, & omnes suos, causa remunerationis, vno tantum equo excepto, accepisset, quamuis non legerat, tamen quasi naturaliter sciens illud Sallustianum prouerbium: frustra niti, & ad extremum nil, nisi odium fatigando quærere, iam demum extrema dementia est: & quod bene seruienti fortuna necessaria est, sibi vero eam minus fauere, cum fratre plurimum verbis altercatus, fœdere quod inter se, ad tempus habebant, reddito, Scaleam reuersus est: statimq; in eodem vespere, apud castrum, quod Narencium dicitur, milites suos super Guiscardum prædatum mittẽs, prouinciam spoliauit. At dum illos, quos prędari miserat, apud Scaleam prędtolatur, Beruerquidam à Melfa veniens nuntiat Melfitanos negotiatores à Melfa versus Melfam, haud procul à castro trãsire. Quo audito non minimum gauisus, equum insiliens Gisenualdum, & Carbonariam cum octo tantum militibus mercatoribus occurrit: captosq; Scaleam deduxit: omniaq; quę secum habebant diripiens, ipsos etiam redimere fecit. Hac pecunia roboratus largus distributor centũ sibi milites allegauit: quibus totam Apuliam crebris, & diuersis incursionibus lacerans, Guiscardum in tantum sollicitum reddebat, vt adquirendæ Calabriæ oblitus, iam quod adquisierat pæne amitteret.

XXVII. ANNO MLIIX. clades permaxima, & flagellum iræ Dei, vt credimus, peccatis exigentibus diuinitus immissum totam Calabrię prouinciam curriculo trium mensium, Martii videlicet, Aprilis, & Maii in tantum attriuit, vt trino morbo mortem sibi imminere cernentes, cum vnum ad vitæ periculum sufficere posset, vix ad quodvis horum, nedum tria simul furiosissime detonantia pericula se euadere posse existimarent. Nam vna ex parte gladius à Normannis, vix alicui parcens desæuiebat. Ex alia vero fames viribus exhaustis per languida æstuabat. Tertia vero pruina mortalitatis horribiliter defluẽs, vix intactum percutiens, vt in arenti arundineto laxis habenis furens incendium percurrebat. Pecunias habentes, quid emerent non habentes, atque ipsos liberos ex ingenuitate procreatos vili pretio in seruitium venundantes, dum vbi illud ad victus vtilitatem expenderetur, non inueniebant, ad augmentũ doloris sui, amissionem in cassa venditione liberorum, quasi quarta calamitate cruciabantur. Vescentibus carnibus, absque pane comestio, quibusdam vinum non habentibus, vbi aquæ potu condiebatur dysenteriem faciens, multos deiiciebat: quosdam autem spleneticos faciebat. Vbi vero vino fortiori intemperate superfundebatur calor naturalis, eiusdem perniciem lucri cor, quod panis non confirmabat: internis quadam æstuatione concedens debilitari cogebat. Quadragesimæ sanctam obseruantiam, à sanctis, & religiosis patribus catholice contraditam angustia dissoluit in tantũ, vt nõ solum lactis, vel casei, verum etiã carnis comestione, reliquis temporibus concessæ, etiam ab ipsis, qui alicuius honestatis antea videbantur, violaretur. Sic herbarum virentia olera, quibus pulmentaria fieri solent, terræ sterilitas subtraxerat. Vbi vero inueniebantur, quadam pruina vitiati aëris decocta post obesse, quam prodesse degustata videbantur. Fluuialibus carectis, & quarundam arborum corticibus, cum castaneis, & quercinis, siue ilicinis nucibus, quas glãdes dicimus, porcis subtractis, & mola, post exsiccationem tritis, panes facere, modico milii admixto tentabant. Crudæ radices cum solo sale degustatæ ventris tumorem, cum pallore vultus excitantes vitalia intercludebant. Matres pietate astu ab ipso liberorum ore cibum rapere potius, quam administrare, impudenti violentia satagebant. Sic trino flagello vsque ad nouas fruges attriti sunt: sed nouis frugibus superuenientibus fames quidem propulsa est: gladius vero mortalitatis, acutior factus est. Nam corpora famis penuria vacuata, & cibo insueta, quanto abundantiori cibo, contra vsum intemperanter reficiebantur, tanto citius periclitabantur.

XXIIX. CA-

XXIIX. Calabrenses deniq; genus perfidissimum, cum viderent fratribus inter se dissidentibus, se se à nemine suscitari, cœperunt iugum Normannorum à se excutere, & seruitium, quod iurauerant, vel tributum minime persoluere: vnde & simulatione fidelitatis traditione composita, castrum Leucastrense accipientes, sexaginta Normannos qui ad tuendum ibi castrum relicti erant, vna die peremerunt.

XXIX. Qvod cum Guiscardo nuntiatum fuisset, videns se versus in Calabriam perdere, & Apuliam totam turbari, fratrem per legatos accersiens, pacem cum eo fecit: concedens ei medietatem Calabriæ à iugo montis Intefoli, montis Scyllatii: quod acquisitum erat: vel vsq; Rhegium essent acquisituri.

XXX. Post hęc Rob. Guiscardus vxorem habens suæ gentis honestam: & præclari generis Alberadam nomine, ex qua habebat filium nomine Marcum, quem alio nomine dicebant BOAMVNDVM, consanguinitate adnumerata, Canonicis sanctionibus contrarius esse nolens, coniugium soluit: filiamq; Gaimari Salernitani Principis Sigelgaytam nomine sibi in matrimonium copulauit.

XXXI. Anno ab incarnatione Domini MLIIX. hanc apud Salernum desponsatam, antequam conuenirent, Rogerio fratri procurandam committens, ipse vt Gisulphum fratrem suum Comitem Principatus in hereditate illius firmauerat, quibus ipsi plurimū * infestus erat, dirutum vadit: inde Melfam regressus, sollemnes nuptias celebrauit.

XXXII. Qvibvs expletis, Rogerius Guilielmo fratri, cum gratiarum actione Scaleam reddens, rogatus à Guiscardo in Calabriam venit: Castrumq; Melitense à fratre sibi hereditaliter deliberatum habens, rebelles Calabros circumquaque impugnare cœpit. Quadam vero die cum Oppidum castrum obsideret, Episcopus Cassinianensis, & Giracii Præsopus, quem nos præpositum dicimus, maximo exercitu concitato, castrum, quod S. Martini dicitur, in valle Salinarum oppugnatum vadunt anno Dominicæ incarnationis MLIX. Quod cum rogerio nuntiatum fuisset, ab obsesso recedēs, citato cursu, vbi eos esse audiuit, aduolat. Impetu facto, indeque quasi circumcingens, vix vnum euadere permisit: de quorum spoliis, & equis, & armis omnes suos abundantes fecit. Quam ob rem Calabria, & si non ex toto obediens, tamen à vicinitate eius tremula, minus eum prior irritare præsumebat.

XXXIII. Rob. igitur Guiscardus rogatus à fratre suo Capitinatæ Comite Gaufredo vt contra sibi reluctantes auxilium laturus in terra, quæ Gitium dicitur, quam vt suos fines dilataret, debellare cœperat, veniret, in fratris sui Rogerii strenuitate plurimum fidens, vt ad se, secum illuc iturus, quam citissime veniat, inuitat. Ille autem inuitatione suscepta, & necessitate fratris sui cognita, quamuis suis vtilitatibus disponendis occupatus esset, tamen quia sibi semper mos fuit, amicorum vtilitatibus, vti suis subuenire, accuratissime versus fratris auxilium subuenire accelerat: sicq; exercitu commoto, vtriq; in auxilium fratris aciem dirigentes, Guillamatum castrum oppugnantes capiunt: Galterio, qui castro principabatur, in Apuliam captiuū ducentes, oculos effodiunt: ne si oculos habens captione quandoq; liberaretur, fratri iterum molestus fieret. Hic sororē quandam habebat, quæ cū ipso in captione abducta est: quæ etiam tātę pulchritudinis esse testatur, vt si aliquando ad mare balneatum venisset, vel causa experiētię crura in aliquo piscoso flumine deponeret, pisces albedine eius delectati adnatabāt: vt etiam manu capi possent.

XXXIV. Tvnc Comes Gaufredus Guillamatum castrum adiutorio fratris adeptus, totam Teacinam prouinciam debellare fortiter cœpit. Robertus vero Guiscardus cum Rogerio fratre in Calabriam secessit: vbi ad vtilitatem suam, & fratris plurima disponēs, & vsq; Rhegium prædatum vadens, Rogerio in Calabria remanente, ipse in Apuliam hiematurus regressus est.

XXXV. Hieme vero transacta, magno desiderio Rhegium adipiscendi ardens, cōmeatu, & reliquis, quæ necessaria erant, magno studio præparatis, plurimoq; exercitu anno Domini incarnationis MLX. congregato, Calabriam venit: fratremq; secum accipiens tempore, quo messes colligi incipiebant: Rhegium præoccupans obsedit. Porro illis, quasi pro vita tuenda se se fortiter defendentibus, vtriq; fratres certatim suos cohortantes, ad oppugnationem castri excitant: vnde cum hostes interdum prosiliunt, multa militariter ab ipsis perpetrata sunt. Nam Rogerius ne, alios ad militiam arrigens, ipse refugere diceretur, in omni congressu se se sociis præponens, quendam fortissimum, & enormi corpore virum, exercitui Normannorum multis contumeliis exprobrantem, quem omnes quasi gigantem extollebant, impetu facto, hastili robore deiiciens interfecit. Hoc itaque taliter interfecto, reliqui, qui infra castrum erant, territi, cum viderent machinamenta ad vrbem capiendam parata, eamq; vsq; perduci, viribus suis diffidentes, pactione

facta,vt duobus,qui ceteris principari videbantur,cum omnibus suis abire liceret,ceteri omnes,vrbe dedita,ditioni Normannorum se se subdiderunt. Abeuntes vero se se in castro,quod Scillacium dicitur,receperunt.

XXXVI. Igitvr Rob. Guiscardus accepta vrbe, diuturni desiderii sui compos effectus cum triumphali gloria Dux efficitur: magnasq; gratias cum meritorum recompensatione fratri,&reliquo exercitui,quorum auxilio,tanti culmen honoris attigerat,referens,fratrem cum exercitu per vrbes,& castra totius prouinciç,vt suo imperio subdantur, dirigit: ipse interim à labore se, apud Rhegium recreans. Rogerius vero huius artis non ignarus, sapienter exercitum ducens, breui spatio temporis, nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo vndecim famosissima castella lucratus est: in tantum,vt iam in tota Calabria nec vnum castrum rçluctari prçsumeret:excepto solo Xillano:quod illi tenebant,qui à Rhegio exierant.

XXXVII. Qvod Rogerius obsidens,cum videret celeriter non posse capi,exercitum vero suum laboris tædio affici,castellum quoddam ante portam firmauit:militibus qui Scillacium solicitarent,& his,quæ militibus necessaria erant,muniens,exercitum ad expeditionem soluit. Porro illi,qui à Rhegio Scillacium ingressi fuerant,cum viderent se nimium ab illis infestari,quos Rogerius in nouo castro posuerat, nec diu ferre posse,de nocte nauem ingressi,Constantinopolim aufugiunt. Scillacenses autem Rogerio arcessito,pacem Anno Domini MLX. facientes,castrum dedunt: sicq; tota Calabria in conspectu Guiscardi Ducis,& Rogerii fratris sui sedata siluit.

XXXIIX. Sed ne aliquis existimet illos qui in Apuliam cum aliis fratribus non venerunt,minoris valentiæ à reliquis fratribus fuisse, & ideo in Normannia remansisse, de Serlone pauca dicenda sunt. Hic deniq; cum in Normannia inter militiæ laudabiliores app, etiaretur,à quodam potente iniuriam passus,dum vindicari studet,illum interficit. Vnde iram Roberti Comitis,filii Ricardi secundi, patris vero famosissimi Regis Anglorum Guilielmi ferre non valens,in Britanniam declinauit: vbi aliquandiu commoratus,omnium gratiam strenuitate sua obtinuit: perq; legatos pacem à Comite Roberto expetens,nec obtinens,multis incursionibus Normanniam lacessiuit.

XXXIX. Et cum quodam tempore idem Comes Robertus in confini Franciæ & Normanniæ castrum,quod Taulerias dicitur,obsedisset,miles quidam Francigena à castro diatim exiens,& singulare certamen,ab exercitu Normannorum expetens, multos prosternebat. Comes vero damnũ suorũ timens,omnibus interdixerat,ne aliquis illi obuiaret: sic suis excusationem tribuens: vt,cum quod periculosum erat,refugerent,nõ hoc iam timori,sed principis interdictioni ascriberent. Quod cum Serloni in Britannia, vbi tunc temporis morabatur relatum fuisset, ignominiam populi sui non ferens, duobus tãtum armigeris comitatus Taulerias venit: summo diluculo ante portam singulare certamen offerens,de equo hasta innixus expectat. Porro ille, qui alios deiicere solitus erat, indignatus,cum maximo furore splendidus in armis,feruẽti equo aduolat: quis sit,requirit: vt à loco recedat,vitam tuendo hortatur. Illo nomen reuelante, sed à loco recedere nolente, dum fortiter congreditur,aliorũ prostrator forti hastili prosternitur. Serlo pluribus vtriusq; partis aspicientibus,non tamẽ quis esset,scientibus victor ad gloriam Normannorum efficitur. Sicque caput abscissum lanceæ supponens,per medium suæ gentis castrorum, nulli verbum faciens,in Britanniam redire accelerat. Comes ergo legatum mittens, quis nam sit,perscrutari iubet: & vt ad se veniat præcipit. Sed cum renuntiatum fuisset hunc Serlonem filium Tancredi esse,& à Britãnia causa imperii à populo suo propellendi venisse,se autem iram principis,quia infensus erat,declinare: & patria, quamuis penuriosum,libenter,donec Principis ira sedetur,dum ipse iusserit,exulare. Comes pietate motus,& tãto viro vlterius carere nolens,ad se iubet arcessiri. Venienti occurrit: gratiam suam indulget: osculo secure reddit: quæ habita amiserat,restituit: vxori, cui plures possessiones competebant,auget: inter sibi familiariores retinet.

XL. De Tancredo vero tantorum filiorum patre,aliquid memoria dignum dicere nec absurdum est. Tempore quippe iuuentutis suæ,militaribus exercitiis deditus,& diuersarum regionum,& Principum curias perlustrans,multa strenuæ laudis auidus agendo, cum ipsa laude & plurima lucratus est. Cum autem esset in familia Comitis Normannorum Ricardi secundi, qui quartus à Rhollo Duce fuit, quadam die idem Princeps venatum pergens, tali enim exercitio,vt mos est diuitibus,non minimum delectabatur,aprum mirç enormitatis,quem Singlare dicunt,mouit. Erat autem sibi mos, sicut & pluribus aliis potentibus est,vt venationem, quam ipse moueret, nullus præter ipsum occidere præsumeret. Porro canibus aprũ velocius insequentibus, cũ Comes præ opaca densi-

densitate, spinosis saltibus tardius insequeretur, canibus infestioribus aper timens à fine lacerari, rupe quadam inuenta, ipsa pro muro à cauda vtitur: & dentosum caput, ad se tuendum canibus offert. Sicque canibus venatoris auxilio destitutis, cum iam aper de ipsis spumante dente multas strages faceret, casu Tancredus superuenit: visaque strage molossorum, quamuis morem Principis non ignoraret, tamen succurrendum canibus accelerat. Aper vero ipso viso, canibus spretis firmo impetu super eum irruit. Sed Tancredus cum esset fortis viribus: audaci ense illum suscipiens, non quidem illum ictu feriendo, sed acuto mucrone per durissimam frontem, vsque ad præcordia impingendo, capulum fronti adiunxit: nihil ex longissimo ense præter capulum extra corpus apri remanente. Sicque deiecto ensem in fronte linquens, ipse ne à Comite hoc fecisse deprehenderetur, longius auulsus est. Comes vero veniens aprum mortuum miratus, vtrum vulnus aliquod habeat, socios lustrare iubet: deprehensoque ense adhuc in fronte defixo, impulsum miratur: cuius ensis sit requirit: ne se huius facti actor celet, ira condonatur. At cum à Tancredo factum deprehensum fuisset, à Comite, & ceteris omnibus plurima laude extollitur: & cum antea in pretio fuerit, maiori deinceps habitus est: & dudum postea in curia Comitis decem milites sub se habens seruiuit. Nunc vero quia non quidem omnia, quæ memoranda forent, sed pauca, quæ fama didicimus ab ipsis fratribus in Apulia, vel certe Calabria facta, quamuis rustico stylo exarauimus, ad ea, quæ apud incredulam Siciliam gesta sunt, qualiterue diu rebellis subiugata sit, intentionem vertamus. Ita tamen, vt cum opportunitas expetierit, illa, quæ postea in Apulia, vel Roma, siue Græcia facta sunt, suo in loco obliuione non prætereantur.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIVNT CAPITVLA
Libri Secundi.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

SI QVÆRITVR quod Calabria, vel Apulia iam ex parte, non autem ex toto quantum ad ea, quæ in eis facta sunt, descriptis apud Siciliam describentes transeamus, iterum quasi digressionem facientes describendo suum locum, quantum ad tempus, quo facta sunt, exigit vt rationis series recto tramite texatur: vt quæ priora facta sunt, præcedant: quæ vero posteriora subsequendo scribantur. Comes enim Rogerius, cum primum Siciliam debellaturus aggressus est, quæ apud Calabriam habebat non deseruit: sed cum opportunitas exigebat, exercitu in Siciliam interim dimisso, ipse ad sua negotia disponenda redibat: multotiens etiam Duci fratri auxilium laturus: vel certe in maioribus, & dubiis rebus consilium daturus, vt strenuus miles, & vir magni consilii, in Apuliam vsque transibat.

I. ELEGANTISSIMVS igitur iuuenis Comes Calabriæ, cum apud Rhegium cum fratre Duce, tota Calabria debellata moraretur, Siciliam incredulam audiens, & breuissimo mari interposito, ex proximo intuens, vt semper dominationis auidus erat, ambitione adipiscendi eam captus est: duo sibi proficua deputans: animæ scilicet, & corporis: si terram idolis deditam ad cultum diuinum reuocaret: & fructus, vel redditus terræ, quos gens Deo ingrata sibi vsurpauerat, ipse in Dei seruitio dispensaturus, temporaliter possideret. Hæc secum animo reuoluens, eorum, ad quæ animum intendebat, non tardus executor, cum sexaginta tantum militibus, periculosissimo, quamuis breui pelago inter Scyllam, & Charybdim naualiter se se committens, Siciliam explorat: & gentis suæ militiam tentatum transmeando vadit. Est portui, quo applicuerunt, populosa ciuitas proxima: quæ à messe vocabulum trahens, eo quod totius regionis messes, quantum Romanis in tributum antiquitus persoluebatur, illuc congregari solebat, Messana vocata est. Huius vrbis ciues, quorum plurima multitudo erat, hostes suos fines peruasisse cognoscentes, plurimum indignati, maxime quod paucos numero videbant, vrbis portas maximo impetu prosilientes, ipsos occupatum vadunt. Porro Comes, vt semper astutissimus, & militia callens, primo timore simulato, cum eos longius ab vrbe seduxisset, impetu facto, acerrime super eos irruens, in fugam vertit. Sicque extremos quosque cædendo, vsque in portam ciuitatis, longo reditu fugientibus visus odibilis cõminator, reduxit. Spoliis itaque, & equis illorum quos deiecerat, acceptis, naues suas ingressus, Rhegium remeat, ad ducem fratrem suum.

II. DVX deinde Robertus cum Comite Rogerio fratre suo in Apuliam hiematurus, regressus est: vbi quia iam aliquantulum temporis transierat, ex quo abinde recesserat, res suas quasi ab acumine obtusas, & minus ordinatas inueniens, tota hieme consilio prudentiæ suæ refortiens, ad integrum reparauit: Apuliensesque Principes de nouiter adepto ducatu sibi congaudentes pluribus donans, de expeditione versus Siciliam in proxima futura æstate facienda permonuit.

III. ROGE-

III. ROGERIVS vero Comes Duce relicto in Apulia, Rhegium in prima septimana ante quadragesimam remeauit: ad quem Becumen Admiraldus Siciliç à Belcamendo quodam principe prœlio fugatus, eo quod maritum sororis suæ, honestum suæ gentis iuuenem, vocabulo Benneclerum occiderat, apud Rhegium profugus venit, Comitem versus impugnationem Siciliæ multis exhortationibus incitans.

IV. DE cuius aduentu Comes, non minimum gauisus, eum honorifice suscepit: eiusq; consilio, nec dum hieme transacta, hebdomada videlicet proxima ante quadragesimã cũ cẽtum sexaginta militibus, ipsum Becumen secum ducens, Pharumq; ad Clibana tegularum transiens, Siciliam inuadit. Dumq; Becumene, qui ad se transfugerat, ductore, versus Melacium iturus, de nocte, haud longe à ciuitate Messana transiret, obuium habuit quendam Saracenum, militia inter suos nominatissimum fratrem scilicet Benncleri: pro cuius occasione Becumen à Sicilia eiectus fuerat. Hic nempe cum in pręcedenti vespere persensisset, Comitem armata manu Siciliam intrasse, militia sua plus necessario præsumens, à Messana progressus nocturnus hostis, vt sibi aliquod militare nomen, in damno hostium adquireret, tentatum ibat. Comes vero Rogerius inermis excepto clypeo solo, & ense, quo accinctus erat, armiger namq; cum armis subsequebatur, socios pręcedebat: oculos intentissime circumquaq; ducens. Dumq; illum aduentantem sub pallore Lunæ deprehendisset, per longum ducens ab armigero arma recipere, ne forte, si etiam ille sub vmbra viseret, aufugeret, impetu facto, solo ense super eum irruens, vnoq; ictu medium corripiens, secauit: de corpore duabus partibus factis: equumq;, & spolia cuidam suorum dedit. Inde Melacium, & Rametam vsq; pertransiens, plurimum prædæ accepto, ad tres batus, iuxta Pharum, qui Praroli dicitur, hospitaturus rediit: in crastinum ad vltimas aquas vsq; prodiens præda, quam acceperat, Rhegium deferenda nauibus.

V. PORRO Messanenses putantes iam, quibusdam naues, ingressis, se illos, quasi semipartitos posse facilius occupare, equitatu, & peditatu omnes vrbe egressi, inuadere vadunt. Verum quia ventus contrarius erat, nullus armatorum naues intrauerat. Comes vero cognoscens eos versum se aduentare, Serlonem nepotem suum, videlicet Serlonis fratris sui filium: cuius superius in fine primi libri mentionem fecimus: ne si fugere, sicut & fecerunt, vellẽt, liberius possent, sic præmissum, ipse velocius subsecutus, dum fugere nituntur, ita intercepit, vt vix ex tanta multitudine euaserit.

VI. MESSANENSIBVS suorum vulnera flentibus, Comes penes ciuitatem transiens, in insula S. Hyacinthi, haud longe ab vrbe, hospitatum vadit: summoq; diluculo Messanam quasi viribus exhaustam oppugnare vadit. Sed Messanensibus, quamuis paucis, qui adhuc superarant, cum ipsis mulieribus armatis, turres, & propugnacula, seseque certatim, vt pro vita, defendentibus, Comes, ne Sicilia tali facto excitata super eum irruat, ad tentoria sua rediens, de transitu versus Rhegium tractare cœpit. Mare vero turbatum cum periculosum transitum ostentaret, Comes sapienti vsus consilio, totam prædam, quam ceperat, S. Andronio, ad Ecclesiam suam reædificandam iuxta Rhegium, dandam proposuerat. Destructa quippe erat nouiter. Sicque meritis eiusdem sancti, vt credimus, aura prospere flante, mare sedatum sese transmeabile prębens, impune transire permisit.

VII. NE videatur hoc factum, quod prædam Deo obtulerunt, contrarium Canonicis sanctionibus, propter illud, quod dicitur, qui immolat victimam ex rapina, vel ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris: cum hoc potissimum accipiendum sit dictum de substantia pauperis Christi: de quibus & alibi dictum est, Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum, non esse scimus: qui Deum nec ore, nec corpore confitetur. Sed quod aufertur, Deo offerre, haud absurdum videtur: nam acceptis ingrati vtuntur: à quibus ipse largitor non cognoscitur.

IIX. COMES igitur Rogerius toto mense Martio, & Aprili per Calabriam vtilitates prudenter ordinans nauibus, & reliquis necessariis commeatibus expeditionem iterum versus Siciliam certatim parat. Maio itaq; intrante Dux ab Apulia cum maximo equitatu Rhegium veniens, etiam naualem exercitum per mare venire fecit. Belcamuer vero Almiraldus Siciliæ audiens expeditionem versus Siciliam apparari, naues, quas Cattos appellant, quæ hostium transitum impediant, à Panhormo in Pharum mittens, per aliquot dies hostes transire impediunt. Nam quamuis noster naualis exercitus plurimus esset, eorum tamen amplior, & fortioribus nauibus erat. Nostri deniq; tantummodo abundantior Germundos, & Galeas, Sicilienses vero Cattos, & Golafros, & Dormundos, sed & diuersæ fabricç naues habebant.

IX. DVX ita sibi transitum turbari videns, cũ fratre Comite, & sapientibus accepto

consilio, diuinum inuitat auxilium. Exercitui, vt sacerdotibus confiteantur, & pœnitentia accepta omnes communicent, indicit. Ipse cum fratre, si terra diuino auxilio illis tribuatur, se se deinceps Deo deuotiores futuros, voto promittunt: certa fide in mente retinentes quod scriptum est: In omnibus negotiis tuis Deum adiutorem tibi assume: & habebis prosperos effectus: &, Quia non est consilium contra dominum: &, quod nulla proficiendi difficultas est, vbi spiritus sanctus cooperator adest: in omnibus quæ facere disponebant, Deum ordinatorem, fortiorem gubernatorem lachrymabili compunctione cordis implorant.

X. COMES itaque Rogerius videns hostes, ex altera ripa contra suum exercitum adiacere, & nusquam promoueri, ad callida argumenta, vt solitus erat, ac si legisset, Quid refert, armis contingat palma, dolisve, conuertitur: consiliumq; Duci dedit, vt ibidem cum exercitu remanens se se hostibus ostentaret: ipse interim cũ centũ, & quinquaginta militibus Rhegiũ vsq; progrediens, nauibusq; sibi abinde, sub nocturna vmbra, contraductis, mare, nescientibus hostibus trãsiens, Siciliã inuaderet. Duce vero timore amittendi fratrẽ, hoc negante, & dicente se nil per fratris mortẽ lucrari velle, sed potius fratris vitam omni lucro ꝑponere, Rhegiũ ꝑmissis nauibus ipse Comes cũ trecẽtis militibus subsecutus vt semper militia præsumptuosus, & magnarum rerum attentator, mare incautus hostibus impune transiens, ad locum, qui communiter Monasterium dicitur, applicuit: nauesq; remittens, ne forte aliquis suorum ad illas refugeret, Messanam oppugnatum vadit: quam inermem inueniens, nam iam dudum defensores eius peremerat, vrbe capta, turres: & propugnacula eius diruit. quos inuenerunt interfectis, quibusdam vero ad Panhormitanas naues trãsfugientibus: anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo.

XI. INTER quos & quidam iuuenis, de nobilioribus Messanæ vrbis ciuibus sororem habens pulcherrimam, dum fugiens secum adducere nititur puella, vt tenuis virguncula, & debilis naturæ, laboris expers, timore, & insolito cursu deficere cœpit. Frater ad fugam dulcissime verbis excitans, dum minime proficit, viribus exhaustam videns, ne inter Normannos remanens, ab aliquo eorum corrumperetur, gladio appetens interficit. Et quamuis prę dulcedine, langoris sororis lachrymis perfunderetur, vnica enim erat, maluit sororis interemptor fieri, & mortuam flere, quam soror legis suæ præuaricatrix fieret: & ab aliquo lege sua non contento stupraretur.

XII. PORRO Panhormitani vrbe capta, se delusos ab hostibus cognoscentes, timentes ne forte tũ mare turbatũ, si illic diutius morarentur, eos ad terram cogeret, & ab hostibus opprimerentur, confusi, vela vnde venerant, direxerunt. Ipsius vero vrbis captæ clauesʼ Comes Rogerius ad Ducem transmisit: mandans ei, quatenus secure nauigando acceleret ad se. Sicq; mari hostibus purgato, patenti absq; periculo transitu, Dux cum omni exercitu placito cursu transmeans, Messanam venit: fratremq; sanum inueniens, non minimum congauisi sunt.

XIII. REBVS itaq; suis per octo dies sapienter dispositis, & vrbe pro velle suo firmata custodibus diuersis, equestri exercitu apud Messanam relicto, versus Rametam vtriq; fratres intendunt. Rametenses autem dudum cognito, in parua manu hostium eorundem, maximam multitudinem Messanensium bellatorum occubuisse, ne quid simile sibi accidat, aduenientibus hostibus, obuiam territi legatos, qui pacem postulent, mittunt: vrbemq;, & se ipsos ditioni dantes, libris superstitionis legis suæ coram positis, iuramento fidelitatis firmant.

XIV. INDE de prospero euentu, cum maxima lætitia recedentes, & debilitate gentis cognita, audaciores sub Scabatripoli hospitium sumunt. Inde in crastinum ad Fraxinos perueniunt: ab Fraxinis ad Maniaci pratum. Hic Christiani in valle Demina manentes, sub Sarracenis tributarii erant. De Christianorum aduentu gauisi illis occurrerunt: multaq; enxenia, & donaria obtulerunt. Hoc excusationis contra Sarracenos assumentes: non quod causa amoris, sed vt se ipsos, & quæ sua erant, tuerentur, hoc facerent: fidelitatem vero suam illis inuiolabilem se seruaturos. Fratres vero vtiq; eos, cum maxima dulcedine suscipientes, multa beneficia se illis collaturos: si terra à Deo sibi concedatur, promittunt. Sic in pace dimissis, ipsi Centurbium vsq; pertendunt.

XV. SED Centurbienses quamuis strenuitatem eorum non ignorarent, mori non abhorrentes, cum nullo modo seruire volunt, in defensione vrbis, & sua, propugnacula armant. Nostri vero fortiter oppugnantes ciuitatem, cum viderent suos à fundibulariis, & sagittariis vexari, & sine detrimẽto suorũ, versus vrbẽ nil se posse ꝑficere, ab oppugnatione desistunt: maxime cum in proximo sibi à Sarracenis bellũ imminere audiebant: cõtra quos suos, ne vexarentur, vel numero diminuerentur, reseruabant.

XVI. SIC

XVI. Sic Centurbio relicto, in planicie Paternionis castrametati, tentoria figunt. Visaq; planicie spatiosa, aptum locum ad prœliandum iudicantes, per octo dies illuc morati sunt: volentes, vt à Sarracenis inibi sibi prœlium dispositum offerretur. Sed cum à speculatoribus Becuminis Sarraceni, qui apud Rhegium ad Comitem transfugerat, & illos fidus comes, & ductor comitabatur, didicissent bellum nec dum in promptu haberi, interius progredientes, apud S. Felicem, iuxta cryptas subterraneas hospitati sunt: quas oppugnantes maxima ex parte ceperunt: pluribus ex inhabitantibus interemptis. Inde progressi ad molendina, ante Castrum Iohannis, in ripa fluminis quod lingua eorum Guedetta dicitur, quod Latine resolutum fluminis paludis interpretatur, castra metati sunt.

XVII. Bechamet igitur numerosa Africanorum multitudine, & Siciliensium coadunata, bellum, quod diu disposuerat, hostibus offert: anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo primo. Porro Dux exercitum semipartiens, erant enim tantummodo septingenti, & ex ipsis duas acies ordinans, vnam fratri, vt priori: sicuti sibi moris erat, vt hostem feriat, delegat: ipse cum altera suos alacriter verbis exhortando, subsequi non tardat. Similiter Bechamet, cum quindecim millia armatorum haberet, tres acies instituit: cum quibus primo quidem audacissime hostibus occurrens, certamen iniit. Porro nostri in primo, ex more, congressu fortiter agendo, plurimos sternentes, reliquos in fugam vertunt: quos cædendo, versus Castrum Iohannis persequentes, vsque ad decem millia occiderunt. Sicq; victoriam adepti, spoliis quidam sunt ditati in tantum, vt qui equum vnum in prœlio perdiderit, pro vno decem recipiens, consimili lucro, ad similem exercitum accedere non dubitaret. In crastino enim propius castrum progredientes, ad lacum, qui est inter Castrum Iohannis, & Irancuum sola nocte hospitati, die sequenti, in monte qui Calataxibet dicitur, tentoria figunt. Sed quia mons strictior erat, & minus ad hospitandum exercitui sufficiens, ad planiciem Fontium transierunt. Comes vero Rogerius quietis impatiens, & laboris assiduus, trecentos iuuenes secum ducens, vsque Grigentum prædatum, & terram inspectum vadit: totam prouinciam, incendio concremando deuastans. Cum redit spoliis, & præda totum exercitum abundanter repleuit. Per mensem itaq; ibi perdurantes, totam prouinciã diuersis incursionibus lacerãtes, afflixerunt: sed castro Iohannis minime præualuerunt. In ipso anno Dux castrũ Marci fecit.

XIIX. Hiemem itaq; vicinam præuidentes expeditionem soluunt: Becuminem vero in sua fidelitate apud Catanam, sui enim iuris, dimittentes, qui Siciliam interim lacessat, ipsi Messanam, militibus, qui eam custodiant, & his, quæ militibus necessaria forẽt munientes, Pharo transmeato, Dux quidem in Apuliam hiemãdi gratia, secessit: Comes vero in Calabria remanet. Media vero hieme, intra natale Domini, cum ducentis quinquaginta militibus iterum mare transiens, vsque ad Grigentinam vrbem totam patriam sollicitans, prædatum vadit. Christiani vero prouinciarum sibi cum maxima lætitia occurrentes, in multis obsecuti sunt. Inde Trainam aduenièns, à Christianis ciuibus, qui eã incolebant, cum gaudio susceptus vrbem intrat: pro velleq; suo ordinans, ibidem natale Domini celebrant.

XIX. Sic legatus quidam à Calabria veniens nuntiauit Abbatem Robertum S. Euphemiæ a Normannia à Delicia sorore sua, nepte Normannorum Comitum adnita * mandare sibi, vt acceleret versus nuptias celebrandas. Quod Comes audiens, multum exhilaratus erat. Deniq; ex multo tempore eam cupiens, speciosa quippe, & præclari generis erat, quanto celerius potuit, versus Calabriam repedans, diu cupitam puellam visum ire accelerat. Veniensq; in vallem Salinarum, apud S. Martinum puellam legitime despõsatam Melitũ cum maximo musicorũ cõcẽtu deducẽs, illuc sollẽnes nuptias celebrauit.

XX. Qvibvs consummatis, aliquandiu cum vxore commoratus, quo animum intenderat, obliuisci minime potuit: sed exercitu apparato, Rogerium armigerum secum ex parte ducens, iuuencula in Calabria dimissa, iterum Siciliam inuadit: nullis persuasionibus lachrymantis vxoris detentus. A Catana itaq́, Becumine Sarraceno per legatum arcessito, secum ducens Petrelegium obsessum vadit. Porro ciues ex parte Christiani, & ex parte Sarraceni, consilio inuicem habito, pacem cum Comite facientes, castrum, se seq; ditioni suæ dederunt. Comes vero castrum pro libito suo firmans, militibus, & stipẽdiariis muniens Trainam venit: quam similiter muniens, Becuminem, vt Siciliam lacessitum, & ad suam vtilitatem applicatum vadat, exhortatus, in Calabria, se desideranti, & de salute ipsius sollicitæ vxori se se repræsentans, de aduentu suo non minimũ lætificauit.

XXI. Castrvm itaq; nullum in sua, à fratris potestate, excepto solo Melito, habens, à fratre, vt quod sibi promiserat, quando ab Scalea ab ipso inuitatus ad inuicem reconciliati sunt, medietatẽ videlicet totius Calabriæ impertiatur, maxime quia iuuenculã

vxorem exinde, vt pote puellam, tam pręclaris ortam natalibus, decenter dotarē volebat, requirit. Dux autem quamuis pecunia largus, in distributione quidem terrarum aliquantulum parcior erat: fratremque per ambages differendo protrahebat. Porro Comes fratris calliditatem animum aduertens, ne diutius fallaciis passi sustinens, per meliores totius Apuliæ ad rationem ponit, quod sibi promissum fuerat expetens: atque nec ita proficit: fœdereque inter se rupto, irato animo à fratre recedit: Militumque veniens castrum viriliter firmauit: optimosque milites vndecumq; sibi, in fratris damnum ducens. Sed quāuis erga se fratrem suum agere patulum esset, legalitatem tamē suam seruans, per quadraginta dies à fratris iniuria abstinuit: ne si forte infra hunc terminum erga se respiceret, ipse, qui de iniuria conquerebatur, potius iniurius haberi vindicaretur: malens huius dissensionis iniuriosam culpam in fratrem potius, quam in se retorqueri.

XXII. Becvmen vero per Siciliam vadens, sicuti à Comite rogatus, quosque poterat, ad fidelitatem nostræ gentis applicat: quibus vero minus persuadere poterat, ipsos impugnationibus vexare non desistebat. At cum versus castrum Antulium, quod quondam suum fuerat, debellandum properaret, Nichel quidam potentior, castri quondam eiusdem Becuminis miles, in dolo verba pacifica mandans: vt cum paucis à suis semotus, Antuliensibus, quasi reconciliari volentibus, loco determinato locutum veniat, mandat. Ille vero, quia iam plurima beneficia illis iam dudum, cum secum bene erant, contulerat, minus fraudem suspicatus, quo, & qualiter sibi mandabatur, venire non distulit. Antulienses itaque consilium venenoso corde Duce Nichele conceptum reperientes, equum eius primitus spiculo transfigunt: ne sessor, vt sibi primo vulnus datum foret, fraude intercepta, equo sano liberius cum vulnere aufugeret. Sicq; equo deiecto ipsum etiam in terra confodientes, cum sanguine vltimum vitæ flatum exhalare fecerunt. Quod audientes Normanni, qui apud Trainam, & Petrelaiam ad castra, à Comite deputati erant, maxime turbati, eius enim nomine præsidia quam maxime tuebantur, castris relictis, Messanam, ad tuendum vadunt.

XXIII. Dvx vero fratrem à se recessisse iratus, exercitu congregato, eum apud Melitum obsessum vadit: anno incarnationis Dñi MLXII. Comes autem, quamuis tunc temporis typo febrium grauaretur, apud Geracium enim quibusdam negotiis se illuc vocantibus erat, vbi insolito aëre corrupto, ipse nihilominus infirmatus, quosdam suorum amiserat, tamen fratri, vt hosti venienti, in monte, qui S. Angeli dicitur, acerrime occurrit: multisque ex fraterna acie hastili robore, militari congressu deiectis, ne in ipso monte, vel certe in adiacenti, qui Mons viridis dicitur, castrum, sicut disposuerant, figant, impetu facto longius arcet. Vrbe itaque obsessa, ex vtraque parte ambitio laudis, & iuuenilis ætas plures ad militiam exercendam impellebat: vnde cum plures militariter progrediuntur, iuuenis quidam Arnaldus nomine, ex parte Comitis, gener quippe suus, & frater iuuenculæ vxoris erat, vir militaribus exercitiis aptus, dum deiicere tentat, deiectus, quod dolor est dicere, occubuit. Vnde permaximus dolor, & planctus non solum his, quibus adiutor erat, verum tamen his, qui à foris impugnabant, excreuit. Ac dum soror cum multa lamentatione exequias celebrans, funus, vt decebat, exequitur; Comes, qui non minus sorore dolebat, in vindictam exardescens iuuenis, congressu in hostem, facto, multos militariter sternens interimit. Dux itaque videns talibus congressionibus suos quotidie vexari, & minus proficere, duo castella ante vrbem firmauit: putans tædio, & fame sic eos facilius posse affici. Comes vero ipsa castella quotidie lacessens, cum Ducem in vno esse sciebat, alterum oppugnabat: cum vero ad id succurrendum venire videbat, illo relicto per medium ciuitatis ad aliud transibat: sic assidue certamen localiter alternans.

XXIV. Nocte vero quadam Melitum cum centum militibus exiens Geracium venit: vrbemque sibi ab incolis traditam ingressus, in suos vsus aptauit. Quod Dux audiens, maxima ira repletus, castella, quæ ante Melitum firmauerat, militibus muniens, cum toto exercitu versus Geracium, extra vrbem tentoria fixit. Geracenses quidem sibi iam dudum fidelitatem iurauerant: non tamen vrbem, vt pro libitu suo vteretur, reddiderunt: ne si forte castellum in ipsa firmaret, pro velle suo omnes prorsus subiugatos haberet. Dux vero quendam de potentioribus vrbis notum habens, nomine Basilium, ab ipso ad prandium inuitatus, capucio capite cooperto, ne forte quis esset, perciperetur, vrbem ingressus, ad palatium illius solus comestum vadit. Quo ingresso, dum nil mali suspicans, nec dum cibo parato, colloquiis Melitæ vxoris illius, qui se inuitauerat, vteretur, vrbicenses per quendam famulum domus, Ducem infra vrbem esse cognoscentes, traditionem suspicati, non minimum turbantur. Vndiq; concurrentibus tota

vrbs

vrbs tumultuatur: omnesq; in arma ruentes, ad domũ in qua erat, cũ furenti impetu illum extrahere vadunt. Ille vero, qui Ducẽ inuitauerat, impietatem cõciuium suorum cognoscens, & viribus ad resistendum diffidens, dum versus Ecclesiam profugus, vitam tueri nititur, patrio ense confossus occubuit. Vxor quoque eius, cum tanta impietate à suis ciuibus attractata est, vt stipite, ab ipso ano, vsque ad præcordia transfixa inhonesta morte vitam terminare cogeretur. Quo viso si Dux de vita desperauit, mirandum non est: præsertim cum videbat ciuem, à ciuibus, amicum, ab amicis, prælatos, à subditis absque recordatione alicuius præcedentis beneficii, cum tanto furore, crudeli ense perimi. Stat inter furentium hostium minantia tela miles inermis: quondam multorum millium hostium debellator: leoninam ferocitatem, quæ sibi quasi quodammodo innata erat, in agninam transferens mansuetudinem. At cum videret sapientiores quosque ita qui exitum rei prænotabant, ad hoc inniti, vt inordinatum furorem indoctioris vulgi, & minus prospicientis quid damni, quid ve lucri, si occideretur, proueniret, animo aliquantulum resumpto, talibus eos verbis alloqui adorsus est. Nolite inquit, nolite superabundantiori lætitia fallaciter extolli: ne totalis fortuna vobis ad præsens arridens, mihi autem aduersa, arrisione sua vobis indicium prenotet, in futurum habendę aduersitatis: cum nulla potestas absque diuina dispositione nemini attribuatur. Quo iudicio in me potestatem habeatis, apud vos ipsos reputando conferte. Nec enim vestris viribus præsens esse perductus sum: sed neq; ego, vt vobis aliquid mali machinaretur, ingressus sum. Vos quidẽ mihi fidelitatẽ fecistis: ego vero q, pactum vobis promisi, in nullo me violasse cognosco. Sed forte istud vobis ad vtilitatẽ vestram, aut experientiam contigit: vt vestra fidelitas, cuius stabilitatis sit, à nobis cognita vos nobis gratiosiores, & præmio digniores præsentet. Tot millibus hominum vni soli casualiter, nõ autẽ militariter circũueniendo, intercepto fœdere, mentito, & absque dissensione vitam auferre, nulla laus est. Sed neque vt reor, quantum de me vobis aliquid proficuum. Mors enim mea iugum gentis meæ non aufert: sed in vindictam meam vobis infestiores exardescent. Sunt denique mihi fidelissimi milites, sunt fratres, sunt consanguinei: quibus, si periurando, vos manus vestras meo sanguine pollueritis, nulla ratio reconciliare poterit: sed & vbicumq; terrarum hoc à vobis factum personuerit, opprobrium sempiternum, propter periuria, cum omni successione generis vestri incurretis: præsertim si fine discutione, aliquod præiudicium perpessus fuero à vobis. Talibus verbis, fauentibus sibi sapientioribus vrbis, ignobile vulgus tumultu sedato, Ducem in captione, donec quid de ipso faciẽdũ sit, consiliũ capiũt, ponũt.

XXV. Exercitvs itaque Ducis, qui extra portam tentoria fixerat, audito Ducem tali infortunio in captionem detrusum, vndique turbati, dum quid faciendum sit, dubitantes inter se disputant, tandem meliori consilio accepto, per legatos Comiti rei euentum intimare accelerant. Sciebant quippe legalitatem animi eius: & quamuis contentionem suam, expetendo versus fratrem aliquam controuersiam, ostenderet, tamen in consideratione consanguinitatis, fratrem suum, vt fratrem diligere: & fraternam vitam in tanto discrimine positam ereptum ire omni sibi illata iniuria oblita, quouis lucro præponere, inuitabit fratrem, vt fratri in angustias posito, auxiliũ ferendo subueniat: de cõtrouersia, q̃ inter ipsos erat, Duce erepto, ius teneatur: se sę auxiliũ illaturos pmittũt. *

XXVI. Comes itaque sinistro rumore de fratris infortunio turbatus, fraterni sanguinis affectu, totus lachrymis perfusus, suos supplex exorat, vt fratrem ereptum secum accelerent. Sicque arma corripiens Geracium citissimus aduolat: vrbicenses, vt sibi extra muros, fœdere interposito securi locutum veniant, inuitat: quos & ita alloquitur. Eia * inquit, amici, & fideles mei, inimicati, & germanum me obsessum venientem cognouistis captum, & mea fidelitate tenetis gratissimum habeo. Et quia versus me in tantum vestra fidelitas progressa est, vestro consilio, non autem vestris vel manibus, vel armis de ipso vlcisci volo. In tantum enim me ad iram prouocauit, vt nullo modo mihi sufficiat, si alterius armis, quam meis intereat: quod ne vestra fidelitas, quasi mihi gratum obsequium se præstare credens faciat, omnimode sibi interdictum sciat. Accelerate igitur inimicũ meũ mihi reddendo. Sufficiet, vt de suppliciis eius primo sciatis. Vestro cõsilio satiat⁹, faciã cũ tormẽtis vitã finire. Nulla in reddẽdo dilatio sit: nã nulla vtilitas me auellet ab obsessione huius vrbis, donec vlciscar mihi ab ipso illatis iniuriis. Ecce omnis exercitus suus iniurias eius vltra non ferens, ipso spreto, in meã fidelitatem transiens, me ducem elegerunt. Ecce vel modicum terræ sub ipso habere, indignus iudicabar: eo perempto, omnia, quæ iuris sui hactenus fuerunt, fortuna fauente suscipiam. Non sum, quem per ambages protrahere positis: si diutius differre tentatis, ecce ad pręsens vineta, & oliueta vestra extirpabuntur. Vrbe vestra à nobis obsessa, machinamentis apparatis, nulla contra nos præ-

sidia tuebuntur. Vos si inuiti capiamini, pœnæ quæ hosti repromittuntur, & vobis, in ipso repromittentur. Hac oratione habita Geracenses territi, licentia accepta in vrbem, concinibus suis relaturi, & consilium pariter accepturi vadunt. Sicq; consilio accepto, dubii vtrum ne ea, quæ à Comite audierant, ex industria, vt fratrem eripiat, aut certe ex vero odio dicerentur, iuramentum à Duce expetunt, ne si ab ipsis dimissus, fraternas minas euadat, dum sibi vna comes fuerit, castellum aliquod infra ciuitatem suam firmare faciat. Quo sacramento minus discernentes calliditatem Ducis, decepti sunt: nam quod Dux se non structurum iurauit, Comes non iurans, non multo post illis dolentibus perfecit. Sacramento itaque accepto, Ducem extra vrbem adducentes, multis Normannorum præ gaudio flentibus reddunt: se se deinceps fideles vtrique futuros multis assertionibus promittunt.

XXVII. Dvx igitur, & Comes se se mutuo conspicientes, vt quondam Ioseph Beniamin inuiso, præ dulcedine in aspero, in prosperum cedentis fortunæ in lachrymas prorumpentes, mutuis amplexibus fruuntur. Dux Comiti, quæ promiserat, se amodo non retenturum promittit. Comes Ducem vsq; S. Martinum prosecutus, inde Melitum vadit. Milites vero Comitis, qui apud Melitum erant, audito, Ducem in captione detineri, castella eius, quę ante Melitum firmauerat, oppugnantes capiunt: milites, quos inuenerant, in captione retinentes, suis militibus castellum, quod apud S. Angelum firmauerat, muniunt: aliud vero, quod forte videbatur, diruunt. Vxor vero viduationem suspicata Tropeam aufugit.

XXIIX. Dvx itaque hoc audiens, maleficii, quam beneficii memor, maxima indignatione permotus conuentionem, quam fratri promiserat, exequi denegat: donec sibi, & castellum S. Angeli, & milites, qui in captione tenebantur, restituantur: & de illata iniuria ius teneatur. Porro Comes frater Duci omnem occasionem, eius velle exequendo auferre volens, milites reddit: castellum, & quæ in ipso retenta sunt, restituit. Sed cum nec sic animum fratris, vt sibi ius teneat, molliri videt, traditione inhabitantium, castrum Messianum ingressus, Duci inimicitias mandat. Dux itaque videns castra, quæ ante Melitum in ipsa prouincia habebat, sibi ablata, sciens totam Calabriam per illud facile posse turbari, in valle Gratensi, fratri sibi conuentionem executo Calabriam partiuit: sicque in Apuliam vadit. Comes vero in Calabriam, portionem suam recepturus redit. At cum videret suos, propter seditionem, quæ inter se & fratrem hactenus fuerat, equis, vestibus, & armis minus sufficientes per totam Calabriam, post quidem eis tributa expetitum vadit: veniensque Geracium, quia eos, quasi infideliores, ceteris exosiores, habebat, vt plus ab ipsis extorqueat, castellum extra vrbem, procul se se figit. Geracensibus vero iuramentum sibi à Duce factum obiicientibus: Comes respondit, Cum medietas Geracii mea sit, Dux in sua parte iuramenti sui ordinem, ne violetur, seruare poterit: me vero, qui in mea parte quodlibet faciam, nec votũ, nec promissio aliqua redarguit. Geracẽses ergo cognoscentes se callide à Duce iuramento delusos, insipientiæ suæ deputarunt. Pacto cum Comite facto, à castello, quod fœdere cœperat, pecunia, potiusquam armis illum auertunt.

XXIX. Comes vero suos abundanter armis, & equis, ceterisq;, quæ necessaria erãt, remunerans, & terram, quę sibi forte cesserat, fidelibus suis prudenter ordinans, iterum Siciliam cum trecentis debellaturus aggreditur: vxorem iuuenculam, quamuis audiebat renitentem secum ducens. Veniens itaq; apud Trainam, à Christianis Græcis, qui eum iam altera vice susceperant iterum, & si non cum tanta, vt prius, tamen alacritate suscipitur: vrbemque, quamuis natura montis, in quo sita est, satis defensabilis foret, ad votũ suum aptando, fortiorem reddens, vxore ibi cum paucis dimissa, circumquaque vicina castra lacessitum vadit. Græci vero, semper genus perfidissimum hoc solo offensi, quod milites Comitis in domibus suis hospitabantur, de vxoribus, & filiabus timentes, quadã die, cum Comes apud Nicosinum oppugnandi gratia moraretur, videntes paucos cum Comitissa remansisse suspicati se in eodem facile præualere, vt eos ab vrbe expellendo, vel certe occidendo, iugum eorum à se excutiãt, oppugnare cœperunt. Sed nostri, quam uis pauci, animo tamen, & armis promptissimi dolo cognito, in arma citius ruunt: dominam suam se seq;, pro vita alacriter defendentes, acerrime resistunt: donec nox certamen diremit. Comes vero quod acciderat, per legatum cognoscens, citissimus aduolat: Græcosque, qui iam vrbe ad medietatem recisa, inter se, & Normannos quandam munitionem ad se defendendum fecerant, minus ad præsens proficiens, expugnabat. Sarraceni deniq; de vicinis castris quinq; millia promptiores, audientes Græcos à nostris dissentire, non minimum gauisi, auxilium laturi se iam ad illos contulerant: quorum prędidio Græci perplurimum tuebantur. Nam cum diu taliter impugnando, nunc autem

se ipsos

se ipsos defendendo, iugi incursione detenti, dum per diuersa loca prædando, victum quærere, vt soliti erant, impediuntur, famis angustia, & assidui certaminis, & vigiliarum æstu, quæ minime sibi pariter conueniunt, perplurimum deficiebant. In tantum enim quisq; sibimet intentus erat, vt etiam ipse Comes vix aliquem haberet, qui sibi cibum, excepta vxore, & armigeris appararet. Nam cum infra vrbem, ne extra prædatum iret, iugi defensione interim detinerentur, extra autem omnium oculi adhoc intenderent, vt si cū paucis latrocinari tentaret, deprehenderetur: quodvis horum agere, imminens periculum dehortabatur. Vnde & tanta penuria inter eos fuit, vt neq; rapere, neq; gratia largiente, alter ab altero impetrare, vel mutuo aliquid accipere possent: omnibus pæne ab ipso Comite, vsq; ad vltimum clientem, æquo pondere indigentibus. Vestium etiam tāta penuria illis erat, vt inter Comitem, & Comitissam non nisi vnam capam habentes, alternatim, prout vnicuiq; maior necessitas incumbebat, ea vtebantur. Græci vero, & Sarraceni, quibus omnis patria fauens pro libito patebat, plurima replebantur abundantia. Neq; enim illis necesse erat victum quærendo, aliquorsum vagari, quippe quibus omnis Sicilia, quæq; necessaria erāt, certatim deferens vltro suppeditabat. Nostri autem, quamuis tanta penuria affecti famis, & laboris, vigiliarumq; æstu inter se ipsos flebiliores anhelarent, viriles animo, alter alteri flebilitatem suam, ne ad inuicē dehortarentur, occultantes, quadam hilaritate, vultu, & verbis simulare tentabant. Sed iuuencula Comitissa sitim quidem aqua extinguebat: famē vero non nisi lachrymis, & somno aliquid vnde non habens, refrenare sciebat. Certamen assiduū quod cibus nō cibus suppeditabat, hostilis impugnatio abesse prohibebat. Sed interdum ne ab hostibus diffiterentur, si non nisi impugnati in arma ruerent, ipsa animis eorum innata ferocitas, sagaciter etiam volentibus viribus repræsentabat.

XXX. Qvadam itaq; die certamine inito, Comes equo insidens, vt suis succurrat, se se hostibus medium dedit. Hostes vero eo cognito, versus eum fortiori impetu grassātes, equum eius spiculis confodiunt: ipsum cum equo humi deiectum, manibus corripiunt: quasi taurum ad victimam reluctantem: vsq; ad sibi tutiorem locum nituntur pertrahere puniendum. Porro Comes in tanto discrimine positus, pristinarum rerū haud immemor, extrahere ensem, quo accinctus erat, expetens, & in modum falcis, vires pratum resecantis, circumquaq; impiger vibrando ducens, pluribus interemptis, sola dextra, & Dei adiutorio liberatur: tanta strage de inimicis facta, vt sicut in condensis saltibus iacerēt à vento diruta ligna, sic circumquaq; sibi adiacerent hostium ab ipso perempta cadauera. Hostes reliqui se se in suam munitionem recipiunt: ipse equo amisso, sellam, ne quasi timidus accelerare videretur, asportans, versus suos pedes regreditur. Nostris igitur, per quattuor menses in tam laborioso discrimine positis, hiems asperrima, quæ ipso anno, ipsis in partibus fuit, occasio liberationis, hostibus autē damnationis exstitit. Nam & à ciuitate Etnæ, quæ in eadem prouincia haud procul exterminat, vrbs certis temporibus, ab æstuanti incendio sulphurei montis æstas acerrima. Itaq; certis temporibus inundatio tempestatis procellarum, niuis & grandinis asperrima solet fieri. Quam ob rem hostes balnearum æstuationibus æstuari assueti, frigidiori aura flante, dum vini potationibus naturalem calorem intra se excitare nituntur, somno vinum, vt assolet, subsequente tardiores ad excubias vigiliarum vrbis esse cœperunt. Quod cum nostri cognouissent, cœperunt & ipsi ex industria tardiores apparere: & quamuis attentissime vigilarent, clamoribus tamen obmissis, vt illos dolose securiores redderent, fingebant se quasi non vigiles essent. Quadam ergo nocte cum Comes, vt semper, nullo labore deficiens, excubias noctis cum suis armatis sub algenti bruma, suis vtilitatibus accuratissime intentis crebraret, hostes somno grauatos intra suas munitiones, & neminem eorum, ex tanta multitudine vigilare deprehendisset, castra eorum silenter irrumpit: armataq; manu incautos occupans, pluribus interfectis, munitionem accipit: plures capiuntur: ex aduenticiis reliqui fugæ refugium petunt. Porinus, qui caput traditionis exstiterat, cum sibi principaliter assentientibus laqueo suspensus, ad exemplum aliorum, vita priuatur: plures diuersis pœnis afficiuntur. Spoliis itaque triumphali more acceptis, nostri hactenus egentes, tanta abundantia frumenti, vini, & olei, ceterorumq;, quæ ad vsum necessaria erant, sunt repleti, vt merito à consimili argumento recordari possent illius, quod apud Samariā insperato à Deo subito datæ abundantiæ ad verbū Elisei dicentis: Cras hora ista in porta Samariæ modius similæ vno statere erit: cum in præcedenti die, nullo quamuis magno pretio posset inueniri.

XXXI. Ordinatis itaq; rebus suis, & vrbe melius ad suum libitum firmata, vt suis equos, quos amiserant, restituat, versus Calabriam, & Apuliam adquisitum vadit: vxore, & militibus suis apud Trainam dimissis: quæ quamuis iuuencula, tanta strenuitate

cœpit esse sollicita circa castrum tuendum, vt diatim circuens, vbi meliorandum videbat, studeret, vt fierent vigiliæ: reliquos omnes, quos sibi dominus suus abiens dimiserat, blande alloquens: vt sollicite quæ seruanda erant, prouiderent, hortabatur: multa in reditu domini sui repromittens: sed & transactum periculum, ne segniter agendo, quid simile incurrerent, ad memoriam reducit.

XXXII. COMES vero à Calabria, & Apulia, vt apes studiosissima, his, quæ militibus suis necessaria erant, onustus rediens, omnes suos suo aduentu lætificauit: equos, & cetera, quibus opus habebant, illis impertiens. Aliquantis ergo diebus equis, quos adduxerat, à labore itineris recreatis, comperto quod Arabici, & Africani, qui Arabia, & Africa, quasi auxilium laturi Siciliensibus, causa lucrandi aduenerant, apud castrum Iohannis, vsque ad quingentos morarentur, cupiens experiri cuius valentiæ eorum militia esset, illuc versus aciem dirigit: præmittens Serlonē nepotem suum cum triginta militibus: qui se ante castrum ostendentes, extractos ad certamen excitarent: ipse cum ceteris, in quodam loco, in insidiis latens occultatur: vt dum suos ex industria, simulato timore fugientes illi acrius persequerentur, ipse insperato, à loco insidiarum prorumpens, hostes longius à castro subtractos facilius occuparet. Quos Arabici, qui in castro erant, eminus aduentare videntes, maximo impetu prorumpentes obuii sunt: fugientes persecuntur: accingentes diruunt in tantum, vt ad locum insidiarum non nisi duo ex nostris illæsi peruenirent. Porro Comes suos, quos præmiserat, ex parte captos, ex parte deiectos videns, leonino impetu ab insidiis prorumpens hostibus occurrit: certamen iniit: fortiter vtrimque congreditur: sed à longo, & acri certamine tandem Comes, Deo sibi propicio, paganis fugientibus victor efficitur. Hostes extremos quosq; cædendo plus milliario insequitur. Spoliis onustus lætus apud Trainam reuertitur. Vrbs gaudio repletur. Volensq; Siculos vndiq; lacessere, Calabutor prædatum vadit: vnde rediens versus Roccas Castri Iohannis, si forte Arabicos à castro extrahere posset, attentans maximam prædam reduxit. Profundiores itaq; partes Siciliæ cognoscere volens, longius progressus, vsque Buterum venit: vbi non minima præda pecorum accepta, captiuos plurimos secum reducens, apud Auator hospitium sumpsit. In crastinum autem, quia pro longitudine itineris, & calore nimii æstus, sed & aquæ penuria plures equos amiserat, apud S. Felicem pernoctans, inde Trainam venit.

XXXIII. AFRICANI ergo, & Arabici cum Siciliensibus plurimo exercitu congregati, vt bellum Comiti inferant, aduenire nuntiantur: anno verbi incarnati millesimo sexagesimo tertio: quibus Comes cum suis alacriter occurrens in cacumen eiusdem mōtis super fluuium Cerami, vt eos plenius prospiceret, ascendit: vidensq; eos trans flumen in supercilio alterius montis, diutius alternatim intuiti, nec his versus illos, nec illis versus hos transeuntibus, Sarraceni priores locum mutantes, ad sua castra, quibus hospitati erāt, regrediuntur: Comes vero apud Trainam reuertitur. Sic triduo flumine interposito, sese mutuo conspicientes, nec illi versus istos transire flumen præsumebant. In quarto vero die Sarraceni castra commouentes, ne vlterius, quasi ad tergum retrogradi viderentur, in monte, quo se iam triduo ostentauerant, castra metati sunt. Nostri vero hostilem affinitatem diutius impugnatam ferre nolentes, cum magna deuotione, presbyteris testibus Deo confessi, pœnitentia accepta, Dei miserationi sese commendantes, & de eius auxilio confisi, bellum hostibus inferre vadunt. Sed media via nuntio accepto, quod Ceramium ab hostibus impugnaretur, illuc Comes aciē dirigit: Serlonemq; nepotē eius cū triginta militibus prætermittit, vt castrum intrans, defendendo donec ipse veniat, sustineat. Cum centum militibus, non enim amplius habebat, ipse subsequitur. Serlo vero castrum ingressus, aduentum subsequentis auunculi minime sustinuit: sed per portas, vt leo furibūdus in hostes prorumpēs, multas strages dando, cum triginta millia essent exceptis peditibus, quorum infinita erat multitudo, quod mirum dictu est, ipse triginta sex milites habēs omnes in fugā vertit. Hoc facto patēter cognoscere possumus, Deum nostris fautorē fuisse. Nam humanæ vires, tam magnum quid, tamq; nostris temporibus inauditum, nec præsumere quidem, nedum perficere potuissent. Si autem cum Propheta admirantes requirimus, quomodo persequebatur vnus mille? nam hoc istis, vt quondam filiis Israel prouenisse cognoscimus, profecto nobis metipsis, ex eiusdē Prophetæ verbis, absq; mendacio respondere possumus: quia Deus suus vindicat eos: & Dominus in profundo iniquitatum suarum claui iræ suæ concluserat illos. Deus suus dico, non quod eum colendo cognoscebant: Sed quia quamuis indigni factori suo ingrati existēdo, tamē eius creatura erant. Deus suus inquam dico secundum illud, quod ab Apostolo instruimur vbi ait: Nā „ idem Deus omnium: diues in omnes, qui inuocant illum. Quod si aliquis hāc sententiam diale-

dialectizando commutabilem astruere tentauerit, dicens, Si diues est Deus in eos, qui inuocant illum, consequi oportet, vt pauper sit in eos, qui non inuocant illum: respondendum est, quia Deitas ipsa augmentum, vel detrimentum non patitur: nec in natura sua recipit magis, vel minus: sed semper in eodem statu permanens sui, peræque omnia potest. Si autem pauperem dicere concludimur, non tamen quantum ad ipsum: sed quantum ad illos, qui se indignos exhibent, quibus misericordiæ suæ diuitias Deus impertiatur. Comes itaque nepotem subsecutus cum centum militibus Ceramium veniens, hostesq; à nepote deuictos cognoscens, dum subsequi, vt plenius deuincat, deliberat, quibusdam ex timore dehortantibus, & sufficere sibi victoriam à Deo per nepotem factam dicentib⁹, ne forte vltra insequendo, progrediatur fortuna rotabilis, & in deterius cedat. Vrsellus de Baliol exploranti Comiti interminatus est, se numque vel ibi, vel alias sibi auxilium laturum, nisi certamen cum hostibus ineat. Quod Comes audiens dehortantibus quidem multa conuitia iratus intulit: citiusque hostibus, versus castra eorum, illuc enim aufugerunt, bellum offerre vadit. Porro illi viribus resumptis, duas acies ex sese facientes nostris audacter occurrere accelerant. Comes etiam similiter duos cuneos faciens ex suis, vnum nepoti, & Vrsello, & Arisgoto de Puteolis, vt præcedentes primo feriant, delegauit: ipse cum altero subsequens, bellatum, Deum sibi adiutorem inuocans, vadit. Prima autem acies eorum Serlonem cum prima acie nostra declinando, montem super nostros præripere volens, vltimæ aciei, nostræ, quam Comes ducebat, occurrit. Comes ergo, & Vrsellus de Baliol suos solito formidolosiores præ nimia multitudine hostium, quam incurrebant, videntes talibus exhortationibus timorem ab ipsis excutere nitebantur. Arrigite animos vestros ô fortissimi Christianæ militiæ tyrones. Omnes Christi titulo insigniti sum⁹: qui non deseret signaculum, nisi offensus. Deus noster, Deus Deorum omnipotens est: & ab ipso omnis qui de Deo diffidens, confidit in homine: & ponit carnem bracchiũ suum. Omnia regna mundi Dei nostri sunt: & quibus volet ipse impertietur. Gens ista Deo rebellis est: & vires, quæ à Deo non reguntur, ocyus exhauriuntur: ipsi in virtute sua gloriantur: nos autem de Dei præsidio securi sumus. Nam neq; honestum est dubitari, quos certũ est, Deo nos pręcedente, ante faciem nostram nõ posse subsistere. Gedeon, quia de Dei auxilio non dubitauit, in paucis multa millia hostium strauit. Dum talia versus certamen properando perorantur, apparuit quidam eques splendidus in armis: equo albo insidens, album vexillum in summitate hastilis alligatum ferens, & desuper splendidam crucem: & quasi à nostra acie progrediens, vt nostros ad certamen promtiores redderet, fortissimo impetu hostes, vt densiores erant, irrumpens. Quo viso nostri hilariores effecti Deum, sanctumque Georgium ingeminando, & præ gaudio tantæ visionis compuncti, lachrymas fundendo, ipsum præcedentem promptissime sunt secuti. Visum etiam à pluribus in summitate hastilis Comitis vexillum dependens, crucem continens: à nullo, nisi diuinitus appositum. Comes ergo aciei suæ primos exhortatus, Arcadium de Palerna, suam aciem, nostris exprobrando, promptissime antecedentem, & splendenti clamucio, quo pro lorica vtimur, armatum certamine inito, fortissimo congressu, hastili robore deiectum, ceteris metum incutiens interfecit. Erat enim inter suos militia præclarissimus: cui etiam neminem armis resistere posse putabant: & clamucium, quo indutus erat, nullis armis poterat violari: nisi ab imo in superius impingendo inter duo fertea, quæ per * iuncturas catenata sunt, ingenio potius, quam vi vitiaretur. Dum itaque vtrimque fortiter dimicatur, nostri numeri paucitate multitudini intermixti ita concludebantur, vt vix aliquis nostrorum nisi armis sibi faciendo tumultum interrumpere posset. Videns autem nostros condensitatem circumdantium se hostium sternendo: vt à furendi vento solet condensitas nebularum disrumpi: & sicut velocissimi accipitres imbecillem turbam * auium disruptam sternere. Sed cum longo certamine grassati, diutius nostrorum infestationem ferre non præualentes, fuga tueri potius, quam armis nituntur, nostri audacter insequentes, extremos quosque cędendo perimunt. Sicque victores effecti, ad quindecim millia ex hostibus occubuerunt. Nostri itaque triumphalibus spoliis onusti, vsq; ad hostium castra regredientes, in eorum tentoriis hospitãtur: camelos & reliqua omnia, quæ inuenerunt, sibi vindicantes. In crastinum vero pedites ad viginti millia, qui fugientes scopulos, & prærupta montis occupauerant, oppugnantes, plurima ex parte periimunt: reliquos vero debellatos vendentes, pecuniam infinitam accipiunt. Sed cum aliquandiu commorati fœtore putrentium cadauerũ occisorum hostium grauarentur, fœtorem abhorrẽtes Trainam reuersi sunt. Comes Deo, & S. Petro cuius patrocinio tantam victoriam se adeptũ recognoscebat, de collato sibi beneficio non ingratus existens in testimonium victoriæ suæ, per quendam suorum, nomine Meledium camelos quattuor,

quos inter reliqua ſpolia, hoſte triumphato, acceperat, Alexandro Papæ, qui tunc tem-
poris vice beati Petri prudenter, & Catholice exſequebatur, apud Romam repræſentat.
Apoſtolicus vero plus de victoria à Deo de Paganis conceſſa, quam de ſibi tranſmiſſis do-
nariis gauiſus benedictione Apoſtolica, & poteſtate, qua vtebatur, abſolutionem de of-
fenſis, ſi reſipiſcentes in futurum caueant, Comiti, & omnibus, qui in lucranda de Paga-
nis Sicilia, & lucratam in perpetuum ad fidem Chriſti retinendo auxiliarentur, mandat:
vexillumque à Romana Sede Apoſtolica auctoritate conſignatum: quo præmio, de Be-
ati Petri fili præſidio, tutius in Sarracenos debellaturi inſurgerent.

XXXIV. PISANI ergo mercatores, qui ſæpius nauali commercio Panhormum lu-
cratum venire ſoliti erant, quaſdam iniurias ab ipſis Panhormitanis paſſi, vindicari cupi-
entes, nauali exercitu vndique conflato, vela per mare ventis committentes, apud Sici-
liam, in portu vallis Deminæ applicuerunt: legatumque Comiti Trainam, vbi tunc mo-
rabatur, mittentes, mandant, vt equeſtri exercitu Panhormi illis occurrat: ſe illi in vrbe
capienda auxilium laturos: vi talis præmii, acceptam vindictam illatæ ſibi iniuriæ expe-
tentes. Comes vero quibuſdam negotiis ſe detinentibus, ad præſens ire diſtulit: mandans
illis, vt modicum temporis ſuſtinerent: donec hæc, quibus ad pręſens intentus erat, expe-
direntur. Porro illi commercialibus lucris, pluſquam bellicis exercitiis, ex conſuetudine
dediti, ſuſtinere, ne lucris aſſuetis diutius priuarentur, nolentes, Panhormumq; per ſe in
caſſum aggredi diſponentes, vela in portum eiuſdem vrbis dirigunt: ſed plurimam mul-
titudinem hoſtium exhorrentes, & ob hoc à nauibus progredi minime præſumentes, ca-
tenam tantummodo, quæ portum ab vna parte, in alteram claudebat, abſciſſa, & hoc ſibi,
more ſuæ gentis, pro proximo reputantes, Piſam reuerſi ſunt. Comes itaque videns æſta-
tem proximam, quæ præ nimio calore, à vicinitate ſolis feruẽtis caniculæ pluriores equi-
tatus in prædali exercitio fieri prohiberet, fratri Duci in Apuliam interim, dum importu-
na ęſtas pertranſeat, ire diſponens, ne vxorem ſuam, & milites cum ipſa remanentes abſq;
ſtipendiis derelinquat, Guloſam vna die, ſecũda Brocatum, tertia Cephaludum prędatũ
acie dirigit. Sicq; Trainam multa abundantia replens, militibus ſuis, vt vrbẽ attentiſſime
peruigilantes, incurſus hoſtium prudenter caueant, & ne aliquorſum longius ab vrbe, a-
liqua occaſione intercurrente, progrediantur, multis exhortationibus commonitis, ipſe
verſus Apuliam cum fratre, quid vlterius agendum ſit, tractaturus vadit: plurimaq; adin-
uicem conferentes, tandem refrigerante calore, centum militibus ſibi ab eo in auxilium
acceptis, verſus prouinciam Agrigentinam cum ducentis militibus prædatum vadit.

XXXV. VNDE cum maxima præda inde rediret militum ſuorum prædam præcede-
re præcipiens, ipſe cum reliquis inter duos cuneos minatur ne à fronte, vel certe à tergo
aliquo hoſtili incurſu excuteretur. Porro Africani, & Arabici cum eſſent cupientes vlci-
ſci de victoria in Ceramenſi prœlio ſibi ablata, & laudem quam ibi amiſerant, aliquando
ſibi fauente fortuna recuperare, cognoſcentes per nuntium, ita eos prædatum iſſe, cum
ſeptingentis electis militibus, via qua redire habebant, inſidiantes occultantur. Noſtri
autem, qui præcedebant, ad locum vſque peruenientes, illis ex improuiſo exſurgen-
tibus, audaciæ, qua hactenus aſſueti erant, obliti, eneruiter agentes, cum fuga potius,
quam armis mortis periculum declinare cœperunt. Montem quendam, quem ex omni
parte præcipitium cingebat, ſolo, & arto aditu patente, pro auxilio expetentes aſcendunt.
Hoſtes vero parte armigerum, qui prædam minabant, perempta, ipſam etiam prædam
excutiunt. Comes autem, qui ſubſequebatur, tumultum audiens, dum citius aduolat,
quæ acciderant cognoſcens, maxima indignatione, & ira repletus, vt ſecum de hoſti-
bus vltionem expetant, ſuos immenſis clamoribus, à monte, quem aſcenderant, in caſ-
ſum reuocare nititur: donec ipſemet turonem aſcendens, & ſuos quemque nomine vo-
cans, ne ſe in poſterum fuiſſe excuſarent, talibus verbis aggreſſus eſt. Ita ne inquit ô for-
tiſſimi hactenus, viribus exhauſti eſtis, vt abſque recordatione alicuius militaris laudis,
in profundum putribundæ defectionis ſubmerſi, vlterius reſpirare nequeatis? Recor-
damini anteceſſorum: ſed & gentis noſtræ, noſtræq; hactenus habitæ ſtrenuitatis præco-
nizatæ: deuitantes notas futuri vituperii. Recordamini quot millia hoſtiũ apud Ceramiũ
pauciores quam nunc debellatores extinxiſtis. Fortuna tunc vobis arridens ab eodem,
quo & nunc adhuc regitur. Reſumite priſtinas vires: victoria poſt fugam fortiter agenti-
bus laudis reparatio eſt. Hæc, & alia exprobrando, plura locutus, vix eis exhortationibus
recreatis, ad certamen properans cum hoſte congreditur. Fortiter agendo gens Deo re-
bellis debellatur: p̃da excuſſa recuperatur. Noſtri victores effecti triũphalibus ſpoliis di-
tãtur. Trainam cũ gaudio remeantes: excepto, quod de ſolo Galterio de Simula, qui inter
omnes militari laude dignus, in congreſſu fortiter agendo, quod dolor dicere eſt, iuuen-
tutis florem ab hoſtibus confoſſus amiſerat, plurimum triſtabantur.

XXXVI.

XXXVI. Dvx vero Robertus cum in Apulia esset, sciens fratrem suum apud Siciliam multiplici incursione ab hostibus lacessiri, plurimo exercitu ab Apulia, & Calabria congregato, nolens expers esse quæstus, laboris etiam particeps fieri, versus Siciliam intendit. Comes vero fratrem aduētare audiens, cum gaudio magno festinus illi apud Cusentum Calabriæ vrbem occurrit. Sicque progredientes anno Dominicæ incarnationis MLXIV. cum quingētis, tantummodo militibus apud Pharum mare transmeantes, tota Sicilia, nullo aduersus eos aliquid præsumente impune peragrata, Panhormum vsque perueniunt: atque in monte, qui postea Tarantinus, ab abundantia Tarantarum, à quibus ibidem exercitus eorum plurimum vexatus est, iubente Duce, quem postea pœnituit, tētoria fixa sunt. Nam mons totus insitus Tarantis, viris, & mulieribus inhonestum, quamuis iis euaserint, ridiculosum hospitium præbuit. Taranta quidem vermis est, araneæ speciem habens: sed aculeum veneni feræ punctionis: omnesq; quos punxerit, multa venefica ventositate replet: in tantumque angustiantur, vt ipsam ventositatem, quę per anum inhoneste crepitando emergit, nullo modo restinguere præualeāt: & nisi clibanica, vel alia quęuis feruentior æstuatio citius adhibita fuerit, vitæ periculum incurrere dicuntur. Tali inhonestate nonnulli nostrorum vexati, tandem locū mutare coguntur: vicinū vrbi locum tutiorem, quo tabernacula figant, expetentes: vbi per tres menses commorati, Pāhormitanis fortiter repugnātibus, versus vrbē quidem minime profecerūt: sed viciniora circumquaq; loca plurima depopulatione vexauerunt. At cum vident se versus vrbem minime tunc temporis præualere posse, castra mouentes Bugamum oppugnare vadunt: ciuibusque eiusdem castri eneruiter reluctantibus, funditus diruunt: incolas omnes cum mulieribus, & liberis, omnique supellectili sua captiuos adducunt: sicque versus Calabriam remeare volentes haud procul ab Agrigentina vrbe, sic enim illis directior adiacebat via, tentoria figunt. Porro ciues eiusdem vrbis, viribus suis plus necessario confidentes, per portas prorumpendo, forti strepitu super illos proruunt: incautosque hostium tacendo dum fingunt, vsq; in portas suæ ciuitatis persequuntur. Dux itaq; digressus, in Calabriam veniēs, expeditionem soluit: Bugamensesq; quos captiuos adduxerat, Scriblam, quam desertauerat, restaurans, ibi hospitari fecit. *

XXXVII. Anno vero Dominicæ incarnationis MLXV. Policastrum castrum destruens, incolas omnes apud Nicotrum, quod ipso anno fundauit, adducens, ibi hospitari fecit. Antequam iret versus Panhormum Dux Robertus, & in monte Tarantarum tentoria fixisset, Dux, & Comes Rogerius prius in prouinciam Cusentii Castrum quidem Regale expugnauerant: & pro libitu ordinauerūt. Eodem anno castrum quoddam, quod Agel dicitur in prouincia Cusentii Dux oppugnare vadens, per quattuor menses obsedit. Agellenses autem extra castrum progredientes, cum vicinius tentoria hostes figerent, fundibulis, & sagittis longius propellere nituntur: sicque ex vtraque parte mutua cæde fortiter congrediuntur. At dum nostri maxima indignatione commoti, impetum in hostes facientes, vbi densiores erant, prorumpere nituntur, Rogerius filius Scoclandi iaculo confossus equo deiicitur: cum etiam Gissibertus nepos eius eum releuare tentat, deiectus vterque occiduntur: de quorum nece Dux cum omni exercitu non minimum turbati, erant enim inter familiares sibi carissimi, eorum corpora apud Sanctam Euphemiam, vbi tunc Abbatia in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ nouiter incepta instituebatur, humanda mandauit: equos, & cetera quæ habebant, eidem Ecclesiæ, pro ipsorum saluatione contulit. Agellenses itaque cognoscentes pro tali, & similibus factis Ducem se se grauiter offendisse, pacem ab ipso expetunt: ne si rebelles persistendo vi caperentur, ab ira eius, absq; recordatione alicuius pietatis, vt meriti erant, omnes pariter perimerentur. Dux vero quamuis anhelans esset cum suppliciis, de ipsis vltionem expetere, tamen ne diutius perendinādo, alias intendens, demoraretur, pacem cum ipsis fecit: castrumque ab eis deliberatum, in sua virtute accipi, pro libitu suo disposuit.

XXXVIII. Comes vero Rogerius adquirendæ Siciliæ intentus, quietis impatiens erat: omnia perlustrans crebris incursionibus deterrebat: in tantumque ex consuetudine labori continuus erat, vt hinc ne, hincve infestior esset, nec cæcitas obscuræ noctis dehortari posset: quin de loco ad locum transiliens, per se ipsum omnia attentaret: eiusq; præsentiam, plusquam omnia hostes exhorrebant: intantumque eius veloci frequentia deterrebantur, vt nusquam absens putaretur. Sed quia vbi suis præsentibus, ipse absens ab hostibus deprehendebatur, sui hostili incursione interdum grauabātur, castrum, quo se si forte necessitas incumberet, facilius tuerentur, & à cuius vicinitate quæque proxima loca attentius subiugata sibi concite fœderarentur, apud Petrelegium, anno Dominicæ incarnationis MLXVI. turribus, & propugnaculis extra portam accuratissime

firmauit:per quod maximam partem Siciliæ,ad suæ dominationis iugum ferendum per- domuit. Filiis deniq; Tancredi naturaliter hic mos inolitus fuit, vt semper dominationis auidi,prout illis vires suppetebant, neminem terras, vel possessiones habentes ex proxi- mo sibi absq; æmulatione habere paterentur,quin vel ab ipsis confestim subiecti deserui- rentur,vel certe ipsi omnia in sua virtute potirentur.

XXXIX. Inde & Robertus Dux, qui præ ceteris hunc morem sibi vindicauerat, Gaufridum de Conuersana,nepotem videlicet suum,filius quippe sororis suæ erat, vt de Montepiloso sibi seruitium,sicut & de ceteris castris,quæplurima sub ipso habebat,exhi- beret,adorsus est:quodq; ab ipso,sicut & cetera, minime acceperat :sed sua strenuitate, Duce sibi auxilium non ferente,per se ab hoste lucratus fuerat. Id facere renuente Dux admoto exercitu idem castrum obsessum vadit:multisq; militariter ex vtraq; parte per- petratis,tandem,vt de eodem castro,sicut & de ceteris sibi seruitium promittens exhibe- ret,compulit.

XL. Dvx itaq; videns omnia,quę solo inceptu attentabat,fortuna fauorabiliter arri- dente,sibi in prosperum cedere,famosissimam vrbem,quæ Barum dicitur, adhuc Con- * stantinopolitano Imperatori ex fidelitate adhærentem,sibi vero rebellem, ex proximo, haud longe à Montepiloso habens, quibuscumq; Imperator præerat pactionibus, & vt sibi fauentiores redderet,ad impugnationem eiusdem vrbis secum instans anno Verbi in carnati MLXVII.equitatu,& nauali exercitu eam obsessum vadit.Et quia ipsa ciuitas,quasi in quodam angulo sita in mare porrigitur, ipse cum equestri exercitu ipsam partem, qua ciuitas versus terram patebat,quasi ab vno mari in aliud claudens, nauibus per mare ex- tensis,vna ad alteram firmiter ferreis catenis,acsi sepem faciendo,cõpaginatis, ita totam vrbẽ cinxit,vt nullo latere exitus ab vrbe progrediendi pateret. Duos quoq; pontes,vnũ videlicet ab vnaquaq; ripa constituens,qui longius in mare vsq; nauium funes, ab vtraq; parte attingebant,porrexit:vt si forte Barenses aliquẽ incursũ,versus naues attentarẽt,di- recto cursu à militibus nauibus expeditius subueniretur. Barenses autẽ primo quę agebãt despectui habentes omnia vilipendere:ornamẽta sua, thesaurumq; pretiosa dependẽtia ostentare:Guiscardo plura conuitia inferre:turribus suis fidentes rerũ exitus minus me- tiri cœperunt. Quæ res Guiscardum ab incepto quidem non deterrebat:sed animus am- bitionis cupidine feruens, quanto pretiosiora infra muros contineri dicebant, tanto ar- dentius spe ea lucrandi,ad quod cœperat persistendum,mentis instantiam figebat:subri- dendo illis respondens. Quæ inquit ostentatis mea sunt:& quia à vobis voluntarie mihi præsentantur,habeo gratum. Estote fideles ad tempus in conseruando. Vobis quippe de amissione dolentibus fiam quandoq; largus in distribuendo. Sicq; suos ad vrbem debel- landã exhortationibus,& promissis inflammans,laboris sui renuntiationisq; præmiũ in- fra murum testatur esse. Ipse mœnia circumire, aggeres comportare,vrbẽ vallare,arietes facere,ceteraq; machinamenta, quæ vsui capiendæ vrbis necessaria erant, componere, suos instruere,hostes infestare, metum iugi instantia studebat incutere. Barẽses ergo vi- dentes constantiam Ducis vltra quam rati erat,in diuulsam persistere,victumq; infra vr- bem,nullo ad introducendum hostibus circumsertis,aditu patente, à multitudine iner- mis vulgi,mulierum scilicet,& puerorum inutiliter deuastari,quod vi nequibant, dolo vitæ Ducis periculum parant:pretioq; composito,à quodam leuitatis viro,vt vrbe digrediens * illum spiculo corripere attentet mercantur. Amerinus ergo auaritia captionis cupidine captus,appetendum tam nobile,vt sibi videbatur,facinus accelerat:spiculoq; venenis in- fecto ab edocentibus se tantæ versutiæ fraudẽ accepto,vrbe digressus, quasi vnus ex no- stris,lapides funda versus hostes,supra muros iaciendo,aduersus castra nostrorum dolo- se speculatum circumuenit. Sicq; vesperascente die, nox intercludere Solis radios pro- perat:cumq; cœnę hora instãte Dux in tabernaculo suo,ex foliosis arborum ramis com- posito sedisset,ille à tergo veniens,ramoso pariete interposito,Ducem præuio oculo,de- inde aure per vocem,bene visum credens spiculum,quod ad hoc acceperat, fortiter im- pingendo,parte vestiũ correpta,sed Deo protegẽte,ipso illęso permanẽte in terrã defixit: sicq; Ducẽ læsum credens incasso vulnere spiculo amisso,nihil sibi fuga vtilius credens,quã velocius potuit,cursu se se infra vrbẽ recepit. Ducis vero ministri tali facto expauefacti ex tra prosiliẽtes,dolo cognito,noctis excubias solito attẽtius,vigilesq; circa Ducẽ deputãt: cæmẽtarios ex eius edicto conducẽtes summo diluculo primũ domum breui perficiunt.

XLI. Ea tempestate Comes Rogerius in Sicilia morabatur:crebris incursionibus o- mnia hostiliter perlustrans:ad sibi subdendum nunc præmiis pulsans, modo minis terrẽs iugi exercitatione plerũq; alios damnis afficiens:intantumq; quietis impatiens hostes la- cessendo deterrebat,vt vix in ipsis munitionibus,nusquam autem alias securi essent. Nox, vel

vel dies, vesper, & aurora, aura lenis, & aspera æquo pondere infesta timori erant. Vnde & Sicilienses consilio intra se habito, mori potius, quam cum tanta inquietudine infelicem vitam diutius protelare deliberantes, belli fortunam contra Comitem tentare parant. Denique versus Panhormum prædatum proficiscenti exercitu innumerabili vndique conflato, ex improuiso apud Michelmir occurrunt anno incarnati verbi MLXIIX. Porro eos eminus conspiciens totus infremuit: omnesq; suos in vnum coërcens subridēdo ait suis. Eia inquit nobilium prædecessorum nobilitas Fortuna vobis fauens prędam, quam longius disposueratis quærere, labori vestro parcens, vltro vobis obuiam, ne plus in conficiendo itinere fatigemini adducit. Ecce præda à Deo vobis concessa. Auferte iis, qui ea indigni sunt. Vtamur ea diuidentes Apostolico more, prout cuiq; opus est. Ne exhorrescatis iam dudum, multotiensq; à vobis deuictos. Si ducem mutauerunt animo, nō * quo duce id præsumunt: eiusdem nationis, qualitatis, sed & regionis est: cuius & ceteri sunt. Deus autem noster immutabilis est. Si à vobis non mutatur integritas fidelis spei, nec ab ipso mutabitur sententia triumphalis auxilii. His dictis, acieq; suorum prudenter ordinata, cum hoste congreditur. Fortiter nostris agentibus gens inimica in tantum debellatur, vt vix ex tanta multitudine superesset, per quem rei euentus Panhormi renunciaretur. Nostri vero triumphalibus spoliis multum ditantur.

XLII. Moris vero Sarracenis est, vt columbas frumento, & melle infuso domi nutrientes, cum aliquorsum longius digrediuntur, masculos sportulis inclusos secum ferant: vt cum aliquid noui fortuna illis administrauerit, quod domi scitum velint, chartulis euentus suos notantes, & collo auis, vel certe sub ala suspendentes, auibus dimissis per aëra, familiæ domi sollicitæ, vtrum prospere erga peregrinos amicos omnia agantur, notificare accelerant. Auicula enim dulcedine grani melliti, quam domi gustare sæpius assueuerat, illecta, reditum accelerat: chartulas, morem suum scientibus repræsentat. Huiusmodi sportulas cum auibus Comes inter reliqua spolia accipiens, auibus cum infectis sanguine chartulis dimissis, tristis fortunæ euentus Panhormitanis repræsentat. Vrbs tota concutitur: lachrymosæ voces liberorum, & mulierum per aëra cælum attolluntur. Gaudium nostris, illis tristitia parturitur.

XLIII. Principabatvr tunc temporis vrbi Barensi sub Imperatore Græcus quidam Argerius nomine: qui cum ceteris ciuibus pro tempore, & loco cōsilio habito, chartulis ærumnas vrbis, ciuiumq;, sed & hostium infestationem adnotans clam, de nocte per quendam ab vrbe digredientem Diogeno Constantinopolitano Imperatori dirigit: vrbem, quæ sola in eius fidelitate persistens vndiq; hostili incursione quatiebatur, nisi citius subueniat, se amissuros victus penuria. Se iam tertio anno instante hostibus circumseptos: cuius diuturno certamine deficientes deditionem parare. Nisi ipsam retineat, spem nullam de recuperatione peruasæ ab hostibus patriæ vlterius reseruari. Legatus quod instructus erat, fideliter adimplere satagens, breui magnum conficiens iter Byzantium venit. Acceptas epistolas Imperatori repræsentare vadit. Epistolis orationem exhortatoriam, vt subueniat, addit. Imperator vero susceptis epistolis, ac perlectis Duracium mittens, classem parare facit: cui Gocelinum de Orencho quendam natione Normannum & in palatio post Imperatorem secundum, paucis, quia strenuus armis, & consilio callens erat, Ducem pręponens, cum multis copiis Barensibus succurrendum disponit. Porro qui missus fuerat, iussus ab Imperat. Barum regrediens, clam hostes vrbē, vt exierat intrat. Acta refert: signumq;, quo auxilium veniens eminus cognoscant, edocet: vt simile signū de vnoquoq; propugnaculo contra aduenientes faciant, fasces scilicet accendant, ne à certo portu deuient, admonet. Barenses hoc nuntio exhilarati, plus necessario festinantes, animo enim cupienti nihil satis festinatur, in proximam noctem fasces accendunt: clamoribus, & laudis plus solito lętitiam ostendunt. Quid nam in hoc facto prætendant, inter nostros quæstio oritur. Fit de pluribus rebus coniectura: vndiq; argumētatur à prudentioribus: rei veritas deprehenditur: auxilium videlicet per mare illis aduenire. Aduenerat in auxilium Ducis fratris plurimo remige Comes Siciliæ Rogerius nouiter à fratre inuitatus: leoninam in omni certamine habēs ferocitatem: quem tamen prudentia regebat: & fortuna fauens comitabatur. Hic callide in hoc negotio agens, singulis noctibus speculatum ire iubet: si forte eminus per mare aduentantes naues aspiciantur. Cum ecce quadam iam nocte mediante, quasi stellæ lanternæ ardentes in summitate mali vniuscuiusq; nauis eminus apparere conspiciuntur. Quod cū à Comite compertū fuisset, accelerātissime armata manu, plurimo se se remigi credens, obuiā hostibus ire accelerat: quos hostes eminus aspicientes, Barēses q. supra p̄ gaudio occurrerēt rati minus se se ad defensionē aptant. Comes vero nauem Gocelini, qui dux hostium erat, duabus lāternis à ceteris

distinctam eminus cognoscens illam versus impetu suorum intendere iubet. Dumque fortiter congrediuntur tanta vi quædam ex nostris, super nauem illorum grassata est, vt ex vno latere cum pondere armorum incaute decurrente, centum quinquaginta loricăti ex nostris submergerentur. Comes vero Gocelinum oppugnans superat: quem in suam nauem exarmatam recipiens, cum triumpho gloriosus ad fratrem remeat. Dux vero amittendi timore in certamine fratris, plurimum angebatur: quippe nec succurrere poterat, nec alium, excepto illo, ceteris defunctis habebat. Attamen victor, & incolumis redire nuntiatur: nulli credulus fieri asserit, donec visu sibi satisfaciente. Vtrum sanus esset scrutando ingeminat cum lachrymis. Comes vero Gocelinum mirifice Græco more præparatum Duci, ad honorem repræsentat captiuum. Barenses itaque se sua spe frustrati vlterius hostes ferre non valentes, deditione facta, Duci fœderantur. Anno Domini M.LXX. Dux voti compos effectus fratri, & cuncto exercitui gratias referens, vrbe pro velle suo ordinata, fratrem in Siciliam præmittens, solito exercitu breui iterum expeditionem versus Pāhormum summouet. Toto Iunio, & Iulio mense apud Hydruntum moratus montem, quo facilius descensus ad mare, equos nauibus introducens, fieret, rescindere facit: vnde & Duracenses maxime sunt territi ne mare cum exercitu trāsmeans, eos impugnatum veniret: mulumq; & equum ei, quasi ad honorem mandantes, hac occasione rem speculatum mittunt.

XLIV. EA TEMPESTATE Costa Condomicita, qui Scyllum iam dudum Duci fraudulenter abstulerat, veritus ne cum Dux versus Siciliam nauigio trāsitum simularet, Scyllum obsessum diuerteret, Duci reconciliatus castrum reddit: tali iniuria se, ad quod fecerat compulsum dicens. Dux Costam Pelogam quendam Stratigotum statuerat: qui nimia insolentia defluens quosque ingenuos viros vel mulieres, nec etiam suæ consanguinitati parcens contumeliis afficiebat. Hic inter cetera quandam ingenuā matronam nomine Reginam, auiam Costæ Condomicitæ gallinam auream cum pullis, quam habere dicebatur, ab ea extorquere volens, verberibus laniatam captione retruserat. Costa Condomicita in famulatu Ducis apud Insulam Crotone detinebatur: cui cum quod acciderat, relatum fuisset, iniuriam auiæ reputans suam, infirmitate simulata, licentiam, domi causa curationis à Duce exposcēs, vigilia Natalis Domini Scyllum ingressus est: quem Stratigotus venisse audiens, piscium sibi enxenia per famulum mittit: qualiter se res erga Ducem habebat, requirit. Ille ac si nihil mali machinans ira dissimulata, gratias remandat: sed quod animo conceperat minime oblitus, postquam comestum est, potentioribus vrbis secreto circumuentis, de sibi illata, auiæq; iniuria querimoniam ostentat: quibus respondentibus merito sibi talia accidisse, excusationibus minime vsus, facti se pœnitere asserens, vti contulerat, auferre tentaturum promittit: si tantummodo ipsi potiatur auxiliariis. Sicque à pluribus fide accepta, totam noctem insomnem ducens, quoscumque potest sibi allegat: summoque diluculo, cum omnes, qui huius rei ignari erant, vt dies ipsa monebat, in Ecclesia Dei laudibus inseruirēt, ipse cum tredecim viris, gladiis cum capis accinctis, reliquis signo dato, & à foribus expectantibus, ad portam castelli accedēs, ianitor nil suspicatus quasi noto aperit. Ille cum sociis ingressus hospitium Stratigoti intrat: arma, quæ inuenit, corripit: versus Ecclesiam, Stratigotum præoccupare volens, citissimus currit. Vndiq; ergo insurgente clamore, Stratigotus insidiis compertis, per fenestram prosiliens, præcipitio delapsus, dū fuga refugiū petit, à ciuibus omnibus exosus erat, comprehensus reducitur. Costa Condomicita, quia consanguineus eius erat, volente ei parcere, à populo cōdemnatur: sicq; cum suppliciis pœnas luens, à quibus mala intulerat, perimitur: quos religauerat liberantur: à fidelitate Ducis palam auertuntur. Sicq; per sex fere annos Duci rebelles per diuersa loca Calabriæ ab ipsis turbatio plurima facta est. Istud hic inscribim⁹, vt caueāt prælati sibi subditos prauis ministris à sua fidelitate diuelli.

XLV. DVX igitur commeatibus, & ceteris, quæ expeditioni congruebant apparatis, fratrem, quem præmiserat, subsecutus, apud Catanam, vbi Comes erat, venit: fingens se Maltam debellatum ire: quasi de Panhormo diffidens: sed à fratre cohortatus, magno equitatu, cum naualibus, peditumque copiis abinde progrediens Panhormum venit: ab oceano vrbem nauibus obsidens, fratremque Comitem ab vno latere statuens, ipse ab altero cornu Calabrensibus, & Apulis muros ambit. Sicque quinque mensium circulo hostes vrbis defensionis attentissime peruigiles, ipse nihilominus impugnationi cum fratre intentus inquietare perstuduit. Vtriq; pari ardore inflammati omnia circumire, suos instruere, omnia ordinare, hostibus interminari, suis plura largiri, ampliora promittere: Primus, & frequentior adesse, nihil intentatum relinquere. Machinamentis itaque, & scalis ad muros transcendendos artificiosissime compaginatis, Dux hortos cum trecētis mili-

tis militibus latenter ingressus, ex altera parte, qua videlicet naualis exercitus adiacebat, vrbem infestare, fratremq; à parte qua erat, haud secus agere perdocuerat. Illi signo dato, quæ edocti erant, haud perficere segnes magno sonitu irruunt. Vrbs tota in arma ruens, quæ strepitu tumultuantium accurrebat defensioni, acceleranter grassatur. A parte qua minus cauebant, vacillatur. A Guiscardensibus scalis appositis murus transcenditur. Vrbs exterior capitur: portæ ferro sociis ad ingrediendum aperiuntur. Dux, & Comes cum omni exercitu infra muros hospitantur. Panhormitani delusi hostes à tergo infra muros cognoscentes, interiori vrbe refugium petendo sese recipiunt. Nox tumultum diremit. Proximo mane primores fœdere interposito, vtrisque fratribus locutum accedunt: legem suam nullatenus se violari, vel relinquere velle dicentes: scilicet si certi sint, quod non cogantur: vel iniustis, & nouis legibus non atterantur. Quandoquidem fortuna præsenti sic hortabantur, vrbis deditionem facere, se in famulando fideles persistere, tributa soluere: & hoc iuramento legis suæ firmare spopondunt. Dux, Comesque gaudentes, quod offerebatur libenter suscipiunt anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo primo. Adepti primo omnium, scripturæ fideles imitatores dicentis: Primum quærite regnum Dei: & omnia adiicientur vobis: Ecclesiam sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, quæ antiquitus Archiepiscopatus fuerat, sed tunc ab impiis Sarracenis violata templum superstitionis eorum facta erat, cum magna deuotione catholice reconciliatã dote, & ornamentis ecclesiasticis augent. Archiepiscopũ, qui ab impiis deiectus in paupere Ecclesia S. Cyriaci, quamuis timidus natione Græcus cultum christianæ religionis pro posse exequebatur, reuocantes restituunt. Deinde vero castello firmato, & vrbe pro velle suo, Dux eam in suam proprietatem retinens, & vallem Deminæ, ceteramq; omnem Siciliam adquisitam, & suo adiutorio, vt promittebat, nec falso adquirendam, fratri de se habendam concessit.

XLVI. Cvm ista geruntur Serlo filius Serlonis, nepos videlicet vtrorumque Principum istorũ, cuius in præcedentibus mentionem fecimus, apud Ceramum morabatur: ad tuendam prouinciam ab incursibus Arabicorum, qui apud castrum Iohannis ea tempestate morari dicebãtur, à Duce, & Comite sic iussus. Nam & medietas totius Siciliæ ex cõsensu Ducis, & Comitis suæ sorti, Arisgotiq; de Puteolis, inter se diuidẽda cesserat: eo quod hic consanguineus eorum erat: vterq; autem consilio, & armis probissimi viri erant. Arabici autem, qui apud castrũ Iohannis morabantur, strenuitate Serlonis, quia eis in multis infestus erat, plurimum inimicabantur: iugique intentione dolo, vel armis ruinam eius meditari nitebantur. Sarracenus autem de potentioribus castri Iohannis nomine Brahen cum Serlone, vt eum facilius deciperet, fœdus inierat: eorumque more per aurem adoptiuum fratrem, alter alterum factum vicissim susceperat. Hic cum traditione cum suis composita, Serloni salutaria munuscula cum amicabilibus verbis mandat: inter quæ etiam intulit ista. Sciat fraternitas adoptiui mei, quod tali vel tali die septem tantummodo Arabici ex deliberatione iactantiæ terram tuam debent prædatum adire. Quod Serlo audiens ridiculo habere cœpit: minusq; sibi prospiciens, ex vicinis castris neminem sibi in auxilium arcessiuit: sed terminato die inconsultus venatum secessit. Porro Arabici, qui dolum composuerant, cum septingentis militibus, & duobus millibus peditum de castro Iohannis digressi, haud procul à Ceramo in abditis locis insidias ordinãt: septẽ tantummodo, vt Brahen Serloni mandauerat, milites mandantes: qui Ceramo, præda capta Serlonem extrahunt. Insurgit clamor: ab incolis prouinciæ tumultuatur: à Serlone, vbi venatum ierat, tumultuantes ciues audiuntur: sed quia inermis processerat, nuntiũ apud Ceramum, ad deferenda sibi arma, suosq; inuitandos mittens, ipse quo clamor infestius vrguebat, sciscitaturus quid nam esset, progreditur. At dum à septem militibus præda abduci dicitur, arma sibi delata corripiens adoptiui fraudi plus necessario credulus improuide subsequens, vltra insidias progreditur. Illis autem ab insidiis prorumpentibus, cum hostes à tergo horribili armorum turbine deprehenduntur, Serlo decertãdi copiis, sed & fugæ præsidio diffidens, cum paucis, qui secum erant, petram, quæ ab ipso die Serlonis dicta est, cursu expetit: qua ascensa, à dorso pro muro eius vsus, diu fortiter, sed nullo aliunde auxilio aduentante, in cassum dimicatur: nam tandem confossus occubuit: nullusque ex omnibus, qui cum ipso erant, exceptis duobus, qui inter cadauera mortuorum latitauerant, euasit. Serlone exenterato Sarraceni cor extrahunt. Vt audaciam eius, quæ multa fuerat, conciperent, comedisse dicuntur. Capita vero occisorum in Africam Regi ad honorem mittũt: & caput Serlonis stipiti impositum, & per plateas vrbis delatum à clamãte est præconizatum, eius esse, à quo prę ceteris Sicilia impugnabatur: hostes deuictos nullo simili superstite. Siciliam suæ sorti amodo facere cessuram. Cum ista apud Panhor-

mum Principibus nostris nuntiantur, exercitus totus turbatur. Comes amissione nepotis intolerabili dolore angebatur: Dux vero alamentis fratrem suum coërcere volens dolorem suum virili more occultare nitebatur. Feminis inquit lamenta permittantur: nos autem in vindictam armis accingamur. Igitur, quia seiunctim ad inuicem vtriq; fratres quisq; suis vtilitatibus lucrari studebant, excepto, quod cum necessatibus incumberent, alter ab altero inuitatus vicissim sibi ad inuicem succurrendū venirent, huic libro alium incepturi finem ponamus: vt in sequenti de vnoquoq; nunc seiunctim, iterumque coniunctim, prout ipsa res expostulauerit, stylum alternemus.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INCIPIVNT CAPITVLA
Libri Tertii.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

VONIAM quidem arduas res, clarosq; triumphos duorum procerum Guiscardi videlicet Ducis, Siciliæq; Comitis Rogerii nūc seiunctim, nunc vero gregatim, prout facere nos scripturas repromisimus: limpidior poëtria si esset vndæ, æstuandum foret, vt res quæ in ipso nobili memoria clarent, nobilioris philosophi penna chirographizaret: ne limpidissimus liquor, dum ad hauriendum porrigitur, fœtore incultioris vasis etiam ab ipsis sitientibus abhorreatur. Sed quoniam nos aureis fistulis paupertate prohibemur, ad potandum: vtimur interdum plumbea fistula: dulces liquores vsque deguſtaturi. Vnde & lector quisquis historiæ seriem perscrutari temptat

temptat, non fallentia verborum commenta, sed pompales triumphos memorandorum virorum attēdat. Quæ enim inferuntur non meę, vel tuæ laudi, sed illorum, qui faciendo meruere, subtitulantur. Quoniam ex edicto Principis tempus scribendi imminet, quod neglegendo hactenus minus potatum est, ad fontem, quo hauriam, vnde limpidius eructetur, recurrere ipsius Principis vrguens festinantia prohibet.

I. IGITVR famosissimus Siciliæ Princeps Rogerius Duce fratre expeditione, postquam Panhormum adeptus est, solita, à Sicilia versus Calabriam, & Apuliam, vt suas vtilitates exsequeretur, digrediente, in Sicilia remanens, exercitus recedentis fratris minimam partem pręmiis, & promissionibus illiciens, ex consensu eiusdem Ducis sibi retinuit. Siciliamq; debellare ex omni parte aggrediens, iugi incursione non minimum lacessiuit: & quamuis hactenus dum in his, quæ adquirebat cum fratre participaturus, ad plenū strenue egerit, nunc cuncta quæ adquireret, suæ sorti cedere certus, quasi leo esuriens, prædæque auidus, quietis impatiens omnia circumire, periculosioribus inceptis primus adesse, nihil intentatum relinquere patiebatur. Anno Dominicæ incarnationis MLXXIII. duo castella, vnum apud Paternionem ad infestandam Catanam, aliud vero Mazariam ad debellandam adiacētem prouinciam firmauerat: Dux vero à Sicilia in Calabriam veniens, apud Russinum eiusdem prouinciæ vrbem dolentibus vrbicolis castellum firmauit.

II. GISVLFVS ergo Salernitanus Princeps frater Sigelgutæ vxoris Guiscardi Ducis omnes maritimos fines à Salerno, vsq; ad portum, qui Fici dicitur, Arecumq;, & S. Euphemiam sui iuris esse volens & partem à Guiscardo dietim peruadi audiens, versus Ducem inimicitias iniecit: omnesq; ei adhęrentes, quos capere poterat, contumeliis deturpans, nostræ genti se se inimicari non abscondebat. Dux autem Guiscardus, qui amicitiam sibi promiserat, primum quidem patienter ferens legatis ait ab incepto resipiscat, conuenire. At vbi videt, conceptam animo Principis malitiam, quanto plus lenire tentabat, eo amplius in deterius excrescere, fœdere, quod inter eos erat, renuntiato, inimicanti sibi etiam ipse insedabiles inimicitias parat. Sed quia inter se, & Ricardum Principem Auersæ inimicitiæ efferbuerant, veritus ne ab ipso Gisulfo aduersum se succurreretur, pacem cum ipso fecit: quo in sui adiutorium, quibusdam pactionibus conducto, Salernum multis copiis obsessum vadit.

III. MALFETANI vero Gisulfum exosum habentes, timebant quippe ab ipso puniri, eo quod interfectores patris ipsius, dum eos ad subiugandum sibi impugnaret, exstiterant, à Duce inuitati, vt sibi ad obsidendum vrbem nauigio seruitum veniant, potentiores Duci locutum, ex consensu aliquorum accelerant. Dux itaq; callidis pactionibus si assentiant, si autem dissentiant minis terrendo attentans, tandem ad confœderationem cōpulit: vt si contra Gisulfum tuerentur, tota Malfa illi subiugata hereditaliter fœderaretur. Duce vero omnia vt expetebant promittente, parte exercitus ad obsidendū vrbē relicta, reliquam secum ducens, cum ipsis, qui inde venerant apud Malfam vadit. Vrbem sibi à ciuibus deliberatam suscipit. Quattuor castella in ea fecit. Militibus suis munit. Inde cum multis Malfatanorum copiis Salernum redit. Sic deterrebat Malfatanos, si manus Guiscardi quoquo modo euaderet timor Gisulfi.

IV. DVX vero naualibus, peditumq; copiis, sed & equestri exercitu Salernum vallans, frequenti incursione congrediens vndiq; deterrebat: in tantumq; attriuit, vt nullo aditu ad victum introducendum, se, suisq; negantibus, patente, tantam famem inesse coegerit, vt etiā vel mures, sicut relatione eorum, qui præsentes adfuerunt, didicimus, à quibusdam introrsum reclusis comessi sint. Abegelardus vero filius Humfredi Comitis, nepos videlicet Ducis, qui Salernum, propter inimicitias, quas cum Duce habebat, propter hereditatem, quæ ab ipso detinebatur sibi, in adiutorium Gisulfi introierat, ingruente fame, Salerno clam de nocte digressus apud S. Seuerinam Calabriæ vrbem Duci infestus fieri secessit. Dux autem in Siciliam ad fratrem mittens, vt Abegelardum nepotem apud S. Seuerinam obsessum vadat, non in cassum mandauit. Ipse vero vrbis Salernitanæ infestationi indiuulse persistens, tandem ad deditionem coegit: Gisulfo vero, quia frater erat suæ collateralis, liberorū fratrum auunculo, quocumq; vellet abeundi libertatem dedit: vrbem autem sua in virtute retinens, castellis, & munitionibus pro libitu suo aptauit.

V. INDE quietis impatiens, nulloq; labore, vbi aliqua spes cuiusq; lucri designabatur, deficiens, apud S. Seuerinam, vbi fratrem præuenire inuitauerat, nepotem Abegelardum obsessum vadit: fratremq; quem ad hoc inuitauerat, ab vno latere vrbem obsedisse inueniens, ab altero latere ipse consedit. Abegelardus autem diatim vrbe digrediens, nostros ad certamen prouocando, dum alternatim fortiter, sæpeq; cōgreditur, multa mi-

litiæ congruentia perpetrata sunt. Porro Dux videns se minus in vrbem proficere, consilio cum suis habito, tria castella firmauit. Vnum Hugoni Faloch, alterum Rainaldo de Simula ad vrbem infestandam delegauit: Tertium autem Herberto fratri Hugonis, & Custinobarbo fratri Rainaldi. Sicque expeditione soluta in Apuliam secessit: vbi non multo post apud Cauam, in quodam congressu Heremannum Comitem, fratrem Abagelardi capiens, Rogerio fratri in turri Melitensi retrudendum mittit: qui dum in vinculis obscuro carcere cruciaretur, Abagelardus fraterna compassione tactus, pactionem cum Duce, vt vrbem sibi reddens fratrem recipiat, facit. Duce itaq;, hac calliditate illum deludendo, fidē dante, vt cum apud Gargantum venirent, sic enim castrum quoddam dicebatur, fratrē sibi captione liberū redderet, ille incautus verba argumentosa minime aduertēs, vrbe digrediens Duci eam reddidit: sicq; cum ipso aliquātisper commoratus fratris redditionem frustra suspicabatur. At cum Ruffanum ventum est, asperius cum Duce, quod nimium protraheretur, sermonem habuit: versus Gargantum iter acceleret hortatur: tum vero Dux dolum aperit: infra septem futuros annos, se illuc, quo dixerat, non iturum asseruit. Ille sic calliditate verbi se circumuentum animaduertens: plurimum cum Duce altercatus, irato animo discedens in Apuliam Castro S. Agadii seditiosus sese cum suis recepit.

VI. Dvx itaque sciens illum ad hoc niti, vt totam Apuliam versus se, pro posse commoueat, exercitu excitato, illum insequens obsessum vadit: sed castro natura, munitione, defensalibus firmissimo, cū diutius in oppugnādo persisteret, ipsis, qui intra erāt fortiter agentibus, plus damno suorū perturbabatur, quam versus castrum proficeret. Abagelardi autem de amissione fratris dolor indies excrescebat: neque vincula, quibus frater artabatur, ipsum haud secus, ac illū ex recordatione angebant: vnde & frequentius casus fratris quibuslibet pactionibus meliorare attentans, vix tandem obtinuit, vt castro reddito, fratrem recipiens, quo & sibi liberet, abscedere liceret. Sicque fratre recepto pariter discedentes, mari transmeato, ad Imperatorem Constantinopolitanum transeunt: vbi & vltimos dies clauserunt.

VII. Famosissimvs ergo Siciliæ Princeps, & debellator Rogerius apud Siciliam in omnibus strenue agens morabatur. Neque enim aliqua delectatione se retrahente, hostibus absens fieri patiebatur: quippe quem egestas, labor, minæ hostis, imminens iugis decertatio, vigiliæ, vel vita asperior ab incepto non deterrebant: sed potius quanto asperitatibus quatiebatur, eo ardentiori constantia, ipsa humano more animo suo innata dominationis cupidine, vincere, quam vinci nitebatur. Et quamuis omnia cupiens esset, * impensius tamen zelo potiēdi Castrum Iohannis angebatur. Quod si adeptus foret, sciebat se, quasi pro firmo ad totam Siciliam pro libitu suo ventilandam. Tali, tantoq; vrgu-enti desiderio anno incarnati Verbi MLXXIV. in mōte Calataxibet castrū firmauit: quod
1074. militibus, & reliquis, quę necessaria erant, muniēs, Castrū Iohannis infestissimū redditur.

IIX. Africani ergo Sarraceni à familia Regis Tunicii ex eius edicto, nauibus per mare piratarum more vela ventis committentes, maritima litora versus Siciliam, & Calabriam insidiatum vadunt. Sicque Iunio mense in vigilia Beati Petri apud Nicotrū de nocte appulsi ciues incautos, & præ gaudio instantis sollemnitatis, vino ex more, somnoque grauatos opprimunt: semisomnes alios perimunt, alios capiunt: ipsos etiam pueros cum mulieribus omniq; supellectili vehibili prædam nauibus inducunt: castrumq; totum incendio concremantes, remige accelerato in altum recedunt. In crastinum ripæ propius accedentes pueros, & imbecilliorem familiam amicis redimere volentibus, pretio accepto nauibus eiicientes partim exonerantur: reliquos, qui alicuius vtilitatis videbantur, adducunt: sicq; vela ventis committentes patrios agros, vnde venerant, lęti reuisum tendūt.

1075. IX. Anno vero incarnationis Domini MLXXV. quia in præcedenti anno pro libitu sibi fauente apud Nicotrum prospere accurrerat, plus necessario cupidine auaritiæ insolentes, simile sibi euenire frustra rati, nauibus ascēsis versus Siciliam fortunam tentatum nauigant: insulamq; circumcurrendo tentātes, tandem apud Mazariam appulsi sunt. Nauibus digressi vrbem magna vi oppugnantes irrumpunt: castrum autem, quod infra erat, fortiter repugnantibus per octo dies obsidēt. Comes vero per legatum cōperto castrum, suosque hostibus infestari, clam de nocte, armata manu castrum ingressus, summo diluculo per portas prorumpens, cum hoste in platea vrbis ante castellum congreditur: fortiterque ex more agendo victor efficitur: pluribusq; peremptis, reliquos fugientes extremos quosque in mare prosequitur. Mazara ducis strenuitate ab hoste eripitur. Gemebūdus rumor à paucis, qui euaserunt, Africę nuntiatur: sicq; rotabilis fortuna homines primo prosperis successibus alludendo, illectos spe priorum euentuum deceptos risit.

X. Co-

X. Comes vero quibusdam necessitatibus se auocantibus à Sicilia versus Calabriam digrediens, Hugonem de Gircea, cui propter strenuitatem, quam habebat, nam & præclari generis à Cenomanensi prouincia erat, totam seruandam Siciliam delegauit: interdicens, ne si Benaruet, quia vicinus sibi Syracusi morabatur, aliquem incursum versus se faceret, callidas eius versutias cauens, nusquam vrbe digrediens, hostem persequeretur. Sed iuuenilis animus militia feruens, & laudis auidus, quod sibi interdictum erat minus seruans, adhoc niti cœpit, vt ante reditum Comitis aliquod nobile facinus, vnde militarem laudem mereretur, perpetraret. Vnde & Trainam vsque progrediens, Iordanum Comitis filium cum familiari militia Comitis secum Catanam adduxit. Porro Bernaruet magno electorum militum exercitu congregato de nocte accedens, haud procul à Catana in abditis locis insidiis occultatur: triginta militibus Catanam vsq; præmissis, qui eos ad certamen excitatos longius ab vrbe protraherent. Hugo vero, & Iordanus militia feruentes, suos ad certamen cohortando, vrbe cum magno impetu digrediuntur: trigintaq; electos milites insidias speculatum mittentes, ipsi incautius insequi accelerant. Porro speculatum præcedentibus locum insidiarum transgressis, dum à subsequentibus vsque peruentum est, illi ab insidiis prorumpentes, hostibus horribili turbine insurgunt. Itaque qui pręcesserant, insidias à tergo videntes, nec ad suos, hostibus interpositis regredi posse, Paternionem fugientes euadunt. Nostri vero dum fortiter congredi nituntur, Hugo Comitis gener cum pluribus occiditur: Iordanus autem hostes ferre non valens, cum paucis Catanam elabitur. Bernaruet lætus cum spoliis Syracusiam regreditur. Comes itaque rumorem huiusce modi per legatum cognoscens reditum accelerat: exercituq; aduersus Benaruet commoto, castrum, quod Zotica dicebatur, oppugnans, funditus diruit: viros perimit: feminas cum pueris in Calabriam venditũ mittit: anno incarnati Verbi MLXXVI. 1076. Sed quia animus Principis dolore generi interfecti, ad mentis debilitationem pæne infectus nisi maiori vindicta sanari minime poterat, ampliorem vindictam expetens, vsque ad prouinciam Notensem profectus, ita omnia exterminauit, vt etiam ipsas messes, tempus enim triturę instabat, quia asportari nõ poterãt, penitus igne cõbusserit: q, etiã passim per diuersa loca Sicilię facere addens maximã egestatem ipso anno eidem insulæ incussit.

Nascitur ergo fames quia sustulit vltio panes.

XI. ANNO *Verbi incarnati transacto millesimo:* 1077.
Adiectoq; super mille septies vndecimo:
Expeditionem mouet Comes mense Madio.
Naues vela dant per equor suffragante Zephyro.
Æra sonant: buccinando pontus plaudit iubilo.
Classis magni Alexandri non hac pulchrior.
Aura ridet cum fortuna: pubes gaudet bellica.
Citharizant: ad hoc docti resonant tympana.
Trablas ergo oppugnatum nil tumescunt equora.
Sed transcendit equitatu Comes fronte bellica,
Montium scopulosorum ima, siue ardua,
Bellicosæ iuuentutis multa fultus copia.
Clypeos auro fulgentes, & splendentes galeas.
Sol cum tangit, intuentum aciem reuerberat.
Montes omnes resplendescunt super clara sidera.
Equi fremunt, dant hinnitus, æque montes resonant.
Mille flante aura leui vexilla subuentilant.
Horrido aspectu satis versus Trablas properant.
Hostes vident: exhorrescunt hanc armorum nebulam.
Terra, ponto sonant tubæ, vt metum incutiant.
Clamor vsq; cælum pulsat: hostes infra trepidant:
Vrbem vallant circumquaq; equore, vel arida.
Nautæ velis obumbrantur: terræ figunt anchoras.
Equitum pars frondes cædit, pars figunt tentoria.
Crebro currunt ad certamen: fortiter congreditur.
Hostis nisus repugnare, plurimum concluditur.
Castro luctus post certamen, nostris lyra additur.
Hostes viribus diffisi tandem pacem expetunt,
Cedit Comes: castrum reddunt: ditionem subeunt.
Fœderantur more suo: sed dolentes faciunt.

Ab hac eadem vrbe strictior sinus terræ ab vtroque latere mari vrguente, longius in mare porrigitur: pascuis vberrimis abundans. Ibi armenta, & cetera vrbis animalia hostili tempore pasci consueuerant: quo cum ex more, propter instantes hostes diatim exirent, nostri breui sinu interposito conspicientes, cœperunt, vt in tali gente assolet, auiditate, si aliquo astu queant, adipiscendi agitari. Iordanus filius Comitis, ad id negotii peragendi intentionem certius apponẽs, vt hanc sibi famam militariter præ ceteris adquireret, agebat. Tandem itaque, vt erat vir præsumptuosissimus, & laudis auidus, cum sibi familiaribus consilio habito, quodam vespere centum sibi milites eligens, patre inconsulto naues ascendit: de nocte insulam peruadit: applicans nauibus digreditur: in concauitate quadam eius insulæ, antequam illucescat, occultatur insidiis. At vbi nocte recedente sol irradians terris illuxit, tota ciuitas prædicta ex more, vrbe digrediens pascendi gratia ipsam insulam sparsim præoccupat. Porro Iordanus vbi in insidiis occultabatur, prædam longius ab vrbe progressam conspiciens, impetu leonino à loco prorupit: vsque in portam vrbis prædam colligens prosilit: nauibus introducendam illorsum minare accelerat. Ciues itaque insulam suam insperato hostibus peruasam videntes in arma ruunt. Maximo impetu vsque ad decem millia ab vrbe prorumpunt: hostes, vt prædam excutiant, inconsulte prosequuntur. Nam vbi Iordanus longius ab vrbe eos progressos videt, spreta præda, hostibus leonina ferocitate occurrit: congressuq; facto, acerrime vtrimque pugnatur. Sed Iordanus, vt erat in congressibus fecundissimus suos verbis exhortatoriis promptiores reddens, fortiter agendo plures sternit: reliquos fugat: victor efficitur: quosque cædendo vsque in portam vrbis prosequitur; sicque ad naues regrediens maxima præda lætanter introducta, ad patrem impune cum triumphali laude redit. Hac re vrbs quasi maxime territa ad deditionem, vt diximus, compulsa est. Comes itaque vrbem nactus pro libitu suo castro, & ceteris munitionibus ordinat: militibus, & quæ iis necessaria erant, munit: turribus, & propugnaculis vndiq; vallans. Sed vndiq; adiacens prouincia firmissime circumsepta, munitissima erat: & ideo adhuc recalcitrans rebellat. Comes laboris indeficiens crebris incursionibus, vt sibi omnia substernat, infestare aggreditur: breuique termino vsque ad duodecim famosissima castra suo dominio obediendo subire coëgit: quæ militibus suis distribuens, cum omnibus appendiciis suis de se habenda delegauit. Sic exercitum, omnibus pro exhibito sibi seruitio gratias agendo, soluens, ipse Bricam à labore pausatum secessit.

XII. Ea quidem tempestate quidam Sarracenus Bechus nomine Castrum Nouum possidens, illic morabatur. Erat autẽ idẽ vir magnæ superfluitatis, & arrogãs: vnde & ipsos suos fideles leuitate sua interdũ diuersis cõtumeliis afficiẽs, sibi infideliores reddebat. Hic quadã die cũ molendinario suo iratus, ante se inuitans verberibus deturpauit. Porro ille se adeo graue ferre dissimulans, in vindictã tantæ dehonestationis animũ intẽdens, secũ tacitus agebat: quibus artibus: vel damno rerũ suarũ, aut certe læsione corporis vicissitudinẽ recõpensaret. Vnde accidit, vt quodã vespere, de subiacẽtibus cõplices sibi alligans, petrã quandã, quæ omni castro supereminebat, & dominabatur, irrumpens peruadere, legatũq; apud Bricam Comiti mittens, in sua fidelitate se ita egisse, & vt sibi succurrere acceleret, mandat. Hoc nuntio Comes accepto, plurimũ exhilaratus, cum quantis habere poterat, citissimus illorsum intendit. Porro Bechus molendinarium blanditiis, & promissionibus, vt ab incepto resipiscat, sibi reconciliare dum minus præualet, frustra oppugnare nitebatur. Comes vero aduentans propius accedit: molendinarium amplissimis promissionibus in sui fidelitate arrigit. Ille cum nulla ex parte aditus ad se accedendi nostris pateret, fune oblato demisso, quosdam nostrorum ad se pertrahit. Bechus itaque videns nostros à Molendinario infra petram susceptos, spe retinendi castri amissa territus, castro spreto, omnia quæ poterat, asportans aufugit: ciues cum Comite pacem facientes infra castrum recipiunt. Comes vero sic castro potitus pro velle suo muniens ordinat: molendinarium, vt ceteris, ad similes actus exequendos exemplum tribuat, pluribus benefactis, libertate etiam concessa remunerat.

XIII. Eodem anno Græcus quidam sub nomine Michaelis Imperatoris Constantinopolitani ad Ducem in Apuliam venit: auxilium expetens ad palatium, à quo, vt dicebat, fraude suorum, in die sancto Parasceue deiectus fuerat: monachusq; violenter fieri compulsus hoc solo crimine obiecto, quod filiam Ducis filio suo nuptui acceperat. Ipse quoque filius, ne spe aliqua recuperandi palatii, vel deductæ vxoris procurandæ propaginis reseruaretur, turpiter eunuchizatus, vsque ad exitum vitæ exilio relegatus est: alio in locum expulsi in palatio subrogato: quem nec aliqua, vel extrema antiquorum Imperatorum linea ad id hereditatis iure gentium inuitauerat. Timebant denique Græci, ne

si ex nostræ gentis vxore heredes procreati in palatio successerant, occasio liberius illuc accedendi nostræ genti daretur: & gens delicijs, & voluptatibus, potiusquam belli studijs ex more dedita, nostrorum strenuitate subiugata conculcaretur. Ipsam Ducis filiam reclusam diligenti custodia obseruabant: ne forte si alicui potenti nuberet, quia hereditali Imperatori semel in palatio coronata fuerat, ab ipso cui nuberet, aliqua hereditas per ipsum in palatio proclamaretur. Michael itaque à monasterio, in quo monachus coactus erat, habitu eiecto, vt dicebat, profugus, in Apuliam veniens à Duce Imperiali honore susceptus, per omnes ciuitates Apuliæ, siue Calabriæ processionibus, & Imperialibus pompis ex edicto eiusdem Ducis accuratissime obsecundatur. Et hoc quidem totum ex industria Dux faciebat: quandoquidem animum eum in palatio restituendi haberet. Audierat nempe generum suum eunuchizatum: vnde spe suscipiendæ de filia prolis, cui palatium iure hereditali competeret, amissa, ad hoc inter se nitens tutius agebat, vt sub nomine Michaelis, quibusdam sibi fauentibus, Græcis facilius debellatis, cum ad palatium vsq; peruentum foret, vi coronam cum sceptro, & Imperialibus ornamentis peruadens, ipse Imperator fieret. Promittens tantũ se sibi auxiliũ laturum, per duos ferme, & amplius annos honore, quo cœperat, eum secum detinuit: donec ea, quæ tanto inceptui necessaria forent, apparabantur. Erant autem tunc etiam quidam cum Duce, qui in palatio tempore Michaelis Imperatoris seruientes faciem eius se nouisse, & hunc similem minime vel in modico assimilari dicerent: sed fraudulenter hunc spe alicuius à Duce accipiendi muneris aduenisse. Porro Dux vterne, an pro certo esset æquipendens, cum multus susurrus inter suos super tali negotio fieret, ab incepto minime deterrebatur: sed potius quod cœperat exequẽs, cum ipse nõ esse hunc dubitaret, nil de hac re dubitare asserebat: & hoc ex industria quidem laudans suos faciebat: ne ab ipsis ab incepto dehortaretur.

XIV. Talia *disponens, tacita sed mente reponens:*
Sumptibus insudat: quo Byzantium sibi ludat.
Vndiq; terrarum quærit spem materiarum.
Nulla remittuntur: nec rustica despiciuntur.
Sed prodesse queunt, quæ iam despecta fuerunt.
Ligni cæsores mandantur in arte priores.
Vndiq; terrarum conducitur ars tabularum.
Robora cæsa cadunt, resecantur, sectaque radunt
Artifices ligni. Ferrum faber applicat igni.
Anchora conflatur: clauorum forma paratur.
Compago nauis texitur supperaddita clauis.
Obducunt imas alii lanugine rimas.
Atq; picem liquidam properant superaddere quidam.
Vela suunt isti: studium dant funibus isti.
Classis adaptatur: non nauis sola paratur.
Crescat vt in numeros studiosus imminet heros
Omnibus aptatis, & nauibus arte paratis.
Per liquidum pontum classis conflatur Hydruntum.

XV. Interim dum ista aguntur anno instante MLXXIIX. Comes Tauromenium obsidens viginti duobus castellis vallauit: ita ab vno in alterum sepibus, & stropibus claudens, sed & naualibus copiis à procinctu maris cingẽs, vt nullo latere pateret aditus ad castrũ volentibus hostibus aliquid introducendi: vel educẽdi. At dũ quadã die de castro in castrũ per præcipitia scopulosi montis Comes visum transiret cum paucis, pars quædam Sclauorum inter myrtetica virgulta latitans in quodam artioris transitus loco prorumpens irruit. Et nisi Euisandus quidam natione Brito, audito strepitu armorum sese Comiti, & hostibus interposuisset, de ipso Comite, vt aiunt, hostibus triumphus cessisset. Sed cordium solus inspector Deus bonam intentionem Principis in præcedentia, siue subsequentia per eum futura bene prænotans aliter, quam illi moliebantur, rẽ transtulit. Scriptum quippe est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consiliũ contra Dominũ.

XVI. Evisando itaq; in domini fidelitate taliter interfecto, dum nostri in arma ruunt, hostes per præcipitia scopulosi montis elapsi sunt. Sic mors Euisandi viceComitis sub Dei præsidio fuit. Comes autẽ fidelitatem eius honeste remunerans, corpore humato decenter, multa beneficia egenis, & sacris locis pro redemptione animæ eius, nec immerito contulit. Montium autem cacumina cum ipsis vallibus perlustrans, peditum copiis iter faciens, à monte, qui ab incolis Gibel appellatur, quem nos Etnam dicimus, vsq; Trainam neminem eiusdem superstitionis impunitum dimisit.

Militibus multus planctus fuit, iste sepultus.
Nam suo merito carus fuit vndique Brito.
Pro merito fidei sortem capiat requiei.
Cui cum sit ita mors, est Comiti data vita.
A Iuda discat, quem tanta fides sibi dicat.
Ille Deum vendens, laqueo se postea pendens
Mortem mercatur, cum traditione notatur:
Hostili cultro spes huius se dedit vltro:
Vt dominum seruet: meritumque sibi coaceruet.
Non virtute pari debent ii subtitulari.
Traditor alter erat: vt saluet & alter anhelat.
Angelicam pennam capiet hic: ille gehennam.

XVII. QVATTVORDECIM ergo naues, quas Golafros appellant ab Africa regis Tunicii piratarum more per mare palantes sub Tauromenio appulsæ, quodam diluculo à nostris in mari haud longe anchoris fixis conspiciuntur. Nostræ autē naues armatis ex-positis, minus erāt ad exequendū paratæ. Comes autē latronē, qui nā sint, quave de causa, vel vnde hostes ne, an pacem portantes aduenerint, sciscitatum mittit. Interminādo sub-iunxit: si in tanto sui iuris vel modicum quid iniuriæ vel fecissent, vel facere, attentare præsumerēt, nusquā impunitos à se euadere posse. Ac dū nil mali aduersus ea, quę eius iu-ris erant, sub excusatione, & obtestatione legis suæ machinari renuntiantur, sed potius ex edicto Regis Tunicii, vt infestos piratas à mari, si inuenirentur, propellerent, missos, eius famulatui, si necesse foret, inseruire paratos: primi cuiusq; nauis ad amicum colloquium inuitantur: vt si vel victu, vel aliis quibuslibet rebus minus sufficientes essent, eius muni-ficentia supplerentur: qui dum inuitationi assentientes fœdere suscepto aduenire appara-rent, aura contraria insurgente, naues cum ipsis per equora pulsæ ab intuitu nostrorum protinus sunt auulsæ.

Sic quos inuitat, boreas accedere vitat.
Et quod promisit dare, ne daret aura recisit.

XIIX. *AT Comes intentus fuerat quibus ante retentus:*
Obsidet: & pugnat: castrum pro posse repugnat.
Certamen datur, Comes huc perstare conatur.
Quamuis cura ligat, tamen hunc res nulla fatigat.
Instat, & hortatur, hostes virtute minatur.
Dat: dare promittit: nil, non tentando remittit.
Ad quod adhortatur socios, prior esse probatur.
Cum sit certamen: & fratribus esse leuamen,
Ante suos fertur: cum posteriore refertur.
Primus ad excubias Othonus, alter Elias:
Tertius Arisgotus: Iordanus abinde remotus
Esse recusauit: socios hæc ars animauit.
Exiit edictum, liceat ne quærere victum.
Sicque deuincuntur: nostri statione fruuntur.
A montis magno prohibentur abundiq; stagno.
A nullo subduntur: post addita deminuuntur.
Vnde fames creuit, congressus ab hoste quieuit.
Decrescit virtus, hebet hostis iam prope victus.
Solo securus, quod cingit abundiq; murus.
Vt det congressum, cauet extra figere gressum.
Deficit vt panis, populus superatur inanis.
Sic Comes accitur: castro pro velle potitur.
Arbore sub lauri curuantur mœnia Tauri.
Fœdere confecto, dolet hostis in hoste recepto.
Sed quamuis doleat, non dissimulando reuelat.
Cur doleat nostis: quia lætus erat suus hostis.
Si sic fortuna diuersa fit, est tamen vna.
Illis fit tristis: gaudens cognoscitur istis.
Sextus erat mensis quo feruidus eminet ensis.
Piscibus obsedit: feruente Leone recedit.

TANTO

XIX. TANTO *ſibi adiumento collato diuinitus,*
Ne appareat ingratus vilipendens Rogerius,
Secum cœpit deputare quid litaret potius.
Cæmentarios conducens vndecumq; aggregat.
Templi iacit fundamenta in vrbe Trainica.
Ad quod perſtans auo breui ſuperat.
Laquearia tectorum ligantur Eccleſiæ.
Parietes depinguntur diuerſo bitumine.
Conſecratur in honore Virginis Puerperæ.
Multa dote augmentatur, terris, ſiue decimis.
Ornamentis palliatur, & diuerſis copiis.
Cathedra Pontificatus ſublimatur infulis.
Sacer clerus augmentatur, prout ſumptus ſuppetit.
Altaris vaſa vel veſtis pluſquam clero ſufficit:
Candelabra, cruces, textus, ac ceraſumbuli.
Ex metallo ſigna fiunt plebem inuitantia.
Melodiam dulcem reddunt: pulchre conſonantia.
Melodizat ſacer clerus hymnos ſacris laudibus.
Præſul verba ſacræ legis ſeminat in gentibus.
Diuinus cultus arceſſitur pluribus credentibus.
Cui debent hæc aſcribi niſi tanto Principi?
Qui reduxit ſacram legem, vnde prius corruit.
Cuius ope fit hoc totum: & hanc legem edidit.
Textum libri perſequamur: nam iſta ſufficiunt.
Sermo nimis inculcatus interdum fit tædium.
Subſequens ſtilus narrabit, ſi quid eſt reſiduum.
Vrbs Traina felix gaude: da dignas laudes titulo.
In te primo reparatur diuina legio.
Meſſana conſociata pars ſeruit clypeo.

XX. INCARNATI Verbi anno Milleſimo ſeptuageſimo nono Iacenſes natura mon- 1079.
tis in quo habitabant, numeroſa multitudine ſuorũ fiſi, erãt enim vſq; ad tredecim millia familiarum, iugum noſtræ gentis abhorrentes ſtatutum ſeruitium, & cenſum perſoluere renuntiant. Comes vero per legatos eos conueniens, nunc blandimentis eos mulcendo, nunc minis attentando, ne contra ſe inſurgerent, neue per vitium incurrerent, neue eum irritando contra ſe excitarent, ab incepto detrahere nitebatur. At vbi minus proficit exercitu admoto, quos blanditiis, vel minis nequit, virtute attentando flectere aggreditur. Mons autem, quem inhabitabant, ita ab omni latere, ſcopuloſo præcipitio erat munitus, vt ex nulla parte aſcenſus pateret: excepto vno ſolo arto, arteq; exciſo aditu: quo ciuibus egrediendi, & ingrediendi iter porrigebatur: & hoc in excelſiori cacumine eiuſdem aſcenſus porta, muruſq; ex vtroq; latere in longum porrectus munibat. At quia mons hic ſpacioſi ambitus minus claudi obſidendo poterat, illis potiſſimum in locis, vbi infeſtiorem ſe hoſtibus fieri poſſe exiſtimat, ſedes ponit. Porro Iacenſes ac ſi pro vita certare, inſtare, omnia circumire, nihil remittere: quibus partibus plus timebant loca munire, indefatigabiles adeſſe vigilanti cura ſtudebant. Et quia armenta ſua, & pecora ſecum in abditis eiuſdem montis, cauernoſiſque locis à peruaſione hoſtili tuta aggerebant, & minus ab hoſtibus ea diripi metuentes, obduratiores erant. Comes autem quanto eos in ſui defenſione attentius inſtare videbat, tanto altiori ira inflãmabatur, quo ſe eos minus lædere poſſe cognoſcebat. Non ab incepto deterrebatur: ſed eo inſtantius quo prçualeret omnia conando nitebatur. Sicilienſes ergo milites ſuos, quibus iam impertierat poſſeſſiones inſulæ, quantum ſubiugauerat, apud Parthenicum, & Cortitum dimittens, Iacẽſibus infeſtos fieri prçcepit: ipſe cum Calabrenſibus Ciniſum, qui ſimiliter contra ſe recalcitrabat, obſeſſum vadit. Sicq; vno, eodemq; tempore vno in confinio duas obſeſſiones, & à ſe diuiſas ponens, vtraſq; fortiſſime tenuit: atq; de vna ad aliam ſçpiſſime migrans hortari, inſtare, per ſe ipſum omnia attentare, hoſtibus infeſtus adeſſe: nunc minis, nunc incurſionibus terrere: ſuis blandiri, plurima largiri ampliora largire in ſui fidelitatem arrigere, hoſtibus infeſtos reddere non deſiſtebat.

XXI. MENSIS *erat ſextus Sextilem denotat æſtus:*
Hic ſtudet vt lædat, ſtudet alter vt ille recedat.
Lædunt, læduntur: ſic alternando premuntur.

Sic paribus votis non deficit hostibus hostis.
Tempus erat messis: armis macerat ita fessis.
Vruntur messes: turbat res ista Iacenses.
Quodque iam lædit Cinensibus haud bene cedit.
Consilium captant: succurrere messibus aptant.
Sed cum vi nequeunt, hoc artibus addere quærunt.
Conueniunt Comitem: tentant sibi reddere mitem.
Fœdere componunt: fraudis munimenta reponunt.
Fruges saluantur: Comitiq́; reconciliantur.

1080. XXII. IGITVR anno Dominicæ incarnationis M L X X X. Raimundus famosissimus Comes Prouinciarum famam Rogerii Siculorum Comitis audiens, propter strenuitatem, quæ de ipso referebatur, legatos dignos, qui à tanto, ad tantum dirigerentur, mittens Mathildim filiam suam, quã de prima vxore admodum honestæ faciei puellam habebat, sibi in matrimonium copulandam expostulat: quod cum à Comite concessum renuntiãt, qua de re ille non minimum gauisus, erat enim propter formositatem, quam de ipsa audierat, illam ardentissimo amore cupiens, audito termino nuptiarum: per se ipsum in Siciliam accedendo, diem præuenire accelerat venientem. Comes honore condigno excipit: pactiones renouantur: dos puellæ sub testamento chirographizatur: sponsalia, præsentibus vtrisq; partibus, precibus ab Episcopis, & sacris ordinibus catholice celebrãtur. Qui iam dudum inter iuuenem, & puellam palatim adoleuerat, prima nocte, vt asso- * let, immensum excrescit. Celebratis itaq;, & non sine magnarum exponsarum sumptibus nuptiis, socer generum suum aliquandiu secum retinens, tandem munificentiis beneuolum, vt res ipsa expostulabat, factum, sed & iis, qui cum ipso aduenerant, singulis singula, prout quemq; esse sciebat, largiens, nauibus apparatis placido equore à se cum filia dimisit. Illi autem vela ventis accuratissime committentes zephyro suffragante, breui tempore vnde venerant, cum sponsa reducunt.

XXIII. *SPERNIT nata patrem: puduit nec relinquere matrem.*
* *Externo Comiti sociatur delectari*
A quo nutritur caret hic: alteroq́; potitur.
Pœna quidem multa cum nutrix: cum sit adulta.
Nec qua nutritur lasciuo fratre potitur.
* *Plus externum quam quem sit iure paternum.*
Nec nimis hoc culpo, quamuis hic talia sculpo.
Nec prohibens vito: cum fiat inuita marito.
Diligat & iuste fœdus seruando venuste.
Nam quos lex iungit, sententia nulla repungit.
Vt soboles crescat, ne deficiendo tabescat.
Prima virago datur: primaq́; viro sociatur.
Tali fortuna duo sint vt carne sub vna.
Lex ita diuina præcepit: non peregrina.
Pinxit scriptura quæ sunt facienda futura.
Postponat patrem, postponat deniq́; matrem
Quisquis & vxori iungatur amore priori:
Iure maritali seruatur linea tali.

XXIV. IGITVR famosissimus Apulorum, & Calabriæ Dux Robertus dietim instigante se Michaële qui ad se transfugerat, vt cœperat versus Romaniam animũ intendẽs,
1081. anno Dominicę incarnationis MLXXXI. Mense Maio apud Hydruntũ venit: apparatisq; pro processu sumptibus tãto inceptui dignis, quindecim naues trans mare aliquam vrbẽ præoccupatũ mittit: vt cum ipse cum reliquo exercitu subsequeretur imbecille vulgus cuius pars maxima in expeditione erat, quo se ab hostili incursu, si necesse foret, tueret, haberet. Illi vero vela ventis committentes de nocte apud Corofon applicant. Insulaque de mari eminus inspecta, multitudinem hostium, quam inuenerunt abhorrentes, minime à nauibus progredi præsumunt: sed reditum accelerantes, Duci placidum, etiam si maior esset exercitus, renuntiant. Dux itaque plurimum exhilaratus copiis nauibus introductis festinus cum omni classe transfretare accelerat: pluribus ex remanentibus amicis, quibus Apuliam, Calabriamque procuratum delegauerat, timore eum, & qui cum ipso abibant, amittendi, vsque ad ipsa lachrymarum indicia, quas affectus pietatis exprimebat, dolentibus: quibusdam vero ex iis, qui cum ipso proficiscebantur timore tam horribili, ad quod intendebat inceptus, ac si febrium typo grauarentur, militibus demisse

misse trementibus. Nam quantæ audaciæ, cuiusve militaris strenuitatis Dux iste fuerit, cum per multa exercitia satis abundeq; clareat, etiam si reliqua omnia sileant, ex hoc potissimum indubitanter annotari potest, quod cum tam populosum imperium, tamq; copiosum Imperatorem, totve millia hostium pauca manu spe subiugandi bello lacessere tẽtatum ire præsumebat, ipse armatæ militiæ non plusquam mille trecentos milites secum habuisse, ab eis qui eidem negotio interfuerunt, attestatur. Porro copias ei, viresq;, quas res ipsa, tempusq; quantum ad numerum, oculorum intuitu minus sufficienter administrabat, ipsa eius animo innata militaris ferocitas, ac si plus ipsis hostibus necessariis copiis abundaret, et sufficienter, supraque eum habere in mente repręsentabat: suorumq; animos præ timore minus hilares, lætum vultum ostendendo, largis eiusdem regionis possessionum, thesaurorumq;, ac si iam debellauisset promissionibus recreando, spe ea in posterum recipiendi, si strenue secum agere volunt, ad militaris exercitus pericula tentanda, quæ formidolosa æstimatio dehortabatur, promptiores reddebat. Copiis itaq; tanto incepturi dignis pro spe apparatis, dum naues per equora prudente remige reguntur, aura leni prosperante ventosa carbasa, vsq; ad portum placidæ applicationis impune recipiuntur: parsque classis applicat in portum, qui Herico dicitur. Post autem vbi fluuius Baiosæ in mare defluit, placido litori transfertur. Dux ergo pro libitu suo placido litore potitus nauibus digrediens, mox vt terram pedibus attigit, inspecta amœnitate, situq; locorum suis dixisse fertur. O fortissimi milites, & honoris prędecessorum non degeneres heredes: hæc est enim hereditas vobis competens: pro hac adipiscenda armis decertandum est. Non vos deterreat ignobilis vulgi, & imbecillis, quamuis numerosæ multitudinis strepitus hostium: sed adhortetur species, & fecunditas hostilis adipiscendi hereditaliter agri: speciesq;, & abundantia post certamen, si strenue agitis, vobis debitarum rerum. Hæc dicens castrum, quod Casopolis dicitur in insula Carosi oppugnans capit: & aliud castrum, quod ex nomine insulę Carosium nomen accepit, cum tota insula suæ mancipat seruituti. Inde progrediens vrbẽ, quæ Auolucia dicitur, iuxta Pemachios cãpos, quia confinio quo applicuerat, adiacens erat, mox oppugnatum vadit. Porro ciues Ducis aduentu audito, præsentiaq; nimium territi, viribus suis ignauiter diffidentes, deditione à se ipsis facta, eius ditioni cum ipsa vrbe subduntur. Castrum etiam quoddam vrbe haud procul situm, quod Canna dicebatur, à præsentia Ducis timore languidum, & eo maxime quod Aualonem, quę bellicis copiis se abũdantior erat, deditionẽ fecerat, haud secus subditur. *

XXV. Fortvnam *sibi Dux satis bene cedere*
Cognoscens, adiicit plurima visere.
Duraci mœnia obsidet, vndique
Armata populi manu.
Sic vrbs contremuit hostibus obsita:
Diffidunt sibi iam fortia mœnia:
Insistunt ciuibus tela minantia:
Alternant sibi funera.
Sed plus atteritur asperitatibus
Græcorum populus territus hostibus:
Nec reddit timidus aspera vulnera:
Vires abstulerat timor.
Constantinopolim Chartula mittitur.
Hostes in prœlio adfore dicitur.
Ereptum veniant cum pretio quæritur.
Ne subdantur ab hostibus.

XXVI. Imperator itaq; de præsentia hostium sinistro nuntio accepto Chartulis expeditionem submonens, totum imperium sollicitat: multisq; millibus, paucis numero hostibus, sed strenuitate abundantioribus occurrere parat. Credensq; à multitudine suorum eos facile occupari posse, Venetianis mandat, vt plurima classe apud Duracium sibi occurrant: vt si ibi forte nostri bello ab ipso deuicti, fugientes per mare euadere niterẽtur ab ipsis nauali certamine præuenti, facilius intercepti perimerentur. Qui iussa fideliter complentes classem accelerant: triduoq; ante sibi præfixum ab Imperatore terminum, versus Duracium aduentare à nostris eminus in mari conspiciuntur. Ad quorum intuitũ nostri in arma ruentes, nauali congressu dimicaturi hostibus promptissime occurrere accelerãt. Sicq; per totã diem vtrimq; acerrime cõgressum est. At cũ iam die refrigerãte sol ad occasum vergens liquidas vndas Oceani quasi subintrare videretur, præualente hostibus strenuitate nostrorũ, Venetiani viribus exhausti deditionẽ pollicẽtes pacẽ, induciasq;

vſque in craſtinum,quo Duci,pro libitu ſuo fœderentur expoſtulant.Sicq́; noſtris,quod
expetebant,inconſulte concedentibus,certamen hac vice ſcinditur:noſtri in portum ſu-
um reuertuntur. Noſtri itaque deditionis falſa pollicitatione deluſi,per totam noctem,
quaſi iam hoſtes triumphauiſſent,gloriantes,dum vſque in craſtinum ſecurius ſuſtinent,
Venetiani naues ſuas pluribus commeatibus aggregatas,nocturno ſilentio exonerando
leuigantes,& in ſummitate mali vniuſcuiuſq; nauis ſolium duorum,vel trium hominum
arte componentes,lapidibuſq́;,& pilis ad iaciendum munientes ſe ſe ad defenſionem po-
tius,quam ad deditionem aptant. Dux vero doli ignarus, ſummo diluculo potentiores
exercitus ſui,qui eos ſe ipſos ſicut promiſerant dedentes ſuſciperēt,mittens, ſaluis omni-
bus quæ ipſorum erant, vſque ad ſe deducere pręcipit. Sed aduenientibus Venetiani
arma potius, quam deditionem oſtentantes,dum magno impetu verſus ipſos graſſantur,
noſtris,quia imparatiores proceſſerant,certamen declinantibus,ipſi in portum Duracē-
ſem ad ignominiam , damnumq́; noſtrorum impune applicant: ſicque facultatem li-
beram vrbem ingrediendi habentes, viciſſim nautæ vrbicenſibus, & vrbicenſes nautis
conſociantur: inuicemq́; per totam noctem, & diem conſilium captantes plus minus à
medietate noctis tranſacta ſub pallore lunæ armantur: nauibuſque litore ocyus amotis,
buccinis concrepando noſtris certamen offerre progrediuntur: quibus noſtri certatim
occurrentes acerrime vtrimq; congreditur.Sed illi artificioſe ignem, quem Græcum ap-
pellant, qui nec aqua extinguitur, occultis fiſtularum meatibus ſub vndas perflantes
quandam nauem de noſtris,quam Cattum nominant, doloſe inter ipſas liquidi equoris
vndas comburunt.Sed noſtri dolo cognito, facto impetu aliam nauem de ſuis non mi-
noris pretii penitus in mare ſubmergunt:ſicq́; damno contra damnum compoſito, pari
vltione facilius fertur:noſtriſq́; exhorreſcentibus dolum ipſorum,ipſis autem ſtrenuitatē
noſtrorum,certamen vtrimq; diremptum quieuit:Ipſi in portum vrbis vnde exierant,re-
grediuntur:noſtri vero vbi prius applicuerant perſiſtunt.

XXVII. Porro in craſtino ſummo diluculo illuceſcente, menſe Octobri inſtan-
te, dum pars exercitus noſtri pabulum quæſitum ire appararent, Imperatorem cum in-
numerabilibus copiis aduentare per ſigna in ſummitatibus haſtilium eminus euentilan-
tia deprehendunt. Fit concurſus,& ſtrepitus in caſtris: alii terrentur:alii animo prompti-
ores minus fortes exhortantes, recreando robuſtiores fiunt. Dux vero videns ſibi belli
certamen imminere,vt ſuis omnem ſpem fugæ auferendo,ad defenſionem ſui ardentius
inflammaret,naues ſuas à mari protectas omnes combuſſit:ne forte cum acrius prœlium
* noſtris immineret, timidi certamen declinando ſpe tranſmeandi illorſum aufugerent.
Imperator vero appropinquans haud procul à caſtris noſtrorum, ſed quaſi ſtadiis quat-
tuor interpoſitis,caſtra metatur:exercitus abundiq; ipſe facit:nemine ipſorum aduerſum
noſtros,ſed neque ex noſtris aduerſum ipſos ipſa die aliquid pręſumente. Sequenti no-
cte Dux primas noctis facit excubias. Secundas videlicet à media nocte donec dieſcat,
Boamundus filius Ducis.Mane autem facto,Dux ipſe lucis crepuſculo omneſque noſtri
ſurgentes cum ſumma deuotione hymnos Dei, cum miſſarum celebratione audiunt:
presbyteris compunctiue confitentes peccata,muniunt ſacri viatici miniſteriis.Sicq; or-
dinatis aciebus ad certamen gradatim,& coniunctiſſime progrediuntur. Imperator ve-
ro ſibi occurrens tanta multitudine vndique conſpicatur, vt nullius montis aſcenſus ad
ſuperuidendum extremitatem eius ſufficere videretur. Angli vero, quos Waringos ap-
pellant,ab Imperatore primitias congreſſus expetentes,certamine inito,caudatis biden-
tibus,quibus hoc genus hominum potiſſimum vtitur, infeſtiſſime inſtantes, noſtris ad-
modum importuni primo eſſe cœperunt:cum ecce quædam acies noſtra ex aduerſo illis
ſub nudo latere prorumpens,forti congreſſu ſauciatos,& ab incepto deterritos in fugam
cogit: qui verſus Eccleſiam S. Nicolai,quæ ibi contigua erat, vitæ auxilium expetentes,
dum alii quantum capacitas permittebat,ſubintrabant,alii tanta multitudine tecta ſuper-
ſcandunt,vt pondere ipſa tecta diſſoluta conſubruantur:illos qui ſubintrauerant, oppri-
* mentes,concluſi pariter ſuffocarentur.Porro Imperator videns Waringos,in quibus ſibi
maxima ſpes victoriæ fuerat,eneruiter ſuperatos,& noſtros inſequentes aduerſum ſe ad-
uentare,territus fugam potius,quam certamen eligit:omniſq́; exercitus Græcorum,ten-
toriis cum omni ſupellectili ſua relictis, quiſque prior fugæ fieri accelerat. Noſtri itaque
victoriam adepti.Duce eos reprimente,haud longe fugientes perſecuti ſunt:ſed ad caſtra
eorum regreſſi, Dux in tentoriis Imperatoris hoſpitatur: ceteri qui priores accedebant,
pretioſiora hoſpitia cum ſpoliis vſurpant. Dux ergo vidēs hiemem ſibi imminere,menſis
enim erat Octobris,inde progreſſus,ſuper fluuiū Dæmoniorum caſtrum ad ęſtiuandum
conſtruxit:quod ex ſuo agnomine vocans, Montem Guiſcardi appellauit: à quo etiam
diatim

diatim vsque Duracium armata manu progrediens, diuersis incursionibus crebro lacessebat. Castra vero diuersa eiusdem prouinciæ eius infestationem ferre non valentes, fœdere cum ipso composito, deditionem facientes sibi conciliantur.

XXIIX. Erat autem ea tempestate apud Duracium Venetianus quidam nomine Dominicus nobili genere: cuius prouidētiæ maior turris ad tuendum delegata erat. Huius animum Dux quadam collocutione habita inter se friuola, quantisper dignoscens, aliquando, sed rarius per se, aliquando per alios, ne forte fraus ab aliis inter ipsos componi deprehenderetur, attentans diuersis in conuentionibus, de traditione vrbis sollicitare cœpit. Animus vero cupidine æger, vt à promittentibus auaritiæ luxuria admiscetur, facile corruptus, à bono, honestoque proposito proclius in deterius dilapsus est. Dux denique neptem speciosæ formæ habens, filiam videlicet fratris sui Guilielmi Principatus Comitis, vt ei in matrimoniū cum hereditate puellæ competenti sociandam se dare spopondit, pro libitu suo fauore vsus, sacramentis ab vtrisq; partibus datis, illo vt vrbē tradat, isto vt neptem conferat iurante, nox per traditionem vrbem subintrādi terminatur. Dux de nanciscenda vrbe certus scalas ad trāscendendum muros ex ligno componit. Venetianus autem in adiutorium Ducis ex funibus per lexas aduenietibus hostibus de muro dependētes porrigit. Et quia sic scriptū est: nullus perniciosior hostis est ad nocendum, quā familiaris inimicus: ab ipso qui vi tueri debuerat, libera facultate vrbem prorumpendi hostibus concessa, sub nomine Guiscardi, sinistro clamore sæpius ingeminato, buccinis concrepantibus vrbs tota turbatur. Ciues in arma ruentes ignari, quod hostes iam secum infra muros, & in altiori turri essent, in cassum repugnare nituntur. Triduo tamen pro posse, sed frustra renitentes, tandem vi coacti, fœdere composito, deditionem ipsis facientibus, ditioni Ducis colla submittunt.

XXIX. Igitvr Dux vrbe potitus pro velle suo ordinans Fortino de Rosana procurandam delegauit. Ipse cum exercitu vltra progrediens, totam prouinciam debellando sibi subiugatum vadit. Vnde & apud vrbem, quæ Castoria dicitur, veniens, quia ditionē eius subire recusauit, obsidione composita, eam vndique vallauit: minisque terrendo, & interdū blandimentis mulcendo, aliquanto tēpore infestus persistens, plurimū lacessiuit. Trecenti.n. Waringi in eadē vrbe habitabant: custodes ab Imperatore deputati: quorum presidio, & opere nō minimū defensabatur. At cū nostros in oppugnādo psistentes vidēt, machinamenta quibus vrbs facilius debeat debellari & debeat apparere timentes, & capta vrbe peius fœdus inire, sibi in futurum præcauentes, fœdere confecto, deditionē faciunt: sicq; vrbe subiugata, omnes circumquaq; prouinciæ cū finitimis castris eius ditioni subiugantur. Ipse quippe oēs qui ad se conuertebātur, cū summa honorificentia habebat: muneribus augebat: eorum consilio in iis, quæ facienda erant plurimum vtebatur. Et hoc ex industria: vt alii cum ista audirent, facilius sibi applicarentur, agebat. Timor autem eius totum Imperium, vsq; ad ipsam Regiam Vrbem tremere faciebat.

XXX. Cvm ista apud Romaniam à Duce agerentur, Siciliensi Comite Rogerio apud Calabriam, & Apuliam fraternis negotiis vti suis intēto, Benaruet apud Siciliā Christiano nomini infestus multa incommoda inferebat. Erat callidissimus: & militari exercitio deditus: audax, subdolus: aliud lingua proferens, aliud tacito pectore occultando gerens: Syracusi, & Noti princeps: cuius consilio omnes Sarraceni, qui adhuc in Sicilia rebelles erant, innitebantur. Hic quendam paganum nomine Benecimine, quem Comes apud Catanam maiorem vrbi præfecerat, callidis circumuentionibus aggrediens, ad tradendam vrbem multis munerum, possessionumve pactionibus sollicitabat. Paganus vero nominis sui competens imitator, auaritia cæcatus fidei, sacramentorumque, quæ Comiti dederat oblitus, statuto termino, infra vrbem illum cum maxima multitudine suorum fraudulenter de nocte accipiens, traditionis nomen sibi perpetualiter vindicauit. Quod factum cum per totam insulam personuisset, Christiani quidem eo quod tam nefanda fraus inter ipsos reperta sit, plurimum erubescebant: Sarraceni autem passim de tanta Christiani nominis ignominia subsannando exhilarabantur. Porro Iordanus filius Comitis, & Robertus de Surda valle, & Elias Cartomensis, qui ex Sarracenis ad fidem Christi conuersus, postea apud castrum Iohannis à sua gente hostiliter interceptus, quia negando apostata fieri noluit, martyrio vitā laudabiliter finiuit: exercitu admoto, versus Catanam iter intendunt. Benaruet vero eos aduenire, per speculatores suos, quos vndiq; omnia visum præmittebat, audiens, extra vrbem copiā suorum ad prœliandum ordinās dimicaturus occurrit. Pedites quidem vsque ad viginti millia, dextro latere suo in occursum hostium paulisper anteponens, ipse cum equestri legione in sinistro cornu fixus manens: hostes præstolatur. Nostri autem cum cētum sexaginta tantummodo milites essent,

nil remorati certamen, Deum sibi propitiũ inuocãtes ineunt. Tertioq; super pedites impetu facto, cũ immobiliter persistentes flectere nequeunt, declinantes eos super equites irruunt: fortiterq; congredientes multa strage facta, in fugã vertunt: quos insequentes, & extremos quosq; cædentes, vsque in portam ciuitatis impellunt. Benaruet vero sic per fugam vix elapso, de peditibus maxima strages facta est. Nostri vero ante vrbem tentoria figentes obsessionem prægrauabant. Sed Benaruet clam de nocte vrbe digrediens cum pagano traditore fugiens Siracusi se recepit. Sicq; vrbs à nostris recuperatur. Paganus traditor à Benaruet, ne Syracusam, sicut Catanam fecerat, tradat, dum præmia pollicita requirit, truncatur.

XXXI. Gregarivs autem miles quidam nomine Angelmarus Comiti diu seruierat: cui ipse Comes, quamuis infirmioris generis esset, propter militarem tamen strenuitatem, quam in eo videbat, volens seruitium suum honeste, vt sibi semper mos fuit, remunerare, vxorem nepotis sui Serlonis, videlicet apud Siciliam à Sarracenis interemptus fuerat, cum omni sibi competenti, ipsa multum renitente, in matrimonium sibi concessit: vt præclari generis muliere, erat enim filia Radulfi Baianensis Comitis, militis generositas inter sodales clarior fieret. Ille vero apud Geracium, cuius quadrans ex dote mulieris sibi competebat, nuptiis sollemniter celebratis, non iam humilitatis honorem seruans, ad sui generis debilitatem mentem reducebat, sed vxoris generositatem in animo sibi vindicans, æqualem se & genere, & dignitate illi, cuius antea vxor fuerat, iactans proterue appetebat. Hic apud Geracium, vbi Comes turrim firmauerat, demum defensabilem incipiens, paulatim prouehendo, & interdum dissimulando fortissimam turrim effecit: Geracenses omnes suis adulationibus, & fauoribus sibi attrahens: & sacramentis datis, & acceptis in amicitia confœderans. Quod cum Comiti renuntiatum fuisset, insolentiam eius animaduertens, & in futurum timens, ne forte fiducia turris, in aliquod deterius consilium reuerteretur, turrim in modum domus habitabilis deponere humiliter iubet: increpans eum, quod se inconsulto tale quid præsumpsisset. Ille vero cum Gera-
* censibus consilium habens praue definito ipsis se sibi laturos promittentibus, beneficii sibi collati, vt assolet inter degeneres, oblitus, contra Comitem recalcitrare, potiusquam obedire indecenter elegit. Quod cum Comiti compertum fuisset, Geracensibus, vt turrim destruant, & Angelmarum captioni suæ mandent, imperat: quibus non tam fidelitate Angelmari, sed quia omne genus nostræ gentis illis inuisum erat, & magis discordias inter nostros, quam pacem fieri exoptabant, ad id recusantibus, Comes legalitatem suam seruans, hactenus homini suo diffidentiam in posterum mandat: sicq; admoto exercitu, versus Geracium obsessum pergit. Angelmarus vero astu Geracensium animos demulcens, aliquanto tempore suæ ineptiæ complices detinuit. At dum vident se à Comite exterius, interiusq; prægrauari, cœperunt & ipsi à stulto proposito deficere: & fatigari. Quod Angelmarus aduertens, territus ne ab ipsis Comiti traderetur, & ipsi reconciliarẽtur, profugus euagans discessit. Vxor autem eius ad misericordiam Comitis veniens, pia recordatione nepotis, cuius vxor fuerat, saluis omnibus, quæ habebat, ad maritum conductum meruit: Comes vero reconciliantibus Græcis Geracium recepit.

XXXII. Eodem anno idem Comes sumptibus pluribus apparatis, vndecumq; terrarum artificiosis cæmentariis conductis, fundamenta, castella, turresq; apud Messanam vrbem iaciens, ædificare cœpit: cui operi studiosos magistratus, qui operariis non deessent, deputans, interdum ipse visum veniens, ipsos per semetipsum cohortando, festinantiores reddens, breui tempore turribus, & propugnaculis immensæ altitudinis mirifico opere consummauit: & quia hanc, quasi clauem Siciliæ æstimabat præ ceteris vrbibus, quas habebat, fidelibus tutoribus deputatis artiori custodia obseruabat. Ecclesiam etiam in honore S. Nicolai in eadem vrbe cum summa honorificentia construens, & diuersis possessionibus augendo dotans, clericis ad seruiendum deputatis, Pontificali sede aptauit: sed eam cum Trainensi cathedra vniuit.

XXXIII. Igitvr famosissimus Dux Calabriæ, Apulorumq; Princeps Robertus Guiscardus apud Bulgaros fortiter omnia sibi subiugando, agens, anno incarnati Verbi
1082. mlxxxii à Romanę sedis Apostolico viro Gregorio litteris continentibus angustiã suã acceptis, vt in adiutoriũ S. Romanæ Ecclesiæ reditum acceleret, multis precibus cohortatur. Imperator namq; Alamanorum Henricus, quibusdam controuersiis inter se ortis, Romam cum exercitu veniens, obsessa diutius vrbe, eandem fortuna suffragante irruperat: Romanisq; potentioribus sibi iniungendo confœderatis, ipsum Apostolicum virum in turri quadam, quæ Crescentii dicitur, reclusum obsederat: aliumq; in loco eius, Archiepiscopum videlicet Rauennatem Vmbertum nomine, re indiscussa, cõtra sanctos

Canones

Canones,quod nefas eſt dicere,Cathedræ Beati Petri ſubrogauerat.Ipſe vero tanta obſidione pręgrauabatur,vt neq; ſibi,vſquam progrediendi liber tranſitus pateret.Dux vero quãuis ad id quod cœperat,intendere omnibus vtilitatibus in animo pręfert,tamẽ calamitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ audiens, & dominum ſuum ſub quo omnia, quæ habebat,poſſidere ſe cognoſcebat,in tãtum anguſtiari,fidem datam,& legalitatem ſuam ſeruans maluit ſua,quamuis cara,ad tempus ponere,& Sanctæ Dei Eccleſiæ,vel domini ſui neceſſitatibus inſeruire .Sicq; filio ſuo Boamundo ſtrenuiſſimo militi, quæ cœperat exequenda committens,copiis omnibus ſibi delegatis, ipſe cum paucis placido remige verſus Apuliam,verſus Hydruntum applicat.

XXXIV. Ea tempestate plures apud Apuliam propter abſentiam Ducis inſolentes,aduerſus eum conſpirauerant:volentes ea,quæ eius iuris erant,vſurpare:putantes eum altioribus negotiis intentum vlterius regrediendi illuc non curare. Vnde & Gaufridus de Conuerſana apud vrbem,quæ Oria dicitur,haud longe à prouincia Tarentina obſidionem ponens,plurimum laceſſendo infeſtiſſimus erat. Dux vero apud Hydruntũ applicans,audito vrbi obſidionem imminere,illorſum cum paucis appropiare accelerat. Porro illi qui obſidionis primarii erant, per legatum Ducem aduentantem cognoſcentes,præſentiam eius exhorreſcentes abincepto deterriti,cum plures eſſent, obſidione ſoluta quiſq; fugam accelerans in ſua dilabitur. Ciues autem ſic obſeſſione, qua pręgrauabantur eruti aduenienti Duci occurrere accelerant:cum gaudio, & omni obſequio excipiunt. Sed per vniuerſam Apuliam ſeditiones,quas infidelitas turbauerat, à præſentia eius ſedatę in conſpectu eius,acſi nunquam fuiſſent,ſiluerunt.

XXXV. Porro Dux fratre Comite à Sicilia arceſſito, admoto plurimo exercitu, ſuper Iordanum nepotem ſuum Principem Auerſæ meſſes vaſtatum vadit. Nam cum antea inter ipſos diuerſis controuerſiis inimicitiæ efferbuiſſent,hoc ira in Principem plurimum incaleſcebat,quod nouiter in damnum Apoſtolici,imperatoris hominem ipſum effectum,& terram ſuam ſub ipſo deſeruiendam ſuſcepiſſe audierat. Veniens itaq; cum exercitu ante vrbem Capuanam,& caſtrum,quod Auerſa dicitur,ipſo inuito,nec propulſare valente,per octo,& eo amplius dies commorans, multa depopulatione totam prouinciam laceſſiuit.Sed quia ipſe Iordanus elegantiſſimus miles erat, & elegantiſſimos ſecum habebat,multa militariter diuerſis congreſsibus vtrimq; perpetrata ſunt. Inde itaq; rediens per totam Apuliam, & Calabriam exercitum perſcribens ſubmonet:vt proxima ventura æſtate ſecum Romam ſuper Imperatorẽ ituri expenſas ſiue cõmeatus aptarent.

XXXVI. Comes à fratre nouiter à Bulgaria reuertente inuitatus, ſibi occurrere verſus Apuliam intendens,Iordano filio ſuo Siciliam procurandam delegat:interdicens omnibus,ne quis in iis,quæ præciperet, ſibi contrarius eſſe pręſumeret. Erat autem Iordanus ex concubina:tamen magnæ viris animi,& corporis:& magnarum rerum gloriæ, ſuę dominationis appetitor: & iam dudum conſilio prauorum ſibi adhærentium iuuenum tacito ſub pectore vſus, inſurgendi conſpirationem verſans, ſic diſcedente patre, locum ſuæ prauæ diſpoſitionis,vt ſibi dicebatur,nactus,plures callide circumueniendo, fidem illorum,nec dum negotio aperto,aſtu abſtrahit:vt quęcumq; ipſe prior inciperet ipſi complices in perficiendo perſiſterent.Talibus itaq; deceptis ,tandem dolum diu diſpoſitum aperit. Cum quibuſdam diſplicuerit,pluribus placet. Quibus quiſq; talibus aſ- *
ſentire renitens improbe hortatur, ne fidem datam mentiri velit. Sacramenta patri exhibita in hoc ſalua fore, quod proficiſcens quidquid Iordanus vellet, vel præciperet omnibus obedire debere imperauerat.Iordano plura promittente,ſic praui conſilii aſſenſus inter plures à Iordano in iis quæ patris erant, vltra quam deceret, vel ab ipſo patre conceſſum erat,præſumitur.Nam caſtrum Sancti Marci,& Miſtreram ſibi vſurpans,detecta fraude prædas per totã prouinciam ibidem introducit. Sed & verſus Trainam hoſtiliter accedens,patris theſauros,qui illuc ſeruabantur,aſportare niſus,diſpoſitione ſua fruſtratus, vacuus redit.Nam fideles Comitis fraude comperta ſimul conuenientes, hoſtiliter accedentem ab ipſis finibus arcent.Quod cum patri renuntiatum fuiſſet, reditum accelerat:atq; vt vir ſapiens,prouide agens,ne filius territus ad Sarracenos,qui adhuc rebelles erant tranſiret, verſus eum hoſtiliter ire diſſimulat:ſed omnia,quæ fecerat filius, iuuenili ætate,& indulgentia digna aſcribit. At cum filio,quæ fecerat patrem leuiter ferre nuntiatur,minus iis,qui ſecum erant,proſpiciens,flebili fœdere interpoſito ad patrem accedit. Pater ad tempus iram diſſimulans, aduenienti filio lætum vultum oſtendit. Sed paucis diebus interpoſitis pater in futurum proſpiciens,ne ſi ii,qui tale conſilium, filio complices facti dederant,impune tranſirent,alii ad ſimile aliquid præſumentes raperentur,neſciente filio,duodecim priores huius erroris, vnum poſt alium arceſſens, oculis priuari

fecit. Quo facto filium etiam tali incepto vlterius compescere terrendo volens arcessitum, idem causa iustitiæ facere fingens minatur. Sed à fidelibus suis quibus ex industria idem agere prædixerat, retentus: territo filio, de cetero libitu suo, vt decuit vsus est: nam disciplina, & rigor iustitię cum pace communionem habent: Psalmista atteſtante: qui ait. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt. Sic enim misericordia sectanda est, vt iustitia remissior in vltra quam decet, non sit: ne vitia nimium inolescant. Vnde & prouidus pater, vt sapiens medicus, hunc ipsum filium suum, vt à prauitate compesceret, tanto rigore territum attriuit.

XXXVII. ANNO itaque Dominicæ incarnationis MLXXXIII. omnibus accuratissime apparatis, equestri plurimo exercitu; sed & peditum copiis Dux versus Romam ad obsessiouem Imperatoris, infideliumque Romanorum Papam Gregorium, qui & Ildebrandus ante susceptum papatum dicebatur, contra Cæsarem si necesse sit, & nisi cedat, dimicatum leonina ferocitate iter intendit. At cum iam prope ventum est, incaute incedere nolens, ordinatis aciebus, mille electos milites, cum totidem vexillis præmittens, aliam aciem cum tribus millibus pedetentim subsequi præcipit. Ipse cum reliquo exercitu: peditum copias, & quæque infirmiora ante se ponens prouide subsequitur. Audierat quippe milites Imperatoris sibi in occursum, Romani ex parte aquæ duct' exisse: sed hoc sibi falso relatum erat. Nam ipse Imperator iamdudum multa ex parte exercitum suum à se dimiserat: & cum minori militia quam accesserat, Romæ nil tale suspicatus morabatur: dumque hostes aduentare præsentiit, suis viribus minus sufficiens, & Romanorum fraudem, quamuis indeficientes illi adesse promitterent, pertimescens, cum maximo dolore animi cedens, vrbe digressus iam ante triduum recesserat. Dux itaque neminem sibi, vt suspicabatur, occursantem hostiliter offendēs, libero ad vrbem accessu vsus, ante portam, qua via Tusculana porrigitur, iuxta aquæductus castra metatur: vbi triduo commoratus, vrbe vndique circumconspecta, quodam diluculo cū mille & trecētis militibus ad portam quę S. Laurentii dicitur, sub aquæductu iuxta Tiberim, vbi minorē custodiā, nemine in illa parte aliquid suspicante, persensit, accedens, scalis silēter appositis muros trāscendit: portisq; ferro apertis suos introducens per plateas vrbis, vsque ad pontem, in quo suus exercitus præstolabatur Guiscardum clamoribus ingeminando, ciuesq; terrendo, portaq; vi potius fracta, quam reserata suos intromittens vrbem irrumpit. Sicq; directo impetu vsq; ad turrim Crescentii percurrens Papam eripit: eductumq; honore, quo decebat abducens palatio Lateranēsi restituit: vbi Dux prior, & omnis exercitus subsequēter cum oblationibus ad pedes eius, debito more prouoluti plurimum thesaurum contulerint. Porro Romani viribus resumptis, conspiratione inuicē facta, tertia die post cōgregati, per medias plateas vrbis impetu facto super nostros irruere conantur. Fit clamor, & strepitus in vrbe. Nostri à mensis quibus assidebant, prorumpentes, ocyus in arma ruunt: hostibus hostes corruunt: dura frons ab dura fronte obuiatur. Rogerius filius Ducis cum mille equitibus nesciente patre extra vrbem à Romanis infestari citissimus cum impetu aduolat. Sed Romanis fortiter insistentibus nullus impetus præualebat: donec Dux ignem exclamans, vrbe accensa, ferro, & flamma insistit. Tunc demum Romani incendium ferre non valentes in fugam vertuntur. Dux fugientes extremos quosque cædendo, vsque ad pontem persequitur. Vrbs maxima ex parte incendio, vento admixto accrescente consumitur: nostri victores apud Lateranum reuertuntur. Romani itaq; hostes infra muros sibi imminere cernentes, & eorum infestationibus pręgrauari, vlterius ferre non valentes, consilio inter se prudentiores vrbis habito, eligunt sanius Apostolico suo confœderando reconciliari, quā diutius in incepta ineptia persistēdo hostili gladio, nullo quæstu ventilari. Sicque pace expedita allocutum accedentes pluribus circumuentionibus de excusatione fraudis vsi, tandem venia impetrata reconciliantur. Sacramentis pro libito Papæ, & Ducis obligati fœderantur. Nostris recedentibus vrbs à calamitate hostili absoluitur. At vir Apostolicus perfidiam Romanorum cognoscens, & vlterius obsessione circumueniri cauens, consilio fidelium suorum vsus, ad tempus vrbe digrediendo, Romanorum fraudem declinare, quam ibi persistendo, & libera facultate eis concessa de se ipso periculum faciendo vtrum ea quæ promittebant, fideliter, an non seruarentur tentare, sed cum Duce in Apuliam secedens apud Beneuētum venit: sicq; in Apuliæ partibus vsque ad extremum vitæ Roma inuisa permansit.

XXXIIX. *Roma quondam bellipotens toto orbe florida:*
Colla superborum domans perlustrabas climata.
Leges dabas: & habenis temperabas omnia.
Ante te tremebant Duces: Principes: Imperia:

Curua-

Curuabantur colla Regum loris tuis domita.
Nil superba resistebant: ense tuo territa.
Ordinabas quod volebas Duces, siue Principes.
Deponebas quos volebas seruos dans humiles.
Artibus exercuisti iustos habens iudices.
Dumq; iusta sectabaris, fruebaris prosperis.
Leges à te requirebant omnes reges seculi.
* *Sententia per te data indiuisa perstitit.*
Tempore haud longo talibus studiis
Implicaris fraude tua turpibus negotiis
Fraude tua clarescente mæres despicabilis.
Te iam nulli pertimescunt: terga prabes omnibus.
Arma tua hebetata carent acuminibus.
(.·.·.·) (.·.·.·) (.·.·.·)
(.·.·.·) (.·.·.·) (.·.·.·)
(.·.·.·) (.·.·.·) (.·.·.·)
(.·.·.·) (.·.·.·) (.·.·.·)
(.·.·.·) (.·.·.·) (.·.·.·)
Non sufficit Papa vnus: binis gaudes infulis
Fides tua solidatur sumptibus exhibitis.
Dum dat iste, pulsas illum, hoc cessante reuocas:
(.·.·.·) (.·.·.·) (.·.·.·)
Cuncto orbi dans errorem hæc miscendo schismata.
Ni cessassent bonæ artis in te prima studia,
Nulli Regi de te cessisset victoria.
Miles quidem iste Normannus, qui te victam superat.
Non terret te Apostolorum sacra præsentia?
Nec reuocant ab inceptis te sanctorum pignora?
(.·.·.·) (.·.·.·) (.·.·.·)
(.·.·.·) (.·.·.·) (.·.·.·)
(.·.·.·) (.·.·.·) (.·.·.·)
Surge Petre summe pastor finem pone talibus.

XXXIX. DVCE itaq; apud Romam Apostolicis necessitatibus inseruiente BOAMVNDVS filius eius apud Bulgaros, vbi à patre relictus erat, strenue gerens, patris vices haud grauiter exequebatur: vrbemq;, quæ Arta dicitur, obsidens plurimum infestus persistendo, capere omnibus artibus nitebatur. Porro Imperator audiens vrbem sui iuris hostibus prægrauari, Ducemq;, quem plurimum pertimescebat, recessisse, absentia eius viribus resumptis, exercitu admoto, vrbi succurrendum multis copiis parat. Sed venienti BOAMVNDVS occurrens, certamine inito, bellum comperit. In primo congressu, qui primum * accesserant, collisi sternuntur: subsequentes visu terrentur: fuga initur. Imperator cum primis fugientibus esse vtile ducit. Imperatore fugato BOAMVNDVS victor efficitur.

XL. QVOD cum Duci cum triumphali gloria à Roma reuertenti renunciatum fuisset, filium à se non degenerare cognoscens, & in hoc maxime, quod vno in tempore duorum Imperatorum fuga triumphali gloria laus sibi, suisq; concessa sit, veniens in Apuliam ministros suos vndecumq; conuocans omnibus suis ordinatissime dispositis, plurimo exercitu versus Græciam quæ cœperat, executum accelerare disponit. Nauibus deniq; mense Septembri à tota Apulia, Calabria, siue Sicilia apud Hidruntum conflatis, copiisq; necessariis introductis, prospera aura suffragante, optato portu applicans filium, & quos cum ipso apud extremas partes dimiserat, de reditu suo sollicitando anhelos, plurimum lętitiæ se ipsum repræsentando reddidit. Sicq; ad quod venerat exequens, omnem patriam suo reditu turbabat: vrbibus infestus: obsessionibus assiduus & indefessus: congressibus prior: excubiis nusquam absens: nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo Imperium sollicitum reddens ante se tremere faciebat.

XLI. MIRABILE quoddam præsagium, quod per totam Apuliam, Calabriam, siue Siciliam visum est, huic operi inserere dignum duximus. Maxime quod ea, quę tale signũ portendebat, nos ex parte non ignorare putamus. Anno denique incarnati Saluatoris MLXXXIV. sexto die Februarii inter sextam, & nonã Sol obscuratus est per spatiũ triũ horarum: in tantum, vt qui infra domos alicui operi insudabant, non nisi luminibus accensis, interim quæ cœperant, exequi possent: qui vero de domo ad domum transmigrare

volebant lanternis,& facibus vterentur. Sed antequam annus pertransisset significatio talis eclipsis, in quantum nos putamus pluribus cum maximo damno præclaruit. Nam eodem anno venerabilis Papa Gregorius, cuius superius mentio facta est, infirmitatis suæ à medicis medicamentum expetens, frustratis medicaminibus obiit. Dux Iulio mense:& famosissimus Rex Anglorum,& Normannorum Dux Guilielmus nono die Septembris moriuntur. Ducis vero exequias vxor Gayta cum filio Rogerio, qui tunc cum ipso apud Bulgaros morabatur,& ceteri Barones eius debito honore, non tamen sine iustitia exequentes funus transmeatum Venusium humatum perferunt. Græcia hostibus recedentibus libera, læta quieuit: Apulia tota, siue Calabria turbatur.

XLII. IAM fratribus Rogerio, & Boamundo, vtroque Ducatum appetente, inter se diffidentibus,& pluribus nunc ab isto, nunc ab illo incrementa expetendo, lucrum suum quærentibus, multorum Apulorum fides quanti fuerit, experimento claruit. Rogerius tandem adiutorio auunculi sui Siculorum Comitis Rogerii, qui viuente fratre, idem sibi promiserat, Dux efficitur. Omnia castella Calabriæ, quorum necdum nisi medietatis cuiusquam Comes Rogerius habebat, à nepote ad plenum sibi concessa consignantur. Nunc itaque quia suprema dies tanti Principis loquendi de ipso, quantum ad librum finem facit, finis quoque, vt mihi videtur huius hic ponendus est libri: vt de nouo Duce mixtim cum Comite loquentes nouum librum obsequamur.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

INCIPIVNT CAPITVLA *Libri Quarti.*

INCIPIVNT GESTA *Quarti libri.*

SI ESSET vnde, noua, & elegantior poëtria, nouo Duci adhibenda esset: vt facundior sermo à iuuene nouorum, vt in tali ætate assolet, appetitore, nouo stylo, nouos fauores, suo merito extorqueret. Sed ne stylum mutando hoc quasi adulatione facere dicamur, prioris poëtriæ ordine seruato, orationis seriem exequamur.

Igi-

I. IGITVR Rogerio Comite nepotis vtilitatibus, vt eum plenius in Ducatu Calabriensi, vel certe in Principatu, & dominatione Apuliæ contra voluntatem æmulorum suorum solidaret, intendendo præoccupato, Benaruet Syracusi nauigio apparato, nauali exercitu apud Nicotrum veniens, à radice destruendo deuastat. Direptis omnibus quę potuit, viros, & mulieres captiuos asportat. Sicque ante Rhegium veniens, Ecclesiã haud longe in honore beati Nicolai, & aliam in beati Georgii sitam depopulat: sacras imagines deturpando conculcat: sacras vestes, vel vasa, suorum vsibus aptando asportat. Inde progressus quãdam sanctimonialium Abbatiam in honore Sanctæ Dei genitricis, & virginis Mariæ in confinio Scyllatiensi, loco qui Roca asini dicitur, consecratam aggrediens deuastat: sanctimoniales abductas turpi stupro dehonestatas abducit.

II. QVA de re Comes diuinitus ira plus solito inspiratus: in vltionem tantæ Deo illatę iniuriæ ardentissime insurgit: classemque, qua illum facilius circumueniendo opprimat, primo die Octobris aptare incipiens, vicesimo die Madii perficit: sicque sese affligendo, summa deuotione in litaniis, nudis pedibus, per diuersas Ecclesias processiones exequens, multa beneficia indigis largitus, nauali periculo sese committens, versus Syracusam vela dirigit: Iordanum vero filium suum cum equestri exercitu illuc sibi obuium fieri præcipit: videns naues nutu Dei agi: & nulla aura, vel remige impingente, rapidas equorum vndas è recto sulcare: vt facile perpenderet hanc expeditionem Dei fauorem comitari: & hostibus præualere debere. Comes igitur honsione de obtinenda victoria * certior factus, prima nocte Turoneum applicat: secunda vero apud Longeuam, tertia Resesalix. Hic Iordanus filius suus cum exercitu equestri sibi obuius factus, multa inter se, de iis, quæ facienda erant, consilio habito conferentes, Philippum filium Georgii patrui cum velocissima sagetia versus Syracusam omnem rem exploratum mandant. Qui iussa fideliter complens, de nocte inter classem Sarracenorum, ac si vnus ex ipsis esset, circumnauigat: nam & lingua eorum ipse, & nautæ omnes qui cum ipso processerant, peritissimi erant: omnibusque prudenter circumspectis, rediens certamen paratum renuntiat: Deo propitio nihil periculi imminere: hostibus audacter occurrendum hortatur. Erat autem sabbathum. Comes autem suos commonens, prima luce illucescente hymnos matutinos, cum missarum sacra executione audiuit: presbyteris confitentur: sacris mysteriis initiantur: per totam diem ibidem morantur. Sequenti nocte mediante, equoris anchoris extractis, cum silentio procedentes, luna illucescente Syracusam, vbi Benaruet acerrime cum classe sua præstolabatur, venerunt: certamen ineunt: vtrimq; congreditur. Benaruet instinctu diaboli, qui vitam eius iam misera morte terminare volebat, quo nauem Comitis eminus agnouit, magno impetu grassans illorsum irruit: acriter bellatur: sed acrius excipitur. Nam à Lupino quodam primum iaculo confossus, dum à Comite, qui nauim eius insilierat, minaci ense persequitur, ipse proximam nauem de suis ad fugiendum saltu appetens, in mare cum põdere ferri demergitur. Sicque iniuriam, quam Deo arroganter intulit, diuino iudicio condigna vltione multatur pœnas luendo perpessus. Reliqui vero dum fugere nituntur, à nostris citato remige persecuti truncantur. Si Iordanus interim vrbem oppugnasset, profecto facile debellata succubuisset: sed pater minus prouide interdixerat sibi ne fieret. A Maio igitur vsque in Octobrem obsessione vrbi dedita, ipsa multum recalcitrante, plurima infestatio vtrimque facta est. Ciues vero Christianos plurimos in captione infra vrbem habentes solutos ab vrbe eiiciunt: rati nostros sic facile ab vrbe processuros. At dum nihilominus persistere vident, vxor Benaruet cum filio, & melioribus vrbis, nauibus duabus de nocte per medias naues nostras rapidissimo remige euadentes se se Notum recipiunt. Reliqui fœdere composito, deditione se, & vrbem reddunt: anno Dominicæ incarnationis Millesimo octogesimo quinto.

III. CVM ista geruntur, Pisani, qui apud Africam negotiando proficiscebantur, quasdam iniurias passi, exercitu congregato, vrbem Regiam Regis Tunitii oppugnantes, vsq; ad maiorem turrim, qua Rex defendebatur, capiunt. Sed quia sua virtute vrbe expugnata, patriam retinere minus sufficientes erant, Comiti Siciliensi, quem talibus prævalidum cognoscebant, eam si recipere velit, per legatos inuitantes offerunt. Porro ille quia regi Tunitii amicitiam se seruaturum direxerat, legalitatem suam seruans in damno illius assentire distulit. Rex vero Tunitius cum certando resistere nequit, pretio pacem mercatus, quo armis minus sufficiebat, pecunia classe fines Christiani nominis peruasum vlterius tentare: & quos eiusdem religionis captiuos tenebat, coactus est absoluere.

IV. DVX autem Rogerius apud Apuliam, & Calabriam sua sapienter disponens, in omnibus strenue, & prouide agebat: & quamuis iuuenili ætate esset, secundum quod

agebat, eum non iam iuuenem, sed moribus senissimum iudicare posses. Militię assiduus, frequentium militum amans: colloquio affabilis: muneribus largus: labori, vigiliisq; indeficiens: Ecclesiarum defensor: pauperum & mœrentiū consolator: suis clypeus: hostibus aculeus: iuste iudicans omnia: excepto quod pietatis affectu obuiante, in rigore iustitiæ aliquantulum remissior erat. His artibus in se accrescentibus omnium bonorum fauorem breui obtinuit. Hic Boamundum fratrem suum ambitione Ducatus à se desciscentem, qui iam vrbem, quæ Oria dicitur, traditione ciuium adeptus erat, per quam prouinciam Tarentinam, & Hydruntinam spe prædæ, complicibus vndequaque sibi alligatis infestabat, minus aduersum se proficere videns, non quod miles elegantissimus non fuerit, sed quia sumptus ad id negotii necessarii minus suppetebant, fraterna pietate commotus, arcessito ad se, & reconciliato partem paternæ hereditatis contulit: annuens ei ipsam Oriam vrbem, quam peruaserat: adiiciens Tarentum, & Hydruntum, siue Galipolim cum omnibus appendiciis: & quidquid Gaufridus de Conuersana sub ipso habebat cum famulatu eiusdem. Reliquos vero, si qui aduersarii erant, sua strenuitate sternebat: vbi vero minus per se sufficiebat, Siciliensi Comite, quasi pro verbere ad alios subiugandos vtebatur: cuius virtute pluribus territis, minus resistere præsumebant.

V. Comes ergo Rogerius omnes potentiores Siciliæ à se debellatos gaudens, & nemine, excepto Chamuto superstite, ad hoc assidua deliberatione intendit, vt ipso circūueniendo debellato, omnem sibi de cetero Siciliam subdat. Vnde exercitu admoto, ipso apud castrum Iohannis immorante, vxorem eius, ac liberos apud Agrigentinam vrbem obsessum vadit anno Dominicæ incarnationis millesimo octogesimo sexto prima die Aprilis: quam vndique exercitu vallans, diutina oppressione lacessiuit: studioq; machinamentis ad vrbem capiendam apparatis, tandem vicesima quinta die Iulii viribus exhausta imminentibus hostibus patuit: vxor Chamuti cum liberis, Comitis inuenta est captionis. Comes itaque in vrbe pro libitu suo positus vxorem Chamuti omni dehonestatione prohibita, suis custodiendam deliberat: sciens Chamutum sibi facilius reconciliari, si eam absque dehonestatione cognouerit attractari. Vrbem itaque pro velle suo ordinans, castello firmissimo munit: vallo gyrat: turribus & propugnaculis ad defensionem aptat: finitima castra incursionibus lacessens ad deditionem cogit: vnde & vsq; ad vndecim æuo breui subiugata sibi alligat: quorum ista sunt nomina Platono, Missor, Gastaiel, Satuti, Racel, Bifar, Muclofe, Garo, Calatenissa, quod nostra lingua interpretatum resoluitur, Castra feminarum: Lerata, Remise.

VI. Comes itaque sibi omnia prospere cedere Dei miseratione cognoscens, adiicit castrum Iohannis sibi aut oppressione, aut certe astu, aliqua composita confœderatione sibi applicare. Vnde & quodam diluculo cum centum militibus versus Castrum Iohannis properans, Chamutum fœdere interposito, locutum inuitat. Quem diuersis verborum circumitionibus attentans deditione Castri, & conuersione ad Christi baptismatis regenerationem pulsat. Porro ille cognoscens, experimento de aliis sumpto, Comitem ad quodcumq; intenderet, fortuna fauente, nihil frustra niti, aliquantulum etiam de cōuersione ad fidem tacito sub pectore inspiratus, clam suis agit, vt statuto termino Comes cum exercitu ante castrum veniens, ipsum cum omni supellectili sua ad se transfugientem suscipiat. Timebat enim ne si in propatulo fieret, quod castrum reddere, vel ad fidem Catholicam transire niteretur, à suismet perimeretur. Comes à tali promissione lætus apud Agrigentum redit: statuto termino silenter exercitu conflato, haud procul à castro Iohannis, loco inter se prænotato insidiis occultatur. Chamut omnibus suis mulis, & equis superpositis, quasi aliquorsum processurus vrbe digreditur: ex industria super insidias nostrorum incidit: à nostris excipitur. Comperto Castrum Iohannis à nostris oppugnatur. Porro ciues tali facto viribus exhausti terrentur: pro re, atque tempore consilium aptant. Fœdere composito Comiti reconciliantur: Castrum deditione adiicitur. Comes Castrum adeptus lætus efficitur: nostræ genti ad tuendum fortiores turres assignantur. Chamut cū vxore, & liberis Christianus efficitur: hoc solo cōuentioni interposito quod vxor sua, quæ sibi quadam consanguinitatis linea coniungebatur, in posterū sibi non interdiceretur. Chamut inter suos vlterius commorari vel differens, vel diffidēs ne Comiti, quasi aliquam fallaciam miscens, suspectus fieret, vel minus crederetur, apud Calabriam in prouincia Melitana à Comite terram suis vsibus sufficientem expetit: quod Comes sibi libenter annuens, illuc secessit: sicque postea longo tempore viuens, ab omni fraude versus nostram gentem sese irreprehensibilem deinceps exhibuit.

VII. Comes videns propiciatione Dei omnem Siciliam, excepta Butera, & Noto suę ditioni subeundo cessisse, ne ingratus tāti beneficii sibi à Deo collati existeret, cœpit Deo

deuotus

deuotus existere: iusta iudicia amare: iustitiam exequi: veritatem amplecti: Ecclesiam frequentare cum deuotione: sacris hymnis adstare: decimationes omnium redditumm suorum sacris Ecclesiis attribuere: viduarum, & orphanorum, sed & mœrentium cum ratione consolator. Ecclesias passim per vniuersam Siciliam reparat: ipse pluribus in locis de suo sumptus, quibus facilius fiant, attribuit. In vrbe Agrigentina Pontificalibus infulis cathedram sublimat: terris, decimis, & diuersis copiis, quæ Pontifici, & clero competenter designata sufficiant, hereditaliter chirographis suis dotat: ornamentis, & sacri altaris vtensilibus ad plenum consignatis. Huic Ecclesiæ Gerlandum quendam natione Allobrogum, virum, vt aiunt magnæ caritatis, & ecclesiasticis disciplinis eruditum Episcopum ordinans, præfecit. Haud secus apud Mazaram facere addens, omnibus quæ rite sufficerent Prælato, & clericis ad plenum designatis Stephanum quendam Rothomagensem, honestæ vitæ virum Episcopum ordinauit. Apud Syracusam vero idem adiiciens Rogerium Decanum Ecclesiæ Trainensis honestæ eruditionis clericum, & boni moris & affabilitatis virum in Prouincia ortum Pontificalibus infulis sublimauit: Trainensibus non minimum de eius amissione dolentibus: quippe cuius doctrina, & exemplo ad meliora semper hortabatur: & consilio, & eloquentia etiam in ipsis secularibus negotiis, quasi pro baculo sustentationis vtebantur: nam & absente Episcopo vices sibi delegatas cum omni prudentia, & moderatione exequebatur. Apud S. Euphemiam vero monachum quendam, natione Britonem, virum religiosum, post Abbatem totam Ecclesiam prudenti moderamine audiens, vt hunc Ecclesiæ Catanensi impetrare queat, Episcopum ordinare intendit. Quare & per semetipsum illuc accedens, vix tandem monachis hoc carere volentibus, ipso etiam præ ceteris amplius reluctante obtinuit. Sicq; sollemniter Episcopatum concedens, quod nulli Episcoporum fecisse cognoscitur, totam vrbem sedi suę cum omnibus appendiciis suis sub chirographo, & testibus hereditaliter possidendam assignauit. Porro ille Ecclesiam minus cultam, vt pote a faucibus incredulę gentis erutã suscipiens, iuris studiis primo studiosius inhærens, breui Ecclesiam omnibus necessariis prouehens, ad Mariæ vices cum Martha exequendum transiit: monachorum turbam non modicam sibi coadunans, districtæ regulæ iugo, verbo, & exemplo subesse, vt fidelis pastor coegit.

IIX. Ea tempestate Philippus Rex Francorum vxorem habens legitimam, & præclari generis Bertam nomine, ex qua susceperat filium nomine Leudouisinum, cui etiam ab omnibus curialibus regnum post se habere designauerat, contra ius legitimæ coniunctionis exosam habere fecit: & à se contra Canonum statuta libello repudii conatur repellere: nihil criminis obiecto: excepto ꝙ sanguinitatem falso adnumerare tentabat: nec poterat. Hic legatos apud Siciliam ad Comitem dirigens, filiam eius nomine Eminam, quam de prima vxore speciosam puellam habebat, sibi in matrimonium copulandam expetit. Comes vero fraudis, quam versus legitimam vxorem habebat, ignarus cum multis sponsalibus se sibi daturum concessit: statutoq; termino, nauibus apparatis eam vsq; ad S. Egidium cum pluribus thesaurorum enxeniis, quo Rex se obuium fieri dixerat, maritimo cursu transmittit. Habebatq; fiduciam in Comite eiusdem prouinciæ Raimundo, quod eam Regi honeste consignaret: nam & ipse aliam filiam Comitis iam dudum duxerat. Rex vero prauorum consilio vsus, ad hæc nitebatur, vt thesauris susceptis, Comitem de filia, non ducendo ludificaret. Porro Comes Raimūdus regia fraude comperta, cœpit & ipse nihilominus aliam fraudem coniecturare: videlicet vt puellam dissimulata fraude cum honore suscipiens alteri probo viro in matrimonium consignaret: ipse vero omnē pecuniam vsurparet. Sed prudentes viri, quos Comes cum familia miserat, prece puellę pecunia exportata, fraudem quæ agebatur comperientes, anchoris extractis, vela ventis committentes, puella cum sororis marito relicta, placida aura sufflante, cum pretiosioribus thesauris ad Comitem in Siciliam reuertuntur. Comes vero Raimundus fraude, quā machinabatur, ex parte frustratus, puellam Comiti Claramontis legalibus nuptiis copulauit: sicq; sola Dei dispensatione sollemniter maritata, & pater opprobrio, quod rex machinabatur, & filia inordinata, & contra ius quauis legali copulatione liberatur.

IX. Mihera vero filius Hugonis Foloch vir magnę leuitatis, sed elegantissimus miles, læua, pro dextera vtens, Roberto Duce defuncto in insolentiam prorumpens, vicinos circumquaq; prædis, & diuersis incursionibus lacessendo appetere cœpit. Possidebat enim tunc temporis castra sibi à patre hereditaliter relicta Catantiarum, & Roccam: plus vero armis ambiens, in ipso etiam Duce præsumens, castrum, quod Maia dicitur, traditione ciuium sibi vsurpans irrumpit. Sed suis viribus auxilia addere volens, Boamundi fratris Ducis, qui iam fœdere rupto aduersus fratrem conspirauerat, homo efficitur.

Maiam,quam peruaserat,& omnem terram, quam hereditaliter à patre sibi relictam sub Duce possidebat, ipso Duce renuntiato, & sacramentis confœderatus Boamundus ab ipso recipitur.

X. At Boamundus ambitione nanciscendarum, peruasione super fratrem vrbium auidus,cum Consentinis secreto,de traditione vrbis agit: promittens se castellum, quod Dux illis inuisum in eadem vrbe firmauerat, si eorum auxilio capere possit, funditus dirutum iri. Qua promissione illi ad fraudem procliue illecti, Boamundo assentientes, illum infra vrbem cum sua virtute suscipiunt. Sacramentis sibi confœderantur. Castellum vallantes oppugnatum vadunt. Quod cum Duci in Apuliam, vbi tunc morabatur, nuntiatum fuisset, exercitum admouens illorsum accelerat: auunculumque sibi in auxilium inuitans, vt sibi apud Cusentum obuius fieri non differat,mandat. Nam vt diximus, contra omnes sibi aduersantes illo, quasi pro flagello ad terrendum alios, vtebatur. Comes vero militaribus, & peditum copiis apparatis inuitanti se nepoti obuius fieri accelerat. Sad antequam ab vtroque exercitu, Ducis videlicet, siue Comitis illuc peruentum est,castrum quod oppugnabatur,dum pro posse repugnat,machinamentis appositis, viribus exhaustum hostibus cessit:funditusque,vt à Boamūdo promissum erat,dirutū fit. Porro Dux sibi Comitem obuiam habens, Rossanam, quæ Consentinis in fraude assentiebat, oppugnans capit: incendio omnia percurrens. Boamundus itaque, ne obsidione infra vrbem clauderetur, deuitans Hugonem Claramontis, qui Consentinos in sua fidelitate retineat, apud Cusentum relinquens, Roccam secessit. Dux vero,& Comes putantes,eum apud Maiam digressum, illuc præoccupare volentes accedunt. Sed cum non ibi esse comperiunt, versus Roccam properantes, loco, qui Lucus Calupnii dicitur, tentoria figunt: vbi per internuntios pace quidem ab vtrisque partibus, interposita: apud Sanctam Euphemiam conueniendi, & plenius reconciliandi terminum statuūt. Sed Mihera huic termino assensit: nō autem Boamundus. Ipse enim reconciliari differens, iam Tarentum recesserat. Instante itaque die præfixo, Mihera conductum, quo fœdere accedere, vel recedere liceat, expetit. Conceditur: accedit. Boamundo inconsulto, Duci reconciliatur. Maia reddita, Duci, cui iure competebat, reconsignatur. Fratres itaq; post biennii dissensionem consilio vtrorumq; fidelium reconciliantur. A Duce, vt semper viro largissimo Boamundo Cusentum, & Maia conceditur: sed breuissimo interuallo, quia Boamundus Consentinis iurauerat, castrum ibi se non facturum, & Dux idē se Barensibus, cambio inter se facto, Dux Cusentum recipit: Barum fratri mutua vicissitudine concedit: vt saluo quisque in suo iure libera potestate quod volet faciendi vtatur. Sicq; amicitiam suam testibus, & chirographo confirmantes, deinceps indiuulsam tenuerunt.

XI. Mihera ergo Comiti Rogerio, & Radulfo Loracelli sibi infestantibus diu rebellis, videns offensas suas modum reconciliationis excessisse, vlterius ferre non valens Adæ filio suo omnem terram suam assignat: putans eum auxilio ex parte matris parentum facilius resistere hostibus, aut certe reconciliari: ipse vero Beneuentum secedens monachice consociatus habitum induit. Nam neque Dux, neque Boamundus, quia vicissim vtrumque fœdere rupto ludificauerat, amici erant: ob quam rem Comes, & Robertus Loracelli iam à Duce terram eius sibi datam iri expetentes, facilius obtinuerant. Comes vero milites suos Rodulfo Loracelli ductore super Adam mittens, diutinis incursionibus aliquanto tempore repugnantem, tandem penuria afficit: qui cum videt se vlterius ferre nequire, palatium suum, & omnes meliores domos nocte vbi oppugnabatur incendio destruens, castro relicto hostibus, recessit anno Verbi incarnati Millesimo Octo-

1086. gesimo sexto. Comes vero, & Rodulfus Loracelli terram eius, vt à Duce concessum erat, inter se diuidentes deinceps vt pote sua sunt.

XII. Igitur Comes Rogerius omni Sicilia aduersum se fœdere composito sedata, excepto quod Notenses, quo vxor Benaruet cum filio transfugerat, & Buterenses adhuc pro posse in cassum recalcitrabant, exercitu admoto Buteram obsessum vadit: anno Dominicæ incarnationis Millesimo octogesimo octauo: inchoante Aprili.

1088. XIII. Prudenterque armata manu, hostiliter vndiq; vallans, aliquanto tempore inclusos diuersis calamitatibus afflixit. Sed dum machinamentis ad castrum affligendum apparatis attentius insudaret, Legatus Papæ Vrbani cum litteris ab ipso sigillatis adueniens nuntiat eundem Apostolicum virum Siciliam intrasse: eique, vt apud Trainam sibi locutū accedat, mandare: eum longo itinere fatigatum, à Terracina enim digrediens adueniebat, præ lassitudine corporis, & montosis saltub⁹ adhuc interpositi itineris progredi nolle. Comes vero quid potissimū ageret sollicitus, nam sedē belli deferere dānosum ducebat, Papæ vero, q̄ à tāto interuallo locorū ad se veniebat, nō occurrere, modico itineris inter-

interposito indignum, vt Catholicus vir æstimabat. Tandem consilio vir prudens accepto, agit, vt neque sedem belli deserat, neq; Apostolico non occurrendo inobediens existat. Exercitu nempe fidelibus suis prudentibus viris, & talibus negotiis peritis delegato, hostes infestare instruit: ipse cum paucis se inuitanti Apostolico obuius apud Trainam occurrit: lætiq; ad inuicem alter ab altero cum summa veneratione excipitur. Hic ab illo Apostolica benedictione sub vice Mariæ, ille ab isto in his, quæ corpori necessaria erant, obsequiis Marthæ: in crastinumque summo diluculo conuenientes agunt ad inuicem de negotio, quod Apostolicum accessisse compulerat. Nam idem Apostolicus ante paucos dies Alexium Imperatorem Constantinopolitanum per Nicolaum abbatem Cryptæ ferratæ, & Rogerium diaconum conueniens paterna increpatione commonuerat: quod Christianis Latinis, qui in sua prouincia morabantur, azymo immolari interdixerat: præcipiens in sacrificiis more Græcorum fermentato vti: quod nostra religio omnino non habet. Imperator vero increpationem eius humiliter suscipiens, inuitat eum per eosdem legatos chartulis, aureis litteris scriptis, vt veniens cum eruditis catholice viris Latinis, Constantinopolitano Concilio congregato, disputatio fieret inter Græcos, & Latinos: vt communi definitione, in Ecclesia Dei illud scinderetur: quod Græci fermentato, Latini vero azymo immolabant: vnaque Ecclesia Dei vnum morem teneret: dicens se libenter Catholicæ discussioni assentire: & quod auctenticis sententiis, præsentibus Græcis, & Latinis assentiri definiretur, siue azymo, siue fermentato immolandum esset, se deinceps obseruare velle. Terminum etiam, quo Papa accedere deberet, statuit: anni videlicet, & dimidii. Comes vero, vt tantum schisma ab Ecclesia Dei amputetur, eundi consilium dedit. Sed impedientibus inimicis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui Romæ sibi infesti persistebant, iter prohibitum est. Comes itaq; Papam pluribus donariis honoratum à se dimisit: ipse vero Buteram rediens, hostibus infestus tandem ad deditionem coegit: sicq; castro potitus pro libitu suo disponit: potētioresq; in Calabriam mansuros mittit: ne sibi ibidem manentes, aliquam fraudem machinando, commotionem facerent.

XIV. Anno igitur incarnati Saluatoris MLXXXIX. Comes Rogerius vxore Elemburga filia Guilielmi Comitis Mortonensis defuncta, aliam duxit Adalaidem nomine, neptē Bonifacii famosissimi Italorū Marchionis: filiā videlicet fratris eius iuuēculam honestę admodū faciei: duasq; sorores eiusdē puellę, duobus filiis suis Gofredo videlicet, & Iordano in matrimonium copulauit: sed Gofredus antequam nubiles annos attigisset, quod dolor est dicere, morbo prohibēte minime eam cognouit: Iordanus autem sollemnibus nuptiis duxit.

XV. Porro Notenses videntes omnem Siciliam sub Comite curuatam, seseq; vlterius in cassum resistere, consilio inter se habito, Comiti reconciliari vtile ducunt. Denique de se ipsis legatos eligentes ad Comitem dirigunt: qui apud Melitum, vbi tunc Comes morabatur, accedentes, pacē faciūt anno Dominicę incarnationis MXC. Februario mense. Comes itaq; censum duorum annorum illis condonans, Iordanum filium suum, cui etiam terram, & vxorem dederat, vt vrbem ipsis dedentibus recipiat, cum ipsis mittit: qui à patre edoctus, vrbe suscepta castello munit: proque libitu suo in patris fidelitate disponit: vxor autem Benaruet cum filio in Africam transfugit. Sedata itaque omni Sicilia, Comes Rogerius collati sibi à Deo beneficii non ingratus existēs, omnimode secundum quod mundiales curæ, quibus occupabatur, permittebant, Deo cœpit se se deuotū exhibere: & quanto ampliori honore terreno se à Deo prouectum cognoscebat, tāto ampliori studio agebat: vt in perfectæ humilitatis statu persistens gressum mentis figat. Militibus itaque suis, quorum auxilio tanti honoris culmen adeptus fuerat, arcessitis, gratias cum omni mansuetudine referens, quibusdam terris, & largis possessionibus, quibusdam vero aliis diuersis præmiis laboris sui sudores recompensat.

XVI. Sic itaq; omni Sicilia pro libitu suo sapienter composita, Comes militaribus exercitiis assuetus, quietis impatiens, laboris appetens, lucris inhians, corpus ab assuetis exercitiis minime desuescere passus est: sed quæ transmarina regna prima potissimū sibi subiuganda attento animo, iugi meditationę tractat. Vnde & Melitam insulam, à referentibus viciniorem ceteris sibi cognoscēs, classem, qua eam attentet, accelerare imperat: militibus suis, vt se ad id exercitii aptent, pręcipiendo denuntiat. Dum ista geruntur, Mainerius Gerentia à Comite, vt sibi locutum veniat inuitatus accedere differt: cum arrogatione pręsente adhuc legato Comitis respondēs: se nunquā ipsum, nisi vt damnum si possit, inferat, visum velle. Quod referente legato, qui missus fuerat, Comes audiens, plurimum indignatus, festinus mari trāsmeato, à Sicilia in Calabriā venit: Petrum Moritonensem, cui vices suas plurimum commiserat, vt per Siciliam exercitum commouens post

cose acceleret,mittit:qui prudenter iniuncta perficiens, infra octo dies ab omni Sicilia copioso exercitu congregato in Maio ad Comitem adduxit .Sicq; Comes versus Gerentiam accelerans,castrum terribili obsidione vallauit. Qua de re Mainerius territus se stulte,& fecisse, & locutum cognoscens, supplex ad misericordiam Comitis venit: equos, mulos,thesauros,& omnia quæ habebat, veniam petens in eius dispositione ponit. Comes super his,quę fecerat,eum pœnitere videns,vt semper pii cordis omnia condonauit: excepto quod,quasi pro disciplina, potiusquam ambitione, mille aureos solidos de suo accepit: vt eum à tali præsumptione coerceat: sicq; per ardua adiacentium montium inde digrediens Cusentum venit:& quia incolæ prouinciæ illius Duci recalcitrabant, triduo vineta,& oluieta eorum extirpans,inde aratam secessit: vbi cum suis consilium ca- * ptans exercitum breui tempore soluit:præcipiens,vt vnusquisq; ad expeditionem versus Melitam domi aptatum recedat:termino quindecim dierum interposito: quo sibi apud * Resacrambam,illuc enim classem suam conuenire fecerat,obuii fiant. Portus autem in * ariditate naturæ à ceteris differt:ita vt si quis experientiæ causa cannam:vel aliquid con- * cauum accipiens,cubita duo à ripa in mare terræ tenus palmo tantummodo profunditatis figat,tantæ longitudinis,vt desuper vndas concaua summitas quantum volet attingat: cum mare salsissimum sit, dulcissimas , & potabiles aquas per concauitatem in altum ebullire vident. Hic die terminato ab omni Sicilia, & Calabria plurimo exercitu Iulio mense conflato,quodam vespere Comes naues aggredi accelerat. Porro Iordanus filius Comitis cum classis aptatur, semper suspicans erat, Comitem quidem versus Melitam non iturum:sed sibi,vt ipse exercitum illorsum conduceret,cōmissurum: Comes autem in ipso ingressu nauium arcessito imperat,vt cum designatis,quos sibi placuerit,Siciliam procuratum remaneat. Vrbem nullam,vel castrum ingredi,donec ipse à Melita reuertatur,præsumat:sed in tentoriis habitans,vbicumq; per Siciliam ad succurrendum necesse sit,paratus eius regressum sustineat.Porro ille aliter quam ratus erat, patrem præcipientem audiens,totus admiratione attonitus fit: patremq; ab iis:quæ dicebat dehortari nisus, cum lachrymis proclamat:dignum potius, si placeat patri esse, se iuuenem tanto labori ascribi: patrem iam quasi emeriti stipendii virum à laboribus plurimum passum corpus recreando quietis oblectamentis vti. Minus damnosum si ipse minoris pretii iuuenis in tanto discrimine pereat,quam vir tantæ auctoritatis,tantiue consilii.Comes vero ad verba filii indignatus eum,quamplurimum conuitiatus in audientia omnium retulit,se nunquam vel filium,vel aliquem,quo ipse primus esse non audeat,missurum:& sicut primus esset in possidendis,vel distribuendis,ita conueniens esse, vt prior fieret in adquirendis. Sic pluribus remeantibus pietate abeuntis,deinde lachrymantibus Comes naues ingressus buccinis ex eius edicto concrepantibus, & diuersi generis musicæ artis pluribus, vt quisq; doctus erat, instrumentis modulantibus, anchoris extractis vela ventis plurimo apparatu committunt:auraq; prospera suffragante,secundo die applicant apud Miletum, Nauis vero Comitis ceteras velocitate præcedens,vt primum terram attigit,Comes naui digressus,cum tredecim tantum militibus equos ascendens plurimam incolarum multitudinem,quæ vt impedirent,ad ripam obuiam fuerat, aggrediens multos sternit: reliquos fugat:extremos quosque cædendo per longum insequitur. Vespere autem ab insequendo regrediens in litore maris cum omni exercitu suo illa nocte hospitium sumpsit. Crastino vero illucescente propius vrbem accedens obsidione vallauit,circumquaque per insulam suos prædatum mittens. Porro Gaytus,qui vrbi,& insulę principabatur,ceterique ciues bellicis exercitationibus minus assueti,præsentia hostium deterriti,pacem libere,ad colloquium cum Comite accedendi expetunt: qua à Comite concessa, ad tentorium Comitis sibi locutum,vt pacem faciat,accedunt. Diuersisq; circumlocutionibus vsi,tandem cum calliditatem Principis minus se fallere posse perpendunt,pro libitu Comitis,primo captiuos Christianos,quorum plurimam multitudinem infra vrbem tenebant,reddunt: & equos,mulos,& arma omnia,quæ habebant,cum infinita pecunia Comiti offerunt, Datam vnoquoque anno persoluendo determinantes,vrbem de Comite se seruiendam promittunt: sicque more legis suæ sacramentis datis Comiti confœderati sunt. Videns autē captiuos Christianos ab vrbe progrediētes, pręgaudio suę insperatę liberationis ab vno quoque cordis lachrymis profundi, ligno,vel calamis, prout quisque primo inueniebat compositas cruces in dextris ferentes Chyrieeleison proclamando,ad * pedes Comitis prouolui,nostros vero ad talem intuitum pietatis affectu lachrymoso rore perfundi. Comes ergo taliter vrbe sibi confœderata, captiuos,vt asportet, per naues ordinans,reditum cum magno timore,præ nimio pondere captiuorum submersionem veritus,accelerat:sed dextera Dei,vt credimus ex euentu patuit naues per vndas subleuans,

cubitu

cubitu vno liberiores super mare ferebat, quam in aditu suo: cum eas minus onus grauabat. At cum mare sic reditum accelerat, eminus insulam, quæ Golfani dicitur, intuens, illorsum, vt debellet, vela dirigi imperat. Quo applicans prædis aggrediens deuastat: sicque secum fœdus inire cognoscens suæ ditioni assignat. Vndiq; impune per equora vela dirigens, Siciliam reuersus desiderantibus se fidelibus suis plurima præda onustus repræsentat. Captiuos autē, quos captione erutos secū reduxerat, omnes cōuocās liberos facit: offerēs eis si secum in Sicilia remanere velint, villā vnā suis sumptibus, loco, quo eligerēt, cōstruere debere: & de suis sumptibus necessaria ad lucrādū subministrare: villā etiā eandē Francā, id est liberā villā, eo q; omni vectigali, vel seruili exactione libera in ppetuū foret subtitulare: sed & illis desiderantibus proprios agros, amicosq; visere, liberā facultatē quo vellent, abeundi concessit: per totam terram suam necessaria, & absq; pretio Phari transitum tribuens. Porro ipsi cum gaudio, & Comiti de sua liberatione gratias referentes quisq; in loca sua recedunt: per diuersa regnorum spacia, prout nationis erant, nomen Comitis magnificando dilatantes.

XVII. Anno ergo Millesimo nonagesimo primo, Rogerius Dux contra Consenti- 1091.
nos diu rebelles indignatus, exercitu ab omni Apulia coadunato, fratre Boamundo secū accepto ipsos mense Maio obsessum ire disponens, auunculum Comitem à Sicilia, vt sibi auxilium ferendo illuc occurrere non differat, inuitat. Ille amore nepotis ab omni Sicilia multa Sarracenorum millia excitans, sed & militum copias conducens, quo inuitabatur haud segniter accelerat. Consentini, hostes versum se accelerare audientes, se ipsos vallo, & muris muniunt: arma, & quæ defensioni necessaria erant, aptant: sumptus naturæ necessarios infra vrbem comportant: defendere, potiusquam succumbere inuicem cohortantur. Dux, & Comes se se inuicem apud Cusentum obuiantes vrbem vndiq; vallant. Dux planiciem obsidione occupat. Comes montana conscendens, quo maior labor, & hostis infestior imminebat, castris suorum vrbem gyrare imperat. Consentinis itaq; ex cōsilio, & edicto Principis vallo, & sepibus vndiq; clausis, ingrediendi, vel egrediendi, vel quidlibet introducēdi facultate sublata, plurimū deterrentur. Sic iugis decertatio: certamen assiduum. Sed Consentinis maior spes defensionis in fundibulis, & sagittis erat. Propius accedere, vt ensetenus cum nostris decertarent, periculosum ducebant. Porro Comes interdum ad deditionem mulcendo blandiri, frequentius interminando deterrere, suos instare, hortari, omnia circumire, nil intentatum relinquere: quæ facienda erant, prior adire, ad certamen suos præcedere, in recedendo subsequi: omnia prudenti ordinatione prouidere studebat: exemplo sui, ad quæ facienda erant, omnes vigilantiores reddens. Consentini itaq; constātiam Comitis iam pridem cognoscentes, & hostes à finibus suis spe arcendi decidentes, consilio inter se habito, vrbis deditionem, si forte de offensione suæ rebellionis veniam à Duce, & Comite mereantur, aptant. Primo quod Comitem prudentioris consilii virum sciebant, & cuius ordinatione omnia regebantur, conuentiones, se, suumq; consilium supplices ei committunt: sine ipso nihil acturi: à quo sciebant, postquam promitteret sine fraude, vel sui detrimento, vbi vitari posset, sibi consilium dari. Ille vero eorum verba, vt semper pius, & pacis amator suscipiens, ita prudenter rem ordinauit, vt & Dux pro libitu suo vrbe potiretur: & Consentini Ducis gratia reconciliari non fraudarentur. Dux auunculi sui strenuitate vrbe potitus, antequam expeditio soluatur, arte cæmentaria castrum ad vrbem, à tali præsumptione vlterius prohibenda, in altiori vrbis iugo firmat. Comiti autem pro recompensatione seruitii sibi exhibiti medietatem Pausemitanæ vrbis assignat: sicq; expeditione mense Iulio soluta, Dux in Apuliam, Comes vero in Siciliam digrediuntur. Comes autem in sua parte castrum firmat: vrbemq;, cum iam communis esset, ita ordinat, vt plus ex medietate postmodum Duci perueniret, quam primo cum sine comparticipe, totius vrbe redditus possideret.

XIIX. His itaque peractis, quia per successionem temporum ea, quæ gesta sunt, vel acciderunt, prout fuerunt, nos scripturos repromisimus, ordo temporis damnosum dolorem Siciliæ, & Calabriæ, nos quin huic libro inseramus prætergredi vetat: quamuis pluribus in præsentia sui, hoc idem ad memoriam reuocare, onerosum, quasi dolorem renouando, videatur. Nam sunt nonnulli, qui præ nimio affectu, quem erga ipsum, de quo sermo fit, habuerunt, vt si in eorum præsentia quod accidit, recitatur, à lachrymis minime se possunt continere: ac si recens sit quod narratuur. Iordanus enim filius Comitis propter strenuitatem suam omnibus amabilis, quem plures, quia iam Gaufredum, quod dolorem non minuit, morbus Elephantinus peruaserat, Comitis heredem futurum suspicabantur, nā neq; alium masculū habebat apud Syracusam sui iuris vrbem febris typo percussus est. Quod cum patri nuntiatum fuisset: illorsum præuenire mortem accelerat:

sed morbo ingrauescente, vltima determinatio vitæ Iordani patre velocior fuit. Comes
autem vrbem ingressus, vt funus filii conspexit, intolerabili dolore corripitur: omnesque, qui cum ipso aduenerant, doloris participes facti lachrymoso planctu rapiuntur:
pluresque patris dolor, quam Iordani mors ad lachrymas pertrahebat. Vrbs tota lachrymoso vlulatu ventilatur: in tantum, vt ipsos Sarracenos nostro generi inuisos, non quidem ex amore, sed ex mærore, quo nostros affici videbant, pietatis affectus peruadens
ad lachrymas vsque pertraheret. Comes itaque funus decenter ordinans, Trainam per
portam S. Nicolai sollemniter humandum deducit. Multa beneficia eidem Ecclesiæ, sed
& aliis pro redemptone animæ eius conferens anno Dominicæ incarnationis millesimo
nonagesimo secundo. Porro ciues vrbis Peutargæ, quæ iuris Iordani hactenus fuerat,
mortem Iordani, quem plurimum pertimescebant, audientes, casso gaudio rapiuntur:
atq; in insolentiam prorumpentes iugum nostræ gentis, rebellando à se excutere frustra
nituntur. Nam Comes filio humato nil remoratus, cum sola familia sua illos obsessum
vadit: expeditionem ab omni Sicilia se illuc subsequi imperās. Sicq; vi superans, illos, qui
tam inepti consilii auctores fuerant suspensos extinxit: reliquos tormentis diuersis afficiens, vrbis stultitiam sedat.

XIX. PATRE *orbo, graui morbo sic sublato filio.*
Vnde doleret, quod careret hereditali gaudio,
Ditat prole, quasi flore superna prouisio.
Impragnatur, ac grauatur: matris gaudens vterus
Intumescit. Infans crescit naturæ successibus.
Orat pater: sed & mater Deum, vt sit masculus.
Implet vota forma tota, dum semen coagulat.
Fiat natura iam secura: infra matris viscera.
Nonus mensis spe suspensis. Sic partus accelerat.
Infans prodit. Nullus odit. Fit cunctis lætitia.
Obstetrices sunt felices à matris lætitia.
Nuntiatus puer natus noua præstat gaudia.
Mater audit, vnde plaudit fit doloris nescia.
Festinatur: nuntiatur hæc patri lætitia.
Qui congaudens, atq; plaudens tura precum cælitus
Supplex litat; atq; ditat legatum muneribus.
Plura iubet, prout lubet largiri pauperibus.
Dolor mortis grauis fortis iam sublati filii
**Fit lucinus: & oblitus spe nascentis gaudium.*
Simon fonte, pictus fronte inunctione chrismatis
Heredatur: solidatur Dux futurus Siculus.
Calabrenses suos enses sibi optant adiici.
Pater totum implet votum. Dux concessit fieri.

XX. PORRO Dux Rogerius vxorem habens præclare nobilitatis, neptem videlicet
Francorum Regis Philippi, filiam Flandrensium Marchionis Roberti, quem Frisium appellabant, Adalam nomine, de qua duarum sobolum pater existebat, apud Melfam Apuliæ vrbem febre correptus acriter torquebatur anno Verbi incarnati millesimo nona-
1093 gesimo tertio. Morbo itaq; ingrauescente, iā pæne vitalibus interclusis, cum ipsi in partibus pitissimi sic medici attestātur; natura cōtra vsum attonita oberrabat: vt ab ipsis medi-
* cis nec pulsu nec vrina, sed neq; aliis ꝓgnosticorū indiciis infirmitas determinate posset
comprehēdi. Qua de re cum de ipso etiā ab ipsis medicis desperari videretur, fama, quasi
iam obiisset, totā Apuliam, sed & Calabriā turbauit. Ea tēpestate Boamundus apud Calabriam morabatur: qui cū fratrē, fama referente iā obiisse audisset, credulus castra, quæ
iuris fratris fuerant irrūpens, sacramentis sibi confœderare persuadet: ita tamē discernēs
vt si frater, quod se nolle protestabatur, iam obiisset, salua fidelitate legalium heredum
suorū, videlicet fratris, sibi quasi fideli eorundē heredū patruo, vsq; ad intelligibilē ætatē,
qua ipsi legitime terrā regere cognoscerēt, fideles psisterēt. Comes autē Rogerius eū talia
facere audiēs indignatione cōmotus, q talia se incōsulto psumpserit, veritus etiā quis hāc
fidelitatē honeste discernēs susciperet, pictis verbis fraudē occultās in posterū cōtra nepo-
* tes ambitione capt⁹ aliqd fraudis machinaretur, à suis inseq pcipiens a tota Calabria arcet.

XXI. PLVRES etiam audita fama mortis Ducis in insolentiam prorumpentes, de iis
quę Duci competebant, distrahendo sibi vsurpare moliebantur. Vnde & Guilielmus de
Grantemaniol, summa cupidine correptus, in insolentiam procliuis declinans, Rossanā

Calabriæ vrbem peruadens intrat: dicens sibi iure competere: vt qui sororem Ducis filiam Guiscardi Mabiliam nomine vxorem habebat: hereditatisq; particeps fieret. Sic quæ Ducis fuerant, propter imbecillitatem heredum quisq; quantæ fidei erga ipsos heredes fieret, ostentans sibi distrahendo vsurpabat. Sed natura, quæ iam diu peregrina oberrauerat, in sui iuris proprietatem reuersa, contra spem medicorum conualere incipit. Sicq; sanitate diatim excrescente, ad integrum pristinæ restitutus est sanitati. Quod Boamundus audiens magna mentis alacritate Melfi, vbi fratrem esse sciebat, de eius sanitatis recuperatione congauisurus occurrit: castra quę sibi confœderauerat reddens, quę fecerat, non iam dolose fecisse ostendit. Porro Guilielmus de Grantamanil turpi illectus auaritia, nec de domini sui recuperatione sanitatis congauisurus, nec, vt vrbem quam peruaserat reddens accedere curauit: sed impudenti fronte fraudem ostentans, eandem vrbem pro posse muniens, contra ipsum Ducem, si forte impugnare attentaret, armauit. Comes autem Rogerius super hac re plurimum indignatus, tamen vt sapiens vir, quia neptis maritus erat, legato ad ipsum misso, ad reconciliationem contra dominum suum vrbem reddendo hortatur. At dum blandimentis minus præualet, in iram totus prorumpens, iurat se, & vrbem, quam nequiter peruaserat, ablaturum: & omnia, quæ ex licentia Ducis ante tenuerant, exheredato sublaturum.

XXII. SICQVE potius ipse Ducem ad expeditionem super Guilielmum vrguens, quam ipse à Duce ad iniuriam vlciscendam submoueretur, exercitu admoto, ab vtrisque Castri villam obsessum itur anno incarnati Saluatoris Millesimo nonagesimo quarto. Hoc autem operimentum fraudis suæ Guilielmus sibi adaptarat, quod cum ab vrbicolis primo infra vrbem susceptus est, illis improuisa determinatione iureiurando firmauerat, se nunquam alicui vrbem redditurum: excepto Ludouiso filio Ducis: & hoc quia paruulus erat, post decem annos futuros: fidelitatem quam Duci iurauerat, soluere, minoris offensæ, vel opprobrii ducens, quam quod periuris, & fraudatoribus iurauerat. Sic auara ambitio, sed & vxoris praua persuasio mentem iuuenis à bono, honestoq; discernendo procliue cæcatum sibi illexerat. Dux ab omni Apulia equitum, peditumq; copiis, fratre Boamundo sibi in auxilium cum Hydruntinis, & Tarentinis, & reliquis, qui sui iuris erant assumpto, Vallem Gratensem, versus Castri villam occupat. Comes vero multa millia Saracenorum à Sicilia, & Apulia conducens, equitum quoq;, siue peditum Christianorum copias illorsum nepoti occurrere acceleranter non relaxat. Porro Guilielmus de Cratemenul auctoritatis viros aduersum se conspirasse, & obsidionem sibi imminere cognoscens, sese ad defendendum pro posse aptat. Dumq; sibi auxilia vndecumq; ducere nititur, quamuis mos sit iuuenibus, talibus exercitiis causa militaris laudis, sed & quæstus libenter interesse, tam iram Comitis, quam Ducis veriti minime sibi, cum multa promitteret, associari præsumebant: maxime quia fortunam sibi aduersam, propter quod ipsum cum aliqua inhonestate retorquebant, prænotantes metuebant. Dux autem in valle Gratensi Comitem, dum veniat sustinet: castrum quod S. Mauri dicitur, vsq; properans, deditione ciuium tali pactione suscipit: vt in perpetuum, dum via comes fuerit, illud Guilielmo non reddant. Inde Rossanam vsq; pertransiens, quia Guilielmus filios potentiorum ciuium sibi obsides adduxerat, minus sibi assentientes offendit. Sed quia ipse Dux iam ante annum, cõtra voluntatem Græcorum, qui eidem maxima ex parte principabantur, Græco Archiepiscopo eiusdem sedis defuncto, successorem Latinum eligendo, subrogauerat, sed nec dum sacramento, aut sacra vnctione firmatus erat electione Latini frustrata, dum à Duce cõceditur, vt de sua gente Archiepiscopum sibi Greci pro libitu eligerent, fauorem illorum adeptus, vrbem quoq; illorum deditione obtinuit: sed castrum oppugnans, fidelibus Guilielmi renitentibus minime præualuit. Porro Comes cum exercitu veniens, de Duce, qui iam tantum profecerat, gauisus iuxta castrum Tarsę super fluuium qui à S. Marco defluit, quo iam Dux tentoria fixerat, castrametatus est. Hic Guilielmus à Comite inuitatus, vt securus ad colloquendum veniat, accessit. Multisq; circumuentionibus vsus dũ & fraudẽ suam operiret, quæ peruaserat, Duci restituit. Dux autem iussum expetendo, Guilielmum exequens reconciliari sibi, vt iudicio Comitis, ceterorumque prudentum, qui intererant virorum ius teneat, quod sibi tandiu iniurius extiterat, sacramento, & fide promissa obtestatur. Qui sui reatus conscius, & iudicio prægrauari timens, dum renuit, licentia abeundi accepta, Castriuillam impune redit. Quem Dux, & Comes in crastinum cum omni exercitu subsequenti castrum obsidione vallant: sicq; ligno, & armatorum copiis sepiendo cingentes, vt nulla ex parte aditus ingrediendi, vel aliquid introducendi Castriuillẽsibus esset: sed infra muros modicum victus habentes, dum per tres hebdomadas imminente hoste premuntur: exhaustisq;, quæ ad victum habebant,

Guilielmus, quod vt faceret primo expetebatur, vt si susciperetur expetens, se ius Ducis tenere repromittit. Ad quod exequendũ, dũ fideiussores ad placitũ Ducis nõ habet, quę de ipso habebat, pro plegio ponit. Duci in sua virtute, vsq; ad determinatũ diẽ: quo ius teneatur deliberatũ, per manũ Comitis securus fact⁹, quod ius exequi præualeat, castra sua sibi reddãtur. Instãte itaq; termino iuris tenẽdi, loco determinato cõuenientes, querimonias suas aduersus Guilielmũ exponit. Sed ille modicũ iuris habens, dũ minus rhetorice argumẽtatur, iudicio, his, q̃ sub Duce habet, priuat᷑. At dũ iudicio cõtradicere molit᷑, min⁹ facultatis, vel iuris habẽs, terris priuat⁹ cũ vxore ad Imperat. Cõstantinopolitanũ transiuit: vbi aliquãtisper cõmoratus, tandẽ cũ multa pecunia rediens, Duci, vt pio, & misericordi viro reconciliatus, terram, quam amiserat, excepto castro, quod S. Mauri dicitur, recipit.

XXIII. Cvm autem inter Vrbanum Apostolicum, & Henricum Teutonicorum Imperatorem dicerentur dissensiones efferbuisse, quibusdam controuersiis, inter Conradum eiusdem Henrici filium, ac patrem, quod seriatim longum est enarrare, insurgentibus: Conradus irato animo à patre discedens ad Apostolicum, & Malthildem Marchisam, quę ei ex fidelitate adhærebat, se contulit: eorum auxilio plurimum per Italiã rebellis existens. At cũ iuuenis & sine vxore esset, & sumptibus, ad id quod cœperat, necessariis minus abundaret, cõsilio Apostolici, & præfatæ Marchisæ Malthildis per Cõradum Comitem, quem ad id legationis peragendũ direxit, filiam Siculorum, Calabriensium ve Comitis sibi in matrimonium concedendam expetiit. Apostolicus etiam litteras suas cõmittit, vt sibi familiari, & amico: ad hoc idem dirigens, ad concedendum hortatur: dicẽs sibi magno honori, & proficuo futurũ, si filia, filio Regis futuro spõso iungatur: & iuuenis S. Romanæ Ecclesiæ fidelitate adhærens, sed sumptibus quibus contra patrẽ, qui eum iniuste oppugnabat, minus sufficiens, quos pater cum filio daret, viribus victus ad debellandos inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ præualeret. Comes autem hac legatione percepta, & suasoriis litteris Apostolici viri perlectis, vsus consilio fidelium suorum, & maxime Roberti Trainensis Episcopi: per quem omnem conuenientiam Conradi adquirit: nam Italus erat, & illarum partium gnarus, quod expetebatur concedit: & ab vtrisque partibus exequendum sacramẽtis firmare fecit. Nuptiarũ itaq; die determinato Conradus Comes à Comite Rogerio pluribus munificentiis honoratus, reditum vnde venerat, accelerat: anhelumq; de relatione legationis dominum, nuptias concessas accelerans plurimũ lætificat. Porro Comes Rogerius apparatis his, quæ ad effectum congruebant, plurima classe Episcopum Trainensem, & alios Barones suos filiam multis thesaurorũ enxeniis ditatam Pisã, vsq; cõducere facit: vbi fili⁹ Regis obui⁹ cũ omni honorificẽtia suscipiẽs, authẽtice dispẽsata sollẽnes nuptias celebrauit anno Verbi incarnati Millesimo Nonagesimo quinto.

XXIV. Porro Dux Rogerius adhuc iuuenis, & nil malæ suspicionis aduersus aliquẽ habens, sed ex sui cordis puritate aliorũ mentes diiudicans, Longobardos æque, vt Normannos, quia ex parte matris ex eorum gente erat, sibi fideles credens, & eorum genus, nostræ genti inuisum minus discernens, castra sua tuenda eis haud secus, ac Normannis delegabat. Vnde accidit, vt dũ apud Malfam idẽ faciendo, minus sibi prospiceret, Malfetani vrbe, & castris, quæ Guiscardus ad perfidiam eorum comprimendam ibidem fecerat, pro libidu suo vtentes, liberam facultatem fraudis suæ exercendæ nacti, iugum gentis nostræ, & Ducis, quia moris nostri executor erat, à se excutere, nec tributum, & seruitium statutum persoluere, sed & ipsi Duci ad eandem vrbem accedendi, omnibus fidelibus suis exclusis aditum denegarent. Dux autem videns tantum damnũ sibi illatum, de credulitate, quam erga eos habuerat, sero pœnitens, à Comite, & fidelibus suis consilium subiugandi eos requirit. Sicq; auunculo Comiti, vt sibi attentissime succurrat, medietatem vrbis sibi, si subiugare possent, concedens: ab omni Apulia, & Calabria nauali, & equestri exercitu admoto, peditum etiam copiis certatim accelerat: anno incarnationis Domi-
1096. ni Millesimo Nonagesimo sexto. Vrbe itaque à procinctu maris nauibus cingentes, per præcipitia circum adiacentium montium equitum, & peditum copias prudenter ex cõsilio, & opere Comitis ordinantes, vndique obsidione vallant. Sic itaque vrbem opprimendo, profecto, vt credimus obtinuissent, nisi infortunium tale, quale subtitulando adnotabimus, intercessisset. Boamvndvs namq; Ducis auxilio simulato, & ab ipso submonitus adueniens, plus fratri ad damnũ, quã ad proficuum, non tamen, vt credimus, ex industria factus est. Ipso anno ex edicto Vrbani Papæ expeditio versus Hierusalem ab vndique terrarum feruentissima erat. Boamundus autem, qui iam dudum cum Guiscardo patre Romaniam peruaserat, & semper sibi subiugare cupiens erat, videns plurimam multitudinẽ per Apuliam, sed sine Principe illorsum accelerare, Princeps exercit⁹ sibi eos alligando, fieri volens, signum eiusdem expeditionis, crucẽ videlicet vestibus suis apponit.

Porro

Porro iuuentus bellica totius exercitus, tam Ducis, quam Comitis, nouarum rerum, vt in tali ætate assolet, appetens, visa cruce Boamundi, & ab ipso submoniti ad id faciendum certatim concurrunt: sicque crucibus sumptis, fines Christiani nominis vlterius non attentare, donec paganorum fines peruadant, absque contatione voto obligantur. Dux autem, & Comes exercitum suum maxima ex parte sibi taliter defecisse videntes, tristes expeditionem soluunt. Sicque vrbe, pæne vsque ad deditionem vexata, tali infortunio priuantur. Boamundus mare transiit. Dux in Apuliam secedit. Comes Siciliam reuertitur. Vrbs oppressione gaudens liberatur.

XXV. Alamanvs autem Rex Vngarorum audiens famam Siculorum gloriosi Comitis Rogerii, legatos dirigens filiam suam in matrimonium concedi expostulat. Ille vero quamuis honesti viri, qui ad hoc venerant, essent, tamen illos honeste à se dimittens, de suis etiam, ne fallatur, cum ipsis dirigens remandat: vt si executum, quod cœperat velit, alicuius auctoritatis gradus, vel ordinis personas, quibus facilius credatur, ad id confirmandum mittat. Qui anhelus exequi Arduinum Iouiensem Episcopum, & Thomam Comitem idem expostulatum mittit. Comes autem eos honeste accipiens, secum detinuit: de suis honestos, & callidos viros apud Pannoniam mittens, in eorum præsentia à potentioribus regionis illius exequenda postulabatur iuramento firmare cogi. Quod Rex libenter annuens per suum Ducem nomine Aliuum, & reliquos non minoris dignitatis viros, omnia, quæ mandauerat, exequenda iuramento firmauit. Sicque legatos Comitis, vt pactum firmatum renuntiant, munificatos à se dimittit. Comes autem relatione suorum accepta, haud secus & ipse legatos Regis à se dimittens, pluribus honoribus à se * compilauit: Regi terminum, quo sibi filiam suam mittat, statuit. Anno itaque incarnationis Millesimo Nonagesimo septimo, apparatis, quæ necessaria erãt, mense Maio cum tre- 1097. centis militibus vsque Thermas conducere facit Henricum Lescastrensem Episcopum: & quosdam de fidelibus suis abinde, maritimo cursu vsque Pannoniam, cum puella procedere faciens: qui nauibus apparatis, puellã cum multis sponsalibus intromittentes, velis vento commissis, prospera aura flante per equora feruntur: vsque dum in portum Albæ, qui iuris Regis Vngarorum est, impune applicant. Hic Vincurius Comes Bellegratæ missus cum quinque millibus armatorum obuius fuit: eamque cum his, qui cum ea venerunt, decenter excipiens, vsque ad Regem perduxit. Per totam Pannoniam nuptiæ Regis præconizantur. Vndique cum enxeniis concurritur. Et cum semper frequens, & numerosa manus ex more cum Rege innumerabilem turbam plus solito nuptiarum, * & nouæ Reginæ visendæ appetitis conflauit, die terminato, præsentibus Archiepiscopis, & Episcopis, & diuersis ordinibus dos puellæ legati more in publico protestatur. Rex, & Regina catholice pariter desponsantur: sollemnesque nuptiæ in tentoriis, & ex virentibus ramis tabernaculis factis celebrantur. Nam nullæ domus tantæ multitudini sufficiebant. Nuptiis itaque regalibus expletis, Rex Episcopum Lescatrensem, & qui cum ipso reuersori aduenerant aliquantisper secum commorari faciens, vt videt de egressione festinos, legaliter munificatos à se dimisit. Illi ad portum venientes, maritimo cursu regredi accelerant. Iamque nostræ gentis fines appropiantes, cum terram eminus conspiciunt, nauicula, in qua Episcopus erat, sociis armis carentibus, à duabus piratarum nauibus, quas galeas appellant, hostiliter aggreditur. Nauclerus qui nauim regebat, iaculo confossus colliditur: nauis remige carens submersionem minatur. Episcopus nullum refugium armorum habens, sed neque hostibus deditionem subire volens, Dei auxilium implorans, socios hortatur. Ipse idem faciẽs inter alia subiungit. Deus inquit, si meis peccatis exigentibus minus mereor exaudiri, exaudiar saltem per gratiam, quam erga progeniem Tancredi te habere multotiens ostentasti. Hic enim interceptus sum pro seruitio filii sui. Nondum dixerat: & ecce aura intercurrente, nauis in qua erat, ab hostibus auulsa securiores reddit: videns nauim absque remige directo cursu, ad iacentem insulam tanta velocitate, per rapidas equoris vndas ferri, vt hostiles naues remige, & velis insequentibus minus aduersus illam velocitatem præualerent. Sicque directo cursu diuinitus, vt credimus, regebatur: vt cum idem portus condensis syrtibus insitus arto, & periculoso aditu, nisi à peritis nautis attentetur ad insulam pateat, impune scopulosas vndas placito portu applicarent. Hostibus itaque frustratis recedentibus, ipsi prospero equore, in quo disponebant applicãtes ad Comitẽ perueniunt: ordinem actionis suę exponentes. Quis dubitet progeniem hanc diuinitus quadam felicitate denotatam? cum in suis vtilitatibus vbi (.·.·.) putes fuisse narrantur tot felicibus successibus: fortuna etiam in suis fidelibus, vbi sua negotia exequebatur, defuisse passa non sit. Ad nominationem quippe gratiosæ fortunæ eorum, nauis hæc erepta est ab impugnatione hostium.

XXVI. Comes ergo totius progeniei suæ sustentator, citra Romam versus Siciliam,
sicuti maria ab vndique cingunt, abundantia rerum, & industria callentis sapientis con-
filii præcellebat: vnde & omnes sua negotia ad ipsum conferebant: vt sua prudentia, vt
ferrum cote à Comite resumpto ad sua disponenda prudentius callerent: & eius, vbi ne-
cesse foret, auxilio potirentur. Porro ipse omnes, quemadmodum gallina pullos sub alas,
clypeo suæ protectionis, & consilii fouens, vt pius patronus re, & consilio, pro vt poterat,
omnibus omnimode fauebat. Vnde accidit, vt Ricardus Iuuenis, Iordanis Principis fi-
lius, Princeps & ipse Auersæ defuncto patre orbus pusillus superstes, fraude Longobar-
dorum vrbe Capuana iniuste iam dudum priuatus, cum iam ad intelligibilem ætatem
peruenisset, damnum sibi illatum videns, & dolens, ac de auctoribus vltionem petere dis-
ponens, ad sibi consanguineum Comitem prudentes viros supplex illorsum, vt sibi auxi-
lium laturus accelerare nõ differat, cum seruitio suo: vice recompensationis NEAPOLIM,
quæ sibi similiter recalcitrabat, si præualere posset, fiducialiter concedens. Dux vt qui
parti consanguinei Principis fauebat, non viliori legato, quam laterali coniuge Adala, vi-
delicet Marchionis Flandrensis filia, ne cũ exercitu venire differat, ac sibimet auxilium
laturus summopere inuitat. Princeps causa auxilii, quod ab ipso sperabat, homo Ducis fa-
ctus fuerat: quod nunquam Guiscardus, cum multarum artium, & virium esset, à Iorda-
no Principe, quamuis hic auunculus, ille autem nepos, sororis videlicet filius esset, vel vi,
vel blandimentis extorquere potuit: cũ sæpissime attentatus fuerit. Comes autem pieta-
te cõsanguinei Principis, & multis verbis Ducissæ sibi à Duce delegatę, legatione depre-
catoris, & humilitate exponentis illectus, & persuasus, exercitu, qualem nunquam an-
tea habuisse dignoscitur, ab omni Sicilia, & Calabria forti imperio conflato, prima heb-
domada Aprilis, secunda pace Pharum transiens, illorsum accelerat: sed in prato Marco
* aliquantisper cõmoratus, exercitum maris tranimeatione, & arto scopulosorũ montium
transitu tardantem, dum veniat, sustinet: videns iuga montiũ Calabriæ gregibus armen-
torum, & pecorũ, sed & caprarum in vsus Sarracenorum, quorum maxima pars exercitui
intererat, occupari: vt merito à collatione similis argumenti, gregum Laban, & Iacob, si
legisses, vel certo deferente, didicisses, recordari poteras. Congregato exercitu, quis ar-
matorum millia enumeret? cum ipsa tentoria bitumine palliata vix vllo numero conclu-
di potuerunt. Tam pomposo plus solito exercitu Comes Apulos fines visum intendit: ma-
xime quia Apuli expeditionibus aliquo annorum curriculo desueti, corpus nullis plagis,
& diutinis laboribus fatigando, quin recreãdo, sibi potius indulgere, quam expeditioni-
bus iterum assuescendo insudare nitebantur: vnde & ipsum Ducem, quasi Principis
præsentialiter auxilio destitutum minus verebantur: sed per loca aduersus eum insur-
gendo, in insolentiam prorumpentes eius iussa minus exequebantur. Dux quoque simi-
li argumento, de eius versus Apuliam expeditionaliter aduentu minus credulus, nam cu-
pienti nihil satis festinatur, vt se ipsum submouendo extrahat, versus Calabriam accele-
rat. Versus Apuliam proficiscenti apud Liscum iuxta castrum Orioli occurrit: Multumq;
ad inuicem lætati, Dux quidem versus Melfam exercitum submouendo accelerat: Co-
mes autem ne greges sui deficerent, iter conficiens Beneuentum venit: ibique in plani-
cie super fluminis ripam Calorii, ad pontem S. Valentini castrametatus est. Beneuentani
autem eius aduentum pertimescentes, pacem expostulantes iam triduo occurrunt. Co-
* mes autem sciens vrbem iuri Apostolici Vrbani, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ compete-
re, susceptis mille quingentis aureis, & sex ambulatoriis vrbi, & messibus suis parcendum
indicit: indeque pertransiens super fluuium, quod Sabbatum dicitur, tentoria figens Pẽ-
tecosten celebrauit. Ipse quidẽ legatos iam pridem Capuanis honestos viros præmiserat,
submonendis hortando, vt ab inepto incepto desisterent. Se illis nil mali inferre velle: sed
potius, si cum Principe suo ius exequi velint, eorum parti cum iustitia sustentata tutamẽ-
to esse. At vbi legatis regredientibus eos nil moliri, sed potius in malitia sua superbe per-
sistere audit, inde commouens Capuanos fines peruadit: quo diluculo cum mille arma-
tis exercitum præcedens ad vrbem accedit: extractos plurimos militariter deiectos dam-
nose ludificauit: multosq; amplius læsisset, ni puluis equorum pedibus excitatus, & à ven-
to condensissime agitatus intercessisset. Sic ad castra sua reuersus in crastinum cum to-
to exerciu, vrbi se viciniorem conferens à meridiana plaga obsidione vallando, à ripa o-
rientali vsq; in occidẽtalẽ cingit. Dux autẽ, & Princeps cũ suo exercitu ab Aquilonari par-
te obsidentes vrbẽ tendũt prægrauari. Porro Comes, cuius cõsilio omnes incedebãt, quia
sollicitior, quia prudẽtior in omnibꝰ agẽdis vigilãti cura erat, pontẽ ex lignis erigẽs, ita trãs
flumẽ ordinauit, vt suo exercitui, & Ducis, libero aditu patẽte, fieret trãsitus. Sicq; vrbs ab
vtroq; exercitu in tantum oppressa est, vt nulla ex parte arida, vel liquida egrediendi tuto,
vel

vel ingrediendi aditus pateret: ipſe autem omni diluculo ante lucem ſurgens, vtrumque exercitum, pontem tranſeundo inuiſens, vtrum atteti eſſent ad excubias viſum ibat: Ducemq;, & Principem adhuc ſomno oppreſſos inueniens, ludibrio habebat. Porro ipſi rubore perfundebantur: quod iuuenes ipſi, & ad quos peculiarius negotium attinebat, ſeniores forent: Comite prouectioris ętatis, & corporis plagarũ, laborumq; aſperitatis viro vigilantiore exiſtente. Nam & ab omni exercitu eius vigilantia admirationi erat: omneſque in eius exemplo vigilantiores reddebantur.

Anno Dominicæ incarnationis MXCVII. ibi ſe imprægnauit Comitiſſa Adalaſia de Comite Rogerio.

XXVII. CVM iſta aguntur Papa Vrbanus colloquium Ducis & Comitis deſiderans, à Roma progrediens, apud Capuam, vbi obſeſſionem tenebant, venit: Comeſq; ſex tentoria illi deliberans ad hoſpitandum, ſumptus neceſſarios abundantiſſime miniſtrauit. Porro ipſe ſciens ſcriptum, Beati pedes euangelizantium pacem, &, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, & alibi ſcriptum eſt, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum: & maxime quia ſciebat, ſe totius Chriſtianitatis curam ſuæ prouiſioni delegatã, de pace inter ipſos reformãda primo Ducẽ & Comitẽ, Principẽq; pariter cõueniens attentare cœpit. Qui conſilio Comitis prudenti reſponſione vſi, in præſentia Apoſtolici, copia beati Petri dicunt ſe ius inire: ſi à Capuanis pari diſcrimine idem exequatur conceduntur. Papa infra vrbem idem de Capuanis reſcitum vadens, dum ab vtriſq; partibus conceditur, ſpe conficiendæ pacis fruſtra gaudens, renuntiat. Dies diſputandi ſtatuitur. His opponentibus, & illis, prout ſe ſe res habebat, reſpondentibus, graui ſyllogiſmo Capuanis, à iudicibus legaliter concluſio determinatur. Capuani audientes ſe iudicio prægrauari, vel oppoſitione, vel rationabili contradictione contra iudices vſi, publice ſe iniurioſos oſtentantes, exequi vel nolle, vel non poſſe denuntiant. Quod audiens vir Apoſtolicus, & quia hæc ab illis exequendi internuntius fuerat, aliquantulum erubeſcens, gladio beati Petri animaduertens interminatur: parti noſtrorum ex toto fauendo ſe contulit: conſtantiam Comitis in fortia exercenda perplurimum laudans: vitamq; eius omni curæ Romæ, & Italiæ perneceſſariam aſſerens. Nam timor eius plures ab inſolentia, pluſquam zelus honeſtatis compeſcebat. Apoſtolicus itaq; eccleſiaſticis negotiis, pluſquam expeditionalibus exercitiis intentus, totalibus tumultibus mente declinatis, his tribus Principibus, ſed, & omni exercitui Apoſtolica benedictione conceſſa, Beneuentum ſeceſſit.

XXIIX. COMES autem cum Duce, & Principe in oppugnatione vrbis attentiſſime perſiſtente, machinamenta ab vrbem capiendam artificioſiſſime aptant. Capuani primo ludibrio habere, contemnere, ad defenſionem ſe ſe ad inuicem cohortari. Duci tamen, vel Comiti ſe, ſi retinendo recipere velint, vrbem reddere attentant. Sed nobiliſſimi Principes hãc fraudem ſibi nullatenus aſſumere volentes, niſi vt Principi reddantur, adquieſcere paſſi non ſunt. At vbi Capuani machinamenta apparata verſus vrbem appropiare vident, quæ prius ludibrio habebant, exhorreſcentes, deditione vrbis ſe ſe, conſilio Comitis committũt. Sicq; ipſo mediatore vſi, vix ſuę fraudis impunitas impetratur. Principi pro libitu ſuo vrbs Capuana reſtituitur. A principe Duci, & Comiti gratiæ referuntur. Dux, & Comes apud Salernum pariter digrediuntur. Princeps vrbem ſuo libitu vindicans, in altiori turri triumphaliter hoſpitatur.

XXIX. PAPA vrbem redditam, & pacem inter ipſos factam audiens, & gaudet de fraude compreſſa & de pace confecta: ſed quia Ducem, & Comitem Salernum receſſiſſe audiuit, nolens Comitem, donec ſibi loquatur, verſus Siciliam remeare, illorſum accelerat. Venienſq; cum Archiepiſcopis apud Sanctum Matthæum, vt cum debito honore eum acciperet, cum proceſſione præſtolatur: & tamen propter amicabilem venerationem, quam verſus Comitem habebat, primum ad eius hoſpitium eum amabiliter viſum vadit: diuq; eius colloquio vſus, ad proceſſionem, quæ præſtolabatur, ſuſcipiendus acceſſit: in craſtinumq; conuenientes, alter alterius colloquio cum maxima dilectione fruuntur. Sed quia ipſe Apoſtolicus iam dudum Robertum Epiſcopum Trainenſem, Comite inconſulto, legatum in Sicilia, ad exequendum ius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ poſuerat, perpendens hoc Comitem graue ferre, & nullo modo, vt ſtabile permaneat, aſſentire: cognoſcens etiam ipſum Comitem in omnibus negotiis eccleſiaſticis exequendis zelo diuini ardoris exferueſcere, caſſato, quod de Epiſcopo Trainenſi fecerat, Legationem beati Petri ſuper Comitem per totam Siciliam, vel habendam hereditaliter ponit: ea diſcretionẽ, vt dũ ipſe Comes aduixerit, vel aliquis heredum ſuorũ zeli paterni eccleſiaſtici executor ſuperſtes fuerit, legatus alius à Romana ſede, ipſis inuitis nullus ſuperponatur;

sed si qua Romanæ Ecclesiæ iuris exequenda fuerint, chartulis à Romana sede in Siciliam, vel Calabriam directis, per ipsos consilio Episcoporum earũdem prouinciarum auctentice definiantur. Quod si Episcopi ad Concilium inuitati fuerint, quot, & quos ipsi Comiti, vel suis futuris heredibus visum fuerit, illuc dirigant: nisi forte de aliquo ipsorum in Concilio agendum sit, in Sicilia, vel Calabria in præsentia sua auctentice definiri nequiuerit: & ad hoc commissum perpetualiter permanendum, priuilegio suæ auctoritatis firmauit: cuius sententiam subtitulamus.

VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei carissimo filio R. Comiti Calabriæ, & Siciliæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam supernæ maiestatis dignatio multis triumphis, & honoribus exaltauit: & probitas tua in Sarracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatauit, sanctæque sedi Apostolicæ deuotam se multis modis semper exhibuit, nos in specialem, atque carissimum filium eiusdem vniuersalis Ecclesiæ assumpsimus, idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita etiam litterarum auctoritate firmamus: quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui heres exstiterit, nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem, aut consilium vestrum legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus: quinimmo, quæ per legatum acturi sumus, per vestram industriam legati vice exhiberi volumus: quando ad vos ex latere nostro miserimus ad salutem videlicet Ecclesiarum, quæ sub vestra potestate existant, ad honorem beati Petri, sanctæque eius sedis Apostolicæ, cui deuote hactenus obedisti: quamque in opportunitatibus suis strenue, ac fideliter adiuuisti. Si vero celebrabitur concilium tibi mandauero, quatenus Episcopos, & Abbates tuæ terræ mihi mittas: quot, & quos volueris mittas: alios ad seruitium Ecclesiarum & tutelam retineas. Omnipotens Dominus actus tuos in beneplacito suo dirigat: & te à peccatis absolutum ad vitam æternam perducat. Dat. Salerni per manum Iohannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi III. Nonas Iulii. Indictione VII. Pontificatus Domini Vrbani Secundi XI.

EXPLICIT OPVS GAVFREDI MONACHI.

ROGERII SICILIÆ REGIS RERVM GESTARVM LIBRI QVATTVOR: ALEXANDRO Celesini Cœnobii Abbate auctore.

ALEXANDER Celesini cœnobii immeritus Abbas vniuersis in Christo positis salutem. Non ab re esse reor, si res olim gestæ, in memoria scripto habeantur. Nam in eis plurimum fertur commodum: in quibus quid tenendum, quidve sit cauendum satis agnoscitur. Siquidem ipsa bellica acta, cum bona non esse cernantur, ideo tamen conscribuntur, quia, vt non fiant, quodammodo innuunt: immo iubent: vt & pacis vinculum desiderabilius deinceps perseueranter in nobis vigeat: faciliusque non queat dissolui: Quam ob rem merito me quis culpare non debet, si militaria gesta, quæ modernis temporibus acciderunt, ad posterorum notitiam stylo comprehensa monachus retulerim: cum etiam in sacris veteribus historiis, videlicet Saul, & Dauid, ceterorumque Regum multa his similia narrantur: quæ in cunctis per orbem Ecclesiis ad proficuum audientium legi non prohibentur. Malui igitur à Cœnobialibus ad tempus curis, & sine quolibet segregari damno, quã ea inutili suppressa silentio, taliter infructuosa manerent. Ad perficiendum tamen opusculum istud importuna me valde Comitissæ Mathildis sororis Regis Rogerii, coniugisque Ranulphi Comitis precatio impulit: cuius quidem petitionem, etiam si primo propter ordinis rigorem, subterfugere volui, postmodum vero me ei non assensisse pœnituit. Coniiciebam

bam enim futuris temporibus, quod ab ea poscebatur, indubitanter profuturum non deesse. Nunc igitur eiusdem Regis gesta ad perpetuam conscribenda memoriam assumantur: qui primo quales pueriles gesserit actus, quiq; post Siciliensis Comitatus honorem, qualiter ad Ducalem apicem, deinde quomodo ad Regiam prouectus fuerit dignitatem: seu quanta diebus nostris in hoc saeculo excelluerit potentia: quantove etiam terrore prouincias omnes à Sicilia, Romam vsq; conterens in breui sibi subdiderit: summa tantum carpendo in hoc propaletur volumine. Cuius quoq; praecellentissima virtus, etsi in vindicandis tot regionibus sibi satis facere gestiuit, tamen, vt quae in ipsis multum superfluebat iniquitas, iam finem acciperet, huius quoq; erat occulto Dei iudicio conterenda flagello. Nam sicut ipso Deo disponente, vel permittente, vigens Longobardorum nequitia superuenientium Normannorum violentia olim comprimenda fuit, ita & nunc certum est Rogerio caelitus datum, vel permissum fuisse, harum scilicet regionum immensam gladio suo coerceri malitiam. Quid enim tunc mali non in ipsis exercebatur? Quippe omni timore abiecto, caedes hominum, furta, rapinae, sacrilegia, adulteria, periuria, necnō Ecclesiarū, manasteriorum oppressiones, virorum Dei contemptus: pluraque his similia fieri non desinebant. Peregrinorum quoq; pro Deo itinerantium alii praedabantur, alii vero, pro rebus eorum diripiendis, in abditis locis perimebantur: quibus facinoribus plurimum Deus offensus idcirco Rogerium de vagina prouincię Sicilię extraxit, vt eundem quasi gladium acutum in manu tenēs, harum perpetratores iniquitatum, per eum percutiendo comprimeret: atq; ad viam iustitiae, quos incorrigibiles valde diu sustinuerat, eius conterriti terrore reuocarentur. His ergo in pręfatione paullulum pręlibatis, ad narrandum eius initium iam veniamus.

Igitur Wilielmus Dux Apuliae postquam humanis rebus morte interceptus excessit, qui nepos Roberti Viscardi robustissimi fuerat Ducis, videlicet genitus à filio ipsius Rogerio, qui secundus ei ad suscipiendum Ducatus successerat apicem, contigit: vt haec ipsa iam facta prouincia, aliaeq; circumquaque positę regiones ingenti possiderentur calamitate: vt pote quae absq; regiminis Ducalis habena fuerant postpositae. Quippe Dux ipse legitima carens prole, heredem iure sibi succedentem moriens non reliquerat: vnde accidit, vt & ipsarum Ducalium vrbium scilicet Salerni, Troiae, Melfiae, Venusii, ceterarumq; quae sine domino, & Duce relictae fuerant, quaedam istius, quaedam illius tyrannica ambitione surriperentur. Sed & singulis quibusque, quod placitum erat in oculis ipsorum, nemine contradicente agere liceret. Nemo quippe tunc vlla corporis punitate exterrebatur: ideoque ad malum operandum magis ac magis vniuersi effrenabantur: ita vt non solum viatoribus iugis fieret metus, verum etiam agricolis ad excolendum agrum exire cupientibus securitatis quies deesset. Quid plura? nisi Deus Guiscardinae pertinens prosapiae reliquisset semen, per quod cito Ducatus recuperaretur monarchia, omnis paene siquidem terra nequissimis inuoluta facinoribus in humanę mentis pręcipitiū ruitura periret. Quis itaq; illud fuerit semen nūc subiungēdo manifestetur. Semen itaq; illud fuit Rogerius filius Rogerii Siculorū Comitis: fratris praedicti Guiscardi: qui tēpore, quo supra memorata gerebant, Siciliensiū degebat Comitatu: cuius quidē q, & quales in se pueriles fuerint act⁹, hic primo, licet summatim, recolere dignissimū duxi.

Hvic quippe vnicus erat frater primogenitus nomine Simon: qui patri obituro ad suscipiendum ipsius prouinciae dominium successurus erat: quem quidem, vt moris est puerorum, nummo ad bellum ludendo prouocabat. Hic namq; ludus ei prae ceteris ludis specialissimus inerat. Cum ergo vterq; cum singulis puerorum cateruis ad hoc accitis praeliarentur, superabat minimus Rogerius: vnde deridens fratrem suum Simonem aiebat. Me quidem sic triumphare dominat⁹ honore post funera patris potius condecet, quam te. Quapropter cum id potitus fuero, te aut Episcopum, aut vel Romę Papam, quod magis tibi cōpetit, cōstitutur⁹ ero. Cūq; crebro sic superando talia in eū insultātius verba proferret, iam in se portēdebat, quod vere dominus ipse post patrem futurus esset: quodque nonnullas vt in sequentibus apparebit, pluribus longe, lateque terris subactis, consecuturus esset victorias.

Factvm est autem dum Simon genitorq; Rogerius vi numinis ad extrema peruenissent, Rogerius minimus ad potiendum prouinciae ipsius Comitatum heres succedit. Sed quia adhuc tenera cōprimebatur aetate, nec poterat hac prępeditus, dominatus exercere curas genetrix illius Adalesia nomine mulier prudentissima, quousque ad aetatem ipse pertingeret legitimam, regimen sub se peragendum ipsius Comitatus accepit. Hic namq dum adhuc puer sub matris tutela degeret, persaepe tanta mouebatur pietatis gratia, vt non pauper, vel peregrinus ab eo vix sine stipe recederet. Plerumque enim cum

quid dare non haberet, genitricem adiens petebat, quatinus sibi conferret, quod inopi largiturus esset: cui etiam, quatinus à se ad ipsum fieret, magnopere fusis precibus suggerebat.

Cvm autem adoleuisset, factusque miles dominatus iura per se agere deberet, tanta vtebatur industria, tantaque virtutis fulciebatur gratia, vt totam Siciliæ prouinciam optime, strenueque regens sub omni terrore constringeret: adeo vt non fur, non latro, aut raptor, siue quislibet malefactorum ex latebris suis prodiens apparere auderet. Auro vero, vel argento, ceterisque rebus ita opulentissimus erat, vt cunctis prægrandem ex hoc ipso stuporem ingereret: vnde non solum à suis, verum etiam ab alienis, seu longe positis quam maxime timeretur. Inuaserat enim & alias insulas: quarum vna Malta vocabatur: cumque ad alias iterum occupandas insulas, terrasque attentius persisteret, repente audiuit præfatum Ducem Guilielmum ab hac luce Salerni decessisse: qui doluit valde, quod se ignorante defunctus sit: quodque se, vt sibi viuens statuerat, si filium non haberet, heredem non fecisset. Vnde moram non patitur: sed præparato nauali itinere, quantocyus Salernum tetendit.

Cvmqve non procul ab vrbe, nauibus infra mare fixis constitisset, delegatis nuntiis Salernitanis ciuibus misit: quatinus eidem subderentur: nam potius sibi, quam alteri dominatus eiusdem ciuitatis, generis successione competebat: quod & Guilielmus Dux si ex coniuge nato cariturus esset herede, viuens ei cõcesserat. Quibus illi respõdentes, Nos nullo modo inquiunt, nullave ratione ei subdemur: quoniam plura malorum à Guilielmo Duce, eiusque prædecessoribus perpessi sumus: quæ etiam ab eodem ipso nobis inferri, si dominatus culmen super nos susceperit, formidamus. Cumque hæc, & his similia ab eis superbo ore proferrẽtur, atque magnas quidam Sarolus nomine, vnus ex illis, qui ex parte Comitis verba detulerant, dura cõtra eos pro hoc ipso verba reddidisset, mox illis in eum furore concitatis, dum fugam euadendi infelix ageret, ferro ab ipsis succissus interiit.

Qvæ Videlicet cum Rogerio relata fuissent, licet cordis dolore intrinsecus quam plurimum tangeretur, animi sui impetum pro tempore grauitate obuoluens, rursus mittebat exorans eos, quatinus, quod sibi iustum ad habendum erat, non denegarent. At illi super hoc iterũ atq; iterũ multipliciter secũ cõferentes, tandẽ talia respõdentes dixerunt. Concedatur nobis munitio turris maioris ad custodiendum: sicque post dominio ipsiꝰ subdemur. Quo audito ille, quamquam super hoc per nimium aggrauaretur, sub ditionem tamen ciuium accepturus, prædictam arcem eis pro nutu ipsorum conseruandam annuit.

Comes Ranulphus fit vasallus Rogerii Siciliæ ducis.

Rogerius Orianensis Comes fit vasallus Raynulfi Comitis.

Interea Comes Ranulphus, qui eius iam sororem nomine Mathildim in coniugium duxerat, audiens illum Salernum aduenisse, continuo pergens inuenit eum in mari, in eodẽ adhuc loco quo prius substiterat, persistentẽ: vbi cũ post multa verborũ Rogerius eius hominium subdendum postulasset, illeque, nisi forte quid sibi ab eo daretur, pro quo id fieri deberet, recusaret, percunctatur mox quid sibi per hoc ab eo conferri gestiret. At ille volo inquit, quatinus si mei submissione hominii honorem consequeris, sic versa vice Rogerii Orianensis Comitis me subditione honores: quod cum audisset grauiter accepit: abnuens parem pari submitti. Vnde dum vterque post inter se vicaria duorum prolatione verborum altercarentur, Comesque deinceps Ranulphus animi indignatione motus penitus recedere vellet, tandem Rogerius eum abire non passus, tam pro coniugali Mathildis copula, qua ei propinquus existebat, quam pro strenuitatis suæ nomine, quam sibi in adquirendo Apuliam omnino profuturam sperabat, eius suscepto hominio, subdidit ei præfatum quem poposcerat Comitem: deinde cum accepta fidelitate Salernum ingreditur. Amalfitani deinde videntes Salernitanos Comiti colla subdidisse, & ipsi itidem ei retentis munitionibus subiiciuntur.

Dux Rogerius excommunicatur.

Per idem tempus Romanæ Ecclesiæ Pontificium Honorius Papa secundus administrabat: qui Romæ obitum Guilielmi Ducis percipiens, nec nõ Siciliensem Comitem Ducale iam ambire regimen cognoscens, doluit valde: atque sine dilatione vrbem egressus, Beneuentum properat: deinde missarum celebrans sollemnia, ipsum publica voce anathematis iaculo perculit: si Ducale obtinere culmen vlterius conaretur: vel quisquis ei ad id nanciscendum, consilium, auxiliũve tribueret. Vnde factum est, vt & ipse Ranulphus Comes ab eo, quamquam male consultus, penitus auerteretur: modis omnibus nitens præpedire eum, ne Ducatus quiret conscendere apicem.

Verum Rogerius Salerni commorans cum audisset, quod Papa Beneuentum petisset, atque in se excommunicationis intorsisset iaculum, misit ad eum orans, vt non ab Ec-

ab Ecclesia dominatum, Ducalemque honorem generis iure sibi competentem conscēdere prohiberetur: nam ei, prout, æquitas imperaret, de eiusdem Ducatus culmine libenter ipse obsecundaturus esset. Papa vero iis perceptis, nulla, ratione, nullove pacto eius precationibus flectitur: immo amplius illum excommunicando feriens expellebat. Porro Rogerius indignationem adhuc illius patienter sustinens, misit iterum, atque iterum, quatinus eum suscipiens, quod se habere iure decebat, non denegaret. At contra Papa eodem modo quo supra in eum, obstinatissimum gerens animum, nullo modo desiderio ipsius assensum præbere volebat.

Post hæc autem prædictus Præsul à Troianis ciuibus accitus, eorum hominium, flagitantibus ipsis accepit: vbi quidem vniuersi Apuliæ ad se venientes Magnates aduersum Rogerium ita, eodem sollicitante, fœdere ei vniuntur, vt non, nisi aut illum penitus expellerent, aut in bello si possent, de terra necando delerent. Ex quibus fuerunt Grimoaldus Barensium Princeps, Gofridus Comes Andrensis, Tancredus de Conuersano, atq; Rogerius Orianensis Comes, aliiq; complures: quorum scilicet vnanimitati & Robertus Capuanorum Princeps eiusdem Papæ hortatu, Comitisque Ranulphi instigatione consociatur. Nec mora: præfatus Apostolicus Beneuentum repedat: ibique non longa intercedente mora rursus Troiam reuertitur: qui ibidem Episcoporum celebrans concilium Rogerium iterum, vel quisquis ei ad adipiscendum Ducatum consensurus, seu opem collaturus esset, ab Ecclesia excommunicando eliminauit: cumque his peractis denuo Beneuentum remeasset, Rogerius rursus legatione ad eum directa suppliciter precatur: quatinus anathematis sententia remota, Ducaliq; sibi dignitate concessa, seruitium eius susciperet. At ille rursus in eodem ipso quo supra, immobili mente persistens, petitioni suæ nullatenus adquiescit.

Grimoaldus Princeps Barensis. Gotfridus Comes Andrensis. Tācredus de Conuersano Comes. Rogerius Orianensis Comes. Robertus Capuanorum Princeps.

Rogerius tantam ipsius insolentiam, animumque eius ita inflexibilem spectans ad Siciliam transuectus nauigio redit: quatinus quod humilibus verbis obtinere non poterat, armorum violentia reuertens adipisceretur. Cuius abscessu cognito Papa & ipse Romam quantocyus potuit, repetit: vti inde bellicam aciem ducens aduersus eum, simul cum præmemoratis Principibus obsistere deberet: si forte cum hostili manu Ducatum inuasurus rediret. Multa quidem præterii: quoniam summa tantum, atq; extrema, sicut in procemio iam dictum est, enarrare proposui.

Igitur Rogerius cum apud Siciliam, quousque ad bella solitum est procedi, demoratus fuisset, coacto nimium immenso exercitu fretum Pharense transuadauit. Qui inde mouens ad turrim, quę Humfredi dicitur, constringendam properat: quam quidem cito comprehensam ad solum vsque subuertit. Deinde Tarentum perueniens ciuibus se se dedentibus, mox eam obtinuit. Cuius post obsidionem Hydruntini ciues pertimescētes, ciuitatem & ipsi, seseque ei submittunt. Hæ quippe vrbes Boamūdi iuris fuerant: quas ipse, omnemque terram suam, cum ad potiendum Principatum Antiochiæ, transmarinum peteret iter, Apostolicæ prius fertur tutelæ commisisse. Verum ille eiusdem ciuitatis decoratus Principali infula, breui intercapedine posita, in loco, quo se tutum omnino cū suis fore putabat, subito à Turcorum interclusus acie, cum multis aliis digladiatus finem vitæ dedit. Deinde super Brundusium vrbem prædicti Tancredi veniens, eam nimio obsidionis rigore tamdiu oppressit donec vrbicolæ non diu tolerantes, ciuitatem ei seseque dedere: quo facto ad oppidum, quod nominatur Castrum, obsessurus festinat: quod quidem sine dilatione capitur. Post hæc autem oppidum, quod nuncupatur Oira adiens, cōtinuo illud aggreditur. Præterea, & alia eiusdem castra capiuntur: quorum nunc nomina nequaquam recoli ignorationis necessitas cogit.

Honorius itaque Papa cognoscens Siculorum Comitem mare transmeasse, terrasq; Boamundi, atque Tancredi ex parte iam occupasse, cum militibus ferme trecentis reuertitur: mandans Principi Ruberto, Comitique Ranulpho, ceterisque per Apuliam præmemoratis Principibus quatenus militaribus collectis agminibus, secum hosti Rogerio iam imminenti armis obuiaturi procederent. Comes igitur Rogerius comperiens prefatam expeditionem ad se debellandum properare, mouens se ad fluuium Bradanum, vbi vadus Petrosus dicitur, castra figi præcepit. E contra vero Papa cum omnibus suis appropinquat: in tantum, vt medius inter eos fluuius ipse difflueret. At Rogerius cum dominum Papam expeditioni illi interesse percepisset, reuerentiam illi ita exhibebat, vt vitaret eum contingere: ne contra Deum, spreto ipsius vicario, repugnare videretur. Quin etiam ad eum legatione semel, ac iterum facta flagitabat, vt ei anathematis vinculo absoluto, Ducatum etiam iure generis sibi succedentem liceret accipere.

CVMQVE sic hi, & illi sine rerum effectu diutius permansissent, Magnates Principis Roberti, deficientibus sumptuum stipendiis, egere incipiunt adeo, vt & plures illorum chlamydes suas distrahentes, cibos sibi mercari compellerentur. Vnde factum est, vt quidam eorum inediam non vltra ferentes, latenter recederent. Apostolicus vero cognito quod Baronum, militumque murmur instaret, eo quod multum temporis militare sustinentes exercitium, egestatem pati cogerentur, vellentque se se dimisso, recedere, fultos consilio ad Rogerium clam, festinanter præmisit: pollicens illi Ducatum annuendum: ita tamen vt prius Beneuentum petens, suum ei ibi hominium subderet: sicq; postea ipsum à se Ducatum ex more acciperet. Hoc quoq; illo annuente, simulq; ab vtraq; parte firmato, Apulienses heroes comperto hoc, mox dissolutis papilionibus, ad sua cum dedecore reuertũtur: culpantes pernimium Papam, quod sine eorum consensu, cum hoste Rogerio concordatus fuisset.

CVM ergo Præsul Beneuentum redisset, ecce Rogerius adueniens in montem S. Felicis, haud longe à Beneuento positum ascendit: militari eius cuneo in deuexum eiusdem collocato montis. Post diem vero tertium præfatus Pontifex ab eo accitus paullulum ab vrbe progreditur: ipsiusq;, vt moris est, hominio suscepto, cum vexillo Ducale eidẽ tradidit regimẽ. At Rogerius Apostolica roboratione Dux constitutus, secundũ quod inter se iam proposi um fuerat, sacramentum ei fidelitatis per omnia seruandum exhibuit: quibus peractis Papa ad palatium reuertitur: Dux Troiam festinus obsessurus pergit: quę quidem & si strictius ab eo obsessa teneretur, tamẽ ei à ciuibus omnino resistebatur. Nam Troiani præscientes obsidionem ipsam super se venturam, vrbem nimium præmunierant: vnde eum obsidentem aud aciores paruipendebant. Cum ergo Dux ibi aliquandiu moratus ciuitatem etiam munitissimam fore conspiceret, nilque tunc ad capiẽdum eam, ob hiemem iam imminentẽ se proficere posse pręuideret, remota obsidione, interim ad recipiendum Melfam, aliasque Ducales vrbes festinat: quæ iam legatis præmissis, vltro se se ei subdendas mandauerant: quibus receptis expeditionem bellicam ad propria redire iubet: sicque Salernum reuersus, ibique parumper moratus, ad Siciliam cum multo iterum inde reuersurus exercitu, remeat. Qui dum apud eandem prouinciam morãs, Apuliæ absentaretur, Tancredus suis interim persuasionibus Brundusium ciuitatem, & oppida, quę inuadente eo amiserat, recuperauit.

FACTVM est autem, cum tempus egrediẽdi in hostem opportunum successisset, Dux Rogerius collecta rursus militari expeditione fretum, quod Pharum dicitur, transmeauit. Exinde moto exercitu cœpit huc, illucque terras sibi omnes militari violentia occupare. Cum ergo ex parte recuperasset oppida, quę iam Tancredus eo absente resumpserat, tandem iterum Brundusium, vt eam recuperet, obsessurus vadit: qui cum longa in obsidẽdo mora traheretur, nilque tunc ad obtinendum eam posse proficere præuidisset, dimittens eam ad tempus, ad alia interim aggrediendum oppida accelerat.

Robertus de Grantimania reddit prouinciã suam Rogerio duci & redit in Galliam.

VENIENS itaque super Castrum superius iam memoratum, continuo, quod se ab eo obauertens Tancredo adhæserat, illud euertit. Deinde cum Montis alti oppidum ab eo obsideretur, Robertus interim de Grantimania se ei præsentans rogitabat eum, vti ei iam ad sua redeundi licentiam largiretur. At ille, quare inquit hoc flagitas? Cui ille respondit: ideo recedere quæro, quoniam inedia constrictus exercitus huius, laborem vltra perferre non valeo: nam feudum, quod videor habere, modicum quidem valde est: nec ad sustinendum diu militare sufficit exercitium. Sciatur itaque, quoniam si illud non mihi modo adauctum fuerit, ipsum militare opus non amplius tibi seruiens exercitaturus ero: sed trans Alpes, ad terram consanguineorum meorum pergam: quo quidem sine inopia ero mansurus. Cui Dux noli inquit, precor rem hanc agere: sed parumper attendere: quousque vniuersa mihi subiiciatur Apulia: sicque postmodum quod quæris tibi proculdubio adimplendum erit. At ille videns differri quod petebatur, mox more suo, ira succensus ait: Si nunc quod peto non dabitur, iam vltra à te mihi illud dari non pręstolabor: nec etiam quæ nunc à me tenetur, terram, eo quod modica sit, amodo tenere cupiam. Cumque hæc, & his similia affatus ei se absentasset, protinus sine ipsius nutu, male consultus ab hoste discessit: quod quidem Duci quantum displicuerit, in sequentibus aperietur.

Alexander Comes.

CAPTO itaque Monte alto, Rubeam præfati Tancredi vrbem inuasurus properat: qua deuicta Alexander Comes, Tancredus, Grimoaldus Barensis Princeps, nec non Gofridus Comes Andrensis tantam ipsius potentiam experti, saniori consilio inter se habito, mox ei subiiciũtur: vnde Tancredo ipsi Dux animo iam sedatus terras quascumq; abstulerat, reddidit: quibus deinde præcepit, vt post ipsum ad obsidendum secum Troiam celeri-

celeriter accessuri essent. Porro Troiani percipientes præfatos Magnates Duci colla iam subdidisse, confusi sunt valde: qui etiam ne sine tutore existerent, miserunt ad Robertum Capuanorum Principem, quatinus citò veniens dominium super se susciperet: atque à Duce, qui iam instare cernebatur, protegeret. At ille nolebat ad eos ire: verens certa pro incertis neglegere. Ad hæc Comes Ranulphus iratus respondit: Ego inquit, si tu non vadis, nullo modo agam, quin eis auxiliaturus pergam: qui cum Troiam ingressus fuisset, ciues alloquitur: mutuoq; firmata fidelitate, eos se contra Rogerium protecturum firmissime spondet.

Robertus Capuanorum princeps eligitur & dominus Troiæ sed recusat. Sic vrbem recipit Ranulphus Comes.

VERVM Dux appropinquans venit super Salpim: moxque eam obtinuit: qui audiens Ranulphum Comitem contra se Troianos velle tueri, indignatur valde, dicens: Si Comes Ranulphus terram meam abstulit, ego vadam, relicta interim Troia suam ei ablaturus. Cumq; prætergrediens Troiam, ad castrum, quod dicitur Grentium peruenisset, Comes Ranulphus putans eum ad terram suam inuadendam, sicut dixerat, velle ire, verensque eam amittere, præmisit legatos suos post eum: per quos cito concordia ipsius secum habenda flagitetur. Cumq; Dux cum eodem, si Troiam de se tenere vellet, se concordaturum promisisset, confestim ille Troianis, dimissis, ad castra ipsius, qui in prędicto adhuc loco morabatur, concitus iuit. Deinde seorsum habito vicissim colloquio, pactoq; alterutrum cōcordiæ constituto, Comes ad propria regreditur. Dux autem Troiam obsessurus rediit: ad quam videlicet obsidionem supradicti Proceres, vt eis imperatum fuerat, accelerarunt. Quid longius moror? Vrbs quippe obsessa in tantum constringitur, vt infra paucos dies vellent, nollent Duci subderentur. Troia itaq; capta, ceteræ vrbes Ducales tumore mentis magis deposito, humilius eidem subiiciuntur: atq; ita omnis ei Apulia sine vlla contradictione submittitur.

POST hæc autem Rogerius agens exercitum vadit ad oppidum, quod vulgo nominatur Lacupesulum: in quo videlicet loco Robertum de Grantimania reperiens, coram omnibus super eo querimoniam egit: quod sine ipsius nutu cum Montem altum obsideret, ab exercitu abscesserit: profitens id ad damnum sui, ab eo actum fuisse. At ille, absit inquit hoc à me: sed vt trans montes ad terram parentum meorum pergerem, recessi. At Dux: si ergo inquit ad Transalpinas terras festinare desideras, terras quas modo possides, quasque etiam te vltra non velle tenere confessus es, nunc coram omnibus renunties: cui ille respondit: accipe eas cito: eo duntaxat tenore, vt mihi securi er liceat abire. Quid plura? Dux statim terris ipsius receptis, continuo ei abeundi licentiam dedit.

Rogerius Dux tota Apulia potitur.

HIS QVOQVE peractis Dux Melfiam properans, cunctos Apuliæ Optimates ad se conuenire iussit: quibus etiam inter cetera edictum dedit: vt in pace permanentes alter utrum non aduersarentur. Simulque eos iurare compulit, vt ab ipsa hora, & in antea iustitiam, & pacem tenerent: & adiuuarent tenere: nec manutenerent homines, qui latrocinium, aut rapinā facerent in terris suis: nec esse consentirent. Et si aliquis ibi huiusmodi malefactor reperiretur, sine fraude, curiæ suæ, in loco à se constituto, vt iustitia ex eo fieret, præsentarent: & quod ecclesiasticis personis, & rebus earum, videlicet Archiepiscopis, Episcopis Abbatibus, monachis, omnibusque clericis, laboratoribus, villanis, & cuncto populo terrę suæ dominationis cū rebus eorū, nec nō peregrinis, viatoribus, mercatorib⁹ pacē tenerent: & obseruarent: nec eos inquietarent: nec inquietare ad suū posse permitterent. Vnde non mirum si terras sibi omnes Deo cooperante subiicere poterat: quoniam quidem in omni dominationis loco huiusmodi iustitiæ assiduo rigore promulgato, pax continua, in qua secundum Psalmistam factus est locus eius, perseuerare videbatur. Quomodo enim pacis bonum deesse poterat, vbi nullus quidem malefactor, terrore ipsius coercitus prodire auderet? Cum ergo ibi Dux aliquandiu moratus hæc, & his similia ad commune proficuum disposuisset, Baronibus ad sua redeuntibus, Tarentum ipse regreditur: qui verens, ne Robertus supradictus recedens aliquando quidquam ei aduersi moliri satageret: iurare eum ante discessum compulit quatinus vltra montes abiens, ibi in perpetuum degeret: neque iam amplius Apuliam ad inhabitandum requireret. Quod cum ille iuramento firmasset, hoc modo liber abscessit. Dux post hæc ad Siciliam remeat.

IBI cum ad tempus vsque opportunum moratus fuisset, audiens præfatum Robertum violato sacramento reuersum, atque oppidum Orgeolum, nec non Costrum villæ contra se pugnaturum recepisse, iratus fretum Pharense, Siculorum exercitum agens transmeauit. Deinde Calabrorum, Apulorumque etiam bellicis adscitis agminibus, cum immensa animi indignatione super illum iuit: quem quidem omnimodis ita obsidione sæuissima constrinxit: vt intra paucos dies sese ei vellet, nollet, subiiciens, oppida etiā ipsa

cogeretur dimittere. Deinde Salernum adiens, eam acerrima circumcinxit obsidione: quatinus ei à ciuibus munitio turris maioris, quam eis custodiendam, petentibus ipsis, non corde annuerat, redderetur. Non enim se vrbis illius dominari arbitrabatur: quãdiu arx illa non ei subesse cerneretur. At illi videntes se nullatenus posse obsistere, sine dilatione concesserunt quod ab ipso flagitabatur.

QVIBVS ita finitis, non diu post cum ipso exercitu mouens, se in terram Rogerii Orianensis Comitis tendit: secus oppidum, quod nominatur Apitium, castrametatus: ibique tamdiu ex industria moratur, quo vsque terra eiusdem Comitis pæne omnis à suis circumquaque frumentatoribus depopularetur. In magna namque Dux simultate prædictum Comitem tunc habebat: quem quidem eum erga se non recta fide iam incessisse relatione didicerat. Qua de re coram omnibus post impetiturus, cum se à noxa per iudicium excusari non posse cerneret, Padulum ei propter hoc atque Montemfuscum, duo scilicet ingentia castra consulitur vltro dimittere. Quod cum factum fuisset, mox ab animo Ducis sic exclusa simultas cessauit.

VNDE progrediens Troiam iterum obsidione circumsedit durissima: cuius ciues, sicut & Salernitani egerant, & ipsi nihilominus egere. Nam castrum, quod ab eisdem, Guilielmo Duce ab hac decedente luce, destructum fuerat, reædificari etiam volentes concedunt. Dux ergo tot, tantisque successibus potitus, Troia lætus continuo recessit: Melfiam petiturus. Vbi etiam munitionem, quæ à ciuibus, iubente eodem Duce, subuersa fuerat, restitui compellit. Tunc temporis & Robertus Capuanorum Princeps solo nominis sui terrore constrictus suo subditur dominio. Nec multo post Salernum rediens ad Siciliam inde remeauit. Nunc itaque in hoc loco primus de Ducatu claudatur libellus: quatinus ad ea, quæ iam Rex constitutus gessit, commemoranda stylus vertatur.

Robertus Capuanorum princeps fit vassallus Rogerii ducis Siciliæ.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

VM Dux Rogerius per omnia lætis potitus successibus, totas Boamundi terras, omnemque Ducatum in integrum potentissime obtinere videretur, nec non Capuanorum Princeps, Magisterque militum NEAPOLITANVS, omnisq; terra, quæ erat vsq; pæne fines Anconitanę vrbis, bellorũ cunctis contrarietatibus sopitis sibi subderẽtur, sæpissima sibi ac familiari quorundã, maximeq; Hẽrici Comitis auũculi sui, à quo plus aliis diligebatur, cœpit suggeri collocutione: videlicet, vt ipse, qui tot prouinciis Sicilię, Calabrię, Apulię, ceterisq; regionibus, quę pęne Romã vsque habentur, Domino cooperante dominabatur, nequaquã vti Ducalis, sed Regii illustrari culminis honore deberet. Qui etiam addebant, quod regni ipsius principium, & caput Panhormus Siciliæ metropolis fieri deceret: quę olim sub priscis temporibus, super hanc ipsam prouinciam Reges nonnullos habuisse traditur: quæ postea pluribus euolutis annis, occulto Dei disponente iudicio nunc vsq; sine Regibus mansit.

Henricus Comes auunculus Rogerii ducis.

HORVM itaq; amica, atque laudanda suggestio, cum infra semet ipsum multifarie tractando versaretur, velletq; exinde certum, ratumque habere consilium, Salernum regreditur: extra quam non longe conuocatis ad se aliquibus ecclesiasticis peritissimis, atq; competentioribus personis, nec non quibusdam Principibus, Comitibus Baronibus, simulq; aliis, qui sibi sunt visi, probatioribus viris, patefecit eis examinandum secretum: & inopinatum negotium: ac illi rem ipsam sollicite perscrutantes vnanimiter tandem vno ore laudant: concedunt: decernunt: immo magnopere precibus insistunt: vt Rogerius Dux in Regiam dignitatem apud Panhormum Siciliæ metropolim promoueri debeat: qui non tantum Siciliæ paterna hereditate, verum etiam Calabriæ, Apuliæ, ceterarumq; terrarum, quę non solum ab eo bellica obtinẽtur virtute, sed & propinquitate generis antecedentium Ducum iure sibi succedere debent. Nam si regni solium in eadem quondã ciuitate, ad regendum tantum Siciliam certum est extitisse, & nunc ad ipsum per longũ tempus

tempus

tempus defeciſſe videtur, valde dignum, & iuſtum eſt, vt in capite Rogerii diademate poſito, regnum ipſum non ſolum ibi modo reſtituatur: ſed in ceteras etiam regiones, quibus iam dominari cernitur, dilatari debeat.

Istorvm itaq; Dux conſiliis, atque veridicis aſſertionibus roboratus, Siciliam repetit: mandans ſuarum prouinciis vbiq; terrarum, quatinus omnes cuiuſcumq; dignitatis vel poteſtatis, ſeu honoris eſſent in die ſuſceptionis eius coronæ, quem Dominici Natalis primo aduenientis ſollemnitas ſuſceptura erat, Panhormi omnes conuenientes adeſſent. Cum ergo ad diem conſtitutum vniuerſi illi, ſimulq; & de populis puſilli, & magni abſque numero confluxiſſent, huiuſcemodi iterum cauſa ſollemniter, diligenterque inueſtigata, atq; tractata ab omnibus eodē modo, quo & ſupra, ad gloriam Dei, eiuſdemq; Eccleſiæ augmentum regia in vrbe Panhormitana fieri omnino decernitur promotio: cui etiam adeo tanta conceſſa eſt virtutis potentia, vt ad exercendam malorum vindictam, & ad conſeruationem iuſtitiæ ipſum genus ſuum ampliori terrarum adquiſitione iam ſuperexcedere videatur.

Rogerius coronatus Rex Siciliæ in Feſto natalitio Domini.

Cvm ergo Dux ad Eccleſiam Archiepiſcopalem more regio ductus, ibiq; vnctione ſacra linitus regiam ſumpſiſſet dignitatem, non poteſt litteris exprimi, immo mente æſtimari, quæ, & qualis, quantave eius tunc eſſet gloria: quam magnus in regni decore: quam que etiam in diuitiarum affluentiis admirabilis. Nempe aſpicientibus tunc vniuerſis ita videbatur, ac ſi omnes huius mundi opes, honoreſque adeſſent. Inæſtimabiliter quidem tota coronabatur ciuitas: in qua non niſi gaudium, & lux erat.

Palativm quoq; regium vndiq; interius circa parietem palliatum glorifice totum rutilabat. Solarium vero eius multicoloriis ſtratum tapetis terentium pedibus largifluam præſtabat ſuauitatem. Euntem vero Regem ad Eccleſiam ſacrandum, vniuerſis cum dignitatibus comitantibus, immenſus etiam equorum numerus ex parte altera ordinate procedens ſellis, freniſque aureis, vel argenteis decoratus ſecum comitabantur.

Ad regiam diſcumbentibus menſam ciborum, potuumque multimodus, atque affluentiſſimus apparatus habebatur: vbi quidem non niſi in pateris, ſeu catinis aureis, vel argenteis miniſtratum fuit. Seruitor ibi nullus niſi quem ſerica tegeret veſtis: adeo vt ipſi etiam parobſidum reportitores ſericis operirentur indumentis. Quid plura? gloria, & diuitiæ in domo Regis tot, & tales, tantæque tunc viſæ ſunt, vt omnibus & miraculum ingens, & ſtupor vehementiſſimus fieret: in tantum, vt timor etiam non modicus vniuerſis, qui de longe venerant, incuteretur. Etenim multo plura in eo conſpiciebantur: quam rumor non fuit: quem audierant.

Cvmqve peractis Regiæ coronationis celebritatibus, ad propria ſinguli rediſſent, cœpit Rex ſollicitus intra mentis ſuæ voluere arcanum, qualiter deinde regnum ſuum, quod multum deſiderabat, perpetua ſolidaretur pace: nulluſq; aduerſum ſe reſiſtendi facultatem poſſet habere. Vnde ab Amalfitanis vehementius, inſtanterq; cœpit exigere, quatinus cunctas ſuas dimittentes munitiones ſibi eas cuſtodiendas traderent: alioquin nullo modo, nulloq; pacto vlterius pateretur, vt ipſi eas ſibi ſeruandas tenerent: qui cum omnes vno id ei animo conſentiendum contradixiſſent, atq; in hoc ipſo obſtinatiſſimo perſiſterent corde, Rex indignatus illos à fidei ſuæ conſortio diſſociauit.

Arcessens itaq; Ammiratum nomine Iohannem, virum ſcilicet in rebus bellicis prudentiſſimum, atq; ſtrenuiſſimum præcepit, vt quantocyus pergens, cunctos iuſſu eius ſollicitaret, quatinus ad obſidendum Amalfiam accelerarent rebellem: qui fretum pertranſiens Phari, dum vniuerſos Calabrorum, Apulorumq; bellatores ſummouere intenderet, interim Georgius maximus Ammiratus, vir quidem Regi fidiſſimus, atq; in negotiis ſæcularibus exercitatiſſimus mare iuſſu eiuſdem Regis ſollicitius Amalfiam circumgyrando obſeruare ſtudet: ſi forte Amalfitanorum aliquos pelagus peragrantes capere poſſet: & ne forte quilibet alii vndecumq; per equora accedentes, eis opitulari ſuccurrerent.

Qvi dum ſic marinas excubaret ſemitas contigit, vt oppidulum Amalfitanorum quoddam, quod Guallum nominatur, videlicet infra mare poſitum violenti caperet manu. Deinde oppidum aliud, quod Capris dicitur, ſimiliter infra mare ſitum, nauigiis eius circumdatum ſine dilatione ſtrage facta multorum aggreditur. In quibus quidem regiis diſpoſitis excubiis, mox Triuentum Amalfiæ oppidum obſeſſurus vadit: quod iam præfatus Iohannes, regio quem acciuerat, obſidente exercitu, immaniter conſtringebat.

Contra quos Iohannes cognomento Sclauus, qui caſtro eidem prçerat, omni ſtudio, omnibuſque viribus eis contraſtare ſatagebat. Verum bellatores regii videntes

castrum fortissimum, constructo molimine, tormentis illud vexare insistunt. Nouissime vero cum longissima pertica, in cuius summo vncinus ferreus erat antemurale, quod vulgo Barbacanus dicitur, toto diuellunt conamine. Dumq; sic exteri ad illud diuellendum instantius feruescerent, prænominatus Iohannes viso hoc, timore concutitur. Cernensq; se demum nullum euadendi vestigium posse reperire, se se regi, castrumq; submittit. Capto itaque Triuento, aliud Amalfitanorum oppidum nomine Rabellum regiæ phalanges obsessuræ pergunt. Cumque præparato molimine ligneo instanter ab eis ipsum coerceretur, Rex interim non longe post equoris vndis aduectus aduenit: à quo etiam non solum castrum illud, sed & alia quædam Amalfitanorum oppida singula singulis exercitibus obsessa, terribiliter angustari non desinunt.

Factum est autem dum turris Rabelli, in quo præ ceteris oppidis maxima Amalfitanorum spes inerat, petrarum ictibus crebrius quateretur, pars non modica ex ea obruitur: quo viso Rabellisii, ipsique Amalfitani continuo corde soluti, viribusque præ timore destituti, de pace cum Rege habenda mox consulunt. Quid plura? Rex Rogerius pro velle suo datis: acceptisq; dextris recepit Rabellum, Scalam, Gerulam, Pugerulam: ceteraque Amalficanorum oppida: sicque sibi pro velle suo subiecta Amalfia Salernum victor reuertitur.

Sergius magister militum Neapoli, se & vrbem subiicit Regi Rogerio.

Dumque ibi moraretur, Magister militum ciuitatis Neapolis Sergius nomine, cernens in Rogerio tantam virtutis exercuisse potentiam, non quidem belli rigore, sed solum ipsius timore conterritus iuit ad illum: eiusque subiicitur dominatui: quæ videlicet ciuitas, mirabile dictu, post Romanum Imperium vix vnquam, à quoquam ferro subdita fuit: nunc vero Rogerio, solo verbo præmisso submittitur.

Ricardus Ranulphi Comitis frater Dominus Auellini & Merculiani.

Deinde Rex quia graue, durumq; sibi erat, quod Ricardus Ranulphi Comitis frater tanta inuoluebatur superbia, vt Auellinum vrbem, nec non castrum Merculianum se ita possidere assereret, vt nec ipsum, nec quemlibet alium dominum ex eis habiturus, nec cuiquam vnquam seruiturus foret, legatione abinde præmissa, proprio ea subdidit dominatui. Quippe iam erat tantum virtutis ipsius nomen, vt fere cuicumque castro vel ciuitati solum iussionis verbum dirigeret, sine aliqua dilatione ei subderentur. Cum ergo hoc ipsum Ricardo relatione compertum fuisset, continuo nimio furore succensus, atq; bello demens effectus, eundem ipsum, qui verbum retulerat, mox deiectum in terram, naribus eius succisis, oculorum lumine priuari iussit.

Mathilda soror Regis deserit maritum.

Verum Comitissa Mathildis, cuius iam longe superius mentio habita est, audiens Rogerium Regem fratrem suum Salernum aduenisse, de Allifis, absente, & ignorante viro suo Ranulpho Comite ad eũ profecta est: profitens se nulla ratione, nullove pacto, ad eius torũ vlterius redituram: nisi ei dotalia cuncta restituerẽtur: videlicet tota vallis Caudina cũ eius omnibus infra manentibus oppidis. Cuius quidem iustam aduentus causam cum Rex cognouisset, cupiens illi patrocinium impendere, eam apud se pro suo velle manere permisit. Videbatur enim iniustum omnino non esse, quod ipsa poscebat. Neq; enim eam aliter suam posse obtinere iustitiam arbitrabatur, nisi ei secum manendi ad tempus daretur facultas.

Cumque Comes Roma, quo ierat, reuersus vxorem suam recessisse, nec non Auellinum, atq; Merculianum sibi dempta reperisset, immenso animi mærore concutitur: non tantum quod præfatas amiserat terras, quantũ quod se à coniuge ita dimissum comperisset. Quam ob rem misit ad montem fuscum, quo ipse erat, deprecans obnixius, quatinus coniux eius sibi, simulq; Auellinum, nec non Merculianum restituerentur. At ille iis qui missi fuerant respondens dicebat: Ego quidem vxorem Comitis nec teneo, nec redire cogam: quoniam eam non abstuli: ipsius ergo requiratur voluntas: & si quidem reuertendi habuerit animum, ego non contradicam. Veruntamen quod quærit, videtur iustum quærere: nec esse vtique sibi denegandum: quandoquidem sub horum, quæ dicit, conditione dotalium, eam me concedente, duxit vxorem. Auellinum autem, & Merculianum ea propter non reddere debeo, quoniam Ricardus frater eius ipso audiente, atq; omnino tacente fatebatur, ea sibi ita esse propria, vt neminem inde dominum super se cognoscere, nec cuiquam famulari deberet. Si igitur inquam sui iuris, vt ipse asserit, erant, vt quid cum inde nullum se habere dominum Ricardus ipso audiente testaretur, ea iuris sui esse non ore proprio notificabat? Est & aliud propter quod ei non sunt reddenda, quæ quærit: quoniam cum Panhormi positus essem, & de eius superbia, quod nec mihi, nec vlli alii, ex his, quæ tenere videbatur, subdi volebat, præsente eodem conquerer, ipse per omnia tacendo potius fratris fallentis verbis, quam iis, quæ à me dicebantur consentire

consentire videbatur. Attamen veniat ipse Salernum ad me cum proceribus, quos voluerit suis: & quidquid à me recti exigendum fuerit, libenter paratus ero eidem persoluturus: eo tamen interposito pacto, vt & ipse mihi, de quibus iuste eum causatus fuero, iustitiam faciat.

Redevntes itaq; nuntii Comitis, quæq; perceperant retulerunt. At ille more suo, male consultus, ad eum, sicut mandauerat, ire neglexit: magis eligens mittere ad eum, per quos sibi, quæ videbantur ablata deposceret reddi. Verum Rex grauiter indignatus, quod se ita contempto noluerit venire, Mathildim sororem suam post cum filio suo Roberto, quem tunc secum habebat, ad Siciliam nauigio transuectam secum perduxit.

Robertus filius Ranulphi Comitis.

Comes ergo coniugem, filiumq; suum tam longe abscessisse audiens maioris doloris stimulo perurgueri cœpit: certus existens, quod cor Regis vere iam totum contra se versum esset: quodque etiam æstiuo tempore redeunte, super se absque dubio manu belligera irruiturus foret. Quam ob causam munitiones interim suas omnes magis præmunire studuit: regiæque pugnæ, si forte se aduersus consurgeret, obuiare prorsus accingitur.

Igitvr Rogerius Rex postquam ad Siculorum reuersus est regionem, ibi tamdiu moratur, quousq; tempus, quo proceditur in hostem, opportunum rediisset: qui transito freto, quod Pharum dicitur, cum vigenti bellatrice manu Tarentum peruenit: vbi cum Comes Andrensis Gofridus, in eius, ex more curiam aduentum fecisset, Rex de quibusdam eum facinoribus impetens, iustitiam ex eis fieri magnopere exigebat. At ille perpendens se per iudicium excusare non posse clarescentibus culpis, magnam per hoc terrarum suarum partem ei quietam dimittere censetur.

Gotfridus Comes Andrensis cedit bonam partem Comitatus Rogerio regi.

Post hæc Rex, eo quod Grimoaldus Barensium Princeps, contempta eius fidelitate inimicis suis consenserat, super Barim veniens terra mariq; obsedit. Ceterum Comes Ranulphus, vt cognouit Regem Barim obsidione circumsedisse, zelo ipsius ductus collecta equitum multitudine, præfato cupit Grimoaldo subuenire: quem mox Princeps dominus suus accersiens vix ei persuasit, vt à militia ipsa quiescens, terram Regis hac vice, pro quauiscumque causa non prœliaturus introiret: nisi prius per legatos conueniret eum: si forte sibi direpta restituerentur. Cum ergo ad Regem pro hoc ipso mitteretur, Comes equites, quos sibi coadunauerat, adpropiare, sibique interim quiescere iussit.

Grimoaldus Barensium princeps captus mittitur in Siciliam.

Igitvr Grimoaldus omni studio, omniq; belli conamine ciuitatem contra Regem obsidentem protegere satagebat: sed frustra: nam in tanta agilitate vrbs ipsa, eius obtinente iustitia, capitur, vt non plusquam tres fere in eadem obsidione hebdomades complerentur: quam scilicet Robertus Guiscardus robustissimus Dux per tres continuos annos obsidens, vix aggredi valuit. Captus itaq; Grimoaldus vinculis mancipandus in Siciliam dirigitur.

Tancredvs ergo de Conuersano, vnus ex magnis Apuliæ Magnatibus, cum Grimoaldum iam victum teneri, magnamque Gofridum terrarum partem suarum, vt iam factum est amisisse comperisset, cœpit eo magis sibi timere: quo contra Regem eisdem ipsis se male confœderatum fuisse sentiebat. Qui ante quam in curia super hoc impetitus iudicaretur, consulitur, vt potius transmarinum petendi iter, occasionem prætendens, Brundusium, ceterasque vrbes atq; oppida quorum tunc ipse dominabatur, Regi sponte distraheret: sicq; eius cauens iudicium, ab eo hoc modo liberaretur. Quid amplius? Tancredus viginti stifatorum numero à Rege accepto, terris suis omnibus renuntiauit: Hierosolymam, ad terminum statutum properaturus.

Tancredus Comes Trauersani cedit Regi de omnibus ditionibus, acceptaq; pecunia minima abit in Syriam.

Cvm ergo supradicti legati Principis ad Regem, iam Bari aggressa, peruenissent, preces, quas per eos Princeps mandauerat, intulere: videlicet vt Ranulpho Comiti Baroni suo Auellinum, & Merculianum, insuper & vxorem, filiumq; suum restitueret: alioquin seruitium suum ei indubitanter esset prohibiturus. Qui audito hoc indignans ait eis. Miror valde quod Princeps de his, quæ sibi non attinent, me sollicitare audeat. Ideo namque, talia mittit, vt occasione inuenta mihi seruire non debeat. Reuertimini ergo ad eum primitus prænuntiantes ei, legatos à me sine mora sibi esse dirigendos: per quos verba mea verbis suis responsura deferenda erunt. Hoc tamen solum vobis referentibus illum pro certo volumus scire, quoniam si pro hoc, vel quolibet alio seruitium meum abstulerit, periurii crimine incunctanter denotandus erit.

Ranulphus Comes vasallus principis Capuanorum Roberti.

Nec mora illis redeuntibus Rex ad præfatum misit Principem, quatinus ipse militari collecto agmine Romam, in hostem, in adiutorium Romanæ Ecclesiæ pergeret:

quibus ipse huiusmodi responsum dedit. Ego nullo modo iussis regiis obtemperaturus ero, nisi homini meo Ranulpho Comiti sua reddantur. Quo audito nuntii celeri ad Regem reuersi sunt reditu: nuntiaturi omnia quæq; præceperat.

INTEREA Princeps, Comesq; Ranulphus verentes ne forte displicitis sibi verbis, quæ ei remissa fuerant, super se armis irruiturus esset, immenso equestri coadunato agmine vallem anticipant Caudinam: ibiq; interim morari decernunt: quatenus Rex, si forte contra se insurrecturus esset, eos ad prœlium imparatos non inueniret. Rex ergo responsis Principis perceptis, non æquo animo ea suscepit: qui etiam comperiens, quod & ipse Comes collecto pedestri, militarique non modico cuneo, contra se ad bellum præpararetur, indignatur valde: mouensq; exercitum, ad quoddam oppidum, quod dicitur Crepacorum, venit: ibiq; castra figi præcepit. At Princeps, Comesq; Ranulphus cognoscentes illum tam propinquum adesse, animaduertebant, quod vere contra se properaturus esset: vnde toto animo, totisq; viribus se defensuri præparantur.

VERUM Rex iterum castra mouens, ea subtus oppidum Montis calui fixit: indeq; ad Principem, qui iam relicta memorata valle, in loco, qui Cressanta dicitur, cum Comite morabatur, direxit: quatinus per terram suam Romam in hostem sibi ire permitteretur: simulq; & ipse secum veniret. At ille tale fertur dedisse responsum. Neque per terram meam Romam ire patiar: neq; cum eo simul veniam: nisi Baroni meo, quæ sua sunt, reddantur. Reuertentes itaq; nuntii Regii quæq; viderant, & audierant, referunt. Rex quoq; audito hoc, graue accepit: motisque castris subtus Padulum oppidum, per deuexum montis metatur. Tunc ad eundem Principem iterum misit: vt consentiret ei prius transire per terram suam: vt Romam in hostem pergeret. Sicque post quindecim dies, postquam reditum fecisset, sibi quid faciendum esset, apud pontem S. Valentini exhiberet. Ceterum ille animo mox indignatus, atque vili pendens, quod sibi fecerat fidelitatis iusiurandum remisit ei: quia nisi ante Comiti Ranulpho Auellinum, & Mercullanum, adhuc autem & vxorem suam, & filium reddiderit, nulla ratione, nullove pacto ei adhæream: nec etiam iussis obauditurus ero: neque Romam, quo ire cupit, per terram meam abire patiar.

REX ergo Rogerius Principis animum ita obstinatissimum contra se haberi considerans, misit Beneuentano rectori nomine Crescentino, atque Archiepiscopo, qui Landulphus dicebatur, quatinus omnem ciuitatis populum, salua tamen fidelitate Apostolici, fidum sibi iuramento statuerent: qui cum nonnullis Regis fautoribus eos ad iusiurandũ cõpellere cœpissent, oritur propter hoc in vrbe ingẽs seditio: ita vt pæne cõtra eos vniuersa plebs concitaretur: nolentes sacramentum fidelitatis Regi persoluere. Pontifex vero, & Rector seditionem populi metuentes, fuga coacti sunt vrbem deserere.

TVNC ciues ad Principem, Comitemq;, qui in prænominato adhuc loco cum expeditione bellica commanebant, legationem fecerunt: quatinus inuicem fidissimi iureiurando facto Regi vnanimiter aduersarentur. Verum Rex percipiens Beneuentanos omnino nolle sibi cohærere, Principisque animum, vt iam dictum est, in se obstinatissimũ stare, misit ad eundem Principem: arguens eum valde: quod aduersus se dominum suum, nil se lædentem arma mouisset: Sed & ad Ranulphum Comitem, quem contra se Principem ipsum irritasse compererat, diffidando mandauit.

PORRO Princeps, Comesq; Regis minas contemnentes consilium habuere: quatinus exercitum illinc mouentes, Beneuentanæ vrbi appropinquarent: vt vicinius positi, quod à ciuibus promissum fuerat, facilius consequerentur. Itaque ab eo illo digressi venerunt: castrametaturi secus castellum Poconis: non longe à flumine, quod dicitur Calorius: ita vt vterq; exercitus ciuitate interposita, alterutrum sese conspicarentur. Deinde Princeps, Comesq; Beneuentum ingressi, ciuesq; allocuti, quædam inter se posita seruari pacta, itaq; se ipsos fieri adinuicem fideles aduersus Regem iureiurando statuunt.

CETERVM Rex cum eos alterutrum confœderatos, Principemq; ipsum seruitium penitus iam denegasse comperisset, ira permotus iussit signo dato castra moueri: petensq; Nuceriam, ingentissimum videlicet eiusdem Principis oppidum, obsidione circumdedit. Porro Princeps, Comesque ignorantes quo Rex secesserat, consuluntur tamdiu ibi stare, donec quo ipse abscesserat, cognosceretur: & ecce altero die subito percipiunt Regem castrum circumsedere: atque ad ipsum crebris assultibus iam infestare: qui mox moto exercitu abscedunt: succursum obsessis celeriter daturi. Cum ergo ad fluuium Sarni, vbi Scaphatum dicitur, peruenissent, putantes se cito transituros, quoniam aliunde transeundi non erat possibile, inuenerunt pontem ipsum ligneum à Regis exploratoribus iam pridie destructum: cuius etiam ligna in vndis proiecta natando fuerant delapsa:

qui

qui quoque dolentes quod tranſuadare nequirent, coacti ſunt tamdiu ibi commorari, quouſq; eodem ponte aliis lignis reſtituto, facultas eis tranſmeandi daretur. Ponte itaq; reparato, cum Rex hoſtes ſe ad tranſeundum iam præparare comperiſſet, caſtrum obſidere deſiſtens iuſſit ſuos omnes armari: quatinus celeriter occurrentes cum eiſdem prœlium inirent.

Verum Princeps, & Comes audito, quod Rex ad irruendum iam ſuper ſe accinctus fuiſſet, cœperunt tanto celerius cum ſuis fluuium tranſire: quanto intuebantur ſibi hoſtium prœlium imminere. Cum ergo & ipſi tranſeuntes armis primitus induti fuiſſent, diſpoſitis in ſuis locis more bellico ſingulis cuneis, ad bellum præparantur. Cumq; iam hinc inde moroſo greſſu appropinquatum fuiſſet, anterior Regis acies mox primo cuſpidibus dimiſsis, equiſq; calcaribus punctis, contra anteriorem aduerſæ partis aciem concurrēdo, acriter inſurgunt: quorū rigido concurſu prædicta cohors exterrita terga continuo vertunt. Quod videntes retropoſiti cuſtodes, & ipſi quidem perterriti per medium hinc inde diuertentes, ſpatium fugientibus præbent. Quo viſo pedites, qui in ordine ſuo retro pro munitione ſtatuti fuerant, & ipſi eodem timore concuſſi, nihilominus diuertuntur. Cum ergo qui primo terga verterant, à Regiis militibus inſequerentur, pars illorū dum euaſionis ſucceſſus fugitando petitur, in aquas ipſas fluuiales ruentes, vndis morituri intercipiuntur: pars vero per campum longum, amnem deuitantes diffugiunt: pleriq; autem lanceis ipſorum impulſi ab equorum ſellis in terram deiiciuntur. Peditum autem ſupradictorum, qui territi fuerant, pars maxima, dum præ timore, ereptionis quæritur locus, cum multis aliis ſuper ripam fluminis conſiſtentibus, in fluuium ipſum ſuffocandi corruunt.

Comes ergo Ranulphus, vt erat acerrimus, qui in dextro habebatur cornu, vbi vidit ſuos ita repulſos, haſtam manutenens in Regiam aciem anteſtantem primus proſilit: quod videntes ſui, qui de dextri, ſiniſtrique lateris erant cuſtodia, eius mox animo prouocati, cum eodem ipſo pariter aduerſarios obſiſtendo premunt: cumque cuſpidibus alterutrum impulſi haſtas rupiſſent, enſes capiunt: hinc inde feriuntur. Dum ergo Comes fortiter pulſando haſtam confregiſſet, mox, & ipſe manum mittens ad pugionem, in capite cuiuſdam obſtantis ſibi equitis ita terribilem ſuper galeam ictum dedit, vt miles ipſe ferrea obtunſione hebefactus ſtatim dorſum cædenti præbuerit. Quem cum ceteri, qui hinc, illincq; aſtantes erant, vertentem vidiſſent, continuo vnus poſt alium verſi illum ſequuntur: deinde alii, qui in dextro, ſiniſtroque latere poſiti erant cuſtodes, cum ſuos terga dare cernerent, mox exterriti, & ipſi ſtatim cum eiſdem terga verterunt.

Perpendat itaque in hoc loco apud ſe prudens lector, quo nam Dei iudicio actum ſit: vt Rex Rogerius, qui ante in omnibus victor exſtiterat, nunc ſibi victoria attributa non fuerit. Verum quod mihi videtur, etiam ſi Regi ipſi durum videatur, ad correptionem tamen eius, cum dilectione dicam: quia idcirco forte in hac parte voluntatem ſuam ipſe inuenire inuitus non eſt permiſſus: eo quod ſecundis ſemper ſucceſſibus potitus, ſupra modum animus eius elatus ſit: cum magis ipſe humiliari debuerit: hortante ſcriptura, quæ dicit: Quanto magnus es tanto magis te humilia. Nam ſicut poſtea relatum eſt, Rex etiam ipſe interdum proprio inde ſcripto, ore accuſans, merito tale contigiſſe humili voce confitebatur. Qui tamen Salerni commorans ita vultu hilari, menteque conſtans cernebatur, ac ſi nil ſiniſtri ſibi accidiſſe videretur: ſciens pro certo malum euentum illum feliciori quandoq; fortuna, Deo donante penitus euacuandum.

Porro prænominatus Tancredus, cognito quod Rex cum Principe Roberto, Comiteq; Ranulpho in plano Nuceriæ territorio conflictum habuerit, ibiq; non dignos ei ſucceſſus fortuna bellando prouiderit, tranſmarinum iter appetiſſe, terraſq; ſuas diſtraxiſſe, atque abiuraſſe ſe pœnitet. Qui etiam vt ſua omnino reſumere poſſit, in Montepiloſo, quo monitis indigenarum cōtra Regem ſuſceptus fuerat, milites coadunare præſumit: quibus terras Regis huc, illucque diſcurrendo immaniter infeſtaret. Erat &, ciuitas quædam nomine Gilentia non ſolum opere, ſed & natura præcipue munitiſſima cuius ciues domino ſuo nomine Polutino, eo quod Regi vltra votum illorum ſubderetur, expulſo, Tancredum etiā ipſum, vt eis dominaretur, atq; cōtra Regem tueretur, ſuſcipiunt. Poſt hæc vero conſiderans quod tempus ſeſe ad recuperandum ſua valde opportunum ſequeretur, ad Gofridum Andrenſem Comitem, & Alexandrum perrexit. Quiſimul in Regem committentes aperta periuria, iniquum ſocietatis fœdus, cōtra eundē pugnaturi inierunt: qui etiam ad Robertum Capuanorum Principem, Comitemque Ranulphum

Tancredus Cōuerſanus Comes immemor iuriſiurandi repetit ſua: fit dominus Gilentiæ expulſo priori domino Polutino.

direxit : quatinus cum Rege nullum sine eo pactum, nullamve concordiam agerent: quoniam & ipse sine eorum assensu nullum quid fœderis, vel pacis cum eodem esset acturus.

PORRO Regi inter hæc Salerni moranti nuntiatur, quod Barenses ciues ab eo se auersuros iam præpararent: eo quod nonnullos Sarracenos, quos ibi ad ædificium munitionis suæ delegauerat, ira commoti necauerant: quoniã cuiusdã nobilis filius ab eisdem ipsis Sarracenis fuerat interemptus. Vnde & opus ipsum, quo castrum regium semotum ab vrbe perficiendum erat, ciuibus ipsis contradicentibus iam dimissum fuerat. Rex autem huiusmodi rumore sollicitatus sinistro, præmunitis oppidis suis, quę circa Beneuentum erant, Barim petiit: qui pro eo, quod Tancredi, seu ceterorum hostilitas immineret, Barensem ad præsens nolens exacerbare populum, quibusdam eorum petitionibus, prudenti consilio vsus, consensit: sicque eos pro tempore quietos dimisit.

POST HÆC autem Rex militibus dispositis contra Tancredum, eiusdemq; coniurationis complices præliaturus, eiusdem omnibus in Apulia vrbibus, oppidisque præmunitis, Salernum iterum reuertitur. Qui dein in Montefusco, atque Padulo oppidis ampliorem militum custodiam delegans, iussit vt ipsi Beneuentanos ciues, quod Principi, Comitique, magis quam sibi adhæserant, deforis huc, illucq; debacchantes indesinenter arcerent: quibus etiam vt nullum quid de Apulia delatum Beneuenti venundaretur, prohibuit. Post hęc autem non diu post in Siciliam reuertitur: cum expeditione bellica ad suos iterum expugnandum, sibique subdendum rebelles, oportuno succedente tempore proculdubio reuersurus.

DVM ERGO moras in eadem prouincia ageret, corde sedulo, quibus modis hostes sui contererentur præmeditari non desinebat. Econtra vero Robertus Capuanorũ Princeps, Comesque præcipue Ranulphus quomodo, qualiterque contra ipsum essent acturi mente cautissima exquirere non desistebant: qui quoque ad hoc vsque inhiabant, vt Regii culminis illum honore priuatum, funditus etiam si possent de terra delerent. Vnde factum est, vt Comes ipse Principis consultu in Apuliam pergens cum Tancredo, Comiteque Gofrido, atque Alexandro Comite, ceterisque Magnatibus, Regis scilicet iam manifeste periuris colloquium haberet: quatinus inuicem fœdere vniti in Regem eundem pariter omnino sæuirent. Dumque factam adinuicem conspirationem iureiurando firmassent, audiuit Regem Teutonicum Lotharium nomine Romam aduenisse. Qua de re lætus effectus ad sua festinus reuertitur. Dein cum Principe inito consilio, ambo pariter summa cum festinatione eum adire: auxilium ab eo aduersum Regem Rogerium expetituri: qui licet ab ipso honorifice suscepti fuissent, adiutorium tamen ipsius, vti sperauerant, contra Regem Rogerium nequaquam obtinere potuerunt.

QVI DVM Romæ adhuc apud Regem commorarentur, audientes Regem Rogerium cum immenso militari, pedestrique exercitu fretum Pharense iam transmeasse, petita à Rege, atque accepta, quamquam non grata licentia, quantocyus ad propria redeunt. Verum Rex Rogerius, eo quod supradictorum aduersum se Principum compererat cum periurio factam conspirationem, tanta quidem contra eos rapitur indignatione, tantoque mentis erupit furore, vt non Comiti, non Magnati, non etiam cuilibet militi qui ita periurantes in eum colla erexerant, penitus parceret. Alexander vero Comes dum ob periurium perpetratum Regem valde pertimesceret, relicto quodam munitissimo oppido nomine Matera filio suo, cui nomen erat Gofridus, ad Comitem Ranulphum profugus aduenit. Interea Princeps Robertus cernens se Teutonico frustratum fuisse auxilio, Pisam citissimo nauigio aduectus perrexit: quatinus inde bellicam manum accitam ad sui contra Regem auxilium secum adduceret.

Godfridus filius Alexandri Comitis dominus Materæ vrbis.

CVM ergo Rex terras Gofridi Andrensis Comitis, atque præfati Alexandri suorum periurorum passim occupasset, videlicet Aquam bellam, Coretum, Barulum, Milerbinum, Gruttulam, aliasque nonnullas, tandem ad prænominatum castrum, quo Gofridus filius prædicti Alexandri Comitis inerat, obsidendum se contulit: illudque tamdiu obsidione coercuit, quousque Gofridum pro suo velle subiiciens sibi, ipsum etiam caperet oppidum. Quo audito Comes Alexander, qui præ timore illius aufugerat, immenso animi mærore diutissime consternatus est: deinde in Dalmatiam profugus iens, non solum exheredatus, verum etiam patria extorris cogitur manere: qui nõ longe post, vt ad Imperatorem pergeret secedens, cum ad quendam nemorosum peruenisset locum, incidens in latrones, omnino cum suis omnibus deprædatus est: qui dein Auellone positus, ab iis, qui hęc ipsa eius ab ore audita nobis nuntiauerunt, egenus valde, & pauper visus est manere.

Alexander Comes fugit in Dalmatiam, è Auellonę in paupertate viuit.

DEVICTA

Devicta itaq; Matera Rex super Armentum munitissimum oppidum, quo Robertus frater prædicti Gofridi inerat, venit: cui Robertus regia compulsus obsidione statim se, & castrum Regi subegit. Dein cum obsidem, qualem Rex poscebat, pro se dare renuisset, Siciliam vinculis mancipandus dirigitur.

Robertus frater Gotfridi Comitis Andrensis captus mittitur in Siciliam.

Post hæc vero Rex castra mouens super quoddam arduum, & munitissimum castrum nomine Ausum, quo Gofridus Comes aderat, accelerauit: illudq; tamdiu obsidione sæuissima circumsedit, quousq; comprehensus in Siciliam exilii retrusionis pœna, periurii culpam luiturus destinatur.

Gotfridus Andrensis Comes captus abducitur in Siciliam.

His itaqve peractis ad obsidendum Montem pilosum festinat. Ceterum Tancredus audiens subito Regem super se venturum, mox relicto quodam municipio nomine Vrso, quod ab eo tunc obsidebatur, sub omni celeritate percurrens vrbem prædictam tuiturus reuertitur: ad quem iam Ranulphus Comes ducente Rogerio de Flenco acerrimo milite, Regique inimicissimo quadraginta, & eo amplius milites in adiutorium sui direxerat. Monte itaq; piloso Regis obsidione circumdato, Tancredus ei ad resistendum totis viribus præparatur. Nam ante eiusdem vrbis barbacanum quidam locus, qui Catuuella dicebatur, non paruo terræ aggere munitus erat: in quo pæne tota ciuitas ad repugnandum collecta consistebat. Quem videlicet locum, dum regia cohors illis repulsis, violenter irrupisset, Tancredus post cum suis eos per nimium opprimens, terga, relicto aggere, præbere compellit. Deinde Regii bellatores animum resumentes, rursus in Tancredum, suosque impetum facientes, aggerem illis repulsis recuperant. Tancredus ergo, suiq; à loco illo funditus reiecti, intra barbacanum recipiuntur.

Ceterum rex perpendens vrbem munitissimam, manumque in ea bellatricem consistere, ad ingenium vertitur: videlicet, oppidum, quod prœliando adiri non poterat, artis peritia aggrederetur. Itaque molimine constructo, Rex illud paulatim ducendo, quo minus ciuitas muniri conspiciebatur, approximari iubet: quo ita pacto exteri cum ciuibus cominus per eam bellabant: iacula alterutrum intorquentes. Interim autem dum ita vtrimque pugnaretur, Sarraceni per illud instrumentum ligna, quibus fossatus repleretur, instanter iactabant: alii autem ferreis rastris ab aggere summo nisu terram trahentes, ligna ipsa eius iactatione superplanare conabantur.

Tancredvs ergo dum fossatum impleri conspiceret, mox ignem, atque fomentũ, quo facilius accẽderetur intus immittendum ad comburendum ligna accelerat. E contra autem dum per canalem ligneum aqua deriuata intus deflueret, ignis immissus extinguitur: quo extincto, iterum qui erant in machina cum longissima pertica, in cuius summo vncinus ingens ferreus erat, ipsum antemurale, quod & vulgo barbacanus dicitur, diuellere incipiunt. At illi qui barbacanum defendebant, videntes perticam barbacanum diruentem, eam violenter tenentes succidunt. Cumq; sic tertio aliæ perticæ ad diuellendum extensæ, tertio etiam ab eis succisſę fuissent, postremo acriter iterum extendentes partem ex eo non modicam diruerunt.

Cvmqve hoc viso ciues exterrerentur, vniuersi terga dederunt: portamque ingressi in aliam partem vrbis, quæ munitione tutior erat, se se recipiunt. E uestigio autem phalanx regia continuo porta introeuntes, dum eos insequuntur, quosq; ante se inueniunt, vnanimiter feriendo prosternunt. Ciues ergo qui in præfata se parte ciuitatis receperant, dum viderent se nullum euadendi vestigium posse reperire, hostibus negligenter resistentes, ipsam eos partem vrbis intrare consentiunt.

Cvm ergo ciuitas sic ingressa à regiis bellatoribus huc, illucque debacchantibus depopularetur, Rogerius de Plenco, qui supra memoratus est, cum aliis comprehensus ad Regem moriturus perducitur. Cumq; Tancredus latens Rege summopere iubente quæreretur, tandem à quodam proditus, ante conspectum ipsius præsentatur: quo Rex viso, super ipsius inuentione quam maxime lætatus est.

Rogerius de Plenco miles suspenditur.

Porro infelix præfatus Rogerius, qui in Regem iamdiu amarissimo effrenatus animo fuerat, nulla ipsius miseratione præuentus horrenda laquei strictione necatus est. Deniq; Tancredus licet sit ei mortis indulta sententia, vinculis tamen constringendus ad Siciliam transmittitur. Ex militibus autem pars, ne putarentur equites, vilioribus indumentis transformati, armis, equisq; relictis, per deuia quæq; fugitantes euaserunt: pars vero ad Gilentiæ ciuitatem, quæ Tancredo adhæserat, vtcumque fuga adnisi peruenientes, ibi se captionem ipsius euitari recipiunt: alii quoq;, qui erant comprehensi quidam huc, quidã vero illuc vinculis tenẽdi mãdantur. Deinde vero ciuitas ipsa rebus funditus

Tancredus Comes Conuersani in Siciliam captiuus ablegatur.

exinanita, atque igne succensa, nouissime autem subuertitur. Nunc itaque in hoc prudens lector diligenter consideret, quantum sceleris sit, periurii crimen committere: maximeque illud, cum quis vitam, & membra, seu honorem domini iuramento sui, vel ei captionem nõ inferendam assecurat: & non custoditur, vt iurat. Vnde Grimoaldus, & Gofridus, Tancredus, atque Alexander Comes, nec non & alii quoque Rogerii dominatum super se suscipientes, erga eundẽ fidelitatis sacramentũ non seruauerunt, me rito vlciscẽte * diuina iustitia, digna pro hoc malorum retributione feriuntur. Etenim ipsis ita accidit sicut & Sedeciæ Regi demurato constat accidisse. Nã cum ipse quoddam pactum Nabuchodonosor Regi iurasset, ipsumque pactum irritum periurio fecisset, venit Nabuchodonosor Hierusalẽ: qua erat Sedecias: & obsedit eam: qui videns se nullatenus ab eodem posse euadere, dum fugam euadendi egrediens ciuitatem expeteret, à militibus eius exercitus mox insecutus, cum filiis suis, qui se concomitabantur, captus est. Cumq; pater, & filii Regi Nabuchodonosor præsentati fuissent, continuo aspiciẽte patre ipso filii eius iubentur interfici: sicq; demum ipse oculorum priuatus lumine, compedibus constringendus Babylonem cum multis aliis concaptiuis transducitur. Patet itaq; miserrima istorum dictante ruina periurium omnino esse cauendum: quandoquidem, qui illud contemnit vitandum, condemnetur à Deo ita, vt dignam proinde, sicut, & istis contigit, sine dubio quandoque excepturus sit pœnam. Nunc itaque ad narrationis seriem, in qua paullulum digressi sumus, redeamus.

Polutinus dominus Gilentiæ eiectus restituitur.

Igitur Rex Rogerius Montepiloso succenso, atq; subuerso Gilentiam obsessurus properat: qui deinde considerans se nec tunc eam capiendi facultatem posse habere, cõcordiam eo pacto cum eis habendam spospondit: vt præfatus, quem abiecerant, Polutinus in eorum restitueretur dominio: ipsius videlicet dominatui se subditurus.

Verum Comes Ranulphus comperta Tancredi captione simulque Rogerii nefanda suspensione, immenso animi mærore afficitur, non tantum pro illorum tristi fortuna, quantum etiam, quia ipsorum magno destitueretur auxilio. Qui quoque perpendens, quod Rex illis deuictis super se sine dubio irruiturus esset, tristitia tandem solatio sopita, ad se tuendum prorsus conuertitur. Pergens itaque Beneuentum, ibique inter se, & ciues vnanimitate, quam iam ad inuicem compacti fuerant, renouata, sine mora reuertitur. Deinde collecto ad vallem Caudinam peditum, equitumq; non paruo agmine, Regem, quem super se venturum putabat, ad bellum expectat: cuius etiam expeditioni Sergius Magister militum, Hugoq; Boianensis Comes consentiebant.

Sergius magister militum deficit à Rege. Hugo Boianensis Comes.

Igitur Rex super Bissilium maritimum oppidum veniens, eam sine dilatione aggreditur: cuius muris per gyrum eius dirutis, mouens inde castra super Tranum metatur: quæ videlicet ciuitas tanto ipsius terrore percellitur, vt statim sibi subdita, turres etiam omnes, ipso iubente subuerterentur. Exinde veniens Barim, quam ciuibus, sicut supra expressum est, pro velle ipsorum dimiserat, cunctis turribus eorum euersis, castrum etiam in ea, quod iam intermissum fuerat, reædificari instituit. Deinde agens exercitum repetit Troiam: quam videlicet ciuitatem, eo quod ipsa munitissima sæpe rebellior ei exstiterat, magna ex parte in plures dispertitam casales, communit.

Et Comes Ranulphus audiens tam propinquum Regis aduentum, suspicans illum vere super se venturum, ad muniendum se acrius accenditur: quam ob rem Neapolim ocyus pergit: ibique Magistrum militum, ciuesque allocutus, in adiutorium sui cunctos sollicitauit: deinde Auersam reuersus cunctos, qui arma ferre possent, in hostem venire hortatus est. Exinde ad vallem Caudinam, qua exercitum dimiserat, rediit: Magistrum militum, omnesq; qui deerant, præstolans.

Neapolis à Rege deficit.

Richardus Roelis filius castrũ suum S. Agatha tradit Regi.

Interea dum Rex Troiæ moraretur, Ricardus Rohelis filius oppidum suum, quod dicitur S. Agathæ, accepto pro eodem cambio, volenti ei contradidit. Siquidem castrum ipsum plurimum optabat: eo quod in arduo posito monte omni pæne Apuliæ superemi- nebat: quam sibi per illud ex maxima parte posset tueri.

Troia itaq; debilitata, Rex illinc recedẽs dum Melfiam pergeret, in ipso itinere ciuitatis itidem Asculensis superbiam deposuit: nam illam omnino euersam plano in cãpo manere instituit: in tres videlicet dispertitam casales. Cum Comes itaque inaduerteret, quod Rex tunc super se venire non esset intentus, sed apud Melfiam demoraretur, cum suo exercitu ad propria recessit.

Verum Rex Melfia discedens Grauinam vrbem petiit: ibique aliquantulum commoratus, Salernum post remeauit: gaudens, & exsultans, quod tota Apulia funditus deuicta, solum sibi Beneuentum, ac Princeps Robertus, Comesq; Ranulphus, atq; Neapolis ad expugnandum supererant. Quam ob rem Rex ipse militibus circa Beneuentũ, Capua-

Capuámque constitutis diligenter præcepit, vt quousque à Sicilia cum hostili manu reuerteretur, eas ipsi de foris incessanter deprædari non desisterent. Posthæc autem, antequam hiemis importunitas subintraret, nauigio transuectus Siciliam repetit.

CVMQVE illic ad tempus vsque progrediendum in hostem moratus fuisset, nauali rursus tramite Salernum aduenit: qui innumeram vndique confluentem armatorum manum ad se accitam prope Apitium oppidum congregari iussit. Cum ergo ipse Beneuentum obsessurus putaretur, repente mota expeditione bellica, quoddam castellum nomine Pratum assiliens ignis incendio dedit: penitusque euertit. Deinde tria alia castella eius timore perterrita, vnum post aliud sese ei dedentia comprehendit: quibus tamen, quod se vltro dediderant, pepercit: horum siquidem castellorum Radulphus de Frame- * to sub Ranulphi Comitis dominio dominatus fuerat: quorum vni nomen erat Grintl'a, alii Simontum, alii vero Alzacunda.

Radulfus de Frameto vasallus Comitis Ranulfi.

INTEREA Ranulphus Comes in loco, vbi nominatur Cressanta, cum paucis, qui secum erant, commorabatur: cuius spiritus immenso cruciabatur mærore, quod paruo cũ bellatorũ numero constipatus illum pro velle suo adire non poterat: vnde suis Principibus, Baronibusque instãter omnib⁹ mittens, ad se eos sub nomine prœlii festinare hortatur. Dũque eorum successus attonitus expectaret, ecce Rex, eum iterum putaretur ad obsidendũ Beneuentum rediturus, subito motis castris, oppidum cuiusdã magnatis Principis Annonii nomine, quod dicitur Palma, sub omni celeritate aggreditur. Post hæc autem repente ad aliud, quod nominatur Sarnum supersedendum castra coegit: cuius quidem optimas eiusdem Principis Henricus nomine dominabatur: quibus Comes percepris tristitiam cordis animositate contegens, mox ad Marilianum oppidum Roberti de Medana cum suis, qui tunc secum erant, reuertitur: vbi quidem Principem Robertum, qui iam Pisa reuersus Pisanorum auxilium expectabat, Sergiumq; Magistrum militum, omnesq; magnates eiusdem Principis, & suos inhianter præstolari cœpit: quatenus cum eisdem omnibus Sarni fluuio, Regem ab eiusdem captione castri, ad bellum prouocando, amouerent.

Annonius dominus Palmæ, & Henricus dominus Sarni vasallus Capuani principis.

CVM ergo magna iam pars illic coadunata, nihilominus & ipsi prorsus paucitate alios inhianter præstolarentur, ecce præmemoratum oppidum à Rege cõprehensum nũtiatur. Deinde turris, quæ erat in præfato flumine, quod Scaphatum dicitur, cõtinuo turricolis, eius solo terrore contritis eam dedentibus capitur: sicque pons ligneus, qui ibidẽ erat, lignis in vndis proiectis totus destruitur: ne per eundem aqua ipsa à quoquam contra Regem acturo transmeari posset: per quem videlicet pontem, quia aliunde transeundi facultas non erat, Laboranus exercitus, vt iam supra expressum est, ad obsistendum Regi se transituros putauerant. Vnde quoque non modico afficiebantur dolore: non tãtum pro oppidi captione, quantum, quod præfata turre à Rege potita fluminis meatum amiserant. Porro Princeps vbi turrim comperit præfatam aggressam, cernensq; Pisanorum auxilium, quod sibi sperabat cito adesse, diu differri, iterum puppim ingressus Pisam festinus rediit: eos ad præsidium sui quantocyus secum minaturus: quos iam multarum millium marcarum argenti emolumentis, quas illis promiserat, sibi acciuerat.

SARNO itaque inuaso euestigio Rex Nuceriæ ingentissimum Principis oppidum obsidione circumdedit: arce quidem præfata, ad coercendum fluuialem transitum, custodibus iam præmunita: quod videlicet oppidum non solum loci situ, munitione roboratur, verum etiam expugnantium animo, viribusque mirifice extollebatur. Cum ergo ab exteris tentatum acerrimo fuisset assultu, econtra ab iis, qui intus erant, opitulante etiam loci ipsius ardua positione, summis nisibus defensabatur.

VERVM Laborana expeditio in loco adhuc præfato commorans expectabat: si quomodocumque, vel vndecumque fluuiali transitu, an ne posset Regi obuiare: eumque ab obsidione oppidi prœlio prouocatum remouere. Quam ob rem Comes Ranulphus non pauco constipatus numero galearum, ad præmemoratum Scaphatum pergit: exploraturus si illuc sibi, ceterisque omnibus libera transeundi præberetur facultas. Sed quia Regis iam meatus omnes custodiis præmuniti erant, nec posset ipsis vlla transuadio fieri, mox ad suos reuersus commilitones; cum eisdem multa cordis angebatur mæstitia: quod sine repugnationis effectu sic cogerentur manere.

INTEREA Rex Rogerius perpendens per nimiam aggrediendi oppidum difficultatem, ingenii armatur solertia: quatenus quod vi certaminis potiri non poterat moliminis adipisceretur peritia. Ligneam ergo parari machinam iubẽs, loco quo aptius, minusque vicinius prospiciebatur approximari statuit. Cumque iam prope esset, vt per eam lapidibus iactis oppidi mœnia feriri inciperent, mox oppidicolis animo dissolu-

Nuceriũ Roberti Capuani Principis oppidum capitur à Rege.

tis timor incutitur:regiaq; pax desideratur. Quocirca quidam ex primoribus eorum vno vniti consilio,ad Regem egressi sunt: postulantes vt sibi, ceterisque indigenis, simulque castrensibus impunitatem, oppidiq; integritatem conseruandam promitteret: sicq; deinde absq; dolo ipsi cum eodem oppido ei subiicerentur.

Facta itaque regia super hoc pollicitatione redemit intus adnotantumq; Tribunum militum nomine Rogerium de Surrento, cum aliis castrensibus deditione oppidi facienda mox consulunt, præsertim Comitis: quod non eis succursus adesse videretur. Nam melius inquiunt erat eis,vt Regi potius subderentur,quam vt oppido aggresso, atq; subuerso & ipsi periclitarentur.Quibus auditis,omnes primo quidẽ id fieri contradicunt: postmodum verum terrore regio constricti:loci deditionem consentiunt.Oppido itaque hoc modo à Rege accepto,prænominatus Rogerius,ceterisq; omnes, qui ad illud defensationis gratia confluxerant,impunitate eis,vt Rex promiserat,indulta capiuntur: sicque postea fide constricti abire dimittuntur.

Balduinus Ponti dominus vasallus Ranulphi Comitis.

Rodulfus de Bernia dominus Limatæ, vasallus Ranulphi Comitis.

Capta itaque Nuceria,militariq; in ea delegata custodia, ad inuadendum Ranulphi Comitis terram Rex prorsus animum figit. Quapropter coacto in vnum exercitu Padulum proficiscitur:indeq; motus ad obtinendum oppidum nomine Pontum accelerat: quod quidam Magnas Balduinus nomine sub Ranulphi Comitis dominio tenebat: cuius immensam Pontifii eminus cernentes expeditionẽ,mox terrore percussi accedentem illam sine vlla repugnatione intrare permittunt. Quo capto die ipsa continuo ad castrum,quod nominatur Limata,aggrediendum properat: quod cito comprehensum,simulque depopulatum,nouissime vero ignis crematione omnino deletur.Erat enim & illud alterius prædicti Comitis Optimatis: cuius vocabulum Radulfus de Bernia dicebat.

Interea Ranulphus Comes in præfato Mariliano adhuc morabatur: cumq; relatione tot terras ablatas sibi comperisset, cum multo animi mærore ad sua recuperanda galeis comitantibus festinanter egreditur: qui dum secus municipium,quod dicitur Ducenta,figeret gressum, à suis ibi omni consulitur instantia, quatinus priusquam omnibus suis exueretur,regia pace summopere præueniri studeret. Facta itaque propera ad Regẽ legatione,rogat ea quæ pacis sunt: eiq; pro velle suo se penitus subdendũ promittit. Quibus Rex auditis, mox furori suo frenum imposuit: terras suas vlterius præoccupare desistens:deniq; describens concordiæ pactum,misit ad eum,vt secundum, quod ab eo calamo prænotatum erat,ita illum in pace suscepturus esset:restituens & sibi vxorem suam,& filium: eo tamen interposito tenore,vt dotalia, pro quibus ipsi ab eo discesserant, ei restitueret: terrasque omnes, quas vi certaminis super eum obtinuerat, omnino quietas sibi dimitteret. Verum ille quamquam de his omnibus plurimum aggrauaretur,tamẽ ne suorum omnium amissionem incurreret,ad subiiciendum se ei prout ipse mandauerat,potius animatur.

Ranulfus Comes in gratiam recipitur recepta vxore & filio.

Veniens itaque ad eum genibus flexis, pedes eius osculari voluit: quem cum ille propriis manibus ab osculatione pedum subleuasset, orisque sui osculo vellet suscipere, Comes prius precatur,vt ex corde indignationem funditus abiiceret.Cui Rex, ex corde inquit,abiicio. Et ille volo iterum, vt sicut deinceps tibi famulatus fuero, ita me diligas. Cui ille,& ego concedo.Iterum ait, istarum sponsionum, quas alternatim fecimus, volo vt testis sit Deus: inter me,& te. At ille,ita inquit fiat. Quibus dictis Rex eum statim osculo suscepit:diuq; in amplexu ipsius delectari visus est ita,vt ex oculis quorundam circumstantium vt præ gaudio lachrymæ effundi viderentur.

Robertus filius Roberti Capuani principis paruulus designatur princeps Capuæ sed nisi vasallus Regis sit, priuandus decernitur

Hugo Boianensis Comes terras suas vniuersas Biferno fluuio comprehensas Regi cedit.

Principem vero in sua pace hoc tenore suscipiendum pepigit: videlicet, vt si vsq; ad dimidium mensis Augusti reditum faceret, suo non priuaretur honore: si tamen iuxta quod in capitulari scripto statutum erat, subditus ei vellet parere: retentis siquidem sub proprio dominio, quæcumque vi guerræ obtinuisset. Si autem forte ei animus redeundi deesset,eius filio paruulo nomine Roberto Principatum concederet: eo tamen interposito pacto,vt ipse eius tamdiu regimen teneret, quousque legitimam idem consecutus ætatem exercere militiam posset. Quod si & ipse præfatum absentatione sui, terminum præteriret, Rex deinceps Principatu Capuano, cunctorumque heroum hominio inculpabiliter sub proprio potiretur dominio. At Hugo Boianẽsis Comes præuidens Regis irã super se mouendam, quod aduersus illum Principi, Comitique adhæserat, cum multis precibus veniam ipsius postulaturus aduenit: quam quidem impetrare nullatenus valuit: nisi primo terras suas vniuersas,quas Bifernus fluuius orientem versus præterfluit,ei reliquisset: nec non Castellum maris: situm scilicet,quo fluuius Volturnus cursus sui finem designat. Verum Sergius Magister militum, secundum quod à Rege exigebatur, eius tunc super se dominatum suscipere,atque seruire abnuebat:ad quẽ postea Raimpotus Tribu-

Tribunus militum Beneuentanus audita Comitis concordia, præ timore continuo ciuitatem deserens, centum, vel ferme constipatus loricis aufugit.

INTEREA Rex Celesinum cœnobium fore sibi vicinum comperiens, voluit visere illud: fratrumque se orationibus commendare. Cum ergo ad monasterium venisset, honorifice, vt illum decebat, à fratribus obuiã ei progredientibus, cum hymnis, & laudibus suscipitur: qui cum completa ante altare oratione capitulum intrasset, osculatis sigillatim fratribus, sanctam postmodum eorum fraternitatis societatem per manum Alexandri eiusdem congregationis Abbatis humiliter, reuerenterque accepit: qui etiam bona se collaturum deuote eidem monasterio spondens, ad exercitum, quo venerat, valefaciens fratribus, lætus abscessit.

POST tertium vero diem, summo mane secedens Capuam illustrissimam vrbem, ciuibus eius, cunctisq; terræ Laboris Magnatibus sese dedentibus recepit: quæ videlicet vrbs metropolis existens, idcirco, vt ab antiquis traditur, tale sortita est vocabulum, vel quia caput Campaniæ est: vel quia campi planitie longa, lataque gyratur: seu, vt quibusdam videtur, à Capy conditore suo Capua dicitur. Est quidem ampliori situ capacissima: mœnibus, turribusque in circuitu munitisima: cuius quoq; muralem ambitum Volturnũ flumen medium præterfluit: intra cuius fluenta plurima in aquis supernatantia molendina funibus cannabineis innexa consistunt. Pons quoque miræ magnitudinis, miroque opere constructus in ipso amne exstat fundatus: qui intrantibus, & exeuntibus meatũ præbens, ab vna parte vrbe, ab alia vero burgo valde prolixo obuiatur. Sed & Cerere, Baccho, carnisque edulio, nec non diuersis commerciis ciuitas vberrima, populoso nihilominus frequentatur accessu: & quod maius est, Principali constat dignitate præcellens.

Rex potitur Capua

CVM ergo ciuitatẽ ipsam iam sibi subditam Rex introiturus esset, à præordinata clericorum, totiusq; populi processione honorifice, prout decebat, suscipitur: atque ad Archiepiscopium vsq;, cum hymnis, & laudibus perducitur. Deinde continuo foras ad expeditionem egressus Sergium Magistrum militum præstolabatur: quatenus cito veniens sibi subderetur: alioquin sciret, se sine dubio obsidione constringẽdum. Verum ille veritus, ne Rex ab eo contemptus super se irrueret, ciuitatemque eius aggrederetur, deposita mentis ceruice, venit ad eum: qui genibus flexis, manusque suas manibus suis immittens, suum ei hominium subdidit: fidelitatemq; iurauit. Rex inquam valde stupenda: nam vti iam in secundo expressum est libro, NEAPOLIS, quæ post Romanum imperium vix vnquam ferro potuit subdi, hanc quoq; verbo tantum visa est constringi.

NEC mora post hæc Rogerius cogens exercitum, castra inter Morconium, Pontemque Laudulfi metaturus reducit: daturus vniuersas terras Roberto Ricardi filio: quas ei Boianensis Comes dimisisse supra dictus est: nam dum ipsius, aliorumq; irritare tur guerris præmemoratas ei terras, cum eas adepto triumpho, potiturus esset, pollicitus fuerat: si tamen, dum guerras suas ageret, non infidelis reperiretur.

Robertus Richardi filius à Rege obtinet terras oẽs quas regi à Boianẽsi Comite ob uenerant.

DVM à Rege mora ibidem fieret, Burrelenses domini eius super se aduentum futurum formidantes, accelerant illum præuenire: vt suum ei hominium quantocyus subdentes illum placarẽt. Exin Beneuentum reuersus, ibique extra vrbem defixis tentoriis, ciues eius sibi fideles iuramento, salua Apostolici fidelitate instituit.

CETERVM supradictus Raimpotus Neapolitanum Magistrum militum cum Rege concordaturum præsciens, mox puppe ascensa, dum fuga vellet petere Pisam, equorea interceptus procella, cum filio suo marinis fluctibus suffocatus interiit. Denique Rex cernens cuncta ad votum suum prospere sibi accidisse, omnesque pro velle suo ditioni suæ subegisse, suam illic dispertiens expeditionem, singulos ad propria redire permisit: retenta sibi sola militia, quam ex proprio sustentabat ærario. Deinde repetens Salernum, ibique paullulum moratus ad Siciliam post triumphali redimitus gloria, ouanter reuertitur. Hic secundus compleatur libellus: quatenus paullulum dato silentio, ad inchoandum, & perficiendum tertium, vires loquendi reparentur.

Erat autẽ is Richardus Comitis Ranulfi frater.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

ACTVM est autem cum Rex ROGERIVS Siciliam repetiſſet, eodẽ anno, non multo poſt corporis langore corripitur. Sed cum Deo tribuente citius conualuiſſet, ALBERIA Regina coniux ipſius, mox infirmitatis tacta incommodo, ad extrema peruenit: quæ videlicet mulier dum vixit, religionis gratia, atque eleemoſynarum largitione fertur plurimum enituiſſe. Qua defuncta Rex ipſe ita mœroris contritus eſt amaritudine, vt multis ſe diebus intra cameram recludens, exceptis eius priuatis obſecutoribus non apparuerit: vnde accidit, vt fama paulatim diffuſa, non ſolum iis, qui longe, verum etiam, qui prope erãt, vere obiiſſe exiſtimaretur. Quo videlicet rumore Princeps Robertus, qui Piſam aufugerat, ſollicitatus, cum immenſa belligerorum Piſanorum manu nauigio aduectus in NEAPOLIS vrbe excipitur: fauente ſibi Sergio eiuſdem ciuitatis Magiſtro militum: qui iam cum eo, præmiſſis alterutrum nuntiis contra Regem conſpirauerat.

Alberia Regis uxor moritur.

COMES autem Ranulphus & ipſe eodem rumore deceptus, Regis obitum vere contigiſſe credebat: qui cum Principem cum ingenti armatorum multitudine reuerſum comperiſſet, corde reſpirans, lætabatur valde: quod Rege defuncto, tempus iam accidiſſe opportunum videretur, quo & idem Princeps Capuam, Principatus amiſſi honorem, & ipſe terras, quibus deminutus fuerat, recuperare poſſent. Periurium itaq; contra Regem Rogerium perpetrare non timens, ſine vlla dierum dilatione, donatiuo ſuo milites circiter quadringentos collegit: atq; cum eiſdem ipſis non longe extra muros Capuæ progreſſus eſt: expectans ſi forte, quoquomodo ciuitas ipſa Principi reſtituẽda ab iis, qui ampliori eiuſdem amore connecti videbãtur, ſibi redderetur: cuius quoq; proditionem, cum poſt ad effectum non eueniſſe comperiſſet, immenſo animi mœrore contritus eſt. Deinde aurora illuceſcente, per campos paſſim diſcurrens copioſam animalium, diuerſarumq; rerum rapinam in ſuburbanis eius exercuit: ſicq; Capaciam munitiſſimum eius oppidum, quo iter aſſumpſerat, timido corde regreditur. Guerra itaq; hoc modo aduerſus Regem incepta eſt: cui quoq; Comiti quidam ſuorum Baronum clam, quidam vero manifeſte conſentientes in Regem periurauere: qui ei vſque hoc iuſiurandum egerant: videlicet, vt ſi quando Comes ipſe contra eundem Regem vellet inſurgere, dierum quadraginta præſtolaretur ſpatio: quo eorum hortationibus ad regiam reuocaretur ſubditionem: alioquin exinde tamdiu ab eiſdem inſtãter debellaretur, quouſq; ei nolens etiam ſubiiceretur.

EODEM namq; tempore Cancellarius Regis Vuarinus nomine, vir quidem litteris apprime eruditus, & in ſecularibus negotiis prudentiſſimus, & Iohannes Ammiratus, cuius iam ſuperius ſummam memini ſtrenuitatem, cunctam Laboris terram tunc temporis procurantes, cuſtodiebant: qui comperto Principis reditu, nec nõ & Comitis ſubita rebellatione, diligẽtiori protinus ſollertia Capuam vrbem, Matalonum, Cicalam, Nuceriam, ceteraſq; terras, ipſam terram Laboris, caſtra belligerorum viribus munire cœperunt.

ERAT autem in eadem terra Laboris ciuitas quædam nomine Auerſa: quam Normanni cum Apuliã aggrederentur, primitus condiderunt: quæ licet duodecim Magnatibus, militibus atq; immenſo populo in ſe cohabitantibus gloriaretur, tamen potius aggere, quam murali circumcingebatur ambitu: quo contra hoſtes, ſi neceſſe eſſet, reſiſtere poſſent: ad quam cum Iohannes Ammiratus, & Vuarinus Cancellarius veniſſent, cœperunt ipſos Primates, & equites, omneſq; in ea cohabitantes diligenter præmonere, quatenus nullo vnquam amore, ſeu timore concuſſi regiam fidelitatem relinquerent: ſed & bonum nomen, quo tunc vſq; in ſumma legalitatis obſeruatione, fideiq; puritate vigenti enituerant, qualibet ignominia tempore neceſſitatis inſtante obfuſcari non paterentur. Cumq; iis, & aliis exhortationibus eos ſufficienter allocuti fuiſſent, Iohannes in Apuliam etiam miſit ſollicitãs omnes regio iuſſu, vt ad tuendum terram Laboris, quam citius poſſent, accurrerent.

IGITVR Princeps Robertus de Regis adhuc obitu incertus, non deſinebat intra mentis ſuæ voluere arcanum quomodo, qualiterve Principalem ademptum apicem reſumere

ſumere poſſet. Miſit itaq; ad Ranulfum Comitem, vti ad ſe quantocyus feſtinaret: quoniam quidem quod erat acturus, abſente eius ſtrenuitate agere nullatenus quiret. Verũ & ille cum de Regis morte, vt iam dictum eſt, nequaquã cunctaretur, mox cum ipſa militari, quam collegerat acie, ad illum NEAPOLIM ſitienter properauit: cuius quoq; aduentu Princeps ipſe, Sergiuſq; Magiſter militum ad maiorem reſumendum audaciam, vehementer ſunt vegetati: putantes per eum, eo quod vir bellicoſiſſimus eſſet, ad effectum rei, quam deſiderabant, feliciter pertingere. Firmata itaq; ad inuicem conſpiratione, hoc tandem apud ſe firmiter propoſuerũt: vt & princeps, & Comes ſua ablata ad integrum ſibi reſtituerent: & magiſter militum NEAPOLIM & cætera, quæ iure ſibi ſuppetebant, ſecuriter poſſideret. At Rex ſicut & prius, ita & tunc extinctus credebatur: de cuius quoq; vita nonnulli etiam fidelium ſuorum hæſitabant: præſertim cum inſtantib. hoſtibus plus ſolito venire moraretur: ſed & ſi quis veniens eum viuere, vel venire aſſereret, iam audiri contemnebatur: cum multis aliis anteuenientibus, atq; id ipſum aſſerentibus in vacuum ſit creditum: iam enim Madius menſis curſus ſui metam attingebat.

Robertus Princeps Capuæ: Ranulfus Comes, & Sergius Magiſter equitũ rurſus à Rege deficiũt.

Madius menſis, pro Maius menſis.

AVERSANI heroes, ſimulq; vniuerſus populus quamq; certificantibus quibuſdam Regem vere viuum, vereq; venturum audiſſent, in tantam tamẽ deuoluti ſunt inſaniam, vt oblitis, quæ à Iohanne, & Warino præmoniti fuerant, ſine vlla præcedente repugnatione, abiecta Regis ſubditione, eiuſq; contempto dominatu, Principis dominio ſubderentur. Cæterum Cancellarius Warinus, & Iohannes Ammiratus præſciẽtes hoc ipſum ab eis agendũ, Capuam iam, ne ab ipſis capti, hoſtibus traderentur, receſſerant: vbi cum ad tutandũ vrbem ipſam cum pluribus equitibus idem Cancellarius remanſiſſet, Iohannes ad præmuniendum Matalonum, Cicalam, cęteraq; oppida continuo vadit: ad quem cum Apulienſis militum, peditumq; exercitus copioſus, ſicut ipſe mandauerat, Cicalam conueniſſet, morantur ibi: tuituri terram Laboris: præſidente eodem Iohanne, vſq; dum Rex adueniret: inter quos erat Robertus filius Ricardi: fidiſſimus Regis: qui in ſuperiori proximo libello pręſcriptus eſt: & Rogerius Orianenſis Comes: aliiq; quamplures: vnde factum eſt, vt tam ipſe exercitus, quam milites, qui intra Capuam habebantur, præter pedites, fere duo millia ſupputarentur.

Robertus filius Ricardi fidiſſimus Regi: vt & Rogerius Orianenſis Comes.

AVERSA itaq; vrbe à Principe recepta, Piſanus exercitus, qui cum eo venerat, quorum numerus circiter octo millia ferebantur, eidem Principi, & Ranulpho Comiti, Sergioq; Magiſtro militum omnimodis inſtant, vti ad aggrediendum Capuam quantocyus feſtinarent. Aſſerebant enim illam ſine dubio quantocyus fore inuadendam. Sed illi cognoſcentes vrbem militari plurimum protectione fore munitam, impetum eorum, prudentiori conſilio cohibent: quatenus circa Clanum flumẽ, in loco, qui Pons Silicis nuncupatur, caſtrametentur: paullulũ attendentes, vtrum ab iis, qui plus aliis diligebant Principem, vrbs ipſa ei quoquomodo proderetur. Verum Cancellarius, vt erat cautus, & ſollicitus, antequam ipſi ad eundem acceſſiſſent locum, quoſq; Principem plus aliis diligentes perceperat, & in quibus tradendi ciuitatem maior haberetur ſuſpicio, vniuerſos comprehendens Salernum cuſtodiendos direxerat.

DVM ergo Princeps in illo loco moratus ſpem prodendæ ſibi vrbis amiſiſſet, motus inde, iterum in alium locum, ſecus eiuſdem fluminis decurſus aquarum tentoria fixit: ſtante ex altera parte regio, cui Iohãnes prædictus præſidebat, exercitu. Comes vero Ranulphus nimio mentis ardore æſtuabat, eo quod in illos ad feriendum, medio ſtante flumine, furtiuo, ſubitoq; euentu irrumpere non poſſet. At Iohãnes Ammiratus vir ſagaciſſimus è contra, ſiniſtros præcauens euentus, caute agebat exercitum: videlicet ab irruptione inutilis audaciæ eos coercens. Cumq; ſic ab vtraq; parte aliquantiſper ibi moratũ fuiſſet, Principis expeditio panis inopia coanguſtari cœpit: quam non iam ſuſtinere valebat. Tanta namque in eodem loco egeſtas habebatur, vt vnus panis puſillus vix iam Rothomagenſi nummo mercaretur: quam ob rem derelicta Princeps cum Magiſtro militum NEAPOLI, recedunt: Comes autem Ranulphus ad cuſtodiendum Auerſam delegatur.

DVM ergo res ita haberetur, ecce ſubito Rex Rogerius, quem omnes ſui ſitienter expectabant, quemq; inimici eius non viuum credebant equoreis vndis aduectus, quinto die intrante Iunio Salernum ingreditur: cui cum de naui exeunti, vniuerſus ciuitatis populus vnanimes occurriſſent, tanto excepti ſunt gaudio, vt pro eo Deo gratias omnes exclamarent: cuius aduentum, & Beneuentani audientes, ita ipſi immenſo ſunt exhilarati tripudio, vt in vrbe, me ipſo præſente, & audiente Eccleſiarum ſigna ſimul pulſarentur: & ab Archiepiſcopio, ad monaſterium vſque S. Sophiæ cum hymnis, & laudibus clericalis ordo proceſſerit. Rex denique à præſentibus rerum caſus ſeriatim ſciſcitans, at-

que prænoſcens,per omnes mox ditionis ſuæ terras dirigens,ad ſe omnes,qui arma gerere,eiſq; ad prælium exerceri poſſent,accelerare imperat.

Cvm ergo vndiq; adueniens exercitus coadunaretur,Rex interim ſuper Auerſanis,quos de legalitate multa,fideiq; ſinceritate iam laudibus ſuis extulerat,plurimũ conquerebatur: quandoquidem, quod in eis laudauerat,neceſſitatis tempore ingruente, in ipſis non eſt inuentum. Contriſtabatur etiam præcipue ſuper Ranulpho Comite: conquerenſque aiebat: quomodo Ranulphus Comes à me vltra ſuſcipiendus ſit,vel credendus : quem ſemper ad malum mihi inferendum, nec propinqui ſanguinis copula,nec poſtquam eius hominium accepi, ſacramentum fidelitatis cohibuit? Quocirca merito poſtquam ab eo violatum eſt iuſiurandum,fides ei non eſt amplius adhibenda: amorque propinquitatis,quo ob coniugium ſororinum, vnituſq; cum eo ligatus tenebar, penitus diſſoluatur. Qui quidem ſi in mei nunc fidelitate poſitus gloriam meam, & honorem quæſiſſet,oblitis omnibus,quæ mihi intulerat,malis,multum à me honorem ſine dubio conſecuturus foret. Magiſter vero militum, qui fidelitatem meam, inimicis meis adhærendo dereliquit,nulla vtique ſuper hoc venia dignus habeatur: NEAPOLITANAM quippe dignitatem amittens. Princeps autem, qui iram meam magis deliteſcendo fugit,quoniam in hoc non multum deliquit,vtique miſerendum eſt ei: ſuoque ex toto non priuetur honore: ſi tamen ab inimicis meis,videlicet Magiſtro militum, Comiteq; Ranulpho diſcedere velit. Vnde mittatur cito ad eum: & experiamur, vtrum verbum iſtud ſibi placuerit: videlicet, vt ab illis diſcedat. Verum Princeps, Comeſq;,ex quo aduentum perceperunt,in tantam animi triſtitiam corruerunt: vt mori magis,quam viuere vellent: videntes ſe rumore falſo fuiſſe deluſos.

Cvm ergo Princeps hoc,quod ab eo mandatum fuerat,contemnendum elegiſſet, Rex illico coacta in vnum,quam collegerat,militum,peditumq; innumera expeditione, qua maior nulla alia antea ab eo habita eſt, ad aggrediendum Auerſam, qua Comes Ranulphus ad cuſtodiendum remanſerat,toto animo tendit: cuius aggreſſionem aſperrimã Auerſani formidantes,cœperunt omnes,quicumq; citius poterant,fugam arripere: atq; NEAPOLIM, ad ſe ibi tuendum properare. Comes autem cernens ſe,ita fugiendo,ab omnibus præ timore derelinqui, bellum ſine dubio Regi inferendum ſæpe comminatus fuerat,vix tandem cum pauciſſimis fuga ab eo elapſus eſt: atque Neapolitanis mœnibus, quibus tunc Princeps,Magiſterq; militum adhæſerãt,ſe nimis confuſus recepit: qui cum ibi intruſus ciuitatis clauſtra non egredi auderet,intra mentis ſuę viſcera immaniter torquebatur: pœnitens valde,quod male conſultus guerram cœperit: ſibique ea, quæ pacis ſunt,conſulentibus nequaquam crediderit. Quid ergo ageret? cum ſe, etiam terras in proximo iam amiſſurum cerneret: ad quas tuendum,& fratrem ſuum Richardũ dimiſerat. Sed ille ſimiliter regio perterritus aduentu,etiam filio ſuo,quem Regi obſidem dederat,derelicto,cum ad fratrem ſuum Comitem redire nequiſſet,per occulta tramitũ continuo fugam iniuit.

Cvm ergo Rex ſuper Auerſam irruens Comitem fuga euaſiſſe comperiſſet, doluit valde,quod captionis ſuæ retia euadens,vltionem ipſius meritam nõ fuerit expertus: qui deinde tanto mentis furore accenditur,vt tota vrbs prius omnino depopulata,ignis poſt incendio traderetur: quæ videlicet ciuitas non ſolum intus, ſed etiam de foris abundantiſſimo fuerat inhabitata populo: omnibuſq; inuiduis ita fertilis fuerat, vt etiam Capuæ, * ſeu NEAPOLI,quæ circa ſe erant,non inuideret. Frumento,& vino,carniſque edulio ita feracior exſtiterat,vt fere nullus in ea habitantium inuictu egeret: vnde contigit, vt pœne omnes in ea effrenatius turpi libidini ſubderentur: ob cuius piaculum, quo ſe moderari neglexerũt,Deus magis offenſus,ſic eam,vt æſtimo,per Rogerium delere decreuit.

Cvm ergo ſic Auerſa deleta fuiſſet, Rex poſtmodum ſuburbana ipſius concremari iuſſit. Deinde appropinquans NEAPOLIM, inter oppidum, quod dicitur Cuculũ,Patriæq; lacum caſtra defixit: ibiq; tamdiu moratur,quouſq; & cuncta ſuburbana NEAPOLIS in partibus illis ignis incendium conſumeret: ſegeteſq; vniuerſæ à frumentatoribus ſuæ expeditionis depopularentur. At Princeps Robertus,Comesq; Ranulphus,Sergiuſque Magiſter militum ita præ formidine ipſius intra vrbem intruduntur, vt nec de porta bellaturi exire auderent. Cumq; omnia ibi conſumpta fuiſſent,iterum Rex Auerſam deſtructum repetit: qui etiam illic diligentius iubet,vt ſi quid inter Auerſam, NEAPOLIMQVE,quod comburendum eſſet,incombuſtum remanſiſſet,omnino combureretur: vbi quippe moram tamdiu facit, donec & rebus agrariis, quæ ſuperfuerant, vniuerſis conſumptis,ſolum telluris omnino vacuum dimitteretur.

Dvm hæc ita gererentur, Rex habito conſilio præmiſit Cancellariũ ſuum Warinũ cum

cum multitudine militari: quatenus ciuitates, quas Comes Ranulphus sub proprio dominio tenuerat, sponte sibi subiicerentur: alioquin si ipse super eas irrueret, sine vllo miserationis intuitu depopulatæ, ignis quoque concrematione funditus exinanirentur. Veniente itaque Cancellario ad vrbem, quæ dicitur Allifa, ipso die quo venit, vniuersus eius populus Regi, sine vlla refragatione sucijcitur: quo facto, postera die ad oppidum S. Angeli cognomento Rabicannum suscipiendum tendit: cuius videlicet Ricardus frater eiusdem Comitis dominatus fuerat: quique etiam regio, vt iam fatum est, aduentu perterritus, dimisso eodem castro, in Campaniam aufugerat.

Oppida Ranulfi Comitis, Allifa Oppidum S. Angeli vel Rabicannum.

Post hæc autem Cancellarius recessit Caiaciam: remotus tamen ab ea tertio milliario secus Volturni fluenta. Mandatur exinde Caiacianis, & præcipue illis, qui castro eius præerant, vt & ipsi Regis super se quantocyus suscipiant demaniũ. At illi sentientes inexpugnabili se castro muniri, audacius recusant id fieri: immo si necesse fuerit, se ei repugnaturos prænuntiant. Quam ob rem Cancellarius motus inde, castra super Sanctam Agatham vrbem metatus est: exhortans ciues Regi se vltro subdendos. Verum illi, sicut & Caiaciani id fieri renuentes, ad resistendum potius se parant. Nuntiantur itaque Regi, qui tunc Auersæ morabatur, hæc omnia: & quia vtræque vrbes munitissimæ erant, necesse erat, vt Rex ipse ad expugnandum super eas irrueret.

Porro Rex audiens illorum superbiam, graue accepit: vnde magna expeditionis suæ parte ad custodiendam Capuam, ceteraque oppida circa terram Laboris sita, delegata, ad obsidendum præfatas vrbes iratus festinat. Veniens ergo super S. Agatham eam vndique artissime circumsedit: atque machinas, quibus citius caperetur, fieri iussit. Quo viso ciuitatis habitatores immẽso consternantur timore. Vnde nonnulli eorum cito exeuntes Regem præuenire satagunt: pedibusque eius prouoluti precibus instant, vti eorum subditionem susciperet iam dignaretur: & ne ipsi cum vxoribus, & liberis, rebusque eorum in prædam darentur: essentque in ignominiam cunctis audientibus. Rex itaque precationibus eorum vix flexus, vrbem sic, sine ipsorum discrimine suscepit: atque post tertium diem ad habendum Caiaciam properat: sicque eiusdem vrbis positio ita stare cernitur, vt orientem versus ingens in ea castrum, nõ solum humano opere, verum etiam montis excellentia naturaliter munitissimum habeatur. Quod quidem castrum ita ab vrbe distat, vt etiam ciues ipsi in nullo quomodolibet contra illud penitus præualere possint. Ceterum & obsidionem ab eo non formidare videtur: vt si virtus alimoniæ, qua tutores eius sustententur, non defuerit, vix vmquam possit captione subdi.

Veniens itaque Rogerius super illam, mirabile dictu, ita castrenses in primo exterriti sunt, assultu, vt nil aliud, nisi quæ pacis sunt, cogitantes eidem subdi quantocyus cuperent. Quippe tantum percrebuerat in eodem assultu, spiculorum iactura, vt vix cuiuslibet manus castrensis ad repellendum instantes hostes contrahendi fuerit ausa. Nam defensationis gratia quicunque inermis positus brachium extenderet, ictum deforis venientis iaculi statim in se ipso excipiebat. Sic itaque castrum ipsum semel oppugnatum, atque deuictum à Rege accipitur: quod cum postea visendi causa fuisset ingressus, illud quam maxime, pro ipsius ardua, ingentique munitione commendasse fertur: multumque sibi prodesse ad eius defensionem coronæ testatus est.

Post hæc autem quendam ibi heroem Nicolaum nomine, eo quod inimicis suis consentiens periurus eius fuerit, iusto exheredauit examine: qui deinde cupiens in perpetuum solidare pacis bonum, dedit edictum, vt cuncta in terra Comitis subuerterentur oppida: præter munitiora castra: quæ ei sub proprio dominio ad eiusdem pacis tutelam retineri placerent. Post hæc venit Allifam: vt videret eam: qua visa, de ipsius amœnitate loci, Lympharumque circumcurrentium magna abundantia fertur valde sibi complacuisse. Quarum videlicet Lympharum tanta erat obsecundationis facilitas, vt quandocumque prius vellet, riuum ex eis productum, in hortum suum vbicumque esset, posset transducere: eiusque ad irrigandum holera, pro velle suo famularetur.

Post hæc coacto in vnum exercitu, quem secus fluenta Volturni reliquerat, Neapolim, qua hostes eius contra se suscepti rebellabant, obsessurus properat. Erat autem ciuitas ipsa antiquissima: quam Æneas, cum illuc nauigio transuectus applicuisset, primus fertur condidisse: cuius quoq; magnitudo prægrãdis erat: quę à parte meridiana non solum murorum altitudine, veram etiam Tyrrheno mari munitur. A ceteris vero partibus, excelsis mœnibus roboratur. Quam ob rem adeo ipsa inexpugnabilis constat, vt nisi famis periculo coartata nullatenus comprehendi queat. Nempe huiusmodi vrbis dominus, olim Octauiano Augusto annuente, Virgilius maximus poetarum exstitit: in qua etiam ipse volumen suum ingens hexametris composuit versibus.

Igitvr cum Rex Rogerius à parte Orientis vrbe hac obſeſſa, eiuſdem captionem diu differendam præuidiſſet, accidit in cor eius, vt innumeris accitis foſſoribus, caſtrum ingens aggeris circumductione munitiſſimum ſuper eam firmaret: quatinus ibi inceſſanter, militaribus excubijs ſufficienter expoſitis, ipſo quoque abſente Neapolis vicinius indeſinenter ab ipſis conſtringeretur. Cum ergo poſita ſuper Neapolim obſidione agger, pro extruendo caſtro ipſo, terram effodiendo ſurrigeretur, cœpit agger idem, eo quod ex cęmento arido terra egeſta labilis eſſet, huc, illucque ſubmergi: propter quod opus ipſum in vacuum aſſumptum fuiſſe videbatur: nec poterat caſtrum ipſum incœptum, dū agger ſic ſubmergeretur, ad effectum pertingere. Quo viſo Proceres ad Regē mox venientes ſubmiſſis vocibus conqueruntur. Incaſſum inquiunt, ad conſtruendum caſtrum labor iſte aſſumptus eſt: quoniam quotidie terram effodiendo, agger circumducitur: qui tamen ad expletionem eiuſdem caſtri non proficit: quoniam quod pro aggeris erectione fodiendo egeritur, dilabi pro ſui inſtabilitate non ceſſat: quapropter dimiſſo hoc opere, aliud inueniatur conſilium: quo ad vrguendam rebellis vrbis ſuperbiā congruentior præſtetur facultas. Item eſt & aliud omnino lugendum: quoniam ſunt nō nulli ex hac expeditione, qui in loco iſto, dierum æſtum Caniculariū non ferentes, incipiunt iam infirmari: alij vero intolerabili equorum, qui præ multa aquæ inopia ſiti moriuntur, cadauerum fœtore tabeſcere. Sed etiam tellus ipſa, qua conſiſtimus, eo quod cæmentum ſiccum ſit, impurum à ſe prodeuntem calorem. Horum quippe malorum vitia valde veremur: ne forte in tantum procedant, vt totus ab eis exercitus infirmatus, penitus, quod abſit, labefactetur. Vnde hinc, ſi tuæ non diſplicet pietati, cito remouendi ſumus: vt non morientes, cum ſalute etiam noſtra Neapolim non ſolum diebus ęſtiuis, verum etiam in hieme, ſi neceſſe fuerit, coercere poſſimus. Quibus Rex auditis, mox eorum miſertus, iuſſit obſidionem remoueri: cogitans qualiter alio modo, abſque ſuorum diſcrimine, hoſtibus ſuis reſiſtendum eſſet: quamobrem magnam eiuſdem expeditionis partem diſpertiens, per ſingula oppida, quæ Neapoli viciniora erant, inſtituit: vti eam, ipſo quoque diſcedente inſtanter comprimerent: ſuique rebelles, ſi quando forte vſquam armati progrederentur, vicinius ab ipſis poſſent reſtringi.

Qvibvs ita diſpoſitis perrexit Cuculum: quod dum ipſe à Sicilia moram redeundi faceret, à Piſanis, quos ſecum Princeps duxerat incaſſum, eo quod Neapolitanis iubente ipſo aduerſaretur, ex parte etiam fuerat ſubuerſum. Quod videlicet oppidum quoniam Neapoli proprinquiſſimum exiſtebat, ad artandum eam quantocyus reædificans, melius etiam quam antea fuerat, opere firmari præcepit: deinde præuidens magis Auerſæ reſtitutione, rebellis Neapolis poſſe reſtringi ſuperbiam, perrexit illuc: atque eodem, quo prius fuerat, iuſſit reſtaurari ſitu: atque ad eam inhabitandum, cunctos, qui prius illam inhabitauerant, redire permiſit.

Interim autem dum Rege ipſo cum ſuo exercitu præſente, eiuſdem ciuitatis inſtanter reparatio fieret, Princeps, & Comes, Magiſterque militum Sergius intra mœniū Neapoli ſepta concluſi neſciebant quid agerent: videntes ſe omnes iam in proximo fore ſuperandos: ni forte vndecumque adueniens ſuccurſus citius adeſſet. Nam & victus inopia indeſinenter angebantur: nilque quo ad vitam, cum ſuis ſuſtentarentur, de foris per terram aduectum, ad eos intrare minime poterat. Militum vero, qui ad ſtipendia ipſorum militare videbantur, alij verentes plurimum regiam captionem, vrbem quandocunque poterant, latenter exeuntes abſcedebant: alij autem poſſeſſiones proprias nolētes amittere, ad eas reſumendū, qui tamē Regis licentiā accipere poſſent, reuertebātur.

Cvm ergo prędicti Principes ciuitatis concluſione ita coercerentur, hoc tandē ab eorum ſollertia prouidetur conſilium, vt ocyus Piſam dirigentes ciuium aures miſſis precibus pulſarent; quatenus eorum miſerentes, ingentem per mare venientium belligerorum copiam tranſmitterent: eiſque celerrimum in extremo iam poſitis opitulationis ſuccurſum impenderent. Cum ergo immenſa acies ab eis directa cum ratibus equora ſulcando Neapolim tendiſſent, iſtiuſmodi præfirmantur conſilio: vt vrbem Amalfiam inchoante auroræ ortu ſubito aggredientes aut prædarentur: aut Regi, ſi fortuna ſiniſtra non eis impedimentum ferret, eriperent.

Erat autem tunc Amalfia omnibus pæne euacuata belligeris viris; quorum iam pars iubente Rege, cum liburnis quatuor armatorum refertis copia, per marinas prędaturi aquas receſſerant: pars vero in hoſtem euntes cum Rege aderant: alij autem Piſanorum tunc nauigia intuentes, quoniam eos putarunt Salernum aggreſſuros, cito illuc præeuntes eam tuituri, ibi remanſerunt. Venientes itaque ipſi Piſani ſubito inchoante auroræ luce inuaſerunt vrbem: nulloque reſiſtente eam funditus, impieque depopulantur.

tur. Cumque vrbe tota depopulata, vniuersa ad classem spolia transportata fuissent, mox Scala oppido, ceterisque Amalfię munitionibus inuasis, nouissime quoddam munimen, quod dicitur Fracta, oppugnare nituntur.

Dvm ergo Rex Rogerius, vt iam fatum est, ad reparandũ Auersam, bellica constipatus expeditione sedulus intenderet, intimatum est sibi, quod naualis prœliantium manus Pisa adueniens Amalfiam proculdubio inuaserat. At ille cognito hoc concitus, ipsam Auersæ restitutionem pro tempore dimittẽs, castra mouit: Amalfiam violenter de manu excussurus. Quid multa? Dum ergo præfatum munimen, sicut iam dictum est, expugnaretur, ecce regius exercitus ex improuiso irrumpens, partem ipsorum cæde prosternunt: partem vero captionis violentia subdunt: quorum videlicet numerus inter necatos, & captos mille quingenti fuisse referuntur. Ex Consulibus aũt ipsorum duo capti sunt: tertius vero percussus interijt: qui autem ad puppes remanserant, vel timore coacti ad eas fuerant reuersi, innumeris, quibus onustati fuerant spolijs, fugam arripiendo euaserunt. Liburnarum vero numerũ quidam asserunt fuisse quadraginta tres: alij vero plures: captiuorum autem multitudinem per diuersa Rex dispertiẽs loca, vinculis mancipandos direxit.

Cetervm piratæ ipsi Neapolim redeuntes cum Pisanis, quos Princeps secum duxerat, relictis ibi ad custodiam nonnullis ipsorũ simulque etiam cũ eodem Principe Pisam ingressi sunt: veris tempore in adiutorium Neapolitanorũ denuo reuersuri. Verũ Sergius Magister militum, Comesque Ranulphus cum filio suo Roberto in vrbe defensionis eius causa remanserunt. Ipse autem Robertus in primis adolescentiæ annis miles constitutus maxime tunc temporis, vt erat adolescens, optimam audaciæ, virtutisq; laudem iam consequi incipiebat.

Rex denique in vnum rursus collecto immenso exercitu, Neapolitanorum vitiferas arbores, in quantum propius accedere potuit, omnes succisurus regreditur. Succisione itaque eadem circumquaque perpetrata, Auersam, quam pro tempore, vt iam dictum est, reędificatione inconsummata dimiserat, consummaturus reuertitur. Qui postea videns se imminente iam hieme, non vltra diu secum posse retinere exercitum, sibique quantocyus repetendi Siciliam necessarium fore, eius mox disposita, quæ fienda erat, restitutione, ordinatisq; vsq; quaq; per oppida ad tuitionẽ pedestribus, ac militaribus excubijs, Beneuentum regreditur: figens castra subtus Padulum oppidum: non longe à flumine Caloris: ad quem mox pro parte omnium ciuium nonnulli ex primoribus Beneuentanæ vrbis cum Archiepiscopo exeuntes benigno, ac familiari famine ab eo commoniti sunt, vt de eius penitus amoris nil hæsitarent æquitate: diligenter pacis vinculo cõnecti studerent: ita vt nullum dissensionis ciuilis adinuentorem sine iustę animaduersionis censura dimitterent: simulque fidelitatem ipsius, salua Apostolica fidelitate, deuotissime contra omnes custodirent. Nam animus eius in hoc vere perseuerabat intentꝰ: vt eos semper diligere, benefacere, atque tueri paratus esset: si tamen in ipsa eius fidelitate, vt cœperint, pure deinceps perseueraturi essent. Hęc, & his similia illi ab eiꝰ ore audiẽtes, hilariores redditi talia responderunt. Nos inquiunt, domine Rex cuncta, quæ iubes libenter faciemus: tibique toto corde adhærebimus: nec quidquam, quod sit cõtra fidelitatem tuam, machinabimur: immo eam illibatam indesinẽter seruãtes à tuo obsequio, post dominum Papam nullo deficiemus tempore: tantum amor tuus, tuaque dignatione auertatur à nobis. Hæc vbi verba darent, recesserunt. Postera die Rex Rogerius filiũ suum nomine Anfvsvm, bonæ indolis puerum, cum fauore Optimatum, militumque omnium, Capuani per vexillum sublimauit Principatus honore. Deinde continuo ipso die generum suum nomine Adam Comitali dignitate, qua illustratus fuerat Alexander Comes, cuiꝰ superius memoriam egi, magnificauit: virũ scilicet iuuenilis ætatis decore fulgẽtem: affabilem: militemq; strenuissimum. Habebat autem Rex & alios duos liberos adolescentiores forma speciosissimos: morumq; honestate pręclarissimos: nec nõ ad suscipiendũ militię cingulũ iã vtrosq; adultos: quorũ vnũ, qui erat primogenitꝰ omniũ fratrũ Rogeriũ nomine iã Ducali honore, aliũ autẽ Principatu Barẽsi prouexerat. Erãt autẽ & ei duo filij minimi: q̃ sub tenera adhuc pueritię ętate degẽtes sic in regia aula manebãt.

Rex deniq; quos familiariores habebat, secum retentis, ceteros omnes illic ad propria remeare permisit. Post hæc motus inde regreditur: visurus quoddam municipiũ, ꝙ nũcupatur Gardia: nec non arcẽ quandã, quæ dicitur Draconũ: q̃ erat in supremo mõtis valde ardui sita: vt sciret, quali, quantoue, vtraque præstarent muniminis robore. Ad quam tamen arcem antequam accessisset, dum iter ageret, dominum oraturus ad monasterium Sancti Saluatoris Celesini diuertitur: cui cum Abbas Alexander præ-

nominatus, omnisque congregatio fratrum obuiam processissent, honorifice, vt decuit, ab eisdem susceptus, Deo laudes concinendo in Ecclesiam vsq; introducitur. Qui cũ genibus positis ante altare orationẽ consummasset, ad capitulũ ipsorũ pergẽs, breui tunc allocutione Abbatem, omnesque fratres familiariter ibidem excepit. Post hæc filius eius præfatus Anfvsvs sanctam eorundem fraternitatem per manus ipsius Abbatis præsente Rege accepit: quam Rex ipse, vt supra memoratũ est, altera vice veniẽs susceperat.

Deinde Rex cameram expetens, atque refectus, supplicante eodem Abbate montem ipsum monasterio supereminentem, qui per multa annorum curricula amissus fuerat, ei restituendum promisit: nec non argenti tantum, quo calix, duoque turibula fierent: quibus tunc fratres ad seruitium Dei præcipue indigere videbantur, pollicitus est: quibus etiam vicissim dedit, vt ex his promissionibus, Salerni cum esset, requiretur. Itaque indigentia, quam ob causam cõtigerit, breuiter hic referatur. Quippe Cœnobium ipsum Comes Ranulphus, vt cum Rege guerram continuam agere posset, post multas diuersarum rerum eiusdem oblationes ita constrinxerat, vt & altare ipsum, vniuerso eius substracto ornamento, denudare non timuerit. Vnde factum est, vt ex hoc & Deum offendisset, & Rogerio, peccato ipso præpediente, præualere non potuisset. Male itaque vsus est consilio: cum putaret, diuina surripiendo vasa, contra Rogerium sibi diuinitus subueniri.

Rex igitur præfata Guardia, arceque Draconi curiosissimo intuitu perspectis, simulque quantum, vel vbi magis in eisdem roborandum esset præsignans, Caiaciam regreditur: qui castrum ipsius ascendens, totum in circuitu perspicacius considerat: atque vbicunque in eo amplius muniendum esset præuidens, absque temporis dilatione præmuniri instituit: itemque disposuit, vt cuncti Proceres, qui in vicino positi erant, degentes, cum vniuersis subiectiuis suis militibus, qui terrestres erant, Caiaciæ circa castrum domibus suis constructis perpetuas haberent mansiones: videlicet vt castrum ipsum, quod naturali, & humano opere fortissimum cernebatur, cohabitationis etiam militatis numerositate roboraretur: vbi etiam nonnulli tunc de clero Capuanæ ciuitatis, & de ciuibus laicis aliqui aduenientes cum consilio Regis quendam clericum nomine Guilielmum, virum vtique in diuinis, & humanis rebus scientia præditum, ad Archiepiscopatus officium elegerunt: nam antecessor eius in Simoniaca repertus prauitate, depositaria fuerat plexus censura.

Post hæc autem Rege Capuam redeunte primitus eidem electo, deinde eiusdem Regis filio, qui supradictus est Anfvso clerus, & populus singulas processiones facientes in vrbem introduxerunt: vbi scilicet omnes Principatus Capuani proceres conuenientes nouo Principi submissi, hominio suo fidelitatem iurauere: salua tamen sua, filijque eius Rogerij fidelitate: qui ei in regnum successurus erat. Deinde, vt omnibus iniusta patientibus exhiberetur iustitia, præfato electo, simulque Magnati cuidam, qui vocabatur Haymon de Argentia, imposuit. Verum & super vniuersam terram, quæ sub proprio erat dominio, quendam strenuum, cui nomen erat Gaucellinus, virum vtique in sæcularibus sollertissimum, rebus procuratorem constituit. Militiæ vero, quæ pro defensione terræ Laboris delegata fuerat, quosdã, in quibus magis confidebat, Comites, dum ipse à Sicilia reuerteretur, per vices statutas sibi successuros, iã antea, cũ esset Auersæ, præposuerat.

Ex quibus videlicet vicibus primo accepit agendam præfatus gener Regis Adam. Secundam vero post eum acturus erat Comes Robertus filius Ricardi: tertiam autem post illum Simon Comes S. Angeli Montis Gargani: sicque ceteri per ordinem: qui Simon consobrinus frater regis erat: scilicet valentissimus miles: filiusque Henrici Comitis: eiusdem Regis auunculi. Hic quoque Henricus omni tunc probitate decoris, totiusque affabilitatis dulcedine splendidus, in consilio prouidus, rebusque bellicis strenuissimus: immensæ laudis gratia, ex hoc quam maxime efferebatur, quod etiam Regi ipsi, vt Ducalem denique coronam regni consequeretur, consilij prudentia, seu facto, præ omnibus affuisse fertur.

Cvm ergo hæc, & alia ab eo statuta fuissent, motus est inde: Siciliam quantocyus repetiturus: dumque iter agens Argentium appropinquasset, viso eo placuit sibi subuerti: quando quidem non admodum idoneum pro defensione fore cernebatur. Post hæc quoque gradiens, Vallem Caudinam expetit: eius cupiens qualiter se haberent oppida, videre: Appadium scilicet: Montemque Sartium: nam cetera iubente ipso iam fuerant subuersa: à qua videlicet Mathildam sororem suam remotam, in Siciliam, saniori vsus consilio, elõgauerat: ne quando forte vir eius quolibet modo eam seducens, per ei9 consensum aditum inueniret: quo contrarium sibi in futurum ingerere posset.

Igitvr prædictis oppidis præuisis, ordinatisq́;, quæ ibidem videbantur ordinanda, ad Castrum, quod dicitur Coteum præuisurus festinat: quod cum præuisum amplius præmuniri iussisset, Cippatunum etiam oppidum præuidendum properat: qui & ipsum quomodo, qualiterve fortius muniendum esset, instituens, Salernum tandem peruenit.

Verum præfatus Alexander Abbas audiens Regem Salernum aduenisse, promissionis eius non immemor, misit continuo Priorem Cœnobii sui Stephanum nomine, aliumq́; fratrem cum eo: qui ei quæ promiserat, ad mentem reuocarent. At ille mox aduenientibus eis lætanti animo, tantum argenti, quo calix, duoque turibularia fierent, dedit: scriptoq́; Gaucellino eius Vicedomino direxit: quatenus montem præfatum Celesino Abbati, quod iuris monasterii esset, assignaret. Gaucellinus ergo cum mandatum ipsius accepisset, illico montem ipsum, sicut per litteras mandauerat, per Minanum Vicecomitem eidem Abbati assignari fecit: de cuius quoq; assignatione Abbas ipse, eiusdemque congregatio gauisi sunt gaudio magno valde: gratias agentes Deo, qui ipsum eundem montem, per tot tempora amissum monasterio per Rogerium recuperari fecit. Vnde mox prænominatus Abbas ad Missam matutinalem pro salute, & vita ipsius, filiorumq́; eius sollemnem orationem in conuentu quotidie fieri instituit. Quoniam itaque bona semper sunt recolenda, idcirco hanc ipsam Regis beneficentiam conscribi dignum duximus: vt aut ipse Rex reminiscens ad melius peragendum prouocetur: aut alius eius exemplo, ad simile quid exercendum excitetur. Rex itaque postea mare ingressus Siciliã, cum immensa expeditione, veris tempore ad expugnandum rursus Neapolim reuersurus repetit. Tertius in hoc loco finiatur libellus: vt paullulũ mente refoti, vires dicendi, ad inchoandum quartum resumamus.

Explicit Liber Tertivs.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

Post discessum Regis in Siciliam, secundum vices, sicut iam dictum est, quæ ab eo constitutæ fuerant, præmemoratus Comes Adam ad regendum Auersam, militiam primus ingreditur: qui dum se in eadem viriliter, optimeque ageret, magnam de se, in militari strenuitate famam tunc diuulgauit. Nam sæpissima discursione, eiusdem vrbis exteriora ita circumquaq; militando coercuit, vt non iam ad portam eius vsque vereretur accedere: verum ciuitas ipsa tanta panis inopia iam angebatur, vt vix duo valde pusilli panes de milio Rothomagẽsi nummo mercarentur. Porro milites, quibus Adam ipse præerat, circiter mille erant: ex quibus ad arcendum Neapolim, alii in oppido, quod dicitur Suma, alii Acerris, nonnulli in munitione Cuculi, quam plures Auersæ excubare iubentur.

Neapoli vero tam præ timore Regis, quam pro cibi penuria, militũ post non pauco numero abscedente, vix trecenti remanserant: qui interdiu, & si pro paucitate sui aperte resistere non poterant, per noctis tamen silentium exeuntes, ignorantibus illis incendia, prædasque agebant. Cum ergo huiuscemodi infestationibus & illi præliando alternarentur, Comes Adam appropinquante vicis suæ termino, ad sua repedauit: cui successit Comes Robertus filius Ricardi: scilicet fidelissimus Regis: virque bellicosissimus: qui pro summa, quam erga eundem Regem habuit, fidei sinceritate, tanto ab eo donatus est munere: vt Boianensis Comitatus sit magnificatus honore. Habebat namque Rex hanc laude dignam consuetudinem: vt quemcunq; penes se potiori, atq; sinceriori fide præditum cerneret, non solum ampliori circa se dilectione haberetur, verum etiam eiusdem gratia non frustraretur. Infidum vero si quemlibet semel reperiret, ei pro huiuscemodi nota, ad ipsius amoris dulcedinem pertingere, aut vix, aut nunquam possibile erat.

Sed quoniam se in hoc loco occasio præbuit, eius boni mores qui, & quales in eo exstiterint significare, ad laudem, & memoriam ipsius prętereundum non est. Erat quippe amator iustitiæ: atq; defensor: vltorq́; malorũ seuerissimus. Mendaciũ autem loquentem per omnia ita exosum habebat, vt si quis, cũ verũ dicturus esset, falsum protulisset, ei

vltra ad credendum animus eius aut vix, aut nunquam flecteretur. Eccleſiarum quoque, ſeu monaſteriorum munificus: atq; protector erat. Otio, vel vacationi vix vnquam ſubdebatur: in tantum, vt ſi quãdo à cæteris vtilioribus occupationibus ſibi vacare contingeret, aut publicis exactionibus inuigilaret: aut datorum, ſiue dandorum, ſeu eorum, quę accipienda erant, reminiſci, vel quæ recenſenda erant, recenſere ſatageret: quatenus melius de ſuo tribuendum ærario, vel vbi adeundum eſſet, ſub chirographorum ratiociniis ſemper habebatur: & vt amplius dicam: nullum quid ſibi erat, quod non ſub ſcripti ratione ſeruaretur: aut erogaretur: nil tamen cuiquam per inanem largitatem tribuebat: vnde in nullo vnquam egere poterat: qui tanta ſollertia, tantaque cautelæ diligentia ſua curabat: verens in illud, quod vulgo dicitur, incidere: qui non viuit ad numerum, victurus erit ad dedecus.

Stipendia vero militaria, vel quidquid ex conuentione, ſeu promiſſione dandum eſſet, incunctanter perſoluebat. Nunquam vero quod daturus, vel dandum non eſſet, polliceri volebat. In faciendis non præceps exiſtebat: ſed priuſquam eorum quid inchoaretur, ſemper prouidentiæ oculo præmuniri ſtudebat. Neminem quoq; ex præiudicio puniri, vel ſua auferri quærebat. Cui vero aliquid pro merito bonum, vel malum promitteret, ſeu comminaretur, firmum, ratumq; erat. Sed & hoc in eo erat valde mirabile, quia cum in hoſtem poſitus eſſet, ita prouide bellica acta diſponebat, vt ſemper, & vbiq; ſine ſanguinis effuſione ſuperans, exercitus etiam ſui vitaret diſcrimen. Erat autem & in loquela velox, prudentia pollens, conſilii grauitate prēditus, ſermone luculentus: atq; repentinis reſponſionibus ſemper ſapienter reſpondere paratus. Sed quia familiaritas ſolet parere contemptum, ita ipſe publice, & priuatim in familiaritate, vel affabilitate, ſeu iucunditate habebatur modeſtus, vt nunquã etiam deſiſteret timeri. In tantum enim profuit metus ipſius, vt de cunctis, Deo cooperante, regni ſui finibus, omni penitus eliminata iniquitate, non niſi quæ iuſtitiæ, & pacis erant, ſectarentur: ita vt illud Pſalmiſtæ in eo videretur compleri: iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.

Qvoniam ergo egregios Regis mores differentes paullo longius euagati ſumus, nunc ad narrationis ordinem ſtylus reuertatur. Robertus itaque prēmemoratus Comes, cum recedente Adam, militiæ Regis apud Auerſam regimen ſuſcepiſſet, ita omni militaris virtutis, & ſtrenuitatis inſtantia Neapolitanos conſtringebat fines, vt numquam per eos, ad malum inferendum hoſtibus exire daretur: niſi forte in nocte: cum videri nõ poſſent. Sergius vero Magiſter militum, ex quo Rex in Siciliã diſceſſit, Piſam nauigio tranſuectus abiit: ſi forte inde ſibi, ceteriſque ſuis excuſſionis opem collaturus eſſet: cum Rex ipſe Neapolim obſeſſurus rediret. Ipſe autem Rex Natalis Dominici ſubſequentis die adueniente, duos liberos ſuos ad militiam promouit: Rogerium ſcilicet Ducem: & Tancredum Barenſem Principem: ad quorum videlicet laudem, & honorem quadraginta equites cum eiſdem ipſis militari cingulo decorauit. At Robertus Comes, qui toties iam ſupradictus eſt, completis in ſorte vicis ſuæ apud Auerſam, duobus menſibus, Nouembri ſcilicet, & Decembri ad ſua reuertitur: cui ſucceſſit Simon Comes S. Angeli: cuius ſuperius memoria habita eſt: vir ſcilicet, vt iam dictum eſt, potens in armis: ſollertiſq; ingenii.

ALLOQVIVM AD REGEM ROGERIVM.

Ecce Domine, mi Rex Rogeri, libellum iſtum nemini potius deſtinandum putauimus, quam tibi ipſi: ad cuius quoque gloriam, & honorem editus conſtat. Quod quidem idcirco fieri volumus, quatenus geſta famoſiſſimæ victoriæ tuæ ſæpiſſime relegens, memor ſis Domini Saluatoris tui Regis æterni: eique placere ſtudeas: cuius beneficii munere te triumphaſſe, regnumque obtinuiſſe non dubitamus. Cuius etiam propter hoc gratias agere non ceſſes: atque cum Pſalmiſta decantes dicens: Non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. Tanto namque perſeuerantius, firmiuſque te regnaturum, non ambigimus: quanto ab ipſo & triumphi gratiam, & regni decorem te accepiſſe cognoueris: quantoque etiam eius imperiis, mente te ipſum ſubdideris. Præterea tuam precamur magnificentiam, vt labor noſter, quem huic, pro honore tuo, impendimus opuſculo, huiuſmodi muneris recompenſatione ſubleuetur: quatenus, videlicet nobis in Dei ſeruitio iugiter exiſtentibus, ſuſtentationem, quietem, pacem, ſeu libertatem continuo præſtes: quibus amplius, liberius, ſecuriuſque diuinum exequentes famulatum, pro tua, tuorumque filiorum capeſſenda ſalute, attentius, deuotiuſ-

deuotiusq; orare debeamus. Nam si Virgilius maximus poetarum, apud Octauianũ Imperatorem tantum promeruit, vt pro duobus, quos ad laudem sui ediderat, versibus, Neapolis ciuitatis, simulq; prouinciæ Calabriæ dominatus caducam ab eo receperit retributionem: multo melius credimus nos apud te, his recompensari, quæ ad diuinum peragendum obsequium poscimus: non tantum quidem pro opusculo hoc, quantum etiam pro mercede animæ tuæ: nec non & pro Domino Saluatore nostro: in cuius quoque nomine, hic congregati sumus: & per quem tu ipse huc vsque saluus factus præsens consecutus es regnum. Oramus præterea ipsum Saluatorem nostrum, vt illud in te modo regnante efficiatur operis, per quod & pręsens, & futurum promerearis possidere regnum: quorum alterum, id est futurum, sine dubio quandoque adipisceris, si bene, recteque administraueris istud. Quid enim profuit Sauli Israeliticum diuina voluntate possedisse regnum, cum postea contemptis eius imperiis, vtrumque amiserit regnum? Aut quid etiam profuit Romanis Imperatoribus, Octauiano scilicet Augusto, Domitiano, & Maximino, cæterisque, vniuerso imperasse Mundo: cum modo in inferno sepulti in æternum crucientur? Vt igitur generalia caueri valeant tormenta, de regni honore, quo nunc inlustratus es, Deum ipsum magnificare, ipsique seruire, eidemque placere studeas, qui dedit. Nam sicut condecet, vt quis tibi seruitutis debitum soluat, ex iis, quæ a te tenere videtur: ita & oportet, vt & tu domino Deo pro iis, quæ tibi contulit, immo commissit, placitum ei exhibeas famulatum. Quod si forsitan quæretur, quæ sint ea, quibus bene, & recte præsens administrari debeat regnum, Domino concedente breuiter aperiemus. Regnum igitur bene, recteque administrare est, cum vtrumque tempus & belli, & pacis recte gubernatur: dum & per legum tramites rerum iniquitates expellas, atque armis, victis hostibus sis triumphator. Memento itaque te idcirco Regis nomine censeri, vt omnes sub ditione tua positi, & iustitiæ censura, & pacis vinculo regantur. Vt ergo huiusmodi pacis, atque iustitiæ bonum in regno tuo perpetuari valeat, multum prodest, si tu solus munitiores, & inexpugnabiles vrbes, ac fortiora, & inexpugnabilia oppida proprio subdideris dominio. Reuocetur itaque ad mentem tuam laudabilis Constantinopolitani Imperatoris prudentia: qui pro conseruatione eiusdem pacis, atque iustitiæ, validioribus terris sibi retentis, cæteris vero, quæ sub eo sunt planiores, immo debiliores terras ad sibi subdendum, & obsequendum dimittit. Dum itaque ad ipsum simili cautione prouidendum studueris: eris, sicut dicit Salomon, tamquam leo fortissimus bestiarum: qui ad nullius pauebit occursum: siquidem innocentium dormieris securus: quiesces in die anteuigilans: ipsas etiam vigilias sine trepidatione pertransies. Huiusmodi ergo saluberrimum consilium omni a te desiderio amplectetur: & caue ne vmquam ipsius oblitus prætereas: quoniam scio illud Deo omnino esse placitum: & ab eius voluntate non discrepare. Præterea votis omnibus suademus Serenitati tuæ, vt memor conditionis tuæ, in mente habeas Dominum conditorem tuum: ipsumque Regem tuum fore cognoscas: qui est Rex Regum omnium: Dominus dominantium: in cuius etiam manu omnes fines terræ, & corda Regum constituit: cuius solius est disponere tempora: regna distribuere: eaque auferre quando voluerit: vnde solus ipse est colendus: metuendus: & adorandus: à quo nimirum præueniente nos eius gratia, cum non essemus: habemus esse, viuere, & intelligere: atque moueri. Vnde dicit Apostolus: Quid enim habes, quod non accepisti? aut quid gloriaris tamquam non acceperis? Caue ergo, ne quando in corde tuo cogitatio subrepens persuadeat tibi: aliquid sine eo posse haberi: ipse enim, qui dedit corpus, & animam, tę nil operante, nec etiam sciente, ipse quippe dedit & cætera quæcunque habes: etiam si quid in eis visus es operari. Vnde in Euangelio discipulis suis Veritas dicit: Sine me nihil potestis facere. Si ergo discipuli Petrus, & Paulus, Andreas, cæterique Apostoli sine ipso nil potuisse facere credendi sunt: quanto magis omnes nos, qui ad comparationem illorum pœne nihil sumus? Multi quippe Deo volente, aut permittente pro suo velle, in hoc sæculo prosperati sunt: qui postmodum euanescentes in cogitationibus suis, hoc ipsum non Deo, sed sibi imputantes altius corruerunt. Ex quibus exstitit vnus Nabuchodonosor Rex Babylonis: qui dum ambularet in aula regia, subito eleuatum est cor eius valde dicens: Nonne hæc est Babylon magna? quam ædificaui in domum regni: in robore fortitudinis: & in gloria decoris mei? His itaque verbis satis manifestum est, illum nimis contra Deum superbisse: cum Babylonem non in eius robore, atq; fortitudine, sed in sua ædificatam fuisse virtute asseruit. Vnde merito statim ipse in amentiam versus, de regno suo eiectus est. Atque per septem annos cum bestiis agri, ad instar ipsarum permansit degens. Postea vero Deo volente ad sensum suum reuersus, se seque per superbiam errasse cognoscens, tandem

honori prædicto restituitur: atq; Regem Cæli laudauit: glorificauit: atque magnificauit: quia omnia opera eius vera: & viæ eius iudicia: & omnes ambulantes in superbia potest humiliare. Vt possis igitur superbiæ lapsus præcaueri, omnem gloriam, & honorem, regnum, virtutem, diuitias, sapientiam, prudentiã, & cætera omnia ab ipso te accepisse non dubites: & vt breuius totum comprehendam, nullus omnino Angelus in Cælo, neque homo in terra exstitit, qui sine eius datione nõ solum aliquid, sed nec ipsum esse aliquando, habere potuerit. Ipse namque solus Deus à se habet, quidquid habet: quia à se, & non ab alio est. Veniat denique ad memoriam Dauid sanctus Rex: eiusque imitator fieri studeas: qui dum Israeliticũ regnum sine vlla contradictione possideret, in cunctis se tamen despicit: suisque in oculis humilem esse confitetur: dum coram arca Domini saltando diceret: Ludam: & vilior fiam: plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis. Constat itaque, quia dum Rex Dauid se primum conspicit per humilitatem, à Deo quippe magnus æstimatur: atque in regno, quo exaltatus fuerat, magis meruit confirmari. Sic etiam Constantinus Imperator, dum post baptismatis perceptionem, per vniuersum imperaret Orbem, tantæ subiectionis erga Deum exstitit, vt eius non desereret imperium: & idcirco cum Dauid de Regno, ad Regnum, & Imperio, ad Imperium cæleste meruit transferri: ad quod videlicet regnum, & imperium suo tempore, & tu transferaris cum eisdem regnaturus præstante Domino nostro Iesu Christo: qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIT OPVS ALEXANDRI ABBATIS.

DOMINICVS A PORTONARIIS DE VRSINIS Lectori.

IN editione horum librorum Gaufredi Monachi, *&* Alexandri Abbatis *vetustorum auctorum, qui Normannorum Principũ res gestas conscripserunt, vt Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum adiicerentur, in eo potißimum hæsimus, & ab initio cœpimus subdiffidere, quod vnicum exemplar nactis alterius codicis præsidium deerat: quod maxime consueuit esse adiumento: vt inuestigatione certa, ac veluti quadam indagine menda librariorum tollantur. Nam qui corrigendorum librorum operam rite nauare instituunt, accurata consideratione permoti summopere abhorrent: ne coniecturis, partim ingenio, & confidentia quadam impulsi in varias non modo partes, sed in contrarias plerumq; dilabantur: neve fœde auctores, quos corrigere contendunt, misere dilacerentur. Propterea, ne hac corruptela his auctoribus grauiores plagæ infligerentur, qui tametsi minime videbantur vetustatem habituri, digni tamen fuerant, compensatione rerum posteris traditarum, vt debitus eis honos haberetur, satius duximus ad deprauatos locos notam adponere: vt pro se quisq;, quo ingeniosior, & sollertior, quo ad eius fieri poßit, vitiosis particulis, & corruptis incisis exectis, ac reliqua structura apposite interpuncta medeatur. Peræquum enim visum est: ne vulnera, quæ ad incorruptam sanitatem à nobis redigi nequeunt, non modo exulcerentur: sed ne attrectentur quidem: vt suum munus, pensúmque iis relinquatur incolume, qui faciliori, & commodiori iudicio, desperatis etiam vlceribus opem, & incolumitatem ferre valent: & nobis satis, superq; sit, lucis vsurã his auctoribus attulisse: qui nostra opera consecuti sumus, vt eis salus, atq; pristina valetudo ab aliis quandoq; reddi, restituique posset. Præterea rem minime dubiam arbitramur: eos rerum scriptores in sua patria priuatis beneficiis, & eorum Principum amicitiæ decore floruisse: qui eorum hortatione res gestas posteris tradiderunt; quorum*

neq;

neq; veterum quempiam, neq; recentiore memoria Abbatem Trithemium, qui bibliothecas omnes incredibili diligentia excußit: mentionem fecisse mirum videri debet: & cum supra quadringentos annos delituerint, sartos tectos pæne ab omni periculo fuisse conseruatos. Gaufredus magna cum cura, & diligentia in notandis certis temporũ interuallis, quod magnopere non solum delectat, sed sine fastidio, & satietate res plena oblectamenti est, in ea laude creber fuit: Alexander vero Abbas adeo in eo negligens est, vt seriem ipsam rerum gestarum cum arbiter interfuerit, & viderit præsens ferme labefecerit. Illud vero nolim à me esse omissum: Alberiam Reginam Rogerii Regis vxorem, quam insignis religionis feminam, digna laudis commendatione idem scriptor extulit: Alfonsi Regis maximi Hispaniarum Principis filiam fuisse; qui Toletum regiam vrbem, & Carpetanorum, Oretanorumq; ciuitates ab impio Sarracenorum dominatu eripuit: quam Rudericus Simenius, Toletanus Antistes, Geloiram, nostri Eluiram nominant; vt filius eius, quem Alexander Ansusum vocat, cui Campani Principatus honos est attributus, Alfonsi Regis aui materni nomen ediderit.

EXTRACTA DE CHRONICA FRATRIS PTOLEMÆI DE LVCA ORDINIS FRATRVM PRÆDICATORVM: QVAM

scripsit de gestis summorum Pontificum: & occurrentibus tempore eorundem super genealogia ROBERTI GVISCARDI: *& successorum suorum: ac aliorum Regum Siciliæ vsq; ad tempora ista: per alios scientes generationem ipsorum.*

ANNO Domini MLXXII. tempore Domini Victoris Papæ II. vt scribit N. Archiepiscopus Cusentinus historiographus, Capua obsidetur à Sarracenis: contra quos vadit Robertus Guiscardi: & ipsos fugat abinde. Quis autem fuerit iste Robertus Guiscardi diuersi diuersa dicunt. Ricardus enim Monachus Cluniacensis, sed origine Pictauensis historiographus dicit ipsum fuisse militem de Normannia: tamẽ sua sapientia, & probitate factus est magnus. Vnde adiuncta sibi militia Normannorum venit in Apuliam; ipsamq; subiugauit: expulsis inde Græcis, qui ipsam occupauerant: pro Imperatore Constantinopolitano; qui tunc erat, vocato Nicephoro Buranich. Martinus autem historiographus scribit ipsum Robertum fuisse de genere Ducis Normannorum; qui primus baptismum susceepit; qui vocatus est Robertus. Robertus autem genuit Guilielmum; Guilielmus Ricardum, Ricardus autem Ricardum secundum, & Robertum Guiscardi; de quo agitur nunc ad præsens; vnde quartus fuit à primo Duce Normannorum; quando videlicet Normanni concordauerunt cum Karolo Grasso VI. ab Imperatore Karolo Magno; & baptismum receperunt, cum primum per longa tempora totam Galliam vexauerunt. Quid autem fecerit dictus Robertus, infra dicetur: quia gloriose operatus est, sicut virtuosus Princeps, & non sicut pauper miles.

TEMPORE Alexii Imperatoris Constantinopolitani prædictus Robertus Guiscardi totam occupauit Apuliam, expulsis inde Græcis. Tradunt etiam historiæ, quod in pugna dictum Alexium deuicit. Postmodum autem dictus Imperator mortuus est. Robertus vero magnam stragem fecit de Sarracenis, & magnas pugnas habuit cum diuersis, semper tamen virtuosus.

Anno Domini MLXXV. tempore domini Benedicti Papæ X. prædictus Robertus Guiſcardi ſuam virtutem dilatat:& in magna forma creſcit. Expulſis enim Græcis de Apulia, totam Apuliam,& Calabriam ſibi ſubiugat: tranſit in Siciliam cum fratre ſuo Rogerio: ibiq; pugnat cum Sarracenis: qui ipſam occupauerant: magnamq; de ipſis ſtragem facit. Sicq; ipſis inde fugatis, Siciliam occupat: cumq; iam dictam inſulam pacifice poſſiderent ambo fratres, Robertus inde receſſit cum aliqua parte ſuæ gentis: reliqua dicto ſuo dimiſſa germano: vocaturq; dictus Rogerius Comes in Sicilia: & Robertus Dux in Apulia. Nondum enim Sicilia ſortiebatur nomen regni.

Veniens autem prædictus Robertus Lucaniam cum ſuo exercitu, ipſam vi gladii ſubiecit ſibi. Deinde venit Salernum: pugnatq; cum Principe eiuſdem loci nomine Giſulpho: ipſumq; in bello vincit:& captiuat: ac ciuitatem ſibi quaſi peculiarem facit: vbi & Eccleſiam fabricauit ſub honore S. Matthęi: quę eſt metropolitana:& mater omniũ Eccleſiarum ibidem. Deinde ad alias ciuitates Campaniæ antiquæ: quæ modo vocatur terra Laboris, accedit: ipſasq; occupat ſummorum Pontificum beneplacito, & mandato. In dicta autem Campania erant duo Principes: videlicet prædictus Salernitanus, & Capuanus: quos deuicit:& eorum terras occupauit: ac etiam Ducem Beneuentanum:& ſuam prouinciam: quæ alias Samnia vocabatur: quibus deuictis prædictus Robertus ſuo motu proprio, totam terram per eum adquiſitam à Romana Eccleſia recognouit: ſciens ipſam ad eandem Eccleſiam iuridice pertinere:& Nicolaus Secundus Romanus Pontifex dictum Robertum de eiſdem terris pro ſe,& pro dicto Rogerio fratre ſuo, eorumque heredibus inueſtiuit.

Anno Domini MLXXVII. Gregorius VII. in Papam eligitur: cuius tempore Henricus III. Imperator, qui coronatus fuerat per dictum Nicolaum Papam II. venit in Italiam:& apud Brixiam congregans Epiſcopos Lombardiæ, fecit eligi in Antipapam Archiepiſcopum Rauennatem: qui vocabatur Gilbertus: & poſtea vocatus eſt Clemẽs: & accedens idem Imperator Romam fecit ibidem dictum Antipapam conſecrare:& ab eo coronã Imperii iterato ſuſcepit:& capto prædicto Papa Gregorio cum collegio Cardinalium ipſos in caſtro S. Angeli incarcerauit. Hæc autem ſciens præfatus Robertus Guiſcardi cum eſſet in Romania ad expugnandas regiones Græciæ, relicto ibidem ſuo maiore filio, nomine Boamundo, ipſe cum parte ſui exercitus venit in Apuliam: indeq; aſſumpta maiore militia venit verſus Romam: quod audiens Imperator, recedit ab vrbe cum ſuo Antipapa, ſuiſq; ſecacibus cognoſcens ſe odioſum Romanis: deſtructa tamen prius parte Capitolii: ac ciuitate Leonina. Prædictus autem Robertus ipſa die veniens Romam cum militia Comitiſſæ Mathildis ipſam capit: ac ferro,& igne fautores Henrici Imperatoris perſequitur:& Gregorium Papã in ſua ſede reponit: cum ſuo collegio Cardinalium.

Hic autem Robertus tres filios habuit: videlicet Boamundum de prima vxore:& Robertum: ac Rogerium: de ſecunda vxore: quæ fuit filia Principis Salerni. Robertus autem parum patri ſuperuixit: Rogerius vero remanſit ſolus in Ducatu Apuliæ.

De prædicto autem Roberto Guiſcardi hiſtoriæ magna dicunt: videlicet, quod intendebat ad Imperium pro præfato filio ſuo Boamundo: cum fauore, & adiutorio prædicti Papæ Gregorii: & ipſe adſpirabat ad regnum Perſarum. Sed cum eæ cogitationes eſſent fixæ in corde ſuo, zelo tamen fidei, & honore, in iſto medio peragrato ſuo dominio,& diſpoſitis iis, quæ pertinebant ad animæ ſuæ ſalutem, moritur apud Salernum, anno vitæ ſuæ LX. anno Domini MLXXXIIX. tempore domini Victoris Papæ III. ſepeliturq; apud Venuſium in Apulia in monaſterio monachorum nomine Sanctæ Trinitatis: quod nunc eſt Hoſpitalariorum: quod quidem monaſterium ædificauerat ipſe Guilielmus. Tanti autem dicitur fuiſſe zeli in fide Chriſti, tantæ reuerentiæ ad Romanam Eccleſiam, tantæq; pietatis ad pauperes,& ad pia loca, vt poſt mortem ſuam etiam miraculis coruſcauerit.

Prædictus autem Boamundus præfati Roberti filius tranſiuit vna cum Gottifrido de Buillon,& aliis Principibus Franciæ in terram ſanctam:& propter ſuam ſtrenuitatem Princeps Antiochenus eſt factus: habuitq; filiam Philippi Regis Franciæ in vxorem. Moritur autem,& ſepelitur in Apulia: in Canuſio: in ſollemniſſimo ſepulchro.

Prædictus vero Rogerius præfati Roberti filius, & qui ſibi ſucceſſit in Ducatu Apuliæ in concilio celebrato Melfiæ, tempore domini Vrbani Papæ Secundi, eidem Pa-

pæ præſtitit fidelitatis iuramentum pro terris Apuliæ:& ſe hominem ligium Eccleſiæ cõfitetur. Hic autem Rogerius filium habuit nomine Guilielmum: qui ſibi ſucceſſit in dicto Ducatu Apuliæ.

Anno Domini MCI. Paſchalis Papa II. in ſummum Pontificem aſſumitur: cui prędictus Guilielmus Dux Apuliæ fidelitatem iurauit: & ab ipſo per vexillum recepit totam terram Apuliæ: & antiquæ Campaniæ: quæ dicitur Terra Laboris apud pontem Ceperani.

Anno Domini MCXIX. Gelaſius Papa II. in ſummum Pontificem eſt aſſumptus: cui prædictus Guilielmus Dux Apuliæ audiens ipſum Papam aduenisse in Apuliam, more ſolito ſuorum prædeceſſorum fidelitatem iurauit: & omnia fecit, quæ ad bonam fidelitatem pertinebant.

Anno Domini MCXX Calixtus II. ſedit in cathedra Beati Petri: cui exiſtenti in Beneuento, præfatus Guilielmus Dux Apuliæ eandem renouat fidelitatem. Tempore autem iſtius Pontificis prædictus Guilielmus moritur: nullis filiis ab eo relictis.

Anno Domini MCXXVI. Honorius II. natione Bononienſis in ſummum Pontificem eſt aſſumptus. Hic ad requiſitionem Baronum Apuliæ ſcribentium ſibi, vt ſe opponeret ad defenſionem dicti Ducatus, quem occupare volebat Rogerius Comes Siciliæ, filius Rogerij fratris Roberti Guiſcardi: quia prædictus Guilielmus filius Rogerij filij Roberti Guiſcardi ſine filijs deceſſerat, venit in Aquilam. Tandem idem Papa dictorum Baronum fraudem cognoſcens, prædictum Rogerium recepit ad gratiam: & facto homagio per eundem Rogerium prædicto ſummo Pont. ac fidelitate cum iuramento firmata, ipſum Rogerium idem Pontifex de dicto Ducatu Apuliæ inueſtiuit: & ſic factum eſt de Sicilia, & Apulia vnum dominiũ: licet ſub duobus nominibus dignitatum: videlicet Comitatus, & Ducatus: nondum enim nomen Regis erat ſortitus: ſed coniuncto dominio: tunc prædictus Rogerius ſe Regem vocari mandauit. Et quia ſuum proprium dominium erat Sicilia, inde motus eſt, vt nomen regni ipſa Sicilia obtineret: Apulia in ſuo antiquo nomine, & Principatibus remanente.

Anno Domini MCXXXI. Innocentius II. natione Romanus in ſummum Pont. eſt electus. Hic perrexit contra prædictum Rogerium Regem Siciliæ, & Ducem Apuliæ: eo quod fauiſſet Petro Leonis: qui ſe Papam faciebat: cum tamen eſſet electus à minore parte: Innocentius vero à maiore: & ſaniore: ſed non bene ſibi ceſſit: quia prædictus Rogerius præualuit.

Anno IV. Pontificatus dicti Innocentij Lotharius coronatus in Imperatorem, per eundem Pontificem, tamquam verus Catholicus, & aduocatus vires Imperij excitauit: & contra prædictum Rogerium Regem Siciliæ, occaſione prædictæ fautoriæ guerram mouet. Vnde congregato exercitu, vna cum præfato Innocentio Apuliam potenter intrauit: & fugato abinde dicto Rogerio in Siciliam, dictum Ducatum Apuliæ auferunt ab eodem.

Anno Domini MCXLIV. tempore Cæleſtini Papæ II. prædictus Rogerius Rex eſt reconcilitatus Eccleſiæ: & reſtitutus eidem præfatus Ducatus Apuliæ: congreganſque naualem exercitum, vadit in Africam contra Sarracenos: & Regem Tunicij tributarium ſibi facit. Dictus autem Rex Rogerius filium habuit nomine Guilielmum: qui ſibi in prædicto regno ſucceſſit.

Anno Domini MCLV. Hadrianus III. in ſummum Pontificem eſt aſſumptus: cui prædictus Guilielmus homagium faciens, regnum prædictum Siciliæ ab eo ſub fidelitatis iuramento recepit. Hic autem Guilielmus filium habuit nomine etiam Guilielmum: qui ſibi in regno præfato ſucceſſit: ac filiam dominam Conſtantiam: quam dictus Guilielmus Rex pater ſuus in Panhormo monialem effecit: ex certa viſione, quam ſuper hoc dicitur habuiſſe.

Hic vero Rex Guilielmus Secundus mortuus eſt ſine liberis: quo mortuo conſobrinus eius, & naturalis Tancredus, cuius tamen filius fuerit, non ſcribitur: tempore domini Clementis Papæ III. qui incepit Anno Domini MCLXXXIIX. & ſedit annis tribus, & diebus ſedecim, occupauit ſibi regnum prædictum: quod tenuit ſua vita durante: mortuuſque eſt per eum liberis non relictis. Et ſic ex genere ſupra dictorum Roberti Guiſcardi, & Rogerii fratris ſui non remanſit, niſi ſolum dicta domina Conſtantia monialis.

Tunc Barones ſupradicti regni Siciliæ ſupplicauerũt prædicto Clementi III. tunc ſummo Pontifici, vt cum dicta domina Conſtantia, contemplatione ſuorum progeni-

torum dispensaret: vt nuptui traderetur: quod factum est: copulataque est in matrimonio Henrico V. Imperatori: filio Frederici Imperatoris: dicti Babarossæ: qui ipsam in vxorem recepit.

Ex prædictis autem Henrico, & domina Constantia natus est Fredericus II. Anno Domini MCXCI: & nullus alius: quia dicta domina Constantia quasi in senectute sua quodammodo concepit eundem. Hic autem Henricus suo tempore multa fecit: & cum Ecclesia se bene non gessit: immo aliquando est ipsam grauiter persecutus: moriturque Panhormi anno Domini MCXCIIX.

Mortvo vero prædicto Henrico eligitur in Imperatorem Otho IV. filius Ducis Saxoniæ: qui male se habuit cum Ecclesia: propter quod dictus Fredericus II. missus est in Alamaniam contra ipsum: fuitque idem Otho suis exigentibus demeritis, per Innocentium Papam III. depositus ab Imperio anno Domini MCCXI. & sequenti anno, videlicet MCCXII. prædictus Fredericus II. in Imperatorem est electus: & tempore Honorii Papæ III, qui incepit sedere anno Domini MCCXVI, & sedit vsque ad annos XI. menses II. dies XIII. fuit idem Fredericus per ipsum Papam in Imperatorem coronatus anno Domini MCCXX. Pontificatus dicti Honorii anno V. & ætatis ipsius Frederici XXIIX.

Hic autem Fredericus quattuor filios habuit: videlicet Henricum primogenitum: quem in carcerem posuit: & hoc vt aliqui dicunt, quia ipse Henricus fauebat Ecclesiæ: quam dictus Fredericus persequebatur: in quo carcere Henricus ipse decessit: Secundogenitum vero habuit Conradum: tertiogenitum autem Entium: qui captus fuit à Bononiensibus: & ab eis in carcere toto tempore suæ vitæ detentus: qui omnes ex filia Regis Iohannis Hierosolymitani, quam dictus Fredericus accepit vxorem, procreati fuerunt. Quartogenitum vero habuit Manfredum: quem ex filia Principis Antiocheni suscepit. Idem enim Fredericus prædictam suam vxorem fingens mortuam, prædictam filiam Principis sibi in matrimonio copulauit: constituitque ipse Fredericus prædictum Conradum filium suum Regem Alamaniæ: de facto potius quam de iure: cum tam dicto regno, quam Imperio, & regno Siciliæ priuatus fuerat: exigentibus demeritis suis: & delictis per eum commissis.

Moritvr præfatus Fredericus in Fogia in Apulia anno Domini MCCL. Modum autem mortis suæ tradit Martinus: quia sine sacramentis, & pœnitentia, & in vinculo anathematis. Quem infirmantem prædictus Manfredus filius ipsius naturalis ambiens regni Siciliæ dominium, & thesauros, vno secretario eiusdem Frederici conscio, timens ne conualesceret, cussino super faciem ipsius posito, suffocauit: sicque idem Manfredus assumit dominium sub quibusdam causis: & rationibus simulatis: sed non in toto: propter prædictum Regem Conradum fratrem suum.

Post mortem autẽ prędicti Frederici Imperatoris Conradus filius eius Rex Alamaniæ intrat regnum Apuliæ anno Domini MCCLI.

Seqventi vero anno, videlicet MCCLII, dictus Cõradus Rex moritur. Reliquit autem vnum filium paruulum nomine Conradinum: qui erat cum matre sua in Teutonia: & tempore mortis dicti Conradi, erat duorum annorum. Tradunt autem aliquæ historiæ dictum Conradum fuisse venenatum: in quadam venatione per prædictum fratrem suum Manfredum. Hic autem Manfredus post mortem prædicti Regis Conradi, curam gessit regni Siciliæ: pro prædicto Conradino pupillo: & sub isto prætextu assumpsit sibi dominium ipsius regni.

Anno Domini MCCLIV. tempore domini Alexandri Papæ IIII. prædictus Manfredus simulata morte præfati Conradini, factoque super hoc planctu, accepit coronam supradicti regni Siciliæ: & tamquam ipsius Regem se gerit: ac se Regem vocari mandauit: quod durauit à dicto anno LIV. vsque ad LXV.

Prædictvs autem Manfredus primo fuit Princeps Tarentinus: & vxorem habuit N. sororem N. Comitis Sabaudiæ: ex qua filiam habuit nomine Constantiam: quæ post modum Petro Regi Aragonum fuit matrimonio copulata.

Anno Domini MCCLXIII. Pontificatus Domini Vrbani Papæ IIII. anno Secundo, idem Papa videns partem Ecclesiæ in Italia deficere, & prædictum Manfredum in suis peruersis actibus prosperari, de consilio Cardinalium Comitem Prouinciæ nomine Karolum, fratrem Ludouici Regis Francorum, in suum aduocat auxilium: & vt ad

adiuuan-

adiuuandam Ecclesiam esset feruentior, prædictum regnum Siciliæ, à quo præfatum Manfredum antea priuauerat, sibi contulit: cum suis annexis.

Anno Domini MCCLXV. Clemens Papa IV. existens Viterbii, Pontificatus sui anno primo prædictum Karolum in Ecclesia Sancti Iohannis de Laterano in Regem Siciliæ coronare mandauit.

Eodem anno præfatus Rex Karolus in planicie Beneuenti bellum habuit cum prædicto Manfredo: in quo bello idem Manfredus succubuit: & fuit occisus: cuius habitæ victoriæ causa, præfatus Rex Karolus fecit ædificari monasterium ordinis Cisterciensis quod vocatur S. Maria Regali valle in diœcesi Nolana: quæ coniuncta est diœcesi Beneuentanæ. Non enim ædificari fecit in loco vbi habuit victoriam: quia territorium non erat suum: sed Ecclesiæ Romanæ.

Anno Domini MCCLXIIX. Pontificatus prædicti Domini Clementis anno III. prędictus Conradinus filius pręfati Regis Conradi cum militia Teutonicorum, & Lombardorum subito intrat Italiã: & deinde confinia regni Siciliæ: cum quo tunc erat Henricus frater Regis Castellæ: & nepos Regis Karoli supradicti: qui quidem Henricus occupauerat Vrbis senatum. Contra quos venit præfatus Rex Karolus cum magna gentium armorum comitiua: diuque pugnato per ambas partes in die S. Bartholomæi in introitu prædicti regni prope castrum, quod dicitur Talliacoczium, tandem gentes prędicti Conradini succumbunt: & idem Conradinus aufugiens captus fuit in Astura: in plagia Romana: & in plagiis Neapolitanis: postmodum decapitatus. Fuit etiam in dicto bello captus prædictus Henricus frater Regis Castellæ: & per præfatum Regem Karolum in Apulia carceri mancipatus. In eo autem loco vbi idem Rex Karolus prædictum Conradinum deuicit, fecit idem Rex ædificari sollemne monasterium monachorum ordinis Cisterciensis vocatum S. Maria de Victoria: quod hodie propter terręmotum quasi totaliter est destructum. In ipso vero monasterio, & alio supradicto de Regali valle, monachi nulli nisi Gallici existere possunt. Decapitato igitur, vt præfertur Conradino prædicto, de genere supradicti Frederici Imperatoris nullus remansit superstes.

Prædictus autem Rex Karolus vxorem habuit filiam Raimundi Berengarii Comitis Prouinciæ, nomine Beatricem: quæ fuit vltima filia, & heres dicti Comitis: & habuit dictum Comitatum Prouinciæ: ex qua vxore prædictus Rex filium habuit nomine etiam Karolũ: qui in vita dicti sui patris vocabatur Princeps Salernitanus. Ipsa autem domina sepulta est Aquis: in Prouincia vna cum patre: & sorore Regina Franciæ in Ecclesia Hospitalariorum.

Anno Domini MCCLXXXIII. prædictus Rex Karolus moritur: & in maiori Neapolitana Ecclesia sepelitur: cui in dicto regno, & Comitatu Prouinciæ successit præfatus Karolus filius suus: vocatus postea Rex Karolus Secundus.

Hic Rex Karolus Secundus vxorem duxit dominam Mariam filiam Regis Vngariæ: quæ suo patri successit in regno Vngarię: ex qua prædictus Rex Karolus multos filios & filias habuit: quorum primogenitus fuit Karolus cognominatus Martellus Princeps Salernitanus: qui viuentibus suis patre, & matre, est in Regem Vngariæ coronatus: Præmortuus est autem dictis suis patri, & matri. Secundogenitus vero dicti Regis Karoli fuit S. Ludouicus Episcopus Tolosanus. Tertiogenitus Robertus Dux Calabriæ: qui patri successit in dicto regno Siciliæ. Quartogenitus Philippus Princeps Tarentinus. Vltimogenitus dominus Iohannes Princeps Achaiæ: deinde Dux Duracii. De aliis vero filiis per dictum Regem Karolum habitis, hic non fit mentio, quia sine prole decesserunt.

Prædictus autem Karolus Martellus Rex Vngariæ, & Princeps Salernitanus vxorem duxit filiam Rodulphi Regis Alamaniæ: ex qua duos filium, & filiam habuit: videlicet Karolum, qui patri successit in regno Vngariæ: & dominam Clementiam, quæ copulata fuit matrimonio Regi Ludouico filio Philippi pulchri Regis Francorum. Ex prædicta autem domina Clementia natus est filius eius primogenitus vocatus Iohannes anno Domini MCCCXVI: sed parum vixit: nam VII. die à natiuitate sua migrauit ad Dominum: regnumque Franciæ exstitit postmodum ad collaterales translatum.

Prædictus præterea Karolus II. Rex & dicta Maria eius vxor Regina Siciliæ

miserunt in Vngariam Karolum Principem prædictum Principem Salernitanum filium prædicti karoli Martelli Regis Vngariæ: & ei dictum regnum conferunt: & titulum ipsius, vt suo patri concedunt. Dictum enim regnum Vngariæ tunc ab infidelibus multum vexabatur: & Barones ipsius regni pro maiori parte tunc inobedientes erant prædictæ Reginæ Mariæ: aliqui tamen fideles, licet pauci venerunt in Apuliam pro dicto Rege Karolo: qui tunc erat nouem annorum: ipsumque secum in Vngariam conduxerunt: qui infra plures annos dictum regnum Vngariæ recuperat & augmentat.

Svpradictvs autem Rex Karolus II. Rex Siciliæ pater dicti Roberti Ducis Calabriæ, & auus præfati Karoli pupilli Regis Vngariæ petiit à domino Bonifacio Papa IIX. declarari, quis post mortem suam esset sibi in prædicto regno Siciliæ successurus: an videlicet prædictus Robertus filius suus, vel dictus Karolus Rex Vngariæ nepos eius. Præfatus autem summus Pontifex declarauit in breuibus: dictum Robertum esse prædicto suo patri, in præfato regno Siciliæ successurum. De S. autem Ludouico tunc primogenito non fit mentio, quia iam effectus erat frater Minor: & Episcopus Tolosanus.

Anno vero Domini MCCCIX. V. die introitus Maii obiit supradictus Karolus II. Rex Siciliæ: anno regni sui computando ab obitu patris XXV.

Anno Domini MCCCIX. Dominica prima mensis Augusti coronatus est prædictus Robertus Dux Calabriæ in Regem Siciliæ per dominum Clementem Papam V. in Auenione.

Hic autem Robertus duas vxores habuit: primam cum adhuc esset Dux: dominam Violantem filiam Regis Aragonum: ex qua habuit filium Karolum Ducem Calabriæ: aliam vero dominam Sanctiam filiam Regis Maioricarum: ex qua nullus ei heres superuixit.

Svpradictvs Carolus II. Rex Vngarię vxorem duxit Elizabeth sororem N. Ducis Poloniæ: qui postmodum factus est Rex: & vocatus Rex Poloniæ, seu Cracouiæ: ex qua vxore tres filios habuit: primogenitum Ludouicum: præsentem Regem Vngariæ: Andream Secundogenitum: & Stephanum tertiogenitum.

Antedictvs Karolus Dux Calabriæ, filius prædicti Roberti Regis Siciliæ duas vxores habuit: primam N. sororem N. Ducis Austriæ: ex qua nullam prolem procreauit: secundam dominam Mariam filiam Domini Karoli de Valoys: ex tertia vxore: quæ fuit filia Comitis S. Paulli: ex qua dictus Dux duas filias habuit: primam dominam Ioannam: præsentem Reginam Siciliæ: & dominam Mariam: quæ nata est post mortem dicti sui patris.

Prædictvs autem Dux Calabriæ mortuus est anno Domini MCCCXXIIX. in die beati Martini: viuente adhuc patre suo Roberto Rege prædicto.

Viventibvs vero prædictis Roberto Siciliæ, & Karolo Vngariæ regibus contractum est matrimonium, inter præfatum Andream secundogenitum supradicti Karoli Regis Vngariæ, & prædictam dominam Iohannam filiam suprascripti Ducis Calabriæ: Duxque, & Ducissa Calabriæ nuncupantur: & ordinatum est contrahi matrimonium inter præfatum Ludouicum primogenitum Regis Vngariæ, & prædictam dominam Mariam secundogenitam Ducis Calabriæ supradicti: ad hoc, quod omnino prænominatum regnum Siciliæ ad heredes Regis Vngariæ deueniret.

Anno Domini MCCCXLIII. in festo beatæ Agnetis obiit præfatus Robertus Rex Siciliæ: anno regni sui XXXIII: cui successit in regno prædicta domina Iohanna filia Ducis Calabriæ: & fuit vocata Regina: & dictus Andreas maritus suus vocatus Rex Siciliæ: ipsa vero domina Iohanna tunc coronata non fuit.

Anno Domini MCCCXLV. interemptus fuit prædictus Rex Andreas in Auersa: de mense Septembri: dicta domina Iohanna Regina eius vxore prægnate: ex qua natus est postmodum filius dictus Karolus Martellus.

Prædictvs Stephanus tertiogenitus Regis Vngariæ vxorem duxit N. filiam Ducis Bauariæ: ex qua vnicam filiam habuit nomine Elizabet. Ipse autem Stephanus post hæc modicum superuixit.

Svpradictvs Philippus Princeps Tarentinus filius Caroli II. Regis Siciliæ duas vxores habuit: primam filiam, & heredem N. Despoti Romaniæ: ex qua vnicum filium habuit: qui intitulabatur Despotus. Hic autem Despotus vxorem duxit N. filiam Regis Maioricarum: neptemque Reginæ Sanctiæ vxoris supradicti Regis Roberti: qui Despotus

tus suo præmortuus est patri: liberis nullis ab eo relictis. Secunda vxor dicti Principis vocata est Catharina filia supradicti Karoli de Valoys: quam habuit ex secunda vxore sua: quæ fuit filia Balduini Imperatoris Constantinopolitani: & dicto Balduino in titulo dicti Imperii successit: dictaq; Catharina præfatæ suæ matri successit: & vocata est Imperatrix Constantinopolitana. Ex dicta autem Catharina Imperatrice prædictus Princeps tres filios, & vnam filiam habuit: videlicet Robertum, Ludouicum, & Philippum, & Margaritam.

DICTVS autem Robertus successit suis patri, & matri: vocatusque est Imperator Constantinopolitanus: & Princeps Tarentinus: qui recepit in vxorem dominam Mariam filiam Ducis Borbonii: quæ antea vxor fuerat Connestabuli primogeniti N. Regis Cypri. Ex ipsis autem Roberto, & domina Maria nulli filii superuixerunt.

SVPRADICTVS dominus Iohannes Dux Duracii filius prænominati Karoli II. Regis Siciliæ vxorem duxit dominam Agnetem filiam N. Comitis Petragoricensis: ex qua tres filios habuit: videlicet Karolum: qui sibi successit in Ducatu Duracii: & Ludouicum, ac Robertum: mortuúsque est idem Dux eius vxore, & filiis relictis.

CVM vero tractaretur matrimonium inter prænominatum Ludouicum, tunc primogenitum Regis Vngariæ, & de perficiendo ipsum inter eundem Ludouicum, & dominam Mariam secundogenitam supradicti Karoli Ducis Calabriæ, ipsa domina Maria operante quadam domina, quæ erat in societate ipsius, absque consensu prædictæ dominæ Iohannæ Reginæ sororis suæ, contraxit matrimonium cum præfato Karolo Duce Duracii: & repente vna cum matre dicti Ducis recedens de Castro regio Neapolis, vbi cum prædicta domina Regina sua sorore manebat, & accedens ad domum ipsius Ducis ibidem vicinam, dispensatione super hoc à domino Clemente Papa VI. obtenta, & per dominum Talayrandum Cardinalem Petrogoricensem fratrem matris dicti Ducis procurata, illico matrimonium consummauit.

DE ipsis autem karolo, & domina Maria natæ fuerunt quattuor filiæ: videlicet Iohanna primogenita, quæ in dicto Ducatu successit, Agnes, Clementia, & Margarita.

ANNO Domini MCCCXLVII. prædictus Ludouicus Rex Vngariæ intrauit prædictum regnum Siciliæ: pro exercenda vindicta Regis Andreæ fratri sui: vt præmittitur interempti: ad quem cum esset in ciuitate Auersæ accesserunt prædicti Robertus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarenti: ac Philippus frater suus: nec non Karolus Dux Duracii, & Ludouicus, ac Robertus fratres sui: qui per dictum Regem Vngariæ fuerunt in principio satis bene tractati: & accepti: non tamen multum honorati: nec fraternaliter pertractati: nam vltimo fuerũt carcerati: & prędictus Karolus Dux Duracii decapitatus: in loco, vbi prælibatus Rex Andreas fuerat interemptus: non tamen tamquam idem Dux fuisset conscius mortis dicti Regis Andreæ: sed tamquam ille, qui receperat in vxorem supradictam dominam Mariam: quæ debebat contrahere cum ipso Rege Vngariæ, vt præfertur: anhelans idem Dux posse ad sæpe dictum regnum Siciliæ, ratione dictæ dominæ Mariæ suæ vxoris deuenire.

PRAEDICTVS autem Ludouicus Rex, & domina Iohanna Regina Siciliæ, cum præfatus Rex Vngariæ esset in Auersa, cum diuersis nauigiis recesserunt per mare de Neapoli: & venerunt in Prouinciam: & deinde Auenionem: vbi præfatus dominus Clemens Papa VI. cum sua curia residebat: & ibi per ipsum Papam fuit facta dispensatio inter ipsum Regem, & Reginam. Ibidem autem prædicta Regina peperit quandam filiam nomine Katharinam, quæ infantula est defuncta: aliam vero filiam post dictam factam dispensationem habuit vocatam Franciscam.

Quamuis in vetusto codice continens scriptio sit, tamen deesse videtur: Iohannam Reginam Ludouico Tarentino nupsisse.

PRAEFATA vero domina Maria vxor prænominati quondam Karoli Ducis Duracii, sciẽs mortem dicti sui mariti, recessit pręgnas de Neapoli in habitu fratris Minoris: & transiens prope Auersam, vbi tunc erat prædictus Rex Vngariæ, per terram venit vsque Tusciam: deinde per mare in Prouinciam: stetitq; in castro Bocacii: vbi peperit prędictam suam filiam Margaritam. Aliæ vero filiæ suæ remanserunt in prædicto regno Siciliæ: vbi per suas nutrices fuerunt in diuersis locis secrete, & salubriter conseruatæ.

SVPRADICTIS Roberto, & Philippo de Tarento, ac Ludouico, & Roberto de Duracio per prædictum Regem Vngariæ captis, vt præfertur, ipsi per eundem Regem, vna cum prædicto Karolo Martello filio prænominati Regis Andreæ, quem præfata domina Iohanna Regina dimiserat Neapoli in Castro Nouo vt assignaretur dicto Regi Vngarię, missi sunt in Vngariam; vbi dictus Karolus Martellus modicum superuixit: Dicti autem quattuor regales in satis arto carcere fuerunt per plures annos detenti.

Anno domini MCCCXLIIX. supradictus Rex Vngariæ à prædicto regno Siciliæ repente recessit: dimissis tam in castris Neapolitanis, quam in quibusdam aliis locis dicti regni, qui ipsa castra sui nomine custodirent: & gentibus aliis armigeris, tam Vngaris, quam Teutonicis, in numero satis magno: qui dictum regnum pro ipso Rege tenerent.

Eodem anno prædicti Ludouicus Rex, & domina Iohanna Regina Siciliæ à Prouincia Neapolim sunt reuersi: ac præfata domina Maria Ducissa Duracii: qui Rex, & Regina statim fuerunt in regno recepti, vt domini: & in satis breui tempore, quasi totum ipsum regnum recuperauerunt.

Anno Domini MCCCL. supradictus Rex Vngariæ in sæpe dictum regnum Siciliæ est reuersus: & obsedit ciuitatem Auersæ distantem à Neapoli per octo milliaria: operante illo, qui custodiebat castrum ciuitatis ipsius: qui quidem proditorie se gerens tam castrum, quam ciuitatem dicto Regi dedit. In dicto autem regno tunc prædictus Rex resistentiam magnam reperit: & de perditis pauca recuperauit. Fuerunt tandem habita pacta inter prædictos Ludouicum Vngariæ, & Ludouicum Siciliæ Reges: ac dominam Iohannam Reginam de accedendo ad Curiam Romanam: & stando de iure successionis dicti regni Siciliæ declarationi summi Pont. dictusque Rex Vngariæ his pactis habitis iuit ad Vrbem: & prædicti Rex, & Regina Siciliæ Caietam: ex certis autem causis nullus ipsorum ad prædictam Curiam dicta de causa accessit.

Dvravit autē guerra inter prædictos Reges Vngariæ, & Siciliæ à prædicto anno MCCCXLVII. vsque ad annum MCCCLII: quo anno de mandato prædicti domini Clementis Papæ VI. fuerunt supradicti Ludouicus Rex, & domina Iohanna Regina Siciliæ die XXVI. mensis Maii in festo Pentecostes Neapoli sollemniter coronati: & declarata ipsa domina Regina esse vera domina dicti regni. Fuitque ordinatum per eundem Papam, quod omnia loca, quæ tenebantur in prædicto regno per præfatum Regem Vngariæ assignarentur domino Petro de S. Martiali nuntio Apostolico: qui ipsa restituit dictis Ludouico Regi, & dominæ Iohannæ Reginę: & etiam procurauit dominus summus Pontif. quod prædicti quattuor regales, qui detinebantur captiui in Vngaria facerent liberari: & magna summa pecuniæ, quam pro sui redemptione dicto Regi Vngariæ dare promiserant, fuit eis contemplatione dicti summi Pontif. per eunden Regem remissa. Infra vero sex dies post coronationem prædictam mortua est prædicta Francisca filia ipsorum Regis, & Reginæ: & ex tunc ipsa Regina non concepit.

Praedicti quattuor regales ab Vngaria de carcere liberantur: & tres ex eis videlicet Robertus Imperator Constantinopolitanus, & Philippus frater suus, ac Ludouicus de Duracio in regnū Siciliæ reuertuntur. Dictus vero Robertus de Duracio vadit in Franciam: & coram N. Rege Franciæ præfatum Regem Vngariæ de duello inuitat: dicens ipsum Regem Vngariæ non fecisse iuridice, decapitari faciendo prædictum Karolum Ducem Duracii fratrem suum: quod duellum effectum non habuit: & prædictus Robertus postea mortuus est in bello: in territorio Pictauensi: in quo, & præfatus Rex Franciæ per Principem Waliæ captus fuit.

Aliqvo præcedente tractatu prædictus Philippus de Tarento repente rapit prædictam dominam Mariam, olim Ducissam Duracii consobrinam suam: atque in triplici consanguinitatis gradu coniunctam: & de facto matrimonium contrahit cum eadem. Pro habendo vero super hoc dispensatione idem Philippus venit ad curiam: & per plures annos laborauit, antequam posset eam habere. Ex ipsius autem Philippo, & Maria ante, & post dictam dispensationem fuerunt multi filii, & filiæ procreati: aliqui ex eis nati mortui: qui autem superuixerunt, omnes muti fuere, & claudi: absque dentibus, & capillis: ex quo apparuit, quod dictum matrimonium Deo gratum non fuit.

Anno Domini MCCCLXII. die XXVI. mensis Maii, qua die fuit festum Ascensionis Domini, obiit prædictus Ludouicus Rex Siciliæ Neapoli: completis X. annis integris à die suæ coronationis.

Anno Domini MCCCLXIII. completo anno obitus prædicti Regis Ludouici supradicti, domina Iohanna Regina contraxit matrimonium cum domino Iacobo Rege Maioricarum: cum quo nupta manet ad præsens.

Prædictvs Ludouicus de Duracio vxorem duxit dominam Margaritam de S. Seuerino: natam domini Roberti de S. Seuerino: de genere Comitis S. Seuerini nobilis de re-

de regno Siciliæ: ex qua vnicum filium habuit nomine Karolum: quæ domina Margarita postquam dictum filium peperit, per modicum tempus superuixit.

Anno Domini MCCCLXII. dictus Ludouicus obiit Neapoli in castro Oui: in quo ex certa causa detinebatur arrestatus infra duos menses post mortem supradicti Regis Ludouici.

Anno Domini MCCCLXIV. obiit Neapoli supradictus Robertus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarenti absque liberis: cui successit in dictis Imperio, & Principatu prænominatus Philippus frater suus.

Anno Domini MCCCLXVII. dominus Ludouicus de Nauarra recepit in vxorem dominam Iohannam Ducissam Duracii primogenitam Karoli Ducis præfati. Agnes vero soror dictæ Ducissæ antea contraxerat cum Canesignore domino Veronæ. Clementia autē tertiogenita soror dictæ Ducissæ obiit virgo Neapoli anno Domini MCCCLXIII.

Anno Domini MCCCLXIIX. obiit Neapoli prædicta domina Maria vxor supradicta Philippi Principis Tarentini: & post modum Imperatoris Constantinopolitani.

Anno Domini MCCCLXX. prædictus Philippus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarenti accessit Vngariam: & matrimonium contraxit cum domina Elizabeth filia Stephani fratris Regis Vngariæ: & secum duxit prædictam dominam Margaritam filiam prænominati Ducis Duracii: quæ cum dispensatione domini Vrbani Papæ V. contraxit cum Karolo filio prælibati Ludouici de Duracio consobrino suo: qui cum supradicto Rege Vngariæ commoratur.

Svpradicta Margarita filia supra nominati Philippi Principis Tarentini filii Karoli II. Regis Siciliæ, & dominę Catharinæ Imperatricis Constantinopolitanæ vxoris eius, matrimonium ex se ipsa contraxit cum Francisco de Baucio Duce Andriæ: absque consensu tamen fratrum suorum: ex qua filium, & filiam habuit: dominum Iacobum: & dominam Antoniam.

Haec est generatio Roberti Guiscardi: & descendentium ab eo Regum Siciliæ: & aliorum Regum: ac regalium: qui à dicto tempore, vsque modo in dicto regno successerunt: prout in chronicis inueniturs & à scientibus, & videntibus declaratur.

AQVILÆ VRBIS ORIGO.

Qvanta in ignoratione rerū à Principib. Normānis fratrib. in Apulia, Calabria, & Cāpania gestarū versati fuerint veteres auctores, nō Ptolemæus modo Lucensis, sed & Martinus multo vetustior, quē Ptolemæus ipse laudat auctorē, liquido testatur: quæ me res impulit, vt vetustissimis illis auctoribus, ex Ptolemæo decerpta adiunxerim: præsertim cum qualicumque ea sint, alicuius vtilitatis fructum præbeant: si Dyrrhachinorum Principum stirpis seriem respicias: in qua deducenda, plures sunt alucinati. Pręterea cum idem Ptolemęus prodiderit Honorium II. Pont. Max. Aquilam venisse, vt procerum Apuliæ consilio, Rogerio Siciliæ Comiti, qui postea regalem dignitatem est assecutus, eam prouinciam ductu suo afferere conanti obuiam iret: ea res aperte indicat Alexandrum eius rei certum auctorem minime legisse: qui Beneuentum, non Aquilam Pontificem aduentasse memoriæ prodidit. Neque intra centum proximos annos Aquilam vrbem conditam fuisse satis constat: de cuius origine cum disiunctissima, maximeque diuersa Io. Iouianus Pontanus vir vndecumque doctissimus Neapolitani belli libro v. tradiderit, & de nomine fontis Aquulæ factam esse Aquilam vrbem ciuibus, & opibus claram asserat, libet certam eius vrbis originem adponere: ex literis Clementis IIII. Pont. Max. erutam: ne tanti viri auctoritas rem gestam à veritate demoueat: aut vetustate obruta in posterum obliteretur.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei: K. Siciliæ Regi illustri. Clamant ad aures maiestatis Regiæ variæ regni tui, & partium vicinarum Ecclesiæ: clamat multitudo nobilium de imminentis oppressionis incursu, eo grauius stupida, quo dudum maiora ipsius grauamina est experta: thronum tuæ gratiæ suppliciter adeunt: ad auxiliũ misericordiæ tuę recurrunt: opem tuæ pietatis implorant: & vt ipsorum pia petitio promptius ad gratiam exauditionis introeat: de innata tibi fili carissime ad Ecclesias, ecclesiasticas personas, & nobiles, & à progenitoribus tuis in te propagatione laudabili radicata clementia concipientes non indigne fiduciam tibi confidenter veritatem instantis, & vrguentis ad hoc necessitatis exponunt. Dudum siquidem multitudinis hominum eisdem Ecclesiis, & nobilibus subditorum de diœcesi Reatina, & aliis vicinis partibus, ex diuersis castris, villis, & locis conspirantis in vnum factiosa præsumptio, in eam spirauit, & tandem prorupit temeritatis audaciam, quod iidem satagentes iugum originarię condicionis abiicere, & Ecclesias, & nobiles prædictos, quibus tenebantur ad varia, non solum debitis defraudare seruitiis, verum etiam de multitudine confidentes, sicut euidens indicauit effectus, opprimere: illisque præesse: quibus & diu subfuerant: & subesse, de suæ condicionis debito tenebãtur: à quondam Conrado nato quondam Frederici olim Romanorum Imperatoris, qui regnum Siciliæ post sententiam depositionis, & priuationis latam in Imperatorem eundem, occupatum tunc temporis detinebat, iniquis, & fraudulentis persuasionibus obtenta licentia, ciuitatẽ construere pręsumpserũt: cui AQVILA imposito nomine, se pullos Aquilæ operibus exhibentes, lamberunt Ecclesiarum, & nobilium sanguinem: non solum Ecclesias, & nobiles ipsos spoliantes, & ad pauperiem deducentes extremam: immo sacerdotes, & alios varios clericos, nobiles quoq;, suos etiam dominos immaniter, vt multorum habet assertio, trucidantes. Hæc fili tantæ iniquitatis congregatio, tam iniquis vacabat operibus, tam scelestis negotiationibus intẽdebat, propter quod colligationes impietatis, vt firmiter creditur, potentia diuina dissoluit: & ciuitas eadem redacta est in cinerem, & fauillam. Nunc autem pro ipsius reparatione, sicut asseritur, apud tuam serenitatem instatur. Instant quidem ipsius olim incolæ, vt in Ecclesias, & nobiles eosdẽ, eo truculentius insurgant: quo auidius sumerent, vel manifestam, si facultas concederet, vel saltem occultam de prędicta dissolutione vindictam. Ad tuam igitur clementiam Ecclesiæ, & nobiles memorati confugiunt: te solum confugium, in articulo tantæ necessitatis agnoscunt. Sperant proculdubio, quod non desit Ecclesiis, & nobilibus tua protectio: cũ de illis Christianissimis, & illustribus sis progenitoribus editus, qui præ cunctis dignitatis Regiæ participibus, trabea Christianitatis, & nobilitatis ornati, & singulari fauore manu tenuerunt Ecclesias: & nobiles fauorabiliter protexerunt. Nos itaque, qui prædicta referimus, sed non asserimus, serenitatem Regiam pio, & paterno rogamus affectu, quatenus circumstantiis tanti discriminis prouida deliberatione discussis, quod animæ tuæ salubrius, famæ consultius, & patriæ vtilius fore putaueris, prudentia Regia prosequatur.

BER-

BERNARDINI GOMESII MIEDIS ARCHIDIACONI SAGVNTINI, CANONICIQVE VALENTINI,

de Vita & Rebus gestis IACOBI I. Regis Aragonum, cognomento expugnatoris,

Libri XX.

AD

JACOBUM AUSTRIUM

Hispaniæ ac Indiarum Principem Philippi F.

Anno Domini M. D C V.

AVCTOR LECTORI S.

VOD olim Apelli pictorum nobilissimo honori fuit, atq; summæ ascriptū prudentiæ; idipsum imitaturo mihi haud omnino fore puto indecorum. Ille etenim (auctore Plinio) perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atq; post ipsam tabulam latens, vitia, quæ notarentur auscultabat. Vnde à conspectante sutore reprehensus, quòd in crepidis vna intus pauciores fecisset ansas; statim artifici de artificio suo credens, erratumq; agnoscens, emendauit. rursumq; postero die, eidem circa crus cauillanti indignatus, è latibulo respondit; Ne supra crepidam sutor iudices. Persimili equidem exemplo fretus, Iacobi Regis historiam breui, vt fateor, spatio temporis à me confectam, cum aliqua nominis mei iactura, nec sine multorum efflagitatione, properè in vulgus edendam permisi: planè vt vitia, quæ in ea non defutura credo, & quæ, vt patri in filio, sic auctori in opere, nimius quandoq; amor non sinit animaduertere, integro, ingenuoq; Lectori notanda proponerē, deq; his à multis absens, quod à paucis vix datur coràm, liberè admonerer: plura quippe vitia scriptori prodet, vel vno mēse euulgatus liber, quàm si integra annorum, vt vult Flaccus, enneade domi prematur: quæ enim in edito posita sunt, multò curiosius, contentiusq;, quàm quæ sub obscuro, desiguntur. vt scilicet notata illa, in altera editione diligenter animaduerti possint: ea præsertim, quæ ad veritatem historiæ pertinent. Nam sicuti nulla fere est historia (sacram semper excipio) quæ non aliquibus sit, aut imbuta erroribus, aut discrepantiis subiecta: Ita neque vlla rursum verisimilior, quàm quæ multorum simul consensu, atq; constanti fama approbatur; vt errare quidem cum excusatione nunquam melius possit scriptor, quàm cùm Annales suos, non ex lectione modò librorum, sed ex memoria viuorum, in qua mortuorum, vt aiunt, vita spectatur, curiosè, nec sine delectu expressos confecerit: quosq; dum vixerit, retractationi semper paratos habuerit. Atq; vtinam fieret, vt vnusquisq; scriptor solerter sibi hac in parte consuleret innatamq; philautiam comprimeret; neq; ante sui victoriam, quæ in operis communicatione, emēdationeq; sita cernitur, triumphum appeteret: & qui in animum induceret, longè esse feliciores artis, ingeniiq;, quàm naturæ partus; quòd hi, quales ipsa attulit, excipiendi sunt: neque si vitiosi fuerint, facilè emendari possunt: illi verò, etsi eduntur deformes, tamen eodem ingenio auctore cultore, potissimum adhibita multorum communicatione, perficiuntur. Nam perinde vt ea, quæ ex ære conflantur, multa licèt rubigine, & quasi scabritie obducta, deformia prodierint, tamen accedente lima expoliūtur, & splendidiora fiunt: sic ipsos ingenii fœtus, si multorum animaduersorum cum vellicatio excitauerit: tum erudita quoq; castigatio limauerit, haud dubiè, decenter hæc eos, & quàm venustè perpolient. Dummodò animaduersores ingenuè potius, quàm fastidiosè de quaq; re iudicent: neq; pro vno, aut altero inuento errato, vel si plura sint, illicò absentem auctorem in reos referant: ac modò opus in vniuersum minimè, antequam perlegerint, reiiciant; minusq; singula, nisi qui fuerint eiusdem musæ æmuli, improbent: ne vnà cum sutore in Apellis reprehensionem incurrant. Meminerint etiam naturam nihil magnum (vt inquit Plinius) genuisse citò; neque ipsius imitatricem artem, nisi aut diu multumq; versando: aut potissimū communicando, rem vllam perfecisse. Auxilium enim sibi magnum se adiunxisse putat, qui

cum

cum altero, maiusque si cum multis, rem communicauit. Quod ipsum ego, Lector candidissime, à te lubens expecto, qui nec admoneri grauabor vnquam, nec corripi, emendarivè quoquomodò erubescam; quoad tanta, tamque excellẽs inchoata à me historia, animaduersione tua repurgata, perfectaque, ad posteros transmittatur. Non enim dubito illos (quæ summa est, atque innata bonis omnibus, tum veri intelligendi, tum falsi reiiciendi cupiditas, studiumque) & animaduertenti tibi, & emendanti mihi, magnam, perpetuamque gratiam habituros. Quapropter prudendiam tuam inuoco, imploroque; vt dum alios cauillantes, alios obtrectantes, ausculto; tu demum, non tam eorum, quæ ineleganter, quàm quæ imprudenter scripta inueneris, futuræ editionis gratia, me admonere non desinas. Vale.

AD IACOBVM AVSTRIVM PHILIPPI F. HISPANIÆ, ATQVE INDIARVM PRINCIPEM, BERNARDINI GOMESII MIEDIS in Libros de vita, & rebus gestis IACOBI primi Regis Aragonum,

PRÆFATIO.

VETVS & illustris fama de Iacobo primo Rege Aragonum, cognomento expugnatore, cùm toto orbe, tum apud Aragonensium Regna, vbi potissimum sua ille vestigia impressit, ad hanc vsque ætatem tanta percrebuit (Iacobe Princeps) vt ex his nulli sint populi, nullique homines, qui non cum charitate aliqua, & beneuolentia, illius memoriam vsurpent; eiusque pergraue, ac persanctum nomen in Regibus, summo cum honore colant. Pro certo enim habẽt, hoc ipsum nomen, quod ab huius ortu Regis, tot, tantisque clarum miraculis, sequuta sunt vitæ facta præclarissima; paria, similiaque cuiuis nostrorum Principum, qui illud præ se tulerit, allaturum. Id, quod nascenti tibi ausi sunt præsagire: nam dici non potest, quanta omnes in suis vrbibus & municipiis exultarint lætitia, quantoq; triumphare gaudio cœperint, vt primum auditũ est, Iacobi nomen, nutu Philippi patris, in illius Regis gratiam tibi impositũ fuisse. Aureũ quippe illud sub ferreo sæculũ, quod idẽ, tum armis prudentiæ, tum bellicis, atq; imperatoriis virtutibus condiderat, à te, sub tanto exemplo ac nomine, orbi restitutũ iri putant. Nec vero mirandũ est, quòd illius nomini, ac exemplo vitæ tantũ tribuant, vt iisdem te insignitum, alterũ Iacobum euasurum existiment. Nam vt ipsius quidẽ Regis expressa imitatione pietas, imitatores diuino quodã quasi afflauit numine, & ad summa erexit; sic eius bellica virtus, reiq; militaris, vel adũbrata scientia, permultos nõ modò laudũ æmulos, ac sectatores effecit, verũ ad eas etiam literis, ac sempiternæ memoriæ mandãdas, historicos non paucos pellexit. Quibus ne exaggeratione orationis à veritate historia discreparent, neve hanc in posterum vllo obscurare commento possẽt; Commentarios rerũ suarũ ipse fidelissimè conscriptos, tanquã normã, ad quã sua illi scripta dirigerẽt, reliquit, eosq; vt vir bonus, atq; simplicis veritatis amicus nõ tã verbis, cõptaq; oratione ornare, quàm rebus, atq; nuda factorum enumeratione persequi curauit. Hæc enim tanta; tãque præclara extiterũt, adeòque illustria & gloriosa, vt iure quidẽ cũ omnibus tam superioris, quàm inferioris, quàm etiam suæ ætatis factis comparari posse videantur

Nam si antiqua respexeris, atq; inuictũ animi robur, & magnitudinẽ, quib. se Iacobus in Regiis, Imperatoriisq; munerib. ab ipsa prope infantia susceptis, atq; annis plus sexaginta administratis, cum prioribus conferas; nullos ante ipsum Reges, nec Imperatores eo superiores inuenies: Si suæ ætatis Principibus opponas, non solùm vsu, tractatione armorum, consilio, felicique rerũ exitu, cunctos superauit; verũ pietate ac religione (vno excepto Ludouico persancto Francorum Rege) reliquis excelluisse cognosces: Si ad nostros referas, is demũ fuit qui nõ Aragonensis tantummodò, sed totius Hispaniensis Imperii solus fundamẽta posuit, eaq; tã veris, solidisq; iustitiæ, ac religionis tanquã firmamentis fixit, vt tantũ abest, vt illud suis vnquam sedibus conuelli potuerit, vt amplius, atq; adeò in immẽsum semper accreuerit. Tria enim Regna, Baleariũ, Valentinũ, & Murciense, è regione Africæ, è sarracenorũ manib. eripiens, ac non solũ armis, sed optimis legib. atq; vera religione præmuniẽs, Afros à quib. anteà Aragonensiũ, & Castellanorũ cœpta, magniq; conatus infringi, ac impediri consueuerãt, repressit penitus, strenueq; coërcuit. Tã frequẽtes siquidẽ in Valentinã, & Catalanam orã, Afrorũ cũ magnis classib. & exercitib. transgressiones fieri, totq; incẽdiis, rapinis, ac depopulationib. cuncta ꝑpinqua Regna vastari solebãt; vt tã Aragonẽses cũ Afris, quã cum Sarracenis Granatensib. Castellani, cõtinuis implicati bellis, nullas extra Hispaniã expeditiones antea suscipere, nihil se dignũ foris gerere potuerint. Reges autẽ, qui successere Iacobo, ipsius militari disciplina & exẽplis instructi; nec nõ eiusce ab eo expugnatis Regnis, domiq; firmato ꝑsidio, freti, cõpressis Afris, plures in exteros expeditiones susceptas, ꝓspere & quã gloriose cõfecerunt. Nã vt Regũ Aragonẽsium Annales vere colligunt, ipsaq; res testatur; & Siciliã illico Rex Petrus, cognomẽto magnus, Iacobi filius obtinuit; & Sardiniã Iacobus II. illius nepos, duce Alfonso cepit: & Calabriã, totumq; Neapolitanũ Regnũ Alfonsus primus illis adiunxit: & Ferdinãdus abauus tuus, cognomento catholicus, illud à Gallis interceptũ, Ferdinãdo Gonsaluo duce, recuperauit: ac demũ Carolus V. Cæsar, tuus auus, Mediolanẽses in suã, Imperiiq; Hispaniẽsis potestatẽ redegit. Accesserat, ꝙ idẽ Ferdinãdus paulo ante, matrimonio Isabellæ Reginæ Castellæ, copulatis vtrisq; Regnis, atq; iunctis viribus, Granatense Regnũ potentissimum, ꝙ octingẽtis annis in medio ferè Hispaniæ Sarraceni retinuerãt, armis subegit tandem atq; Imperio adiecit. Quinetiã ipsius sumptib. & auspiciis, nonne nouus ad Occidentẽ orbis repertus est? ac protinus ab eodẽ Carolo, maiori quã credi potest, cõpendio & gloria expugnatus? Siquidẽ imperãte ipso, classesq; ac exercitus mittẽte, an nõ ausa est solaria Hispana gẽs ꝑ immensũ ac nunquã antea tranatũ Oceanũ ad Occidẽtales Indos nauigare? atq; Aequinoctiali traiecta linea, alterũ orbis axẽ à Romanis vix olim conspectũ, tenere? ibiq; maiora & opulẽtiora, ꝙ̃ vsquã, Regna vi capere? vinctosq; ipsorũ Reges cũ interimere: tum vna, aut altera cẽturia militũ, innumerabiles exercitus ꝓfligare? quoad ea tandẽ in ꝓuincias ꝙ̃ magnitudine, duas, vel tres æquãt Europas, redegit? In quas, & colonias multas deduxit, & diuino aspirãte numine, vniuersas ad Christi religionẽ traduxit? Vt appareat Hispaniẽse Imperiũ, ex eo quod iisdẽ, quib. à Iacobo initum, ac fixũ firmamẽtis, à successorib. amplificatũ quoq; fuit, atq; gloriose ꝓductum; in ampliorẽ quam vbiuis gentiũ, magnitudinẽ dilatatũ fuisse, ac in sempiternam Christi gloriam propagatũ. Adde, nullo vnquã prætermittenda silentio, quæ tui etiam abaui clarissimi Lusitanorum Reges tertiam ferè Hispaniæ partem tenentes, virtute ac religione ducib. similia ꝑ id tẽpus facta quã præclarissima gesserunt. Ad Australes enim Afros, & Oriẽtales à læua Indos, aureã vsq; Chernosenesũ nauigantes, incredibiles, mireq; gloriosas inde victorias cũ amplissimis spoliis, subactis populis, retulerũt. Vt mihi sanè pares, aut certè maiores triũphos, victoriasq; illustriores, quã olim sua Romanis ætas, nostra nobis attulisse videatur. Neq; video ꝑfecto, cur Philippus pater tuus superiorib. nõ sit omnino præferẽdus, ac etiã Augusto lõgè felicior habendus. Ille etenim tra-

ditum

ditum sibi à C. Iulio Cæsare Romanorum Imperium, in huius vmbilico positus, atque extrema quaquauersum omnia ex æquo regens, conseruauit quidem, summique inde conseruatoris nomen iure promeruit: At verò Philippus Indicum Occidentale Hispaniensi adiunctum, quod ei Carolus pater longè latius, quàm fuit olim Romanũ tradidit, quamuis immenso prope maris interuallo dissitum, non conseruat modò, acerrimeq; defendit; sed in eo nunc totus est, vt & augeat, & noua Lusitani accessione Imperii, conduplicet: donec illud ad te tandem, latius, opulentiusque quàm accepit, transferat. Quamquàm equidem, Iacobe Princeps, tantis augendo ditionibus, totque in Regna successuro tibi, neque plura certe, neque ampliora iis, vllo modo desidero; numẽ autem: & sapientiam ad ea omnia optime, feliciterque administranda, & regenda, sicuti Solomoni diuinitus concessa sunt, neque Iacobo, tuisque maioribus negata, quàm maximè tibi, inquam, exopto; immò verò adfutura spero. Siquidem mirifica, ac suauis illa, quæ hac tua sub ætatula in te indoles elucet, magnam plane omnibus spem affert, fore aliquando, vt in te vno, eiusdem Iacobi, vt nomen, & fama, sic res, sic exitus, sic felicitas, & consecuta gloria consentiãt. Huius ergo herois vitam & res gestas, viginti à nobis comprehensas libris, iccirco tibi despondimus, vt omnium, qui ante fuerunt, Regũ, maximorumque Principum virtutes, & præclara facinora, in vno Iacobo, tanquam in speculo contemplanda, atque imitanda proponeremus; vt ex iis perinde ac ex infinita sylua quadam, virtutum omnium, atque actionum præclarissimarum, vberrimos, amplissimosque possis fructus colligere; quibus tam pace, quàm bello, tam domi, quàm foris, hæreditarium Imperium, cùm bene fausteque regas; tum tuorum sequutus exemplum, longius, latiusque propages, atque cum vera religione defendas. Vale.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER I.

AD IACOBVM AVSTRIVM, HISPANIÆ, atque Indiarum Principem, Philippi F.

IACOBI primi Regis Aragonum, cognomento expugnatoris, res gestas breuiter, summatimque scribere aggredior: vt cuius diuina viri virtus, quantum se, duce gloria, in cælũ tollit, ac ceteris Hispanis longe ante it rebus; tantum facta etiam prodantur in apertum, atque in vniuersas gentes, ad quas eiusdem fama peruenit, stylo peruehatur. Operæ pretium enim me nostris facturum puto, si præcipuas virtutes bellicas, quas in Alexandro, in Pyrrho, & Cæsare, summis olim Imperatoribus, sigillatim admirati mortales solent; easdem simul in Iacobo, cum mire expressas, tum ab eodem præclare orbi redditas fuisse ostendero. Nam & triginta ipsum prælia, quibus interfuit, commisisse; & totidem ex eisdem victorias gloriosè reportasse; & tam sæpe conspirantes in se populos, supplices admisisse; neque demum anno integro ex sexaginta, quibus regnauit, à bello vacasse; an non hæc superant, aut certe exæquant ea, quæ de superioribus conscripta leguntur? Vnde tot eius, tamque præclara facta, quæ hactenus sermone duntaxat Hispano donata, domi quasi delitescebant, vt communicarẽ exteris, Latino conscribenda duxi. A quo planè cœpto, quamuis ingenii mei valdè me retraheret imbecillitas, atque ipsa potissimum rei magnitudo terreret, & quasi à via deduceret; reduxit tamen, atque in proposito, susceptoque consilio permanere fecit eiusdem pulchritudo; qua tantopere ad huius vitam & acta Regis commemoranda afficior; vt amore, quo nihil est ingeniosius, sperem me quidem, aut victurum expectationem; aut si minus rei perfectionem; at conatum & adumbrationem expressurum: quandoquidem longè maiora sunt, & grauiora, quæ me ad progrediendum inducunt, quàm quæ ab incœpto deterrent. In primis quidem historia, cuius præcipuus ad perennitatem genius est veritas, ab ipsomet Rege non modo perdiligenter dictata, verum etiam inter arma, ne quippiam excideret, hasta quandoque in læuam conuersa, dextra arrepto calamo exarata: & quamuis ineleganter, duroq; stylo, pro iniuria temporum; summa fide tamen, atque accuratè perscripta; ideoq; calcaria mihi certè fuere acriùs ad hãc conscribendam adhibita. Quid enim, veritate duce, ipsaque Regis mente comite, in præsenti mihi non conandũ, atq; socia quoq; diligentia, non aggrediendũ existimem? Nam vt in legibus, quarum anima, vt optimè dicunt, est ipsa ratio; hacq; inuenta, perfacilis est illarũ interpretatio: sic in historia, si Dux occultas interdũ, aut ineundi, aut differendi prælii causas & rationes, quæ multũ habent momẽti, quasq; is solus mente tenet, explanauerit; profectò Annales suos, cum summè illustrabit, tũ aliis, etsi elegãtioribus, multò veriores, atque cõmendabiliores conficiet. Præterea adauget institutũ illorũ veluti puritas temporum, eorumque hominũ non lubrica; sed bona vbiq; fides, atque vnicè in bello, cũ fama honos propositus. Quin neque vllis prope dolis, nõ fraude, aut insidiis; sed vera quidẽ virtute, atque aperto Marte, ab ills frequentata militia: vt facilè, ac in promptu sit scribenti, ex factis, quæ cernũtur, mentem, quæ non videtur, colligere, eandemque simul currenti calamo suggerere. Præterquã quòd illa ipsa militia, neque maioribus ad sui vsũ machinis, tormẽtisve muniebatur, quàm quibus. summo licèt labore fabricatis; ingenio tamẽ haud valde magno obsisti posset. Nam cominùs vti gladio, ipsoq; impulsu scutorũ, seu cõflictu corporũ, quã eminùs telorũ coniectione, atq; admotione tormentorũ pugnare, lõgè habebatur valẽtius. Fecit igitur tam frequẽs hic, vt opinor, pugnãdi vsus, & exercitatio atq; in armis eorũ mẽs omnis, & cogitatio defixa; vt facultate ac

copia

copia dicendi parum præstarent; cum sermonis non solum latini, sed neque natiui vix vllus tunc fuerit cultus, nõ nitor, nec obseruatio: quin potius permistione linguarũ, confusa esset, peneq; barbara eorum locutio. Ex quo in subeundis prælijs, ad augendos militum animos, breuibus, tametsi sententiosis, concionibus duces vsos fuisse comperimus: vsque adeò spretis verbis, in res omnia propendebant. Nam & prouocati ad bellum, ea erat in præueniendo hoste tarditati prælata celeritas; vt neq; matura cunctatione vti scirent; neq; verbis prius, quã armis omnino agere, sapientius ducerent. Sed hæc tanta verborũ inopia maiori alia rerũ parsimonia commendabatur, vtpotè qua, nõ magnis, propeque infinitis, vt nunc sumptibus, sed vel exiguis permagna tunc bella conficerẽtur: more Lacedæmoniorum, quorum spectata, & nobilitata bello virtus, eo magis accrescebat indies; quo plùs eorum castra, tum frugalitate victus, tum maxime verborum parsimonia continebantur. Vt facile affirmare ausim, hoc tempore, ab ipsa quidẽ procacitate, luxurieque verborum; nec non auri etiam, atque commeatus redundantia in castris, non modo eneruari militum vires, hostilesque temerè contemni; sed ducum quoque auaritiam excrescere; indeque & scienter differri prælia: & discrimina, certaminaque perquam fœdè vitari: ac neque tam certũ confecti, seu turpiter interrupti belli signum militibus, quàm ipsam ærarii consumptionem dari. Postremò mouet quàm maximè perinsignis tanti viri pietas, atque innata religio, eiusq; persancto studio quodam inflammatus animus, non solum ad impios Christianæ fidei hostes proterendos; sed ad diuinum Christi nomen vbique propagandum, adeò intentus, vt tria nobilissima Regna è Sarracenorum manibus eripuerit; & ad duo millia templa exædificari, eaque Christo, eiusque matri & Virgini dicari curauerit. Quæ sola pietas vsque adeo sanctissimum ac probatissimũ quemque virum prouocare debet ad illius conscriptionem historiæ; vt & religioso quouis dignam eam auctore; & à me humili sacerdote non alienam putarim. Nam Reges quidem, officii munerisque sui admonere; & præstantissimorum exemplo Regum proposito, ad optimam Reipublicæ administrationem traducere, nonne id bonum per se est, honestum & commemorandum? Illorum igitur temporum, atque hominum institutis, & præliandi vsu, leuiter perstrictis; immo & necessario præmissis; vt pote quæ ad dilucidam explanationem historiæ non parum sunt luminis allatura; lectorem præmonitum volo, me quæcunque hac tota commentatione de Rege, eiusque factis, atque dictis expressero, non ab obuio quoque illa temerè, ac sine delectu; sed ab ipsamet Regis atque eorum, qui viuenti ab epistolis, seu à commentariis fuerunt, conseruata historia, excepisse omnia; eaque diligenter etiam cum historicis, qui ætate nostra in suos Annales ipsius res gestas Regis retulerunt, fideliter contulisse. Tametsi autographum, siue propriam ab ipso Rege conscriptam historiam, tanquam reliquis longè veriorem, frequentius mihi insequendam propono. Eam enim non quibus diximus rationibus tantummodò; sed hac potissimum reputo veriorem, quòd longe sit, atque à decore, & maiestate Regia alienum, Principem, coram quo lege vetitum est mentiri, ipsum publicè, perpetuoque sibi ac posteris mentitum fuisse: seu quoquomodo permisisse, Commentarios suos, in quibus perpetuæ suæ commendationis ac famæ fundamenta posuit, edi commentitios. Quapropter, vt ad rem veniamus: quoniam breuitas in dicendo satis nobis curæ est: perspicuitatem oratio conabitur, veritati præcipuam operam dabimus. Sed antequã Regis ortum ab admirabili, ac inexpectato eius conceptu ineamus, præmittenda sunt, quæ de clarissimis eius auis, Guillermo Mompellerii Principe, in Narbonensi Gallia; & eius coniuge Mathilda Imperatoris Græcorum filia; deque amborum nuptiis explananda occurrunt: quandoquidem ab eo ipso connubio, quasi à venusto quodam, atque honesto pellicatu, historiam suam Rex fuit exorsus.

Alfonsus II. ab Arista primo, XII. Rex Aragonum, ac etiam Cataloniæ Princeps (qui duo potentatus magnam citerioris Hispaniæ partem continent) vt primùm in eos patri successit, inclyto, se, matrimonio illustrare cupiens, legatos cum litteris Constantinopolim ad Emanuelem Imperatorem misit, cui nunciarent, se cupere illius filiam, nomine Mathildam, nulla constituta dote, dari sibi in matrimonium. Annuente Imperatore, cui iam diu nota erant Regis, illiusque maiorum nobilitatæ bello virtutes, atq; potentia Regnorum: sponsalium fide mutuo hinc inde data: curaque omni deducendæ in Hispaniam sponsæ Imperatori relicta: legati protinus ad Alfonsum remigrarunt. Interea Alfonsus Castellæ Rex, Imperator Hispaniarum dictus, intellecta legatione matrimonii causa expedita, Alfonsum simili legatione, & litteris solicitauit, vt Sanctiã filiam, genere & pulchritudine nulli secundam, vxorem duceret, eamq;, vt cuiuis præferret, cũ multis de causis, tum hac potissimũ impetrauit, quòd hoc idem matrimoniũ à Raimundo Prin-

cipe longè antea fuerit initum,ſed interuentu belli,infectum illud,non reiectum;ideoq; conſecutam concordiam, eſſe quoque eiuſmodi matrimonio ſtabiliendam, poſtulauit. Vnde Sanctia ad Alfonſum deducta, publico atq; celebri matrimonio cũ illo coniuncta fuit;cuius rei illico fama in omnes partes dimanauit. Interim Emanuel Imperator, nulla de pellicatu re intellecta,præparatą filią vni ex præſtantioribus Antiſtitib. Eccleſiaſticis, ac duobus magnis Imperii proceribus,deducendã commiſit.Iamq; iter ingreſſi longiſſimũ,atq; difficillimũ,decẽ prouinciis peragratis,tandẽ ſuperata Gallia, in Narbonenſem, ad vrbẽ Nitiobrigũ regiã, nunc Mompelleriũ vocatam,peruenerunt,quæ triginta dumtaxat paſſuũ millibus,ab Hiſpaniæ finibus diſterminatur.Vbi à Guillermo eius vrbis, ditioniſq; Principe,qui aduenientes hoſpitio exceperat honorifico, atq; tanti itineris cauſam ſuſpicabatur,de prærepto à Sãctia matrimonio facti ſunt certiores. Quo pertriſti audito nuntio,ſtupor inuaſit omnes:& tanquã peregrini,& deſerti, nõ conſilii modò, ſed cõſolationis omnino inopes, Principi vt fideli hoſpiti,itineris ſui cauſas,& inanes ꝓgreſſus expoſuerũt;ab eoq; obnixè petierũt,vt in tam ſubita, aduerſaq; permutatione rerum, quid facto ipſis opus eſſet,conſuleret: ꝓgerentne atq; prioris ſponſæ præſentia Regiũ os turpis inconſtãtię,ac perfidiæ labe ſuffunderẽt;an potius intermiſſis omnib. ad Imperatorẽ remigrarẽt:quandoquidẽ iureiurando ſeſe omnes obſtrinxerant, vt quoquomodo matrimonio filię impedito, eandẽ ſoſpitẽ ad ipſũ reducerent. His auditis Guillermus tãtæ Principis contumeliã,atq; iniquã miſeratus ſortem, conſolari primo ipſam,poſt verò mentẽ & oculos in eandẽ cœpit iniicere:atq; ex mala illius fortuna, fortunã ſibi bonã elicere cogitauit. Vnde cautè dolere ſe quã maxime reſpõdit, atq; iniquo ferre animo eius vicẽ Principis,nõ extorris modò patria,ſed deſertæ, & ludificatæ: eoq; mirari magis humanarũ rerũ inconſtantiã,cuius vis tãta eſſet;vt ad Reges etiã, quorum ſumma eſt virtus conſtãtia,& peruenire illa,& regiã dolo malo fidẽ oppugnare poſſit. Verũ angi quidem multò vehemẽtiùs,ob negotiũ ita plane inenodabile,ac implicatũ,vt vix, explicari poſſe illud,quiſpiã credat. Sed quoniã multa,q̃ natura impedita ſunt,conſilio expediũtur: dari ſibi tẽpus petiit ad illud meditandũ, atq; cũ ſuis vrbis proceribus conſulendũ. Itaq; Guillermus cõuocato Senatu,in quẽ patricios iuuenes nonnullos,quos mẽtis ſuę fecerat participes,intrare iuſſit,ipſiſq; ea,q̃ cum Principe hoſpita,& ſuis egerat,expoſuit: quantiſq; ipſa angorib. atq; difficultatibus rerũ, quamque miſerabiliter premeretur, tã ex repudio Regis quam ex peregrinatione,atque immenſa longinquitate à ſuis: quodque non opes, ſed conſiliũ dũtaxat, quo ſe ab iis explicet anguſtiis,implorauerit,& ſe illi daturũ promiſerit. Proinde ꝙ hoſpitæ vtile,ſibi autẽ honorificũ eſſet conſiliũ,ab ipſis repoſcere: non enim prætermiſſurũ quicquã,quoad ſe,ſuaq; omnia pro tanta Principe impẽderet. Quod ſi & ex re,& ex tempore,& loco,nata ſibi eſſet occaſio, quam eorũ conſilio & ope fretus ipſe captare deberet:neq; amiſſurũ illam,neq; ſe ſibi defuturũ vnquã concluſit. Quo tacente,quamquã de re grauiſſima diutius in varias partes diſputaretur; tamen iuuenibus prius dicere iuſſis,horũ ſententia fuit, vt conſilium, ꝙ hoſpitæ daturus erat Guillermus, ſibi caperet:ac quoniã diuinitus videretur factum, ꝙ à patre è tã longinquo miſſa virgo Regia ab Alfonſo autẽ ſpreta,apud ipſum domi haberetur, ſtabili ſibi eã connubio iungeret:nõ enim eũ,tam inæquali prognatũ ſorte,neq; genere & ſanguine tam eſſe infimũ: quin atauis etiã Gallorũ Regib. ſit editus: quin recens ex ephæbis excedens adoleſcens, tum viribus & præſtantia corporis,tũ dignitate & maieſtate oris, heroẽ referat:atq; dotibus quoque animi perquam multis,Principes,ac Reges quoſuis exęquet. Nec diſpar admodum Imperium eſt,quando illud non vaſtitate,ſed ſitu,& amœnitate terrarum,quale Mompellerienſe eſt,& fertilitate agri,& vicinia ac commercio maris,& cœli,ſolique benignitate præcellẽs,commetiendũ ſit. Acſi tandem cogitet ipſa,ſe derelictam, indotatã, ac repudiatam manſiſſe:inueniet profecto,huiuſmodi connubio, ſortẽ ſibi bonã ex iniqua contigiſſe. Nullã igitur ei optionẽ dandã eſſe,ſed indicendum,in ſolo connubio ſalutem repoſitam,eiuſq; conſenſum,aut prece,aut honeſta vi tandẽ eſſe procurandũ. Quam ſententiam,q̃ ab vno ex iuuenibus dicta eſt,cũ reliqui eiuſdem ordinis approbarent,atq; ad viriliter exequendã illam,ſe,ſuaque omnia impenſuros promitterent:quidã ex Senatorib. grandæuus, atq; omnium experientiſſimus,non tam refellendi, quam illorum dicta confirmandi gratia,ſic eſt loquutus. Non equidẽ putaram, Princeps Guillerme, celerem iuuenum deliberationem cũ maturo ſenum conſilio tam facile conuenire poſſe, vt ab illorum ſententia,ne diſcedere quidẽ,tantum abeſt,vt eam nunc refutare velim;vſque adeo facinus hoc,ꝙ ex ſententia iuuenũ machinari videris,tametſi anceps, ac audaciſſimũ:maiori tamen in parte,& perinſigne eſt,& quidẽ præclariſſimum: noſq; ad ſuſcipiendum ipſum, multis nominibus: ad declinandum, perquam paucis, adhortatur.

Nam

Nam etsi vnica tantum,atq; efficax ratio sit.quæ te ab eo deterrere potest,vtpote qua, & diuino,&humano teneris iure,hospitem dimittere qualem acceperis;neq; liberũ est,hospitii iùs cuiq; violare:at illius quidẽ violandi occasio nunc tãta est, vt quæ regnãdi causa datur,maior esse nõ possit.Ea.n.ex hisce nuptiis adfutura tibi bona præsagire audeo; vt si ex mediocri in summũ euehi Principẽ,atq; cum Regio,Imperatoriove Principatu tuũ adæquare cupis; profectò nulla se tibi occasio præsenti offeret vnquã commodior. Si enim Imperatoris filiã vxorẽ ducis, spẽ quoq; Imperii tanquam sponsam, haud dubiè, te puta ducturum. Nam vnico vxoris fratre germano Alexio Imperii successore decedẽte; vt facile est, vxoris quoque iure,te ad Imperii successionem vocari ; ita illo interim viuẽte,affinitatis gratia,perdignus ès, qui vnus ex summis Principibus habearis; quique per susceptos ab vxore filios vtriusque sexus, regias etiam affinitates ambire possis. Quòd si illatam inde Emanueli patri contumeliam pertimescis; bono te animo esse volo: ea enim mihi crede, nulla est, si cum insigni iniuria, quam eidem fecit Alphonsus Rex, comparetur. Siquidem inter spretum,& acceptum coniugium, tantum quidem interest; vt qui ab alio spretam sponsam duxerit, non tam sponsæ famæ, quam eius parentum honori consulere, beneque de ipsis mereri videatur. Quibus de causis nedum beneuolam coniugii approbationem;sed maiorem, quàm iniuria sit, gratiam cum socero te inituram puta. Vnde, macte virtute,animosior esto; atque facinus felix prosequere. Nam si audaces cæca sæpe iuuare fortuna solet,num tam vnanimi omnium consensu, atque cõsilio duce,quasi numine à cœpto desistes?Quę cum ardore plusquam iuuenili prosequeretur senex, vniuerso acclamante Senatu,interruptus est eius sermo;atq; vno ore cuncti, se,Guillermo ad omnia paratos obtulerunt. Verùm non per Guillermũ; sed per duos destinatos ad id optimates,hospitæ,atq; suis Senatus decretũ denuntiare statuerunt.Id cùm illi exposuissent,tandem subiunxerunt,tam esse id iam à Guillermo Principe,eiusque Senatu diffinitum;vt nulla reliqua esset eis, tanquam è cauea elabendi spes, nisi connubio dominæ iter aperirent.Cum igitur reclamantes illi, ac rem tam fœdam, barbaram, & iniquam,iusque omne hospitii,atque humanitatis violatum obiicientes,ne quicquam proficerent;ac neque vllus cum Imperatore consultandi locus daretur; consilio inter se habito decreuerunt,maius cũ minore malo cõmutare: quin & cõsensu Principis ac Dominæ suæ pacisci cum Guillermo (quem iam propter huiusmodi facinus,alioqui audax, virum quidem non ignobilem,sed strenuum,atq; magnanimum reputabant)vt si cõnubio decernẽda res esset,promitteret,vna cum vniuerso Senatu populoq; Mompelleriẽsi, perpetua sanctione fieret:vt proles quæcunq; ex coniugio nasceretur,seu mas,seu fœmina,in Principatum hæres succederet. Quæ conditio à Guillermo accepta,à Senatu verò approbata,ab vniuerso populo sanctione quoque perpetua,fuit comprobata. Itaque depulso mœrore,& lachrymis, nuptiæ plenæ dignitatis atque concordiæ, plenæque splendoris ac mysterii,diuino copulante hymenæo, coniunctæ fuere:necnon remigrantibus Constantinopolim sponsæ comitibus ; totq; ęrumnas, & discrimina, cum optimo rerum euentu,Imperatori enarrantibus,ab eodem quoque approbatæ. Ac non multò post concipiente Mathilda,partu edidit fœminã,cum singulari populorũ lętitia,& effuso gaudio,quæ Christo nomen dedit, ac vocata est Maria, de qua postea ortus est Iacobus. Sub hæc autẽ,quę gesserit Guillermus,quãtumq; à seipso defecerit: ac quàm pessimũ ingrati animi vitiũ cum libidine cõmiscuerit,ostendamus. Namq; vt est hominum ingenium in libidine,quo magis rem quamque concupiscunt; quove auidius in eam feruntur, eò quidem magis obtentam,aut spernant protinus; aut præ satietate, quam capiunt, varietatem,vel in peius quærant:sic quoque Guillermus, cui non satis fuit cum tam paruo Imperio,& opibus,interceptam Imperatoris filiã, Regi destinatam sponsam, nullo negotio, in matrimonium duxisse;ab eaq; clarissimam prolem suscepisse:nisi quod,imperãte luxuria;cum ab vxore secesserit, tum ea viuente, aliam nomine Agnetem Hispanam duxerit:talesque ex ea filios habuerit, vt ausus sit natu maior Mariam legitimam vniuersorum hæredem ab hæreditate expellere.Nam ea de re, lite,& controuersia,inter eos orta, ac coram summo Pontifice contestata,vniuersa Mompelleriensis hæreditas, iusque omne,Mariæ,eius quoque rei causa,Romam postea abeunti,ab eodem Pontifice adiudicata sunt,ac Iacobo,vt dicemus, successione relicta. Ad quem autem, quoniam festinat oratio, quæ acta sunt interim dicamus. Mortuo Perpiniani, quod est oppidum Comitatus Ruscinonensis florentissimum,ex graui morbo, Alfonso Rege, quẽ propter heroicas virtutes,præsertim vitæ continẽtiam,castum appellarunt; corpus eius honorificè, regieque elatum est ad cœnobium beatæ Mariæ Populeti nuncupatum,ordinis Cisterciensis,nõ longè ab vrbe Tarracone,interq; ipsam & Illerdã situm: quod Principes Raymũ-

dus, Alfonsi pater, magnificentissimè erexerat; Alfonsus autem multis attributis prædiis locupletauerat, atque muneribus amplissimis exornauerat. In quo, non modo ipse; sed qui postea sequuti sunt Reges Aragonum, quoad in Regna Castellæ successerunt, ferè omnes consepulti fuerunt. Demum illius exequiæ, iustaq; funeris, cum nouēdiali sacro; cum magna pompa, imaginibus, cantu, lamentis, & laudationibus, in vrbe Cæsaraugusta Aragonum metropoli celebratæ sunt. Itaque tribus ab Alfonso ex Sanctia Regina relictis filiis, Petro, Alfonso, & Ferdinando, cum quatuor fœminis; Petrus in Regnum Aragonum, vna cum Principatu Cataloniæ successit; adiunctis Ruscinonensi, & Pallariensi comitatibus: in quibus non à principio, sed pro tempore, atque ex testamento Reges successerunt. Alfonsus autem, comitatum Prouincialem in Aquitania, cum nonnullis propinquis oppidis, testamento obtinuit. Ferdinandus verò, à patre destinatus monachus, religioni consecratus est in eodem cœnobio Populetano. Quin etiam fœminæ, quarum natu maior Constantia, cum Emerico Rege Vngariæ, ipsoque mortuo, cum Federico Imperatore, ac Rege Siciliæ, matrimonio iuncta fuit. Elionora & Sanctia consequentes, parenti ac filio Tolosanis comitibus, collocatæ fuerunt. Vltima verò Dulcis dicta, cœlibem cum religione vitam coluit apud cœnobium Xixenense monialium ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, quod ab eisdem Alfonso & Sanctia Regibus amplissimè structum, & dotatum fuit, prope insigne oppidū Sarinienæ Oscensis diœcesis. Quarum fœminarum mentio necessario habenda est in historiis, vt successiones Regnorum, quæ sæpè affinitate per illas contracta euenire solent, melius innotescant. Petro igitur in Regna succedente, atque vniuersis subditis, magno omnium consensu, salutato Rege, & sacramento adacto, ab eoque plebiscitis (foros nostri vocant) moribus, institutisque maiorum, & Regni Priuilegiis confirmatis, nunciatum est, Mauros eruptionem in Carpetaniam fecisse, ibique parua quædam oppida Regis Castellæ, Aragoniæ fines attingētia cepisse. Vnde protinus adiunctis copiis cum Rege Castellæ, ambo impetum fecerunt in Mauros: quibus repressis, fugatisque, atque ab illis erepta Valeria Carpetanorum vrbe antiquissima, nunc Cuenca dicta, Rex cum magna victoriæ laude Cæsaraugustam reuersus est. Vbi cùm ex peruersa domesticorum prauitate, magnæ inter Regem, & Sanctiam matrem discordiæ concitarentur; adeoque inter se dissiderent, vt nisi pro ea sæpe proceres intercessissent, è Regno penitus Rex illam expulisset; capta inde occasione, in Aquitaniam se contulit, ad Alfonsum fratrem Prouinciæ comitem, vt quas habebat cum comite Folchalcherio controuersias, componeret. Quibus pacatis, Rex & Alfonsus, florentis adhuc ætatis adolescentes, moribusque, & ingenio similes; ac in libidinem proniores, ex fœminis, quas habet Prouincia eximiè pulchras, singulas sibi elegerunt, formosissimas quidem illas; sed neque stemmate inclytas, neque Regia ex stirpe (quales decent Reges) ortas: nihilominus tamen easdem in matrimonium propè clandestinum duxerunt. Qua de causa Rex, ac etiam quòd matre, & proceribus Regni non consultis, id fecerit, nuptias neque publicè, neque cum splendore, & sumptu coniunxit. Ex his nuptiis singulos quoque filios habuerunt; priorem Rex, cui Raimundi Berengarii, auitum nomen imposuit, qui protinus vna cum matre mortuus est. Alfonsus autem habuit alterum, quem simili Raimundi Berengarii nomine donauit. Is patri postea in comitatu successit. Itaque Rex, vxore mortua, cum strenuus, valdeque honoris cupidus esset, quin & diues admodum, ob ingentem ex vectigalibus Regiis tunc asportatam pecuniam, Romam proficisci decreuit: quod magno cum apparatu, & sumptibus, multisq; ipsum proceribus comitantibus perfecit. Nam ex Prouincia soluens, classe Genuensem portum tenuit; indeque Ostiam veniens, fluuio Tiberi inuectus, ab aliquot Cardinalibus, & Senatore, populoque Romano in vrbem deductus fuit, atque Innocentium Pont. de more veneratus, in Vaticano, magnificentissimo hospitio etiam fuit à Pontifice acceptus. Perendino die, Præsentationi D. Mariæ dicato, summus Pont. in ædem D. Pancratii traductus, Regem solenni pompa vrbis à regionibus ouātem excepit. In ea Aede à Petro Portuensi Episcopo, & Cardinali, sacro oleo perunctus, Regium illius capiti diadema fuit à Pontifice impositum, ac regiis insignibus decoratus. Ex quo simul fidelitatis sacramento se, Pont. Max. atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ addixit. Inde verò in Vaticanum reuersus, in sacello D. Petri, regiis insignibus depositis, & gladio Pontificis manu accepto, militiæ auctoramentum est professus. Hac ergo causa Regnum tributarium Ecclesiæ cōstituit, & CCL. Mahozemutinorum aureorum nummorum tributum in singulos annos ab Aragoniæ Regibus conferendum indixit: summa à se proposita mercede, quod Pont. manu diadema sumpsisset. Ii nummi à Iucephio Mahozumeto iactati, nuncupatique, qui summum in Mauros Imperium in Hispania obtinuerat, singuli sex solidis regalium expendeban-

pendebantur & æstimabantur. Hinc Pont. priuilegium Aragonensibus irrogauit, vt ab Archiepiscopis Tarraconensibus coronæ in posterum Regibus Cæsaraugustæ imponerentur: modo cauerent, se id Ecclesiæ præstituros, quod à Rege sancitum fuerat. De qua re, mox proceres, populique conquesti sunt, quod ex libero Regno, & ab omni onere soluto, Rex stipendiarium constituerit. Quemadmodum hæc, aliaque pereleganter à Hieronymo Surita scriptore diligentissimo, in suis Annalibus Hispanis, & Indicibus Latinis, vnde sumpsimus, latius fusiusque perscribuntur. Itaque solennibus coronationis celebratis, Rex in Prouinciam renauigauit; atque Alfonsum fratrem, iterum à comite Folchalcherio, renouatis controuersiis, oppressum liberauit; rebusque ibi compositis, in Aragoniam se contulit: vbi, sed Cęsaraugustæ potissimum, exceptus est cum triumpho. Interim verò à proceribus admonitus fuit, vt pro beneficio, & quiete Regnorum, de successione cogitaret; animaduerteretque, ne amplius nuptias, nisi cum æquali, & se digna vxore coniungeret. Quæ cura Sanctiam matrē maximè omnium angebat: nam etsi Reges vndique filias illi Principes, vna cum successione Regnorum collocandas offerrent, at illa tamē recusare cunctas atq; vnicā Mariam Mōpellerii Principem, nuper mortuo Guillermo eius patre, legitimam Principatus hæredem relictam, exoptare sibi nurum, ac filio vxorem adiungere nitebatur. Idque non modò propter tot illius coniunctas cum pulchritudine virtutes, vt fama erat; atque Imperatorio quoque sanguine perfusam stirpem; sed maximè omnium, propter nonnullum conscientiæ angorem, ob prærepta olim matri sponsalia; atque illatam tanti Imperatoris filiæ iniuriam; quam eiusmodi filiorum connubio compensandam, seu abolendam sperabat. Tametsi non defuerint, qui ad aurem Sanctiam admonuerint; suspicionis famam peruenisse de Maria, teneri eam alteri viro, secreto coniugio, duplicique partu filios illi edidisse. At Sanctia, vt erat magnanima, pertinaxque mulier, atque imperiosa nimis; ac inchoato operi vehementer intenta, non modò admonentibus nullam dare fidem voluit, sed rem regi silentio imperauit, magisque instare cœpit, atque ipsos Regni proceres, ne rumore oborto, Regem à matrimonio auerterent, miris modis in suam sententiam pertraxit; disseminatis in vulgus rationibus, atque commoditatibus, quæ pro matrimonio facerent. Quamquam non multò post Sanctia, suæ quoque pertinaciæ, atque maturati coniugii Regis, non minimas pœnas dedit; renouatis pristinis odiis, atque dissidiis cum Rege; quæ tandem sola morte Sanctiæ dirimi potuerunt. Itaq; annuente Rege, proceres, vt Sanctiæ morem gererent, approbabāt cuncta, atque pro matrimonio rationes, quas poterant, suggerebant: nēpe quòd Mompelleriensis potentatus Regi ex matrimonio obueniens, magno foret vsui, atq; præsidio non solum Ruscinonensi Comitatui; sed etiam finitimis Alfonsi fratris populis Prouincialibus. Ac insuper, quòd non parū splēdoris Regio nomini Aragonū ex matrimonio accederet, ob Mariæ matrem, ad quam, mortuo Emanuele Imperatore, illiusq; fratre Alexio successore, ab Andronico interfecto, ius omne Imperii fuerat deuolutum; ipsoque iure posse Mariam Aragonum Reginam, dici Augustam, tanquam Augusti Imperatoris Constantinopolitani filiam, ac hæredem legitimam. Quamobrem consensu omnium, Petrus Mompellerium deductus, ibique ab effusa populi multitudine cum triumpho exceptus, celeberrimo matrimonio fuit cum Maria coniunctus. Vt iam non humano, sed diuino, quo geruntur nutu omnia, secutum fuerit, vt & Imperatoris iniuria; & eius filiæ contumelia, & Alfonsi inconstantia, eiusmodi regalibus communium filiorum inter se nuptiis, omnino compēsatæ fuerint, atq; in integrū honos vndiq; restitutus. Sed quoniam nuptiarum fructus est soboles: iam de insperato, inopinatoque Iacobi conceptu dicamus. De quo profectò, inter illius & nostri temporis scriptores, varius est sensus, scriptioque satis confusa: aliis pauca, eaque succinctè nimis, honestatis causa, vt historia Regis: aliis plura, variaq;, ne quid intactū relinquāt asserentibus, in re quidē, cum Rege conuenientib. omnibus, in modo tamen, atq; ordine, quo hæc gesta sunt, non nihil inter se discrepantibus. Quapropter, quæ ex omnibus probabiliora, ac inter se conueniētiora visa sunt, sic in vnum contulimus. Maria igitur nō multò post nuptiarum solemnia: vel quod Rex de priori suspicato illius matrimonio aliquid deprehendisset: vel quod communis Mariæ cum matre sors fuerit; vel potius quod Petrus vitio, quo fuit libidinis notatus, laboraret: passa est cum illo grauissima. Nam eam quidem Rex, fœminam alioqui pulcherrimam, & honestissimam, non modo spernebat, sed alienas effrænatè concupiscens, sic auersabatur, vt ne cum ea concumberet, loca sæpè mutare consuesceret: ac si aliquando simul esse, atque sermones inter se palam conferre contingeret, à pulchrioribus Reginæ adolescentulis, siue matronis, oculos nunquam deiiceret. Ex

quibus in vnius potiſſimum perpulchræ, atque ſpectabilis viduæ perſonam, mentem, aſpectumque omnem infixerat, quæ nuper, mortuo viro, à ſuis Reginæ cõmendata fuerat. Id præſentiens Maria, triſtis admodum, ac valde anxia futurorum; ſeque videns ſenſim marito, & filiis orbari, ac vt matri olim, ſic repudium ſibi; necnon vnam ex ſuis pellicem parari; in oppidulum Miravallum, ſecus Garumnam fluuium, paruo diſtans ſpatio à Mompellerio ſeceſſerat, ibiq; loci amœnitate, patientius ſolitudinem ferebat. Sed cum abſentia Regis indies ſibi tendi ad repudium inſidias pertimeſceret; prius quidem Regem iocoſo dolo capere, atque in iis ipſis inſidiis, quę ſibi à Rege parabantur, eundem intercludere curauit: occaſione ad id oblata quàm commodiſſima, ab vno ex intimis Regis, qui eius nomine, viduam ſollicitabat. Hunc, quem cum vidua clanculum in angulo triclinii colloquentem Regina deprehendiſſet adorta, ſubmiſſa, ſed adirata voce, ſic eſt alloquuta. Sceleratiſſime omnium, vſque adeò tui me tædet, vt ſi ſcelus, quod nunc moliris, non plus in me, quàm in Regem committeres: profectò occubuiſſes iamdiu, atque in ipſius Regis oculis, in quibus ſcio te eſſe, debitas mihi pœnas expendiſſes. Sed eſto; placere Regi potius, quam mihi vis, quanquam inique facis, placere quoque & ipſa Regi cupio, atque vt vult, ita morem gerere. Licere quippe mihi quod & Racheli vxori Iacob ſanctæ licuit exiſtimo; vt perinde atque hæc, præ amore viri, quos non poterat ex ſe à viro liberos, ſaltem ex ancilla ſuſcipiebat; ſic ego regios, quos ex me non datur, ex mea quidem, tanquam ancilla, & perlibenter ſuſcipiam, & cooptabo ſuſceptos: modò verecundiæ, atque honori viduæ, vt ſcis, nobiliſſimæ conſulatur: ſicque in obſcuro res geratur, vt neque ea Regem videre, neque à Rege videri vllo pacto poſſit: ac modo hæc à me dicta, tu, inquam, omnino ſupprimas, neque me huius facti auctorem facias. Proinde cura, vt Rex ad nos veniat: nam ſi per te voti compos euaſero, do fidem, maiorem te à me, quàm à Rege gratiam initurum. Quæ audiẽs ille intimus, qui Regi erat à cubiculis, gaudenſq; vehementer, tam ſubitò ex adirata propitiam ſibi fieri Reginam; necnon negotium Regi exoptatiſſimum ex voto confici; properè contendit ad pagum, Lateſium dictum vbi Rex aderat, non procul à Miravallo, eique omnia renuntiat ordine, quo inſtructus, & ſubornatus à Regina fuerat. Rex verò hæc perquam lætus accepit: ac vel à cubiculario ſollicitatus, vel à quodam optimate, quem hiſtoria Regis Guillermum Alcalatẽſem vocat, multum rogatus, vt Miravallum Reginam viſurus concederet, ſub nocturnum crepuſculum eò venit. Vbi à Regina lætiſſimè exceptus, eandem quoque ipſe placido ac ſereno vultu, diſſimulandi gratia, allocutus eſt, & cum ea cœnauit. Verum à cœna quidem, huc atque illuc Rex circunſpectans; minimeque viduam adeſſe videns, eò magis ſibi præparari illam credens, ficto ſomno, eidem dari ſe velle, cubiculario indicauit. Vnde ingreſſus cubiculum, poſt multam noctem, vt primum ſomnus eum complexus eſt, Regina vera eius, atque iuſta vxor, viduam ſe ſimulans, coniugalem thorum vna cum viro ſuo caſtiſſimè aſcendit: ac vbi diem eſſe ſenſit, antequam è lecto Rex ſurgeret, atque è pago, vt feſtinabat, diſcederet, aperiri feneſtras, ac expectantem foris optimatem cubiculum intrare iuſſit, nempe teſtem huiuſmodi coniugalis congreſſus ſibi affuturum accerſens. At Rex inde abiẽs, nihilominus auerſo ſemper fuit animo à Regina, vſque adeò, vt diuortium nõ multò poſt, vt dicemus, cum ipſa fecerit. Sed interim diuino factum eſt munere, vt, ob præſtitum matrimonio honorem, quamprimum Petrus ab vno ad aliud obeundum munus vocaretur, quod omnium ab eo geſtorum, & præclariſſimum fuit, & ſupra quàm dici poteſt, glorioſum ac commemorandum. Nam è Miravallo veniens Barcinonem, literas accepit à Caſtellæ & Nauarræ Regibus ſignificantes, innumerabiles Maurorum copias ex Africa in Hiſpaniam traieciſſe, quæ Bæticis, Luſitanis, ac Cõteſtanis adiunctæ Mauris, numerum ducẽtorum millium excederent; animo vt ferebatur, vniuerſam Hiſpaniam denuo ſubigendi. Proinde quanta maxima poſſet celeritate, & copiis Toletum veniret, vt communi calamitati occurreret. Tum Petrus proceribus populiſque omnibus, præſertim Catalanis cum tributo Bouatici ſeſe illi ad proſequendum bellum offerentibus, exercitum ex Aragonia, Catalonia, & Aquitania, fortiſſimum comparauit, peditum ad viginti millia, equitum ad tria millia & quingenta; & cum eo Toletum venit: ibique exercitibus Caſtellano & Nauarrenſi adiunctis, fama eſt, peditum ad centum millia, equitum verò ad decem millia, cenſa fuiſſe. Vniuerſi ergo ſimul Maurorum exercitum petentes, Mariano in ſaltu, ad conualles Toloſæ dictas, quo in loco ſe hoſtes continebant, acerrimum cum ipſis prælium commiſerunt, tandiu planè dubium, atque anceps, quoad opera, & virtute Aragonenſis exercitus, qui fuerat in poſtremis (vt Archiepiſcopi Toletani hiſtoria refert) ex dubia, certa parta eſt victoria; Petro Rege vulnere, non tamen mortiferò, affecto. In quo prælio, conſtans eſt ſcriptorum opinio,

nio, cæsa fuisse centum millia Maurorum, fugatis reliquis, eorumque captis ac direptis castris, cum opulentissimis Imperatoris Miramamolini tabernaculis. Quæ omnia liberalitate & magnificentia Regis Castellæ, inter socios Reges diuisa fuere: indeque vniuersa Hispania, diuina ope, è Maurorum tanquam faucibus erepta. Reges igitur in Aragoniam, & Nauarram remigrantes, summo cum triumpho excepti fuerunt. Interea Maria Regiam spem illam, quam in aluo commendatam à viro continebat, promoueri studens; Deo inprimis, eiusque matri & virgini beatissimæ, ac persanctis Apostolis, se suumque fœtum tota mente commendabat: ac non minus pietate erga illos, quàm charitate erga Christi pauperes prolixa, & liberalis erat, Regisque acerbitatem, atque alienatam à se mẽtem, patientia euincens, seque ipsa consolans, spem suam omnem in nascitura prole collocabat: donec expletis ad pariendum mensibus, multa, quæ ad fidem partus faciendam necessaria erant, præparauit. Itaq; Mompellerium ingressa, in præclara Tornamirensium domo, ipso tempore partus, cunctos ciuitatis optimates cum vxoribus sibi adesse iussit. Vbi diuino opem ferente numine, natus est Infans, faustus ac perelegans, ipsa nocte Kalendarum Februarii, anno à virgineo partu, (vt historia fert Regis) supra octauum. M. C C. qui dies vigilia & ieiunio celebratur, propter consequentem beatissimæ Mariæ Virginis matris festum Purificationis, quando commune est vbique Ecclesiarum, cereas candelas, ad sacra collustranda, benedictione consecrare. Itaque vniuersa acclamante, atque comitante ciuitate, infans illico iussu matris, pro summa gratiarum actione, ad Virginis Aedem deductus est; quo tempore sacræ peruigilationes, matutinæ precationes dictæ, fiebant; & ab vniuerso choro, magna & alta voce, hymnus, TE DEVM LAVDAMVS, cantari cœperat. Quo peracto, ad aliud ciuitatis Templum sancti Firmini portatus infans, similiter dum eædem precationes fierent, diuina quoque sorte contigit, vt limen ingresso puero, canticum, BENEDICTVS DOMINVS DEVS ISRAEL, summa voce decantaretur. Quare vt eo ipso Purificationis festo die Christo nomen daret puer; dubitante Regina, cuinam ex Apostolis Domini, illius nomen imponendum commendaret; duodecim candelas cereas, æqualis ponderis atque magnitudinis, ex voto offerri Apostolis curauit; vnicuique illarum proprium cuiusque Apostoli nomen adscribens; vt quibus simul succensis, candela quæ diutius aliis præluceret, designatum huic Apostoli nomen puero imponeretur. Vnde aliis omnibus consumptis ac extinctis, prælucente Iacobea dicta, protinus in templum remeatum est, atque Iacobi nomen puero, tanquam à Deo impositum. Vt scilicet eius Apostoli Hispaniarum patroni nomine potiretur puer, qui Hispaniense Imperium, atque Christi nomen, tam longè lateque erat propagaturus. Quæ magni profectò Regis signa, Mariæ matri ac Reginæ in causa fuerunt, ad imitationem cœlestis Mariæ Angelorum Dominæ, vt obseruaret omnia mysteria hæc, atque mente secum conferret. Neque enim ab eiusmodi collatione aberat; imo Herodianam quodammodo tyrannidem adumbrabat; quod sub ipsis crepundiis, atque in cunis vagienti puero, lapis valde magnus vndéuis excisus, siue manu proiectus (fortasse ab aliquo qui regnare cupiebat) tamen diuina ope illæso puero, vt regia fert historia, cunas confregerit: quodque ex successione, orta paulò post persecutione in matrem, eaque subinde Romam, vt in Ægyptum, abire coacta, nihil illa sibi atrocius vnquam duxerit, quàm infantem tenerum, quadrimum, dimittere; & tanquam expositum, aliis educandum relinquere. Siquidem ab eo tempore, quo è Miraualló discessit Rex, amplius vidisse Reginam non inuenimus: quem neque felicissimus Reginæ partus; neq; inuicta eius patientia; emollire potuerint, quominus simultates, quas ille eatenus cum Regina occultas gerebat, apertas susciperet; atque cum ea tandẽ diuortium faceret. Nã eo vsque prouecta res est, vt eius causa diuortii, ad summum Pontificem Innocentium III. delata fuerit: submissis à Rege causis: & quòd Maria, antequam sibi nuberet, Conuenarum comiti in Aquitania nupsisset, ab eoque duas filias suscepisset: & quòd eodem viro viuo, neque auctoritate Ecclesiastica à Maria separato, secum illa contraxisset. Quibus adiecit etiam, Rex ipse, quòd ante matrimonium cognouisset quandam Mariæ cognatam. Cuius causæ cognitionem Pontifex, grauissimis viris Ecclesiasticis in Aquitania, re integra sibi reseruata, mandauit. Sed præponderante Regis potentia, atque in Mariæ detrimentum inclinante causa, Maria Pontificis auxilium implorare; eique iustas facti sui causas exponere decreuit; se videlicet, omnino coactam; atque parentis Guillermi minis territam, clandestino matrimonio cum Conuenarum comite fuisse iũctam; cum quo ipsa etiam cognatione coniuncta erat; neq; ad cõtrahendum legitimè, vlla fuit ab eis vnquam à Pontifice facultas obtenta. Quin, & esse etiam compertum, cun-

dem comitem, tempore contractus, duas publicè ductas vxores viuas retinuisse; alteram Guillermam Barcensem; alteram comitis Bigeronum filiam, ex quibus & filios quoque habuisse. Qua facti veritate missa Romam: vt iustiores etiam denegandi diuortii causas Maria Pontifici ad aurem suggereret; dimisso filiolo charissimo, Romam profecta est. Quam honorificentissimè, atque vt Reginam excipiens Pontifex, benigneque audiens; re ad vnguem perpensa, & examinata, de consilio sacri cœtus Cardinalium, sententia la- ta est; Petrum Aragonum Regē teneri matrimonio legitimo & indissolubili, cum Maria Guillermi Mompelleriensis Principis filia, publicè, atque in facie Ecclesiæ contracto: ac neque dissolui illud posse, occasione obiectæ affinitatis cum cognata Mariæ, quæ mini- me probata fuit, neque etiam obiectione prioris matrimonii Conuenarum comitis cum Maria olim contracti, quod quidem nullum fuit; non modo ex eo quod idem Comes, tertio cognationis gradu Mariā attinebat; sed iccirco maximè quòd tacitis nuptiis, quas cum filia comitis Bigeronum ille iunxerat, ex qua & prolem susceperat, secundas, illa su- perstite, cum Maria horum ignara iunxerit; ac neq; vltimis, quas cū Rege coniunxit Ma- ria, illa sese opposuerit. Quæ sententia Romæ, mense Februario, Anni M.CC.XIII. lata, atque in libris Decretalium (vt historia Regis affirmat) posita: ad Regem ab eodem Pō- tificè missa fuit, vna cum benigno Rescripto; ipsum pie adhortans, vt sentētiam à se, cum consilio & matura deliberatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, adhibitis præ- stantissimorum totius Italiæ Doctorum suffragiis, latam; deq; matrimonio Mariæ Regi- næ pronunciatam; ipse firmam, maximeque ratam haberet, bonique consuleret. Quan- doquidem ad eius animum & conscientiam pacandam, omnino prolata illa fuerit: totq; etiam sedandas populorum commotiones, quæ facile ad perturbanda ipsius Regna inde exoriri possent: maximè verò ob honorem Mariæ fœminæ Christianissimę restituendū; & vtriusque pignus charissimum, prolem scilicet inclytam Iacobi Infantis cohonestan- dam: cuius certè successione, magna in Regno illius pax & tranquillitas consecutura vi- deantur. Nec dubitandum, diuini fuisse numinis, eiusque nutu factum, ex tot perturba- tis, varieque distractis rerum negotiis, optimum atque inexpectatum finem subiecisse, & tanquam ex malo bonum elicuisse. Cui sententiæ, Pontifex dubitans, ne forte Rex obe- dire recusaret: Carcassonensi, & Auinnonensi Episcopis commisit, vt Regem per censu- ras Ecclesiasticas, appellatione quauis remota, ad obediendum compellerent. Verum Rex, inueterata obdurescens pertinacia, in proposito permansit. Quamobrem Maria, ne forte quid detrimenti à Rege acciperet, atque vt rei exitum tutius inde videret, Ro- mæ se continere decreuit, quoad alterutrius obitu, tot, tantisque malis finis imponere- tur: necnon vt contestata cum Guillermo fratre Romæ lis de successione, & hęreditate Principatus Mompelleriēsis, de quo paulò supra diximus, Pontificis quoque decreto fi- niretur: prout idem Innocentius Pontifex, de eo sententiam protulit; esse Guillermum Guillermi Mompelleriensis Principis filium, tanquam spurium, neque ex iusta, legiti- maque vxore natū, ab vniuersa successione & hęreditate paterna repellendum; eiusque sororem Mariam tanquam vnicam ipsius Guillermi filiam, ex iusta, legitimaque vxore natam, hæredem vniuersorum: atque in primis in Principatu succedere: Ideoque Iaco- bo Principi, vti vero filio, legitimoque hæredi Marię Reginæ Aragonum, eundem Prin- cipatum successione adiudicari. Quæ sententia Romę prolata fuit, atque ita liti finis im- positus. Dum hęc geruntur Romę, Petrus quorundam impulsu, atq; furiis agitatus, tanta flagrabat ira in Reginam, vt Iacobum puerum communem filium, illius causa despice- ret, neque regio ipsum more educari curaret: sed quasi alienum, neque haberi coram permitteret. Tametsi ea sub ætatula puer, tum specie ac dignitate oris, tum habitudine & statura corporis, mirificam, atque permagnam Regiæ magnanimitatis spem afferebat: cumq; cunctis mire conspiciendus, atque amabilis esset: Regi tamen minime erat in o- culis, sed in odio propemodum. Ne quis existimet naturę affectum adeò dominari in pa- rentibus, quin possit ille præoccupari odio & ira, ex falsa animi etiam persuasione con- ceptis. Quod intelligens Symon Monfortius comes Carcassei atque Bessiani oppidorum eiusdem Aquitaniæ, non longe à Mompellerio, vir etiā bello, & pace strenuus ac perinsi- gnis: necnon Regi intimus, satisq; obligatus, propterea quod gratia & precibus Regis, i- dē Pontifex ipsum comitatum cum aliis oppidis, beneficiario iure (fœudū vocant,) Mō- fortio concesserat, puerum commiseratus, Regem precatus est, vt illum apud se manere, ac educari sineret: curaturus omnino, vt Regiis moribus, honestisq; institutis imbuere- tur ille: atque vt talem decebat Principem, ab infimis atque sordidis abstineret. At Rex fortasse cogitans velle Mōfortium adoptare sibi filium, eumque iunctis nuptiis sua cum filiola successorē relinquere, facile ab se abduci permisit. Sed proh Deus bone, ei pater fi- lium

lium educandum commisit, qui se breui, intraque annum, commisso prælio, in acie erat oppressurus. Erat autem Monfortius bellator maximus, atque Dux magni nominis, ab eo tempore potissimum, quo idem Pontifex coactis copiis, magnum exercitum comparauit, eique Monfortium præfecit, ad inferendum bellum comitibus Tolosano, Foxensi, & Conuenarum, tanquam fautoribus hæreticę factionis Albigensis, quæ nuper orta ex Albi vrbe Aquitanica, Manichæorum, Arrianorumque simul, & Waldensium turpissimos ac nefandos errores suscitabat. Quam hæresim indies accrescentem, impugnauit summa concionum contentione beatus Dominicus Hispanus, tunc Canonicus regularis sancti Augustini, post verò clarissimi, religiosissimique ordinis Prædicatorum parens & conditor; quoad in celeberrimo Concilio Lateranensi, ab ipso Innocentio Pontifice, Romæ anno Domini 1215. congregato, concurrentibus duobus Patriarchis, Constantinopolitano, & Hierosolymitano, quadringentis Episcopis, septuaginta Archiepiscopis, vna cum vndecim Generalibus ordinum, necnon octingentis Abbatibus, & Prioribus Monasteriorum; præter Legatos omnium Principum, & Regum Christianorum, hæc ipsa hæresis damnata est, vna cum comitibus Tolosano, & Foxensi eiusdem hæreseos fautoribus. Quos etiam suis comitatibus, & oppidis omnibus priuari voluit sancta Synodus, ac Fisco Ecclesiastico applicari: ideoque Monfortio strenuo in debellandis illis duci, atque protectori fidei præstantissimo, potentatus illos regendos & gubernandos tradidit. Quibus in potestatem redactis, Monfortius omnium Aquitaniæ Principum potentissimus haberi, atque idcirco non modo timeri; sed Regi etiam, ex eo quod Tolosanum eius affinis comitatum occuparet, infensus esse cœpit. Quibus accessit, quod à Carcasonensibus, & Besianis populis, quos obtinebat Monfortius, in Regis contumeliam, siue ludificationem est gestum. Vtpotè qui fraudulenter de Monfortio conquesti sunt apud Regem, quòd eos ille acerbè nimis, atque tyrãnice tractaret; precarique subinde Regem, vt ipsos in suam tutelam acciperet; atque ab illius manibus eriperet: se enim illico in eius potestatem abituros. Id creditum est, arte fuisse à Monfortio factum, vt tentaret Regis animum, an fortè postulatis populorum annueret: vt oblata sibi inde occasione, à Regis amicitia discederet, quem intelligebat, Tolosano comiti, ac sorori, auxilium ad recuperandum comitatum implorantibus, suppetias ferre velle. Nam adueniente Rege, vt populorum arces, atque munita loca caperet ad ea protegenda, occurrebat vulgus promiscuum, temereque iactabat, se, suaque omnia pro eo impensurum: idque sufficere ad eorundem suscipiendam defensionem: Iamq; huiusmodi simulatis verbis, simul etiam occursu fœminarum pulcherrimarum, quarum consuetudine delectari Regem sentiebant, cum tympanis & systris, tempus, ne se illi darent, conterebant; sicque Regem à proposito, & progressu deducebant. Qua populorum cognita ignominia, & ludificatione; atque Monfortii industria id factum Rex existimans; iam non occultas, sed apertas cum Monfortio inimicitias suscipere decreuit. Quibus occurrens Monfortius (vt Regis historia significat) ad oppidum Murellanum agri Carcasonensis, cui propinquus erat Regis exercitus, se cõtulit; mille secum lectissimis leuioris armaturæ equitibus adductis. Id Rex intelligens, sua quoque castra mouit; exercitu quidem, non tamen bellandi arte superior Monfortio; quem vbi in oppido se continere intellexit, obsidere illud, atque Monfortium vi capere statuit. Id animaduertens Monfortius, atque magno in periculo versari se videns, inducias à Rege petiit, sesequè ei honestis conditionibus tradere tentauit; Regiam potius experiri clementiam deditione, quam armis suam, Regisque fortunam prouocare malens. Sed pacta & conditiones abnegante Rege, ac præ ira exercitum ad expugnationem oppidi, celerius quàm par erat, admouente; neque expectatis quibusdam optimatibus Catalanis, qui cum magna militum manu, sequenti die in castra venturi erant, impetum facere decreuit. At verò Monfortius non tam ira, quàm desperatione rerum succensus, seque minimè obsideri passus, suos benè cohortans milites, protestatus est etiam, se Regi summisisse, atque omnia pacis compendia pertentasse, ne armis cum illo pugnaret. Verum neque profecisse quicquam cum obstinato Rege, neque sine summo sui dedecore à prælio abstinere posse. Idcirco Deo, & sanctis, se, suosque commendans, atque vt erat solitus in aggrediendis hostibus, sanctissimum Christi corpus in alimẽtum animi, vna cum aliis sumens, oppido egressus, cum vniuerso equitatu petit Regis exercitum, qui obsessurus oppidum sese in alas extenderat, eamque partem vbi versabatur Rex, apertam, & quasi desertam reliquerat. Vnde cognito Regis vexillo, quocunque Rex graditur præferri solito, Monfortius aciẽ instruens, conglobato agmine, vexillum petit: suis antea da-

to signo, vt nullos, vel supplices, vita donarent;ac nedum proceribus, aliisve exercitus primoribus;sed ne Regi quidem parcerent Ex quo antequam Regii,qui dispersi erant,in eam partem, in quam Monfortius impetum fecerat, sese ad propugnandum pro Rege colligerent;vniuersos,qui in custodia Regia erant,vna cum ipso Rege,ad vnum interfecit. Sed vbi increbuit rumor in castris,Regem occubuisse: illico se omnes fugæ dederũt. Quo facto,Monfortius receptui canens,intactis castris,atq; à direptione abstinens,cum vniuerso integro ferè equitatu,in sua se oppida recepit,mœstitiamq; præ Regis obitu,victoriæ gloria superauit.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER II.

MORTVO Rege, proceres atque reliquiæ exercitus in castra reuertentes, illius cadauer planctu & eiulatu magno, humo sustulerunt; illudque Hospitalariis equitibus sancti Ioannis Hierosolymitani, quorum ordini Rex castra, oppidaque multa dono dederat,honorificè, regioque more, sepeliendum tradiderunt. Quod ipsi magna pompa humeris gestantes, in cœnobium Xixenense, quo Sanctia mater ingressa olim, & sacris initiata, non multò antea obierat,magnifico structo sepulchro condiderunt;iusta illi,cũ sacro nouendiali,sumptuosa nimis,& lamẽtabilia reddentes.Itaq; intestato Rege,cũ perturbata&cõfusa essent omnia,Nunnius Sanctius,vnus ex primatib. Aragonẽsibus,prudẽtia & virtute præstans; vna cum Guillermo Moncada Vicecomite Cardonensi,penes quos summa exercitus erat;ac nonnullis aliis Aragoniæ,Cataloniæque proceribus,ne ex interregno maior oriretur rerum perturbatio,cresceretq; subinde Regnorum in partes distractio,successionem Iacobi filii maturandam curarunt. Nam etsi secessio illa Regis à Maria Regina sententia Pontificis damnata erat,atque pronunciatum, nuptias à Rege iure contractas esse, ipso tamen sententiæ minime obtemperante, plerique adhuc de ea re ambigebant. Qua de causa, ac etiam quòd Rege intestato, Sanctius qui Alfonsi Regis frater natu minor erat,ac testamento Raimundi Principis patris, decedente Alfonso, ad successionem in Regna vocatus:quique huius rei causa, se comitem Ruscinonẽsem appellauerat: tum & Ferdinandus Petri Regis frater germanus, qui monachatu, regnandi spe, abdicato, in magnam ambo occupandi Regni spem venerant;iam non obscurè, sed palam machinari multa cœperant; quibus rebus plerosque populos ad se pelliciebant. Vnde proceres, consilio habito, protinus Iacobo puero Regnum deferre statuerunt; maioribus coactis copiis, bellum in Symonem Monfortium renouare parantes. Idque non tam vlciscendi Regis, quam Iacobi recipiendi gratia, quem Monfortius, & Pontificis iussu, & permissu Regis, educandum susceperat. Quod præsentiens ille, paulò ex victoria iam factus insolentior, maiori comparato exercitu, sese defendere, vnaque Iacobum retinere cogitauit. Sed proceres lento eum bello incessere statuerunt;quoad à Pontifice,precibus Mariæ Romæ agentis, legatione missa, impetrarent, Monfortio tam multis ei beneficiis obstricto præciperet, vt Iacobum paternis Regnis præficiendum proceribus restitueret. Hanc legationem libenter susceperunt Simenius Cornelius,Guillermus Ceruera, & Petrus Ahonesius, Aragoniæ, & Cataloniæ primates, ac etiam Guillermus Monredonius magister equitum Templariorum;potestate data,vt si Monfortius Pontificis imperata facere recusaret, bellum grauissimum,audiente Pontifice, in illum promulgarent: ac, vt moris erat,pro belli semente iaciendo,à Petro Ahonesio, vno ex legatis, ad singulare certamen ille, proditionis,perfidiæque nomine incusandus prouocaretur. Verum qui legationem hanc impẽsius,quam alii sollicitarunt, fuere Hispanus Pontifex Albarrazinensis, & Petrus Assagra eiusdem vrbis dominus;vt Sanctii,& Ferdinandi factionibus,Iacobi restitutione festinata,

ſtinata, occurrerent; quas illi, cupiditate regnandi, maximas excitabant, Regnaque in partes diuiſerant. Itaque legati multorum dierum viam progreſſi, ac cum ampliſſimo comitatu Romam peruenientes; ſtatim lugubribus induti veſtibus, honorificè (vt agi ſolet cum legatis) ab vniuerſo populo excepti fuerunt. Ac primo quidem ad Mariam Reginam, perinde vt dominam, Regios ei honores exhibentes venerunt, cui legationis ſuæ cauſam exponentes, deque Rege viro funeſtiſſima, de Iacobo filiolo, ſaluo & incolumi proſpera; de cæteris verò rebus multa imminentia Regnis mala, niſi è Monfortio recuperetur puer, nunciarunt. Vnde, intercedente Maria, ad Pontificem introducti ſunt, ad quem valde mœſti, & lugubres cum veniſſent, Senato ipſis dato, ac poteſtate dicendi facta, Templariorum magiſter eloquentia præſtans, ac notus antea Pontifici, legationem ſuam ſic renuntiauit. Funeſtum atque lamentabilem Petri Regis noſtri fortiſſimi, inuictiſſimique interitum, atque adhibitam in eum ſæuitiam, nunc ſigillatim enarrare, diuine Pontifex, neque lachrymæ, lugubreſque lamentationes noſtræ ſinunt; neque beatitudini tuæ, cui nota antea, acerbaque fuere omnia, honeſtum eſt, infandum modo dolorem renouare: niſi quòd, vt paucis accipias, Symon ille Monfortius, cui Rex tot, tantaque bona, rogatu ſuo, à beatitudine tua impetrauit; adeoque carus ei fuit, vt Iacobum filium Principem noſtrum eidem educandum commiſerit; ex familiari & intimo, ſubitò factus hoſtis, & perduellis crudeliſſimus, collatis ſignis, non ſolum Regium exercitum aggredi auſus eſt; ſed ipſummet Regem à te olim, cum Regio diademate inſignitum; tum tuis ſacroſanctis quaſi conſecratum manibus, furore pluſquam effrænato, interemit. Cuius, atque multorum procerum internecione, ita vniuerſa res eſt perturbata; atque ob inteſtatum Regem, dubiamque inde ſucceſſionem, Regna in partes diuiſa; vt niſi occurratur protinus, nullum non ex interregno detrimentum ſit Reſpub. acceptura. Idque partim Sanctio patruo, & Ferdinando fratre Regis, ab inteſtato ſucceſſionem ſibi arrogantibus; partim proceribus cum exercitu, & maiore parte Regni, Iacobum ſucceſſorem ſibi depoſcentibus: cum Regis olim ſeceſſio à Maria feliciſſima Regina noſtra, quam illi obiiciunt, iuſtiſſima beatitudinis tuæ ſententia damnata fuerit, atque pro matrimonio pronunciatum. Caput igitur atque legationis noſtræ ſumma, hæc eſt: vt Iacobum Principem noſtrum paruulum, à Mõfortio retentum, ſtatim reſtitui iubeas proceribus Regni, Regno præficiendum, antequã ille bello à noſtris laceſſitus; ac timens fore ſibi à Iacobo, & proceribus Regii ſanguinis vltionem parandam, in partes Sanctii & Ferdinandi ad perdendum puerum ſecedat. Scimus enim Monfortium tot, tantiſque à beatitudine tua fuiſſe muneribus, beneficiiſque deuinctum; vt dubium non ſit, quin ſtatim ille iuſſis tuis obtemperet: alioqui cõmunis eſt procerum ſententia, vt non modo atrociſſimum eius oppidis bellum inferatur: verum vt à Petro Ahoneſio Aragonenſi optimate, qui præſens, ac collega noſter eſt, ad ſingulare certamen prouocetur, vt perfidiæ, ac rebellionis redarguatur. Sed quoniam multo maiora mala, adeoque manifeſtam regni euerſionem, cum detrimento Iacobi, ex bello ſequi poſſe putamus: tuum erit pater beatiſſime, pro ea, quæ tibi à Chriſto iniuncta eſt pacis in Chriſtianum gregem inuectio, reſtitutione Iacobi, tot imminentia incommoda & detrimenta à noſtra Republica auertere; vt pro tuis maximis collatis in gentem noſtram beneficiis; & perpetuam beatitudini tuæ felicitatem precemur; & ſacroſanctæ huic Sedi fideliſſimam regnorum obedientiam, nunquam defuturã, exhibeamus. Peracta oratione, legatos benigne conſolatus eſt Pontifex, vehementer, ſe condoluiſſe aſſerens, audito pertriſti nuntio de miſerando Regis interitu, viri vtiq; ſtrenui, ac fortiſſimi; vt qui ab hoſtib. circunuentus, à ſuis verò derelictus, mori potius, quàm turpi fugæ, ſe dare decreuerit: nonnihil tamen culpæ illius contumaciæ, atq; ſeceſſioni à Maria coniuge perſancta, attribuens. Sed honorem mortuo, quem viuo forte negaſſet, ſe omnino facturum, atque Iacobi Principis reſtituendi, ſummam curam geſturum promiſit. Quin & regni proceres commendauit, ob præſtitam Iacobo obedientiam: bonoque illos animo eſſe iuſſit. Non enim ſe illis, re, & opibus defuturum, quoad Iacobus in pacificam regni paterni poſſeſſionem veniat. Tandem commendato regnorum obſequio erga Romanam ſedem, atque legatorum patientia & labore itineris multum collaudatis; ipſos paululum Romæ, quoad mandata acciperent, iuſſit conſiſtere. Interea Petrus Beneuentanus Diaconus Cardinalis à Pontifice antea miſſus, in Aquitaniã venerat, ad tot illius Prouinciæ turbines ac tempeſtates pacis ſedãdas, quæ nuper exortæ fuerant ex calamitoſo, & exitiali bello, quod Albigenſis hæreſeos ſectatoribus, horumq; fautoribus, illatum fuit à Symone Monfortio Pontificii exercitus duce: vel potius ad ea, quæ in Concilio Lateranenſi, de quo ſupra diximus, contra dictam hæreſim deliberata

ſunt, legationis munere exequenda. Qua de cauſa Cardinalis, Concilium Mompellerii prouinciale indixit: conuenientibus Narbonenſi, Auxitano, Ebrunenſi, Arelatenſi, & Aquenſi, Archiepiſcopis, viginti octo Epiſcopis, aliiſque quamplurimis Abbatibus, & Prælatis Eccleſiarum totius Prouinciæ. In quo inter alia decreuit Synodus, vt ciuitas Toloſana, vniuerſuſque eius comitatus, & iura, quæ paulò antea, damnato illius comite in Lateranenſi Concilio, tanquam fautore hæreſeos Albigenſis, Eccleſiæ adiudicata fuerant; atque ſtrenua Symonis Monfortii exercitus Eccleſiaſtici præfecti opera, in illius poteſtatem redacta; eidem Monfortio, pro tantis erga Romanam ſedem promeritis, beneficiario iure donarentur, & modò ſummi Pontificis, atque Sedis Apoſtolicæ id decreto confirmaretur: cuius ſtabiliendi gratia, Archiepiſcopus Ebrunenſis Romam à Synodo miſſus eſt. Vnde Pontifex audito decreto Concilii Prouincialis, atque donatione comitatus Toloſani, tam iuſtis cauſis Monfortio facta, eandem confirmauit, & ratam habuit; modò mandato Synodi Iacobus Princeps, Petri Regis Aragonum filius, qui à Monfortio in cuſtodia tenebatur, proceribus ac exercitui Aragonenſium & Catalanorum liberè reſtitueretur. Promittente Ebrunenſi Archiepiſcopo, illico Pontifex legatis procerum venire iuſſis, literas dedit, eoſque cum Archiepiſcopo dimiſit. Quibus Mompellerium regreſſis, pacto & confirmatione renunciatis, Monfortius obtemperare ſe velle dixit, ac protinus vna cum Legato Cardinale Carcaſſonem profecti ſunt, vbi biennio retentus fuerat Iacobus; indeque ab eiſdem honorifice deductus Narbonem: quo iam multi proceres cum vniuerſis legatis ciuitatum & oppidorum Cataloniæ conuenerant: à quibus legatus, fide publica accepta, de fideli cuſtodia, & tutela præſtanda, Iacobum eis tradidit, annum iam ſextum habentem. Venit etiam vna cum Iacobo eius patruelis Raimundus Berengarius filius Alfonſi, relictus hæres comitatus prouincialis; cuius hæreditatis gratia Berengarii nomen habuit: cumque ſex fere annos ambo nati eſſent, ſimul educati ſunt. Itaque Iacobo vna cum legato Cataloniam ingreſſo, per oppida & vrbes lætiſſimè, atque cum magna acclamatione & applauſu deuectus eſt. Vbi multa, quæ pacificum Iacobi ingreſſum impedire poterant, conſilio & auctoritate Legati expedita ſunt, & prudenter compoſita. Iamque Barcinonem venientibus, nobiliſſima & potentiſſima ciuitas, ſplendore & magnificentia, quibus ſolet Reges, Iacobum excepit. Quo etiam ab extremis Aragoniæ finibus promiſcua multitudo hominum venerat, Principis viſendi gratia. Vbi conſilium fuit Legato & proceribus, vt pro communi re, ac commoditate Aragonenſium & Catalanorum, conuentus publici à Iacobo indicerentur in Ilerdæ, vrbe antiqua, & illuſtri Cataloniæ, quam Sycoris aurifer alluit fluuius, atque feracitate propinqui Vrgellitani agri, frumento abundantiſſima. Quam ingrediens Iacobus, ab effuſa multitudine magnificè exceptus fuit: atque in primis, ſigillis, bulliſque ad conſignanda diplomata & tabellas mutatis, vt moris eſt regnare incipientibus, conuentus initi ſunt; præſentibus Legato, & Aſpargo Barcino, Archiepiſcopo Tarraconenſi, Regis etiam cognato, cum aliis vtriuſque Regni Antiſtitibus; quin & proceribus, & regulis, ac oppidorum procuratoribus; exceptis Sanctio & Ferdinando, qui in diſſenſionibus procerum, atque inde ortis diſcordiis, omnem ſpem collocabant, ad ea, quæ de ſucceſſione inter ſe moliebantur exequenda. Sed Legato modis omnibus procurante, in conuentibus id potiſſimum obſeruatum fuit; vt elata voce, necnon ſublatis in altum dextris, omnes iuſiurandum, fidemque publicam, Iacobo, quem ipſe Aſpargus Archiepiſcopus vlnis ſuſtentabat, tanquam vero Principi, ac domino darent, neque ab eo diſceſſionem facturos ſe vnquam promitterent. Quod iuſiurandum nunquam antea dari ſolitum, lege ſancitum fuit, vt Regibus in poſſeſſionem Regnorum venientibus, ab omnibus præſtaretur. Deinde perſpecta tenera nec ad regendum apta ætate Iacobi, & ad eius maximè tutandam & conſeruandam vitam curarunt, vt Guillermo Monredonio Promagiſtro equitum Templariorũ vtriuſq; Regni, quem paulò ante oſtendimus legationem Pontifici renunciaſſe, Iacobus cuſtodiendus daretur: viro vtiq; optimo ac prudentiſſimo, vſuq;, & exercitatione maximarum rerum prædito: à quo & generoſis imbui moribus Iacobus, & armis potiſſimum belliq; rebus inſtrui poſſet; quod omnia tunc eſſent poſita in tutela & præſidio bellicæ virtutis. Neq; Sanctio, & Ferdinando id munus ad ſe ſpectare contendentibus, à Legato, maioriq; parte procerum permiſſum eſt: quinimo eò magis Regis excubiæ, eiuſque cuſtodiæ capitis, eidem Monredonio, data fide, commiſſæ fuerunt: atque in arce Montionis ampliſſima, munitiſſimaque, Iacobus Regio præſidio cuſtodiendus poſitus; vna cum eius patruele Raimundo, annum etiam nonum agente. Demũ cuſtodia durante, Sanctius Regni Vicarius conſtitutus eſt. Interea Romæ Maria Regina

tot an-

tot antea conflictata malis, atque à Rege viro, & à fratribus in eius rem, honorem, & famam impiè conspirantibus, inique diuexata; diuina tamen ope, atque innocentiæ præsidio defensa, cum esset ætate prouecta, mortua est, Honorio Pontifice, cui valdè commendauit Iacobum Principem filium; quem Mompellerii Principatus hæredem instituit; eique, intestato mortuo, Mathildam, & Petronam filias, ex comite Conuenarum antea susceptas, nulla de spuriis fratribus mentione facta, testamento substituit; & quia viuens, ob insignem eius pietatem, religionem, vitæque integritatem, magno, regioque semper in honore fuit apud Pontifices; mortuæ ab eisdem honores quoque regii facti sunt: iustaq; funeris, cum sacro nouendiali honorificentissimè persoluta; eiusque corpus in Vaticano, maximo Diui Petri templo, prope sepulchrum beatæ Petronillæ (regia testante historia) conditum fuit. Deinde Pontifex annuens votis Mariæ, Iacobum eius filium Regē, Aragoniæ Regnum, atque Cataloniæ, & Mōpellerii Principatus, ac quęcunq; Regi bona in posterū accresceret, sub beati Petri, suiq; præsidii tutela suscepit. Ac insuper Bernardo Cardinali, Apostolicæ Sedis in Aquitania Legato, per literas mandauit, vt Iacobum Apostolicæ Sedis clientē, ipsiusq; Regna & bona omnia defenderet. Ex quo ille Consilio Regis, ætate pueri, primarios administros præfecit, Aspargum Tarraconensem Antistitem, Symonem Cornelium, Guillermum Ceruceram, & Petrum Ahonesium primates tum Aragonenses, tum Catalanos. Cæterùm, Iacobo Principe Montionis in arce retento, magna indies sequebatur, non regnorum modo, sed populorum, vulgariumque hominum in partes diuisio. Quin & ærarii consumptio tanta erat, vt ne Iacobo quidem illud alendo sufficeret: quòd Petrus olim suis profusissimis sumptibus atque largitionibus, regium prope patrimonium, ac ærarium consumpserat: ipsaque vectigalia regia, Iudæis, atque Publicanis magna ex parte oppignerata erant. Ex quo Magistratus, aliique à Regibus constituti Iudices, stipendiis, suisque honorariis fraudati, munera sequi omnes, atque venalia omnia habere cœperant. Quo animaduerso, Catalani optimates facile populis persuaserunt; vt Bouaticum tributum à Regibus initio Regni exigi solitum, penderetur, sic dictum, quòd pro boum iugis, singulisque pecudum & armentorum capitibus soluebatur: quale fuit ter Petro Regi pensitatum: primo in sumptus bellicos aduersus Mauros Carpetaniæ; atque iterum in expeditionem sacram contra eosdem, ad Tolosæ conualles, Vbedensi pręlio: Tertiò in auxilium dotale, quo idem Rex tres sorores in matrimonium collocauit: quorum tamen nullum fuit cum præsenti necessitate, atque exigendi causa comparandum; vtpote quod Regi quasi redimendo, impendendum esset. Nam & ipse Sanctius præfectus, atque Regni Vicarius, cuius animus totus erat in accumulanda re, & perdendo Iacobo; quamcunque Regni iacturam, suam ad illud occupandum occasionem putabat. Sed quanquam Sanctius, & diuturna custodia Iacobi, & largitionibus, multos ex proceribus in suam partem pertraxerat; eiusque fratris filius Ferdinandus, similia per se quoque moliretur vsqueadeò, vt in eos maior iam procerum pars, seu factio contentius ferretur: non defuere tamen, qui Iacobi partes constantissime tuerentur; atque Bouatici in alimentum Regis exacti subsidio freti, arma pro eo sumerent. In primis Petrus Cornelius, & Vallesius Antillonius Aragonenses, satis spectatæ fidei iuuenes, atque nobilitatæ bello virtutis. Quos Simenius Cornelius prouectæ ætatis homo, atque inter optimates consilio & opibus mirè præstans, cùm videret tam bono erga Regem animo affectos esse; diligenter admonuit, vt in proposito susceptoque consilio pręficiendi Iacobum Regno permanerent: verumq; ac legitimū Regni successorē ipsum reciperēt: vt Regnū ab impendenti tyrannide, sua dextra liberarent. Nam ex factis, vitæque vsu Sanctii, atque Ferdinandi, facile poterant colligere, alterutro ex ipsis Regnum occupante, euasuram inde subito tyrannidem intolerabilem. Vnde necesse omnino esse Iacobum è custodia educere; antequam altera ex factionibus illum ad perdendum præriperet: quod tacite iam iamq; à Sanctiana procurari sentiebatur; ideoque Rege in libertatem asserto, atque oblato populis, factiones, quasi nebulas occurrente Sole, facilè dissipari posse. Idque haud dubium fore conclusit, recenti exemplo Raimundi patruelis Iacobi, è custodia erepti; atque in prouinciam, vbi perturbata erant omnia, feliciter ingressi. Quippe per id temporis commota prouincia, quidam è proceribus inde ad Raimundum cum Iacobo in arce detētum scripserat, perdita esse omnia; atque funditus pessundari eius Rempub. nisi aduentum maturaret. Proinde acceptis literis, illicò sese è custodia eriperet, atque eodem nuntio duce, Tarraconem peteret; esse namque Salonio in portu paratam ei nauem actuariam, quæ properè ipsum in prouinciam deduceret. Quo nuntio lætatus Raimundus, quem malè etiam habebat custodia, Iacobo literas ostēdit, deque itione sua consiliū petiit. Cui Iaco-

bus, qui simili quoque abeundi desiderio flagrabat, ipsum animare cœpit, proque illius meliori statu rerum, ac Reipub. incolumitate, nihil non tentandum esse consuluit. Nam & consuetudinem, inquit, quæ mihi tecum iucundissima intercedit; cuius & priuatione angor vehementissimè, publico prouinciæ tuæ bono posthabendam puto. Itaque ante duos menses, quàm Iacobus educeretur, Raimundus sub noctis crepusculum, mutatis vestibus, vna cum Petro Angerio eius alumno, præeunte nuntio, Ilerdam prætereuntes, in portum deuenere; vbi conscendentes nauim, secundo vento, Massiliam apulerunt: cuius præsentia Principis protinus pacata fuere omnia, & in possessionem Comitatus magno omnium consensu venit ipse. Quæ Raimundi fuga, vt primum Sanctio innotuit, illico eius animum vehementer percussit, quòd crederet Iacobum similiter è custodia erupturum: ideoque paruo comparato exercitu, hunc in insidiis prope Montionem collocauit. Itaque Simenius Cornelius cum ipsis Petro, & Vallesio, atque meliore, & saniore parte procerum Fernandinæ factionis, quæ odio Sãctianæ insolentię, paulatim in partes Regias abire cœperat, Monredonium Templariorum Promagistro equitum conuenerunt Montioni; eique tot in dies pullulantia Reipub. mala, atque excrescentem Sanctianæ factionis potentiam ad perdendum Regem intentam, renuntiarunt; neque euitari tot posse pericula, nisi oblata populis præsentia, atque amabili vultu Regis. Proinde Regem è custodia educeret; paratam enim, se, magnam militum manum habere, ad ipsum non solum excipiendum, & defendendum; sed vel per medios hostes inuehendum, ac in Oscensem, & Cæsaraugustanam vrbes incolumem deducendum; vbi populi imperiosa procuratione Sanctii offensi, ac rursum præsentia Regis confirmati, cum eo facilè consentirent. Hæc vbi à Monredonio audita, Regi relata fuerunt, animose respondit Rex, se promptum esse ad ea omnia, quæ à proceribus deliberarentur perficienda. Itaque eductus è custodia & arce, vbi triginta menses continuos exegerat; cum bonam puerilis ætatis suæ partem in labore, inopiaq; ac patientia & animi & corporis maximè exercuisset. Sed postquam Sanctio renunciatum est, opera & industria procerum, atque Fernandinæ factionis, quæ interim ad Regem defecerat, eius exitum è custodia fuisse procuratum; non amplius obscura, sed aperta in Regem simultate & odio fuit, atque multis coram astantibus, de Rege, deque ipsum sequentibus proceribus loquens, in hæc magnifica de se verba prorupit. Audio Regem, me inuito, atque inconsulto, contrariaq; factione iuuante, è custodia educi, iamque Cinga fluuio traiecto, Aragoniam intrare velle; do fidem futurum, vt quacunque ierit, per constratum panno murice tincto iter, ipsum cum suis asseclis abiturum: significans scilicet, à se illos enecandos, eorumque sanguine viam, qua irent perfundendam. Quæ verba, vt primum egredienti Regi Montione, & fluuium trananti relata fuere: ac etiam quòd Sanctius paruo inde spatio, in oppido Selga, magna militũ manu munitus, pugnaturus expectaret; subitò quasi furore percitus, cum annum dumtaxat nonum haberet; sed proceriore quàm ferret ætas corpore esset, ab equo desiliens, militare sagulum ab vno ex equitibus accepit; tantaque animi magnitudine sese ad pugnam composuit, vt protinus ad hostes pergere iusserit. Verum Sanctius, seu conscientia, seu regia reuerentia motus, à proposito, & insidiarum loco diuertit, Regemque incolumem pertransire siuit. Qui oppidum Beruegalium præteriens, Oscam peruenit: atq; magna cum lætitia ab vniuerso populo est exceptus. Vbi cum paululum constitisset, Cæsaraugustam contendit; quo iam Prælati Ecclesiarum, Regnique proceres, & oppidorum Legati, qui erant regiarum partium, secretò conuenerant; atque vt ea vrbs est, & natura, & situ, & ædificiorum descriptione in primis nobilis, ac concursu etiã totius Regni frequẽtissima & potentissima, nouum Regis aduentum honorificentissime celebrauit; atque pro ætate Regis, ludos ei, & spectacula festiua & magnifica dedit. Deinde Rex magnis se Regni negotiis, quæ potissimum ad tranquillum Reipub. statum facerent, immiscere voluit: atque vt fuerat institutione Monredonii, nunc ad palæstram, nunc ad litteras, nunc ad negotia effictus: sic dum in his versaretur, virili quadam sedulitate animum ad pertractanda illa intendebat. Vnde procerum discordias, quæ tunc multæ erant, disquirens; Prælatorum consilio & ope adiutus, non paucas sedauit: atque ab eo tempore rem ipse, non modo publicam gerere, verum militarem etiam administrare cœpit. Itaque Tarraconem profectus, Catalanorum conuentibus breui peractis, Ilerdam progressus est: vbi Catalanorum simul & Aragonensium conuentus indicti fuerant; ad quos Sanctius & Ferdinandus cum magna vtriusque procerum factionis turba conuenere: alter procurationis suæ; vterque verò, iuris quoq; sui ad Regnum, compensationem reposcentes. Sed Sanctii postulatis sic fuit satisfactum, nempe, vt eiurata

ab eo

abeo denuò vniuersa Regnorum procuratione, honorario fidelitatis iure, aliquot ei oppida non longè à Cæsaraugustano agro sita attribuerentur; ea lege, vt is de iure suo, si quod in petendo regno haberet, decederet. Qua compensatione contentus ille fuit: tametsi oppida ea omnia vix octingentorum aureorum tributum quotannis domino penderent: vt hinc mirari liceat, atque animo perpendere, illorum temporum, non solum felicem rei nummariæ inopiam; sed procerum quidem, cùm tam paruis censibus, bello paceque sustentatam magnificentiam: Quam profectò, si cum ea, quam proceres nostri temporis præferunt, conferamus; non dubium est (si cum virtute & natura rem comparemus) quin hanc illi posthabeamus. Nam vt maiora nunc sunt, quæ luxus & ambitio, quam quæ contenta paucis natura petit: ita & sufficisse quidem, quàm superfuisse, tum honestius optimo cuique semper visum est, tum frugi naturæ quoque magis consentaneum. Præterea Ferdinandum religiosam vitam professum, Abbatem nobilissimi cœnobii Montis Aragonum nominauit, atque vt luculentius in eo viueret, loca vicina pleraque Abbatiæ applicauit, quibus amplissimi sacerdotii collegium honorificum & locupletissimum constituit. Sed ipsa regnandi ambitio semel imbuta, vix vlla compensatione expleri potuit. Postremò in eisdem conuentibus effectum est, vt moneta de communi sententia cuderetur. Vtque Iaccetanus nummus à Petro primum percussus à Rege confirmaretur; iureque iurando seipse astringeret ad illum toto Regno Aragonum, eodem pondere & signo semper & probandum, & æstimandum. Quæ moneta ære & argento conflata, omnium quidem infima; sed quæ in continuo & cotidiano vsu posita, ad nos vsque dimanauit, apertè demonstrat, quanta fuerit illius temporis, tum auri; tum argenti inopia: quandoquidem, tametsi auream & argenteam monetam tunc in vsu fuisse comperimus; nulla tamen de eius percussione, sicuti de Iaccetana, mentio fit in historia Regis. Demum conuentibus dimissis, Rex veniens Barcinonem, vt perinsignis pietatis suæ, quàm omni vita coluit, primordia Deo offerret, sacrum ibi ordinem fratrum beatæ Mariæ Mercedis nuncupatum, instituí curauit. Cuius instituti ea ratio est, captiuos homines Christianos ab hostibus infidelibus redimere, non solum eos, qui mari à Piratis; sed qui terra etiam à Sarracenis Valentini Regni, frequentibus in Aragoniam & Cataloniam excursionibus capiebantur: ne tormentis, seu diuturna seruitute oppressi Christianam religionem & fidem abnegarent. Ideoque non solum Barcinone, præcipua ac principali societatis sede constituta: sed in vtroque regno, iussu Regis, cœnobia plura, tum exædificata, tum prædiis, amplissimisque censibus sic ditata fuere; vt sumptis inde, quæ ad sustentandos fratres sat essent, reliqua pecunia captiuos redimerent; vtque ex ipsismet religiosis electi quidam, singulis annis, fide publica à Sarracenis accepta, ad illos nauigarēt; vt pauperiores quacunq; sorte captos prius redimerent: atq; vt sanctius id, & religiosius conficerēt, præter tria solennia vota illa, continentiæ, paupertatis, & obedientiæ, ab aliis religionib. fieri solita, quartum sponsionis, vt sic dicam, susciperēt: Nempe, vt si in captiuorum redemptione pecunia alicui deficeret, cuius desperatio, seu abnegatio fidei timeretur, is redimeretur primus; ac Redemptor apud Barbaros manens, præs esset, donec pecunia ad se redimendum exportaretur. Cui etiam sacræ sodalitati nomen dantibus, more aliarum, & cucullà pro sacco daretur, & vestimenta alba pro indumento; vt & religiosam vitam agerent, & in eo redemptionis mercimonio, puritatem, atque ab omni prorsus ambitione & auaritia mundam conscientiam præferrent. Qua causa, Mercedis vocata illa fuit; quæ vox Hispanis, non præmium, non pretium, aut fructum laboris, sed latinè reddita, idem quod donum, siue gratiam significat: quoniam vt postremum malorum est seruitus, maximè verò, quæ in carcere, aut vinculis fertur: ita neque maior seruo beneficium, siue donum impendi posse videatur, quàm ipsum è vinculis exceptum à seruitute in libertatem vendicare. Qualem ferè seruitutem tenera adhuc ætate expertus Rex fuerat, mensibus amplius quadraginta, tum à Symone Monfortio, magno cum vitæ periculo, Carcassone; tum à magistro Templariorum, vt Sanctii, & aliorum insidias euaderet, in arce Montionis retentus: seque propterea vt tanto è malo eriperet, beatissimæ Virgini Dei genitrici, cui semper se deuouit, valdè commendans, hanc ipsam sodalitatem redimendis captiuis, vt primum è custodia exiret, erigendam vouit. Quo etiam tempore, duæ similiter nobilissimæ, sanctissimæque sodalitates Domini-

cana,& Franciscana, ab earum Patriarchis, siue institutoribus, Dominico Hispano,& Francisco Italo,viris vndecunque sanctissimis, ac veris discipulorum Christi imitatoribus,institutæ fuerunt: & à summis Pontificibus acceptæ & approbatæ. Idque ea ætate, qua Christianus populus,non tam spinosis hæresibus, quam densissimis superstitionum, atque superbiæ,& auaritiæ sentib. tantopere squallebat,vt Christiana religio,cùm penitus languescere,tum titulo ferè tenus coli videretur. Quamobrem, diuina miserante clementia,quæ perditis ac desperatis rebus opportune medicinam fecit, eiusq; cœlesti dono, hæc ipsa duo splendidissima prodiere lumina;quæ luce sua,tenebricosum, valdeque languidum Christianum populum,non modò collustrarunt; verùm à tot subinde ignorantiæ,atque effrenatæ libidinis malis,suo diuino tum verbi,tum exempli medicamento sanarunt. Ambo quippe spiritu Dei acti,morbos,qui tunc præcipuè ingrauescebant,inter se partientes,curandos susceperunt. Dominicus enim pestilentissimas ignorantiam, atque edacitatem;hanc,quæ carnem semper incitat aduersus spiritum,interdicto sibi esu carnium;illam,quæ mater est cunctorum errorum; lectione, atque vocali diuini verbi prædicatione sanari docuit. Franciscus verò, pestilentiores auaritiam, & vitæ superbiã; hanc, qua nihil est Deo odiosius;perhumilis,innocentisque vitæ exemplo;illam,quæ radix est omnium malorum,paterna hæreditate spreta,domandam ostendit. Quibus accedens sacra illa Iacobi societas,quæ extremo, ac desperatissimo abnegationis fidei morbo occurrit,cùm maxima meriti parte,eximiaque Iacobi laude, illis annumeranda est, atq; in præcipuis habenda. Sicuti in vniuersa Hispania hæ tres sacræ societates, præ cæteris, cum summo fidei prouentu,atque diuini verbi propagatione, sanctissimè excultæ sunt, ac diuinè fructicantur. Nam Barcino, & Cæsaraugusta, præstantissimæ totius Hispaniæ ciuitates,primę fuerunt,quæ suadente Rege,eiusmodi Dominicanam,& Franciscanam sodalitates,earumque ad se missos primates pientissimè receperunt, eisque vbique cœnobia amplissima,Regia liberalitate exædificarũt. Quin & aliis postea variis in Hispaniæ locis similiter constructis cœnobiis,eorundẽ fratres, tam magnos in religione progressus fecerunt,vt in eisdem ipsis,quibus ab initio,pietate,doctrina,patientia,paupertate,& exemplo vitæ,hactenus benedicente domino perseuerarint. Per id tempus, vixdum exactis sex mensibus,ex quo tempore Ilerdæ conuentus celebrati sunt,alii indicti fuere Oscæ. Quæ vrbs antiqua nobilisque ad radices, siue inter ramenta Pyrineorum posita est, ac proxima duobus contentis sub Aragonio Regnis, Sobrarbio,ac Ripagurcia,& Aspensi saltu. Quæ cum sint Galliæ Regnis finitima,atque in tam asperis, horridisque sita locis, agrestes etiam,locisque similes alunt homines: qui Gallorum vicinia freti, ad nouandas sæpe res,cæteris propensiores existunt. Audent enim minitari,quoties acerbum aliquod in eos est Regis Imperium,se omnes,aut in Galliam transuolaturos, aut ad se Gallos aduocaturos,& in regnum ad sui opem,& defensionem immissuros. Apud quos, cùm turbari res,maleque habere inciperent; protinus Rex versus eos se contulit; ipsorumque procuratores ad conuentus accersitos audiens,pacatos dimisit. Sapiẽter quidem regendi modum instituens: quoniam vt medicum necesse est ad ægrotum accedere: ita etiam turbata vbiuis,atque male habente Repub. oportet Regem protinus eò loci conuenire; suaque præsentia,lites, odia,discidiaq; mota, antequàm longius serpant,sedare,compescereq;. Nam principiis obstare, adeoque in tempore malis occurrere, non minus quam oculati medici,prouidi quoque opus est,atque munus Regis. Accedit eo,quòd frequentibus comitiis, seu conuentibus vbiuis ex occasione à Rege celebratis,Regia Maiestas, eiusque summa auctoritas,mirè extollitur; ac,si natura dominus ipse Rex fuerit; idque præsentia,& suauitate oris præ se tulerit,cùm mirè à multitudine colitur; tum indies magis magisque in omnium est oculis,& venerandus: Quod si is austerus,si seuerus nimis, & ab oculis populi sese abducens comitia distulerit; idẽ, aut sensim despicitur, aut timetur magis,quam amatur. Vnde compositis rebus,atque conuentibus dimissis,Regi decimum vix annum habenti,oblata est occasio,vt ea ætate primum belli tyrocinium feliciter exerceret: quæstione orta inter duos proceres Aragonenses, Rodericum Licianam, & Lupum Alberium; quorum Rodericus in Lupum malè affectus,indicta causa, ac neq; ad singulare certamen antea prouocatum illum,vt mos erat inter proceres, ex improuiso armata manu comprehenderat, & in castrum Licianũ ductum in vincula coniecerat: ac simul etiam eiusdem Lupi arcem capiẽs cum oppido Alberio, Christianorum, & Saracenorũ bona diripuerat. Quo audito, à Rege protinus accito procerum consilio, deliberatum est,bellum Roderico esse inferendum, quoad Lupus è custodia & vinculis educeretur,atque damnorum integra ei fieret restitutio, seu compensatio. Quare coactis vndique militaribus Regni copiis,paratisque omnibus ad aggressionem necessariis:

compor-

comportatum fuit etiam Oscâ magnum illud tormentum bellicum, fundibulum nuncupatum: quali olim machina primo bello Punico (auctore Liuio) vsus est M. Regulus Romanus consul prope Carthaginem, ad interimendum immanissimum, atque venenatum serpentem, qui non modò arreptos deglutiebat homines; verùm suo afflatos halitu conficiebat; quo ipsum fundibulo emissis saxis obruerunt. Rege ergo Alberium oppidum, quod Rodericus munitum reliquerat, cum exercitu perueniente, admotis machinis, statim sine armis illud intra biduum Regi se dedidit. Inde verò ad Licianum oppidum, vbi Lupus tenebatur, castra posuit, illudque vndique obsedit. Erat autem oppidum non minus fossa, & muro, quàm oppidanis simul, & paganis, qui se intro receperant, bellicosa gente munitum, cui præerat Petrus Gomesius Roderici præfectus, strenuus loci propugnator. Verum ab exercitu, admoto fundibulo, quo immania, multaque saxa vnoquoque iactu, certoque ictu iaciebantur; mille videlicet interdiu, noctuque quingenta, tandem perforatus murus fuit; atque illico magna contentione à militibus irruptio intentata: Rege illos animosius quàm exposcebat ætas vrgente, seseque vnà periculis obiiciente. Sed oppidanis strenuè propugnantibus, crudelissima sequuta est conflictio; quoad suppositis scalis, Petrus Garcesius dux Regius, primus, multis subsequentibus, sese in oppidum immisit, atque impetu facto, Gomesium ducem fortiter resistentem impulsu hastæ ab alto deturbauit, & viuum cepit, simulque oppido potiti milites cuncta diripuere. Quibus in arcem ire iussis, statim expugnata illa fuit: ibique inuentus Lupus è custodia & vinculis liberatus. Interim Rodericus Regiam potentiam pertimescens, consideransque libertate Lupi, capitalem sibi induci perniciem; ad Petrum Ferrandum Azagram, Dominum Albarrazini confugit; non minus munito loci propugnaculo, quàm Petri fide, ad sese defendendum confisus. Erat autem Petrus vnus omnium Aragoniæ procerum præstantissimus, valdeque strenuus & bellicosus; vt qui suæ vrbis propugnaculo natura munito fretus, olim tum Petro Aragoniæ, tum Alfonso Castellæ Regibus restiterit. Nam cùm esset orta controuersia inter eos de Albarrazini territorio, vtroque ad se illud pertinere contendente, ac bellum eade causa contra Albarrazinum mouente; sic se Petrus in sui defensione gessit, vt pactum inter Reges fuerit sanctione definitum: Albarrazinum, eiusque territorium, ad neutrum Regem pertinere, sed omnino esse exemptum. Verùm quoniam non licet cuiquàm neutrius esse partis, si in vtraque inimicos habeat, mortuo vtroque Rege, in Iacobum tunc à Monfortio retentum propensior fuit, atque, vt suprà ostendimus, in mouenda legatione Romam ad Pontificem, ad Iacobum liberandum, quàm plurimam ipse vnà cum Hispano Episcopo Albarrazinensi, operam nauauit. Quò magis fuit admirandum, Petrum, fugientem à Rege Rodericum recepisse, huiusque inauspicatam amicitiam Regiæ prætulisse: Sed in quibusdam illius, & nostri temporis proceribus, tanta est cum amicitia coniuncta iniustitia, & impietas, vt vel iniustum & facinorosum quemuis ad ipsos confugientem, modò sit amicus, confidenter recipiant, liberalissimeque alant, ac vel contra pietatem defendant: non alia profectò causa, vt credi par est, quàm vt ipse quoque amicus & iniustus defensor, pari gratia, ab iniusto amico defendatur; huiusque nefarii Asyli fiducia, maior in vnoquoque regnet peccandi libido: cum nulla omnino excusatio peccati sit, si amici causa peccaueris. Igitur Rex, vbi intellexit Rodericum Albarrazinum confugisse, à Petroque, eius protegendi causa, exceptum fuisse; ratione plusquam senili inductus, ad expugnandum Petrum abire decreuit. Erat enim tunc, Rege puero, tam insolens procerum præsidendi ambitio, vnoquoque Regem ad se, inque rem suam, falso quodam boni consilii splendore obiecto, abducere nitente; vt Regia, ac communis res pessundari penitus, & Rex quoque sensim despici inciperet: ac neque quibus se, suaque tuto committeret, præterquam paucos, haberet. Quæ secum ipse animo reuoluens, tacitus contra proceres machinari cœpit; ideoque tam honestam, ac iustam nactus occasionem, Petrum primò illorum potentissimum bello persequi statuit: vt eo deuicto, cæteris terrori esset. Quocirca accitis copiis, Cæsaraugusta, Ilerda, Calataiubio, quin etiam Daroca, & Turolio, cum ipsis proceribus Simenio Cornelio, Guillermo Ceruera, Petro etiam Cornelio, Valesio Antilonio, Petro & Pelegrino Ahonesiis fratribus, & Guillermo Poiano cum iis, qui sequuti sunt equitum numero centum quinquaginta: peditum verò quingentis, Albarrazi-

num peruenit: atque in monte quodam castra posuit, vnde magna quædam turris, in excelso vrbis loco tanquàm specula eminebat: eoque machinas, ipsumque fundibulum direxerat; natura & situ loci cæteras vrbis partes ab expugnatione defendentibus, atque omnem obsidendi viam præcludentibus. Est enim Albarrazinum (vt admirabilem eius situm, quem fama fert inexpugnabilem, describamus) parua quædam vrbs, inter Contestaniæ & Celtiberiæ fines, prope Turolium insignem Aragoniæ vrbem sita; atque in decliui monte à parte supera excelsi & acuminati posita: ab infera verò, vndique perpetuo etiam celsissimoque, introrsus prærupto monte, quasi muro, circunsepta: quem Turia fluuius, angusto, sed profundo inuectus alueo, ab vrbe diuidit, ac totam penè cingit: & quæ ab obiectis hinc inde montibus vsque adeò occupatur, vt eius tam introitum, quàm exitum, solus profluens inuenerit; sic vt neque alicunde introspici possit ipsa, neque incolis aliud quam immanissimas rupes sibi tanquam centauris, vt est in fabula, impendētes, liceat ex vrbe inspicere. Vnde quidam, horribilem illius situm, contemplatus, Tigrium speluncam esse dixit. At verò Petrus cum primùm, vt defenderet Rodericum, Regi obsistere in animum induxit, amicos conuocauit, atque lectissimos ex Castella, Aragonia, & Nauarra equites centum quinquaginta in vrbem intromisit: commeatu, ac omni re ad propugnandum necessaria bene munitus. Ac collustrato interim tenui Regis exercitu, eiusq; procerum in partes diuisione; iam non tam de protegenda vrbe, quàm de parandis Regi insidiis cogitauit: quas facile intendere poterat, tot sibi ex exercitu Regis sanguine coniunctis proceribus clanculum fauentibus; ac & Regis mentem, & machinarum admotiones, & expugnationis tempus, prænunciantibus: quin & ipso etiam Rege spectante, multis passim vrbem intrantibus, atque exeuntibus hostibus, qui Regium exercitum paruifacere videbantur. Ceterum ex proceribus suspectos ferè cunctos Rex habens, ipsisque omnino diffidens, exceptis Petro & Pelegrino Ahonesiis, nec non Guillermo Poiano, quos semper habuit fidissimos, iis tum capitis sui excubias, tum machinarum, atque tormentorum custodiam commiserat. Id proceres ægre ferentes, & quasi in ipsorum contemptum factum putantes, valde alienato à Rege animo esse cœperunt. De qua re Petrus ab eisdem proceribus certior factus, cum expedita manu equitum noctu vrbe egressus, ad secundam vigiliam, machinarum custodes ex improuiso est adortus: sed fugientibus omnibus, & machinas deserentibus, soli præfecti custodiæ Pelegrinus, & Guillermus hostium impetum primum sustinentes, tandem ceciderunt: ac protinus succensis machinis, salui hostes in vrbem reuersi sunt: nullo interim ex proceribus, præter Petrum Ahonesium, exercitum ad arma vocante: sed stertentibus, aut conniuentibus illis, hoste de Regis custodia & machinis triumphante. Quæ omnia Rex considerans, ac non occultas, sed apertas omnino insidias à suis, & ab hostibus, parari sibi intelligens, sensim ab obsidione recessit. Quo abeunte, Petrus factum dolens, ac, vel procerum infidelitatem, qua est vsus, erubescens: vel Regis indignationem in posterum pertimescens, in eiusdem gratiam se quoquomodo reduci, restituique procurauit. Quam ei Rex, illius perspecta potentia, & militaris rei peritia, quas magno sibi aliquando vsui fore sperabat, humanissimè, liberalissimeque restituit: sicque ille in posterum Regi ad omnia, ac etiam ad procerum contundendam insolentiam, præsto fuit.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER III.

ELLVM Albarrazinense, de quo proximo libro est actū, quanquam aliis infeliciter: mihi planè felicissimè gestum, confectumque fuisse iudicatur. Nam vt nulla tam valde præstans est, quæ ex deuictis corporibus, aut expugnatis vrbibus, quam quæ ex superatis animis, præsertim generosis, victoria reportatur: Ita Rex quidem, cùm inuictum Petri animum flexisset, ad seque totum pellexisset, mihi visus est profecto; non minus nobilem de Imperio, ac de Imperante triumphum egisse. Sic enim sensisse ferunt Fabricium olim Romanum consulem: atque Legatis Pyrrhi Regis, qui ad illius animum auro tentandum venerant, respondisse: Romanos nō tam

tam aurum, quàm auri possessores captare consueuisse. Accedit eo, quod non solum Petri, sed Roderici quoque profugi deditione; tum vtrique liberalissimè regia restituta gratia fuit; tum Regi etiam apud eos auctoritas, atque potestas stabilita. At verò proceres, qui se antea Iacobo puero, non tam vt regnaret ipse, quàm vt ad eorum arbitrium cuncta gereret, addixerant, ad se reuersi cognouere, magno sibi malo fore; si suis inter se odiis, atque discordiis, quid de regia pueri maiestate minueretur: nondum videlicet extinctis, sed reuiuiscentibus indies Sanctiana & Fernandina factionibus, quæ Regiam administrationem tanquam puerilem deridebant, ac sibi exitium, Regi verò insidias, nunquam non struebant. Nam quò maior in puero spes erat summæ probitatis, bellicæque virtutis, atque nihil non regium præ se ferentis in eo indolis, quæ Sanctium ac Ferdinandum à concepta animo regnandi spe deiiciebant: eò quidem maius à desperatione crescebat in eis odium; maiorique indies inuidia ardere cœperant in proceres; quòd ii Sanctium, tametsi Regni Vicarium ac procuratorem ab ipsis constitutum, tanquam Regi suspectum, ab eius consilio atque consuetudine arcebant. De qua re illis grauiter cum populis conquerentibus; atque eo ipso consanguinitatis iure, Regio consilio se præfici debere, reposcentibus, magnam exin proceres populi inuidētiam in se concitari sentiebant. Quamobrem sibi ac Regi præcauentes, consilio inter se habito, id optimum visum est, tot crescentibus in Repub. malis, maturato Regis coniugio occurrere: vt facta per affinitatem potentię accessione, Regnum illi stabilirent. Nam etsi reclamaret ætas, ea tamen erat Regis staturæ proceritas, ac elegans corporis habitudo; ea suauitudo oris, atque viriles, temperatique mores; vt à nemine coniugio ineptus reputaretur: cùm ætatem etiam multa alia supplerent. Quam sententiam cùm Ximenius Cornelius, & Guillermus Ceruera, procerum, & consilio, & fidelitate primi proposuissent, atque Guillermus Raimundus Moncada Cataloniæ Senescalus, idemque Regis cognatus approbasset; reliqui in eandem ierunt. Itaque proposita inter alias, Leonora Alfonsi Regis Castellæ filia, sorore Berengariæ Reginæ Legionis & Galletiæ, quæ nuper fatali Enrici Regis eius fratris germani interitu, in Regnis Castellæ ab intestato successerat, illam Regi vxorem elegerunt. Vnde Legati missi Agredam, celebre id Castellæ oppidum est, quod Aragoniæ & Nauarræ fines attingit, vbi tunc erat Berengaria, eidem renunciarunt, Iacobum Regem suum cupere Leonoram eius sororem matrimonio sibi iungere: atque cùm tot, tantorumque Regnorum dominus ipse ac Rex esset, solis Leonoræ corporis, atque animi dotibus contentum esse, neque non eidem insignia oppida, nempe Darocam, Epilam, Pinam, Vndecastellum, Barbastrium, Tamaritium de sancto Stephano, Montalbanum, & Cerueram, Regni Aragonum: cum his, quæ in montibus Siurana & Pratensi sita sunt in Catalonia, dotem confecturum. Qua legatione audita, approbatisque à Regio consilio, quæ à Rege Aragoniæ oblata sunt, pactis & conditionibus; propterea quòd multis causis Castellæ res, amicitia & societate Aragonensiũ magnopere firmarentur contra communes hostes: consentientibus omnibus, Berengaria annuentem Leonoram in matrimonium Regi se daturam promisit. Quæ vbi per Legatos Rex intellexit, magna, splendidaque procerum caterua comitatus Agredam venit, vbi annum vix tum habens XII. factis sponsalibus, Leonoram, & Berengariam cum Principe Ferdinando filio (is matri postea successit, ac Hispalis, & Cordubæ Regna è Sarracenorum manibus eripuit, atque persanctus est habitus) Regio stipatas comitatu, Turiasonem deduxit. Quæ vrbs pernobilis & antiqua, ad radices bicipitis, altissimique montis, qui Caunus dicitur, non longè ab Ibero flumine posita est: Ibi nuptiæ dignitatis, concordiæ, atque lætitiæ plenæ, magno in templo celebratæ fuerunt: quas nouum etiam autorandi Regis institutum, celebriores fecit. Mos enim erat proceribus ad vnumquemque militari auctoramento decorandum, vt in templo ensem sacro in altari positum dignior quispiam ex militari ordine caperet, eoque auctorandum præcingeret. Vnde pro more, cùm Rex nullum se digniorem haberet, idem ipse, ense è sacro altari sumpto, sese præcinxit: atque eius dignitate & decore militaris auctoramenti potitus est. Nec referri possunt, quæ in vtraque celebritate, tum pompæ, spectacula, & ludi facti sunt: tum cœnæ, & congiaria data: cùm de hisce, neque Regis historia, neque scriptores alii quicquã attigerint: fortasse, quòd tanta fuerit illius temporis frugalitas, vt hæc cum œconomia Regum conuenerit: tametsi frugalitatis verbo laudari Reges vix dignum videtur. Sed neque rursus indignum existimo, vt quod Rex sua ipse in historia taceri noluit, minimè

prætereatur: fuisse videlicet illum tam imbecilli ætate matrimonio iunctum; vt vel intra decem & octo menses vxorem non cognouerit. Iam verò peractis solennibus nuptiarum, Rex administrationi rerum intentus; vt in quem vnum iam tum omnis stabiliendi Regni cura incubuerat: vt primùm à consilio fuit admonitus, conuentus indici iussit Aragonensibus Oscæ, vbi principibus Regni proceribus assistētibus, Aragonensium querelæ plures de illis auditæ sunt; ac etiam vnicuique pro debito satisfactum. Inde verò Cæsaraugustam Rex & Leonora Regina venientes, honorificentissimè, regioque more & apparatu, ab vniuerso populo excepti fuere; ludisque ac spectaculis eorum ingressus cohonestatus. Postmodum ex occasione, Darocam, celebre & antiquum Aragoniæ oppidum simul venere; vbi & conuentus celebrati fuere: ac neque memoria dignum quid ibi est gestum, præterquam quòd eò venit Gerardus Cabrera, comes Vrgellitanus, ac etiam Cabreræ Vicecomes, vnus ex potentissimis Cataloniæ proceribus, qui antea à Regis obsequio discesserat: sed aduentu, & obedientia sua, humanissimè excipi à Rege, eique reconciliari meruit. Qui planè aduentus Regiarum nuptiarū quasi fructus habitus est à proceribus. Sed de controuersiis, & iure comitatus, in præsenti iudicare Rex noluit; nisi quòd breui se in Cataloniam venturum; ibique de iis plenè cogniturum promisit. Demum Rex Daroca profectus, oppida, & vrbes Aragoniæ ferè omnes lustrauit: in quibus magnates, atque Regni proceres, præcipuè qui Regis curam gerebant, multa Regio sub nomine in illarum administratione innouasse, immutasseque, atque in proprium ipsorum commodum & vtilitatem conuertisse inuenit: ideoque querelarum vbique omnia plena erant. Quæ Rex damna prudenter, quæ propria erant, dissimulauit; quæ verò aliena, quanto potuit cum honore procerum resarciuit: Quin etiam de honorariis stipendiis, quæ proceres, iure belli, sibi vltra modum auxerant, detractionem fecit. Quibus tam piis iustitiæ & æquitatis muneribus Rege fungente, indies gratia eius apud populos magis magisque augebatur. Interim accidit vt inter sequentes Regem proceres, Nunnium comitis Sanctii filium, & Guillermū Moncadam Vicecomitem Benearniensem, quam minima ex occasione, vt sæpè fit, magna fuerit orta dissensio, ob accipitrem alteri ab altero non commodatum. Qua discordia paulatim, iniqua verborum commentatione, ab iis qui aderant, aucta (res enim interdum verbo deteriores fiunt) scommata subinde, atque ex iis contumeliæ eruperunt; qualia ferre solet aulica æmulatio, quæ tacita quędam est, atque perpetua inter aulicos ex ambitione orta animi contentio. Ii ergo præcisa amicitia, quæ arcta inter ipsos intercesserat, in partes diuisi sunt. Ex quibus Moncada socium sibi adiunxit Petrum Albarrazini dominum, virum, vt dictum est, bellicosissimum. Nunnius autem Petrum Ahonesium; magnum Regis consiliarium. Quo tempore conuentus Montione à Rege indicti fuerant, eoque Rex cum Regina libentiùs accedebat, vt & arcem olim sui custodiam reuiseret, & præteritæ oppressionis recordatione, suauiore frueretur præsentis status iucunditate. Sed antequam Rex Montionem veniret, Moncada, & Petrus Albarrazinensis, adductis secum trecentis leuis armaturæ equitibus, ad Valcarciam Templariorum oppidum, Montioni proximum, constiterunt; animo aggrediendi Nunnium ad conuentus proficiscentem. Quod sciens Nunnius, Ahonesio, & paucis comitatus equitibus, Regi Montionem aduentanti occurrit, eique nuntiat, quantàm Moncada equitum manum ad Valcarciam conduxerit, vt se improuisum ac inermem opprimat; proinde precari obnixè, vt Sanctiano honori consuleret, atque Guillermum multitudine, non virtute superiorem, procul arceret; deberi hoc sibi regia cognatione coniuncto. Id Rex cùm intellexisset, virilem quasi assumens spiritum, bono ipsum animo esse iussit, promisitque, se, & Guillermum propulsaturum inde; & honorem Nunnii, perinde vt regium, defensurum. Itaque Montionem ingressus, magistratibus pręcepit, vt portas & turres oppidi armatis militibus complerēt: neque quenquam ex proceribus sinerēt iniussu suo ingredi oppidum, nisi vno aut altero dumdaxat socio comitatum. Quod vbi Guillermus resciuit, fremebundus se inde recepit; sicque Nunnio tum vitam, tum honorem ope sua Rex conseruauit. Cæterùm peractis, atque dimissis conuentibus, Rex copiis Ilerda, aliisque ex oppidis acceitis, vnà cum iis, quas Nunnius contra Guillermū coegit, Montione profectus, bello persecutus est Regulos quosdam, qui vocati Montionem venire renuerant, atque ab obsequio, & obedientia Regis defecerant: quorum oppida & arces expugnare Rex cœpit, atque in potestatem suam redigere, quoad venit Terrosium oppidulum Ilerdæ, & Balaguerio vrbi proximum. In quo fama est, tantam inesse salubritatem, vel ex subtilitate aeris, vel ex peculiari quodam terræ halitu, qui haustus cerebrum expurgat, vt insanos homines, vel furiosos, vel potiùs à dæmone correptos, eo perducant sanandos: estque in vniuersa ferè Catalonia peruul-

peruulgato illud prouerbio receptum, vbi quispiam insanire, furereue cœpit, Terrosium mittatur curandus. Ibi ergo Rex duo sagacis, & egregii penè animi documenta exhibuit. Alterum quòd donationem olim à Petro Rege in fauorem Guillermi Raimundi Moncadæ Cataloniæ Senescali factam, Aytonæ, Serosi, & Sosesii oppidorum in finibus Aragoniæ, & Cataloniæ, vbi Sycoris influit in Iberum, positorum, Rex ratam habuit, & confirmauit; iisdemque oppidis, ad hæc vsque tempora per illustres Moncadarum familiæ proceres potiti sunt. Alterum quòd, vt paulo suprà diximus, de aduentu Gerardi comitis Vrgellitani Darocam, Rex controuersias, quas ille cum aliis gerebat super comitatu, hucusque distulit pertractandas, & componendas; quod hæ ortæ fuerint tempore Petri Regis, qui bellum Gerardo intulerat, propterea quòd Armengolio comite Vrgellitano mortuo, Gerardus cum exercitu impetum faciens in eius comitatum, pulsaque inde Aurembaxide illius filia & hærede, totum occupauit. Qua de causa ipsum insectatus est Petrus, atque prælio captum in custodiam & vincula coniecerat; ac bonam subinde comitatus partem recuperauerat. Sed Rege mortuo, Gerardus è vinculis solutus, cùm per interregnum turbata essent omnia; vniuersa oppida & castella, quæ Rex ceperat, quamprimum recuperauit; strages fecit, oppida diripuit, aliasque quam plurimas clades illis intulit, qui à se ad Petrum defecerant. Itaque ibi Rex, assidentibus Sanctio & Ferdinando patruis, multisque proceribus, atque Regni magnatibus, supplici Gerardo, & factum deprecanti, veniam dedit; Quin etiam comitatus eidem stabilitus hac conditione fuit: vt illa ipsa oppida & castella comitatus, eandem quam olim Comitibus Barcinonensibus, Regi successori obedientiam præstarent: necnon & Aurembaxidi Armengolii filiæ integrum ius ad comitatum repetendum, Rege iudice, maneret. Intereà Guillermus Moncada, qui Montione cùm equitum turmis furibundus in Nunnium discesserat, maioribus iunctis copiis, quas cognatorum, atque amicorum ope adiutus adauxit, comitatum Ruscinonensem, quē Sanctius Nunnii pater obtinebat ingressus, magnam eius partem depopulatus est. Quod Sanctius indignè ferens, neque ei valens resistere, Regem adiit, eius auxilium contra Guillermum agros sibi vastantem, implorans; seque illi submittens, atque orans, vt de querelis, quas Guillermus contra Nunnium haberet, Rex ipse iudicaret: se enim, ac Nunnium paratos esse, siquid intersit iniuriæ, Guillermo compensare. Qua re audita, Rex quanquam animo male affecto esset in Sanctium, ob insidias toties ab eo sibi paratas: tamen eius necessitudinem, canitiemque reueritus, coacto consilio, quantum auxilii necesse esset, se illi daturum promisit; ratus oportere quidem Guillermum potentissimum Cataloniæ magnatem, totque procerum cognationibus confisum, ne maiora moliretur, in tempore cohibere. Ad quem primùm mandata dedit, vt à vastatione desisteret, atque è toto comitatu excederet. Quæ ille paruipendens, arces nonnullas expugnauit, & ad Perpinianum nobilissimum, ac præstantissimum comitatus oppidum castra posuit. Vbi Perpinianensibus in eum, duce Gisberto Barberano, impetum de improuiso facientibus, vsque adeò se strenuè Guillermus gessit, vt duce interfecto, reliquos cum magna eorum strage intra mœnia compulerit. Ex quo vniuerso turbato comitatu, Rex copias eduxit, illumque aperto bello persequi decreuit. Quem secutus est Raimundus Folchius Vicecomes Cardonensis, cum magna suorum manu militum; tum vt Guillermum, quem male oderat, insectaretur; tum vt Regi, ac Sanctio morem gerens, auxilio esset. Itaque ex Aragonia profectus Rex quo venerat ad supplendas copias, Cataloniam repetiit, ac versus Perpinianum progressus, in ipso itinere centum & triginta oppida, castra, & pagos, non solùm ipsius Moncadæ, sed cognatorum quoque & amicorum, partim deditione, partim vi, atque armis subegit; eaque omnia fuere Regiæ ditioni, fiscoque attributa; quoad ventum est ad oppidum Cerbellonium prope Barcinonem; quod tametsi arce munitissima, fossaque, & mœniis circumseptum: tamen admotis machinis, intra quartum supra decimum diem à Rege fuit expugnatū. Cui obsidioni intererant duntaxat Sanctius, Ferdinandus, & Nunnius, cum aliis proceribus, & equitibus non plus quadringētis: ne maior, quàm pro hoste exercitus fieret. Nam Folchius Cardonensis, paucis relictis, cum maiori parte suorum in Comitatum ad sedandos tumultus quosdam secesserat. Sed capto Ceruellonio, exercitus deductus est Moncadam, quod oppidum caput est totius Moncadæ potentatus, arce, & mœniis prope inexpugnabilibus munitum; seseque in illud Guillermus receperat. Ad quem Rex per legatos nuntiari iussit, velle se in arcem ab eo excipi hospitem. Quibus Guillermus respondit, se Regem libenter excepturum: sed nullum sibi esse ius hospitii cum hospite tot mala hospiti inferenti. Quo audito, Rex arcem obsidione, tametsi

diutina capere decreuit. Iamque machinis atque tormentis expositis, tutiora ad oppugnandum loca hinc inde disquitens, in colle arce imminenti castra posuit. Sed ea vt erat munitissima, multoque milite & armis completa; quin & amplissima etiam Moncadarum familia plena, machinas, & quemuis armatorum impetum facilè sustinebat: ac quoniam aquatione prohiberi non poterat, fonte pone muros profluente, oppugnatorum in hoc vno sita spes erat, quòd fames Moncadas, non minus quàm exercitus obsidebat: nec dubium, quòd præ fame in deditionem venissent illi, nisi conniuentibus, ac consentientibus Regii exercitus ducibus, clanculum ab amicis cibaria in arcem inuecta fuissent. Ea enim erat Guillermi cum proceribus necessitudo; adeoque eorundem rursus in Sancium & Nunnium, quorum causa, non Regis bellum gerebatur, commune odium & maleuolentia; vt non deessent qui obsitionem palàm Regi exprobrarent: sensimque inter Aragonenses & Catalanos, ea suboriretur dissensio; vt conspirationis voces nonnullæ auditæ fuerint, bellum iniustum, impium, ac deprædatorium, succlamantium, Regique maledicentium; vt cui non satis fuisset, tot oppida & arces Guillermi, eiusque familiæ, & amicorum diripuisse, sibique applicasse, nisi etiam caperet, atque de medio tolleret Guillermum, vt perdat vniuersa. Ac quoniam Rege puero, certum erat, Sanctii & Ahonesii consiliis geri omnia: vsq; adeo eis ab omnibus maledici cœptum est; vt iidem coniurationem timentes, Regi persuaserint, ab obsidione arcis, alioqui inexpugnabilis, discederet. Quod Rex, quanquam ægre tulit; videns tamen id à Sanctio & Nunnio; quorum causa motum bellum erat, tantopere peti, concessit quasi quòd factum ipsis iam satis esset, libenter ab obsidione bimestri discessit: atque dimisso exercitu, in Aragoniam rediit. Quo abeunte, protinus Guillermus cum expedita manu equitum, Sanctii, atque Nunnii oppida, & pagos iterum, longeq; acerbius quàm antea, vastare ac diripere incœpit; quæ vbi primi omnium resciuere Ferdinandus Abbas, qui Osca Regi obuiam, adhuc regnandi cupidus, venerat, & Ahonesius inter quos arcta tunc, sed suspecta quidem, iniebatur amicitia; ne subinde bellum redintegraretur, consilio inter se habito, statuerunt, vt antequam Regi hæc nuntiarentur, secreto Guillermum accerserent; facturi cum Rege, vt ei veniam daret, simulque restitueret sublata ab eo oppida, & arces; indeque Guillermus depositis veteribus quas gerebat, cum Sanctio & Nunnio inimicitiis, nouas cum eisdem amicitias susciperet. De qua re ad Guillermum scripserunt; data ei fide publica, in Aragoniam veniret, in oppidum Thaustium, quod pro honorario Ahonesio cesserat, ac proximum est Alauonæ, vbi Rex tunc agebat. Quò, perueniente Guillermo, Ferdinandus, qui spe regnandi, à religione, qua fuerat initiatus, alienato semper animo fuit; neque profana miscere sacris graue vnquam duxit, iuncto Ahonesio, magno, vt dictum est, Regis consiliario, nihil non denuo sibi commoliendum putauit, vt Regnum tantopere à se affectatum, quod occupare non poterat, occupato Rege subigeret. Quare consilio inter ipsos habito, atque mutuo data fide, Regis custodiam pessimè machinati sunt, quo liberius ac pro libidine cuncta gererent. Quam in hunc modum aggressi fuere; præmissis duobus equitum, peditumq; cohortibus Cæsaraugustam, atque per vrbem distribui iussis, Ferdinandus multis comitatus proceribus, Thaustio exiens, vnum ex ipsis Alauonam ad Regem mittit, cui renuntiet, se cum vniuersis Regni proceribus venire, vt Regiam eius Maiestatē, & Reginam clarissimam, Cæsaraugustam deducant. At Rex tametsi ficto officio, ac simulata sedulitate, id fieri cognosceret: tamen libenter se illum excepturum dixit: atque interim Nunnio, & Azagræ Aulæ præfectis præcepit, ne quemquam cum Ferdinando oppidum intrare permitterent, præter quatuor, aut quinque ad summum proceres: reliquis per suburbia distributis: ipse verò ad excipiendū illum oppido est egressus. Sed deinde siue incuria, siue consultò præfecti fecerint, equites ducenti, inscio Rege, cum eo ingredi oppidum permissi sunt. Sequenti verò die Ferdinandus eadem caterua procerū comitatus, in Aulam venit: atque omnibus præsentibus, sermonem breuem, sed assentatoriis omnino confictum verbis, cum Rege habuit. Inquiens, neq; sibi, neq; vtriusq; Regni proceribus, qui aderant, tam quicquam esse cordi, quàm regiam eius maiestatem, cuius nutu tam feliciter cuncta gerebantur, colere, venerarique, ac se, suaque omnia pro eo liberalissimè impendere: ideoque, vt parta iam bello pace frueretur, Cæsaraugustam, tot affectantibus procerib. cum reliquiis exercitus ouans, & quasi triumphans intraret: vt publicam & communem rem ibi melius commodiusq; administrare posset. Quæ Rex audiens, ac interim circumspectans, proculque inter confertos proceres dignoscens Guillermum Moncadam, se inscio & inconsulto, coram venisse: ac insuper, neque Nunnium, neque Ahonesium, neque alium quemuis ex intimis ad aurem accessisse, qui summa-

summatim, quæ respondenda essent, vti solebant, suggererent: iam quod paulò ante suspicione odorabatur, pro certo habuit; se, à suis omnino consiliariis proditum esse. Ac quoniam vniuersi commurmurātes, responsum à Rege quasi reposcere videbantur; placido ac sereno vultu, se libenter, quo ipsi vellent abiturum respondit: existimans, quocunque in statu res essent, quoue denique propenderent, satius esse intra vrbem, quàm extra consistere; atque fidissimos Cæsaraugustanos ciues sibi non defuturos sperare. Igitur vrbem, nulla admissa pompa, Rex & Regina ingressi, ad Sudam veterem Regum Aulam, portam Toletanam dictam, venere. Verùm Ferdinandus, qui tunc consentiente, ac simul conspirante Sanctio, omnem gerendarum rerum curam susceperat, vocatis ducibus regiæ cohortis, Guillermo Boyno, & Petro Sanctio Martello, arcanum quid cōfingens, quod ita patrari, tum regno commodum, tum Regi honorificum ac prosperum futurum esset; alterum personæ regiæ, à qua nusquam oculos deiiceret, custodem præfecit: alteri totius Aulæ, atq; ianuarum asseruandarum curam dedit. Ac protinus eadem nocte, semotis omnibus Regis & Reginæ seruitiis, ac binis vnicuique tantum cubiculariis relictis, cunctas Aulæ ianuas & fenestras, præterquam lumini recipiendo necessarias, clauibus, vectibusque obserarunt; sic vt neque videri Rex, neque videre quemquam, neque alloqui, ad aliquemue scribere posset, nisi sciente Ferdinando, ac permittente: eoq; ipso interim per schedulas Regi proponēte, inter alia, vt omnia oppida, arces, & pagos, quæ à Guillermo Moncada, eiusque cognatis, & necessariis, vi sustulerat, restitui iuberet: quin & pro damnis etiam, quæ ille bello passus est, morabatinos viginti mille eidem persolueret; alioqui ipsum, neq; è custodia, neq; rerum suarum, vllum vnquam exitum habiturū. Quibus respōdere differebat Rex, postulans dari sibi aliquē ex consiliariis non suspectis, quo cum rē communicaret, atque consuleret. Cumq; ex iis vnus Atho Focius intimus, ac fidissimus, ipsum alloqui vehemēter contēderet, vt consilio iuuaret, à Regeq; idē peteretur; sic fuit à Ferdinando reiectus, vt præ bili Oscam ille abierit. Vnde Rex, cū amissa libertate, tum suorū alloquio (q multo ægrius ferebat) penitus interdicto, ac neq; à ciuibus educi se, sed ab omnibus destitui videns; Ahonesium, tametsi alterum coniurationis caput, non tā rogandi quā obiurgandi causa, ad se accersi iussit: quē intrantem placidè, sedateq; Rex excipiens, apprehēsa manu, cū eo in partē aulæ secessit; ibiq; seuero iam, atq; mutato vultu, sic est locutus. Non possum equidē, Ahonesi, stuporē tuum, seu permistam potius cum animi languore perfidiam, tibi non vehementer exprobrare; quod tu in primis tam immemor, quam fueris de meo patre, ac de me, pro tantis tuis in nos officii muneribus benemeritus, atq; ab vtroque rursum, quot ipse beneficia acceperis, in me tamen vnum nunc tot simul maleficia contuleris. Quod pergraue malum, non tam quòd ratione mala facias, quàm quod nulla facis, in te est longe grauissimum. Cum neq; timore maioris vitandi mali; neq; spe maioris consequēdi boni, iam illud facere possis. Neque enim me puerum, quem tu ingenuè educasti, tam immiti ingenio, crudeliuè natura præditum esse vides, vt præsagire possis, me virum, quod Nero Senecæ, hoc idem tibi facturum; neque rursum sperare, supremo, quē tenes, dignitatis gradu, melius quam me Rege, te vnquam potiturum. Cùm non aulæ modo primus, atque liberalitate mea procerum potentissimus euaseris, sed summus mihi semper consiliarius assēderis; sicque pro arbitrio tuo cuncta gesseris, vt non consulere, sed peræque mecum regnare videaris. A quo te gradu cū tam multi conati fuerint deiicere, atq; perdere, nonne ego solus contra omnes defendi? num opis non fuit nostræ, quod de Artalo Luna, tuo graui & acerbo inimico, tam honorificè triumpharis? Sed hæc tu nunc, consilii plus quā quisquam hominum inops paruiducens, Ferdinandi factionem, quam infestissimè insectabaris, modò studiose sequeris; vt tyrannū, cui seruias, pro Rege, quē tu regebas commutes; scilicet vt honoribus, atque amplioribus Regni beneficiis cum illo implearis: ac me, quem Regno tantopere præfici curasti, ex Rege ac domino captiuum contempleris. Sed estò, vicisti tandē Ahonesi, deq; Rege, ac Regno triumphasti. Veruntamen caue interim, ne de victoria insolens glorieris. Nā curabo sedulò, ne tu meorum in te beneficiorum tam sis immemor, quàm tuorum rursum in me maleficiorum ego semper ero memor. Iis dictis Rex, ne iusta ipsum ira vinceret, vt in Ahonesium irrueret, relicto illo, alio diuertit. At vero senex à puero conuictus, vsque adeò obstupuit, vt ne mutire quidē corām potuerit: atque inde abiens ad Ferdinandum, quæ secum Rex egerit narrauerit: sed nihilominus custodiā Regis ambo libertatem, ac Regnum suū putantes, in proposita, obstinataq; sententia perstiterunt: eoq; magis Regni honores, aliaque emolumenta & vectigalia Regia, haud quaquam in ærarium cōferre: sed inter se, amicos, & familiares profusissimè diuidere curarūt. Quæ omnia Rex facilè ex ipsa Ahonesii obstinatione conici-

ens, atque suæ procrastinatione custodiæ augeri indies Ferdinandi tyrannidem videns; quibus se modis inde eriperet, ac populo ostenderet, die nocteque animo versabat; seq; tandem vna cum Regina, si sequi vellet, per fenestram demittere decreuerat. Verùm Regina, vt erat prudens, & magnanima, meliorem rerũ exitum sperans, ac non tam demittendi periculum, quam Regis ex fuga ignominiam perhorrescens, consilium minimè probauit; sed piè potius, viriliterque Regem admonuit, vt almæ Dei genitrici Mariæ, cui se ipse à puero deuouerat, nunc totum commendaret: fore namque, vt eadem ipsius ope Virginis, qua fuit à Monfortio, & arce Montionis liberatus, à præsenti quoque custodia honorifice eriperetur. In cuius dictis Rex acquiescens, prudentissimæ consilio Reginæ, periculum simul & ignominiam vitauit. Quamobrem instante denuò Ferdinando, vt Moncadæ damna resarcirentur; atque ablata ad vnum restituerentur, Rex postulatis annuere deliberauit; exinque paulatim relaxari cœpit è custodia, ab eaq; tandem, in qua dies amplius viginti fuit, exiit; Ferdinando tamen Regni procurationem retinente; ac perquam multis etiam reclamantibus, omnia gubernante. At verò Rex protinus Cęsaraugusta excedens, quæ ob custodię in ea perpessionem, ac ciuiũ dissimulationẽ, fastidio ei erat, Montionem cum Ferdinando, & aliis Curiam sequentib. proceribus, & Ecclesiarum Prælatis venit. Vbi de statu Reipub. & administratione Regni agentes; multa vltrò citroq; singuli proposuere, quæ prætextu publicę, atq; communis vtilitatis, in propriam cuiusq; vergeban: neque tamen Rex ea poterat, per ætatem, annum non excedens decimum sextũ, conglomerantibus sese in contrarium plerisque procerib. auctoritate sua impedire. Vnde neque proceribus satis inter se conuenientibus, dimissis comitiis, necesse fuit Regem Cæsaraugustam remigrare. Vbi, reposcentibus ciuibus, regiam fortassis iram, ob dissimulatam custodiam, in posterum timentib. priuilegia & plebiscita à maioribus irrogata, liberalissimè, qua ille semper vsus fuit magnanimitate, confirmauit: necnon Gunsaluo Ioannio magno magistro equitum Calatrauensi, Alcanitii oppidi florentissimi in Aragonia, eiusque ditionis donationem ab Alfonso Rege auo eidem magistratui, ac societati factam, & à Petro parente approbatam, Rex sua quoque auctoritate sanxit & confirmauit. Inde verò Dertosam concessit, quæ vrbs maritima (Neque enim vltra sex milliaria à mari, in quod influit Iberus fluuius, distat) non longè ab Ilergaonum finibus posita est: ab Aquilone quidem excelso protecta monte; ab occasu autem, eodem Ibero fluuio, vbi altissimus est, alluitur. Apud quam (ne quę de ea commemoratione digna sunt reticeamus) lampetrarum, mugilum, strutionum, trissarũ, & aliorum delicatissimorum piscium, è mari aduerso flumine ascendẽtium, tanta est fœtura & piscatus; vt in hisce, neq; varietate, neq; suauitate, vlla sit maritima totius Europæ ora cũ Dertosana comparanda. Quam sibi oblatam piscium vbertatem mirè Dertosanorum ars effert, mercemque ex ea efficit satis quæstuosam. Nam capti subinde pisces, tum sale puteali, quo ager abundat conditi; tum subacto, atque ocreato contecti pane, eoque pistorum arte, ductili ex massa filo, quasi vermiculato adornati emblẽmate, atq; in furnis excocti, in tanta quidem copia & multitudine apparantur; vt non Dertosanis ac vicinis modò sufficiant: sed ad vniuersa Aragoniæ, Cataloniæque, & Valentiæ oppida magno cum quęstu compendioque deferantur. Quorum tam suauis est esca & pabulum; sacram præsertim carnium interdictionem patientibus: vt hanc ipsi leuius ferant: quinimo ad carnes reuersi, propter pisces suspirent. Itaque per id temporis Rex Dertosa abire statuit, vt à se parumper abigeret importunam procerum frequentiam; maximè verò Ferdinandi, atque Ahonesii procacem ambitionem, & insolentiam, quæ ipsos, ob impunitam custodiæ iniuriam, intolerabiliores vsque adeò reddiderant: : vt non solùm Regni administrationem, reclamante Sanctio, sibi totam arrogarent; sed quosuis Regis conatus superbe nimis infringerent: Sanctiumq; vt senem capularem: Regem verò vt puerũ, à Reipub. gubernatione amoliri, neq; tam occultam, quàm apertam iam dominationem exercere conarentur. Inde igitur Hortam (Templariorum id erat oppidum) Rex concessit: vbi militari edicto præcepit vniuersis vtriusque Regni proceribus, iis etiã, qui honorum nomine, stipendiis regali munere donati erant: vt quantis possent copiis, in certam diem, Turolium vrbem, vt diximus, finitimam Regno Valentino conuenirent. Bellum enim sacrum à se strui significauit, pro Christiani nominis propagatione, aduersus Valentinos Mauros: eorumque reprimendas excursiones in vicina oppida Christianorum. Cui edicto neque Ferdinandus, neque Ahonesius, quòd inconsultis se, prodiisset, non solũ obedire noluerunt: sed & flocci pendere, atque alias Aragoniæ ciuitates ab ea expeditione reuocare procurarunt: quin & relicto Rege, Cæsaraugustam venerunt: scilicet, vt conatus Regis pueriles, vt dicebant, inde melius contemplarentur, ac deriderent:

rent: quos ne impedire quidem tentarunt, haud dubia spe sinistri alicuius belli euentus, & occasionis rerum nouarum, quam illi oblatam libenter arriperent. Quæ omnia tametsi Regi nota erant, eique iniurias ab vtroque acceptas augebant: at ea in præsen- ti premere commodius duxit: sperans nõ defuturam sibi idoneam occasionem aliquan- do, vt de Ahonesiii saltem insolentia pœnas sumeret. Itaque illis non expectatis, cum iis tantùm copiis, quæ è Catalonia sibi præsto fuere, & quas ex Aragonia duxere Blacus Alago procerum potentissimus; nec non Artallus Luna, & Atho Focius (ii namque ante præstitutam diem, non Turolium, sed Hortam, Regem præuenere) ingressus est fines Valentini Regni, secundum oram maritimam, regionis Ilergaonum; ibique omnem de- populatus agrum, prædaque facta, ad Peninsulæ promontorium castrametatus est: quòd illud totius oræ, terra marique specula sit, & quasi custodia confinium à natura sita: ideo- que à Rege Valentiæ, tanquam præcipuum Regni propugnaculum summa cura custo- ditum; eoque ipso magis etiam à Iacobo expetitũ. Est enim illud magnus quidam mons, seu potius saxeum quoddam & immane monstrum, ex rebus inter se, quasi contrariis cõ- gestum: quale ex præsenti descriptione, quam nos ibidem commentati sumus, atque ob rarum, neque alibi vsquam repertum similem eius situm, aliquanto fusius hic explana- tum, facile erit colligere. Siquidem moles ipsa, quâ mari prominet, atque Balearium maiorem, ad Orientem Solem, directò respicit; ambitu quidem mille, diametro verò, quòd inęquale sit solum, quingentis passibus constat.. Estque altissima & acuminata pau- lulum, atque omni ex parte, nisi qua domicilia continentur, prærupta, quamque totam penè mare cingit: indeque Peninsulam vocant: tam paruo enim terræ spacio cum conti- nenti committitur, vt sæpius, excrescentibus fluctibus, prorsus abeat in Insulam; talisque nunc quoque manu facta est. Montis præterea tanta est excelsitas, vt præter amœnissimũ inde aperti maris prospectum, facile sit, aduentantes naues, ad tringinta ferè milliaria, à summo iugo prospicere. In cuius vertice area tã lata est, vt in ea potuerit arx amplissima, atque inexpugnabilis extrui; oppidanis quidem, sola ea parte montis, qua continens a- spicitur, quæ quodammodo decliuis est, ad habitandum relicta; per hãc enim vnicus est in oppidum ingressus, vnaq; porta validissimo aggere munita; suaq; fossa & ponte ab ea- dem continenti distincta. Quin & vtrobiq; maris, lęua dextraq;, tanta est altitudo, vt mi- noribus nauibus portus fiat; ex eo quòd, dempto Subsolano, cui est apertus, à reliquis ventis etiam terrestribus tutus sit; nauibus hinc inde, commutato mari, obiectu mon- tis, à tempestate protectis: atque ab hostilium quoque incursu nauium, beneficio ar- cis, defensis. Sed quæ in ea monstrosa apparent, sunt duo in primis. Alterum, cauernarũ ad radices montis frequentia, quæ mari ita peruiæ sunt: ac penetrabiles, vt fluctus ma- ximo cum fremitu & æstu, ac etiam infinito saxatilium congestu piscium, subtùs per excauata foramina erumpant; vtpotè quibus tantopere intus contusæ rupes ne hiscant quidem, sed constipante salsugine, multo magis obdurescant. Alterum est fons magnus aquarum maximè dulcium, & limpidissimarum; qui ab ima quoque mole è rupibus, mari interfluente, emanat ad solius arcis, ac oppidanorum vsus enatus: cùm sese protinus effundat in mare: vt appareat naturam, in muniendo loco, artificio quasi vsam fuisse. Cuius profectò inexpugnabilis molis natura haud incomperta fuisse creditur Benedicto Papæ, cognomento Lunæ, Aragonensi. Quo maximè tempore (nota est historia, sed bre- ui nunc percurrenda) Apostolica Pedri Sede Pastore carente, & Cardinalibus in partes diuisis, ac varias inter se electiones commolientibus; ab eorum parte Auinione congre- gata, electus ille fuit, ac Pontifex renuntiatus: qui protinus pro tali se gerens, solaque Hispaniæ, & Aquitaniæ obedientia contentus: quò posset tutius Pontificio fungi mu- nere, in Peninsulam se recepit. Vbi Palatium cum templo magno, ex secto lapide (qualo extat) tam magnificè ædificauit, vt & dignitati summæ, & Cardinalibus ad habitandum suffecerit. Sed cum ex tribus electis, duo alii çesserint; seq; decreto Constantiensis Conci- lii, Pontificatu abdicauerint: Luna, neque Concilii exhortationibus, neq; anathemate, seu minis; neque demum Sigismundi Imperatoris rogatu, qui è Germania Perpinianum, eius abolendi scismatis causa venerat, à proposito dimoueri potuit. Nec dubium, quin situs loci inexpugnabilis, atque inde secuta animi securitas, in tanta eum pertinacia con- firmauerit. Vt igitur redeamus vnde diuertimus, eiusdem loci situm optimè conspica- tus Iacobus, postquam totum circum vastauit agrum, atque Peninsulam obsidere parat, acerbus de iis nuntius Valentiam allatus est: atque vt res solent fama crescere, non modo expugnatam Peninsulam à Iacobo; sed eius quoque exercitũ iam vrbi imminere perla- tum fuit. Hoc nuntio Zeitius Abuzeitius Rex Valentiæ, atq; ciuitatis primates cum vni- uerso populo, tam cõsternato fuere animo; tantusq; ab eis clamor, & eiulatus commotus,

vt postquam sequenti nuntio inuentū est, neq; Iacobum, neq; eius exercitū Peninsulę fi-
nes pertransisse; sed in eius obsidione esse, statim legatos miserit, q inducias cū Iacobo fa-
cerent: ac modò ab obsidione recederet, quintam partē Regiorum portoriorum Valen-
tiæ & Murciæ quotannis eidem pendēdam promitteret. Quibus postulatis annuere Ia-
cobo visum est non modò commodū, sed perquam honorificum: propterea q; opinione
potius qoàm ferro, tam prospere bellū vix cœptū confecerit; atq; hostem, quem aliquā-
do inuasurus esset, animo iam consternatū haberet. Sed hæc, quò felicius gesta sunt, eo æ-
quiùs est ea procul à fabulis abesse. Nam quanquā in historia Regis, quā nostra sequitur,
nulla de hoc Peninsulano bello fit mētio, nisi de portoriis, vt diximus, Iacobo à Rege Va-
lentiæ concessis, ob factas inducias; eaq; res non minimā parere possit dubitationē; mihi
tamen gestū illud, atq; armis confectum fuisse multis de causis persuadeo. Tum q; illius,
nostriq; temporis scriptores, qui Iacobi res gestas accuratè conscripserunt, huius quidē
belli, atq; excursionis in Peninsulam expresse meminerunt: neq; delendū est in multis, q;
ab vno fuit prætermissum. Tum q; bellū tantummodò apparatū, seu ostentatū, etsi indu-
ciarum causa esse potuit: at pendendorū portoriorum, q̄ à solis victis dari solent, illud ni-
si illatum gestumq;, causa esse non potuit: ac nisi ob redimendā Peninsulam, aut maximū
aliquē exercitū à ceruicibus auertendū, Iacobo concedi illa non debuerunt. Nec obstat
q; Rex affirmat, ipsum venisse Turolium, quo proceres ad apparandū bellum commea-
turi fuerant, eorumq; cunctationem, & commeatus consumptionem, induciarum, atq;
differendi belli causam fuisse. Nam vt breue admodum est iter à Dertosa in Peninsulam,
ab eaque in Turolium; sic potuit vtrunque maturissimè effici: ac inducias, de quibus ad
Peninsulam cœptū est, Turolii pangi: q; in ea vrbe permulti essent viri graues, potentes,
atque bellicarum rerum experientissimi, qui Regem non modo opibus, sed consilio iu-
uare possent. Est enim Turolium vrbs celebris in montanis Aedetanorum locis sita, atq;
Valentinis è regione ad Aquilonē posita: quæ iam tū annis prope centū ab Aragonensib.
& Nauarris è Sarracenorū manibus erepta, ab eisdem coli cœpta fuerat. Cuius vbertate
agri, ac pecuaria re, & lanificio, præcipuè verò assidua è Valētino Regno parta præda, au-
cti ciues, vrbem sibi tum ædificiorum splendore, tum magnifica Templorum structione,
tū robore & amplitudine murorū, pulcherrimā, ac munitissimā cōstruxerūt, eamq; gene-
ris atq; familiarū claritate nobilissimā reddiderunt. Ex quo multa circū oppidula & pagi,
horumq; municipales & rusticani homines, ciuiū in administranda, beneq; gerenda Re-
pub. prudentiam & magnanimitatē admirati, voluntariam cū ipsis societatem coierunt:
eisque res suas gubernandas tradiderunt. Hoc igitur fœdere municipiorū adaucti Turo-
lenses, vsq; adeò viribus, armisq; valuerunt, vt subinde eorū Reges præsertim Iacobus, vt
ipse attestatur, ad omnes in Valentinos susceptas excursiones, nullis, siue equestris, siue
pedestris ordinis militibus, quam Turolensibus vsi fuerint bellicosioribus, & fideliori-
bus: atq; hinc est, quòd ipsos amplioribus, quā cæteros Aragoniæ populos, priuilegiis, im-
munitatibusq; donatos inuenimus. ac non modò in commeatu, & frumentaria re suppe-
ditanda ad bellū, eosdem fuisse largos, sed consilio & prudētia in deliberationib. Reges
multum iuuasse comperimus. Meminit quippe Rex cuiusdam nobilissimi ciuis Pa-
schasii Muniocii, olim Petri Regis alumni, adeò diuitis, magnanimique ac libera-
lis, vt ex propria re & opibus, Regi multā vim auri accōmodauerit; nec non cōmeatū, &
cibaria Regio exercitui ad dies amplius viginti præparauerit. Cuius etiam Paschasii (vt
in præclaris eius est monimentis) pronepos fuit Aegidius ille Sanctius Muniocius, siue
Munionis, vt dicunt, Canonicus Barcinonensis, qui in eadem Peninsula, ab illo ipso Be-
nedicto Pontifice creatus Cardinalis, illo vita functo, à Collegio Cardinaliū electus ac
summus quoque Pontifex renunciatus fuit. quo Pontificatu, vt se pro sedando schisma-
te, abdicaret; à Romano Pontifice Balearium Episcopatui fuit præfectus. Rex igitur
siue Peninsulæ, siue Turolii, induciis cum ipso Valentiæ pactis, exactis iam diebus
viginti, quod fuerat tempus præstitutum proceribus, Paschasio, aliisque Turolii o-
ptimatibus in gratiam receptis, Casaraugustam petere decreuit. Vbi Ferdinandus
& Ahonesius constiterant: ad quos fama etiam peruenerat de rebus à Rege puero, viri-
liter feliciterque gestis; deque induciis à Rege Valentiæ tanto cum honore Iacobi fa-
ctis; atque portoriis vnà datis; nec non de obstrictis illi Turolensium animis ad omnē
contra Mauros expeditionem suscipiendam. Quæ res vtrumque vehementer exus-
sit: contra verò, Cæsaraugustanorum animos mirè erexit, affectiq; fuere omnes pieta-
te maxima erga Regem; tæderequè ipsos valde cœpit eorum, quæ à Ferdinando & A-
honesio in Regem patrata sunt: quos iam populus maledictis incessere, & quasi inue-
hi in ipsos tentauit. Vnde Ahonesius licet conscientia conuictus, populi tamen furorem
ac Regis

ac Regis iram volens eludere, cum expeditis equitibus ſexaginta, vt potentiam oſtẽtaret; iuncto ſibi Sanctio fratre Epiſcopo Cæſaraugustano, Turolium ad Regem profectus eſt, cunctationis ſuæ cauſas redditurus. Quo ipſo tempore Rex Turolio profectus, Calamociã eiuſdem itineris oppidum ingrediens, Ahoneſium veniſſe intellexit: ſtatimq; Rex accedentem illum, qua ſolitus erat humanitate excipit; atque interrogauit, quonam tã valde bene armatus, confecto bello, atq; induciis factis, procederet? Cui Ahoneſius grauiter atq; ſeuere reſpondit; ſe, vna cum Sanctio fratre, & equitatu petere Valentiã, vt excurſionibus Mauros infeſtaret. At Rex præcepit ei, vt vna ſecum repeteret Burbaguenam oppidum duob. fere inde diſtans paſſuum millibus: quod multa ſibi cum eo cõmunicanda eſſent; atq; in præſentia procerum, qui ſecum aderãt, pertractanda. Quo audito Sanctius Epiſcopus, ſalutato Rege, abiit Cutandã oppidum ſuum, prope Turolium ſitũ. Sequebãtur autẽ Regem Blaſcus Alago, Artalus Luna, Ahoneſii æmulus, Atho Focius, Ladronius, Aſſalidius Gudalius, & Peregrinus Bolaſius, proceres fideliſſimi, quos Rex ſecum manere iuſſerat, animo, vt rei exitus indicauit, capiendi tantum, atque in cuſtodiã & vincula coniiciendi Ahoneſium, quem conſtans fama erat, fuiſſe caput totius coniurationis Alagoni, cõtra Regem initæ, atq; Cæſaraugustę factæ. Itaq; ingreſſi Burbaguenam, in palatio Templariorum, quorum id oppidum erat, ſubſtitere. Vbi relictis in atrio equitibus Ahoneſii, quaſi quod breui à Rege eſſet expediendus ille, qui enſe duntaxat, atq; militari ſago indutus erat; cũ Rege ſimul in palatii tricliniũ aſcẽdit. Vbi conſidentibus ipſis, atque procerib. in altera triclinii parte conſiſtentibus, Rex conqueri de Ahoneſio, ipſumque duriuſculè increpare cœpit, quod eius culpa & exemplo malo factum ſit, vt neque ipſe, neq; alii conuocati proceres Turolium conuenerint, ad bellum Mauris inferendum; ideoque amiſſa ampla illius conficiendi occaſione, ob illorum moram, coactus, ipſe fecerit inducias; quibus illum ſtare quidem, non rumpere deceret. Rogauit ideoque, vt ab incœpto deſiſteret, neq; ius à ſe datum, vllo pacto tẽtaret violare. At Ahoneſius regredi recuſabat, affirmãs multos cũ Sanctio fratre feciſſe ſumptus ad eiuſmodi expeditionẽ ſuſcipiẽdam; neq; haberet vnde poſſet illos, præterquã præda facta ex Mauris reficere: cui reſpõdit Rex ſubiratus, induciarũ fœdus nullo fieri poſſe modo irritũ; idcirco à proteruia diſcederet. Sed renitente adhuc Ahoneſio, cui Rex ſtatura corporis fere par erat, quãuis annum nõdum natus decimum octauum, manibus illum apprehendit, atque à Rege captum ipſum eſſe, teneriq; dixit. Verum Ahoneſio illico capulo enſem tenente, eundem quoq; Rex ſimul prehendit, neq; è vagina, aut balteo educere permiſit. Quos cum inter ſe quaſi colluctãtes vidiſſent qui aſtabãt proceres, ſiniſtras ſagis inuoluunt, gladioſq; diſtringũt; atq; relictis illis, è triclinio exeuntes, pro ianuis cõſiſtunt; ne quis ex Ahoneſianis impetum faceret in Regẽ. Sed audito clamore, req; intellecta, quadraginta ex ipſis ab equis deſcendentes, ac per medios irrumpentes proceres, triclinium intrarunt: iamque Ahoneſium de manibus Regis, quadã cum reuerentia eripere conabantur: ipſis interim procerib. rem intuentibus, neque ſe Regi adiungentibus; vtpote inermibus cõtra armatos parum profecturis. Tandem ab equitibus Ahoneſius à Rege fuit exemptus, qui protinus aſcenſo equo, è Burbaguena cum ſuis abiit. At verò Rex maiori ſuccenſus ira, inuentũ equum cuiuſdam equitis Alauonenſis aſcendit, atq; vt erat armatus Ahoneſium ſecutus eſt: quẽ ſubſequuti fuerũt, Gudalius, Pomari⁹, & Focius, cũ quatuor equitibus; ac poſtea Blaſcus Alago, reliquiq; proceres. cumq; anteiſſet Focius, duo ex Ahoneſianis impetum in eum facientes, ſauciatum ab equo deturbarunt. Cui adfuerunt Blaſcus, & Artalus, Ahoneſianis vlterius procedentibus. Rex verò cum Gudalio, & Pomario tantum perſecutus eſt Ahoneſium, quem breui ſpatio ante ſe viderat cum viginti equitibus per accliuem mõtem pergere iter ad Cutandam oppidum, quo paulo ante venerat Epiſcopus, & in quod ſe ille recipere feſtinabat. Interim Blaſcus & Artalus, citatis equis, cum imminerent Ahoneſio, idemque reſpiciens eos, magnam poſt, ſequi, ſe, equitum manũ autumans, ac neque fugæ, feſſo equo, eſſe locum, in collem proximum ſeſe recipere decreuit: cui vnus ex ſuis ab equo deſiliens, hunc Ahoneſio tradebat vt ſe fugæ daret. Sed occurrẽtibus Blaſco & Artalo, impeditus eſt. Iãque Ahoneſianis ſaxorũ cõiectu, Regiis aſcenſum prohibẽtibus, ipſe Rex à tergo collem conſcendit, ac vt primum ſeſe Ahoneſio in conſpectum dedit, is protinus à ſuis derelictus eſt, vno duntaxat Perezio Mezquita conſiſtente, ac rei exitum expectante. Interim Sanctius Luna, vnus ex regiis equitibus, lancea latus dextrum Ahoneſii perfodit: quo lethali vulnere ſaucius ille, ſtatim collum equi amplexus, ab eo ſeſe in ſiniſtram partem demittens ſemianimus in terram cecidit. Quod Regi valdè graue fuit, capi illũ, nõ occidi cupienti. Vnde ab equo deſiliens, ac procumbẽs cum lachrymis eum cõplexus eſt, eidem ex animo condolens, ac leniter increpãs, id ſua ipſius culpa

factum fuisse, quod euasisset, si dictis monitisq; suis paruisset. Quo tunc perueniens Blascus, clamore magno Regem alloquẽs, permitte, inquit, nobis leonem hunc lacerare, tot Regis iniurias illius interemptione vindicaturis: iamq; illum hasta configere nitenti Blasco sese Rex opposuit: inquiens, contine te, Alago, non enim Ahonesium, sed me feries. At verò Ahonesius Deo primùm, deinde Regi, se, suaq; omnia commendans, debilitatus ex profluuio sanguinis conticuit. Tunc Rex illum, obligato vulnere, equo insidere, atq; tenente ipsum confessore, Burbaguenam vehi iussit: sed cum sanguine deficiente spiritu, mortuus est in itinere. Vnde Rex cadauere allato, Darocam venit, ibiq; illud maiore in templo Virginis honorifice sepeliri curauit.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER IV.

NFELICI Ahonesii nece, ad quã propria ipse culpa duci visus est, triplex illa coniuratorum in Regem machina, tum Sanctii inuidia fabricata: tum Ferdinandi ardore promota, tum denique Ahonesii sagacitate absoluta, funditus euersa fuit; atque vnicuique ipsorum sua quoq; pœna, & ignominia inflicta. Nam & Sanctius vehementer Ahonesii exemplo commotus, perpetuò sese à præsentia, & conspectu Regis abduxit: & Ferdinandus illius etiam gratia priuatus, populorum simul & amicorum fide destitui se vidit: & nisi Regii demum sanguinis intercessisset cognatio, haud dubium quin acerbiores quàm Ahonesius pœnas ipse pertulisset. Quamuis cautum hinc fuerit a Rege, cui semper idem suspectus, ac infensus extitit; vt neque abdicare se sacerdotio, neque ad aliud aliquod amplissimum accedere eidem permitteretur. Sed ipsius patientia & benignitate Regis factum est, vt non ab aula, non à consilio, nec à Regia consuetudine dimoueretur. Quinimò Rex quamdiu instabilem ipsum, atque animo fluctuare vidit, bello paceq; se semper sequi iussit: atque suorum etiam consiliorum, simul & bonorum participem effecit. Itaque Ahonesio mortuo, posteaquã Rex (vt diximus) cadauer eius deferri Darocam, ibiq; sepeliri, ac iusta ei fieri iussit: iam nullo illius legitimo hærede relicto, iure ad se omnia eius oppida pertinere decernente consilio, in eorum possessionem venire statuit. Quapropter Boleam inprimis insigne oppidum, Oscæ propinquum, quod erat Ahonesii, capere, illudq; antequã quispiam ex proceribus dari sibi peteret, aut Ahonesii vxor, seu illius frater, Antistes Cæsaraugustanus, occuparent, Regno adiungere decreuit: quin & recuperare etiam duo illa Regna Sobrarbii, & Ripargurtiæ, quæ Ahonesius partim oppignerata sibi à Petro Rege quondam, ad Idubedense bellum proficiscente; partim iure stipendiariorum equestrium retinuerat: Stultum esse, inquiens, se, nondum stabilito Regno, neque pacatis rebus, aliis Regna concedere. Ac quoniam in hisce duobus Regnis, multa quoque oppida seu vrbes continebantur, quibus olim confisus Ahonesius magnis spiritibus assumptis in Regem coniurarat, non amplius alienanda illa, sed ad ditionem Regiam redigenda, eique in posterum applicanda esse constituit. Paruo igitur collecto exercitu, Boleam haud multum de eius deditione dubitans contendit; Legatosq; ad tentandum oppidanorum animos præmisit: Verum multo aliter res successit. Nam Ferdinandus, audita Ahonesii nece, protinus Regis mentem suspicatus, cum magna militum manu, commeatu, & re frumentaria, sese in oppidum immisit: sperans, suscepta eius defensione, ac nullo in Ahonesii locum legitimo succedente hærede, se, non modo omnia illius oppida, & duo Regna occupaturum, sed Regias quoque vires oppugnaturum; fretum ope, & auxilio Cæsaraugustani Antistitis, qui potens erat, atque fraternæ vlciscendæ cædis desiderio flagrabat; ac etiam Moncadarum, aliorumq; vtriusque Regni procerum, quos beneficiis sibi deuinxerat. Vnde cum non modo Boleæ; sed vniuersorum Ripagurtiæ, & Sobrarbii oppidorum auxilia imploraret; ea omnia sese pro eo contra Regem munierunt. Cùm igitur Rex oppidum, propugnatore Ferdinando, bene munitum inuenisset, vltra progredi statuit; ipsas Ripagurtiæ, & Sobrarbii arces, & munitiora loca inprimis expugnaturus: quo tempore duo-

deuigesimum vixdum annum habebat. Verum Ferdinandus ira adhuc exardescens in Regem, ob Ahonesii necem: ac nonnihil sibi ab illo metuens, apertissimo iam odio & armis ipsum persequi deliberauit: neque se destiturum à cœpto interminari ausus fuit: quoad illum Regno expelleret. Quod facile fore factu putauit, & quod nihili præ se duceret Regem, ætate sibi, astutia, & sagacitate longè inferiorem: & quod ex superiore Regni procuratione, plerosque proceres sibi non defuturos certò sciset. Vnde facilè machinatus est Cæsaraugustanorum, & reliquorum fere totius Regni oppidorum, à Rege defectionem, excepta vrbe Calataiubio, vt historia fert Regis, atque vt alii quoque scribunt, Albarrazino, & Turolio, aliisque. Iamque vt Catalanos tentaret Ferdinandus, scripsit ad Guillermum Moncadam, ex superiori bello à Rege vehemẽter offensum, vt ad se quantis posset armatorũ copiis veniret, nec interposita mora fuit, quin aduentum is maturarit. Quo audito, Rex expeditione montana relicta, in planitiem descendit, ad oppidum Almudeuarum, indeque Pertusam concessit. Eo tempore Raimundus Folchius Vicecomes Cardonæ vna cum Guillermo fratre, ac sexaginta cataphractis, ad Regem venit, eique sese ad omnia paratissimum obtulit. Huius aduentus Regi valde gratus fuit, propterea quod Raimundus tanti esset apud Catalanos, vt multi eius exemplo Regem sequerentur. Inde præcepit Rex, vt Blascus Alago, & Artalus Luna, manerent in præsidio Alauonæ oppidi contra Cæsaraugustanos; cum Rege verò mansere ex proceribus Atho Focius, Rodericus Liciana, & Ladronius, omnium fidelissimi. Per id tempus Sanctius Ahonesius Pontifex Cæsaraugustanus, magnã militum manum coegerat ex his, qui ex fraterna factione supererant: qui neq; sacri sui muneris, neque debitæ Regi obseruantiæ memor, armatus ipse, ac noctu Cæsaraugustâ profectus, ad oppidum Alcubierrum, quod noluerat se antea Cæsaraugustanis adiungere, contendit; illudq; vi captum diripuit: ac quoniam quadragesimale ieiunii sacrum tunc agebatur, ira furens, tam iustum, se, contra Regem, perinde ac cõtra Turcas, bellum facere publicè profitebatur, vt milites ab omni direptionis culpa absolueret; adeoq; ipsis licere omnia, vt ne esu carnium, vel diebus prohibitis, interdici, tam sanctam contra Tyrannum, pro salute Reipublicæ operam nauantibus, constanter asseueraret; quinimo cœlestia se in eo bello sequentibus promittebat. Adhæc Cæsaraugustani, vt conspirationis suæ signum aliquod præberent, armati iterum vrbe exeuntes, Castellarium oppidum non lõgè ab Alauona situm petiere: seq; in insidiis collocarunt; præmissis paucis, qui sese Alauonensibus ostenderent; vt quibus prouocati illi oppido exirent, atque in insidias inciderent. Quos vt primum Blascus, & Artalus conspexere, rem, vt fuit, suspicantes, paucis in præsidio oppidi relictis, cum vniuerso equitatu noctu de tertia vigilia egressi, traiecto Ibero fluuio, sub auroram somno oppressos Cæsaraugustanos de improuiso aggrediuntur. Vbi adeo valide à Regiis pugnatum est, vt reportata victoria, partim capti, partimque occisi fuerint ex illis plusquam trecenti, reliquis sese in fugam coniicientibus. Quæ victoria Regi admodum grata fuit, eo quòd reliqua municipia & ciuitates tanquam membra deuicto capite, male sibi ominaturæ essent. At interim Rex, quandiu se Pertusæ continuit, balistas, aliaque magna tormenta bellica construi fecit; eaque mponi plaustris ad circumuehendum iussit; quod magno sibi illa vsui fore, ac necessaria dignosceret ad tantum, tamque diuturnum indictum sibi à coniuratis bellum gerendum: ad quod plane sustinendum adeò incitabatur Rex, vt tanquam palma, quæ insurgit oneri, quo maius atque atrocius illud erat, eo magis inuicto esset, atq; pręparato animo ad sese defendendum. Itaq; Pertusam profectus, vnà cum Folchio Vicecomite ac uis, Pontianum oppidum propinquum aggreditur, q; breui fuit expugnatum. Inde venit Cellas oppidum cum arce munitum, Pertusæ etiam proximum. Vbi prolatis mahinis; balistis, aliisque tormentis in debiliores muri partes, & in arcem directis, die tertio, ex quo mœnia quati cœpta sunt, præfectus arcis cum Rege pactus est; sese vna um arce & oppido dediturum illi, si intra octauum diem subsidium sibi non mitteretur. Conditione accepta, Rex pridie eius diei, quod deditio constituta fuerat, dimisso ibi exercitu, cum paucis reuersus est Pertusam, vt Pertusanis vna cũ peditib. oppiorum Barbastrii, & Beruegalii, quos colligi iusserat, insequenti die ad oppugnandas Cellas properarent. Quo ipso articulo temporis, Rege in æde Virginis orante, duo armati equites, citato cursu, Pertusam veniebant: vtpote Peregrinus Atrosillus, & eius frater germanus Egidius, qui Regem adeuntes renunciarunt, Ferdinandum & Peum Cornelium iunctis copiis, cum Oscensibus, & Cæsaraugustanis, venire festinanter suppetias Cellanis afferentes, neque procul abesse. Qua re intellecta, continuo Rex uatuor dumtaxat adiũctis sibi equitibus, Cellas ire parat, Pertusanis se sequi iussis cum

iis,qui à Beruegalio & Barbastrio tunc Pertusam venerant. Itaque in castra Rex veni-
ens,vbi Folchius,eiusque frater Guillermus, & Liciana cum reliquo exercitu ante Cel-
las substiterant,cum equitibus non plus octingẽtis,peditibus vix mille & sexcentis, Fer-
dinandum,& Cæsaraugustanos expectare decreuit; neque quadruplo maiores, adeoq;
scutatas,vt ferebatur,ciuitatum phalanges extimescebat. Sed Petrus Pomarius, sum-
mus Regis consiliarius,homo grandæuus,ac belli experientissimus, considerans Ferdi-
nandi exercitum esse Regio,& numero, & armorum genere longe superiorem, impen-
dereque Regiæ personæ manifestum periculum, eundem est adhortatus, vt quam citis-
sime in propinquum montem conscenderet,vbi natura loci tutus,sese ab exercitu, & ira
Ferdinandi defenderet;donec supplementum copiarum ex oppidis accederet. Cui Rex
viriliter animoseque respondit. Verus,ac legitimus Aragonum Rex ego sum,Petre, ac in
eos iustum,& legitimum meum exerceo Imperium,qui cum veri mei subditi sint, tamẽ
iniustè contrà me arma sumunt: vel potius tanquam serui nequam, contra dominum
conspirant. Quapropter iustiore quàm illi causa fretus ipse, non dubito, quin diuina o-
pe fiat,vt cum tã paucis,multitudini, atque exercitui ex seruis perfidis collecto facilè re-
sistere possim. Proinde stat sententia, me hodie, aut expugnare oppidum; aut ante eius
mœnia occumbere. Quare tuum, alioqui fidele,ac prudens consilium, in aliud tempus
magis profuturum asserua. Hæc cum dixisset Rex, animosior quàm vnquam, aciem ad
oppugnandum,perinde ac si præsentes essent hostes,instruxit; quibus non comparenti-
bus, labente die, oppidum vna cum arce, ex pacto ab eius præfecto fuit Regi traditum,
atq; à direptione seruatum. Captis Cellis, Rex Pertusam reuersus est, quo iam peruene-
rat Aspargus Pontifex Tarraconensis,vir pius,& sapiens,Regiq; vt diximus, cognatione
coniunctus: qui auditis controuersiis inter Ferdinandum,& Regem, ex quibus tanta in-
dies sequebatur rerum perturbatio,atque populorum in partes distractio;subindeque a-
pud Catalanos,Regia quoque autoritas magna ex parte minuebatur, de componendis
rebus agere tentauit. Veruntamen cum tam exulcerato inter sese vterque animo esset,
ac Ferdinando tam persuasum regnare, quam Regi nihil de iure suo, ac possessione Re-
gni amittere;re infecta, Tarraconem remigrauit. Interim Oscenses amissis Cellis in par-
tes diuisi erant;atque in Regiam abire multi conabantur;sed in plerisque Fernãdina vin-
cebat: propterea quòd Ferdinandus ab eo tempore, quo Montaragonii Abbas religiosus
agebat,Oscensium animos largitionibus,milleque promissis ad se pertraxerat; meditãs
iam tum animo, quæ postea re fuit executus. Vnde, vt in conuentibus sæpè fit, maiore
parte meliorem vincente, Fernandina superauit: ideoque nouas res in Regem Oscen-
ses machinari cœperunt. Itaq; consilio habito, subdole tractatum est cum Martino Pe-
rexolo Regio ciuitatis Prætore,& aliis Regiarum partium, vt Regi renunciarent, se esse
veros, ac fideles illius subditos; cupereque ipsum venire ad se, recepturos magno planè
cum honore & applausu;& quæ vellet facturos sine cunctatione. Hæc vbi resciuit Rex,
vt ingenio erat facili, atque summo animi candore præditus, nihil mali de Oscensibus
suspicatus,illicò,dimisso exercitu, ne cum eo timorem populo iniiceret, quàm paucissi-
mis comitatus,Oscam profectus est. Cui viginti vrbis magnates extra portam,ad eremi-
torum Salasium obuiam processere,ab eisque honorificè exceptus Rex fuit;atque ab eo-
dem illi rursum benignissimè admissi: idemque,quo illos tanquam subditos fidissimos a-
more prosequeretur,humanissimis quoque verbis expressit; atque iunctis sibi Roderico
Liciana,& Blasco Maza proceribus, necnon Assalidio Gudalio, & Peregrino Bolasio
Aulæ præfectis,vrbem intrauit. Quo die populus lætitia effusus fidelitatis clara signa de-
dit: verum nocte ad arma est conclamatum, atque ex popularibus armati centum ante
Palatii fores pernoctantes,& quasi excubias agentes substitere. Horum perfidiam Rex
intelligens,atque magno se in periculo esse animaduertens;dum dies fuit,dissimulanter,
ac sereno vultu,ciuitatis magnates ad se venire,atque Senatum conuocari iussit. Ad quẽ
vniuersa ciuitas,& promiscua multitudo conuenit in atrium palatii, vbi Rex, ascenso e-
quo,indicto silentio,sic est allocutus; Viri Oscenses,neminem vestrum ignorare arbi-
tror,me verum,atque legitimum Regem vestrum esse: vosq;, vestraque omnia hæredi-
tario iure possidere: quandoquidem decimaquarta iam ætas agitur, ex quo maiores no-
stri,recta,nunquãq; intercisa serie,hoc Regno potiti sunt; per quam, longissima tempo-
ris præscriptione intercedente, tam arcta Imperii nostri cum obsequio vestro secuta est
germanitatis colligatio;vt ea tanquam naturalis, atque innata animis, cuiuis consangui-
nitatis connexioni sit longè præferenda: quòd hæc dirimi tempore possit; illa verò natu-
ra sit indissolubilis,ac solet indies magis magisque crescere. Quamobrem vehementer,
ac semper desideraui, ex meo erga vos amore elici vestram, atque totius populi placa-
tionem,

tionem,& cum honore vtilitatem;ad eaſque parandas & confirmandas, iura & priuilegia vobis à maioribus noſtris conceſſa,à nobis augeri;ſi modò expectatam nunc mihi fidelitatem pariant veſtra inuiolata hactenus erga eoſdem maiores & fides & obedientia. Quo planè minus debuiſſetis vos tam pacatum Regis veſtri ingreſſum, quem tot tantiſque lætitiæ,atque pacis indiciis excepiſtis; rurſum nunc armis, & apparatu bellico deformare;ne de veſtra erga me fidelitate vllam mihi diffidendi occaſionem daretis, maximè verò cùm ad vos ipſe non inuocatus,ſed rogatus omnino venerim; atq; veſtro demum debito,& promiſſo obſequio confiſus,dimiſſo exercitu,vrbem hãc non diruturus, ſed amplificaturus intrauerim. Hæc cum dixiſſet,breui à magnatibus reſponſum fuit; ſe, Regium, atque propitium eius animum erga Oſcenſes magni ſemper habuiſſe: eoque magis nunc, atque in poſterum habituros, quòd claro ſuæ erga Oſcenſes charitatis argumento,tam lenibus ad eos locutus ſit verbis;proinde cõſilio habito, voluntati eius ſatisfacturos. Vnde in ædes Abbatiatus Montaragonii ingreſſi,lõgo ſe ibi ſpatio tẽporis,expectante Rege continuerunt:fuereq; inter eos,tũ varii,ſatiſq; pugnantes habiti ſermones contradicentium,tum Regias partes defendentium auditi clamores:Fernãdina factione tamẽ,cuius nutu omnia tunc gerebantur, ſuperante. Ac neque interim defuere, qui rumores ſpargerent, & cum contentione aſſererent, Raimundum Folchium Vicecomitem,aucto Regis exercitu, venire prætextu liberandi Regis, ad vrbem diripiendam. Vnde tumultu orto in populo,ac conclamatis armis,Rex pacatos eos eſſe; atque ſe præſente,nihil tale à ſuo exercitu timere iuſſit;iamque ad comitia redierunt;ſed cõmotis ſubinde animis,atq; ad retinendum Regẽ,vt ſubornati à Ferdinando erãt,intentis diſtulere conſiliũ, quod oportunitas tũc nõ eſſet ad reſpondẽdum;atq; comitia dimiſerunt; Rexq; iterũ ſeſe in palatiũ recepit,diſpoſitis qui ante Palatii,atq; cubiculi fores,cuſtodias & excubias agerent.Erant autẽ cum Rege Rodericus Liciana, Blaſcus Mazer,Gudalius, [illegible] Rabaza vir prudẽtiſſimus,qui Regi erat à ſecretis. Quo tum aduenere Bernardus [illegible]rmus,Regis auunculus,& Raimundus Mompellerius, Regis quoq; ex matre fra[illegible]&Lupus Ximenius Lueſanus,qui cum ſatis bene armato paucorum equitatu,vt [illegible] nullo prohibẽte,ingreſſi ſunt.Ex quo denuo orta eſt in populo ſeditio,atque armo[illegible]ſtrepitus auditus;idque aperto iam animo retinẽdi Regẽ. Nam protinus vicatim ca[illegible]& armamenta diſpoſuerunt,ne equitib. vllus pateret exitus;fuereq; vrbis portæ ſi[illegible] occluſæ omnes.Id Rex intelligens,inſigni in eos vſus eſt ſtratagemate.Parari quippe conuiuium opulentiſſimũ,atque epulas,& cibaria multa vndiq; cõquiri iuſſit, ad illudq; [illegible] aliquot inuitauit;vt de ipſius præpropero abſceſſu ſuſpicionem populares deponerẽt. Interim Rex,ſago arrepto,& aſcẽſo equo,atq; Rodericus& Blaſcus, aliiq; tres equites,per ſecretos,ac decliues vrbis calles,ad portã Iſuelã, qua iter Boleã, deſcẽderunt. Quam tametſi clauſam:at præſidio tamen vacuã inueniẽtes, coactus eſt cuſtos eam ape[illegible] patẽte,continuit ſe ibi Rex,donec reliqui aduenere equites,qui foras egreſſi ſub [illegible]eridiẽ,in ipſo feruore Solis inſpectante populo,lẽto curſu,viã ingreſſi ſunt, quoad Raimundo Vicecomiti,cũ vniuerſo exercitu properanti facti obuiã, Pertuſam remigrarunt. [illegible] id tempus,nunciatum eſt Regi, Honorium Romanum Põtificẽ è vita migraſſe, quo [illegible]nuntio Rex valdè mœſtus fuit:propterea quod ſuæ,atq; Mariæ matris res illi maximę curæ ſemper fuerint:ac niſi impeditꝰ bello fuiſſet,haud dubie, iuſta eidem perquam ſolennia feciſſet.Interim ſucceſſori Pontifici,ſe,ſuaque omnia multum per literas commẽdauit,omnemq; obedientiam,ſuorum quoque Regnorum nomine, ampliſſimè exhibiturum promiſit.Cæterum cum tanti ſibi eſſet,res Regni componere,atque tã immoderate agitatum,& fluctuantem Ferdinandi animum pacare (is .n. iam ſolus erat, qui communem rem perturbabat) controuerſias exortas denuò inter ipſum & Nunnium conſobrinum Sanctii nuper mortui filium, ſedare curauit. Neq; .n. aptioribus armis deuincere ſe poſſe inuenit,contumaces,totieſq; in ſe conſpirantes Ferdinãdi, aliorumque maleuolorum animos,quam patientia & magnanimitate: quibus ſummis ad regẽdum virtutibus, ipſum adoleſcentiæ ardorem, cui maxima ineſt conſilii imbecillitas, ita temperabat: vt præcox in eo ratio omnia ſuppleret:ac quanquam Ferdinãdo,ob ætatem deſpectui Rex erat,tamẽ ob ingeniũ,admirationẽ ſimul& timorẽ afferebat. Tametſi Rex eiuſmodi cõtemptũ Ferdinandi,totieſque exprobratã ſibi pueritiam,cum iam eſſet adoleſcens,nimis ægre ferebat: verum quemadmodum Ferdinandus ludibrio habebat puerilem ætatem, tanquam ad regendum ineptam: ſic rurſum Rex ſperabat fore aliquando, vt Ferdinãdo [illegible]apularem,vt probrum obiiceret,ſimilique ratione,qua olim Sanctium, ab omni ipſum Regni procuratione amoueret. Nam ad eundem modum illius etiam aſſeclas, Aragoniæ & Cataloniæ proceres,quibus olim deſpectui quoque Rex fuerat,extrema iam æta-

te affectos ab se abiecerat. Quamobrem ne ea quidē ætate, à senili,& maturo officio desisteret, vna cum superioribus controuersiis, alias longè maiores, quæ inter Folchium Vicecomitem,& Guillermum Benearnensem inueterauerāt; & quas iidem apud ipsum deposuerant, sibi dirimendas assumpsit. Hæc namque in causa fuerant, vt vniuersa Catalonia, cum maxima Regiæ autoritatis diminutione, in duas factiones esset diuisa. Itaque Folchius, eiusque frater Germanus Guillermus, vna cum iis, qui eorum partes sequuti, damna acceperant, atque maximam suarum rerum iacturam fecerant, iubente Rege, inducias ad decem annos cum Benearnēsi,& suis fecerunt; vt tam diuturna cessatione belli pax confirmaretur: datis tamen à Folchio castellis quinque, cum totidem filiis optimatum obsidibus: ea lege, ac conditione, vt intra quinquennium, seruata pace, quotannis vnus cum Castello obses liberaretur. Quòd si quinquennii tempore, rupto fœdere, fuisset aliquid à Folchio, aut à suis in Benearnensem, suosue commissum; castella Folchii, vna cum obsidibus, amissa censerentur: nulla item damnorum compensandorum ratione habita; quòd communia, fereque æqualia vtrinque passi fuissent: cum aliis etiam variis conditionibus, quas longum esset, ac superuacaneum recensere: nisi quod recisa omnino, atque reuocata fuere omnia hinc inde inita ante pacta, iura, ac de inferendo bello promissiones; saluis tamen Regis iuribus; ac denuo eidem ab omnibus publica fide præstita. Quibus sedatis controuersiis, quæ antea Ferdinando adiumento fuerant ad trāquillum Regis Imperium perturbandum; exin deprimi Fernandina factio; Regia verò pars vincere, atque extolli cœpit. Ac demum ipse Ferdinandus non minus tolerātia Regis, quàm sua ipsius conscientia conuictus, professus est, se Regi publicè fidem dare velle: atque commissorum omnium veniam petere. Tametsi hoc ipso tempore, Cæsaraugustani, atque Oscenses, & Iaccenses, qui Ferdinandi partes sequebantur, solenni inter se inito fœdere, conuenere Iaccæ, quæ vrbs est vlterior, & Aquitaniæ proxima, in mediis Pyrenæi montibus, tamen in planitie sita, vbi multò data fide publica, inter alia promiserunt, se, sibi nunquam defuturos; sed pro communi peculiariq; vniuscuiusq; ipsorum bono, omnes simul propugnaturos contra quoscunq;, cuiussuis ordinis, aut conditionis existerent, qui eorundem Rempub. quoq; modo perturbare tentarent. Cuius conspirationis caput Cæsaraugusta fuit: causæ verò feruntur, inprimis tam diuturna Regnorum in partes diuisio: tamq; insolens subinde, atq; acerba nimis, cuiusq; partis in contrariam irruptio, ab omniq; non modo iure & iustitia, sed honestate & religione discessio. At verò Rex, qui tum agebat Pertusæ, audiens eiusmodi conuentus, se non consultò agi, suspectos habuit, quòd intellexit illos, non tam sua sponte, & bono publico ciuitatum, quàm occulta Ferdinandi, & suorum machinatione, ac neq; vt sese defenderent ab excursionibus: sed vt paratiores inde, atq; expeditiores ad offendendum essent, initos fuisse. Verum Ferdinandus iam ætate grauis adeoque labore, & itinere ambitionis defessus, multa secum animo versans, ac videns se, cùm superior factus esset ordine, tamen fortuna semper esse inferiorem: ac rursum Regis res, non fortuna, sed cum summa animi virtute, diuinitate quadam regi ac defendi, mentem, suarumque rerum quasi proram alio dirigēdam putauit: neque deinde tam quicquam cordi habere cœpit, quàm omni regnandi spe abiecta, sese Regi subdere ac reconciliari. Quæ plane omnia cum Guillermo Moncada, & Petro Cornelio, qui eius partes sequuti, à Rege etiam alienato erant animo, communicauit: facileque ipsis, qui similibus etiam laboribus fracti erant, persuasit, vt de reconciliatione cum Rege agerent: ad idque tractandum Oscam simul petiere: indeque legatos Pertusam ad Regem misere, qui renuntiarent, se Oscam venisse, esseque concordes, & paratissimos, vt verè, & ex animo, eius Regiæ voluntati, & arbitrio sese omnino submitterent, atque commissorum, quorum vehementer eos pœnituerat, veniam ab eo deprecarentur: modò extra Petrusam, quam sibi habebant suspectam, liceret ipsum adire, paucis comitantibus equitibus, dum non pluribus quoque ipse eò perueniret. Proinde data facultate, se illico ad eum concessuros. Qua legatione publicè renunciata, ab vniuersis proceribus faustè, feliciterque acclamatum est, propterea quod ex huiusmodi reconciliatione Ferdinandi, summa totius Regni pax, atque tranquillitas consequeretur. Ac protinus de consilio procerum, permisit Rex Ferdinando cum sociis venire ad se, in proximum, atque imminentem Pertusæ montem Alcalatensem, septem dumtaxat comitato equitibus: Rege cum totidem illò ascensuro. Itaque cum Rege venere Folchius, & eius frater Guillermus, Athofocius, Rodericus Liciana, Ladronius, quem Rex in historia, nobilissima stirpe ortum affirmat: tum & Assalidius, Gudalius, & Peregrinus Bolasius, cum alio, cuius nomen non extat. Ferdinandum verò cum Benearnensi, & Petro Cornelio, sequuti sunt Ferdinandus Perezius Pina, aliique ad eundem numerum.

Igitur

Igitur accedens Ferdinandus, ſupplex, ac demiſſo vultu, cum ſociis, à Rege exceptus eſt humaniſſimè; ac quo magis Rex eos familiariter ad colloquendum prouocaret feſtiuos ſermones interpoſuit, ſimilibuſque ab eiſdem reſponſum, eſt. Tametſi vniuerſa demum conſuetudo, à Ferdinando eò deuoluta fuit; vt ſupplex à Rege peteret dari ſibi veniam, ac commiſſa à ſe, ſuiſque, obliuioni mandari, atque in priſtinam ipſius gratiam omnino reſtitui. Deberi hoc ſibi, vt patruo, vt alumno, vt ſupplici, Regiæque eius Maieſtati vehementer, atq; ex animo addicto. Idipſum deprecatus eſt pro Guillermo Moncada, ſupplice, ac eandem ſimul veniam poſcenti, cuius ſubditi, alioqui omniũ Hiſpaniæ procerum potentiſſimi, fideli opera perpetuò vteretur. Quibus idem Guillermus ſimili quoq; vſus animi demiſſione, ſubiecit, notum eſſe Regi, quãta, quãq; coniuncta generis cognatione eius maiores attingerent Comites Barcinonenſes, Regis quoque maiores, illiuſque Principatus conditores; deberique ſibi ex eo maiorem gratiam, ac vel propterea maximè reſtituendam, quod acceſſione potentatus Benearnenſis, totius Vaſconiæ primatus, maiori potentia & facultate rerum inſeruire Regi poſſit. Se enim hactenus, quæcunque fecerit, non lædendi, ſed ſeſe potius ab eius ira defendendi cauſa feciſſe. Quod ſi aliorſum accepta illa fuerint, ac vitio data ſibi, veniam tamen ab eo pro ſe, ſuiſque deprecari; promittereque, ſe, nullo vnquam tempore bellum, quantumuis prouocatum, contra eundem moturum, talemq; operam, inſeruiendo illi, perpetuò nauaturum; vt ſingularẽ ſibi ab eo gratiam & commendationem promereretur. Hæc cum plurib. verbis ingemiſcẽtes à Rege peterẽt, ſeſe cum ſociis Regiis pedibus prouoluere nitebantur. Sed Rex iis ſublatis, conſilio habito, reſponſurum ſe dixit. Itaque concordi omnium ſententia, hæc à cõſilio deliberata ſunt; Primum, vt Ferdinandus, & Benearnenſis, cum reliquis, in gratiam Regis reſtituerentur, deinde vt de cõtrouerſiis, negotium alioqui grauiſſimum, iudicib. committeretur; poſtremo de nouis ciuitatum molitionibus, id Regis arbitrio declarandum reſeruaretur. Iis deliberatis, atq; Ferdinando expoſitis, Rex magna cum alacritate, Ferdinandum, Guillermũ, & Ximenium, alioſq; proceres, cum Regiã ipſi manum prius fuiſſent reuerenter oſculati, omnes amplexus eſt: ac protinus vniuerſas totius Regni partes læta concordię fama peruagata, ſupplicationes decretæ, gratulationeſq; ad omnia Dei tẽpla habitæ fuerunt, miraq; populi exultare lætitia cœperunt. Nã etſi cõtrouerſiæ populares erãt, etſi dãna permulta & cõpenſationes difficillimæ; pacis tamẽ ſtudiũ, & cupiditas tãta erat, vt facilia factu fuerint, quæ olim intolerabilia, & quã difficilima videbãtur. Quamobrẽ Tarraconẽſi, & Ilerdẽſi Antiſtitibus, ac Mompenſatio magno tẽpli magiſtro, omnes controuerſias dirimẽdas remiſerunt; eorumq; ſentẽtiæ, publica atq; cõmuni fide præſtita, ſtare promiſerunt. Earum potiſſima, omniumq; difficilima fuit, compẽſatio damnorum, quę Rex paſſus eſt ob coniurationẽ Ferdinãdi, ac etiã Sanctii Ahoneſii Antiſtitis Cæſarauguſtani, ſuo, atq; Sanctiæ Pereziæ relictæ Petri Ahoneſii; necnõ & Petri Cornelii, Petri Iordani, & G. Atorellæ nomine. Quæ dãna, vrgẽte fiſco, reficiẽda erant: quin & mutua eorundẽ inter ſe data fides, promiſſiones, & iureiurando confirmata pacta ad coniurationẽ, ante omnia reſcindẽda penitus, & abolenda. Iis obiiciebat Sanctius, oportere quoq; reſtitui Ahoneſianis oppida & caſtella, quæ Rex, mortuo Ahoneſio, quãprimum vi ceperat; ac etiã magnam pecuniæ vim, quam ab eo mutuò acceperat; proque ea, oppida & caſtella quædam oppignerata illi fuerant. Quibus auditis, iidẽ ipſi iudices maturè deliberarunt: ſcilicet, vt in primis traderẽtur Regi à Ferdinando, & aliis, omnia coniurationis inſtrumenta, tam à proceribus, quam à ciuitatibus, quã à priuatis ciuibus, vbiuis ſtipulata: ac etiã Ferdinandus & alii, publicam fidem vna cum obedientia denuò Regi præſtarent: Rexque rurſum Ferdinãdo, quo nullus illi erat cognatione propior, honoris gratia, triginta equeſtria Regni ſtipendia, ad annum dono daret: ab omnique ipſum læſę Maieſtatis crimine, aliaque ob coniurationem culpa, libẽter, atque ex animo abſolueret: ac daret fidem poſſe in poſterum Ferdinandum, ſeſe illius Imperio commendare. Simili etiã pacto ſancitum eſt, Sanctium Antiſtitem eſſe in Regiam quoque gratiã recipiendũ: ac propterea quòd iuſto fraternæ mortis dolore preſſus fecerit quod fecit, extra omnẽ culpam ponendum: ſeque vna, & ſacroſanctam Cæſarauguſtanam Eccleſiam, ſuo ſub præſidio & tutela Rex tenendam & defendendam promitteret. Quin etiam vt caſtella, quæ Ahoneſius olim ex Regio munere viuens obtinebat, Regiæ ditioni reſtituerentur: Quæ verò hæreditario iure Ahoneſii erant, ea Sanctio fratri remanerent: cui & erogaretur quæcunque pecuniarum ſumma olim Ahoneſio à Rege debita. Eandem Regis clementiã experti fuerunt antedicti, Cornelius, Atorella, & Iordanus, cæterique alii, qui Ferdinandi partes ſecuti contra Regẽ coniurarant. Adhæc vniuerſi vtrinque in cuſtodiam & vincula coniecti homines liberati, atque caſtella etiam & oppida occupata, ſuis quoque

dominis restituta fuere: excepta arce, & oppida Cellarum, quæ à Rege vi & armis capta
Regiæ ditioni perpetuò addicta fuerunt. Demum declararunt, non esse negandas indu-
cias iis, qui coniurasse dicerentur, intra decem, supra annum, dies; vt eo tempore de abo-
lendo crimine negotiarentur. Neq; interim obliuioni à Rege dati, qui difficillimo, peri-
culosissimoq; eius vitæ tempore, ipsum fidelissimè sequuti sunt: quos singulos suis quoq;
muneribus, atq; honorariis insigniuit. Nã ex iis, Artalum Lunam, qui pręfectus erat vrbis
Borgiæ, Tirasonę finitimæ; & Garcesium Aguilarium, summum Calatrauẽsis ordinis prę-
fectum in Aragonia, cui inclytũ Alcanicense oppidum obtigerat: necnon Perezium A-
guilarium, dominũ Rhodę oppidi, ad ripas Salonii fluminis situm, eorum ditiones, & prę-
fecturas, cum aliis quoq; equestrib. stipendiis, quæ obtinebant, confirmauit. Quod ad ci-
uitates pertineret Cæsaraugustanã, Oscẽsem, & Iaccẽsem, quę nuper, vt diximus, falso de-
fensionis nomine obiecto, sese de potestate regia subtraxerant, Rex id seorsum sibi diiu-
dicandum reseruauit. Sentientes ciuitates, restituto in Regis gratiam Ferdinando, & aliis
ipsius factionis, solis ipsis veniã à Rege denegari; protinus, ne cunctatione maiorẽ Regis
indignationem subirent, legationem vltrò mittere (quod timoris signum est) decreue-
rũnt. Vnde Cæsaraũgusta quinqueuiros suos, Osca & Iacca, suos quoq; primates legatos
ad Regem miserunt, cum amplissimis mandatis ad pacem, & veniam deprecandas. Qui
Pertusam intrãtes, cum primum intellexere Regis animum male esse erga eos affectum,
neque beneuolè ipsos auditurum, ad Antistites Iudices venerunt, eisque mandata osten-
derunt, nihil præterquam pacis, atque veniæ deprecationem continentia; ac modo in Re-
gis gratiã reciperentur, se, quæcunq; per Iudices pronuntiarentur decreta, tam proprio,
quam ciuitatum nomine, ad vnguem approbaturos. Qua petitione pacatus Rex, pronun-
ciari fecit per iudices: vt quamprimũ abolerẽtur per ciuitates earũ pacta omnia, mutuęq;
promissiones, & iusiuranda ad cõspirandum, vsq; in eum diẽ trãsacta. Deinde vt fides pu-
blica, & obedientia ab vnaquaque illarum denuò Regi præstaretur. Præterea vt iniuriæ,
& damna à Regio exercitu illata, & quæ iure belli fiunt, remitterẽtur; necnon eos, qui ex
Regiis capti, & in custodiã traditi fuerũt, eorumq; bona ab ipsis compilata, educerẽtur de
custodia; eisq; de publico bona restituerentur. Quæ omnia Legatis habentibus rata, Rex
quoque eos, qui de ciuitatib. capti vinculis tenebãtur, eripi iussit, ac Legatis restitui. De-
mum Rex approbatis, atque denuo confirmatis plebiscitis, iuribus, ac priuilegiis ciuita-
tum à maiorib. suis ipsis concessis, pacatis omnibus, Ilerdam abiit. Quo (vt alterius finis
concordiæ, gradus esset futuræ) tum venerat, Regium fauorẽ imploratura Aurembaxis
filia Armengolii vltimi Vrgelitani Comitis, cuius superiore libro diximus, fuisse à Re-
ge ius reseruatum ad repetendum comitatum Vrgelitanum à Gerardo Vicecomite Ca-
breræ occupatum; ea quippe lege, & pacto is illum à Rege acceperat. Itaq; Aurembaxis
à Rege petiit restitui sibi comitatum. Quod cum iuste peti, tum sui muneris esse videns,
quod antea promiserat exoluere; rem se vt propriam suscepturum, iisdem pactis, ac con-
ditionibus, quibus prius, Aurembaxidi denuntiauit. Nempe si primum Aurembaxis tan-
quam legitima Vrgelitani comitatus hæres, cederet de omni iure, & actione, si quam ha-
beret, ad Vrbem Ilerdam, olim à comitibus, quacunque ratione & causa obtentam. De-
inde vt icto fœdere perpetuo, atque beneficiario iure recognosceret, se, à Rege comi-
tatum accepisse. Præterea pacto quoq; adiecto, vt & ipsa, & eius successores pace & bel-
lo tenerentur, Regem eiusque successores recipere in arces, siue oppida nouem, scili-
cet Agramontium, Linerolam, Menarguesium, Balaguerium, Albesam, Pontium, Vlia-
nam, Calasanzium, & Albedam: modo Rex etiam restitui curaret Aurembaxidi oppida
& arces, quæ ab ea occupauerat Pontius Cabrera Gerardi filius. Demum adiecit ipsa,
similique pacto promisit, se nulli, quàm cui Rex vellet, nupturam viro. His transactis, iu-
reiurando promisit idem, præsentibus suis, & quibus comitata proceribus Aurembaxis
venerat, se, cum omni ope & armis non defuturum, quoad eam in totius Comitatus pos-
sessionem immitteret. Itaq; conuocato consilio, cui tunc præerat Berengarius Eril Anti-
stes Ilerdensis, edixerunt, vt Gerardus in ius vocaretur, atque intra certum tempus siste-
ret se Regi; audita que Aurẽbaxidis petitione responderet. Verum neque Gerardus, ne-
que Pontius, tametsi bis in ius vocati fuerant, comparuerunt: sed eorum nomine Guil-
lermus Folchii frater Regi astitit, asserens Vicecomitem Cabreræ, simul & Vrgelitanum,
nullo iure obligari ad sistendum iudicio ob ea, quæ iusto titulo per viginti annos, & eo
plus possidebat. Cumque interim Guillermus Zasalanus omnium sui temporis iuriscõ-
sultus peritissimus, allegatis Aurembaxidis iuribus, instaret, vt Rex Gerardum ad restitu-
tionẽ oppidorũ, quæ ab illa vsurpauerat, compelleret; Guillermus nihil aliud respondisse
fertur, quã Cabreranum nõ ideo casurũ esse causa, quod hæc à multitudine legũ per Za-
salanum

ſalanum,allegaturum obrui videretur:innuens, eiuſmodi litem nõ eſſe coram literario, ſed coram armigero Iudice,quòd in armis ius eſſet,conteſtandum.QuodRex intelligẽs, atque obſtinatam Gerardi duritiem, non amplius verbis,ſed armis eſſe potius mollien- dam decernens, protinus ſcripſit ad Tamaritum Literanum,oppidum Aragoniæ incly- tum,paruo diſtans ab Ilerda interuallo,præcipiens magiſtratibus,vt cum magna oppida- norum manu,& commeatu triduano,Albeſam comitatus oppidum conuenirent:ac et- iam literas ad Guillermum,&Raimundum Moncadam,&Guillermum Cerueră,Catalo niç proceres dedit,exhortans,vt quantis poſſent propriis,&amicorum copiis coactis ſibi adeſſent ad eius belli ſubſidium,cui ipſemet præeſſe decreuerat. Itaque ſubſidiorum ſpe fretus,tam paucis comitatus ad bellum Ilerda profectus eſt;vt cum Petro Cornelio ante- ſignano vix tredecim equites ſequerentur. Vnde perueniens Albeſam,quo tametſi non- dum Tamaritani venerant, ibi tamen inuento Bertrando Calaſanzio cum expeditis mi- litib.ſeptuaginta, Albeſanos obſidere,ac conterrere ſtatuit: ſua enim conſpicienda præ- ſentia & aſpectu, nõ minus formidoloſus, quàm amabilis vbique erat.Dum igitur oppi- dum expugnari incipitur;oppidani quamuis à maiori exercitu ſeſe potuiſſent defendere, tamen conſpecto Rege defeciſſe animo viſi ſunt;quandoquidem poſtero die, vix cõſpe- ctis Tamaritanis in caſtra venientibus,oppidum vna cum arce Regi tradiderũt.Quo per- acto,atque direptione prohibita, Monargueſium par Albeſano oppidum tranſit; illud- que ſtatim Regi ſeſe ſponte tradidit.Eò loci deuenere copiæ ex delectu Aragoniæ,&Ca- taloniæ cõparatæ,equitum trecentorum,cum expeditis mille peditibus; quibus,tanquã iuſto exercitu,reliqua comitatus oppida luſtrare,atque expugnare conſtituit. Nã profe- ctus eſt inde in oppidum Linerolam à Gerardo munitum,ſatiſque ad ſeſe defendendum paratum:ſed celeritate Regis præuentum,ac deditionem detrectãs, animoſè à Regiis eſt oppugnatum,atque vi captum; vna cum iis,qui ſeſe in præaltam,valloque & foſſa muni- tam turrim receperant.Inde ſe in vrbem Balaguerium contulit, quæ Sycori alluitur flu- uio,& tanquam totius comitatus caput habetur:vbi ſe Vicecomes Cabrera continuerat, eamque multo milite & commeatu compleuerat. Vnde Rex, traiecto flumine, qua par- te monticulus, Almatan dictus,vrbi imminet caſtra poſuit;cui loco magna pars vrbis ſe- ſe aperiebat:neque à pilorum coniectione,atque tormentorum emiſſionibus domus de- fendi poterant. Eo tempore adueniente Guillermo Benearnenſi,& Cerbera, cum co- hortib.iuſſu Regis coactis,exercitus fuit auctus ad numerum quadringentorum equitũ: peditum verò biſmille. Ac quoniam foſſa & muro oppidum munitum erat,neque comi- nus oppugnari poterat,duas immanes machinas fundibulares inſtruxit, quibus, coiectu lapidũ,murus & domus intus infeſtiſſime quatiebantur:quarum cuſtodiæ præfecit Rai- mundum Moncadam,cum aliis trib. proceribus,paucis tamen adhibitis militibus,quòd non longè eſſent à caſtris.Id ſciens Guillermus Cardona,qui vrbi præerat, cũ expeditis equitib. vigintiquinque,ac ducentis peditibus, ſub ipſum matutinum crepuſculum per muri oſtiolum ſecreto exeuntes,equites intentis haſtis,in cuſtodes irruerunt;pedites au- tem,accenſis facibus,machinas petierunt. Quem impetum Pomarius vnus ex cuſtodi- bus,aut quòd ſuſtinere non poterat;aut, vt Regem ſuſcitaret (viderat.n.diuiſos pedites, partim in machinas, partim in tentoria ad vtraq; ſuccendendum intentos) relicto Rai- mundo,illo properauit. Vnde Guillermus directa acie in Raimundum, feroxq; in eum prorumpens,ipſi,vt dederet ſeſe,quaſi victo imperabat. Cui viriliter reſiſtente Raimun- do,occurrit Rex, qui diſpoſitis,qui tentoria ab igne defenderent,de machinis ſollicitior, ad eas cum vniuerſa turma equitum procurrit: iamq; commiſſo prælio, ſuperantibus re- giis:& machinæ, & tentoria ab igne erepta fuere, & Guillermus cum nonnulla ſuorum iactura in oppidum abire compulſus.Itaq; perſpecta Balaguerienſium pertinacia,Rex a- mœniſſimos illorũ hortos, & ſuburbana ædificia vaſtari permiſit: ex quo magna ciuium conſecuta eſt in Gerardum indignatio:atq;ab eo tempore ab ipſis deliberatum,dedere ſe Aurembaxidi veræ ipſorum dominæ, quæ nuper venerat in caſtra Regis. Vnde ſecreto Legatos ad eam miſerunt de deditione acturos. At vero interim, cum quidam ex vrbe, qui per murum diſpoſiti erant, cum nonnullis de exercitu Regis colloquerentur,cõſpe- cti ab iis,qui arcem cuſtodiebant,ſagittis configebantur. Quare denuò commoti ciues, iam non clanculum, ſed apertè indignati contra Gerardum, noua legatione, ſe Regi & Aurembaxidi, vrbem cum arce tradituros obtulerunt. Quod ſentiens Gerardus, illico Regi ſcripſit ſe eſſe promptum arcem ei tradere, modò eidem præficeretur Raimundus Berengarius Agerius, qui vtriuſq; nomine teneret commendatam illã, quoad decerne- retur ad quem Comitatus iure ſpectaret. At Rex, quẽ accuratius ciues ſollicitabant, Ge- rardi oblata pacta & conditiones placere ſibi, ſed cum conſilio, ſe reſponſurum dixit:

remq; differebat. Sed Gerardus, siue stulte, siue consultò id fecerit, dissimulans, quasiq; ignorans ciuium negotiationem, perinde ac si Rex pactum accepisset, solus vrbe exiit, accipitrem manu gestans, atq; Berengarium Finestratium, vnum ex suis ad Regem mittit: vt qui iuberet Raimundum Agerium in arcem ex pacto venire; sed dum is quæritur, ciues vexillum Regis in prospectu omnium in arce collocarunt. Quod intuens, eius rei inscius Finestratius, confusus ac derisus inde abiit. Balaguerio capto, Gerardoq; Monmagastrum cum suis abeunte, protinus Aurembaxis à Rege in possessionem vrbis immissa est. Inde verò ambo cum exercitu Agramontium perinsigne comitatus oppidum contẽdunt, in quod se Guillermus Cardona defensurus intulit. Sed exercitus collocatus est in accliui montis Almenarensis, in prospectu oppidi, loco superiore ac commodiore ad oppugnandum. Id conspicatus Guillermus, noctu, antequam oppugnaretur oppidum, relicto eo & arce, occulte cum suis abiit: quæ protinus sequenti die in potestatem Aurembaxidis venere. Idipsum & Pontianenses decreuerunt, occultè misso Legato, qui renuntiauit, illos veniẽti Regi se illico udituros. Verum Rex eo venire noluit, quòd rescisset oppidum à Folchio Vicecomite defendi; quem nõdum, vt moris erat, prouocarat, neq; inimicitias indixerat antequam bellum in eundem mouisset. Vnde Agramontii sistens, Aurembaxidem cum Guillermo & Raimundo Moncada, atq; cum omni exercitu eo mittit; quindecim dumtaxat secum relictis equitibus. Accedẽte Pontium exercitu, neq; cõparente Rege, indignati Pontiani, oppido exeuntes, instructa acie, Regios magno animo aggressi sunt: qui ab illis viriliter excepti, commisso prælio, oppidanorum acies à regia tãdem in fugam conuerti cœpit; atq; cum magna ipsorum strage in oppidum cõpulsa fuit. Cumq; Aurembaxis locum ad deditionem faceret oppidanis; at ii constanter responderunt, nulli præterquam eidẽ ipsi Regi, se dedituros. Quo intellecto, Rex protinus eo abiit, cui vna cum oppido arx, quam Folchius reliquerat munitissimam, in potestatem venit: saluo tamen Vicecomitis iure, si quod ad oppidum haberet, Rege & Aurembaxide, pacto, atq; iureiurando id confirmantibus. Capto Pontio, Vliana, aliaq; montana oppida, & arces, quæ interluit Sycoris, se, Regi, & Aurembaxidi dediderunt, sicq; Aurembaxis, subsidio & ope Regis, totius comitatus domina & Princeps effecta est. Quam Rex illico Petro Portugalensi Principi, consobrino suo, qui eo tempore Portugalia exul in Aragoniam ad Regem venerat, in matrimonium collocauit. Demum Gerardus Cabrera, Vrgelitano comitatu pulsus, Templariorum societatem ingressus est; cuius filius Põtius, Aurembaxide sine filiis decedente, postea antiquo repetito iure, comitatum recuperauit. Quo finito bello, ac tum procerum Cataloniæ, tum ciuitatum Aragoniæ, commotionibus sedatis dimisso exercitu, Rex abiit Tarraconem. Vbi ostium ei magnum apertum est, diuina reserante manu, Ad permagna foris suscipienda facinora, factisq; famam gloriosissimè extendendam.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER V.

ANNVS Christianæ salutis ducẽtesimus vigesimus octauus supra millesimum, Iacobi verò vigesimus erat, quo idem multis antea Aragoniæ, Cataloniæq; procerum cum cõtrouersiis dirimẽdis implicatus, tum eorundẽ ac ciuitatũ conspirationib. cõprimendis præpeditus; atq; in habiliendo sibi Regno, tredecim circiter annos domi retentus; nullum adhuc foris bellum gesserat; nullas præterquam paucas extra Regnum excursiones fecerat. Ex quo angi quidem ille, premique vehementer solebat; quod ætatem tam aptam attingens ad gerenda bella, nondum tamen ipsos præsertim Christianæ fidei hostes Mauros, maiorum suorum exemplo, magno aliquo persequutus bello fuerat: non arces, non oppida, neque vrbes, in quas Christianam religionem induceret, ab eis vi & armis sustulerat. Id, quod à principio Regni sibi suscipiendũ proposuerat, tum maxime, cũ ad redimendos Christianos homines è potestate Maurorum, societatem illam religiosorum, de qua supra diximus, instituit. Ab eo quippe tempore eiusmodi belli motionem pro summa ipsius animi magnitudine commoliri cœperat. Verumenim cum eius rei maturitas nondum venisset; neque ætatis,

ætatis, neque consilii, neq; autoritatis demum, quorum summa in externis ducendis bellis ratio haberi solet, tẽpestiuitas accessisset; matura fuit ei cunctatione opus, seq; domi potius, quàm foris versatum fuisse, ac vel cum paucis, tenuibusq; exercitibus tyrocinium suum egisse, magis quoque consentaneum: propterea quòd necesse subinde fuerit eundẽ, tametsi paucorum ducẽ; at vniuersorum curam gerere: ac non per alios (quod in maximis fit exercitibus) sed per seipsum ordines ducere, præliis ac dimicationibus quibusuis interesse; militum laboriosissimis operibus sese immiscere; consilia pro tempore ac pro re capere; quin etiam maturare, cunctari, insidias timere & facere; sicque ab strenuo & valẽti milite paulatim & quasi per gradus, ad magni quoq; ducis, atque Imperatoris munus obeundum peruenire. Qua occasione, in tam continuis sese ille corporis & animi laboribus exercuit; adeoq; militaribus simul & Imperatoriis virtutib. profecit: vt quo magis tunc fuit domesticis intentus armis, atq; foras abire cohibitus; eo quidẽ ad inferẽda bella exteris euasit multa paratior: Haud secus quam in expugnatione vrbium, ad earumque diruẽda mœnia euenire olim solebat: dum adhibiti arietes & tormẽta, quò fuerant contenta & adducta vehementius, eò maiores emissiones habebant: Perinde vt etiã de Africano fertur: qui cum in Sicilia, Syracusis dies multos egisset, ibique præclarissimã illam Carthaginis euersionem per otium meditatus fuisset; ad idque tacitus tum multas extruxisset machinas, tum ad eas cõmoliendas, se toto animo applicuisset, in illam postea felicissimè prorupit. Ex quò appositissimè de illo hæc referẽs Valerius cõclusit, Strenua & illustria ingenia, quo plus recessus sumunt, eo maiores impetus edunt. Quod igitur in Sicilia Syracusana vrbs, tot terræ marisque commoditatibus oportuna, Africano profuit ad euersionem Carthaginis machinandam: id ipsum Iacobo ad Balearicum suscipiendum bellum, non minoribus quam illa oportunitatibus aucta præstitit Tarraco, vrbs antiqua & pernobilis Romanorum Colonia: ac nõ modo conuẽtus & Prouinciæ Tarraconẽsis; sed totius ferè citerioris Hispaniæ caput olim atq; Princeps habita. Quæ in edito monte posita, tametsi nunc parua est, atque ab ea, quæ fuit quondã plano etiã in loco explicata magnitudine, & ciuiũ frequẽtia, ad paucos redacta, tamẽ multorum operum splẽdore ac molibus, nunc quoq; cõspicua est, satisq; frequẽs, & amœna; atque ad colligẽdos exercitus, omnique ornãdas re classes cõmodissima. Idque oportunitate potissimũ tum subiecti ad ortũ maris; tum celeberrimi ad meridiẽ portus Salonii; quib. nõ solum piscatu copiosissimo; sed omni mercimonio & commeatu rerum abundat: præter opimã pastionis, atque syluarum magnitudinẽ, qua versus Aquilonẽ eius ager exuberat: maximeque tandem, ob latissimum vrbi adiacentem campum, ad occasum; hinc mari, illinc montibus vndique septum: qui & fertilissimus est, & multis aquarum deriuationibus irriguus; quibus fit, vt & cultissimus, & ad omnis generis propagandos fructus aliis longè aptior sit atque consitior. In quem ciuitas tot, adeoque præclara oppida & municipia tanquam colonias deduxit; vt ciuitatis illæ cùm pars magna sint, tum eidem perinde vt membra capiti pareant atque assistant. Eiusce ergo adducti commoditatibus Romani olim, militares in ea stationes posuerunt, & ad defendendam prouinciam, ac terra marique profligandos Carthaginenses, præsidia collocarunt. Ideoque vrbem & cinxere mœniis, & iuuarunt aquæductibus, & naualibus ad ædificandas classes munierunt: ac etiã vt Romanorum memoria perdignam ostenderent, duo inprimis Scipiones, non modo iure latii donarunt: verum theatris, tropheis, sepulchris, aliisque magnificis structuris operum & monimentis, quorum præclara adhuc manent vestigia, mirè ornarunt & amplificarunt. Qui igitur situs vrbis, atque amplitudo portus, cæteræque expressæ loci commoditates effecere, vt quęuis ab Aragoniæ Regib. susceptæ maritimę expeditiones, Tarracone tanquã oportuniore totius oræ loco inirẽtur. Quamobrẽ quę sese in ea ad Balearicã suscipiendã occasio Iacobo obtulerit, quã iusta ad huiusmodi commouendum & prosequẽdum bellum causa etiã se dederit, ordine dicamus. Pacatis omnibus Regnorum tumultibus, atque Aurembaxide, vt dictum est, in potestatẽ Comitatus restituta, Iacobus dimisso exercitu Tarraconem venit, adiunctis sibi Nunnio Sanctio Ruscinonensi atque Vgone etiã Emporitano Comitibus, necnon Guillermo Moncada Vicecomite Benearnẽsi, aliisque nobilissimis Cataloniæ proceribus. Quo etiã inuocati confluxere, Regẽ visẽdi gratia, plerique ciuitatũ optimates, aliorumq; ordinũ homines, qui ꝓ sedatis tot Cataloniæ discordiis, maximè vero Vrgelitana re cõposita, communẽ Regnorum pacẽ & concupitã diu tranquillitatẽ, ad eum gratulaturi conuenerãt. Itaque magno vndique in vrbẽ concursu facto, cum omnia ludis & spectaculis, Regem recreandi gratia, plena essent: Petrus Martelius ciuis locupletissimus & in numero optimatum descriptus, Regem cum vniuersis Aulę proceribus conuiuio excepit opulentissimo, illudque Catalano, vt vulgò di-

cunt,more celebrauit.Solent quippeCatalani,quos omnium maximè frugi homines,at-
que Lacones Hiſpaniæ vocãt,conuiuari raro;ſed perquam magnificè ac ſplendidè. Vn-
de triclinio magnificẽtiſſimè ſtructo in editiore loco vrbis,qua ſubiectũ eſt ei mare,vt lõ-
gè lateq; eius in omnes partes pateret inde proſpectus;poſt ſecundam menſam,quæ per-
uariis atque conquitiſſimis dapibus fuerat extructa; vbi depulſa fame, ac recreato gu-
ſtu,reliqui ſenſus ſuos quoque paſtus quærunt: mare, quod nunquam non paſcit ocu-
los,contemplantibus omnibus,Rex percontari cœpit; quænam inſulæ Tarraconi pro-
pius adiacerent. Tum Martelius,naualium rerum peritiſſimus,qui Mediterranei maris
Inſulas omnes ſæpius colluſtrarat,Baleares duas, maiorem & minorem, vna cum Ebu-
ſo,& Frumentaria,propiores ei continenti eſſe dixit: Quarum alteram, præſertim ma-
iorem, reliquis Ibericis inſulis latiorem fertilioremque eſſe aſſeruit. Quin & adiecit
etiam, deuictis illis, non ſolùm Chriſtianis omnibus toto mari reddi à piratis tutam na-
uigationem;ſed paucis ibidem extructis triremibus, facile eſſe tranſitu prohibere Afros,
ne Cataloniam infeſtarent. Demum tantam illis vbertatem, cum incredibili pecudum
& armentorum copia ac multitudine ineſſe ſubiunxit; vt eas, non frumentaria re mo-
dò, atque omni commeatu abundare;ſed lignis, ferramentiſque etiam ſufficere ad ma-
ximas ædificandas claſſes, ac inuolandum vltrò citroque in Africam, & Valentinum
Regnum;ipſoſque Mauros terra marique infeſtandum. Quæ cum dixiſſet Martelius,
aſſenſi ſunt ei vniuerſi conuiuæ,eiuſque ſententiam variis argumentis & rationibus con-
firmarunt;quibus plane Regem ad eiuſcemodi ſuſcipiendum bellum,toties à maioribus
ſuis initum,ſed ei fortaſſe diuinitus conceſſum ac relictum,vehementer inflammarunt:
eoque magis,quòd impia Mahometana ſecta ab Inſulis pulſa,ſua quoq; manu, ſacroſan-
cta Chriſti religio in eas eſſet inuehenda. Interea verò, occaſioni magna ſeſe eiuſdem
belli mouendi cauſa ſubiecit. Nam ſub id tempus, nuntius è Maiori Balearium allatus
eſt, fuiſſe ab eius Rege omnino negatas onerarias naues illas Catalanorum, quæ onu-
ſtæ mercimonio fuerant à Balearicis interceptæ, cuius rei cauſa, cum paulo antea Iaco-
bus Legatum ad Inſulam miſiſſet, qui Regem Retaboygum rogaret, vt eiuſmodi naues
reſtitui,atque conſecuta damna compenſare curaret;Legato idem ſuperbiſſimè reſpon-
dit:Cuiuſnam Regis hæc ſunt,quæ defers mandata? Ad hæc Legatus,Iacobi, filii ac ſuc-
ceſſoris illius magni Petri Regis Aragonum, qui olim præclariſſimo illo Idubedenſi
prælio, cæſis ac fugatis Mauris, ampliſſimam de illis victoriam reportauit. Quod ille
audiens, tanta fuit ira ſuccenſus, vt in Legatum contumelioſis emiſſis vocibus, parum
affuerit,quin inuolarit,& per cancellos ipſum deturbarit: ſed ſuorum conſilio repreſſus,
Legatum,re infecta, breui tota Inſula iuſſit excedere. Quo tandem Tarraconem remi-
grante;& quæ cum Rege Balearico ipſe geſſerit,ordine exponente;cõmuni Regis,omni-
umq; procerũ conſilio ac deliberatione,concluſum fuit: Bellum Balearicum, & adiacẽ-
tium Inſularum eſſe ſuſcipiendum: tum vt in poſterũ tot continuis Catalanorũ damnis
occurreretur, tum etiam vt Chriſtiana religione inducta, ſanctiſſimum Chriſti nomen,
eiuſq; Catholica fides,in ipſis Inſulis propagaretur. Fuerat enim in eiſdem à multis annis
à Sarracenis exercita tyrannis,quæ Chriſtianis Hiſpaniæ non minus ignominioſa, quàm
vehementer pernitioſa extitit. Maximè verò Catalanis, & Aragonenſibus: ob tam par-
uam illarum à continenti diſtantiam. Tametſi excuſari hi poterant, continuis Valen-
tini Regni, aliorumque Hiſpaniæ Sarracenorum bellis impediti. Quarum ergo tran-
quilla, diuturnaque Inſularum poſſeſſione, & affluenti earum vbertate, ac diuitiis po-
titi Sarraceni Reges: ampliſſimas,munitiſſimaſq; in eis arces,& oppida, condiderunt: ac
præ cæteris eiuſce maris Inſulis, Balearium maiorem, quæ omnium rerum copia affluit,
& à Coſmographis ſimili ratione, qua illa Aſiæ Cherſoneſus, aurea quoque depingi-
tur,habitationi accommodatiſſimam, atque amœniſſimam reddiderunt. In hac quip-
pe Regia erat, cæteræque Inſulæ adiacentes huic ſubditæ, per præfectos regebantur:
qui & piraticam exercebant, & eius maris Imperium omnino tenebant. Itaque re
mature deliberata, atque ab omnibus, diuino inuocato numine, concordiſſime con-
cluſa, Rex conuentus magnos Barcinone in proximum menſem Decembrem indici
iuſſit. Quo protinus conuenere omnes Regni Antiſtites ac proceres, necnon Baro-
nes, atque nobiliores equites, vna cum procuratoribus ciuitatum & oppidorum, cum
ampliſſimis mandatis, ad faciendum ea, quæ pro tam vtili atque honeſto ſuſtentan-
do bello, à Rege imperarentur. Quibus in antiquum vrbis palatium congregatis, ac
debitum Regi obſequium ordine exhibentibus, Rex ſolio regali ornatu inſidens, cum
purpura & ſceptro, aliiſque inſignibus Regiis, ad eos ſic verba fecit. Ex tam frequenti
conuentu,ac læto conſpectu veſtro, facile deprehendo,grata fore vobis quæcunq;, licet
grauiſſi-

grauissima, proposuero: cùm maxime compertum habeatis, me, nec maiora vnquam quàm quæ potestis; nec nisi quæ honorifica mihi, vobis autem vtilia futura sint, semper imperare solitum fuisse: ac neque alia potissimum, quàm quæ tum ad sanctissimum Christi nomen, eiusque verã religionem disseminandam; tum ad communem Reipub. vtilitatem, cum aliqua Imperii nostri dilatatione, procurandam conducunt. Hæc quippe mihi ab exordio Regni facienda proposui; ac nisi tot, tantisque in stabiliendo illo negotiis hactenus præpeditus fuissem, haud dubie, prouexissem. Verùm quoniam optata sese mihi iam occasio ad illa perficienda offert, necesse est, vt diuina in primis ope duce, vestroque simul auxilio comite, ad hoc, quod animo commolior facinus persequendum, vnà mecum accingamini: nempe ad Sarracenos, tam acerbos gentis ac religionis nostræ hostes, non modo terra prosternendos; sed mari etiam è Balearibus, proximis, atque adiacentibus huic regno Insulis, ad vnum propulsandos: vt ipsas quidem Insulas, cum eius maris Imperio, Christo primùm consecrare, ac nostro deinde Principatui adiungere possimus. Insulares enim eiusmodi Sarraceni hostes, quàm qui ex continenti nobis imminent, vobis infensiores sunt; vestrisque mercaturis ac nundinationibus, quas mari conuehi necesse est, multo perniciosiores existunt. Non solùm enim vos accessione & portu prohibent earum Insularum, quarum incredibilis vbertas, ac summa commeatus copia, vobis supplemento esse possunt; sed quæ alimento etiam, atque affluentiæ rerum omnium: vt quibus in potestatem redactis, præterquam quòd liberi eritis ab eorum, atque Afrorum, qui se illis adiungunt, vastatione & excũrsionibus; facillima etiam inde nobis fiet progressio in Valentinos hostes, quibus tantopere terra infestamur; vt subinde cùm terra marique tuti omnino sitis; tum secure domi, & cum tranquillitate viuatis. Quod plane bellum tametsi, vt fatemur, magni sit negotii, summique impendii & laboris; ac vel ex eo quòd maritimum, inexperto mihi subuereri licet; tamen quoniam & nauali disciplina, atque bellandi arte valde præstatis; & facultate; omnique armorum genere, mire polletis; & pro communi vestra vtilitate pugnaturi estis, meque in ea pugna antesignanum habebitis; non dubito, annuente Christo, notabili felicissimoque esse illud exitu concludendum. Quapropter, vt equidem confido, vos illico, vestramque operam & auxilium; aliaque ad eiuscemodi expeditionem necessaria, nobis liberalissimè præstituros: ita promitto etiam, vos rursum, præter æterna, quæ è cœlo præmia speratis, à præda quoque & spoliis hostium, iustam; atque perdignam laborum & impensarum vestrarum mercedem percepturos. Veruntamen quoniam parum sunt foris arma; nisi sit domi pax; dare quamprimùm operam oportet; vt quicquid discordiarum, seu controuersiarum, priuatim, aut publicè toto Regno inest; id breui, auctoritate nostra componatur: vt pacatis nostrorum animis, eorum in se inuicem efferuescens ira omnis in Sarracenos contorqueatur. Non enim contra illos poterit bellum feliciter adolescere, quod non Christiana pax pepererit, bonorumque concordia nutriuerit, atque diuinum Christi numen denique confirmauerit. Hæc ipso dicente, magnus repente à cuncto consessu, atque multiplex datus est plausus; illiusque proposita & postulata, incredibili fuere collaudata & comprobata clamore. Inprimis Ecclesiarum Prælati Tarraconensis, Barcinonensis, & Gerundensis, (neque enim aliæ tum erant in Catalonia primariæ Ecclesiæ, neque ciuitates) singuli ordine amplissimis verbis maximas Regi gratias egerunt, pro tam pia, Regnoque commoda, belli susceptione proposita. Cui, aut numerata pecunia, aut auxiliaribus copiis, se non defuturos promiserunt. Ac protinus, vt Regi mos gereretur, vtque in bellum omnia propenderent, ab vniuerso conuentu deliberatum est, fieri inducias & communem pacem toto Regno; quas singuli sub pœnis grauissimis habere, seruareque cogerentur: præcone misso à Cinga fluuio, quà propè influit in Iberum, ad Salsulas Galliæ Narbonensi confines, indeque secus oram maritimam, ad ostia paulò vltra Iberi; ab hisque aduerso flumine, ad Cingam, reuertente. Hoc enim triangulo vniuersa Catalonia describitur, cuius scilicet duo latera, duæ lineæ sunt ab eodem Cinga ductæ; altera in Salsulas per radices, seu ramenta Pyrenęorum; altera verò, secundo flumine Ibero, in eius ostia; à quibus rursum ducta, per Tarraconensem, Barcinonensem, Gerundensem, & Ruscinonensem oram in Salsulas basis, est mare. Deinde conclusum, vt ad eam expeditionem, Bouaticum, de quo supra, quod Regibus semel tantum primo Imperii anno dari consueuit, datamque fuerat Iacobo Montionis è custodia exeunti; eidem secundò penderetur. Hoc enim tanti erat, vt eo tẽpore quo ducũ, atq; Imperatorũ, vincendi, non cumulandæ pecuniæ, ac neque iccirco belli protrahendi mens erat, sufficeret ad tot militares sumptus. Præterea singuli Regni proceres & magnates, multa ad id bellum liberaliter

prolixeque promiserunt. Siquidem Guillermus Moncada Comes Benearnēsis, sese præsto huic bello adfuturum Regi obtulit, cum quadringentis equitibus, suis stipendiis conductis. Item Nunnius Sanctius, communi pace, aut induciis, necnon Bouatico in suo Comitatu Ruscinonis, Confluentiæ, & Ceretaniæ, admissis, cum certo quoque leuis armaturæ equitum numero, se iuuaturum pollicitus fuit. Nec non cæteri proceres, & Barones Regni, Ciuitates, & oppida certatim, pro cuiusque facultate, aut numero militum; aut numerata pecunia, se, Regem adiuturos obtulerunt. Itaque milites vbique in Aragonia, Catalonia, Aquitania, & Castella etiam conscribi cœperunt; qui constituta die Idu-um sequentis mensis Maii, Tarraconem ad portum Salonium, quo terrestres copiæ, atque ex omni ora classis confluxura erat, conuenirent. Insuper Rex litteris publicis, siue diplomatis, quæ sequuntur pacta, & conditiones adimplere, eisque omnino stare promisit. Inprimis, se, iis, qui suis stipendiis Regium exercitum, peditatu, aut equitatu, siue nauibus, aut nauali apparatu sequerentur, prædam, & spolia hostium diuisurum, atq; vnicuique pro ratione laborum & impensarum, iustam quoque partem traditurum totius acquisiti bello territorii, ac locorum, & oppidorum; reseruatis tamen, Regiæque ditioni applicatis iis, quæ pro Regia, & potiore exercitus summa sibi obuenirent: nec non Regiis, & basilicis, atque etiam pascuis regalibus, pratisq; pomariis & hortis, in vrbibus, ac oppidis, aliisque locis, inuentis. Quin & vniuersas quoque arces; & alia quæuis munita loca, tanquam necessaria Regi ad collocanda Insulæ præsidia, sibi retinenda sanxit. Adhæc ad tot sedandas lites, atque controuersias, quæ ex diuisione rerum, maxime bello partarum, exoriri solent, iure sæpe armis succumbente, se autoritate Regia, atque grauissimorum hominum iudicio, res decreturum. Iccirco diuisioni tam spoliorum, atque manubiarum, quàm territorii, oppidorum, seu aliorum locorum ab hostibus exceptorū, designauit futuros arbitros, Berengarium Palouium, Episcopum Barcinonensem, virum eximiæ sanctitatis; atque Comites Nunnium Sanctium Ruscinonensem; Pontium Vgonem Emporitanum, Guillermum Moncadam Benearnensem, Raimundum Folchium Cardonensem, & Guillermum Cerueram, qui licet Vrgelitano Comitatu priuatus, tamen magni semper erat nominis apud Regem, & proceres, neque facultas ei deerat ad Regem, bello paceque, summo honore prosequendum. Adiecit etiam, vt Prælatis Ecclesiarum, suis sumptibus Regem iuuantibus, præter decumas, & primitias eisdem iure diuino debitas, sua quoque territoria & spolia; nec non oppida, & pagos atque pro erigendis templis & sacellis, competentes census eorundem Iudicum arbitratu assignarentur. Postremò ne debellatas Insulas deseri contingeret, sancitum etiam, vt proceres, quibus prædia, siue oppida, & territorii partes obtingerent, tenerentur in eis residere, aut alios suo loco dimittere; alioqui ditioni, ac potestati Regiæ applicarentur. Hæc igitur à Rege, & proceribus Barcinone ad id bellum inferendum, pacta & constituta fuere. Vnde publica fide data, numero militum, quibus proceres aliique ad bellum profecturi erant; atque Bouatici collectione, designatis, Rex conuentus dimisit. Dum hæc geruntur Barcinone, Rexque in bellum totus incumbit, intellexit venisse Turiasonem, Io. Cardinalem Sabinensem Legatum à Pontifice ad se missum. Estque ad eum illico profectus: cumque ad oppidum Calataiubium venisset, quod nobilitate, atque tum ciuium amplitudine, tum societate municipiorum, secundas tenet in Aragoniæ Regno; nuntiatum est ei Zeitium Abuzeitium Valentiæ Regem cum paucis intrasse oppidum, magnoque opere petere ipsius congressum. Quo audito, stupentibus omnibus, Rex qui eius aduentum prępsciuerat, bono animo omnes esse iussit. Etenim aduenienteillo, aditum sibi ad Valentinum Regnum patere significauit: quòd literas iam diu secretò ab ipso Abuzeitio accepisset, quibus ille suo, atque Principis Abohamati filii nomine scripserat, velle fœdus, atque amicitiam cum eo inire, cupereque vnà esse, atque arcana quædam communicare: hac enim de causa in suspicionem suorum veniens, ac præsentiens illorum conspirationem, se aduentum maturasse. Hanc autem Rex illius aduentus occasionem fuisse tunc retulit, eandemque sua in historia expressit. Verum Burgensis ille Episcopus, qui generalem Castellæ historiam Latinè conscripsit, alia de causa Abuzeitium ad Regem venisse dixit: quòd scilicet Legatos ille, tum Romam ad Pontificem; tum in Aragoniam ad Iacobum cum litteris misisset; quibus, se, promptum obtulerat ad profitendam Christianam religionem: testimonioque esse, quod & à sæuitia, & ab excursionibus in Christianos iam diu temperasset. Qua patefacta legatione, quidam ex Regni primatibus Zaen dictus, multorum simul conspiratione adiutus, ipsum è Regno deiecit. Igitur ad Iacobum intromissus ille, Regio exceptus more fuit à Rege, & proceribus, atque explanata mente, & animo, quo erat affectus in Regem & Christianos; quodque suum nomen

daturus

daturus Christo esset, quumprimùm Regnum recuperasset; implorare cœpit summum ad id eius auxilium; fore etenim, vt & Christo, & Iacobo illud acquireret: quandoquidem Abohamatus eius filius, & in Regno successor, similiter esset erga Christianam religionem animatus: ac demum, se certum esse, bonam Regni partem, vt primum videret Iacobum sibi esse auxilio, in ipsius partes abituram. Quæ cùm audisset Iacobus, consilio cum suis inito, breui conclusum fuit, Abuzeitium, animaduersa eius causa aduentus, & affectu erga religionem Christianam, audiendum esse; ac dictis eius fidem adhibendam: neque negandum ei auxilium: sed omni re, atque armis iuuandum. Sic enim tum iniri, quamuis lentè, Valentinam expeditionem: tum magnum quoque fieri ad Balearicam, progressum: propterea quòd eiusmodi bello præpediti Valentini, nullo esse possent auxilio Balearicis; immò impedimento potius, ne à Murciensibus, aliisuè Hispaniæ Sarracenis Valentinorum defensioni intentis, iuuarentur. Itaque vocato Abuzeitio, Rex se se ei cum omni re milite, & armis atque commeatu liberalissime obtulit: pacto, & conuentione facta, vt ex omnibus oppidis, & castellis, quæ Abuzeitius recuperaret, quæ maximè ex antiqua diuisione ad Aragonensium ditionem pertinerent, quarta pars Iacobo Regi cum omni iure perpetuò cederet: quodque eorundem arcibus equites Aragonenses præficerentur: quæ verò Abuzeitius extra dictam diuisionem caperet, ipsius essent. Quare vt hæc rata fierent, promisit obsidum loco dare oppida sex, cum suis arcibus omnium munitissima, Cataloniæ, atque Aragoniæ confinia, vtpotè Peninsulam, de qua suprà diximus, Morellam, Cullarim, Alpontium, Exericam, Segorbium. Ac rursus Iacobus sese ad Abuzeitium defendendum, omnique ope iuuandum astringens, Castelfabinium, & Adamuzium oppida suis arcibus munita, Aragoniæ vicina, quæ olim Petrus eius pater in Valentino Regno armis acquisierat, obsidum quoque loco obtulit: modò duo Aragonenses equites eisdem præficerentur, qui fide data, pro Abuzeitio illa tenerent. Igitur ab eo tempore Abuzeitius Iacobi exercitu, ducibusque Petro Azagra domino Albarrazini, necnon Blasco Alagone procerum Aragoniæ præstantissimo, cum Turolensi equitatu, recuperando Regno, vna cum Abohamatio filio, operam nauauit. Atque hæc quidem mihi videtur longè verior & honorificentior causa fuisse Balsco Alagoni ingressus Valentini Regni, quàm quæ à nonnullis fœda satis, atque tanto indigna viro appingitur; nempe indignatum Blascum, ob magnam pecuniæ summam, quam ei Rex debuerat, cuius solutionem procrastinabatur & protrahebat: cum magna militum manu Leonoræ Reginæ in Castellam, ob diuortiũ (de quo paulò infrà dicemus) abeunti obuiam venisse, eamque multis à Rege cumulatam opibus diripuisse omnino ac præda parta in Valentinum Regnum profugisse. Id quippe tam audax facinus, si minus potuit supplicio Blasci expiari; debuit tamen restitutione rerum, Reginæ damnum compensari: de qua re, horrenda satis, atque de honore Regis non parum detrahente, cùm nulla facta sit eius in historia mentio, à vero quidem illam alienam putamus. Cæterum Rex bello in Valentinum Regnum, duce Abuzeitio, suscepto, quasi semente facta, ad bonam inde victoriæ frugem aliquando colligendam; vt expeditior esset ad Balearicum ineundum: à domesticis negotiis sese quamprimùm explicare curauit; ac quoniam dubii, atque incerti sunt belli exitus, antequam proficisceretur, de stabiliendo Regno, successoreque sibi diligendo cogitauit: nempe Alfonso Principe, ex Leonora Regina suscepto. Sed huic obstabat quammaximè diuortium, quod paulò ante Iacobus cum illa fecerat, tametsi diuortii causas nullas expresserat, præter impedimentum cognationis quarti gradus, quo se attingebant: vtriusque enim Alfonsus Hispaniarum Imperator proauus erat: inopi sanè causa, neque digna satis, qua matrimonium alioqui castum, & inuiolatum, tantaque cum dignitate iunctum, tum prole cohonestatum, dirimeretur: præsertim cùm tam facilè potuisset illud Pontificio confirmari diplomate. Quo minus vera esse potest, quæ de Legati aduentu causa à Petro Antonio Beuterio Valentino, satis curioso rerũ scriptore (quod pace tanti viri, olim magistri mei dixerim) affertur secũdo historiæ suę libro, quã ille Hispano sermone, de Iacobo edidit. Ait enim in Catalonia nobilissimã quandam fœminam fuisse, Teresiam Egidiam Bidauram nuncupatam, quæ sese matrimonio Regis & Leonoræ, antequam nuptiæ fierent opposuit: obiiciens, se antea clandestino cum Rege fuisse coniugatam, ab eoque duos filios suscepisse: sed à Rege quidem repudiatam, adiisse Romam atque summo Pontifici libellum contra Regem obtulisse: hincque factum, vt Pontifex Sabinensem Cardinalem Legatum ad Regem mitteret, cùm Rex diuortium cum Leo-

nora fecit, vt tam de diuortio, quàm de matrimonio Teresiæ cognosceret. Sed hæc cum multis causis, tum his potissimum constare non possunt; quòd tam ex Regia, quàm aliorum quorumque sui temporis scriptorum historia deprehenditur; Iacobum ante ætatem legitimam anno vix duodecimo exacto, Leonoram duxisse vxorem; adeoque ipsum imbecilla tunc facultate fuisse ad gignendum, vt per decem & octo menses, ne illam quidem cognoscere potuerit, tantùm abest, vt alteram prius duxerit; multo etiam minus vt ex ea filios susceperit. Quod si demus, Teresiam adiisse ea de caussa Romam, ipsaque instante, venisse Legatum ad Regem, de priori matrimonio acturum, num vsque adeò stultus Rex fuit, vt hoc ipso tempore, quo tantopere Teresiæ matrimonium auersabatur, diuortium cum Leonora faceret; quò maiorem Teresiæ locum ad se repetendum daret? Vnde tametsi vera sunt, quæ de Teresia narrantur, scilicet Regem duos ab ea filios suscepisse Iacobum & Petrum, oppidis Xerica in Valentino Regno & Ayerbio in Oscensi agro donatos: & Teresiam Valentiæ amplissimis censibus locupletasse; ibidemque ipsam cœnobium Monialium, in Valentiæ suburbiis, in loco Saydiæ dicto, erexisse: vbi vitam cum summa religione coluit: tamen, vt à vero discrepat omnino, Teresiam sese matrimonio Leonoræ antequam fieret opposuisse; ita rursum cum illo conuenire potest, illam, alterum coniugium, quo secundæ vxori se Rex iunxit, impugnasse. Vt igitur reuertamur eo, vnde diuertimus; cùm nulla ferè à Rege fuerit diuortii causa expressa contra Leonoram, fœminam alioqui Regiam, perpulchram, fœcundam, & castam; ac nihilominus diuortium tantopere ab eo repeteretur, creditum planè fuit, tam insanabilem plagam, non aliunde, quàm ab insito penitus, atque inusto menti odio erupisse, quod ex maturato eorundem matrimonio fuit mutuo conceptum; Iacobo tunc puero, ac duodecimum vixdum annum attingente, seseque incusante, vt est in eius historia, quod per XVIII. menses cum Regina corpus commiscere nequiuerit. Vnde ex hisce præmaturis nuptiis tantum odii, fastidiique concipi solet inter coniunctos, adeoque libidinis fomes, præ imbecillitate accendi magis; vt hinc ambo, non modo variis distrahi cogitationibus, à seque mentem alienare incipiant: verùm neque sese amplius contingere, neque simul viuere: quinimmo connubii vinculum, quo astringuntur, quàm maxime solui cupiant. Vnde colligere est eiusmodi præcocia atque maturata matrimonia, tanquam instabilia & caduca, esse quidem vitanda: nullisque humanis quibusuis commoditatibus priuatis maturitatem, atque tempestiuitatem naturæ esse præponderandas. Namque vt non potest eius arboris esse succus diuturnus, quæ nimis celeriter est maturitatem affecuta: ita præpropera matrimonia, quibus dictum est causis, cum infructuosa sæpe sunt, tum mutui odii, diuortiique periculum subire solita. Intereà Legatus de diuortio pronuntiaturus, re graui admodum, atque Leonoræ non parum iniuriosa, tametsi neque reclamasse illam inuenimus; indicto Concilio Turiasioni, præstantissimos quosque Hispaniæ Antistites ad illud aduocauit, Rodericum Archiepiscopum Toletanum, Aspargũ Archiepiscopum Tarraconensem: nec non Episcopos nouem, Burgensem, Calagurritanum, Segouiensem, Siguntinum, Oxomensem, Ilerdensem, Oscensem, Baionensem, & Turiasonensem. Qui omnes, præter vitæ, ac religionis integritatem, omnium literatissimi, atque prudentissimi erant: à quibus perspecta satis, atque explorata causa, Rex tamẽ ante constitutam diem sententiæ pronuntiationis in concilium venit, ibique in medio Antistitũ, ac etiam procerum, quos secum adduxerat, constitutus: ad eos sic verba fecit. Amplissime Legate, ac religiosissimi sacrorum Antistites, fateri cogor, me iam diu Leonoram Reginam duxisse in matrimonium, sanctæ matris Ecclesiæ auctoritate interueniente: neque dubitasse vnquam, verum inter nos, ac legitimum fuisse illud, eoque perstante, Alfonsum Principem filium ex ea suscepisse: quem vt proprium, ac legitimum semper habui, huncque ad regna successorem mihi delegi, ac me vita functo regnaturũ illum omnes toto Regno iurarunt. Quamobrem præmonitos vos esse volo, eiusmodi successionem in Alfonso filio, me omnino ratam, & firmam habere; & si opus fuerit, denuò Regia auctoritate ipsum legitimum mihi successorem decerno. Quibus expositis, surrexit discessurus: consurgentibus autem Antistitibus ad comitandum ipsum, manere eos, atque maturè rem cogitare rogauit: successione Alfonsi, de qua valde erat sollicitus, Iudicibus impense commendata. Nam de hac ipsa dubitans, ob diuortium: nuper cõuentu Ilerdæ acto, ac conuocatis Aragonensibus, Alfonsum successorem declarauit Regni Aragonum tantummodo, ac etiam Ilerdæ ciuitatis, quam sub Aragonensi ditione comprehendi voluit: nempe vt in reliquis, tum Cataloniæ, tum Mompellerii ditionib. qui nascerentur ex alia vxore filii succederent. Quam Regnorum diuisionem Catalani nimis ægrè tulerunt. Veruntamen iudices, vel quòd eos occulta potius quandoque,

quàm

quam publica, atque tabellis expressa causa moueat; vel quod in causis regiis, pro maiori bono Regni, arbitratu, quàm legibus vti magis expediat; quando certum est, ipsos minime, indicta causa, iudicaturos; tandem inserta sententiæ Regis confessione, siue protestatione, pronunciarunt esse locum diuortio, eoque non obstante, Alfonsum Iacobi & Leonoræ filium, verum ac legitimum patris esse successorem. Qua lata, atque ab omnibus comprobata sententia, confirmatisque Leonoræ oppidis, atque vrbibus, quæ in dotem illi antea constituta fuerunt; eandem in Castellam pretiosa supellectile, auroque & gemmis donatam ad suos remiserunt. At vero Rex Tarraconem reuersus est præstituto die Kalendarum Maii, quo omnes terra marique conuenturi erant ad Balearicum bellum ineundum. Cui rei magnam operam nauauit Rex, ibique mansit vsque ad mensem Septembrem, quoad vniuersa classis in portum conueniret. Igitur exercitu atque proceribus Tarracone congregatis, Rex denuo, Antistitesque & proceres, quæcunque in conuentu Barcinonensi acta & pacta fuerant de diuisione spoliorum, oppidorumque, ac territorii, ab hostibus acquirendorum, approbarunt; modò qui ex Aragonia sequebantur Regis exercitum proceres, similibus fulti auxiliis, paribus quoque prçmiis, ac spoliorum diuisionibus potirentur. Fuerunt quoque superioribus arbitris additi Barcinonensis & Gerundensis Episcopi; necnon Bernardus Campanius præfectus Mirauetensis, qui erat in his Regnis magni Magistri Templariorum Vicarius. Postremò quoniam parum erat Christianos milites, præsertim contra infideles hostes, scutis, telisque paratos ac armatos esse nisi animis armarētur; sacratæ crucis insigni, Christiano more, cunctos Rex insigniri curauit. Idque vt solennius fieret, Ilerdam cum magna parte procerum concessit: vbi in frequentissimo conuentu, Rex, & proceres cruce insigniti, atque sacræ militiæ auctoramento deuincti fuere ab eodem Sabinensi Legato, qui Turiasona tunc Romam reuertebatur. Quibus peractis Rex Tarraconem ad Balearicam maturandam expeditionem remigrauit.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER VI.

CLASSE clv. nauium partim in portum Salonium congregata, partim aperto mari è regione Tarraconis, & Cambrilii oppidi distributa: eaque simul & frumentaria referta re, & commeatu, omnique armamentorum genere munita: quod ea, quæ vsui sunt, non ædificandis modo; sed armandis & muniēdis classibus abunde Catalonia suppeditet, Rex protinus vniuersā recenseri, ac prout ordine disposita ad nauigandū esset, vnà & exercitū lustrari iussit. Erant autē nauiū magnæ onerariæ viginti quinq;, longę duodecim; reliquę, & speculatoriæ, & actuariæ, ad celeritatē nauigandi: aliæq; paulò latiores & humiles ad onera, & multitudinē iumentorū transportandā perplures, quæ omnes eundē numerum confecere, præter lintres, & scaphas innumerabiles, quæ longis, atque magnis nauibus subseruire solent. Militum verò vtriusque armaturæ multitudo, quamquàm nullibi expressa; tamen, vt coniici potest, ex eius in Insulas appulsu & recensione, peditum ad quindecim millia, equitum ad mille quingentos peruenisse creditur; exceptis auxiliariis, qui è Genua, èque Massilia, & vniuersa Prouincia, cum naui maxima, atque munitissima Narbonēsi, aliisque circùm maritimis gentibus sese, exercitui adiunxerant. Cuius gubernādæ classis præfectura, Raimundo Plicamanio Barcinonensi, viro cùm pernobili, strenuoque, tum naualium rerum peritissimo, demandata fuit. Qui autem primarii viri Regem sequuti sunt, eique multam vtilemque operam præbuere, vt refert Aclotius, aliique scriptores, numerantur in primis Episcopus Barcinonensis, vir non minus splendore generis, quam pietate, litterarum scientia, & sanctitate morum insignis, cū Guillermo Raimundo Moncada, & aliis sui quoque generis. Tum & Nunnius Sanctius Ruscinonis, Confluentis, ac Ceretaniæ Comes; & cum eo plerique alii Cataloniæ Barones: quin &

Raimundus Moncada Comes Benearnensis, cum lectissima quadringentorum equitũ
cohorte,cæterique vtriusque Regni ex ipso iuuentutis flore delecti nobiles.Itaque para-
tis omnibus præstituto die, sacris de more confectis,ac vt Christiana pietas,tamque san-
cta expeditio postulabat, eodem ministrante Episcopo,Regi ac proceribus diuino Chri-
sti corpore communicato,cuncti naues conscenderunt. Iamque signo dato, sic è por-
tu soluerunt, vt scilicet nauis Nicolai Bonetii Barcinonensis,quæ armamentis, atq; cele-
ritate cæteris præstabat, qua & vehebatur Benearnensis, antecederet; altera Carrocii,
(de quo postea) postrema sequeretur : triremibus in medio constitutis, vt nauibus ante
& post sequentibus, subsidio esse possent. Itaque leni flante vento, tametsi nondum sa-
tis confirmato; tamen præ proficiscendi cupiditate, sub ipsum matutinum crepusculum
vela ventis data fuere. Rege quidem, qui expeditissima Mompellerienſium triremi ve-
hebatur, vltimò è portu soluente ; vt mille tunc è mediterraneis aduentantes milites a-
ctuariis exceptos nauigiis secum afferret. Quem protinus sequutæ sunt, quæ aperto ma-
ri resedisse nauigia diximus. Igitur magna cum alacritate, atque optima de euentu spe,
nauigantibus illis,contentoque cursu Balearium maiorem petentibus; cùm iamiamque
in eius conspectu essent,subito sese ventus Euronotus, qui sæpe in eo transitu flare con-
sueuit,magno impetu classi opposuit,eamque in diuersa distraxit, atque cursum institutũ
inhibuit. Vnde commotum mare naues,ipsosque potissimum vectores vsque adeo con-
flictauit; vt nonnulli de progressu; deque vita desperarent;atque triste profectionis omẽ
ex tempestate accipientes, de reditu in continentem cogitarent. Quin etiam milites,qui
mare nunquam intrarant,atque tempestatis insolẽtes erant,fluctuum agitatione & con-
flictu expauescentes admodum, Deo & Virgini matri sese verè, & ex animo commen-
dabant: mireque recordatione scelerum compuncti, prostrato & afflicto animo, Deo
(quod nunquam sic tota mente feçerant) litabant: non enim à sacrificio abest (Regio te-
stante Vate) spiritus conflictatus;quod fractum , atque contritũ cor Deus nunquam de-
spiciat. Is quippe sacer, atque omnino salutaris est fructus, qui excipitur ex marina tem-
pestate; nam ea quidem, non modò sanando corpori vtilis est , vomitione, vt solet, o-
mnem è ventriculo bilem excernens: sed ab intimo quoque animo impietatem omnem
expectorat; meliusque subinde quisque in vtroque, quod aiunt, homine,beneficio tem-
pestatis, mari quàm terra curatur. Non ergo triste, atque infaustum, sed quàm optimum
capiendum est omen ex marina tempestate: quæ omnibus cũ corporis, tum animi mor-
bis profligatis, nauigantes & Deo gratiores,& ad susceptum prosequendum facinus lon-
ge animosiores reddit. Itaque impediente vento, ne portum tenerent; nauarchi & nau-
cleri triremis Regiæ consilium fuit , vt tempestati cederent ; atque in continentem re-
migarent : esse quidem , ineunte hyeme, tempestatem maxime timendam, & secutam
post eam tranquillitatem ad nauigandum constantiorem existere. At verò Rex nequa-
quam reditum probauit; consideratè animaduertens, milites in terram emissos fastidio
maris illico in diuersa abituros, ideoque esse progrediendum; atque à Deo profectionis
suæ Duce, breui tranquillitatem sperandam. Vnde triremi sua plenissimis intenta ve-
lis, prætoriam Benearnensis nauem consecutus, eique præcurrens, seipse ducem classi
præbuit. Verum tempestate inualescente vsque adeò, vt Regis triremis, quæ sua antecef-
sione maiores maris impetus sustinebat, sæpe tota penè fluctibus operiretur: tandẽ ad oc-
casum solis,tum Euronoto remittente, tum Circio prospere ad portum tenendum flan-
te; nubilosa dissipata procella est, ac sese classis vno ferè tempore in conspectum vniuer-
sæ Insulæ dedit : fuereque portus Pollentiæ, Sollaris, & Almarauichi, vt inquit Rex, di-
stinctè cogniti. Est enim vniuersa Insula in formam quadrati redacta: quatuor constans
angulis, totidem præcipuis cœli partibus respondentibus. Quorum primum efficit Pa-
lumbariæ portus, eique Calubraria obiecta Insula parua, non quia colubros gignat; pau-
cos enim alit, sed quia serpentis speciem prę se fert, sic dicta: qua quidem occasus respici-
tur. Alterum est, caput Salinarum : cui obiiciuntur Capraria, & Cunilaria Insulæ, ac ver-
gunt ad meridiem. Inter quod & Palumbariam, medio fere in cursu vrbs maior amplis-
simò portu patens interponitur. Tertium conficit caput petræ ad Orientẽ situm. Quar-
tum verò turri sancti Vincentii designatur, cui Septentrionalis plaga opponitur. Estque
altera ferè totius Insulæ pars, tametsi montosa admodum, & asperrima, pastionibus atq;
sponte nascentibus oliuetis fertilissima. Altera verò, in latissimum, planissimumq; cam-
pum explicata: permultisque oppidis, pagis, & villis, ac suburbanis culta: cuius ager natu-
ra perbonus, diligentia etiam & cultura melior, omnium mundi feracissimus habetur: de
quo mox plura dicemus. Cum igitur in portum Pollentiæ, quæ paululum ad ortum de-
clinat, proræ nauium intenderent ; subito sese ventus Aquilo, prouincialem dicunt, in-
gessit,

gessit, qui denuò classis cursum inhibuit: & quia Pollentiam, illo flante, minime tenere poterant, necesse fuit classem in portum Palumbariæ longe tutiorem reflectere. Qui portus vergit ad occasum, & ab vrbe, Maiorica vulgo dicta, quæ Insulæ Metropolis est, triginta distat passuum millibus. Itaque secundo vento, Regia triremis, plenis velis in illum deducta est; ac vniuersa etiam classis paulò post ingressa: Rege quidem feliciter die Veneris, qui erat ad Kalendas Septembris, vt eius refert historia, in Insula pedem ponẽte. Vbi pro incolumitate classis (ne vna quidem in tanta tempestate amissa nauicula) immortales immortali Deo, eiusque sacrosanctæ Mariæ matri, gratiæ ab illo actæ fuere, aliaque sacra per Antistitem Barcinonensem fieri decreta. Insequenti die, iussu Regis, Nunnius Sanctius, & Raimundus Moncada cum singulis triremibus vrbem versus littora omnia legerunt, & portus collustrarunt, sicubi tutus esset militibus è nauibus egressus. Verum neque securius, quàm in proximum portum sanctæ Pontiæ, qui tametsi occasum respicit, paulo tamen versus meridiem inclinat; visum est classem posse inuehi: propterea quòd in Palumbariam valde magna Sarracenorum, & armata manus confluxerat, quæ militum egressum omnino impediebat. Interea cum dies esset dominica, iussu Regis, in anchoris fuere, ad radices Pantaleonis excelsi montis, qui præruptus est, atque è regione Insulæ Colubrariæ positus: quæ Insula suo quidem obiectu, Palumbariæ portum tutiorem efficit; curauitque Rex vt quam primùm ex labore tempestatis omnes reficerentur. Ibi ergo de his, quæ à sarracenis in vrbe fierent, quæue præpararentur ad eius propugnationem, certior est factus à sarraceno quodam, qui è Palumbaria, sese in mare proiecerat; ac versus classem enatans, magna contentione vocis, mari adhuc fluctuante, Regis colloquium petebat; quo protinus scapha in Regiam triremem subuecto, cùm esset Catalanæ linguæ gnarus renunciauit, sarracenũm decẽ millia in vlteriore parte montis prope Palumbarium esse collocata, vt Christianis occurrerent, atq; egressu eos & portu prohiberent: ac insuper in Regem oculos intendens adiecit. Bono te animo Rex esse volo; ventura enim est Insula in tuam potestatem: Ita quippe fore augurata est mea mater, quæ magicis instructa artibus omnium Insularium habetur sapientissima: quin & attestor etiã sarracenorũ armatorum triginta septem millia in Insula contineri: equitum verò leuis armaturæ quinque millia. Proinde adhortor, vt quàm possis citissimè portum teneas, exercitumque in terram emittas: in maturatione quippe tibi sita victoria est; antequam subsidium Tunetanum tibi, tuisque illam è manibus eripiat. Quem Rex ob lætum nuncium, euangeliis datis, manere quidem apud se iussit: quo postea in bello fuit exploratore, atque interprete vsus fidelissimo. Igitur noctu de secunda vigilia, cùm naues in anchoris essent, Rex cum duodecim triremibus littori appropinquauit; præparatis lintribus & scaphis ad excipiendos milites, equosque & iumenta in littus emittenda. Qui cùm à Sarracenis, qui erant in montibus conspecti fuere, quamprimùm quinque millia eorum magno, vt solent, clamore edito, in nostros impetum facientes, egressum impediebant. Sed triremium tanta fuit proras in hostes dirigendi contentio; atque missilibus inde tormentis illorum impetum sustinendi vis, vt locus fuerit Christianis in littus exeundi. Ex quibus primipilus quidam Bernardus Ruidemaius primus terram tenuit, prolatoque vexillo, signum dedit: quẽ secuta multitudo militum, viriliter sese in littus effudit, illiusque iussu, opponentibus sese agmini hostium cohortibus, equi & armamenta impune educta fuere. Hunc ergo secuti milites sexcenti in hostes irruerunt, adeoque strenue pugnatum est, vt illos in fugam coniecerint, atque toto Pantaleonino monte, qui portui imminet, potiti fuerint, locumque diligenter munierunt, vt in eo tanquam in specula collocati, terra marique oculis collustrarent vniuersa. Quo facto mirè exhilaratus Rex primipilum collaudauit, qui posteà Bernardus Argentona dictus est, atque ob felices eius militares progressus, finito bello, oppido & territorio sanctæ Pontiæ ipsum, & successores donauit. Quo simul tẽpore, Nunnius & Raimundus Moncada; quin etiam templi magister, cum Gilaberto Cruillo, & cl. equitibus in terram exiere, conspectantibus ipsos eminùs sarracenis, nec tamen exitu prohibentibus. Quorum stuporem admiratus Raimundus, cum ad eos propiùs accederet: neq; tamen dimoueri loco ipsos, neque instrui ad pugnandum videret, signo dato suis, paucos illos esse, atq; fugitiuos, exclamans, impetum in eos fecit, acerrimeq; insectatus est. Sarraceni verò Raimundi vim ferre non valentes sese fugæ mandarunt. Quos insequentes Christiani, ex eis mille & quingentos, vt historia refert, occiderunt, eaque singulari victoria ouantes in portum rediere. De qua re tametsi vehementer lætatus Rex fuit, eosq; mirè laudauit; tamen ægre ferens, quòd primo, ac tam insigni prælio minimè interfuisset ipse; dum iubet eos cibum capere, ac curare corpora, sequenti die sub auroram, ta-

citus cum viginti Aragonenſibus equitibus interiora Inſulæ petens , in eam partem
deductus eſt, vbi fuerat paulò ante prælium commiſſum : indeque proſpectis quadrin-
gentis ſarracenis peditibus , qui in accliuitate montis conſtiterant , aciem in eos dire-
xit. Qui vbi cognouere , ſe eſſe viſos , in eminentiorem collem traiicere cœperunt. Sed
protinus, quaſi venatione conſpecta, Rex ad ſuos; maturate, inquit, commilitones, vt ab-
euntes feras illas intercludamus. In quos illo duce inuecti , octuaginta ex eis trucidatũt.
Verum ne ex leui ſarracenorum fuga, nullaue repugnantia , ignauos , atque inertes Ba-
leares fuiſſe colligamus ; commemorandum profectò valentiſſimi Balearis ſarra-
ceni , hoc ipſo in conflictu , factum enarremus. Cùm enim Rex ſeorſum cum tri-
bus dumtaxàt equitibus in ſaltum quendam incidiſſet, occurrit vnus ſarracenus pedes,
lancea ſcutoque , ac Cæſarauguſtana caſſide armatus. Cui Rex , vt ſeſe dederet
imperans , conuerſus ille , in Regem vibrare lanceam , ac cum omnibus acerrime pu-
gnare cœpit. Ex quibus Ioannes Lobera Aragonenſis, ad eũ propius accedens, à ſarrace-
no lancea tranſfixo equo deturbatus eſt: verùm ſubitò erigens ſe Lobera, diſtricto enſe,
imminenti ſarraceno reſtitit; atque à ſociis accurrentibus, nolens ſe ille Regi vllo modo
dedere, contrucidatus fuit, eiuſque ceruicibus abſciſſum caput in caſtra allatũ. Itaq; obe-
unte Sole Rex ad ſuos reuerſus, ſumma cum alacritate & acclamatione ab omnibus ex-
ceptus fuit: atque intellecta interemptione ſarracenorum , illius præſertim , cuius caput
haſtæ infixum, in vultu robur indicabat; propter parẽ heſternæ victoriam, magna illi gra
tulatio facta eſt. Interea Rex, cuius iuuenilis animi impetus , ipſaque vincendi cupiditas,
ardorem mentis ad gloriam vehementer inflammabant , audiens Retaboigum Regem,
vrbe cum exercitu exceſſiſſe , atque in montibus verſari ; mirè geſtiebat prælium cum
illo committere: vtpotè quo ſuperato , aut fuſo , extenuatis vrbanorum viribus, facile ſi-
bi foret breui vrbem cum vniuerſa Inſula expugnare. Quamobrem vt ſuis iter ad vr-
bem aperiret, tumultuantibus caſtris; neq; ſe ad horam ferè vno certo in loco continen-
tibus, pugnas hinc inde cum obuiis quibuſque Sarracenis committens, victorias quoq;
quaſi venari videbatur: adeoque in has erat intentus, vt nulla neq; de frumentaria re, ne-
que de commeatu eſſet cura preſſus: ex quo exercitus ſubita opprimi fame cœpit: donec
idem claſſis pręfectus Plicamanius, cui frumentandi cura demandata erat, cibariis, q̃ ma-
ri conuecta ſupererant, exercitum euſque aluit , quoad pagani Inſulæ , vt depopulatio-
nem agrorum redimerent, frumentum, aliaque omnia ſpontè, atque in magna copia ex-
ercitui ſuppeditarunt. Cæterùm de nauibus , quæ in anchoris erant , prope promontori-
ũm Porraciæ, Auſtro expoſitum, treceni equites exierant: fuereque ab eorum explora-
toribus conſpecta agmina , iuſtuſque exercitus Balearici Regis , qui Sole occidente , in
monte Portopineo , qui mari prominet, atque vrbi , vt diximus , proximus eſt, apparue-
rant. De qua re Latro nobiliſſimus Aragonenſis eques , alæque equitum præfectus,
Regem certiorem fecit. Quo audito , Rex Benearnenſem , & Nunnium , alioſ-
que proceres , præſto eſſe , aciemque inſtrui iuſſit. Sequenti vero die , confectis ſa-
cris, quibus quotidie manè Rex intererat, atque curatis corporibus , conſilium habitum
eſt, magnaque ſuper ducendis agminibus orta diſſenſio inter Benearnenſem, Raimundũ
Moncadam, & ipſum Nunnium: vnoquoque tanquam pugnandi percupido, ſe in primo
agmine collocari expoſcente. Quæ controuerſia diutius protracta , in cauſa fuit vt ex
ſeruis, & calonibus leg o collecta, nullo ordine, neque duce expectato, magno impetu in
hoſtes ferretur. Quibus abeuntibus, Rex equa vectus, vnoque tantum equite Rocafor-
tio Catalano comitante , præcurrens , eos iuſſit conſiſtere , donec Benearnenſis & Rai-
mundus, tum & Emporitanus Comes, cũ lectiſſimis ſuæ, cognationis equitib. vna irent.
Qui non expectato Nunnio, dũ præcipites feruntur; ac dũ ex eo, quod in monte hoſtium
caſtra collocata vident, nequaquam ipſos tam propinquos ſibi adeſſe putant ; ex inſidiis;
ab vlteriore parte montis prodeũtes illi, elato clamore, noſtros ex improuiſo adoriuntur;
fuitque cruenta vtrinq; pugna commiſſa. Sed Emporitano , & Tẽplariis militibus in ca-
ſtra, aciem dirigentib. vt hoſtes diuiderent : Benearnenſi autem & Raimundo, ſiniſtrum
cornu hoſtium, quod valde confertum erat, aggredientibus , vſq; adeò vtrinq; conten-
tioſe pugnatum eſt , vt ter à noſtris illorum acies repreſſa fuerit ; totieſque ab ipſis etiam
repulſa noſtra: propterea quod ii, præ multitudine hoſtium ſparſi diuiſique pugnarẽt, ne-
que alii aliis ſubſidio eſſe poſſent. Sed rurſum, Chriſtianorũ acie inclinante , Benearnẽſis
& Raimundus, conglobato agmine, impetum in eam partem fecerunt, vbi acrius pugna-
batur : quo protinus eorum animoſo aggreſſu , redintegratum prælium fuit. Verùm
cum integri milites ſarracenis feſſis ſuccederent , nullumque noſtris contra mitteretur
ſubſidi-

ſubſidium, perturbatis ordinibus; tanta fuit hoſtium in ipſos concurſio, vt cum magna illorum ſtrage glorioſiſſimè dimicantes, tandem ambo conciderint; vnà cum Vgonibus Metaplanio, & Dezfario bellicoſiſſimis proceribus Catalanis, necnon & octo aliis ſtrenuis equitibus ex perinſigni Moncadarum familia, cum pleriſque aliis, partim occiſis, partim in fugam verſis. Quos minime ſecuti fuere ſarraceni, ſed præda facta, atq; ſublatis Chriſtianorum vexillis, ſeſe montem vbi caſtra poſuerant, cum magna ſuorum amiſſione receperunt. Sed Benearnenſis, & Raimundi interitus noſtris perquàm fuit acerbus. Interea Rex veniens in eum locum, quo ſe tenebat Nunnius, eiuſque agmen ingreſſus, ad Petrum Cornelium, Simenium Vrream, & Oliueriũ Thermenſem Gallũ, equitem nobiliſſimũ, qui tum Gallia exulabat, atque equitatui præerat, mandata dedit, vt cum vniuerſo equitatu, primo agmini, quod Balearici exercitus impetum ſuſtinebat, ſeſe immiſcerent; quòd viſa propè eſſet Chriſtianorũ acies inclinare. Quo peracto, Rex paucis ſibi iunctis equitibus, cùm in eum locum vbi pugna inita fuerat primus peruenisſet, obuiam ei fuit Guillermus Mediona Catalanus è pugna excedens, reſciſis labiis, ac vultu ſuffuſo ſanguine, ictu lapidis aduerſum os funda vulneratus: quẽ vbi cognouit Rex, obligato eius vulnere, hoc non tanti eſſe, dixit, quin eius inclyta virtus tali potius vulnere reuireſceret; quod audiens Guillermus, vt erat forti ac excelſo animo, illico in confertos hoſtes ſeſe pugnans immiſit, neque amplius viſus fuit. At verò Rex iuuenili exardeſcens bili, ignorato penitus triſti prælii ſucceſſu eorum, qui primi agminis erant, cum eiſdem equitibus per accliuem montem, vbi commiſſa pugna fuerat aſcendit; quem protinus ſecuti fuere ſub vexillo Nunnii, Roldanus Lainus, & Guillermus Regis Nauarræ nothus, cum ſeptuaginta leuis armaturæ equitibus; qui cùm in verticem montis perueniſſent, conſpecta ibi lati campi planitie, hoſtes partim fuſos, diſperſoſque, partim intra tentoria contentos, minimè tamen pugnæ intentos viderunt: niſi quòd ex apice Regii, vt apparebat, tabernaculi, vexillum candido purpureoq; colore diſtinctum pendebat, de quo regii equites, qui de ſiniſtro ſucceſſu prelii primi agminis non nihil præſenſerant, neque Regi indicauerãt, male ſuſpicati ſunt. Igitur in hoſtium conſpectum Rex veniens, videnſq; ipſos diſperſos, ac imparatos, aggredi geſtiebat; atque impetum feciſſet, niſi eum Nunnius, & alii, apprehenſis equi habenis continuiſſent: eique vehementer exprobraſſent tam ardentem animi impetũ, cæcamque vincendi cupiditatẽ, quibus neceſſe erat, ſe, ſuoſque cum vniuerſo exercitu in ſummas anguſtias, ruinaſq; ni temperaret, adducere. Interea Gisbertus Barberanus machinarum præfectus cum octoginta equitibus ad Regem venit, eique iniunxit Nunnius, vt ſignũ in eam partem caſtrorum, vbi tentoria fixa erant, cum promiſcuis peditum, atque equitum cohortibus inferret: ſed antequam eo peruenirent, ſarraceni ſeſe iam ad pugnandum collegerant, atq; ſono prius barbarico & vociferatione emiſſa, multitudine ac coniectu lapidũ, quos fundis circumactos, ad miram diſtantiam, certumque ictũ Baleares iaciunt, eouſq; Nunnii cohortes perſecuti ſunt, vt illum lapidum imbrem ferre non valentes noſtri terga verterent: quos ſarraceni inſequentes, deq; monte, ſeruato ordine deſcendentes, in dextrum cornu, vbi Rex erat, compulerunt. Verùm fugiẽtes animaduerſa Regis præſentia, quodque in tanto relicto illo periculo perfide diffugerent, animoſe conuerſa in perſequentes acie conſtiterunt; neque ſarraceni vltra progreſſi ſunt, quinimmò ſeſe in montẽ recepere. Quo tempore régia cohors cum equitibus grauis armaturæ centũ Regi adfuit; quibus ſummum ille montem conſcẽdẽs, ſarracenos magno impetu aggreſſus, inde expulit, atque caſtris potitus terga vertere coegit: quos tamen, laſſis ac defatigatis equis, perſequi deſtitit. Hæc autem acta ſunt Rege adhuc ignaro eorum, quæ in prima acie obtigerant, neque de illius clade, atq; interitu Benearnenſis & Raimũdi, quicquam ad ipſum fuerat perlatum. Quamobrem eo impenſius ad vrbem venire feſtinabat; facile factu exiſtimans, nõ modo ipſam capere, abſente illius Rege; ſed hunc etiam, qui montibus ſe continebat, intercludere; atq; ſarracenos omni ex parte aggredi; adiũcto ſibi primo agmine, quod antea Benearnenſis, & Raimundus ducebant. Cumque de monte Rex feſtinus deſcenderet, occurrit ei pernobilis Raimundus Alamanius, vir fortis ac bellicoſus, qui properantem illum, ac in pericula ruentem, conſtantiſſimè detinuit; ipſumque tanquam militaris diſciplinæ ignarum reprehendit: quod in loco vbi hoſtes deuiciſſet, minime ſe contineret, quoad ſuorum iacturam recognoſceret, eamque reportata de hoſtibus victoria compenſaret. Verumtamen grauibus Alamanii monitis vix ſe continere Rex poterat, quin vltra, citato gradu, ad vrbem contenderet; quoad mille paſſuum itinere confecto, Epiſcopus Barcinonenſis factus obuiam, eundem grauiſſime increpauit; propterea quod amiſſa meliori parte exercitus, atque conduplicato

periculo,imprudēs vltra ꝓcederet;vt,ſe,ſuoſq; omnino perditū iret:palamq; ſignificauit ei,
cohortes,q̃ primi agminis erāt,cū fortiſſimis Benearnēſi,& Raimūdo ducib. hoſtiū manib.
cōcidiſſe.Quo nuncio cōtriſtatus Rex valde, paululū demoratus eſt, quoad lamentabilē
ſuorū caſum & interitū ordine intelligeret, atq; vniuerſū agmen cū cohorte Regia eo cōue-
nirent.Quib.congregatis,vrbis iter primi cū equitatu proſequuti ſunt,vſq; ad montē Porto
pineū,è quo paulò ante Rex Sarracenos profligauerat,illoq; potitus fuerat. Inde enim pro-
ſpectus erat vrbis apertiſſimus,amœniſſimuſq;:in eaq; parte mōtis caſtra poſuit, in qua pla-
nities erat,quā riuulus,aquæ limpidiſſimæ è ſummo deriuatus, atq; in orbē ductus,totā ferè
cingebat:tāta inter ſeſe Catalanorū & Aragonenſiū cōcordia, quāta aliàs nunquā. Itaq; diſ-
poſitis cuſtodib.,& vigilibus, qui excubias agerēt ea nocte,quā Rex prope duxit inſomnē;
lamentabilē ſuorū Ducū interitū, quāto cū ſilentio potuit,ne ſuos exanimaret, animo pre-
mēs:ſimulata alacritate,cibariis appoſitis,poſtquā exercitū ab labore diurno refici curauit,
ipſe quidē receſſit in tentoriū Oliuerii Thermenſis,vt ſe ab labore & inedia,quā integro die
paſſus fuerat,recrearet.Ac vbi dies fuit in iugū mōtis aſcēdit,vt obiectā vrbē inde melius cō
templaretur,q̃ vt erat omniū Hiſpaniæ pulcherrima,ita etiā perāpla foſſa, & muro munita,
atq; expugnatu difficilis viſa eſt.Inde verò reuerſus in tabernaculū, prādio opulētiſſimo ab
eodē Oliuerio exceptus fuit;adeò vt Regi,tū ex amœnitate loci,tū ab optimo condimento,
& heſterna fame,non aliud fuiſſe ſibi vnquā ſuauius,ſæpius profeſſus fuerit.Nā exædificata
poſtea ibi villa ſumptuoſiſſima,villā boni prādii inde dictā fuiſſe,ipſa Regis hiſtoria teſtatur.
Deinde occidente Sole, Rex ſumpto Nunnio, aliiſq; procerib. in tabernaculū vbi Benear-
nenſis & Raimundi corpora iacebāt,eſt ingreſſus;eaque accenſis funalibus,atq; ſacerdotib.
orantib. circundata,tecta tenebantur. Quæ vt primū Regi ac proceribus retecta fuere, ma-
gnus cū eiulatu & plangore clamor ab omnib.ſublatus eſt,ab iis præſertim, qui erant illorū
cliētelæ & cognationis; quiq; ſe miſeros,orbos, atq; omni deſtitutos refugio lamentantes,
adeò de crudelitate Regis nōnulla inter fletus & lamēta miſcuerūt; vt neceſſe fuerit Regē,
hos ſeorſum conſolari,maiorē ſe quā ipſos,illorū interitu iacturā feciſſe, oſtendēdo. Vtpotè
quos præcipuos,ac ſummos belli duces, fidiſſimoſq; omniū rerū ſuarū adminiſtros habuiſ-
ſet:adeòq; de ſe illos fuiſſe benemeritos, vt eorū familiæ & clientelæ rationē ipſe ſemper eſ-
ſet habiturus,debitamq; mortuis mercedē,illis largè perſoluturū.Quo dicto vehemēter re-
creati omnes,ad perſequendū bellū,regiq; perpetuò inſeruiendū, mire animati fuerunt. Se
quēti die,caſtris poſitis,cōgregati proceres;iuſta defunctis facere volētes;linteis, ſtraguliſ-
que toralibus expanſis,atq; vbi oppoſitis,ne ab ea diſcerni poſſent,quæ in caſtris agebātur;
magna cū pompa & ornatu cadauera ſublata ab eiſdē; humeris elata fuerūt:præeuntib. ve-
xillis,cū illorū inſignibus:ipſoq; Barcinonēſi Antiſtite ſacrū exequiarū munus, cū nō par-
uo ſacerdotū numero celebrante;ac Rege,& procerib. cū vniuerſa atrata familia ſubſequē-
tibus; totis demū caſtris circūlata illa,in loculis condita,atq; ſacro in loco deponi iuſſa ſunt;
quoad finito bello, in Cataloniā in oppida ipſorū translata atq; inter ſuos repoſita fuerunt.
Quib. peractis,protinus oppugnationi vrbis operā nauare ſtatuerūt,atq; exercitu & copiis,
de monte in planitiē ante vrbē eductis,eandē terra circumquaq; obſiderūt. Iamq; prolatis
machinis,q̃ è nauib. in caſtra aſportatæ fuerant,atq; ex tā multo apparatu quatuor dūtaxat
maximas conſtruxerunt;præter eam,q̃ à naucleris quinq; nauiū,quas Comes Prouinciæ ad
Regem miſerat munitiſſimas, ex antenis & ferramētis ſubſtructa eſt.Fuere quoq; in vrbe à
ſarracenis ſimilia noſtris obiecta tormēta & balliſtæ.Sed à Regiis tormentū illud maximum
Fundibulū,de quo ſuprà diximus,paratū fuit maiori quā antea ſubſtructione,acriores enim
illud in ea expugnatione emiſſiones habuit.Nec dubitandū,fuiſſe quidē tunc tēporis hæc
ipſa tormēta tanti momēti,ad proſternendas arces,& diruēda mœnia: vt eiſdē perinde anti-
q,atq; noſtri metallicis,q̃ nūc ſunt,tormētis vrbes,arceſq; expugnarint. Tametſi expeditio-
ra hæc ſunt ad intorquendū; atq; ad perterebrandū duriſſima quæq; lōgè aptiora. At verò
ſarraceni ex vrbe viriliter ſeſe defendētes varia, cōtinuaq; balliſtrarū, & tormentorū con-
tortione acerrime Regiis euertēdis machinis,vim omnē inferebāt: crudelitatēque intera-
lias,plùs quā barbarā, atq; immaniſſimā in noſtros exercebāt. Nam captiuos Chriſtianos,
quos Rex anathemata ſibi fecerat,cōprehendi viuos,ac in globū religari,machiniſq; balli-
ſtariis imponi iubebat;indeq; excuſſos in media Chriſtianorū caſtra iaciebāt. Quā Regis im
manitatē tantopere execratus eſt Iacobus,vt iureiurādo ſe adſtrinxerit, nō ceſſaturū ab ex-
pugnatione, donec Regē barba caperet, atq; ꝓ tam dira immanitate omni cōtumelia atq;
ignominia afficeret. Vnde Giſbertus Barberanus tormentorū p̃fectus, materia ex nauibus
aſportata,immaniſſimū quoddā tormentū nouū conſtrui fecit, libratum ad maiora vrbis
eludenda tormēta,quo ſecurius noſtri poſſent foſſæ vrbis appropinquare; paulatimque ag-
gere & foſſa caſtra munire. Tantus enim terror, ex ſuperioribus ſarracenorum conflicta
tionibus noſtros inuaſerat; vt plerique noctu ſeſe in proximos montes reciperent; nau-
tæ verò, in naues pernoctatum abirent. Fuit igitur prima illa machina, teſtudo dicta ex

triplis tabulis, quæ trabalibus fixæ clauis erant, multoque ramorum, ac terræ congestu intextæ, tectoque etiam acuminato, & in vtramque partem ad expellendas pluuias inclinante cõfecta, ac plaustris imposita, vt circumuehi posset; sic à Romanis olim ad vrbiũ expugnationem adhiberi solita. Quæ tandem immenso militũ labore paulatim fossæ vrbis admota fuit; ac totum illud spatium, quod machina post se liquerat, nostris acquisitũ. Quin etiam ad diuertendos hostes, Emporitanus similem machinam construxit: fuitque tertia huiusmodi à Rege exædificata; ac propterea quod magnitudine pręstaret aliis, munitiori parti vrbis obiecta. Quib. factum est machinis, vt & appropinquare vrbi posset exercitus, & vallo, fossa, atq; aggere castra circundari, in eisq; perinde ac in munitissima vrbe, tutè contineri. Quo in opere magna profecto erant militũ ad suum cuique munus obeundum, studium & contentio; præclara item procerum, noctu diuque in eo perficiendo, diligentia & attentio, sed mira in illis omnibus Regis vigilia, vbique præsens conspectus, & sollicitudo. Verùm, testimonio Regis, longe fuit ardentior ad inflammandos totius exercitus animos, & persequendum cœptum, assidua cuiusdam fratris Michaelis concionatoris eloquentissimi, sanctissimique exhortatio. Qui primus totius ordinis Prædicatorum Lector deputatus erat, & à beato Dominico Tolosæ in sacram eius instituti societatem cooptatus: quiq; inclyti cœnobii Prædicatorum Valentiæ primus fundamenta iecerat. Is igitur diuini verbi concione ac virtute, vsque adeo in ea expeditione profecit, tantamq; sanctimoniæ opinionẽ apud milites consecutus fuerat; vt non solum auctoritate, sed etiam Imperio quodam gubernaret. Nam sæpe quidem milites, quos neque Rex neque Duces, ad subeunda pericula commouere poterant; eosdem Michael præsentia & adhortatione sua, nullo negotio permouebat. Neq; sane Regis alia in eo bello mens erat, quam Michaelis: scilicet, vt deleta sarracenorum superstitione, & vanitate; sanctissimum Christi nomen, eiusque sacrosancta religio in tota Insula propagaretur. Ac neque ab eo profecto militum mores, non procerum facta, neque Ducum Imperia, discrepabant. Quippe diuino tunc Duce numine, eoque confiso Rege, bellum gerebatur. Ideoque aperte, non tectè, aut simulatè cum hoste agebatur: non fraude virtus, non auro fides (quorum armorum frequens nunc vsus) oppugnabatur. Itaque nullo tempore oppugnatione intermissa, ne tamen Sarracenorum ex vrbe eruptionibus machinæ & tormenta magna quid detrimenti caperent, à Rege iussum est, vt singulis noctibus centum leuis armaturæ equites excubias & custodias agerent. Cùm interim Infantillus eius Insulæ præpotens sarracenus, collectitio exercitu ex rusticis & paganis, qui se ex suburbiis in montanas criptas, & inaccessas speluncas, quales ibi sunt, metu exercitus receperant, peditum numero quinque millium, equitum verò centum, in collem quendam ascẽderat: ibiq; tentoria fixerat, vnde fons oriebatur, eiusque aqua per media Christianorum castra ducebatur, sed fonte ab illis partim obturato, partim per alia loca, & alueos, illius deriuata aqua, exercitum vehementer commouit. Qua graui iactura, turbatis omnibus, eiusque causam suspicantibus: Nunnius, iussu Regis, cum trecentis leuis armaturæ equitibus, aduersum riuuli alueum secutus, eo peruenit vbi Infantillum cum suis imparatum inueniens ex improuisio est adortus; ac cum eis viriliter pugnauit, dum interfectis quingentis, reliquos in fugã coniecit: capto Infantillo duce qui grauiter vulneratus fuerat: direptisque castris; necnon fonte, eodem quo amissus die fuerat, recuperato, atque in natiuum alueum reducto. Demum graui vulnere exanimato Infantillo, cum in castra deduci viuus non posset, abscissum eius caput ad Regẽ delatum est. Qua victoria vehementer delectatus Rex fuit, ac collaudato Nunnio, & suis, protinus Infantilli non viuum corpus, ne sarracenorum immanitatem imitaretur; sed mortuum caput pro saxo, maiori machinæ apponi iussit, & in vrbem proiici: quo ab vrbanis cognito, tamq; portentoso expauescentibus iactu: magnus ortus est plangor, atque illico desperari cœptum. Dum hæc à nostris prosperè geruntur, atq; debellato Infantillo cum suis, in quibus nonnulla spes erat Insularibus: ii protinus animaduertentes, nostros cum admodum paucis magnas passim victorias reportare; ac rursum Afrorum auxilia ex Tunetano Regno nulla sibi comparere: consilium fuit, illis præcipuè Sarracenis, primatibus, qui oppida & pagos in altera Insulę parte tenebant, cum Rege, ac Christianis pacisci: antequam vrbe capta, exercitus in vniuersam Insulam depopulaturus mitteretur. Quamobrem Legatos miserunt ad Regem, qui dicerent, se suaque omnia in fidem atque potestatem Regis permissuros, neq; se cũ Retaboigo Rege consensisse; neq; contra Christianorũ exercitum omnino coniurasse, nec arma cœpisse, paratosq; esse, & imperata facere, & oppidis suis recipere, & frumento, cæterisque rebus iuuare. Quæ sane ex animo Insulani dicebant: erat enim eorum Princeps Benahabetus, qui ab eo tempore, quo Rex in Insulam

appulerat, cellas, & horrea sua liberè pabulatoribus patefecit, magnoque fuerat subsidio nostris ad sustinendum bellum. Hunc ergo cæteris Insulæ regulis sequentibus, factum est, vt ea omnia oppida, quæ citra vrbē, versus oram alterius Insulæ minoris, ad ortum sita sunt, ad decimum quintum diem, sese Regi dederent. A quo benignè exceptis illis, ac tota penè Insula præter vrbem, in eius potestatem redacta; duos constituit Insulæ præfectos Berengarium Durforcium Barcinonensem, equitem nobilissimum; & Iacobum Sanctium Mompelleriensem, à puero Regis domesticum, & familiarem; qui partiti prouinciam, cùm ius dicerent, tum exercitui frumentum, & alia necessaria suggererent: quòd frugum, fructuumque reliquorum copia, præ cæteris totius orbis, Insula redundet. Est enim maior Balearis valde ferax, atque omni prope copia rerum referta, neque alia vbiuis inuenta est Insula, quæ tam breui, & angusto spacio contenta (centum M. passuū in longitudinem, in circuitum verò ccccl xxx. M distat) tam variam, tamque excellentē fructuum, atque animalium, non ad vsum modò, & alimentū, sed etiam ad delicias mortalium, abundantiam, atque illa suppeditet. Nam prȩterquam quòd tribus vrbibus, tum oppidis ac pagis multis, & portubus vndique frequens est; frumento etiam, sale, oleo, vino, caseoque, pecude, & armentis, atque ferina carne, tantopere abundat, vt non solum incolis; verùm exteris copiose sufficiat. Nam & Balearica vina, auctore Plinio, Italis nota satis, atq; approbata fuere: & oleum, caseumq; non modo proximis Valētiæ, Cataloniæq; Regnis, sed Gallicæ quoque, atq; Ligusticæ oræ, magno esse vsui ac nutrimento compertum est. Præterea cuniculorum, ceruorum atque damarum tanta est multitudo, tam certa venatio, vt hac vna profecto posset quotidianus carnium esus in Insula suppleri: præter porcinas, tum domesticorum, tum syluestrium aprorum carnes, quarum tanta est copia, vt in frusta sectæ, & foras missæ, apud exteros redundent. Quibus addi potest, summo deliciarum loco, perutilis, salutaris, atque delitiosa myrthus, è cuius flore liquor omni thure Sabæo odoratior elicitur, per loca syluestria, ipsam sponte, atq; in magnam copiam Insula proferente. Demum vniuersam Insulam, quindecim tunc oppidis constitisse, refert Regis historia, quorum nomina, præter vrbem maiorem, tum Pontiam, & Polentiam, quæ Romanorum Coloniæ fuerunt, barbara sunt, atque à sarracenis imposita. Igitur capta atque in potestatem Christianorum redacta Insula, ad vrbis expugnationem transeamus, vbi de moribus & ingeniis Balearium nonnulla dicemus.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER VII.

VNIVERSA Insula præter vrbem in potestatem Regis redacta, atque præsidiis, commodioribus in locis, præsertim qua portubus illa patet, dispositis; totius exercitus, atque cura Regis, in vrbis oppugnationem incubuit, eòque totum belli pondus conuersum est, obsidione enim Rex illam capere decreuit. Est autem vrbs, vt dicebamus, q̄ respicit meridiē, in medio ferè Insulæ posita mari sese inter caput Figueranū, & Capendoracatum, q̄ quindecim milliarib. interse distāt, totidem ad vrbē vsq; sinuante. Qui sinus alioqui permagnus, portus efficitur celeberrimus; tantumq; non à Libonoto vento tutus: sed quò interior, eò fit longè tutior, ob constructam, atq; manu factam molē, quæ in mare ex vrbe prominet, eiq; è regione respōdet promontorium Portopini; inde dictum, quòd ab altera promontorii parte versus occasum, maris sinus exiguus sese terræ ingerat, ac paruū portum efficiat, Portopineum nuncupatum. Id ergo promontorium cum ipsamet manufacta mole, tranquillū, atq; ab omni prorsus vento tutum vrbis portū reddunt. In quē, ob incredibilia Insulæ mercimonia, tā magnus esse solet nauium concursus, vt ex eis aliquando octuaginta numero simul ibidē conspectæ fuerint. Itaque vrbs partim in excelso colle, partim in planitie, explicata est, & per accliuitatē coniuncta. Tametsi in colle, qui mari ac portui imminet, & præruptus est, expugnationis tempore, arx sola sita erat, postea verò, templum maximum, & Episcopalis

ſcopalis domus cum ſpeculatorio deambulacro, vnde proſpectus eſt maris amœnus, ac periucundus, iuſſu Regis exædificata fuere. Adhæc fluuius non longe à fontibus deriuatus, qui ſeſe illico in mare præcipitat, mediam interluit, magnoq; illi eſt vſui, non modo ad eius ſalubrem purgationem, & hortorum quibus maximè decoratur ipſa, irrigationem: verum ad nauium etiam aquationem, & portus commoditatem. Denique vrbis ambitus, qui muro ſatis amplo munitur, ac collem vna cum planitie comprehendit, tam latus eſt, vt præter hortos; domiciliorum ſex millia contineat: quæ cum aliis operibus, tum magnificentiſſimè extructa ſunt; tum vrbem, quæ decem nunc patet portis, omnium Europæ pulcherrimam, & conſpiciendam efficiunt. Quamquam Iacobi tempore, dempta arce, tota ferè in planitie ſita vrbs erat, neque tot, quibus nunc, portis patebat. Ideoque Rex non ſupra collem, quem arx cuſtodiebat; ſed in planitie caſtra poſuit, indeque totam viſus eſt obſediſſe. Itaque vallo, aggereque ductis, paulatim vrbi admotis machinis, ſaracenisque in eas frequenter, ſed fruſtra erumpentibus, eouſque peruentum eſt; vt machinæ, & qui agebantur cuniculi, muros attingerent, atque cuiuſdam fundamenta turris excauari inciperent: iamque naphtico ſuppoſito igni turris hiſceret. Quo ſimul tempore tres aliæ turres ſimilibus oppugnatæ machinis corruerunt. Verum quæ noſtros ab ingreſſu vrbis prohibebat, peramplà erat, atque alta foſſa, qua cingebantur mœnia: tametſi ſiccata illa eſſet, atque ad agendos cuniculos importuna. Quamobrem duorum Ilerdenſium militum conſilio & induſtria, foſſa in locis magis irruptioni aptis, terra, ramis, ligniſque, & lapidibus oppleta, ſuperoæquata ſolo fuit, ſimul & peditibus peruia ad irrumpendum reddita. At verò vrbani, re intellecta, per cuniculos intus actos ignem clam ſummiſerunt, cœpitque materia illa comburi, & aperiri foſſa. Sed occurrentibus noſtris, riuulo aquæ in eam partem deducto, extinctus ignis fuit: rurſumque conduplicata materia, ac machinarum iactibus in eam partem contra vrbanos directis, ne noſtros impedirēt, foſſa denuò repleta fuit. Quæ cum minimè ſucceſſiſſent ſarracenis, cuniculos ipſi etiam in noſtras machinas agere decreuerunt. Idque vt tutius, magiſque ſimulatè perficerent, nouas quotidie eruptiones in partem, qua cuniculi agebantur, ex vrbe faciebant: vſqueadeo viriliter, ac ſtrenue pugnantes, vt noſtros ſemel propè deuicerint, ac profligarint: ſed protinus redintegrata pugna; Iacobo præeunte tam validè dimicatum eſt; vt ſarraceni cum maxima ſui ſtrage in vrbem compulſi fuerint: quorum permulti in ipſo quoque ingreſſu occubuere, frequentibus ictibus magnorum lapidum balliſtæ, vnius ex tormentis maximis, quod in eam partem, vbi erat concurſus, ſcitè fuerat intentum. Quapropter ſarracenorum Duces, Regiique Retaboigi conſiliarii, impendentem vrbi ruinam, tot illam conquaſſatam locis, nonnullis etiam perterebratam videntes, ac neque machinis, neque eruptionibus, quicquam aduerſus Chriſtianos ſe proficere conſiderantes, communi conſilio, Retaboigum adierunt, eique expoſuerunt, quanto, quamque aperto in periculo ipſe cum ſuis verſaretur: dirutis iam, propeque conuulſis vrbis mœnibus, oppleta foſſa, pluribuſque locis aperto ingreſſu hoſtibus nulla cum vrbanis commiſeratione vſuris, ſed ferro, & igne, vt ſæpius minati fuere, cuncta vaſtaturis; quodque maxime vrgebat, nullam ipſis ſpem ſalutis ſupereſſe, non in fuga, interclusis cunctis elabendi locis, Chriſtianis tum exercitu terra; tum claſſe mari in ipſis prope faucibus portus ſeſe obiicientibus, non in externorum auxiliis, nuſquam apparente Tunetana claſſe, ac neque vllo ei portu ad appellendum in Inſula, præter vrbanum relicto; non denique in ſubſidio Inſulanorum, quos fere omnes Chriſtianus Rex, aut cōtumaces, vt Infantillum cum eius aſſeclis ferro & armis cōtriuerat; aut reliquos, qui ſeſe ſponte dediderunt, benigne ſuſceptos in poteſtatem redegerat, quique iuuenis, gloriæque percupidus, neque deſtiturus à cœpto ſit, donec excidio & incendio vrbis, clariſſimos ſuos enectos duces crudeliſſime vlciſcatur, neque aliud machinaturus, quàm vt ſuo demum cuncta ſubigat imperio. Quibus de cauſis, aut conditiones pacis Chriſtiano Regi offerendas eſſe; aut quaſcunque ipſe dederit accipiendas; daturus enim ille honeſtas, haud dubie, propterea quòd & pius idem, & maximus ſuæ habetur cultor religionis, quæ ſubiectis parcere præcipit, ac niſi in ſuperbos, & contumaces, ferro agere non permittit. Quæ audiens Retaboigus Rex; ac pluſquam manifeſta ſibi à ducibus proponi agnoſcens, à cunctiſque conſiliariis quaſuis pacis conditiones accipiendas eſſe approbari videns, Legatos ad Iacobum miſit, qui pactis trium dierum induciis ab eo peterent, vt viros probatæ fidei ad ſe mitteret, quibus cū tute poſſet de concordia agere. Quos Iacobus benigne audiens, annuenſq; poſtulatis, protinus Nunnium cū equitibus decē, & Hebræo quodā Cæſarauguſtano, nomine

Bachiel linguæ Arabicæ perito, ad illum ire iussit. Qui vrbem ingressi, quam de industria
ab ipsis collustrari totam permissum fuit; vt eius ad propugnādum apparatum, beneque
armatam multitudinem, nostris referrent: tandem ad Regem intromissi sunt: sed quan-
quam longo spatio temporis cum eo collocuti; tamen, aut dissimulante ipso, aut eiusdem
dicta Hebræo malè interpretante, nihil quidem certi ab eo, sed ambigua ferè omnia ex
eius sermonibus percipi potuere. Vnde cunctante Nunnio, Iacobus Petrum Cornelium
eò summisit: cui adfuit quidam Egidius Alago Aragonensis, qui olim nauigans, à Balea-
ricis piratis captus, ac Retaboigo dono datus, ad Machometanam sectam desciuerat. Is
mentem sui Regis intelligens, palam Cornelio illius sermones hos esse dixit: nempe i-
psum compensaturum Iacobo omnes sumptus ab eo, & à proceribus factos, in eius ex-
peditione belli, & transitu in Insulam; modo illico Iacobus cum exercitu, & omni classe,
ab Insula Barcinonem abscederet. Quibus ad Iacobum perlatis, responderi iussit; define-
ret ille talia frustra iactare, atque inanibus conditionibus oblatis, sese à libera & vera de-
ditione redimere: curaret potius vrbem suam ab impendenti vastatione defendere; se e-
nim, castra iccirco aduersa ei parti vrbis, qua Barcino respicitur, posuisse; vt debellata
post se iam vniuersa Insula, sua in Barcinonem reuersio, recta fieret per mediā eius vrbē.
Quæ Retaboigus mente perpendens, sequenti die vrbe exiens, porta Portopinea, taber-
naculum magnificum, purpureis auroque intextis velis, in campo, Christianorum inspe-
ctante exercitu, collocari iussit; eoque Nunnium accersiuit, vt cum eo denuo de hone-
stis deditionis conditionibus pacisceretur: eas tum petens paulò tolerabiliores. Ad
quem Nunnius apertè locutus est, falsò sibi ipsum persuadere, Iacobum, qui nihil tam in
ea expugnatione, quàm suorum interfectorum ducum vltionem anhelet: ac vt rerum
potiatur; quicquam præter nudam, atque absolutam deditionem admissurum. Non e-
nim Baleares Insulæ duos Reges magis quam terra duos Soles habere posse. Quæ dicta
Retaboigus protinus, vel sine interprete, percipiens, Nunnium abire nitentem iussit cō-
sistere: eique pactiones longè æquiores, atque Iacobo gratiores, se facturum promisit: vi-
delicet, liberè relicturum vrbem simul cum Insula & adiacentibus Iacobo: classe tamen
ipsius sibi accommodata, qua tute posset ipse, cum tota domo & familia, atque vniuersa
re, in Africam traiicere; ac vna deferre secum omnes, qui se sequi vellent sarracenos: pro
vnoquoque ipsorum quinque Bisantios (quorum singuli tribus victoriatis, solidos Bar-
cinonenses appellant, æstimabantur) erogaturum promittens: modò qui remanerent ad
culturam Insulæ, humane tractarentur. Quæ Nunnius ad Iacobum deferens, conuoca-
to consilio Antistitum, simul & procerum, atque primorum exercitus, ea omnia ordine,
quo enarrata sunt, exposuit: subiungens se in eam sententiam pedibus omnino iturum,
quæ de pactis & conditionibus diceretur: ne si vi, & armis oppugnanda vrbs esset, cum
tam valde magna exercitus iactura, atque Christiani sanguinis effusione id fieret, quanta
ex tam armata, atque pro aris, focisque propugnatura Balearica expectari gente poterat:
quandoquidem innumerabilis prope esset in vrbe multitudo militum ad propugnan-
dum, vt ipse viderat, expeditissima. Cuius sententiæ vehementer ab omnibus reclama-
tum est, maximè verò ab Emporitano Comite, tum Raimundo Alamanio, necnon Cer-
bellonio, & Claramuntio, Cataloniæ proceribus, qui Benearnensi, & Moncadæ consan-
guinei erant; adhucque lamentabilem eorum interitum lugebant. Vnde ne vehemen-
tius inclamarent, indicto silētio, vnus ex eis Alamanius pro omnibus ad Regem, sic ver-
ba fecit. Difficilis profectò est, ac sæpe quidem intolerabilis, optime Rex, vltionis cum
benignitate societas; quòd illa iustitiæ, hæc autem fatuæ cuiusdam æquitatis vices gerat:
illius enim leges perpetuæ sunt, atque natura immutabiles; huius verò vis omnis in hu-
mano, vario mutabilique sita est arbitrio, quod quidē si in bello potissimum, quod sem-
per vltionis causa suscipi debet, iustitiæ præferatur, præuerti sane omnia, atque pessunda-
ri necesse est: propterea quòd bellatorib. nihil obuenire possit perniciosius, quàm beni-
gnitatis gratia, quid impunitum relinquere. Ergo ne, Benearnensis, Moncadæ, aliorum-
que sui clarissimi generis, sanguinis adhuc efferuescentis, atque pro te effusi vltio, ini-
quissima effundentium hostium pactione præponderabitur? Tam parui tibi erit, tuorum
obita pro te mors necessariorum, vt ne vltione quidem cupias illam redimere? An non
æquius multo est: atque pro lege vindictæ iustius: vt istorum canum sanguine, amico-
rum sanguis, quem linxerunt illi, ipsius ante ora exercitus expietur? vt pro eo quòd tuo-
rum oppetitas pro te mortes, tam bellè vindices: multorum quoque vitas arctius tibi ad
oppetendum addicas? sicque quo teneris vltionis debito absoluaris: & iustitiæ vindicis,
& magni expugnatoris cognomento decoreris? Age igitur, hostili sanguine permitte no-
bis dextras perfundere: nullaque ætatis, nulla sexus ratio habeatur: ac nisi sese tibi hostis
liberè,

liberè,ac pro arbitrio dediderit, nullas omnino cōditiones pacis ab eo accipe. In fraudē enim Regia illa vulpecula deducere vult regium leonem. Quid enim commoliri ipsum putas?dum se, suaque omnia, & quotquot velit militum, secum asportare posse petit; quàm vt auro,& pretiosissima quaque re ciuitatem expoliet?vt & vacuam capias,&tuos milites illius direptione,tanquam laborum præmio,defraudes?Quid,quos velit milites, vt possit adducere, quàm vt lectissimo quoq; perducto secum, iuncto Afro,inuictissimum inde exercitum reducat,quo facile tum Insulam recuperet:tum te omnino Regno pellat?Quare ipsum abscinde caput Insulæ,si tota cupis perfrui tranquillè,vrbemque tot perforatā locis;tantisq; diuitiis, & spoliis affluentem, tuis militibus pro meritissima laborum mercede, intrandam & diripiendam concede. Neq; enim commiseratione digna est,quæ tibi tuisque tot, tantasq; vltionis atq; vindictæ pœnas debet. Quæ cum dixisset Alamanius, Regi ac vniuersis consiliariis grata omnino fuere ea, ac vno excepto Nunnio,illius sententiam sequuti omnes.Itaq; protinus deliberata expugnatione, Retaboigum Regem ab omni spe pacis deiecerunt.Quod vrbani tam inique tulerunt, vt ex desperata salute, acerrime aut ad sese defendendum, aut cum maxima Christianorum strage, ante sua mœnia oppetendum coniurarint: adeoque ab ea desperatione magnas sibi vires auxerunt, animati ad nihili vitam ducendam, modo Christianis auferrent; vt à nostris quodammodo non defierit detrectari expugnatio; ac, vt in ipso prope conflictu deprehensum fuit,nonnulli ex his, qui Nunnio de pace agenti nimis animose restiterant, ingemuerint, vehementerque, quòd ab eis sententia discesserant, pœnituerint. Verum,quod Sarracenis ab desperatione, id nostris ab spe certa potiundæ, atque diripiendæ vrbis, excreuit animi,viriumque: ac multo plus in Iacobo, cuius mens diuino freta numine omnis in eo erat, vt capta vrbe, impiaq; Mahometanorum secta extirpata, Christiana prorsus induceretur religio: ex quo maiori quàm cæteri spe erectus ille,de potiunda vrbe minime dubitabat. Vnde continuata obsidione, atque tormentis & machinis vrbi propius admotis; sese omnes ad oppugnationem præpararunt. Atq; vt maiori contentione iniretur oppugnatio, Antistitum, procerum sententia fuit, vt congregato in vnum locum exercitu,ad id sese omnes iureiurando obstringerent; vt oppugnatione durante,nullos locum,quem tenuisset desereret: seu pedem referret; nisi lætali percussus vulnere fuisset:secus facientes, proditionis, seu conspirationis insimularentur.Fuitq; tum illud maximè commemorandū, quòd primus omnium Rex; extenta manu in tabellas Euangeliorum,iuramento se voluerit obstringere: quod neque ab Antistitibus,neq; à proceribus fuit illi permissum. Quæ gesta fuere ipsomet die festo Natalis Christi domini nostri solenniter, & quàm deuotissimè à Rege & vniuerso exercitu celebrato. Quo die, quidam nobilissimus eques, nomine Carrocius (vt autor est Asclotius Catalanus,antiquus huius historiæ scriptor) è magnis Germaniæ procerib. oriundus,qui Regem in eo bello suis stipendiis sequebatur, militari auctoramento, publicè,ac cum magna pōpa à Rege fuit insignitus. Cui deinde propter eximia ab eo, tā in Balearico, quàm in Valentino paulò post consecuto bello, exhibita, terra marique, militaria officia, tum illi maris præfectura delata est, tum amplissimis à Rege prædiis in Valentino Regno idem cumulatus. Nam insigni tunc Rebolledano oppido, eique proximo Carrocii fonte nuncupato,donatus fuit.Cui⁹ postea filii,& successores, sub eodem Iacobo, aliisque Aragoniæ Regibus militantes,tā propriis,quàm paternis promeritis,non in Valentino Regno solū,sed in Catalonia & Sardinia,cum perampla ac perillustri familia,quæ nunc extat;tum prædiis,oppidisq;,tā valde ditati fuerunt: vt magnatum quoque titulo & insignibus decoratos esse inueniamus. Cæterum nullis acceptis à Iacobo conditionibus à Balearibus oblatis: cum desperata omnino res esset, tam obstinato illi animo esse cœperunt, vt nulli vsquam ciues ad occumbendum pro defensione patriæ inuenti fuerint paratiores. Nam & frumentaria re, & commeatu, & armis, & multo munita milite vrbs erat, & studio propugnandi, propter desperatam salutem, mirum in modum firmata:quin & præter vrbanos,magna Insulanorum manus sese paulatim collegerat,atq; in montanas cryptas,& inaccessas speluncas, abdiderat: vt & se defendere,& oportunè vrbanis subsidio esse posset. Nam ii quidem, si vrbem ingredi potuissent,haud dubie,inexpugabilem fecissent. Vnde timeri iam à nostris, non contemni,vt antea cœpit hostis:vt qui à tergo furtim:à fronte manifestè premere posset. Qua causa Rex accuratius munire castra, ac nisi ex lectissimis exercitus præsidia collocare: ideoque tres cohortes, centum quamque equitum præparari iussit, quæ pro castris excubias agerent.Quarum vna præsidio esset machinis & tormentis:altera è regione Barboletanæ portæ,quæ arci vrbis coniuncta est, staret:tertia contra portam Protopineam,

Oo 5

vt eruptionibus vrbanorum occurrerent. Verum eo maximè anno, rigente bruma, ne-
que tantam vim frigoris noctu ſustinẽtes milites, vno, aut altero relicto in ſtatione equi-
te, qui de eruptione nunciaret, reliqui ſeſe in tabernacula recipiebant. Id Rex animad-
uertens, ægreque ferens, non amplius fidens illis, ex cohorte regia, quam habebat lectiſ-
ſimam, fidiſſimamque totidem elegit, quibus eiuſmodi excubias commiſit. Cui rei vſ-
queadeo intentus erat, deque incolumitate exercitus tam graui, nocte dieque, cura an-
gebatur; vt vel quinque diebus, quibus præparandæ oppugnationi nauata eſt opera, à
nemine viſus fuerit ſomnum capere, vixque cibum ſumere: eoque magis; quod per id
temporis, tam ingens fuit nummariæ rei inopia, vt neceſſe Regi fuerit, ad ſuſtentandum
exercitum, Biſantiorum ſexaginta millia, aureorum nummorum vix decem millia con-
ſtituentium, mutuò accipere à mercatoribus, qui è Catalonia venerant cum ingenti
ſumma auri, vt direptioni vrbis intereſſent, ad redimenda parui, vt ſolent, à militibus
ſpolia. Itaque ſequenti nocte, nempe tertio Kalendas Ianuarii, publico denunciatum e-
dicto fuit; vt ſacris ſub auroram factis, atque ſacratiſſimo Chriſti corpore ab vnoquo-
que deuotè ſumpto, ad vrbis oppugnationem, ſua quiſque in ſtatione armatus con-
ſiſteret. Qui dum præſto ſunt, ac pugnæ ſignum expectant; ecce Lupus Ximenius Lue-
ſanus nobilis Aragonenſis; atque regiæ cohortis præfectus, ad Regem, qui intra vallum
acies ad pugnam diſponebat, venit; ſignificans, ſe à duobus ſcutiferis ſecretò in vrbem
miſſis accepiſſe, perpaucos in vrbe eſſe, qui excubias, & cuſtodias noctu agerent; atque
toto eo interuallo, à quinta vſque ad ſextam turrim, ducto à ſumma arce, ad læuam nu-
mero, nullas omnino fieri: ineſſeque præterea vicatim, & per plateas vrbis, magnum ca-
dauerum numerum; atque vniuerſam ciuitatem, etſi plenam multitudine, tamen timo-
re, mœroreque pleniorem eſſe. Proinde oportere ſtatim concubia nocte, intrare vrbem,
ac rerum potiri. At Rex prudentiſſimè conſideratis omnibus, quæ pro honore, & inco-
lumitate exercitus facerent; noctu rem tantam periclitari ſe nolle reſpondit: ingenium
ille militum à Leonis natura minime diuerſum agnoſcens. Nam quemadmodum, in-
quiens, dum is à nemine ſe videri putat, venatores præſentiens fugit, ſeſeque timidiſſimè
occultat: ſi verò aliquem præſentem habuerit; ſiſtit gradum, atque ad nullius occurſum
expaueſcit; imo ſtrenuè cum fortiſſimo quoque dimicat: ſic miles perpugnax licèt, no-
ctu, cum neque ducem, à quo laudetur, neque commilitonem, cuius fortitudinem æ-
muletur, neque decurionem, quem vereatur, videat: neque ſe à quoquam videri ſentiat:
timore obſcuritate aucto; & pericula diffugit, & vmbram potius, quam hoſtem petit, &
militari cuiuis iureiurando, & honori, vnam ſui tantum incolumitatem præfert. Quam-
obrem craſtino die, luce palam eſſe confligendum cenſuit. Cum igitur dies eſſet, dimiſ-
ſis cohortibus duabus, quæ caſtra, & impedimenta cuſtodirent; ſi fortè montani hoſtes
in ea irrumperent: Rex medio in campo, agminibus inter vrbem & caſtra inſtructis, lo-
cum paulo eminentiorem conſcendens, videnſque maiorem partem procerum,
atque exercitus, non tam ad vrbis direptionem, quam ad ſuorum vltionem eſſe in-
tentos, breui vniuerſos, ſic eſt ad pugnam cohortatus. Etſi ſcio milites, pro laboribus,
quos mecum ipſi pertuliſtis, proque victoriis, quas manu mihi veſtra peperiſtis, vniuer-
ſa Regna mea, ſi dedero, parem adhuc veſtris meritis gratiam, me non eſſe relaturum: ta-
men ne interim, voluntate tantum, aut verbis paſcere vos videar, ecce vrbem vobis offe-
ro omnium regnorum meorum opulentiſſimam; vt & extremum de ipſa ſupplicium,
quod cupitis, amiſſos bello ſocios vlciſcendi gratia ſumatis: & ſpoliorum, atque manu-
biarum copia referti, diuites ac felices ad veſtros, atque in patriam remigretis. Proinde
pergite, atque omni ſtudio & viribus, ad hanc oppugnationem incumbite. Nam & pro-
pitium habebitis Deum, de cuius inimicis vindictam ſumitis: & me vobis maxime de-
uinctum reddetis, cui hodie manu veſtra Balearicum triumphum decernitis: & vobis
ſtrenue demum pugnantibus, terra famam, cœlo gloriam immortalem comparabitis.
Hæc dicens, ſigno ter dato, in vrbem impetum fieri iuſſit. Tum peditatus, quem illico
ſequutus eſt equitatus, vrbi ac foſſæ appropinquarunt: atque magna vociferatione edi-
ta, qua murus antea, impleta foſſa, perterebratus fuerat, ipſam intrarunt: quingentis præ-
miſſis peditibus, quibus totidem ex lectiſſimis ſarracenis obuiam fuerunt: verum ob an-
guſtiam vicorum, ad tricenos hinc inde deducta eſt cõcertatio: quanquam anceps qui-
dem illa, donec per tranſuerſos calles inuolans equitatus, ſarracenorum confertam ma-
num perrupit. Quo die, non Chriſtianorum modò, ſed ſarracenorum, qui aderant, teſti-
monio comprobata fama fuit: in prima equeſtri Chriſtianorum acie, equitem quendam
fulgentibus indutum armis, equoque, & ephippiis ſplendentem albis, conſpectum fuiſ-
ſe, eiuſque aſpectu, & pugnandi ardore, ſarracenorum animos maximo conſternari ti-
more

more cœpiſſe: quem creditum eſt (regia teſtante hiſtoria) beatum Georgium fuiſſe, qui patronus ac defenſor Regnorum Aragonum, in eo conflictu, ſuis contra ſarracenos adfuit militibus; iis præſertim, qui eius inſigne, purpuream ſcilicet crucem Domini gerebant: ea quippe cataphracti ſpecie & figura, cum in hac pugna; tum aliis multis in prælijs, cùm in prima acie, ſæpe cum illo inſigni victoriæ fuit viſus. Itaq; magna cū Aragonēſium, & Catalanorum æmulatione commiſſa cum ſarracenis pugna extitit: multis vtrinq; cadentibus: ſarracenis quidem, nihil non in ſui defenſionem commolientibus, perq; vicos & domos, lapides, ſaxa, fuſtes, tegulas, ignem, ſagittas, miniſtrāte furore, in noſtros iaciētibus; noſtris verò, ſcutis telorum vim tantam ſuſtinentibus, atque teſtudine facta, in eam partem, vbi hoſtes magis conferti eſſent, impetum facientibus. Verùm ſarracenorum vis omnis, cùm in multitudine, tum in conſpectu, & præſentia Regis ſui poſita erat. Nam idem ipſe Rex armatus albo inſidens equo, primus erat in acie ſuos animoſe ad ſe, vrbemque defendendam exhortans; adeoque cunctos eius vrgebat præſentia, vt glorioſius ducerent coràm, pugnāte ipſo, vitam profundere; quàm eo victo, viuere ac supereſſe. Quamobrem conglobato agmine, ſic ſe defendebant, vt ne quicquam in eos noſtri proficerent; imo pedem quandoque cogerentur referre. Sed interim, vniuerſo equitatu ſeſe in vrbem immittente, atq; in pedeſtres ſarracenorum acies vicatim irrumpente, cōclamata à noſtris victoria, protinus conſternato illi animo fuere, ac neque reſiſtere valētes, per Barbotelanam & Portopineam portas, cum vxoribus cuncti ſeſe fugæ mandarunt: tanta verò fuit fugientium multitudo, vt omnib. illius ætatis ſcriptoribus, & hiſtoria Regiis atteſtantibus, compertum fuerit, triginta millium numerum vtriuſque ſexus hominum expleuiſſe, qui ſeſe in montana loca recepere. quos tamē nulli ex noſtris inſequi voluere, adeò ſeſe prædæ omnes, atque direptioni vrbis dedidere. Quæ militum auaritia, atque in perſequēdo hoſte ſocordia, in cauſa fuit, vt bellum longè acrius cum montanis poſtea fuerit geſtum. Itaq; fugientibus ex vrbe ſarracenis, ac Regem ſuum ſecum abducere nitentibus, abire ille noluit, neq; vrbem deſerere: ſeſeque potius in vetus quoddam palatium recepit, tribus, vel quatuor ſuis intimis comitatus. Quo tempore Iacobus cum equitibus Regiæ cohortis vrbē intrauit, atq; ipſis in direptionem abeuntibus, cum paucis arcē petiit, in quam ſe receperant nonnulli ciuitatis primates, qui cōſpecto, atq; agnito Rege, continuò ſe ei cum arce dedituros dixerunt; modò ipſe relinqueret aliquot ex ſuis, pro foribus arcis, qui præſidio eis eſſent contra direptores. Sed cùm intellexiſſet illorum Regem ab arce abeſſe, relicto vno ex proceribus cum aliquot militibus in cuſtodia arcis, iuncto Nunnio, Regem cœpit conquirere; quem tandem in eo, quo dictum eſt, palatio inueniens, atque ex fulgentibus armis, & optima corporis habitudine eum eſſe dignoſcens, manu illius barbam apprehendens (ſe enim apprehenſurum multò ante prædixerat) noli, inquit, timere, captus à me es, viues. Eoque in cuſtodia relicto, Iacobus arcem repetiit: quæ protinus ei fuit tradita: inuento ibidem, atque capto filio Regis puero annos nato tredecim. Is poſtea Chriſto nomen dedit, & Iacobus vocatus eſt, atque in Aragoniam à Rege in triumphum ductus, doniſque, ac prædiis multis fuit cumulatus. Tametſi de eius parente Retaboygo nulla fit amplius in hiſtoria Regis, aliorumvè hiſtoricorum mentio: cùm à Iacobo, neque in Hiſpaniam translatus fuerit, neque in triumphum ductus; quinimo creditum eſt, illum in vrbe in vinculis fuiſſe relictum; ibique ſitu & ſqualore, atque mœrore confectum interiiſſe. Demum ſarracenorum tanta fuit in vrbe ſtrages & occiſio, vt ad viginti millia occubuiſſe compertū fuerit; nec inulta quidem; quandoquidem ex noſtris quam multi perierunt. Hunc ergo in modum Inſula maior eiuſq; vrbs glorioſiſſime à Iacobo expugnatæ fuere, pridie Kalendas Ianuarii, anni Chriſtianæ ſalutis M. CC. XXX. Ergo vrbe capta, atq; eius præda militib. cōceſſa, tanta fuit eorum in colligenda cupiditas; tāta rapacitas; vt vel exacto triduo, vix ab ea reprimi potuerit exercitus: tametſi diuina certè cautum prouidentia fuit, vt minori cum ipſius offenſione direptio fieret; elabentib. vna cum viris, atq; in mōtana fugiētibus, teneræ ac iuuenilis ætatis fœminis. Vnde direptio, quæ ſæpe ob captas fœminas, exardeſcente libidine, bilem, atque execrabiles contentiones, in ipſamet direptione commouere ſolet; illis abſentibus, longè fuit pacatior, atque ad eam, quæ poſtea ſequuta eſt manubiarum diuiſionem faciendam, multo facilior. Quæ autem in vrbe fuerit auri numerati, & argenti facti, atq; ſignati, ſumma: quæ vaſorum, tum veſtium, ac etiam equorum, & omnis generis iumentorum innumerabilitas comparata: quæ denique manubiarum, in Regia, & in templis copia, vix credi poteſt. At verò ſpolia, dempto auro, item argento, & gemmis, quæ facilè abſcondi, atque negari poterant; neque extorquere à militibus tutum erat; vniuerſa in vnum coaceruari, atque inita olim pacta de diuidundis ſpoliis Rex

obseruari iussit, statimque ea publicè sub hasta vendi cœpere: ac pro vniuscuiusque merito,& in bello factis impendiis,ita cuique diuidi.Quæ vt fidelius, ac sine querela fieret, eius rei cura demandata fuit Barcinonensi,ac Ilerdensi Episcopis;& Nunnio Sanctio, & Emporitano,necnon Raimundo Alamanio, & Berengario Agerensi, qui adiunctis sibi Petro Cornelio,& Simenio Vrrea,spolia diuiserunt.Tametsi,vt fieri solet in diuisione rerum,neminem fere sua contentum sorte esse,subita contra diuisores exorta est rebellio à militibus;fuereque ex eo nonnullæ procerum domus direptæ. Cui rei protinus Rex occurrens,nonnullos ex compilatoribus comprehendi iussit;atque illico tumultus & conspiratio sedata fuerunt.Sed in ea spoliorum diuisione Rex magnam haberi voluit rationem fratris Bernardi Campanii præfecti Mirauetensis,atque in Regnis Aragonum,Magistri Templariorum,vt diximus,vicarii;ob strenua,præstantissimaq; eius, ac multorum equitum sui ordinis facta,impendiaque.Qua causa eidem,& prædia, & pagi, & locus etiam ad condendum templum,& milites quadraginta ipsius ordinis sustentandos,liberalitate Regis in Insula concessa fuere.Ea igitur communi manubiarum diuisione, tamq; liberali bonorum communicatione,Rex multum sibi apud omnes,&auctoritatis,&nominis,atque beneuolentiæ comparauit.Interea Nunnius,vt tuta essent omnia vndique, parari fecit expeditam,atque celeritate præstantem nauem vnam, duabus iunctis triremibus,vt iis Africanam oram percurreret,videretque,num quispiam ex finitimis Insulæ Regibus,aut re, aut copiis, Balearibus subsidio esse, aut exercitum eo mittere curaret. Verum subito à cœpto destitit,occasione pestis crudelissimæ, quæ ab infecto,& contaminato aere, tot proiectione cadauerum insepultorum, perniciosissimè orta fuit: quæq; vniuersam Insulam,maximè verò ciuitatem,sic inuasit,vt non solum plebeios,atque infimos quosque homines,ad infinitum prope numerũ; sed primarios exercitus viros,miserabiliter interemerit.Nam vno mense, Claramontius Alamanius, Perezius Mirtatius Aragonensis nobilissimus, quin & Cerbellonius, vna cum bellicosissimo Emporitano Comite,cum maximo Regis,atque totius exercitus dolore,de medio sublati fuere: cum nulli magis quàm ii,& qui antea cum Benearnẽsi & Moncada occubuere proceres, Regem tum re,& armis,tum consilio & fidelitate iuuerint: & in occupanda Insula pars magna fuerint. Quorum interitu Rex,societate & comitatu procerum imminui,se,ac deseri videns,Petro Cornelio Magistro equitum mandauit, vt capta ex regio ærario summa centum mille victoriatorum,in Aragoniam proficisceretur; indeque conscripta cohorte centum quinquaginta equitum cataphractorum,maturatò ad se,cum ea remearet:ac præ cæteris Athum Focium,& Rodericum Licianam, Barones præstantissimos, qui regiis etiam stipendiis,& honorariis potiebantur, secum adduceret; propterea quod crescentibus Regnis, necesse esset ad ea conseruanda, augeri quoque copias & exercitum. Quæ cùm diligenter à Cornelio perficerentur, ac præter illos, multi etiam cum Cornelio in Insulam venirent,exercitus magna ex parte suppleri cœpit,atque à duplici refici iactura,quæ consecuta fuit,tum ex pestilentia;tum ex discessu multorum,qui capta,atque direpta vrbe,spoliis opimis,protinus in Cataloniam remigarunt. Itaque suppletis copiis, atque aucto exercitu,Rex in sarracenos,qui sese in montana loca receperant, atque Sollarium,Almarauichum, & Baialbaharium oppida munire cœperant, bellum commouit; propterea quòd eruptiones ab eis multæ, ad vsque vrbis portas, prædaque ingens, cum maxima nostrorum iactura fierent: atque impedimento essent;ne à ciuitate in Pollentiam paruam vrbem,sed commercio idoneam, tutus esset transitus. Vnde cum exercitu viam Buniolanæ vallis ingressus; à dextra arcem Olerianam omnium Insulæ munitissimam præteriens,paululumq; ab exercitu secedens,cum in montem ascendisset, exercitus noluit constituto sibi in loco contineri: sed recta ad pagum Incam,nunc celebre oppidum petere.Id Rex prospiciens,dimisso Guillermo Moncada Raimundi filio, (qui postea Fraga oppido Aragonensi in confinibus Cataloniæ potitus est) in postrema acie, cum paucis traducto monte, ac citatis equis, exercitum vt retineret, properabat attingere:sed is vltra procedens,in vallem descenderat: adeoque propinquus oppido erat, in quem refocillandi gratia,turbato ordine tendebat: vt retrahere illum minime Rex potuerit.Vnde sarraceni videntes Christianorum agmina diuidi, & quasi vagantia dispergi,idoneam occasionem nacti, sexcenti numero postremam aciem tentare conati sunt: quæ tamen satis parata ad pugnandum inuenta, viriliter ab ipsa repressi fuere, ac per accliuitatem montis fugere coacti. Tum Rex consilium iniit cum eodem Moncada, Nunnio,& Cornelio,placuitque ea sententia, ne se Rex contineret loco tam propinquo hostibus,qui numerum trium millium efficiebant: vel ex eo maximè,quod commeatus,& impedimenta in ipso pago Inca, vbi & exercitus,constiterant. Quare per medios fere

hostes

hostes pagum petiit, non amplius quàm quadraginta comitantibus equitibus, tam benè instructo agmine, vt ne aggredi eos Sarraceni ausi fuerint: tametsi audaciæ potius, quàm fortitudini fuerit Regi datum, cùm tam paucis, per medios, atque tam multos hostes progredi: quos nihilominus tamen, cognita eorum timiditate, atque armamentorũ inopia, oppugnasset Rex illico, si in aperto & campestri loco fuissent. verùm ea erat asperitas montium, adeoque munita natura loca, vbi se hostis continebat, nouis vt contra eos machinationibus esset vtẽdum, quas in vrbe meditaretur. Itaque tunc Incam peruenit, vbi exprobrato torpore & socordia Ducum, qui sibi clamitanti minimè paruissent, in vrbem reuersus est cum exercitu, deferens secum commeatum & impedimenta pagi. Eo tempore Vgo Follalcherius Magister equitum ordinis Hospitalium triremi in vrbem appulit, quindecim comitatus equitibus sui ordinis. Hunc Rex excepit benignissimè, eo amore, & honore ipsum, eiusque ordinem prosequutus, vt tametsi prædiorum omnium facta fuerat diuisio, vixque reliqua esset portio; nihilominus sua quoque Hospitalariis equitibus triginta, saluis aliorum portionibus, pars contigerit, perinde ac Templariis paulò ante fuerat concessa. Hæc autem portio magni fuit habita ab Hospitalariis, qui tametsi nouissimi ad Insulã venissent, nec oppugnationi vrbis interfuissent; pari tamen cum Tẽplariis præmio a Rege donati fuerint. permisit etiã eisdem antiquum portus nauale, vbi domos sibi illi, atque Xenodochium ædificarent. Cæterum ciuitatis, atq; totius oræ maritimæ compositis, ac sedatis rebus, mõtanarum cura Regem maximè angebat; quod hæ impedimento ei essent, ne in continentem illicò remearet; tot ipsum, eiusque præsentiam deposcentibus Cataloniæ, Aragoniæque negociis, quæ minimè nisi præsente ipso confici poterant. Ex quo non tantum de deuictis hostibus gaudebat ille, quantum de non victis dolebat; ideoque moræ impatiens, iunctis copiis, duce Nunnio, vna cum Episcopo Barcinonensi, atq; Simenio Vrrea, & promagistro equitum, eiusque equitibus Hospitalariis, Incam oppidum reuenerunt, vbi se Sarraceni continebant. Indeque excelsum conscendentes collem Dartanæ, ab exploratoribus didicerunt, Sarracenos in intimas quasdam maiorum montium speluncas sese abdidisse, in eam potissimum, quæ extrinsecus omnium asperrima, eminentissimaque, intus verò mirè profunda & capacissima erat; perplures siquidem concameratas cauernas continebat: in quibus consistentes facilè se à quouis saxorum ictu defendebant; faciliusque ad se descendere conantes, in ipso ingressu interimebant: quin etiam rursum rupem ascendentes, per secreta quoque foramina frequenti sagittarum coniectione configebant. Itaque rupem obsidente exercitu, vt primum milites, qui vix bini, aut terni admittebantur, sese latentibus in conspectum dabant, tam sagittis per foramina confixi, quàm lapidibus ab alto obruti, decidebant. Quo in conflictu, cum dies aliquot exercitus magno suo damno contriuisset, ac nihil profecisset, statim illorum tuguria, quæ pro foraminibus locata habebant, incendere statuerunt. de quo maximè dolentes illi, atque cùm infestatione fumi; cum situ & squallore ex reclusione, malè habentes, de deditione egerunt; ea conditione & pacto, vt si intra octo dies socii montani minimè subsidio eis essent, se dederent. Interim proceres, dimissa ibi parte exercitus, cum altera per montes excurrentes, vt subsidia, si qua obsessis venirent, interciperent, prædas non paucas faciebãt: maximè verò Petrus Massa Dux clarissimus, qui aliam similem rupem arte & vi cepit, quingentis in ea captis, & ad Regem adductis Sarracenis. Tandem elapso deditionis die, nullo occurrente subsidio, spelunca in Regis potestatem venit: è qua prodiere mille quingẽti Sarraceni, qui se Regi ad pedes prouoluẽtes, obtulerunt boum x. ouium verò xxx. millia. Tanta enim est insulæ feracitas & vbertas, vt in eius quasi angulo teneri ac pasci illa potuerint. Qua præda capta, Rex cum exercitu reuersus, vrbẽ ouãs intrauit: vbi conuocato cõsilio, de Insulæ Sarracenis fuit actũ. Consultius nè esset illos in continentẽ transferre, ne magna cum esset eorum multitudo, aduentantib. Afris, conspirationẽ facerẽt, atq; Christianorum Resp. detrimentum caperet? An potius manere eos fieret vtilius, vt essent, quibus Christiani vterentur vt seruis ad excolendum agrum, & alias nauandum operas; ne ob paucitatem colonorum terra quoque cultione vacans syluesceret, ac redigeretur in solitudinem. In quam partem ferè omnes incubuerunt: maximè verò qui prædiis, atque oppidis à Rege in Insula donati fuere, sicq; relinquendos esse pronuntiarunt. Quæ sententia non multo post, consecuta illorum rebellione, visa fuit perniciosior. Hoc tempore, Rodericus Liciana in Insulam venit, triginta secũ cataphractos, ac duas cohortes adducens; Athone quoque Focio, & Blasco Massa Aragonensibus sequentibus; qui etiam cum altera manu militum nauigantes, tempestate coacti sunt in continentem remeare, ac Tarraconẽ appellare. Itaq; rerum potitus Rex, cõpositis nõnullis querelis: de diuisioni-

bus agrorum, deque areis ad ædificandas in vrbe domos magis opportunis egit. Qua in re, liberalissimè, sed magna quidē cum arte & prudentia se gessit, vt nimiis, petulantissimisq; multorum efflagitationib. occurreret. Demum custodia & munitione totius oræ maritimæ optimè dispositis, in Cataloniam decimoquarto mēse, ex quo ab eius ora cum classe soluerat, atque Insulæ oppugnationem inierat, remigare statuit. Quamobrem Bernardum Sentaugenianum nobilissimum, fidissimumque Catalanum, totius Insulæ præfectum reliquit; eique mandauit, vt expeditionem in Insulam minorem, & alias adiacentes pararet; quas ipse breui reueniens, diuino concedente numine, oppugnare decreuerat. Cui etiam præfecto, præter Torrelanum oppidum, quod ei ex diuisione obtigerat, nonnulla alia coniuncta oppida, dum viueret, concessa fuere. Prouidit etiam Rex, ne arma, equi, & tormenta bellica, quæ ad propugnationem Insulæ necessaria essent, alio asportarentur. Non enim minor eum premebat solicitudo & cura tuendæ Insulæ, quàm pressit debellandæ. Nam præterquam quod capta illa, opulentissimum ditioni suæ Regnum adiecit; visus est etiam superioribus Hispaniarum Regibus longius latiusque præcurrisse, vt qui Baleares præstantissimas Iberici maris Insulas omnium primus expugnauerit: ac neq; minorem inde laudem assecutus fuerit, quàm sibi meruisse amplissimam, celeberrimàq; omni ex parte arbitratus est Q. Cecilius Metellus Consul Romanus, qui eiusmodi Insulas Romano Imperio subiiciens, reportatam inde victoriam, ob quam triumpho donatus est, tanti habuit, vt à deuictis Balearibus, Balearicus cognominari studuerit. Quale profectò cognomentum, hoc ipso potius Iacobo deberi constat, quòd eas non modò ceperit, sed captas cùm conseruauerit, tum Mahometana extirpata inde impietate, ad verum Dei cultum traduxerit. Quem planè religionis cultum Baleares adeò piè, continenterque obseruarunt, vt ab eo tempore nulla in eos Christianæ defectionis labes inciderit, nullum fidei factum fuerit naufragium. Sed vt sunt optimo, atque excellenti ingenio præditi; ita neque à vera vnquam religione desciuerūt. Vnde fit, vt in ipsos Christianæ fidei hostes Mahometanos, nulli sint Balearibus truculentiores: vti deprehendere est ex continuis pugnis, quas cum Africanis piratis agunt. Qua sanè armorum exercitatione, gens bellicosa admodum, rigida, atque vltionis percupida euasit. Nam licèt in communes hostes ad defendendam patriam nulli sint illis concordiores; tamen in se ipsos, nulli quandoque feriores, neque acerbiores. Siquidem præ bili, qua redundant, facilè in subita iurgia, mutuasque rixas erūpunt, ac subinde odia exoptatę vindictæ, in quam natura propendent, recondunt: eamq; vel hoc solo nomine ipsis innatam esse ferunt; quòd cùm sit insitum animalib. vltionē appetere, ipsamq; potius dentibus, qui propiores sunt cordi, vbi irarum ardor existit, quàm vel manu, vel armis conficere (diducto enim ore, atque exertis dētibus illam significamus.) Sic etiam Baleares olim, vltionis gratia, inter alias pugnandi artes, canes (molossos dicunt) alebant ferocissimos, atque in homines plus quàm in feras sæuientes; nempe vt ipsorum dentibus dilaceratis hostibus, vindictæ sitim explerent. Nam constat hanc ipsam tam efferatam canum aggressionem, atque fundarum etiam vsum, quo in iaciendis ac librandis lapidibus tantopere Baleares præstant; non tam in priuatos, ac domesticos hostes, quàm in piratas frequentissimè deprædantes Insulam, captiuosq; ducentes Insulanos, à maioribus inductum fuisse. Nemo enim egrediebatur foras, qui non secum gestaret fundam, sociumque canem vocaret; vt si obuium piratam iaculatis funda lapidibus fugare non posset, incitato cane, aut dilaceraret, aut remoraretur, donec sese in tuta loca reciperet. Vnde non abs re Græci, auctore Aristotele, has insulas γυμνασίας vocarunt, quasi exercitatorias, propter crebras, vt dictum est, pugnas, quibus incolæ cum piratis sese continenter exercebant. nam ob feracitatem, multarumque rerum vbertatem, frequentibus direptionibus subiectæ erant. Quanquam magis adducor, vt credam, ab eisdem Græcis dictas fuisse proprio nomine Baleares. Cerniorum lingua, quasi exsulares. nam exsules Cerniti appellant balaros, Pausania auctore. quòd in eas relegarentur à Romanis, aut ab Hispanis, qui ob delicta exilio multarentur: iique vt perditi ac desides laborem agriculturæ fugientes, cum ex venatione viuerent, ac sine lare essent, sua, se, atque Insulas, tum feritate tum funda & canibus à piratis defendebant. Qui & mulierosi, eodem auctore, vsqueadeò erant, vt si ex pacto daretur commercium cum piratis, nihil aliud ab eis, præterquam mulieres mercarentur, aut cælo, aut situ terrę, seu pinguis ferinę, porcinæve carnis esu, quo abundant, Venerem excitante. Fuere igitur hę Insulæ multis ante Iacobum annis, dum à Sarracenis tenebantur, non solum à Barcinonensibus Comitibus, sed à Pisanis, ac etiam à piratis Normanis, ab occidentali Gallia, per Herculeum fretum, in nostrum mare illabentibus, sępe quidem magna ex parte vastatæ: verum captę penitus à

tùs à nemine vnquam præterquam à Iacobo, qui non modò debellauit eas; sed suis quoque posteris perpetuò possidendas reliquit. Tandem Insulæ negotiis compositis, præter ea, quæ ad instituendam ibi religionem, & diuinum inducendum cultum, atque Mahometanum prorsus propulsandum pertinerent (hæc enim quoniā cum Episcopo Barcinonensi, & aliis, in continenti pertractanda erant, eousque peragenda distulit) è portu soluens, secundo vento post diem tertium, portum non longè ab ostio Iberi tenuit. Verum tempestate subitò exorta, non mari Tarraconem, sed terrestri via cœnobium Populetanum adiit, vt gratias Virgini & matri sanctissimæ immortales ageret, eique supplicationes per vniuersa Regna sua, ob tam felicem rerum euentum, decerneret. Conuocatis igitur Episcopo Barcinonensi, & aliis Antistitibus; de constituendo Ecclesiæ Balearicæ Episcopo, deque idoneo illius Antistite eligendo protinus, est actum. Quibus obiecit Barcinonensis Ecclesiæ Antistes, eiusque Canonicorum Collegium, Balearicā Ecclesiam ad se, suamque ditionem, seu diœcesim pertinere, ex eo quòd olim quidam Balearium Rex Sarracenus, Dianii quoque dominus, illam Barcinonensi Ecclesiæ concesserat: idque, consentientibus Comite Barcinonensi, & Archiepiscopo Tarraconensi, Sedes Apostolica confirmauerat. Veruntamen perspecta Insulæ maioris magnitudine; ac etiam ciuitatis frequentia & amplitudine, necesse videbatur, vt proprium ac præsentem haberet illa Antistitem & Pastorem animarum, qui Sarracenos Insulæ ab impia secta ad veram Christi religionem traducendos, sua cum aspectabili Pontificia præsentia recrearet; tum doctrina, & exemplo vitæ illorum animos informaret; ad idque idoneos verbi Dei ministros aleret, atque toti etiam Ecclesiastico ordini præesset: ne proprii pastoris absentia, illius Christianus grex dilaberetur, atque Tartareis lupis denuò præda fieret. maximè verò Rege Ecclesiam amplissimis censibus, ac decimis locupletante, atque pinguibus decorante sacerdotiis. Iccircò Abbatum cœnobiorum Populetani, & Sanctarum crucium, ordinis vniusmodi, quos Rex arbitros constituerat, sententia fuit, vt Apostolicæ Sedis decreto, Episcopatus in Insula constitueretur, eique Ecclesiæ proprius Pontifex præficeretur: cuius prima electio ad Regem spectaret; sequentium verò, perpetuò ad Episcopum & Canonicos Barcinonenses: modò tamen degremio eiusdem collegii illa fieret: aut nullo ibi inuento idoneo, de Balearico eligeretur dignior: idemque seruaretur ordo in Ecclesiis minoris Insulæ & Ebusi, si contingeret aliquam erigi in Episcopatum. Adhæc literis suis Rex mandauit præfecto Insulæ, vt quamprimum Templum maximum in vrbe; in aliis autem oppidis permultas ædes sacras; atq; in pagis sacella, Regiis sumptibus ædificare curaret. Quibus peractis, Rex è Populetano cœnobio proficiscens, Ilerdamque præteriens, in Aragoniam peruenit, vbi maximo applausu ab omnibus Aragonensibus, sed à Cæsaraugustanis potissimum cum triumpho exceptus fuit.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER VIII.

BALEARIVM Maiore, eiusque vrbe expugnatis, Iacobi nomen, gestarumque ab eo rerum longè lateque peruagata fama, eousque increbuere; vt quò magis sarracenis Regibus odio ille, atque terrori esse cœpit; eò quidem gloriosius à Christianis Principibus, non in amicitiā modo & auxiliū; sed in adoptiua vocari meruerit. Nā & Tunetanus Rex, Afrorum potentissimus, bellum toties ad recuperandā Insulā indictum, inferre nunquā est ausus: & Romanus Pōtifex, ac vniuersa ferè Italia, à Federico Imperatore, vt mox dicemus, oppressa, eius auxilium, præsidiumque implorauit: & Sanctius Nauarræ quoque Rex eundem, adoptandi gratia, ad se vltro accersiuit: vt vno simul tempore Iacobus, & triumphum ex sarracenis: & beneuolentiam à Christianis, & gloriam denique ex omnibus reportarit. Verùm de adoptione inprimis, quibus de causis à Sanctio procurata ea fuerit, quemque exitum habuerit, dicamus. Siquidem Sanctius, quo omnium superiorum Regum Nauarra nullum me-

liorem habuerat: vt qui ob singularem in bello constantiam fortissimi cognomentum meruerat: post illud Idubedense prælium cum sarracenis habitum, cui, vt primo libro ostendimus, vna ipse cum Castellæ & Aragoniæ Regibus victor interfuit, sese in Nauarram recipiens, tam pingui & obæso fuit corpore, atque ob podagræ morbum, quo misere laborabat, debili ac effœto; vt vix se loco dimouere posset; sed perpetuò in lecto iacere necesse esset. Hunc igitur senem orbum, totque impeditum morbis Castellæ Rex, non aperto, sed occulto bello infestabat: ad idque inferendum, Didacum Lopezium Pharensem dominum Vizcaiæ quæ maritimos Cantabros continet, sollicitabat; ipsoque adiutore Didacus Nauarrensem agrum depopulabatur: & in eodem castella quædam diripuerat. Vnde Sanctius cùm neutri valeret resistere, atque honestas quas offerebat conditiones pacis ambo repudiarent; cum Aragoniæ Rege pacisci, eiusque ope ab vtroque hoste sese defendere curauit. Cumq; Tudelæ ageret, quæ Regni vrbs est munita satis & peramœna, & quæ Ibero amne alluitur, atque in confiniis Aragoniæ, non longè à Cauno permagno monte posita est, legatos misit ad Iacobum Cæsaraugustam, quò tum is è Balearico bello venerat: cui significarent, se velle cum eo inire societatem, & pactiones facere quàm commodissimas. Quo audito, atque de impedimento & morbis Sanctii factus certior Iacobus, ad eundem ire statuit: adductis secum primariis Aragoniæ proceribus, Athone Focio Regiæ aulæ præfecto, Roderico Liciana, Guillermo Moncada, & Petro Perezio Iustitiæ Aragonum præfecto, Blasco item Massa, non Alagone, quo agnomine deprauata fuit historia Regis, cum is Blascus Alago tum abesset, ac cum Abuzethio Rege, vt diximus, in Valentinum Regnum esset profectus. Itaque Tudelam veniens, a Sanctio tot præpedito malis, neque extra, neque intra ciuitatem decenter excipi potuit: cùm eum Iacobus in ipsomet cubiculo iacentem inuiserit. Sequenti verò die, cùm ad eum Iacobus reuerteretur, Sanctius amoris, summæque beneuolētiæ magnitudinem, eiusque visendi cupiditatem, potiores causas, cur illum accersierit, esse prætexuit; quas felicissimus eius rerum successus, quo ceteros Hispaniæ Reges virtute & fama adæquarat, mirè augebant: ac vel maximè ob cognationem & propinquitatem, quæ inter ipsos tanta intercedebat, vt quocum arctiori affinitatis vinculo astringeretur esset ferè nullus, vno excepto Tibaldo ipsius ex sorore nepote: tametsi is ob ingrati animi vitium, atque multorum acceptorum beneficiorum contemptum, in causa fuerat, vt de expellendo illo ab spe Regni, deque ipso potius ad eam vocando, cum Senatu & populo Nauarrensi egerit. quodque inuenerit nulla alia id posse via confici stabilius, quam mutua inter eos adoptione, cum mutuo quoque iure ad successionem Regnorum: posseque ipsum meliore quam se conditione ascisci ad illam: vt qui cùm senex valde esset, annos iam natus septuaginta octo, iuueni, qui vix vigesimumquintum attingebat, nequaquam fieri posset superstes. Quæ audiens Iacobus, quod eam de se concepisset opinionem & beneuolentiam, ingentes ei gratias egit: seque daturum operam, vt in amore, omnique grati animi officio responderet; significauit. De oblato verò adoptionis iure, cum suis breui se acturum, ac deliberaturum respondit. Quibus conuocatis, quæ secum Rex communicasset aperuit; fuitque multus subinde, atque varius de proposita adoptione inter eos sermo. Nam etsi Iacobo valde expediebat adoptari se, ad stabiliendum ius olim à maioribus suis ad Regnum Nauarræ acquisitum; tamen adoptare ipse Regem nequaquam poterat, Alfonso filio vnico superstite, atque salutato Principe à proceribus, Ciuitatibus, & oppidis totius Regni Aragonum; ac etiam ab Ilerdensibus. Esse præterea monstri simile, octuagenarium propè senem à iuuene adoptari, & periniquum, excluso legitimo hærede, alium vocari ad Regni successionem. Hæc cum inter se egissent, & tanquam rationi minimè consentanea, dubia reliquissent; ea vtcunque Sanctio retulerunt per Blascum, Athonem Focium, & Rodericum Licianam. Quæ intelligens Sanctius, atque cum suis consiliariis, & Nauarræ primatibus communicans; tandem, cùm nō tam adoptari, quàm iuuari à Iacobo curaret, in ea semper sentētia fuit, vt pacta fierent, tametsi per adoptionem nullum sibi ius esset ad successionem, nisi Iacobo & Alfonso sine liberis decedentibus. Vt primum igitur Nauarrensium decreta Iacobo fuere renuntiata, adeò sibi illa vtilia & honorifica esse inuenit, atq; Aragoniæ Regno profutura, vt approbantibus proceribus, modò successione potiretur; & Regi subsidio ac defensioni futurum; & quæcunque de his pacta & conditiones fierent, diligentissimè se præstiturum promiserit. Alter ergo alterum adoptauit: præsentes verò vtriusq; Regni proceres, & ciuitatum procuratores fuerunt: qui magno consensu, omnia sese firma, rata, ac perpetua habituros iureiurando affirmarunt. Quæ adoptio à Regibus stipulata, atque diplomate signo Regio munito cōsignata,

gnata,non contemnenda quidem fuit Regibus Aragoniis:propterea quod per eam non minimum ius fuerit ipſis ad Nauarræ Regnum acquiſitū. Quid enim ſibi voluit adoptio, quid à Rege, eiuſque Regni proceribus iuramento confirmata pactio, quàm obeunti Regi Iacobum ſucceſſorem relinqui? Quæ pactio Hiſpano conſcripta ſermone, de verbo ad verbum refertur à Hieronymo Surita lib.3.de Annalibus Regum Aragoniæ. Cæterum adoptiuorum obſignatis tabulis, de bello ad propulſandum hoſtem eſt actum: de quo multa Reges,eorumque vtrinque proceres pertractarunt: ipſe in primis Sanctius egregiè de his,quæ facienda eſſent diſſerebat,innitens tum optimo iuri ſuo,tum ſocietati Iacobi, qua ſperabat, ſe poſſe,iunctis vtriuſque Regni viribus, non modò tueri ſua, ſed hoſtem Regem in amittendi ſui Regni diſcrimen adducere. Quibus aſſentiens Iacobus, ſe præſtò eſſe, ac certa die cum duobus equitum millibus venturum obtulit;modò Nauarrenſes cum mille equitibus adeſſent. Id ſe illi facturos promptiſſimè ſpoponderunt: tamen neque modum, neque ordinem, quo hæc fierent vllum adhibuerunt:propterea quod Rex non tantum podagra, ſed multa etiam in dando chiragra, quod aiunt,laboraret:famaque erat, magnam incommodorum bello acceptorum partem ex auaritia illi fuiſſe natam. Vnde vel ob vtrumque morbum, vel potius quòd pœnituiſſet iam ipſum,priuaſſe Regno Tibaldum,repente conuerſo ſtudio, non ſolùm frigidè,languideque,ſed cum ſtomacho, ad ea, quæ à Iacobo in rem bellicam agitabantur, reſpondebat. Nihilominus tamen Iacobus in his ſapienter conniuens pacto adhæſit,quo conuenerat,vt ipſe ad proximum diem feſtum Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ, cum equitibus leuis armaturæ mille; & ad diem feſtum ſancti Michaelis menſis Septembris conſequentis,cum aliis mille,in fines Nauarræ conueniret:ſi tamen Rex ſub id temporis mille quoque equites paratos haberet. Denique cum placuiſſet iterum ipſo die Paſchæ conuenire Tudelæ; ſeque ſecundò videre, de diſceſſione egit; atque dum hanc parat, à Rege petiit dari ſibi mutuò victoriatorum centum millia: quæ dedit Sanctius;oppoſitis ei nomini & pecuniæ, quaſi hypothecis, à Iacobo quatuor Aragoniæ oppidis,quorum nomina ſunt, Herrera, Pinnarotunda, Ferrelio, & Faxina, in ipſis confiniis Aragoniæ ſitis. Mutuò igitur accepta pecunia, Iacobus illico non in ſuum illam, ſed in Sanctii vſum impendit. Nam conductas à ſe antea cohortes miſit, vt præſidio eſſent oppidis Nauarræ,in quæ Lopezius irrumpebat. Itaque Iacobus rebus ſic confectis,Tudela Cæſarauguſtam venit. Quo tempore graues ſparſi fuerant rumores de maximo belli apparatu Tunetani Regis,& expeditione ad expugnandas Baleares:argumēto eſſe,naues quaſdam Ligurum, atque Piſanorum ab eo in Hipponenſi portu occupatas.cuius rei fama confirmata fuit literis Santaugeniani maioris Inſulæ præfecti, quibus actuariolo miſſis,Iacobum de ea re certiorem faciebat. Quo nuntio, Iacobus protinus Tarraconem profectus eſt, vbi conuentus agi curauit, vocatis Aragonenſibus ſimul & Catalanis,iis præcipuè,qui equeſtribus ſtipendiis potiebantur: potiſſimum qui in Inſula prædiis atque oppidis donati fuerant,vt conſtituta die in portum Salonium conuenirēt, è quo,exercitu congregato,ac Rege duce,irent in Inſulam ſubſidio. Ea quippe ipſe præſentia,& manu,quibus Inſulam expugnauerat,eripueratque ab impiis Sarracenis, contra eoſdem tueri decreuerat.Dum hæc in portu aguntur, venit ad Regem, ab eoque fuit regiè,honorificentiſſimeque exceptus Petrus Portugalenſis, quem Rex antea, vt diximus,cognationis gratia,oppidis aliquot in Tarraconenſi campo donauerat.Necnō illius vxor Aurembaxis nuper ſine liberis decedens vniuerſorum hæredem, atq; Vrgelitani Comitatus dominum pleno iure,teſtamento reliquerat. Hunc ergo Rex cupiens ampliſſimis, atque Regiis bonis cumulare; ſimulque Regiam Cataloniæ ditionem ſibi poſteriſq; ſuis amplificare,quæ cōmodiſſima vtriq; eſſent, ſapiētiſſime commeditatus fuit.Nā vt eundē Vrgelitanum Comitatum omnium Cataloniæ, & vbertate agri, & bellica gentis laude primum, Regno adiungeret, veniretque in eius poſſeſſionem antequam Pontius Cabrera, obeunte Petro,illum repeteret, Baleares Inſulas Petro tradere decreuit. Cui rei annuit Petrus, vt Regi potius morem gereret, quàm vt mediterraneam cum maritima ſtationem commutare vellet: atque ita conuenit inter eos,vt tranſlato in Regem Comitatus iure omni, quod Petro ex teſtamento competeret, Regnum Balearicum Petrus,& Inſularum adiunctarum dominatum, dum viueret, more Barcinonenſium, acciperet: retenta tamen Almudeua arce vrbis, cum oppidis & arcibus Oloronis,& Pollentiæ: vtque in reliqua Inſulæ munita loca Rex, cùm opus eſſet, admitteretur; ac quos amicos haberet, eoſdem Petrus agnoſceret. Demum vt mortuo Petro, eius hæredes tertiam partem tantummodo Inſularum, eodem beneficiario iure, à Rege, & ſucceſſoribus acciperent. Quas ſanè pactiones Petrus,

præsentibus eodem Petro Perezio, & plerisque aliis vtriusque Regni proceribus, iureiurando se obseruaturum promisit. Id igitur iuris habuit Petrus Portugalensis ad Insulas Baleares; vt fictum, ac inane sit, quod à quodam antiquo historicô refertur, Petrum scilicet, proprio marte expugnasse illas; cum exul ipse, neque opibus, neque re valeret; ac nisi à Iacobo exceptus, & locupletatus fuisset, minime in eum rerum statum peruenisset. neque enim tam iners alioqui, atque ignauus homo, tam arduam expugnationem suscepisset vnquam. Nam à Rege sollicitatus, vt se illico nauigationi ad defendēdas suas Insulas accingeret, in eaque expeditione, classis præfectus fieret, vltimus procerum accessit; quatuor tantummodo comitantibus equitibus, cum iam Rex nauem conscendisset, in quam ille fuit exceptus: cognatione quidem Regi propinquus, sed magnanimitate impar, virtute longè inferior. Itaque in portum trecenti numero conuenere equites selectissimi, cum nouem cohortibus; commeatus verò, reique frumentariæ, & armamentorum magna quoque fuit comparata copia. Quibus omnibus in naues impositis, dum idonea ad nauigandum tēpestas expectatur, Aspargus Tarraconēsis Pontifex, & Guillermus Ceruera monachus Populetanus, Regem vehementer rogarunt, ne se tunc nauigationi daret: non enim esse toties periclitandam fortunam, ac neq; cum tam potenti Tunetano Rege, tam paucis copiis confligendum: satius sanè fore, si Nunnium ducē bellicosissimum, atq; omnium experientissimum, cum exercitu eò mitteret ad vrbē defendendam, quoad ipse maioribus coactis copiis, subsidio iret in Insulā. Sed nihil profecerunt: quin potius, se illis, eorumque piis sacrificiis valde commendans, vela dedit, atque secundo vento, triduo ad Insulam appellens, Sollarium portum tenuit; indeque celeriter vrbem est ingressus: ad quam etiam post triduum reliqua classis appulsa fuit. Quo subito aduentu Regis Insulani vehementer excitati fuere, & ad defensionem Insulæ mire parati inuenti. sed vix quindecim exactis diebus, nuntius allatus est, Tunetanum Regem, neque armatum esse, neque eo anno expeditionem Balearicam suscepturum. Hæc enim per exploratores, quos Iacobus veniens in Insulam, Tunetum miserat, patefacta sunt. Vnde ab ea liberatus cura, bellum denuò redintegrauit contra tria Sarracenorum millia, qui expedito agmine, occupatis arcibus Pollentiæ, Santuerii, & Oloronis, sese viriliter defendebāt. Cuius conspirationis caput erat strenuus quidam Sarracenus nomine Xuarpius, qui vt primùm Regem cum exercitu aduētare intellexit, noluit, qua soliti alii fuerant pertinacia, Regis iracundiam in se irritare; sed illico sub honestis conditionibus in potestatem Regis cum suis deuenit, eique occupatas arces tradidit. Quibus recuperatis, atque Xuarpii liberalitate Rex ductus, eidem, aliisque quatuor decurionibus eiusdem generis & cognationis, prædia, & honores in Insula diuisit. Præter hos, alia quoque duo millia conspiratorum fuere, qui se Regi dedere noluerunt, atque asperrima montium culmina occuparunt. Quos Rex interim neglexit: ne tam grauibus eum alio vocantibus negotiis, tempus in debellandis fugitiuis contereret: maximè verò tot iam Christianis Insulam incolentibus, qui facilè possent nouas res molientibus occurrere, atque proteruos compescere. Vrgebat enim Regem constituta dies Paschæ, qua Tudelæ Regem Nauarræ, se conuenturum promiserat: sed cum elapsa esset, ægrè subinde illum traditatem laturum sciebat: ac, vt ingenium est Nauarrensium, subitum, suspiciosum, suisque deditū Regibus hac sola moræ occasione capta, à pactis eos discessuro credebat. Sunt enim Nauarrēses, & eorum propinqui Vizcaini (vtrosque Plinius Cantabros appellat, atque in angulo Hispaniæ septentriones versus constituit) non modo in communibus ac frequentibus præliis; sed in singularib. concertationibus, valentes, industrii, ac perpugnaces; ab insita genti natura vi, non à Gotthis Hispaniæ, vt quidam suspicantur, enata: cum & multis sæculis virtutis fama Cātabri illos antecesserint. Siquidem Augusti tempore, Horatius Poeta Cantabros bellicosos vocat: faceturque idem Augustus in Suetonio, nullum sibi fuisse bellum Cantabrico periculosius, neq; difficilius. Quos etiam constat esse inter se coniunctissimos, & in tuenda patria constantissimos: quin & ingenio pares: adeoque vnis ferè semper moribus viuentes, vt ægre externos inducant: & quorum lingua à primo ipsorum terræ cultu cœpisse creditur, ac neque à Gotthis, neque à Romanis fluxisse. Nam & à sermone cæteris Hispanis familiari ac vsitato, qui è Romano manauit, longissime ea distat: & tam obscura, atque à communi eloquio remota est, vt neque Romano efferri ore, neque commodè, auctore Mela, conscribi possit. Suntque in colloquendo adeò verborum, præsertim propriorum, inopes, vt sæpe quidem, aut inepta vti periphrasi, aut in medio sermonis obmutescere cogatur. atq; hinc est, vt cum incidit eis sermo cum alienigenis, subito inopia vocum iratiores fiant, præque iracundia, linguæ tarditatē, impetu corporis atque

atque celeritate manuum compenſent: perinde vt faciunt præclari rerum ſcriptores, qui mentem ac ſenſa ſua, quo minus celeriter explicare lingua poſſunt, eo feliciùs per manus quidem orationis fluxum ſtillantes, literis illa grauiſſimè conſignare ſoleat. Ita quippe Nauarri continuis olim, tum Romanorum, tum Sarracenorum præliis aſſueti, breuitateque ac inopia ſermonis repreſſi, fortiores, atque in bellum propenſiores ſemper fuerunt. Quo fit, vt fidelitate, cui proprium eſt ſilentium, ii valde præſtent; ideoque à loquacibus, tanquam fallacibus, caueant ſummopere, neque quid ipſi comminiſcantur, attendant: ac quoniam eorum incorruptus eſt animus, tãta ipſis ineſt ingenuitatis ratio & opinio; vt mortẽ citiùs quàm vt à ſuis degenerent, cum vita commutẽt. Sed quanquam eorum Regnum non admodum latum eſt, pluſque robore, quàm numero vincunt; adeò tamen res maximas totque præclara domi foriſque facinora ediderũt; deque deuictis toties hoſtibus ampliſſimè triumpharunt; vt non in poſtremis quidem illud collocandum ſit, quòd proprias ipſi ſedes, montanas ſaltem; tam ſtrenuè tutati ſunt, vt ab eis nunquam depulſi fuerint. Hæc igitur ſecum meditatus Iacobus, deque Nauarrorum facultatibus, & conſtantia Regis, nonnihil dubitans, profectionem ſuam ad eos maturabat. Quamobrem pacatis Inſulæ rebus, auctiſque præſidiis, Petrum Maſſam nobiliſſimum eius alumnum, quem dominum ſancti Gaireni fecerat, præfectum reliquit. vt enim domos in vrbe, atque prædia in ſuburbiis militibus: ſic & proceribus Rex in Inſula ditiones, ac Principatus diuiſerat. Quinetiam Sentaugenianum ſtrenuum virum Catalanum Petro præfecturæ conſortem dedit; ſimulque vtriſque iniunxit, vt bellum in minorem Inſulam appararent, breui ad illud conficiendum rediturus ipſe. Tribus ergo triremibus ab Inſula profectus, tertio die Tarraconem appulit, inde Cæſarauguſtam peruenit: vbi nonnullis grauibus Regni negotiis expeditis, vt primùm intellexit Sanctium Tudelæ adhuc eſſe, ad eum venit. Cui occurrit in itinere Petrus Simenius Valterra nobiliſſimus Nauarrus, Iacobo anteà notus, ſignificans Sanctium eſſe grauiter affectum in eum; propterea quod ad conſtitutam diem Paſchæ minimè cum equitatu veniſſet. Quo magis Iacobus Regem alloqui cupiens, ad eum ingreſſus, honeſtas moræ ſuæ cauſas, quantoque periculo Inſulam præſentia ſua eripuerit, expoſuit; ſeque moram, quam feciſſet, bene compenſaturum dixit, additis ducentis equitibus, præter eos, quos antea in ſubſidium belli promiſerat: iamq; ſe eſſe promptum ad exequenda pacta; modò equites mille, quos Rex fuerat pollicitus, præſtò eſſent. Nam iunctis vtriuſque copiis, ſtatim ſe, cum exercitu petiturum Caſtellam, eiuſque Regem à vaſtatione Nauarrenſis agri cùm prohibiturum, tum ad pugnam prouocaturum affirmauit. Hæc dicens, ac Regem fatigari quodammodo agnoſcens, paullulum ſeceſſit foras, vbi ſtrenuum quendam militem mœſtum, ac meditabundum, pro foribus agentem, interrogauit, quænam ipſum negotia aulica à bello diſtraxiſſent? aut quoniam ab exercitu dimiſſus veniſſet? Venio, inquit miles, miſſus à duce cohortium. quæ ſunt in præſidio Regni, vt Regi ſignificem, offerri occaſionem ad confligendum cũ Lopezio, & Caſtellanis, ac peruincendum; modo ſibi ſubmittantur ducenti leuis armaturæ equites: ſed ecce quartus eſt dies ex quo veni, neque tamen permiſſum mihi fuit ad Regem intromitti. Tum Iacobus vehementer commotus, vnà cum milite ad Regem iterum intrauit, & conqueſtus eſt, quòd tam idoneam ad profligandos hoſtes occaſionem nactus amitteret. Verum, ſi quatuordecim tantùm dierum cibaria ſuggereret, ſe illuc protinus cum ſuo exercitu conuolaturum. At vero Sanctius, aut languore & morbo obtorpeſcens, aut Tibaldi, qui iam in eius gratiam redierat, cauſa motus, eam Iacobi orationem iniucundam ſibi eſſe ſignificauit, & grauem. Quare cùm intellexiſſet Iacobus Sanctium neque ſuis rebus conſulere, neq; ſibi vlli vſui futurum eſſe: paratum ſe ad omnia, quæ promiſerit Sanctio præſtanda oſtendit: indeque ſe ad reprimendos Valentini Regis impetus, atque continua excurſiones in Cataloniæ, & Aragoniæ fines, totum conuertere decreuit. Quamobrem Tudela abiens, Thauſtium venit, vbi intellexit Sarracenos, qui conſpirarant in Inſula, ſeque in montana loca receperant, multis licèt laceſſiti, atque fatigati præliis eſſent à Præfectis; tamen aſperitate montium, atque profunditate cauernarum confiſos, ſeſe adhuc pertinaciter cum magno Chriſtianorum damno & iactura defendere: tametſi nouiſſimè quidem, vaſtatis agris, quos in ipſis montiũ cacuminib. cultiſſimos, & fructuoſiſſimos habebant, è ſpeluncis compulſos exiſſe, tantaque oppreſſos fuiſſe fame, vt more pecudum ſolo herbarũ paſtu ſe ipſi alerent. Idcirco de deditione agentes dixerunt, libenter ſe Regi tradituros, modò ille præſens, pacta & conditiones approbaret. Qui rumor confirmatus fuit aduentu ipſorummet Præfectorum, qui de Sarracenorum deliberatione facti certiores,

triginta dierum pactis cum ipſis induciis, obſidibuſque acceptis, non per legatos, neque per litteras, ſed ipſimet Regem ad Inſulam ſe pellecturos ſperantes, duabus actuariis nauibus Barcinonem appulerunt, indeque admiſſis equis, Thauſtium peruenerunt. Quos admiratus Rex, ac neque ſine magna aliqua cauſa veniſſe ambos, & Inſulam reliquiſſe ſuſpicatus; poſteaquã benigne excepit eos; magnanimitate quidẽ timorem ſuperãte, percontatus eſt, Nunquid de Inſula actum iam eſt? num mari, aut tota ſummerſa eſt; aut à Sarracenis prorſus, vobis elapſis, occupata? Nauem gubernatores deſeruiſtis? capta illa eſt. Cui occurrens Petrus, atque profluentem eius ex ſuſpicione orationem interpellans, ſic reſpondit. Noli quæſo, mi Rex, & te fallaci amplius ſuſpicione torquere; & nos honorifica, qua ſemper apud te fuimus, opinione priuare. Quin potius opinare de inſula, niſi ſalua ea tibi, & incolumis manſiſſet, ac niſi tanquam nauis in portu, & anchoris tuta eſſet, gubernatores ab eius gubernaculo, & tranſtris nunquam diſceſſuros fuiſſe. Cum igitur in tuto ſint omnia, rem tibi lætam, ac glorioſam, nobis autem honorificam, atque toti Inſulæ commodiſſimam afferimus: quam tamen, ne vti ignotam negligas, vtque minus te dignam reſpuas, & occaſionem prætermittas; eandem per nos ipſos tibi perſuaſuri acceſſimus. Scito namque reliquias Sarracenorum, quos ab Inſula nuper proficiſcens in montanis repreſſos potius, quam victos reliqueras, eouſque malorum adactos fuiſſe, vt iterum vniuerſam Inſulam in ſummum diſcrimen adduxerint. Ex quo neceſſe fuit, iunctis copiis, bellum denuo illis inferre: quorum ad confligendum copiam, cum nullam, ipſis ſeſe intra ſpeluncas abdentibus, habere poſſemus, vaſtatis eorum agris, quos in ſummis montibus habebant cultiſſimos, atque pecoribus abactis, tandem eos ad agendum de deditione compulimus: quam neque admiſimus omnino, ne quid te non conſulto ſtatueremus; neque rurſum detrectandam putauimus, ne tanquam deſperati illi, quos timere licet, in nos ruerent. Seſe enim pertinaciſſimè iureiurando obſtrinxerunt, aut nulli ſe præterquam tibi ipſi præſenti dedituros, aut ſin minus, mortem cum gloria magno noſtro malo oppetituros. Proinde aut matura, atque hanc toties ad inſulæ incendium reuiuiſcentem ſcintillam extingue penitus; aut ſi cunctèris, te Inſula intra paucos annos priuari poſſe puta: quando hinc Tunetanus Rex: illinc minor Inſula cum adiacentibus, hiſce confidentes ſarracenorum reliquiis, ſeſe ad recuperandam maiorem magna contentione comparabunt. Hæc à Petro relata, & à Santaugeniano confirmata dicta, Regem ad proficiſcendum tertio in Inſulam vehementer inflammarunt. Ac protinus ſumptis nonnullis cohortibus, quas ad expugnationem minoris Inſulæ conſcribi iuſſerat, Tarraconem venit, vt profectionem maturaret. Qui tamen futuris prudentiſſimè proſpiciens, deque ſucceſſione Regnorum cogitans, Alfonſum filium vnicum, quem eius mater Leonora in Caſtella alebat, ſecundò ſuum inſtituit hęredem, ac ſucceſſorem ad Regna omnia tam Aragoniæ, quàm Balearium, poſt Petri Portugalenſis obitũ, ac etiam comitatus Barcinonenſis, & Vrgelitani, quibus vniuerſa ferè Catalonia comprehenditur; nec non Principatus Mompellerienſis, aliarumque ditionum, quas in poſterum debellari contingeret: præcipiens proceribus ac ciuitatibus & oppidis omnibus, vt eum legitimum vniuerſorum hæredem haberent, atque vt verum dominum colerent & obſeruarent. quo ſine liberis decedente, Raimundum Berengarium patruelem ſuum, Prouinciæ comitem, eiuſque filios ſucceſſores conſtituebat. quibus de medio ſublatis, Ferdinandum patruum, vt eius regnandi cupiditatem expleret, dum vita ſupereſſet (erat enim vt dictum eſt monachus, quamuis ſe nondum ſolemni religionis voto obſtrinxerat) ad ſucceſſionem vocauit. Poſt hunc verò eos hæredes inſtituit, qui eſſent regio ſanguini coniunctiores. Adhæc de ingenua Alfonſi educatione, atque inſtitutione ſolicitus, poſtquam eum Apoſtolicæ Sedi commendauit, Aſpargo Archiepiſcopo Tarraconenſi, & ſucceſſoribus, quin & Magiſtris equitum Templario, & Hoſpitali in ſuis Regnis agentibus, ac demum Guillermo Ceruerae monacho Populetano, educandum commiſit. Ac inſuper expreſſit, vt certo tempore maneret ille in oppido & arce Montionis, vbi Rex olim cuſtoditus fuerat, ac prima rudimenta à Monredonio feliciſſimè acceperat. Tandem voluit, huiuſmodi ſucceſſionem validam fore, ſi Leonora, & Caſtellæ Rex, penes quos erat Alfonſus, eundem tutorum manibus liberè traderent: ac modo Alfonſus pacificus, non vi, neque cum exterorum armata manu in poſſeſſionem irrueret. cuius ſucceſſionis tabulæ obſignatæ fuere Tarracone, in præſentia eiuſdem Tarraconenſis Antiſtitis, Abbatis Populetani, & fratris Petri Cendræ ſapientiſſimi, ac perſancti viri, qui tum præerat cœnobio Dominicani ordinis Barcinone: quin & Guillermi Moncadæ, & aliorum vtriuſque Regni procerum; magna quoque conſecuta populorum acclamatione & applauſu. Quibus ex Regis ſententia peractis, protinus duabus triremibus, cum aliquot

quot actuariis ad exportandas cohortes in Insula mansuras, vnà cum proceribus è portu soluens, secundo vento nauigauit; estque post triduum maiorem Insulam ingressus. Ac illico maximo in templo, quod exædificare iusserat, immensas Christo ac Virgini gratias pro tam felici terra marique successu rerum agens, conuocato consilio primariorum exercitus, Raimundi scilicet Serani Templarii, Petri Massæ, Assalidii, Gudalii, & Sentaugeniani, de oppugnatione Minoris Insulæ consilium iniit. In primisque auditis sententiis placuit, vt relictis in vrbe tyronibus, veterani duabus triremibus impositi in eam pergerent: in quam celeriter commeatu & armamentis muniti traiecere. Est autem ea versus ortum Maiori opposita, distatque ab illa, Plinio, & Rege attestantibus, xxx. milliaribus; cuique ab occasu è regione respondet portus paruę vrbis, quę Citadella appellatur, ac portui imminet, & amœnissima est, eiusque ager multis frequēs suburbiis multisque oleribus & arboribus consitus: & quamuis Marsilio Cosmographo, alendis pecoribus tantummodo, non ad rem frumentariam commodus sit; Tito tamen Liuio & experientia, ad ea omnia, quæ maior profert, inuentus est habilis & fœcundus. Præterea in media Insula excelsi sunt montes, humiliores tamen ac leniores iis, qui in Maiori, neque perinde latebrosi. In horum igitur præcelso arx erat Sanctaguethæ dicta, eminentissima cum latissimo prospectu in quamcunque Insulæ partem. Quæ etiam Balearico Regi inuisenti Insulam ad summas erat delitias. Adhæc quatuor portubus vniuersa illa distinguitur, Citadella, vt diximus, Serinao, Fornelio, & Magone, quorum hic est omnium capacissimus, tutissimus, & munitissimus: à Magone fratre Annibalis Carthaginensium Duce sic vocatus. Nam insula ab ipsis Carthaginēsibus, quib. est à Septentrione, culta & habitata fuit; extantque nunc vestigia nonnulla: nec desunt, qui scribant, natum in ea fuisse Annibalem. Vnde Mago, & Citadella, tanquam tutiora insulæ loca, in præsidio erant. Itaque veterani exercitus ad Insulam appellentes, portum Citadellæ, nullo impediente tenuerunt; ac protinus in terram expositi, & Christianos se esse, & à Iacobo maioris insulæ Rege missos profitentes, cum præfecto, fidelibus vsi interpretibus, egerunt; vt quoniam eorum Rex à Iacobo victus & subactus fuit, eiusque ciuitas maioris Insulæ; ex eo quod liberè se dedere noluerat, capta & direpta, multaque mala miserabiliter passa esset; idcirco ipsi liberè in potestatem Regis benignissimi venirent, alioqui passuri longè acerbiora. At iidem tempus sibi dari ad respondendum petentes, arcem ingrediuntur; ac dum de deditione consultant, Rex qui in maiori substiterat cum parte exercitus, in monte mari imminenti, Caput Petræ dicto, atque in prospectu Citadellę posito, tribus Aragonensibus proceribus comitatus, sub vespertinū crepusculum, hoc vsus est strategemate, quod ex voto etiā successit. Nam plures vno simul tempore faces toto sparsas monte accendi iussit: quę procul inspectantibus, permagni alicuius exercitus, siue splendentium castrorum speciem referebant. Ad q̄ ora simul & oculos Citadellani conuertentes; coniecerunt, nō aliud portendere ostentū illud, quàm Christianorū exercitum paratū ad ipsos aggrediendos, quum primum præsenserint oblatas conditiones pacis minime fuisse ab ipsis acceptas, sed recusatam Insulæ deditionē. Vnde fracti animo, atque debilitati metu, protinus sese liberè Regi ac suis dedere statuerunt. Quare vocatis Regiis ducibus, se eis cum Insula tradiderunt: hoc vnum deprecantes, liceret omnibus in Insula manere: seque propterea perpetuam Regis seruitutem subituros. Quo reddito responso, simulq; arce cum reliquis castellis à veteranis in potestatem redactis, atque à direptione protectis; frater germanus præfecti, aliique Insulæ primates, actuariolo ad Regem perducti fuere; eique se, suo ritu, totius Insulæ nomine, vt Regi ac domino subdiderunt. Hunc ergo in modum oppugnata Insula minor in potestatem Iacobi venit. Qua peruulgata deditione atque benignitate Regis in excipiendis dedititiis intellectà, sarraceni maioris Insulæ, qui montana tenebant, non expectata Regis præsentia, è cauernis exire atq; obuio cuique Christiano militi sese dare, ac veniam obnixè petere cœperunt. Ex quibus perplures perpetuæ seruituti mancipati sunt, ac in continentem transducti: aliis, Regis indulgentia, suburbia & pagi ad inhabitandum concessi: ad publicas verò operas, & onera Insulæ; alii quoque multi in seruitutē dati. Itaque confecto montanorum bello, duobus adhuc mensibus Rex in Insula fuit; mandauitque illius præfectis, vt eorum alter cum vna cohorte militum in præsidio Citadellæ esset; nempe vt cùm breuior sit inde transitus in maiorem, sibi mutuò auxilia ferrent; atque nocturnis facibus belli pacisque signa darent. His peractis, in hoc vnum maximè Rex incubuit, vt maior Insula vndique muniretur, vtq; in portubus præcipue arces reficerētur, & vbi non essent, exędificarentur; in eisq; præsidia collocarētur ad vniuersos tam Afros, quam Hispanos sarracenos, & quosuis alios piratas, portu &

Insula prohibendos: inde quippe ipsa tot speculatoriis turribus circumsepta conspicitur. cuius rei proceres, quibus prædia atque oppida donarat, maximè admonuit, graues mulctas iis, qui eam curam negligerent interminatus, in Petrum Portugalensem, cui Rex Insulas tradiderat, animum intendens. Sed is eousque ignauiæ, atque inertiæ processerat, vt omnem publicæ gerendæ rei curam à se abiiceret, minimeque manere in Insula, sed in continentem redire conaretur. Qua causa Rex, expugnato non multò post Valentino Regno, oppida quædam in eo, vt dicemus, Petro dedit; quæ is perlibenter accipiens, eaque compensatione contentus, de iure suo decessit, atque Baleares liberè, sineque exceptione Regi restituit. Vt primùm igitur recuperatis illis, atque omnino in potestatem Regis redactis, earum maior à bello conquieuit, eiusque natiui agri fertilitati cultio addita est, & humana consitio, adeò magna ipsam consecuta est rerum omnium atque fructuum vbertas, vt frequentissimus subinde fuerit ex omni Europa in eam gentium concursus. Vnde tam mercium vndique conquisitarum, atque rerum, quibus egent, inuectione; quàm Insularium, quibus abundant, exportatione, locupletissimo emporio nobilitata, cùm omnium Europæ vrbium euasit opulentissima, tum continuis Afrorum piratarum propulsationibus, bello quoque exercitatissima.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER IX.

T verò Iacobus, cui nullum in omni vita vacuum tempus fuit, neque otium non negotiosum concessum; sed ab vno præclaro facto, ad aliud longè præclarius continuus transitus, atque firmus progressus: vix quidem Balearicum bellum confecerat; quod vnum satis illi fuisset ad perillustre nomen, & perpetuam famam condendam: cùm statim ad Valentinum multò difficilius suscipiendum accessit. arduum sanè illud, multisque nominibus dubium, ac periculosum: tot cõiunctis Sarracenorum Regibus, qui mediam ferè Hispaniam occupabant, suppetias Valentino allaturis: tot etiam Afris, præcipuè Tunetanis, subsidio eidem affuturis: ipsoque Regno demum latissimo, totque circunfuso populis, atque armis præmunito: eoque magis quod Iacobus solus cum suis, nullo aliorum Regum aduocato auxilio, cœptum persequi decreuisset. Nam cum ei pia illa mens esset in Valentino, quæ in Balearico bello fuit, cùm euellendi stirpitus Mahometanam sectam; tum veram Christi religionem inducendi; nihil diuino duce numine, non animosè sibi aggrediendum, nihil non præclarè conficiendum putabat. Verum, ne intermissis primis, ad vltima procedamus, narrare prius oportet, quanam ex opportunitate, quibusue consilio & rationibus permotus ille, ad tantum, tamque præclarum suscipiendum facinus animum induxerit. Nam ex Rege, aliisque sui temporis scriptoribus, rem ita se habuisse colligimus. Siquidem ex Balearibus in Cataloniam reuersus Rex, ad ostia Iberi è triremi exiens cum Nunnio & aliis, Dertosanum prætereuectus agrum peruenit Alcanitium perinsigne Aragonensium oppidum, in Cataloniæ ab ortu, in Valentiæ verò confiniis, à meridie situm. In monte quippe leniter accliui, perpolita mille domorum constructione, exædificatum est, atque muro vndique, & turribus secto ex lapide munitum: quin & à superiore parte, arce, quæ oppido imminet, propè inexpugnabili protectum; inferiore autem, Gadalopo fluuio profundo septum, adeoque copiosa riuorum deductione fœcundandis agris apto, vt fructus inibi non vberes modò, peruariique; sed suaues, ac perdelicati proferantur. Ibi demum ciues (è quibus historiæ scriptor oriundus) tam pia & ingenua inter se concordia agunt, atque prudenti cum Reipub. administratione pietatem colunt, vt non immeritò diuinitus factum fuerit, vt Iacobus ad sacrum hoc commeditandum, atque deliberandum bellum, eò loci conuenerit. Cum igitur tranquillitate simul & amœnitate oppidi adductus ille, ibi dies aliquot, arcem tenens, consumpsisset; eo quoque venit Blascus Alago, qui biennio in Regno Valentino egerat, ab eo die, quo illud ingressus fuit vnà cum Abuzethio

Rege à Zaene pulso, vt diximus: quo tempore Blascus, toto ferè lustrato Regno, diligenter eius situm, arces, munita loca, & incolarum vires inspexit, & quæ ad eiusmodi oppugnationem facerent curiosè didicit; necnon amicos ex Sarracenis plures sibi parauit, quib. postea in commodū, & rem Regis est vsus Itaq; Rege vna cū Blasco & Nunnio, ac Follalcherio Promagistro Hospitalario: in præcelsam arcis turrim ascendentib. vt amœnissimo, atque pulcherrimo inde loci prospectu fruerentur: Follalcherius proceram, atque speciosam Regii corporis habitudinem, staturamque (quatuor enim cubitorum & dimidii fuisse compertum est) contemplatus, cum tanta oris venustate, atque maiestate coniunctam; simulque admiratus iuuenem annos vix natum XXVI. cum multis aliis, tum Balearica victoria, & triumpho decoratum; diuino actus impulsu, ipsum sic est allocutus. Enimuero Rex quo magis te, tuaque ab ineunte ætate, cœpta, & præclaras res gestas contemplor, easque felicissimo successu semper conclusas fuisse considero, ac neque sine diuino id nutu fieri posse animaduerto; dignum te profectò existimo, qui maiora tandem, multoque præclariora semper facta moliaris. Ac quoniam transmarinum bellum tam arduum, tam difficile, atque periculosum, tam bellè, feliciterque, te terra marique susceptum perfecisti; iam nunc Valentinum, quod & intimum ac domesticum est; & quàmplurimis causis, tibi, tuisque vtile & honorificum, multo ardentius vt suscipias, vehementer exoro. Nempe, vt hoc ipsum, quod à maioribus tuis Regibus toties frustra cœptum bellum fuit, tu, qui potentia, & nouis Imperii accessionibus vniuersos superas, haud dubiè confecturus, persequaris. Quandoquidem Blasco ductore, qui nuper tenues Valentinorum vires & facultates explorauit, nihil non tentandum, immò diuino fauente numine, in hoc vnum bellum maximè tibi esse incumbendum existimo. Quibus Follalcherii dictis assentiens Blascus, vera omnino prædicasse illum affirmauit; atq; ad oppugnationem Regni commodissimè exordiendam Burrianam oppidum in extremis Ilergaonum campis, ad meridiem vltra fluuium Idubeam, propeque mare situm, multis nominibus aptissimum designauit. Hæc vtriusque dicta, cum Regi grata fuissent; atq; ad sacrum huiusmodi bellum suscipiendum diuinitus agi sibi ipse videretur, omnibus neruis eidem intendendū statuit. Tametsi de causis iustis, atq; honestis ad inferendum illud, prius differi, ad idque alios quoque proceres conuocari curauit. Quorum vltrò citroque agitatis rationibus, in summa decretum fuit, Iustè Zaeno tyranno ac Regni occupatori bellum inferri, propterea quod Iacobum multis modis offenderit. Ac primum, quod Abuzethium verum Regem, indictà causa, Regno expulerit; ex eo quòd ille ab excursionibus, & vastatione agrorum in Christianos, sibi temperasset, atque cū captiuis mitius agere cœpisset. Deinde quòd Iacobo Balearico bello implicito, idem excursiones multas fecisset Dertosam vsque, & Ampostam arcem Christianorum munitissimam, vastatisque agris, atque cum ingenti præda regrediens, Videconam insigne Hospitalariorum oppidū aggressus fuerit; tametsi ab oppidanis validissime repulsus. Adde quòd Iacobo de his apud ipsum per legatos modestissimè conquerente, neque detrectante pacem, modò quintam partem Portoriorū Valentiæ, & Murciæ, sibi quotannis pendi solitam, quæ superiore anno soluta non fuerat, numeraret; legatos, & oblatas pacis conditiones spreuerit, ac de portoriis mediā partem se in posterum singulis annis detracturum responderit: his auditis, omnium quidem suffragiis damnatus ille fuit. & de commouēdo in eum bello terra marique deliberatum. Quare Montionem conuocatis omnibus, tam Cataloniæ, quam Aragoniæ primoribus, atque Ciuitatum legatis, Valentinum bellum, pro vtriusque Regni commoditatibus, & incolumitate suscipiendum, ingentemque ac pernecessarium ad illud faciendum esse sumptum ostendit. Cui postquā assensi fuere omnes, Catalanis imperatum fuit Bouaticū, ab eisdemque libentissimè promissum, & quàm breuissime Regi adnumeratum. Similiter Aragonensibus imperata pecunia fuit, iis maximè, qui remoti erāt à confiniis Valentini Regni; quod finitimi vicinum bello interessent. Iamque Rex, & conscribendis copiis, & commeatui, reique frumentariæ parandis, atque vniuerso bellico operi diligentius instabat: propterea quòd opportunissimam tunc occasionem suam putabat, seditiones & discordias, quæ Sarracenos in Hispania Reges, non in mutuam modo perniciem, sed etiam in Zaenam irritabant: verum quæ inter Abuzethium & Zaenem, summa Regni capita, intercesserāt, longè commodiores fuere: quòd hæ Regnum in partes diuiderent, vt sique appareret, diuisa fieri debiliora coniunctis. De quibus omnibus antea consultus Gregorius IX. Pont. Max. Iacobum ad hoc ineundum bellum vehementer incitauit: ad eumque sacrosanctū insigne crucis mittens, Pontificio quoq; diplomate, cœlestis Ecclesiæ thesauro aperto omnib. cruciferis, sacro eius-

modi bello militantibus, criminum expiationem, & remissionem concessit. Quæ Montione, dum conuentus agebantur, edita, per concionatores exponebantur. Vnde Rex diuinis muneribus sibi & exercitui concessis, proceres omnes, ac reliquam multitudinem, sanctissimo crucis signo insigniri fecit. Itaque dimisso conuentu, Rex Alcanicium reuersus, frequenter cum Blasco de inferendo bello colloquebatur, ab eoq; de locis Regni munitioribus curiose, quæ, quantaque illa essent inquirebat, & quanquã Burrianæ oppugnationem aliis Blascus præferebat; tamẽ Iacobus à Morella, oppido Valentinorum munitissimo ac citeriore, bellum auspicandũ censebat. Ac putans fore commodum, si Blascus cum suis expeditionem contra Sarracenos, maximè verò Morellanos susciperet, quod ab vtroque fuerat agitatum, decreuit tandem celeri pactione transigere. Vt enim magis Blascum ad bellum in Sarracenos inflammaret, libenter se ei permissurum dixit, quæcunque ille oppida, & Castella, ab illis eriperet. Sicque dimisso Blasco Morellam, quæ non longè ab Alcanicio sita est, atq; ad eam capiendam iam tum ab eo tentæ insidiæ fuerant, Rex inde profectus est Turolium; vt in oppidulum Exeam vlterius situm, quod interluit Turia fluuius, atque Albarrazino est propinquum, concederet: vt venatione aprorum, quorum ibi magna est multitudo, animum à bellicis laboribus, curamque laxaret. Quem Petrus Assagra Albarrazini dominus hospitio excepit magnificentissimo, atque felici venatione recreauit. Cui dum Rex intendit, allatus est ei nuntius, cohortem peditum Turolensiũ, qui in finibus Regni prçsidio erant, oppidum Ares Valentinorum munitissimum intrasse, eoque potitam fuisse, atque ad retinendum illud præsidium petere. Quo nuntio mirè oblectatus Rex fuit. Est enim Ares oppidum in eminentissimo totius Regni monte, ab ortu, meridieque prærupto, situm tanquam specula ad remotissima quæque Regni loca oculis collustranda, indeque cum præsidiariis, non modò Sarracenorum eruptiones cohibendas; sed in eos quoque à nostris faciendas. Itaque Rex eò misit, qui militibus bono esse animo, atque oppidum viriliter defendere iuberent: ipsumque in eorum subsidium iamiam venturum dicerent. Vnde Turolenses, se sequi iussit, cum magna equitum atque peditum manu, quos Ferdinandus Diazius & Rodericus Ortizius duxere in Alfambram oppidum, quod etiam fluuio Alfambra, qui paulo infra, prope Turolium influit in Turiam, alluitur. Inde enim Rex vnà cum illis erat iter ingressurus: ad quos sub vespertinum crepusculum venit, ibidemque pernoctauit. Verum de secunda vigilia exurgẽs, citato cursu, portũ Montis acuti sub auroram tenuit, atque Poueanum prætereuectus agrum, Villarogam ordinis Hospitaliũ oppidum peruenit. Vbi Fullalcherii opera, cibo potuque refectus, atq; paululum somno recreatus, summo mane iter fuit persecutus: dumq; summa montiũ tenet; ecce sagittarius eques de iis ad eum itineribus præproperus veniebat, à Blasco missus, vt Regi renunciaret, captam fuisse Morellam à suis, atque in potestatem redactam. Quo nuntio, quantũ voluptatis hilari fronte præ se tulit, tantum mœstitiæ animo sensit; propterea quòd ex pacto & conuentione, Blasco Morella cederet; doleretque in ipso Valentini belli exordio, tam insignis oppidi expugnationem, non sibi, sed Blasco obtigisse. Vnde meditanti ipsi, atque eò peruenienti, vbi erat flexus ad iter Morellam, Diazius occurrit, inquiens, ne, quæso, Rex oppidũ Ares nunc petas, posthabita Morella, quòd hæc sit arcium totius Regni munitissima, & ad consternandos Sarracenorum animos aptissima: sed hanc pete ocyùs antequam eandem Blascus ingrediatur. Noui enim ingenium hominis superbi ac tenacis; putoque fore tibi difficilius Morellam ab illius, quàm è Sarracenorum manibus extorquere. Tunc Rex vocatis Assagra, & Atorella proceribus, ab eisque, vtrùm itinerum consultiùs esset ingredi, quærẽs; Diazius denuò sententiam suã constantissimè defendit; adiiciens in celeritate positũ esse felicem rei exitum, ideoq; Turolensibus præcipiendum, vt depositis sarcinis, atque impedimentis signa sequerentur. Quo facto, citatis equis, fluuio Calderano traiecto, tandem per auia, perque nimis aspera & deserta loca iter faciens, ad flumen quod aluit radices montis, in quo sita est Morella, peruenit, in eumque festinanter conscendit, & in vertice castra posuit: qui postea vocatus est tumulus Regis oppido adeo propinquus, vt ingressu egressuque oppidani facilè inde prohiberi possent. Vnde militibus in eum ascendentibus locum præcipit Rex, vt in statione essent; ac neminem, iniussu suo, oppidum ingredi, aut egredi finerent: hunc locum ideò tam pertinaciter retinuit, à Morella nusquam oculos deiiciens; ne qui tenebant arcem mitterent, qui aduentum ipsius Blasco nuntiarent; sic vt ingruente nocte passus fuerit grauissima, ob multam niuem, & intolerabiles frigoris morsus: accessit etiam fames & vigilia, quibus acerbe vexatus exercitus fuit, propterea quòd ob loci asperitatẽ, iumenta commeatu & cibariis onusta montem superare nequiuerint: compertumque fuit,

fuit, Regem ad tertium propè diem, ex quo apud Villarroiam cœnauit, integram famem ſuſtinuiſſe; quæ in cauſſa eſſe non potuit, vt locus ab ipſo deſereretur. Verùm ſequenti die, Sole illuceſcente, Blaſcus cum nonnullis equitibus eo peruenit; atque ignorato Regis præſidio, Morellam intrare volens, à Ferdinando Perezio Pina, qui præſidii dux erat, comprehenſus eſt, & ad Regem delatus: quem ille benignè excipiens, rogauit, vt oppidũ vna cum arce ſibi tradere vellet, promittens, ſe id beneficium compenſaturum; at verò Blaſcus meditari ſecum, quaſique renuere cœpit. Sed Rege rurſum & proceribus inſtantibus, iamiamque manum in eum coniicientibus, tandem de iure ſuo decedens ille, oppidum cum arce Regi liberaliſſimè tradidit; ipſeque primus, fide præſtita, Morellam cum Rege eo die eſt ingreſſus, ſuiſque ab arce detractis præſidiariis militibus; Regios eorum loco poſuit: oppidanique cum paganis, ſe illico Regi ſubmiſere. Iamque ex proceribus vno ibi relicto præfecto cum vna cohorte, Rex inde abiens, duodecimo ferè milliario confecto, Ares oppidum peruenit; inde, vt fama eſt, dictum, quod præ celſitate loci, ab antiquis Aræ ibi conſtitutæ fuerint Diis ad litandum. Quod Rex ingreſſus, collaudatis Turolenſibus peditibus, qui oppugnarant illud, collocato ibi præſidio, gratias immortali Chriſto ac Virgini ad ſacroſanctam aram egit; atque munitiſſima duo illa parta oppida ſine effuſione ſanguinis, tanquam Valentinæ expeditionis primitias illis obtulit. deinde Turolium vna cum Abuzethio reuertitur, qui & expugnationi Morellæ interfuerat; & denuò ſe Iacobo ſubdiderat; præſtita fide, aſtiturum ſe ei perpetuò in eo bello, atque omni ope, ac re adiuturum. Demum abiens Turolio, confinia Caſtellæ loca luſtrauit. Sed cum Calataiubii eſſet, ac memoria retineret commemorandum illud, ac liberaliſſimum Blaſci factum, quo ille Morellam, eiuſque arcem magnifica ſibi donatione conceſſerat; compenſatione cum eo vſus eſt iuſta, atq; honorifica. Nã Saſtagum inſigne Aragoniæ oppidum, cum arce, ſuburbiis, & agro latiſſimo, Ibero amni propinquis; quæ Petrus Rex Artalo Alagoni Blaſci parenti oppigneratus fuerat, Blaſco perpetuo donauit, vnà & oppidum cum arce Mariæ, non longè ab illo ſitis. A quo tempore Alagonia gens, quæ ætate Iacobi, & Regio ſtemmate, & antiquitate, & rerum magnitudine floruit, acceſſione Saſtagenſis Comitatus, facta eſt Aragonenſium, poſt Regiam, nulli ſecunda. Fuit igitur eiuſmodi donatio, ſeu compenſatio Blaſco facta de conſilio procerum, admodum grata Aragonenſibus, qui præſentes erant, atque cum maximo conſenſu & applauſu omniũ à Rege ſancita. Cæterum Morella, & Ares oppidis captis, atque præſidiis vtrobique poſitis: vt tuta eſſent omnia à tergo relicta loca, tutiorque fieret in vlteriora progreſſus, ac deſignata à Blaſco Burriana obſideretur, conuentus denuò Turolii Rex agere curauit: quod eſt oppidum celebre, vt diximus, atque Valentinis propinquũ, vt inde commodius ſuſciperetur in illos expeditio. Quo conuenere Promagiſtri equitum Hiſpaniæ, Templarius, & Hoſpitalis; quin & Vclenſis, & Calatrauenſis: harum quippe duarum equeſtrium ſocietatum, tametſi apud Caſtellam eſſent primariæ ſedes, multique conuentus & præfecturæ, nonnullæ tamen eiuſmodi in Aragonia erant à Regibus etiam ad quoduis contra Sarracenos bellum inferendum inſtitutæ: quarum Calatrauenſis ſumma Alcanitii ſita erat; Vclenſis vero Montalbano in oppido clariſſimo, de quo mox dicemus, non longè ab Alcanitio verſus ortum poſito. Fuere quoque præſtò Regi Bernardus Mondecutus Pontifex Cæſarauguſtanus, Petrus Fernandus Aſſagra, & Simenius Taraſona, qui poſtea donatus fuit ditione, ſeu Baronia Arenoſia nuncupata; cum pleriſque aliis Aragoniæ procerib. q̃ tunc, cum inita expeditio fuit, centum & viginti læuis armaturæ equitũ, milleque peditum numerum non exceſſerant: præter eos, quos Turolenſis Ciuitas cõſcripſerat, ac etiam Calataiubienſes & Daraconenſes populi miſerant; quibus cum exercitus ad numerum ducentorum quinquaginta equitum peruenerat, peditum verò mille octingentorum. Iis ergo copiis bellum Rex fuit exorſus, fretus quidem Catalanorum, atque Prouincialium, quas breui adfuturas ſperabat: ac quoniam animus ei erat, quacunque pergeret, vt terrorem hoſtibus incuteret, depopulari agros, & cuncta vaſtare: commeatum vndique, rem vero frumentariam, ex Poueano & Viſiedano Turolenſiũ campis comportare imperauit. Itaq; Turolio egreſſus, ac per Populetanum, & Sarrionenſem agrũ prætereunte exercitu, ouium atq; boum, quibus idem ager abundat, quantum fuit opus inde iuſſum eſt aſportari: ac protinus Iaqueſiam extremum Aragoniæ pagum, aridumque præteruecti torrentem quo Aragonia terminatur, Valentinum ingreſſi Regnum excurſiones in pagos quoſdam fecerunt, mitiùs tamen, quoniam maiori ex parte colebantur à Chriſtianis. Fuit itaque deſcenſus per Lacouanum montem, vnde proſpiciebatur Exerica, nobile Aedetanorum oppidum, ſitu & natura munitum. erat enim illud ſeptum muro

& arce cum primis inexpugnabili, in altiſſima, ſaxeaque rupe, quæ à poſteriore parte præruptá eſt poſita, atque præterlabente fluuio obuallata: ab anteriore verò, oppido decliui, perpetuoque muro, & gente bellicoſa protectò; qualis eſſe, exercerique in armis ſæpe ſolet, quæ finitimos populos, quod alterius dominationis ſint, tanquam hoſtes habet. Miſerat etiam Zaen Rex quatuor expeditorum militum cohortes Exericam vt in præſidio eſſent; veritus ne ſimili caſu, quo Morella, ob non miſſum opportunè ſubſidium, caperetur. Ex quibus octingenti pedites protinus obuiam venere, vt noſtros à cultorum agrorum, hortorumque vaſtatione impedirent. At verò Rex ſuos ab illa prohibuit, atque diſtulit in diem craſtinum, ne laſſi ex itinere manus conſererent. Sed in deſcenſu montis ad tertium lapidem, oppidulum eſt, dictum Viuarium, à quo non longè verſus Exericam, interluente fluuio Pallantia, qui decurrit in Saguntinos, caſtra locari iuſſit. Sequenti verò die cœpta eſt depopulatio agrorum, qui oppidum inter & Viuarium erant: triginta equitibus, cum peditibus mille à tergo depopulantium in ſubſidium poſitis. Quæ depopulatio agris illata eſt, nullo impediente cominùs, metu equitum, à quibus Sarraceni ſtrenuè haſtis configebantur; tametſi eminus, & ab occulto loco noſtri à ſagittariis ſauciarentur. Sed iis ſequenti die ſic eſt occurſum: equitibus ſcilicet partim in monte, partim in agris conſiſtentibus, quorum ſcuta pedites primi agminis deferentes, iiſque protecti, ſe à Sarracenorum ſagittis defendebant, ac primum ſuſtinentes impetum, incedebant: deinde ſequebãtur ſagittarii: poſtremi depopulatores, qui agros liberè atq; impunè vaſtabant. Dum hæc in Exericanos fiunt; promagiſtri equitum Templarius, & Hoſpitalarius, ac magni Calatrauenſis & Vclenſis magiſtri, cum magna manu equitum, & ſeptingentis peditibus prætergreſſi Exericam, & Segorbium, ſecundo flumine, ad intima Regni penetrarunt, quoad in proſpectũ Sagunti venerunt, ad duodecimũ vſque milliare ab vrbe Valentia, vbi à læua flexus eſt ad iter in vallem Segoniam, olim Saguntinam, quam multis pagis, fructuoſiſſimiſq; agris cultam, ingreſſi ſunt, ac depopulati. Quibus vltra progredientibus occurrerunt innumerabiles Sarraceni, ex oppidanis & ruſticis & collectitiis Saguntinorum, vt à progreſſu noſtros prohiberent. Quod vbi intellexit Rex, eò profectus eſt cum reliquo exercitu, vt ſubſidio ſuis eſſet; atq; in itinere obuium habuit oppidulum Turristorreſium, cuius agrum quoque vaſtari iuſſit, ab expugnatione oppiduli abſtinens, ne Burrianenſem differret, in quam ſuos integros perducere decreuerat. Itaque progreſſus per eam Vallem cum vniuerſo exercitu, in planitiem deductus eſt, vbi ſe latiſſimus proſpectuque amœniſſimus atque fructuoſiſſimus aperiebat campus: hinc montibus ab Almenara oppido mari proximo, vſque ad promontorium Oropeſæ, ad ſemicirculi ſpeciem eum ambientibus; atque fontes, auraſque ſalubres, in vniuerſam planitiem deriuantibus; illinc mari, quaſi baſi, girum obtendente, piſcatu atque mercimonio multos in ea populos locupletante: cùm & cultura, & fertilitate agri reliquo Regni agro minimè ſit inferior; & præter frumenti, vini, & olei ingentem vim, qua præſtat, proferre etiam ſolita fuerit, orizam & ſaccharũ; & ad bombicum alendum, & perficiendum opus, mire nunc quoque conſentanea exiſtat. In qua item planitie cum conuallibus, quæ à propinquis & ambientibus montibus in eam decurrunt pagi, & oppida ferè triginta ſita ſunt, quorum Burriana cæteris excellebat; & fertiliore agro & mari propinquiore, quod etiam magno ſuo ambitu, atque murorum altitudine propugnaculum, & quaſi acropolis erat totius eius regionis; abundabatque omni commeatu rerum, & milite bellicoſo: eoque magis, quòd Zaen, vt primum aduentum Iacobi reſciuit, lectiſſimos mille quingentos milites ad eam cuſtodiendam miſerat; plures indies miſſurus, adeo ab eius defenſione vniuerſam Regni ſalutem pendere ſibi perſuaſerat. Itaque Iacobus eo cum exercitu veniens, caſtra circum oppidum metatus eſt, & per exploratores certior factus, de magnitudine & munitione oppidi, deque oppidanorum, & eorum qui præſidio venerant, numero & virtute; tum de munitionibus ac etiam debilioribus mœniorum locis: & in quam partem tormenta, & machinæ melius intenderentur. At verò intus, neque oppidani quidem otio tempus conterebant, nec deerant illis ſui exploratores, per quos conſilia, & machinationes Regis intelligerent. Iamque vt ſuarum virium, atque munitionum ſpecimen aliquod ederent, ac bello initium darent, ſingulis prope diebus, antequam noſtri vallo caſtra munirent, quadringenti ex eis, in eam partem caſtrorũ, quæ videbatur deſertior, irruere ſolebant, ac aliquid noſtris ſemper inferre damni. Quo animaduerſo Rex, tribus locis in caſtris ſtationes centum quinquaginta militum locauit, qui ſignũ aliis darent, vt ſaltim audito tubæ clãgore, omnes in armis eſſent; atq; altera pars militũ in ſtatione maneret, altera in locũ pugnæ curreret, huncq; in modũ alii aliis præſto, atque ſubſidio eſſent.

Eorum

Eorum autem præliorum ſemen erat, ouium, atque armentorum à noſtris, inter caſtra & oppidum paſtio: in hæc quippe ſuis illi repentinis excurſionibus irruebant, prædasque ſibi faciebant: ſæpe quoque noſtri eaſdem è manibus eripiebant; atque in hunc modũ conſertis manibus, cruentas viciſſim victorias reportabant. Quo tempore multorum proborum, atque ciuitatum, & oppidorum Cataloniæ, & Aragoniæ turmæ equitum, atq; plurimorum cohortes peditum, ad Regem confluxere, peruenitque peditatus ad viginti quinque hominum millia; equitatus verò ad duo millia. Quamobrem oppugnatio deinceps acrior multo fuit. Nã mari aduectis è Balearibus, & è Catalonia machinis, tormẽtiſque magis, cum iis, in naualibus diſſoluta interim iacuerant, conſtrui ea denuò, ac oppugnationi aptari curauit: atq; inter alia, turrim mobilem ex eadem materia erexit, quamplurium tabularum contextu, & contignatione compoſitam; ac non labore modò, ſed magno quoque ſtudio, atque contentione militum hinc inde compulſam, mœnibus admouit. Quæ tametſi humiliora oppidi mœnia adæquabat, facileque pila, ſagittas, lapides aliaque miſſilia in oppidanos emittebat; ac nec ex mœnibus prohibebatur, quo minus multis detrimentis propugnatores afficeret: tamen tanta erat, tum oppidanorum, tum maximè ſelectorum militum, quos Zaen miſerat, virtus, alacriſque ad reſiſtendum multitudo, vt & machinatores reprimere, & machinas deiicere, & ſtudia, ardenteſque vincendi conatus Regios infringere & retardare poſſent: expertuſque Rex fuit, Valentinos Sarracenos longè eſſe Balearicis robore, & pugnandi arte præſtantiores. Tanta enim in turrim mobilem ſagittarum, lapidumque multitudo iacta eſt; vt neque Rex pedes & ſcutatus ſua præſentia cunctos vrgens; neque alii ſimiliter circum turrim ſcutis ſagittas excipientes, atque magna animi contentione eos, qui in turri erant adhortantes, efficere potuerint, quin turris, aliæque machinæ desererentur, atque nocte pugna dirimeretur: Rege quidem quatuor in pugna confixo ſagittis, leuiter tamen, diuino opitulante numine, ſauciato. Itaque relictis, qui noctu machinas cuſtodirent, ſtatim ſub auroram nauata eſt opera reducendæ turri; adeò quippe diruta illa, perfoſſaque erat lapidum ictibus, vt noſtris impedimento magis, quàm hoſtibus damno eſſe poſſet. Quare conuocato concilio, alia via oppugnationem tentandam eſſe ſtatuerunt: nempe aggeribus, valloque perducto, eoque paulatim muro admoto; ſimulq; machinis & tormentis maioribus, eam partem muri, quò tendebat vallum, quatientibus: quandoquidem cuniculos agere non dabatur, terra vda, vliginoſaque admodum, atque ob maris viciniam, paſſim ſcaturiente aquis. Interea noſtris omnem circùm regionem diripientibus, commeatu, & re frumentaria caſtra abundabant: ſed tot indies confluentibus ex omnib. Chriſtianorum Regnis militibus, augeſcente exercitu, fames eſſe cœpit; atque inopia potiſſimum rei frumentariæ tanta fuit, vt de relinquenda obſidione ageretur. Quæ res cùm ſollicitum, nimiſque anxium Regem haberet; ægreque ſe defenderet ab eorum importunitate, qui diſceſſioni inſiſtebant, nuntiatum eſt in caſtris, duas in conſpectum Burrianæ biremes appuliſſe: alteram Bernardi Sentaugeniani, alteram Petri Martelli, quæ tum è Balearibus, tum è Tarraconenſi & Dertuſano agro exercitui, frumenti, & commeatus magnam copiam afferebant. Propter quas, tanquam è cœlo miſſas, Rex gratias Deo agens recipi omnia iuſſit, proque eis victoriatorum ſexaginta millia annumerari. Quanquam cum inopia rei frumentariæ tanta erat ærarii conſumptio conſecuta, vt neque haberet vnde ſoluere; neque qui pro eo ſponderet, præter Templarium, & Hoſpitalẽ promagiſtros: ſed neque ii ſpopondiſſent, niſi ex oppidis, quæ Rex caperet, aliqua ſuis ceſſura ſocietatibus ſperaſſent. Demum biremes ibi conſiſtere, atque in anchoris eſſe præcepit; vt tuta eſſet ora maritima, ac commeatus & cibaria tutè vndique conueherentur: quod tam feliciter ceſſit, vt protinus ex vniuerſis hinc inde locis abunde cibaria, aliaque neceſſaria, nauigiolis in caſtra perferrentur. Cæterùm ad expugnandum oppidum maiores indies oriebantur difficultates. Ex quo Ferdinandus Regis patruus, aliique, qui conſilio Regio præerant, Blaſcus Alago, Simon Vrrea Liciana, Maſſa, & Tarraſſona, interſe conſentientes, fortaſſis id melius eſſe putantes, Regem à proſequenda oppidi expugnatione omnino conati ſunt auertere. Cum enim audiuiſſent, Regem ob labefactatas machinas, & laceratam turrim, valde mœſtum euaſiſſe; conqueſtumque fuiſſe, ſe maioribus ſuis fortuna longe inferiorem; vt quib. in bello pro voto omnia ceſſiſſent; ſibi verò in vnius quidem oppiduli oppugnatione, præter opinionem; capta occaſione, Regem conuenerunt; quem Ferdinandus omnium nomine, ſic eſt allocutus: Quæ tibi Rex in bello ſecundæ res ſemper acciderunt, faciunt, vt his nunc perinde vt nimis aduerſis frangaris; ac vel ex eo quòd omnibus ante te Imperatoribus felicior non ſis, te putes infelicem. quod longè aliter, ac te decet, facis, qui res-

bellicas non vtraque fortuna,ſed felici tantùm commetiendas exiſtimas : indeque eſt vt digniſſimè conquerares maiores tuos rerum geſtarum gloria fuiſſe te clariores ; cur & habuerint illorum quidem tempora incommoda ſua ; ſicut & hæc noſtra ſuis non caruerunt. Nam & victorias illi ſuas,nō cum ancipiti modò fortuna,& cruore miſtas sed procraſtinatas diutiùs,ſed retardatas,atque cum ſummo labore & patientia partas reportarunt:& quas, ne reportaſſent quidem, niſi tempori ſeruire, ac rerum viciſſitudini obtemperare didiciſſent. Eiuſmodi ergo,quæ cordati,atque ſapientis ſunt Imperatoris munia;tu quoq; in præſenti obire debes,qui bellū arduum magis,difficiliuſque ac periculoſius quàm rebamur, ſuſcepiſti, quod te, tuoſque indies in tantas anguſtias educit, vt timere inde poſſis longè grauiora mala, niſi & temporum, & rerum conditioni cedas; ac, quod ſapientis eſt, mutato conſilio, rebus, vt ſeſe offerunt, ita te accommodes. Nam & tempori cedere, & neceſſitati parere, ſapientis ſemper eſt habitum. Expertus quippe es hoſtium ſeſe validiſſimè defendentium, præſertim recentius, vires & fortitudinem: inueniſti oppidū adeò munitū, vt illius contra te erecta munimenta & propugnacula, non modo nulla deieceris; verum tuas inde machinas ab illis malè mulctatas retraxeris. ex quo tantum hoſtibus creuit animi; quantum noſtris profectò indies imminutū eſt; qui nobis ſummiſſo murmure obiiciunt, ac exprobrant, te nequaquā ſalutaribus cōſiliis inniti, qui tot huius belli laborib. fractus,ac depreſſus, nihil tamē de intermittendo illo,aut in aliud tēpus differendo agas;quiq; cum in intimum hoſtilis ſoli te cōieceris, nihil iā prætèrquā ab hoſtibus circumſideri expectas. Accedit ei nummariæ difficultas,ac neq; duratura diutiùs quę nunc eſt,frumentariæ copia. Vrget præterea tēporis,aeriſq; incommoditas,tū ſolo ob ſitū terræ calidiſſimo,tū cœlo caniculæ ortu feruentiſſimo, magiſq; ad inducendos morbos,quā ad pugnandū parato. Vt illud interim omittā, ſubſidia ciuitatū quotidie vehementer inclamantia; meſſes adultas iam eſſe, ac matureſcere, idcirco ad demetendas illas exercitū dimitti oportere. Quibus de cauſis,ac vel eo maximè, à bello ceſſandū eſt,ꝙ Zaē prius quā armis,pecunia te oppugnare cupit: ſcimuſq; ingentem promiſiſſe,modò ab expugnatione diſcedas; neq; non illā à tam barbaro & iniquo hoſte capere conſulimus, vt ea ipſa pecunia,cū maiore contra ipsū copias cōparare,tum opportuno expectato anni tēpore,cū florētiſſimo exercitu,nō Burrianā modo;ſed ipſam vrbem Valentiam glorioſiſſimè expugnare poſſis. Quibus auditis,Rex ſe ei reſponſurum dixit:atque vt erat excelſo ac diuino animo,multa fuit ſecum meditatus : conſiderans inprimis de honore ſuo detrahi ſibi multùm, ſi à Burrianenſi prima obſidione ; quæ vnum,aut alterum vix menſem durauerat,diſcederet; cum à Balearica, remotiore, arduaque magis,in qua annum & eo plus inſumpſerat,neque à ſuis retrahi potuerit, neque iuſtioribus de cauſis à cœpto deterreri. Quin & perturpe eſſe, diſceſſu ſuo animum hoſtibus addere ; multoque turpius, in hoſtilem pecuniam triumphum commutare; ac vel eo magis, quòd vereretur Ferdinandi (cuius animus ſemper fuerat à Rege auerſus) & aliorum conſilium venale quoque eſſe, vt quos Zaenes,vt probabile erat,pecunia corrupiſſet. Quamobrē dimiſſis illis voluit de re tam graui alios conſulere, inprimis Tarraconenſem, Cæſarauguſtanum,& alios Antiſtites, nec non promagiſtros ordinum, & reliquos proceres,bellique duces, & pręfectos: q de deſerēda obſidione ſententiā dicere rogati;fideliter tamē expoſitis,quæcunq; Ferdinandus contra obſidionem obiecerat: omnes,vnum,atq; idem ſentientes,reſponderunt. Non ſolùm regii honoris, ſed Ducum,atque vniuerſi exercitus,qui iuſtus ac potens erat,intereſſe in obſidione perſiſtere. Quæ ſententia ad Ferdinandum,& ſocios delata, reſponſioni fuit: ſtatimq; Guillermus Aquitanus Regis auunculus, qui fuerat huius ſententiæ author,perducēdi valli,& machinarū ad portā vſq; oppidi,earumq; defendēdi curā ſuſcepit,eo animo, vt locū nequaquam deſereret,quoad repleta foſſa eſſet,earū ope cohortium, quas ſecum ex Aquitania duxerat;ſimulq; Rex ſuis fidiſſimis cohortis prætoriæ militib. quos Arabica voce Almugauaros vocabant, de quib. poſtea dicemus præcepit, vt auxilio Guillermo eſſent ſi fortè ex oppido in eum irruerent. Igitur Guillermi,& Simonis Perezii Taraſonæ, ſuorumq; opera admotis machinis, quæ tantummodo ꝓ ſcuto erant iis,qui opplēdæ foſſæ, & pertebrando muro operā dabant;res feliciter procedere,atq; oppidanos vrere viſa eſt, & ad demoliendas machinas incitare. Nā noctu,de ſecunda vigilia, cum primū ab oppugnatione diſceſſere machinatores,ducenti oppidani, accēſis facibus,magnoq; impetu foras eruperunt,ad ſuccēdendas machinas; diſpoſitis ſagittariis per murū,q impediētes confligerēt. Id tanto cū ſilentio fieri non potuit,quin Guillermus,qui intētis oculis, & auribus hoſtiū motus obſeruabat,præſenſerit: atq; cū ſuis cunctos, magna cū ſtrage in oppidum cōpulerit. Quo in conflictu, Guillermus ſagitta infixa cruri grauiter vulneratus fuit; ꝙ

intelligens

intelligens Rex, Guillermum in tabernaculum Regium deduci iuſſit: ibique ipſe, ſua manu, infixum ferrum è vulnere euulſit, ac vulnus lauit, & obligauit. Ex quò protinus Guillermus ſanitatem ſibi reſtitutam ſentiens, à Rege contineri non potuit, quin noctu in ſtatione maneret. Interim oppidani ſingulis noctibus ad ſuccendendas machinas excurſiones faciebant. Quibus noſtri ad eorum infringendos, & deludendos conatus occurrebant. Sed cùm Rex interim noctu luſtrans caſtra, minimè eos, quibus commiſſa cuſtodia erat, pro machinis excubias agere inueniſſet; cum equitibus nouem excubare decreuit; ac Regium ſcutum, tanquam decurio, qui præeſt excubantibus, machinis appendi iuſſit. Id ab explorantibus ſcientes oppidani, protinus centum ſeptuaginta cum facibus prodiere foras: quorũ quadraginta tantũ ſcutati, ac faces præferentes: reliqui ſagittarii erant: iamiamq; ignẽ admoturi, à duob. Regis ſcutiferis, ex facibus cogniti fuere; ſtatimq; conclamantibus illis ad arma, Rex cũ ſuis ab ſtatione exiens, animoſe oppidanos aggreditur; tantoq; fuit iis terrori, vt illico terga verterint: quos Rex inſequẽs adeo conferto agmine tenebris proceſſit, vt portã oppidi haſta confixerit, ſed cum hoſtiũ ſagittis obrueretur, repulſus eſt, & coactus ſcuto poſt terga reiecto, atq; ſeruato ordine pedem referre. Neq; prætereundum eſt profecto facinus præclariſſimũ, quod in eo bello Rex edidit, ab omnibuſq; hiſtoricis de eo refertur, quo planè non alios modò Reges, ſed ſeipſum ſuperauit, & tanquam tertius in orbe Decius in medios ſeſe hoſtes pro ſalute exercitus iniecit. Aiunt enim ipſum tanto fuiſſe mœrore, atq; pudore affectũ, ſi forte contingeret obſidionẽ, re infecta, ac ſine honeſta aliqua cauſa ſoluere; vt modò honori ſuo, atq; exercitus incolumitati conſuleret, deſperata expugnatione oppidi, multa in ſeipſum fuerit acerba patratus. Nam in præliis, quandoq; diſcincto thorace, apertoq; pectore, ac diloricata tunica, nullũ vitæ periculum recuſans, ſagittarũ ictibus occurrere viſus eſt: ne ab obſidione, niſi cũ manifeſto vitę diſcrimine decedere cogeretur; eiuſq; exercitus abiens, honeſta de cauſa, Regis ſalutẽ oppugnationi prætuliſſe videri poſſet: ſed diuina ope ſeruatũ fuit corpus, cuius animus ad pericula promptus, abundè confixus eſt, ſeq; pro ſalute exercitus morti deuouere non dubitauit. Cæterũ nocte, dieq; machinatorum opera inſtante, admotiſq; muro, ſumma vi, tormentis omnib. turris quædã diruta eſt, & æquata ſolo, per quam noſtris ad irrumpendũ patuit aditus: qui ſubinde multo facti animoſiores, ſequenti die oppleta foſſa non ſolũ per dirutã turrim, ſed admotis ſcalis per varias muri partes irruperunt. Verùm oppidanorum virtus tanta fuit, vt quamuis tot conflictati incommodis, tamẽ noſtros ab ingreſſu prohibuerint. Qui tamẽ paulo poſt vidẽtes regiam potentiam augeri indies, ſuamq; imminui, atque poſteriores oppugnationes longe eſſe acriores prioribus; cum Rege de deditione egerunt: ſi cuncti cũ vxoribus, & domeſtica ſupellectili, in propinquũ oppidum Nuleſiũ incolumes abire poſſent. Quod vt placuit vniuerſo concilio Procerum, ſic à Rege quoq; fuit oppidanis, tanquã ſtrenuis patriæ defenſoribus liberaliſſimè cõceſſum. Itaq; pridie eius diei, qui ſancto Iacobo Apoſtolo dicatus eſt, & eius memoria more maiorũ colitur, duobus exactis in obſidione menſib. celebri Burianenſi oppido potitus Rex fuit, illudq; cedentibus oppidanis cum magno triumpho ingreſſus. Vbi inſequens dies cũ maxima Regis atq; exercitus alacritate, Deo, Virginiq; matri, & Apoſtolo ſolennis & celeberrimus extitit; ac etiam de more Regis, aliquibus liberaliſſimus, & magnificentiſſimus. Nam Templariis, qui ſeſe in expugnatione aliis prætulerant, certam partem oppidi, ac prædiorũ perpetuò donauit. Demũ intermiſſo bello, vt neceſſe erat, multis Regem vrgentibus, atq; alio auocantibus Regnorũ negotiis, Blaſcum Alagonem, & Simonẽ Vrream in præſidio oppidi ad duos duntaxat menſes reliquit, quoad Petrus Cornelius, quẽ oppido præfecerat, eo veniret. Nec verò oppidum deſerere Rex voluit, quamuis id ei perſuadere rationib. Antiſtes Ilerdẽſis, & Guillermus Ceruera conarentur, Petro Sanctio, atq; Bernardo Rabaſſa, qui erat illi à ſecretis, præſentibus. Quibus Rex pluribus verbis ſatis faciens, concluſit tandem, ſe eodẽ animo, & viribus, quibus Burrianam ceperat, ſeruaturum; neq; tantam loci opportunitatem ad commotum perſequendũ bellum neglecturum. Itaq; profectus inde venit Dertoſum; poſt verò Turoliũ; vbi collaudatis Turolenſib. pro ſtrenua nauata ſibi opera in ea expeditione; dũ componẽdis Regni rebus animũ intendit, nuntius è Burriana ab S. Vrrea venit, ſignificans, ſe Peninſulanos ad deditionẽ inuitaſſe; quod ſi facere recuſarent, cruentum bellum illis indixiſſe, atque vt exemplo aliis eſſent, non modo agrorũ depopulationem, ſed truculentam oppidanorum internecionem tandem minatum fuiſſe, eos autem illico reſpondiſſe, ſi Rex adeſſet imperata facturos. Quę Rex intelligens, protinus equitibus ſeptem, atq; domeſticis ſuis comitatus, illud idẽ proſecutus eſt iter, quo antea ductus fuerat Ares & Morellã; iiſq; ad læuam relictis, Peninſulam ad quartũ diem obeunte ſo-

le peruenit; atque exploratis oppidanorum animis, ne tamen obscurus, clandestinusue esset ipsius in oppidum ingressus, tentoria in campo figere, ibique sub dio pernoctare voluit; cibariis, & stragulis Regi statim ab oppidanis officiose delatis. Sequenti verò die magistratus oppidi, præfectus arcis, & vniuersa plebs prodeuntes, oblatis Regi clauibus, ipsum cum pompa exceperunt, & tanquam domino arcem & oppidum tradiderunt. Quod Rex ingressus, atque cum admiratione contemplatus incredibilem loci situm, qualem libro quarto descripsimus; ac præficiens ei vnum ex suis equitibus cum paruo præsidio, cùm locus natura munitus esset, Burrianam rediit. Dum hæc Peninsulę geruntur, Templarius & Hospitalis Promagistri cum suis Dertosa profecti, Chiuertum, & Cerueram, eiusdem Ilergaonum regionis oppida Sarracenorum munitissima, oppugnare cœperunt: quòd hæc ipsis, eorumq; societatibus dono data fuerint à Iacobi maioribus, nimirum Alfonso & Petro Regibus. Verùm oppidani oppugnationem timentes, se cum oppidis, & eorum arcibus dediderunt; fuereque oppida perpetuò iis societatibus addicta. Interim Rex Burrianam abiens, Polpetanos in itinere cepit, ibique ipsum consecutus est exercitus veniens Turolio, ex aliisque propinquis oppidis: cui Simonem Vrream ducem præfecit, isque vniuersa regionis oppida aut vi, aut honestis conditionibus in potestatem reduxit : qualia fuerunt Castulo Burrianensis, quod oppidum nunc est totius planitiei celeberrimum, tum Burriolium, Cryptæ Vinromanenses, Cueuas vocant, & Vilafamesium, quæ omnium tunc erant munitissima, atque bellicosa gente & armis protecta; præsertim oppidũ, & arx Alcalana; cuius præfectura Rex Vrream, posterosq; suos perpetuo donauit. Quo tẽpore Rex Burrianam venit, duobus nondũ elapsis mensibus, ex quo promiserat Alagoni, & Vrreæ venturum P. Cornelium vt oppido præficeretur, mansitq; ibi quoad veniret ille; atque interim cum Petro Assagra animi recreãdi gratia, venationi aprorũ & aucupio gruũ intentus; dum earum ordinẽ in volando perturbat, visus est ab eisdem admoneri, hostili in terra Regem, non gruũ, sed hostiũ ordines perturbare debere. Iccirco regionem, quam interluit Sucro fluuius, vltra Valentiam vrbem perlustrare Rex cupiens, atq; omnem circa ipsam agrũ vastare, exercitum congregari iussit, qui in vicinos hinc inde pagos erat distributus: è quo delectis centum triginta equitibus nobilibus; ac cẽtum quinquaginta Almugauaris, nec non septingentis peditibus expeditissimis, de secunda vigilia iter ingreditur: dumque Almenaram oppidũ (Alcimene nonnulli vocant) prætervehitur, ab oppidanis deprehensum est, hostilem gentem in fines suos excurrere, continuoque in eminentissima arce oppidi, accensis facibus signum datũ est propinquis Saguntinis, aduẽtare hostes, ac per dispositas speculas Pusolium, Valentiamq;, ad ipsos vsque Sucronenses, fama de illorũ aduentu intra horam peruenit. Quod sentiens Iacobus, eo animosius sarcinas & impedimenta, citatis iumentis, præire iussit. Iamque Paterna, & Maniza oppidulis à tergo relictis, tantum fuit itineris emensus, vt non ante dies illuxerit, quam Turia, qua transitur vado, exercitum traduxerit. Inde verò per Spiochensem turrim, Regi versus Alcocerium oppidum, quod Sucrone alluitur, agmen dirigendi, Mazalauesiũ in itinere occurrit, amœnum quidem, soliq; fertilitate præstans quoque oppidum: quòd postea à Rege fuit dono datum cuidam pernobili Milano dicto, à quo perillustris Milanorũ familia propagata fuit. Situm quidẽ illud secus citeriorem ripam fluuii oculorũ, sic nuncupati, propterea quod passim terra dehiscat multis quasi effectis oculis, è quibus erumpentes aquæ & in vnum decurrentes alueum, flumen illud efficiant, quod paulo infra Algeziram influit in Sucronem. Cùm igitur totum illud Algeziræ territoriũ, quod citra Sucronem est, Rex inde esset contemplatus, ac non modò planũ apertumque, sed præpingue natura esse, ac fertilissimũ animaduertisset: quodque cultura & irrigatione adiutum, multarum segetum, ac cuiusuis generis fructuum fieret feracissimum: magnum subinde opus in gratiam Algeziranorum nauare decreuit, illudque paulo post, Algezira capta, suis ipse sumptibus perfecit. Nempe permagnam à Sucrone fossam, siue alueum aquæ, secundum Antellam oppidum, ad tertium supra Argeziram lapidem perducens, Regiam inde dictam; quæ in modum semicirculi, totum ferè ab ea parte Algeziranum territorium complectitur, quoad in flumen ea reuertitur: per quam scilicet decurrẽs aqua, tametsi aliquibus in locis permeandi difficultate impediretur; tamen architectorũ ingenio, & difficultati occursum fuit; & aquæ peruia fossa facta. Nam cùm decurrenti sese opponeret fluuius profundus, siue torrens satis amplus Algemezini oppidi, insignis nunc quidem, ac prædiuitis; atq; repugnantib. tũ fossæ ꝓfunditate, tum põdere aquæ, minimè posset ea per tubos, seu aquæ ductus supra torrentem transmitti; consilium fuit, excauata terra subtùs, per concameratum quidem opus, vno ferè stadio aquam deducere, tam firma, ac solida machinatione, vt à qua-

vt à quadringentis propè annis hucvſque, neque obruta vnquã foſſa fuerit, neque decurrentis ſuprà impetu torrẽtis deleta: quin potius ſuo quaſi felici decurſu, perpetuum triginta propè pagorum ſimul & oppidorum agrum irrigandum ſuſcipit: partim per ſe, partim per inciles foſſas à maiore ad vniuſcuiuſque oppidi agrum deriuatas. Ex quo citerius Algerizæ territorium, ab eò maximè tẽpore cultum, ac irriguum, eò fertilitatis peruenit, vt cum aliis omnifariam fructibus; tum oriza, & moris ad ſericum bombicum opus perficiendum, reliqua regni ſuperet. Eſtque admirabile in tam exiguo, anguſtoq; terræ ſpatio, hac vna, architecto Rege, perducta aquæ foſſa, tot pagos, atque oppida conſtructa fuiſſe; ac non modò ali ipſa; ſed eorundem fructuum exportato mercimonio, totius Regni ditiſſima, ac locupletiſſima fieri. Cùm igitur Rex, oculorum flumen traieciſſet, ducẽti pedites, qui ſarcinas & impedimenta comitabantur, in primum, quod ſeſe offerebat Alcoceriũ oppidum irruerunt, eoque direpto, ac præda facta, ad ſarcinas redierunt, quo tempore equites reuertebantur vaſtata vniuerſa regione, quam interluit Sucro, ab Algezira ad vſque Cullarim. Rex verò ad læuam deflectens, continuit ſe apud oppidulum Albalatum citra Sucronem, donec in prædas diſperſos milites colligeret: captiſque in itinere ſexaginta Sarracenis, domum regredi ſtatuit. Quare traiecto Turia, per pontem Quarti oppiduli, tertio ab vrbe milliario, nullo impediente, paſſu tardiore quàm venerat iter proſecutus eſt, ac Burrianam reuerſus, vbi diem natalem domini ſolenniter celebrauit: quo die Petrus Cornelius cum centenaria turma equitum intrauit Burrianam; huiuſq;, ac vniuerſæ finitimæ regione prçfectura ei delata eſt, ac præter equitatum, ſexcenti quoque pedites additi; quibus ſæpe ex improuiſo irruebat in vicina oppida, Ondam, Nuleſium, Vxonitanam Vallem, & Almenaram; omneſq; agros depopulabatur, atque ingentem ex iis prædam reportabat. Per id temporis, quidam Petri Cornelii ſcutifer Michael Perezius, cui conſuetudo erat cum quibuſdã Sarracenis oppidi Almazoræ tribus à Burriana diſtantis milliaribus; eos ad oppidi deditionem eſt adhortatus, antequã ab exercitu obſeſſi, & vi capti ad vnum iugularentur: qua periculi denuntiatione territi, promiſere, ſe in certam noctem, militibus numero paucis à præfecto miſſis tutum ingreſſum in oppidum daturos, qua parte muri lucerna præluceret, atque in tres turres eos diuiſuros. Quibus annuens Perezius, atque ipſis multa promittens, Præfecto rem ordine expoſuit: qui protinus, annuẽte Rege, collocata prope oppidum in inſidiis magna manu militum, numero quingentorum, alios delectos viginti, beneque armatos miſit, qui noctu, duce Perezio, ſeſe in oppidum immitterent; vbi conſpecto ſigno, admotiſque ſcalis, aſcendentibus occurrerunt noti oppidani, eoſque in quandam domum clam deduxerunt, vbi ſigillatim à multis comprehenſi, ligatis manibus, in carcerem retrudebantur: quorum tres vltimi proditione intellecta, ſeſe eripientes, in turrim quandam receperunt, atque ſummotis ſcalis, ſe in inſidias præcipitatos eſſe magna cum vociferatione clamantes, protinus auditi ſunt ab iis, qui ſubſtiterant: qui ſubitò in oppidum conuolarunt, atque ſcalis in ea parte poſitis, in quam ingreſſi confugerant, aſcenſo muro, deturbatiſque defenſoribus, in vicos ſeſe demiſerunt; à quibus oppidum antequã illuceſceret, captum atque direptum fuit; occiſis, aut fuga elapſis oppidanis omnibus, ſicq; in poteſtatem redactum. Quod Rex ingrediens, collocatis ibi præſidiis, atq; illud præfecturæ Cornelii adiiciens, Burrianã reuertitur, inde circumiens vniuerſos eius ſubactæ regionis populos, duos alios in ea luſtratione menſes egit, vt præfectum, & præſidiarios magis ſua præſentia confirmaret. Tandem in Aragoniam profectus eſt, menſe Maio, aſſumptis Alagone, & Vrrea ſecum; atque vt in æſtiuis paululum ſeſe recrearet, Montalbanum nobile, & antiquum oppidum, vbi ſumma ſancti Iacobi præfectura in Aragoniæ Regno ſita eſt, venit, ſic dictum, ex eo quòd ad radices albi montis poſitum eſt in medio latiſſimæ conuallis, quæ Martino fluuio abluta, altiſſimis, & albentibus circundatur montibus. Albeſcit enim eorum ſuperficies, cum tamen in imis eorum viſceribus obſcuriſſimus, valdeque niger lapis illle Gagates gignatur, ex quo vix credibile eſt, quam pulchra, quamq; varia rerum ſimulachra oppidani artifices conficiãt: quæ in omnes mũdi partes, vt quæſtuoſas merces tranſmittũt. Tametſi fuere nõnulli, qui ab denſitate & multitudine vinetorum, oppidũ, non Montalbanum, ſed Montemuineum nuncupandum dixerunt: ii ſiquidẽ montes, tãetſi aliis frugib. parum apti, valdeq; accliues ſint, vſqueadeò tamen viniferi exiſtunt, atq; pampinis circunquaque frondẽt: vt Serta quædã Bacchi eſſe videatur. Vtvt eſt, certè vinum ibi, & multum, & ſuauiſſimum, atque ita natura temperatum eſt vt licet largè ſumptum, potorem quidem exhilaret, non tamen temulentum reddat. In cauſa ſunt ſpecus mire profundæ, ex rupe molli ſub vnaquaq; domo excauatæ, ac manu factæ, adeoq; frigeſcentes, ob calorẽ frigus ad intima retrudentẽ, vt per foramina, quæ ab ſpecub. in vicis,

admittendæ lucis causa patent, frigidissimam etiam, in ipso Solis feruore, auram emittant. Nam perinde, vt qui subitò in profluentem delabuntur, horrescere solent: sic improuiso frigidi illius aeris afflatu, prætereuntes cohorrent. Idque tribus potissimum æstuosissimis anni mensibus: nam reliquo tempore, tepescunt specus, atq; languescit vinũ. Quo fit, vt potulenta in hisce vinariis cellis, sæuiẽte æstu, reposita, ipsius niuis frigus exequare videãtur, eaq; epota ebrietatẽ, cõpressis in vẽtriculo vaporibus, impediãt; neq; potoris mẽs quidẽ immoderato potu obstupefiat. Ex quo humana ibi corpora æstate, cùm ambiẽte aere refrigerata: tũ intus potionib. attemperata, ostẽdunt, nulla vsquã æstiua esse quàm Montalbani suauiora, atq; commodiora. Ibi ergo memoria Rex tenẽs commemorãda Blasci Alagonis facta: ac quod proprio ipsius Marte partam ille Morellam petẽti sibi liberalissimè tradidisset; quodq; proximo Burrianensi bello, & re, & armis maximè iuuisset; eidẽ Morellam, dum viueret, tenendam & possidendam concessit, reseruata sibi tantum suprema arcis turri Celoquia dicta; quam aut Ferdinandus Diazius, aut Simon Tarassona cum præsidio teneret. Quod munus Blascus libenter accipiens, magnique habens, singularibus verbis Regi pro eo gratias & habuit, & egit immortales; & vna cum Artalo filio, qui iam exilio solutus erat, fide data de restitutione Morellæ, vita functo Blasco, publicè promisit: Rexque denuò Sastagi antea factam donationem eidem, posterisque suis in perpetuum confirmauit. Cæterum cùm per otium de variis bello gestis rebus vna cum Vrrea esset inter eos sermo, de Balearibus est actum. Quarum quidem expugnationem, tametsi admodum cruentam; ex eo tamẽ sibi placuisse demonstrauit Rex, quod earũ accessione, suis Regnis non minima consecuta fuerit vtilitas, & amplificatio. Vtpotè cum ex illis non solum commeatus, atque omnis generis mercimonii in Cataloniã, & Valentiã copiosa futura esset inuectio; verùm toti etiam oræ ad coercendas Afrorum excursiones, multum quoq; præsidii, ac defensionis accessurum: quodq;, nisi occupatis illis, prorsus fuisset inanis Valentini belli susceptio: eoque maior de illarum custodia sibi impenderet cura & studium. Ad quod Vrrea, qui Balearico bello præfuerat; quãtique Insulæ momenti essent compertum haberet; interrupto sermone Regio, Enimuerò, inquit, mi Rex, quanquam tu consilio non eges, vel abundas potius, consilium tamen à me, si minus prudentiæ, at fidelitatis plenum accipies. Existimo equidẽ, te dignum esse, qui Insulas amittas: quandoquidem quantum in oppugnandis illis studii ac diligentiæ impendisti; tantundem in conseruandis, defendendisque, ignauiæ, atque inertiæ ostẽdis. vt qui illarum habenas, & præsidium, omnium ignauissimo homini (quod eius pace dicam) Petro Portugalensi commiseris. Quæ audiens Rex Vrream silere iussit, visurum enim breui, quantam errati sui emendationem subierit: cum iam à Petro in continentem translato, quibusdam traditis oppidis compensatas Baleares recepisset. Quibus peractis, Montalbano Cæsaraugustam, indeq; Oscam abierunt.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER X.

T verò Iacobus, per id tempus, tanta celebritate famæ gentibus, vel exteris notus erat; eiusq; admiranda facta per vniuersum orbem, cõmuni sermone, adeoq; magna cum amplitudine & gloria disseminabantur, vt ea remotissimos quosq; Principes commouerint, ad amicitias cum ipso, affinitate, quæ maxima est illarum conciliatrix, cõiungendas. Nam cum neque in Castella, neque in Gallia, & Anglia, vllæ essent maturæ viro Regiæ virgines, quib. cum Aragonii Reges matrimonio iungi solebant; & si quæ essent, fama tamen de Leonorę repudio, illarum mentem à Iacobo prorsus alienasset; occasioni planè fuere hæc Duci Austriæ prædiuiti, vt ab vltimis Germaniæ finibus Legatos ad Iacobũ mitteret, qui amplissima oblata dote, ad contrahendum cum filia matrimonium, inuitarent. De qua re Iacobus secum, diu multumq; cogitans, ac neq; cum maiestate Regia pecuniã adæquare, Regale esse ducẽs; Legatos donis auctos, sed re infecta, dimisit. Quod grauiter tulere omnes Regis domestici,

ſtici,& qui cum eo tum erant Regnorum proceres;exiſtimantes illum,non tam indignitate nuptiarum, vel quòd impar eſſet ei virgo propoſita, quàm quòd aut occulta aliqua promiſſione teneretur alteri, aut q̄ reuera nullo ſe amplius matrimonio aſtringi vellet, recuſaſſe oblatū.Quamobrē cœlibem in Rege vitā,quę nō virtuti,ſed vitio potius ei dāda eſſet, vehementer exprobrarunt: propterea quod ea contra communem vtilitatem Regni tenderet: neque honeſtum eſſet tantorum ſucceſſionem Regnorum in vnico Alfonſo filio periclitari:quinimo oportere ipſum plures ex ſe Iacobos procreare: cùm magnorum exemplo Regum,nihil pulchrius eſſe poſſit,quàm multos Regno dignos progignere.Illud Priami Troianorum Regis obiiciētes,quē dilaudat hiſtoria,propterea quod quinquaginta filios,ex iiſq; decem & ſeptem, iuſta vxore natos habuerit: quòd totidem Regiarum propeq; diuinarum virtutum quaſi propagines orbi retuliſſet. Exquò videri perabſurdum,ipſum annos iam natum viginti ſeptem, atque ſeptennio ab eo tēpore exacto,quo Leonorā repudiarat,nullis interim auctum fuiſſe filiis,qui Alfonſo, ſi quid humanitus accideret,ſuccederent. Quos Rex audiens benignè ac volens mētis ſuæ facere participes, Nolite, inquit, me præpoſteris veſtris exēplis ab honeſto propoſito deducere:quādoquidem neque huius recuſatione matrimonii,à matrimonio auocor: neque quòd toto fuerim cœlebs ſeptennio,æquum eſt,vt potius mihi vitio, quàm virtuti detis: cum apertè videatis me Regias, atq; Imperatorias virtutes omnes, neq; melius vnquam, quā cœlibem exercuiſſe,neque maiores de hoſtib.triumphos, quàm cum ab vxoris cura fui vacuus,egiſſe. Tametſi,vt exemplis quoque vobiſcum agam:nō deſunt etiam,maximorum Imperatorum,magni ſcilicet Alexādri, atque Cæſaris exempla, quæ me in hanc mentē impellant:quorum alter,quātum à matrimonio abſtinuit,tantum in ſuſcepto bello totus incubuit,atq; magnā partem orbis ſibi ſubiecit: alter verò poſt repudiatam vxorem, virtute bellandi vſqueadeò præſtitit: vt Romani Imperii metam, quam ſibi conſtituit, vno prope curſu tenuerit. Namq; vxoris,ac filiorum,amor, eoſque augēdi, & cohoneſtandi cura,tametſi vehementer parentem angunt; & ad præclariſſima obeunda facta generoſe impellunt: ſæpe tamen ipſum aut nimia erga eos indulgentia eneruat: aut ipſi quoque filii abutentes illa,heroicos progenitorum conatus retardare,ſępe etiā turpi labe inficere ſolent. Damus enim Priamum Regē optimum, ac pręcellentem quinquaginta natos habuiſſe (quod opus illi commune cum natura fuit) verum ex tot,tantiſq; vnus,cui pater fuerat quā cæteris indulgentior,nōne fuit is,cuius luxuria,atq; libidine,non modò Regni opes euerſæ funditus,vrbſque totius Aſiæ florentiſſima,direpta & ſuccenſa fuere: ſed omnes quoq; fratres, parentes etiam cum ipſo ſimul perierunt? Præſtare enim Regē orbum eſſe,quàm profuſos ad perdendum Regnum liberos procreare, nemo ſanè mentis eſt, qui inficietur. Cæterum oblatum ab Auſtriaco matrimonium filiæ cum magna dote, me iuſtè recuſaſſe puto. Iuſtum enim ſit, nuptias non Regias, Regiis anteferre; atque additamento pecuniæ, cum Regia dignitate pares illas facere, vos ipſi iudicate. Nam ſi puer cum eſſem, neque maiore, quàm qua à patre fui fortuna locupletatus Regias nuptias coniunxi: quæ cauſa eſt, cur nunc, ætate, potentia, atque Regnis auctus, inferiores appetam? Equidem non faciam; ſed ab iis tā ero ſemper alienus, quàm ad Regias, vbi ſeſe obtulerint, coniungēdas paratus. Hæ cùm dixiſſet Rex, approbata fuit ab omnib. eius inſtituti ratio, ac conſtans ſententia, mireq; ipſius animi magnitudo cōmendata. Quo magis fuit creditum eueniſſe diuinitus, quod in eo ipſo tēporis articulo, induſtria, & auctoritate Gregorii IX. Pont. Max. matrimoniū Iolantis filię Andreæ Regis Vngariæ, ac Petri Altiſiodorēſis Imperatoris Gręci neptis, cum Iacobo fuerit contractum; deq; eo paucis ante diebus ſecretò per literas inter Pontificem & Iacobum tractatum; ad idq; nuntiatum eſt, veniſſe Barcinonem Bartholomeum Epiſcopum Quinqueccleſiēſem, & Beraldum præſtantiſſimum Vngariæ comitē; qui dotis nomine obtulerunt librarum argenti duodecim millia; cum aliis decem millibus ex materna dote Iolanti acceſſuris; ac etiam cum aliis ducentis auri libris à Duce Auſtriæ debitis, necnōn certam Nemuracēſis Comitatus partem in Flādria: cum nonnullis oppidis, tam in Gallia, quàm in Vngaria, & in Burgundia, etiam eidem à matre relictis; præter alias longè maiores cùm corporis, tum animi dotes, quibus Iolans vniuerſas ſui tēporis fœminas ſuperabat, vt tanto dignam viro fœminam decebat. Itaq; ſponſionibus, ac repromiſſionibus nuptiarum Barcinone factis octauo Kalendas Martii, anno Chriſtianæ ſalutis M.CC.XXXIV. Iacobi autem XXVII. antequam tamen Iolans ad Regē deduceretur, neceſſe fuit controuerſias cum Leonora ortas de ſuppeditandis vitæ alimentis componere; idque fuit, præſente Ferdinando Caſtellæ Rege Leonoræ fratre. Quare conuenere ambo vna cum ipſa apud cœnobium Hortæ ordinis Ciſtercienſis, in confiniis Aragoniæ & Caſtellæ ſitum, itaq; conuenit in-

ter ipſos,vt Fariza oppido cum arce,&agro,Leonora viua,nulloq; iuncta viro potiretur: ac neq; propterea quidquam eorum,quæ antea aſſignata fuerunt, nomine dotis, & alimentorum,ab ea detraheretur.Præterea,vt Alfonſus filius cum ea eſſet,neque contra eius mentem,ante tempus cuiquã matrimonio coniungeretur: necnõ vt Leonoræ vt Reginę honos haberetur.Iis ergo pactis,& conditionib.acceptis,Fariza fuit tradita Leonoræ:quæ cùm in gratiam Regis omnẽ redeundi ſpem à ſe abieciſſet,cœnobium Pręmonſtratenſis ordinis in oppido Almaſano,in confiniis Aragoniæ exædificauit,ibique perpetuam,atque piam cum religione vitam coluit.Concluſo Leonorę diuortio,antequã matrimonio Iolantis daretur locus,Tereſia Vidauria Egidii filia,fœmina,de qua antea diximus,pernobilis,venuſtiſſimaque,ac prudentiſſima,cum qua Regi aliquot annos contubernii neceſſitudo interceſſerat,duabus ex ea ſuſceptis filiis:Iolanti ſeſe opponere, ſuoq; matrimonio,alterius impedire decreuit:propterea quòd conſcia ſibi,diceret, ſe non cõtubernii modò; ſed ſtabilis ac certi matrimonii iure eſſe Regi coniunctam: ideoque nuptialibus facibus illud cohoneſtare velle.Quod planè iam non occultè,ſed palam moliebatur, ac neque blandis Regis verbis à cœpto diſcedere; neque minis rurſum, ac indignatione deterreri poterat,quominus procaciter in Regem debaccharetur, conſtãterq; ipſum perfidiæ argueret:quoad venit Iolans, pręſentique huius matrimonio, Tereſiæ futurum fuit exploſum;ac nihilominus ipſa in maximum Iolantis odium incurrit. Quare huius timens inſidias,ſeſe ac filiolos, ab eius præſentia & conſuetudine ſubduxit: interim tamen ad ſummum Pontif. Romam,aut abiit,aut miſit illa, qui ipſius nomine Regem in ius vocarent,totumq; matrimonii iudicium ad Pontificem deferrent:promittẽs, ſe quidem non ante cauſæ ceſſuram,quàm mors alterutrum cauſa cedere coegiſſet.Itaq; conteſtata lite,diutius res in cõtrouerſia fuit, quoad Tereſia grauiſſimo pro ſe dato teſtimonio,non modò rẽ,ſed Regẽ ipſum in ſummum atq; extremũ penè diſcrimen,vt dicemus,adduxit.Itaq; Rex ab oppido Horta, Leonoram dimittẽs,in Aquitaniam Mompellerium profectus eſt,ibique diẽ feſtum omnium ſanctorum celebrans, illius potentatus controuerſiis compoſitis,protinus in Cataloniam reuerſus,Ilerdam venit.Sed paulò antequam hæc fierent;cum Balearicum bellum, Rege in Valentinum incumbente, nondum cõfectum fuiſſet: minimeq; Pytiuſę Inſulæ, Ebuſus ſcilicet,cum adiacente Frumẽtaria ad Balearicum Regnum ſpectantes debellatæ fuiſſent, Guillermus Mongrius pernobilis Catalanus,Sacriſta & Canonicus Gerundenſis Eccleſię,iam tum electus Archiepiſcopus Tarraconenſis, vna cum Bernardo Santaugẽniano Balearium maioris antea præfecto,à Rege petierunt,vt eas Inſulas debellandi prouincia Guillermo demãdaretur, atq; expugnatæ, Archiepiſcopo, Eccleſiæq; Tarraconẽſi, beneficiario iure, contribuerẽtur:vt ea occaſione, frequẽtiores in eis eſſent diuini verbi cõciones, atq; facilior Mahometanę ſectæ extirpatio. Quibus Rex annuit libentiſſimè, atque Ebuſi oppidum cũ eius arce,ſe Eccleſiæ donaturum reſpondit: modò intra decẽ mẽſes ſuſciperetur in eas expeditio;alioqui eandem ſuſcepturum ſe, Valentino bello confecto. Fuere autem hæ Inſulæ dictę Pytiuſę,Græcis,quòd multis ſponte natis pinetis abundent:quarũ maior Ebuſus notiſſima eſt toti Mediterraneæ orę maris,non modò ob eius portũ tutiſſimum,ampliſſimumq; oppido & arce natura,&manu munitis: verum ob ſalis cõmercium,quo vniuerſa prope Italiæ ora alitur:& cuius tanta eſt copia,quanta in noſtris de Sale Commẽtariis, deſcriptione illius ſalinarum lib. 2. eſſe oſtenditur. Et quæ licet frumento parum,pecude tamen &ferina,aliiſq; reb. multum exuberat:quin & Iberici maris quaſi clauicula eſt, & tanquã ſpecula è Regione Dianii,ſiue Ferrariæ promontorii conſtituta,ad recenſendas, &quaſi hoſpitio excipiendas naues,quæ ab Occidentali Hiſpania ortum verſus,aut contra nauigant. Altera quidem minor,vulgò Frumentaria,paruo maris tractu ab Ebuſo diſtat,inculta & deſerta eſt, quamuis frumenti ſit feraciſſima,indeque dicta Frumentaria, eſtque feris animalibus præſertim onagris referta:hi enim gregatim incedunt, atque proceriores ſunt,longeque ſpecioſiores cicurib⁹:ac licet nullis noxii:tamẽ adeò agreſtes, & feri, vt nullo vnquam tempore aſſueſcere ad homines, neque arte manſuefieri ſoleant. Quinimo vſqueadeò atra bili laborant, vt extrahi ab Inſula, atque à ſuo gregę ſeparari tã ægrè ferant, vt enecari ſe potius fame,quàm quicquam comedere; aduri, quam loco dimoueri, aut oneris quicquam ſibi imponi patiantur. Quæ tandem Inſula,cum portubus,& fontibus,& nemoribus conſtet, & natura apta ſit ad quaſuis maiores fruges ferẽdas, tamen ob continuos piratarum vndique in eam appulſus,& excurſiones,inculta omnino,atq; deſerta manet. Eſtque mirabile de vtraque Inſula, quòd earum terra ſerpentes fuget, neque venenatum quippiam admittat: ſed illud multò mirabilius, quòd non lõgè ab eis verſus oſtia Sucronis,parua ſit Inſula Colubraria dicta,ex eo quòd innu-

merabiles

merabiles colubros pariat, infestos nauigantibus, Græci vocant Ophiusam: in quam, attestantibus Plinio, & experientia, illata terra Ebuso colubros aut fuget, aut enecet: si verò ii asportentur Ebusum, protinus odore terræ commoriantur. In has igitur fuit Electo Tarraconensi concessa expeditio, cum classe, vt putatur, Regia, eaque omni re munita; & cui præfuit Nunnius Sanctius, qui quãuis annis iam grauis, atq; ætate affecta esset, tamẽ, vt belli omnium sui temporis experientissimus, Electo deesse noluit. Hi, vt primum Ebusi maiorem portum tenuerunt, ac fama emanauit, Iacobũ Regem, qui Baleares expugnauerat, venire Ebusum, tam consternato subinde animo fuere oppidani, vt vno tantum milite Ilerdensi murũ ascendente, atque inde victoriam conclamante, subito oppidum cum arce Electo dederint; indeq; vniuersa Insula capta fuerit. Itaque ædificato ibi templo, & Christi religione inducta; oppidum, paucis dimissis in Insula Sarracenis, à Christianis habitari cœpit, illudque ac tota Insula cum adiacenti, patrimonio Regis fuit addicta. tametsi decumæ Salis, aliique redditus, Archiepiscopo cesserint: ideoque religionis, & animarum cura eidem perpetuò commissa fuit. Postremo exercitus in Frumentariam transiens, eam nullo negotio cepit, & tanquam desertam, & incultam dereliquit. Dum hæc apud Ebusum gerebantur, Iacobus in subigendo Valentino Regno nullum tempus intermittebat. Nam superiore in Sucronenses excursione, tentatis Zaenis, & Sarracenorum animis, neq; cum exercitu ad sese defendendum prodeuntibus; similẽ in eos excursionem iterum facere decreuit. Vnde conuocatis Fernando patruo, Blasco Alagone, P. Cornelio, Simone Vrrea, atque promagistris ordinum, se denuo in Valentinos excurrere velle indicauit. Cumque assentirentur omnes, iam non in pagos, sed in præcipuas Sucronensis agri arces, Algeziram, & Cullarim, bellum commouere decreuerunt; ad easque expugnandas, duæ machinæ, siue tormenta maxima, mari ad ostia Sucronis deferri iussa fuere. Itaq; Rex iusto cum exercitu, præmisso commeatu, Burriana proficiscens, secundum mare, non longè ab vrbe præteruectus, Cullarim bidui itinere confecto peruenit; cuius oppugnationi machinas, & alia adducta instrumenta præparauit. Sed cum lapidibus & magnis saxis opus esset librandis machinis, ac neque ager ille cum sabulosus sit, vllos sponte ferat lapides, neque ad excindendos è rupibus instrumenta suppeterent, ostensum est à machinatoribus impediri oppugnationem, atque alio esse intendendum: præualuitq; nonnullorum obstinatior sententia, in dissuadenda tam leuem ob causam, expugnatione. Profectus Rex inde ad Cilliam oppidum venit, sexto ab vrbe milliario, ac Valentinę paludi proximum. Cumque iratus quodãmodo ibi Rex esset, propterea quòd cum tanto exercitu nihil strenuum, neque se dignum confecisset, id quod versabat animo, secreto cum promagistro Templario, P. Cornelio, & Simone Vrrea communicauit; se scilicet, oppugnare velle vnam ex turribus, quæ sunt in agro vrbis, vno, aut altero ab illa milliario; & munitæ vsqueadeò, vt vrbis oculi dicerentur, eiq; quasi pro muro essent, ad hostium primos quosque impetus sustinendos. Quarum præcipua, longeque munitior tunc erat Moncadæ: ideoque hanc esse aggrediendam censuerunt. Id, vt primum à Ferdinando rescitum est, quòd is Regem à quouis strenuo facinore semper solitus esset dehortari; nequaquam illam oppugnandam affirmauit: propterea quòd commeatus, & alia necessaria deficerent, ad alendum exercitum, essetque longè munitior Turris, quàm vt breui posset expugnari, neque prudentis esset hostem adeò propinquum irritare. Tum & Templarius, non Moncadam, sed Torrestorresium oppidum tutius oppugnari posse clamabat. Vnde controuersia orta, aliis varia sentientibus; tandem deliberatione Regis conclusum est, vt Moncadam peterent. Erat autem eius Turris permagna, tum omni armamento, & commeatu, tum vrbano milite, vt putabatur, munita: atque frequenti pago circundata, qui sua etiam macerie cingebatur, quem ingressi nostri, paganos omnes in turrim, quæ capacissima erat, recipi compulerunt. Sed ea post quintum diẽ, quo cœpit oppugnari, Regi tradita fuit, amplissima ibi facta præda: Sarracenorum enim plus mille in ea fuere, prædaque omnis ad besantium centum millia, quæ summã efficiunt aureorum viginti millium, peruenisse fertur. At verò turris à Rege funditus euerti iussa fuit: ne denuo ipsam muniret Zaenas; inde ad turrim proximam Museriorũ, quæ similiter æquali ab vrbe spatio distat, & pago quoq; circumsepta est, abiit exercitus: vbi pagani tecti cespitibus ex palma & spartho contextis, terraq; oppletis, à machinarũ ictibus sese defendebant. Quibus illico à nostris fuit occursum, nempe ballistarum spiculis stupa & pice oblitis. Quæ vt primum igne succensa in cespites missa fuere, arsere illi, atque conuerso in paganos, & in turrim fumo, protinus aperta illa, atque ingruẽtibus nostris, capta fuit, cũ sexaginta Sarracenis, quos omnes Rex dono dedit Guilliarmo Sagardiæ, vni ex ducibus exercitus, quibus Guillermum Aguilonẽ sororis filium redime-

ret, Valentiæ tunc captiuum: fuitque ſtatim redemptus ille magno Sarracenorum malo, vt paulo poſt dicemus. Qua parta victoria, atque præda facta, Rex, integro cum exercitu Turolii viam eſt ingreſſus, venienſque Aluentoſam, quæ primum eſt Aragoniæ oppidũ, tanta illum nummariæ rei preſſit inopia, vt centum Sarracenos, quibus redimẽdis mercatores impenſe inſtabant, biſantiorum x v I I. millibus redimi permiſerit. Inde Cæſaraugustam, poſt verò Oſcã progreſſus eſt. Eodem tempore Sanctius Rex Nauarræ mortuus eſt Tudelæ, ſtatimque Regni proceres immemores adoptionis, & ſucceſſionis Iacobi, fideique publicę, ac iuriſiurandi ab eiſdem præſtitis, Tibaldum Campaniæ comitem, ſororis Sanctii filium, Regem elegerunt. Quæ interim placuit Iacobo tantis præpedito negotiis bellicis, diſſimulare, atq; in poſterum differre. cuius obtinẽdi gratia Regni, magna inter Iacobum, eiuſque ſucceſſores Aragoniæ Reges cum Nauarris, & Caſtellanis conſecuta ſunt bella & contentiones. Hoc ipſo anno, qui fuit Chriſtianæ ſalutis M.CCXXXIV. Gregorius Pont. I X. Pontificatus ſui anno octauo Dominicum Hiſpanum totius ordinis, ſiue ſacrę ſocietatis Dominicanæ, ac Prædicatorum dictæ, Patriarcham & conditorẽ clarum miraculis in numerum ſanctorum retulit; à Iacobo & Hiſpanis in magna ſemper veneratione habitum, nec multò poſt idem Gregorius Franciſcum Italum, totius quoq; ordinis ac ſodalitatis Franciſcanorum, vt vocant minoritarum, miraculis quoq; inſignẽ, ſimiliter ſanctorum numero aſcripſit. Quæ duæ perſanctæ ſodalitates, Iacobi tempore, vt li. 2. retulimus, obortæ; atq; ab earum exordio, tãta cùm veneratione ac pietate ab illo ſuis in Regnis admiſſæ, ſuoque fauore, & ope auctę, & amplificatæ, clarè oſtẽdunt, Iacobum de vtraque valde bene meritum fuiſſe: eoque magis apud earum auctores, quos ille ſuo quoque tempore inter diuos adnumerari vidit, in magna etiam gratia extitiſſe: habuiſſeque eoſdem inter cœlites, propoſitos ſui patronos, atque tutelares: vt quibus exorantibus feliciſſimum rerum ſuarum exitum ab omnipotenti Chriſto obtinuerit. Cæterum eo tempore magnæ Regi erant cum Nunnio Sanctio controuerſiæ & diſſenſiones, ſuper Comitatibus Ceretanię & Confluentis, ac iure etiam ad alia Cataloniæ & Aquitaniæ oppida, ad quæ vocabatur Sanctius, tam ſubſtitutione teſtamentaria Raimundi Comitis Barcinonenſis, quàm donatione facta ab Alfonſo Regis auo, Sanctię Nunnii matri & eius filiis ex Sanctio Comite ſuſcipiendis. A quo rurſum Rex oppida quædam Portui Veneris, & Comitatui Ruſcinonenſi coniuncta, quæ Nunnius vſurpauerat, repetebat. Verùm vt erat natura benignus ac beneficus, atque tantorum Nunnii promeritorum, rerũque ab eo bello geſtarum memor; voluit conuenire cum eo; & eas controuerſias, & contentiones, arbitris cõponendas committere: Nunnio, Lopezium Pharẽſem Vizcaiæ dominum; Rege verò, Guillermum Ceruseram monachum, arbitrum ſtatuente: illis autem diſſidentibus, neque ſententiam ferentibus, Vgo Monlauretanus Templariorum Hiſpaniæ Magiſter tertius accederet. Re igitur ab vtroque perſpecta arbitro, non expectata tamen ſententiæ pronuntiatione, placuit Regi relinquere Nunnio ditiones illas Ruſcinonenſi propinquas, eique pecunia reſarcire damna, quod Nunnio eiuſq; vxore iam ſenibus, amiſſaque filiorum ſpe, decedentibus, Regno acceſſura omnia eſſent. Is autem fuit ille Nuntius, qui apud Balearium maiorem, cuius expugnationi præerat, vrbano in agro, optimo, amœniſſimoque totius Inſulæ loco, cœnobium grande, ampliſſimo cum templo exædificauit, illudque prędiis & magnis cenſibus ornauit, atque beatiſſimæ virgini dicatum, ordini Cirteſtercienſium addixit. Quod Regiam, (vulgò la Real) nuncupauit. nec immerito. Nam cùm Regia ſtirpe Nunnius eſſet ortus, ſuiſque præclariſſimis, ac commemorandis factis, Regio quoque dignus eſſet diademate, quamcunque ipſe ædem, extrueret; quid ni Regiam, ſiue Baſilicam nuncupare poterat? Hoc tempore Iolans ab Vngaria, matrimonio cum Iacobo iungenda, Barcinonem venit: eodem Antiſtite quinqueccleſienſi, atque nobiliſſimo illius Regni Comite Dionyſio, & familia multa comitata. fuitq; à Barcinonenſibus, totoque Principatu honorificentiſſimè excepta, Virgo pulcherrima, annos viginti nata, & quæ ſub tanta ſuauitate, & honeſtate oris, maieſtatẽ, admiſtamq; cum grauitate humanitatẽ præſeferebat. Vnde grata omnibus, ſatiſq; officioſa & prudens, non minus ſolatio Iacobo fuit, ad bene feliciterque ducẽdam vitam, quàm conſilio, ſubſidioque etiam ad regendam rem publicam. De cuius aduentu factus certior Iacobus, ſtatim Oſca Barcinonem perrexit, nuptiaſque cum ea dignitatis, atque lętitiæ plenas coniunxit. Nam Rex Iolãtis pulchritudinem cum tanta animi magnitudine coniunctam contẽplans, laborum ſociam, ſibiq; ad regnãdum conſentaneam ſperans, mire dilexit, viciſſimq; amatus fuit. Quorum mutuam charitatem tanta conſecuta eſt concordia, vt ſuo quoque exemplo populi cum tranquillitatè vixerint; atque vt eſt fructus concordiæ, Regiæ res, Regnaq; ipſa indies aucta accreuerint. Per id tẽ-

pus Pontius Cabrera, qui olim Comitatu Vrgelitano pulsus fuerat, conquestus est apud Regem, quod cùm ipse ex pacto, Regio diplomate confirmato, Aurembaxidi Comiti sine liberis decedenti succederet, & ad comitatum vocaretur, iniquas tamen quasdam in sui fraudē donationes, tam quæ Petro ab Aurembaxide vxore contra priorem conuentionem facta fuit, quàm quæ postea à Petro in fauorem Regis consecuta est, admiserit. Quæ omnia cum Regi nota essent cum Pontio transegit, vt reseruata sibi ciuitate Vrgelitana, omniq; iure ad ciuitates Ilerdæ, & Balaguerii ad Pontium vndecunq; pertinenti, Regi concesso, reliqua quæcunq; oppida, & prædia ad comitatum spectantia, Pontio, eiusq; filiis & successoribus in perpetuum beneficiario iure concederētur. Indeq; factum est, vt & Rex, & Pontius, per se quisq; Vrgelitanus Comes nuncuparetur. Posthæc Rex, coniunctis nuptiis, occasione oblata, Sarinienam Aragoniæ oppidum antiquum venit: vbi cùm esset ei in animo initum Valentinum bellum cōficere, in ipsumq; totus incumberet, conuocatis Antistitibus, cum nonnullis vtriusq; Regni proceribus, ac etiam belli ducibus, qui eum sequebantur, consilia & mentem suam eisdem cōmunicauit. Nempè habere se in animo, fœliciter cœptum Valentinum bellum persequi, quoad vniuerso Regno potiretur. Iamq; occupata Burriana præcipua Regni arce, alteram ad inuadendam vrbem, eiusq; agros impunè depopulandos, longè commodiorem occurrere; eam esse arcem dictam à sarracenis Enessam, siue Cepollam, quæ media ferè est inter Saguntum, & Valentiam, ab eaq; sexto milliario distat: quæq; mari proxima, in monte quodā, aliis circundato, vnde prospectus est in vrbem, sita. Facileq; erat mari commeatum, terra verò præsidia Burriana secus oram maritimam ad eam mittere. Nam eiusmodi expugnata arce, tutò poterat ibi contineri exercitus, atque continuas excursiones in Valentinos facere, eorumq; cultissimos agros vastare; ac tandem vrbem ita opprimere, vt Zaenem Regem, aut ad deditionem, aut ad pugnam, quam ille metu Abuzethiæ partis omnino detrectabat, compelleret. Quæ cùm à Rege proposita placuissent omnibus, ad eaq; exequenda illum singuli adhortarentur, decretum fuit, ineunte vere, eò proficisci, exercitumq; ad id parare. Quo peracto Turolium Rex abiit, vbi Pascha Resurrectionis Domini celebrauit, exercitumq; nonnullis cohortibus suppleri fecit: ac protinus Calataiubium concessit, vbi Petrus Portugalensis, cui Baleares Insulæ dum viueret donatæ fuerant, tametsi breui eas esset dimissurus, nihilominus, denuò publicè fide data iurauit, se Iolanti Reginæ, & filiis, quos ex ea Rex susciperet obeunte Rege, eandem, quam Regi fidem, præstiturum. Fuitq; hæc ipsa data fides in præsentia multorum vtriusq; regni procerum, ac etiam Antistitum, vt ratum perpetuò id haberetur. Insuper Turolium reuersus Rex, donationem Riclę, & Magalionis oppidorum Aragoniæ, olim Abuzethio, dum viueret factam confirmauit: præstita sibi etiam, ac Iolanti, & liberis, eorumq; natis, fide publica, nulla tamen de Alfonso mentione facta; quod iam tum discordiæ subortæ Regi essent cum Alfonso. Demum Abuzethius, qui multò antea Christo nomen dederat, idque secretò, ne sarraceni suæ factionis à fide deficerent; vt qui multum in eo bello Iacobo prodessent; quia dissolute admodum viuebat; multa minime à Mahometano ritu aliena committens; ac neq; à multitudine vxorum abstinēs, quæ animos Christianorum offendebant; opera Sanctii Ahonesii Antistitis Cæsaraugustani, ad meliorem vitæ frugē reuocatus est: atq; illius industria honorifice cum honestissima Cęsaraugustana fœmina matrimonium contraxit: ex qua filiam suscepit Aldam nomine, quæ postea Blasco Simoni Aragonensi viro strenuo nupsit, domino Baroniæ Arenosiæ dictæ: quiq; in oppida Regni, quæ fuerant Abuzethii successit. Iacobus igitur multis vtriusq; Regni proceribus comitantibus, aliisq;, qui honorariis stipēdiis equestribus obstricti Regem sequebantur: dum vnà cum cohortibus, quas ciuitates Turolium & Daroca miserunt profectionem parat, nuncium accepit, Zaenem suspicatum Iacobi mentem, venisse cum magna manu militum in arcem veterem Enessæ, siue Cepollæ, illamq; à fundamentis fuisse demolitum, ne Christianis subsidio esse posset contra vrbem. Qua caussa Rex, cuius animus totus erat in illa denuò exædificanda, iussit instrumenta ad parietes ducendos, è Turolio iumentis conuehi, atq; in Regnum profectus est: iamq; Exericam secundò vastato eius agro prætereuectus, Segorbium vrbem intactam reliquit: quod ea Abuzethii partes contra Zaenem agens, liberum dedisset Regi ingressum. Inde ad Torrestorresiū venit, similiq; ibi depeculatione facta, Saguntum secundùm arcem præteriit, sic abeuntibus ordinibus. Primum enim agmen ducebat Simon Vrrea vir egregie fortis, & sapiēs dux belli, atq; Aragoniæ procerum præstantissimus: In medio consistebat peditatus: nouissimum agmen Rex cum equitatu claudebat. Sed antequam in montem Enessam peruenissent, rumor sparsus est, atq; ab exploratoribus comprobatus, Zaenem cum magno

exercitu venisse Pusolium, quod oppidulum ab Enessa vno distat milliario. Vnde equite sese ad pugnam expediente; pedite vero cum impedimentis in vicinum collem recipiente, intellectum est, non Zaenis, sed Hospitalis Promagistri, & praefectorum Alcanitii, & Castellotii esse agmen; centum videlicet equitum, atque bis mille peditum, cum aliis triginta equitibus in Burrianae praesidio constitutis, qui intellecta deliberatione Iacobi, eò venerant. Quare arce diruta inuenta, protinus Rex eo ipso in loco aliam multo munitiorem exaedificare curauit. Itaque figura triangulari data, tanta fuit contentio & studium procerum, atque militum praesertim à ciuitatibus missorum, in erigendo opere, pro distributa cuique sua aedificii parte, vt intra duos menses arx fuerit condita, atque inexpugnabilis effecta. In quam commeatu, & cibariis quattuor mensium illatis, fuere etiam collocata ibi armamenta omnia, atque defensioni arx praeparata, è qua prodeuntes milites continuas in Valentinos agros excursiones faciebant; tanto cum emolumento, & opima praeda militum, vt ea spe lucri contineri non possent, quin vel magno cum periculo, frequenter in sarracenos irruerent. Dum igitur opportunitas, magisque idoneum tempus ad aggrediendam vrbem expectatur, Rexque in Cataloniam esset abiturus anxie perquirebat, quisnam ex proceribus praesidio praeficeretur ad defendendā arcē; cum praeclare cōpertum haberet, se abeunte, illicò Zaenem magno cum exercitu ad demoliendam illam venturum. Sed in ea cura & cogitatione defixo, vnus occurrit Bernardus Guillermus Entensa, sic dictus, ab oppido Entensa in Catalonia, quod Regis beneficio obtinebat. Erat autem is Regis auunculus quem cum in omni re militari, tum ad custodiam arcis consilio, & fidelitate praestare multum Rex sciebat. In ipsa quippe expugnatione Burrianae, vt ostendimus, in qua saucius ille fuit, magnum roboris atque fortitudinis specimen ediderat: cumque abesset ipse; tribus mensibus donec veniret, continuit se ibi Rex vallandae, atque praefulciendae arci, omnique commeatu, & armamentis muniendae intentus: quoad Guillermus, adductis secum centum lectissimis leuis armaturae equitibus, venit. Cui Rex magno cum equitatu obuiam exiit, ipsum prae caeteris valde honorans, & quod tanta se propinquitate sanguinis attingeret; & cui tam arduum praefecturae negotium esset commissurus. Itaque seorsum cum eo collocutus est, ac postquā exprobrauit ei cunctationem, vt refert Regis Historia, & quod adducta secum manu illa equitum, cōmeatū & cibaria minime conuexisset ad eos sustentandos, propterea quod annona ibi tum cara esset; exaedificatam à se arcem, eiusque munitionem, & armamenta ad eius defensionem demonstrauit: & quanquam in monte sicco constructam, tamen cisternam in ea quinquaginta mille cadis aquae oppletam ostendit; seque velle dixit ibi erigere propugnaculum in oculis vrbis, ad defendenda omnia, quae in eam vsque diem Regni oppida expugnauerat: atque ad excursiones tam à suis in vrbanos agros tutius faciendas, quam ad hostiles promptius reprimendas. Idque tantisper dum exercitum magnum ipse compararet ad vrbem oppugnandam. Adhaec praesidia, quae ibi relicturus erat exposuit. Sed de arcis, ac praesidiorum praefecto, secreto quid haberet in animo indicauit: significans, se, cognationis caussa, quae tanta sibi cum eo erat, atque eius tum probata fide, tum bellica virtute fretum, deliberasse, ipsum arci, & exercitui praeficere. Neque enim habere se quemquam alium ex proceribus, cui tutius mandare illam posset, neque honorem, qui ex praefectura reportandus esset, alteri, quam ei tribuere. Quod si perdifficilis videretur, & quae iuste tanquam periculosissima timeri posset propugnatio, quod eam cruentis admodum, atque continuis necesse esset praeliis, atque conflictibus sustentare; eò quidem videri sibi animosius eandem subeundam ab ipso esse, propterea quod nulla quidem ex parte posset ipsa, sua quoque victoria, atque triumpho carere. Nam illa ad Christi nomen propugnandum; impiosque eius hostes debellandos suscepta; non aliud ex conflictibus, quam aut superstitibus, gloriam & aeternum nomen, aut occumbentibus, coelestem ac gloriosum cum martyrio triumphum esset allatura. Quae audiens Guillermus, vt erat pio, excelso, & generoso animo, pro ostentandae virtutis occasione sibi oblata, immensas Regi gratias egit: libentissimeq; defendendae arcis onus suscepit; vnà cum Berengario Entensa cognato, necnon Guillermo Aguilone, nobilissimo Catalano: quòd is nuper Regia liberalitate à sarracenis redemptus, atque eorum ignauiam expertus, magno sibi foret consilio & auxilio ad optimè feliciterque dimicandum. Quae Guillermi liberalissima responsio adeò Regi grata fuit, vt in eius amplexum irruerit, ipsumque pro tantis meritis, alterum sibi fore Regni consortem promisit. Itaque arce cum praesidiariis, & exercitu Guillermo traditis, illud praetereundum nō est, quod exigua in re licèt, magnā tamen Regis benignitatem, ac fidem tum maximè portendidit, vt eius historia continet. Siquidem profecturo Rege, iam motis castris, dum

dum tabernacula & vasa colliguntur, inuenta est hirundo in tabernaculi Regii fastigio (scutellā vocant) nidū construxisse. Id autem per iocū famulis Regi annunciantibus, prohibuit ille, ne tabernaculū inde dimoueretur, neq; abiiceretur nidus; Dimittite, inquiēs, illā; victorię quippe nūcia est auicula: & quia fidit vmbræ nostrę, eadē quoq; protegetur, quoad exclusos pullos educauerit: mansitq; ibi tabernaculum vnà cum custodiēte illud, donec auicula cū pullis euolauit. Cęterum reuersus Rex Burrianā, inde Dertosam, & in Salonium portū inuectus: nauiculas cōmeatu, & re frumētaria onustas in Baleariū maiorē abire paratas inueniens emptis mercimoniis, ad Guillermū ire iussit Enessam. Iis expeditis, venit Oscā, ac deinde Montionē, quo generales cōuentus indixerat: fuereq; omnium frequentissimi; propterea q; tam egregiis, tamq; vtilibus religionis, Regniq; rebus propagandis intentus Rex esse videbatur; vt nihil quod nō vtriq; esset vtile proponeret. Iccirco neq; Antistitū, neq; procerum quispiam, non oppidi vllius, nō ciuitatis Legatus defuit, quin eo conueniret; atq; omnibus, quæ à Rege petita sunt, libenter annueret. Cū neque alia eis proponeret, quā se, bellū in Valētinos sarracenos cōmotum, tantoq; cū labore, sumptu, & sui periculo, pro cōmuni bono susceptū, velle conficere; quādoquidem eousq; peruentum esset, vt quicquid à Morella ad ipsas ferè vsq; vrbis Valentię portas interesset, amplius scilicet dimidia Regni parte, aut vi iā cœpisset, aut depopulatus fuisset; iustumq; exercitū ad vrbē reliquisset. Quamobrem necesse esse vrbē vndique obsidere, atq; diuino, vt sperabat, annuente numine, capere. Nā expugnata illa nō dubitabat, se facile vniuerso Regno breui potiturū, simulq; cū ipso omnes, & amœniore, & fructuosiore, quā vsquam sit, agro fruituros. Quare omnib. vnū & idem cū Rege sentientibus, atq; re, gente, & armis, se omnino adiuturos offerentibus, deliberatum est, vt cū Aragonēsib. montanis alioqui inter se diuisis, induciæ fierent, vt in sarracenos cōmunes hostes, suam illi bilē & arma conuerterent. Vtq; Rex æstimationē, ac iustum monetę Iaccēsis pondus, toto Aragonēsi regno, & ciuitatib. Ilerdę, & Dertosę, & earū territoriis perpetuaret: vtq; oēs ab ętatis anno 14. illā omnino valiturā iurarēt: propterea q; tanta cū esset illius copia, reprobari nō poterat, nisi cum maxima omnium, grauiq; iactura. Hinc factum est, atq; in eisdem conuentibus perpetuo iure decretum, vt à quaq; domo, & inquilino populorum totius Regni, cuius census esset, ad centum dragmas monetæ Iaccensis, septimo quoque anno morabatinus vnus Regi penderetur. Post hæc omnes, qui ob honoraria stipendia equestria, Regi belli tempore præsto esse tenebantur, nisi amittere illa mallent, adessent. Dum hæc aguntur Montioni, Zaenes audito Iacobi discessu ab Enessa, ingentes comparauit copias, atque lustrato exercitu, à Setabi vrbe vsque Ondam, quod est insigne oppidum, non longe à Burriana situm versus montana loca, adnumerata sunt, peditum quadraginta millia; equites vero sexcenti numero: quibus congregatis Enessam adire, eiusq; recenter erectā arcē demoliri decreuit. Itaq; certo die, iunctis Valentiæ copiis, noctu, sic eo properauit, vt diluculo arci propinquus esse cœperit. Vnde per exploratores certior de illius aduentu factus Guillermus, conuocatis primoribus exercitus, expositoq; imminenti periculo, visum est, præstare exire obuiam hostib. atq; in campo viriliter dimicare, quam intra infirmos, ac recentes arcis parietes à tanta innumerabilitate hostium concludi, angustoque loco contineri. Quare diuino Christi, eiusque matris sanctissimæ confisi numine, quo facile est à paucis pemultos deuinci, sese omnes magno animo ad pugnam extra arcem ineundam præpararunt. Quod facinus tanquā monstri simile, atq; incredibile, parum fidei profecto, minusq; glorię obtinuisset futuris sæculis, nisi ipsa Regis historia, atq; Asclotii, aliorumq; illius temporis Scriptorū, qui prælio interfuerunt, monumenta, illud diserte scripsissent, & quam concordissimè probassent. Itaque sacris peractis, atque sanctissimo Christi corpore singulis communicato militibus, qui, perinde ac mari solent tempestate iactati instante naufragio, se toto pectore ac mente Deo commendabant; protinus sumpto cibo aciem instruxit Guillermus. Ac cum à summo iugo montis contemplaretur tantam, tamque sparsam tota planitie hostium multitudinem; suorumque animos quodammodo perturbari, ad eos sic verba fecit. Etsi scio, viri fortissimi, humanum esse, pericula & mortem ipsam quemque pertimescere; ac neq; à ratione alienū, paucos hostium multitudinem reformidare; hāc tamen à paucis, ordine, consilioque & viribus, sæpius superatam fuisse, atque superari nunc quoque posse, permultis antiquorum, nostrorumque ostendere est exemplis. Quid enim aliud Xerxem cum millibus nongentorum millium hominum in Europam transeuntem, amissis prælio omnibus, solum ipsum scapha elapsum in Asiam remeare; nisi vnius Themistoclis Græci Ducis cum decem tantum millibus occurrentis, consilium in propugnatione compulit? Quid Darium decies centena millia quoque ducen-

tem, vt Alexander non amplius quam quadraginta ſtipatus millibus vinceret, effecit; niſi bene ordinata paucitas, quauis confuſa multitudine, viribus & arte longe ſuperior? Ad noſtra veniamus. Nonne vniuerſam Afrorum ſimul; & Hiſpaniæ Maurorum, haud ſuperioribus inferiorem multitudinem, noſtri, tum nuper Idubedenſi prælio ſuperarũt; tum & alias ſæpe perquã pauci vicerunt, & ad internecionem vſq; deleuerunt? Conſimilis, atq; par eſt illis, non numero, ſed confuſione, quę vobis ſeſe nũc offert ad dimicandum multitudo; cuius timidiſſimus Dux eſt vecors ille Zaenes tyrannus, qui nuper Regi noſtro, cum admodum paucis, bis Valentinũ agrum ante eius oculos depopulanti, ne cũ tanto quidẽ exercitu exire obuiã eſt auſus; quinimmo turres atq; oppida Moncadæ, & Muſeriorum, quæ hinc perſpicitis, amittere potius, ne cõfligeret, atq; ſibi eripi eſt paſſus. Vnde cum vilem eius, ac collectitium exercitũ, cum ſtrenua, exercitatiſſimaq; veſtra pugnandi arte, ac victrice manu confero; profecto deierare auſim, neminẽ eſſe veſtrũ, qui aperto in campo, cum decem ex illis depugnare non audeat, neq; plures etiã detrectet. Accedit cauſſa belli iuſtiſſima, ſanctiſſimaq;, quam ad impiũ tyrãnum propulſandũ, proque illo Regem noſtrum pium, optimumq; inducendum ſuſcepiſtis; cumq; pro Chriſti nomine ad impiam Mahometanorum ſectam extirpandam penitus pugnetis; quid ni victores vos inde fore, atq; ipſas cœlitum acies, veſtrorum non modo ſpectatrices factorũ, ſed in pugnam etiam adiutrices ſperatis? Adeſte igitur Chriſtiani cõmilitones, animiſq; ac viribus in hoc ſacrum prælium, cuius nullus eſſe poteſt infelix exitus, incumbite. Nãque hodie aut vincẽtes, nobiliſſimum Valentinum Regnum pro mercede reportabitis; aut occumbentes, æternum atq; cœleſte Imperium, inuicta cum fama & gloria, in præmium accipietis. His dictis, adhortari ſe inuicem omnes, atq; ad pugnam animoſe fortiterq; componere cœperunt. Iamq; vt ſuperiores eſſent hoſtibus, neq; arcem deſerere viderentur, in ipſa accliuitate montis illos expectarunt; quorum Exericani, Saguntini, Liriani, & Ondenſes, tanquam bellicarum rerum peritiores, primũ agmen ducebant. Qui congreſſu primo, tum à fronte pedite, tum à tergo equite, noſtros adorientes profligare eos atq; in ſummum montem compellere incipiebant. Quod animaduertens Guillermus, cum ala equitum, magno quoq; impetu, ab iugo montis, ſeſe in aſcendentes ſarracenos immiſit: adeoque proſtratis multis, terrori fuit omnibus, vt ea parte redintegrari prælium atque victoriæ ſpes noſtris aperiri viſa fuerit. Verum à ſiniſtro cornu, ſarraceni conferti, tanta vi, atque vociferatione, noſtrorum poſtremum agmen inuaſerunt: vt neceſſe fuerit ipſos iterum in celſiorem montem ſecundum arcem ſeſe colligere: cum ſubito elata vox quædam è ſumma arce à diſperſis vndique Chriſtianis audita eſt, perſonans, Sarracenos fugere. Qua cauſſa ſeſe in vnum recipientes noſtri, ac glorioſum ſanctę Mariæ nomen inuocantes, in locũ pugnę, in quo paulò poſt fuit Virgini templũ exędificatum, intenderunt oculos, videruntque à ſarracenis nouiſſimi agminis initium fugæ Valentiam verſus fieri. Qua perſpecta fuga Guillermus adiuncto ſibi equitatu, in obuios quoſque magna vi delatus eſt: perq; eos iter ad perrumpendã hoſtium aciem apertum, donec in tumulum, vbi cœpta eſt fuga, perueniſſe fugientibus inſiſtens. Quod animaduertentes ſarraceni toto fuſi campo, cum & fugientes ſuos, & noſtros inſequentes vidiſſent: ſimili ſe præcipitatione omnes in fugam coniecerunt. Quos noſtri ſecuti vſq; ad Torrentem, milliario ab vrbe peruenere: innumerabilib. Sarracenis deſideratis; qui partim gladio iugulati, partim à ſuis in fuga compreſſi, conculcatiq; ceciderunt: ex noſtris vero tametſi ſauciati permulti, tamen perquam pauci interfecti fuere. Quod plane non humanis viribus, ſed diuinitus fuiſſe factum à multis fuit aſſertum. Nam multorum tunc temporis fide dignorum teſtimonio comprobatum, ac etiam literis conſignatum inuenitur, beatum Georgium in eo prælio Chriſtianis ſimul & Sarracenis armatum apparuiſſe, iiſque ademiſſe animum ad pugnandum, noſtris vero ad vincendum addidiſſe. Nec dubium, quin tanta, tamq; continuata in vniuerſa Aragonenſium Regnorum ditione in eundem martyrem pietas & religio, à diuino aliquo illius aut munere, aut aſpectabili auxilio & ope promanarint: tametſi mirum ſit, nullam in hiſtoria Regis de hoc tam conteſtato martyris apud Eneſam auxilio lato, mentionem factam fuiſſe: cum de primo illo apud Balearium maiorem, maximã fecerit: forte quoniam illi interfuerit: ab hoc vero abfuerit: ſed vnius ſilentium, multorum atteſtationibus fidem derogare non deber. Ac neque inſuper prætermittendum eſt, quod Aſclotius, vetus ac peculiaris huius hiſtoriæ ſcriptor, de hoc ipſo prælio & victoria retulit: quam plane, vno excepto ſummo Duce Guillermo, magna exparte attribuit nobiliſſimo illi Catalano equiti Guillermo Aguiloni, quem paulo ante à Sarracenis redemptum fuiſſe diximus. Vt qui cum ſua turma equitum, in eam partem vbi prælium truculentius committebatur irruperit,

atque

atque dirempto illo, totoque armorum impetu in ipsum conuerso, sic à nostris sumptis viribus, pugna redintegrata fuit, atque animosè sustentata, vt hostium consecuta illico fuga fuerit. Quin etiam affirmat idem, inuenta fuisse decem millia Sarracenorum interempta, quorum cadauera nullo apparebant sauciata fuisse, neque perfossa vulnere. Ac insuper asserit, Christianorũ exercitũ nõ amplius centũ cataphractis, cũ aliis centũ leuis armaturæ equitibus, atque peditibus bis mille constitisse: Sarracenorum verò, quadraginta millium, cum sexcentis leuis armaturæ equitibus fuisse. Cæterum fama de tam insigni Christianorum victoria quaquauersum peruagata, Turolenses primi cum centum leuis armaturæ equitibus, magnis itineribus Enesam conuolarunt, Rexque, qui tum erat Oscæ, audito nuncio lætissimo, maximas Christo, eiusque virgini & matri gratias egit; totoq; Regno datis ad Antistites, atq; oppidorũ magistratus literis, supplicationes fieri iniunxit. Deinde conuocatis Regni proceribus, Darocam profectus est, vnde Enesianos commeatu, milite, & armis omnique ope reficere curauit: venitque Turolium, vbi nobilis quidam eques cum literis à Guillermo Duce missus Regem conuenit; deque prælio, eiusque felicissimo successu, & victoria, fusissime omnia ordine retulit: quæ magna cum voluptate Rex audiuit: ac denuo commeatum, remque frumenta riam, per muliones Turolii, & Darocæ eodem comportari imperauit: ipseque centum iunctis equitibus leuis armaturæ Regnum ingressus, ad Cupulas oppidulum Segorbio propinquum, viginti quinque ab vrbe distans milliaribus, venit. Quo allatus est nuntius, Zaenem cum magno copiarum supplemento venisse Liriam, celebre nunc oppidum, quod in latissima planitie, copiosissimo aquarum ibi nato fonte irrigata, inter Valentiam & Cupulas situm est. Ibi ergo Zaenes magno exercitu cum Iacobo pugnaturus constiterat. Verum Iacobus neque regredi propterea, neque non progredi decreuit: imo præmissis sarcinis, atque impedimentis, relicta à dextra Liria, ipseque Zaene prospectãte, infestis signis, recta Enesam petiit: eoque perueniens, à Guillermo Duce, & Berengario Entensa, atque Guillermo Aguilone, aliisque nobilissimis equitibus, qui ad viam publicam, qua flexus est ad iter Enesam, obuiam exierant, more bellico, regioq; exceptus fuit, atque obortis præ gaudio lachrymis, amantissime amplexatus est Guillermum, aliosque Duces, atque ab vniuerso exercitu adiri, sermones secum conferri, à seq; munera & dona peti, permisit quam humanissime. Ac protinus locum pugnæ, militum stationes, Sarracenorum irruptiones, præliique redintegrationes, & à quo tandem loco illorum inita fuga fuerat, ostendi, atq; enarrari sibi omnia voluit. Vnde collaudatis omnibus, ad supplendum equitatum, octuaginta sex equos lectissimos, Ducibus, & equitibus, se diuisurum promisit, eisq; quintã totius prædæ partẽ ad se pertinentem condonauit: ac statim literas Cęsaraugustam ad Simonẽ Perezium Tarasonam dedit, præcipiens coemi, mittiq; ad se equos lectissimos quadraginta: quos protinus emit, atque remisit. ac vbi intellexit Rex eos venisse Turolium, profectus est Segorbiũ, quę ciuitas peramœna, latissima in conualle posita est, adeoq; aquis irrigua, vt permultis subinde, ac omnis generis messibus, ac frutetis abundet, quæq; Abuzeitii partes contra Zaenen sequebatur. Hanc igitur intranti Regi agasones præsto fuere, suum vnusquisq; equũ loris pertrahens: quibus conspectis, mire delectatus Rex fuit, atq; ad alios quoq; equos, quos ab Aragonia quidam, qui sese aggregauerant Regiis agasonibus, venales adduxerant, oculos iniecit; eisq; iniunxit, vt honesto illos pretio sibi venderẽt: placuit dominis, atq; accepto, quod inter eos conuenerat, equos tradiderunt quadraginta sex: quos cum aliis quadraginta coniungẽns, secumq; adducens, quatuordecim duntaxat sumptis equitibus, Enesam reuertebatur. Cũq; Sagunto oppido, q̃ Zaenis partes agebat, eiusq; tenebatur præsidio, appropinquaret, dubitatum fuit, à sociis num recta secundum arcem transirent: an ad lęuam, per vallem Segoniam deflectentes, iter potius maritimum ingrederentur. hęrentibus illis, occurrit vnus ex equitibus, sic inquiẽs; Satius erit secundum arcẽ pertransire, quandoquidem antequam cõspiciamur ab speculatoribus, in tuto erimus, si modo, quod occurrit stratagema comprobare velitis. Vt ergo turmam equitum integram præferre videamur, iubete singulis seruis, qui equos vehunt, singulas prælongas arundines, ex arundineto, quod sese nunc offert, sumere; atque vni tanquam hastæ linteum ex his, quibus equi cooperiuntur, vt pro vexillo ducant, affigere; ac etiam vnicuiq; suum equũ ascẽdere: ita quippe fiet, vt equestris apparens è longinquo acies, decepto hoste, pertranseat. Placuit Regi, ac omnib. equitis solertia, quæ ei prorsus ex sentẽtia successit. Nam quinque tantummodo ex oppido exeuntes equites, cum mille fere peditibus, eminus aspectarunt Regios, eosque cum sibilis & vociferatione irrisere; aggredi vero, aut insequi minime ausi fuerunt. Vnde Rex Enesam perueniens, octuaginta sex

equos iis, qui sacro prælio interfuerant, equitibus diuisit, ac protinus in eo ipso tumulo, vnde Sarracenorum fuga inita est, atque à nostris victoriæ nomen ingeminatum, celeberrimum ab eo templum exædificatum; simulque cœnobium constructum; vbi ordinem, siue societatem beatæ Mariæ Mercedis, cuius, vt diximus, autor extiterat, collocari mandauit; vt pro immortali eius prælii, atq; victoriæ memoria, perpetuæ apud ipsum, atq; immortales gratiarum actiones Christo, eiusq; matri Mariæ redderentur. Tametsi aliam quoq; in loco exædificandi caussam adduxerunt quidam satis graues huius historiæ scriptores; fuisse scilicet, ex arce ab iis, qui noctu excubias agebant, conspecta multa lumina accensorum instar cereorum, quæ cœlitus in eam partem, quæ fuerat ad templum erigendum designata, descendebant; ac sese in terram magno cum splendore immittebant. Quibus Duci, & aliis custodibus patefactis: dum opera excauandis templi fundamentis nauatur, sonitus valde tinniens auditus est; atq; eousque defossum, quoad contactis parietibus, templum, vt apparebat, magnum, sed terra obrutum fuit inuentū. In quo dum profundius excauatur, ligone æs ictū personuit: Vnde rastris purgato loco, magnum quoddam tintinnabulum retectum est; quo elato, reperta quoq; subtus marmorea quædam tabula altitudine duorum cubitorum, latitudine vero sesquialtero, in qua insculpta erat imago sacræ Virginis Dei matris, vlnis filiolū gestantis. Qua tabula, & tintinnabulo, aliisq; annotatis vestigiis, pro comperto est habitum, fuisse olim Gothorū tempore, constructum ibi templum in honorem Virginis, eiusque diuinum cultum frequentatum à religiosis Bendictinis, qui eo tempore floruerunt. Postea vero sarracenorum in vniuersam Hispaniam irruptione, templum dirutum, atq; à religiosis imaginem cum tintinnabulo in profundo templi relictam, delituisse quingentis & decem annis, vsq; ad Iacobi tempora, qui imaginem in nouo supra vetus erecto templo, ad altare maius reponi curauit. Vbi & miraculis claret, & magna vrbis, totiusque Valentini Regni ab omnibus veneratione colitur. Cæterum, compositis Enesæ rebus, distributisq; prædiis, dum Rex Burrianam ire parat, Ferdinandus patruus, qui aut egregius cunctator, aut serus adiutor semper accedebat, Enesam venit, cum Petro Cornelio, nonnullis equitibus comitantibus: quos Rex excepit benignissime; relictisque ibidem illis ipsis Ducibus, cum parte copiarum, ac etiam cōmeatu, & omni apparatu bellico munita arce, cum Ferdinando, & Cornelio Burrianam profectus est, quam vix erat ingressus, cum Aguilo mari scapha venit ad eum nuncians, Zaenem, vbi resciuit ipsum Enesa discessisse, statim vniuersum equitatum, quem in Castalliæ, & Cocentaniæ oppidis continebat, collegisse, venireq; iterum arcem demoliturum. Quare Guillermum petere subsidium, nosq; ad illud implorandū misisse: sufficereq; ad id, si P. Cornelius cum ala equitū mitteretur. Quo audito, Rex nō alio, quā se duce, subsidia Guillermo mitti permisit. Itaq; nocte de secunda vigilia, cum proceribus, atque Turolensibus equitibus, iter ingressus est: iamque Almenaram præteruectus, tam parato ad confligendum animo properabat, vt occurrēti cuidam Aragonensi equiti, Lopezio nomine, & ab eo quęrenti, ecquid de nobis fiet hodie? respondisse feratur: Enimuero Lopezi, hodie à furfure farinam secerni videbis. Innuens fore, vt ea pugna quantum ignauo præstet strenuus patefieret. Cumque pone Saguntum esset, misit equitem, qui exploraret nū Zaenes venisset, & arcem obsedisset: qui illico reuersus nunciauit, Zaenem neque venisse Enesam: neque Valentiā exercitum eduxisse, esseq; tuta omnia, nec Enesianos vllo egere subsidio. Id audiens Rex, gratias Deo agens, Burrianam reuertitur, decē & septem tantum equitib. comitatus: nā reliquos Enesam transire iussit, vt adderent Enesianis animum, in eorumq; salutem Regem semper esse intentum, ostenderent. Iamque transducto Palantia Sagunti fluuio, non longe ab itinere, sarracenos equites numero centū & triginta conspexit, ad quos Artalus Alago, Blasci filius, Regno Aragonio tum exulans, se receperat. In eos igitur Garcesius Aragonensis, qui paucis cum equitibus Regē antecedebat, temere, nec consulto Rege impetum faciēs, protinus fuit ab illis septus, atq; cū sociis captus, quē secutus fuisset Cornelius, nisi in eius equi habenas Rex manum iniecisset, ac coegisset subsistere. Ex quo, cū paucis relictus, in maiori, quam vnquā, fuit vitæ periculo. Vtpote quem si sarraceni tunc inuasissent, haud dubie cepissent. Id conspicatus Cornelius, vnum equitē citato cursu ad Guillermum misit, vt quam citissime Regem adiuturus veniret. Sed interim in tā atroci periculo Regii se versari videntes, persuadere Regi tentarunt, vt dum pugnantes ipsi hostes distinent, sese cum paucis Enesam reciperet, subsidiaq; pugnantibus mitteret. Sed quo magis id fuit conatus Perezius Pina, eo maiori cum stomacho ille respondit: Frustra profecto niteris, Perezi, dum me abire suades: constitui enim (diuinæ licet voluntati me totum permitto) nulla ratione hinc pedem referre; sed belli fortunam periclitari

etiam

etiam cum discrimine vitæ, hęc siquidem nunc, morte potius quam fuga redimenda est. Tunc equites, conglobato agmine, Regem in medio constituentes, animoseq; illius latera claudentes, sarracenos expectarunt. Verum illi, tametsi bis se ad inuadendum Regios composuerunt: tamen, aut quod insidias nostrorum timuerunt; aut quod agnito Rege Artalus eos auerterit; seu potius quod Berengarium Entensam appropinquare iam cum equitatu crediderint, pręlio abstinuerũt: paulatimq; inde digressi, per vallem Segoniam, se Almenaram contulerunt. Itaq; Berengario aduentante, eoq; comite, Rex Burrianã ingressus est; indeq; proxima nocte, traiecto Idubeda fluuio, qui Castulonẽ insigne eius Burrianensis planitiei oppidum alluit, secũs mare Oropesam ire perrexit: neq; tamẽ deterreri ab itinere potuit, tametsi intellexerit, Regulum quendam sarracenum nomine Auenlopezium, paucis ante horis, cœpisse vi præfectum Oropesæ in eius pineto mari proximo, & captiuum abduxisse. Sed nihilominus collectis in vnum se sequentibus, pinetum ingressus est, atque Oropesæ, quæ ordinis Hospitalium tunc erat, ea nocte conquiescens; sequenti die, Vldeconam, inde Dertosam venit, vbi paucis diebus fuit.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER XI.

INTEREA Iacobus de Enesiana arce, quam vrbi proximam, atque infestam reliquerat, vehementer sollicitus, curas omnes, & cogitationes in defendendam illam, eiusque terra, marique augendum pręsidium conferebat. Sciebat enim, post memorabilem illam Guillermi victoriam, Zaenem fuisse tantopere irritatum, tamque vehementi prouocatũ ira ad ipsam denuo euertendam, vt maiores in dies ad id copias pararet, atque subsidium etiam transmarinum breui, vt ferebatur, affuturũ expectaret: & subuerendũ etiam erat, ne reliqui sarraceni Hispanię Reges, gratiâ cõmunis tuendæ libertatis, cõtra Christianos, Zaeni tandẽ subsidio venirent. Quibus de caussis maturandam esse expeditionem considerans, cõuentus Cęsaraugustæ agi curauit, vt aperte diligenterq; cum Regni primoribus, & Ciuitatibus de accceleranda expeditione tractaret. Interim vniuersos proceres, & quos Barones dicunt, qui oppida, prædiaq; beneficiario iure à Regibus acceperant, quiq; honorariis stipendiis equestribus, ac etiam oppidis, & vrbibus donati erant; iussit, proximo Resurrectionis Dominicæ Paschate, ad Valentinum prosequendum bellum, cum armis præstò sibi ad Enesam esse. Itaque Cæsaraugustam ingredienti, continuo Ferdinandus, & qui Regii consilii erant, Blascus Alago, Simõ Verrea, Rodericus Lizana, Petrus Cornelius, qui Burriana venerat, Garsias Romæuus, & Ferdinãdus Assagra, aliiq; Regni Barones, ac legati Ciuitatum, magno cum comitatu adfuere; existimantes conuentus agi debere dies multos. Veruntamen vix octo elapsis, nuntius Enesa venit, quo Rex factus est certior de obitu Guillermi Ducis, auunculi, qui tot, tantisque in defendenda arce excubiis, vigiliisq;, ac belli laboribus fractus, tandem febri correptus interierat. Quo nuntio vehementer, ac supra quam dici potest, tristis & conturbatus Rex fuit; conquerens, se, vno die, & auunculum sui amantissimum, & ducem totius exercitus præstantissimum, tam commemoranda, propeq; cœlesti de Zaene reportata victoria decoratum, amisisse. eoque magis, quod nullus ei par armis, ac fidelitate, neque ad defendendam arcem, neque ad vrbis obsidionem prosequendam sibi relinqueretur. Quod intelligentes consiliarii, Regem consolandi gratia adierunt: idque tanto æquiore animo, quanto certius iam erat, eorum in Guillermum inuidiam, morte illius extinctam fuisse penitus, ex eaque, vt fieri solet, sequutum dolorẽ. Cumq; plurimum ab omnibus, cõmendato Guillermo, Regiaq; ei funeris iusta deberi sentientibus, de sufficiendo duce, deq; prosequẽdo bello ageretur: Ferdinandus cũ primis Regiorũ incœptorũ importunus semper interpellator,

in ea cum reliquis consiliariis sententia fuit; vt multis de caussis Enesæ arx desereretur, ab eaque exercitus deduceretur; ne is, amisso Guillermo Duce fortissimo, adeoque in profligandis Sarracenis hostibus exercitato, ab ipsis maiori cum multitudine reuenientibus, contrucidaretur. Ac insuper ad vitandos tot, tamque immodicos sumptus, qui in eam sustentandam fiebant; præcipue vero ad tollendam de medio occasionem, qua toties persona Regia incaute periclitari solebat; cum in tantum vitæ discrimen venisset cum sarracenis; vt sæpe quidem cum paucis, ac vel ex iniquo loco, illorum multitudinem aggredi non perhorresceret; timendumque esset, ne in illorum insidias aliquando incideret, indeque omnia illius Regna turbarentur. Quam Ferdinandi sententiam cum approbarent omnes, ac Regi ne ab ea dissentiret, quasi obstrepere velle viderentur: iratus ille vniuersos circumspectans, ac præclara magnanimitatis suæ signa tunc edens, respondit: se, incœptum præclarum, à quo nō antea destitisset, nunc minime intermissurum; ac neque deserturum vnquam arcem, cum à se exædificatam, tum suorum sanguine hactenus gloriosissime defensam; eoque minus, quod custodiæ assurgentis iam ibi templi sacratæ Virginis, cognomento Mercedis, eiusq; fratrum societati, fuerit dicata. Adduci prætereà loci, non opportunitate solum, sed existimatione, & opinione; cum in eo ingentes Valentinorum vires sui perhonorifice perfregerint; atque opinione hominum suas longe maiores in debellandis illis ostenderint: ac etiam quod ad premendam indies vrbem, eiusque consitum agrum depopulandum; talesque, ac tantas ex eo prædas capiendas, quibus exercitus affatim ali possit, nullum in toto Regno, eo ipso loco opportuniorem inuenerit. Proinde Regii honoris esse, arcem, & commeatu, & armis sustentare; & iustum in ea exercitum collocare: oportereque demum, non solum tueri parta, sed vlterius quoque progredi. Quæ cum dixisset, ardentibusque consiliarios inspectasset oculis; nemo amplius ausus est ei obsistere, neque repugnare. Apparuit nihilominus eo die, Valentinam expeditionem in magnum fuisse discrimen adductam; paruique honorem, & incœpta Regis à consiliariis habita, quorum ignauia & timiditas, nisi constantia & magnanimitate Regis victa fuisset bellum, hauddubie, non modo magna cum ignominia cessasset; verum ex illorum quoque sententia, Rex partis iam oppidis, atq; toto Regno excessisset. Quo maior est profecto Regum labes, in consultationibus, de sua sententia nihil, de aliena, omnia peragere; sibique persuadere, Regias res, qualicunque occasione oblata, melius alieno, quam suo posse consilio administrari; cum videantur quidem Reges diuinum quid cum sceptro hausisse; atque, quod Reges sint, præsagire posse, ac præuidere multa. Neque enim à sapiente frustra prædictum fuit, Regium cor diuina in manu versari: quod scilicet, regendi, moderandique Regis potestatem, quasi habenas quādā teneat diuina manus: eiusque ope fiat, vt suum cuique Regno adsit numen, vt auditis hinc inde sententiis, quid facto opus sit, Rex ipse vel contra aliorum mentem, deliberet. Cuiusmodi deliberandi vestigia, mire impressit Iacobus, cuius multas expeditiones bellicas, tametsi à cōsiliariis improbatas, damnatasq; sæpe quoque derisas, suo tamen consilio susceptas, atque diuino promotas, feliciter cessisse viderimus. Itaque solis ex vniuerso consilio Ferdinando Perezio Pina Aragonensi, & Bernardo Vitali Besalucho, Catalano, viris strenuis, atque vsu belli exercitatis, Regis sententiam approbantibus, Rex protinus cum iis, atque vno ex proceribus Simone Vrrea, necnon quinquaginta equitibus domesticis profectus, Enesam peruenit, ingressusque Aedem Virginis, locum vbi Guillermi cadauer erat repositum visit, eique acerbissime illachrimatus fuit; ac illud honorificentiori loco recondi iussit, quoad deferretur in cœnobium Scarpense ordinis Cisterciensis, quod in Catalonia non longe ab Ilerda, Sicori fluuio alluitur; vbi se ille sepeliri testamento iusserat. Postero die Bernardum Entensam Guillermi filium, annos natum vndecim, quem secum Rex habebat, atque amore, quo illius patrem prosequebatur, de more, militaris auctoramenti splendore, atque dignitate decorauit; ipsumque in omne territorium, & prædia, quibus pater fuerat potitus, succedere voluit. Deinde Berengario Entensæ Guillermi cognato, armis exercitatissimo, atque commemorandi illius Enesiani prælii socio, arcis totiusque exercitus præfectum, & Ducem constituit, eique socium adiunxit Guillermū Aguilonem, eiusdem quoque victoriæ consortem, cum cohortibus promagistrorum Templi & Hopitalis, ac etiam præfectorum Vclensis, & Calatrauæ ordinum, qui in præsidio antea ibi esse consueuerant; re frumentaria, commeatu, & armamentis necessariis exercitui in ver vsque proximum relictis; quo tempore Rex magno cum exercitu venturus erat, vrbem expugnaturus. Verum enim, vt primum rumor sparsus est Regem abiturum inde, neque tam citò rediturum, protinus bona præsidiorum pars commurmurans

murmuras de discessione cogitare cœpit. Nam ex equitibus, quadraginta numero conspirauerât, ac religioso cuidam Ilerdensis, dominicani instituti, Petro nomine, qui sacrá facturus, sequebatur exercitum, significarant se abeunte Rege & proceribus, quam primum euolaturos, & arcem deserturos. Id autem intelligens Petrus illico detulit ad Regem, qui quàm grauissimè tulit; iamque secum animo versans, derelicta Enesa, actum omnino esse de tota expeditione: statimque Sarracenos Burrianæ, & reliquæ à se debellatæ Regni gentes, Dertosam vsque, arma, donec amissa recuperarent, illaturos; seq; tantorum laborum & impensarum, magna cum ignominia iacturam facturum: ac quod intelligeret, quæ militum solet esse contumacia & insolentia, superuacaneum esse verbis, seu minis eos coercere velle; conuocari iussit omnem militum vtriusque armaturæ multitudinem in Ædem Virginis, vbi palam aram tenens sacramento contendit; se non derelicturum eos fines, ac neque Aragoniam versus, Turolium vsq; peruenturum; neq; in Cataloniam Vldeconæ fluuium traiecturum, donec prorsus vrbe Valentia esset potitus. Quod ne fictè agi putarent, quam primum Reginam cum sua recenter nata Iolante filiola, quę postea Regi Castellę nupsit, ad se perduci curauit. Quo Regis iureiurãdo cõfirmatus exercitus in præsidio mansit; ac sese deinde ei facilem, & fidelem exhibuit. Itaq; paucis post diebus venit Peninsulam, vt munitissimam eam regni arcem reuiseret; indeque Ferdinandum patruum Dertosam misit, vt Reginam cum filiola ad se deduceret. Quæ veniens Peninsulã, admirabili arcis situ valde delectata est, ac protinus Burrianam deducta, vbi eam Rex amœnitate, ac munitione loci cõfisus, manere voluit. Sed Regina Ferdinandi verbis persuasa, summa ope nitebatur Regem à Valentina expeditione deducere; difficultates permagnas, vt fuerat edocta, obiiciens; sed neque profecit hilum, neque Regem à proposito dimouere potuit; eaque Burrianæ relicta, ipse petiit Enesam. Interea Zaenes memor Enesiani prælii, quo ipse cum quadraginta millibus hominum à tam paruo Christianorum numero, vel absente Iacobo, fuit superatus; vidensq; indies copiis, ipsaque Regis præsentia, augeri contra se exercitum, adeoque Iacobum huic bello dare opera, vt modo illud conficeret, Nauarrense Regnũ, quod ei hæreditate debebatur, videretur contemnere; timere cœpit: atque idcirco cum eo agere decreuit: ac modo se, & vrbem à tam impendenti malo eriperet; qualibet etiam minus tolerabili conditione transigere tentauit. Quamobrem Sarracenum quendã, Aliabatanum dictũ, misit Enesam, qui secreto cum Ferdinando Diazio nobili Turolensi, Regis alumno, & Zaeni noto, de eiusmodi pacis conditionibus ageret; traditurum scilicet se Regia omnia Castella cum oppidis, quæ sita sunt inter Dertosanum, & Turolensem agrum, quã versus mare fluit Turia; quin & suis impensis exædificaturum Iacobo arcem in Saidia amœnissimo Valentiæ suburbano, Regio Iacobi firmandam præsidio; necnon Besantium X. M. tributi nomine quotannis persoluturũ; modo præsidia, quibus vrbem obsidebat, deduceret. Quibus conditionibus cum intelligeret Iacobus, nihil aliud quàm diem ex die duci à Zaene, simulatione quadam, vt interim & auxilia, quæ expectabantur venirent; Valentinique ab obsidione, quã pertinaciter perferre decreuerant, liberarentur; eas omnino reiecit. Quę res proceribus, quos hæc latebant, maximæ admirationi fuit, obiicientibus, Reges eius maiores similes conditiones pacis nunquam respuisse. Dum hæc Enesæ geruntur, Sarracenus quidã, Almenaræ præfectus, vnà cũ magnæ potentię oppidano, qui Zaenem oderat, & Abuzetii partes sequebatur, occultè cum Rege agebat de deditione oppidi, eiusq; arcis, quæ in eminentissimo monte sita erat; cumque ii duo oppidanos aliquot, qui Zaenem quoq; oderant, in suam sententiam pertraxissent; Regẽ Burrianæ conuenerunt: quò is sæpe veniebat Reginam inuisurus, eique ad certam diem se oppidum dedituros promiserunt. Regiis igitur eò, præstituta die, venientibus, illico traditum fuit oppidum; indeque, cùm arcem vnà cum oppidanis peterent, immania in eosdem saxa deuolui cœpta fuere. Verum animaduertentes qui in arce erant, oppidanos permistos Christianis, ac Regem in oppugnatione esse; illico se, cum arce Regi, seruatis pactis, dedidere. Simili quoq; pacto, & conditionibus tradita fuere Castella Vallis Vxonis, & Nulesium oppidum, Castellumque Alfandechi. Quæ cum propinqua essent Burrianæ, facilè vno præsidio defendi poterant. Vnde Iacobus rediit Enesam, atque post festum diem Resurrectionis dominicæ excurrentibus militibus in agrum Valentinũ, similibus quoque pactis arces Paternæ, Beteræ, & Bullæ, vrbi ad tertium vsque sitæ lapidem, sese tradidere. Itaq; omnibus propè Vrbem turribus, atque Castellis captis, non amplius oppida, castellave, sed ipsam vrbem Rex obsidere, atq; omnes eius aditus occludere vrbanis, sibiq; aperire instituit. In quo egregium illud magnanimitatis, opus Regis contemplari licet, qui Valentiam vrbem Regiam, peramplo mœniorum ambitu, atq; viribus

munitam;ac non solùm ciuium,sed totius Regni infinita propè multitudine,& copia rerum abundãtem,cum tam exiguo exercitu,& apparatu bellico, obsidere cœperit, vt vix vni expugnandę arci pares esse viderentur. Nam exercitus,qui ad Enesam egregiè vicerat: tam tenuis fuit, vt non excederet summam trecentorum sexaginta trium equitum: connumeratis Vgone Fulcalcherio Hospitalium magistro ,ac vno Templariorum, qui x x.equites sui ordinis ducebat:& quodam alio Alcanitii;præfecto, & alio ordinis Calatrauensis, & præterea Roderico Lizana cum x x x.equitibus ; Guilielmo Aguilone cum equitibus xv.Simone Perezio Tarasona præfecto equitum Regiorum c x x x x.& militibus Regiæ cohortis, quos Almugauares tum vocabant; in quibus tum erat robur exercitus,qui erant centũ quinquaginta. Sed de iis,quoniã in historia Regis sępe fit mẽtio, habebanturque omnium fidissimi,fortissimiq;,de eorum origine,ac bellandi arte, vsuq; viuendi,nonnulla dicamus,quæ partim ex Montanerio & aliis,partim coniectura accepimus. Dicebantur enim Almogauares,ex ipsa vi nominis à sarracenis impositi,scilicet à puluere,quasi quòd à rastris,& à gleba terræ ad militiã translati,puluerulenti essent; aut ab eo potius,quòd virtute & viribus præstantes,hostes protererent, atque, vt phrasis est Arabica,in puluerem redigerent. Sed neque veterani fuere,vt quidam existimarunt, cũ tyrones etiam inter eos essent;quin potius pedites quidam erãt robustissimi,pugnacissimique,ex montana & agresti,neruosaque & lacertosa iuuentute delecti,qui ruri nati,ac educati,agrique laboribus ab infantia assueti,in bello etiam, sub dio humi cubabant,frigorisque,perinde ac caloris,inediæ potissimum, patientissimi fiebant; quique vt rudes & imperiti,vtque & moribus,& ingenio feri, ac immanes,cùm sermone parci erãt, tum minime sese aliis, præterquam sui ordinis adiungebant; ideoque ad pugnam alacres & erecti prodibant. Quos vnus simplex,æstate,hyemeque, vestitus supra amiculũ tegebat; sparteo sæpe fune, ad renes restrictus: isq; ex thorace constans,& fœmoralibus,ocreisque & pera,ac etiã pileo ex animalium corio confectis,vnà cũ sacculo,qui vix vnius diei viaticum capiebat. Et qui non aliis,quàm quibus offenderent,armis protecti erant;hasta videlicet,gladio,& pugione,quibuscum in arenam descendentes, non pedestres modo acies,sed equestres impetus sustinere auderent:extrema siquidem hastæ parte humi defixa,& pede dextro firmata,cuspide verò in aduersum incurrentis equi pectus inclinata, equitis impetũ sustinere, ac parua quadã declinatione corporis effugere didicerant. Is enim eorum in præliis vsus erat,& in hoc tota cura incumbebant; vt sese equestri pugnæ immiscerent,atq; hostiles equos suffoderent,ac protinus deturbatos equites iugularent; primiq; omniũ expoliarẽt;indeq; diuites,ac emeriti,ad suos redirẽt: vereq; fuit aliquando à cataphractis Gallis,tempore Petri Regis Iacobi filii auditũ; se cataphractos Hispanos nihili pendere;pedites verò Almugauares supramodum timere. Illud quoq; verum est, Almugauares non modò pedestres acies,sed etiam equestres per se constituisse; atq; in exercitu Regis vtroque sub ordine militasse: strenuo quoq; pedite ex ipsis in equitem leuis armaturæ transeunte; ac neque minora, quam antea, roboris, bellicæque virtutis monumenta edente. Itaq; equitatus omnis ad 360. peditatus verò ad mille dumtaxat milites peruenerat. Cũ tã paucis igitur ausus est Iacobus obsidionẽ instituere,diuina in primis fretus Christi,eiusque Virginis matris ope,ac noua quoq; copiarum accessione,tam eorum qui ab vtroque Regno aduentabant,quàm multorum etiam auxiliariorum ex Aquitania, Anglia,& Italia,quos expectabat, atq;,vt dicemus, obsidione interfuere. Itaq; lustrato exercitu,eoq; armato satis,beneq; ad pugnandũ expedito, ac incitato, inuento, placuit iam tum in agrum inter mare & vrbem excurrere; sicque diluculo, militibus corpora curare iussis,Enessa profectus,secundùm littus,ad oppidulũ venit, quod in ipso littore situm ab vrbe distat bis mille passibus,Graum id nunc appellant,vbi apertum est mare,& statio male fida carinis:dictum quidem à gradu,propter latentes, & inæquales quosdam arenæ gradus, & quasi descensus in profundum; ideoque, concitato mari,ac tempestate exorta,naues nisi se inde in alios portus recipiant,in illos impingere, allidiq; soleant: fiunt autem eiusmodi gradus siue tumuli,congestu arenæ,quę Turię propinqui fluminis inundationibus collecta aceruatim subsidet,tantaq; est,vt idipsum oppidulum, quod tunc alluebatur mari,nũc ad sagittę iactũ ab eo disterminetur. Itaq; Rex trãsducto amnem vniuerso exercitu,ad casulas quasdam,vix vno milliari ab vrbe sitas,castra poni iussit,atq; figi tentoria,ibi vt esset,donec supplementum copiarum ex Catalonia & Aragonia accederet. Quo die magna sarracenorum turma equitum,exisse vrbe visa est,velleq; nostros ad pugnam excire:sed prohibuit Rex, ne quispiam ab statione sua, nisi dato signo,decederet;ac neque manus cùm hoste cõsereret, priusquam regio cognita ac explorata esset. Verũ postera die Almugauares;inscio Rege,summo mane,statione relicta,

Ruſſapham ſuburbanum amœniſſimum, vix quingentis paſſibus ab vrbe diſtans, petierunt, capere ipſum volentes. Quod Rex intelligens, reliquum exercitum in armis eſſe, eoque properare iuſſit; veritus ne è muro, viſo Almugauare, multitudo vrbanorum irrueret, & illum opprimeret; & certè in eo diſcrimine fuerunt Almugauares, vt, niſi Regis conſilio, iis ſubuentũ opportunè eſſet ſuę temeritatis pœnas daturi fuiſſent. Nam Zaenes illico, cum magna ſuorum parte, cum equitibus ſcilicet quadringentis, & peditum decem millibus aciem contra eos direxit. Ex quibus quadraginta pedites, ſeſe in agros fabas proferentes, aliquando ab exercitu auulſi immiſerunt; forte vt occaſioni eſſent, ad conſerendas manus, illas decerpentes. Quibus conſpectis, Raimundus Auellanus Hoſpitalarius præfectus Aliagæ oppidi in montanis locis, non longè à Turolio ſiti, quod etiam munitiſſima, ac perampla arce in monte locata nobilitatur; nec non Lopezius Lueſianus, impetum in eos quadraginta faciendum eſſe, & capiendos conſulebant; vt ex iis perdiſcerent Zaenis mentem, eiuſque militum numerum ad pugnandum: quibus aſſentiri Rex noluit; propterea quod exercitus nullum ſibi adhuc vallum tulerat, neque propugnaculum cõfecerat, quò ſe reciperet, ſi hoſtis ſuperior euaderet; ac etiam vereretur, agros à ſarracenis conſulto rigatos fuiſſe, eſſeque periculoſum, in lubrico ſolo, paucos contra multos inire pugnam, & receſſum ab ea difficilem, tot interpoſitis riuis, qui peditibus ſimul, & equitibus, magno impedimento eſſent. Quo toto die vterque exercitus, ad ſagittæ iactum in conſpectu fuit: neutro tamen neque ſignum, neque occaſione pugnæ alteri dante. Quinimmo Zaenes ſub ipſo noctis crepuſculo receptui canere iubens, in vrbẽ cũ ſuis regreſſus eſt. Iacobus vero ſeſe cũ exercitu in ſuburbanũ recepit; quod peramplũ erat, valloq; circunduci Rex fecerat, atq; in extremis vicis, lignis, ſtraguliſque obduci: deſtinauitque ex equitibus quinquaginta fidiſſimos, qui excubias ea nocte agerent. Verũ de cõmeatu, & cibariis exercitui cõparandis non magna cura erat; ſarracenis ipſis, ex ſuburbiis, vndique neceſſaria abunde in caſtra cõportantibus; præter ea, quæ mari quotidie Eneſa, & Burriana, tam ad frumentariam rẽ, quam ad armamenta, & conſtruendas machinas aſportabantur. At vero Zaenes, neque poſtero die, neque aliis quinque ſequentibus, ſe dedit in conſpectum: neq; vllũ pugnandi locũ fecit: demiratiq; fuere illũ permulti, ꝙ cũ eſſet ſtrenuus, ac bello exercitatus, tantiſque copiis Chriſtianos ſuperaret, à pugna tamẽ fœdè abſtineret: Sed reſcitum fuit, id nõ tam ignauia, quã metu ſuorum, quibus ſe non facilè credebat, feciſſe. Nam cũ eſſet tyrannus, viq; expulſo Abuzethio, vrbẽ cum Regno occupaſſet, multorũ Valentinorũ animos, maxime vero eorũ qui Abuzethii partes ſequebãtur, à ſe alienatos habebat; neque fidebat ipſis: quinimmo timebat, ne cõmiſſo prelio, inter confertos iam hoſtes, ipſe trucidaretur à ſuis, aut Iacobo viuus traderetur. Qua de cauſa ſeſe à pugna, quoad poterat continebat; ideoque pacto vrbem Iacobo, vt diximus, dedere tẽtauerat. Interea omnes fere vtriuſq; Regni Antiſtites Eccleſiarum, vt pote Cæſarauguſtanus, Turiaſonenſis, Oſcenſis, tum & Tarraconẽſis, Ilerdenſis, Dertoſanus, & Barcinonenſis; quanto quiſq; poterat cũ apparatu bellico, Regi adfuere. Magni quoque proceres, & Barones; ſinguli cum equitatu, aut peditatu fuere ſubſidio; necnon ex Caſtella plerique ex militaribus Vclenſis, & Calatrauenſis ordinibus præfecti, cum primoribus eorundem ordinum, Montalbanenſi, & Alcanitienſi in Aragonia, cũ bona equitum manu, in caſtra venerunt. Adhæc ciuitates Turoliũ, Daroca, Turiaſo, Calataiubium, Cæſarauguſta, Oſca, Ilerda, Dertoſa, & Barcino, ſingulæ, æmulatione quadam, quanto maiori apparatu poterant, ad hoc ſacrum bellũ accedebãt. Quin & Antiſtes Narbonenſis, Petrus Aimillus nobiliſſimus Aquitanus, cum equitibus quadraginta, & ſexcentis peditibus eò venit, gratiſſimusque Regi fuit. Is enim ſingula quorumque Aragoniæ, atque Catalonię procerum ſubſidia ſuperauit. Affuere quoque alii ex Gallia, Anglia, & Italia magnates, qui fama Regis, huiusque ſacri belli opinione commoti venerunt. Nam ex hiſtoriis Anglorum deprehenditur, illorũ Regem Henricũ tertium, magnam militum manum in hoc bellum miſiſſe; idẽque comprobatur de Frãcis. Vnde augeſcẽtes indies exercitu, iam nõ in ſuburbano conſiſtere: ſed appropinquare vrbi, eandemque cominus Regii cœperunt obſidere. Ex quo irruptiones, quæ in noſtros antea fieri ſolebant, & leuia prælia, quæ magno ſarracenorum malo cõmittebantur decreſcentibus quotidie illorũ viribus, noſtris autẽ accreſcentibus, ceſſarunt, ſeque illi ad miſerabiles obſidionis ærumnas tolerandas in vrbem compulerunt. Itaque ex omnibus vtriuſque Regni ciuitatibus aduenientia auxilia, quo tardius acceſſerant, eo verſus vrbem, ordine propinquius collocabãtur. Siquidẽ Barcinonenſes, qui mari cũ maximo armorũ apparatu, & machinis vltimi venerant, in ſtatione vrbi propinquiore locati fuere. Quibus ita vrbẽ obſidentibus, magna fuit diſceptatio inter proceres, atq; militaris

disciplinæ peritiores, de commodiore loco exercitus ad vrbem oppugnandam: quod ea, præ eius ambitu, minime posset ab exercitu, qui tunc erat, tota obsideri. Erat quippe vrbs in plano posita, fereq; rotunda, milliario paulò plus ambitu circumducta, atq; præter alias, quatuor maioribus portis patebat. Prima Boatellana dicta, inter meridiem & occasum posita; altera Baldina à læua in dextram, ad septentriones obiecta. Tertia ortum Solis, sub magna & præclara turri, respiciebat, quæ Templi nunc quoque dicitur, ob palatium, & paruam Virginis ædem, ibidem à Templariis exædificatam. Quarta versus meridiem Xareana; inter quam & Boatellanam, in medio fiebat muri angulus ad meridiem exporrectus, qui turri magna (vbi nunc est percelebris Academia) compingitur, ac versus mare prominet, in eam partem, vbi posita erant castra: atque ob magnam inter vtrãque portam, distantiam, nullis interpositis turribus, desertior erat illa pars muri, neque defensioni commoda. Itaque varie de oppugnationis loco contendentibus: in primis Narbonensis Antistes, oppugnationem & machinas, in portam Boatellanam intendendas esse dicebat; propterea quod oppugnantibus facilius esset ligneas portas, quàm saxeum murum quatere, ac demoliri, atque eruptiones hostium, in ipso statim egressu præoccupare, quàm alibi insperato ab eisdem castra oppugnari. In quam sententiam cum fere omnes inclinarent, contra Rex rationibus validioribus vniuersos in suam pertraxit; ostendens commodius oppugnari posse eam partem muri angularem, quam Boatellanam portam: tum quod pars illa desertior esset, atque à portis vtrinque remotior; ex quo nullæ fieri poterant subitæ, atque insperatæ ex vrbe in machinas & cuniculos eruptiones, quin multo ante ab exploratoribus detegerentur, & præcauerentur: tum quod nullis ea ipsa muri pars muniretur turribus, ex quibus, non in rectum modo, sed oblique, sagittæ etiam, aliæque machinæ in nostros contorquerentur; cum ab exporrecto angulo diuidi ipsos à sese propugnatores necesse esset, atque impediri, ne plures vtrinque essent, neve distracti in suam quisq; partem, alterna sibi inuicem subsidia afferre possent. Insuper cum exercitus esset ea parte mari propinquior, fore subinde, vt cõmeatus, & necessaria, quæ ab eo adducebantur in castra, tutius defendi possent, ne ab erumpentibus interciperentur. Demum inde etiam melius impediri posse, ne transmarina subsidia, quæ ab vrbanis expectabantur, cum eis coniungerentur. Quibus de causis omnium consensu conclusum fuit, vt ea parte vrbis, quæ visa Regi fuerat, oppugnatio inciperetur. Cui rei protinus ab omnibus diligentissime nauata est opera; atque fundibulares machinæ admotæ, præeũtibus testudinibus, quarum vsus in obsidione vrbis maioris Balearium feliciter cesserat; protegendas illas à frequentissimis ballistarum, aliorumque tormentorum è muro ictibus; quoad paulatim ducto vallo, ad fossam vsque vrbis perductæ fuere. Vnde fossa illico lignis, sarmentis, lapidibus, atque omni congesta materia oppleta, & æquata solo est, atque virtute & industria Ilerdensium quorundam militum, admotæ quoque testudines muro fuere, isque vectibus, malleisque ferreis tribus locis perterebratus, quoad vni, aut alteri militi fuit aditus patefactus. Idq; cum tanta animi contentione, diligentia, & æmulatione Ilerdensium confectum, vt modo præsenti Regi placerent, pericula, & hostes nihilipendere viderentur. Dum hæc in vrbis obsidione fiunt, Petrus Fernandus Aflagra, & Simon Vrrea, cum equitatu suo, & quattuor peditum cohortibus, duabus etiam sumptis machinis, Cilliam oppidum petierunt, quinto ab vrbe milliario distans contra portã Boatellanã: quod etiã stagno magno adiacet ab Arabibus Albufera, de quo dicemus, nuncupato. Vbi positis machinis ad lapidum emissionem, magna vi vndique oppugnari illud cœpit. Quod sane ab oppidanis, diebus octo, vrbani spe auxilii, validissime fuit defensum, quibus exactis, suaque spe deiecti oppidani, iis cõditionibus, ne diriperentur, neque oppido pellerentur, persolutis obsessionis impensis, atque spõte oblato tributo, Regi, eiusque Ducibus se dediderunt: deque eo statim nuntius allatus est Regi lætus. Interim accurrentibus vrbanis in eam partem muri, quæ fuerat perforata, aggere, & tabulatis paries refectus est, atque varia constipatus materia: tota quippe vrbanorum multitudo in eam partem protegendam incubuit; eoque valẽtius vtrinque pugnatum est. Sed quamquam vrbanorum magna erat vis, mireque intenta ad demoliendas machinas; non tamen moueri hæ loco, neque repelli potuere. Interea Afri Tunetani cum classe duodecim longarum nauium, & aliarum sex actuariarum, quas vulgo Zabras appellant, ab eorum Rege missi, ad Valentinam oram appulerunt, atque è regione Gradus oppiduli in anchoris substiterunt; vt Zaeni, & obsessis animos adderent, nostrisque imminuerent. De quo ab speculatoribus maritimis, qui ad Gradum excubabant, media nocte certior Rex factus, protinus cum quinquaginta equitibus, & peditibus ducentis, mare versus properauit, atque peditatu in insidiis inter arbusta mari

proxima

proxima poſito, cum equitatu procul ſpeculabatur; ſi fortè ex claſſe illi in terrã deſcẽderent, vt eos ex improuiſo adoriretur. ſimulq; Tarraconẽ, & Dertoſam nuncios miſit, qui claſſis aduentum ſignificarent, eſſentque in promptu cum claſſe Regia, ad loca maritima defendẽda. Itaq; noctu claſſis ignibus, & ingenti ſonitu tympanorum, & clangore tubarum, aduentus ſui notitiam fecit Valentinis: qui protinus ſonitum, atq; ignes percipiẽtes, ac Tunetanos illos eſſe cum colligentes; tũ ſe eo ſubſidio poſſe ab obſidione liberari cõfidentes, magno perfuſi gaudio, vt noſtris terrori quoque eſſent, ſimilib. ignitis facibus, atq; tympanorum & tubarum ſonis, Tunetanis reſponderunt; obedientiæ ſigna Tunetano Regi, tanquam verò domino, atque patriæ liberatori ſe in eo dare ſignificãtes. Quæ omnia contemplatus Iacobus, ſimilia in caſtris fieri, totaque nocte, ignes, & lumina præferri, ac circunduci iuſſit; vt etiam vrbanis innoteſceret, obſeſſores ignaros non eſſe trãſmarini auxilii, ac neque eius aduentu terreri. Ferunt ea nocte, in caſtris parua quædam tormenta ignea, in modum æneorum, dipalmi longitudine, inuenta fuiſſe, ex quadruplicibus papyraceis, ſiue membranaceis chartis, oreque anguſto confecta. Quæ ſulfureo puluere plena, iuncíſque alligata, vt primum ſuccenſa proiiciebantur, vſqueadeò radiantis, atque cum ſtridore erumpentis vi ignis, efferebantur in altum, vt qua irent, halonum, caprarum ve, ſeu crinitorum potius Cometarum inſtar phænomenum, viam inflammarent: quæq; eouſq; coruſcarent, donec ruptis eodem impetu chartis, in horriſona tonitrua deſinerent. Quibus ignitis prope monſtris (vulgò cohetes, ſeu verius cometes appellabantur) in vrbem ſupra muros iniectis, vrbanos mirè conterritos fuiſſe atq; malè ſibi ominantis auſpicii loco illa habuiſſe, fama tulit. Indeque fuit vrbe capta, hucuſque ſeruatum, vt pridie diei feſti beati Dionyſii Areopagitæ, veſperi, huius noctis, qua Tunetana auxilia propulſata fuerunt, memoria eiuſmodi ignitis facibus, & cometis, cum magno tintinnabulorum, ac tympanorum ſonitu, clangoreque tubarum celebraretur. Itaq; vrbanorum ſpes ſubſidii, quæ Tunetanorum oſtentatione tantopere erecta fuerat, ſolertia Regis, ne ſeſe cũ vrbanis coniungerẽt, quãprimum abiecta fuit; atq; illorũ ſubito diſceſſu euanuit. Quippe qui poſt biduũ, ex quo appulerant, littora relegẽtes, Peninſulam venerunt, in ipſamq; è nauib. deſcẽdentes, vt primum adoriri incipiunt, ab oppidanis illico, Ferdinãdo Perezio Pina, & Fernando Ahoneſio ducibus, & arcis præfectis, reiecti fuerunt, atque in naues regredi compulſi. Poſt verò à Dertoſanis, & Tarraconenſibus, qui mandato Regis fuerant cum claſſe præſtò, terra, mariq; repulſi ſunt, & decem & ſeptem ex eis occiſi. Vnde Tunetani mutata velificatione, in altum prouecti, non amplius viſi ſunt. Quibus peractis, libero mari nauigantes Dertoſani; re frumentaria, atque omni commeatu, & cibariis caſtra replerunt. Creuerat autem exercitus, ac bellatorum numerus eouſque, vt equites vtriuſque armaturæ mille fuerint; pedites verò ſexaginta mille; ac nihilominus, tanta erat rerum in caſtris affluentia, quanta in optima Republica beneq; morata ciuitate vſquam potuiſſet inueniri. Quamobrem oppugnatio inferebatur tormentis, atque machinis, die ac nocte, muros quatientibus, ac etiam vrbanis in Regios, ad eos à continua oppugnatione diuertendos, irrumpentibus; nihilque vtrinque intentatum relinquentibus, quod aut oppugnationi, aut propugnationi eſſet neceſſarium. ſed factũ eſt, vt ex noſtris centum equites, qui in erumpentes impetũ fecerãt, ac per portam eos Xereanam, quæ fuerat à cuſtodibus derelicta, in vrbem compulerant, cum illis permiſti in illam irruperint; ac quindecim interemptis Sarracenis, incolumes in caſtra redierint. Poſtridie idipſum tentarunt Aquitani Narbonenſis Antiſtitis, Sarracenorum pugnandi vſus ignari; quorum mos eſt primò, magna cum vociferatione impetum in hoſtes facere; deinde ſubitò, quaſi terga vertentes, ſe recipere, vt irruentes in ſe hoſtes, aut in inſidias deducant, aut ſeſe demum in alas, atque in orbem extendentes, illos circumcludant. Vnde Aquitani eos tanquam fugientes inſecuti, muro appropinquantes, infinitis fuere ſagittis confixi, magnoque accepto damno in caſtra reuerſi. Ac non multò poſt, repẽtinis frequentatis eruptionibus, forte dum ab exercitu noſtro Sarraceni in vrbem compelluntur, atq; Iacobus ſuos ne ardore pugnæ admiſti hoſtibus, ſeſe in vrbẽ immitterẽt, remoratur, muro appropinquans; ſagitta ictus in frõte vulnꝰ accepit, nõ admodũ periculoſum: tãetſi neceſſe ei fuerit, ſeſe in tabernaculũ recipere: ibiq; ſe continere diebus aliquot, propter conſecutum ex vulnere faciei tumorem, eoq; aſpectu impeditũ oculum. Sed poſt diẽ quintum conualeſcẽs, minime ſe continere potuit, quin prodiret in publicum, vt & ſuis animos adderet; & hoſtibus ob illatum vulnus elatis, detraheret: nihil enim ei magis in deliciis erat, quàm cum commilitonibus ſuis (eo enim loco ſtrenuiſſimum quenque militem habebat) verſari: vſqueadeò aſſuetus armis erat, atque vt magnanimus, vtq; perdiligens, ſic omnibus militaribus functio-

nibus ſeſe immiſcebat; vt non ſummi modo Imperatoris, ſed gregarii quoq; militis munus impleret: perſæpeque acciderit ad ſubitum, repentinumq; armorum ſtrepitũ, vt noctu è lecto conſurgens, arma, & militare ſagum ſupra interulã indueret, arripienſque gladium, cui Tiſo nomen erat, Montione miſſus, qui fortiſſimus habebatur, in hoſtes irrueret. Interea Petrus Cornelius, & Simon Vrrea, aliquid ſe dignum edere cupientes, inſcio Rege, aliiſq; proceribus conuenientes, turrim quandam portæ Boatellanæ proximã oppugnare ſtatuerunt: in eamque ad tertium diem, de tertia vigilia ſurgẽtes, iuncta ſuorum cohorte, impetum fecerunt: ſed qui propugnabant Sarraceni, quãuis numero pauci, tamen oportunitate loci, atque telorum copia, eatenus ſe, turrimq; validiſſimè defenderunt, quoad ſubitò aperta porta illa, tantus erupit Sarracenorum numerus, vt proceres cum ſuis, accepto damno, ab oppugnatione ceſſerint; quod iniquiſſimè Rex tulit, non tã ob acceptum damnum (id enim illos commeruiſſe dicebat) quàm quòd iniuſſu ſuo, turrim aggreſſi fuerint: ſtatuitq; vt poſtero die turris oppugnaretur. Quare diluculo cũ equitibus ducẽtis, & quatuor peditum cohortibus, tũ vna ex machinis, concurſu facto, atque ſagittariis incomparentes propugnatores intẽtis, turris concuti cœpta fuit: quæ adeo omni ex parte munita erat, vt vniuerſo ferè exercitu oppugnãte illã, à decem tantummodo præſidiariis militib. defenderetur. Ex quò elato illi animo vſqueadeo atque ſecuro erãt, vt & noſtros deriderent, & ſocios, qui ſe adiuuarent, nullos admitterent, quinimo in noſtros, qui ad deditionẽ eos inuitabant, intentius collinearẽt. Quamobrẽ ignita naptha à Regiis immiſſa, obuia quæq; corripiens, magnum excitauit incendium, quo turris vſqueadeò ardere cœpit, vt tota cum propugnatoribus, quos ingẽs ſublatus fumus ſuffocauerat, combuſta corruerit; tanta celeritate flãmæ, vt omnẽ ſociorum diligentiã & opem præuerterit. Quapropter vrbani videntes, ſe, omni defenſione, auxilioq; deſtitutos, atque commeatum & alimenta deficere; cum nullas ea æſtate fruges collegiſſent (fuerat enim eorum ager ab exercitu, antequam eſſent maturæ illæ vaſtatus) in deditionem omnes inclinarunt: ad eamque Zaeni perſuadendam mittere vrbis primarios; aut ſi renueret, ipſum cogere, ſtatuerunt. Per id tẽporis cùm Iacobi fama, eiuſque geſtarum rerum gloria vniuerſum orbem peruagaretur, atq; optimi, & bellicoſiſſimi Imperatoris nomine celebraretur, ſuperiorque potentia, & armis cæteris Chriſtianis Regib. haberetur, ab Italis olim orbis domitoribus, ipſoque ſummo capite ac Romanæ vrbis Rectore accerſitus eſt, vt afflictæ tandem, propeque proſtratæ Italiæ, maximè verò ſacroſanctæ Romanæ Sedi, opem ferret: quas Federicus Imperator eo tempore, iniquo bello, & contumeliis, ſumma cum impietate affligebat, multiſque calamitatibus, & cladibus perſequebatur atrociſſimum Cremonenſi, Mantuanæ, & Ticinenſi, nobiliſſimis ciuitatibus bellum inferẽs, quo Italia omnis concuſſa erat, totiq; interminatus ille fuerat, ſe ſub acerbiſſimum eã miſſurum iugum. Ad quã rem ſuſcipiendam ſæpius à Gregorio IX. Pont. Max. rogatus eſt Iacobus, Federicum impium omnino eſſe, atque anathemate dignum, doctus: propterea quod nõ modo in ſuam matrem Eccleſiam, & Chriſti ſacerdotes conſpirauerat, ſed vt ſæuus & inhumanus in Henricum natu maiorem filium, Iacobi conſobrinum, ad Regnum Germaniæ adſcitum, manus iniecerat, ipſumque in carcerem intruſerat: ac propterea quod Põtificias partes foueret, non ſolum Regno, ſed vita priuauerat. Vnde Mediolanenſis, Bononienſis, & Placentina, præſtantiſſimæ Italiæ ciuitates, quib. eiuſmodi bellum iam imminebat, legatos cum literis Pontificiis ad Iacobum miſerunt, qui ſummis precibus ab eo peterent, vt Eccleſiæ ſacroſanctæ, atque vniuerſæ Italiæ, quibus ab impio tyranno vltimum excidium parabatur, ſubueniret; Eccleſiaſticique præcipuè ordinis, & Imperii tutelam ſuſciperet. In eius autem expeditionis ſumptus CL. millium librarum Imperialium (ſic loquebantur) & in ſingulos annos, iura atq; annuos redditus, qui Imperatorib. in Ciſalpina Gallia pẽdebantur, promittebãt: ſeq; patroni, defenſoris, ac gubernatoris loco ipſum; Romanã verò Eccleſiam, protectoris habituram; ac totam demum Italiam, patris, patriæq; liberatoris nomine perpetuò donaturam. Legatis auditis, atque magnificè exceptis, dum reſpondere parat, eos deduci iuſſit per caſtra; ipſe vero conuocato conſilio, ex Regina fœmina prudẽtiſſima, & Oſcẽſi, Cæſarauguſtano, Vicẽſi, & Segobricenſi Antiſtitibus, vna cum Tẽplario, & Hoſpitali promagiſtris, aliiſque Aragonenſibus & Catalanis proceribus, propoſuit quam breuiſſimè. Expeditionem Italicam offerri ſibi, quo tempore in Valentina oppugnatione eſſet: proinde vtram vtri præferret, ab ipſis expoſcere. De quã re ardua ſanè, difficilique, poſtquam in vtramque partem ſatis diſputatum eſt; tandem communi omnium ſententia deliberatum fuit, ne fauenti, aſpirantiſque fortunæ, atque ad permagnas, & grauiſſimas res bene gerendas ſeſe offerenti deeſſet; diuini quippe eſſe numinis, ad tantum negotium vocari, quo & Eccleſiæ ſanctæ ſubueniret; &

Italiæ succurreret, vt Catholici Regis inde nomen tantopere à maioribus suis expetitum, ipse forti dextra acquireret. Valentinas enim res, in eas esse angustias adductas, vt cum tanto exercitu, facilè possent earum intra paucos dies potiri; atq; conduplicato victoris nomine Italicam expeditionem obire. Quæ deliberatio cũ Regis magnanimitate valde conueniens, rem eò deduxit: vt in ipsis castris Rex cum Legatis pacisceretur. Atq; in primis, ipse recepit, se in Italiam duo millia equitum ex nobilitate delectorum bellico cum apparatu transmissurum; & in Lombardia, Marcha, Treuisana, aut Romandiola, vt petebatur, bellum cum Federico Imperatore, eumque sequentibus ciuitatibus, vsque ad internecionem gesturum. Quibus rebus constitutis, Legati, qui Regias res, & potentiam longè esse maiores fama apprimè recognouerant; atque Regis erga se liberalitatem experti fuerant, læti cum illius mandatis in Italiam reuertuntur. Verum non multò post, aut versutia & calliditate Federici, qui aduentum Iacobi extimescens, cum Pontifice, vel fictè in gratiam redierit: aut quòd ciuitates lentius, multoque remissius in apparando bello se gesserint; vel potius, quod minimè diuini numinis fuerit; vt pro subeundo, & sustinendo alieno bello, id, quod domi gerebat, desereret, & Regnorum res turbarentur; iccirco cùm ab illo abstinuit, tum Valentinum felicissimè confecit. Itaque Septembri mense cum esset in iugo Sol, iamq; non vna parte tantum; sed crescente exercitu, vndique obsessa vrbs, non fame solum, sed armorum inopia vehementer premeretur: ac neque à transmarinis, neq; à propinquis Murciensiũ, & Almeriensiũ Regib', vlla auxilii spes Zaeni relicta esset; de deditione cũ Iacobo agere decreuerit. Quare Halialbatanum nobilissimum Sarracenum ad eum misit; qui secretò Zaenis mentē, & pacta, quibus erat vrbem traditurus, exposuit; tametsi qualia ea fuerint nemini tunc cōmunicandum Rex duxit; sed legatum protinus in vrbē remisit, quo ingresso, statim Abulamatetus Regulus, Zaenis sororis filius, in castra venit; quem iussu Regis, Nunnius Sanctius, & Raimundus Berengarius Agerensis, procerum primi, in ipso vrbis egressu exceperunt, atque dum ad Regem deducitur, ecce duo Sarraceni equites (ne omnino ex obsessione succubuisse animo vrbani, atque viribus concidisse putarentur) vrbe exeuntes, intentis hastis, atque exultantibus equis, ad Regia vsque tabernacula decurrere, duos ex nostris ad singulare certamen prouocantes; cumque illico plerique sese ad illud accingerent, Simon Perezius Tarassona Regis domesticus nobilissimus, ab eo petiit, vt sibi atque alteri nobili socio daretur, cum prouocatoribus in certamen descendere: quod Rex prohibere voluit, Simoni obiiciens peccata, & vitia quædam, quorum fœditate, & pondere pressus ab ephippio excussus, hauddubiè, succumberet: sed eo factus importunior Simon exire permissus est; quare infestis hastis concurrentes, ictu Sarraceni Simon præceps est datus. At verò Sarracenus alter, cum nobilem Petrum Clarianam Catalanum à Rege aduersarium illi assignatum, alacriter irruentem, contento cursu peteret, media in arena, equum in ciuitatem flexit, ictumque vitauit: tanta celeritate, vt fugientem, & flumen transgressum, frustrà fuerit insequutus Clariana. Itaque Abuamatus, qui certamen spectaturus substiterat, iuncto sibi Sarraceno victore, atque Nunnio & Raimundo comitantibus, in castra venit, à Regeque honorificè exceptus fuit, ac dimissis foras omnibus Antistitibus, & proceribus, soli ambo, Regina tantùm præsente, per interpretem, inter se egerunt; multisque vtrinque deditionis propositis conditionibus, quarum etiam Zaen factus est certior; tandem vrbem & arces, oppidaque cis Sucronem (quamuis pleraque iam Rex ceperat) Regi se traditurum, ea conditone spopondit Zaen; vt vrbani incolumes, auro, argento, armis, bonisque exportatis, Cullarim, & Dianium oppida deducerentur: vtque post quintum diem exire inciperent. Placuere Regi, & Reginæ conditiones: ac statim Rex, conuocatis Antistitibus, & vniuersis proceribus, tradi sibi vrbem, quibus dictum est pactis, & conditionibus significauit. Quæ cùm à Nunnio, Vrrea, Assagra, & Cornelio audita fuere, mirè inter se fremere, atque immutato vultu, animo conturbari cœperunt: aut quòd dum ageretur de conditionibus deditionis, eos Rex non conuocarit: aut quòd vniuersus exercitus tantà prædæ, atque direptionis spe fraudaretur. Vnde commurmurantes, de præcipiti, peneque inuidiosa Regis deliberatione conqueri cœpere: obiicientes oppugnationem, & prædam Balearicæ vrbis: quòd ea, cùm non amplius, quàm mensibus quatuordecim absoluta fuisset; tamē direptionis potestate facta, milites locupletissima onusti præda abiere: At verò quòd in Valentina, in qua annos quinq; exegerant, tot tantosq; simul in expugnanda vrbe labores impenderant, qui sola direptione vrbis compensari poterant, ea defraudati fuissent: non vt illiberale modò, & iniustum: sed iniurium, atque ab veteri Regis liberalitate alienissimum, & tanquam indignissimum

damnabant. Sunt autem qui ſcribunt, hæc ad Regis aures perueniſſe, ipſumque ſtatim aduocaſſe ad ſe Nunnium, & eos, qui comparatione Balearicæ direptionis, Valentinam multo magis deberi militibus aſſerebant. Ad quos Rex, Admirari, inquit, ſatis non poſſum, iniquum veſtrum, ac præpoſterum iudicium; qui Balearicam expeditionem, eiuſque direptæ vrbis occaſionem, cum Valentina conferatis; ſimilibuſque rationibus vtramque niti velitis. Nam etſi quinquennio, & eo plus Valentina oppugnatio confecta fuit; Balearica verò menſibus duntaxat quatuordecim: adeò tamen hæc, & periculoſa & difficilis, atque laborioſa, & ſanguinaria euaſit (Guillermo Benearnenſi Comite, & Raimundo Moncada, cum aliis decem Moncadis principibus viris, à Sarracenis interemptis) vt neque horum, qui totius exercitus primates erant, effuſus ſanguis; neque qui mortuorum familiæ & clientelæ fuerant, permiſerint, ipſos inultos relinqui. Verum in Valentina, tam Regni, quàm vrbis expeditione, vix vnum quidem ex vniuerſis proceribus interiſſe conſpexiſtis: ſed in congreſſionibus, & eruptionibus, Chriſtianos Sarracenis longè ſuperiores ſemper fuiſſe: atque Eneſiano prælio, nõ modò paucos de tam multis triumphaſſe; ſed parta etiam victoria prædam & ſpolia ampliſſima, locupletiſſimaque à deuictis reportaſſe comperiſtis. Quæ ſi cum tot, tamque frequentibus Valentini agri vaſtationibus, & direptionibus, quas Chriſtiani fecerunt, coniungatis; facilè profectò, quamlibet opimam vrbis direptionem exæquaſſe intelligetis. Adhæc, ipſa aggreſſio, atque direptio vrbis, vbi adhuc militum triginta millia ſunt, adeóne à periculo immunis futura eſt, & vt ſine noſtrorum ſanguine, & lamentis, ſineque multorum interitu bonorum confici poſſit? Quòd ſi obiicitis, ſufficere incolumes illos dimittere; id, aut dabitis illorum inuicto animo, qui ſine vita citius, quàm ſine re diſcedere cogitant; aut noſtræ potius liberalitati, ac clementiæ; nam vacuos, & ſine re, dimittere, nonne tacita eſſet eos morte, quam fert inopia damnare? Satis ergo prædę loco ceſſurum ſperate, tum ditiones, ac potentatus, toto Regno proceribus diuidendos; tum prędia & ſuburbana, præcipuis belli adminiſtris à decurione ad ipſos vſque duces exercitus diſtribuenda; tum proprias quoque domos militibus viritim in tam excellenti vrbe tradendas. Qua Regis oratione Nunnius, aliique proceres, cum vniuerſo exercitu pacati, ſe denuo ad ipſius imperata exequenda paratiſſimos eſſe reſponderunt: fuereq; nonnulli, qui Regis verbis ac promiſſionib. excitati, ab eo petiere, pro laboribus, totque impenſis in bello factis, tantundem, vrbe capta, ratione mercedis aſſignari ſibi ex prędiis, in eorum diuiſione facienda. quibus Rex liberaliſſimè conceſſit petita, atque diplomate obſignauit. At verò hæ donationes, tot, tantæque fuerunt, vt poſtea in diuiſione agrorum, controuerſias, & lites quamplurimas, vt dicemus, mouerint. Poſtero die, vt pactionis ordo cunctis innoteſceret: atque auidæ militum manus à direptione continerentur: conuentum fuit, vt miſſo in vrbem vexillo Iacobi, præſtituta hora inſequentis diei, vrbani illud, in ſignum deditionis, in præcelſa turri, quæ ſupra portam templi ſita eſt, extollerent. Fuit enim eo die, nouum à Rege inſigne datum, atque in ſummo vexillo Regio collocari iuſſum, argentei ſcilicet veſpertilionis ſimulachrum. Cuius quidem inſignis, eiuſq; propoſiti cauſam, tametſi neq; in cõmentariis Regis, neq; apud ſcriptores alios plene expreſſam inuenimus: tamẽ ex ipſius veſpertilionis natura, cũ Regiis comparata factis, ſic inueſtigandã, atq; ad Regis mentẽ accommodãdam duximus. Eſt ſiquidem veſpertilio, auis, quam vulgò quoq; murem pẽnatum, aut cæcum appellant, ab eo dicta, quòd lucis impatiẽs, ſub veſpertinũ modò crepuſculum volare incipiat, & duabus mẽbranaceis, vt inquit Plinius, pinnis connitatur: & geminos filios pariat: & mãmis lacte nutriat, atq; vtrumq; amplexa, ſecum, quo vult deportet: quin & dentes etiam excarnificandis culicib. exertos habet: hamatiſq; ac vncinatis manibus rapit, tenetque rapta mordicus, ac licet aſpectum præfert horribilem, in vnam tamen lenem, atque longam definit coxendicem. Ad quem ſanè modum Rex oppugnationi vrbis intentus, viſus eſt in tenebris veſpertilionis more volare: dum ſecretò, nec conſultis ſuis, de deditione vrbis cum Zaene egit, eaque non antea, quàm perfecta, diuulgata fuit. Vnde vt veſpertilioni non pennæ leues, præpeteſuè, ſed membranaceæ, graues videlicet, & ponderoſæ ad volandum datæ ſunt: ſic in exequendis conſiliis Rex, & peragẽdis negotiis, ſe, non ſubitum, ac præcipitem, ſed grauẽ & maturum præbuit: quiq; & geminos, quos progenuit filios, Petrum & Iacobum circumquaque ſecum belligerans deportauit: vt paterno ſuo illos exẽplo & gloria, quaſi lacte enutriret: vel potius, quòd per id temporis, duo potẽtiſſima ſtrenuè debellata Regna, Balearicum, & Valẽtinum, quaſi gemellos pepererit: eaque dum perpetuò circumcurſat, ſuoq; ſanguine & armis protegit, tanquam lacte nutriuit: quódque iiſdem armis, quaſi dentibus, non tam in Chriſtianos, quàm in ipſos Chriſtianorum culices, & torto-
res

res sarracenos,assiduè vsus fuerit. Exquo hamatas, ac vncinatas manus ad capiendum, oppugnandumque,& capta retinendum,semper habuit:quoniā quæ semel bello Regna cepit,mordicus atq;tenacissimè conseruauit:ac neque ex partis,neque ex successione sibi relictis ditionibus,quicquam vnquam amisit.Quin etiam cum & aspectu,& moribus facilis,ac conspiciēdus esset, hostibus tamen vsqueadeo horribilis ac formidolosus erat: vt viso eo,vel audito modò eius nomine,omnes contremiscerent. Deniq; qui more vespertilionis,in longam,lenem,atque attrectabilem coxēdicem desineret;prælongam scilicet,atque immortalem sui gloriosi nominis,ac famæ memoriam: quam non asperam, disparilemve, sed æquabilem, suique semper similem, omnibus superioribus Regibus contrectandam atque imitandam reliquerit.Cum igitur illuxisset dies, Rex è Regia domo,quæ magnificentissimo extructa opere, extra vrbem nunc quoq; extat, atque ab ea sagittæ iactu distat,in campum exiens,quo vniuersus exercitus,quasi ad pugnam conuenerat,ad præterfluentis fluminis ripam è regione turris substitit:ac dum in eam oculos& mētem defigit;ecce Iacobi vexillum in ipsa,in deditionis signum, ab vrbanis elatum est: quod vt primum Rex vidit,illico se ex equo demittens,flexis genibus,ac inclinato capite, terrā deosculatus est; seque ad Orientem conuertens, gratias immortales Domino, Deoque exercituum egit, profusis præ gaudio lachrimis,pro tam immenso in se cælitus collato beneficio: ac protinus præconio publico denunciari iussit, vrbanis abire volentibus licere intra quintum diem, atque sua secum arma, & reliqua bona asportare: modo intra XX.dies,Cullarim,& Dianium oppida;cum suo Zaene Rege, se reciperent: cum quo pactæ quoque fuerunt induciæ annorum octo : quo tempore nullum contra eum Rex commoturum se bellum, imò ab aliis commotum, compressurum promisit. Quæ omnia obseruaturum se,non modò iurauit ipse;verum omnes vtriusqueRegni Pōtifices,tum proceres,atque ciuitates,ad id ipsum iureiurandum compulit.Zaen etiam omnia cis Sucronem oppida,& arces,dempta Cullari, & Dianio, intra eundem terminū, se Regi traditurum obtulit:ad eaque stipulanda, Zaen Russafam ad Regem venit, fuitq; ab eo regiè exceptus. Igitur antequam quintus dies elaberetur, vrbani præstò fuerunt cum omni re sua ad commigrandum:iussitque Rex vniuersum equitatum iungi, ac toto eo spatio inter vrbem & Russafam, qua etiam secus oram maritimam iter est Cullarim disponi,vt incolumes vrbani abirent;Rege præsente, adeoque eorum saluti intento, vt quosdam de exercitu in fœminas, & paruulos inuectos, manu sua lætali vulnere affecerit. Fuit autem vtriusque sexus vrbanorum discedentium,vt Regis historia refert,numerus quinquaginta millium,quibuscum partem equitatus dimisit,qui eos incolumes Cullarim vsque deducerent.Quibus abeuntibus,Rex cum vniuerso exercitu & proceribus vrbem meritissimo cum triumpho intrauit,menseSeptembri pridie festi sancti Michaelis Archangeli,anno Christianæ salutis M.CC.XXXVIII. vt tabulis concordiæ Zaenis & Regis,ac multorum etiam historicorum testimonio confirmatur. Nec refert, apud historiam Regis & Marsilii inueniri,sequenti anno fuisse Regem in vrbem ingressum:is enim error cum manifestus est, tum Typographo adscribendus. Vtpote cum eadem referatur historia,anno vertente,qui fuit 1239. Regem venisse Mompellerium, atque hoc ipso anno ad quartum nonas Iulii vidisse magnā illam Solis defectionem, quam describit ipse,vt lib.13.subiiciemus.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER XII.

VALENTIA capta,eaq;vti capite,vniuersis Regni oppidis,tanquā mēbris,similem quoq; casum,atque euentum protendente; dum ad ea, quę vrbis essent cōponenda,Rex animū intendit,noua sese ei obtulit maiora moliēdi occasio.Nā vt ipsi quidē grad⁹ subinde fieret ad Murciense sarracenorum Regnum oppugnandum, statimq; semen ad id belli iaceretur,Raimūdus Folchius Vicecomes Cardonēsis,qui expugnationi vrbis interesse nō potuerat,è Catalonia profectus, altero

ab ingressione die ad Regē venit, cū expeditissimis quinquaginta è familia sua delectis leuis armaturæ equitibus, atque à Rege petiit; vt quando grauibus suorum negotiis distētus, à tam inclyta vrbis oppugnatione abfuit, sibi permitteret, cum suis tantùm erumpere in prima quæque Regni Murciensis oppida; vt strenuum aliquod sui erga ipsum obsequii & obseruantiæ testimonium ederet. Quem Rex excipiens amantissimè atque ipsius animi magnitudinis, bellicæque virtutis memor, se moræ excusationem perlibenter, dixit, admittere; mirari tamen ipsum, quòd facinus tam valdè arduum, cum tam parua, benè licèt armata, manu equitum aggrederetur: verùm oblata ei pedestri, quam ille renuit, adire quo vellet permisit, commeatum, omniaque ad expeditionem necessaria, de castris suppeditari iubens. Cui abeunti Artalus Alago Blasci filius, se comitem obtulit; iuuenis bellicosus admodum, & cui pernota erant Murciensis Regni loca omnia, quę ipse Aragonia exulans, vt diximus, diebus non paucis collustrauerat. Quare de omni re factus certior Raimundus, Vilienam insigne oppidum, quod primum sese ex Murciensibus offerebat, diripere decreuit: idque intempesta nocte, & ex improuiso intrantes equites, ac nihil tale sperantibus, neque excubias agentibus oppidanis, antequam hi arma capere possent, maiorem partem oppidi diripuerunt. Sed dum totum prædari conantur, Sarracenorum ex suburbanis tanta fuit concursio, atque impeditis vicis, tam acriter cum Folchiis dimicatum, vt coacti ii fuerint, seruata atque acta ante se præda, oppido excedere, perque agros vagari, quoad in proximum oppidum, Saizum vocatum, incurrerent: quod etiam inuaserunt equitibus partim ad dimicandum, partim ad diripiendum vicatim immissis. Sed dum vrgentibus oppidanis, sese ordine in vnum recipiunt, Artalus caput lapide acerbe ictus, equo deturbatus est, ac illico mortuus. Qua de causa Folchius cum suis oppido abiit, atque summo cum labore & difficultate, conseruata præda, cadauer Artali sustulit, Valentiamque deduxit: de quo vehementer Rex doluit, ibique honorificè, sine tamen cantu, & lamētis, exiguo elatum funere sepeliri curauit. Cuius ossa postea in Aragoniam translata, in sepulchris maiorum illius condita fuerunt. Itaq; collaudatus à Rege Folchius, quod iter sibi ad Murciēsem expeditionem tam strenuè aperuisset, multis ab eo muneribus donatus abire permissus est. Sed insistēte Folchio, vt sibi, suisque manere liceret, Regem ad conficiendam reliquā Regni expugnationem iuuaturis: gratam, acceptamq; eius mentem Rex se habere dixit, sed operā interim fore superuacaneam, propterea quod ad ea, quæ pacis essent, non quæ belli, tunc esset omnem mentem adhibiturus: Vtvt tamen occasio ferret, ita illius pollicitationibus & ope pro tempore se vsurum. Itaq; abeunte Folchio, Rex ad componendas res ciuitatis, religionem scilicet inducendam, leges ferendas; ac domos, prædiaque, & suburbana ducibus, & militibus diuidenda, se totum conuertit. Nam primùm quidem vrbem ingressus, assistentibus Antistibus Ecclesiarum Aragoniæ & Cataloniæ, qui Valentinum secuti bellum fuerant, maiorem vrbis Aedem Mahometo dictam, vbi Sarraceni solennia impiæ suæ sectæ celebrare solebant, petiit. Ibique à Tarraconensi Antistite, suffimentis, lustralisque aquæ aspersione, atque sacrorum prolatione verborum, cum multiplici crucis signo, expiata impuritate loci, sacrum solemne, cōstructo altari, ab electo primo Valētino Episcopo fuit celebratum. Iamq; Rege, & aliis maximas Christo gratias ob expiatam in ea vrbe impietatem Mahometanam, & veram Christi religionèm inductam, reddentibus; ipsamet Aedes in honorem, & nomen beatissimæ Virginis, & matris consecrata fuit; post tot illius mutatas olim appellationes: quarū prima Romanorum tempore, vt ex lapidibus incisis, aliisque vestigiis, & monumentis literarum colligere est, Dianæ fuit: deinde occupantibus Hispaniam Gottis, & religionem Christi suscipientibus, Seruatoris, vt creditur. Post Sarracenis Regnum cū reliqua Hispania inuadentibus, Mahometi. Rursum Ruizio Diazio, cognomento Cidi, strenuo Castellæ Regulo, qui eandem vrbem è Sarracenorum manibus eripuit, ac Christianis restituit, Diui Petri: sed breui recuperantib. postea vrbem Sarracenis, iterum cōtaminata, Mahometo cessit: quoad Iacobus denuò expiata illa, sacræ Virgini in perpetuum dicauit. Tanta enim se, pietate, ac religione sacrosanctæ Virgini obstrictum putabat; vt eidem omnia sua vota nuncuparet; templa atque sacella vbiuis à se exędificari iussa, eius omnino nomini dedicaret. Nec aliunde quàm huius exemplo Regis emanasse creditur, tam frequens ille Valentinorum, tamq; pius ac religiosus erga eandem Virginem cultus, ac maior, quàm Christianarum vbiuis gentium deuotio; & cōsecratio. At verò, ne in Aede illa veteri, aut structura, aut parietibus, horumque emblematis, turpis aliqua Mahometi memoria renouaretur; Iacobus eadem pietate, ac religione motus, cum Antistibus, proceribus, & omni populo, magna cum pompa sacerdotum ad illam venit: ipseque primus, sumpto malleo,

ædem

ædem cœpit diruere, quem ſequentes Antiſtites, poſt proceres, militeſque & populares, breui tempore complanarunt; quoad omnino æquata ſolo, atque purgato loco, ſimili ordine templum cœpit erigi ampliſſimum, ac ſumptuoſiſſimum, quale nunc videmus, ſuis ſacellis, altaribus, diuorumque ſimulachris ornatum: quodque Aſylo etiam Rex eſſe voluit, atque multis immunitatibus donauit. In quo item Gregorii IX. Pontifi. Max. conceſſione, Principem ac Epiſcopiam Sedem, vt vocant, Cathedralem erigi curauit, & antiquam diœceſim inſtaurauit. Quæ tametſi temporibus Bambæ Gotthorum Regis Toletanæ contributa fuerat, Rex tamen, cùm eſſet vrbe potitus, voti reus, Tarraconenſi ſubiici, attribuique decreuit. Quæ planè inſtauratio, ſiue reſtitutio Epiſcopia, quoniam conceſſo diplomate, & à Pontifice miſſo, ad ſeptimum Idus Octobris ſequentis anni, qui dies feſtus beati Dionyſii martyris celebratur, facta fuit: idcirco eodem feſto die, perpetua, anniuerſariaque Epiſcopi, atque omnium ſacerdotũ pompa, ſubſequentibus Magiſtratibus, cum vexillo regio, & vna cohorte militari, omnique genere Muſicorum, luſtratio per vrbẽ fit, ac ſupplicatio ad diui Georgii martyris Regni patroni, in illius diei, atque reſtitutæ Pontificiæ dignitatis memoriam. Huic ergo Eccleſiæ electum à Rege, & à Tarraconenſi Antiſtite, Ferrarium ſancti Martini, Tarraconẽſis Eccleſiæ præpoſitum, virum doctum ac perſanctum, magno cum applauſu populi, idẽ ſummus Pontifex præfecit: eamque aliarum Eccleſiarum inſtar, Canonicorũ collegio, diſtinctiſque p[r]æfecturis, quas vocant Dignitates, ad præcipua in Eccleſia obeunda munera decorauit. Quin & diuino animaduerſo Eccleſiarum iure, decumis omnibus totius diœceſeos dotauit, eaſque Antiſtiti, Canonicis, atque Dignitatibus diuidendas tradidit. Reſeruata regi tamen ſuiſque ſucceſſoribus Regibus, indulgentia Pontificis, tertia decumarum parte in compenſationẽ & ſupplementum infinitorũ prope ſumptuum, qui tam in debellando Regno à Rege facti fuere; quàm qui poſtea faciendi eſſent in ipſo conſeruando. Sed illud quidem permirũ, quot, quamque piis propitiiſque legibus, ac plebiſcitis (foros noſtri vocant) Eccleſiaſticas res, & cenſus, ad Eccleſiaſticorũ commodum & immunitatẽ ſanxerit. Deinde alia ſacra vrbis loca inuiſit; præcipuè verò carceres & ergaſtula, in quibus acerbiſſima queq; tormenta & ignes paſſus eſt inuictus Chriſti athleta Vincentius Oſcenſis, tam intra vrbẽ, quàm extrà, & in quæ mortuus fuerat proiectus: in cuius honorẽ cœnobium cum ampliſſimo templo exædificari fecit; quod etiam Aſylo eſſe voluit; iiſque immunitatibus, quibus vrbis templũ maximum, donauit, atque Ciſtercienſi ordini addixit, ſimulque prædiis, aliiſque cenſib. magnificè ornauit: Xenodochio pauperũ peregrinorũ adiuncto; ad cuius valuas, ſiue in eius porticu, accuratiſſima, expreſſiſſimaq; ipſius imago Regis ad viuum depicta, poſt trecentos & quadraginta annos, adhęc ferè tempora inuiolata conſpicitur. Tandẽ ad domos, prædia, & ſuburbana militib. diuidenda animum intendit. Qua in re labores incredibiles ſuſtinuit, vel ob id maximè, quod ante vrbis oppugnationẽ plures ipſe ædium donationes, agrorũque aſſignationes fecerit, quàm ædes, agrique poſtea fuere ad diuidendum inuenti. Vnde à ciuitatibus, quę bellum ſecutæ fuerant, incipiens, vicos eis in vrbe diſtribuit, in quibus illæ veteribus dirutis domibus, nouas atque præcelſas ædificarunt. Extant eim adhuc, & vicus Cæſarauguſtanus, & vicus Barcinonenſis etiam in noua vrbe extra muros veteres conſtructus, nouoq; murorum ambitu comprehenſus. Quin & Turolenſibus cum eorum montana ditione, portam vrbis principalem aſſignauit, quæ Turolium reſpicit, mediã inter duas præcelſas turres, quæ Serranorum, id eſt, montanorũ quorum caput eſt Turoliũ, cognominata fuit. At vero ex ciuitatibus Aragoniæ Calataiubio, Iacca, Oſca, Tiraſona, Daroca, Borgia, Albarrazino, Barbaſtrio, & Montione: Quin & Cataloniæ Perpiniano, Gerunda, Tarracone, & Dertoſa, viros percelebres, cum illarum agnominibus excepit: quorum ab egregiè factis propagatum nomen, nobileſque familiæ, adhæc vſque tempora peruenerunt. Quamquam Ilerdenſibus quidem, eo quod fuere primi, qui murũ vrbis in expugnatione perforarunt, atq; aditum ad eam tribus locis exercitui dederunt, perinde ac ſi murum aſcendiſſent, quæ pollicitus Rex fuit, conceſſit. Promiſerat enim obſidionem inſtituens, Ciuitati, cuius ciuis in oppugnatione primus murum aſcenderet; quod is tanto ſeſe periculo exponens, vitæ ſuæ quaſi trutinam Fortunæ ad obtinendam victoriam committeret; nec non & ſuam carnem pro Rege deſpiceret; illam, tunc libram & menſuram vrbi daturam: tum etiam trecentas indotatas puellas in vrbem miſſuram, à Rege cum dotandas, tum ſtrenuis exercitus viris collocandas. Præterea non ex Catalonia modo, & Aragonia, ſed ex Aquitania etiã permultæ familiæ inchoatæ fuerunt ab iis, qui cũ Archiepiſcopo Narbonenſi expugnationi interfuerunt: vt Narbonii, Carcaſſonii, & Toloſæ. Nec defuerunt, qui nobiliſſimam Romanorum familiam, vnà cum cohorte

auxiliaria, ea ipsa in expugnatione, Valentiam inuexerunt, Vocati quidem Romani, accentu in vltima, sic Aquitanis pronunciantibus, atque tum copiis; prædiisque affluentes; tum factis præclari, in alias licet familias, seu cognationes translati eorum posteri; tamen Romanorum cognomentum nunquam amiserunt: eoque cognomento sese permistæ familiæ illustrarunt. Cuius rei causa, atque nobilitandæ vrbis gratia, eam dilatari valde, ac extra murum veterem Rex permultum extendi iussit. Iamque Romanorum more, qui colonias deducebant, circunducto aratro, noua erigi mœnia fecit, atque vniuersam vrbem duodecim magnis portis patere voluit: fortassis, quæ illius erga diuina semper omnibus in rebus intenta mens erat, vt conspectam, descriptamque ab Ezechiele diuino vate ciuitatem Dei duodecim patentem portis adumbraret. Nam eius quidem instar Valentina, tres ad Orientem portas habet, tres ad Meridiem, totidemque ad occasum, ac tres demum ad Septentriones, cum quinque permagnis pontibus, qua parte alluit eam Turia, in Suburbia, & vias publicas decurrentibus. Sanè vt vniuersis totius orbis nationibus in ipsam, non modò pateret aditus, sed receptus etiam perhospitalis, ac quàm commodissimus: atque vt in communi quadã patria, si modò frugi sint aduenæ & victus, & vitæ cum virtute cultus affatim inuenirentur. Inde quippe peregrinorum matrem eam, ciuium autem nouercam vulgò appellare solent: quòd ii copiam, in qua nascuntur, despiciunt, facileque amittunt: illi verò ab inopia ad copiam translati pluris habent, ac ne deperdant, curiosius conseruant. Nouis igitur erectis mœnibus, munitissimoque cincta muro vrbs, continuò frequentibus domibus, Templis, cœnobiis, vicis, plateis, xenodochiis, xistis, gymnasiisque, & aliis publicis molibus & operibus repleta, nihil demum in ea vacuum relictum fuit, nihilque otiosum. ex quo multò planè maior illa, quã antea euasit. Posthæc Rex plebiscita, & muncipales leges Valentinis dedit, vulgari, patrio scilicet Regis conscriptas sermone, vt populo meliùs innotescerent: vtque perspicuitate, à varia eas, confusa sæpe, interpretatione iuris, & captionibus assereret. Adeo quippe Rex, tum ex bellica experientia, tum ex Regni à puero gubernatione, excellenti ac confirmato iudicio erat; ac non literis (quamquam neque earum planè rudis erat) ad rei militaris scientiam; sed rebus gestis, & victoriis eruditus euaserat, vt ea in ætate non minus bello gerendo, Alexandro, quam ferendis legibus, Lycurgo similis videretur. Sed grauis interim ab Aragonensibus querela habita fuisse fertur; propterea quòd plebiscita Catalano, adeoq; Lemouicensi sermone, barbaro & obscuro, minusque noto Hispanis, quàm aut latino, aut saltim Aragonensi, qui clarior est illo, conscribi Rex iusserit: ex eo quòd plebiscita communi iuri, atque Romanis legibus tantopere niterentur, vt ad planiorem ipsarum intelligentiam, necesse esset ea Romano, quo leges scriptæ sunt, aut Aragonensi tradi sermone, qui cum reliquo Hispano non solùm communis est, verum inter cæteros totius Europæ, Romano longè propior, & affinior, fereque idem. Iis ergo, aliisque de causis, quas mox subiiciemus, Aragonenses linguam suam euulgandis plebiscitis conuenientiorem asserebant. Cum quibus consentire, qui tum aderant Castellani, ac reliqui Hispani negotiatores, qui eiusdem linguæ societate Aragonensibus, cum coniuncti erant; tum à Catalana & Lemonicensi plurimum abhorrebant. Cui conquestioni antequam à Rege satisfiat, minimè fore puto inopportunum, ad cohonestandam præsertim Aragonensium querelam, atque susceptam de vulgato eorum sermone commentationem explanandam, nonnulla de origine Hispanæ linguæ, quam vocant Romancium, percensere. Quoniam in primis pacto illa è Latio à Romanis deuocata, in omnibus ferè Hispaniæ vrbibus, præcipuè Oscæ, ad Aragonenses erudiendos collocata fuerit, atque ab eisdem purius, incorruptiusque, quàm à cæteris Hispaniæ populis hucusque retenta & conseruata. Id, quod in primis licet colligere ex tempore Q. Sertorii strenui Romanorum Ducis. Is namque Marii partes secutus, cogente Sylla, apud Hispanos exulabat; hosque quamuis barbaros, tamen arte condocefaciens, non solum armis, atque bellandi vsu Romanis ferè pares effecerat; verùm modum etiam, quo eos in officio contineret, ac dociliores, sibique beneuolentiores redderet, inuenerat. Siquidem nobilissimorum Hispaniæ adolescentulorum eruditionem meditatus, Scholas Oscæ institui, in eamque vrbem conuocari permultos, atque à præceptoribus Latinas simul & Græcas litteras edoceri curauit, vtriis artibus, re quidem obsides haberet, specie autem erudiret: donec ætate virili, eos sibi lingua & eruditione instructos, in partem administrationis & imperii reciperet, vti Plutarchus in eius vita Ducis refert. Verùm etsi Osca, de qua Plutarchus, reuera diuersa est ab Aragonensi Osca; quod illa Bætica sit, atque in extremis Turdetanorũ finibus, apud quos Sertorius bella gessit (vulgo Huescar) constituta

constituta; hæc verò inter ramenta Pyrinæorũ posita: tamen à vetustate, atque ab ipsa Academiæ diuturnitate habet, vt hæc similiter tunc tēporis erecta ibi fuerit, atq; lectione perpetuata. Nihil enim prohibet, alios ante, vel post Sertoriũ, Romanos Duces, vt Catonem, & duos Scipiones, tum & Pompeiũ, maximè vero Augustũ, qui in Hispania citeriore diutius cum exercitu commorati fuerunt; ea ipsa de causa, similem Oscæ Aragonensiũ ludum aperuisse: propterea quod ad hunc condendum, nullum opportuniorem ea vrbe locum inuenerint: quod eadem, tum situ communito, & ad aspectum præclaro semper fuerit; tum etiam opibus, & agri fertilitate præstarit; necnon maximè mediterranea existeret ad retinendos obsides; quin & ab exterorum quoque commercio separata, ne à continenti studio, & cultu linguæ, studiosi distraherentur: vt iis linguam edoctis, Romani postea, non modo fidelioribus vterentur interpretibus, & exploratoribus ad exquirenda Hispanorum consilia; ac toties tentatis eorum conspirationibus occurrendum; verum etiam vt in ea proficientes, Magistratibus, aliisque militaribus muneribus præficerentur. Ex quo Hispani tam assiduo se, studio ad perdiscendam Romanam linguam applicuere; vt à pueris ab scholis domum reuertentibus, parentes, fratres, ac etiam sorores, eius dictata sermonis auidissime exciperent: vsque adeo quidem, vt sint, qui perhibeant, neque alium tum ludum Hispanis pueris, neque aliam, proposito honorario, permissam contentionem fuisse, quàm latinè loquendi, quàm etiam vicatim declamandi; seseque omnes in dicendo exercendi. Vnde non solum vtraque in Osca, sed in plerisque aliis Hispaniæ oppidis, credi par est, eiusmodi Scholas institutas fuisse; vt in eis non modò verba, sed disciplinæ, ac res, quibus verba inhærent, traderentur. Neque enim aliter Hispani omnes Romanum sermonem sic prorsum imbibissent, eoque tam familiari, ac quotidiano vsi fuissent, vt proprium, ac vernaculum, qui ab eo tempore obsoleuit, non solum antiquarint, sed Romanum quidem cum doctrina coniunctum, in quotidianum vsum conuerterint; & quem sic mordicus retinuerint, vt neque noua Gothorum, neque barbara Maurorum, consecuta linguarum in Hispaniam inuectione, Romanam vnquam abiecerint: nisi quòd progressu temporis, Romanorum ab Hispania discessu, deficientibus vocabulis, Bætici pleraque ex Arabica Granatensium vicina lingua nomina vsurpantes, cum latinis permiscuerint. At verò Aragonenses, vt aliarum rerum, sic & optimi sermonis omnino tenaces, purum, quem ex Oscensi præsertim schola sermonem hauserunt, longe fidelius, quam reliqui Hispani, conseruarunt. Non enim alias, quàm aut latinas, aut ab eis deriuatas voces fere omnes, Græcas autem perplures, si harum etymon inquiras, vulgò resonare inuenias. Nam & epistolas aliquod latina simul & Aragonensi conscriptas lingua, voce & sensu idem reddentes, legimus; & Græca pariter, & Hispana vocabula obseruata in ea, plus octoginta, notauimus. Adde, quòd neque ex vicinia & commercio aliorum circunstantium, atque barbarè loquentium Regnorum, quicquam peregrinum in quotidiano vsu sermonis Aragonenses contraxisse comperias: cùm à meridie Valentinos Sarracenos Arabicè loquentes habuerint; ab ortu Catalanos Aquitana, seu lemouica verba vsurpantes audierint: ab Aquilone tandem, Cantabricam, nempe Vizcainam, & Nauarrensem, vtramque barbaram & difficilem linguam, à primis Hispanis, vt plerique autumant, aut à Gothis relictam, vitarint: ac demum ab occasu, Castellanorum commercio, & communitate linguæ adiuti propriam retinuerint. Tandem, quod fuit omnium præclarissimum, vniuersos intra Regnum relictos Sarracenorum populos non paucos compulerunt, vt Arabica desuefacti lingua, Aragonensi pro vernacula vterentur, vt iam nulla in parte barbara dici possit Aragonensis lingua, quæ tum latinæ coniunctior est cæteris; tum inter tam barbaras integra ferè tot seculis, ac incorrupta permansit. Quæ planè de ipsius origine, cultu, & constantia linguæ, eatenus dicta fuere, vt ostenderemus Aragonensium querimoniam de plebiscitis, minime intempestiuam fuisse: neque ipsos indignos, quibus Rex morem hac in parte gessisset: cum & Valentini Regni expugnatio ex antiqua diuisione Castellæ, & Aragoniæ Regum, ad Aragonenses spectarit; & ipsorum iustus exercitus ad expugnandum illud, suoque sudore, sanguine, & sumptibus acquirendum, Regi non defuerit: ideoque iustè promeruerint, vt suo, atque Aragonensis Regni nomine, & sermone, Valentinis leges & plebiscita traderentur. At verò Rex in proposito susceptoque consilio permanens, causam denegandi postulata non modò iustam habuit: sed sapientem quoque excusationem. Cùm inprimis ad expugnatorem spectet, populis leges pro arbitrio, propria, natiuaque conscriptas lingua ferre: ac modo populis planæ, & apertæ hæ fiant, nihil amplius ornamenti quærere. Planum enim, atque compertum plebi esse oportet, quod

ipsius est,aut admonendæ,aut castigandæ gratia latum. Quamobrem capta Valentia, atque vniuersis ab ea tum profligatis Mauris, tum Christianis vndique ad incolendum deductis, necesse fuit expugnatorem Regem in eam, tanquam desertam, vnà cum nouis cultoribus,nouam quoque linguã patriam,atque genuinã potius, quàm alienam, inuehere: Vt scilicet, per eam tum gloriosius tanti expugnatoris memoria populis increbesceret; tum potiori cultorum parti eiusdem linguæ societate coniunctæ, satis, vt par erat, fieret. Duplo enim maior Catalanorum, & Aquitanorum pars exercitus, qui secuti bellum Valentiam incoluerunt, quàm Aragonensium fuit: neque consentaneum erat, Valentinos frequentissimo terræ,marisque commercio Catalanis, & Aquitanis coniunctos, sermone alio, quàm qui communis esset vtrisque vti; neque alieno conscriptis legibus, quàm proprio, regi, ac iudicari. Quominus necesse erat plebiscita latino sermone, aut huic affini, idcirco tradere, quòd illa iuri communi niterentur, perque ipsum exponi, siue quod eodem socio, siue assessore, iudicia fieri pronuntiariue deberent. Id quippe longè fuit à Regis mente remotissimum, qui hac vna de causa, plebiscita communi, atque vsitato sermone edi voluit; vt varias, subtiles, atque spinosas sub alieno sermone sæpe ortas iuris interpretationes, cum earum interpretibus de medio tolleret: sed vbi accideret dubitatio iuris, quæ tardos semper facit doctores in iudicando, non ad ipsos, sed ad proborum hominum iudicium, qui nudam rei veritatem dignoscerent, declarandam, remisit. Neque enim quicquam est imperitæ plebi gratius, quàm à iudicibus de media plebe sumptis, quasi sociis, iudicari. iis enim maximè credit; doctores suspectos, atque inuisos habet. Ne igitur à proposito dilabamur; talibus profectò legibus Iacobus Valentinam Rempub. fundauit, testimonio omnium, qui Respub. multas per orbem collustrarunt; vt nulla planè alia vbiuis terrarum. neque vtatur melioribus, neque fruatur sanctioribus: argumento est vrbs ipsa frequentissima, opulentissimaque ab eo tempore hucusque triplo ferè maior, quàm olim effecta. Vnde tot inter vrbes Valentias in Europa sitas, non iniuria, hæc fuit magna à Gallis appellata. Duodecim enim milibus domiciliorum constat,præter suburbana & hortensia,quæ numero vrbana prope exęquant. Iam verò sancitis legibus, ad diuisionem prædiorum venire necesse fuit: huic quippe omnes vehementer inhiabant; maximè verò qui ante obsidionem & ingressum vrbis donationes sibi immodicas à Rege extorserant: quas quidem spe iam diu deuorauerant, ideoque importunitate vincebant. Quare vicorum, atque domorum diuisione per Aediles à Rege designatos facta, creati etiã fuere duumuiri agris diuidundis Assalidius Gudalius Regius consiliarius, & Simon Perezius Tarassona, in Regno Aragonum supremus etiam consiliarius. ambo viri nobiles ac bello & pace præstantissimi,& qui non modò rerum experientia;sed legum quoque scientia aliis excellebant (vtraque enim re præstare tunc erat vel nobilissimis perhonorificum) scilicet vt ab iis facta agrorum mensura & modo, vnicuique quantum ex donatione contingeret,assignaretur. Sed de horum electione arbitrorum, ortum est inter proceres murmur,atque cum Rege nata expostulatio. Videri quippe dicebant,ne decere quidem eiusmodi homines alioqui probos, & literatos, ad tam graue, tantique ponderis conficiendum negotium, arbitros nominari: præstare namque alios ex primis Antistitibus, atque exercitus primoribus ei rei præficere. Quod tametsi Regi displicuit;tamen sperans ipsosmet proceres, tanquam rudes, eiusque muneris ignaros, breui sententiam mutaturos,inscijs Gudalio & Simone; statim quos vellent, se creaturum respondit. Fuere igitur oblati Regi,ex Episcopis Berẽgarius Balazuelus, & Vitalis Canellanus Barcinonensis,& Oscensis, Antistites. Ex proceribus verò Petrus Fernandus Assagra Albarrazini dominus,& Simon Vrrea Magister equitum, ii etiam nobilissimi, atque rei militaris scientia clarissimi. De qua re conquerentibus apud Regem, Assalidio, & Simone; quòd exclusis se, ac contemptis, alios nominasset: bono eos animo Rex esse iussit: se enim pro certo habere, earum rerum implicatos inscitia proceres, non modò negotium abiecturos à se; sed ad ipsosmet illud magno cum honore relaturos:vt illud interim omittam, inquiens;me scilicet, habere iam in animo quid sequar in ea re, quod vos facientes, istiusmodi tot diuisionis difficultatibus quàm facillimè occurrere positis. Itaque IIII. viris diuisioni operam nauantibus, cùm tot sese difficultates offerrent, quas minimè explicare poterant, ac proinde diuisionem procrastinarent, siue differrent; magisque subinde esset contra eos, quàm contra priores commurmuratum: sponte, se ipsi magistratu abdicarunt, isque omnium consensu, ad Assalidium, & Simonem denuò delatus delatus est. Quos Rex ad se vocans, mentem suam eis ad omnẽ

diuisionis

diuiſionis difficultatem tollendam aperuit; duo potiſſimum conſulens, ac etiam decreto firmans. Vnum, vt quemadmodum apud Balearium maiorem in ſimili prædiorum diuiſione tacitè fuit actum, iugera agrorum, quę antea ſingula duodenos ſenſentis coros capiebant, in poſterum lege ſanciretur, vt ex ſenis conſtarent (iure quippe poſſe nouos Regnorum debellatores, nouas quoque leges debellatis dare). Alterum vt donationes agrorum antea factę recenſerentur, ipſæque pro vniuſcuiuſq; repoſcentis ſumptu, & tempore, quibus ab eodem nauata fuit opera militiæ, atq; armorũ exercitationi, definirentur. Fore etenim, vt compendium inde magnum ad diuidendũ ſequerentur. Quas iugerum diuiſiones, atque donationum recenſiones, ad vnguem obſeruantibus II. viris, agri non modò donationibus inuenti ſunt pares; verùm ſuperfuerunt quidem, exinque ccc. lxxx. viri militares, ex Aragonenſi & Catalana nobilitate delecti, exceptis proceribus, prædiis in Valentino agro donati fuerunt. Nam proceribus vtriuſque Regni, oppida, caſtella, & pagos, beneficiario iure, prout expugnata erant, à Rege concedebantur. Quorum omnium familiæ, ex ea expeditione bellica, ſumma cùm laude à populatibus diſtinctæ, hucuſque floruerunt, earumque permultæ nunc clarent. Inde ſiquidem ciuitas cæterarum Hiſpaniæ nobiliſſima dicta eſt, quòd & Aragonio, & Catalano milite, ſua ipſius manu & armis nobilitato, incoli cœpta fuit, adeoque ad poſteros idem animi robur, bellicaque ingenerata virtus dimanauit, vt Valentino milite, Hiſpanorum nemo ſit, neque ad aggrediendum animoſior, neque ad quoduis committendum facinus promptior & paratior. Vtpotè quibus atauorum Saturnia Catalanorum melancholia, qua recoquitur ira, in Martiam, ſubitam ac exardentem bilem conuerſa eſt. Quæ tamen ne rurſum in pertinacem, ac obfirmatam eorundem in vlciſcendo iracundiam abiret; ſed poſt bellum rurſum, pax fieret, Iacobus ſingulare certamen, atque monomachiam permiſit; tum vt pari concertatione ſedata bilis concordiæ locum daret; tum vt honoris & victoriæ cupiditate, viribus atque animo augerentur certantes, ad patriæ hoſtes aggrediendos. Inde quippe eſt, vt nulla gens ſit, quæ vel feruore ſanguinis, vel ardore mentis ad gloriam, id genus certaminis minus detrectet; ſeu potius in illud feratur magis, quàm Valentina. Cuius profecto robuſtæ, tamque valentis iuuentutis gratia, (quid enim prohibet Valentinos olim finitimis Saguntinis virtute ac robore pares fuiſſe?) minimè fabuloſum putarim, quod antiquitate authore, de Valentina hac vrbe vulgo fertur; fuiſſe quidem ipſam antiquitus Romam dictam, ἀπὸ τῆ ῥώμη, quod eſt robur: indeque à Romanis in Coloniam redactam, retenta ſignificatione vocis, Valentiam nuncupatam. ſicuti in commentaris de Sale hæc fuſius annotauimus. Fuerunt igitur Valentinis ſuæ ſcriptæ leges, ac propria indicta plebiſcita. Sed hæc cum longè arctiora eſſent, atque ſeueriora Aragoniis, ab ipſiſmet colonis Aragonenſibus, qui ſe ab eis eximi, atque Aragoniis ſummitti cupiere; fruſtra impugnata fuere: reſpondentibus legumlatoribus, bicipiti fore monſtro ſimile ciuitatem contrariis inter ſe legibus gubernari: cùm in tanto hominum ex vniuerſo terrarum orbe in eam concurſu, niſi vnis, atque peculiaribus ipſa legibus, ſed perpetuis gubernaretur; neceſſe eſſet diſcordiis, quæ maximè ex legum diſcrepantia oriri ſolent, eandem euerti. Quanquàm eorundem Aragonenſium pertinacia, atque libertatis proclamatione, factum eſt, vt Valentinis latæ fuerint leges mitiores, quàm pro eorum ingeniis; & offenſa natura, nunc ferrentur. Adeò enim illarum benignitate, procedente tempore, creuit abuſus; vt controuerſiis, deceptionibus, dilationibus, atque perpetuandis, nunquàm tamen finiendis, litibus; nullibi, quàm in ea fuerit amplior locus datus. Quòd ſi emendationem iſta ſubirent, abuſuſque tollerentur, profecto ciuitas, quæ tot alioqui, tantiſque opibus, facultatibus, ac omnium rerum excellentia præſtat, toto terrarum orbe vnica, & perquàm ſancta eſſet. Quominus omittenda ſunt, quæ in eius maxima laude poni ſolent, locique ſitum, temperiem & amœnitatem; cum tam vbere, variaque fertilitate agri, mirè commendant. Quæ ſingula, vt mox ſubiiciemus, ab ipſiſmet primis expugnatoribus perſpecta, beneque cognita, in cauſa fuerunt, vt Valentinum ſolum, tanquam patrium, proprio poſthabito, perpetuò ſibi colendum ſuſciperent. Nam Valentiam ingreſſi milites, non modo Aragonenſes & Catalani finitimi; ſed remotiſſimi quique, tum Aquitani, tum etiam Romani, qui, vt diximus, expugnationi interfuerunt, quaſi fata quietas eis ſedes Valentiæ oſtendiſſent, domorum, prædiorumque diuiſionem ſibi quoque fieri, ſtudioſiſſimè, importuniſſimeque petierunt. Nec mirum quidem. Viderunt enim vrbem (vt ſeui eius admiranda prædicemus) ſub felici ſitam ſydere, ac quod ad ſalubritatē aeris, terræ amœnitatem pertinet, in optimo atque herbeſcenti ſolo locatam, ab ortu

quidem mari apertam, vt illicò ab exoriente ſole, craſſi humidique vapores, quibus noctu terra circunfunditur, antequam diluculo ſurgentes ciues inficiant, abſumantur & euaneſcant: ab Aquilone verò, ad decimum propè lapidem, perpetuo ſepta monte, vt Borealibus, ſiue Eteſiis purgato ſubinde flatibus, iiſque herbarum florumque odoribus perfuſis ipſa fruatur: Sunt enim Eteſiæ venti tempeſtiui & ſalutares non modò hominibus, ſed etiam pecudibus & ſtirpibus, quorum quoque flatibus nimii temperantur calores: quin & ab occaſu imbriferis Caſtellæ ventis perflatur, eadem, vt commodiore cæli irrigatione prædiorum fructus matureſcant. Demum à meridie leniſſimis Auſtri ventis æſtus in ea temperatur. nam licet à temperie in calidum æſtate ſemper declinet, veruntamen marinis auris omnibus diebus, dum ſol ardentior eſſe ſolet, flantibus miteſcit æſtus. Quo fit vt concurrentibus in eam vndecunque mortalibus, nullus cuiquam ſit vſquàm Valentino aere benignior, aut ſalubrior. Inſuper & aquæ non minus quidem in ea, quam vbiuis gentium, & ſalubres, & copioſæ fluunt. Quandoquidem Turia fluuius magnus à quo ipſa alluitur, ab eius longinquo ortu rapidus, perque ſaxoſa ſeſe loca præcipitans, vſque adeò colliquatur; vt & puriſſimis, & medicorũ atteſtatione, ſaluberrimis excellat aquis. Quamuis neque puteales præterquàm inſuetis, noxiæ quoquomodo fiunt: quibus ad omnes quidem vſus tantoperè abundat, vt triginta millia puteorum iugium in ea ſint cum ſuburbanis; ac neque ii quidem à continenda terræ ſoliditate, atque ſalubritate vacant: quod à terręmotibus, aliiſque peſtilentibus hiatibus, ſolum defendant, perque puteos ſenſim ſpirantes terræ exhalationes, lenius erumpant. Accedit illud, quod ad ſalubritatem vrbis valde conducit, fitque puteorum beneficio, vt vrbium Europæ lautiſſima ſit, habeatque rarum illud ac propè ſingulare cloacarum opus, tam mira arte conſtructum, vt ad cunctas domus cuiuſque ſordes eluendas, foraſque ſine fœtore expellendas, Romanorũ cloacis longè præſtet: tametſi à Romanis, vt conſtans eſt fama, Gne. Scipione proconſule, exædificatæ, atque conſtructæ illæ fuerint. Eſt enim vrbs ita diſpoſita, vt qua parte paulo accliuior eſt ad occaſum, magnus in eam riuus influat è Turia deriuatus, à quo poſtea ſubtus in tres præcipuos alueos diſpertitæ aquæ, ac per concameratas, ſatiſque amplas cloacas deductæ, non modo pluuiales cum vicorum ſordibus excipiunt (quod Romanorum tantùm eſt opus cloacarum) verùm in ſe etiam domorum omnium, atque latrinatum feces quotidie per alueolos manu factos recipiunt, atque extra vrbem emittunt. Quippe vnaquæque domus ſic eſt conſtituta, vt puteum & culinam habeat, è quibus emiſſæ, ac ſuffuſæ aquæ in eum alueolum concurrunt, in quem confluunt ſordes, & feces domus; quæ humore molliente, per aquæductus in alueos maiuſculos, qui ſub terram per medios vicos diſpoſiti ſunt, excurrunt: iique ſingulas domos prætereuntes, eodem adiuti humore, in magnos tres illos influunt, atque in hunc modum omnes feces vrbis extra deducunt. Quod ſi contingat, aut intra domũ, aut in vicis obſtrui alueolos: id quamprimũ dignoſci poteſt, reſtagnatione; ſed aperta ea parte alueoli, repurgari protinus. Nam elatæ inde ſordes, neque intolerandæ ſunt, neque aerem inficiunt; propterea quòd diutius retentæ non fuerũt: haud ſecùs quàm in humano corpore experiri eſt. Etenim in eo, vt ſumma ratio ſalutis ab excernente feces aluo, pauloque laxiore ventre, ſumitur; morbi verò, à reſtricto nimis illo emanat: quid totius quoque vrbis corpus? nonne illuuie & ſentina retenta, perquam fiet morboſum? perinde ac rurſum eiectis illis, ſalute quoque fruetur? vt potiſſima vrbanæ ſalubritatis ratio inde ſumatur? Cæterùm neque lacus ille magnus, Arabice Albufera, (paruum mare ſignificat) qui ab vrbe ad tertium lapidem abeſt, obiiciendus eſt, ac eo, quod ad meridiem expoſitus, ſtagnantibus ibi aquis, vrbem inficere exiſtimandus. Nempe cùm coniungatur illæ aquę marinæ, quæ vna quidem paluſtres aquas à curruptione tuetur; lacumque tot è mari piſciculis replet, qui guſtu ſubdulcis aquæ ineſcati, in eum intrant, vt ex quibus creſcentibus neque ad mare regredi permiſſis, permagnus quæſtus piſcatoribus, atque vrbi copia obueniat; præter alias aquatiles aues, quæ aucupibus tantum voluptatis afferunt, vt ipſe lacus in ſummis vrbis delitiis habeatur: quando ſæpè in eo contingat, vt vno ſimul tempore nauigantes, dum alii piſcantur; alii aues capiant, alii apros tranantes conſectentur, & ſeſe diuerſo voluptatis genere oblectent: quemadmodũ in eiſdem de Sale, lib. 2. abunde deſcripſimus. Adhæc ſalubritate inuenta, vbertatem agri conſiderantib. alteram inuenire fuit Aegyptum; cuius, vt ſerenum ſemper cœlum eſt, ſolum verò natura pingue, adeoque ad omnem proferendum fructum, aptum, atque habile, vt inundante Nilo, incredibili varietate frugum ipſa exuberet: ſic vrbs, cuius cœlum, vt plurimum apertum eſt, neque nimiis eius ager infeſtatur imbribus; non præcellentes modo res, ſed ſexcenta prope genera fructuum proferre ſolet, idque opera Turiæ fœcundi fluminis,

quod

quod non inundatione;sed leni, artificiosaque riuorum deductione agros irrigans,non solum lætificat;verum pingues reddit vsque adeo,vt omnes,quos fert orbis fructus,consitus Valentinus emittat. Agricolarum enim labore,atque industria fit, vt nunquam otiosus ille sit neque fructu careat: vtque vnus idem, terque quaterque varios intra annũ fructus ferat. Cuius etiam non modo consitiones,variæque agricultorum insitiones mire delectant:sed hortorũ diuersæ & artificiosæ constructiones vehementer alliciunt. Ad de commodissimam Regni positionem , & figuram ita dispositam , vt ea ferè trianguli formam efficiat. cuius summum angulum suo quasi gremio Aragonia excipiat : duoque latera hinc Castella,illinc claudat Catalonia; mare autem subtendat basim,quæ duplo maior est diametro, qui à summo angulo in mediam basim vbi locatur vrbs, incidit. Quantum enim vrbs secundum mare Aquilonem versus à Catalonia distat; tantundem rursum, versus meridiem,pone mare à Castella differt; maiorique ex parte Regnum cũ mari committitur,fitque propterea illud locupletius; quod maiorum illi causa bonorum sit mare,quàm vicina Regna. Idque non ob assiduum tantummodò, ac locupletissimum piscatum,cuius ope vniuersa ora,& Regnum non minus illo,quàm carnibus sustentatur; sed ob quæstuosissimum nauigationis vsum,quo fit,vt cùm variæ merces vndique inRegnum inuehantur;tum quæ Regni sunt, magno etiam cum compendio; & quæstu exportentur. Nec vero,propterea quòd vrbs portum non habeat,sed aperto, minusque tuto nauibus mari obiiciatur,quodque coniuncta ei non sit, immo duobus disiũncta milliaribus, quicquam de summa eius laude detrahitur. Hæc enim duplici de causa vrbi fiunt longè commodiora. Nam quid obsecro,boni,tanquam studii, doctrinæque pabulũ colligi,excerpiue potest ex præsenti, continuoque aperti maris, quod ferè nunquã tranquillatur,obtutu & contemplatione? cùm semper ad illius motum,aut vacillẽt oculi, aut nutet animus,neque hunc quicquam perattente meditari sinat?sed ingenium potius pene videatur obtundi ? An vllum est genus hominum piscatoribus à mari oculos nusquam deiicientibus obtusius ? Insuper ad patriæ securitatem , quid , quàm longè à mari esse tutius? Hac enim de causa Liuius vrbis Romę distantiam à mari , duodecim vsque milliaribus, in magna quasi ponit ipsius vtilitate. Nam dubium non est, vrbis oram portu carentem , tutiorem esse , minusque infestari solitam repentino magnarum classium impetu & incursionibus; ex eo quòd tam infido ibi mari vix sese vnquam classis committat. Quapropter vt Regno subinde vtile est non multis portubus patere mari: ita paucos illud, eosque præmunitos habere, vti habet,longe præstat. Præterea habet quoque Regnum suos peculiares fructuum redditus in magna copia, quibus non solum,se,ac vrbem,sed transmarinos etiam populos sustentet: vt cuius oppida & loca quædam sint,quæ frumento abundent : alia quæ vino, tum alia Sacharo:quin & oriza non pauca;spartho pleraque serico bombicino omnia circunfluant. At verò quidam inscite, vt puto,vrbanos insimulant,asserentes,eos de copia,& vbertate rerum falso gloriari;cum ea frumenti , atque carnium saltem veruecinarum inopia laborent ; vt quotannis ad se illa aliunde importare necesse habeant : propterea quod Regnum neque sibi,neque vrbi alterutra re sufficiat. Sed errant toto cœlo,qui de his ita iudicant, vt putent Regnum minime posse suis sufficere. Nam tolle exterorum, aut commeantium , aut in vrbe & Regno degentium , plus quadraginta milium hominum multitudinem , quos alit Regnum: tolle immensam, vt diximus , aliorum fructuum varietatem, quibus occupantur agri; hosque frumento , atque pastionibus relinque : demum incredibilem vrbis frequentiam ; vagosque & egenos expelle, atque relicto ab vrbanis abdomine, Laconica eos vti frugalitate compelle: haud dubium, quin horrea, & macella etiam ad vilitatem vsque abundent. Verum si miserum quidẽ fuit Midam Regem,multo alioqui abundantem auro,tamen esculentorum inopia & fame premi : nonne longe esset miserius , Valentinum Regnum , vni duntaxat pecuariæ atque frumentariæ rei excolendum dari : aliorum verò fructuum affluenti copia, grataque varietate priuari; Licet enim magnus in Repub. nodus sit inopia rei frumentariæ ;tanta tamen in eo dissoluendo , patrum atque Senatus cura inest , tam ingens sollicitudo, ac tanta diligentia , vt caritati annonæ in tempore vndecunque mirabiliter occurratur. argumento est , quòd in summis, atque tristissimis famis temporibus , esurientibus cæteris Hispaniæ Regnis, Valentinum abundasse compertum fuit: præterquam quod à vicinis Castellæ Regnis tam vsitata est, ac quotidiana frumenti inuectio , vt ea perinde ac propria Regni messis habenda sit, & tanquam seges nunquam defutura Valentinæ affluentiæ adnumeranda. Id ipsum in pecuaria re quoque seruatur : cum in ipsis Aragoniæ, & Castellæ Regnis tanta sit pecorum procreatio & fœcunditas; vt quia redundent, necesse

fit ea, compendii ac quæstus gratia, continuè in Valentinum macellum transmittere. Quapropter Valentini, tum frumentariæ, pecuariæque inopia liberati; tum reliquis cumulati rebus; vt in tanta vrbis amœnitate hilarem, ac periucundam vitam agant, vtque festiui, Iouiales, ac effusi sint, est necesse. Sed vitiosa rursum æmulatione illis obtrectare solent exteri, atque eos leuitatis arguere; propterea quod vsqueadeò præsentium rerum capiantur iucunditate, vt ipsos neque præteritarum recordatio vlla premat, neque futurarum cura & anxietas sollicitet: & qui neque vicinorum Regnorum constantiam & frugalitatem imitari velint, sed ab illis diuerso vsu vitæ discrepent. Vnde non paruam profectò admirationem mouent hæc tria, Aragoniæ, Cataloniæ & Valentiæ vicina Regna, quòd tam dissimilibus inter se naturis sint, tamque diuersa sequentibus, vt illa quidem moribus, perinde vt temporibus, distinguantur. Tria enim tempora inter se partiuntur, Aragoniæ namque Regno, eiusque indigenis, quòd de maiorum suorum factis semper glorientur, præque illis præsentia despiciant; atque ideo latas priscas leges, & plebiscita perquam constanter defendant, tempus obtigit præteritum. Cataloniæ autem, aut propter sterilitatem soli pluribus inculti locis, aut quia natura frugales sunt Catalani, adeoque de futuris soliciti vt præsentibus vix frui videantur; futuri data est sors temporis. At verò Valentini, quibus ex vbertate, & redundantia ferè præsentia sunt omnia, atque suæ potius, quam maiorum virtuti conniruntur, nec sibi quicquam in posterum defuturum putant, ac neque præteriti memores sunt, neque futurum timent, præsentibus vti, fruique solent, præsens tempus peculiare sibi ducunt. indeque cæteris largiores existunt: quandoquidem, vt vera prædicem, in Christi pauperes, adeiusque extollendam religionem, & diuinum amplificandum cultum, in quo Christianos fere alios superant, benefici, ac perquam prolixi fiunt: vereque hilares datores sunt, ac lætantur cum benefecerint. Hinc est, vt quemadmodum tempora; sic & bona, quæ ex vtili, honesto, & delectabili constant, hæc ipsa Regna inter se partiantur. vt enim, iisdem ipsis de causis tempori accommodatis, honestum Aragoniis; vtile verò Catalanis obtigit: sic quoque Valentinis cessit delectabile, quod etiam cum vtrisque potest quam facilè congruere: non enim ab humano conuictu abhorret, Salomone teste, bene viuere, & lætari. At verò si eximia demum, suauiaque ingenia ciuium disquiramus, hæc quidem exteri, etsi singularia, excellentiaque esse fatentur, quia tamen volubilia sunt, & arguta nimis, quandam animi mobilitatem & inconstantiã præ se ferre existimant, quæ ipsos ciues in crebras tanquam tempestatum, sic dictorũ, atque factorũ commutationes temerè detrudunt: ideoque hoc ipsum ingenii acumen, quod eos in lubrico, parumque fido statu rerum cum versari cogit, tum sępe quidem in Reipub. perniciem detorqueri solet, vehementer reprehendunt. Iccirco haud ineptè quidam, Valentinorum ingenium contulit cum Argento viuo (Mercurium vocant, quasi quod volubilitate sua contrectantes eludat) quo sanè Physici non modò ad reliqua coagmentanda, & concinnanda metalla mirè vtuntur; verum etiam affirmant, illud idem, purum putũ argentum esse, si modò consisteret: namque id, vt consequerentur Chymici, diu multumque laborarunt. Sed hac illi similitudine profectò laudare potius id genus ingenii omni ex parte, quam ex vlla mihi videntur vituperare; quòd instar scilicet, argenti viui illud tum velox, ac promptum sit; tum ad omnes etiam apprehendendas & concinnandas artes aptissimum. Ex quo, vt propria est argento viuo volubilitas, ac neque iccirco ipsum innatam veri argenti naturam amittit; ita sanè, quoniam tarditati ingeniorum semper fuit prælata celeritas, hæc Valentinos mira ingenii bonitate commendat: propterea quòd sub ea celeritate, immensum ab eis ratiocinationis, atque indagationis iter confici, ac percurri demonstrat. Quod si verum est etiam, talia ingenia præcipites, atque periculosas deliberationes elicere, ac varios, lubricos, minusque sibi constantes deliberantes efficere: Sed vt Chymicis suus vtcunque argenti viui sistendi modus inuentus est; sic Valentinis, sua quoque ratio, & ars non defuit, ad celeres ipsorum animi motus, argutamque ingenii mobilitatem cohibendam; eamque ad honestas, æquabiles, ac singulari constantia præditas deliberationes traducendam. Nam dum patres ab indulgenti matrum educatione abstractos puerulos, pia, Christianaque disciplina instituendos curant: dum literis & humanitate imbutos ad ciuiles mores, vitæque elagantioris cultum traducunt; facilè consequuntur, vt in illis adolescens iã ratio, & rerum vsus, contrahere, sedareq; nimios ingenii impetus doceat: præsertim cũ actuosa admodũ, atq; negotiosa ciuitas, eosdem ad aliquid agendum, & otia fugiendum semper impellat. Adde seueras leges, rigidaque lata in effusos & vagos plebiscita: subde multorum grauissimorum ciuium probatissimum vitæ, morumque ad imitandum exem-

exemplum: denique tam inſitam vrbi religionem, quæ maximè omnium ad pietatem, ſociaſque virtutes vnumquemque hortatur. Quibus planè artibus, haud eſt difficile eiuſmodi ingeniorum volubilitatem, animique mobilitatem, quas ſequi ſolent inconſtantia & temeritas, ad meliorem vitæ frugem, grauitatem, & perſeuerantiam redigere. Facilius enim eſt, hæc ipſa, tanquam blanda & ſuauia ingenia, quàm obtuſa & tarda, ad optimam Reipub. adminiſtrationem traducere. Qua in re Valentinos ciues, qui Rempub. gubernant ſummopere proficere, ac præſtare videmus. Nam mirum quidem, quanta cum conſtantia & frugalitate, tum gratia, & commoditate populi, ſe in eius adminiſtratione gerant. Neque enim tam eſſe poſſent, vt ſunt, iucunda omnia in ciuitate, niſi rerum affluentia, qui fructus eſt optimæ gubernationis, abundaret. Sic ergo Iacobus, tum Aragonenſis conſtantiæ, tum Catalanæ frugalitatis: tum iucundæ demum Valentinæ liberalitatis conſors ac particeps, & conſtantiſſimi, & frugaliſſimi, & liberaliſſimi, qualis erga Valentinos fuit, nomen eſt aſſecutus.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER XIII.

GLORIOSVM Iacobi ſine direptione vrbis ingreſſum; ædiumque, ac prædiorum diuiſionem; nec non legum atque ſcitorum ſanctionem, cum ſolerti ciuitatis, eiuſque morum deſcriptione, duobus ſuperioribus libris enarrauimus: ac quoniam duarum Regni partiũ, quæ Ilergaones, atq; Aedetanos continent, expugnatio antea explanata fuit; ſupereſt vt de tertia, quæ Conteſtanorũ eſt, quãto ipſa, quãque difficili acquiſita bello fuerit, dicamus. Eſt enim ea regio vltra Sucronẽ poſita ab ortu, mari, à meridie, Murcienſi Regno, ab occaſu Caſtella, atq; à ſeptentrionibus tandẽ, vrbe, cœteroque Valentino Regno concluſa: ferax admodũ, atque bellicoſa gente defenſa, quin & multis frequens populis pernobilibus: munitiſſimiſque, quorũ pleriq; vi & armis, nonnulli patientia & labore, quidã induſtria & arte; multi demũ, ſola ipſius fama & opinione victoris Regis, in poteſtatem redacti fuere. Omniũ igitur primum, Setabis oppidum præſtantiſſimum, totius regionis caput, quod vnius diei itinere ab vrbe diſtat, atque ipſum ſecuta permulta vltra Sucronẽ oppida, legatos ad Regem oratum miſere; vt ſe, aut ſtipendiarios, ac tributarios haberet; aut inducias, quoad vellet, cum ipſis faceret. Vtrunque Rex fecit: tametſi cum iis, qui citra Sucronem erant, id ipſum licèt obnixè petierint, nequaquam fieri permiſit: ſapienter quidem ille reliquam Regni expugnationem inſtituens. vtpotè quam, non vniuerſam ſimul neque à remotioribus; ſed ſigillatim, atque à propinquioribus incipere deſtinauit. Nam inducias vltra Sucronem faciens, citra verò bellum indicens aditum ſibi ad vtroſque feliciorem aperiebat; propterea quòd in citeriores hoſtes, qui vrbi coniunctiores erant, facile eſſet, iiſdem ipſis vrbis præſidis, atque cum paucis irrumpere, & quæ ſemel acquiſita eſſent, paruo negotio retinere, ac defendere, potius quam relictum à tergo hoſtem timere, indeque regredi, quàm progredi magis eſſet neceſſe. Quod planè callidi, ac ſapientis Imperatoris fuit, vlteriores hoſtes, pactis induciis, quaſi vinculis, ne citerioribus auxilio eſſe poſſent, aſtrictos tenere: atque in hunc modum, immoto ferè altero ab vrbe pede, tutò cum citimis pugnare. Ipſos igitur trecentos octuaginta equites, quibus Rex prædia diuiſerat, eaque lege & onere contulerat, vt in ſingulos quatuor menſes, centum ex eis in præſidium vrbis, ac Regni eſſent, denuò promiſſi, ac fidei datæ admonens, in vrbe, aliiſque propinquis eis locis, & arcibus apud Almenaram, Saguntum, Eneſam, Graum maritimum, Ciliam, Liriam, atque Chiuam cum prẽſidiariis collocauit. Quorum præfectos eſſe voluit Naſturtium Belmontium Templariorum Promagiſtrum, Berengarium Entenſam, Guillermum Aguilonem, & Simonem Petrum Taraſſonam, proceres nobiliſſimos, reique militaris peritiſſimos. Quibus ſua quoque in ſtatione collocatis, atque tum vrbis, Regnique

defensione, tum pactionum, ac induciarum fide, & conseruatione commendatis neque interim eisdem quicquam innouare iussis, ipse Monpellerium profectus est; tam vt pecuniam reparandis tot belli sumptibus curaret, ac breui ad redintegrandum illud reuerteretur; quàm vt turbatas eius res vrbis componeret. Acceperat enim litteras, quibus docebatur populum esse in partes diuisum, hasque adeo in se inuicem male affectas, vt ni venire maturaret, futura illico esset eius Reipub. ruina, indeque in ipsum conspiratio merito timeri posset. Quamobrem Rex protinus cum Petro Fernando Assagra, & Assalidio Gudalio, aliisque triginta equitibus triremem conscendens eò se contulit, breuique secundo vento, in portum vrbi proximum appulit; è quo deductus est in Castrum Latesium, vbi ab vrbanis, qui eò confluxerant, magno cum applausu fuit exceptus. Quanquam in ipso quidem ingressu Castri, quidam vrbis primates inique ferentes, quod Rex minime se illis medium præbuisset, præsertim Petrus Bonifacius Vrbanorum nobilissimus, qui factionis Barcensis caput erat; ad Assagram, & Gudalium, quos sibi Rex iunxerat, accedens, fastidiose petiit ab eis, vt sibi, alterique socio, latere Regis cederent, more patrio, id ad se spectare contendens. Repugnantibus illis, Rex Bonifacio morem geri iussit. Viderat enim illum cum permultis suæ factionis commurmurari, ac neque iniquum petere. At vbi palatium ingressus Rex fuit, continuo Bonifacius apud eum conquestus est de magistratibus, Regisque ministris, Narbanum innuens, qui Regis vicarius erat; propterea quod cum eius sectatore populo odio nobilitatem prosequeretur, Regiamque subinde potentiam, & quasi lacertos belli nobiles, labefactaret. Quare se esse cum suis præsto Regi, modò pro bono Reipub. & auctoritate nobilitatis, tam impotentem hominis, atque plebis insolentiam retunderet. Cui Rex, gratam habere eius, atque nobilitatis promissionem, & propensum erga se animum, breuique curaturum omnia, respondit. Sed abeunte Bonifacio, accessit Narbanus, Regique simulata Bonifacii promissa, tacitasque nobilium sociorum coniurationes in Regem, atque populi oppressiones patefecit. Iamque, vt fidem faceret eorum, armatos populares turmatim, seu per centurias ad Regem noctu venire fecit; qui de Bonifacio, Gerardo Barcensi (is erat factionis etiam caput) Bernardo Reguardana, & Raimundo Besseda, ciuitatis primoribus conquerentes, grauia eis crimina, & inter ea, maiestatis obiecerunt: ad ipsosque puniendos, se adfuturos Regi cum integra armatorum legione promiserunt, modo eiusmodi Monpelleriensis Reipub. perduelles de medio tolleret. Quibus populi clamoribus, atque delationibus compulsus Rex, Bonifacium, & alios à præcone vocari iussit; non comparentes, quoniam culpæ fortassis sibi conscii vrbe excesserant, tanquam perduelles maiestatis damnari, eorumque bona publicari, ac domos dirui, complanarique fecit. Quo peracto, imperata paulo ante ciuibus pecunia, libenter numerata fuit, atque accessione proscriptorum auctum ærarium, ditissimi enim erant. Dum hæc fiunt, nunciatum est Regi, Prouincialem, & Tolosanum Comites, aliosque vniuersæ Aquitaniæ Regulos & Barones venire ipsius visendi gratia. Quos vt magnificè ac splendidè exciperet, è Latesio vrbem ingressus est. Verum postero die, nempe quarto nonas Iunii, anni M. cc. xxxix. vt in Commentariis Regiis describitur, secunda pomeridiana hora, ingens ad duodecimum vsque gradum fuit Solis defectio, quam Græci vocant eclipsim; indeque tanta secuta obscuratio, quanta alias nunquam visa, comparentibus in cœlo stellis, perinde ac si media nox esset. Id ipsum attestatur Bernardus Guidonus Episcopus Lodonensis in sua Historia addens, in festo diui Iacobi Apostoli, octauo Calendas Iulii eiusdem anni, media luce, atque sereno cœlo, similiter defecisse solem, non tamen quot antea gradibus, obscuratum fuisse. Quæ duæ defectiones, num sinistri aliquid portenderint, quod postea sequutum fuerit, scripsit, quod sciam, nemo: nisi, quod Principes illi Regis hospites in magno timore fuerint; autumantes, similes defectiones, Principum, atque magnorum virorum interitus prædicere. Quanquam equidem (vt paululum oratione digrediamur, ac ne opinione vulgi in errorem rapiamur) eiusmodi Solis, atque Lunæ defectiones, non tam futuros Regum obitus, sinistrosue, atque inopinatos rerum euentus prædicere, quam efficere, ac eorum causa esse solent. Nam vt Sol, vi, radiisque suis in hæc inferiora influens, non modò propagationis rerum; sed earum etiam fomenti ac conseruationis summa est causa: ita oppositu quidem Lunæ, sua quasi impeditus facultate & impressione, subiectas res deserens, occasioni est, vt ipsæ sui quasi maturato occasu, deficiant. Ideoque tam Luna Soli obiecta, quàm Lunæ terra, illam obscurans, multarum mundi defectionum, atque animantium occasuum, non tam prædictiones, quam

nes, quàm causæ fiunt. Ex quo ad alia Phænomena, eiusmodi defectionum prędictiones, seu futurarum rerum præsensiones, non causæ, sunt referendæ. Quarum præcipuæ, magisque peculiares insunt Cometis, crassa calidaque ab exhalatione actis, ac in altum sublatis. Hi namque, haud dubiè, futura ostendunt, atque multarum sæpe calamitatum prænuntii, seu potius muta quædam diuini numinis missa de cœlo prodigia, & quasi oracula existunt. vt quibus Reges, ac Principes, maximorum impendentium ipsis, populisque suis periculorum admoneantur. De quibus sanè Cometarum prædictionibus olim dubitanti mihi, easque in meras fabulas, & conficta somnia referenti, occurrit Cometa vnus hoc tempore, qui ex tot consentaneis eius figuræ, ac situi, rerum euentis, magnam profectò prædictionis suæ fidem omnibus, ac mihi fecit. Ac quoniam euanescente illo, multa iam calamitosissima Regum, exercituumque excidia, & interitus vno die euenêre: haud puto me præter rem facturum; si tantummodo, Reges admonendi gratia, Cometam hunc cum suo ostento, quasi somnium cum interpretatione, huic Regiæ historiæ quàm breuissimè attexuero. Vtpote cùm illius iam ortum, situm, figuram, & causas, variasque motiones, Astronomis, qui de eo abunde scripserunt, disputandas relinquam; quoniam ad lamentabilem tot Regum interitum subiiciendum, nostra festinat oratio. Siquidem apparuit temporibus nostris, quarto abhinc anno, qui fuit M.D.Lxxvii. Septimo Idus Nouembris, stella quædam crinita in Occidentali parte, non supero in cœlo, sed summa, vt videbatur, in regione aeris constituta. Tametsi ex eo, quòd non ab Europea gente solum; seb ab Occidentalibus Indis, eodem ipso tempore, loco, positione & figura, fuit etiam conspecta: creditur ea cœlo citima fuisse. Cuius situs, Ortum inter, & Septentriones, sub Sagittario indeque oriens, radios, siue crines suos fumoso quodam, atque cineritio micantes candore, Africam versus extendebat: ac vt ex eius lineamentis, & figura deprehendi poterat, sua quasi aduncitate buccinam: capillamento verò, flagellum adumbrabat. Quæ duo spectra, siue figuræ sub Sagittario ortæ, Astronomorum obseruatione, bellorum, atque inclytarum cædium successus, toti manifestandos orbi, solent portendere. Postquam igitur stella, variante cauda, tribus prope mensibus in eodem cœli situ & positione permansit, ac mala, quæ obuentura erant, diutius duratura præsignificauit, elapsis illis ipsis, protinus euanescere cœpit, nec amplius visa fuit. Quæ autem illam sequuta portenta fuerint; quodque ab ea quidem clarissimè extiterint prænunciata, breui quadam historiæ narratione exponentur. In Africa, apud Mauritaniæ, & Numidarum Regiones, duo potentissima Fecensium, & Maurusiorum coniuncta Regna continentur, quæ paucis ante annis Habdalla Rex possidebat. Is quatuor habuit filios, Habdallam, Habdalmelicum, aliàs Maluchum, Muleahametum, & Muleamumium. Mortuo Habdalla patre, regnauit Habdalla filius fratrum natu maximus, qui filium habuit Muleamahemetum, cognomento Nigrum, quoniam eum ex Regina, vt ferunt, Aetiopissa susceperat. Verùm Maluchus, vt primum fratri Regi filius Niger adoleuit, veritus vtriusque insidias, ad Selymum Imperatorem Turcarum abiit, sub eoque aliquot annis militauit, ac in magna eius gratia fuit. Nam ex eo quòd Habdalla Rex Selymo subdi, eiusque partes sequi noluerat, Maluchus illius nutu, & ope, veniens Algerium, Regis filiam, sola Maurusiorum spe Regni dotatam, vxorem accepit: indeque secretò Habdallæ Regi fratri insidias posuit, qui tandem in Mahometana Aedicula, dum impias suæ sectæ cerimonias agit, disploso, vt vocant, sclopeto interemptus fuit. Atqui Maurusii atrocitate rei commoti contra Maluchum, Regnum Nigro Habdallæ filio detulerunt. vnde Maluchus iure ad se Regnum pertinere contendens, soceri Regis, atque Selymi copiis apud Algerium inuentis adiutus, cum potentissimo exercitu Maurusium venit, vbi commisso prælio, superatoque Nigri exercitu, Maluchus ipsum Regno expulit, atque in montes, vt vocant, Claros, in extrema Regni parte sitos, compulit: sicque libere Regno potitus fuit. Interim Niger, dum legatos in varias Africę partes mittit, auxilium à paternis amicis implorans, ipse in Hispaniam venit, ad Philippum II. Hispaniarum: & Sebastianum IX. Lusitanorum, Reges, vt etiam auxilio sibi essent deprecaturus. Sed Philippus iustis de causis iuuare renuit: Sebastianus verò, pro bono & conseruatione ciuitatum, quas maritima in ora Africæ Maurusiis vicinas ac confines obtinebat; non modò cum classe, & exercitu iuuaturum: sed cum esset iuuenis magnanimus, strenuus, gloriæque percupidus, se quoque cum suis adfuturum promisit: neque de suo itionis proposito à Philippo auunculo, quamuis enixè conanti, deduci po-

tuit. Vndè contigit, vt quo temporis articulo, Sebaſtianus eo ire in animum induxit, Cometa apparuerit: isque tandiu omnibus emicuerit, quandiu (vt curioſè obſeruatum fuit) Sebaſtianus mente tenuit, atque animo verſauit profectionem. Nam vt primùm pręparari ea, atque omni re, milite & armamentis claſſis inſtrui, ac exornari cœpit, Cometa euanuit: ſignificans ſe, oſtento ſuo: non modo futura omnibus prædixiſſe; ſed Regi etiam tempus ad deliberandum dediſſe, quaſique edixiſſe vt ab incœpto deſiſteret. Neque enim credi par eſt, Aſtronomos, ſiue Magos, vt dicunt, Regis, in tam manifeſto cœleſti ſigno, quod in Africam, quo erat eundum, caudam tendebat, turpiter connixiſſe, neque præmonuiſſe Regem, aut contempſiſſe prodigium. Quinimmò verùm eſt, per id tempus, fuiſſe editum prognoſticon, quod etiam perlegimus, à peritiſſimo Aſtronomo, aperte aſſerenti, quas Cometa calamitates prænunciabat, in Portugalliam,& Africam intendere; autoremque vtramque prouinciam his verbis admonuiſſe. Caueat ſibi Portugallia: caueat Africa. Itaque nihil proficiente Cometa, Sebaſtianus Italo ſimul & Germano milite comparato, totaque nobilitate Luſitana ſequente, cum claſſe florentiſſima profectus, in Africam peruenit, atque portum Alarachium, non longè à Gadibus, ad Oceanum tenuit: vbi expoſito in terram exercitu, protinus venit ei obuiam Rex Niger, qui Sebaſtianum cum vniuerſis copiis, inter duos amnes, loco tutiſſimo ad ſeſe defendendum, non longè ab hoſtibus, collocauit: impenſeque rogauit, ne ſe loco, quantumuis ab hoſte laceſſitus, dimoueret, neue flumen traiiceret, quoad ipſe ſuo cum exercitu veniret. Verùm abeunte Nigro, Sebaſtianus nullam pugnandi interponendam moram ratus, præmiſſis aliquot velitibus, qui omnem circumcirca Regionem explorarent, neque comparere quenquam referentibus; hoſtem quoquouerſùm quærere decreuit. At verò Maluchus ſagax, & aſtutus, innumerabilibus equitum copiis congregatis, quibus præerat Muleahametus frater, eas interim à conſpectu Sebaſtiani, Punico cum eo dolo vſurus, abduxerat; vt ipſum è tam opportuno defenſioni, atque natura munito loco eliceret. Et quamuis idem grauiſſimo tunc, mortiferoque conflictaretur morbo, voluit tamen prælio intereſſe; ſeque inter arma lectica circumuehi iuſſit, quò ſuis vtcumque præſentia vires adderet, eoſque à transfugio, quod timebat, contineret. At Sebaſtianus pugnandi cupidus, atque ſuis copiis tantummodò, nulli communicata gloria, vincendi hoſtem deſiderio flagrans, flumen, non expectato Nigro traiecit: vixque illud media ferè pars exercitus tranarat: cum ſubitò hoſtilis acies equitum plus quinquaginta millium, ſe in Sebaſtianum immiſit, atque cruentiſſima commiſſa pugna, eundem ſtrenuè ſeſe licet defendentem ſuperauit. Quo miſerabiliter interempto, eius quoque exercitus cæſus, atque omnino captus fuit. Hac ipſa hora Maluchus è lectica exiliens, admiſſo equo, arreptam haſtam, quanta vi potuit, acutiſſimo clamore edito, in hoſtes iaculatus fuit; ſtatimque in lecticam reuerſus, ſuperante morbo expirauit. Sub hæc, eodem quoque tempore, vix dum finito prælio, adueniens cum exercitu Niger, inueniensque tum Sebaſtianum flumen tranſgreſſum, & interemptum; tum eius exercitum fuſum ac profligatum: atque conuerſos hoſtes in ſe vnum irruere; trans flumen, in locum vbi Sebaſtianum locauerat, ire properauit. Verùm in ipſo traiectu fluminis, cùm ſitiens equus curſum ad bibendum ſiſteret; atque adductis à Nigro habenis; acriuſque calcaribus adhibitis, ſeſe derepente erigeret, ſeſſorem reſupinum in profundum iecit: qui preſſus armorum pondere, neque enatare valens, miſerè ſuffocatus fuit. Sicque vno die, vnoque fere loco, & prælio, tres potentiſſimi Reges, prænunciante Cometa, & cecidere ſimul, & vario licet genere mortis, tamen extincti fuere. Demum, diuino ſic ferente nutu, qui non malorum prænuncius, vt Cometa, ſed bonorum omnium autor eſt, ac diſtributor; quo diſponente, vniuerſa Regna & Imperia orbis, & dantur, & adimuntur; & prout vult, atque expedit, ab aliis in alios transferuntur: factum fuit, vt Muleahameto fraterni exercitus ductori, proque fratre ſtrenue, fortiſſimeque pugnanti, fraternum ex victoria imperium obtigerit. Philippo verò, cum Sebaſtiano optime conſulenti, tum de Chriſtiana Repub. benemerenti, hæreditario etiam iure, Luſitaniæ Regnum cum Orientali eius ditione ceſſerit: ſicque in eius poſſeſſionem felici Albani, præſtantiſſimi, totque victoriis, trophæis, atque triumphis illuſtrati Ducis conſilio ductu & induſtria venerit. Et quid obſecro euenire potuit felicius? quid beatius, aut glorioſius? quàm Philippo 2. Rege, ac Gregorio XIII. Pont. Max. quod fuerat à Gothicis vſque temporibus deſideratū noſtris obtigiſſe? Nempe huius tanti Regni acceſſione, vniuerſam Hiſpaniam, non modo in vnam domina-

dominationem coaluisse; sed adiectione Regnorum, quæ in continenti, & Insulis Europę tenet; vna cum Occidentali & Orientali nouum orbem constituentib. Imperiis, in maiorem, quàm fuit vnquam Monarchiam euasisse? Sed quid tandem diuinius; quàm huic tantæ moli rerum, & immenso Imperio, perinde vt indomito, ac intractato equo, Philippum Regem sapientissimum, & Iacobum filium Principem, dominos ac domitores obtigisse? Quanquam, vt cum Cometa concludamus, qui mala, quæ prędicebat, maiora indies obuentura esse significabat: superioribus immaniora adhuc monstra successere. Nam per id tempus, Ferdinandus Hispaniarum Princeps Philippi F. fratrum natu maximus, vix septimum attingens annũ de medio sublatus est: & Ioannes Austrius Caroli Quinti Imperatoris filius Philippi frater, tantis rebus gestis, qui bello contra Belgas præerat, morbo interiit: Quin & paulo post; vt primum Philippus cum Anna Austria Regina, ingressus est Lusitaniam, in grauissimum & periculosissimum morbum incidit; cuius tana vis fuit, vt prorsus de ipsius vita & salute fuerit desperatum: sed diuina bonitatis infinitate miserante, auersus est furor, ne alienissimo Reipub. tempore, Rex optimus & maximus, è vita cederet; neve tantus ipsius gloriæ cursus immatura morte interciperetur: cum satis quidem ei acerbissimæ mortis loco fuerit, Annam coniugem charissimam, fœminam lectissimam, & prudentissimã, eodem tum morbo correptã, antequam ille conualesceret, interiisse. Atq; ita constat sanguinarium (vt sic dicam) Cometam, tam inclytis in Africa, & Hispania cædibus, ac illustrioribus, quam de quoquam alio legatur, præsensionem suam nobilitasse. Vt igitur eo, vnde diuertimus, ad ipsos scilicet Iacobi hospites, duabus Solis defectionibus conterritos redeamus; fuere hi quidem à Rege honorificentissimè excepti, longeque lautius, atq; opulentius tractati. Quibus, id vnum ab eo efflagitantibus, Rex gestas a se res in expugnatione Regnorum, ac etiam agrorum diuisione, modestissime, atque ordine enarrauit: indeque multis eos muneribus cumulatos dimisit. Iamque ciuitatis, ac totius Principatus rebus compositis, nauem longam octoginta remorum, quam paulo ante ciuitas construxerat, Busam vocatam, conscendit, atque in Cataloniam nauigans, cùm Portum Veneris tenuisset, inde terra Gerundam venit. Cæterùm vt primum Rex Valentia profectus Mompellerium petierat, Guillermus Aguilo, vnus ex ducibus, qui in præsidio vrbis, atque Regni, relicti fuerant, simul cum equitibus & Almugauare, ac bona peditum manu, sociis in statione & pręsidio vrbis manentibus, eruptionẽ in Sarracenos fecit, nõ modo in eos, qui nondum expugnati fuerant; sed etiã quibuscum induciæ pactæ, atque ex pacto Rege tributarii erant. Quos ille adortus ex improuiso, magnas ex ipsis prædas retulit; obseditque oppidum Rebolledum; quod vi captum, postea dono Regis Petri Simoni Carrocio filio illius præfecti maris, de quo egimus, cessit, vna cum oppido Fontis Carrocii, ab eodem forte condito, aut denominato: quin etiam aliorum quoque oppidorum agros vastauit Aguilo, aliorumque domos, & armenta depeculatus est. Qua fama prædæ, permulti alii, ex præsidiariis, dimissa vrbe, se Aguiloni adiunxerunt, simulque exercitus & præda augeri cœpit. Cumque in montanis locis supra Setabim versarentur, in magna præcipuè conualle Albaidensi, quæ omnium Regni cultissima est, atque olei præsertim feracissima, populisque perquam multis frequens & habitata, prædas agere tentarunt. Sed ne liberè in eam excurrerent, cum impedirentur Castello quodam, Chio nuncupato, quod in faucibus conuallis situm erat, multoque præsidio munitum, ad illud oppugnandum accesserunt. Vtpotè quo capto, magnum facessebatur negotium, non toti cõualli modò, sed etiam Setabitanis, ad mutuum hinc inde transitum præcludendum. Quod autumnantes Chionenses, ignibus per Castella accensis, signo dato, totius conuallis Sarracenos commouerunt, qui sese congregantes, Chionenses ab obsidione liberare, atq; Castellum nouo præsidio munire statuerunt. Erat autẽ illud medium, ac proximum duob. vetustissimis populis, Lucento, & Pineto; in quorum priori, Christiani sarcinas & impedimenta reposuerant. Vnde Chionenses existimantes auxilia iam iam ex cõualle sibi affutura, vt initium victoriæ à se facerent, è Castello in Christianos irruerunt: à quibus tamen victi, fugatique fuerunt. Quare nostri Castellum occupare volentes sequenti die, viderunt Sarracenorum plus viginti millia petere Chium obsessione liberandum, ac castra non longè posuisse, quoad confluentes ab vniuersa conualle populos reciperent: adeoq; maturare aduentum, vt facile esset eis breui intrare Chium. Quocirca Christiani in montis verticẽ, vbi nunc insigne cœnobium fratrum ordinis Dominicanorum exædificatum est, Lucento & Chio proximũ, se receperunt. At verò Sarraceni qui subsidio venerant Chionensibus, intellecta eorum fuga, deserto Castello vniuersam conuallem circunseptam montibus occupantes, portusq; illius, ne quâ Christiani

elaberentur,præsidiis firmantes, aciem contra Lucentum direxerunt. Christiani verò qui se in tanto esse discrimine viderunt,consilio habito, minime se in eo loco, quamuis inaccesso,atque naturâ munito continere; quin potius obuiam Sarracenis exire, atque antequam illorum copiæ augerentur, impetum in eos facere decreuerunt. Igitur, vt ex Beuterio,alijsque scriptoribus,non tamen ex Regiis Commentariis, colligere est, reliqui quinq; Duces, qui ad Aguilonem ex variis Regni locis confluxerunt, Berengarius Entensa,Fernandus Sanctius Aierbes,Petrus Simon Carrocius, Petrus & Raimundus Luna Aragonenses,se se cum exercitu ad pugnam præpararunt. Quorum primus Berengarius,qui prælio,& victoriæ Enesianæ,sub Guillermo cognato militans interfuerat,Sarracenorum ignauiam,atque inertiam in præliando compertas habens; & quia bellicosus erat,sociis,ac exercitui nonnihil subtimentibus, Bono, inquit, animo vos esse iubeo ad dimicandum commilitones, quandoquidem exploratũ habetis, multo maiores, quàm hæ sunt,Sarracenorum copias à minori Christianorum exercitu, sæpè quidem cæsas, & fugatas fuisse.Idque maximè paulo ante, apud Enesæ arcem, ducibus Guillermo cognato meo,& Aguilone, quem nunc magno vestro commodo, ac certa cum spe victoriæ, ducem & antesignanum habetis:modò quibus se illi præliaturi, patronis Christo, ac virgini matri, toto pectore commendarunt; vos nunc similiter, vestrosque animos vehementi studio commendetis. Est enim ea turba ex tumultuario, imbellique milite collecta; quæque nullo seruato ordine venit ad vos, qui vestra industria, & summa bellandi arte,cum paucis maximos eiusmodi canũ exercitus sępè fugastis,vicistisq;.Exquo hunc, eodẽ implorato numine,ne dubitate,profligabitis. Hæc cum dixisset Berengarius; & Aguilonius grauissimis quoque verbis comprobasset, constanti, ac confirmato ad oppetendam mortem animo omnes esse cœperunt. Itaque summo mane dum sacrum fieri, sibique Christi corpus communicari expectant sex illi duces, & totidem hostias sacerdos consecratas habet,ac communicare parat; tam ingens clamor è castris exortus est, Sarracenis in nostros ex improuiso irruentibus;vt intermisso sacro,necesse fuerit duces arma arripere,atque pro se,arisque pugnare. Vnde in hostes magno sese impetu illis immittentibus,atque suos milites ad pugnam animose adhortantibus,commisso prælio,vsque ad vesperum fortissimè vtrinq; dimicatum est, diutiusque anceps pugna fuit. Dum interim sacerdos,qui hostias consecrarat,vehementer de illis sollicitus,diuino instinctu concitatus,eas intra pannos lineos (sacros corporales vocant) distinctas inuoluẽs,sub lapide reposuit:ipseque genibus flexis,ac sublatis in cœlum manibus,flens & orans substitit;quoad fugatis Sarracenis,duces in eum locum regressi sunt,acturi Christo gratias pro tam insigni parta victoria,atque sacratas hostias adoraturi. Cumque sacerdos sublato lapide,ac euolutis pannis illas inquirit,sanguine respersas, & ipsis pannis affixas, & hærẽtes reperit.Cui pro tanto rei miraculo,obortis lachrymis, ac in sacramenti laudem voce magna erumpenti,accurrêre duces, conspectoque diuino in terris prodigio, singulares Christo gratias cum vniuerso accurrenti exercitu egerunt. Ac protinus de transportandis sacris illis linteis, atque in tuto & venerabili loco reponendis cogitauerunt. Itaque eodem sacerdote duce, panni ad Darocam insigne Aragoniæ oppidum deducti fuere,& in maiori Templo repositi:vbi magna non modò populi, sed totius etiam Christiani orbis veneratione coluntur. Sicuti latius peculiari historia, quæ de re tam valdè miranda composita est,it idem continetur.Igitur exercitus ad prædam conuersus amplissima inde spolia retulit, atque illico Chium, diruto muro, igni succendit, ne Sarracenis denuò præsidio esse posset.Interea Regi Valentiam ab Aquitania reuerso, à tributariis, siue stipendiariis sarracenis magnæ habitæ sunt quærimoniæ de Aguilonis, & sociorum direptionibus,agrorumque vastationibus:quodque sarracenos ille denuò commouerit, & ad conspirandum irritauerit:iccirco vt de illatis iniuriis satisfaceret,petierunt. Sed cùm reliqui,qui cum Aguilone deliquerant,partim in Aragoniam,aut Cataloniam abiissent: partim sese excusassent,quòd gratia defendẽdi exercitus,quem Aguilo ducebat, ad eum venissent;in eundem culpa omnis collata fuit,isque regia accepta fide,comparuit, atque oppidorum Algerresii, & Rascaiæ, quibus à Rege paulo ante donatus fuerat, redditus Sarracenis tribui iussit,quoad vastationes agrorum,& illata damna,quæ fassus est,Sarracenis compensarentur.Sed cum Aguilo ea iam creditoribus dedisset, quod magno esset alieno obstrictus ære,præcepit ei Rex,vt omnes,quos duxerat ex præda captiuos,manubias,& spolia,quæ domi haberet, dominis restitueret. Qua prompta Regis iudicatione, Sarraceni tributarii pacati fuere: maximè verò, quòd sibi persuaserunt, Rege præsente, non amplius se molestia fore afficiendos. Posthæc Rex,cui nullum erat otium, nouam expeditionem in Sarracenos,quibus cum ad tempus fuerat pactus inducias,quòd elapsę

iam

iam essent, vltra Sucronem statuit suscipere, cum equitibus leuis armaturæ centum, atque octingentis peditibus; relictis totidem, qui postea sequerentur. Iamque vrbe exiens ad Albalatum pagum inter Cullarim & Algeziram venit: atque in Bairenam vallem contra Gandianos signa dirigens, in latissimam planitiem cœpit excurrere, mare inter & perpetuum montem interpositam, ac ob stagnantes ibi aquas incultam. Qui mons tum Bairena à læua, & Corberana à dextra arcibus; tum duabus conuallibus in eandem planitiem decurrentibus terminatur. Quarum quidem conuallium citerior altissimis circumclusa montibus, Sarracenis Alfandecha, hoc est, profunda, aut deserta, nostris verò Valdigna nuncupatur. Cuius longitudo quatuor milliaribus, latitudo vix vno protenditur. Sed hæc tunc à Rege, quoniam à paucis culta habitataque erat, prætermissa fuit, quæ tamen nunc est omnium cultissima, & fructuosissima, ac satis digna, vt eius nunc situm & feracitatem breuiter describamus. Est enim ea à capite, altissimis ab occasu protecta montibus, ad quorum radices, quinque paululum inter se discriminati fontes scaturiunt, vnde flumen oritur, quo tota conuallis irrigatur: quæ quidem fructus non modò vberes, ac varios, sed omnium suauissimos, ac delicatissimos profert. Tota enim ea saccharea circumfluit messe, atque vbi in apertam planitiem decurrit, earundem defluxu aquarum, alterius præcellentis messis, orizæ videlicet (frumento par est hoc alimentum) extat feracissima. Ex quo propter vtriusque messis, eiusque perboni agri culturam, non paucis frequens est pagis, atque oppidulis, in extrema eius, atque inferiore parte sitis. Qua causa Iacobus II. Regis nepos, ac Regni successor, admirabilem conuallis positionem, & fertilitatem, atque loci cælique naturam contemplatus; superiore parte, qua à populorum frequentia remotior esset, situm commodiorem ibi fore ratus, amplissimum, sumptuosissimumque cœnobium cum ornatissimo fano exædificauit, ac sub ordine Cisterciensium monachorum, Christo, ac Virgini matri dedicauit: quod etiam tota conualle, cum prædiis, & oppidulis tam decenter ornauit, excoluitque, vt annuus inde census ad decem & octo millia; ex iisque cœnobio & monachis, ad septem millium aureorum summam ascendant. At verò conuallis vlterior Bairena iam dicta, vbi mons desinit, priore multò est amœnior; & quia varietate, atque multitudine frugum, fructuúmque curiosius, frequentiusque conseritur, longè etiam fructuosior. Nam fluuius eam interluens, totam ad mare vsque læua, dextraque irrigat; ac neq; iisdem tantummodo sacchareis messibus, quibus mirè excellit, ipsaque potissimum bonitate, ac excellentia sacchari, toti Europæ præstat: verum frumento, vino, oleo, spartho, atque moris ad sericum bombycinum conficiendum mirè affluit. Sunt enim in ea conualle duo florentissima oppida, alterum Bairenæ arci proximum, Gandiam id vocant, munitissimum, ornatissimumque, atque sacchareі mercimonii causa frequentissimum; totiusque Gandiani Ducatus caput, perillustri Borgiarum familiæ subiectum: Alterum Oliua nuncupatum, in extrema conualle situm ad meridiem; quod etiam arce & muro inexpugnabili protectum, caput est Oliuani Comitatus: ac non amplius quàm tribus milliaribus à Gandia distat. Qui tamen breuissimus terræ tractus, forma quadrata, ab ortu quidem mari, à meridie Oliua, ab occasu montibus, à septentrione Gandia finitus, totusq; sacchareа ferè segete cõsitus, tam est miræ feracitatis, vt vix sit credibile, quod alioqui curiosè inquirentibus nobis fuit perquàm cõpertum, annuam scilicet frugum, fructuumque inde perceptorum æstimationem, ducẽtorum quadraginta millium aureorum summam efficere. Cùm igitur Rex Corberæ fluuium, vbi è superiore conualle in mare influit, traiecisset, misit nuncios in castella, & arces Bairenæ, Villælongæ, Borronis, Vileliæ, & Palmæ, eiusdem prope conuallis, quæ in excelsis, atque præruptis rupibus constructæ, atque munitæ erant, vt sese dederent, alioqui cultissimos se eorum agros depopulaturum, & fame ipsos oppressurum interminatus. Dum responsio spectatur, Zaenes olim Valentiæ Rex è Dianio propinquo oppido, cum paucis ad Regem venit, à quo fuit quidem acceptus beneuole. Aduentus causa fuerat, vt à Rege peteret Balearium minorem sibi, suisque: se enim in compensationem daturum ei arcem Alicantinam, ad Alonem portum: esse nanque sibi integrum illam tradere, si tamen besantiûm quinque millia Rex adderet, vt permutationem exæquaret. fuitque mirandum, non plura petiisse, adeo Sarracenorum inueteratus mos est, impudenter, ac vel iniquum petere. Sed Zaenis postulatis annuere Rex distulit; se excusans pactionibus, quas in diuisione prouinciarum, Regnorumq; Hispaniæ olim Petrus pater cum Alfonso Castellæ Rege fecerant: ideoque Alicantina ciuitas, eiusque territorium, cum ad Castellanorum Regnum spectaret, sibi non licere falcem, quod aiunt, in alienam messem immittere. Quo responso Zaenes Regiam ad-

miratus constantiam & integritatem, eique beneuolentior effectus, Dianium reuersus est. At vero ex castellis, ad quæ Rex nuncios, vt sese dederent, miserat, primus Bairenæ arcis pręfectus respondit; se, modo agri minimè vastarentur, ad hanc pactionem venturum; vt, si intra menses septem nullum alicundè adesset ei subsidium, Regi arcem traderet; atque interim obsidem daret turrim Albarranam, quæ ab arcis muro parum abest; interq; illam & arcem perampla est fossa. Quæ pactio iure quoque iurando ab ipso pręfecto, vna cum aliis viginti primoribus oppidi confirmata fuit, ac protinus turrris tradita, & in potestate Peregrini Atrosilli relicta: quam ille statim aggere circummuniuit, ipsis etiam Sarracenis operi manum admouentibus. Interim Rex venit Cullarim, quam paulo ante Templariorum promagister, Rege in Aquitania agente, eidem acquisierat. Qua causa Rex Sucronem oppidum insigne Cullari propinquum, obsignato diplomate, illius societati adiecit: quod postea abolito Templariorum ordine, Montesano sancti Georgii fuit traditum. Regi igitur intranti Cullarim Legati oppidulorum Bairenæ conuallis venere cum mandatis acturi de deditione; quos Rex, vt alios stipēdiarios effectos, recepit; ac deinde septem mensium termino, quo frustra subsidium fuit expectatum, elapso, in eam contendit, traditamq; accepit. Quo in loco, reconciliationes etiam Petri Fernandi Assagræ, Petri Cornelii, Attali Lunæ, Garcię Romæui, & Simenii Vrreæ, procerum Aragonensium, qui à Rege desciuerant, cum ipso factæ sunt, ac mutuò promissæ amoris & beneuolentiæ pactiones. Dum hæc apud Bairenam fiunt, Ferdinandus Regis patruus, & nonnulli proceres, ac præfecti ordinis Calatrauę, cum magna militum manu, Raimundum Vicecomitem Cardonensem imitari cupientes, Vilienam profecti sunt, eamque obsidentes, tentata oppugnatione, ab oppidanis viriliter repulsi fuere: atque ex eo magis recedere coacti, quòd Vilienses noctu ex oppido eruptione facta, structas machinas succenderunt igni, earumque custodes non paucos occiderunt. Sed recurrentes præfectus Alcanitii, & sui ordinis equites, & Almugauares, atq; oppidum nouis constructis machinis oppugnantes, coegerunt oppidanos, legatos ad Regem mittere, orantes, vt sese in potestatem reciperet; ad quos Rex, vt Præfecto, & aliis sui ordinis se dederent, respondit, clementia & benignitate cum ipsis vsuros illos promittens. Quo tempore Rex, vrgentibus Cataloniæ negotiis, in eam ire coactus, Rodericum Licianam Valentię, atque toti Regno præfecit; rebusque in Catalonia compositis, in Aragoniam venit; vbi matrimonia duarum ex Iolante filiarum conclusit, maior enim nupsit Alfonso Castellæ Regi, qui nuncupatus est sapiens, eo quòd multiplici doctrina instructus esset, præcipuè Astronomia (huius enim scientiæ tabulas ille longè vtilissimas composuit, à quo dictę sunt Alfonsinæ; ac leges etiam, scitaque Castellanorum, in quadripartitum opus redegit.) Huic igitur promisit Iacobus daturum se omnem opem ad Murciense Regnum debellandum, quam postea præstitit. Altera verò Constantia Emanueli Alfonsi fratri germano locata est. Iam verò absente Rege, Petrus Alcalanus consobrinus Licianę præfecti, cum bona præsidiariorum manu ex vrbe Setabim profectus est, excursiones in eius agrum facturus. Sed dum Setabitanos adoriri parat, in eorum insidias incidit, captusque ab eis in custodiam est datus. Per id quoque temporis Berengarius Entensa, qui ob excursiones vna cum Aguilone in Sarracenos tributarios factas, à gratia Regis fuerat dilapsus, se cum suis Setabim receperat, atque Setabitanorum ope eruptiones in oppida stipendiariorum faciebat, eorum agros depopulando, maximè verò in tuguria Turulensium, qui quotannis pecuaria sua in hyberna ad Regnum agebãt, idque adeo superba, ac potenti manu, vt neque à præfecto vrbis, neque ab Hospitalium promagistro, neque ab vniuerso vrbis præsidio obsisti ei posset. Qua causa Rex cũ xxv. equitib. leuis armaturæ Cæsaraugusta in Regnum conuolauit, veniensque Alturam oppidulum Segorbio confine, pactione traditum cepit. Cuius aduentum vt primùm resciuit Berengarius ab excursionibus destitit, atque in Regis gratiam redire nitebatur, ad eumque data fide venit: à quo licèt benigne receptus, tamen duriusculè reprehensus fuit, quòd tantopere de ipsius amore ad sese reconciliandum dubitauerit; promisitque Berengarius, se nunquam non fidelissimè Regi adfuturum: ac neque Chiuam oppidum, cum eius arce munitissimum, atque limpidissimo fonte inclytum, quod paulo ante Rex ei dono dederat, ad illudque tunc vna accesserant, ab eius obsequio & imperio vnquam recessurum. Quo etiam conuenere Petrus Albalatius Antistes Tarraconensis, & Rodericus Licianę præfectus, à quibus Valentiam deductus est, atque in itinere rogatus, vt Petrum Alcalanum à Setabitanis captum eriperet: quod facturum promisit. Itaque Valentiam ingrediens cum magna sacri cœtus pompa, ac Senatus populiq; lætitia & occursatione exceptus fuit: breuique conscribi exercitum, ac Setabitanis indici bellum curauit. Itaque Valentia profectus, in eo itinere Barraguam

quam oppidum cum maiori parte exercitus venit, reliquam ibi præſtolaturus. Fama igitur indicti Setabitanis belli, Iacobo Duce, ad eos peruenerat, timorque cunctos inuaſerat, Regis bellicoſiſſimi impetum perhorreſcentes. Quorum præfectus videns maximum ſibi periculum imminere, antequam Rex obſidione oppidanos terreret, Legatum miſit, qui Regi obiiceret pactas inducias, & fœdera cum Setabitanis ab eo icta, nequaquam à ſe rupta fuiſſe; ſed ab Alcano & ſuis, qui ſpretis induciis, Setabitanorum agros hoſtiliter depopulati fuerant, indeque in ſeruitutem perquàm multos ex eis abduxerãt; ſe tantùm vim vi repuliſſe. Cui reſpondit Rex, peræquum eſſe, vt à ſuis illata damna Setabitanis compenſarentur: idque ſe protinus curaturum promiſit: modò interim Alcalanum, & eius ſocios ad ſe remitteret, ſicque Legatos dimiſit. Poſthæc Rex, ſtudio videndi oppidum florentiſſimum, quod Conteſtanorum, vt diximus, caput erat; iunctis triginta equitibus, eidẽ appropinquauit: ac vt liberius illud contemplaretur, in collem excelſum, cuidam propinquum Caſtello conſcendit: indeq; oculis colluſtrato ſitu oppidi, cum eius territorio, frequentibus ſuburbanis ornato, quæ coniuncta, toterant, vt alterum æquale ei fere oppidum conſtituerent; vehementer eſt ea admiratus. Tametſi admirationem admodum augebat peruaria, atq; exuberans agri fertilitas: quæ duorum fluuiorum confluentia, & deriuatione, atque irrigatione, alta, propagataque, tanta erat, vt reliquum totius Regni agrum, haud dubiè videretur antecedere. Adde ſumptuoſiſſimos à fonte aquæductus, præcelſas, mireque ſtructas domos, quæ facilè erat, ob decliuitatem oppidi, vniuerſas ſigillatim inſpicere. Quin & admirabiles vtriuſq; arcis poſitiones, quæ in excelſis, ac præruptis rupibus collocatæ, totq; communitæ turribus, perpulchrum ſimul & munitiſſimum ſui ſpectaculum præbebant; cum peramplis demum earum atriis, ad præſidia, machinas, & alia quæuis armamenta bellica ad defenſionem collocanda. Vt nihil planè defeciſſe videretur, quod ad maximã oppidi, atq; arcium munitionem, & ornamentum pertineret. Qua cauſa deliberauit Rex minimè inde abſcedere, donec oppidum, aut vi, aut pactione in ſuam poteſtatem veniret. Ac poſitis caſtris in ea parte agri & hortorum, qui ſunt propinquiores arci, luſtrari etiam iuſſit colles è regione ſitos, vt oportunitate inuenta ad oppugnandum machinis ſummas arces, caſtra eò transferret. Verum à luſtrantibus relatum eſt, rupes illas exercitui, & machinis tum inacceſſas eſſe, tum aquæ penuria incommodas, præterquam quòd media pars exercitus, neceſſum eſſet, vt in planitie conſiſteret, ad tutandos lixas, & calones, aliosque commeatum & cibaria in caſtra deferentes, ne à Sarracenis interciperentur; facileque tum eſſet illis, exercitum fame pluſquam ferro opprimere. Vnde Rege per ſe colluſtrante omnia, inuentus eſt locus commodior ad oppugnandum, ad radices cuiuſdam montis, prope ſuburbanum Sallentii, vbi erat aquarum copia proximo ex Annenſi fonte, riuo deducto, ibique caſtra poni, foſſaque & vallo, vndique obduci, atque milite muniri iuſſit. Quibus diſpoſitis, depopulari agros, frumentarias rumpi molas, atque olearia trapeta euerti, aliaque damna, quanta ab infeſtiſſimo hoſte timeri poſſunt, Setabitanis inferri præcepit: alia quoque parte exercitus in vniuerſum territorium excurrente, atque ingentes prædas in caſtra agente. Porrò Rege caſtra luſtrante, quidam ex anteſignanis exercitus cum altero contendens milite, Regiſque præſentiam minimè reueritus, in eius oculos audacter illum atq; grauiter vulnerauit; ſeq; protinus recepit in tabernaculum Garciæ Romæui, vnius ex primis Aragoniæ proceribus, qui cum centũ equitibus Regi in eo bello inſeruiebat. Sed in percuſſorẽ Rex irruit, ipſumque è tabernaculo vi extrahens, cuſtodiæ tradidit, vt digna poſtea delicti pœna plecteretur. Vnde grauiter offenſus Romæus, perinde, ac fuiſſet inde ille in ſui contemptum extractus, Garciam Veram Aragonenſem equitem ad Regem miſit, qui ſuo nomine diceret; ſe non ideo veniſſe cum ſua manu equitum auxilio ad bellum, vt ignominiam præmii loco, ab illo referret. Nam ſi antiquo ex priuilegio nemo, quantumuis facinoroſus, non tamen maieſtatis reus, è domo, non procerum modò, ſed quorumuis equitum, aut nobilium, in quam ſe reciperet, vt Aſylũ, educi poterat; minus quoq; è ſua, qui ex nobiliſſimo procerum numero erat, ac neque Regi inutilis, aut infenſus. Cui Rex, grauius eſſe reſpondit, in bello, quàm pace delinquere; eoq; ipſo neceſſarium, delinquentem atrocius puniri. Quanquam non è domo Romæui facinoroſus, ſed à Regia extractus fuit: quandoquidem militaria caſtra, non plures, neque diuerſorum, ſed vnam tantùm perpetuam Imperatoris domum efficiant; cui vt militant omnes, ita & pareant oportet. Quid, quòd neque è propria ille Romæui domo eductus dici poteſt; quando barbaricũ illud tabernaculum, quo confugerat audax ille, ac temerarius percuſſor, non Romæui, ſed Regis proprium erat, Romæo tunc accommodatum. Demum in delicto, cùm

Rege præsente, tum eo ſpreto, perpetrato, nequaquã eſſe conniuẽdum dixit. Iccirco rogare ipſum, ne quam apud ſe, ob prꝑſtitã in bello operam, gratiam commeruiſſet, tam læui de cauſa corrumpere vellet. Quinimo veniret ad ſe, plura coram, quàm per nuncios, confecturus. Verùm Romæuus inani inductus perſuaſione, tantum abeſt vt regiis dictis acquieuerit; vt etiam peiora machinari cœperit. Nam fuit Rex illicò à Setabitanis certior factus, Romæuum tentaſſe vna cum ſuis ad illos transfugere. Quod parui duxiſſe viſus Rex fuit, parem, inquiens, rationem illius habiturum, ſecum, aut cum hoſte permanentis. Sed tempore factum eſt, vt Romæuus in tantam Regis gratiam redierit, vt eius filius Tereſiam Regis neptem, ac Petri Principis filiam, quamuis non iuſta vxore natam, in matrimonium duxerit. Cæterum in obſidione Rex perſiſtens, Setabitanos compulit, vt nouis ſecum pactionibus agerent, tria promittentes; primum, ſe liberè tradituros ei Caſtulonem ipſorum propinquum oppidum: alterum ſeſe iureiurando obſtricturos, nulli alteri, præterquam Regi, Setabim dedituros; tertium, Alcalanum, & alios Chriſtianos captos liberos ad Regem remiſſuros. Hæ igitur fuere pactiones, quas in prima obſidione Rex cum Setabitanis fecit, iiſq; contentus tum fuit, ne vi, & armis tentata oppidi egregiè muniti obuallatique oppugnatione, detrimenti multum oppugnatores acciperent; néve direptione rurſum tam præclarum vaſtaretur oppidum, quod ille alterum Regni oculum appellabat. Itaque Caſtulone accepto, præfectoque & primoribus iuramento adactis, ac etiam Alcalano, & aliis in libertatẽ aſſertis, Rex illicò, dimiſſo exercitu, atque in præſidia diſtributo, Valentiam venit, de rebus Aquitaniæ ſollicitus, num fortè Bonifacii, aliorumque eius factionis exulum, quorum bona publicata fuerunt, molitionibus, denuò Mompellerienſis Reſpub. perturbaretur: ſtatuitque ſe eò conferre: relictis in vrbis, ac Regni præſidio, iiſdem primis equitibus, quibus prædia diuiſerat, eiſque præfecit Simonem Perezium Taroſonam, quem tum in ampliſſimum procerum ordinem cooptauit, atque Baroniam Arenoſiam, quæ vltra Exericanum agrum in montanis locis Aragoniæ confinibus continetur, ipſi, ſuiſque in perpetuum conceſſit: à qua idem ipſe, atq; ſucceſſores Arenoſii nuncupati fuerunt; ac non ad præſidia modò, ſed ad omnia, tam vrbis, quàm totius Regni negotia tranſigenda, illum Vicarium conſtituit. Ipſe verò in Cataloniam venit, cuius Prouinciæ negotiis breui confectis, inde citatis equis in Aquitaniam tranſiit: vbi intelligens vrbanas res bene ſe habere, mire delectatus fuit, ac ſubinde gloriatus, quòd patriam ſaltim ſemel pacatam inuenerit; eaque, ſe, tum verè potitum aſſeruit. Itaque ingreſſus vrbem, ab effuſo populo magna fuit cum lætitia exceptus. Ad quem protinus conuenerunt Prouincialis, & Toloſanus Comites, precantes, vt ſententiæ de diuortio Toloſani & vxoris Sanctiæ, Regis amitæ, vna cum arbitris Raimundo Gaucelino domino Lunelii, & Albeſa Barone nobiliſſimo, ſubſcriberet: cui Rex, tametſi iniquę, & iniuſtæ, tamen importuniſſima illorum deprecatione compulſus; vel potius, quòd alioqui de amitæ vita pertimeſceret, inuitus ſubſcripſit, ipſiſque dimiſſis, Aragoniam repetiit.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER XIV.

ÆTATEM mediam Iacobus ingreſſus erat annos iam natus triginta quinque; quo tempore poſt tot debellata regna, tantaque apud eos, qui ſub ipſo militauerant, munera, atq; beneficia collocata; ita ſe totum ad Rempub. & amplificandum Imperium contulerat; vt domeſticas & familiares res, tot indies enaſcentibus domi hæredibus, quam minimè curaret. Suſceperat enim ex Leonora vxore prima Alfonſum filium vnicum; ac licet diuortium cum illa fecerat; cauſis tamen adnumeratis, non modo legitimum Regnorum ſucceſſorem ſibi fore declarauerat; ſed eodem hæreditario iure Alfonſus iam omnia repetere incipiebat. Quamobrem Iolans ſecunda vxor, ex qua Rex filios mares, ac fœminas iam tum quinque ſuſceperat, de ipſorum ſucceſſione, & hæreditate ſollicita; ac non

ac non tam ob Regis ætatem, quàm ob ipsius vitæ discrimen, tam multis sese belli periculis quotidie obiicientis, suspensa, die noctéque apud eum lamentabatur, se miseram, atque omnino deceptam vocans; cum non aliam ob caussam, è sinu patris, tamque remotis locis ducta fuerit, quam vt, aut alterius spretę locum subiret, aut cuiusdam quoq; pellicis iniurias pateretur: quin, vt priuigno superbo, ac insolenti parêret, atque multorum exhæredum liberorum mater calamitosa fieret. Verumenim Regem, non modo Reginæ, vera plane dicentis, verba cruciabant; sed Petri quoque Principis ex ea annos iam octo nati, quem summe diligebat, mirifica virtutis indoles; atque præclarissima quædam puero innata dignitas, vehementer commouebant: quod hæc heroicarum illius virtutum certam spem afferrent, vnusque videretur, qui posset paternas laudes eiusque præclarissimas res gestas in multa sæcula propagare. Qualium sanè virtutum in Alfonso iuuene, nunquam à materno gremio diuulso, nullum apparere vestigium videbat. Quin etiam, & reliquos liberos, quos singulis fere annis è Regina procreabat, exhæredes relinqui, tam male ipsum habebat, vt nulla cura maior exederet ipsius animum, nullus etiā angor conficeret acerbius. Vnde sæpe quidem ille, Reipub. labores, seu pace, seu bello, domesticis longe esse tolerabiliores dicebat: quod illi suas, vtcumq; intermissiones, quibus refici, atq; respirare possit animus, habent: ii vero, nullas. Sicq; inter tam multas curas domesticas, sępenumero risum tenere nō poterat, eo quod se, tot licet auctum, atque amplificatum Regnis, tamen in filiis duntaxat quinque quos tunc habebat, collocandis, maior quā paupertimū quemq; hominem multo plures habentem, premeret anxietas. Quibus de caussis naturæ potius, quam suæ gentis iure vti volens, Regna quę vni tātum primo nato, dū esset is vnicus, adscribi fecerat, nascentibus ei fratribus diuidenda, atq; ratione seruata, partienda esse decreuit. Igitur hæc diu secum meditatus, conuentus Aragonensium Darocæ egit: ad quos Ilerdensis quoq; ciuitas Legatos misit. In quibus Alfonsus, Regis ex Leonora filius vnicus, ad Regnum Aragoniæ successor est declaratus, atque ab omnibus Aragonensibus, etiam ab Ilerdensibus Princeps constitutus. Nam vt Cataloniæ principatum Petro primo ex Iolante nato cum maiori gratia Alfonsi, & Aragonensium tradi posset, Rex prolatari illud voluit vltra Cingam fluuium, ad ripas vsque Sicoris, ac Ilerdenses sub illo comprehendi. Itaque conuentibus ibi actis, Barcinonem se contulit: vbi similes quoq; Catalanorum acti fuerunt, atque ad eundem modum in eis Petrus Princeps, & successor ad Comitatum Barcinonensem, & Cataloniæ Principatum, decedente Rege, fuit quoq; declaratus: conquerentibus subinde Catalanis, atq; dubiam ei fidem pręstare significantibus, ob constitutionē paulo ante Darocæ editam, quā Ilerdensis ciuitas cum toto interiecto tractu, inter Sicorim, & Cingam fluuios, è Catalonia, atque Barcinonensi Comitatu discriminabatur. Ex quo fraudari se maxime sentientes, apud Regem conquesti sunt, ostendentes, maiorū ipsius Regum constitutionibus constare, inducias Catalanis fieri solitas fuisse quidem; à Cinga ad Salsulas, incluso Ilerdensi territorio. Quamobrem iidem, qui sui admodum iuris tenaces sunt, Regi palam dixerunt; se, nisi abrogato prius edicto, atq; conseruato antiquo sibi iure, & possessione ciuitatis ac ditionis Ilerdensis, nequaquam eam Regnorum diuisionem comprobaturos. Quibus vt morem Rex gereret, eoque facilius ipsos in suam sententiam pertraheret, priore abrogata, altera constitutione sanxit, Barcinonensem Comitatum, & Cataloniam terram à Cinga flumine ad Salsulas contineri; Aragoniæ vero fines, vt prius, à Cinga Farizā vsq; terminari. Qua antiquata cōstitutione pacati Catalani, Petrum libentissime, vt suum Principem, & ad Regnum successorem complexi sunt. His constitutis finibus, maior est orta dissensio Aragonensibus ob Ripagurtiæ & Palliariæ ditiones, quæ sunt vltra Cingam: quas Ramirus & Sanctius, Sanctiique filii, Petrus & Alfonsus Aragoniæ Reges, belli iure acquisierant, atque Regno adiunxerant; ideoque ipsi, in quo iudicio, se ab illis excludi, conquesti fuerunt. Vnde iisdem sollicitantibus, Alfonsus Princeps à Rege dissidere, atque ab eius amore & voluntate paulatim alienari cœpit adeo insolenter, vt studiis Aragonensium in Alfonsum accensis, res ad arma deduceretur. Cum igitur Calataiubii esset Alfonsus, conuenere ad eum non pauci ex Regni proceribus, sese ei ad omnia paratos offerentes: populariter id quidem, atque ingrato animo: pro nouo, & nondum cognito, neque perspecto Rege, veterem bello, paceque probatissimum, & sapientissimum aspernantes. Quorum Ferdinandus patruus, qui senio, atque ætate ingrauescente, iam se abbatem montis Aragonum nominari permiserat, atque à Regē alienato semper animo, nunc autem aperto in eum odio fuit, primus Alfonso contra patrem, se nunquam defuturum promisit. Deinde alii, quos Rex non solum perquam multis muneribus affecerat; sed etiam oppidis, & Principatibus

donauerat,in Alfonsi partes abierunt. Quas etiam secutus est petulantissime omnium Petrus Portugallensis, qui dimissis Balearibus, vt diximus, se in continentem transtulerat. Itaque diuisa inter se erant omnia; atque ciuitates, & oppida Aragonii & Valentini Regni in bellum intenta erant, & ad arma conclamabant: nullis quidem in neutram; sed singulis in alterutram partium propensis. Ex quibus, vtrique Regno magnum portendebatur excidium, & execranda ruina: eoque certius, si Rex Castellæ Ferdinandus, vt timebatur, in Alfonsum inclinaret, cum illius Principe Alfonso successore, qui tum in armis erat, atque cum magno exercitu multisque Castellæ proceribus comitatus, auxilio venerat Murciensibus; qui captis armis à Granatensi Rege desciuerant: ideoque oppida & loca quędam tanquam obsides, Principi tradiderant: quibus occupatis, bellum ille finitimis Valentini Regni oppidis inferre cœperat; prætexens pertinere ad se illorum expugnationem ex antiqua diuisione Regnorũ, atq; ex pacto inter Aragoniæ & Castellæ Reges. Accedebat quod Sanctius Mazuelus Centurio præsidiarius illorum finium, cui Princeps Alcapdetum, & alia oppida ex Murciensibus dono dederat, cum præfecto oppidi Algezirę Contestanorum, quod, vt diximus, interluit Sucro, atque omnium Regni munitissimum est, interque Setabim & Valentiam positum, aliquid de deditione Alfonso facienda egerat: ex quo Regi omnia suspecta esse cœperant. Quamobrem ductis secum Vngone Folcalquerio promagistro præfecto Ampostæ, cum equitatu sui ordinis, & parte exercitus, qui in præsidiis erat, Setabim profectus est, vbi castra posuit; non tam vt Setabitanos obsideret, atque suo conterreret aduentu; quã vt Algeziranos commertio & cõmunicatione Castellanorum prohiberet; vtque propior esset illorum agris depopulandis. Interim dum oppugnationi, atque admouẽdis machinis datur opera, Setabitani equites quotidie in Regia castra erumpebãt, viritimque, aut turmatim, præclara vtrinque committebantur minuta prælia: intentis tamen à Rege insidiis in Algeziranos, si quos posset, aut intrantes aut exeuntes Castellanos cõprehendere, deq; suspectis cõsiliis certior fieri. Quod intelligens præfectus, sibiq; persuadẽs Regi iam nota esse, quę ipse cum Castellanis machinaretur, totamque Regis iram & obsidionẽ, in se, ac oppidum conuertendas, triginta sumptis equitibus, sub ipso noctis conticinio, oppido excessit, seque ad Murcienses cõtulit. Oppidani verò à Præfecto destituti, continuò Regi se libenter dedituros significarunt, modò prædia retinerent; ac etiam sectam Almohadum, qua initiati fuerant: erat enim superstitiosior quædam Mahometanorum disciplina; Quibus concessis, oppidum omnium munitissimum Regi traditum fuit. Est enim illud in loco plano situm, muro atque turribus circundatum; Sucrone magno fluuio feraces vsque adeo illius agros reddente, vt omnibus propè fructibus, quibus Valentinus ager, præsertim moretis ad bombycum conficiendum opus, abundet: eodẽ quoque fluuio se se bifariam diuidẽte, & quasi in duo brachia aperiente; ac quo ad Insulam tantum oppidi capacem efficiat, iterum in vnum coniungente; indeque oppido Arabice Algeziræ, Insularis scilicet, fuit nomen impositum. suntq; præterea duo hinc inde pontes ex secto lapide extructi, per quos in oppidũ tantum est aditus; vt sit in oppidanorum arbitrio & potestate, quibus velint in Regnum, aut ingressum aperire, aut exitum præcludere: fuitque idcirco id oppidum ab antiquis clauis Regni appellatũ, eamq; pro insigni gerit. Quod ingressus Rex ex tribus præcelsis turribus, quæ ad portam Valentinam sitę erant, arcem cõstituit, eamque fossa cinxit, atque omni armamentorum genere muniuit: ibique demum præsidia cum præfecto fidissimo posuit, atque Christianos à sarracenis separatos, intra arcem se continere iussit. Quo peracto, pactisque cum Setabitano præfecto initis, ab obsidione recessit, occasione literarum, quæ ad eum Luteria Parisiorum à Gallorum Rege datæ fuerunt, quibus rogabat Regem, vt veniret in Aquitaniam, conuẽturos enim ambos, atq; de arduis Regnorũ vtriusq; negotiis acturos, in Aruernis, sub ipsis Pyrinæorum iugis, ad sacram diuæ Mariæ Podiensis Aedem. Quo Rex honorifice, Regieque comitatus perueniens, mirè lætatus est occasione eius visendæ ædis celeberrimæ. A Gallis igitur magnifice exceptus, confectis negotiis (de quibus nulla est in Commentariis Regis peculiaris facta mentio) in Cataloniam remigrauit. Inde verò Cæsaraugustam progressus, diuino factum est numine, vt sedandis tot inter Castellæ, & Aragoniæ Regna dissensionibus; ac etiam inter Reges simultatibus restinguendis; nec non sarracenis communi cõsensu, bello persequendis; pactiones, ac noua fœdera inirentur eaque matrimonio Iolantis, filiarum Regis natu maioris, & Alfonsi Castellæ Principis conciliarentur. Valeoletum igitur quę Pintia esse plerisque iam videtur, perhonorificè deducta Iolans, nuptiis concordię & alacritatis plenis, cũ Alfonso

coniuncta

coniuncta fuit. Post hæc Rex ad compescendos insolentes quorundam Aragonensium procerum conatus, qui Alfonsum Principem filium ab ipsius voluntate & obedientia deducere nitebantur, ex quo Regnum in partes diuidi cœperat, atq; tranquillus Reipub. status perturbari; dies multos in Aragonia manere voluit; suaq; præsentia & affabilitate, flectere ac moderari animos; & Alfonsum æquiorem sibi reddere. Qua caussa conuetus generales Oscæ agi voluit; vt Aragonenses, quos tot annis in armis secum esse fecerat, ipsoq; efferati bello, atq; victoriis insolētes, in iis, quę pacis erant, sese superbe, atq; immoderate gerebant, disciplina quoq; pacis erudire, sanareq;, & ad meliorem vitæ frugem reducere curaret. Ac vt illorum animos, quorum corpora armis munierat, legibus, sanctisq; institutis imbueret, procerum atq; ciuitatum consilio, accitis ab ipsa Oscensi, ac etiam Ilerdensi inclytis & antiquis Academiis, viris vndequaq; peritissimis, leges, ac vetusta Regni pleb scita, institutaq; maiorum, in vnum corpus redigi fecit: quorum quæ obscura erāt, explanari; quæ diminuta suppleri, mendosa corrigi; & ad perspicuitatem, claramq; rerum, atq; verborum intelligentiam omnia reduci curauit; vt secundum id ius emendatum, caussæ, & controuersiæ omnes dirimi, ac iudicari possent. Præterea ad vitandos tot litium anfractus, & controuersiarum, quæ ex aliarum legum discrepātia, ac variis, & detortis interpretationibus quotidie oriri solent, per sancta appendice sanxit, vt in his, quæ dubia essent, neq; huiusmodi institutis decisa, iudices, non ad alias scriptas leges, sed ad arbitriū boni viri confugerent. Adeo is summus Princeps, nullo armorū strepitu, sed inter arma, legib. scriptis, iudiciisq; cōstitutis, Aragonēses gloriosissimè subegit. Nam antea, patriis duntaxat moribus, institutisq; ciuilibus maiorum, facinorumq; visitatis exēplis, iisq; per manus traditis, vsi fuerant: ideoq; sæpe quod iustū erat ignorantes, ius cum iniuria confundebant. Quæ postquam expediuit Rex, atq; vt rata diuulgari fecit, nonnihil otii; & à negotiis Reipub. & à bellicis nactus, ad domestica, Iolante procurante, conuersus, Regna sua denuo liberis diuidere decreuit: certissime sciens nullo posse arctiori vinculo, tam à maiorib. accepta, q̃ à se parta Regna, integra, ne dilaberētur, retineri, q̃ cōstabilita liberorū inter se cōcordia. Quamobrē, vt Imperii fines singulis constitueret, Regna per designata oppida, tū pagos, montes, & saltus partitus est. Quæ partitio, quoniā à Hieron. Surita in suis tum annalib. Hispanis, tum Indicib. Latinis, speciatum & accurate perscripta est, eā hîc ad verbū subiiciendā duximus. Iacobus ex Iolante secunda vxore quatuor filios susceperat, Petrū, Iacobum, Ferdinandū, & Sanctiū: filias totidē, Eleonorem, Constantiam, Sanctiam, & Mariam. Valentiæ ad xiiij. Kalend. Februarii, Alfonsum Aragonii Regni instituit hęredem, & ab Oriente Sole in Occidentem, Cinga flumine, Farizam vsq;; & à Septentrionibus, diuæ Christinæ summi Pyrinæi saltu: in Meridiem, ad Aluētolæ fluuium, finibus circumscribit. Cataloniam, adiuncta Ripagurtia terra, & his oppidis, quæ trans Cingā amnem debellata fuerant: & Balearicum, Insularumq; adiacentium Regnum, Petro filio attribuit, Iacobum Valentini Regni; & Ferdinandum Ruscinonensis Comitatus, Confluentiæ, Ceretaniæ, Mompellerii ciuitatis, atq; ditionis, Castelnoui, Arcislatensis, Frontinianæ, Omeladesii territorii, & iurium Melgoriensis, Pailiani, Lupiniani, Carcasonēsis, Thermitani, Rodensis, Fenoliadēsis, Gaualdani, & Comitatus Aimilianēsis, hæredes scribit. Sanctiū sacris initiandū Ecclesiæ dicat. Secundos hæredes substituit, neq; in hæreditatis partem filia ab eo vocantur. Sed ex Iolante filia nepotes substituuntur; modò Regni Castellæ successor, Aragoniæ Regni hæreditatem non adeat: & is qui Regnum adeptus sit, Castellæ Regi subiici non posit. hæc ille. Ex qua Regnorum diuisione maiores consequutæ fuerunt inter Alfonsum & Regem discordiæ, ac dissensiones: non tam ob discriminatos à Regno Ilerdenses quàm ob interceptam vniuersorum hereditatem: quam Alfonsus, cùm esset natu maximus, spe iam deuorauerat. Qua caussa idem, cū Petro Portugalensi, ac proceribus suę factionis, armorum subsidia à Rege Castellę poscere, atque ciuitates, & oppida Regni commouere tentauit, obiiciens ad tuendum sui Principatus atq; Regni ius, in Regem, vel parentem, conspirari posse. Verùm Rex, qui prudentia & magnanimitate cunctos superabat, machinas, & noua contra se consilia, sua conspicienda, ac decoris; splendorisq; plena præsentia, perinde vt Sol nebulas, dissipabat; suaq; suaui affabilitate, auersos animos, aut vrebat, aut mire ad se pelliciebat. Quanquam in eum neque præsentem, neq; absentem, quicquam aperte vnquam ausus est moliri Alfonsus. Interim perlatum fuit ad Regem, Rodericum Lizanam, quem Valentini præsidii præfectum, atque totius Regni Vicarium reliquerat, cum quinque cohortibus, & vnà Almugauarum, quos in præsidio Regni Rex dimiserat, excursiones fecisse in eas Regni partes, & oppida, quibuscum neque pactæ induciæ fuerant, neq; ad Setabitanos

spectabant;sed ad eos potissimum,qui hostiliter bellum in Christianos mouebant. Vndè excursione facta, dum in vrbem cum ampla reuertuntur præda, atq; collem quendam, quâ in Albaidensem conuallem est iter,non longe à Setabi pertranseunt,vicini sarraceni Oleariæ vallis,quæ cum Albaidensi committitur,vnà cum electo Setabitano equitatu in eos impetum facientes,sauciato Almugauare, aliisq; fugatis, prędam è manibus eripuerunt. De qua re litteris Lizanæ factus Rex certior, lętari visus est;eò quòd rupto à Setabitano pręfecto fœdere, legitima sese causa obtulerit, ad obsidendã denuò, atq; omnino oppugnandam Setabim. Quare præmonitis proceribus, quos sibi fidissimos habebat, eisq; Regnum commendans, ac rursum sumptis aliis secum, qui secretò Alfonsum sequebantur,inprimis Ferdinãdo patruo, præcipuo illius fautore, vt factionẽ diuideret, in Valẽtinos se cõtulit,atq; in itinere Saguntũ sese ei dedidit;quod oppidũ ingressus,illius Theatrum,ac vetusta sepulchra, cum vestigiis Hippodromorum vehementer admiratus; audito etiam antiquorum ciuium excidio miserabili, vix se continere potuit, quin eis illachrymatus fuerit. Sequenti verò die,abiit Valentiam, ibiq; Regio more exceptus; atque à præfecto factus omnium certior, quinque peditum cohortibus, cum equitibus centum,ac totidem se postea sequi iussis,Setabim profectus est. Sed dum esset Algeziræ, quæ paulò ante capta fuerat,misit ad illius præfectum, vt continuò, fide data, veniret ad se. Quo veniente,petiit,vt oppidum cum vtraque arce,nulla pacta conditione, sibi traderet,præfixo ei octo dierum termino; alioqui se flamma & ferro omnia ad ciuium vsque internecionem vastaturum. Abeunte præfecto, Rex etiam cum Regina, Ferdinando,& proceribus,cum nonnullis equitum, atque peditum cohortibus, Castulonem oppidum antea sibi à Setabitanis traditum, abiit. Quô protinus venêre legati à præfecto, per quos se ille excusauit; inquiens,non tanti fuisse excursionem in Licianam factam,vt ob eam esset ad deditionem compellendus. Procurante Rege, vt iuri,ac iudicio Ferdinandi staretur,legati,recusato iudice,abierunt. Miratus Rex illorum indies accrescentes spiritus,& insolentiam,ab exploratoribus didicit, in caussa esse Castellanos, qui ab Alfonso eorum Principe,apud Murcienses cum exercitu agente,missi quotidie, secretò intrabant Setabim,ac præfectum, Alfonsi nomine, ad deditionem sollicitabant; data fide,se illicò venturos ad oppidum obsidione liberandum. Id quod reipsa comprobatum fuit. Nam erumpentibus Setabitanis equitibus, ac parua prælia cum nostris committentibus,captus ex illis fuit à Petro Loberano Aragonensi nobili miles quidam cognitus Christanus, & Castellanus,atq; in castra ad Regẽ deductus. Qui tortus fassus est, se esse Christianum,ac fratrem Antistitis Conchensis: venisseque sæpè Setabim ab Alfonso Murciâ missum, mercatorem se simulantem tentorii barbarici magni precii, ibi confecti; vt ea simulata occasione cum præfecto ageret, ad futuram ei defensionem Alfonsi contra Aragonenses promittens; modò Setabis Alfonso traderetur. Quo audito, statim damnatus est, ac morte multatus; propterea quòd Rex, pridie eius diei, quo captus ille fuit; præcone edixerit, capitis pœnam interminatus; ne quispiam Christianus, inscio Rege,Setabim intraret,néve congressum,aut sermones cum Setabitanis haberet: secùs facientes,caperentur, & ad Regem deducerentur, eandem pœnam subituri. Per id temporis oppidum Enguera ditionis Setabitanæ, sponte sese dedidit cohorti militum ab Alfonso missæ ad Setabitanos. Id omnium grauissimum Regi fuit; generum suum eò insolentiæ processisse, vt se pręsente, & obsidente Setabim, oppida, quę eius essent ditionis,occuparet. Quapropter missi equites fuerunt cum bona parte peditum, vt excursiones in Engueranos facerent: iamque in insidiis locati,decem & septem ex illis oppido exeuntes ceperunt: statimque Rex affuit,atque oppidanos per legatos hortatus est, vt se illicò dederent: quibus renuentibus,atque Alfonsi auxilio fretis, conuitiaq; in Regem iactantibus,iratus Rex,in eorum conspectu, ex arboribus suspendi iussit paulò ante captos ex eis: se simili supplicio ipsos affecturum comminatus; quoad oppidum desertum,ac solo esset æquatum. Quæ cùm Alfonso nota fuere,misit legatos ad Regem, rogatûm,vt colloquio inter se agerent: se enim huius rei gratia venturum Algeziram. Quibus respondit Rex,se,nequaquam cum illo conuenturum vsquam, quin prius damna, quæ sibi intulisset, compensaret. At Rex interim cum equite sui amicissimo, ordinis Calatrauæ,qui Vilienam,& Saixium, pro Alfonso in præsidio habebat,egit,vt conseruatis oppidis,saltim castella sibi traderet, atque Aragonensium præsidia in eis poneret;quibus ille consensit. Quare misso equitatu, non solùm castella, antequam subueniret Alfonsus, occupauit:sed obiter, eadem opera, Capdetanos, & Bugarram, oppida sarracenorum, quæ ditionis Castellanorum erant, ex improuiso cepit. Quo nuncio obstupescens Alfonsus, denuò legatos misit ad Regem, ne grauaretur, medio in itinere, inter Almiziram,

vbi

vbi Rex castra posuerat,& Capdetanos, vbi Alfonsus tẽtoria fixerat,in colloquiũ venire: annuit Rex;eóq; processit cum Regina,comitantibus Guillermo Moncada,& Hospitalis ordinis Promagistro; Simone Perezio Arenosio, Carrocio, aliisque nõ paucis equitibus. Cũ Alfonso autem venẽre Magister Templariorum, & Vclensis, Lopezius Pharensis, dominus Vizaię, aliique proceres Castellæ, & Galletiæ. Postquam conuenẽre, atque in campo,præter pręcipuum negotium,nullum collocuti fuere, Alfonsus Reginam socrũ visurus,in Regia castra se cõtulit; quæ in ipso Almiziræ egressu posita erãt : procurante verò Alfonso,vt in Regium tabernaculum,quod ipsi fuerat apparatũ,Iacobus migraret, in suum maluit:quod illicò propeRegium fixit. Vbi magna cum lætitia, diem cum nocte traduxerũt;tametsi in conuitia protinus illa versa fuerit. Nam sequenti die ; Vclẽsis , & Lopezius tabernaculum Regis ingressi,ab eo petierunt , vt Setabim oppidum cum eius ditione, Alfonsò traderet:quandoquidem nulla nuper debellati Valentini Regni oppida, filiæ Alfonso nuptæ,in partem dotis cõstitueret, quamuis se ille constituturum promiserat.Quod Rex cũ risu excipiens;atque obiectum commẽtum promissionis,illorum potius sophismati(si forte audita promissione hæreret ipse) quàm quòd ita sentirent, attribuens : Reginæ, atque procerum consilio, illis respondit : Alfonso renuntiate ; curam à se omnem abiiciat Setabis,eiusque ditionis obtinendæ;cum longè sit,atq; ab Aragonẽsium Regum consuetudine alienum , ad Regias collocandas filias , quicquam dotis nomine adiungere:quo magis à vero abest , me filiæ oppida dote dixisse. Neque enim ipse cum Leonora eius amita quicquam dotis nomine accepi , tantùm ergo abest, vt Setabim, quæ expugnationis iure ad me pertinet,pro debitione dotis ei,aut alia de caussa,cuiquã hominum tradam . Instantibus denuò Legatis , atque cum precibus minas quoque iactantibus:tandem Regi palàm dixerunt,præstare quidem oppidum ab ipso Alfonsum, quam ab illius præfecto (quod certum atque in manu erat) accipere. Ad quæ Rex subiratus, multo sibi certius esse, respondit, neque Alfonsum capturum oppidum; neque præfectum ei tradere ausurum ; neque quenquam nisi se ianitore illud vnquam ingressurum. Quo dicto ne ira magis exardesceret, procaci, insolentique Legatorum proteruia commotus , eos dimisit , animo quamprimum inde, insalutato Alfonso, excedendi.Sed iisdem Legatis cum Regina denuò rem pertractantibus;in eam pactionẽ ventũ est,vt staretur antiquæ finiũ vtriusq; Regni diuisioni;atq; Murciẽse Alfonso,Valẽtinum Iacobo cederet. Vtque Viliena,& Saxium,Capdetes,& Mugarra oppida,à Rege capta; Alfonso restituerẽtur. Rursum Enguera:& Moxentium Setabitanæ ditionis oppida,quę se Alfonso dederãt,Regi traderentur. Itaq; confirmata pactione,atq; pacatis animis,post multos amplexus , suum vnusquisque arripuit . inde iter Rexque tertio Setabim obsidere statuit ; accitis vndique è Valentia, & toto Regno pręsidiariis militibus, atque machinis,vt oppugnationi extrema opera nauaretur . Quæ tanto fuit studio & contentione militum, spe prædæ , inita, vt die nocteque oppidum circunsiderent , & comparentem quemuis in muro , aut turribus , sagittis configerent ; atque aditu oppidi cunctos prohiberent . Ex quo oppidani consternati animo , de deditione inter se egerunt: vidensque præfectus oppidum,etsi muro, milite & armis vndique munitum ; tamen duorum mensium obsidione tolerata , commeatu & cibariis consumptis , fame opprimi ; quin & deserente Alfonso , subsidii spem omnem tolli ; Simonem Tobiam nobilem Argonensem sibi notum , qui illum iamdiu ad deditionem adhortabatur,ac benignitatem Regis populo fore vtilem promittebat, ad colloquiũ admisit. Iamq; pactione facta,Præfectus oppidum cum arce minori,in biennium retenta maiore,ac vita & re saluis , necnon facultate manẽdi oppidanis in secta Algeziranis permissa,se dediturum promisit:ac modò Montesæ,& Valladæ,propinquæ arces,sibi concederentur.Quæ pacta Rex audiens,ac cum Regina & proceribus communicans,visa sunt omnibus digna,quæ non respuerentur ; ne tam insignis oppidi possessio amplius differretur. Itaq; Rex & Regina,cum liberis & exercitu Setabim ouantes ingressi sunt : statimq; Rex captam arcem muniri iussit,eique Tobiam præfecit, cuius opera & industria eo fuit potitus oppido,structura & natura loci, vt diximus, munitissimo, necnon priscis temporibus,propter bellicosissimam eius gentem fama noto. Sequenti die Rex cum Regina, & vniuersis proceribus in magnam,atque profanam Mahometanam ædem ascenderũt: qua expiata ab Oscensi Episcopo (vacabat enim tum Valentina Sedes Antistite, vt dicemus) & altari in ea constructo, sacrum ibi solenne celebratum est, atque à Rege,& omnibus, immortales Christo & Virgini matri gratiæ actæ, de tam felici successu rerum, & incremento Christianæ Religionis. Deinde curante Rege, vt ædes dirueretur,atque illius loco templum erigeretur ; lustrata tamen illa, atque inuenta perampla, & sumptuo-

ſa, quin & tecto & parietibus, emblemmatis ac vermiculato opere mirè contextâ, rogatus Rex fuit à Regina, atque ab Epiſcopo & proceribus, vt templum eſſet, neq; dirueretur: propterea maximè, quòd oppidanorum facultates, tot obſidionibus, atque diutino bello conflictatæ; vix reparandis tunc publicis ruinis ſufficerent: tantùm aberat, vt nouo exædificando templo ſuppeterent. Quod Regi placuit, ſicq; expiata ædes illa, conſecrata fuit, atque Virgini Matri nuncupata. Quo tempore Arnaldus Peralta Epiſcopus Valentinus ad Cæſarauguſtanum Epiſcopatum euectus fuit, ſimulq; Valentino deſignatus Andreas Albalatus inſtituti Dominicanorum, Petri Albalatii Tarraconenſis Archiepiſcopi frater germanus: nam diſſidente Canonicorum Valentinorum collegio, atq; diuerſa ſequente, dum agitur de electione, Pontificis Maximi conceſſu, Archiepiſc. Tarraconenſ. & Archidiaconi & præcẽtoris Eccleſiæ Valẽtinæ, in Arnaldi locũ ſuffectus fuit. Qui ſummæ religionis Antiſtes, iuuantibus Canonicis, cœnobium Cartuſienſium monachorum in agro Valentino conſtruendum curauit, cui Porræ Cœli nomen eſt inditum, decimo ab vrbe milliario, in loco contemplationi diuinorum aptiſſimo ſitũ, à ſeptentrione & occaſu altiſſimis ſeptum montibus, ab ortu vero, & meridie apertum, vt per æquatam agri planitiem pulcherrimus eius eſſet ad vrbem mare vſq; proſpectus. Iam vero Setabi capta, ſubindeque tota Conteſtanorum regione, quæ tertia eſt Regni pars, ſubacta, Rex Alfonſi filii molitionibus inſtigatus, Cæſarauguſtam contendit; atque, vt tot obortis Alphonſi querimoniis, & controuerſiis ſuper diuiſione Regnorum ſatisfaceret, generales conuentus Aragonenſium, & Catalanorum Alcanitii egit. Quò conuenientibus cunctis Regnorum proceribus, ac Eccleſiarum Antiſtibus haud grauatus eſt Rex æquali iudicio cum Alfonſo contendere. Verùm illo abſente, querelis à Rege, & à Legatis Alfonſi propoſitis, auditisque, Iudices, qui de controuerſiis omnibus ſententiam ferrent, à conuentu conſtituti fuere, Petrus Albalatus Antiſtes Tarraconenſis, ac Oſcenſis, Ilerdenſis & Barcinonenſis Epiſcopi; tum & Templarius Promagiſter Ampoſtæ præfectus, & Emporitanus Comes, aliique ſeptem principes Aragoniæ & Cataloniæ viri; nec non Legati duodecim ciuitatum, quorum deliberationi ac iudicio Rex ſtare voluit. Quòd ſi horum iudicium Alfonſus, & Petrus Portugalenſis ſequi recuſarent, ſe deliberationi ſummus Pontif. obtemperaturũ ſpopondit: modò tam fœda diſſidia ſedarentur. Quare ex eis iudicibus protinus miſſi nonnulli fuerunt ad Alfonſum, & Petrum Hiſpali tum agentes: qui audita legatione, iuriſiurandi religione adacti, polliciti fuere, ſe iudicum ſelectorum ſententiæ parituros: non dubitantes fore, vt & regnandi ius, & ſucceſſionis ſpes, Alfonſo reſeruarentur. Interim Regi, ac Iolanti Reginæ multi ex proceribus Aragonenſibus, ex Catalanis verò omnes, ſe aduerſus Alfonſum adiunxerunt, quorum pręcipui fuerunt Guillermus, & Petrus Moncadæ, Petrus Cornelius, Guillermus Entenſa, Garcias Romæuus, Simon Focius, Simon Perezius Arenoſius, Sanctius Antilonius, & Petrus Martinus Luna; qui cum pleriſq; aliis iureiurando polliciti ſunt, ſe vitam, remq; omnem pro Regis & Reginæ ſalute, pro filiis, proq; regio ſtatu impenſuros. Quibus Rex gratias egit, ſeq; aliquando illos remuneraturum promiſit. Itaq;, cumprimum Rex Legatos Hiſpali reuerti, atque Alfonſum & Petrum iudicum ſelectorum ſententiæ parituros intellexit, continuò proceribus, ac quibuſcunque aliis, qui Alfonſi partes ſequebantur, publica fide data, ad ſe venire permiſit, ipſiſque erepta bona reſtitui iuſſit, ac inducias cum eis pactus eſt, vt liberè iudicum ſententiam quiſque audiret. Legatis igitur in conſilium reuerſis, atque Petri & Alfonſi tabellis expoſitis, iudices de controuerſiis ſic pronunciarunt. Vti paternæ voluntati filius parẽret: vt pater filium Regni Aragonii, & Valentini procurationi præficeret, reſeruato Cataloniæ Principatu Petro ex Iolante primonato: vtque Portugalenſi campus Tarraconenſis, & Ebuſus Inſula, aliaque bona reſtituerentur, exceptis Morella, Segorbio, Sagunto, Almenara & Caſtulone, cis Valentiam: quæ oppida, & arces iudicibus traderentur, quo ad omnis cõtrouerſia finiretur; propterea quòd his arcibus, & pręſidiis munitus Portugalenſis bellum Regi contra ius faſq; intulerat. Demum, vt Rodericus Martinus Portugalenſis ex ſorore nepos cuſtodia liberaretur. His conſtitutis, Rex conuentum dimiſit; venitque Cęſarauguſtam, vbi Gotthorium oppidum cũ arce, Iacobo Balearici Regis Abohitis filio, qui antea, vt diximus, Chriſto nomen dederat, ac eius poſteris, iure hæreditario donauit. Deinde confirmatis ſuorum animis, ex quibus, induſtria Alfonſi, non admodum multos Cęſarauguſtæ obtinebat, in Cataloniam ſe contulit; Regina quoquouerſum comite, atque continuo pro communibus liberis Regem ſollicitante, vt de excipiendo Petro Catalani, quod cœperant, perficerent. Nam ex filiis Iolantis Ferdinandus natu minor obierat; ideoque noua

erat

erat Regnorum diuisione opus inter superstites. Conuentus igitur Catalanis Barcinone Rex indixit, in quibus Regna partitus fuit, Petro Cataloniam à Cinga ad Salsulas, eisdem finibus, quibus illa Pyrenæis montibus, Arana Valle, & interno mari cõtinetur, attribuit; eiusque vsufructu sibi reseruato, in possessionem illum immisit; ac protinus Barcino, aliæque Cataloniæ ciuitates, per Legatos solenni iureiurando adiictæ fuerunt. Simili iureiurando proceres, atque Barones, eiusmodi Regni assignationem substitutionemq;, qua, Petro decedente sine liberis, Iacobum alterum ex Iolãte filium, hæredem & successorem substituebat, tenendam & obseruandam, Petroq; omnẽ obedientiã præstandam, præsente Rege, promiserũt. Verũ neq; defuerũt, qui Regẽ quodammodo crudelitatis, atq; perfidiæ arguerent, propter hanc Petro factam assignationẽ tanto cum detrimento Alfonsi; quem Rex antea vniuersorum hæredem, atque ad omnia Regna successorem legitimum declarauerat; cuique Regna ipsa, & ciuitates in signum obedientiæ, fidem antea dederant: eoque grauius, quod Petro decedente sine liberis, non Alfonsum, sed alterum ex secunda vxore filium illius hæredem & successorem substituebat. Verum enimuerò, neq; sua legitima excusatione vacat, noua Regnorũ à Rege facta diuisio; neq; omnino crudeliter & perfide cum Alfonso actum putandum est, quod relicto illi Aragonio Regno duntaxat, à cæteris fuerit exclusus. Quin potius videtur redarguendus Alfonsus, vt ingratus, atque impietatis, & maiestatis dãnandus; si profectò meminerimus, ex diuortio Regis cum Leonora Alfonsi matre facto, & à delegatis à sede Apostolica Iudicibus comprobato, quàm facilis; atque honesta fuisset Alfonsi ab vniuersa hæreditate depulsio; sed rursum quàm libera, ingenuaque Regis, ac nullo iure coacta Alfonsi ad Regnum vocatio: cùm neq; naturæ, neq; legib. neq; rationi etiam consentaneum esset, vt qui ex legitima & iusta vxore nati erant liberi, ei, qui ex dubia, incerta, atq; publico diuortio seiuncta, procreatus erat, in hęreditate succumberent: cum eam potius ipsi contra ius sibi ablatam potuissent iure repetere: ac non ex aliis tantummodò Regnis, sed ex Aragonio etiam illum expellere. Vnde cum neque se, neque bona sua nosset Alfonsus, sed nimia regnandi cupiditate accensus, & exhæredari fratres procurasset; & à paterna se destitui gratia, & amore neglexisset; neque omnibus potitus Regnis fuit vnquam; neque Aragonio diutius; quoniam ferè cœlebs, & sine liberis, in ipso flore iuuentutis, è vita, vt dicemus, discessit. Pręterea Rex alteram subiunxit assignationem; quam fecit Iacobo alteri filio, Regni Balearici, ac Ebusi Insulæ; quin vrbis etiam, ac vniuersi territorii Mompelleriensis: nec non alteram, qua eidem Iacobo Regnum Valentinum cum omnibus Castellis concessit, eosdéque Regni proceres, & arcium præfectos similiter ad præstandam illi obedientiam iuramẽto adegit. Quapropter actis gratiis proceribus, atque ciuitatibus, conuentum dimisit. Intereà Rex adhuc Iolante viua denuò diuexari cœpit à Teresia Vidauria; cuius, vt lib. 10. ostendimus, matrimonii caussa ad Romanum Pontificem delata, & in ius vocato Rege, lis contestata fuerat. Quæ mansit quidem integra; propterea quòd nulla pro Teresia firma & grauia testimonia dicerentur, donec recurrens ipsa ad Episcopum Gerundensem, quem matrimonii conscium esse sciebat, ab eo obtinuit, vt clam per schedulam ille testimonium ad Pontificem mitteret; quo dicto, matrimonium Teresiæ reuiuiscere, paulatimq; diuulgari cœpit. De qua re litteris suorum factus certior Iacobus, maxime verò de Pontificis animo in Teresiam propenso, tanta fuit ira succensus, suspicatus id non alio, quàm Gerundensis testimonio, cui soli confitens enunciauerat, fuisse patefactum; vt protinus, non tam pro iniuriosa perfidia, quam pro violato sacro confessionis mysterio, Episcopum ad se accersi iusserit, cui Regiam ingresso, atque in conclaue admisso; subito, vt fama fuit, à cubiculariis, à quibus fuerat comprehensus, lingua excissa fuit, indeque Gerundam remissus. Quod facinus sacrilegum, & atrocissimum, vt primum intellexit Pontifex, Regi diras omnes, & execrationes obnunciare; atque vniuersa eius Regna Ecclesiastico supponi interdicto fecit: neque vllas excusationis causas à Rege propositas admisit; donec Andream Albalatũ Episcopũ Valentinũ, Legatũ Rex misit ad Pontificẽ, cũ litteris summissionis, & obsecrationis plenis; quibus suam ille culpam agnoscens, nõ solùm liberationẽ ab ea, sed etiam errati veniam cum lachrymis deprecabatur. Qua legatione audita, continuò Pontifex humilibus Regis votis annuens, Legatos duos, Episcopum Camerinensem, & quendam magni nominis monachũ, Desiderium, Pœnitẽtiariũ, vt vocãt, Apostolicum Ilerdam misit, amplissima potestate data, tum Regem à crimine expiandi, tum iusta quoque pœna mulctandi. Quare præsentibus Tarraconensi Archiepiscopo, & Cæsaraugustano, Vrgelitano, Oscensi, & Elnensi Episcopis, aliisque Abbatibus, & proceribus

vtriusq; Regni, cum promiscua populi multitudine, Rex de crimine & flagitio sacrilego in Gerundensem cōmisso acerbissime, atq; ex animo dolens, illudq; publicè confitens & ex tradita formula detestans, à Legatis plenissimè absolutus fuit: modo cœnobium Benefacianum in montanis Dertosani agri situm locis, quod ante annos quattuordecim, post captam Morellam, in honorem sacratissimæ Virginis inchoarat, sumptuosissimè exædificaret, & perficeret: illudq; dote ducentarum marcharum, vt dicebant, argenti, in annuos redditus locupletaret, & ornaret. Quin Hospitali etiam ac Xenodochio beati Vincentii extra muros Valentiæ posito, quod capta vrbe ab eo erigi inceperat, sustentandis pauperibus & peregrinis, sexcentas argenti marchas in perpetuum erogaret; cum certo sacerdotum numero ibidem instituto, qui & diuina curarent & pauperibus assisterent. Demum vnum sacerdotem presbyterum in Ecclesia Gerundensi constitueret, qui similiter diuinis officiis interesset, continueque Dominum pro Rege deprecaretur. Diploma verò absolutionis datum fuit Lugduni X. Kalendas Octobris anni MCCXLVI. Pontificatus Innocētii Papæ IIII. anno 4. qui tum agebat Lugduni, atque priori Lugdunensi Concilio generali præerat. Absolutus verò Rex fuit à Legatis, Ilerdæ, decimo quarto Kalendas Nouembris eiusdem anni. Id enim significant Epistolæ duæ Regis ad Pontificem; quarum alteram dedit per Legatum Valentinum Episcopum: alteram gratiarum actionis plenam misit ad eundem, impetrata venia. Harum Latine conscriptarum exemplar vnà cum tota absolutionis serie, ex ipso Benefaciani cœnobii archiuio fideliter translatum, perlegimus. Quę eo quidem fusius hic explananda duximus, vt tam sparso, alioqui vulgi rumori de commisso Regis in Gerundensem crimine occurremus; demonstrata, tum occasione ad illud patrandum oblata, tum absolutione à Pontifice obtenta, tum demum satisfactione publica à Rege expleta; ne tacita expiatione criminis, inusta Regi nota ad ignominiam perpetuam inueterasceret: sed cum Dauide Rege persancto, qui grauiora forte commiserat, ac quia eum pœnituit; & veniam à Deo consequutus est, & in illius gratiam, populiq; famam restitutus: sic etiam Iacobus alioqui Rex optimus, & pius, quemque sui facti maxime pœnituerat; non solùm absolui ab illo meruit, sed miserante Domino; & eidē reconciliari obtinuit, & bonum nomen, quod tantis suis rebus gestis assecutus est, perpetuæ posteritati propagauit. Cæterum quòd ad Teresiam attinet, nihil amplius eandem, Iolante viua, commolitam fuisse comperimus, ac neque eius ex Rege filios Iacobum & Petrum cum aliis ex Iolante fratribus, consuetudinem vllam habuisse legimus: donec mortua Iolante denuò, quæ in caussa acta fuerint, decimo nono libro ostēdemus. Quanquam Iolans paucos post annos, cum esset Barcinone, atque ad Regem tum Valentiæ agentem proficisci pararet, lenta quadam febricula correpta à medicis fuit prohibita, ne se viæ daret: sed ingrauescente morbo, cùm adhuc media ætatate esset, de eius tamen vita fuit desperari cœptum: quòd ea tot fracta laboribus, tot exhausta partubus; tot denique animi angoribus confecta, ob dissipatos præsertim de prosperis apud Pontificem Teresiæ conatibus rumores, ac etiam sibi persuadens, non defuturā Petro, & Iacobo filiis magnam rerum perturbationem, mœsta semper esset, atque acerbam sibi vitam putaret. Itaque obsignato Oscę testamento, quo Petro, Iacobo, & Sanctio filiis Comitatum Posaniæ in Vngaria, Regi fratri commendatum, legarat, pio tandem, atque æquissimo animo, se totam Deo, Virginique matri commendans, è vita cessit; magno sanè sui desiderio relicto: quòd ea quidem sanctissima, prudentissimaq; fœmina, multis, excellentissimisque virtutibus ornata fuerit. Quam Rex ex animi sui sententia vxorem habuit charissimam, & fœcundissimam: ac non modò sobolis verùm omnium etiam consiliorum, laborumq; participem & sociam. Vtpotè quæ ipsum bello paceq; semper secuta fuerit; & quam neque continuæ grauiditates; neq; frequentes partus (nouem enim edidit annis quindecim) impedierint, quominus quandoq; in tabernaculis, interq; armorum strepitum pareret: ideoq; perdigna, quæ à Rege tenerè redamaretur; & filios videret, tot, tantisq; Regnis decoratos. Vnde à mœsta, atq; pullata ciuitate, in quam illa semper officiosa fuerat, perhonorificè, Regioq; more, iusta ei facta fuere; atq; ad Vallem bonam, quò ipsa voluerat (cœnobium id est sacrarum virginum ordinis Cisterciensium in Catalonia) cum magna funeris pompa lata fuit, atque ibidem humata: cuius obitum Rex tulit, vt par erat, quam acerbissimè; ac denuò iusta ei Valentiæ fieri curauit; multisque diebus tristis, ac lachrymabundus fuit. Iam verò idem Valentiæ agens, cùm in eo totus esset, vt susceptam tot ante annis expeditionem Valentinam ad finem perduceret; ac pauca quædam vltrò Sucronem oppida expugnanda essent; duo ad eum Sarraceni venerunt ex oppido

Biario,

Biario, quod in extremis Regni finibus versus Murcienses situm est, atque arce inprimis munita protectum. Ii ex primatibus oppidi se esse professi sunt, atque cognatione, affinibus, & familia potentes, vt mediam ferè partem oppidi comprehenderent; esseque in ea sententia oppidanos significarunt, vt oppidum cùm nullus esset, neque ex Valentinis, neque ex Murciensibus, qui defenderet, Regi tradere vellent: freti iisdem conditionibus, quibus Setabitanos, Regem ipsos admissurum. Sed facta prius fide, vera esse, quæ de se illi prædicarant, Rex illicò Setabim cum magna manu peditum profectus est; indeque sumpto equitatu, Biarianis se postridie in oppidum venturum, per alterum eorum, qui ad se venerant, nunciari, fecit; retento altero, tanquam obside, ac futuro etiam itineris duce. Vbi verò in conspectum oppidi Rex venit, oppidanos permultos in armis esse, atque ad dimicandum, potius quàm ad pacatè excipiendum, paratos inuenit. Tum Rex Sarracenum ad eos permisit ire; at illi intentis in eum hastis, Regios appropinquare prohibebant. Admiratus Rex, suamque fuisse deceptam expectationem ratus, castra in itinere Moxentii oppidi, citra fluuium poni iussit; ibique se ille triduo sarracenos exbectans continuit. Vbi verò eos frustra præstolatur, collustrari omnia circum oppidum loca iubet, atq; in collem quendam oppido propinquum qui arci imminet, interiecta conualle, castra mutauit; eaq; vallo circummuniri fecit; animo non abscedendi inde, nisi capta arce, atqua diruto oppido; ad idq; reliquum equitatum ab vrbe eò venire iussit; propterea quod ex paucis interim commissis præliis cum oppidanis intellexit, strenuos sexcentos equites inueniri inter eos, qui fortissimè dimicarent. Quo tempore rigente bruma, atque frigore sęuiente, inoportuna erat in monte castrorum collocatio: ideoque Rex breui oppidanos oppugnare statuit, adhibitis machinis in eam partem collis, quæ arci è regione imminet; quin & vniuersum equitatum media in conualle spaciari iussit, vt præsidio esset peditibus in montem, vbi arx posita erat, secretò ascendentibus; scilicet vt & debiliora arcis loca explorarent, & rimas, quas machinæ, & balistæ facerent, inspicerent; irruptionemque, si qua fieri posset, tentarent: ac etiam vt è summo iugo oppidum, eiusque, ad oppugnandum, aptiora loca deligerent. Noctû igitur de tertia vigilia, emisso equitatu, vno simul tempore, à machinis, atq; à peditibus cœpta est oppugnatio. Verùm vt primum audita tormenta, & machinæ fuere, tam repentina fuit oppidanorum equitum in nostros irruptio, vt turbatis equitibus, necesse, fuerit plerosque sauciatos, sese recipere, peditesque interim, qui in montem ascenderant, dubia adhuc luce, cognito periculo, dilabi, & per diuersa loca in castra reuerti. Sed iterum ac sæpe, contendente Rege, atq; continuis eiusmodi irruptionibus oppidanos vexâte; neque permittente eos pecuaria, & apiaria, quibus maxime viuunt, exercere, factio, quæ sarracenos ad Regem miserat, prædicata eius clementia, & liberalitate erga Setabitanos, ausa est deditionem populo suadere. Quo annuente, pręfectus arcis non parum conquassatæ, eosdem illos sarracenos ad Regem remisit, vt dicerent, Biarienses cum eorum oppido sese ei dedituros, si iisdem, quibus Setabitanos conditionibus, reciperet. Placuit Regi conditio, eamque ratam se habiturũ promisit; ac protinus oppidum, cum magno omnium applausu, ingressus est: quo potitus, oppugnationi Regni finem imposuit. Ac propterea quod illud extremum Regni esset, & proximum Murciensibus; refectam arcem Christianorum præsidio firmauit; in quam ascendens, mire delectatus fuit apertissimo, latissimoque camporum beneculторum prospectu, sese versus Murcienses extendente: multoq; magis gustato suauissimo liquore mellis, cuius vberrima est in eo oppido copia, eaq; ob illius excellentiam, existimatio, vt Romanis etiam notum olim, magniq; habitum mel fuerit. Albescit enim illud vsqueadeò, atq; in vrceis frigore quasi concrescens sic cogitur, vt saccharum non modò colore, & sapore mire referat; sed vt illud tanquam glarea dispergatur: nec dubito fuisse olim oppidum ab ipsis Romanis Apiarium, ab apibus mellis conditricibus vocatum, sed inuertente vulgo, nuncupatum Biarium. Regi igitur inde Valentiam reuertenti traditũ fuit oppidum in itinere, Castallia dictum, munitissimum illud, satisq; bellicosa gente defensum, atq; iuuandis Biariensibus necessarium: tametsi ipsum quidem, non iure belli, sed dono Arenosii generi, & hęredis Abuzethii, cuius fuerat oppidum, venit in potestatem Regis: quod quia propinquum Murciensibus, atq; in eo Regia necesse erat collocare pręsidia; data sunt Abuzethio oppidula Chestiũ, & Villamartiana, vrbi propinqua, Castallia autẽ Regi cessit. Demũ cũ primum reliqui totius Regni sarraceni, qui debellati nõ fuerant, intellexere Regem, & Setabi, & Biario esse potitum; illico, se, suaq; oppida, & arces, à Sucrone vsque ad Murcienses sita, similibus pactionibus, illi tradiderunt: atque in hunc modum vniuersa Valentini Regni expugnatio gloriosa sapientissimi Regis

constantia,& armis, fœlicissimè confecta fuit; tribus cum ipso Regno subactis Regionibus: Contestanorum, vt diximus, vltra Sucronem, vsq; ad Murcienses. Aedetanorũ citra Sucronem, ad flumen vsq; Idubedam. Ilergaonum verò, ab ipso Idubeda vsq; ad Cataloniæ limites.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS ARAgonum, *cognomento expugnatoris.*

LIBER XV.

Vo tempore, Valentino confecto bello, Rex se se in vrbem ad ea, quę pacis essent, reuocarat, vt illius augescentis indies amplificationi operam daret, allatus est ei nuncius è Castella, Regem Ferdinandum III. post deuictam, suoque Regno adiunctam maiorem Bęticę Prouincię partem, Hispali febri correptum obiisse. Quo nuncio tam grauiter, acerbeq; affectus fuit, vt sese illico in interius conclaue abdiderit, ac à publico multos dies abstinuerit, atq; illius consoceri, tanquam fratris germani interitum, tristitia & lachrymis vehementer prosecutus fuerit. Hanc Iacobi singularem charitatem proceres, præsertim, qui cum eo è Murciensi Regno venerant, & Alfonsi excursiones in Valentinos repressérãt, summopere mirati sunt; quod illius interitu tantopere angeretur, qui in expeditione contra Valentinos, non modo nullum laboranti Regi auxilium miserit; sed illius etiam hostibus, submissis clã subsidiis, animos cõtra ipsum addiderit: atq; inter alia maximè, Setabitanorum deditionem longo tempore impedierit. Quos ille sermones à domesticis relatos, his verbis refutauit. Non possum equidem non mirari tarditatem, ac stuporem vestrum; quod de ea quæ mihi semper cum Ferdinando Rege inuictissimo intercessit, charitate & necessitudine, periniquè, atq; aliter quàm res est, iudicetis: quodque eum, quem ego perpetuò, vt debeo, colui tanquam fratrem, cuiusque ope & armis omnia contra sarracenos bella confeci, auerso, atq; alienato, dum vixit, à me animo fuisse existimetis. Quæ enim ille bella Bęticę Prouinciæ sarracenis intulit; ea quidem nobis tum victoriæ, tum etiam triumpho de Valentinis fuerunt. Nam dum Cordubense, atque Hispalense, duo potentissima Regna, à Mauris idem vi cepit, adeoque Granatenses omnium bellicosissimos repressit, vt in suum illos quasi angulum compulerit; an non hostium prope infinitorum multitudinem, alioqui ad Valentinos conuolaturam à nostris ipse ceruicibus depulit? Nonne in sustinendis, atq; auertendis illis, talem se erga nos præstitit; quales & nos erga illum? qui Baleares, & Valentinos, nostro implicatos bello, ne mari terraque Bæticis auxilia ferrent, continuimus? nec dubium, quòd depositis in communi periculo odiis, sarraceni sese mutuo adiuuassent auxilio, iunctisque viribus, nostras penitus protriuissent, & labefactassent. Sed diuino plane factum est munere, vt vno simul tempore ille Bęticam, nos verò Balearicam, & Valentinam expeditionẽ, non ad profligandam modò Mahometicam perfidiam; sed ad veram quidem Christi religionem inducendam susceperimus. Atq; vtinam eadem in Alfonso filio, quæ in illo mens esset; idem in persequendis Sarracenis studium & contentio: non enim dubito, ambos, communibus armis, breui posse cunctos illos ab vniuersa Hispania pellere. Quos igitur Deus, ætate moribus, animis, atq; pia mente coniunxit, quorumq; pari armorum impetu, contra impios suos hostes acies direxit; eos, ne quæso, dispari, atq; auerso inter nos animo fuisse arbitremini: quin potius me, & illius gloriæ ac famæ æmulum, ac imitatorem; & illum, quibus dixi de caussis, mearum victoriarum, atq; triumphorum participem, & quasi auctorem habete: neque quicquam tam ex animo, quàm illius profecto mortem dolere me existimate. Quæ audientes proceres, non admirari modo; sed propter eius animi moderationẽ, quasi è cœlo delapsam, obstupere cœperunt. qui oratione non minus subtili, quàm eleganti, & vrbana, partas à se victorias Ferdinãdo, reuera æmulo; generosissimè attribuerit. Ac insuper exequias, & iusta ei cũ magna põpa,

cantu,

cantu, & laudibus fieri curauerit. Quin etiam Legatos ad Alfonsum generum eius
successorem consolandum miserit; seseque eidem nunquam non astiturum, atque in
sarracenos semper adfuturum obtulerit. Veruntamen Alfonsus, suscepto Regno, quã-
uis strenuus ac bellicosus esset, varius tamen, atque à suorum ingenuitate deflectens,
hæc aliorsum, atque à Iacobo socero facta, dictaque sunt accipiens, simulata beneuolen-
tia, gratias se illi habere respondit, ac paratum esse referre. Sed paulò post ex quo Hispali
Regia insignitus corona fuit, non amplius persequi bellum, quod socio Iacobo Valenti-
no bello expedito, facilè confecisset, sed inducias cum Rege Granatę, reliquo sarrace-
norum Hispanię Rege, festinanter, nihilque consulto Iacobo fecit. Quin & eiusdem
quoque soceri odio, Iolantem vxorem dimittere, atque prætextu sterilitatis, diuortium
cum ea facere tentauit. Nec mora, Legatos nõnullos misit ad Regem Noruegiæ, qui sibi
Christinam eius filiam peterent ducendam vxorem. Quo etiam tempore bellum ab eo
contra Iacobum renouatum est, atque in his locis, quę in finibus Murciensis, & Valenti-
ni Regni sita sunt, congregato vndique exercitu redintegratum, missus à Iacobo magna
manu peditum, ac turma equitum ad Regni dũtaxat fines tutandos, atque hostes non
prouocandos: sed arcendos. Verum intercedentibus quibusdam vtriusque Regni Anti-
stitibus, & proceribus, in eam concordiæ pactionem a Regibus est deuentum, vt dam-
na, prædę, atque vtrinque factæ direptiones compensarentur: vtque antiqui expugnati-
onis termini, & diuisiones denuo definirentur; ac iura super iis ad vnumquemque spe-
ctantia renouarentur. Quibus sancitis, atque in finibus dispositis vtrobiq; præsidiis, ab
aperto quidem bello cessatum est, non tamen à tecta simultate. Cęterum veniens è Nor-
uegia Christina nuptura Regi, sua fuit spe deturbata. Nam interim diuina ope factũ est,
vt Iolãs iam grauida, Alfonsum à diuortio deduxerit. Vnde anxius, ac dubius Alfonsus,
quid de Christina ageret; ne turpiter eam cum tã illustri Noruegiensium procerum co-
mitatu delusisse videretur, Philippũ fratrem germanum Abbatem Pintiensem, ac nuper
electum Antistitem Hispalensem, non tamen sacris initiatum, Christinę spõsum obtulit.
Sed displicuit Christinæ suppositio, eiusque comitibus summoperè; qui veluti furore
correpti, Christinam Regiam virginem è tam longinquis, atque vltimis prope terris
deductam, ac deceptã, seque vna cum illa delusos, cõquerentes, totam aulam clamori-
bus, lamentis, & eiulatu, barbaro suo more expressis, compleuerunt. Verum occurrerunt
Antistites, & summi Castellę pceres nomineq; Regis, Christinæ pmisere, Philippũ esse
magno quodam Principatu a Rege donandum, ac toti Galetię Regno præficiẽdum; nec
non Rege sine liberis decedente, illum Regnorum, atque vniuersorum hæredem
declarandum. Placuit Christinæ suisq; conditio, ac protinus sponsalibus factis, Philippo
Christina nupsit, fuitque in regia tibiis facibusque nuptialibus matrimonium celebra-
tum, atque Christinæ comites læti in Noruegiam reuersi. Quanquam procedente tem-
pore, ignauia, & tergiuersatione Regis, neque Philippo demandata præfectura fuit,
neque Christinæ Regius honos habitus, neque necessaria suppeditata. Indeque dis-
cordiæ ortæ, atque factum, vt Philippus à Rege ad Nauarrensem, vt dicemus, desciuerit.
Post hæc nunciatum est Iacobo, Tibaldum Regem Nauarræ Sãctii Regis ex sorore filiũ
obiisse Pompelone, quę est Regni caput, duobus paruis filiis Theobaldo & Enrico cũ
eorum parente Margarita Regina ipsorum tutrice relictis. Vnde Iacobus de Tibaldi
obitu certior, iunctis sibi nonnullis proceribus Aragonensibus, cum exiguo equitatu
Tudelam venit, Margaritam visurus, vbi tum ea mœsta, & magno dolore affecta cum
liberis agebat: cuius aduentu valde fuit recreata: quoniam in ea sententia erat, vt Regnũ
sub tutela & patrocinio Iacobi poneret, qui à perpetuo, potentissimoque Nauarræ
æmulo Castellæ Rege, illud defenderet. Quod Rex libentissimè suscepit; ac conuenien-
tibus Alfonso Principe filio, Antistite Turiasonẽsi, ac compluribus tam Aragonię, quàm
Nauarræ proceribus, cum nonnullarũ ciuitatum Legatis, loquuti inter se Rex & Regina,
in summa hæc pacta fecerũt. Nẽpe vt Theobaldus Regni hęres Constantiã, aut Sanctiã
Regis filiã, vt primũ esset nubilis, vxorẽ duceret. Rex verò Theobaldo ac Reginæ omnẽ
opem cõtra Regẽ Castellæ Nauarrẽse Regnũ affectantẽ ferret: ad eaq; promissa, vere &
ex animo præstãda, Rex & Regina, cunctiq; vtrinq; Antistites & proceres, ipseq; Alfon-
sus Princeps, se iureiurando obstrinxerũt. Quę pacta vbi audiuit Alfonsus Castellę Rex,
eaq; in sui contumeliã facta existimãs, cõtinuò cõscripto exercitu, cũ magno belli appa-
ratu ad fines Nauarræ veniens, progredi vltra, ac Regnum tanq̃ ad se pertinens, non mo-
do occupare; sed Margaritam & Theobaldum ab eo expellere tentauit. Quod plane
perfecisset, nisi à Iacobo pari cum exercitu occurrẽte prohibitus fuisset. Nam iunctę co-
piæ ex Oscensi, Iaccensi, & Cæsaraugustana ciuitatibus, sese illicò in Nauarram, eius

defendendæ gratia immisere. Quare deterriti Castellani, pactis cum Rege induciis, dimissoque exercitu abierunt. At vero Iacobus & Alfonsus Princeps, pacatis tum inter se animis, Barcinonem profecti sunt, vbi congregatis in Palatio proceribus & Baronibus Regni; assistentibus Tarraconensi, & Barcinonensi Antistitibus, publice & solenniter Alfonsus donationes, siue assignationes à rege factas Petro & Iacobo filiis, tam Principatus Cataloniæ, quam Regni Valentiæ, ratas habuit, nullo iure excepto; ac Regi manus deosculans, amantissimeque fratres amplexans, in amorem & gratiam eorum restitui visus est. Insuper rarum habere voluit, quod de Ilerdensibus ab Aragonensi Regno separandis egerat; atque illico vniuersos Cataloniæ proceres cum ciuitatibus à data fide priorum finium tuendorum penitus liberauit: seseq; iureiurãdo ad illa seruanda addixit, ex vetustissimo Regni more; Rege videlicet, suis manibus pollices Alfonsi funiculo vinciente. Quo sacro fœdere fidem suam obstrinxit Alfonsus; scribendo adfuere, qui supra scripti sunt Antistites, Vgo etiã Comes Rhodensis, Raimundus Falco Vicecomes Cardonensis, cum aliis nouem Cataloniȩ primatibus. Quibus peractis Rex, cum cognouisset Castellanos denuo animum intendere in Nauarræ Regnum, nouasque ad illud occupandum copias & exercitum parare, eô properauit, atq; in oppido Mõtacuto Theobaldum Regem conuênit, vbi renouatum fuit amicitiæ fœdus aduersus communes hostes, atq; arces vtrinq; tanquam obsides traditæ. A quo fœdere Rex neminem voluit exceptum, prȩter Carolum Andium Prouinciæ Comitem, Francorũ Regis fratrem, qui postea Siciliæ Regnum adeptus, capitales inimicitias cum Petro Principe gessit. Theobaldus vero Francorum Regem, & eius fratres tantummodo excepit. Quæ fœdera, & proceres Aragonenses, & optimates Nauarrenses, pro virili se obseruaturos promiserunt. Cumque ambo Reges commoto admodum essent animo in Castellanos, eosque bello persequi cogitarent; induciæ tamen cum iis factæ sunt, atque ab armis, annis plurimis Nauarra conquieuit. Interea sarraceni Valentini, qui sese Regi subiecerant, pactis ac conditionibus, vt more suo viuere, atque in Mohemetana secta manere possent, pro innata ipsis infidelitate, vt primum viderunt Regem extra Regnum alienis implicatum bellis, occulta parare arma cœperũt: iamq; vocato clam Alazaracho sarraceno magni apud eos nominis, qui paulo ante à Rege perpetuo exilio mulctatus, ad Granatenses abierat, ipsoq; ductore, in Regem conspirarunt. Hic Alazarachus patre Afro, in finibus Regni versus Murcienses natus, & cum eis educatus, licet colore fusco & vulto fero, tamen procero, ac præstanti corpore, & ad bellandum expedito erat: quin mediocri etiã fortuna & opibus prȩditus, Castellanã perinde vt Arabicam linguã callebat, eruditusq; in vtraq;, & eloquens erat; ac perquam callidus habebatur, neq; non valde fictus ac simulatus. Nam in expugnatione Regni, se antea Regi adiunxerat, familiaritate sermonis, eiq; suam omnem operam & fidelitatem promiserat, atq; sarracenorum consilia & deliberationes sæpe retexerat: Rexque sua illi quoque communicauerat: ac etiam vt Christo nomen daret suaserat, multa pollicitus. Ad quȩ subridens dicebat, se facturum id quidem, modo sibi soror Carrocii domini Rebolledi (erat enim fœmina omnium pulcherrima) vxor daretur. Qua ille consuetudine, atque familiaritate regia vtens, magni æstimabatur à suis, consiliaque nostra ac belligerandi artem & administrationem callens, magnos sibi spiritus sumpserat, maioraque indies in Christianos facinora moliebatur: parumque abfuit, quin Rex nimis ei fidens, aliquando in eius manus inciderit. Nam dum Bairenam vallem olim Rex debellaret, ac summa ope niteretur castrum Reguardianum, quod valde munitum erat, ac impedimento transeuntibus in intimam vallem, expugnare, Alazarachus occurrit, atq; castrum se ei daturum promisit; modo ipse noctu, de secunda vigilia, cum paucis veniret. Vnde Rex familiaritate fretus; cum ad prȩstitutam horam venisset, vigintiquinq; equitibus comitatus; totidemq; præmissis scutiferis versus castrum, subito Alazarachus ex insidiis, quas tribus in locis collocauerat, prosiliens, magno, cum tympanorum sonitu, & clangore tubarum, clamoreq; solito, cum trecẽtis in Regem sarracenis erupit, qui dum scutiferos primo sibi occurrentes inuadunt; atque inter ipsos Regem diligentissime exquirunt; diuertendi locus datus est Regi, quoad sese tuto in castra recepit. Verum postero die aduentu exercitus, destitutum ab Alazaracho castrum Rex cepit. A quo tempore ille profugus ad Murcienses abiit, publicatisque eius bonis, atque maiestatis damnatus, perpetuo fuit etiam exilio mulctatus. Itaq; absente Rege, atq; in Nauarrensia negotia intento, Alazarachus eorum, qui conspirauerant, dux effectus, oppida & Castella quædam in valle Gallinerana, non longe à Bairena sita, in quibus Rex præsidia habebat, non tam vi, quam dolo cepit. Quæ cum ad Regem perlata sunt, qui Calataiubii tũ agebat, protinus cũ vniuerso

comitatu,

comitatu, ac nouo etiam exercitu conſcribi iuſſo, Burrianam profectus eſt, vbi intellexit Alazarachum, meridie, ſcalis admotis, in arcem Penaguilæ munitiſſimam conſcendere tentaſſe, ſed à præſidiariis repulſum fuiſſe. Quo nuncio Rex citiùs Valentiam peruenit: vbi explorata conſpiratione, inuentum eſt, vltra Sucronem omnia fere oppida, duce Alazaracho, conſpiraſſe; citrà verò, occultè idipſum tentaſſe. Qua de cauſa de expellendis è Regno ſarracenis omnibus cogitauit: prius tamen ſuis in conſilium adhibitis; atque conuocato in vrbem concilio, cui interfuere Arnaldus Peralta vrbis Antiſtes, Petrus Fernãdus Aſſagra, Petrus Cornelius, Guillermus Moncada, Artalus Luna, Rodericus Liciana & Simon Vrrea, illius Simonis filius, qui Balearicæ, & Valentinæ oppugnationi præfuit, ac inclytæ, clariſſimæque Vrreanorum familiæ, ſanguine, fama, & factis propagator fuit, atque Arandenſi Principatu, apud Aragonenſes, quo & poſteri eius potiuntur, à Rege, vt fama eſt, donatus. Ii ergo primi procerum, atque aſſidui bello paceque Regis comites, cum aliis litteratis, perſanctiſque viris Eccleſiaſticis, atque ciuitatis optimatibus, in templum maximum conuenerunt. Vbi ſacro in primis facto, ac Deo ſe totos commẽdantes, Regẽ ſic verba facientem audierunt: Viri prudentiſſimi, vos omnes teſtes, atque ſocios habemus noſtrorum grauiſſimorum laborum, quos in oppugnanda hac vrbe & Regno, toto bello pertulimus; & adhuc perpetimur: non tam vt arces, oppidaque, & hominum corpora nobis ſubiiceremus, quàm vt pretioſas illorum animas Chriſto, eiuſque religioni ſanctæ lucrifaceremus. Quod tametſi in vrbe, cum eius ſuburbanis, vtcumq; præſtitimus; dum retentos ibi ſarracenos, aut Chriſto nomen dare; aut inde excedere coegimus: in aliis tamen Regni locis efficere non potuimus: ſed vt libentius in deditionem venirent, in ſua ipſos ſecta relinquere neceſſum fuit: ne ſi ad abiurandam illam ante deditionem compelleremus, prouocati ſubinde ad pugnandum pro aris ſociſque, vel expugnationem nobis retardarent; vel dubiam quidem magiſque cruentam redderent. Nam quamuis certũ eſſet, nos in hiſce præliis, vitam noſtram Deo, atque æternitati conſecraturos; illorum tamen animas, quas forte liberare potuiſſemus, ſimul cum corporibus perdidiſſe, nefas duximus: vt aliquid interim fuerit cum illis neceſſario diſſimulandum. At verò confecto iam bello, pacatiſque omnibus, quod in ſuis oppidis, vicis, domibus, atq; prædiis, ſua etiam in ſecta relicti; maiore denique libertate, atque tolerabiliore, quàm antea, iugo, terram colentes, tam apertè defecerint: quodque conſpirarint, & aduerſum nos arma ſumpſerint; id innatam profecto perfidiam, atque natura inſitam eorum animis infidelitatem arguit: ac neque Deo, neque nobis eos futuros vnquam fideles prænunciat: quinimmò manifeſtè indicat, numinis, ac voluntatis diuinæ eſſe, vt eiuſmodi infidelitatis zizania radicitus euellatur, atque in faſciculos colligata, aut emittatur foras, aut edocente nos Chriſto, comburatur; quo purius, atque fœcundius natiuorum Chriſtianorum, quaſi triticum ex ſolo in cœlum creſcat. Proinde vt tot, tantiſque, quæ attigimus, malis occurramus, vtque tot, tantaque prouenientia inde bona amplexemur; viſum eſt nobis, munita in primis vtraque Setabitana arce, & Algezirano Sucronis tranſitu impedito, cum aliis præcipuis Regni caſtellis, pręſertim vrbi propinquis, Sagunti, Almenaræ, Chiuæ, atque Eneſæ, ad defenſionem præparatis; nec non vrbi ſuis quoque præſidiis relictis, collocatiſque: perfidam eiuſmodi Sarracenorum gentem è Regno expellere; eamque à conſuetudine, atque frequenti congreſſu noſtrorum penitus ſecernere, iamque illorum loco, Chriſtianos vndique euocatos, ad ipſum incolendum, & inhabitandum deducere: cùm tale quidem ſit illud, eiuſque fertiliſſimi, atque amœniſſimi agri tanta vbique terrarum fama peruulgata, vt nemo ſit, qui non perlibenter ſuum natale ſolum cum Valentino commutet. Quæ cum dixiſſet Rex, magna conſecuta eſt procerum, & Baronum, quibus ſarracenorum oppidula dono Regis obtigerant, vociferatio, atque ab Regia ſententia diſceſſio; propterea quod ſibi perſuaſerant, colonos Chriſtianos, minus fore culturæ agri, atque ſibi vtiles, quàm ſarracenos; neque ſe in illos, vt in hos, Imperio & dominatione abuti poſſe. Verum enim Rex, cum Antiſtites, totumque Eccleſiaſticum ordinem, & Valentinos ciues, in eadem ſententia eſſe videret, conſilium minimè mutandum duxit. Maximè verò accepto per id tempus diplomate Clementis IIII. Pont. quo ipſe Regem vehementer adhortabatur ad ſarracenos è Regno exterminandos; atque iuſtiſſimis, ſanctiſſimiſque de cauſis Mahometanos impios à Chriſtianorum conſuetudine & ſocietate omnino arcendos eſſe ſuadebat. Sicuti in eiſdẽ Surritæ Indicibus, de verbo ad verbum relatum illud videre eſt. Itaque Rex quam primum munitis arcibus, atque exercitu oppidatim diſtributo, generali edicto iuſſit, omnes tam fœminas, quàm mares ſarracenos, capitali pœna intra menſem, cum omni re ſua, aut quantum vellent, Regno excedere. Quo edicto vix eſt credibile, quanta fuerit

vbique consecuta rerum perturbatio. Nam videbatur nonnullis, sarracenorum depulsione, Regnum ad maximam solitudinem redigendum: quòd intermissa cultura agri, necesse esset omnia squallere, ac terram syluescere, indeque tanquam depopulatam deseri oportere. Contra alii, conuolaturos esse potius ex vniuersa Hispania in id Regnum homines, dicebant, præcipuè quidem ex montanis, asperrimisque Aragoniæ & Cataloniæ locis; cum ii pro vna tantùm domi segete, seu messe relicta, tot, atque tam varias in Regno essent omnis generis fruges percepturi: ac neque amplius cum duriore terra illa, quæ vomeres & rastros excutit, pugnaturi; sed cum ea potius acturi, quæ omninò fertilis, & benigna est, neque vllum agricolæ recusat imperium: præterque id addebant, neque culturæ arte sarracenos Christianis præstare compertum esse; cum ab ipsa expugnatione vrbis, pulsis inde sarracenis, illius ager Christianis datus excolendus, cęteris totius Regni, quos sarraceni colunt, non modo vberior ac fructuosior; sed diligentius consitus, speciosior euaserit. Verùm de edicto Regis factus certior Petrus Portugalensis, qui multis, vt diximus, in continenti imperabat sarracenis, ac tum Sagunti agebat, in vrbem venit, atque in edictum palàm inuectus est. Quamobrem proceres & Barones, ductore Petro, sarracenorum causam defendere statuerunt; quam ille suscepit libentissimè, atque vt suam agebat. Nam cum quatuor præstantissimis Regni oppidis, Sagunto, Almenara, Segorbio, & Castulone, Burrianæ proximo potiretur (hæc enim illi cesserant compensandis Balearibus, quas dimiserat) quæ à permultis, ac bellicosissimis sarracenis colebantur; animosiores eos Petrus ad sese defendendum effecerat. Indeque cæteri totius Regni, propugnatore illo arma sumpserant. Id autem Regi molestum ac pergraue fuit, aperteque intellexit, nisi desistente Petro, minimè se voti compotem euasurum. A quo accersitus ille cùm venisset, multa Rex queri cœpit, quorum summa hæc. Data illum opera omnes Regios conatus, qui pro incremento & conseruatione Regni suscipiantur, infringere conari; remque nunc valdè publicæ tranquillitati necessariam, priuatis irretitum commodis impedire. Itaque pro communi Reipublicæ commodo rogare illum, vt siquid aduersum haberet, quod esset resarciendum, id Antistitum, atque procerum iudicio relinqueret; facturum se quidem omnia, quæcunque illi iudicarent. Vnde designati ab vtroque iudices, Rege, Petroque auditis, duo decreuerunt; vnum, vt Rex certam pecuniæ summam, Petro statim numeraret; alterum, vt quandiu commotum à sarracenis bellum gereretur Rex ea ipsa oppida Sagunti, aliaque dicta, munire, suisque sumptibus, præsidiarios in eis milites à Petro deligendos, collocare teneretur. Quæ iudicum sententia, cum vtrique placuisset, rursum eodem fuit Rex Petro duce vsus ad institutum susceptumque expulsionis edictum exequendum. Quapropter atrocissimum à Sarracenis commotum est bellum in ea oppida & arces, quæ à Rege tenebantur, intactis aliis, quibus dominabantur proceres: quod fama esset, iis reclamantibus, soloque nutu Regis, decretam fuisse expulsionem. Vnde Regiis ducibus, qui vel ex dissensione procerum, vel ignauia & insolentia, quæ ex partis anteà victoriis euenire solent, rem bellicam malè gerentibus victoribus, discordiis sæpè inter eos ortis; sarraceni indies pleraque oppida, & arces, ad duodecim ex Regiis occuparunt; atque in præsidiarios illorum milites crudelitatem barbaram exercuerunt. Ex illis Alazarachus, repente ex duce iam factus Imperator, exercitum sarracenorum sexaginta millium comparauit. Sed res quidem in miracula referenda, atque diuino prorsus ascribenda numini, contigit: quòd tam immensus cùm esset coniuratorum numerus, vt, cum fœminis ac paruulis, centum quinquaginta millium excederet; tanta tamen socordia, & timiditas inuaserit eos, vt quo die expellendi erant, Simoni Perezio Arenosio, magno Regis cubiculario, timidè pollicerentur, daturos se Regi dimidiam bonorum suorum partem, modò à Rege, publica data fide, liceret eis tutò Regni fines excedere. Verum enim Rex nihil ab eis accipi permisit; sed cum omni re incolumes ad Murcienses vsque deduci iussit. Fuit multitudo eorum penè innumerabilis; adeò vt sit à Rege in Commentariis relatum, à primo ipsorum agmine ad extremum, fuisse quindecim millia passuum; ac etiam fama proditum, ab Idubedensi prælio, ad eam diem, tantum numerum sarracenorum vnum in locum nunquam conuenisse. Ideoque hoc tam insigne expulsionis facinus meritò inter summa, præclarissimaque Iacobi facta numeratur. Qui tandem sarraceni extra Regnum positi, atque Vilienam vsque deducti, à Federico Regis Castellæ fratre, qui tum erat Vilienæ coacti sunt, singulis besantiis, singula capita redimere: atque inde transeuntes, partim in Murciensi, & Granatensi, Regnis consederunt; partim in Sparthariùm campum, quem

Arabes

Arabes Manxam vocant, diſiecti fuerunt; partim in Africam cum vxoribus & omni re traiecerunt. Verùm ex ipſis, qui Regno excedere noluerunt, plerique, Duce Alazaracho, ſeſe in montana Conteſtaniæ regionis receperunt, vbi permultis commiſſis prœliis cum Chriſtianis & exercitu Regis, triennio ſe ſe ſtrenuè tutati ſunt: eodem Federico, & Manuele Regis Caſtellæ fratribus, qui Vilienæ agebant, clam ſubſidia Alazaracho ſubmittentibus; ipſoque Rege, poſthabitis induciis, cum illis conſentiente. Nam ſimulato officio, vt Alazarachum perpetuum hoſtem Iacobo obiiceret, legatos Valentiam miſit, vt induciæ annuæ cum illo iam fierent. Quas Iacobus tametſi, quo illæ conſilio peterentur, intelligeret, vt tamen ei morem gereret, fecit. Qua cauſa elatus animo Alazarachus multò ſeſe inſolentius habere, atque fauore Caſtellanorum magnificè iactare, deque Iacobo faſtidioſe loqui cœpit: quin & vexilla Regis ſui, vt dicebat, Caſtellæ in arcibus ſe collocaturum comminabatur. Quæ omnia Iacobus tunc premebat, iram recoquens, quouſque induciæ finirentur. Vnde cum doloſo, ſimulque glorioſo & ignauo hoſte, doloſe itidem agere decreuit. Nam cum ſarraceno quodam Alazarachi amiciſſimo egit, vt illi perſuaderet, frumentum venderet, quo abundabat, ingentem inde pecuniam coacturus, quoniam per id tempus carè illud vendi ſolebat. Neque enim dubium erat, depoſcente Caſtellæ Rege, nouas cum eo, non modo inducias, ſed pacem facturum Iacobum. Interim Rex Raimundo Cardonæ, & Guillermo Angleſolæ, aliiſque Aragoniæ, & Cataloniæ proceribus iniunxit, vt in conſequentem Dominicæ Reſurrectionis diem feſtum, qui erat induciarũ terminus, præſto eſſent cum copiis, & exercitu vndique collecto ad vrbem. At verò Alazarachus credulus, frumento diuendito, diues effectus ignobili cupiens frui otio, vix dimidio menſe ante completum induciarum annum ſcripſit ad Regem Caſtellæ, petens, vt iterum annuas ſibi inducias impetraret à Iacobo. Ad quem protinus Rex Legatos miſit, rogans vt renouarentur illæ cum Alazaracho. Quibus mirari ſe valdè, reſpondit Iacobus, Regem generum ſuum tam eſſe propitium illi barbaro, qui toties vitæ ſuæ fuerat inſidiatus, atque caſtella & oppida occupauerat, vt intra proprium Regnum tueri illum, ac prohibere niteretur, quominus dominus de ſeruo pœnas repeteret. His dimiſſi verbis legati, re infecta, abierunt; Rex verò celebrato Paſchate Valentiæ, vltimo eius feſto die profectus eſt Setabim, quinquaginta tantummodò ſumptis equitibus: indeque adaucto equitatu Cocentaneam, illuſtre Conteſtanorum oppidum in montanis ſitum venit. Ibi nunciatum eſt exercitum ab Aragonia & Catalonia Valentiam perueniſſe. Itaque Rex arcibus Planeſii, Caſtelli, & Pegi oppidorum in itinere receptis, poſtero die, audito ſacro, in oppidum Alcalanum, vbi Alazarachus frequentius erat, contendit. Sed nihil minus quam decertare cupiens Alazarachus (vendito enim frumento exercitum dimiſerat) indeque abiens cum paucis, & Gallineriam pertranſiens, ex vno in alium locum inſequentem Regem diffugiebat. Ex quo Rex parte Gallineriæ conuallis cum Alcalano, & arcibus recuperatis, reliqua ſexdecim caſtella eodem itinere in poteſtatem redegit. Sentiens igitur Alazarachus Regem non ceſſaturum, quoad ipſum caperet, pactum cum eo facere procurauit, promittens ſe toto Regno perpetuò exceſſurum, modo ipſius familiæ & conſanguineis Rex parceret, neque eos Regno expelleret. Quod, vt primum perfecit ille; ſic Rex cum eius fratris filio ſe geſſit liberaliter; vt caſtellum cum oppido Polopenſi paulò vltra Calpetanum promontorium, Iphax dictum, dum viueret, conceſſerit. Rebus ita compoſitis, Alfonſi Regis artes & conſilia conciderunt. Ad quem Iacobus, tanquam redditurus rationem nuper confecti belli, legatos miſit, qui dicerent, Regem ſuum hiſce proximis diebus venationi fuiſſe, & aucupio intentum, atque intra dies octo caſtella ſexdecim aucupatum. Quo dicto alludere viſi ſunt ad illud, de quo paucis ante diebus, Alazarachus cum ipſo Rege Caſtellæ agens, fuerat gloriatus. Nam interrogatus, cum aucupio, aut venationi ferarũ eſſet aſſuetus: minimè verò, dixit ille, ſed hominum: niſi etiã mauis caſtella tibi me aucupari Regis Aragonenſis. Hoc dicto, Regi, ſuiſque multus iam fuerat riſus excitatus. Per id tempus Alfonſus Princeps, nondum ab incenſa cupiditate regnandi liber, ſed iniquorum hominum ſtimulis, fortaſſis Alfonſi Caſtellæ eius conſobrini, adactus, nouas contra Regem querelas ſpargebat: quòd Rex non contentus donatione Cataloniæ, Petro, conſenſu ipſius, paulo ante facta, etiam Valentinum Regnum, & Balearicum, alioqui ad Aragonenſium expugnationem ſpectantia, eoque ipſo, primo nato iure ſibi debita, Iacobo fratri tanquam ſucceſſori declarato, dono dederat. Cuius importunis querelis Rex occurrens, conſilio ſuorum Alfonſum vniuerſæ procurationi Regnorum Aragonii, & Valentini præfecit. Hæc autem procu-

ratio tametsi antiquis legibus primo filio deberetur, nulli tamen vnquam fuerat, prætetquam Alfonso, tradita: sicque fuit ad tempus querimonia sedata. Eodem tempore Aluarus Perezius Assagra ad Regem venit, vt, mortuo Ferdinando patre, viro strenuo, multisque victoriis claro, cui hæres ad Principatum Albarrazini successerat, se Regi addiceret: a quo fuit humanissimè exceptus, eiusque demortui parentis nomen commemorandum lachrymis, atq; laudationibus Rex fuit prosecutus: ac totidem illum, quibus patrem, militaribus beneficiis ornauit: quinquaginta enim equitum stipendia eidem fuere collata. Post hæc Rex Valentia Biatium profectus fuit: audierat enim Alfonsum generū misisse copias in Murciensium fines: ideoque veritus eius repentinas excursiones, sese illi in confiniis cum exercitu obiecit. Quo in oppido Alfonsus filius pollicitus Regi fuit se cum Rege Castellæ, neque societatem, neque fœdus vnquam initurum : Castellanis autem, Iacobi aduentu intellecto, inde abeuntibus, Rex quoque Cæsaraugustam concessit, paucosque ibi dies commoratus, Stellam nobile Nauarræ oppidum venit : sequutique fuere ipsum Arnaldus Peralta, & Andræas Ferrarius Cæsaraugustanus, & Valentinus Antistites, cum aliis sex magnatibus Aragonensibus, & copioso equitatu. Eo etiam peruenit Didacus Lupus Pharensis Vizcaiæ dominus. Nam cùm à Rege Castellæ, causis nunquam expressis, desciuisset, Iacobo Regi se suaque subiicere decreuit. Quem Rex lætè admodum recepit; sacramentoque apud se dicto, multis quoque beneficiis cumulauit : quinquaginta siquidem equitum stipendia ei conferri iussit; affuere scribendo, ipsi Antistites, & proceres, cum aliis multis nobilissimis viris, quos secum Didacus attulerat; quique se etiam Regi addixerant. Nec verò id nouum erat Vizcaiæ dominis quoties à Regibus Castellæ, aut desciscebant, aut relegabantur. Nusquam enim, præterquam apud Aragoniæ Reges, receptum habuere tutiorem, ac honorificentiorem. Nam Didacus, Didaci huius pater, qui Alfonsum eius nominis octauū Regis Castellæ auum secutus, strenuè se in Idubedensi prælio gesserat, paulò post ab eodem Rege relegatus, apud Petrum Iacobi patrem exularat. Neque præter institutum admodum me facturum existimo, si præclaram eius religionis causam hic expressero, quæ ab illis vsque ducta temporibus, magnum raræ profectò virtutis, atque defensæ nobilitatis exemplum posteris est allatura. Proditum enim est Castellanorum historia, eundem Alfonsum, post incredibilem illam partam eodem ipso Idubedensi prælio victoriam, tanta fuisse vsum liberalitate, & magnificentia cum Aragoniæ, & Nauarræ Regibus triumphi sociis, vt prædam, & vniuersa ex hostibus detracta spolia, eisdem, totique exercitui diuiserit : ipse verò victoriæ gloria contentus, domum repetens, ærarium exhaustum, atque omnia consumpta inuenerit. Qua de causa deliberauit, noua imperare populo tributa. Iamque vt à capite inciperet, à proceribus morabatinos duntaxat quinque viritim exigere decreuit: non tam vt grande ab eis tributum penderetur, quàm vt eos tributarios sibi efficeret: sperans inde minimè futura esse grauia, quæcunque inferioribus imponerentur onera. Cuius instituti, consiliique participem fecit, supra memoratum Didacum cognomento Pharensem: ac, quonam id pacto fieret, ab eo petiit, Cui Pharensis, rem sanè arduam, ac perdifficilem, inquit, suscipis Rex; dum eos, qui aut liberi natura sunt, aut sua dextra, immunitatem sibi, suisque, perpetuam pepererunt, tu vectigales facere conaris. Verùm vt amoris in te mei periculum facias, iam ego, qui procerum sum princeps, præsentibus ipsis, petenti tibi morabatinos primus polliceor daturum. Vnde conuentibus Burgis indictis, eoque conuenientibus omnibus Regni proceribus: Rex iustissimas inopiæ suæ causas proponens, nihilque sibi, consumpto ærario, relictum affirmans, quo posset Mauris denuò bellum mouentibus occurrere, necessarium docuit esse pro communi salute, noua tributa populo, atque adeò omnibus imperare. Proinde vt leuia ea fierent inferioribus, iique facilius superiorum exemplo ad pensitandum adducerentur, decreuisse à proceribus, quinque tantummodo morabatinos viritim exigere. Ad quæ Pharensis primus, vt conuenerat, respondit; peræquum est, ô proceres, vt Regi, cui multa petenti, negare esset indignum, pauca libenter concedamus. Quare morabatinos meos, ecce do libentissimè: Quibus ab ærarii præfecto receptis, proceres obstupuere omnes: atque eorum, qui inter primos habebatur Nunnius Comes Laræ, vnus ex clarissimis maioribus Naiarensium Ducum, in Pharensem oculos coniiciens, neque Regis rationem habens vllam, indeque ad proceres conuersus sic est allocutus: Viri proceres, & Regni Barones, qui maioribus vestris, neque virtute, neque gloria inferiores estis; sed longè etiam, potentia, atque armis superiores: quique pro Rege vestro, non vile tributum, sed pro tributo sanguinem,

vestra-

vestraque omnia, quoties opus habet, liberè, ingenueque impenditis; libertatem, quam ab illis naturâ, & manu partam accepistis, vos, ne quæso, turpiter amittatis; sed eam potius conseruatam, & quasi sartam tectam ad vestros minores transmittite: neque omnino, quod absit, tributo vectigales vos fieri finite. Siquis aliter, atque ego senserit, ac, ob Regiam aucupandam gratiam, suam immunitatem tributo populari contaminandam duxerit; hunc, vt rusticum & illiberalem hominem, neque sua ingenuitate dignum, hic iubeo manere: qui vero, quod in suis fuit nunc esse vult, atque pro ingenua libertate, mori potius quam seruitutem pati; me sequatur. Quo abeunte, tribus tantummodo ex procerum, atque nobilium numero; quorum Pharensis vnus erat, apud Regem manentibus, tria millia eorundem Nunnium secuti sunt; atque in campo Glareano, vrbi propinquo, eum armati circundederunt: simulque tributo morabatinorum hastarum mucronibus appenso, Regi denunciarunt; tributum paratum esse, si modo eos præcipuè exactores mitteret ad colligendum, qui eius imponendi vectigalis autores, & consiliarii fuissent. Quod audiens Rex, seque ab omnibus desertum conspiciens, ad Pharensem conuersus, quid facto opus esset, interrogat. Cui protinus sagax, ac prudens ille; me inquit, Rex tanquam reum, huiusque consilii autorem exilio mulctato: atque ad hunc modum, procerum conuersa in me ira, fideliore tibi eos gratia coniunges. Ad illos igitur Rex misit, qui significarent, prauo se inductum consilio, petiisse tributum; sed substitisse quidem, ac non solùm duxisse nefas, generosos Castellæ viros vectigales fieri; verùm consiliarios quantumuis licet potentissimos, tanquam sceleris reos digna pœna mulctasse. Quo responso, missoque simul in exilium Pharensi, pacati omnes, denuò se Regi addixerunt. Quanquam non multo post, iisdem rogantibus, Pharensis de exilio, quo in Aragonia apud Petrum Regem exulabat, fuit reductus. Interea induciæ à Regibus factæ, cum breui finirentur, atque ob Alfonsi artes, Iacobus controuersias bello decerni cuperet: in idque impensè incumberet: opera tamen Antistitum, virorumque religiosorum, maximè verò prudentissimi Bernardi Vitalis Besalunensis, qui vtrumque Regem inter Agredam & Turiasonem in congressum venire procurauit, de concordia fuit inter eos actũ, constitutumque, vt Nauarræ Regnum tuendum Iacobo traderetur. Sed inconstantia Alfonsi breui fuere renouatæ controuersiæ, atque ad pristinam concertationem, & dissidia, non tamen ad manus & pugnas ventum. Adhæc cum paulo ante rex ageret Stellæ, Enricus frater Alfonsi Regis Castellæ, & Lupus Diazius Pharensis Didaci filius, Vizcaiæ dominus, venere ad Regem, quos excepit benignissimè, honore regio Enricum afficiens, eique se offerens, re, & armis promptissimum, donec controuersia cum Rege fratre finiretur. Pharensi quoque se obtulit libentissimè, gratumque habuit adolescentis aduentum, qui patrem imitatus, perpetua, constantique voluntate, Aragonensium partes sequeretur, ac se Regi traderet simul cum viginti tribus primariis Vizcaiæ viris, cognatione illi coniunctis: qui omnes fidem suam ei obstrinxerunt pro Pharensi adolescentulo: adiectum quoque, non cum Rege Castellæ Pharensem de pace acturum: donec controuersia inter Regem & generum decideretur Sanctii Salzedi, & Lupi Velasci sententia; quibus tanquam primariis viris, atque omnium Hispaniæ litteratissimis, eius causæ cognitio commissa fuerat. Post hæc venere quoque Cæsaraugustam duo Castellæ primates à Rege ad Iacobum desciscentes, Ramirus Rodriguez, & Ramirus Diazius, ei similiter fidem suam obstringentes: & quia fuere ipsi ab Alfonso spoliati patrimonio; à Iacobo quidem, & prædiis, & centum equitum stipendiis donati sunt: totque indies ex Castella, & Nauarra nobiles audita Regis liberalitate, ad eum deficiebant: vt in ditandis illis, ærarium, & Regium patrimonium consumeret. Tanta præterea fuit huius Principis cum liberalitate coniuncta iustitia, vt quam liberalissimè, cuique quod suum esset, restitueret. Nam eodem tempore, Guillermo Moncadæ Raimundi filio, eiusque ex fratre filio etiam Raimundo, Fragam insigne oppidum, quod alluit Cinga fluuius, cum eius arce, iure beneficiario dedit, in compensationem censuum & prædiorum, quæ illorum maiores ad Ilerdam possederant, ac temporum, & rerum turbatione amiserant: modò defectu legitimorum, amisso iure, Fraga Regno restitueretur: quemadmodum postea restituta fuit. Tandem procurante Alfonso Castellæ, qui maiora quædam animo moliebatur de Imperio Germanico (fuerat enim à dimidia electorum parte nominatus Rex Romanorum) idem ipse cum Iacobo venit in colloquium, in oppido Soria Celtiberorum, vbi fœdera quondam à superioris ætatis Aragoniæ & Castellæ Regibus facta, renouata fuerunt: indeque recepit Alfonsus, se arces eius veluti obsides fœderis traditurum: atque ita paca-

tis animis longo tempore ab armis cessarunt. Ea tempestate mortua fuit Margarita Tibaldi Regis Nauarræ vxor, materque Theobaldi iunioris, & in Claraualle amplissimo Nauarræ cœnobio sepulta. Quæ dum vixit, Rege adulescentulo, sua prudentia, pacatè, quieteque Regnum gubernauit. Sed ea mortua tumultus illico excitati fuere: paulatimque sedati etiam, factis cũ Gaufredo Beamontio Nauarræ Senescalo induciis, qui tandem procurante Iacobo, in concordiam cum Theobaldo Rege venit, illoque adiutore Theobaldus Regno potitus est quietissime. Quibus confectis, Iacobo nunciatum est, Ludouicum Galliæ Regem intra mensem in Aquitaniam venturum, atque in nobili oppido Carbolio, quod est propinquum Mompellerio, ipsum expectaturum. Ad negotia igitur vtrique Regi tractanda Rex Mompellerium ire decreuit: relictoque Simone Focio, viro prudentissimo, ac inter Aragonenses proceres adnumerato, Valentiæ præfecto, iter ingressus est. Cui occurrit Dertosæ Petrus Alfonsus, Petri Portugalensis filius, Alcanitii præfectus, ibique confirmata prædiorum, siue locorum ad eum spectantium donatione, Mompellerium contendit, vbi intellexit Ludouicum fuisse iam Corbolium ingressum. Quo illico Rex petens, ipsumque mutuò complexus, antequam de componendis maiorum suorum inter se controuersiis agerent, in eo conuenerunt, vti Isabella Iacobi filia natu minima Philippo Ludouici filio ad Regnum successori nuberet: atque dotis nomine, vetusto Galliæ more & instituto, Quinta Regni pars, arcibus & propugnaculis receptis, assignaretur. Quo peracto Reges controuersias omnes vtrinque remiserunt. Ludouicus enim Barcinonensem, Vrgelitanam, Ruscinonensem, Emporitanam, Ceretanianam, Confluentinam, Gerundensem, & Ausetanam ditiones repetiuerat. Noster verò Carcasonensem, Rhodensem, Lauracensem, Birerensem, Leocatensem, Albigensem, Rhuensem, Fuxensem, Cadurcensem, Narbonensem, Mineruensem, Fonoliadensem, Saltuensem, Petrapertusensem, Aimilianam, Crodouensem, Gaualdanam, Nemausensem, Solonensem, & sancti Aegidi, ditiones sibi vendicabat. Itaque vicissim ambo mutuò iure suo cesserunt. Eo ipso tempore, Iacobus omne id ius, quo etiam repetere in Prouincia Folchalcheriensem, Arelatensem, Aueniouensem, & Massiliensẽ ditiones poterat, Margaritæ Francorum Reginæ Raimundi Berengarii Prouinciæ Comitis fratris filiæ attribuit. Sed cum iis Carolus Ludouici Regis frater germanus, qui Beatricem eiusdem Raimundi Comitis filiam natu minimam vxorem duxerat, esset potitus, eas, siue iusta, siue iniusta possessione, Ludouico permittente, retinuit. Id quod postea maioris odii causa fuit, & quasi belli semen annis plurimis inter Aragonenses & Gallos, quod nullum fuit quandiu Ludouicus vixit. fuit enim is Rex mirè pacificus, religiosus, & pius, atque ab armis in Christianos semper abhorruit: neque in alios, quàm contra impios Christiani nominis insectatores Mahometanos arma tulit; maximè verò de recuperanda possessione Hierosolymorum cogitans, mare cum ingenti exercitu traiecit, primoque prælio sarracenos multos profligauit; sed cum pestilentiæ morbo magna militum multitudo periisset, victus, captusque fuit; vt eius historia refert. Rebus tamen breui cum sarracenis compositis, liber cum exercitu fuit dimissus. Indeque Aconem Asiæ vrbem profectus, cùm in ea reficiendo exercitui dies aliquot substitisset; suo exemplo & exhortationibus primarios Agarenorum, ac subinde totam ciuitatem ad Christi fidem conuertit. Quin aliquot Christianorum ciuitates in ea prouincia suis sumptibus refecit. Vnde mortua eius matre, domum redire coactus, nullis Reipub. officiis intermissis, in omnibus pietatis, ac religionis muneribus, & studiis, sese vehementer exercuit: quoad denuo, cùm transmisisset in Africam bellum sarracenis Tunetanis illaturus, iamque castra in eorum conspectu posuisset, pestilentia discessit: eiusque corpus Lutetiam Parisiorum translatum fuit; ipseque miraculis clarus à Bonifacio octauo Pont. in sanctorum numerum est relatus. Hunc plane Iacobus in extirpandis sarracenis feliciter imitatus fuit, fuissetq; multo felicius, nisi à perpetuo Castellano æmulo impeditus à conatu destitisset. Itaque compositis rebus, ac Regibus è Carbolio abeuntibus, Iacobus Mompellerium veniens, intellexit Alfonsum Principem denuò turbare omnia, non tam sua, quam Aragonensium pertinacia, qui sibi iniuriam factam existimabant, quòd à patre tam indignè tractaretur, vt penitus ab aliorum Regnorum hæreditate arceretur, quodque non modo Catalonia separata à reliqua ditione regia, Petro collata fuisset, verùm Valentia etiam, & Baleares, quæ Aragonensis expugnationis erant, quasi excisæ ab stipite, Iacobo vltimo fratrum cessissent. Vnde noui quotidie tumultus ab Aragoniæ proceribus, ac nonnullis Catalanis concitari cœperunt: necesseque fuit, reuiuiscentem indies conspirationem sic præoccupare, vt Valen-

vt Valentinum Regnum Aragonio contribueret,& vtriuſque hæredem Alfonſum conſtitueret. Id,vt inuitus Rex fecit, ſic deinde alienato ſemper, atque auerſo animo ab Alfonſo fuit: vt neque videre eum, neq; communicare cum eo quicquam amplius voluerit,ac non niſi obſcurè, diſſimulanterque cum eo agere. Nam conceſſo eidem in Oſcēſi agro, Luna oppido inſigni, miſſoque ab Alfonſo ad oppidum præfecto, Artalus Alago vnus ex Aragonenſibus proceribus, qui tenebat illud, datumque ſibi à Rege, beneficiario iure, putabat, præfectum iam ingreſſum, ex oppido ignominiosè eiecit; neque Regii diplomatis,neque Alfonſi,qui generalis Regni Gubernator eſſet, rationem vllam habuit. Qua de cauſa Alfonſus Legatum ad Regem Mompellerium miſit, qui apud eum grauiter de Artali iniuria, & contemptu conquereretur. Cui Rex, ſe libenter in Artalum animaduerſurum, atque curaturum omnia reſpondit: Legatoque dedit litteras ad Alfonſum, in quibus dubiè, obſcureque, querelis ſatis faciebat: imo iubebat,ne quippiam faceret;rediturum ſe breui, & Artalum grauiter puniturum dicens. Verùm neque venit citò, neque Artalum ad tradendum Alfonſo oppidum compulit. Interim Rex, dum ſe Mompellerii continet, audiit Taurinos cis Padum tumultuantes, Bonifacium Sabaudiæ comitem comprehendiſſe,atque in cuſtodiam tradidiſſe. Quod ſentientes Aſtenſes vicini populi,dolo malo, Bonifacium è Taurinis ereptum ad ſe trāſtulerunt,atque in vincula coniecerunt. Sed ſtatim Sabaudienſes, vt Bonifacium liberarent,ipſius filios,cū aliis Sabaudiæ proceribus,quos Aſtenſes petierant,dediderunt:quibus apud ſe retentis, Aſtēſes,antequam Bonifaciū reſtituerunt, nonnulla oppida & arces Sabaudiæ ceperunt,ipſiſq; optimè munitis, tum Bonifacium & proceres, retentis filiis, è cuſtodia liberarunt. Sed Bonifacius tot fractus laboribus,quos in vinculis tam Taurinorum, quàm Aſtenſium pertulerat, breui mortuus eſt. Ex quo Aſtenſes in Sabaudienſes oppreſſos denuò bellum commouerunt. Quæ cum Regi narrata fuiſſent, tanta ille ira in Aſtenſes exarſit, vt protinus nulla interpoſita mora, Legatos ad illos miſerit, qui ciuitati Aſtenſium bellum ſuo nomine indicerent, ac etiam prouocarent eos, niſi intra menſem Bonifacii filios,quos in vinculis retinebant,liberarēt. Hac prouocatione,deterritis Aſtenſibus,atque quid reſponderent ambigentibus;minuſque dimittentibus Legatos; Petrus Bonifacii patruus ſubſidiariis Regiis copiis confiſus, bellum in illos mouit, atque oppida & arces recepit,eque vinculis Bonifacii filios liberauit. Vnde magna à Sabaudienſibus gratia Regi & Aragonenſibus habita aliquādo etiam relata fuit. Hæc cùm ex ſententia Petri ſucceſſiſſe omnia Rex intellexit, mirè lætatus eſt, propterea quòd in eo bello,tantùm fama & opinione, quantum potuiſſet manu, confeciſſet. Inde protinus in Aragoniam venit,quam ingreſſus,in itinere controuerſias in Artalum Lunam,& Gōſaluum Fernandum Aſſagram ortas ſuper oppido Chodenſi in finibus Albarrazini poſito diremit, Artalo,quod multis iam annis poſſederat,illud adiudicans. Poſthæc veniens Cæſarauguſtam,Legatos Regis Caſtellæ inuenit, qui ab eo petierunt, vt quoniam commotum iam à ſe bellum eſſet contra Granatenſes;permitteret nobiles Aragonenſes venire ſibi ſubſidio. Sic enim paulò ante in Sotiano Conuentu inter eos ſteterat. Cōceſſit poſtulata Rex;eos ſarracenos tantummodo excipiens,qui vel prædiis,vel militaribus ſtipēdiis,ei eſſent obærati:hos enim excepit pactum, & conuentio. permiſit tamen, vt bello intereſſent nobiles, qui non Regi, ſed proceribus inſeruiebant, aut tanquam comites ſequebantur:modò bellum, non Miramamolino, nec Tunetano Regi inferretur, quibuſcum inducias fecerat, in gratiam mercatorum Cataloniæ, & Valentiæ, qui ad illos frequenter mercimonii cauſa nauigabant. Cæterùm Alfonſus Princeps magnam omnibus admirationem mouebat;vt cui longè diuerſa,atq; paterna fuit,ſors obuenerat: nulla ei matrimonii cōditione oblata,cum ætate firmata iam eſſet,annos natus duos & triginta,ac Princeps ſalutatus:cum tamen Iacobo annos vix nato duodecim, Regnoque nondum ſtabilito, nupſiſſet Leonora: nullaque tam imbecillæ ætati ſubeſſet proxima ſpes prolis. Vnde Alfonſi res apud Regem in magna obliuione ſemper fuerunt. Nec mirùm id quidem, cum fortaſſis, & nouercæ antiquum odium, & nimius Regis in Petrum amor, & fratrum liuor obſtiterint, quominus vllis Regiis,atque potentiſſimis affinitatibus ad firmandum Regnum iuuaretur:quoad Rege permittente, propoſita fuit Conſtātia prima filia Caſtonis Moncadæ, Vicecomitis Benearnēſis, inclyti illius Guillermi filii, qui Balearico bello præfuerat;atq;, vt fuſiſſimè libro ſexto explanatum eſt, poſt tot ab eo proſtratos,ac profligatos Sarracenos,glorioſiſſimè dimicans, interierat. Itaque ſponſalibus factis, & ſponſa magno Moncadarum, eiuſque perilluſtris familiæ comitatu & pompa deducta,Calataiubii,breui iunctæ nuptiæ, breuius diſiunctæ fuerunt. Nam intra paucos dies,fractus,ac debilitatus Alfonſus,tum odio,& contemptu patris; tum inuidia

& maleuolentia fratrum, qui ad nuptias venire recusarunt; morbo correptus, non sine multorum dolore, & lachrymis interiit; nullis neque natis, neq; posthumis relictis: neq; testamēto obsignato; ita vt vi ereptus potius, quam morbo extinctus videri potuerit. Qui tandem Regiis iustis redditis, sepultus est in cœnobio Verolensi ordinis Cisterciensium. Princeps satis quidem moderatus, commodus, suique cognoscens, sed suorum deprauatis consiliis, aduersaque fortuna, semper conflictatus.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER XVI.

LFONSO mortuo, eiusque inimicorum odio & liuore supremo funere extinctis; Petrus & Iacobus fratres, honorem mortuo, cui viuo iniuriam intulerant, facere decreuerunt, vt qui ad fraternas nuptiarum faces, tibiasque accedere noluerant, ad eius exequias, cantu, lamentis, & laudationibus celebrandas libentissimè cōuenerint. Hoc funere, quasi funesta quadam attacti peste, eodem odio & inuidia, quibus in mortuum olim, in se ipsi exarserunt; quinimo præ regnandi cupiditate, adeo multa in sese machinari mutuo cœperunt; vt ni paterna simul Regiaque autoritas & potestas intercessissent, parum abfuisset; quin breui vtroque orbaretur filio pater; eiusq; odium olim in Alfonsum, funestissimis superstitum dissensionibus expiaretur. Itaque iustis Alfonso factis Valentiæ, in cuius templum maximum illius cadauere è Verolensi cœnobio translatum fuit, atque in sacello Regis honorifico tumulo repositum; iamq; libera Regnorum Aragoniæ, & Valentiæ potestate Regi restituta; protinus de vxore Petro deligenda cogitauit. Neq; enim quantum in Alfonso, in Petro rem distulit. Nam inter alias, proposita ei fuit Constantia, filia vnica Manfredi Siciliæ Regis, Federici Imperatoris filii, qui sex ante annis, tempore Alexandri IV. Pontif. Max. Regio insignitus titulo, in Italiam traiiciens, Calabriam cum vniuersa Apulia in potestatem redegerat, idque inuito Pontifice, & Conradino Principe, filio Conradi Imperatoris, & sororis Manfredi, ad quem Regnum Neapolitanum cum iis prouinciis spectabat. Cupiens igitur Manfredus sese cum Aragonio Rege affinitate coniungere, Legatos è Sicilia Barcinonem misit, Giroldum Postam, Maiorem Egnatiensem, & Iacobum Mostacium, viros prudentissimos, qui de matrimonio Petri Aragoniæ, & Cataloniæ Principis, & Constantiæ agerent, quam Manfredus ex vxore Beatrice, Amadæi Comitis Subaudiæ filia susceperat, dotem illi L. M. auri vnciarum nomine patris dicerent: propter ingentes alias cum corporis, tum animi dotes, quibus præditam esse Constantiam, non solùm Legati, sed plerique probatæ fidei mercatores Barcinonenses, qui è Sicilia venerant, pleno ore referebant. Placuit Regi, atque omnibus propositum cum dicta dote matrimonium (neque enim antea dos tanta accepta fuerat ab Aragoniæ Regibus) ac etiam Manfredi affinitas: iis quippe patere sibi, suisque in posterum, magnum in Italia ostium; Siciliæ Imperio, aperiri quoque horreum refertissimum ad hæc sustentanda Regna, prospexit. Quamobrem statim ad deducendam sponsam misit Fernandum Sanctium filium, quem ex nobilissima Aragonensi fœmina Antilionia susceperat, vna cum pernobili Aragonēsi Guillermo Torrellia, viro prudentissimo, vt iis arbitris sponsalia fierent, & Constantiam cum magno Comitatu deducerent. Quibus proficiscentibus, auditum est, Vrbanum IV. Pontificem Alexandri successorem in Manfredum tam male esse affectum, vt non modò diras, atque omnes Ecclesiasticas censuras imprecatus ei fuerit: verum omnium ferè Christianorum Principum auxilia implorarit, magnumq; coegerit exercitum, vt illum ab omnibus Ecclesiæ ditionibus, quas tenebat, expelleret. Qua de causa Rex ancipiti distractus cogitatione, dolensque tam commodum sibi, filioque impediri matrimonium, & affinitatem, Legatos Romam misit ad Vrbanum, inter alios, F. Raimundum Penafortium ordinis Dominicani, virum insigni sanctitate, atq; doctrina nobilem, vt honestis rationibus, & quantis posset precibus, à Pontifice impetraret, vti Manfredum, supplicem, resipiscentem, ac misericordiam implorantem, sibi & Ecclesiæ sanctæ cōciliaret. Verùm enim

enim tantùm abfuit, vt Pontifex veniā illi daret, vt eò magis obdurue rit; in idq; rursum incubuerit, vt Iacobum auocaret à coniunctione & affinitate Manfredi, Tarentini, vt dicebat, Principis, impii acerbissimique Ecclesiæ hostis ac perduellis: quin & recenseret, alios inueniri Principes Catholicos, ac Deum timentes, qui filias suas Manfredinæ, virtute, ac dote pares, Petro filio nuptui traderent libentissimè. Sed neque Regis preces apud Pontificem, neque ipsius monita apud Regem quicquam profuerunt: creditumque est, diuina factum prouidentia, & numine, vt eæ nuptiæ aliis omnibus præferrentur; quòd iis maximæ fuerint fortunarum, atque dignitatis accessiones factæ Aragoniæ Regnis. Porrò Rege Cæsaraugustam repetente, dum esset Beruegalii, quod oppidum non longe distat à Cinga flumine, intellexit, Aluarum Cabreram Pontii olim Vrgelitani Comitis filium, paternis aduocatis amicis, eorumque auxilio & ope, arces & oppida Comitatus, quæ à Rege tenebantur, vi cepisse; atque extra suæ ditionis fines excurrisse: quin & Barbastrensibus vicinis plura detrimenta intulisse. Vnde omnibus circumcirca populis, iis maximè, qui ab Aluaro, vastatis agris, direpti fuerant, conuocatis Barbastri (quæ insignis est, tametsi parua ciuitas, nostro tamen tempore in Episcopatum erecta; cuius ager fertilis, frumento, oleo, & vino, necnon cocco, atq; aucupio, & venatione abundans) Martino Perezio Artaxonæ Iustitiæ Aragonum præfecto iniunxit, vt mediocri collecto exercitu, in Cabreranos insurgeret, eisque quanta posset detrimenta inferret. Daturum enim se operam, vt breui Aluarum, ni ab excursionibus, & vastationibus abstineat, de medio tollat. Interea Petrus Princeps paterna abutens indulgentia, qua Alfonsum fratrem hæreditario Regno depulerat, regnandi cupiditate semper exæstuans, similiter Iacobum fratrem à reliqua, quæ ei obtigerat, hæreditate conabatur deiicere. Audierat enim patrem indicasse quibusdam, quæ ipse Regna debellasset, Iacobo velle tradere; quod causa maioris odii inter eos fuit. Quanquam Petrus illud, quoad poterat, tunc premebat; quòd timeret, ne manifesto in fratrem odio declarato, in paternum incurreret: ac ne ea de causa Rex testamentum denuò conderet, in quo Iacobo nouam aliquam donationem, quę sibi detrimento esset, faceret: seque ad eam iureiurando confirmandam compelleret. Huic rei vt occurreret, clāculum grauissimos viros Ecclesiasticos cum proceribus conuocauit, Raimundū Penafortium, Magistrum Berengarium Turrensem, Archidiaconum Barcinonensem, Simonem Focensem, Guillermum Torrelliam, & Stephanum, & Ioannem Aegidium Tarinos, ciues Cæsaraugustanos sibi fidissimos, ante quos obtestatus est; si firmum, ratum vè testamentum patris, seu donationem aliquam ab eo factam, stipulatione, seu iureiurando sanciret ipse; se id metu eius perterritum, ac inuito & repugnanti animo facturum: ne, si forte roganti Regi coram resisteret, indignatione commotus ille, innouaret aliquid, ex quo non modò ipse, sed Aragoniæ Regnum detrimentum caperent: haud immemor eius incommodi, quod Alfonsus frater simili de causa olim fuerat perpessus. Quo etiam tempore occasione dissensionis fraternæ, ab ipsa regnandi libidine orta, non solum procerum, verum infimæ etiam plebis in partes secuta est armorum simul & animorum distractio, aliis in Petrum, aliis in Iacobum fratres, aliis in Regem studia dirigentibus: in tāta veniendi ad arma licentia; vt magna vbique locorum subinde fuerit grassandi, atq; latrocinandi audacia subsecuta, viis omnibus, atque saltibus occupatis, ac non nisi armata multitudine oppidanis ex vno in alium locum pergere audētibus. Hac de causa vniuersę montanæ Aragoniæ ciuitates, & maiora oppida, societatē inter se inierunt, quàm vocarunt vnionē, ex qua leges prodierunt lōgè duriores, quā mores & instituta maiorū vnquā pertulerant; quasi vri, secarive necesse esset, quo medicamentis sanari non posset; vt tam immoderatæ, atque effręnatæ grassandi libidini obuiā iretur. Quibus breui effectum est, vt conscelerator um hominum ingens capta manus, grauissimas pœnas exquisitissimis suppliciis Reipub. pependerit. Eodē anno sacro Pēthecostes die, Isabella Iacobi & Iolantis filia deducta est in Aquitaniam, ad insigne oppidum Claramontium in Aruernis, vbi celeberrimis nuptiis iuncta fuit Philippo primo filio Ludouici sancti Francorum Regis, qui postea in numero sanctorum, vt suprà diximus, relatus fuit. Eo etiam tempore Constantia Manfredi Regis filia in eandem Prouinciam deuecta fuit ac comitantibus Bonifacio Anglano Montalbani comite, Mā fredi auunculo, cum aliis Siculis, & Neapolitanis proceribus, ipsisq; Sanctio, & Torrellia; Mompellerium ingressa. Cui Iacobus Princeps, patris nomine, dotem dixit, Comitatum Ruscinonensem cum Ceretania, Confluente, & Vallespiria, ac etiam Besalunensi, & Prulensi Comitatibus: cumque Caldis, & Lagostera oppidis; tametsi earundem ditionum donatio, paulò ante à Rege facta fuerat eidem Iacobo, qui retenta possessione, tamen obligata omnia pro dote esse vo-

luit. Itaq; conscriptis pactis, eoque Petro Barcinone veniente, nuptiæ cum magna pompa & celebritate iunctæ fuerunt. Iis Mompellerii celebratis, Rex cum vniuersa curia Barcinonem remigrauit: vbi resciuit Petrum & Iacobum insatiabiliore indies torqueri regnandi cupiditate, atque iccircò maximè inter se diffidere. Ex quo existimans, se ab eis discordiæ, ac seditionum omnium sementem radicitus auulsurum, si voluntate eorum denuò Regna diuideret: præsentibus Barcinonensi, & Vicensi Episcopis, aliisque totius ferè Cataloniæ, cum nonnullis Aragoniæ proceribus, & ciuitatum Legatis, sic inter eos vniuersa partitus est. Aragoniæ Regnum, & Barcinonensem Comitatum, à Cinga flumine ad Pyrinæi promontorium, illa, nostraque ætate, Caput crucium nuncupatum, vsque in Periliosium, & Panizatium, ipsius Pyrinæi colles, Petro attribuit: quibus & Valētinum Regnum adiunxit, iisdem ipsis, quibus anteà diuisum fuit terminis ac limitibus, cum Regnis Aragonum & Castellæ, atque Cataloniæ Principatu. Iacobo vero Balearium Regnum, cum ea parte Pytuisarum Insularum, quam sibi retinuerat Rex: altera scilicet Antistiti Tarraconensi ex oppugnatione relicta, adiunctis Ruscinonensi, Iliberitana, Confluentina, Ceretana, & Vallespiria ditionibus, vna cum Mompelleriensi, quas Iacobo etiam condonauit. Quin & ambos filios orbatos liberis, hęredes alterum alteri substituit. Petro nihilominus de paterna iniuria conquerente, quòd se, immensa donatione in fratrem collata, defraudasset, diuidens quæ à Principatus Cataloniæ patrimonio seiungi non poterant. Demum eadem partitione cauit, vt minor natu filius, eiusque hæredes, earum ditionum, quæ ipsis obtigerant, vsu, & dominatu contenti essent; dum tamen Regia & suprema potestas, penes natu maiorem, eiusque posteros perpetuò maneret. Iā verò ad tollendas controuersias, quæ in confinibus Regni Aragonensis & Valētini cum Castellano per hos dies obortæ fuerant; indeque inter vicina oppida, & pagos, multa vtrinque damna & depeculationes consecutæ; necesse fuit Reges inter se conuenire, atq; fines Regnorum denuò definire. Qua de causa Sex viri finibus regendis sunt designati: è Regno Castellæ, Paschalis Episcopus Ginnensis, Aegidius Garcesius Aza, & Gonsaluus Rodericus Atienza: ex nostris verò, Andreas Albalatius Episcopus Valentinus, Sanctius Calataiubius, & Bernardus Vitalis Besalunensis; qui collustratis, ac designatis finibus, de damnis constituerunt; vti Reges ea vltro citroque, facta æstimatione, vnusquisq; sua dependeret. Sed quia tarda est Regum compensatio, adeò magna semper accumulant, ne soluant; ipsa inter se oppida damna mutuo, aut refecerunt, aut, vt controuersiis finem imponerent, condonarunt. Posthæc Rex veniens Ilerdam, duos nobiles Catalanos, Pontium Peraltam, & Bernardum Mauleonem, ex controuersia inter eos orta, armorum iudicio paratos ad decertandum inuenit: quibus, tametsi de more Rex assisteret, atq; ex patria lege certamen permitteret; tamen ex instituto maiorum, eidem præfuit Petrus Mōcada Cataloniæ Senescalus. Cuius magistratus iura, cum ex vetustate obsoleuissent; & de ea re controuersia cum Rege oborta esset; eius definiēdæ gratia, quatuor viri delecti fuere, Simon Perezius Arenosius, Thomas Senclementius, Guillermus Sazala, & Arnaldus Boscanus, iuris militaris scientia præstantes. Quorum sententia hæc fuit; Vt Senescalo, tanquam summo Regni magistratui ius suum, quod nulla officii desuetudine potuit antiquari, restitueretur. Huius autem certaminis quisnam fuerit exitus proditū non inuenio. Inde verò Rex Barcinonem veniens, de virgine Iacobo filio in matrimonium ducenda sollicitus, Mompellerium ad Guillermum Rocafullium præfectum scripsit, vt cum mandatis ad Allobroges iret, ibique cum Petro Sabaudiæ comite, de Beatrice Amadei Comitis eius fratris filia, Iacobo in matrimonium collocanda ageret. Sed illud an fuerit confectum, necne; seu puellæ obitu, quave alia de causa impeditum, nulla in Cōmentariis Regis, neque alibi fit mentio. Ac neque propterea, quod à Rege hæc, aliaque intermitti soleant, prætermittendum est illud, quod ab scriptore antiquo, qui Iacobi vitam conscripsit, narratur de Rege Persiæ, magnoque Babyloniæ Sultano nuncupato, qui per id tempus apud Ægyptum agens, præclara Iacobi fama commotus, mireque eius amicitiam affectans, Legatos ad eum miserit, qui sui erga ipsum studii & amoris testimonium redderet. Hos Rex Barcinone excipiens splendidissimè, multis locupletatos donis remisit: ac statim ad Sultanum, Raimundum Richardum, & Bernardum Porterium, viros singulari prudētia; quique magnam partem orbis peragrarant, Legatos misit. Qui in Ægyptum nauigantes, cumprimum Alexandriam, vbi tum agebat Sultanus, appulere, ipsius iussu, magna cum celebritate & pompa excepti fuere. Cumque Bernardus Porterius Iacobi vexillum protulisset; hoc illicò honoris, atque dignitatis gratia, Sultanus in Arsacidarum solio constitui imperauit. Renunciauit præterea Bernardus legationem amoris simul & officii plenam, quam Sultanus beneuolè, ac studiosè audiens, eundem rogauit,

gauit,

gauit, vt more patrio, nomineque Iacobi Regis, filium suum natu maiorem, militaris honoris auctoramento cinctum decoraret (perinde enim se habiturum, acsi ab ipsomet Iacobo Rege esset auctorandus, dixit.) Id audiens Porterius se illi ad pedes demittēs, quòd tanti ipsum auctorandi Principis honore dignum duceret, obtēperaturum dixit. Quare celebrato solenni sacro apud ædiculam Virginis à Christianis Alexandriæ degentibus cultam duobus sacerdotibus, quos secum Legati attulerant, rem bene administrantibus, solita cum ceremonia & pōpa, atque incredibili Sultani, totiusque ciuitatis lætitia, auctoramentum perfecit. Vnde Legati, magnis à Sultano ditati muneribus, atq; nauibus preciosissimis aromatibus refertis, cum maxima Sultani gratia, in Hispaniam renauigarunt. Barcinonem autem appulsi, atq; renunciare legationem iussi, de sua felici nauigatione, deq; gratia & magnificentia, qua ab humanissimo Sultano excepti fuere, multa retulerunt, addētes se ab eo, de omnib. Iacobi rebus gestis accuratè rogatos fuisse; illisq; auditis, tanto erga Regem amore & studio arsisse, vt vexillum, eiusque insigne mirè contēplatus, illud in Arsacidarum solio collocatum penes se retinuerit. Additū & de auctoramento à Legato Regis nomine rite celebrato; deq; illius maximis opibus Legatis magnificè expositis, & muneribus, quibus eos affectos dimiserit. Quæ audiēs Iacobus, collaudatis Legatis, magnaq; ex eorū oratione voluptate capta, summas Deo gratias egit, quòd talē ac tātum sibi amicum parasset, cuius auxilio, si quando daretur expeditio ad Hierosolymitanam terram è Turcarum manibus eripiendam, se multum iuuari posse speraret. Cæterum ne vllum Iacobo tempus daretur vacuum ab officio & munere militari, in ipso temporis articulo, quo Legatos audiuit, ad eum venit Petrus Ioannes Calatrauensis militiæ magnus magister, ab Alfonso è Castella missus, qui exposuit, Maurorum ex Africa incredibilem numerum in Bæticam traiecisse, seque cum Murciensibus, & Granatensibus adiunxisse, vt similem superiori cladem toti Hispaniæ inferrent. Proinde Regis sui nomine rogare ipsum obnixè, vt è Regni Valentini finibus versus Murcienses appropinquet; & labantibus generi & filiæ rebus opem ferat: ac neque minores mari, quàm terra copias parari iubeat, vt illorum ex Africa transitus impediatur. Protulit quoque epistolam Iolantis filiæ ad eundem, orantis ne se, ac virum in tam manifesta suarum rerum perturbatione desereret. Ad quæ respondit Rex, se nullo vnquam tempore defuturum suis, sed quanto maximè posset exercitu, terra marique pro communi salute, se ducem subsidio iturum. Quo dimisso, protinus mari classem strui, terraque exercitum conscribi, atque ciuitatibus, & oppidis pecuniam imperari; ipsumque Bouaticum tam iustis de causis imponi procurauit. Hæc vbi Catalanis Barcinonē conuocatis indixit, docuitq; innumerabiles in Hispaniam ad Granatenses ex Africa Mauros confluxisse, facilè persuasit, tutius esse hostes in alieno, atque longinquo oppugnare solo, quàm è proprio depellere. Vnde non solum Bouaticum cōcedi Regi; verum classem quoq; ei extrui curarunt, vt Mauros transitu in continentem prohiberent: propterea quòd occupata ab eis Bætica prouincia, maximè verò Murciensi Regno, quò properabāt, illicò conuolaturos illos in Valentinum, & Cataloniam subinde infestaturos, credi par erat. Verum & petitioni Regis, & concessioni conuentus, sese opponens Raimundus Folchius Vicecomes Cardonensis, non esse vllo modo consentiendum, dixit, quin prius de more conuentus, & antiquo Regni iure, querelis illorum, qui iniuria, damno, aut fraude aliqua opprimebantur, satisfieret, atque illata damna resarcirētur. Quod Rex intelligens atq; tristissimo, difficilimoque Reipub. tempore priuatas iniurias communi damno à conuentu præferri videns; vsqueadeo acerbe rem tulit, atq; ira succensus est, vt protinus dimitti conuentus, atque vrbe excedere, turbataque omnia relinquere decreuerit. Sed vniuerso occurrente conuentu, atque Folchio à conquestione desistente, quæ concesserant, comprobata fuerunt, atque conuentus cum magna Regis gratia dimissi. Verùm quòd Regi tunc in Rempub. à summo discrimine liberādam quā maximè intēto nihilominus Folchius sese opposuerit, postulata spreuerit, concessaq; illi à conuentu tributa impedierit; ac nisi ab vniuerso demum exoratus conuentu, minimè ab impeditione destiterit; apertè edocet, à nostri temporis Principibus boni esse consulenda similia, quæ in conuentib. ab vno, aut altero ex proceribus, aut Baronibus, aut Legatis ciuitatū, ipsis opponi solent; donec oppressorū quereli satisfiat, ac Reipub. debita repēdantur. Quandoquidem non tam maioris acquirendæ libertatis, quàm iustitiæ (qua vna virtute sustētantur Respub.) exequendæ gratia, idipsum opponēdi ius fuit populis ex plebiscito concessum. Minus enim decet, imò perniciosissimo fit exemplo Principum, ipsos, quàm priuatum quemque hominem, suum cuique non reddere: præsertim si eiusmodi sit, vt ob intermissam scelerum punitionem aliquam, Respub. suo quasi iustitiæ debito defraudata

fuerit. Hac quippe vna, aut altera dissimulata, permissave malorum impunitate, sequi sæpè solet, diuino reposcente iudicio, vt Principum conatus, & magna incœpta, quantumuis præclara & heroica, irrita fiant, ac veluti euanescant: ceu tanquam instructa, beneq; ornata nauis, quæ fertur secundo vento; tenui subtus contempta rima, sensim penetrante aqua demergitur. Cuius profectò rei, si Rempub. licet cum naui quàm aptissimè comparare, exemplum nobis natura proposuit præclarissimum; in vno pisciculo Echenei, siue Remora nuncupato; quem nostrum mare fert, atque pedali torpedini, qui piscis petris affigi solet, persimili. Illius siquidem tanta est virtus, robur, atque à natura innata ad sistendum facultas, vt Plinio, & experimento comprobantibus, medio in mari nauim, suum velis plenissimis cursum tenentem, carinæ affixus contineat, ac remoretur: quoad vrinatorum indagine, tentante manu inuentus, è carina euellatur; sicque nauis tanquam ferreis soluta vinculis cursum prosequatur. Quid enim Regii conuentus sunt, in quibus totius Reipub. summa continetur, quàm nauis maxima, seu Bucentaurus quædam, Regem tanquam nauarchum, proceres, Baronesque tanquam vectores, simul & nauicularios vehens? Et horum, quod præcipuum institutum? quisve scopus? quam Rempub. tãquam nauim è maximis procellis, vitæque tempestatibus ereptam, saluam, & incolumẽ in portum, vbi tranquillè viui possit, deducere? Quid tum Echeneis tantillus piscis, carinę adhærens, ac stupentibus omnibus, nauim retinens, quàm occultum sæpè malum, atq; inopinatũ innuit? quod, quia initio, vt leue negligitur, neque animaduersione dignum putatur, ideo quidem paulatim, ab innata vi malis, robur, ac neruos sumens, postquam inueterauit, Rempub. non modò inficere; sed felices eius progressus sæpissimè retardare potest? Quid demum vrinatores? quàm aut seueros legum ministros magistratus, aut, qui populi moribus præsunt, censores, significant? vtpote quibus est proprium, mala Reipub. linceis, quod aiunt, oculis inspicere, indagareq;, ac non solum coercere, sed præcauere equidem, atque illico enascentibus illis, cùm occurrere, tum illa ipsa, ferrea quasi admota manu, tollere & auerruncare? cum scilicet ab iis maximę quæ parua videntur esse delicta, quia neglecta crescunt, sit diligentius declinandum? Quamobrem, vt in magnis tempestatibus, summi nauis gubernatores nonnunquam à vectoribus admoneri, horumque monita ab illis non omnino reiici, sed libenter admitti quandoque solent, sic planè in magnis quoque Regiis conuentibus, vbi propositis oppressorum querelis, ob multorum inter se dissentientium contentiones, quæ sæpè, Principum, qui adulari se sinunt, aucupandæ gratiæ causa, tanquam tempestates commouentur, proborum hominum oppositiones, siue procerum, siue aliorum de conuentu, vti optima, salutariaq; Reipub. monita à Principibus audienda sunt, nec aspernanda; sed boni, vt dictum est, consulenda. Sanè, vt per ea, tum Principes officii sui admoneantur; tum Reipub. necessitatibus occurratur; tum denique conuentus, pari cùm illorum, tum populorum gratia dimittantur. Vt igitur redeamus, vnde diuertimus, concesso Regi Bouatico, classique nauata opera, eidem Petrum Fernandum filium præfecit, strenuum, ac bellicosum iuuenem, quem susceperat Rex ex Berengaria Fernandia Aragonensi fœmina nobilissima; altera ab illa, inquam, Berengaria Alfonsi domini Molinæ filia, quam post Murciense bellum, contubernii quoque necessitudine Rex diu cognoscens, nullum tamen ex ea filium habuit, de qua mox agemus. Hic Petrus postea oppido & ditione Ixarensi donatus à Rege fuit, ab eaque ipse, & eius in hanc vsque diem successores nuncupati, qui Beleitano comitatu adiuncto, procerum Aragoniæ; & Regio splendore generis, & perampla populorum ditione habentur præstantissimi. Porrò quoniam instabat bellum, Mauritanis continenter traiicientibus, ac sese in Granatæ, & Murciæ Regna diuidentibus, quin arces & oppida in Regno Castellæ capere incipientibus; nec tamen Bouatici pecunia collecta erat, nec quæ expectabatur ab Aragonia, imperata; Hebræus quidam nomine Iaudanus, omnium Hispaniæ ditissimus, Regiique ærarii præfectus, tantam ex suo obtulit præsentem auri summam; vt & classi, & colligendo exercitui, & disponendis præsidiis suffecerit; Bouatici, & aliorum Regiorum censuum ei exactione mandata. Iis actis, Rex Cæsaraugustam venit; ibique procerum bellicosiores, tumultuario inde collecto exercitui duces præfecit: vt vno simul tempore, cum iis, qui è Catalonia exierant, in finibus Valentini & Murciensis Regni præstò essent Castellæ Regi. Cùm igitur tot illi sumptibus faciendis pecuniæ quoque essent Aragonensibus imperandæ, conuentus Cæsaraugustę egit, ad quos vniuersi Regni proceres, Barones & Magistratus ciuitatis, cum aliarum ciuitatum, magnorumque oppidorum Legatis conuenerunt. Quibus in cœnobio maximo fratrum Dominicanorum congregatis, suam mentem Rex iis verbis expressit: Scio equidem, nequaquam ignorare vos, me ab ipsis incunabilis, omnem vitam, siue domi, siue foris, per-

petua

petua militia traduxisse;fuisseque diuina fortassis mihi sorte datum, vt nullam plane ætatem in otio,& tranquillitate;sed pro communi Regnorum salute,& amplificatione, in continuo labore & vitæ discrimine exegerim. Nam & totum tyrocinium adolescentulus,cum in vitandis domesticis insidiis;tum Regnorum sedandis discordiis insumpsi;& florentem adhuc ætatem, in Balearico bello; & mediam in Valentino transegi; neque hactenus in gerendis rebus à perenni, contestataque maiorum meorum virtute degenerasse, quin potius eorum laudibus permultum addidisse me puto: cùm reuera duobus Regnis, quæ ab illis variis parta sæculis hæreditario iure accepi; alia duo quoque mea,vestraque simul parta manu adiecerim; neq; restat aliud ad ea omnia conseruanda & stabilienda vndique,quàm tertium,quod est Murciense, adiungere: propterea quòd neque Valentinum sine illo,neque Balearicum sine vtroque defendi potest.Cui rei Catalani socii vestri, prouidi ac frugi homines, maturè, solerterque occurrerunt, animaduertentes à tot indies ex Africa traiicientibus Mauritanis, atque se Murciensibus adiungentibus, non modò hisce propinquis Regnis; sed toti etiam Hispaniæ commune, quale fuit olim, excidium impendere. Quapropter satius esse ducentes, malum ex longinquo loco, quàm ex propinquo vitare:non solum se, suaque omnia obtulere, sed tributum quoque Bouaticum ad propulsandum hoc bellum,nobis,vt scitis, concesserunt. Neq; video profectò,cur hoc etiam Regnum, quod eisdē, vel propinquioribus Maurorum excursionibus,quàm Catalonia subiectum est, simile quoque auxilium pro sui defensione non pendat.Est enim illud non aliis vsibus,quàm sacro huic bello,meisq; genero & filiæ,à tam manifesto eripiendis periculo impendendum. Vnde peræquum est, vbi de communi bello pro defensione patriæ suscepto agitur, sociis tam largè necessaria suppeditantibus,vos,qui & Regnorum primi debellatores fuistis,& eorundem semper estis propugnatores,nō parcè,sed largissimè,vt vos decet,aut saltem paria conferre. Hęc cùm dixisset Rex,quidā Franciscani instituti monachus, à seipso impulsus, repentè in suggestum ascendit,atq; ad sacrum hoc ipsum adhortans bellum,postquā Regiam tributi petitionē multis cohonestauit verbis & exemplis, adiecit, religioso cuidam sui ordinis diuinum obiectum fuisse visum,quo intellexit,instaurandam à Iacobo Rege Hispaniam,& à Sarracenorum incursionibus liberādam. Hæc proceres tanquam conficta somnia reiicientes,ægriùs tulere ea, quæ à Rege petebantur: quin etiā & ab eo diuertere cœperunt, Bouatici nomē vt execrabile detestātes. Hæc audiēs Rex,octo ex eorum principibus viris ad se vocauit,quorum vnus erat Fernādus Sanctius filius,qui à patre,præ cæteris, hac in parte dissentiebat.Is enim olim Alfonsi fratris partes secutus,multa cum aliis eiusdem factionis indigna,illius causa,contra patrē machinatus fuerat. Ex quò dissentiēdi à patre noua occasione oblata,quasi pugnaturus pro libertate patrię,insolētius se gerebat; sicq; ad impediendū Bouaticum,cuius nomine,vt ferebat ille,pater Aragonēses in boues ad aratra ferēda cōuertere volebat,caput eius defensionis seipse constituit, adhærentib. illi Simone Vrrea, socero, & Bernardo Guillermo Entensa, qui cum aliis vocatis ad Regem venientes, nullis ab eo rationibus ad subeundum illud adduci potuerunt, neque necessitate belli, neque exemplo Catalanorum, neque fide ac iureiurando à Rege dato, se ratam partem proceribus,ac nobilibus restituturum;& constituturum, ne vllo deinde tempore id imponeretur. Quin potius nouas de Rege querelas habentes, atque priuatas suas quisque causas publicis ac communibus pręferētes, non modò petita negarunt; verùm permulta,quæ antea in damnum suum,& iniuriam facta interpretabantur, compensari sibi à Rege petebant: imò ea ex præscripto legum, ac patriæ libertatis, iudicari poposcerunt. Est enim populus Aragonensis, natura tenax; adeoque acer vindex, eius præsertim libertatis,quæ maiorum suorum sanguine parta fuit; vt eodem quoque, illorum exemplo,cùm defendere illam;tum pro ea mori non dubitet: Sine libertate enim nullam sibi vitā relictam putat. Indeq; est,vt antiqua sua plebiscita & priuilegia (foros vocant) tanquam eius libertatis vindices & custodes mordicùs,nimisque præfractè defendat.Quo fit,vt neque aliorum quidem populorum, præsertim vicinorum, effugiat inuidiā,Regum autem in auersum quandoq; animum incurrat.Quorum querela de Aragonensibus deq; eorum plebiscitis ea summa est,quod nullam illi tēporum rationem habere volunt,ac neque illud potissimum animaduertere;non esse æquum,eorum plebiscita, quæ plerunq; priuatis de causis, atque populorum importunitate, à Regibus, tanquam vi expressa,atq; extorta fuerunt,perinde vt sacratas leges,quæ summo Imperatorum, atque peritissimorum Iureconsultorum cōsilio,pro communi bono latæ sunt; perpetuitatis,siue immutabilitatis naturā obtinere. Cum potius aut pro vicissitudine, malitiaq; tēporum,mutanda essent;aut pro atrocitate criminum,vt leges etiam,exasperanda; atque,

vt morbis,pro natura, vſu, & conſuetudine ægroti adhibenda eſt medicina; ſic intabeſcentia Reipub.membra, ne proxima corrumpant, non lenimentis, ſed igne, aut ferro nonnunquam ſint prçurenda. Fit enim obiectu plebiſcitorum indulgentiorum, vt pleraque delicta,ſceleraque ſæpius remaneant impunita. Verùm reſpondent Aragonenſes, atque pro ſe non inſulsè dicunt; iiſdē ipſis plebiſcitis, tanquam legibus, auctam potius, quàm imminutam ſuam Rempub. fuiſſe; immò cum vera religione quidem, hactenus multò melius conſeruatū. Eſſe præterea ſe, mitiore quàm alios natura, atq; ingenio tardo,potius,quàm prçcipiti ad mala perpetranda,ideoque quib.non eſt acceleratus delinquēdi vſus;tardā quoq;,atque procraſtinatā eſſe debere punitionem,atq; ad continēdos in officio ipſos,tanquā lenimentis,nō inciſione opus eſſe. Nec obſtat, quòd bona Regni pars plana,ſatiſque culta,atq; amœna appareat,&ad inhabitandum,& ferendum iugum apta;cum maior quidem perfrigida,horrida,& montoſa ſit, ac licet cultura vacans, propeque inhabitabilis;ſolius tamē libertatis dulcedine allecta, cum mirè frequens eſt; tum paucis contenta:quæ ſi,aut maioribus,quàm ferre poteſt, oneribus grauaretur, aut truculentioribus,quàm ſolent,pœnis,multiſve puniretur; planè, aut omnino deſereretur illa;aut duriore quam vſquam paupertate, ac ſeruitute cultores premerentur. Vnde Reges,pro illorum hactenus, Regia ſimul & diuina inuiolata fide, quarum hi fuere ſemper obſeruantiſſimi: ſic in eorum libertate, liberiſque ſcitis conniuent, vt iiſdem modo abſit abuſus,ad eius regionis tum incolumitatem,tum publicam commoditatem, facilè iudicari res permittant. Id, quod Iacobus tunc temporis prudentiſſimè animaduertit: neque enim tanta oblata occaſione, plebiſcita ipſa abrogauit; ſed ipſis abutentes proceres, vt dicemus,mirè perſequutus eſt,atque acerbè puniuit. Igitur propoſito à Rege tributo, magnæ illicò ſeditiones in populo concitatæ fuere. Neq; enim in tanta rerum perturbatione defuerunt,qui,vel procerum cauſam aduerſus Regem , vel Regis aduerſus proceres tuerētur:tametſi hæc quidem pars præponderaretur eâ, quæ pro libertate pugnabat: eaque vna libertatis vox à populo emittebatur.Hanc igitur acerrimè defendere ſtudentes proceres,Sanctio,& Vrrea ducibus, Alauonem exceſſerunt; vbi percuſſo fœdere,ſocietatem inierunt;indeque omnia raptim,turbatimq; agi cœperunt. Vnde conuētu non de more dimiſſo,ſed pertumultuosè dirempto,proceribus cum populo ad arma conclamantibus, Rex Montionem profectus eſt: ibique copias coegit, acceſitis è Catalonia militibus,ac nonnullis proceribus,qui præſtò Regi fuerunt: quibus acceſſerūt Tamaritani,eoque paruo exercitu,breui aliquot Aragonenſium procerum oppida & arces, tam Petri Maſſæ, quàm Sanctii filii cœpit: promulgauitq; vniuerſa oppida & pagos procerum, ſe, ferro & igni vaſtaturum. Quæ audientes proceres, depoſitis armis, iure agere maluerunt. Sciebāt enim Regem non tam contrario, quantumuis licet potentiſſimo, armorum impetu,quàm audito iuſtitiæ nomine,ab armis diſceſſurum.Iamque connitebantur ſummopere, vt de querelis, deque controuerſiis, ac quibuſuis litibus, iudicaret Iuſtitiæ Aragonum præfectus, omneſq; iudiciarias controuerſias, quæ Regem inter & Regni proceres,nobileſque viros orirētur, Præfectus conſtitueret,eaſque ipſe & Regio, & procerum, nobiliumque conſilio, qui Regia in aula verſarentur, decidere. Inſuper cùm is Magiſtratus, ſeu præfectura, à ſe, & à ſuperioribus Regibus demandari cui vellent,ſoleret,in poſterum promiſit,non aliis,quàm viris,qui equeſtris ordinis eſſent, eam mandaturum.Placuit igitur Regi,ac peræquum viſum eſt,vt cum honeſta iuris interceſſione,tum ab armis diſcederetur,tum etiam Magiſtratui,ac præfecturç ſuum quodāmodo abrogatum ius, & imminuta iuriſdictio,reſtitueretur. Erat enim hæc publica Regni dignitas,atque poteſtas præfecturç (vt de ipſius origine & facultate, pauca quæ ad rem pertinent dicamus) in præſidium & cuſtodiam publicæ Regni libertatis conſtituta : cæteriſque eius,ſiue regiis, ſiue ordinariis ciuitatum, oppidorumque magiſtratibus, præferri ſolita. Ac, vel ex eo maximè prçſtans, magnique ſemper habita, quòd in tanto ſibi iure, ac præſidendi poteſtate collata, nulli fuit vnquam Tyrannidi, neque perturbationi rerum obnoxia,vtpote cùm non ſolum, pro æquo & bono, quibus ex plebiſcito modis ſolet ipſa:verum pro ſummo quoque iure,deque conſilii ſententia,cuncta decernat.Neq; enim quçrit quæ ſua ſunt:ſed tria potiſſimum contendit.Primum vt ſuum cuique tribuatur:alterum,ne cui vis inferatur, tertium,vt Regni plebiſcitis ſtetur. Similis illa quidem tribunitiæ poteſtati:quem Magiſtratum Romani olim,defenſorem, ac cuſtodem populi eſſe voluerunt,atque auxilii cauſa, contra illatam vim conſtituerunt. Vnde ſicuti apud Lacedæmones Ephori Regibus, apud Romanos Tribuni Conſulibus opponebantur:ſic apud Aragonēſes,ne aut vis veritati adhiberetur,neve furor, ac impetus aliquando Iudicum,ius opprimerent: & Regibus, & Conſulibus , & cuicunque Regni poteſta-

poteſtati, vt ſe opponeret, creatus is fuit magiſtratus. Cuius tanta vis eſt, tam conſtans, & iuſta quaſi dictatura, vt ab eius hucuſque origine, & creatione, nullo fuerit vnquam tempore, aut occaſione abrogata. Quo maior eſt profectò admiratio; eaque nos vehementer ad inquirendum incitat; quonam potiſſimum tempore, aut Imperante Rege, ac quibus etiam de cauſis, primi, tam Reges, quàm proceres Aragonenſes, tantam, adeoque maiorem, quam ſinguli poteſtatem haberent, quaſi abdicarint à ſe, atque vni ſoli contulerint. Idque non ſolùm ad iudicãdum de ſummis, grauiſſimiſque Regni rebus, cæteraſque infra ſe habendas iudicationes; verùm in pleriſque ipſarum, illius vnico, ac definito iudicio ſtandum. Sed de tempore, ac Regibus, & proceribus, quibus fuit conditus magiſtratus, non admodum expreſſa eſt, neq; literis, neq; diplomate conſignata memoria: ſeu neque eſſe permittitur; fortaſſis, vt eo plus autoritatis, plus fidei, ac iuris eidem ab antiquitate, & inueterato, ſiue præſcripto præſidẽdi vſu accedat. Occaſionẽ verò, ſiue cauſam, haud alias fuiſſe credunt; quàm par olim primorum Regni, atque procerum Imperium; atque ab his profectam Regiam dominationẽ: indeque frequentes inter eos, ſuper diuiſione rerum, hoſtilium præſertim ſpoliorum, controuerſias, & contentiones: quaſi quòd par pari nollet iudicio ſuccumbere: hincq; neceſſe eſſet ius in armis, quę ſemper geſtabant, ponere. Ex quo, ne cruenta pugna & ferro differẽtias dirimerent; neve vlla ſubinde in Regem conſpirandi occaſio daretur; tam Rex, quàm proceres, de ſuo detrahẽtes, atq; magiſtratui conferentes; ipſum omnium conſenſu crearunt: atque ex eo maximè, quòd is in ſuo cuique tribuendo verſatur: totique Regno præeſt, Iuſtitiam Aragonum nuncuparunt. Ab ea quippe virtute, quæ omnium Reipub. baſis eſt ac fundamentum, iuſtè fuerat denominandus Magiſtratus, qui omnibus Regni iudicationibus, tanquam Iuſtitia iuſtitiarum, erat præponendus. Per hunc enim Reipub. Aragonenſis ſalus non modò fuit perpetuò retenta, ac vera illius etiam erga Reges fidelitas conſeruata: verùm ipſamet Regia dominatio, aut aucta quidem extitit per illum, aut magna ſaltem ex parte releuata. Siquidem ad ſubitas tum populorum commotiones ſedandas; tum ciuium inter ſe diſcordias componendas: tum inſolentium quãdoque procerum libidines refrænandas (quæ propria ſunt Regis munia) num commodiore alio, promptioreve, quam hoc ipſo magiſtratu, tanquam vnico inſtrumento pacis, ipſum ſibi Regnum conſueuit accurrere? nonne, quod in ea re, ſua maximè præſentia feciſſet Rex, idipſum deputatus ab eo magiſtratus ſolitus eſt efficere? An non hinc eſt, quod Aragoniæ res minus premant Reges; minuſque ipſis negotii faceſſant, atque in comitiis generalibus minus quoq; querelarum ab Aragonenſibus, quàm ab aliis ſociis Regnis habeantur? Inde quippe ſuperiores Reges huiuſmodi magiſtratus vim ſatis cõpertam habentes; necnon & proceres non eſſe alienam à commodis ſuis, ac neque contrariam ei poteſtati, rigidæ, nimiſque ſeuerę, quam ipſi in ſubiectos ſibi populos, ſine prouocatione habent, perſpicientes: eodem, quo ab vtriſq; conſenſu creatus eſt magiſtratus, à conſequentibus, progreſſu temporis, fuit etiam auctus, atque & poteſtate, & iuriſdictione amplificatus. Ita quippe Iacobus audiens velle proceres, expoſcereque, vt controuerſias, quas tam ſecum, quam inter ſe illi haberent, Iuſtitiæ Aragonum præfectus iudicaret; peræquum id eſſe ducens, prouidit in poſterum, vt illud de iuriſdictione præfecti, quod antea vſu tantummodo & conſuetudine receptum erat, deinceps ſcripta lege ſanciretur. Demum induciis factis, de reliquis controuerſiis omnibus, Rex, & proceres apud Cæſarauguſtanum, & Oſcenſem Epiſcopum compromiſſum fecerunt. Quibus peractis, proceres, ſe Regi ad Murcienſe bellum adfuturos promiſerunt. Sed obeunte interim Oſcenſi Epiſcopo; Cæſarauguſtano verò à pronunciatione abſtinente, iudicatio ipſa penes Regẽ fuit, neque manus iis bonis iuncta, quæ facto compromiſſo tenebantur. Præterea paulò poſt, comitiis à Rege, Exeæ habitis (inclytũ id Aragonię oppidum eſt, cognomẽto equitum, ob eorum frequentiã) plures leges proximis conuẽtibus ſcriptæ tantùm, ibi ſcitæ, ac promulgatæ fuerunt. In primis ne Rex, quique alii poſtea Reges eſſent, honores, & militaria officia condonaret, niſi iis qui agnati procerum eſſent, nõ modò iure, ſed natura quidem, ac neque exteris, illa tribuerent. Ne quis procerum, nobiliumve, Bouatici, aut ſcripturę tributũ (Herbaticum ipſi appellare conſueuerunt) depẽderet. In omnibus controuerſiis, quæ inter Regẽ, & nobilitatem orirentur, præfectus Iuſtitiæ Aragonum iudex eſſet, eaſq; procerum, atq; nobilium, quorum nihil intereſſet, cõſilio dirimeret: reliquas verò procerum, & equeſtris ordinis cauſas, idem præfectus, Regis ac procerum cõſilio diiudicaret. Rex liberis iuſtis nuptiis procreatis honores, militariave officia, ne attribueret. His conſtitutis, atq; induciis cum proceribus factis, literas è Caſtella accepit, quibus intellexit, Alfonſum expeditionẽ contra Granatenſes ſuſcepiſſe.

Quamobrem ipse quoque Murciensibus bellum indixit; ad quod Clemens IV. Pontif. sacræ expeditionis præsidia, & noxarum expiationem indulsit; atque sacrosanctæ Crucis prædicatione, è tota ferè Hispania multorum fuit militum concursus, Tarraconensi, & Valentino Antistitibus, concionatoribus, & sacri huius belli lituis. Itaque Cęsaraugustæ primum renunciatis Ducibus, & Signiferis, exercitum ad duo millia equitum conscribi iussit. Duces exercitus fuere Petrus & Iacobus filii; & Raimundi duo, Cardonæ Vicecomes, & Moncada, aliis Aragoniæ proceribus, quod alienato adhuc animo à Rege essent, militiam detrectantibus, præter vnum Blascum Alagonem, qui Regi semper adfuit: tametsi Aragonenses postea manipulatim Regem sequuti fuerunt. Sed recensitis equitibus, sexcenti dumtaxat præstò fuere ex bis mille conscriptis, quibuscum collecto passim in itinere peditatu, Valentiam properatum est. Cumque venirent Turolium, crescente indies exercitu, ac deficiente commeatu, req; frumentaria, ingressus est Rex vrbem; quæ nunc intercedente Philippo II. Rege, concessione Gregorii XIII. Pontif. in Episcopatum erecta est; vbi conuocato Senatu, itineris, atque expeditionis suæ causas aperuit: seque fuisse coactum ad sacrum hoc contra Murcienses suscipiendum bellum; non solùm vt Regnum, ob conspirationem Granatensibus deditum, eisdem inde pulsis, genero, ac filiæ recuperaret: verùm vt impediret, ne sese illi cum Murciensib. iungentes, in Valentinum conuolarēt, vnde Aragonense Regnum detrimētum acciperet. Atq; ideò, instante expeditione, ipse, non tam de cogendo exercitu, quàm de sustentando sollicitus, carere se in primis re frumentaria, & pecuaria, alioque necessario bellico cōmeatu, ostendit. Proinde rogare, vt quę ad manus haberēt, suggererēt: habituri breui ex Regiis censibus compensationem. Ad quem vnus ex primoribus, Ægidius Sanctius Munotius, filius quōdam Paschasii, de quo antea diximus, qui senatus mentē compertam habebat, respondit; Non ignorare te, Rex, credimus, ciuitatem hanc nulli ex suis Regibus tuis maioribus defuisse vnquam, neque nos quæcunq; imperata fuerunt, facere recusasse. Quamobrem, quò maiora sunt, quæ tu pro communi re facis, quàm quæ illi, eò maiora deberi tibi fatemur: & quæ pro aliis nunquā, pro te nunc facere decreuimus. Offerimus enim tibi nos Valentiam ituros obuiam, cum mille tritici coris, & tribus mille farinæ: arietum xx. millibus, boum verò duobus millibus: ac si opus erit, plura daturos. Te autem interim, & exercitum, hospitio excipiemus honestissimo. Hoc Turolensium tā magnificum, atq; splendidum sponte oblatum munus, Rex admiratus, Cæsaraugustanæ nō immemor iniuriæ, ad suos conuersus; Nū, inquit, Cæsaraugusta plus vi dedisset, quàm Turolium sponte obtulit? Itaq; gratias eis habens, maximeque ipsos de munere amans, petentibus Turolensibus, duos vel tres dimisit satellites, qui per suburbana & pagos, Regio nomine, quæ mittenda essent, colligerent. ipseq;, quamuis illi renuerent, ex Regiis censibus, persolui omnia præcepit. Cùm igitur Valentiam venisset, Turolenses cum omnibus præstò fuere. Quæ cum pergrata, atq; accepta haberet, optimis, variisq; Valentini agri fructibus oneratos remisit.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER XVII.

VM Iacobus Valentiæ commeatum & armamenta parat, ac reliquas ex Catalonia, & Aragonia ad Murciense bellum conscriptas copias operitur; graues subinde, atq; constātes rumores per vrbē spargebātur, de innumerabili Afrorum, qui in Bęticā traiecerāt, multitudine, vt qui Granatensib. adiuncti centū quinquaginta milliū numerū perhiberētur excedere; eorūq; omniū mēs esset, sese in Murciēse Regnū immittere; eoq; cōparato, protinus in Valentinū conuolare: vt non amissum modò Regnū è Iacobi manib. eriperēt, ac Zaeni, suisq; recuperarēt: sed Iacobum etiā è propriis sedibus, ac Regnis expellerēt. Erat. n. iam ab omnibus Hispaniæ Sarracenis & Afris, conflata conspiratio in Iacobum: cuius tam florens dominatio & Imperium, vniuersis Sarracenis, præcipuè Afris, in magno erat ex inuidentia concepto odio: nec tamen

men tam ingens ira,& potentia hostis contemnenda erant. Compertum etiam Rex habebat,ex omnibus à se antea susceptis bellis, nullum fuisse vnquam cum hoc Murciensi comparandum,ac neque sibi magis reformidandum.Nam quamquam tot ipse numero, tamq; paratos ad dimicandum contra se, hostes habuerat; nunquam tamen minoribus facultatibus,atque copiis,iisque inter se diuisis,ad illis resistendum prodierat: nullus denique hoc ipso, belli exitus magis portendebatur exitiosus: propterea quòd non solum Afros & Granatenses ante se haberet,sed Valentinos etiam domesticos hostes post se relinqueret:neque timendum non erat,ipsum vel præliantem, ab vtrisq; intercludi posse; seque eis victimam præberi.Quæ omnia à proceribus,& populo, vltro citroq; relata, tãetsi à Rege perpenderentur;nec paruiducerentur,vt pote quæ virum quamlibet constãtem honestè possent ab incœpto deterrere; tanta tamen erat ipsius cum animi magnitudine coniuncta fortitudo, vt hoc vno in bello non modò hostes, sed seipsum superarit, eoque alacrius in eos inuectus fuerit.Quamobrem contemptis rumoribus,commeatum & armamenta præmittens, cum vniuerso exercitu profectus est Setabim: ibiq; equites leuis armaturæ trecentos assumens, Biarium progressus fuit, vbi congregatis Ducibus exercitus, totius nauandæ operę, atque bellicæ expeditionis rationem eis significauit: fuitque deliberatum, vt debellatis primùm Murciensis Regni oppidis citra Vilienam, quæ sunt prope Oriolam,& Alicantum,vltima esset vrbis expugnatio. Vnde missa parte exercitus in leuam, ipse cum altera dextram tenens, Viliensibus, qui contra Manuelem Regis Castellæ generum conspirarant, per præconem ad mœnia denunciauit, nisi resipiscerent,atque Manueli se dederent,depopulaturum se eorum agros,ac oppidum complanaturum. Ad quem Vilienenses, se, certis conditionibus in potestatem Manuelis redituros dixerunt, modò ratas illas habiturum Manuelem ipse promitteret: promittente Rege, Manueli se dedidere. Quorum exemplum Eldenses sequuti, sese Manuelis potestati permiserunt.Idipsum imitati Petrecenses, Neupotienses, Illicitani, qui nunc Elgiẽses,fidem Iacobi sequentes in potestatem Regulorum suorum redierunt: simulq; audita Regis benignitate erga sponte se dedentes populos, tradita quoque fuit illi Calagurria turris magna,valdeque munita, quæ præcipua erat Illicitanorum arx, antequam exercitus eò conueniret. Ea fuit enim Iacobus sapientia & opinione famæ præditus, vt non minus arte,quam ferro vinceret. Misso igitur in eius arcis præsidium Barcinonensi Antistite, ne ab exercitu illorum ager vastaretur, ipse concessit Orcelim, vulgò Oriolam; quo statim venit pręfectus Criuillenii oppidi munitissimi,vt illud,& duas eius arces pręmunitas in potestatem redigeret, vna tantum missa cohorte: qua ad eos perueniente, præstitit præfectus quod promiserat. Sicque ab ea parte omnia oppida cum arcibus se Regi, ac suis veris dominis, quos dispulerant, tradiderunt. Iam verò egredienti Oriola Regi, vt in Murcienses pergeret cum equitatu, occurrerunt Almugauares prætoriani milites,quos Rex dudum præmiserat, vt excursiones in ea oppida, quæ intra Ilorcim & Murciam continebantur,facerent; prædasque in castra mitterent; quin & per captiuos, quos comprehendissent,consilia hostium inquirerent:ac tandem lustrato, atq; explorato vtriusque vrbis agro, ad ipsum reuerterentur.Hi redeuntes renunciarunt, ante horas viginti,sub ipso noctis crepusculo, vidisse prope Ilorcim prætereuntes octingentos leuis armaturæ equites, cum duobus millibus peditum Regni Granatensis, qui duo mille iumenta,omni commeatu & armorum genere onusta versus Murcienses agebant; quippe dissoluto ordine, ac nihil hostile timentes incedebant; facileque esse eos cum vniuersis sarcinis & impedimentis intercipere,si quàm celerrimè, nullaq; mora interposita, cum exercitu in loco à se explorato,satisque ad dimicandum expedito,eos præuenirent. Quo ipso tempore Manuel,equitesq; ordinis Templarii, Hospitalis,& Vclensis, vnà cum Alfonso Garcia strenuo, ac bellicoso viro à Rege Castellæ ad bellum misso, sese Regi adiunxerant: erantq; simul omnes equitum ad mille ducentos, peditum verò ad viginti millia,itaq; omnibus se,sequi iussis, præeunte Almugauarum cohorte, qui hostium stationes præuenirent,traiecto Secura flumine, vt primum illuxit dies,in pagum quendam fortè deuenerunt,ad radices parui montis,qua illi cum iumentis transituri erant, secundum tumulum non longè ab vrbe;vbi antiquorum Murciæ Regum sepulchra sita erant. Ibi ergo Rex Almugauarûm consilio, exercitum quiescere, sumptoque cibo, se ad pugnam comparare iussit;eumq; protinus ita disposuit. In primo agmine Petrum & Iacobum Principes cum suis è Catalonia copiis collocauit;alterum verò agmen, vbi Aragonensium & Castellanorum permistæ legiones erant, tenuere Vclensis, cum Petro Nunnio Guthmano,& Alfonso Garcia Castellæ proceribus, & Alago cum Aragonensibus; postremum cum Manuele & Almuguare, Regi obtigit, lectissimis centum cataphractis

cinctum, præter magnam aliam velitum manum, quos extra ordinem cum amētatis hastis Rex miserat, Duce Roccafullio, pernobili Oriolensi equite, ad exploranda hostium consilia & iter. In quos descendentes iam per decliuitatem montis, Velensis, & alii sui agminis vehementer instabant, vt impetus fieret. Verùm Rex prohibuit omnino, quoad vniuersi illorum equites in planitiem descenderent, vt in præeuntes tunc nostri irruerent, seseque inter eos, & montem interponerent, vt à peditibus, atque à sarcinis & impedimentis separarent: sicque equitatus in equitatum, reliqui in pedites conuersi, prælium committerent: & tamē cum Rex, non tam præsentes hostes, quàm propinquos vrbanos pertimesceret milites, quos sciebat multos, atque omnium lectissimos in vrbe esse; nec dubitaret, inito prælio, illorum subsidio venturos, ideò aciem sic instruxit, acsi cum vrbanis etiam esset dimicaturus. Prodiens ab nouissimo agmine è medio Cataphractorum fulgentibus tectus armis, lustratoque primum exercitu, atque omnibus circumspectis, venit ad primos ordines, quos ducebant Principes filii, ac, vt animosiores ad dimicandum redderet, graui, ac contenta voce cohortatus est, vt meminissent, quo ipsi patre geniti, ac procreati essent, quem simul Ducem & commilitonem haberent, atque facinorum spectatorem: quò magis cœlestem omniumque communem patrem respicerent, gratiasque ei immortales haberent, quòd dimicationis suæ primitias, non contra Christianos, sed contra impios Christiani nominis hostes offerri dederit: eique se tota mente deuouerent, daturo sine dubitatione, & vim suis ad peruincendum, & hostibus ignauiam ad resistendum. Ab his illico ad milites conuersus, propositam, atque oculis subiectam eis prædam, sarcinas & commeatum, si benè strenueque pugnarent, ipsis diuidendum ostendit: neque dubitare se dixit, ipsos tam assuetos alioqui, hostes numero superiores vincere, inferiores, tametsi non contemnendos, deuicturos. Iis dictis, in locum suum secessit, ac protinus, dato signo, nostri equites in hostium equitatum primum impetum fecerunt, quem illi minimè sustinere valentes, in eam partem qua venerant, sese fugæ mandarunt: hos pedites secuti, in turpē fugā coniecerunt. Quare ad persequēdos eos maximè cohortantibus Velensi, & Castellanis, Rex iussit canere receptui, veritus ne, aut à tergo eos vrbani adorirentur, aut in insidias, pluresve hostes, si persequerētur, inciderent: propterea quòd fugientes tenderent in oppidum Alfamā propinquum, in quo arx erat munitissima, multoq; plena milite, qui nostros prædæ inhiantes, & dispersos facilè superare, ac perdere possent. Itaq; direptionem Rege prohibente sarcinæ & impedimenta capta sunt, omniaque manu ipsius distributa Ducibus & militibus, præter iumenta & cibaria, tanquam exercitui & castris necessaria. Sed stupor omnes inuaserat, qua causa vrbani, præliantibus prope vrbem Granatensibus, qui subsidio illis venerant, non opem tulerint: latere enim ea pugna minimè potuit vrbanos, cum non longè ab vrbe commissa fuerit. Verum à captiuis deprehensum fuit, esse à Granatensibus certiores factos, opemque ab iis ferri petitam; non tamen ausos vrbanos eam ferre, propterea quòd graues rumores sparsi in vrbe essent, Alfonsum scilicet, & Iacobum Reges, cum magnis exercitibus venire ad vrbem obsidendam; ideoque initum à Iacobo prælium, stratagema fuisse ad eliciendos ab vrbe Murcienses, vt à propugnatore destitutam Alfonsus inuaderet. Neque profectò vna omninò fuit eorum opinio: quandoquidem Alfonsus per id tempus venerat Iacobum visurus, atq; ad præstitutam diem in oppido Alcarracio, non longè ab vrbe, conuenere, vna veniens Iolans filia, eiusque liberi Castellæ Principes, vna etiam Berengaria Alfonsina, filia Alfonsi domini Molinæ, & Mesæ, insignium Castellæ oppidorum, in confiniis Aragoniæ. Quæ cum esset perpulchra, atque cum venustate dignitatem quandā vultu præ se ferret, adeò eius amore captus Rex fuit, vt matrimonii fide data in posterum eam in contubernium acciuerit. Neque mirandum quidem, in tam continuo, prosperoque ac triumphanti bello, Martem subito in procreatricem Venerem incurrisse: procliue enim est ad eam, ab labore omnium hominum ingenium, maximè verò sollicitante communi rerum parēte natura, cuius non parum interfuerat, multos orbi Iacobos edidisse. Itaque postquam de oppugnatione Murciensi inter Reges est actum, atque à Iacobo illius cura suscepta, Alfonsus & Iolans, cum liberis reuersi sunt in Granatensia castra; Iacobus verò, vt nonnulla oppugnationi necessaria præpararet, Oriolam regressus. Quò venientes Vilienēses Regi dixerunt, se Manueli dedidisse, vt esset promissi memor; statimque Rex, consentiente Manuele, in illorum arce præsidia collocauit; profectusq; in oppida Nonpotiū, & Elgium, ea cum turri Calagurria Manueli tradi fecit; atque iterum reuersus Oriolā, natalitia Christi ibidem celebrauit. Inde Alicantum venit, vbi exercitu congregato, Murciam contendit, in eius conspectum castra positurus. Ipse quippe primus cum specula-

ſpeculatore anteibat regionis ſitum exploraturus, aptioremque ab obſidendam, & oppugnandam vrbem, locum inuenturus. Mos enim erat Regibus prælium commiſſuris, Regia id referente hiſtoria, in poſtremo eſſe agmine, loca tamen ad obſidendum indagaturis, omnibus anteire. Sed cùm in locum, qui fuerat ſpeculatori viſus aptior, ante lucem ambo veniſſent: neque ob circumfuſas tenebras, quantum ab vrbe diſtarent, agnoſcerent; vt primùm illuxit dies ſubitò ſeſe in conſpectum vrbis dedere: tam proximè, vt ad iactum ferè baliſtæ ea eſſet. Iumenta enim & pecudes vrbanorum propè oberrabant. Quo animaduerſo Rex ad ſpeculatorem ait; Temere profectò tu quaſi loci ignarus, ad deſignandam obſeſſionem, me in tam propinquum vrbi locum conduxiſti: verùm vt lubet, iacta eſt alea, tenendus eſt locus, ac ne digitum quidem pes referendus. Statimque poſitis ibi caſtris, ea vndique foſſa & vallo cingi iuſſit: quin & machinas, & tormenta diſponi, ac in loco, & ordine ſuo quemque manere conſtituit. Noſtris igitur operi inſtantibus, Murcienſes irruptiones facere cœperunt, atque frequentibus ſagittarum ictibus, ſaxorumque iactibus exercitum vexare. At verò Rex ſagittarios Dertoſanos, & funditores Baleares, à læua poſuit, vt irrumpentes ſarracenos, ac ſeſe protinus in vrbem recipientes icerent: miſſa ſimul Cataphractorum manu, qui ſuo impetu aggredientium agmen turbarent; noſtriſque contra Sagittarios hoſtes pro muro eſſent: quò tutius ferire illos poſſent, atque ſagittarum & ſaxorum imbrem ſimiliter in eos contorquere. Hunc ergo in modum eorum audacia adeò repreſſa fuit, vt totum menſem ab eruptionibus temperarint: noſtro interim exercitu, machinas & tormenta muris admouente, ac Rege etiam nihil non, quod ſtrenui ducis eſſet, machinante, quoad Murcienſes ad deditionem cogeret. Eius enim ſpe fretus, omnino prohibuit vaſtari agrum: quo beneficio, pleroſque vrbanorum animos ad ſe pelliciebat. Interim ipſe ad notos ſuos, quos in vrbe habebat, clam ſubmittebat fidos aliquos ex Valentinis ſarracenis, qui ad deditionem illos inducerent, benignitatem Regiam, ſuauemque morem in excipiendis, humaniſſimeque tractandis iis, qui ſeſe ei ſponte dedebant; atque in eos, qui obſiſterent, pœnas & ſupplicia prædicantes. Addebant etiam, recipere illum in ſe, Alfonſum generum, quæ ipſe ageret cum iis, omnia probaturum: poſſeque, eodem deprecatore, in gratiam Regis ſui, nullo ſuo iure imminuto, redire. Quæ cum ad primores vrbis relata eſſent, deque dedenda ipſa Regem perinde agere vidiſſent, ac ſi propugnatore vacua, atque fame oppreſſa omnino eſſet; tantus vniuerſos inuaſit timor, vt pro oblatis conditionibus placuerit deditio: maximè verò, augeſcente indies Regis exercitu, illorum verò auxilii ſpe, Granatenſi Rege Alfonſi bello impedito, penitus abiecta. Vnde placuit primoribus, ſeſe, ac vrbem Regi dedere; iamque pulſo inde præfecto à Rege Granatenſi miſſo, cum eius militibus, qui vrbanis numero inferiores erant, neque arcem tenebant; Regi ſignificarunt, ſed ad certam diem, vrbis portas patefacturos. Ex quo Rex protinus quinquaginta cataphractos, ac totidem leuis armaturæ equites, cum centum viginti ſagittariis Dertoſanis præmiſit, qui vrbem intrarent; ipſe vero ad ripam Securæ amnis, qua is arcem alluit, conſtitit; quoad illi vniuerſas vrbis turres & propugnacula, in primiſque arcem tenerent; atque in editiore eius turri vexillum Regium locarent. Quo inſpecto Rex illico cum dimidia exercitus parte vrbem ingreſſus eſt. Sequenti verò die in arcem aſcendens, munire eam præſidiaque in ipſa diſponi iuſſit. Deinde totam peruagatus vrbem, comitantibus antiquo præfecto, cum aliis quinque ciuitatis primatibus, eam in duas partes diuiſit: quarum alteram, quæ arcem, & Mahometi ædem magnam comprehendebat, caſtris propinquiorem, Chriſtianis habitandam dedit, alteram verò ſarracenis reliquit, in qua decem aliæ Mahometanæ ædes erant, ſatiſque amplus ad habitandum locus ſarracenis relictus. Verùm ſarraceni de Rege conqueſti ſunt, quod magnam ædem illam, quæ erat omnium princeps, ac frequentiſſima, ſuſtuliſſet. Tunc iratus Rex, vniuerſum exercitum vrbem ingredi, atque in armis, & quaſi paratum ad eam diripiendam eſſe iuſſit. Quod pertimeſcentes ſarraceni, Regem ſupplices obſecrarunt vt ſibi ignoſceret, atque ædem cum omni re, pro libito acciperet. Pacatus Rex, ædem à Carthaginenſi Antiſtite expiari, atque ſacræ Virgini matri Mariæ dedicari curauit. Ei enim ex voto omnia templa in locis ſarracenorum conſecrare ſolebat. Erant autem iam tum permulti permiſti ſarracenis Chriſtiani, tota ea diœceſi Carthaginenſi, chriſtianè viuentes, atque ſacella vnà & Epiſcopum habentes, qui pietatis, ac religionis iura in eos exercebat. Itaque expiato atque ſacrato templo, Rex, & Barcinonenſis, & Carthaginenſis Antiſtites, atque vniuerſi, qui inuenti ſunt ſacerdotes, aliique Dei miniſtri è tota confluentes diœceſi, cum vniuerſo Chriſtiano populo è caſtris exeuntes,

&cum magna pompa,& hymnis, vrbem ingredientes,illud adierunt:vbi pro victoria ſine cruore parta, maximas Chriſto,eiuſque ſacroſanctæ matri gratias egerunt. Poſt verò Rex ad exercitum conuerſus, collaudatis omnibus, tanquam bene de ſe meritis, atque victoriarum participibus,eis gratias egit humaniſſimè,ſingulos Duces,ſigniferos,primi-quepilos & centuriones,ſumma excipiens affabilitate,eorum virtuti ac dextris tribuens, quòd non vno,aut altero,ſed quatuor potitus Regnis fuerit. Qui autē ex procerib. præcipui interfuerūt huic bello,fuere Petrus & Iacobus filii,magnus Magiſter equitū Velēſis, Arnaldus Epiſcopus Barcinonēſis, vnà cū Carthaginenſi, ac etiā Petrus Gerardus Templariorū promagiſter, Petrus Fernandus Regis filius, Guido Veſpa promagiſter Hoſpitalis, Huguetius Comes Emporitanus,Raimūdus Moncada,Blaſcus Alago,Iaufridus Comes Rocabertinus,Guillermus Rocafullius,& Carrocius Rebolledi dominus:quibuſcū Rex diebus multis egit Murciæ; vbi tanquam verus Rex,ac dominus debellatæ à ſe vrbis,domos & prædia veteranis liberaliſſime diuiſit,eis præſertim,qui ibidem commorari, ac in perpetuo vrbis præſidio,& conſeruatione Chriſtianæ religionis remanere promiſerunt. Poſtremò Legatos ad generum miſit,qui nunciarent, ſe vrbem Murciam cum vniuerſis eius Regni arcibus, & oppidis viginti octo,quæ ab eo ad Granatæ Regem defecerant, vi & armis recuperaſſe, eaque omnia cum reliquo Regno ſubegiſſe, atque vt totum tanquam ſartum tectum reddat,præſto eſſe. Proinde præſidia mitteret, ad excipiendum illud, & defendendum. Factum profectò inſigne ac commemorandum, atque cum maxima Regis laude & gloria concelebrandum. Potentiſſimum ſcilicet Maurorum Regnum, defectione amiſſum,atque à ſociis protectum;quod ſua dextra, ſuis ſumptibus, & milite, oppugnarat, & recuperauerat,genero magnificentiſſimè contuliſſe; perinde ac ſi hoc ipſum antea filiæ dotis nomine promiſiſſet. Demum arcem cum vrbe Alfonſo Garciæ Præfecto ab Alfonſo delecto liberè tradidit, relictis decem milibus Chriſtianorum militum,qui Regnum,eiuſque tutiora ad defendendum loca incolerent, religionem inducerent, ſectamque Mahometanam propulſarent;atque potirentur agro amœniſſimo, pinguiſſimoque. Nam vbi ager eſt irriguus,non modo frumento,vino,& oleo, ſed moretis ad ſericum conficiendum bombycinum, ſupraquam dici poteſt,abundat: vbi verò irriguus non eſt, qualis Carthaginenſis propinquus ei campus verſus mare ſpartho, & palmis eſt refertus, atque magnitudine paſtionis mirè fertilis, qui etiam vrbe,& portu Carthaginenſi propinquis valde nobilitatur. Rebus igitur Murcienſiū compoſitis, Rex Oriolam venit, quæ vrbs Valentini Regni extrema eſt,Murciæ è regione ad ortum poſita,nobilis admodum,atque ingeniis præſtans,bellicisque olim aſſueta rebus.Eius ager latiſſimus, atque irriguus,frequentibus Securæ fluminis inundationibus, inuenitur longè fertiliſſimus, atque frumenti, ob irrigationem, feraciſſimus,adeò vt prouerbio vulgatiſſimo fuerit locus,Pluat,aut non,frumentum dat Oriola. Ibi Rex cùm eſſet hyems,ſummè delectatus tepore aeris, atque amœnitate agri, dies aliquot fuit.Inde cùm iam ver eſſet,Alicantum cum exercitu venit.Quæ vrbs ampliſſimum, non tamen vndique tutum portum habet, in quem magnus ac frequentiſſimus eſt nauium è toto Mediterraneo, atque Athlantico etiam mari concurſus, ac magna ſimul mercimoniorum conuectio. vbi Rex retento exercitu, vocatis Ducibus, bellum contra Almerienſes Regni Granatæ proſequi ſe velle dixit, ac iuuare generum, bello aduerſus eos implicatum. Sed obſiſtentibus proceribus,& admonentibus, tutum non eſſe tamdiu à propriis abeſſe Regnis, & aliena quærere;maximè verò ob componendas res Iacobi filii,præſertim de adiungēda ei vxore,quæ res Regiam omnino præſentiam requirebant; relictis præſidiis apud Alicantenſes, Vilienenſes fines,vt Murcienſibus,dum opus eſſet,occurrerent; ipſe Valentiam cum parte exercitus reuenit; atque colluſtrata vrbe, mirè delectatus eſt eius amplificatione, atque magnificorum ædificiorum, præſertim templorum, ornatu & conſtructione: nec non validiſſimo muro in orbem perducto,turriumque frequentia,& diſtinctione. Iamque legibus & plebiſcitis denuò confirmatis, Barcinonem progreſſus eſt, paucisque ibi diebus commoratus, Gerundam venit, vbi controuerſias inter Emporitanum Comitem, & Pontium Gerardum Torrellam, de diuidundis agris, breui compoſuit: indeque Mompellerium concedens, intellexit, matrimonium Beatricis Amadæi Sabaudiæ Comitis filiæ, cum Iacobo, de quo Roccafullius egerat,aut Beatricis obitu, aut aliis de cauſis,perfectum non eſſe; ideoque de Eſclaramunda Foxenſis Comitis ſorore Iacobo iungenda egit. Cùm igitur matrimonium placuiſſet omnibus, Eſclaramunda à ſuis honorificè Barcinonem deducta eſt, ibique celeberrimis nuptiis, Iacobo iuncta. Rex verò Mompellerio Perpinianum reuerſus, inuenit præſtolantem ſe nuncium cum epiſtola, qua Ferrentius Liciana, vnus ex proceribus Aragoniæ, Regem ob nonnullas acceptas

iniurias

iniurias ad certamen prouocabat. Quo die contigit, vt legatus à magno Tartarorum Imperatore missus, cum grandi comitatu Perpinianum ingrederetur ad Regem, oratum in summa, ne expeditionem ad Hierosolymitanam regionem debellandam detrectaret: se enim, & copiis, & armis iuuaturum; modò ipse bello præesset. Has duas, adeò interse, & genere, & proposito diffidentes, vno die acceptas legationes Rex perpendens: altera, quam à summo Rege ad Imperatoriam tantæ expeditionis bellicæ potestatem vocabatur, alteram, qua à subiecto sibi Regulo prouocabatur, risum vix continere potuit. Vnde Tartaris lautissimè exceptis, atque in patriam iucundissimè remissis; ad Licianæ nuncium conuersus, respondit; Se hactenus delectatum fuisse aucupio gruum, aut tardarum auium; at nunc, vt ei morem gerat, picarum, seu columbarum vsurum; eius inferiorem ordinem, præ Regio, atque secuturam fugam prænuncians. Inde profectus venit Ilerdam, vbi tumultuario comparato exercitu, atque Tamaritano populo se sequi iusso, Licianam oppidum, cum aliis Ferrentii arcibus, in potestatem redegit, ac ob læsæ Maiestatis crimen, Regno adiecit, ipso quoque Ferrentio profugo, nulloque certo in loco, metu Regis, consistente. Posthæc Rex Turiasonem venit, vbi denunciatum est ei, perplures passim deprehendi nummos adulterinos, Aragoniæ forma, & Castellæ percussos: è quib. allati fuere nonnulli morabatini ex ære confecti, extrinsecus inaurati, tanta artis subtilitate, vt à veris vix discerni possent. Erant autem morabatini aurei nummi, qui dimidium coronatum pendebant. In huius criminis suspicionem quidam Regulus venit, nomine Petrus Iordanus, dominus oppidi Sanctæulaliæ, in confinibus Aragoniæ & Nauarræ siti, vnà cum Elsa vxore illius, & liberis, & præterea operis ministris. Sed mortuo Iordano, liberisque profugis, Elsa cum ministris capta, atque iudicio conuicta, à Rege damnata est. Mortis autem genus hoc fuit; ore folliculo inuoluto, saccoque insuta, atque in profluentem Iberum viua proiecta: quæ etiam pœna fuit ministrorum, & cæterorum, qui postea eo fuere crimine conuicti; vno excepto Canonico & Sacrista Ecclesiæ Turiasonensis, qui etiam conuictus, sacerdotiis priuatus fuit; & quia sacrorum minister erat, non capite damnatus, sed in perpetuum carcerem detrusus. Quibus Turiasone actis, inde Rex abiit Cæsaraugustam, vbi Mariam filiam inuisit; quæ febricula lacescente, male habebat. Sed medicis morbum eleuantibus, breuique conualituram asserentibus, ipse profecturus Valentiam, Alcanitium, quà in illam rectius est iter, venit: ibique diem domini natalem celebrauit: ineuntis verò anni primo die, Dertosæ egit: inde Valentiam perueniens, nuncium accepit Cæsaraugusta, Mariam post ipsius discessum, ingrauescente morbo, mortuam fuisse. De cuius obitu vehementer Rex doluit; ita vt cogitarit regredi Cæsaraugustam, vt eius saltem nouendialibus sacris, & exequiis interesset. Decreuerat enim, vt Valbonam, vbi Reginæ matris sepulchrum erat, Maria deduceretur, ibique humaretur. Verùm altero consequenti nuncio intellexit, ciues Cęsaraugustanos, inuitis proceribus, qui in vrbe constiterunt, cadauer in templum maximum diui Saluatoris intulisse, illudque sepultura honorificentissima affecisse. Quod Rex haud omnino ægrè tulit, ac Valentiæ substitit. Posthæc literas à Petro Principe Barzinone accepit, quibus factus est certior, Raimundum Folchium Vicecomitē Cardonensem, aliosque nonnullos Cataloniæ Barones, mortuo Aluaro Cabrera Comite, mouisse bellū contra oppida Comitatus Vrgelitani, in ea præcipuè, quæ à Rege tenebantur. Verum Rex, noua facta iuris accessione Comitatus Foxensis, quod ad Vrgelitanū, & Vicecomitatum Castelboni, & Agerensis habebat: rursum bellum in vniuersos commouit, in primis contra eos, quicunque Vrgelitanum inuadebant, cuius dominatus titulo semper insignitus Rex fuerat. Itaque cum exercitu veniens Cerueram, in pagis atque oppidis, quæ se Regi subiecerant, præsidia disposuit, copiasque adduxit ad prosequendum bellum, & Comitatum defendendū, dumque expectat, quid Vicecomes, aliique faciant: relictis interim Petro & Iacobo filiis, altero qui exercitui præesset, altero, qui Mompellerium certa de causa abiret: ipse Toletū à Sanctio filio vocatus causis, quas mox subiiciemus, proficisci parauit. Quo tēpore rumor percrebuit, ac paulo post litteris è Sicilia ad Petrum cōfirmatus est, Manfredum Regem Petri socerum occubuisse, in agro Beneuentano Neapoli vrbi proximo commisso prælio cum Gallis, Duce Carolo Ludouici Regis fratre. Hunc enim antea Vrbanus IIII. Pont. magno in Manfredum odio & indignatione commotus, vocauerat ad se: qui veniens Romam cum maximo & fortissimo exercitu, certis conditionibus, Regno Siciliæ & toto terræ tractu, qui est citra Pharum, ad fines vsque ditionis Ecclesiæ Romanæ, vrbe Beneuento excepta, à Pont. perpetuo beneficiario iure donatus fuerat, traditoque de more vexillo Regio, in possessionem missus. Vnde facta donatione, Carolus in Manfredum profectus, quo dictum, est,

prælio deuicit, pulsis scilicet, atque in fugam conuersis Manfredi copiis; à quibus desertus ipse in medios hostes irruens, non agnitus, telis confixus occubuit: simulque vita fuit, atque Regno priuatus. Verùm ab exuentibus eum in campo, inter mortuos cognitus ac elatus, consulto Pont. Ecclesiastica fuit sepultura prohibitus. Quo nuncio Petrus, eiusque vxor Manfredi filia, vehementer doluere: ipseque Petrus, cui intestati Manfredi omnia bona iure obuenerant; ad ea quoque armis repetenda, atque in potestatem, vt fecit, redigenda, non inaniter se iam inde animo præparare cœpit. Cæterùm causas, cur Iacobus à Sanctio filio vocatus, protinus intermisso Vrgelitano bello, Toletum perrexerit, eiusque felicissimum itineris successum, enarremus. Fuerat enim Sanctius à Romano Pont. Archiepiscopatui Toletano, summo totius Hispaniæ sacerdotio, præfectus: ideoque sacris initiatus, patrem per literas rogauit, vt vnà cum Petro, & Iacobo fratrib. ad natalem Christi diem, Toletum in sui, Alfonsiq; ac Iolantis sororis gratiam venirent: vt ipsius primis Missæ solennibus, in sancto augustoque Regiæ vrbis fano interessent. Cui Rex annuens libentissimè, gaudensque illius vrbis visendæ iam diu desideratam sibi offerri occasionem, ac vt vnà etiam Iolantem filiam & nepotes reuiseret, se iturum respondit. Petrum verò & Iacobum, quibus dictum est causis, excusatos voluit. Vnde profectus, Ilerdam, & Calataiubium præteriens, cœnobium Hortam venit: vbi ab Alfonso genero magnificè exceptus, cum eo Toletū petiit. Cuius præclarissimæ, antiquissimæ, maximeque mediterraneæ vrbis situm, quo fuit ea olim, esseque nunc posset inexpugnabilis, sub aspectum subiicere, non erit ab instituto alienum. Est enim ambitu permagna; decem quippe domiciliorum millia continet, atque præaltis, & præruptis montibus tota ferè circuncluditur; iisque adeo propinquis, ac eidem impendentibus, vt inclusus tumulus, siue mons, in quo ipsa residet, quemque totum implet, ab illis non amplius balistæ iactu, quantum amnis interluit, separetur. Hic mons ab ea parte, qua Oriens respicitur, altissimus est, ac præruptus; Tago permagno Hispaniæ fluuio, qui auriferis, vt fama est, aquis præstat, magno quodam impetu in illum incurrente: indeque sinistrorsum, tortuoso flexu, totam ferè vrbem circumfluente, & à montibus discriminante. Ab altera verò parte, Septentriones versus, qua in planitiem vergit ipsa, à summo illo fastigio, in quo est arx, haud æqualiter fit decliuis, atque sumptuosissima ædificiorum frequentia circunfunditur. Quæ tota cum monte vrbs munitissimo cincta muro, quatuor patefit portis: sed in primis ea, quæ ad ortum Solis, arci subiecta est, quā excipit Alcantaræ pons (sic illum vocant) ex secto lapide, tanta cùm magnitudine, tum arte constructus, vt vnico tantùm arcu, & flumini, ibi licet altissimo, & infinito ferè concursanti populo, præbeat transitum. Sed illud profectò mirabilius, quòd incredibili artificum ingenio, maximoque sumptu ciuium tracta ab amne aqua, sui quasi oblita ponderis & naturæ, supra quingentos cubitos in montis fastigium ascendit, arcemque amplissimam Philippi II. Regis iussu instauratam, perenni & amœnissimo fonte ornat. Hic ergo situs natura munitus, sicuti superioribus sæculis, vrbem oppugnantibus cominùs, fecit inexpugnabilem; ita rursum eminus inuadentibus, pandente se vrbe montibus, machinarum, atque tormentorum præsertim æneorum emissionibus, atque ædificiorum subinde ruinis, eandem valde subiecit. Verùm cùm tam potens sit ciuitas, vt quę, & bellum per se facere, & instruere possit, huic etiam malo potest diligenter occurrere: aut hostes, antequam sit obsessioni locus, pręueniendo; aut munitissimis hinc inde arcibus, vicinos montes pręoccupando. Igitur accedente Rege, tametsi idem in Commentariis, de suo aduentu, ingressuque in vrbem parcè scribit; neque aliud quippiam, quam venisse, vidisse, sacris interfuisse, & alia quędam memorat: mihi tamen credibile non est, ad tanti aduentum Regis, tum Archiepiscopi & Reginę parentis; tum Alfonsi quoque soceri, de quo ille nuper fuerat benemeritus, ob recuperatum ab ipso Murciense Regnum, atque liberalissimè Alfonso restitutum: quin triumphalis etiam ingressus ei à Toletano Senatu fuerit decretus. Ex iis enim, quę nunc faceret Toletum, quæ tum fecerit, libet colligere; ac persuaderi quidem, ciuitatem in excipiendo Iacobo, cunctas suas opes, & facultates ostentasse, ipsumque tandem ouanti similem, quanta potuit cùm ostentatione & apparatu, tum sacra etiam pompa, qualis fieri solet in publicis supplicationibus, & triumphis, in templum maximum deduxisse. Vbi post patefactam inæstimabilem sacrarum, adeoque pretiosarum rerum in ea copiam repositam; verisimile est, fuisse ostensa etiā trophęa, insigniaque victoriarum Castellæ Regum, quæ tolis, atque laquearibus templi appensa essent; interque ea, inclyta quoque Petri parentis monumenta inuenta, quæ memoriam renouarent illius præclarissimi Idubedensis prælii, quod Mariano in saltu, ad Conualles Tolosæ dictas, felicissimè cum Mauris commissum est, indeque Petrus cum Aragonensi, &

Catalano

Catalano exercitu, vt primo libro retulimus, insignem victoriæ laudem perquàm gloriose consecutus. Ac neque dubitandum præterea, fuisse Iacobum, sacrum idem templum supra modum admiratum; ac veneratum etiam amplissimum illius, Antistitis, Dignitatum, vt dicunt, & Canonicorum collegium; aliosque perplures publicos Dei ministros, qui veram Christi fidem & religionē, nullis vnquam contaminatam erroribus, ab ipsis propè Apostolorum temporibus hucusque conseruarunt. Cùm neque Arriana perfidia, quæ in Hispaniam cum Gotthis irrepsit, neque communis illa, & vniuersalis, Roderico Rege, à Mauritanis illata clades, & religionis perturbatio impedierint, quominus sacra Toletana sedes constiterit, atq; Musarabico saltem Gotthorum ritu, sacra perpetuò fecerit; quin & aliis etiam oppressis Hispaniæ Ecclesiis, non modò exemplo, & doctrina, oraculi vice: sed facultate & opibus, solatio etiam atq; subsidio fuerit. Adde quòd diuina largiente manu, tam ingens, propeque incredibilis eidem facta fuit Decumarum aliorumque censuum accessio, & incrementum; vt cunctas totius orbis Ecclesias, vna ipsa superet, Archiepiscopo scilicet, Dignitatibus, Canonicis, aliisque sacerdotibus, & sacrorum ministris, hoc vnū in templum oratum & ad sacra facienda conuenientibus, ad sexcentorū milliū nummûm aureorū summam quotannis interse, pro cuiusque muneris ratione, diuidentibus. Ex quo in eum dignitatis, atq; amplitudinis gradū peruenit, adeoque splendore simul, & religione præstare solita fuit, vt iure quidē non Hispaniensium modo Ecclesiarum principatum obtinere, sed reliquarū totius Christianæ ditionis, nulli præterquam Romanæ, haberi debeat secunda. Die igitur præstituta, primū solenne sacrū summa cum religione & ceremonia celebratum est, atque ab vtroque Rege, Regina, Ferdinando Principe, totque Castellæ proceribus, illustratū & cohonestatū amplissimè. In quo populus præsentia, & studio Iacobi inductus, haud dubium, quin ludos etiā apparatissimos, magnificentissimosque ac tantis dignos spectatoribus fecerit. Quo ipso tempore, vt in Iacobi triumphum omnia cessisse viderentur, nouorū hominum species, & formæ Toletum inuectæ sunt. Ab oris enim vsque Scythicis, vt refert historia, Legati Tartarorum Imperatoris Barcinonem appulerant, vnà cū Ioanne Alarico nobili Perpinianensi, quē Rex superioribus diebus, Perpiniano, quo venerat alius Tartarorū legatus, miserat ad illorū Imperatorē, vt perciperet illius mentē deq; iis, quæ per legatū promittebantur, certior fieret. Itaq; reuersus ille cū duobus illius Imperii Principibus viris legatis, Barcinone relictis, Toletum cū nōnullis eorū famulis, Tartarico more indutis, ingressus est, magna totius populi ad eos videndos facta concursatione, vt mediterranei solēt, noua quæq; præsertim transmarina, vehementer admirari. Itaq; Alaricus à Rege lætissimè exceptus, præsentib. Alfonso Rege, & Regina, & Ferdināndo Principe, ac etiā Archiepiscopo, multisq; proceribus, sic legationē suam renunciauit. Posteaquam Perpiniano, me, Rex, legatione ad Tartarorum Principem, magnum Cham, adire iussisti, nihil tam mihi curæ fuit, quàm vt sedulò, superatis tot, tantisque longissimi itineris laboribus, & viæ difficultatibus, quæ mihi in mādatis data fuere rectè obirem: factumq; est, diuino duce numine, vt & legationis meæ finem feliciter consecutus fuerim, & magnum quoq; tibi honorem ex illa, vt nunc audies, attulerim. Perueni namq; ad ipsos prope Hyperboreos Scytarum fines, quos nunc Tartarorum appellant, vbi tuo audito nomine, Cuillanus illorum Princeps, cum suis, deposita innata barbarie, humanissimè me exceperunt, atque vt primum de animo, & voluntate tua erga se factus est certior; teque sacram expeditionem Hierosolymitanam libenter suscepturum, modò quæ per legatos tibi promissa sunt, ac ipse tuo nomine, illò sancienda veneram, præstitissent, nimiopere lætati fuerunt; atque triginta diebus manerem ibi, rogarunt, quoad de omnibus certior iam fierem. Quo toto tempore per interpretem nihil tam curarunt, quàm vt Imperatoris, suique exercitus potentiam, opes, propeque infinitatē mihi ostentarent, ac vt re vera esse comperirem, quæcunque legati de Imperatore suo prædicarunt. Inueni sanè posse illum ducenta millia peditum, equitum verò, ad centum millia in campum proferre: esseque gentem pugnacissimam; sed multitudine potius, quàm pugnandi arte præstantem. Frigoris quidem patientissimam, vt porè Borealibus assuetam rigoribus; sed tanquam bello semper intentam, non tam domi intra muros, quàm foris in tentoriis subdio agentē. Præterea Christianam illos profiteri religionem, sed eam tot inuolutam erroribus, vixq; vllis cultā præceptis, adeò vt prope faciant ridiculā. Causam autē tam efflagitatæ ab eis expeditionis ad Hierosolymitanam terram recuperandam, non tam pietatem aut religionem esse, quàm liuorē & æmulationem Turcarum gentis, quæ Hierosolymas cum tota Palestina occuparat; ac non modo Tartarorum, sed Armeniorum, atque Græcorum magnos contra ipsam missos exercitus, tenuioribus validissimè profligarat. Propterea quod ea

non multitudine,ſed ſtrenua bellandi arte cæteris gentibus, quæ ſunt ad orientem præſtet. Verum cur à te potius,quam ab aliis Chriſtianis Europæ Principibus, Tartarus auxilium nunc petat, faciunt infelices illorum conatus , atque inanes hactenus ſuſceptæ Hieroſolymitanæ expeditiones, vt qui neque ſeſe Tartaris adiungere,neque ab eis conſilium,auxiliumuè capere in aggrediendis Turcis voluerint. Proinde audita fama, & magno rerum à te geſtarum nomine,&,quòd copiis,& exercitatiſſimo ad bellandū præſtas milite, prœliandique arte ſuperas,atque ſtudio tandem & affectu magno in hanc curam intendis: iccircò te ad eam proſequendam,adhortatur,promittitque ſe, & milite & armamentis, & frumentaria re, & commeatu, te, quandiu bellum in Turcas fuerit,adiuturum. Ac non modo Tartaros Armenioſque; ſed Græcos, horumque Imperatorem Paleologum, ſimilia præſtituros,modò huius communis , & ſacri belli Dux fias, atque auctor; vt etiam ex Græcis intellexi. Finita Alarici oratione, Rex illicò collaudato illo, atque pro tantis legationis ſuæ,qua fuerat egregiè functus, laboribus, ſe illi, cum primū in Aragoniam veniret,largè bene facturum promiſit: deinde oſtendit, velle ſe, Deo fauente, id bellum ſuſcipere. Quod vt primum Alfonſus & Regina audiere , commoti valde,precibus,multiſque rationibus,ipſum conati ſunt ab inſtituto deducere, inprimis tot eius annos,affectamque ætatem, atque tam longam & periculoſam nauigationem obiicientes,quin & Turcarum potentiam, atque immanitatem: necnon Græcam gentem eſſe infidam & fallacem;neque Tartarorum, tanquam barbarorum hominum promiſſa magni ducenda. Demum ſufficere exempla tot Chriſtianorum Principum , quibus,ſuo ferè tempore,tam male ceſſerit eiuſmodi ſuſceptum bellum. Cumque Rex ad ea omnia rationibus quoque ſatisfaceret,neque ſe ab incœpto deterreri ſineret:tum Alfonſus diuina quaſi religione tactus , ſe totum ad approbandum Regis cœptum conuertit; promiſitque in eius auxilium centum miſſurum equites, ac morabatinorum aureorum centum millia erogaturum. Magnus etiam Magiſter equitum Vclenſis, cum aliis centū equitibus,ſe Regem ſequuturum obtulit: Identidem à promagiſtro Hoſpitalis Hiſpaniæ Gonzalo Pereira Luſitano,aliiſque permultis Caſtellæ proceribus,pro cuiuſque facultate promiſſum fuit. Celebrato igitur natali Chriſti die , Rex ſalute multa Archiepiſcopo dicta, atque Reginæ & nepotibus fauſta, feliciaque omnia precatus: quin & proceribus,atque ſenatui populoque. Toletano relatis gratiis,Toleto profectus eſt , Alfonſo comitante,atque in ipſo itinere,multa à rege ad bene adminiſtrandum Regnum,& continendos in officio populos documenta accipiente. Itaque dum in via eſſent , Alfonſus tributum beſſantiûm ſexaginta miliū,tunc à Rege Granatæ ſibi miſſum, in partem morabatinorum Iacobo tradidit, reliquam breui in Aragoniam miſſurus. Vbi autem ad con finia Regnorum eſt deuentum,Alfonſus Toletum, Iacobus Valentiam perrexit. Quo tempore legati Tartari qui Barcinone remanſerant, cum alio Legato,tunc à Paleologo Imperatore Græcorum ad Regem miſſo,Ioanne Alarico Duce, vrbem intrarunt. A quibus per Alaricum ſimilis ſuperiori legatio, præſenti populo, renunciata, in ſumma fuit: Magnum Cham optare, vt Hieroſolyma terra ſancta è Turcarum manibus eriperetur, atque ob honorem Chriſti, Chriſtianis reſtitueretur: ſeque ad id præſtiturum omnia; ac non modò in Turcas per ſe commoturum bellum, ſed Regiam claſſem frumento, & omni commeatu adiuturum: modò Rex cum claſſe portum Aialazi, aut alium quemuis minoris Aſiæ ad ortum teneret, & curſum Hieroſolymam dirigeret. Legati verò Paleologi,milites nullos ; commeatum , & rem frumentariam ipſum mari abundè miſſurum Regio exercitui,promiſerunt. Quibus auditis, Rex ſuſceptam belli expeditionem promulgari fecit, ac deinde ſe totum in eam dedit ; permultoſque exemplo ſuo, ad ſe inſequendum pellexit. Itaque Valentiæ imperata pecunia ad eius ſumptus belli: ne milite eam expoliaret, Barcinonem profectus fuit, vt inſtruendæ claſſi operam daret : Intereà litteras à Iolante filia accepit, quibus orabat, vt antequam expeditionem ſuſciperet, ſe inuiſeret,apud cœnobium Hortam ipſum expectaturam. Ei vt morem Rex gereret, ac etiam vt Aragoniæ res præteriens componeret, eo perrexit: iamque ingreſſus Cæſaraguſtam Petrum Principem,toti Regno, ſe abſente , præfecit; eumque donauit omni iure, quod ad Regnum Nauarræ habebat, à Theobaldo Rege & parente eius Margarita Regina, quo vteretur contra eundem Theobaldum, & tam multos Nauarræ proceres,qui pacti ſimul,& ſtipulati fuerant, ac ſeſe ad ea tenenda iuramento ſimiliter obſtrinxerant. Cæterum Aragonenſibus nulla denuo ad expeditionē Hieroſolymitanam fuit imperata pecunia,quoniam paulò ante, cum primùm illa promulgata fuit ; ſponte ipſi & Ilerdenſes,aliique populi,in quibus erat vſus monetæ Iaccenſis,Regi permiſerant,vt poſſet quin decim millia argentearum librarum ad eius monetæ vſum cudere , numûm aureorum

prope

prope quindecim millia constituentia. Vt inde planè quiuis possit facilè Regias illius temporis opes æstimare: ac colligere non tam earum multitudine, quā militum viribus, & parsimonia, consueuisse victorias reportari. Itaque Cæsaraugusta Rex venit Hortam, vbi Regina filia cum Petro & Iacobo, quos Rex adduxerat, item Sanctio Archiepiscopo, filiis cum nepotibus Regis conuenere: qui omnes, quasi conspiratione facta, Regem circumsidentes, nepotes collum amplexantes, cæteri verò sese illius pedibus prouoluentes, magnis cum lamentis & lachrymis ipsum deprecabantur; vt à tam longinqua, periculosissima, maximeque dubia profectione desisteret, neq; se omni ope, & auxilio destitutos relinqueret; vt cuius faciem non amplius visuri essent. Ad quos Rex, postquam vniuersos amantissimè cōplexus est; Frustra inquit, lachrymis & eiulatu vestro, me, vosq; ipsos affligitis, atque ab expeditione hac sancta auocare tentatis: quandoquidē quæ cœlesti ac communi parenti Deo debentur munia, longe præferenda sunt iis, quæ vobis, tametsi filiis charissimis, quauis humana ratione debentur. Præstiti enim hactenus quæ potui pro vobis, vt quibus longè maiora, quam quæ accepi à parentibus, bona relinquo; ac virtutis, & rerum gestarum gloria, quæ optima, atque omni patrimonio præstantior est hæreditas, vniuersos vos omnes cohonestaui. Nunc alio me vocat idem cœlestis pater, qui non alia, quam sua bella me gerere vult. Quæ enim magis illius sunt, quam quæ suscipiuntur ad Iesu Christi filii sui amantissimi sepulchrum, eiusque vestigiis impressam, & peragratam terram sanctam, recuperandam? vt pote quæ ab impiis eius sacri nominis hostibus occupata, tanquam è canum, atque porcorum faucibus eripienda sit; ac Christo & suis restituenda? Deberi enim me huic expeditioni multis de causis animaduerto. In primis, ob animi mei desiderium, & quasi votum, ab ipso prope Regni exordio factum. Deinde, ob inchoatam toties ab omnibus ferè Christianis Regibus, præter Hispanos, nunquam tamen perfectam expeditionem, si forte mihi primò detur, vt viam aperiam. Postremò, ob occasionē commodiorem nunc, quàm vnquā, oblatam; duobus scilicet summis Imperatoribus ad eam non modò cohortantibus, sed terra, marique re, copiis, commeatu, & armis tam abunde iuuantibus. Quibus in re tam valde pia & honesta, non morem gerere, non solum Hispano certè nomini ignominiosum; sed impium profectò esset, & perquam detestabile. Quo ergo magis nostra ingrauescens ætas tempus mortis nobis affert maturius, eò quoque suadet magis, vt quod reliquum est vitæ, pro Christo profundamus. Proinde quod ille non recusauit pro me, pro ipso mori non recusabo. Quæ cum dixisset, augescentibus lamentis, eiulatu, & lachrymis filiorum, paternæ quoque eruperunt: neque amplius loqui valens, salute dicta omnibus, tenerosque suauiatus nepotes; ab eis diuulsus est, & Barcinonem reuersus.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER XVIII.

INGRESSVS itaque Rex Barcinonē, præclarissimam Hispaniæ vrbem, quæ olim Fauentia dicta fuit, atq; ad ortum in plano explicata, ad semicirculi formā mari adiacet; continuò classem, quā extrui fecerat, lustrauit; eaq; & frumentaria re, & omni commeatu, atque armamentis munita inuenta, cùm præfecti diligentiā commendauit; tum opes, atq; facultates ciuitatis ad ædificandas & exornandas classes vehemēter admiratus fuit: nec iniuria quidē: cùm in naualibus, maritimoq; apparatu belli, nulla totius Hispaniæ vrbs cum ea tū esset cōparanda: nullæ ad nouas tanquam condendas vrbes, magis quam ipsa, Romanæ ciuitati assimilanda. Quot enim illa classes ædificauit; easq; tum commeatu, milite, & armamētis; tum naui-culario & remige, aliisque tot, tantisque necessariis rebus compleuit: tot profectò, quasi vrbes extruxisse, ac veluti colonias deduxisse; in eoque potentiā, & magnas suas opes ostentasse, videri debet. Iis, aliisque de causis, non immeritò totius Cataloniæ Principatus caput est constituta; vtpote cū nauali non modò re, terręq; situ, & descriptione ædificiorum, mœniorumq; amplitudine & armamentis, aliis præstet vrbibus, (vt in nostris Com-

mentariis de Sale fusius de ea diximus) sed maximè omniũ, frugalitate, & concordia ciuium, ac potissimum charitate patriæ, pro qua se, suaque omnia, oblata occasione, sic liberalissimè deuouere solent; vt exẽplo sint omnibus. In eã igitur Antistitibus, ac nonnullis vtriusq; Regni proceribus, ad certã diẽ conuocatis, dũ copias ex Aragonia & Catalonia conscriptas Rex expectat; longam nauẽ, vnà cũ actuaria conscendens, cũ paucis secundissimè in Baleariũ maiorem nauigauit. Iamq; portum & vrbem tenens, mirè delectatus fuit illius ornatu & amplificatione, præsertim arcis, maximiq; assurgentis templi, & portus munitione. Illud etiam multo magis admiratus est, nunquam Tunetanum, aliosque Africæ Reges, ex tam multis sæpè ab eis in Hispaniam expeditionibus susceptis, neque totius Insulæ, neque maioris vrbis expugnationem tentasse: vt inde appareat, quanta fuerit huius pii, ac sapientis, egregieque fortis Imperatoris existimatio, quantusque ab eo Afris iniectus timor: vt qui non armis quidem, sed sola opinione & fama belli, suos omnino fines, & Imperium à quorumuis hostium incursionibus tueri potuerit. Itaque lustrata vrbe, cum aliqua parte Insulæ, atque imperata pecunia; quinquaginta millia victoriatorum argenti accepit, pro eisque perinde ac si aurei essent, senatui, populoque gratias egit; eorumque tam fidelitatem erga se, quam accuratam Regni custodiam & defensionem mirè laudauit. Cui etiam Minoris insulæ præfectus, & magistratus Citadelæ, cum mille bobus occurrere: quos tribus nauibus imponens, cum eo commeatu Barcinonem remeauit. Itaque classe triginta magnarum nauiũ, cũ nonnullis triremibus, ac plerisque actuariis, comparata, octingentos in eis cataphractos imposuit; atque cum Almugauare, & vniuerso peditatu, exercitum ad viginti millia hominum peruenisse, fama fuit. Proceres verò, atque insignes equites, fuere trecenti. Vnde sacris de more factis, atque Rege, & proceribus, quorum priuata nulla fit mentio, sanctissimum Christi corpus sumentibus, naues conscenderunt, simulque Barcinonensi Antistite, cũ Sacrista Ilerdensi, qui postea Oscensi præfuit Ecclesiæ, aliisque multis sacerdotibus ad sacra ministranda, conscendentibus. Iamque ineunte autumno, Rex præstituta die, summo mane vela ventis dari iusserat, sed quadraginta passuum millibus confectis, cùm aduesperasceret, fieretque reflante Subsolano, ne vniuersæ sequerentur naues; consilio Raimundi Marquetii summi nauarchi, reuersus est Barcinonem, vt classem colligeret, ac præ se ageret; quæ aduersante vento, dextrorsum in proximum Cigense littus depulsa fuerat: vna tantũ triremi in Barcinonensi reperta; cum qua, sequentibus aliis, postera die nauigans, triduo in Balearium minorẽ peruenit. Sed dum portum se putat tenere, tam subita exorta ventorum vis fuit, atque immoderata tempestas, Africo sese cum Boreali conuoluente, vt in altum regressis, Regi, ac classi horribile naufragii periculum impenderit: quatuor totos dies, noctesque, non modo concertantibus interse ventis; sed neque Sole, Luna, neque stellis, perpetua quasi circumfusa nocte, vsquam apparentibus. Vnde Regem, qui cooriente tempestate, ipsius Marchetii nauem è triremi conscenderat, & qui in ea erant, atque aliarum etiam iactatarum nauium gubernatores, Ducesque militares, quibus ad eum dabatur accedere, omnes multis, supplicibusque verbis orabant, ne contra tantam, tamque turbulentam tempestatem niteretur. Fieri enim eandem indies turbulentiorem, ac non ventos, sed diuos nauigantibus iratos apparere: neque insuper posse plerasque naues, temone iam, atque gubernaculo amisso, confractisque malis, ac rescissis velis vltra progredi, maximè verò equis naui Regia vectis quindecim; ex aliis verò nauibus plus centum, iam in mare deiectis. Cum igitur, persistente Rege, iamiam naufragium fieret, Barcinonensis Antistes, aliique Theologi, pii, ac literati viri, qui eadem naui vehebantur, Regem in puppim conuenerunt; vbi Barcinonensis, non exprobrandi causa; sed commonendi gratia, sic est eum allocutus; Enimuero Rex, neque Christianæ virtutis, neque heroicæ constantiæ, sed inhumanæ potius crudelitatis videtur esse; tot tantisque impendentibus naufragii periculis, tam pertinacem te reddi in nauigando, vt non modo totius quasi Reipub. classis, sed neque nostri, neque tui demum miserearis: ac neque mari, vbi summum rei gerendæ Imperium nauarcho datum est, tui vllum ei permittas: neque demum quàm sit dispar terra aut mari gubernandi ratio, quamque diuersus pugnandi vsus, considerare velis. Non enim armatorum in nos exercitus; non homo in hominem: sed imbres, nimbi, turbines, procellæ, & fulmina, atque omnes in vnum tempestates coactæ sunt, quæ in nos irruunt: quibus nõ ferro, aut armis; sed solius fuga tempestatis licet quàm honestissimè occurrere. Quid enim maioris sæpe artis in nauigando est, si portum tenere nequeas, quàm tempestati obsequi? Quid prouidentioris naturæ, quàm reflantibus omnino ventis, quibus imperare non possis, cum obtemperare; tum quò impellant, ma-

lant, maximè verò si in patriam, remigare? Neque profectò est; quòd de incœpto, aut expeditione intermissa sollicitus, atque suspenso sis animo: diuina illa potius, quàm tua est; neque à te, nisi pro Christi nomine, eiusque propaganda fide suscepta. Sed cùm tot eam horribilibus cœli, marisque tẽpestatibus, quæ haudquaquam sine supremo numine excitantur, tantopere impediri videas, fortassis, aut grata ea Christo non est, aut in aliud quidem tempus, tibi commodius, reseruatur suscipienda. Proinde non quæ euentura, sed quæ in præsentia sunt, cura: ac ne tot clarissimorum Ducum, interitus, miserrimique naufragii, solus culpam sustineas: teque inprimis, ac nos cum vniuersa classe serues incolumes, primum, quem diuina sors portum dederit, nauarchos tenere iube, vt terra potius, quàm mari, libero, ac tranquillo animo, quæ agenda fuerint, deliberes. Hæc Barcinonẽsi admonente, cæterisque illud idem cum lachrymis deprecantibus, mirandum accidit. Nam vt primùm flecti, sedarique Regis animus, sedari quoque tempestas cœpit; atq; sub ipso meridiano tempore, densissimis dissipatis tenebris, Sol illucescere: simulque cœlum & terra repentino aperiri visa sunt; ac etiam Regia nauis cum nonnullis actuariis, diuino munere, in Galliam Narbonensem, ad Aquas mortuas appulit. Quanquàm terræ vento reflante, in Agathensem paulò citra sinum coacta fuit remigare, vbi sequenti die portum est consecuta: ipseque Rex terram tenens, templum beatissimæ Virginis, Vallis viridis nuncupatum, adiit, eique summas egit gratias, cuius ope è tanto fuerit naufragio ereptus. Deinde oculos in mare conuertens, tametsi pacatum conspexit: videns tamen ex vniuersa classe, vix dimidiam secum appulisse; eamque tam aduersa agitatam, atque conflictatam tempestate, vt ægrè vna esset nauis, quæ non, aut discissis velis, aut antennis fractis, aut malo & temone pessundatis, labefactaretur; quęque ad alleuanda onera, non solum equos, sed machinas & armamenta bellica, in profundum iecisset: neque de altera parte classis, præterquam, aut naufragium, aut vagam dispersionem suspicaretur; tempori cedere; necessitatique parere decreuit: ac neque renauigandum; sed in aliud tempus, refecta classe, expeditionem renouandam censuit. Ad eum autem protinus confluxere Episcopus Magalonẽsis, & filius Raimundi Gaucelini Reguli, qui lautè, abundeque Regi, suisque commeatũ & necessaria suggesserunt. Inde verò Mompellerium concessit, vbi paucos moratus dies, atq; ex tempestate recreatus, quoad naues & armamenta reficerentur in Cataloniam abiit. At verò pars classis, quæ cursum tenere potuit, ac naues Fernãdi maris præfecti, & Ferdinandi Sanctii filii Regis, & Simonis Vrreæ secuta est, sese à tempestate eripuit. Hi namque ad oram Africæ interq; eam, & Sardiniam, Siciliamq;, tum Cretam, & Cyprũ legentes, nauigarunt: atq; ad Acrẽ Palestinæ oppidum maritimum peruenientes, maxima cum alacritate excepti fuere à magno Hospitalis Magistro, aliisque Christianis ab Hierosolymis eo statim concurrentibus; quamuis extrema ipsi paterentur in medio Turcarum positi, atq; omni auxilio destituti. Verùm quoniam oppidum immunitum erat, ac proximum alteri munitissimo, quod paulò ante à Turcis fuerat captum; neque cùm tam exigua parte classis manere ibi tutum erat, vndique tot iam hostibus ad portum conuolantibus; ideò remigare, atque in itinere Regem quærere decreuerunt. Itaque frumenti, & commeatus partem, magno magistro, & aliis Christianis diuidentes, confirmatis eorum animis, vtpotè quos aduentus Regis breui esset subleuaturus, è portu soluerunt, nullis vsquam, neque Palæologi, neque Tartarorũ Principis, auxiliis comparentibus. Atque ita Cyprum, & Rhodum, tum Cretam, qua venerant, & Corcyram prætereũtes, in Siciliam appulsi, Panormitanum portum tenuerũt: vbi Carolus Rex, qui Manfredum interemerat, intelligens Sanctium Iacobi Regis filium eo venisse, honorificè excepit ipsum, atque diebus aliquot splendidissimè tractauit. Ex quo Sanctius ita fuit Caroli erga se humanitate affectus; vt petierit, militaris auctoramenti dignitate ab illo decorari. quod fecit Carolus libentissimè: & quanto potuit apparatu ac splendore auctoramenti diem celebrauit. At hæc tanta amoris, atque subitò conflatæ amicitiæ pignora mutuò data, Petro Principi, Siciliæ Regnum affectanti, magnarum cum Sanctio discordiarum, ac simultatum, occasioni postea, vt dicemus, fuerunt. Cæterùm Rege Mompellerio in Cataloniam, indeque Cæsaraugustam aduentante, Legati Alfonsi Castellæ ad eum venerunt, orantis, vt ad nuptias Ferdinandi filii, eius quoque nepotis, quas in vrbe Burgensi facturus erat cum Blanca filia Ludouici Francorũ Regis, venire dignaretur. Siquidem conuenturi ad eas erant Philippus Blancæ frater germanus, qui eam deducebat, vnà cum permultis Antistitibus, & proceribus Galliæ: nec non Eduardus Angliæ Princeps, qui Leonoram sororem Alfonsi duxerat vxorem: quin & Marchio Monferratii Italus, ac etiam Legati ab electoribus Imperii tunc missi ad Alfonsum, vt renunciarent fuisse eum Regem Romanorum electum. Quæ audiens

Iacobus mire lætatus est, ac se protinus viæ dedit: venitque Turiasonem, deinde Agredam, ibique ab Alfonso expectatus, Burgim deductus est; vbi nuptiæ celeberrimæ, plenæque splendoris, & magnificentiæ, cum summo omnium gaudio & alacritate coniunctæ fuerunt: tanta cum pompa, & rerum affluentia, vt nusquam visæ fuerint splendidiores, & honorificentiores: cùm præter iam dictos, conuenerint etiam Alfonsus Molinæ dominus, Alfonsi Regis auunculus, vnà cum Federico, Manuele, & Philippo, qui Christinam Noruegiæ duxerat vxorē, Regis Alfonsi fratribus: tum etiam Iacobus Rex cum Petro Principe, eiusque fratribus, Ferdinādo, Sanctio, item Iacobo, & Petro, ex Vidauria (hos vix alio in loco cum patre conuenisse anteà legimus) ac demum Sanctio Archiepiscopo Toletano Iacobi Regis filiis, quin & cum omnibus ferè Antistitibus, & proceribus Castellæ. Vbi Eduardus Angliæ Princeps militaris auctoramenti dignitatem ab Alfonso accepit, huiusque filius Ferdinandus; ab eodem verò Principe, Ferdinandi fratres, cum Lupo Diazio Pharensi Vizcaiæ domino. Hæ nuptiæ magna parte anni, militaribus ludis, spectaculis, scœnis, atque iocis fuerunt celebratæ. Fuit enim Alfonsus, ibi non modo in suos, sed etiam in exteros largus & munificus, atq; cum summa mutuaque gratia, omnes domum remisit. Verùm interim dū nuptiæ fierent, nonnulli ex Principibus Castellæ proceribus, apud Iacobum secretò de Alfonso conquesti sunt: quòd is se in gerenda Repub. & administrando Regno, iniquum præberet, atq; cum procerib. tam immoderate, fastidioseq; ageret, vt eos non modo à se totos abalienasset; sed in irā, & quandam quasi conspirationem, præ odio, prouocasset. De qua re multa speciatim retulerunt, quæ Iacobo satis digna visa sunt, non admonitione solum, sed prompta emendatione. Erat enim Alfonsus omniū superiorum Regum, variis scientiis, Astronomiæ potissimum, vt diximus, deditissimus, vt cuius summa cura & obseruatione factum sit, vt tabulæ ab eo Alfonsinæ, ad maximū Astronomorum profectum, & artis vsum ederentur. Verū enim quò magis se ille, Solis, Lunæque & septem Signorum cursibus indagandis implicuerat; quoue mentem & oculos in illis intentius defixerat, eo quidem minus terrestria, & quæ ante oculos erant, cernebat; minusque de regenda Repub. à qua semper abalienato erat animo, cogitabat, indeque inconstans, difficilis, atque impatiens euaserat. Nec mirum: quoniam animus nimium auocatus ad sublimium contemplationem, necesse est, vt in fetiora despiciat, atque ad negotia difficulter, & quasi hospes ac peregrinus accedat: neque dignoscat quibuscum agat, neque rationem cuiusquam habeat: sed cum negotia oderit suo quasi contraria otio; sic à negotiatoribus abhorreat, vt ab ipso quoq; omnes abhorreant. Fitque subinde, vt non minus in Rege tyrannis, quam in subditis conspiratio latenter succrescant. Hæc omnia animaduertens Iacobus, neque cōtemnenda esse, quæ de Alfonso deferebantur, intelligens, proceres meliora sperare iubens, Burgis profectus, Turiasonem vsque comitem habuit Alfonsum. Vnde occasione itineris, pro amore, quo illum prosequebatur, tanto affinitatis vinculo coniunctū, dolens ex animo ob eiusmodi iacturam Principum, quam faciunt negotia publica subterfugientes; de multis, quæ ad optimam Regnorum gubernationem necessaria sibi videbantur, Alfonsum admonuit: ac cùm in eo quatuor potissimum vitia notarentur; paria ei consilia & admonitiones, tanquam consentanea morbis remedia adhibuit. Primū, ne à populis mutuò diffideret odio. Nam odisse eos, à quibus amari oportet, prouocare in se est; cùm nulla re magis in officio, & amore contineri populi soleant, quàm Regum humanitate, benignitate, & continentia. Nihil enim est negotii continere eos, quibus præsis, si te ipse contineas. Alterum, ex triplici, procerum, populariū, & Ecclesiasticorum ordine, si minus, quod est maximè optandum, cum vniuersis, saltem cum Antistitibus & sacerdotibus conueniret; quibus & res suas cohonestaret; & per eos facilius populares ad se alliceret; perque hos procerum, atq; magnatum insolentiam comprimeret, arrogantiamque compesceret. Tertium, procerum, atque equitum insolentium ordines, esse quidem, aut increpandos, aut castigandos; nulla re tamen dedecorandos: quoniam & ornamenta Reipub. sunt, & lacerti belli, & firmamenta pacis, per quos timor semper est hostibus iniectus. Postremum, ne quemquam clam, ac neque indicta causa puniret. Id enim non modò præcipitem, atque temerarium arguit Principem; sed legibus & magistratibus fidem, atque honorē detrahit. Quæ quidem consilia libenter, atque æquo animo excipere visus est, Alfonsus, eaque diligenter se obseruaturum promisit: attamen vt catapotia facile sumpta, ab inueterato malis ventriculo minimè retenta euomuntur; sic Alfonsus præceptorum oblitus, peiora posteà commisit, & in causa fuit, vt Enricus, aliique fratres, adiunctis proceribus, sensim ab eo deficerent, peneque, dum viueret, Regno priuaretur. Itaq; Iacobus dimisso Alfonso, Aragoniam ingressus est. Cum autem proce-

procedente tempore Iacobi monita parum valuiſſent apud Alfonſum, iſque pro libidine cuncta gereret; Philippus eius frater, vnà cum Nunnio Gonſalio Laræ domino, ac plerique proceres, nonnullis etiam ciuitatum legatis adhærentibus, Lermæ in oppido coierunt, atque communi conſenſu, honeſtis obiectis cauſis, ab Alfonſo ſe defecturos iurarunt: ſi minus ab illis ſcitis exequendis abſtineret, quæ neque in ſui honorem, neque in vtilitatem populorum; ſed in manifeſtum ordinum, & procerum contemptum, edi curauerat. Et quanquam Philippo magna interceſſerat cum Rege Granatæ neceſſitudo, ad quem ab Alfonſo deficeret: tamen quia Nauarræ Rex magnas cum Alfonſo inimicitias gerebat, conſilio procerum, qui ſe Philippo nunquam defuturos obtulerunt, ad eum abiit. Hoc tempore auditum eſt, permultas Mauritanorum copias in Bæticam transfretaſſe, appuliſſeque Algeziram illius prouinciæ, atque munitiſſimam Beierii oppidi arcem oppugnare. Vnde Alfonſus conſilii inops, ac perturbatus, hinc Mauritanis ingruentibus, illinc Philippo & proceribus defectionem tentantibus, in Iacobo ſocero perfugium ac ſpem omnem collocauit; ideoque, vt ſi quo pacto illos ſedare poſſet, ac bellum Granatenſibus Mauritanorum receptatoribus inferre, conſilii capiendi cauſa, venire vnà cum Regina ad Iacobum ſtatuit Valentię agentem; qui tum, vt in ſuis Commentariis refert, ſubortas controuerſias inter pernobilem Guillermum Scribanũ magnum Regnorum Protonotarium; & generalem Regis quæſtorem, Bailiuium vulgo nominatum, de iure vtriuſque officii, ſeu dignitatis publicæ, vt creditur, agentes; lata pro Guillermo contra Quæſtorẽ ſententia, compoſuit. Alfonſo igitur obuiam Rex Buriolũ vſque iuit; quem vna cum Regina & nepotibus lætiſſimè excipiens Valentiam deduxit, in quam magna cum alacritate & pompa à ſenatu populoque Valentino excepti fuere: atque luſtrata vrbe, & indicto iuſtitio, quot ſe ibi diebus continuere, Reginæ gratia, ludis atque ſpectaculis plena omnia fuere. Sed vrgentibus Mauritanis, oportuit Alfonſum breui in Caſtellam redire; quem Iacobus comitatus eſt verſus Murcienſes, Vilienam vſque: inde reuerſus Setabim, eo in itinere duo parua oppidula condi iuſſit, alterum Montabernarium in Albaidenſi conualle, alterum Orimbloinum prope Dianium, eaque ſuo agro, & limitibus circumſcripſit. Atque dum eſſet Fontiniani, quod eſt nunc oppidum florentiſſimum Biario propinquum, nuncio Cęſarauguſta miſſo intellexit, Artalum Lunam pernobilem Aragonenſem, controuerſiis ortis inter ipſum, & Zuerenſes Cæſarauguſtæ propinquos, prælium cum eis cõmiſiſſe, & viginti ſeptem ex illis in eo conciđiſſe. Ad quos ſtatim Rex iter ingreſſus eſt: cumque prope Turolium veniſſet, Iacobus filius obuiam ei exiit, petiitque ab eo liceret ſibi in Aquitaniam proficiſci, vt de matrimonio antea propoſito cum Principe Niuernienſi agere poſſet. Permiſit Rex, atque pecuniam & familiam, quibuscum honeſtè, ac decenter iret, conceſſit. Inde Cæſarauguſtam ingreſſus, Artalum citari iuſſit. Interim litteras ab Alfonſo accepit, denuò in colloquium venire ſtudente, vt ea coram referret, quæ litteris tutò committi non poterant, eſſentque vtrique communia. Vnde Rex illicò venit Alicantum, ibique inuentus Alfonſus, in ſumma, confirmauit, aliquot Aragonenſes proceres, vnà cum iis, qui à ſe defecerãt, cum Mauris conſenſiſſe, vt bellũ clam contra ſe ambos ſtruãt: ideoq; quid in tanta rei nouitate facturi ſint, exquirere. Præterea num bellum contra præfectos Malacitanæ, & Guadicenſis ciuitatũ, moueret; q̃ ii quoque Mauritanos receperant; an potius ſimulata cũ eis amicitia, cũ Granatæ Rege, autore omniũ, illud iniret. Cui conſuluit Rex, ne quoquo modo induciarũ iura, quæ cum Granatenſi Rege pactus fuerat, violaret. Quod verò ad conſpirationẽ attinebat, proceribus omnẽ conſpirandi occaſionẽ tolleret: ac documentorum, quæ olim in itinere dederat, recordaretur; proque certo ſciret, penes ſe vnũ eſſe ignẽ & gladium, ſed interim ſibi quiſq; proſpiceret, ac mutuo alter alteri ſubſidio eſſet. Poſthæc abeunte Alfonſo, miratus eſt eũ Rex cũ tanto ſcientiarum vſu, tanta laborare conſilii inopia, adeoque timidũ, ac ſuſpicioſum effectum, vt non ſuis modò, ſed alienis conſpirationis ſuſpicionẽ iniiceret: ideoque de illius rebus ſubtimere cœpit, venitque Oſcam, vbi conuentus indixit, vt propter cauſas ibi relatas, aduerſus Artalum, tum ob facinus ab eo contra Zuerenſes perpetratum, tum quia citatus venire recuſaret, bellum mouerent, ad idque ſibi adeſſent Regii ſtipendiarii equites. Hoc promulgato bello, protinus, non minus in Catalonia, quam in Aragonia ſeditiones ortæ fuere, ac tumultuari cœptum, non tam Artali cauſa, quam Petri Principis, qui Fernandum Sanctium fratrem, iam non occulto, aut ſimulato; ſed aperto proſequebatur odio, poſt reditum è Paleſtina, Siciliaque, & initam ab eo cum Carolo amicitiam: eoque res progreſſa iam erat, vt ſæpius illum occidere tentarit: potiſſimum cum Burrianæ vterque ageret. Ibi namque quidam Petri famuli diſtrictis gladiis tota domo diſcurrere, atque Sanctium quærere auſi

sunt, illum confossuri haud dubiè, ni se Sanctius foras cum vxore subduxisset. Porrò, referente Asclotio, Petri odium creuit in Sanctium, non solùm quòd amicitias iniierit cũ Carolo; sed quòd sibi ipse persuaserit, Sanctium ope & instinctu Caroli commoliri sibi necem, vt liberè is Regno potiretur. Verùm Sanctius cognito Petri furore; neque quieturum vnquam nisi se, quoquomodo sublato, ad eos Cataloniæ Barones, seu Regulos recurrit, qui gubernante Petro, acerbè ab eo tractati fuissent, eoq; magis in eum maре affecti, quod Guillermum Odenam virum nobilissimum, atque ex perillustri stirpe ortum, in confluentem, acerbiore, quàm par erat, pœna, demergi iussisset. Quin ope etiam & auxilio Simonis Vrreæ soceri, vnius ex potentissimis Aragoniæ proceribus, qui olim Alfonsi Principis partes sequentes, suis fuere à Rege possessionibus orbati, præsidium sibi contra Petrum impetrauit; qui omnes mutuo sese iureiurando obstringentes, Sanctii partes secuti fuerunt. Itaque Sanctius, vt primùm se ab insequentium manibus eripuit, confugit ad Regem, eique denunciauit, quæcunque à Petro tentata fuerant; ipsum obsecrans, vt se ab iniuria, & imminenti interitu liberaret; suppliciaque de sicariis sumeret: quibus demum adiecit, si te viuo patre, frater insurgit in fratrem, quid quæro, te mortuo faciet? quid non erepto à te Regno, quod, fortè machinatur, in vtrumque molietur? Debet igitur præceps, atque execrabilis fratris iracundia in fratrem, te communi patre, reprimi; ni vtroque simul, atque vno die, orbari vis filio. Timendus est enim desperatus magis, quam fortis animus: facile quippe contemnam meam ipse vitam, modo illi suam eripiam. Quamobrem te supplex oro, vt & qua debes pater clementia, & qua potes Rex iustitia, hæc tã impẽdentia filiis, & Regno mala de medio tollas. Hæc Rex intelligens, ingemuit, tulitque nimium acerbè ram diram inter filios ortam discordiam, q̃ planè procerum inter se dissidium, atque vtriusque Regni in partes diuisionem, portendebat: occurrendumque malo esse, quàm citissimè duxit. Vnde Sagunto profectus in Aragoniam, conuentus in oppido Exea equitum indixit. In magnis enim Reipub. malis, tanquam morbis medendis, hæc vna erat à conuentibus, consilii capiendi causa, sumpta medicina. Petrum ergo Principem, & vniuersos Regni proceres eò conuenire præcepit. In quibus inter alia, edixit comiti Pallariensi, & reliquis Cataloniæ proceribus, nequis comitẽ Foxensem, tũ contra Regem Galliæ bellum gerentem, re, milite, aut armis iuuaret: idq; non tã odio Comitis, quã vt motum, & strepitũ armorũ, eius occasione belli glíscentẽ, è Catalonia tolleret. Adhæc Petrũ generalem Regni procurationẽ deponere iussit consilio multorum procerum, qui Regni tranquillitatem optabant. Præterea in causa Artali, & Zuerensium, à præfecto Iustitiæ Aragonum sic est pronunciatum. Vt in compensationem damnorum ab Artalo inflictorum, priuaretur omnibus bonis, eorumque possessio, iure dominatus, Zuerensibus traderetur. Verùm antequam conuentus dimitterentur, Artalus, interuentu Petri Cornelii soceri sui, & amicorum, Exeam veniens, Regem orauit supplex, vt sibi ignosceretur, aut saltem sententiæ seueritas benignitate Regia leniretur. Cuius oratione permotus Rex, consilio procerum, atque Baronum vtriusque Regni, nec non litteratorum hominum iudicio, commutata sententia, Artalũ sic condemnauit: vt is xx. millia solidûm monetæ Iaccensis, pro impensis solueret; atque ad quinquennium ab omnibus Regnis & dominatione Regia relegaretur: criminis verò consortes, Lupus Diazius Sentia, Simon Alanus, Didacus Gurrea, & Petrus Ortizius, ad decennium. Dimissis conuentibus, Rex Valentiam venire statuit; ingressusque iter venit Turolium, vbi simili, quo antea hospitio à ciuibus magnificè exceptus fuit: tenuitque memoria amplissimum illud, ac commemorandum, sibi ad Murciense bellum proficiscenti oblatum munus: proque eo, atque ipsorum satis comperta fidelitate, se perpetuam eis gratiam habiturum, expressit. Itaque perueniens Valentiam, ad certam diem Conuentus Algeziræ indici iussit, Petro interim iniquo semper animo in fratrẽ affecto, ac toties exhortanti, atque precanti Regi, vt illi reconciliaretur, morem gerere recusante. Vnde Rex præsentibus Valentino Episcopo, Iacobo Sarroca Ilerdæ Sacrista, ac etiam Petro Granatensi religiosissimo Franciscano, quin & Thomasio Iunquera Iurisconsultissimo, denuò Petrum exhortatus est, vt quas gerebat cum fratre inimicitias deponeret, ni paternas vellet subire; alioqui, iam se, non vt patrem blandè; sed vt Regem, & iudicem, seuerè in illum animaduersurum. Verùm Petrus nihilominus factus iracundior, neque ad ea respondẽs, è consessu abiit, eaque nocte clam, tribus solum comitatus equitibus, Valentia exiit, fraternas omnino iniurias vindicaturus. Tunc Rex decreuit modis omnibus Sanctium à quouis damno & iniuria defendere, atque in Petrum, à quo valde alienato animo ob eam rem esse videbatur, animaduertere. Qua occasione Sanctius, socio Simone Vrrea socero, venit Valentiam, vbi maximis Regi gratiis actis,

tiis actis,pro suscepta sui causa,& defensione: rursum ipsius consilio Cæsaraugustam reuersus est. Non enim erat ei tutum Valentiæ sese Petri libidini committere. At Petrus suæ conscius insolentiæ,amplius paterna erga se indulgentia non esse abutẽdum ratus,causam suã apud Regem,vtcunq; cohonestare decreuit. Quare Ruicium Simonem Lunam, & Thomam Iunqueram, cum mandatis ad illum mitit, atq; præsentibus Bernardo Guillermo Entensa,Ferruzio Lizana,& Petro Martino Luna,Thomas, vt erat instructus, Petri mandatum sic exposuit; Nunquam fuisse Petri animum, Regi, quæ de Fernando Sanctio turpia & acerba sibi nota erant,prodere; sed habuisse illa diutius suppressa, quod talia essent, vt sine maxima fratrum ignominia, impunita remanere non possent. Verùm quoniam ea patefieri sibi tam anxiè peteret; certò sciret, Sanctium in hæc verba prorupisse. Regem omnino indignum Regno esse: quin & illum procurasse veneno Petrum de medio tollere,vt ipse Regno potiretur: esseq; plerosque Aragoniæ proceres huius consilii,atque proditionis consortes: seq; ea omnia non ficta, sed tanquã verissima, suo loco, & tempore,probaturum. Quibus auditis, Rex nonnullam iis fidem habens, quod ea consonare quodammodo viderentur, cum iis, quæ paulò ante ab Alfonso Castellę sibi fuere enunciata; vnde grauiter cõmotus fuit, propterea quòd seu vera seu falsa,infamiæ non parum suis inferrent. Quare cum eisdem proceribus in partẽ Aulæ secedens,dixit,non sua,sed illorum interesse, eiuscemodi criminationibus satisfacere:cum per eas ipsi nonnulla etiam perfidię macula notarentur. Ad quæ Simon Vrrea, nequaquam satisfactioni locum esse respondit:cùm is,qui talia proferret,sacerdos infimi ordinis esset,deque suo ea omnia confingeret: aut si reuera de mente Petri referret; eò, se minus obligatos esse ad reuincendum illum, cui, vt successuro in Regna fidem suam obstrinxerant,neque licebat ipsum redarguere. Tum Rex legatis respondit, se breui facturum, vt Sanctius obiectis criminibus satisfaceret, alioqui puniturum illum. At verò Petrus Algezirę,eo se animo continebat,vt, Sanctio bellũ illaturus,secretò copias cõpararet. Quapropter Rex eò ire statuens, Antistites,& proceres conuocari iussit: vt eis præsentibus Petrum ab impotenti proteruitate deduceret: cumque flumini proximus per palustria ibi loca venatũm iret,Petrus non longè ab eo cũ triginta equitibus vada Segarrensia prætervectus, Corberam oppidum ingressus fuit. Itaq; conuentibus inchoatis ad quos venerat Iacobus Regis filius ex Vidauria, Bernardus Oliuellanus Archiepiscopus Tarraconensis,tum & Barcinonensis,Iderdensis,& Valentinus Antistites,cũ aliis proceribus Regnorum,atq; legatis Cæsaraugustę, Turolii,Calataiubii, & Ilerdæ ciuitatum: proposuit Rex insolentem Petri Principis pertinaciã, maleq; affectum animum in Sanctium fratrem,quem bello persequi statuerat:quodq; se inuito,copias cogeret, oppidaq; & arces,quæ ab ipso acceperat,milite & armis munire non desisteret;ac neque vellet iure contendere;neq; fraternas cõtrouersias patris iudicio,sed bello mallet dirimere. Quæ cùm audissent Antistites,& plerique ex proceribus,Corberã petierunt,vt Petrum à commouendo bello,contra patrem magis,quàm contra fratrem,deterrerent. Repugnãte Petro,ac neq; quicquam in ea re illis proficientib. (tam alte insederat in animo odii virus in fratrẽ) Rex ira motus,Algezira exiens,Setabim abiit; deque persequendo Petro cogitauit. Id sentiens Antistes Valentinus, vidensq;,irato Rege,conduplicari Petro hostem,maleque cessura ei omnia,ni resipisceret; Petrum iã non blandè, sed acerbè monere cœpit; desineret vtiq; patri repugnare,qui tã propẽso in eum animo fuerit, vt reliquos filios præ ipso contẽpserit:quo magis caueret,ne in summi cælestis patris iram incurreret,qui filios parentibus minus obsequentes acerrimè punire sit solitus. Proinde se totum patri, nulla conditione,traderet,nihil non ab eo cùm veniæ, tum gratiæ & amoris impetraturus. Iis Antistitis dictis permotus Petrus,se toto animo patri dedere decreuit;qui iam ante Christi natalem Setabim profectus erat, adducto secum Hospitalis ordinis promagistro, quẽ in vinculis iusta de causa retinuerat. Ingressus ergo regiam, illicò sese ad regis pedes prouoluit,ac dextrum pedem osculatus, supplicis animi verba protulit; nec à lachrymis tẽperauit:fuitq; à Rege benignè acceptus; tantus enim amor in eum erat vt nulla neq; exhauriri iniuria,neque debilitari repugnantia potuerit. Quæ reconciliatio Petri, non minus suspecta omnibus, quam Sanctio postea perniciosa fuit: propterea quòd Rex ab eo tempore,quasi afflatus veneno Petri,pedibus omnino in eius sententiã contra Sanctium abiit:præsertim cũ animo reuolueret quæcunq; Sanctius Cæsaraugustæ vna cũ procerib. fuerat machinatus;quo tẽpore fuit propositum Bouaticum ad sumptus Murciensis belli: quantisq; modis regiam Maiestatem contẽpserit, eamque insolẽtibus, ac odiosis verbis deluserit;seque totius factionis,siue initæ cõspirationis procerũ,caput cõstituerit:ac non Aragonenses modò, sed Catalanos Regulos ad conspirandũ concitauerit, quodque in

eo tandem, non filium, ſed perduellem habuerit; quæ quidem nullo modo impunita dimittere decreuit. Per id tempus Theobaldo Rege Nauarræ ſine liberis decedente, Enricus eius frater in Regnum ſucceſſit, qui pactis & conditionibus olim à Margarita, & Theobaldo Rege cum Iacobo initis, ſtare nolens, ius ad Regnum Iacobo auxit: ſed illud tunc armis repetere intermiſit Rex, filiorum diſſenſionibus impeditus. Quo etiam tempore, Narbonæ mortua eſt, atque ibidem ſepulta Berengaria Alfonſi Comitis Molinæ filia, cum qua aliquot annis, matrimonii fide data nunquam tamen præſtita, contubernii neceſſitudo Regi cœlibi fuit, tam liberè id quidem, vt ipſemet Rex (quod de ſe teſtatur) ſæpenumero, nullius ſibi conſcium peccati, præterquam Berengariæ, eſſe diceret: neque aliud ſibi, cum hoſtibus prælium commiſſuro, confitenti peccatum occurreret; quanquam ſub ſpe coniugii, non condemnandum putaret. Sed decedente illa, cum ingraueſceret ætas, non amplius viſus Rex fuit ſimile quidquã commiſiſſe. Conſtat etiam nullos ex illa filios ſuſcepiſſe, tametſi Regem ipſa hæredem conſtituerit oppidorum Felgoſii & Caldelæ, quæ in Regno Galletiæ ſita poſſidebat. Eodem vertente anno, nonnullis Caſtellæ proceribus indignitate Alfonſi commotis, ad Regem Granatæ deficientibus, auditoq; rumore de Auentuſepho Mauruſiorum Rege, quod is in Bæticam prouinciam breui, ac cum innumerabilibus copiis eſſet traiecturus, Alfonſus, & Iacobus Requenam conuenerunt, quod nunc celebre oppidum in finibus Valentini Regni poſitum eſt: ibique auxilia ſibi mutua aduerſus tranſmarinos aduẽtantes hoſtes polliciti fuere: adiecitque Iacobus, ſe in prælium cum illis deſcenſurum, neque defuturum vnquam Alfonſo, & ſuis. Vnde miſſis præſidiis ad fines Valentini, & Murcieſis Regni, Iacobus cum nonnullis proceribus in Cataloniam reuerſus, Mompellerium petiit. Vbi pacto inito cum Philippo Francorum Rege, qui Foxenſem Comitem tenebat in vinculis, liberatus comes fuit, & in gratiam Philippi reſtitutus: ad idque Iacobus nonnulla oppidula, pro Foxenſi, Philippo conceſſit. Porrò per Mompellerienſem, & Catalanam ditionem, bellum aduerſus Granatenſem, & Mauruſiorum Reges in ſubſidium Alfonſi promulgauit; proceresſque omnes, quorum ditiones & loca, beneficiario iure, à Regibus ipſorum maiores acceperant, ea lege, vt belli tempore Regi præſtò eſſent, accerſi iuſſit, atque indici, ſe duce, fore id bellum proſequendum, ne ſe quiſpiam excuſaſſet. Ex quo Gerundæ Vgoni Sentapauio Iuſtitiæ præfecto, viro pernobili, bellique experto mandauit, vt conſcriptas copias quamprimum Valentiam deduci curaret. Inde verò Ilerdam perueniẽs, inuentum Vicecomitem Cardonenſem rogauit, vt ſe, ac exercitum ſequeretur. Cumq; Cardonenſis ſe excuſaret, vt qui ſibi manere, perinde ac ſequi, liberum eſſe arbitraretur; teneri eum ad ſequendum ſe, Rex oſtendit tam iure, quàm ſtipendio militari. Sed renuente Cardonenſi, cum aliis ſex Baronibus Cataloniæ, ſimili iure, atque ſtipendiis Regi addictis, diſſimulare tamen hæc in præſenti decreuit, ne à propoſito itinere impediretur; quandoquidem intellexerat Granatenſes, aduentantis ſpe auxilii Mauruſiorum, ardentius perſequi bellum cœpiſſe contra Alfonſum; ideoque magnam illorum partem exercitus oppugnandis Murcienſibus deſtinarat. Quare Bernardum Oliueliam Archiepiſcopum Tarraconenſem vniuerſæ procurationi Aragoniæ, & Cataloniæ præfecit; tãetſi prouocationum cognitionem, Regio iudicio reſeruatam commiſit, ac delegauit: indeque Valentiam ſe contulit, vbi collectis Aragonenſis exercitus reliquiis, cum vniuerſis copiis Setabim, inde Biarium peruenit; quò Iacobus & Petrus ex Viduaria filii, cum aliis quoque fratribus, ac multis Aragoniæ proceribus, conuenerant ad Regni præſidium. Cùm igitur ad eos Rex veniſſet, vehementer lætatus eſt, ipſiſque collaudatis, cum omni exercitu Murciam ſe contulit; vbi ab vniuerſo Chriſtiano ſimul & Sarraceno populo, lætiſſimè exceptus fuit: eique tanquam vero Regni expugnatori, patriæque liberatori, ac domino, Regius omnino honos delatus. Verum neque Granatenſibus, neque Mauruſiis bellum in eam partem mouentibus, diebus non amplius quatuordecim, ibi ſubſtitit; quos tamen partim luſtrandæ vrbi, arcique reuiſendæ, ac muniendæ; partim aucupio, & venationi impendit; confirmatiſque vrbanorum animis, atque præſidiis in finibus diſpoſitis, Valentiam, dimiſſo exercitu, remigrauit. Sed iam Rege Algeziram ingreſſo, venit eò Petrus Alcalanamus, vir ſanè venerandus, atque Dominicani inſtituti religioſiſſimus; quem Gregorius X. Pont. cum litteris & mandatis ad Regem legauerat: eius legationis ſumma hæc erat; Hortari Pont. Max. ac precari Regem, vt Lugdunum contenderet, vbi totius orbis Concilium cogi edixiſſet; atque maiora, quam vnquam Chriſtianæ Reipub. negotia agenda eſſent: nempè de Hieroſolymitana recuperanda terra: & de Græcorum Eccleſia ad gremium, & ſenſum Romanæ traducenda. de quibus multis ante annis, quamuis fruſtra actum fuiſſet, in præſenti tamen eſſe ſummam ſpem: pro-

ptereà quòd Palæologus Imperator Græcorum, ac etiam magnus Cham Tartarorum, frequentibus legationibus ad se, illa cupidissimè expeterent: instarentque, ne tanta diuinitùs oblata rei occasio prætermitteretur: altero, se, cum vniuersa Græcorum Ecclesia, in gremium Romanæ rediturum; & errores depositurum: altero, milite, & armis, classe, cômeatuque, quandiu esset expeditio, Christianum exercitum iuuaturum, promittentibus. Quo audito Rex, egregia, qua semper fuit in Apostolicam sedem pietate, & amore, grato, liberalique animo iter eò se facturum promisit: ac protinus Valentiam introiit: vbi confirmato præfecto, & aliis Regiis magistratibus, acceptaq; mutuò pecunia ad iter tam honorificum pro dignitate faciendum, Tarraconem profectus est. Eo conuenire iussit Raimundum Folchium Vicecomitem, Petrum Bergam, Galcerandum Pinosium, Guillermum, & Maimonum Catalauninos, Berengarium Cardonam, & Guillermum Ragiadellum, proceres; qui paulò ante, in expeditionem sacram proficiscêtem, sequi recusauerant; vt eorum contumaciam, & insolentiam puniret; quibus militaria beneficia ademit, eosque honoribus priuauit: deniq; arces, quæ illis iure fidelitatis commissæ fuerant, restitui sibi imperauit. Ea quippe conditione ac lege, Aragonensi more, arces committi consueuerant, vt hæ Regibus iratis, aut pacatis, cum ii vellent, pro libito traderentur. Cùm autem Cardonensis primus aliquot arces traderet, aliquot retineret, tanquam communes, aliiq; similiter facerent, ad arma cum reliquis Catalanis proceribus ventum fuit. Quanquam interim eo bello Rex supersedendum censuit, ne cœpto itinere Pontifici promisso prohiberetur.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER XIX.

LITERIS à Pontifice denuò rogatus Rex, multisq; totius ferè Hispaniæ Antistitibus, qui ad concilium vocabâtur, sese illi adiungêtibus, profectionem suam Lugdunum maturandam duxit. Itaque Barcinone, nonnullis vtriusq; Regni procerib. comitantibus, Perpinianum prætereuectus, Mompellerium venit: ibiq; octo commoratus dies, quoad nonnulla imperata pecunia, Regio sese apparatu ad iter muniret, ingressus illud, Vienam oppidum peruenit valde insigne, quod alluit Rhodanus magnus Europæ amnis, atque Lugduno vnius diei distat itinere. Adfuereque illi protinus Legati à Pontifice missi, rogantes, vt in oppidulo sancti Saphorini, quod est in via, ac non amplius quam passuum vndecim millia Lugduno abest, se contineret: propterea quòd non solùm ab amplissimo Cardinalium collegio, & vniuerso cœtu Antistitum; sed etiam à senatu populoque Lugdunensi, mandato Philippi Regis eius generi, Regiè, magnificentissimeque esset excipiendus. Est enim Lugdunum vrbs, totius Galliæ potentissima, florentissima, atque ipso naturali situ loci munitissima, hinc monte cum propugnaculo ad occasum, illinc Rhodano ad ortum, aquarum multitudine protecta; circunquaque verò, non inexpugnabili modò muro cincta sed Arari quoque fluuio, qui à Septentrionibus per mediâ fluit, omni commeatu referta. Is enim in vnum ibi confluens cum Rhodano, eiusque impetu cohibitus, adeò lentus, ac segnis decurrit, vt æquè facilis aduerso illo, atque secundo fiat nauigatio. Quo fit, vt non minus per eû à supera vrbis parte, quàm per Rhodanum ab infera, & mari, commodissima sit in vrbê, commeatus, atque mercimoniorum omnium, tum inuectio, tum rursum exportatio. Sed eius demum ager cultissimus, ac fructuosissimus, iunctis opibus, cùm tam frequenti commertio & expeditione rerum, satis ostêdunt, vrbem tunc fuisse, qualis, quantaq; nunc est, omnium Europę abundantissimam, atque opulentissimam. Vtpotè cùm & Pontificem, Cardinalesque, cum vniuersa Romana curia, & tot vndecumque concurrentes Antistites, eorumq; innumerabilem familiam: & ipsum denique Regê, totque Principes, proceresque Galliæ, cum incredibili ac promiscua multitudine, biennio, & eo plus sustentauerit, præter alias varias quoque gentes, & nationes, quæ non concilii modò, sed ipsius Regis moræ fama, atque visendi gratia, ab vniuersa Gallia, Italia, & Anglia, conuenerunt. In hâc vrbe à Cardinalibus, Antistitibus, &

populo,quanto maximo potuit cum honore, pompa, & cerimoniis exceptus Rex fuit; cunctis eius præstantiam,atque conspiciēdam corporis habitudinem, tum barbam promissam,cum veneranda canitie;adeoque plenum maiestate aspectum admirātibus, minimeque eius personam,quanta erat fama,& nomine,indignam reputantibus. Is ad palatium Pontificium deductus, tametsi ei Pontifex assurrexit; nihilominus ad huius pedes se Rex prouoluēs,dextrum deosculatus fuit:atq; postera die,quod Sessio esset,in Cōcilium admissus.Quo summo in spectaculo,tria Regem in maximam admirationem, vt ferunt,traduxere.Primum, nunquam ipsi antea conspecta Pontificia maiestas, alterum, Cardinalium purpuratorum,quasi multorum simul Regum consessus;tertium, Antistitum maior quàm vsquam vidisset,aut credidisset congregatio.Nam,sicuti in suis ipse refert Commentariis,Cardinalium,Patriarcharum, Antistitum, atq; Abbatum numerus, quingentorum & eo maior fuit: ac quoniam vix aliud toto Christiano orbe concilium celebrius,ac frequentius eo inuenitur coactum,consentaneum erit congregationis causas,maximè verò,quę ad reductionem Græcorum,&consensionem eorundem Ecclesię cum Latina (id enim fuit totum eius Concilii opus) declarandas pertinent, hic breuiter enarrare.Cùm Michael Palęologus strenuus Dux Lascaram gentem,ad quā Græcorum Imperium iure peruenire poterat,profligasset; ac Balduinum Constantinopolitanū Imperatorem,auito Regno, & Philippum eius filium exturbasset; vt tamen Gregorii Pont. Francorum Regis; quin etiam Caroli Siciliæ Regis, qui Philippi Imperatoris generis sui causam contra Palæologum tuendam susceperat,classes, & ingentes apparatus à Bosphori faucibus,& Bizantiæ ciuitatis ceruicibus, terra, marique auerteret; mira est vsus arte,Græcaque,quod aiunt,permista fide,cum religionis prætextu, cunctos sic ausus est ludificare.Siquidē nonnullos Imperii Principes, atque Græcę Ecclesiæ primates, sumptuosissima cum legatione Romam ad Clementem Papam IV.misit,qui nomine suo illi renunciarent, Græcorum Ecclesiam, quæ à sacris Catholicæ Ecclesię, & sanctorum institutis defecerat, & à maiorum pietate degenerauerat, se, sacrosanctæ Romanę Ecclesiæ adiuncturum, & eius canonicis sanctionibus obtemperaturum; atque in eam rem,non modò se,suamque,sed Constantinopolitani Antistitis,ac totius Imperii procerum fidem interpositurum. Quæ promissio summopere Christianam Rempub. erexit:Græcorum videlicet Ecclesiam tamdiu à capite seiunctam,Romanę tandem adiungi.Quamobrem idē Clemens Pont.notam esse volens scriptis professionem fidei,qualis ab Imperatore,clero,& populo Gręcorum exigebatur; in eo summam iudicii, causamque totam constituit, vt infinitæ, concertationumque plenæ de religione disputationes tollerentur;sed nuda tantùm,atq; expressa ei traderetur fidei professio.Nec prętermittēda est,quę vna cum professionis formula,excepta è diplomate illo aureo,missa est à Pōt. ad Palæologum his verbis præmonitio.Porrò præscriptam purissimam,certissimam, solidissimamque orthodoxæ fidei veritatem Euangelicæ doctrinę consonam,à sanctis patribus traditam,&Romā:Pontificum in suisSynodis definitione firmatam:sicut nec decet;sic nec volumus,nouę discussioni,ac definitioni subiicere, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas,& licitum in dubium reuocando.Ideoque licet in præfata scriptura de conuocatione Concilii ageretur;licet per tuas litteras concilium in terra tua cōuocari petieris, nos tamē nullo modo proponimus Concilium ad discussionem,seu definitionē huiusmodi reuocare.Non quod cuiusquā faciem vereamur:vel eandem sacrosanctam Romanam Ecclesiam Græcorum superari potentia timeamus:sed quia prorsus indecens foret,imò nec licet,nec expedit,in dubium reuocare præmissam veræ fidei puritatem, tot sacrę paginæ auctoritatibus, tot sanctorum sententiis, roboratam, tot Roma. Pont.stabili definitione firmatam;pro cuius defensione si necesse foret, parati essemus, subire martyrium, & morti etiam exponere corpus nostrum.Quam ideo ad præsens nequaquam autoritatibus, quarum satis copia nobis pro voto suppeteret, iuuare curauimus: sed in simplicitate veridica,sic purè, sic explicatè, tam prædictis tuis,quàm tibi decreuimus destinandam.Dum igitur clemens præmonitionem vna cum formula professionis fidei,quam mox subiiciemus,ad Imperatorem mittit,vita functus est; atque à prosequendo negotio cessatum. Verùm Palæologus, continuato dolo cum ipso religionis prætextu,vt Imperium sibi stabiliret, Ludouicum Francorum Regem, cuius insignis erat,per id tempus,cum pietate,& religione sanctitas,per legatos obtestatus est, vt ipse, in tam pio,& vtili negotio,vtramque,Gręcam scilicet,& Latinam Ecclesiā iuuaret; & cœptam à Clemente Pont.Græcorum reductionem perficiendam curaret.Quare Ludouicus Palęologi,non tam mentem,quàm orationem præcipiens,Cardinales,qui per interregnum Viterbii agebāt,rogauit,effecitq;,vt ipsi Clemētis cœptum prosequerētur.Itaq; proti-

protinus viros doctissimos,& religiosissimos Constantinopolim legarunt,per quos fidei professio solennis celebrari posset, ex formula à Clemente tradita. Interea verò Gregorius X. Pont. renunciatus, eiusmodi Lugdunense Concilium indixit; animaduersaque Palæologi, vt apparebat, constantia & pietate, inducias inter Balduinum, Regemque Siciliæ Carolum, & Palæologum, fieri quàm maximè studuit: cum interim Palæologus classem, ac militares etiam copias, vt concupierat, à se pelleret. Itaq; Legati quatuor summæ autoritatis viri ab eo Lugdunum venerunt; quorum vnus, tum Imperatoris, tum eius filii Andronici successoris; tum etiam sex & viginti Ecclesiarum Metropolitanarum Patriarchatui Constātinopolitano, subiectarū, cum earum permultis suffraganeis; ac totius demum Græci Ecclesiastici ordinis nomine, publicè in medio concilio, Schisma ex tradita sibi formula, his verbis abiurauit. Ego Gregorius Acropolita, & magnus Logotheta, nuncius Domini nostri Imperatoris Græcorum, Michaelis Angeli, Ducas Connini Palæologi, habens ab eodem sufficiens ad infra scripta mandatum, omne schisma prorsus abiuro, & subscriptam fidei veritatem, prout plenè lecta est, & fideliter exposita, nomine dicti domini nostri, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco; eam accepto, & corde, & ore profiteor, ipsamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia, ipsum inuiolabiliter obseruaturum; nec ab vllo vnquam tempore recessurum, quoquomodo deuiaturum, vel discrepaturum, promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam, nomine ipsius, & meo spontaneus veniens, pro ipso, & pro me fateor, recognosco, accepto, & sponte suscipio: & ipsum omnia præmissa, tam circa fidei veritatem, quàm circa eiusdem Ecclesiæ Romanæ primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptationem, obseruantiā, & perseuerantiam seruaturum, præstito in animam ipsius, & meam corporaliter iuramento, promitto: & confirmo: sic ipsum, & me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia. Cum autē Gregorio vita functo, Innocentius V. postularet, vt idem ipse Palæologus Imperator cum Andronico filio, per se, atque ore proprio abiurarent; in idque tres alii consequentes Pontif. maximè incumberent, Palæologus in eadem sententia permansit, seu bellè simulauit. quippe qui, non in concilio præsens, vt nonnulli autumant scriptores, cui nunquam interfuit; sed Constantinopoli, publicè, præsentibus Pontificiis Legatis, & Antistitibus Græcis, iisdem, quibus Legati sui, verbis antea in concilio, abiurauit. Promisitque præterea se, & milite, & armis, cum classe, omnique commeatu, adiuturum expeditionem contra Turcas, ad recuperādam terram sanctam, & gloriosum Christi sepulchrum. Abiurantibus deinde cæteris Antistitibus, atq; vniuerso Ecclesiastico ordine, solus Patriarcha Constantinopolitanus abiurare renuit; tametsi abiurasse postea, feratur. Verum Palæologus abiurato schismate, multa in Concilio proponi fecit, quę nisi præstarentur sibi, iam tum se, contra facturum, quàm professus, pollicitusq; fuerat, significauit. Nā inprimis, quæ sua essent quærens, petiit, vt pax ab omnibus Latinis Principibus sibi promitteretur: atque Philippi Imperatoris, Balduini filii, & Caroli Siciliæ Regis eius affinis, vim arceret; quod ii præpotentes ipsius imperio nimis imminere viderentur; alioquin iura omnia, vt fecit, se violaturum dixit. Vnde nefariæ eius mentis, atq; simulatæ religionis causa prodita; neq; aliò, quàm vt Imperium sibi stabiliret, atq; in tyrannide permaneret, relata: accedente etiam Iosephi Patriarchæ Constantinopolitani proteruitate; quin & summo quoq; Andronici scelere ac impietate adiuncta, natio Græca ad suum tādem ingenium versa, sacra omnia religionis fœdera in Concilio facta, violare cœpit. Ex quo erroribus inueteratæ prauitatis denuò inuoluta, totq; subinde impurissimis carnis, atque concupiscētiæ vitiis immersa, diuina manu vindice factum est, vt grauissimas impietatis suæ pœnas expenderit. Vtpotè quæ & Palæologorum non multò post excisa stirpe, & Græcorum simul amisso Imperio, Mahometanis omnium hominum impurissimis, Christianique nominis sempiternis hostibus, turpiter in seruitutem, atque vtinam non perpetuam, data fuerit. Cæterùm per id tempus, nonnulli ex Principibus Tartarorum viris Lugdunum venêre, qui coram Pontifice & patribus, in Concilio fidem orthodoxam, suo, & nationis nomine professi fuerunt; atq; magno etiam gaudio & alacritate omnium, sacro baptismatis fonte abluti. Cùm igitur eò venisset Rex, antequam mala mens & animus Palæologi retectus fuisset, deque expeditione contra Turcas ageretur, se ad eā promptum, expeditumq; vt primū omnia essent parata obtulit; & ad ineundam illam, consilium, quod Pontifici, aliisq; optimum, ac consentaneū visum est, dedit: adiecitque, se, vel senē, non defuturum summo Pontifici, si eò, vt dicebatur, is pergeret: atq; vna cum exercitu, ipsum sequeretur; sin minus, mille lectissimos in expeditionē equites cum

claſſe miſſurum. Adhęc confiteri peccata ſua Pontifici deliberauit, vt à ſummo ſacerdote eorum expiationem, & veniam obtineret: quæ vbi genibus flexis confeſſus fuit, tum Pōtifex vice animaduerſionis, ſeu ſatisfactionis, vt dicunt, duo ipſi maximè ſeruanda, vt hiſtoria refert, documenta iniunxit; vnum, vt à malo recederet; alterum, vt amplecteretur bonum, in eoque & conſtans, & perſeuerans eſſet. Demum de ſuo reditu in Cataloniam agens, à Pontifice petiit, vt quoniã non minus ipſe, quàm maiores ſui Reges, de Apoſtolica, & Romana Sede benemeritus eſſet, daretur Regiæ coronæ inſignibus, ſe ab eius ſacratis manibus decorari. Quod Pontifex libenter ſe facturum reſpondit, modò prius Aragoniæ Regna, ſimili de cauſa, eidem Sedi obæráta redimeret; nempe ſi tributa à Petro Rege eius parente olim impoſita, dum Romæ coronatus fuit, denuò ſancirentur; & quæ perſolui in ſingulos annos deſierant, ante omnia penderentur, indignum eſſe, inquiens, heroica tanti Regis magnitudine, & conſcientia, Sedem Apoſtolicam, quæ tanto eius patrem honore, atq; inſignibus decorauit, iure ſuo, ac debito, permittente filio, fraudari. At Rex cum potius gratioſam mercedem à Pontifice expectaret, pro tot Sarracenorum Regnis cùm debellatis, tum Chriſtianæ fidei, atque Apoſtolicæ Sedis obedientiæ traditis; quàm vt à maiorib. ſuis partam Regnis immunitatẽ imminui permitteret; ab incœpto deſtitit. Ac tandem pro libertate Enrici, Regis Caſtellæ fratris, quem Carolus Siciliæ Princeps in vinculis tenebat, Pontificem, cuius cauſa tenebatur, rogauit: cui Pontifex ſe id curaturũ promiſit. Iamq; elapſis viginti tribus diebus, ex quo Rex Lugdunum ingreſſus fuerat, infecta prope re omni, Mompellerium reuerſus fuit: indeque Perpinianum venit, vbi denuo Cardonenſi Vicecomiti edici iuſſit, vt præcipuam Cardonæ arcem ſibi traderet; erepturo alioqui armata manu. Id, vt primum Cataloniæ proceres, & Barones intellexere, congregati Solſonæ in oppido, non minus ſuas, quàm Cardonenſis partes agentes, Regis edicto reſponderunt; non Cardonenſis tantummodo, ſed omnium Cataloniæ procerum intereſſe, illius arcem, perinde ac proprias cuiuſq; defendere. Proinde ipſum rogare omnes, vt ab ea vi deſiſteret, neque ſumma ipſorum, adeoq; probata fide, abuteretur. Tum Rex Barcinonem veniẽs, bellum Cardonenſi, & eius partes ſequentib. indici curauit, eo prætextu, quòd Cardonenſis apud ſe reciperet, ſuiſque in oppidis defenderet quendã Bertrandum Caneliã, qui immane facinus, & quaſi maieſtatis, cõmiſerat; vt qui Rodericum Caſtelletiolum, præfectum Iuſtitiæ Aragonũ, nulla eius Regię quaſi dignitatis ratione habita, contrucidarit: atque, quò magis Rex bello inſtaret, in oppidum Terraciam migrauit: eò confluentes illicò Berengarius Almenara Promagiſter Hoſpitalis, & Maumolius Caſtelaulius, Regem rogarunt; vt diem Cardonenſi, & aliis ad comparendum prorogaret. quod Rex in eorum gratiam, libenter conceſſit. Verùm elapſo die, non comparentibus illis, ſed diem ex die differentibus, quoad vna cum Ferdinando Sanctio conſpirarent; apertè iam tum Petrus Princeps aduerſus eos, & Sanctium fratrem bellum ſuſcepit. Tametſi interim, noua ex occaſione, neceſſe fuit eo bello ſuperſedere, nuncio allato de obitu Enrici Regis Nauarræ, qui iamiam moriturus, Ioannam vnicam filiolam vel bimam, quam ex Roberti Atrebatenſis Comitis Ludouici Francorum Regis fratris, filia ſuſceperat, à Nauarris iuriſiurandi religione obſtrictis, Regni hæredem conſtituerat. Itaque illo mortuo, cùm inter Nauarros ſumma partium contentio in Repub. verſaretur, aliis Ioannam Regni hæredem, Regi Caſtellæ tradendam, aliis in Galliam deducendam, pluribus Regem Aragonum ad Regnum aſciſcendũ eſſe contendentibus. cum igitur tumultuarentur omnes, Regina, ne quid detrimenti Ioanna filia caperet, in Aquitaniã ad Regem Galliæ, vna cum illa contendit. Vnde Nauarris in Reginæ ponte (id oppidi nomẽ eſt) Conuẽtus ineuntibus, de pacãdis Regni tumultib. acturis Petrus Regis filius Turiaſonẽ cum parte exercitus venit: indeque legatos ad conuentus miſit, qui renunciarent, Iacobum Regem, id ius, quo Sanctius illorum Rex olim ipſum filium adoptauerat, ac Regnum promiſerat, nunc venire repetitum, accedentibus aliis quoque pactis cum Margarita Regina vxore Tibaldi Regis, Sanctii ſororis filii relicta bidua, atque Enrici nuper defuncti matre factis: & ea de cauſa potiſſimum, quòd Caſtellanis ſæpè Nauarram inuadentibus, ac Reginam, eiuſque filium Theobaldum è Regno expellere nitentibus, continuò Iacobus cum exercitu occurrerit, ipſoſque vna cum Regno ſtrenuè conſeruauerit, atq; omni poſthabita ratione Alfonſi Caſtellæ Regis, generi ſui: pro defenſione Nauarræ, illum ſemper vi & armis hoſtiliter repulerit; quique demum pro eis ſexaginta millia marcharum argenti impenderit. Nec verò ipſum aliud petere, quàm vt Ioanna Enrici filia Alfonſo filio Iacobi nepoti nubat. Quibus auditis, Conuentus cum Petro conſenſerunt, reſponderuntque, ſe daturos operam, vt Alfonſus Ioannam vxorem ducat: quòd ſi ad eam conditionem adduci illa non

poſſit

possit; cum sit voluntati matris, & potestati Francorum Regis, apud quem versabatur, subiecta; curaturos, vt vna ex aliis puellis Enrici Regis ex sorore filiis eidem nubat. Quin & pro defensione Pompelonensis Regni cc. millia marcharum argenti, se ei soluturos spoponderunt; atque ex Nauarris proceribus, & primariis Regni, viri plus triginta, preter alios ciuitatum, atque oppidorum Regni legatos, se illicò ad ea omnia præstanda, Petro sponsione deuinxerunt. Quæ tamen pacta, inania, atque irrita fuere: quandoquidem, industria interim, & arte Philippi Francorum Regis, apud quem sese Regina, & Ioāna filia receperant, factum est, vt præcipuis Nauarræ arcibus Philippo à Regina traditis, in easq; præsidiis missis, Ioanna quoque præmaturis nuptiis illius Principi filio traderetur; sicque paulatim toto Regno potiretur. Vnde Petrus hæc in præsentia premens, atque gratissimam se habere Nauarrorum voluntatem ostendens, abiit in Cataloniam, vt Sanctio fratri, & Cardonensi, aliisque proceribus Catalanis, simul in se, & Regem conspirantibus, occurreret. Sanctius enim in Aragonia coniurationem nobilitatis fecerat, eratque plebi præterea maximè acceptus; cuique se addixerant omnes olim Alfonsi fratris sectatores, qui de Petro malè sentiebant: ac sese illi etiam adiunxerant Cardonensis, aliique Catalani & Aragonenses proceres, quos noua Petri dominatio, ac Regis quoque nimia illius locupletandi, & adaugendi cupiditas, malè habebant. Velle quippe videbatur Rex, vt dicebant, omnes procerum ditiones, & oppida Regno adiungere, ideoque turbari valde omnia cœperant. Quamobrem Petrus aduersus fratrem aperto iam Marte pugnaturus, militares copias coegit, atque ad oppugnanda quædam eius oppida contendit. Quæ quidem Petro Cornelio Aragonensium procerum, vt diximus, potentissimo, qui Sanctii partes accuratè tuebatur, adiutore, se ad defensionem pararunt. Tum Cardonensis, & Vgo Emporitanus Comites, ac pene omnes Cataloniæ proceres, à Regio se subtraxère imperio, ausique sunt Regem, more patriæ, ad certamen prouocare. Sed eos Rex, æquis, ac honestis conditionibus, ad se perducere studebat, ne ad grauiora contra eos supplicia progredi, necesse haberet; haud ignarus, quanta ex eiuscemodi dissensionibus incommoda, & rerum perturbationes oriri consueuerint: nihilominus tamen in proposito, susceptoque illi consilio permanserunt. Ac quoniam Catalanorum longe maior in Petrum, quàm in Regem odium & ira erant; Comes Emporitanus Castulonē oppidum Emporiis proximum, quod habebat, muro, milite, & armis munitissimum, adiit, ibique iunctis cohortibus, cum iis, quas secum attulerat, Figueras oppidum, quod Petrus magno studio colebat, atque eius amplificandi causa, colonos multos conduxerat, oppugnauit, diripuitque, eiusque solo æquata arce, atque vastato agro, tandem oppidum igni succendi iussit, tanta celeritate, vt Regi cum copiis aduentanti Gerundam, iam non fuerit locus ad illud defendendum, neque ad intercipiendum Emporitanum; quod is protinus sese Castulonem recepisset Porrò dum Rex agit Gerundæ, similiter Petrus Berga, aliorum more procerum, illum per litteras ad certamē prouocauit: idem & reliqui fere proceres fecerunt. Nā aut prouocarunt, aut minime se ei adiunxerunt, eratque in maxima rerum perturbatione, & armis vniuersa Catalonia, idemque malum per Aragoniā longius serpebat. Qua de causa Rex Barcinonem reuersus est, vbi Antistes, & magnus magister Vclensis, qui tum ibi erant, tātis Regni miseriis, atque calamitatibus commoti, summa ope nixi sunt pacare proceres, & ad rationi consentaneam Regis voluntatem reducere, procurantes denuò, vt quotquot essent controuersiæ & dissensiones, sentētia ac iudicio Antistitum, & aliquorum Baronum deciderentur. Id Regi placuit; commisitque præfecto Montalbanensi, atque Vgoni Mataplano, Archidiacono Vrgelitano, vt suo nomine induciæ decē dierum fierēt cum Cardonēsi, & Berga, eorumq; sectatoribus; vt cōpositioni esset locus. Hæc postquā acta fuère Barcinone, litteræ ex Aragonia ad Regem allatæ significarunt, Aragonias res, perinde vt Catalanas, in maxima esse perturbatione. Nam Sanctius coactis copiis, Petrum fratrem, non minus lædere, quàm sese ab eo defendere nitebatur, ad ipsumq; cū milite & armis, confluebant pleriq; proceres, qui se à Rege nimium premi querebantur, tanquam fœdifrago, & legum perturbatore. Ea nota inuri se Rex, duce, atque autore filio, tulit quàm acerbissimè, fuitque ab eo die omnis ex eius animo paternus amor exhaustus, atque in iustum & debitum odium conuersus. Quāobrem in Aragoniam statim ire decreuit, Conuentus acturus, vt querelis eorum satisfaceret, & antequam ad arma esset ventum, sui cœpti rationem pleno in Conuentu redderet. Sed cùm induciarum dies terminaretur, & Cardonensis, aliique proceres audiendi essent, manendum censuit, atque Petro filio illorum celebrationem commisit, volens intra Aragoniæ limites agi illos, vt à conquerentibus iudicio sisti posset. Itaque eodem die, quo induciæ cum Cardonensi factæ sunt, litteras quoque cum mandatis Petro ad Con-

uentus agendos dedit, existimans fore, vt Sanctii, aliorumque querelæ deliberationi Conuentus relinquerentur; sicque omnia pacarentur. Veruntamē res aliter euenit: quãdoquidem Sanctius, eiusque sectatores, adeò sese indies à Petro ablegabant, vt nobilem virum quendam Raimundum Andream, Prouincialem, ad Regem miserint, qui nomine Sanctii, Ferrentii, Iordani Pinnani, Simonis Vrreæ, Artali Lunæ, & Petri Cornelii procerum, singulas cuiusque querelas proponeret; ipsisque propositis, ab eo, eiusque obedientia, & imperio discederet. Quæ cùm Raimundus publicè, multisque astantibus Regi renunciasset, ac nisi satisfaceret, discessionem facturum se, minaretur: post biduum Rex ad ea omnia respondit; se, ab æquo & bono nunquam discessurum; tametsi facile posset eorum querelas omnes sigillatim in vnumquemque retorquere. Verùm quoniam illarum caput constituerant, quòd in Sanctium filium, cui se omnes addixerant, ipse, & Petrus inueherentur; scirent, maxima id Sanctii culpa fieri, eaque tam graui, vt non modo paternum animum à se penitus alienarit; verum etiam fraternum multis modis distraxerit, seque vtrique hostem, ac perduellem exhibuerit. Proinde, aut iudicio, deliberationique Antistitum, ac probatissimorum Regni virorum starent; aut in armis ius constituerent: se enim ad vtrumq; paratum esse, ac neque sibi vnquam defuturum. Hæc à Rege excipiens Raimundus, neque amplius redarguendi copia à Rege data, Cæsaraugustã reuersus, Sanctio, ac suis retulit. Interim Barcinonēsis Antistes, & Vclēsis magister, modis omnib. contendebant, vt Antequam Aragoniæ res cum Catalanis commiscerentur, ac malum conduplicaretur, Cardonensis cum Rege concordaret, & controuersiæ dirimerentur. Cumque Rex Barcinone Tarraconem veniret, vt Alfonsum Castellæ Regem, & Reginam filiam venientes exciperet, essetque Villafrancæ, medio in itinere, Raimundus Cardona, Berengarius Puiguertius, aliique proceres Cardonensis sectatores, Regem conuenerunt: supplicesque veniam ab eo petierunt: ac, vt arbitros nominaret, qui de mutuis controuersiis iudicarent, obsecrarunt. Annuit Rex; vtq; benignitatem ipsius agnoscerent, Tarraconensem, Gerundensem, & Barcinonensem Antistites, & Abbatem Fonfredæ, cum Baronibus Raimundo Moncada, Petro Berga, Gaufredo Rocabertino, & Petro Cheraltio, illorum amicis, & cognatis, arbitros nominauit. Deinde iter prosecutus, cùm esset Tarracone, de tempore, & loco arbitrii interrogatus, mensem Martium, dum sacrum ieiunium esset, locum verò, Ilerdam ciuitatem, in qua conuentus ea causa indixit, assignauit; vt præsente Petro filio, sententia ab arbitris pronunciaretur. Qua causa, pacata tum fuere omnia in Catalonia. Itaque Rex Alfonsum, & filiam Barcinonem deduxit, vbi solennem Christi natalem diem cum eis celebrauit. Verùm de inopinato aduentu Alfonsi sollicitus; ab eoque causas tam inauspicati itineris intelligens, vehementer improbauit. Quas planè, quoniam variæ, ac scitu dignæ sunt, atque, vt veritas rei innotescat, quæ vix potest ex historicis Castellanis magis quam ex nostris comprehendi, non arbitror alienum, eas hic leuiter attingere. Mortuo Federico Imperatore, conuenientibus ad electionem Regis Romanorum Imperii electoribus in Germania, atque variatis sententiis, sese in duas partes diuidentibus, altera Richardum Comitem Cornubianum, fratrem Enrici III. Anglorum Regis elegit; eumque protinus hæc ipsa pars tantùm, Aquisgrani, Romanorum Regis diademate coronauit. Ab altera verò parte, Alfonsus Castellæ & Legionis, fuit quoque Romanorum Rex renunciatus, qui etiam ex Beatrice matre Philippi Imperatoris filia, ex inclyta Ducum Sueuiæ stirpe erat oriundus. Vnde vtroque, se pro vero, & legitimo Rege gerente, causasque abunde allegante; mortuo interim Richardo, electores omnes, præter Bohemiæ Regē denuò, haud consulto Alfonso, Rodolfum Comitem Aspurgensem, virum quidē strenuũ, atque Imperio dignum, in illius locum suffecerunt, & illicò Aquisgrani similiter coronarunt. Id Alfonsus intelligens, Legatos misit Lugdunum, ad Gregorium X. Pont. qui tum in Concilio agebat, cōtra electionem Rodolfi iure acturos; ac etiam eius opem & auctoritatem ad infirmandam illam, suamque confirmãdam imploraturos. Verùm causis, & rationibus hinc inde agitatis, à Pont. & Cardinalibus decretum fuit, electionē Rodolfi vltimò ab omnibus, aut à maiori parte electorum probatam, non posse vlla causa infirmari; quòd legitima, & canonica ea esset, ideoque priori, tanquam dubiæ, & controuersæ, præferenda. Quare Legatis, re infecta, discedentibus, Gregorius paulò post, Legatum ad Alfonsum misit Fredulum Lunelii Priorem, cum mandatis, vt ipsum ab ea postulatione deduceret. quod si discederet, decumam Ecclesiasticorum Castellæ redditũm ad Granatense gerendum bellum triennio eidem concedendam promitteret. Cui Alfonsus parum animaduertens electionem Rodolfi cōsentaneam visam fuisse Pontifici & Cardinalibus, respondit, se facile in sententia Pont. mansurum, modo sibi, honoriq; suo,

ſuo,in re tam graui deliberáda,conſuleretur:atque hac de cauſa,ſe breui,Pontificis conueniendi gratia, Mompellerium, aut in alium Prouinciæ locum iturum dixit. Quo ſolo verbo,ac neque denuò conſulto Alfonſo,Pontifex matura totius collegii deliberatione, electionem Rodolfi in Concilio approbauit,& confirmauit: atque ad electores Imperii, & electum, diploma confirmationis aureis ſcriptum literis dedit. Hanc ſubitã, atq; præproperam ſanctionem Pontificis,Alfonſus,ſe minimè audito, promulgatam fuiſſe, grauiter, & iniquo animo tulit;ac licet occaſione, & tempeſtiuitate amiſſis, tamen Pontificem adire decreuit:nondum Regni rebus bene compoſitis, neque proceribus pacatis; cum iam Abeniuſephi Miramamolini cum potentiſſimo exercitu in Bæticam traiectus immineret,Alfonſique leuitatem, animique mobilitatem ille, ad inuadendam Hiſpaniam,ſuam occaſionem putaret. Sed relicto tandem Ferdinando maiore natu adhuc adoleſcente,vniuerſorum præfecto,iter, vt diximus, cum Regina ingreſſus fuit. Cùm igitur Iacobus nullis potuiſſet rationibus Alfonſum à propoſito deterrere, iter proſequi permiſit. Erat enim Alfonſus conſiliis præceps, magiſque litterarum ſcientia inflatus, quàm prudentia,atque moderatione animi præditus:ideoque prudẽtiſſimis Iacobi conſiliis nolens acquieſcere,præterquam quod nihil à Pontifice conſecutus eſt, penè etiam ridiculus, ac imprudens fuit habitus. Itaque Barcinone profectus, venit Perpinianum, vbi relictis Regina & filiolis, loco, & die à Pontifice præſtitutis, in oppidum Belcairum Prouinciæ acceſſit, quò deductus fuit mandato Pontificis, ab Archiepiſcopo Narbonenſi, atque cum pompa comitatus: ſtatimque eò venit Pontifex, qui Alfonſum excepit honorificentiſſimè. Vbi cùm egiſſet Alfonſus tribus fermè menſibus, neque negotium Imperii confeciſſet;tria quidem, vel quatuor damna, ſeu detrimenta propoſuit;quibus reficiendis ac inſtaurandis Pontificis auxilium implorabat. Primum, vt Ducatus Sueuiæ,qui obitu Conradini,iure ſibi obuenerat, quẽque Rodolfus electus occupauerat,reſtitueretur. Alterum,vt ius ad Nauarræ Regnum,quod Philippus Francorum Rex,retẽta Ioanna Enrici filia,vſurpauerat,ſibi ſtabiliretur. Tertium,vt Enricus ipſius Alfonſi frater,quẽ Carolus Siciliæ Princeps tenebat, è cuſtodia & vinculis eriperetur. Poſtremum, vt ab eodẽ Carolo ingens pecuniæ vis ſibi debita ſolueretur. Quorũ omnium tanquam à Pontificio alienorum officio, Alfonſus nihil retulit. Exquò, re omni infecta, vacuus ac inanis, valde tamẽ iratus à Pontifice diſceſſit:reuerſuſque Perpinianum ſumpta Regina, Barcinonem ad Regem remigrauit. Vbi tribus & quadraginta diebus commoratus:accidit ſacro Epiphaniæ die, vt Raimundus Penafortius, tertius à beato Dominico,eius ordinis generalis Magiſter, ibidẽ è vita exceſſerit. Quo planè viro nullum ſummæ eruditionis,religionis, ac veteris ſanctitatis illuſtris exẽplum in Hiſpania, tẽpora illa tulere. Vtpote qui natione Catalanus, Theologiæ, Canoniciq; iuris peritiſſimus; tantam apud omnes ſui temporis Pontifices auctoritatẽ habuit, vt à Gregor. IX. eius confeſſor, ac pœnitentiarius electus fuérit,eiq; iniunctum onus, vt magnũ illud Decretalium opus ex variis,innumerabilibuſq; voluminibus collectum in vnum conferret. Ac non modò Chriſtianæ libertatis contra Iudæos acerrimum ſe vindicem præbuit: ſed Hæreticorum etiã per totã Hiſpaniam conſtantiſſimus inſectator fuit. Cuius etiã ſapientiſſimis cõſiliis Rex ſæpè vſus, faſſus eſt, in exequendis illis, tum nihil non optimè ſucceſſiſſe ſibi; tum ſe à malo ſæpius, quaſi diuinitus liberatum fuiſſe. Demum, qui vt vita enituit perſancta, & inuiolata: ſic poſtquam ea exceſſit, probatum fuit, ipſum miraculis claruiſſe: atque ea de cauſa duo Tarraconenſia Concilia, vt in ſanctorum numero referretur, à ſummis Pont. poſtulaſſe. Quod tametſi conceſſum non fuit, aut in aliud tẽpus fortè dilatũ; ſcimus tamẽ Paulum III. Pont. noſtris temporibus, anno M.D.XLII. Dominicanis fratribus Prouinciæ Aragoniæ Apoſtolica auctoritate permiſiſſe, vt eundem ritu ſolenni colant. Ad eius igitur cohoneſtandas exequias, Reges, Regumque filios, & ingentem Principum, atq; procerum multitudinem, cum infinito populo conueniſſe, liquidò conſtat. Iis autem laudatione, & pompa celebratis iuſtis, Alfonſus & Regina, cum bona Regis gratia in Caſtellam reuerterunt. Verùm poſtquam Toletum ingreſſus eſt Alfonſus, iiſdem, quibus antea Imperii, ſiue Regis Romanorum inſignibus, & ſigillis fuit vſus; atque eodẽ titulo, ſcita, decreta, ac edicta omnia edi, atque diuulgari mandauit. Indeq; à nonnullis putatum fuit, Toletanam ciuitatẽ, ac Regnum, tanquã Regnorum caput, pro inſigni habuiſſe Imperatorẽ in ſolio ſedentẽ, ſceptroq; & diademate decoratum. Quin & Italiæ, atq; Germaniæ Principib. ſuis ſectatoribus ſcripſit idẽ, ſe, ius ſuum ad Imperiũ obtinendum proſequuturum omnino, atq; ſui electionẽ defenſurũ. Hæc vbi intellexit Pontifex, Archiepiſcopo Hiſpalẽſi per literas mãdauit, vt Alfonſum ab inani, & proterua, tãtoq; indigna Rege iactatione auocaret: quòd ſi faceret, cõceſſurum ſe ei decumã Eccleſiaſticorũ redditʋum Ca-

stellæ per sex annos bello Granatensi. Qua concessione Rex omnes in posterum Imperii cogitationes abiecit. Eodẽ tẽpore, cùm Iacobus exacta fermè iam ætate esset, vt Petro Principi, quẽ vnicè præ omnibus filiis diligebat, firma, pacataq; omnia relinqueret, solum ipsum, & Iacobũ ex Iolãte legitimo matrimonio procreatos esse declarauit; reliquos verò excludi volens, promissum Teresiæ Vidauriæ matrimonium adimplere noluit. Cumque Pontificio iudicio illud, vt decimoquinto libro ostendimus legitimum, Iolante mortua, haberetur, atque sollicitantibus iisdem Iacobo & Petro ex Teresia filiis, decretum Regi Barcinone indiceretur, ab eo Rex, suorum consilio habito, iustissimis, atque necessariis de causis, proque Reipub. bono, eundem Romanũ Pont. appellauit; propterea quòd declaratis Teresiæ filiis legitimis, perniciosissima sequi posset tot inter fratres discordia, vno quoque iusta, se, vxore natum existimante, ac Regna patris singulis oportere diuidi, reposcente: ex qua noua diuisione, quàm manifestissima, tristissimaq; sequeretur rerum perturbatio, ac permagna confusio: Ideoque verendum esse, ne Petrus Princeps, Regnorum iam renunciatus successor, populisque ei sacramento addictis, necem in vnumquẽque ipsorum machinaretur: aut fortasse, quòd conscientia Rex motus, nullum connubii ius cum Teresia reuera intercessisse inueniret, appellatione interposita, rem distulit. Ac insuper neq; rationem eius habuit, quod in testamenti tabulis, quas Mompellerii paucis ante annis, Iolante mortua, obsignauerat, quibus susceptos ex Teresia filios legitimos decernebat: nisi quòd Teresiam, & eius filios, Exericana, & Aierbia ditionibus, aliisque oppidis, Pontificis monitu, donans (vt libro sequenti dicemus) de cætero Teresiæ in hoc more gessit, quòd nullam sibi amplius fœminam in matrimonium duxit. Post hæc Rex, Ilerdæ, vt promiserat, Catalanorum & Aragonensium Conuentus, ad medium sacri ieiunii tempus indixit. Ad eos conuenerunt Tarraconensis, Gerundensis, Cęsaraugustanus, & Barcinonensis Antistites, & multi Regnorum proceres, ac Barones regiarũ partium, cum Legatis ciuitatum Cæsaraugustæ, Calataiubii, Turolii, Oscæ, & Darocæ. Quò Rex & Petrus conuenientes, se in summa arce collocarunt: nouissimi venerunt Cardonensis, Emporitanus, & Palliariensis Comites, cũ Ferdinando Sanctio, Artalo Luna, Petro Cornelio, & aliis horũ partes secutis: qui se omnes ab ingressu vrbis continuerant, minimè se tutos à Rege & Petro esse putãtes; ideoq; in Corbinum oppidulum suburbanum receperunt, ac neq; Regi fidẽ danti crediderunt. Miserunt autẽ Legatos ad Conuentum, Guillermum Castellaulium, & Guillermum Ragiadellium, qui à Rege poscerent, vt ante omnia restitueret Sãctio, omnia oppida, & pagos, quos ei Petrus abstulerat. Quibus satisfecit Rex, fœdifragos appellans eos, propterea quòd, se promittente, & volente cum illis iure contendere, fide data, tandẽ Petrum prouocarint, & occupauerint quædã eius oppida, quæ Sanctius penes se retinebat; neq; restituerint: ex quo arbitris in conuentibus declarantibus, non esse legitimã illam procerum exceptionem: atq; illis contrà reclamãtibus, simulq; superiorem quemuis iudicem appellantibus, conuentus perturbari cœperunt: ipseq; Petrus Princeps cum parte exercitus vrbe excessit, quod existimarit, Sanctiũ prius inducias, ac fœdus rupisse; quin etiã damnum suis intulisse; atque nullas secum inducias haberi ratas voluisse. Vnde dimissis conuentibus, Rex etiam suo ac Petri nomine, Cardonensi indixit, vt factas cũ eo, eiusq; sociis inducias in posterum infectas haberet, simulq; Petro iussit, vt sese in Aragoniam cum exercitu immitteret, Sãctium, & eius sectatores proceres, vsq; ad internecionẽ omnium bello persecuturus: constituitq; vt Petrus Iordanus Pina cũ parte exercitus in cõfinio vtriusq; Regni collocaretur, ad subitos exorientes motus reprimẽdos. Ipse verò Ilerdę manẽs, oppidorũ cõcilia, & proceres, cũ pręfinito cuiq; numero militum ad præstitutã diẽ sibi pręstò esse imperauit, bellum contra Cardonensem, & Emporitanum Comites, sed pręcipuè cõtra Sanctium filiũ, atrox moturus. Neq; defuere interim nonnulli optimates, viriq; boni Ilerdenses, qui Regem à tam immani cœpto contra Sanctium, rationibus deducere conarentur: obiicientes; oportere quidẽ ad custodiam, & defensionẽ Regnorum, Regum augeri potius, quã imminui filios, & stirpẽ Regiã dilatari; ipsosq; aliqua fortassis perfidia distractos, rursus in pristinã cõcordiã reducere. Nã si pater filios disiungat, atq; tam horribili (quod absit) exẽplo, discordias inter eos seminet, quid aliud tandẽ fratres, quã commune in patrem odium concipient? Quid ipso mortuo, iactum semẽ illud, nisi fratrum cædes, quasi malorum segetem effundet? Proinde desineret in se, non minus quã in suos sęuire, ac clementiam, qua semper in exteros, etiam hostes, vsus esset, in domesticos exerceret: vt ex horum concordia, pax sese in vniuersos diffunderet. Verumenim, Rex cùm tam exulcerato esset animo in Sanctium, nihil ei optimatum consilia, neq; monita profuerunt: quin potius eò impẽsius mãdauit Petro, vt Sanctium, eiusq; sectatorũ oppida & pagos oppugnaret, cuncta diriperet,

nemini-

neminique parceret: adeoq; celeriter huc illucq; discurreret, vt in obsidẽdis arcibus, nequaquam diutius se vno in loco contineret; ne hostes expectare, sed eludere videretur. Cui etiã iniunxit, vt Mariam matrem Lupi Ferrentii, qui vnus erat ex coniunctissimis, atque amicissimis Sanctii, iuberet sese Cæsaraugustam recipere; eiusque oppidulum Magallonem, apud Quæstorẽ Regium deponere. Misit quoque literas cum mãdatis ad oppida, & ciuitates, vt Petrum, re frumẽtaria, commeatu, milite, & armis perinde, ac semet iuuarent: nec dici potest, quãto studio, & sollicitudine cœptum prosequi, atque Sãctium, aliosque vlcisci cuperet. Nunquam enim ille hostes inuadens, tam animosè milites in eos cohortatus est, quàm fratrem in fratrem pater concitauit; tametsi neque Petro calcaribus ad id esset opus, qui immani & crudeli odio in Sanctium vehementer exardebat. Vnde cùm Sanctius cum paucis, castella, & arces suas muniturus reuiseret; rescisset que Petrus illum in arcem Antilionem venturum, centum leuis armaturæ equites in insidiis collocauit; in quas Sanctius incidens, ab eisque elabens, sese in Pomarium, suum castellum proximum, aufugiens recepit. Quò protinus veniens cum exercitu Petrus illud obsedit. Vbi desperante Sanctio, vt refert Asclotius, ac neque qua elaberetur habente; ne tamen se Petro dederet: arma te, inquit armigero, armis meis, meaque defer insignia: atque admisso equo, per medios hostes irrue, teque defende, quoad ipse habitu pastoris indutus illos eludam. Sed armigero irruente, ac statim capto, Sanctiumque prodere coacto, tandẽ miser ille, qui nisi prohibuisset flumen Cinga, minimeque pedes fuisset, haud dubiè euasisset; ab insequentibus comprehensus fuit, & ad Petrum deductus. Quem Petrus videre nolens, malensque fratris nece fœdari, quàm haberi clemens in impium sui, atque communis patris perduellem, ac proditorem, derepente illius ore folliculo inuoluto, in Cingam demergi ipsum, atque omnino suffocari imperauit. Diuulgata nece, protinus sese Petro vniuersa Sanctii oppida & arces tradidere. Sed miserabilẽ filii exitum, vbi intellexit Rex, vix est commemorandum, ac neq; credibile, nisi Rex ipse suis in Commentariis expressisset; ipsum non modò, ne doluisse quidẽ; quin potius mirè lætatum fuisse, vsque adeò iusta superante ira, natura victa fuit, atque iniquissima, diutinaq; cõspiratione filii, iustissimo quoque odio paternus præponderatus amor. Relictus tamẽ ex Sanctio fuit puer infans ex Aldoncia Vrrea vxore, Philippus Fernandius dictus, qui paternam hæreditatem redditam, atque restitutam postea adiit; ex eaque stirpe, Castrorum familia Regia & perillustris propagata fuit. Posthæc Rex, altero præcipuo conspirationis capite abscisso, ad alterũ illicò exscindẽdum properauit: nempe ad Cardonẽsem, & Emporitanum comites. Ii namque denuò atque publicè Regẽ ad pugnã prouocarunt. Qua de causa, accepta à Petro, qui in Aragonia manserat, copiarum parte cum iis, quas Iacobus frater in Lampurdanensi comitatu ducebat, atque in obsessione Rochæ oppidi ad Emporitanum expectantis, se continebat, cuncta illius oppida & pagos depopulari cœpit, exiẽsque Perpiniano copias Barcinone missas recepit, atque oppidum Calbugium obsessurus venit, quod vi captum diripi, atque solo æquari imperauit. Deinde appellẽte classicula Barcinone, cũ altera parte exercitus arcẽ Rhodæ munitissimã, ad mare sitã, quæ Emporitani erat, cœpit obsidere. At verò Comes in Castulonem oppidum præmunitum, à marique semotum, vna cum Cardonẽsi, & Berga se recepit. Ad quos protinus, Rege ire parãte, omnesq; neruos in hoc bellum intẽdente, Comitum consiliũ fuit, ne iratum, adeoq; male affectum Regẽ, contumacia in sese magis irritarent: néve in eandẽ, quam Sanctius, pœnam incurrerent: quare ad ipsum vna omnes Rhodam venere; eique, cui innata semper fuit clementia, & benignitas in supplices, neque denegata vnquã venia petentibus, liberè, ac sine pacto sese dedidere: tãtùm orantes, vt Conuẽtus Ilerdę Catalanis simul & Aragonensibus indiceret, vt de omnibus controuersiis componendis, nulla amplius concessa facultate appellandi, ageretur. Id Regi placuit, atque ad consequentem omnium sanctorum diem festum conuentus indixit. Admirabilis profectò, atque inuicta Regis patientia & magnanimitas; vt qui nullis procerum neque tergiuersationibus prouocatus, neque procrastinationib. offensus, tamen cum eisdem, non impetu & armis, sed iure quidem contẽdere, eiq; se submittere honestius duxit, donec paulatim eos, de Alfonso nepote Petri filio, successore ad Regna declarando, in suam sententiam pertraxit. Nam Ilerdæ conuenientes ipsi, & reliqui vtriusque Regni proceres, atque Antistites, cum Valentinis, quos secum Rex habebat, tametsi de componendis controuersiis plenè actum non fuit; consensere tamẽ, vt Alfonsus (quod summè Rex concupierat) ab Aragonensibus, Catalanis, & Valentinis proceribus, ac etiam Ciuitatibus, legitimus hæres, & ad Regna successor, auo & patre vita functis, haberetur; ad idque tenendum iureiurando sese omnes obstrinxerunt.

BERNARDINI GOMESII MIEDIS, ARCHIDIACONI SAGVNTINI, DE VITA ET REBVS GESTIS IACOBI PRIMI REGIS *Aragonum, cognomento expugnatoris.*

LIBER XX.

ALFONSO Petri filio, ac nepote Regis, cõmuni Antistitum, procerumque, ac ciuitatum consensu (quod patri, auoq; maximè fuerat in optatis) ad Regna successore declarato, eique omnib. sacramento addictis, Rex Cardonensem, & alios eiusdem factionis proceres, quòd supplices inuenisset, non amplius bello lacessere, sed clementia, & benignitate, prosequi decreuit. Quamobrem dimissis comitiis, Ilerda Barcinonem abiit; vt denuò illis conuocatis, ex æquo & bono controuersiæ omnes iudicarentur, atque in perpetuum dirimerentur. Verum quo die ingressus est ciuitatem, nuncius è Castella missus à præfecto Murciensi nunciauit Abeniusephum Miramamolinum Maurusiorum Regem cum incredibili exercitu, quem ex vniuersa ferè Africa coegerat, in Bæticam traiecisse, atque vna cum Granatensi milite, eam prouinciam vastare cœpisse: ac non ei solùm; sed toti Hispaniæ vniuersum, quòd fuit olim, inuectum malum, minari. Quin esse, maritima etiam loca deserta præsidiis, & mediterranea armis, atque bellico apparatu omnia destituta: necnon absentem Alfonsum Regem ab Hispania, eiusque absentia, procerum discordias ardentius inter ipsos, cum maxima Regiarum rerum despiciẽtia & diminutione, reuiuiscere; perturbataque cuncta esse, ac, ni occurratur oportunè, breui omnia ruitura funditus: propterea, quòd subacta Bætica, certum esset vtrumque omnino hostem quamprimum in Murciense, & Valentinum Regnum conuolaturum. Hæc Rex audiens, etsi non mediocriter contristatus fuit, iniq; ferens Alfonsi generi tam intempestiuam absentiam, vel potius ignauiam turpissimam, quæ sola erat, domi forisq; tãtorum malorum causa; minimè tamen despondit animum: sed licèt affecta iam, atq; ingrauescente esset ætate, quæ mortales tardiores, atque in otium & quietẽ propensiores reddit; tamen ad hoc suscipiẽdum bellum, quouis iuuene visus est longè animosior & feruentior: ac vel ex eo, quòd contra Sarracenos inibatur, ardentius quàm pro ætate, sese ad illud cõparauit, eiq; præesse decreuit. nec mirũ quidem; cùm omnem ille ætatem à puero, in armis, atque exercitatione bellica contriuisset; generosamque iram, quæ addit animum, in hostes semper exercuisset; ac tales subinde senes esse soleant, quale cuiusque studium in superiore vita fuit. Vnde ad Murciensem præfectum respondit, se, aut illicò ad ipsum venturum, aut quàm citissimè Petrum Principem cum vniuersis copiis, subsidio ei missurum. Ipse interim Alfonsum, vbi esset, per litteras grauissimè increpauit; deque reditu ad suos, atque reparandis rebus vehementer admonuit. Quanquam quo nã ille abierit, quibusvè de causis motus, difficillimo, periculosissimoque Reipub. tempore Regnum deseruerit, nulla fit mentio, neque in historia Regis, neque alibi; quod sciam, nisi quod, vt fama fuit, is, propter insolentiã, superbiam, & fastidium, Philippo fratri, ac procerib. Castellæ adeò fuerit infensus, vt eorum tentatam sæpè conspirationem metuens, se in aliquam Regni partem, aut cœnobium abdiderit; quando abiens, tacitè Ferdinando filio Regnum tradiderit, vt otiosus, & omni cura solutus, in Astrorum contemplatione, cui, vt diximus, apprimè fuerat à puero deditus, reliquam vitam traduceret. Ex quo Iacobus ad Ferdinandum nepotem, Alfonsi filium natu maiorem, qui Burgis agebat, legatum misit, vt eum ad suscipiendam Regni contra Abeniusephum defensionem adhortaretur: quantoq; maximo posset exercitu in Bæticam properaret: se enim per Murciense Regnum contra Granatẽses, eius belli suasores, simulque auctores, bellum commoturum, vt de diuiso hoste facilior esset victoria: quãdoquidem multis antea diebus explorata habuisset, tam Abeniusephi, quàm Granatensis eius fautoris, ad occupandam Bæticam inita consilia, & machinationes, quibus se, modis omnibus occursurum promisit. Proinde bono esset animo, modo ea omnia præpararet. Sed interim tam repentini Abeniusephi aduentus, atque Bætici suscipiendi belli causa ostendenda est; vt inde Sarracenorum amicitia & fides quàm sit Christianis habenda semper suspecta, colligatur. Fuerat Abeniusephus multò antea à Grana-

tensi

tensi Rege clam sollicitatus, vt breui, quantoque posset exercitu, in Bæticam traiiceret; quòd eam ipse, cùm multis de causis, tum potissimum occasione absentiæ Alfonsi Regis, facilè esset occupaturus: ac non modo Bæticam, sed vniuersam Hispaniam suorum exemplo maiorum quàm gloriosissimè debellaturus. Esse enim Bæticam præter absentiam Regis omni quidem præsidio, & armis destitutam, ipsosque Regni proceres, & Regulos, non modò contra Regem coniurasse; sed inter se pugnare; neque cum Ferdinãdo filio primo nato adolescentulo tyrunculo satis consentire. Se quoque adfuturum ei cum exercitu equitum decem millium; peditum verò triginta millium, recepit. Quin etiam Aragonium Regem non esse extimescendum, tot domesticis suorum bellis implicatum; moturum enim se bellum in Murcienses, & Valentinos, vt venientem illum distineret; sicque interim facilius Bætica à Maurusiis occuparetur. Ea libenter accipiens Abeniusephus, atque tantæ laudis occasione gaudens, postquam Granatensibus Legatis, se expeditionem suscepturum dat fidem, meditari quoque cœpit, quo pacto melius imparatos Bæticos furtim, atque ex improuiso adoriretur. Quare diuulgato bello, finxit, se illud habere cum potentissimo Maurusiorum Regulo, qui Cebtam vrbem munitissimam, & maritimam Regni, è regione Granatensis positam occupauerat, sibique tributa negauerat. Quin & eodem quoque dolo, Legatos ad Iacobum misit, rogatum, vt eius recuperandæ vrbis gratia, ex nobilitate Aragonensi lectissimos quingentos leuis armaturæ equites ad se mitteret cum classe viginti nauium, offerens, se ducenta millia besantiorum Ceptinorum statim numeraturum; quo citius in armis illi essent, Maurusiamque appellerent. Quod si obsessio vltra annum protraheretur, modo capta vrbs esset, missurum ad Regem bissantiûm quinquaginta millia, atque ipsos etiam equites, non solùm conduplicato stipendio, sed equis, armis, atque preciosissima quaque re oneratos, in Hispaniam remissurum. Præuiderat enim Abeniusephus, Iacobum, absente Alfonso, curam totius defendendæ rei, vnà cum belli mole, esse suscepturum; ideoque amicitiæ nomine, classem, & equites ab eo petierat, vt iis præoccupatis, Iacobi vires ad Alfonsum iuuandum extenuerat. Vnde patefacto dolo, quem Granatensis machinatus fuerat, Iacobus protinus Legatos Abeniusephi, nullo dato responso, toto iussit Regno excedere. Ea re intellecta, Granatensis veritus, ne commoto bello, elapsoque induciarum die, quas cum Malacitano, & Guadicensi præfectis, sibique aduersariis Alfonsus fecerat, bellum, fauentibus ipsis, contra se suscitaret, cum eisdem præfectis communicato aduentu Abeniusephi, pacem iniit, eisque persuasit, vt tanto freti auxilio, omnes simul cùm bellum Alfonso inferrent; tum Iacobo, si veniret subsidio, tot auxiliariis muniti copiis resisterent. Quibus in sententiam perductis, litteras ad Abeniusephum dedit, rogans maturaret aduentum, daturum se illico Algeziram, & Tarifam, Bæticæ oppida munitissima, portui, in quem esset descensurus, proxima: nunciauit prӕterea, Alfonsum absentem, neque venire, neque expectari; resque bellicas deteriori quàm vnquam in statu apud Bæticos esse; Iacobique auxilium, Catalanis nouas res molientibus, indies tardius fieri. Itaq; nihil moratus Abeniusephus Herculeum fretum transmisit, atque Algeziram, & Tarifam promissa oppida cepit, tanto cum exercitu, vt, sicuti Castellana refert historia, equitum leuis armaturæ decem & septem millium fuerit, peditum verò propè infinitus. venitque Abeniusephus, relicto exercitu Algeziræ, cum paucis Malacam, vt eius, atque Guadicensis præfectorum, initam cum Granatæ Rege concordiam confirmaret. Inde prouinciam inter se diuidentes; Abeniusephus versus Hispalim, & eius confinia, Granatenses in Giennenses, & eorum propinqua loca, aciem direxerunt: conuenientes in hoc maximè, vt si Iacobus Murciensibus subsidio veniret, Granatensis cũ præfectis, eius propulsandi partes susciperet. Sed antequam exercitus diuideretur, in prouincia immissi simul, agros, & vniuersos pagos miserè depopulare, atque vastare cuncta cœperunt. Agebat tunc Cordubæ præfectus Nunnius Goncalus Lara, qui vt primum Abeniusepus portum tenuit, Ferdinandum Principem, Burgis consistentem, de repentino illius aduentu, cum innumerabili exercitu, certiorem fecit; tantaq; Maurusiorum multitudine circunfundi Bæticam, ab eisque vniuersam vastari; vt ni protinus accurreret, deleri omnia necesse esset. Quamobrem Ferdinandus turbatus; tametsi Iacobi autẽ litteris & auxilio recreatus, conuocatis totius Regni proceribus, ac conscripto exercitu, Sanctium fratrem cum mediocribus copiis, & magna parte procerum, Cordubam in subsidium Nunnii misit; ipse verò paulò post cum pari exercitu secutus est illum. Sed antequam Sanctius Cordubam venisset, Nunnius tumultuario collecto exercitu, sciens Abeniusephum Astigim vrbem (nunc Eciia) petere, sese prius in eam immisit,

& cum magno, & excelso animo esset, non passus, se intra oppidum contineri, hostes aperto in campo, licet numero superiores, aggredi est ausus. Consertis ergo manibus, vsqueadeo à Nunnianis viriliter pugnatum est, vt diu fuerit prælium anceps: sed multitudine Abeniusepho superante, Nunnius, & cum eo ducenti quinquaginta equites; peditũ quatuor millia simul occubuere: ac neque vnus superfuisset, qui tantam renunciasset cladem, ni propinquum oppidum superstites fugientes recepisset. Quo die, si Abeniusephus suos à præda cohibuisset, ac victoriam prosecutus fuisset: haud dubium, quin tota etiam prouincia in eius deditionem venisset. Sed timor de Ferdinandi, & multorum procerum aduentu, atque à suis accepta plaga, à longis eum excursionibus repressit. Interea Sanctius Iacobi filius Archiepiscopus Toletanus, de quo antea diximus, suis quidem sumptibus, magnam militum manum ex Turdetanis coegit, atque vnà cum equitatu Toleti, Madritii, Guadalaiaræ, & Talaueræ, quæ insignia sunt Archiepiscopatus oppida, conscripto, inscius proximæ Larensis Cladis, versus Giennensem vrbem fuit profectus: in quam etiam venerat Lupus Diazius Pharensis; sicque deliberatum, vt expectatis sociis, simul adorirentur hostes. Verùm Archiepiscopus Martosii cuiusdam Vclensis ordinis adulationibus irretitus, asserentis Lupum paucos deferre secum, ac neque esse expectandum, neque amittendam occasionem, qua solus sine Lupo gloriosam reportare victoriam de hostibus posset, qui magna facta præda, nõ longè sparsi, ac turbato ordine incedebant; consilium laudauit, statimque, minimè vocatis exercitus primoribus, sed reliquis, se sequi iussis, ad hostes præceps, tantaque contentione properauit, vt ne expectatis quidem suis, prælium commiserit. At sarraceni paucos illos esse, ac turbato venire ordine seque multitudine superare, videntes, in eos impetum clamore solito fecerunt, ac circumactos vndique, breui tam miserè deuicerunt; vt ne quidem ex eis euaserit quispiam, quin aut mortuus, aut captus fuerit vnà cum ipso Archiepiscopo. Eo capto, subitus in castris sarracenorum tumultus exortus est, & commota seditio, diuiso in duas partes exercitu, quæ de Archiepiscopo contendebant, vtra eum duceret captiuum, Granatenses ne, à quibus captus ille fuit; an Maurusii, qui potiores in exercitu erant; cumque ex contentione, vt sæpè fit ad arma iam esset conclamatũ, Præfectus Malacitanus, animaduersa seditione, quæ omnino in communẽ totius exercitus ruinam vertebatur, iratus ad Archiepiscopum accessit, ipsumque telo punico, perfosso humero, occidit; Absit, inquiens, vt pro vno cane tot strenui militares Duces occũbant; simulque abscisso ceruicib. capite, & manu dextra, qua Pontificios annulos gestabat, direptis castris, cum victoria, & opima præda abierunt. Hac ipsa tempestate Ferdinandus Princeps, qui Burgis cum exercitu in Bæticam pergebat, audiens Nunniũ Laræ & Archiepiscopum auunculum, cum omnibus copiis, in prælio occubuisse, oppidũ Villæregalis in itinere ingressus est, sequentem expectaturus exercitum, vbi febri correptus, tandem in ipso iuuentutis flore, atque iniquissimo Reipub. tempore, vita excessit, Alfonsum filiũ paruulum successorem Regni testamento relinquens. Verũ Sanctius Ferdinandi frater germanus, iuuenis strenuus, ac bellicosus, successionẽ ad se pertinere ratus, Regnum occupauit, seseque pro Rege gessit: ac conuocatis Regni primoribus, præsidia cũ præfectis, in omnes Bæticæ vrbes, & munitiora oppida misit: ipse verò Hispalim venit, vt Regnum sibi stabiliret. Nam Alfonsus pater absens, tunc vel obierat, vel vt dictum est, aliqua de causa Regno exulabat; ex quo eius filii liberè de successione decernebant. At verò Iacobus, auditis prosperis Abeniusephi excursionibus, quibus adiuncto Granatensi exercitu, bis Castellanorum copias cum magna eorum strage fudisset; ac Sanctium filiũ crudeliter interemisset, & Ferdinandum nepotẽ vita excessisse, remque omnem prorsus iri perditum; Petro Principi iniunxit, vt protinus cum expedito exercitu mille equitum, & peditum quinque millium, quem Valentiæ paratum habebat, magnis itineribus in Murcienses contenderet, Castellanisque subsidio esset; atque, vt hostes distineret, Granatensibus bellum inferret. Inde discedens Petrus Murciam venit, vbi aucto exercitu iis, qui in præsidiis erant, Granatense ingressus Regnum, cuncta, in Almeriensi præsertim, & Malacitano agro, ferro, flammaque vastare cœpit. Tunc Granatæ Rex, & Præfecti copias suas, quas ad Abeniusephum miserant, redire ad se iusserunt, vt Petro obuiam irent. A quibus subito destitui se videns Abeniusephus, atq; intelligens, Sanctium Principem classem mari parare, vt Maurusios traiicientes interciperet, & auxilia impediret, dimissis excursionibus, cum omni exercitu Algeziram regressus fuit. Interea Iacobus de interitu Sanctii Archiepiscopi filii charissimi valde dolens, magisque in Abeniusephum commotus, nouas quotidie copias cogere, atque expeditionem, se duce, contra sarracenos suscipere promulgauit; quòd animaduerteret, Alfonso absente, Castellanis tam ma-

tam male rem gerentibus, non modò *Bæticæ*, sed totius Hispaniæ, propugnationis curam ad se vnum deferri: esseque non modò perutile Regnis, sed perquam honorificum & gloriosum, vniuersæ Hispaniæ libertatis, se vindicem, ac custodem fieri. Quid enim sibi profuisse, aiebat, tot, tantasque de sarracenis, superiore vitæ tempore victorias reportasse; per easque sacrosanctam Christi fidem & religionem feliciter tot in locis propagasse; ni iugi, ac sacro quoque in eos bello, parta sustentaret? nisi etiam pro augenda, promouendaque religione, vitam libenter profunderet? Quibus de causis, ac ne inultum relinqueret Archiepiscopi interitum, quem acerbissimè tulerat; animosius, quàm credi potest, sese ad expeditionem præparauit; simulque literas cum mandatis dedit, ad vniuersos proceres, & ciuitates suorum Regnorum, auxilium implorans; sibique ad tam necessariam expeditionem, è qua totius Hispaniæ salus, & propugnatio pendebat, cum omni re adessent, deprecans, atque obnixè rogans, ad proximum Resurrectionis Dominicæ diem festum Valentiam conuenirent. Per id tempus Cæsaraugustę magnus inter ciues tumultus subito exortus est, & ad arma conclamatum; atque tantus furor populi in Magistratus concitatus, vt in concurrentes ad tumultus sedandos cum fascibus & lictoribus consules ciuitatis, indicta causa, manus iniectæ fuerint à coniuratis, & Aegidius Tarinus primus Consul enecatus. Quod, vt primum Regi innotuit, protinus Iustitiæ Aragonum Præfecto mandauit, vt quàm acerbissimè in delinquentes animaduerteret: è quibus ille quotquot potuit comprehendere, capitis supplicio damnauit. Similis quoque Valentiæ exorta est seditio inter populares: atque vt neque prioris, sic neque huius vlla inuenta causa, præter furorem, & exoptatam populi licentiam; fuit enim cum magistratibus vrbis pessime actum, ipsis vrbe pulsis, eorumque domibus euersis; auctore quodam Michaele Perezio, magni apud populares nominis. De quibus factus Rex certior, Dertosa Regnum ingressus, duce Petro Fernando filio, persecutus est latrunculos illos, atque vniuersos cum eorum duce Perezio, breui vrbe, ac toto Regno expulit. Eo tempore concurrere plerique proceres ad bellum Granatense à Rege conuocati; quibus iussu Regis publicè fuit factum hospitium. Cæterum dum Abeniusephi, & Granatensis Regum res prosperæ in Bætica erant, nonnulli Sarraceni Valentini Regni, à Granatensibus sollicitati; quòd nullum vnquam tempus opportunius ad conspirandum habituri essent, coniuratione facta cum Granatensibus, castella, & arces, quæ ab ipsis concessione Regia tenebātur, munire quidem, atque à Christianorum Imperio deficere cœperunt. Id autem Abeniusephi & Granatensis industria factum fuisse creditur: cum habuerint compertum, nisi impedito, atque domesticis implicato bellis Iacobo, se, numquam Bætica potituros; ac vel eo maximè, quòd initio conspirationis, protinus ex Maurusiis simul & Granatensibus nonnullæ equitum turmæ confluxerint, quibus indies Valentinorum conspiratio augebatur; ac passim Christiani iter facientes diripiebantur. Sarracenorum præterea vnus, nomine Habraimus, instaurare, munireque cœpit arcem Serrafinestratiam dictam, quā paulo ante Rex, tanquam nouis eiusmodi rebus moliendis opportunam, euerti iusserat. Primi igitur ex omnibus, qui conspirarant, fuere populi Tousenses, atque Alcalanæ, Gallineriæ, & Peguanæ, conuallium; tum & Guadalestani, Confridenses, & Finestratienses, antequàm ad eos auxiliarii è Granata equites venissent. Post eorum autem aduentum; paulo honestiore de causa conspirarunt Montesani, & Valladenses, cum aliis nonnullis proximis Setabi populis; serpebatque malum indies: quoniā Granatenses nouas quotidie copias, arma, & pecunias Valentinis clam suppeditabant; ob quam causam Rex, qui Valentiam venerat, conuocatis primoribus Aragoniæ, Cataloniæ, & Valentiæ, præparatoque commeatu, & armamentis, bellum rebellibus indixit; nec non Principem Petrum accersi voluit, qui paulò ante, dimissis præsidiis apud Murcienses, in Cataloniam reuersus, bellum cum Emporitano gerebat. Hic Emporitanus, non obstante eo bello, relictis suis oppidis milite & armis munitis, cum magna manu militum Valentiam venit, Regi non modo opem laturus; sed de controuersiis, quas habebat cum Petro acturus; fuitque propterea Regi vsqueadeò gratus eius aduentus, vt illico in Catalonia edici Rex iusserit, ne quispiam Petrum in eo bello contra Emporitanum sequeretur: neque damni quippiam illius agris, & populis inferret: qui secùs faceret, capite plecteretur. Itaque magno coacto exercitu, atque ab vrbe egredi decernente Rege, vt in rebelles excurreret, plerique ex iis de reconciliatione egerunt. Horum primi fuere Montesani, & Valladenses cum aliis propinquis populis, quibus hoc ipso promissa fuit impunitas, quòd statim resipuerunt: quodque non antea rebellarunt, quàm Granatenses, & Maurusii equites Regnum ingressi sunt; quasi tum fuerit iustior rebellionis

occaſio. Verum aliis, qui antea conſpirauere, nempe Touſenſibus, Alcalanis, Gallineranis, & aliis quorum ſupra mentio facta eſt, non modo negari veniam, ſed atrociſſimum inferri bellum imperauit. Vnde Valentia profectus, Algeziram venit, vbi intellexit, Touſenſes arcem muniuiſſe, ſeque in eam propugnandi cauſa recepiſſe: ad quos miſſo centurione cum cohorte militum, vt dederent ſe Regi, cuius tam nota erat benignitas, atque reſipiſcentibus ad parcendum procliuitas; illi freti quidem auxilio Alazadraci, qui Regno fuerat in exilium pulſus, ac tunc, cum Granatenſibus reuerſus, quemque iamiam auxilio ſibi adfuturum ſperabant, reſponderunt, ſe non alium, quam Granatenſem, & Abeniuſephum Reges tanquam veros dominos habere; Iacobum quidem virum bonum, non tamen ſarracenorum proprium, ac verum Regem eſſe. Igitur reuerſus Centurio, renunciato reſponſo, adiecit, ſe non arcis munitione, ſed auxilialium accurſu impeditum abſtinuiſſe ab illius oppugnatione. Tum Rex Algezira Setabim venit, vt præſidiarios milites, qui per arces & Caſtella diſtributi erant, ſua præſentia recrearet, eiſque animum adderet. Inde verò partem equitatus Alcodium, & Cocentaniam inſignia Conteſtaniæ oppida miſit, vt ſubſidio illis eſſent contra ducetos quinquaginta leuis armaturæ equites Granatenſes, quos ad oppugnandum Alcodium veniſſe intellexerat. Nec mora, inſidiis non longè ab oppido collocatis, duce Alazadraco, oppidum oppugnare auſi, cum graui iactura repulſi ſunt, atque eorum ſtrenuus dux Alazadracus ſagittæ ictu interemptus: qui tamen non diu inultus relictus eſt. nam ſarracenis abeuntibus, atque cum eiulatu maximo humeris cadauer efferentibus, Alcodiani elati victoria ex oppido proruperunt, illoſque imprudenter, ac turbato ordine inſequentes in eorum inſidias inciderunt; à quibus ferè omnes trucidati ſunt. Magna igitur ſurgente fama de tam aduerſo Alcodianorũ ſucceſſu, arte & induſtria Granatenſium conſecuto, animoſiores effecti ſarraceni, caſtella & arces Chriſtianorum aliquot oppugnare tentauerunt. Cùm igitur indies malum ingraueſceret, ac creſceret conſpiratio, Rex in vrbem reuerſus, denuò proceres, qui iure beneficiario illum in eo ſequi bello, atque in præſidiis eſſe tenebantur, conuocari iuſſit. Quorum primi conuenere, Garcias Ortizius Aſſagra Albarrazini dominus, tum & Promagiſter Templariorum (quem Aſclotius in ſua hiſtoria, Petrum Moncadam fuiſſe aſſerit) cum nonnullis cohortibus, vbi eum intellexiſſent veniſſe ſarracenorum mille pedites in campũ Lyriæ, decimo ab vrbe milliario, vt excurſiones in occurrentes pagos facerent; protinus Templarius, & Garcias, ſumptis centum & viginti equitibus, ad eos vrbe exierunt: quos tam ſtrenuè ac fortiter aggreſſi ſunt, viriliterque cum eis dimicarunt, vt ex ipſis ducentos & quinquaginta occiderint, reliquos, paucis captis, ad vnum profligauerint; vno tantum armigero ex noſtris deſiderato, & quinque equis occiſis. Interim Rege Setabim reuertente, auditum eſt plures ſarracenos equites præteriiſſe proximam Albaidenſem vallem, ireque ſubſidio Beniopanis, quos numero duorum millium Petrus Ferdinandus Regis filius obſeſſos tenebat. Verùm Ferdinandus cum eſſet excelſo animo, atque viribus, & paterna magnanimitate præſtaret, hoſtes tanta celeritate præuenit, vt planè antequam Beniopani munire poſſent arcem, atque ſubſidiarios recipere, arcem ipſam expugnauerit, oppidum intrauerit, cunctoſque internecione deleuerit. Vnde equites, qui ſubſidio venerant, de expugnatione facti certiores, in Lucentum Chriſtianorum oppidum deflectentes, illud ceperunt, ac diripuerunt. Tum Rex qui Algezira Setabim venerat, ira commotus, quanquam effœto iam eſſet ob ſenectutem corpore, viribuſque deficientibus, prægraui quodam morbo, è quo vix adhuc conualuerat; tamen hoſtes inſequi decreuit cum equeſtribus ſimul & pedeſtribus copiis, quas ſecum habebat. Sed Hoſpitalario promagiſtro, & Ortizio, ac etiam Oſcenſi Epiſcopo, impenſe illum obſecrantibus, ne vrbe exiret, tot, tantiſque fractus laboribus, atque recenti ægritudine conflictatus; neuè in manus deſperatorum hoſtium ſe dederet, totiuſque Regni ſalutem cum propria amitteret; tamen illius curſum retardare non potuerunt. Cumque iterum reluctantem illum reprimerent, ac ſe in hoſtes inuolaturos promitterent, ſi domi ſe contineret, ſin aliter, ipſum deſerturos affirmarent; ſe, vel ſolum illos aggreſſurum, dicebat: quoad tandem, tum medicis nouum quoque morbum ex tam æſtuoſa via, & caniculæ tempore, prænunciantibus: tum Theologis, & Antiſtitibus, ni tam euidens vitæ diſcrimen effugeret, æternas pœnas comminantibus; tum demum reliquis religioſis viris cum vniuerſo populo collachrymantibus, atque ipſius conatum impedire nitentibus, in vrbe mœſtus, atque ſollicitus remanſit. Illi vero turbato ordine, nimioque fatigati calore & æſtu, Lucentum peruenerunt. Quibus occurrentes hoſtes, viſi ſunt numerum quingentorum equitum, & trium millium peditum, ſatis bene extructorum

explere.

explere. In quos subito irruentes nostri, tametsi diu anceps pugna fuit, tamen augescente hostium numero & multitudine, ex concurrentibus vndique sarracenis, victi, fugatique fuerunt, mortuo Ortizio, & filio Bernardi Entensæ, cum maiori parte equitatus. Tam ingens etiam afflixit clades Setabitanos, qui, vt continerent Regem, similiter incautè, ac turbato quoque ordine ex oppido in hostes irruperunt, vt, referente Marsilio, prouerbio fuerit trito vulgatum Setabitanis, Martis infaustus ille dies. Fuereque in eo prælio capti, cùm multi equites pernobiles, tum Hospitalis promagister, qui in arcem Biarii, quæ tum fuerat auxilio Granatensium equitum ab oppidanis recuperata, in custodiā missus: tametsi protinus à sarraceno trāsfuga, qui multo tēpore sub Rege militauerat, mireq; colebat promagistrū, liberatus fuit; ac paulo post, mortuo Rege, ad Petrum Principē reuersus. Igitur tantæ cladis audito nuncio vehemēter conturbatus Rex fuit, eoque grauius rem tulit, quòd resciuit suos, neque seruato ordine, neque coniunctis viribus, neque satis exploratis hostium consiliis, in eos irruisse. Itaque paucis post diebus Petrus Princeps cum nonnullis proceribus ad Regem venit, cui illicò exercitum Rex tradidit, vt in præsidia arcium, & oppidorum, maximè verò Murciensi Regno confinium, distribueret: quandoquidem, aut quia Abeniusephus in Algeziram, vt diximus, redierat, aut quia Castellani sese iam contra Abeniusephum erexerant, & Granatenses oppresserant, euanuere equites illi exteri, qui Regnum infestabant. Sed angore animi, agitationeque corporis conflictatus Rex in morbum incidit grauissimum, à medicis multò ante denunciatum. Quamobrem Setabi, quam ille vrbem magnopere coluit, profectus, venit Algeziram; vbi, ingrauescente morbo, peccata sua meditatus, profusis lachrymis, intimoque animi affectu dolens, Antistiti ac religiosis viris aperuit; moxque sacrosanctum Christi corpus sumpsit. Sed medicis, post multa adhibita remedia, omnino de ipsius vita desperantibus, Petrum accersi iussit, cuius aduentu, & præsentia non mediocriter recreatus, insequenti die, sacro religiosissimè audito, præsentibus Antistitibus, &c, qui tum aderant, Regnorum proceribus, ipsum cumprimis admonuit, vt animo, atque oculis perpenderet, summa & immensa beneficia, quæ diuina bonitas sibi Regi tota vitæ periodo contulisset: cum & sexaginta, ac eo plus, annos regnauisset; & nullas non ex hostibus victorias cum summa Christi laude reportasset: maiores sanè se reportaturum speraret, si tria potissimum semper secum animo versaret; Primum, si Deum tota mente timeret; eique se, suaque omnia toto pectore commendaret. Alterum, si populos in officio & concordia contineret, ex quibus Regnorum non modò incolumitas sequitur, sed incrementum & amplificatio: huc enim Regum tota refertur fœlicitas. Tertium, si fraternum concordiæ vinculum cum Iacobo vterino fratre retineret. Iccirco enim ei secundo loco Balearicum Regnū cum adiacentibus Insulis, atque Mompelleriensem & Perpinianensem ditiones suis Regnis propinquas, se contribuisse vt fraternis iunctis viribus, non modo omnibus terrori esse ambo; sed concordibus inter se animis, maiora moliri, ac totam Lybiæ oram debellare possent. Adiecit deinde, nihil fore, neque Christo acceptius, neque sibi gratius, neque Regno, & Regibus tutius, quàm sarracenos cunctos è Regno expellere: quòd iidem vsq; adeò natura impii, ac Christianorum perpetui & intestini hostes sint; vt nulla vnquam cum Christianis deuincti pace possint: ac neque precibus, neque humanitate flecti, vt in Christum dominum animo firmo, atque fideli sint; sed infido, & ab eo semper auerso. Adhæc Oscensem Episcopum, quem à puero domi aluerat, & tanquam moribus, ingenio, & consilio præstantem, magnum Regni Cancellarium constituerat, necnon Sacristam Ilerdensem, eius fratrem, & Vgonem Mataplanium Archidiaconum Vrgelitanum, viros consilii Regii probatissimos, ac fidelissimos, eidem plurimum commendatos haberi voluit, vna cum antiquis Aulæ Regiæ alumnis, quos reliquis omnibus præferri iussit. Demum cauens omnino, si eo mobo decederet, ne extra Regnum efferretur, ne scilicet eius cohonestādi funeris caussa, Petrus Princeps bellum intermitteret; sicque, eo absente, augendæ conspirationis noua daretur occasio statuit, vt si mors ipsum Algeziræ occuparet, in Aede Virginis, quam ipse ibi exædificari curauerat: si Valentiæ, in templo maximo, cadauer deponeretur, quoad finito bello, in cœnobium Populetanum deferretur. Hæc cum dixisset, ab humanis rebus omnibus se abdicare volens, Regnum liberè absoluteque Petro concessit: ipse vero monachalem vestem Cisterciensis ordinis suscepit, animo abeundi in cœnobium, ibique, & profitendi religionem, & quod reliquum esset vitæ, Deo, atque cœlestium contemplationi impendendi. Itaque Petrus, vt patri morem gereret, ad extrema Regni versus Murcienses perrexit; Rex verò Valentiam progressus fuit, quò simulac peruenit, testamentum obsignatum Episcopo

Valentino, poſtquam ille vita functus eſſet reſignandum, tradidit. Sed ex vi morbi, cùm iam vox, vireſque deficerent, ſe totum Chriſto & Virgini matri commẽdans, ac cœleſtia ſuſpiciens, vitam Deo reddidit, vii. Idus Iulii, anno Chriſtianæ ſalutis M. cc. lxxvi. ætatis verò ſuæ lxviii. cui iuſta & exequiæ mediocri pompa, & ceremoniis redditę fuere, ob Petri & Iacobi, aliorumque filiorum abſentiam: nullus quippe ex eis obeunti patri adfuit, ſed exemplo Petri vnuſquiſque abiit in præſidia. Cadauer autem in templo maximo deponi iuſſum eſt, quoad Populetum cum magna pompa, Regioque more deferretur. Eo mortuo, fuere illicò recitatæ tabulæ teſtamenti, quod ipſe Mompellerii, ad vii. Calendas Septembris fecerat ante annos quatuor, ſuaque manu & ſigillo obſignauerat. In quo donationes, Regnorumque diuiſiones, Petro & Iacobo legitimis ex Iolante tanquam iuſta vxore filiis factas, approbauit. Iacobum & Petrum ex Tereſia Vidauria filios ante Iolantem ſuſceptos, eodem teſtamento legitimos declarauit; quorum natu maiorẽ, Exericano oppido & arce, cum vniuerſa eius ditione ac territorio in Valentino Regno; minorem verò, Aierbio oppido cum eius quoque arce, aliiſque oppidis in Aragonum Regno donauit: ea conditione, vt alterutri ſine liberis decedenti ſuperſtes ſuccederet, vtroque autem orbato liberis, amborum oppida, arces, & ditiones, Regno adiungerentur: necnon Petro, & Iacobo prioribus, ſine filiis decedentibus, illos ad Regna vocari, atque omnino fœminis, etiam ex Iolante natis, præferri voluit. Tametſi poſt conditum teſtamentum, Tereſiæ matrimonium, vt antecedenti libro diximus, grauiſſimis de cauſis irritum habuerit. Alios etiam filios non iuſta vxore natos ſuſcepit, Fernandum Sanctium ex Antilionia, miſerè in profluentem proiectum, qui domo vna cum ditione Caſtrenſi in Aragonia fuerat à Rege donatus, ab eaque eius filius Philippus Fernandus, & ſucceſſores nuncupati. Tum & Sanctium Archiepiſcopum Toletanum: vltimum, Petrum Fernandum ex nobiliſſima Aragonenſi fœmina Berengaria Fernandia dicta, altera ſcilicet, ab illa Berengaria Alfonſi domini Molinæ filia., quam Rex etſi habuit chariſſimam, nullos tamen ex ea filios procreauit. Fuit autem Ferdinando ditio, ſiue Baronia Yxarenſis in Regno Aragoniæ cõdonata, ab eaque ipſe, eiuſq; hucuſque Regio conſeruato ſtemmate, hæredes ac ſucceſſores Belcitano poſt aucti Comitatu, denominati. Item filias quatuor ex Iolante habuit, quarũ natu maxima Alfonſo Caſtellæ Regi nupſit; altera Conſtantia, Manueli ipſius Alfonſi fratri germano: tertia Iſabella, Philippo Regi Galliæ, quarta Maria, quæ religionis ſepta eſt ingreſſa. Quarum filios, prioribus quatuor natis prole carentibus, ad ſucceſſionem vocari voluit. Denique omnibus modis prohibuit, ne vllo vnquam tempore fœmina in Regna ſuccederet. Vnde colligitur, annumeratis fœminis, ac etiam Alfonſo primo nato ex Leonora priore vxore, Regem tredecim progenuiſſe filios, qui penè omnes, non modo Regnis ampliſſimiſque ditionibus ab eo ditati fuere: ſed generoſiſſimo eius cum ſati ſanguine, tum exemplo, atque virtutibus imbuti, tanto quidem progenitore digni euaſere. Cuius planè herois animum tot ſtipatum benefactis, totque pietatis, ac religionis defunctũ muneribus, ſicuti ex corporis vinculis, tanquam ex carcere euolantem, cœleſtis (vt credi par eſt) excepit gloria: ita dimiſſam quoque vitam inclytam, viuorum memoria, in qua eſt vita mortuorum, retinebit in omne æuum ſempiternam: cum ali quidem hæc poſſit, ſuſtentarique quam facillimè, tot, tantarumque admiratione, atq; contemplatione virtutum, quot, quantaſq; ex præclariſſimis ipſiuſmet Regis factis nunc erit colligere. Quãobrem vt extremum iam habeat hiſtoria, & aliquando peroremus, atque vniuerſis demum Regibus, dominiſque terrarum, qui Reipub. ac ſummis præſunt Imperiis, non magni modo Principis, ac Imperatoris; ſed etiam optimi, perſanctique viri imaginem, tanquam in ſpeculo contemplandam, imitandamque proponamus, heroica ipſius facta, ac præcipuas, quibus eximiè præſtitit, virtutes breuiter in hanc ſummam referemus. Pietatem enim ac religionem, quæ omnium ſunt fundamenta virtutum, ſi in primis intueamur, habemus quidem conteſtatas ipſas, non ſolum ſingulari illius ſtudio, quo ſe totum defendendæ religioni dedidit: ſed confirmatas etiam exædificatione bis mille templorum, quæ in expugnatis à ſe ſarracenorum Regnis erigi, exornarique curauit. Si magnanimitatem ſpectemus; ab ipſa prope infantia Regiæ maieſtatis perſonam, cum Imperatoria belli adminiſtratione grauiſſimè ſuſtinuit. Si conſilium in decernendo; nemo ipſo attentius alienum adhibuit: proprii autem exitus nullius extitit felicior. Si prudentiam; ex tam conſideratis eius actionibus, ac æquabilitate vniuerſæ vitæ, ſummam in eo fuiſſe deprehendimus. Si Reipub. adminiſtrationem; qui leges cõpoſuit, ſcita ſanciuit, ac iuſſa populis deſcripſit, à conſentanea rationi ac legibus adminiſtratione diſcedere, qui potuit? Si vero prouidentiam, ſummamque in bello diligentiam perpendamus:

quam-

quamquàm mirè quidem incredibilem in præueniendo hoste celeritatem suspicimus, minime tamen maturitatem in deliberando desideramus. Quod si de admirabili illius temperatione, figura, & sanitate corporis agamus; nemo ipso inuentus est, suis in Regnis, neque statura procerior, neque habitudine præstantior, neque membrorum robore firmior, non denique valentior, sanior, atq; speciosior. Oris enim venustate alliciebat cunctos, maiestate conterrebat, comitate verò & affabilitate deuinciebat: eaq; insuper salubritate fruebatur, vt vitam prope indolentem transegerit: ægrotasse siquidem nunquam, nisi appropinquante obitu, visus fuit. Quin tanta etiam modestia, & temperantia præditus erat, vt Regum nullus in cibo & potu fuerit illo parcior; nullus in voluptates delapsus temperantior; atque in dictorum simul & factorum moderatione nullus circunspectior. Adhæc, si ad fortitudinem, & armorũ tractationem, vnde expugnatoris cognomentum adeptus est, deueniamus; quem triginta contra sarracenos præliis interfuisse, præfuisse, ac vicisse comperimus, num clarissimæ fortitudinis, reliquarúmve virtutum bellicarum expertem iudicabimus? Aut eum etiam, qui nihil non magnum aggressus est, ac neque vnquam ab incœpto destitit, sed voti semper compos euasit, inconstantem dicemus? Verùm neque à clemente seiungemus, propterea quòd in vnum dumtaxàt impium, asotum, & conspirantem filium, iustè se præbuit acerbum; cùm in reliquos omnino homines, & populos, pręsertim supplices, semper mansuetus fuerit, ac perbenignus. Iis adde humanitatem, qua virtute excelluit tantoperè, vt nunquam insolens ac superbus; sed omnibus facilis ac indulgens, atq; cum grauitate semper extiterit humanissimus. Iam vero liberalitas & magnificentia debitæ Regibus virtutes, ab eo ne abesse poterãt, qui nihil ferè sibi in expugnationibus retinuit, omnia diuisit, cunctos locupletauit? Patientiam, cùm vbi oportuit, semper habuit; tum incredibilem cum Sanctio & Ferdinando patruis, perpetuis suis æmulis, atque insidiatoribus sustinuit. At, si veram eius in amicos fidem, constantiamque promissorum in hostes, consideremus; eximia in vtrosque, pluraque, tum officia, tum grati animi beneficia contulit. Ac si iustitiam & misericordiã, præcipuas principum virtutes, adiungamus; vtramq; sic coluit, vt per eas, nullus neq; magis amandus, neq; magis timendus Rex fuerit: ex quibus maior illum, quàm quemquam Regum consecuta fuit felicitas; cùm & annis plus sexaginta regnauerit; & posteris non modò duplo maiora quã acceperat, pacata Regna reliquerit: sed ea etiã quę posteà apud exteras gẽtes, & terras vltimas, ab eisdẽ adepta sunt, illi vni accepta ipsi referre debuerint. Totius.n. Hispaniẽsis Imperii fundamenta posuisse illũ, cùm ex historiis, Regumq; Annalibus compertum est, tum in ipsa operis præfatione satis superque à nobis probatum. Quod si tandem non minor est virtus, quam quærere, parta tueri; quid nobis, quæso, felicius? quid illi etiã gloriosius? quàm, ne vnum quidem palmum, quod dici solet, terræ, quam semel cepit, atque in ea pedem posuit, amisisse vnquam? quinimmò suis successoribus Regna vsque adeo fixa tradidisse; vt ea, diuino munere, post tot sæcula, in hunc vsq; diem, tanquã sarta tecta, & summa cum religione Christi firmata, & magna cum Regum gloria conseruata videamus?

LAVS DEO.

ARAGONENSIVM
RERVM COMMENTARII.
HIERONYMO BLANCA,
CÆSARAVGVSTANO, HISTORICO REGNI, AVCTORE.

Omnia S. R. E. animaduerſioni ſubiecta ſunto.

Anno M D C V.

APPROBATIO DOCTORIS DIEGI MONREALII, CANONICI CÆSARAVGVSTANI.

ILLVSTRISSIMVS, ac Reuerendissimus Dominus, D. ANDREAS BOVADILLA, & Cabrera, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Cæsaraugustanus, hosce Aragonensium nostrarum rerum Commentarios à *Hieronymo de Blancas* Cæsaraugustano, nostri Aragonii Regni Historico, conscriptos, mihi pernotandos delegauit. Quos ego dum accuratè perlegi, nihil sanè in eis comperi Catholicæ nostræ Fidei contrarium, aut quod bonis Ecclesiæ moribus aduersetur; imo eos esse multiplici, & varia tum antiquarum, tum recentiorum nostrarum rerum Historica eruditione refertos: quodq; laude dignissimum est, in eis concinnandis auctorem ipsum quamplurima, iam pœne nimia vetustate sepulta, incredibili sua diligentia suscitasse. Quapropter dignos esse, vt prælo mandentur, censeo. Nam dum de magno, & integerrimo nostro Magistratu, quem Iustitiam Aragonum appellamus, scribere instituit, sic vniuersarum nostrarum rerum summam, graui quidem, ac præstanti loquendi stylo, complexus est, ac res ipsas nedum linguæ venustate, sed quod caput est, & ipsa historiæ veritate illustrauit; vt Opus hoc, tot ante sæculis desideratum, non sine magna nostrorum omnium gloria his temporibus in lucem editum statuamus. Cæsaraugustæ, Id. April. Ann. Chr. ∞ D LXXXVIII.

Doctor DIEGVS MONREALIVS.

METROPOLITANI CÆSARAVGVSTANI AVCTORITAS EDITIONIS.

NOS *Andreas Bouadilla*, & Cabrera, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Cæsaraugustanus, Maiestatis Regiæ Consiliarius: Cùm hi Aragonensium rerum Commentarii, à *Hieronymo Blanca* conscripti, nihil contineant, quod aut Catholicæ Fidei aduersetur, aut piorum aures offendere possit, quemadmodum ex superiori censura Doctoris DIEGI MONREALII, nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici, cui obseruandos commisimus, apparet: Iccirco eidem *Hieronymo Blancæ*, vt eos in nostra hac Diœcesi edere possit, ac editos venundare, auctoritate ordinaria, qua fungimur in hac parte, iuxta Sacrosancti Concilii Tridentini decretum, tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur. Volumus autem: vt priusquam in vulgus exeant, cum ipso Archetypo conferantur. Dat. Cæsaraugustæ, Kal. Maii Ann. Chr. ∞ DXXCVIII.

A. Archiepiscopus Cæsaraugustanus.

De amplitudinis suæ mandato

IO. CRESPO *Secretarius.*

D. BERNARDINO GOMEZIO MIEDI, ALBARRAZINENSI EPISCOpo; & GASP. SEBASTIANO Arroytæ, Canonico, & Sacristæ Turolensi: D. FERD. Gurreæ Aragonio, Villæformosæ Duci, ac Comiti Ripacurtiæ, & D. FRANC. Lacaualleriæ Aragonio: FRANC. Vaguerio: & TRIST. Munnozio Pamplonæ: PETR. LVD. MARTINIO Cenedo, I.V.D. Cæsaraugustano ciui; & STEPH. CROSTANIO, municipi Montionensi,

VIII VIRIS

ARAGONVM REGNI DEPVTATIS

HIERON. BLANCAS, Cæsaraugustanus, eiusdem Regni Historicus.

CVM *præclara multa, Patres amplissimi, à maioribus nostris inuenta, atq; instituta sunt ad ornandam nostrã Rempub. opportuna: tum præclarum nimis mihi illud sæpe videri solet, quod in Comitiis Ann.* M.D XXXXVII. *de nostrarũ rerum scribenda Historia, sancitum fuit: & præclarius id etiam, quod istius onus officii, curamq; & cogitationẽ* SVRITA *noster suæ eruditionis dignissimam suscepisset. Ad gloriæ namq; immortalitatem optatius nihil accidere potuit, quàm vt tam gloriosis veterum factis, quæ nobis hãc, qua fruimur, pepererunt dignitatem, & otium, tam clari hominis preconium non deesset: vt illud Hectoris apud Næuium admodum scitum est: qui solam eam iucundam sibi laudem statuebat, quæ ab iis proficiscebatur, qui ipsi in laude vixerunt. Sic iam videmus Aragonii nominis gloriam à diuturno, & magno silentio vindicatam; neque vindicatam solùm, sed laudatam etiam à laudato viro, nobiscum patriæ iure, ac vitæ societate coniuncto; vt inde quoq; honos, neq; leuis, iisdem ipsis rebus adiungatur. Sed ita nobis natura comparatum est, nihil vt difficilius sit, quàm omnibus omnium studiis satisfacere. Idque tum in aliorum, tum in ipsius Suritæ monumentis perspexi. Etenim cum ille pro suscepto munere tam ornate res nostras vtranque lingua persequutus fuerit, vt ad veterum scriptorum laudem perueniret: aliquibus tamen visum est, eum peranguste adeo nonnulla retulisse, non vt facile intelligatur, quid dicat. Fuisse præterea ab eo male posita rerum initia; tenuiterque satis locum illum de Magistratus Iustitiæ Aragonum institutione tractatum: de quo, cum sit vinculum nostræ Reipub. ac domesticæ, & ciuilis concordiæ fundamentum, non tam ieiuniter, & parcè, multoq; minus ambiguè, iam scribi oportebat. Mihi verò sic videtur in omni Historia curiosus, vt neminem de iis, qui peritissimi fuêre, eidem anteponam. Vniuersarum autem rerum concinnatione impeditus, in singulis separatim elaborare*

non

non potuit. Quæ tandem caussa me impulit, vt ad eadem ipsa, quæ ab eo scripta sunt, aggrederer hac spe, non vt omnia copiose scriberem, sed vt leuiter vnumquodq; tangerem; sic tamen vt sub vno aspectu, si fieri posset, omnem nostrarum rerum memoriam proponerem: magnum equidem opus, & arduum: sed ingredienti mihi considerandum fuit. posteà quocumq; ferar, danda nimirum vela iudicaui. Neq; enim Aristotelem in Philosophia deterruit à scribendo summa illa Platonis amplitudo; nec Aristoteles ipse restinxit eorum, qui post eum sequuti sunt, studia, quominus quisq; quò progredi, aut quid posset efficere, experiretur. Ita mihi nequaquàm duxi infringendam spem, quin tametsi Suritam imitari, aut consequi non possem in scribendo; attamen quæ ille omisit, liceret mihi persequi deinceps; ac si non parē, eum saltem tenerem cursum, quem possem. In primis autem cùm superioribus annis quosdam de Iustitiis Aragonum Fastos edidissem, singula tantùm eorum nomina, nudamq; annorum seriem complectentes; eos nunc decreui plenioribus hisce Commentariis illustrandos: vt qui primùm nudi, atque inornati propositi fuerant, tantùm vt essent beneuolentiæ meæ erga patriam obsides: nunc quasi vestiti, & compti habeant ornamenta, quæ sint, fidei, ac diligētiæ testes: sicq; planè, quod tūc fueramus polliciti, præstaremus. Et verò præter id, quod de ipsius Magistratus institutione, & origine, deq; singulis Iustitiis, tanquam instituti nostri præcipuum, scribere opus fuit: breuem etiam decreui de nostris Regibus Historiam intexere, vt eorum numerum, ac seriem, fortasse adhuc non satis intellectam, indicarem. Præterea de Optimatibus patriciis, & Palatinis hominibus, quos Ricos homines, & Mesnadarios vocamus, nonnulla proferre, quæ vetustatis caligine oppressa iacuerunt; tum de familiis, & clypeis eorumdem: de numero, & ordine Iustitiæ Aragonum Officiū administrantium: de Comitiis nostris: de antiquis nominibus, & Magistratibus: ac demū locos alios perstringere de tota nostra antiquitate vberiores; vt omnibus hisce rebus adumbratis, faciliùs ipsius Magistratus originis, & progressus ratio notaretur: præsertim cum his de rebus multa, de quibus hactenus nemo scripserat, nec tam facilè erat, vnde sciri possent, in veteribus monumentis comperissem, quæ ab exteris peti non poterant, & nisi multorum sapientiam admirarer, etiam, vt suspicor, nec à nostris quidem. Quæ cùm ita sint, non possum non vehementer eorū consiliū, ac factū approbare, qui censuerunt Opus hoc, minimè, Commentarios in Fastos de Iustitiis Aragonum, quemadmodum initio constitueram; sed potius, Aragonensium rerum Commentarios, inscribendū: quòd plura in se contineat, quàm quæ priori illi æquè subiici posse viderentur inscriptioni. Neq; verò hæc ideò Latinè scripsi, quasi ea crediderim futura esse gratiora, quàm si quotidiano, ac vulgari sermone scriberentur. Video enim plerosq; etiam Latinæ linguæ peritos, malle suam in Hispanis legendis operam cōsumere, cùm alioquin tam delicati fastidii sint, vt non solùm ad pertractandas res serias inopem nostram linguam arbitrentur, sed in vulgaribus fabellis, nisi quæ sint expressa de Latinis, penitus contemnant, & despiciant. Verumtamen grauiora hæc duxi, deq; eis scribi ea siquidem lingua oportere, cuius aliis gentibus peruulgata, & communis notitia sit. Qui autem Hispanè hæc scribi voluissent magis; æqui esse debent, cùm Hispanè satis multa ab eodē Surita scripta sint, & scribentur hæc eadem fortasse, si vita suppeditabit, à nobis: tametsi aliis id ipsum de meo munere libenter concedam. Fateor enim me eorum similem esse non posse, qui vulgari sermone de magnis rebus perquàm eleganter nulla arte adhibita scripserunt. Atqui dum Latinè scribere decreui; nostrorum Magistratuum nomina nō censui mutanda, neq; ad Romanorum similitudinem transferenda: sed omnino ea retinenda esse, quibus suo quæq; proprio, & certo vocabulo appellanda maiores ipsi nostri censuêre. Ideòq; arbitratus sum, Latinè etiam loquendo, Gubernatorem, Iustitiā Ara-

gonum, Deputatos, Zalmetinam, Iuratos, Locumtenētes, aliosq; istiusmodi Magistratus nostros, iisdem ipsis nominibus, quibus quotidianis verbis efferuntur, appellare fas esse; nempe vt vocabula hæc, Latina quamquam nō sint, & apud Latinos veteres scriptores non exstent, cùm neq; exstare poßint; iam Latina vsu reddantur, fiantq; ea tractando vsitatiora. Non enim dum, Iustitiam Aragonū, Præfectum iustitiæ; Gubernatorem, Vicarium; Zalmetinā, Prætorem vrbis; reliquosq; nostros Magistratus omnes, Romanorum Magistratuum nominibus appellatos intueor, huiusmodi consiliū adduci possum, vt laudem hac in re: cùm Magistratuum nostrorum potestatem nō esse satis his nominibus expressam intelligam. Nam Zalmetinæ munus Prætorio muneri non æque respondet: nec Vicarii verbo tam aptè Gubernatoris nostri potestas, quàm vt quemuis intelligere oportet, designatur: neq; Iuratorum tam latè patet apud nos, quàm apud Romanos Consulum patuit amplitudo: multoq; minus Iustitia Aragonum, Præfectus iustitiæ dici potest. Nam Præfectum iustitiæ, nullum alium apud nos esse arbitror, nisi Regem: cui sic omnis dicundi iuris potestas data est, vt ab eo, tamquā à capite: ita enim nostri Iurisperiti loquuntur: in reliquos omnes Magistratus; atq; in Iustitiatū ipsum sicuti à fonte in riuulos, deriuetur. Nec scio equidem cur nobis eam præcidere debeamus, quæ Romanis initio data fuit, nouorum ex aliena lingua in suam inducendorum nominū licentiam, vt cùm Philosophiam ipsi, Arithmeticam, Geometriam, aliasq; his similes voces Latinè etiam loquentes vsurparint, easq; cùm Græcæ omnino sint, iam vsu Latinas factas videamus; nobis non illud idem licère existimemus, Iustitiamq; Aragonum, Latinè & eleganter loquendo dici posse: quantū effici queat, contendentes, quò tanti Magistratus fama peruenerit, eôdē veri, ac proprij illius nominis gloriā penetrare? Quid? quod, si maiores nostri summæ ipsius potestatis vim lenitate nominis mitigādam statuerunt, quasi inter nos, ac Regem nullam aliam, neque ex virtutibus ipsis, nisi iustitiā solā interponi ducerent oportere; cur nos tantam hanc eorum sapientiam despicientes, noua verba fingemus arbitratu nostro, tantumq. Magistratū vulgari suo nomine, in toto orbe terrarum claro, & notißimo, fraudari patiemur, quo & quis sit, & qualis ipse Magistratus sit, apertè declaratur? Nonne M. Tullium, ac Terentiū quoque & Archontē, & Satrapen dixisse constat, & Liuium etiam, Mediastuticum, & Suffetem? neq. veritos fuisse hosce scriptores, cùm Latinè loquerentur, ac scriberent, istiusmodi Magistratus omnes, quorum priores duo Persarum, & Atheniensium erant, Campanorum autem, & Carthaginensium posteriores, non ex Latinæ linguæ, sed ex vniuscuiusq. eorum gentis vocabulis nominare? Dabitur ergò modò, quod Latini ipsi fecerunt, aliena sibi nomina vsurpantes, vt in Magistratibus saltem appellandis, vulgaribus vtamur ꝓ Latinis: cùm eam mihi præcipuam laudem constituerim, vt intelligatur, quid dicam: de reliquo tamē sat fore, non esse mendacem. Ceterum, Patres clarißimi, vt hac quasi peroratione concludā, ad quam fateor me nequaquā inuitum declinare; haud dubito sanè, quin quod meum semper iudicium fuit, vestra quoq. sententia comprobetur, maiores nostros in constituenda Rep. aut inuenisse multa per se sapientiùs, quàm alios: aut accepta ab aliis, fecisse meliora, quibus instituta vitæ, resque domesticas, & familiares commodiùs tueremur. Eoq. magis ad credendum ducor, quòd vos omnes videā, cùm nostra hæc in istarum rerum commemoratione versentur, ad ea peruulganda haud mediocri studio concitatos: dignißimum fore iudicantes, vt Reipubl. nostræ descriptio, quæ iure potest, & Regibus, & Populo grata esse, iam exteris quibusuis nationibus nota sit: quasi in eorum consiliis, qui primi de ea statuenda cogitarunt, nec quidquā parum, nec quidquàm nimiū fuisse arbitraremini. Et verò præcipuè singularis hæc tanta, tamq. admirabilis maiorum sapientia, quæ initio tunc fuit, in hoc vno quotidie magis summa cum

laude

laude prodita vetustate enitescit, quòd dum forensem hanc induxerunt istius Iudicis, inter Regem, ac Populum Medii, Præfecturam, nostram Rempub. ex Polyarchia, & Monarchia vnam nouam in speciem perquam optimè temperantes, domesticam, ac ciuilem pacem mirabiliter stabilierunt, agenda sic apud nos omnia statuentes; vt res maximæ, minimo motu; pericula summa, nullo tumultu; domesticæ omnes dissensiones, sine seditionibus, quietè, & commodè illius interposita moderatione sedentur. Quamuis autem fortasse mihi imprudentiæ tribuatur, minimè hoc loco silentio prætermittendum duxi: summi enim gubernatores nauium plerumq; à vectoribus admoneri solent: vt ità nos omnes de nostris libertatibus sentiamus, ne nimiam licentiam, libertatem putemus: ea namq; sola, ac vera libertas censenda est, quæ homines facit domitas habere libidines: suis quietè potiri: eadem prudenter tueri: ab eis, quæ propria non sunt, mentes, & manus abstinêre: ad nouos deniq; temporum casus nouorum consiliorum rationes accommodemus; ne in vtendo temperantiam contemnentes, in carendo patientiam experiamur. In quo ego quantum meus amor in patriam postulat, tantum vos hortor, reliquosq; omnes ciues meos, quoniam in Rep. coniuncti sumus; vt iusta, & æqua libertate contenti, falsam à nobis nimiæ licentiæ famam depellamus. Regios autem quoscumq; Magistratus sic moneo, vt cogitent tantum sibi à Regibus esse commissum, quantum permissum à legibus, & creditum sit; neq; sibi solam iurisdicundi potestatem, sed ita fidem creditã arbitrentur, vt non quod ipsi velint, sed quod lex, & religio concedat, exequantur: neve quisquam eorum se putet esse solum, nec sibi, quodcumq; concupierit, iam licêre; sed habêre in consilio leges, religionem, æquitatem, & fidem; maximiq; debere vnumquemq; suæ ipsius mentis, quam à Deo acceperit, conscientiam æstimare: quæ si optimorum semper consiliorum, factorumq; testis sibi fuerit, facillimè omnes quorumvis periculorũ procellas deuitabit. Nunc quoniam consilii mei rationem exposui, superest tantum, vos vt orem, ita faueatis conatibus meis, vt nostri hi Cõmentarii, qui omni prorsus venustate nudi in lucem prodeunt, amplißimi nominis vestri dignitate illustrati, si non vt vrbani; sunt enim vasti, & aggrestes: non vt peregrini, cùm totam ferè nostrarum rerum summam contineant; saltem si licebit, vt amici hospites, inter ipsius Suritæ Annales recipiantur. Quod si aliqua à me esse prætermissa, aut non sat elucubrata inueneritis: neque enim dubito, quin multa huiusmodi paßim occurrent: mihi, historicus qui sim, si modò sim, at certè qualiscumq; sim, non ex alicuius Academiæ, sed ex mediis fori spatiis profectus, condonetis, simulq; illud statuatis, non omnem frugem, neq; omnem arborem in omni agro reperiri posse. Breuì tamen futurum spero, maximeq. si ad ornãda ea, quæ dudum in nostra hac vrbe instituta fuêre, publica disciplinarũ Gymnasia, magnus aliquis cumulus vestræ liberalitatis accedat; vt & ipsa hæc eadem, quæ à me nunc inchoata sunt, & alia maiora, perfecta Reip. tribuantur: quibus Aragonij nominis amplitudo illustrata, quemadmodum hactenus armorum virtute, istiusq; Magistratus laude, mirificè enituit, sic deinceps ingenti quoque literarum gloria splendescat. Cæsaraug. Kal. Sept. Ann. Chr. ∞ DXXCIIX.

In Aragonensium rerum Commentarios

HIERONYMI BLANCÆ, CÆSARAVGVSTANI, ARAGONVM REGNI HISTORICI,

PRÆFATIO

AD D. GARSIAM LOAYSAM GIRONIVM,

PHILIPPI nostri, amplissimi Hispaniarum Principis, Magistrum, Arriacensemq; in Toletana Ecclesia Archidiaconum.



NTIQVÆ *res nostræ, quod te minimè ignorare arbitror, Loaysa eruditissime, adeo scitu difficiles sunt, & perobscuræ, vt nō modò quæ priscis illis sæculis, sed quæ auorum ætate gestæ fuerūt, vix à nobis, nisi abstrusa, & perturbata ratione, comprehendantur. Plures autem istius iacturæ afferuntur caussæ, multiplicesq;. Hæ tamen præcipuæ. Nam in ipsis Regni initiis memoriæ proditur Pinnatēsem Sanctioris Aerarii locum igne consumptum fuisse: instauratumque denuo, multos post annos incendio simillimo conflagrasse. Cumq; ibi veterum Priuilegiorum exēpla, monumentaq; publica, asseruanda exstarēt, flammis combusta, omnia interiere. Posteà quoq; alia eiusmodi cùm ibidem reposita seruarentur, à Raimūdo Berengario, Barcinonensi Comite, Ranimiri* II. *Regis genero, Circ. Ann. Chr.* ∞ CL. *extracta feruntur: nostrosq; in Comitiis Cæsaraugustanis Ann. Chr.* ∞CCLXIIII. *curauisse, damnū illud quoquo modo resarciri. Sed id demum ad extremum pene interitum nostram antiquitatem adduxit, quod dum Petrus Rex* IIII. *in aliis Comitiis, eadem Vrbe habitis Ann. Chr.* ∞ CCCXLVIII. *turbulenta illa Vnionis Priuilegia de totius Regni consensione deleuit non quæ de ea agebant solùm, verùmetiam alia multa, tum priuata, tum publica, monumenta lacerare, ac comburere & conatus est, & tandem effecit, vt Scribarum Notæ, matricesve scripturæ vix apud nos ante dictum annū vllæ reperiantur. Vndè etiam euenit, vt quemadmodū apud Lacedæmonios, qui scripto iure non semper vsi sunt; sic apud nos quoq; plurima nostrarum legum, ac libertatum munia in capitibus prudentum exstiterint: ita enim earū Obseruatores loquuntur: à quibus eæ quas nūc vocamus Obseruantias fluxerunt. Propterea olim qui consulebantur, in maiori honore, & potentia erant: non tam quòd pauciores; quàm quòd ab eis ratio legum, rerumq; nostrarum, tamquàm dies quondam petebantur à Chaldæis. Eæ autē Obseruantiæ antequàm à Martino Didaci Auxio Iustitia Aragonum Ann. Chr.* ∞CCCCXXXVII. *in illud, quod nunc Foris connexum exstat, volumen congererentur; eandē prorsus vim, & auctoritatem, quam ceteræ omnes scriptæ leges, habebant. Atq; tunc etiam, vt Bages conqueritur, Iurisperiti ipsi, quibus hoc magnum munus commissum fuit, veriti, ne tota earum ratione peruulgata, & cognita, sine illorum opera iam lege agi posset; multas Obseruantias suppresserunt: vt ab eis, quæ occultæ manserant, peterētur, sicq; eos omnibus in rebus interesse necessariò oporteret. iam vt antiquitas nostra hos casus habuerit ad suam obscuratiōem rariores. Hinc deniq; factum est, vt omnino iaceat ipsius obcæcata memoria; atq; vt tot, ac tantæ inter scriptores ortæ sint, tū de Regni primordiis, tum de Regum, ac temporum serie contentiones: adeo vt quidam nostri sæculi illustris sanè Historicus optimo iure potuerit nouos nobis Reges suscitare, quorū antea nec nomina quidem fuerant vnq̄ audita; Cumq; æquissimum foret, vt quamuis*

cetera-

ceterarum rerũ cognitio languesceret, earum verò, quæ ad Magistratus Iustitiæ Aragonum ornamentũ attinent, non modò animis insita, sed depictis monumentis, ac literis, quod aiunt, aureis, salua, & incolumis seruata fuisset: tamen, quod mihi sæpius mirabile visum est, misero certè casu, illarum præcipuè notitiam nunc quoq; maximè desideramus. In quo ego non tam priscos illos earum inuentores culpa damnandos censeo; quibus credendum non est conscribendi curam defuisse, quandoquidem conficiendi officiũ non defecit: q̃ variorum casuũ, & euentorum, quos supra recensuimus, occasioni tribuendũ, quæ earum pœne cognitionem deleuit. Eos verò, qui propius successerũt, culpa hac liberos esse non reor; quòd in tenebris consenescere illas, atq; in ipsa vetustatis caligine obsolescere permiserunt, cùm eædem neq; aut cuiusmodi fuerint, indagare, aut compertas in lucem ad posterorum notitiam prodere, quod amicus noster eruditissimus ille Sigonius, de Italiæ Regno scripturus, de suis Ciuibus meritò est conquestus, studuerint. Qua de re memoria teneo; cùm sæpenumero coram Excellentissimo Domino D. Ferdinando Aragonio Archiepiscopo Cæsaraugustano; antiquitatum nostrarũ studiosissimo, ac diligentissimo inuestigatore, neq; solùm memoria, & testimonio, sed Annalium literis, & Suritæ voce laudato, hanc maiorum incuriam exprobrarem, audire me esse solitum ex eodem; Non valde propterea mirandũ esse. Aragonenses.n. crebrò dicebat, quò, natura ipsa, lingua hebetiores sumus, eò propensiorem semper in conficiendis, q̃ in conscribendis rebus consueuimus curam adhibere. Cuius quid mihi profuerint assidui congressus, dicerem libenter, nisi de me ipso, quod necesse non est, dicendum esset. Quare debito potius illum testimonio priuabo, quàm id cum mea laude communicem.

Quamquàm igitur verum illud fuisse fateamur: in hoc tamen vno maiores nostri mihi valde coarguendi videntur, quòd æquo animo tulerint aliarum antiquitatũ, qualescumq; fuerint, notitiam, licet mancã, exstare, Magistratus verò Iustitiæ Aragonũ, cui à nobis summa rerum delata est, omni prorsus literarum splendore carere; cùm neq; de eius institutione, neq; de eorum, qui ei præfuêre, nominibus, aut factis quidquam hactenus scriptum, satis benè digestum, habeamus. cuius lectionis cognitio iucunda non solùm, verùm etiam perquàm vtilis, ac necessaria foret. Ioannes enim Eximini Cerdanus, Aragonum idemtidem & ipse Iustitia, tametsi auorũ memoria, primus de hoc genere scribere est aggressus, ob idq; magnam mihi iurè egregiæ voluntatis, consiliiq; laudem meruisse videtur: verùm dum eorum, qui hunc Magistratũ gesserunt, enodare nomina curauit, à Petro Petri sumpsit scribendi exordium, quem plures alij antecesserunt. Annorum verò notationem, quæ alioquin fundamentum erat, omisit adhibere, nonnullosq; Iustitias, qui vixerunt, vel sua, vel parentum ætate, numerare. Vnde fit, vt mutilam prorsus ex illius scriptis notitiam eruamus. Ipse verò noster Hieron. Surita, clariss. Historicus, disertissimusq; atq; eruditissimus vir, qui vniuersam nostrarũ rerum narrationem graui quidem stylo, egregiaq. ac singulari diligentia, complexus est; earũ magnitudine præpeditus, nõ potuit argumentũ hoc, suo ornare studio, atq. accuratiore opera, perpolire. Sed illum scimus, ad id, paucis antequàm moreretur diebus, otium sibi domesticum præparasse: repentinumq. posteà interitum hoc eius consilium præuenisse. Cuius si ad hoc cumulus accessisset, ea illius ingenij vis fuit, ac facultas: vt dubitandum nõ sit, quin solum hoc, quod aliis exile fuisset, ac macrum, iam illius cultura, vberrimum, atque ornatissimum redderetur. Sed de eius laude neq. hic locus est, vt multa dicantur, neq. plura tamen dici possent, quàm tu optimè scis, nosq. omnes memoria retinemus.

Itaq. hæc cùm viderem, etsi me agnosco iis auxiliis penitus destitutum, quæ operis huius integritas suo quasi iure reposcebat: voluntatis erga patriam meæ testimoniũ aliquod relinquere cupiens, cùm iam doctissimus ille vir tanto splendore, & auctoritate præditus, octingentorum annorum de nostris rebus Historiam tam ornatè, & copiosè

suis illis Annalibus colligasset: ego in extremo tantùm hoc mihi sumpsi, quod ille non potuerat, illustrare de Magistratus Iustitiæ Aragonũ dignitate argumentũ. Quô autem id facilius cõprehendatur, magisq; tota illius progressus ratio perspicua sit: omnino duxi vniuersas res nostras, strictim: & verò earum primordia, copiosiùs, attingenda: ne totũ opus corrueret, si non benè iacta fundamẽta essent. Eos etiam statui notatione temporũ distinguendos, qui tanto munere functi fuerunt. Cùmq; id etiam videretur mihi nouis difficultatibus maximè obstructum, quòd nõ facilè esset, vnde res tam antiquas, tamq. obsoletas eruerem; tanta fuit, mea vt in hoc genere apud ciues meos opera probaretur, cupiditas, vt neq; istud quidẽ potuerit meũ in hoc officio frangere, aut debilitare laborem. Ad perscrutanda igitur omnia, quæ habere potui, ad hoc studium quoquo modo pertinentia, conuersus sum: atq; tum ipsius Regni, tum Ecclesiarũ B. Mariæ de Pilari, ac Diuæ Encratis Tabularia perlustrare cœpi; tum & multa alia Monasteriorũ Sancti Ioannis de Pinna, Ouarræ, Assaniensis, Montis Aragonum, veterumq; aliorũ oppidorum, & Ecclesiarum monumenta peruolutare. Priuatos deinde tum dicti Excellentissimi Domini Archiepiscopi Ferdinãdi, tum aliorum etiam de hoc genere Indices quosdam adhibui, ac veterum, quos vocant, Foristarum: Vitalis de Canelis, Oscensis Episcopi; Eximini Petri Salanouæ, Iustitiæ Aragonum, Ioannis Patos; Iacobi Hospitalis; Ioãnis Antichij Bages; & Michaëlis del Molino, siue Codices, siue, quæ exstãt, Obseruantias perlegi. Ac ne de aliis reticeam, qui in hoc opere illustrando suum mihi officium præstiterunt, vnus veterum monumentorum fasciculus, quem ad me detulit Doctor Carolus MunnoZius, Regni Cancellarius, & Ciuilis, & Canonici iuris peritissimus, inq; nostris hisce studiis iam pridem versatus, adiumento mihi non paruo fuit. Inde namq; multam collegi nostræ antiquitatis memoriã. Sed quo ego adiutore præcipuo vsus sum, is est, quem benè nosti, familiarissimus meus Magister Iacobus Espessius Arambrigensis, probus, & doctus vir, nec vulgaribus, sed recõditis, ac interioribus literis eruditus, verè vt dicam, meorum omnium studiorũ canon. Summa enim cura, diligentia, ac fide, plurima ad me comportauit ex ipsis Tabulariis desumpta: quâ maior afferri mihi leuatio nulla potuit.

Et verò in his, aliisq; vndiq; amicorum beneficio collectis, id me aliquantulũ subleuauit, quod in extrema veterum Priuilegiorum parte, priuatorumq; negotiorũ Contractuum, quos quotidianis verbis, Instrumenta, vocamus, dum testes apponebantur; plerosq; Iustitias Aragonum pro testibus annotatos inueni. Testium autem huiusmodi, quod tu minimè omnium ignoras, non eadem semper ratio fuit. Ad duplicem enim effectum in antiquis monumentis apponebantur. Alterum siquidem pro eorum robore, & firmitate, quòd sit de solemnitatibus substantialibus Contractuum (cogimur namq; in his forensibus vocabulis vti) vt testes illorum stipulationi præsentes intersint: atque hos Testes Visores, & Auditores appellabant, & ita appellati passim inueniũtur. Alterum verò ad temporis notationem, quo talis Contractus celebrabatur, inducendam, quasi potentiores, qui tunc apud eos degebant, nominando. Quemadmodum enim apud Romanos plerumq; Imperante Seuero, aut Constantino: & apud Francos; Regnante Carolo, aut Ludouico: sic apud nos olim, præter ipsorum Regum; Optimatum quoq; ac procerum, quos Ricos homines, ac Seniores illa ætas vocauit, tum & Palatinorũ, quos Mesnadarios, ac interdum etiam Magistratuum & Sæcularium, & Ecclesiasticorum nomina apponebantur: vtpote, Episcopus Stephanus in Osca; Episcopus Petrus in Cæsaraugusta; PalaZin Senior in Roda; Petrus Medalla Iustitia maior; & alij his similes. Quos ne talium Contractuum celebrationi, vt priores, interfuisse induceretur: Testes Confirmatores appellare consueuerunt. Ac quandoq; licet rarò, in nonnullis, postquàm Testes Visores, & Auditores appositi fuerant: hos Ricos homines, vel potentiores; Te-

stes,

stes, qui neq; viderunt, neq; audiuerunt, appellari solitos obseruaui. Hæc autem huiusmodi Testium Confirmatorum appositio in solemnibus tantummodò Regum, aut Principum Priuilegiis adhiberi consueuit: vnde paulatim ad priuatorum negotiorum Contractus defluxit. Olim enim dum Reges, aut Principes aliquod Priuilegium solemne, atq; vt ipsi loquebantur, perpetuò valiturum, irrogabant; hos quasi Regiæ voluntatis testes, ac confirmatores adhibebant, siue præsentes huic irrogationi adessent, siue etiam absentes: modò Regiæ Curiæ essent assectatores. Qui plerũq; in eisdem ipsis Priuilegiis se subscribere solebant; saltem sua, quæ tunc vocabantur, signa, in extremo post Regis, vel Principis Signum, ante Signum autem scriptoris, collocare, quasi Regis, aut Principis voluntatem, quæ in tali Priuilegio expressa fuerat, confirmando. Quinimo aliquando sic comperi Ricos homines ipsos non iam monitis, aut præceptis, sed hortationibus, & quasi precibus ad huiusmodi sua signa apponenda pro grauis alicuius rei confirmatione ab ipsis Regibus excitatos. Ego Sanctius Rex hanc Donationem confirmo: & omnes Proceres meos rogo, vt similiter confirment, & subscribant. *Vnde hi, Testes Confirmatores dicti sunt. Ipsi verò Notarij, ac Priuilegiorũ huiusmodi scriptores, vt huic etiam rei præteriens satisfaciam, tum Scribæ Regij, tum & quandoque Grammatici Regum appellari, Græco nomine retento, consueuerunt. Sed in priuatis Contractibus Testes, quos diximus, Confirmatores minimè ad voluntatem concedentis confirmandam adhibebantur, sed tantùm ad inducendam temporis, quo talis inibatur Contractus, notationem: quòd eam veteres illi non esse satis expressam constituerent, Aeræ, quæ nota temporis fuit, sola supputatione adhibita, nisi Optimatũ, ac Potentiorum, qui tunc vigebant, nomina adiungerentur. Ex quibus passim colligitur, antiquos in hac Aeræ enumeratione plerumq; vacillasse. Etenim cùm ea, quemadmodum omnibus notissimum est, Natalem diem Christi octo & triginta annos antecesserit: hanc illius veram, & genuinam significationem non semper seruabant, quandoq; Annum pro Aera, quandoq; è conuerso Aeram pro Anno sumentes. Hæc autem tam diuersa ipsius numeri ratio minimè aliunde, nisi ex veterum monumentorum lectione comprehendi potest. Indidem tamen apertissimè elicitur. In ipsius præterea Aeræ, vel Annorum numeri nota, aliæ etiam difficultates occurrunt, ex literis, seu literarum, vel characterum figuris, quibus veteres ipsi vtebantur, coortæ. Nam præter Abecedarium Gothicũ, sæculis illis commune, quod à Romano longè erat diuersum: ipsæ etiam numerorum notæ, ac figuræ dissimili prorsus ratione erãt compactæ. Atq. interdum etiam ad eas, dum volebant numerum annorum variare, minutula quædam puncta admouebãt; quæ nisi attentè animaduertãtur, facillimè possunt quemuis in eorum declaratione decipere. Non enim Galsilæ Episcopi, qui notarum huiusmodi Architectus dicitur, & inuentor, scriptum aliquod opus exstat, quo vniuscuiusque illarum intelligentiam, & vim, quam in singulis concludere voluit, enudaret. Vnde fit, vt necessariò sit ea, quemadmodum diximus, ex diuturna sola obseruatione eruenda. Propterea autem hæc omnia hoc loco recensenda duxi; vt huiusce magnæ difficultatis, quæ in notarum huiusmodi interpretatione ad antiquas res nostras intelligendas sese offert, aliqua à nobis ratio redderetur: præcipuè verò, vt dum fortasse in antiquis monumentis aliqua inueniantur ab aliis diuersa, neq. priora fortasse cum posterioribus cohærêre: id vel antiquorum varietatibus, vel librariorum mendis, vel ancipitibus numerorum figuris tribuamus: ne confusione qua hactenus, de earum rerum fide, quæ alioquin veritate nitantur, titubemus. In horũ igitur Iustitiarum nominibus enodandis, ordinatimq; Annorum habita ratione distinguendis, hac Testium Confirmatorũ obseruatione, potissimo adiumento vsus sum. Neq. tamen id omne, quod concupieram, assecutus: cùm neq. in prioribus, neq. in posteriorib.*

Iustitiis, vix hactenus vllo labore, aut diligentia consequi, quam annotare voluissemus annorum vniuscuiusq; seriem, initij, aut exitus certam, potuerimus. Atqui dum priores Iustitias appellaui, eos intelligo, qui post Mauros Cæsaraugusta pulsos, circ. Ann. ∞ CXV. *inueniuntur. Hactenus enim eorum nomina, qui dictum annum antecesserunt, ab ipsa nempe Magistratus institutione, vsq; ad dictam Maurorum expulsionẽ, incomperta sunt. In quod tempus cùm Ducenti fermè, & quinquaginta anni interponantur, dubitandum nõ est, quin plures exstiterint Iustitiæ Aragonum. Sed istius iacturæ quasdam singulares caussas coniicimus. De quibus aliàs plura. Hæc deniq; omnia accuratissimè euoluenda constitui, & suo quæq; momento perpendenda, vt quominus ingenio possum, diligentiam mihi subsidio compararem. Quantum autem in his effectum fuerit, id omne ad arbitrium tuum, qui in eis, aliisq; maioribus tantos progressus fecisti, libenter conferemus. Nos quidem ita de nobismetipsis iudicamus, vt cùm plus contenderimus, quàm possumus; statuamus tamen nos minus fecisse, quàm voluissemus: iamq; existimemus fructum satis vberem nobis futurum, si intellexerimus, hosce Commentarios nostros miseræ ipsi antiquitati, quæ iam pœnè senectute cõfecta videbatur, aliquantulum olei, tanquàm lumini tenui, instillasse.*

Verùmenimuerò, doctiss. Loaysa, vereor equidem, ne reprehendar, quòd tot verbis hæc fuerim persequutus, scribens ad te: qui tum in optimo quoq; genere studiorum, tum in ipsa historia tantũ processeris, nostrarumq; omniũ rerum, ac quo modo nobis constitutæ sint, iam ab eo tẽpore perfectissimã scientiam percallueris, quo generalib. nostris Comitiis, superioribus annis ad Titionis Montem à potentissimo Rege nostro habitis, præsens fuisti. In quibus, quod in te fuit, gessisti te tam benè, tam gratãq; & iucundã nominis tui memoriã apud cunctos Ordines nostros reliquisti, vt summum in te præsidium constitutum esse, nostris omnib. fortunis arbitremur. Sed longè absum ab eo, in quo iure possem reprehendi, vt longior fuerim, quasi te erudiens; cùm solum id fecerim, vt mearũ huiusmodi vigiliarũ, operosiq. laboris, quem in hisce rebus cõcinnãdis tuli, te mihi præbeas æquissimũ æstimatorẽ, & iudicẽ, quandoquidẽ in tuo nomine libenter acquiesco. De me autem sic statuas, non quasi officiosior in patriã, quàm ceteri, quibus laudẽ hanc præreptã nolo; aut quasi electus, qui maiori ingenio, hoc opus susceperim: sed relictus ex omnibus, qui minori fastidio tantũ huiusmodi onus sustineret: graue illud equidẽ, ac grauissimũ, verũtamen dignũ, & dignissimũ, in quo cuiusvis industriæ nerui contendãtur. Videbatur autẽ leuius mihi propterea futurũ, quòd eo me opprimi libentiùs, quàm reliqui omnes, conniuebã. Et verò de tuis laudib. non opus est dicere: cùm tu is sis, quem nec nimis valde vmquam, nec nimis sæpe potero laudare. Sed ad earum ornamentũ sat sit, quòd iisdem Comitiis, ab ipso Rege nostro sapientissimo institutioni Philippi Principis, sibi charissimi, & clarissimi filii, præpositus fueris, datusq. illi non solùm studiorum, atq. artium, verumetiam animi, ac virtutis magister. Quid.n. amplius ad tuam laudem augendam dici potest? Quapropter modum faciam. Extremum illud erit, te vt orem, & obsecrem, quoniam quidem doctiss. ille Antonius Augustinus, Tarraconensis Archiepiscopus, grauissimus, & sanctissimus, atq. omni honore, & memoria dignissimus vir, tum vniuersæ Reip. tum mihi quidẽ, ob præclara multa ipsius in me officia, acerbissimo tempore ereptus est: me in eum, in quo ipse viuens habuit, & ad tuum in me amorem, & ad meam in te obseruantiam, locum vt subdas; non quasi eam rem putem beneuolentiæ, qua te colo, & reuereor, incrementum aliquod allaturam; sed vt nouo huiusmodi vinculo deuinciri me tibi, & obstringi cùm patiaris, desiderium tanti viri optima hac consolatione leniatur. Cæsaraugustæ. Kal Sept. Ann.

∞ DXXCIIX.

ARAGONENSIVM RERVM COMMENTARII.

ARAGONENSEM Historiam scripturus, copiose satis iam, cùm vulgaribus, tum Latinis literis ab aliis illustratã, id mihi tantùm proposui, præcipua vt illius Capita summatim perstringam, ea præsertim, quæ ad explicandam Iustitiæ Aragonum Magistratus vim, & dignitatem spectent. Cuius institutio cum ex ipsis Regni primordiis pendeat, Regnum verò, prius fuerit Suprarbiense dictum: ab Hispaniæ clade scribendi initium ducere oportet, vnde hæc omnia fuerunt, tanquam à quibusdam seminibus, orta, & concreta. Itaque Deo Optimo Maximo iuuante benè, rem ipsam aggrediar.

DE HISPANIÆ CLADE, ET EXCIDIO.

NNO ab orbe condito, IↃↃↃCCCCXIII. Natalis Christi, Seruatoris 5913.
nostri, DCCXIIII. Gregorio II. Pontifice Maximo, Flauio Philippico 714.
Bardanio Imperatore, Childeberto II. Francorum Rege, cùm Vlith
Abdebmelch Alcalifa summo Arabum in Africa imperio potiretur;
eorum Ann. XCIII. Ruderici vltimi Gothorum Regis, & Regni
maiestas, misera illa, calamitosa, nec satis adhuc deplorata clade, obsoleuit.
Iuliani, Spartarii Comitis, in primis nobilis, ac præcipui viri,
perfidia, effectũ memorant: ab eo siquidẽ Arabes, facti sibi de Cauæ, aut Caiæ filiæ ludibrio,
vel vt alii tradunt, Fandinæ, seu Faldrinæ vxoris suę illato probro conuicii vindices,
ex Africa in Hispaniã traiectos. Quibus, Ruderico Rege deuicto, sibi omnia vendicantibus,
sub eorum dominatu cõplures Christianorum populi, vectigales manserunt, amore
peculii nolentes seruorum subterfugere condicionẽ. Vnde Christiani ipsi, Muzarabes,
quasi mixti Arabibus (Muza enim Arabicè Christianum significat) sunt vocati. Alii graue
illud seruitutis iugũ perpeti, indignum iudicantes, ad Asturum, Pyrenæorumue montosa
loca fugientes, in perfugium sibi & fortunarum, & salutis firmissimum, ipsos quidem
montium anfractus adsciuerunt. Hi in huiusmodi vastas, nec tamẽ longinquas solitudines
relegati, & depulsi, ab impiis gentibus initio spreti, posteà Diuina ope, Hispanici sanguinis
vltores fuêre, patriæq; salutis auctores. Eodẽ enim anno Pelagius, Fafilæ Ducis filius,
Regio genere ortus, ipsius gladii reliquiis collectis, hostes superãdo, Asturum Regni
sedẽ instituit. Sunt, qui asserant, nusquã constare illum Regali nomine insignitum fuisse,
sed Infantẽ Pelagium tantùm, ad hæc vsq; tempora vocitatum. Ab eo, vt vt res ipsa se habuerit,
Asturum Regnum initium sumpsit: q posteà Ouentense, seu Legionẽse dictum,
maximam Hispaniæ partẽ complexum est. Nostri nõ tam citò perdomiti, tardiùs Suprarbiensi
Regno, q primum Aragonum diadematis fuit, initium dedêre. Rasis enim Arabs,
Arabicæ etiam historiæ scriptor, Cœsaraugustam vrbem, Ann. Chr. DCCXVI. biennio si- 716.
quidem post, à Mauris captam refert. Cuius testimonio probabile fit, quod nonnulli scriptores
prodidêre: Mauros ipsos ê Gallia Gothica reuersos, quam Prouinciam Narbonẽsem
vocant, patria nostra potitos fuisse. Ea tandẽ obtenta, finitima loca vastarunt: post etiam
summa ipsa Pyrenæorum iuga inuaserunt. Neq; verò à me hoc loco tam facilè exprimi
potest, quæ solitudo tunc fuerit in opidis, quæ vastitas in agris, quæ fuga, qui recessus
nostrorum, quàm deserta, inculta, & relicta omnia: quippe cùm harũ rerum vix vlla in literis
exstent monumenta. Sed illud nequaquã silentio præteribo, Mauros eo tempore,
arce quadã fortissima Oscensis territorii expugnata, ipsum Iulianum Comitem fortunis
omnibus spoliatum, captiuum secum ducentes, in eadem catenis vinctũ, vt tam nefarii
sceleris pœnas lueret, diu in carceribus positum asseruasse, ibidemq; illum crudelem, &
miserabilem mortẽ obiisse. Eam nos Calagurrim Iuliam Nasicam, Oscæ vicinam, & cõtributam,
à Iulio Cæsare in suis Commentariis memoratam (Loharre nunc opido nomen est)
variis ducti rationibus suspicamur. Exstant siquidem in ea quamplurima Romanorum
ædificiorum vestigia: ipsiusque Comitis sepulchrum hodierna die ab incolis ipsis
ostenditur. Oscæ autem finitima, à germano, & prisco nomine non multum abhorret.

DE CÆSARAVGVSTANÆ VRBIS OPPRESSIONE.

VRBIVM autem de mediterraneis in Tarraconensi clarissimam fuisse Cęsaraugustam Pomponius Mela auctor est in eo, De situ Orbis, non magno quidem, sed aureolo libello, quem scripsit. At Diuus Isidorus sic eam commendat, vt cùm à Cæsare Augusto & sitam, & nominatam testetur: illam esse prædicet & loci amœnitate, & deliciis totius Hispaniæ illustriorem, florereque Martyrum sanctorum sepulturis. Iam verò illud notũ,

testatumque est satis, postquam in ea Sanctissimũ Templum, *de* Pilari, vocatum, à beato Iacobo maiori Seruatoris nostri Apostolo, constructum, primum in toto orbe terrarum Beatissimæ Virgini Mariæ dicatum fuit: Christianam religionẽ numquam ab illius incolis desertam fuisse, sed retentam semper, ac pio cultú, pro Dei benignitate, seruatã. Nam post beatũ Athanasiũ, ipsius Apostoli Discipulum, quem primum Cæsaraugustanensem Episcopum memorant: beatum etiam Felicem circiter Ann. Chr. CCXXV. in eadam Vrbe sedisse constat: atque eum Diuus Ciprianus Fidei cultorem, ac defensorem veritatis appellat. Felicis autem Diuus Valerius I. successor fuit: ipsius verò Valerii Diuus Vincentius Martyr, Archidiaconus. Quo tẽpore, siquidẽ circiter Ann. Chr. CCC. maiores illi nostri celebrem illũ Martyrii triumphum in Decima persecutione Ecclesiæ reportarunt. Et ii quidẽ tot fuêre, vt Innumerabiles propterea dicti sint: Diuumq; Lambertum, ac Diuã Encratem, & Socios ad simile factum eodem ipso tẽpore, ac loco pro Christi amore subeundum excitarent. Eorum autem omnium pretiosissimis exuuiis Vrbem ipsam ornatã possidemus. Postmodum verò circiter An. Chr. CCCLXXXV. sub Damaso Papa, Gratiano Imperatore, insigne illud Nationale Conciliũ in eadem habitum fuisse ex Sulpitii Seueri, qui ipse penè tum fuit, scriptis colligitur, nonnullorum etiam Gallorum Episcoporum frequentia celebratum: quo Priscilliani Galaici, Elpidiique ac Instantii, & Saluiani error, Sanctorũ Patrum ibidẽ conuenientiũ suffragiis, damnatus fuit omnino. Ac si ad hæresim illam extirpandam, quæ tunc serpere, ac prodire cœperat, is locus cõmodior, qui tot esset Sanctorũ spoliis refertus, censeretur. Cumq; postea Arriana hæresis, pestifera, & deterrima, latè disseminata, per aliquot Prouincias manauisset, totamq; fere Hispaniã occupasset: ipsam tamẽ Cæsaraugustam Vrbẽ non attigit, q; nostri semper, Omnipotentis Dei ope, stabiles, & firmi veræ Fidei cultores permãsissent. Cuius rei Childebertus, & Chlotarius Francorum Reges ignari prorsus, cũ ingenti cõparato exercitu ad Arrianos omnes conterendos ipsam essent Hispaniã adorti: Cæsaraugustã obsederunt circiter Ann. Chr. DXXV. nostros penitus credentes esse eiusdem hæresis erroribus inquinatos. Quæ verò in ipsa Vrbe tunc gesta fuerũt, Gregorius Turonensis his verbis persequitur. *Cæsaraugustani,* inquit, *in tanta humilitate ad Deum conuersi sunt, vt induti ciliciis, abstinentes à cibis, & poculis, cum tunica Vincentii Martyris muros ciuitatis psallendo circuirent. Mulieres quoque amictæ nigris palliis dissoluta cesarie, superposito cinere (vt eas putares virorum funeribus deseruire) plangendo sequebantur. Et ita totam spem locus ille ad Domini misericordiam retulit; vt diceretur ibidem Niniuitarum ieiunium celebrari, nec æstimaretur aliud posse fieri, nisi vt eorum precibus Diuina misericordia flecteretur. Hi autem, qui obsidebant, nescientes quid obsessi agerent, cùm viderent sic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficii. Tunc apprehensum vnum de ciuitate rusticum, ipsi interrogant, quid hoc esset, quod agerent. Qui ait: Tunicam beati Vincentii deportant, & cum ipsa, vt eis Dominus misereatur, exorant. Quod illi timentes, se ab ea ciuitate remouerunt.* Sed Adon Archiepiscopus Viennensis, Annoniusq; & Gaguinus, ac plures alii scriptores, ea re audita, Childebertum, & Chlotariũ Reges, commutasse animos produnt, protinusq; ab armis recessisse, q; nostros esse veræ Fidei cultores intelligerent. Immo Episcopo Vrbis, primariisq; Senatorib. ad se accersitis, doni, ac muneris loco à nostris ipsius Vincentii Martyris stolam petiuisse, datamq; in patriã reuersos, Lutetiæ in Ecclesia sub illius sancti veneratione cõstructa collocasse. Ad hãc verò tantã beatissimi Martyris deuotionẽ Reges fuisse inductos Germani Parisiẽsis Episcopi, integerrimi, & sanctissimi viri, suasionib. Annonius testatur. At tũc in Cæsaraugustanẽsi Episcopatu Vincentiũ I. sedisse coniicio; quẽ An. Chr. DXVI. Nou. mense, Petro Consule, in Tarraconẽsi Concilio interfuisse cõstat, in eoq; subscriptũ inueniri: vel fortasse Valeriũ alterũ, à primo diuersum; quẽ circiter An. Chr. DXXXII. Episcopũ annotatum in quibusdam monumentis comperio. Atque huic postea, interpositis aliis, Diuus Braulius successit; Sancto Isidoro ætate, & amicitia coniunctus: qui circiter An. Chr. DCXXV. Sanctarum Massarũ Ecclesiam instaurauit. Sic enim priscis illis temporibus vocabatur sacer ille locus, ad Orbæ fluuii ripas in suburbano, quo nunc colitur, constitutus: ipsa siquidẽ spelunca, in qua innumerabilium Martyrũ Cæsaraugustanorũ, ac Diuæ Encratis, Sociorum, & Lamberti, Reliquiæ repositæ seruabãtur. Olim autem ibi monachos Diui Benedicti degisse, manifesta omnib. & nota res est: fuisseq; illius Fani religionem tantam, vt Ann Chr. DCLI. Eugenium à Toleto patria ad huiusmodi dictorũ monachorũ cœnobium, tanquã ad locũ religionis insignẽ ceterisq; aliis præcellentem, venisse constet: fuisseque ibidẽ aliquandiu diuersatum. Cũque in eodem esset ipsius Diui Benedicti deditus instituto: à Cindasuintho Gothorũ Rege Toletanoq; Clero in Toletanæ Ecclesiæ Antistitẽ euectũ, Eugenii III. nomine, claris vitæ operibus illustrem fuisse. Sed hac de re libet modò non alterius, quã Diui Ildefonsi

testimo-

teſtimonium afferre. Sic igitur ille. *Eugenius alter poſt Eugenium, Pontifex ſubrogatur. Hic cum Eccleſiæ Regiæ clericus eſſet egregius, vita monachi delectatus eſt. Qui ſagaci fuga Vrbem Cæſarauguſtanam petens, illic Martyrum ſepulchris inhæſit: ibique ſtudia ſapientiæ, & propoſitum monachi inchoauit. Vnde Principali violentia reductus, atq; in Pontificatum adſcitus, vitam plus virtutum meritis, quàm viribus egit.* Poſtea verò dictam Eccleſiam ad Canonicos Auguſtinianos deueniſſe proditur; longoq; temporis interuallo Oſcẽſi Eccleſiæ fuiſſe contributã. Sed noſtrorum patrũ memoria à Catholicis Regibus valde amplificata eſt, ac monachis Diui Hieronymi commiſſa, & tradita: ſub quorũ pia, fideliq; cuſtodia ipſorum Sanctorũ Reliquiæ ſumma cũ veneratione inuiſuntur. Sed huiuſmodi argumentum diligentiſſimè, vt cetera, Illuſtriſſimus Antonius Auguſtinus, Tarraconenſis Archiepiſcopus, in epiſtola, quam ad me miſit, pertractauit. Illius infra exemplũ in extrema horũ Commentariorũ parte ſubiicere decreui; vt ad communis patriæ laudẽ tanti viri etiã teſtimoniũ accedat. Ex his igitur omnibus, & aliis quamplurimis apertè vetus illud de noſtra Cæſarauguſta Vrbe dictũ, fuiſſe verum, colligitur: eam nimirũ matrem Martyrũ, ac genitricem Sanctorum exſtitiſſe; cùm hoc in munere, vt Ciuis noſtri Prudẽtii, clariſſimi Poetæ, verbis vtar, non à Pœnorũ Vrbe, ac vix ab ipſa Roma ſuperetur. Et hoc quidẽ, quod de Eugenio III. protulimus, vix Sexaginta annos ante Hiſpaniæ cladẽ euenit. Hic autem tã longè repetitus ſermo eô ſpectat, vt à naſcentis Eccleſiæ initiis ad ea vſq; tempora veræ & catholicæ Fidei cultũ fuiſſe ſemper à Maioribus noſtris retentũ, tantarum rerũ in eadem Vrbe geſtarũ tam continuata, & perenni prolata ſerie, oſtẽdamus: atq; vt cũ veſtigia noſtra, quâcumq; per vrbem incedimus, in tot Sanctorũ, ac Martyrũ veſtigiis poſita viderimus; moueamur æque, ac ſi eorum ſingula illa illuſtria facta, & glorioſa, quæ ob amorem Chriſti geſſerunt, ante oculos propoſita cernerẽtur; illamq; nobis afferant memoriã, quæ omniũ præſtantiſſima eſt, nempe vt acriùs & attentiùs de illorũ imitatione, ipſius Vrbis admonitu, quæ illis, ac nobis communis eſt patria, cogitemus. Ceterùm eidem, poſt Hiſpaniæ iacturã, ea manſit conditio; vt non afflictiorẽ, quàm reliquæ Vrbes, ſed interdũ etiam meliorem ſubierit fortunã. A cuius tandem rei narratione, noſtra huc omnis digreſſa eſt oratio. Vt igitur eo reuertamur; duos præcipuos Arabici exercitus ductores eo tempore fuiſſe commemorant; alterum, Muzam Abenzuyr; à quo Muzarabes fuiſſe appellatos nonnullis placet; alterum verò Tariff, quòd monoculus eſſet, Abenzarca Arabicè nominatum. Hi incredibili quadã celeritate nõ modò ipſi Ruderico Regi exitiũ dedêre, ſed vniuerſæ illius ditioni; quæ præter Hiſpaniã; Tingitanam prouinciã Africæ partem, propterea à Sex. Ruffo, & aliis Hiſpaniã Transfretanã, & Hiſpaniã Tingitanam vocatam, quin & Galliam etiam Gothicam, continebat. Præcipitẽ namq; Maurorum furorem victrices antea Galliæ nequaquã potuerunt, nec ipſo quidẽ Pyrenęorum muro, cohibere. In Hiſpaniã verò tanta atrocitate irruperunt, vt ex Ruderici Archiepiſcopi Toletani ſententia nulla ciuitas Cathedralis remanſerit, quæ non fuerit oppreſſa, ab ipſiſq; Arabibus occupata. Quas enim, vt idẽ teſtatur, vi non poterant ſubiugare, falſo fœdere decipiebant. Cumq; militaribus copiis inter ſe partitis, quã plures ciuitates occupaſſent; ad Cæſarauguſtæ oppugnationem ambo conuenerunt. Ea ſiue oppugnata, ſiue promiſſo fœdere intercepta, tandẽ potiti ſunt. Chriſtiani autem qui illã incolebant, alii captiui, & ſubditi, Muzarabes manſerunt: alii ſe ſe in fugã ad Pyrenæos montes conferentes, Regnorum Suprarbii, & Pompelonæ, quæ poſtea Aragonum, & Nauarræ titulis ſunt comprehenſa, inſtituta ſede, liberationis patrię initium fecêre. At verò tunc Epiſcopum Bentium in noſtra Vrbe ſediſſe apparet ex inſigni, & iucudiſſima cuiuſdam antiquitatis memoria, quàm in peruetuſto Codice ſancti Ioannis Pinnatenſis priſcis literis notatã inueni. Canonica autẽ ſancti Petri Tabernæ eſt inſcripta. Id verò ſancti Petri Tabernæ cœnobium Gothorum Regum temporibus fuiſſe celebre, inde etiam eruitur. Eſt autem in Ripacurtienſi regione ſitum. Sed noſtris ſæculis, vt audio, Ouarræ inſigni monaſterio attributum, priſcum illud idem Tabernæ nomen retinet, & magnam quoq; antiquæ celebritatis memoriam. Ex ea igitur Canonica aperte ſatis, quinam fuerit, Hiſpanię cladis tempore, Cæſarauguſtę Vrbis ſtatus, & condicio, percipietur. Nam ea tantummodò, quę ad id pertineant, annotabo: ne plus quàm oporteat, longior ſim.

SEQVITVR TENOR CANONICÆ SANCTI PETRI DE TABERNA.

VENERANDVS *pater Dauidius ſuo tempore præerat in monaſterio Tabernæ. Et beatus Belaſcutus ſub ipſo erat primus in ipſius congregationis collegio. Et merito. Qui beatus Belaſcutus quadam die ad ſcribendi ſtudium ſeceſſit. In quo ſtudio eum infirmitas corporis percuſſit. Qua infirmitate diu, grauiterque ægrotauit. Infirmitate ergo tanti viri cum omni congregatione contriſtatus eſt valde Dauidius pater prædicti monaſterii. Solito more, cum omni reuerentia, & religione,*

vt tanto viro erat dignũ, venerunt eum visitare, & secundum consuetudinem sanctæ Ecclesiæ ex Apostolica iussione Domino commẽdare; beato Iacobo dicente: Infirmatur aliquis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eũ oleo In nomine Domini: & oratio Fidei saluabit infirmũ. Quã itaq; reuerentia visitato ……………… & omni cura, Ecclesiastico ordine, cœperũt reuocare memoriæ condicionẽ monasterii Tabernæ. Sed quia ceteris erat difficillimum, & antiqua vetustate contradictum: omni solicitudine à beato Belascuto condicionem Ecclesiæ Tabernæ voluerunt inquirere; vt qui, vt diximus, sicut erat maior merito, ita & ætate. Hic itaque beatus vir acquiescens precibus Abbatis, & congregationis, fideliter, veraciterq; reuocauit in memoriæ pro posse condicionem monasterii Tabernæ. Et sic incipit narrare. Nullus enim posset hoc dicere, postquã ipse esset egressus è corpore. Hîc plura continentur, quæ ad propositum sermonẽ nihil attinent. Quæ verò omnino pertinere visa sunt, ea sunt huiusmodi. *Decimo quinto anno Ordinationis suæ:* loquitur autẽ de Bentio, quẽ sæpius beatissimũ Cæsaraugustanũ Episcopum appellauerat: *furor persequutionis inualuit. Quo tẽpore Rudericus Rex præerat Hispaniæ: & Sarraceni Hispanias sunt ingressi. Quorum furore persequutionis nullus Christianorum ante eorum oculos viuus remanere potuit. Hac persequutione cõperta, sanctus Episcopus Bentius omnes discipulos suos in vnũ congregauit: & cum lacrymis ait. Videte Fratres, quanta sunt peccata Christianorũ, vt diuina vindicta super nos mittat impiissimam gentẽ Sarracenorum. Nunc ergo filii acquiescite consiliis patris vestri, & cũ codicibus vestris, & cũ brachio Sancti Petri Apostoli, & cũ aliis Sanctorum Reliquiis aut Romã pergamus, aut ad montes, vbi nos Sarraceni inuenire non possint, fugiamus. Cui vnus discipulus proterua mente respondit. Nuntius venit ad nos de impiissima gente Sarracenorum, per quẽ promittunt, & iurant: vt quicunq; Christianorum cum eis habitare voluerit, se eis nullum malum facturos. Isto malo consilio turbati ceteri nõ acquiuerunt consilio patris. Cum ergo audisset sanctus Episcopus, quod discipuli sui non acquiescerent consilio salubri, nocte superueniẽte, brachiũ sancti Petri Apostoli, & Reliquias multorum aliorum Sanctorum accepit, & cum paucis de suis occultè de ciuitate fugit. Eodem tẽpore in terra ista Armentarius Comes erat. Ad quem beatus Episcopus fugiendo peruenit. Et ipse clementissimus Princeps vt eum vidit, quod conquereret, quid vellet, interrogauit. Cui beatus Episcopus ait: Cæsaraugustanus Episcopus fui, à facie Sarracenorum nunc fugi; & rogo te multum, vt si habes in terra tua Ecclesiam in loco tutissimo positam, dona eam mihi, vt habitans in ea brachium sancti Petri Apostoli, & Reliquias beatorum Martyrum, seu Confessorum, quas mecũ habeo, recondam ibi. Cui benedictæ memoriæ Armentarius respondit: Habeo Ecclesiam terminis locis positam, in honorem Sancti Petri Apostoli ædificatam; placet accipere eã, & has pretiosissimas Reliquias recondere in ea. Beatus igitur Episcopus Bentius audiens, magno gaudio repletus, ad monasterium nostrum venit: &, vt decebat, Abbas noster Domnus Donatus cum congregatione tota eum honorifice suscepit. Venit enim cum magno thesauro. Et tempore suæ vitæ transiens, felici fine, requiescit in eodem loco. Eodem tempore strenuissimus Rex Carolus super gentem Francorum regnabat. Ad quẽ misit me Domnus Donatus: & indicaui omnia, quæ erant gesta. Igitur ipse vt audiuit talia, promisit se venturum cum maximo exercitu, & cum nimio alimoniarũ apparatu Hispanias; vt Sarracenos inde eiiceret, & libertatem patriæ redderet. Et propter amorẽ Sancti Petri Apostoli dedit mihi auctoritatẽ libertatis monasterii nostri; & insuper multa munera mihi cõcessit, & cũ omni prosperitate ad nostrũ monasterium me remisit. Ergo post regressum meũ à Francia, sanctus Episcopus Bẽtius adhuc viuebat, & ordinauit diẽ, vt dedicaret noua Altaria, in quib⁹ sanctissimas recõderet prædictorũ Sanctorũ Reliquias. Consecrauit igitur Altare in honore Sãcti Petri Apostoli, in quo reposuit brachiũ eiusdẽ Apostoli; & Reliquias de vestimẽto Beatæ Virginis; & Reliquias de corpore Sancti Pauli Apostoli; & Sãcti Andreæ, & sancti Iacobi, fratris sancti Ioannis Euãgelistæ, & pretiosissimas Reliquias de sancto Laurẽtio Leuita, & Martyre, & alias multas Sanctorũ Reliquias, quas modo nõ valeo nominare mea humilitate. Cõsecrauit Altare in honore sancti Ioãnis Baptistæ. In quo reposuit Reliquias; Vasculũ argenteũ, plenũ ex beatorum Apostolorum pretioso sanguine: & hoc dictum est certissime: & cineres de corpore sancti Ioannis Baptistæ: & de vestimento, & capillus sancti Ioannis Euangelistæ; & Reliquias aliorum plurimorum Sanctorum: quas propter numerositatem nõ potui reddere memoriæ. Consecrauit etiam Altare in honore sancti Stephani Protomartyris. In quo reposuit duos digitos de corpore eiusdem Martyris; & Reliquias de corpore sancti Bartholomæi Apostoli; Sancti Barnabæ Apostoli, & sancti Cipriani Martyris: & caput sanctæ Nulionis: & spatulam sanctæ Alodiæ: & Crucis particulam de lignum Domini. His ergo rebus venerabiliter completis, conuocatis Episcopis totius prouinciæ ordinauit diem Dedicationis Ecclesiæ. Et fuit dedicata cum magna honorificentia. Huic Dedicationi interfuerunt septẽ Episcopi, & prædictus Comes Armentarius, & vir nobilissimus nomine Redemptus, & ego peccator Belascutus. Et iuro vobis fratribus meis dilectissimis per diem tremẽdi iudicii, quod hoc, quod vobis exposui, in veritate dixi: quia oculis meis vidi: & aliqua, quæ non vidi, de ore fidelium audiui: …… Hæc Beat⁹ Belascutus dixit, & infirmitate pressus siluit, & bonis operibus …… Kal. Aprilis: ad cœlorum*

regna

regna transiuit: & iuxta Altare Sancti Petri Apostoli sepultus .·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.· *Imperante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat per omnia sæcula* :.·.·.·.·.·.·.·.·.·.· *Sunt Reliquiæ multæ: quorum delectatu sunt notamina. Et ibi est caput* :.·.·.·.·.·.·.·.·.: *In minori verò est Vasculum argenteum, in quo habentur multæ Reliquiæ Sanctorum*:·.·..·.·.·.:·.·.·.·.: *Iusti, & Pastoris & Sanctarum Iustæ, & Rufinæ. Et est ibi scriptum, sicut superius prænota*:·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·. *Belascuti. Ita vidimus esse in Altaribus.* Hæc itaq; in ea Sancti Petri Canonica memorantur. Quibus quæ fides adhibenda sit, affirmare non ausim. Affirmabo autem nimis verè, me ita ea omnia exarata inuenisse in dicto peruetusto Codice Pinnatensi, antiquis literis, atq; adeo veteri pergameno descripta, vt magnã speciẽ præseferant, meo quidẽ iudicio, veritatis. De Bentio autẽ nihil sanè vspiam mihi legisse videor: tantũmodò cõiectura ducor ad suspicandũ, eum continenter Baldifredo Episcopo successisse, cuius in Decimotertio Concilio Toletano Ann. Chr. DCXXCIII. Eruigio Rege, habito mentio fit. Siquidẽ in eo Freydebandus Abbas, Vicarius Baldifredi, Episcopi Cæsaraugustani, subscriptus exstat. Et eundem etiam Baldifredũ constat interfuisse duobus aliis Conciliis Egicæ, siue Egicanis Regis temporibus in eadẽ Vrbe Toletana, habitis: priori quidẽ, Ann. Chr. DCXXCIIX. Posteriori verò, Ann. Chr. DCXCIII. à quo septẽ tantum anni interserũtur vsq; ad Ann. Chr. DCC. quo Bentiũ Cæsaraugustanæ Ecclesiæ pręposit um fuisse, Belascuti testimonio comprobatur. Annum enim Hispaniæ cladis, quẽ DCCXIIII. fuisse diximus; Belascutus ipse decimum quintum Annum Ordinationis, id est, vt interpretor, Episcopatus ipsius Bentii Episcopi nominauit. A numero autẽ annorum Hispaniæ cladis quindecim his annis deductis, fit æque, vt Bentius Episcopatũ dicto anno DCC. obierit: qui non longiori quàm septem annorũ interuallo, ab vltima ea Baldifredi Episcopi memoria distat, quã retulimus. Sed mihi propositũ hoc loco non fuit Cæsaraugustanorũ Antistitũ narrationẽ persequi. Nã id in eum librũ differimus, quem de eorum serie à nascentis Ecclesiæ initiis ad hæc vsq; tempora meditamur. Fuere autem plures alii, quàm à me supra memorati sunt: quorũ nuda tantũ nomina curabo in extrema huius Capitis parte in lectoris gratiã percensere. Illud tantũmodò facere studui, vt Bentiũ Baldifredo successisse, eorumq; ac tẽporum rationẽ, perquã optimè cũ dicto Belascuti testimonio cohærere, indicarẽ. Et verò Donatũ eo tẽpore, Abbatẽ esse Tabernæ monasterii, de quo hæc gesta ponũtur, ex iisdẽ ipsis Belascuti verbis perspicuũ fit: itidemq; tunc Armentariũ Comitẽ apud nos alicuius magnæ ditionis, ac Ripacurtiẽsis fortasse, fuisse potitũ. Sed eorũ nullã aliam, præter eam, mentionẽ obseruaui. Redempti verò nomẽ in vetustis aliis monumẽtis memini profectò me legisse, tenuisseq; illustris viri locũ apud nos: non tamẽ quo anno, præterquam in hæc tempora. Tot autem Sanctorũ Reliquias, & quod magnũ est, sancti Petri Apostoli brachium ad nos vnquam allatum, stupesco; tamdiuq; si ita est, in eodẽ Tabernæ monasterio asseruari: cũ tantæ rei nullam memoriã, neque in priscis Annalibus, neq; in posterioribus, tũ nostris, tum etiã externis inueniamus. Audio tamen, dũ hæc scribo, in Ouarræ monasterio, cui dictũ Tabernæ cœnobiũ, vt paulo ante diximus, attributũ fuit, brachium quoddã in maximo honore haberi sub nomine sancti Petri Heremitæ, non autẽ Apostoli. Fortasse à nominis similitudine ortus est error. Quod si id verũ esset, & gloriãda, & prædicanda, & multis aliis antiquitatibus nostris præferenda hæc esset. Sed istius veritatis inquisitionẽ nemo à me exigat: eis enim, qui plus pollent antiquarũ rerum scientia, libenter concedo. At dũ ibi Caroli Francorũ Regis mentio fit: nõ Carolo Magno, sed de Carolo Martello, Pipini patre, intelligi debere existimo: quẽ circiter Ann. Chr. DCCXXV. Francis imperare cœpisse, Annales eorũ attestantur. Quid? quod, & referri ea potuissent ad Carolũ Magnum, Pipini filiũ. Is enim, vt auctor est Aemilius Ann. Chr. DCCLXIX. Regnum iniit. Quo tempore, seu nec diu postea, Belascutus eũ Galliæ inuisere potuit, cùm tantum ætate processisset, vt illius oratio senectutis plena à Dauidio Abbate & aliis Monachis, Belascutum ipsum, moribundũ iam de antiqua monasterii condicione sciscitantibus, haberetur. Ille autẽ moriens, cũ iam ceteris ex partibus oppressa mens esset, extremũ videtur sensum suũ ad proferendam istius antiquitatis memoriam reseruasse. Sed mihi magis placet, vt ea gesta ad Carolum Martellũ referamus. Ceterùm Belascuti obitus dies, & multa alia ob vetustatẽ legi nõ potuerũt: propterea à nobis adhibita fuere tot puncta. Iam verò, ne lõgius labar, quisnã Cæsaraugustanæ Vrbis status fuerit, cùm in Maurorũ potestatem venit, ex ipsius Canonicæ verbis apertissimè elicitur: simulq; etiã verũ esse id, quod omniũ traditu est sermone, plures in ea Christianos, falsis Arabũ promissionibus deceptos, mansisse, vectigalia ipsis Arabibus persoluentes. Vt enim Episcopus Bentius testatur, noluerunt salubri illius consilio acquiescere. Hi ergo postea septi, & inclusi in Parrochia Virginis Mariæ *de* Pilari, quamdiu Mauri Vrbẽ tenuerunt, habitarunt. Quo

tempore Societatem, vulgò Confratriam, Beatæ Mariæ Maioris, & *de* Pilari, per insignẽ, antiquissimamque etiam in antiquissimis monumẽtis vocatam, initam fuisse, maiorum memoria traditum est, veteribusque apparet ex scriptis: quamuis nonnullis altiora illius initia repetenda videntur. Iam illud satis liquet, clarissimo illius, ac religiosissimo Templo, eodem ipso tempore Maurorum, non modò Ecclesiasticos viros, sed quandoque etiam ipsos Vrbis Episcopos præfuisse. Qui verò à nascentis Ecclesiæ primordiis ad Arabũ in Hispaniam aduentum (cuius rei narrationem hoc loco suscepimus pertractandam) in ea Vrbe Episcopi sederunt; hi sunt. S. Athanasius, Beati Iacobi Apostoli Discipulus, ê nouem ab eo, vt proditur, ad Christianam nostram Fidem Conuersis vnus. S. Felix: S. Valerius I. Valerius II. Clemens: Costus: Vincentius I. Lucius: Valerius III. Vincentius II. Simplicius: Maximus: Ioannes: S. Braulius: Taius: Baldifredus: ac Bentius tandem, cuius causa in hanc incidimus eorũ, qui ipsum antecesserunt, mentionem. Ceteros autem, qui post eum ad nostram vsque ætatem sequuti sunt, nominatim alio in loco curabimus proferendos. Sed nunc ad rem.

DE SVPRARBIENSIS REGNI INITIIS.

CVM multæ autem, ac variæ sint scriptorum sententiæ, quo tempore Suprarbiense Regnum orsum fuerit, quique primi eidẽ præfuere, Reges ne, an Duces bellorum, censendi sint: nos res gestas persequemur, Regumq; & temporũ seriem, quemadmodum in opinione nostra posita est: posteà instituta disputatione, in qua veritas limetur, consilii nostri rationem explicabimus. Nec vero me fugit, nequaquam esse diligenter nimis in ea, quæ à maioribus sunt tradita, inquirendum. Sed confusius acta res est, quàm quæ potuerit rectè silentio præteriri. Quamobrẽ nequaquam verebimur, dũ oporteat ad ipsam veritatem illustrandam, tritas relinquere, & nouas alias inusitatas vias indagare: præsertim cùm iis vti tantummodò argumentis statuerimus, quæ perspicua omnibus nitantur veterum monumentorum veritate. Itaque perducam nunc ad finem, quàm antea cœperam enarrare patriæ nostræ iacturam: vnde Suprarbiensis Regni initium ductum est.

Cæsaraugustana igitur Vrbe ab Arabibus capta, & oppressa, breui tempore omnia circumcirca opida, municipia, ac regiones in eandem prorsus fortunam deuenerunt. Christiani enim, qui tunc ea incolebant, à quorum maiori parte de ipsa conditione seruiendi, ab infidelibus oblata, recusatũ fuit, patrias suas deserentes, aufugerunt; montosaq; Pyrenæorũ loca petentes, in ipsis asperrimis saxis mansiones suas, quasi casas, pastorũ more, lignis, syluestriumq; arborũ frondibus tectas, collocarũt. Cùm autẽ sparsi cũ Arabibus sæpè decertarẽt: ipsos superare nõ poterant. Itaq; Trecenti ferè ex ipsis collecti, speluncam prope Iaccetanam Vrbẽ in Vruelis monte sitam, natura loci omni aditu circumcisam, ingentiq; crepidine obsessam, sibi in arcẽ statuentes, communierũt, sperantes se in eadẽ, vt Pelagio ad Asseuuæ montẽ euenerat, Arabũ furorem euasuros. Vnde nostris aliquandiu non receptaculo solũ, sed incursionibus etiam, ac molestiis in hostes inferendis aditus cœpit patere. Abdulazizius, eo tempore, in locũ Muzæ Abenzuyri, eius patris, præfecturæ Arabum in Hispania sub eodem Alcalifa Vlith præpositus erat: Egilonamq; Ruderici Regis viduã, vxorem ducens, Hispali sui imperii sedem constituerat. Is, vt accepit, quæ à nostris ex spelunca parabantur, timens, ne sibi, & suis inde, quemadmodum à Pelagio ex Asseuuæ monte, aliquod graue damnũ inferretur, ad nostrorum impetus coercendos statim iussit suorũ militares copias accersiri. Quarum ductor effectus quidã Abdemelichus Abencatanus, speluncã ipsam obsidione cepit: Christianosque omnes, qui ibi aderant, nedũ viros, sed feminas, ac paruulos lactentes, vberibusque matrũ inhiantes, gladio iugulauit, ac præsidia omnia, ibi à nostris parata, funditus euertit. Cuius ruinæ nonnulla hodie exstãt vestigia. Deinde ad finitima loca arma conuertens, horribili furore, ferro, igneq; cũcta vastauit. Sed Abdulazizio à suis Ann. Chr. DCCXIX. Hispali interfecto, Abdelelichus, ea re cõperta, de priuatis reb⁹ cogitans, suas copias reuocãdas statuit, ad planiciemq; regressus fuit, in arcib⁹ primariis, suorũ præsidiis cõstitutis. Tunc nostri, q cladem euaserant, fusique per agros vagabãtur, erigere animos cœperunt, & ab hostili metu plusculum respirare. Abdemelicho namq; ad plana loca descendente, seditionibus ciuilibus inter suæ factionis gentes subortis implicato, nostri in montanis ipsis, & vicatim habitare, & liberius degere potuerunt. Euenerat autem, vt quidam integerrimus, ac sanctissimus vir, nomine Ioannes, iam ante incolere cœpisset speluncam illam, in ipso Vruelis monte, vt diximus, constitutã. In qua Sacellum Diuo Ioanni Baptistæ dicatum, tenue, & exile, q eius facultas fuerat, construens, omne tempus ætatis suæ, Anachoretarum instituto deditus, piè, ac religiosè traduxerat: meliùs sibi statuens in summa egestate degere vitã inter feras, quàm cũ hominibus in eo motu temporum, tantaq; rerum conuersione, ac pertur-

batione

batione versari. Is ab Atares nomen suum traxerat, Ioannesque Ataresius dictus fuerat, quòd opidulo ita appellato natus fuisset. At dum mortuus fuit; magna à nostris coli religione cœpit: iam vt sine vlla dubitatione crederetur in cõcilio Cælestium collocatus. Istius ergò tanti viri duo Cæsaraugustanenses fratres, Otho, seu Voto, ac Felix nominati, & vestigia persequi, & eadem ipsa inire vitæ, ac virtutum cubicula decreuerunt. Cumq; aliquantulum progressi fuissent in eo genere, cursuq; viuendi: mox eosdem alii duo consequuti sunt, Benedictus liquidem, & Marcellus. Hi mira religionis societate cõiuncti, Orationibus, ieiuniis, aliisq; virtutum operibus Omnipotenti Deo assiduè vacabant. Tot itaque claris sanctitatis testimoniis clarior ille locus effectus, à nostris cœpit frequenter visitari. Eò namq; conuenientes, in tuenda Fide Catholica, ac ferendis patiẽter aduersitatibus non mediocriter confirmabantur. Dei tandem nutu, cùm aliquando illuc plurimi Christiani vndique collecti cõuenissent, seq; patria pulsos, vastas montium solitudines, quæ alioquin feris à natura datæ fuerant, nec dum tanquam aduenas, aut hospites, sed tanquam prædones potius, incolentes viderent, ac pia, & sacra loca ab ipsis Mauris, tot victoriis grassantibus, profana haberi: quæ summa Dei bonitas est, effecit, vt in hac maiori nostrorum mœstitia, & languore insperatæ sibi salutis adsciscendæ amplissimus aditus patefieret. Quippe cùm Infantis Pelagii, ac suorum in Asturia splendor, & virtus aduersus Fidei hostes, indies crebrius perueheretur, & quæ, ac quãta mirabilia illis decertantib. contigissent: nostri, vt credere licet, Diuina quadã vi ad paria aggrediẽdum excitati, vnicum sibi refugium, ac tot malorum remedium statuerunt, videlicet: ¶ *VT* legibus militaribus astricti in Maurorum ruinam sub Vnius tandem imperio conuenirent. ¶ Vnde Suprarbiensis Regni initium ductum fuit.

SVPRARBIENSES REGES VII.

GARSIAS EXIMINI, SVPRARBIENSIS REX I.

MAGNIS namq; prius ad Aediculam illam Sacrã ab omnibus actis vigiliis, ieiuniisq; nec non & Orationibus, ac precibus multis, vt Omnipotens Deus placaretur, effusis, demũ quadã die, Sacrificio Missæ Sanctissimo celebrato, vna voce, suffragiisq; cunctis, Garsias Eximini, fortis, & strenuus vir, qui & ipse Regio Gothorũ sanguine, vel, vt aliis placet, Hispano genere antiquo ortus erat, tanquã pręcipuus militariũ copiarũ ductor, atq; imperator, elect⁹ fuit, & cõstitutus Rex. Is ante Hispaniæ excidiũ, locorũ Amescuę & Abarcucę in Cãtabrorũ regione fuerat potit⁹. Quib. postea à Mauris occupatis, se in eã altitudinẽ montium contulerat. Cumq; in ipso congressu adesset, Regali titulo salutatus fuit. De Anno, quo hęc gesta fuere, inter scriptores nõ conuenit. Multi.n. multa dicunt. Nos potissimùm hac in re antiquam Pinnatẽsem historiã sequemur: quòd nulla ea certiora, magisve illustria nostrarũ rerũ monumẽta statuamus: à quibus videtur non multum differre Beutherius Valentinus. Itaq; vt ex his percipi potest, circiter Ann. Chr. DCCXXIV. hæc facta coniicimus. Garsiam autem hunc non Ducis, sed Regis nomine insignitum fuisse, vetus, ac constans opinio est; à nostrisque propterea id consultò fa- 724
ctum, vt & sibi ipsi nouæ dignitatis tuendæ nouus stimulus adderetur, Maurosque Regalis nominis maiestate maior timor inuaderet: iam vt ferè Regni nostri inita iure possint Pelagii Regni initiis adæquari. Nouus igitur Rex noui Regni obeundi sibi traditam molem suscipiens, iurisiurandi religione omnes nostros astringi voluit, quæ sibi placerent, sequuturos. Ea autem cùm præstaretur; nostri plures animi magnitudine, quàm numero, quasi futuri boni euentus præsagi, insultantes, nouo quodam bellico furore perciti sunt. Aderant autem non longè à Iaccetana Vrbe. Ad illius tamen expugnationem adeundam minimè se fore statuerunt viribus, aut potentia æquales: eò quòd esset Maurorum firmissimo præsidio communita. Vt autem eis nuntiatum fuit, ab Aynsæ opidi irruptione, quod Ripacurtiensi ditioni est finitimum, non tam difficili aditu prohiberi: noctis silentio, Iaccam prætereuntes, ne à Mauris deprehensi impedirentur, per deuios saltus iter facientes, improuisò in ipsum Aynsæ opidum irruperunt. Atque vt sperabant, euenit. Nostri enim Aynsam occuparunt: breuiq; Christianorum vndique omnes suas copias eò contrahentium collecta multitudine, castellis, atque arcibus eam communire cœperunt, vt quos timebãt hostium impetus, sustinere possent. Mauri illico, permagna suorũ armatorum manu comparata, nostris immane excidium laturi conuenerunt. Maximam enim victoriæ spẽ in ingenti eorum numero reposuerant. At Garsias Rex non intra mœnia cõtinere solùm, sed Mauris obuiã ire posse ratus; acie cum illis dimicaturus contẽdit. Innumerabilem autem eorum multitudinem vt inspexit, ad extre-

ma ventum arbitratus est, neque aliunde petendum esse, quàm à Diuino numine præsidium. Cumque sibi, & suis necessariò confligendum videret, in Diuinæque virtutis auxilio, potius quàm in humana vlla potentia relictam spem: nostris animos addere, & ad gloriosam mortem obeundam excitare cœpit. Ipsis tunc, omni spe dempta, ad necem, vt credebant, properantibus, memoriæ proditur, cæleste signum in aere apparuisse: Crucem scilicet rubeam, supra viridem arborem, Quercum nomine, aureo veluti in clypeo positam. Qua inspecta, certissimum sibi futuræ victoriæ præsagium statuentes, ad acrius pugnandum commoti sunt. Itaque Diuinam opem, ac beati Ioannis Baptistæ implorantes auxilium, quòd pro Fidei veritate certarent; libero cursu in Mauros irruerunt; summaque dimicantes contentione, tandem omnes eorum copias profligarunt; Garsiam ipsum denuo, quòd tam gloriosè de Mauris triumphasset, Regem Gloriosissimum, & Inuictissimũ, maximo applausu, & perhonorifica militari cõgratulatione, acclamantes. Inde ea Regio Suprarbiensis Regni nomẽ sortita est: Suprarbiensique Regno, Regi, & posteris cęlestis supra arborem Crucis signum, Regiæ dignitatis stemma clarũ enituit. Neq; aliundè fluxisse, constãti, veteri, & illustri fama, literisque & memoria celebratur. Aynsæ autem opidum, arx primaria nostris constituta, propterea caput fuit antiqui Suprarbiẽsis Regni: in cuius nomen paulatim, quæ acquirebantur opida, cessêre. Garsias verò Rex tanti diuinitus in se collati beneficii non immemor, Sacellum sancti Ioannis Baptistæ in Vruelis monte, vt diximus, situm, plurimis donis ornandum, & locupletandum curauit: quod postea celebre fuit sibi, & posteris Regibus monumentum. Ab ipsa autem rupe vasta, in qua erat excissum, sancti Ioannis *de* Pianna dictum est. Multæ postea res à nostris contra Mauros feliciter gestæ sunt; nonnullaque opida in Cantabria ab eorum manibus erepta & seruata: quibus Garsias Rex Suprarbiense Regnum, suamque ditionem amplificauit, & auxit. Tandem amplissimam gloriam propterea consequutus, mortem obiit,
758. Beutherio teste, Ann Chr. DCCLVIII. Eo mortuo, ad Garsiam filium ex Innica, seu Enenga vxore susceptum, ob eamque causam Garsiam Innici appellatum, omnium consensu, & voluntate Regnum delatum est. Et verò habita temporum ratione, dicere cogimur, primi istius Regis filiam fuisse, Memeranam, seu Muninam illam, quæ ex Alfonsi Sapientis, Castellæ Regis, Toletanique Archiepiscopi Ruderici sententia, Ann. Chr. DCCLV. Froilæ, seu Fruelæ Legionensi Regi nupta fuit. Nam etsi ea alioquin illius Hedonis, Andecæ filii, filia statuatur, à quo postea nostri Aragonenses Comites, vt paulo post demonstrabimus, profecti fuere; veruntamen ipsi ambo in suis scriptis memoriæ prodiderunt, Muninam illam, Regia Nauarrensi progenie ortam esse: iam vt Garsiam hunc, Regem extitisse, graui hoc eorum testimonio comprobetur; cùm in hæc tempora neminem alium, præter eum cis Pyrenæos regnasse perspicua omnibus, & nota res sit. Suprarbiensem verò, non autem Nauarrensem censendum esse, & quid ipsi senserint; indicabimus postea in eo Capite, in quo varias scriptorum sententias de Suprarbiensis Regni initiis perstringemus. Fabricius Gaubertus, nonnullique alii, qui res nostras scriptis prodidêre, in hac prima istius Garsiæ Eximini Regis electione antiquum Suprarbiense Ius cõditum, Magistratumq; Iustitiæ Aragonum institutum tradunt. Nos aliorum sententiam sequuti, ea primo Interregno, de quo paulò post, subiicienda diximus: tametsi hoc tempore aliquod illis initium fuisse datum, facillimè credam.

GARSIAS INNICI I. SVPRARBIENSIS REX II.

GARSIAS ergo filius, eodem Ann. DCCLVIII. Regnum adeptus, amplificandæ ditionis suæ cupiditate commotus, bella cum Mauris acerrime gessit, nonnullaque ab eorum potestate opida eripuit. Inter quæ, Pompelon, Vasconum primaria Vrbs, magis, magisque sui nominis gloriam illustrauit. Ea, Irunensis ciuitas vernacula lingua vocari consueuit; Bambalonamque Carolus Princeps, nimirum ab Vuamba Rege, minimè verò Pompelonem, seu Pompeiopolim, à Pompeio Magno, vt plerique tradunt, nominatam vult. Qua de re tam feliciter gesta, siquidem quòd tam celebrem Vrbem à fœda Maurorum seruitute liberasset; ad Leonem III. Pont. Max. legatos decreuit Garsias Rex, Maurorumque vexillum misit, quod in ipsa expugnatione ceperat, tanquam victoriæ partę signum, & trophæum. Inde Pompelonensis, siue Pompelonensium Rex vocatus fuit. Nec diu tamen tantæ Vrbis potitus. Paulò etenim post in Maurorum dominatum rediit. Et verò eam constat tristissimis illis temporibus in magna varietate, ac conuersione rerum versatam fuisse, atque adeo etiam totam ferè Nauarræ

Prouinciam. Nam & à Mauris sæpius vi oppressa fuit: tum & ab Asturiarum Regibus, tum & à Suprarbiensibus nostris obtenta; ac tum in Gallorum quoque decidit imperium, cùm Carolus Magnus, Pyrenæos transcendens, à Maurorum manibus extorsit illã, funditusq; ipsius muros iussit euerti. Propterea nec mirum, quòd quæ tot fluctibus fuerit iactata, plures etiam expugnatores habuerit. Quorum vnus, hic Garsias Rex fuit: parumper tamen, vt diximus, eiusdem potitus. Deniq; Regio munere gloriose perfunctus, interiit An. Chr. DCCCII vel circiter. In Pinnatẽsi Sacello sepultus fuit. Fortunium filium reliquit, Suprarbiẽsem Infantem appellatum, qui illius protinus suffectus est heres. 802. De cuius matris nomine compertum nihil habeo: prȩterquã quòd ex priscis quibusdam Pinnatensis Ecclesiæ monumentis, quæ apud me exstant, Domnam Totam, colligitur eam dictam fuisse. Sub hoc autem secundo Suprarbiensi Rege Garsia, Azenarius vir clarus, & præstans, primus iniit insigne Aragonum Comitis nomen, ac munus.

ARAGONENSIS COMITATVS INITIVM.

NAM interea dum Pompelonense, quod diximus, bellum ab ipso Garsia Innici, Rege gerebatur; memoriȩ proditur, strenuum quendam militem, Azenarium nomine, Hedonis Aquitaniæ Ducis Nepotem, ex Cantabria in hæc Pyrenæorum loca aduentasse, ipsius Garsiæ Regis stipendia mériturum. Is Iaccetanam Vrbem adortus, ea, nonnullisq; aliis finitimis opidis, sua, suorumq; virtute expugnatis, ab ipso Rege donatus fuit: atque vniuersæ huic regioni, quæ vix decem & sex millia passuum latè, longeq; patebat, Comes præfectus. Cumq; à duobus Aragoniis fluminibus, quorum ripis ferè constituitur, Aragonia vocaretur; his temporibus Aragonum Comitatus nomen adsciuit: à quo postea Aragonenses Comites fluxêre. Aragonensi verò Comitatu, & Suprarbiensi Regno, deinde subiunctis, clarum inde, vt infra explicabimus, Aragonum Regni nomen dimanauit: quod postea clarius in toto Orbe terrarum clarissimis victoriis factum fuit. Sed de his iã dicendi locus erat, cùm ipsorum Comitum seriem persequemur. Quare nunc ad institutam de Suprarbiensibus Regibus sermonem redeamus.

FORTVNIVS I. SVPRARBIENSIS REX III.

FORTVNIVS itaq; I. Garsiæ Innici F. Garsiæ Eximini N. quẽ Suprarbiensem Infantẽ, quasi heredẽ Regni futurum, vocari solitum memorauimus, patris mortui fuit, omnibus annuentibus, imperium consequutus. Illud verò Fortunii nomen idem cum Ordonio esse quibusdam placet. Vix terdecim annos regnauit. In his autem amplissima gesta celebrãtur. Anno enim ipsius Regni Septimo, Natalis autem Chr. DCCCIX. ad Pyrenæi radices (Roncauallis 809. loco nomen est) pugnam illam cõm̃ni famã constat: qua, vt Aemilii Gallici scriptoris verbis vtar, *nulla vnquam Francorum clade nobilior, nec fama celebratior visa est*: siquidem in ea notissimi illi Francorum Duces, ac primarii heroës deuicti, Bernardi Carpii memorabili, & eximia virtute, Marsilio Mauro Cæsaraugustanensi Regulo, opem ferente interiere. Ac Garibaio quidem probabile fit, hunc Fortunium Regem eo in prœlio interfuisse; acriterq; in Francos dimicasse. Sed incertum existimo; saltim à nullo alio præterquã ab eo testatum comperio. Et verò, vt ego arbitror, quo tempore ea pugna commissa fuit, Nauarra in istius nostri Fortunii Regis potestate non erat: sed sub illius Alfonsi Legionensis Regis imperio, qui ab ipsis Francis clarissimam huiusmodi victoriam reportauit: tametsi sat scio id Ambrosio Morali, grauissimo Historico nequaquam placere. Illud quidẽ satis exploratum est, quod idem ipse Garibaius scribit, Fortunium hunc, aliquot Maurorum copiis in ditionem suam insultantibus cùm obuiam prodiisset, ad opidumq; Olcassæ, acies conuenissent, vtrinq; postquam diu acriter pugnatum fuit, fuisse tandem ab ipsis Mauris celebrẽ victoriæ triumphum consecutum: Roncallensisq; vallis habitatoribus, quòd in eo prœlio prȩstantem operam nauauissent, insigne illud Ingenuitatis, qua hodie gaudent, Priuilegium irrogasse. Quod Garibaius ipse se legisse perhibet: in eoq; istius Fortunii Regis, ac Santii filii, qui continenter sequitur, clarissimam fieri mentionem: Vt hos Principes, qui primi nobis præfuere, Regale nomen adsciuisse, dubitandum non sit. An verò Suprarbienses, an Pompelonenses, seu Nauarrenses dicti, ea controuersa res est, plenaque dissensionis inter scriptores: de qua infra, vt à me paulò est ante dictum, copiosius disputabo. Demum Fortunius hic Rex, fugatis Mauris, ditione sua aliquantulum pacata cõstituta, circiter Ann. Chr. DCCCXV. mortuus fuit: illiusque corpus in Sacello Pinnatensi humatum. 815. At Galindum, Comitem Secundum, constat sub eius imperio Aragonensibus præfuisse.

SANCTIVS GARSIÆ, SVPRARBIENSIS REX IV.



SANCTIVS igitur Garsiæ, Suprarbiensis Rex IV. Fortunii. I. F. patre mortuo Regnum occupauit. Iam enim vsu inoleuerat, vt Regale munus ipsi stirpi Regiæ traderetur. Illud verò Garsiæ nomen apertè constat Regem hunc, patrem, atq; auum, in illius Garsiæ Eximini, primi Suprarbiensis Regis, memoriam vsurpasse. Tum & illud etiam sat liquet, quod omnes testantur, Nauarræ Prouinciam, totā ferè huic Regi Sanctio in sui Regni initiis subditiam fuisse: siue quòd à Legionensibus Regibus desciuisset iam, siue fortasse quòd à Mauris vindicata, de eorum manibus nunc eriperetur. Sed quid id euenerit non proditur. Hoc tamen certum ponitur, hunc ipsum Regem cum in ipsos Mauros denuo prosilientes, magno comparato exercitu Decimo se-
832. ptimo Regni sui anno, qui fuit Ann. Chr. DCCCXXXII. prœlium committeret: hostium multitudine circumuentum, vna cum Quinto Aragonum Comite, Garsia, fuisse necatum. Siquidem sub hoc Rege tres Aragonum Comites extiterunt: Eximini scilicet duo, qui tertius & quartus, Comites numerari debent; ac vnicus iste Garsias, qui quintus ordine Comes fuit: ac verè quidem non honoris tantum, sed & calamitatis comes, ac socius appellandus; quandoquidem vna cum hoc Rege victus simul, & occisus est. In hoc autem prœlio Muzam Abenheazin, tertium Cæsaraugustanensium Maurorum Regulum, Arabici exercitus ductorem fuisse comperio. Etenim is, cùm alioquin Christianus natus fuisset, Mahmeticæ sectæ se addixerat: & à Cordubensi Rege deficiens, Toletum, Valentiam, Cæsaraugustam, Tutelam, Oscam, ac magnam denique Hispaniæ partem parere sibi coegerat armis, & vi. Quarum rerum magnitudine elatus, superbum Miralmuminimii Hispaniensis cognomentum, quo inter Arabes summa Imperatoria Maiestas designatur, vsurpauerat. Postea Pyrenæos transcendens, Galliam Gothicam inuasurus; à Carolo Caluo Francorum Rege, qui eius potentiam non mediocriter pertimuerat, magnis muneribus, ac donis delinitus, reuocatus fuit. Et inde rediens, cùm in hunc nostrum Regem impetu magno irrupisset; teterrimum eidem, quem diximus, & vitæ, & Regni intulit finem: ac Pompelonem Vrbem adortus, eandem, magnamque Nauarræ partem, atque alia cis Nauarram opida, per quàm celeriter occupauit. Tunc noua etiam perturbatio rerum visa est. Sanctii enim Regis corpore ad Pinnatensem Ecclesiam, quam amplificauerat ipse, delato; quòd sine prole obiisset, Suprarbiense, ac Pompelonense Regnum ad vltimum quasi interitum deductum, denuo instaurari oportuit. Vnde benignitate Dei Aragonensium libertatum origo.

PRIMVM INTERREGNVM.

ETENIM huiusmodi clade Christianis illata, in qua etiam dictus Garsias, Quintus Aragonensis Comes, victus occubuit: qui ex ea viui euaserant omnes, se se statim in fugam contulerunt: Nauarrenses quidem finitima opida Nauarræ petentes, vrbem suam deserere coacti sunt. Nostri verò, quos Sexcentos fuisse perhibetur; Pinnatensem speluncam illam adierunt. Ea enim non solùm veluti ædes sacra illis temporibus colebatur, sed etiam tanquam arx fortissima, tutissimumque ac postremum fortunæ miseræ & iactatæ perfugium. Illuc ergo nostri cum vxoribus, & liberis vltima desperatione perterriti, quemadmodum initio Hispaniæ cladis euenerat, confugientes; magna, quibus inimicorum impetum propellere possent, parare propugnacula curauerunt. Cumq; sæpius cum Nauarrensib. implicati, quibuscum fuerāt antea consiliorum omnium societate coniuncti, in Maurorum fortunas inuaderent, plurima eorum loca vastantes: inde sibi maximos quæstus, ac prædas comparabant. In quarum partitione, sæpe vt fit inter coniunctissimos quosuis, crebræ, vel potius quotidianæ suboriebātur, ciuilibus bellis nonnunquam agitatæ, contentiones: quæ Nauarrensium animos in nouorum consiliorum rationem induxerunt. A nostris namque desciscentes (quæ mea recens opinio est) Regem sibi præfici oportere iudicarunt. Vnde, meo quidem iudicio, nec aliunde sanè, tota quę semper visa est exstitisse, vniuersi iuris nostri ab eorum iure dissimilitudo prouenit. Atqui nostros quotiescunque dico, & Aragonenses, & Suprarbienses intelligo. Nam etsi minima illa Aragonensium Resp. Comitum adhuc continebatur imperio: ex quo tamen Comites ipsi semper fuerunt Regibus nostris addicti, communis eorum esse vna, & eadem cum Suprarbiensi Rep. censebatur: obeamque causam de illa stabilienda ab omnibus simul fuisse inita communiter consilia videmus. A pristina igitur nostrorum societate Nauarrēses modò se totos distraxerunt. Eximino cuidam, sin minus Innico Aristæ, totius

tius belli, ac instaurandi Pōpelonensis Regni summam deferentes. At verò Eximinus hic ipsius Aristæ Regis pater fuit. Quod cum Garibaius, primus ex omnibus Historicis adumbrarit; nos iam exprimere curabimus, atq; Eximinum hunc Regem fuisse, qua ex parte Garibaius ipse in probatione defecit, demonstrare, postquam institutam narrationem absoluerimus, ne eandem, interposita disputatione, obcæcemus. De eo verò nihil habeo, quod dicam, præterquam quòd Rex fuit. Et regnauit is quidem, cis Pyrenæos saltem, quantum coniicere possum, paucos dies. Ac fortasse Aquitaniæ Rex fuit. Nam, vt ex Annalibus Francorum colligitur, ea Galliæ pars aliquandiu Reges suos habere consueuit, Regnumque Aquitanicum vocitari. Vnde forsan (fieri namq; potuit) Eximinus hic Regis sibi nomen adsciuit. Filium autem habuit (vt colligitur ex Pinnatensi historia, de qua infra præcipua quædam Capita recitabo) Garsiam vocatum; Innici Aristæ fortasse fratrem maiorem: quem suspicor viuente patre obiisse, cùm nusquam appareat Garsiam ipsum regnasse. In ea enim solùm proditur, ipsos ambos, Eximinum Regem, & Garsiam filium nullo successore superstite decessisse. Sed in hoc saltem erratum puto: cum Aristam Regem, Eximini istius Regis filium fuisse, iam grauissimo argumento, quod paulo post afferam, confirmetur. Ex his autem coniecturam capio, vt generis illius antiquitatem ex Aquitania profectam existimem. Aristam namque Regem, qui sine vlla dubitatione istius Eximini filius censendus est, omnes quotquot sunt, & recentiores, & veteres scriptores prodidêre ex Bigeronensi Comitatu, qui illi tanquam patrimonium tribuitur, ad Pompelonensis Regni gubernaculum accessisse. Cumueni autem, seu Cuceneni Populi, qui postea Bigorrenses, & Biernenses dicti sunt, Aquitaniæ Prouinciæ a Claudio Ptholomæo monti Pyrenæo continentes, seu, vt ipse loquitur, contigui subiiciuntur: iidemque Conuennæ, & Begerri nominantur à Plinio. Et aptè quadrat, vt si filius in Aquitania rerum potiebatur, ipse pater Aquitanicus iudicetur. Cùm verò nostris nequaquam imperarit: propterea illum non duco in nostrorum Regnum numero ponendum esse. Ceterùm, vt ad reliqua pergamus: Nauarrenses, quam instituerant, viam tenentes, à nostris disiuncti, si non iam Eximino huic, saltim Innico, ipsius Eximini filio, qui Arista postea cognominatus est, Regale nomen, ac munus detulerunt circiter Ann. Chr. DCCCXLII. Neque enim quidquam horum magis 842.
certa notatione temporum percēsere possum. Innicus Regiam dignitatem adeptus, magno impetu in Pompelonem Vrbem inuasit: cuius Arabes post Sanctii, Quarti Regis, interitum fuerant potiti. In ea demum Pompelonensis Regni sedem instaurauit, exturbatis Arabibus & expulsis: quos quandiu vixit, continuis bellis semper lacessiuit. Sed interea dum hæc à Nauarrensibus gesta fuere: nostros constat in componendis sacris Pinnatensis Ecclesiæ rebus fuisse versatos. Eam namque amplificantes, nouas eidem Aras admouerunt. Quoniam autem Ioannis, primi Anachoretæ, aliorumque duorum Cæsaraugustanensium fratrum, Voti, ac Felicis, ob religionem vitæ, promouendique Suprarbiēsis Regni initium datum, clara apud omnes exstabat tunc, insignisque memoria: eorum corpora, nobilioribus in sepulchris condiderunt, positis ibi singulis è marmore simulachris. Quo tempore huiusmodi Inscriptionem, quam vetustus quidam Scriptor in tumulo Ioannis, primi Anachoretæ, inuentam refert, instauratam, ac renouatam coniicio.

EGO. IOANNES. PRIMVS. IN HOC LOCO. EREMITA. QVI. OB. AMOREM DEI. SPRETO. HOC. SÆCVLO PRÆSENTI. VT. POTVI. HANC ECCLESIAM. FABRICAVI. IN HONOREM. SANCTI. IOANNIS BAPTISTÆ. ET. HIC. REQVIESCO AMEN.

Istius verò Scriptoris nomen non comperi: sed in iis, quæ illius exstant, monumentis, de vetustiori altero Machario conqueritur, quòd istius Ioannis Eremitæ vitam scribēs, hæc omnia silentio præteriisset. Conuentum præterea Sæcularium Clericorum nostri in dicta Pinnnatensi Ecclesia stabiliri curarunt, eidē Abbatem Transynirum, seu Trāsiricum, præficiētes: quod viuendi genus in Hispania olim habitum fuit, quasi Monasticæ vitæ institutum. Atq; hinc antiqui eiusdem Ecclesiæ Annales secundam illius fundationem appellant. Quam tandem solemnis Consecratio, in die Sanctæ Agathæ, seu, vt aliis placet, Sanctæ Annæ, matris Dei genitricis, eiusdem Anni CCIↃXLII. ab Innico, Aragonensi Episcopo, facta decorauit. Ille enim dies Festus, ac solēnis, tunc fuit magno vn- 842.

dique omnium concursu celebratus. De reliquo tamen haud cessabant prospicere, & consulere omnium fortunis maximè ea consilia exquirentes, quæ ad benè statuendam Rempub. pertinebant. Cumque eorum animi in deliberãdo in contrarias partes distraherentur, vt fit; ne fortasse dum in bonorum consiliorum cursu cunctabantur, quid caperet Resp. detrimenti, Duodecim primarios Viros, vt prisca nostra monumenta testantur, selegerunt, quibus, Interregno huiusmodi durante, tota fuit ipsius administrandæ Reip. cura commissa. Hi quòd admodum grandes natu essent, ob ætatem ipsam, Seniores sunt vocati: à quibus, vt mihi quidem placet, qui Ricihomines *de natura* apud nos postea dicti sunt, originem duxerunt. Et hęc publicæ rei gerendæ ratio diu viguit. Veruntamen nequaquam videbatur, premente tanto Arabum incursu, stabilis, nec firma permãsura. Nihilominus dulcedine capti libertatis, Vnius se subiici imperio formidabant: quoniam quidem prouenturam inde credebant seruitutem. Omnibus denique rebus circumspectis, rationibusque subductis, perciti, vt proditur, ab Aragonensi Comite Fortunio, demortui Comitis filio, inque ipsius locum suffecto, hanc fecerunt suorum omnium consiliorum summam: ¶ *VT* per legatos Adrianum II. Pont. Max. (quem prisca nostra monumenta Apostolicum Aldebrandum vocant) ac Longobardos consulerent: Quem modum ad diuturnitatem imperii magis aptum statuendum esse censerent. A quibus responsum perhibent: ¶ *VTI* certo Iure, ac legibus præstitutis, præuiaque Iurisiurandi religione præcautis, Vnum sibi Regem præficerent. Peregrinum verò dominiũ repudiarent. Isq; qui ab eis Rex cooptaretur, cauerent; neve ex superioribus, neve ex inferioribus esset: ne, si superior, inferiores premeret: neve, si inferior; à superioribus derideretur.

Cui consilio, ac sententiæ nostri acquiescentes, antiquum inde Suprarbiensem Forum condiderunt.

DE ANTIQVO IVRE, SVPRARBIENSI FORO NVNCVPATO, DEQVE MAGISTRATVS IVSTITIÆ Aragonum institutione.

SIQVIDEM iuxta responsum datum decreuerunt omnes, Vnum aliquem virtute præstantem, Regem sibi constitui oportere. Sed tamen ne Regum arbitria, quemadmodum in aliis Prouinciis, apud nos etiam pro legibus futura essent: quasdam tulerunt leges in primis, quibus huiusmodi incommodo mederentur. Has leges postea, Suprarbiẽsem Forum nuncuparunt. Cuius seriem libuisset hoc loco latè persequi, & annotare prisco illo germano, ac genuino idiomate, quo conditus fuit: in eo enim plus venustatis, ac lepôris contineret. Temporum autem iniuria factum est, vt eius cognitio, aliarumque rerum antiquarum, maximè scitu dignarum, apud nos penitus iaceat sepulta. Quædam tantummodò fragmenta exstant ab ipso Carolo Principe, nonnullisque aliis scriptoribus obseruata: quæ hoc loco à nobis summatim perstringenda erunt. Sunt enim quasi prima Reip. nostræ elementa; in seque continent Magistratus Iustitiæ Aragonum institutionem, quod est instituti nostri præcipuum. Itaq; initio illius Fori præcautum fuit: ¶ *VTI* futurus Rex, quandoquidem ad eum vltro, ac sponte Regnum iam è Mauris eripi, ac promoueri cœptum deferebatur: de legibus obseruandis, ac libertate Regni tuẽda, tum iurisiurandi religione, tum etiam ipsarum legum vi, ac potestate premeretur.

Ipsæ verò leges huiusmodi fuere.

IN. PACE. ET. IVSTITIA. REGNVM. REGITO. NOBISQ. FOROS. MELIORES. IRROGATO.

E. MAVRIS. VINDICABVNDA. DIVIDVNTOR. INTER. RICOSHOMINES. NON MODO. SED. ETIAM. INTER. MILITES. AC. INFANTIONES. PEREGRINVS. AVTEM. HOMO. NIHIL. INDE. CAPITO.

IVRA. DICERE. REGI. NEFAS. ESTO. NISI. ADHIBITO. SVBDITORVM. CONSILIO.

BELLVM. AGGREDI. PACEM. INIRE. INDVCIAS. AGERE. REMVE. ALIAM. MAGNI. MOMENTI. PERTRACTARE. CAVETO. REX. PRÆTERQVAM. SENIORVM. ANNVENTE. CONSENSV.

NE. QVID. AVTEM. DAMNI. DETRIMENTIVE. LEGES. AVT. LIBER-

LIBERTATES. NOSTRÆ. PATIANTVR. *IVDEX. QVIDAM. MEDIVS* ADESTO. AD. QVEM. A. REGE. PROVOCARE. SI. ALIQVEM. LAESERIT. INIVRIASQ. ARCERE. SI. QVAS. FORSAN. REIPVB. INTVLERIT. IVS. FASQ. ESTO.

His ergo legibus, & sanctionibus maiores illi nostri, Regni instaurandi molem firmarunt. Id verò potissimum exstitit retinendæ libertatis præsidium, quo IVDICIS MEDII Præfecturam statuerunt; sic potestatem in Rege collocantes, vt in Iudice Medio temperatio inesset; quibus ex rebus conflatur, & efficitur moderatus, & concors Reip. status, quem tenemus. Ab his namq; initiis rerum, ad extrema hęc vsq; tempora videmus istius Intermedii Magistratus vi, Serenissimorumq; Regũ benignitate, & clementia; & pristinã nobis libertatẽ, antiquumq; ius retentũ fuisse, & Regię Maiestati debitã semper fidem, ac reuerentiã seruatam: neq; Regnum tantummodo aduersus Reges, sed sæpenumero Reges ipsos aduersus Regnum, istius Magistratus auxilium implorasse. Quo pacto sine vllo tumultu plurima fuerunt intestina mala sedata; quæ nisi ciuiliter fuissent compressa, videbantur certè ad communem omnium perniciem eruptura: vt iurè quidem affirmare possimus, in hoc vno, & Regibus, & Regno ciuilis tuendæ concordiæ summam exstitisse. Hic Magistratus, primùm Iustitia Maior: deinde ipsius Regni nomen assumens, IVSTITIA ARAGONVM appellatus est. De quo quæ dicere instituimus, cùm explicauerimus, quem cœpimus Reipub. nostræ progressum demonstrare, commodiùs persequemur: quanquàm ista video, quæ nunc connecti volo, separatum quoddam volumen postulare. Nihilominus decreui priùs singulorum Regum facta percurrere: vt ex eorum notatione faciliùs, quæ fuerint eidem Magistratui sub vnoquoque Rege incrementa allata, percipiantur. Itaque vt ad reliqua pergamus, re huiusmodi multos dies promulgata, & cognita, à nostris etiam tunc in primis cautum fuit: Nempe, ¶ *AD* præscriptas has leges dirigendam omnino, & formandam esse eius, qui Suprarbiensis Rex esse concupisceret, voluntatem. Ac nisi priùs de seruandis ipsis fidem suam pateretur arctissimis vinculis obligari; prensationẽ quamcumque præposteram esse futuram.

Positis his igitur libertatis patriæ fundamentis, cœperunt singuli inter se de eo, quem Regem eligerent: disceptare. Neque id minus operosum erat. Nec verò interea ab armis vacabant. Quinimo sæpius Maurorum contra furorem & bellum, & iusta arma capientes, à suis finibus eos expellebant: satis à se, superque habere Rempubl. iudicantes, quòd in illis asperitatibus, temporumque ac rerum angustiis regionem suam ab excursionibus hostium tuerentur. Post conditas autem has leges diutius nostros in ancipiti cunctatione fuisse versatos Carolus Princeps his verbis declarat. *E despues que houieron deliberado de leuantar Rey, passaron assaz tiempos, que non lo fizieron, por algunas dissensiones, que entre ellos encorrian.* Tametsi id non de nostris solis, sed de Nauarrensibus simul attestatur. Nostri tandem ad eligendum Regem in Arahuesti opido congressi fuere, non longè ab antiquissimo, & religiosissimo illo Assaniensi cœnobio, quod Gesaleicus, siue Gesalaicus quondam extruxerat Gothorum Rex, Sancti Martini Sarasiensis primùm, deinde Diui Victoriani nomine, ac memoria consecrato. Eò statim Arabes, lætitia exultantes, suas copias de finitimis opidis in aciem producẽtes, ad nostrorum cædem parati concurrerunt. Cumque improuisò in nostros irrupissent, eos obsidentes; opidum ipsum, Arahueste, oppugnare, & labefactare cœperunt, machinisq; vndiq; admotis, vsitata rabie, & clamore, quam tumultuosissimè adoriri. At verò Innicus Arista, iam Pompelonensium Rex, ea re comperta, instructa acie illuc præsto accurrens, cum Arabibus ipsis conflixit; hostesque nefarios, nostrorum vitæ, sanguiniq; imminentes prostrauit, fudit, occidit; & quod rem continet, nostros istius obsidionis periculo liberatos, ex ancipiti, & dubio consiliorum cursu, in eo, quem Regem constituerẽt, ad repentinam concordiam, & vt in se vnum inclinatione omnium voluntatum propenderent, excitauit. Nostri etenim ipsius Innici, Pompelonensis Regis, tantam, tamq; oportunè adhibitam operam magni, vt par erat, pendentes, eundem sibi in Regem cooptandum, cunctis suffragiis, eiusdem etiam Fortunii Aragonensis Comitis, vt proditur, consilio ducti, decreuere. Innico itaq; Rege ad se euocato, ac legibus, quas præstatuerant, eidem ostensis, durissimum sibi visum tradunt, quod de Iudice Medio præcautum apparebat. Attamen re ipsa attentius considerata, & perpensa, cùm sibi vltro Regnum ab hostibus ereptum deferretur: nedum ipsas leges sanxisse ferunt, verùm nostris nouam aliam, siue legem, siue Priuilegium irrogasse huiusmodi: Quòd

SI. CONTRA. FOROS. AVT. LIBERTATES. REGNVM. A. SE. PREMI. IN. FVTVRVM. CONTINGERET. AD. ALIVM. SIVE. FIDELEM. SIVE. INFIDELEM. REGEM. ADSCISCENDVM. LIBER. IPSI. REGNO. ADITVS. PATERET.

Nostros verò id, quod de Rege infideli concedebatur, quia turpe, ac indecorum iudicarunt, nequaquam sibi impertiri fuisse passos. Iurisiurandi ergò religione præstita, Pompelonensis Rex Innicus, in eodem Arahueste opido, in Suprarbiensem Regem
868. euectus fuit, quantum habita temporum ratione elici potest, Circ. Ann. Chr. DCCCLXVIII. Sed istius computationis rationem in ea disputatione, quam de his omnibus aggressuri sumus, explicabimus. Quandoquidem autem ab Adriano II. Pontif. Max. vt diximus, hæc statuendi Regni forma fuit tradita maioribus nostris, qua nulla præstantior ad ciuilem tuendam concordiam adhiberi poterat: operæpretium me facturum existimaui, si adducerem hoc loco, quæ Onufrius Panuinius de eiusdem Pontificis religione, ac sanctitate suis scriptis testata reliquit: nimirum vt dum res nostras à tam exilibus, & paruis initiis profectas intuemur in tantum decoris, & amplitudinis fastigium adscendisse, in quo diu easdem permansuras speramus: ipsimet Sancto Pontifici, eiusque saluberrimo consilio, si non omni, magna saltem ex parte tribuamus. Sic enim de eo Onufrius testatur in Romanorum Pontificum, quam scripsit, Epitome. *Adrianus*, inquit, II. *natione Italus, patria Romanus, S. R. E. Cardinalis à Papa Sergio factus, Imp. Cæs. Ludouico iuniore Aug. sedit annos quatuor, menses decem, dies duodecim. Creatus* XII. *Kalend. Decemb. Ann. Chr.* DCCCLXVII. *Hic Pontifex cum presbyter esset, Sergio Papæ maximè familiaris fuit. A quo cùm aliquando denarios* XL. *dono accepisset, domum rediens, dispensatori mandauit, vt eos peregrinis, & pauperibus, qui in vestibulo domus suæ stabant, erogaret. Facere ille mandata conatus, cùm videret, ne minimæ quidem parti tantula re satisfieri posse, ad Adrianum rediens, rem ipsam exponit. Tunc Adrianus, accepta pecunia, ad pauperes veniens, ternos denarios singulis præstitit, & totidem sibi, rei familiari satisfacturus, reseruauit. Admirante Dispensatore, miraculo rei: cui Adrianus, Vides, inquit, quàm benignus, & largus sit Dominus iis præsertim, qui liberales, & munifici sunt in pauperes? Mortuus est autem beatus Papa Adrianus Kalend. Octobr. Anno Dominicæ Natiuitatis* DCCCLXXII. De hac autem, quam exposuimus, nostrarum legum sanctione, Interregno nempe huiusmodi durante, intelligendum arbitror, quod in Procemio nostrorum Fororum continetur: Videlicet, ¶ *Apud nos prius leges conditas, quàm Reges creatos fuisse.* Atque hæc de primo Interregno. Nunc ad Suprarbiensium Regum seriem reuertamur: qua absoluta, de tota illius ratione disputabimus.

INNICVS ARISTA, SVPRARBIENSIS REX V.

INNICVS igitur, Eximini Regis F. cum Pompelonensibus, Vrbe eorum parta, iam pridem imperaret, à Suprarbiensibus ob probatã fortitudinem in eo ipso Arahuesti opido electus fuit, ac salutatus
868. Rex Circ. dictum Ann. Chr. CCↀ LXVIII. Qua in re ipsum Aragonensem Comitem Fortunium, egregiam suam, suorumq; operam, atq; officiũ Aristæ, consocero Regi, præstitisse, scriptores quamplurimi prodidêre. Siue autem in Arahuesti opido, siue, vt aliis placet, in ipso Diui Victoriani cœnobio (in hoc. n. variant scriptores) adscitus fuerit: vterq; horum locus, cùm intra Suprarbiensem regionem contineatur, apertè indicat à Suprarbiensibus, non autem à Nauarrensibus eo tempore electum fuisse; indeque effectum, quod est consequens, vt Arista tunc Suprarbiensis Regis nomen sortiretur. Parumper tamen nostris imperauit. Ei in nostrorum auxilium cum Mauris dimicanti, cæleste signum in aëre apparuisse proditur, argenteam Crucem, in scuto Cyanei coloris. Atque inde sumptum ipsi Aristæ Regi, & aliquandiu postea Aragonum quoque Regno, ac Regibus militare hoc, quod supra depinximus, ornamentum fulsit. Quæ enim eidem aristarum insignia tribuuntur, propria personæ, elogii loco, non autem Regiæ dignitatis censenda duco: ab eoque solita, vt opinor, ante partum Regnum gestari. Eam namq; ipsius animi vim, atque impetum fuisse prædicant, vt quemadmodum spicarum arista ardore flammæ, sic ille visis hostibus subitò incredibili veniendi ad pugnam cum eis desiderio flagraret: propterea que Aristam vocitatum esse. Theudam duxit vxorem: quam alii Innicam vocant. Eandem tamen fuisse credimus, vt Theudæ propriũ illius nomẽ esset, Innicæ verò, seu Enegæ (sic. n. quandoq; legitur) à mariti nomine sumptum. Vetus enim con-

suetudo

ſuetudo fuit,vt vxores frequenter à virorum nominibus vocarētur. Denique fama glorioſus,quòd Mauros perpetuò afflixiſſet,in primo ipſo ad tu, & quaſi Suprarbienſis capeſſendi Regni veſtibulo interiit circiter Ann. Chr. CCCLXX. Ad Sancti Saluatoris 870.
Legerenſis cœnobium,quod in Nauarrenſi ditione exſtat,ſepultus fuit, Garſia filio Regnorum Pompelonæ,ac Suprarbii relicto herede.Eorum autem diuerſam ſupputationē cogimur ſequi;vt Pompelonenſis Regni quaſi octauo & viceſimo obierit anno: Suprarbienſis verò ſecundo,vel tertio.

GARSIAS INNICI II. SVPRARBIENSIS REX VI.

GARSIAS ergò,Innici Ariſtæ F.propterea Garſias Innici,& Ennecones quandoq; dictus, Pōpelonēſium etiā Rex fuit; paternęq; fortitudinis imitator. Nōnullis enim opidis denuo adquiſitis, ſuum magis dilatauit imperiū.Vxorē habuit,Vrracā,ipſius Fortunii,Sexti, & vltimi Aragonenſis Comitis,cuius ſupra meminimus,filiā; quam alii Enengam appellant:Eam pater,prole maſcula carēs, hæredē reliquit teſtamento.Atq; ab huiuſmodi Aragonēſis Comitatus cū Suprarbiēſi Regno cōiunctione noui ſtatuēdi imperii initiū ſumptum fuit:à quo poſtea Aragonum Regni nomē dimanauit. Sed hæc alias pluribus. Rex itaq; Garſias ex Vrraca vxore ſuſcepit liberos; Fortunium,& Sanctium: filiam, quoque Sanctinam, ſeu Sanctiam, quæ Ordonio II Legionenſi Regi, nupta fuit. Fortunium quidem, filium natu maiorem, patri in Regnis ſucceſſiſſe,plurimis à Garibaio adductis documentis confirmatur; de quibus etiam dicemus paulò poſt. Sanctius verò natu minor,matris occiſæ ventre exectus, clam à milite quodam educatus fuit, fratriſque poſtea ſucceſſor cognitus, & fideli teſtimonio comprobatus, primus ſibi apud Iaccetanam Vrbem Aragonum Regis nomen vendicauit:qui vulgò Rex Sanctius Abarca dictus eſt.Iam verò de iſtius Garſiæ Regis Regno hæc poſſum afferre:me in Regio Barcinonenſi Tabulario, in Regeſtro Gratiarum Regis Alfonſi (ſic enim inſcribitur Codex ille) antiquum quoddam Priuilegium compeɾiſſe, Sancto Saluatori Legerenſi ab hoc Garſia Rege irrogatum: in quo ſe apertiſſimis verbis fatetur vna cum Fortunio filio regnare XII. Kal. Decemb. Ann. CCCCLXXX. 880.
Hic namq; annus Aeræ Noningenteſimæ decimæ octauæ ibi appoſitæ neceſſariò cohæret.Omitto autem,quòd ſe in eodem Priuilegio tam apertè Enneconis Regis,Ariſtæ ſcilicet, filium eſſe, & Eximini quoque Regis nepotem confitetur; ac ſi illum obſcuritas rei,quæ tot poſt ſæculis futura erat,ad iſtius veritatis confeſſionem adduxiſſet. Sed illius Priuilegii exemplum futuræ diſputationi reſeruabo. Satſit modo ex eo hæc deprompſiſſe ad iſtius Garſiæ Regis vitæ, & Regni tempora annotanda. De morte autem certi nihil comperi; præter id, in quo omnes ſcriptores conſentiunt: eum, & Vrracam vxorem,cùm ad Larumbe,Nauarræ opidum,iter dirigerent, à Mauris ex inſidiis oppreſſos, acerrima commiſſa pugna,ſimul interfectos eſſe, cæſoq; Reginæ ventre infantulum eductum,quem diximus,Abarcam appellatum.Quæ res à Garibaio An.Chr. DCCCXXCV. 885.
ſubiicitur; & ſepulchrum etiam cœnobio Legerenſi: tametſi alii in Pinnatenſi Eccleſia eos ſepultos tradunt.Fortaſſe liceret affirmare horum Regum interfectores fuiſſe, Mauros quoſdam Mahomadem Abenlupum,& Mahomadem Athanaelum, quos, hunc, ſiquidem in Oſca,illum verò in valle Tena, his temporibus rerum potitos conſtat, in noſtrorumque fortunas aliquandiu vehementer inſultaſſe .Atque tunc ſuſpicor ipſam Pompelonem Vrbem fuiſſe denuo ab ipſis Arabibus occupatam; qui vſq; eò vi oppreſſam tenuerunt illam,dum ab Abarca Rege ex eorum faucibus poſtea erepta fuit. Iam illud certum eſt,his temporibus Rempub. noſtram fuiſſe ad Secundum Interregnum adductam.Cogimur tamen prius,Regem Fortunium,demortuorum Regum, quem diximus,filium interponere.

FORTVNIVS II. MONACHVS, SVPRARBIENSIS REX VII.



SIQVIDEM ad eum, parentibus mortuis, Regnum hereditario iure obueniſſe Circ. dictum Ann. Chr. DCCCXXCV.pluri- 885.
mis ab eodē Garibaio adductis teſtimoniis,quibus libēter aſſentior, confirmatur. Ac illius nomē, & ſuperioris Garſiæ Regis fuiſſe filiū, apertè elicitur ex eo Priuilegio, quod dixi antea, me in Barcinonēſi Tabulario inueniſſe.Nam ſic ſcriptum exſtat. *Garſias Rex confirmat, & ſignat. Fortunius, proles Regis, confirmat, & ſignat.* Ea autem prolis voce,nonnunquam obſeruaui in veterib.Priuilegiis, nō tantùm filios Regum,ſed & quos Primogenitos appellamus,interdum etiā &

nepotes, futuros successores, designari. Hic igitur Fortunius, Garsiæ, & Vrracæ filius, patribus heres suffectus, septimus, adeoque vltimus Suprarbiæ Rex fuit: è Cordubaque Ciuitate, vbi aderat, cùm parentum clades euenit, ad capessenda hæc Regna euocatus. Vt autem in monumentis Legerensis cœnobii, Garibaio teste, continetur, induciæ eo tempore inter Cordubensem, ac Pompelonensem, Reges pactæ seruabantur. Vnde coniici posse eidem placet, Mauros, superioris cladis auctores, nequaquam è Cordubensium Regum factione fuisse, quibuscum fœdera inita erant, sed alia prorsus diuersa, & contraria. Tunc enim Mauri ipsi inter se ciuilia grauissima bella gerebant. Fortassè hic Fortunius Rex, is Fortunius primarius vir est, quem Alfonsus Rex
868. Castellæ, ac noster Surita in suis Indicibus Circiter Ann. Chr. CC∞LXVIII. ex cuiusdam Arabicæ historiæ testimonio, commemorant à Mahomade, Abdurrahamenis filio, incursione facta, regionem Pompelonensem vastante, quadam arce expugnata, captiuum Cordubam perductum fuisse, & vicesimo tandem anno magnis cum donis, muneribusque ab eo dimissum, ad tantam vixisse senectutem, vt Centesimum, & vicesimum annum compleuisse dicatur. Temporum enim rationi, ac præcipuè in tam longa vita, & ætate, aptissimè conuenit: vt qui prius seruus, & captiuus ductus fuerat; postea emancipatus, ad paternorum Regnorum adeundam hæreditatem, quæ obuenerat, maximis cum donis mitteretur: atq; vt idem ipse postea etiam, cùm in Legerensi cœnobio Monachi se votis obstringens, imperio abdicasset; suam ad Centum, & plures etiam annos produxisset vitam. Deniq; Fortunium hunc, è Corduba adscitum, Regnorum curã, & administrationem, si sine Pompelone Vrbe fuit mutilã, ac satis decurtatam, suscepisse apparet: eandemque Decimo sexto Regni sui Anno, seu nec longè post, cum iam gran-
901. dis esset, dimisisse sponte Circ. Ann. Chr. DCCCCI. ac in Legerensi cœnobio Monasticæ vitæ instituto deditum, quod reliquum sibi vitæ fuit, in otio, & tranquillitate degisse. Illius autem obitus dies ignoratur. Nec mirum: quandoquidem ante Garibaium, qui primus illum nobis suscitauit, nulla eius Regni, vitæ, neque nominis cognitio exstabat. Iam verò hæc omnia videmus grauissimis testimoniis conuinci. Et tametsi de eo à nullo alio scriptore mentio fiat, Regumque successiones, vitæ, & obitus, vt amicus noster voluit, de iure certi, & constantes habendi sint: tamen Priuilegia, quæ ad illius Regni comprobationem ab ipso Garibaio adducuntur, tanti sunt ponderis, ac momenti, atque ita necessariò cohærent inter se, vt omnem videantur tollere dubitationem, sic vt iam, contra si quis dicere velit, non audiatur. Itaq; Fortunius hic, deposito imperio, nihil postea nisi de Diuino cultu, ac religione Sacrorum cogitauit. Cumq; Sanctii Cæsonis fratris ortus vel incertus, vel fortassè aliquandiu incognitus exstitisset; inde nostris Interregni Secundi origo data fuit. De quo, priusquam aggrediamur, ad ea quæ dicere statuimus; Aragonensium Comitum seriem persequemur. Eos enim consultò reiecimus in hunc locum, ne interpositi ordinem rerum turbarent: ac præcipuè quidem quoniam eis deficientibus, qui in hoc Secundo Interregno Sanctius Abarca Cæso, istius Fortunii frater, Rex à nostris salutatus est, cùm ad eum Aragonensis Comitatus, ac Suprarbiense Regnum coniunctim deferrentur, nouam Regii stemmatis nominationem inducens; primus Aragonum Rex vocari cœptus fuit. Quamobrem nunc ad Comitum narrationem conuertar.

ARAGONVM COMITES VI.

Nec verò tam exploratam habeo eorum rationem, quàm voluissem. Quod enim scire oportebat, quo quisque tempore fuerit; difficile dictu est de singulis: cum nomina ipsa, ac successiones, multis modis inter scriptores versentur confusa. In his autem tenebris Garibaius in primis lumen aliquod videtur attulisse. Itaque eum potissimum auctorem sequar; tametsi etiam Vincentium, Blondum, Sabellicum, veteresque nostros Historicos consectabor. Garibaius enim plerumq; ab aliis dissentiens, multa turbat: proindeq; necesse erit nos etiam ab eo nonnunquam dissentire. Sic igitur ille initio huiusmodi rem gestam exponit.

Inter primarios, inquit, viros, qui in fatali illo bello occubuerunt, quo Ruderico vltimo Gothorum Rege deuicto, Sarracenorum seruitus inducta fuit: quidam fuit nobilis, ac præcipuus vir, nomine Andeca, Ducum Cantabriæ præclaro genere ortus. At verò apud Gothos Prouinciarum Rectores; Duces vocabãtur; belliq; & pacis Magistratus erant: quemadmodum & Comites; quibus inferiores erant Thiuphadi, & Gardingi. Postea apud nos hæc Ducum, & Comitum ratio in altiorem honoris, & dignitatis gradum peruenit, quẽ videmus. Andeca igitur pro patria, ac Fide strenuè dimicãdo, à Mauris, siue

ris, siue Sarracenis ipsis occisus est. Filium Hedonem, siue Haidonem, filiam verò Velindam, pueros infantes reliquit. Ambo hi Maurorum furiam euasuri, Galliam petierunt. Hedon quidem dum ad nubilem ætatem peruenit, nobilissimam feminam, Aquitaniæ Ducatus heredem, vxorem duxit: Ex eaque liberos quinq; suscepit: tres scilicet filios, Hunuldum, Vifarium, & Azenarium; ac filias duas, Meninam, seu Momeranam, aut Muninam, quam Fruelæ Legionensi Regi fuisse nuptam nonnulli perhibent. Alteram verò, cuius nomen non proditur, strenuus quidam miles ex Gothorum gente, Munnozius appellatus, Cerdaniæ Prouinciæ dominator, duxit vxorem. Et verò nos Muninam eam primo Suprarbiensium Regi, Garsiæ, tribuere filiam, ex Alfonsi Regis Castellæ, & Archiepiscopi Toletani sententia, habita nimirum ratione temporum, coacti fuimus: nisi duas eiusdem nominis habuisse coniuges (namque fieri id potuit) Fruelam ipsum Regem statuamus. Hedone autem patre mortuo Circ. Ann. Chr.
DCCXXXIII. illius filiis paruis relictis, Carolus Martellus Francorum Rex Aquitaniam 733.
totam arripuit: eique Gubernatorem quendam præposuit, Hotgerium Cathazlot vocatum. Hunc postea ferunt Circ. Ann. Chr. DCCXXXVIII. in eam regionem inuasisse, 738.
quæ postea Cathalonia ab eius nomine dicta fuit. Atque ab eo inclyti Barcinonenses Comites fluxere. Post autem Aquitaniæ ipsius, Eximinum, quem diximus, Aristæ patrē, etiam sub Regis nomine potuisse potiri, satis consentaneum videtur: cum ipsius Eximini longè post hæc tempora vitam, & Regnum subiiciamus. De Hunuldo autem, & Vifario, filiis grandioribus, quid egerint, nihil attinet dicere; neque etiam id proditur. Azenarius verò, eorum frater natu minor, se, ac fratres paterna videns ditione exutos, in Hispaniam reuersus, in Cantabria auiti quondam imperii domicilio, fortunarum suarum sedem collocauit. Tandem vxorem duxit: duosque ex ea liberos suscepit; Hedonē, atq; Azenarium. Hedon quidem Vizcaiam adquisiuit; Azenarius verò Aragoniam quę primum Comitatus, deinde Suprarbiensi Regno copulata, Regni nomen sortita fuit. De Comitibus autem hoc loco nobis scribere est institutum.

AZENARIVS, ARAGONVM COMES I.

HIc itaq; Azenarius, Azenarii filius, Hedonis Nepos, Andecæ Pronepos, collecta sociorū manu, è Cantabria ad nostra Pyrenęorum loca aduētauit, Garsiæ, Suprarbiēsi Regi secundo, ad Pompelonense bellum properanti, vt retulimus, opem laturus. Cumq; ad Iaccetanā Vrbē peruenisset; eā adortus est, mirificā, vt proditur, occasionē nactus, quòd statiuum Maurorū præsidium, quod illius custodiæ præpositum fuerat, ad Pompelanēsis Vrbis defensionē festinarat: quæ ab eodem ipso Garsia Rege eo tēpore valde premebatur. Azenarius igitur Iaccetanam Vrbē in suam potestatē redegit, prius illius arce expugnata, quę Aprizia illis temporib. dicta fuit. Nonnullis postea ab eo, quæ circum Iaccam erant, opidis subactis, aditum inde sibi ad nouæ dignitatis splendorem comparauit. Etenim Garsias ipse Rex ea de re per literas certior factus, cùm Pompelonensem Vrbem è manibus Maurorum extorsisset: bellicas vtriq; res tam prosperè euenisse, magnoperè gaudens; Azenario ipsi Iaccetanam Vrbem, ac contributa loca, quæ adquisierat, sub Comitatus nomine, perinde quasi aliquod summæ suæ alacritatis, & beneuolentiæ signum, impertiuit. Ea tunc ditio vix extra Decem & sex millia passuum fines excedebat. Quòd autem Aragone amne, seu potius duobus eiusdem nominis fluminibus tota ferè includeretur, Aragonia vocata fuit: proptereaq; Azenarius ipse Aragonum Comes, primus appellatus. Et verò dum vixit, semper Garsiæ Regis voluntati obsequutus fuit: & illud idem omnes, qui post eum sequuti sunt Comites, in Suprarbiensium Regib. fecerunt. Comites autem quasi commilitones fuisse olim vocatos quibusdam placet, quòd simul cum Regibus arma contra hostes ferrent, consiliorumq; in Repub. ipsis penè pares, ac socii censerentur: atq; inde Comitis nomē, ac munus manasse. Nec verò me fugit Comitum apud Romanos multiplicē, ac variam fuisse rationem: maximè autem declinante imperio. Etenim Comites fuere sacrarum largitionum; sic dicti: qui militibus dabant stipendia. Tum Comites priuatarum; qui Camerariis, vt vocant, Principis præesse assueuerant: quib. quoq; sepulchrorum cōmissa erat cura, nequid abrogaretur, quod semel mortuis datum esset. Id namq; detestabile scelus censebatur. Tum etiā Comites solemniorum; non longè ab iis diuersi, qui modò apud nos cærimoniarum dicuntur Magistri. Comites præterea Rationales; qui Imperatorum pecuniā dispensabant. Et commerciorum Comites; qui hominibus ad cōmercia venientib. iura

dicebant. Comites quoque rei militaris: qui sub Ducibus erant, illorum iussis, ac dictis audientes. Necnon & Comites Domesticorum; qui Primicærii quandoque dicti sunt, Illustriumque titulo, vt auctor est Cassiodorus, quasi honorificentissimo decreto iam tunc ab ipsis Imperatoribus honestati, cùm nonnulli ex aliis Spectabiles tantùm vocarentur. Hi autem Augusti corporis stipatoribus præesse consueuerunt. Quin & Comites quoque laborum; quibus omnes Imperatoriæ domus artifices, & opifices subditi erant. Et plures alii Comites fuere, quos omnes persequi longum esset. Eorum denique apud Romanos sicut diuersa nomina, sic quoque diuersa munera exstiterunt. Itidemque etiam apud Gothos. Nam & Ciuitatum Comites fuisse comperimus; qui singulis Ciuitatibus præpositi, iudicia exercebant. Sub quibus erant, vt diximus, Thiuphadi, & Gardingi, inferioresque alii nonnulli Magistratus. Atque hi Comites Ducibus, qui Rectores erant Prouinciarum, parebant ad Romanorum, quam retulimus, similitudinem prorsus: præterquàm quòd apud Gothos huiusmodi Comites Ciuitatum; & belli, & pacis Magistratus erant. Fuere etiam alii; qui Comites patrimonii dicebantur, Gothorum Regum patrimonia curaturi. Comites quoque Palatii, seu Palatini: quos domesticis Regum præfuisse solitos, attestantur. Et fortasse plures alias curationes munerum Gothici Reges ad suos Comites admouebant, quæ singulis inde sumptis nominibus notari consueuerunt. Quo pacto etiam apud Gallos sic eorum rationem constitutam legimus; vt Centum pagi Comitem agnoscerent: quinque autem Comites Ducem. Singuli vero pagi Iudices certos haberent, qui Centaurii dicebantur. Sed apud nos non ita habiti vnquam sunt, quasi alicui muneri publico, aut officio præessent. Nam siue à comitando, siue quasi commilitones, nostri Aragonenses Comites dicti fuerint; non Magistratus vnquam functi sunt officio; sed quo iure Reges Regni potiebantur, eodem ipsi Aragoniæ ditionis, patrimonii scilicet iure, sunt potiti. Ea autem his temporibus (ne nostra digressio à proposita narratione sit longior) sub hoc Azenario Comite, Comitatus nomen sortita, postea Suprarbiensi Regno copulata, Aragonum Regni nominis maiestatem adsciuit. De tempore, quo hæc ge-
78c. sta fuerunt, inter scriptores non conuenit. Garibaius circiter Ann. Chr. DCCLXXX.
795. prodit: & Circiter Ann. Chr. DCCXCV. Comitem hunc obiisse. Alii verò altiora inducunt hæc initia; ab Anno nempe DCCLVIII. quibuscum Pinnatensis liber consentit: quàm verè autem, ipsi viderint. Ceterum Azenarius hic duos filios reliquit; Galindum, & Eximinum, quorum vterque mortuo patre imperauit. Matris verò nomen non exstat: tantummodò in monumentis dicti Excellentiss. Domini Archiepiscopi, D. Ferdinandi, nobilem quandam Suprarbiensem fœminam fuisse, scriptum est. Sed nunc ad rem.

GALINDVS AZENARII, ARAGONVM COMES II.

ETENIM Azenario Comiti successit filius Galindus: qui, quòd Azenario patre natus esset, Galind⁹ Azenarii, id est, Azenarii filius, quę vetus fuit loquēdi cōsuetudo, dictus fuit. Cumq; patre mortuo, Pyrenæorū iuga occupasset; Atarefiam arcē cōstruxit, aliaq; Castella ædificauit, vt eis, cōtra Arabum arma, suū magis firmaret imperiū. Necnon & in Acomueri opido cœnobium Sācti Martini Cercitēsis condidit; nonnullosq; eidē agros, ac prędia assignauit, quæ fuerant aliquo tempore antiquæ Ecclesię beati Petri Sirefiensis contributa. Iam verò illud etiā istius Comitis nomē illustrauit; quòd Iaccam Vrbem Iaccensi edito Foro composuit, eidē Magistratum, quem Merinum appellari voluit, præficiens; vt ordinariæ causarum cognitioni præesset. Et is quidē apud Iaccetanos nunc viget. Veruntamen de illius dignitate, si hæc vnquam fuit, magnoperè est diminutum. Postea leges tulit præclaras, sub Iaccensium Fororum nomine, gratissimæ, & recenti, & veteri totius posteritatis memoriæ propagatas. De eis namque sic Alfonsus II. noster Rex, multis post annis testatum reliquit in prototypo quodam Priuilegio; in quo illas perpetua sua auctoritate de Ricardi venerabilis Oscensis Episcopi, & Sanctii de Orta *Maioris in domo sua*, & Fortunii *de* Vergua, & Marci Ferricii, & aliorum multorum bonorum consilio roborare studens, antiquas Iaccæ Consuetudines, & *Fueros totius illius terræ, quæ est vltra Serram, versus Montanam Iaccæ*, nominauit. *Scio*, inquit, *quod in Castella, in Nauarra, & in aliis terris solent venire Iaccam per bonas consuetudines, & Fueros ad discendos eos, & ad loca sua transferendos.* Eorum autem præcipua Capita, quæ ex dicto Priuilegio, veteribusq; aliis monumentis eruuntur, hæc fuēre.

IN PRIMIS, *quod homines de Iacca de bonis, quæ Deus eis dederit, si habeant infantem, siue non; possint ordinare de bonis suis, & hereditatibus, sicut eis placuerit, nullo homine contradicente. Si autem non destinauerint; remaneant res eorum magis propinquis, qui de pro eis debeant succedere. Et si non habeant propinquos; res eorum dentur pauperibus. Si autem fuerit extraneus, qui moriatur Iaccæ, vel in illa terra vltra Serram: si destinamentum fecerit; fiat, sicut destinauerit. Si autem non fecerit destinamentũ; seruentur res eorum, vel illius per XXX. dies. Et si venerint eius consanguinei, vel consanguineus, de quo non dubitetur: reddantur ei duæ partes de tota illa pecunia, & tertia detur pro anima sua consilio bonorum hominum, & Episcopi, vel Capituli de Iacca. Si autem nullus de consanguineis venerit: tota pecunia detur pro anima sua eorundem consilio. Præterea homines de Iacca caueant cautius negotiari de tota illa terra: & si emerint aliquid, vel fuerint fideiussores, vel manuleuatores; in die compromissa extraneis mercatoribus persoluant. Quod si non fecerint; hereditates eorum impignorentur, vel vendantur, & illorum corpora tradantur mercatoribus. Et ideo nullus sit fideiussor, vel manuleuator, vltraquam potest. De latronibus vero ita statuimus. In vnaquaque villa tres, vel quatuor de melioribus iurent, quod non celabunt furta, sed demonstrabunt Merino nostro: & Merinus non audeat discooperire illum, qui furem ostendet: & veniat fur in potestatem nostram. Quod si aliquis fuerit contradicere Merino, ne capiat furem; dicat, vel nuntiet id Merinus nobis, & nos de tota villa faciemus iustitiam: & de his, qui defenderint furem, faciemus, sicut de ipso fure debemus facere. Siquis autem rapuerit, vel furatus fuerit oues, vel capras; pro vnaquaq; pectet nouẽ. Nullus tamen audeat pignorare bouem, ouem, vel capram, si habeat aliud, in quo possit pignorare: & si non habeat, in quo pignorare possit: consilio Merini pignoret oues, vel boues. Si quis pignorauerit bouem, ouem, vel aliam bestiam, & moriatur pignus ante nouem dies: nemo sit ausus reddere pellem alterius bestiæ, quæ mortua non sit, in pignore, sed pellem illius bestiæ, quæ mortua est, reddat, & non aliam. Quod si fecerit; iudicetur sicut latro. De appellitis ita statuimus. Cum homines de Villis, vel qui stent in Montanis cum suis ganatis, audierint appellitum; omnes capiant arma: & dimissis ganatis, & omnibus aliis suis faziendis sequantur appellitum. Et si illi qui erunt magis remoti, inuenerint in Villa magis proxima appellito: omnes qui nondum fuerint egressi tunc Villam illam, quæ tardius secuta est appellitum, pectent vnam baccam: & vnusquisque homo ex illis, qui tardius secutus est appellitum, & quem magis remoti præcesserunt; paccet tres solidos, quomodo nobis videbuntur, partiendos. Tamen in Iacca, & in aliis Villis sint aliqui nominati, & certi, quos elegerint Consules, qui remaneant, ad Villas custodiẽdas, & defendendas. In placitis; postquam erit iudicatum, & ex toto diffinitum: cartæ reddantur in manu Alcaldi, & ipse frangat cartas. Si quis cartam subtraxerit, vel furauerit; corpus illius sit iudicatum; & quidquid habeat, sit, & remaneat in nostra manu. Ganata cùm descenderint; nullus audeat furare, vel rapere, vel pignorare, vlla occasione; & non iaceant in vetatis militum, nisi per vnam noctem. Certa loca sint in Cequiis, in quibus ganata bibant: ne cequiæ frangantur. Siquis fuerit conuictus, vel probatus, quod sciens fecerit falsum testimonium, & falsum iurauerit ad alium exheredandum: de corpore eius fiat iustitia, & tota illius hereditas ad nostram, & nostrorum successorum manum perueniat. Mercatores de Iacca, vel alios homines extraneos nullus audeat pignorare, nec disturbare; nisi fideiussor sit, manuleuator, vel creditor. Siquis hoc deinde fecerit: Mille solidos nobis pectet. Siquis faciat Comandas in Iacca: sit illa Comanda salua, & secura: & nullus vel Merinus, val alius audeat illam capere, vel tollere, aut fortiare, si ille cuius est Comanda, velit facere directum in Curia, si quis de eo conqueratur. Si vero fuerit latro, vel raptor, qui non posset facere iustitiam, vel stare directo, & rationi, si aliquis de illo conqueritur: emparet Merinus illam Comandam. Feriam, siue nundinas habeatis singulis annis in Festum Sanctæ Crucis Madii, quæ durent per XV. dies: octo scilicet dies, post festum Sanctæ Crucis, & alios octo dies, ante illud festum. Omnes etiam illi, qui ad illas venerint nundinas, sub protectione, & defensione nostra suscipimus, quicumque vel vndecumque sint.*

Scio Forum hunc vulgari sermone in plures res scriptum exstare. Verum tamen, vt dixi, hæc inuenio illius Capita fuisse præcipua: hancq; existimo inter Iaccetanos principem, & certam esse initio constitutam, imperandi, ac prohibendi rationem; cui aliæ sensim admixtæ leges Ius maius fecerunt. Nec dubito, quin apud eos hic caussarum, Iudiciorumque ordo, stante eorum Republic. & quamdiu Aragonensium Comitum tantummodò paruerunt imperio, conseruatus fuerit. Et postea quoque facillimè credã eundem ordinem apud illos per multa sæcula similiter viguisse: id tamen quasi municipale aliquod, opidanumque Ius, cum antiquo illo Suprarbiensi Foro, reliquoque vniuerso nostro Iure, saltim in arduis, & grauissimis rebus, consentiens. Sed iampridem in omnibus, ipsi Iuri nostro subiacent. Libentissimè autem his similia, quæ præscripta in veteribus nostrarum rerum monumentis reperi, inter historiæ cursum collocabo: quod plurima in eis sit, ac verius expressa nostræ antiquitatis effigies. Deniq; vt ad istius

Galindi Comitis,seu Galindonis(nam sic plerumque exstat)priuatas res redeam;hæc, aliaque his similia Decreta, ipsius laudes vehementer illustrarunt: iam vt omnibus Fortis,Bonique Principis expleuisse partes,& illis sæculis, ac etiam præsentibus iudicetur. Duos filios reliquit; Eximinum Azenarii, atque Endregotum Galindi. Filiam quoque Theudam,aut Totam:quæ Bernardo, primo Ripacurtiensi Comiti, nupta fuit. Matris verò nomen non comperi,nec certam aliquam temporum rationem.Neque à Garibaio vlla expressa est. Alteram præterea filiam Comes hic videtur habuisse,Sanctio, Quarto Suprarbiensi Regi,nuptam: si modò quibusdam Oscensis Ecclesiæ scriptis standum est. Nam in eis Galindus iste Comes,suppresso nomine filiæ suæ, Sanctium ipsum Regem, generum suum apertè nominat.Sed sunt multa in illis monumentis, quæ ipsorum fidem mihi dubiam reddunt. Illa verò, quæ in priscis aliis Pinnatensis Tabularii notantur, certiorem nempe Comitem hunc fuisse cum Garsia Enneconis, quem suprà secundum Suprarbiensem Regem numerauimus, ætate coniunctum. Continent enim Comitem Galindonem *de Aragon* vnà cum Garsia Enneconis Rege plurima dona eidem Monasterio dedisse.Et Hieronymus Surita in suis Indicibus pari etiam ratione, regnante nimirũ eodem Rege; ad hoc ipso Comite alia dona Cercitensi cœnobio fuisse data, auctor est. Numerum autem Æræ erratum existimo, vel non satis benè intellectum. Anno enim
800. DCCC. vel Circ.ea omnia subiicienda duco: quin & hunc Comitem longiùs ætate progressum;fuisseque Fortunii,tertii Suprarbiensis Regis, temporibus implicatum. Etenim in monumentis dicti Excellentissimi Archiepiscopi eius manu scriptum exstat: se in veteribus ipsius Pinnatensis cœnobii tabulis obseruasse: hunc Galindum Comitem, Azenarii Comitis F. Aragoniæ Prouinciæ præfectum fuisse sub regimine Regis Fortunii.Eadem enim hæc verba ab eo suggesta sunt. Quoniam autem Fortunium Regem ab Ann.
815. CC∞IX.ad Ann.CC∞ XV.regnasse constat; fit inde,vt dicamus,hunc Comitem vsque ad aliquem horum annorum ætate processisse.Neque magis certa à me initii, aut obitus illius ratio reddi potest.

EXIMINVS AZENARII, ARAGONVM COMES III.

POST Galindum Eximinus Filius,Comitis munus suscepit.Illud autem Azenarii sibi patronymicum nomen ab Azenarii aui nomine sumptum reseruauit. Quod posteà præclarè est vsurpatum à quamplurimis, vt suo loco dicemus;qui eo pacto desiderium gentilis alicuius, rerumque ab eo gestarum memoriam renouare, illius retento nomine, curarunt. Istius verò Eximini perpaucæ quidem res gestæ perhibentur. Ad Olcassam proditur, commissa pugna cũ Mauris,obiisse. Annus vero CC∞ II. qui Garibaio placet, minimè huic pugnæ conuenire potest, si in ea hunc Comitem occubuisse certum sit: cùm Galindum patrẽ post dictum annum vixisse, ex his quæ paulò ante diximus, eruatur. Propterea suspicor istius Comitis ætatem, eamque Olcassensem pugnam in Sanctii, Quarti Suprarbiensis Regis, tempora incidisse: atque in eadem etiam duorum,qui post eum sequuti sunt,Comitum ætates. Neque vero is Olcassensis locus nostrorum semper clade insignis fuit.Ibi namque ante id tempus Fortunius,Rex Tertius,Maurorum aciem,quemadmodum retulimus, profligauit: atque ex ea victoria Roncalensis Vallis incolæ celebre illud,quo hodie gaudent, ingenuitatis Priuilegium,in ornamentum honoris,reportarunt.De reliquo tamen huic Eximino,sine filiis decedenti,patris fratrem successisse perhibent. Quare autem frater Endregotus præteritus fuerit,nequaquam proditur.Quę verò de ipsius Endregoti filia Surita in medium protulit,mox dicam.

EXIMINVS GARSIÆ, ARAGONVM COMES IIII.

SVPERIORIS namque Comitis, non Endregotus frater, sed hic patruus, Eximinus Garsiæ dictus,qui Azenarii, primi Comitis,filius erat secundo loco natus, successor fuit. Vnde autem patronymicum Garsiæ nomen traxerit,neque cur filio fratris in Comitatu præpositus fuerit;scriptum non comperi: nec de temporum serie certum,quod afferam, præterquam id, quod paulò ante dixi, cum dicto Sanctio Rege fuisse hunc comitem ætate coniunctum,me arbitrari. Iam verò quod Surita ait, ipsius Endregoti filiam, Aragonensis Comitatus heredem,Garsiæ, Aristæ Regis filio,nupsisse; incertum existimo: cùm hac de re scriptores omnes ad vnum idem sentiant

endiant: eam nimirum, quæ Aristæ filio nupta fuit, Fortunii vltimi Aragonensis Comitis filiam fuisse. Sed in hoc fuisse omnino errorem puto: quòd alter Endregotus multos ab hinc annos, siquidem Centum ferme & quinquaginta, fuit Abarcæ Cæsonis Regis ætati suppar: quem constat filiam habuisse ipsius Abercæ Regis filio, Garsiæ etiã vocato, vt infra demonstrabimus, collocatam. Cuius Endregotum hunc, nequaquam dubito fuisse gentilem. Neuter tamen istorum Comes fuit. Propterea Garibaium sequuti, hunc in locum induximus hunc Eximinum. De quo hoc tantum memoriæ proditum est; fuisse statim, vt Comes factus fuit, à Mauris interfectum, vnico filio relicto, qui illius protinus suffectus est heres.

GARSIAS AZENARII, ARAGONVM COMES V.

ET hic quidem Garsias Azenarii, illud quoque Azenarii nomen in primi Comitis memoriam præsetulit. Atque eundem proditur fuisse vna cum ipso Sanctio, Quarto Suprarbiensium Rege instituto certamine à Mauris interemptum, Circ. Ann. Chr. DCCCXXXII. 832.
quæ pugna Remp. nostram ad Primum, quod diximus, Interregnũ adduxit. In ea enim ambo ipsi, à Cæsaraugustanensi Regulo, Muza, circumuenti, occisi fuêre. Verum enimuerò Aragonensis Comitatus ad Fortunium filium peruenit: sic vt Aragonensibus separatum nullum Interregnum daretur. Ex quo tamen eorum, ac Suprarbiensium vna, & eadem Resp. censebatur, cùm Comites semper Regum subditi fuissent; quod in priuato Suprarbiensibus ipsis præcipuum fuit, id Aragonensibus etiam cum illis fuit commune. Et ob eam caussam omnibus tunc constat fuisse de statuendâ Rep. curam coniunctam.

FORTVNIVS EXIMINI, ARAGONVM COMES VI.

ETENIM Fortunius hic, quem Eximini patronymico nomine vsum proditur, postquàm Garsiæ patris mortui locũ occupauit; omnium rerum, quas nostri gesserũt in primo illo Interregno, transactor, & administer fuit. Vnicam tantum habuit filiam, Vrracam, siue Enengam, Aragonensis Comitatus heredẽ: quam Garsias Rex, Aristæ Regis F. vt ante diximus, duxit vxorem. Atque hæ quidem nuptiæ gaudiorum plenæ pacisque & concordiæ fuerunt: ꝙ non solùm matrimonii dignitate, sed ambarum etiam ditionum societate coniungerentur, quandoquidẽ vtrique eorum hereditario iure paterna bona obueniebant: Garsiæ scilicet, Suprarbiense Regnum; Aragonensis verò Comitatus, Vrracæ. Certam autem temporum rationem adhibere nõ possum: cùm in ea mirum in modum varient scriptores. Sed iam illud compertum est satis, Fortunium hunc Comitem Sex & triginta, ac plus etiam annis Comitatus Aragonensis fuisse potitum. Nam totidem anni interiecti sunt inter Ann. Chr. DCCCXXXII. quo 832.
Garsias Comes pater, ac Sanctius, Quartus Suprarbiensis Rex, interiere, vnde primum nostris patuit Interregnum; & inter illius exitum, & finem, tum quando nostri Ann. DCCCLXIIX. de istius Comitis Fortunii consilio, Aristæ Regi Regnum detulerunt: quo cum eo tempore affinitas sibi, societasque & magnæ necessitudinis caussæ intercedebant. 868.
Etenim filia sua Aristæ filio iam erat desponsa; quandoquidẽ An. Chr. DCCCLXXX. ex Priuilegio, quod infra intexere promisi, Fortunium ex ea nepotem, ex pueris excessisse colligitur. 880.
Et fortasse hæc quoq; caussa eum impulit, vt nostros ad Aristam Regẽ, consocerum suum, eligendũ incitaret. Deniq; illius consilio selectũ fuisse, omnium scriptis testatũ comperio; quibuscũ etiam Pinnatensis codex consentit: fuisseq; illum in tam benè statuenda Rep. nostra auctorẽ publici consilii, & sententiæ dicendæ principẽ illustrem in Senatu. Neq; tamẽ dubito, quin etsi illius bellica facta, quæ scriptis commendẽtur, nulla exstent; nihilominus valde militaris rei scientiã percalluerit. Sed ad illi⁹ laudẽ satis sit, ꝙ Reipub. qua fruimur, machinator, & architect⁹ exstiterit: cũ tam præclarũ hoc factum iure possit amplissimis multorũ triumphis anteponi. Præcipua nãq; illius opera, maiores nostri, Adrianum II. Pont. Max. Longobardosque adierunt de summa Reipub. consulturi: Vnde antiqui Suprarbiensis Fori, Iudicisque Medii Præfecturæ initiũ sumptũ fuit, à quo tanquam à fonte, & capite libertatum nostrarum origo dimanauit. Quapropter nõ facilè credam me in eo laudando insolentem, aut multum visum iri. Ceterũ quo anno obierit, incertum est prorsus. Suspicor tamen nequaquam illius vitam Aristæ Regis tempora excessisse: cùm ferè omnes scriptores testentur, Garsiam Regem generum, Aragonen-

Aragonensem ipsum Comitatum vxorio iure à sui Regni initio tenuisse. Meritò autem
hoc loco ipse Rex gener, Septimus Aragonum Comes enumerari debuisset, itidemque
Octauus, & vltimus, Fortunius II. Monachus, ipsius generi filius natu maior: quẽ deposi-
to Regio munere, Monasticæ vitæ se addixisse Circ. Ann. DCCCCI. retulimus: ob idque
901. Rempub. nostram fuisse ad Secundum Interregnum adductam, vnde huc digressi su-
mus, vt Comitum seriem priùs compleeteremur. Sed quia iam supra explicauimus, quæ
de his duobus, Septimo, & Octauo, Comitibus tradi potuerunt, dum eorum res gestas
inter Suprarbiensium Regum facta recẽsuimus: minimè ea hoc loco iteranda duximus.
Atque hæc sunt, quæ dicere habui de Comitibus. Quoniam autem ex hac Suprarbiæ, &
Aragoniæ ditionum coniunctione, Secundo huiusmodi nostris Interregno dato, noua
noui Regni moles effluxit, Sanctio Abarca Cæsone, huius Fortunii Comitis ex filia ne-
pote, Fortuniique Regis Monachi, vt huius Fortunii Comitis ex filia nepote, Fortuniiq;
Regis Monachi, vt diximus, fratre, ad Iaccetanã Vrbem Rege constituto, vnde auspica-
tò felix, faustumque Regale Aragonum nomen, ac munus ortum fuit: Secundum ipsum
Interregnum nos nunc persequi oporteret, tenentes ordinem rerum, quem cœpimus.
Priùs tamen cogimur ad eam aggredi de Reipub. nostræ primordiis, quam in hunc lo-
cum distulimus, disputationem: vt eis patefactis ad Secundi Interregni narrationem re-
uertamur.

VARIÆ DE SVPRARBIENSIS REGNI INITIIS SCRIPTORVM SENTENTIÆ.

MVLTÆ, ac variæ sunt, ad stuporem vsque inter scriptores dissensiones in antiquarum rerum nostratum serie explicanda: maximè verò in Reipub. nostræ initiis deducendis. Quidam enim quatuor illos, quos supra numerauimus ante Aristam, Reges omittunt; quasi Duces, & copiarum signiferi ductores, non autem Reges exstiterint. Alii eos Reges memorant; Nauarrenses tamen, seu Pompelonenses, non autem Suprarbienses fuisse vocatos, hocque Suprarbiensis Regni nomen nouè quæsitũ ferunt. Alii, quæ communis ferè omnium sententia est, Aristam à Nauarrensibus, & Suprarbiensibus simul, eisdem Comitiis, fuisse euectum Regem, tradunt. Garibaius, licet solus, primum, quod apposuimus, Interregnum subtrahere nititur, Eximino Regi, Aristę Regis patri, Sanctium, Suprarbiensem Quartũ Regem, patrem tribuendo: vt à primo illo Rege, Garsia Eximini, ad Aristam ipsum non interrupta, sed continuata prorsus ipsorum Regum successio statuatur. De his omnibus dicere cogimur hoc loco, vt consilii nostri rationem, qua ad ea, quæ scripsimus, annotanda moti fuerimus, explicemus. In primis autem ad docendũ de Eximini Regis, Aristæ patris, Regno, vita, & nomine; intexam hoc loco, quod anteà dixi, me in Barcinonensi Tabulario comperisse antiquum Priuilegium: ex quo etiam alia eruuntur. Est autem huiusmodi.

IN *nomine Domini Iesu Christi. Ego Garseas Rex, filius Enneconis Regis: Cogitans de meis innumerabilibus peccatis, quæ impediente humani generis inimico nimis temerariè perpetraui, & timens in die Iudicii tremendi à sinistris pro recompensatione meorum actuum inter hædos computari: cum consilio filii mei Fortunii venio ad cœnobium Sancti Saluatoris Leierensis. Et ibi præsente Domno Eximino Episcopo, societatem in Orationibus, & ieiuniis, & eleemosinis, & bonis operibus accipio: Credens de Sancti Saluatoris suffragio, & Sanctorum Martyrum precibus, atque fratrum ibi deseruientium Orationibus posse defendi ab aduersitatibus in hoc sæculo, & à damnatione perpetua in futuro. Igitur vt hoc mihi eueniat secundum desiderium meum, & secundum spem meam, præsente filio meo Fortunio, & Episcopo Domno Eximino, & aliis meis Principibus, tribuo Sancto Saluatori, & Sanctis Martyribus duas Villas Lerdam, & Aniuessem, cum suis herentiis, id est terminis, à me, & à filio meo, & à quamplurimis determinatis. Lerdam verò habeat terminos de Sancta Cruce, quæ est in culmine montis, sicut vertit aqua vsque ad vallem maiorem de Ondosse, & de vallamaior vsque Bocartal, & de Bocartal vsque ad Salsam, & de Salsa vsque ad Samarium, & inde vsque ad billesam, & de billosa suso vsque ad Cassallo, & Ecclesiam Sancti Felicis sicut vertit aqua vsque ad vinyuelas veteres, & inde in suso vsque ad fontem de Camplion, Et de illo fente vsque ad Vayll susos, & de Vayll susos, vsque ad prædictam Ecclesiam Sanctæ Crucis. Aniuessen autem habeat terminos de Penna vulturina vsque ad fontem, qui vocatur Axauus, & de illa fonte, vsque ad pontarron, sicut currit aqua vsque ad flumen Aragonis; & de culmine montis Agaræ cum canalibus, simul cum canale Aueranosa, quæ est iuxta malio. Et de malio vsque ad Aguilar, & de Aguilar, ad fontem de Mopoyo, & sicut currit illa fonte vsque ad Vaill liscesa, & de ipsa valle vsque ad flumen Aragonis. Ipsas verò Villas cum terminis supradictis sic determinatas simul cũ filio meo Dono ingenuas, & liberas Sanctò*

Saluatori,

Saluatori, vt nemo ibi habeat aliquam mandationem, nisi Abbas Sancti Saluatoris, & eius Monachi. Ideo Do eis sic determinatas, quia magna contentio solebant habere homines de Villafilaria cum homines de Lerda, & de Aniuessen, sic quòd occidere se volebant. Et ne amplius habeant inter se contentionem determinaui eas, vt ab ista die in antea homines de Lerda, & de Aniuesse non habeant contentionem, neque iudicium cum homines de Villafilaria, neque de alius Villis. Qui præsentes fuerunt in hac determinatione; Garsia Semenones; & Enneco Blascone de Dasse bozo, & tio; & Auriolus Presbyter, & suo Neto Garcia de Arbi; & Garcia Necones; & Eldebone de Sansicu; & Enneco Blasconu; & Garcia Fortuniones de Guardosse; & Sancio Vita, & Blasco Necones de Frelisana; & Galindo Benaion; & Mantio Blascones, & Galindo Garsianes de Fillaria, & suo Netu Galbussu, & Fortunio Mantiones de Gordun maritu de Domna Sanctia, quæ fuit germana de auiatu de Falcos, & Senior Garsia Ennecones Iudice de Ondosse. Et ego Eximinus Episcopus suadente me, & rogante Domino meo supradicto Rege Garsia, vt simili modo faciam aliquod donum Domino meo sancto Saluatori, & sanctis Martyribus, vt ceteris tribuam exemplum: sciens quod pro hoc præmium vitæ æternæ adquiritur in futuro: Dono, & concedo Ecclesias istarum Villarum sancto Saluatori; & Sanctis Martyribus, Abbati Sanctio Gentullis iure hereditario in perpetuum possidendas similiter adhuc. Et ego Rex Garsea Do vnum agrum inter Nauerdum, & Saucium eodem modo ingenuum. Quicunque verò huic donationi nostræ, quam pro remissione omnium peccatorum nostrorum facimus, & propriè pro remissione patris mei Enneconis, & aui mei Eximini Regis, nec non & successorum meorum, Regum scilicet, Principum, & comitum, voluerit contradicere, vel aliquo tempore hereditatem, siue terminum istarum Villarum, vel Villas metipsas, vel ipsasmet Ecclesias à Domino Eximino Episcopo oblatas abstrahere, vel alienare voluerit à sancto Saluatore: abstrahat eum Deus à sancto paradiso, & alienum faciat à consortio beatorum. Et ex parte Dei omnipotentis sit maledictus, & excommunicatus, & anathematizatus anathema Maran Atha & à cœtu Christianæ Ecclesiæ segregatus, & à fronte binis luminibus carens. Demum subitanea morte percussus, & dæmonibus traditus, cum Sathana, & Iuda traditore, qui Dominum Saluatorem tradidit, in inferno inferiori habeat portionem visurum, & lugiturum cum diabolo, & omnibus Angelis eius in sæculis sempiternis sine fine. At tum quod absit suadente diabolo cum concupiscentia sæculi, si euenerit; ex parte Dei, & sanctæ Mariæ matris eius, & beatissimarum Martyrum Nunilonis, & Alodiæ, & omnium sanctorum, Regem, Principem, vel Comitē, qui tunc in tempore regnauerit, Coniuro & precor; vt oblationem, quam Dominus Eximinus Episcopus offert rogatu meo, & sua propria voluntate, & oblationem, quam ego pro peccatis meis Deo offero, ipse per vim, aut per voluntatem, neque per iudicium non sinat tollere, vel partire. Quod si dimiserit: omnia peccata nostra, & parentum nostrorum, & omnium successorum Regum, atque Episcoporum, pro quibus hoc offerimus, super ceruices illius iaceant; & in die Iudicii recognoscat culpam suam, & habeat damnationem de anima sua, & hæc oblatio inconuulsa permaneat in sæcula sæculorum. Amen.

FACTA *hæc Carta Donationis, vel confirmationis Die duod. Kal. Decemb. Æra Noningentesima decima octaua. Nos quoque prædicti Garsia Rex, & filius meus Fortunius, qui hanc Cartam fieri iussimus, & relegentem audiuimus, & nostra propria signa etiam ponimus, & Confirmatoribus, siue testibus ad confirmandum ostendimus: Confirmamus, & roboramus. Garsias Rex confirmat, & signat. Fortunius proles Regis confirmat, & signat. Episcopus Eximinus Pampelonensis confirmat, & propria manu signat. Episcopus Garsia Albeldesis confirmat. Episcopus Mantius in Aragonia confirmat. Abbas Sanctio Gentullis confirmat. Abbas Fortunius Sancti Æmiliani confirmat. Abbas Domno Salute Sancti Prudentii confirmat. Senior Enneco Sanz in Nagera confirmat. Senior Blasco Boardellus de Biozari confirmat. Senior Mantio Sanctionis de Elessa confirmat. Senior Azenar Sanctionis de Fillaria confirmat.*

Iam itaque euidens, & perspicuum omnibus esse poterit, Aristæ Regis patrem, fuisse Regē Eximinum. Cuius rei, ne alterius laudem fraudemus, inuentor non sum, sed tantū probator. Garibaius enim Pinnatensem, vt ipse ait, Historiam sequutus, princeps omnium istius Eximini Regis nomen suscitauit. Illius verò Regnum improbatum reliquit. Siquidem nusquam ex illius scriptis apparet, Eximinum ipsum fuisse Regem, Sed tantùm Aristæ patrē: propptereaque eū supra ex hac parte in probatione defecisse retulimus. Nunc serò, vtrumque huiusmodi Priuilegio, quo cum ipsa Pinnatensis historia consentit, manifestè conuncitur: scilicet, & Regem fuisse, & ipsius Aristæ patrem: quando quidem Garsias Rex, Aristæ Regis filius, qui dictum Priuilegium Ann. cc ∞xxc. (Hic enim cōuenit Aeræ in eo appositæ) irrogauit, apertissimis verbis se, Enneconis Regis filium, idest, Innici, qui postea Arista dictus fuit, (veteres namque quandoque Innici loco Enneconem proferebant) & Eximini Regis Nepotem, quem auum suum appellat, profitetur. Tum etiam ex eodem Priuilegio, Fortunii nomen apertè colligitur, qui fuit Eximini pronepos, Aristæ nepos, & Garsiæ Regis, qui priuilegium conce-

debat,filius: quem quidem nos vltimum Suprarbiensem Regem, citimum Aragonensibus Comitibus annotauimus. Sed fateor ex dicto Priuilegio non elici sententiam meam, vt inde ipsius Fortunii Monachi Regnum eruamus: sed nomen tantummodò ac Garsiæ Regis filium, idest, Aristæ nepotem, exstitisse. Verum tamen fuisse Regem, seseque imperio abdicasse, quòd in Monasterio Legerensi Monachi se votis obstrinxisset; grauissimis vrgetur à Garibaio adductis argumentis, ex ipsa antiquitate depromptis: sic iam vt si quis contradicere velit, quemadmodum in eius vita diximus, non audiatur. Hoc etiam, quòd caput est quoque eodem ipso Priuilegio concluditur: Nempe Comitis filiam Vrracam, iam Aristæ filio nuptam esse An. Chr. DCCCLXIIX. quo tempore Arista à nostris Rex electus fuit. vt non abs re de eodem Comite liceat suspicari, ob eam causam impensius il- 1
lum, vt nostri inclinatione voluntatum in consocerũ adsciscendum Regem propenderent, effecisse. Idque liquidò ex certissima temporum ratione firmatur. Si enim Fortunius Monachus, Garsiæ Regis filius, ipsiusque Comitis ex dicta Vrraca filia nepo' (neq; enim Garsiam ipsum vxorem aliam duxisse constat) Ann. Chr. DCCC.XXC. quo dictum Priuilegium irrogatur, de illius rogatione, vt illius expressa sunt verba, à patre consulitur; illudque etiam confirmat, & sancit: sequitur necessariò, vt filius ipse Fortunius, si non ita multum ætate processisset, saltem quartum decimum tunc ageret annum, cùm in pupillari ætate nullo modo consilii vis inesse iure possit. At verò inter dictum Annum DCCCLXIIX. quo electio Aristæ Regis facta fuit, & inter rogationis dicti Priuilegii annum duodecim tantùm anni interseruntur. Concluditur ergò ratio, vt quando Aristam nostri 2
Regem adsciuerunt; iam antea, biennio saltem, Fortunius ipse nepos, qui se postea, vt dictum est sæpe, monasticæ vitæ instituto addixit, natus esset: fitque etiam, quod inde elicitur, consentaneum, vt proptereà Comes ipse nostrorum animos, ad eligendum Aristam contra responsum datum induxisset, quia iam tunc cum eo erat hoc vinculo affinitatis deuinctus, quòd eius filio filiam collocarat, nepotemque iam, ex ea filia natum, tunc haberet. Etenim cùm Adrianus Pontif. Max. Longobardique nostris consulentibus respondissent; Neminem, qui præpotens esset, Regem tunc constitui oportere, ne inferiores, vt dictum est, premeret: tametsi istius rei habenda ratio fuit, vt non sine aliqua magna causa existimemus, tam citò nostros tantoperè ab huiusmodi consiliis discrepasse, vt Aristam sibi Regem statuerent, qui si non iamdiu Pompelonensis Rex (quæ recens 3
nostra opinio est) saltem (q̃ perspicuũ satis esse potest) Eximini Regis filius erat, proindeq; omnes potentia, & dignitate anteibat: sed tamen graui aliquo ex nostris viro, vt pote ipso Comite suadente, verisimile est nostros ea in parte incepti cursus rationẽ aliquantulum inflecti fuisse passos, ac præcipuè quidẽ Media illa interposita Præfectura, q̃ ad potestatẽ Regiã temperandã in Repub. nostra, de pactarum legũ vi, constituebatur. Nam Aristam omnino peregrinũ esse, q̃ altero responsionis Capite vetabatur, non ausim affirmare: immo eũ existimo, ex quo Eximini Regis filius erat, diutiusq; Nauarrensib' imperabat, tamquam ciuẽ habitũ fuisse, tametsi ab Aquitania duceret fortasse gen' suũ; eaq; in parte nec multum de Consultorum institutis immutatum. Ad superiorem autẽ mutationẽ consilii non facilè credam fuisse nostros vlla alia re, nisi ea moderatione adhibita, quæ ex Me- 4
dia illa Præfectura inducebatur, descensuros. Atque hæc habeo modò, quæ obseruem in istius Priuilegii verbis, quæ indicaui. Alia autem sunt, non illis certiora, ea namque certissima statuo, sed quæ me tamen oportet obseruare, vt aliquod quasi vestibulum ad huiusmodi disputationem faciamus. Quale illud est, in primis graue, ac firmum, Iacobi Regis I. testimonium, quo in rerum suarum à se editis Commentariis, sesemetipsum ad Oscenses viros loquentem inducẽs, Quartumdecimum se esse Regem eorum, qui in Aragonia regnarunt, expresse his Catalanicis verbis profitetur. Ea namque lingua Commentarii ipsi, eiusdem Regis manu, ante annos CCC. scripti sunt. *Varons: be creem, que sabeu, è deueu saber, que nos som vostre senyor natural; è de llonch temps, que* XIIII. *Reys ab nos ha hagut en Arago.* His ergo positis fundamentis, vt id primum, quod cetera obscurat, dis- 5
cutiamus: qui priores Reges enumerare omittunt, quasi Duces, non autem Reges exstiterint; graui Ruderici Toletani Archiepiscopi auctoritate in huiusmodi opinionem adducuntur, quòd eos ille silentio prætermiserit, ab Aristaque Rege ceperit scribendi exordium. Idque magnopere confirmari eisdem placet eodem ipso Iacobi I. Regis testimonio; vt non solùm quatuor illi antiqui Reges, qui Aristæ antecesserunt, sed & Eximinus pater, & Fortunius nepos, ac duo etiam alii Garsias, & Sanctius, à Garibaio nuper excitati, qui inter Reges Abarcam Cæsonem, & Tremulum interponi debent, nullo modo in Regum numerum venire possint, quasi hi omnes; posteriores siquidem commentitii, & ficti Reges sint; priores autem non Reges, sed Duces. Quinimo flagitium statuentes,

nouos

nouos modò Reges suscitare; minimè tantam potuisse vnquam obliuionem esse inquiunt in scripto, præsertimque de Regibus; vt eorum nomina ne audita quidem fuerint. Cumque Iacobus ipse Rex se esse Quartumdecimum Regem fateatur, necessariò iam videtur ipsis, ab Arista ipso & Regni, & stirpis initia repetenda esse, eosque qui eum antecesserunt, ê Regum; qui post eum verò interponuntur, ê viuorum numero exturbandos. Neque enim leniùs rem tractant huiusmodi. Ac mihi quidem verissima, grauissimaque videtur Iacobi I. Regis sententia. Sed eam nequaquam arbitror intellectam. Etenim, priores Reges fuisse, præter Garibaium, qui firmissimè asseuerat plurima exstare, ac se vidisse vetera monumenta ea de re; omnes ferè & recentiores, & veteres scriptores, quotquot sunt, qui res nostras scriptis suis mandarint, prodidêre. Ex quibus hos tantùm nominabo; scilicet Alfonsum Castellæ Regem, Sapientem vocitatum; Rudericum Toletanum Antistitem; ac veterem nostrarum rerum Scriptorem, in ea quæ Pinnatensis Historia inscribitur; memoratumque Excellentissimum Archiepiscopum Ferdinandum: qui in priuatis suis monumentis eandem prorsus, quam nos, rerum à quatuor illis Suprarbiensibus primis Regibus gestarum narrationem persequitur. Ex Alfonsi enim Castellæ Regis, ac Ruderici Archiepiscopi Toletani scriptis apertè concluditur, ante Aristam Regem in Nauarra prouincia Reges exstitisse. Siquidem ambo ipsi, Muninnam illam, seu Momeranam, de qua supra diximus; ex Regali Nauarrorum Regum stirpe profectam; Anno DCCLV. Froilæ, seu Fruelæ Asturiarum, siue Legionensi Regi nupsisse aiunt. Ac ea res, ac Froilæ Regnum longè multum, ex ipsorum aliorumque Historicorum sententia, Aristæ Regis Regnum antecessit. Vnde efficitur, vt qui Aristam antecesserunt, Reges non Duces fuisse, ex eorundem Alfonsi, ac Ruderici scriptis eruatur. Auctor quoque Pinnatensis Historiæ (qui monachus quidam Petrus Marfillus putatur esse, ac si non ante ipsum Archiepiscopum Toletanum, eius saltem non excessisse vitam colligitur) eos Reges nominat. Præterea Hieronymus Surita cùm Aristam primum Regem inducat; Suprarbiam terram (ita enim loquitur) sub Anno CC ∞XIV. qui longè multum, etiam ex ipsius sententia, Aristæ Regnum, ac patris antecessit, meritò ipsis temporibus Regni nomen sortitam tradit: licet non à cælesti illo miraculo, quod supra arborem cælestis Crux apparuerit, vocatam censet, sed quia supra Arbem montem constituta sit. Sed siue hoc, siue illo modo fuerit, si eo Anno Suprarbium, Regni nomen adsciuit; Regum ergò imperio parebat. At in eum Annum, vel non multò longè Fortunium, & Sanctium, tertium & quartum, quos diximus, Reges, incidisse constat, multò ante Eximini, & Aristæ Regum tempora. Qui igitur eos antecesserunt, Reges nominandi sunt. Ac si Reges; Suprarbienses sanè: vt eorum titulus Regni, cui præerant, nomini conueniret. Quid? quod, & in Annalibus idem Surita testatur, antiquum quoddam Priuilegium exstare Ecclesiæ sancti Petri Siresiensis irrogatum; in eoque Sanctii Garsiæ Regis & cuiusdam Aragonensis Comitis fieri mentionem, atque ipsius Comitis nomen, præpostero ordine, Regio nomini antepositum esse. In Priuilegiis insuper Roncalensis vallis habitatoribus concessis, quorum Carolus Princeps meminit, & Garibaius eorum se exempla asseruare ait, Garsiæ Regis, ac Fortunii eius filii, Infantis Suprarbiensis nominati, expressam factam mentionem proditur, iam vt priores quatuor, non Duces, sed Reges exstitisse, cùm tot grauibus testimoniis comprobetur, venire in dubium nemini certe iam possit. Neque enim rationem illam probo, Reges non fuisse, ob eam causam, quòd nullius eorum Archiepiscopus Toletanus meminerit. Ille enim de ortu, & genealogia Nauarrensium Regum scripturus (sic namque suum opus inscripsit) iure potuit de eis silere, quos nequaqnam duceret in eum numerum referendos esse. Quî autem quęso Garsias Eximini, istorũ Regũ, vt ita dicam, parens, appellari poterat Nauarrẽsis, siue Pompelonensis, quod idem est, Rex cum neque à Nauarrensibus assumptus, nec in Nauarrensi ditione euectus, nec eiusdem potitus, nec in ea sepultus exstiterit? Et Rudericus ipse alio in loco aliter sensisse visus est: cùm, vt supra diximus, Froilam Asturiarum, siue Legionensem Regem, eandem Momeranam ex Regali Nauarrorum progenie (nam sic est apud illum) ortam, quam Alfonsus Rex Muninnam vocat, duxisse vxorem tradat, Aera DCCXCIII. quæ Anno DCCLV. conuenit: longè verò post dictum Annum, Aristam Regem Nauarræ imperare cœpisse, idem ipse Archiepiscopus auctor sit. Quin immo inde coniecturam capio, vt eos Reges, qui Aristam antecesserunt, quandoquidem fuisse Reges inde etiam colligitur; ex quo Archiepiscopus ipse eorum non meminit, cùm alioquin patria esset Nauarrus: nobis, non autem Nauarren-

sibus vendicemus ; tametsi illum, dum Regalem Nauarrorum progeniem dixit, apertè vid:o, eos omnes Nauarrenses Reges censendos iudicasse. Sed istius gentis est maximè proprium, vt antiquam omnem nobilitatem à se esse profectam arbitrentur. Itaque iam videmus ipsum illum Archiepiscopum Toletanum, nec ipsum secum, nec ea cum re, quam sibi ostendere proposuerat, constitisse: sed maiori profectò ex parte claudicasse. Nam de ortu, & genealogia Nauarrensium Regum scribens, Aristam eorum Regem numerauit primum, cùm ante eum Regalem Nauarrorum progeniem memorasset. Neque solùm Eximinum Regem, ipsius Aristæ patrem, præteriit, sed Fortunium etiam nepotem; quorum vterque, Eximinus quidem, si ita sit, Nauarrensibus solis, Fortunius verò ipsis, ac Suprarbiensibus simul, quemadmodum demonstrauimus, imperauit. Porrò & ex eorundem Archiepiscopi Ruderici, & Castellani Regis scriptis colligitur apertè, post miserabilem illam Hispaniæ cladem, quando illius instauratio eo, quem diximus, modo fieri cœpit; Froilam ipsum, nonnullosque alios tum ante tum post eum Legionenses, siue Austuriarum Reges, ipsius Nauarræ satis diu fuisse potitos: & quandoque in illam, quòd ab eorum nomine, & imperio defecisset, vehementer insultasse. Atque eo tempore complures Nauarrensium, Suprarbiensibus Regib[us] se totos addixisse, ipsisque paruisse, quo vsque Arista ab eis Rex adscitus fuit; Beutherius Valentinus, quẽ grauissimum scriptorem iudico, auctor est: Aristamq; primum omniũ, Nauarrensem Regẽ fuisse, tum ipse, tum idẽ ille Carolus Princeps attestantur. iam vt inde etiam satis benè colligi possit, quatuor illos ante Aristam Reges, nequaquam Nauarrenses Reges censendos fuisse: tametsi eos, ita Scriptorum vulgus, hisce minime notatis rebus, appellarit. Sed hac de re plura paulò post. At verò ipsum Suprarbiense nomen haud nouè quæsitũ, sed priscum nimis, & antiquum esse præter varia, ac multa aliorum scriptorum testimonia: vsitatæ etiam illæ Regalium Priuilegiorum formulæ valde confirmant. In ferè omnibus namque Priuilegiis, quæ exstant à sanctio Maiori, & post eum ab aliis & nonnulla ab anterioribus Regibus irrogata, aperte videmus, eos omnes hanc consuetudinem loquendi seruasse, vt cùm initiò se tantummodò Aragonensium, & Pompelonensium Reges fateantur (Nauarrensium etenim in antiquis Priuilegiis nusquam memini profectò me legisse) in extrema parte, post appositam illam vsitatam temporis notationem, sub his verbis: *Facta Carta;* & reliqua: Regales alias Ditiones, quibus præerant, ostenderent, loquentes hoc modo: *Regnante me Rege Sanctio in Pampilona, in Aragone, in Superarbi, & in Ripacurtia.* Sic enim quandoque Suprarbii vocem scriptam inuenio. Singulas autem huiusmodi Ditiones, Regna fuisse perspicuum est planè. Eo autem genere loquendi demonstratur, eas, quæ aliquandiu diuersæ fuerant, iam tunc coniunctas, & copulatas illius Regis imperio parêre, qui se in illis regnare profitetur. Quòd si Suprarbiensis Ditio Regnum fuit vnquam; id certè ante Abarcam Cęsonẽ esse oportuit. Illius namque nominationem posteà vsitatius Aragonum Regni nomen exorbuit, quod primus sibi Abarca ipse Cæso vendicauit; sic, vt nisi in extremo Priuilegiorum, eo, quem diximus, modo, nequaquam appareat. Atque hoc pacto sensim profectò fuit priscum illud Suprarbiensis Regni nomen antiquatum. Et ex his omnibus etiam apertè colligitur, quam supra intexuimus nostri Iacobi I. Regis sententiam ita omnino interpretandam esse, vt ea stirpis nullomodo, sed Regni; Regni verò Aragonum solius initium denotetur: neque ab ipso Rege Iacobo, dum se Quartum decimum Regem numerauit, vllam prorsus Regum, qui Abarcam Cæsonem antecesserunt, habitam fuisse rationem. Nam si stirpis initium denotasset; ab Eximino Rege originem sumẽdo, Fortunioque Rege, Monacho, Cæsonis Abarcę fratre, numerato, etiam exclusis duobus aliis Regibus, qui inter Cæsonem ipsum, & Tremulum, vt memorauimus, interponi debent; non Quartus decim[us], sed Sextus decimus potius numerãdus esset. Quòd si eos duos numeremus, quemadmodũ numerandos esse, Regesq; fuisse demonstrabimus: Octauus decimus numero fuisset omnino. Si verò alterius præterquã Aragonũ Regni initium significare voluisset; neq; etiam constare sibi vllo modo posset, quin in eodẽ, ac in maiori certè ipsius notæ errore versaretur. Iam tunc enim paulò altiùs, siquidem à Garsia illo primo, quem diximus omniũ Regum parentem appellari posse, repetere numeri ipsius initium cogebatur, eoq; ceteros Reges complecti; qui nobis post Hispaniæ iacturam imperarunt. Quo pacto Secundus & vicesimus Rex numerari debuisset. Neque verò dum Garsiam primum, omniũ Regum parentem nominaui, cum Garibaio consentio, qui Primum Interregnum subtrahere nititur, Eximino, Aristæ patri, Quartum Suprarbiensem Regem Sanctium, patrem tribuendo, vt ab eodem Garsia continuata Regũ successio deducatur. Ea enim in re Garibaium deceptum fuisse demonstrabo. Sed quia prim[us] in Repub.

nostra

nostra Princeps exstiterit Garsias Rex, qui ceteris ad statuendum Regnum aditum fecit illustrem. Hunc igitur, & reliquos omnes, qui post eum sequuti sunt Reges, vna secum Iacobus ipse adnumerare debuisset, si initium Regni simpliciter denotasset: sicque is longior, & maior fuisset numerus effectus, quē diximus. Fit itaque vt cum neq; stirpis, neq; Regni simpliciter initium denotarit; quid aliud significare, atque annuere voluerit, explicemus. Qua in re nefas omnino erit, vt ex illius verbis quidquam aliud, quàm quod ipse expresse voluit, excipiamus. Cùm verò ipse non simpliciter se *Quatuor decimum* Regem numerarit, sed addiderit etiam, *eorum qui in Aragonia regnarunt:* aperta res erit non, aliter interpretandā esse illius mentem, ac videntur sonare ipsa verba. Vnde efficitur planè necessario, vt Aragonum Regni initium denotatum fuisse concludamus: neque Iacobum Regem eo numero aliorum, nisi eorum tantummodò rationem, qui in Aragonia regnarunt, concepisse, quandoquidem in ea tam clara verba, & aperta illius omnino fuit conclusa, comprehensaque sententia. Quòd si præterita repetamus, demonstrandi causa, qui fuerint Reges, qui in Aragonia regnarint, illudque Aragonum Regni nomen præsetulerint: neminem eorum, quos hucusque retulimus, sed Abarcam Cæsonē principem, qui continenter post eos describendus proponitur, reperiemus. Nam à Secundo Suprarbiensiū Rege, ad Aristę ætatem, atq; obitum, iam supra Aragonum Comites viguisse demonstrauimus. Garsiam verò Regē Aristæ filium, Aragonensisq; Comitis generū, qui vxorio iure Aragonensem ipsum adiit Comitatū, quiq; primus verè Aragonum Rex vocari potuisset: huiusmodi nomen adsciuisse ex eo, quòd intexuimus, Priuilegio non constat. Immo illud Comitatus retinuisse nomen vel inde colligitur, quòd bis geminatis, atque duplicatis verbis inter successores suos, Comites apertè nominauit. Aragonenses autem significari clarissimum est, ex quo successores dixit, idest, posteros, quibus à se nascendi conditio data esset. Alterum enim Comitatum præterquam Aragonensem, ad eum nullum peruenisse comperimus, vt intelligi possint hæc verba de eo. Quin ea verborum geminatione innuisse videtur, se ita animo, ac mente concepisse, vt crederet illud Comitis nomen incolume ad posteros omnino peruenturum, neq; eam, quæ citò ab Abarca Cæsone filio facta fuit, ipsius nominis mutationem futuram. Atque illud idem, q; pater, Fortunium Monachum filium suspicor seruasse. Quamobrem hosce ambos Reges, Garsiam Aristæ filium, & Fortunium Monachum Aristæ Nepotem, tametsi Aragonensis Comitatus fuisse potitos colligitur; retento tamē ipso Comitatus nomine, vt in Aragonia regnasse propriè enuntiari non possit. At Abarcam Cæsonem apertissimè ex omnibus suis Priuilegiis, Aragonum Regem, seu Aragonensium appellari solitum fuisse apparet. vt is prim⁹ verè dici possit in Aragonia regnasse; quandoquidem primus præclaram eam, quæ posteris hereditaria permansit, tituli mutationem induxit, vt Aragonum nomen in altiorem locum, scilicet in Regiæ dignitatis amplitudinem, & gradum ascenderet. Post ipsum autem Abarcam Cæsonem, duobus interpositis Regibus, Garsia, & Sanctio, auo, & patre Garsiæ Tremuli Regis, quos nuper Garibaius suscitauit: fit certè, vt ipso Iacobi Regis quatuordecimi numeri nota aptissimè Regibus ipsis conueniat, sic vt nullo modo aliunde ea petenda sit. Vnde etiam aperte illorum error conuincitur, qui Ramirum, siue Ranimirum, quod vsitatius fuit nomen, primum Aragonum Regem numerarunt; cùm septem tantummodò sint inter eum, ac Iacobum ipsum I. Reges interiecti. Sed paulò post plura ea de re. Iam verò Primum, quod apposuimus, Interregnum Garibaius ipse subtrahendum censet, Pinnatensis Historiæ, vt ipse ait, fide, & auctoritate commotus: siquidem Eximinum Regem, Aristæ patrem, filium fuisse tradit Sanctii Regis, quem nos Quartum Suprarbiensem Regem numerauimus. Sed ab eo dissentio, cùm id nequaquàm ex ea Historia, ad quā ille se refert, eruatur. Hæc namq; illius sunt verba. *Post mortem Regis Fortunii Garsiæ,* loquitur autem de primo Fortunio, qui fuit Tertius Suprarbiensis Rex, *regnauit in Pampilona Rex Sanctius Garsiæ:* scilicet idē ipse, quē Quartum memorauimus. Post ait, *Et regnabat in Sturiis Rex Ordonio, qui tunc fuit deuictus per Regem Cordubæ, vocatum Abdurramen Anno scilicet Domini DCCCXX. Et tunc temporis gens Sarracenica ob victoriam de dicto Rege Ordonio obtentam supradictam, maiori audacia transierunt montes Pyrenæos, & adquiserunt vsq; ad Ciuitatem Tolosanam: sic quod propter terrorem Maurorum nemo eis poterat resistere. Quinimmo Christiani fugientes & deserentes loca, vbi habitabant, propter metum, & terrorem Maurorum recolligebant se in spelunca Sancti Ioannis de la Penya, tanquā refugium singulare. Erant quidē ipsi Christiani vsque ad numerū Sexcentorum. Qui cum vxoribus, & filiis, & omnibus eorum bonis recollegerunt se in dicta spelunca, vbi erat ædificata Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ: quam ad honorem Dei & Sancti Ioannis augmentarunt, & multipliciter decorarunt. Et subsequenter cū magna deuotione, & contritione suorum peccaminum, fideli*

confeßione prauia, & cũ magnis hymnis, & cantib⁹ humiliter, & deuote transtulerunt corpus ipsius Sancti Ioannis: loquitur autẽ de primo Anachoreta, quem diximus Ataresiũ nominari, *illudq; tumularunt in quadam pulchra tumba: suprà quam nomen, & vita ipsius Sancti erat scripta literis mirificè sculptis. Quæ siquidem tumba fuit posita inter tria Altaria Inuocationũ sancti Ioannis Baptistæ, sancti Iuliani, & sanctæ Basilicæ, ibidem antea ædificata. Subsequenter dicti Christiani, inducti deuotione maiori, ædificarunt itidem duo Altaria: vnũ ad honorem sancti Michaelis, & sub inuocatione ipsius: aliud sancti Clementis. Et statuerunt ibi Monasterium, & constituerunt Abbatem nomine Transirico, & Clericos, qui propria voluntate, & ad honorem, & reuerentiam Dei, & Sanctorum ibi sepultorum renuntiauerunt desideriis carnalibus & mundanis. Et hoc fecerunt, vt Deus, & Sancti eos præseruarent à persequutionib⁹, quas Mauri eis infligere conabantur. Et quilibet ipsorum Christianorum construxit inibi propriam mansionem: & ibidem infra breue tempus fuit congrua populatio. Et procurarunt ipsum Monasterium consecrari per Episcopum Aragonensem, vocatũ Ennecum, die sanctæ Agathæ. Regnauit autem dictus Sancius Garsia Rex Pampilonæ Viginti annis. Mortuo quidem dicto Rege regnauit Eximinus Garsiæ cum suo filio Garsia quorum alia memoria non habetur: decesserunt enim, nullo Rectore, vel successore eorum superstite.* Nec plura certè in ea Pinnatensi Historia, quam habeo (atque eadem ipsa est, quam Garibaius se apud Suritam nostrum legisse refert) de his Sanctio, & Eximino Regibus, ac filio Garsia scripta continentur. Inde autem, nisi me fore fallo, Sanctium Quartum, quem diximus, Regem, Eximini patrem fuisse nequaquàm elicitur. Hi autem Eximinus, & Garsias, ii sunt, quos supra, patrem, ac fratrem Aristæ memorauimus. Et in hoc vno errasse constat istius historiæ auctorem, quòd cùm Aristam, ipsius Eximini Regis filium fuisse, ac patri successisse, grauissimo illius Priuilegii, quod paulò ante intexui, testimonio comprobetur: ipse verò, Eximinum, ac filium nullo successore superstite obiisse, affirmet. Immo ex quo Eximinum ipsum, Eximinum Garsiæ, nominauit; patre non Sanctio, sed Garsia vocato, fuisse natum dicerem, cùm alioquin Eximinus Sanctii iuxta veterẽ consuetudinem vocari debuisset: iamque Garsiam ipsum, Eximini patrẽ, persuadeo mihi non Regis, sed priuati herois personam sustinuisse. Ea verò omnia, quæ à nostris in Pinnatensi Spelunca facta perhibentur, ad primũ hoc Interregnum, quemadmodũ nos ipsi fecimus, referenda sunt: quandoquidẽ de Transyniro, seu Transirico præposito Abbate, ac de cõsecratione ipsius Ecclesiæ mentio fit. Hæc enim, vt cetera omnia istius antiquitatis monumenta loquuntur, post ipsius Sanctii mortẽ, Repub. iam ad Interregnũ adducta, subsequuta fuêre. Nec si Rex ipse Sanctius Quartus plures annos regnauit, quàm viginti, quẽadmodum quisquis eam historiã scripsit, auctor est: tam longè illius vita posset produci, vt hæc omnia eidem subiiciantur. Siquidem regnare cœpit Ann. DCCCXV. Consecratio autem Ecclesiæ, vt dictum est supra, facta fuit Ann. DCCCXLII. Inter quæ tempora viginti, & septem anni interferuntur. Ex quibus patet in huiusmodi rerum, ac temporum notatione eam, quam nos sumus sequuti, viam tenẽdam esse: nec multum ab huiusdi historia discrepare. Quin etiam & ex eodem ipso Priuilegio, quod intexuimus in istius nostræ disputationis vestibulo, vt à nobis paulò est ante dictum; si attentè & diligenter illius verba expendantur, elici potest, nec ineptè, Eximini patrem, Regem non fuisse. Etenim Garsias nepos, qui dictum Priuilegium irrogauit, de maioribus suis duos tantum Reges percenset; scilicet Aristam patrẽ, ipsumque Eximinum auum: dum ait. *Quam donationem pro remißione omnium peccatorũ nostrorum facimus, & propriè pro remißione patris mei Enneconis, & aui mei Eximini Regis, nec non, & successorum meorũ, Regum scilicet, Principum, & Comitum.* Si igitur Garsias Rex gentiles alios habuisset Reges; eorũ, quemadmodum, & successorum omnium profectò meminisset. In hac autem deprecatione ignoscendi apertè videmus postulationem nullam de maioribus aliis, præterquam de parente, & auo, Regib⁹ contineri: at de successoribus omnẽ. Nec video causam cur maiorum oblitus posteros tantummodò memoraret: nisi quia non amplius, quam Regum, à quibus originẽ ducebat, haberi voluisset rationem. Cumque ii, duo tantùm fuissent, pater, & auus, quos retulimus: idcirco solam eorum memoriam ad ostentationem, & gloriam excipiendam censuit, quòd antiquiorem laudem, quàm Regnum, familia sua profectò non haberet. Sequitur ergò, vt idem sentiamus, quod Pinnatensis historia, omnesque alii scriptores tenuerunt; scilicet post Sanctii, Quarti Suprarbiensis Regis, interitum nostris Interregnum Primum datum esse: Garibaiique qui contra nititur, explodamus sententiam, quæ argumentis clarissimis refellatur, cùm alioquin in nouis Regibus excitatis, annorumque & temporum notatione, nequaquam possimus adhibitam ab eo operam vehementer non laudare. Ceterum his cognitis ad eam istius disputationis partem accedã, quæ mihi sola superest illustranda; De diuersa nẽpe, quã supra constitui Aristæ Regis à nostris, & à Nauarren-

Nauarrensibus, seu Pompelonensibus facta electione. Quam etsi rem nouam, spero tamen me cuiuis facilè probaturum. Carolus namque Princeps, ac ferè omnes scriptores perhibent, Nostros, cùm sine Rege essent, ab Adriano Pont. Max. (quē Adrianum II. fuisse memorant,) Longobardisq; (quibus nōnulli Francos etiam addunt) statuendæ Reip. modū quæsiuisse; fuisseq; ab illis id responsum latū, Vt consentaneis legibus præstitutis, Vnum sibi aliquem in regem constituerent: inde nostros, condito priùs Suprarbiensi Foro Aristam sibi præfecisse Regem: ab eoque nō solùm ipsas leges sancitas fuisse, sed irrogatum illud Priuilegium, quod diximus, De alio à nostris adsciscendo Rege, si à se, suisue Ius publicum violari contingeret. Ex quibus patet, minimè nostris Aristam Regem, ante Adriani Pontificatum præfuisse. At verò Adrianum II. nondum quinque annos sedisse constat; nempe ex A. D. XII. Kal. Decemb. An. DCCCLXVII. ad Kal. Oct. An. DCCCLXXII. quemadmodum ex Onufrii scriptis colligitur, quorum supra fecimus mentionem. Fit ergò, vt necessario Aristæ electionem à nostris factam in aliquem horum annorum incidisse censendum sit. Quòd si ante dictum temp⁹ fortasse eum regnasse appareat: non nostris, sed Nauarrensibus imperarit. Atqui ex variis à Garibaio adductis documentis, quibus omnino fides adhibenda est, apertè conuincitur, Aristam ipsum iam Ann. DCCCXLII. Regem esse, Regioque nomine Priuilegia irrogasse, quorum nonnulla exempla Garibaius ipse protulit in medium. Præterea Hieronymus Surita in suis Indicibus Aristæ Regni initium Ann. DCCCXLV. vel circa supposuit: vt non multum visus sit ab ea Garibaii sententia discrepare. Si igitur Ann. DCCCXLII. Arista Rex erat; aut nostris, aut Nauarrensibus, aut omnibus simul imperabat. Nostris non quadrat; cùm viginti & quinque annis post (tot enim inter dictum Annum, & Adriani II. Pontificatus initium interpositi sunt) de statuenda Repub. cùm eodē Pontifice fuerit habita consultatio, quæ necessariò Aristæ selectionem à nostris factam antecessit: ergò, Nauarrensibus. Si Nauarrensibus; efficitur igitur, quod consequens est etiam necessarium, vt diuersas fuisse de eodem Arista à nostris, ac Nauarrensibus electiones factas dicamus: & proinde necessariò Aristam ipsum diu ante Nauarrensibus præfuisse, quàm à nostris Rex eligeretur: neq; omnino leui, illud etiam quod diximus, coniectura pendêre, Eximinum nempe Regem nostris nequaquam, fortasse autem Nauarrensibus imperasse. Hanc autem opinionē de Adriani II. Longobardorumque deliberatione, ex qua eos in idem tempus incidisse colligi potest, quòd pro suspecta haberetur, cùm Adriani II. ætate Longobardorum Regnum iam sublatum esset: fateor equidem aliquandiu mihi non placuisse, interdumque visam fuisse dubiam, ac incertam. Carolus enim Magnus, ex amici nostri Caroli Sigonii, grauissimi Scriptoris, Francorumque Historicorum sententia, ann. DCCLXXIII. qui fuit quintus sui Regni ab Adriano I. Papa contra Desyderium, Vltimum Longobardorum Regem, Romanos acerbissimè vexantem, vocatus, Longobardos acie victos profligauit: ac Desyderium, eorum Regem, diu obsessum, tandem deditionem facere coegit, atque in Franciam cum vxore, & liberis misit omni Regia potestate exutum. Quib⁹ peractis, sub Francorū ditione ea omnis Italiæ pars venit, quæ Longobardorum erat; præter Hexarchatum, Rauennatem, Romandiolam, quandamq; Thusciæ partem, quam idem Carolus beato Papæ Adriano I. & Apostolicæ Sedi donauit: quæ omnia Longobardi Romanis, & Constantinopolitanis Imperatoribus adimendo iuris sui fecerant. Itaq; Caroli Magni tempore, ac virtute, Longobardorum Regnum in Italia defecit, Centum ferme annos ante Adriani II. Pontificatum. vt Adrianū II. Longobardosq; in eadem simul tempora incidisse, qui nostris dare consilium possent, videatur omnino temporum rationi repugnare, saltem Regno ipsorum Longobardorum stante. Si autem affirmare velimus, omnes scriptores nominum similitudine deceptos, Adrianum secundum pro primo collocasse; minus etiam id conuenit: cùm neq; Adriani I. Pontificatu, neque Caroli magni Regno, vllum nostris Interregnum patuerit, in quo de statuenda Reipub. forma consilium peteretur. Denique in his angustiis, cùm constans omnium sit opinio, & sententia Adrianum secundum nostris consulentibus respondisse, de Adriano autem primo nec quidquam referatur, dicendum est planè; Longobardos quamquàm suis Regibus orbatos, ex quo in Italia sub externo dominio manserunt, Ecclesiæ videlicet, ac Francorum, Adriani II. temporibus viguisse adhuc, nimiumque sagaces, & prudentes ab omnibus semper habitos fuisse, ac præcipuè quidem in statuendæ Reipub. forma, quam diximus. Eorum siquidem imperium, quamuis ab initio sæuum, atque impotens fuerat: post Christianam tamen religionem adscitam, mitius, ac benignius effectum fuit, iam vt à Paulo Diacono iustum appelletur. Cuius rei eruditissimus idem Sigonius locupletissimos testes fuisse tradit, rectas eorum leges; qui-

bus furta, latrocinia, rapinæ, cædes, & adulteria seuerissime vindicabantur, ac libertas, & fortunæ priuatorum summo studio, ac æquitate, quamdiu illorum Regnum stetit, conseruata fuêre. Qua vna in re, tota nostrarum legum summa, & temperatio consistit. Itaque ab eis, tametsi exactis Regibus, optimè nostri petere potuerunt de statuenda Repub. nostra consilium, quorum maiores temperatissimis legibus, in Italia; opulentissima omnium Prouincia, amplissimi Regni sedem constituerant: quod auctoritate tanta tunc fuit, vt nunc etiam tametsi fractum, ac debilitatum omnino, illius tamen gentis nominis memoria, nitatur. Ab ipsis namque Lombardiæ, quod nunc remanet, nomen sumptum est. Quòd si verum esset, quod ab aliquibus, nec indoctis viris accepi, vt Adrianus ipse II. Iltiprandus proprio gentis, ac familiæ suæ nomine vocaretur, cùm in omnibus, quæ exstant, Suprarbiensis illius Fori exemplis, Aldebrandum, siue Abreuianum, Apostolicum, id est Pont. Max. (sic enim veteres loqui consueuerunt,) fuisse à nostris consultum exprimatur: mirificè quidem omnibus his, quæ diximus, conueniret, vt Aldebrandi, seu Abreuiani id nomen corruptè pro Iltiprandi vsurpatum sit. Eoque Adrianus ipse II. designetur, ac si nos felicis recordationis Gregorium XIII. Papam Boncompagnum diceremus. Sergium enim Papam II. qui Adrianum ipsum II. fecerat Cardinalem, primum omnium proditur nomen suum mutasse: cùm ante Pontificatum proprio nomine, Osporcus, vocaretur. Ad cuius similitudinem, qui post eum sequuti sunt Pontifices Romani, nomina sua mutari voluerunt: & illud idem Adrianum II. credere licet, facere voluisse, relicto eo Iltiprandi nomine. Quam mutandorum nominum rationem ex huiusmodi principio in Romanis Pontificibus introductam, postea consuetudo aluit, ac frequens vsus reddidit firmiorem. Sed nihilominus fieri certè potuit, vt ipsum illud Iltiprandi nomen perinde, atque Adriani, in communi omnium ore versaretur: atque vt Apostolicus Aldebrandus, qui in Suprarbiensis illius Fori vestibulo nominatus in manuscriptis, quæ exstant, exemplaribus inuenitur, idem ipse Adrianus II. censendus sit. Vnde fit, vt Historicos omnes, qui Adrianum II. a nostris fuisse consultum prodidere; eundem ipsum, quem Suprarbiensis Forus Apostolicum Aldebrandum vocat, nominasse, ac nominare voluisse, intelligamus. Ex his igitur apertè elicitur, quod proposui; non iisdem Comitiis, sed longè diuersis Aristam fuisse à nostris, & Nauarrensibus Regem adscitum. Sed venio nunc ad illud, quod grauissimum, & firmissimum est omnium, ex dissimilitudine Iuris argumentum. Nam cùm genus institutorum nostrorum nihil habeat, nec habuerit vnquam cum Nauarrensium institutis commune, sed Ius nostrum omnino semper ab eorum Iure in omni ferè, & publica, & priuata actione discreparit: quid absurdius dici, aut existimari potest, quàm has tantas dissimilitudines non ex differentibus initiis prouenisse? Neque effici potuisset aliunde id, quod ab ipsis Regnorum primordiis, quandiu subiuncta fuêre, vsque ad eorum separationem assiduè legimus obseruatum; vt cùm sæpius ambæ huiusmodi Ditiones versatæ fuerint in communi bellorum fortuna copulatæ, sic vt iidem Reges nobis, ac Nauarrensibus, vno, atque eodem tempore interdum, imperarint: quæ progressu temporum ab ipsis Regibus in Nauarrensi Regione adquirebantur, Pompelonensis Regni sine vlla dubitatione, quibus initio constitutum fuerat, legibus subiacerent. Quæ verò iidem ipsi Reges intra Regionis nostræ fines vendicabant; ea simili modo Ius semper nostrum tenuerint, ac seruarint. Qua de re habita vnquam altercatio non fuit: sed tantum de finibus. Sic autem eos aliquando Rex Sanctius IIII. Ranimiri I. filius terminauit. Proferam enim in mediũ Priuilegium illius: ex quo præter id percipi etiam, & comprehendi poterit, quo pacto in tam diuersa vtriusque Reipub. gerendæ ratione iam priscis illis temporibus ea, quam exposuimus seruabatur vicissim inter nostros, ac ipsos ceterarũ rerũ societas, & coniunctio.



IN *Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis regnantis in sæcula. Amen. Hæc est Carta iudiciorum, & iurationis, & præceptum Donationis, & confirmationis, quam facio ego Sanctius, Ranimiri Regis filius, gratia Dei Aragonensium, & Pampilonensium, seu Montisonis Rex, vna cum filio meo Petro ad omnes Aragonenses, & Pampilonenses, & Suprarbienses, qui sunt præsentes, & futuri in omni meo Regno, & ad Abbatem Aymericum, suisque successoribus. Quoniam mezclabatur omnis terra mea per iudicios malos super terras, & vineas, & Villas, & casales: obinde placuit mihi supradicto Regi, & veni ad Sanctum Ioannem, anno tertio Pontificatus Domini Vrbani secundi Papæ cum Senioribus & Principibus meæ terræ; & ipsis laudantibus, & auctorizantibus iussi hanc cartam scribere Anno octauo postquam captum est Castrum, quod vocatur, Monnionis. Igitur ego Sanctius, gratia Dei Rex, Dono, & confirmo Abbati Aymerico, suisque successoribus talia præcepta,*

cepta, & Priuilegia, atq; decreta, siue libertates, qualia habet Cluniacense Monasterium: ut sicut Cluniacenses sunt liberi ab omni iugo humanæ seruitutis, ita & isti sint, tantummodò reuerentiã Apostolicæ Sedi seruantes. Confirmo etiam Donationes Regum, Priuilegia Episcoporum, auctoritates Romanorum Pontificum, cartulas, vel Inuestituras Militum, seu virorum, ac mulierum, qui suas oblationes Deo, & Sancto Ioanni obtulerunt. Confirmo etiam Monasteria, & Ecclesias Parrochitanas, necnon & Villas, & siluas, & omnes cursus aquarum, & omnes molendinos, vt habeat illos Sanctus Ioannes ingenuos, sicut ego meos: & omnia Alodia magna, vel parua, & omnes Decimas terrarum, Villarum, escaliorum, & omnium Alodiorum suorum, quantum, vel qualemcumque Sanctus Ioannes, vel sui Monachi ab antiquis Regibus, seu à modernis, vel seu Episcopis, seu à Militibus, siue à rusticis, aut à quibuscumque personis in omni Regno meo acquisierunt dono, vel comparatione, vel camio: nisi hoc quod Abbates, & Monachi eiusdem loci iustè, ac legitimè dimiserint, vel camiauerint Regis iussu: vt hæc Sanctus Ioannes liberè possideat, & ingenuè, quæ acquisiuit qualicunque modo vsque ad diem illum, quod Deus mihi dedit castrum, quod vocatur, Monnionis, & aliud, quod dicitur, Arguedas. Et postquàm Deus dedit mihi castrum supradictum Arguedas, veni ego Sanctius, gratia Dei Rex, in Pampilonam, in Villam quæ dicitur Vharte, cum meos bonos homines de Aragone, & de Pampilona x. Kalend. Maii. Et conuenerunt ad me in eadem Villa Vharte, omnes Principes Pampilonenses, viri, pauperes, & feminæ super malos iudicios, & super malos pleytos, quos habebant. Et placuit mihi, & ad omnes Aragonenses, & Pampilonenses, atque Suprarbienses, vt faceremus testamentum, & iuramentum firmum, & iuratum, & finiremus omnes querelas diuersas, & omnes clamores per vsos malos, qui erant inter illos in tempore illo: & firmaremus terminum præfinitum ad Aragonenses, & Suprarbienses, castrum, quod vocatur, Monnionis, vt tenerent, & haberent vsque in sempiternum, quod in tempore illo tenebant, & habebant qualicunq; modo. Similiter & Aragonenses, & Pampilonenses tenerent, & haberent vsque in sempiternum terras, & vineas, & villas, & hæreditates cum montibus, paludibus, escaltis, aquis, & herbaticis, quas tenebant, & habebant qualicunque modo. Et rogauerunt Pampilonenses Principes, vt adducerent Aragonenses ad me cartam, & testamentum, quod feceram cum illis in Sancto Ioanne, vt esset firmata, & roborata in mea præsentia, & Petri filii mei, & in facie de omnibus Aragonensibus, & Pampilonensibus, & Suprarbiensibus; vt amplius non inquietarent se, & perturbarent in supradictas querellas, sed tenerent, & haberent firma, & salua vnusquisque omnia, quæ tenebant, & habebant in die captionis duorum supradictorum Castrorum, videlicet Arguedas, & Monnionis. Igitur ego Sanctius, non meo merito, sed dono Dei Rex, hoc meum præceptum, & vestrum testamentum auctoritate mea, & vestra corroboro, & confirmo; ita vt hoc meum præceptum ita sit firmum, vt nulla Regia, vel Episcopalis, seu Militaris potestas in his causis, quæ prædiximus, audeat aliquos inquietare in omni Regno meo, vel perturbare. Quod si quis fecerit; ea quæ repetit, non vindicet: insuper, & mille solidos de mea moneta ad eos, quos inquietare præsumpserit, persoluat. Vt autem hoc meum Priuilegium firmum permaneat per sæcula cuncta, manu propria firmaui, & filio meo Petro roborari iussi.

Signum SANCTII *Regis.*

ET EGO *Petrus, Sanctii Regis filius, Regale hoc patris mei præceptum laudo, & propria manu subscribo.*

Signum Regis Petri.

FACTA *hæc Carta Æra* MCXXVIII. *Regnante Domino nostro Iesu Christo; & sub eius imperio, me Sanctio Rege regnante in Aragonia, & in Pampilona: & filio meo Petro in Suprarbi, & in* Ripacurza, *& in Montson: Petrus Episcopus in* Iacca: *alius Petrus Episcopus in Pampilona:* Raymundus *Dalmaz in* Rota *Episcopus: Aymericus Abbas in Sancto* Ioanne: Raymundus *Abbas in Legere: Senior Galin Sanz in Sos, & Arguedas: Senior Enneco Sanz in Monteluso: Senior Ximen Garcez in Buylo: Senior Lope Arcez in vno Castello, & in Arrosta: Senior Fortun Sanz in Baylo, & in Gliso.*

Ego Garsias scriptor iussione Domini mei Regis hanc cartã scripsi, & de manu mea hoc signũ feci.

Ego Aldefonsus, gratia Dei Rex *Aragonensium, & Pampilonensium decreta genitoris mei, & fratris laudo, & manu mea signo. Æra* MCLVIII.

Ex huiusmodi itaque Priuilegio, quod in Pinnatensi Tabulario exstat, sat liquet illius rogatione ipsum Regem non suas, sed Aragonensium, Pompelonensium, ac Suprarbiensium ortas de finibus contentiones, sedandas curauisse. Etenim cùm eo tempore, vt apparet ex scripto, tota ea finium ratio *per iudicios, & vsos*, vt inquit, *malos* inter eos

confusa versaretur; Rex id omne ad ea tempora reuocãdum statuit, in quibus antedicta Castra capta nondũ erant: quasi vnumquemq; iis, qui tũc inter ipsos seruabãtur, arceri finibus debere decernens, & quæcunq; postea aliter facta, irrita prorsus, atq; infecta. Et verò has regiones tres, tametsi alioquin, vt videmus, singulis suis terminis distinctas, & diuersas; Regnum suum, non quasi vnicum cẽseret, appellauit, sed quòd vnico ipsius tantùm continerentur imperio. Idque visus est apertè declarasse, cùm alios ab aliis sic secreuit: vt quæ diuersa finium, eadem prorsus, & statuendæ vniuscuiusque illorum Reipub. ratio censeretur. Qua in re videtur non tam iudicem seuerum, tametsi diras illas adhibuit execrationes, quàm arbitrum his finibus regendis se adiecisse. Itaq; fit, vt has trium regionum diuisiones, ex differentibus causis factas concludamus: causas verò nõ aliunde, quàm à differentibus principiis prouenisse: ipsaque principia eò magis distantia iura effecisse, quò magis fuerint diuersa inter se. Cumque Aragonenses, & Suprarbienses non tam dissimilibus principiis orti fuerint, sed consiliis magis congruentes, iam ab ipsis rerum primordiis eandem tenuerint, ac seruarint, quam diximus, communis Reipub. gerendæ rationem, tametsi interdum de terminis ipsi sibi vicissim discreparint: propterea factum esse, vt eundem etiam habuerint rerum exitum, quem videmus, communemque ac eandem fortunam. Quòd si nobis, ac Nauarrensibus vna, & eadem initiò fuisset statuendi Regni, edendarumq; legum ratio constituta, quemadmodum ab omnibus ferè scriptoribus perhibetur: eadem nobis cum ipsis debuisset esse ratio Reipub. vel aliqua tanti discriminis causa adhibenda. At ea nulla proditur. Cursum ergò, atque exitum rerum contrarium, quem habemus, ad diuersa prorsus initia reducamus, oportet, vt quæ fuerit discrepãtia in principiis, eadem sit in finibus dissimilitudo: neque aliter videntur vllo modo aptè cohærere posse extrema cum primis. Ea autem adhibita, quam diximus, diuersa Aristæ Regis à nostris, & à Nauarrensibus facta selectione, quæ etiam conuenit temporum rationi præclarè; elicitur planè aptissima quædam rerum series cum omnibus suis partibus continuata, & cohærens, vt quam optimè potuerit vnaquæque ditio propriam, & peculiarem Reip. rationem à singulis initiis repetitam, sine alterius iuris iactura, conseruare. Neque huic meæ opinioni obsistere videtur, quod priscos hosce Reges in Pinnatensi Historia, pluribusque aliis monumentis, Reges in Pampilona vocatos inueniamus, nulla prorsus Suprarbiensis tituli facta mentione. Etenim cùm certissimum sit eos Suprarbiensis ditionis potitos fuisse, quæ semper intra Regionis nostræ fines constituta fuit: coniici certè potest, nec abs re, Reges ipsos priscis illis temporibus, cùm Pompelonensibus viris, interdum patria, saltem Vrbe sua, pulsis, imperarent, voluisse magis Pompelonensem ipsum titulum præ se ferre, quasi ad genus aliquod ostentationis & gloriæ, quia ob ipsam Pompelonem Vrbem insignior statuebatur, tametsi ea non omnes fruerentur. Suprarbiensem verò, quòd statueretur parum locuples ad amplificãdum, cùm ex paruis opidis totus constaret; fuisse aliquandiu ab iisdem ipsis Regibus, etiam in quotidiani vsu sermonis, intermissum: & illud idem postea plerosque scriptores in eorum nominatione seruasse. Nihilominus Suprarbiensi regioni sub Regni titulo præfuisse colligitur, ea quam diximus, à Pompelonensi Regno longissimè diuersa ratione: quæ ab huiusmodi initiis profecta, vtrique eorum stabilis, ac firma permansit, sic vt tametsi sæpius coniuncta fuerint, semper tamen ex vario constiterint iure, & diuerso. Atque hæc sunt, quæ in hanc sententiam disputare statui: quæ satis hoc egisse putabo, si in vtramque partem dicendo, eliciant, & exprimant, si non omnino id quod verum sit, saltem quod ad id quàm proximè accedat. Sed reliquum est modò, vt eò vnde digressi sumus, reuertamur, resque à nostris in secundo Interregno gestas explicemus; cum ab earum continenti narratione huiusmodi disputationem secreuerimus. Ac fortasse videbitur nonnullis ab instituto nostro longè alienum, has licet breues præponere modò antiquitatum nostrarum annotatiunculas, quòd eas existiment nihil, aut parum certè adiumenti esse ad explicandam Magistratus Iustitiæ Aragonum dignitatem allaturas. Consultò tamen id fecimus. Visum est enim, cum à Regni initio illius institutio pendeat, vt in Primo Interregno ostensum est; Regno autem crescente, eidem Magistratui fieri cœperint & potestatis, & dignitatis accessiones: ad eas apertius indicandas, Regni nostri progressus cognitionem necessariam esse. Et ob eam causam hucusque singulorum Regum Suprarbiensium, & Aragonẽsium Comitum seriem protraximus. Nunc verò quoniam Secundo huiusmodi Interregno dato, ex Abarcæ Cæsonis ad Iaccetanam Vrbem Regis electione, ad quam pergimus explicandam, ipsa prodiit Aragonum Regni nominis origo præclara, vnde postea & ipsius Magistratus magnum, & clarum nomẽ ductum fuit, vt Iustitia Aragonum vocaretur, cùm primum Iudex Medius, deinde verò Iustitia maior

maior vocari consueuisset:non abs re censendum erit, quod his Commentariis, quàm breuissimè fieri poterit, omnium nostrarum rerum summam complectamur. Atque vt illius Secundi Interregni narratio, de qua mihi sermo proponitur, perspicua magis sit:eò oportet orationis nostræ cursum reuocare, quò nos institutæ disputationis ratio deflexit.

SECVNDVM INTERREGNVM.

ITAQ. vt ad rem, quæ certa semper existimata est, redeam, ab omnibus scriptoribus testatum inuenio, Garsiam Regem, Aristæ filium, quem Sextum Suprarbiensem Regem numeraui, Vrracamque siue Enehgam vxorem, vltimi Aragonensis Comitis filiam, & heredem, ab ingenti Maurorum multitudine circumuentos, occisos fuisse, cùm ad Larumbi Nauarræ opidum, siue, vt alii perhibent, ad Sancti Ioannis Pinnatensis principem illam Ecclesiam iter facerent, quæ fecerant vota, reddituri. Siue autem ad ipsum Larumbi opidum, siue, vt aliis placet, in Ayuaria valle ea pugna commissa fuerit, siue, vt Tomichius refert, in quodam opido, *la Puebla*, nominato: vt vt se res habuerit, eorum cadauera in acie denudata, à nostris postea ad pugnæ locum conuenientibus reperta fuêre. Cumque Regina Vrraca grauida, & iam ad pariendum vicina, interfecta fuisset; filius, qui aluo continebatur, visus est per ictum matris cæsæ manum emittere, quasi ex vtero illius exire conaretur. Qua quidem re à primario quodam viro, mortui Regis famulo, animaduersa, & notata, cùm iam Mauri abessent, longeque essent disiuncti, huius quasi miraculô rei obstupefactus, Reginæ mortuæ vtero paulatim cæso, nobilis homo ille infantulum quendam viuum eduxit: quem illico, patrinis adhibitis, sacro Baptismate insigniri curauit, Sanctiumq; appellari fecit. Eum postea secum ad Cantabriæ loca traducens clã, ne à Mauris fortasse occideretur, adoptitii filii loco, quòd prolis expers esset, educauit. In illius autem nobilis viri nomine mirum in modum variant scriptores. Quidam enim Sanctium Gueuaram vocatum ferunt, ab eoq; propterea ipsi infantulo illud Sanctii nomen impositum fuisse; alii Vitalem Velam; alii Velezium Gueuaram, postea ab huiusmodi euentu rei, quòd tam illustre furtum fecisset, Latronem appellatum. Alii Aragonensem eum fuisse perhibent, Vitalem Abarcam nomine, quòd Castelli ita vocati propè Iaccetanam Vrbem potiretur; Vnde illud Abarcæ cognomentum postea à Sanctio ipso Cæsone sumptum attestantur. Tot modis illius nomen scriptores ipsi confundunt. De tempore autem, quo hæc gesta fuêre, iam supradictum est. Quare nunc ad historiæ cursum pergamus. Regibus itaq; occisis, vetus ac constans omnium opinio fuit, Suprarbienses, Nauarrenses, Aragonensesq; viros, qui iam omnes sub Vnius imperio conuenerant, Rege, ac Gubernatore caruisse diu: nimirum sexdecim, vel octodecim annos. Sed iam noui Fortunii Regis Monachi, ipsius Cæsonis fratris maioris, quem nuper Garibaius suscitauit, vita, & regnô interpositis, nullum nostris, eo tempore saltẽ, Interregnum fuisse datum apparet: quippe cùm Fortunius ipse è Corduba ad paternas ditiones capessendas accessisset, earumq; ipsos sexdecim, ac plures fortasse annos fuisse potitus. In his verò tot Fortunii Regni annis, vt hoc vtar initio, & quæstionis, quæ superiori succedit, fundamento; nec valde mirum, quòd infantuli Cæsonis ortus notus non esset. Nã quamuis re recẽti caluisset fortasse aliquis facti rumor: postea refrigescere potuit, & quemadmodum sæpe contingit, tanquã ventus quidam popularis, totus ille disseminatus sermo, inanis, & vacuus iudicari: præsertim cùm, re ipsa protinus gesta, ea inquisitio, & inuestigatio veri necessaria non esset, quandoquidem nostri legitimum Regem habuere, ipsum scilicet Fortunium, demortuorum proximè Regum filium grandiorem, quem diximus patribus statim successisse. Cùm verò is postea Monachi se votis obstringens, imperio abdicaret, aptissimè conuenit, quod omnium traditum est sermone: Nostris ad eligendum Regem Iaccam conuenientibus infantulum ipsum Cæsonem, iam adolescentem factum, à nutricio suo propositum fuisse, illiusq; ortu patrinorum testimonio comprobato, ab omnibus Regem salutatum. Qua ratione Interregnum hoc, quod Cæsonis Abarcæ electioni efficienter antecessit, iam perspicuum erit, constabitque inter omnes, datum esse, nõ quidem ob Garsiæ Regis, Reginæq; interitum, quemadmodum omnium scripta in hanc sententiam sunt, sed ob eã causam, quæ mihi magis placet, quòd Fortunius eorum filius, maior Cæsonis frater, Monasticæ vitæ instituto in Legerensi cœnobio se addixisset. Nec verò me fugit hanc nostram de secundo huiusmodi Interregno opinionem à Garibaio ipso nequaquam probari; quemadmodũ nec de primo quoq; probata fuit. Sed cùm illius argumenta, quæ alioquin firmissima esse oportebat, in leui tãtùm coniectura nitãtur; non dubito, quin se facilimè ceterorũ o-

nnium scriptorum iudicio, grauissimoque ipsius Pinnatensis historiæ testimonio, cuius infra ea de re verba connectam, reuinci patietur. Nostri igitur in Interregno, quod diximus, constituti, In Iaccetanam Vrbem super adsciscendo Rege congressi fuere. Cæsonis enim infantuli ortus, vt coniicere licet, vel illis forsan incognitus erat, vel, quod credibilius videtur, incertus. Ipsa autem Iaccetana Ciuitas hisce temporibus, post Aragonensis nempe Comitatus cum Suprarbiensi Regno coniunctionem, vtriusque ditionis primaria vrbs habebatur. Quam Lacetaniæ Prouinciæ, Lacetanorumq; populorum quondam fuisse caput comperimus: atque vt quidam volunt, corruptè apud Liuium legitur illius nomen; cùm Iaccetana Prouincia, non Lacetania, Iaccetanique populi, non Lacetani, ab ipsa Iaccetana Vrbe legendum sit. In eam igitur Comitiis conuocatis, nostri perquirere cœperunt, quisnam sibi Rex cooptandus esset. At infantuli nutricius, ea re comperta, Sanctium ipsum Cæsonem, crassioribus tectum indumentis, per deuios saltus è Cantabria clam secum in eum locum adduxit. Cumque per niues illud iter confici oporteret; ad eas melius perferendas, quodam tegmine pedum eum indutum ferunt, niuibus maximè accommodato, quod ex crudo perone efficitur, vulgarique vocabulo, *Abarcas*, nominatur. Estque quoddam calceamenti genus priscis illis sæculis, ac etiam præsentibus, ad Repandorum calceolorum instar, ex caprina, seu boaria pelle confectum, ad aspera & montosa loca peragrāda habile nimis, & aptum; proptereaque apud nos pastoribus, ac rusticanis hominibus in montanis ipsis valde commune. Hoc ergo indutus calceamento, Sanctius ipse Cæso in nostrorum hominum conuentum venit; nostrisque propositus, tandem patrinorum testimonio audito, aliisque testibus illius facti consciis, qui planum fecerunt, eum vltimorum Regum filium esse, ac Fortunii Regis Monachi fratrem minorem; ipsis illis Comitiis, incredibili applausu, ac lætitia, vno omnium ore,
905. salutatus fuit, & cooptatus Rex Ann. Chr. c ∞ v. iuxta peruetusti Codicis sancti Æmiliani Collugensis à Surita in suis Indicibus recitati computationem. Vnde tres, vel quatuor annos hoc nostris Interregnum perdurasse constat. Tot enim inter Fortunii Monachi Regni finem intersunt, quem supra ex Garibaii sententia Ann. DCCCCI. subiiciendum duximus, & inter hoc, quod Cæsonis Regni tradimus initium. Quid? quod, si diligenter in illius Priuilegii verba, quod Garibaius ad docendum de fine Regni ipsius Fortunii affert, inquiramus: eo quidem Ann. DCCCCI. quo dictum Priuilegium irrogatum fuit, Fortunium ipsum Regem Legerense Monasterium constabit ad Fraternitatem, quam vocant, accipiendam adiisse, sicuti viderat fecisse patrem suum. Ita enim loquitur. Sed quòd eo tempore Regnum deponeret, verbum non exstat. iam vt coniicere possimus, post Fraternitatem acceptam, ab eo Regale nomen aliquantulum temporis retentum fuisse, ne tandiu fuisse nostros versatos in exquirēdo vero de Cæsonis ortu dicamus. Ipsum autem Cæsonem Regē ex dicti Æmiliani Codicis testimonio dicto Ann. DCCCCV. regnare cœpisse, iam iure possumus affirmare. Priusquam autem ad reliqua pergamus, libet hoc loco ipsius Pinnatensis Historiæ, quæ ad comprobandum hoc secundum Interregnum attinet, hæc verba suggerere. *Post aliquot annos*, Sic enim rem ipsam orditur, *gentes terræ procurabant sibi Dominum, murmurantes, & plangentes; nec sine causa: quia heres non superfuerat, nihil sciētes de Infante prædicto.* Loquitur autem de Abarca hoc Cæsone. *Et quadam die vocatis simul Nobilibus, Militibus, & gente populari illius terræ pro eligendo Regem, aliquem nobilem Baronem; Volentibusq; generale colloquium super hoc celebrare; dictus nobilis Baro, qui dictum Infantem de morte præseruauerat, vt præfertur;* Nusquam autem illius nomen expressit, sed tantummodo Nobilem quendam *Baronem montanearum Aragonum* fuisse prodit, *Sciens hoc, fecit indui dictum Infantem in modum pastoris, & calceari Abarcis. Et congregatis suis consobrinis, & amicis, ac Vassallis, venit benè, & honorificè paratus ad dictum colloquium die ad hoc præfixa. Et ingrediens per Palatium, vbi dictum celebrabatur colloquium; fuit honorificè receptus per omnes, qui in dicto colloquio intererant. Et tenuit inter tibias dictum Infantem, dicens alta voce: Barones accipite istum* Infantem, *& spoliate eum vestibus, quas induit, ipsumq; in Regem eligite. Nam pro certo iste est Dominus vester. Notum enim vobis sit, quòd quando Regina mater sua decessit casu sic fortuito, ipsa erat grauida: & ego sum ille, qui dum transibam per Vallem, vbi ipsa extitit interfecta, vidi paruulum, educentem manum per vulnus in ventre matris illatum. Et benedicatur Deus, quia absq; periculo eduxi ipsum paruulum viuum de ipso ventre, in testimonium istorum consobrinorum, & Vassallorum meorum, qui tunc illhic interfuerunt, & hæc viderunt. Et si quis cōtrarium asserat; campum ingrediatur, & inibo super hoc cum eo duellum. Et his dictis, surrexerunt omnes alta voce: Viuat, Viuat, quia iste, & non alius est Dominus noster. Et illico exuerunt eum vestibus, quibus erat indutus, & Regalibus induerunt: cū magnoq; gaudio illa die, ad eius honorē, Festū sollemniter celebrarunt. Et quia venit indutus, & calciatus, ac si esset pastor, vocauerunt eum Sanctium*

ctium Abarcam. Hoc igitur Secundo Interregno scriptorum omnium testimoniis, & istius Historiæ fide, probè iam stabilito, & fixo (neq; enim in re tam perspicua vlla dubitatio esse potest) excutienda est modò, quæ, vt dictum est, superiori succedit, de Aragonum Regni nomenclaturæ initiis, disputatio.

DE ARAGONVM REGNI NOMENCLATVRÆ INITIO.

ORDO namque postulat rationis, vt cùm antea quo pacto Sanctius Abarca Cæso, Rex electus fuerit, ostenderimus; nunc cuius ditionis se Regem appellarit, demonstremus. Quod, vt sciatur, dignissimum est, neque hactenus à quopiam pertractatum. Nihilominus tamen non verebimur nostram, tametsi nouam, in medium proferre opinionē ea de re, quòd communem, quamtumuis insitam, cùm ratio conuellat, omnes libenter remissuros arbitremur. Iam itaq; statuendum est in primis, Regum post hunc Abarcam Cæsonem ita ab omnibus hactenus traditas fuisse successiones, vt ipsius Cæsonis Regis Rex Garsias Tremulus, filius censeretur: Tremuli autē, Rex Sanctius Cognomento Maior, Imperator dictus; cuius filium Ranimirū, ferè omnes scriptores, primum Aragonum Regem induxere. Atq; hæc tandem Suritam nostrum impulit causa, vt ex graui illo Iacobi I. Regis testimonio, de quo paulo ante disputauimus, ab Arista Rege iudicaret esse & stirpis, & Regni repetenda initia, nouamque quamcumq; de nouis aliis Regibus sententiam, explodendam prorsus: neq; aliter posse vllo modo illam Quatuordecimi numeri adhibitam notam sibi ipsam cōstare. Quin etiam vt cum ea temporum quoque rationem adæquaret: in suis Indicibus eidem Sanctio Imperatori, Tremuli Regis filio, sexaginta & octo Regni annos tribuere coactus est: cùm id apertè perspicuæ alteri eiusdem Iacobi I. Regis sententiæ aduersetur. Ille enim in iisdem ipsis suis Commentariis, quibus, eodem Surita teste, nulla exstant nostrarum rerum clariora, magisve insignia monumenta, annos, quibus Regnorum potiebatur, scriptis testatos posteris relinquere cupiens, cùm eo tempore iam tertium & sexagesimum annum regnaret; Rem, inquit, minimè à Salomone, & Dauith Regib. in vllo Rege hucusq; visam, nec auditā. Quòd si Suritæ sententia vera esset; apertè Rex ipse Iacobus mendacii conuinceretur, quandoquidē Sanctium Imperatorem, plures annos Regnorum potitum, quorum ipse potiebatur, appareret. Neq; simile vero videtur tam longæuum ipsius Imperatoris Regni tēpus, si vera ea fuisset sententia, è nostrorum animis tam citò excidisse, cùm ab eo ad dictum Iacobum Regem I. anni vix centum & quinquaginta interfuissent. Iam itaq; qui nouos Reges excludunt, quàm maximis in rebus teneantur, videmus, ex dicto Iacobi I. Regis testimonio; illudque etiam vehementer repugnare aliorum scriptorum opinioni, qui Ranimirum, ipsius Sanctii Imperatoris filium, primum Aragonum Regem profitentur. Sed quia de Regibus, qui Cæsoni Abarcæ antecesserunt, iam supra satis in vtranque partem dictum est: de iis, qui ei successerunt, reliquum est modò, vt disseramus. Atque vt quamprimùm eam de Ranimiro Rege, quam plerique imbiberunt, opinionem refellamus, doceamusque omnino falsam esse; tametsi verum sit in memorabili illa Regnorum Nauarræ, Castellæ, Aragonum, Suprarbii, ac Ripacurtiæ, à Sanctio ipso Imperatore inter suos filios facta diuisione (namque hæc omnia Regna in illius ditionem, & potestatem venerunt) eam Ranimiro ipsi de tam amplo imperio partem esse datam, quam Aragonii solùm fines circumscribunt, vt pote cum Nauarra Garsiæ, Ferdinando Castella, Suprarbia autem, & Ripacurtia, quæ tantùm supererant, Guntisaluo filio legatæ fuissent: non tamen propterea Ranimirus ipse, primus Aragonum Rex censendus est, quasi primus ille id nomen vsurparit, cùm qui eum antecesserunt quamplures, & Reges Aragonum fuisse, & ita nuncupari solitos inueniamus. Quemadmodum Garsiam illum, ipsius Ranimiri fratrem, quem pater Nauarræ Regno donauit, primum propterea Nauarræ Regem vocare, non liceret, cùm simili modo plures ante eum Nauarrā Reges habuisse, perspicua res fit. Ego quidem nequaquam repugnabo, ad neminem ex Regibus, Aragonum Regnum tam tenue, & eneruatum, quàm ad ipsum Ranimirum peruenisse: siquidem detractis aliis ditionibus, reliqui tantum sibi fuit priscus ille Aragonensis, sub Regni nomine, Comitatus. Sed facilè concedam primum, illum ea de causa fortasse dictū esse, quòd princeps omnium Aragonense nomen, gentilicii nominis loco, sibi, ac posteris vēdicarit, cùm nonnullos, qui eum antecesserunt, constet illud sibi ex Abarcæ cognomine delegisse, proindeq; plures Sāctios Abarcas, ac Garsias Reges Abarcas, inueniri. Neq; manere aliter communis ea opinio posset, quin ex fallaciis tota constaret. Iam verò Regum post Cęsonē Abarcam successiones, quod mihi hoc in loco videtur esse potissimum, ita omnino enumerandæ sunt;

vt Garsias Tremulus, qui hactenus Abarcæ Cæsonis filius, statuebatur, pronepos, non filius numeretur. Etenim Abarcæ Cæsonis Regis, filius Garsias Rex, successor fuit: ipsius autem Garsiæ, filius Sanctius, Garsiæ Tremuli pater. Quæ tanta nominum similitudo scriptores nostros in eum errorem induxit, vt duobus his Regibus, qui inter Cæsonem, & Tremulum interponi debent, è Regum numero exturbatis, ipsi Cæsoni Regi continenter Tremulum ipsum subiicerent: ea etiam, quam diximus, cognomentorum ex Abarca assumptorum similitudine magis decepti, qua nouos hosce Reges, qui modò intercalantur, ac quandoque ipsum Tremulum, vsos obseruauimus: atque illud Abarcæ cognomentum pro gentilicio nomine nonnumquam collocasse. Sed interponendos esse, diuersósq; fuisse, ac diuersos habuisse filios, fratres, auos, ac vxores, Garibaius ipse in suo Historiarum Compendio argumentis omni luce clarioribus demonstrauit: eisq; interpositis, singuli eorum obitus, ac Regnorum tempora, quæ hactenus omnino vacillabant, confusaque nimis versabâtur, apertè distinguuntur inter se, & quod rem continet, quam aptissimè cum ipso Iacobi I. Regis testimonio cohærent. Ab eo namque retro ad Abarcam Cęsonem versus numerando, Iacobus ipse, quartusdecimus constituitur Rex: ipse verò Abarca Rex Cæso, primus. Et verò etiam grauissimo alio testimonio conuincitur, nouos hosce Reges, inter Cæsonem, ac Tremulum collocandos esse. Ex duobus namque Priuilegiis, quorum infra exempla in Sanctii I V. Regis rerum narratione supponam, elicitur apertè, Cæsonem ipsum, ipsius Sanctii I V. tritauum fuisse. Cumque sub hac voce, tritaui, ea sententia subiiciatur, vt is, qui quartus sit ab auo, designetur; fit inde, vt necessario hi duo Reges interponendi sint, cùm eis exclusis Abarca hic Cæso ipsius Sanctii I V. tritauus esse non possit. Eorum autem interpositione nequaquam peruertitur, quinimmo connectitur aptissimè illa Iacobi Regis quatuordecimi numeri apposita nota: quandoquidem ea Aragonum Reges definiuntur non solùm ipso numero, sed etiam qualitate. Siquidem ab Abarca hoc Cæsone ad ipsum Iacobum I. Regem, quatuordecim Reges regnarunt, his duobus interpositis: & hi omnes Aragonensem ditionem verè, & propriè, non fictè, aut fallaciter possederunt. Vnde etiam prima illa ratio concluditur, Cæsonem ipsum, primum Aragonum Regem numerandum esse. Quod si illum aliquibus Priuilegiorum exemplis demonstrauero, Aragonum, seu Aragonensium Regem solitum fuisse nuncupari; profligata prorsus hæc tota quæstio iam erit. Cùm multa igitur Priuilegia afferre potuissem ea de re; duo tantum subiiciam, quorum affirmare possum me Archetypa vidisse, & legisse. Sunt autem huiusmodi. Ac primum quidem tale est.



IN *nomine Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* Amen. *Hæc est carta Donationis, quam facio Ego Sanctius* Abarca, *gratia Dei Rex* Aragonensium *siue Pompelonensium, vna cum coniuge mea Vrraca* Regina; *Deo, & Sãcto Ioanni de Pinna. Sicut in sacris scripturis inuenimus, caput, & fundamentum nostræ salutis in Sacramento Sanctæ Ecclesiæ consistunt; vt nullus potest esse saluus sine adiutorio eius. Quia sicut mater nutrit filios, ita ipsa sancta mater Ecclesia omnes fideles nutrit in Christo, & ducit ad gaudia Paradysi.* Amen. *Proinde ego Sanctius* Rex Abarca, *& Vrraca* Regina, *volumus, quòd omnes fideles sciant, tam præsentes, quàm futuri, qualiter nos pro salute nostra, & remedium animarum nostrarum, & pro salute omnium Christianorum ad Monasterium Sanctissimi Baptistæ Christi, Ioannis de Pinna, Damus Villas nostras, quæ dicuntur Miramont, Mianos, Martes, Bahues, Ortolo, Trasberal,* Salinas, *Villaluenga, Fanyanas, Ferrera, Lucientes, Sangorrin, Gauas,* Areniella, *Muliermorta, Bayetola, Nouẽfontes, & Montannano cum hominibus, feminis, cum aquis, montibus, herbis, pratis, paludibus, pascuis, & cum omnibus iuribus, caloniis, homicidiis, cum cursibus, & discursibus aquarum, & cum omnibus aliis ad ius* Regale *pertinentibus, vel pertinere debentibus, integre, & legitime cum Ecclesiis suis, cum decimis, primiciis, & oblationibus suis libere eas possideant cum suis terminis, heremis, & populatis, cum exitibus, & introitis. Taliter, quod cœnobium Sancti* Ioannis *de Pinna habeat, & possideat in perpetuum in remissionem omnium peccatorum nostrorum, & pro salute omnium fidelium defunctorum nostrorum.* Amen.

FACTA *est autem hæc Donatio in Æra Noningentesima Vigesima prima.*

Testes Fortunio Exemenones, Comes de Atares; *Basilius Episcopus Pampilonæn; Oriolus Episcopus* Aragonen; *Senior Fortunius Sanchiz maiore, qui est in Tauuello; Senior Lope Gonçaluus in Nagera.*

Sig *num Sanctii* Regis.

Ego

Ego Garsias, filius Sanctii Regis, laudo, & confirmo: & manu mea hoc sig *num facio.*

Vuibertus scriptor iussione domini mei Regis Sanctii hanc cartam scripsi, & manu mea signaui.

De Æræ autẽ annotatione in hoc Priuilegio adhibita, quid sentiam, infra explicabo, dum prius hoc loco alterius Priuilegii exemplum supponam; quod est huiusmodi.

IN *Dei nomine, & indiuiduæ Sanctæ Trinitatis, videlicet, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Ego Sanctio Abarca, Rex Aragonum, facio hãc cartam Donationis, & confirmationis vobis popularibus de Vnocastello, qui modo estis, vel inantea inibi veneritis populare, de omnibus terminis vestris, de Coliel, de Vera, al Sasso, & per illa orellata de illo Sasso ero ero, quomodo illa aqua vertit ad Arriquiel vsq; ad illa capeza de Aquisilio vetulo; & de illa capeza de Aquisilio, vsq; ad illa Iuncarola; & de illa Iũcarolla, vsq; ad illo Frasino de Rigo de Agõna; & de Agõna: vsq; ad Faratos de Ossos, & de Faratos de Ossos, ad Val de Cauallos, quomodo aqua vertit ad Val de Liena: & de Val de Cauallos, ad illa focillola de patre vita: & de patrevita, ad illa capeza de latahut: & de illa capeza de latahut, ero ero quomodo aqua uertit ad val de mahomat: & de val de mahomat, ero ero quomodo aqua vertit adual de liena, & ad caput de val de grallas: & de cap. de val de grallas, ad illa capeza de vallestans ero ero quomodo aqua vertit ad illa Arua: & de illa Arua, ad Vallatar de la sierra: & de illo Vallatar, à foz terreros: & de foz terreros, ero ero quomodo aqua vertit à la capeza de Achecho: & de la capeza de Achecho, ero ero à la Cort de Galin Abrahin: & de la Cort de Galin Abrahin, à cabo de busset: & de cabo de busset, vsq; ad illas capezolas de montcalbo: & de mont caluo, ero ero por la sierra quomodo aqua vertit, vsque ad cornu de la sierra, & de illo cornu, ero ero quomodo aqua uertit, vsque ad illa capeza de Saban: & de illa capeza, vsque ad illo mercatiello, vsque ad torrillon de Abahil, & del torrillon, vsque al puey de la lezina: & del puey de la lezina, vsque al pueyo de Verdiahe: & del pueyo de Verdiahe vsque al pueyo de la Cimarra, & del pueyo de la Cimarra, vsque al fondon de capanna alcada: & de capanna, al portiel maluar, & del portiel maluar, vsque ad puey pinoso: & de puey pinoso, vsque ad foz piniellos; & de foz piniellos, vsque ad cornu de la nansa: & del cuerno de la nansa, vsque ad foz alfeyt: & de foz alfeyt, ero ero por la sierra quomodo aqua uertit ad Arriquiel vsque ad colliel de la heru. Istos suprascriptos terminos dono & confirmo vobis populatoribus de Vnocastello, qui modo estis, & inibi antea ibi veneritis populare, vt habeatis illos francos, & ingenuos ad vestram propriam hereditatem, & ad faciendam vestram propriam voluntatem vos, & filii vestri, & omnis posteritas vestra, salua mea fidelitate, & de omni mea posteritate per sæcula cuncta. Amen. Et qui isto donatorio voluerit disrumpere, sit anathematizatus, & sepultus in infernum. Amen.*

Signum *Regis* SANCTII.

FACTA *vero Carta Donationis siue Confirmationis in Æra* DCCCCLXXI. *mense Augusti. Præsentes Episcopus don Essecuti de Leon: & Exemen Borrazmio Alcayt, & Alin Gualit: & Galindex Lobar: & Sanctio Manchon: & Martin Galindez: & Patreuita, & Gaiet Lobar, & Garcia Neriz, & Petro Ioans, & Galin Ennecos, & Azenar Lopez, & Ferriz Maza.*

EGO *Maza de Lisaui exaraui ista cartula pro iussione Domini meo Rege, & de manu mea hoc signum feci.* ✠

His igitur duob. Priuilegiis duo liquido cõfirmare possumus: Primum, Cæsonẽ hunc Regem solitum fuisse illud Abarcæ cognomentum in literarum monumẽtis præseferre, aliter certè quàm veteres illos Imperatores, quibus Caligulæ, & Caracallæ nomina à simili euentu rei imposita fuerunt. Quinimmo aliunde etiam constat, eundem Abarcarum Insignia in vexillis, & militaribus paludamentis gestasse. Vt res nequaquam indigna tanto Principe censeri debeat, quod indumentum, quo inuẽtus fuerat, cùm Regale munus obiret, non sibi ad despicatum, sed ad ostentationẽ, & gloriam, & cognomine, & Insignibus inde sumptis videri cuperet accidisse. Alterum vero, quod mihi hoc in loco videtur esse præcipuum; Nẽpe eundẽ ipsum Cæsonem, Regem Aragonum, siue Aragonensium Regem vocatum inueniri. Id enim, quod mihi contra communem opinionem proposui argumentum, firmissima ratione concludit. Si enim Sanctius Abarca

Cæſo Aragonum Rex vocatus inuenitur, duobuſque Regibus inter ipſum, & Tremulum interpoſitis, ab eo Aragonum Reges numerando, iuxta dicti Iacobi I. Regis teſtimonium, idem ipſe Iacobus I. Quartus decimus Rex numero fit: neceſſariò igitur Abarca ipſe Cæſo, primus Aragonum Rex cenſeri debet. Quòd ſi ille primus, vt ſuperiori diſputationi præſentem connectamus; ergò qui ei anteceſſerunt ex eodem illo Iacobi I. Regis teſtimonio, non Aragonenſes, ſed Suprarbienſes Reges numerandi ſunt. Nam ſi Aragonum Reges fuiſſent; Iacobus ipſe longiori numero notaſſet eos, cùm maiorem numerum conficere deberent. Vnde fit, vt cùm tradita à nobis Regum, & rerum ſeries ex omni parte ſecum ipſa conſentiat; iure potuerimus affirmare Aragonum Regni nomenclaturæ initium ab Hoc Cæſone Abarca Rege proueniſſe. Atq; vt ſermonem noſtrum ab argumentis ad coniecturam, qua veritas interdum illuſtrari ſolet, traducamus, licet nobis de eodem ſuſpicari, placuiſſe ſibi, cùm ad Iaccetanā Vrbem Rex conſtitueretur, quæ fuerat olim Aragonenſis Comitatus caput, illud Aragonenſe nomen iam altius extollere, Regniq; titulo decorare, qui poſteris hereditarius maneret. Idq; credibilius iudicabitur, ſi Aragonii nominis dignitatem, quæ temporibus illis vigebat, perpendamus. Siquidem non ſolum clariſſimis Aragonenſium Comitum factis, ſed plurimorum etiam Epiſcoporum nominationibus inde petitis, illuſtris exſtabat: qui cùm re vera Oſcenſes eſſent, Oſcenſeſq; appellari debuiſſent; Aragonēſes tamē Epiſcopi iam ab ipſius Comitatus initiis vocabantur. Ante Hiſpaniæ nāq; cladem nuſquam Aragonenſes Epiſcopos nominatos legimus. Oſcenſi autem Vrbe ab Arabib. capta, & oppreſſa, illius ſancti Epiſcopi aliquamdiu apud Sanctum Petrum Sireſienſem, aliquamdiu apud Sanctum Ioannem Pinnatenſem diuerſati fuere, ſibi tum in hac, tum in illa Eccleſia Sedem ſtatuētes: quæ ambæ prope Iaccetanam Vrbem erant intra ſuæ diœceſis fines conſtitutæ. Vnde Aragonenſes Epiſcopi dicti ſunt. Atque iidem poſt Concilium Prouinciale ſub dicto Ranimiro Rege ad eādem Iaccetanam Vrbem celebratum, de quo dicemus paulò poſt, eadem Vrbe in Cathedralem erecta, Aragonenſium Epiſcoporum nomine omiſſo, Iaccenſes Epiſcopi appellati fuere. Quin & in ipſo Concilio ſancitum fuit, vt cùm Oſcenſem ciuitatem, totius diœceſis caput, ab Arabibus recuperari contingeret; in ea vetus Epiſcopalis Sedes inſtauraretur, tuncq; Iaccetana ipſa Sedes Oſcenſi Eccleſiæ ſubiecta exſtaret, parentemque coleret tanquam filia. Vt re vera qui in priſcis monumentis Epiſcopi Aragonenſes, ſeu Iaccenſes appellantur; eoſdem cum Oſcenſibus eſſe, tenendum ſit. Quod pari etiam ratione Ilerdenſi Eccleſiæ contigerat. Ilerda nāq; à Mauris capta, illius Epiſcopi in Rotæ opido intra ſuam diœceſim conſtituto degentes: inde Rotēſes Epiſcopi appellari cœperunt. Rota verò poſtea à Mauris oppreſſa, ad Ripacurtiam fugientes, in Giſtauenſique Valle aliquamdiu commorantes; Ripacurtienſes, ac Giſtauenſes Epiſcopi vocati ſunt. Deinde verò Balbaſtrenſi ciuitate recuperata, ea à Regibus noſtris donati; Balbaſtrenſes Epiſcopi appellati. Ad extremum Ilerdenſi Vrbe à Chriſtianis obtenta; in ea Epiſcopalis Sedes, & antiquum Ilerdenſium Epiſcoporum nomen reſtitutum fuit: Vrgellitanæque Eccleſiæ nonnulla, ex his, quæ diximus, opida contributa. Tot modis ambæ hæ Epiſcopales Sedes poſt ipſam Hiſpaniæ cladem ab Arabibus violatæ, & vexatæ, antiqua ſua nomina mutauerunt. Hoc ergo Aragonenſium Epiſcoporum illuſtri cognomento, præter illud Comitum antiquorum, cùm iam Cæſonis Regis tempore Aragonum nomen ſplendidum, illuſtreque exſtaret; quid mirum, quod Abarca ipſe Cæſo inde etiam ſibi noui ſui ſtemmatis nomen inducens, Aragonum Rex vocari voluiſſet? Neq; verò id Belaſconis verbis in peruetuſto codice Sancti Aemiliani Cogullenſis appoſitis repugnat: quæ Surita noſter in ſuis Indicibus annotauit. Sic enim Belaſco ille ſexaginta ferme annos poſt hæc tempora, de ipſius Cæſonis Regno teſtatum reliquit. *Sanctius*, inquit, *Rex, Garſiæ F. Pompelonæ Æra* DCCCCXLIII. qui dicto anno C ∞ V. conuenit, *Regnum obtinuit; eamq; Vrbem ſuo ſubdidit iuri; territoriique omnis Aragonenſis dominatum obtinuit.* Ita enim hæc illius verba ſuggeſta ſunt. Ex quibus apparet, Pompelonenſem ditionem iam ab eo, Regni titulo, expreſsè nominari, qui illis tēporibus notus, & vulgaris erat. Aragonenſem verò, cum iā Comitatus eſſe deſiiſſet, verum tamen quòd Regni nomine eſſet decorata, nondum fortaſſe ad exteras gentes allatum eſſet; ne in eius nominatione deciperetur, *territorium*, appellauit. vt ſiue priſcum Comitatus nomē retineret, ſiue Regni eſſet auctoramēto decorata; quidquid eſſet, id omne, *territorii*, vocabulo comprehenderetur. Quinimo videtur, ſi Comitatus nomen retinuiſſet; id ab ipſo Belaſcone in ſcribendo minimè fuiſſe mutādum. Sed quòd nullam fecerit de Suprarbienſi Regno mētionem: ſic planè coniicio, id omnis, *territorii*, Aragonēſis nomine, concluſum fuiſſe, quaſi Aragonenſis, *territorii*, voce & Comitatus ipſe, & Suprarbien-

prarbienſe Regnum comprehendatur,proptereaq; ea,*omnis*,voce fuiſſe vſum.Quod autem ab eodem Belaſcone proditur,Sanctium Pompelonæ Regnum obtinuiſſe ; nequaquam intelligi poteſt,vt pleriq; exiſtimant,quaſi in ipſa Pōpelonis Vrbe Comitia de eius electione habita teſtaretur.Id enim contra veritatem eſt, omninoq; ſententiæ ipſius Belaſconis aduerſatur. Nam quo tempore ipſe Abarca Cæſo Rex electus fuit; Pompelo Vrbs ab Arabibus oppreſſa tenebatur;à quibus poſtea idē ipſe Cæſo cum magna ſui nominis laude vendicatam,vt Belaſco idem eſt auctor,ſuo ſubdidit iuri.Cui ſententiæ ceteri ſcriptores aſſentiuntur.Itaq; dum,Pompelonæ Regnum obtentum,dixit;ita intelligi debet,vt Nauarræ,ditionem,Pompelonenſe Regnum nuncuparit: quemadmodum antiquus mos fuit.Fieri autē potuit,vt Pompelonenſibus viris imperaret;eoq; pacto Pompelonenſium Rex aliquandiu vocari potuiſſet; tametſi Pompelonenſis Vrbis nequaquā potiretur. Vnde etiam elicitur,vt cum nulla alia ciuitas eſſet, quo tempore noſtri Cæſonem ipſum,Regem ſalutarunt, in qua ita commode ille imperii ſui ſedem collocare poſſet, quàm in ipſa,quam diximus,Iaccetana Vrbe:ab ea,quæ erat Aragonenſis ditionis precipua,& primaria,ſuum illud nouum, & nobile vellet Aragonum Regni nomen vendicare.Hoc igitur tam felici auctoramento ibidem inſtituto, meritò ipſa Iaccetana Vrbs nouæ iſtius propagationis genitrix, & nouæ Aragonum Regiæ nomenclaturæ origo cenſenda eſt,ipſeque Abarca Cæſo,primus Aragonum Rex omnino numerandus: vt Aragonenſis Comitatus nominis,& Secundi huiuſmodi Interregni, vnus, idēque finis ſtatuatur.Iam enim poſt ipſum Cæſonem Regem, Aragonenſes Comites vocari deſierunt. Quòd ſi aliquis fortaſſe in antiquis monumentis reperiatur; eum Atareſiæ ditionis Comitem fuiſſe coniicio: Aragonenſem verò ob locorum vicinitatem vocatum: ſeu potius eorum nomina deprauatè legi, Aragonenſi voce, pro Atarenſis, vſurpata: quemadmodum ipſum illum Fortunium Exemenonem , quem in priori Priuilegio Comitem *de* Atares vocatum videmus; in aliis exemplaribus ab Archetypo ipſo, mendosè tamen deprompti̇s,Comitem Aragonenſem contineri accepimus. Iam verò circa ipſius,ac poſterioris Priuilegii annorum numeri notam,vt annis à Garibaio Cæſonis Regno tributis conueniat: hæc mihi videntur obſeruanda : Nempe, vt in priori Priuilegio Aera pro Anno ſumpta ſit : ſitque Annus Chr. in eo annotatus DCCCCXXI. Hanc enim ambiguitatem,iam ſupra præfati ſumus, perſępe in veteribus Priuilegiis inueniri. In poſteriori verò nequaquam: ſed ab Aeræ computatione triginta & octo annos abſtrahendo, Annus Chr. DCCCCXXXIII. intelligendus ſit; qui Aeræ DCCCCLXXI.in eo appoſitæ omnino cohæret. At cum ex Garibaii ſententia Garſiam, Cæſonis filium, circ. Ann. Chr. DCCCCXX. regnaſſe conſtet, quaſi Cæſonis Regnum dictum annum nequaquam exceſſerit: cum Archetypis huiuſmodi Priuilegiis ſtandum exiſtimem,ita intelligendum opinor,vt circ.dictum Ann.DCCCCXXI.atque eo elapſo, Cæſo fortaſſe (neque enim id affirmo) filio Garſiæ Pompelonæ, & Naiaræ Regna donarit, penes ſe verò ad dictum ſaltem annum DCCCCXXXIII. ſolum Aragonum Regnum retinuerit. Proptereaque eundem in priori Priuilegio ſub Ann. DCCCCXXI. ſe Aragonenſium, & Pompelonenſium Regem profiteri : in poſteriori verò ſub Ann. DCCCCXXXIII. Aragonum tantummodò Regem nominari voluiſſe; quaſi in eodem ipſo Abarca Cæſone diuerſa Regnorum ratio in Annorum enumeratione habenda ſit Sed hæc à nobis tanquam probabilia dici,omnes ſciant. Cetera verò explorata,& certiſſima;ac illa etiam,quæ de Suprarbienſis Regni initiis,nomine, & Inſignibus,deque illius cum Aragonenſi Comitatu ſubiunctione retulimus: quòd ea nouo hoc etiam inuenerimus argumento grauiſſimo confirmari. Dudum ſiquidem noſter Philippus Puyuicinus plures nummulos æreos ad me miſit: quorum in vna parte Regalis cuiuſdam capitis effigies,nota eſt, Aragonum Regis nomine ſic in orbem ſcripto: in altera verò Crucis ſupra arborem Inſignia exſtant huiuſmodi, *Aragon* voce, media inter ipſam arborem, ac Crucem inciſa. Ex qua quidem compacta ſic permiſtione quiuis facilè certam eſſe rerum à nobis ſuperius traditam

rationem agnoſcet, Suprarbienſiſque Regni antiquitatem. Nec verò inuitus in illius viri incidi mentionem.Eſt enim ingenio excellens, & doctrina atque tum publici iuris,tum antiquitatis noſtræ peritiſſimus. Ceterùm quandoquidem Aragonum Regni nomēclaturæ initiū demonſtrauimus, atque à Cæſone hoc Abarca Rege primum proceſſiſſe,operæpretium nos facturos credimus, ſi quò ratione, & via noſter ſermo procedat,ne mutilus, aut mancus iudicetur, ipſius Cæſonis res geſtas, aliorumq; clariſſimo-

rum Regum Aragonum ad noſtra vſque tempora oſtenderimus, vt, quam diximus, noſtrarum rerum progreſſionem indicemus. Id tãdem facere decreuimus: nudo tamen, ac breuiori genere orationis, ne in his nos plus certè, quam ſat ſit, videamur commorari. Contendam interim, ſi modo id conſequi potero, vt nec quidquam, quod ad inſtitutum noſtrum pertineat, omittamus.

HINC REGES ARAGONVM.

Vt ad hiſtoriæ denique redeamus curſum, iamq; ſcopuloſos illos, ac difficiles diſputationum locos relinquamus, Abarca hoc Cæſone ad Iaccetanam Vrbem Rege ſalutato, Aragonia ditio tunc primum inclyto Regni auctoramento decorata fuit: ipſeque Abarca, primus Aragonum Rex vocari cœpit. Quam nominationem poſteri omnes, quotquot ei ſucceſſerunt, Reges ſeruarunt, & quaſi hereditario iure amplexi ſunt: Vnde etiam ea ad Magiſtratus noſtri nomen dimanauit. Cuius rei vt faciliorem notitiam comparemus, propoſitam nobis Regum ſeriem perſequemur.

SANCTIVS I. ABARCA, CÆSO, ARAGONVM REX I.

SANCTIVS igitur Cæſo, cognomento Abarca, primus Aragonum Rex fuit. Cumque tam auſpicato à noſtris Rex creatus eſſet: Regiam dignitatem, adiecto eo inſigni Aragonum titulo, auguſtiorem fecit. At Sanctium Garſiæ, interdumq; Sãctium Garſeanis: quæ vetus conſuetudo fuit: vocatum conſtat, illo Garſiæ, ſeu Garſeanis patronymico nomine adhibito, quòd patre, Garſia vocato, nempe Ariſtæ filio, ſexto Suprarbienſi Rege, natus fuiſſet. Illud autem Galindi, ſeu Galindez, ac nonnumquam etiam Galindonis, quo eum quandoque vſum Surita voluit, non ad hunc, ſed ad alterum Regem Sanctium II. iſtius nepotem, vt ſuo loco dicemus, referendum eſt. Iam verò quod ſe Abarcam, in literarum monumentis nominarit, contra quàm Surita ipſe crediderat; iam ſatis plura ad hanc rem confirmandam attulimus paulò ante argumenta, quibus tota ea omnino patefacta fuit. Sed nunc afferam aliud, quo illud idem facilius docebo: ſiquidem Cæſonem hunc Regem, ex ab Abarca ſumpta nominatione, non ſemper vno modo, ſed tribus variis modis vti conſueuiſſe. Se enim interdum, Sanctium Regem Abarcam, interdum Sanctium Abarcam Regem, ac interdum Sanctium Regem cognomento Abarcam nominauit. Quæ tametſi differre parum videntur inter ſe; iam fidem faciunt, illud Abarcæ nomen non ab aliis ſolum, ſed à ſemetipſo in publicis literis fuiſſe plerumque ſolitum vſurpari, vt in eo ſignificatio eluceret ſui capeſſendi Regni tam proſperi, & felicis euentus. Cumque priorum duarum nominationum varietates apertiſſimè ex duobus illis Priuilegiis comprehendantur, quorum ſupra exempla ſubieci ſubdifficilem illum, quem de Aragonum Regni nomenclaturæ initio, locum tractaui: poſtremam iſtius Priuilegii teſtimonio comprobabo, quod in Pinnatenſi Eccleſia aſſeruatur, illudq; exempli cauſa ſuperioribus libenter ſubiungo: quippe cum eo mihi ad alia probanda etiam vtendum ſit.

SICVT ex ſacris ſcripturarum eruditionibus didiſcimus, humanæ ſalutis originem, & fundamentum generaliter in Sanctæ matris Eccleſiæ Sacramento conſiſtere nouimus: nec aliquo modo poſſe aliquẽ ſaluari, niſi fulcimento, & ſubſidio eiuſdẽ. Vnde & matris onomate deſignatur; quod ceu mater filios, ita ipſa omnes Orthodoxos, lacte ſuorũ Sacramentorũ, & cultu miniſtrorũ, ac obſeruatione cærimoniarũ, nutritos ad perpetuæ ſaluationis gaudia perducit. In ipſa præcipuè ſalus omniũ nititur: nã in ipſa totius Chriſtianitatis ordo geritur, atque fundatur. Hæc eſt ergo celeſtis illa Hieruſalẽ, de qua dicitur: vidi ciuitatẽ ſanctã, Hieruſalẽ nouam, deſcendentẽ de Celo, adeo paratã, ſicut ſpõſam viro ſuo ornatã. Hæc eſt, de qua vidit Iacob Angelos deſcendentes, & aſcẽdentes per ſcalã erectam, & dixit: Terribilis eſt locus iſte: Hæc Domus Dei eſt, & porta cæli, & vocabitur Aula Dei. Nemo enim poteſt Deo placere, qui ſponſus eius eſt, niſi ſponſam Dei Eccleſiam digna reuerentia honorificet. Ergo cùm ſalus omnium per ſanctam Dei Eccleſiam operetur, dignum eſt vt eam omnes ſummopere honorificemus, muneribus ditemus, terrarum donatione amplificemus, omnis generis dignitatibus ornemus: vt per huius ſeruitii exhibitionem in illa caleſti poſſideamus hæreditatem. Proinde ego Sanctius Rex gratia Dei, cognomento Abarca, & Vrraca Regina, Notum fieri cupimus omnibus noſtris fidelibus, cunctiſque Orthodoxis, atque catholicis viris, præſentibus ſcilicet, & futuris, qualiter nos pro ſalute, & remedio animarũ noſtrarum, & pro ſalute omnium Chriſtianorũ ad monaſterium ſanctiſſimi, Martyris Chriſti, Ioannis, Damus omni-

bus

bus ibidem Deo seruientibus villam de Alastrue, cum lezdis, cum calonijs, cum cursib. aquarum, & cum omnibus iuribus ad ius regale pertinentibus, vel pertinere debẽtibus, & cum omnibus terminis. De quibus terminis ad Priuilegium, & Donationem corroborandam in perpetuum mentionem fieri iussimus: id est de Lacoba Gallons sicut vadit serra serra, & exit à casteylon de lo borbuylo; & de casteylon de loborbuylo exiit, vsque ad collato de sancti Torquati; & de collato sancti Torquati, vsque ad puyazuelo de badilons, & del poyo, de los badilons, vadit a la directum raylla, quæ est caput del cãpo de Pinalbo, & vadit serra serra, vsque ad caput del mon de poyo; & de caput del mont de poyo, serra serra exit ad vallataruebo; & de vallataruebo, vsque ad caput del mont de Paternue, sicut aqua vertit, & exiit directum al fronton del salto; & de fronton del salto, vsque ad serraton de barmilera; & de barmilera, sicut vadit al poyo del cap del mont de arbues; & del cabo del mont de arbues, a la fuent de los bayos; & de la fuent de los bayos, vsque al serraton valliellas; & del serrato valliellas, exiit serra serra vsque ad sancta Eulalia de Esporret; & de santa Eulalia, a la pennarotonda, & exit directum vsque ad collato de auetito; & del collato de auetito, serra serra vsque ad campum del solano, & vadit serra serra, sicut aqua vertit a la Coba, quæ vocatur Gallons. Tali tenore constabilimus, vt si quis de filiis, vel successoribus nostris in supradicto monasterio augmentare potuerit, valeat. Amen. Si verò, quod fieri non credimus, tantæ præsumptionis fuerit, vt aliquam violentiam, seu contradictionem voluerit inferre; iram Dei omnipotentis, & sancti Ioannis, & omnium sanctorum Dei incurrat, & maledictionem perpetuam habeat, & fiat de eo, sicut dicit Psalmista: Qui possident hæreditate sanctuarium Dei, Deus meus pone illos, vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.

EGO *Sanctius Rex, qui hanc Cartam Donationis, & Confirmationis fieri iussi, manu mea roboraui, similiter feci confirmari filio meo Garsiæ.*

Signum Sanctii Regis.

Ego Garsias, Sanctii Regis filius, laudo, & confirmo, & propria manu hoc signum facio.

Facta Carta Æra T̈ xxv. *Regnante me Rege Sanctio in Nauarra, & in Aragonia, & in Naiara, & vsque ad montes D' Ocha. Et sunt testes: Basilius, Episcopus Pampilonensis, Testis, & confirmans: Oriolus, Episcopus Aragonensis, Testis, & confirmans: & Abbas Transinyrus, Testis, & confirmans: Senior Sanctio Comes en Atares, Testis, & confirmans: Senior Fortun Sanz, Testis, & confirmans: Senior Semeno Ennecons, Testis, & confirmans: Senior Enneco Gonzaluez, Testis, & confirmans: Senior* Lope *Xemenons, Testis, & confirmans.*

Ego Vuibertus scriptor, iussione Domini mei Regis, hanc Cartam scripsi, & de manu mea hoc signum feci.

Rectè denique fecimus, dum Regem hunc Sanctium nominauimus, cognomentò Abarcam: cùm pateat iam Abarcæ id nomen per se partum, fuisse à semetipso quasi ad laudem, vt paulò ante dixi, cognominis loco vsurpatum. Sed in hoc Priuilegio maximè aduertendum est, ea istius figuræ T̈ nota, non semper Millesimum, sed plerumque Noningẽtesimum numerum indicari: quemadmodum & hoc loco pro Noningentesimo numero accipi debet. Idque huiusmodi argumento clarissimè, imo & necessariò concluditur. Etenim in priori illo Priuilegio, quo Cæsonem hunc Abarcam, se Aragonensium Regem appellari solitum demonstrauimus, vt propterea primus statuendus esset Aragonum Rex: apertè videmus Basilii, Pompelonensis Episcopi, tum & Orioli Aragonensis Episcopi, & Vuiberti etiam eiusdem Regis scriptoris, clarissimam factam mentionem; quasi hi omnes illius rogationi præsentes adessent, aut saltem tunc viuerent. Æræ verò notatio in eo adhibita, nõ iam numeri notis, aut figuris, siue, vt vulgò loquimur, *per abreuiaturas*, sed literis extensis, compositissimis, & clarissimis expressè, Noningentesima vicesima prima notata fuit. Cumque in hoc etiam Priuilegio eorundem, Basilii, Orioli, & Vuiberti memoria repetatur, quòd præsentes illius concessioni tanquam Confirmatores Testes interfuissent, singulis ipsis illis honorum gradibus honestati; Aeræ autem numerus, eadem hac ipsa istius figuræ T̈ nota, indiceretur; fit igitur necessariò, vt illius interpretationem à superiori illo Priuilegio petentes, quandoque ea nota, huiusmodi Noningẽtesimum numerum notari concludamus; cùm plures Basilios Episcopos Pompelonenses, & Episcopos Aragonenses Oriolos, Vuibertosque scriptores nusquam appareat exstitisse: nec si fuissent plures; credibile sit, alios in iisdem prorsus honoribus constitutos, post tam longum annorum interuallum simul in eadem tempora incidisse. Neque verò eos ad tantam vixisse senectutem, vt amborum Priuilegiorum rogationibus

implicarentur, quando ea à diuersis Regibus Sanctiis lata induceremus. Atq; tunc etiam in simili versaremur errore, cùm necessariò cogeremur, Testes hos Confirmatores, cum iidē ipsi fuerint, diuersos statuere. Itaque fit, vt hoc loco, ea Ť numeri nota, Noningētesimum numerum significari intelligamus, Aeramq; pro anno sumentes, Priuilegium hoc An. Chr. Noningētesimo Vicesimo quinto concessum iudicemus. Et hæc sunt, quæ mihi in mentem venerunt, dicēdaq; putaui de istius figuræ significatione, & vi, deque istius Regis Abarcæ cognomento. De Insignib. autē, duas tantum *Abarcas* eum gestare solitum tradunt: quemadmodum posteri fecerunt, qui se apud nos illius genere profecti perhibentur. Sed ea propria personæ, Elogii loco, quemadmodum de Arista diximus: non autem Regalis muneris fuisse, non dubito. Argenteam enim Crucē, quæ Aristæ cælitus apparuit, ab eo ad Petrum vsq; Regem I. qui Oscā cepit, ipsi Regno militare Signum mansisse, omnium scriptis testatum comperio: tametsi nonnullos Reges, ac fortasse hunc ipsum Abarcā, in nummis cōstat, Crucis supra arborē interdum Insignia, hac *Aragō* voce, quam retulimus, expressè notata, retinuisse, quasi prisci Suprarbiēsis Regni memoriæ cōsulentes. Hic igitur Abarca Cæso Aragonensibus, Pōpelonensibus, & Suprarbiensib. im-
905. perauit. Cœpisse autē eum regnare constat Circ. Ann. c ꝏ v. vt à nobis paulò ante dictum est. Plurima opida à Mauris eripuit, ac suo subiunxit imperio: inter quę Pompelon, præcipua Vrbs fuit. Etenim eam sibi Mauri ipsi, post patris interitū, vt diximus, vindicarā. Sed nunc angustioribus, quàm antea auspiciis, liberata fuit; siquidē iam amplius neq; aquā visa est in fœdissimæ illorum seruitutis tenebras recidisse. vt ex eo facto ad Abarcā hunc Regem maximus gloriæ cumulus, & laudis accedat. Vxorē duxit Theudam, siue Totam. Cumq; ex Priuilegio, quod supra intexuimus, Vrracam nominari constet; vel duas vxores habuisse dicendum est, vel quod mihi magis placet, vnam tantummodò, Totam Vrracam, & nunc hoc, nunc illo nomine appellari solitam: quemadmodum in aliis nobilissimis feminis obseruauimus. Ex ea filium suscepit, Garsiam, Regnorum heredem, ac filias quatuor; Ximinam, Mariam, Theresiam, & Velasquitam. Ac Theresiam quidem aliquando, Florentinam cognominatam fuisse, Sampyrus, aliiq; veteres Castellani scriptores prodidēre. Qui verò tres alios filios, Ranimirum, Guntisaluum, & Ferdinandum eidem tribuunt, nominis similitudine deceptos fuisse, ex Garibaii scriptis perspici optimè potest: Sanctioque eius nepoti tribuendos esse. Verùm quot annos Abarca regnarit, & quo anno mortem obierit, incertum est. Belasco scriptor, cuius su-
926. pra verba subiunximus, anno vicesimo sui Regni, scilicet Ann. Chr. DCCCCXXVI. eum fuisse mortuum tradit, expulsis omnibus, vt loquitur, Biotenatis: vel Brotæ Vallis fortasse legendum, vt Mauros, qui in Valle Broto degerent, expulsos memoret. Hic verò annus cum ea, quam paulò ante feci, figuræ illius interpretatione aptè conuenit. Sed cùm ex alio Priuilegio, quod supra intexui, Abarcam hunc Cæsonem Ann. Chr. DCCCC. XXXIII. quo illud irrogauit, viuere, perspicuum fit; Priuilegii testimonium Belasconis verbis antepono, Abarcamque iudico plures annos regnasse quàm viginti; scilicet à
933. dicto Ann. c ꝏ v quo regnare eum cœpisse cōstat; ad dictum Ann. DCCCCXXXIII. si longius vitam illius nequaquam esse productam statuamus.

GARSIAS I. ABARCA, ARAGONVM REX II.

GARSIAS I. Cæsonis filius, Garsias Sanctii, Abarcaque identidem & ipse appellatus, in paternam ditionem, mortuo patre, adscitus, secundus Aragonum Rex censeri debet. Cuius nomen, ac Regnum Garibaius primus suscitauit: cùm antea hoc loco Garsias Tremulus apponeretur. Auum autē Tremuli, hunc Garsiam fuisse, plurimis à Garibaio ipso adductis testimoniis conuincitur: vxorēq; Theresiā habuisse. Quę quinq; sibi peperit filios; Sanctium nēpe, ac Ranimirum: quorum idē Belasco meminit: Vrracam etiam, Hermigildam, atq; Simenam, siue Ximinam. Hæ verò, quibus nuptæ fuerint, non proditur: nec mirum, cum parētum nulla adhuc prorsus exstarit cognitio. Et verò Theresia hæc Regina, illius Endregoti Galindi, cuius supra meminimus, filia fuit, proptereaque Theresia Galindi, vt suspicor, nominata. Causam verò, quæ me in hanc opinionem adduxerit, explicare, & quid de Endregoto ipso sentiam, continenti narratiunculæ reseruabo. Sex & triginta ferme annos Regem hunc regnasse
969. constat, & Circ. Ann. Chr. DCCCCLXVIIII. fato perfunctum. Vnde eidem necessario insignis illa Iuncaria clades tribuēda est: ex qua postea subsequutum fuit celebre Pelagii martyrium: qui in locum patrui, Hermoigii Tydensis Episcopi, ex eo prœlio captiui,

ptiui, obses traditus, quòd Catholicam Fidem eiurare noluisset, Cordubæ passus est. Nam Sampyrus Asturiensis Episcopus, & Raguel vetusti scriptores, vt Ambrosius Morales, pius, & elegans scriptor, auctor est; Garsiam Pompelonẽsem Regem eo prœlio deuictum attestantur: quatuor verò post annis, Aera nempe DCCCCLXIIII. Pelagium Cordubæ martyrii coronam consecutum. Et quamuis locum Sampyri idem Ambrosius emendandum censet, vt Aera DCCCCLXIII. legatur, vno scilicet anno anteposito, idque ratione literæ Dominicalis, qui priori Aeræ conuenit, posteriori verò nequaquam: nos autem libentius credimus eo loco Aeram pro anno fuisse sumptam, vt Ann. Chr. DCCCCLXIIII. Pelagii martyrium exstiterit. Nam iste annus, cum bisextus fuerit, literæ Dominicali, quæ ex Sampyri testimonio colligitur, aptissimè conuenit: atque ita locus illius nulla indiget emendatione. Nam si veram Aeræ computationem intelligere velimus, vt Anno DCCCCXXVI. qui ex eadem elicitur, Pelagius Cordubæ mortem subierit, cùm quatuor ante annos ad Iuncariam vallem pugnatum fuerit; nullus sanè Garsias Rex illis temporibus fuit, ad quem ea facta possint referri.

SANCTIVS II. ABARCA, ET GALINDVS, ARAGONVM REX III.

SANCTIVS II. Garsiæ I. Filius, Cæsonis N. tertius Aragonum Rex, post mortem patris, illius ditionem obtinuit. Sanctium autem Garsiæ, ac Garcesii, interdumque & Garseanis, id est Garsiæ filium; tum etiam Sanctium Galindi, Galindez, ac Galindonis quoque eum vocatum constat: illudque etiam illustre Abarcę præsetulisse in Cæsonis memoriam cognomentum. vt non paruam hæc tã varia nominum ratio confusionem peperit. Vxorem duxit nobilẽ feminam, Vrracam Ferdinandi, vocatam. Ex ea tres habuit filios; Garsiam, Ranimirum, & Guntisaluum: quos omnes, in priscis monumenti Reges nominatos inueniri, Garibaius affirmat. De Garsia verò nec mirum: quippe qui, mortuo patre, illius suffectus est heres, cognomentoque Tremulus vocitatus. De Ranimiro autem, & Guntisaluo, cùm nusquam appareat fuisse Reges, forsitan affirmare liceret, quod Rudericus Toletanus Antistes de Regum filiabus testatum reliquit: eas nempe, quamuis Regibus haud nuberent, Reginas antiquitus nominari solitas; vt idem in filiis masculis aliquamdiu factum suspicemur. Huius verò Regis Sanctii nulla ante Garibaium exstabat memoria. Nominis autem similitudine decepti, quidam Cæsonem Abarcam, eum credebant esse, alii Sanctium maiorem, Imperatorem vocitatum. Diuersum autem ab vtroque fuisse, tum ex eodem Garibaio colligitur, tum inter cetera ex quodam Pinnatensi Priuilegio, quod hîc intexam libenter, vt opinionis meæ reddam causam, quæ me impulerit, ad Regem hunc, Endregoti Galindi ex Theresia filia nepotem statuendum; ipsum verò Endregotum, à superiori alio Endregoto diuersum. Ac priuilegium quidem est huiusmodi.

IN *Nomine Domini nostri Iesu Christi, & pax omnium Sanctorum vbi sunt virtutes reconditæ in hunc locum, qui appellatur Siresa, gloriosique ac beatissimi Petri, Domini Apostoli, & fratris eius Beati Andreæ Apostoli, & domini Stephani Leuitæ, & domini Michaelis Archangeli, atque Sancti Saluatoris, vel aliorum plurimorum Sanctorũ, quorum sunt ibi Reliquiæ reconditæ; vt præbere dignetur auxilium Dominus noster Iesus Christus, illis intercedentib⁹; & placeamus Christo. Amen. Ego Endregoto Galindonis, & proles eius Sanctio Garseanes Rex, & vxor eius Vrraca Ferdinãdi. Sub gratia Dei, grato animo, & propria voluntate: Cõuenit nobis pro redẽptione animæ nostræ, & ideò in loco Sanctorũ offerimus Villã, quæ dicitur Exauterre martes post obitũ nostrũ, cum omnib. omnino domos, hortos, vineis, vel omni hereditia, molinos, pratos, vel omnia, quæ nobis pertinẽt in loco illo cũ suis terminis de Aragõ assuso, & de Vallearians adentro, vsq; ad illo rigo de bissuz, quomodo aqua vertit ad illã serrã de Sãcti Adriani. Et ex alia parte de illo payo bosacuso, vsq; ad illas vineas de Sancta Maria; & de illas capezas de illo monte, quomodo aqua vertit, vsq; ad Aragon: & de illo molino de Sancta columba à iuso; & frontationes de illa vallella super Botia, liberam, ac sinceram habeant potestatem. Placuit nobis, atque conuenit nullo ingenio coniungentis, neque articulorum suadentis, sed propria nobis accessit voluntas, vt fiat securitatem de hanc caussam, sicut & Domini, & parentes nostri, vel aliorum bonorum hominum tradiderunt, & confirmauerunt, vt securius permaneat in pace. Et si aliquis ex propinquis nostris, vel*

aliorum hominum, factum nostrum voluerit disrumpere; non habeat cum Christo participium, sed cum Iuda traditore, sceleratis, & peccatoribus habeat participationem.

FACTA *Carta Confirmationis sub die tertia Kal. Iulias Aera* MIX. *Regnante Sanctio Garseanis, & Vrraca Regina in Aragone, & Pampilona: & Degio Episcopo in Aragone: Blasco Episcopo in Pampilona: & Bernardus Episcopus in Naiera.*

Ego Sanctio Garseanis, qui hanc Cartam fieri iussi, manu mea roboraui, & sig *no.*

Ego Endregoto Galindonis manu mea roboraui.

Ego VRRACA *Ferdinaldi manu mea roboraui.*

Inter omnes itaq; apertè constabit istius Sanctii II. Regis vita, & Regnũ; Regnũ verò,
Aragonum & Pompelonæ. Illud autẽ Garseanis, patronymicum nomen est; atque idem
valet, ac si se Garsiæ esse filium protulisset. At dum se simul eodem loco Endregoti Galindonis prolem nominauit: facilè intellectu est, perinde id accipi debere, ac si dixisset, se
Endregoti ex filia nepotem profiteri; euenisseque ex eo, vt propterea quod sibi auus, ipse
Endregotus esset, sustulisset illum in literarum monumentis anteferri sibi; cùm aperta
res sit, illam, prolis, vocem maiorem minimè habere vim, nec latius patere, quàm vt ea
tantùm aut filius, aut ex filio, vel filia nepos, siquidem successor, aut heres futurus, exprimatur. De Endregoto autem hoc, nihil habeo, quod dicam; præterquam quod iam satis constat, quot annorum inter eum, ac primum illum, secundi Comitis Aragonensis filium, de quo supra, interiectum sit interuallum. vt non abs re diuersos vnum ab alio statuerimus. At hunc pro certo habeo, quod initio dixi, nempe ab Aragonensibus illis Comitibus duxisse genus suum: an verò ab Endregoto illo, vel à quo alio, incertum prorsus.
Atque etiam si hic Comes non fuerit (neque enim eum fuisse apparet, nec si fuisset Comes, in hisce monumentis suppressisset illius tantæ dignitatis gradum) suspicor tamen in
montosa illa regione fuisse illum mag ę alicuius ditionis, pro illorũ temporum ratione,
potitum: eaque Theresiam filiam, quam huius Regis diximus matrem, Garsiæ I. Regi, illius patri, ornatam & locupletatam, nupsisse. Vnde etiam perspicuum fit, vt quem Regẽ
Sanctium Galindi, seu Galindez, vel Galindonis, in veteribus monumentis interdũ vocitatum, Surita primum illum Cæsonem Abarcam autumauit; esse hunc eius nepotem
statuamus, eidem licentiam istam eo Galindi nomine, patronymici loco, vtendi concedentes, potius quàm Cæsoni ipsi, quem nihil video cum vllo Endregoto habuisse, nec
habere potuisse commune. Neque aliter meo quidem iudicio tot, tantæque res possunt
sibi ipsis constare. Sed hoc pacto ex omni parte mirificè consentiunt inter se. Quinimmo & hoc Rege interposito, qui Abarca, vt dixi, interdum vocari consueuit; tolluntur
penitus difficultates, quæ hactenus in Regum, Sanctii I. Cæsonis, ac Sanctii III. Maioris
Imperatoris dicti, concinnandis factis oriebantur. Ad hunc enim Sanctium II. referendum est Priuilegium illud à Surita in Annalibus annotatum, sancto Petro Siresiensi con-
971. cessum sub Ann. Chr. DCCCCLXXI. quo se simul cum Vrraca vxore in Aragonia, & Pompelonia regnare dicit. Quod mirificè conuenit nostræ supra traditæ opinioni. Nam
dum se in Aragonia regnare ait; apertè indicat, Regiam Aragonum Regni nomenclaturam iam illis temporibus viguisse, minimeque eam à Ranimiro, postero Rege, petẽdam.
Itidem etiam de hoc rege Sanctio II. intelligendum est graue illud Codicis Donationũ
Regiarum, & Assignationis agrorum sancti Petri Tabernæ testimonium, ab eodem Suri-
987. ta in Indicibus adductum: in quo sub Ann. Chr. DCCCCLXXXVII. Kal. Ianuarii, Sanctii
Regis, & Vrracæ vxoris, ac trium liberorum, Garsiæ, Ranimiri, & Gonsalui, mentionem
factam prodit. Quamuis autem id Sanctio Maiori tribuendum eidem Suritæ placet, Aera scilicet pro Anno sumpta: tamen nequaquam, vt ex eodem eruitur, eo etiam pacto rerum series sibi potest constare. Hoc autem nouo Rege interposito, aptissimè & rerum,
& temporum ratio cohæret. Similiter etiam, & ab hoc Rege concessum apparet Priuilegium illud Donationis locorum *de* Martes, Bahues, Huertolo, Pinnatensi Cœnobio sub
Ann.

Ann.Chr.DCCCCLXXXIX.à quodam Sanctio Rege irrogatum: cuius idem Surita in suis Annalibus meminit. Et licet à primo illo Sanctio Cæsone concessum putat; nequaquam, sed ab hoc eius nepote dicendum est. Quem Iuxta Garibaii historiam, ac eam, quam ex prædictis elicere possumus, computationem, viginti annos plus minus Regnorum potitum constat: Ab Anno nempe DCCCCLXVIII.vel circa, ad Annũ DCCCCLXXXX. Vt quæ dies Vicessima quinta Decembris eiusdem Anni ab eodem Surita in Annalibus primi illius Sanctii Cæsonis Regis morti tribuitur, forsan huic Regi tribuenda sit. 989. 990.

GARSIAS II. ABARCA, TREMVLVS, ARAGONVM REX IIII.

GARSIAS II.Cognomento Tremulus, Sanctii II. filius, Garsiæ I. Nepos, Cæsonis Pron. patre fatis functo, in eius Regnis successit: & quandoq; Garsias Abarca, quandoq; Garsias Sanctii, id est, Sanctii filius, vocatus in veteribus monumentis inuenitur. Tremuli autem cognomen sibi inditũ ferunt à nimio tremore, quo in bellorum initiis corripiebatur: tametsi posteà in ipsis prœliis fortis erat, ac intrepidus dimicator. Cuius rei cũ in multis, & maximis pugnis pulchra, & ampla signa dedisset: tum illud in acerrima illa pulcherrimum, quam prope Vxamam Vrbem commisit, dum Almanzorẽ Cordubensem Regẽ armis superauit: si modò in ea Regem hunc nostrũ præsentem affuisse, vt ex quibusdã, quæ nuper comperi, monumentis colligi potest, certum sit; nam eo absente illius exercitum huiusmodi victoriam reportasse, aliorum scriptis testatum est. Denique in prœliorũ initiis visus fuit sæpe Garsias iste Rex, corpore, atque artubus, numquam tamen animo, aut mente contremiscere. In eius vxore nominanda nimium variant scriptores. Alii enim eam Costantiam vocant: alii Epiphaniam; alii Eluiram. Ex Garibaii verò historia colligitur, cui hac in re libenter assentio, Eximinam istius Regis vxorem fuisse: vnicumq; tantũ filium ex ea natum, Sanctium Maiorem. Eos etenim, qui ei duas filias tribuũt, Teresiam scilicet, ac Sanctiam, quæ strenuo illo, numquàm laudato satis, Ferdinando Guntisalui, Castellæ Comiti, nupta fuit: errasse iudico, cùm Comitem ipsum longè ante hæc tempora, siquidem An. DCCCCXII. vel circa simul cum ipsa Sanctia Comitissa vxore insigne illud sancti Petri *de* Arlança Monasterium fundasse, perspicuum sit. Quare aut eam minimè à quoquam ex nostris hisce Regibus procreatam fuisse dicendum: aut si alicui eorum tribuenda; primo illi quidẽ Abarcæ Cæsoni: tametsi illud etiam mihi hactenus satis certum non est. Vix decem annos hunc Garsiam Tremulum regnasse constat: quandoquidem & vetustis monumentis per Garibaium annotatis, & Belasconis testimonio à Surita in Indicibus apposito circiter vnicum Millessimum Natalis Christi Annum eundem obiisse apparet. vt re vera Ataresiæ Aræ Inscriptio, quam eidem Suritæ in Annalibus huic Regi tribuere placuit, ei[?] auo Garsiæ tribuenda sit. 1000. Nam cùm in dicta Inscriptione contineatur, arcẽ illam, à Garsia Fortunionio constructam fuisse, Aera DCCCCLXIX. Regnante, vt loquitur, Rege Garsia Sanctii: necessariò eius numeri nota in huius Tremuli auum reiicienda est; siue ipsius Aeræ genuinam computationem sequamur, siue Aeram pro Anno sumere velimus. Neutra autem eorum supputario huic Regi Tremulo conuenire potest: qui quartus numero, Aragonum Rex censeri debet.

SANCTIVS III. MAIOR, IMPERATOR, ARAGONVM REX V.

SANCTIVS III. Cognomento Maior, Tremuli F. Sanctii II. Nep. Garsiæ I. Pron. Cæsonis Abn. patre mortuo, Regnorũ Aragonum, Suprarbii, & Pompelonæ imperium consequutus, quintus ordine, Rex Aragonum fuit: Hispaniæ Imperator dictus, quòd Castellæ etiam dominatum, vxoris iure adeptus fuisset. Ea enim cũ Sanctii, Castellæ Comitis, filia, ac Garsiæ Infantis ad Legionem Septimam Geminã nequiter interfecti, soror esset; illius suffecta fuit heres. Nomen autem ipsius varium legitur apud scriptores. Quidã enim Domnam Nuniam, siue Muniam Domnam, q. idem planè videtur, vocatam tradunt: alii Eluiram; Geloyram, vel Geloydam alii. Quandoque etiam eam Domnam Maiorem, nominatam cernimus; sed hoc à viri fortasse cognomento: qui ob id, quod ad maius, quàm ceteri omnes imperium peruenisset, Sanctius Maior vt suspicor, dictus est. Ex ea, siue hoc, siue illo modo vocata fuerit, tres filios suscepit; Garsiam, Ferdinandum, & Guntisaluum. Nam Ramirus, siue Ranimirus, qui quartus eidem filius adscribitur; ex Gaya, siue Caya illustri femina,

Ayuariæ domina, susceptus est. Inter hos autem filios Regna partitus, intestinorum bellorum originem dedit. Garsiæ etenim, filio natu maximo, quòd falsò adulterii crimen Reginæ matri intulisset; auitam Castellæ ditionem abdicans, Pompelonense Regnum attribuit. Ferdinando verò, secundò genito, Castellæ donauit Comitatum: qui primus, Castellæ Rex vocatus fuit. Guntisaluo autem, siue Gonsaluo, minimo, Suprarbiensem, & Ripacurtiensem ditiones assignauit. At Ranimiro filio, Aragonum tantummodò Regnum: atque id, vt proditur, nouercæ indulgentia, quòd se aduersus fratres pudicitiæ illius defensorem obtulisset. Itaque ex hac, vt diximus, Regnorum diuisione quatuor Regnorum stemmata dimanarunt: diuturnorumque inter fratres, ac posteros bellorum initia. Sed missa ea faciemus, tantùm quod proposuimus, Regum Aragonum seriem persequemur. Regionem igitur, quæ Aragonum Regni nomine Ranimiro ipsi ab hoc Rege Sanctio Maiore tradita fuit, eam solummodò fuisse apparet, quæ solis prisci Aragonensis Comitatus finibus terminabatur: quamquam eadem ipsa postea, ditionum, Suprarbiæ, ac Ripacurtiæ, ob Guntisalui fratris interitum, accessione facta, concreuit. Iam verò Ripacurtiensis Regio (libet enim nonnulla dicere hoc loco de ea) Comitatus nomine circiter Annum Chr. CC ꝏXIII. appellata cernitur, sub Bernardo Comite, Aragonensis Comitis genero. Cui Athonem fratrem, quem aliquando, Comitem, & Episcopum nominatum, legimus, successisse constat. Huic verò Raimundum, ex fratre nepotem; scilicet Bernardi, primi Comitis, filium. Raimundo autē, filium Vuifredum. Atque eo sine liberis decedente, Isarnus I. frater, Ripacurtiensi Comitatui præfectus est. Ipsi verò Isarno I. filius Isarnus itidem II. ex non iusto matrimonio natus, successit. Isarno autem II. Gulielmus filius. Quos omnes Ripacurtienses Comites quandoque Francorum Regibus, quandoque eua & nostris paruisse fertur. Tandem Gulielmo Comiti Rex Sanctius Maior Comitatum arripuit: Guntisaluoque filio simul cum ditione Suprarbiensi donauit. Isque Guntisaluus Suprarbiensium, & Ripacurtiensium Regis sibi nomen adsciuit. Huius igitur Sanctii Maioris obitu, Pompelonēse Regnum ab Aragonensi, & & Suprarbiensi Regnis primùm disiungi cœptum est: cū ab Innico Arista ea vsque tempora semper copulata exstitissent. Postea verò sæpius & seiuncta, & subiuncta fuisse demonstrabimus. At Sanctius iste Rex, Imperator dictus, eam maiestatis, ac potentiæ amplitudinem consequutus, qua nulla maior, nec æqualis à
1023. Gothici Regni euersione in Hispania visa fuerat, Ann. Chr. ꝏXXIII. horum omnium Regnorum fuit potitus: vt Pertusa præclarus nostri iuris interpres obseruauit. Sic namque in extremo cuiusdam Priuilegii, dicto anno irrogati, se legisse testatur. *Regnante me in Pampilona; in Aragonia; in Suprarbio; in Ripacurtia; in omni Gasconia; & in Alaua; & in cuncta Castella; in Asturiis; in Leone, siue in Astorga. Æra* MLXI. Atque dum Gasconiæ meminit, fit, vt dicamus, eidem Aquitaniæ partem, quæ Aristæ olim patrimonium fuit, hereditario obuenisse iure: propterea que se in omni Gasconia regnare dixisse. Neque enim ab eo trans Pyrenæos bella fuisse commissa memorantur. Vnde etiam eruitur, Beneharnenses omnes, qui posteà ad Cæsaraugustanæ vrbis liberationem in nostrorum subsidium conuenêre, Alfonsi nostri Regis vassallos exstitisse; quòd ad eum, vt coniici potest, hereditario simillimo iure illa pars Aquitaniæ peruenisset: quæ iam diu à nostrorum Regum desciuit imperio. Ac eandem etiam ob causam in antiquis nostrorum Regum Priuilegiis in Testium Confirmatorum loco tot Aquitanicorum Episcoporum nomina inueniuntur: quippe quia eorum subditi, Regiam curiam assiduè sectabantur. Neque id tantum coniectura pendet, cum Surita Ann. ꝏCLXXXVII. Gastonem, Beneharnensem Vicecomitem, nostro Alfonso Regi II. commemoret ipsam Beneharnensem, & Gasconiæ ditionem fidelitatis sacramento, maiorum suorum exempla sequutum, subiecisse. Tandē Sanctius Rex post triginta & tres annos, plus minus, quos regnasse constat, mortuus est
1034. A.D. XV. Kal. Nou. Ann. Chr. MXXXIV. licet alii in annum sequentem MXXXV. illius vitam producunt. Eius corpus in Oniensi, siue in sancti Saluatoris Ouetensi Ecclesia, sepultum primum, deinde à Ferdinando filio ad Diui Isidori Legionense Cœnobium delatum fuit: Imperatricis verò, siue Augustæ vxoris, apud nos in Ecclesia Pinnatensi humatum. Fertur enim eandem viuentem præcepisse, vt suum post mortem corpus in eius ditione sepeliretur, qui ipsius viuentis famæ, atque honoris præcipuus propugnator, ac fautor exstitisset: Ranimiro priuigno se etiā in hoc, quantum potuit, gratam exhibendo.

RANI-

RANIMIRVS I. CHRISTIANISSIMVS, ARAGONVM REX VI.

RANIMIRVS I. Sanctii Maioris F. Tremuli N. Sanctii II. Pron. Garsiæ I. Abn. Cæsonis Atn. Sextus Aragonum Rex fuit. Nequaquam autem ab eo Aragonum Regum seriem petendam esse, vt vulgò traditur, iam antea demonstrauimus. Plures enim, qui eũ antecesserunt, Aragonum Reges exstitisse constat: licet Ranimir⁹ hic, primus fuerit, qui solius Aragoniæ ditionis imperio, priscis tantùm Comitatus finibus constituto, sub Regio nomine potiretur. Qua ratione forsan posset affirmari, eum, primũ Aragonum Regẽ, appellari potuisse. Sed neq; id mihi omnino placet. Quibusdã probari intellexi, quod probabilius videtur, eum propterea, primum Regem Aragonum, appellatum fuisse, non quia primus fuerit Aragonum Rex, quasi ante eum nulli Aragonum Reges exstitissent: sed quia inclytum Aragonum nomen, ab eo primùm nostris Regibus, & posteris eorum familiis, gentilitium manauit. Ceteros enim Reges qui eum antecesserunt, post Sanctium Cæsonem, ipso nomine ab Abarba sumpto fuisse sæpius vocatos constat. Vnde fit, vt in veteribus nostrarum rerum monumentis plures Reges Abarcas, tum Sanctios, tum etiã Garsias, inueniamus. Nam ad similitudinem Gothorum Regum, apud quos plures Flauios fuisse, certum est, in cuiusdam Flauii memoriam, qui inter eos habitus fuit clarus, & potens: omnes hi Reges post Abarcã, ab eo se Abarcas Reges nominari voluerunt; à quibus quæ Abarcarum apud nos exstant veteres, illustresq; familiæ, originẽ duxisse perhibentur. Ab hac itaque istorum Regũ tanta nominum similitudine, tota ea, de qua satis supra conquesti sumus, & temporum, & rerum confusio orta est. Verùm enimuerò Ranimirus hic Rex, deposito eo Abarcæ nomine, primus illustre nomen Aragonum, in posteros gentilitium induxit, D. Ranimirusque Aragonius vocitari cœpit: quam consuetudinem quotquot post eum sequuti sunt Reges nostri vsque ad Catholicum Regem Ferdinandum seruauerunt. Quo pacto credibilius est potuisse eum à scriptoribus, primum Aragonum Regem, appellari. Sed iam post hac fa-erit, vt ab hac eorum sententia, tanquàm futili, & commentitia, discedamus. Hic igitur Ranimirus Rex in Guntisalui fratris, à Ramoneto de Tomanera, siue, vt alii tradunt, Gafeuennan, Vascone, ad Monclusi pontem interempti, locum cooptatus, Suprarbiensem, ac Ripacurtiensem ditiones adsciuit: indeque Regnorum Aragonum, Suprarbii, ac Ripacurtiæ imperio simul potitus fuit. Gisbergam, quam alii Gilbigam, Bernardi Rogerii Comitis, & Brisindæ, seu Garsindæ Comitissæ vxoris filiam, in matrimonium duxit, nimiæ pulchritudinis feminam, vt testatur idem Rex in istius Syngraphæ initio. *Anno incarnationis* ∞ XXXVI. 22. *Augusti; Luna* 25. *Ego Ranimirus, proles Sanctionis Regis,* 1036. *accipio vxorem Gisbergam, filiam Comitis Bernardi Rogerii, & Comitissæ matris eius Garsindæ: quam dederunt mihi Ricardus, Episcopus Vigorritanæ ciuitatis; & Proconsules Cauitanenses; Garsea Forto; & Gelme Forto, fratres vterini. Et dedi ei sponsalia pro Dote, & Arram, & propter honorem, amorem, & pulchritudinem suam aliquid de hereditate, quam dedit mihi pater meus in territorio Aragonensi.* Nonnulli autẽ eam, tantùm Hermessendam, vocant. Sed Gisbergam, & Ermissendam vtroque nomine vocatam fuisse, ex aliis eiusdem Ranimiri Regis monumentis colligitur, quæ apud sancti Ioannis *de* Pinna monasterium exstant: in quibus idem Rex ita se loquentem inducit. *Notum sit, quod quinta feria, mediante Quadragesima, in Mense Março, quando infirmaui in sancto Ioanne, & commendaui Deo Sanctiũ filium meum, filium Ermissendæ, quæ vocata est per baptismũ Gisberga.* Alia verò consultò omittimus, quia ad nostrum institutũ nihil attinent. Ex ea igitur vxore filios duos, ac totidem filias suscepit: filios quidem, Sanctium IIII. Regnorum heredem; ac Garsiam, Aragonensem primùm, postea Iaccensi Ecclesia in Cathedralem suo tempore erecta, Iaccensem quandoque Episcopum appellatum. Filias verò; Sanctiam, Tolosati; ac Theresiam, Prouinciæ Comitum vxores. Hanc verò Sanctiam, mortuo patre, Comitissam in Atares, quandoque Comitissam Sanctiam, absolute vocatam, in priscis monumentis obseruaui. Aliam preterea filiam Vrracam habuit; & filium etiam, Sanctium Ranimiri: cui Ayuariam maternã ditionẽ, necnon & Ripacurtiam donauit, antiquo Comitatus nomine eidem restituto. Sed eo postea, vt nonnullis placet, sine filiis decedente, Ripacurtiensis ipse Comitat⁹ ad Regiũ Aragonum diadema reuocatus fuit, ac eidẽ per plures annos subiunctus. Præterea idẽ iste Ranimirus Rex Cæsaraugustanẽses, & Ilerdenses Maurorũ Regulos sibi quotannis tributa soluere coëgit: ac bis signis collatis cum Oscensi Regulo contendens, victor euasit. Fines deinde suos paulatim producendo, Palliarensem ditionem suo adiunxit imperio. His rebus, ac aliis præclare gestis, illustris habitus: illustrior verò

iudicatus est, quòd de Sacræ Religionis cultus, cærimoniarumque instauratione, qua maximè opus erat illis temporibus, curauisset. Ad Iaccam enim Vrbem multorum Episcoporum habito Concilio, Ranimiro ipso assidente, Sacra omnia ex Catholicæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sanctionibus instaurata fuere: ipsamque Iaccetanam Ecclesiam, tunc in Cathedralem erectam, Sanctius Aragonensis Episcopus obtinuit. Vnde qui antea Aragonēses: posteà Iaccenses Episcopi appellari cœperunt. Minimè autem erit à nostro instituto alienum hoc loco in medium proferre istius Prouincialis Concilii, vt sanè coniicimus, fragmentum, quod in peruetusto Codice Pinnatensi antiquis literis exaratum inuenimus. Cuius hoc est exemplum.

De Concilio, quod fecit Ranimirus Rex cum Episcopis, & Abbatibus suis in Sancti Ioannis Cœnobio.

RESIDENTE *glorioso Principe Ranimiro, vna cum venerabilibus Episcopis: scilicet Sanctio, & Garsia, & Gomesano; & Abbatibus Sancti Ioannis Cænobii: scilicet Belasius, & Paternus minor: Residentibus etiam vniuersis fratribus, & Clericis sui Regni in Capitulo prænominati Cænobii, ita Sanctius Aragonensis Episcopus exorsus est loqui. Pro disciplina, & ordine Ecclesiastico, cum diligenti cura, ac prouidentia tractemus, si placet domino Ranimiro Regi, ac Episcopis, Abbatibusque adstantibus, nec non etiam Monachis, ac vniuersis Clericis, ea quæ ad ordinationis tenorem pertinent iuxta Diuinæ legis præcepta, & Nicænorum Canonum constituta; ac cum adiutorio Domini in omnem æuum mansura solidemus, sicut est prædestinatum, & constitutum ab inclyto Rege Sanctio, totius Hesperiæ domino. In præsentia Episcoporum subscriptorum: scilicet Sanctii Episcopi Aragonensis; & Sanctii, Pampilonensis; Garsiæ, Naiarensis; & Arnulphi, Ripacurtiensis; & Iuliani, Casteliensis; & Pontii, Ouetensis; & aliorum plurimorum Episcoporum: nomina quorum longum est dicere. Hoc verò est nostræ institutionis decretum: Vt Episcopi Aragonenses ex Monachis præfati cænobii habeantur, & eligantur. Ranimirus Rex stans in medio Concilii dixit: Ego laudo, & corroboro decreta genitoris mei Sanctii, ac huic vestræ definitioni subscribo. Vniuersi Episcopi, ac Abbates simul cum Clericis dixerunt: Laudamus, ac huic subscriptioni nos subscribimus.* Hîc meo iudicio desiderantur non pauca. *Quicumque futurorum Regum, successorum nostrorum, transgredientes, & deuiantes ab hoc Regali simul & Pontificali decreto; temptauerit, dissoluere hanc scripturam: in præsenti seculo Omnipotens Deus, qui est iustus iudex, & Regum Rex, dissoluat, & diuidat* Regalem *honorem, & potentiam* Regni *eorum, detque illud se diligentibus, & timentibus, & nostra decreta seruantibus: & in futuro separati à consortio omnium Christianorum, interpellante pro eis beato Ioanne Baptista, cum omnibus Sanctis participentur in societate cum Dathan, & Abyron, & Iuda traditore in Inferno inferiori, luentes pœnas perpetui incendii sine fine per æterna sæcula. Amen. Data est sententia* VII. *Kal. Iulii Aer.* ∞LXII.

Ibi autem Aeram pro Anno sumptam fuisse apertè colligitur. Prouinciale enim hoc
1062. Concilium Ann Chr. MLXII. habitum fuit. Sequenti verò Ann. MLXIII. ad Gradus arcē
1063. A.D. IIX. Id. Maii. Ranimirus ipse Rex à Sanctio Castellæ Rege, Ferdinandi fratris filio, prœlians interfectus: ac vnà cum vxore in Ecclesia Pinnatensi sepultus. Ob tantas autem res tam præclarè gestas, meritò eum Gregorius VII. Pont. Max. cohonestauit illustri Christianissimi Regis cognomento.

SANCTIVS IIII. ARAGONVM REX VII.

SANCTIVS huius nominis IIII. Ranimiri I. F. Sanctii Maioris N. Tremuli Pron. Sanctii II. Abn. Garsiæ I. Atn. Cæsonis Trin. Aragonum Rex VII. cùm duodeuicessimo ætatis anno Regale munus accepisset; posteà ditionem suam latè amplificauit. Nec magis rerum gestarū gloria clarus, quàm religione, & pietate insignis fuit. Ad vberes namq; & fertiles regiones expugnandas, quarū Mauri ad planiciem potiebantur, arma conuertens: Balbastrum, olim Burtinam; Beliam, nunc Boleam; Gradū; Loharrim, quam antiquam, vt diximus, Calagurrim Iuliam Nassicam credimus; Marcuellum; Alquezarem; Lunam; Montionem; plurimaq; alia opida, & castella ab infidelium manibus eripuit, nonnulla condidit: ac plura etiam pia loca construxit. Lunā verò, Gallicolim primùm, deinde mutato nomine Montem maiorem vocatam veteribus quibusdam monumentis inuenio: atq; vt suspicor Gallicolis, ea Arabica vox, idem valebat. Vnde quod eidem nomen est Lunæ, fortasse fuisse ductum, eruditissimus Petrus Ioannes Nunnesius Valentinus obseruauit: vir quidē in vniuersarum artiū studiis scienter versatus, in primisq; politiorum humanitatis, interiorumq; ac recōditarum literarum peritissimus. Nam vt illius verba exprimam, antiqui Geographi montes, qui celsissimi erant montes Lunæ vocabant: quasi tantam esse eorū altitudinem indicantes,

cantes, vt Lunam prope contingerent. Atq; ita Bet Africę montē, à quo Nilus fluit, Lunæ montem dixerunt. Ad cuius similitudinē, fieri enim id potuit, Arabes, qui indidę traiecti, patriam occuparunt, montosæ huic regioni, Lunæ nomē imposuerunt: tametsi non tam mihi excelsi illius colles vidētur. Sed tanti viri mentionē intermitti non siui, q; ab eo fuerim in Valentina nobili Vrbe, & copiosa, peritissimisq; hominibus, ac liberalissimis studiis affluente, cum puer adhuc essem, & Latinis, & Gręcis literis eruditus, ita vt quicquid habeā, id totum ex illius disciplina habeam; iamque ipse, siqua est huiusce rei ratio ab optimarū artium studiis profecta, eius omnis à me repetere fructū iure possit. Quē satis vberem cepi præteritis diebus illius de me iudicii, nec vulgaris vigiliarum huiusmodi æstimationis. Verum, vt ad rem redeam, Sanctius hic Rex, Pompelonensi posteà Regno obtento, suisque Aragonum, Suprarbiæ, & Ripacurtiæ subiuncto, omnium harum ditionum se Regem nominauit. Pompelonenses enim, Sanctio eorum Rege Garsiæ Regis filio, à Raimundo fratre ad Rotam interfecto, eundem Raimundum è Regni finibus expellentes, ne is regnaret apud eos Rex, qui fraterno Regio sanguine esset pollutus: ad nostrum hunc Sanctium IIII. Regnū detulerunt. Inde antiqua horum Regnorum subiunctio facta fuit, haud diu tamen duratura. Porrò hic Sanctius IIII. Castellari, ad Iberi ripas, arcem fortissimam, non longè à Cæsaraugustana Vrbe ædificauit: vt in ea nostris Cæsaraugustanenses Mauros infestantibus receptaculum securum patêret: In eius enim Vrbis expugnationem oculos, ac mentem coniecerat. Sed cùm obiisset; suum in ea re desiderium explere nequiuit. Osca enim, Vescitaniæ Vrbe, ab eo circumsessa, cùm illius mœnia equitans exploraret, à Mauris visus, sagitta latere confixo, summa, & illustri gloria, è vita excessit Prid. Non. Iun. Ann. Chr. ∞XCIV. Quin etiam 1094 eundem, quasi alterum Epaminondam Thebanum, Pinnatensis scriptor, nostrique ferè omnes historici prodidêre, tum denique auelli sibi spiculum permisisse, posteaquàm rogatione sua, publico consilio, ad filium Petrum Regno delato, ab eo, & Optimatibus fidem recepit, fore omnes eô acriùs, quò ipse moriebatur, ad obsessæ Vrbis perniciem erupturos. vt in ipso vulneris dolore visus sit, læto animo, cum laude, quòd pro Catholicæ Fidei exaltatione decederet, mortuus esse. Eius corpus, quam diu Osca capta non fuit, insepultum mansit. Ea verò, Rege filio assidente, deditionem facere coacta, ad Montis Aragonum Cœnobiū, quod idem Rex Sanctius construxerat, deductum est: ac tandem in Pinnatensi Ecclesia gentilitio tumulo collocatū. Ex Felicia Regina, quæ Armengolis, & Clementiæ Vrgellensium Comitum filia fuit, tres filios reliquit; Petrum, Alfonsum, ac Ranimirum: qui omnes Regiam patris ditionem sunt adepti. At Feliciam, secundam illius vxorem fuisse, apparet. Nam priùs quandam illustrem feminam duxit, Beatricem vocatam. Nulla autem ex ea proles remansit. Quendam etiam filium huius Regis, Ferdinandum vocatum, in priscis quibusdam monumentis reperio: nothum tamen eum fuisse. De quo, ac de Felicia Regina, hæc in antiquis Pinnatensium rerum Commentariis. *Æra* MCXXIIII. *Non. mense, in Castro Sos, Dominus Petrus Sanchiz filius Sanctii Ranimiri, fecit cartam conuentionis cum Fredenando suo germano, Iussione Domini Regis Sanctii, eorum patris, per cambium de Ripacurtia; quæ fuit data in dote Domnæ Feliciæ Reginæ; & donauit Vielt, cum suis terminis, & Ouano cum suis terminis, sicut terminauerat Rex, quando incœpit eum fabricare.* Quandoquidem autem Regem hunc Sanctium IIII. Sanctii Cæsonis trinepotem, scilicet atnepotis filium, fuisse memorauimus: non abs re censendum erit, si hoc loco sententiæ nostræ rationem, curabimus reddere, quam promisimus. Itaque duo prototypa Priuilegia in Tabulario Sancti Ioannis de Pinna adhuc extant: in quibus Sanctius hic IIII. Rex Sanctium illum Abarcam Cæsonem, expresse nominat tritauum suum. Ac prioris quidem Priuilegii exemplum est huiusmodi.

IN *Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hæc est Carta, quam facio ego Sanctius, Rex Aragonensium, & Pampelonensium, Deo, & beato Ioanni Baptistæ, de illo Monasterio, quod vocatur Sanctus* Iacobus *de Ayuar: quod dedit Tritauus meus Sanctius Rex, cognomento Abarca cū omnibus terminis suis, siluis, aquis, paludibus, ac pascuis, molendinis, cum exitu, & regressu Aer.* T̈ XXIIII. *Præsidente in Sācto Ioanne Transimiro Abbate, & in Aragone Oriolo Episcopo. Postea dom⁹, & Ecclesia præ nimia vetustate ceciderant: & homines patriæ illius iā per vim terminos abstulerant. Sed Sanctius Rex auus meus, quando ordinē, & regulam beati Benedicti in Sancto Ioanne constituit; Deo, & beato Ioanni, & domno Paterno Abbati omnia supradicta liberè reddidit. Nunc autē ego Sanctius, Ranimiri Regis filius, Do, & confirmo vobis illū terminum de illo monte de Ayuar: sicut dedit tritauus, & auus meus, & pater meus Ranimirus, per ad illā populationē Sancti Iacobi: & sicuti Senior Eximino Fortuniones, & Senior*

Liguar Ennecones, & Sanctio Ennecones meo Merino, me præcipiente, fecerunt. Et insuper addo vobis illud Solanum, quod est super Monasterium vestrum Sancti Iacobi, vsque ad illo Osqueta, vt vestri populatores faciunt ibi suas domos, & egrediantur à Claustro Monasterii, vbi nunc habitant. Et non solum ista supradicta omnia Do, & confirmo vobis, sed etiam Deo volente tantum, quantum possint explicare vestri populatores, tantum habeant terminum in illo monte de Ayuar. Si verò, quod fieri minimè credo, aliquis homo post obitum meum aliquid tortum voluerit facere Monachis Sancti Ioannis de his omnibus supradictis caussis; sit à Sancta Ecclesiæ priuatus communione, & cũ Dathan, Chore, & Abyron; & cum Iuda traditore perpetuæ subiaceant damnationi.

FACTA *Carta sub Æra* MCXVIII.

Is Cursus. IIII *.tempore Quadragesimæ in Monasterio Sancti Ioannis Baptistæ, Præsidente ibidem Sanctio electo pro Abbate.*

EGO *autem supradictus Sanctius, misericordia Dei Rex, qui hanc Cartam facere iussi, propria manu roborare curaui.*

Ego Petrus, eiusdem Regis filius, huic Donationi consentio, & confirmans subscribo.

Alterum verò Priuilegium eidem Monasterio sancti Ioannis decennio post, scilicet Aer. TCXXVIII. ab eodem hoc Sanctio IIII. Rege concessum fuit his verbis.



OB *honorem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc est Priuilegium, quod ego Sanctius, Ranimiri filius Regis, non meis meritis, sed sola Dei miseratione, Aragonensium, & Pamplonensium, seu Montisonis Rex, vna cum filio meo Petro, facio ad Monasterium sancti Ioannis Baptistæ, quod nuncupatur de Pinna, Aymerico Abbati eiusq; successoribus, cunctisq; monachis præsentibus, atque futuris, in eodem loco Deo famulantibus in perpetuũ. Digna recordationis Sanctius Rex auus meus, Redemptoris nostri opitulante clementia, deuictis, atq; expulsis Hismaelitarũ gentibus à Regni sui finibus, accensus zelo eiusdẽ Redemptoris, cuius ope triumphans ex inimicis victor exstiterat, statuit Regnum suum à sordibus, & prophanationibus supradictæ gentis penitus mundare, & Ecclesias, monasteriaq; olim ab eisdem diruta renouare, Christiq; seruorũ gregem, & beati Benedicti normã per monasteria ordinare. Igitur inter cetera bona voluntatis suæ opera constituit in monasterio sancti Ioannis Baptistæ de Penna: in quo humata sunt auorum, & proauorum suorum, meorumque necnon patris mei, & matris meæ corpora: congregationẽ monachorũ. Qui vt liberè Deo seruire possent, eis libertatis priuilegia dedit. Nam ipsos, successoresq; eorum, & locum cum omnibus monasteriis, & Villis, & alodiis suo iuri pertinentibus, facto priuilegio, secundum Priuilegia Cluniacensis monasterii, ab omni iugo, vel censu Regiæ, vel Episcopalis, vel alicuius Ecclesiasticæ, vel Sæcularis potestatis, auctoritate Regali fauente, & annuente Mantio Aragonensi Episcopo, necnon Sanctio Pompelonensi Episcopo, liberos fecit: & eidem loco venerabilem virum Paternum, Abbatem præposuit, solique Deo seruire præcepit. Donationes verò præcedentium Regũ, Sanctii videlicet aui sui, nec non & Vrracæ Reginæ, scilicet & Garsiæ patris sui, & Domnæ Eximinæ matris suæ, & quicquid idem locus dono, vel comparatione, vel cambio habebat, vel habere videbatur, auctoritate Regia confirmauit.* XI *Kal. Maii in Legerensi Monasterio Aera* MLXIII. *Quod priuilegium ipse venerabilis Rex Sanctius manu propria confirmauit, & patri meo venerandæ memoriæ, Ranimiro Regi, ad roborandum tradidit, & ceteris filiis suis, fratribus patris mei, videlicet Fredelando, & Garsiæ, & Guntisaluo, in conspectu Sanctii Guilielmi Comitis de Guasconia, necnon & Berengarii :.: :.: :.: Comitis de Barchinona corroborari fecit. Et insuper locum prædictum ex propriis bonis in vita sua honorificè locupletauit. Post obitum verò eius, pater meus Ranimius, non solum patris sui Regis Sanctii decreta inuiolabiliter seruauit, sed etiam locum hunc donis auxit, mihiq; commendans, vt Priuilegia patrum meorum ad tutamen & nobilitatem eiusdem monasterii facta corroborarem, & dona, quæ possem, ibi donarem, iniunxit. Ego vero non immemor præceptorum eius, Deo auxiliante, totis viribus meis adimplere præcepta eius curaui, & insuper ab Apostolica Sede corroborari feci. Romæ namque ad beatum Papam Alexandrum secundum, eiusdem loci Abbatem venerabilem virum Aquilinum misi, rogans, iam supra fatum monasterium non dedignaretur Apostolico patrocinio munire. Scilicet & hoc defuncto Abbate, videns Ego prædictum monasterium à fratre meo venerabili Episcopo Garsia in quibusdam caussis affligi, & Priuilegia eiusdem Monasterii velle corrumpi: ad confirmanda priora benè acta, Abbatem Sanctium eiusdem monasterii iterum Romæ ad beatissimum Papam Gregorium septimum misi, rogans eum, vt ipse benigne prædictum locum Apostolica auctoritate, & sua munire, sicut antecessor eius fecerat, ipse facere non dedignaretur. Quod, secundum quod popesceram, ipsi libentissime fecerunt. Sanctio quoque Abbate defuncto, & domno Aymerico Abbate in lo-*

co eius posito, cupiens hoc cœnobium adeo prorsus munire, & tueri, Apostolicoque simul, & Regali patrocinio; prædictum domnum Aymericum Abbatem Romæ ad beatissimum Papam Vrbanum misi secundum, obnixè deprecans Paternitatem illius, vt prædictum locum in defensione, & patrocinio beatorum Apostolorum Petri, & Pauli susciperet, & Priuilegium tale eidem loco conferre dignaretur, quo à rapacitate malorum hominum, vel ab inuasione Episcoporum, necnon à præiudicio Cardinalium, & Archiepiscoporum, seu à dominatione mala succedentium Regum locus eisdẽ tueri, aut defendi possit: & vt Abbas eiusdem loci liberè ipse, & sui ad Sedem Romanam in omnibus causis, & iudicius Ecclesiasticis, vel sæcularibus, necnõ & in ordinationibus Abbatum possint se reclamari. Qui beatissimus pater Papa Vrbanus, audita meæ humilitatis petitione, credo non meis meritis, sed sancti Ioannis grati commotus, locum hunc in Apostolica suscepit protectione: datoque libertatis Priuilegio, Apostolico patrocinio muniuit. Nunc igitur ego humillimus seruorum Dei seruus, non meo merito, sed dono Dei Rex Sanctius, locum sancti Ioannis Baptistæ de Pinna tantis auctoritatibus munitum, Regiis ac Apostolicis decoratum Priuilegiis, hac mea præsente auctoritate corroboro. Do, Concedo, & Confirmo Abbati Aymerico, & monachis sub eo, vel successoribus suis Deo militantibus, talia præcepta, & Priuilegia, & decreta, & libertates, qualia habet Cluniacense monasterium, de cuius sanctissimo fonte ordo beati Benedicti in hoc loco prius manauit. Do, concedo, & confirmo eis etiam monasteria, & Ecclesias parochitanas, nec non & villas, & cellas, & molendina, & siluas, & omnia alodia magna, vel parua, quanta, vel qualiacumque sanctus Ioannes, vel sui monachi ab antiquis Regibus, seu à modernis, vel ab Episcopis, vel à militibus, vel à rusticis, vel à quibuscumque personis, dono, vel cõparatione, vel camio adquisiuit, vel habere videtur, vel visus est, nisi hoc quia Abbates, vel monachi eiusdem loci iustè, aut legitimè dimiserunt, vel camiauerunt Regio iussu: vt sicut Cluniacenses sunt liberi ab omni iugo humanæ seruitutis, ita & isti sint, tantummodo seruantes debitam reuerentiam Apostolicæ Sedi: vt liberi, & expediti valeant exorare misericordiã Dei pro stabilitate sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro quiete Regni mei, nec non, & pro suorum, totiusque populi excessibus. Vt autem de libertate prædicti loci omnis amputetur contentio; monasteria, quæ idẽ locus adquisiuit temporibus præteritis, nominatim expressi in hoc meæ auctoritatis Priuilegio, timẽs ne per incuriam Abbatum, vel negligentiam monachorum, Priuilegia, vel Cartulæ eidem loco à fidelibus concessæ depereant. Ideo hic recapitulando nomina: Primò, id est monasterium sanctæ Ceciliæ; & monasterium sancti Torquati; & monasterium sancti Sebastiani; & monasterium sancti Petri de Fonas; & monasterium de Zerapuz: necnon Ecclesias, & villas, idest Lechinta; & Gisso; & Alastrue; & Martes; & Ena; & Segaral; & Ventayolo: & Legisso; & sancto Petro de Ostias; & sancto Petro de Medianeto; & Acenarbo; & Bortata, Berbues. Has omnes Ecclesias, monasteria, & Villas dedit Rex Sanctius, cognomento Abarca, Tritauus meus, cum omnibus Decimus, & Primitiis, & oblationibus suis, & cum omnibus terminis, siluis, aquis, paludibus, & pascuis suis, & molendinis, cum exitu & regressu. Actum est hoc Æra T̈XXVII. Præsidente in sancto Ioanne Transiniro Abbate; & in Argone Oriolo Episcopo. Do etiam, concedo, ac confirmo, Esu, & monasterium de Nauasal cum suis Villis; idest Larroda, Aranella; & cum omnibus Alodiis, & montibus, & Pardinis, & Ecclesiis, cum decimis, & primitiis, & oblationibus suis, & cum omnibus suis omnino rebus, quas habebit, vel habere videbitur; & sancta Maria de Botia cum tota villa; & monasterium sancti Martini de Pacopatina; & monasterium sancti Clementis; & monasterium sancti Saluatoris de Puyo; & Villas, & Ecclesias, idest Latresas; & Biasuasso; & sancti Fructuosi de Senes: & sancti Iuliani de Behos, cum tota villa: & monasterium sancti Vrbicii de Galleco: & Villam de Sotue, & Votue; & Speciello; Casanoua: & Sacramiana cum Ecclesiis suis. Has omnes Ecclesias, & monasteria, & Villas dederunt Rex Sanctius auus meus, & Regina Domna Maior, cum decimis, & primitiis & oblationibus suis, & confirmauerunt Er. T LXIII. Præsidente in sancto Ioanne, Paterno Abbate primo in eodem loco sub regulari ordine degente. Do etiam, concedo, ac confirmo monasterium sancti Martini de Cercito, quem dederat Rex Sanctius .::.: uus meus. Prædictum monasteriũ Do, concedo, & confirmo cum suis Ecclesiis, & Villis, & cum decimis, & primiciis, & oblationibus suis id est Acomuer; & mediam villam de Essun: & medietatem Villæ de Orcentue: & monasterium sancti Christopori de Aurin, cum tota villa; & Palatium de Lares cum tota sua hereditate: & pardinam illã de Siricata: & monasterium Sancti Iusti de Velle: & monasterium sancti Petri de Yossa: & Ecclesiam sancti Laurentii de Cornas: & monasterium sancti Martini de Cella, cum omnibus villis, & decimis suis: & Ecclesiam sancti Philippi de Larbessa iuxta Faulum monasteriũ: & monasterium sanctæ Eufemiæ de Beral: & monasterium sancti Iuliani, quod dicitur Aspitlla, cũ omnib⁹ ad se pertinentibus: & monasteriũ sancti Angeli de Iarne: & monasterium sancti Saluatoris de Serue ad elemosinam cũ terris, & vineis, cultis, & incultis, & siue molendinũ cum aquis, egressus, & regressu vsq; ad fontẽ aquæ; & sanctum Saluatorem de Sorripas cum omni sua hereditate: & Vesčos de Gorga: & Larue, cum Ecclesia de sancta Eulalia de Pequera, cum omnibus suis pertinentiis, & sancta Maria de Sorreto cũ tota villa: & Ecclesiam sancti Petri de Azaon cum tota villa: & Ecclesiam de Montãnano

cum tota villa. & Ecclesiam Verallanilla cum tota villa: & Ecclesiam de Ortolo cum tota villa: & Ecclesiam de Ardans: & Ecclesiam None: & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Ballatan. Has omnes Ecclesias, & monasteria, & villas cum omnibus Ecclesiis suis Do, concedo, ac etiam firmo cum omnibus decimis, primitiis, & oblationibus suis. Ego verò præfatus Sanctius Rex his auctoritatibus patris mei Ranimiri Regis, & matris meæ Domnæ Ermissendæ, de meo addo, Dono, & concedo villam de Carosa: & palatium de Ayerbo cum decimis & primitiis suis. Do & concedo, & confirmo monasterium de Borda cum tota sua hereditate. Do, & concedo, ac etiam confirmo Donationes Regum, Priuilegia Episcoporum, Auctoritates Romanorum Pontificum, Cartulas, vel Inuestituras Militum, seu virorum, ac mulierum qui suas oblationes Deo, & sancto Ioanni obtulerunt: qualia sunt; sancta Tecla de Banaston; & Ecclesiam parrochitanam de Banaston; & Ecclesiam de Napal; & Monasterium sanctæ Mariæ de Ballarun cum villula, quæ dicitur sancti Iuliani; & sanctum Pelagium de Gauin; & Ecclesiam de Orant; & Ecclesiam parrochitanam sanctæ Crucis; & sanctum Martinum de Botayola; & sanctum Bartholomæum de Beral cum suis hereditatibus; & sanctum Petrum de Vagilo cum tota parrochia, & cum tota sua hereditate; & sanctam Mariam de Viscara; & Ecclesiam de Mortanya; & Ecclesiam de Suasillo cum tota villa; & Ecclesiam sancti Bartholomæi ibidem. Has omnes Ecclesias, & monasteria Dono, concedo, ac etiam confirmo Deo & beato Ioanni Baptistæ cum omnibus decimis, & primitiis, & oblationibus suis, & cum omnibus terminis, syluis, aquis, paludibus, pascuis, molendinis, cum exitu, & regressu. Omnia verò Alodia quæcumque habuit sanctus Ioannes, vel sua monasteria, & quæ in hoc præsenti die habere videtur, vel quæ meo in tempore iniustè perdidit; iustè repetat, & deinceps sine aliqua violentia, & perturbatione perpetuum possideat. Iniungo quoque filiis, & nepotibus meis, ac propinquis, omnibusque fidelibus Regibus mihi succedentibus, vt hæc nostra decreta, intemerata studeant conseruare, & ex propriis bonis locum hunc venerandum seruare studeant; & seruos Dei, ibi Deo famulantes, sustentare non differant: quatenus pro conseruatione nostrorum decretorum, & pro erogatione suorum bonorum, intercedente Beato Ioanne Baptista cum omnibus Sanctis, ab æterno retributore, Iesu Nazareno, suorũ valeat impetrare veniã delictorũ. Si verò aliqui eorũ maligno spiritu superbiæ inflati, hæc Priuilegia Apostolica, & Regalia decreta, ausu temerario disrumpere voluerit, & prædictum locum, monachosq; ibi Deo famulantes inquietare præsumpserit; Deus iudex iustus, qui iustitiam intemporaliter diligit, præsumptores diiudicet: conseruantibus autem pax, & benedictio à Deo, Patre, & filio eius Iesu Christo Nazareno, & Spiritu Sancto sit. Vt autem hoc meum Priuilegium per cuncta sæcula firmum habeant, manu propria firmaui, & filio meo Petro ad roborandum tradidi.

SIGNVM *Sanctii Regis.*

Ego Petrus, prædicti Regis Sanctii filius, hoc Regale præceptum domini, & patris mei laudo, & cõfirmo, & ex nostra parte manu propria scribo

FACTA *Carta Era TCXXVIII. oct. Id. Maii in sancto Ioanne: Anno tertio Pontificatus domini Vrbani secundi Papæ, Anno ab Incarnatione Domini Millessimo Nonagessimo, Indictione* XIII. *Regnante Rege Ildefonso in Toleto, & in Castella, & in Galicia. Me autem Rege Sanctio regnante in Aragonia, & in Pampilona: & filio meo Petro in Suprarbi, & in Ripacurtia, & in Monçon. Petrus Episcopus in Iacca. alius Petrus Episcopus in Pampilona. Raimundus Dalmaci Episcopus in Rota, & in Monçon. Post restaurationem vero Toletanæ Ecclesiæ Bernardus Archiepiscopus primus. Aymeric' Abbas in sancto Ioanne Raimundus Abbas in Legerensi Cœnobio. Senior Lop Garcez in Vno castello, & in Arrosta. Senior Petro Sanchiz in Baltanya, & in Marcuello. Senior Sanctio Fredelandez in Atares Senior Galin Sanz in Sos, & in Arguedas. Senior Enneco Sanz in Montecluso. Senior Eximẽ Garcez in Buyl. Senior Fortun Sanz in Baylo, & in Liso. Senior Velasco in Arguis. Senior Galindate in Escoron.*

EGO *Garsias, Scriba Domini mei Regis Sanctii, iussu ipsius, hanc cartam scripsi, & propria manu hoc signum feci.*

Itaque ex his duobus Priuilegiis necessario concluditur, Regum post Cæsonẽ à nobis supra traditam seriem veram esse. Siquidem ex quo Sanctius hic IIII. Rex bis tritauum suum, Sanctium Abarcam Regem nominauit: necesse est, vt ante Sanctium III. Maiorem, in Concilio Prouinciali, cuius supra meminimus, totius Hesperiæ dominum vocatum quatuor, quos interposuimus, Reges collocentur. Cũ enim tritauus, idest, tetar-

tauus, quartus sit ab auo, iuxta illud Saturionis parasiti in Plauti Persa, qui dum suorum edacitatem commemorat: *Numquam*, inquit, *quisquam meorum maiorum fuit, quin parasitando pauerint se: pater: auus, proauus: abauus: atauus: tritauus: quasi mures semper edere alienum cibum:* nequaquam potuisset Abarca ipse Cæso, istius Sanctii IIII. tritauus appellari, nisi omnes, quos diximus, Reges Sanctium hunc antecessissent. Quin & in postremo Priuilegio id clariùs apparet: nedum enim Sanctius hic IIII. Rex Reges, qui ab ipso Abarca Cæsone ad eum interpositi fuêre, propriis suis nominibus appellauit, sed & ipsorum nominum vim à Plauto expressam, non iam magna facta mutatione, retinuit. Sed quô ea res planiùs accipiatur, libet hoc loco eos omnes retro ad ipsum Cæsonē Abarcam versus numerare. In primis itaq; hic Sanctius IIII. Rex qui dicta Priuilegia concessit, se sæpius Ranimiri Regis filium, ipsumque Ramirum, seu Ranimirum Regem, fuisse patrem suum, his nempe vocabulis idem declarantibus, profitetur. Auum autem suum; Regem Sanctium, id est Sanctium III. Maiorem: quem inter filios suos, quos vocat Fredelandū, (idest Ferdinandum) Garsiam, & Guntisaluum Regna sua fuisse partitum explicauimus. Ipsius verò Sanctii III. Maioris patrem; nominauit Garsiam: Tremulum nempe, Eximinæ Reginæ maritum. At Sanctium II quem diximus Abarcam, & Galindum; aui sui auum appellauit, ipsiusque vxoris Vrracæ Ferdinandi meminit: atque idem planè fuit, ac si hunc, abauum, Tremulum autem, proauum dixisset. Nec dubito certè, quin dum iterum in eodem Priuilegio in ipsius abaui sui incidit mentionem: ea vox :.:.:.:. uus, quæ integra in Archetypo, quod vidi, non extat, propterea que quòd legi non potuerit: adhibuimus eam tot punctis intercisam; abauus, profectò contineret. Quis nam autem Sanctius Rex ab hoc Sanctio IIII. auus aui sui dici potuisset, nisi is Sanctius II. quem diuersum à tritauo, Abarcam, & Galindum diximus appellari solitum, statuatur? Et ipse Rex Sanctius IIII. in eodē hoc ipso Priuilegio, tres ante se Reges Sanctios fuisse, apertè docuit: quandoquidem & auum suum, & abauum, atque ipsum tritauum, Sanctios nominauit. Iam verò quod ab abauo ad tritauum deuenerit, Garsia I. Rege atauo intermisso: nihil obstat, cùm suspicari liceat, atauum nulla in beatum Ioannem dona contulisse, fuisseque ob eam causam silentio prætermissum. Siquidem eorum tantum Regum memoriā postremo hoc Priuilegio excitandam curauisse apparet, qui de Pinnatensi Monasterio benemeriti fuerant. Itaque fit ex his: vt Sanctii istius IIII. Regis, qui priuilegia huiusmodi irrogauit.

tritauus sit; Sanctius I. Cæso, Abarca primus nominatus: qui Totam Vrracam habuit vxorem.

atauus autem; Garsias I. Abarca, ipsius Cæsonis filius; ac Theresiæ Galindi Vir.

abauus verò Sanctius II. Abarca, & Galindi, seu Galindez dictus, Vrracæ Ferdinandi maritus; quem, aui sui auum, nominauit.

proauus autem; Garsias II. Abarca, cognomento Tremulus; quem, aui sui patrem, dixit esse, Eximinæ Reginæ, cuius etiam meminit, Virum.

auusque Sanctius III. Rex, Cognomento Maior, Imperator dictus.

pater tandem; ipse Ranimirus.

Quo pacto videmus, quàm præclarè ea omnia conueniant iis, quæ mihi supra proposui consequentia. Aeræ verò annotatio sub his signis T̈XXIIII. & T̈XXVII. duorum Priuilegiorum, quæ proximè intexuimus, dū de Cæsone Abarca mentio fit: quanquam Aerem Millessimam vicessimam quartam in priori, in posteriori autem Millessimam vicessimā septimam indicare videatur, quasi eis, vel annis per eas notatis, Cæsonem Abarcam Regem vixisse constet; cùm id minimè temporū à nobis traditæ rationi cohæreat: ita accipienda est, quemadmodum paulò ante diximus, vt cùm Orioli Episcopi, & Transiniri, seu Transimiri Abbatis coniunctim in ipsis mentio fiat, non Millessima, sed Noningentessima Aera, ea T̈ numeri nota, intelligatur, atque vt Aera pro anno sumatur in ambob⁹: in quæ tempora ipsum Oriolum Episcopum; & Abbatem Transinirum secundum incidisse, ex quamplurimis Archetypis Priuilegiis colligitur. Ad quam significationē quandoque istius T̈ figuræ notam reuocandam esse, vt non semper Millessimū numerum, vt fertur, sed quandoque Noningentessimum significare statuamus, docuimus supra variis argumentis ex ipsa antiquitate, Archetypisque Priuilegiis petitis. In quibus miræ passim, & penitus difficiles exstant numerorum notæ: cùm nedum Latinis, aut Gothicis: sed quandoque etiam Arabicis characteribus descriptæ legantur. Vnde tota ea, quam nunc cernimus, orta est priscæ nostræ vetustatis confusio. Hæ enim temporum annotationes, quæ alioquin lumen ipsis rebus adhibere debebant; propter varias earum, dissimilesque formas, obscuritatem; & tenebras attulerunt. Ipsi enim characteres non clari, & aperti,

nec eodem ſemper modo, ſed variè, & obſcurè deſcripti ſunt: proptereaque aliud aliis ſignificare videntur. Itaque in eorum declaratione multa obſeruanda, quæ non ex alio ſenſu, quàm ex ipſarum rerum ſerie, atque ex varia tantum lectione interdum depromẽda ſunt: ſi nolumus antiquas res penitꝰ obrui, & obſcurari. Sed ne inſtituti mei videar oblitus, propoſitam perſequar noſtrorum Regum narrationem.

PETRVS I. ARAGONVM REX VIII.

PETRVS itaque I. Sanctii IIII. F. Aragonum Rex octauus, in ipſa Oſcæ obſidione patris in locum conſtitutus, aliis belli laude inferior non fuit. Patre autẽ viuente, ſatis conſtat, fuiſſe eum ditionum Suprarbiæ, Ripacurtiæ, ac Montionis, ſub Regis nomine, potitum diu. Verùm Sanctio patre ad Oſcam, vt dictum eſt, interempto. Petrus Rex in ea expugnanda maiori viriũ contentione nixus, caſtra propius Vrbẽ admouit. Cuius diuturnæ obſidionis tædio Oſcenſes Mauri grauiſſimè affecti, nec ab ea noſtros auertere valentes; omnia, quæ potuerunt, & ſuorum, & amicorum auxilia etiam, atq; etiam implorarunt. In quorũ opem ingentibus Maurorũ copiis ad Cæſarauguſtam Vrbẽ collectis, ac ſub Almozabenio, Cæſarauguſtanenſi Regulo, earum ductore, properantibus; Rex Petrus inuicti animi Princeps, minimè earũ multitudine perterritus, quamquã innumerabilis erat, impiis hoſtibus obuiam procedere non dubitauit. Itaq; cũ ad Alcoracenſem locũ, non longè ab ipſa Oſcenſi Vrbe, acies vtrinq; conueniſſent, poſtquã acerrimè dimicatũ fuit: tandẽ, quadraginta millibus hoſtiũ cæſis, noſtrorum verò vix mille deſideratis, A. D. XIV. Kal. Decemb. ann. Chr. ∞XCVI. glorioſam
1096. noſtri victoriam conſequuti fuêre, ac certe diuinã. Præſens enim Diuinũ Numen, beatũ nempe Georgiũ, noſtris gentibus affuiſſe, conſtanti fama receptũ eſt, ac communi omnium traditione: quæ variis etiam ſcriptorum teſtimoniis comprobatur. Vnde Petrus ipſe Rex nedum inſignem hanc victoriam, qua nulla clarior in Hiſpania ad ea vſque tempora viſa fuerat, ſed & ipſius quoque victoriæ clara etiam Inſignia reportauit. Nam inter opima hoſtium ſpolia, à noſtris eo prœlio capta, quatuor Arabum nigrorum Regum abſciſa capita, inuenta fuêre, multis pretioſis gemmis ornata: quæ poſtea, media Cruce rubea ipſius Sancti Georgii in quadrũ diſtributa, ac in ſcuto argenteo collocata, quemadmodũ ſupra exculpta cernuntur; & ſibi & poſteris Regibus propria, ac vera manſerunt Regni Aragonũ Diadematis ſcutorũ, ac militarium vexillorum Inſignia. Ea enim quæ ab argentea cæleſti Cruce, Innico Ariſtæ data, petita fuerunt, quamquàm ab eo hæc vſque tempora nonnulli Reges noſtri geſtare conſueuerunt; minimè habita ſunt propria Aragonum Regni ornamenta: cùm tempore Ariſtæ Regis, quo cæleſte id ſignum apparuit, Aragonia ditio nondum eſſet Regni nomine decorata. Hæc autem quatuor nigrorum Regum capita, cùm Aragonum Regno iam florente, ab Aragonum Rege aſſumpta fuerint: ſemper ſtatuta ſunt, vera, ac propria Regii Aragonum Diadematis ſigna, & tropheа. Quinimmo & quod vocamus, Deputationis Aragonum, ſiue Deputatorũ Regni Sigillum, Diuinum Numen hoc in prælio oſtenſum, ſcilicet Beati Georgii effigiem, in ſe continet: quem inde nobis, ac ipſi Regno Diuũ Tutelarem conſtitutum fuiſſe, certum eſt; eandem hanc inſignem victoriam in his quoque rebꝰ indicando. At verò quod hæc, ſemper fuerint vera, ac propria Aragonum Regni Inſignia; ſic ille ſtatuit, qui inter præclaros Reges noſtros habitus eſt ſemper Alfonſus V. Sapiens, & Magnanimus Rex. Is enim Vicecancellarium ſuum, Valentinum Clauerium, & Hieronymum Clauerium, fratres, eorumque poſteros ſtudens, magna aliqua dignitate honeſtare; in prototypo ipſis eadẽ re Priuilegio irrogato: *Concedimus*, inquit, *quod illa quatuor capita Maurorum nigrorum cum Cruce rubea, quæ pro Inſigniis, ſiue Armis propriis Regni noſtri Aragonum in campo Argenteo tenemus: poſitis, & valeatis vos, ac poſteri veſtri vna cũ Armis, & Inſignibus veſtris in dicto campo Argenteo deferre.* Quod quàm benè quadret noſtræ ſupra traditæ ſententiæ, de Aragonum Regni nominis initio, clarè liquet. Noſtris verò (vt ad rem redeamus) huiuſmodi prœlio deuicto, ad ſtatiua caſtra reuocatis, Oſcenſes citò Vrbẽ dedêre. Nam A. D. V. Kal. Decem. eiuſdẽ anni Rex Petrus eã ouans introiuit. Ac, quæ vetus ſemper conſuetudo fuit, maximũ illius templũ, quod Arabes Myſleydam appellabant à nefariis eorũ cultibus expiari fecit: in eoq; Oſcenſi antiqua Sede inſtaurata, Petrũ Iaccenſem Epiſcopum eidẽ præpoſuit. Qui deinde Oſcenſis Epiſcopus nominari cœpit: licet eum, ac plures illius ſucceſſores, quandoque & Oſcenſes, & Iaccenſes ſimul appellatos cernimus: cùm re vera ante Hiſpaniæ cladem vna ſola Oſcẽſis Eccleſia Cathedralis exſtiterit. Aragonenſes verò Epiſcopi, iam inde nominari deſierant, poſtquam ſub Rege Ranimiro

miro primo Iaccæ Concilium Prouinciale celebratum fuit: de quo ante diximus. Sunt qui ferant, Christianos Muzarabes Oscæ repertos fuisse: qui in Parrochia Sancti Petri Veteris, inclusi, Mauris vectigalia persoluentes, degebant. Eam postea Ecclesiam idem Petrus Rex, Sancti Petri Tomeriensis illustri ad Galliam cœnobio attribuit: in quo, viuente patre, sacris dicatus egerat vitam frater Ranimirus. Præterea Balbastrum opidum, quod Mauri inter hos bellorum strepitus vindicarant, ab eorum manib. recuperauit; Pontioq; Rotensi Episcopo illius Ecclesiā contulit: qui deinde Rotensis, ac Balbastrensis Episcopus vocatus est: cùm Ilerda, totius diœcesis caput, sub Maurorum iugo adhuc esset. His igitur, aliisq; opidis bello adquisitis, Aragonum Regnum, ac nomen latius patuit: illustriusque etiam apud exteras gentes, his temporibus haberi cœpit. Rex autem Petrus meritò adeptus fuit amplissimum, Felicis, Pii, Victoris, & Maximi Principis Cognomentum. Duas eum habuisse vxores perhibent: Agnetem, & Bertham; ex qua nullos filios habuit. Ex Agnete verò filium, & filiam. Filium quidem, Petrum: quem Cidi filiam, Domnam Solem vocatam, in matrimonium duxisse proditur: filiam verò, Isabellam, innuptam decessisse. Alium præterea filium, Sanctium, eidem tribuunt: atque hunc Cidi generum fuisse, alii memorant. Omnes tamen viuente patre obiisse, certum est: Ob eamque causam, quòd Rex Petrus, progenie orbatus, mortuus esset; Alfonsum fratrem fuisse Regnorum cooptatum heredem. Obiit autem Rex Petrus A. D. IV. Kal. Octob. Ann. Chr. ∞ C I V. Ad Sancti Ioannis *de* Pinna templum sepultus est. 1104.

ALFONSVS I. IMPERATOR, BELLATOR, Aragonum Rex IX.

ALFONSVS I. Bellator, Sanctii IV. F. Petri I. frater germanus; Alfonsus Sanctii interdum, patronymico nomine, à Sanctio patre vocatus, nonus à Cæsone Abarca Aragonum Rex; nihil à perenni, contestataque maiorum virtute degenerauit. Imo eis omnib. longè bellandi gloria antecelluit: vnde sibi illustre Bellatoris cognomentum adsciuit. Fraterno iure Aragonum, Pompelonæ, Suprarbiæ, ac Ripacurtiæ Regna adeptus est; vxorio autem, Castellæ, & Legionis: summus propterea totius Hispaniæ Imperator dictus. Plurima opida expugnauit: atque eò vsque ferè Aragonum Regni fines, quibus hodie terminatur, protraxit. Nam Exeam: nobileque Tahustium opidum: Turiasonem, Calataiubium, Darocam, Ruedam, antiquitus Segontiam: Nertobrigam, nunc Riclam, Iuliam, Celsam, Sarinienam, Almudebarem: Zueram, olim Zufariam, pluraque alia à Mauris eripiens, Aragonum Regno subiunxit. Verum quo illud magis auxit, & ornauit: tunc demum fuit, cum nostram hanc Cæsaraugustam, Sederaniæ Metropolim, amplissimam, potentissimam, & natura, situ, ac pulchritudine ædificiorum nobilissimam Vrbem expugnauit. Ea enim obtenta, ac vniuersæ Aragonum ditionis primaria constituta, ipsius Aragonii nominis propagationi cumulus magnus accessit. Cuius tandem Vrbis Quadringentos ferme annos, à misera nempe Hispaniæ clade ad hæc tempora, Arabes fuerant potiti. Sub quibus, haud liquet, quisnam fuerit ipsius status, quæve Christianorum Muzarabum ibi degentium fortuna. Sed ex quo plures Sanctos Episcopos, inter ipsos fidei hostes, in eadem Ciuitate fuisse comperimus commoratos: nostros non valde oppressos vixisse coniicimus. De hac tamen re, à nullo hactenus, quem viderim, scripta, & à paucis fortasse intellecta, quæ inuenire potuimus, nec extra rem nobis prorsus videmur facturi, si iis, quæ à nobis superius tradita sunt, hoc loco diligenter annectamus. Quamuis enim ea ad institutum nostrum non multum pertineant: legentibus speramus iucunda fore, & cuiusuis antiquitatis nostræ cognitionem nihil huic nostro proposito labori nocituram. Sexdecim igitur Cæsaraugustanensium Maurorum Regulos fuisse obseruaui: quorum nomina, ac nonnullas res gestas hic apponendas duxi: ex quibus hanc, quam quærimus, ipsius Vrbis, sub eorum iugo, fortunam facilius cognoscemus. Et licet parumper ab instituto sermone digrediamur, quædam nos hoc loco repetere opus erit, eorum quæ initio de illius oppressione scripsimus. In quibus concinnandis suscepimus magnum laborem: nec frustra susceptum duceremus, si totum id, quod cupimus, essemus consequuti. Sed casu nescio quo, adeo huiusce rei series hactenus apud nos mansit obcœcata, vt quodcumque eidem lumen præferatur, minimè sit paruipendendum.

MAVRI CÆSARAVGVSTANENSES REGVLI XVI.

VT rem ergo à suis initiis ordiamur: ex Rasis, Arabis scriptoris, testimonio, quemadmodum supra exposuimus, biennio post Ruderici Regis excidium, Ann. nempe Chr.
716. DCCXVI. Cæsaraugusta Vrbs in Maurorum venit potestatem. Plures tamen Christiani, Mauris tributa conferentes, in eadem Vrbe manserunt: qui Muzarabes propterea sunt vocati. Duo autem, vt diximus, præcipui Arabum copiarum ductores, ad Cæsaraugustã inuadendam conuenerunt: scilicet, Muza Abenzuyrius alter: alter verò Tariff Abenzarca. Hi ab Vlith Alcalifa, summo eorum Rege, & Africa in Hispaniam traiecti; vel vi, vel dolo totam illam ferè, vt explicauimus, debellarunt. Ea re confecta, Tariffa in Africam reuocatus est. Muza verò ab eodem Vlith totius Hispaniæ curationi præpositus, eiusdẽ, quamdiu vixit, potitus fuit. Sed eo deinde fatis functo, ipsemet Vlith eandem Hispaniæ præfecturam Abdulazizio, Muzæ filio, commisit. Qui Egilonam, Ruderici Regis viduã, vxorem ducens, Hispali sui imperii sedem collocauit. Is autem Abdulazizius nimirum
719. est, qui Circ. Ann. Chr. DCCXIX. Abdemelichum Abencatanum misit nostris, ad speluncam supra memoratam in Vruele monte prope Iaccam conuenientibus, excidium ferre. Qua quidem re licèt effecta, Abdemelichus, ob immaturam Abdulazizii mortem, intestinis suorum bellis distentus, nostros aliquamdiu premere destitit. Vnde antiqui Suprarbiensis Regni promouendi initium patuit: de quo, suo loco, satis, superque dictum est. Post hanc igitur Abdulazizii mortem, Arabes Hispaniæ domitores, in varias factiones distracti, paulatim ab Alcaliffæ Vlith imperio secesserunt: cui per sexaginta ferme annos, ab ipsa nempe Hispaniæ expugnatione, eo vsque tempore paruerant. Carolo enim Magno, Francorum Rege, cuius fama virtutis totum ferè orbem compleuerat, Hispaniam transcendente, Arabes nimio timore perterriti, cùm eius aduentu contremiscerent; ad illius potentiam propulsandam, summum sibi Regem in Hispania adsciuerunt; atque vt nonnullis placet, in Cordubensi nobili, ac illustri ciuitate. Vnde ea postea in ipsa Hispania fuit celsissima Regiæ Arabicæ dignitatis Sedes. Ciuilibus tamen seditionibus inter eos subortis, acrius inualescentibus, diuersi Maurorum Reguli excitari cœperunt: qui cùm alias singulis ditionibus Gubernatores tantùm essent præpositi; eas deinde sibi sub singulorum Regnorum, etiam paruulorum, nominibus vendicarunt. Cumq; hi plures, in pluribus siquidem opidis, exstiterint: nos tantum Cæsaraugustanensium Regulorum seriem hoc loco suscepimus annotandam.

I. IBNABALA.

PRIMVS itaque qui Cæsaraugustanensis Regulus vocatus inuenitur, quidam est Ibnabala, siue, vt aliis placet, Ibualarabi. Hunc ferunt, cùm à suis Regno esset expulsus, ipsius Caroli Magni auxilio, cuius opem implorarat, Circ. Annum Chr. DCCLXXIIX. in Cæsarau-
778. gustanense Regnum restitutum fuisse. Atque vt Aemilii verbis vtar; *Cæsaraugusta à Carolo Magno paulisper obsessa, in conditiones descendit, vt Christi famulos concionantes audirent; Ibnabalam reciperent*: Regemque agnoscerent. *Duosque finitimos Reges, Abutaurum, & Deuiffezum, qui Ibnabalam domo exegisse insimulabantur, in castra venire cum donis Francus coegit, & vectigal pacisci.* Ex quibus aperte colligitur, Ibnabalæ Regnum haud valde infestum Cæsaraugustanis Muzarabibus exstitisse: imo quòd illis nimis esset propitius, à suis, insidiis appetitum, ac Regno pulsum fuisse.

II. MARSILIVS.

809. POST Ibnabalam, Marsilius, siue Masillus Rex, Cæsaraugustæ regnauit. Is siquidem, qui Circ. Ann. DCCCIX. Castellanorum gentibus auxilium præstans, affuit præsens memorando illo in prœlio, quo ad Roncamvallem, Bernadi *del* Carpio, ac suorum virtute, potentes illi Francorum heroës, quibus tot fabulæ tribuuntur, deuicti cecidère. In ipsisque antiquis Canticis, quibus hæc insignis clades apud nos quotidie celebratur, huius Marsilii Regis nomen proditur, quem nimium in ea tunc præstitisse memorant. Eius autem feruntur esse, quæ visuntur hodie complanatæ, Dominorum Alfozeæ, iuxta Vicum Sceleratum domus.

III. MV-

III. MVZA ABEN HEAZIN.

MARSILII ſucceſſorem in Regno fuiſſe apparet, Regem Muzã
Aben Heazin, ſiue, vt alii tradunt, Aben Cazin, circ. An. Chr.
DCCCXXX. cuius ſupra meminimus. Hunc Chriſtianis parentibus na- 830.
tum ferunt. Poſtea tamen veram, ac Catholicam Religionem dete-
ſtatus, Arabicamq; ſectam complexus, noſtris ad Pyrenęa commo-
rantibus acre bellum commouens, eò vſq; perduxit; vt Sanctio, Su-
prarbienſium Regi quarto, & vitę & Regni finẽ intulerit. Vnde apud
nos primum interregnum patuit, ac noſtrarum libertatũ origo. Sed
de his ſupra. Præter Cæſarauguſtanenſe autẽ Regnum, plurimarum
ciuitatum inſignium eſt potitus. Filium habuit, Aben Lope: quẽ Gu-
bernatorem Toletanæ Vrbi præpoſuit. Ea .n. ciuitas cùm a Cordu-
bẽſis Regis fide defeciſſet; huius ſe addixerat imperio. Deniq; Muza
Abẽ Heazin tã amplã ditionem conſequutus eſt, vt Miralmumi nimiì Hiſpanẽſis ſuper-
bum apud Arabes cognomentum vſurparet. Eius tẽpore, Seniorem Epiſcopum, Cæſar-
auguſtæ sediſſe circ. Ann. Chr. DCCCXXXIX. ex Diui Eulogii teſtimonio colligitur: qui ſe 839.
iis temporibus Cæſarauguſtam aduentaſſe refert, & ab eodem Epiſcopo humaniter ex-
ceptum, in ea aliquandiu ſtetiſſe. Vlterius etiam ipſius Muzæ Regis mentio facta reperi-
tur circ. An. Chr. DCCCXLII. Eius verò potentiam nimis extenuatam perhibent. 842.

IV. ABEN ALFAGE.



MVZÆ Aben Heazin o, Rex Aben Alfage ſucceſſit. Cuius me-
moria circ. An. Chr. DCCCLXIV. exſtat. Ac fortaſſe eum, Muzæ 864.
filiũ appellare liceret, vt is ſit, quẽ paulò ante, Abẽ Lope nominatũ,
diximus, ac Toletanę gubernationi à patre præfectum. Tamẽ pręter
nominis ſimilitudinẽ, nihil aliud habeo, q; pro certo affirmare poſ-
ſim. Huius Abẽ Alfage Regis tẽpore Helecã, Cæſarauguſtanum Epi-
ſcopum ſæpius nominatum comperio. An verò in ipſa Vrbe ſederit,
nequaquam inueni. Alfaiarinum opidum ab hoc Rege cõſtructum,
ab eoq; ita vocatum, dicto Excellentiſſ. Domino Archiepiſcopo Fer
dinando placuit: itidẽq; & Regalẽ apud nos ſuburbanã domum, nũc
Sãcti Officii Inquiſitionis miniſterio dicatã. Quã non Aliaferiam, vt
vulgò, ſed potius Alfaieriã vocandã idẽ Excellentiſſ. in ſuis priuatis
monumentis tradit, atq; ita in antiquis tabulis nominatã inueniri, & quãdoq; litera mu-
tata, Alfaxeriã. Ea quidẽ, Regia ædes fuit, ſuburbio amœniſſimo loco, deliciarum cauſa,
& voluptatis inter ipſos ciuitati hortos, à Mauris Regib. ædificata. Ex qua vetus, ac con-
ſtans opinio eſt, per cauernas magna impẽſa foſſas, ſubterraneum occultum quoddã i-
ter, ab eiſdẽ constructum fuiſſe, eò tandem directum, vt ipſi Reges Mauri ab ea ſuburba-
na domo ſubtus terrã ad ſuos nefarios cultus expiandos occulti, ad ſuam, quã vocabant
Mezquitam maiorẽ, quæ nobis hodierna die Templum maximum eſt, lõgo itineris ſpatio,
ſe poſſent conferre. Quod affirmare minimè auſus fuiſſem, niſi præter hanc vulgarem
traditionẽ, plurima hodie huiuſce ſubterranei itineris veſtigia in quampluribus Vrbis
partibus inuenirentur: quæ opinionem vulgi certiorem faciunt. Aliam etiam excelſam
Domum intra ipſam Vrbem Reges Mauri habuerunt, ad Iberi fluminis ripas conſtitutã:
Azudam, Arabicè nominatam: quæ poſtea Conuentui Sancti Ioannis Hieroſolymitani
à Chriſtianis Regibus tradita eſt, nuncq; ſub Sancti Ioannis *de los Panetes* vulgari nomine
appellata cernitur. Itaq; Alfaxeriæ Regalis domus ſtructura huic Aben Alfagio Regi tri-
buitur. Quem arbitror ab Archiepiſcopo Toletano, Abohager, paululum conciſo no-
mine, nuncupari: cùm à nonnullis, Abenalfaget etiam vocaretur.

V. ABEN HAYA.

ABEN Alfagio Regi in Cæſarauguſtanẽſi Regno ſucceſſiſſe per-
hibent Regem Aben Hayam, aliter Hieyam, vulgo *Abenayre*, ſi-
ue *Benayre* vocatum. Cuius vetuſtior memoria exſtat Circ. An. Chr.
DCCCCIV. nouiſſima verò Circ. Ann. Chr. DCCCCXII. quo Ramiro, 904.
Legionenſi Regi, ſubditius factus, tributa ei quotannis pende- 912.
re coactus fuit. Id verò Abderrahamen, ſiue, vt aliis placet, Abdarra-
ghman Almançor, ſummus Arabum in Hiſpania Rex, nimium æ-
grè ferens, è Corduba, ſui imperii ſede, magno comparato exercitu,
contra hunc Aben Hayam, Cæſarauguſtam Vrbem ingreſſus, non
ſolùm eundẽ ad ſuam poteſtatẽ reduxit, verùm ambo ipſi Reges, in-
gentes acies bellicas aduerſus Ramirum ipſum, Legionẽſem Regẽ,

comparantes,eius ditionem inuaſerunt.Legionenſis verò Ramirus,ipſis obuiam procedens,cùm ad Septimancas ex vtraque parte acies conueniſſent,poſtquam diu, multumque pugnatum fuit; Ramirus tandem inſignem victoriam reportauit. Cordubenſi quidem Rege fugam arripiente,Aben Haya autem hoc,viuo ad Ramiri poteſtatem captiuo delato. Cuius nullam aliam mentionem factam inueni: hanc verò ad Septimancas pu-
938. gnam Ann. Chr. DCCCCXXXVIII.commiſſam fuiſſe.

VI. MVDYR.

POST Aben Hayam regnauit filius Mudyr, vt in quibuſdam priuatis monumentis annotatũ vidi. Viuente verò patre,an eo mortuo,vel quo anno Regnum obtinuerit,incertum eſt. Sunt, qui aſſerant, iſtius Mudyrii filium fuiſſe, Yram Almundafarem; quem aliquamdiu Regno potitum conſtat:ſed interpoſitis prius duobus, qui ſequuntur.Etenim cùm Cæſarauguſtana Ciuitas his temporibus tota ciuilibus bellis flagraret, ex ipſorum Arabum diſſenſionibus ortis;Yra illius dominatu pulſus dicitur,quòd fuiſſet paruulus relictus à patre:ac fortaſſe niſi fuiſſet poſtea per Caſtellæ Regem,ac Rudericum Biuarium,quem Cidum appellauêre,vt explicabimus, reſtitutus;omnino deſertus,atque eiectus manſiſſet. Sed iam de his dicendi locus erit, cùm de duobus Regulis, qui hoc interim ſpatio regnarunt,dixerimus. Neque verò de eo,qui huic Mudyrio continenter ſucceſſit,memoriæ proditum eſt,vt Regulo,ante Annum Chr. ꝏ III.Quinimo in hæc tempora Cæſarauguſtam diu Rege caruiſſe apparet.

VII. IMVNDAR.

1003. SED eo Anno MIII.Imundaris,Cæſarauguſtanenſis Reguli,alicubi mentio facta reperitur. Fertur enim eius ope, Abderrahamenum Almortadam Cordubenſe Regnum inuaſiſſe, protinuſque ab eo fuiſſe pulſum.

VIII. ALMVGDABYR.

IMVNDARIS ſucceſſor proditur,quidam Almugdabyr,ſiue, vt alibi legitur, Almugtadyr. Quem Cæſarauguſtæ regnaſſe Ann.Chr.
MXXXVI. ſat liquet ex cuiuſdam Senioris Athonis Garſeanes, & v-
1036. xoris Domnæ Blaſquitæ membranula, quam legi: Fuit enim facta
Carta illa, vt in ea notatur *Aera* TLXXIV. *Regnante in Zaragoza Al-*
mugdadyr. Tum & illius clara exſtat memoria Circ. Annum Chr.
1045. MXLV. Sed ea clarior, quòd eum, primum fuiſſe, proditur ex omnibus Regulis Cæſarauguſtanenſibus,qui noſtris Aragonum Regibus
054. tributa penſitarunt.Nam Circ.Ann.Chr. MLIV. noſtri Regis, Ranimiri primi,cuius ſupra meminimus, ſubditius, ſiue, vt nunc loquimur, *vaſſallus*, factus fuit:atque vt priſcis illis ſeculis loquebantur, *mezquinus*. Et hoc mirificè conuenit, vt eius tempore Paternus, Cæſarauguſtanus Epiſcopus,in ipſa Vrbe quiete ſedere poſſet, ac de ſui Cleri conſenſu Eccleſiam Sanctarum Maſſarum, nunc Diuæ Encratis vocatam, nouæ Iaccenſi Eccleſiæ contribuere. Paternus enim, Cæſarauguſtanus Epiſcopus de ſuorum Clericorum voluntate in Concilio Prouinciali ad Iaccam Vrbem his temporibus, Ann. ſcilicet MLXII. ſub dicto Rege Ranimiro, celebrato, eandem Eccleſiam



1062. Iaccenſi tunc erectæ contributam voluit. Qua de re ita à Gregorio VII. Pontif. Max. in Diplomate confirmationis illius, iiſdem illis temporibus dato, decretum fuit. *Super hæc omnia* (inquit) *addimus Sanctarum Maſſarum monaſterium, cum redditibus ſuis, quod à Paterno Cæſarauguſtano Epiſcopo, fauente ſuo Clero, Iaccenſi Eccleſiæ collatum fuiſſe cognouimus.* Iam vt veriſimile ſit, quo tempore dictum Concilium indictum fuit, quandoquidem hic Regulus, noſtri Ranimiri Regis vaſſallus erat; Paternum Epiſcopum pacatè Cæſarauguſtæ degere potuiſſe, clerumque ſiue Eccleſiaſticum Ordinem ibidem repertum, ſuum liberum in ea re conſenſum præſtare. Atque per id temporis Sanctius Caſtellæ Rex, Ferdinandi filius, Ranimiri noſtri ex fratre nepos, Cæſarauguſtam Vrbem adortus fuit, eamque ſibi ſtipendiariam fecit. Neque diu poſt Ranimirus Rex vixit. Imo cùm ob eam cauſam Caſtellano Regi bellum intuliſſet magnum, & vehemens; improuiſo ab illo (qui ſe aiebat, niſi fuiſſet ita laceſſitus, alioquin certè quieturum fore) ad Gradus arcem oppreſſus, An.

quem diximus, Chr. MLXIII. interfectus fuit. At Almugdadyrius hic, ætate longius processit. 1063. Siquidem Ann. Chr. ∞LXXIII. qui Aeræ infra notatæ æquè conuenit, eum in antiquis Pinnatensium rerum Commentariis scriptum est, aduersus Regem nostrum Sanctium IV. primi Ranimiri F. cum Sanctio Pompelonensium Rege, illius Garsiæ filio, qui ad Ataporcam interiit, firmissimum hoc fœdus icisse. *Aera* T̄CXI. VIII. *Kal. Iulii Sanctius Pompelonensium* Rex, *& Almutadyr Vile* (namque hoc illi nomen imponitur) *die quo facta fuit concambiatio Castrorum de Caparroso &* .·.·.·.·.·.·.·.·. *Iurauerunt concordiam firmissimam. Conuenit enim Almutadyr dare* Regi *Sanctio* 1200. *mancussos auri, vel argenti: ita quod si vult argentum; accipiat septem Solidos monetæ Cæsaraugustæ pro mancusso. Conuenit autem* Rex *Sanctio, mittere Carta ad Sanctio* Ranimiriz, *vt se, & omnes suos declinare faciat ad terra de Oscha, & reuerti in suam terram, & vt non faciat damnum in partes Cæsaraugustæ. Et si noluerit se leuare Sanctius* Ranimiriz *de terra de Almutadyr: statim caualguet Sanctius* Rex *cum toto suo potere super Sanctio* Ranimiriz *ad faciendum damnum in sua terra: & inter ambos donent ei alfechna; sicut in ligamentos primos scriptum est. Idem si Almutadyr necesse habuerit adiutorium, & requisierit suum amicum* Regem *Sanctium: ipsemet per suum corpus cum suos Barones ei adiuuet. Et si tantum voluerit Barones; det ei quantos Almutadyr voluerit, & donec sint in seruicio, & caualcata de* Almutadyr: *pro vnoquoque die donet, sicut solitum est dare Baronibus de Castella, aut de Barchinona. Et statim quando fuerit tornatus de caualgata, & venerit ad Tutela; statim acceptis de* Rege *Sanctio placitis Hostaticis, pergat cum eo in vnum super Castellos capiendos, quos tenet Sanctio* Ranimiriz *fortiatos* Regi *Sanctio Garsiæ: & faciant eos reddere; & semper inuicem se adiuuent, tam super Christianos quam super Mozlemes. Iuro ego* Almutadyr *Vile per Deum, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, & per legem, quam tenent Mozlemes, & per omnes Iuras, quas omnes gentes in Deo iurant; me non esse mentitum in nullo huius præscripti fœderis. Quòd si mentitus fuero in aliquo: perdam sensum, & intellectum mentis meæ, & carens legem gentis meæ cum ira Dei altissimi vadam ad Mecha: & non inde reuertar. Enneco scriba* Regis *notauit.* Istius autem fœderis alibi factam mentionem non inuenio. Neque ex Archetypo me illa deprompsisse affirmare possum: sed ex priuatis quibusdam, quæ dudum comperi, monumentis. Iccirco integrum erit cuiuis, quam sibi placuerit, fidem adhibere. De hoc autem Almugdadyrio, ad cuius vitam, & Regnum comprobandum hæc attuli, nequaquam accepi plura, quæ obseruem. Illud iam differre nequeo, quod paulò ante proposui: nimirum non continenter, sed interruptè fuisse Cæsaraugustanensi Regno tot annos potitum.

IX. YRA ALMVNDAFAR.

YRA .n. Almundafar, Mudyris filius, quẽ retulimus fuisse, mortuo patre, ob ciuiles suorũ seditiones, quib. ardebat tunc ciuitas, Regno spoliatum; dicto An. MLXIII. atq; eo exeunte, Cæsaraugusta- 106[illegible] nẽsis Regulus vocatus inuenitur. Cumq; per idẽ tẽpus, seu nõ multò ante, Castellæ Rex Sanctius Cæsaraugustã Vrbẽ inuasisset, eamq; sibi fecisset vectigalẽ: fit inde, vt credibile sit, in hac rerũ mutatione dominorum etiam mutationẽ fuisse; atq; vt iste Yra Almundafar tunc, ipsius Regis Castellani opera, vnde eiect⁹ fuerat, Rex restitueretur. Neq; tamen diu potuit ipsa Vrbe frui. Nã simulatq; Castellanus Rex ab ea pedẽ discessit; illum Vrbe pepulit Almugtadyrius: & vsq; ad illud saltẽ tempus tenuit illã, quo fidem suam cõtra nostrum Regẽ Sanctium IV. Ranimiri I. F. cum Sanctio Rege Pompelonensium deuinxit: vt à me paulò est ante dictum. Postea verò Almugtadyrio mortuo (neq; .n. longius, quàm ad dictum facti fœderis annum illius vitam productã puto) hic Yra Almundafar amissam Regni possessionem recuperauit: in eaq; cõstitit, quamdiu vixit. Iãque Ann. Chr. MLXXVI. cum illius Vrbis quiete potiretur, Raimundum, Garsiæ Nauar- 1076. ræ Regis filium, fraterno sanguine pollutum, in ea exstorrem excepit: in qua Raimundus ipse miserè vixit, & obiit. Neptem reliquit Marchesiam; quæ cuidam Azenario Lupi, primario viro, nupta fuit. Sanctius autem IV. noster Rex, à Pompelonensibus interea vocatus, Nauarræ tunc, vt memorauimus, Regnum obtinuit. Rursus Almundafarem hunc Regulum, cum Ruderico Biuario, Cido cognominato, magna amicitia fuisse coniunctum perhibent. In illo autẽ, de quo ante dixi, Castellani Regis ad Cæsaraugustã Vrbẽ aduentu, gratiam huiusmodi inter eos initã coniicio. Etenim Cidum ipsum illius itineris, ac Castellani Regis consiliorum omnium socium, & adiutorẽ fuisse prisca nostra monumẽta testãtur; sępiusq; Cęsaraugustæ, Regnante hoc Regulo, cũ eo stetisse. Demum ipse

Cidus hoc maximum dedit sui amoris signum, quòd cùm Almundafar iste duo Regna quorum potiebatur, Cæsaraugustæ scilicet, ac Deniæ, inter duos filios, quos susce perat, Zulemam, & Aben Alfagium moribundus partiretur, Zulemæ quidem maiori, Cęsaraugustæ Regnum relinquendo, Deniæ verò, Aben Alfagio; ob eamque causam, Almundafare mortuo, grauissimæ inter filios suborirentur dissensiones, ac bella: tandem sua industria effecit, vt fraternis his dissensionibus compositis, quæ pater iusserat, ab ipsis filiis rata haberentur. Vnde Zulemæ Cæsaraugustanense Regnum liberum mansit: Aben Alfagio autem, Deniæ.

X. ZVLEMA.



1081. ZVLEMAM autem in Cæsaraugusta regnasse constat Circ. Annum Chr. ∞ XXCI. Cidumque eius tempore, vt fecerat viuēte patre, eandem ipsam aduentasse Vrbem.

XI. HAMEN ABEN HVTH.

1083. IPSI verò Zulemæ, filius successit Hamen Aben Huth Circ. Ann. Chr. MXXCIII. Qui Abubacaris, Valentiæ Gubernatoris, filiam, vxorem duxit. Verùm non diu regnauit.

XII. IVCEPH ABEN HVTH.

1088. NAM Circ. Annum Chr. MXXCIIX. Iuceph Aben Huth, Hamenis filius, Cæsaraugustanensis Regulus nominatus apparet. Hūc
1092. aiunt Anno Chr. MXCII Valentiam Vrbem vnà cum ipso Cido profectum esse: atque inde postea reuersum, obiisse.

XIII. ALMOZABEN.

MORTVO autem Iucepho Aben Hutho, Cæsaraugustanense Regnum adeptus fuit filius, nomine Almozabenius, siue, vt alii tradunt, Almizahenius, vel Almescahenus: eundemque esse suspicor, quem nonnulli Hametum Almuzazimum appellantes, in hæc tempora inducunt. Iam verò certum ponitur, dum Iuceph pater obierat, nōdum hunc eius filium è pueris excessisse. Proptereaque cùm suorum animos timeret; fuisse ab eodem Cido, qui maiorum amicitiam retinebat, Cæsaraugustam delatum, in pacata, & quieta illius possessione constitutum. Neque verò istius tanti beneficii fuit immemor. Ipsi enim Cido, in Hiayæ postea, Valentini Reguli, amici sui, nefariæ mortis vindictam properanti, præsto fuit, neque ad eam rem solam; sed & maximo quoque ad obtinendam ipsam Valentinam Vrbem adiumento. Tandem nostrum Regem Petrum ab Oscæ Vrbis obsidione auertere cupiens, cùm ingenti ad Cæsaraugustam Vrbem Maurorum, vt retulimus, acie collecta, nostris ad Alcoracensem locum obuiā factus esset; nimia suorum
1096. clade superatus, aufugit Ann. Chr. MXCVI. Nullam verò aliam illius memoriam comperio, præterquam quòd ex Alfonsi Castellæ Regis historia hunc fuisse, qui Abubacaris Abualhazis filiam, vxorem duxit, colligitur.

XIV. ABDELMELCH.



ALMOZABENIO Regi filium, Abdelmelch vocatum, in Cæsaraugustanensi Regno successisse, nonnullis placet. Breuissimum tamen illius Regnum fuisse liquet.

XV. HAMAT ALMVZACAYTH.

1098. ANNO enim Chr. MXCIIX. Hamat Almuzacaythus Cæsaraugustanensis Regulus nominatus exstat. Quem nonnulli, Abdelmelchi filium fuisse, tradunt: Almorabidumque Arabum potētia Regno depulsum. Almorabides enim his temporibus contra Almohades sæuissimè irruperant: cumque grauissimis seditionibus excitatis, aliquamdiu superiores exstitissent; Almuzacaytho hoc Regulo exacto, quòd ex Almohadum esset factione, Cęsaraugustanense sibi Regnum vendicarunt, eidem Duces, siue Gubernatores præficientes: à quibus per aliquot annos, Regali nomine exploso, possessum fuit.

XVI. ABV-

XVI. ABVHAZALEN.

TANDEM Abuhazalen vltimus est, qui Cæsaraugustanum sub Regis nomine Regnum obtinuit. Sed ad Valterram Ann. Chr. MCX. à nostro Rege Alfonso I. cuius hoc loco res gestas cōscribēdas suscepimus, occisus est. vnde eidē ad Cæsaraugustā vrbem inuadēdam aditus patuit. Almustaenum interdum, hunc Regulum appellari solitum constat. Sic namq; illius nomen, atq; obitus diem notatum legi in Archetypo quodam Priuilegio ab Vrraca Regina, ipsius Alfonsi vxore, Montis Aragonum Ecclesiæ irrogato. *Facta Carta*, inquit, *Era* T CXLVIII. *anno, quo mortuus est, Almustahen super Valterra; & occiderunt eum milites de Aragone, & de Pampilona, noto die* VIIII. *Kal. April. Regnante Domino nostro Iesu Christo, & sub eius gratia Anfusus, gratia Dei, Imperator de Leone, & Rex totius Hispaniæ, maritus meus.* Anfusi autem nomen pro Aldefonso sæpius vsurpatum reperitur. Tres autem sanctos Episcopos in hæc tempora Cæsaraugustanæ Ecclesiæ præfuisse in aliquibus priuatis monumentis continetur: Vincentium III. Petrum ac Bernardum. Sed si eos, his saltem temporibus, sedisse verum est; breuissimis quidem diebus: siquidem vnumquemque eorum vix singulos annos colligitur, ea dignitate potuisse perfungi. Dum autem Cæsaraugusta Mauri hi Reguli, quos memorauimus, potiti sunt Vrbe: pro certo, ac constanti traditur, Confratriam, cuius initio meminimus, Beatæ Mariæ Maioris, & *de Pilari* viguisse: ab ipsis quidem Muzarabibus constitutam: licet nonnullis, vt diximus, altiora videntur illius initia repetenda esse.

Hos itaque annotaui Mauros Cæsaraugustanenses Regulos à scriptoribus variis in locis nominatos. Eorum autem superiores narratiunculas propterea hic annectendas duxi: vt si non perfecta, adumbrata saltem ratione intelligamus, quæ fuerit Cæsaraugustanæ Vrbis condicio, quamdiu misera seruile eorum iugum à sese depellere nequiuit. Ex huiusce enim rei, penitus obtrusç, si non perfectione, at conatu tamen, atq; adumbratione, aliqua etiam dignitas his nostris Commentariis accrescet.

DE MAVRIS CÆSARAVGVSTA PVLSIS.

CÆSARAVGVSTAM igitur Vrbem, Annos ferè Quadringentos seruitute oppressam, Mauri tenuere. Ea autem ab illorum manibus, post longam nostrorum obsidionem, erepta atque Omnipotentis Dei singulari beneficio ad Christianam, veram, & Catholicam Fidem reuocata; fortissimus, ac bellicosissimus Alfonsus Rex ipsos Mauros penitus contriuit, ac domuit. Perpauci autem nonnulli in quadam Vrbis regione manserunt, tributa nostris conferentes, qui propterea *Mudeiares* illis sæculis dicti sunt. Ceteri ex ea pulsi, ad diuersa Hispaniæ loca, suæ factionis gentibus subiecta, abierunt. At verò ipse Alfonsus Rex cumprimum Vrbem introiuit; Mezquitam maiorem, qui priscus semper mos fuit, à nefariis cultibus purgari fecit, ac in ea Cathedralem Sedem consecrari. Quæ Petro Libranæ, Sanctissimo illius Episcopo iam antea designato, attributa fuit: ob idque Petrus ad Sedem Apostolicam missus, à Gelasio II. Pont. Max. consecratus. Aliaferiam etiam, siue Alfaxeriam, Regiam suburbanam domum prædictam, idem Alfonsus Rex cuidam Berengario (vt legitur) Crassensi, mihi verò legendum placet, Cisterciensi Abbati, & Monachis donauit, vt in ea Ecclesiā construeret. Deinde inter Cæsaraugustæ expugnatores, Ricos homines scilicet, & alios, qui tantæ rei præsentes affuerant, eandem pro veteri consuetudine Vrbem diuisit. Beneharnensi enim Vicecomiti, Gastoni Fuxio vocato, Christianorum Muzarabum regionem assignauit: quæ parrochiæ, vt diximus, Ecclesiæ beatissimæ Virginis *de Pilari* finibus terminabatur: vbi hodierna die ipsius Vicecomitis Sepulchrum inuisitur. Rothroni verò, Perticarum Comiti, aliisque primariis viris, alias Vrbis Regiones dedit, in quibus se Seniores appellari consueuerunt. Ac quia aliquibus quarta Vrbis pars donata fuit: quandoque propterea nonnullos, Seniores in Quarton *de Caragoça*, hoc sanè loquendi genere, vocatos legimus. Seniorum autem vocabuli significationem, ac quæ eorum, quos Ricos homines appellabant, vis, & potestas, infra explicabimus. Nequaquam autem hoc loco omittendum duximus, quod memoratus Excellentiss. Dominus Archiepiscopus Ferdinandus memoriter narrare solebat, Muzarabes Cęsaraugustanos ab ipso Rege Alfonso, dum de diuidunda Vrbe agebatur, suam quoque partem pro rata portione postulasse: affirmantes, se licet septos, & inclusos, intimam, quam

potuerant, Vrbi expugnandæ operam præstitisse. Cumq; ea res fuisset posita in contentione: postquam diu, multumq; tractata, & agitata fuit, ob eam demum, Muzarabibus ipsis pro huiusmodi rata parte, Manlienis opidum datum fuisse. Quod se in priscis monumentis legisse affirmabat. His ergo rebus compositis, Alfonsus Rex nouæ Vrbi Magistratus Vrbanos pręficiundos curauit: quippe quòd eam non militaribus pręsidiis muniri solùm, sed consilii ope fulciri, ac Magistratuum dignitate oportebat. Itaque Prætorem Vrbanum ordinariæ causarum cognitioni pręfecit: quem, ipso Arabico nomine retento, Zalmetinam vocari passus est. Vrbis præterea, & annonę curatores statuit; quos postea Iuratos appellauêre. Denique ipsam Cæsaraugustam, totius suæ ditionis primariam Vrbem, ac caput constituit, publicamque ac stabilem Iudiciorum sedem. Affluentibus autem vndique ingentibus incolarum copiis, ciuilibusque & criminalibus crebris inter eos quæstionibus, & controuersiis excitatis: ad eas componendas forensis strepitus accedere oportuit. Vnde nostris in pace, & otio iudicia fieri, & exerceri cœperunt, legumque ac Fororum auctoritate definiri. Quod antea vix licuerat: ex quo illud, *Silent leges inter arma*, est iam diu tritum sermone prouerbium. Hinc autem sine vlla dubitatione euenit, vt in rerum nostrarum narrationibus, siue antiquis, siue nouis, nullam Magistratus Iustitiæ Aragonum mentionem ante hęc tempora factam, pręter illius institutionem, neque alicuius, qui eum gesserit, nomen nisi post Mauros dumtaxat Cęsaraugusta pulsos, vt in nostrorum Fastorum Indice conscripsimus, inueniamus. Nam licet plures antea Iustitias Aragonum exstitisse dubitandum non sit, cùm eius institutio, vt docuimus, ab ipsius Regni initiis pendeat, ob idque necessariò aliquos eidem pręfuisse, dicendum est: tamen ante Cęsaraugustam obtētam, nostris, assiduis bellis continuò implicatis, non callido, aut versuto iure, sed militari potius, atque ex ęquo, & bono iudicia fiebant. Illud acre, & seuerum, meritò iam pridem à nostro Foro sublatum, Candentis ferri iudicium, priscis illis temporibus, ad dirimendas ferè omnes iudiciarias controuersias magno in vsu fuisse legimus, & in Ecclesia Sanctæ Christianæ, quam vocant *de summo Portu* tamquam ad id certo, ac definito loco, aliquamdiu solitum exerceri: quo perquàm breuiter constituebatur quibuscumque causis, ac litibus finis. Quamobrem eo tempore Magistratus Iudicis Medii forensis auctoritas, & vis vsque adeo necessaria non fuerat: vel si fortasse aliquando, in oppressorum leuamem adscita, opem tulit, illius certè casus, quemadmodum & multarum aliarum rerum, cognitionem ignoramus; saltem hactenus indagare nō potuimus. Huc etiam accedit, quod mihi magis placet, ne de tam longo, vt ita dicam, somno huiusce Magistratus admiremur; eam apud nos olim Ricorum hominum dignitatem fuisse, vt quæcumq; occurrerent, tam in pace, quàm in bello, omnia ab eis transigi necessariò oporteret. Vnde nec mirum, quod hac tam suprema ipsorum dignitate vigente, per plures annos hic Magistratus noster vsum fortasse vllum non habuerit. Ipsis enim Ricis hominibus, continuò Regum consiliis assidentibus, libertates nostræ à Regibus violari non poterant. Postea verò, declinante Ricorum hominum potestate, abscissisque duobus illis memorandis Vnionis Priuilegiis,* ac gliscentibus negotiis; multæ Ricorum hominum facultates in hunc Magistratum congestæ sunt, & eidem sensim plures alię concessæ, quæ temporum varietate Regibus, ac Regno visę sunt ad viuendum quietè oportuniores. Quo pacto paulatim ad eam, quam nunc cernimus, amplitudinis, dignitatem ascendit. In priscis autem monumentis, temporibus, de quibus agimus, propinquioribus, qui hunc Magistratum gerebant, passim Iustitię in Cęsaraugusta nominati inueniuntur: vel quòd Vrbs, illorum Iudiciis sedes stabilita fuerit, vel quòd in eadem frequentius Iustitię Aragonum residere consueuerint. Quorum post hac singula nomina annotare decreui, dum singulorum Regum facta persequar: licet infra de iisdem Iustitiis separatim à nobis dicēdum sit. Ab eo autem tempore, quo apud nos, vt retulimus, bellico modo Iudicia exercebantur; duo illa notissima nostrarum legum principia, ac quasi sedes, & fundamēta, quibus ipsæ nituntur, ducta fuisse non abs re coniicere licet. Alterum, vt iisdē verbis vtar, quibus eadem constant: ¶ *Quòd in Aragonia omnes testamur iure militari, ac quasi in procinctu, minimè aliis Iuris ciuilis solennitatibus expectatis.* Alterum verò: ¶ *Quòd in omnibus Cartæ, id est, publicæ scripturæ standum est, nisi contineat aliquid, quod fieri nequeat, vel sit cōtra Ius naturale.* Communi enim, siue Ciuili Iuri à nostris legibus in quamplurimis est derogatum. Malè autem prima nostrarum Obseruantiarum, *De equo vulnerato*, inscripta legitur; cùm, *Prologus*, tantùm inscribi debuisset. Nam ad docendum, nostras leges minimè recipere interpretationem, quam vocant, extensiuam, imò standum esse, vt dictum est cartæ; ea equi vulnerati similitudo adducta est, qui si nō sit occisus, tāetsi vulneratus, iuxta nostras leges

reo

non venit emendandus. Vnde ineptè ab ea similitudine, Obseruantiæ titulus sumptus est: sed Prologus tantùm inscribendus, quemadmodum in Codicibus manuscriptis continetur. Atqui apud nostros, his temporibus, nonnullas Gothicas leges in vsu fuisse, argumento est mihi antiqua quædam membranula, quam in Tabulario *de Pilari* hisce verbis conceptam deprehendi.

CONDITOR *omnium rerum, Dominus Iesus Christus, Dominus noster, cùm in mundi initio cuncta creasset ex nihilo; ex osse viri dormientis, formam fecit mulieris. Ex vno duos faciens, duos vnum esse debere demonstrauit: ipso attestante, qui ait: Relinquet homo patrem suum, & matrem & adhærebit vxori suæ: & Erunt duo in carne vna. Quapropter* In Dei *nomine, Ego Arnaldus de Via, procreandorum filiorum amore, eligo in sponsam, puellam honestam nomine Ermissendæ: & facio ei dotem, & donationem decimæ partis omnium rerum mearum, tam mobilium, quam immobilium, quas in præsenti habeo, vel in antea Deo annuente adquirere potero: quia in Gothicis legibus continetur: Non sine dote coniugium fiat. Si quis hanc dotem, vel donationem violare præsumpserit, nullatenus possit: sed pro sola præsumptione libram vnam auri puri componat, & insuper hæc dos, vel donatio firma, & stabilis omni tempore permaneat.*

Quod est factum iij. Non. Sep. Ann. Chr. MCXCVIII.

✠ *Signum Arnaldi de Via, qui hanc dotem facio, & firmo.*

✠ *Signum Bernardi de Forrad.*

✠ *Signum Petri Iozbert.*

✠ *Signum Berengarii de Rig. milans.*

Arnaldus sacerdos: qui præscripsit, cum literis supra positis in iij. linea die & anno quo supra.

Exstant autem duæ Gothicæ Leges præclaræ, & seueræ lib. 3. tit. 1. *De dispositionibus nuptiarum* latæ: quas hic libet intexere, vt earum serie prospecta, id, quod proposuimus, cõfirmemus. Ac ea quidem, quæ sine dote fieri coniugium vetabat, est huiusmodi.

FLS. RCDS REX.

Ne sine dote coniugium fiat, & vt de quibuscumque rebus dos conscripta fuerit, firmitatem obtineat.

NVPTIARVM *opus in hoc dinoscitur habere dignitatis nobile decus, si dotalium scripturarum hoc euidenter præcesserit munus. Nam vbi dos nec data est, nec conscripta; quod testimonium esse poterit, in hoc coniugio dignitatem futuram? quando nec coniunctionem celebratam publica roborat dignitas, nec dotalium tabularum hanc comitatur honestas? Proinde cùm quisquis aut pro se, aut pro filio, aut etiam proximo suo, coniunctionis copulam appetit: aut de rebus propriis, aut de Principum dono conlatis, aut de quibuscumque iustis profligationibus conquisitis, iuxta modum legis datæ, conscribendi dotem habeat potestatem. Quodcumq. autem legitimè in dote conscripserit; modis omnibus plenum robur habebit.*

Altera verò, quæ, vt superior inquit, conscribendæ doti modum definiuit, hæc est.

FLS. CHDS REX.

De quantitate rerum conscribendæ dotis.

CVM *de dotibus diuersa semper inter nubentes oriatur intentio; plurimorum sit vtilitati consultum, si euidens huius rei institutio nihil vltra relinquat ambiguum. Decernimus igitur, ac legis huius perpetim seruata sanctione censemus: vt quicumque ex Palatii nostri Primatibus, vel Senioribus gentis Gothorum filiam, alteriusve cuiuslibet relictam, seu sibi, seu filio suo poposcerit in coniugio copulandam, seu quisquis ex prædictorum ordine, vxorem sibi elegerit expetendam; non amplius vnusquisque in puellæ, vel mulieris nomine, Dotis titulo conferat, vel conscribat, quàm quod decimam partem rerum suarum esse constiterit. Quod si contigerit, vt quicumq. parentum pro filio suo, in nurus suæ nomine, dotem conscribere debeat: eodem modo de eo, quod eidem filio post obitum parentum suorum in portione euenire poterat, decimam exinde partem per dotis titulum conferat, quod mulier, vel puella nuptiis traditura obtineat. Atque insuper decem pueros, decemque puellas, & caballos* XXX. *seu in ornamentis, quantum mille solidorum valere summam constiterit; sit illi conscribendi, dandique concessa libertas. Ita vt de his omnibus rebus in coniugio mulier assumpta; si non reliquerit filios, facere quod voluerit, liberam se nouerit habere licentiam: aut si intestata discesserit; ad maritum, aut ad propinquos mariti heredes eadem donatio redeat. Nec erit vltra licitum puellæ parentibus, seu etiam puellæ, vel mulieri, ab sponso,*

vel ab sponsi parentibus plus quicquam petere, vel in suo nomine conscribendum optare, nisi quantum nunc legis huius institutio continet. Aut si forte, iuxta quod & legibus Romanis recolimus fuisse decretum, tantum puella, vel mulier de suis rebus sponso dare elegerit, quantum sibi ipsa dari poposcerit. Quod si forsitan praeuentus sponsus scripturæ alicuius, vel sacramenti vinculo, nuptiarum tempore alligetur, amplius se sponsæ daturum, quàm quod hac lege constat esse permissum; id postea ipse conuellere, & in iuris sui potestatem reducere, libero potietur arbitrio. Si autem iuramenti reuerentia pauidus, aut, vt assolet, negligentia deditus, quod amplius sponsa dederat, renocare, aut euacuare noluerit, vel nequiuerit; non oportebit vnius tepiditate, multis ad futurum damna nutriri. Sed dum sponsi parentes, vel propinqui tale factum agnouerint; vniuersa, quæ plus, quàm supra taxatum est, sponso conlata sunt, suo iuri, absque cuiusquam præiudicio, perenniter vindicabunt. Certè si iam vir vxorem habens, transacto scilicet anno, pro dilectione, vel merito coniugalis obsequii, & aliquid donare elegerit; licentiam incunctanter habebit. Nam non aliter infra anni circulum maritus in vxorem, seu mulier in maritum, excepta dote, vt prædictum est, aliam donationem conscribere poterint; nisi grauati infirmitate, periculum sibi mortis imminere perspexerint. De ceteris verò, qui nubendi voluntatem habuerint; salubri etiam proposito prouidendum, decernendumque curauimus: vt qui in rebus omnibus decem millium solidorum dominus esse dinoscitur, ad mille solidos rerum vniuersarum comprobatione habita, in nomine sponsæ suæ, dotem conscribat. Cui autem mille solidorum facultas est; de centum solidis tali de ratione dotem facturus est. Et sic ista constitutio dotalis tituli, ab vltima vsque ad summam omni controuersia sopita perueniat. Data, & confirmata hac lex pridie Idus Ianuarii, Anno felici tertio Regni nostri. In Dei nomine. Toleto.

Sed his omissis iam modò æquum erit, vt veterem nostræ gentis in liberanda patria laudem prope Quingentesimo anno referamus.

DE ANNO, QVO CÆSARAVGVSTA VRBS E MAVRIS EREPTA FVIT, DEQVE HVIVSCE ALFONSI REGIS, eius liberatoris, interitu.

CVMQVE tantæ molitionis tempus apud nos certum, atq; exploratum esse deberet, mirandum est etiã, quàm multiplex, ac varia confusio, tum ex veterum historicorũ scriptis, tum ex Archetypis quoq; Priuilegiis oriatur ea de re. vt meritò quidẽ quemadmodum & Surita noster suis in Annalibus, sic nos ipsi modò de ea conqueramur. Quidã enim An. MCXV. Cæsaraugustam captã perhibent. Alii An. MCXVII. Verior tamen eorum sententia eidem Suritæ visa est, qui Ann. MCXIIX. eam obtentam tradunt. Nos autem, vt huiusce rei hoc loco certam aliquam rationem adhiberemus, ex Cæsaraugustani Senatus decreto (haud enim aliter fieri licebat) obtinuimus, vt in publico Vrbis Tabulario, siue, quod vulgò vocant, *Archiuio*, huius facti veritatem inquireremus. Itaq; die XIII. Apr. Ann. MDXXC. vna cum D D. Vincentio Augustino, Andrea Aninionio, ac Iacobo Morlanio, primariis ipsius Vrbis Iuratis, adstantibus Doctore Ioanne Sora Regente Cãcellariã, Michaele Almazano, Ciuib. Cæsaraugustanis, & Michaele, & Martino, Spannol, Secretariis, in eodem Tabulario inueni, vidi, ac legi Archetypum Priuilegium, literis Gothicis mẽbrana exaratum, eidem Vrbi ab hoc Rege Alfonso, statim cùm eam adeptus fuit, irrogatũ: quod primum est eorum, quæ à nostro Molino in suo Repertorio sub verbo, *Priuilegium*, apponuntur. Cuius exemplum, quod inde sumpsi, hoc loco duxi inserendum. In eo enim planè, & dilucidè notatum est, quo anno capta fuit Cæsaraugusta.



IN *Dei nomine, & eius Diuina clementia, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ego Aldefonsus Dei gratia* Rex, *facio hanc Cartam Donationis vobis totos populatores de Zaragoza, qui ibi estis, vel in antea ibi veneritis populare. Dono vobis fueros bonos; quales vos mihi demandastis, quomodo habent illos bonos Infançones de Aragone; quòd benè populetis, & finchetis ibi. Et habent fueros* I*nfançones de Aragone, qui non tenent Honore de Seniore: quod vadat ad lite campale, & a sitio de Castellum cũ pane de tres dies. Et nullus Infancione, qui ibi non quesierit ire; non habet super illum nullam caloniam, nisi quòd vetet* Rex *de terra suos mercatos, quòd non ibi comparet, nec vendat; & suos Alcales, quòd non illum iudicet. Et illos Infançones qui habuerunt, & tenuerunt Honore de Seniore, si fuerit reptato; non faciat directum, nisi in illa Honore stando. Istos fueros dono, & confirmo vobis, quod habeatis, & possideatis saluos, & liberos, vos, & filios vestros, & omnis generatio vestra per secula cuncta: Salua mea fidelitate, & de omni mea posteritate per secula seculorum. Amen.*

SVNT

SVNT *Testes visores, & auditores de hoc Donatiuum suprascriptum, Vicecomite Gaston; & Comite de Vigorra; & Comite de Comenge: & Vicecomite de Gabarret: & Episcopo de Lascarre: & Aug. de Miramon; & Arnal de Labedan: & Didacho Lopez: & Latron: & Exemeno Fortungones de Lefet; & Exemeno Fortungon de Punicastro, & Petro Momez; & Almuiabut, & Lop Xemenones de Turrilgas; & Lop Sanz de Ogabre, & Chaxal; & Lop Lopiz de Calafora; & Lop Garcez de Estella, & S. Azennar Azenarze; & S. Enneco, Calme, & Lop Garcez Pelegrino; & Petro Xemenez Iustitia, & Galin Sanz de Belgit, & Sago Frtugon Zalmedina, & Castange; & Pere Petit, & Frtugo Lopiz de Ayerbe: & Sancio Ioannes de Osca: & Ato Garcez de Petrafelice: & Ferriz de sancta Eulalia, & Ioanne Galez de Andilgon: & Lop Fortungones de Albero: & Exemeno Garcez de Rotellare, S. Exemenon: Garcez Lobielgo; & Tizon, & Frtungo Ioannes, & Comite Bernardo Ramon, & Belenguer Gombal; & Pere Gazbert; & Pere Miro Dentença; & Ramon Pere de Herille, & Ramon Amat. Et nullos homo, qui istos fueros suprascriptos vos voluerit disrumpere, dirruite illum, vel tota sua causa intus in Zaragoça, vel foras, vbicumque inueneritis, & insuper peytet mihi mille morabedinos.*

Signum Regis *Adefonsi.*

FACTA *Carta Donationis de istos Fueros suprascriptos sub Era* MCLIII. *in illa Açuda Ciuitatis Zaragoça, in mense Ianuario, in ipso anno, quando fuit capta prædicta Ciuitas Zaragoça, Regnante me Dei gratia Rex in Aragone, & in Suprarb. siue in Ripacurtia, & in Pampilona, vel in Castella. Episcopus Petrus electus in Zaragoça. Episcopus Stephanus in Osca. Episcopus Raimun dus in Rota.*

Ego Sanctius de Bue subiussione Domini mei Regis hanc Cartam scripsi, & de mea manu signum fecit.

S. ✠ RAIMVNDI COMES.

Sign. Regis Ildefonsi, filius Barcinonensium Comitis, & laudo, & confirmo hoc suprascriptum.

At verò hæc duo Raimundi Comitis, ac Ildefonsi filii signa in Archetypo statim post signum Adefonsi Regis continentur; ante id quod legitur, *Facta Carta Donationis* & cetera: quasi hi tres Reges huiusmodi Priuilegii concessioni simul affuissent. Quod nequaquam fieri potuit. Vetus autem apud nostros priscos Reges consuetudo fuit, vt cùm aliquod Priuilegium ab alio Rege antecessore concessum confirmabant; minimè istius confirmationis nouum Priuilegium, siue scripturam conficerent: sed in ipsomet antiquo, quod laudabant, suarum Signa Confirmationum apponerent: aliquando post signum concedentis, vt ibi; aliquando post signum scriptoris, quod frequentius fieri solebat. Id verò minimè intelligentes nonnulli, forsan annuerent, hos tres Reges simul eo tempore affuisse. Ac ne similis error quempiam offenderet: nos hic consulto in extremo, post scriptoris signum, Comitis, & filii signa apposuimus: quæ etiã diuersis temporibus, ab eisdem ibidem adhibita fuisse, intelligendum est. Hæc enim cõfirmandorum Priuilegiorum formula antiquitus maioribus nostris sufficere videbatur. Ex hoc igitur Priuilegio clarè liquet, Cæsaraugustam Vrbem Ann. ∞CXV. qui Aeræ 1115.
MCLIII. in eo appositæ æquè conuenit, ab hoc Rege Alfonso vendicatam fuisse. Illud autem hoc loco est obseruandum, eo tempore, annorum seriem, non à Natali die Christi, quemadmodum postea lege cautum fuit, sed ab Incarnatione apud nos peti consueuisse. Quo pacto illa Alfonsi verba, dum, *in mense Ianuario*, dixit, *quo anno Vrbs capta fuit*, sunt accipienda. Anni enim ab Incarnatione initium in mense Martio sumi debere, perspicuum est: proptereaque Decembris mensem, in quo vrbs capta fuit, ac Ianuarium sequentem, quo dictum Priuilegium Alfonsus irrogauit, in eundem prorsus Incarnationis annum incidisse. Ipsius autem Priuilegii fidem aliud quoque graue testimonium confirmat, scilicet Petri Regis III. qui Ann. MCCXXCIII. in Comitiis Cæsaraugustæ

habitis, in quibus Generale, quod vocamus, Priuilegium concessum est, dum Cæsaraugustę Priuilegia à maioribus irrogata, rata haberi voluit, eadem recensendo, istius meminit, illiusque concessionē sub eadem Aeræ MCLIII. annotatione supposuit. Vix autem Centum, & septuaginta anni interfuêre ab hoc Rege Alfonso ad dictum Petrum III. quem credendum non est in ipsius Priuilegii concessionis recitatione aberrasse, cùm vtriusque ipsorum Regum tempora quodammodò fuerint propinqua. Itaque quāuis in aliis Priuilegiis contineatur, Cæsaraugustam Vrbem, alio fortasse tempore fuisse captam; sanè quidem huic à nobis paulò ante inserto standum est, quòd eidem Vrbi ab eodem Rege, qui eam expugnauit, concessum fuerit, ab eoque tempore huc vsque maxima cura, ac diligētia in publico illius Tabulario seruatum. Quam nos computationem in Fastis sequuti sumus, dum Petrum Eximini, primum Iustitiam Aragonum, post Mauros Cæsaraugustâ pulsos sub dicto Ann. Chr. MCXV. annotauimus. Priorem enim illius mentionem in eodem ipso Priuilegio inuenimus, inter alios Testes Confirmatores ibidem appositos. Atque hæc de anno, quo Cæsaraugusta Vrbs Maurorum iugum euasit. De die vero, certi nihil habeo, quod possim afferre. Surita, & alii, quarta feria, id est, Mercurii die, decimo octauo Decembris, eam fuisse captam tradunt. Sic tamen existimo; eo decimooctauo die Decembris, vrbem fuisse in deditionem redactam: mense autem Ianuario sequenti, Alfonsum Regem, eam primùm introiisse; idque quemadmodum hactenus receptum est, Sacro Epiphaniæ Festo, à quo fortasse liberationis diem numerandum duxerunt. At verò fas erit intexere hoc loco, quæ nuper annotata inueni in vetusta membranula, in Tabulario Cæsaraugustani Archiepiscopi recondita, Gothicis antiquis literis, puluere, ac vetustate corrosis, exarata; sed quæ tamen legi potuerunt: vt aliis, quæ tot exstant, illustre hoc etiam accedat veteris sanctitatis, Augustissimæ, & Religiosissimę Ecclesiæ, Beatissimæ Virginis Mariæ quam *de Pilari* vocamus, testimonium. Cuius Fani tanta fuit, ac nunc est etiam religio, vt cum illuc eamus, non ad Ædem Virginis, sed ad ipsam Virginem videamur proficisci. Ad illud igitur instaurandum, quòd esset ruinosum, his verbis idem, quem nominauimus, Petrus Librana Episcopus vniuersos Christiani Orbis fideles excitabat.

VNIVERSIS *mundi Ecclesiæ fidelibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Presbyteris, omnibusque Catholicæ Fidei cultoribus, Petrus, licet indignus, Cæsaraugustanus Episcopus Salutem, & obedientiam. Diuina fauente clementia, vestrisque precibus, & fortium virorum audacia, Cæsaraugustanam Vrbem Christianis manibus subiugari, ac Beatæ, & Gloriosæ Virginis MARIÆ Ecclesiam (quæ diu proh dolor subiacuit perfidorum Sarracenorum ditioni) liberari satis audiuistis. Quam BEATO, ET ANTIQVO NOMINE SANCTITATIS, AC DIGNITATIS pollere nouistis. Adhuc tamen prioris captiuitatis mœrore confectam, omnibus pœne necessariis egere sapiatis: tum quia non habent, vnde diruti Ecclesiæ præfatæ parietes, & ornamenta restitui valeant: tum quia Clerici ibidem Diuino famulatui die, nocteque vacantes, vnde viuant, non obtinent. Vestram itaque deprecamur clementiam, quòd si corporali præsentia illam visitare nequitis; saltim eleemosynarum vestrarum oblatione clementer visitetis, illud Psalmographi recolentes: Bs, qui intelligit s.e. & p.i.d.e.m.l.e.d.* Id est, *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die enim mala liberabit eum Dominus.* Prima enim tantummodò sunt singularum vocum elementa notata. *Illis verò, qui præfatæ Ecclesiæ necessariorum solatio destitutæ, ac qui suæ paupertatis gemitibus condoluerint, & vnum denarium, vel quid valeant, ad eius restaurationem miserint; Nos eis, Diuina clementia, ac Domini Gelasii Papæ auctoritate freti (exemplar literarum cuius, quas in nostra Ecclesia signatas habemus, in subscripta pagina scriptum inuenietis) atque Domini* Bernardi *Archipræsulis Toletani, & Sanctæ* Romanæ *Ecclesiæ legati; ac omnium Episcoporum Hispaniæ ∴∴∴∴∴ pœnitentiæ remittimus. Alii equidem iuxta beneficiorum suorum quantitatem, & operum suorum meritum, delictorum suorum consequantur remissionem. Qui hunc nostrum Archidiaconum, nomine Miorrandum, & socios suos, præsentium literarum latores, benignē susceperint, vel eis consuluerint; à Domino vitam consequantur æternam. Valete.*

GEL. *Episcopus seruus seruorum* Dei. *Exercitui Christianorum Ciuitatem Cæsaraugustanam obsidenti, & omnibus* Catholicæ *Fidei cultoribus* Salutem, *&* Apostolicam *benedictionem. Literas deuotionis vestræ inspeximus, & petitioni, quam pro Cæsaraugustano Electo ad Sedem Apostolicam duxistis, fauorem libenter accommodauimus. Eundē ergo Electum, nostris, tāquam beati Petri, manibus largiente Domino consecratum, remittentes ad vos, Benedictionem vobis Apostolica*

licæ visitationis impendimus; æquam Omnipotentis Dei misericordiam implorantes; vt per Sanctorum preces, & merita, opus suũ, ad honorem suum, & Ecclesiæ suæ dilatationem, vos faciat operari. Et quoniam & vos ipsos, & vestra extremis obiicere periculis decreuistis; si quis vestrum, accepta de peccatis suis pœnitentia, in expeditione hac mortuus fuerit: Nos eum sanctorum meritis, & totius Catholicæ Ecclesiæ precibus, à suorum vinculis peccatorum absoluimus. Ceterum qui pro eodem Domini seruitio, vel laborant, vel laborauerint, & qui præfatæ Vrbis Ecclesiæ, à Sarracenis, & Moabitis dirutæ, vnde reficiatur, & Clericis ibi Deo famulantibus, vnde pascantur, aliquid donant, vel donauerint: secundum laborum suorum, & beneficiorum suorum, Ecclesiæ impensorum, quantitatem, & Episcoporum arbitrium, in quorum parrochiis degunt; pœnitentiarum suarum remissionem, & indulgentiam consequantur. Data Alesti IIII. Idus Decembris.

Ego Bernardus, Toletanæ Sedis Archipræsul, hanc absolutionem facio, & confirmo. Ego Subosc(h)itanus Episcopus hanc absolutionem facio, & confirmo. Ego Sanctius, Calegorritanus Episcopus, hanc absolutionem facio, & confirmo. Ego Guito, Lascurrensis Episcopus, hanc absolutionem facio, & confirmo. Ego Boso, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, hanc absolutionem facio, & confirmo.

VT ad institutum igitur sermonem redeamus: Alfonsus Rex, tantæ Vrbis ditione adquisita, illustrius, præter cæteros omnes Reges, Aragonum Regnũ, ac nomen effecit. Sacro enim hoc bello tam gloriosè confecto, vt idem Surita rectè in Indicibus prodit, & finitimorum Maurorum Regum, & longinquorũ etiam animi submissi fuêre: quos idem Alfonsus Rex quamdiu vixit, continuò lacessiuit. Nequaquam autẽ his tantùm implicatus prœliis, vitam traduxit: sed vxoriis etiã, ac quandoq; externis. Nam præter varios bellorum tumultus, quos, dum Vrracæ vxoris incontinentiã reprimere studuit, in Castella, ac Legione magna cum laude composuit: ad Baionam Vrbem expugnandam, q̃ ab illius imperio, vt suspicor, defecisset, trans Pyrenæos montes magno comparato exercitu processit. In cuius Vrbis obsidione, An. Chr. ∞CXXX. testamentum ab eo conditum perhibent: in eoq; quia prole carebat, Ranimirus autem frater sacris initiatus, Monasticæ vitæ institutis erat astrictus; Militaribus Ordinibus Sepulchri, Hospitalis, ac Templi, qui illis sæculis erant illustres, hereditario iure omnia sua Regna donasse. Vnde nostris magnę, ac ingentes rerum turbationes excitatæ sunt. Alfonsus autem Rex à Baionæ obsidione inanis rediens, impios hostes perpetuò afflixit. Tandem qui per quadraginta annos assidua bella gerens, vnde tricies, collatis signis, cum hostibus dimicarat, ac propterea Pugnacis, & Bellatoris Principis Cognomentum adsciuerat; derisorio quodam certamine, ad Fragam, antiquam Gallicam Flauiam, siue vt alii tradunt, ad Sarinienæ muros dimicans, occubuit A. D. VII. Id Sep. Ann. Chr. ∞CXXXIII. licet alii Ann. Chr. ∞CXXXIV. eum obiisse ferant: quorum sententiæ libentius assentior. Nuper enim in extremo Priuilegio Alfonsi Regis, istius priuigni, quod in Tabulario Cæsaraugustanæ Ecclesiæ asseruatur, notatum inueni. *Facta carta Ær.* MCLXXII. *quo anno mortuus est Aldefonsus Rex Aragonum.* Ex autem Aera posteriori anno conuenit, non autem priori. Inde nostris Tertium Interregnum patuit, non tam diuturnum illud, quàm turbulentum, & insedatum. Ipso enim Alfonso Rege deficiente, cùm testamento heredes, Regnorum dominatum adire niterentur; eis resistere oportuit, ac Ranimirum Alfonsi fratrem, quamuis Monachum, è religione abstrahere, & ad Regna capescenda commouere. Nostri enim Regnorum iuri minimè in quoquam à Rege Alfonso præiudicium aliquod inferri potuisse affirmabant. Atque hinc euenit, quod Excellentiss. Archiepiscopus Ferdinandus scitè, quemadmodum alia omnia, asserebat: nimirum, vt cùm istius Alfonsi Regis corpus nusquam neque viuum, neque mortuum inueniretur; variæ de eo fingerentur fabulæ. Consultò autem à nostris illius cadauer celatum fuisse, vt donec de eo constaret, testamento viribus carente, ex ista maiori temporis productione, nostri ad Regni statum firmandum & componendum, meliorem ducerent opportunitatem. Atque hæc de Alfonsi Regis interitu. Iustitiæ autem Aragonum, qui eius tempore inueniuntur, ii sunt, quos primos in nostris Fastis annotauimus. Petrus Eximini: Sanctius Fortunionis: Sanctius Galindi: Lupus Sanz: & Fortunius Azenarii. De quibus alias pluribus. Nunc enim nuda eorum nomina hic apponenda duximus, vt memoriam tantùm recolamus: licet de eis, ac ceteris omnibus posteà agendum sit; atque eadem hæc ipsa repetenda.

1130. 1133. 1134.

DE MIRANDO BEATÆ MARIÆ DEL PORTILLO AD CÆSARAVGVSTAM VRBEM Miraculo.

QVANDOQVIDEM autem his temporibus, tametsi certam illorum rationem ignoramus, ingens Cæsaraugustanensi Vrbi à cælo collatum beneficium proditur, quod

non modò communi omnium traditione, verùm etiam variis templorum ſtructuris, ac religioſiſſimo Delubro, tantæ rei conſecrato, certiſſimum ſemper apud nos habitum fuit: res digna viſa eſt, vt illius hoc loco aliquam mentionē faceremus: ne tantæ gratiæ, ac Diuini fauoris recordatio, aut deleatur obliuione, aut vlla vnquã ſenectute langueſcat. Ea ſiquidem miranda res eſt, quã ad Beatiſſimæ Virginis Mariæ, *del Portillo* propterea vocatæ, Sanctiſſimæ nunc Eccleſiæ locum noſtris contigiſſe proditur. Ipſius verò narrationem Adriani Pont. Max. verbis perſequar: vt illius Sanctiſſimi Paſtoris ſermone conſcripta legatur, ne mei miſerrimi homunculi inopi, ac ſonti lingua tabefiat. Adrian⁹ itaq; in quibuſdam literis Indulgentiarũ eidem Eccleſiæ conceſſis, de hoc celebri miraculo verba faciens, ita ſubdit. *Olim* (inquit) *cùm Chriſtifideles Ciuitatē Cæſarauguſtanã contra Mauros infideles Catholicæ Fidei hoſtes, qui tunc dictã Ciuitatē occupabant, expugnarent: quadam Imago eiuſdem Beatæ Mariæ miraculoſè in Eccleſia ipſius Beatæ Mariæ del Portillo Cæſarauguſtanēſibus eiſdem Chriſtifidelibus, dum bellũ aduerſus eoſdē infideles gererent, apparuit. Cuius viſionis fauore, & auxilio, præfati fideles victoriam aduerſus eoſdē infideles conſequuti fuerunt. Et extunc omnipotens Deus, meritis, & intercesſione eiuſdē Virginis Mariæ, crebra miracula in eadē Eccleſia operari indies dignat⁹ eſt.* Scio aliter rē hanc in eiuſdē Eccleſiæ Tabulis contineri: ſcilicet, Mauris Cæſarauguſtam Vrbē, quã noſtri iam obtinuerant, noctu clã inuadere contendentibus, quadamq; muri parte ab eis conquaſſata, & diruta: Sanctiſſimã Dei Genitricem Mariam, cæleſti Angelorũ agmine coacerbato, ipſis infidelibus reſtitiſſe, ac ne Vrbis ſibi chariſſimæ potirentur, illius ſe præbuiſſe propugnatricem, ac murum. Propterea noſtros mœnium reparandorum negligentiores redditos; firmam, ac ſaluam Vrbem ipſam ſtatuentes, quæ eiuſdem Virginis patrocinio muniretur. in ipſius verò muri diruptionis loco, quo cæleſte ſignum apparuerat, ſacrum ibi templum conſtruxiſſe, tantæ rei conſecratum; quod, nomine inde ſumpto, ſub Beatæ Mariæ *del Portillo* memoria, celebre noſtra hac ætate inuiſitur. Alia etiam ſacra delubra in eorundē mœnium continuatione ædificaſſe, eidem Sanctiſſimæ Virgini dicata: nempe vt, tota Vrbe ipſius templis circumdata, & quaſi circumſcripta, celebre tantæ rei, ac perpetuum ſignum exſtaret. Siue autē iuxta Adriani narrationem, ſiue iuxta ipſius Eccleſiæ Tabulas, res ipſa contigerit: quoquomodo ea ſe res habuerit, Vrbē ipſam, Virginis patrocinio liberatam fuiſſe, certum eſt. Nos propterea præ ceteris omnibus eidem obſequentiſſimos, deuotiſſimoſque eſſe oporteret: cùm non ſolùm in ipſa naſcentis Eccleſiæ, Catholicæ Fidei propagatione, Cæſarauguſtam ipſam fœcundiori ſobole ornatam, primo ex toto Orbe terrarum Templo, ſub eius Sacratiſſimo Beatæ Mariæ *de Pilari* nomine, in ea ædificato, locupletare dignata fuerit: ſed & in ea, quamuis Arabibus ſubacta, veræ Fidei ſemine retento, Muzarabes Chriſtianos, piumque ſemper cultum conſeruandum curarit; nunc verò ſemetipſum ad infidelium impetus, quaſi murum quendam, ac propugnaculum oppoſuerit. Inde verò, ni fallor, priſca hæc ipſius Cæſarauguſtæ Vrbis inſignia, ſumpta fuēre: quæ appoſita inueni in vetuſto quodam ſigillo cereo impendenti: quod in antiquis quibuſdam literis in Tabulario Eccleſiæ Beatæ Mariẹ *de Pilari* reconditis annotaui. In quibus expreſſe continebatur, hoc eſſe Sigillum maius Ciuitatis Cęſarauguſtæ. Sed de his ſatis. Nunc de tertio Interregno.

TERTIVM INTERREGNVM.

ITAQ. vt eo vnde digreſſa eſt, noſtra reuertatur oratio, poſt Alfonſi Regis, ad Fragã interitum, Tertium noſtris Interregnum datum eſt. Eo enim ſine prole decedente, variæ ſuper Regnorum ſucceſſione obeunda ortæ ſunt diſceptationes. Militares enim Ordines, quibus Alfonſus ipſe noſter Rex teſtamento Regna legârat, ea ſibi propterea hereditario iure obueniſſe dicebant. Caſtellæ autem Rex, noſtri Alfonſi priuignus, qui Alfonſus etiam, ac imperator vocabatur, Regna ſibi auita ſucceſſione pertinere affirmabat. Noſtri verò, ac Nauarrenſes, qui ſimul de cooptando Rege conſilia inibant; ſibi id munus conuenire aſſerebant; quod neque Alfonſi teſtamento, neque alio quouis modo potuiſſe tolli affirmabant; nec in quoquam ſibi abrogari. Propterea neque Caſtellani Regis, nec Militarium Ordinum imperio parendum decreuerunt. Immo ad eligendum ſibi Regem properantes, ad antiquam Belſinum, Burgiam nunc Vrbē, Comitia indixerē. Eo autem tempore Burgiæ dominabatur quidam primarius vir, Petrus Atareſius, qui ceteris omnibus Regnorũ faſtigio dignior habebatur: tum quòd eis longè

eis longè potentia antecelleret, tum etiam quòd esset Regali sanguine ortus. Garsiæ enim Infantis, & Theresiæ Caxalis filius erat: Sanctii Ranimiri Ripacurtiensis Comitis (quandoquidem ita placet nonnullis) nepos; Ranimiri autem Regis pronepos. Ataresii verò cognomentum sumpserat, ab Ataresia ditione, qua etiam fruebatur: ac quam sub Comitatus nomine antiquitus nominatam legimus. Priscis tamen quibusdam monumentis annotatū inueni, ipsum Sanctium Ranimiri, Ripacurtiensem Comitem, prolis expertē obiisse. Siue autem ab eo, siue aliunde fortasse duxerit originē; omnes scriptores consentiunt, Petrum hunc Ataresium Regio esse genere natum. Nostri ergò, ac Nauarrenses in ipsis Burgiensibus Comitiis, omnium suffragiis annuentibus, in hoc tandem conuenere: vt eundem Petrum Ataresium sibi in Regem cooptarent. Cumque propterea ad eum legationis munere duos primarios Viros destinassent, Petrum Tizonium Cadreytam, ac Pelegrinum Castellezuelum, Regale munus, ac nomen, pergratum certè nuncium, oblaturos: quæ communis omnium sententia est, Petrus ipse Ataresius adeo se legatis insolentem præbuit, vt omnes in sui odium concitaret: Regnumq; prius amitteret, quàm obtineret. Nostri etenim meritò tam intempestiua superbia stomachati, quos in eum coniecerant oculos, illico ab eo auertentes; cōsiliis mutatis, Comitia ipsa ad Montionis opidum transtulerunt. Nauarrenses autem à nostris diffidentes, à Burgiæ opido ad Pompelonem Vrbem properarunt. Ibi Comitiis habitis, licet varia proposita fuerant consilia, tandem vno omnium ore Garsiam Ranimiri, Montionis dominum, sibi in Regem cooptandum decreuerunt, clam ad eum propterea legatos mittentes. Is autem Garsias, Sanctii Nauarrensis Regis à Raimundo fratre ad Rotam interfecti, nepos erat; Ranimiri scilicet, ipsius Sanctii filii, Cidi autem generi, filius; propterea ab omnibus, Garsias Ranimiri vocabatur. Eum Alfonsus noster Imperator, qui Cæsaraugustam cepit, Montionis opido donârat; ac Mergelinam, Rotronis Perticarum Comitis filiam, & heredem, illi in coniugem dederat. Montione autem aderat, tanquàm Aragonensis Ricus homo, suum in electione Regis facienda suffragium laturus. Atqui dum accepit se à Nauarrensibus Regem euocari; clam Montione egressus, in Nauarram proficiscens, Pompelone Nauarrensis Rex statim salutatus est. Tunc denuo Nauarræ Regnum ab Aragonum ditione seiunctum fuit. Diuturnior verò, quàm ceteræ omnes, hæc exstitit huiusmodi Regnorum seiunctio. Nostri, ea re comperta, imminentia timētes pericula accelerandum rati, ne externo dominatui parerent; Ranimiro Alfonsi fratri, licet Monacho, Sacerdoti, ac Episcopo, Regnum ipsum, omnium suffragiis, detulerunt. At verò Iaccetanos ex omnibus primos in hanc sententiam, voluntatum inclinatione, propendisse, idem ipse Ranimirus Rex, auctor est. Tam festinanter verò ea res confecta proditur, vt vnico tantùm mense Interregnum hoc absolutum fuerit. Mense enim Octobris eiusdem anni, quo Alfonsus frater obierat; Ranimirum in Regno paterno regnantem, ac Regem, & sacerdotem nuncupatum, in publicis monumentis inueniri, Surita noster in primis testatur. Eo denique in Regem adscito, Castellani Regis, ac Militarium Ordinum iura circa Regni obtentionem caduca, ac inania reddita fuerunt. Atque hic fuit insignis Tertii huiusmodi Interregni exitus, & finis apud nos.

RANIMIRVS II. MONACHVS, ARAGONVM REX X.



TERTIO itaque huiusmodi acto Interregno, Ranimirus II. Regnorum culmen adsciuit. A Rotensi autem Vrbe, in qua Episcopus sedebat, ad Oscā delatus est: vbi Regale sumpsit diadema, ætatis suę annū agēs quinquagesimū. Nec verò in longinquū distulit tempus, Iaccetanis ipsis se gratū præbere: eos enim quamprimū, quòd benè meriti fuissent de se, vt paulò est antedictū, magnis honoribus, ac beneficiis ornandos publica rogatione decreuit. Castellanus autem Rex, Alfonsi mortui priuignus, qui Alfonsus itidem, ac Imperator vocabatur, Aragoniā ditionē ad se auita successione pertinere, Sanctii siquidē Maioris iure, contendens; cùm ea fuisset illū frustrata spes, quam animo conceperat, se à nostris Regem euocatum iri: subita inuasione, Darocam, Calataiubium, Cæsaraugustam, & alia plurima cis Iberum opida mense Decembris proximo occupauit. Ipse enim Ranimirus nedum eadem defendere nequiuit: verùm satis sibi, superque esse statuit, si se tueri, contra tantam potentiam inimici, in Monclusi arce, aliisue montosis locis antiqui Suprarbiensis Regni, ad quod recesserat, valeret. Quamuis autem Castellanus ipse Rex vniuersæ Aragonum ditionis imperium ambierat: tantummodò ea, quæ diximus, opida inuasit; nec trans Iberum pe-

dem posuisse apparet: sed solùm Cæsaraugustæ Vrbis, aliarumque cis Iberum Regionū, sub Cæsaraugustanēsis Regni nomine, aliquibus diebus fuisse potitum. A quo dum Cæsaraugustam obtinebat, hisce nempe temporibus, Priuilegium illud irrogatum est, cuius idem Michaël *del* Molino in suo Repertorio meminit, sub verbo, *Priuilegium*: Incipitque *In Dei nomine. Hæc est Carta de Foros, & Vsaticos*, & quæ sequuntur. Tametsi idem Michael *del* Molino nominum Alfonsi, & Imperatoris similitudine deceptus, ab Alfonso nostro Imperatore concessum autumat. Minimè verò, sed huic eius priuigno tribuendum est. Quem etiam fertur, cùm Legionensis Imperator ab ipsa Legionēsi ditione, quam possidebat, vocaretur; tunc quoque Cæsaraugustæ ipsi Vrbi præclara, quæ nunc gestat, Leonis Insignia statuisse, vt eiusdem Legionensis Imperii signis, atque ornamentis decorata maneret. Propterea coniicimus Leonem illum paruulum appositum fuisse in extrema parte illius Sigilli maioris; de quo paulò ante verba fecimus. vt Cæsaraugustam ipsam Vrbem, cùm primùm ab hoc Legionensi Imperatore cis Leonis Insignibus ornata fuit; non ea sola, sed priscis illis, ac prioribus mista, quæ superiora in eodē Sigillo visuntur, gestare solitā arbitremur. Postea priorib⁹ omissis, recentiora hæc, quibus nunc vtitur, eidē manserunt Leonis solius ornamēta. Ac quibusdā etiā antiquis monumentis obseruaui, eadē hac ipsa tempestate, Cæsaraugustam Vrbē, quasi obsidē, ab ipso Garsia Nauarræ Rege obtentam fuisse, pro eodē Legionensi Imperatore: quē, *petitum*, id est, paruulū nominatū inuenio; non q̃ paruæ ditionis dominaretur, vt volunt nonnulli, sed, vt mihi magis placet, quòd corpore esset pusillus. In tam aduersum, iniquumq; casum his, de quibus agimus, temporibus Aragonii nominis maiestas deuenit: vt Castellano Regi licitum esset, nedum Cæsaraugustæ Vrbis quietè potiri, sed eandem & Priuilegiis, & Armorum quoq; Insignibus honestare. Quin & in deteriorem etiam fortunam Regnum nostrum deuenisse perhibent, cùm, vt ferunt, Ranimirus ipse coactus fuerit Castellani eiusdem Regis imperio parere. Nostri maiora adhuc publicis rebus detrimenta ventura pertimescentes, si Ranimirus sine prole decederet: quàmprimùm totis viribus ab Anacleto II. Pont. Max. siue, vt alii tradunt, Innocentio II. obtinere curarunt, vt Ranimirus ipse Rex, votis solutus, ad nuptias properare posset. Fuerat enim, viuente patre, penè infans, Diui Benedicti instituto in Tomariensi cœnobio addictus. Sacris posteà Ordinibus initiatus, ex Sahagunensi illustri Abbatia, qua eum Alfonsus frater donarat, Burgensi primùm, deinde Pompelonensi, ac Rotensi, seu Balbastrensi tandem Episcopalibus Ecclesiis præpositus. Denique Apostolicæ Sedis gratia obtenta, Ranimirus, Aquitaniæ Ducis, Pictonumq; Comitis, siue sororem, siue, vt alii perhibent, filiam Agnetem: quam alii Mathildem, alii Vrracam nominant: in coniugem
1135. accepit Ann. Chr. ∞cxxxv. Ex qua, vnica filia, quam genuit, Petronilla, dum posteà fuit Barcinonensi Comiti Raimundo desponsa, fecunda ab ipsis propagata sobole, Aragonum Regnum ab imminentibus, quæ timebantur, externi imperii obeundi periculis liberauit; & Cataloniæ Principatu Aragonum ditioni subiuncto, posteris Regibus, ad maritimas oras, longinquaq; Regna appetenda vberrimum aditum patefecit. Sed hæc aliàs pluribus. Iam verò Ranimiro ipsi in sui Regni initiis varia rerum euenta contigisse feruntur. Priuatis enim quibusdam monumentis, antiquis tamen, restatum comperio, eo, ac dicto Garsia Nauarrensium Rege conuenientibus, q̃ Ranimirus se Nauarrensi Regno exactum grauiter conquereretur, eam tandē pactionem initam fuisse inter eos, vt in Nauarrensi ditione Ranimirus plebi; Garsias verò vniuerso militari Ordini præesset. Atque hinc fortasse Nauarrensis Rex, nostri Ranimiri *Vasallus* appellari, cœpit. Iam certum est, Garsiam ipsum aliquandiu illud suum Pompelonense Regnum, sub istius nostri Ranimiri Regis imperio, atque vt in priscis ipsis monumentis legitur, *manu*, tenuisse. Ex quibus hoc tantùm adducam Archetypum Priuilegium, è Xixenensi Tabulario depromptum.

S V B *Christi nomine, & eius diuina clementia, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ego quidem Ranimirus, Dei gratia Rex, facio hanc cartam Donationis vobis Don Pere Ramon de Stata. Placuit mihi libenti animo, optimo cordis affectu, & spontanea voluntate, & propter seruitia, quod fecistis totum tempus ad fratrum meorum, Rex Dopnus Petrus, & Rex Ildefonsus, quibus sint requies, & modo facitis ad me, vel in antea feceritis. Dono, & concedo vobis Castrum, & Villa, qua dicitur Set Castella, totum ab integrū cum suis terminibus, & directaticis, eremis, & populatis, & montibus, & aquis, & palustris, & cum omni*

omni censu, quod mihi pertinet ibi, vel pertinere debet ad meam Regalem personam, & vocem. Et vt habeatis, & possideatis hoc totum meum donatiuum suprascriptum, quod habeatis, & possideatis ingenuum, & liberum, & francum, & quietum & securum, vos & filii vestri, & omnis generatio, vel posteritas vestra per sæcula; salua mea fidelitate, & de omni mea posteritate per sæcula cuncta. Amen. Et hoc suprascriptum Donatiuum dono vobis pro hereditate, & filiis vestris, & omnis generatio vestra, per facere inde totam vestram voluntatem; quomodo de vestra propria hereditate, cum toto suo termino, sicut vmquam melius habuit supradicto Castro Set Castella.

Signum Regis  *Ranimiri.*

FACTA *verò hanc Cartam Donationis Æra* T CLXXIII. *primo die Februarii, in Monte Aragone. Regnante me Dei gratia in Aragone, & in Suprarbi, siue in Ripacurtia. Garzia Ranimiriz sub mea manu Rex in Pampilona. Episcopo Don Dodo in Osca, & in Iacca. Episcopo Garcia, in Cæsaraugusta. Episcopo Michael, in Tarazona. Comes Arnal Miro Palgarensis, in Boil, & in Fontetoua. Fregon Galindez, in Osca, & in Alquezare; Fregondat, in Balbastro, & in Petra Selez. Fregon Galindez, in Gilasanz. Enneco Lopez, in Napal, & in Castro iam prædicto. Pere Ramon, in Stata. Almazon, in Montecluso. Michael de Rada, in Petra rubea, & in Tronzeto. Per Goz pet, in Sancto Stephano de illo malo. Pere Mur, in Banaurre.*

EGO *Raimundus scriptor, sub iussione Domini mei Regis hanc Cartam scripsi: & de manu mea hoc feci.* *SIGNVM*

Nunc enim ea T numeri nota millesimum numerum significat: provt iam supra in aliis quàmplurimis perspici potuit. Fit autem inde, vt Aera millesima centesima tertia ibi apposita, dicto Anno ∞CXXXV. conueniat, quo Ranimirum nostrum Regem, duxisse vxorem, retulimus. Verùm minimè his pactis Reges diu stetisse apparet; sed in maiori quàm antea dissidio mansisse. Garsiæ verò secundissimè euenerunt res. In hac enim tanta turbatione, Nauarrense, seu Pompelonense Regnum ab Aragonensi disiungere, & illud nedum, quamdiu vixit, integrum retinere valuit, sed posteris firmum, ac stabile constituere. Ea fuit egregia illius animi virtus, ac fortitudo. Nostri verò Ranimiri tanta in gerendis rebus inertia, atque ignauia, vt omnibus esset ludibrio, ac contẽptui; Regnumque à proceribus miserè labefactari pateretur. Sed tamen illum posteà in eos grauiter sæuitum memorant, XV. primariis viris ad Oscam Vrbem ab eo morte mactatis: Idque Frocaldi Tomeriensis Abbatis monitu factũ fuisse; peruulgato illo renouato exemplo, quod à Periandro cuidam Thrasybulo propositum tradit Aristoteles. Quo, licet tetro satis, facinore suorum insolentiam compressit. Eum etiam tradunt, Castellanumque Regem Alauonæ, nunc Alagonis, in opidum sacro Diui Bartholomæi die Ann. Chr. ∞XXXVI. conuenisse: ibidemque depactos; vti Petronilla filia, quæ vix annum compleuerat, Alfonsi ipsius Castellæ Regis filio grandiori esset nuptura: Ranimirusque quamdiu viueret, Cæsaraugustanensis Regni potiretur. Quarum nuptiarum, ac pactionis obsidem ipsammet Petronillam à socero Rege acceptã memorant, ab eoque ad Castellæ Regna delatam: vbi eam, Petronillæ nomine mutato, Vrracam appellauêre. At nostros, quibus huiusmodi inita consilia vehementer displicuerant; inde puellam deducere summopere cõtendisse fertur, etiam fingentes eã, malè se extra patriam habere: vt hoc commentitio, & simulato valetudinis infirmæ rumore, ad suos reuocatã, Barcinonensi Comiti in matrimonium, quod magis appetierant, collocarent. Ergo quod institutum fuerat, effectum est. Ob eam enim, tametsi confictam caussam, quòd ægra valetudine premeretur, Ranimirus pater huc illam deducendam curauit: ac Raimundo Berengario, Barcinonensi Comiti, strenuo, ac magnanimo Principi in futuram coniugem dedit, ac Aragonum Regno dotauit. Ea tamen lege, & condicione, vt Ranimiro viuente, sub eius fide, ac imperio, Raimundus Regnum obtineret: Principisque Aragonum semper, Regis verò nomen nequaquàm attingeret, sed illud sibi Petronilla sola filia vendicaret. Quod à Raimundo Comite ad vnguem seruatum memorant. Intereà his nuptiis, ex pacto, & conuentu, ipsius Raimundi, maiorumque Barcinonensium Comitũ Insignia, quatuor

1136.

baculi rubri, aureo in ſcuto poſiti, Aragonenſibus Regiis Inſignibus antelata, poſteris Regibus, Regnoque iam propria manſerunt. Ipſe verò Raimundus, vt hiſtorici noſtri teſtantur, illico ſocerò Regnum deiiciente, illius gubernationem ſuſcepit: ac menſe Octobris Ann. Chr. MXXXVII. a Cæſarauguſtanenſibus Regali pompa exceptus, eam Vrbem ouans introiuit. Sed ego geſta hæc longiùs producerem; ſiquidem in annum ſequentem. Nam ſic in extrema parte Archetypi cuiuſdam Priuilegii. *Facta Carta Æra* MCLXXVI. *pridie Idus Iunii, ipſo anno quando reddita eſt Cæſarauguſta Comiti Barcinonenſi.* Niſi fortaſſe hoc de reſtitutione à Caſtellano Rege facta intelligendum ſit. Eum enim aiunt, Berenguelæ vxoris ſuaſionibus, quæ ſoror Comitis erat, facilè à ſuſcepto deſtitiſſe conſilio, rataque ac grata omnia hæc, quæ inter Ranimirum noſtrum, ac Comitem pacta fuerant, habuiſſe. Sed priuſquàm Raimundus Comes Regni noſtri gubernacula prenderet; à Rege ſocero, Regni Ordinibus contendentibus, præter futurarum nuptiarum fœdera, arctiſſimi Iuriſiurandi Religione, ac nouo quodam fidelitatis ſacramento deuinctus fuit: ¶ Vti Aragonenſibus noſtris priſtinos Foros, ac libertates eſſet inuiolatè perpetuò ſeruaturus. Propè autē Surita noſter in ſuis Indicibus has tantas, & tam ſubitas noſtrarum rerum mutationes, admirandas proponit; quandoquidem eas noſtros infra triennium ferè molitos cernimus. Ranimirus ad ſacrorum Religionem reuocatus, orbus iis rebus, quibus eum, nec voluntas, nec conſuetudo aſſuefecerant, in Sancti Petri veteris Oſcenſi Eccleſia quietam, ac liberam, ſuperſtitem duxit ætatem. An verò vxore mortua, vel dimiſſa, incertum eſt. Plerique mortuam credunt: alii dimiſſam. Sub ea enim lege ſibi à Pont. Max. ducendæ vxoris facultatem conceſſam tradunt, vt cùm primùm prolem haberet, ad priſtinum Religioſæ vitæ inſtitutum rediret. Nec non & eundem ferunt ſubter Regales ſuperiores veſtes ſemper ſecum Monachalem habitum geſtaſſe. Tandem A. D. XVII. Kal. Septembr. Ann. Chr. MCXLVII. mortuus eſt, ac in eadem Eccleſia ſepultus. Eo mortuo, Regia virili ſtirpe deficiente, Aragonum Regnum ad fœminam delatum fuit, ipſam nempe Petronillam filiam, Barcinonenſi Comiti in coniugem datam. Duos autem comperio tantùm, ſub Ranimiro Rege, Iuſtitias Aragonum extitiſſe: Ioannem Pelaium, & Athonem Sanz. De quibus plura alibi. Iam verò Barcinonenſium Comitum originem, & progreſſum his Commentariis perſequi, non tam laborioſum, quam noſtro huic inſtituto inutile, ac infructuoſum viſum eſt: præſertim cùm eorum narrationem abundè ſatis noſter Surita & Latina, & Vulgari lingua complexus fuerit. Proptereà nos conſultò eam omittere decreuimus: ne plus, quàm ſatis ſit, huius voluminis magnitudo creſcat.

PETRONILLA, REGINA ARAGONVM XI. ET RAIM. BERENGARIVS, BARCINONENSIS Comes, eius Vir.

BARCINONENSIS ergò Comes Raimundus Berengarius, Reginæ Petronillæ
futuræ ſponſæ fœdere pacto, ex Ranimiri Regis ſoceri, totiuſque Regni volunta-
te, Aragonum Princeps deſignatus, ipſo etiam ſocero viuente, vt paulò ante dixi, Regni
gubernationem ſuſcepit. In qua ea ſe geſſit fide, prudentia, ac virtute, vt iure optimo
1150. ſit præſtantiſſimorum Principum numero adſcribendus. Ann. Chr. ∞CL. triennio
ferme poſt ſoceri mortem, depactas eas nuptias cum Petronilla vxore, quòd iam
nubilis eſſet, apud Ilerdam Vrbem, quam ipſe bello adquiſierat, celebrauit. Nec
longo quidem interuallo interiecto, Ann. Chr. MCLII. Regina filium peperit: qui, vi-
1152. uente patre, Raimundus vocatus fuit: poſt illius verò interitum Regina ſuperſtes Al-
fonſum illum nominari fecit. Alii etiam filii ex huiuſmodi matrimonio geniti ſunt:
Petrus; ac Sanctius. Filiæ quoque Dulcia, ſiue Alduntia; ac Eleonora: quæ Armen-
goli, ſiue

goli, siue Ermengaudo, Vrgelitano Comiti nupta fuit. Illa verò Sanctio, Portuga-
liæ Regi. Tum & Berengarius, filius illegitimus Principi tribuitur: qui Abbas Montis
Aragonum primùm, Turiasonensis deinde, ac Ilerdensis tandem Episcopus creatus de-
cessit. Sed præter Ilerdam Vrbem, plurima alia insignia opida, strenua Principis virtute,
ad nostram Catholicam Fidem reuocata fuere. Vnius tamen Dertusæ Vrbis mentionem
faciam, quòd iure à me hoc loco intermitti nequaquàm debuisset, cùm ab ea ipsi Comi-
ti, & posteris Regibus, illustris Marchionatus Dertusæ titulus emanarit. Denique Rai-
mundus Comes in Berengarii fratris, Narbonensis Prouinciæ, Braccatæ interdum ap-
pellatæ, Comitis, qui à suis occisus fuerat, necis vltionem ad Vrbem Taurinorum profi-
ciscens, letali morbo afflictatus, obiit in suburbano Sancti Danielis, siue Dalmatii lo-
co, A. D. IIX. Id. Aug. Ann. Chr. MCLXII. Eius corpus in Cataloniam delatum est, ac 1162.
in Riu pulli monasterio maiorum tumulo collocatum. Nondum enim absolutum fue-
rat Populeti monasterium, quod ipse Raimundus Comes ædificare cœperat; celeber-
rimum posteà Regibus nostris monumentum. At Raimundum ipsum, morientem
proditur, suum circa Regnorum successionem, testamentum, ac voluntatem verbo,
multis adstantibus, protulisse: quòd ad eam in scriptis redigendam nequaquàm vita
suppeditasset. Posteà verò generalibus Comitiis à Petronilla Regina Oscæ conuo-
catis, testamentum hoc, licet solis verbis conditum, adhibita adstantium publica,
ac sollemni iurisiurandi religione, ratum, ac sollemne decretum fuit: Alfonsusque fi-
lius natu maior, illius virtute, Reginæque matris annuente consensu, totius ditionis de-
claratus heres: qui deposito Raimundi nomine, Alfonsus, vt diximus, appellatus est.
Tunc etiam ex Comitiorum decreto constitutum; vt intereà dum filius, puer esset; Re-
gina ipsa mater ad gubernacula Regni sederet. Cui rei in omnibus cumulatissimè fe-
cit ipsa satis. Fuit enim magni consilii femina. Et verò vt filius ad duodecimum per-
uenit suæ ætatis annum; statim ex ipsius Reginæ matris consensu, Ann. Chr. MCL- 1163.
XIII. idem ipse filius Alfonsus gubernacula Regnorum suscepit. Ipsa verò Regina
piis tantum intenta rebus deinceps vixit. Obiit autem Anno Chr. MCLXXIII. A. D. 1173.
III. Id. Octobris. Barcinonæ sepulta iacuit. Sub cuius imperio plures Iustitiæ Ara-
gonum Magistratum gesserunt: nempe, idem, quem annotauimus, Atho Sanz: Io-
annes Didaci: Petrus Monius: filius Ioannis Didaci: Petrus Medalla: Galindus Gar-
siæ: Sanctius Garsiæ Sancta Olalla: ac Petrus Ferdinandi Castrus.

ALFONSVS II. CASTVS, ARAGONVM REX XII.

ALFONSVS autem II. Petronillæ Reginæ, & Raimundi Co-
mitis F. Aragonum XII. Rex, maiorum Regna adeptus, ea præ-
ditus fuit animi integritate, ac modestia, vt Casti Principis cogno-
mentũ iure sibi optimo vendicarit. Non quòd à ducenda vxore ab-
horreret. Ann. enim Chr. MCLXXIV. Sanctiam, ipsius Alfonsi Ca- 1174.
stellæ Regis, quem diximus Imperatorem vocitatum, & Richæ Au-
gustæ secundæ illius vxoris, filiam, in coniugem accepit. Sed quòd
ipsius matrimonii ius castum semper, atque integrum seruarit: seq;
summum modestiæ, ac integritatis amatorem professus fuerit. Ex
Sanctia filios habuit; Petrum, Regnorum heredem; Alfonsum; San-
ctium; & Ferdinandum. Filias totidem; Costantiam, Emerico Vngariæ Regi primùm, eo
verò mortuo, Federico Romanorum Imperatori nuptam; Eleonoram etiam; ac Sancti-
am, duorum Tolosatum Comitum vxores; Dulciam quoque quæ in Xixenæ illustri ab
his Regibus constructo Cœnobio sacrum viuendi genus amplexa fuit. Cui sociata Regi-
na Sanctia, post Alfonsi viri interitum, superstitem vitam traduxit. At Alfonsus Rex post
quàm nonnulla opida Aragonum Regno subiũxit; ex quibus insignia fuêre; Fauara; Ma-
ella; & Turolium; cui nouas leges sub Fororum Sepuluedæ nomime, concessit; Obiit
tandem ad Perpiniani opidum VII. Kal. Maii Ann. MCXCVI. Ruscinonensi Comitatu, ac 1196.
Marchionatu Prouinciæ suæ ditioni adiunctis. In Populeti monasterio, quod pater in-
choarat, ipse tamen ad exitum perduxerat, eius corpus terræ redditum fuit. Ipsius autem
Regno, Magistratum Iustitiæ Aragonum gessisse constat; Sanctium Tobiam: Stephanũ
[illegible] (eius enim gentilitium nomen adhuc latet) & Petrum Sessesium. Ab hoc
autem Alfonso Rege diui Valerii caput Cæsaraugustam, cui viuens Pastor præfuerat, de-
latum fuit.

PETRVS II. CATHOLICVS, ARAGONVM REX XIII.

PETRVS II. Alfonsi II. F. statim, patre mortuo, cui heres succes-serat, ad Darocam Vrbē Comitiis indictis, Regale sumpsit dia-dema: præter maiorum consuetudinem, qui numquàm eo insigniri assueuerant, quousq; connubii participes fierent, aut militari deco-rarentur honore. Tunc etiam omnia Honoraria iura, *Honores*, ap-pellata, primariis Viris, quos Ricos homines vocabant, ademit: sed illi protinus restituēda curauit. Grauissimè enim conquesti sunt: q. ex antiquo Iure, ac veteri instituto affirmarent, ea iura inter ipsos, quasi in orbem, versari necessariò debere. Hinc serpere Magistra-tus Iustitiæ Aragonum dignitas cœpit. Rici enim homines huiusce rei nouitate perculsi, à sua antiqua, & suprema potestate plurima detrahi libenter sustu-lerunt; dummodò Honores ii, quibus ad tempus tantum frui licebat, firmi, ac stabiles si-bi, & posteris hereditaria, ac perpetua successione manērent. Labente autem Ricorum hominum dignitate, Iustitiæ Aragonum ius, ac iurisdictio concreuit. Sed de his aliàs plu-rà. Nunc ad Regis historiam redeamus: quem constat ex Folcalquerii Comitis so-brina filium suscepisse, Raimundum Berengarium. Qui infantulus obiit. Matre quoque deinde mortua, cùm idem Rex aliam duxisset vxorē, Mariam Montis Pesulani Comita-tus heredē, ab eaque sub cuiusdam affinitatis specie diuortium posteà facere contendis-set: re in contentionem vocata, Romam eū oportuit proficisci. Vbi mirificè exceptus ab Innocentio III. Pont. Max. in Ecclesia Sancti Pancratii, panis Azimi diademate cohone-status fuit. Illud autem propterea ex pane conficiundum curauisse Regem, in præfati Excellentissimi Archiepiscopi scriptis continetur; quòd cùm Romanos Pontifices intellexisset, pedibus Diademata Regia Regibus ipsis imponere consueuisse, sibi ob reuerentiam panis, non pedibus; sed manibus imponendum esset. Denique ab ipso Pont. Max. coronatus, se, ac Regnum suum Romanæ Ecclesiæ subditiuum fecit: pro-ptereaque illi Pontifex ipse, illustre id Catholici cognomentum impertiuit. Ad huius autem itineris impensas sustinendas antiquum vectigal, Moneticum appellatum, impositum fuisse constat: à quo ii tantùm liberi censebantur, qui militari erant deco-rati cingulo. Nostri antiquas libertates, sanguine partas, tot modis labefactari ægrè ferentes, Vnionis nomen, ac vires excitarunt; vt vna vi, & omnium consensio-ne, vno quasi animo ex omnibus facto, has tantas iniurias faciliùs propulsarent. Quid autem effecerint, non proditur. Sed inde fertur memoranda illa duo Vnionis Priuilegia, quæ paulò post ab Alfonso III. irrogata fuerunt, originem duxisse: vt li-centius Regno similia aggredi deinde fas esset. Sed eis posteà, vt explicabimus, à Rege Petro IIII. abscissis, Magistratui Iustitiæ Aragonum plurimæ cœperunt facul-tates irrogari. Quamuis autem diuortium à Rege petitum, minimè de iure procedere Regina Romæ obtinuerat; verùm haud poterat mariti in se gratiam conciliare. Im-mo cùm discordiæ inter eos excitatæ nequaquam sedarentur, Rexque libidinoso con-cubinatum amori deditus, prorsus ab vxoris lecto abhorreret: quadam nocte, per-hibent, ipsum Regem cum pellice concubiturum, supposita persona, cum Regina vxo-re concubuisse. Regina namque ipsa id adnitente, cuiusdam Gulielmi Alcalæ, siue, vt alii tradunt, Petri Fluuiæ, Regis Cubicularii, industria fuisse effectum, vt in concu-binæ locum, quæ propter famæ pudorem tenebricosum cubiculum fore depopos-cerat; Regina vxor simulata, ad Regis lectum duceretur. Quo pacto cum Regina se illam, quæ non erat, esse simulasset, ipse verò Rex non eam ratus, quæ erat, sed potius concubinam; facilè se cum Regina vxore commiscuit. Sequenti verò die, statim prima luce, Regina fraudis veritatem, scilicet se eam esse, quæ cùm Rege con-cumberet, & non aliam, proferri, ac patefieri curauit; testesque etiam fideles adhiberi: vt si fortasse ex eo concubitu (quasi iam illi animus præsagiret) ipsam grauidam fuisse factam contingeret, de futuræ prolis genere, ac nobilitate dubitari non posset. Atque tunc proditur, Iacobum Regem I. procreatum fuisse. Cuius ea fuit animi virtus, ac magnitudo, vt diuinitus Reip. datum iudicemus. Petrus autem Rex inclinatione ani-mi in vxorē propendens, deinceps se illi præbuit beneuolentiorē. Posteà verò in Castel-lani Regis opem contra Fidei hostes adscitus, memorando illo Vbedēsi prœlio interfu-it: in quo nostri insignem illam victoriam reportarunt. Inde rediens, Montispesulanum

1213. profectus, in Muretinæ arcis obsidione Idib. Sept. Ann. MCCXIII. decessit; ac terti-us decimus numero Aragonum Rex censeri debet. In Xixenæ monasterio sepultus iacet. In præfati autem Excellentiss. Archiepiscopi Ferdinandi scriptis, quorum sæpe mem-

mem-

meminimus, testatum inueni; à ſeſe huiuſce Regis monumentum Ann. ∞DLV. perluſtratum fuiſſe, in eoque ipſius Regis corpus integrum totum, præter naſi extremitatem, inuentum, adeo ingentis, licet æque compactæ magnitudinis, vt inſpicientib⁹ magnam præſeferret decoris maieſtatem. Filiam illegitimam habuit Conſtantiam, quæ Gulielmo Raimundo Moncadæ nupta fuit. Regina verò Romam viuente marito profecta, acerbò de eius morte nuntiò delato, nec diu poſt obiit, filium relinquens, ac Regna Honorii Pontificis Maximi, Romanæque Eccleſiæ fidei, & poteſtati commiſſa. Ad Diui Petri templum in Beatæ Petronillæ ſacello honorificè ſepulta fuit. Quàm autem chara Senatui, Populoque Romano viuens fuiſſet, ſumptuoſi, ac lamentabilis funeris, quo fuit elata, mœror indicauit. Eius obitu Montiſpeſulani Comitatus, Aragoniæ ditioni ſubiunctus eſt. Huius autem Regis tempore Magiſtratui Iuſtitiæ Aragonum præfuêre: idem, quem ante diximus, Petrus Seſſeſius: Seſſeſio autem Petrus Petri Tarazona ſucceſſit: qui tempore etiam Regis Iacobi I. per plures annos eandem geſſit præfecturam. Tarazona autem primus eorum eſt, quorum Ioannes Eximini Cerdanus in ſua epiſtola mentionem fecit.

IACOBVS I. EXPVGNATOR ARAGONVM REX XIIII.

IAM verò vt hæc ſuperioribus connectamus, recte, ni fallor, Aragonum Regum ſeries hactenus deducta eſt: quandoquidem Iacobus I. cuius mirificæ res geſtæ nobis hoc loco attingẽdæ occurrunt, quartus decimus Aragonum Rex, iuxta ipſiuſmet teſtimonium adſcribendus proponitur. Aequè enim à Sanctio Abarca Cæſone ad eum, quatuordecim Reges verè in Aragonia regnaſſe, ex noſtris his ſcriptis perſpici poteſt, vt nouos à Garibaio Reges excitatos nobis iure optimo vendicare poſſimus; eiſque adhibitis, & ab ipſo Abarca Cæſone, non ſtirpis, ſed Aragonũ Regni initia petentes, conſtantẽ, & certam & Regũ, & rerum, ac temporũ rationẽ eruamus. Sed quia de his à nobis ſatis, ſuperque dictum eſt: nunc reliquum erit, vt inſtitutum de Regibus ſermonem proſequamur. Quo abſoluto, ad Magiſtratus Iuſtitiæ Aragonum dignitatem explicandam conuertemur: licet quandoque breuiter inter ipſorum Regum facta, nonnulla, quæ fortaſſe de eo ſeſe offerent annotanda, perſtringemus.

Itaque Rege Petro II. in Muretinæ arcis obſidione interempto, Regnorum ſucceſſio ad hunc vnicũ eius filiũ, Iacobum, peruenit: qui tunc ſeptimũ ætatis ſuæ annum agebat. Carcaſonæ autẽ aderat; quòd Regina matre annuente, Simoni, Montfortenſi Comiti liberali educatione inſtituendus, à Pont. Max. traditus fuiſſet. At verò dum ad noſtros de Regis Petri morte delatum fuit nuntium; magni rerũ motus, ac perturbationes ſuboriri cœperunt, Sanctio Ruſcinonenſi Comite, ac Ferdinando, pueri Regis patruis, illas concitantibus: quippe quia palam Regale munus, ac nomen appetebant. Noſtri illico ad Simonem Comitem de puero Rege poſtulando legatos miſerunt, ſeuera ipſis mandata dantes, vt Comiti non ſolum acre bellum indicerent, ſed eum ad ſingulare etiam certamen prouocarent, niſi legatorum nuntio paruiſſet. Comes ea omnia aſpernatus, Regem puerum legatis tradere renuit, percitus, vt creditur, patruorum conſiliis, qui Regnum à puero abſtrahere totis viribus nitebantur. Noſtris aduerſus Comitem magna proptereà molientibus, tandem Innocentii III. Pont. Max. iuſſu, puer Rex Petro Beneuentano Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ad id nominatim decreto, traditus eſt, ab eoque ſaluus, & incolumis Ilerdam delatus. Ad eam, enim Vrbem quam tunc Aragonii circumſcribebãt fines, generalia totius Regiæ ditionis Comitia, ad ipſum excipiendum conuocata fuerant. In quibus à Cardinali Beneuentano Iacobus puer propoſitus fuit: & ab Aſpargo Tarraconenſi Archiepiſcopo in vlnas ſuſceptus, incredibili omnium lætitia, & alacritate ſalutatus Rex. Ac quô magis, turbulentis illis temporibus, de illius cura, ac defenſione omnes anxios, & ſolicitos eſſe oportebat: nouo, & inuſitato fidelitatis ſigno, iuriſiurandi nempe interpoſito fœdere, omnes ſe vltro, & ſponte deuincientes, promiſerunt fore, pueri Regis vitam, ac commodum pro virili parte defenſuros. vt Iacobus ipſe fuerit primus Rex, cui Aragonenſes fidelitatis iuramentum præſtiterint. Vnde apud nos mos ille manauit huc vſque ſeruatus: vt Regibus regnare incipientibus, fidelitatis iuramentum præſtemus, dummodò Reges ipſi nobis leges, libertates, patriaque inſtituta maiorum ſeruaturos Iureiurando promittant. Ob puerilem autem Regis ætatem noſtros ad id faciendum inductos ferunt: quòd nouis his erga Regiam fidelitatem adhibitis ſignis, turbidos quorundam, & præcipuè patruorum, concitatoſque motus arcêri oporteret. Ipſum itaque Regem puerum

vniuersi Regnorum Ordines institutioni, ac tutelæ Gulielmi Monredonii, in his par-
tibus Templariorum Supremi, quem illa ætas Magistrum appellabat, commenda-
runt. A quo in suam fidem receptus, statim ad Montionis arcem maximo ob id firma-
tam præsidio delatus est. Quosdam etiam Gubernatores constituerunt, intereà dum
ex pueris Rex non excederet, singulis prouinciis præpositos. Ac Aragonii quidem Re-
gni gubernationem præpotens, ac nobilis vir quidam suscepit, Petrus Ahonesius,
Sanctii Ahonesii Cæsaraugustanensis Episcopi frater. Aliarum verò prouinciarum
alii. At verò vniuersorum Regnorum supremæ potestati Sanctius ipse Ruscinonensis
Comes, pueri Regis patruus, præfectus fuit. Dedita autem opera, præcipuaque Car-
dinalis Legati industria factum id proditur, vt huius tantæ dignitatis munere Comes
delinitus, à propositis Regni occupandi consiliis recederet: cùm se videret, si non
Regis, Interregis saltem personam sustinere. Verùm cùm nec multos post dies ipse, ac
Ferdinandus frater, noua molirentur; Regnumque appetentes, seditiosorum hominum
cateruas, quibus vniuersum Regnum redundare cœperat, nonmodò non disperderent,
sed & latentes sustinere curarent, quòd sine seditionibus minimè se assequuturos crede-
rent, quæ expetebant; Regno autem perturbato, faciliùs ea se consequi posse sperarent:
vt tanto malo imminenti consuleretur, nec præualeret improborum iniquitas; primarii
nonnulli, ac potentes viri arctissimam inter se Coitionem, ad Vnionis instar, fecerunt,
publicis, ac sollennibus scripturis cõpactam; quam ipsorũ obsignatam Sigillis, ac Signis,
firmam, & stabilem decreuerunt, multis eam, tũ personarũ tum etiam opidorum, quæ ve
tus erat consuetudo, obsidibus roborantes. Atq; vt eorũ mens integra, ac simplex omni-
bus innotesceret, ab sentiũ verò ad se opẽ, & voluntates allicerent; varia istius Coitionis
exempla per vniuersum Regis ditionẽ spargere, ac disseminare curarunt. Ita autẽ in scri-
pta hodiernis temporibus exstant nonnulla. COLLIGATIO MAGNATORVM
PRO PACE REGNI TVENDA. Cùmque ad refrenandum incredibilem grassan-
tium furorem, qui latè serpens, totum ferè Regnum occupabat, nequaquàm ea sola
sufficeret: plurimæ Ciuitates, ac opida aliam inter se Copulationem inierunt, quam
Vnionem prisco vtentes vocabulo, appellauêre. Tot malis, & incommodis misera
Respub. affecta fuit huius Iacobi Regis Regni, atque ætatis initio. Sed maior quidam
in eo feruor animi, quàm ætas postulabat, visus est; tam eximiamque iam iam a puero
præsetulit semper magnanimi Principis spem: vt cùm vix decimum annum attingeret,
Montione egressus, Cæsaraugustam proficiscens, ea, Oscensique Vrbe, ac aliis non-
nullis opidis ad se vocatis, Regna capessere non dubitaret, eaque & per se ipsum regere,
ac moderari, & armis etiam defendere, dum oporteret. Patrui ea re obstupefacti, ac
perterriti, futuram Regis virtutem præsentientes, paulatim mutare sententiam cœpe-
runt. Rex verò nec diu post paccatum reddidit Regnum, & tranquillum. Anno au-
1221. tem ætatis suæ XIII. Natalis Christi ∞CCXXI. Eleonoram, Alfonsi Castellæ
Regis filiam, vxorem duxit. Ex qua vnicum filium habuit Alfonsum: qui non
infans obiit, vt fertur. Princeps enim, scilicet viuente patre futurus Regni successor,
designatus fuit, connubiique deinde cum Costantia, Gastonis, Beneharnensis Viceco-
mitis, filia, particeps factus. Verùm tamen cùm Iacobus ipse, & Eleonora vxor, nulla ab
Apostolica Sede dispensatione, vt loquimur, obtenta, licet imprudentes, contra-
xissent, cognationis vinculo obstante, quo inuicem erant coniuncti: diuortium inter
eos à Romano Pont. fieri debere decretum fuit. Quo facto Eleonora Regina, nimiæ
sanctitatis femina ad celebre se contulit Burgense monasterium, *De las Huelgas* vocatum:
quod ipsa construxerat: vbi abdita piam, ac religiosam superstitem duxit ætatem. Ipse
1235. verò Iacobus Rex Ann. Chr. ∞CCXXXV. Barcinonæ depactas nuptias celebrauit
cum Iolante, siue Violante, Vngariæ Regis filia: à nonnullis Hiolesia, ab aliis au-
tem Andræua nominata. Ex qua fecundissimam sobolem propagauit. Filios scili-
cet quatuor: Petrum, Regnorum heredem; Iacobum, qui Balearibus Insulis à
patre expugnatis, primus ab eodem, Rex illarum constitutus fuit; Ferdinandum,
Rossilionis Comitem; ac Sanctium, Toletanum Antistitem, qui bellum contra
Mauros aggressus, tragula ictus periit. Filias vero sex Iolantem, siue Violantem,
quæ Alfonso Castellæ Regi, in Romanorum Imperatorem vocato, nupta fuit; Co-
stantiam, Emanuelis Lusitaniæ Regis consortem; Mariam; & Eleonoram, quæ ambæ
innuptæ obierunt; Ysabellam, Philippi Francorum Regis vxorem, ac Sanctiam, quæ
mutata veste, ad sacra loca inuisenda profecta, multa ibi in pauperes Christi præclara
gessit; & post eius mortem clariora per eam, Omnipotentem Deum gessisse miracula,
proditur. Alios etiam filios, Iacobum, ac Petrum idem Rex habuit ex nobili femina,
Teresia

Teresia Egidii Vidaure vocata. Qua se posteà Regi nupsisse contendente, liteque agitata propterea, ac ad Romanam curiam delata: matrimonium non fuisse, decretum fuit: filii tamen inde suscepti, legitimi constituti. Eos deinde pater Rex præcipuis ditionibus donauit: priorem, Exericâ; Ayeruio autem, posteriorem. A quibus posteà clarissimæ Exericarum, & Ayeruiorum Regiæ familiæ dimanarunt. Ipsa verò Teresia ad Zaydiæ monasterium, Valentiæ suburbano loco ab ea constructum, secessit: in quo quãdiu vixit, permansit. Ex variis præterea concubinis Rex Iacobus alios filios suscepit; Petrum; & Ferdinandum. Petrum quidem, ex Domna Berenguela Ferdinandi; ob idque Petrum Ferdinandi vocatum: quem Yxaris opido donauit: & ab eo illustrissima, quæ nunc viget, Comitum Belchitensium familia ducit originem. Ferdinandum verò, ex quadam Sanctii Antilionis filia, Ferdinandum Sanctii appellatum: à quo nobilissima alia, quæ etiam nunc exstat, profluxit Castrorum gens, ita à Baronia *de Castro* quam ei pater concessit, nominata. Singulæ autem hæ quatuor familiæ singula hæc Insignia gestarunt.

Exericæ:

Ayeruii:



Yxares:



Castri:

SED & Rex Iacobus quandam aliam Domnam Berenguelam Alfonsi, Infantis Molinæ filiam, contubernalem habuit: quacum, vt ipsemet in suis Commentariis testatur, tamquam cum legitima vxore aliquot annos vixit vnà prorsus. Aliquamdiu enim plus, quàm decuisset, libidini paruit. De reliquo Princeps fuit, bello ac pace clarissimus. Cuius illustria, & gloriosa facta, quia à nostratibus vtraque lingua copiose satis explicata sunt; silentio prætermittam: ea tantummodò attingere conabor, quæ mihi clariora videbuntur, & magis ad institutum nostrum pertinere. Baleares Insulas, ac Murtiense Regnum vi expugnauit: & quod omnium maximum fuit, celeberrimam, & opulentissimam Valentiam Vrbem. Ad cuius expugnationem vetustis monumentis testatum comperio, idem quod Michael *del* Molino in suo Repertorio commemorat; Aragonenses quinta omnium bonorum suorum parte in hoc bello Regi subuenisse: ideoque cùm primùm expugnata fuit Aragonum Regno fuisse subiunctam, atque vt in omnibus, Aragonum legibus, & Foris subiaceret, constitutum. Eodem verò Rege posthæc nouas municipales leges Valentinis rogante; Aragonenses quosdam Ricos homines, qui ibi aderant, grauiter conquestos fuisse: asserentes; Valentiæ nedum iuxta Aragonum Foros iudicia facienda, sed & Vrbem ipsam; totumque Valentinum Regnum, pro more apud nos solito, in Honores distribuendum esse; quandoquidem Aragonensium facultatibus partum fuerat. Quibus, dummodò conticescerent; concessum fuisse traditur, vt quæ ipsis opida in Valentino Regno fuerant attributa, Aragonũ Foris perpetuò parêrent. quod in hodiernum vsque diem seruatum cernimus. Municipales inde leges Valentinis irrogari cœperunt: tametsi aliquamdiu nostras apud eos seruatas constat, & forensem viguisse huic nostro Magistratui Iustitiæ Aragonum omnino similem Præfecturam. Ac qui dum Iacobus Rex ipsam Valentinam Vrbem obsidione premebat memoriæ proditur, Vespertilionem quemdam, siue alatum murem, nidulum sibi in vertice Regii tentorii collocasse. Quem cùm inde auertere famuli Regis conarentur; Regem id expresse vetuisse. Optimum enim nuntium eam sibi rem spondere affirmabat, quòd Vespertilio is (neque id enim vacabat mysterio) cùm alioquin noctu tantum prodire soleat, lucemque ac hominum concursum fugere; inter ipsos armorũ strepitus in loco tam aperto, & propatulo nidulum sibi construere ausus fuisset: in quo postea & pullos peperit, & nutriuit. Inde Iacobus Rex capta iam Vrbe, ipsius Vespertilionis effigiem in superiori parte Regii Armorum Scuti collocari iussit: eaque Insignia Valentino Regno concessit; quæ ab eo tempore ad hanc vsque ætatem eidem, sub *Rat pennat* vulgari vocabulo, propria manserunt militarium Insignium ornamenta. Miror autem, cur in Suritæ nostri Annalium voluminibus, atque in publicis aliis nostrarum rerum, quæ quotidie proferuntur, monumentis, hæc quasi Aragonum Regni Insignia collocata sunt: cùm numquàm nostra, nec Aragonum Regum, sed istius tantũ

Iacobi Regis fuerint, ab eoque primùm, Elogii loco, gestari solita, posteà Valentiæ, ac Valentino Regno concessa. Sed de hoc satis. Quare nunc ad rem. Iacobus ergò Rex quatuor ampla Regna expugnauit: duo Balearica; Murtiense; ac Valentinum. In quibus cum delubra ad bis mille in Deiparæ Virginis honorem construxisse perhibent: ac sub eiusdem Virginis nomine, cui se sæpius vouerat, sacrum, quem nunc vocamus, *Redemptionis Captiuorum Ordinem* fundasse: & circ. Ann. MCCXXXIX. Alcoleæ in opido antiquum illud ædificasse Fontisclaræ cœnobium Cisterciense; quod inde posteà Michael Zapata, primarius vir, & transferendum curauit, & celebre, quòd nunc prope Cæsaraugustam exstat, sub Sanctæ Fidis nomine ad Orbæ fluminis ripas construens, multis suis ornauit, ac locupletauit fortunis. Nec non & in ipsa Vrbe idem Rex praeclara, quæ nunc vigent, Monasteria esse cōstituit: Sancti Dominici; Sancti Francisci; ac Beatæ Catharinæ. Sancti Francisci quidem, vbi nunc Augustinorum exstat cœnobium. Cetera verò in iisdem, quibus hodie inuisuntur, eiusdem Vrbis regionibus. Sed Beatæ Catharinæ Monasterium à quadam Domna Ermessenda *de las Cellas* sub Sancti Damiani nomine constructum fuisse, & ita in priscis monumentis appellatum inuenio. De eis autem sic statuo, vt quamuis hæc ipsi Iacobo Regi à scriptoribus tribuantur, non omnia ob eodem ædificata existimem; sed quòd aliorum piam voluntatem ad ea construenda excitarit, vel quòd eius tempore constructa fuerint, vel ab eo fortasse locupletata. Fuit enim Rex Iacobus pietate, ac religione insignis. Et verò dum ab eo palam totius Regiæ ditionis singulæ partes, quas post ipsiusmet obitum vnicuique filiorum suorum obuenire statuebat, designatæ sunt: grauissima inde malorum semina excitata. Ea autem diuisio tripartita fuit. Nam Iacobo filio Baleares Insulas, ac Valentinum Regnum assignauit: Petro autem vniuersam Cataloniam: Alfonso filio grandiori Aragonum tantummodò Regnum relinquendo; quod in se Suprarbiensem, ac Ripacurtiensem ditiones, iamdiu subiunctas, continebat. Ac quo Petrum filium præ ceteris vehementiùs amabat, vt illius portio; Ripacurtiam, ac Montionis regionem complectens, magis concresceret: Cataloniæ fines, quos antea Sicoris fluuius terminauerat, ad Cingæ fluminis ripas proferendos sanxit. Vnde inueterata illa Catalanorum querela orta est, vt Montionis opidum contendant, intra Cataloniæ terminos constitutum; cùm Aragoniis semper legibus, ac iuri paruerit. Alfonsus filius natu maior tam amplis ditionibus se à patre exspoliari acerbè ferens, inanes eas omnes Regnorum diuisiones, post obitum patris futuras, minabatur. Hinc fratres inter se non consiliis solùm, ac studiis, sed armis etiam dissidere cœperunt: ac varias vtrinque perditorum hominum factiones ad se allicientes, magnas denuo aduersus miseram Remp. procellas, ac ciuiles tempestates excitarunt. Quas eò vsque peruenisse memorant, vt vix possent sani, & boni viri, vllo loco, quieta mente consistere; nec quicquam apud nos esset, etiam intra priuatos parietes, tutum. Cumque ad hanc immoderatam grassatorum hominum licentiam comprimendam, nec procerum colligationes initæ, nec ciuitatum, & opidorum Vniones factæ sufficerent: vniuersum Aragonum Regnum, iam antea, vt quibusdam placet, distribui cœptum, nunc firmioribus præsidiis, pactis, & condicionibus admotis, in quinque regiones, quas Iunctas vocauêre, distribuendum curarunt, vnicuique earum certa, ac designata loca definientes. Quinque autem primarios Equestris ordinis viros constituerunt, singulis ipsi Iunctis præfectos: qui antiquitus, Paciarii sunt vocati. Pacerias enim appellarunt quantitates eas, siue ea vectigalia, quæ quotannis ipsa opida præfectis huiusmodi pro eorum victu pensitabant. Et ab eo, quod ad pacem consequendam fuerant censa, Pacerias; quasi pacis iura nominarunt; ipsos verò præfectos; Paciarios; quasi pacis viros. De quibus multa apud Suritam, & in For. *De confirmatione pacis* sub hoc Rege editis. Sed plura apud Vitalem. Infra autem quid ille hac de re senserit, dicam: cùm, vt in animo est mihi, illud de antiquis nostris quibusdam Magistratibus argumentum tractare cœpero. Posteà verò hi; Supraiunctarii, quasi Iunctis præpositi, dicti sunt. Ad quorum munus hoc potissimum pertinebat, in seditiosos hosce turbulentos homines acerbè inuehi, eosque vehementer insectari: vt ipsis extra Regnum pulsis, tranquillè, & placidè in eo traducere vitam liceret. Minimè autem Calataiubium, Daroca, Turolium, singulæve ipsis attributæ regiones, quas nunc *Communitates* vocamus, in hac Iunctarum distributione constitutæ fuerunt; nec ipsa minus Ripacurtia. Ferunt autem propterea id factum fuisse; quòd in prioribus non tam redundantes, nec superfluentes sontium cateruæ vagarentur: quia eosdem puniendi curam habebant imperatores, siue militarium præsidiorum duces, ibidem con-

stituti

ſtitui ad cohibendos Caſtellanorum impetus, quibus Regiones ipſæ cohærent. In Ripacurtia verò; quòd ea tunc, Rege tandem id contendente, Cataloniæ finibus adſcripta fuiſſet. Paulo poſt tamen, publica legis ſanctione, Aragonum Regno reſtituta fuit, Suprarbienſique ac Vallium Iunctæ attributa. Ab eo autem tempore, quo Cataloniæ finibus deſignata fuit, Paciarius Ripacurtiæ; Vicarius, nominari aſſueuit, Catalanorum genere loquendi, apud quos ita vocabatur. Verumtamen lege poſtea cautum eſt, ne amplius Vicarius Ripacurtiæ, ſed Supraiunctarius vocaretur. De quo habemus Forum ſpecialem quadraginta poſt hæc annos conditum ſub titulo; *Quòd Ripacurtia, & Lithera ſint de Regno Aragonum.* Vbi de his multa. Hac igitur Regni quinque Iunctas diſtributione, Foriſque annotatis; *De confirmatione pacis.* conſtitutis, Regnum noſtrum tranquillari cœpit, ac omni prorſus perturbatione carere: tum verò præcipuè; dum Alfonſus filius natu maior, prolis expers his temporibus deceſſit. qui non Valentiæ, vt multi prædicant, ſed Verolæ illuſtri apud nos in cœnobio; ſepultus iacuit. Eo enim mortuo, conſtitutus ſuper Regnorum diuiſione ordo, ſubitò commutatus eſt totus: ac Petrus filius, qui patri erat præ cæteris charior, vniuerſæ Regiæ ditionis ab eo ſtatim declaratus heres; ac ſub illius ſupremo imperio Iacobus frater, Balearium Inſularum conſtitutus Rex. Maxima inde rerum conuerſio. Supraiunctariorum verò munus minimè abrogatum fuit, quòd Reipub. perquam vtile iudicaretur, in hodiernumque diem exſtat, tametſi non ſine aliqua ipſius dignitatis imminutione. Quamquam autem varia noſtris ſub hoc Rege Comitia habita fuere: ea tãtùm perſequar, quę in noſtrorum Fororum volumine annotantur. Siquidem ad Almudebaris locum Comitiis inſtitutis, Ann. MCCXXVII. For. I. *De confirmatione pacis.* rogatus fuit. Tum aliis Cæſarauguſtæ, habitis Ann. MCCXXXV. For. 2. ſub eodem titulo conditus. Aliis etiam, nequaquam Oſcæ, neque Ann. MCCXLVII. pro vt malè inſcripti omnes hi Fori leguntur, ſed in Montionis opido Ann. MCCXXXVI. editus eſt, For. I. *De confirmatione monetæ.* Quod ſi quorumdam ſcriptis fides adhibenda, vt meo iudicio adhiberi debet; nummaria apud nos res iam antea ſub eodem Rege Ann. Chr. MCCXIIX. apud Ilerdam Vrbem fuerat conſtituta. Iam pridem enim erat hoc in more poſitum, noſtrorumque Regum inſtituto, vt vnuſquiſque eorum in ſui Regni initiis nummariam rem nouam conſtitueret, vel ſua effige adhibita, vel quandoque etiam pondere, aut lege mutatis. Quod Iacobus Rex ad Ilerdam fecerat dicto anno. Cumque id noſtris eſſet perquam graue, monetæ autem forma ab ipſo Rege tunc excuſſa, eiſdem vehementer placeret: de publica, & communi Regis, ac Regni conſenſione, dicto Foro poſtea cauendum curarunt, vt ea apud nos rata, ac firma perpetuò eſſet manſura. Propterea optimè dictus Forus, *De confirmatione monetæ.* inſcriptus legitur: quòd eo non nouè conſtituta fuerit, ſed ita confirmata, vt iam amplius augeri, minui, aut mutari non poſſet: ſed ſub eadem lege, pondere, ac figura hæreret perpetuò, quibus Iacobus ipſe Rex apud Ilerdam antea cudi fecerat. Atque his etiam poſtea adiectum fuit; vt Iaccenſe nomen ſemper retineret: quemadmodum in Foro, *De curſu monetæ.* Iaccenſem autem dictam fuiſſe coniicere licet, in clariſſimam Iaccetanæ ipſius Vrbis memoriam; quòd præclarum Regii Aragonum tituli initium, in ſeſe genitum, iam per tot ſæcula tam fauſtè, & feliciter propagaſſet. Sed de hac nummariæ rei conſtitutione ita in quadam antiqua gloſſa dicti Fori De *confirmatione monetæ.* *Nota* (inquit) *quod ante huius monetæ Iaccenſis cuditionem tempore huius* Regis *factam* (loquitur autem de hoc Rege Iacobo) *moneta apud nos aliam habebat figuram, aliamque legem, ac pondus. Plus enim argenti in ea erat, nec tam magnæ formæ. Solummodò erat figura vnicæ Crucis, qualis eſt Crux, quam Rex Aragonum, vt* Rex *Aragonum facit in clypeo liuico, id eſt Ceruleo. Attamen in moneta habebat pedem, vt hic: & ab alia parte caput Regis.* Attamen *veritas eſt; quod dum dicti Reges intitulari cœperunt, Reges Suprarbii,* Ripacurtiæ, *& Aragoniæ fecerunt monetã pinguẽ in argento.* In *vna parte cuius erat caput capillis coopertũ ſine corona.* In *alia verò parte Crucis ſignũ: atq; ex eiꝰ extremitate quidã quaſi arboris frõdes, Aragonio, nomine circũſcripto. Relicta verò priori Cruce, Crux quæ nunc à* Iacobo *Rege in denario Iaccẽſi poſita eſt, eſt iſtiꝰ videlicet formæ.* Hęc itaq; vt dixi, in quibuſ-

dam antiquis Foris manuſcriptis obſeruantur. Sed nulla ibidem cauſa iſtius mutationis adducitur. A nonnullis antiquitatis noſtræ ſtudioſis accepimus: Patriarchalem, id eſt, duplicem hanc poſteriorem Crucem, à Iacobo hoc Rege adhibitam fuiſſe, vt & primam Crucem, quæ Garſiæ Eximini ſupra arborem; & ſecundam, quæ Innico Ariſtæ cælitus, apparuere, præſignaret: ideoq; eandem ipſam Patriarchalē Crucem in ſuperiori parte Sigilli veteris maioris, ciuitatis Cæſarauguſtæ, appoſitam fuiſſe. Nec malè quidem ea mihi videntur coniecta: optimè verò conueniunt cum iis, quę à nobis ſupra tradita fuerunt. Rei igitur nummariæ noua apud nos lex, pondus, ac nota his Comitiis ita conſtituta fuit: vt ea vmquam moueri non poſſet. Simul etiam & iiſdem Comitiis decretum, quoddam nouum vectigal, Marauetinum vocatum, Regi, & poſteris perpetuò cenſum iri. Alia autem Comitia ad Oſcam Vrbem Ann. MCCXLVII. celebrata ſunt. Quorum apud
1247. nos magna eſt memoria, ampliſſimis monumentis conſecrata. In eis enim, de communi Regis ac Regni conſenſione, vniuerſum Ius noſtrum, quod diffuſum, & diſſipatum erat, Vitalis Canelis, Oſcenſis Epiſcopi, induſtria, & labore in ſingula genera coactum, ac digeſtum fuit: publicaque ſanctione decretum, vt iuxta id deinceps ſingula quæque fierent iudicia cauſarum. Vnde vetuſtiores hæ leges habentur omnibus, quæ apud nos vigent. Sed in eis, ac in noſtris, quas vocamus, Obſeruantiis (ne hoc ſilentio prætereā) plurimæ inueniuntur de verbo ad verbum omnino ſumptæ à legibus, quæ hodierna die ſub Suprarbienſis Fori nomine paſſim exſtant conſcriptæ: quarum plurima adhuc externa opida nedum ipſam retinent nomenclaturam, ſed & forenſem quoque ac quotidianam exercitationem & vſum: quemadmodum cernimus in nonnullis, tametſi priuatis, earum exemplis. Hæ autem apud eos veterrimæ habentur. Vnde etiam colligitur hanc Suprarbii vocem non nouè quæſitam, vt Garibaio placuit, ſed vetuſtate antiquiſſimam exſtitiſſe. Nam eadem prorſus ratione, qua à priſco Suprarbienſi Regno, tamquam ex fonte, Aragonum, & Nauarræ Regna fluxiſſe demonſtrauimus: ita quoque nec valde temerè, affirmare liceret omnes leges, quæ apud nos, ac Nauarrenſes vigent, ab antiquo illo Suprarbienſi Foro dimanaſſe: quamuis eas poſtea & Regnorum, & temporum viciſſitudines commutarint. Nequaquam enim de nobis prædicari poſſet, quod de ſolis Lacedæmoniis aliquando prædicatum fuit, eos vnius ſemper moribus, & numquam mutatis legibus vixiſſe. Itaque his Comitiis nullæ nobis leges nouæ rogatæ ſunt, ſed tantum quæ obſeruandæ erant, ex priſcis ſelectę; tametſi aliter non nemo prodidit, qui noſtros numquam antea, quod iuſtum eſſet, ſcientes, iùs ſæpe cum iniuria confundere fuiſſe ſolitos affirmauit. Interdum enim agreſtiores nos ille, quàm ipſa effinxit natura; cum & idem Rex in ipſarum legum præfatione, à ſe eas fuiſſe tantùm ex variis ſuorum prædeceſſorum Regum ſcriptis collectas, fateatur. Ob idque in procemio Comitiorum, quæ Exeæ poſtea ab eodem Rege habita fuerunt Ann. MCCLXV. de quibus paulò poſt, dum *ſtatuiſſe Regem Iacobum* continetur; additur quoque *& feciſſe Foros nouos apud Exeam*: quòd ii noui, atque tunc primum ederentur, priores verò nequaquam. In hac autem noſtrorum Fororum collectione, ſiue, vt noſtri loquuntur, *Copilatione*, præcipuam operam nauauit Reuerendiſſimus ille Vitalis Canelis, Oſcenſis Epiſcopus, magnæ eruditionis vir, ac in priſcis noſtris Regni ſcitis valde verſatus: qui præter hoc magni laboris, & induſtriæ opus, Reipub. adeo vtile, & neceſſarium: librum etiam compoſuit varia noſtrarum antiquitatum explicatione refertum. Is autem, quia incipit, *In excelſis Dei theſauris*: vulgò *Liber in excelſis* dictus eſt: cuius meminit prima Obſeruantia ſub titulo. *De venatoribus.* Illud tamen valde dolendum eſt, nullum ferè in his omnibus nec veſtigium quidem de Magiſtratus Iuſtitię Aragonum inſtitutione apparere. Sed dū de eo verba facere oportet: tamquam rem notam, teſtatā, manifeſtam, atq; apud omnes peruulgatam proferri, eodem prorſus modo, ac dum de ipſo Aragonum Regno ſermo proponitur. Quam de hoc Magiſtratu loquendi formam in omnibus noſtris Foris, tum antiquis, tum poſterioribus, ſeruatam videmus: apertiſſimè tamen in iis, qui apud Exeam Ann. ∞CCLXV. ſub eodem Rege editi fuerunt, ſub titulo. *Statuit* Rex *Iacobus*, *& fecit Foros nouos apud Exeam.* Comitia verò hæc, quibus dicti Fori rogati ſunt, extrema ſunt eorum, quæ, vt diximus, in noſtrorum Fororum volumine ſub hoc Rege habita perhibentur. In eis autem ſancitum fuit; vt qui Magiſtratum gereret Iuſtitiæ Aragonum, ex eorum Ordine neceſſariò eſſet, qui militari ſunt cingulo inſigniti: ne ex ſupremo Ricorum hominum cœtu, neve ex alio ordine, aut infima plebe quiſpiam ad munus hoc exequendum vocaretur. Ac Rici homines illam ob cauſam ab eo gerendo ſunt excluſi, quòd per noſtras leges in eorum corpora

pora grauiter sæuire, etiam si mererentur, ob eximiam ipsorum dignitatem, non licet. Is verò, qui huic Magistratui præsit, necesse est, cuicumque quantumuis graui, & acerbæ; si leges violat, pœnæ vt subiaceat. Quibus de rebus copiosius alias. Eisdem etiam Comitiis quædam adhibita fuit antiqui Suprarbiensis Fori interpretatio. Nam cum in illius tabulis, quas annotauimus, cautum fuisset, vt ad hunc Magistratum, tamquam ad Iudicem Medium, ab ipso Rege, si quempiam læderet, prouocare liceret; ne eius rei iudicium soli Iustitiæ Aragonum fuisse attributum censeretur, eidemque plus, quàm oporteret, concessum: lege tunc sancitum est; vt istius facti iudicatio, quamuis ad ipsum Iustitiam spectet, sit tamen ab eo facienda, adhibito Ricorum hominum, & Militum consilio, qui, vt ibi legitur, *non sint de partida*: hoc est, quòd facti illius participes non sint: Vt in For. 1. & 2. *De Officio Iustitiæ Aragonum*, iisdem ipsis Comitiis promulgatis. In quibus omnibus cùm prior huiusce Magistratus publicis legibus constituta auctoritas inueniatur, nulla prorsus de eius institutione fit mentio; quemadmodum nec de ipsius Regni primordiis: quasi quæ vna, & eadem apud nos fuit vtriusque origo; & de eisdem loquendi eadem etiam ipsa ratio sit. Sed vt finem imponamus huic nostro sermoni, quem longiorem oportuit esse in huius Regis factis recensendis, quòd multiplex, ac varia eorum series exstiterit; Iacobus Rex, Regali munere gloriose perfunctus, senex obiit Valentiæ. A.D. VI. Kal. Aug. Ann. Chr. MCCLXXVI. ætatis suæ septua- 1276.
gesimo secundo; Regnorum verò ferè sexagesimo tertio: Rem, vt idem affirmat, à Dauith, & Salomone Regibus ad ea vsque tempora minimè visam. Ad Populeti cœnobium sepultus est. Duo insignia Monialium Monasteria eius tempore prope Cæsaraugustam Vrbem exstitisse comperio. Alterum prope Lucenich, & Alcalæ opida ad Iberi ripas, medio quasi loco, constructum, quòd sub Cisterciensi Ordine, beatæ Mariæ Regalis nomine appellabatur: eidemque illustris quædam femina, Sanctia Innici, Abbatissa præposita, à Petro Garsia Ianuas Cæsaraugustano Episcopo Ann. MCCLXXIII, benedicta fuit. Inde postea ad Trasouarem locum, vbi celebre nunc exstat, translatum. Alterum verò in opido, *Peraman*, prope Alauonem, ad Salonis fluminis oras. Cuius imperio paruisse perhibent locum quendam *Pozuelo* nominatum, ad *Carrapinillos*, quos nunc vocamus, montes situm. Sed horum hodie nulla exstant nec vestigia quidem. Eorum verò, qui sub hoc Rege Iustitiæ Aragonum fuere, non ita. Nam & nomina, & facta magis inter se apta, & connexa, quàm ad hæc vsque tempora, inueniuntur. Fuerunt autem plures, videlicet; Petrus Petri Tarazona, quem nominauimus paulò ante; Ioannes Petri Tarazona, eius filius; Martinus Petri Artassona; Petrus Martini Artassona I. Petrus Sanctii; Rudericus Castellezuelus; ac Fortunius Ahe. Martinus autem Sagarra, vix affirmare possum, an sub eodem hoc Rege, vel sub Petri III. illius filii imperio Iustitiatum obtinuerit. Adhuc enim certam huiusce rei rationem neque studio assequi potui, neque industria: tametsi ipsum Sagarram in hæc tempora incidisse comperio. Sed de his suo loco. Quandoquidem autem huius Iacobi Regis Regno, Anno infra annotato, beatus Dominicus, innocens Cæsaraugustanus, qui *Sanct Dominguito* vulgò appellatur, illustrem in eadem Vrbe martyrii coronam reportauit: gloriosam illius mortem hoc loco, antequam ad Regis Petri facta conscribenda traducar, recensere decreui, ne tantam apud nos rem vlla vmquam obruat vetustas: & vero præcipue, vt eorum Sanctorum imitatores esse propensiori animi studio laboremus, quorum nobis in ea, quam nunc colimus, vrbe tot gloriosa trophæa proponantur. Huius vero Martyris tale fuit: quemadmodum in templi maximi Tabulario memoriæ proditum exstat.

INCIPIT PASSIO BEATI DOMINICI, INNOCENTIS MARTYRIS, CÆSARAUGUSTANI.

AD honorem Domini nostri Iesu Christi, Saluatoris, ac Redemptoris nostri; qui salus, & vita est omnium; cui omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum: necnon etiam ad honorem Innocentis Martyris sui, nomine Dominici. Qui apud Ciuitatem Cæsaraugustanam natus est cum signis mirandis; videlicet cum corona in capite, & Cruce in armo dextro; cuius fuerunt genitores Sanctius de Vall Tabellio, & Elisabeth vxor eius. Et cum Dominicus haberet ætatem annorum septem, & literas edisceret, & tractatus enormis, & nefarius inter hostilem, & impiam gentem Iudæorum eiusdem Vrbis, iniquitatibus vsitatam, esset habitus, vt quicumque occultè furaretur, aut raperet paruulum Christianum, & eis traderet, vt morti daretur; esset ab omnibus peytis, ac tribulationibus, & impositionibus quibuscumque per eos soluendis exemptus: exinde Mosse Albayhuzeto Hebræus, mali conscius, Iudæ iniqui proditoris

sæuissimus imitator, suggestione diabolica, rapuit occultè, & repentè Dominicum; & eum ligatum fune Aljamæ tradidit Iudæorum. Qui crudelissimè, renouantes Christi sanguinem, clauis pariete paruulum confixerunt, & eius latus grauiter lancea perforarunt. Et inde satagentes, nè hoc nefas tam detestabile panderetur; eligentes tempus oportunum, ad litus fluminis Iberi corpus Martyris occultarunt. Christus autem scrutator cordium, & cognitor secretorum, pro quo Sanctus Dominicus passus erat; corpus eius iam voluit reuelari. Itaque factum est, dùm custodientes nauiculas, quæ erant ad portam præfatæ ciuitatis, solicite vigilarent: viderunt aliquibus noctibus lumina cælica valde corruscantia supra locum litoris, vbi sanctum corpus, vt prædicitur, fuerat occultatum. Admirantes, quid hoc esset; cum hoc esset relatum ciuitati: aliqui ex Ciuibus accedentes ad litus prædictum, corpus Martyris absque capite, & manibus, ligatum, funibus inuenerunt. Clero autem, & populo hoc scientibus, fuit inde illud ad supradictam Ciuitatem ductum, atque positum in Basilica Sancti Egidii. Ex qua, aliquibus diebus elapsis, cum corpus Martyris extraheretur; se quidem miraculòse, flexis genibus, absque vllo dubio, ante ostium ipsius Ecclesiæ assistenti populo ostenditur. Et audito præconii sonitu generaliter per Ciuitatem facto, necnon Episcopo, & Clero ad prædictam Ecclesiam cum ingenti solemnitate, & populi celebri deuotione venientibus, miris corruscantibus miraculis, omnium sancta congregatio fuit facta. Et per manus Sacerdotum cantantium, & Deo psallentium, omnibus aliis Dominum in Sancto suo deuotissime laudantibus, solemni processione vnanimiter ordinata, & ad tam insigne spectaculum Ciuibus, Militibus, Nobilibus, & cuiuslibet condicionis hominibus, ac mulieribus .·.·.·.·.·.·.·.·. occurrentibus, ac cereos albos suis in manibus baiulantibus (vbi dulcissima omnium instrumentorum musicalium melodia, ac tubarum sonora armonia non defuit) ad Ecclesiam Sancti Egidii primò accersitis, & ibidem debite receptis; per omnes Ecclesias sanctum corpus alacriter delatum, tandem per portam Cignegiam abeuntibus, exinde ad Sanctam Sedem Vrbis prænominatæ fuit solemniter translatum. Mosse Albayhu tandem corde contritus, & relicta via iniquitatis, impietatis, & doli Iudæorum, sacramentum Baptismatis acceptauit. Contemplemur eia fratres charissimi patientiam, passionem, & innocentiam beati Dominici; eius sacrum tumulum assidue visitantes. Hic est comes Innocentium, & Martyrum, habens Insignia Christi: & etiam positi in ægritudine, & aliis necessitatibus, vt eum adiutorem sentiamus, eum fiducialiter inuocemus: cuius meritis, & precibus efficiamur participes Regni Dei. Passus autem est Beatus Dominicus mense Augusti Anno Incarnationis Dominicæ MCCL. *Regnante Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat per infinita sæculorum sæcula. Amen.*

At Arnaldum Peraltam Episcopum eo tempore Cæsaraugustæ sedisse constat; magnæ religionis virum, ac in literarum scientia valde versatum. Qui nobilissimo genere ortus erat. A Peraltarum enim apud nos clarissima familia ducebat originem. Is secundus Episcopus fuit Valētinæ Vrbis, post eam ab hoc Iacobo Rege Christianis, quemadmodum narrauimus, restitutam. Inde ad nostram Vrbem trāslatus, præsens affuit mirandæ huic rei. Propterea me hoc loco illius mentionem facere dignissimum iudicaui. Itaq; tot rebus insignibus, meritò illustre Iacobi Regis I. Regnum exstitisse censendū est. Verùm illustrius redditum fuit, ineffabili, ac diuino Sacratissimi corporis Domini nostri Iesu Christi mysterio, quo Daroca ipsa Vrbs tantoperè nunc gaudet insignita. Sed nunc ad Petri III. Regis facta annotanda conuertar.

PETRVS III. MAGNVS, ARAGONVM REX XV.

IACOBO enim Rege vita functo, Petrus filius, excelsi, atque inuicti animi Princeps, Regnorum Aragonum, Valentiæ, ac Principatus Cataloniæ hereditatem adiuit; qui apud nos tertius huius nominis fuit: quintus decimus autem Aragonum Rex. Illustre verò id Magni cognomētum, inde sibi inditum prædicāt, nec immeritò; quòd tametsi Romanorum Pōtificum, ac omnium ferè Christianorum Principum potentiæ aliquādiu in eius ruinam, tamquā in communem hostem, Ecclesięq; inimicum conspirarunt; sui pręterea subditi, antiqua iura, patriasq; leges in quamplurimis rebus, frangi dolentes, ab eo diffidere, pristinæ libertatis retinendi causa, coacti fuēre: sola animi sui magnitudine omnes has, graues quidē, ac per se magnas, difficultates concoxit, neq; non imminutam solùm, sed ingenti potius incremento adauctā sibi, & posteris ditionis suæ maiestatē reliquit: quasi ad id potissimū tot in eum procellas excitatas fuisse iudicemus, vt magis illius virtus, atq; animi splendor enitescerent. Constantiam iamdiu, viuente patre, vxorē duxerat, Manfredi Siculi Regis filiam, atq; here-

dem:

dē: quam sociā sibi, ac comitē esse voluit, dum Regale Diadema, maiori quàm antea apparatu, ac sollemnitate imponendum curauit. Illud autem magnum fuit ipsius humanitatis, ac prudentiæ signum; quod etsi pater adhuc viuus, ex remotis et spiritu exanguis, & confectus, vniuersa eidem Regna detulerat; numquam tamen se Regem salutari passus est; sed tantùm Infans primogenitus, etiam mortuo ipso patre, appellari voluit, Regale prorsus nomen recusans, donec sibi pro more solito à cunctis Regni Ordinibus deferretur. Ad eam autem rem Nouemb. mense eiusdem Ann. Chr. MCCLXXVI. 1276.
maximis ad Cæsaraugustam Vrbem Comitiis institutis, Petrus ipse, ac Costantia vxor, solemni pompa in templo maximo illius simul excepti, Regis insignibus ornati fuere, atque oleo sacro à Bernardo Oliuella Tarraconensi Archiepiscopo vncti. Verùm antea Petrum ipsum expresse, adhibita sollemni stipulatione, excepisse proditur; quòd tametsi Regalia sibi, ea, quam recensuimus, forma, imponerentur Insignia; nequaquam se ob eam causam iuri suo in aliquo velle abrogare, vt ab Ecclesia Romana, neve per eam, neve contra eam, vllo vmquam tempore, illa se suscepisse induceretur. Atque hoc idem nonnullos post eum Aragonum Reges cauisse comperimus, dum se simili modo Regiis Insignibus honestarunt. Et verò Petrus Rex nec ita multò post, nouam Siciliensis appetendi Regni molem aggressus, ipsemet sibi summum, in quo erat, otium perturbauit. Siculi enim cùm post Manfredi Regis interitum, qui Reginæ nostræ pater erat, Caroli Regis imperio paruissent; nequeuntes iam amplius, vt dictitabant, illius perpeti dominatione superbam, neq; Galli æ sui generis quotidiana, maxima, & turpia conuicia sustinere: effrenatè, soluto quodam, ac libero totius populi motu in Gallos, insultantes, ad vespertinam illis, memoratam satis, inferendam necem commoti sunt, quam singuli postea singulis suis hospitibus intulerunt. Quo commisso facinore, Siculi statim, publica legatione missa, proiicientes se ad istius nostri Regis pedes; eidem, quòd maritus esset Costantiæ Reginæ, filię Manfredi, Sicilię quondam, vt diximus, Regis; vniuersum ipsum Siciliense Regnum, bona, fortunas omnium, ac sese metipsos totos offerentes prorsus, illius auxilium, ac fidem implorarunt. Petrus Rex turpe statuens eos deserere, quorum legati supplices ad ipsius pedes miserè lacrymantes iacebant; Siciliæ prętere a Regnum, quod iniustè à Carolo oppressum sæpius mœruerat, vltro tunc sibi delatū videns: quo erat excelso, & magnifico animo præditus, vniuersum totius imperii sui patrocinium in Siculorum opē immittendum decreuit: seq; eis, & ad imperium, & ad periculum atq; aciē futurum presto, victoriaq; aut morte satisfacturum spopondit. Idcirco protinus ingēti classe, quā iam antea ornari iusserat, ad Siciliæ oras appulsa, primus nostrorum Regum transmarina bella aggressus fuit. Sed antequam nauim conscenderet, Alfonsum filium natu maiorem, quem vniuersi Regni Ordines in Comitiis Cæsaraugustanis, quorum supra meminimus, futurum heredem, solito iurisiurandi interposito fœdere, designauerant; ditionibus Aragonum, Valentiæ, ac Catalonię donauit: quasi illius animus futura mala, sibi iam imminentia, præsentiret. Neque ea res cuipiam tunc in opinione esse poterat dubia, aut incerta. Siculorum etenim causa in eum statum peruenerat, vt quisquis eorum partes susciperet, vltrò, atque obuiam grauissimis se offerret periculis: cum non ipsius Caroli solùm, ludificati Regis, sæuitia, sed Romani Pontificis, ac Francorum Regis, qui illum fouebant, totiusque ferè Italiæ concitata vis, & potestas in eum esset necessariò erumpura. Sed tamen quæcumque proponeretur fortuna, eam sibi omnino Rex Petrus subeundam statuit: modò afflictis Siculis imploratam opem, auxiliumque præstaret. Itaque postquam ex sententia nauigans, tandem cum maxima classe, equestribusque ac pedestribus copiis, Siciliam appulit; incredibili alacritate exceptus, Septemb. mense An. MCCXXCII. generalibus Comitiis indictis totius Siciliæ salutatus fuit Rex. Cuius animum quò Siculi ipsi 1282.
ad quæcumque pro eorum defensione, subeunda pericula magis firmarent; sese prius omnes, publica, ac sollemni vniuersorum Regni Ordinum iurisiurandi religione interposita, deuinxerunt, pollicentes Regis vitam, ac commodum, quantum vires sufficerent, defensuros, quoduisque sibi ipsis potius periculum adeundum fore, quàm ab hac fide, & voluntate deficerent. Regis etiam postea promissionem accessisse proditur, se eos, quos tuendos susceperat, numquam à se desertos esse passurum. Hinc varia bella commota sunt, acerba, atque horrida: quibus diutissimè non ipsa quidem Italia modò, sed totus penè Christianus orbis exarsit. In his autem omnibus Petrus noster Rex nedum prestantissimi imperatoris susceptum munus, sed & fortissimi quoq; gregarii militis cumulatissimè expleuit. Nam à Carolo competitore, qui strenui Principis locum obtinuit, in singulare certamen vocatus, impigrum se præbuit: ac oportuno, quamuis insperato tem-

pore, non ſine magno vitæ periculo, conſtitutum certaminis locum accurrens, celebrem triumphum ex inimico abſente reportauit: cùm alioquin quòd prouocator eſſet, primus eo loco ſiſtere debuiſſet. Philippo etiam Francorum Regi, ipſius Caroli fratri, qui maximo ſuorum, & fœderatorum comparato exercitu Cataloniam inuaſit; perquam puſillis copiis obuiam procedes, audacter obſtitit: eumque funeſta peſte correptum, inanem coëgit, ac mortuum in Galliam redire. Fuit etenim eidem Petro Regi, præter ſingularem hanc inuicti animi virtutem, quædam ad tot res benè gerendas diuinitus adiuncta fortuna. Sed tamen dum fortis ad pericula haberi voluit; in Rempub. noſtram ſe talem exhibuit, vt non magis eius tempore externis, quàm malis domeſticis laborarit. Nam cum ab eodem Rege antiqua Regni ſcita, patrięq; leges paſſim labefactarentur, nec quidquã quotidianæ ea de re propoſitæ querellę prodeſſent: noſtri maiorum exẽplo, arctiſſimam inter ſe coierunt generalem procerum, opidorumq; Vnionẽ, intermiſſæ libertatis vindicem: quam tanta conſtantia, animorumq; firmitate roborarunt, vt ab ea ſe diuelli nec vi, nec metu, nec vllis prorſus blanditiis paterentur: adeò vt inter hos tot, ac tantos externorum bellorum tumultus, nihilominus de communi, ac publica libertatis cauſa prius agendum ſtatuerent, quàm ab illa mente deſiſterent. Nec minoribus profectò, quàm his omnibus anguſtiis efferueſcentem Regis ſpiritum conquaſſari oportebat. Tandem noſtri, quod cupiebant, conſequuti ſunt. In Comitiis e-
1283. nim Cæſarauguſtæ habitis Ann. Chr. ∞ CCXXCIII. V. Non. Octob. Generale, quod vocamus, Priuilegium nobis irrogatum eſt: quo inteſtina bella aliquamdiu ſedata fuerunt. Verùm Rex Petrus, cuius acrem, & elatum animum non natura ſua, ſed neceſſitas ipſa lenierat; initam noſtrorum Vnionem acerbè ferens, Petro Martini Artaſſonæ, Iuſtitiæ Aragonum, Magiſtratum abrogauit. Quamuis autem ſe ad id adductum dicebat, quòd ipſe Iuſtitia ſibi eſſet ſuſpectus: ſimulatæ iſtæ omnes erant, & confictæ cauſæ: cùm re vera quia in Vnione coëunda ſuam præcipuam operam Iuſtitia nauârat, contra eum Rex acerbam iram ſuam, intimo corde conceptam decreuiſſet, in muneris tandem abrogatione erumpendam. Cui ſtatim quemdam præpoſuit Cæſarauguſtanum ingenuum ciuem, Ioannem Egidii Tarinum. Vnde reuireſcere cœperunt domeſtica mala, quæ iam exaruiſſe credebantur. Noſtri enim hanc ob cauſam, quam ſummæ libertatis ſtatuerunt, intermiſſam Vnionem renouarunt. Poſt varios tandem rerum euentus, Petrus Rex, vt noſtros ad ſe alliceret, quòd de Gallicarum copiarum aduentu graues ſparſi eſſent rumores; Comitia è ciuitate Oſcæ, ad quam fuerant indicta, ad Zueræ opi-
1285. dum, à Cæſarauguſta Vrbe non longè, Ann. Chr. MCCXXCV. transferenda decreuit. In quibus quamquam id, ſuper quo præcipua contentio orta fuerat; vtrum ſcilicet Rex ipſi Iuſtitiæ Aragonum, Magiſtratum abrogare poſſet, necne, definitum non exſtat: ſed iam nunc publica lege, ne id Regi facere liceat, interdictum eſt: quemadmodum demõſtrabimus infra ſuo loco. Siquidem tunc in ea cauſa ſuperſederi oportere viſum fuit noſtris. Etenim, cùm Gallici exercitus tubarum ſonitu, & clangore iam iam totum ferè Regnum perſonaret: ſatis benè res domeſticas conſtitutas duxerunt, quomodocumque conſtituerentur; modò in tanta rerum perturbatione, afflicti Regis animum, nimio tam potentis inimici exercitus terrore perculſum, ſubſidio ſuo, ac impenſa ope excitarent. Rex autem ea erat calliditate præditus, & aſtutia, vt ſe modò lenem, ac mitem, modò auſterum, & acerbum redderet, iuxta oblati ſibi temporis fortunam. Itaque noſtri veteres initas querellas deponentes, in patriæ defenſionem properarunt: quæ Dei nutu, Regiſque & ſuorum virtute ab imminẽti Gallorum periculo liberata fuit. Sed hac de re æquum erit hoc loco, vt Martinum noſtrum Regem loquentem audiamus. Nam ſic ille, dum Gerundenſem Eccleſiam donis locupletare curauit; quemadmodum in Regeſtro Gratiarum Ann. MCCCXCIX. continetur. *Quia accenſi nedum ſplendore noſtræ deuotionis innatæ, quam erga Eccleſiam Sancti Felicis ciuitatis Gerundæ, quæ perfectione operis indiget, non immerito gerimus, cùm ipſa beatorum Narciſi, & aliorum quampliurimorum Martyrum, quorum corpora in eadem Eccleſia requieſcunt, præcelſorum meritorum titulis illuſtretur: ſed etiam inſtinctu Sereniſsimi* Domini *Regis, genitoris noſtri, recordationis eximiæ. Qui, vt accepimus, beneficiorum non immemor antiquorum, quæ Altiſsimi miſericordiæ, ipſorum Martyrum contemplatione, fuit in eadem ciuitate moles elargita: præcipuè tempore guerræ ſtrepitus Regis Francorum. Cui, ac eius cohorti peſtilentiam tantam muſcarum, ipſorum Martyrum, vt legitur, meritorum ſuffragiis, miraculoſe immenſus conditor Orbis immiſit, quòd earum fœtidis ſtimulis ab expugnatione ciuitatis ipſius, quam viriliter debellabant, & in qua ipſorum quamplurimi perierant, penitus ceſſauerunt: ſic quod ipſa ciuitas ab eorum manibus extitit liberata.* Philippus enim Francorum Rex mortuus, vt retulimus, ad propria reuocatus fuit

eodem

eodem Anno MCCXXCV. Quo noster Rex Petrus, ne diu tantæ victoriæ potiretur,
D. IV. Id. Nouemb. in Villa Franca *de Panades*, Pænorum olim; nunc insigni Cataloniæ A. 1285.
opido, ex hac vita migrauit. Barcinonæ in monasterio Sanctarum Crucum sepultus
iacet: Princeps quidem ingenti rerum gestarum gloria refertus. Ex Costantia vxo-
re, præter Alfonsum filium grandiorem, paternæ ditionis, vt paulò ante diximus; he-
redem, reliquit etiam filios: Iacobum; Federicum; ac Petrum. Iacobum quidem, Re-
gem Siciliæ primum, deinde Alfonso fratre sine filiis decedente, Aragoniæ ditionis po-
titum: Federicum verò, in Iacobi fratris locum Siculis Regem suffectum: Siciliæ enim
Regnum, à Caroli manibus ereptum, hereditario iure sibi, & posteris mansit incolume.
Petrus autem filius natu minor, illustrissimam, ac ditissimam feminam, Gulielmam Mo-
nacham, vxorem duxit: quæ per id temporis parrochiam beatæ Mariæ *de Pilari* ad no-
stram hanc Vrbem Honorario retinebat iure, sicuti Gastoni Beneharnensi Vicecomiti
prius tradita fuerat, quemadmodum supra explicauimus; à quo ipsa Gulielma originem
ducebat. Sed ea postea sine prole decedente, ex ipsius testamento, vt proditur, illa Vrbis
Regio in Regum potestatem peruenit. Filias etiam reliquit: Isabellam; & Costantiam,
quam nonnulli Violantem nominant: hanc Ruperto Neapolitano Regi nuptam: illam
verò Dionysii Lusitaniæ Regis vxorem; quæ plurimis eximiæ sanctitatis miraculis ful-
gens, Sanctorum numero adscripta fuit: quartusq; dies Iulii eius annua celebritate apud
ipsos Lusitanos peragitur. Alios etiam filios idem Rex Petrus habuit, non iusto matrimo-
nio natos. Ex quadam enim Maria Nicolai suscepit tres: Iacobum; Ioannem; & Beatri-
cem. Ex alia Agnesia Zapata quatuor, Petrum, Ferdinandum, Sanctiam, ac Teresiam: ex
quibus varia soboles propagata est. Huius autē Regis Regno, An. Chr. MCCLXXIIX. à qua-
dam Domna Oria, Pallariensi Comitissa, illustre, quod nunc exstat, Beatæ Mariæ *de Ca-
suas* cœnobium de Stephani Oscensis Episcopi consensu ædificatum fuisse comperio: a-
liud verò paucis post annis funditus euersum, quod ad Bayo, prope Sadabam opidum,
temporibus Raymundi Berengarii, Barcinonensis Comitis, Circ. Ann. Chr. MCXLVI.
constructum fuerat. Ipsius autem euersionis eam fuisse causam perhibent, quòd Prior,
ac Monachi illius, turpi iudicio malæ erga patriam fidei, conuicti fuissent. Cuius ruinæ
nonnulla hodie cernuntur vestigia. Iustitias autem Aragonum sub hoc Rege eos tan-
tum fuisse inuenio; quos annotaui: Petrum Martini Artassonem; ac Ioannem Egi-
dii Tarinum, qui Alfonso etiam Rege regnante, eundem Magistratum per aliquot annos
obtinuit.

ALFONSVS III. MVNIFICVS, ARAGONVM REX XVI.

REGIS namq; Petri mortui hereditas gloriæ, ac ditionis ad filium
peruenit Alfonsum: qui tāetsi rerum magnitudine ob exiguum
suæ vitæ curriculum patri adæquari nō potest; plurimum tamē ei-
dē præstitit māsuetudine animi, ac liberalitate. Vnde Larg⁹, & Mu-
nificus cognominatus est. Ad Balearē maiorem insulam, viuente
patre, profectus, Maioricæ Regis sibi nomē vendicauit, patruo in-
de pulso, quòd Gallis in patrem irruentibus opē tulisset. Ibi eidem
de patris morte nuntiatum fuit. Qua de re statim literas ad nostros
misit. In quibus cùm se Aragonum Regē nominaret, nostris id per-
quam graue visum est: proptereaq; legatos ad eum decreuerunt, tū
patris mortem maximè dolentes, tum etiam expostulantes ne ante Regale Diadema
maiorum more susceptum, Regio se nomine honestari pateretur. Quibus Re-
gem benignè respondisse ferunt, se minimè quidem id fecisse, vt antiquis patriis mo-
ribus deductio fieret: sed quia indecorum fore iudicauerat; se, qui iam Maioricæ Re-
gno occupato, Regale inde sumptum nomen adsciuerat, Regio nomini Infantis Ara-
gonum nomen anteferre. Hoc autem, quod erat totius suę ditionis caput, nullo mo-
dò postponendum censuerat. Verùm se illico Cæsaraugustam venturum, vt in ea
pro veteri consuetudine suum cumulatè officium expleret. Quod ita effectum fuit. Fe-
ria enim quinta Maioris Hebdomadæ, Ann. Chr. MCCXXCVI. eam Vrbem ingressus 1286.
est: ac in templo maximo illius, sequenti Dominicę Resurrectionis die, oleo perun-
ctus sacro, Regale nomen, ac munus assumpsit: antiquaque Priuilegia, ac Regni scita
quamprimum confirmauit, nostris ibidem generalibus Comitiis institutis. In quibus
nullę leges conditæ. Quędam tantummodò facta fuerunt Comitialia decreta de Regiæ
domus ornatu, atq; ordine. Veteres enim fuerant ea de re sępius à nostris querimoniæ ia-
ctatę; nouam scilicet rationem, & modum adhiberi oportere, vt dispersum, & dissipatum

Regale patrimonium connecteretur. Nostri etiam Regiorum Aulicorum munerum
mandandorum curationem ad se solos spectare contendebant. Rex id neque præscri-
pta aliqua lege cautum asseuerans, neque vsu receptum esse, à conuentu discedens, O-
scam properauit. Ex eo res in maius adducta est discrimen. Nostri enim contra, &
Priuilegio generali rogatum, & in more positum affirmabant. Verum à Comitiis intem-
pestiuè discedere, id quidem dicebant, Regi nefas fuisse: neque tantam iacturam factam
iuris æquè sustinendam. Iccirco protinus Vnionis vires, ac nomen concitarunt: quòd
pro communi causa libertatis non verbis solùm, sed armis quoque contendere liceret.
At Alfonsus Rex mala, quæ aderant iam, & impendebant, depellere cupiens, Oscæ v-
bi aderat, de quorumdam procerum sibi assentientium consilio, infra scriptas sanctiones
ex edicto suo promulgauit: quibus se credidit totam hanc controuersiam sedaturum. E-
dixit enim:

Vti deinceps Rex singulis diebus Lunæ in publico adesset: suorumque petitiones audiret.

Vnde Forus postea editus Ann. Chr. MCCC. sub Rege Iacobo II. huius Regis fratre, ma-
nauit: quem nunc habemus sub tit. *Vt Dominus Rex in audientia diebus Veneris, vel Sabbati
audiat conquerentes.* Sanxit etiam:

Vt consiliarii Regii quotidie vnum se in locum ad consilium congregarent: Rex verò diebus Martis, & Veneris ante meridiem eodem congressu coniungeretur cum ipsis: vt eo præsente & priuata rerum suarum, & publica quoque negotia transigerentur.

Præterea:

Vt singulis diebus Iudices, quos vocabant, Curiæ in Aula Regia iudicia facerent.

Ad hæc:

Vti Quæstores Regii, & qui vectigalia exercebant, tribus personis à Rege destinatis datorum, & acceptorum rationes redderent. Rex autem, ac consiliarii Regii ad hosce calculos vocarentur.

Item:

Vt Maiordomus Regius sumptuarias rationes quotidie à dispensatoribus accipe-
ret; assidente sibi Scriba, quem vocant, Portionum: qui rationes ipsas subduceret,
in codicesq; referret.

Alias etiam his similes sanctiones protulit: quæ licet nostris placebant; displicebat
tamen, quòd ex Regis edicto solùm, nòn tamen de Comitiorum sententia latæ fuis-
sent. Etenim maiores illi nostri permultum semper iudicarunt in omnibus rebus in-
teresse, quibus illæ modis fiant. Propterea Vnionem initam minimè dirimendam
duxerunt. Denique post varios rerum, euentus, quos hic recensere nequaquam est no-
stri suscepti muneris, Alfonsus Rex in Comitiis Cæsaraugustæ habitis Ann. Chr.
1287. MCCXXCVII. illa duo memorabilia Vnionis Priuilegia concessit: quæ tot postea vi-
rorum sanguine atrata fuêre, ac tandem à Petro Rege IV. vt paulò post dicemus, ab-
scissa. Eorum exempla, quæ vix vlla reperiuntur, in præfati Excellentiss. Archie-
piscopi monumentis annotata inueni. Atque illa ego libenter adiunxissem huic meæ
propositæ narrationi. Continent enim, quam initio expressimus, Fori illius Suprar-
biensis seriem, ac de Iustitiæ Aragonum potestate non pauca. Expresè enim caue-
batur: ¶ Ne contra Iustitiæ Aragonum interdictionem, quam nos Iurisfirmam vo-
camus, Regem in quosuis animaduertere liceret. Quod si fieret, dabatur nostris libe-
ra illa, quæ fuerat in Suprarbiensi Foro, optio delata. Sed libentius publicæ le-
gi parebo, qua id facere nefas est decretum: mihique ab ea re omnino temperabo, ne
illa videar nunc velle me inducere, quorum memoriam, cum vestigio exempli, maiores
nostri sapientissimè quidem non ex patrio more, atque institutis solum, sed ex priuatis
etiam literarum monumentis delendam, vno omnium consensu, legeque publica ea de
re lata, decreuerunt. Eorum itaque rogatione Alfonsus Rex nostrorum animos quam
maximè sibi conciliauit. Omnibus enim discordiis sedatis, armisque depositis, cùm ni-
hil postea nisi de ciuili pace tuenda cogitaret: eum mirificè coluerunt, & amarunt. Nec
abs re. Præter hanc etenim eximiæ suæ virtutis laudem, in dando munificentissimus
fuit; in exigendo autem non acerbus. Eleonoram, Eduardi Anglici Regis filiam, in
matrimonium ducere concupiuit. Cumque tandem depactæ hæ inter eos nuptiæ fuis-
sent, atque ad eas celebrandas magnificentissimi apparatus instruerentur, sic vt num-
quam sumptuosiores: pestilenti morbo affectus, mortē obiit immaturam A. D. XIV. Kal.
Iul.

Iul. Ann. Chr. ∞ CCXCI. ætatis autem suæ XXVII. In tumulo matris Barcinonæ in 1291.
cœnobio fratrum minorum sepultus, liberalitatis, & mansuetudinis suæ triste omnibus desiderium reliquit. Quòd sine filiis decessisset; Iacobus frater è Siciliæ Regno, cui post obitum patris præerat, ad hæc capessenda traductus est: Federico altero fratre in Siciliæ Regem adscito. Anno autem Chr. qui eius obitum antecessit, M CC XC. Vgo Mataplana Cæsaraugustanus Episcopus, Fortunii Verguæ successor, Religiosis, & Fratribus Sanctæ Marię *de* Monte Carmelo XV. Kal. Iulii facultatem concessit, vt in Cæsaraugustana Vrbe sui Ordinis domum ædificare possent. Quæ eo tempore constructa fuit, quo nunc cernitur loco: vbi antea quoddam Diuæ Helenę delubrum Eremiticum exstabat. Sed celebre nostra ætate ibidem monasterium inuisitur. Illius verò structuræ initium datum fuit tempore huius Alfonsi Regis. Sub cuius imperio duos tantùm Iustitias Aragonum fuisse constat: Ioannem Egidii Tarinum, quem supra annotauimus; ac Ioannem Zapatam Cadreto, virum nomine, & memoria dignum: qui etiam Magistratum obtinuit Iacobi II. Regis temporibus, quæ nobis ordine pertractanda occurrunt.

IACOBVS II. IVSTVS, ARAGONVM REX XVII.

ALFONSO etenim Rege sine liberis decedente, cùm Iacobus frater è Siciliæ Regno, vbi aderat, ad hęc obtinenda fuisset vocat⁹, ac more solito, Cęsaraugustę Regali insignitus diademate, illorũ curationẽ suscepisset; cumq; nec multos post dies magnum quoddã apud nos quorumdã Optimatum diffidium excitatũ, eò vsq; ipsos perduxisset, vt sibi licere contẽderẽt ab ipsius Iacobi Regis officio deficere, & ad alterius cuiusuis peregrini Regis mercedẽ se ipsos libere accõmodare, q̃ se prędicarẽt in plurimis rebus nimiũ grauatos fuisse, ac maximis cõtumeliis affectos: ad eos sibi conciliãdos Iacobus Rex Magistratus Iustitię Aragonum (cui tunc præerat idem, quem nominauimus, Ioannes Zapata) præsidium flagitauit: deposcens, quatenus Optimates ii ad docendum premerentur, qua de causa huiusmodi faciebant diffidia, satis ne esset ista eorum iusta defectio. Ioannes verò Zapata Iustitia Aragonum pro suo munere, re ipsa accuratè perspecta, & cognita, iucundè, ac suauiter (quæ mirifica est huiusce Magistratus vis, ac potestas) Optimates illos, qui ex totius Regni primoribus erant, cum Iacobo Rege consociauit: edicto prius, vt quæ iactabantur Regis iniuriæ, arcerentur; ipsi verò Optimates ab institutis diffidiis recederent. Cuius sententiæ protinus omnes paruerunt. Rex tunc Iacobus benignè, ac liberaliter eos in suam fidem recepit. Fuit enim æquitatis studiosissimus cultor, acerrimusque iniustitiæ inimicus. Vnde meritò apud omnes nobile, ac illustre Iusti Principis cognomẽtum obtinuit. Vxorem duxit Blancam, Caroli Neapolitani Regis filiam. Depactas enim cum Ysabella, Castellæ Regis filia, quàm nonnulli Mariam vocant, celebrare nuptias nequiuit, Celestino V. Pontif. Max. consanguinitatis gradui, quo inuicem coniuncti erant, indulgere renuente. Propterea Ann. Chr. MCCXCV. Blancam in matrimo- 1295.
nium habuit, nimiæ sanctitatis feminam, beati Ludouici Tolosani Episcopi, cuius erat germana soror, pietate, ac religione valde consimilem. Quinque ex ea filios suscepit: Iacobum, Alfonsum, Ioannem, Petrum, ac Raimundum Berengarium. Filias totidem: Mariam, Costantiam, Ysabellam, Blancam, & Violantem. Iacobus quidem natu maior (vt de his omnibus aliqua in medium adducamus) viuente patre totius eius ditionis heres designatus, illius successionem, & quòd summum fuit, Eleonoram Ferdinandi Regis Castellæ filiam, sibi in coniugem, sacro Missæ nuptialis fœdere icto, datam reiecit, non sine magna omnium admiratione, patris verò acerbitate, & tristitia; qui summopere filio Regale Diadema imponendum optârat. Tamen factum hoc minus consideratum, ac leuitatis, & futilitatis plenum, visum fuit. Etenim cùm Iacobus filius, dimissa vxore, licet minimè cum ea concubuerat, Sancti Ioannis Hierosolymitani Religioni primum, deinde Beatæ Marię Montesæ militari instituto, quod his temporibus cœperat, se addixisset; temperantiæ quidem, aut continentiæ nulla, incontinentiæ verò, & mobilitatis plurima satis testimonia dedit. Tandem adhibito sollemni, quod vocant, scriptionis genere, vltro se paternorum Regnorum exheredem constituit. Quorum propterea ad Alfonsum fratrem meritò venit hereditas. Fuit namque Alfonsus, Princeps minimè maioribus suis indignus. Sed de eo paulò post dicendi locus erit. Ioannes autem, huius Regis tertius filius, ex Montis Arago-

num Abbatia ad Toletanæ Ecclesię pastoralem curam euectus, inde ad Patriarchatum Alexandrinum cum Tarraconensis Archiepiscopatus administratione assumptus, doctrina, & sanctitate mirificè claruit. Petrus quoque illius frater, Ripacurtiæ Comes, pietate, ac religione insignis fuit. Ipso enim Comitatu, qui iamdiu Regio Diademati subiunctus exstiterat, à patre donatus, Ioanna vxore mortua, Fuxensis Comitis sorore, cum filiis ex ea procreatis ampla sua bona partitus, mendicitatem illis omnibus præseferens, in Valentina vrbe Beati Francisci Religionem suscepit, ac in ea mira, & singulari paupertatis patientia ornatus, vixit, & obiit. Cuius postea Alfonsus filius natu maior, vt demonstrabimus, Martino Rege mortuo, Regnorum successionem appetiuit. Raimundus autem Berengarius Pratensem obtinuit Comitatum. Atque hæc de filiis. Maria verò filiarum grandior Petro Infanti Castellæ nupsit: Costantia Portugalię Regi nepoti: Ysabella autem Federico Austriæ Duci, Romanorum Imperatori designato. At Blanca filia, insignis fuit Xixenensis monasterii Priorissa. Sed Violans, primum Philippi Romanię Despoti vxor; eoque deinde mortuo, D. Lupi Lunæ, primarii apud nos viri, Segorbiensis ciuitatis domini: qui postea Lunensis Comitis nomen assumpsit. Tanta, tamque illustri progenie Iacobum hunc Regem Regina Blanca vxor honestauit. Quæ quamdiu vixit, piis semper operibus intenta fuit. Celebre, quod nunc Cæsaraugustę exstat, Monialium Sancti Dominici monasterium sub Sanctæ Agnetis nomine construxit Circiter Ann. Chr.
1300. MCCC. Atque eodem anno, Regis ope, & impensa, ad Ilerdam vrbem publica disciplinarum Gymnasia, ac Scholæ constitutæ fuerunt. Decennio autem post, Ann.
1310. Chr. MCCCX. Barcinonæ Regina ipsa Blanca extremum vitæ suæ diem morte con-
1313. fecit. Monachos Augustinianos his temporibus, Circiter Annum Chr. MCCCXIII. Cæsaraugustam venisse comperio: in eaque sui Ordinis domum collocasse, forsan quo nunc visitur loco. Nec longè post, cœnobium Monialium Sancti Sepulchri fuisse institutum à nobilissima Marchesia, Theobaldi Nauarræ Regis filia, Petri Fer-
1318. dinandi Yxaritani vxore, Circ. Annum Chr. MCCCXIIX. Is autem annus apud nos & priscis sæculis, & præsentibus, memorabilis semper habitus est, nedum Mariæ Reginæ Aragonum morte, qua cum Iacobus Rex mortua Blanca se matrimonio coniunxerat, et atque soror Henrici Regis Cipri: sed Cæsaraugustanæ Ecclesiæ in Metropolitanam cohonestatione, Ioannis XXII. Pont. Max. speciali gratia, & fauore. Proditur enim Pontificem hunc Ecclesiæ nostræ studiosissimum fuisse. Post hæc autem Ann.
1322. Chr. ∞CCCXXII. Iacobus idem Rex aliam duxit vxorem, Elisendam Moncadam, nobilis Petri Moncadæ, & Bergæ Pinos filiam. Sed nullam ex ea, neq; ex superiore Maria, prolem suscepit. Filium habuit illegitimum, Iacobum: quem amplissimo patrimonio in Sardinia donauit. Illius enim, & Corsicæ sollemnem, quam vocant, Inuestituram à Bonifacio Pont. Max. obtinuerat: quamquam in earum expugnatione diu, ac sæpe ita armis, & ferro tam Iacobo ipsi, quàm posteris Aragonum Regibus contendere oportuit; vt non gratis traditæ ambæ hæ Insulæ censeri possint, sed plurimo sudore, & maiorum nostrorum sanguine partæ. Iam verò ne rerum in Sicilia gestarum, quæ multæ, & magnæ exstiterunt, narrationem penitus omittamus, Iacobus Rex, qui dum Siculis præfuit, constanti animo, & virtute, officia eorum, ac partes susceperat; ad hæc nostra translatus, mentem, voluntatemq; suam mutare coactus est, armaq; quibus sæpius pro illis dimicârat, subitò in eorum damnum conuertere. Etenim cum huiusmodi Regna vehementer affligerentur, quòd indies contra se, ob eam Siculorum causam, Apostolicæ Sedis indignatio ingrauesceret, diuque Ecclesiastico subiacerent Interdicto: pro summa, quæ semper, Diuino beneficio, apud nos viguit illius Sãctæ Sedis obseruãtia, maiores nostri cum Iacobo Rege, statim in suo apud nos regnandi initio, agere cœperunt, vt quoquomodo fieri posset, tot incommodis patriam leuaret. Ille verò à Romano Pontifice id obtinere nequiuit, nisi prius ad arma ære proprio contra Siculos ipsos sumenda se ipsum obstringeret. Eam enim, Ecclesiæ causam esse, Pontifex ipse decreuerat. Itaque in eorum, quos prius fouerat, periculum noua Regem moliri oportuit: vt Sanctæ Sedis concitatam iram, quando aliter fieri non poterat, etiam Siculorum periclitatione, leniret. Quo Regi ad dolorem nihil accidere potuit acerbius: quandoquidem belli fortunã non in eorum modò discrimen, quod acerbum erat, tentare cogebatur, sed, quod acerbissimum, in Federici germani fratris ruinã: quem Siculis ipsis Regẽ cõstituerat. Siculi tamen, qui dubiis rebus forsitan fuissent infirmiores; desperatis magnopere confirmati fuere maioremque Federico Regi, quàm antea habuerant, addere animum cœperunt. Ipse verò Federicus, cuius animi magnitudinem nulla vmquam inflectere

potuit

potuit aduersa fortuna, omnium in se obiecta tela, vi sua, ac virtute, perfregit. Tandem Siciliæ Regno quamdiu vixit, potitus est, & posteris suis hereditarium constituit. Sed ipso Regno præstantiorem eis tradidit hereditatem; gloriam nominis sui, rerumque gestarum. Ob quas viuentem proditur, vna omnium consensione, adeptum fuisse amplissimum Federici Magni cognomentum. Sed de his dicere mihi longum esset præsertim ad alia properanti. Hoc breue dicam, hæc, quæ cernuntur, Siciliæ Regni militaria Insignia, ab eodem Federico Rege constituta fuisse, ex Aragonum Regum, & Romanorum Insignibus Imperatorum, à quibus maternus auus, Manfredus Rex, originem ducebat, compacta. Noster autem Rex Iacobus (vt ad eum redeamus, cuius hic res gestas breuiter suscepimus perstringendas) postquam manum à Siciliensi bello subduxit, non sine magna Romani Pontificis, Gallorumque omnium querimonia, qui Siciliæ Regnum funditus conterendum proposuerant; ad nostros reuocatus, in hoc sibi totis viribus elaborandum constituit, vt quæ ad sacros ritus pertinerent, assiduisque bellorum tumultibus fuerant dissipata, diligenter instaurarentur, summaq; esset in omnibus suis Regnis in iuredicundo seueritas. In quo tantum consequutus est, vt nec multos post dies omnia viderentur à summis laboribus, & miseriis ad placidissimam pacem, & tranquillitatem traducta: tametsi eam (quæ mira fuit illius sæculi labes) aliquamdiu perturbarunt nouę quorundã conci atę ex nostris hominibus dissensiones. Qui cùm se stipendiis militaribus, quæ merebant, vulgarique nomine, *Cauallerias* vocabant, conquererentur spoliari à Rege sine causa: minimè dubitarunt Coitionem quandam, ad Vnionis instar, facere inter se, & iuramentis, & obsidibus communitam. Id enim sibi & maiorum more, institutisque concessum esse, ac legibus, & Priuilegiis Regno rogatis, affirmabant. Rex verò contendebat, se malitiosè nihil contra quemquam eorum nec fecisse, nec facturum vmquam, quin potius iniquè has de se querellas à nonnullis ex eis iactitari, qui maleficio, & scelere pascebantur, proptereaq; ipsi iustitiæ nomen odiosum erat: placere sibi, quòd causa hæc apud Aragonũ Iustitiam, quẽadmodum patrium summum diffinitũ ius erat, ageretur. Itaq; ad Cęsaraugustam Vrbẽ Comitiis indictis, istius contentionis iudex constitutus fuit Iustitia Aragonum: magnus ille, clarus, & præstans, Eximinus Petri Salanoua, Ioannis Zapatæ successor, nomine, ac memoria dignissimus vir. Qui vt M. ille Varro Romanæ antiquitatis, sic ipse nostræ diligentissimus inuestigator fuit; earumque rerum scientiam, quæ apud nos solo vsu constabant, à maioribus acceptam, auctamque per se se, pluribus quàm antea, ac illustrioribus literis explicauit. Eas autem, quòd ab ipso collectæ fuerint, Salanouæ Obseruantias appellamus. Re igitur in iudicium adducta, quamquam ii, qui causam dicebant, Iustitiam Aragonum ab illius cognitione repellere conati sunt, asserentes, cùm in ea, de iurisiurandi religione violanda, seruandave agendum esset, idque ad Iudicis Ecclesiastici iudicium spectaret, quòd causa illa esset merè (vt loquuntur) Ecclesiastica, minimè eam posse propterea à Iustitia Aragonum definiri, qui Sæcularem tantùm iurisdictionem exercebat: verumtamen Iustitia Aragonum, de more pronunciauit, ac sine vlla exceptione præcidit; Coitiones eas penitus dirimendas esse, tamquam minimè permissu legis initas, iuramentaque ob eam causam adhibita, rata esse non debere, quòd in re minus æqua facta fuissent. Ipsarum verò Coitionum magistros, & auctores Regis nutui, ac voluntati subiacere: modò ne de capitibus illorum, nec de omnibus bonis præscriptio ferretur: neve mulctarentur perpetui carceris, aut exilii pœna. Sanxit præterea: ¶ A sententia per Iustitiam Aragonum de Comitiorum consilio lata nullum prouocationi locum relinqui. Rex hilarè, ac studiosè dicto audiens fuit. Se enim libenter cum suis coram Iustitia Aragonum actorem sæpius constituerat, vt vel se eis æquabilem, ac iustum præstaret, vel facilius nocentes opprimeret. Proditur autem eundem de se seplerumque solitum affirmare: se numquam in omni vita sua in iustitia fouenda à recta conscientia fuisse transuersum, nec scientem ab obseruatione legum vnguem discessisse. In his autem Comitiis, quibus hæc gesta feruntur, Ann. Chr. MCCC. ad Cæsaraugustam, vt diximus, Vrbem, idem Rex antiquas leges emendandas curauit, ac in meliorem ordinem redigendas. Quarum qui tunc liber editus fuit, more antea seruato, nonus Fororum Aragonum liber appellatus est. In quem etiam coniectę sunt aliæ leges, deinde nobis sub eodem Rege constitutę, tam in Comitiis ad eandem Vrbem in sequenti Ann. Chr. MCCCI. habitis; quàm in aliis, quæ Alagonis opido Ann. Chr. MCCCVII. & Darocę Ann. Chr. MCCCXI. ha-

bita fuerunt. In quibus enucleandis multa accuratè effecit Salanoua ipse, singulari sua diligentia, & doctrina. Vltimis verò Comitiis ab eodem Rege habitis Cæsaraugu-
1326. stæ Ann. Chr. MCCCXXVI. insignis illa, quæ hodie exstat, generalis Priuilegii Declaratio rogata fuit: eaque plurimæ dubitationes, & controuersiæ sublatæ, ac nonnullæ libertates Regno attributæ: quæ antea non lege fortasse scripta, sed in capitibus prudentum, vt in præfatione exposuimus, communique omnium ore versabantur. Demum his, nonnullisque aliis rebus, Iacobus Rex nostris se reddidit beneuolentiorem.
1327. Nec diu equidem postea vixit. Anno enim Chr. MCCCXXVII. A.D. IV. Non. Nouemb. Barcinonæ vitam amisit, annum agens ætatis suæ sexagesimum sextum. Ibidem in cœnobio Sanctarum Crucum sepultus est: diuturnisque exequiis, sed diuturnioribus lacrymis meritò cohonestatus. Fuit enim simplicis cuiusdam veritatis, iustitiæque amicissimus: bello præterea, ac pace amplissimus, & clarissimus Princeps. In eius locum Alfonsus filius successit. In locum autem Salanouæ, Sanctius Eximini Ayerbius: qui diu ipsius Alfonsi tempore eidem præfuit Magistratui. Sed nunc nobis de Alfonso dicere propositum est.

ALFONSVS IV. BENIGNVS, ET PIVS, ARAGONVM REX XVIII.

ETENIM ob miram, quam diximus, fratris grandioris inconstantiam vitæ ac mutabilitatem, Alfonsus iste, Iacobi II. F. totius paternę ditionis heres institutus fuit. Iampridem autem Ann. Chr. MCCCXIV. nobilissimam, ac ditissimā, Teresiam Entenzam, vxorē duxerat; Gombaldi Entenzæ, & Domnæ Constantiæ Antilionis filiā: Vrgelitani Comitatus, plurimarumq; aliarum ditionū heredē. Ea simul cum Sācio filio, illius partu correpta, Cęsaraugustæ obierat quā triduo ante soceri Regis interitum: ibideq; in celeberrimo Sancti Francisci monasterio sepulta iacet. vt hoc acerbissimo casu minimè possit inter Aragonū Reginas numerari. Filios peperit: Alfonsum, qui paruulus obiit; Petrum, septimo mense natum, qui patri in Regno successit; Iacobum, Vrgelitanum Comitem, cuius postea nepos, vt mox dicemus, Regnum appetiuit; Federicum, qui puer mortuus est; ac Sanctium, qui quemadmodum memorauimus, vna cum matre ante extinctus fuit, quàm pene exortus esset. Filias quoque Constantiam, Iacobo Maioricarum Regi nuptam, & Isabellam, quæ eodem anno, quo mater, vitam amiserat. Alfonso itaque & vxoris, & filii exequiis operam danti; acerbum de patris morte nuntium allatum est. Cuius interitu, domesticum luctum nouis lacrymis, ac fletu augeri oportuit. Sed posteaquam iusta soluit paterno funeri cum ea, quam decebat supremi illius diei celebritas, & magnitudo; Regale sibi Diadema imponendum constituit, maiori quàm vnquam antea pompa, & ornatu. Comitiis propterea ad Cæsaraugustam Vrbem indictis, III. Non. April. Resurrectionis Dominico die, Ann.
1328. Chr. MCCCXXIIX. à Petro Lupi Luna, primo almæ illius Vrbis Archiepiscopo, in templo maximo, sacro perunctus oleo, coronatus est. Totam deinde vrbem, nobili equo aduectus, ambulauit, magna adhibita ludorum varietate, vestiumque tum argenti, tum auri mirabili copia: vt suæ maiestatis amplitudinem, ipsiusque vrbis magnificentiam, omnibus, qui eo conuenerant, ostentaret. Quorum numerum Raimundus Montaner, perquam grauis illius sæculi scriptor, qui se huic rei præsentem adfuisse perhibet; triginta millia Equitum superasse prodit. His peractis, Alfonsus Rex ad publica Regnorum negotia pertractanda conuersus, Darocæ in mense Septembris eiusdem anni publico quodam edicto sanxit: Ne Patrimonium Regium, vectigaliave intra decem annos vllo modo, neque à semetipso, possent abalienari, aut disiungi. Quod maximam peperit inter fratres contentionem, grauibus postea inimicitiis inceptam: quæ diutius
1329. ipsam Rempub. afflictauit. Nam cùm idem iste Alfonsus Rex Ann. Chr. MCCCXXIX. priori orbatus vxore, secundam duxisset, Eleonoram, Castellæ Regis filiam; quam vt minimus, Iacobus frater dimiserat; cumque liberis ex ea susceptis, Ferdinando, ac Ioanni contra promulgatum à se se edictum, ampla quædam patrimonia constitueret: Petrus Regnorum futurus heres, in quo acris quædam fuit acies ingenii, iis se exspoliari acerbè ferens, nouercam, ac filios, quamdiu vixerunt, capitali odio persequutus est: Quod licet diutius occultum continuit: verùm patre mortuo, adeo immaniter in eorum fortunas, ac vitā erupit, vt nec mitigari precibus, nec vlla vnquā sedari vetustate potuisset. Aliter certè, quàm Alfonsus pater assueuerat. Mirum nāq; fuit & illis sæculis, ac etiā præ-
[illegible] sentibus,

ſentibus; Petrum filium, hoc tam pio patre natum, ac benigno, in tam diſſimilem naturam incidiſſe: cùm non in corporibus ſolùm magnæ fuerint inter vtrumque diſſimilitudines, ſed maiores etiam in animis varietates extiterint. In Alfonſo enim patre, cuius hoc loco facta perſequimur, omnia ſemper viſa fuêre, clementiæ, manſuetudinis, pietatiſque & humanitatis pleniſſima, tum inter ipſos armorum ſtrepitus, dum adoleſcens, à Iacobo patre imperator conſtitutus, Sardiniam expugnauit: tum etiam poſt ſuſceptum ab eo Regale, vt dictum eſt, munus. vt ſiue mediam, ſiue extremam illius ætatem attendamus, hæc ſemper eidem fuerit ab omnibus collaudatio attributa: quaſi in eo benignitas, ac manſuetudo naturaliter inſitæ viderentur. Vnde ſibi Pii, ac Benigni Regis cognomentum inuenit. Tandem morbo graui, & mortifero affectus, ex hac vita migrauit Barcinonæ A.D. IX. Kal. Febr. Ann. Chr. MCCCXXXVI. Eius corpus ad 1336
Ilerdam vrbem delatum fuit, ibique in monaſterio Sancti Franciſci, Ordinis Minorum, vt ipſe iuſſerat, collocatum. Quamquàm autem ſub eo nullæ nobis leges conſtitutæ fuerunt: alia tamen produntur annotatione digna, quæ ad Magiſtratus Iuſtitiæ Aragonum ornandum munus ſpectant. Proditur enim à Sanctio Eximini Ayerbio, qui poſt Salanouam Iuſtitia Aragonum fuit, Ann. Chr. MCCCXXXII. ſancitum fuiſſe: Oriæ opidum intra Aragonios terminos conſtitutum eſſe, cùm alioquin Catalani intra ſuos fines contenderent contineri. Poſt hanc autem Iuſtitiæ Aragonum ſanctionem aliquamdiu iſtud opidum noſtris finibus comprehenſum fuit, tametſi poſteà Catalanis ipſis ex conuentu, & pacto, vt ſuſpicor, reſtitutum. Ayerbio autem cùm ſucceſſiſſet Stephanus Egidii Tarinus; eidem, ac muneri Alfonſus Rex in perpetuum conceſſit: Vt deinceps Iuſtitia, ac poſteri publicos Curiæ ſuæ Notarios adhiberent; quod anteà Reges ipſi facere ſolebant. Ex quo tempore, illius quæ vulgò vocantur *Scribaniæ*, Magiſtratui connexæ continentur. Nec mediocris ea re ad illius ornatum cumulus acceſſit: Illud verò ampliſſimum, & inſigne iſtius Alfonſi de noſtris legibus, ac libertatibus iudicium præterire nefas iudicaui, tametſi à propoſito parumper digrediar: vt eas quanti à noſtris Regibus æſtimatæ fuerint, oſtendamus: liceatque nobis in eo ipſo paululum gloriari. Etenim cùm ampla, vt retulimus, patrimonia filiis Ferdinando, ac Ioanni relinquenda Rex iſte contenderet: grauiſſimæ ſeditiones apud nos ob eam cauſam commotæ fuerunt, Petro filio eas conciitante. Sed longè multò grauiores apud Valentinos. Ad quos reprimendos, ſibique conciliandos, (nimia quippe licentia redundauerant) Rex ſe cum Eleonora Regina, ac liberis Valentiam contulit. Ibi ergò ea de re cum ipſo Rege, præſente Regina, quæ ita efficiundum curarat, dum cœptum eſt agi: licentiora, ac duriora quædam verba, quàm quę ipſi Reginæ æquè viderentur ſuſtinenda, prolata fuêre. Cumque ea nihilominus Alfonſus Rex tacendo ſuſtinuiſſet: ipſius taciturnitatem Regina vxor, quo erat elato animo, atque ardenti prædita, ita hiſce verbis ſtatim exprobrauit in omnium, qui ibi aderant, vultu, & conſpectu: *Miror profectò, ô Alfonſe Rex, quonam pacto tam leuiter ferre potuiſti, quæ tibi modo dicta ſunt. Si fratri meo Caſtellæ Regi, ſimilia his, quæ tu audiſti, fuiſſent prolata, minimè ea tam lente tuliſſet. Quinimo iſtorum impudentiam, qui talia loqui auſi ſunt ſubito crudeli morte mulctaſſet.* Cui Rex: *Noſtri populi, ô Regina vxor, eſt propria, atque innata libertas, quam nos reſcindere nequimus. Non enim, vt aliæ nationes, patitur ſeruitutem. Sed noſtri nos reuerentur, vt Dominum: nos autem eos, tamquàm fideles ſubditos, ac ſocios æſtimamus.* Atque hæc de Alfonſo. Nunc enim inſtituta ratio poſtulat ſermonis, vt ad Regis Petri, qui ei ſucceſſit, facta perſequenda traducamur. Inopinanti autem accidit mihi, vt in tam longum de poſterioribus his noſtris Regibus ſermonem delaberer. Eum tamen iam me ad exitum perducere oportet: neque extra rem ſuſpicor id futurum. Cùm enim omnia ſint inter ſe nimis connexa, & colligata: ruerent facillimè, niſi alia aliis, poſterioraque prioribus necterentur.

PETRVS IIII. CÆRIMONIOSVS, ARAGONVM REX XVIIII.

PETRVS ergò, Alfonsi IIII. filius, tanta ardebat cupiditate regnandi, vt se minimè posset continere, quin patre adhuc viuo, & viuente Regale nomen, contraquàm fieri licebat, vsurparet. Fuit autem huius nominis quartus; inter Aragonum verò Reges numero nonusdecimus: Cærimoniosus iccirco appellatus, q; in cærimoniis Regiæ dignitatis seruandis diligens admodum fuerit, & curiosus. Ac nisi se fraterno sanguine polluisset, tantumq; domesticis, & ciuilibus dissensionibus implicasset: potuisset meritò in optimorũ Principum cœtu collocari. Fuit enim ad excogitandum acutus; ad audendum callidus; ad efficiendũ acer, & prõptus; rei militaris peritissimus, summi consilii; maximi animi; vsu verò bellorum gerendorum, in primisque eorum hominum, qui sua ætate fuerunt, longè omnium exercitatissimus. Verùm ita durus, suspiciosus, ac turbulentus fuit, tam singularique immanitate, ac sui sanguinis crudelitate præditus, vt summa illa ipsius ingenii vis, vehemensque natura visa equidem fuerit, tanquàm fallaces herbæ, desperatos fructus attulisse. Quamprimùm autem regnare cœpit, magna orta fuit Catalanorum cum Aragonensibus nostris disceptatio. Catalani enim magnoperè contenderunt; priùs sibi, quàm nostris leges, ac mores patrios ab ipso Rege confirmari debere. Nostri contra referebant; Catalanos nobis in honoribus; & dignitatibus non modò non antefendos esse, sed nec in aliquo quidem adæquandos: cùm Aragonum Regnum, totius Regiæ ditionis summum semper habitum fuisset fastigium. Neque quoad ipse Rex ad Cæsaraugustam; omnium Regnorum principem ciuitatem, more solito Regiis decoraretur Insignibus, Aragonensibusq; ie foros ac libertates sanciret, & ab ipsis Rex constitueretur: licuisse vmquam nec Regale munus exercêre, necdum Regium sibi nomen vendicare. Quam rem, licet minimè dubiam, Rex tamen disceptandam duxit. Tantopere enim nouitatibus, ac controuersiis delectabatur: vt sensus, ac considerationem suam in earum quasi aucupium, quammaximè intendere videretur. Tandem Cæsaraugustæ priùs Regale sibi diadema imponendum constituit. Comitiis ergò indictis, Dominica die, San-
1336. ctissimæ Resurrectionis festum proximè sequuta, Ann. MCCCXXXVI. pretiosa amictus veste, aureaque corona insignitus, multis fulgentibus gemmis illuminata, patrias nostras leges, maiorumque instituta iureiurando firmauit. Catalanis posteà ad Ilerdam conuocatis, leges suas, aliaque scita perpetuò seruaturum, simili adhibita Iurisiurandi religione promisit. His ita constitutis, præter illud, cui⁹ supra meminimus, in nouercam, ac fratres concitatum odium, q; nisi misera, & ad extremũ iactata eorum fortuna, minimè vmquàm saturari potuit: in Balearicum Regẽ Iacobum, Costantiæ sororis maritum, aliis etiã pluribus & propinquitatis, & consanguinitatis vinculis sibi coniunctissimũ, effrenato, ac præcipiti furore commotus, varia intulit tum obsignationis monetæ, tũ diminutæ maiestatis, tum etiã proditionis crimina. Balearicũ namque Regnum, iam inde ab illi⁹ constitutione, sub Aragonum Regum supremo iure, ac imperio constitutum fuerat. Petrus autem, miro certè in omnibus suis rebus simulationis artificio eruditus Rex, quò facilius posset omnium odio subiicere scelera ac fraudes, quas in Balearicum Regem inferebat; iure priùs, deinde vi, & armis cum eo sibi decertandum proposuit. Sed rei exitus apertè indicauit illius ferocẽ animum, immanemq; naturam: quandoquidem nec miseranda Balearici Regis fortuna, qui se ad illius pedes supplex abiecerat, nec sororis lacrymis sæpius effusis, nec multorũ precibus in eorum opem adscitis, à suscepta via potuit vmquã deduci, quin Balearicũ Regno spoliaret. Quod tandem Aragoniæ ditioni perpetuò subiunxit: vt misero, atque infelici Balearico Regi nulla spes reliqua esset. Cuius tam acerbum casum longæua ipsius vita acerbiorem reddidit. Diu enim vixit patria pulsus, & Regno. Clarentius tamen deinde nominari voluit; hac tam peregrini nominis mutatione, se eum, qui antea erat, simulare studens. Neque ea Balearici Regni euersione contentus, statim Petrus Rex nouam aliam machinari cœpit: qua iura, ac libertates nostræ in extremum pene discrimen adductæ fuerunt, ac dimicationem fortunæ. Etenim cùm virili prole careret, quòd Maria Regina vxor Philippi, & Ioannæ, Nauarræ Regum filia,
1338. quam Ann. Chr. MCCCXXXIIX. in coniugem acceperat, filias sibi tantùm peperisset, Costantiam, Ioannem, & Mariam: Rex, se viuente, decernendum constituit: Vti eo sine filiis masculis decedente Regnorum omnium successio Costantiæ filiæ grandiori deferre-

deferretur: prætermisso Iacobo, ipsius Regis fratre germano: cui, eo casu, hereditario ac legitimo iure ea omnis hereditas obueniebat. Quæ quidem contentio omnibus visa fuit magnitudine profectò grauissima: nouitate autem, certè prima. Minimè enim videbatur vllam ea in re dubitationem esse posse, quin Iacobus frater, quem Rex palam heredem antea dictitarat, Regis filiis masculis deficientibus, in Regno succederet, filiabus Regis penitus exclusis: cùm à longo iam tempore generalem Regnorum gubernationem Iacobus ipse tractasset: ad quam sedere, solis filiis Regum masculis primogenitis, futurisve Regnorum heredibus concedebatur. In tot autem malis, quæ hanc ob causam iam aderant, atque impendebant, repentè lætissimus dies quidam illuxit Ann. Chr. MCCCXLVII. quo Maria Regina, Valentiæ filium peperit: cui Petri nomen inditum fuit. 1347. Eo enim in lucem edito, omnis hæc dirimebatur controuersia de futura Regnorum successione. Sed subitò idem ipse dies calamitosissimus fuit: eaque omnia quàm citò ex huiusmodi lætitia, & voluptate ad luctum, & lacrymas reciderunt. Infantulus namque Petrus, statim dum sacro Baptismate fuit insignitus, decessit: ipsaque Regina, quinto posteà die. Quod ingens sanè infortunium, omnibus, qui Regis acerbitatē fuerant experti, illico maiora minari Reip. mala visum fuit. Præcipiti enim furore Rex Petrus, instituti sui nequaquàm oblitus, nec multos post dies, Iacobum fratrem à suscepta generali Regnorum gubernatione deiecit: omnibusque iis, qui eius nomine aliquibus præerant Magistratibus, eosdem abrogauit. Nec non & publico edicto fratrem exheredans, Costantiam filiam generali gubernationi præposuit, tamquàm veram, legitimam, vnicamque quam statuerat totius Regiæ ditionis heredem futuram. Neque verò vafro, ac callido Regi vetus sua abfuit ad præcauendum astutia. Nonnullos enim ex nostris ad sese allicere curauerat, tum legum peritos, tum etiam Optimates: quorum auctoritate, & consiliis nefarium istud facinus colorabat. Ceteros nequaquàm potuit in suam voluntatem adducere: quia nefas habebant, Rege sine filiis masculis decedente, fratrem Iacobum à futura deturbare Regnorum successione, quæ ad eum paterno, atque auito iure, omnibus claro, & notissimo pertinebat. Inde apud nos plurimæ suscitari cœperunt ciuiles seditiones, domesticaque bella, acerba, atque horrifica; quæ vniuersam Regis ditionem vehementer afflictarunt, nō tam diuturnitate temporis, quàm ingenti malorum multitudine, incendiis, rapinis, & iis omnibus, quę in atrocissimis bellis contingere solent. Qui enim ex nostris patriæ libertati studebant, quorum maior, & integrior pars habebatur, hanc tam grauem Iacobo iniuriam factam, haud leuiter ferendam statuerunt: neque Iacobo ipsi solùm, sed vniuersæ Reip. factam fuisse. De qua nihil profuturum esse iudicantes, verbis conqueri, aut deplorare, quòd inexorabilem Regis animum cognouissent; decreuerunt eidem obsistere oportere armis, & vi: ne effrenato, ac solito suo furore, ad maiora damna patriæ inferenda, quemadmodum iam cœperat, properaret. Itaque maiorum peruulgata exempla vendicandæ libertatis sequuti, denuo duobus illis Priuilegiis, quorum paulò ante meminimus, roborata; priscam illam Vnionis, quasi iam morientis Reipub. extremam vocem, auctoritatis, & grauitatis plenam, Regum insolentiæ apertum indicem, summa, ac singulari bonorum omnium consensione, excitarunt. Quæ rei gerendæ ratio, tametsi antea Regiæ potestatis vim sæpius obsederat; verùm periculosa nimis eo tempore videbatur. Callidus enim, & versutus Rex eos ex nostris Optimatibus ad suam voluntatem adiunxerat, qui erant ex potentioribus, & primariis viris. Sed ita contracta res fuit, & adducta in angustum, cùm magna etiam esset aliarum iniuriarum vis; vt ad propulsandas eas nullus alius aditus nostris pateret, nisi solius Vnionis perfugium. Nondum enim tunc in Iustitiæ Aragonum Magistratum (quem illustris ille, egregius, ac præclarus vir, Garsias Ferdinandi Castrus gerebat) ea congesta fuerat potestatis vis, quæ ad reprimendos impetus hosce sufficeret. In ipsam namque Vnionem maiores illi nostri admodū veteres, plus certè, quàm decuisset, opis, & dignitatis contulerunt. Nihilominus tamen est valde mirandum, nullum ex his rebus, quæ hac tempestate gestæ fuerunt, istius Magistratus afflari odorem: licet nonnulli perhibent nostros illius iudicium subterfugisse, à Regis fratribus concitatos, tum Iacobo, tum verò præcipuè Ferdinando, ac Ioanne: qui in hanc tantæ dissensionis materiam; tamquàm funestæ faces, adhæserunt. Et fortasse ipse Rex, vsitata sua calliditate, & astutia, hanc nostris labem inferendam curauit, vt probabili aliqua causa, sin iusta minus, in patriæ fortunam, quos moliebatur, impetus compararet. Quoquomodo se res habuerit, nostri veteri exemplo, & instituto, solitam Vnionem inierunt: quasi communi consilio, in retinenda libertate, vna mente, & voce consentientes. Dare autem operam cœperunt, vt quàm primùm

omnes Cæsaraugustam Vrbem conuenirent. Ibidem ergò frequenti illico concursu facto, publici istius consilii auctores, ac rei gerendæ duces, Vnionis Conseruatores vocatos, designarunt. Ipsi autem meritò statuentes, necesse omninò esse ea in re omnes virium neruos contendere; quòd ferox Regis natura comprimi leui brachio non posset: vt ceterorum mentes faciliùs permouerent; cœperunt statim ad patriæ præsidium non solùm præsentes multis cohortationibus, & exemplis; sed absentes quoque variis literis, ac nuntiis, diligenter instructis, excitare. Verumtamen ne hæc alicubi possent vitio verti, viderenturque fortasse contra Regiam dignitatem inita, cùm nequaquam tenderent, nisi ad retinendam tantummodò libertatem: magnum quoddam efficiundum curarunt, ad omnia quæque obsignanda Vnionis monumenta, Sigillum. In quo vt sanæ eorum mentis, innatæque fidelitatis illustre, ac publicum signum exstaret, reconditique illorum animi, casti, atque integri, perpetuò apparerent: hasce omnes rerum ibi expressarum apponendas effigies decreuerunt: siquidem; Regem ornatu Regali in Solio pro tribunali sedentē, populumq; armatū circumstantē, ad illius pedes abiectū; & supplicē, Regis misericordiam captantē. Et ea quidem pulcherrima sunt fidelitatis, & cōsentientis multitudinis signa: neq; solùm fidē, sed & fortitudinē etiam præseferunt: quasi & Regis insolentiæ indicia ostenderent, & nostrorum propterea dolorē vultu, gestuq; significarent, seq; coactos, & inuitos ad arma pro patriæ defensione capienda fuisse commotos. Non autē audaciæ, aut confidentiæ tribuenda videntur: quemadmodum placuit nonnullis; sed potius summæ erga Regē fidelitati: quandoquidem inter ipsos armorū strepitus, etsi Regis intemperantiā exprobrabāt; supplices tamē, animo demisso, atq; humili, illi obtestabantur fidē, vt se docilē, ac beneuolū patriæ exhiberet. Neq; in sigillis solū, sed in vexillis, ac militaribus paludamentis eadē hæc ipsa curarunt depingenda; vt iis quoq; rebus inanimatis, ac mutis, indicarent omnibus, suā in Regē, Regaleq; munus perpetuam obseruantiam, & fidē. Cautioribus sanè consiliis, quā Valentini. Ipsi etenim dū similem inter se conflauerunt Vnionē, vnum idemq; cum nostris in ea libertatis causa sentientes: liberiore tamen, quā decuisset, licentia, in Regiā dignitatē irruperunt. Rex tantam suorum concitatā vim pertimescens, A. D. XIIX. Kalen. Septemb. eiusdē an. Chr. MCCCXLVII. ad Cæ-

1347. saraugustam Comitia indixit. In quibus dum de communi causa agi cœptum est; nostri quamprimū statuerunt, nouos Regi Consiliarios, atq; administros dari oportere: quippe q̄ non aliunde, quàm à prauis suorū consiliis Regē fuisse inductū prædicarent in tot errores, quot tantarū rerum nouitas attulisset. Necnon & illa duo Vnionis Priuilegia ab Alfonso III. irrogata, denuò ab ipso Petro Rege, quamquā inuito, & recusante, confirmari curarunt: illius assensionē captare studentes, ad roborandā susceptam eam, tam apertam militaris disciplinæ viā, initæq; ab ipsis vim, ac potestatē Vnionis. Præterea Iacobo fratri generalē Regnorū Procurationem restitui fecerunt: super quo præcipua contentio orta fuerat. Sed tamē perceler interitus illius magnā illico in plerosque atrocis rei suspicionē iniecit: Regem veneno, eidem mortē conscíuisse. Atqui cū Rex in æde maxima Cæsaraugustana pro veteri consuetudine suggestū ascendisset, de Comitiis dimittendis verba facturus: ardēs iracundia, & stomacho, asperiora nonnulla, & intolerabilia in quosdam ex nostris nominatim emisit. qui dū lacessiti audacter responderūt; Regis ferocitatē tantopere irritarunt, vt subitò maior, quam antea colluuio, ac rerum euersio visa sit. Rex enim festinanter Vrbe egressus, Optimates quosdam à nostris alienare curauit, & in suam partem transferre: quorū ope, & consilio, q̄ ex primoribus essent, properauit rem deducere in vltimū belli iudiciū; vt hāc, quā ipse prædicabat, seditiosorū hominū procacitatē non iā iustitia, & æquitas, sed ferrū impiū, ac cruētus gladius vindicaret. Ferdinandus, omniū nostrorū concitandorū caput, ac Ioannes, Regis fratres, qui iisdē Comitiis adfuerant, vniuersum Regnū illico ad arma vocauerunt: Vnionisq; vexillū à maxima Vrbis domo deducētes, propalā in publico loco, tamquā communis pro patria belli iustum, ac certissimū signū, collocarunt. Tunc clades miseræ patriæ flamma, ferroq; parata est. Et quā à tot antea sæculis benignitas Dei ad tantā gloriam erexerat, maiorumq; tum Regū, tum subditorū virtus ad summā laudē extulerat: repentè ad fatalē depulit calamitatē inflammatus, atque ignitus, Regis furor: præcipuè verò fraternum odium. Postquàm autē nostri pacis condicionibus, à memorato Garsia Ferdinandi Castro Iustitia Aragonum propositis, acquiescere noluerunt; optimus quisq; iudicauit, Vnionē eam ad vlciscendas

cendas potiùs veteres Regis, ac fratrũ inimicitias, quã ad defendendam patriæ libertatẽ inîri. Militaribus deniq; copiis vtrinq; collectis, cùm ad Epilæ opidũ, à Cæsaraugusta ipsa non longè, acies conuenissent, postquã acriter, diuq; ab vtraque parte pugnatũ fuit, haud aliter certè, ac si omnib⁹ pro aris, & focis constitutũ esset certamen: nostri tandẽ A. D. XII. Kal. Aug. Ann. Chr. MCCCXLVIII. in Regiam potestatem venerunt, ab illius exercitu superati. 1348. Sed nihil tam præter spẽ vnquàm, quàm ꝙ post huiusmodi victoriã visum fuit. Nã cùm funesto hoc casu nedũ iura, ac libertates, sed & ipsi quidem parietes nudi, qui tunc stabant, & manserunt, extrema iam omniũ malorũ metuere incommoda viderẽtur: Rex tanta victoria potitus, suam acerbitatẽ naturæ, maxima humanitate, ac insperata clementia temperauit. Quamquã enim sæuiter animaduertendũ censuit in nonnullos: reliquis tamen omnibus libenter pepercit: ꝙ eos sciret falsis fratrũ suasionibus fuisse in magnum illud discrimen adductos, iã vt satis liqueat, nequaquã tantam malorũ molem, quanta dũ vixit iacuit oppressus, hunc Regẽ Petrum depellere potuisse à se se, nisi acris eius, acerbaque natura aliquibus virtutis radicibus niteretur. Vt igitur iacentes omniũ animos in retinendæ libertatis induceret spẽ: generalia illico Comitia ad Cæsaraugustã Vrbem iussit conuocari. In quibus, assidente Galatiano Tarba Iustitia Aragonũ, in Garsiæ Ferdinandi Castri locum suffecto, vno omniũ consensu, Regis scilicet, ac Regni, quamprimũ decretum fuit; Vnionẽ ipsam à nostris funditus esse tollendam. Tunc peculiaris ille Forus promulgatus, quẽ nunc habem⁹, sub tit. *De prohibita Vnionis cassatione, & annullatione ipsius, & dependentium ex eadem: & quòd de cetero numquàm fiant nec fieri possint.* Hęc enim omnia ipsius Fori titulus, quẽ, Rubricam, vocamus, complectitur: quasi visus fuerit ipse Rex, paucioribus verbis memoriã extinctionis illius haud fuisse satis expressam iudicasse, nisi in ipso titulo tot verborũ strepitũ adiunxisset. Quin & illud est in dicto Foro maximè ponderandũ: quod tametsi in eo duo illa Vnionis Priuilegia, ab Alfonso Rege irrogata, expresse nominantur, penitusq; extinguenda sanciuntur; nullã videmus ibi diei, aut loci, quibus concessa fuerant, factã mentionem. Atq; vt antiquus quidã istius Fori, vt Iurisperiti loquuntur, glossator obseruauit, à Rege id consultò omissum fuit, ne dũ ea fortasse recitaret, licet id solũ tenderet ad eorũ funditus tollendã fidem; quidquã ex eis approbasse tacitè induceretur: non sibi sat ducens Vnionis ramos, ac truncos amputare, si nõ minutulas quasuis euelleret fibras radicum. Necnon & eundem Regem proditur cùm archetypa ipsa Priuilegia laceranda in manus sumpsisset suas: dum nimium festinanter pugiunculo quodam, quem assiduè secũ gestabat, eadem rescindere concupiuit, ẽ digito sibi sanguinem eliciusse. Cuius promptum illud tunc, ac facetum dictum omnes ferè concelebrant scriptores. Nam cùm ea suo sanguine tincta inspexisset: iustũ erat, inquit, vt quæ fuerant tot virorum sanguine atrata, nonnisi Regis ictu conciderent. Præteteà ne in aliquibus forsan Tabulariis, aut priuatis scriniis aliqua dictorum Priuilegiorũ exempla manerent, quæ in posterũ possent nostrorum animos reuocare ad Vnionis pristinę spem: ardenti studio curauit, vt omnia quæq; haberi possent, siue publica, siue priuata essent monumenta, ac siue de ipsa Vnione agerent, siue nequaquã, penitus interirent. Atque per id temporis plurimæ perierunt priscæ nostræ vetustatis Tabulæ: eaq; iactura, sicuti in præfatione conquesti sumus, mirã attulit in antiquis nostris rebus obscuritatem, ac tenebras, & quã nunc cernimus, in scriptorũ iudiciis infirmitatem, ne turbulentis illis temporibus hoc etiã deesset crudelissimũ miseræ ipsi antiquitati suppliciũ. Nostri etiam nolentes posteris periculosam prodere istius imitationẽ exempli; alacri vultu, & ore, Vnionẽ ipsam, illiusq; vim, ac memoriã, sempiterna ista obliuione, futuriq; sæculi reticentia, meritò sepeliendam censuerunt: ꝙ re vera, ea nihil aliud esset, nisi vberrima ferendi quotidie domestica bella, ciuiliumque seditionum materia, ac seges. Verumtamen cùm iam inde à priscis temporibus leges, ac libertates nostræ perquàm maximè tumultuoso illo Vnionis subsidio niterentur, ob idque, ruere illa non posset, quin idem ipse motus easdem vehementer labefactaret: de communi Regis, ac Regni voluntate maximam Vnionis vim in Magistratum Iustitiæ Aragonum transtulerunt; decernentes: Vt vniuersum Regum, ac Regni ius non iam ferro, aut gladio, sed istius Magistratus censoriæ notationi in posterum semper subiaceret. Quodam singulari consilio, tantæque prudentiæ, ac fidelitatis pleno, mirificè omnes populi seditiones sedatæ fuerunt, Regumque ac ministrorum extraordinarii impetus, atque ardores repressi. Eo enim Magistratu, vnico tunc omnibus perfugio constituto: communi paci, ac concordiæ adeo cautè, & prudenter consultum fuit, vt admirabilis illa temperatio, eo tempore inducta, firma, & stabilis ad hæc vsque tempora permanserit, cum summa tum Serenissimorum nostrorum Regũ laude, tum etiam totius nostri Regni gloria, & virtute. Hęc itaque domestica Regis victo-

ria, quæ miserrimũ vniuersæ Reipublicæ interitũ videbatur esse allatura, stabilem nobis constituit pacẽ, tranquillitatẽ & otium. Inde enim Magistratus Iustitiæ Aragonũ in eam, quam nunc colimus, amplitudinẽ dignitatis deuenit. Nam tametsi iã ab ipsius Regni primordiis, quẽmadmodũ docuimus, potissimũ fuerat ad cohibendos Regũ impetus constitutus: verũ sæpissime corruptus ille Vnionis mos, Magistratus vicẽ gerẽs, consueuerat Regios hos conatus armis comprimere, vt ad eã rem maiores illos nostros non alterũ demouisse, sed vtrumq; constituisse iudicemus. Atqui cũ arma contra Regẽ capere plerũque offenderet puros, ac castos nostrorũ animos, quamquã id ad defendendam libertatem fieret, lege permittente, maiorumq; exemplo, & instituto: vt hanc offensiunculam vitarent, nobis iure, non armis, deinceps cũ Regibus contendendũ statuerunt: ad eamq; rem tantũ opis, & dignitatis in eundẽ Magistratum conferendum, quantum ad magnum istud opus commode præstandũ sufficeret. Iccirco in eũ sensim tum ẽ Ricorũ hominum antiqua auctoritatẽ, tum ex ipsius Vnionis potestate, ac vi, tot belli, pacisq; munia translatã fuere. De quibus infra suo loco. Sed hi conuentus, qui magna omniũ nostrorum frequentia celebrabantur; nec diu post fieri desierunt. Octobr. enim mense eiusdẽ ann. Chr.
1348. MCCCXLIIX. teterrima pestis Cæsaraugustam inuasit. Ob quã causam Petrus Rex eos illico dissoluendos constituit. Cumq; omni festinatione Valentiã properaret; in ipso itinere, Exericæ opido, Regina vxor Eleonora maritũ sequuta, eodem mense obiit, nullis superstitibus filiis. Eam Rex, post Mariæ prioris vxoris mortẽ, in coniugem acceperat. Alfonsi autẽ, ac Beatricis Portugaliæ Regũ erat filia. Rex ergò Petrus Valentiã tendens, Valentinorũ Vnionem actius agitatam penitus contriuit, ac domuit. Sequenti verò Ann.
1349. Chr. MCCC. XLIX. Eleonorã, Ludouici Siciliæ Regis sororẽ, sibi in matrimonio collocauit. Ex quã, Ioannem, Martinũ, & Alfonsum, filios suscepit; filiam autẽ Eleonorã: quæ posteà Ioanni Castellæ Regi nupta, filiũ habuit Ferdinandũ, à nostris Regem in quarto Interregno constitutũ: ad cuius rei narrationẽ properamus. Virili ergò prole Regi exorta, Ferdinandus, ac Ioannes, fratres Regis, depulsi fuere ab spe, & conatu futuræ Regnorũ successionis: quam Ferdinandus eodẽ iure, quo Iacobus quondã, vt diximus, appetierat; acriori tamen contentione, & vi: quippe qui studiosissimũ sui propugnatorẽ habebat, Petrum Castellæ Regem, Crudelem appellatum, nostro vehementer oppositũ, & obiectũ. Inde fuerunt inter hosce Reges, nomine quidẽ simillimos, moribus autẽ non longè dispares, maxima, & periculosissima bella commota, terrestria, & maritima. Castellanus enim nostrũ Regem imperatũ adortus, postquã plurima Aragonũ Regni loca occupauit: Valentiam obsedit; ac Barcinonæ tandem, ingenti nauiũ copia ad eius litus appulsa, non minimum intulit terrorẽ, tametsi illa tunc Vrbs ab officio debito nequaquã desciuit. Sed hac tanta iniuriarũ mole noster lacessitus, minimè sibi satis esse cõstituit ditionẽ suam omnibus his angustiis liberare, q; statim effecit; nisi inimici Regis internecioni, ipsiusq; Regni excidio aliquis acerbissimus modus pararetur. Certatim igitur ei ad hoc opus currenti haud defuit consiliũ, nec occasio. Inimici enim Regis opprimendi paratissima causa fuit, illius feritas, atque agrestis immanitas. Ob quã caussam difficile dictu est, quanto in odio esset apud suos: qui nullũ aliud illius beneficiũ, neque virtutem memorabant, nisi iis tantummodò eũ vitã dedisse, quibus non ademisset. Deniq; cùm Henricus Trastamaræ Comes, Castellæ Regis frater, patriæ se liberatorẽ prædicaret: noster Rex causam hanc, licet aliquotiens iugulatã, reuiuiscere duxit oportere: neq; se solùm consciũ, sed præcipuũ ipsius delendæ tyrannidis fautorẽ indicauit. Vnde Henricus occasionẽ habuit regnandi. Nostro enim Rege sibi maximè suffragante, fortiter rẽ ipsam aggressus, post varios vtriusque casus, cũ fratrẽ Petrum prœlians occidisset; illius imperiũ consequutus fuit. Ita noster Rex illatas sibi ab inimico iniurias vindicauit. Ferdinandus quoque horum omnium incendiorũ fax, pœnarũ satis pertulit. Nam à Rege fratre sæpius patria pulsus, posteà ab eodem adscitus, tandem in aperta, quemadmodum Rex affirmabat, contra eum coniuratione deprehensus (quamuis nonnulli id à Rege confictũ prodidêre) interfectus est. Iam verò non possum non vehementer admirari summã istius nostri Regis aciem ingenii: quandoquidem talibus principiis res, quas adoriebatur, prætexere consueuit, vt ad eũ semper, quem optabat, exitũ peruenirent. Quòd si eã ad bona deligenda exercuisset, nec se tantopere suorũ sanguine cruentasset; nullũ vmquam ex nostris Regibus habuissemus honoris, ac laudis gradu superiorem. Veruntamen cuius in gerendis inimicitiis ferocitas, ac pertinacia nimiũ efferbuisse visa fuerat, & quem acris quædam naturæ vis ad periculosissima, nec semper æqua, aggredieda concitârat: iam ipsarum rerũ tractatio, & vsus flectere cœpit; tempora lenierunt; ipsa quoq; ætas mitigauit. Visus est enim non iam ærumnosus, vt antea, consiliis ve præceps, aut deuius: sed officii, & æquitatis plenus, paternæque

terrique bonitatis, & beneficentiæ studiosus, & cupidus imitator. Tantæ autem morũ mutationis cùm in plurimis rebus maxima dedit documenta: tũ verò præcipuè, dum generalẽ Regnorum Gubernationẽ Ioanni filio Primogenito, qui iam pridẽ illã tractabat, abrogandã constituit. Et is quidem Ioannes aliquamdiu Regi ipsi charissimus fuerat; ab eoq; singulari quodam amoris signo, Gerundæ Ducis nomine insignitus: vnde Titulus hic, Aragonum Regum Primogenitis filiis mansit illustris. Sed mortua Eleonora Regina, ipsius Ioannis matre, tertia verò eiusdem Regis vxore, cùm idem Rex Petrus quartam duxisset, Sibiliam Forziam, Bernardi Forziæ, Catalani Equitis, filiam, quæ priùs D. Artallo Focio, Aragonensi Rico homini, nupta fuerat: Ioannes patri in tam acerbum odium venerat, nouercæ Reginæ insidiis circumuẽtus, vt ab ipsa generali Gubernatione, publico Regis edicto, Ne quis filio obtemperaret, depelleretur. Quod cùm Ioannes contra, ac liceret, factum prædicaret, quia ad se tamquàm Primogenitum, futurumq; heredem, à Rege, & Regno designatũ, generalem illam Gubernationẽ, certo, ac legitimo iure, pertinere affirmabat: demũ ad paternam hanc iniuriam propulsandam, Magistratus Iustitiæ Aragonũ præsidium implorauit. Ipsi autem Magistratui tunc præerat Dominic⁹ Cerdanus, Ioannis Eximini Cerdani, cuius supra meminimus, pater: vehemens, ac disertus vir, inprimisq; ad resistendum fortissimus. Itaq; coram eo Ioannes ipse vt Primogenitus, iudicialem obtulit de Rege patre querellam: quam nos Iurisfirmam appellamus; quòd in ea de stando, ac parendo iuri coram eodem Iustitia Aragonum firmè, ac grauiter asseueremus. Ipsius verò Iuri firmæ ea apud nos est maxima vis; vt à Iustitia Aragonum recepta, de vi, ac violentia interdicat. Dominicus igitur Cerdanus Iustitia Aragonum, huiusmodi Iurisfirmam recipiens, id, quod à Rege factum fuerat, nefas decreuit: Regique de vi interdicens, Magistratus auctoritate edixit; vt Ioanni Primogenito generalem eam Regnorum Gubernationem, à qua illum iniurià, non iurè deiecerat, restitueret; tamquàm certum, & definitum Primogenii ius: contra quam Rex censuisset. Quòd si se huiusmodi edicto crederet læsum iri; iure cum filio coram ipso Iustitia contenderet. Se enim vtrique parti æquabilem, ac iustum iudicem futurum offerebat. Hac namque modestia Magistratus semper vti solet in literis, vt vocant, primæ ipsius Iurisfirmæ concessionis: nempe quia decorum visum est, in his etiam rebus Regiam Maiestatem cultu, atque honore debito venerari. Petrus Rex huiusmodi interdicto non solùm opere (ad id enim legum, ac Magistratus premebatur vi) sed animo, ac mente (quod nouum in eo, vt retulimus, notatum fuit) liberalissimè conquieuit: quasi non iam coactus, & inuitus, vt antea, legibus parêre videretur, sed quod id ad Regii sui muneris stabilitatem salutare maximè iudicaret. Tandẽ perdita valetudine, ac summa senectute confectus, mirabili quodam casu migrauit ẽ vita. Proditur enim eum proscripta, & edicta die sexagesima, à Sancta Tecla, Tarraconensis Ecclesiæ Diua tutelari; quòd in ipsius patrimonium violenter irrupisset; obiisse citatum. vt miser ipse Rex, vsque ad extremum vitæ spacium, nullum visus sit otiosum spiritum duxisse, nec tranquillum. De illius autem obitus tempore in peruetustis codicibus manuscriptis Sedis Cæsaraugustanensis, ac Ecclesiæ *de Pilari*, in quibus Canonicorum, aliarumque insignium personarum obitus designantur, ita annotatum inueni. *Obiit Serenissimus, ac magnificus Princeps, & dominus, Dominus Petrus Rex Aragonum: Ann. Chr.* ꝏ CCCXXCIIX. *Oct. Id Ianuarii.* Quamquàm autem nonnulli anno anteriori Non. Ianuar. mortuum testentur; mihi codicibus his maior fides videtur adhibenda; quòd in ambobus, antiquissimis literis, id ipsum describatur: nisi fortè dicamus minori numero annum ab Incarnatione, maiori autem à Natiuitate notati: qui error in annorum computationibus passim occurrit. E Barcinona ciuitate ad Populeti monasterium eius corpus delatum fuit. Sed ea funera minimè tam ampla, quàm aliis Regibus, facta sunt. Ioannes enim filius grauissimè eo tempore ægrotabat; nouercamque vehementer, paterno prorsus exemplo, insectabatur. Iam verò sub hoc Rege, quia diutius imperauit, plurimi Iustitiæ Aragonum exstiterunt: ex quibus nonnullos recensuimus: sed non omnes. Fuerunt autem hi; Stephanus Egidii Tarinus, qui in locum Sanctii Eximini Ayerbii, viuente Alfonso Rege, suffectus est. Stephano autem successit Pelegrinus Anzanus. Reliqui verò fuêre: Pelegrinus Oblitas; Garsias Ferdinandi Castrus; Galacianus Tarba; Ioannes Lupi Sessesius; Blascus Ferdinandi Heredia; ac Dominicus Cerdanus: qui etiam Magistratum obtinuit Ioannis Regis temporibus. Sed priusquàm illius res gestas attingam, hoc loco omittere nefas duxissem; antiquam Æræ computationem, quæ ad tempora designanda adhibebatur, à Petro hoc Rege sublatam fuisse: decretumque & meritò, vt à Natali Domini nostri Iesu

1388.

Chriſti die annorum ratio deinceps peteretur. Itidem & ab eodem Rege ad Oſcam Vrbem publica ſcientiarum Gymnaſia conſtituta fuerunt. Quamuis autem hæc diu antea geſta produntur; conſultò in hunc locum reiecimus: vt notabili hoc exitu varii, ancipiteſque iſtius Regis caſus concludantur. Multæ etiam nobis ſub eo leges editæ ſunt. Sæpius enim Comitia celebrauit. Sed ne noſtra longiùs aberret oratio, de his nec verbum facere decreuimus. Illud tantùm animaduertendum, hunc Regem malè nominatum in iiſdem ipſis legibus contineri. Siquidem Petrus ſecundus legitur, cùm quartus omnino dici debuiſſet. Ex Sibilia, Regina filiam ſuſcepit Iſabellam; Iacobo illi Vrgelitano Comiti nuptam, qui ob Regnorum ſucceſſionem, malorum grauem deinde molem ſuſtinuit.

IOANNES I. ARAGONVM REX XX.

IOANNES I. Petri IIII. F. hereditario, ac legitimo iure patris mortui locum occupauit. Quamquàm autem par vtriuſque dignitas; diſpares tamen animorũ motus in hoc, & in illo fuerunt. Non enim in filio viſus fuit patrius ille acerrimus mẽtis ardor; flagrans bellandi ſtudium; nouandarumque rerum cupiditas inſatiabilis: ſed blanda quædam, ac mollis natura, ab armorũ vſu, negotiorumq; tractatione tantopere abhorrens, vt nulla alia in re, niſi in exercitationib' ludicris verſaretur. Hinc in eius aula lautę crebro, & magnificę cœnæ; quotidianus vocum, neruorum, tibiarumque cantus; hiſtrionũ, & ſaltatorum maxima turba; venationũ præterea magnifici apparatus; ac poetarum frequens concurſus. Hiſce enim rebus eodem prorſus modo paſcebatur, ac ſi non ad laudis, ſed ad omnia delectationis ſtudia natus fuiſſet. Viuẽte patre vxorem duxerat Matham, ſeu Mathæam; Ioannis Armeniacenſis Comitis ſororem. Ex qua vnicam filiam ſuſcepit, Ioannam, Mathæo Fuxienſi Comiti nuptam. Mortua autem Regina Matha, Violantem Roberti Barenſis Ducis filiam, & Ioannis Francorum Regis neptem, ſibi in matrimonio collocauit: contraquàm Petrus Rex pater voluiſſet. Ille enim Mariam, Siciliæ Reginam, filio in coniugem dari concupierat. Sed Ioannes Violanti matrimonio coniunctus, dum ſibi Regium munus delatum fuit; totius Regiæ poteſtatis, ac imperii ſummam vxori conceſſit: quò ipſe curis vacuus liberiùs poſſet omnia ad ſui corporis voluptatem referre. Id noſtris perincommodè viſum eſt accidiſſe. Nam etſi cum Rege propter illius deſidiam niſi incommodè agere non licebat; incommodiùs tamen cum vxore: quæ etiam ſe totam ſupra modum dederat cuidam Carroziæ Villaragutiæ, ipſius famulæ. è quarum duarum ſexus imbecillitate vniuerſus Regnorum ſtatus pendebat. Verumtamen Rex Ioannes hac indole virtutis, & continentiæ fuit, vt ſi quando eidem aliquæ forſan querimoniæ de ſuorum miniſtrorum iniuriis proponebantur, vel eum à recta legum via aliquo modo aberrare; facillimè ſe admoneri, ad rationemque & æquitatem reuocari peteretur. Nec illi vnquam graue, aut moleſtum fuit, ſi aliquando præceps ad aliquid agendum nimia celeritate ferebatur, ſubitò à ſuſcepta mente deſiſtere; modò in optati ſibi otii portum confugeret. Cuius generis exempli cauſa hoc loco his, quæ dicta ſunt, libenter adiungam, præclarum illud factum, lepòris, ac vrbanitatis plenum, quod Ioannes Eximini Cerdanus Iuſtitia Aragonum, in patris locum ſuffectus, ſibi cum hoc Rege perhibet contigiſſe. In eo enim aculei, quos idem Iuſtitia habuit in reſpondendo, Regi minimè moleſti acciderunt. Illud autem referam, quemadmodum ab eodem Iuſtitia proditur: quamquàm Latinè redditum, haud poterit eundem in iocando ſonum referre, quem vulgari noſtra lingua retuliſſet, ſiue quod ipſum facetum fuerit, ſiue fortaſſe factum narrante eo venuſtiſſimum. Fuit enim Ioannes Eximini Cerdanus, non ſolùm ſapiens, ac diſertus vir, variaque eruditione refertus, ſed lepore, & venuſtate affluens, atque vt nunc loquimur, vrbanus. Is ergò teſtatur, Ioannem hunc Regem aliquando in quoſdam Cæſarauguſtanos ciues grauiter ſæuientem, patrio iure nequaquam ſeruato, eos in carcerem contrudi imperaſſe. Qui tametſi innocentiſſimi, mortis ſibi periculum intendi metuentes, vt hanc Regis vim effugere poſſent, in aram Magiſtratus Iuſtitiæ Aragonum confugerunt, ab eo firmiſſimum, ac ſummum illud, quod vocamus, Manifeſtationis auxilium flagitantes. Atque vt ipſum Manifeſtationis vocabulum interpretemur, ne à nobis fortaſſe obſcurius dicatur, quàm vt quiuis intelligere poſſit; eſt apud nos Manifeſtare, reum ſubitò ſumere, atque è Regiis manibus extorquere, ne qua ipſi contra ius vis inferatur. Non quod tunc reus iudicio liberetur; nihil ominus enim, vt loquimur, de meritis cauſæ ad plenum cognoſcitur. Sed quòd deinceps ma-

ceps manifestò teneatur; quasi antea celatus extitisset: necesseque deinde sit de ipsius culpa non impetu, & cum furore, sed sedatis prorsus animis, ac iuxta constitutas leges iudicari. Ex eo autem, quòd huiusmodi iudicium manifestò deprehensum, omnibus iam patere debeat; Manifestationis sibi nomen arripuit. Iustitia igitur Aragonum adscitam Magistratus opem ciuium periculis subleuandis protinus impertiuit. Neque enim sibi aliter facere licuisset, quin graui etiam pœna mulctaretur. Rex id acerbè ferens, quorundam suorum impulsu, Iustitiam Aragonum sibi in ea causa nimium esse suspectum asseuerans, eidem adiunctum, quem vocant, Iudicem dandum decreuit; Raimundum Franciam, peritum, ac præstantem virum; qui eo tempore Procancellarii Regis munus sustinebat. Tunc ista partium contentio in magna posita fuit iudiciali controuersia; cùm non iam de facto ciuium, sed de publico Regni iure disceptaretur: Vtrum scilicet, Iustitiæ Aragonum, quamtumuis, vt loquimur, pro suspecto dato, adiunctus Iudex à domino Rege dari posset in communi causa libertatis: Ciuibus, haud posse, contendentibus; Rege verò contrarium enitente. Qui per priuatos etiam nuntios eidem Iustitiæ mandauerat, ne ea de re iudicium faceret: donec sibi priùs, quid faciendum esset, præscriberetur in Regio consilio: ad quod idem Iustitia, Regis iussu, fuerat accersitus. Sed ei tunc illa fuit animi virtus, quæ quondam Dominico Cerdano patri suo. Nam antequàm ad Regem accederet, abiecta omni cunctatione, ne forsan tarditas, aut procrastinatio ciuibus periculosa esset futura; contra istam rem minimè dubiam statim iudicauit: ab eo in dicta causa sine vllo adiuncto ius dici debere. Post autem aliquanto in Alfaxeriam, Regiam suburbanam domum memoratam, in qua tunc Rex consistebat, ipsius vocatu se contulit. Ibi cùm frequens staret clarorum virorum congressus in Regis conspectu ad consilium, fuit ab eodem Procancellario sermo propositus, omnisque ad Iustitiam Aragonum directa oratio: illum nempe iccirco in eum locum vocatum fuisse, vt de causa ciuium, antequàm sententiam pronuntiaret, ad eos omnes ibidem referret. Cui cùm dictus Iustitia responderet, rem iam ab eo iudicatam, eamque Iudicis adiunctionem penitus esse repulsam: Procancellarius cœpit tantam celeritatem magna vocis contentione obiurgare; eò præsertim; quòd ipsi Iustitiæ, ne id ageret, ab ipso Rege, etiam per priuatos nuntios, præscriptum fuisset. At Iustitia sibi visum fuisse affirmauit, rem illam tritam esse, & vulgarem: nec quæ ex tempore agi ius erat, tardari, aut procrastinari oportere. Tunc Rex eundem Iustitiam, acriori adhibita obiurgatione; de iudicii æquitate, & iure postulauit. Verùm ille grauiter, & acutè causam in tempus conferens, hac vsus fuit vrbana, & iusta excusatione. *Que saulando con reuerencia del dito Señor Rey non lo podia fazer. Car de los feytos del officio, si era affrontado, deuia dar razon en Cort general, & non en otro lugar.* Nam eo tempore Iustitia Aragonum de factis per eum nemini tenebatur reddere rationem, nisi in Comitiis generalibus. Nondum enim Forus editus fuerat, quem nunc habemus sub tit. *Forus Inquisitionis Officii Iustitiæ Aragonum.* quo edictum fuit: vti Magistratus hic subiectus existat supremo Septemdecim Virorum iudicio, ac potestati. Eadem autem ipsa antiqua nostra vulgaria verba, apponenda duxi & deinceps, dum similia recenseri oporteat, libenter annotabo: quòd ea videantur mihi planiùs, quàm Latina, antiquæ nostræ vetustatis leporem; & vrbani sermonis venustatem exprimere. Itaque ne longiùs, quàm quod scitu opus sit, in narrando procedamus; cùm Iustitia Aragonum non pateretur se vllo modo ab ea mente, & sententia dimoueri: Rex à Procancellario, & nonnullis aliis in Iustitiam Aragonum acriter concitatus, statim sequenti die in Zueræ opidum, non procul ab vrbe, confictæ venationis causa, secessit; Iustitiamque ad se quamprimùm iussit euocari, & alios duos, Michaelem Capielliam, & Vincentium Yecaram, primarios viros, eidem Iustitiæ amicitia, & sanguine valde coniunctos: qui istius facti conscii, ac participes putabantur. Eo enim pacto crediderunt, eosdem meliùs in ea ciuium causa ad Regis arbitrium adducendos. Hi ergò omnes quamquàm à nonnullis perterriti fuerant, & à Deputatis Regni commonefacti, ne Regem adirent: tamen ipsius dicto audientes, confestim ad eū ire perrexerunt: vt ii qui, quo ad fas esset, Regibus semper parere didicissent. Turpe enim fore iudicabant, ac meritò, Regis sui conspectum subterfugere, qui ipsius accitu benignè euocabantur: tametsi Iustitia Aragonum, vt ipse de se testatur, constanter statuerat omnem cruciatum perferre priùs, quàm aut officium proderet, aut fidem. Cuius eo tempore fuit facetum illud dictum, & acutum. Etenim cùm ad fucatam illam venationem inuitarentur, quasi eos apud se Rex Zueræ aliquamdiu cuperet diuersari, forensi ciuium causa omnino supplosa: Iustitia Aragonum, quæ multa fuit in homine iucunditas, & magnus in iocan-

do lepos;ita ſe perhibet reſpondiſſe. *Que men de marrauillaua muyto; que el Señor Rey nos*
mandaſſe yeſſemos al dito lugar de çuerra à la dita caça. Car non creya, que tan malos tres
Caçadores hauieſſe en el Regno, como noſotros. Tandem Zueram verſus profecti ſunt.
Vbi dum peruenerunt; Rex eos liberaliter excepit: ac eodem Procancellario,
aliiſque nonnullis præſentibus, ita ſermonem ſuum orſus eſt. *Iuſticia, yo he embia-*
do por vos, por la razon que vos dira el Vicecanceller. Qui eadem repetens, quæ Cæ-
ſarauguſtæ dicta fuerant, permulta verba contra ſententiam in ea ciuium cauſa la-
tam denuo facere cœpit: Iuſtitiæque Aragonum nimiam in ea ferenda celeritatem
vehementer exprobrare. Nec dum ea ad extremum vſque perſequutus fuerat; cùm
Rex, interrupta illius oratione, ad hunc modum eundem Iuſtitiam eſt affatus. *Iuſticia,*
hoc en buena manera os lo digo. Quæ verba continenter ab eo ter, aut quater repetita fue-
runt: quaſi vellet; illa non tam exprobrandi cauſa, quàm commonendi gratia, dicta
iudicari: vel fortaſſe cuperet meritam ſibi gratiam ab eodem Iuſtitia memori mente
perſolui; quòd Rex tam lentè ſuſtineret, quæ ipſe in Magiſtratu decreuerat, vt Re-
gi viſum fuerat, iniurioſe. Attamen ille, quò ſe, vt fas erat, humilem, & vrbanum
Regi exhiberet; quoties eadem ſibi verba proferebantur, oſculans Regis manum, his
verbis curabat illius beneuolentiam captare. *Yo vos lo tengo Señor en gratia, è merce: que*
mas ſon eſtas paraulas de patre, que non de Señor. De reliquo autem, quòd ad rem at-
tinet, nec quidquam laxari paſſus eſt ex eo iure, quo erat aſtrictus; vt meritò quidem
præclarum hoc ipſius factum à nobis hoc loco propoſitum fuerit ad imitandum:
quandoquidem non furioſe, aut petulanter, ſed prudenter; grauiter & venuſtè in
propoſita ſententia permanſit; ipſam verò venuſtatem admirabili quadam conſtan-
tia, generoſaque animi fortitudine decorauit. Rex autem Ioannes eum cum bona
gratia dimiſit. Cui vniuerſa iam ciuitas; ac totum ferè Regnum, quaſi ſuis ſedibus
conuulſum, ad complectendum ſuum conſeruatorem procedere obuiam feſtinabat.
Proditur autem Regem ipſum, cùm à ſuis agitaretur, vt vehementius in Iuſtitiam Ara-
gonum inſultaret, reſpondiſſe: *Que por poder que ellos hauieſſen, non lo farian barallar con el*
Iuſticia de Aragon. Perinde ac ſi apertè omnibus protuliſſet ſe minimè cum eo Magiſtra-
tu velle contendere, cuius ope fuerat in defendenda generali Regnorum Gubernatione
contra patrem, vt diximus, ſubleuatus. A ſuſcepta igitur narratione hùc digreſſus ſum
eo conſilio, vt iſtius Regis facilitatem, & manſuetudinem indicarem: præcipue verò,
vt intra noſtrarum rerum narrationis curſum, aliquibus propoſitis exemplis oſtende-
rem, Magiſtratus Iuſtitiæ Aragonum dignitatem, & vim: quod noſtro potiſſimum mu-
neri incumbit. Ita enim, factis ipſis perſpectis, & cognitis, faciliùs ipſius amplitudo po-
terit ponderari: cùm rerum euenta plerumq; magis arbitremur, quàm ipſas cauſas quæ-
ri oportere. Sed nè noſtra longiùs aberret oratio; Rex Ioannes ex Violante Regina fi-
lios habuit, Iacobum, ac Ferdinandum; qui infantuli obierunt: filiam autem Violan-
1392. tem; quæ A. D. IIX. Kal. Iunii, Ann. Chr. ∞CCCXCII. Ludouico Andegauienſi
Duci nupta fuit: quorum poſteà filius Ludouicus, Calabriæ Dux, Regalem here-
ditatem appetiuit, poſt Martini Regis mortem: quæ noſtris quartum, vt mox dicemus,
Interregnum attulit. Huius autem Ioannis Regis tempore, vt hoc Diuino fauore il-
lud etiam illuſtretur, A. D. VI. Non. Mart. Ann. Chr. MCCCXXCIX. ad Orbæ fluuii
ripas in ſuburbano, quo nunc Cæſarauguſtæ coluntur, loco Diuæ Encratis, & So-
ciorum ſancta corpora inuenta fuêre: quæ ibidem ita abditè latebant, vt nec maxima
diligentia inueniri antea potuiſſent. Atqui tunc cùm terra effoderetur, fortuitò,
vel potius Diuino beneficio deprehenſa fuerunt: indeque nobis celebre Feſtum con-
ſtitutum quod nunc quotannis ſub *Inuentionis Sanctæ Engratiæ* nomine veneramur.
Sed ne Ioannes Rex penitus hebeſceret, & langueret in ocio; nonnulla bella com-
mouere coactus fuit aduerſus Gallos, Cataloniam infeſtantes: illud verò grauiſ-
ſimum, quod in Sardiniam indici oportuit ad reſtinguendam quorundam ſcelera-
torum conſpirationem. Quibus poſteà, mortuo hoc Rege, à Martino, ipſius ex
fratre nepote, ſuperatis, deuictiſque tametſi ea omnis Inſula fuit in Regiam poteſta-
tem redacta: verùm cum cælo, ac loco calamitoſiſſima ſit, immatura ipſius Martini
morte Rempub. noſtram ad dictum quartum Interregnum adduxit. Demum Ioannes
Rex venationi deditus plus, quàm oportuit, in ipſa venatione deceſſit. Ad Foxanum
etenim nemus ob eam cauſam profectus, iuxta opidum Vrriols, cum ex equo cecidiſ-
1395. ſet, mortuus fuit inuentus A. D. XIV. Kal. Iunii, Ann. Chr. MCCCXCV. ſeu, vt ali-
is placet, anno ſequenti. Eius corpus ad Populeti monaſterium delatum fuit Martini
fratris, qui ei ſucceſſit, iuſſu. Iſtius verò Ioannis Regis tempore pluſimæ Iudæorũ per-
fidæ gen-

fidæ gentis Synagogæ à tumultuantibus populis deletæ sunt, quòd non possent iam amplius, vt dicebant, eorum nequitiam, ac nefaria crimina sustinere. Ioannes autem Eximini Cerdanus longiùs ætate processit. Diu enim post, Magistratum & sapientia summa administrauit, & fide. Ac ne illud omittam: nonnulli apud nos Fori vigent, qui sub hoc Rege editi fuerunt in Comitiis ad Montionem habitis Ann. Chr MCCCXC. In quibus præcipuè ipsius Iustitiæ enituit industria, Anno vero Chr. ∞CCCXCIV. Petrus Luna, Ioannis Martini Lunæ, & Domnæ Mariæ Petri Gotoriæ filius, è Diacono Cardinali Sanctæ Mariæ in Cosmedia, à Cardinalibus obedientiæ Clementis, A. D. IIII. Kalen. Octob. Auinione Pont. Max. salutatus, Benedictus XIII. in sua obedientia dictus fuit, diuturno schismate Ecclesiam Catholicam occupante. Quòd si iurè tanto muneri, quietis aliis temporibus, præfuisset (qui summus in eo fuit sanguinis splendor, animi magnitudo, & doctrina) præstitisset multa laudibus, & præconiis digniora. Eius autem me hoc loco obliuisci haud decuisset: tum quòd ex nostratibus sit, è nobilissima, & amplissima Lunarum familia, qua nulla illustrior in Hispania, Regali excepta, visa est: tum etiam quòd ipse aliquando posteà, Magistratum hunc in amplo quodam honoris gradu collocarit. Sed de his suo loco. Nunc ad Martinum Regem.

MARTINVS, ARAGONVM REX XXI.

IAM verò vt paulò altiùs dicere ordiamur de eo, ita enim res postulat; Petro IIII. patri charissimus fuerat: ab eoq; iam pridē Exerica ditione sub Comitatus nomine honestatus; ac Magni Aragonii Cōnestabuli munere insignitus. Illud aut: Connestabuli mun⁹ apud Catalanos olim, Senescalia appellari consueuerat; apud nos verò non Regis, quemadmodum nonnulli prodidêre, sed Regni Aragonū, vel Aragonum tantummodò Maiordomia: cuius diuersa apud nos multū ratio fuit. Ad hos itaq; tam amplos honores, quibus pater Martinū hunc filium viuens decorauerat; magna etiam à Ioanne fratre Rege, quamprimū regnare cœpit, facta est accessio: siquidem eum Momblanci ditione, & illustri ab ea Ducis Titulo assumpto, ac dignitate honestauit. Martinus ergò dum Regale munus adsciuit, his honorum gradibus erat ornatus: vt Magnus Aragonum Connestabulus, Exericæ Comes, ac Momblanci Dux vocaretur. Idque patris, ac fratris claro, & legitimo, vt diximus, iure. Vxoris verò, quæ summo loco nata erat, penè æqualium, ac forsan maiorum ditionum imperio potiebatur. Comitatum namque, Lunensem, & Segobrigensem, tractum obtinebat. Erat enim vxor eius, D. Maria Luna, D. Lupi Lunæ, Lunensis Comitis filia, ac heres. Cuius patrimonium lautum fuit, & amplissimum. Nam præter Lunensem ipsum Comitatum, à quo clarissimæ Lunarum familiæ nomen sumptum fuerat; plurima alia in Aragonum Regno copiosa opida continebat: in Valentino verò Segobrigam ipsam, nunc Segorbem, antiquam, & nobilem ciuitatem, locaque eidem contributa. Ac ne noster hoc loco sermo de laudibus ipsius Comitis Lupi conticescat; fuit is altus, & excellens vir; omnium in Hispania Ricorum, quos vocabant, hominum clarissimus, ac nobilissimus; potens, & locuples: summo Lunarū genere natus. Violantē, vt meminimus, Iacobi II. Regis filiam vxorem duxerat. Sed ea sine prole decedente, in coniugē acceperat Briandam Agaouthiā, Beltrandi Agaouthii Comitis filiā: quæ fuerat propinqua cognatione paterna cum Clemente V. Pont. Max. valde coniuncta. Ex ea Lupus Comes duas filias susceperat: Mariam; ac Briandam. Mariam quidem natu maiorem, heredem testamento reliquerat: dummodò nullis se locari nuptiis liceret, nisi interueniente, & approbante clarissimo illo, nulla vmquàm satis digna laude celebrato, Egidio Carrillio Albornozio, Toletano Archiepiscopo S. R. E. Cardinali Sabino, ac sæpius in Italiam Legato: qui fuerat Garsiæ Aluari Albornozii, & D. Teresiæ Lunæ filius: maximaque ipsius Teresiæ causa, Lunensi Comiti cognatione deuinctus. Eum ergò Lupus Comes filiarum orbitati tutorem instituerat: edicēs; vt ea omnis Mariæ filiæ dos, si sine Cardinali tutore auctore diceretur, nulla esset futura. Rex autem Petrus IIII. Cardinalis gratiam aucupatus, Mariam sibi nurum comparauerat: eamque huic Martino filio Ann. Chr. ∞CCCLXXII. desponderat. Amplissimo itaque Lunensis Comitis patrimonio aliis Martini ditionibus subiuncto. Martinus ipse ditissimus, & locupletissimus factus fuerat. Iam verò ex Maria vxore filios susceperat: Iacobum; Ioannem; Martinum; & Margaritam. Iacobus quidem, Ioannes, & Margarita paruuli decesserant. Martinus autem filius, vt parentibus is quoque cumulus honoris, & dignitatis accede-

ret; Ann. Chr. ∞cccxc. vxorem duxerat Mariam, Federici, & Costantiæ, Siciliæ Regum, vnicam filiam, & heredem: quæ Trinacriæ Regina vocabatur, Athenarumque & Neopatriæ, vt loquimur, Ducissa. Siciliæ namque adiacentibusque Insulis, quarum tunc Maria potiebatur, Trinacriæ nomen impositum fuerat tunc, cùm Federicus pater, ac Ioanna Neapolitana Regina conuenerunt de acerrima illa, tot antea seculis agitata, Siciliensis imperii contentione. Verùm Federico mortuo, cùm nonnulli Siculi nequiter prosilientes, in Repub. violanda fraudes inexpiabiles concepissent, Mariæque Reginæ pupillæ palam conati essent adimere patrias fortunas; cumque ea diu ab ipsis quasi seruitute oppressa iacuisset: clara tandem, & insigni aliorum virtute, quorum fidelis sibi opera nequaquàm defuit, Maria ipsa liberata, Martino nostro huic Regi, Momblanci tunc Duci, tradita fuerat, vt Martino eius filio matrimonii dignitate coniungeretur. Nam vtriusque illorum, patris scilicet cognita virtus, ac filii mirifica indoles, & firma expectatio, Reipub. defendendæ, ac pristinæ dignitatis recuperandæ non dubiam, aut tenuem, sed certam, & pænè exploratam Siculis ipsis ostentarat spem. quorum studiis factum fuit cumulatè satis. Etenim cùm Martinus pater, Momblanci eo tempore, vt dictum est, Dux, celebratis filii, ac Reginæ Trinacriæ nuptiis, magnas militum copias, filiumque ac nurum ipsam, secum multis instructis nauibus, Ann. Chr. MCCCXCII. Siciliam transportasset: illius aduentus, præcipuè verò animi virtus, ac fortitudo, impudicam illam seditiosorum hominum impudentiam vehementer represserat: quæ nulla alia quidem re tam diu alta fuerat, nisi suorum impunitate scelerum diuturna. Itaque dum Ioannes Rex funesto illo casu extinctus interiit: Martinus frater in Sicilia aderat his rebus, molestis sanè, & operosis, verùmtamen magnanimo Principe dignissimis, implicatus. Eas hoc loco tot verbis sum persequutus: ne in præteritis quidquam relinquerem, quod ducerem sciri oportere: quandoquidem huc vsque continuatam vniuersarum rerum nostrarum narrationem protraximus. Nulla igitur superstite Ioannis Regis virili prole, Martinus frater, Momblanci Dux, qui felix ad casus, fortunasque iudicabatur, cum secundum vitæ suæ cursum sine vlla hactenus offensione in omnibus semper rebus tenuisset: totius Regiæ Aragonum ditionis subrogatus fuit heres; idque tum auito, & antiquo iure, tum etiam fraterno. Frater enim eum testamento heredem instituerat. Secus certè ac decreuerat pater Rex. Ipse enim constituerat: vt si fortè Ioannes, masculis filiis orbatus, moreretur; non Martinus frater (quod mirandum est, cùm eum valde diligeret) sed Ioannis filia, quæcumque exstaret, natu maior, Regiam omnem hereditatem adiret: veterem illam causam reuiuiscere studens, quæ fuerat tot malorum semen, ac stirps, dum ad filiam Costantiam, quemadmodum explicauimus, Regnorum successionem deferendam ambierat. Quo enim tunc iure Costantia nixa, Regnorum gubernacula prendere concupierat; eodem prorsus nunc Ioanna, Fuxensis Comitis vxor, ad paternam ditionem capessendam summopere nitebatur. Neque verò illius maritus, Fuxensis Comes, satis sibi duxerat futurum, quòd ea de re per ciuilem iuris disceptationem contenderet, nisi per vim etiam decertaret; nec iure, aut legibus, sed ferro tantum, & armis se vinci passurum referebat. Ea propter repentè in Cataloniam inuasit. Deinde in Aragoniam tendens, subitò omnia disturbauit. Atque cùm ex Petri IIII. Regis præscripto, ista modò oriretur contentio; visum est planè illius acerbitatem naturæ eò tandem vsque durasse, vt qui viuus omnia peruertisset, mortuus etiam noua moliretur. Præterea vt huiusmodi successionis opus in dubium magis, incertumque reuocaretur; Regina Violans, recens Regis vidua, se à Ioanne marito prægnantem esse relictam firmissimè asseuerabat. Illud quoque maximum accedebat incommodum: quòd Martinus eo tempore in Sicilia aderat negotiorum, quorum mentionem fecimus, laqueis irretitus. Is motus temporum visus est, tantaque rerum perturbatio in istius Martini Regis regnandi initio. Verum nostri nequaquam iudicarunt fore se causæ, & officio suo facturos satis, etiamsi absentis Regis certum, ac legitimum ius solita sibi fide tutarentur: nisi eò tunc melius, quòd præsens ad imperandum non esset, maiori diligentia, & cura saluum illud, atque integrum, ad ipsius reditum, reseruarent: præsertim cum ea omnis Fuxensis Comitis causa, ab omnibus & caduca, & friuola, nullisque defixa iuris, aut iustitiæ radicibus censeretur. Itaque vniuersi totius Regni Ordines, Iulio men-
1395. se eiusdem Ann. Chr. MCCCXCV. quo Ioannes Rex obiit, exsibilata prorsus ea Comitis Fuxensis sententia & explosa, Martinum, concordibus omnium animis, lætisq; acclamationibus Regē declararunt. Deinde legatos, tum ad eum, vt ventis, ac remis in patriam

triam omni festinatione properaret; tùm ad ipsum Comitem decreuerunt, eidem suadentes, vt sponte ad Martinum, propenderet Regem agnoscendum, priusquam ad idipsum inuitus premeretur. Neq; illam ad defendendum absentis Regis ius, omnium Ordinum concordiã, quam videbat; absurdè, temere, aut frustra, sed cõsideratè, & propẽse crederet esse initam. Vsq; eò tamen ipsius insania prorupit: vt his omnibus spretis, Regem se à suis salutari stultè, & arroganter iuberet. Necnon & nonnullis Francorum aduentitiis copiis coactis, hostilem in modum omnia diuexans, postquam plurima Cataloniæ loca occupauit, ad insignis Balbastrensis opidi muros, Nouembri mense castrametatus fuit: quòd eum locum, quia Pyrenæos montes attingit, ad suppetias sibi è Gallia ferendas aptissimum fore constitueret. Nostri hisce Comitis Fuxensis conatibus obuiam itum iri oportere statuentes; vt cùm domi, tum etiam militiæ debitam fidem, ac diligentiam præstarent, maximum illico exercitum compararunt. Cui omnium consensu imperator præpositus fuit, Petrus Vrgelitanus Comes, nobilissimus, & clarissimus vir, cum ipso Martino maxima cognatione coniunctus. Erat enim Regio sanguine ortus; filius Iacobi, Petri IV. fratris germani, ab eo, sicuti dictum est, veneni suspicione interempti. Ob quas causas videbatur habere ex sese in ipsos milites legitimam non modò auctoritatem, sed quodammodò etiam imperium. Is ergo de obuiam itione ita fecit, quemadmodum à nostris statutum fuerat. Quamprimum autem dare operam cœpit, vt auxiliaribus Francorum copiis introitus omnis prohiberetur. Sic enim bellum hoc quam celerrimè videbatur felicem exitum habiturum: cùm Fuxensi Comiti nullus patere aditus posset, nisi ad fugam. Ac in eam protinus ille se, ac libenter coniecit. Nam huiusmodi consiliorum rationem attulit statim ad eum non aliquis ex prœlio nuntius, sed creber suorum rumor, timoris, ac periculi plenus. Per Nauarram autem Pyrenęos transcendens, spe vacuus in patriam remeauit. Balbastrenses enim, forti animo, & constanti, summis obsidionis periculis obstiterunt: tam citò euanuere stulti omnes inimici illius Regis conatus. Ceterum quod ad Violantis Reginæ grauiditatem attinebat, prudenter quoque prouisum fuit. Ne qua enim suppositi partus suspicio subesset; quatuor adhibitæ fuerunt matronæ optimates, quæ assiduè cum eadem versarentur, illius fœtus fideles testes futuræ. Haud multos tamen post dies ipsa Violans illam penitus præcidit spem, quam se in aluo prædixerat retinere, à marito Rege mortuo commendatam. Palam namque se minimè prægnantem esse renuntiauit. Iampridem autem, siquidem A.D. VI. Kal. Iun. eiusdem Ann. ∞ CCCXCV. 1395. simulatque Ioannes Rex mortuus fuit; D. Maria Luna, Martini vxor, prudentissima, & diligentissima femina, Barcinonæ, vbi aderat, Regium sibi nomen, mariti absentis, vt diximus, iure vendicauerat. quasi ea iam tunc omnem illam Fuxensis Comitis quæstionem irrideret: Violantis verò Reginæ grauiditatem, fictam, & commentitiam esse præsentiret. Cùm ergò, vt ad Martinum redeamus; de morte Ioannis fratris in Siciliam allatum esset; tametsi publicis nostrorum literis, maximeque ingenti legatorum sollicitudine vrgebatur, vt reditum suum in patriam festinaret: nihilominus moram sibi interponendam è Sicilia decedendi constituit, donec institutæ rei expediret exitum gloriosum, quem sperabat. Gratum autem omnibus dabat responsum, se, quãtum susceptorum negotiorum ratio pateretur, suum maturaturum aduentum; anxioq; & sollicito; nec sibi ignoto, nostrorum amori, amore etiam grato, & beneuolo responsurum: quo facturum omnibus satis, confidebat. Sed interuallo haud longo interiectio, vniuersum Siciliæ Regnum pacatissimum reddidit; singularique sua fortitudine, Regiæ dignitatis auctoritatem, quæ fuerat apud maiores; filio, ac nurui Regibus cumulatè restituit. Demum, in patriam rediens, Barcinonæ summa alacritate, & lætitia. A.D. VII. Kal. Iun. Ann. Chr. MCCCXCVII. à Catalanis exceptus est; eamq; vrbem ouans, ac propè triumphans introiuit, quòd tutum Siciliæ Regnum bellica sua virtute præstitisset, fraternamq; 1397. Regiam possessionem occuparet tantæ hereditatis, & gloriæ. Nostri eidem statim celeberrimam gratulationem decreuerunt, & Siciliensis rei tam benè gestæ, & optati sui, prosperi, & felicis aduentus. Eundem autem vehementer obtestati sunt, ne Regale munus exerceret, donec prius Cæsaraugustæ Regiis decoraretur Insignibus, patriasque leges, ac libertates more solito stabiliret. Maiores namque nostri permagni suâ, ac nostra interesse putauerunt, attentos semper animos ad decoris conseruationem tenere. Martinus Rex benignum his rebus responsum dedit: aduentum suum in nostram Vrbẽ celerem fore, dum se Barcinonæ ex summo itineris labore paulùlum recreasset. Deniq; Non. Octob. eiusdẽ An. MCCCXCVII. Dominica quadã die Cæsaraugustã ingressus est, tantæ multitudinis cõcursu ad eum alacriter excipiendum facto, quãtum capere potuit

ipsa vrbs. Eodemque die, assidente, vt moris est, Iustitia Aragonum, Ioanne illo Eximini Cerdano (qui eo tempore dictum Magistratum gerebat) in eius certa iam verba solitum Iusiurandum iurauit: Se omnia nostra libertatis iura diligentissimè seruaturum. Sequenti verò An. Chr. ∞ CCCXCIIX. generalibus Comitiis ad eandem vrbem indictis, A.
1398. D. III. Kal. Maii idem ipse Rex, in solio sedens, ante Aram Templi maximi, celeberrimam illam habuit concionem, tot floribus nostræ antiquitatis conspersam; qua gratiam præstitæ operæ, dum eo absente Regnum sibi integrum reseruatum fuerat, cum summa gentis nostræ fidelitatis laude coniunxit. Eam siquidem nos non ab aliis nationibus accepisse, sed arripuisse ex natura ipsa, longè dilatata oratione, magnaque commemoratione antiquitatis, ac exemplorum adhibita prolatione, copiosius indicauit. Varios deinde casus percucurrit nouos, ac veteres: in quibus nostri bellica etiam virtute, ac rei militaris peritia, aliis gentibus multum præstiterant. Nuperrimè tandem affirmauit, se dum in Siciliam delendæ tyrannidis causa perrexisset, perpusilla vix Quingentorum nostrorum manu, ingentem Quatuor millium, & plurium Siculorum Equitum aciem profligasse. Cumque ad eam rem exemplis vteretur multis, veterem illam dicendo renouauit Iaccensis, ac Suprarbiensis imperii expugnationem: à qua, tanquam à fonte, & capite, vniuersarum rerum nostrarum dignitas dimanârat. Atque hoc mirificè conuenit earum à nobis traditæ rationi. Postquam autem hæc omnia latè, ac fusè persequutus est, solitumque fidelitatis iuramentum sibi à nostris fieri postulauit: vniuersam argumenti sui sententiam hac peroratione conclusit; Vti Martino filio, Siciliæ Regi, quamquam absenti (ea enim inusitata, & noua res erat) Regnorum omnium successio post longam ipsius vitam, eadem fide interposita, deferretur. Id nostri libentibus animis concesserunt: frugi tamen prius, nec incallida, posteri temporis prouisione interiecta; ne aliquando istius casus, cùm sponte fieret, ad alium similem casum, necessaria fortè consequentia notaretur. Hisce ergo rebus constitutis, nonnullisque legibus promulgatis: Comitia ea peracta fuêre, summaque Regis, ac Regni contentione laudata. Sed melius hæc notata erunt vulgaribus literis, quam Latinis. Quamobrem eadem infra, vernacula nostra lingua, proferemus. Ceterùm cùm Martinus Rex, aliquibus de caussis, se coronari in id vsque tempus distulisset; diem tandem certam destinandam duxit ad eam rem; Cæsaraugustamque primarios viros, ab exteris etiam
1399. nationibus, conuenire. Idibus ergo Apr. Ann. Chr. MCCCXCIX. in Templo maximo coronatus est, & à Garsia Ferdinandi Heredia, Cæsaraugustano Archiepiscopo, sacro oleo perunctus: nec multos post dies D. Maria Luna Regina iisdem prorsus Insignibus decorata. Quæ sollemnia, ac iusta ludorum summa cum cærimonia ab ipso Rege celebrata fuerunt; vt noster Surita testatum reliquit: qui hæc omnia, quæ ego nunc percurro, vberiùs ac fusius, quemadmodum cetera, in suis Annalibus pertractauit. Ad ea autem celebranda tantam Optimatum, Equestrium, ac Plebeiorum multitudinem fuisse perhibent congregatam: vt nullis vmquam Comitiis ipsa vrbs tanta celebritate omnis generis hominum floruisset. Verum dies illi pro Festis funesti penè extiterunt. Villanouanus enim Vicecomes D. Petrus Ladron Cheluæ Valli dominabatur intra Valentinos fines constitutæ: sed quæ tamen nostris Aragoniis legibus subiacebat. Valentinenses verò Magistratus iampridem, viuente Ioanne Rege, eam omnem peruerterant iudiciorum rationem: quæ iam inde ab ipsius Valentini Regni expugnatione fuerat, quemadmodum demonstrauimus, iisdem, ac nonnullis aliis opidis constituta. Itaque Vicecomes ipse hanc iuris læsionem statuens sibi, ac suis esse non entissimam, cùm ex præscripta lege, veterique consuetudine, suæ, ac subditorum lites accômodandæ essent ad Fororum Aragonum formulas: sæpenumero Ioannis, ac Martini, Regum fidem prece humili, ac supplici fuerat obtestatus: ne paterentur ius suum ea in re tantopere violari. Cumque nihil profecisset quotidianis huiusmodi iactatis querellis: ab eodem tandem Ioañe Eximini Cerdano Iustitia Aragonum depoposcerat (cum enim sciebat sibi, & suis & debere, & posse opitulari) vt peregrinæ huic Valentinorum insolentiæ, Magistratus interponeret auctoritatem, & vim. Iustitia Aragonum iudicans petitionem illam aptè esse coniectam, Interdictionem solitam concesserat; Valentinensesque Magistratus, qui noxii dicebantur, præscripta die iusserat adesse coram se, de officiis suis responsuros. Sed ii neq; citati comparuerant. Imo id pro nihilo putantes, grauiora adhuc, acerbioraq; fuerant moliti. Iustitia Aragonum, solito suo facetiarum, & vrbanitatis lepore, istius facti vindicationem in commodius tempus distulerat, quo posset Reipub. magis prodesse: ne seforte, vt erat prudens, ac prouidus, eò dimitteret, vnde nullus esset Valentinis ipsis, ac nostris etiam fortasse, nisi exitialis exitus futurus. Tamdiu au-

diu autem conniuebat; vt omnes crederent, pristinam illam animi sui fortitudinem, non
iam diuturno aliquo, sed sempiterno fuisse somno consopitam. Cùm igitur ad eam
Festorum celebritatem, in quibus Martinus Rex Insigne Regium susceperat, Valenti-
norum legati conuenissent: Iustitia Aragonum tenens, quam optabat, occasionem, ne
iam amplius illius tarditatem expectaret: omnia eorum bona, illatarum iniuriarum pi-
gnora, Magistratus auctoritate, occupauit. Hinc maximi tumultus excitati sunt. Rex e-
nim adeò id acerbè tulit, ac molestè, vt natiua sua lenitate deposita, nouus iam homo, ve-
hemens, ac ferox, non mitis, aut blandus, vt antea, videretur. Illud tunc facetum dictum
à Regis Medicis idem Iustitia sibi dictum fuisse perhibet, quod hoc loco annectendum
statui: operæpretium namque me facturum existimaui, si seriis hisce rebus veteres inter-
dum nostri, & vrbani sales accederent. *Por esto el Señor Rey Don Martyn fue muy sañoso,
è congoxado contra mi. E me dixeron los Medges suyos, que yo era el millor Medge de la tierra:
que auia feyto tornar el dito Señor Rey de fleumatico en colerico.* Edicto tamen Iustitiæ A-
ragonum parendum fuit; ipsiusque Magistratus præsidio, Vicecomitis, & suorum
causæ in antiquum statum restitutæ: quo pacto Iustitia Aragonum temporis opor-
tunitatem expectans, sapientissimè totum id, quod nostro iuri diminutum fuerat, exæ-
quauit. His ergo rebus ita constitutis, quæ maximam perturbationem attulerant, ea
Comitia sedate, ac placidè dimissa fuère: omniaque apud nos otii, ac pacis plenissima.
Verumtamen nec diu postea factum est, vt incredibili, qua omnes fruebantur, lætitiæ
voluptate carerent. Tristes enim è Sicilia nuntii vna die, atq; vna literarum significatio-
ne venerunt, de morte Mariæ Reginæ, ac Petri filii, Martini nostri Regis nepotis: ad
quem Aragoniam vniuersam ditionem, cum Siciliensi Regno coniunctam, peruenturã
fore putabatur. Is fuerat A.D.xv.Kal. Decemb. Ann. Chr. ꝏ CCCXCIIX. Siciliæ natus;
Ann. vero Chr. MCDI. obiit: eodemque anno Regina mater, Martino ipsius marito, 1401.
totius Siciliensis ditionis herede constituto. Ex quo iam tempore vniuersæ res no-
stræ penitus visæ sunt ad quartum Interregnum procliues. Etsi enim Martinus idem Si-
ciliæ Rex, secundam illico Ann. Chr. MCDII. duxit vxorem, Blancam Caroli Nauar- 1402.
ræ Regis filiam: simili tamen fatali casu, Augusto mense, infantulus eorum filius, cui
Martini etiam nomen inditum fuit, mortem obiit Ann. Chr. MCDVII. Quo et- 1407.
iam anno D. Maria Luna, Aragonum Regina in Villa Regali, Valentinensi opido, mor-
tua est. Ipse verò Martinus filius Siciliæ Rex, nec diu postea iisdem certè finibus gloriam
suam, quibus vitam, ac immaturam ætatem terminauit. Nam in Sardiniam pro-
fectus ad restinguendam quorundam sceleratissimam conspirationem, gloriosam
tandem victoriam consequutus, ad Callaris ciuitatem cælo, ac loco calamitosam VIII.
Kal. August. Ann. Chr. MCDIX. non tam morbo, quem ex labore contraxerat, periit; 1409.
quàm funestæ pestis vi, vt extremum spiritum quasi in ipsa effudisse victoria visus sit,
cùm non satis diu nec naturæ vixisset, nec gloriæ. Cuius interitus incredibilem no-
stris intulit mœstitiam, & quòd sine filiis legitimis decessisset, patri verò habendorum
vix firma aliqua expectatio maneret, propter nimiam corporis crassitudinem. Ad au-
gendum enim dolorem, hos etiam rariores casus Martini Siciliæ Regis obitus habebat:
ita vt vix consolabilis videretur. Ea est humanarum rerum volubilitas. Qui enim patris
futurus heres putabatur, patrem testamento amplissimæ Siciliẽsis ditionis heredem no-
minatim scripsit. Tunc Martinus pater, Aragonum, & Siciliæ Rex vocari cœptus, ac A-
thenarum, & Neopatriæ Dux. Neq; verò ipsius morte, vt omnes crediderant, sed Mar-
tini filia ea facta fuit Siciliensis Regni cum Aragonensis imperii maiestate coniunctio.
Ex duabus autem concubinis filium, ac filiam reliquerat Siciliæ Rex: filiam quidem
Violantem, quæ postea Nieblæ Comiti nupta fuit, ex Agathusa Siciliensi femina susce-
ptam. Ex Tarsia verò, itidem Siciliensi, Federicum: qui eodem testamento Comitatus Lu
nensis heres institutus, vniuersam Regnorum successionem appetiuit post Martini, aui
Regis, ad quẽ iam properamus, interitum. Illud etiã est maximè in tãto, tamq; præcipiti
Reip. casu dolendum, quod Martino Siciliæ Regi de tam amplo Regnorum patrimonio
nec iter quidem ad auita maiorum sepulchra relictum fuerit. Callari enim sepultus iacet.
Martinus pater, cui secunda fortuna tot Regna fuerat elargita, aduersa verò viuo, & vide-
ti, Regiæ totius sobolis occasum; ne ea penitus interiret, non tam senio, quam corporis
infirmitate confectus, A. D. XV. Kal. Octob. eiusdem Anni MCDIX. Margaritam Pra- 1409.
desiam, Regio genere natam, vxorem duxit. Sed cùm ex ea nullam prolẽ susciperet, nec
suscipiendam speraret; se viuente, ciuilem disceptationem esse voluit de futuræ succes-
sionis iure. Maximè enim exoptabat Federici Lunẽsis Comitis, nepotis sui, causam plus,
quàm ceteras omnes valere, saltem in Siciliensis Regni possessione: vt si iam immaturus

ille interitus Martinum filium à Regia hereditate abstulisset;in ea salte parte liceret modò,has eius reliquias in posterum remanere. Verùm Vrgelitanus Comes Iacobus, quòd rectam duceret originē à Regia Aragonum virili stirpe,haud patiebatur se ea de re in iuris aliquam contentionem vocari.Imo,quia debere se statuebat sine aliqua dubitatione vniuersæ Regię hereditatis potiri,generalem illius Gubernationem fidenter postulauit: perantiquum quidē, vt dictum est,Regiæ successionis signum. Rex autē illi nō solum eā, sed & Proregis in Aragonia munus impertiuit: non quasi ea re cuperet id illi concedere,quod expetebat (odio enim non recenti,sed diuturno,ac veteri in eundem flagrabat) sed vt furentis hominis à sese depelleret importunitatem: quæ valde sibi molesta erat. Ille verò, qui iam ab eo tempore facere studebat initium Regiæ dignitatis prensandæ; omni ope,& opera enixus fuit: vt Iustitia Aragonum solitum à se iuramentum reciperet. Nam nisi eo in ipsius manibus facto,muneribus ipsis fungi non licebat. Verùm Iustitia Aragonum,Ioannes Eximini Cerdanus, non incallidè fuit tergiuersatus. Iustam enim excusationem adhibebat:fuisse se à Deputatis Regni,ne id faceret, interpellatum; quòd affirmarent, Comitem ipsum nequaquam muneribus istis iuxta nostras leges potuisse præponi. Vrgeli verò Comes de obiectis nihil confitebatur. Quamquam autem vehementer instabat:Iustitia Aragonum sibi prius cunctandum proposuit. Sed antequā sententiam protulisset;tristes nuntii allati fuere,Martinum Regem Barcinonæ, A. D. I I. Kal.
1410. Iun. An Chr. MCDX. vitam cum morte commutasse. Quo misero,ac fatali casu vniuersa Resp. nostra ad quartum Interregnum adducta est, eaque omnis Vrgelitani Comitis, ac aliorum competitorum contentio ab armorum strepitu ad forensem disceptationē,non sine magna,& immortali maiorum nostrorum laude,reuocata. Martinus enim Rex tametsi commonefactus suum ea de re iudicium ferre recusauit. Populeti tandem sepultus, orbatam patriam reliquit splendida illa, ac generosa Aragonum Regum virili stirpe: in quam,tanquam in vnam arborem,tot Regum tam admirabilem, præstantē, ac penè diuinam virtutem insitam intuemur. Nec intuebimur profectò minorem in iis, quæ nobis percurrenda desunt. Vt iure quidem affirmare possimus, ipsius stirpis non truncum modò,sed & ramos,ac folia vberrimos,lectissimosq; immortalitatis, ac gloriæ fructus attulisse. De ipso verò Ioanne Eximini Cerdano Iustitia Aragonum satis multa dicta sunt, ac dicenda etiam supersunt præclara industriæ,ac prudentiæ suę opera: quandoquidem diuinitus quasi in hæc incidit,de quibus agimus, tempora; vt operosi istius ædificii, quod tunc nostris extruendum proponebatur, machinator adesset, eodem prorsus modo, quo antiquitus fuerat vltimus ille Aragonensis Comes, tam bene statuendæ Reip. nostræ tot antea sæculis architectus. Sed nunc ad rem.

QVARTVM INTERREGNVM.

CVM illa itaq; duo imperii nostri lumina, ambo scilicet Martini Reges, immaturam mortem, nulla legitima relicta prole, obiissent: vniuersa cœpit Resp. nostra, quasi nauis quædam in alto tempestatibus fluitans, incerto cursu agitari. Quinque enim prodiere acerrimi competitores: quorum vnusquisq; Regalem ad se dignitatem pertinere diuerso ab aliis iure contendebat.

I.

Horum primus fuit (vt eos prius numeremus, qui orti erant recto nostrorum Regum virili satu) D. Iacobus Aragonius Vrgelitanus Comes: qui Martino Rege viuente, generalem, vt dictum est, Regnorum ambierat Gubernationem. Modò tamen Repub. ad Interregnum adducta, fidentius Regale ipsum munus appetebat. Erat autem paterno genere, recto ordine, à Regia virili stirpe profectus. Regis etenim Alfonsi I V. pronepos erat: nepos Iacobi, tertii illius filii; qui dum Costantiæ Petri I V. filiæ grandiori in Regali successione antelatus fuit, satis firma, quam diximus, veneni suspicione decessit. Ex Cæcilia autem vxore, Comengis Comitis filia, Iacobus ille Petrum reliquerat filium, Vrgelitani Comitatus heredem: eum nempe, qui Fuxensem Comitē mortuo Ioanne Rege Regnum appetentē armis repulit, & fugauit: sicuti hæc omnia fusius à nobis sunt superioribus in locis pertractata. At Petrus ex Margarita, Monferratensis Marchionis filia, Thadęum, Ioannē, ac dictum Iacobum, filios susceperat. Sed Iacobus à patre Vrgelitanæ ditionis heres institutus fuit: quòd ambo ii Thadæus, ac Ioannes, grandiores filii, mortui fuissent sine liberis. Atq; eorum alteri (quæ aliquamdiu apud nos fama percrebuit) Iacobus ipse iniusta, ac insana elatus dominandi cupiditate, occultè nimis, & clā suis manibus necem attulerat. Deniq; Isabellam duxerat vxorem, Petri I V. & Reginæ Forzianę filiā, Regumq; Ioannis, & Martini, tametsi non vterinā, sororē. His de causis, in ea, quæ tunc versa-

versabatur, de Regali adeunda hereditate contentione, ipse Vrgeli Comes alios antecedere videbatur. Cuius apud nos præcipuas partes agebat D. Antonius Luna, Aragonensis Ricus homo nobilissimus: qui tam amplo patrimonio in Aragonia potiebatur, vt per sua ferme opida è Castellæ finibus ad Galliam vsque iter sibi facere liceret. Verum dum se temerè in alieni iuris defensionem immisit, anxiusq; nimis, & sollicitus videri voluit alieni patrimonii propugnator: nec quidquam ea curatione alteri profuit, & ipsemet sibi, ac suis suorum omnium bonorum dissipationem, atque acerbum inde interitum cōparauit. Vna etenim ruina, ac tempestate, & vniuersæ illius opes corruerunt, & ipsius etiam Vrgeli Comitis: quamquam is potior, vt dictum est, communi omnium opinione, in ea successionis causa ducebatur.

II.

Secundus autem erat, Gandiæ Dux, ac Ripacurtiæ Comes, D. Alfonsus Aragonius: Iacobi II. Regis nepos: filius Petri, illius quarti filii; qui, quemadmodum exposuimus, beati Francisci instituto addictus, claris vitæ operibus, Valentiæ obiit. Huic autem Alfonso iam tunc aduersari cœperat ipsa fortuna, cùm illi Villienæ Marchionatus, ac Castellæ Conneſtabulia abrogata fuêre: quibus ipse fuerat ab Henrico Rege, Trastamaræ antea Comite, paulò ante donatus. Præterea Violantis Arenosiæ vxoris immoderata nimis licentia, libertasque viuendi, haud sibi comparauerant eam, quæ tantum virum decuisset, claram, ac stabilem auctoritatem. Adhæc tanta erat confectus senectute, vt penè iam desipere censeretur. Eas ob res videbatur ab omni non modò fortuna, verum etiam spe derelictus. In omnium tamen fide, quòd esset rectæ virili Regum stirpi proximè adiunctus, causam ipse suam deponebat.

III.

Tertius verò, qui genus quoque suum ab eadem ducebat Regia virili stirpe, D. Federicus erat Aragonius, Lunensis Comes: Martini Siciliæ Regis ad Callarem mortui ex Tharsia, quam nominauimus, concubina filius. Cui, Martino auo Rege cōtendente, Benedictus XIII. concesserat, vt Regale munus posset obtinere, ac si esset ex iusto, & legitimo natus matrimonio. Id autem licet fuerat impetratum ad Siciliæ tantummodo Regnum obtinendum, à quo filii illegitimi censebantur exclusi: tamen ad Regalem etiam Aragoniæ ditionis hereditatem adeundam ab iis modò adducebatur, qui ipsius Federici orbitati, cùm puer esset infans, ac pusillus, fuerant tutores adscripti. Præter eos etiam Regii omnes domestici, & familiares illius causæ videbantur esse fautores. Verùtamen cùm eam Comitatus, ac Lunensis ditionis successionem cognati appeterent propinquiores, nequaquam ea Federicum potiri posse, quòd illegitimus esset, contendentes: tot in eius miseri, atq; infelicis fortunas, procellæ, ac tempestates commotæ sunt, vt in ea, quæ tunc vertebatur controuersia, nullius causa desertior videretur.

IIII.

At quartus ad Regium Principatum accedebat, Ferdinandus, Castellæ Regis filius: Princeps quidem per se satis cognitus nulla commendatione maiorum. Cuius virtus, eo ipso tempore, latè splendebat: quòd complura loca à Mauris diruta, & penè deserta, per eum essent recreata. Ex Antequeræ autem illustri opido, quod tunc vi obsessum tenebat, Infantis Antequeræ traxerat cognomentum. Sed maiorem laudem prætulerat, dum Castellæ Regnum, vltro sibi oblatum, puero Regi, è maiori fratre nepoti, deferendum censuerat. Præclarum continentiæ, & integritatis exemplum. Nam etsi alios vincere magnum est: maius tamen à se semetipso quemquam superari. Hic igitur Infans Ferdinandus ad Regiam dignitatem capessendam hoc vno potissimum nitebatur, quòd esset vltimis Regibus, Ioanni, & Martino, proximiori, quàm ceteri omnes, vinculo propinquitatis coniunctus. Erat enim Eleonoræ, Petri IV. filiæ, ac Regum Ioannis, & Martini germanæ sororis, filius: quæ fuerat Ioanni Castellæ Regi, Trastamaræ Comitis filio, quemadmodum suo loco diximus, collocata. Ob id proditur, Martinum Regem, dum, se viuente, de ea Regiæ successionis causa agendum decreuerat, in istius Ferdinandi partem visum fuisse propensiorem. Quod permagni interfuit ad fouendos nostrorum sensus, conciliandosq; animos: plures enim deinde huic sententiæ fauere visi sunt. Inter quos præcipui illius erant adiutores, D. Petrus Eximini Vrrea, ac D. Ioannes Martini Luna; nobilissimi duo, primarii, & amplissimi viri. Quorum ille erat, clarissimæ gentis Vrrearum princeps, Ruedæque Vicecomitatui, & Alcalatensi ditioni dominabatur. Hic verò, qui Illuecæ ditionis dominium obtinebat, tametsi erat, D. Antonii Lunæ, cuius supra meminimus, vxoris frater germanus; magis ab eo in hac causa voluntate, ac studiis diffidebat, quàm natura, aut genere

esset disiunctus. Patrui autem sui D. Petri Lunæ, quem diximus in sua obedientia Benedictum vocari, consiliis parens, eas Infantis Ferdinandi partes agebat. Benedictus enim præcipuum se ipsius dignitatis fautorem constituerat. Ideoq; præsens, atq; aliquamdiu apud nos sedens, suam ea in re operam, studiumq; nauauit. Cuius summa auctoritas, atq; amplitudo ipsi Ferdinando non parum attulit adiumenti.

V.

Quintus tandem, & vltimus, qui in ea Regia causa non iam æqualem aliis, aut parem se esse, sed longè superiorem dictitabat; Ludouicus erat, Calabriæ Dux, ac Guisæ Comes nuncupatus; Ioannis demortui Regis ex filia nepos Violante: quæ Ludouico Andegauiensi Duci, Siciliæ Regi aliquamdiu appellato, matrimonii fuerat, vt recensuimus, dignitate coniuncta. Ioanna enim eiusdem Ioannis Regis, ac Mathæ primæ illius vxoris filia, quæ Fuxensi Comiti nupta, statim in ipsius Martini regnandi initio, super ipsa Regia successione eam, quam docuimus, vniuersæ Reipub. nostræ attulerat perturbationem; iampridem decesserat sine prole. Ex secunda autem vxore idem Rex Ioannes filiã susceperat Violantem, matrem istius Ludouici: qui modo Regale munus apprehendere, haud minori fiducia, ac si ea de re solus contenderet, conabatur. Ea tamen omnis spes, & ratio, & cogitatio pendebat ex Caroli Francorum Regis oblata sibi tutela, & præsidio. Ipse enim Carolus enixè Ludouici causam susceperat defendendam, quòd esset sibi propinqua cognatione coniunctus. Ex nostris verò illius se studiosissimam esse profitebatur florentissima omnis Herediarum gens. Vnde genus ducebat D. Garsias Ferdinandi Heredia, ea tempestate Cæsaraugustanæ Ecclesiæ Archiepiscopus. In quo præter amplissimum hunc tantæ dignitatis gradum, in quo erat locatus, tantæ erat nominis, industriæ, ceterorumq; ornamentorum omnium amplitudo; vt apud nos Ludouici nomen solus sustineret. Sed cùm se Vrgeli Comitis causæ indicaret animo, atq; armis inimicum; grauissimum in se eiusdem Comitis, ac suorum odium concitauit: quod tandem in ipsius Archiepiscopi crudelem, ac miserabilem mortem erupit.

Hi igitur omnes de Regiæ successionis iure inimicissimè inter se, ac infestissimè contendebant. Neque quisquam eorum concedebat alteri, vt iure, aut æquitate se, potiorem esse fateretur. Quin imò in ea causa omnes vi opprimi melius esse, quàm iuri cedere iudicabant. Inde nostri subitò maximum, ac summum allatum esse periculum, & discrimẽ patriæ cognouerunt. Non enim ciuiles iã seditiones affligebãt Remp. aut de legũ, vel libertatum obseruatione erat tantummodò decertatio instituta: sed de adeunda totius Regii imperii possessione grauissima oriebatur contentio. Quę tametsi valdè timenda videbatur, ac qui illius cursus, aut exitus futurus esset: nihil magis nostri, quàm præposteram aliquam vniuersarum rerum conuersionem timebant, quæ nouum induceret morẽ iudiciorum, Rempublicãq; de pristino libertatis statu dimouêret: cùm humanę res omnes, ac ipsa Regna, & Principatus perleui sæpe pendeant momento fortunæ, temporumque inclinatione pusilla. Eoque etiam id magis; quòd nostrorum Optimatum variæ essent, ac diuersæ, & in varias competitorum partes diffusæ factiones: nulla autem domus tam stabilis sit, nec tam firma ciuitas, quæ non odiis aliquando possit, ac ciuilibus euerti dissidiis. Neq; vero spes nostris vlla ostendebatur, vt qui tantopere inter se animis, ac studiis dissiderent, vna vmquam possent voluntate cõiungi. Nec tot iã incommodorum prouidę alicui cautioni, si quę forsan adhiberi potuisset, locus erat. Vrgelitanus.n. Comes Iacobus, quo aderat Almuniæ loco, à Cæsaraugusta non longè, quãprimum sibi de Martini Regis morte allatum fuerat, generalis Regnorum Gubernatoris nomen vsurpauerat. A quo munere se nequaquam abduci passurum dicebat, neq; vt causa sua cum aliorum competitorum causis contenderet: quia ad se solum Regiam dignitatem pertinere luce esse clarius affirmabat. Quò autem prope huiusmodi contentio accedebat: eò iam propius grauiora patriæ pericula conflabantur. Regis autem nomine consultò, vt proditur, se salutari in aliud ipse tempus distulerat; vt hoc continentiæ signo nostrorum sensus permulceret: apud quos nefas semper fuerat decretum, quemquam se Regem ante sancitas more solito leges nominari. Quin & id ipsum Gubernatoris generalis nomen tam citò vsurpasse, hoc quoque magni in patriam amoris artificio condiebat: quasi in eo ipso nostris videri cuperet beneficentissimus, quòd Reip. penè succumbenti, & aliorum competitorum oneribus, turbulentisque factionibus indignissimè oppressæ, sin minus sua vi, suorumve posset, ipsius tandem potestate muneris subueniret. Sed nota hæc illius calliditas in maius sui odium retrahebatur. Non enim demissus iste, atq; humilis sermo corruptis eius moribus consonabat: imo insolentem suam, superbamq; naturam extulerat sanè supra modum tanti istius insolentia dominatus. Quia in re quo suorum

rum dissimilis videbatur: eo erat illorum in corporis figura, ac membrorum compositione simillimus. Erat enim in eo forma, & species quædam liberalis, ac statura apposita ad dignitatem: præstans præterea lineamentorum totius oris, & corporis conformatio: ad hæc gestus ipsius ita venustus; vt ars etiam, quæ non erat, atque è disciplina motus quidam videretur accedere. Quæ ornamenta cum splendore Regii generis, à quo erat profectus, mirificè lucebant; ac complures, præsertim Catalanorum, alliciebant ad sese: quòd vnum aliquem se crederent ex mortuis nostris Regibus, exemplum fortitudinis, imaginem continentiæ, atque expressam quamdam, & eminentem eorum virtutis effigiem intueri. Verumtamen non abfuit perspicax, qua opus erat, ad præcauendum prudentia aliquibus ex nostris, qui neutram in partem mouebantur, publicumque tantum agebant retinendæ libertatis, ne his voraginibus summergeretur negotium. Earum verò, atque adeò ventorum huiusmodi duo præcipui moderatores, & gubernatores scientissimi exstiterunt: Egidius Ruiz Lihorrius alter; qui eo tempore generalis apud nos Gubernationis, vt loquimur, regendæ munus gerebat, eratque fortis, ac constans vir, deque ipsa Rep. optimè sentiens; alter verò, quem toties nominauimus, Ioannes Eximini Cerdanus Iustitia Aragonum; eiusdem Reip. conseruandæ studiosissimus, ac diligentissimus vir: qui de eadem sæpius, vt iam satis docuimus, benemeritus fuerat. His duobus ob suorum munerum dignitatem tempus, ac facultas agendi erat magis propria, quàm ceteris: doloris verò, timoris, ac periculi eadem erat illa causa communis. Ad eos itaque confugerunt ii, qui integrum defendebant ius libertatis. Omnes autem Cæsaraugustam quamprimum conuenientes, considerate rem ipsam agere cœperunt. Inter quos negotiorum tractatione, & vsu, principem locum tenere videbatur Berengarius Bardaxinus, iuris & publici, & priuati valdè peritus: qui à veteri, & illustri Bardaxinorum familia originem ducebat. Illius autem non in sententiis solùm, sed etiam in nutu tanta residebat auctoritas, vt eius domus sine dubio totius Regni esset oraculum, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cauendum omnium peritissimus censeretur: tametsi apud nonnullos aliquando singularis cuiusdam artificii suspicio imminuebat hanc tantam ipsius auctoritatem, & fidem. Ad nostrorum autem sermones protinus se adiungens Benedictus, eandem vrbem A.D. VIII. Id. Decemb. eiusdem Ann. ∞ CDX. ingressus est. 1410. Cuius cōspectu, magna ea, quæ plures angebat, de Rep. cura consedit: in hoc enim naufragio colligendo, ac reficiendo communi saluti, semper illius consilia reperiebantur esse versata; nec dum palam in alterutram partem propendebat. Reipub. igitur omne bonum, eorum, qui ibi aderant, finiebatur conuenientia, & concordia. Ex quibus licet plures erant, qui animis, & voluntatibus non leuiter diffidebant inter se: omnes tamen (quod permagni interfuit, neque est in exigua laude ponendum) de Reip. salute vna & mente, & voce consentientes, oportere sibi potius statuerunt præsentibus temporibus, ac periculis, quàm pristinis suis dissensionibus assentiri: quòd priuatas inimicitias in viris fortibus non solùm extinguere debeat Reip. vtilitas, sed ad maiorem etiam amicitiam traducere. Nec decuisset sanè dissoluto prorsus, ac quasi dissipato nauigio, tunc cum maiores erumpebant venti, sæuioresque turbines existebant; quidquam aliud nisi de publicis commodis agere, & cogitare: cùm nemo eorum posset ab ea, quæ tunc concitata erat, formidolosissimi temporis tempestate liber, aut securus censeri, si publica res dilaberetur. Hi ergo omnes congressi, quia competitores ad nullam condicionem videbantur accessuri; in primis coram inter se sermones eos contulerunt, quos Martinus noster Rex moriens habuerat eo ipso die, quo excessit è vita, in ea, quæ iam futuræ Regnorum successionis causa pendebat. Etenim quærentibus ex sese, cui post eius obitum Regiam hereditatem tradendam censeret; moribundus iam responsum dederat: NEMINI prorsus se velle, præterquam ei, ad quem iure, ac legibus pertineret, quasi omnia nostrorum consilia, atque facta ea in re, ad iustitiam tantummodò, & æquitatem referenda esse, perpaucis illis verbis protulisset. Cuius non sententiæ solùm, sed etiam, vt nostri dicebant, Regii præcepti tantam vim esse debere, omnes qui Cæsaraugustæ eo, de quo nunc agimus, congressu aderant, decreuerunt; vt omnium mentibus cum ea Martini Regis voluntate consentientibus, statim ab ipsis memorent amplissima illa decreta facta fuisse.

Omnia sc. omnium arma contra eum esse capiēda, qui in ea Regiæ successionis causa, vi, & armis, non autem iure, & legibus decertaret. Competitores autē ipsi, licet animis contenderent inter se; ibi tamen consisterent, vbi opus esset. Nec quæ dubia erant, quisquam eorum sumeret, pro certis, aut concessis. Quinimo æquo ani-

mo paterentur omnes, rem ad Interregnum adduci; vt vniuscuiusque iure diligenter examinato, momentoq; suo ponderato, causa hæc non gladiis, sed litibus ageretur: præsertim cum ea esset, quæ longi temporis, & magnæ, arduæque cogitationis indigeret. De ea autem re omnes ipsi ad vnum ita sentirent: Vt qui iudicium impediret huiusmodi, se sciret contra Rempub. esse facturum.

Quamprimùm verò statuerunt, Vrgelitanum Comitem Iacobum, exultãtem nimis, præsidentemque sibi, de eo, quod temerè vsurpauerat, generalis Gubernatoris munere detrudi oportere. Quòd si aliter fieri non posset; Iustitia Aragonum eidem inferret Magistratus manum, & vim. Addebant præterea; quo ad has res obeundas auctoritas maior accederet, totius siquidem Regni consensus: omnes nostrorum Ordines in vnum esse locum congregandos: generaliaque nostris Comitia iccirco iure esse indicunda. Quamquam enim ea apud nos ex antiquo iure nisi ab ipsis Regibus haberi non possent; tunc cùm tanta inerat efficiendi necessitas, rectè posse affirmabant, ad speciem, atq; vsurpationem vetustatis adumbrari: cùm hanc deceat esse rationem consiliorum, quæ rerum, ac temporum sit vicissitudo. Comitia autem huiusmodi à duobus ipsis, qui ibi aderant, præcipuis Reipub. moderatoribus conuocari debere: Egidio nempe Lihorrio, officium Gubernationis Regente (quem Gubernatorem vulgò appellare solemus, atque ita eum deinceps nominabimus) Ioanneq; Eximini Cerdano Iustitia Aragonum: vt prior Regis personam, posterior verò solitam gereret Magistratus. Atque hæc quidem omnia, quæ facienda erant, statim facta, & transacta sunt. Gubernator enim, ac Iustitia Aragonum, quemadmodum fuerat decretum, de communi suorum munerum potestate, generalia totius nostri Regni Comitia indixerunt: iusseruntque solito more, omnes Ordines A. D. v i. Id. Febr. Ann. MCDXI. in Calataiubii ampla, ac nobili ciuitate vt adessent, suam de communi Reipub. causa sententiam dicturi. Ioannes etiam Eximini Cerdanus consueto sui Magistratus Iuris firmæ remedio, Vrgelitano Comiti interdixit: ne deinceps amplius eo, cui contra leges præerat, generalis Gubernatoris munere fungeretur: neve expectaret, si id tandem renueret, vt eum reprimerent validiores Magistratus habenæ. Tunc fieri quædam nostrarum rerum ad meliorem spem inclinatio visa est. Vniuersum namque Regnum erigere se cœpit in retinenda libertate consentiens. Protinus autem Vrgeli Comes Iustitiæ Aragonum paruit interdicto. Ceterùm præstituta die Comitiorum, cùm illud Gubernatoris, ac Iustitiæ Aragonum de Comitiis conuocandis edictum omnes nostri magna frequentia ornassent, & concursu: Gubernator, ac Iustitia Aragonum, meritò quidem illorum Comitiorum præsides, cùm ipsi ambo essent custodes, ac præsides libertatis, exponere omnibus cœperunt summam rerum in Regno post obitum Martini Regis gestarum, & quod eorum fuisset istius conuocationis consilium. Illud omnibus persuasum esset, in ea, quæ tunc causa pendebat, fortunam solam Reip disceptare. Nam si armis, non litibus ea esset controuersia definienda; victores quam Remp habituri essent, nesciebant: victis se credere nullam futuram. Neq; tam exploratum esse vniuscuiusq; competitorum ius, quàm sibi quisq; suadebat. Pro certo enim vnusquisq; eorum sumebat, quod aliis dubium, cõtrouersumq; videbatur. Ad extremum (ne longius progrediar, quàm oporteat, tametsi huc non inuitus declinabam) longa habita oratione, grauissimis verbis, & sententiis plena, nostros omnes ad magnam, & communem concordiam hortati sunt: vt cõmuni omnium animo, & voluntate in eorum fortunas irrumperent, qui aliter, quàm iure, ac legibus, de huiusmodi Regia causa contenderent decretari. Qua in re polliciti fuerunt se consilio, quantum possent, labore verò, plus certè quàm possent, pro patria vigilaturos. Atqui cùm hæc eorum oratio minimè iniucunda videretur: magnus repentè fuit ex plurimis, qui ibi aderant, plausus excitatus. Aderant autem nonnulli, quorum studia inter se magnopere discordabant, non iam intus, vt antea in animis inclusa; sed quę foras etiam audacter prorumpebant. Hi dissimulare non poterant vllo modo, sibi quæ à præsidibus proponebantur, vehementer displicere. Etenim cùm vnusquisq; eorum sensu suo, ac quæstu Regiam illam causam metiretur, quasi iis Comitiis iudicanda esset; palam, ac publicè contendebat, ei soli ex competitoribus sine vlla controuersia Regale nomen, ac munus deberi, cuius ipse partes suscepisset. Ad quod negotium conficiendum non iam occultè, sed nominatim illi suam quisque, suorumq; auctoritatem, gratiam, copias, ac opes deferebat. Verum D. Antonius Luna, clarus ille, ac præpotens, quem nominauimus, vir, audacius præ cæteris omnibus cunctationem propositam, initamque Comitiorum rationem exprobrabat. Primùm enim dicebat nullam esse rem, quæ cuiusque animum in ea causa dubiũ facere posset, quin sine vlla mora Vrgelitan' Comes Iacobus,

1411.

qui

qui non procul ab eis, ſed prope aderat quaſi præſens, ad Regale munus capeſſendum vno omnium conſenſu vocaretur: cùm omnibus iamdiu eſſet exploratum, eum ſolum apud nos, tum proprio, tum vxoris iure, iuſtè, & legitimè imperare debere. Turpeque nimis videri ſibi affirmabat, petitos, qui ibi aderant, dubitare ſe dicere auſos eſſe, quæ ne ruſtici quidem dubitabant. Valde vero iniquum, cui fortuna Regiam fuerat dignitatem apertè elargita; eandem modò deſtinatam iam, & quaſi deſponſam, callidis tergiuerſationibus velle præripere. Deinde acriter illis obiiciebat eam Comitiorum conuocationem à Gubernatore, & Iuſtitia Aragonum factam: cùm, vt ipſe dicebat, Regibus finitis, Regnum conuocare, Deputatorum Regni proprium eſſet officium, ac munus: è quorum numero D. Antonius ipſe eo tempore erat. Irrita ea propter decernebat, quæque ibi agerentur, eſſe futura: niſi fortè tenderent ad Vrgeli Comitem, Regem acclamandum. Id enim quoquo iure fieret, optimo iure fieri prædicabat. Ac ni protinus fieret: minas iactabat; formidines proponebat; magnos denique noſtris iniiciebat terrores; quaſi vi melius, ac metu, quam precibus, aut ſuaſionibus rem illam tranſigendam putaret. Hæc itaque tam concitata, ac vehemens D. Antonii oratio, ſummaque ipſius nominis amplitudo, ac Magiſtratus, quem gerebat, auctoritas permultos facilè de propoſita ſententia dimouiſſet: niſi D. Garſias ille Ferdinandi Heredia Cæſarauguſtanus Archiepiſcopus, qui ibi aderat frequens, atque in Comitiis, & in ore omnium quotidie verſabatur, ſtatim ſuam oppoſuiſſet non minorem certè auctoritatem. Is enim graui ſententiarum, ac verborum pondere, ea omnia ſapienter refutauit, quæ inſipienter nimis D. Antonius fuerat minacibus illis verbis perſequutus. Cumque ob eam cauſam acerbè ſatis in illum Archiepiſcopus ipſe inueheretur: iam tunc apertè viſus fuit D. Antonii animus, vehementer incenſus, deteſtabile, quod poſtea peperit, ſcelus concepiſſe. Sed quo Archiepiſcopus magis auram ſibi captauit popularem, id tandem fuit, quòd cùm ſe palam affirmaret eſſe Reginæ Violantis, ac Ludouici filii ſtudioſiſſimum, quorum cauſam, vt ipſe aſſerebat, notiſſimum erat, iure, & æquitate longè ceterorum competitorum cauſis antecellere; nihilominus tamen quidquid in ea agēdum eſſet, cautè prius, ac pedetentim agendum ſtatuebat: cùm tātam rem maturiſſimè iudicari oporteret. Atque illud idem viſum eſt aliorum competitorum fautoribus: quorum pletique illuc conuenerant. Verum haud ceſſabat vnuſquiſque eorum contrarias refellendo, quam quiſque fouebat, variis argumentis, & rationibus confirmare: quòd pro certo putaret ſtudio, ac ſuffragio ſuo viam ſibi ad beneficia à futuro Rege impetranda munire. Hinc res confuſè agi cœpta fuit. Nouæ enim noſtrorum factiones ſubitò fuerunt excitatæ: quæ quaſi redundantes quidam fluctus, ac ſuperfluentes, ventorum vi agitati, ad alios paſſim accedere, & ab iiſdem ſtatim recedere videbantur. D. Antonius Luna, qui ardenter cupiebat Vrgelitanum Comitem Regem acclamari; maximam animo moleſtiā capiebat, ipſius Comitis cauſam proſpiciens in peiorem partem verſam, & mutatā. Eam autem mutationem capitali odio, & malitiæ Cæſarauguſtani Archiepiſcopi tribuebat. A quo potius, quàm ab iis, qui in alios propendebant, ipſum Comitem fuiſſe Regno depulſum dictitabat; quod in eum Archiepiſcopus ipſe artificioſiſſimè, nulla data occaſione, omnium Ordinum odium concitaſſet. Nimia iccirco exardeſcebat iracundia. Sed eam, vt erat veterator, & callidus, incluſam animo continebat; donec tetri illius, ac ſceleſti facinoris, quod poſtea commiſit, oportunum locum, & tempus obiret. Quamquam autem ipſe huiuſmodi cauſam à Gubernatoris, & Iuſtitiæ Aragonum ſummi conſilii gubernatione auferre conabatur: inanes tamen in rem iſtam infractus eius furor impetus faciebat. Eorum enim honorata ſenectus, ac in publicis rebus cognita virtus, tantam apud omnes auctoritatem habebāt, vt non à propenſis ſolùm in ſingulas cōpetitorum partes, ſed à competitoribus etiam vehementer colerentur. Ipſi verò commune commodum mutuis officiis ſapientiſſimè gubernabant: omnibuſque aliis fermè inuitis, ambo ſoli ſuis humeris tota hæc Comitia ſuſtinebant. Ad quæ tandē Legati venerūt à Catalanis, & Valentinis, publicis cum teſtimoniis, atq; auctoritatibus miſſi, poſtulāres: vt huiuſmodi noſtrorum Comitia ad alium locum transferrētur, qui eſſet ſingulis eorum regionibus magis propinquus. Quod idem ſe ſtatim facturos pollicebantur. Ad ea enim exquirenda conſilia, quæ ad commune commodum pertinerent, inuicemq; ſecum cōferenda, conducere nimis affirmabant, omnes non armis ſolùm attentis, verùm etiam corporibus propius adeſſe; vt eò maturius de re tanta tranſigerent, quo celerius poſſent in vnum, dum opus eſſet, locum conuenire. Eam verò, quæ eſſet omnium cauſa communis; communi omnium conſenſu agi oportere. Quæq; autem fierent; diu eſſe ab omnibus concoquenda. Totius namq; Regii imperii, veteri fermè exemplo, nouum

tunc modum statuendum putabant. At inter nostros, dum hac de re agi cœptum est, magna, vt solet, orta fuit confusio suffragiorum. Denique præstantes quidam viri lecti fuere, quibuscum legati agere possent de proposita huiusmodi trium Regnorum conuenientia. Fas est enim interdum Cataloniam, Regnum appellare. Nam etsi tantùm sit Principatus nomine insignita; aliquando nec immeritò potest Regali nomine digna iudicari. Hi ergò sæpius congressi decreuerunt: singulis in locis oportunis quàm citò à nostris, Catalanis, ac Valentinis Comitia esse indicunda, quæ omnium Regnorum faciem præ se ferrent, communisque auctoritatem Reipublicæ. Nostra inde Comitia dimittenda, conuocandaque ad Alcagniciense opidum, Ergauicense olim, seu Erganicense, vt nonnullis placet, appellatum; quòd esset Cataloniæ, ac Valentino Regno valde finitimum. Catalanos Dertosam; Valentinos autem Traygueram protinus conuenturos. Ea etenim loca ad pares quosdam angulos, satis vicinos, sita sunt: singulisque trium Regnorum oris, atque extremitatibus terminantur. Quamquam autem Turiasonensis Episcopus, ex lectis vnus, contra ista dicere visus est, quod non fuisset, vt ipse asserebat, ad ea deliberanda vocatus: nihilominus Comitia ipsa III. Calend.
1411. Iun. eiusdem Ann. ∞CDXI. ab ea, in qua tunc habebantur, Calataiubii ciuitate dimissa fuêre: decretumque vt in Alcagnicii opido celebrarentur. Diem verò illorum à selectis viris dici debere. Biduo autem post, Kal. scilicet Iun. Cæsaraugustanus Archiepiscopus D. Garsias, quem retulimus D. Antonii Lunæ consiliis, ac sermonibus obstitisse, cùm Calataiubio egrederetur, tenderetque Cęsaraugustam; dum ad Almuniam, memoratum iam non longè vtrinq; locum peruenit, recentissimas à D. Antonio ipso literas accepit, suaues, & iucundas, significantes: se cum eodem Archiepiscopo de Rep. colloqui velle, vt ambo commentarentur inter se, qua ratione commodius esset & ipsorum tunc temporum paci, & totius posteritati otio consulendum. Ea propter se amicè, & beneuolè ad Almuniæ muros solum in agro, regia, qua itur Cæsaraugustam, via eundem Archiepiscopum præstolari: quòd tacitum hunc eorum congressum esse oporteret. Insidiosè tamen fingebat hæc omnia. Diu namque eidem periculum capitis moliebatur; ac in præcordiis suis conceptam illi mortem continebat: quòd vnicum hoc statueret esse, ægrotæ, sed nondum desperatæ, Vrgelitani Comitis causæ remedium; cuius se profitebatur, vt dictum est, esse & in consiliis capiendis auctorem, & adiutorem in agendis rebus fortissimum. Archiepiscopus quidē nihil mali fuerat suspicatus. Iccirco ex Almunię opido parum comitatus exiuit: rectaque ad D. Antonium profectus est. D. Antonius enim summa sua auctoritate istam calumniæ suæ licentiam possidebat. De via autem ad sinistram paululum declinauerat Almonazirium versus: cuius loci tunc supremæ dominationis iure potiebatur. Itaq; Archiepiscopo iter suum eò conferenti, haud longo internuallo, D. Antonius cum armata suorum caterua obuiam processit. Ac dum ambo simul iuncti fuere, postquam se vicissim salutarunt benignè, ac comiter, vt fit: secreto colloqui cœperunt de publicis negotiis, & rebus. Tunc D. Antonius tempus sibi oblatum nolens prætermittere, de singulis competitorum causis sermonē orsus, quod speraret non posse Archiepiscopum habere diu sua ea de re clausa consilia, captiose illum interrogauit: quid de vnoquoq; cōpetitorum iure sentiret: num Vrgeli Comitē futurum esse Regē autumaret. Cui cum Archiepiscopus prudēter parum, *nō me viuo*, respondisset: D. Antonius incredibili furēs audacia, detestabileq; iā scelus anhelās; *si non te*, inquit, *viuo, mortuo igitur esse oportebit*: protinusq; stricto gladio eundem adortus, graue capiti illius vulnus inflixit. Infelix tunc, & miser Archiepiscopus dare sese in fugam properauit. Verùm ea statim repressa, à D. Antonii domesticis, & familiaribus qui non procul fuerant in insidiis collocati, vndiq; cinctus, repente è mula, in qua vehebatur, exturbatus est: humiq; iacens, nefariè, ac truculenter occisus. Sui etiam, quorum perpauci admodum illuc conuenerant, iiq; imparati omnes, atq; inermes; subitò eodē periculo circumuenti, nonnulli grauiter icti, Almuniā confugerunt; alii crudeliter interfecti sunt; alii ab insidiatoribus capti, & cōprehēsi, Almonazirium ducti, ibidē diutius in priuatis custodiis asseruati. Quorum vnus fuit Iacobus Cerdanus, Iustitiæ Aragonum filius; qui fortè eo die eumdem Archiepiscopum stipabat. Sed de hac illius morte, ita in Kalendarum codice Sedis Cæsaraugustanæ. *Kal. Iun. obiit D. Garsias Ferdinandi de Heredia, Archiepiscopus Cæsaraugustanus: qui pro defensione, & iustitia Regni sustinenda in loco de la Almunia mortem passus est, primâ*
1411. *die Iun. Ann. à nat. Dom.* MCDXI. Tanto igitur patrato scelere, omnia denuo turbari cœpta: cum nouarum inde perturbationum causæ viderentur oriri. Verumtamen vt euenire solet in iis, quæ perperam fiunt, quod D. Antonius putauit Vrgeli Comiti commodum fore, id summum illi exstitit exitium. Etenim neq; fuit ex

nostris,

nostris, qui non acerrimè ad tantā vlciscendam iniuriam incumberet: eoq; tempore tantum virum vniuersæ Reip. ereptum fuisse, communis ab omnibus iactura statuebatur. Præterea amplissima omnis Herediarum gens, quæ Ludouici Andegauensis Ducis, vt diximus, partes agebat: ab eo protinus desciuit; accessitque ad Infantis Ferdinandi causam fouendam: cuius præsidio, quòd propius adesset, facilius se posse sperauit, D. Antonii, ac Vrgeli Comitis furorem reprimere, domesticique sanguinis pœnas expetere. Quin etiam & omnes ipsius Comitis inimici, quorum ille erat plenissimus, quo in eum totius Regni odium concitarent, magnis clamoribus horribilis istius casus atrocitatem augentes, palam coram omnibus exclamabant: ab eo tanquam à domino aggresti, & furioso fugiendum esse. Nā si regnaret; affirmabant, sine dubio futurū esse, procellam patriæ, turbinemque ac tempestatem pacis, & otii: nostrosq; eo Rege, neque patrias leges; neque communia iura tenere posse. Ipsi verò D. Antonio probra omnia, maledictaq; obiiciebant non Vrgeli Comitis inimici solùm, sed omnes prorsus omnium generum, ætatum, atque Ordinum homines; summi, medii, infimi, peregrini, ciues, viri, denique & mulieres cunctæ; atque etiam infantes: quòd amicum; quòd inermem, quòd Antistitem; quòd Pastorem suum, per simulationem amicitiæ, sub pacis nomine à se accersitum, nefariè prodidisset. Et quod summū erat, quòd secum, quasi in triumpho, ad victoriæ ornatum, Archiepiscopi famulos, atque assectatores, qui viui euaserant, deportasset; etiamq; tunc eosdem, ac si infideles essent, captiuos in arctissima vincula coniectos, retineret. Ob id denique factum, ipsius D. Antonii memoriam, mores, nomen tandem, dum illud audiebant, apertè execrabantur: quòd vniuersam nationem, patriamq; communem, quæ semper esse cōsueuerat in hostes lenissima, tanta tūc crudelitate polluisset, nobilissimūq; genus suum tāto proditionis dedecore maculasset, quantum vix reliqua omnis ætas posset eluere. Inde natum fuit, quòd modo tritum apud nos est vetustate prouerbium: vt dum alicui malum aliquod auspicium detestari velimus, vulgari lingua, *Con don Anton te topes*, crebrò dicamus, quasi eum, qui illi obuius sit, miserū, atq; infelicē ea detestatione obnuntiemus. Iā verò hæ tātæ istorum tēporum miseriæ Gubernatorē, ac Iustitiam Aragonum, reliquosque omnes bonos viros vehemēter excruciabant. Nihil n. minus tunc miseræ ipsi Reip. conueniebat, quàm domesticas apud nos esse dissensiones, nouasque turbas, ac rixas concitari. Verumtamen dum inspexerunt necessariò à se tam aduersam subeundam esse fortunam: maiori constantia, ac virtute proposuerunt, sibi cum ea decertandum, turbidosque ipsius motus summa ratione, ac consilio gubernandos esse; neque ab humili animo, aut demisso, sed à graui potius, & firmo, tamquam fluctum à saxo frangi debere. Quamquam autem crudele id factum, tanti flagitii plenum, ac dedecoris, acri, & repentina animaduersione dignum statuebant; interdum tamen tempestati obsequendum duxerunt. Ea namque erat sontium potentia, quam illa vis temporum labefactare vix posse videbatur, donec infelix patria, tot vndique periculis cincta, ad optatum aliquem portum perueniret: ad quem breui appulsuram Dei benignitate sperabant, si trium Regnorum conuentus singulis in locis præstitutis; aliisve coniunctis agerentur. Confidebant enim, se quàm citò Regem habituros. Eo autem constituto, maxima tenebantur spe, sontes eos, vt meriti fuerant, crudelissimè esse mulctandos; tuncque maturius posse grauitate pœnæ tarditatem supplicii compensari. Interea ne longius prorumperet improborum audacia; magnas subitò equitum, ac peditum copias compararunt; easque in præsidiis, variis in locis per vniuersum Regnum collocantes, ad communia pericula, seditiososque homines insectando, paratas esse voluerunt: atque huc, & illuc, quò magis opus videretur, promptas. Tot modis fulcienda tunc Resp. fuit: quæ iam iam ruere videbatur. Eis autem aliquantulum sublevata. Interfectores enim Archiepiscopi Regno fugati, pulsiq; fuerunt. Neq; enim illorum fuga vllo modo potuit intercludi. Eorum verò inimici ex Herediarum, & fautorum gentibus; quorū magnæ cohortes toto Regno, mira omnium consensione, in oblatæ necis vindictam vagabantur; aliquamtulum etiam repressi. Quibus in rebus componendis diu, multumque à nostris elaborandum fuit. Propterea oportuit propositam eam Regnorum conuenientiam per illud idem temporis prorogari. Ceterum postquam se à magna ista tantarum rerum molitione expedierunt; ad initam Comitiorum rationem peragendam conuersi sunt. Ad diem autem illorum destinādam, vt decretum fuerat, in Epilæ opidum A. D. IX. Kal. Aug. eiusdem anni conuenerunt, Gubernator, Iustitia Aragonum, Berengarius Bardaxinus, pluresque alii ex delectis viri. Sed hi tres, non solùm consiliis, sed facie, ac vultu suo sustinebant miseræ Reipub. dignitatem. Quod si languidiore ea in re studio fuissent; proculdubio ceterorum omnium fractus animus, debilitataque virtus fundi-

tũs concidiſſet.Hi ergo Epilam congreſſi,conſilium mutauerunt: ſtatuerunt ſiquidẽ ad eam dicendã Comitiorum diem,Cæſarauguſtæ v i.Id.eiuſdẽ mẽſis Aug. eos omnes adeſſe oportere;quia ad id Vrbem eam,opportuniorem eſſe locum, iudicarunt. A Catalanis autem per literas, ac nuntios certiores facti ſunt;eos iam Dertoſam, vt conſtitutum fuerat, conueniſſe. Ideò noſtri accelerandum ſibi decreuerunt. Sed Catalanorum adhibitam operam tacitus nullo modo præterire poſſum: quandoquidem in ea Reipub.iactura,tametſi noſtri cum ipſis condicione pares, & fortuna ſocii exſtiterunt, atque interdum etiam ob graues noſtrorum euentorum caſus inferiores;longè tamen noſtros ſedulitate,ac concordia ſuperarunt. In quo nihil eis tribuimus, quod non res, & veritas ipſa concedat.Semper enim primi in exquirendis conſiliis fuerunt: in exequendis autem haud nouiſſimi:tum magis inter ſe concordes,& coniuncti, priuatas ſuas inimicitias,quamquam graues,ac veteres,alacri animo,& vultu ob communem, & publicam cauſam deponentes.Denique licet illis naturâ inſitum ſit, quod nobis cum ipſis eſt commune,vt ſententiis magis,quàm verbis abundemus: in his rebus adeò & verbis, & ſententiis abundarunt,vt niſi certè fuerint ſeſe metipſos, ac ſuas etiam naturam ſuperaſſe.Tandem vt me retineam, à noſtris, qui Cæſarauguſtam conuenerunt, ea Comitiorum dies,ſecunda menſis Septembris proximi dicta fuit:ad illamque totius Regni Ordines Alcagnizii in opido adeſſe iuſſi.Quo ſtatim omnes pergere cœperunt. Atqui dum eò ventum eſt;cum Catalanis,qui Dertoſæ iã aderant,agi cœptum. Nam Valẽtinos, graues quædã,eo tempore ciuiles ortæ diſſenſiones detinebãt; quæ diutius eos ab inſtituta illa Regnorum conuenientia retardarunt. Neq; eæ penitus ſedari potuerunt, quin ipſi in duas partes diuiſi,alii Vinalarozium conuenirent, alii verò in conſtitutum antea Traygueræ opidum:contendentes,quam quiſque ſequeretur vocem, eam certam, ac veram eſſe,Valentini Regni propriam,ipſiusq; poteſtatem, & auctoritatem præſeferentem; aliam verò fictam, & corruptam, meritoq; paruipendendam. Idemq; apud nos D. Antonius ipſe Luna,& nonnulli alii, Mequinentiam conuenientes, ineptè, ac ſtolidè tentauerunt.vt hæc quoque noua pernicies cum vniuerſa Reip. calamitate coniungeretur. Verum hi omnes ſenſim euanuerunt conatus. Singulis enim Regnis ſinguli tantùm conuentus conſtituti ſunt.Eos autem deinceps Parlamentorum, non autẽ Comitiorum nomine vocandos duxerunt:in hoc etiam ſeruare volẽtes debitum Regiæ dignitati decorum;quæ ſola nobis poteſt ex veteri inſtituto, vera, & iuſta Comitia celebrare. Legati verò à Baleatibus,& Siculis miſſi ad noſtros venerant,pollicentes,ſe in huiuſmodi Regia cauſa, quodcumq; noſtri perciperẽt cõſilium,penitus ſequuturos.quæ legatio omnibus grata fuit,& iucunda Illud autẽ iucũdiſſimũ,quòd dum horum triũ Parlamentorum ſermones mutuò inter ſe conferri cœpti ſunt; omnes tendere videbantur ad benè de communi Rep. ſtatuendum. Quamquam enim aderant vtrobique nonnulli peſtilentes viri, ac pernicioſi, publicæ iſtius cauſæ præuaricatores, apud quos ea, vt plerumque fit, non ex vtilitate publica, & communi, ſed ex priuato illorum quæſtu, & compendio pendebatur: tamen ii callida ſua conſilia, nefariis mentibus incluſa continebant, quòd vehementer vererentur iuſtam ceterorum omnium reprehenſionem. Circumſtabat enim ſumma Parlamentorum auctoritas: quæ obliuiſci eos domeſticæ laudis non ſinebat.Itaque hinc fiebat, vt cùm hos verecundia cohiberet, ceteros autem integri officii ſtudium incitaret: de Reip. ſalute mirificè omnes vna & mente, & voce conſentirent. In primis autem ſtatuerunt: vt dum hæc cauſa ageretur; introitus omnes,quibus terra,aut mari in regiones haſce adiri poſſet, firmiſſimis eſſent armatorum hominum præſidiis intercluſi.Deinde Arces, & Caſtella omnia tutiſſimis cuſtodiis munita,& maioribus quàm antea vigiliis. Ea quoque Regnorum Parlamenta, cohortibus armatis circumſepta: vt & Regnorum fines ab excurſionibus hoſtium tuerentur, & communem patriam à ciuilibus ſeditionibus vindicarent. Quæ omnia ſicuti ſtatuta fuerant, confeſtim facta ſunt. Adhæc de Regia illa cauſa decreuerunt, non temeritate, aut cæco, & populari impetu, ſed perſpicua prudentia, & percauto quodam delectu iudicandum.Nec alienum eſſe ad eam rem adhibere doctos homines, vel vſu peritos:quorum cõmitteretur fidei,ac permitteretur iudicio,& poteſtati. Eſſe enim affirmabant liberorum populorum condicionẽ,præcipuè autẽ huiuſce noſtri Aragonẽſis populi,poſſe ſuffragiis ſuis dare, vel detrahere Regnum, cui velint. Memoria namque repetebant, priſcis illis ſeculis, tribus oblatis ſimilibus Interregnis, quorum ſupra meminimus, ſimilia iacta fuiſſe retinendæ libertatis fundamenta: dum Innicus Ariſta primum,deinde Abarca Cæſo,poſtremò tandem Ranimirus Monachus, à noſtris fuerant Reges acclamati.Quin etiam & Garſiam illum Eximini, primum Suprarbienſium Regem,

gem, asserebant fuisse, quemadmodum dum re vera fuit, vltrò, & sponte ab ipsis Suprarbiensibus Regem cooptatum. Vnde in ea, quæ tunc circa Regiam hereditatem quæstio vertebatur, nihil competitorum, tam proprium esse debere, quàm ferre modicè eorum voluntatem, quibus semper fuerat in mandando Regno natiua, ac propria libertas præstituta. Nec qui forte præterirentur, quandoquidem vni soli Regale erat munus deferendum; de ipsa conquererentur iudicii iniquitate: cùm si libertatis proprium est, facere id quod velis; nostri populi, qui liberi erant, iure poterant, quem sibi vellent, Regem constituere. Quidquid quod, ne ea, si qua esset, competitoribus fieret iniuria; vniuersi Regnorum Ordines statuebant; Eum solum, Regem acclamandum, ad quem iure, & legibus Regia ipsa dignitas pertineret. Iudicium verò istius rei, quæ tam ardua, ac difficilis erat, nequaquam ducebant vniuersæ multitudini committendum esse: cùm multorum animi in deliberando semper in contrarias partes distrahantur, nec quidquam sit incertius multitudine. Sed viros ingenio, prudentia, atque integritate præstantes, ex singulis tribus Regnis deligendos, qui lumina ingeniorum, consiliorumque suorum ceteris omnibus porrigerent, atque tenderent. Ipsique soli, graui suarum conscientiarum pondere, non populari aliqua trutina, sed quasi fidelissima quadam statera, singula competitorum iura examinarent, decernerentque. Quem tandem Regem vniuersi Regnorum Ordines in posterum essent habituri: In quibus deliberandis rebus mirifica exstitit Parlamentorum, incredibilis patriæ totius, bonorumque omnium summa, & singularis consensio. Verùm hæc consilia Vrgelitano Comiti vehementer displicebant. Etenim, vt ipse affirmabat, ob inimicos suos, timidiùs se huiusmodi delectorum virorum iudicio committebat. Sed ne diffidere iuri suo fortasse videretur: huic trium Parlamentorum voluntati obsequendum statuit: quòd eam tandem ab omnibus videret esse certam, ac stabilem, vltimamque explicatam de expediendo huiusmodi negotio sententiam. Cui ceteri etiam competitores statim sunt assensi. Quisque autem eorum sic statuebat: vt si causa cum causa contenderet, se suam perfacilè crederet non æquis solùm, sed barbaris iudicibus probaturum. Tantum vnusquisque sibi, æquitate iuris sui nixus, confidebat. Postquam igitur omnes initam hanc consiliorum rationem summa consensione laudarunt; reliquum fuit, in quo plusculum erat negotii, vt viri ii deligerentur, qui tantæ rei essent præficiundi: decerneretur que quot futuri essent, ac quo tandem in loco congressuri. Primùm quidem constituerunt: Nouem tantùm viros cooptandos, ex tribus siquidem Regnis ternos, qui electorum quasi munere fungerentur. Quem enim ipsi omnes, vel ex eis sex, dummodò aliquis è singulorum Regnorum electis interesset, Regem habendum iudicarent: is statim quietè, & pacificè, sine tumultu, sine armis, de communi Parlamentorum consensu, publicaque Regnorum auctoritate, Regna cum dignitate obtineret. Id autem iudicium intra duos menses fieri debebat. Si verò latiùs id tempus vellent proferre: liberè possent illud in alios duos menses prorogare. Quòd si ex deligendis aliquis susceptum munus commodè explere nequiret, vel forte recusaret: superstites, quem vellent, in eius locum sufficerent; qui idem munus cumulatè exequi valeret. Deinde autẽ, quia Aragonio Regno à ceteris ditionibus semper dari consueuerat in tota dignitate principatus; decretũ fuit: vti istius amplissimi iudicii sedes intra Aragonios fines statueretur. Propterea de communi Parlamentorum consensu, Caspe, celebre apud nos opidum, futuris iudicibus consistendi locus circumscriptus. Ipsis quoque hæc adhibita fuit iudicii, ac cognitionis regula: vt primùm illius competitoris causam audirent, qui ad eos primus accederet. Si verò plures adessent vno tempore: quem vellent ipsi, ordinem seruarent: Competitoribus per procuratores, non per se ipsos agere liciturum erat: neque propius iudicii locum XII. M. passuum accedere, plurimum, quàm singulorum XX. equitum turmis stipatos. Eorum autem procuratoribus, legatisve edicebatur: ne pluriùm, quàm singulis XL. equitum, & L. peditum inermibus cateruis comitati, ad futuros iudices in ius adirent. Ipsis verò iudicibus; ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus in tanta re adhiberi posset: vt sumpta priùs Sacrosancta Eucharistia, solemne Iusiurandum præstarent, fidem suam omnibus obligantes: se pro eo tantum sua suffragia laturos, quem iudicarent iure esse ad obtinendum Regale munus potiorem. Neque se precibus, nec pretio, nec gratia, nec simultate, à recta iuris via deducendos; sed ea semper mente futuros, quam ratio, & veritas ipsa præscriberet. Tum: vt suum quisque suffragium, & suorum eiusdem muneris sociorum tamdiu tegeret, & supprimeret, quamdiu notum, atque apud omnes peruulgatum esse oporteret. Ad hæc Caspensis ipse locus confestim fuit firmissimo militum præsidio munitus: quo futuris electori-

bus tranquillitas animorum adesset, & maior securitas. Quin etiam vniuersi Regnorum Ordines decreuêre: Parlamenta illa minimè esse dimittenda, tametsi ad alia forsan commodiora loca transferrentur. Sed in incœptis iis communib⁹ congressibus, qui singulorum Regnorum faciem præseferrent, quasi in vigilia permanendum; vt eis in huiusmodi custodia, tamquàm in specula, collocatis, electores Iudices ab omni cura vacui redderentur, causæque & officio suo satisfacere possent cumulatiùs. Quæ omnia singulis competitoribus vniuersa Parlamenta per literas, ac nuntios deferenda curarunt, initamque hanc rationem consiliorum, omnibus esse exploratam. A qua nemini liciturum fore nuntiabatur, transuersum, vt aiunt, digitum discedere: si populorum gratiam sibi quisque conciliare cuperet, & quod aptissimum erat ad quietè regnandum, charitatem. Huic verò magnæ, & obscuræ quæstioni iudices esse præficiundos, graues, sapientes, iustos, integerrimos, tales denique quales ipsa natura causæ, ac fides omnium publica postulabat. Ad quos; monebant eos, ne recusarent, neve multum differrent mittere oratores suos: diligenter instructos; quòd hereditariæ huic controuersiæ finem iam constitui tempus esset. Catalani autem separatim legatis suis mandata dederunt, vt eorum nomine singulos competitores ad concordiam hortarentur. Quam inter eos, si ipsi sibi vicissim satisdarent, hac condicione iniri posse credebant: vt is, in cuius imperium decideret res, damnum illud amissæ causæ, quantum commodè fieri posset, ceteris competitoribus resarciret. Cupiebant enim, vt si aliter competitores sentirent; grauis ea Parlamentorum admonitio reprimeret illos: si verò dubitarent; suauis hæc hortatio ad communem pacem impelleret. Vsque eo ipsi, cautioribus huiusmodi consiliis, adhibendam curarunt in competitorum fortunis misericordiam, in Reip. autem salute, quam semper soliti fuerant, sapientiam. His igitur ita constitutis, extremum illud erat, vt Iudices iî legerentur, apud quos Regia hæc causa agenda esset. In quo tandem tota operosæ istius molitionis summa consistebat. Nostri quidem protinus Gubernatori, ac Iustitiæ Aragonum potestatem, optionemque fecerunt: vt ex omni populo deligerent, quos vellent. Ipsi vero tales delegerunt viros non ex nostratibus solùm, quòd ad eos tantùm spectabat, sed ex Catalanis, atque etiam Valentinis; vt statim id omne, quod ab ipsis actum esset, tria Regnorum Parlamenta, singulari studio, ac incredibili plausu, comprobarent. Hi autem fuerunt selecti Iudices:

EX ARAGONENSIBVS.

I.

D. Dominicus Ram, Oscensis tunc Episcopus, magnæ sanctitatis, ac doctrinæ vir: qui postea Ilerdensi Ecclesiæ præpositus fuit: indeque ad Tarraconensem Archiepiscopatum translatus, tandem à Martino V. Pont. Max. S.R.E. Presbyter Cardinalis tituli Sancti Xisti primum, mox Ioannis, & Pauli, Portuensis denique Episcopus creatus decessit. Cuius generis antiquitas ex eodem Alcagniciensi opido profecta perhibetur; patre siquidem Blasio Ram, & Domna Dulcia Lanaiga matre, Alcagniciensibus viris natus fuit. Eorum autem error omninò eripiendus est, qui eum, Dominicum Raimundi, vt Onufrius Panuinus testatur, vel, vt alii, Dominicum Royzium appellatum memorant. Ram enim ipsius, ac gentis suæ nomen erat.

Hic ergo nostræ classis primo loco collocatus fuit. Secundo autem

II.

Franciscus, seu, vt vulgò vocabatur, D. Frances Aranda, in Turolensi ciuitate Equestri familia natus non ignobili: homo sanè æquus, & ab omni cupiditate remotus: veritatis amicus; & apud omnes maximè charus. Hic fuerat studiorum, ac officiorum Ioannis, & Martini Regum maximè conscius, eorumque fidelis, ac beneuolus consiliarius. Sed ea omnia contemnens, iam pridem se in otium, solitudinemque contulerat, ac in celebri Carthusianorum cœnobio, Porta cœli nuncupato, illius se dederat religioni, sub eorum, quos ibidem *Donatos* appellare solent, instituto. Quorum more vestitus, capillatior quàm antea, barbaque maiore incedebat. Inde ergo fuit ad regiam huiusmodi causam iudicandam vniuersæ Reipublicæ voce reuocatus. Tertius autem fuit

III.

Berengarius Bardaxinus tum ciuilis iuris, tum etiam totius nostræ antiquitatis peritissimus: qui apud nos plures annos fuerat publici consilii princeps: huiusce autem tam magni operis præcipuus inter ceteros omnes parens, & effector. In cuius industria,

dustria,& consilio vniuersi omnium Regnorũ Ordines tantam componendæ Reip. spem collocauerant,vt communis huiusmodi causa,quæ sine eo deserta, ac desperata putabatur, cum eo non existimatione modò, sed quasi re ipsa iam iã constituta crederetur,tametsi nondum esset dicto,& pronuntiatione definita. Verùm infra illius facta fusius persequemur,cùm de singulis Iustitiis Aragonũ erit nobis sermo propositus. Eidem namque Magistratui post Ioannem Eximini Cerdanum, qui vt dictum est satis, hac tempestate eum gerebat,præpositus fuit.

Hi tres igitur fuerunt ex nostris Regiæ huic quæstioni præfecti Iudices, competitorumque iuris, æqui æstimatores. At alii tres

EX CATALANIS;

I.

D.Petrus siquidem Sagarriga, Tarraconensis tunc Archiepiscopus,ex Ilerdensi Episcopo translatus: vir summo officio, ac virtute præditus, iustitiaque & integritate plurimum præstans. Alter verò

II.

Gulielmus Vallesica legum, & patriæ consuetudinum valde peritus: cuius in ipsis legibus interpretandis, æquitateque explicandis scientia, admirabilis illis temporibus habebatur. Tertius autem fuit

III.

Bernardus Gualuesius; qui ipsius etiam ciuilis iuris intelligentia, atque omni prudentiæ genere multum præstabat.

Sed

EX VALENTINIS;

I.

D. Bonifacius Ferrarii primo loco selectus fuit : qui erat præfato Portæ cæli cœnobio præpositus Prior. Homo quidem iustus, natura bonus, prudens,& laudatus, studiisque ciuilis iuris,ac etiam canonici optimè deditus. Illi autem adiunctus

II.

Vincentius Ferrarii, illius frater germanus; Sacræ Theologiæ Doctor sapientissimus, ex Prædicatorum, vt vocant, instituto: sanctissimus, & religiosissimus vir: in omnibus vitæ suæ partibus moderatissimus, ac temperatissimus: plenissimus pudoris, officii, & charitatis. Cuius miræ sanctitatis,ac religionis fama vniuersi Christiani imperii fines peragrauerat, earumque celebritate remotissimis etiam nationibus notissimus erat. In patria autem sua, Valentina nempe ciuitate, ita illius sanctimonia quasi lumen aliquod elucebat,cum inter præclaras alias virtutes rarissimum esset exemplum continentiæ, vt omnes iam pridem eum,sicuti aliquem de cælo lapsum intuerentur. Cumque singulari hæc viro suæ integritas ad extremum vsque spiritum prouecta fuisset, diuinitusque magnis signis,ac miraculis comprobata: antecepta, pro more solito, accurata inquisitione veritatis, illum tandem Calixtus III. Pont. Max. postea in Diuorum cælestium numerum retulit. At dum à Valentinis ad huiusmodi deliberationem faciendam adhibitus fuit; repente omnes maximis lætitiis incesserunt: quòd tanti viri interuentu nihil inde non verè iustum, æquum, rationi consonum, omnibusque vtile, & conducibile profecturum fore sperarent. Tertius denique istius iudicii socius à Valentinis adscriptus fuit.

III.

Ginesius Rabaza, Equestris ordinis vir; iurisque ciuilis interpres grauis, ac disertus. Sed eo posteà insaniente (siue quòd re vera in illud genus morbi delapsus fuisset, siue, quæ vulgaris,ac vehemens illis sæculis opinio fuit, quòd se data opera insanum finxisset; vt se ab huiusmodi iudicio abstineret) in eius locum, cùm iam Caspi adesset, suffectus fuit Petrus Beltrandi, Decretorum clarissimus Doctor, plurimis, maximisque in rebus probatissimus.

Hi igitur Nouem grauissimi homines istius tanti muneris socii, officiique & mandatorum iudices ab vniuersis trium Regnorum Ordinibus constituti fuere. Quorum inter ipsos consensio , vnica iam proponebatur communis, ac publicæ salutis spes: atque eadem ipsa omnes obtentabat, nihil futurum aliter, ac deceret. Initia enim illa præclara, quandoquidem tam citò tales iudices ad talem caussam fuerant selecti; communi omnium felicitati tribuebantur: extrema autem, summæ ipsorum iudicum virtuti, ac prudentiæ; foreque faustè, ac feliciter euentura. Quò autem propiùs huiusmodi contentio accedebat ad iudiciariam cognitionem veritatis: eò omnes hilarioribus oculis quasi terram videbantur videre iam sese, in optatumque portum ex odiosa,

& perdifficili nauigatione venisse. Attamen vt humanæ res sunt instabiles, fragiles,& caducæ; Gandiæ Dux Alfonsus, vnus ex competitoribus Regni, per ætatem, quæ nimis decrepita erat, ac infirma, nullam partem sanæ, & saluæ Reipub. gustare potuit. Ete-
1412. nim A. D. III. Non Mart. Ann.Chr. ∞CDXII. in ipsa meditatione Regii muneris obeundi, excessit è vita; Alfonso filio grandiori, Deniæ Comiti, ac Ripacurtiæ, integram suam petitionem relinquens. Verùm Ioannes, Pradensis Comes, Ducis mortui frater, pro suo proprio iure actionē illam suscepit,& sobrino, & ceteris competitoribus aduersantem. Quam quoad alios; ipsomet prorsus, quo frater iure, omnibus anteponendam esse contendebat: quoad sobrinum autem; quòd esset eo, Ioannes ipse gradu propinquitatis proximior. Sed protinus fuit de inani illo conatu depulsus. Nam si quod ius ad Alfonsum Ducem mortuum in Regia ea hereditate pertinebat, id omne ad filium, non autem ad fratrem, censebatur translatum: cùm ad Martini Regis interitus tempora communium rerum status reuocandus esset, vt qui tunc esset ceteris iure potior, is nunc, & sui ceteris essent præponendi. Atque ita attendendum esse, statim Nouem ipsi selecti Iudices decreuêre. Quamprimùm enim Caspensem constitutum iudicii locum quasi Conclaue quoddam, ingressi sunt, A.D.IV.Kal.April.eiusdem Ann.MCDXII. præterito prorsus Ioanne ipso Pradensi Comite, ceteros competitores hoc ordine, atque his cognomentis, siue vt appellare solemus, Titulis in grauissimum istud iudicium vocauerunt: scilicet,

Primogenitum Illustrissimi Neapolitani Regis, Ludouicum:
Inclytos, Ferdinandum, Infantem Castellæ; & Alfonsum, Gandiæ Ducem:
Egregiosque Federicum, Lunensem Comitem; ac Iacobum, Vrgelitanum.

In quo solitum illud decorum seruare voluisse visi sunt, vt qui maiori dignitate, vt puta Regis, Infantis, aut Ducis antecederet; priori in loco is collocaretur. Sed præter hos vocari etiam iusserunt; Violantem Reginam, dicti Primogeniti matrem, Ioannis Regis, vt diximus, filiam: nec non & Isabellam, eiusdem Ioannis, ac Martini Regum sororem, vxorem Vrgelitani Comitis Iacobi: ne illæ, quæ ius etiam ad Regale munus habere contendebant, conqueri possent, à nostris non fuisse in eandem condicionem vocatas, ob eamque causam ipsi Iudices in prætermissi debiti sui officii reprehensionem incurrerent. Tunc viæ multitudine legatorum vndique missorum celebrari cœperunt. Idque eo ipso vehementer delectabat, quòd in ciuili contentione proposita, factaque Iudicum selectione, omnes partes videbantur inter se miro quodam applausu consentire. Sola Regina Violans, ac filius Ludouicus, Iudices eos constitutos, grauiter sibi suspectos, atque infensos dicebant: legatique ab eis missi multas suspicionum causas coram ipsis Iudicibus proposuerunt, cupientes eorum fidem in hoc iudicio faciendo derogare. Sed ab eis protinus decretum fuit; illam sibi non esse abrogandam. Itaque deinceps accuratæ nimis cœperunt esse, & ciuilium legum disputationibus vehementer incensæ, inter ipsorum Competitorum legatos, qui Caspi aderant, contentiones. Vnusquisque enim industriæ suæ neruos contendebat, vt is causam eam vinceret, à quo fuisset ipse iustitiæ suæ patronus constitutus. Ceterùm eo tempore Federicus Lunensis Comes, infans puer erat, neque solùm parentibus, verùm tutoribus idoneis orbatus. Etenim qui apud Iudices illius partes agebant; in eius iure cognoscendo, aut exponendo haud erant diligentes, disertive patroni, prout solent esse plerumque mercenarii: sed tantummodò suarum miseriarum deprecatores; vt aliquando ipsos Iudices patris, atque aui memoria, ac desiderium teneret. Iccirco cùm illius causa, tutela vacua, cerneretur, communemque Regnorum fidem, tamquàm legitimi tutoris, implorare: Iudices statim decreuêre in deserti ipsius fortunas publicum immittendum esse Regnorum patrocinium. Itaque vniuersi Ordines protinus eidem, totius Reip. voce, amplissimos patronos, defensoresque acerrimos adoptarunt; tres Equestres viros, sex Iurisperitos, ac tres alios, quos appellamus, causidicos procuratores: ne viderentur ea in re, nec paululum quidem, à debita sua integri, & recti officii religione deficere. Ipsi verò patroni traditam sibi Federici Comitis defensionem singulari studio susceperunt, in eaque accuratissima diligentia, & fide laborarunt. Ac priores quidem triginta dies, totos, selecti Iudices in audiendis singulorum competitorum iuris,& facti disceptationibus consumpserunt: reliquos verò, in vnoquoque eorum iure, integro sanæ mentis iudicio, ponderando. Nequaquam enim ipsis præfinitum fuerat, vt eam causam non nisi recondita arte, quæstuosave iuris ciuilis scientia perpenderent; sed permissum interdum, vt etiam recto naturali sensu iudicarent,

rent: præsertim dum tantæ visæ sunt, tamq; contrariæ clarissimorũ virorum auctoritates inter se. Itaq; omissis auctoritatibus, ipsa re, & ratione veritatem exquirebant. Illud autẽ mirandum, quàm suspensi, incertique singulorum vultus pendebant obscura, ac cæca futuri euentus expectatione: neq; eorum solum, quorum præcipuè res agebatur, sed plurium aliorum: cùm tanta causa quanta nulla vnquam in disceptatione versata fuisset, apud nos tunc in ciuili contentione posita cerneretur. Non enim id latebat, neque abditum erat: sed in oculis, atque auribus omnium nationum, ac gentium versabatur. Præter competitorum autem oratores, legati ab ipsis Parlamentis missi ad eundem iudicii locũ venerant, sententiam audituri. Quos omnes sollicita, & anxia illius expectatio tenebat: quia videbant in ea esse de salute Reipub. decernendum. Fuerat autem priùs de communi decreto constitutum; ¶ Eum, qui à Iudicibus Rex appellaretur, dulci, ac suaui, præstituta iam vniuscuiusque Re pub. moderandæ forma in omnibus rebus vti debêre; suosque suorumque motus, legum, ac patrii iuris sedatione condîre: neque in iudiciorum moribus, populorum scitis, ac libertatibus vllam, nec minutulam, esse mutationem futuram. Qua in re communis operæ summa, ac sancta selectorum Iudicum fides supposita fuerat: ipsiq; Iudices penè domini, ac publici istius iuris vicarii constituti. Quibus etiam adhibiti fuerunt publici Notarii sex, à tribus siquidem Regnis bini, prudentes, graues, & diserti; publicæ istius fidei, ac omnium, quæque agerentur, integerrimi testes futuri. Quamquàm autem patriæ libertas tot fuerat prudentibus consiliis septa, salutaribusque præsidiis communita, vt nihil inde timendum videretur; nostri tamen, atque adeò omnes, quem exitum habitura res esset, metuebant: cùm in omni mutatione dominorum, morum etiam mutatio timenda sit. Denique profligata iam hæc fuit, & ad felicem exitum adducta quæstio. Apertè enim Veneris quadam die Natalis Sancti Ioannis Baptistæ, vicesima quarta mensis Iunii, Anni sæpe dicti ∞CDXII. maior Iudicum pars, quæque tandem sufficere poterat; in vnius ex competitoribus causam incubuit. 1412
Insequenti verò die Sabbati vicesima quinta eiusdem mensis omnes Nouem Iudices (ita enim fuerat constitutum, vt quod maior, & sanior pars decerneret, id superstites etiam approbarent) sua ferentes suffragia, testes, & à dictis sex Regnorum Scribis testimonia postularunt, publicis literis, vt moris est, consignata. Sed consilium hoc ceperunt inter se, vt ea occulta manerent, donec modo, atque ordine ab ipsis adhibendo omnibus essent peruulganda. Decreuerunt enim ad eam tantam rem diem diei debêre. Illud verò peruulgandi munus Diuo Vincentio Ferrario commiserunt, dum de rebus sacris ad populum concionaretur. Ea autem dies, Martis xxIIx eiusdem mensis Iunii dicta fuit. Auspicatò igitur ad Caspensis Ecclesiæ portam, quasi pro theatro illi iudicio ædificato, publicus quidam locus apertus, & propatulus, captus est opportunus. In quo altare constructum fuit, suggestusque ornatus, vt res diuina maxima cum cærimonia fieret, celeberrimaque illa concio haberetur. Ibi ergò præstituta die, audiendi causa, maximo vndique hominum ex agris, ex vicis, ex cunctis denique domibus concursu facto, hora Tertia Ecclesiæ consueta, aut non multò secus, Iudices quamprimùm altioribus in sellis distinctè consederunt. Atqui tunc D. Dominicus Ram Oscensis Episcopus, inter eos primus, omnium Legatorum, & Oratorum frequentia stipatus, innumerabilique cinctus populi multitudine, cunctis astantibus, & audientibus Sacræ Missæ solemnia celebrare cœpit, ac pro more solito Spiritus Sancti gratiam implorare. Quibus peractis, Diuo Vincentio Ferrario suggestum ascendente, magnum illico fuit omnium, qui ibi aderant, silentium consequutum. Neque enim necesse fuit vetare; ne qua vox mitteretur; ne quis disputaret; ne loqueretur; neue pedibus streperet; aut quouis alio modo sermonem interrumperet. Omnes enim ingentes illæ astantium vndæ, tamẽ si valde efferuescebant, atque huc, & illuc quasi ventorum vi agitabantur; mira quadam taciturnitate, ac si nemo homo adesset, tamquàm stupefactæ, intentis oculis dicturum sic intuebantur, vt in eo penitus viderentur defixæ. Ille verò suauissimè, vt solebat, orsus est loqui. Primum quidem nonnulla de sanctissima nostra Religione concionari cœpit. Mox suam, & collegarum in audiendis competitorum causis adhibitam rationem explicare. Deinde singulas eorũ contentiones referre: ac quo quisque iure niteretur. Tum quæ fuisset sua, ac sociorum ea de re lata sententia. Quam tandem suo, ac eorum nomine pronuntiaturus, locum illum ascenderat. Ad extremum, quo iam eum vocabat tacita omnium expectatio, Dei Optimi, Maximi prius, sacratissimæ deinde Virginis matris Mariæ, ceterorumque omnium Sanctorum auxilio implorato, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque futurum precabatur, magna, & contenta voce, vt ab omnibus posset ex-

audiri, Gloriosissimum, Inuictissimum, ac Potentissimum Principem, Ferdinandum, Infantem Castellæ, Felicem, Pium, Victorem, Augustum, Maximum, totius Aragoniæ ditionis Regem acclamauit: pronuntiauit eidem, omnes Aragonum ditioni subdititios, obnoxios, & supplices solitam communem fidem obligare debêre. Omnia tunc repente ibi & lætificis audientium vocibus, & ingenti tubarum sonitu, ac bucinarum, tibiarumque cantibus, variisque aliis musicæ generibus personarunt. Nuntii verò, seu potius pegasi, acclamati Regis Ferdinandi protinus visi sunt alacres, & læti volitare, eidẽ exoptatissimum huiusmodi nuntium afferentes. Quod statim etiam ad singulorum Regnorum Parlamenta à legatis ibi tem astantibus remissum fuit, vnà cum Tabellis singulis Notariorum Signis obsignatis: vt ea res omnium oculis testatior esset. Sabbato enim, quo huiusmodi sententia lata fuerat, curauerant Iudices, solemnem eidem, quam diximus, Notariorum testificationem adhiberi: cauerant tamen, ne manifesta ad quempiam ante publicæ promulgationis diem deferretur. Tunc autem constituerant, vt ipsi Notarii publicum darent grauissimi istius iudicii testimonium; quo & viuis res illa perspicua fieret, & eadem ipsa perspicuitas posteris etiam maneret sempiterna. Illius verò exemplum hoc loco exarare constituimus; vt tanti facti memoriam iam prope senescentem ab obliuione hominum, atque à tanto silentio vindicemus.. Id autem est huiusmodi.

IN *nomine Domini nostri Iesu Christi. Pateat vniuersis. Quod die Sabbati intitulata Vicesima quinta mensis Iunii; Anno à natiuitate Domini Millesimo Quadringentesimo Duodecimo, Hora Tertiarũ; vel quasi. Existentibus Reuerendissimis, & honorabilibus Dominis, Nouem personis infrascriptis, ad inuestigandum, instruendum, informandum, noscendum, recognoscendum, & publicandum subscripta deputatis, & electis, in quadam Aula Castri Villæ de Casp prope flumen Iberi in Aragonia constitutæ; personaliter congregatis. In præsentia nostrorum Notariorum subscriptorum: Qui de auctoritate, facultate, & potestate dictorum dominorum Deputatorum & aliis per Calendaria tactis, & expressatis (prout nominati sumus inferius) facimus autenticam, & veridicam fidem. Et in præsentia etiam honorabilium dominorum testium infrascriptorum præfati domini mandarunt Reuerendo Magistro Vincentio Ferrarii subscripto; quòd ipsorum nomine legeret; & publicaret quandam scripturam. Quam ill.co dictorũ dominorum ex parte Reuerendissimus in Christo pater, & dominus D. Dominicus Ram Episcopus Oscensis infrascriptus dedit, & tradidit eidem Magistro Vincentio Ferrarii, & requisierunt nos infrascriptos Notarios; quòd de prædictis omnibus & singulis faceremus vnum, & plura publicum, & publica Instrumenta. Qui quidem Reuerendus dominus Magister Vincentius Ferrarii accepit dictam scripturam, & eam coram omnibus legit, & publicauit. Cuius tenor sequitur in hunc modum.* N*os Petrus de Sagarriga, Archiepiscopus Tarraconensis; Dominicus Ram, Episcopus Oscensis; Bonifacius Ferrarii, Domnus Carthusiæ; Guilielmus de Vallesicca, legum Doctor: Frater Vincentius Ferrarii de ordine Prædicatorum, Magister in sancta Theologia; Berengarius de Bardaxino, Dominus loci de Zaydi; Franciscus de Aranda, Donatus monasterii Portæ cæli, Ordinis Carthusiæ, oriundus Ciuitatis Turolii; Bernardus de Gualbis, vtriusque iuris; & Petrus Beltrandi, Decretorum Doctores; Nouem videlicet Deputati; vel Electi per generalia Parlamenta: prout de nostra electione, & subrogatione mei Petri Beltrandi constat per publica Instrumenta facta in Alcagnizio die quartadecima Martii Anno à natiuitate Domini Millesimo Quadringentesimo Duodecimo; & Dertusæ die tertiadecima dictorum mensis, & Anni, & in Castro de Casp sextadecima die Madii eiusdem Anni, cum plena, ac plenissima, generali, ac generalissima auctoritate, facultate, & potestate inuestigandi, instruendi, informandi, noscendi, recognoscendi, & publicandi, cui prædicta Parlamenta, & subditi, ac Vassalli Coronæ Aragonum fidelitatis debitum præstare, & quem in eorum verum Regem, & Dominum per iustitiam, secundũ Deum, & nostras conscientias habere debeant, & teneantur. Ita quod illud, quod nos Nouem in concordia, vel sex ex nobis (in quibus sex seu inter quos sit vnus de qualibet terna) publicaremus, vel alias pro exequutione Capitulorum inter dicta Parlamenta concordatorum faceremus, aut executaremus quouis modo; haberetur pro facto iusto, constanti, valido, atque firmo. Prout de prædictis potestate, & capitulis constat per publica instrumenta recepta in Alcagnizio per Bartholomeũ Vincentii, Paulum Nicolai, & Raimundum Baiuli Notarios, die quintadecima Februarii, Anno prædicto. Considerantes, quod inter cetera sollemniter, & publicè quilibet nostrum vouit, & iurauit: Quòd simul cum aliis secundum potestatem concessam citius, quo rationabiliter fieri posset, in negotio procederet, ac verum Regem, & Dominum publicaret: prout in dictis voto, & iuramento, de quibus constat per publica instrumenta recepta in Villa de Casp per dominos Paulum Nicolai, Raimundum Baiuli, & Iacobum de Monteforte Notarios diebus decima septima, & vicesima secunda Aprilis, & decima octaua Maii anni prædicti latius continetur. Visis tenore, & forma dictarum, electionis de nobis factæ, & potestatis nobis traditæ, & iuramenti, & voti præmissorum, & præhabitis inuestigatione, instructione, informa-*

informatione, notione, & recognitione, quæ per nos fienda erant, & dictis, ac datis, & communicatis per iustitiam, secundum Deum, & nostras conscientias nostris opinionibus, dictis, atque votis; & illis, ac aliis præmissis recognitis, & consideratis; solum Deum habentes præ oculis, secundum tenorem potestatis, & iuramenti, ac voti prædictorum dicimus, & publicamus: Quod Parlamenta prædicta, & subditi, ac Vassalli Coronæ Aragonum fidelitatem debitam præstare debent, & tenentur Illustrißimo, ac Excellentißimo, & Potentißimo Principi, & Domino nostro, Ferdinando Infanti Castellæ, & ipsum Dominum Ferdinandum in eorum verum Regem, & Dominum habere tenentur, & debent. Ex quibus omnibus ad perpetuam rei memoriam petimus, & requirimus fieri vnum, & plura publicum, seu publica Instrumenta per vos Notarios infrascriptos. De quibus omnibus, & singulis supradictis dicti Reuerendißimi, & honorabiles domini Nouem Deputati verbo etiam requisierunt per nos Notarios subscriptos fieri vnum, & plura, publicum, seu publica Instrumenta. Quæ fuerunt acta die, anno, & loco prædictis: Præsentibus honorabilibus viris, dominis Francisco de Pau, Milite; Dominico Ram, Licenciato in legibus, Priore Ecclesiæ Alcagnicii; Melchiore de Gualbis, Milite; Dominico de la Naia; Gulielmo çaera; & Raimundo Finallerii, Castellanis, & custodibus dicti Castri de Casp, ad hæc pro testibus vocatis specialiter, & assumptis.

Sig✝num mei Bartholomæi Vincentii, Notarii publici Ciuitatis Cæsaraugustæ, & auctoritate Domini Regis Aragonum per totam terram, & dominationem suam. Qui prædictis vna cum Notariis infrascriptis interfui, & clausi.

Sig✝num mei Pauli Nicolai, olim Illustrißimi Domini Regis Aragonum Scriptoris, auctoritateque eiusdem Notarii publici per totam ipsius Regiam ditionem. Qui prædictis interfui, & clausi.

Sig✝num mei Francisci Fonelleda, Illustrißimi Domini Regis Aragonum olim, Scriptoris, Regiaque auctoritate Notarii publici per totam terram, & dominationem suam. Qui prolationi prædictæ requisitus vnà cum prænominatis, & subscriptis Connotariis meis interfui, eaque recepi, & per alium scripta clausi.

Sig✝num mei Raimundi Bayuli, auctoritate Illustrißimi Domini Regis Aragonum Notarii publici per totam terrã, & ditionem suam. Qui præmißis vna cun Connotariis meis, hic contentis, præsens fui, eaque scripsi, & clausi.

Sig✝num Iacobi de Plano, auctoritate Regia Notarii publici per totam terram, & dominationem Serenißimi Domini Regis Aragonum. Qui præmißis omnibus, & singulis vna cum aliis Connotariis suis, hic contentis, interfuit.

Sig✝num mei Iacobi de Monteforte, auctoritate Regia Notarii publici per totam terram, & dominationem Illustrißimi Domini Regis Aragonum. Qui omnibus, & singulis supradictis vna cum aliis nostris Connotariis, hic contentis, interfui, eaque clausi.

Hoc igitur notabili exitu, quartum istud Interregnum conclusum fuit. Ac turbulentum illud quidem, graue, & difficile; sed magis rerum varietate periculosum, quàm diuturnitate temporis productum: ita vt diuturnitatem alleuatio, grauitatem celeritas consoletur. Paulò enim plus, quàm biennii spacio, absolutum fuit. In eius narratione sentio me esse longiùs prouectum, quàm proposita ratio postularet. Sed à me id consultò factum nequaquàm negabo. Visum est enim: quod si me in primordiis Regni explicandis initiò oportuit longum esse, vt quibus modis libertas nobis constitura fuisset, demonstrarem, nec vlli credo illius rei cognitionem satietatem, aut fastidium attulisse: nunc cùm sine vlla spe ad miserrimum interitum ruebat, minimè deceret me esse breuiorem. Quæ enim tunc plurimo sudore, & maiorum sanguine parta fuerat: eam labentem nunc necesse fuit non minori virtute, & consilio retineri. Et verò in hunc statum minimè Resp. nostra peruenisset, nisi Magistratus Iustitiæ Aragonum ope, & auxilio: negotiique in hoc tota summa fuit, dum Vrgelitano Comiti interdictum est, ne Gubernatoris generalis munere fungeretur. Tametsi ratio vera, rectaque & constans, supra homines putanda, Omnipotentique Deo tribuenda: vix enim videtur humanis consiliis tantam molem rerum, nostrorum gubernationem consequi potuisse. Quantum autem ab ipsis præcaueri potuit, vt quam rectissimè omnia agerentur; totum id summa cura, diligentia, ac fide, communibusque officiis prouisum fuit, nec prætermissam quidquam, quod videretur stabiliendæ Reip. conuenire. Sed ad eam rem plus operæ, studii, atque industriæ contulerunt duo illi, Ioannes Eximini Cerdanus, Berengariusq; Bardaxinus, gloriosi istius laboris, omniumque itinerum, periculorum, consiliorumque socii, & consortes. Hi enim in tot turbinibus, ac fluctibus nauim Reipub. gubernarunt, saluamque in portu collocarunt. Quod etsi sæpe dictum sit, erit tamen sępius dicendum. Regia namque huiusmodi causa, inter tot fulmina, & tonitrua acta: eis, tamquam duobus verticibus, ex vtraque parte subnixa, ciuiliter potuit iudicari, atque

eô tandem adduci, quô vix vnquam antea exstitissent, neque apud exteras fortasse nationes, simillimi facti, aut exempli vlla alibi impressa vestigia. Etenim vniuersi omnium Regnorum Ordines, ac Baleares ipsi, & Sicilienses, abiecta omni cunctatione, lætis acclamationibus constitutum sibi, Regem appellarunt. Iudices autem ipsos, dum cuiq; in suam domum remigrandum fuit, magna omnium frequentia, ac similis plausus celebrauit. Tunc singula Regna legatos nouo Rege dignos decreuerunt, publicos omnium in eum studii, amoris, ac fidei interpretes: qui illum læto nomine, Regem salutarent, deprecarenturque ne aduentum suum nimis differret: quippe cùm omnes essent illius non solum auidi, sed celeritatis etiam vehementer. Non abs re igitur censendum erit, quòd tanti facti memoriam fusiùs fortasse fuerim persequutus: præsertim cùm Hieronymi Suritæ, viri omni liberali doctrina politissimi, nostrique amicissimi, fatali morte (qua, prôh dolor, dum hæc conabar attingere, affectus est) nequeat iam tanta res gratioribus illius, ac politioribus scriptis illustrari. Ille enim eadem hæc ipsa, pro suscepto munere, Latina lingua fuisset persequutus, nisi hoc illius consilium, priùs aliarum rerum distentio, deinde acerbus interitus præuenisset. Quòd si imitatione nequaquam potero tantam ingenii consequi præstantiam: impositi muneris officium, studio, ac voluntate, quod denique possum, persoluam. Sed vt ad rem redeam, institutum de Regibus nostris persequar sermonem. Dabo autem operam, quam maximè potero, vt breue id faciam; ne dum illam, quæ summa est, prætermissi officii vituperationem fugere studeo, assequar aliam fortasse, quæ minimè est contemnenda, satietatis.

FERDINANDVS I. HONESTVS, ARAGONVM REX XXII.

ABSOLVTO itaque huiusmodi quarto Interregno, nouoque nostris Rege constituto, publica res, quæ extollere iam caput debebat, nec spe solum, sed re quidem ipsa à tot malis ciuilibus respirare: nouis demergi cœpit quasi imminentis seruitutis fluctibus, communisq; omnium libertas denuò tremefieri. Vrgelitanus enim Comes Iacobus, vnus ex præteritis competitoribus, indignissimè se ferens, se per inuidiam, atq; vt ipse dicebat, per corrupta, & contaminata iudicia, à Regiæ dignitatis gloria, ad quam eũ natura erexerat, esse depulsum; non per præstigia, sed palã per imperium orsus est, hostili prorsus modo, omnia quæq; opida cõpilare: ac maximo furore, & scelere inflammatus, eas in miseros populos crudelitates exercêre, quæ sceleratorum potius naturæ, quàm tanti ipsius generis splendori conuenirent. Itaq; omnes tunc sese liberatos fuisse cognouerunt à domino aggresti, & furioso; diurno, nocturnoq; terrore. Si qua enim inesse poterat culpa in eo facto, non populis, à quorum dominatu fuerat depulsus, sed iudicibus, à quibus præteritus, tribuenda erat. Neque verò ad id Vrgelli Comes suapte solùm impellebatur natura, tametsi insolens erat, furens, & superbus: sed eum valde acuebant quotidiani domesticorum sermones; præcipuè verò matris, & vxoris: quæ dies, noctesque acerbè, & contumeliosè in eum inuehebantur; abiectum; demissum; atque humilem fore prædicantes, si se pateretur, cuiusuis periculi, aut tempestatis metu, à Regii sibi debita honoris aura dimoueri: etiam si grauis illa contentio sibi, ac suis teterrimum esset finem allatura. Affirmabant enim, contracto animo, se parem aduersario esse non posse: infracto autem, erecto, & forti, longè illo superiorem futurum; cùm qui superior, quemadmodum ipsæ afferebant, natus esset ordine, minimè sperandum esset; inferiorem fore fortuna. Cuius totam nec tunc quidem illæ pertimescebant. Quinimo Comitissa mater, temeraria nimis, & insana mulier, quæ si vllam partem sensus habuisset, auersos filii motus reprimere debuerat: eundem passim frequentibus his Catalanicis verbis incitabat: *Fill, o Rey, o nores*: quasi vnam ex duabus rebus præ sibi esse ferendam constitueret; vt aut Rex esset, aut si id consequi cæco aliquo fortunæ casu vetaretur (quod Deus omen auerteret) nihil esse, satiùs iudicaret. His ergo suasionibus, necnon etiam ipsius D. Antonii Lunæ, omnium sibi amicissimi, impulsu, infelix Comes sciens, sed non prudens, in eam se ferri passus est, quam insana mater prædixerat, totius suæ dignitatis iacturam: ita enim ex amplo suo statu concidit; vt nec multos post dies nihil apud nos esset eodem Comite egentius. Iam verò Ferdinandus Castellæ Infans ad Cuencam aderat, quam vocant, ciuitatem, dum nostræ Aragonum ditionis Rex fuerat, suffagiis, ac voce, à selectis Iudicibus

cibus declaratus. Is quamprimum hoc iucundissimum nuntium accepit, apertè tulit à suis, Aragonum se Regem salutari. Mox autem ad eum legati missi sunt, publicam secum trium Regnorum faciem afferentes, quorum nomine eidem, plausu maximo, gratulationem significarunt, atque ea, quæ Iudices decreuerant, Regnorum Ordines libenter comprobasse. Magni autem nostrâ, & suâ potius interesse, inde ad nos quam citò properare: vt Repub. inprimis composita, communi omnium commodo consuleretur: cùm quæ communis vtilitas esset, sua etiam vtilitas esset; vicissimque quæ sua esset, communis quoque vtilitas esset futura. Seuera tamen data fuêre huiusmodi legatis mandata: vt, orata re, perceleriter in patriam reuerterent; neve quis eorum ausus esset vltra singulos decem dies apud eundem Regem commorari. Ipsis quoque vetitum fuit, ne dona caperent, aut paterentur se vllis corruptelarum illecebris irretiri. At verò Gubernatorem, ac Iustitiam Aragonum eidem legarunt: vt ab illius latere numquam discederent. Nouum enim Regem voluerunt ad Regnum capessendum accedere, in patrio nostro iure idoneis eorum consiliis optimè instructum. adeò summa apud nostros tunc fuit earum omnium rerum obseruatio, quæ ad retinendam libertatem aut prodesse poterant, aut obesse. Ferdinandus ergò Kal. August. eiusdem Ann. ∞CDXII. Cæsaraugustam alacer, ac lætus introiuit, multis nostrorum copiis stipatus. Omnes enim illum auidissimè ad extremas Regni oras expectauerant. 1412.
Vnde eum in vrbem summa celebritate, lætitiaque comitatum honestarunt. Is secum duxit Alfonsum, Primogenitum, aliosque filios ex Eleonora vxore, Vrraca priùs, vt nonnulli perhibent, appellata, susceptos. Ea erat Sanctii Alburquequensis Comitis, Henrici Castellæ Regis fratris, filia: paternoque iure, in Castellæ Regno amplissimæ ditionis dominium obtinebat. Cùm primùm igitur Ferdinandus Cæsaraugustam venit, Comitia ad eandem Vrbem indicenda curauit. Dies autem vicesimaquinta eiusdem mensis Aug. dicta fuit. Cumque ad eam omnium Regni Ordinum concursus fieret; Comitia ea haberi cœpta sunt, Ioanne Eximini Cerdano Iustitia Aragonum, pro more solito illorum Iudice assidente. Ac ne illud omittam, tametsi de his rebus multa prætereo, Gandiæ Dux Alfonsus, multorum iudicio si non iure potior, at certe par, & æqualis in ea Regia causa competitor, Ferdinando victori præsto tunc fuit, vt se illi, fidemque suam, solito iurisiurandi atque existimationis periculo, simul cum aliorum communi conscientia in perpetuum obligaret. Et illud idem fecisse proditur Federici Lunensis Comitis tutores: & quod summum fuit, Vrgelitanæ Comitissæ, quæ tot modis filium ab eadem coniunctione auocabat, ac ipsius etiam Comitis legatos. Verùm ille nec diu post, Lunensisque Comes, ac complures alii ab ea, quæ secunda, & prospera fuisset fortuna, si in incœpto stabiles permansissent, ad fatalem, & infimam non sine magna ignominia, & dedecore desciuerunt. Tandem Sabbati quadam die III. Non. Sept. maiorum more, solemni ritu, in templo maximo Cæsaraugustano Ferdinandus ipse, magna omnium consensione constitutus Rex, spectatam nostrorum fidem postulauit, suam prius nostris solito nexu obligando, se patrios mores, Regniscita, leges, ac libertates omnes seruaturum. Tunc nostri, quem consueuerant aliis Regibus, eidem præstiterunt debitum honorem; interpositoque Omnipotenti Deo, & iudice, & teste, Iusiurandum dederunt, omnium erga illum perutilem fidelitatem numquàm defuturam. Atque vt huic rei vehementius aliquod testimonium accederet, triduo post, Alfonsum filium Primogenitum, futurum Regnorum heredem post longæuos patris dies, de communi Ordinum sententia declararunt, amplissimum eidem Gubernatoris generalis munus deferentes. Adhæc eisdem Comitiis nonnulla instituta fuêre ad Regni pacem, & tranquillitatem necessaria: quibus reuiuiscere cœpit iustitia, omnesque nostros ex seditiosorum hominum metu, libertatis pristinæ luce, recreare. Talem enim habebamus Regem, qualem eo in motu temporum esse opus erat. Cuius miranda virtus, cum audita priùs dubitationi vix locum dedisset; iam eo tempore, præsens, probata, & perspecta, lædi obtrectatorum voce non poterat. Itaque omnes haud cessabant ingentes Omnipotenti Deo gratias referre, quòd nostrorum animos ad tam suauem, & iucundam noui Regis experientiam virtutis excitasset: præcipue verò dum Alfonsi filii grandioris, ceterorumque fratrum suauitatem sermonum, ac morum cognouerunt. Hi namque omnes iam à pueris tanta dabant præclaræ indolis virtutum signa; vt non patri solum propter illius indulgentiam, sed cunctis aliis propter excellens eorum ingenium communi essent vita chariores. Atqui dum in Vrgelitanum, Lunensemque Comites, ac D. Antonium Lunam, pluresq; alios, perduellionis reos, animaduersum est, licet nonnulli iudi-

carunt asperius multa in eorum personas fuisse facta, quàm decuisset Regis hanc filiorũque lenitatem, & mansuetudinem: verùm ista fuere armorum, & victoriæ facta: neque aliter fieri in eo temporum statu licuisset: cùm in vnaquaque domo, ac Rep. quò ratione aliqua, & disciplina optima, designata sit, quemadmodum præmia exstare oportet rectè factis, sic grauia quoque peccatis supplicia. Quid? quod, & omnes hi sua pertinacia, & fortunas, & vitam amiserunt. Nullum namque reliquerunt aut suorum precibus, aut admonitionibus locum. Vrgeli quidem Comes Regi obsistere non dubitauit, eodem prorsus vultu, & confidentia, ac si iam sibi explorata, & domi condita victoria esset. Verumtamen Federico Lunensi Comite, tum honoris, tum calamitatis socio, & secundas fortunas amittere coactus est; & in aduersis sine vllo remedio, aut alleuamento permanere. Tandem Xatiuæ (quæ olim Setabis, Ptolomæo auctore, Contestanorum vrbs in Hispania Tarraconensi fuit) in custodiam traditus, diu vixit, & obiit. Cui nihil vmquàm offensionis accessit, sine acerbissimo omnium sensu, & dolore. Erat enim à recta & legitima, vt exposuimus, Regali stirpe profectus; Regisque Aragonum Petri IIII. legitimæ filiæ maritus. Quas ob res non paucis grauibus, ac disertis viris multo magis placebat victa illius causa, quam victrix: quod de Catone olim in Romanæ Reip. interitu poetæ illius carmine celebratur. Lunensis verò Comes non tam casu, quàm prauo consilio ad suam perniciem lapsus est. A Regis enim nomine, & imperio deficiens, in Castellam profugit: illam namque sperauit fortunæ suæ portum futurum. Sed similis ibi eum perculit vis, & tempestas: qua miserè iactatus, dum domestica pericula vitare studuit, ita extraneis oppressus decessit, vt aliis irridendus videretur, aliis autem omnino miserandus. Etenim cùm Castellano Regi in suspicionem incidisset Regni appetendi; tam repentè fuit ipsius Comitis memoria, mira quadam obliuione, contrita; vt idem tumulus, qui illius corpus contexerat, visus sit etiam ipsius simul nomen obruisse. Vix enim de eo certi quid proditur, nec quisnam finis fuerit, miseram eius vitam consequutus. Ad insignem, *Braçuelas*, arcem, ab Olmedi opido non longè, dicto proditionis crimine notatum occubuisse, perhibent. Verùm hæc inter nos nuper admodum notitia est. D. Antonius quoque Luna, funesta horum omnium incendiorum fax, in alias terras demigrare coactus fuit, vnde illius nec facta, nec nomen audirentur. Posteà patriam reuersus, diu in Mequinentiæ opido abditus latuit, & inclusus: vbi tandem fortunis omnibus, ac dignitate spoliatus interiit. Ita omnes hi, vno, atque eodem igne consumpti perierunt. Quod nisi eos præceps, ac deuia consiliorum ratio decepisset, potuissent suis facillimè rationibus prouidere. Ferdinandus namque Rex naturâ magis ad misericordiam, quàm ad seueritatem propensus fuit. Idque libenter solebat crebris sermonibus vsurpare: *AD* tuenda, tenendaque Regna Regibus aptiùs esse, diligi, quàm timeri. Immatura tamen mors angustum sibi campum dedit; in quo excurrere summa hæc illius virtus, cognoscique posset. Quarto enim Regni anno nondum completo, integerrima ætate florens, in medio suarum rerum cecidit cursu: annumque agens XXXVII. ad Igualadam, Cataloniæ opidum, (quam antiquã Ergauiam putant nonnulli) cum grauis eum, ac mortifera morbi, contra quem diutius contendebat, vis oppressisset: Iouis die, IV. Non. April. Ann. MCDXVI. mortuus est; ac in Populeti monasterio tu-
1416. mulo Regio sepultus. Præter Alfonsum autem Primogenitum, qui sibi statim successit, filios habuit: Ioannem; Henricum; Sanctiũ; ac Petrum: filias quoque Mariam, quæ Ioanni II. Castellæ Regi nupta fuit; ac Eleonoram, quæ Heduardo, Portugalensi. Et verò Ioannes, Nauarræ Rex fuit; posteaque Alfonso fratre sine filiis legitimis decedente, Aragonensi illius imperio potitus. De quo paulo post. Henricus autem, amplissimæ Iacobitanæ Militiæ præpositus, vt vocant, Magister, Segorbiensem ciuitatem, opidaque illi contributa obtinuit: à quo Aragoniorum, Segorbii Ducum, celsissima familia dimanauit. Ea autem hisce Armorum Insignibus vti consueuit; quæ, vt videre licet, clarissima quatuor Regnorum, Aragonum, Castellæ, Legionis, ac Siciliæ, stemmata præseferunt.

At Sanctius, ab aliis Ferdinandus dictus, Alcantarensem, quem vocant, Magistratum adeptus, sine prole decessit: & Petrus quoque Neapoli, infelici quodam casu interemptus. Atque hi sunt, quos ex Eleonora vxore, Ferdinandus Rex filios suscepit: vulgoque *los Infantes de Aragon* appellari solent. Quorum in antiquis canticis multa fit mentio, quotidieque illustris eorum memoria & publicè, & priuatim celebratur. Nam sic omnes in omni genere laudis floruerunt; vt quanta quisq;

ex alio-

ex aliorum gloriosissimis factis, iure sibi optimo, vendicauit, non minora ipsis de sua, simillimo iure, reddiderit ornamenta: neque etiam ea in re patri ipsi concesserint. Qui si corpore valuisset, diutiusve imperasset, fortasse habitus fuisset gloriosior. Illud verò eius vitam, & mortem vehementer ornauit; quòd in omnibus rebus ita semper honestatem, ac decus prætetulit; vt cùm ab eo pudoris, & pudicitiæ peterentur exempla, meritò adsciuerit sibi Honesti Principis cognomentum. quod si in priuatis hominibus gloriosum est, quanto magis commemorandum in Regibus. Dum autem in Perpiniani oppidum cum ipso Benedicto XIII. Sigismundoque Imperatore, Catholicæ Ecclesiæ vnionis causa, quæ iam diu durissimo schismate premebatur, congressus fuit, omnium iudicio ex eo facto immortalem est gloriam consequutus. Nam cùm nihil proficerent habiti ii sermones, quòd Benedictus nequaquā de statu suo dimoueri pateretur; illius obedientiam abiecit, non sine magna eiusdem Benedicti querimonia, qui se illi Regnum detulisse prædicabat. Neque verò Benedictus ea in re tenuem, aut leuem, sed multam, atque ipsi Regi valde vtilem præbuerat operam. Cæterùm Ferdinando Rege, nullæ nobis leges constitutæ fuerunt. Satis sibi visus est fecisse, si delatum Regnum, à præteritorum Competitorum incursionibus vacuum redderet. De Ioanne autem Eximini Cerdano, qui eius vita, ac post, Alfonso filio regnante, aliquamdiu Iustitiæ Aragonum Magistratum gessit, perpaucæ admodum res literis mandatæ produntur, quæ pertineant ad ipsius muneris, quam suscepimus, dignitatē ornandam: præter eas, quæ à nobis in quarto Interregno traditæ fuerunt. Quare oportebit nostrum hunc sermonem ad Alfonsi Regis narranda facta transferre: vt aliquando ad ea veniamus, in quibus præcipuè omne huiusce nostri operis propositum nititur argumentum.

ALFONSVS V. SAPIENS, ET MAGNANIMVS, ARAGONVM REX XXIII.

ATQVI de istius Alfonsi factis ea, quæ mihi illustriora videbuntur, attingam; summatimque cùm omnia iam sint, & vulgaribus, & Latinis literis a perquam multis ornatissimis scriptoribus celebrata. Hic etenim Alfonsus fuit, qui cumulauit fortitudini, ac bellicæ laudi sapientiā. Vnde & Sapientis & Magnanimi traxit cognomentū. Tanta verò humanitate fortitudinē ipsam temperauit, vt cùm hostes, virtutem eius, pugnantes, timerent; iam diligerent victi mansuetudinē. Sapientiam autē, ipsaq; doctrinæ studia vir iam natu grandis percepit. Expugnato enim ab eo, florentissimo, & opulentissimo Neapolitano Regno, quæ alios victoriæ ad prædas; diuitiæ ad voluptates; amœnitas locorū ad delectationem; aut saltem militares labores allicere solent ad quietem: minimè illum à studiis auocarunt: quin induxerūt potius, vt quibus eo tempore Italia florebat, animum suum excolendum curaret, optimarum artium disciplinis. Denique sic præstitit virtute, & doctrina, vt cùm in vtraque longè aliis præstaret, vtra sibi ipse præstiterit, incertum sit. Vxorem duxit Mariam Ioannis II. Castellę Regis sororem: quæ à marito absente, Neapolitani Regni expugnatione implicato, horum Regnorum curationi præposita, multa, & magna dedit prudentiæ, ac fortitudinis signa. Complura enim Comitia celebrauit. In quibus multæ nobis leges constitutæ sunt, sub *Mariæ Reginæ Locumtenentis* nomine inscriptæ. Ea autem præclara, qua Ann. Chr. CIƆCDXLII. For. *Como segunt la ment de los Fueros*, sub tit. *De officio Iustitiæ Aragonum* de abrogandi muneris difficultate prudenter cautum, & exceptum est. Etenim cùm Magistratus hic vni alicui, quandiu viueret, à Regibus semper mandari consueuisset, sæpenumeroque disceptaretur; vtrum solus Rex, ab eo munere posset amouere, quem eidem semel præfecisset: ea tunc fuit recenti, & noua lege sancitum: ne id Regi arbitratu suo facere liceret, tametsi ipsa ferat ipsius tunc Præfecti voluntas, ex antecedenti aliqua, vt legitur, obligatione, districta. Ob quam causam olim, Regis Petri III. temporibus, ad manus, & pugnam ferè ventum est, dum idem Rex nequaquam dubitauit, Petro Martini Artassonæ Iustitiæ Aragonum Magistratum abrogare; quemadmodum iam supra recensuimus. Eadem etiam lege edictum fuit: Ne Iustitia Aragonum deinceps ob ciuilem possit causam comprehendi, in custodiasve includi, nisi de Regis simul, ac Regni præcepto. Quibus rebus ad ipsius muneris ornatum magnus dignitatis cumulus accessit; ad Reginæ verò laudem non modicus: quòd istius Magistratus amplitudinem nouis his hono- 1442.

ribus decorarit, cuius præsidio statuebat, & rectè quidem, mariti sui, suorumque fortunam magis stabilem esse futuram. Quô enim maiora in eum stabilitatis conferantur præsidia, modò nequid nimis; eô status Reip. magis fixus, ac stabilis constituitur, ipsorumque Regum multo meliùs fundatur imperium. Ceterum Alfonsus Rex; nullam ex Maria vxore prolem suscepit. Ex variis autem concubinis filios habuit; Ferdinandum; Mariam; & Eleonoram. Ferdinandum quidem, Neapolitani à se parti Regni heredem reliquit testamento. Paternorum namque Regnorum hereditas ex antiquo iure Ioanni fratri, Nauarræ tunc Regi, obueniebat. Filiarum autem, Mariam Ferrariensi tunc Marchioni despopondit: Principi autem Rossano Eleonoram. Cumque earum doti ingentem nimis pecuniam Rex dixisset: solutione singula Regnorum suorum opida torqueri iussit, ac si filiæ hæ fuissent sibi ex legitimo natæ matrimonio. Nostri statuentes ea in re publicum ius grauissimè violari; ad Magistratus Iustitiæ Aragonum opem confugerunt. Cui tunc præerat magnus ille Ferrarius Lanuza I. ipsius Regis obseruantissimus, ac studiosissimus vir; patriæ verò libertatis diligentissimus præses, ac custos: cuius & in bellicis, & in ciuilibus officiis singularis industria vigebat. Ab eo itaque exceptione huiusmodi impetrata, solito sui muneris Iurisfirmæ remedio, (quod tandem, vt sæpius diximus, summum est nostrarum omnium libertatum præsidium) facillime nostri huic, quæ Regno inferebatur, iniuriæ restiterunt. Rex autem benignè tulit integrum ipsis seruari ius libertatis. Vt enim erat sapiens, ac disertus; in quo Magistratus deferebat auctoritati,
1458. censebat ipse & seruari suam. Tandem A. D. IIII. Kal. Iul. Ann. Chr. MCDLIIX. ætatis autem suæ, sexagesimo quinto, Neapoli mortuus est. Sed illius, tametsi mortui, memoriam anni omnes excipient consequentes. Hi autem sub eius imperio post Ioannem Eximini Cerdanum, Iustitiæ Aragonum exstiterunt: Berengarius Bardaxinus, egregius ille, de quo in proxime acto Interregno mentionem fecimus, vir. Cui in Magistratu successit Franciscus Sarzuela: Sarzuelæ autem Martinus Didaci Auxius: huic verò Ferrarius ipse Lanuza I. qui etiam per plures annos eundem gessit Magistratum Ioannis II. Regis temporibus: ad quæ cursim pertractanda pergimus, vt institutum rerum nostrarum ordinem teneamus. Sed illud non præteribo, quod maximè occurrit, istius Alfonsi Regis vita, circ. Ann. Chr. MCDXXXVII. magnifica illa duo, quæ hodie exstant, ad nostram Vrbem ædificia extructa fuisse: lapideum pontem; amplamque & nobilem, quam nunc Deputationis domum vocamus; ab eo vsque tempore publicam, ac stabilem nostrorum omnium iudiciorum sedem constitutam. Tertium verò mirandum in modum istius Regis laudem illustrauit, quod decennio ante, ad pauperum Christi ægrotorum curationem, & vsum, in ipsa Vrbe construendum curauit, tanta postea opportunorum apparatum celebritate refertum, vt communi omnium iudicio magnificentia multis, pietate autem omnibus per hospitalibus, quæ vsquam alibi sint, domibus antecellat. Cuius eo magis suspicienda est moles, quò non tam certis opibus, aut patrimonii subsidiis, quàm fidelium liberalitate, incertisque eorum largitionibus sustentetur. Vt in Vrbanis autē Commentariis continetur, clarissimus iste Alfonsus Rex, quam à Simone Hueso quingentis *Florennis* emerat aureis ædem, quo nunc visitur loco, à Diui Francisci monasterio non longè, huic tanto operi assignauit, quatuor eidem; D. Raimundo Casaldaguila, & D. Nicolao Viota, è Senatoribus Vrbis; Ioanne autem Tonda, & Ioanne Cineta, Theologiæ Doctoribus, ex Ecclesiasticis viris, Rectoribus primis præfectis. Ac illud posteà Nicolaus ipse suis locupletauit fortunis. Albalatulo namque ita vocato opido donauit: quo maxima facta fuit ad eam rem & amplitudinis, & dignitatis accessio. Prid. autem Kal. April. Ann. Chr. MCDXXV. Philippus Berbega, Franciscanus Monachus, Cæsaraugustanensi Comitio, pia, ac nobili habita oratione, mandata Regis exposuit, & quæ ab eo essent de istius facti ratione inita consilia. Quibus à nostris maximo, vt par erat, applausu celebratis, è Senatus decreto eidem operi fundamenta iacta fuêre: quæ posterorum deinde Regum, ac nostrorum hominum animos ad tot, tanta, tamque præclara, & magnifica Christianæ pietatis, & Religionis in Christi pauperes explenda munera extulerunt. Et verò de structura pontis hæc habeo, quæ dicam: nimirum priùs quàm lapideus, qui nunc exstat, quique huius Regis tempore factus fuit, fieret: ligneum pontem eodem ipso loco fuisse: qui aliquandiu sublicis, aliquandiu nauiculis fulciebatur. Cuius qui constituebantur curatores (duos enim interdum constitutos legi) ab eo quòd ipsis eius commissa, ac commendata erat cura, *Comendadores del Puent* vocari vernacula lingua consueuerunt; & quandoq; Arabico vocabulo vsurpato,

Comendadores de la Alcantara. Et idem erat. Nã Alcantara, Arabica vox est, & potẽtem significat. Sed vt ad Alfonsum Regem redeamus; amplissima eius gesta meritò illum ad summam extulerunt, quam diximus, sui nominis prædicationem, & gloriam.

IOANNES II. VERE MAGNVS, ARAGONVM REX XXIV.

NEQ. verò Ioannes Rex fuit belli laude inferior, quã frater: quinimo nisi se totũ domesticis negotiis implicuisset, ob quæ sępius cum suis cõflixit, quàm quisquã cũ hostib. decertauit: ipsi fratri par, si non iã superior, censeretur. Quæ.n. in Alfonso magnitudo animi, virtus egregia, sermonis comitas, constantia, fortitudo, ac vel militaris peritia enituerunt: hæ omnes in Rege hoc mirifice elucebant; non quasi ab aliis sumptæ, aut aduentitiæ forsitan virtutes. Illam verò, quæ communis solet esse aut iam vrgentis, aut aduentantis senectutis cura, vt quietem, & otium appetamus; tam longè sibi statuit à sua senectute abesse oportere, vt nullam vitæ suæ partem pateretur, aut assiduis bellis, aut bellorum expectatione vacuã relinqui. Et quòd summum fuit, cùm admodum senex, ac quasi decrepitus, noua etiã bella moliri haud cessaret, à suísq; admoneretur, vt ab eis vacaret, cùm nõ possent sine integerrimis virib. sustineri: hoc illis respõsum dare fuisse solitum perhibetur; Se numquam sensisse, senectutem suã imbecilliorem factam ad arma capienda, quàm adolescentia fuisset. Militares autem labores, inferiores esse domesticis affirmabat: cùm nulli vnquã militi plus, quàm sibi sumeret, laboris imponeret. Ciuilium præterea rerum summopere vsum percalluit. Vnde ab omnib. iudicatur, singularem ciuilem, ac domesticam, coniunctã cum militari fortitudine, prudentiã adeptus. Itaq; verè Magnus nuncupari potest. Et ipse quidẽ aliquãdo Magistratus Iustitiæ Aragonum institutionem, potestatem, & vim, vt suo loco dicemus, perpaucis, neq; obscuris aut hæsitantibus, sed apertissimis verbis explicauit. Cuius si quacumque in re haud leue testimonium pateretur: grauissimum censendum est in ea, quæ ad institutionem proferendam spectat illius muneris, quod tamquam moles fluctibus, ita non rectæ Regum voluntati est oppositum. vt nequaquam sit parui ducendum, huiusce Magistratus institutionem, & vim illius testimonio comprobari, qui tam præclarè supremum illud ipsum fuerit officium Regis, ac munus exequutus. Sed de his suo loco. Viuente itaque Alfonso fratre, Ann. Chr. ∞CDXIX. Blancam Nauarræ Reginam, Caroli filiam, & heredem, vxorem duxerat: eam, quæ fuerat prius Martino Siciliæ Regi, Martini Aragonum Regis filio, ad Callarem mortuo, quemadmodum exposuimus, nupta. Ex qua filios habuit; Carolum, Blancam, & Eleonoram. Carolus autem is fuit, cuius toties retulimus Commentarios exstare de Regibus nostris scriptos: quos in plurimis rebus sequuti sumus, tametsi interdum coacti ab eis dissentire. Blanca autem ipsius Caroli soror, Henrico IV. Castellæ Regi nupta fuit. Sed cum eo postea diuortium fecit, Romani Pontificis decreto interposito. At Eleonora Gastono Fuxensi Comiti collocata, neptem habuit Catharinam, Ioannis Labritii, Nauarrorum vltimi Regis vxorem. Iam verò domesticæ inter Carolum, ac patrem discordiæ concitatæ communem Remp. quæ tranquilla erat, tamquam turbine aliquo, aut subita tempestate, peruerterunt. Etenim Ioannes iste Rex, priori hac Blanca Nauarræ Regina, ipsius Caroli, sororumque matre, orbatus vxore, cum secundam duxisset Ioannam, Federici Almirantis Castellæ filiam: Carolus patrem à Nauarræ Regni gubernaculo repellendum contendebat, quòd mater sibi actionem illam hereditario iure integram reliquisset. Pater contra, sibi ex soceri Regis instituto concessum esse affirmabat, vt quamdiu Ioannes ipse viueret, solus Nauarrensis imperii clauum teneret. Ob id itaque vter potius Nauarram administraret, pater, & filius, inter se contendere cœperunt. Tandem Carolus in ea contentione decessit: Barcinonæque obiit A. D. IX. Kal. Oct. Ann. Chr. ∞CDLXI. ætatis suæ annum agens Quadragesimum. 1461. Cuius tempore apud Nauarros illæ duæ Agramontensium, & Viamontensium, quæ adhuc in ore vigent, contrariæ factiones, quarum altera, filii, altera patris vocem sequebatur, ortum habuerunt. Atque ea in re dum Catalani, qui ipsius Caroli Principis fuerunt adiutores præcipui, patris, quam dicebant, vim peruersuros putarunt; peruerterunt suam, nec vim modò, sed totam planè excusationis, si quæ in eo facto esse poterat, defensionem. Mortuo enim Carolo plura tentarunt, quæ à debitis officiis abhorrebant: cùm alioquin natio illa fuerit semper, ac sit integritatis, & fidelitatis plenissima. Ex pellice Cappa, Siciliensi femina, Carolus filios reliquit; Philippum, ac Ioannem. Prior quidem militari Beatæ Mariæ Montesæ instituto præfectus Magister, ad Baëzæ expugnationem interiit: posterior verò, Oscensi Eccle-

fiæ præpofitus Antiftes. Filiam quoque habuit Annam, ex alia concubina fufceptam:
quæ Ludouico Metinnæ Zelin Duci nupta fuit. At Ioannes Rex ex fecunda vxore, fi-
lium habuit Ferdinandum: qui fibi in Regnis fucceffit, Chriftianique nominis decus,
ac lumen fuit. Filias etiam; Ioannam, Ferdinando Neapolitano Regi, Alfonfi fratris fi-
lio, nuptam; Marinam, feu, vt alii teftantur, Mariam; ac Eleonoram aliam: quæ am-
bæ innuptæ obierunt. Ex concubinis autem filios fufcepit; Ioannem, Cæfarauguſta-
num Archiepifcopum, è nobili femina, ab Auellaneda nuncupata. Ex alia autem Eleo-
nora *de* Efcobar, Alfonfum Calatrauenfem Magiftrum: qui ex Maria Iunquefia filium
habuit Ioannem Aragonium, Lunenfem Ducem, ac Ripacurtienfem Comitem: à quo
illuftriffima, Aragoniorum, Villæfermofæ Ducum, ac Ripacurtiẽfium

Comitum familia dimanauit; quæ apud nos viget, hifque Armorum
Infignibus ornari confueuit. Ferdinandus etiam, Maria, & Eleonora
iftius Regis filii fuerunt: nothi tamen, atque ex Nauarrenfi femina ab
Anfatum familia, procreati. Eleonora quidem Ludouici Viamonten-
fis Nauarræ Conneftabuli vxor fuit: alii duo infantuli obierunt. Præ-
ter Nauarrã autem, quam tandẽ Ioannes Rex inuito, & renuente filio
gubernauit: aliquãdiu etiã ab Alfõfo fratre abfente dominationis fuę vicarius cõftitutus,
noftri Aragonenfis Regni tractauit gubernacula. Quo tẽpore fub eo multæ, & gratæ no-
bis leges editæ fuerunt: quæ paffim in Foror. volumine, fub *Ioannis Nauarræ Regis Locum
tenentis* nomine, in diuerfis tit. appofitæ leguntur Ann. MCDXXXVI. Eo namque anno
fratris nomine Alcagnizii Comitia celebrauit magna, & præclara. Maiora tamen, & gra-
uiora ab eodem Ioanne, Aragonenfe iam Regnum adepto, ad Calataiubium eodem An.
MCDLXI. habita fuere. Ea enim auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate cetera omnia
longè fuperarunt. His autem meo iudicio paria penè, & æqualia fuerunt, quæ Regina Io-
1467. anna, iftius Regis vxor, eius nomine ad Cæfarauguftam habuit Ann. MCDLXVII. In
his enim, inter alia multa, præclariffimæ illæ leges latæ funt, quæ infcriptæ ex-
ftant fub tit. *Forus Inquifitionis Officii Iuftitiæ Aragonum.* Itaque cum ceteris iftius Regis
laudibus hæc illi debetur vel maxima: quòd quæ fumma in eo perfpecta femper, & co-
gnita fuit in fubleuandis rebus aduerfis fortitudo, in ornandis fecundis non minor pro-
bata fuerit diligentia: quandoquidem nouis femper decretis, confentaneifque legibus
Remp. ftabiliendam curauit: ipfi verò Iuftitiæ Aragonum Magiftratui oportunã mode-
rationem eo, quem diximus, *Inquifitionis* Foro adhibendam: ne nimia forfan licentia re-
dundaret. In quo tandem incolumis Reip. noftræ ftatus continetur. Sed de his alibi. De-
niq; Ioannes Rex patriam ampliffimis beneficiis ornauit. Aliquando autẽ cæcus factus,
Diuæ Encratis opẽ implorãs, cum fancto illius clauo tactus, amiffa lumina recuperaffet,
vouiffe dicitur, fe ipfius Diuæ tẽplum amplificaturum. Propinqua tamẽ morte fublatus,
votum hoc Ferdinãdo filio perfoluendum reliquit. Neq; enim diu poft, Ann. Chr. MCD-
1479. LXXIX. Barcinonæ A. D. XIIII. Kal. Feb. fumma confectus fenectute deceffit. Sub
eo Iuftitiæ Aragonum fuerunt, Ferrarius Lanuza I. & Ioãnes itidẽ Lanuza I. ipfius Ferra-
rii F. qui etiã Ferdinandi Regis tẽporibus eidem præfuit Magiftratui. Libet autem in me-
dium afferre ponderofæ epiftolæ exemplum, quod inter Secretarii Colomæ monumen-
ta inueni, à Ioanne hoc Rege, ad Ferdinãdum ipfum, Caftellæ iã Regẽ, interrupta, ac mo-
rienti voce confcriptæ. Cuius hoc eft argumentum; ita nos debere de humanis omnibus
rebus iudicare, vt fictas eas celeriter, tamquam flofculos decidere, virtutem folam effe
altiffimis defixam radicib. arbitremur. Eiufdem verò, nifi me fallo, Secretarii manu facta
erat, quæ in ea legitur, infcriptio huiufmodi. *Traslado de la carta que el Rey mi feñor efcriuio al
feñor Rey de Caftilla.* Cogimur namq; ne rebus, ac verbis lepôrem fubtrahamus, permifce-
re Hifpana cum Latinis: cum ea fint vulgaribus his verbis concepta.

Sereniffimo Rey, nueftro muy Charo, y amado fiio.

PVES *a la diuina Mageftad es plaziente, que en nueftres dias mas non vos veamos, que era lo que defpues de nueftra faluacion deffeauamos: por aquefta carta, que fera como poftrer defpedimiento, e comiat, entendemos fazer el officio de padre, a quien nueftro Señor por fu infinida bondat ha dado fiio tan obediente, y de tanta virtud, y excellentia. Recibido hauemos por efpecial dono, de quien tiene el poder, los Sanctos Sagramentos de la Iglefia, y fecho todas las obras de Chriftiano, non con aquella contricion, y arrepentimiento, que deuiamos, por fer tan grandes las offenfas, que fecho le hauemos, è tampoco el reconocimiento de tantas, y tan feñaladas gracias, como de fu omnipotencia hauemos recibido; mas fegunt que ha podido alcançar la fragili-*

fragilidad nuestra. Confiando empero en la summa clemencia suya, que por aquel derramamiento de sangre, que por nosotros peccadores fizo en el arbol de la Vera Cruz, haura misericordia deste su sieruo, que es tierra effectiua de sus manos: y creemos, non querra con nosotros entrar en juyzio: pues es cosa cierta, que ante tal juez alguno justificar non se puede. Fiio, ya podeys considerar el pundo, en que estamos: que ni Reynos, ni subditos, ni potencias algunas humanas por grandes que sean, ayudar, nin valer nos pueden: saluo aquel Criador, y Redemptor del mundo, en cuyas manos estamos. Y es este passo tal, que querriamos hauer sido vno de los infimos hombres de nuestros Reynos, y señorios. Recordad vos pues, que quando a el sera plaziente, haueys de venir a esto mismo: & que vos dolera, lo que en offensa suya fecho haureys, de dolor tal, que en sanidad cogitar non se dexa: e ansimesmo del bien, que haureys podido fazer, e non lo haureys fecto. Vengaos en la mente, de quanta grandeza son los Reynos y Señorios, en que soys, y haueys de ser immediado Lugarteniente suyo: e que quanto son mayores: mayor, e mas estrecha sera la cuenta, que dellos le haureys de dar. Non vos engañne el mundo, como faze a los mas: que en qualquiere edad que sean, siempre piensan hauer tiempo de enmendar sus faltas. Lleuad siempre ante los ojos el temor de Dios: y passen vos alguna vez en el dia por la memoria los tan grandes donos, e gracias, que fecho vos ha: para que conosciendo, le soys grato, vos faga fazer su sancta voluntad. La Iusticia sobre todas las cosas sea el espejo de vuestro coraçon fazien dola sin excepcion de personas. La defension de la Fe Catholica, y de la Iglesia sancta de contino se vos represente. Los Reynos, y subditos conseruad en paz, y en justicia sin iniuria del proximo, euitando, quanto al mundo podays, todas guerras, y dissensiones. E non vos oluideys de la humildad, que es cosa acceptissima a nuestro Señor, y que por sola aquella la gloriosissima Virgen Maria merecio ser madre suya. E por non diuertirnos mas en las cosas del mundo, con la presente vos damos nuestra paternal Bendicion: Suplicanda a la immensa potēcia, que de su mano sanctissima os benediga: e la Bendicion suya, e nuestra sea siēpre cō vos: para que como buē Rey, e Catholico Principe riñays, y gouerneys los Reynos, y tierras a vos encomandadas, de manera que le rindays buena razon de los talentos, que vos ha dado: e vuestros dias sean fechos luengos sobre la faz de la tierra a su sancto seruicio: e veays fiios de vuestros fiios fasta la tercera, e quarta generacion, y en viniendo el termino por el estatuydo, vos colloque en su sancto Reyno. Al qual plega lleuarnos por su sancta misericordia. A nuestro Secretario hauemos mandado vos diga cierta cosa. En fee de su officio, e por la criança que del hauemos fecho, sea le dada entera fee. E guarde os Dios nuestro señor, como tiene el poder. Dat. en Barcelona a 19. de Enero, Anno de 1479. REX IOANNES.

COLOMA SECRETARIVS.

Atque postridie eius diei Ioannem Regem vis morbi consumpsit: iam vt epistola hæc tam quam cygnea habita fuisset ab omnibus Christianissimi Principis vox, & oratio: ipsius autem mors ita gloriosa, vt filius eam concupisceret. Sed mox persequemur, quę de eo, ac Carolo Imperatore, & Philippo nostro Rege, dicere instituimus; eaq; summatim: vt his absolutis ad propositum nobis de Magistratu Iustitiæ Aragonum sermonem reuertamur.

FERDINANDVS II. CATHOLICVS, ARAGONVM REX XXV.

IOANNE itaq; mortuo, Ferdinandus filius auspicato Regiam illius hereditatem adiuit. Iampridem autem, viuente patre, Ann. MCDLXIX. vxorem duxerat Isabellam, Henrici IV. Castellæ Regis sororem, & heredem. Quæ nuptiæ tanti matrimonii dignitate coniunctę, incredibilē sociis lætitiā attulerunt; mirum autem hostibus terrorem: cùm ea rerum copulatio, ac tot Regnorum societas, & cōiunctio, commune vtriusq; imperium in tantā deduxisset amplitudinis maiestatem, quāta in Hispania numquam à Gothici Regni euersione visa fuerat: præcipuè verò, postquā florentissimum Granatæ Regnū ex tetertimo Maurorū dominatu in veterem libertatem, salubremq; veræ nostræ Religionis cultum vindicarunt. Neque Granatam solùm, sed Nauarram etiam, atq; Hispaniam cunctam subegerunt: præter eam Lusitaniæ partem, quæ ad Oceani Occidentalis oras producta, à Portu Cale, Portugaliæ sibi nomen inuenit. Verumtamen qui tunc ipsis ad eam rem aditus obstructus fuit, potētissimo nunc patuit Regi nostro Philippo, clarissimo istorum Regum pronepoti: cuius gloriæ domicilium non minoribus; quàm totius orbis finibus terminatur. Neapolitanum præterea Regnum intestinis, ac domesticis bellis dissipatum, vetere expulso hoste, Ferdinandus, ac Isabella, Reges, sub eorum iurisdictionem subiunxêre. Ad hæc noui orbis detegen-

di munus ChriſtophoroColon,viro nomine,ac memoria digniſſimo,committentes,Omnipotentis Dei benignitate ſummum illum fuêre honoris,ac gloriç gradum aſſequuti: vt eorum tempore,& quod præcipuum eſt,eorum opera, atq; impenſa, Atlanticum vaſtiſſimum mare,quod nullis claſſibus fuerat peragratum,ſed ex omni aditu clauſum putabatur;nauibus noſtris pateret:in illiſque vltimis gentibus, feris, & barbaris, quæ ſibi humano victu vitam propagabant, infinitiſque regionibus, quarum antea nulla vmquam neque ora, neq; extremitas fuerat perluſtrata; ſummus Chriſtiani nominis luceret ſplendor. Quibus tot illuſtribus, & glorioſis factis ita iſtorum Regum laudatrix fama virtutum apud omnes gentes omnium ſermone percrebuit; vt illis ſæculis ad Regium principatum obtinendum, neque vir melior in terris eſſe, neque femina lectior crederetur. Vnde ab omnibus cenſebantur ambo, pari, atque in eadem laude ponendi. Sed illud,multorum iudicio, maius fuit ſummæ illorum prudentiæ, ac pietatis, & religionis teſtimonium, dum ad hæreticorum, & apoſtatarum mentes de magnis, quibus imbutæ erant,prauitatis erroribus deducendas, comprimendam, frangendamque audaciam,Sanctæ Inquiſitionis, quod nunc vocamus, Officium fundandum curarunt, varios eidem præpoſitos deligentes,eiſdemque ſtabiles ſedes, ac domicilia certa in maximis Hiſpaniæ ciuitatibus collocantes. Cuius tanti facti vtilitatem,& commodum non Hiſpania ſola, ſed omnis Chriſtianus orbis libenter agnouit:id verò miſeris noſtris ſæculis præcipuè;quibus in perfidam illam gentem videmus, tamquam in vnam voraginem,omnium vitiorum cœtum exceſſiſſe. Itaque cum tantis teſtimoniis ſuarum virtutum,ac Chriſtianæ Religionis obſeruãtiæ,&cultus,clariſſima ſibi monumẽta comparaſſent:is demum ipſis,qui ſolus in hoc ſæculo dari poterat, ſuorum omnium laborum, & vigiliarum datus fuit,quaſi ampliſſimus quidam triumphus, dum totius orbis conſenſu à Romano Pontifice obtinuerunt illuſtre Catholicorum Regum, quod hereditarium poſteris manſit, cognomentum. Ceterùm iis temporibus apud nos caſus quidam grauiſſimus interuenit:qui noſtris tunc videntibus horribilis, atque acerbus viſus fuit;perpetienti autem ob Dei amorem iucundiſſimus. Illius narrationem libitum eſt mihi perſequi hoc in ſermone:quòd ea ſtatuerim, atque ei ſimilibus orationẽ noſtram, quaſi quibuſdam luminibus illuſtrari. Ab initio autẽ,quemadmodum geſta res ſit, ſummatim exponam.

Inter ceteros Sancti Officii Inquiſitores, qui fuêre in ſingulas prouincias deſcripti (ita enim ſupremos hoſce perfidæ iſtius gentis ſpeculatores, ac vindices appellamus) apud nos huic muneri præpoſiti fuerunt egregii duo,ac præſtantes viri: quorum alter vocabatur,frater Gaſpar Inglarius, eratque ex Dominicanorum fratrum inſtituto: alteri verò Petri Arbueſii,aliàs *Epila* nomen erat: quem nos improprio vocabulo *Maſtre Epila* vulgò appellare ſolemus. Hic ortu Epilenſis erat, patre Antonio Arbueſio ab illuſtri Arbueſiorum familia, matre verò natus Sanctia Ruyz: vir quidem iuſtus, & optimus,ſingulari bonitate,& modeſtia præditus;in primiſque ſacris literis excultus, & doctrina. Cæſarauguſtanæ autem Eccleſiæ Canonicus erat. Nefas enim duxiſſem linguam meam in iſtius facti narratione obmuteſcere, ad quod patrandum nequaquã obtorpuerunt impiæ illæ,ac ſacrilegæ ſceleratorum hominum manus. Hic itaque Petrus Abueſius cùm pro ſuſcepto munere in Iudæorum cauſam vehementer inueheretur: perditæ illorum multitudini in acerbiſſimum odium venire cœpit. Ipſi enim, maleficiorum ſuorum conſcientia ſtimulati, vehementer horrebant, quorſum hæc eſſet inquirendi in eos inſtituta ratio eruptura Conſciẽtiæ enim illa magna vis eſt, vt pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint. Itaq; illum acerrimè clandeſtinis conſiliis oppugnabant. Erat autẽ permagna coniuratorum manus, ex maximis Iudæorum familiis occultè conflata: quæ diu collecta & inueterata,imprudentes quoſdam alliciens ad ſe; ex latebris erupit in actum, acerbitatiſq; ſuæ virus euomuit. Etenim cum dies, noctesq; magnis languoribus & curis angerentur,ſibi ipſius iã à ſummo Deo,ſupplicii cauſa, importatis; ſe ab illis abducere cupientes,& leuare,omnes acerba morte, SãctumInquiſitorem affici oportere,quadam die vnum in locum congreſſi,decreuerunt. Sed tamen iidem ipſi, qui de ea minabantur; etiam atq; etiam conſiderabant, & inter ſemetipſos conferebant, quî id ſibi facere liceret. Etenim cupiebant illius ſanguine ſaturari. Vias autem indagabant, vt expleti, & ſaturati ſalui diſcederent. Neque vllus erat eorum audaciæ ad timorem comprimendum locus. Ipſi enim ſuis manibus Inquiſitorem interficere, tãetſi valdè optabant;neq; audebant,neque quemquam id facere poſſe ſine certiſſimo vitæ periculo,arbitrabantur. adeò ignauiter, & timidè deſcendebant ad id, quod ſummopere expetebant,agendum. Itaque cuidam Ioanni Labadiæ commiſerunt, vt homines ad cæ-

ad cædem illam faciendam conduceret. A quo tandem inuenti fuere duo nequam, & perditi; qui id auderent, quod immanis ipsa Iudæorum omnium audacia formidasset. Eos, homines appellandos non duco. Hominis enim nequaquam videtur, communique naturæ repugnare, voluisse miseros, sua calamitate aliorum crudelitatem satiari: præsertim cum a Iudæis religione, & cultu dissiderent. Erant enim ambo, vt fertur, à genitoribus Christianis procreati: nisi id forte illis accidisset, quod in plurimis vsu venire solet; quorum parentes propter ignorantiam suæ stirpis, ac generis, cùm ex infima fece populi sint, Christiani existimantur. Hi igitur, quorum alter Vidal Vranso, alter Ioannes Sperandreu vocabantur, nefariis prius licitationibus factis, certoque pretio constituto, se Sancto Inquisitori mortem allaturos promiserunt. Idoneam verò captabant occasionem. Erant autem tunc ipsius Sancti Officii ministerio destinatæ, eæ, quæ nunc sunt heredum Antonii Barrachinæ, ædes; medio loco, inter Archiepiscopalem Aulam, Ecclesiamque Cæsaraugustanam locatæ; finitimæ ambarum, & vicinæ. Ibi magnus ille, ac præclarus vir, Petrus Arbuesius, pro Tribunali ad audiendas causas quotidie sedebat: in eisque ponderandis diligens erat, prudens, & attentus. Verumtamen vt erat natura sanctus, & religiosus, quidquid à publico illo munere vacabat, totum id libenter in Sacris conficiendis consumebat. His enim mentem suam, tamquam naturali pabulo recreabat. In Templo maximo, quemadmodum ceteri Canonici, suum domicilium habebat. Assiduè in Diuinarum, quas vocamus, Horarum decantatione versabatur: ita vt vix eum vlla intempesta nox, aliive nocturni metus deterrerent, quin eandem Ecclesiam è lectulo surgens adiret ad nocturnis Cantibus Omnipotentis Dei laudes persequendas. Illuc ergò, pro more solito, sacra indutus veste, sanctissimus, atque innocentissimus vir, media quadam nocte, martyrii coronam reportaturus accessit. Fuerant siquidem iam paulo ante in absconditis insidiis intra dictam Ecclesiam collocati duo illi, quos nominauimus, Vidal, & Sperandreu, stipati gregibus amicorum: qui omnes fuerant à sceleratissima coniuratione, quasi à quibusdam furiis, ad perficiendum scelus incitati. Iudæos autē idcirco proditur has tam crudeles sancto Inquisitori insidias tetendisse; quia flagitiosa, ac turpis eorum vita cum magnam omnibus suspicionem daret, initā ab eis dudum Christianæ nostræ Religionis viam, fictè, & fallaciter fuisse susceptam; idq; eo magis, postquam multorum ex ipsis accusationes, grauiter tractatæ, ad extremum nefariis confessionibus, ac deprehensionibus detestabilium scelerum fuerant conclusæ: persuaserant sibi, neminem fore, qui, sancto Inquisitore interfecto, munus illud exequi auderet, sicque ipsos in posterum flagitiorum suorum impunitam, quam sibi pollicebantur, licentiam obtenturos. Eum itaque duo illi audacissimi nequam dum ante Altare maius supplicem, orantem inspexerunt; anhelantes ex infimo pectore crudelitatem, brachia contorquentes, A.D.XVII. Kal. Octob. Ann. Chr. ∞ CDXXCV. grauia eidem vulnera inflixerunt. Quorum sanguine cùm non gladios 1485.
solum, sed sacram ipsam ædem imbuissent: statim aufugerunt, magno, & subito, quo corruerunt prorsus, timore perculsi. Sic enim ambo fuerunt infirmati conscientia sceleris, fraudisque cruciatu; vt nisi à suis, qui eos stipabant, subleuati fuissent, vix vlla fuisset illis ex Ecclesia exeundi facultas. Viuum autem illum, secus ac fuerant polliciti, reliquerunt. Deuinxerant enim, sese eidem caput abscissuros. Nec nisi pro capite pactum fuerat inter eos pretium. Tam acerbam sancti Inquisitoris vitam perfidi Iudæi sibi ipsis putabant fore. Ast vbi sacer, qui in Choro aderat, Clericorum Deo psallentium cœtus, horribilem armorum strepitum audiuit, lamentabilemq; simul ingemiscentis vocē; illuc mox accurrens, sanctum Inquisitorē grauiter ictum vt inuenit, apertè cognouit truculentum illud, immaneq; scelus à Iudæis editum fuisse. Diu .n. in vrbe ferebatur, omnes eorum sermones ad perniciē sancti Inquisitoris erumpere; illosq; iā pridē ei periculum capitis machinari. Itaq; tristes, & cōturbati cœperunt cunctas vrbis regiones circū circa prospicere; Deumq; & homines contestātes, de crudelissimo sancti Inquisitoris interitu clamare: vt Cæsaraugustan⁹ populus à somno excitatus prosiliret, occultę illius cōiurationis inuestigator, & vltor. Simulatq; ergò detestabile istud scelus percrebuit: incredibilis breui tēpore ad tēplum maximū cōcursus factus est concitatæ multitudinis hominum, omniū generū, ætatum, atq; Ordinum: qui se illuc totos & animis, & corporib. in communis causæ subsidium contulerunt. In ea namq; iniuria sese omnes despectos esse, sanctissimique Officii dignitatem magnopere contemptam, & abiectam proclamabant. Apertè autem omnes videbant sceleratam illam coniurationem à Iudæis contra sanctum ipsum Inquisitionis Officium factam fuisse. Atque eò maior in illos commouebatur suspicio, quòd in ea bonorum multitudine de illis nullus compareret. Quos omnes

non iam sacrilegos, sed Fidei, ac Religionis hostes, non sicarios, sed crudelissimos carnifices appellabant: dicebantque nullam moram interponendam esse eosdem in priuatis suis domibus viuos comburendi. Neque huiusmodi consilia in longinquum tempus distulissent: nisi eos interpellasset magna superiorum Magistratuum ibidem collecta vis. Nec ea obstitit, quominus is videretur repentè in omni populo tumultus concitatus, qui non multum ab hostili expugnatione differret. Nemo enim Cæsaraugustæ, neque tam affecta ætate, neque tam infirmis viribus tunc fuit, qui non statim surgens è lectulo, telum, quod sibi fors offerebat, arripiens, in tanti sceleris vindictam properaret. Iam verò sanctus, & fortis Inquisitor his verbis, quæ sibi imponebantur vulnera, capiebat: Maximas, inquiens, tibi, ô IESV bone, gratias & habeo, & ago, quòd me dignaris, mortis pœnam naturæ debitam pro tuæ sanctissimæ Religionis Fide persoluere. De reliquo tametsi grauiter saucius, magis autem diuino amore, quam ictibus saucius, haud cessabat Diuum numen, eò scelere violatum, humili prece placare. Numquam autem eius animus visus fuit vlla in nefarios interfectores maleuolentia suffusus, aut aliqua perturbatione commotus: sed contra cùm magnus, & excelsus, atque ad maiora quæque pro Christi Fide subeunda paratus; tum etiam apertus, simplex, quietus, & tranquillus gaudens, & libens Deum Optimum, Maximum, Gloriosissimamque illius matrem Mariam assiduè collaudans. Ex cuius ore, quàdiu vixit, nullum ab ea re alienum verbum exiuit. Ac illi quidem quæ superfuit vita, breuis fuit; gloriæ autem cursus sempiternus: ad quem illius spiritus, è corporis vinculis, tamquam è carcere euolauit A. D. xv. Kal. eiusdem mensis Octob. biduumq; tantummodo vixisse apparet. Atque sic abiit è vita, vt moriendi pro Christo causam se nactum esse gauderet. Illius sanctum cadauer multis imaginibus, iustisque exequiis, ac sollemni pompa, & laudatione à Cæsaraugustanensi populo ornatum, terræ redditum fuit honorificentissimo, ac celeberrimo ipsius Templi Maximi, quo nunc colitur, loco. Necnon, & in eodem sepulchro maiores nostri æternum simulachrum, è marmore excissum, quod nunc videmus, tanta opera, & artificio perfectum, eidem Sancto viro ponendum curarunt; ne apud nos illius vmquam memoria moreretur, hanc illi marmoream statuam pro mortali vita reddentes. Ac ne cui fortè mirum videatur, quòd decimoquinto die eum ictum fuisse annotauerim, biduo autem post obiisse, cum Surita noster decimoquarto die fuisse mortuum memoret, decimoquinto autem quotannis publica illius memoria in Templo maximo celebretur: consilii mei rationem publicis testimoniis comprobabo; quibus haud scio, quæ alia adduci possint grauiora. Sunt enim publica duo, vt loquimur, Notarii Instrumenta, à quodam Petro Lalueza de his ipsis rebus stipulata: quæ hoc loco libet intexere, quemadmodum illius manu leguntur cōscripta. Primum quidem est huiusmodi.

IN DEI *nomine. Amen. Nouerint vniuersi; Quòd anno à Natiuitate Domini Millesimo quatuorcentesimo octuagesimo quinto, die videlicet intitulata, decima septima mensis Septembris apud ciuitatem Cæsaraugustæ. In Sede eiusdem ciuitatis Cæsaraugustanæ, inter Altare, & Chorum dictæ Sedis, vbi Reuerendus Magister Petrus Arbues, aliàs Epila quondam, Sacræ Theologiæ professor, Inquisitor quondam Sanctæ Fidei à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatus, fuerat vulneratus, & ceciderat ex ictibus, & vulneribus sibi decimoquinto die prædictorum mensis, & anni, hora Matutinarum illatis. De quibus vulneribus die præsenti decimaseptima, ab hac luce transmigrauit; & obdormiuit in Domino. In quo loco ex dictis vulneribus effuserat sanguinem corporis. Qua de causa Ecclesia erat polluta; taliter quòd in ea Officia Diuina celebrare non poterant. Pro cuius reparatione secundum ordinem Sanctæ matris Ecclesiæ, dicta Ecclesia fuit reconciliata cum cærimoniis Ecclesiasticis. Et deinde tam dicta decima quinta die, quam decima sexta, & præsenti die prædictorum mensis, & anni dictus locus, vbi dictus sanguis fuerat effusus, fuit per quamplurimas, & diuersas personas Ecclesiasticas, & laicas visus, perspectus, & valde benè recognitus, qualiter vix poterat cognosci, quod esset signum sanguinis: & si aliquid videbatur de dicto sanguine, erat quasi nihil, & deperdito quasi in totum colore dicti sanguinis, & erat adeò desiccatum, quòd erat impossibile, cum aliqua papyro, aut panno lini, neque lanæ, nec alia quauis re aliquid ex dicto sanguine accipi. Et sic de prædictis multi, & diuersi Christi Fideles fidem, & relationem faciebant, & fecerunt publicè. Et quia tunc dicta decima septima Die, Domino* DEO ALTISSIMO *disponente, vt maior memoria de dicto Reuerendo patre* Domino *Magistro, Petro de Arbues, aliàs Epila,* I*nquisitore Sanctæ Fidei haberetur (qui pro exaltatione Sanctæ Fidei, & pro extirpatione hæreticæ prauitatis, fama publica referente per totam dictam ciuitatem, dictam mortem passus est) dictus sanguis in dicto loco ante Chorum dictæ Sedis, vbi effusus fuerat, reuenerat, & effluebat,*

effluebat, tamquam si de recenti expressus fuisset, vbi totus populus velociter currebat ad accipiendum ex dicto sanguine; quidam cum papyro, & alii cum panno lini, & aliis diuersis modis: & erat tam magna velocitas, & decursus gentium ad leuandum prædicta, & accipiendum ex dicto sanguine, quòd vix homo poterat inter gentes, nisi cum magna vi, & cum magno exercitio accedere, & intrare ad dictum locum, & ad dictum sanguinem: tali modò quod apud omnem populum communiter illud pro euidentissimo miraculo reputabatur. Ideò cùm prædicta euidentissimè viderentur esse in exaltationem Sanctæ Fidei Christianæ, & in honorem, & gloriam Fidelium Christianorum, defensionem Fidei Christianæ, & confusionem persequutorum illius, & aliorum Malorum; & quia memoria est labilis; vt de prædictis in futurum de tam magno, & maximo actu perpetuò memoria habeatur: Reuerendus Magister Martinus Garsiæ, Sacræ Theologiæ professor, dictæ Sedis Cæsaraugustæ Canonicus; tamquam procurator multum venerabilis Capituli Canonicorum dictæ Sedis, requisiuit per me Notarium; & testes infrascriptos fieri ocularem inspectionem, & recognoscere dictum sanguinem, & de prædictis facere publicum Instrumentum. Et ego Petrus Lalueza, Notarius tunc accepi quemdam papyrum album in manum: quem in præsentia testium infrascriptorum, & maximæ multitudinis populi, qui ibidem cum maxima anxietate ad dictum locum congregati pro videndo dictum sanguinem, & de eo accipiendo erant, publicè docui dictum papyrum album, & postea illum posui & ∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴ cum illo tetigi in terra in illo loco, vbi erat dictus sanguis; & cum illa incontinenti cepi de dicto sanguine, & ex illo dictus papyrus fuit vnctus, & illum publicè docui testibus infrascriptis, & omnibus ibidem assistentibus circumquaque. In quorum omnium præsentia prædicta fuerunt acta: & aperte prædicta fuerunt visa. Et ante confectionem huiusmodi Instrumenti maximus numerus gentium dictæ ciuitatis de dicto sanguine acceperant, & illum publice per totam ciuitatem demonstrauerant, & publicauerant. Ex quibus omnibus, & singulis instatus, & requisitus per dictum Reuerendum Magistrum Martinum Garsiæ procuratorem prædictum huiusmodi publicum confeci, & testificatus fui instrumentum in testimonium, & memoriam omnium, & singulorum præmissorum. Quæ fuerunt acta loco, die, mense, & anno, quibus supra in principio recitatis. Præsentibus testibus ad prædicta, magnificis, & venerabilibus viris, dominis; Ioanne Lupi de Alberuela; Martino de Turrellas: Bartholomæo del Molino Iurisperito, Ciuibus: Garsia Baylo, Portionario Sedis Cæsaraugustæ; Dominico Catalan, Iacobo Carnoy, & Martino Perez, Notariis, habitatoribus præfatæ ciuitatis Cæsaraugustæ.

Sig ✠ num mei Petri Lalueza, Notarii publici ciuitatis Cæsaraugustæ, auctoritateque Regia, per Aragonum, & Valentiæ Regna. Qui prædictis interfui: & quia in partem scripsi: & in partem scribi feci: vnumque Instrumentum publicum, mandato Reuerendi patris domini Magistri Ioannis Talauera, fratris Ordinis Prædicatorum, Inquisitorisque sanctæ Fidei, instante venerabili Petro de Fuentes, Procuratore Fiscali sanctæ Inquisitionis Fidei Catholicæ, mihi facto, die secunda mensis Octobris de anno prædicto, computato à natiuitate Domini, millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, Instrumento publico mediante, ac per discretum Iacobus Frances Notarium publicum Cæsaraugustæ recepto in hanc publicam formam extraxi, & tradidi; ipsumque in testimonium præmissorum meo solito Signo signaui. & clausi.

Alterum verò.

IN Dei nomine. Amen. Nouerint vniuersi: Quòd Anno à natiuitate Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto: Die videlicet intitulata, Vicesima nona mensis Septembris, apud ciuitatem Cæsaraugustæ, & inter altare, & Chorum dictæ Sedis, vbi die decimaquinta prædictorum mensis, & anni Reuerendus Magister Petrus Arbues, alias Epila, sacræ Theologiæ professor, & Inquisitor Sanctæ Fidei fuerat vulneratus, & ceciderat, & effuserat sanguinem eius corporis ex ictibus, & vulneribus sibi illatis, ex quibus decima septima die prædictorum, mensis, & anni, hora Matutinarum, eadem quasi hora, qua fuerat vulneratus, emiserat spiritum: qui fama publica referente, pro exaltatione Sanctæ Fidei Christianæ, & extirpatione hæreticæ prauitatis dictam mortem passus fuit. Celebratis Vesperis summissa voce, & ianuis clausis, propter obitum dicti Reuerẽdi patris Inquisitoris ex dictis vulneribus, pro vt tunc temporis propter tã pessimũ delictũ in dicta Sede Officiũ Diuinũ solitũ erat celebrari: & dicto iã Psalmo, Deus laudẽ meã ne taceueris, & cetera: & aliis Orationibus, quæ eo die in dicta Ecclesia per Reuerendos, & Venerabiles dominos Canonicos, Portionarios, & alios Beneficiatos, & Clericos in dicta Sede dicuntur, & celebrantur, Cruce, & faciebus Infantium eiusdem Sedis velatis, cum certis cærimoniis: existendo Ego Petrus Lalueza Notarius infrascriptus, & plures, & diuersi Christi Fideles in dicta Sede, nonnulli de ibidem existentibus deuotione ducti, cupientes dictum sanguinem ex corpore dicti Reuerendi patris Inquisitoris effusum ex ictibus, & vulneribus, de quibus obdormierat in Domino, videre: accesserunt ad prædictum locum, vbi dictus sanguis effusus erat. Qui locus, vt ne inreuerenter tractaretur, stabat coopertus cum quodam panno lanæ, vulgariter nũcupato, Repostero, vel,

Razel. *Et acceperunt de dicto panno, & scoperierunt, & manifestum, & patentem fecerunt illum locum, vbi dictus sanguis effusus fuerat. Ad quem locum (attento quòd dictus Reuerendus Magister Petrus* Arbues, *alias Epila, Inquisitor prædictus, fuit, & est mortuus, & vitam suam, huiusmodi fama publica referente, pro defensione Sanctæ Fidei, & extirpatione hæreticæ prauitatis dedit, & posuit) multi, & plurimi de ibidem existentibus continuò velociter, cum magna affectione, & deuotione cucurrerunt, pro videndo dictum sanguinem. Inter quos Ego Notarius infrascriptus ad eundem locum accessi, & me appropinquaui: & illum locum, & dictum sanguinem ibidem effusum ego dictus Notarius, & testes infrascripti cum multis, & diuersis ibidem circumstantibus, benè, attentè, & cum maxima attentione recognouimus, & perspeximus. Et vidimus signum dicti sanguinis ibidem expersum satis magnæ quantitatis, & latitudinis, & quasi in quodam angulo cuiusdam lateris, vbi dictus sanguis erat, aperte & manifeste vidimus dictum sanguinem, magis rubeum, & coloratum, quàm in aliis partibus: in tantum, quòd in illa parte videbatur, & demonstrabatur, quasi esset recenter effusus, & nouiter designatus: Taliter quòd apud circunstantes (attento quòd quindecim dies erant completi, quod dictus sanguis fueras effusus, & diebus præteritis fuerat visus in totum desiccatus) pro euidenti miraculo reputabatur, & fuit reputatum. Et tunc pro maiori verificatione, ego Notarius infrascriptus in præsentia testium infrascriptorum, & aliorum ibidem circumstantium, cum quodam panno lini publicè tetigi in dicto loco, vbi dictus sanguis videbatur magis coloratus, & magis rubeus, & quasi recens; & dictus pannus fuit vnctus de dicto sanguine. Et hoc idem iterum in continenti feci cum quadam papyro alba; quæ in tangendo cum ipsa supradictum locum, ex dicto sanguine fuit vncta, & hoc publicè, & patenter in præsentia vltra numerum viginti personarum. Et cùm à dicto loco me separarem, omnibus ibidem in dicta Sede publice dictum sanguinem per me receptum demonstrando, Magnificus Garsias Montannes domicellus, dictæ ciuitatis Cæsaraugustæ commorans, dixit: Quòd cùm attentis prædictis signis, & aliis plurimis de dicto sanguine his diebus præteritis, visis, euidentissime appareret, quòd prædicta essent, & redundarent, & manifeste demonstrarent, quod ∴∴∴∴ dictus Reuerendus Magister Petrus Arbues, alias Epila, Inquisitor prædictus pro defensione sanctæ Fidei, & extirpatione hæreticæ prauitatis mortem passus erat. Ideo de prædictis pro exaltatione sanctæ Fidei Christianæ, & in memoriam futurorum publicum per me Notarium infrascriptum requisiuit fieri Instrumentum vnum, & plura, & tot, quot inde essent necessaria, & oportuna in testimonium præmissorum. Quæ fuerunt acta loco, die, mense, & anno, quibus supra in principio recitatis. Præsentibus testibus ad prædicta honorabilibus;* Ioanne *Montañes Scutifero habitatore Villæ de Velchite; Christophoro de Quiros; & Martino Sanz de Ledonia; de domo Illustris, & Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Cæsaraugustæ.*

Neque enim Petrus Lalueza ornatius voluit à se rem tantam proferri, quàm, suo iudicio, ferret simplex ipsa ratio veritatis. Antiqui enim cùm se Latinè loqui profiterentur, ita Latini sermonis elegantiam contemnebant, vt ornatè, distributè, & eleganter loquentes, irriderent: quòd nisi vulgatis verbis crederent narrationem rerum fieri mendosiorem. Nunc verò ad elegantiora defluximus. Sed ab eodem in his rebus non vt ab Historico, sed vt à Teste veritatem exigamus: cuius testimonio esse illa ita, vt nos diximus, confirmatur. Quæ verò quotannis decimaquinta die Septemb. in Templo maximo celebratur publica istius Sancti viri memoria (id enim magis me vrget, & instat argumentum) horum, quæ supra docui, publicorum monumẽtorum auctoritate permotus, valde suspicor fore, vt non de die illius mortis, sed de die, quo fuerit ictus, celebretur. At verò fas esse duxi toties illum, Sanctum nominare. Quamquam enim nondum est illius memoria sollemnibus Ecclesiæ ritibus à Rom. Pont. consecrata: his tamẽ, aliisq; quã plurimis miraculis diuinitus comprobatus illius sanctitatis fulget splendor: eumq; patria nostra studiosissimè semper solita est colere, & venerari. Ob quam causam ad hanc tam longam ipsius narrationem delapsa est oratio nostra. Ceterum interfectores in facinore manifesto deprehensi, illico confessi sunt, Iudæorum gentem vna secum de Sancto viro interficiendo coniurasse. Et ii omnes nec diu postea præter debitas, quas tulerunt legibus, ac iudicio pœnas: sempiternas turpissimæ ignominiæ notas subierunt. Publica enim monumenta, quæ hodie cernuntur, in ipsius Templi Maximi suggestis posita fuêre, tamquam Insignia, hac turpitudine notata, locata ibi ad illorum dedecus, & infamiam sempiternam. Sic denique factum est, vt scelerata ea Iudæorum conspiratio restingueretur. Nec vlla amplius illius incendii scintilla comparuit: tametsi adhuc Sanctum ipsum Inquisitionis nomen apud nonnullos ex eis, vt suspicor, manet subinuisum.

In his igitur omnibus quidquid arte effici potuit, aut opera, & consilio prouideri; id omne ambo nostri Catholici Reges summo studio, & cura præstiterunt. Quorum tamen

men ipsorum ad ætatem tantæ rei laus perfecta nondum fuit. Sed neque nunc est. Hodie namque & semper erit ipsis maximæ gloriæ: cùm non possint vllæ aut tam ingratæ literæ, aut tam immemor posteritas reperiri, quæ tanti facti laudes non immortalitatis memoria prosequatur. Iam verò (vt ad priuatas eorum res redeamus) clarissimam sobolē propagarunt. De qua melius poëta ille vaticinari potuisset, dum scripsit:

Hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.

Eorum namque progenies, ipsis ferè viuis, ac videntibus totum pæne orbem occupauit. Filium habuere, Ioannem: Filias verò Isabellam; Ioannam, Mariam, & Catharinam. Ioannes quidem in Comitiis ad Calataiubium habitis, à nostris Regnorum heres acclamatus, vxorem duxit Margaritam, Maximiliani Imperatoris filiam: atque eodem ipso anno Salmanticæ occubuit sine prole. Ob eam causam Isabella, filiarum natu maior, quæ Emanueli Portugaliæ Regi nupta fuerat, à parentibus è Portugaliæ Regno in Castellam deducta, ad Toletanam Vrbem sollemni ritu, & pompa, vna cum viro constituta fuit maternorum omnium Regnorum heres. Mox ad nos allata, parentes id ipsum, quod Castellæ factum fuerat, à nostris postularunt. Nostri tamen rem differre quotidie, & procrastinare cœperunt: quòd prius quædam præcauenda contenderent, ad Reipub statum oportuna. Qua de re diu, ac multum consultum fuit. Magna enim oriri cœpit altercatio: quæ Regibus erat molesta. At Isabella Portugaliæ Regina grauida erat, & iam ad pariendum vicina. Quæ tandem Cæsaraugustæ (ad eam enim Vrbem illa Comitia indicta fuerant) A. D. IIX. Kalend. Septemb. Ann. Chr. ∞ CDXCIIX. filium enixa fuit; qui hos omnes motus sedauit. Cui inditum fuit no- 1498.
men Michaelis. Huic nostri publicam Regni fidem obligarunt, eum totius auiti imperii heredem acclamantes. Sed tamen prius illi, auum Ferdinandum Regē, tutorē adscripserunt. Oportebat enim, vt ad nostrorum iuramentum acclamati heredis religio de obseruandis solitis condicionibus, pactionibusque inter Reges, ac Regnum constitutis, accederet. Neq; nostri, nisi ea cautione, & fœdere prius icto, se vlli vnquam Regi communē fidem obligare fuisse solitos affirmabant, nec obligaturos dicebat. Itaq; Catholicus Rex à Ioanne Lanuza II. Iustitia Aragonum, de Magistratus auctoritate adscriptus tutor, nepotis nomine, se vniuerso iuri nostro solito Iureiurando deuinxit. Nostri autem præcauerunt etiam, ne antequam puer decimumquartum ætatis annum cōpleret, quidquam illius nomine tutor tractaret. Id enim leges nostras vetare affirmabant. Quam agendi, & cogitandi adhibitam solertiam minimè Reges ipsi, dum rem cum maiori consilio, & cura perspexerunt, improbarunt: tametsi eis in ipso initio haud iucunda fuerat. Sed interea dum hæc gerebantur, Isabella Portugaliæ Regina vehementer ægrotabat. Nam cum antea infirma valetudine esset: partus eam reddidit infirmiorem. Itaque in morbum incidit, ex quo non conualuit. In ipsa enim decessit paternæ hereditatis adeundæ spe, cùm nec sibi, nec suis vixisset satis. Michael quoque filio biennio post Granatæ interiit. In cuius locum heres successit Ioanna, ipsorum Catholicorum Regum secunda filia. Ea autem Philippo, Archiduci Austriæ, dictæ Maximiliani Imperatoris primogenito filio nupta erat. De qua, vt diximus, poeta ille melius cecinisset. Ex Philippo enim inter alios Carolum filium suscepit, Imperatorem postea Romanorum V. cognomento Maximum, ac Fortissimum, Potentissimi Regis nostri Philippi clarissimum patrem: cuius gloriosissima facta, summa laude dignissima, in vltimos vsque angulos orbis penetrarunt. At Maria, quæ tertia fuit Ferdinandi, ac Isabellæ, Regum filia, Emanueli nupsit, Portugaliæ Regi; eidem ipsi, qui prius Isabellæ sororis maritus fuerat: quorum postea filia Isabella ipsius Caroli V. Imperatoris coniux fuit. Quarta tandē Catharina, Arturo, Angliæ Regis filio primum, deinde eo mortuo, illius fratri, Henrico Regi VIII. nupta, filiam peperit Mariam Anglici Regni heredem: quæ fuit Philippi nostri Regis secunda vxor. Cuius admirabilis in Catholica fide constantiæ laudem fatalis, ac præsens Anglici illius Regni calamitas prorogauit. Atque illa eadē, aliaq; ei similes tot Regnorum, & Prouinciarum calamitates immortalem reddent ipsorum Catholicorum Regum memoriam: quandoquidem non ab eis solùm, sed ab earum metu nos, patriamque nostram summa sua sapientia, admirabilique ac penè diuina futurorum malorum præsensione vindicarunt, præfatum Sanctę Inquisitionis, quod diximus, Officium stabilientes. Sed ne in re tam nota, & peruulgata multus, & insolens sim, Isabella Regina, Ioanna filia instituta herede, A. D. VI. Kal. Decemb. Ann. Chr. MDIV. decessit: Ætatis 1504.
suæ quinto & quinquagesimo. Granatæ sepulta iacuit. Atque eodem anno altissima, quæ nunc Cæsaraugustæ extat, turris ædificari cœpit, *La Torre Nueua* vocata. Isabella mor-

1506. tu,Ferdinandus Rex,propagandæ sobolis causa, An.Chr.MDVI. Germanam Foxiam vxorem duxit: quæ sibi erat propinqua satis cognatione coniuncta. Erat enim Ioannis Nauarræ,& Mariæ Ludouici Francorum Regis sororis,filia. Ioannes autem filius erat Gastonii Foxii,& Eleonoræ,Ioannis nostri Aragonum Regis II. vt retulimus, filiæ, ipsius Catholici Regis tametsi non vterinæ sororis. Ex Germana igitur Regina Ferdinandus
1509. Rex filium habuit,Ioannem ad Vallisoleti opidum, An. Chr. MDIX. natum. Sed is statim mortuus fuit. Nullamq; aliam ex Regina Germana prolem suscepit. Ex pellice autem Aldoncia Yborra,& Aleman,nobili femina,Cataloniæ nata,iampridem, cùm esset adolescens,filium susceperat Alfonsum; Cæsaraugustanæ Ecclesiæ,aliisque Ecclesiis,& amplissimis perfunctum muneribus,Excellentiss. D. Ferdinandi Aragonii Archiepiscopi,cuius toties meminimus,patrem: Filiam quoque Ioannam D. Bernardino Velasco, Castellæ Connestabulo,nuptam. Duas præterea habuit filias,Marias vocatas,quæ religioni deditæ obierunt. Fuerunt autem ex Tota, Vizcayæ femina, prior: altera verò ex Lusitana, à Pereyrarum familia,procreatæ. Tandem Ferdinandus,honore,ac nomine illustrissimus Rex,morbo graui,& mortifero affectus,Madrigalegii (id enim opido nomen est) A. D.
1516. x. Kal. Feb. Ann. Chr. MDXVI. extremum gloriosæ vitæ suæ diem, gloriosa etiam morte confecit; annos natus sexaginta & quatuor. Granatæ cum Isabella vxore sepultus fuit: auctoritatis, & prudentiæ suæ triste omnibus desiderium relinquens. Sed illud nostris his nouis, nec vnquam antea visitatis lugendi generibus leniendum curarunt. De quibus passim senes nostros solita sua loquacitate sic in circulis colloquentes audire solemus, qui se ea pueros vidisse attestantur.

Præter solitas,inquiunt,pectorum,fœmorum, ac capitum percussiones, muliebresq; lacerationes genarum, quæ in aliis Regum exequiis fieri consueuerunt; tunc cùm Rex Catholicus Ferdinandus interiit,homines scutati,per omnes Vrbis vicos, ac plateas incedebant,funebri induti vestimento,corporaq; ipsis Scutis longis protecti. Hi dum aliis sibi similibus, quorum frequens erat per totam Vrbem concursus, occurrebant: flebili voce,ac lugubri eiulatione,vicissim se interrogabant: Quisnam esset mortuus Rex. At illi respondebant esse,Catholicum Regem nostrum Ferdinandum. Cuius nomine audito,statim se omnes abiiciebant,ac prosternebant humi. Atque id ipsum toties faciebant, quoties illum lingua nuncupabant. Nuncupabant autem quam sæpissime. Quo plangore,ac lamentatione vniuersa ciuitas complebatur. Neque solùm homines, sed ipsa tecta, & parietes vrbis videbantur acerbum illius,qui omnibus charissimus erat, interitum lugêre. Et meritò. Erat enim, vt scitis,exemplum prudentiæ, ac fortitudinis: summæ in re domestica continentiæ: eximiæ in publica dignitatis: humanitatis præterea, ac leporis admirabilis. Facetiis agricolarum,& rusticorum nostrorum,quorum illa ætas multos ferebat disertissimos,summopere pascebatur. Neque eos solùm, sed omnes certè tanta amplectebatur beneuolentia, vt interdum non nobis Rex, sed vniuscuiusque nostrorum genitor,ac parens videretur. Post eius interitum omnis nostra iuuentus languet, deliciis plus dedita,quàm deceret: nec perinde, ac debuerat in laudis, & gloriæ cupiditate versatur. Ipse eam non offensionibus belli,sed victoriis; non stipendiis, sed triumphis ad militaris rei scientiam erudiebat. In qua cùm virtute multum valeret, tum plus etiam disciplina. Quid plura? nulla res fuit in vsu benè regnandi posita, quæ illius Regis scientiam effugeret. Is amplissimum Diuæ Encratis Monasterium,qua nunc videmus magnificentia,construxit. Ad idque fratres Hieronymianos Ann. MCCCCXCIII. adducendos curauit: vt quod pater ipsi Diuæ fecerat votum,solueretur. Denique is Rex fuit, in quem cæteri Reges videbantur omnia suarum ornamenta laudum congessisse. Itaque cùm Optimates nostros videmus illius statuam,atque imaginem corporis tanti æstimare: & nos quidem ipsi,dum eam inspicimus,vehementer lætamur. Fuit enim eximia corporis venustate præditus. Sed pluris facere deberent consiliorum, ac virtutum suarum, quam posteris reliquit,effigiem: quibus denique factum videmus, vt ab eo vsque ad hoc tempus,non solùm nobis,sed Hispaniæ cunctæ diuturnitas pacis otium confirmarit.

Hæc aliaque eiusmodi quotidie à nostris senibus de Catholici Regis memoria enarrantur: quæ à rei veritate nequaquam abhorrent. De eis, ipsorum senum more, beneuolentia me fortasse loquacem fecit. Itaq; me retineam. Casu etenim in hos seniles sermones lapsus sum: tametsi fateor,me ad eos non inuitum declinasse. Dolebam enim, quòd ea narratione auidas quorundam aures concisa nostræ orationis breuitas defraudaret: sed nollem,quòd ipsa fortè longitudo obtudisset.

CARO-

CAROLVS, MAXIMVS, ROM. IMP. V. ARAGONVM REX XXVI.

CETERVM decennio ante Catholici Regis interitum Philippus gener, Ioannæ filiæ maritus, in Castella obierat. Ei namq; & vxori, viuente ipso Ferdinãdo Rege, Castellanorum gens, publico cõsilio, Regna illa deferenda curarat. Isabella Regina mortua, Castellanis præfuit Philippus is Rex. Vix tamen biennium. Nobis autem nequaquam. Propterea non habetur in nostrorum Aragonensium Regum nec loco, nec numero. Ex Ioanna filios susceperat, Carolum; & Ferdinandum: filias verò, Eleonoram; Isabellam; Mariam, & Catharinam. Quarum omnium iucundissima memoria nec obliuione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit. Ferdinandi quoq; nota est, & æqualis. In eo enim Carolus frater Insigne Imperii, quod de suo capite abiecerat, reposuit. At Carolus, quem ceteri fratres non modò vt fratrem maiorem, verumetiam vt parentem semper veriti sunt; ab auo suo Ferdinando Rege relictus heres testamento fuit. Cumque eo tempore apud Belgas esset, Ioanna autem mater à se ipsa parumper, ob acerbissimum quem ex mariti morte acceperat dolorem, discessisset: Alfonsus, Catholici Regis, quem diximus, filius ex Aldoncia pellice procreatus, à Rege ipso impetrauit, vt sororis Ioannæ curationem, dispensationemque Regiam, quamdiu Carolus à nobis abesset, suscipere posset. Ea tamen habitura erat momenti parum, nisi publicum adhiberetur quorundam ex Deputatis Regni, & Iuratis Cæsaraugustæ consilium. Quos cùm Alfonsus propterea ambire iam cœpisset vicatim, & prensare: Iustitia Aragonum Ioannes Lanuza III. qui futurus erat istius consilii princeps, non à spe solum, sed ab ipsa certa iam re, & quasi possessione deturbauit illum: quòd integram eam causam Carolo ipsi soli reseruandam per publicas Regni leges decreuisset. Quod postea Carolo gratissimum fuit. Alfonso autem aliquando non graue, nec molestum; quin etiam iucundum: quòd suum animum immoderatè iam agitari cœptum, & fluctuantem, sola sui muneris declinatione, tam scitè, & commodè, sine aliquo tumultu, reuocasset ad quietam degendæ vitæ, simplicemque veram, & directam iuris, ac iustitiæ rationem. Carolus tandem auitam, Regiam hereditatem adiuit; à nostrisque suo, ac matris nomine admissus, sextus & vicesimus numero Aragonum Rex fuit. De quo merito affirmari liceret, quod Tullius perhibet Q. Maximum, cum P. Africanum laudaret, dixisse: *Necesse fuisse, ibi esse terrarum imperium, vbi ille esset.* Nam Hispania obtenta, Romanorum Imperator constitutus, post repressum Turcam, captiuum Francum, captum Saxonem, domitos Italos, deuictos Afros, conuictas hæreses, punitos Gandauos, subactos Indos: hunc ipsum fugiens splendorem, Regna omnia deiiciens, in Sancti Iusti Hieronymianum monasterium secessit: vbi tam gloriosam hanc eius vitam, A.D. xi. Kal. Oct. Ann. Chr. MDLVIII. 1558.
gloriosissimo etiam interitu terminauit; cùm iam demum PLVS VLTRA nominis sui gloriam dilatasset; quam Hercules ille suorum laborum, atque itinerum fines protulisset.

PHILIPPVS, CAROLI V. F. ARAGONVM REX XXVII.

NEC finibus quidem angustioribus, clarissimus qui ei successit filius Philippus, Inuictissimus noster, ac Potẽtissimus Rex, gloriæ suæ curriculum circumscripsit. Summus nãq; illius splendor, egregiaq; Austriaci nominis amplitudo non iã Atlãticum Oceanum mare, sed Chinense, ac Surium, totum deniq; terrarum Orbem, & veterem & nouum transuolauit: atq; ita in eum PLVS etiam VLTRA, quàm in patrem potestas illa felicitatis, & gloriæ est prorogata; vt meritissimò ab omnib. totius Orbis, atq; omnium ætatum amplissimi imperii Monarcha, Triũphator, & Pacificus censeatur. Neq; verò illius animi aciem idem ipse tantus nominis sui splendor perstringit; nec mentis quasi luminibus eadem ipsa tantæ felicitatis, ac gloriæ officit altitudo: quominus cùm ad maiora iam sibi aditus videantur præclusi, tenuissimarum etiam virtutum studiosissimè riuulos laudum in dies singulos consectetur. In quo vno Xenophontis Cyro maximè excellit, quòd cùm ille non ad historiæ fidem, sed ad effigiem iusti imperii scriptus fuerit: quicumque editi sunt, ac in posterum edentur rerum à Philippo nostro gestarum Commentarii, in eo ipso possint plenius, ac vberius

amplissimi, ac frugalissimi, Principis effigiem notare, in quo veritatem videantur magis, ac fidem historiæ debitam retinere. Eum namque in multis, ac variis casibus exercuit fortuna: nec vllus eorum est, in quo non exstent manifesta, & multa summæ illius fortitudinis, ac prudentiæ impressa vestigia; quæ cum summa laude quotidie magis prodita vetustate enitescent. Illud autem & re, & dictu est mirabile, quòd cum ipse, quasi VT QVIESCAT ATLAS, totum pene terrarum Orbem suis humeris solus sustineat, vnaque felicissima comprehensione tot, ac tam diuersa genera regnandi complectatur: amplissimi sui imperii maiestatem tanta semper æquitate confirmet; dumque omnia comprehendat: tam singulari officio separatim de vnoquoque elaboret, in cuiusuis non prouinciæ tantùm, aut Regni, sed opidi, ac villulæ gubernatione sic minutula quæque animaduertens; vt vniuscuiusque quasi non vniuersorum, & vniuersorum quasi non vniuscuiusque sollicitudine, & cura angeretur. Quamobrem meritò illius vita communi vita charior est habenda: vt tametsi ad Centesimum annum perueniat (vtinamque Deus ita faxit) quo se fortasse statueret naturæ satis viuere posse, vel gloriæ: naturæ quidem, si ita velit, satis; addo quoque si ita placeat, & gloriæ plus satis; at verò, quod maximum est, nobis, atque vniuersæ Reip. parum arbitremur: cùm nullum sapientiorem, moderatiorem, æquioremve Regem prouinciæ omnes subditæ, liberi populi, exteræ gentes non modò se non vidisse, sed nec sperando, aut optando cogitasse, incredibili omnium consensu fateantur. Verumtamen impudentis esset modò me velle, multa, & maxima illius facta his, quos mihi ipse constitui, breuitatis cancellis, tenuique & exiguo mei sermonis gyro circumscribi: cum nullius tantum esse queat flumen ingenii, dicendive, aut scribendi vis, & vbertas, quæ illa debitis laudibus posset ornare. Itaque tacita mihi relinquenda erunt. Illud ego munus libenter suscipio Omnipotentem Deum supplici prece obtestandi (tametsi non is sum, qui meas preces à summo Deo audiri putem) vt ipsum Inuictissimum Regem nostrum Philippum nobis, quam diutissimè seruet incolumem; & quæ à nobis eidem pro Christianæ Reip. tutela, & præsidio, Sanctæq; Fidei propagatione paria præmia persolui non possunt, ab ipso Omnipotenti Deo cumulatissimè persoluantur. Verum enimuero finẽ scribendi de his rebus fieri tempus est. Fateor namq; me longius de nostris Regibus scripsisse, quàm instituta ratio postularet: breuius tamen quàm si de vnoquoque eorum dicẽdum fuisset. Imitatio autem decepit breuitatis, vt cùm me breuem putarem fore, longus exstiterim. Neq; enim mihi incommodum visum est quandam siluam, atq; materiã vniuersam omnium rerum nostrarum, tametsi permistam, & confusam, quasi principia causis præponere, earumq; seriem ab ipsis primordiis ad hæc vsque tempora percurrere: quòd rerum initiis cognitis multo faciliùs eædem ipsæ res intelligantur. Atque eò spectat hic tam longus, & tam altè repetitus mei sermonis cursus. Cuius præcipua Capita hunc in locum conducenda statuo: vt ad propositum tandem reuocetur, quæ hactenus forsan visa est oratio nostra aberrasse.

Suprarbienses Reges VII.

I. Garsias Eximini.
II. Garsias Innici I. Garsiæ Eximini F. Cuius tempore fuit Aragonensis Comitatus initum.
III. Fortunius I. Garsiæ Innici F.
IV. Sanctius Garsiæ, Fortunii F. Cuius obitu nostris datum fuit

Primum Interregnum.

In quo antiquum Suprarbiense Ius conditum, & Magistratus inter Regem, ac Regnum medius institutus; qui Iustitia Aragonum postea dictus est. Huiusmodi autem Interregno acto, Suprarbiensibus nostris imperarunt:

V. Innicus Eximini Regis F. cognomento Arista.
VI. Garsias Innici II. Aristæ F.
VII. Fortunius II. Monachus, nuper excitatus: qui septimus, & vltimus Suprarbiensis Rex censeri debet. At verò

Aragonenses Comites VI.

I. Azenarius.
I. Galindus Azenarii.

III. Eximi-

III. Eximinus Azenarii.
IV. Eximinus Garfiæ.
V. Garfias Azenarii.
VI. Fortunius Eximini : qui Aragonum fextus, & vltimus Comes fuit. Cuius obitu, Aragonenfi Comitatu cum Suprarbienfi Regno fubiuncto, Aragonum Regia nomenclatura ortum habuit. Nam poft Fortunium II. Monachum, quem vltimum Suprarbienfem Regem annotauimus, noftris patuit.

Secundum Interregnum.

In quo ad Iaccam Vrbem Cæfone Abarca falutato Rege cùm ad eum Aragonenfis Comitatus, & Suprarbienfe Regnum, coniunctim deferrentur: Aragonum Regalis tituli inducta eft nominatio: indeque Aragonum Reges vocari cœpti funt. Fuere autem

Aragonum Reges XXVII.

I. Sanctius I. Abarca, Cæfo.
II. Garfias I. Abarca, Cæfonis F.
III. Sanctius II. Abarca, & Galindus; Garfiæ I. F. Cæfonis N.
IV. Garfias II. Abarca, & Tremulus; Sanctii II. F. Garfiæ I. N. Cæfonis Pron.
V. Sanctius III. Maior, Imperator; Tremuli F. Galindi N. Garfiæ I. Pron. Cæfonis Abn.
VI. Ranimirus I. Chriftianiffimus, Imperatoris F. Tremuli N. Galindi Pron. Garfiæ I. Abn. Cæfonis Atn.
VII. Sanctius IIII. Ranimiri F. Imperatoris N. Tremuli Pron. Galindi Abn. Garfiæ I. Atn. Cæfonis Trin.
VIII. Petrus I. Sanctii IIII. F.
IX. Alfonfus I. Bellator, Imperator: eiufdem Sanctii F. Petri I. frater germanus, Cæfaraugustam cepit, publicam tunc iudiciorum, Magiftratufque Iuftitiæ Aragonum delectam fedem. A quo tempore (neque equidem antea) ipforum Iuftitiarum nomina inueniuntur. Sed iftius Alfonfi I. Regis interitu, Refpub. adducta fuit ad

Tertium Interregnum.

In quo Alfonfi demortui Regis in locum cùm Rex cooptaretur illius frater,
X. Ranimirus II. Monachus; Sanctii itidem IIII. F. vnicæ filiæ, quam habuit, Regnum detulit: quæ
XI. Petronilla vocata fuit; Raimundoque Berengario, Barcinonenfi Comiti nupfit. Quibus filius fucceffit,
XII. Alfonfus II. Caftus. Poft autem
XIII. Petrus II. Catholicus; Alfonfi II. F.
XIIII. Iacobus I. Expugnator; Petri II. F.
XV. Petrus III. Magnus; Iacobi I. F.
XVI. Alfonfus III. Munificus: Petri III. F.
XVII. Iacobus II. Iuftus; Petri III. F. Alfonfi III. frater germanus.
XVIII. Alfonfus IIII. Benignus, & Pius; Iacobi II. F.
XIX. Petrus IIII. Cærimoniofus; Alfonfi IIII. F.
XX. Ioannes I. Petri IIII. F.
XXI. Martinus: Petri IIII. F. Ioannis I. frater germanus : qui fine prole deceffit. Ob idque noftris datum fuit magnum illud

Quartum Interregnum.

In quo ad Cafpenfem locum, à trium Regnorum felectis Iudicibus, Aragonum Rex declaratus fuit,
XXII. Ferdinandus I. Honeftus: Petri IIII. ex Eleonora filia, Regum Ioannis, & Martini germana forore, N. Cui fucceffit
XXIII. Alfonfus V. Sapiens, & Magnanimus. Huic autem fine legitima prole mortuo fucceffit frater,
XXIIII. Ioannes II. verè Magnus. Poft autem eius F.
XXV. Ferdinandus II. Catholicus. Cuius ex Ioanna F. Nepos,
XXVI. Carolus, Maximus Rom. Imp. V. fucceffor fuit. At Caroli, F.

XXVII. Philippus, Inuictissimus, ac Potentissimus noster Rex, Triumphator, & Pacificus: ad quem iure tot clarissimorum Regum hereditas gloriæ peruenit.

Atque hi tandem sunt omnes Reges, qui nobis hactenus præfuêre; eæque quas indicauimus, nostratum rerum vicissitudines. In quas si attentè, & diligenter inquiramus, iure nobis licebit gloriari; neminem ex nostris Regibus cognomentum ex ignominia traxisse: sed tum ex rebus præclarè gestis, memoriaque dignissimis: tum verò ex maximis maximarum virtutum ornamentis. Quod in aliis Regnis ita raro contigisse videmus, vt si quando alicuius Regis gloriosum cognomentum exstiterit, id portenti, ac prodigii simile numeretur. Iustitiæ autem Aragonum, qui Catholici Regis, Caroli V. & Philippi nostri temporibus post Ioannem, quem diximus, Lanuzam I. Magistratum gesserunt; sunt hi: Ioannes Lanuza II. Ioannes Lanuza III. Laurentius Ferdinandi Heredia: Ferrarius Lanuza II. & Ioannes Lanuza IIII. De quibus, ceterisque qui eos antecesserunt, infra dicemus singillatim, dum ea, quæ dicere instituimus, de ipsius Magistratus dignitate, & vi, atque Optimatum, & Palatinorum hominum antiqua, & magna potestate in medium proferamus. Eo enim vocat nos iam dudum longæ, tametsi, vt credimus, non abs re istius digressionis exspectatio: ne nobis fortasse videatur contigisse, quòd M. Tullius cuidam oratori sæpius accidere fuisse solitum affirmabat; qui cùm tria sibi dicenda proponeret, quartum addebat, cùm tertii penitus obliuisceretur. Repetam autem à principio priscæ nostræ vetustatis memoriam: nam sic nos facere cogit ipsa res; quo faciliùs tota illius ratio perpendatur. Priùs tamen Cæsaraugustanenses Antistites, qui post Arabum in Hispaniam aduentum ad nostram vsque ætatem in ea Vrbe sederunt, nominatim perstringam: quemadmodum pollicitus sum initio me facturum. Atque post illum Bentium, cuius in narratione Hispanensis cladis meminimus, hi fuere: Senior: Heleca: Paternus: Vincentius III. Petrus I. Bernardus I. Et hi sex Cæsaraugustani Episcopi memorantur, quamdiu Arabes Vrbe sunt potiti. Eis tamen exactis, qui sequuntur: Petrus Librana: Stephanus I. Garsias Guerra *de* Maionez. Gulielmus I. Bernardus II. Petrus *de* Villabeltran: Petrus Tarroia: Bernardus III. Petrus Eximini: Stephanus II. Petrus *de* Turrerubea: D. Raimundus *de* Castellezuelo: D. Rudericus Rocabertinus: D. Raimundus *de* Castrocol: D. Garsias II. D. Sanctius *de* Ahones: D. Bernardus *de* Montagudo: Vincentius IIII. D. Rudericus *de* Ahones: D Arnaldus *de* Peralta: D. Sanctius *de* Peralta: D. Petrus Garsiæ *de* Ianuas: D. Fortunius *de* Vergua: D. Vgo *de* Mataplana: D. Eximinus Martini *de* Luna. Cuius tempore ipsa Cæsaraugustana Ecclesia, ex suffraganea, quæ fuerat Tarraconensi Ecclesiæ, cùm à Ioanne Papa XXII. Metropolicum ius accepisset: iam tum in ea Archiepiscopi esse cœperunt. Primus autem omnium: D. Petrus Lupi *de* Luna: Post eum verò: D. Petrus Azenarii *de* Rada: D. Gulielmus; qui S.R.E. Cardinalis fuit: D. Lupus Ferdinandi *de* Luna: D. Garsias Ferdinandi *de* Heredia: D. Franciscus Clemẽs Perezius: D. Alfonss *de* Arhuello: D. Dalmacius Murius, & Cerbellonius: D. Ioannes Aragonius I. D. Alfonsus Aragonius: D. Ioannes Aragonius II. D. Federicus Portugalius: D. Ferdinandus Aragonius: D. Andræas Santos: D. Andræas *de* Bouadilla, & Cabrera. Nunc autem ad rem.

DE MAGISTRATVS IVSTITIÆ ARAGONVM DIGNITATE.

HISPANIA igitur omnis, quæ à Romanis fuerat in Citeriorem, ac Vlteriorem diuisa, in fatali illa Gothici imperii euersione potentissimo dominatu vnius tantummodò Regis tenebatur. Et quemadmodum vni Regi, ita & vnis legibus omnis parebat. At postquàm à Mauris subacta fuit; Christiani, qui sese à fœdissimæ illorum seruitutis fluctibus emerserunt, quemadmodum & in diuersis locis, ita & diuersis Regnorum fastigiis diuersa quoque initia dedêre. Quorum sicuti non eadem origo; sic nec eadem ratio, nec iidem progressus, nec idem status, nec iidem semper exitus fuerunt. Quamquam etenim modò subiuncta sunt, vniusque Inuictissimi Regis nostri Philippi sapientissimo nutu reguntur: vnumquodque tamen antiquum ius retinet, sibi à priscis illis sæculis comparatum; quod minimè cum aliis est commune. Vnde, nisi me fallo, serpere, ac prodire cœpit totus ille, qui passim legitur, in Regiis Diplomatibus circuitus, & vt ita dicam, orbis Regnorum, tum priscis sæculis, tum etiam præsentibus: non quasi genus aliquod ostentationis, & gloriæ, quamquàm id ipsum etiam præseferat, sed potius, vt perspicuè, & planè intelligatur non vnum, idemque de omnibus exstimari debere. Quæ enim singulatim, ac diu obtenta sunt, ne eorum sensim memoria euanesceret; scientissimè fuerunt eo pacto animaduersa, & notata. Nec decuisset sanè verborũ inuolu-

inuolucris tectam esse, & quasi velis quibusdam obtensam, vniuscuiusque illorum dignitatem, nec superioribus nominib⁹ inuolutam: tametsi obscurata fuêre nonnulla, nec apparent, quia valde parua fuerunt. Verùm enimuerò horum omnium Regnorum duo præcipua capita exstiterunt; ex quibus cetera tanquam ex quibusdam fontibus fluxêre. Quorum primum in Vlteriori, Ouetense, aut Legionēse dictum, ab Infante illo Pelagio diuinitus certè constitutum fuit, instauratis maximi belli reliquiis, quo Rudericus vltimus Gothorum Rex, omnisque eius maiestas, vna cum vniuersa Repub. horrifico illo ictu conciderunt: vt non nouum fundasse visus sit, sed pristinum potiùs imperium renouasse. Alterum verò in Citeriori, Suprarbiense, ac Nauarrense, seu Pompelonense appellatum est. A quo etiam duo alia clarissima, tametsi inter se diuersa, Regnorum stemmata dimanarunt: q licet fuerunt vno ferme tempore orta, atque ab iisdē quasi initiis profecta: minimè tamen eandem postea habuerunt fortunæ, ac iuris condicionem. In vtriusque namque pari initio, dispares progressus exstiterunt. Atque horum alterum; id ipsum nempe Nauarrense fuit, primum Pompelonense dictum, quod vix late patuit: alterum verò; Aragonense, à primo illo Suprarbiensi tractum; quod præter ipsam veterem Suprarbiæ ditionē, imperii sui fines, terra, marique latissimè propagauit. A quarum tandem rerum narratione totus noster, qui antecessit, tractus est sermo. Huic autem dissimilitudini, ac dispari vtriusque condicioni causam attulit acerbus ille Sanctii Garsiæ, quarti Suprarbiensis Regis, interitus. Eo namque nulla relicta prole, interempto, in primo illo Interregno, quod tunc nostris patuit, Suprarbiensibusque ac Nauarrensibus commune fuit; non modo cateruæ, & conuentus hominum, sed ipsi sibi singuli à communibus consiliis discreparunt. Nauarrenses enim (quæ recens nostra, firma tamen, & constans, vt supra retulimus, opinio est) quamprimum, seu nec diu post, à Suprarbiensibus seiuncti, Regem sibi præfecerunt, Aquitannicum illum Eximinum: sin autem id non sit (non enim Eximinum Regem, Nauarrensibus imperasse statuo) at eius filium Aristam, è Bigeronensi Comite adscitum. Ad quos si non iam libere, & solute, nequaquam tamen satis caute se ipsos totos cum omnibus suis fortunis detulerunt. A Pompelone autem primaria Nauarræ Vrbe, Pompelonense Regnum dictum fuit: atque inde etiam eorum Reges, Pompelonenses Reges appellati. Propterea Nauarrensibus ipsis, qua tunc profecti fuerunt, mansit condicio. Quod si nobiscum in pristina communione stetissent, non esset cur modò illi nostræ tantopere inuiderent fortunæ. Neque haud leue istius disiunctionis est, ipsius tam disparis status testimonium. Neque vlla alia esse potuit huiusce tantæ varietatis ratio, nisi vt quæ fuisset differentia in principiis, eadem esset in finibus dissimilitudo. Atque eò tum maximè, quòd licet postea ambæ hæ ditiones sæpius, ac diu visæ sunt sub vnius Regis iurisdictionem subiunctæ: semper tamen dissimilis fuit, ac longè dispar cautionum consuetudo: nec vlla vmquam communio iuris, aut legum; quanquàm aliquam diu ipsa fuerit mensa, ac militia communis. Itaque inter nostros, & illos (nostros enim Suprarbienses voco, cùm ab ipsis originem ducamus) non potestatum dissimilitudo (par namque erat vtrorumque potentia) sed domestica, ac ciuilis dissensio in primo illo Interregno hanc, quam nunc cernimus, Regnorum disiunctionem fecit. Quæ tametsi semper, vetus tamen semper amicitia permansit. At verò nostri Nauarrorum huiusmodi consilia vehementer improbantes, noluerunt statim ad eam, quam ipsi solutè fecerant, Eximini Regis, sin minus Aristæ filii, cooptationem assilire: timentes ingredi ea, quibus, prioribus mortuis Regibus, perfuncti fuerant, pericula. Quin sibi potius in aliorum consiliorum cursu cunctandum decreuerunt. De quibus ita iudicabant; vt Nauarrenses crederent eandem retinendæ libertatis voluntatem semper, eandem verò facultatem non semper habituros. quasi iam tunc in nostrorum mentibus inhæreret sæculorum augurium futurorum. A Nauarrensibus denique segregati, cautioribus sibi vtendum esse consiliis proposuerunt: ne eò progrederentur integra re; vnde, inclinata, regredi fortasse non liceret: cùm ab ea, quam tunc ingrederentur, imperii ratione (& rectè quidem) haud se posteà liberè posse discedere, iudicarent. Eam verò, in qua tunc versabantur, videbant haud esse posse diuturnam. In his igitur rebus, quo vti consilio possent, angebantur. Incredibili autem ardebant studio, diuturnitati imperii modū statuendi. Vni omnia credere, formidabant: q̄ sæpe quisque læderetur per illius, cui se priùs commiserit, fidē: quanquam inter eos aliquis tūc adesset, cui rectissimè, & credi, & committi posse viderentur. Verùtamen Regale nomen, ac munus non minus nostri futurum sibi odiosum, & graue statuebant: quàm olim visum fuerat Romanis. Memoria namque repetebant, Alexandrum illum, tanta antea præditum

humanitate,ac modeſtia, poſtquàm Rex appellatus eſſet; ſuperbum, crudelem, ac immoderatum fuiſſe. ac ſi ex ipſo Regis nomine inſolentia, & arrogantia naſcerentur. Atque etiam ſi Rex ſuis moleſtus non ſit, miſerrimum tamen ducebant, poſſe, ſi velit. At vlli non credere; nouerant eſſe inſulſitatem. Quæ enim ratione aliqua deſignata non ſunt, eſſe omnino non videntur. Iam verò plurimorum dominium reſpuebant. Nam ſi vni parêre, ducebant ſeruitutem: multis parêre, multiplicata ſeruitus videbatur: cùm quot præeſſent, tot nobis domini eſſent futuri. Quòd ſi ii ex infimis eſſent; communis lugebant Reip. ſtatum: cùm eorum mentes anguſtæ, & humiles pro dignitate non poſſent magnitudinem imperii ſuſtinêre. Nec conſonum eſſet, vt qui ſuperiori nati eſſent ordine, inferiorem cogerentur ſubire fortunam. Si autem Optimates; metuebant, ne immoderatè ii tradita ſibi poteſtate abuterentur, ipſeque dominatus, eorum animos inſolenter efferret. Itaque noſtris tum hoc, tum illud videbatur incommodum. Nonnullos pigebat, quòd ſe paſſi fuiſſent ab ea Nauarrenſiũ communione diſiungi. Aſſerebant enim diſtractos, pares Mauris eſſe non poſſe. Alios ſolicitos nimis, & anxios habebat tum publici officii cogitatio, tum verò magis periculi. Regibus namque è medio ſublatis, videbantur ſibi quaſi ex flumine emerſi. Maximam propterea ſolertiam agendi, & cogitandi adhibebant: ne ſe imprudentes iterum in eandem immitterent ſeruitutem. Quæ eo ipſis durior futura erat; quandoquidem ſe ſolutos videbant, atque in dulciſſimam libertatem vindicatos: quò acriores ſunt amiſſæ, quàm non obtentæ libertatis morſus. Omnia denique videbantur noſtris ancipitem afferre curam cogitandi, beneque prorſus de Rep. ſtatuendi viam obſepire. Et verendum quidem ipſis erat, vt moderari ſe poſſet futurus Rex; ne tanto elatus honore, intemperantius ſuis opibus vteretur. Neque verò tunc noſtris certa aliqua forma occurrebat, qua poſſent pari iure ſummos cum infimis retinere. Sed tamen ne dum tardi in cogitando eſſent, in ſtruendo ab infidelibus diſſiparentur: nouam curationem ad municipalem illam Remp. admouerunt, eam Duodecim delectis Viris ex Optimatibus committentes. Qui ob nimiam ætatem, quòd ſenes eſſent, ſeniores ſunt vocati: à quibus, vt mihi quidem placet, qui poſteà apud nos *Rici homines de natura* appellati ſunt, ortum habuere; eiſque aliquamdiu non iam propter ætatem, ſed propter dignitatem illa ipſa manſit Seniorum appellatio. Verum neque ea Reip. gerendæ ratio noſtris placebat; nec erat niſi ad breue, exiguumque temporis ſpatium duratura. Quamquàm autem ea de re ſæpius agebant: in deliberando tamen in tam contrarias partes diſtrahebantur, vt expectatio incolumitatis vix vlla crederetur, neque retinendæ libertatis ſpes. Tandem poſtquàm diu, multumque temporis in his deliberationibus conſumpſerunt (plus enim quàm triginta annos apparet, in hac fuiſſe ancipiti contentione verſatos) in hoc deniquè omnes conuenere, Fortunii Eximini, vltimi Aragonenſis Comitis, vt proditur, impulſu: VT huiuſmodi omnem cunctationem Romano Pontifici, ac Longobardis (quibus nonnulli etiam, & Francos addunt) diſcutiendam committerent: idq; quod ipſi de ſumma Reip. faciendũ cenſerent, vno omnes animo ſequerentur. Eos autem & conſuli, & ſcire voluerunt, quorum ſibi perutilem operam futuram ſperarunt: Pontificis quidem; quòd illum crederent, tamquam ſanctiſſimum, atque optimum Patrem, filiorum commodis conſulturum: Longobardorum autem; quòd eorum maiores in omni actione, atque adminiſtratione Reip. floruiſſent, poſteroſque ducerent maturiore, ac meliore cogitatione ea ipſa in re quàm ceteros omnes, futuros. Legatos ergò, publici iſtius conſilii interpretes, ad eos miſerunt. Ipſi verò haud neglexerunt, liberale quod noſtri officium poſtularunt. Tunc enim præclarum illud reſponſum dedere, tantopere, & ſermone omnium, & ſcriptis celebratum: in rebus namque celebratiſſimis verſor:

> Vti noſtri, ſi cupiebant mederi incommodis omnium, patriæ periculis prouidere, paciſque ac poſteritatis ocio prudenter conſulere; Vni ſeſe addicerent Regi: dummodo, præcautis priùs conſentaneis legibus, ac condicionibus, patriæ libertati contra potentiſſimam Regum, quam timebant, intolerandam potentiam, diligentiſſimè prouiderent. Ad eam verò extenuandam, de illarum omnium perpetua obſeruatione eundem Regem arctiſſimè aſtringerent. Nihil enim tam laxatum, aut liberum dicebant eſſe, quod id ipſum nouis adhibitis modis, & formis non poſſet vinciri. Propterea cauerent: vt in ipſis legibus ineſſet, non foris peteretur remedium.

Cui demum ſententiæ omnes noſtri ſtatim ſunt aſſenſi. Præſtituta namque condicione iuris, Vnum ſibi Regem præfici oportere decreuerunt. Atque eo tempore Tabulæ illæ antiqui illius Suprarbienſis Fori fuerunt prolatæ: quarum Capita, quæ à ſcriptoribus perhibentur perſtrinximus ſupra, dum de primo Interregno verba fecimus. Decet enim

nos re-

nos referre ad ea, quæ tunc proposuimus, & Magistratus, & Regni fundamenta. Illis igitur se totum tradere debebat vinculis omnibus constringendum, quisquis Regale nostrorum imperium prendere cogitaret. Sunt autem tametsi compressione rerum breues: grandes tamen sententiis, expressique perpetuæ nostræ libertatis indices. Cumque in eis præclara multa præparata fuissent ad tranquillitatem, & stabilitatem Reip. ac commodata; tum verò illud præcipuè, quod denique summum fuit, totaque omnium nostrarum legum, ac libertatum summa: dum inter Regem, ac Populum, quorum vniuscuiusque infensa nimis alteri solet esse, atque inimica natura, Iudex quidam Medius interiectus fuit: qui & se ipsum, & eos, quibus interpositus esset, colligaret. Ad propulsandos enim Regum impetus, auersosque populi motus prohibendos, in quo omnis erat cura, & cogitatio ponenda, ne ea, quæ oporteret, fortis, ac fidelis vtrique parti opera deesset, præcauerunt:

Vti Forensis interesset grauissimi Iudicis Medii præfectura; cuius lenitate, Regum cõdiretur asperitas, auctoritate autem, populi excitaretu remissio.

Quæ tandem omnium rerum summa est temperatio; cum ea, è quibus constant, congruunt inter se. Sicque extremæ illæ, & tam contrariæ partes, vndique medium illud capessentes, nitebantur æqualiter. Atque in hoc omnis sedatio perturbationum, & ille, quẽ nostri tantopere expetebant, diuturni imperii statuendi modus, cernitur esse constitutus. De iis autem Tabulis, quæ manuscriptæ exstant, passimque sub Fori Suprarbiensis nomine leguntur inscriptæ, siquis à me quærat, quod mihi videatur: nihil aliud affirmare possum, nisi sententiam, & opinionem meam. Valde enim suspicor fuisse; vt ea fragmenta sint earum legum, quæ ad nostros his temporibus, de quibus agimus, fuerunt missæ à Longobardis. Verùm non longè retro à nostra, vel auorum memoria, in alicuius viri manus inciderunt, qui cùm expers esset totius veteris antiquitatis, & ignarus, dũ ea ipse suscepit illustranda, obstruxit penitus, & obscurauit. Sed (ne longius labar) postquam leges illæ à nostris editæ fuerunt; præcautum etiam tunc expressè fuit:

Vt qui se nostrarum rerum cuperet potiri, sic instructus ad Regale munus capessendũ accederet; vt se sciret minimè à nostris admittendum fore, nisi prius ad propositas omnes condiciones depactus fuisset.

Sciebant enim difficilem temperantiam postulari in eo, qui dum semel admissus esset, posteà se coerceri, aut reprimi pateretur. Erant autem pleriq; nostrorum Innici Aristæ, à Nauarrensibus, vt diximus, iam pridẽ euecti Regis, studiosi. Hi ceteros omnes ad illum Regem cooptandũ incitabant. Qui quidẽ eo tempore bellica virtute inter reliquos vnus eminebat. Eamque dudum fuerant nostri satis opportuno in tempore experti. Etenim cũ Arahuesti in opidũ, non longè à Diui Victoriani cœnobio, ad summa hæc vniuersarum rerũ iura statuenda conuenissent, ibidemq; à Mauris vi & ferro tenerentur obsessi: idẽ Innicus Arista Rex, militaribus suis copiis statim accersitis, sua sponte impetũ hostiũ represserat, nostrosq; ab illo obsidionis periculo liberauerat. Ea ergò re præstita, nostri omnes hilariores in eũ oculos coniecerunt. Perspexerunt enim illius animũ, atque operã perutilẽ fuisse, & ad desperatã quasi totius Reip. salutẽ propensiorem. Itaq; ad eũ omnia nostra retulerunt & facta & consilia publicasque quas ipsi fecerant, legũ Tabulas: exspectantes siquidem, ecquid sibi de eis omnibus videretur. At illum perhibent, de ceteris mirificè congruisse: ea vna in re solum initio discrepasse; qua de Intermedii illius Iudicis officio cauebatur. Duriorem enim sibi condicionem illam fuisse visam tradunt: quod is, ad cuius nutum omnes parati essent futuri, eo pacto fœdere premeretur, vt se totum ad alterius nutum fingeret, & accommodaret. Cùm verò secum ipse eam rem posteà etiam, atque etiam considerare cœpisset, cerneretque interpositum illum Magistratum iuris æquabilis rationem tenere, cum ea esset iusta nimis, & æqua lex, vt Regũ in subditos fides subditorum in Regem fidei pariter, & æqualiter responderet; Idque temperamentum ob eam causam à nostris inuentum fuisse, vt in depactarum legum obseruatione Reges cum populis æquarentur, Ius, fasque duceret, quod nostris liberis potissimum propositum erat, vt iusta, & æqua, ab initio sibi constituta, vterentur viuendi libertate; Nec quidquam magis ad diuturnitatem imperii conducere arbitraretur, quàm vt Regum impetus extra leges factos aliqua vis media forensis; tamquã fluuium extra ripas diffluentem, coerceret; Sic enim talis Reip. forma inducebatur, qualem nec vis temporum, nec potentia Regum, nec populi seditiosi furores labefactare posse viderentur, cum is Magistratus futurus esset omnium harum commotionum moderator; Ita autem ipse iudicaret, ac prudenter quidem, eum, qui summo cum imperio sit, summo in amore esse, propter ipsum nomen imperii non posse: His ergò

omnibus diligenter perpensis, omnes ad vnum scriptores testantur, non potuisse eundē Innicum Aristam Regem vehementer non probare præclaram illam, quietè viuendi, apertamque simplicem, ac directam viam, à nostris omnibus constitutam, adhibitamque ab ipsis horum omnium incommodorum cautionem. Neque probasse solùm, sed sponte sua, nouam aliam adiunxisse huiusmodi:

Vt si præstitam nostris fidem vllo vmquam tempore à se, vel futuris Regibus violari contingeret; nostri in posterum essent habituri perpetuam, ac liberam facultatem ab ipsis Regibus desciscendi, aliumque sibi, tametsi infidelem, cooptandi Regem.

Nimirum, quia præcipuum ducebat animorum nostrorum obsidem futurum, ipsam nostram solam, publicam, ac patriam libertatem: cum Regem non tam oporteat legum seueritate septum esse, quàm lenitate, amore, & beneuolentia suorum. Hisce denique rebus cautis, & prouisis, censorioque illo Iudicis Medii depacto, & constituto iudicio: Innicum Ipsum Aristam, Pompelonensem Regem, maiores illi Suprarbienses nostri auspicatò Suprarbiensem etiam Regem, eodem illo, quo tunc aderant loco, salutarunt; ipsius mentem voluntate libera spoliatam, & eo icto fœdere, & publica execratione, & solemni, ac sacrosancta Iurisiurandi præstita fide deuincientes. Verùm hæc omnia iam fusius tradita sunt à nobis: Et hoc regnandi apud nos fuit Aristæ Regis initium, nostræque seminarium libertatis. Ab illo namque Iudice Medio Magistratus Iustitiæ Aragonum dimanauit; & verè vt dicam, idem ipse est Intermedius Iudex à Suprarbiensibus olim antiquo illo Foro constitutus: qui postea Iustitia Maior: quandoque etiam, quod ab ipso Rege crearetur, Iustia domini Regis, aut per manum domini Regis vocari consueuit; quandoque autem Iustitia in Cæsaraugusta, quòd in ea Vrbe iudicium exerceret; ac IVSTITIA ARAGONVM tandem, ipsius Regni præclarum nomen assumens, appellatus est. Sensim enim vna cum ipso Regno nostrorum humeris, quasi viriditas herbescens radicum fibris, nixus adoleuit. Semper tamen in eius nomine, siue prisco, siue nouo, non iam aliqua iuris, aut æquitatis vis, sed ipsa quasi prima iustitiæ, ac temperantiæ elementa videntur inesse. vsque eò maiores semper nostri Regiam Maiestatem reuerendam, ac venerandam statuerunt, vt inter eos, ac Regem, non Tribunitiam potestatem, sed æquitatem, ac iustitiam ipsam ducerent esse interponendam; acerbitatem muneris, si cui fortè acerbum videretur, lenitate nominis mitigantes. Iam verò de illius institutione præter ea, quæ feruntur, multorum scriptorum testimonia; adsunt & alia nonnulla, quæ minimè videntur explodenda. Ea hoc loco intexere decreui, ne qua abrogetur fides tantæ rei. Neque verò omnia erunt ex occulto aliquo monumentorum genere quæsita; sed sumpta interdum de medio, & rebus, quæ nostris patent. Verumtamen ne lateant peregrinos, minimè duxi omittenda; quamquàm nostri ob hanc causam legere ea fortasse non curabunt. Et vt incipiam à nouissimis: Ioannes ille Eximini Cerdanus Iustitia Aragonum in sua epistola, quæ nostris Foris annexa continetur; ita de istius Magistratus institutione testatur. *El Officio del Iusticiado de Aragon (segun la opinion de todos los antiguos) fue trobado en aquesta manera. Que como ciertas gentes houiessen conquistado cierta partida del Regno de los* Infieles; *en las muntañas de Sobrarbe; è fuessen comunas, non hauientes Gouernador, ni Regidor, è houiessen entre si muytas questiones, è debates: fue mouido por algunos dellos; Quæ por euitar lo sobredito, è porque biuiessen en paz, que esliessen Rey, que los regis, è gouernàs. Otros dixoron, que non lo deuian fazer: quæ contescer les hia como a los Iodios, qui hauian esleydo Rey contra voluntad de su Propheta Samuel: El qual esleydo, se les prendia las mulleres, è las fillas, è los bienes: è querian se ne penedir, è non fueron à tiempto. E oydo aquesto, dixoron, los que demandauan Rey; que faremos, si non hauemos Rey, è qui nos gouierne, todo el dia vnos a otros nos mataremos, è robaremos? Porque hauida grand altercation, è deliberacion entre ellos, mouidos por gracia de nuestro Señor Dios, è por exemplo de Valerio Maximo, en el titol De moderacion: Que vn Rey clamado Theopompo, Rex Spartanorum, tanto queria fazer iusticia, que entendia, que por si mateix no hi era bastant. E yatsia que houiesse su Regno libero, è absoluto: eslio dos prohombres, con consello de los quales el, è sus successores houiessen de fazer la iusticia, è non sin ellos. E sabido aquesto por su muller, è su fillo: vinioron muy ayrados a el, è reptoronlo muy fuertment, de lo que hauia feyto. A los quales respuso: que yatsia que de alli auant el, ni los suyos non hauiessen el* Regno *tan libre, & absoluto, como hauian de primero: pero que lo haurian mas durable, è mas perpetuo.* Que *aquel Regno era de mayor dura, è mas firme: que por mayor iusticia, è razon se regia. Car los que se rigen contra razon, è violent ment, no son durables: quia nullum violentum perpetuum. E por aquella razon los sobreditos Conquistadores del* Regno *de Aragon acordoron de esleyr Rey: pero que huuiessen*

uiessen vn Iudge entre el, y ellos, que houiesse nombre Iusticia de Aragon. Es opinion de algunos, que antes eslioron al Iusticia, que non al Rey: è que de aquella condicion lo esleyoron. De alli auant toda vegada ha hauido Iusticia de Aragon en el Regno: è conosce de todos los feytos tocantes al Señor Rey, assi en demandando, como en defendiendo. Cetera, quæ in eadem epistola peruulgata nimis continentur, ad nonnullorum Iustitiarum nomina, & res gestas explicandas proposita fuêre. Et ea certè clariora sunt, ex omnibus quæ exstant, huiusmodi argumenti monumenta. Quamquàm autem in nonnullis visus est errare; sed non quidem tota re. Atqui videtur istius Magistratus institutionem ad prima illa Suprarbiensis Regni initia, de quibus separatim disputauimus, reuocare: quasi statim post miseram Hispaniæ cladem in primi illius Garsiæ Eximini, Suprarbiensis Regis cooptatione, (si non iam ante eam) institutus fuisset. In quo vno mirandum est valde, quantum maiores nostri variarint, neque scriptores solùm, sed & prisci ipsi legum obseruatores, & periti. Qui dum ea, quæ in vsu erant, animaduertere curarunt, nonnullaque tametsi exiliter notare de tanta, ac tam diffusa ipsarum legum scriptura: in earum, ac Regni, & Magistratus initiis ieiuniores omnes, quàm deceret, videmus exstitisse. Quorum planè illa sunt verba, quæ Molinus in Repertorio profert, dum ait: *In antiquis Aragonensium scripturis sequens Capitulum reperitur.* Nam vt doceret, quænam fuerit (vt ibi continetur) *Libertatum Aragonensium origo*; quæ post sequuntur, subiunxit. Ea vero ita accipienda: non quasi ab ipso Molino, seb à Salanoua, Segarra, aut vetustiore alio iuris magis quàm nostræ antiquitatis perito (ex horum namq; scriptis suum opus contexuit) prolata fuerint. Sunt autem hæc. *In prima conquista ab antiquis didici: Quòd Aragonenses, de se ipsis paribus, & sociis in armis peditibus, elegerunt in Regem suum Ennecum de Arista; aliàs secundùm Chronicam Aragonum vocabatur don Garci Ximenez, qui fuit de genere Gothorum. Et in eadem electione, siue die, elegerunt vnum de se ipsis in Iustitiam Aragoniæ: qui esset Iudex inter Regem, & subditos suos super omnibus iis, quæ Rex faceret, vel peteret contra eos, vel è contra. Et conditionarunt potestatem Regis: Quod nisi ipse, & sui successores regerent iuxta Foros datos, & dandos: quòd possent sibi eligere Regem, etiam paganum. Et de hoc concessit Priuilegium Aragonensibus, quòd tempore Vnitatis vltimæ renuntiatum exstitit, & cancellatum præhabito tractatu: aliàs nolebant Aragonenses renuntiare. Item quod dictus Iustitia ad querellam partis dicentis se esse desaforatam, in omni casu Ciuili, & Criminali posset (præsertim firmando de directo coram eo contra desaforantem, & partem contrariam) inhibere, nedum inferioribus iudicibus, siue officialibus, sed etiam domino Regi, & Gubernatori, seu Primogenito; ne procederent in processu, vel exequutione aliqua reali, vel personali contra querellantem, dicentem se desaforatum: & taliter processum impedire, quod si opus esset, Alguazirium caperet, vel quoslibet executores, donec Iustitia Aragonum declarasset, posse procedi, vel debere superſederi, & sic fore processum afforamentum, vel desaforamentum. Rursus, & quòd posset cognoscere, & punire officiales, & Iudices transgressores Fororum, appellatione non admissa, iuxta Foros decim. lib. Vt in For. 3. tit. Quòd in dubiis non crassis. fol. 58. lib. X. & in Foro primo, De Officio Iustitiæ Aragonum, fol. 81. lib. XI. Et hoc sublata domino Regi potestate de non procedendo. Et hæc facta sunt: vt tuti essent Aragonenses, quod* Fori, *& libertates, & bonæ Regni consuetudines seruarētur: quæ Iurantur, & debent Iurari per dominum Regem, & alios iurisdictioni, & officiis publicis Aragonum præsidentes: ex quo tantum Priuilegium renuntiabant. In cuius locum prædicti* Fori *successerunt. Et sic ordinauit dominus Rex Rubricam. De iis quæ Dominus Rex. & de Iuramento præstando. in* For. *primi. fol. 57. Ibi circa medium, dum dicitur, nisi in casu quo super eo priùs: & quæ sequuntur. Et sic practicatur: Quod* Iustitia *Aragonum, cognitione, & declaratione aliqua non præcedentibus, licet non fuerit supplicatum domino Regi, vel Primogenito de reuocando desaforamentum, quod ipse* Iustitia *Aragonum aditus per vitam appellitus, vel* Firmæ, *facit prouisionem: & inhibet statim, ne procedatur. Et si processum est; impedit exequutionē, & recipit ad manus suas bona, de quibus fit executio, & personam, si fortè in captione detinetur, vel ducitur ad mortem: & ponit rem sic in securo: & posteà cognoscit, si processus est desaforatus, vel afforatus. Et hæc est vna de maioribus libertatibus, quā Aragonenses habent, à data fidantia de directo: & quod Pesquisas, nec Tormenta non habent locum in Aragonia regulariter.* Verumtamen Martinus Segarra Iustitia Aragonū, cuius in Fastis meminimus, de eodem Magistratu sermonem orsus, vt in vetustissimis manuscriptis suorum monumentorū fragmentis legens annotaui: planiùs, & apertiùs, illius institutionem, quo supra retulimus Innici Aristæ Regis tempore, fuisse factam his verbis testatur. *Hoc fuit adquisitum Regno per Regnicolas tempore electionis Ennici, Aristæ vulgariter dicti; Regis Subrarbii, Ribagurtiæ, & Pompelonæ. Quem Aragonēses Iurarunt, & crearunt ad condicionē: Quod ipse, & sui tenerentur creare, & sic fecit tunc incontinenti Vnum deipsis, in Iudicem: qui Iudicaret, & esset Iudex inter ipsum, & eius Vassallos:*

& ille cognosceret, & iudicaret de quibuscumque caussis, & quæstionibus, quæ essent inter Regem, & eos, tam in agendo, quàm in defendendo. Et quod ille Rex seruaret ipse, & sui successores in perpetuum Foros datos: & si non seruaret, quod ipsum possent priuare, & alium sibi eligere in Regem, etiam paganum. Exstat etiam de eodem Magistratu testimonium clarissimi Vitalis Canelis Oscensis Episcopi, de quo supra in narratione rerũ à Iacobo I. Rege gestarum mentionem fecimus: quamquàm tempus institutionis illius silentio prætermisit. Potestatem autem, quæ ipsius Vitalis temporibus vigebat, his verbis est persequutus. Sed magna posteà, & rerum, & iudiciorum mutatio facta est. *VT Diadema in capite Aharon, & splendor in medio firmamenti illuminans totam machinam mundanalem; sic splendet iurisdictio in Regia Maiestate. In qua est sic totaliter constituta, vt quasi à fonte in riuos, oportet ab ipso in omnes alios, ipsam Iurisdictionem, & eius exercitium deriuari. Et qui ab eo iurisdictionem non suscipit; vt riuus, fontis subtracto fomento, aret necessariò, & siccatur: sic à iurisdictione, & eius exercitio remanet alienus. Sic viget ergò iurisdictio in eius plenitudine potestatis; quod institutio, & destitutio omnium, iurisdictionum præsidentium, ab eius semper dependeat voluntate: exceptis iis, quibus ab ipso, vel prædecessoribus suis, speciali priuilegio, duraturo perpetuò, aliqua iurisdictio est concessa; & eis, quibus ex eius, vel antecessorum suorum pacto, vel conuenientia est permissa. Regis est ergo Iudices, & Iustitias ordinare, & quando sibi placuerit, reuocare, & eos perpetuò ponere, vel ad tempus. Inter quos Iudices, IVSTITIA semper est Vnus principalis in Aragonia constitutus: qui ex quo semel à domino Rege fuit constitutus, non consueuit nisi ex caussa iusta, & culpa condemnabili remoueri. Cuius est officium: Vt quamdiu Rex infra fines Aragonum fuerit constitutus; in Regis Curia commoretur, subministrandis sibi ab ipsa Curia alimentis. Ibique in præsentia domini Regis, vel de eius imperio sine eo, caussas examinet, & auscultet. Et quotiescumque interloquutoria, vel diffinitiua sit sententia proferenda; dominus Rex, & Barones, hoc est Episcopi, & Duces Militum, qui Rici homines appellantur, qui in Curia fuerint tunc præsentes, super illa deliberent in communi. Et quod dominus Rex, & maior pars Baronum; vel, si dominus Rex noluerit interesse consilio, maior pars Baronum, in Iustitiæ os posuerit proferendum: ipse Iustitia id pronuntiet sententialiter, & declaret, nullam pœnam ex pronuntiatione huiusmodi metuendo. Nam non ipse, sed ipsi, quibus in hac parte eum oportet necessariò obedire, ipsius sententiæ sunt latores.* Tanta vsus fuit auctor ille exilitate sermonis in istius Magistratus amplissimis rebus explicandis: cùm in aliis, quæ ad nostras leges, ac mores pertinebant, maximam adhibuisse visus sit vbertatem, ac copiam in scribendo. Atque eundem morem seruasse videmus, qui post eum sequuti sunt, omnes nostrarum legum Obseruatores. Vnusquisque enim præfinitum sibi de argumento hoc sermonem parcè, & restrictè nimis complexus est. Neque pleniores, aut vberiores fuêre ad prodenda ea, quæ de priscis Regibus, aut Regni initiis acceperunt: quasi ea omnia optimè nosse, non multum ad ipsarum legum, ac iuris intelligentiam prodesset. Vnde factum est: vt quæ dubia non erant; à nonnullis iudicentur incerta: & quæ vera, ac certissima sunt; nonnullam in dubitationem videantur adducta. quô magis vituperanda est ipsorum tanta in rebus tam illustribus, & magnis incuria. Sed de ea satis in præfatione conquesti sumus. Proptereà constitueramus non ampliùs renouare eundem commemorando dolorem. Acerba tamen recordatio non finit, quin easdem denuo querelas deploremus. Etenim cùm ex Annalium vetustate omnis hæc eruenda esset totius nostræ antiquitatis memoria, ea autem penitus lateat obscuritate inuoluta: paucioribus iccirco agere cogimur; neque etiam (quoniam quidem ita visum fuit) pluribus licet hac de re. Verùmenim verò quod eidem maiorem fidem, auctoritatem, ac firmamentum adiungit; & quæ mihi videtur esse grauior illius confirmatio, præter ea, varia, ac multa, quæ de istius Magistratus potestate in publicis legibus continentur: id demum fuit, quod Ioannes II. noster Aragonum Rex perpaucis hisce verbis indicauit. Etenim postulantibus nostris, vt Inquisitionis, quem supra retulimus, Forum, in Comitiis à Ioanna vxore Cæsaraugustæ habitis An. ꝏCDLXVII. editum, approbaret, quo ad eiusdem Magistratus temperandum imperium cautum fuit, Vt supremo, ac censorio, quod nunc viget, Septemdecim Virorum iudicio, ex quatuor Regni Ordinibus conflato, subiaceret, Regis ab eo penitus explosa sententia; cumq; id Regi inofficiosum videretur: ita eundem respondisse ex rebus palam per Regem actis obseruaui. *Al Fuero del officio del Iusticia de Aragon dize el dito señor Rey: Que vn Officio assi grande, en el qual se tratan las libertades del dito Regno, & otras cosas muy arduas; ser sugeto, iutgado, e punido à e por via de fauas, no paresce, ser cosa condecente, ni razonable. Empero en caso que la dita Cort persista en la dita forma de iutgar el dito Officio; dize el dito señor Rey: Que su Magestad sera contenta condescender a la voluntad de la dita Cort en iudgar el dito Officio por las ditas*

ditas ſuyas: Con que la porcion, ſegun los Fueros del dito Regno, vſos, e practicas de aquel, pertenecient al dito ſennor en el proceſſo, iudicatura, punicion, e execution de aquel; no le ſia tirada, ni en alguna coſa periudicata. Car no eſtà en razon: QVE *el Officio del Iuſticia de Aragon, que principalment fue creado para iudgar entre el ſennor Rey, e los ſubditos ſuyos; ſea iudgado, e punido por los ſubditos tan ſolament. Car aſsi como iudga entra mas las partes; deue ſer iudgado por aquellas. E ſi el dito Officio ſe iudgaua, e punia por la vna part; la otra quedaria muy debilitada en ſu iuſticia.* Nihilominus tamen integrum manſit illo Foro conſtitutum ius; cenſoriamque tantummodò huiuſmodi Septemdecim Virorum notationem Magiſtratus iſte quotannis experitur. Atque hoc firmius eſt de illius inſtitutione omnibus, quæ adhuc inueni, teſtimonium. In eo enim, niſi me fortè fallo, publicis, pulcherrimiſque monumentis, ac Regali ipſa auctoritate, omnis eius teſtata, & conſignata eſt antiquitas. Nam ſi creatus, & inſtitutus fuit, vt inter Regem, ac ſubditos Medius interſit, quemadmodum Rex ipſe teſtatur: iſtius cautionis, ac diligentiæ initium non aliunde ducendum videtur, neque etiam duci poteſt, niſi ab ipſius Regni initiis; iis nempe, à quibus omnes noſtræ libertates (vt ita dicam) ortæ, ac generatæ fuerunt. Itaque iam apparet, non cæco aliquo fortunæ caſu, aut ſortis beneficio, Regumve inſcientia, aut ſegnitie introductum fuiſſe; ſed ex pacto, & conuentu fundatum, ac inſtitutum, poſt diligentem, ac magnam habitam illius rationem, & poſtquam diu, multumque ante res ea fuiſſet à Regno, & Rege conſiderata, & perpenſa: tametſi adhuc lateat in occulto, nec exſtet eadem illa inſtitutio, quæ tunc fuit (neque enim quin fuerit, dubitandum eſt) publicis literis, ac teſtimoniis ad poſterorum memoriam conſecrata. Non enim Magiſtratus hic tamdiu in publicis iudiciis florente noſtra Repub. floruiſſet tanta amplitudine poteſtatis, niſi altiſſimis depactarum legum radicibus niteretur. Maximum verò argumentum eſt, quod de illo aſſerimus, id eſſe veriſſimum; quòd & tantus tot ſæculorum conſenſus, veritatis vox eſſe videatur, & quòd illius initiis, quem alium verè congruentem locum tribuere poſſimus, non inueniamus. Et nimirum illius præſidio factum videmus, vt nobis fuerit, ac ſit quædam ſimplex, ac quieta viuendi ratio comparata, quamquàm ex diſſimilibus rebus permiſta; quod antiquis illis Philoſophis eſſe non poſſe, viſum fuit. Ac de ea quidem videtur loquutus Iacobus I. noſter Rex, dum Nauarrenſes ad manēdum in fide ſibi præſtita alliciebat. Nam cùm ipſe, ac Thibaldus Nauarræ Rex, aliquando de eorumdē Nauarrorum conſenſu, viciſſim ſe adoptantes, fœdus feciſſent inter ſe, vt ſuperſtes præmortui Regnum occuparet; ab eaq; inſtitutione Nauarrenſes deſciſcerent, ac deſciuerunt tandem: Iacobus Rex eoſdem ad ſeruandam fidem his verbis incitabat, quæ me legiſſe memini in Hieronymi Suritæ monumentis. Eſt autem epiſtolæ ea de re ad Nauarrenſes miſſæ fragmentum huiuſmodi. *Vt velitis potius ſub franca, & quaſi ſocia libertate dominationis noſtræ ſubeſſe; quàm aliis Regibus ſubiici, quorum tyrannidem, & iniuſta grauamina multiplicia, ſi rectè conſideratis, poteſtis, ac debetis non immeritò formidare.* Quod cùm ita Iacobus Rex animo ſentiret; tunc calamo promptum habuit, & lingua, id volens oſtendere, Aragonum Regibus nullam cum tyrannis ſocietatem, ſed ſummam potiùs diſtractionem eſſe. Ceterùm illius, qui primus huic muneri præpoſitus fuit, nomen non proditur. Credibile tamen eſt, aliquem ex Optimatibus, aut ex ipſis illis Senioribus fuiſſe. Tametſi haud valde opus erat, eo ipſo tempore, nobilitate, aut potentia illius, qui eum gereret, illuſtrari. Maiores enim noſtri, vt in antiquis illis Suprarbienſis Fori Tabulis continetur, quamquàm Iudicis Medii præfecturam ſtabilierunt: penes ſe tamen ſemper voluerunt eſſe omne de dignitate iudicium, ac poteſtatē. Nam dum in eo Foro ſtatutum fuit, quo queq; iure vti liceret: ſic videmus fuiſſe publica omnium munia, & Regibus, & Regno conſtituta. Primum:

Vt quæque vendicarentur à Mauris; diuiderentur ordinatim inter Ricoshomines, Milites, ac Infantiones.

Quia ex his tota bellicæ rei adminiſtrandæ ratio pendebat. Deinde:

Ne deſcribere iuſſa populis, componere, aut ſancire leges, Regi ex ſola ſua auctoritate liceret, niſi de totius Regni conuenientia, & conſilio.

Quod ſummum vinculum, ac patriæ libertatis fundamentum eſt. Præterea:

Ne pacis conſtituendæ rationē, aut belli gerendi poteſtatem ipſe Rex ſolus haberet; ne ve arduū aliquod conaretur opus, aut magnū; quin ad has omnes deliberationes faciendas, Duodecim Seniores, ſibi in cōſiliarios, atq; adminiſtros datos adhiberet.

Neque id ſolam rem bellicam, ſed ciuilem, ac domeſticam attingebat. Ad hæc autē proximè accedebat Forenſis illa Media Præfectura. Ea enim ſola, nequaquam duxerunt, Regiæ poteſtatis vim ſatis debilitari, aut infringi: niſi eidem delecti aliqui viri ad-

hiberentur, qui futuri essent publicarum omnium rerum transactores. Ob eamque caussam Duodecim illos Seniores designarunt. In quorum locum suffecti fuêre, quin & ab ipsis originem duxisse existimo eos, qui *Rici homines de natura* posteà sunt vocati. Tum & ad ea omnia firmanda, publicæ Vnionis accessionem maiores ipsi adiunxerunt: statuentes, licêre sibi, ac fas esse; Simul omnes conuenire, ac Regi obsistere armis, & vi, quotiescumque oporteret aliquem eius, vel suorum impetum contra leges factum propulsare. Quam pro communi caussa libertatis coeundi formam, Vnionem nuncuparunt. Neq; ea minus antiquitus duxerunt libertates omnes, quàm neruis, & ossibus humana ipsa corpora contineri. Quamquàm autem illo Suprarbiensi Foro perscripta non esset: semper tamen ab ipsis rerum primordiis ductam, & in omnium sensu penitus affixam, & insitam censuerunt, communique nostro iure, quasi altera naturæ lege, sancitam fuisse; ac illius vim vsu, & ratione satis, superque cognitam, & perspectam. Parum enim profuturum dicebãt, consentaneas leges habere constitutas ipsamque Forensem Iudicis Medii Præfecturam: si, dum opus esset, ad earum defensionem arma capere non liceret; cùm iam tunc satis non esset pugnare consiliis. Nec id quidem alienum prorsus videbatur abs re. Nam si ita se haberet; omnia iam in ipsorum Regum potestate fuissent. Vnde nostri, quæ posteà duo Vnionis Priuilegia Alfonso III. rogata fuêre, quorum supra meminimus; non quasi nouæ gratiæ, aut beneficii, sed debiti officii loco numerabant: cum ea sola esset in illis gratia, ac de Regio iure concessum; pristinæ nempe auctoramentum libertatis. cuius pretium dicebant fuisse antiquis Regibus multo maiorum sanguine persolutum. Id solum prædicabant pro singulari beneficio habendum esse: quòd cùm legum, ac libertatum summa iam ipsis illis Priuilegiis esset, tamquàm publicis tabulis, descripta, & notata: arctioribus deinceps vinculis futuri Reges censerentur constricti; à quibus se videbant in dies singulos maioribus, ac diuturnioribus molestiis conflictari. In illis namque Priuilegiis, si non omnino expressa, saltem adumbrata nimis statuebatur antiqui illius Fori Suprarbiensis series. A maioribus igitur nostris, vetustis iis, de quibus agimus, temporibus, patriæ libertas tribus fortissimis præsidiis septa fuit: nempe, istius Iudicis Medii Præfectura: amplissima Ricorum hominum potestate: acerrimaque illa Vnionis vi. Quorum primum; forense videbatur, ac ciuile: alterum; domesticum, & grauissimum: bellicum vero, ac populare; postremum. Nec minori sepimento eam tunc vallari oportuit, vt possemus nos nunc saluam, & incolumem ad nos venisse gaudere. Sed ex his præsidiis antiqui illi eorum inuentores, ac principes, & qui eis propiùs successerunt; plus opis, ac operæ in posteriora duo; domesticum scilicet, ac populare; quàm in forensem illam Præfecturam contulerunt. Penes se enim semper, quemadmodum demõstrauimus, voluerunt esse laxissimas illas habenas regendi, ac moderandi, Regiam dignitatem: quas vel adducere, vel remittere possent, dum opus esset. Propterea eidem duodecim illos Seniores adhibuerũt, ex Optimatibus viris delectos: quorum consiliis Reges penitus circunclusos esse oportebat. Ipsorum autem Seniorum locum Rici homines posteà occuparunt. Qui fuêre nostrorum Optimatum principes. Secundum autem Reges olim ita erant; vt viderentur illis penè pares, ac socii. Hi ad libertatis subsidium publicam illam Vnionem aduocabãt: ex eisq; deligebantur, sẽper qui primi, ac præcipui illius futuri erant Cõseruatores. Ita .n. Vnionis præfectos appellabant. Deniq; suis ceruicibus omnia pacis, & belli munia sustinebant, si non eadem, qua Reges, potestate, propè dicam certè non minori. Verùm infra suo loco, vt se res habuerit, demonstrabitur. Et maiorem hanc, quæ viguit olim, Ricorum hominum dignitatem annuisse visus est idem ipse D. Petrus Luna, Benedictus XIII. in sua obedientia appellatus, quemadmodum Ioannes Cerdanus, & Michael *del* Molino testantur: dum Iustitiam Aragonum in publico conuiuio post Comites, & Vicecomites accumbere iussit. Hi enim verè redolere videntur apud nos veterem illam Ricorum hominum, quam dicimus, dignitatem. Itaq; priscis illis temporibus non æquè necessarium fuit ad Magistratus potestatem ornandam illius, qui ei præponeretur, potestatem accedere: quasi alieno ornatu ornari oporteret. Rici homines enim quamdiu viguerunt, Vnionis viribus nixi, Regali imperio semper imminebant: integraq; suorum munerum potestate, Regum impetus, si erant iniusti, ex inordinato adducebant in ordinem, tamquàm in gyrum iuris, ac iustitiæ. In qua quidẽ re grauis eorum censoria, ac domestica auctoritas satis apud antiquos nostros benè moratos Reges põderis habebat, ac momenti. Quòd si forte priuatis suis idoneis consiliis, exultantes Regũ furores frenare non poterant; eos à suis ceruicibus concitatæ Vnionis vi constanter repellebant. Ipsi verò Reges, ne, quò non liceret, progrederentur; diligentissimè circumspiciebant

omnia legum membra, ac libertatum; & quid ad dextram iuris, quid autem eſſet ad ſiniſtram. Quô enim propiùs aberant ab ortu; eô meliùs cuncta cernebant. Atque hoc retinendæ libertatis genus ſatis diu viguit. Vnde credimus eueniſſe, vt ante captam Cæſarauguſtam Vrbem, ſi quæ fortaſſe fuerunt iſtius Magiſtratus ornamenta, incluſa lateant; vel quod magis placet, vt modica fuerint, præter antiquam illius inſtitutionem ſolam: vt re verà affirmare poſſimus hunc Magiſtratum, omni eo ſuperiori tempore, in antiquis illis legum Tabulis incluſum, tamquàm in vagina reconditum, exſtitiſſe. Neque id mirum videri debet. Nam tempora illa difficillima, ac dura fuêre; nimiſque turbulenta, & perturbata: cùm ita omnia aſſiduis bellis arderent, vt nulla relinqueretur hora aut periculo aſperrimo, aut ſimillimi periculi vacua exſpectatione. Bellico autem tempore, iure gentium, omnia ciuilia iura conticeſcunt. Si quæ autem illius poſt captam vrbem ornamenta eminebant; ea quamdiu Ricorum hominum, ac Vnionis viguit poteſtas, haud multa fuêre. Quæ autem fuerint, quæque hactenus inueniri potuerunt, iam ſatis ſupra in cuiuſque Regis narratione indicauimus. At verò poſtquàm antiqua ea Vnionis vis cum ipſorum Ricorum hominum veſtigio imperii non ſolùm ex literis, verum etiam è noſtrorum mentibus, & animis à Petro Rege IIII. de totius Regni conſenſu deleta fuit, quemadmodum expoſuimus: tunc noſter quaſi florere cœpit Magiſtratus, & pubeſcere excluſus è vagina: ità vt magna illa habita eo tempore altercatio hac de re, nõ in delenda, ſed in augenda potiùs libertate videatur conſumpta. Etenim cùm duo illa præſidia plurimum roboris habuiſſent, illudq; eo vno ictu amiſiſſent totum: factum fuit, vt tertium hoc præſtaret ambobus; ex aliiſq; ſibi tantum aſſumeret, quantum eſſet, & ad tuendum publicum ius, & ad retinendam licitam, ac moderatam libertatem ſatis. A quo tandem tempore de communi Regum, ac Regni conſenſione ipſæ noſtræ libertates omnes, quaſi à periculoſa illa aliorum præſidiorũ amicitia transfugientes, ad gratam, firmam, & præſtantem iſtius Magiſtratus ſocietatem tranſuolarunt; ad eamque tamquàm ad firmiſſimum ſaxum adhæſerunt. Ob has denique cauſſas, vt coniicimus, neque nomen illius, qui primus præpoſitus fuit tanto muneri, nec quidquam de eo proditur memoria dignum ante Mauros Cæſarauguſta pulſos. Poſtea vero cùm iam in pace, & otio iudicia fierent: ea ciuitas & iſtius Magiſtratus, & ceterorum omnium iudiciorum ſedes conſtituta fuit. Vnde nonnulli Iuſtitiæ Aragonum, Iuſtitiæ in Cæſarauguſta, vt retulimus, nominati inueniuntur. Quem autem curſum ab eo tempore Magiſtratus habuerit, ac noſtræ etiam patriæ libertates; inferiùs perſtringam: dum priùs hoc loco de ampla illa Ricorum hominum dignitate proferantur nonnulla. Neque verò polliceor, vt quæ hactenus in diuturna obſcuritate latuerunt, ſic modò aperiam, vt ea cerni iam oculis videantur. Nec fuiſſet is nobis iniucundus labor. Sed iſtius rei tam difficilis, & obſcuræ facultatem me ſecutum eſſe præ me fero; minimè tamen profiteor conſequutum. Quoniam autem in populari, ac forenſi ratione omnis noſtra verſari debet oratio; populariter paſſim loqui neceſſe erit, & plurimas res appellare, vt maiorum noſtrorum vulgus appellarit. Multa enim frequenter incident, in quibus non facilè eſt, poſſe quemquam Latini ſermonis elegantiam tueri. Neq; tam duras mihi leges imponendas ſtatui, quin melius exiſtimem animi ſenſus clarè, tametſi forſan impolitè, potius quàm obſcurè, & eleganter exponere. Nec verebor ipſe, ſi quod verbum barbarum, aut vulgare poſuero, quin ea res mihi apud æquos iudices fraudi nequaquàm ſit futura. Id enim plurimos doctos probaſſe video; tum verò præcipuè ſapientiſſimum illum, & eloquentiſſimum, Hieronymum Oſorium Luſitanum: cui videntur in cunis dormienti, tamquàm alteri Platoni, in labellis apes conſediſſe. Itaq; hac ſpe fretus ingenii mei vires experiar. In primis autem, cur ita appellati fuerint, quæ a ſcriptoribus afferuntur, cauſſas explicabo.

DE OPTIMATIBVS, ET PALATINIS; RICIS hominibus, ac Meſnadariis, vocatis.

NONNVLLIS ergò, nec indoctis, placet, qui ſequuti videntur Beutherium Valentinum, Ricos homines vocatos fuiſſe, eos, qui Gothorum Regum ſatu orti erant: quaſi vſitatiorum apud eos nominum extremarum ſyllabarum aucupes. Quemadmodum enim, (vt diligenter, & peritè Ambroſius Morales obſeruauit) apud Sueuos olim, quorum plures Reges Theodomiri, Ariamiri, Ranimiri, aliaque his ſimilia nomina habuêre; illud ipſum Mironis nomen ab extremis duabus ſyllabis tractum, & ipſis Regibus & aliquamdiu ipſorum Regum familiis, fuit commune; atque illud idem

apud Indos hodie in Iaponensi Insula seruari proditur, apud quos Donorum nomen Potentioribus est vsitatum, quòd eorum Reges, Arimandono, Murandono, Vbarandono, & his similibus nominibus nuncupentur; sic prorsus perhibent in Hispania Gothicis Regum familiis contigisse. Etenim cùm ex Gothorum Regibus complures appellarentur, Amalarici, Eurici, Theodorici, aliisque id genus nominibus; eos, qui se gloriabantur ab illorum stirpe profecti, posteà aiunt, simili modo, paululùm conciso nomine, ab extremis illis duabus syllabis Ricos homines fuisse vocatos: veteremque huiusmodi consuetudinem ad eos sensim Optimates defluxisse, qui aliquamdiu emerita fortitudinis stipendia sub Gothicis Regibus meruere, aut summis Magistratibus fuerunt præpositi; tametsi minimè ab ipsis duxissent genus suum. quasi quæ priùs tantùm familiaris, ac Regia fuisset; postea militaris consuetudo fieret, ac domestica. Quicumque enim aut in pace, aut in bello bene de Repub. merebantur; illustri hoc Ricorum nomine, quasi summo aliquo honoris gradu, Gothorum Regum temporibus, affici consueuerunt: vt ad aliorum similitudinem suam quoque dirigerent speciem. Gothicis autem Regibus exactis, eandem consuetudinem in Hispania tradunt introductam fuisse, & voluntate omnium à prisca ipsa vetustate comprobatam: vt Rici homines vocarentur; Regnorum regundorum Duces, qui genere, & nobilitate ceteros omnes anteirent. Atque inde perhibent, Ricorum hominum nomen dimanasse. Alii volunt ipsius vocabuli vim apertè satis illo ipso nomine declarari: neque opus esse alia explicatione, cùm inde faciliùs, cuius caussa quæsitum fuerit, eruatur. His ergò placet, Ricos homines fuisse nominatos, qui olim fuere pecunia principes ciuitatum, quique præter ceteros magis opibus, ac copiis affluxere. quasi & priscis sæculis, ac etiam præsentibus omnium rerum delectum, atque discrimen pecunia sustulerit, eaque sola semper omnes omnium dignitatum gradus exæquarit. Sed mihi non displicet prior illa nominis etymologia. Non enim vllo modo adduci possum, vt credam, maiores nostros, cordatos illos, ac sapientes viros, tantum hunc honorem, qui virtuti solus, ac generis splendori deberetur; inanibus diuitiis decreuisse: quas qui studiose, ac auidè consectantur, semper ferè honesta omnia negligere consueuerunt. Et nimirum Alfonsus ille Castellæ Rex, Sapiens vocitatus, nostri Iacobi I. gener, apertè indicauit isto nomine nihil de virtute, aut nobilitate detractum, sed de ambabus illis significatum fuisse. Ita enim leg. 6. tit. 9. part. 2. testatum reliquit. *Los Nobles son llamados en dos maneras; o por linage, o por bondad. E como quier que el linage es noble cosa; la bondad passa, è vence. Mas quien las ha ambas; este puede ser dicho en verdad, Rico Ome: pues que es Rico por linage, è Ome cumplido por bondad. E ellos han aconsejar al Rey en los grandes fechos: è son puestos para fermosear su Corte, è su Reyno.* Itaque non à diuitiis, sed à nobilitate Ricos homines credimus appellatos: quinimmo inde falso diuites, nobilitatis expertes, Ricorum sibi vulgare nomen, aptum suis auribus, adsciuisse. Quos tamen ceteri id vsurpare facilè sunt passi; euolare altiùs non sinebant. Non enim apud antiquos ex opibus, sed ex virtutibus, quæque omnis dignitas, vt infra demonstrabimus, pendebatur. Sed æquum hoc æstimationis habendæ genus, nostris his temporibus, vitiosa, & corrupta consuetudo vitæ iam communis explosit. Quoquomodo verò se res habuerit; Rici homines olim nominabantur, qui ex Optimatibus genere, ac nobilitate erant primi, principemque in Repub. tenebant auctoritatem, & locum. Quorum virtus cùm in bellis eniteret egregia; iis, quæ à Mauris vindicabantur, opidis, pro illorum temporum condicione, donabantur effuse. Has autem multorum opidorum coagmentationes, quæ ipsis fiebant; *Baronias* nominabant. Vnde & ipsi etiam Rici homines, *Barones* sunt vocati. Atque hoc Baronum nomen sæpius apud antiquos Foros vsurpatum est, quàm vetus illud, quod diximus, Ricorum. Id autem etiamsi verbo differat, re tamen alicubi fuisse vnum, apertè Alfonsus idem Castellæ Rex leg. 10. tit. 25. part. 4. testatur; dum ait, *Ricos Omes segund costumbre de España son llamados, los que en las otras tierras dizen Condes, o Barones.* Verumenimuero, vt ad nostrates deueniamus, illud idem Michael *del* Molino in suo Repertorio, in verbo, *Ricus homo*, exponit. *Ricus homo secundum Foros Aragonum dicitur ille, qui est dominus alicuius Baroniæ.* Et idem paulo post. *Non tamen intelligas, quòd dicitur Ricus homo secundum Foros ille, qui plures habet pecunias: sed vt desuper dictum est. Et adde: quòd omnes Magnates, puta Comites, Duces, Marchiones, & Vicecomites, dicuntur Rici homines secundum Foristas: quia isti communiter habent plures Baronias, & sunt plus, quàm Barones.* Atqui hunc codicem quotiescunque recito alicuius rei confirmandæ caussa; non tam auctoris illius auctoritatem requiro, tametsi magna ea sit, & imprimis grauissima in foren-

forensium rerum tractatione, quarum ille locupletissimus est testis: quàm quòd in eo plurima sit antiquitatis effigies. Cùm enim multa nostrorum, quos vocant, Foristarum monumenta dispersa, ac dissipata vagarentur; ratione, & distributione in eo codice, quasi sub vno aspectu, constituit. Cuius ea in re non possumus non vehementer factum, consiliumque laudare. Sed in proposita explicatione videtur mihi errasse, dum innuit, omnes Magnates, aut Barones; fuisse Ricos homines. Non enim omnes Barones, Rici homines fuêre: nec ê contra omnes Rici homines Baronias semper possederunt. Propterea veteres tantùm obseruabo nostrarum legum interpretes: à quorum fontibus iudicio, arbitrioque nostro quantum, quoquomodo videbitur, hauriemus. Minimè namque in hoc argumento videntur mihi satis apertè cogitationes suas iis, quæ eorum exstant literis explicasse. Nec posteriores explenda curarunt, quæ superioribus defuissent. Quamobrem quæ ipsi coarctarunt, & perangustè retulerunt, à nobis erunt nonnũquàm, aut diuinationibus, aut coniecturis adhibitis explananda. Sic enim facere cogit ipsa res: cùm omnia crassis tenebris lateant circumfusa. Imprimis igitur intexam hoc loco, quæ de Ricorum hominum dignitate ab eodem, quem nominaui, Vitali Episcopo in scriptis sunt relicta. Is enim & communium legum, & antiquitatis hominibus nostris documentum fuit. Hanc autem quæstionem ita est persequutus. *Aragonensium condicio talis est, & existit ab antiquo, vt eorũ sit singulorum, & omnium cõdicio discernenda. Sunt enim quidam, Infanciones: quidam, homines seruitij, siue signi. Infancionum autem alij Ermunii; alii Franchi de Carta vulgariter appellantur. Ermuniorum autem Infancionum alii Barones, vel Rici homines: alii Mesnadarii: alii simplices Milites: alii Infanciones simpliciter nominantur. Hominum autem seruitij siue signi; alii Ciues, vel Burgenses: alii Villani, vel Pagenses: alij Villani de parada iuxta Tori consuetudinem appellantur. Infanciones Ermunij, hoc est, immunes ab omni munere, seu onere, ita quòd nemini dare ex necessitate, vel seruitute teneantur; sunt tali nomine redimiti, quibus sunt libertas, & conditionis decor à tempore, quo non exstat memoria adquisita, immo innata, vt prius, & naturalius eloquamur. Quorum origo supra de condicione Infancionatus elucidiùs declaratur.* Separatum enim de eis egerat supra, quæ nos infra fortasse persequemur. *Infancio autem de Carta, est is; cui immunitatem, quam genus, vel natura negauit, liberalitas eius, cuius erat astrictus seruitio, concessit cum auctentico Instrumento. In talibus enim nomen hypocritum, sonans aliud quàm prætendat; per id quod de Carta sequitur, temperatur. Hi tales licet immunitatem præstandi, vel seruiendi ex donatione huiusmodi consequantur: ab aliis tamen Infancionum priuilegiis penitus sunt expertes: vt supra De Iure dotium, planè patet. Vbi circa dotes suas, mulieres franchæ de carta, non Infanzonarũ Priuilegium consequuntur. Hæc aũt immunitatis præstatio, etiam à Rege concessa cum publico, vel auctentico Instrumento, non nisi quantum ad concedentem, & eius prosapiam, vel successorum suorum eximit à seruitio tali Priuilegio decoratum. Nam is, cui dominus Rex, vel quilibet alius dominus immunitatem concessit; nec concedenti, nec successoribus eius tenebitur deseruire. Aliis autem ita deseruiet ipse, & genus eius, ac si immunitatis Priuilegium non haberent. Barones autem, quasi boni homines a Bar, quod idem est, quod beatus, & ones, quod idem est, ꝙ homines, per sermonis abbreuiationem, & supputationem mediæ syllabæ, scilicet, mi, iuxta proprietatem idiomatis appellantur. Qui etiam Rici, id est, diuites sunt vocati.* In hoc enim est vulgarem nominis interpretationem sequutus. *Horum talis est condicio. Quod quamcitò aliquis Mesnadarius à domino Rege Honorem fuerit consequutus, ad numerum Militum sustentandum; Ricus homo sit posteà, siue Baro. Nam si vnam Militum, siue duas, vel etiam tres ei dominus Rex concederet; propter has Ricus homo, vel Baro nullatenus haberet hoc nomen, Ricus homo, vel Baro. Pluralitate enim debet Vassallorum Militum decorari. Hos autem Ricos homines creare, vel assumere dominus Rex de Mesnadariis naturalibus de Aragonia suis debet. Nam aliunde homines venientes, nisi sint habitatores Aragonum, & ibidem hæreditates habentes, & naturam habeant in Aragonia ex patre, & matre, vel eorum altero; nisi ex magna caussa, & euidenti, in Barones dominus Rex vix, vel numquam assumere consueuit, nec facere de illis: ita tamen quòd ea, quæ debent Ricis hominibus assignari; talibus scilicet extraneis assignarit. Nam si certam summam denariorum annuatim percipiendam vel, quantitatem redituũ Regalium, quæ non debent, vel consueuerunt Ricis hominibus pro stipendiis applicari; quantumcumque extraneis pro sustentando certo numero Militum in eius seruitium assignaret: nec Ricis hominibus, nec Mesnadariis faceret iniuriam, vel grauamen. Quinimmo etsi dominus Rex tales extraneos inter Ricos homines numerat, & honorem Rciis hominibus debitum eis exhibet; iniuriã nullam facit. Interest enim tam Regis, quàm Ricorum hominum, & omniũ Aragonensium, Regem multos habere Ricos homines, vel Barones: dummodo naturales Aragoniæ stipendiis sibi debitis non fraudentur. Expedit igitur, vt talibus debita stipendia declaremus. Debent enim omnes ciuitates, & villæ domini Regis tam maiores, quàm minores Ricis hominib. pro suis stipendiis as-*

signari. Et ipsi Rici homines in sibi ciuitatibus assignatis, Zaualmedinas; & in villis, Baiulos, quos sibi placuerint, debent ponere. Qui Zaualmedinæ, & Baiuli teneant, & regant Curias ipsorum locorum pro Ricis hominibus prælibatis: & respondeant eis de caloniis, hoc est, de pœnis pecuniariis, & aliis iuribus, quæ ipsorum locorum Curiæ sunt recipere assuetæ. Pecuniariæ enim pœnæ vsque ad mediam mortificaturam, & fractionem cultelli inclusiuè, & similia, vel minora, ad ipsum Ricum hominem, vel eius Curiam dignoscuntur sine dubio pertinere. Ita quòd dominus Rex, vel Maiordomus eius in eis partem nullam capere debet, nisi in casibus; scilicet cùm dominus Rex præsens personaliter sit in loco, vbi est pœna huiusmodi exigenda. Tunc enim (quia eo præsente omnia minora officia conquiescunt, & omnia debent per suam Excellentiam pertractari) pœnæ per compulsionem domini Regis exactæ vsibus Regis cedunt: Saluis tamen suis partibus conquerentibus, & priuatis; ac si per minorem Curiam, propter sui debilitatem, oporteret, ad exigendam pœnam Baiulum inuocare. Nam quotiescunque Rex ad instantiam ipsius minoris Curiæ per se, vel per literas, vel per nuntium, vel quemlibet alium ad hoc specialiter assignatum, pœnam huiusmodi duxerit exigendam; vsibus eius concedet. Debet tamen ipsam Curiam clementer respicere: ne sibi aliquam faciat inde partem, nisi in suis ciuitatibus, atque villis. Nam in villis Infancionum, vel Ecclesiæ, si propter debilitatem Curiæ, brachium domini Regis, vel Maiordomus eius, vel cuiuscumque Officialis ad exigendas pœnas huiusmodi inuocetur: ipse cuius est brachium inuocatum, tenetur compulsionem, & auxilium impartiri. Nec aliquid debet capere de ipsa pœna, nisi is, ad quem pertinet, vellet ei vltroneò, quantum sibi placuerit, elargiri. Domino autem Rege non præsente; vbicumque eius fuerit Maiordomus, minora officia similiter conquiescunt. Et sicut de Rege diximus; pœnas eius compulsionis exactas, siue in præsentia eius, siue in absentia, eo modo quo supra de Rege dictum est, applicabit suis vsibus Maiordomus. Pœna verò homicidii, flagitiorum æqualium, vel maiorum, nec impartitiones, quæ intercisiones, vel incurrimenta vulgariter appellantur, & similia, vbicumque & quomodocumque siue in præsentia, siue in absentia domini Regis, ipsius Regis esse omni tempore dignoscuntur: Infancionibus, & Ecclesiis partibus suis saluis, iuxta ea, quæ infra De homicidio, declarantur. Alia autem iura, & omnes reditus, & prouentus, præter dictas pœnas, siue Calonias, sunt penitus semper Regis, præter Precarias villarum domini Regis: quæ ipsis Ricis hominibus similiter sunt pro suis stipendiis assignatæ. Quæ Precariæ in quibusdam locis in grano, & in quibusdam in denariis, sed quoquomodo à domino Rege disponitur, exiguntur. Quin etiam dominus Rex secundum meliorationem, & deteriorationem loci auget, vel minuit quantitatem. Vbi autem sunt Nouennarii; Precaria non exigitur: Sed ipsammet Nouennariam percipit Ricus homo. Item percipit Ricus homo Deueria, hoc est, quædam personalia tributa, vt est panis, & pullus: & quædam alia, quæ secundum diuersas consuetudines præstantur à singulis domibus annuatim. Quæ Deueria sunt reliquiæ illius pestilentis, & miserabilis cōdicionis, Villanorū de parada: quæ in vsu iā per dissuetudinē non habentur. Condicio autē Regis circà dictos Ricos homines dignoscitur esse talis: Vt quomodocūq; sibi placuerit, & quotiescūque eos destituat. Quæ destitutio fit, q̄ cito ipse Rex verbotenus, vel per suas literas Honorē, quē pro ipso tenet Ricus homo, restitui sibi petat. Quā destitutione facta, Ricus homo, quantūcumq; diues, vel nobilis, etiam si plures Milites secum trahat, inter Mesnadarios computatur. Ricus homo autem tenetur, Honorem sibi datum distribuere suis Militibus, & Vassallis pro suo arbitrio voluntatis, dummodo pro singulis Quingentis solidis rendualibus singulos Milites in seruitio domini Regis habeat, conuenienter paratos, quandocumque Rex ab eo seruitium exegerit iuxta Forum. Potest enim dominus Rex semel in anno Ricum hominem cum numero Militum, pro quibus stipendia possidet, ad suum seruitium euocare. Qui Ricus homo vocatus statim debet cum dictis Militibus ad locum, quem Rex iusserit, accedere: & ibi per duos menses cum expensis propriis deseruire. Post duos autem menses potest à seruitio discedere: nisi Rex de victualibus sibi, & suis Militibus prouideat competenter. Rege autem sibi prouidente, tenetur in seruitio persistere, quamdiu Regi placuerit, etiamsi per totum annum vellet eum in seruitio suo retinere. Item tenetur Ricus homo terram domini Regis defendere; & specialiter loca, quæ sibi pro stipendiis sunt concessa; & Ecclesias; & Religiones; & alios quoscumque infra fines sui Honoris commorantes; & bona omnia eorundem. Tenetur etiam vocatus ad Regis Curiam accedere, quotiescunque ab ipso Rege fuerit euocatus: & sibi dare consilium secundum discretionem sibi à Deo datam, quotiescumque ab ipso fuerit requisitus: Et semper dum in Curia fuerit, debet arduorū negotiorum iudiciis interesse. IVSTITIA autem Regis numquàm debet sine consilio Baronum, & ipsorum, qui pro tempore in Curia, vel præsentes fuerint; aliquid in arduo negotio iudicare. Et si pro colloquio alterius Regis, vel Principis, vel pro alia ardua caussa Barones ad Curiam sunt vocati, & propter excellentiam, vel necessitatem negotiorum Barones expensarum grauamine molestentur: debet dominus Rex, & sua liberalitate, & clementia suæ munificentiæ eorum angustiam subleuare. Expedit enim Reipub. & Regiæ Maiestati, ne Barones depressi pauperie in inferioribus deseruire, & in seruitio domini Regis deficere compellantur. Filius attamen Regis numquàm debet aliquid, de his, quæ debentur Ricis hominibus

pro

pro stipendiis aßignari, aliquatenus retinere. Et hoc tribus de causis. Prima; quia ipsis Ricis hominibus posset nimium deperire; eò quòd Rex propter dilectionem filii, siue fratris de stipendiis Ricorum hominum sine modo, vel mensura in eum frequentiùs dispensaret. Secunda; quia ne tale cùm terra insurgeret, sicut iam factum exstitit, meritò formidatur. Tertia; quia æquius est, vt qui de Rege est natus, de iis viuere debeat, de quibus Rex viuere consueuit: quàm de iis, quæ pro defensione terræ consueuerunt Baronibus, & Militibus aßignari. Potest ergò Rex, & debet filiis, vel fratribus suis, tantum de suis redditibus aßignare, quòd honor prolis, & sanguinis Regiis non vilescat. Mesnadarius est, qui est de genere Ricorum hominum, saltim ex patris linea oriundus: in cuius patris genere non exstat memoria, quod fuerit alicuius Vassallus, nisi Regis; vel Regis filii; vel Comitis, à Regis genere descendentis; vel Episcopi; vel alterius Prælati: quorum consideratur reuerentia, propter Deum; cuius locum dignoscuntur specialiter retinere. Qui non descendit ex parte patris ab aliquo, qui ab alio, quàm à prædictis personis, exstitit Miles factus. Hi enim Mesnadarii, etiam si in Mesnada, siue familia domini Regis personaliter non morentur; tamen Mesnadarii sunt censendi. Quia dominus Rex non debet eis Militiam, cùm eam ab eo recipere voluerint, nec quod sint de sua familia, cùm esse voluerint; nisi ex caussa probabili denegare. Hi autem Mesnadarii morari cum Ricis hominibus vel cum aliis, & expensas ab eis accipere, atque dona: non tanquàm Vassalli, sed tamquàm amici, sine nota aliqua benè possunt. Miles simplex, est qui sui scuti, siue vnius scuti vulgariter appellatur, Vassallus alicuius præter Regem, vel Regis filium, vel Comitem ex Regis genere descendentem, vel Prælatum Ecclesiæ: vel qui ab alio, quàm à dictis personis Militari cingulo fuerit redimitus. Sed & omnes descendentes à tali per lineam masculinam inter simplices Milites cõputantur. Infancio simplex est, qui licet non sit Miles; ius habet tamẽ accipiendi Militiã si poßibilitas, voluntas, & opportunitas se offerrent. Ciues autem sunt omnes, qui in ciuitatibus commorantur, vel in villis æquipollentibus ciuitati. Ex quibus illi dicuntur Burgenses, qui licet Capitalarios habeant, & ministros per quos ducunt sua officia exercenda: tamen ipsa manibus suis non exercent. Sunt tamen quædam officia, quæ & si propriis manibus exerceantur; à Burgensium ordine non depelluntur: vt est pretiosorum pannorum venditio; & crepectatorum officium, quod Cambium appellatur: Necnon Aduocatia; & Medicina; & Cirurgia; & iis æqualia, vel maiora. Villani autem sunt dicti à Villa: eò quod in Villis commorantur; qui & Rustici, à ruribus, quæ excolunt: & Pagenses, à Pagos, quod est fons: eò quod Villæ, siue Pagi iuxta fontes consueuerint constitui. Quis autem sit Villanus de Parada, supra, De fideiussoribus, est expressum. Libet autem ea superioribus annectere hoc loco. *Fuerunt etiam quandoque Villani, qui Collaterii vocabantur. Qui tam crudeli erant subditi seruituti, vt etiam inter filios dominorum suorum ducerentur gladio diuidendi. Qui quondam, temporum condicione cogente pestifera eorundem, contra suos dominos insurgentes, tandem composuerunt cum eis communiter, & vltronea voluntate certa tributa, & condiciones supra se, & suis filiis aßignantes. Qui post compositionem huiusmodi, Villani de Parada taliter nuncupati, hoc cum suis dominis inter cetera pepigerunt: vt quotiescunque domini eorum fideiußione indigeant huiusmodi soluere sint compulsi: nec si dominus pro quo fideiußit, indemnitate eius voluerit prouidere; numquam postea pro ipso domino fideiußione casu aliquo teneatur.* At vero Eximinus Petri Salanoua Iustitia Aragonum, cuius supra meminimus in narratione rerum à Iacobo II. Rege gestarum, sexaginta ferme annis post Vitalem, earundem rerum cursum, euentorumque consequentiam his verbis notauit; quamquàm in multis dictata iam decantare visus est. In indice autem istius quæstionis omnia reuocare videtur ad dubia, ac incerta: quasi iam tunc ad eum illa omnis antiquitas peruenisset, vel vsu, vel vetustate immutata, vel præceptis. Sic enim cùm *De Priuilegiis Baronum, & Ricorum hominum Aragonum,* se fore dicturum profiteatur; initium suæ disputationis orditur. *Multi contradicunt in istis, quæ sequuntur: & sic multa hîc contenta non seruantur. Notandum est: Quod in Aragonia omnis Homo descendens de genere Militari per lineam planam, est Infancio; siue sit legitimus, siue illegitimus; siue masculus, siue femina. Tamen quamuis autem ex parte matris veniat ex linea Militari; non est Infancio, nisi habeat patrem Infancionem, in C. Videlicet. De proclam. in seruit. lib. 6. & hoc seruatur. Et per Foros habetur: Quod quilibet Infancio potest esse Miles in Aragonia: alii verò non. Et si fortè non Infancio promoueatur per Ricum hominem ad Militiam; perdit Honorem, quem tenebat, Ricus homo: vel si non tenebat, numquàm tenere debet. Et ille promotus semper remanet Villanus, sublato sibi equo, & armis. Vt De re militari. C. fin. in lib. Exeæ. Et quia multæ sunt species in Aragonia istorum Infancionum: sciendum est: Quod Infancionum, alii sunt Rici homines, & non Milites; alii Rici homines, & Milites; alii Mesnadarii Milites; alii non Milites; alii sunt Milites simplices; alii filii Militum tantum, vel nepotes: alii nec Barones; nec Mesnadarii; nec Milites; nec Militum filii; vel nepotes. Ricus homo Miles habet omnia Priuilegia, quæ habent Infanciones; & omnia quæ habent Milites, & vltra; quia terram pro Honore non debet dare dominus Rex, nisi illi, qui ex natura debet esse Ricus homo; & quod nõ sit de alieno Regno. Quare*

dicunt quidam, quod filio Ricihominis non debet dari terra pro Honore, nisi illi tantum, qui succedat in Baronia. Attamen per Forum Exeæ, per quem prædicta statuuntur; talem filium, licet in Baronia non succedat, posse tenere terram pro Honore. Quia Forus non requirit, nisi quod ex natura debeat esse Ricus homo. Vnde licet illi desit Baronia, nō tamen deest ei natura: maximè quia in Foro nouo continetur; Quod Ricihomines debent assignare Militibus dictos Honores, & terras eis concessas; aliàs Rex propria auctoritate potest emparare, & alii assignare Rico homini, vel filio Rici hominis, qui tenere debeat terram in Aragonia, qui faciat seruitium. Vt in foro nouo. Quod Barones Aragonum. Cap. 1. Per quem patet, quòd filio Rici hominis, adhuc Rico homine non existente, potest dari: licet ignoretur, nec sciatur, an sit Ricus homo. Habent etiam aliud Priuilegium contra dictum Forum: Quod ille Ricus homo, qui habet Quadraginta Cauallerias; potest sibi retinere quatuor: & qui triginta, tres: & qui xx. duas, & qui decem vsque ad xx. vnam, & non plures retinebit. Vt in For. nouiss. Cur. Cæsar. tit. De Baronibus. Cap. 1. Aliis vero Militibus, non Baronibus, non video necessarium esse: .... quin sibi possint retinere quoscumque denarios ei datos. Item habent aliud Priuilegium: Quod filiis Regis, & Reginæ non potest assignari terra pro Honore. Vt in For. Exeæ. Item sine iusta caussa cognita, & determinata per Iustitiam Aragonum in generali Curia de concilio Ricorum hominum, & aliorum honorabilium Militum, Infancionum, Ciuium, & aliorum hominū Villarum Aragonum; non debet tolli, vel emparari terra pro Honore assignata eisdem. Item in Mesnaderiis eis assignatis est statutum, vt in Priuilegio generali domini Regis Petri. Quæ omnia sane intelligatis, pro vt vsitantur. Nam pro crimine, vel delicto, vel inobedientia nō debent dicti Rici homines, vel Mesnadarii priuari prædictis, sine prædicta caussæ cognitione. Sed tamen si ipsi deficerent in seruitio, vel forte ex alia caussa Regi essent obligati; Rex posset emparare, & emparat, quantum amittere debent pro fallito seruitio. Et etiam Magister Rationalis in compoto potest deducere, & deducit ea, quæ ipsi debent, vel receperunt de iis, quæ ipsi ratione prædictorum recipere debent. Et de vssanza non tantum est, quod Ricus homo, decedens antequam integre perceperit illius anni solutionem de suis Caualleriis, non habet quidquam, nisi in quantum ei fuerit persolutum: sed tamen de annis præteritis habebit, quidquid ei debetur. Item de Vssanzia Ricus homo, vel Miles deficiens in seruitio per vnam diem anni vltimam, vt tenetur; perdit totam solidatam illius anni. Idem seruatur, licet pro seruitio non fuerit requisitus, si in casu tali se posuerit, quod Regi seruire contra cunctos non posset: Vt quia se Vassallum alterius fecerit. Et in istis casibus procedit Rex sine iudicio alterius. Casus autem amissionis Honorum, & Cauellariarum sunt hi: Vnus ponitur supra in Priuilegio. Item si non deferat domino Regi, & suis substitutis honorem, & reuerentiam, sicut debet domino naturali; & Foros bonos, & consuetudines per totum Regnum teneant, & obseruent, & faciant obseruari, sicut boni Vasalli, & homines fideles. vt in Carta pacis; Item statuimus. Item in casu suprà dicto si non assignarent terram Militibus. Idem credo, si faceret falsam Iuram super Infancionia, cùm debeat remanere peiiterius. Et idem in aliis excessibus, vel criminibus, de quibus Iustitia Aragonum cum Curia iudicat, vt supra dictum est. Quod autem dixi supra, Ricum hominem decedentem ante finem anni non debere habere quidquam de Caualleriis; nisi ei fuerint persolutæ, intelligendum est. Quod si ei persolutæ fuerint; habebit pro rata temporis, sed non pro alio tempore. Item habent Priuilegium: Quod si Rex fecerit gratiam hominibus locorum pro Caualleriis assignatorum pro prima peiita, subsidio, vel aliis quibusuis exactionibus, quas Rex primo exigat ab hominibus illius loci: debet primo satis fieri Rico homini tenenti Honorem, antequam aliud alicui persoluatur. Vt in Foro nouo. Vt Barones Aragonum. Cap. 1. Sed tamen intelligatis; Quod nisi Rex imponeret prædicta subsidia, vel exactiones: non tenetur dominus Rex eis quidquam soluere, vel in compoto recipere ratione eorum, quæ non potuerunt habere propter gratiam, quam Dominus Rex fecit hominibus supradictis; nisi forte fecisset Ricus homo seruitium pro omnibus Caualleriis assignatis eidem. Tunc enim tenetur dominus Rex eis in compotum recipere, & solutiones fieri facere de prædictis. Filii Rici hominis patre viuente Priuilegia habent, quæ parentes eorum, saluis his, quæ sunt propria Militum. Item Rici homines dum sunt præsentes in Curia; habent Cartas Regias de Iustitia, pro suis propriis negotiis à Curia sine pretio. Sed non pro suis hominibus, cum caussis tangentibus eos, & suos homines. Item seruatur de Vssanzia, quemlibet Ricum hominem debere seruire in anno suis expensis per Mensatam: quæ durat, siue computatur à die, qua incipit ire ad Regem, vsque ad reuersionem: Iuxta generale Priuilegium domini Regis Petri. Item Honores assignati tempore mortis Regis Iacobi pro Caualleriis debent semper esse de Caualleriis. Et in solutionibus, caloniis, & azemilis debent fieri, vt tempore domini Regis Iacobi: vt in dicto Priuilegio continetur. Item extra dominationem Regis non tenentur ei seruire pro terra, vel Honore, nec mare transfretari: vt in ipso Priuilegio continetur. Et ex hoc dicunt quidam, quod extra Aragoniam non tenentur seruire. Sed malè dicunt. Quia vbique tenentur seruire; saluo in mari: dum sit extra dominationem Regis. Alias in vanum excepisset mare: cum in Aragonia non sit mare, sed in dominatione Regis. Quandoquidem autem idem Salanoua tradit, Ricum hominem Militem eadem habe-

habere, quæ Milites, ac Infanciones, vt ipſe loquitur, Priuilegia: non abs re arbitror me facturum, ſi nonnulla ex iis apponam, quæ ab eodem de Militibus, ac Infancionibus teſtata, ac notata ſunt. Nam illud ex hoc genere profluit: proptereàque æquum erit, vt ea cum iis, quæ ante diximus, connectamus; præſertim cùm hæc Salanouæ monumenta ſint à vulgari noſtrorum hominum notitia remotiora. Quamquam autem in Obſeruantiis ſub tit. *De conditione Infancionatus*, eadem legantur iiſdem ferè verbis deſcripta; nonnulla immutata ſunt: quæ vt poſſint conferri; operæpretium duxi intexere hoc loco: ne quidquam horum, vt initio dixi, fugiat peregrinos. Hæc igitur, vt ipſemet inſcribit, *De Militum Priuilegiis, & de filiis, & nepotibus Militum*, produntur ab eo. *Vltra communia Priuilegia Infancionum, habent Milites iſta. Nam non tenentur Milites, nec eorum filii, aut nepotes facere ſaluam. Item nullus poteſt aliquem ſaluare pro Infancione, niſi duo Milites. Item Equus Militis, quo ipſe equitat; non pignoratur. De ſatis. Cap. 1. Quamuis quidam dicant idem de omni Infancione. Sed hoc non credo verum. Quia vbi poſuit* Forus *de Milite, poſuiſſet de Infancione, Item in Aragonia nullus filius Militis in menſa Militis ſedet, donec fuerit factus Miles.* Hac namque educatione, & doctrina maiores ipſi filios ſuos liberaliter inſtituebant, poſtquàm eos è ludis, ac pueritiæ diſciplina profectos, apud ſe in exercitu, militiaque diutius fecerant commorari. Qua in re videntur fuiſſe elegantem illam Romanorum conſuetudinem imitati: quorum more, nec cum parentibus puberes filii, nec cum ſoceris generi lauabantur. Et illud idem antiquos Gothos, Longobardosque ſeruaſſe proditur: apud quos, vt Paulus Diaconus auctor eſt, filiis Regum, etiam ex iuſto matrimonio natis, interdictum erat, vt ne quis eorum ſimul cum patre in publica, aut priuata menſa cibum caperet, priuſquàm ad arma aſſumenda à peregrino aliquo Rege habitus fuiſſet idoneus. *Item ſi quis acceperit Militem de equi habenis, ſoluet de calonia quingentos Solidos.* Quæ quidem pœna acerba nimis, & grauis cenſeretur noſtris temporibus; ſed acerbiorem effecit iam vetuſtas. *Item Miles, vel aliquis de genere eius non tenetur facere pro denariis, quos tenet, menſatam ſuis expenſis. Sed Rex tenetur ei prouidere iuxta numerum beſtiarum, quas duxerit. Quæ menſata per Ricos homines non fit, niſi propter Calonias, quæ ſunt eis cõceſſæ. Et non intrant in compoto Caualleriarũ Caloniæ. Tamẽ intellige, infra ſexaginta Solidos: Vltra autem; Regi.* Atque hæc ipſe de Militibus obſeruauit. Et verò, *De omnium Infancionum Priuilegiis per* Foros, *vel Obſeruancias eis datis*, vt idem prodit; quæ ſequuntur. *Nihil Infácionibus Regni magis propriũ eſt; quã recipere, & non dare pro aliqua Villania, hoc eſt pro aliqua ſeruitute. Non enim cõtribuunt cũ peyteriis in exactionib. Regalib. vel vicinalibus, niſi tempore guerræ. Tamen ad conſtructionem, refactionem, ſuſtentationem, & reparationem portarum Villæ, Vallatuum, ſiue Valuartium, & Murorum, tenẽtur. Quilibet enim Infancio infra vallatam, vel muratam villam habens domum, ad prædicta, vt alii vicini, tenetur de conſtructione, ſuſtentatione, & reparatione Portarum, & Murorum, & ceterorum ſimilium, de Obſeruantia, vt Cequiarum, Fontium, & aliorum. Non tamen tenentur Regi facere Exercitum, vel Caualcatam: niſi fortè Rex iret ad Campale prælium, vel ad obſidionem Caſtri ſui, quod infra terram ſuam aliquis contra Regis detineret voluntatem. Tunc enim tenẽtur Regem ſuis expenſis per triduum ſequi. Et poſteà redeũt, vel remanent, pro vt eis placuerit. Vt de condic. Infanc. cap. 1. lib. 6. Item de vſſancia computantur illi tres dies, poſtquàm domos proprias exiuerunt ſecundum quoſdam. Sed contrarium eſt verum. Quinimmo poſtquàm fuerint cum Rege. Et ſic iuerunt omnes apud Tiraſonam. Aliàs nihil, vel parum valeret domino Regi ille* Forus. *Item habent Priuilegium: quod poſſunt emere à peyteriis, & Villanis, & non tenebuntur peytare, ſi etiã emerint Caput manſum: Vt in Foro Exeæ dicitur. Et licet in dicto* Foro *dicatur tantùm de emptione: idem tamen ſeruatur, quoquo titulo adquirant. Quare ſeruatur: quod Villana nupta Infancioni pro bonis ſuis teneatur peytare, dum vixerint, vt Villani. Mortua tamen ea, filii eius, qui erunt Infanciones, ampliùs non peytabunt, per dictum* Forum *Exeæ, quamuis ſit contra* Forum. *De proclamantibus in ſeruitutem, cap. ſi Villanus, in fine lib. 11. Item domus Infancionis commodata Villano, non ſignatur pro debito Villani. Secus eſſet, ſi teneret obligatas, vel locatas eas. In cap. vlt. de condicione Infancio. lib. 6. Itẽ licet hereditates Infancionũ pro debitis poſſint capi, & fieri in poſſeſſionẽ miſſio iuxta* Forum, *de* Foro *Cõpetenti, cap. 1. non poſſunt aliquatenus vẽdi, niſi ſpecialiter fuerint obligatæ.* Item *ſi peyterius Regis in domibus Infácionis ſteterit commodatus; non peytabit pro domibus, vel mobilibus inibi exiſtentibus, nec Hoſtem, aut Caualcatã faciet: ſed pro hereditatibus Signi Regis peytabit. Item ſi aliquis peyterius, fuerit Exarichus Infancionis;* (id eſt agrorũ colonus, & arator. Is enim vocabatur Exarichus) *peytabit, vt alii, & de omnibus bonis ſuis. Si verò in domibus Infancionis commodatis ſteterit; ſeruatur vt ſupra, vt dicunt quidam. Attamẽ ſic eſt rei veritas, & ſeruatur;*

Quòd si peyterius Regis in Villa Regis voluerit stare in domibus Infancionis, vt Exarichus, vel aliter: pro omnibus, tam mobilibus, quàm immobilibus, & se mouentibus peytabit Regi; saluo pro hereditatibus Infancionis. Et in Caualcatam; & exercitum ibit, si hereditates possideat Signi Regis. Si verò persona dicti Exarichi, esset ipsius Infancionis, & non Regis; seruatur, quod suprà dixi. Item sunt quidam, qui dicuntur Villani de parada, id est de conuentione; scilicet illi, qui nihil habent, nisi de bonis Infancionum; & in domibus Infancionum populati sunt cum conuentione, vt semper ibi sint. Et tales non peytant in aliquo cum hominibus Signi Regis, nec pro ganatis, neq. aquis, vt quidam dixerunt. Item domos Infancionum nemo debet violare, neq. aliquem inde extrahere, nisi sit latro manifestus, vel raptor, aut traditor. Et qui contra fecerit, est pœna sexaginta Solidos in terra noua, & vltra .:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.: viginti quinq. Quod intelligitur, & seruatur, si non ad iniuriam vel damnum Infantionis inuadantur domus eorum. Alàs pœna Cartæ pacis. Hìc consultò multa prætereo, quæ parum ad rem. Posteà vero hæc idem subiunxit. Habent & aliud Priuilegium Infantiones, quòd iuxta Regni vssanciam in Criminalibus non possunt puniri, nisi per Regem, vel Regis officiales. Et sic dominus Villæ in criminalibus causis non habet iurisdictionem in Infancionem; licet aliàs habeat iurisdictionem, & merum imperium. Item circa aduerandam Infancioniam, & auctorizandam subsunt tantùm domino Regi: Vt de probationibus, cap. Omnis homo. Item de omnibus causis, quas Rex habeat contra eos, est tantum iudex Iustitia Aragonum. Idem de omnibus causis; quas ipsi habent contra Regem iuxta Foros antiquos, & Forum Exeæ. Appellari tamen potest ad Regem de Vssancia à sententia Iustitiæ, pro parte Regis, vel Infancionum. Et Rex delegabit iudicem. Item habent Priuilegium, quòd numquàm dant Boalage, vel Herbage: Vt in Foro Exeæ. Item pro Carta Saluæ communis non soluuntur Curiæ Regis, nisi triginta Solidi iuxta Forum. Quam saluam debent hodie facere secundum Forum nouum editum in Cæsaraugusta. Item in omnibus causis, quæ sunt inter Ricos homines, Milites, & Infanciones debet iudicare Iustitia Aragonum. Vt in dicto Foro Exeæ dicitur. Item tantùm seruatur hoc: Quòd si Infancio, vel Miles non subest alicui domino Villæ, vel Iudici Locali; habet locum dictus Forus. Aliàs coram domino Villæ, vel Iustitia, seu Iudice loci tenetur respondere. Pro quo est de Foro Compet. cap. 1. & cap. quicumq. homo. Hoc tamen intelligo in Ciuilibus, non autem in Criminalibus. Vt supra dixi. Item semper Iustitia Aragonum debet esse Miles: Vt in dicto Foro Exeæ. Item possunt etiam escaliare in villis Regalibus, vbi sunt vicini tantùm: aliter non possunt, licet possint ibi emere: Vt in Foro. Item Infancio. Per quem Forum habes, qualiter potest Infancio se expedire à domino Rege, dimittendo beneficia Regi, si quæ tenet ab eo, & commendando vxorem, filios, & bona sua fidei Regis. Quam expeditionem, & Comandam debet Rex recipere, & custodire fideliter, sicut dominus naturalis. Qua expeditione facta potest cum alio, vel aliis guerram Regi facere: Saluo quòd non potest ignem in terram Regis apponere: & si ad Campale bellum cum aliquibus venerit contra Regem, debet transire in adiutorium Regis cum equo, & armis: Vt in dicto Foro. Item tenetur Rex per Forum nouum, nedum bona illius, qui se expediuit, recipere in Comanda: immo etiam bona vxoris, filiorum, & vassalorum, qui cum ipso ibunt: & quamuis fuerint expediti, non debent esse ad pugnandum, vel ad faciendum perdere Castrum Regi. Et si contra tria prædicta fecerint; fincant pro talibus, quales esse debent secundum consuetudinem Hispaniæ. Et non valet eis assecuramentum: Vt in Foro nouo. De Baronibus, & Mesnadariis. Sed quales debent esse secundum consuetudinem Hispaniæ: dic, quod Traditores. Et hoc etiam videtur per Cartam pacis. Nam si sine diffidamento talia fierent; esset proditionis pœna. Sic idem debet esse hic: cùm desafidamentum, vel expedire; in his non possit habere locum. Item hoc etiam scias: quòd expeditus, de Vssancia non remanet in Regno, nec in Senioria Regis. Et quacumq. parte anni se expediat; amittit beneficium Regis pro toto illo anno, & sequentibus. Sciendum est etiam, quod dicitur in For. De satisdando: Quòd si Infancio super hereditate moueat questionem Infancioni, seu demandam: debet dari fidantia Infancioni, quæ habeat casam propriam in villa, vbi est hereditas. Et quædam alia, quæ dicuntur ibi; non seruantur. Nam sufficit dare quemcumq. idoneum vicinum fideiussorem, qui habeat hereditatem in dicta villa. Vel si non potest habere vicinum fideiussorem dictæ villæ, iurando, quòd non potest habere; det de prima Cruce; vel in defectum primæ Crucis, det de secunda; & deinde per ordinem. id est, propinquioris alterius loci. Nam si fideiussorem, ipsius loci vicinum dare non poterat: alium tenebatur ê duobus opidis proximioribus dare. Quod si neq; id; tunc se tradere debebat custodiæ creditoris. Et hanc veteres, fidantiam de prima, secunda, & tertia Cruce appellabant; vt in For. Corr. nempe à lapideis, vel ligneis Crucibus, quæ ad locorum portas, seu ad biuia poni solent. Idem de fidantia de Riedra inter Infanciones. Ita tamen prædicta intelligas, & sic seruantur: quòd ille, qui de prima, secunda, vel tertia Cruce datur; habeat hereditatem sufficientem in villa, vbi petitur, & est hereditas, ad quam agitur. Item Infancio in propria persona non tenetur iurare prima vice in quantitate, quæ sit, vsq. ad Centum Solidos; sed dabit iuratorem, qui iuret. Quia ipse Infancio non debet iurare: Vt de Iureiurando cap. Infancio. Item vsq. ad

decem

decem Solidos ſtatur verbo Infancionis*, & in ſua bona fide: Vt de Iureiurando. Item Infancio, mortua eius vxore Infanciona, ſtantibus liberis, ſi ſecundò contrahat; poteſt, niſi aliam hereditatem habeat, vnam de tribus, quas dederit primæ vxori, pro dotibus ſecundæ aſſignare, meliorem tantum. Et illam hereditatem habebunt filii ſecundi matrimonii. Et ſi tertiò contrahat; poteſt idem facere de tertia hereditate: vt in For. De* Iure *Dotium, cap. filii. lib. 6. Item habent Infanciones medietatem caloniæ homicidii, ſi homo Infancionis per hominem* Regis*, vel è contra fuerit interfectus: Vt in For. De homicidio, cap. ſi aliquis. Item percutiens Infancionem Ermunium, vſque ad ſanguinis effuſionem, ac ſine ſanguinis effuſione cùm ad terram proſtrauerit; eſt calonia Ducentorum Solidorum. Sed ſi Ciuis, vel Villanus nedum percuſſerit Infancionem, ſed eum occiderit: non eſt ibi calonia. Sed caueat ſibi ab interfecti conſanguineis, & amicis: De iniuriis cap. prim. Prædicta tamen ſanè intelligas: quia ſi ex propoſito prædicta committerentur contra non diffidatum, & non inimicum: eſſet ibi pœna corporalis iuxta cartam pacis: Vt in tit. De proditorib. cap. vnico. lib. 8. Item quod dicitur, caueat ſibi ab inimicis, & conſanguineis interfecti: ſic intelligatis, quando manifeſtum eſt homicidium. Aliàs ſi negaretur ante probationem; eſſet aſſecurandus per conſanguineos, & amicos interfecti. Et ſic vſitatur. Item obſeruatur etiam argumento dicti For. De iniuriis. & alterius, quod eſt. De homicidio ſi Infancio. Vbi dicitur, quòd ſi* Infancio *occiderit hominem Signi Regis, ſoluat caloniam, & caueat ſibi à conſanguineis interfecti. Et argumento For. qui dicit: Quòd omnis homicida per annum, & diem debet fugam arripere: & infra annum, & diem conſanguinei interfecti non tenentur ius recipere ab eodem, etiam ſi obtulerint iuris fidantias, niſi voluerint. Sed poſt annum, & diem tenentur recipere ius ab eo, quod tale eſt iuram dare, vel homicidium: Vt dicitur. De homicidio. Item omnis. Item nota: Quòd licet iuxta cartam pacis nullus ſine diffidamento debeat alteri damnum dare: attamen nec Villanus* Infancionem*, nec è contra, tenentur ſe diffidare. ſi alter alterius interfecerit conſanguineum. Quia dicti Fori videntur eum habere pro diffidato: dum tamen homicidium manifeſtum exiſtat. Aliter ſi eſſet dubium; eſſent diffidamenta neceſſaria. Et ſi alius ius offerret; reciperetur eius* Firma*: & etiam pendente hoc dubio, eſſet aſſecurandus iuxta Regni vſſanciam. Sed tamen ſi ſine diffidamento, in dictis caſibus* Infancio *Villanum, vel è contra interficeret; non puniretur pœna Cartæ pacis ſi poſſet probari dictum homicidium.* Infanciones *autem inter ſe ſemper tenentur ſe deſaffidare, niſi pro morte patris, vel exheredatione: De Obſeruantia. Item homo Regis, manſionarius in Palatio* Infancionis*, excuſatur ab Hoſte, & Caualcata. Sed alia ſeruitia tenetur præſtare domino Regi, ſi hereditatem tenet Regis: niſi in caſu, cap. vlt. De muneribus agnoſcendis: ſcilicet, ſi Rex conceſſiſſet ei franchitatem pro illa hereditate. Item habent alia Priuilegia* Infanciones*: Quòd Rici homines non poſſunt tollere Honorem, vel terram datam Militibus: niſi committerent, propter quæ deberent amittere, & cum cauſa cognitione per vaſſallos ipſius eiuſdem Rici hominis. Prædicta reperi, & inueni tam per Foros antiquos, & nouos, & Vſſantias Regni eſſe Priuilegia* Infancionum*; licet in alio gradu, vel dignitate non ſint, niſi tantum in* Infancionatu*. Licet autem generaliter dixerim,* Infanciones *non habentes* Iudices *Locales ſubeſſe in criminalibus cauſis, & ciuilibus* Iuſtitiæ Aragonum*: attamen ſi talis fuerit* Infancio*, quod de eo non debeat fieri iuſtitia corporalis, vt fortè quia Nobilis, Ricus homo, vel omnis Miles, vt quidam dicunt;* Iuſtitia *Aragonum debet iudicare, eum talia commiſiſſe, ſed non condemnare. Quia Rex debet eum capi facere, & captum detinere, dum voluerit; vt in Carta pacis continetur. Item ſi Miles, aut* Infancio *aliquem occiderit, qui non ſit Miles, nec* Infancio *ſine diffidamento, & concorditer: non debet iudicari Traditor ſecundum cartam pacis ſecundum quoſdam. Sed ſi Villanus, vel Ciuis interfecerit Militem, vel* Infancionem*, aut Villanus Villanum, vel Ciuem ſine diffidamento concorditer; eſſet Traditor: vt quidam dicunt* Iuxta *cartam pacis. Quamuis videatur innui hoc in cap. De proditionibus, lib. 6. quòd omnis quicumque, cuiuſcumque condicionis ſit, qui concorditer* (id eſt, data opera, vt ego intelligendum arbitror) *nō ſuum inimicum interfecerit; ſit traditor: licet non dicat hoc textus. Sed licet dictus Forus ſit poſitus in cap. De proditionibus: attamen non ponitur in Foro pœna proditionis. Tituli enim Fori non faciunt ius, vt eſt videre in præſentibus Capitulis. Item habent aliud Priuilegium* Infanciones*: quòd ſi ducunt Villanam in vxorem, debebitur ei honor, vt Infancionæ, dum vir eius vixerit, vel viduitatem ſeruabit: Saluo quod peytabit pro bonis, quæ habet ipſa Villana.* Idem autem Salanoua alio in loco de Meſnadariis hæc etiam ſubiunxit. *Licet ſic generaliter ſupra loquutus fuerim; ſi tamen tenetur ſecundum antiquam Obſeruantiam: quod Meſnadarii proprie ſunt illi, qui filii, vel nepotes, vel ex recta linea nobilium deſcendunt. Iſtis talibus debet dari Meſnaderia: aliis verò dantur aliquoties* Denarii *pro ſeruitio, & non pro Meſnaderia. Nam ſecundum veram veritatem filius Rici hominis, niſi ſuccedens in Baronia, non debet tenere Honorem: ſed debet tenere Meſnaderiam. Et talis Meſnadarius non debet eſſet Vaſſallus, niſi Regis.* Hæc itaque in veteribus Salanouæ monumentis, quæ manuſcripta exſtant, vulgoque

Obseruantiæ illius appellantur, de Ricis hominibus, Militibus, ac Infancionib. tradita reperiuntur. A quibus nequaquã dissentire visus est Iacobus Hospitalis, præclarus nostri iuris interpres in iis, quos sexaginta ferme annis post Salanouã, de nostris legibus edidit Commentarios, Ioannis Lupi Sessesii Iustitiæ Aragonum tẽporibus; cuius locum tenuisse proditur. Quos omnes sequutus est Bages: qui auorum memoria eandem quæstionem iisdem omnino verbis pertractauit. Verumtamen hæc omnia ab illo fonte, & capite fluxerunt, Vitali nempe Episcopo: è cuius scriptis ceteri quæ digna iudicarunt, selegerunt. Atque nos id ipsum facere necesse erit; nouosque interdum locos scrutari: vt quæ à scriptoribus concisa hactenus breuitate de huiusmodi argumento tradita feruntur, in Annaliumque monumentis adstricta illa continentur verborum, ac rerum comprehensione; nostra modo interpretatione si non ornatiùs, planiùs saltem, & apertius exprimantur. Vt igitur antiquam Ricorum hominum dignitatem ipsius nominis magnificentia metiamur; Rici homines, quemadmodum explicauimus, Barones etiam apud nos olim vocati fuêre ab illis opidorum assignationibus, quæ fiebant ipsis, ex iis, quæ nostri è Maurorum manibus vi extorquebant. Eas enim non vnius, sed plurium opidorum coaceruationes, dum vni Rico homini assignabantur, Baronias nominabant. Ipsum verò Ricum hominem, qui eis potiebatur, Baronem: quasi beatum hominem: ne nominis interpretationem a Vitali traditam respuamus. Iuxta veteres enim illius Suprarbiensis Fori, quas supra intexuimus, Tabulas, quæcumque à Mauris vindicabantur opida, inter Ricos homines, Milites, ac Infanciones distribui ius erat. Neq; verò ea perinde Ricis ipsis hominib. tribuebatur, ac si Regibus ibidem nulla pars reliqua esset. Id enim videretur absurdum. Quamquam autem contrarium decreuisse visus est Vitalis, dum ait: *Omnes ciuitates, ac villæ tam maiores, quàm minores debent Ricis hominibus pro suis stipendiis assignari*: illud ita intelligendum arbitror, vt omnes Ciuitates, ac Villæ stipendiaria vectigalia ex certa parte, ac rebus sibi imposita, Ricis hominibus pro alendis Militibus pensitarent. Nihilominus tamen Reges in eisdem locis, & multa alia vectigalia exigebant, quorum censibus domesticos suos Milites sustentabant. Quæ autem ea essent, quæ vero Ricorum hominum, non proditur. Nonnulli tertiam locorum partem Ricis hominibus dari solitam opinantur. Vt colligitur autem ex varia priscorum monumentorum obseruatione, aliis sic, vt Vitalis perhibet, aliis secus, nec iisdem vno semper, ac eodem modo videntur attributa. Quin & quandoque integra opida comperio in Ricos homines fuisse collata: quandoque etiam ipsos Reges alia sibi integra reseruasse. Omnia autem existimo vnicuiq; pro sua rata portione, perinde vt dari iuxta depactas leges debuerant, obuenisse. Neque tamen dubito, quin si quæ exstant alienigenis factæ locorum largitiones; ab ipsis Regibus è sua illa Regali parte factæ fuerint: alioquin maximè hominibus nostris fraudi fuissent. Sed interdum confusè acta res est. Hæc autem olim vulgaria fuisse ipsorum vectigalium nomina obseruaui: *pechas, questias, pedidos, exercito, caualgada, monedage, çofras, calonias, azemilas, fonsaderas*. Ac dum liberabantur ab eis; *redemptiones*, eas liberationes vocabant; singula nempè à singulis rebus, quibus imponebantur, vel liberabantur, deprompta. Et quod summum est, nonnulla opida Ricis hominibus, quas vocabant, *Cenas*, ipsorum Regum more persoluebant. Quæque verò ea essent, perinde vt Ricis hominibus assignabantur, quasi in feudum honoratum dabantur eisdem. Vnde Honores, quòd in honorem darentur, sunt vocata. Atqui dum nos ea variis in locis honoraria iura nominamus; non ita accipi volumus, ac si Edicta, legesve Prætorias fuisse, vel ad earum similitudinem efficta, existimemus. Sed quòd, licet in honorem; non tamen doni, aut muneris, sed debiti loco, ex patrio definito iure Ricis ipsis hominibus tribuenda essent. Et verò apud nos Villarum nomine (ne eius amphibologia quemquam decipiat) lauta quæque opida comprehenduntur. Militum autem vox, & Infancionum id sonat; vt priori, Equestris Ordinis viros nuncupemus, quos vulgari sermone, *Caualleros*: posteriori vero, quos vocare solemus, *Hijos dalgo*. Sed quia, vt ad Ricos homines redeamus, magnæ eorum res agebantur in istis vectigalibus exercendis, quo eorum exactio facilius fieret, in eisdem opidis Rici homines iura dicebant: ad eamque rem Zaualmetinas in ciuitatibus; in opidis autẽ Baiulos creabant: qui ordinariam iurisdictionem habebant, omniaq; prætorio quasi iure liberabant. Id enim est, quod Vitalis testatur, *Curias eorumdem locorum pro Ricis hominibus regere, & tenere*. Et inde factum est, vt qui Rici homines, passim in antiquis Priuilegiis nominati inspiciuntur, *Senior in Zaragoza, Senior in Alagone, Senior in Tirasona, Senior in Barbastro,*

stro, aliisque his similibus nominibus designati: eos in singulis illis opidis huiusmodi iurisdictionem habere, ipsa illa Seniorum voce declaretur. Qua de re ex nostra antiquitate exempli causa proferam nonnulla, in quibus magnæ, & illustres reliquiæ apparent pristinæ istius Ricorum hominum dignitatis. Sunt autem, quæ in extrema parte veterum monumentorum apponi consueuerunt huiusmodi. *Regnante Comite Raimundo in Ciuitate Cæsaraugustæ, & mandante eandem Ciuitatem per illius manus Senior Lopiz.* Siquidem Seniorem hunc Lupum Raimundo Berengario Barcinonēsi Comiti, Petronillæ Reginæ marito, acceptissimum fuisse constat: & ipsi itidē Ranimiro Regi. Alibi enim, sic de eodem: *Dominus Ranimirus regnabat in Aragon, & sub eius imperio mandabat hanc vrbem Lop Senior.* Et de quodam Palazino: *Regnante Comes de Barcelona in Aragon, & in Zaragoza per manum eius Palazin Principe.* Iam vt Rici homines hoc quoq; Principum nomine honestarentur. Istius autem Palazini hanc etiam alio in loco mentionem inueni. *Palazin Senior dominabat Zarago Za sub iussione Comitis.* Quinimmo & ipsi Reges quandoque ad ipsorum Ricorum hominum instar vocabantur Seniores; vt pote: *Imperator Senior de Zaragoza; & Petro Atares per illo.* Tum etiam: *Hoc tempore Rex de Leon Senior in Zaragoza, & Lop lopiz per sua mane.* Siquidem dum, Alfonso Imperatore, qui Cæsaraugustam cepit, interempto, eandem Vrbem Legionensis Rex, Alfonsus etiam vocatus, vt diximus, occupauit. Quod apertius est expressum his verbis. *Regnante in hac ciuitas Rex Alfonsus; Ranimirus in Aragon, & in Suprarbe; Lop Lopez Senior in Zarago Za per manum de Rege de Castella.* Vnde etiam Suprarbii vocem non recentem, aut nouam, sed illustrem, ac veterem apparet exstitisse. Quin & in vno, eodemque opido diuersis Ricis hominibus diuersi Honores dari consueuerunt: qui singulis solebant definitionibus designari. Quale illud est, quod nuper in vetusto Priuilegio perlegi. *Vicecomes Gasto Senior in Zarago Za: & Rothron Senior in illa parte, quæ dicitur Sancti Saluatoris: & Lop Senior in Quarton de Zaragoza.* Hęc enim, aliaque id genus in priscis monumentis reperiuntur vno, atque eodem loco, & tempore annotata. Et Testium, quos vocabant, Confirmatorum, in veteribus Priuilegiis nominandorum antiqua formula hæc erat: de qua in Præfatione disputauimus. At *Quarton*, vocabulo, quartam Vrbis partem designatam opinor: Quarte opidum intelligamus, ita à quarto lapide, quo ab vrbe distat, appellatum. Denique cùm ex huiusmodi vectigalibus alia in grano, vt loquitur Vitalis, id est, in fructibus imponerentur; alia autem in pecunia: quæ in fructibus exigebantur; præclara ducebantur, & maiora, quòd in maiorem possent illius, cui pendebantur, quæstum conuerti. Ex his autem, quæ in pecunia; non tantum illi commodi redundaret. At quibus vectigalia in grano imposita assignabantur huiusmodi; iis frequentius ea quam retulimus, iurisdicundi potestas attribui consueuit; ne opportuna, quæ oporteret, ad ea facilius exigenda deesset auctoritas. Quô enim illa erant incerta magis, cùm ex quota fructuū parte soluerentur: eô magis prompto, & expedito, ne corriperentur occultè, iuris indigebant remedio. Itaque vt conicimus, ea Seniorum vox, quæ prius senectutem atque extremā ætatem præ se tulit: hanc postea indicabat Ricorum hominum in ipsis opidis potestatē: vt qui se in eis Seniores vocarentur, demonstrarent, se habere in singulos eos, sibi contributos locos, huiusmodi dicundi iuris facultatem. Seniorum autem vocabulo olim Iudices significatos fuisse, vel ex ea Fori illius apertè colligitur inscriptione: quæ cum hodie Latinè reddita, *De iurisdictione omnium Iudicum*, inspiciatur; in antiquis Foris manuscriptis, Hispanis hisce verbis posita reperitur. *De la Senioria de los Seniores.* Nostræ enim veteres leges, quæ modò Latinè exstant conscriptæ, prius vernacula lingua editæ fuerunt: posteà per Salanouam de Regis ac Regni consensione ex Hispano in Latinū sermonem commutatæ. Iam verò vectigalia huiusmodi tam quæ in fructibus, quàm quæ in pecunia exigebantur; ita erant Ricis ipsis hominibus assignata, vt ex eis tenerentur decreta iam Militibus stipendia numerare. Pro pecuniarum enim summa, Militum numerus describebatur eisdem, ad eam scilicet rationem, vt pro singulis Quingentis Solidis annui redidus, qui summam conficiunt quinque & viginti, vt loquimur, Scutorum, singulos Milites alerent, & sustinerent. Ipsis autem Militibus plerumque solebant singulæ eorum stipendiariæ portiones in agris, domibus, ac vacuis tandem possessionibus assignari, quibus Rici homines donabantur à Regibus. Quo autem illæ firmæ, ac stabiles ipsis Militibus, ac posteris remanerent; solemnes adhibebantur interdum contractuum, & instrumentorum, vt loquimur, stipulationes: quarum hodie nonnulla reperiuntur exempla. Quale illud est, quod in Tabulario Ecclesiæ *de Pilart* continetur: quo idem ille Vicecomes Gasto, Senior, vt inscribitur, *in Zaragoza*, subdititium sibi Militem, quòd strenuè in expugnatione illius vrbis dimicasset, afficiebat quibusdam do-

mibus,&agris,quos quondam possedisset Arabs præcipuus,Alchayde Aben Alimen, vt idem perhibet,vocitatus.In extrema autem ipsius Donationis parte hæc verba subiunxit. *Do tibi omnia supradicta bona, salua mea fidelitate, & de meo domino Ildefonso Rege, qui nobis ea dedit.* Alia enim simillima exstant nonnulla, quæ Militibus irrogabantur, quòd se in medios hostes, vt in eis commemoratur, ad perspicuam mortem pro salute exercitus iniecissent.Quæ omnes huiusmodi stipulationum formulæ non loqui solummodò, sed personare etiam videntur pristinam illam, & Ricorum hominum in Reges, & Militum in Ricos homines fidelitatem præstandam.quasi non sat ducerent futurum, vt eorum omnium integra, ac fidelis mens in factis, & commissis, si non in iisdem ipsis scriptis spiraret. Hi igitur Milites illius Rici hominis cogebantur accitu, cuius stipendia merebantur. A quo,si deficiebant; poterant statim iisdem omnibus stipendiis mulctari. Propterea vulgari sermone, *Cavalleros vassallos de los Ricos hombres*, vocabantur. Ipsæ verò singulæ eorum stipendiariæ portiones, *Caualerias de Honor.* Ceterùm Reges ipsi pro rata eorum portione tenebantur de subsidiis Regii patrimonii alios quoque Milites sustentare. Verùm hi, quia Palatini, id est de Regis domo erant, quam veteres Mesnadam appellabant; Mesnadarii Milites sunt vocati: vt diuersis hisce nominibus, diuersi ipsorum Militum notarentur status. Quanquàm enim omnes genere idem erant,parte tamen, & specie differebant multum. Ricorum namq; hominum dignitati proximus erat Mesnaderiorum iste Militaris,seu Equester Ordo.Quibus quæ dabantur à Regibus stipendia,vt à prioribus etiam nomine differrēt,*Cauallerias de Mesnada*,seu *Mesnaderias*, vocari consueuerunt. Sed paulò post de his. Rici homines ergò suis Militibus stipati tanta auctoritate incedebant, vt Regibus penè viderentur æquales. Signiferos enim ante se,ipsorum Regum more,gestabant,singulos quos vocabant *Pendones*,aut,*Señeras*, amplissima summæ eorum dignitatis Insignia, præferentes. Vnde & ipsos Ricos homines videmus in antiquis monumentis passim *Ricos hombres de Señera*, vulgari nostra lingua nuncupatos.Regibus assidebant frequentes in consiliis. Ex communi namque illorum præscripto Remp.administrari ius erat.Ipsi præterea, Principes quandoque vt demonstrauimus,vocabantur.Eorum autem filii, Infantes interdum, queadmodum & filii Regum, appellati cernuntur. Atq; inde credimus ipsorum Infancionum nomen dimanasse.Nam quo pacto ab homine homuncio, quasi pusillus homo, deriuatur: eodem prorsus ab Infantibus Infanciones,quasi Infantes inferiores, dicti fuerunt,ipsorum Militum filii.Hi enim,eorumque posteri propriè apud nos vocantur Infanciones. Milites enim, cuiuscumq; Ordinis sint siue Ricorum hominum, siue etiam Mesnaderiorum,ii dicuntur tantùm qui sunt Militiæ auctoramento honestati,atque vt vulgò loquimur,*Los que actualmente son armados Caualleros.* Vnde illud Molini in Verbo,Infancio. *Infanciones nascuntur apud nos; Milites verò fiunt,seu creantur. Quia sine creatione actuali, seu promotione ad Militiam,nullus potest esse Miles. Vt in For.* De creatione Militum. Itaque Infancionum nomen inde tractum coniicio. Non enim placet, quæ ab eodem Molino traditur nominis,& generis Etymologia huiusmodi. *Descendunt Infanciones à filiis Regum, qui dum sunt in infancia constituti,non* Reges,*sed Infantes consueuerunt in Hispania nuncupari. Ex quibus Infantibus paulatim postea descendente, quasi corrupto vocabulo Infanciones consuetudo Hispaniæ appellauit.* Sed ea in re Molinus eodem,quo Vitalis,captus est errore. Vitalis enim sub tit. *De condicione Infancionatus.* eadem quæ me paulo ante dixi prolaturum, his verbis testatur. *Regum filii dum sunt in infancia, vel pueritia constituti, non* Reges, *sed Infantes consueuerunt, & præcipuè in Hispania appellari. Ex quo contingit, quod qui ex Rege genitus ad talem statum, deficiente sibi Regno, non valeat peruenire, quòd Rex dici valeat cum effectu: in eanuncupatione remaneat, quantumcumque processerit in ætate, quam à principio est sortitus. Vnde contingit, quòd tales, qui Regnum ratione originis promerentur, Regnum tamen nequeunt adipisci: Infantes quamdiu Reges non fuerint, appelletur. Ex talibus ergò postea paulatim, Infanzones, quasi ab Infantibus genitos consuetudo Hispaniæ appellauit. Qui quasi corrupto vocabulo sunt dicti Ermunii, id est immunes ab omni genere seruitutis.* Haud namque illa videtur ratio probabilis, vt æquè possit ea nostrorum Infancionum nominatio, quorum numero,ac multitudine Aragonum semper Regnum redundauit; ad Regalis prolis angustias tantùm, filiorumque Regum exiguos angulos reuocari. Non enim solius Regiæ prolis cultu tam fecunda potuisset stirps seminari, quàm ipsa exstitit Infancionum. Neque in Hispania olim tot Regnorum stemata viguēre,ex quibus tam magna eorum oriri posset caterua:nisi fortè in vniuersas ciuitates,opida, ac domos multitudinem Regum, qui Infancionum sobolem à se gigni,& propagari curarent,inducamus. At vero Ricorū hominum

minum filios, Infantes, antiquitus appellari solitos, præterquàm quòd in veteribus monumentis obseruauimus: illud exstat præclarum Petri Portugalensis Comitis, quod Surita in suis Indicibus refert, testimonium. Adhæc Ricis hominibus ipsis maiorum more, institutisque concedebatur, vt sese possent, dum ipsi vellent, à nostrorum Regum iure, & potestate, quasi nodum aliquem, expedire: neque expedire solùm, sed dimisso prius, quo potirentur, Honore, bellum ipsis inferre; modò ne contra Regis personam decertarent, neve eidem periculum capitis, inflammationem, aut excisionem castri molirentur. Quodcumque enim huiusmodi oppugnationis genus inferretur: debebant penitus propulsare. Reges verò Rici hominis sic expediti vxorem, filios, familiam, res, bona, & fortunas omnes in suam recipere fidem tenebantur. Neque vlla erat eorum vtilitatis facienda iactura: quinimmo, quod summum erat, & largitionis recipiendæ promissio. Poterant quoque Rici homines, si Rex non indigeret eorum adiumento, peregrino alteri cuicumque Regi, cum suorum Militum copiis, subsidio proficisci. Quod ipsis nullo pacto impediri poterat, nec perturbari. Porro colonos suos, quos vocabant, *Iuueros*, ab eo, quod vulgò ferebatur, *De hueste, y Caualgada*, seruitio liberabant. Erant autem hæc, vt ita dicam, duo proclamationum genera: quæ omnes ad arma confestim capienda, Regemque stipandum compellabant. Ac posteriori quidem, vnius diei, ac intra illius regionis fines, quibus Rex adesset: priori verò plurium dierum, & extra fines eos, pendebat seruitium. Ad reprimendos siquidem repentinos, ac vehementes hostium impetus, si qui immittebantur in patriam; is illis temporibus parandi quamcitò nostrorum equitum, ac peditum copias melior inuentus, ac constitutus est modus. A quo cùm vix vlli exempti, aut liberi censerentur: Rici homines, magni æstimabant, immunes suos habere colonos; ne arationibus agrorum desertis, solita ab ipsis exigere vectigalia nequirent. Ad bellum ire cogi non poterant, nisi id ipso Rege duce gereretur. Is enim solus ipsi præponi debebat imperator. Denique ita latè apud nos olim Ricorum hominum patuit potestas; vt Regibus vix subdititii, sed pares viderentur, ac socii. Quod præclare, tametsi breuiter, Alfonsus III. his verbis expressit, totamque veteris illius Reipub. nostræ, ac temporum formam; dum grauiter de subito quorundam Ricorum hominum à se discessu, præcipitique profectione questus, priorem Dominicanum, fratrem Valerium; misit, vt eos, quibus rebus posset, sibi conciliaret. Dolebat enim à se illos quorumdam, vt asserebat, perfidia esse distractos. Ita autem ea de re conquerebatur: quemadmodum Surita in Annalibus annotauit. *Que lo hauian desampa-rado los Ricos hombres, que con el estauan: creyendo boluer à lo antiguo, quando hauia en el Regno tantos Reyes, como Ricos hombres.* Tam magnum quondam Ricorum hominum nomen fuit, tam magna species, tantaque apud nos dignitas, & amplitudo, vt ab ipsis Regibus Reges censerentur. Verum enim verò eorum duplex ratio fuit. Alteri enim Rici homines *de* natura dicti sunt; quorum certæ fuerunt descriptæ, ac designatæ familiæ: Rici homines autem *de* Mesnada alteri; quorum longior numerus fuit, & incertus. Et hi omnes quamuis posteà non multum genere differre visi sunt: sed in eo ipso minimè censebantur pares. Nam Rici homines *de* natura habiti sunt semper antiquiores. Eosque persuadeo mihi à duodecim illis Senioribus, qui in primo Interregno Reipub. nostræ moderatores fuerunt, originem potius duxisse, quàm ab alienigenis, externisve populis: tametsi video posteros nonnullos ex ipsis, in eo se potissimùm gloriari, quòd nobilitatis suæ peregrinos, aut aduenas, multos post annos, habuerint auctores: cùm antiquum illud, cuius initio intexuimus Tabulas, Suprarbiense Ius vetaret plenissimè, ne qui perhibentur ab eis gentiles sui, possent, si aduentitii fuissent, lautissimis patrimoniis, quæ ipsi nunc possident, impertiri. Nec causa est vlla, meo quidem iudicio, cur velint, generis sui antiquitatem portentosis, aut fabulosis initiis illustrare: neque cur etiam externam nobilitatem domesticæ nobilitati anteponant. Iam verò vt missa hæc faciamus, vtrorumque familias, & Armorum, quæ hactenus inueniri potuerunt, Insignia statui, honestatis, & amplitudinis gratia, æquum esse annotare: vt quæ illarum laus quondam floruerit, eam, qui nunc ipsius stirpis sint, cupidiùs persequantur; ac quò se inspiciant ceteris familiis excelsiores, eò etiam clariora dent naturæ, atque humanitatis indicia. Non autem ex sermone hominum recenti, sed ex Annalium vetustate eruenda hæc esset vniuscuiusque illarum nobilitatis memoria. Sed ne ea ex meo deprompta sensu videatur, Indices sequar Suritæ: qui se eadem deprompsisse affirmabat ex priuatis cuiusdam Martini Alpartilii, egregii antiquarii, de huiusmodi argumento conscriptis monumentis. Quibuscum etiam alia vetustissimi illius D. Petri Garsiæ Carinienæ, de quo supra

feci mentionem, quæ apud nostrum D. Rudericum Zapatam, cum omnibus bonis artibus excultum virum, tum nostræ antiquitatis diligentissimum inuestigatorem, manu scripta exstant, videntur consentire. Quamquàm autem à Cariniena ipso feruntur scripta: neque enim id dubito: arbitror tamen in ea nostros ipsos Benedictum Papam, ac Martinum Regem, quod quisque illorum potuit, contulisse in sermonibus illis, quos constat ab ambobus habitos fuisse hàc de re. Etenim Ann. Chr. ∞ CCCXCVII. cum ad Auinionem conuenissent, & quidam die post cœnam in præclarum hunc de antiquis nostris familiis sermonem, D. Vgone Arglesola aliisque sciscitantibus, incidissent: memoriæ proditur, eos veteris istius Historici volumen poposcisse tunc, illudque diligenter euoluisse totum, & vniuersa, quæ in eo scripta fuerant, comprobasse. Atque eo tempore ab ipsis suspicor notatiunculas, quæ exstant, fuisse ad illustrandam veritatem adhibitas: quòd vterque eorum plurimum istius rei scientia polleret ; ac quo longè ceteros ætate anteibant, eo essent ab ipsa quoque vetustate facti peritiores. Istius verò Carinienæ licet nobis incerta sunt tempora; tamen annis multis fuit ante ipsum Martinum Regem: atque vt ex illius scriptis colligitur , Alfonsi Sapientis Castellani Regis ætate coniunctus. Vnde fit, vt argumentum hoc, tot grauissimorum virorum auctoritatibus illustratum, nullo egeat testimonio grauiori. Et facile credam, Carinienam hunc illius Carinienæ gentilem fuisse, qui ipsius Benedicti Papæ cubicularius fuit. Sed præter nominis similitudinem certi nihil habeo. Rici homines igitur *de* natura, quorum certas designatas fuisse familias memoraui; quasi maiorum gentium patricii fuêre. Hi autem à scriptoribus ipsis perhibentur.

RICI HOMINES DE NATVRA

Nobilissimæ enim Lunarum gentis, in hoc ipso Ricorum hominum *de* natura gradu, tres olim fuisse familias obseruaui; totidem Armorum Insignibus, quæ annotantur, ac patronymicis quoq; nominib. hisce distinctas. Priores siquidē, ***Martinez de Luna***: alteri, ***Fernandez*** seu, ***Ferrench de Luna***: posteriores autē ***Lopez de Luna***, dicti sunt. Omnes tamen ab vna, & eadē stirpe, vt mihi quidē persuadeo, profecti. At verò Azagrarū singularē modestiā nefas esset silentio præterire, quam in suis inscriptionibus adhibeant. Nam cùm Sanctæ Mariæ *de* Albarrazin, clari, & nobilis, ita vocati, opidi dominarentur; verborum pia

notatio-

notatione traducta, profitebantur se esse, *Vassallos de Santa Maria, y Señores de Albarrazin*: debitam humilitatem etiam cum amplitudine denotantes. Et in Vrrearum illustrissima gente illud idem, quod in Lunis, factitatum video Neque enim plures, etsi eiusdem gentis, familiæ ab hoc Ricorum hominum *de* natura cœtu arcebantur. Siquidem cùm ipsorum Vrrearum duæ quoque fuissent olim familiæ præstantes, singulis ditionibus honestatæ, altera trans Iberum, & cis Iberum altera constitutis, quæ nunc sub vnius amplissimi Arandensis Comitatus titulo, & imperio comprehenduntur, tametsi ambę ipsæ genere, & nobilitate censebãtur pares: nihilominus in eodem hoc ipso Ricorum hominum *de* natura gradu, habitæ fuerunt diuersæ. vt quemadmodum Lunarum, quas diximus, tres; sic & Vrrearum duas fuisse olim præcipuas familias certum sit. Alteram autem ab altera nequaquam secreui: quòd in Armorum Insignibus nulla prorsus in re eas inuenerim, neque etiam in Eximini illo vsitatissimo ipsius gentis patronymico nomine discrepasse. Sed sit inde, vt hac Vrrearum adhibita distinctione, quæ re vera fuit; cùm Ricorum hominum *de* natura duodecim fuisse familias eruamus; probabilius sit, quòd paulò ante diximus: nempe Ricos homines hosce *de* natura à duodecim illis Senioribus, quibus nostræ in primo illo Interregno constitutæ Reipub. commissa fuit cura proficisci: quandoquidem in eis ad eundem etiam illum ipsum duodecimum numerum species permansit. Itaque affirmare possumus, eos non casu habitos, sed magna illa ex causa fuisse, & dignitate, & numero, iam ab ipsis Regni primordiis, definitos. At verò Rici homines, qui superioribus pæne æquales & potentia, & nobilitate ab iisdem scriptoribus memorantur; mihi quidem videntur quasi minorum gentium patricii: atq; vt à prioribus distinguerentur, Rici homines *de* Mesnada appellati. Quos placet hoc loco nominare. Sunt autem hi.

RICI HOMINES DE MESNADA.

Verguæ.

Mazæ.



Tramacetii.

Atrosillii.



Antillionii.

Ortizii.

Atorelliæ.

Ataresii.

Tizonii.

Caxalii.

Sanctacruzes.

Pardi.

Caſtellezuelii.



Huertæ.

Podii.

Peraltæ.



Vidaurii.



Peniæ.

Seſſeſſii.



Ahoneſii.

Najæ.



Benauentii.



Ayeruii.



Stadæ.

Calaſanzii.



Eſpeſſii.

Alcalæ.

Artuſelliæ.

Ac poſteriorum huiuſmodi Ricorum hominum *de* Meſnada longior, quàm illorum *de* natura, ac numerus etiam tam certus non fuit. Alias enim plures ipſorum *de* Meſnada illuſtres, ac veteres familias obſeruaui. Neque auſus eſſem omnes, ex poſterioribus his, Ricos homines fuiſſe affirmare, niſi id viderem ab eorum, quos ſupra dixi, auctoritate approbatum. Me enim in hanc mentem ſola impulit illorum fides: quorum teſtimoniis, non ſenſu meo, quemadmodum initio ſum præfatus, vniuſcuiuſque familiæ gradum metiendum conſtitui. Sed mihi nequaquã propoſitum eſt modò de ſingulis earum originibus diſputare. Eam enim rem arbitror ex Annalium monumentis, ac noſtrorum Regum Commentariis exquirendam. Placuit autem adhiberi hunc à me perpoliendi ſolùm, & ornandi huiuſce operis cauſa laborem; ac veteres tantum Ricorum hominum familias recenſere, earumque nobilitatis, quæ hactenus inuenire potui, Inſignia annotare: non autem de illarum antiquitate diſſerere. Ea enim in re, tamquam ratis in mari immenſo, noſtra veheretur oratio: neque tam explorata ea ratio eſt, quàm videtur. Quãobrem emergam me ex his vadis: cum ceteros videam lubricam hanc quæſtionem ſilentio præteruectos. Ricis hominibus igitur ius antiquum erat in omnibus ciuitatibus, atque opidis Aragonum, maxima vectigalia pro Militibus alendis aſſignari. Quæ vocabantur Honores: quia in honorem, vt ſæpe dictum eſt, conferebantur. Hi ergo nequaquam poterant ab vnius Rici hominis imperio abdicari, quin ſtatim alteri Rico homini addici oporteret. Neque verò quis eorum poterat ad ſolius Regis nutum ab eo circulo perpetuò ſubduci, tametſi id Vitalis videatur atteſtari. Contrarium enim elicitur ex antiquis legibus, ipſius tempore, promulgatis, quibus, id Regi facere, eſt nefas decretum. Abiudicari autem poterant, ſi aliquis ex infraſcriptis ſeptem caſibus incidiſſet: quos in hunc locum conferendos ſtatui, quia diffuſi in ipſis legibus continentur. Sunt autem hi:

Siquis

Siquis non Infancionem, aut ciuitatis immunis non ciuem Militiæ authoramento honeſtabat. Tunc enim Honorariis illis iuribus, quæ aliis ſui Ordinis patebant, excluſus perpetuò cenſebatur. Vt in For. 1. & 2.

De creatione Militum.

Tum:

Qui honorem ſibi commiſſum faciebat deteriorem, ſeu à vectigalibus ſuis opidis inſolita ſtipendia cogebat; Regis prorſus ſubiacebat nutui: nec deinceps vmquam, Rege non libente, in circulari illo Ricorum hominum cœtu admittebatur, ſi requiſitus differret, illata huiuſmodi damna reſarcire. Vt in For. vnic. *De ſtipendiis, ac ſtipendiariis.*

Tum etiam:

Si ſtipendiarias illas Militares portiones in ſingulis ſibi contributis opidis deſignatas, aut numero exhauſtas, aut extenuatas cenſibus ſuſtineret; ſupremo illo munere ſpoliabatur perpetuò. Vt in For. ſub. tit. *Quòd Barones Aragonum teneantur.*

Nimirum, vt fraudandi ſpe omni ſublata, eorum numerus integer eſſet, quos neruos eſſe Reip. ſtatuebant. Porrò autem:

Qui Regis mandata malitioſius gereret ſui quæſtus, aut commodi gratia, vel fortè negligentius; ſummum admiſiſſe dedecus ſtatuebatur, Honoremque amittebat: dummodò id in maximi ponderis, ac momenti re eſſet. Si verò in vnius ad quinque dierum ſeruitio defeciſſet à Rege; ſtipendiorum vnius anni mulctabatur pœna. Vt in Obſ. 5. 6. 7. *De condicione Infancionatus.*

Præterea:

Qui ſe alterius Principis fœdere obſtringebat; priuabatur Honore: niſi à Rege prius veniam petiiſſet. Vt in Obſ. 8. eod. tit.

Tunc autem illi venia erat neceſſariò danda, omneſq; illius fortunæ in Regiam fidem, quemadmodum expoſuimus, recipiendæ. Adhæc etiam:

Qui aduerſus Regem, illiuſq; miniſtros non eam, quæ debetur, cui ſubiecti ſumus lege naturæ, reuerentiam adhiberet, ab omnibuſq; adhibendam curaret: amiſſi Honoris damnabatur iudicio. Vt in Obſ. 9. eod. tit.

Vſque eò maiores noſtri Regibus obtemperãdum duxerunt. Solummodò enim eorum acerbitatem mitigandam; poteſtatem verò perpetuandam, reuerendam, ac obſeruandam curarunt. Deniq;:

Qui iuratus, aliquem Infancionem eſſe, falsò retuliſſet; nedum Honoris expers fiebat, ſed in perpetuum ſeruire vectigalibus premebatur. Vt in Obſ. 10. ſub eod. tit.

His de cauſis ergò antiquo iure poterant, qui dicebantur Honores, Ricis hominibus noſtris abrogari. Verùm id non ſat erat, de ſolius Regis ſententia decerni. Nam vniuerſi Senatus oportebat, publicique conſilii decretum accedere: vt in Salanouæ ſcriptis apertè continetur. Qui verò ita priuabatur Honore, in Meſnaderiorum Ordinem deſcendebat, niſi forſan fuiſſet fediſſimo illo crimine falſi notatus. Tũc enim ipſi infima perpetuò plebeiorum hominum condicio impendebat. Atqui Rex inter Ricos homines iure poterat ſolus, Honores illos vertere, ac mutare. Non. n. eorum perẽnes erãt in ſingulis familiis curſus, nec perpetui. Et de hac Honorum inter ipſos Ricos homines mutatione Vitalis illa intelligenda ſunt verba, dum ait. *Condicio autem Regis circa Ricos homines dignoſcitur eſſe talis, vt quomodocumq; ſibi placuerit, & quotieſcumq; eos deſtituat. Quæ deſtitutio fit, quam citò ipſe Rex verbotenus, vel per ſuas literas Honorem, quem pro ipſo tenet Ricus homo, reſtitui ſibi petat.* Ea enim ad id tendere videtur, vt Rex Honoraria illa iura inter Ricos homines liberè cõmutaret, non vt vnus priuaretur Honore, ſed vt nouo alter beneficio afficeretur. Aliter enim iniqua res eſſet, & abſurda, eum, qui ſummum illum fuiſſet amplitudinis gradũ aſſequutus, diſpoliari eodẽ ſine cauſa poſſe. Ad perpetuam autẽ illius abrogationẽ referri debẽt Vitalis verba, quæ ſuperioribus connexa ſunt huiuſmodi. *Qua deſtitutione facta, Ricus homo quantumcumq; diues, vel nobilis, etiam ſi plures Milites ſecum trahat, inter Meſnadarios cõputatur.* Nempe, vt qui à Ricis hominibus agitaretur, perpetuò in Meſnaderiorum cooptaretur Collegium, ne omnibus exturbaretur fortunis, niſi in pœnam criminis falſi incidiſſet. Neq; aliter Vitalis ſibi ipſi conſtaret: cùm Ricis hominibus ſua iura ſtatuat, à Regibus auferri non licere, nec dum filiis, nec fratrib. Regum irrogari. Itaq; ſic erãt ſingulorũ Ordinum munia diſtributa, vt nulla pars illorũ excederet extra, nec quidquã de vno in alium Ordinẽ poſſet trãsferri. Quinimo ſtatutũ erat, Vt ex Honorariis illis iurib. plus æquo nequaquam congereretur in vnum: ne ceteri, qui quondã felices, ab amicis poſtea

circumuenti, egerent indignè. Quo pacto fiebat, vt Honores hi inter Ricos homines semper versarentur in gyrum. Iure autē poterant à suis creditoribus pro debitione pecuniæ, vt vulgò loquimur, emparari. Neq; id Regi facere nefas erat. Publicæ nāque fidei cōducit maximè, quod quisq; debeat, quamprimum retribuere. Tunc autē Regis, qui vocabatur, Merinus ad singula quæq; mittebatur, quæ ipsi Rico homini pensitabant, opida; edicens, ne in eum paterentur quidquam ex suis illis vectigalibus redundare, quo vsque prius creditori debitum persoluisset. Ære tamen alieno liberatus, solita vectigalia exigebat. Quòd si ex crimine causa constaret, eorum solutio nō poterat à Regib. impediri. Pro crimine enim, vt nostri loquebantur, Honores emparari non poterant, nisi de publici consilii sententia: quemadmodum Salanoua interpretatur: qui totam hanc quæstionem ad commune magis iudicium, popularemque intelligentiam accommodauit: tametsi in illius scriptis plurima desunt, ex intima monumentorum haurienda obseruatione. Ceterum summa hæc Ricorum hominum dignitas, quæ *Rica hombria* vocabatur, hereditario iure ad Ricorum hominum filios, quem quisque optaret, perueniebat. Soluta enim ipsis erat eligendi optio: dummodò vnus tātum in alterius locum vocaretur. Plures enim instituì heredes non poterant. Sed nec optari quidem filium licebat, qui non esset ex iusto matrimonio procreatus. In nothis enim tantam hærere dignitatem noluerunt. Alii autem filii in Mesnaderiorum Ordinem adscribebantur. Atq; illos arbitror aliquando Mesnadarios nobiles nominatos fuisse. Quorum mentio fit in declaratione Priuilegii Generalis, sub his verbis. *Item que a los Mesnaderos nobles, no sia emparada la Mesnada.* quasi eos ab aliis Mesnadariis ea ratione distingui fas esset. Nobiles enim postea vocati sunt, qui à Ricis hominibus ducebant genus suum. Modò tamen id Nobilium nomen latius patet. Si verò Ricus homo decederet filiis orbatus; tunc illius Ricahombria ad eum pertinebat consanguineum, qui esset cum illo proximioribus vinculis propinquitatis coniunctus, vel quē quisque eorum dignitatis suæ superstitē reliquisset. Quod si quis præter Ricamhombriam, obtineret Baroniā: poterat alterum ex Ricahombria, alterum ex Baronia facere heredē: vt elicitur ex Obser. sub tit. *De condicione Infancionatus.* Ideò Molinum diximus errasse, dum omnes Barones, Ricos homines fuisse annotauit. Diuersa nāq; eorum ratio fuit. Quo autem pacto distinguerentur, haud scio. Non enim tam faclè vera inueniri possunt, quàm falsa conuinci. Atqui cùm Ricos homines videam in Vitali, & Salanoua, atq; adeò in nonnullis ex nostris ipsis legibus, Barones sæpius appellatos, quasi nihil distulerint inter se, contrarium autem ex his, quæ diximus, & aliunde etiam eruatur: persuadeo mihi, aliquamdiu apud nos eas nominationes nec nimis diuersas, nec vllo modo fuisse coniunctas. At nunc quidem Baronum nomen latius patet, ad multosque pertinet, qui neque sunt patricii, neque à patriciis profecti. Mihi verò maius quiddam sonuisse videtur Ricorum hominum nomen, quam Baronum: sicque statuo, vt natura finxerit Ricos homines, Barones postea à Regib. facti sint. Ricos homines enim vna cum Regno, & Regibus ortos esse, nō dubito: quinimo, & ab ipsis Ricis hominibus, & verò præcipue ab his, qui *de* natura sunt dicti, eorumve maioribus, Regnum, ac Reges olim constitutos. Neq; verò, quòd natura finxerit Ricos homines, omnino leui pēdet coniectura. Hinc namq; vetus illa, atq; vsitata exceptio processit, quam notauimus, dum ad distinguendos ipsorum inter ipsos Ricorum hominum ordines, ac status, quibus aliquamdiu redundare cœperat Regnum nostrum; patricios illos maiorum gētium, vulgaris, & corrupta nostrorum hominum loquēdi consuetudo, *Ricos hombres de Natura*, appellabat: quòd eos ad tantum honorem natura ipsa, non autem vlla Regum beneficentia extulisset. Quorum tametsi certæ erant, ac debebāt esse, superiores illæ à nobis supra descriptæ, ac designatæ familiæ, quibus tantummodo, nec aliis prorsus, Honores omnes assignari ius erat: sed tamen in eum locum Reges ipsi paulatim alias nouas familias immiserunt, ex Palatinis, & Mesnadariis adscitas: quæ veteribus inculcatæ, non modò illas antiquo suo nomine amplissimo, ac proprio, sed Honoraria ea societate fraudabant: quippe quia, & Rici homines vocabantur, & plerumq; ipsis illis amplissimis Honorum à Regibus afficiebantur muneribus. Verùm hi ad priorum dissimilitudinem, quòd ex Mesnadariis adscirentur; *Ricos hombres de Mesnada*, vt diximus, dicti sunt. Propterea priores contendebant, neque à Regibus inseri potuisse posteriores, nec eo nomine afficiendos, quo affecissent. Negabant enim quidquam vlli extra eorum Ordinem, ac numerum decerni licere. Qua de re vetus illa Honoraria, vt ita dicam, lex lata fuit, quæ nunc exstat, sub tit. *De caualleriis.* Ea enim, id à Rege fieri, his verbis vetabat. *In primis: Quòd ipse, vel successores eiusdē de cetero nō donent terrā. siue Honorem alicui homini, nisi illi tantū, qui ex natura debet esse Ricus homo, & quòd non sit de alieno Regno.*

Vnde

Vnde etiam expugnato postea Valentino Regno, Ricis hominib. nostris de suo iure multæ, & magnæ fuerunt cum Iacobo Rege contentiones. Instabant enim, atq; vrgebant, vniuersum illud Valentinum Regnum, eorum ope in Regis ditionem, imperiumq; redactum, singulis suarum patribus familiarum solito illo apud nos Honorario iure distribui debere. Rex autem è contrario contendebat; longissimè diuersam habendam esse rationem. Quæ controuersia tunc demum sedata fuit, cùm Ricis hominib. iis ex nostris, qui ea de re vehementius disceptabant; lauta nonnulla illius Regni opida contributa fuêre: plurimæque in eo stipendiariæ portiones ad nostrarum instar pro Militibus sustinendis designatæ. Eas tamen non *Cauallerias de Honor*, sed paululùm mutato nomine, *Cauallerias de Conquista* nuncuparunt. De his autem plura à nobis in Iacobi Regis I. rerum narratione. De hoc igitur nouorum Ricorum hominum creandorum more, qui à Regibus induci consueuerat, Vitalis illa intelligenda sunt verba. *Quinimo etsi dominus Rex tales extraneos inter Ricos homines numeret, & Honorem Ricis hominibus debitum eis exhibet, iniuriam nullam facit* Quæ non ad vtilitatem, sed ad dignitatem referenda esse apertè colligitur ex his, quæ statim subiunguntur. *Interest enim tam Regis, quàm Ricorum hominum, & omnium Aragonensium, Regem multos habere Ricos homines, vel Barones: dummodo naturales Aragoniæ stipendiis sibi debitis non fraudentur.* Ac si maiorum gentium patricii illi, Rici homines *de* natura, factam eam aliorum hominum in Ordinem suum inductionem eo pacto, ac lege sustinerent; modò ipsi solitis commodis spoliarentur nequaquàm, tametsi posteriores nominis, ac dignitatis suæ participes fierent. Cùm verò postea acerrimæ quoque controuersiæ orirentur de huiusmodi Ricis hominibus cooptandis, quòd interdum ex inferiori Ordine adscirentur; decretum fuit: vt ex Mesnadariis tantùm eos cooptari liceret; neve quis aliunde assumeretur extrinsecus. Quod apertè declarat Vitalis, dum ait. *Hos autem Ricos homines creare, vel assumere Rex de Mesnadariis naturalibus de Aragonia debet.* Vnde ea Ricorum hominum *de* natura, & *de* Mesnada adhiberi solita est in quotidianis sermonib. crebrior distinctio: vt vniuscuiusque illorum generis antiquitatem apertè idem ipse quotidianus loquendi sermo indicaret. Verumtamen omnia ista iura plerumque Reges peruertebant, Honores illos non solùm nouis, sed peregrinis etiam hominibus deferentes. Iam verò Honores hi cõmuni Militum commodo inseruiebant. Quorum singulas eas stipendiarias portiones, *Cauallerias*, appellabant. Hæ autem olim, genere quatuor fuere; vt elicitur ex For. *A la multiplicacion* tit. *De Cauallerris.* Quasdã enim, *Cauallerias de Honor*, vocabãt: alias, *Cauallerias de Mesnada*: *Cauallerias acostumbradas dar como de Honor*, nonnullas: postremas verò, *Cauallerias acostumbradas dar como de Mesnada.* Eadẽ namq; officia, diuersa adiuncta ratione, disparibus Ordinibus tribuebantur. Res autem cogit, vt efferantur vulgari sermone. Latinè namque reddita subagreste quiddam sonarent, ac subrusticum; nec eam, quam quærimus, nostrarum rerum antiquitatem olerent. Cauallerias quidem *de Honor*, (vt sigillatim vnamquamque rem attingamus) stipendia illa nominabant, quibus Rici homines Milites suos, vel Militum filios, Infanciones vocatos, afficiebant. Eis enim dari poterant, ac debebant: dabanturque vel in pecunia, vel in fructibus, aut vacuis possessionibus, vt cuique Rico homini libitum erat. Ab eo autem, quòd vectigalia Ricorum hominum, Honores, sunt vocata: & ipsa etiam alimentaria Militum, ac Infancionum stipẽdia, quia in eisdem illis Honoribus decernebantur; *Cauallerias de Honor*, vocari consueuerunt. At verò earum ratio duplex fuit. Quædam enim vocabantur antiquæ; aliæ recentiores: quibus nominibus suum vnicuiq; designabatur Regibus munus seruiendi. Recentioribus quidem, qui ex nostris potiebantur; trimestre quotannis seruitium ad arma vocati depẽdebant. Antiquis autem, menstrui tantum spatii erat ipsis actio cõstituta. Quam maiores nostri Latinè etiam loquentes, Mensatam appellabant: & facere Mensatam, illud vnius mensis, quod pẽdere cogebãtur, seruitium. De quo verba illa accipiẽda sunt Priuilegii generalis. col. 1. *Itẽ, que los Ricos hombres de la Mesada* (Ita n. in manuscriptis codicib. continetur) *que han a seruir al Segnor Rey, que sian contados en aquel mes los dias de la yda, è de la tornada: daqui aqui sian tornados en lures casas. Y aquello mismo sia de los Caualleros, que terran Honores de los Ricos hombres.* In excusis enim deprauatè legitur *de la Mesnada.* Sed *Mesada* legendum esse, ex ipsius orationis sensu percipitur. Nam vt omnia cohæreant inter se, postrema ex eis duci oportet, quæ prius dicta fuere. Dum igitur ait, *que han a seruir al Segnor Rey*, & paulò post *que sian contados en aquel mes*, apertè colligitur, mensis antea fuisse, nõ Mesnatæ factam mentionem: vt tametsi manuscripti codices mendum hoc nequaquã corrigerẽt; ipsa eadẽ spinosa & exilis vulgaris oratio ansas daret, quibus reconditum hunc sensum te-

neremus. Itaque maiores nostri variis his nominibus, quasi iuris norma, ac præscripto, dilucidè, & sincerè officiorum omnium momenta distinguebant. Sic enim erant Militares huiusmodi portiones designatæ non solum numero, sed etiam ratione; vt quid quemque Ricum hominem Regibus, & quid quemq; Militem, aut Infancionem Ricis hominibus præstare oporteret, notum esset maximè, & vulgatum. Eas autem in nostrates Milites, ac Infanciones conferri ius erat. Vetus enim illa præcipua Suprarbiensis lex alienigenas hisce Honoribus frui vetabat plenissimè. Neque verò hi Milites, ac Infanciones poterant, nisi pro vadimonio deserto à Ricis hominib. exauthorati. Nam, vt veteres nostri loquebantur, non ad Ricorum hominum nutum, sed simpliciter, Militaria illa stipendia eis assignari licebat: vt quo iure Rici homines cum Regibus ipsis, eodem etiam & Milites, ac Infanciones cum Ricis hominibus vterentur. Atque hac vna in re Caualleriæ *de* Honor à Caualleriis *de* Mesnada differebāt: præterquàm quòd erant dignitate, & gradibus inferiores. Caualleriás enim *de* Mesnada vocabant, singulas eas stipendiarias portiones, quas Reges de Regalis patrimonii subsidiis, domesticis suis, ac Palatinis hominibus impartiebant: siue ii essent Nobiles, siue etiam Milites, siue etiam Infanciones. Triplex enim ea Mesnaderiorum quondam ratio fuit. Nequaquam autem illorum certæ erant, aut designatæ familiæ. Liberè enim poterant Reges, quem quisque vellet, in eo dignitatis gradu collocare, modò ex tribus his ordinibus adsciretur. Nihilominus tamen in eo ipso gradu fuêre Mesnaderii nonnulli, ceteris sui Ordinis genere, ac dignitate illustriores. Hi autem ab eodem Surita, & Alpartilio, ceterisque aliis antiquariis, describuntur.

MESNADERII.

Funesii.

Lihorrij.

Zapatæ.

Vrriesii.

Lanuzæ.

Veræ.

Et mihi quidem non valde placet adhibitus iste ordo in his enumerandis nostrorum Mesnaderiorum familiis. Nonnullas enim præteritas video; alias retropositas, & locatas: quas ego prioribus libenter anteferrem. Nec me fugit Hieronymum Suritam in priuatis monumentis suis testatum reliquisse, Valtorresios, eosdem prorsus cum Zapatis esse. Ego verò cùm ex ipsis Zapatis alios videam, Zapatas *de* Thous; *de* Calahorra; *de* Alfaro; *de* Valtorrés; *de* Cintrueñygo; *de* Alcolea; & alios etiam *de* Cadret; his siquidem variis cognominibus appellatos: potius dicerem, Zapatarum gentem, quòd in plures esset familias diffusa, ad internoscendam vnamquamque earum, singulas hasce cognominum notas, à singulis hisce opidis sumptas, adiunxisse. Ideoque qui ex eis Valtorresii opido, à Bilbili non longè, sunt potiti (eos namq; fuisse illo diu potitos cōstat) Zapatas de Valtorres fuisse dictos: & quandoq; Valtorresios simpliciter appellatos, ad illorum similitudinem prorsus, qui apud Valentinos, cùm ex eadem Zapatarum gente sint, gentilitium ipsum supprimentes nomen, *Perez de Calatayud*, tantummodò dicuntur. Neque etiam dubito, quin Zapatæ ipsi eadem omnino Armorum Insignia non omnes gestarint; sed aut numero, aut qualitate diuersa: nempe vt qui cognominibus inter se, Insignibus quoq; voluerint differre. Ac Valtorresios quidem ea, quæ eisdem tribuimus, Insignia gestasse, ex veteribus sepulchris colligitur. Et verò Zapatæ *de* Cadret quæ Insignia gestarint, dicam, quod sentio, dum infra illius Ioannis Zapatæ, qui Iustitia Aragonum fuit, vitam attingam. Eum namque ex eadem hac ipsa Zapatarum gente fuisse, perspicua res est: tametsi interdum inuenio hæc omnia in dissimilem rationem mutata. Verumtamen iam initio scripsi, me hac in re Suritam, Alpártilium, & antiquarium illum Garsiã, sequuturum. Nam etsi ego, quid ipsi in ea sint sequuti, non perspicio: iccirco minus existimo, quidquã eos nisi aliqua ratione nō fecisse. Hæ igitur clarissimæ sunt, quæ ab hisce scriptorib. veterum Mesnadariorum, seu Mesnaderiorum (quod idem est) familiæ memorantur. Quibus quæ à Regibus assignabantur vectigalia, Cauallerias *de* Mesnada nuncupabant. Regio autẽ nutu pendebãt prorsus. Quæ tandẽ magna, vt diximus, erat inter Cauallerias *de* Honor, *&* Cauallerias *de* Mesnada differẽtia: cùm has ad libitum cōferri fas esset, illas autẽ nequaquam. Postea tamẽ hæc omnis ratio plerumq; solita est traduci, & conuerti. Cauallleriæ enim *de* Mesnada interdum in Honorem, id est, immutabiles, ac perennes conferri consueuerunt: & è conuerso Caualleriæ *de* Honor, ac si essent *de* Mesnada, ad nutum assignari. Et profectò totus ille ambitus verborum, *acostumbradas dar como de Honor*, seu, *acostumbradas dar como de Mesnada*, nihil aliud, nisi hanc vniuscuiusque illarum mutabilitatem, vel immutabilitatem indicabat: vt quæ vnius generis erant, ad alterius generis rationem collatæ, adhibita illa verborum traductione, notarentur. Vnde hodiernis temporibus Mesnaderios Milites videmus nonnullos, qui priscam hanc istius differentiæ notationem in suis Inscriptionibus præseferunt; se cùm alioquin ex Mesnaderiorum Ordine sint, Honoris lautorum opidorum dominos nuncupantes: quasi ea sibi, ac maioribus suis eo pacto declarent non ad Regum nutum, vt Mesnaderiis conferri ius erat; sed in Honorem fuisse, Ricorum hominum more, contributa. Quæ enim re differebant, nomine etiam distare voluerunt. Nec tamen hæc ita astricta erant, vt ea Reges cùm volebant, plerumque non laxarent. Cumque ob

eam caussam multis modis confusa versarentur: publica postea lege. *A la confirmacion,* tit. *De Cauallerius.* decretum fuit, vt in genus quodque suum digererentur discretè. Quoniam autem sæpenumerò vectigalibus locis immunitas dabatur à Regibus Militarium hiusmodi stipendiorum; quibus ademptis nihil aliud sperandum videbatur, nisi vt Resp. suis neruis incisis debilitata relinqueretur, & soluta lege vnica sub tit. *De diminutione Cauallerìarum.* edictum fuit, ne attenuari illa possent, neve imminui. Interdum enim necesse erat, bellicæ rei gerendæ rationem ciuilium legum præceptis fultam esse. Hinc autem fiebat, vt cùm certissima hæc essent militibus nostris proposita præmia; non dubitarent quibusuis se offerre pro patria periculis: eratq; omnino, dum prœliabantur, præclarum illud insitum in eis: AVT vincere, aut emori. Quòd si belligerando necabantur; in meliori erant caussa, & condicione, quàm si domi locupletes senes remansissent. Eorum verò qui imperatores, duces, arcium præfecti, nauarchive fuerant; sepelire corpora nequaquam licebat, quin priùs declararet Rex officio, ac muneri, quod quisque illorum sustinuisset, satis factum esse: præstitamq; sibi in eo ab vnoquoque fidem, sollemni decreto interposito, liberaret: nimirum vt qui fraudem, aut scelus commisisset, honore sepulturæ careret. Tot modis, institutisq; maiores nostri præclaram, qua nunc fruimur, libertatem stabilierunt, omnem rationem, assiduamq; & perpetuam curam, ac laborem in id potissimum adhibentes, vt omnes nostrorum hominum Ordines, ac status, & Reges ipsi, quasi membra suo quoque loco locata, singulis sibi muneribus assignatis, sine vlla, si fieri posset, aliorum Ordinum iactura, æquabiliter fungerentur; sicq; libera esset, & non sollicita nimis, aut anxia suæ rei cuiusque custodia. In quo demum tota Reip. nostræ temperatio consistit. Sed iam, hæc omnia partim ipsa vetustate consenuerunt, partim nouis ritibus sunt sublata. Et verò prisca hæc tanta seueritas, desertaque illa, & inculta vita, quando dies, noctesque nostri armati concursabant, ac in bello, & Maurorum sanguine assidui versabantur; verè quidem parsimoniæ, fortitudinis, temperantiæ, cæterarumque virtutum omnium magistra fuit. In qua maleficia, ac scelera, quæ nunc in otiosa hac nostra, vmbratili, & delicata gignuntur; gigni non solebant: quinimo ita tunc æqualiter omnes omni genere virtutum floruêre; vt egregia hæc laus videatur non hominum solùm, verùm illorum etiam temporum fuisse. Ceterùm quæ de antiquis nostrorum hominum, atq; huiusmodi etiam familiarum nominib. dicenda constitui, postea explicabo, dum exponam prius, quænã sit Iustitiæ Aragonum Magistratus vis, ac potestas: de quibus, vt agatur hoc loco, ordo ipse postulat rationis. Eò enim spectat totus hic à me tam diffusè habitus sermo de Ricorum hominum dignitate; vt mirari desinamus, quòd ea vigente, tamdiu Magistratus quasi diuturno somno consopitus exstiterit; cùm Ricorum hominum seuerum imperium non Magistratus solùm, sed vim quoque ipsius Regiæ potestatis obsideret. Erant enim publici consilii principes, & bellicarum omnium rerum transactores, ardua quæque alia negotia gerentes: quibus Regia semper Curia patebat: quorum commodis maximè seruiebant opida, ac ciuitates: qui ad instituendum Regnum grauissimi auctores: ad comparandum fidelissimi socii: ad rem autem perficiendam adiutores fortissimi ab ipsis Regibus censebantur: quos denique non cani, non rugæ, non diuitiarum cumulus ad summam eam extulerant Seniorum, ac Ricorum hominum dignitatem, sed summus virtutis splendor, generisque ac nobilitatis amplitudo; qua magis inter ceteros omnes eminebant. Sed iidem ipsi, qui constituti fuerant patriæ libertatis defensores; eandem plerumque proterebant, & conculcabant, priuata potiùs ducentes officium dirigi, quàm publica vtilitate licere. Ex quo enim tempore, Regibus fas erat crebras illas facere inter ipsos Ricos homines Honorum mutationes: facillimè propter suum quisque emolumentum violari alterius commodum patiebatur. At verò dum se simul omnes inspexerunt suis opibus, ac potentia, vno, & eodem tempore, à Petro II. Rege, quamprimùm regnare cœpit, quemadmodum retulimus, spoliatos; quamuis protinus fuerunt in pristinum statum restituti; nihilominus intimis sensibus angebantur, se eodem modo posse restitutos labefactari timentes, quo antea stantes acerrimus ille Regis impetus perculisset. Propterea statuerunt, communem eorum rem meliore in loco esse ponendam; optimeque cum ipsis actum iri, si aliqua eisdem contribuerentur opida deinceps, quæ non Honorario illo, & communi, sed proprio vniuscuiusque & priuato iure, sibi, ac posteris hereditaria manerent: tametsi de maxima eorum dignitate detraherentur nonnulla. Quod Reges libenter concesserunt. Sed cum nihil tunc de tumultuosa Vnionis potestate detractum fuisset; quin potius decretum, vt in subsidium libertatis suas esset integerrimas vires habitura: Rici homines ipsis

solito

ſolito ſuo ſaluto, ac libero motu, intempeſtiuè plerumq; vniuerſum Regnum ad experiundos ipſius Vnionis neruos incitabant: quippe quia, cõmota ea, videbantur ſibi in priſtinã dignitatẽ reſtituti. Hæc autem rei gerendę ratio cùm bellicas paſſim propagaret de publico iure cum Regibus contentiones, ob idque quòd ipſam libertatẽ in præcipitem locum quandoq; ferebat, funditus tolleretur: ſublata Vnione, Ricorum hominũ in Rep. adminiſtranda concidit penitus, ac defecit auctoritas. A quo tempore noſter iſte floreſcere cœpit Magiſtratus, & antiquæ illius poteſtatis ſtirps nouis legibus, ac inſtitutis firmari. Tunc enim plurima in eum præſidia, atque ornamenta congeſta fuêre; quibus firmioribus opibus nixus fuit, iis ſcilicet, quibus fas erat, vt æquè, & temperatè frequens Regum poſſet intempeſtiuis conatibus obuiam ire: neque eos gladiis, aut ferro, ſed legibus, ac iure prohiberet. Quo pacto commodius, ac decentius fuit omnibus Regum, ac Regni conſultum fortunis. Atque hoc eſt, quamobrem hæc omnia commemorarim hoc loco. Non enim minuunt, ſed potius augent iſtius Magiſtratus dignitatem; cùm omnia quæque fiunt, quæque conſtituuntur grauiſſima, natura ipſa conſueuerit lenioribus ſemper principiis prætexere. Propoſitum itaque aggrediar de illius poteſtate ſermonem, non vt legum peritus, ſed vt noſtrarum tantummodò rerum officioſus, & cupidus explicator. Hæc enim ad aurium voluptatem, nõ ad iudiciorum certamen ſcribenda ſuſcepi.

DE MAGISTRATVS IVSTITIÆ ARAGONUM poteſtate, & vi.

QVEMADMODVM igitur ex interuallis coniunctis imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis ipſorum orbium impulſus ſonum efficit rectum, & æqualem; ſic proprium iſtius noſtri Magiſtratus eſt munus, ita acuta cum grauibus temperare, vt Regis, ac Regni æquabilis concentus efficiatur. Iam enim apud nos ſunt formulæ de omnibus rebus conſtitutæ, ſingulaque vnicuique iura definita vel legibus, vel conſuetudine, vel conceſſis; quorum nec Regibus, nec Regno fas eſt vnquam egredi cancellos; nempe quia maiores noſtri ſemper iudicarunt, in eo Regno, quod legibus teneatur, à legibus diſcedi nefas eſſe; quinimo omnes ſcriptis legibus, ac Regniſcitis deuinctos eſſe oportere. Qua in re videntur noſtræ Reip. formam ad præclaram illam, principem Gothorum legem, à Rege Flauio Receſuintho latam, direxiſſe; qua expreſsè cautum, & prouiſum fuit, vt tam Regia poteſtas, quàm vniuerſitas populorum reuerentiæ legum ſubiaceret. Sed ratio hæc apud nos ita temperata eſt, vt cùm ad id populum premat neceſſitas; Principem ipſum voluntas. Neque verò viſum fuit noſtris, æquè in noſtra Rep. ſuſtinendum, quod in aliis prouinciis paſſim fit, vt Magiſtratus nos ſtantes circumſcribant, iubeantque præſtare, priuſquam ex illa circumſcriptione excedamus. Fuit enim longè à noſtrorum ſenſibus ſemper abhorrens extraordinarium eiuſmodi, ſeuerumque ac ventoſum imperium: maiorum autem more comparatum, vt in Iudicibus æqua ſeueritas ęqua cum humanitate iungatur: neq; ſolùm, vt leges populo, verum vt ipſis etiã Magiſtratibus præſint. Vnde verè dici poteſt, leges nobis eſſe loquentes; mutos autem earum miniſtros Magiſtratus. Itaque Iuſtitiæ Aragonum munus eſt, attentum animum ad legum conſeruationem tenere, ne quid fortè diſcrepet; ſed in quoque genere, vt præſcriptio, & temperatio ab ipſis legibus tradita teneatur. Atque eo etiam id magis, quo maior, & melior eſt huiuſmodi actionum concentus, quàm ſonorum. Quod ſi vlla accidit de legibus ipſis dubitatio; Iuſtitiæ Aragonum partes ſunt, an rei, de qua quærimus, interdictum, actiove in legis mentem venerit, vel non venerit, declarare. In eo autem, quod ab ipſo fuerit definitum; ſtare omnes, ius eſt decretum. Dant enim leges eidem integram hanc earundem interpretandi poteſtatem. De qua Molinus in ſuo Repertorio hæc annotauit Nã hoc loco nõ niſi res notas, ac peruulgatas proferendas conſtitui. *Fororum dubia poteſt decidere, & declarare* Iuſtitia Aragonum*: & eius declarationi eſt ſtandum; & illa debet ſequi.* Et idem paulo poſt. *Determinationes, quæ fiunt concorditer in Conſilio* Iu*ſtitiæ Aragonum ſuper dubio Fori, ſunt tamquam Fori ſequendæ in deciſionibus cauſarum; & aliquando non ſolent eſſe minoris auctoritatis, quàm ipſi Fori. Et iſta eſt vna de magnis præeminentiis, quam habet* Iuſtitia *Aragonum. Vnde omnes* O*fficiales dubitantes de Foro, vſu, conſuetudine, & libertatibus Regni, debent conſulere* Iuſtitiam *Aragonum, & ſequi eius reſponſum. Vt in For. prim. & ſecundo. Quod in dubiis non craſſis. Quinimo Reges Aragonum dubitantes aliquid, an poſſint facere de Foro, conſueuerunt conſulere* Iuſtitiam *Aragonum. De quo vide in* O*bſer. finali. tit. Quod in aſſignationibus, fol.* 12. *& in* O*bſer.* 3. *De Priuilegio*

Generali. Et alibi idem Molinus hæc etiam subiunxit. *Ad Iustitiam Aragonum pertinet declarare, an literæ domini Regis, vel Primogeniti directæ suis Officialibus sint desaforatæ, vel contra libertates Regni, vel non; & an eis sit obediendum, vel non; & an earum virtute debeat procedi, vel supersederi: Vt in For. primo, tit.* De *Iuramento præstando. Et ita est vna de præeminentiis Iustitiæ Aragonum:* Quoniam autem Molinus perhibet à nostris Regibus olim Iustitias Aragonum consuli fuisse solitos de Regni legibus, & libertatibus; quò illius testimonium (etsi his de rebus graue per se est, ac grauissimum) adhibitis exemplis comprobetur: libet duo nunc annectere responsa, quæ ab ipso illo, quem toties nominauimus, Salanoua Iustitia Aragonum, reddita fuere Iacobo Regi II. per publicas, vt apparet, literas eundem de publico iure consulenti. Eo enim vtemur teste, & auctore, in cuius monumentis dilucidior, vt sæpe diximus, vetustæ nostræ disciplinæ ratio reperitur. Et libuisset ipsas illas prætexere modò eiusdem Regis consultationes, si extarent. Sed eas inuenire non potui. Salanouæ autem responsa sunt huiusmodi.

Serenissimo, ac magnifico Domino, *Domino Iacobo Dei gratia Regi* Aragonum, *Sardiniæ, & Corsicæ, Comiti Barcinonæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vexillario amictato, &* Capitaneo *Generali, Eximinus Petri de Salanoua* I*ustitia Aragonum, manuum, & pedum oscula, se in eius gratiam commendando. Nouerit vestra Celsitudo me vestras literas recepisse super facto cuiusdam presbyteri, qui per custodes ciuitatis* Iaccæ *de nocte fuit captus, & per populum dictæ ciuitatis eadem nocte fuit in furca suspensus, iuris, & Fori ordine prætermisso, in contemptum Regiæ Maiestatis, & iniuriam Ecclesiasticæ libertatis. Et quòd intenditis, quòd tam enormis excessus non remaneat impunitus. Quibus quidem literis mihi mandastis, vt viso transumpto literæ Reuerendi domini Episcopi* O*scensis super prædictis vobis missæ, & habito tractatu, & collatione cum Procuratore ad causas, & aliis quibus mihi videretur vobis significare deberem, & consiliare: qualiter secundum Forum sit in dicto negotio procedendum. Et ego omnibus præmissis visis, & intellectis, & habita collatione iuxta mandatum vestrum prædictum, vobis significo meum intentum. Et primo sciatis Domine: Quod in Aragonia* I*nquisitionem non habemus, nisi contra vestros Officiales: & talis excessus, sicut alii excessus, secundum Forum, & etiam secundum ius debent ordine iudiciario puniri. Vt innuit Forus Aragonum in Carta Pacis. & in tit. De proditoribus, c. prim. in fin. & in multis aliis. Et concordant hic iura. Ex,* De *iniuriis, c. olim. & Extra.* De *pœnis, c. 2. & extra. De sententia excommuni. c. perpendimus: cum multis similibus, quæ iura de simili casu loquuntur. Et sic de prædicto excessu potest conqueri procurator vester nomine vestro. Possunt etiam conqueri consanguinei Presbyteri antedicti. Et si procurator vester voluerit conqueri, & negotium prosequi, possunt malefactores debita pœna puniri. Vel si Procurator Episcopi, vel consanguinei Presbyteri voluerint conqueri; illud idem. Nam bene recolit Dominatio Vestra, qualiter illi, qui fecerunt in* Regno *Valentiæ extemam, in* Regno *Aragonum secundum Forum Aragoniæ per vos fuerunt castigati. Quia iustitia corporalis, seu extema ad vos spectant: & non debent fieri nisi per* I*ustitias vestras, vel illos, qui merum imperium habent in locis suis. Potest etiam conqueri procurator Episcopi. Quia quilibet Prælatus potest conqueri de iniuria facta Ecclesiastico suo. Vt Extra. de pœnis, Cap. 2. Non tamen alii.*

Cumque hæc ad ciuilium legum pertineant rationem: quæ sequuntur, ad ea, quæ de militum protulimus stipendiis. Sed nec ista omnia eiusmodi sunt, quin mihi confusius scripta videantur; siue quòd mutila extent, siue etiam mendosa: vt omittam barbariam forensem, quæ mirum in modum veteres nostros ipsarum legum interpretes infuscauit. Ita autem Salanouam respondisse apparet eidem Regi de stipendiariis assignationibus sciscitanti.

Serenissimo, ac magnifico Domino, Domino Iacobo Dei *gratia* Regi *Aragonum, Sardiniæ, & Corsicæ,* Comiti *Barcinonæ, ac Sanctæ* Romanæ *Ecclesiæ Vexilliario amictato, & Capitaneo Generali, Eximinus Petri de Salanoua* I*ustitia Aragonum, manuum, & pedum oscula, se in eius gratiam commendando.* Recepi D*omine Vestras literas, quibus continebatur. Quòd sine Monetatico locorum* Regni *Aragonum sunt aliquæ assignationes factæ in generali, aliæ super Merinatibus; aliæ verò in speciali super terris, & locis. Et mandastis mihi in eisdem literis, quod incontinenti per latorem ipsarum cum litera mea vos certificare curarem: vtrum assignationes in specialibus locis super Monetatico factæ, licet aliæ consignationes factæ in generali sint, prioribus tempore debeant anteferri, necne. Atque Excellentiæ vestræ respondeo; Quòd in assignationibus factis respicimus temporis prioritatem. Et hoc Forus nouus per vos editus in prima generali Curia Cæsaraugustæ habita manifestè declarat* .·.·.·.·.·.·.·.·.·.· *ex quo dicit; super Monetatico specialis assignatio censetur, ac si super certo loco esset facta assignatio. Hoc tamen attendendum est. Quod qui habet assignationē super Monetatico in generali, vel super Merinatu in generali, nō potest exigere,*

exigere, nec petere Monetaticum vnius loci. Sed collectores omnes Regni debent soluere illi, qui habet assignationem generalem. Et similiter si multi sunt collectores Merinatus, omnes debent soluere in illa assignatione. Quibus assignationibus persolutis, si aliquid superficeret, debet solui illi, qui habet speciales assignationes in certis locis, ex quo sunt vltimi in assignationibus .·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·. Cetera desiderantur. Neque verò aut Iustitiæ signum, aut dies appositus cõtinetur. Et hæc eadem verba in Obs. vlt. sub tit. *Quod in assignationibus.* suppresso tamen istius Iustitiæ nomine referuntur. Verùm id ad nostrum institutum nihil pertinet; cùm hoc loco nullius rei, nisi exempli causa, sumantur, vt eorum appositione exploratum illud, quod diximus, de nostri Magistratus potestate Michaelis *del* Molino testimonium comprobetur. At verò quæ à Salanoua de prohibita Inquisitione tradita sunt, nequaquàm de ea intelligenda, quæ aduersus Christianæ Fidei hostes à Catholico Rege Ferdinando religiosissimè fuit, vt suo loco diximus, constituta; eodemque ipso proprio, splendido, ac in toto orbe terrarum clarissimo Sancti Officii Inquisitionis nomine signata. Etenim ea, pro Dei benignitate, amplissimo in honore est apud nos; vt pote quæ fuit primi illius Sancti Inquisitoris sanguine, quasi firmissimo cœmento, stabilita. De illa autem loquutus est, quæ vulgari lingua, *Enquesta*, apud nos; Castellæ autem, *Pesquisa*, nuncupatur. Eam enim iura nostra plenissimè vetant: neq; vt quidquam fiat, nisi ad illius, cuius principaliter intersit, vt loquimur, instantiam: nempe quia maiores nostri voluerunt, sui quemque iuris, & dimittendi, & retinendi esse dominum: idque neruos esse, atque artus libertatis. Vt ad propositum igitur reuertamur, iuris nostri interpretatio ad Iustitiæ Aragonum Magistrum spectat. Quem antiqui Reges libentibus animis consulebant, vt quæque fierent, eo auctore fierent, cuius auctoritatis neminem posset pœnitere. Vnde eidem optimè conuenire videtur, quod Pythium Apollinem apud Ennium dixisse proditur: *Eum se esse, à quo Reges, & populi, & omnes sui Ciues iudicium exquirant, suarum rerum dubii, atque incerti.* Iam verò de magna illa iurisdicundi facultate, vt inter Regem, ac Regnum Magistratus hic, quasi murus quidam, intersit; hæc idem Molinus testata reliquit. *In factis domini Regis* Iustitia *Aragonum est Iudex pecularis, & nullus alius se potest intromittere* : In *tantum, Quòd Iustitia Aragonum potest inhibere Progenitum domini* Regis, *seu Gubernatorem, & eius vices gerentem, & omnes alios quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, ne de dictis factis domini* Regis *se intromittant. A quibus dictæ inhibitiones* Iustitiæ *Aragonum sunt obtemperandæ. Aliàs si non obediunt illas, incurrunt in pœnis Officialium delinquentium contra Forum. Vide in For. Vnic. tit. Quòd inhibitiones* Iustitiæ *Aragonum, fol. 24. Nec est mirandum de hoc, Quòd* Iustitia Ara*gonum in factis domini* Regis *habeat iurisdictionem in dominum* Regem : *cùm hoc sit specialiter, & expresse pactatum, & conuentum inter dominum* Regem, *&* Aragonenses, *tempore quo fuit creatus, assumptus, seu dictus* Rex. Atqui dum interdicit, ea semper vtitur moderatione, vt *Ex parte domini* Regis interdicat. Hęc enim suorum omnium interdictorum est formula: vt ad Regis, ministrorumq; cohibendam iram non alterius imperium videatur, præterquàm ipsius tantummodò Regis edictum accessisse; sed quasi iratus Rex à semetipso solùm, sedato, & non irato, compescatur. Neque vero Iudices nostri, quamtumuis erecti, perfractarum legum crimine accersiti, (hi enim sunt, qui Officiales delinquentes appellantur) effugere possunt vllo modo animaduersionem istius Magistratus censoriam. Nam, vt eadem Molini verba subiungam: *Quando agitur contra Officialem delinquentem per viam accusationis directæ, accusando eum, tamquàm Officialem delinquentem; non potest Officialis accusari, nisi coram* Iustitia *Aragonum. Quia cognoscere de causis Officialium delinquentium per viam accusationis directæ, tantùm pertinet ad* Iustitiam Aragonum. *Et proceditur contra Officiales delinquentes per* Iustitiam *Aragonum breuiter, summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii. Vt in For. 3. tit. Quòd in dubiis non crass. Et in For. vnic. tit. De prohibitis aueriis.* Quòd si ea fuerit contracta culpa, vt pœna ipsa capitalis sit; capitis etiam iudicium esse potest. Est præterea Iustitia Aragonum, exemptorum, vt loquimur, Iudex: ne cui delinquendi illecebra sit, illa ipsa impunitatis spes. Est quoque qui ad Regum stringendam Iureiurando fidem quasi quidam interponitur nodus, & vinculum. In eius enim certa iam verba, vsitata, & lectissima Reges, ac Primogeniti, & qui pro Rege munus perfungitur, tenentur iurare: quemadmodum publica lege sub tit. *Coram quibus.* cautum est his verbis. DE *voluntad de la Cort statuymos: Que nuestros successores, & los Lugartenientes Generales (en caso que Lugarteniente se pueda fazer)* non enim ea omnino libera est Regibus ipsis potestas: *E Primogenitos, antes que puedã vsar de alguna* Iurisdiction, *sian tenidos* Iurar *en la Ciudad de Çaragoça en la Seu de San Saluador, dauant el Altar mayor publicament, present el* Iusticia *de* Aragon, *e en poder suyo, e presentes*

quatro Diputados del Regno, vno de cada braço, e tres Iurados *de la Ciudad de Caragoça.* Et paulò post. *Empero en caso de absencia del Iusticia de Aragon del Regno de Aragon, o en caso de enfermedad, o muert de aquel: hayan a jurar en poder del vno de los Lugartenientes del Iusticia de Aragon, o* Regentes *el dito Officio, presentes los sobreditos. E de la dita jura aya a testificar carta publica vno de los Notarios principales* Regentes *la Escriuania del Iusticia de Aragon.* Est quoque Iustitia Aragonum, vt nostri loquuntur, iudex competens, & peculiaris inter Fiscum, & priuatum. Vt in Obs. *De communibus Priuilegiis*: & Obs. *Item in* Aragonia, tit. *Interpretationes qualiter, & in quibus.* Tum etiā est iudex peculiaris (vt profertur, vix enim audeo dicere: sed quasi ita dixerim, ita intelligatur) Contrafororum factorum. Vt in For. *Quotiescumque* tit. *De firmis iuris.* Cuius enim integrum est, vt coram eo illatam sibi iniuriam persequatur. Nec non etiam ipse solus, & nullus alius potest, interdicto suo, quæ timetur inferri, iniuriam propulsare. Et vt iisdem vtar nostrorum Iurisperitorum verbis, Iustitia Aragonum solus, & nullus alius potest prouidere *Firmas grauaminum fiendarum: Et à prouisione talis Firma non potest appellari, nec à reuocatione prouisionis ipsius.* Vt in For. antepenult. *De Officio Iustitiæ Aragonum.* Cogimur namque in his omnibus sermone vti forensi, & iudiciali. Est præterea nostrorum Comitiorum Iudex. Et vt eadem apponam Molini verba hac de re; *In Curiis generalibus est Iudex Iustitia Aragonum; quia ipse iudicat causas, seu lites venientes ad Curias.* Cetera persequemur deinde: singulatim enim nostrorū Comitiorum rationem perstringemus. Porro autem in plurimis aliis suas quotidie vires exercet, quæ in Iurisconsultorum formulis includuntur. Iccirco hic multa tacita nobis prætereunda eunt: quia de omnibus dicere longum esset. In hoc autem vno, quod denique caput est, assiduè versatur: in tuta nempe, atque integra legitimæ, & vsitatæ in rebus, caussisque omnium æqualitatis conseruatione. Verumenimverò præter ea, quæ supra diximus, sunt nobis quædam alia immunitatum Priuilegia irrogata, vno autem libertatum nomine cōprehensa. Quorum præcipua Capita, operæpretium me facturum constitui, hoc loco annotare, vt mentis exercitationem interdum à reconditis, abstrusisq; rebus ad forenses, populares, & notas traducamus. Sunt autem huiusmodi. In primis:

Ne quis torqueri possit, nisi cui adulterini nummi crimen inferatur. Vt in Priuil. gener. *Item que turment.* Tum:

Ne vectigalia noua à Regibus imponi possint, nisi de totius Regni consensione. Vt in For. tit. *Quòd sissæ in Aragonia remoueantur.* Et sequenti. *De prohibitione sissarum.* Et For. 3. *De conseruatione patrimonii.*

Tum etiam:

Ne quis cogatur extra Regnum vadimonium promittere. Vt in Obs. 2. *Quòd cuiusq. Vniuersitatis.* Et Obs. 4. ti. *De appellationibus.* Et in Priuilegio generali. *Itē que ningun* Iudge.

Præterea:

Ne quis deducatur ad populos externos comprehensus. Quod si fiat; capitis est pœna constituta. Vt in For. vnic. tit. *Vt nullus captus.* Item:

Ne inuiti cogamur, vt domus nostræ pateant hospitibus. Vt in For. vnic. tit. *Vt familiares, & domestici.* Adhæc:

Ne moueri possit nummus, nisi id prius publica lege rogatum sit. Vt in For. tit. *Quòd aliqua moneta.* Porrò:

Ne alienigenæ Castellū intra Regnū constructū cōmittatur. Vt in For. tit. *De Alcaydis.*

Necnon etiam:

Ne cuiuis Iudici occultè contra aliquem agere liceat criminose: & vt nostri loquuntur: *Ne contra aliquem Processus fiat de camera.* Vt in For. vnic. tit. *De Iudiciis.*

Vnde credimus, Manifestationis, grauissimi Priuilegii præclarum nobis nomen dimanasse. Atq; eadem quoq; ratione decretum est:

Ne quis possit in priuatis custodiis asseruari: sed simul ac primum captus quisque sit, vt in publicum carcerem duci debeat. Vt in For. 1. *De custodia reorum.*

Pariterque:

Ne Iustitię Aragonū potestas à Regib. possit impediri. Vt in For. vnic. ti. *Quod impetrās.*

Ac ne plura consectar, summum illud nobis constitutum est ius:

Ne cuiuis vnquā fas sit, ipsas violare libertates, aut leges. Vt in declarat. Priuil. gener. *Aeste Capitol.* Et *Item que como*, eodem loco. Quinimo:

Vt per leges liceat, impunè ipsas leges, ac libertates defendere, absq; eo, quòd propterea turpis aliqua, vt passim effertur, resistentiæ nota nomini nostro inuratur. Vt in For. vnic. tit. *De immunitate Ecclesiarum.*

Atq; vt absoleta quædam, illustria tamen, & pręclara, annectam nostrorū hominū verba, quæ

quæ in publicis monumentis rerum gestarum in Comitiis Ann. Chr. ∞CCCCLI. inueni annotata: *Siempre hauemos oydo dezir antigament, è se troba por esperiencia: que attendida la grand sterilidad de aquesta tierra, è pobreza de aqueste Regno, si non fues por las libertades de aquel, se yrian a biuir, y habitar las gentes a otros Regnos, è tierras mas frutiferas.* Ac si oportuerit, ob eam ipsam causam, patriæ nostræ Solum his omnib. ornatum veterum immunitatum decretis. Verùm quia Regii ministri in iracundia procliuiores esse plerumq; solēt; vt aliqua mora, & tarditate eorū frangeretur ira, imperiumq; moderari liceret, duo quædā fortissima sunt nostrarum omnium legum, ac libertatum, quasi defensionis, præsidia. Quorum alterum, *Iurisfirmam*; alterum, vt diximus, *Manifestationem*, vulgaribus nominibus appellamus. Vtriusq; tamen summa ea potestatis est vis: non vt Iudicibus Regiis dicundi iuris facultas impediatur; sed vt intempestiua, ac præceps eorum celeritas, Magistratus interdicto interposito, retardetur; ne quid perturbatum sit, aut à legibus discrepans, vel præposterum. Maiores nāq; nostri nullum putarunt tā expeditum iudicium esse debêre, quòd id ipsum habere nō debeat aliquid iustę iudicandi moræ, ac tarditatis. Ac Iurisfirma quidē (vt ipsius vocabuli vim definiēdo aperiamus) siue ea sit, vt nostri loquuntur, grauaminū factorum, seu fiēdorum: nihil aliud est, nisi tū in Regum, aliorumve Iudicum; tum etiam Regni, nostrorumq; omniū non rectos impet⁹, iuris, ac legum firma, & moderata dominatio. In ipso namq; nomine interpretando inest vis, ac sentētia iuris, ac iustitiæ colendæ. Iurisfirmarum autem plures sunt species. Quædam enim sunt, quæ vocantur, *Communes*, & vt vulgò loquimur, *Bolanderas*: aliæ, *Casuales*. Earundem porrò, aliæ Priuilegiatæ; aliæ non Priuilegiatæ. Rursus aliæ contra Iudices Ecclesiasticos, aliæ verò contra Sæculares. His enim variis nominibus designantur; & ad singulas vniuscuiusque illarum formulas vniuersæ nostrorum hominum lite accommodantur frequenter. Earum autem omnium finis is est, vt cùm de stando, & parendo iuri coram ipso Iustitia Aragonum firmè, & grauiter asseueremus: illius interdicto interposito, fortunæ nostræ ab iniusta, & non ferenda Regiorum Iudicum iniuria arceantur. Ab eo autem, quòd de stando iuri firmiter pollicemur; Iurisfirmæ sibi nomen inuenit. Neque vero summo hoc illius præsidio nostra tantummodò, sed & ipsorum Regum iura, quasi aliquo scuto, proteguntur. Cuius tantæ rei præter varia, quæ in superioribus Regum narrationibus exempla protulimus, potuissemus hoc loco noua alia proferre, in quibus eniteret maxima Inuictissimi Regis nostri Philippi mansuetudo, & benignitas: quandoquidem pari nobiscum iure ciuiliter contendere dignatus est sæpe, neq; vim, quæ iuribus suis à nostris inscientibus inferebatur, Regiæ suæ potestatis vi, sed istius Magistratus interdictione interposi a propulsare. Verùm ea recensere omittam, cùm sint omnibus trita, & vulgata. Atq; hæc de amplissimo Iurisfirmæ præsidio. Manifestationis verò simillima vis est: quamquam non tam ad res, quàm ad tuendas personas instituta. Quibus duobus præsidiis ita nostræ Reip. status continetur, vt nulla pars communium fortunatum tutela vacua relinquatur. Ac ipsius Manifestationis potestas tam solida est, ac repentina, vt homini iam collum in laqueum inferenti subueniat. Illius enim præsidio, damnatus, dum per leges licet, quasi experiundi iuris gratia, de manibus Iudicum confestim extorquetur, & in carcerem ducitur ad id ædificatum, ibidemque asseruatur tamdiu, quamdiu iure ne, an iniuriâ, quid in ea causa factum fuerit, iudicetur. Propterea carcer hic, vulgari lingua, *la carcel de los Manifestados*, nuncupatur. A cuius ingressione supremi Iudices omnino prohibentur: vt, eorum præcipiti iracundiæ eo pacto subtrahatur materia Quòd si aliquid contra, ac per leges liceat, factum est; pro irrito habetur, & infecto. Si verò nihil fuit decretum contra ius; Manifestationis tollitur interdictum, Regiorumq; Iudicum retardata illa excitatur potestas, vt nocētium supplicio scelera, & fraudes constringantur. Id autem eò tandem spectat, ne vllus detur contra leges locus criminibus, quorum auctor non exstet, inferendis: ne vt temerè credatur oblatis. Atque interdum quoque ea Manifestationis vis ad res ipsas tuendas adhibetur. Nam si quid fraudationis causa in literarum monumentis latet in occulto, quod proferri, ac patefieri opus sit: efficitur id, illius ope implorata, mirabiliter. Siquidem adhibitis statim in exscribendo istius Magistratus ministris, literæ, lituræque omnes assimilatè expressæ de iis tabellis, in quibus ea fraudis suspicio inest, in publicos libros transferuntur, & summa cura, ac diligentia recognita, & collata ab istius scripturæ magistris obsignantur: nimirum vt ipsa veritate illustrata, ius cuiq; semper integrum seruetur, ac incolume. Sed vberiorem istarum omnium rerum explanationem vaga, & quæstuosa ciuilium legum scientia profitetur. Quapropter ab iis ea petatur, qui in Foro ingenii laude florent apud nos. Iam verò Magistratum hunc à Regibus mandari ius est.

Ad nutum autem, an, vt loquimur, ad vitam, aliquando ea de re magna habita altercatio fuit. Nunc vero ita lege ſub tit. *De officio Iuſtitiæ Aragonum.* definita eſt. Libet enim in his eaſdem ipſas leges intexere, vt quæ dicenda ſint, à fontibus potius hauriamus, quàm eorum riuulos conſectemur. Neque aliter poſſemus ſatis cauſam, & rationem ipſius iuris amplecti. COMO *ſegund la ment de los Fueros antigos, è lo able coſtumbre del Regno de Aragon, el Señor Rey deua dar el Officio del Iuſticiado de Aragon a vida: porque aqueſto no vienga de aqui auant en diſceptacion: ſtatuymos de voluntad de la Cort, que el Officio del Iuſticiado de Aragon no ſia, ni pueda ſeyer nutuario. Ni al Iuſticia de Aragon pueda ſeyer tirado el dito Officio a ſola voluntad del Segnor Rey, aunque el que preſidira en el Officio, hi conſienta. Ni el dito Iuſticia pueda, ni ſia tenido renunciar el dito Officio por alguna obligacion precedient la dita renunciacion. E ſi contecia por cauſa de obligacion precedient, ſeyer feyta renunciacion del dito Officio, o priuacion de aquel a ſola voluntad del Señor Rey: que aquella ſia nulla ipſo Foro, & de ninguna efficacia. E que el dito Iuſticia no obſtantes la dita reuocacion, è renunciacion, o alguna dellas (caſo que fecha fueſſe, ſegun dicho es) pueda, è ſia tenido vſar del dito Officio ſin pena, è calonia alguna. E declaramos, que la perſona del Iuſticia de Aragon, aun por cauſa ciuil no pueda ſeyer preſa, ni preſa detenida, ſino por mandamiento del Segnor Rey, è de la Cort.* Iam enim alia lege decretum fuerat, ne cuiquam licitum ſit Iuſtitiam Aragonum, etiam iure priuati, apud alium, præterquam apud Regem, & Regnum ſimul, criminari. Sed pari ratione fas erit hoc loco legem ipſam ea de re loquentem inducere. YATSIA *que por antiga, è loable coſtumbre del Regno, ſia introduzido, que las perſonas del Iuſticia de Aragon, Lugartenientes, Notarios principales, è Vergueros ſuyos por alguna cauſa, delicto, o razon no pueden, ni deuen ſeyer preſos por official alguno del dito Regno; ni de los delictos de aquellos, como priuadas perſonas cometidos, puede ſeyer conoſcido, ſino por el Segnor Rey, e por la Cort del dito Regno coniuntament. Empero algunos officiales del dito Regno indeuiadement han attentado el contrario fazer, en grand daño, e præiudicio del dito Regno. Por aqueſto de voluntad de la dita Cort ſtatuymos, è ordenamos: Que la perſona del dito Iuſticia, que agora es, è por tiempo ſera, por delictos algunos quantoquiere graues è enormes, que por el ſe cometran, o ſe pretendra ſeyer cometidos, como priuada perſona, o en otra manera, no pueda por el Segnor Rey, Lugartenient ſuyo, Primogenito Gouernador, Regient el Officio de la Gouernacion, ni por otro Iudge alguno, ni de mandamiento dellos, ni de alguno dellos, ſeyer preſo, arreſtado, ni preſo tenido, ni por la dita razon perſonalment citado, ni deuant ellos, ni de alguno dellos accuſado, denunciado, ni en alguna otra manera vexado. Antes la connexença de los ditos delictos, crimens, è exceſſos que ſe cometran, o ſe pretendran ſeyer cometidos por el dito Iuſticia, ſe haya de fazer en la Cort general, o particular del dito Regno: è la Iuriſdiction, è conexença de los ditos delictos como priuada perſona, è no en otra manera cometidos, è cometederos pertenezca, ſolum, & inſolidum, al Segnor Rey, è a la Cort coniuntament. E que por otra via, forma, o manera no pueda ſeyer por el dito Segnor Rey, ni por otra perſona alguna conoſcido, ni iudgado de los ditos delictos. E no res menos ſtatuymos: que la iuriſdiction, è conexença de los ditos delictos feytos, concernientes las perſonas de los Lugartenientes, Notarios principales entro a numero de ſeys, è dos Vergueros del dito Iuſticia, como priuadas perſonas, è reos, a los ditos Segnor Rey, è Cort; o, ſi no eſperada celebracion de Cort ſeran accuſados, ſe eſpere al Iuſticia de Aragon, qui agora es, o por tiempo ſera, ſolum, & inſolidum. E que el Segnor Rey, Lugartenient ſuyo, Primogenito, Regient el Officio de la Gouernacion, ni otro Official, o Iudge alguno Ordinario, o Delegado no ſe pueda entrometer de la cognicion de los ditos delictos de las ditas perſonas de ſuſo nombradas: ni puedan aquellos por delictos priuados, ni por otra cauſa, manera, o razon prender, preſos detener, ni mandar preſos tomar, ni perſonaliter citar. Todos los Fueros fablantes del Officio del Iuſticia de Aragon en ſu firmeza, è valor quedantes.* Quinimo ſi quæ ipſi, vt priuatæ perſonæ, iniuria inferatur; eidem muneri cenſetur illata. Cuius rei exemplum non eſt neceſſe, vt ex ipſa antiquitate petamus. Noſtra enim ætate factum videmus, vt cùm nocentes quidam, tametſi priuatarum rerum occaſione, contra ingenuam, ac illuſtrem Ioannis Lanuzæ IV. Iuſtitiæ Aragonum vitam conſpiraſſent; ab eodem Magiſtratu comprehenſi fuêre, eorumque conſilia, qua fuerant meriti, mulctata pœna. Iſtius autem vlciſcendæ iniuriæ idoneum ſe auctorem conſtituit Ioannes Petri Nuerus celeberrimus Regalis Fiſci Aduocatus: qui exacta iam ætate nuper mortuus, & auctoritatis, & prudentiæ ſuæ triſte nobis deſiderium reliquit. Vſque eo autem nocentes ipſos perſequutus fuit, dum pœnas tanto ſcelere dignas dependerunt. Haud decuiſſet tamen eius viri mentionem à me in hiſce Commentariis intermitti: tum quod eos laudando, animum mihi ſæpius addidiſſet: tum etiã quod quamdiu vixit, tantum fuit apud nos honoris nomẽ adeptus, vt tamquam alter Scæuola, Iuriſperitorum eloquentiſſimus, & eloquentium Iuriſperitiſſimus cenſeretur. Is ergo

in obla-

in oblata sua ea de re criminatione (sic enim libet, quem vulgò appellitum criminalem dicimus, nominare) de Iustitiæ Aragonum muneris dignitate multa protulit præclara tanti viri obseruatione dignissima. Ex quibus, quæ mihi videbuntur lectiora, tamquam flosculos carpam; ne illius libelli formulam totam consecter. Sic autem sceleris ipsius detestationem est orsus.

Horribile, & detestandum flagitium, scelus infandum, & abominabile crimen aduersus Regiam Maiestatem commissum, & perpetratum, seuerissima animaduersione dignum; gladio vltore, & exquisitis pœnis vindicari oportet. Omnium siquidem excessuum, flagitiorum, & scelerum illud detestabilius esse constat, quod aduersus corpus iustitiæ, & adeò magis si aduersus caput, & præsidium iustitiæ perpetretur, & committatur. Quis enim locus regiminis poterit esse tutus, quis Rector, Iudex, vel Officialis Regius securitate gaudebit, si summus Magistratus, vindex iniuriæ, & violentiæ præsidium, & portus periclitantium à vilissimis, & scelestissimis hominibus offendatur? & eorum conspirationibus, & coniurationibus in ipsius necem, & excidium, immo verius Reip. totiusque Regni perniciem, & damnum, machinatio importetur? Quem iustitiæ zelatorem contumelia tanta non tangeret? & con[...]sio tam aspera non moueret? Hinc est: Quòd coram vobis multum magnifico, & prouido viro Domino Francisco Daroca, Iurisperito, Locumtenente multum Illustris domini Ioannis de Lanuza Militis, Serenissimi domini Regis Consiliarii, ac Iustitiæ Aragonum comparuit, & comparet Martinus de Agreda Notarius, vt Procurator Fiscalis Sacræ, Catholicæ, & Regiæ Maiestatis potentissimi domini nostri Regis. Qui nomine procuratorio prædicto illis melioribus via, modo, & forma, quibus meliùs, vtilius, & efficacius de Foro, & aliàs facere potest, & debet, grauissima cum querella magnas appellitorum voces emittendo, & dicendo, A vi, A vi, fuerza, fuerza, easque continuãdo, & insequendo; Dicit, & proponit dictus procurator: Quòd Serenissimus, & Potentissimus Dominus noster Rex Aragonum nullum in temporalibus recognoscit, nec recognoscere consueuit superiorem. Imo à Ducentum annis, & pluribus citra, & vltra vsque nunc, & de præsenti Serenissimi Reges qui pro tempore fuerunt, & Regia Maiestatis Serenissimi Domini nostri Regis ad præsens feliciter regnantis habuerunt, & habent in præsenti Regno omnia Regalia, præeminentias, prærogatiuas, & alia iura vniuersa, quas, & quæ Imperator Romanorum respectu sui Imperii habet. Dempto quoad ea, in quibus dicta potestas Regia est limitata, & restricta per Foros præsentis Regni Aragonum.

Omitto autem hoc loco, quæ sequuntur nonnulla, quia ad nostrum institutum nihil pertinent. Ea autem verba, *A vi, A vi, fuerza, fuerza*, antiqua apud nos sunt vsitatissima, ac præcipuè dum istius Magistratus imploramus auxilium: quasi nos summo aliquo violentiæ impetu oppressos esse indicantes. At verò eis ita connexum est consequentis orationis principium.

Præsens (inquit) *Regnum Aragonum à Ducentum annis continuis, & vltra vsque nunc, & de præsenti habuit, & habet vnita, & aggregata quamplurima Regna, Comitatus, & Dominationes. Et Serenissimus Dominus noster Rex, & alii Serenissimi Domini Reges eius prædecessores, cum ope, auxilio, & iuuamine præsentis fidelissimi Regni, & incolarum eiusdem, dicta Regna, Comitatus, & Dominationes adquisierunt, conseruarunt, & defenderunt, & coronæ Regiæ Aragonum applicarunt; meritò constituentes, & reputantes præsens Regnum Aragonum, caput suæ Celsitudinis, respectu dictorum Regnorum, Comitatuum, & Dominationum sub dicta Corona Aragonum constitutarum.*

Tum alio capite.

In præsenti (ait) *Regno Aragonum à dictis Ducentum, & pluribus annis citra, & vltra vsque nunc, & de præsenti fuerunt, erant, & sunt constituta duo Tribunalia, siue Consistoria, suprema, & vniuersalia, tamquam duo luminaria respectu totius præsentis Regni Aragonum: Vnũ videlicet supremũ, & excelsum, quod vulgariter nuncupatur, Regia Audientia: in quo quidẽ ipsamet persona Regia Serenissimi Domini nostri Regis præsidet, & eius nomine prouisiones inde pro tẽpore emanãtes fieri cõsueuerunt, quotiens præsens in Regno adesse cõtigerit. Et Regia Maiestate absente à dicto Regno, Primogenitus Domini Regis maior quatuordecim annorũ: & eo deficiẽte, Locumtenẽs Generalis Regiæ Maiestatis: & suo casu, Regẽs Officiũ generalis Gubernationis. Alterũ verò Tribunal, siue Consistoriũ vniuersale fuit, erat, & est præsens Curia Domini Iustitiæ Aragonũ. In quo quidẽ Tribunali, siue Cõsistorio pro Serenissimo domino nostro Rege, & per Regiã Maiestatẽ creatus, institutus, & nominatus præsidet, & præsidere cõsueuit dictus dominus Iustitia Aragonũ, tamquã Rector, & caput dicti Tribunalis, & Consistorii, ac Iudex vniuersalis totius Regni. Qui per se, seu per eius Locũtenentes debite, & iuxta Forũ creatos, & constitutos per tempora supradicta exercuit, & exercere consueuit omnimodam iurisdictionem, altam, & baxam, merum, & mixtum imperium: nec nõ omnem illam potestatem, præeminentias, & prærogatiuas, atque omnia alia, & singula, quæ iuxta Foros, consuetudines, & Obseruantias præsentis Regni Aragonũ per dictũ dominũ Iustitiã Aragonũ seu ipsius*

magnificos dominos Locumtenentes fieri possunt, consueuerunt, & debent. Ad quod quidem Tribunal, siue Consistorium dicti domini Iustitiæ Aragonum *per tempora supradicta continuè consueuit haberi, & habetur recursus per viam appellationis, vel electionis* Iurisfirmæ *grauaminum factorum à sententiis, caussis, & processibus ciuilibus, latis per quoscumque* Iudices Ordinarios, *& locales præsentis Regni Aragonum; necnon à sententiis in prima instantia latis in Regia Audientia præsentis Regni (dēptis illis, à quibus de Foro non potest haberi recursus) cōsueuit recurri, & recurritur ad præsentē Curiā domini Iustitiæ Aragonum per viā electionis* Iurisfirmæ *grauaminū factorum. Et à simili in multis casibus de Foro, & consuetudine præsentis Regni* Aragonum *per Regnicolas illius consueuit haberi recursus ad dictum dominum* Iustitiam *Aragonum, tamquam ad portum periclitantium, arcem libertatis, & præsidium oppressorum, pro beneficio* Iurisfirmæ, *& Manifestationis impetrando, & aliis prouisionib. obtinendis pro defensione, & tuitione Fororum, & libertatum præsentis* Regni *Aragonum: quarum defensor, columen, & protector dictus dominus Iustitia Aragonū fuisse, & esse censetur. Vt meritò pater* Reip. *& summus Magistratus pro Serenissimo domino nostro* Rege, *supremam potestatem, & iurisdictionem excercens, ab omnibus debeat reputari.*

Tum hæc etiam ab eodē fuere sequenti Capite de Iustitiæ Aragonum dignitate prolata.

Officium siquidem domini Iustitiæ *Aragonum à primordiis* Regni *Aragonum constitutum, & stabilitum; fuit, erat, & est Magistratus præcipuus inter alios meritò excellens. Et dominus* Iustitia *Aragonum, qui pro tempore fuit per Serenissimū dominū* Regem *Aragonum creatus, & cōstitutus; solitus est, & consueuit,* Regiam *Maiestatem intra* Regnum Aragonum *existentem, & eius Curiam* Regiam *sequi, & ad latus Principis, videlicet Serenissimi domini* Regis Aragonum, *tā in bello, quàm in pace continuò residere, &* Regiis *Consiliis interesse: Taliter; Quòd dominus Iustitia Aragonum qui pro tempore fuit à primæua institutione dicti Officii vsque nunc, & de præsenti, fuit, erat, & est Consiliarius Serenissimi domini* Regis *Aragonum : & tamquam* Regius *Consiliarius in literis, & prouisionibus à præsenti Curia emanatis, titulo, honore, & præeminentia* Regii *Cōsiliarii semper fuit insignitus, & decoratus; & in literis, & prouisionib.* Regis *per tēpora supradicta continuè per Serenissimum dominum* Regem *Aragonum pro tempore existentem, & Excellētissimum* Regiæ *Maiestatis Primogenitum,* Regius *Cōsiliarius fuit, erat, & est nominatus, habitus, tentus, & reputatus.*

Præterea alio in loco.

Iustitia Aragonum per Regiam *Maiestatem creatus in principio dicti sui Officii, & muneris iurat in posse, & manibus Serenissimi domini nostri* Regis *de bene, & legaliter se habendo, & de faciendo ea, ad quæ tenetur, & obligatus existit.* Sic enim in For. *De iuramento præstando per Officiales de seruando Foros.* sancitum est. At verò dum studuit facti atrocitatem, & eorum, qui nocentes erant, culpam augere, vt eam, quæ tanto sceleri deberetur, pœnam subirent: in hæc verba prorupit.

Crimen detestandum læsæ Maiestatis aduersus Serenissimum dominum nostrum Regem, *prosperitatem, & securitatem præsentis* Regni *Aragonum, statusque & Coronæ* Regiæ; *in contemptum, & contumeliam* Regiam, *& seu* Regiæ *Iurisdictionis, horrendumque assasinatus crimen, & alia quamplurima crimina ex prædictis resultantia committendo, & committere non verendo in* Regiam *offensam, Maiestatisque Serenissimi domini nostri* Regis *maximam læsionem, scandalumque totius* Reipub. *& iustitiæ detrimentum, graue damnum, & euidens præiudicium dicti principalis dicti procuratoris.*

Post omnia tandem inflammantem suam, vt ita dicam, perorationem his verbis conclusit.

Supradictum (inquit) *Monopolium, conspiratio, & coniuratio facta, & inita modis, & formis præmissis, & alia crimina, & delicta superius recitata, commissa, & perpetrata contra dictum dominum Iustitiam Aragonum,* Regium *Officialem excelsum, & Magistratum præcipuum gerentem, & exercentem, & de* Regio *consilio existentem, fuerunt commissa, attentata, & perpetrata in dedecus, & offensam Supremi Magistratus, &* Regiæ *iurisdictionis, & aduersus prosperitatem status* Regii, *& in contemptum, contumeliam, & iniuriam* Regiæ *Coronæ. Per quæ, & aliàs inferioribus Officialibus* Regiis *timor est illatus, ne liberè, & provt decet, incumbentia suis Officiis pro Serenissimo domino nostro* Rege *exerceant. Et si tantum facinus impunitum remaneret: daretur audacia sceleratis hominibus talia, & similia perpetrandi. Propter quæ, & aliàs manifeste constat & apparet per præmissa* Regiam *iurisdictionem maximum detrimentum sustinuisse, & non modicum fuisse turbatam. Si enim in Magistratu excelso prædicta fuerunt attentata, & impunita remanerent: quid circa minores* Officiales *foret expectandum? Et sic, & aliàs quidquid in præmissis per dictos reos, & criminosos fuit attentatum, tractatum, factum, seu paratum; in exitium Principis, & aduersus securitatem, & prosperum statum præsentis* Regni, *& contra honorem* Regiæ *Coronæ, & in læsionem Maiestatis Serenissimi domini nostri* Regis *fuisse factum, proculdubio est censendum.*

Et au-

Ea autem solita hac sui nominis subscriptione exornauit.

Ioannes Perez de Nueros, vt Fisci Aduocatus, ordinauit prædicta.

Cuius si singula verba perpendantur literatæ senectutis inuenientur plenissima. Eorum autem appositione abundè, vt credimus, erit huic nostro de Iustitiæ Aragonum Magistratu proposito sermoni satisfactum: cùm si quæ plura de illius dignitate, potestate, aut vi adduci potuissent; copiosè satis ab illo fuerint superioribus huiusmodi in locis, forensi solito more, pertractata. Quòd si ea à me testimonio alicuius eorum, qui nostra ætate floruerunt, confirmanda putarem; tanta fuit hominis auctoritas, & amplitudo, vt locupletiorem nullum quærerem auctorem, quàm illum: tum ob præstantem grauis, quo perfunctus fuit, muneris dignitatem, tum etiam quòd is documentum fuerit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, & prudentiæ, & in nostra hac vrbe, & Foro (quod quasi ingenii sui theatrum sibi fuit) facilè omnium lingua, & cõsilio princeps. Nec dubium est, quin si voluisset, luculentioribus vocabulis potuisset rem ipsam comprehendere: fuit enim non solùm in ipsa iuris ciuilis scientia sed in humanioribus literis, quod ceteri Iurisperiti negligere solent, perpolitus. Forensibus tamen sibi, ac iudicialibus loquendi formulis vtendum constituit, ne dum lectissima verba inculcaret, illud idem, quod à se in iudicio patefieri, ac illustrari oportebat; redderetur fortasse ob politiorem sermonis elegantiam subobscurum. Quod nemo vnquã doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cuius vsus vulgaris sit, earum rerum, quæ in ipsa versentur, esse formulas, ac vocabula certa constituta, quibus, tamquam priuatis, vti adeò omnes oportet, ac suis: vt ne opifices quidem singula sua possint artificia tueri, nisi cognitis sibi, atque vsitatis vocabulis vterentur. Itaque ne plusculum, quàm sat sit, de reliquo, nostri argumenti cursu digrediamur, in Magistratu hoc, nedum Magistratum ipsum, sed priuatam opus est illius, qui eũ gerat, personã reuereri. Neq; vero factis, sed verbis iniuriosè cum eodem contendere, nefas est publica hac lege constitutum. ITEM *por quanto para la libera administracion de la iusticia conuiene mucho, que los Iuezes esten libres de todo temor: Porende estatuymos y ordenamos; Que contra qualesquiere personas de qualquiere estado, y condicion que fueren, que à los Lugarestenientes del Iustitia de Aragon de hecho, o de palabra iniuriaren en presencia, o molestaren, o damnificaren: sea proceydo criminalmente à instancia de qualquiere singular persona del Reyno, a costas, y expensas del dicho Reyno. Y los tales delinquentes sean punidos segun la qualidad del delicto. Quedando empero facultad al dicho Lugarteniente de hazer causar notorio contra el tal delinquente, en la forma Fuero estatuyda.* Quasi ad tuendam personam Magistratus omnia hæc ornamenta oportuerit ex ipsius muneris dignitate ad priuatam illius, qui ei præsit, personam redundare. Si quæ verò ab eodem Magistratu decernuntur vitiosè; est iam in eundem certa iniuriarum actio constituta. De qua infra suo loco. Vt institutum denique sermonem de Iustitiæ Aragonum iurisdictione absoluamus; hæc est omnis ipsius potestatis magnitudo, & vis; Vt legibus præsit; legibus pareat; legibus seruiat; ipsas denique leges exequatur. Quam tandem muneris dignitatem scitè, & appositè maiores nostri insigni, & pulchro, quo eum honestabant, titulo indicarunt; dum in publicis Inscriptionibus Iustitiam Aragonum vocabant, Circumspectum: ac si ad cognomentum hoc traducendam curarent argutam illam Ephororum nominis significationem: nempe quia eam tuetur in Repub. nostra personam, quæ in speculis iccirco collocata est, vt diligentissimè, quemadmodum vnusquisque Regiorum Magistratuum in conseruandis legibus se gerat, circumspiciat.

DE LOCVMTENENTIBVS IVSTITIÆ ARAGONVM, DEQVE ALIIS IMPERII EIVSDEM Magistratus ministris.

CETERVM summa hæc in iureiurando istius Magistratus potestatis vis, ad eos iampridem viros delata est, qui illius locum dicuntur tenere: siquidem gliscentibus negotiis necesse fuit consiliarios sibi, atq; administros dari; idq; eò magis, postea quàm iis mandari consueuit Magistratus, quorum ratio, & voluntas à studiis longè, doctrinisque abhorrebat. Quamquam enim publica lege sic cautum est tit. *De Officio Iustitiæ Aragonum.* Vt semper Iustitia Aragonum sit Miles, id est, ne quis ad Magistratum hunc gerendum, qui non sit ex Equestri, ac Militari Ordine profectus, adsciscatur;

plures tamen olim Iustitiæ Aragonum cùm Milites essent, Militiæq; authoramẽto honestati, pia iuris ciuilis intelligẽtia prę̃stabāt. E quorum numero fuere, Salanoua, Ayeruius, Stephanus Egidii Tarinus, Berengarius Bardaxinus; & alii, qui ciuilium legum scientiam habuerunt cum Equestris Ordinis splendore coniunctam. De quibus infra dicemus singulatim. Et eos videmus suis consiliis, ac studiis patriæ nostræ vehementer profuisse. Sed iamdiu Magistratus iste illiteratis prorsus mandatur hominibus. At verò ante Salanouam nonnullos Iustitias inter Ricos homines memoratos comperio. Et propterea credimus fuisse publicam illam legem constitutam; non tam vt infimi, & plebeii tanto priuarentur honore, licet id ipsum etiam sit rogatum; quàm vt Nobiles ab istius muneris gubernaculis repellerentur omnino. Quod ita graui Michaelis *del* Molino testimonio comprobatur. *Iustitia Aragonum* (inquit) *semper debet esse Miles. Et dicunt Foristæ: Quòd Nobilis non potest prouideri de Officio Iustitiatus Aragonum: ex eo, quia Nobiles non possunt de Foro, & consuetudine Regni puniri pœnis corporalibus. Vnde si Iustitia Aragonum delinquat contra Foros, vsus, consuetudines, & libertates Regni incurrit in certis pœnis: qua pœna non possent executari, si ipse Iustitia Aragonum esset Nobilis persona. Et per istam rationem dicunt Foristæ: Quòd Nobilis non potest prouideri de dicto Officio Iustitiatus.* Nam qui modò Nobiles dicuntur, multis in rebus præseferunt Ricorum hominum dignitatem; in ea præsertim, cuius supra meminit Molinus. De qua idem alibi ita. *Nobiles Aragonum pro delictis eorum non puniuntur pœnis corporalibus. Vt in Obser. 2. tit. de pace. fol. 24. Et in For. 1. tit. Quòd Regens Officium Gubernationis, fol. 18. Tamen Nobiles Aragonum pro delictis possunt capi, & capti detineri per dominum Regem: & stabunt ad mercedem domini Regis, quantum dominus Rex voluerit. Vt in For. 1. tit. De conseruatione pacis, fol.* 182. Vsque eò maiores nostri patriæ libertati prę̃cauerunt, dum, quem illius præsidem designabant, statuerunt, quibusuis periculis, à legibus impositis, subiectum esse oportere, si fidei suæ commissa neglexisset. Neque aliter æquè communi satisfecissent officio: si qui inter eos, ac Regem medius statuebatur Iudex futurus, non è medio etiam omnium Ordinum gradu, & condicione adsciretur: ne se insolentius efferret, si ex superioribus; aut si ex inferioribus, Magistratum extenuaret; cùm angustiæ infimi pectoris nequaquam recipere potuissent tantam personam. At dum ex Equestri Ordine statuerunt, Iustitiam futurum; singularem quoque temperantiam in eo ipso videntur induxisse. Postquam igitur Magistratus cœpit multitudine litium, & varietate causarum redundare: Iurisperiti eidem adhibiti fuêre, qui eius loco, ac nomine controuersa iura iudicialibus formulis tractarent, ac legibus. Vnde Locumtenentes Iustitiæ Aragonum dicti sunt. Et hi olim ipsius Iustitiæ Aragonum pendebant ad nutum. Nunc autem à Regibus creari ius est. Ac primum quidem vnicum tantum sibi habere Locumtenentem licebat. Postea verò Ann. Chr. ∞CCCCLII. vt duos habere posset, publica huiusmodi lege: sub tit. *Quod Iustitia possit habere duos Locumtenentes.* concessum fuit. DE VOLVNTATE *Curiæ volumus, & ordinamus: Quòd deinceps Iustitia Aragonum possit, & valeat præter dictum Locumtenentem, alium, quem voluerit, constituere, ac etiam ordinare. Qui, si contingat dictum primum Locumtenentem infirmari, vel absentem esse à dicta Ciuitate, vel aliàs quomodolibet impediri: regat, aut regere valeat officium supradictum, quovsque dictus Iustitia, vel eius primus Locumtenens intendere poterit, seu vacare ad regimen dicti Officii. Qui secundus Locumtenens postquam desierit dictum officium regere; possit aduocare, & caussas assumere, sicut priùs. Quæ omnia debere, & posse fieri intendimus, tam in præsentia, quàm in absentia Iustitiæ.* De hac autem facultate hæc idem Michael *del Molino* in suo Repertorio, sub verbo. *Iustitia Aragonum.* testata reliquit. *Iustitia Aragonum potest de Foro tenere duos Locumtenentes. Et hoc est speciale in Iustitia Aragonum. Aliàs regulariter nullus Iudex Ordinarius potest in Aragonia habere nisi vnum Locumtenentem. Quinimo etiam dominus Rex non potest, salua sua clementia, facere, seu creare in Aragonia, nisi vnum Locumtenentem Generalem.* Deinde Ann. Chr. MCCCXC. dum hanc eandem facultatem ipsi Iustitiæ Aragonum noua alia, tunc edita, lex prorogauit, officiique religionem constituit: hæc dedit præcepta de omnibus. PROVIDEMVS: *Quòd Iustitia Aragonum, eiusque Locumtenentes non possint recipere, tenere, seu habere ab aliquibus Nobilibus, Vniuersitatibus, collegiis, seu aliis personis quibusuis beneficia, pensiones, vel subornationes, nec etiam Caualleriás ab aliquo Nobili:* (iam enim hoc tempore erat Ricorum hominum nomen antiquatum, Nobilesque vocari consueuerant) *nec possint recipere, nec facere maiorem exactionem de, & pro literis, prouisionibus, & actis, quæ conceduntur, & actitantur in eius Curia, nisi prout antiquitus fuit vsitatum. Contrarium verò facientes incurrant pœnas Fori. Præterea cùm in Curia dicti Iustitiæ propter*

multorum

multorum concurrentiam negotiorum lites plus debito protelentur; pro ipſorum bona, & celeri expeditione ſtatuimus, & ordinamus: Quod dictus Iuſtitia poſſit tenere duos Locumtenentes, quorum quilibet poſſit eodem tempore exercere officium, onera eiuſdem inter ſe diuidendo. Et eorum alteri dictus Iuſtitia teneatur dare anno quolibet penſionem, de qua ſufficienter poſſit contentari: & alii de dicto Generali C C C. Florenos. Quique patrocinium aliquod impendere non poſſint aliquibus perſonis in Curia dicti Iuſtitiæ. Immo omnibus poſtpoſitis negotiis, habeant intendere in, & circa bonam, & breuem expeditionem negotiorum Curiæ antedictæ. Poſt autem Ann. Chr. ∞ C C C X C I I X. in For. prim. tit. *De Iudiciis*, ſtatutum fuit: *Quod Iuſtitia Aragonum, ſeu ipſius Locumtenentes teneantur celebrare, & tenere Curiam vna die, & alia Conſilium. Et diebus, quibus celebrabunt, ac tenebunt Curiam, audiant partes in omnibus cauſis, & litibus, in quibus procedere voluerint.* Anno verò ∞ CCCCLXI. nouum in his morem fuiſſe inductum, ex publica huiuſmodi lege apparet. Libet enim eandem tranſcribere; etſi longa ſit. Nam quæ factæ fuerint mutationes, apertiùs hunc in locum conductæ, leges oſtendent, quàm ſi ſparſæ in Fororum volumine legerentur. *P O R Q V E eſperiencia ha de moſtrado ſeyer dannoſo al Reyno, que los Lugartenientes del Iuſticia de Aragon, ſian pueſtos por el dito Iuſticia, reuocables de voluntad ſuya; Prouidiendo por mas libera, è mas recta expedicion de la iuſticia, que los ditos Lugartinientes ſe pongan por el Regno, de tres entres annos, è no por el dito Iuſticia: Eſtatuimos de voluntad de la Cort: Que los ditos Lugartenientes de la edicion del preſent Fuero auant, hayan à ſeyer ſucceſſiuament vnos apres de otros triennales, electos, y creados en la forma infraſcripta. Que por la dita Cort ſe haya de fazer vna bolſa intitulata, Bolſa de los Lugartenientes del Iuſticia de Aragon. En la qual ſian inſaculadas perſonas aptas, è ſufficientes al exercicio del dito Officio: e aquella haya a ſeyer repueſta en la Caxa, do las Bolſas de los Diputados del Regno ſon pueſtas. De la qual bolſa, en la primera apercion ſuya, los Diputados del Regno, que preſentes ſeran en la ciudad de Galatayud* (ad eam ſiquidem Vrbem indicta fuere illa Comitia, in quibus ea lex ferebatur) *dos dias apres que la preſent Cort ſera finita, dentro los ditos dos dias ſian tenidos abrir la dita Caxa en la Eſgleſia de Sanct Petro, preſentes todos aquellos, que entreuenir hi querran; è de aquella ſacar la dita Bolſa, è fazer extraction de dos redolinos en dos vegadas, vno en cada vegada; pol tal forma, è manera, como ſe faze en los Diputados, por virtud de las Ordinaciones cerca de la extraction de aquellos tanſolament prouidientes. La qual forma en la dita extraction queremos ſia ſeruada. Los quales aſſi ſacados durant tiempo de tres annos continuament ſiugientes del dia de la dita extraction auant ſian, Lugartenientes del Iuſticia de Aragon, è hayan todo aquel podor, que por Fuero han, è pueden hauer durant tiempo de los ditos tres annos. Los quales finidos, eſpiren los ditos Officios, è ſian hauidos por perſonas priuadas, excepto en los caſos infraſcriptos, è no en otros algunos. E apres al vltimo dia de los ditos tres annos ſe haya a fazer extraction de dos, o tres Lugartenientes, para otro triennio continuament ſiguient: e de alli auant de tres en tres annos ſucceſſiuament en el vltimo dia de cada triennio por los ditos Diputados. Los quales, o la mayor partida dellos, o aquellos que preſentes ſeran en la ciudad de Çaragoça, en el dito dia de la dita extraction hayan a compareſcer de mannana antes de medio dia en las caſas de la Diputacion: do publicament, è preſentes aquellos, entreuinir hi querran, hayan a abrir la dita Caxa, è fazer la dita extraction ſegun la forma ſobredita. Los quales aſſi extractos ſian Lugartenientes del dito Iuſticia durant el triennio de cada vnos: hayan todo aquel poder, que de Fuero han, è pueden hauer, durantes los ditos triennios. Pero los que vn triennio hauran el dito Officio exercido; hayan a vaca al menos otro triennio, antes que peudan por la dita forma à los ditos Officios ſeyer aſſumptos. E ſi alungo, o algunos de los que ſacado, o ſacados ſeran, recuſarà, o recuſaran acceptar el dito Officio por ſi, o procurador ſuyo: no peudan ſeyer compelidos a acceptar aquel. Antes de continent ſia proceydo a extraction de otro, o otros en lugar de aquellos. Empero los que el dito Officio acceptar recuſaràn; no ſian mas a la dita Bolſa tornados. E ſi por abſencia, o en otra manera qualquiere aquel, o aquellos que ſeran ſacados de la dita Bolſa, dentro de diez dias del dia de la extraction contaderos perſonalment en la dita Ygleſia en ſu caſo, o en las caſas de la Diputacion en el ſuyo no acceptaràn el dito officio con carta publica teſtificadera por el Notario de la preſent Corte en el caſo de la primera extraction, è de alli adelant por el Notario de los Diputados que la hora ſera; de continent ſia proceydo por los ditos Diputados, a extraction de otro, o otros por al dito officio de Lugarteniente. E eſſo miſmo dezimos, ſi los ditos Lugartenientes, o alguno dellos por muert, o en otra qualquier manera vacaran. Que en los ditos caſos ſe procida por la manera ſobredita a extraction de otro, o otros Lugartenientes en lugar de los muerto, o muertos, o en otra manera vacantes por a regir el tiempo tan ſolament, que aquellos, en lugar de quien ſeran ſurrogado, o ſurrogados hauian a regir. Yentretanto que los ditos officios de Lugartenientes por alguna cauſſa no ſeran acceptados; el tiempo que vacaràn (ſi ſera por de-*

fecto de entramos los dos, que ſacado hauram) rijan los ditos officios los Lugartenientes del triennio proximament paſſado. E ſi vacarà el vno tan ſolament: el otro dellos, durant el tiempo de la abſencia, o vacacion del Colega ſuyo, ſia tenido, è haya a regir el dito officio. E los proximament paſſados, en cõtinent ſian hauidos por priuadas perſonas. Pero antes que vſen de los ditos ſus officios, ſian tenidos iurar en poder de los ditos Diputados, o de la mayor partida de aquellos, mediant ſu Notario de ſeruar Fueros, Priuilegios, libertades, vſos è coſtumbres del Regno, todo odio, è amor a part poſados: è que no tenran, ni tomaràn penſiones, o Cauallerias algunas, ni aduocaràn en alguna Cort, ni tomaràn ſubornacion alguna, excepto coſas de comer, è de beuer, que en pocos dias verſemblantmẽt, el què las recibirà, las puedo conſumir, è gaſtar. E porq̃ no de alguno en el dito officio vacar a proprios eſtipendios ſuyos, tachamos, & mandamos dar de ſalario a cada vno de los ditos Lugartenientes en cada vn año durant el tiempo de los ditos tres años, ſeys mil ſueldos: los quales mandamos pagar por tercias, en cada vn año, de las generalidades del dito Regno, ſin otra cautela alguna. E ſi contecera por volũtad, abſencia, o en otra qualquiere manera falleſcer todas las perſonas de los inſaculados por al dito officio, o quedar en vna perſona tan ſolament: que en tal caſo hayan poder, e facultad los Diputados del Regno, que la hora ſeran, o la mayor partida de aquellos (conquendi haya de cada vn braço) reformar la dita bolſa de aquellas perſonas mas aptas, e mas ſufficientes, que a ellos ſera viſto: præſtado por ellos primero iurament de inſacular tales perſonas, por las quales la juſticia ſcientificament, e recta ſia adminiſtrada. Verumtamen nec diu poſt, Ann. Chr. ∞ CCCCLXVII. in Comitiis Cæſarauguſtanis quamplurima de huiuſmodi immutata fuêre: quæ fuſiùs ſcripta in Foro primo, ſub tit. *Forus Inquiſitionis Officij Iuſtitiæ Aragonum.* continentur. Illud autem præcipuè cautum: Ne Locumtenentium hoc, plus annuum eſſe poſſet, Officium. Atque illud etiam, quod nefas duxiſſem ſilentio præterire: *Que por los Diputados del Regno ſe hayan a fazer dos Bolſas intituladas: Bolſas de los Lugareſtenientes del Iuſticia de Aragon. Es a ſaber, Bolſa primera, è ſegunna. E en la primera Bolſa ſian inſaculadas perſonas Iuriſtas, letradas, aptas, è ſufficientes al exercicio del dito Officio. E en la ſegunda Bolſa ſian inſaculadas perſonas legos, diſcretos, expertos, è diſpueſtos al exercicio del dito Officio.* quia in noſtrorum mentibus magis inhærere viſum eſt ſemper, vt ex æquo, & bono potiùs, quàm ex callido, & verſuto iure ipſarum fierent iudicia cauſſarum. Verùmenimuero aliquamdiu, iis ſiquidem, de quibus proximè diximus, temporibus, publicum illud in foro vigebat, Extraordinarium, tantopere ſermone omnium celebratum, Conſilium: quod ex omnibus Iuriſperitis, qui Cæſarauguſtæ aderant, conflabatur. Excluſis enim partium, quæ contendebant, Aduocatis, ceteri omnes legum periti duorum Locumtenentium euocabantur excitu, de vnoquoque iure, in quo ſingulæ vertebantur cauſſæ, conſulturi. Hi conſilii locum ingreſſi, propoſita illius cauſſæ quæ in deliberationem veniebat, conſultatione; quod res ipſa ferret, coram conferebant inter ſe, diligenterque omnia illius momenta perpendebant. Vt quiſque autem primùm attigerat forum; ita ſententiam ſuam dicebat ex ordine. In eam verò partem Locumtenentes propendere ius erat, quæ ex pluribus ſuffragiis conſtaret. Vnde fiebat, vt eo tempore id Locumtenentis munus non tam artis indigere videretur, quàm laboris: quandoquidem ad iudiciarias omnes controuerſias diſtrahendas, huiuſmodi accedebat Extraordinarium Conſilium: ne ipſum illud imperitos homines tanto muneri præpoſitos fuiſſe, abſurdè à maioribus factum iudicemus. Itaque quotidiano illo omnium Iuriſperitorum congreſſu iſtius Magiſtratus olim ornari conſueuêrunt iudicia, cognitioneſque & exercitationes cauſſarum celebrari. Quarum quæ ita fiebant magnæ deliberationes, & maturæ, *Determinationes Conſilij Iuſtitiæ Aragonum*, vocabantur. Hæ autem tanti ſunt ponderis, ac momenti, tantamque auctoritatem habent in iudiciis; vt non minor illis, quàm ſcriptis legibus tribuatur fides. Vix tamen earum vllam notitiam habuiſſemus, niſi Molinus eas in ſuo Repertorio, quaſi ſemina quædam, ſparſiſſet. In quo etiam pactio verborum continetur, quibus horum Conſiliariorum Iuriſiurandum comprehẽdebatur. At verò poſtmodum Ann. Chr. ∞ CCCCXCIII. quinq; Iuſperiti ad cõſulendum in cauſſis criminalibus adhibiti fuêre: eiſq; Cæſarauguſtana ciuitas ſiſtendi locus circumſcriptus, vel vbicumq; Iuſtitię Aragonum curia conuenerit. Anno tamen ∞ DXIX. nouum quoddam ſeptẽ Iuriſperitorum, quod Ordinarium vocarunt, Conſilium ipſis Locumtenentibus Iuſtitiæ Aragonum adhibitum fuit: ſimulque etiam eodem ipſo tempore vetus illud, Extraordinarium, ſublatum. Hi autem ſeptem Iuriſperiti in priorum quinque locum ad conſulẽdum etiam in cauſſis criminalibus ſuffecti fuêre: ac vulgò, *Los ſiete de la Rota*, vocabantur. Sed hæc omnia fuerunt Ann. ∞ DXXIIX. nouis tunc editis legibus abrogata: conſtitutumque. Vt quinque Iuriſperiti, Iuſtitiæ Aragonum ſint Locumtenentes. Ad quos eo tẽpore fuit ampla illa in iuredicundo duorũ

Locum-

Locumtenentium,consiliique Ordinarii,& Extraordinarii potestas translata. Quæ tandem ratio vsque ad nostram viget ætatem. Atque hæc est omnis, quæ facta fuit in his ex alio in aliud vicissitudo,& mutatio. Incidunt enim tempora, cùm ea quæ videntur consentanea,commutantur,fiuntque contraria: neque vix videtur arte vlla effici posse, vt vna,atq; eadem ratio in vno semper cursu conseruetur: cùm ita vitæ,& naturæ comparatum sit, vt naturales quoque iudicentur esse rerum plerumque publicarum conuersiones. Horum autem quinque Locumtenentium munus nequaquàm vnius, nec trium, vt antea, annorum finitur spatio. Quinimmo concessum est ipsis, vt eodē perfungantur tādiu, q̄diu nouus nullus in Comitiis nostris inducatur mos, vel ipsi se à grauissimo Septēdecim Virorum iudicio liberarint. Ius est enim, vt quotannis eorum animaduersionem, notationemque censoriam de iniuriis, si quæ fuerint, contra leges factis experiantur. Et vero ne Magistratus is vocationem vllam habere possit, quominus vtilem det operam Iuribus eius fidei commissis: publica hac lege sic cautum,& sancitum est. *CETERVM si contingat dictum Iustitiam ipso Officio priuari, seu ipsum mori, aut aliàs quomodolibet dictum Officium vacare ipsius Iustitiæ Locumtenentes habeant regerere dictum Officium, vocando se, ipsum officium regentes eo vacante, tantum, & tandiu donec per nos de dicto officio bonæ, & sufficienti personæ, & Militi Regni prædicti fuerit prouisum. Quam prouisionem nos faciemus intra triginta dies, postquàm nobis innotuerit vacatio officij supradicti.* Sed recentiori posteà huic tantæ rei cautiùs prouisum fuit iis verbis. *LOS Lugartenientes del Iustitia de Aragon, vacant el dito officio, deuen regir el dito officio entro a tanto que por el Señor Rey del dito Officio sia proueydo a algun Cauallero del dito Regno. Los quales Lugartenientes se deuen clamar, Regientes el Officio del Iusticiado aquel vacant, segund que en el Fuero de aquesto hacho mas largament es ordenado. E por quanto en caso de muert de los ditos Regientes, e en las otras cosas dius escriptas por el dito Fuero no es plenariament proueydo: Por aquesto De voluntad de la dita Cort estatuymos, e ordenamos. Que el Officio de los ditos Regientes el Officio del dito Iusticiado de Aragon dure tanto, e tan largament, entro a que por el dito Señor Rey del dito Officio sia proueydo a buena, e sufficient persona, Cauallero del dito Regno. E el dito Cauallero assi proueydo por si, o por Lugartenientes suyos rija el dito Officio de Iusticia de Aragon actualment. E que si los ditos Regientes el Iusticiado, o alguno dellos contescera morir, o seyer priuado del dito Officio, antes que el dito Señor Rey aya proueydo del dito officio de Iusticia de Aragon a alguno, el qual por si, o sus Lugartenientes actualmente vse del dito Officio: que en los ditos casos, e cada vno dellos: si el dito Señor Rey personalment sera en el dito Regno de Aragon; o en absencia suya del dito Regno su Primogenito; o Lugarteniente (en el caso empero que pueda fazer Lugartenient) o en absencia de aquellos la Reyna muller suya, o el Gouernador general de Aragon, personalmente estantes en el dito Regno; o en absencia de todos los sobreditos los Diputados del dito Regno de Aragon, puedan, e sian tenidos dentro spacio de quinze dias, a pres que hauran noticia de la muert, o priuacion de los ditos Regientes, o de alguno dellos; poner, o crear otro, o otros Regient, o Regientes el dito Officio de Iusticia de Aragon. El Officio del qual, e de los quales dure tanto, e tant largament entro a que por el dito Señor Rey sia proueydo del dito officio del Iusticiado de Aragon; e el Iusticia proueydo por si, o sus Lugartenientes vse actualmente del dito officio en el dito Regno de Aragon, segun de suso dito es: el dito Fuero fablant de la vacacion del dito officio, quanto a las otras cosas en el contenidas remanient, en su firmeza efficacia, e valor.* De reliquo forensium caussarum iudicia & cognitiones, quæ ad istum Magistratum deducuntur; per Abecedarium quoque sunt inter Locumtenentes ipsos adeò dilucidè, & apertè distributæ, vt nulla neque prætermitti possit, nec certè redundare. Earum porrò sic æquè descriptus ordo alia etiam temporum terminatione concluditur: nempe iccirco, vt litium aliquando finis sit; ne in ipsis caussis, & Foro fortunas, atque ætates conteramus. Quamquàm autem Locumtenentes ipsi quāprimùm assequuntur altiorē hunc istius tantæ dignitatis gradū; omni cautione, execratione, & fœdere deuinciuntur arctè, nihil eos contra leges, aut libertates esse facturos: ius tamen est, vt singulis mensibus, sollemni quoque iurisiurandi religione, vniuscuiusq; illorum fides constringatur. ac si eorum animos, penes quos totius nostræ existimationis versantur iudicia, eadem oporteat toties repetita cautione, ad ea, quæ restant, omnibus suis partibus explenda, renouari. Atqui certè plures nobis sunt de horum Locumtenentium munere rogatæ leges, præscriptumq; iam, tum quales ii esse debeant; tum vt manus suas ab alienis abstineant pecuniis; tum in ipsarum caussarum cognitione quid dicturi sint, quidue etiam responsuri: tum denique præfinitum est eis, vt quæq; faciant, seuero semper faciant legum imperio. Quæ præscripta seruantem licet magnificè viuere. Sunt enim annua ipsis stipendia decreta, quæ ex publicis vectigalibus persoluuntur, temporibus consentanea, & personis. Sed nihil attingam de iis

rebus, ne videar longiùs, quàm ſat ſit, officii mei fines protuliſſe. Id enim eſſet graues omnes locos tractare, in quibus Forenſe noſtrum verſatur, concertatorium, ac iudiciale genus cauſſarum. Vt ad reliqua igitur pergamus, præter Locumtenentes hoſce, ſunt ſex alii, publici etiam imperii iſtius Magiſtratus miniſtri: quos Notarios appellare ſolemus. Inter quos ita ſunt ſingula officia diſpertita, vt quinque Forenſibus ſtipulationibus præſint, ac vnuſquiſque eorum, adhibitis à ſe aliis quoque inferioribus Scribis, qui ipſis quaſi vtuntur promagiſtris; vniuſcuiuſque Locumtenentium dicta perſcribat. Sextus verò, quem priori loco nominare debuiſſem, noſtrorum Comitiorum Scriba nuncupatur. Cuius hæ ſunt præcipuæ partes; vt vna cum primario ac principe Regis Scriptore, quem Protonotarium vocant, Comitialium omnium decretorum auctoritatem publicis teſtetur monumentis. Etenim cùm Iuſtitia Aragonum ſit ipſorum, vt diximus, Comitiorum Iudex, ad quam rem explicandam properamus; ſic æquè ſtatutum eſt, vt hi ambo, Protonotarius ſcilicet Regis nomine, hic verò Regni, ac Magiſtratus, ſingulis ſuis Scribarum officiis in maxima illa ſupremi iſtius actus celebritate fungantur. Ac priores quinque à Regibus olim ipſis muneribus præponi ſolitos obſeruaui. Poſteà verò Alfonſus IIII. Magiſtratui irrogauit, vt ab eodem præponerentur in poſterum: quemadmodum explicauimus ſupra ſuo loco. A quo tandem tempore à Iuſtitia Aragonum mandari conſueuerunt. Sextum autem, noſtrorum Comitiorum Scribam, ab ipſo Magiſtratu, vel à Regno fortè adhiberi ſemper ſolitum fuiſſe, non aliunde planè, quam ex facto ipſo, capio coniecturam. Verùm non iam ariolans, ſed proſpiciens dico, nequaquam decêre, quod noſtra fieri video tempeſtate, vt ad hunc tantum Scribarum ordinem, quorum fidei tabulæ publicæ, ceterorumque omnium Magiſtratuum pericula committuntur, precio quemquam liceat peruenire: ſed vt is debeat ſemper induſtriæ tantummodò præponi, ac dignitati. Neque oportêre exiſtimo, vt ipſis, quæ à legibus decreta ſunt ſtipendia, coarctentur: ne tantum munus propter tenuitatem hominum à religionis auctoritate ad mercedem totum, aut quæſtum abducatur; ſed vt probitas, atque induſtria præmiorum mercedibus euocentur. Duco tamen æquum eſſe, ac decêre, vt Iuſtitia Aragonum copioſiùs alatur, denturque eidem de publicis vectigalibus debita ſui muneris dignitati ſtipendia. His ergo ſex Scribis illud etiam, quod Locumtenentibus, ſummum immunitatis irrogatum eſt Priuilegium; Vt nemo, ne pecuniaria quidem de re minima, eorum iudex eſſe poſſit, niſi Iuſtitia Aragonum ſolus. Quod in duos tantum ex inferioribus conuenit miniſtris, qui Virgarii appellantur. Ob quam nimirum cauſſam hi duo, Priuilegiati; alii autem ſex, non Priuilegiati dicuntur. Sunt enim Virgarii hi, numero octo. De quibus omnibus, ac de his Virgariorum huiuſmodi, qui dicuntur, Notariis, ſic publica lege cautum eſt. *DE VOLVNTAD de la Cort eſtatuymos: Que el Iuſticia de Aragon, e ſus Lugartenientes no puedan crear ſino ocho vergueros: dos Priuilegiados, y ſeys no Priuilegiadors. Los quales dos Priuilegiados hayan â ſeyer exprimidos, declarados, è eſcritos en el libro de la Cort. Los quales Vergueros hayan a ſeyer perſonas abonadas, è poſſedientes cada vno dellos bienes en el Regno de Aragon valientes tres mil ſueldos. E que el Iuſticia de Aragon haya a esleyr los Notarios de los ditos Vergueros. Los quales hayan a ſeyer perſonas abonadas, expertas en fuero, e poſſedientes bienes cada vno dellos en el Regno valientes tres mil ſueldos. E que con otros Notarios no puedan fazer actos algunos. E que los ditos Vergueros en el tiẽpo de la creacion hayan a dar fianças ſufficientes. E que los bienes de los ditos Vergueros, e fianças ſian hauidos ipſo Foro por emparados.* Nempe, vt iudicium magis ſit, quod de eis fieri conueniat, expeditum. Atqui eorum genus nequaquam olim numero definitum erat. Nunc verò lex vetat huiuſmodi, ne plures eſſe poſſint, quàm octo. Quorũ duo, qui Priuilegiati dicuntur, lictorũ more ſingula præferre ſolent muneris dignitatis Inſignia. Ceteri ſunt apparitores. Sat enim viſum eſt noſtris, hos eidẽ eſſe lictores, ac ſatellites aſſignatos, cuius nos omnes, dũ oporteat, neceſſe ſit eſſe ſtipatores corporis Magiſtratus. Sed vt hæc omittamus, nunc iam videtur nobis de Comitiis dari exponendi tempus, quandoquidẽ Iuſtitiam Aragonum, eorum eſſe Iudicẽ memorauimus. Ea enim quã rationem habeant, non ſatis agnoſcimus, tametſi vim, & euenta perſpiciamus. Cumq; eorũ duæ à noſtris cõſtituantur ſpecies; alia enim *Generalia*, alia verò *Particularia* Comitia dicuntur, omnia aũt ſub vno Curiarum vocabulo comprehendantur; de Particularibus nũc nobis dicere eſt inſtitutum. Generales enim Curiæ vocantur illę, dum vno, atq; eodem tempore, & loco, maximi horum trium Regnorũ aguntur conuentus. Vetus enim noſtrum in Catalanos, ac Valentinos ius eſt, vt in opidum intra noſtros fines conſtitutum à Regibus euocati his de rebus agendi cauſſa teneantur accedere: tametſi Catalani vſitatam illã, quã diximus, adhibere ſolent exceptionem, ne videantur iuri ſuo in aliquo derogare. Sed nihilominus venire

venire ſolent ad nos,fortunasq; ſuas conferre in noſtrorũ temporũ, ac loci cõmunionẽ. Noſtri namque eorumque maiores in omnibus ferè arduis rebus non conſilia modo cũ cõſiliis, ſed cum factis facta, ac fortunas etiam coniungendas duxerunt.Sic autem inter nos, ac ipſos, & Valentinos quoque huiuſmodi eſt Comitiorum coniunctio, & ſocietas conſtituta: vt quamquàm cum omnibus ſimul de publicis negotiis decernatur; varie tamen id fiat, ac diſiunctis ſententiis: quæ tandem in exitu coniunguntur & confluunt,ac ſub vna, & eadem magna illa, & ſuprema Regii, vt loquimur, Solii celebritate, ſeparatim vnicuique ac ſeiunctim, etiam tenuiſſimarum rerum, iura ſtatuuntur. Verùm hoc Reges ſeiungere poſſunt;diſtincteq; nobis,ac ipſis ſingula Comitia celebrare. His itaq; cognitis,accedam nunc ad eam,quam propoſuimus,Particularium explicandam Comitiorum rationem: quæ à noſtris Generalia interdum nũcupari ſolent:quòd generaliter, vt loquimur, omnes ex noſtris, quos in illis intereſſe oportet,euocentur: eaq; ab aliis nihil differunt ea in re. Eorum autem non eſt tam facilis explicatio, quàm videtur: cùm multis modis variata verſentur, & confuſa. Variæ enim ipſorum Regum, ac noſtrorum hominum voluntates adeò inter ſe diſtantia iura effecerunt: vt vix vlla tradi poſſint de eis firma, aut ſtabilia præcepta. Quamobrem non tam his, quàm exemplis,neceſſe erit huiuſmodi argumentum illuſtrare.

DE COMITIIS ARAGONVM.

VT in plurimis ergò fidibus ſi vlla earum non ita numeris contenta ſit,vt æquè poſſit concentum ſeruare, ceteræ omnes videntur incontentæ: eodem prorſus modo niſi omnes in Comitiis noſtris aſſenſerint ad vnum, omnes ad vnum cenſentur diſſentire. Omnes enim ceterorum omnium actiones mancæ omnino ſunt, & inchoatæ, niſi tenuiſſimi cuiuſque non iam Ordinis,ſed hominis etiam aſſenſus conſequatur. Verùm enim verò vetus eſt noſtrum,maximum, & præſtantiſſimum ius,vt Comitia nobis à quoquam alio, præterquàm ab ipſis Regibus haberi non poſſint. Ab eis autem indici tribus potiſſimum de cauſſis conſueuerunt: prima videlicet; ſuppetiarum ferendarum, exigendique (vt vulgò loquimur) *ſeruicii* cauſſa; dum eos magna aliqua premit neceſſitas, Regiumque ærarium bellorum ſumptibus eſt exhauſtum. Tunc enim Regni Ordines aduocare ſolent, poſtulantes, vt ea apparentur ab omnibus, quæ videntur tempus, ac ipſa neceſſitas flagitare. Olim autem noſtri non pecuniarium vt modò, ſed militare pendebant ſeruicium. Sic namq; millia nummûm, quos tunc Regibus impendimus, appellamus. Altera verò; in noua vniuſcuiuſq; Regis ſucceſſione: vt par, & mutua illius in nos,& noſtræ in illum Iureiurando deuinctæ fidei auctoritas intercedat. Non enim Regibus fas eſt,ad gubernacula Regni ſedêre,quo vſq; pro more ſolito iuris, ac legũ adhibita cautione,& fœdere,Comitiis inſtitutis,mutua ipſa fides conſtringatur. Quorum habendorum hæc poſtrema ſolet eſſe vſitata, & notiſſima cauſſa:vt pro temporum varietate leges dentur Reip.conſentaneæ. Interdum namq; neceſſe eſt non temporibus ſolùm,ſed moribus etiam parêre:ſtultiſſimum verò exiſtimare,omnia quæ ſcita ſint in populorum inſtitutis,aut formulis ciuilium legum,æquè omnibus ætatibus conuenire. Animorum etenim motus probandi ſunt legibusq; ad tempus accõmodatis ad tranquillitatem,& pacem præparandi. qui tandem finis eſſe debet,quò omnium ferendarum legũ ratio referatur. Maiores autẽ noſtri, quæ de omnibus ſtatuenda eſſent,noluerũt iuberi, vetari ve poſſe, niſi vocatis, deſcriptiſq; Ordinibus,ac cunctis omnium adhibitis ſuffragiis,re ipſa cognita,& promulgata. Vnde perpetuum illud nobis comparatum eſt ius, vt communes,& publicæ leges neq; tolli, neq; rogari poſſint, niſi priùs vniuerſus populus, vna voce,Comitiis inſtitutis ſuum ea de re liberum ſuffragium ferat.idque poſteà ipſius Regis aſſenſu comprobetur. Atq; inde vſitatus ille noſtrarum legum ferendarum inductus eſt mos,qui facillimè potuit in tot à nobis appoſitis legibus obſeruari. Earum namq; omnium initia hiſce,aut eis ſimilibus,more noſtro, verbis concipiuntur. *El Señor Rey De voluntad de la Corte eſtatueſce, y ordena.* Nam apud nos quoq; omnis publica lex,ea ſepta eſt difficultate, vt rogari,neq; abrogari niſi de Regis,ac Regni ſimul conſenſione non poſſit. Quod magnum vinculum, ac libertatis fundamentum eſt. Et id ipſum apud Longobardos viguiſſe olim, idem ille amicus noſter Carolus Sigonius atteſtatur: vir quidem ſumma eruditione ornatus, & doctrina: qui ſuis ſcriptis noſtra ætate, hiſtorico & eleganti ſermone iam prope intermortuam illius gentis memoriam renouauit. Quorum mentionem non feciſſem modò, niſi ii maioribus noſtris principes exſtitiſſent & ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam hanc, qua nunc fruimur, Reipub. noſtræ ra-

tionem: quemadmodum diximus ſuo loco. Itaq; ne longiùs labar, Particularia Comitia dicuntur, in quæ ſolius Aragonii Regni Ordines conducuntur tantùm. Cumque ea Generalia quoq;, vt diximus, nuncupentur: parum alia vlla in re videntur differre à Generalibus iis, in quibus trium Regnorum conuentus coniunguntur. Quæq; verò ea ſint; nobis intra noſtros fines habenda ſunt. Poſſunt autem Reges, quandocunq; voluerint, illa celebrare. Atqui olim quotannis ea Cæſarauguſtæ nobis haberi ius erat. Sic enim in quodam Priuilegii generalis, An ∞ CCLXXXIII. irrogati, Capite continetur. ITEM *quel Señor Rey faga Cort general de Aragoneſes en cada vn año vna vegada, en la Ciudad de Caragoça.* Poſtea verò Ann. ∞ CCCVII. poteſtas hæc ſic fuit, publica huiuſmodi lege, prorogata. CVM *in Curiis, quas Reges ſuis ſubditis celebrant; ea, quæ ſunt ad conſeruationem pacis, ac iuſtitiæ, & ſtatum pacificum Regni, & regimen ſubditorum, & ad tuitionem, & augmentum Reipub. ordinent, & diſponant: Nos Iacobus Dei gratia Aragonum Rex, licet iam per Illuſtriſſimum dominum, Regem Petrum recolendæ memoriæ patrem noſtrum, ſtatutum fuiſſet in fauorem Aragonenſium, Quòd ipſe, & ſui ſucceſſores quolibet anno eis Curiam celebrarent in Ciuitate Cæſarauguſtæ: quod etiam ſtatutum fuit per dominum Regem Alfonſum claræ memoriæ, fratrem noſtrum; & per nos poſtmodùm confirmatum. Nunc verò attendentes ad communem vtilitatem totius Regni Aragonum, quia loca vbi Curiæ celebrantur, propter congregationem gentium magnum ſuſcipiunt incrementum: De voluntate, & aſſenſu Prælatorum, Religioſorum, Baronum, Meſnaderiorum, Militum, & Procuratorum Ciuitatum, Villarum, & Villariorum Aragonum in hac Curia congregatorum: ſtatuimus, & perpetuò ordinamus: Quòd de cetero nos, & ſucceſſores noſtri faciamus, & celebremus Curiam generalem Aragonum de biennio in biennium, in Feſto omnium Sanctorum, in quacumq; Ciuitate, Villa, vel Villario Aragonum; vbi nobis, & ſucceſſoribus noſtris melius fuerit viſum expedire: nõ obſtantibus ſtatuto, & ordinationibus prælibatis. In aliis verò, Priuilegio generali Aragonum, & Foris per nos iam editis, in ſuo robore duraturis. Et hæc Iuramus per nos, & ſucceſſores noſtros perpetuò obſeruare. Et prælati, & Religioſi, qui in dicta Curia erant, hæc firmarunt, & Barones, Meſnadarii, Milites, & Procuratores Ciuitatum, Villarum, & Villariorum ſimiliter Iurarunt.* Verumtamen poſtea, ne noſtri ad Comitia habenda in paruum aliquem, anguſtumve locũ concludi poſſent, de illius opportunitate ſic, publica alia lege, cautũ fuit. Paſſim nãq; fit, vt habita ratione rerũ, vitioſa prior lex, aut cõſuetudo emẽdetur: *EL Señor Rey con voluntad de la Corte quiere. Que de aqui adelante, la Corte en el dito Regno, ſe hayã a clamar, è cõuocar a Ciudad, villa, o lugar, do haya quatroziẽtas caſas, ſiquiere fuegos de eſtaiantes, o de alli a ſuſo. E q̃ a menor Ciudat, Villa, o lugar, è de menor caſas, ſiquiere fuegos, no ſia, ni pueda ſeyer clamada, ni cõuocada. E ſi el cõtrario ſe farà: q̃ el tal clamamiẽto, ſi quiere cõuocaciõ ſia nulla: ni puedã alli ſeyer reputados cõtumaces: ni Cort hi pueda ſeyer formada: ni actos algunos de Cort hi puedã ſeyer feytos. Antes lo q̃ ſe fizieſſe en tal Ciudad, Villa, o lugar menor de quatroziẽtas caſas, o fuegos, ſia nullo, e no haya ninguna efficacia, o valor.* Quòd ſi ad Cęſarauguſtã Vrbẽ indicũtur: ius eſt, vt in Deputationis ampliſſima illa, ita vocata, domo, de qua ſupra, habenda ſint. In ea autem & Regi, & Regni Ordinibus ſunt iam ſinguli opportuni loci definiti. Sed tamen cùm Reges ſerò ad Comitia ſederent, ob eamq; cauſſam plura caperet Reſp. detrimenta: maiores noſtri, ſapientes illi, ac cordati viri, ad huiuſmodi tarditatẽ aliquo modo ſubleuandam præmunierunt: vt Magiſtratus deputarentur, qui Regni Ordinum faciem præ ſe ferrẽt, haberẽtq; publicorum quorũdam officiorum, pręcipue verò publicæ pecuniæ, quæ à vectigalibus cogeretur, rationẽ, ac liberum ea de re præclarum recuperatorium iudicium. Neq; verò eos olim ſors dabat, quẽadmodum hodiè fieri videmus, cùm pueri manu miſcentur, & ducuntur: ſed in publicis Comitiis omniũ deligebantur ſuffragiis. Eosq; tamdiu ius erat muneribus ipſis præeſſe, quamdiu Regibus noſtris placeret vacationẽ eſſe Comitiorum: vt quodammodo, Intercomitiales, dici illis temporibus potuiſſent. Quatuor autẽ tantũ, & aliquamdiu triennales extitiſſe, certum eſt. Verùm hæc ratio poſteà cõmutata fuit, & decretum: vt Octo viri, ex ſingulis ſcilicet Regni Ordinibus bini, magnum hoc Reipub. munus ſuſtineant. Quod, qui ex vrna educti fuerint, ſortiantur quotannis. Ex eo autem, quòd à Regno deputati fuêre, & ex omnibus conflantur Ordinibus: Deputatorum Regni nomen inuenerunt. Quorum fidei totius Regni procuratio eſt commiſſa, ſtatutumq; vt ipſi ſint Iuſtitiæ Aragonũ cuſtodes, propugnatores, ac præſides; illiusq; ſalutis, & mentis auctores, & principes paratiſſimi. Cui tandem muneri vos, Patres ampliſſimi, præpoſiti eſtis. Itaq;, vt ad illud redeã, quod initio ſcripſi, Comitia noſtra indici aut haberi, niſi ab ipſis Regibus non poſſunt. Qua de re exploratum hoc exſtat eiuſdem Molini, cuius toties mentionem fecimus, teſtimonium. *Curias generales non poteſt conuocare Aragonenſibus Regina Aragonum, nec Locumtenens generalis domini Regis. Et ſi hoc aliquando factum fuit; illud factum fuit, ſeu diſpenſatum per Curiam generalem Aragonum cum magnis ſaluamentis, & proteſtatio-*

testationibus, ne in futurum cassaretur præiudicium Aragonensibus. Quia sine habilitatione, non potest conuocare, seu celebrare Curias Aragonensibus, nisi propria persona domini Regis. Iccircò autem tot in locis, vel ipsarum legum, vel earum interpretum fidem interpono; quòd huiusce nostræ scriptionis genus non euentis solùm illustrare oporteat, sed argumentis, rationibus, ac publicis testimoniis, quare quidque ita sit, docêre, & confirmare. Iam verò olim ex tribus tantùm Ordinibus Comitia constabant; Patritio scilicet: Equestri: Ciuicoq; & Municipali. Patritium quidem maiores nostri, Ricorum hominum: & Baronum Ordinem, nuncupabant. Sed iam eorum antiquata est, quæ magna viguit, nominis, ac muneris amplitudo: Nobiliumq; nunc Ordo appellatur. Quibus ita, Regum, ac Regni concessu, tributum est: vt per procuratores agere liceat in Comitiis. Equestri autem Ordini, in quem Milites, ac Infanciones conueniunt, haudquaquam. Hi enim si in Comitiis volunt interesse, ius est, vt præsentes adsint, cognoscantq; & animaduertant, quæ fiant. Ciuicus autem, ac Municipalis Ordo, Vniuersitatum Ordo vocatur, vulgariq; sermone, *El braço de Vniuersidades de las Ciudades, Villas, y Villeros de Aragon.* Neq; verò omnia Regni opida conueniunt. Sed iam definitum est, quæ adesse, & quæ aliis tum in subselliis, tum in ferendis suffragiis debeant præferre. His ergo tribus Ordinibus, Ann. ∞ CCC. vel circ. quartus accessit, Ecclesiasticus. In quem Cæsaraugustanus Archiepiscopus, & ceteri omnes Aragonēses Antistites cōfluunt; ac Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, vt vocant, Capitula; Militariumq; Præceptores, vt vulgò loquimur, Commendarum. Atq; ab eo vsq; tempore quatuor hi, qui nūc vigent, sunt nostrorum hominum Ordines ad adhibenda in Comitiis suffragia constituti: quos solemus, *Los quatro Braços del Reyno*, nuncupare. In Comitiis enim Respub. nostra, quasi integrum quoddam fingitur corpus: cuius caput, censetur Rex: truncus verò corporis, ac membra in eo locata, ipsi Ordines: Iustitia autem Aragonum, collum: quod vtrumq; coniungit, & corporis, & capitis faucibus adhærescit. Ad nostra igitur Comitia hi quatuor Ordines euocandi sunt. Euocantur autem singulatim per literas: quas appellamus: *Las Cartas de llamamiento.* In his à Regibus proponitur ratio consilii, quo ductus Comitia habenda decreuerit: tum ipsorum Comitiorum dicitur dies; ac opportunus designatur locus. De cuius mutatione, an fieri possit; ab eodem Molino hæc traduntur. *Si in aliquo loco sunt semel conuocatæ Curiæ Generales, & inceptæ: non potest illas mutare, seu continuare dominus Rex ad alium locum Regni, nisi tota Curia generali consentiente.* Et idem paulo post. *Tamen si Curiæ generales nondum sunt integrè congregatæ, seu inceptæ: tunc dominus Rex, etiam sine Curia, potest illas mandare continuari ad alium locum sibi bene visum. Et ista continuatio fiet per iustitiam Aragonum, seu eius Locumtenentem. Quibus poterit dominus Rex mandare, quod illas continuent ad locum domino Regi bene visum.* Ius est autem; Ne Comitia nostra vltra quadraginta dies possint differri. Constituta verò die, Reges aduocata concione, ad quam frequens fit nostrorum, qui ibi adsunt, concursus; habere aliquam orationem solent; & in ea consiliorum suorum rationem fusius, & vberius explicare. Quæ à nostris, *Propositio Curiarum*, appellatur. Ea autem quo pacto antiquitus fieri consueuerit, non abs re erit hoc loco demonstrare, exemplumq; aliquod apponere, quo id magis perspicuum sit. Quandoque enim Reges solebant, purpura, sceptro, & aliis Insignibus Regiis ornati, vestibusq; pretiosis induti, publicum aliquem suggestum ascendere, ad eam rem aureis textilibus stragulis pulcherrimè structum; publiceq; orationem habere magna voce, & contenta, vt ab omnibus possent exaudiri. Cumq; plures exstent huiusmodi, in priscis monumentis conscriptæ: quam hoc loco intexere decreui, nequaquàm aliunde rogabo, nisi à publicis eorū Comitiorū, quæ à Martino Rege Cæsaraugustæ, Ann. Chr. ∞ CCCXCIIX. habita fuere, Commentariis. Neq; enim potuissem temperare mihi, quominus hoc vnū afferrem nostræ antiquitatis exemplum. Quamquàm autem illius argumentum supra in ipsius Martini rerum narratione perstrinximus; nihilominus statuimus eandem metipsam orationem huic nostro de Comitiis Aragonum proposito sermoni connectere: vt ne dum antiquæ res nostræ perpendantur, sed verba. Ita autem ea, quæ ab eodem Rege Martino tunc prolata fuerunt, omnibus ornamentis abundarunt, vt cunctis astantibus viderentur & sibi ipsis, ac eidem Regi publicam auctoritatem; consentaneamque, & præstantem capessendi Regni disciplinam præscripsisse. Sic namque illum proditur, proposito sibi prius, vt loquimur, Themate, ac si de nostra sacra Religione concionaretur; nostros, qui ibi aderant, è superiore quodam loco affatum fuisse. Ac ne ipsis verbis fedem subtrahamus; hæc etiam à Comitiorum Scribis subiunguntur.

Lunes que se contaua a veint, & nueu, del mes de Abril del año de la natiuidad de nuestro Señor, de MCCCLXXXXVIII: al qual la celebracion de las Cortes sobreditas.

(iam enim nonnullæ stipulationes in eis antea factæ continentur) *por el dito Señor Rey fue assignada: en la Esglesia de la Seu de la dita Ciutad de Caragoça, el sobredito Señor Rey don Martin, por la gracia de Valēcia de Dios, Rey de Aragon, de Valencia, de Mallorcas, de Cerdeña, de Corcega, & Compte de Barcelona, de Rossellon, & de Cerdaña, personalmēt constituydo en aquella, & estando el dito Señor en su Solio, o Cadiella Real, delant el Altar mayor de la dita Seu, & present el muy honorable, & Circumspecto Varon don Ioan Ximenez Cerdan Cauellero, Consellero del dito Señor Rey, & Iusticia de Aragon, & Iudge en las ditas Cortes; & encara present en aquellas el honrado, & discreto don Ferrant Ximenez de Calloz Sabio en dreyto, & Procurador Fiscal del dito Señor Rey, parexieron por los quatro Braços del dito Regno de Aragon, los que se siguen.* Hic nominatim proferuntur, qui his Comitiis ex nostrorum Ordinum hominibus interfuêre. Sequens autem oratio ita connectitur superiori. *E presentes los sobreditos, & muytos del dito Regno de Aragon, el dito Señor Rey fizo su Proposicion prendiendo por thema: Hæc est victoria, quæ vincit mundum, Fides vestra: continuãdo, & prossiguiendo la dita materia, eleganter, & pulchriter. El tenor de la qual yes à tal.*

HÆC EST VICTORIA, QVÆ VINCIT mundum, Fides vestra.

BVENA GENT. *Las paraulas por nos proposadas son escritas en la primera Canonica de Sanct Ioan, al V. Cap. La exposicion de aquellas es esta.*

ES LA VICTORIA, QVE VIENCE EL MVNdo, la fe vuestra.

Por esto los antigos fizioron question, la victoria del mundo en que estaua. Algunos huuioron opinion, que estaua en tres cosas, o en la vna du aquellas.

Primo; en la fortaleza corporal:

Segundo; en la riqueza temporal:

Tertio; en multitud de gent cordial.

Del primero, se lie al libro de los Iudges al XVI. *Capitol. Que como Sanson entràs en vna Ciutad, que ha nom Gothra, è los Philistheus sapioron, que el era entrado en la dita Ciutad; van lo environar, è pusioron guardas à la puerta de la dita Ciutad. E Sanson dormio tro a la media nueyt. Pues à la media nueyt espertose, & lieuose las puertas de la Ciutad al cuello, tro al mont, qui sguarda entà Ebron. Pues paresce, que por la fortaleza de su persona es valio, è escapò la multitud de la gent, qui lo en cercaron. Assin mismo lo hauemos de otros; como de los Gigantes, qui fueron de grant estatura. Baruch tertio.*

Al segundo, que en riqueza temporal sia victoria: Esto prueuan; Que Enabucodonosor por la grant riqueza, que huuo, vencio à Darfaxach. Segunt que se lie en el libro de Iudith al primer Capitol.

Al tercero, que en multitud de gent cordial: Exemplo de Antiocho; Que por multitud de compañas obtuuo muytas victorias. Segun que lo hauemos en el libro de los Machabeus al primer Capitol.

Mas cierto ellos erroron en nõ hauer verdadera opinion. Que la victoria non està en fortaleza corporal. Quia non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Psalm. CXLVI. *Nõ se puede aconseguir victoria por fortaleza de Cauallos, nin por temprãça de cuerpos. E desto hauemos exemplo de Dauit, è de Golias, Gigant fuert.*

El segundo; Non està victoria en riqueza temporal. Porque muytas vezes ha hombre visto, que los pobres vencian los ricos. Segunt paresce de Dametrio. primo Machabæorum. XI. *Cap. Que en ayuda de Dametrio eran tres mil Iudios; è vencioron en la Ciutad de Antiochia a ciento, y veynte mil.*

El tercero; que nõn en multitud de gent cordial: lie se en el libro de los Reyes, que el pueblo cãtaua: Saul percussit mille, & Dauit decem millia. Assin mismo se lie en las Historias de los Romanos, que com Eugenius con grandes compa as teniesse ocupados los passos, è las montanyas, que environan toda Italia; por do Theodosi Emperador deuia passar. E quando Theodosi lo supo; el no hauia adu comido. E luego pusose en oracion, & estuuo assin tota la notxe. E la mañana se leuantò; & se armò; è fizo se el señal de la Cruz: è la mayor partida de su Caualleria lo hauian de semparado. E ell en la mañana entrò al campo. E por la virtud Diuina leuantose tal viento, è tal tempestà, que las armas, assin como lancas, dardos, sayetas, è tales cosas, que sus enemigos lanZauan; tornauã contra ellos, en manera que ellos mismos se matauan. Por la qual cosa Theodosi fue vencedor de aquella batalla. Porque se puede dezir, que la suya grant ffe lo fiZo ser vencedor.

Arcadio, è Honorio supiendo que su hermano se era rebellado con Africa, de feyto embioron contra

el a

el a Marcello con cinco mil hombres. E el dit Marcello esmaginà las gracias, que Dios hauia feytas a su padre Theodosi: è fuesende a vna Isla, que hauia nom Cabraca: En la qual hauia algunos Santos hombres, è deuotos seruidores de Dios, los quales hauia traydo con si. E la nueyt el se puso en oracion, e en deiunios por tres dias: e la quarta nueyt le aparecio Sanct Ambros: e dixol; Como el seria vencedor de la batalla, denunciandole el dia, è el lugar de la victoria. Porque aquel de feyto combatiò contra l hermano, que era con ochenta mil; e el con cinco mil suyos venciò, e lo esbarató. Porque puedo dezir: Non in fortitudine exercitus est victoria, sed in Domino. De Gedeon, que con trezientos vencio el poble innumerabile. Iudicum tert. Cap.

Pues que victoria mundanal non troba en estas tres cosas; veamos, en que se trobarà. Cierto puedo dezir, que se troba en aquellos, que hã verdadera ffe, è coraçon leal. E estos soës, vosotros de Aragon: por los quales yo he presa la paraula començada. Hæc est victoria, quæ vincit mundũ, fides vestra.

A las quales paraulas, a loor de vosotros Aragonesos, podemos notar duas cosas. La primera: honor muy excellent por la tierra diuulgata; quia hæc est victoria. La segunda; virtut mey trãscendient en esti Regno fundada; quia fides vestra. Dezimos primerament; Que en los Aragonesos deue seyer notada; honor muy excellent, por la tierra diuulgada; en esto: que dize, Hæc est victoria. Ond grantes verdaderamẽt la honor, que los Aragonesos hã cõquistada por muytas victorias, que hã hauido, nõ con grant fortaleza corporal, mas que otros, nin con grandas riquezas, nin con multitut de gẽtes: mas con grã virtut de fieldat, è de grã naturaleza, e bõdat hãde los enemigos victoria obtẽido. Que si queremos sguardar nuestros predecessores, quãdo vinioron a las muntañas de Iacca, como hauiẽ pueca gent. E que esto sia verdat, bien ne fazen testimonio, muntañas, Ciutades, Villas, lugares, e planos, manifiestan, a los que passan por aqui, las victorias, que vosotros hauez houido. E como subiugoron totas las ditas muntannas de Iacca, e de Sobrarbe, manifiesto es a vosotros; porque no lo cal muyto alegar: los feytos del Rey Don Sanxo, que apres vino a seyar a Huesca, do morio; e pues su fillo, combatiendo se con toto lo poder de los Moros, que era grant, e ell con puecos, los vencio, e houo a Huesca. Apres vino el Rey Don Alfonso su fillo. El qual conquistò esta Ciutat, e la Ciutat de Calatayud; e guañò tota la ribera de Taraçona; e poblò Tudela. De los otros que vinioron apres, conquistoron totò el restant. Bien vos queremos dezir, quanta virtut fue en el Rey Don Pedro en tiempo de los Francesos: Que viniendo con la Cruzada, que dio el Papa contra el; esbaratò toto su poder al Coll de Panizas. Assin mesmo el Señor Rey nuestro padre, que Dios perdone, quando passó a Valencia; esto es notorio a todos, como el era con pueca gent, & que el Rey de Castiella era con toto su poder. De nos mismo com fuymos en Sicilia com Cincientos Bacinetes, e ellos eram mas de quatro mil caualles: con los quales con la ayuda de nuestro Señor Dios, somos venidos a fin de nuestra intencion, con la bondat de los Aragonesos, de e los otros, que alli eran. Porque podemos dezir aquello, que dize el Apostol: Per fidem vicerũt Regna, fortes facti sunt in bello, & verterunt Castra exterorum. Ad Hebræos. XI. Cap.

Dezimos segondament, que las paraulas por nos comenzadas es; virtud muy excellent en esti Regno fundada e: Quia fides vestra. Loado sea Dios, que entre totas las naciones del mundo, la ffe desti Regno es predicada e publicada por totas las naciones. Et por esto los Philosoffes posioron, que hõbre non puede venir en alguna cõexenza de las cosas, si nõ cõ su cõtrario: assin como cõ el blãco ha hõbre cõexenzal del negro e assin cõ el negro del blanco. Por esto lo queremos dezir. Que assin seria necessario a Rey de Aragõ, que houiesse asayado otras señorias de Vassallos, para hauer mellor connexença de los suyos. Que por cierto qui sguarda la señoria, qui hombre ha a tener a los otros, e la que ha a tener a vosotros: seas ciertos, que hi de ha gran differencia. E nos podemos dezir, com dixo San Ioan a XIX. capitlos; Qui vidit testimonium perhibuit: Nos, qui lo hauemos prouado, ne podemos fazer testimonio de verdat. E entre las otras gracias, que fazemos a nostro Señor Dios de los afaños, e periglos, que nos ha preseruados, e como nos ha feyto Rey: hi es, como nos ha feyto Rey de tales Vassallos, como vosotros soës. E a prouar esto, trahemos por testimonio Valerio Maximo, segun que se lie al segundo liuro, Capit. De statutis antiquis: Que los Celtiberios, es assaber los Aragonesos, e Catalães, hauian tãta de ffe que reputabã a peccado, veyr, que su señor morisse en batalla, e ellos no hi morissen. E que esto sea verdat, que vosotros seas Celtiberios: assin lo dize Ysidorus en el VIIII. liuro Ethymologiarum. II. Capitulo dize. Que aquellos son verdaderos Celtiberios, que son poblados cerca el rio de Ebro. Por esto Aragonesos, han hauidas siempre tres condiciones. Primerament; gran liberalidat. Parescelo por los donos feytos en tiempo passado. Que por cierto qui vee los donos, que vosotros hauez feytos a nuestros predecessores, bien pueden dizir: que bienes, cuerpos, e algos, toto lo hauez abandonado por ellos. E qui sguarda la ayuda que fue vosotros hauez feyta a la Conquista de Valencia: pon cierto que fue muy grãt, & notable; hon diestez el Cinqueno de toto, quanto hauiez. E apres de los otros Reyes non lo cal dezir. De nos mismo bien ne podemos fazer testimonio: que estando nos en la Conquista de Sicilia, e non podiamos hauer socor de ninguna part: Vosotros por vuestra bondat nos embiastez cient Bacinetes con Don Pedro de Castro, qui era Cap dellos pagados a VI. meses. Con los quales mediant la gracia de Dios, nos hauiemos toto lo Regno a nuestra mano. Pues bien podemos dezir: que en vosotros ha gran liberalidat.

Secundo; gran animoſidat. Bien lo hauez demoſtrado en las guerras paſſadas. Como qui ſguarda voſotros, ſi hauez plañydos vueſtros cuerpos por vueſtros Señores, cierto podemos de Zir, que non. Antes alli do el padre perdia el cuerpo; el fillo luego ſe hi ponia: e do el fillo; el padre aßin meſmo. E quantos ſon, qui ſon muertos por lur ſeñor natural? muytos: els quals ſerie largo de recomptar. Quantos affollados de ſu cuerpo? aſſaz. E quantos eſuarrigados, e eſpuñados? manifieſtament lo podeZ ver. Pues bien hauemos prouado, que en voſotros es gran animoſidat.

Tertio; gran humildat. Experiencia lo mueſtra enta vueſtros Señores naturales. Que por cierto bien podemos dezir, que ſi Vaſſallos ha en el mundo, que ſe an humildes a ſu Señor: que ſoës voſotros. Car no ſoës conſtreñidos por ſeñoria tyrannica: antes ſoës muy franchos, e libertados de muytas franquezas, e libertades. E los ſeñores vueſtros paſſados non vos han ſeñoreado con crueldat, nin con malicia alguna. Antes faziendo vna pueca de iuſticia, luego ſoes caſtigados. E pues que voſotros ſoës muy bien, & franchament libertados, e non cruelment regidos: bien podemos dezir, que eſto faze la vueſtra gran humildat.

Pues todo eſtro damunt dito que lo ha feyto? pro cierto la gran victoria, que nueſtros predeceſſores han hauido. Bien donches podemos concludir nueſtro thema començado: Hæc eſt victoria, quæ vincit mundũ, fides veſtra. Porque por conſeruar eſta ffe, como es dito nos hauemos applegado a voſotros. Primerament, que por voſotros nos ſia feyta Iura de ffieldad, aßin como hi es acoſtumbrado. Segũdament pro rogarvos, que querades Iurar nueſtro fillo el Rey de Sicilia: al preſent, por vueſtro Señor; e apres nueſtros dias, pro vueſtro Rey. Por manera que en tal punto ſe faga eſta ffe, que nos, è voſotros puedamos vencer lenemigo del mundo: e que ſalliendo deſta vida ſeamos coronados en la gloria perpetual.

Hæc itaque præclara illa concio eſt, tantopere à noſtris maioribus celebrata: quæ tanta cum grauitate, copiaque dicendi, tanto ſilentio, tanta omnium approbatione à Martino Rege tunc habita fuit; nihil vt vmquàm videretur tam populare ad noſtrorum hominum aures accidiſſe; cùm ſic ſtatuerent, vllius numquam neque ſententiam auctoritate, neq; eloquentiam iucunditate fuiſſe maiorem. Habita igitur à Rege concione, ſtatim redditur à Comitiis reſponſum. Illud autem reſpondendi munus primario committitur, qui tunc adſit ex noſtris, Antiſtiti. In ipſa enim Communitate ſunt iã ſingulorũ gradus Officiorum, Eccleſiaſticum autem Ordinem merito ſuſpicimus, tamquam cęteris aliis ſuperiorem. At vero in ipſa reſponſione danda ſcitum eſt, cauſſam eſſe in tempus conferendam. Conſueuit autem reſponſio huiuſmodi, & ſententiis, & verbis illuſtrari. Quod vt veteri ſimillimo teſtimonio comprobetur, illius exemplum adiungam hoc loco, quæ eidem Martino Regi data fuit à Cæſarauguſtanenſi Archiepiſcopo D. Garſia illo Ferdinandi Heredia, nomine, ac memoria digniſſimo viro. Is enim Comitiorum voce, accommodatam habuit orationem, ſi non valde abundantem, non tamen inopem, ſed interdum grauibus verbis ornatam, & refertam. Eorum autem hæc quoq; in eiſdem Commentariis conſtituitur ſedes, ipſi nempe orationi Regiæ connexa.

E feyta la dita Propoſicion el ſobredito muy Reuerent Arçobiſpo de Caragoça (iam enim illius fuerat antea facta mentio) *por toda la dita Cort general, e quatro Braços de aquella reſpuſo a la propoſicion por el dito Señor Rey feyta, prendiendo por Thema: Salus noſtra in manu tua eſt tantùm. Reſpiciat nos Dominus noſter, & læti ſeruiemus Regi & continuò, & proßiguiè aquella aptißimè. La qual yes, dius aqueſta forma.*

SALVS NOSTRA IN MANV TVA EST TANTVM. RESPIciat nos Dominus noſter, & læti ſeruiemus Regi.

MVY excellent Princep, & reduptable Señor. Las paraulas por mi propoſadas, eſcritas ſon. Gen. XXVII. Cap. E le ſententia literal es aqueſta.

LA SALVD NVESTRA EN LA MANO TVYA ES TANSOlament. guardenos el ſenyor nueſtro, & alegres ſeruiremos al Rey.

Excellẽt Princep, e Señor muy poderoſo. Sobre todos bienes mas cobdiciados, e preciados, ſiquiere en aqueſte mũdo terrenal, hoc en cara en la gloria celeſtial; es la ſalut. Por la ſalut en paradiſo, Dios por los Santos es loado. Dize San Ioan. Apoc. VII. Cap. Que los Santos cridan grandes bozes dixiendo, Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno: Salut ſea a nueſtro Señor, qui eſta poſado ſobre el throno, & el anyel. La ſalut, Señor, en eſte mundo por todo naturalment hombre es deſſeada. E porque la ſalut del pueblo deualla de la ſalut del Princep: pro aqueſto la ſalut del Princep es fuent preciada, amada,

umada, e honrada. Antigament, Señor, en ſeñal de grant honor, e reuerencia, Iurauan por la ſalut
del Rey, o del Princep. Aſsin Iurò Ioſeph à ſus hermanos. Geneſ. XLII. Cap. Per ſalutem Pharaonis
non egrediemini inde, donec veniat frater veſter minimus: Por la ſalut del Rey Pharaon non exire-
des de aqui, faſta que vienga vueſtro hermano mas chico. Ara, Señor, es aſsin: que ſeyer ſano, o hauer
ſalut, propriament ſe dize del animal, ſegun dize el Philoſopho en el IV. lib. de la Metaphyſica. De la
coſa publica, o de la Comunidat, ſalut ſe dize por Metaphora, e figura: E aqueſto prô razonable-
ment. Car ſegunt que dizen los Metges, ſalut, e enfermedat ſon differencias del cuerpo. Pues como
la coſa publica ſea, aſsin como vn cuerpo, ſegunt que dize Plutarco al Emperador Traiano, que tota
la coſa publica es vn cuerpo, en el qual el Rey es la capeça: Por tanto la coſa publica, la Comunidat,
o el Regno, pue de ſeyer dicho ſano, o enfermo. Porque aſsin como la conuenient proporcion de hu-
mores en el cuerpo, es ſanidat; e la ſobroabundantia de aquellas, o de las vnas ſobre las otras, es
enfermedat, o malautia: bien aſsin, Señor, la ſobreabundancia, o promocion de los malos, e opreſsion
de los buenos, en el Regno, o comunidat, cauſa contrariedat de humores, e por conſiguient enfer-
medat, e malautia: e la iuſta, e deuida oppreſsion de los malos, e promocion, e exalçamiento de los bue-
nos, cauſa deuida, e rationable proporcion de humores, e conueniencia: e por conſiguient ſalut, e
ſanidat. La qual, Señor, deſſeamos, e de aquella à la vueſtra Señoria los del Regno de Aragon de
corazon propoſamos, Diziendo: Salus noſtra in manu tua eſt tantùm: Reſpiciat nos Dominus
noſter, & læti ſeruiemus Regi. Ont, Señor, ſegun tres ornamentos, que todo Rey ha; El primero,
en la capeça, el qual es Corona; el ſegundo, es en la mano derecha, el qual es Ceptro; el tercero, es en
la mano ſinieſtra, el qual es Pomo: me parece, que ſegunt aqueſtos tres ornamentos, en tres coſas, Vos
Señor, tenedes nueſtra ſalut.

Primerament: nueſtra ſalut en vueſtra Capeça es; por de los buenos condigna premiacion.

Segundament: nueſtra ſalut en vueſtra mano derecha es; por de los malos iuſta correction.

Tercerament: nueſtra ſalut en vueſtra mano exquierda es; por de los pueblos vueſtros auiſada go-
uernacion.

Dixi, Señor, primerament, que nueſtra ſalut en vueſtra Capeça es; por de los buenos condigna
remuneracion, o premiacion, e aqueſto deſigna el ornament Reyal de la Capeça. El qual es Corona.
La Corona, Señor, ſegun San Yſidoro en el XX. liuro de las Ethymologias, es ſeñal de la honor, que el
Rey ha de los pueblos a el ſubiectos. E en Vos Señor, la Corona ſignifica dignidat de honrroſa promo-
cion. Corona, Regii honoris ſignũ eſt: quæ ideò in capite Regũ ponitur, ad ſignificandũ circumfuſos in
orbẽ populos, quibus accinctus, caput ſuum coronatur. E en vueſtros ſubiectos ſignifica, de ſus treballos
e ſus ſeruicios premio, e gualardon. En toda la ſanta Eſcritura, do ſe faze mencion de Corona; ſigni-
fica, e figura premio, e gualardon; ſegunt que dize Sant Gregorio en los Morales; hoc e San Ioan
Apoc. IV. Cap. Vidit Sanctos habentes coronas aureas. dize, Que vido los Santos con coronas de
oro. E ſegunt los Doctores Theologos; dan a entender, el premio, e gualardon, que han de la viſion
Diuinal. El qual premio, e gualardon a los buenos dar, ſobiranament ſe conuiene a la dignitat Reyal.
E aqueſto ditta razon natural, e autoridad eſcriptural. Dize Sant Pedro en la ſua Canonica, que
deuemos ſeyer ſubiectos, principal al Rey, aſsin como al mas excellent; e a los Duques, aſsin como
ad aquellos, q̃ el embia por a punir los malos, e a gualardonar los buenos. Subiecti eſtote Regi, quia
præexcellenti; Ducibus, tamquam ab eo miſsis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.
I. Petri. II. cap. Aſsin miſmo aqueſto ditta marracion hiſtorial. Porque ſegunt recita Valerio, Que
Alexandre, e Iulius Cæſar, muy altament remuneroron ſus ſeruidores, e ſus Vaſſallos leales. Aſsin,
Señor, Vos faziendo, es aſſaber los buenos preimiando, gualardonando, & promouiendo; la nueſtra
ſalut en vueſtra capeça es; por de los buenos condigna premiacion. E aqueſto ſignifica, e figura la Coro-
na, que vos, e todo Rey tiene en la capeça.

Segundament, Señor, digo; que la ſalut nueſtra en la mano derecha es; por de los malos Iuſta
punicion, e correction. E aqueſto deſigna el ornament Reyal, el qual hi es en vueſtra mano derecha,
q̃ es Ceptro. El Ceptro ſegunt el Papias, es verga Reyal. De la qual dize el Pſalmiſta: Virga directionis,
virga Regni tui. Con la verga, Señor, ſe caſtigan los malos. E por aqueſto el Ceptro, que es verga
Reyal, ſignifica de los malos iuſta, e deuida correction, e punicion. E en la ſanta Eſcritura ſe nombra
la verga Reyal, verga de fierro. vt in Pſalm. Reges eos in virga ferrea. A dar a entender, que
la verga de fierro, ſignifica iuſticia por dos coſas, o razones. La primera; porque la iuſticia deue ſeyer
derecha, e aſsin comparada a verga: la qual es, e deue ſeyer derecha. La ſegunda: porque deue ſeyer
inflexible, que no ſe deue doblegar, e por conſiguient comparada a fierro. La iuſticia es aquella, que
mantiene los Regnos: Porque los Regnos ſin iuſticia no ſon, ſino ladrocinios. Auguſtin. IV. de Ci-
uitate Dei. Quid ſunt Regna, ſemota iuſtitia, niſi magna latrocinia? Que ſon los Regnos tirada la
iuſticia, ſino latrocinios? Quaſi dicat: nihil. E Por aqueſto dize Cyprianus De XII. abuſionibus,
loando la iuſtitia: iuſtitia Regis, pax eſt populorum; curamentum patriæ; immunitas plebis;
munimentum gentium; cura languorum; gaudium hominum; ſerenitas maris; terræ fertilitas;

ſolatium pauperum; hereditas filiorum. Pero ya ſea, què la iuſticia ſe trobe en la Eſcritura ſeyer comparada a verga de fierro, e aqueſto por regir: aßin miſmo trobamos, que deue ſeyer comparada, e deue ſeyer la verga de oro: E aqueſto por clementia. Hæſter IIII. cap. Extendit Rex virgam auream pro ſigno clementiæ. Ond yes dado a entender, e es; e deue ſeyer de iuſticia con clementia, o de clemencia con iuſticia. E aqueſtas dos virtudes de iuſticia, e clemencia ſon al Rey muy neceſſarias. Porque por la iuſticia es el Rey temido: e pro la clemencia es amado. Dize Seneca lib. I. De clementia. ad .:.:.: Cæſarem: Non oportet Regibus magnas ædificare turres, fortia Caſtra conſtruere, muris, & ſepibus ſe munire. Optimum munimentum Regis eſt, amor ſubditorum, & Ciuium. Dize, que no conuiene a los Reyes edificar grandes Torres, ni fuertes Caſtiellos; ni fazer fondos valles, ni fuertes murallas, por fazer ſe fuertes. La mayor fortaleza que el Rey puede hauer, es el amor de ſus ſubditos, e vaſſallos. E por aqueſto dize el miſmo en el ſobredito libro, faziendo metro, o verſos.

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:
Et doleat, quoties cogitur eſſe ferox.

Dize que el Rey deuo ſeyer perezoſo a infligir penas, y muy laugero, o propinco a fazer gracias, e miſericordias. E ſi le conuiene por deudo de iuſticia dar pena; a quello deue fazer congrant dolor de coraçon. E como el amor entre el Rey, y ſus ſubditos ſe contenez ca por la virtut de clemencia: por tanto la vara del Rey deue ſeyer, aßin meſmo de oro. Legitur Prouerbiorum Cap. Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem; & clementia roboratur thronus eius. La miſericordia, e la verdat guardan el Rey: e por la clemencia el ſu trono es refirmado. Aqueſta iuſticia, Señor, vos exercitando, e los malos corrigendo, es aſſaber, los que ſon malos de ſu natura, que nunca fazen ſino obrar mal, è no ſolament ellos, mas ſus compannias, è aquellos qui con ellos viuen; con verga de fierto, è con rigor de iuſticia. E los que non ſon malos de ſu natura, mas que les eſdeuiene alguna deſauentura, quia primi motus non ſunt in homine; con verga de oro, è con clementia. E aßin faziendo, poremos dezir, que la nueſtra ſalut en la mano vueſtra derecha es; por de los malos iuſta correction. E aqueſto ſignifica el ornament Reyal, que es en vueſtra mano derecha, que es Ceptro.

Dixi terciament, què la ſalut nueſtra en la mano vueſtra ſinieſtra es; por de los pueblos a vos ſubiectos auiſada gouernacion, è adminiſtracion. E aqueſto ſignifica el ornament Reyal, que es Pomo en la mano ſinieſtra; el qual el Rey guarda, e mira. El pomo ſignifica los pueblos, que el Rey tiene en la mano de ſu iuriſdiction. El pomo, Señor, ha figura circular; en la qual egualment, è ſin differencia el centro guarda todas las partes circumferentiales. Aqueſto, Señor, ſignifica, que ſodes centro, e medio de todos vueſtros pueblos egualment; & ſin differencia a todos deuedes iudgar, & ſin parcial affection guardar ius vueſtra protection, è mirar por eſtudioſa circumſpection. E aßin, Señor, a vueſtros Vaſſalios, e ſoſmeſos todo bien ſera procurado, e de aquellos todo mal tirado, e arredrado. Porque eſcrito es, Prouerbiorum Cap. XX. .:.:.:.:.:. Qui ſedet in Solio iudicii, diſsipat omne malum intuitu ſuo. E contanto, Señor, de part de vueſtra Capeca è de vueſtras manos, dieſtra, & ſinieſtra, vendra nueſtra ſalut. E aßin, Señor, de coraçon, e de voluntat a vos dezimos, e proponemos la paraula por mi començada: Salus noſtra in manu tua eſt tantùm. Reſpiciat nos dominus noſter: pro iuſticia riguroſa, por clementia piadoſa, e por gouernacion vigil, e eſtudioſa. Et læti ſeruiemus Regi: e alegrement ſeruiremos al Rey. E ſi nos es demandada la razon de nueſtra alegria; reſpondemos la paraula, que ſe eſcriue en el .:.:.:.:.:.:.:.:.: Quia Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ. Porque el Rey nueſtro ha obrado ſalut en medio de la tierra, es a ſaber en el regno ſuyo de Aragon; en tal manera, què vos, Señor, & obrando vueſtra ſalut en aqueſte vueſtro Regno terrenal, Dios obre la vueſtra ſalut en el Regno ſuyo celeſtial. Amen.

Concludiendo ſobre las coſas por el dito Señor Rey propueſtas dixo, que los del Regno ſe retenian deliberacion. E que hauida aquella, farian tal repueſta, que ſeria ſeruicio de nueſtro Señor Dios, e del Señor Rey, e bien de la coſa publica del dito Regno; e tal que el dito Señor Rey ſe deuria contentar.

Quamprimùm itaq; à Comitiis redditur reſpoſum (ne plus, quàm fas ſit, de propoſito noſtro curſu digrediamur) à Iuſtitia Aragonum ſummum illud, & commemorandum Comitiale, vt ita dicam, Iudicium exercetur. Statim enim enim coram eo, tanquam Comitiorum Iudice, à Regio procuratore, qui Fiſcalis vocitatur, pro indicta die abſentes accuſantur. Statutum eſt autem, vt ter ante accuſet intermiſſam diem, quàm Magiſtratus poſſit mulctā irrogare. Legis autē noſtræ ſub tit. De conuocatione Curiarum. ea de re verba ſunt huiuſmodi. ITEM: querientes nos hauer gracioſament, è benigna, con los que de aqui auāt ſerā conuocados a las Cortes, que ſeran celebraderas a los Regnicolas, è habitadores del dito Regno de Aragon: De voluntad, è conſentimiento de la Cort, eſtatuymos, & ordenamos: Que los que ſeran clamados à Cortes, o alguno dellos, no ſean, ni puedan ſeyer reputados contumaces, ſi no que ſe an eſperados tres vegadas de gracia. Las quales ſe fagan, de quatro en quatro dias, a fin que duren doze dias. Mas ordenanos:

nanos: que las prorogaciones fazederas, del termino adelant (al qual las Cortes primeramẽt seran assignadas, o clamadas) non puedan passar, o prorogarse vltra tiempo de quarenta dias. E si el contrario feyto serà: que passados los quarenta dias, si a hauida la Cort, è los clamados ada quella, por licenciados, è licenciada. At verò quarta huiusmodi à procuratore Fiscali facta accusatione; absentibus statuta iam mulcta irrogatur. Nam Iustitia Aragonum statim decernit de Regis iussu, atq; Ordinum sententia (sic enim ab ipso fieri ius est, minima etiam quacumq; in re) absentium nullam habendam esse rationem, quominus Comitialis ille propositus exitus expediatur. Quod, vt decernitur, ita fit. Deinceps enim, quamdiu Regibus, ac Regno placet, ex die in diem Comitia producuntur: prodita semper priùs ab eodem Iustitia Aragonum vnaquaq; Comitiali die, in qua iudicium aliquod sit futurum. Ad eum enim id fieri spectat. De quo Petrus Belluga Valentinus, præclarus iuris interpres, qui Alfonsi V. floruit temporibus, hæc in suis scriptis testata reliquit, in quibus totam hanc Comitiorum rationem fusiùs persequitur. *Et licet in Foro Aragoniæ, Princeps præsideat in Curia: Iustitia tamen Aragonum, vt Iudex inter Curiam, & Principem, Curiam prorogat, si Princeps præsens est, sui mandato, & consensu. Hocq; est ius quoddam constitutum, & priuilegiatum.* Et idem alio in loco. *Et est Iudex in Aragonia Iustitia Aragonum, qui est Iudex inter Principem, & Curiam.* Quomodo autem iudicium id à Iustitia Aragonum fieri debeat, in quodam Capite Priuilegii generalis, cuius toties mentionem fecimus, sic cautum fuit. *Item: Quæ el Iusticia de Aragon, iudge todos los pleytos, que vinieren a la Cort, con consello de los Ricos hombres, Mesnaderos, Caualleros, Infanzones, Ciudadanos, y de los hõbres buenos de las Villas, segũt Fuero, è segũt antiguamẽt fue acostũbrado.* Sed vberiùs diu antea expressa fuerat integra hæc in Comitiis iudicãdi istius Magistratus potestas, ac formula, in publica illa nobis, sub Iacobo Rege I. constituta lege, cuius supra meminimus. Quę talis est. *Quòd in omnibus caussis, quæ erunt inter ipsũ Regem, vel successores suos, & Ricos homines, Filios dalgo, & Infanciones; quòd Iustitia Aragonũ iudicet cum consilio Ricorum hominum, & Militum, qui erunt in Curia, dummodo non sint de partida. In omnibus aliis caussis, quæ erunt inter Ricos homines, Milites, & Infanciones; iudicet Iustitia Aragonum de ipsius Regis consilio, & de consilio Ricorum hominum, Militum, & Infancionum, qui erunt in Curia, dummodo non sint de partida.* Ea autem verba, *de partida*, id valent, vt ad consulendũ ii omnes, quorum priuatæ res aguntur, excludantur. Verùm hæc lex id etiam adiungit; iudicium nempe hoc à Iustitia Aragonum dupliciter fieri debere. Nam de cõtrouersiis, quæ inter Regem, ac nonnullos fortè Regni Ordines ortæ fuerint: excluso Rege, & iis, de quorum priuato iure contendatur, Iustitia Aragonum Iudex constituitur. In aliis autẽ quæstionibus, quæ non inter Regem, sed inter ipsos Ordines existent fortasse (fieri nãq; id sæpe videmus) Regis consilium oportet, & aliorum, qui liberè in ea caussa ius dicere possint, adhiberi. Sed rectè ne hanc nostræ legis sententiam interpreter, in Iurisperitorum opinione relinquo. Non enim doctorem me esse volo, sed tantùm historicum: cuius quidem muneris dignitatem, non gloriolæ aucupandæ vllius, sed iuuandæ patriæ impulit studium, vt mearum virium imbecillitate metirer. His ergò Consiliariis Iustitia Aragonum vti debet in Comitialibus iudiciis exercendis. Dum autẽ omniũ sensus in propositis rebus videntur congruere, effectusq; est æqualis ille, quẽ initio diximus, quasi fidium concentus: extremus tunc Comitiorũ actus tempore, ac die definitur. Quem nos, *El dia de la celebraciõ del Solio*, nuncupamus: quòd in eo Rex, maiori pompa, & apparatu, in Solio sedeat, omniũ Ordinũ frequẽtia stipatus, de cõfirmandis, fanciendisq; rebus, quæ in Comitiis transactæ fuerint, nouas leges, ex cõmuni, & publica auctoritate, laturus. Ita autẽ omnia cõcocta sunt, dum in illũ locũ conducuntur; vt plurima iura vno tẽpore statuantur facillimè. Quæ postquàm à Rege decreta sunt simulq; omniũ Ordinũ cõsensione laudata; de eorũ stabilitate Rex fidẽ suam Omnipotenti Deo in Iustitiæ Aragonũ certa iam verba, interposito Iureiurando, deuincit. Et Iustitia quã mox, aliiq; Regii ministri, ac cuncti Ordines in Regis manibus simili religione obligantur. Huiusce verò tantæ rei celebritatẽ ii duo, quos diximus, Comitialis scripturæ Magistri publicarũ literarũ monumentis consignant ad posterorum omnium memoriam sempiternã. Atq; hoc tandẽ felici exitu constans, & grauis, concordiarum plena, perfecta, atq; absoluta ipsorũ Comitiorum ratio cõcluditur. Iã verò de subselliis hęc idẽ Belluga, variis in locis, attestatur. Omittã autem testimoniorũ copiã, quã effundit, vt quæq; dicat, dilatet, & cõfirmet. Id enim Iurisperitorum est maximè propriũ. Ad nostrũ autẽ institutũ nihil pertinet, cùm non tã caussas rerum, quàm ipsas res, atq; euenta perquiramus. Vt Belluga igitur prodit: *Princeps, vt Regni dominus, in Culmine sedere debet: quod appellatur locus altus super omnes gentes ad Curias conuocatas, Regna sua, & terras repræsentantes. Et in dicto Culmine, in Solio alto super omnes Vassallos debet Rex Cathedram tenere. Et ideò solitum est, vt fiat quoddam thronum ligneum,*

quod nos Tabellatum appellamus; in quo sint multi gradus, ad modum gradarii; & Solium Regium stat in loco superiori super caput omnium conuocatorum. Post Principem autem sedet Primogenitus & ad dexteram patris sedere debet. Ex post ad latus sinistrum Principis, quod est dexterum quoad Curiales, sedet Iustitia Aragonum. Qui ex suis Foris præsidet etiam in sui Curia Aragonensium, & illam prorogat. Et ista dignitas, & officium fuit incognitum de iure, cùm sit creatum ex lege Regni, & habet magnum participium in Regia iurisdictione. Ego verò in comitialibus nostris scriptis notatum inuenio, Iustitiam Aragonum in gradibus Solii, ad ipsius Regis pedes, medium inter omnes Regis ministros, sedêre consueuisse: qui mihi præcelsus sanè, ac satis editus videtur locus. Quod si iisdem Comitiis, atq; eodem (vt vulgò loquimur) Solio, horum trium Regnorum conuentus celebrentur, id enim plerunque fit; ius est: Vt nostri Ordines in loco sedeant digniori: atq; vt Ciuitatis Cæsaraugustæ primarius Consul, quem Iuratum dicimus, in subselliorum ratione Barcinonenses, ac Valentinos Consules antecedat. Reliqui verò quo loco sedere debeant gradatim, Belluga idem fusius, & vberius pertractauit: & nos etiam in eo, quem de Methodo procedendi in Comitiis, vulgari lingua, superioribus annis libellum conscripsimus. Iam enim vnicuiq; in magno illo consessu certus, ac definitus est locus: statutūq; quis summus, quis infimus, quis medius, quis vltimus, ac quis extremus futurus sit: & vt, quo quisque loco sedere debeat, assideat; & illico qui sit post illum sessurus, subsequatur: vt omnia completa, & conferta sint: ne vlla relinquatur subselliorum pars nuda, aut inanis; sed vt quisq; sit in dando, & cedendo loco, cui dari conueniat, officiosus. Ceterum magnum aliud solebat olim in Comitiis nostris, non iam à Iustitia Aragonum, sed contra eundē Iustitiam, illius Locūtenentes, aliosq; ministros, iudicium exerceri. Vetus namq; ius erat, & antiquū: vt Magistratus hic Comitiali esset tantummodò notationi subiectus. Neq;, vllum aliud in eū erat iudicium damni, nec criminis, de iis, quæ iniuriose decerneret, nisi Comitiis habitis, cōstitutum. Nunc verò per leges noui cuiusdam iudicii inductus est mos, sancitumq;: Vt quotannis subire possit Septemdecim virorum vultum seuerum, magnamq; illorum experiri vim, ac iracundiam potestatis. Sequenti vero Capite quomodo ea se res habuerit demonstrabo.

DE INQVISITORIBVS IVSTITIÆ ARAGONVM censorioq; Septemdecim virorum iudicio.

Neque enim decuisset profectò, cùm à maioribus nostris tam benè fuissent ceteræ istius muneris partes descriptæ; extremum actum hunc, tamquàm ab inerti poeta, fuisse neglectum. Quinimò eundem sic oportuit, ad Magistratum ipsum temperandum accedere, vt in eo statuamus modò, incolumen Reip. nostræ statum contineri. Nam quo pacto fuêre extraordinarii Regum impetus Iudicis Medii præfectura compressi: simillimè quoq; necesse fuit, eandem ipsam præfecturam illaqueatam esse legum periculis, implicatamq; expectatione supplicii; ne nimia potestas superbiæ, aut elationi, sed bonitati, ac moderationi materiem det. iam vt melius nostrā quā Lacedæmoniorum olim, fuisse tēperatam Remp. iudicemus, quandoquidem nō Ephoris calcaria solum, ac Regibus frænos, quēadmodū Isocrati, doctori alioquin singulari; sed & ipsi Iustitiæ Aragonū & calcaria, & frenos quoq; interdū adhiberi debere, visum fuit. Itaq; ad eā rē clarū hoc sibi maiores nostri, publica huiusmodi lege, remediū cōpararunt. Quæ enim tāto labore, ac periculis parta ab ipsis, nobisq; tradita libertas fuit; hoc etiam maximo oportuit, ac fortissimo sepimento vallari: Nempe vt Magistratus ipse se sciat, nisi in temperando temperantiam adhibuerit, grauissimas fore censorii iudicii pœnas subiturum: cuius nullo modo declinare laqueos licebit. Hæc autem ea de re antiquæ legis sub tit. *Quod in dubiis.* verba sunt.

VOLVMVS etiam, & ordinamus: Quod in casu, quo Iustitia Aragonum de facto processerit, vel mandauerit procedi ad executionem realem contra Forum, Priuilegia, Libertates, Vsus, & Consuetudines dicti Regni, contra personam, vel personas, seu bona alicuius; vel non certificauerit infra octo dies Officialem consultantem, postquàm requisitus fuerit super dubio, quid de Foro, Priuilegiis, libertatibus, vsibus, & consuetudinibus dicti Regni faciendum existat, & quid facere debeat, vt dictum est; vel si noluerit cognoscere de quæstione, quæ mota fuerit contra Iudices, & Officiales, vel aliquem ex eis, contra quem fuerit propositum processisse ad executionem realem contra personam, vel bona alicuius contra Forum, Priuilegia, libertates, Vsus, & consuetudines Regni; vel non expectata certificatione dicti Iustitiæ de facto processisse contra eam, vel peccasse in aliquo prædictorum in supradictis articulis contentorum, & specificatorum; vel si dictus Iustitia obedierit Cartæ contra Forum; vel recusauerit, mandare ad executionem duci sententiam latam per ipsum contra aliquem Iudicem, seu Officialem, secundum quod dictum est; vel non compleuerit, vel fecerit omnia, & singula supradicta, quæ tenetur complere, & facere, secundum quad dictum

est

est: Quòd in prædictis casibus, & quolibet ipsorum, in quo, vel in quibus dictus Iustitia Aragonum fecerit, vel omiserit: si factum erit criminale, & mors, exilium, extema membrorum, pœna corporalis, vel captio fuerit subsequuta; dictus Iustitia Aragonum sustineat, & pœnam similem habeat sustinere. Et si ratione dicti enantamenti, vel superseßionis aliqua de dictis pœnis non fuerit subsequuta; vel factum fuerit ciuile, & ex hoc pars sustinuerit mißiones, & damna: in quolibet dictorum casuum dictus Iustitia Aragonum teneatur parti damnificatæ soluere mißiones, & emendare damna in duplum; & perdat Officium; & numquàm illud, nec aliud Officium poßit habere; nec poßit esse de domo, nec de mercede nostra. Quæ pœnæ impositæ contra dictum Iustitiam Aragonum habeant locum, & ducantur ad executionem; quotiens per Curiam Generalem fuerit pronuntiatũ, vel declaratũ super eo. Quam Curiã dictus dominus Rex teneatur facere de biennio in bienniũ, secundũ quod per Forum extitit ordinatum. Ad inquirenda autem singula quæque Iustitiæ Aragonum facta, & consilia, Ann. Chr. ∞ CCCXC. Quatuorvirale quoddam, non annuum, vt modo, sed Intercomitiale munus designatum fuit, ex quatuor Regni conflatum Ordinibus. Cui qui tunc præpositi fuêre; ex eo quod in Magistratum inquirere debebãt; Inquisitores Officii Iustitiæ Aragonum dicti sunt: atque ita nunc etiam dicuntur. Inquirendi autem sic ipsis fuit, publica lege, potestas definita. Interdum enim fas erit hoc loco, vt ad memoriã vetustatis, antiquatas ipsas leges referamus. *CVM officiũ Iustitiæ Aragonũ sit vniuersale in dicto Regno, & si quos contra iustitiam aggrauaret, (præsertim cùm in aliquibus caußis, in quibus contra Officiales nostros, & alios cognoscere potest, de Foro ab eius sententiis appellari non poßit, nec appellatio aliqua prosequi) iustitiam ab eo debitam, grauati assequi commodè nequirent. Nam quamquam per Forum statutum existat; quòd pœnæ à Foro contra dictum Iustitiam impositæ tunc locum habeant, & exequantur, cùm per Curiam Generalem Aragonum id declaratum fuerit, seu pronuntiatum; quia tamen per dictum Forum, vel aliàs non est aliqua certa forma prodita aduersus dictum Iustitiam, eiusque Locumtenentes, Notarios, & Virgarios procedendi: Ea propter ad supplicationem, & de voluntate, & consensu totius Curiæ, seu Deputatorum Regni prædicti, vice, & nomine Curiæ prædictæ, & pro bono statu dicti Regni, Statuimus, & in perpetuum ordinamus: Quòd per nos, & successores nostros eligantur quatuor personæ idoneæ: Vna videlicet de quolibet brachio, de octo personis nobis, & nostris successoribus nominandis, & præsentandis, & in Curiis generalibus, vel Particularibus celebrandis in dicto Regno, vice prima de Octo personis nobis nominandis per Deputatos Regni prædicti pro tota Curia. Qui habeant sufficiens, & plenum posse iuquirendi, seu Inquisitiones faciendi ad solam partis priuatæ denuntiationẽ factã verbotenus dictis Inquisitoribus, & sine scriptura, contra dictũ Iustitiã, Locũtenentes, Notarios, & Virgarios ipsius. Ita tamẽ ꝙ ipsi Inquisitores, faciãt scribi nomẽ denũtiatoris & substantiã eorũ, q̃ denuntiabit, per ipsorũ Notariũ in actis Processus Inquisitionis, quæ fiet contra dictos Iustitiam, Locumtenẽtes, Notarios, & Virgarios ipsius, qui nunc sunt, & pro tempore fuerint, de quibusuis criminibus, exceßibus, delictis, & notabilibus negligentiis, ac magnis defectibus abinde faciendis, committendis, seu perpetrandis in, & circa Officium antedictum, aut colore, seu occasione eiusdem in suis Officiis delinquendo. Quam Inquisitionem iidem Inquisitores contra prænominatos, & quemlibet ex eis facere teneantur prædictis tribus mensibus Anni cuiuslibet, Martii videlicet, Iulii, & Nouembris, & non vltra. Qui quidem Inquisitores prima vice per nos eligendi, & eorum Notarius, teneantur præstare sacramentum, & homagium nostro nomine, & dictæ Curiæ, in posse dictorum Deputatorum, & dictæ Curiæ: De bene, & legaliter se habendo in faciendis dictis Inquisitionibus, & in exercitio earundem, omni odio, fauore, timore, amore, & rancore semotis. Et de tenendo in secreto nobis, & cuicumque alteri personæ dictas Inquisitiones, & contenta in eis vsque ad earum publicationem. Et qui post hos prima vice electi fuerint, & qui ex tunc loco eorum, seu cuiuslibet eorum de cetero eligentur, aut subrogabuntur; teneantur similia sacramentum, & homagium præstare in posse nostro, & dictæ Curiæ tempore celebrationis eiusdem: Nobis tamen existente in dicto Regno sine celebratione Curiarum, in posse nostro, & Deputatorum dicti Regni. Si vero absens fuerimus à dicto Regno; dicta Sacramentum, & homagium teneantur facere, & præstare in posse Gubernatoris Aragonum, & Deputatorum eiusdem Regni, seu alterius eorundem Deputatorum, qui ad id ab ipsis Deputatis fuerit ordinatus.* Tum alio capite hæc fuit exercendi istius iudicii constituta formula. *Statuimus etiam: Quòd Inquisitores prædicti teneantur facere dictam publicationem in primis Curiis Generalibus, vel Particularibus, celebrandis in dicto Regno. Quas nos, pro vt de Foro tenemur, Iuramus celebrare de biennio in biennium post finitas Curias generales, vel in casu suo eis non finitis. Quæ publicatio habeat fieri antequam ad alios actus dictarum Curiarum poßit procedi. Et facta dicta publicatione, eædem Inquisitiones debeant finiri infra spacium quatuor mensium ex tunc sequentium. Infra quos concedatur dictis Iustitiæ, Locumtenentibus, Notariis, & Virgariis per dictos Inquisitores, copia articulorum, attestationum, & de actis, ac toto processu contra eosdem productis, & actitatis; provt eorum cuilibet pro suo interesse per-*

tinere dignoscatur: & tempus ad contradicendum, & suas defensiones proponendum, & allegandum, suasque probationes super eo producendum. Quibus peractis: similiter concedatur copia attestationum, & aliorum, quæ proposita & producta fuerint procuratori Curiæ Aragonum. Quem brachia Curiæ prædictæ possint, & teneantur constituere in primis actibus Curiæ ad prosequendum, instandum, & determinari faciendum per sententiam, Inquisitiones, quæ inchotæ fuerint contra dictum Iustitiam, & alios præfatos. Concedendum eidem procuratori terminum similiter ad reprobandum testes, & alia, quæ per dictum Iustitiam, & alios iam dictos producentur. Taliter tamen per ipsos Inquisitores dicti termini cuilibet ex prædictis moderentur; quod dictæ Inquisitiones infra dictum tempus finiri habeant. Et teneantur dicti Inquisitores in prædictis procedere breuiter, simpliciter, summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, sola facti veritate attenta. Et postquàm dictæ Inquisitiones erunt conclusæ, seu ad diffinitiuam sententiam productæ; non possit ad alios actus Curiæ procedi, donec ipsæ Inquisitiones per diffinitiuam sententiam fuerint terminatæ. Quæ proferri habeant, absoluendo, vel condemnando, quoad pœnas in Foro statutas: exceptis pœnis damnorum duplicatorum, & expensis, & interesse partis denuntiantis: quas is, cui pertineat, petere valeat, provt per Forum, & vsum Regni ante huius Fori editionem facere poterat. Dictus tamen denuntiator, ratione dictæ denuntiationis, non teneatur de calonia, nec de expensis. Et prædictæ absolutiones, & condemnationes habeant fieri iuxta merita dictarum Inquisitionum per dictum dominum Regem, & quautor Brachia dictæ Curiæ concordes, seu maiorem partem cuiuslibet dictorum Brachiorum; illorum videlicet, qui in ijs licite possint, & debeant interuenire, de Foro, & ratione. Et nostræ etiam intentionis existit, Quod Brachium Ecclesiæ possit interuenire in præmissis, & singulares eiusdem, qui voluerint interesse. Et insuper ordinamus: Quod dictis Inquisitionibus pendentibus, & eis per diffinitiuam sententiam non finitis, ad suspensionem aliquam dicti Iustitiæ, & aliorum prædictorum procedi nequeat vllo modo. Quin etiam eadem lege, magnum hoc Inquisitorum fundatum, ac stabilitum fuit pulcherrimis hisce institutis imperium. *ITEM statuimus: Quod dictorum Inquisitorum Officium duret tantum, quovsque per Curiam de aliis sit prouisum, modo, & forma præfatis. Et postquàm de aliis Inquisitoribus fuerit prouisum; successores teneantur inquirere contra præteritos Inquisitores, quibus modo, & forma se habuerint in, & circa commissum eis Officium. Et similiter faciant ij, qui in Curiis successiuè fuerint deputati: qui teneantur procedere, & Sacramentum, & homagium præstare, modo, & forma superius expressatis. Ceterum cùm nobis fuerit supplicatum, quod dictos Inquisitores non reuocemus, priuemus, nec in aliquo impediamus, in, & circa exercitium Officiorum suorum, per Inhibitiones, supersedimenta, nec aliàs vllo modo, nec tollamus nec minuamus pœnas aliquas per Foros statutas contra dictũ Iustitiam, & alios prædictos; & vbi faceremus, quod Inquisitores prædicti non teneantur obseruare aliquas literas, mandamenta, Inhibitiones, vel prouisiones in contrarium præmissorum emanatas; immo eis non obstantibus continuarent, & exercerent eorum Officiũ supradictum. Propterea volumus, concedimus, & ordinamus quòd dictos Inquisitores nõ intendim9, neque possim9 priuare, nec in aliquo impedire per Inhibitiones, supersedimenta, vel alio modo, provt in nobis supplicatis continetur. Verùm si contingat, aliquem ex dictis Inquisitoribus interim deficere, morte, longa absentia, vel alio legitimo impedimento: in quolibet casuum prædictorũ, alij eius consocij possint, & habeant præsentare nobis, tamẽ in ipso Regno personaliter existente, nobis verò ab ipso Regno absente, Gubernatori dicti Regni, duas personas illius Brachij vnde deficiat, de quibus Nos, vel dictus Gubernator suo casu, habeamus, & habeant eligere vnam ex ipsis infra quindecim dies, postquàm dicta electio exstiterit præsentata. Et vbi infra dictum tempus non faciemus Nos, vel dictus Gubernator suo casu: dicti Inquisitores, deficientis consocij, ex tunc id facere valeant. Quæ persona sic electa teneatur dicta Sacramentum, & homagia præstare in posse nostro, si in ipso Regno fuerimus, & Deputatorum dicti Regni, vel aliquorum ex ipsis Deputatis per alios Condeputatos eligendorum. Nobis verò ab ipso Regno absente, in posse dicti Gubernatoris, & dictorum Deputatorum, vel alterius eorum per Condeputatos alios eligendi.* Iam verò hęc quoq; tunc data fuit Inquisitoribus ipsis potestas. *Hãc constitutionẽ etiam perpetuò ordinamus: Quod Inquisitores memorati, temporibus quibus circa prædictas vacabunt Inquisitiones, possint videre, & inuestigare omnes Processus originales, & acta Curiæ dicti Iustitiæ. Et iidem Iustitia, Locumtenentes, & Notarij, ipsos, & ipsa teneantur quacumque vice, qua fuerint requisiti, eis exhibere, & ostendere; ipsorumq; copias, quotiens eas voluerint, & petierint ipsis tradere absque aliquo pretio. Scribentibus tamen Generale dicti Regni satisfacere teneatur.* Ad extremum hæc iisdẽ fuit, & laboris delegandi condicio, & merces altero eiusdem legis Capite constituta. *Volentes, provt conuenit, dictis Inquisitoribus de condecenti salario prouidere: Statuimus, quòd quilibet Inquisitorum prædictorũ anno quolibet habeat pro suis sportulis, salario, & labore à Generali dicti Regni Trecẽtos Florenos: & eorum Notarius Centũ Florenos. Quos habeant p tertias in fine cuiuslibet dictorum trium mensium, Martij videlicet, Iulij, & Nouembris. Et nõ possint*

aliquibus

aliquibus aliis personis, præterquàm suis collegis, seu sociis dumtaxat, committere vices suas. Ita tamen quòd omnes quatuor, vel saltem tres ex ipsis habeant personaliter interesse exercitio, & continuationi Processuum dictorum Inquisitorum. Vetus igitur nostrum ius erat, vt in Comitiis exerceretur hoc contra Iustitiam Aragonum magnum iudicium: minimè tamen ceteris negotiis intermissis. Vno enim, atque eodem tempore, & Comitiales ipsæ agebantur res, & iniuriæ propositæ Magistratus. Neque verò olim Inquisitores hi, tantummodò erant huiusmodi caussarum structores. Interdum enim, vt sua ferre suffragia possent, lege hac publica concessum fuit ipsis. *Queremos assi mesmo: que en la examinacio, e diffinitiō de los ditos Processos, los ditos Inquisidores puedā estar presentes. Empero que no hayā voto, sino aquel que sera de la Cort: assi como vno de la Cort.* Sed statutum erat, vt antequam vllum iudicium fieret facti alicuius, Inquisitores de singulis caussis ad Comitia referrent. Comitia autem de eis omnibus, prodita priùs die, publico iudicio decernebant: ac quæ maiori parti rata videbantur, rata erant futura. Ceterùm non facile factu semper erat in tanto hominum concursu, vt & ipsi secum, & simul omnes cum Regibus, in sententiis ferendis conuenirent. Quinimmo ob magnam confusionem suffragiorum, in alia Comitia plerumq; solebant iudicia hæc differri. Neq; ea semper pondere, ac delectu ferebantur; sed impetu, ac furore nonnumquā: cum interdum etiā ex imperitæ multitudinis errore penderet. Itaq; meritò possumus affirmare in hac iudicii ferendi formula statuenda, nostrā diutius antiquitatem errasse; ne iam illi omnia concedamus: quamquā eam aliquamdiu videmus nouis fuisse legibus, minutulis tamen in rebus, emendatam. Verùmtamen cùm difficultas ipsa videretur semper nouam aliam rationem, ac iudicandi viam flagitare, extremaq; hæc totius nostræ molitionis pars firmū aliquod imploraret publicæ libertatis præsidiū: plurimis tentatis rebus, in hac tādem vna in Comitiis, Calataiubii habitis, An. ∞ CDLXI. acquieuerunt omnes: Multitudinem quippe fugiendam, paucisq; iudicibus contentos esse oportêre. Neq; aliter potuisset planè animaduersio, quę oportebat, vitiorum, nec delectus æquitatis, qui conuenit, adhiberi. Et id quidem deficiebat solum, vt bene firmus Reip. nostræ status, firmior redderetur. Tunc enim, quasi illius stabilitatis fundamentū, ac sedes, constituta fuit hæc, de qua nunc agimus, Magistratus Iustitiæ Aragonū Septemdecimuiralis auctoritas, moderatrix. Sed neq; tunc res ipsa visa est, quam decebat, maturitatem habêre: quippe cùm nihil simul & inuentum, & perfectum sit. Sexennio autem post, immutatis nonnullis de prioribus institutis, qui nobis nūc manet, inductus est mos. Quo tametsi appropinquauit magis, sed nondum venit tempestiua omnis, quæ oportet, maturitas decretorum. Immutanda enim videntur nonnulla, alia nouo more interdum decernenda, non tam vt seueritas ipsa iudicandi, quàm vt accusandi corrupta, à nonnullis vsitata, formula temperetur. Eam enim statuo esse haud mediocre impedimentum libertatis: atq; ita esse in hoc iudicio seueritatem probandam; vt in accusando adhibeatur etiam quæ tanto muneri debetur, decôris, ac æquitatis mansuetudo. Verùm nescio quo pacto ad statuendi rationem delapsa est oratio mea, cùm id mihi propositum initio nō fuisset. Itaq; vt ad rem redeam, Ann. ∞ CDLXVII. in Cæsaraugustanis Comitiis, quorum supra meminimus, amplissima illa lege, quæ, *Forus Inquisitionis Officii Iustitiæ Aragonum*, inscribitur, sancitum fuit: Vt censorium hoc de Magistratu iudicium mutuis exerceatur, & Inquisitorum, & Septemdecim virorum Officiis. Quæ ita ipsis dispertita sunt: Vt Inquisitores muniant iudicandi viam; Septemdecimviri autem sententiam pronuntient. Iam verò Inquisitores hos non publico delectu, vt olim dum Intercomitiales erant, sed Deputatorum more, sortito quotannis lex nostra capi iubet. At Septemdecimviros, sortito quamuis; non tamen annis singulis; nisi dum eorum indiget ope Respublica. De quibus omnibus singula sunt iura constituta: ne quis eorum à proprio, & integro possit officio aberrare. Quæ verò ea sint, perquàm breuiter perstringam hoc loco. Quamquàm enim sunt literatis nostris hominibus vulgata, & notissima: plerumq; tament solent esse non solùm populo, sed suffragatoribus ipsis obscuriora. In primis igitur quodam illius legis Capite sancitur: Vt Inquisitores hi, prioribus decem Aprilis mensis diebus, cuiuslibet anni, Cæsaraugustæ in publica Deputationis ita vocata domo considentes, amplissimo Comitiorum loco, potestatem sui faciant, vt ab omnibus possint adiri. Antiquo autē more comparatum est: vt prima quaq; eiusdem mensis die, Inquisitorum iussu, publici præcones, maxima voce, citent quoscumq;, qui se iniustè esse à Magistratu lęsos arbitrentur, vt apud Inquisitores edant, & exponant, ac suā quisq; iniuriam persequatur: denuntiantes siquidem, Inquisitores ipsos singulis illis diebus, definito eo loco, ad omnia, de quibus quisq; audiri velit, paratos futuros. Quòd si nemo adsit, qui intra decem illos dies de Ma-

gistratus iniuria conqueratur; eundem accusandi tunc aditus est omnis interclusus, nec Septemdecimviri educuntur eo anno. Immò verò decima ipsa Aprilis mensis die, Inquisitorum illud finitur imperium. Si quispiã autẽ, licet tenuissimus homo, intra dictos dies, proposuerit, à Magistratu contra se, fuisse aliquid iniquè, & iniuriosè decretum; vel non decretũ fortasse, quod iuxta leges ipsas decerni debuisset: tunc Inquisitorũ potestas vsq; in decimum Iunii sequentis prorogatur diem. Omnes enim hi, qui interponũtur, dies & actori ad agendum, & reo ad defendendum sunt, vnicuiq; videlicet definito iam tempore, constituti: decretumq; est; vt hæ caussæ apud Inquisitores, tũ Iudices, agendæ sint. Idipsum autẽ de Magistratu conqueri, & apud eos edere, & exponere; *Denuntiare*, patrio loquendi genere appellamus: *Denuntiationemq;* petitoris ea de re propositum libellum. Cuius tam formidolosum est nomen, vt statim dum proponitur, triste cẽseatur, ac horridũ; ac si iam reus fiat sola eiusmodi nuntiatione vitiosus. Simulac ergò intenditur alicui, censorii istius Iudicii periculum: si legitimis præstitis, vt loquimur, fideiussoribus roboretur; inanis est prorsus quæq; omnis mutatio consilii. Nam etsi ius suum posteà totum dimiserit, qui accusarit; nihilominus necessariò est illius, qui accusatus sit, nomen ab Inquisitoribus ad Septemdecimviros deferendum. Tũc enim procurator Regni, publicus est accusator à nostris legibus constitutus; qui vehemẽtem, & acrem petitoris illico capere tenetur, quam eidem minimè licet, personã deponere; quin singulas huiusmodi actiones, tamquàm perduellionis actiones, persequatur. quasi leges ipsę videantur eo tẽpore istius à se selecti patroni fidem, illatarũ sibi iniuriarũ vltricẽ, implorare. Eô aũt grauior; quô nõ est voluntaria illius accusatio, censetur. At verò qui reus factus est, in cõfessione facti, precipuam eã, quæ sit ipsius iuris, defensionẽ suscipere debet, ipsarumq; arripere patrociniũ legũ. Tunc enim non tã de priuato, quàm de publico iure disceptari oportet. Nonnũquã autem ex scripti interpretatione improbo Iudici datur occasio, vt cũ sciens perperam iudicarit, publicas tabulas videatur sequutus. Tam prõpta autẽ, & parata esse debent istius Magistratus adiumenta, ad cõmunia pericula propulsanda; vt si nõ defendat, vel non ferendæ obsistat iniuriæ, tam esse in vitio iudicetur, quàm si eandem ipse iniuriã intulisset. Verùm hæc omnia in singulare Septẽdecim virorum iudicium concluduntur. Nullũ enim ea de re Inquisitores possunt suffragiũ ferre, vt olim solebant: nisi quis fortè eorum sit in alicuius Septẽdecimviri, vel mortui, vel suspecti, è reliquis Septemdecimviris locũ suffectus. Sic namq; fieri iubet ipsa lex, vt eorum numerus impar efficiatur. Est autẽ eorundem Inquisitorũ potestas in nonnullos alios Regiæ Iurisdictionis ministros prorogata: quos nostro more, vulgari lingua appellandos duxi, ne eorũ nomina latinè reddita efferantur vitiosè. nempe: *En los Sobreiũteros; Lugartenientes de Sobreiũteros, Porteros del numero de doze; y en qualesquiere otros Porteros, o Vergueros; y en qualesquiere hõbres des Officio de los Alguaziles del Rey, de su Lugarteniẽte general, del Primogenito, y del Regẽte el Officio de la Gouernaciõ; y en los q̃ fuerẽ Aduogados secretos:* diuersa tamẽ à prioribus aliis ratione. Quæ aũt ea sit, in legibus, sub tit. *De Aduocatis, ac Supraiunctariis*, continetur. Ego enim sic interpretor maiores nostros sensisse, vt ea lege, *De Supraiũctariis*, censuerint, non Alguazirios ipsos, sed homines eorum Officii, satellites nimirum, huiusmodi Inquisitioni subiectos esse debêre: tametsi hæc verba aliter scio à Molino fuisse variis in locis explicata. Sed de his agere prætermitto: mihi enim ad cõmemorandum minimè videntur necessaria, cùm de Magistratu Iustitiæ Aragonũ tantũmodò sit sermo propositus. Itaq; hoc in genere, Inquisitorum partes præcipuæ sunt; Septemdecimviris viã, vt diximus, iudicandi munire. Ipsorum verò Septemdecimvirorum quàm late pateat potestatis vis, ex his eiusdẽ legis verbis perspicuè intelligetur. *Las quales doze personas de los tres braços, è cinco de otro braço, que todos siã en numero de dezisiete personas, hayã aquella mesma potestad cerca las cosas sobreditas, è infrascriptas, è de aqllas incidẽtes, depẽdientes, è emergentes, è a aquellas annexas, q̃ nos hauemos, è hauer podemos en semble con la Cort.* Quod tandẽ omniũ maximum est, ac summũ imperium. Iam verò ad negotia huiusmodi, integra iudicandi potestate, expedienda, eadẽ ipsa lege cautũ est: Vt sortitò, vicesima quaq; Maii mẽsis die, quæ huic operi faciendo dicta est, ê quatuor Regni Ordinibus Septemdecim capiantur viri, qui Reip. voce magnum istud Officiũ exequantur. Eosdem autem educendi Deputatis Regni cõmissum est munus: ac inducendi quoq; dum eorum nomina mutari oportet. Nemini enim in hũc tantæ dignitatis locum, neq; in ipsum Inquisitorum, nec Deputatorum numerũ, licet peruenire, nisi eum Deputati ipsi, illo numero, ac loco dignum, iudicarint. Est autem præstitutum iam: vt in singulis hisce muneribus, & distributiones generũ, & ipsorũ Ordinũ gradus seruentur: quoad is in vnoquoq; eorum effectus sit numerus, qui iam est ab ipsis nostris legibus definitus. Est præterea eadem ipsa lege prouisum; vt hæc (vt ita dicam) imparitas, in Septemdecimvirali

virali numero constituta, ad singulos Ordines deducatur; gradatimq; deorsum versus redeatur sursum. Septemdecimviros ergò, sorte datos, ius est, ad decimum Iunii diem, Deputatorum edicto, compellari. Quem ne quis fortè negligat obire, sancitū est etiā; vt ei, qui non adsit, vel maxima sit culpa, vel caussa. Cæsaraugustam aūt conuenientes, constituta die, Deputatis Regni sacrosancto fœdere deuinciunt fidem suā, se nullo pacto à via recta deducendos fore, quominus suum quisq; de singulis caussis & incorruptum, & liberum, & occultum quoq; suffragium ferat. Mox iudicii locum ascendunt. Ibiq; ad eos, quæq; fuerunt ante Inquisitores publicis monumentis mandata, perferuntur, adhibito ad hęc omnia eorundē Inquisitorū, vt vocant, Notario: quē iubēt esse leges nostræ, istius omnis scripturæ magistrum. Atq; illum olim quandoq; à Comitiis, quandoq; à Regibus, sæpius tamen ab eisdem Inquisitoribus, ipsi muneri præponi solitū obseruaui. Nunc verò sorte etiam est eodem, quo Inquisitores, tempore educendus. Hac igitur re præstita, quasi quibusdam finibus, magnū illud, quod diximus, eorundē Inquisitorum terminatur imperium. Inde autem Septemdecimvirorum incolumis tota iudicandi potestas informatur. Apud eos enim statim oriuntur accuratæ, & acerrimæ honoris contentiones, disceptationesq; de singulorum reorum capite, & fortunis. Ac ne illud omittam, Septemdecim hos, graues ferendi istius iudicii auctores, libertatibus nostris placuit habēre ciuilium legum expertes, & ignaros. Ita enim ab eo Iurisperiti omnes, publico alio ipsarum legum edicto, repulsi sunt. *Empero declaramos: Que Iuristas algunos no hayā, ni puedan hauer el Officio de la dita Iudicatura.* Voluerunt namq; nisi quasdam apertissimas res crimini dari non posse: repetundarum scilicet pecuniarum culpam; violatæ fidei; doli mali; aut summæ negligentiæ. Nouerant autem à Iurisperitis plerumq; vno verbo, aut litera, ius omne torqueri. Ea propter prohibuerunt, eos in huiusmodi iudiciis interesse. In cōsiliis tamen, vt duo Iurisperiti adsint, à Septemdecimviris quamprimùm euocati, concesserunt: quos, *Assessores*, eædem leges nostræ nuncuparūt. Sed hi nequeunt definire iura: tametsi de singulis rebus, ac de vnoquoq; reo iudicando palam sua ferre suffragia tenentur, non vt disceptatores, aut Iudices; sed vt fideles tantùm singulorum Officiorū spectatores, ac testes: atq; vt scelerum indicia ostendant, sententiarumq; ferendarum Septemdecimviris ipsis patefaciant viam. Septemdecimviris autem adeò restrictè ad eam rem præfinitū est tempus, vt differri interdum vna hora non possit. Non enim licet quadraginta dierum spatiū excedere. At verò tacita debent esse omnia, quæ ab ipsis fiant, iudicia huiusmodi: calculis siquidē adhibitis; nigris condemnationem, candidis autē absolutionem significantibus. Et nimirum hoc in genere, in quo tota nostrarum libertatum summa conglobatur, hæc danda fuit latebra iudicii, vt ceteris, quid quisq; sentiat, ignorantibus, calculus ipse vniuscuiusq; liberum occultet suffragium; quò meliùs fieri possit ab iis, in quorum mentibus consideat, iustitia. Decretū est autē; vt cuicūq; noxiæ pœna sit par, vt in suo vitio quisq; plectatur: vis nempe, capite; auaritia, mulctā; honoris cupiditas, ignominia. Neq; verò iudicium hoc eam potest sententiam cōtinere, vt reliqua omnia iudicia tollantur, quæ antea fuerint lata à Magistratu. Id enim fieri posse vetant leges nostræ. Qui iniquus verò in aliquem Iudex inuentus sit, potest eodem ipso crimine prorsus condemnari. Locumtenenti autem iniuria notato, ius est: vt neq; in Curiam reditus, neq; vt aditus pateat ad honores. Iam verò, quod summum omnium, & maximum est, pœnis à Septemdecimviris constitutis prouocationi nullus locus datur. Hanc enim eorum animaduersionē Censoriam maiores nostri sine aliquo auxilio decreuerunt: vt tam graui, iniquitati Iudicū, proposita conditione supplicii, qui naturā æqui non sint, necessitate esse cogantur. Quòd si quis forte, vt sæpe fit, Septemdecimvirorum sententiis absoluatur; ius est, eum, qui accusarit, expensi nummi, ac contracti damni, pœnam dupli, necessariò subire. In his autem omnibus eam tenentur statim Septemdecimviri cuncti pronuntiare, in quam maior eorum pars sententiam incubuerit. Denique ita diligenter perscriptæ nobis leges in hoc genere sunt, ita cautum vnaquaque de re, & ita, quod oportet, exceptum; vt nefas sit, quidquam, quod expediat, à maioribus præteritum arbitrari. Nec verò etiam decuisset, cùm in hoc Magistratu ceteræ partes ita collocatæ sint, ut nulla earum videatur excedere; eos in posteriori hoc actu redditos fuisse negligentiores, magnamq; illam eorundem aciem ingenii, in extrema hac statuenda istius muneris parte, retardatam. Atq; hoc tandem est censorium, Septemdecimvirorum grauissimum, ac supremum iudicium. Cetera verò, quæ à me de singulis Iustitiis Aragonum dicenda desunt; futuro nostro sermoni reseruabo. Non queo enim iam ampliùs differre meam, quam promisi, de antiquis Aragonensium nominibus, ac veteribus quibusdam Magistratibus, sententiam explicare.

HIERONYMI BLANCÆ DE ANTIQVIS NOMINIBVS, ET Magiſtratibus.

CVM multæ autem res ſint à noſtris ſcriptoribus de tota noſtra antiquitate neglectæ: tum verò ea penitus eſt, quæ mihi hoc loco difficilis, & perobſcura quæſtio proponitur, de ratione nominum antiquorum. Nam ſiue illam vetuſtas obruerit, ſiue forſan varietas argumenti illius homines noſtros deterruerit à ſcribendo: omnis hæc ipſius noſtræ antiquitatis pars, inculta eſt prorſus, ac deſerta; nec vllo adhuc, quod ſciam, monumentorum genere illuſtrata. Quòd ſi ipſi ab ea, tamquàm à re incerta aſſenſionem ſuam cohibuerunt; vix videor poſſe à reprehenſione temeritatis abeſſe, quòd ſcriptionis genus ab aliis propterea exploſum, his meis literulis illuſtrandum aggrediar. Ac fateor equidē, facillimè fieri poſſe, me falſum ſentire, ſi illius rationē, tamq̃ ſtabilia aliqua aut firma præcepta, in incerto illo antiqui temporis euentu collocarem; vellemq; modò euentis ipſis veterum ponderare conſilia: quæ non ſemper vnius iuris norma, ſed ex voluntate plerumque probabantur, aut caſu; cùm humiliores homines in alienum eiuſdem nominis genus infunderentur quandoq;. Neq; verò tametſi, quæ à me hoc loco dicenda proponuntur, alicuius rei, aut contrarii euentus argumento refellantur; videntur cetera eſſe, quòd ſe paululùm aliqua extra numerum mouerint, explodenda. Scio enim ipſe, quàm fuerit varia, commutabiliſque ratio iſtius rei. Nihilominus tamen fuêre olim Capita nonnulla, ita iiſdem ſemper ſententiis frequentata, vt inde erui poſſe arbitremur aliquam illius artis rationem, quę ex ſolo ſermonis vſu conſtat quotidiano. Si verò neq; id fortaſſe fuerimus conſequuti, illud ſaltem efficiemus, vt huiuſce tam abditæ, & obſcuræ rei adumbratam quandam intelligentiā animo, ac mente concipiamus. Quid? quod, multa nobis nunc trita, ac peruulgata ſunt, quę cùm initio ſilueſtribus denſa ſepibus cernerentur; poſtea patefacta fuêre: quia eadem ſcriptores ipſi præſtantibus ſuis ingeniis, quaſi aratris quibuſdam, perſtrinxerunt. Ac niſi literarum lumen accenderet; in eiſdem tenebris diu pleraq; alia antiquarum rerum munia iacuiſſent. Et libenter ego, ſi modò id fieri poſſet, ad hanc rem pertractandam, præſtantiam ingenii ab alio mutuarer. Sed quô minus eo poſſum, illud mihi ſubſidium comparabo, ne quid ſine vlla dubitatione defendā: cùm vix quidquā à me ſit in huiuſmodi argumento ſatis adhuc exploratè perceptū. Vt in agro autē non ſemel arato, ſed iterato, & nouato meliores fætus eduntur, & grandiores; ſic futurum ſpero, vt in hoc genere perfectiora proferantur in poſterum, & qui nūc à me ſulcus leuiter preſſus fuerit, altiùs deinceps à noſtris ſcriptoribus imprimatur. Ad eum verò, quā ſupra habui de veteri Ricorum, ac Meſnaderiorum hominum dignitate, quiq; reliquus eſt mihi de ſingulis Iuſtitiis, ſermonem, conducere nimis arbitratus ſum, annectere hāc modò de antiquis noſtris nominibus diſputationē: cùm ex illo genere ductum ſit, ac ſicut membrum aliquod annexum orationi. Itaq; quo me faciliùs explicare poſſim, video hanc primā ingreſſionē meam ex Romana eſſe antiquitate petendā; non quòd ſtatuerim ad Romanorū artem reuocare, aut præcepta, antiquas illas, à maioribus noſtris vſitatas formulas loquendi: ſed vt aliorum euentis memoria repetitis, faciliùs noſtra cuiuſmodi fuerint, cognoſcamus. Romani igitur, grauiſſimi illi & bene dicendi, & intelligendi magiſtri, tantopere populorum omnium iudiciis celebrati, in ſuis hominibus appellandis, prænomine, nomine, cognomine, atq; agnomine vtebantur: ſingulis nēpe ad ſingulas res ſignificandas inuentis. De quibus quid ipſi ſenſerint, ita ſcriptis ſuis Soſipater, ac Diomedes, antiqui Grammatici, tradiderunt. *Vocabulorum* (inquiunt) *quibus Romani capita recenſebant, quatuor genera ſunt: Prænomen; Nomen; Cognomen; Agnomen. Prænomen; quod nomini gentilitio præponitur, vt Publius: Nomen; quod originem gentis declarat, vt Cornelius: Cognomen; quod nominibus gentilitiis ſubiungitur, vt Scipio: Agnomen; quod extrinſecus addi ſolet, aliqua ratione, vel euentu quæſitum, vt Africanus.* Prænomen ergò, vt de ſingulis dicamus (in animo eſt enim leuiter attingere vnamquamque rem) ex eo, quòd nomini præponatur, dictum eſt. Prænominum autem alia ab ipſis Romanis ſumpta, alia à finitimis populis vſurpata fuêre; ob eamq; cauſſam peregrina vocitantur. Ac Romana quidem, triginta ad ſummum fuiſſe, ex Varronis ſententia, perhibentur: peregrina autem, duodecim. Quandoque tamen horum omnium nonnulla in cognominum rationem tranſierunt. Neque verò prænomina omnia erant, omnibus familiis communia: ſed alia aliis magis familiaria. Quæ verò ea fuerint, demonſtrare omitto. Ad noſtram enim rem nihil id arbitror pertinêre; præſertim cùm ab ipſo Sigonio, & aliis viris doctiſſimis hæc omnia, quæ ego nunc percurro, ſubtiliſſimè fuerint pertractata. Nomen autem id erat, quod, vnde quiſq; gentis ſuæ originem duceret, indicabat: proptereaq; à Romanis genti-

gentilitium vocabatur. Id autem apud eos, quemadmodum & apud ceteras quasuis nationes, aut à viro, aut a loco tamquam a fonte aliquo, deduci consueuit. In, *ius*, autem terminari solebat; vt in ipsa voce appareret; fuisse ab aliquo horum initio deriuatum: vt à Tullo Rege, Tullius; à Tarquiniis autem Vrbe, Tarquinius. A quibus singulis, qui genus suum postea duxerunt; Tullii, & Tarquinii sunt vocati. Quam deriuandorum nominum formam Romani ipsi ad suam consuetudinem, Græcorum præceptis imbuti, deduxerunt. Apud Romanos enim gentilitia hæc nomina idem valere, quod apud Græcos patronymica, sic Priscianus, vetustus scriptor, obseruauit. *Nominum deriuatiuorum multa genera sunt. Quorum patronymicum, id est, quod à propriis tantummodo patrum nominibus deriuatur secundum formam Græcam: quod significat cum genitiuo primitiui, filios, vel nepotes. Vt Aeacides, Aeaci filius, vel nepos. Pro quo Romani nominibus familiarum vtuntur: Vt Cornelii. Omnes enim ab illo, qui primus Cornelius appellatus est, hoc nomen habuerunt, quicumque eiusdem familiæ sunt: sicut omnes minores Thesei, Thesidas Græci appellarunt.* Nomine ergò apud Romanos olim, vniuscuiusque gentis, vnde ducta esset origo, notabatur. Verumenimvero cùm ex eadem gente, plures propagarentur familiæ; ad eas distinguendas, Romani Cognominum vsum adiunxerunt. Quod perspicuè adhibito Corneliæ, ac Valeriæ gentis exemplo intelligetur. Etenim cùm Cornelia gens in multas esset familias diffusa; ad internoscendam vnamquamque earum, tertiam ipsam cognominis notam adhibebant: indeque ex eisdem Corneliis, alii Cornelii Scipiones; alii Cornelii Lentuli; alii Cornelii Dolabellæ vocari cœperũt. Et in Valeria gente, alii Valerii Maximi; alii Valerii Messallæ: alii Valerii Flacci; aliisve diuersis modis fuere nuncupati. Inter gentem autẽ, ac familiã nõ minor fuit rei, q̃ videtur esse vocũ discrepãtia. Gentis enim nomẽ latiùs patuit, q̃ familiæ. Neq; gens olim propriè vocabatur, nisi quæ plures in se familias continebat. Vnde eidẽ Sigonio placet, ac profectò egregiè, vt gens ad nomẽ, ad cognomẽ autẽ familia referatur: quasi cognomẽ tantũmodò fuerit ad distinguendas eiusdẽ gentis familias adinuẽtũ. Porrò autem cùm eædẽ ipsæ familiæ in alias distribuerentur familias, ita vt Scipiones; alii Africani; alii Nasicæ dicerentur: hæc quarti nominis copulatio, quæ adiungebatur cognominibus; agnomen, dicta fuit. Agnomina autem non omnia hereditaria fuere. Quandoque enim nonnulla, nec ad filios quidem, perueniebant. Sed hæc veterum Grammaticorum opinio non tam stabilis, quam ab ipsis constituitur, inuenta est in hoc vno, quod tradunt, agnomina differre à cognominibus. Nam eadem ipsa Africani vox, quam ab eis, exempli caussa, agnominis loco positam videmus; à Marco Tullio Cicerone in oratione pro Sexto Roscio Amerino ita cognominis vocabulo definitur. Libet enim, vt hæc etiam accedant, ad ea quæ à Sigonio indidem sumpta sunt, ad hanc rem confirmandam testimonia. *Africanus*, inquit Tullius, *suo cognomine declarat tertiam partem Orbis terrarum se subegisse.* Et idem in Epist. ad Atticum de Pompeio loquens: *Noster amicus Magnus*, ait, *cuius cognomen vna cum Crassi diuitis cognomine consenescit.* Neque enim ad veterum Grammaticorum opinionem infirmandam sat fuisset scriptoris alterius testimonium, nisi illius, qui longè omnium, quicumque fuerunt, proprietate loquendi habitus est princeps, Marcus Tullius. Libenter itaque assentior Sigonio, qui statuit, quæcumque gentilitiis nominibus tertiò, aut quarto loco adiiciantur, cognomina appellanda esse: eaque ab agnominibus voce magis differre, quàm re. Neque verò qui primi fuere ipsius Romanæ Reip. propagatores, hunc multorum nominum vsum habuerunt. Eos namque vno tantùm nomine præditos fuisse, vt Romulum, & Remum, ex Varronis testimonio comprobatur. Posteà verò cum essent duo, aut plures Terentii (vt idem Varro est auctor) appellati: quod in vnoquoque singulare erat, in quo ab aliis secerni posset; id illius nomini præponi cœptum fuit. Quo pacto fiebat, vt qui mane, Manius: qui luce, Lucius; qui post mortem patris natus esset, Posthumus vocaretur. Vnde prænominum ratio vsu venit. Ad quam tandem, vt diximus; cognominum, & agnominum accessit consuetudo. Et id ipsum plane, diuersa tamen ratione, apud maiores nostros video factitatum. Apud eos enim paulatim vna cum ipso Regno; quemadmodum & apud Romanos, multorum nominum vsus increbuit. Omnia autem vel nominum, vel cognominum vocabulis comprehenduntur. Prænomina enim non habuerunt: nisi has singulas voces, *Don*, & *Mossen*, statuamus prænomina appellanda; quod singulis Nobilium, ac Militum, nominibus præponantur. Quisquis enim de genere Nobilium sit, *Don*: qui de Militibus autem, *Mossen*, Catalano (vt suspicor) sermone iampridem vocatur apud nos. Vt *Don Ioan Ximenez de Vrrea*: *Mossen Ximen Perez de Salanoua*. Hæc enim enim vulgaribus verbis notanda sunt, quia nõ bene possent Latinis.

Quòd ſi ea prænomina ſunt: non alicuius gentis, aut familiæ; ſed ipſorum Ordinum prænomina ſunt. His enim, quaſi quibuſdam ſignis, maiores noſtri, eos, qui ex aliquo horum Ordinum eſſent, indicabant. Poſtmodùm confuſè agi res iſta cœpit: ſenſimque eò deducta eſt, vt quæ olim illuſtris, ac certa nobilitatis nota ferebatur; ab ignobilibus modò, & infimis hominibus, ac feminis præſertim vſurpetur. Atqui in veteribus monumentis, Meſnaderii leguntur nonnulli, ea Nobilium nota, interdum illuſtrati: vt, *Don Ximen Perez de Pina : Don Ruy Sanchez de Pomar* : & alii his ſimiles, qui vetera peruolutanti frequenter occurrent. Sed eorum Ordo proximus erat patritiorum Ordini, ac Nobilium: qui magnam illam præſeferebant Ricorum hominum, quam docuimus, ſpeciem. Itaque hæ duæ tantum voces, *Don*, & *Moſſen*, videntur quodammodò ad prænominum Romanorum rationem adumbratæ. Nominum autem apud nos tria fuiſſe genera obſeruari: propria; patronymica; & gentilitia: quæcumque verò poſteà adiecta fuerint, cognomina appellari. Separatim namque videntur mihi eſſe aliæ cuiuſque generis, & diuerſæ obſeruationes; neque apud nos, vt apud Romanos, patronymica, & gentilitia nomina idem valêre. Quid autem inter ſe differant, dicendum eſt. Verumtamen ne ſine appoſitione exemplorum, hæc omnia reddantur obſcuriora; conſentaneum erit, vt certum quiddam exempli cauſſa, ponamus, quo hæ ſingulæ prænominum, nominum, & cognominum noſtrorum differentię exprimantur. Erit autem huiuſmodi: *Don Pedro Martinez de Luna, el Vieio*: libet enim eius hoc loco facere mentionem, à quo poſteà duæ clariſſimæ eiuſdem Lunarum gentis familię dimanarunt: quarum altera Illuecæ; altera Almonazirii opido fuit potita. In his autem neceſſe eſt omnino permiſcêre Hiſpana cum Latinis: quandoquidem eam mihi propoſui quæſtionem diſcutiendam, quæ de ratione tota ſit inconditæ, ac vulgaris antiquorum noſtrorum hominum loquendi conſuetudinis. In propoſito igitur exemplo, prima illa vox, *Don*; prænomen erit: quia patritium illum eſſe declarat. Secunda verò, *Pedro*, proprium nomen vocabitur. Nam etſi id ipſum nomen latè pateat, & omnibus gentibus, familiis, ac tenuiſſimis quibuſuis hominibus ſit commune: tamen ita vnicuique datur perſonæ, vt eo videatur poſſe, tãquàm proprio, ac certo vocabulo, appellari; proptereaq; proprium vniuſcuiuſque perſonæ dici poteſt. Tertiam deinde vocem, *Martinez*; patronymicum nomen appellabo, à gentilitio diuerſum; quòd minimè vllam apud nos originem gẽtis declaret, ſed à propriis tantum patrum, auorum, aliorumve maiorum nominibus deriuetur. At quartam, *de Luna*; gentilitium nimirum: quòd ea declaretur, vnde quiſque duxerit genus ſuum. Cognomen tandem; quod extremò loco poſitum eſt nomen ob ætatem: nempe, *el Vieio*. Cumque de prænominibus iam ſupra dictum ſit; reliquum erit, vt de ceteris dicamus ſingulatim. Ac propriorum quidem nominum alia videntur fuiſſe vſitatiora; intermiſſa alia, tametſi olim frequenter vſurpata; poſtrema verò, incerta; quibus aliquando, raro tamen, vtebantur antiqui. Vſitatiora autem hæc fuêre: *Alonſo : Artal : Aluaro : Beltran : Belenguer : Bernaldo : Blaſco : Felipe : Fernando : Ferrer : Garcia : Gonçalo : Guillen : Gil : Ioan : Iayme : Lope : Luys : Martin : Miguel : Pedro : Ramon : Ramiro* (Latinè verò quandoque Ranimiro) *Rodrigo : Sancho : Simon : Vgo : Inigo : Ximeno.* Non quòd ſtatuam, maiores noſtros nullis aliis nominibus vſos fuiſſe: ſed hæc apud eos fuiſſe vſitatiora. Intermiſſa autem: *Aznar : Arnaldo : Atho : Fortunio : Galindo : Galceran :* aut, *Galacian : Gilabert : Guerau : Nuño ; Orti : Oger : Pelegrin : Ruy : Vidal.* Hæc enim olim vſurpabantur frequenter. Verùm iampridem ſunt ab vſu quotidianorum nominum à noſtris intermiſſa. At verò incertorum vix vlla ratio tradi poteſt: ob eamque cauſſam illa, incerta nominaui. Sub quorum genere minimè ea nunc complecti volo, quæ ſemel, aut bis; ſed quæ ſæpius, à noſtris leguntur vſurpata; ac licet raro, aliquando tamen ad diuerſarum gentium familias transfudiſſe. Sunt autem huiuſmodi: *Acart : Adam : Alaman : Amor : Aſſalido* (quod familiæ *de* Gudal fuiſſe comperio) *Caſtan : Corbaran : Dodon : Gombal* : (quod gentilitium antiquæ cuiuſdam ita vocatæ gentis cùm fuiſſet; poſteà proprii nominis loco vſurpatum eſt) *Guiral : Palazin : Pipino : Roldan : Vallés.* Feminarum verò vſitatiora nomina, hæc fuêre: *Elſa Toda : Vrraca : Ximena.* tametſi paſſim maritorum nominibus appellatæ inueniuntur. Quamquàm autem (vt ad virorum nomina redeamus) ea omnibus erant hominibus, ac familiis communia: fuêre tamen nonnulla ab aliquibus frequentiùs vſurpata, ob idque earumdem videntur eſſe magis propria: vt Corneliorum, & Vrrearum, Eximini nomen: Alagoniorum verò, Artaldi, & Belaſconis. Ceterùm patronymica olim ex propriis tantummodò patrum nominibus ducebantur: neque erant vllius gentis propria, vel familiæ: nec magis plebi, quàm optimatibus interdicta: ſed quæ omnibus æquè gentibus, atque ordi-

Ordinibus conueniebant. Quicunq; enim, cuiusuis Ordinis, ac familiæ, qui patre natus esset Martino appellato; Martini inde patronymicum sibi nomen vendicabat. Quod interdum à matris nomine duci consueuit, vt in Garsia Innici Suprarbiensi Regi secundo notatum fuit: aliquando ab aui, maiorumve nominibus deriuari. Iam verò patronymica hæc nomina alia extremam paterni nominis syllabã mutarũt in, *ez*; quorum magnus, & vulgaris est vsus; alia paternum ipsum nomen sine vlla mutatione retinuêre, quòd male sonarent deriuata: alia denique anonyma videtur fuisse; quòd propria nomina, à quibus deriuari possint, non exstent, etsi eadem patronymica appellanda sunt, quòd in patronymicorum nominum loco assiduè collocentur. Quæ terminationem mutarunt, sunt hæc: *Aluarez: Aznarez: Diez: Fernandez: Galindez: Garcez: Gonçalez: Yniguez: Yuañez: Iañez: Lopez: Martinez: Nuñez: Perez: Ortiz: Ramirez: Rodriguez: Ruyz: Sanchez: Ximenez.* Ita autem deriuata fuêre: Ab Aluaro, *Aluarez*: ab Azenario, *Aznarez*: à Didaco, *Diez*: à Fernando, *Fernandez*: à Galindo, *Galindez*: à Garcia, *Garcez*: à Gonzaluo, *Gonçalez*: ab Innico, *Iniguez*: ab Yuando, *Yuañez*: à Ioanne, *Iañez*: à Lupo, *Lopez*: à Martino, *Martinez*: à Nunnio, *Nuñez*: à Petro, *Perez*: ab Orti, *Ortiz*: à Ramiro, *Ramirez*: à Roderico, *Rodriguez*: à Ruy, *Ruyz*: à Sanctio, *Sanchez*, atque ab Eximino, *Ximenez*. At verò nonnulla terminationem primitiui nominis non mutarunt; quòd malè sonarent deriuata. Non enim ab omnibus propriis nominibus aptè possunt patronymica nomina Hispanè deriuari: vt à *Luis: Miguel: Vgo: Gil: Guillen*, & aliis quam plurimis. Ea propter illa, dum patronymicorum munere funguntur, primitiuam retinent terminationem, si Hispanè proferenda sint: nam alia est ratio, si Latinè. Sed de ea statim. Anonyma tandem perpauca admodum videntur. Sunt autem huiusmodi: *Arcez: Ferriz*: (nisi fortè à Ferrer antiquo nomine ductum arbitremur) *Gomez: Iordàn: Sanz*: quæ Latinè, & Hispanè eodem semper modo prolata comperio. Cetera verò, tam quæ primitiuam terminationem retinuerunt, quam ea, quæ mutarunt, dum à maioribus Latinè efferri oportebat, non Martinius, neq; Perezius, siue Simenius, proferebantur, neq; ita proferenda puto, saltem cùm patronymicorum nominum funguntur officio, quemadmodum amicus noster visus est sensisse: neque *Gil*, aut, *Guillen*, Hispanis vocibus nuncupabant. Sed proprio nomini, gignendi casu primitiui nominis adiuncto, Græcorum quasi more, subintellecta semper filii voce, se perbene latinè loqui putabant, hoc pacto efferentes: Petrus Martini; idq; perinde erat, ac si dicerent; Petrus filius Martini. Istius verò Petri filius, si Lupi nomen haberet, vocabatur; Lupus Petri; id est, Lupus, filius Petri. Nepos autem, si Sanctius diceretur, appellabatur; Sanctius Lupi; id est, filius Lupi. Et Ioannem Egidii, Bernardum Guilielmi appellabant, quos Hispanè, *Iuan Gil*, & *Bernardo Guillen*. Et sic in quocumque homine appellando, maiores nostri singula hæc patronymica nomina iuxta proprium patris nomen variabant. Quod in antiquis nostris Regibus obseruari potuit. Nam Ranimirus I. à patre Sanctio maiore; Ranimirus Sanctii; id est, Sanctii filius dictus est. Tum Sanctius IIII. ipsius Ranimiri filius, ob id, Sanctius Ranimiri vocitatus. Petrus verò; qui Oscam expugnauit; Petrus Sanctii, id est, Sanctii Regis filius, nominatus reperitur. Atque Alfonsus frater, qui Cæsaraugustanæ Vrbis fuit potitus, idem sibi Sanctii patronymicum nomen, quasi eo, se Sanctii Regis esse filium, ostenderet, vsurpauit. Nec video caussam, cur locutiones huiusmodi penitus improbemus: cùm & Græci iis frequentissimè vtantur; vt Eusebius Pamphili; Hammonius Hermiæ. Quod qui ignorant, deprauantes optimam consuetudinem, efferunt; Eusebium Pamphilum; & Hammonium Hermiam: vt plurimi scriptores, & idem ille Nunnesius, obseruarunt. Quem quoties nomino, toties noua quadam voluptate perfundor. Quis est enim, cui locus ille, vbi fuerit altus, & magister, à quo institutus, non semper in mente, cum gratia animi recordatione, versentur? Frequens denique apud maiores nostros, iste fuit patronymicorum nominum vsus, gignendi tantùm casu nominis primitiui prolato: Vt Aluari: Lupi: Eximini: & sic in reliquis. Sed interdum gignendi casum nonnullorum nõ in, *i*, sed in, *onis*, & corruptè in, *ones*, terminarunt antiqui; quasi primitiua nomina non secundæ, sed tertiæ declinationis fuissent. Sed hæc pauca admodum fuêre: Vt à Galindo, Galindones; Galindi filius: ab Eximino, Xemenones; Eximini filius: ab Enneco, Ennecones; Ennici, siue Innici filius: & à Fortunio; Fortuniones, & nonnunquàm Fortungones; Fortunii filius vocabatur. A Garsia autem quandoque; Garseanes: & à Sanctio, Sanctionis, deriuatus inuenitur, pro eo, quod est; Garsiæ, vel Sanctii filius. Verùm hæc antiqua nimis sunt, ac obsoleta: crebriùsque priores gignendi casus leguntur vsurpati. Anonyma verò, indeclinabilia, vt ita dicam, remanebant; neque vllum gignendi casum videntur habere.

buisse, sed, *Gomez*: *Arcez*: *Sanz*: Latino etiam prolata sermone. Et frequenter propria ipsa nomina absolutè poni consueuerunt, præposita illa, *Senioris*, voce: quæ antiquam, vt dictum est satis, Ricorum hominum dignitatem præ se tulit: Vt *Senior Artal*; *Senior Lope*. Quandoque etiam ea, *Senioris*, vox retro ponebatur: Vt *Palazin Senior*; *Aznar Senior*. Neque post propria nomina tantùm, sed post ipsa quoque patronymica: vt *Lop Lopez Senior*: *Orti Ortiz Senior*: & alia id genus. Quæ quidem appellandorum nostrorum hominum ratio diu olim viguit apud nos. Postea verò Regno latius patente, secernendi caussa, ad distinguendas gentes, ac familias, vt quæ in vnaquaque singularia erant, notarentur; locorum nomina, quorum quisque Honorario illo iure potiebatur, adiuncta fuêre: eaque posteris gentilitia manserunt: Vt *Artal*, *Senior in Alagone*: *Petrus Martini*, *Senior in Luna*: *Ioannes Eximini*, *Senior in Vrreia*: *Castan*, *Senior in Biel*: à quo postea Corneliorum familia dimanauit. Quamobrem arbitror altiora fuisse, quàm vulgò feruntur, Ricorum, & Mesnaderiorum hominum, quorum supra meminimus, ac aliorum etiam etiam nostrorum Optimatum, antiquæ nobilitatis initia. Adhuc enim opinor illa, sub his propriorum, & patronymicorum nominum integumentis, latêre: nimirum quòd statuam eos, qui in antiquissimis monumentis leguntur, vel vno tantùm, vel duobus nominibus, proprio scilicet, ac patronymico, *Senior in Boltagna*; *in Alquezare*; *in Sos*; *in Vnocastello*: *in Osca*: *in Balbastro*: aliis ve in opidis, antiquo illo more, Seniores nuncupati: earum stirpium auctores extitisse, à quibus qui postea primi dicti fuêre, Cornelii: Lunæ: Vrreæ: Alagonii: & cæteri Optimates, originem duxerunt. Verumtamen quia inconstanter, ac turbidè ab ipsis opidis olim iactabantur, crebræq; vt supra retulimus, inter eos fieri solebant ab vno Honore ad alium transitiones; propterea suspicor fuisse, illa, *de Boltagna*, *Sos*, *Balbastro*, reliquaque alia huiusmodi nomina, antiquata. Posteriora verò, *De Luna*, *Alagon*, *Vrrea*, & his similia, quòd stabilis, & certa huiusmodi locorum possessio permanêret; sibi, & posteris, quasi hereditario iure, gentilitia mansisse. Gentilitia namque nomina ea appello, quæ vulgò, *los Apellidos*, *o sobrenombres de los linages*, nuncupantur. Quibus iam in Hispania, atque adeò in aliis regionibus, vetustus est mos, vt singulæ gentes, ac familiæ, distinguantur inter se. Quæ autem ea sint, dicere longum esset. Satis plura numerauimus supra, dum de Ricis hominibus, ac Mesnadariis verba fecimus. Sed vnde singula ducantur, non ausim affirmare. Pleraque arbitror fuisse à locis, quorum potiebantur, petita: alia à variis euentis vsurpata: vt in nominibus ipsis elucêret alicuius significatio laudis, aut virtutis; & quæ res ab eorum fautoribus esset præclarè pro Repub. gesta admirabilis facti, sempiterni nominis gloria, nitteretur. Atque ex huiusmodi principiis introducta fuit apud nos celebritatis gentilitiorum nominum consuetudo. Quæ inde ad posterorum existimationem latius dimanauit. Vnaquæque namque familia, gentilitia hæc imposita sibi nomina retinuit, ac quodammodo, vt ita dicam, inuidiosè; non ad sermonis vsum quotidianum solùm, sed ad domesticarum etiam laudum memoriam, & ad illustrandam ipsam nobilitatem suã. Et in hoc summa vi, atque impetu, quisquis illius stirpis esset, contendebat, vt quò perueniebant tela manuum suarum, eòdem gentilitii sui nominis fama penetraret. Cui dedecori esse, nefas statuebatur. Quòd si illius splendorem quis fortè, admisso aliquo rei militaris flagitio, maculabat; ceteri etsi genere essent disiũcti, si similitudine nominis cõueniebant, infamiæ hanc notam, quæ ipsi nomini hæreret in posterum, non aspersione aquæ, vllo ve dierum numero tolli arbitrabantur, sed sola posse nominis mutatione delêri. Qua de re insigne illud proferam exemplum, quòd in Commentariis Comitiorum Ann. Chr. ∞CDLI. continetur. Etenim cùm per idem tempus quidam Florenus Melero, ortu Aragonensis vir, Villaroyæ Castellum, quod suæ fidei à Rege nostro commendatum habebat, nefariè hostibus prodidisset: nonnulli alii, quibus fortè Meleros appellari contigerat, ne quæ nomini inusta fuerat tantæ turpitudinis nota, generi suo, quamquam eo minimè erant coniuncti, inureretur fortasse: gentilitium illud Meleri nomen iisdem Comitiis repudiarunt; nec repudiarunt solùm, sed acerbam illius memoriam à sese, & suis perpetuò obliterandam, ac voluntaria obliuione conterendam duxerunt. Noluerunt enim, ac prudenter sanè, quos natura cognatione distraxerat, iam amplius, nec ipsa sola nominis opinione cohærêre. Sic autem rem gestam fuisse in eisdem Commentariis inueni.

Estando aiustados los ditos Señores, la Crot representantes (fuerant quippe à Rege, & Regno nonnulli viri ad Comitiales res omnes peragendas designati) *fue personalmẽt constituydo el honorable Don Anton Melero Notario, en nombre suyo proprio, è como Procurador, que se affirmò de Pascual Melero, mercader, Ciudadanos de Çaragoça. El qual dreçando sus paraulas a los ditos Señores,*

Señores,fizo cierto razonamiento,concludiendo. Que por las causas expressas en vna cedula,q̃ liuró à Sancho de Torres Notario substituydo,qui supra,relexaua, è renunciaua, è presentes los ditos Señores, en los ditos nombres,è cada vno dellos relexò,è renunciò el sobrenombre de Melero, è a perpetuo prẽdiò sobrenombre de Aunes,con las protestaciones,è en la forma contenidas en la dita cedula,que fue leyda por el dito Notario,dius,la contenencia siguiente.

MVY REVERENTES, NOBLES, CIRCVMSPECTOS, Honorables,è Sabios Segnores.

Anton Melero Notario, en nombre suyo proprio, è assin como procurador de Pascual Melero, mercader Ciudadano de aquesta ciudad, cõparesce ante la presencia de Vuestras Señorias,è humilmẽt expone,& dize: Que atendida la grant maldat, e traycion fecha,è cometida por vn clamado Florent Melero,en hauer vendidos las Castiellos,è lugar de Villaroya,qui son del Señor Rey: En lo qual no es dubto,q̃ vltra la traycion por el perpetrada,ha puesto macula,peor que lepra, perpetuamẽte en aquest sobrenombre de Melero,la qual ya por ningum tiempo se puede de lir,ni tirar:antes con razon se deue creyer,que qualquiere hombre, que daqui adelant se clamarà, o nombrarà de aquest sobrenombre de Melera; viurà en manifiesto vituperio,è vergoña:porquanto las gentes oyendo aquel sobrenombre, siempre presumiràn,è aun alunos con malicia diràn, que es parient de aquel traydor. E yat sia,està en verdad,que los ditos Anton, & Pascual Melero, no han deudo alguno de parentesco con el dito Florẽt Melero:aquesto empero caye en saber de muy pocas personas. E por tãto ellos con dosseo desseando proueyer a tante inconuenient,& apartar,& guardar su honra,& fama,de tanto blasmo, & carga; por ellos,& muyto mas por sus fillos,& successores, han deliberado relexar, & renunciar aquest sobre nõbre de Melero:el qual luego aqui en presentia de Vuestras Señorias,en los ditos nõbres,e cada vno dellos relexa,& renuncia. Et recurriendo, e tomando otro sobre nõbre de su linage,& de sus antigos parientes,& predecessores de la part feminea,prende a perpetuò sobrenombre de Aunes:assin que de aqui auant ellos,& sus fillos, & successores se clamaràn, e leuaràn el sobrenombre, e armas de Aunes, sin alias,& alguna otra mixtura. Et porque aquesto sia publico, e manifiesto a Vuestras Señorias, e a toda monera de gent;fazem el present acto. Protesta empero el dito Anton Melero en los ditos nõbres, e cada vna dellos,que ya por el present acto,& cosas en aquel cõtenidas,preiudicio alguno no sia fecho, ni engendrado a ellos,ni adalguno dellos,ni a sus successores en qualesquiere dreytos,actiones,comissiones,officios,beneficios,priuilegios,lexas,& vinclos de testamẽtos,actos,pactos, documẽtos,& contractos pertenescientes o facientes por ellos,o por qualquiere dellos. Antes romangam en aquel estado, eficacia, & valor, que eran antes de la edicion del present acto. Et requieren a . . . . Notario, qui present es,que de todo io sobredito faga carta publica,vna,e muytas.

Et leyda la dita Cedula,el dito Don Anton,en los nombres susoditos,e cada vno dellos,requiriò de todo lo sobredito seyer fecha carta publica por el dito Notario. E los ditos Señores la Cort represẽtantes,mandaron el dito Acto seyer continuado en el present Processo a memoria.

Tanti videntur æstimasse splendorem nominis gentilitii. Non possum autem reticẽre hoc loco de nostrorum hominum accurata diligentia, ac exquisito genere loquendi, quo eos vsos fuisse in istius facti narratione obseruaui. Nam quoties Florenum illum nominare oportuit; olim Aragonensem, enuntiarunt, cùm re vera ortu Aragonensis esset: ac si statuerent,illum iam cum turpitudine facti suam propriam naturam commutasse, eoq; pacto domesticam labẽ,quando aliter fieri non poterat,videri cuperent redemisse. Neq; verò,vt ad rem redeam,familiæ omnes noua sibi gentilitia nomina inuenerũt. Sed plures earum interdum propria,interdum patronymica pro gentilitiis nominibus vsurparunt:atque eo casu in,*ius*, proferenda dicerem patronymica illa, Martinius; Perezius; Simenius;& alia eiusmodi; quia iam tunc familiis ipsis gentilitia sunt. Neque familiæ omnes videntur patronymicorum nominum vsum habuisse: sicuti, Cornelii, & Alagones, & alii nonnulli: qui sibi satis duxerunt propriis, & gentilitiis nominibus appellari, eisdem cognomina quandoque adiungentes; quæ gentilitia ipsa nomina illustrabant. Vt, *Don Ximeno Cornel, el Vieio; Don Blasco de Alagon,el de Morella.* Horum namque egregiis factis letabantur socii, gemebant hostes, & singuli eorum gloriabantur gentiles. Porrò autem in priscis monumentis nonnulla sæpe nomina, absolutè posita,absque vllis,nec propriis,nec patronymicis nominibus,inueniuntur. Qualia sunt: *Don Caxal: Arpa: Frontin:* (quo nomine quosdam in antiquis Priuilegiis inuenio, quandoque Seniores in Vncastello atque in Sos aliisve opidis,Ricorum hominum more vocitatos; à quibus suspicor originem duxisse eos,qui Frontini posteà dicti sunt) *Barbatuerat: Don Bacaballa:* (qui Lunarum gentis proditur fuisse) *Diosayuda: Atorella: Quadrat: Tizon:* & alia pauca admodum. Quæ omnia gentilitia esse non dubito. Vix autem,in vetustissimis monumentis, aliis nominibus copulata comperio: præterquàm Atorellæ,

Caxal, & Fortini, nomina: quæ in recentioribus, quandoque aliis nominibus retroponi consueuerunt. Ceterùm in nonnullis familiis iampridem patronymica quædam nomina ita assiduè versantur coniuncta, vt ea non minus ipsarum familiarum, quàm eadem ipsa gentilitia censeantur. Vt *Ximenez de Vrrea*: *Martinez de Luna*: *Fernandez de Yxar*: *Lopez de Gurrea*, & alia eiusmodi: quòd singulæ auide appetierint, proprium gentilis alicuius nomen, qui apud se virtutis laude quondam floruisset, perpetuò ostentare; quemadmodum initio in Suprarbiensibus illis primis Regibus, atq; Aragonensib⁹ Comitibus indicaui. Sed nihilominus eadem ipsa sunt, pari etiam ratione, plurimis aliis familiis communia, quæ eadem patronymica nomina præseferunt: vt, *Ximenez de Alcalá*: *Martinez de Vidaure*: *Fernandez de Castro*: *Fernandez de Heredia*: *Lopez de Sessé*: & alia, quæ passim à nostris hominibus efferuntur. Et quandoq; apud nos, dum plures erant familiæ, ex eadem gente propagatæ, ad eas distinguendas, quemadmodum Romani cognomina adhibebant, proptereaq; vt diximus, ex Corneliis alii Scipiones, alii Lentuli fuerunt nũcupati: huiusmodi familiarum varietates, vel cognominib⁹ à diuersis opidis sumptis notabantur; qualia fuère in Zapatarum gente illa, *de Cadret*: *de Thous*: & alia, quæ retulimus: vel sola patronimyci ipsius nominis mutatione: vt in Lunarũ gente. Inter quos: alii, *Martinez de Luna*: alii, *Ferrench de Luna*; alii, *Lopez de Luna*, vocabantur: atq; etiam alii, *Ximenez de Luna*; *Gomez de Luna*; *Sanchez de Luna*, nominati inueniuntur. Tam latè olim nobilissima ea Lunarum gens diffusa fuit. Interdum etiam vnica familia ex duobus gentilitiis nominibus conflabatur; vt, *Tizon de Castellezuelo*: *Maza de Lizana*: & nonnullæ aliȩ. Denique postquàm inter ipsos Optimates fieri cœperunt locorum mutationes: & nomina ipsa mutari cœpta sunt; & hȩc eadem signa, quibus inter se distinguebãtur, adeò cõfundi, & perturbar, vt pleraq; effluxerint ex certa aliqua ratione, aut præceptis: nec quidquam magis certũ in huiusmodi argumento sit, quàm quemq; nostrûm, eã, in quorumcumque nominũ vsu, sequutũ fuisse, quȩ sibi probaretur disciplinã. Iam verò Cognomina etsi nõnullarũ familiarũ, vt in Zapatarũ gente dixim⁹ videntur fuisse: frequẽtiùs tamẽ ita ea adhiberi solita, vt non vllius gentis, aut familiæ sint, sed ipsarũ tãtummodò personarum. Ex eo autem assumi solent, ꝙ in vnoquoq; viro est singulare: vt si senex, si fortis, si sapiens: aut contra; si adolescens, si ignarus, si stultus exstiterit. Ea verò præcipuè Regibus ipsis imponi consueuerunt. Qualia illa sunt: Arista: Abarca: Bellator: Cærimoniosus: Iustus: Castus: Sapiẽs: Catholicus: aliaq; omnia, quæ in cæteris nostris Regibus videmus singula ornamenta laudum, ac virtutum, quasi clarissima lumina, eluxisse. Atq; hæc de nominib. antiquorum. De Magistratibus autem quæ afferre decreui, pleraq; erunt ex vetere illo Vitali deprompta, quem Iacobi I. Regis temporibus, de illius, ac Regni consensione, omnia nobis iura præscripsisse memorauimus. Ea verò tantummodò attingam, quæ ille de antiquis quibusdam Magistratibus curauit, tum ad disciplinæ præcepta, tum ad memoriam posteritatis prodenda. Omitto enim, quæ de Iustitia Aragonum traduntur ab eo: quia iam nos eadẽ persequuti sumus, dum de illius dignitate verba fecimus. De quorundam itaq; veterum Magistratuum nominibus, ac potestatibus, quæ suis temporibus vigebant, sic meminit. In primisque.

De Maiordomo Regio.

Post Regem autem (inquit) *dispensator domus Regiæ, qui dicitur Maiordomus, in iudicando obtinet principatum. Qui de omnibus causis, & querellis tam Infancionum, quàm aliorum potest cognoscere in distinctè: exceptis; probatione Infancionatus, & pronuntiatione super ea; exauthorizatione Militis; prolongatione natalium; & restitutione status eorum, qui illum incarnatione regia, vel expressione infamiæ amiserunt. Hæc enim, & iis æqualia, vel maiora sunt soli Regi, vel cui ipse specialiter mandauerit, reseruatã. Sed Maiordomus semper in cognitione caussarum debet sibi Iustitiam maiorem Regni Aragonum adhibere.* (Hæc de Iustitia Aragonum intelligenda. Iam enim supra meminimus, illum fuisse olim, Iustitiam maiorem appellatum.) *Vel si ipsum habere commodè non valeret; alium Iustitiam, qui in aliqua ciuitate, vel Villa domini Regis, sit per dominum Regem in Iustitiatus Officio constitutus. Qui Iustitia examinet omnes caussas, & determinet per suam sententiam in Maiordomi Curia agitandas. Maiordomus enim pronuntiare sententiam diffinitiuam, vel interloquutoriam numquam debet. Potest autem Maiordomus de aliis locis ad alia loca homines sæculares cuiuscumq; conditionis ad suũ iudiciũ reuocare, & ad veniendum compellere eorum contumaciam, nisi venerint iuxta Fori exigentiam puniendi. Debet tamen concessam sibi potentiam reparare, ne de valde remotis locis homines euocando opprimat laboribus, & expensis; nec ciues extra suas diœceses faciat laborare, nisi ex caussa valde necessaria, & vrgente. Præsente autem Maiordomo debet loci Curia se à caussarum examine abstinere, si ab eo sibi fuerit impera-*

imperatum. Meritò enim in aduentu superioris, minora officia conquiescunt. Multò fortiùs igitur præsente domino Rege, tam Maiordomus, quàm omnes alii debent ab exercitio Iurisdictionis suæ penitus abstinere.

De Iudicibus Delegatis.

Quando attamen de Regia processit voluntate; potest ipse Rex illico, si placuerit, vnam caussam, vel plures, si sibi visum fuerit, delegare. Et illi, quorum caussæ fuerunt delegatæ, tenebuntur ipsas caussas agere, & defendere coram talibus delegatis cuiuscumq; cõditionis; secularis tamen, actor, & reus, siue vterq; eorum, existere dinoscatur.

De Iudicibus Ordinariis.

Sunt prætereà in singulis Ciuitatibus, & singulis magnis Villis Regalibus per ipsum Regem singuli Iustitiæ constituti: qui de caussis habitantium in illis Ciuitatibus, siue Villis, & in eorum terminis, tam inter Infanciones, quàm inter homines seruitii, siue signi, & Infanciones, vel è contra, cognoscunt, iudicant & discernunt. Qui Iustitiæ semel positi, semper consueuerunt esse Iustitiæ toto tẽpore vitæ suæ, nisi ex aliqua caussa dominus Rex eos duceret remouendos. In quibusdam autem locis, Iudices; in quibusdam Alcaydi, dicti Iustitiæ nuncupantur. Quocumq; tamen nomine censeantur, eadem est potestas, & Iurisdictio eorundem.

De Zaualmedinis.

Sunt prætereà Officiales domini Regis in prædictorum locorum singulis constituti: qui diuersis nominibus appellantur. Quidam enim Zaualmedinæ, id est, Vicedomini Ciuitatum. Zaual, enim idem est, quod dominus: & Medina, idem, quod ciuitas lingua Arabica: à qua hoc vocabulum fuit sumptum.

De Baiulis.

Alii Baiuli, id est, seruuli, vel nutritores: quia dominorum vices gerant; & quia ad eos gerunt ea, quæ colligunt de prouentibus eorundem. Item quia consueuerunt nutrire filios, & familias dominorum.

De Merinis.

Alii Merini, dicti à mœrendo, id est, plorando: quia inuenti in culpa, consueuerunt damna pœnæ pecuniariæ deplorare: eo quod Reges, siue Iudices, tales sunt punîre pecunialiter assueti. Vel à merito: quia iuxta meritum eis fit à Regibus retributio, siue bonum fecerint, siue malum. Hi ergo tales Officiales debent compulsiones facere, & mandata Regis, ac sententias Iudicum, vel iudiciorũ executioni viriliter demandare. Et si quando sunt pignora ad petitionem alicuius conquerentis à Curia facienda; debent per dictos Officiales fieri iuxta forum & ..:.:.:.:.: quæcumque sunt :.:.:.:.: facienda, à dictis Officialibus exerceri, excepta discussione caussarum, & sentẽtiarum prolatione: quæ ad Iustitias, vel Iudices tantum spectant.

De Zaualacheno.

Sunt & alii Iudices, & officiales inter Iudeos videlicet, & Sarracenos. Zaualachen enim, Sarracenorum iudicat semper caussas; dictus à Zaual, quod est Dominus, & achen, id est, iudiciorum. Qui Zaualachen executioni mandat sententias à se latas, & facit citationes, & ceteras compulsiones, quæ in Sarracenorum Curia imminent faciendæ. Item exercet Tabellionatus Officium inter eos: ita quod nullus alius inter Sarracenos facit publicum Instrumentum. Et si factum fuerit, etiam de mandato ipsius Zaualachen; Instrumentũ tale nullas vires penitus obtinebit: nisi à domino Rege haberet Zaualachen Priuilegium speciale, vt per aliũ posset conficere Instrumentũ. Instrumentũ attamẽ dotale, nisi per Zaualachen fuerit factum, vires nullas penitus obtinebit, Zaualachen autem volente, non volente, vel non audente à suis subditis facere Iustitiæ complementum, vel procedente remissiùs, quàm debet: ad Christianorum Curiam recurretur. Quo casu debent fieri compulsiones, & exequutiones per ipsam Curiam; & discussio caussæ, ac sententiæ prolatio, semper est proferenda per Iustitiam vel Iudicem Christianum. Qui Iudex, vel Iustitia secundum Forum Sarracenorum debet procedere tam in caussa, quàm in sententia proferenda.

De Alamino.

Est etiam inter Sarracenos Officialis qui Alamin, id est, fidelis, lingua Arabica appellatur. Qui debet caussas minimas, non excedentes duos solidos, terminare: & exercet in Curia Zaualachen, apparitoris Officium, vel sagionis. Qui etiam est Iurium Regalium explorator. Ideo dictus, fidelis, quia fideliter debet Iura Regis perquirere in :.:.:.: & rebus ceteris ad Regis ærarium pertinentia perquirere; & statim deferre Regis Officialibus Christianis. Zaualachen autem, Alcaydi; id est, subexequutor in locis aliquibus appellatur.

De Daieno.

Inter Iudæos vero est Daien, id est, Iudex, ad cognoscendum de omnibus caussis, magnis, paruis, vel minimis constitutus. Qui nec compulsiones, nec exequutiones, etiam sententiarum ab ipso latarum, exercet aliquas inter eos.

De Hedino.

Hedinus enim, id est, Iustitiarius Iudæorum, exercet compulsiones, & mandat sententias executioni, & facit ea inter Iudæos, quæ Zaualmetina, vel Baiulus inter Christianos est facere consuetus. Ad quem Hedinum adiri potest circa caussas minimas, hoc est, quæ quinque Solidorum summam, vel valentiam non exceduut. In optione tamen est petitoris, an ipsum adeat, an ad Daien superius memoratum. Reus tamen pro tali caussa modica, ex qua ab Hedino fuerit euocatus, coram eo necessario respondebit. In defectum autem Hedini, ad Christianorum Curiam recurretur, & procedetur in negotio iuxta formam superius comprehensam vbi exprimitur, qualiter est agendum, cum pro defectu Zaualachen est Christianorum Curiæ recurrendum. Hoc autem cùm Iudæus conqueritur de Iudæo; cum vero Iudæus de Christiano, vel Christianus conqueritur de Iudæo; Iudex debet cognoscere Christianus.

De Supraiunctariis.

Sunt etiam Supraiunctarii super Iunctas, id est, populorum turmas, à domino Rege, quasi Paciarii constituti. Quorum est ipsas Iunctas cum necesse fuerit, euocare; & si eas exercitum facere cõtigerit, vel repentinũ concursum, appellitũ vulgariter appellatũ; ipsas Iunctas, siue populum gubernare. Qui debent fideiussores recipere dandos Iunctis, & cautiones recipere pro eisdẽ: & pignorare eos, qui ad exercitũ nõ vadunt, vel cõcursum nõ exierint suæ Iũctæ. Caueāt tamẽ Iunctarius, atq; Iunctæ; quia si quis damnum in suis possessionibus, vel rebus pecuniariis duxerit infligendum, nisi prius per Iustitiam alicuius Villæ domini Regis, quàm id faciant, sententialiter fuerit iudicatum; totum damnum, quod fecerint, dupli restituere compellentur. Quod autem per Iustitiam fuerit iudicatum, non à Iuncta, sed ab ipsa Iustitia resarcietur. Qui tulit sententiam, si inique eum apparuerit iudicasse, nisi in narratione facta ab ipsa Iuncta, vel Iunctæ maioribus Iustitia fuerit circumscriptus: tunc ei sui actoris mendacium condemnabit. Nec semper hæc sollemnitas est in tali sententia obseruanda, quæ consueuit ab aliis sententiis obseruari: vt citationes, & alia fieri assueta in Iudiciis requirantur. Quia si hæc fiunt per Iunctam, vix possent maleficia vindicari. Sed flagitante maleficio, & concursu subitaneo concurrente, si maleficium fuerit manifestum, ita quod probatione non indigeat, nec aliqua posit tergiuersatione celari: Iustitia stans in medio manifestatione ..... maleficium perpetratum: Interrogante Iuncta, quid facere debeat in hoc facto; ibidem habito consilio, quos habere poterit disceptator, præfatam sententiam Iudicando, Dei præsentia supplente absentiam delinquentis, si non appareat, qui defendere eum velit, & exprimens, qualiter est ratio notoria, & caussam quare proceditur contra eum, sententiet, & declaret: quotiescumque ad excidium, vel depopulationem debent aliqua asportari. Nam quandocumque fuerit contra factum: si præsente Iuncta factũ fuerit, ei prohibere valẽte; damna, & pœnas Fori debitas, pecuniarias tamẽ duplatas, ipsa Iuncta tenebitur emẽdare. Si autẽ, absente Iuncta, asportatio, destitutio, ruina excidii, vel depopulationis vel simile quid in reliquis ab aliquo committatur: eodẽ modo, & eisdẽ pœnis erit malefactor pecunialiter puniendus, ac si in alias res infortunio non subiectas talia commisisset. Poterit autẽ dominus Rex, cui vult, iurisdictionem committere specialem, vel etiam generalem. Cuius tanta erit iurisdictio, quanta ab ipso, in concessione huiusmodi exprimetur.

Hi igitur apud nos olim Magistratus viguerunt: ac præter Maiordomum Regis, reliqui minores censebantur. Quorum potestatis nostris temporibus in Foro nulla extant vestigia; nominis autem vix vlla: eorum præsertim, qui publicum illud iuris dicundi munus inter Iudæos, & Arabes sustinebant. Ipsis enim aliquandiu permissum fuit, vt in tenebris suis, intra mœnia nostra, metu, ac periculo vacui versarentur. Ac Supraiunctarii, siue Paciarii ipsi, videntur sanè, ad eorum Magistratuũ similitudinem constituti, qui apud Gothos, Hispaniæ dominatores; Adsertores pacis vocati fuere, solaque faciendi, faciendæ pacis intentione, Regali destinabantur auctoritate. His namq; verbis eorum potestas à Reccesuintho Rege, in lege de ipsis edita, definitur: quibuscum videre licet Paciarios nostros nomine satis congruere, re autem non multum differre. Maiores autem Magistratus qui sint, quiq; olim fuerint, eleganter, ac dilucide solita suâ verborum grauitate, explicauit præstans ille noster, Ioannes Petri Nuerus, Fisci Aduocatus in eo libelli sui Capite, quod supra intexuimus, dum locum illum de Iustitiæ Aragonum vi, ac potestate tractauimus. Ibi enim dum apud nos duo esse suprema Tribunalia, quasi duo luminaria, memorauit; subtilissimè fuit totam hanc Maiorum Magistratuum seriem, perpaucis quidem, sed aptissimis, atque apertissimis verbis, persequutus. Quapropter eam silentio prætermittam. Neque enim à me nunc de omnibus nostris Magistratibus institutus est sermo, sed de antiquatis tantum nonnullis. Illud autem præterire non possum, quod legens obseruaui de Maiotdomi nominis varietate. Quosdam enim, Maiordomos Regni Aragonum; alios, Maiordomos

Regum Aragonum, nonnullos etiam, Maiordomos Curiæ Aragonum nominatos, comperio: quibus nominibus, quid quiſq; eorum ab aliis differet, indicarunt antiqui. Ac Maiordomus quidem Regni ampliſſimo Conneſtabili munere fungebatur: interdumq; abſolutè, Maiordomus Aragonum vocari conſueuit. Cuius ea ferè dignitas videtur fuiſſe, quæ apud Romanos ſub Conſulibus, Magiſtri Equitum: nempe vt Equitatui præeſſet. Sed in ampliori apud nos honoris gradu conſtituta. Initio enim Ricis hominibus mandabatur tantùm: iisq; qui *de natura*, vt diximus, eſſent: ſcilicet maiorum gentium patritiis. Quibus, vt quamdiu quiſq; eorum viueret, eo fungi liceret, concedebatur. Poſteà hæc immutari cœpta ſunt, ad Caſtellanorumq; vt opinor, conſuetudinem, à poſterioribus noſtris Regibus ea dignitas Cõneſtabuliæ nomine eſt inſignita: cùm in vetuſtis monumentis, Maiordomiæ tantùm inueniam mentionem. Apud Catalanos autem nulla nominis mutatio facta eſt: ſed adhuc priſcum nomen manet, Seneſcalli. Comitẽ ſtabuli verò à nonnullis, à Budæo tamen Conſtabulum appellatum legimus; quem vernaculo ſermone vocamus, *Condeſtable:* fortaſſe, ne idem eſſe, quod Comes ſtabuli, cuius Romanorum Imperatorum temporibus, ac præcipuè declinante Imperio, frequens fit mentio, cenſeretur. Ac Marcellinus, aliquandiu Magiſtratum hunc, apud eoſdem Tribunum ſtabuli vocatum cenſet: Protoſpatarium autem Procopius. Sed illud Protoſpatarii nomen, & munus apud noſtros Reges Gothos vſitatius exſtat: conſtatq; ſatis inter eos Magiſtri Equitum locum tenuiſſe. Comitum autem ſtabuli vix vlla fit mentio. Quin potius nonnulli eum, quaſi Comitem ſtabilem dictum, illud ſcilicet idem, quod ipſa vox ſonat, arbitrantur: quòd ad aliorum Comitum diſsimilitudinem, qui tum apud Romanos, tum apud Reges Gothos, quaſi errantes, ac vagi, publicorum munerum fungebantur Officiis; is ſolus eo ipſo nomine notaretur, ſic ab ipſis Regibus conſtitutus, vt fixum illum, & permanentem, quandiu viueret ſaltim, habiturus eſſet Comitis gradus honorem. Siue igitur quòd ſtabilis, ſiue aliam quamcumque ob cauſſam, Conneſtabulus dictus fuerit; apud nos olim, Maiordomus Aragonum appellari, vt ſupra demonſtrauimus, conſueuit. At verò Maiordomus Regis, & quandoq; Maior in domo Regis, dicebatur; quaſi Palatii Magiſter, qui erat Aulæ Regiæ præfectus; de quo Vitalem loquutum videmus, quandoquidem illum, diſpenſatorem Regiæ domus, nuncupauit: apud quem aliquandiu, ſcilicet ipſius Vitalis tempore, ius fuit, nonnulla fieri iudicia cauſſarum. Maiordomus autem Curiæ, extraordinarius quidam Magiſtratus erat, vt opinio mea fert, ita vocatus, quòd in Comitiis extra ordinem à noſtris hominibus mandaretur. Ea enim Comitialis eorũ coitio ſolita eſt, Curia appellari. Quoties ergò ſponte noſtri aliqua ipſis Regibus aut belli adiumenta aut ornamẽta pacis importabant; eũ, quẽ prẽficiebant eiuſmodi molitionis apparatui, Maiordomum Curiæ nominabant, nomine ipſo indicantes, eidem eſſe omnem eam curationem, & quaſi diſpenſationem ab ipſis Comitiis, minimè autem à Rege, commiſſam. Qui tandem Magiſtratus eo vſque durabat, quoad eſſet inchoato operi faſtigium impoſitum. Proptereà eum, extraordinarium diximus fuiſſe. Iam verò Delegatorum Iudicum, quorum ſupra meminit Vitalis, alii Iudices Curiæ, alii Auditores Curiæ vocabantur olim: ſingula ea nomina retinentes, quibus Gothorum temporibus fuiſſe etiam vocatos comperimus. Gothis autem exactis, quandoque Alcales, ſub vno vocabulo, eoque vt ſuſpicor, ab Arabibus ſumpto, nominati inueniuntur. Sic namque videmus in Rempub. noſtram fuiſſe Magiſtratus inductos, vt ab aliis vim, & poteſtatem, nomina autem ſimul mutuarentur ab aliis. Quos enim Gothi; Optimates Palatii; Comites patrimonii; Auctores Fiſci; Thimphados; Millenarios; Quingentenarios; Centenarios; Decanos; Compulſores exercitus; Annonarios; Gardingos; Defenſores; Numerarios, aliiſque nominibus vocauêre; Arabes autem, Zaualmetinas, & forſan, Alcales, nuncupabant: noſtri aut noua verba facientes, inuſitatis vocabulis nominarunt, aut eorum vim, & poteſtatem in noſtrum Forum, ſimul cum iiſdem ipſis nominibus, induxerunt. Atqui Gardingorum voce, Primates ipſius Palatii ſignificatos fuiſſe, facillimé credam. Horum autem iudicum Delegatorum, de quibus nunc agimus, ſic fuerat iuriſdicundi facultas definita: vt Auditoribus minimè permiſſa eſſet poteſtas decernendi, ſed audiendi tantummodò cauſſas, deque ſingulis ad Regem referendi. Iudicibus autem conceſſum erat, vt de eis cognoſcerent, ſtatuerent, ac iudicarent. Poteſtatis namque tantum in vnoquoque cenſebatur eſſe, quanto eos imperio ipſe Rex mandandos decreuiſſet. Idque nomine ſolo ſtatuebatur ſatis. Hi inter domeſticos Regum, Regiæque Curiæ aſſectatores ordinario iure iudicia exercebant. Inter alios verò nequaquam; niſi ſpeciatim ea ipſis iudicandi poteſtas data eſſet. Regem autem, quocumque iret, ſequebantur.

Vnde Iudices, & Auditores Curiæ, id est Regalis Curiæ, sunt vocati. Curiam enim, eam etiam Regum assectatorum turbam, appellamus. Atqui ius erat, vt Magistratus hi singulis diebus manè, in ipsa Aula Regia ad caussas sederent: quemadmodum supra in Alfonsi III. rerum narratione protulimus. Neque verò certus vllus erat numerus eorum. Sed Regibus integrum erat, quotquot quisque vellet, instituere, alienigenasque domesticis anteferre. Qua de re grauiter maiores nostros videmus in Priuilegio illo generali cōquestos fuisse; & quòd ii, qui hunc Magistratum gerebant, illius dignitate vterentur ad quęstum, à litigatoribus extraordinarias pecunias exigentes. Sic autem à nostris fuit huiusmodi petitio informata. *Item que ningun Iudge, ni Oydor en su Cort del Señor Rey no prenga salario de ninguna de las partes por iudgar, ni por oyr pleyto ninguno. E aquells Iudges, que iudgaràn, o oyràn: que sean del Regno de Aragon, los que hauràn a iudgar los pleytos de Aragon. E que todas las apellaciones de los pleytos de Aragon sean terminadas dentro el Regno de Aragon, e no sian tenidas ningunas de las partes de seguir las apellationes fuera del Regno de Aragon.* Cui ibidem ita à Rege fuisse responsum continetur. *A este Capitol responde el Señor Rey: Que los Iudges de su casa en su Cort no entiende, que deuan prender salario de las partes, segon que dize el Priuilegio. Mas seyendo fuera de su Cort, si el les faze comissiones, assi como delegados; que puedan prender salario. E plaze al Señor Rey, que se exigan, e se obseruen las otras cosas contenidas en el dito Capitol contenido en el dito Priuilegio general.* Et hæc eadem in Obs. 4. tit. *Interpretationes qualiter, & in quibus intelligatur Priuilegium generale*, paucioribus his verbis annotantur. *Item quod ibi dicitur; Quod Iudices, nec Auditores Curiæ non accipiant salarium, ita intelligitur, si ordinariè, & sine commissione cognoscunt: aliàs salarium accipiunt.* Sed illud est, quamobrem istorum Curiæ Iudicum mentionem à me nequaquàm decuisset prætermitti; quòd nonnullos antiquitatis nostræ studiosos in summo hoc viderim errore versari: vt quos in vetustis monumentis, Iudices Curiæ nominatos inueniant, eos omnes statuant in Iustitiarum Aragonum numerum adscribendos esse: quippe cùm neminem apud nos vmquàm Iudicem Curiæ fuisse, nisi solum Iustitiam Aragonum arbitrentur. Ac verum quidem id esse non negabo, si de Comitiali nostra, vt ita dicam, Curia intelligamus. Apud nos enim Comitiis institutis, Iustitia Aragonum illorum notus, atque erectus est Iudex; in Comitialibusque actis, Iudex Curiæ, nuncupari solet: quemadmodum supra, cùm de Comitiis egimus, demonstrauimus. Curiæ tamen Regiæ, id est, domus Regiæ Iudices, diuersos prorsus Magistratus à Iustitiis Aragonum exstitisse, manifesto hoc Priuilegii generalis testimonio conuincitur. Cui alia præterea confirmatio grauissimum firmamentum adiungit, maximamque auctoritatem, ac fidem: quòd plures Iudices Curiæ inueniantur in ipsorum Iustitiarum tempora incidisse, fuisseque omnes, punctis temporum eisdem, in publicorum negotiorum tractatione cum suo cuiusque imperio, ac potestate versatos. Qui verò hi fuerint, indicare curabimus, dum singulorum Iustitiarum ætates, ac gradus, quod nobis tandem superest dicendum, persequemur. Quapropter opinor, Sanctium illum Franconem, quem Surita in suis Indicibus Petro Eximini in Magistratus præfectura antepofuit, non Iustitiam Aragonum, sed Iudicem Curiæ exstitisse. Idque valde ipsius Suritæ verbis confirmatur, dum ait illum, Ann. Chr. ∞CXIII. ante captam scilicet nostram Vrbem, in Aula Regia ius dicere fuisse solitum. Quod de Iudicibus Curiæ, quibus ita præstitutum erat, vt in Aula Regia quotidie Iudices assiderent; intelligendum videtur, quemadmodum ostensum est supra: itidemque etiam, quænam caussa sit, cur ante dictum tempus nullius Iustitiæ Aragonum nomen appareat, nec vix vllum Magistratus potestatis vestigium: nimirum quia Ricorum hominum potestas Regiam ipsam dignitatem obsidebat: præcipuè verò, quia bellicis temporibus ciuilia omnia iura conticescunt. Itaq; reliquum est modò, vt ad singulorum Iustitiarum tractandam historiam, contento studio, cursuque veniamus: vt eorum res gestas, & quo quisque tempore fuerit, explicemus. Hi nos enim iampridem vocant ad sese. Atque ipsis libenter concedemus, vt totum hunc sermonem nostrum absorbeant: sic namque satis officio meo factum arbitrabor. Illud autem est inprimis huic nostro reliquo sermoni præmuniendum: quod siquis occurrat Iustitia Arago-fortasse prætermissus; nequaquam propterea aut commissum facinus, aut admissum num dedecus confitebor. Plures namque Iustitias Aragonum non esse, non profiteor: sed tantùm plures à me repertos non fuisse, præmefero. Quin ipse plures esse non dubito, eorumque obscuratam esse memoriam, neque tam senio extinctam, aut ipsa vetustate repressam: quàm mira ea, de qua initio conquesti sumus, maiorum in omni veterum monumentorum genere reticentia, & incuria: à qua iam, vt spero, eorum, qui post me rogati erunt, industria vendicabit. Neque modò facile patiar, sed vehementer

ter gaudebo, vt si plures deinde inueniantur Iustitiæ; proferantur in medium, & suo quisque in loco interponatur apposité: sic enim facilimè, quæ à me nunc inchoata sunt, perfecta Reipub. tribuentur. Neque tantum mihi assumo, vt statuam me ab aliis corrigi non posse, ac doceri. Satis me præstitisse arbitrabor, quòd miseram antiquitatem labentem sustinuerim, aliorumque ingenia ad eandem illustrandam excitarim. Nunc autem ad rem. Vereor enim, ne mihi superfuisse verba videantur, quæ initio credideram defutura.

IVSTITIÆ ARAGONVM XXXXIX.

IN CÆSARAVGVSTANA itaque Vrbe, primùm se extulit istius nostri Magistratus nomen. Nam ante eam captam, præter id, quod de institutione proditur: de illius potestate, aut ornatu nihil literis mandatum reperitur. Inter quæ tempora, iuxta nostræ computationis rationem, ducenti ferme, & quinquaginta anni interfuerunt. Quibus omnibus iam supra exposuimus, Magistratum ipsum in antiquis illis Suprarbiensis Fori tabulis inclusum, tamquàm in vagina reconditum, exstitisse. At verò Arabibus Cæsaraugusta exturbatis, cùm ea Vrbs summo nostrorum Regum imperio præbuisset quasi illustre quoddam domicilium, ac sedem: illico istius Magistratus nomen monumentis, ac literis mandari cœptum fuit; & qui eundem gerebant, ipsius nominis dignitate honestari. Quæ vsque ad hoc tempus continuata permansit: sed magnis posteà ornamentis illustrata fuit, ipsiusq; tandem Regni nominis maiestate insignita.

I.
PETRVS EXIMINI.

QVI autem exstat, & de quo memoriæ est proditum, hanc præfetulisse muneris dignitatem, ac nomen: primus est, Petrus Eximini: quem Petrum Simeno quandoque appellatum, atque inter Ricos homines numeratum comperio. Sed cuius gentis, aut familiæ fuerit, ignoro. *De Rodelar*, vocitari solitum, atque hoc ipsi gentilicium nomen fuisse, notatum inueni. Sed incertum puto: cùm adhuc gentilicia nomina in vsu non essent: tametsi patronymica iam pro gentiliciis vsurpabantur quandoque. Nec verò diu post, ipsorum gentilitiorum nominum vsus increbuit. A quodam Azenario Eximini profectum opinor: quem circ. Ann. Chr. ∞LXIIX. Seniorem in Gallipienzo nominatum in Priscis monumentis obseruaui. Neque id ipsum tamen certum habeo. Vetustior autem memoria, quam de eo accepi, illa est, quæ à Surita affertur in Annalibus: dum Ann. Chr.
∞CXIIII. hunc Iustitiam prodit inter alios Ricos homines in Cæsaraugustanensi expu- 1114.
gnatione præstantem suam operam Alfonso I. Imperatori nauasse. Vnde in eo, quod supra intexuimus, Priuilegio, eidem Vrbi ad deducendos colonos irrogato, Ann. Chr.
∞CXV. in Testium Confirmatorum numero, iuxta veterem, quem diximus, morem, 1115.
appositus continetur: Iustitiaque absolutè nuncupatur. Illius præterea mentio fit ab
eodem Surita, Ann. Chr. ∞CXIIX. quo diuersam à nostra opinionem sequutus, vr- 1118.
bem fuisse captam memorauit. Aera tandem ∞CLXI. quæ in Annum Chr. inci-
dit. ∞CXXIII. hunc ipsum Iustitiam, nominatum, vt erat illorum temporum con- 1123.
suetudo, perlegi in quadam Donatione decumarum à Petro Cæsaraugustano Episcopo, *Capitulo suorum Clericorum*, sic enim loquitur, facta: quæ in Ecclesiæ *de Pilari* Tabulario asseruatur. In quo etiam peruetustum codicem, *Kalendarum*, seu *Obituum* appellatum, inueni: atque hæc in eo de istius Iustitiæ morte, ac quodam illius filio, annotata. *V. Non. Madii obiit Petrus Eximini Iustitia. Et commemoratio filii eius Galindi Petri.* Inde autem capio coniecturam, amborum corpora in eadem Ecclesia humata fuisse: ab ipsisque duxisse genus suum, Galindum illum Eximini, qui in monumentis rerum gestarum, Ann. Chr. ∞CLIX. & ∞CLXX. & ∞CLXXIV. sæpenumerò, Senior in Belchit, antiquo illo Ricorum hominum more, nuncupatur. Sed affirmare id non ausim. Iam verò quamquàm in dicto Codice, dies istius Iustitiæ obitus annotatus fuit: annus tamen omissus. Quamobrem hic à me certa reddi illius temporis ratio non poterit.

II.

SANCTIVS FORTVNIONIS.

1123. EODEM verò Ann.Chr. ∞ cxxiii. atq; vt coniicere possum, exeunte; Sanctius Fortunionis, seu Fortuniones, id est, Fortunii F. in Petri Eximini locum suffectus fuit. Iustitia enim absolutè nominatus exstat in Priuilegio decumarum ab eodem Alfonso Rege, Turiasonensi Episcopo Martino, dicto anno, concesso. Cuius scriptorem, quendam Enneconem fuisse, perlegi. Rursus ex alio simili, Cæsaraugustanensi Ecclesiæ irrogato, Aer. ∞ clxvi. Anno siquidem
1128. ∞ cxxiix. eundem Sanctium, Magistratui præfectum esse, colligitur: ex vario autem monumentorum genere, primum Zalmetinam nostræ Vrbis, postquàm ea à Maurorum fluctibus seruitutis emersit, exstitisse; posteà altiorem hunc fuisse dignitatis gradum assequutum. E Ricorum autem hominum Ordine fuit: licet genus illius ignoratur prorsus. Plures enim Ricos homines, ac Mesnadarios, fuisse, quam ab ipsis illis Antiquariis propositi fuere, non dubito. Duos tamen, Iustitiam hunc, fratres habuisse coniicio; alterum Eximinum Fortunionis, Anno Chr. ∞ cxxvi. Seniorem in Calasanz; & Bardaxin nuncupatum: à quo fortè nobilis Bardaxinorum familia dimanauit. Alterum Innicum Fortunionis, Ann.Chr. ∞ cxxxiii. vetusti Mequinentiæ oppidi expugnatorem. Sed certi nihil habeo præter patronymicorum nominum similitudinem. At verò Sanctium Lopezium, à Surità in Indicibus, An. ∞ cxxv. suppositum, Iustitiam Aragonum non fuisse, persuadeo mihi; sed Exeæ ita apud nos vocati opidi: cùm in Priuilegio eidem concesso, Iustitia nominatus inueniatur tantùm, vnde tractum fuisse vidimus, & ab eodem ipso audiuimus Surità. Deniq; Sanctium Fortunionis Iustitiam, vix quinq; annos muneris potitum apparet.

III.

SANCTIVS GALINDI.

1128. NAM eodem ipso Ann. Chr. ∞ cxxiix. illius locum occupauit Sanctius Galindi, *Galindez* vulgò appellatus: modò sit præfati Excellentiss. domini Archiepiscopi Ferdinandi testimonio tribuenda fides. Is enim testatur, se in priscis monumentis istius anni, hunc Sanctium Galindi, Iustitiam appellatum comperisse. Sed explicare omisit certam aliquam huiusmodi monumentorum generis rationem. Atqui hęc sanè Galindorum gens, patritia olim fuit nobilissima, ab Aragonensibus nempe Comitibus ducta, vt opinor. Tot autem Galindos antiquitus vocatos inuenio, vt iam tunc videatur, Galindi, id nomen, non tam ad indicandum patrem, aut auum, qui præcipuus erat patronymicorũ nominum vsus; quàm ad docendum de gentilitate ipsa vsurpari solitum fuisse. Quidam enim exstat, Raimundus Galindi, Senior in Estada nominatus circ. Ann. Chr. ∞ liv. A quo fortè, qui posteà Sanctius Galindi, Senior in Boltayna, Ann. Chr. ∞ lxvii. reperitur, profectus est: atq; ab eo, Atho ille Galindi, qui Ann.Chr. ∞ ci. inter Ricos homines memoratur. Cuius fratres suspicor fuisse, Eximinum Galindi, Fortunium Galindi, Galindum Galindi, & Innicum Galindi: quorum Surita in Annalibus, circ. Ann. Chr. ∞ cxiix. mentionem facit. Quibuscum omnibus duco, hunc Iustitiam cognatione generis fuisse coniunctum: ab eoq; Fortunium Galindi, & Martinum Galindi, posteà profectos; illum quidem Ann. Chr. ∞ cxxxiii. Seniorem in Osca, & in Alquezar passim; hunc autem eodem Anno, Seniorem in Ayerue vocitatum. Quos omnes videmus, summo quodam, ac singulari studio, ad illustrandam nobilitatem suam, Galindi id nomen retinuisse semper. Sed iampridem illud antiquatum est: atq; in aliud fortasse gentilitium transfusum. Istius verò Iustitiæ nullam alibi mentionem inueni, præter eam, quæ ab Archiepiscopo Ferdinando fit.

IIII.

LVPVS SANZ.



NEC verò vllam aliam habeo magis certam huiusce Lupi Sanz Iustitiæ, qui nunc mihi illustrandus proponitur, notitiam. Nisi enim esset præfati ipsius Excellentiss. domini Archiepiscopi testimonio cognitus, eum, vt multos alios fortasse, vetustas obliuione obruisset. In illius autem Cõmentariis sic scriptum est. *Lupus Sanz* (inquit)
1129. *Iustitiæ Aragonum Magistratum gessit, Ann. Chr.* ∞ cxxix. *vt ego in priscis monumentis obseruaui: genus autem monumentorum non memini.*

Atque

Atque hoc solùm habeo, quod ipsi assentiar de eo: sed quid ipse sentiam, non habeo. Suspicor tamen à Graos, siue à Iaca gentilitium illius nomen tractum fuisse: quod nonnullos Equestris Ordinis viros per hæc ferme tempora obseruarim, anonyma illa, Sanz, voce, gentilitiis huiusmodi nominibus antelata, appellatos. Sed tamen nuper, immo verò modò, ac planè paulò ante quàm hæc typis mandarem; in istius Iustitiæ hanc incidi & nominis, & muneris apertam mentionem. Siquidem Alfonsum I. Regem, ad Zalmetinam Vrbis Sanctium Fortunons (quem diuersum statuo à superiori) epistolam misisse constat, sic scriptam latinè. *Alfonsus Rex tibi Sanctio Fortunons Salmedina de Zarragoza meo amabili, & fideli Salutem. Scripsi tibi ista mea carta de Logroneo: & Sapias, quod vidi rancurantem illo Episcopo de Zarragoza, & suos Clericos, quomodo non habent, neque non sunt penes illos, Ecclesias adhuc de illos Alhobzes, & de illos furnos, qui fuerunt de illas Meschitas. Et iam habeo tibi missas meas alias cartas. Et ego dixi tibi, & non habes hoc factum: & times; & amas mais illos Seniores, & illos Moros: quàm meum mandamentum. Et vide, quod facis. Et modò dico tibi, & mando fortè, vt semper reddas ad illas Ecclesias: & mittas illos Clericos poterosamente in illos Alhobzes, & in totos illos directaticos, quos habuerunt in tempus de Moros ad vnamquamque Ecclesiam, quæ sit in illos Castellos, & villas de toto illo Episcopatu de Zarragoza, siue illas Meschitas, quæ sunt in illas ciuitates. Et si me amas, amplius non veniant mihi inde rancurantes. Et hoc non fallat per nulla caussa de isto sæculo: auxiliante Deo. Testes Enneco Xemenos: & S. Fortunon Xemenest Lope Sanz Iustitia.* Nec verò notatum fuit tempus istius rei Alhobzes autem, Arabica vox est: eaq; arces, & Castella significari persuadeo mihi.

V.

FORTVNIVS AZENARII.



CETERVM Fortunii istius, eodem Archiepiscopo teste, clara exstat memoria in ea Priuilegii rogatione, quam Ann. Chr. ∞CXXXII. Alfonsus idem Rex Cæsaraugustanis Mozarabibus tulit, dum eos, quemadmodum narrauimus, Manlienis opido donauit: quòd tametsi septi, & inclusi intestinam, quam potuerant, operam ad expugnandam Vrbem cōtulissent. 1132 Ricum hominem autem fuisse coniicio: eundem siquidem, quem aliquibus post annis, perfunctum iam munere, Seniorem in Tarazona vocatum obseruaui; suspicorque cuiusdam Aznar Azenarii filium, nepotem autem fuisse Pipini Azenarii, circ. Ann. ∞C. inter Ricos homines in priscis monumentis memorati. Ac fortè hic fuit Aragonensium Comitum ortus nobilissima stirpe. Sed nullam aliam de eo, quod Magistratum gesserit, inuenio factam mentionem.

VI.

IOANNES PELAIVS.

POST Fortunium aliquot annis, vt ex eiusdē domini Archiepiscopi Commentariis perspicitur, fuit iste Ioannes Pelaius: scilicet, An. Chr. ∞CXL. Ranimiro II. iam regnante Rege. Verumtamen de illius genere aut nomine nihil aliud mihi legisse videor.

VII.

ATHO SANZ.



DE Athone autem non ita. Illius namque Iustitiatus permultis publicarum literarum testimoniis cōprobatur. Ac primùm quidē apertis his, In cuiusdam hortuli vēditione à Bernardo Biarrag, cuidam Don Guald facta, appositis verbis quæ ipse perlegi: *Facta* (inquit) *carta Aer.* ∞CXXCI. *in mense Ianuario: Bernardus Episcopus in Zaragoza: Atho Sanz Iustitia in Zaragoza: in illo anno quando fuit Daroca poblada.* Qui, vt cum Aera conueniat, Annus Chr. fuit, ∞CXLIII. Rursus alibi. *Facta Carta Aer.* 1143

∞CXXCI.*in mense Nouemb. in Anno, quando prensi Comes Barchinonensis Montpesler: Atho*
1145 *Sanz Iustitia in prædicta Zaragoza: Quadrat Zalmetina.* Atque eodem prorsus modo nuncupatus in monumentis Ann. ∞CXLV. reperitur. Sed hoc est maximè ad memoriam sui Iustitiatus insigne, quod in vetusta membranula legi; in præfatæ Ecclesiæ *de Pilari* Tabulario recondita. Etenim cùm inter Cæsaraugustanum Episcopum Bernardum, & quosdam è Romæorum gente patritios, magna lis, & controuersia esset orta, de adeunda cuiusdam Lupi Arcez hereditate: apud hunc Iustitiam, Iudicem, huiusmodi caussam actam apparet, ab eoque sententiam promulgatam fuisse, Ioanne, atque vt ibi legitur, *Iouane Didaci Zalmetina in Cæsaraugusta*, præsente: & quod summum est, in Raimundi Berengarii Barcinonensis Comitis, Principisque Aragonensis con-
1149 spectu, Ann. ∞CXLIX. Aera scilicet ∞CXXCVII. Ipse verò Atho Sanz, Iustitia in Cæsaraugusta, nuncupatur. Ita enim aliquandiu Magistratus iste vocari consueuit, quòd in ea vrbe iudicia exerceat, vt in Vnionis Priuilegiis, quorum supra meminimus, cautum fuit. Atque hunc, primum Iustitiam, inuenio in forensibus caussis iudicandis fuisse versatum. Vxorem duxit, Domnam Sanctiam ex qua filios, ac filias procreauit. Aedes habuit in Parochia Sanctæ Crucis, ipsius Ioanis Didaci, quem Zalmetinam hoc tempore fuisse constat, ædibus continentes. Nam hæc omnia sic annotata sunt in membranula alia perueteri, quæ in eodem Tabulario asseruatur. De genere autẽ, patricium dicerem, si eum cognatione coniunctum arbitrarer cum Fortunio illo Sanz, qui in monumentis Ann. ∞CXIV. vel circa, Senior in Baylo, & Eliso, vocitatus legitur. Sed cuius familiæ fuerit, nullam sanè facere potui coniecturam.

VIII.

IOANNES DIDACI.

ET illud idem affirmare cogor in istius Ioannis Didaci, qui Athoni successit, narratione. Vix namque adhuc, cuius familiæ fuerit, cõiicere queo: tametsi suspicor patronymicum illud Didaci nomen aliquandiu sibi, ac posteris gentilitium mansisse. Quendam autem Ioannem Didaci, qui in monumentis Ann. ∞CXXXIII. Senior in Cascante, & in Arguedas, vocatus legitur; diuersum ab hoc Iustitia fuisse, existimo: quippe cùm ille patria Nauarrus esset, hic verò ortu Aragonensis vir atque ex Equestri Ordine, vt opinor. Cuius gentilem fuisse puto, Ferdinanoum illum Didaci, in Valentini Regni expugnatione tãtopere celebratum. Quem ob fidelem præstitam in ea re operam, Iacobus I. magna illa Mesnaderiorum dignitate honestauit: cùm antea Don Blasci Alagonii, qui Morellam cepit, Vassallus, vt tunc loquebantur, ac Maiordomus etiam Curiæ exstitisset, eodẽ ipso tempore, quo ipse Blascus magnum illud Maiordomi Regni munus sustinebat. At hunc Iustitiam, antequàm Magistratum adipisceretur, Zalmetinam fuisse Vrbis, certum est. Interdum autem, Iouannes, nominatus reperitur. Quòd Magistratum gesserit, ea est vetustior memoria, quam
1152 inueni in Permutatione inter quosdam, *Iulianum, & Don Nauarro*, facta, Ann. ∞CLII. Ibi enim, testium Confirmatorum loco, appositus est his verbis. *Facta carta, Aer.* ∞CXC. *Testes qui neq; viderunt, neq; audiuerunt: Garcia Ortiz, Senior in Zaragoza; Iouan Diaz Iustitia.* Et eodem modo nominatus legitur in monumentis insequentis An. ∞CLIII. quo mortem
1153 obiit, vt opinor. Vxorem eius Domnam Sol fuisse, veteribus apparet ex scriptis: filiorumque quos ex ea susceperat, vicarium in hoc munere, quem mox nominabimus, successisse.

VIIII.

PETRVS MONIO.

IN venditione enim à Domna Vrraca cuidam Petro de Aierb fa-
1154 cta, Ann. ∞CLIV. hæc istius Petri Monionis memoria exstat. *Facta carta in mense Maij sub Aer.* ∞CXCII. *Regnante Comes Barcinonensis in Aragon, & in Zaragotza: Domnus Petrus Villabeltran Episcopus: Monio Iustitia sub manu filiorũ de Ioan Diez.* Vnde colligitur, superioris Iustitiæ vitam nequaquàm longiùs, quam nos retulimus, fuisse productam. Porro autem in venditione *Pardinæ* Vidalis Bassę, & cõiugis, cuidam
1157 Don Sanz, ita vocato viro, concessa: *Facta carta* (inquit) *in mense Março, Aer.* ∞CXCV. *Ragimundus Comes Regnãte in Aragon, & in Lerida, & in Tortosa, & in Zaragotza, sub manu eius Palazin*

Palazin Princeps: Monio Iustitia. Ita enim absolute positus continetur. Petri autem illius nomen fuisse, satis quidem ex aliis monumentis compertum est: trienniumq; vix, Magistratus potitum. Atqui Ferdinandus Archiepiscopus Iustitiam hunc testatur, Petrum Monoy appellari debere, idq; se in antiquis Tabulis comperisse. Alii, Mironem appellandum censent: quod quem ita vocatum temporibus his, Iudicem Curiæ obseruarint: Iustitiam Aragonum exstitisse arbitrentur, nullam ipsorum munerum differentiam ducetes. Sed aperte ex his, quæ proxime adduxi, documentis, & aliis, fuisse Monionem nuncupatum apparet. De cuius genere nihil certi habeo, quod possim afferre. Iacobus Rex in suis Commentariis cuiusdam meminit Paschasii Monyos: quem patria natum tradit Turoli, fuisseque ex intimis patris sui domesticis, ac familiaribus. Forte is ab hoc Iustitia profectus est. Haud enim interfuere plures, quam sexaginta anni inter eos. Sed hanc ex sola gentilitii nominis similitudine capio coniecturam. Neq; aliter posset huiusmodi argumentum illustrari, si quo sensu, ac coniectura rapiamur, interdum proferri in medium non liceret.

X.
DIDACI, IOANNIS DIDACI F.

AT vero Petro Monioni, Magistratu abeunti, filius successit Ioannis Didaci, eodem Ann. ∞ CLVII. Cuius nomen legere non potui. Abrasum est enim in venditione, quam inueni, cuiusdam agri in *Attabaff* locati: sic enim olim vocabatur ea Vrbis Regio, quæ nunc dicitur *Altavas*. Ipsius autem venditionis tempus his verbis notatur. *Facta Carta in illo Anno, quando Comes Barsolonensis, & Princeps Aragonensis erat supra Trincatalla. Et erat P. de Villabeltran in Cæsaraugusta Episcopus: Palazin Dominus in Cæsaraugusta, &:.:.:.:.:.:.: filius Ioannis Dicies, Iustitia in Cæsaraugusta: Aer.* ∞ cxcv quæ dicto Anno cōuenit. Atq; eodē Anno alibi ipsiusmet Iustitiæ inueni factam mentionem: sed illius nomine omnino suppresso. Tantum enim, filius Ioannis Dicies, Iustitia nuncupatur, nullo loco vacuo relicto, quo vllum eius nomen collocari posset: quasi nullam aliam ipse ab ineunte ætate habuisset, nisi quam à patre acceperat, caussam celebritatis, & nominis. Dicies autem idem esse quod Didaci; certum est: nam quod Hispanè *Diez*, proferri debuisset, Latinè Dicies, proferendum placuit. 1157

XI.
PETRVS MEDALLA.



ISTIVS autem Petri Medallæ in antiquis monumentis multiplex mentio fit. Variis enim Magistratibus præfuit. Iustitiam siquidem, ac Merinum Turiasonæ fuisse comperio: post Magistratui præpositum, interdumque Iustitiam Maiorem, interdum Iustitiam in Cæsaraugusta, vt antiquus mos erat, appellatum. Illud verò Cæsaraugustanensis Merini munus aliquandiu gessisse apparet, quendam Ciprianū Quitrad: qui se in eo esse, istius Iustitiæ Vicarium suppositum, in quāplurimis Tabulis profitetur. In venditione autem, quam Garsias Aierb cuidam Don Per fecit: *Facta carta* (inquit) *II. Non Febr. Aer.* ∞ cxcix. *Petrus Episcopus in Zaragotza: Palazin, qui dominabat Zaragotza, sub iussione Comitis: Petrus Medalla Iustitia maior: & Sanctio Fortunions da la Porta Valentia Zaualmedina.* Atque hunc primum inuenio, Iustitiam Maiorem nuncupatum. Quandoq; autem, Medalgan vocitatum legi, aut Medalam, simplici, l: sæpius tamen Medallam & nonnunquam Iustitiam in Cæsaraugustā. Magistratus enim Iustitiæ Aragonū, tum Iustitia Maior; tū Iustitia in Cæsaraugusta; tum quoque Iustitia domini Regis; vel per manum domini Regis vocari consueuit. Quarum nominationum, præter ea, quæ supra adhibuimus, infra etiam nonnulla, quæ se offerent, exempla subiiciemus. Ipsius verò Sanctii Fortunions Zalmetinæ gentilitium nomen à Cutanda erat. Nam illud, quod sibi, *De Porta Valentia*, nomen impositum fuit, ex eo ductum opinor, quod ad eam Vrbis regionem quæ ita vocitatur, ædes sitas haberet; vt in veteribus scriptis obseruaui. Rursus in alia, *Auctoritatis, & venditionis, vocata carta*, quam Domnam Oriam *de la* Anacra, & Gulielmum cognatum eius fecisse constat Petro Priori Sanctæ Mariæ *& ad alios Canonicos & laicos illius domui*, sic enim legitur: *Testes sunt huius rei, Risores, & Auditores; Don Poncio de Tarba: & Don Guillen Arnalt de Peremartin. Aliala duos morabetinos, & septem denarios. Facta carta, & venditione in mense Octobris Episcopus Petrus in Sarragotza: Palaz nus, qui domnabat Sarragotza, sub iussione Regis Adefonsi, filius Comitis: Orti Ortiz in Roda, & in Quarton de Sarragotza: Petro Casteraziol* 1161

in Calataiube, & in Quarto: Blasco Maça in Boria: Galin Ximenez in Belchit: Petro Medalla
1162 *Iustitia in Sarragotza: Sanctio Fortuños de Cotanda Zaualmedina. Sub Aer.* ∞ CC. *Garsias scripsit, signum suum fecit.* Quandoquidem autem in Alialæ vocis mentionem incidimus non abs re erit, quid olim sonuerit, & vnde ducta fuerit, annotare. Hæc igitur de ea obseruata inueni à perantiquo nostrarum legum interprete. *Aliara* (inquit) *seu Aliala, dici debet Alifara. Et est Verbum Arabicum à duabus his dictionibus, alif, &, ara, compositum. Cuius Etymologia hæc est. Alif, prima litera est Alphabeti Arabici: vt apud nos, A. qua principium designatur, Ara verò significat, rem. Vnde Alifara, quasi principium rei. In venditionibus autem antiquum ius erat, vt emptor, in signum adeptæ possessionis, prandium aliquod vendenti præberet, vel depactam pro eo pecuniæ quantitatem. Quæ nisi solueretur, seu venditor fateretur solutam; contractus censebatur imperfectus. Propterea ad illius firmitatē in ipsa Venditione, vt apoca soluti pretii, ita etiam olim apponi consueuit Alifare datæ expressa ipsius vendentis confessio. Alias possessio quæcumque*
1163 *caduca, & vacua reddebatur.* Iam verò vt ad rem redeam, Medallam hunc Ann. ∞ CLXIII.
1164 & ∞ CLXIV. Magistratum gessisse constat. Ac longius ego eundem produxissem, in annos scilicet ∞ CLXVII, & CLXVIII. quibus eum, Iustitiā in variis monumentorum generibus vocatum inueni: sed Suritæ auctoritate motus, eundem dicto Ann. ∞ CLXIV. Magistratu abiisse, in Fastis affirmaui: nam eo anno Galindum Garsiæ, muneri præpositum refert. Quàm autem verè, ipse viderit. Ne quis enim posset nostram, in hac temporum, ac Iustitiarum adhibita serie, fidem coarguere: harum omnium rerum auctores, ac testes producendos statui, non tam diligentiæ, quam veritatis obsides futuros. Priusquam tamen ad sequentem narrationem traducar, animaduertendum duxi, in pluribus monumentis, in quibus istius Medallæ Iustitiæ fit mentio, Aeram pro anno sumi debere, vt cohærere possint extrema cum primis: atque eundem Medallam, *El Adelantado de la ciudad de Caragoça*, vocatum reperiri. De quo munere, quod dicere possim, neque vt probabilia dicam, non habeo. Audio tamen, olim curationi finium vrbis fuisse præfectum.

XII.
GALINDVS GARSIÆ.

1164

VERTENTE itaque eodem, vt dictum est, Ann. Chr. ∞ CLXIV. Alfonso II. Rege regnante, Surita noster Galindum hunc Garsiæ muneri præpositum tradit. Ac de eo, vt suspicor, in Kalendarum Codice, quem supra retuli in Tabulario *de Pilari* esse reconditum, ita scriptum exstat. VII. *Id. Septemb. Obiit Galindus Garcez, frater nostræ congregationis.* Olim enim complures, tametsi sacris minimè erant initiati, cum Religiosis hominibus, quas vocabant, fraternitates inibant: solebantque illius congregationis fratres, appellari. Annus autem in eodem prorsus, quo & Petri Eximini, iacuit silentio. Neque verò hac de re vllum mihi, præterquàm quod verisimile videtur, occurrit argumentum: nec quodquam aliud de istius Magistratu, nisi id, quod diximus Suritæ testimonium: iuxta quod ê Ricorum hominum Ordine Iustitiam hunc apparet exstitisse. Illud autem Garsiæ nomen, non tam patronymici, quàm gentilicii nominis loco vsurpatū autumo; ab eo Lupo Garcez tractū fortasse, qui in monumentis Ann. ∞ LIV. Senior in Vncastello, & Arrosta vocitatus legitur. Cuius fratrē suspicor fuisse, Eximinū Garcez, Seniorē in Boyl, iisdē fere tēporibus nuncupatū. Eorum autem postea, nisi me forte fallo, gentiles fuere, Atho Garcez, qui Senior in Barbastro circi. Ann. Chr. ∞ CXXVI. dicitur: & Lupus Garcez, quem Surita in Annalibus, Ann. Chr. ∞ CXXXIII. inter Ricos homines memorat: rursusque Fortunius ille Garcez, quem idem Surita eadem tempestate bellicæ virtutis laude floruisse, Mazęque fratrem fuisse prodit. Vnde nonnulli Iustitiam hunc à Mazarum gente profectum putant: quod eos obseruarint eo Garcez, seu Garsiæ patronymico nomine frequenter vti fuisse solitos. Sed hæc in coniectura tantùm posita sunt. Quamobrem integrum erit, vt quiuis iudicio, ac sensu suo, istarum rerum fidem metiatur.

XIII.
SANCTIVS GARSIÆ SANCTA OLALLA.

POST Galindum, Sanctius successit Garsiæ Sancta Olalla, seu, vt nuper inueni, *Arcez Sancta Eulalia*, vocitatur. Quem Sanct Vicent quandoque appellatum inuenio, quod ita vocari opidi potiretur: quan-

quandoq; Sanctius Garcez tantùm nominatus inuenitur. Eundem tamen suspicor fuisse
nosq; in eo nominando à Surita non tam re, quàm nominis dissimilitudine discrepare.
Magistratum autem gessisse constat Ann. Chr. ∞ CLXVIII. ac inter Ricos homines lo- 1168
cum tenuisse, eorumq; more, aliquandiu in Cæsaraugusta, & Osca, primariis Vrbibus,
possedisse Honores: rursus Ann. ∞ CLXIX. & ∞ CLXX. muneri præpositum fuisse. Sed 1169
ea clarior de eo exstat memoria, quam idem Dominus Archiepiscopus Ferdinandus 1170
retulit se legisse in Donatione parietinarum, *de Vera*, ab Alfonso II. Rege Verolensi mo-
nasterio concessa. Ibi enim hanc prodit istius iustitiæ muneris, ac nominis fieri mentio-
nem. *Stante* (scilicet) *Sanctio Garcez de Sancta Olalla, Iustitia per manum Domini Regis in A-
ragonia. Facta carta in mense Março, Ann. Chr.* ∞ CLXXII. Olim enim Iustitiæ Aragonum;
interdum Iustitiæ Domini Regis; interdum Iustitiæ per manum Domini Regis voca-
bantur: quod Magistratus hic à Regibus ipsis, vt dictum est sæpe, mandaretur. Quod ad
genus attinet, in monumentis Ann. Chr. ∞ CXIV. quendam Ferrizem Sancta Olallam,
Ricum hominem memoratum comperio. Sed an eiusdem stirpis fuerit, incertum
est mihi.

XIIII.
PETRVS FERDINANDI CASTRVS.

ITIDEMQVE nequaquam mihi satis est adhuc istius Iustitiæ ratio
explorata. A nullo enim alio inter Iustitias memoratum inuenio,
præterquam à Surita: qui eum in suis Indicibus eidem Ann. Chr.
∞ CLXXII. supposuit. Quare dubitanter fuisse illum Iustitiam affir- 1172
mabo. Accidisse enim puto, vt quod eius nomen dubie datum fuerit,
pro certo sit acceptum. His autem Castris, quæ annotauimus, Insignia
tribuuntur.

XV.
SANCTVS TOVIA.

PARI etiam ratione, istius Sanctii Touiæ Iustitiatus mihi incertus
esset, nisi Suritæ de eo testimonium legissem, ipsius Archiepiscopi
Ferdinandi auctoritate approbatum. Sed placuisset mihi, vt non tam
ex ipsorum verbis, quàm ex aliquibus penderet veterum monumen-
torum scriptis. Credendum est tamen, quandoquidem ab eis Anno
∞ CLXXIX, subiicitur, licet nobis lateant monumenta, ipsis verò ne-
quaquam latuisse: satisque firma habuisse eos ad faciendum istius rei 1179
fidem argumenta. Touiarum autem gens patricia non fuit: sed Mes-
naderiorum: à quibus hunc suspicor profectum fuisse. Propterea Touiarum, quæ supra
dum de Mesnaderiis egimus, Insignia annotaui; tribuenda huic censui: nō quod certum
id iudicem, sed tantū probabile. Atqui eorundem ante hunc Iustitiam vix exstat memo-
ria. Post verò non ita. Nam Iacobus I. Rex in suis Commentariis quemdam memorat
Eximinum Touiam: quem strenuum militem fuisse prodit, ac secum in Xatiuæ opidi
expugnatione affuisse, ab eoq; primum ob eam rem illus Castri fuisse præfectum custo-
dem. Tum Iacobi II. vita, quidam Berengarius Touia miles floruit, qui mirificè illis tem-
poribus militaris disciplinæ vsum percalluit. Tum etiam alterius Eximini Touiæ mentio
fit in monumentis Ann. Chr. ∞ CCCIX. quem Supraiunctarii Cæsaraugustani gessisse
munus comperio: illiusque filium fuisse Sanctium Touiam, qui ex intimis fuit Alfonsi
nostri IV. Regis: quasi Iustitia hic, primus Touiarum gentis, quod antea non tam no-
tum erat, nomen extulerit.

XVI.
STEPHANVS :::::::::



ALITER tamen de hoc Stephano sentire oportet. Quamdiu e-
nim Magistratum gessit, proprio illo tantùm Stephani contentus
nomine gentilitium suum assiduè suppressit: solumq; se aut Iustitiam
Stephanum, aut Stephanum Iustitiam nuncupauit. Cuius rei exempla
sunt huiusmodi. In venditione enim à Guilielmo Samatàn, & vxore
Tota, alteri Guilielmo Pinæ facta, hæc eius, ac temporis, quo munere
fungebatur, fit mentio. *Facta Carta in mense Octobris Aer.* ∞ CCXIX. *Do-*

minus Stephanus Iustitia. Est autem, qui huic Aeræ conuenit, Annus ∞ CXXCI. Porro in
1181 donatione, quam, vt ibi legitur, *Ego Tota mulier facio ad Vos Don Nauarro de tribus meis he-*
reditatibus: Facta Carta (inquit) *in mense Aprilis Aer.* ∞ CCXXI. *Testes sunt, Blasce Romeu*
1183 *Senior in Zaragoza? Domnus Petrus Episcopus: Martinus Orella Zalmetina: Iustitia Stephanus.*
Postremò in quadam de nonnullis controuersiis stipulata pactione inter Egidium Bilas,
Canonicum Sanctæ Mariæ, & Fatimam, vt ex scriptis apparet, nobilem feminam, se-
cum cognatione coniunctam: *Facta Carta* (vt ibi continetur) *in mense Ianuario Aer.*
∞ CCXXIII. *Testes sunt, & visores huius rei Don Esteuan Iustitia: & Mahomat Gatoz.* Atque
1185 hanc vltimam accepi de illius Iustitiatu memoriam. Nuper autem in vetusta membra-
nula extremam tantùm legere potui ipsius nominis gentilitii syllabam. Priores namq;
literæ interlitæ erant: sic tamen, vt posteriores duæ constarent integræ. Nam ita illius
erat nomen scriptum. *Stephanus* :.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.: *it Iustitia.* Vnde coniecturam capio, à
Belchit, nobilissima sic vocata gente, quæ hac tempestate florebat multùm, Iustitiam
hunc duxisse genus suum.

XVII.

PETRVS SESSESSIVS.

IAM verò Petrus Sessessius nomine, atq; honore notissimus fuit. Pa-
tricium namq; fuisse, nobilissima Sessessiorum stirpe generatum, cō-
pertum est satis, itidemq; benè se gessisse in Magistratu. Cuius mentio
fit à Surita in Annalibus in narratione rerum Ann. Chr. ∞ CXXCIIX.
1183 Alfonso II. Rege gestarum. Rursumq; in Ann. Chr. ∞ CXCVI. & ∞ CCI.
1191 qui iam in Petri II. tēpora inciderunt. Maiordomū autem Curiæ, ali-
1201 quamdiu fuisse cōperio: Medianæq; opidi abūdè potitum, quod illius
dominationē iamdiu maiores sibi in perpetuū cōparassent. Iam enim
his temporibus Honoraria illa Ricorum hominū iura eorū filiis, quandoq; hereditario
iure, obueniebant. Sentio tamen auctoritatem Regum aditæ huiusmodi hereditatis ex-
stasse. Tunc enim apud nos vetus ista Reip. nostræ gerendæ ratio vigebat: vt Ho-
nores ii ipsorum Regū penderent ad nutū, dummodò circū Ricos homines ipsos assidua
illa, quam diximus, conuersione torquerentur perpetuò. Sed iam Rici homines ipsi vi-
debantur hoc tempore, inclinatione voluntatem in eam, quę sibi, ac suis mansit, Honorū
potiendorum condicionem propendere: nempe vt eorum permaneret ipsis stabilis, ac
certa possessio, ne ea amplius, quemadmodum solita quondam fuerat, vacillaret. Atq; id
ipsum in istius Iustitiæ filio, Petro etiam Sessessio appellato, factum fuisse, ex ipsius Suritę
colligitur scriptis. Prodit enim eidem Iacobum Regem I. Ann. Chr. ∞ CCLXV. cùm Cæ-
saraugustæ adesset, illud idem Medianæ opidum contulisse, quo patrem eius, Rex pater
donauerat. Ipsum autem Petrum Sessessium filium, siue forte extulerit fortuna, siue la-
bor, ac industria, vt plures alios, quos scimus illustrarit; Moratæ quoq; Almonazirii, ali-
orumque locorum potitum apparet: quæ suis posteris sanè diu hereditaria manserunt.
At hunc Iustitiam plures annos Magistratum gessisse non dubito. Sed illorum ratio in-
certa est nunc mihi.

XIIX.

PETRVS PETRI TARAZONA.

QVOD si cuiuspiam ex veteribus Iustitiis vsque ad nostram ætatem
memoria remansit: nullius maior, quàm istius, Petri Iustitiæ, repe-
rietur. Neque id tam, vt suspicor, ob diuturnitatem temporis, quo mu-
neri præfuit (quadraginta enim ferme annos illud gessisse constat) nec
quòd in eo se omnibus valde probasset, provt probauit sanè: quàm
quòd primus, Iustitia Aragonum assiduè vocari cœptus fuerit, pri-
musque vt existimo, Aragonii nominis maiestatem, in publicis monu-
mentis, Magistratus nomini, ac dignitati consecrarit. Eaque propter
arbitror, Ioannem Eximini Cerdanum, dum Iustitias Aragonum numerauit, ab hoc
sumpsisse scribendi initium, ceteris, qui eum antecesserunt, omissis: non quasi
nullos ei antecessisse putarit, sed quòd in hoc primùm Magistratus nomen cœpisset, assiduè
ea Aragonii nominis dignitate illustrari, cum antea, aut Iustitia maior, aut Iustitia domini

Regis

Regis, aut Iustitia in Cæsaraugusta, quemadmodum demonstrauimus, nuncupari solitus fuisset. Ob eam itaque caussam Ioannes Eximini Cerdanus hunc, primum Iustitiam memorauit: quem fuisse prodit, Iustitiam Aragonum, & Tirasonæ. Ac Iustitiam quidem Aragonum fuisse certum est. Tirasonæ verò eum ius dixisse, incertum puto: tametsi statuo testimonio tanti viri credi oportere. Indidem autem compertum est sanè, illius nominationem, ac generis antiquitatem fuisse profectam. Equestri namque familia, à Tarazona, ipsius siquidem Vrbis nomine, nuncupata, è Mesnaderiorum Ordine natus fuit. Fratrem habuit, Eximinum Petri Tarazonam: qui cùm postea ad intima Regis Iacobi I. consilia peruenisset; ab eo amplissima ditione donatus, cui nomen erat Arenos, inde sibi nouum gentilitium nomen comparauit, ab Arenos se vocari, libenter ferens. Et ea certè nominis mutatio Ricis hominibus qui tunc florebant, molesta non fuit. Fuere tamen ipsis odiosæ, & acerbæ, quæ eidem à Rege fiebant & fortunæ, & dignitatis accessiones. Nouos enim, & adscriptitios homines, qualem Eximinum esse palam dictitabant, in eorum, qui antiquo iam iure sociati erant, cœtum immitti, dicebant plenissimè iura nostra vetare: nec quemquam posse vllam Honorum huiusmodi partem attingere, qui non esset genuina Ricorum hominum stirpe generatus. Quamobrem contendebant, eum neque illius ditionis, qua donatus fuerat, potuisse impertiri, necdum Rici hominis nominis dignitate honestari: cùm quæ leges irrita faciebant, rata esse non possent. Neque tam id ipsum factum, ob id quod esset factum, exprobrabant: quàm ob periculosam imitationem, quæ in posterum prodebatur, exempli. Qua de re tunc inter Ricos homines ac Regem multæ, & magnæ contentiones fuerunt. Nihilominus inuitis omnibus Eximinus fuit, suffragante sibi Rege, summum illum Rici hominis gradum assequutus: ipsamque ab Arenos ditionem, vna cum gentilitio nomine inde tracto, posteris hereditariam reliquit. Qui tandem aditus multis posteà spem præbuit simillimæ faciendæ transitionis: nonnullique deinde, cùm Equestri loco tantùm orti essent, in eum se Ricorum hominum Ordinem, Regum beneficentia, infuderunt. Olim enim ea Ricorum hominum dignitas, propter honoris, ac potestatis magnitudinem, tanta contendebatur ambitione vt nihil magis, qui ex intimis Regum essent, optarent illis temporibus, quàm ad eam peruenire quam summam ducebant, altitudinem gloriæ, & fortunæ. Vnde veteres illi maiorum gentium patricii, Rici homines *de natura* vocari cœpti sunt, vt ab aliis, qui se permistè cum ipsis implicauerant, distinguerentur & nomine; quos Ricos homines *de Mesnada* nuncupabant, quasi natura, & genere à se disiunctos esse indicantes, tametsi omnibus erant pares gradus honorum; quemadmodum iam antea de his satis, vel etiam nimium multa. Itaque hic Eximinus ex Honore, quem adeptus fuerat, (ita enim eæ, quæ Ricis hominibus à Regibus fiebant, donationes vocabantur) gentilitium sibi nomen, quasi ipsius Honoris nomen, arripuit; Arenosium se apertè vocitari curans. Armorum autem, quæ dicuntur, Insignia non mutauit. Nuperrimè namque quæ signata sunt supra, impressa comperi in peruetusto cereo sigillo, quod ex membranula quadam pendebat. Apertissimèque tum ex scriptione, quæ in literis circum sigilli orbem appositis exstabat, tum ex iis, quæ in eadem Tabella scripta reperiuntur, colligitur: ea esse Eximini ipsius, ac Tarazonæ suæ gentis Insignia. Atque inde iure transferri posse constitui ad hunc illius fratrem, Iustitiam: præsertim cum ab eo gentilitium à Tarazona nomen, mutatum non legerim. Hic igitur, vt ad eum redeam, eodem Archiepiscopo teste, Ann. ∞ CCIIX. Magistratum gerebat. Perhibet enim illum in Priuilegio, Darocæ
Vrbi à Petro II. Rege irrogato, Aer. ∞ CCXLVI. quæ dicto Anno conuenit, testem 1208
appositum inueniri, Hispanis hisce verbis, proprio scilicet, patronymico, gentilitio, ac Magistratus nominibus vocitatum: *Testigos son de aquesto, Don Petro Perez de Taraçona Iusticia de Aragon: Pedro Menguchen Iudez de Daroca: y Don Garcia Romeu.* Iam enim his tēporibus publicarum literarū exempla exarabantur Hispanè. Tum idem iste Iustitia Iudex sedit in
Comitiis An. ∞ CCXXII. & ∞ CCXXV. Tū etiā interfuit, ac præsens vidit, quæ inter Iacobū 1222
I. nostrum Regem ac Thibaldum Regem Nauarræ depacta fuerunt, dum se vicissim 1225
singulorum Regnorum heredes adoptarunt Ann. ∞ CCXXXI. Præterea dum idem 1231
Rex Iacobus Ann. ∞ CCXXXII. Alfonsum filium, susceptum ex Eleonora, legitimum 1232
decreuit: tametsi ab ea Regem diuortium facere debere Romanus ipse Pontifex
constituerat. Quin etiam multa, & magna istius Iustitiæ memoria reperitur in
monumentis Ann. ∞ CCXXXIII. & ∞ CCXXXIV. Sed ea magis præstans, & nota, 1233
quæ in For. *De Confirmatione pacis.* Ann. ∞ CCXXXV. edito, continetur. Quam- 1234
quam autem in excusis legitur, *I. Petri Iustitia*: legendum est, *P. Petri Iustitia Ara-* 1235
goniæ: atque ita in manuscriptis codicibus obseruaui. Et licet ii nequaquam corri-

gerent mendum hoc,ex veritate ipsa,ac temporum ratione cóuinceretur aperte, quandoquidem grauissimo confirmatur publicæ alterius legis,quæ, *De Confirmatione monetæ*, 1247 inscribitur,testimonio,hunc Petrum Petri Magistratum gessisse Ann. ∞ CCXLVII.quo ea lex Oscæ lata fuit. Ibi enim expressis literis ita illius nomen scriptum exstat: *Petrus Petri Iustitia Aragonum.* Hæc autem nobis celeberrima Comitia exstiterunt. Ipsis enim Iustitia hic præfuit;in quibus Vitalis ille Remp.nostram temperauit,non tam nouis prolatis legibus,aut institutis, quam quod antiquum ius nostrum, nequaquam satis artificiose digestum,generatim componeret. Nec longius puto, istius Iustitiæ vitam productam fuisse. Sed id minime mihi exploratum est satis, cùm neque ex Ioannis Cerdani scriptis, neque adhuc scire potuerim aliunde. Ioannes enim Cerdanus tantummodò refert, ad Beati Dominici Cæsaraugustanense cœnobium humatum esse: tempus autem,quod sibi fuerat præcipuum futurum, silentio prætermisit. Et nos id ipsum facere necesse erit;tametsi coniectura ducimur ad suspicandum, Iustitiam hunc eo ipso tempore obiisse. Tres autem filios reliquit;Ioannem,Petrum,ac Belasconem: qui omnes illud idem,Petri, patronymicum nomen cum gentilitio à Tarazona sumptum retinentes *Perez de Taraçona*,vocati reperiuntur. Ac Ioannes quidem in patris locum suffectus,Magistratum obtinuit.Reliqui verò adulterini nummi crimine notati, & conuicti, pœnas, quæ tanto sceleri debebantur, dependerunt: Petrus scilicet & vitæ, & opidi *Trasmoz*, cuius potiebatur, amissionem: Belasco verò, quod sacris initiatus esset, Tirasonensisque Ecclesiæ, vt loquimur, Sacrista præpositus, à Fortunio Episcopo in custodias inclusus,perpetui carceris pœnam subiuit. Tatopere ambo hi filii à paterna virtute degenerarunt.Istius verò facti narrationē Iacobus idem Rex fusiùs in suis Commentariis persequitur;deq; cuiusdam Iudicis Curiæ consilio, quem *Ombret* nominat, se in eo facto sententiam dixisse perhibet Ann. ∞ CCLXVII. Qui decennio ferme eiusdem Regis interitum antecessit:istius verò Iustitiæ mortem,viginti annis, vno, aut duobus, vt opinor,minus,sequutus est post.

XIX.
IOANNES PETRI TARAZONA.

VERVMENIMVERO Ioannis Petri Tarazonæ Iustitiatus in priuatis Suritæ monumentis, quæ aliquando perlegi, Ann. ∞ CCXLIX. subiicitur. In Indicibus autem oblitus est eius. At ex vetusta 1246 membranula XVII. Kal. April. Ann. ∞ CCLIX. perscripta; Dominam Euam illius vxorem fuisse apparet. In ea enim se aperte, viduam esse Ioannis Petri Tarazona, quondam Iustitiæ Aragonum, profitetur: atq; vt ex illius verbis elicitur,iā diu in ea solitudine,ac mariti viduitate alebatur. De prole autem,nec de vllis eius factis,nihil habeo,quód dicam.

XX.
MARTINVS PETRI ARTASSONA.

DE huiusce autē Magistratū sat liquet. Nam Iudex præfuit Comitiis Alcagnizii habitis An. ∞ CCL. in quibus nullum officii sui mu-1250 nus,ꝙ exequi oportebat,prætermisit, ab omnibusq; existimabatur adeptus haud mediocrē cū iustitia coniunctā prudentiā. Quā cū Iacobus Rex magis experiens,vehementer probaret: frequēter illū sibi deinceps in consiliū cōsueuit,nedū de publicis,sed de priuatis etiā rebus adhibere. Propterea illius multiplex, ac varia in omni monumentorū genere mentio reperitur,gentilitio tamē nomine sæpius suppresso. Ac illa quidē honorifica est satis,nec ignota,quæ à nostris scriptoribus fit;dū Iustitiā hunc memorāt vna cū 1253 ipso Rege, Augusti mense, An. ∞ CCLIII. Tutellam versus profectū fuisse,cū Margarita, Thibaldi ipsius Nauarræ Regis vidua,de cōsociandis cōmunibus consiliis verba factu-1254 rum. Tum etiam,dum insequenti Anno, D. Didacus Lupi Harus,qui Vizcayæ dominatum tenebat,Iustitia hoc inspectante,eidē Regi nostro, fidē suam iurisiurandi nexu ob-1256 ligauit. Præterea dū Ann. ∞ CCLVI. Alfonsus Castellæ Rex, Romanorum Imperator designatus,eundem Iacobum Regē inuisit: cui nequaquam soceri nomen ademerant ciuiles quædam,tametsi permagnæ, inter eos commotæ dissensiones. In quas tandem 1257 Ann. ∞ CCLVII. Iustitia hic, vna cum aliis, ab ambobus Regibus selectis viris, statutus fuit arbiter, prescriptumque ipsi, vt quomodo fieri placeret, controuersiam illam totam iudicaret. Ad summam enim,quam diximus,illius prudentiam summus quoq; accesse-

accesserat ciuilium rerum gerendarum vsus. Atque eo sanè plus ipse, nonnullorum iu-
dicio, quàm rei militaris scientia pollebat. Etenim cùm Ann. ∞CCLVIII. ab eodem 1258.
Rege Iacobo mitteretur, vt de Luna, ita vocato opido, D. Artaldum præpotentem vi-
rum, qui in illud se introtulerat, dimouêret; visus est certè inanes omnes impetus fecis-
se in eam rem, vel quòd imparatus in paratum incidisset, vel quòd occasioni nequaquam
potuisset occurrere. Artaldus namque audacter ei obstitit præsidio amicorum, omnes-
que illius conatus facillimè refutauit. Sed nec diu post, satis multa dedit & fortitudinis
signa, & virtutis, neque tam eum esse, quàm sui obtrectatores dicebant, bellicæ rationis
expertem. Nam eiusdem Regis iussu, Ann. ∞CCLX. Aluaro Cabreræ, qui totam Balba- 1260.
strensem ditionem compilabat, obuiam factus, fortiter, prudenterque exultantem illi-
us furorem, & audaciam repressit, patriamque suam (inde namque illum nonnulli pro-
fectum autumant) magnis liberauit temporum, ac rerum angustiis. Neque verò eo an-
no ampliùs, hunc Iustitiam memoratum inuenio: tametsi longiùs illius Iustitiatum pro-
ductum opinor. De genere autem nec quidquam aliud affirmare possum, præter sen-
tentiam, & opinionem meam: Equestri scilicet loco eum natum fuisse; quòd nomina-
tus sæpe inter Equestris ordinis viros reperiatur.

XXI.
PETRVS MARTINI ARTASSONA I.

AT hunc Petrum, superioris Iustitiæ filium esse, certissimum est:
Iustitiam vero fuisse, incertum existimo. Id enim solius Suritæ,
quod sciam, testimonio comprobatur: cùm Iacobus Rex in suis Cō-
mentariis, eodem ferme, quo à Surita in Annalibus proditur, Ann.
∞CCLXV. Clericum eum esse commemoret. Neque tamen eò dico, 1265.
quò mihi veniat in dubium ipsius Suritæ cognita satis in his rebus,
spectataq; fides: sed vt consilii mei, quemadmodum pollicitus sum,
rationem exponam. Itaque non re ipsa ducti, sed opinione, istius Iu-
stitiæ nomen in Fastis adscripsimus: quod in Indicibus eidem Suritæ in memoria
non fuit.

XXII.
PETRVS SANCTII.



ET verò Petrus iste Sanctii, cuius gentis fuerit, ignoratur. Illud
enim Sanctii patronymicum nomen latissimè patet, & ad pluri-
mas familias, quemadmodum demonstrauimus, pertinet. Equestris
autem Ordinis fuisse, dubium non est: quippe cùm publica iam la-
ta, & promulgata esset lex illis temporibus, quæ ab huiusmodi Ma-
gistratu omnes aliorum Ordinum viros prohibebat. Et quod illum
gereret Ann. ∞CCLXVI. exploratum est satis. Eo namque anno ipsi 1266.
Iustitiæ Iacobus idem Rex de suo iure concessit. Vt vbicumque in-
tra Aragonios fines Iustitia adesset, de omnibus caussis in prima actione cognoscere pos-
set, ac statuere. Tum; vt quæque fierent à Iudicibus ordinariis iudicia, ad eundem Iu-
stitiam deferrentur primùm: deinde, vt ad Regem prouocatio esset. Qui quidem ali-
quamdiu viguit iudiciorum mos. Verũ istius Iustitiæ Magistratũ Ann. Chr. ∞CCLXIIX. 1268.
non excessisse coniicio: tantummodoq; eum, biennium muneris potuisse potiri.

XXIII.
RVDERICVS CASTELLEZVELVS.

ETENIM quæ vix alterius Iustitiatus tam certa temporis ratio
reddi potest, Iunii in mense, Ann. Chr. ∞CCLXIX. Rudericus Ca- 1269.
stellezuelus (quem nonnumquam Rudericum de Gastroaciolo, seu
de Casterazol, vocatum inuenio) eiusdem Iacobi Regis beneficio,
Magistratum adeptus est. In tam longa enim ipsius Regis vita plures
Iustitiæ Aragonum exstiterunt. Et hic quidem Rudericus magna a-
pud illum gratia fuit; apud filium autem Petrũ acerbo in odio: quod
tandem in miseram istius Iustitiæ vitam erupit; & qui posteà illius interfectori ad eum-
dem Petrum aditus patuit, comprobauit. Nam cùm Iacobus pater in Comitiis Exeę ha-
bitis Ann. ∞CCLXXII. assidente hoc Iustitia, Petrum ipsum à generali Regni Procura- 1272.
tione amouisset, ad quam Primogenitos Regum iura nostra vocarunt: Petrus illatam si-
bi iniuriam hanc acerbissimè ferens, quamuis ea de re nulla Magistratus auctoritas in-

tercesserat, sed priuatum solùm istius Iustitiæ, aliorumq; quorundam Regis ministrorum consilium; nihilominus tamen visus est eum multò peius, quàm alios odisse: eoq; etiam impendio magis, postquam iisdem Comitiis cùm ab habitatoribus opidi, cui nomen est Zuera, quædam esset cum Ricis hominibus nonnullis, iniuria damni, contestata lis, Zuerenses viri ex ipsius Iustitiæ edicto in bonorum possessionem, quorum Rici homines potiebantur, venerunt, vt ex eis, quæ dicebant sibi fuisse facta, damna resarcirent. Atq; Ricos homines eos Petrus quidem habebat studiosos sui. Propterea offensionem in se esse, quàm pati deceret, istius Iustitiæ animum iudicabat: quod simultatem, quam secum gerebat, cum ipsius etiam Petri studiosis, vt ipse opinabatur, exerceret.
1274 Itaque dum A.D. x i i x. Kal. Iulii, Ann. Chr. ∞ ccLxxiv. ad Xatiuæ opidum Beltrandus quidam Canellas hunc interemit Iustitiam; repentina omnibus suspicio iniecta fuit, Petrum illi mortem attulisse. Sed neque id ipsum omni asseueratione affirmabo: tametsi interfector postea regnante Petro impunitatem non modò assequutus est sceleris, sed extraordinarios etiam honores. Castellezuelorum autem gentem patriciā fuisse perspicuum est planè: magnamq; satis eorum virorum copiam effudisse, qui singularem & virtutis, & dignitatis præstantiam, & interdum quoq; fortunæ consequuti sunt. Sed illius Pelegrini Castellezueli præter ceteros nobilitata fuit olim, quæ in tertio Interregno tantopere enituit, solertia: dum à nostris missus, vt Petro Ataresio Regnum deferret, committere sibi non placuit, vt nocere vmquam Reipub. posset tanta hominis insolentia, ac fastidium, cum se, ac Petrum Tizonium Cadreytam, eiusdem muneris socium, Ataresius ante oratam rem maiori, quàm orata deceret, arrogantia excepisset. Quamobrem mutato vultu, ac sermone, propositaque alia legationis caussa, simulato officio eumdem Ataresium, spe iam, atque animo inflatum, vacuum relinquēs, nostros ad Ranimirum monachum, Regem adsciscendum excitauit. Nec diu postea, siquidem Ann. ∞ cxLix. quidam Pontius Castellezuelus, *Senior in Calatayud*, vocitatus reperitur, proditurque eumdem in Ilerdensi expugnatione Raimundi Berengarii Aragonensis Principis interfuisse consiliis. Istius verò Pontii fuisse filios, aut nepotes coniicio, Petrum Castellezuelum, & Pelegrinum Castellezuelum, in monumentis, Ann. Chr. ∞ cLxvi. frequenter, priorem quidem Seniorem quoq; in Calatayud, posteriorem autem in Balbastro, & Alquezare, memoratos. A quibus suspicor duxisse genus suū, Raimundū Castellezuelū Cæsaraugustanæ Ecclesię ante An. Chr. ∞ cLxxix. in quo obiit, præpositum Antistitem, illustre sanè illis temporibus sanctitatis, ac religionis exemplum. Tum etiam quemdam alium, Gulielmum Castellezuelum Maiordomum Regis, ac Seniorem in Osca in monumentis An. Chr. ∞ cxcix. vocitatum. Quos omnes Ricos homines fuisse non dubito. Sed hunc Iustitiam ex Equestri ordine profectum, vt dicamus, publicæ eiusdem legis testimonio conuincimur: aliter enim minimè Magistratui potuisset pręponi. Nihilominus suspicor à patriciorum stirpe dimanasse, illiusq; nobilitatem, vt plurium aliorum, sensim ad Equestrium virorum Ordinem delapsam fuisse. Interdum enim eædem ipsæ familiæ vaga, & mutabili ratione labuntur. Propterea eidem patriciorum Insignia tribuenda duximus. Per id autem temporis quendam Ferrarium Manresam, Iudicem Curiæ nominatum inuenio.

XXIIII.
FORTVNIVS AHE.

ET hic quidem Fortunius, Equestri, & clara Aheorum familia natus fuit: quorum antiquitatem è nobili Tahustii opido profectam Iacobus Rex scribit, & nos in antiquis Commentariis inuenimus. Sed iam pridem esse desierunt. Memoriam autem nec ipsa quidem vetustas obscurauit. Viua namq; vsq; ad nostram ætatem remansit: eorūq; feruntur plures & domi, & militię singularem, ac promptam pręstitisse fidem. Verùm inter eos omnes Fortunium hunc memorabilia multa fecisse perhibent, in Siciliensi patrocinio præcipuè. Regiæ namq; dignitati non defuit, nec cum periculo quidem suo, si quid tunc fuit, in quo ingenuum quemquam interesse deceret. Ruderico autem in Magistratu successit Ann. Chr.
1275 ∞ ccLxxv. cui à Surità subiicitur in Annalibus: in Indicibus autem sequenti Ann.
1276 ∞ ccLxxvii. Nec longius comperio illius Iustitiatum productum. Eum autem hac in re maximè memorabilem prædicant. Etenim cùm seditiosi nonnulli Cæsaraugustanum interemissent ingenuum ciuem, Egidium Tarinum: Iustitia hic

fontes

fontes illos, capite damnatos, morte mulctauit; quòd Rex animaduersionem, & supplicium, quo vsurus erat in eos, remisisset sibi. Ceterũ *Vll*, ita vocati opidi, potitus fuit: quod eo mortuo ad Eximinũ Artiedam peruenisse cõstat. Quo autem iure, neq; magis certam huiusmodi rerum rationem non comperi, quin illa his temporibus paululum interrupta est. Atq; ea me caussa impulit, vt sermoni, qui nunc mihi proponitur, reseruarim, quæ de Martino Sagarra veterum scriptorum monumenta testantur. Neq; enim tam aptè ille inter aliorum Iustitiarum, quàm inter horum ætates, potuisset interiici: cum Salanouam antecessisse, iisdem ipsis appareat ex scriptis.

XXV.
MARTINVS SAGARRA.

ITA autem istius Martini Sagarræ Iustitiatus tacitus fuit, vt nisi extraordinariis esset quorumdam testimoniis cognitus, Iustitiam illum nesciremus fuisse. Ac de eo quidem satis multa monumenta loquuntur. Molinus enim in suo Repertorio, in verbo, *Probatio*, hæc pdit. *Ann. Chr.* ∞CDXXXIV. *in caussa Bartholomæi de Azuara fuit deliberatũ: quod probatio per euidentiã, inducebat casum manifestũ. Et de hoc fuit dictum in dicto Consilio, quod erat quædam Obseruantia Domini Martini Saguarra, Iustitiæ Aragonũ.* Sic enim illius nomen est scriptum. Tum idem alibi in verbo, *Contributio*, eundem Sagarram perhibet Obseruantiarum nostrarum, vt illius verbis vtar, compilatorem fuisse. Præterea Bages dum antiquos numerat nostrarum legum Obseruatores, hæc subdit: *Martinus* (inquit) *Didaci Daux, habitis penes se omnib. libris, quaternis Obseruantiarum, & vsuum scriptorum per Martinum de Sagarra, Sanctium de Ayerbe, Pelegrinum de Ançano, & Eximinum Petri de Salanoua, Iustitias Aragonum; Ioannem de Patos, Iacobum de Hospital, & Arnaldum de Francia Locumtenentes; Obseruantias, quas habemus cõpilauit.* Et in plurib. aliis veterum monumentorũ fragmentis clara ipsius Sagarræ mentio reperitur: sed ea clarior, dum illius testimonio ipsius Magistratus institutio, vt supra docuimus, comprobatur. Illud tamen dolendum est, nusquam temporum seriem annotari. Vnde fit, vt obscura dilucidis intexere cogamur; Sagarram quidem Iustitiarum numero adscribẽtes, incertam verò relinquentes temporis, quo Magistratum gesserit, notationẽ: quòd eam nequaquam adhuc studio, aut diligentia consequi potuerimus, neq; de illius genere compertum quid satis, quod afferre possimus, habeamus.

XXVI.
PETRVS MARTINI ARTASSONA II.



IAM verò Petro III. regnante, siquidem Ann. ∞CCXXCI. certa exstant in publicis, ac priuatis literis monumẽta huiusce Petri Martini Artassonæ II. Nam eo anno proditur, à Rege missum fuisse, vt Magistratus auctoritate interposita, quę inter Magalionenses viros, ac Lupũ Didaci Harũ ortę fuerant, cõtrouersias tolleret. Sed quid in ea caussa effecisset, nequaquam proditur. Rem tamen bene actã opinor: quòd magnũ esset hominis in prouidẽdo consiliũ, & in agendo industria singularis. Cuius cùm in publicis negotiis satis multa testimonia dedisset: tũ verò præclarũ illud, nec obscurũ fuit, dũ in ipsius Petri Regis regnãdi initiis, in q. bus tot turbines sæui exstiterunt; antiquã illam coeundæ Vnionis cõsuetudinem, ad retardandã acrem, & vehementẽ Regis naturam excitauit, quæ, vt in illius rerũ narratione docuimus, tot mala, & pericula miseræ Reip. moliebatur. Tunc .n. ad ea propulsanda, in amplissimis illis Ann. Chr. ∞CCXXCIII. Cæsaraugustæ habitis Comitiis, Iustitia hoc assidente, quod nunc habemus, & generale Priuilegium dicimus, rogatum fuit. In quo reposita fuisse videntur, quasi lumina quædam, & ornamenta Reip. ad memoriam sempiternam libertatis. Ea verò quò nostris grata acciderũt, eò Regi ipsi iniucunda, & acerba. Maior aũt Regiæ acerbitatis vis in hunc potissimũ Iustitiã erupit: quòd eo auctore, & impulsore Rex ipse affirmaret fuisse nostros ad Vnionẽ illam cõflandam excitatos. Itaq; Magistratum eidẽ nec diu post, supposita quadã suspicionis caussa, abrogauit; contra quàm nostri fieri licere, contendebant. Regis tamen voluntati in illis asperitatibus rerum, & angustiis temporum, obsequendum fuit: quia lex nondum lata erat, qua id facere, nefas decernitur. Sed inde penitus in nostrorum animis

1281

1283

cogitatio insedit, vt Magistratum hunc abrogationis difficultate septum esse, publica ea de re edita lege, curarent; ne qui huic muneri (in cuius sumus præsidio, & tutela) præpositus sit, intempestiuè ab illius curatione cogatur discedere. Verùm de his mihi iam satis supra dixisse videor. Quamobrem missa faciamus, quæ iam dicta sunt, vt reliquorum Iustitiarum ætates, & gradus, de quibus modò propositus est sermo, persequamur. De hoc autem Iustitia plura haud comperi, quæ animaduertam, præterquam quòd Salanouam, aliquamdiu illius Locumtenentem fuisse obseruaui.

XXVII.

IOANNES EGIDII TARINVS.

ARTASSONÆ autem successit Ioannes Egidii Tarinus, Cæsaraugustanensis ciuis, & fortis, & grauis, qui dominabatur Mozotæ. Tarinorum autem nomen in ipsa Vrbe magnum, & clarũ fuit: fuère namque in ea olim Consulares duæ, vt ita dicam, familiæ; Tarinorum altera, altera Tarbarum, nimiũ dissentientes inter se. Quarum tã acris, & vehemens aliquamdiu fuit veteribus inimicitiis incensa contentio, vt sæpenumero turbulentos, ac seditiosos populi motus afferrent vniuersæ Reipub. quietæ, & tranquillæ. Memini tamen, ni fallor, me legisse, fuisse eas nonnunquam, communium consiliorum societate coniunctas, familiariterq; & licenter in aliorum ciuium fortunas irrupisse. Verùm si id fortè aliquando fuit; ea omnis sanè inter ipsas fuit reconciliatæ gratiæ fides infirma. Sæpius namque in antiquis monumentis, earum dissensiones internecione ciuium diiudicatas comperio, non iam vlla reconciliatione concordiæ; alteramque semper alterius æmulam laudum exstitisse. Horum autem ciuilium malorum semen, quam supra commemoraui, Egidii Tarini mortem, fuisse coniicio. Neq; verò ea fuit, vt inimici crediderant, ipsum Tarinorum nomen obrutum: quinimmo elatum magis; quandoquidem plures ex Tarinis posteà à Regibus fuère honorificentioribus decretis honestati. Sed omnium amplissimus Tarinorum familiæ honos, huiusce Ioannis Egidii Iustitiatus fuit. Ad cuius amplitudinem peruenit, gradibus ascendens Magistratuum. Etenim cùm omni prudentiæ genere, ac iuris ciuilis intelligentia præstaret; Iacobi Regis I. Consiliarius fuit. Ab eoq; posteà, Ann. ∞CCLXXIIII. Zalmetinæ factus est vrbis. In quem annum, seu non multo secus, idem ille grauissimus Egidii Tarini casus incidit. eô inimicorũ suorũ prorupit audacia, vt nulla neq; priuata neq; publica ipsius quasi Prætoriæ potestatis auctoritas, quam tunc Iohannes iste gerebat, illos posset à tanto edendo scelere auocare. Nec dubito, quin Iustitia hic, ipsius esset interfecti filius. In eo namq; Egidii illud patronymicum nomen id valet. Verùm hoc de meo sensu iudico: nam comperisse me, dicere non possum. Itaq; vt ad rem redeam, cùm illius in gerendis rebus industriam Rex Petrus experiens, vehementer probaret; Magistratui Iustitiæ Aragonum eundem
1284. præfecit, Aprilis, vt proditur, mense, Ann. ∞CCXXCIV. Quo in munere se ges-
1285. sit valde bene: ac præcipuè cùm Iudex præfuit amplissimis illis sequenti Ann. ∞CCXXCV. habitis Comitiis; in quibus præclara illa, quorum in narratione ipsius Petri Regis meminimus iura nobis constituta fuère. Neq; verò istius Iustitiæ opera nostris solùm, sed & ipsi Regi exstitit grata, & iucunda. Iam enim ipse Rex exorabilem se præbere cœperat nostrorum querellis: ac si diutius vixisset, multò lenior fuisset, ac mitior. Nec posteà sanè eadem ipsa istius Iustitiæ arguta sedulitas, iniucunda accidit Alfonso filio, qui eodem Anno, Regi Petro successit: quinimmo Alfonsum proditur, Iustitia hoc ad grauissima sæpe vsum fuisse, nihilque duri, nihilve acerbi fuisse sibi, dum se, effrenatè in nostros irruentem, Iustitia hic temperauit: vel quòd ea magna sit æquitatis vis, vt factum, in quo integra præstetur fides, improbari vetet; vel quòd ea esset, quæ re vera fuit, optima ipsius Alfonsi natura, vt se pateretur à falsa opinione, si in eam fuerat adductus, deduci facillimè. Et istius Ioannis Iustitiatus in ea dictorum Regum, Petri, & Alfonsi, incidit tempora, quorum altera pars calamitatis nimium habuit, altera tranquillitatis parum. Amborum namque ipsorum Regum in nos, libertatesq; nostras acriores interdum exstiterunt impetus, quàm deceret: ac nisi ii opportunè fuissent compressi, haud mediocris facta fuisset iuris nostri iactura. Cum autem maiores nostri, illis temporibus, firmiora sibi esse ad eam rem præsidia statuissent, quæ in acerrima illa Vnionis vi, non quæ in Magistratus lenitate laterent; Vnio autem ipsa non scripto aliquo, sed communi tantum fortasse vsu, antiquo more, multisque & notissimis

veterum exemplis niteretur: tunc demum maximè hoc patrium fundauit ius, quæ in
Cæsaraugustanis Comitiis Ann. ∞ CCXXCVII. ab eodem Alfonso Rege Vnionis Pri-
uilegiorum rogatio lata fuit. Quorum vtrumque significabat, non nouam, aut infantem, 1287
sed antiquam, & veterem fuisse illam Vnionis à nostris conflandæ facultatem, vt à ceruicibus suis vi, & armis depellerent illatam vim; & quã dispersæ non possent, singulorum
tandem collectæ vires retardarẽt. Sed illud est, quamobrem non siui istius facti mentionem intermitti, quòd Iustitia hic, Comitiis illis Iudex præfuisset, in quib. Priuilegia huiusmodi rogata fuere. Nec longiùs constat illius Magistratum productum, quàm in Ann.
∞ CCXC. quo ab eo Comitialia quædam iudicia feruntur facta, ad quorumdam Opti-
matum caussas componendas oportuna. Verùm dicto anno, vt mihi quidem persuadeo, 1290
decessit. Filium habuit, D. Ioannem Egidii Tarinum: itidemq; ædes, in parochia Sanctæ Crucis locatas, quantum coniicere possum, quo nunc, quæ Castrorum vocantur, sitæ sunt loco. Integritatis, ac prudentiæ suę magnum & Regi, & Regno desiderium reliquit.

XXIIX.

IOANNES ZAPATA CADRETO.

SED illud statim leniuit, qui ei successit, Ioannes omni laude, & memoria dignissimus vir; ab antiqua, & generosa profectus Zapatarum gente. Cuius cùm exstiterint plures familiæ, variis illis, quæ diximus, cognominibus appellatæ; hunc satis constat, ab ea, quæ *de Cadret* cognomen sumpsit, originem duxisse. Siquidem Ioannes Zapata *de* Cadret dictus fuit; opiduloque ita vocitato, à Cæsaraugusta non longè, vt opinor, potitus. Generis autem sui antiquitatem Vncastelli ex opido profectam esse, cùm certa res sit: de insignibus Armorum ita censui, vt ea hoc loco apponenda constituerim, quæ Zapatas inde oriundos gestare consueuisse, tum omnium ipsius opidi incolarum, tum etiam picturæ, quæ ibidem in vetustissimo clypeo Ecclesiæ Sancti Ioannis exstat, testimonio, ac fide comprobaui. At verò in Sanctæ Fidis illustri prope ipsum Cadreti locum cœnobio, quod postea Michael Petri Zapata, clarus, & præstans vir circ. Ann. Chr. ∞ CCCXLIV. fundauit, & extruxit, eadem illa Valtorresiorum, quæ supra depinximus, Insignia, è robore dolata, hisce literis in orbem scriptis, inspiciuntur: *Roderici Zapatæ, Fundatoris Filij*, quasi istorum *de Cadret*, eadem illa prorsus, quæ Valtorresiorum, fuisse Insignia videantur. Etenim Iustitiam hunc, ipsius Michaelis fuisse patrem, proditur: tametsi matris nomen non proditur. At is Michael filium habuit, ipsum Rudericum: an verò ex Domna Sanctia *Garcez de Ianuas*, an ex Domna Eluira *Ruyz de Liborri* (hasce enim duas Michaelem habuisse vxores constat) incertum est mihi. Et Rudericus, qui dicitur, Fundatoris filius, ex Domna Maria Sanctii *de* Huerta filium reliquit, ac posteros, satis superque magnifici illius ædificii celebritate honestatos. Itaque cùm omnes hi ẽ Zapatis *de Cadret* fuerint, illæ autem, quæ in robore exstant insculptæ, literæ iam fidem faciant, Rudericum ipsum Valtorresiorum illa Insignia gestasse: probabile fit, vt illud idem videatur de istius Iustitiæ Insignib. censendum esse. Sed à definitione istius rei me omnino temperabo: nulla enim hactenus monumenta, sigillo istius Iustitiæ obsignata, deprehendi, vt certi quid statuam hac de re. Quapropter alia proferam, explorata quæ habeo, vt exponam: scilicet Iustitiam hunc Alfonsi Regis à consiliis fuisse, tantamq; virtutum omnium præstantiam consequutum, vt nemo se ei, neque honore, neque gratia anteferret. Ad Angliæ Regem Ann. ∞ CCXXCVI. legatus missus, socium habuit Petrum Martini Artassonam II. cui Petrus Rex Iustitiatum, vt diximus, abrogauit. Anno autem ∞ CCXC. in Ioannis Egidii Tarini locum
suffectus, non eodem solùm, sed maiori etiam pondere apud omnes fuit. Cùmque se- 1290
quenti Ann. ∞ CCXCI. Anglicam iterum legationem obiisset, vt conficeret dotem
Reginæ Eleonoris, Angliæ Regis, filiæ, nostri autem Alfonsi Regis sponsæ: inde Rei- 1291
pub. voce reuocatus est, quòd Alfonsus ipse immaturè ẽ vita, in ipsa iam aduentantis coniugis exspectatione, excessisset. Neque verò qui ei successit frater Iacobus, postquam Regni curationem suscepit, deliberationibus, quas habebat de Rep. pluris quemquam visus est facere, quàm ipsum hunc Iustitiam. quin illum solitus est, in consilium sibi frequentiùs adhibere. Ipse verò Iacobo Regi multis in rebus magno vsui fuit, & fides eius, & prudentia, quantum studio, & fidelitate consequi potuit, illi non defuit. Cùmque ex eo Rex in plurimis negotiis bene sperauisset; tum autẽ magis existimare cœpit ex

iis iudiciis, quæ de eodem fecerat, cognitis Ann. ∞ CCXCII. in conciliandis sibi quo-
1292 rumdam Riçorum hominum animis, qui ab ipso Rege dissidio dissidebant. Quorum
Artaldus Alagonius primarius vir erat, Theresiæ Petri, sororis Regis, maritus: qui non
ciuili solùm contentione cum Rege, sed prope etiam armis decertàrat. Eum igitur, & o-
1294 mnes alios cum ipso Rege prudenter consociauit. Rursum Ann. ∞ CCXCIV. Magistratus
auctoritate interposita, similes discordias ab eo sedatas comperio, magnamq; in quam-
plurimis monumentis illius Iustitiatus, nominisq; & cognominis Zapatæ *de Cadret*, fa-
ctam mentionem. Eo autem anno illum coniicio mortuum fuisse: Magistratu saltem ab-
iisse, compertum est satis; cum eodem ipso anno notatum sit illius, qui ei successit, Iusti-
tiatus initium. Hi vero eius ætate Iudices Curiæ inueniuntur: Martinus Petri Huesca:
Guilielmus Galuanus: & Raimundus Cuyllanus. Quos hîc propterea nominandos
duxi: vt quàm diuersa eorum fuerit à Iustitiis Aragonum ratio, perpendatur.

XXIX.
EXIMINVS PETRI SALANOVA.

ORDINEM autem sequens necessariò incurro in notam illam, &
iucũdam Eximini Petri Salanouę, omni monumentorum genere
memoriam consecratam. Ioannis enim Zapatæ successor fuit, in eius
1294 locum eodem ipso Ann. ∞ CCXCIV. Surita teste suffectus. Ita autem
est ad nostrorum temporum rationem vetus, vt Vitali excepto de pri-
sca nostra iudiciorum disciplina nullius scripta, lectione digna, exstent
antiquiora. Neque verò ea nisi priuata exstant; & manca, & im-
perfecta pleraque. Neque scripsit solùm, sed & docuit alios. Fuit
enim omnino vir egregius; & Eques cum primis honestus, ac præstans intelligentia iu-
ris ciuilis, antiquitatisque nostræ, & in inuentis, & in actis scriptorum veterum peritissi-
mus. Tam vacuas autem suas omnibus aures præbebat, vt eius domus cunctis nostris,
tamquam Isocratis quondam vniuersæ Græciæ, quasi ludus quidam pateret, discendi-
que officina. Omnes enim vehementer delectabant illius pleni literatæ senectutis ser-
mones. singularis præterea, & grata in eius vultu seueritas, tum etiam verborum pon-
dera; cùm ex ipsius ore nihil vmquam non consideratum exiret: Quæ omnia vitæ
decorabat integritas. Sui autem nominis splendore, ac muneris, cui præfectus fuit
posteà, dignitate, fiebant magis speciosa, & illustria, quæ dicebat. Cùm verò multa
scripsisset accuratè, tum magna dedit dicundi iuris præcepta: quæ si minorem habent
apparatum, sunt enim exilia, tamen habent ordinem, & quasdam errare in eo non pati-
entes vias. Ab eo autem quòd ille, tum diuturna obseruatione notasset, tum notata ab
aliis, quæ diffusa, & dissipata erant, coegisset in genera: Obseruantiæ Salanouæ, dicta
sunt. Cuiusmodi satis multa exempla protulimus, dum locum illum de antiqua Rico-
rum hominum dignitate tractauimus: itidemque responsa, ex iis quæ exstant, nonnul-
la, Iacobo Regi II. quo cum ætate coniunctus fuit, de publico nostro iure sciscitanti, da-
ta. Cùm enim apud omnes multum, tum apud ipsum Regem plurimum, auctoritate
valebat. De eo denique ita ad vnum omnes sentiebant, vt lumen esse, atque ornamen-
tum Reip. prædicarent; & ad Magistratum gerendum magis idoneum reperiri, quam
ipse erat, potuisse neminem: præsertim cùm iam ab adolescentia dedisset documenta
maxima, quàm incorruptè, atque integrè iudicaret, dum Petri Martini Artassonæ II. lo-
cum, vt dictum est, tenuit. Itaque cùm Iustitia Aragonum modò renuntiatus fuit, & ex-
spectationi populi, & ipsius Salanouæ erga Remp. meritis satisfactum fuit æquè. Post-
quàm autem Magistratum obtinuit; non magis iuris consultus, quàm iustitiæ fuit.
Cùmque in vtraque re consultissimus esset, ita iustus, & bonus vir erat, vt natura, non di-
sciplina videretur consultus. Per multos annos Magistratum gessit. Cuius omnem
vim in publica salute consumpsit, communique tuenda Regis, ac Regni domestica, ac
ciuili concordia. quæ tandem istius Magistratus sunt partes. Ceterum quæ effecit ipse
iis Comitiis, quæ eo præside, Ann. Chr. ∞ CCC. ∞ CCCI. ∞ CCCVII. & ∞ CCCXI.
1300 tum Cæsaraugustæ, tum Alagonis opido, tum etiam Darocæ, habita fuêre: persequu-
1301 ti iam sumus intra Iacobi ipsius rerum narrationis cursum. Quapropter missa ea facie-
1307 mus. Illud tamen notandum videtur, ne quis fortasse legens decipiatur, Iustitiam
1311 hunc, quandoque P. de Salanoua tantùm, nominatum pluribus in locis inueniri: vt in
Procemio Fororum eiusdem Regis Iacobi. quasi sat sibi interdum duxisset, proprio
Eximini nomine suppresso, solis patronymico, & gentilitio nominibus appellari. Quod
qui ignorant: alium esse Iustitiam arbitrãtur. Sed eundem hunc ipsum esse, conuincitur
tum

tum ex publicis monumentis, quę per eadem tempora conſcripta exſtāt quamplurima, in quibus Eximini illud nomen ab eo expreſſum fuit; tum graui Suritæ teſtimonio, qui illius Iuſtitiatum ab Ann. Chr. ∞CCXCIV. in Ann. ∞CCCXXX. producit: tum Ioan- 1330
nis etiam Eximini Cerdani auctoritate, qui Eximinum Petri Salanouam teſtatum reliquit, per quadraginta ferme annos Magiſtratum geſſiſſe: quamquam oblitus eſt omnium, qui eum anteceſſerunt, à Petro ſiquidem Petri Tarazona. Quem cùm primum Iuſtitiam Aragonū numeraſſet, Salanouā hunc ſecundū introduxit. Sed quę me cauſſa impulerit vt ex ea annorū ſummā, q̃ Surita Iuſtitiæ huic tribuit, quinq; annos in Faſtorū editione detraxerim, & quid in vtramque partem mihi veniat in mentem; ſtatim in ſequentis Iuſtitiæ narratione explicabo, dum priùs de domeſticis iſtius Salanouæ rebus concludam. Magnam enim intra ſuos quoque parietes aluit gloriam. Vxorem habuit Domnam Martinam Petri Tarbam, locupletem, atque optimam fœminam. Quam V. Id Iulii obiiſſe notatum comperio in codice Kalendarum Eccleſiæ *de Pilari*: Annum autem ſilentio prætermiſit, quiſquis ille fuit publicæ illius ſcripturæ magiſter. Ex ea vxore plures filios, ac filias procreauit. De quorum progenie, præter id, quod Cerdanus refert, nihil habeo, quod dicam: & ille etiam prodit, Salanouæ ædes in Beatæ Mariæ parochia fuiſſe ſitas; atque eius corpus in eiuſdem Virginis templo ſepultum, in Sāctæ Fidis, quod nunc Villanouarum gentis eſt, ſacello. Verùm ita hæc omnia confecit, ac conſumpſit vetuſtas, vix iam vt appareant. Iam verò hi Iudices Curiæ in Salanouæ Iuſtitiatus tempora inciderunt: Raimundus Beſalú: Rudericus Egidii Tarinus: Petrus Villaraſa: Guilielmus Aulomarius: Sanctius Sanctii Munnozius: & quidam alius *Boshon Eximini*. Neque verò iſti omnes ſimul, eodemve tempore, ſed quorum alii aliis ſucceſſerunt. Minimè tamen deinceps eorum ſeriem perſequemur: cùm Iuſtitiarum, qui poſt Salanouam fuerunt, apta iam, & continuata ſeries inueniatur: Iudicum autem Curiæ nō niſi longis interuallis temporum interrupta, quippe qui nec diu poſt eſſe deſierunt. Non tam verò nobis propoſitum fuit, eorum nomina, ac ætates indicare; quam vt temporibus notatis ſingulorum, faciliùs comprobetur, Iudicum Curiæ Magiſtratum, à Magiſtratu Iuſtitiæ Aragonum diuerſum exſtitiſſe.

XXX.

SANCTIVS EXIMINI AYERVIVS.

POST Salanouam ergò, Magiſtratum obtinuit Sanctius Eximini, qui gentilitium nomē ſuum ab Ayerue traxit. Ayeruiorum autem (vt ex ipſius domini Archiepiſcopi ſcriptis colligitur) duæ olim familiæ fuerunt: Regalis altera; altera patricia; quæ à Regali, patronymico eo Eximini nomine, diſtingui conſueuit. Ego verò tertiam adiungerem, Equeſtrem ſcilicet: ab eaque Iuſtitiam hunc profectum affirmarem. Ac Regalis quidem auctor, & parens fuit, D. Petrus, Infans Aragonum, Iacobi I. & Domnæ Tereſiæ Egidii Vidaurę, vt diximus, filius. Is enim cùm Ayeruii opido, ac ditione donaretur à patre; D. Petrus Ayeruius vocitatus, Ayerue illud gentilitium nomen, inde ſibi impoſitum, poſteris ſuis hæreditariū reliquit. Sed iampridem omnis eius euanuit poſteritas, cum Ayeruienſis illius veteris imperii veſtigio. Patriciæ autem Ayeruiorum familię quiſnam auctor fuerit, ignoro. Non enim me pudet, quod neſciam, fateri me neſcire. Belaſconem quemdam Eximini Ayeruium in priſcis monumentis ſæpius nominatum obſeruaui: quem memorant à Petro III. Rege, *Acheblas*, ita vocata villula, donatum primùm, ad intima poſteà Alfonſi Regis filii conſilia perueniſſe. Acheblas autem villulam, intra eius opidi fines conſtitutam tradunt, q; Galicolim quondam, modò Lunam vocitari retulimus. Nec verò inueni hactenus Ayeruiorū nominis quemq̃ antiquiorem. Illius ergo Belaſconis nonnullis placet Sanctium hunc, gentilem fuiſſe. Sed eum, tametſi patriciorum illa, quæ ſupra appinximus, Inſignia geſtarit: à patriciis tamē duxiſſe genus ſuū, non auſim affirmare: cùm patriciū huic muneri præponi lex noſtra vetaret. Iccirco tertiā Equeſtriū Ayeruiorū familiā libēter, vt dixi, duab. priorib. adiunxiſſē: niſi fortè eorū, vt aliorū plurium, aliquādo factæ fuerint ab vno Ordine ad aliū trāſitiones. Vt vt aūt ſe res habeat, Iuſtitiā hūc Equeſtri loco ortū eſſe, certa res eſt. Neq; verò ad publicū hoc mun⁹ capeſſendū ignarus legū aut iuris, hęſitāsve in maiorū inſtitutis acceſſit: ſed tū induſtria, ac labore inſtruct⁹, & doctrina; tū à Salanoua optima ſui imitatione eruditus, q̃diu tenuit illi⁹ viui, ac ſpirātis locū.

Etenim cùm eius Locumtenens esset; mortui posteà locum occupauit. Sed tamen hæc mihi circa temporis notationem occurrunt. In Declaratione enim Priuilegii generalis, cuius supra fecimus mentionem, & à Iacobo II. facta fuit in Cæsaraugustanis Ann. ∞cccxxv. habitis Comitiis, non iam aliquo suppresso nomine, vt in obser.8. *Item pone*. tit. *De probationibus*, sed expressis verbis, *Sanctius Eximini de Ayeruio, Iudex Curiæ*, subscriptus reperitur. Et quoniam rogatio ea in publicis Comitiis lata fuit, Comitiorum autem Iudicem, dum de Comitiis egimus, Iustitiam Aragonum esse docuerimus, ac Iudicem Curiæ, id est, generalis Curiæ in Comitialibus scriptis, cuiusmodi est illud, appellari; quòd generalem Curiam, & quandoque Curiam simpliciter, latinè loquentes, Comitialem illum Regum, ac Regni conuentum nuncupemus: sequitur ergò his constitutis; quandoquidem in Comitiali sermone tota ea Declarationis Priuilegii versatur oratio, vt cùm Ayeruium hûc, eo tempore Iudicem Curiæ esse appareat verborum vi, & interpretatione vrgeamur, vt de generali illa Curia intelligendum sit: minimè vero de eo Magistratu, quem cùm diuersum fuisse à Iustitiæ Aragonum Magistratu iudicamus, Iudicem Curiæ vocari solitum, Regiæque Curię assectatoribus ius dicere consueuisse protulimus. Eum enim, Iudicem Curiæ in Comitialibus decretis appellari nec debere, nec posse, multoque minùs Comitiis interesse, non dubito. Si igitur generalis Curiæ: efficitur ergò, vt Ayeruium iam, eo Ann. Chr. ∞cccxxv. Iustitiam Aragonum esse concludatur, errasseque Suritam, & alios, qui Salanouæ Iustitiatum longiùs produxerũt. Atq; eo etiam magis, quòd in ea Declaratione nulla fit Salanouæ muneris memoria, nec nominis: cùm fieri debuisset aliqua, si non muneris, id enim video omnino necessarium non fuisse: nominis saltem nec ingrata; quandoquidem is vir erat, quem tanta de re & consuli, & scire æquum erat. Tale enim eius iudicium non poterat non cuiuis summè esse iucundum: quod cùm ita esset, esse omnibus gratum, necesse fuit. Atque hæc quidem sunt, quæ in hanc videntur sententiam duci posse: quæ sequuntur autem, in contrariam partem afferri. In primisque Suritæ testimonium. Is enim prodit Salanouam, Ann. Chr. ∞cccxxx. obiisse: post autem aliquanto, eodem Anno ipsius locum Ayeruium occupasse. Quod tametsi illud per se ipsum solum constare posset, nuperrimè tamen inueni grauissimo alio argumento confirmari. In Tabulario namque Ecclesiæ *de Pilari* publicas literas perlegi ab ipso Ayeruio Magistratus auctoritate eodem Ann. Chr. ∞cccxxxi. Kal. Martii inter opidorum *de Calatorau, & de Cappanis* (sic enim ea nominat) habitatores rogatas: in quibus, dudum Salanouam suum prædecessorem fuisse, memorauit. His enim verbis se ipsum loquentem inducit. *Dudum Dominus Eximinus Petri de Salanoua, Iustitia Aragonum, prædecessor noster, per suam literam mandauit.* Omitto reliqua, quia ad institutum nihil pertinent. Cùm ergò ea vox, dudum in eiusmodi publicas tabulas relata, de breui tempore dici consueuerit, nec æquè videatur posse ad quinque annorum tempus retorqueri, maximè verò in forensi nostra, ac iudiciali loquendi consuetudine: fit quoque quod inde sequitur, necessarium, & vt id maximè cum eo Suritæ testimonio conueniat. In quam tandem sententiam ingenuè fateor me esse propensiorem, postquam publica ea inspexi dictæ Ecclesiæ *de Pilari* monumenta. Suspicor enim accidisse, vt Salanouam, quo tempore generalis ea Priuilegii declaratio rogabatur, aliqua vis morbi conficeret, aut grauis alius, infestusve casus; qui à Comitiali illo congressu eumdem auocaret. Cùmque iure nostro constitutum sit, vt Iustitiæ Aragonum absentis, Locumtenentes munus exequantur; eo autem tempore Ayeruius, Salanouæ esset Locumtenens; Salanoua verò ibidem non adesset: obeam caussam, Ayeruium eo loco Iudicem Curiæ appellari: non quòd suam (quasi iam tunc Iustitia esset) sed quòd alienam, (Salanouæ scilicet absentis, cuius operæ vicarium, eo casu, ipsum Locumtenẽtem supponi lex nostra iubet) grauem illam Iudicis Curiæ personam sustineret. Itaque sic illum Declarationis locum interpretor, vt dum se Ayeruius, Iudicem Curiæ, appellauit, generalis illius Curiæ intelligamus: id autem non tam suo, quàm Salanouæ absentis nomine vsurpatum: ideoque ipsius fuisse mentionem intermissam. Neque hæc interpretatione mea aut planiùs exprimi possunt, ornatiùsve explicari. Vt igitur modum aliquem, & finem huic disputationi faciamus; in Ayeruio
1330 hoc certum ponitur, eum dicto Ann. Chr. ∞cccxxx. Magistratum gessisse, Alfonso IIII. dicti Iacobi II. filio, iam regnante Rege. Et verò vir fuit auctoritate grauis; ac tum publici, tum priuati iuris peritus. Nonnulla obseruauit circa nostrorum iudiciorum morem, quæ Iacobus Hospitalis postmodùm inter eas, quas notauit Obseruantias Salanouæ, collegit, seque ea fatetur ex variis cum eodem Ayeruio habitis sermonibus excepisse. Eum namque ætate consequutus est, & ipse eum audiuit, & scribit de mortuo

tuo in ea, quam adduximus, octaua, tit. *De probationibus*, Obseruantia. Sic enim ait, *Fuit per consequens absolutus per sententiam domini Sanctii Eximini, Iustitiæ Aragonum, me præsente.* Nam quæ veteres legum Obseruatores, memoriæ caussa, in singulos libellos retulerunt: ea fuere, auorum ætate, à Martino Didaci Auxio Iustitia Aragonum, cum selectis viris, in publicas tabulas, quas Obseruantias appellamus, ex Comitiali decreto, & stabili auctoritate, relata. Auxius autem eadem ipsa verba, quibus conscripta erant, supposuit, ne quæ oportebat fides, in vniuscuiusque eorum sententia simpliciter referenda, deesset. Itaque sic accipi debent, quæ in octaua ea Obseruantia continentur, non quasi ab ipso Martino Didaci prolata, vt vulgus imperitorū existimat, sed vt ab Hospitali de hoc Iustitia Ayeruio dicta intelligātur. Eo enim tēpore primū attigit forū Hospitalis. Et tū etiā, paululūverò ætate antecedēs, floruit Ioānes Petri Patos, Cæsaraugustan⁹, vt ipse de se tradit, Iurisperitus, ac Miles. De quorum scriptis ea fuit olim opinio, vt plurimum tribueretur ambobus. Vterque namque eorum scriptitauit. Patos quidem quosdam in nostras leges edidit Commentarios Ann. Chr. ∞ cccxxxv. antiquitatem ipsam redolentes, 1335 & qui valde probati priscis illis sæculis fuerūt. Sed an viuo, an mortuo hoc Iustitia, cōpertum non habeo. Nam eodem anno plus minus Ayeruius interiit. In Hospitali tamen postea laus fuit illustrior, quod diligentius, ac meliùs de ipsis legibus scripsisset. Sed de eo alibi dicendi locus erit. Ita autem amborum euanuerunt scripta, vt vix vlla exstent. Neque quid ab Ayeruio hoc proditur memoria dignum: præter illud, quod in Alfonsi IV. vita protulimus, in controuersia de finibus Ortæ opidi factum iudicium. Nec dubito, quin si illi vita longior fuisset data, tulissetque sors; plura alia fecisset grauiora. De ipsius autem obitu nullam certiorem temporis notationem inueni. Cerdanus perhibet ad Sancti Dominici Cæsaraugustanense cœnobium in sacello beati Thomæ sepultum fuisse: domosque habuisse in parochia Sancti Saluatoris locatas, domibus D. Ioannis Gilbertii coniunctas, quantum coniicere possum, in exteriori Vrbis ædium parte, vbi nunc sita est magnifica, & nobilis eorum, qui mercaturam exercent, officina. Nepotem ex filio habuit Sanctium Eximini Ayeruium, qui Saceri obiit Ann. ∞ ccclxix. Cuius soror D. Maria Eximini Ayeruia, opidi *de las Pedrosas* dominata fuit, Cerdano viuo; sed longiùs illo, vt ex ipsius scriptis apparet, grandiori ætate prouecta. Et verò Ayeruiorum nomen vsque ad nostra tempora manauit: ac fortasse etiam genus. Non tam enim puto illud extinctum esse, quam repressam eius, ipsa vetustate memoriam. Sed nunc ad eum veniamus, qui Ayeruio in Magistratu successit.

XXXI.

STEPHANVS EGIDII TARINVS.

ET is quidem, Tarinus iste fuit; qui & rebus suis gestis floruit, & maiorum etiam nixus opinione: ac si non diu spiritu, minimè enim biennium cōfecit, virtutis tamen, & doctrinę laude vixit, nominisque splendore diutius. Doctum virum fuisse proditur, & in forensi nostro vsu, & exercitatione versatum; nonnullaq; tametsi exaruerunt, de nostris legibus scripsisse: quo in genere studiorū, illa ętas magnā doctorū hominū copiam effudit. Ioannis autē Egidii Tarini gentilis fuit. Cuius recens eo tēpore erat, nec iniucunda nostris memoria Iustitiatus. Et istius quidē Stephani in tā exiguo, & breui sui Magistratus curriculo, hoc habuit ad decus, & gloriā maxime insigne: q, eo Iustitia, atq; vt tunc omnibus persuasum fuit, eo auctore, & impulsore, Quartus idē Alfonsus Rex de Regio iure Magistratui concessit; VTI deinceps Iustitiis Aragonū perpetuò liceret, publicos Curię suę Notarios adhibere, quibus ad exercenda iudicia assiduè vteretur. q, ad muneris dignitatē amplissimū ornamentum fuit, ad vtilitatē verò non leue. Ex eo enim Iustitiis satis apta viuendi ratio cōparata est. Nam ante dictum tempus, solū ipsis decretum erat annuū Florenorum auri, q, ex Regum ærariis persoluitur, stipendium, & quæ ipsi iura, pro singulis sententiis ferendis, à litigatoribus exigebant. Sed hac de re graue nullius, nisi Cerdani testimonium comperi: idq; sine vlla temporis designatione (q, in eius scriptis maximum vitium est) sed tantum personarum. Inde autem colligitur, necessariò factum illud in extrema ipsius Alfonsi tempora reiiciendum esse, atque vt coniecturam capio, in Ann. ∞ cccxxxv. quo & 1335 superior Iustitia mortem obiit, & hic in eius locum suffectus fuit: qui non longius suam vitā perduxit, q̄ ad sequentē Ann. ∞ cccxxxvi. Tunc enim Iustitiā hunc mortuū fuisse, 1336

memoriæ traditur: & ad Sancti Dominici cœnobium nobili in ſepulchro conſtitutum. Vxorem habuit, D. Eluiram Lupi Verguam, patriciæ Verguarum gentis à nobiliſſima ſtirpe profectam. Quæ filium, & filiam peperit: filium quidem, Stephanum Egidii Tarinum, quem ſine prole deceſſiſſe ſuſpicor: filiam verò, certa res eſt, D. Gombaldo Tramacetio, patricio itidem fuiſſe poſteà nuptam nobiliſſimo viro. D. Gombaldus autem filium habuit, D. Gombaldum etiam vocitatum: qui vnicam filiam, quam ſuſcepit, D. Petro Caſtro, patricio quoq; viro, deſpopondit; eidemq; præter aliam dotem largitus eſt ædes in parochia Sanctæ Crucis locatas, quæ Ioannis Egidii Tarini, vt expoſuimus, quondam, poſtea verò iſtius Stephani Iuſtitię fuerunt. Atq; eo pacto illas ferunt in Caſtrorum gentis poteſtatem veniſſe. Et inde etiam ducuntur ad ſuſpicandum nonnulli, hunc Stephanum, ipſius Ioannis filium eſſe, aut nepotem. Nec mihi quidem diſplicet, vel dicam, ea maximè placet coniectura.

XXXII.
PELEGRINVS ANZANVS.

STEPHANI ſucceſſor, Pelegrinus iſte Anzanus fuit. Siquidem
1336 illum eodem ipſo Ann. Chr. ∞CCCXXXVI. Iuſtitiam Aragonum nominatum in publicis monumentis in Tabulario *de Pilari* reconditis obſeruaui; expreſſamque illius, quod in iudicio A. D. V. Id. Iul. pro Tribunali ſederet, factam mentionem. Itaque non ſucceſſit, quemadmodum imperiti nonnulli prodidêre: ſed alteri anteceſſit Pelegrino, cuius continenter ætatem ac res geſtas perſequemur.
1337 Et idem Surita, Pelegrinum hunc Ann Chr. ∞CCCXXXVII. Iuſtitiam eſſe, & à Petro III. qui iam Alfonſi patris Regna adeptus fuerat, menſe Martii ad Romanum Pontificem maximis de rebus legatum fuiſſe miſſum, locuples eſt auctor in Annalib. Quin & in Kalendarum codice eiuſdem Tabularii ita iſtius Iuſtitiæ obitus diē notatum inueni. *X. Kal. Iun. Obiit dominus Pelegrinus de Anzano Iuſtitiā Aragonum An-*
1338 *no Domini Milleſſimo Trecenteſſimo Trigeſſimo octauo*: longius ſiquidem, quam ego in Faſtis illius Iuſtitiatum produxeram. Indidem autem elicitur, vxore orbatum, Martina Ayſa vocata, deceſſiſſe. Sic enim in eodem codice ſcriptum eſt de ea. *V. Non Mart. Obiit Domina Martina de Ayſa, vxor domini Pelegrini de Anzano Iuſtitiæ Aragonū Aer.* ∞CCCLXXIII. *Anno ſcilicet* ∞CCCXXXV. Ceterum nihil ſcriptione dignum proditur ab hoc Iuſtitia in Magiſtratu decretum. Illum Iuriſperitum, ac Cæſarauguſtanenſem ciuē fuiſſe cōſtat; atque ab ingenuis profectum, quos Infanciones appellamus: vt nuper in publicis ipſius ingenuitatis literis perlegi. In quib. ſe Anzano òpido, antiqua Infancionū ſtirpe ortū profitetur, ibiq; & genus ſuū, & maiorū ſuorū veſtigia cōtineri quaſi quę ſibi, ac ſuis loci, & generis; eadē etiā & nominis patria fuiſſet. Vnicā filiā habuit, D. Mariam Lupi Anzano. Cuius poſteà filiā, Ioannis Lupi Seſſeſii Iuſtitiæ Aragonū filio nuptā fuiſſe primùm, deinde eo mortuo, Valentino cuidā D. Petro Villaragutio, nobili viro, matrimonio coniūctam, Cerdanus ſcribit: itidēq; iſtius Iuſtitiæ ædes in parochia Sancti Iacobi ſitas, ad Berengariū Bardaxinum Iuſtitiā Aragonum perueniſſe. De ſepultura aūt hæc tradit: illius nempe corpus ad Beatæ Mariæ *de Pilari* Eccleſiam delatum, & in ſepulchro conditum fuiſſe in ſacello, quod ſua ætate Sanctii Azenarii Gardenii erat. Sed iam hæc omnia interiêre: nec mirum, cùm rerum hoc natura, nec manens, ſed inconſtans ratio ita ferat.

XXXIII.
PELEGRINVS OBLITAS.



INFRA ſuperiorem autem Pelegrinum, Pelegrinus alter Iuſtitia fuit: qui ab Oblitas Nauarræ òpido & maiorum genus, & inde etiam traxit nomen ſuum. In hoc enim ambo hi Pelegrini, ſimillimi videntur fuiſſe. Et hic quoque legum peritus fuit, & à Cæſarauguſtanenſi populo ciuitate donatus. Nam ortu Aragonenſis erat; nec aliter potuiſſet Magiſtratui præponi: maiores tamen ſui, externi, & aduentitii; ab eo *Oblitas* òpido ad Tahuſtii opidum traducti fortaſſe. Atq; hoc non aliunde, quàm ex literis ingenuitatis huiuſce, vt ſuſpicor, Pelegrini coniicio. Proximis namque diebus penes me fuêre publicæ literæ, ab Alfonſo IIII. Cæſarauguſtæ decretæ VIII. Id. April. Ann. Chr. ∞CCCXXV. In quibus Alfonſus ipſe, de quodam Pelegrino Oblitas verba faciens, cùm eum eſſe Cæſarauguſtanenſem ciuem memoraſſet: *Dictus* (inquit) ***Pelegrinus coram Eximino Petri de Salanoua Iuſtitia***

Iustitia Aragonum, probata prius sua Infancioniæ possessione, ad eam saluandam produxit duos Milites Iuratores: Fortunium de Burgia, & Michaelem Petri del Castellar, vicinos de Tahust: qui dixerunt eum esse Infancionem: & quod ostenderent Casale, si necesse erit, vnde sua ingenuitas processit. quod dixerunt esse de Oblitas. Vnde Nos Alfonsus Rex dictum Pelegrinum, Infancionem esse declaramus. Ac dum Magistratum adeptus fuit: Militiæ dignitate illustratum ad munus capessendum oportuit accedere: quod difficile factu non fuit, cùm, vt dictum est, Infancionum Ordo Ordini Militari sit proximus. Nec dubito quin hic etiam fuisset ê Salanouæ ipsius disciplina doctus. Vix enim quisquam, ad Magistratum gerendum idoneus, videbatur illis temporibus, qui non priùs à Salanoua traditam ad iudicia exercenda scientiam percepisset. Cum verò ad eã rẽ Pelegrinus iste instructus accessisset multa, & optima & bene dicendi, & rectè faciendi nobili magistra doctrina: probari omnibus vehementer cœpit. Sed Petro IIII. Regi præcipuè: postquàm illius fuit maximam industriam expertus. Itaque eum muneri statim præfecit, eodem ipso, vt suspicor, quo Anzanus mortuus est, anno: saltem sequenti Ann. Chr. ∞cccxxxix. Maii mense, Pelegrinum hunc, & Oblitas, & Iustitiam Aragonum nominatum, vna cum vxore 1339.
D. Sanctia Petri *de Larraz* fuisse censum comperio certam pecuniæ quantitatem Priori, ac Canonicis Ecclesiæ *de Pilari*, ob sepulturæ locum sibi, ac posteris in beatæ Annæ, Virginis matris, sacello constitutum. Qua de re legisse me attestor eam, quæ adhibita tunc fuit à Michaele Petri Moriello Notario stipulationis formula, ipsius rei, ac temporum rationi consentanea. Atque id mirificè cum Cerdani testimonio consentit: qui Iustitiam hunc prodit in dicto Beatæ Annæ sacello humatum fuisse. Illius tamen obitus dies in dicto Kalendarum Codice his verbis notatur. *Prid. Non. Iulii obiit dominus Pelegrinus de Oblitas Iustitia Aragonum Aer. Millesima Tricentesima Septuagesima septima: Ann. Domini.* ∞cccxxxix. tam breuis sibi vita post Magistratum adeptum data fuit, vt vix videatur integri anni tempus confecisse. 1339.

XXXIV.
GARSIAS FERDINANDI CASTRVS.

CETERVM quemadmodum Ayeruiorum, vt diximus, duæ: sic & Castrorum duæ quoque familiæ fuerunt. Quarum altera, Regalis habita, & dicta fuit; quia ab eodem ipso Iacobo I. Rege, scilicet à Ferdinando Sanctii, illius filio, cuius in eius vita meminimus, propagata: altera Equestris, cuius quisnam fuerit auctor, non proditur. Proditur autem, quod certum existimo, ab ea Iustitiam hunc, atq; illum ipsum Petrum Ferdinandi Castrum, Iustitiam itidem, quem supra retulimus, ortos esse: deq; Armorum Insignibus priores a posterioribus in eo, quod singulis tribuimus, animaduertique facilè potest, discrepasse: nempe vt qui genere differebant, distinguerentur Insignibus. Cumque vniuersa ea Castrorum gens, atq; adeò illa ætas, plures tulisset præstantes viros: inter eos omnes Garsias iste Ferdinandi Castrus vnus excellens fuit: homo tum omni laude, ac Equestri ipso ordine, ê quo ortus erat, dignissimus, tum verò etiam Magistratu. Ad cuius amplitudinem eum, post Pelegrini posterioris interitũ, Regis Petri IV. beneficentia perduxit. Neq; verò ipse fuit tam literis, ac doctrina præstans, vt opinor; quàm naturalem quamdam prudentiam consequutus, assiduo maximarum rerum vsu, & tractatione expolitam: tametsi non dubito, quin ad eximiam eius, illustremq; naturam vis aliqua accederet, nec inops ratio, cognitioq; doctrinæ: cùm non vulgaris, aut domestica, sed artibus, & disciplina limata suorum consiliorum maturitas videretur. Atq; huic eius solertiæ oblata tunc fuit diuturna illa, & grauis domesticarum seditionum tempestas, ignito eiusdem Regis furore, insatiabiliq; cupiditate nouandarum semper rerum concitata. Cui tametsi ab eo prouisum non fuit, quominus vehementes vndiq; venti, ac turbines sæui exstitissent (neq; id enim præcaueri potuit, cum non tam commutabilis esset Regis natura, quæ se pateretur ab ea, quam semel ingressus fuisset, via, vllo flecti negotio, aut detorquêri) at eius tamen opera, quamdiu vixit, desiderata non fuit, in auersis tum ipsius Regis, tum populi conatibus reprimendis, quin, quantum ipse posset, Remp. labentem consilio, fortuna, ac fide sustineret. Sed profectò fuit fatalis illa quædam veteris Vnionis fortuna, vt in idem tempus inciderent, & Regis, & nostrorum hominum mentes, ad eas perturbationes procliues: quamquàm nõ defuêre sani, & integri viri, qui quietas cogitationes callidioribus consiliis prætulerunt. E quorũ numero cũ Garsias hic esset, minus seditiosis hominibus probabatur. Priusquam autem amplissimũ hoc munus obiret, eiusdem Petri cõsiliarius

fuit: ab eoque ad Alfonsum patrem Ann. ∞ CCCXXXV. Valentiam missus de priuatis controuersiis, quæ inter eos fuerant ortæ, transigendis. In Petro namque inexplebilis illa agendi semper aliquid cupiditas, vna cũ ipsa ętate adolescebat. Ita autẽ tota ea ratio ab hoc Garsia temperata fuit, vt ambo in illam, eo arbitro, ac disceptatore vterentur: & cùm ipse ambobus fidem suam, ac diligentiam præstaret, vterque illum numeraret suum. Ipse verò neutrius studio plus, quàm concedebat æquitas, largiebatur. Nihilominus eum proditur aliquamdiu Petro, vt erat suspiciosus in omnes, occultè in suspicionem venisse, fuisseque in odio, quod ageret partes nouercæ Reginæ. Sed postquam Alfonso patri Rex Petrus successit, suspicione deposita, eo vti frequentius consueuit. Quamprimùmque illum Ann. ∞ CCCXXXVI. ad Pont. Max. grauissimis de rebus legauit. Post in domesticorum suorum numero iussit reponi, quos illa ætas Mesnadarios, vt suo loco diximus, appellabat. Denique eidem detulit Iustitiatum, quem repentinus Pelegrini Oblitas interitus orbum reliquerat. Per hos enim omnes honorum gradus elatus fuit ad præclarum, & summum istius Magistratus imperium: idque eodem ipso Anno, quo Oblitas interiit. Nam, vt memoratus Archiepiscopus Ferdinandus prodit, ex Archety-
1339 pis Diplomatibus opido Alcagniciensi rogatis Ann. ∞ CCCXXXIX. quæ se legisse testa-
1344 tur, Garsiam hunc constat, eo tempore Iustitiam fuisse. Tum multa illius mentio fit in
1345 ea perturbationum concursatione, quæ incidit in Ann. ∞ CCCXLIV. ∞ CCCXLV. &
1346 ∞ CCCXLVI. In quibus cùm iam grauis illa de Costantiæ, Regis filiæ, successione, populariter agitata contentio, fluctuans versaretur, quæ nostros ad arma Vnionis voce capienda misero compulit Reip. fato: incredibile est, quantum Iustitia iste contulit studii, ac laboris, vt fatum illud (si fas est dicere) flecteret, si posset. Nam modò cum ipso Rege, modò cum nostris separatim loquebatur: ne turbulentè quid agerent, nec miseræ patriæ, quæ communis erat omnium parens, voluntarias perturbationes afferrent, atque vt regredi prorsus, quàm progredi mallent. Ac Regi quidem naturæ suæ acerbitatem obiiciebat: quòd tantopere nouis semper rebus studeret, vt se in eis plerumq; ferri præcipitem, ac cæcum pateretur. In ea verò Costantiæ filiæ caussa, quæ malorum omnium semen, & caussa erat, quòd præpostere agendum decreuisset, cùm nihil esset quamobrem ipsemet sibi præcidere deberet masculinæ prolis suscipiendæ spem; quandoquidem & valetudine satis firmus erat, & natura; nec tantum processisset ætate, cùm ad trigesimum annum nondum peruenisset, quin satis, superq; roboris, & virium haberet. Atq; tãta in seueritate nõ deerat comitas opportuna, vt liberioris istius Iustitię sermo petulãtia vacaret. Cũ nostris autẽ nõ iã hortationibus, aut cõsiliis, sed fraternis precibus constanter agebat: ne belli tentarent, aut periclitarentur fortunam, cùm paratissimum Regem peditatu, & equitatu viderent: eosq; è nostris Optimatibus ad illius sententiam traductos; qui dudum se nostrarum partium principes numerabant. Eis autem ita Regis partem conualuisse dicebat, vt ad resistendum reliqui omnes essent imbecilles. Neve Regis fratribus committerent caussam Reipub. Ipsi enim non eam sanare, sed iniurias suas per nostros persequi, ac vlcisci studebant. Nullum deniq; officium ab eo prætermissum fuit, quantum eniti potuit, quin Regem, & nostros ad concordiam, & pacem incitaret. Neq; verò omnes fuere, quos in eam rem impetus fecit, inanes: quin eo caussam aliquando adduxit, vt libenter Rex ad nonnullas pacis conditiones descenderet, satis quidem, multorum iudicio, temporibus, ac rebus consentaneas, & quæ magis optandæ, quam sperandę de acri Regis natura videbantur. Ac ne qua subesse posset
1347 fraudis suspicio, sed vt ipse Rex integritatis suę publicum nostris testimonium daret; Tarracone, vbi aderat, Ann. Chr. ∞ CCCXLVII. in istius Iustitiæ verba iurauit, se Cæsaraugustam Vrbem quamprimum ad Comitia habenda venturum: in quibus, nouarum legum rogatione, omnis consuetudinum deprauatio tolli poterat, nostrique ab iis arceri, de quibus tantopere conquerebantur, iniuriis. Nec antea è nostris Regibus vllum comperio in Iustitiæ Aragonum verba iurasse. Inde fortasse, qui nobis mansit, inductus fuit mos, publica nunc lege constitutus: vt de Regibus, priusquàm possint gubernacula Regni tractare, Iustitia Aragonum fidem recipiat sollemni religione constrictã. Quamquam autem ea Comitia celebrari cœpta fuere in magna prosperi futuri euentus spe: nec diu tamen post fieri desierunt; eaque omnis bona spes cum maiori rerum desperatione conflixit. Nostri enim in Iacobi, Regis fratris, iniuria se se despectos esse, patriæque libertatem contemptam, & abiectam prædicantes, belligerandum sibi cum ipso Rege, & armis decretandum decreuere. Aderant quippe Regis fratres, qui ardentes suas faces quorumdam nostrorum hominum furiis ministrabant. Itaq; tumultuosa illa Vnionis voce excitata, repente fuit per omnes vrbis vicos

vicos,& plateas armorum ſtrepitus ingens exauditus:& quod ſummum fuit, noſtri lætitia exultantes, cœperunt palam gaudio triumphare, quaſi iam explorata ſibi, & domi cō- dita victoria eſſet. At verò Garſias hic videns; quanta excitaretur tempeſtas, & quanta impendêret Reipub. labenti procella: Februarii menſe; Ann. Chr. ∞CCCXLIIX. 1348
(qui ob rerum magnitudinem, quæ in eum inciderunt, maximè memorabilis eſt) maiori, quàm vmquam antea virium contentione, noſtras denuo ad pacem hortabatur. Non quod ipſis ſuaderet, vt ita quiſque vitam, corpus, fortunas, rem deniq; famiIiarem ſeruaret, vt pro eis libertatem; ſed vt pro libertate illa omnia, tamquàm pignora iniuriæ, proiiceret. Dicebat aūt, tunc in conſilium non tam fortitudinem, quàm multo magis prudentiam adhibendā eſſe: quæ licet viderentur ſeiungi non poſſe; ſeiungenda tamen; quandoquidem ea ipſis erat formidoloſiſſimi temporis tempeſtas oblata, quæ magis prudentiam, quàm fortitudinē poſtulabat. Quod ſi fortitudo dimicare iubebat; prudentia, vt cautiorib. vterentur conſiliis: neq; fortitudinē, quæ ſine prudentia ſit, fortitudinē eſſe appellandā; cùm & eadē ipſa fortitudo, tametſi laboris, ac periculi ſit, prudēs tamen interdū cū aliqua vtilitatis, & cōmodi ratione contēptio. Vt.n. Medicorū ſcientia nō ipſius artis, ſed bonæ valetudinis cauſſa laudatur; ob ipſamq; vtilitatē ea gubernatoris probatur ars, quæ rationem habet nauigandi bene: ſic fortitudinē eā cenſendā eſſe; quæ ſit tamq̃ artifex cōquirendæ, & cōparandæ trāquillitatis, & otii. Neminē aūt tā amētem, vecordē, aut inſanū futurū, q. ſi nauim, in qua vehatur, contrariis vētis agitatā inſpiciat, neq; eū petere poſſe, quē antea probârat, portū ſecurū, ſed aliū minus fortaſſe tutū, & tranquillum: non tempeſtati potius parendum, quàm cum eadem pertinaciter ſine vlla ſpe ſalutis pugnandum arbitretur. Propterea omnia tunc conſilia, tamquàm aliquod nauigium, ex Reipub. perturbatione moderari oportere, cumulatèque noſtros fidei ſatisfacturos eſſe, ac officio, ſi eam ſequerentur rationem conſiliorum, quam Reip. ſtatus, inclinatio temporum, ac ipſa demum neceſſitas flagitaret: ne qui ſeruatores Reipub. nominabantur, iidem illius perditores viderentur fuiſſe. Denique affirmabat, cauſſam in tempus conferendam eſſe, opportunioremque agendi maturitatem exſpectandam, quòd victoriæ acerrimos plures aduerſarios haberent, interitus autē vix vllos vltores. Sed in tam anguſtum adducta res erat, vt cùm plures pænitere cœpiſſet; verùm iam deſiſtere nequaquam liceret. Imprudens tandem quorumdam conſilium omnes noſtros ad Epilenſem illam depulit calamitatem, qua Vnionis vires ab excitata fortuna ad extremam, & funditus auerſam deſciuerunt. Verùm iccirco hæc omnia hoc loco breuiter à me, ſtrictimque dicuntur, quia ſupra ſatis fusè, & copiosè pro ſuſcepto munere, vt mihi quidem videtur, percurſa ſunt: ſimul & illud etiam expoſitum, quid cauſſæ fuerit, cur in tam horribili ea procella, ac tempeſtate minimum nullum memoretur iſtius Iuſtitiæ factum interceſſiſſe, nec dictum, Magiſtratus auctoritate interpoſita, quo is tantus motus, & agitatio fluctuum, ſedaretur: nempe quia ad retinendam libertatem, quamdiu Vnionis viguit poteſtas, & vis, firmiora cenſebantur eſſe, quæ ab ipſa Vnione, quàm quæ à Magiſtratu petebantur præſidia: quinimmo cùm ea excitabantur, quaſi obſcuratis ceteris, ſola apparebant. Poſt Vnionem autem deletam, ab hoc ſcilicet tempore, in quo fatalis, vt ita dicam, illius caſus inſtabat; ea omnia in Magiſtratus arcē confugerunt: atq; eo huc vſque Magiſtratus ipſe multa coaceruans, tum ab ipſa Vnione, tum à Ricorum hominum dignitate petita, vna ſola ſui ipſius complexione deuincit. Attamen Iuſtitia hic in ipſius ruinæ timore deceſſit. Summa namque felicitate vſus, ante commiſſum Vnionis prœlium interiit; fortaſſe angoribus, ac moleſtiis confectus: tum ſiquidem cùm lugere faciliùs Remp. potuiſſet, ſi viueret, quàm iuuare. Nec ſanè dubito, quin ſi diutius vixiſſet, hunc maximum præter ceteros omnes ſuſtinuiſſet dolorem, noſtros ipſis armis, quibus ſemper didicerant vt gloriosè, tunc quemadmodum ſalutariter vterentur, non reperiſſe. Eius autem obitus diem non poſſum, nec quidquam certum, præter id, quod initio dixi, de ipſius gentilitate notare: quamquàm nec id quidem valde dubium eſt, eum ante Kalendas Iulii eiuſdem Ann. Chr. ∞CCCXLIIX. obiiſſe. Etenim in publico ingenuitatis Priuilegio Turoli ab eo- 1348
dem Rege cuidam Petro Laſtanoſæ, VI. Non Iul. dicti Anni rogato, iſtius Iuſtitiæ, tamquàm paulo ante mortui, mentio fit. Atque eumdem etiam proditur cum D. Athone *de Foces*, patricio, nobiliſſimo viro, fuiſſe cognatione coniunctum. Qua autem cognatione, non proditur: neque vlla adhuc inueni, quæ de priuatis ipſius rebus monumenta loquantur. Nam, quod mirari ſatis non queo, Cerdanus illum ſilentio prætermiſit, cùm paululùm ſibi anteceſſiſſet ætate, & paucos habuerimus nomine, ac memoria digniores. Sed pergamus ad reliquos, ad quos, ſublata Vnione, Magiſtratus delatus

fuit, maioribus sensim præsidiis ornatus, tum ad forensem vsum, tum ad decus, & firmamentum potestatis.

XXXV.

GALACIANVS TARBA.

GALACIANVS igitur Tarba Garsię Ferdinandi Castro successit: vtrum verò ante, an pòst Vnionis prœlium; compertũ non habeo. Ego quidẽ posteà coniicio. Atqui initio eũ cõstat ipsius Vnionis partes egisse: fuisseq; Ann. Chr. ∞ CCCXLVII. vnũ ex illius præfectis, quos Cõseruatores appellabãt, publico iudicio delectum; quòd illius industria, firmissima tũc spes, atq; Vnionis subsidium, putaretur. Sed ab ea statim desciuit, tũ Regis pollicitationib. reuocatus, tũ cuiusdã Dominici Tarbæ suasione, & impulsu, qui magnum eo tẽpore Procancellarii Regis munus sustinebat, eratq; nostri huiusce Galaciani, si non, vt suspicor, frater, ꝓpinqua saltẽ cognatione coniunctus. Ferunt etiã, cùm acres eo tẽpore versarentur in vrbe inter Bernardinos, & Tarbas, ceteroquin conciues, & amicos, contentiones: Galacianũ hũc, quò facilius posset Bernardinos ipsos persequi, & vlcisci, eò libentius ad Regis voluntatẽ incubuisse. Nisi fortasse sibi, ꝗ nonnullis bonis viris interdum videretur, Vnionẽ eã iam tunc pestẽ esse, ac strumã libertatis. Quoquo modo verò se res habuerit; quos prius fouerat amicos, posteà virtutis suæ sitientes deseruit, eamq; Vnionis caussam, quæ publica tunc esse censebatur, derelinquens, Regis Petri sequutus est imperium. Quod cùm similiter alii fecissent, & inter eos ex nostris Optimatibus plures; Rex, ferox magis ad cõculcandam libertatem redditus, rem ipsam properauit in vltimum discrimen adducere. Exercitu namque suo magis firmo, se facillimè nostros perrumpere posse cõfidebat. Nostri etiam nequaquam diffidentes copiis suis, non recusarunt in certamen illud, quod ferro decernendum proponebatur, deuenire: eoque celerius, quod Iustitia Aragonum mortuo, nemo de ipsis vnus ad hęc interdum temperanda adesset: vsque eò infelix patria nostra tunc fuit, vt vitare non posset, quin ab amicis inops, atque à Magistratu nuda, magnam, quæ impendebat, tempestatem subiret: neque solùm inscia ad ipsius Vnionis funus duceretur, sed fatalem ipsum casum præpropera festinatione præriperet. Nostri
1348 enim XII. Kal. August. eiusdem Ann. Chr. ∞ CCCXLIIX. collatis signis, vrbe egressi sunt, & victoriæ auidi, & celeritatis quoque vehementer. Eis autem ex Epilensi opido obuiam prodiere, qui Regis Petri imperium sequebantur. Cùm vtrinque ergò acies conuenissent, ad committendam pugnam expeditæ, quamquàm ea aliquandiu fuit summa contentione pugnata; exitum tandem horribilis victoria terminauit: nostrique victi, & profligati in victoris Regis manus deuenerunt, metu debilitati seruili. Sed id meliores exitus habuit, quàm putârant: posteaq; prosperæ res deinceps multę nostros consequutæ sunt. atque vt mihi quidem videntur, secundiores. Rex namq; suam ipsam illam vehementem, & acrem à se abiiciens personam, nouam aliam sumpsisse visus est, lenitatisq; & misericordiæ partes libenter egisse: tametsi iracundiam suam exercuit in nonnullos. Ipsam verò à se tantopere percussam Rempublicam altius extulit manibus suis, atq; ita patriam libertatem stabiliuit, vt ad eam retinendam nequaquam infirmiora fuisse illa præsidia censeantur, quæ huiusmodi infelicitate illata, quàm quæ maio-
1348 rum nostrorum virtute parta fuere. Etenim eodem ipso Ann. Christ. ∞ CCCXLIIX. præclaris illis, quorum meminimus, Cæsaraugustæ habitis Comitiis, Iustitia hoc assidente (quẽ tunc muneri præpositum fuisse coniicio, neq; enim vllam antea illius mentionem factam inueni) quàm lenissimè tulit idem Rex, vt in Iustitiæ Aragonum Magistratum cõgererentur & potestatis, & dignitatis ornamenta permulta, modò funditus deleretur inueterata illa acerrimæ conflandæ Vnionis consuetudo: ad cuius labefactandum statum, omnem suam exacuebat aciem ingenii, ac suum denique, vt explicuimus, mucronem distrinxit. ac si ad illius exitiũ necesse tunc fuisset, simul & Martis vim, & iram victoriæ, & ciuilium legum iudicium conspirare; vt nouis blandimentis libertas consopita, procul à præcipitibus populi disiuncta furoribus, in Magistratus gremio sedens, tamquàm in sinu pacis posita, iam somnum capere posset iucundiorem. Itaque nostris in sententiam Regis adductis, Vnio ipsa tũc sublata fuit, neq; ex moribus, ac disciplina solùm, sed ex literis, grauissimæ legis rogatione, deleta. Sed hanc iuris iacturã continuata, & iuncta nouorum iuriũ cõpensatio leniuit. Tunc enim Iustitiæ Aragonũ integra data fuit in Re-

gios

gios quoſcumq; Magiſtratus, ſi à noſtri iuris regula diſcederent, grauiter animaduertendi poteſtas: Tum, vt ſummum de ipſo iure ſciſcitantibus reſpondendi munus ſuſtineat, quaſi totius publici fœderis maximè interpretationi præpoſitus: vt in For. ſub tit. *Quod in Dubiis non craſſis.* Tum etiam iiſdem Comitiis multæ, & maximæ leges fuerunt ad vim Regiæ poteſtatis temperandam conſtitutæ. Id autem ex earum præclaris, ac ciuilis, & debiti officii pleniſſimis inſcriptionibus perſpici poteſt: quarum iccirco nonnullas hunc in locum conducendas ſtatui, nequaquam immutatas, ſed vt ſunt. Sunt autem huiuſmodi. *De Iuramento præſtando per Officiales de ſeruando Foros, Priuilegia, libertates, vſus, & conſuetudines Regni Aragonum.* Ea enim lex iubet, Regiorum miniſtrorum debitam Reip. fidem ſolemni religione conſtringi: neq; conſcientiæ ſolam (id enim iam antiquo iure conſtitutum erat) ſed ſceleris quoq; pœnam parem in iis, qui iniuriam fecerint, remanere. quod noua tunc ea lege ſtatutum fuit. Nec non alia ſic inſcripta ſancitum: *Quod Priuilegium generale, & Declaratio ipſius ſint Fori, & pro Foris habeantur, & obſeruentur.* quippe cùm ſatius eſſe videretur noſtris, rogationem eam, publicæ legis: quàm Priuilegii ſimilem promulgari. Porro grata alia populo tunc lata fuit lex, vitioſæ cuiuſdam, & corruptæ conſuetudinis emendatrix, his verbis inſcripta. *Vt Iudices Aragonum iudicent, & audiant cauſſas, & relationes faciant, & non alii.* Viſum eſt enim, alienigenas his muneribus excluſos eſſe oportere, eaq; domeſticis patere, æquius eſſe. Atqui ego in hunc ſenſum allicior, vt lex iſta Iudices, & Auditores Curiæ, de quorum poteſtate diximus, alienigenas eſſe, interdicat. A ceteris namq; Magiſtratibus iam alia lex vetus, egregia, & præclara alienigenas ipſos omnino prohibebat, ſub tit. *Quòd Officiales Aragonum ſint de Aragonia.* Cùm verò inferiores hi Iudicum, & Auditorum Curiæ Magiſtratus alienigenis ipſis interdũ mãdarẽtur: ne id ampliùs fieri liceret, ſanxit illa lex. Alterius etiã, quæ eiſdẽ Comitiis lata fuit, inſcriptio ſic habetur. *Quod Dominus Rex teneatur duos milites, & duos Iuriſperitos ſecum ducere, cum quibus negotia Aragonum expediantur.* Noſtri enim ſciebant, quanti Reipub. interſit, in libertate educatos ad populorum liberorum gubernacula tractanda adhiberi. Ad extremum, ne plura conſecter (non enim dilatabo ſermonem, qui poſſet eſſe longiſſimus) ſuprema illa, & grauiſſima omnium lata tunc lex, & promulgata fuit, quæ ceteras omnes huiuſmodi inſcriptione complectitur. *De iis, quæ dominus Rex, & alii ſucceſſores ipſius, Gubernator Aragonum, & eius vicem gerentes, Iuſtitia Aragonum, & alii Iudices, & Officiales facere, & ſeruare tenentur, vt fori Aragonum conſeruentur.* Ea enim ſuprema lex eſt, vniuerſi iuris, & iniuriæ regula: ea norma: ea ceterarum legum præſcriptio, & ſumma; tam ſtabilis decreta, ac perpetua: vt amiſſis aliis remaneat; intermiſſis non conquieſcat; in foro niteat; atq; integra, & princeps ſemper ad iubendum ſit, & ad illud idem apta reſeruetur: qua tandem, ſeueriſſimo edicto, ſancitur, vt & Regis, & ceterorum Iudicum officia, & quarumuis iudicia cauſſarum, ſola earumdem legum circumſcriptione metiantur. Nam quid erat aliud, quod oporteret, vt inter Regem, ac Regnum fœdere, ac fide ſanciretur? Ex his deniq; anguſtiis iſta omnia euaſerunt, ampliſſima, noua, ac fixa decreta, quæ in patriæ libertatem tanta ſtabilitatis ſuæ præſidia contulerunt, vt numquã ſtatuamus fortunatiorem noſtris fortunam, quàm in Epilenſi illa calamitate fuiſſe. Atq; apertè acerbus ille caſus nos docuit id, quod animis noſtris fixum eſſe debet: ¶ Nempe libertatem in moderatione poſitam eſſe, ac prudentia; non in pertinacia, præcipiti conſilio, nec furore: quin eam tantopere à bellico tumultu, atq; à populi iudiciis abhorrere, vt quæ à maioribus bello parta fuerat, minimè bello fuiſſe retentam videamus, ſed libentiùs in ciuilium legum præſidiis conquieuiſſe: quòd non tam facile ſit, bellicos hos tumultus, cùm iam ſunt excitati, temperare, quàm vt ne excitari poſſint, conſilio præcauêri. Itaq; ſic ſtatuo, nihil vmquam maiores noſtros prudentius ſenſiſſe, quam dum Vnionis illius vim, ac poteſtatem ad forenſem Iuſtitiæ Aragonũ Magiſtratum tranſtulerunt. Ea enim domi poſita, aſſiduè bellicos hoſce tumultus afferebat. Nec dubito, quin aliquis dum hæc legat, alienum me animum habere à cauſſa libertatis exiſtimet. Cui reſponſum hoc ſolum perquam breue dabo; mihi illam veram eſſe libertatem videri, quæ in ea, quæ eſt inter nimium, & parum, mediocritate conſiſtat, illam verò, quæ ab ea mediocritate diſtet, ſeruitutem. Quod ſi quid ſit, quod contra leges fiat; perinde accipi vellem, atq; ſit: minimè verò, vt pleriq; faciunt, ꝗ acu ſit fortaſſè punctum, pro ictu gladiatoris reputari. Omnia autem quæcumq; priùs tentanda eſſe, quam vi, aut armis cum Rege decertemus. Sed neſcio, quo pacto in hunc, qui mihi propoſitus non erat, ſermonem delapſus ſum. Neq; verò eſt prorſus à meis inſtitutis alienus. Nam eo etiam ſpectat, vt hanc tantam morum, & diſciplinæ noſtræ mutationem

huiusmodi Comitiis factam, istius Iustitiæ operæ, ac industriæ magna saltem ex parte tribuamus: quandoquidem eam tunc personam sustinuit, Magistratus siquidem Iustitiæ Aragonum, quæ ipsorum Comitiorum futura erat, ac certè fuit, vt ita dicam, temperatio, & mens. Præterea is vir fuit, qui magnum in Rep. vsum habebat: in magnorumque negotiorum tractatione versabatur iampridem. Iacobus namq; II. & Alfonsus IIII. eum sibi frequenter consueuerant adhibere in consilium. Petrus autem IIII. omni ope, & opera enisus fuit, vt illum in suam sententiam adduceret, quòd auctoritatem eius quàm magni æstimaret. Postea verò eundem Magistratui præposuit, tunc cùm exulceratæ magis, & exagitatæ res erant. Quod quamquam nostris magnam attulit suspicionem, non bene se erga patriam habiturum, futurumque ad ipsius Regis obsequium propensiorem: illico tamen non solùm nostris fauere visus est, sed vehementer quoque de patria libertate sollicitus. Fortasse Regem eodem illo obsequio mitigauit. Eo demum sedente in puppi, Respub. fuit ex alto in tranquillum portum inuecta. quod argumenti satis esse potest, vt hominis solertiam ex iisdem ipsis euentis ponderemus. Itaque ambo hi Iustitiæ, qui in hæc tam dura, & difficilia tempora inciderunt, ad eamdem laudem videntur mihi, via tamen dissimili, peruenisse. Nam cùm prior Regi, posterior Regno suspectus fuisset; vterq; patriæ præstitit, quod debuit, officioq; ac fidei fecit cumulatè satis. Ceterùm iste vix vllam potuit Reipub. salutæ partem gustare, quippe qui
1349. sequenti Ann. Chr. ∞CCCXLIX. vt quædam monumenta testatur, mortuus fuit. Dies autem non proditur. Cerdanus perhibet, in Ecclesia Sancti Nicolai sepultum fuisse: suasque ædes in eadem parochia habuisse locatas. Forsitan eæ sunt, quas nunc pene complanatas videmus in platea. Vxorem habuit, D. Ysabellam Alòs: filiumque ex ea susceptum, Raimundum Tarbam. Cuius tres filias primariis viris, Lanuzæ Cerdano, & Franciæ, nuptas fuisse, idem ipse auctor est Cerdanus. Illius autem genus, manifesta res est, à Senatoribus vrbis profectum fuisse. Eam verò, quæ Franciæ nupta fuit, filiam, Claram Tarbam fuisse vocatam; ipsum verò Franciam, Raimundum appellatum, ac ciuilis iuris fuisse peritum, è veteribus monumentis colligitur.

XXXVI.
IOANNES LVPI SESSESSIVS.



CVMQVE Sessessiorum gens patricia olim fuerit: Iustitiam hunc Equestris ordinis fuisse, vel inde colligi potest apertè, quòd aliter Magistratum obtinere nequiret. Neq; verò ob eam rem illius genus aliundè ductum, quàm à Sessessiis patriciis arbitrabor. Similes namq; transitiones in nonnullis familiis factas obseruaui: & cùm eædem essent, à superiori ad inferiorem Ordinem omnino descendisse: alias interdum altiorem dignitatis gradum assequutas. Itaq; Ioannes hic, qui Gallaciani Tarbæ locum occupauit, meo quidem iudicio, illius Petri Sessessii gentilis fuit, quem Alfonso II. Rege floruisse diximus, grauiterq; & præclare eumdem ipsum gessisse Magistratum. Medianæ tamen opidum, quo ille tunc potitus fuit, minimè ad Ioannem hunc comperio peruenisse: quin aliquamdiu egestatem suam domestico D. Lupi Lunæ, primarii nobilissimi viri, qui per hæc tempora, Lunensis Comes, vocitari cœpit, subsidio sustentasse. Ea namq; vicissitudo in omni ferè cursu conseruata est, vt mundus ipse, maxima sua constanti conuersione, circum se omnia contorqueat, ac vertat. Ac initio quidem Iustitia iste in populari illa opinione fuit: & tam studiosè Vnionis partes agebat, vt à nostris constitueretur illius, publico delectu, Conseruator. Postea eum ad Regis voluntatem traduxit, D. Lupus ipse Luna, ipsius Vnionis deserendæ princeps: qui Petro Regi ad reportandam illam victoriam maximo quidem adiumento fuit; sed ad eandem ipsam temperandam, quantum cōiicere possum, non minori. Non enim adduci possum, vt credam, ab iis, qui tunc ex nostris ab ea Vnionis voce recesserunt, ita Reipub. caussam desertam fuisse, vt furori Regio omnia concederent. Immo eos existimo, interea dum aliquid iracundiæ Regis permiserunt, accuratiùs de patriæ salute, ac de illius ornamentis, & commodis cogitasse: & re fortasse quemquam à Republica, animo autem non ita defecisse. Quod si de alicuius fide, de nullius profectò magis, quàm de istius Iustitiæ licet suspicari. Semper enim patriæ studere visus est. Postquam autem accessit ad Rempublicam, perquam bene multa & belli, & pacis adiumenta administrauit. In primisque Magistratum adeptus, cùm
1349. Iudex præesset Comitiis Cæsaraugustæ habitis eodem Ann. ∞CCCXLIX. medio mensis Martii;

Martii; (nam sic est apud Tabulas) multam operam, atque vtilem Reipub. præstitit in præclaris legibus, quę tunc fuerunt editæ, statuendis, & vt è patrio in Latinum conuerterentur sermonem. Cui rei, vt mihi persuadeo, Iacobi illius Hospitalis, cuius meminimus, manus etiam accessit. Nam istius Iustitiæ Locumtenens fuit: iam diuq; in multis, & grauissimis caussis, atque in principibus patronis versabatur. Sessessium autem non tam iura nostra calluisse comperio, quàm bellicæ rei gerendæ disciplinam. Quantum autem auctoritate valeret apud Regem, apertè eius rei exitus indicauit, quam haud leuiter tentauit idem Rex, Perpiniani opido cùm adesset Ann. Chr. ∞CCCLI. Et nisi illum Iustitia hic, graui verborum suorum pondere, à præcipiti consilio reuocasset; patria, quæ credebatur è tantis fluctibus emersisse, denuo fuisset demersa in eosdẽ, ac duriore forsitan fortuna conflictata. Etenim ignea illa Regis natura nunq̃ agitatione vacua esse poterat, neque sui otii, aut quietis conciliatrix erat, sed ipsamet sibi suarum semper molestiarum lena. Cùm igitur Rex ipse infantulum filium Ioannem, ex Regina Eleonora, Siciliensis Regis filia, procreatum, futurum sibi successorem ab omnibus Regnis acclamandum, decreuisset, & ad eam rem nostros per publicas literas iussisset accersiri, vt illhuc ad constitutam diem omnes venirent, solito fœdere, puero Regni deuincturi fidem: hunc Regis conatum Iustitia hic refutauit, liberè, & audacter edicens, euocari ex eo opido nostros non licere, neq; extra patriam constitui ipsis vadimonium posse: sed in Cæsaraugustam vrbem conuocandos, & ibidem Comitiis institutis illam ferri rogationem ius esse: quod nostra vrbs hanc prærogatiuam haberet, vt in Templo maximo illius, priusquam alibi, Regibus regnare incipientibus, eorumq; filiis Primogenitis, cùm futuri successores designantur, publica ipsa fides sollemni religione obligetur. Quinimmo nostros in ea re ita ceterorum Regnorum faciem præseferre, vt non iam ibi pro se ipsis solis viderentur adesse, sed illustrem, & claram totius Regiæ ditionis vocem, singulorum voluntatis indicem, personare. Neq; enim, vt Iustitia ipse memoria repetebat, ab aliis Regnis, sed à nostro tantùm, Reges constituebantur antiqui. Sic deniq; sententiam suam Regi probauit, vt quamquàm ea de re literæ scriptæ erant, & obsignatæ; Rex illas præciperet statim conscindi, nullamque fieri iuris nostri iacturam. Atque ita hæc, quæ tunc commota fuerant, in pace, & otio quàm citò resederunt. Enimverò postmodùm quietus ille Reipub. status perturbatus est totus. Etenim cùm iampridem esset inter nostrum Regem, atque alterum Petrum Castellæ Regem, Crudelem vocitatum, inustum animis, atque insitum odium: Castellanus improuisò fines nostros inuasit; cuncta dissipans, & disturbans. Cumque Cæsaraugustanæ vrbi minitaretur ferrum, ac flammam; illius custodiæ Iustitia hic præfectus fuit, & à nostro Rege Ann. Christ. ∞CCCLVII. vnus ex cunctis ad magnum illud discrimen delectus imperator. Ipse verò cumulatè susceptum munus exequutus fuit. Vrbem enim firmissimis præsidiis muniuit: illius muros refecit: ballistas lapidum, & reliqua tormenta, quibus illa ætas vti consueuit, opportunioribus in locis collocauit: ex priuatis ciuium ædibus, siquid telorum esset, iussit efferri, & inermibus viris dispertiri: delectam iuuentutem contra inimici impetum armatam coëgit: aciem instruxit: portarum custodes designauit, viarumque insidiatores, qui locis omnibus dispositi essent, vt quò inimicus pergeret, obseruarent: minoribus Magistratibus, vt noctu vigilias agerent, præcepit: at verò suam ipsius operam ad quoscumque rerum euentus præstantem, & præcipuam reseruauit: cautè denique cuncta composuit, quippe quia intelligebat ipsius vrbis summè defendendæ curam apud se solum totam excubare. Castellæ autem Rex postquàm vrbem copiis refertam esse, & contra se munitam intellexit; extra Calataiubiensem tractum, quem totum vexàrat, pedem non intulit. Sed per Turolium Valentiam petens, decursionibus per equites suos ea loca, quæ incurrit, vastauit: nonnulla cepit: ac maiora damna Regis nostri fortunis importasset; nisi ab eo in tantas angustias fuisset compulsus, vt inopia simul conficeretur, ac ferro; atq; armis denique pulsus, & fugatus, confestim in patriam suam inglorius reuertisset. Hoc itaq; bellum, commotum ab vno, & confirmatũ ab altero, Rempub. nostram aliquamdiu turbauit. Vt inimici autem Regis aduentus nostros afflixerat; sic illius discessus omnes sollicitudines leuauit, & angores. Iamq; depositis armis huic Iustitię integrũ fuisset eius vrbis, quam conseruàrat, conspectu, tranquillo animo, & quieto frui, si non sibi perbreue post eam rem viuendi fuisset curriculũ datum à natura. Anno enim ∞CCCLX. mortuus fuit; atq; vt Cerdanus perhibet, in Albalatensi opido sepultus. Ex eo namq; generis illius antiquitas profecta censebatur. Filium habuit, qui Pelegrini Anzani neptem, vxorem duxit. Sed nec illius, neque matris nomen proditur. Atque ego quidem illius filium fuisse coniicio, Garsiam Lupi Sessessium,

1351. 1357. 1360.

præstantem virum, quem Olieti opidi dominatum comperio: & cui nobilissima femina, D. Catharina Martini Viota, Sanctii Martini Viotæ, Gubernatoris Aragonum, vnica filia, & heres, nupta fuit. Verùm de his rebus difficile est plus intelligere, quàm quantum ex ipsis monumentis suspicari licet. Neq; verò in eis semper expressa personarum & temporum designatio inuenitur. Ideò inuiti cogimur nonnumquam maximas res silentio præterire.

XXXVII.

BLASCVS FERDINANDI HEREDIA.

ATQVI eadem ipsa necessitas nos premit, vt istius Iustitiæ narrationem in similes prorsus angustias compellamus; cùm neque ex Cerdani scriptis, neque aliunde adhuc claram, quam voluissemus, rerum ab eo gestarum, ac domesticarum præsertim, eruere memoriam potuerimus. Et Cerdanus ipse videtur ieiunius de eo, quàm de pluribus aliis scripsisse: siue quòd illius Iustitiatus breuior fuerit, siue quòd non habuerit rerum nostrarum, quemadmodum qui proximi fuerunt, varietatem. Eodem autem Ann. Chr. ∞CCCLX.
1360. orsus fuit: atq; vt Surita refert, exeunte. Ann. verò ∞CCCLXII. exitum habuit. Nec latio-
1362. rem campum illi vita dedit, in quo eius posset virtus excurrere. Et ea quidem tranquilla satis tempora fuerunt: quòd in Petro Rege viderentur ardentia illa vexandæ Reipub. studia, ætatis flexu, reddita fuisse languidiora. Cumq; antea Iustitia iste eidem Regi subinuisus esset, quia ex domesticis erat nouercæ Reginæ: postmodum Regis illi gratiam conciliauit Ioannes Ferdinandi Heredia, ipsius frater germanus; qui in primis auctoritate grauis apud Regem, gloria verò clarus apud omnes fuit. Nam is vir fuit, qui præstanti sua virtute eximiam illam dignitatem Magni Hierosolymitani Magistri consequutus, amplissimumHerediarum eò extulit genus, vt pulcherrimo, quo nunc gaudet, Fortensis Comitatus titulo, iisdemq; istis ipsis clarissimis Armorum Insignibus illustratum, in summum nostrorum Optimatum locum ascenderit, quem videmus. Blascus quoq; iste satis amplam posteris & rei priuatæ, & sui etiam nominis patrimonium reliquit. Fuit enim omnino præstans, ac præclarus vir; & ab eo, qui Botorritæ dominati sunt, originem duxerunt. Aguilonis autem tantùm opido fuisse illum potitum comperio, ob idq; nonnumquam Blascum *de Aguilon* nominatum: quasi inde tracto vti cognomine videretur. Quod qui ignorarunt nonnulli, deprauatè scriptum illud *de Aguilon*, nomen iudicantes, *de Alagon*, potius legendum arbitrati sunt, nouumq; alium Iustitiam, Blascum Alagonium vocatum, post Blascum hunc Herediam, Iustitiarum numero adscripserunt. Omninoq; in hoc est omnis error, quòd Iustitia hic, cùm gentilitium suum nomen ab Heredia esset, quandoq; ab Aguilone vocari consueuit, se eo opido potiri præ se ferens. In Obseruantia autem, *Notandum est*. tit. *De procuratoribus*. istius Iustitiæ nomen mendosè scriptum esse animaduerti. Nam sic est apud impressos omnes, & apud manuscriptos Codices nonnullos. *Notandum est: Quod Processus habitus inter homines de Ferreruela, & de Lagueruela super quodam monte, seu vetato de la Pedriza, fuit annullatus per S. Ferdinandi, Iustitiam Aragonum.* Apud alios autem impressos vetustiores sic legitur: *per G. Ferdinandi, Iustitiam Aragonum.* quasi prioris literæ nota videatur indicare, Sanctium fuisse illius proprium, quod vocamus, nomen; posterioris verò, Gulielmum: quin & in nonnullis illud Gulielmi nomen, expressis literis scriptum obseruaui. In aliis verò manuscriptis, *V. Ferdinandi de Heredia*, gentilitio eo apposito ab Heredia nomine. tot modis confusum, & variatum, ob librariorum imperitiam, in ea Obseruantia istius Iustitiæ nomen versatur. Sed in Hospitalis monumentis, de quibus tota ea ad verbum est expressa, Blascus Ferdinandi *de* Heredia legitur. Et ea, *V.* literæ nota, quæ in nonnullis manuscriptis inuenitur, id significat. Olim enim nostri non Blascum, sed Velascum, & quandoq; Velasconem proferebant. Hospitalis verò istius quoq; Iustitiæ locum tenuit, & ipsum illud, cuius in ea Obseruantia fit mentio, iudicium iudicauit. Ac per illud idem tempus, vt ipse de se prodit, in ea præcipua re elaborabat, vt quæ apud nos solo vsu constabant, & post Salanouam diffusa, & dissipata erant: in singula sua genera coacta, deinceps suorum scriptorum fide niterentur. Quæ verò ipse de iure nostro didicerat, iam tunc in eo videbantur esse perfecta, & suam quandam maturitatem habere. Vnde quæ ab eo tunc fuêre animaduersa, & notata, Hospitalis Obseruantiæ,

dicta sunt. E quarum numero Obseruantia illa est: & à Martino Didaci Auxio ex illius scriptis deprompta, in Obseruantiarum, quod nunc nobis editum exstat, volumen relata. Itaq; non S. Ferdinandi, sed B. Ferdinandi legendum est in ea: eorumq; sententia explodenda prorsus, qui alium illum, ab Alagone Iustitiam, suscitarunt. Cerdanus enim patrem suum huic Herediæ successisse tradit. Nec verisimile est, fuisse illum in ea præsertim re tam obliuiosum, vt eum, qui patri suo antecederet, silentio preteriret. Ceterum Blascus hic, patre natus fuit Laurentio Ferdinandi Heredia. De matris verò, atq; vxoris nominibus mihi hactenus compertum nihil est. Filium habuit Blascum: qui ex Violante Buyl vxore Blascum illum suscepit, quem Cerdanus istius Iustitiæ nepotem, atq; Aguilonis dominum appellat. Quo autem anno obierit, & quo loco sepultus fuerit: itidem exploratum non habeo, tametsi quæ potui, scrutatus sum. Illud exploratum est satis, istius Blasci Iustitiatum non esse longiùs, quàm supra diximus, producendum.

XXXVIII.

DOMINICVS CERDANVS.

SIQVIDEM in præfatione legum Montisoni editarum eodem ipso Ann. Chr. ∞ CCCLXI. illustris, & clara istius Dominici Cerdani 1361
Iustitiæ mentio fit. Ipsis namq; Comitiis Iudex præfuit. & aliis etiam Calataiubii habitis Ann. Chr. ∞ CCCLXVI. & Cesaraugustę habitis aliis 1366
tum sequenti Ann. ∞ CCCLXVII. tum Ann. Chr. ∞ CCCLXXII. itidem 1367
& iis quoq; quæ Tamariti Ann. Chr. ∞ CCCLXXV. habita feruntur. atq; 1372
iis tandem quæ Cæsaraugustæ Ann. Chr. ∞ CCCLXXXI. fuerunt cele- 1375
brata. In quibus omnibus quæ maximæ, & salutares leges constitutæ 1381
sunt, eædem omnes fuere ab hoc Iustitia è vulgari in Latinum conuersæ: quemadmodū idem Rex Petrus in singulorum Comitiorum præfationibus attestatur. Fuit quippe Iustitia hic, & cōmunis, & priuati iuris valde peritus. priuati fortasse quotidianis Hospitalis congressibus peritior factus. Nam eo Locumtenente aliquandiu vsus fuit. Iam tunc autem tantopere ipsius Hospitalis nomen celebrabatur in foro, vt mancus, ac debilis videretur cuiusuis Iustitiatus, non eo Locumtenente, futurus. Nec diu tamen postea, vt suspicor vixit Hospitalis. Istius autem Dominici Iustitiatus ad Ann. Chr. ∞ CCCXXCIX. productus fuit. Et nos eumdem aliquando longiùs, in annum siquidem ∞ CCCXCI. de Suritæ tamen auctoritate produximus. Sed nuperrimè in publicis monumentis Ann. Chr. ∞ CCCXC. Ioannem Eximini Cerdanum, istius Dominici filium, Iustitiam Aragonum vocatum obseruaui: Comitiisq; præfuisse, quæ nobis eo anno, Ioanne I. Rege, ipsius Petri filio, habita fuerunt Montisoni. vt necessario cogamur affirmare, istius Dominici Iustitiatū dictum Ann. Chr. ∞ CCCXXCIX. nequaquam excessisse; aut si forte excessit, iam
paulo post quidem. Neque verò me opinioni meæ pristinæ putaui potius assentiri debe- 1389
re, quàm quantum scripto aliquo, aut ipsa veritate niteretur. vsq; eo Ioannes ipse Cerdanus in designandis Iustitiarum temporibus ieiunus fuit, vt huiusce patris sui temporis seriem incertam reliquerit, nec minus dubiam sui ipsiusmet Iustitiatus notationem. Vnde fit, quemadmodum initio sum conquestus, vt de eadem re varias nonnumquam, & discrepantes sentētias necesse sit sequi, cùm ex nullius scriptis de hoc genere, annorū ratio nisi imperfecta, & mutila eruatur. Rerum autem non ita. Eas enim vberiùs Cerdanus ipse persequutus est, & verò sua, istius parentis sui facta præcipuè; tametsi nonnulla silentio prætermisit, quæ omnino egregia fuerunt. Sed de Ioanne continenter dicendi locus erit. Quare nunc ad Dominicum. Cuius præter illud maximum, & clarissimum, quod in Petri IV. Regis narratione protulimus, dum eidem Regi de vi interdixit, ne Ioannem filium Primogenitum à generali suscepta Regnorum gubernatione depelleret; factum aliud proditur Ann. Chr. ∞ CCCLXIV. ab eo gestum ex Magistratus auctoritate præclarum. Etenim ab eodem Rege missus, vt D. Mariæ, Infantis Ferdinandi viduæ, & quorundam ex nostris illius assectatorum fugam reprimeret, eosque Vncastelli in opido consequutus, cùm negotium ex sententia confectum Regi nuntiasset, Rex verò iussisset eosdem detineri, & sine vlla mora, abiecta omni cunctatione, cuiusdam Arnaldi Franciæ, quem Rex malè oderat, è ceruicibus caput abscindi: Iustitia hic tam iniustum sibi iussum describi à Rege non æquè ferens,

ab ea pœna Arnaldum liberauit, eumque ac ipsam D. Mariam, & ceteros omnes, quos manu comprehenderat, illico dimisit à sese, ne Regis iracundiæ subiacerent, & aliquo fortasse afficerentur supplicio, quos nouerat in discrimen illud non alicuius delicti culpa, sed sola Regis acerbitate vocari. Rectè factorum autem ea maxima est vis, vt quo maius quis timeat, alicuius in se odium concitare, eo sibi magis illius beneuolentiam conciliet, & gratiam. Vnde sapiens illud ortum putatur, tantopere apud antiquos celebratum, dictum, quo monemur: *Nullam spectandam esse fortunam, dum præstetur fides: atque etiam si mercede careat, tamen sit se ipsa contenta.* Fit autem plerumque vt rectè facta præmiū & maius, quàm quis speret, & quàm quis credat, citiùs consequatur. Rex ergò tametsi ob eam rem magno animi motu perturbatus fuit (nam fuit equidem) sed non tam magno, quin hunc Iustitiam domum reuertentum, eodem exciperet vultu, quo solebat: expositaque omni istius facti, consiliique ratione, admoneri se ab illo pateretur, vt in puniendo saltem iracundiam suam omnino prohiberet, quòd cum ea rectè fieri quidquam vix posset. Eos enim, qui Reipub. præsint, affirmabat, ipsarum legum similes esse debere, quæ ad puniendum tantummodò æquitate, minimè autem ducuntur iracundia. Neque sat esse eum, qui iniuriam facit, iniuriæ pænitere, quando irrita fieri non potest: toleranter patitur se, nequid tale committat, fieri interposita aliqua cunctatione tardiorem. Eorum quidem obsequium perniciosum esse, qui iracundiæ Regis indulgentes, eam præcipitem sinebant ferri, quò vellet. Eapropter dicebat, se nihil vmquàm in vita præstitisse, in quo magis sua in Regem fides, obsequiumque constaret, quàm dum illam subtraxerat ipsius iræ materiam. Sic namque effectum fuerat, vt molestiam, quam iure debuisset capere, non cepisset; eam fortè cepisset, qua penitus debuisset carêre. Tantum denique valuit dicendo, vt Rex ipse aperte prædicaret nonmodò non molestum sibi, sed vehementer gratum, præstitum illud factum iam videri, seque pro eo Iustitiæ, ac mereretur, iustam, & debitam gratiam relaturum. At quibus præmiis eumdem affecerit, nihil sanè mihi legisse videor. Post autem aliquanto illum extraordinario quodam honore ac pene dicam omnium amplissimo, decorauit. Cæsarauguſtæ enim Comitiis institutis eodem Ann. Chr. ∞ CCCLXIIII. cùm Regem inde noua quædam necessitas auocaret: ne ad Comitialia negotia expedienda, Regis opera deesset, quæ oporteret; Iustitiam hunc Rex ipse, vt quamdiu absfuturus esset, eius ageret partes, vicarium constituit. Tunc itaque Iustitia iste, tres personas vnus sustinuit: suam, Magistratus; & Regis: quem honoris gradum neminem alium inuenio consequutum; neque Iustitiam ipsum ad eumdem vmquā deinceps peruenisse, quamuis Rex eo deinde sæpius, & fideli, & beneuolo consiliario vsus est. Et hoc quidem Iustitia assidente, præclara alia Comitia habita fuerunt sequenti Ann. Chr. ∞ CCCLXV. in quibus idem Rex peruetus Calataiubiense opidum, clarum, & nobile, Ciuitatis dignitate honestauit, quòd illius incolæ benemeriti fuissent de Repub. cùm inter eum, & Castellanum Regem, quod diximus, bellum versabatur. Calataiubium autem, ad Salonis fluminis ripam, prope antiquam Bilbilim, ab Aiubio Aboualibio, Arabum Rege, fuisse conditum, Surita in suis Indicibus scriptum reliquit. Sed ob id initio horum Comitiorum mentionem nullam feci, quia in eius nulla legum rogatio lata fuit; tametsi id habuêre, quod modo singillatim attigimus, ad memoriam nostræ antiquitatis insigne. Per id quoque temporis, ac de istius Iustitiæ consilio, præclarus ille vir, D. Bernardus Cabrera capite damnatus fuit. Quem multi existimarunt, magis ob Regis iram, quàm pro meritis extremum illud supplicium pertulisse. Atque eo etiam illius facti atrocitas augebatur, quòd tantus vir omnibus nostrarum legum, ac libertatum excluderetur præsidiis, quæ tenuissimis quibusuis patebant. Nihilominus tamen non facilè credam iuris splendorem in ea caussa inquinatum fuisse, neque in eo iudicio aliquid ab hoc Iustitia sine maxima ratione esse factum; cùm singularis integritas illius, multis, magnisque in rebus spectata, mihi certè non det obscurè de eo quidquam suspicandi locum. Tandem cùm exacta esset ætate, à Ioanne I. Rege impetrauit (iam enim Petrus IIII. obierat) vt Iustitiatum Ioanni Eximini Cerdano filio deferre posset: cui
1389 delatus fuit statim ipso Ann. Chr. ∞ CCCXXCIX. tunc cùm Dominicus iste optandam sibi esse mortem prædicabat, perfuncto rebus iis, quas fuerat adeptus ac gessisset. Sed vitam suam ad Annum Domini Nonagesimum secundum perduxit supra millesimum ac trecentesimum. Nam sic de illius obitu scriptum exstat in Kalendarum Codice de Pilari: in qua Ecclesia humatus fuit. *Pridie Id. Martij obijt Venerabilis, & discretus vir Dominus Dominicus Cerdan, Miles, ac Iustitia Aragonum Anno Domini* ∞ CCCXCII. Vxorem habuit D. Mariam Sanctii Aliagam, Iacobi Aliagæ, &

Mariæ

Mariæ Sanctii Magallionis filiam. Ex ea autem filios: Ioannem, qui sibi in Magistratu successit; ac Martinum, qui in Siciliensi expugnatione mortuus fuit. Filias quoque Beatricem, Gundisaluo Linyanio; alteram verò, cuius nomen non comperi, Ioanni Eximini Salanouæ nuptam. Quorum vterque Equester vir fuit. Istius etiam Iustitiæ ætate, quemdam Dominicum Martini Aladrenum grauissimas defensitasse caussas accepimus; Hospitalisque aliquamdiu competitorem, in magno numero fuisse patronorum. De eo tamen existimari non potest, cuius nec publica, nec priuata vlla exstant scripta.

XXXIX.
IOANNES EXIMINI CERDANVS.

SED ecce in manibus omni laude dignissimus vir, ac temporibus illis doctissimus, singulari fide, ac prudentia præditus, Ioannes Eximini Cerdanus: cuius Iustitiatus multis, ac præclaris monumentis ad posterorum omnium memoriam commendatus est. Ipse enim & se ipsum nobis, & plures alios Iustitias Aragonum in medio posuit in sua illa, maximarum rerum plena, & interdum etiam iocosa epistola, quam scripsit paucis ante, quàm mortuus est, an diebus, an mensibus; vt & ceteros Iustitias, & se ipsum cognosceremus per se. Quamquam autem ieiunè nimis huiusmodi argumentum pertractauit, cùm sine temporum designatione nihil possit esse, nisi aridum, exile, & concisum: iure tamen laudandus videtur, quòd primus illud scriptis illustrârit, ex omnibusque princeps exstiterit, qui genus hoc ornârit scribendo. Nam ante eam litera nulla est, quæ Iustitiarum Aragonum seriem complectatur. Ei autem honos à maioribus nostris habitus est tantus, sola vt ex omnibus nostrarum rerum monumentis, publicarum legum volumini connexa, earumdem videatur vim, ac dignitatem obtinere: longè, multumq; alia quæcumq; auctoritate, & fide superare. Si quid autem in ea est historia dignum, supra fusè persequutus sum, ac ipsas quoq; iocationes suas. Fuit enim sale conditus, & facetiis: sed ita tamen, vt si de iocosis rebus loqueretur, lepôrem adhiberet; si de seriis autem, seueritatem, non inuidiosam, aut popularem, sed infimo cuiq; gratissimam. Priusquã autem amplissimum hoc munus obiret, Regalis Fisci, vt vulgo loquimur, Aduocatus fuit. Deinde in patris locum suffectus, cùm illius animus tamquam in acie positus cerneretur, nullum vmquam visus fuit, nisi publicæ vtilitatis respectum, quæsiuisse. Nec paternam modo, sed maiorẽ etiam gloriam consequutus est. Illius namq; Iustitiatus casus habuit interdum rariores. In quibus reicuandis maximè sibi necessarium fuit, multum ponere industriæ, & laboris, vt iis, qui nauigant in flectendis promontoriis, propter ventorum mutationes, quas sentiunt. Deniq; labor in negotiis, fortitudo in periculis, in agendo industria, in conficiendo maturitas, ac in præcauendo consilium, in hoc vno tanta fuêre, quanta vix in pluribus aliis Iustitiis visa sunt. Iam verò, quòd illius Iustitiatus Ann. Chr. ∞ CCCXC. cœ- 1390
perit; nuper eam, quam dixi, memoriam inueni in procemio tunc nobis Montisoni editarum legum. Vnicè enim in eo istius Iustitiæ sedulitatem commendat idem ille Ioannes Rex I. cuius præcipitem voluntatem Iustitia hic grauibus suis, ac iocosis verbis perstrinxit, cùm Zueram confictæ venationis caussà deductus, singulari sua comitate illius animum retinuit, Consiliariorum suorum inuectione in ipsius Iustitiæ odium concitatum: quemadmodum narrauimus supra suo loco. Tum etiam & si quæ alia obseruatione digna, à Iustitia hoc facta produntur; in eiusdem Ioannis vita, atq; in Martini Regis fratris narratione persequuti sumus: & illam quoq; illustrem, ac splendidam, tot sententiis, ac verbis perpolitam Concionem, quam ad nostros Martinus Rex habuit Ann. Chr. ∞ CCCXCIIX. in qua tot posuit de rebus à nostris gestis præclara. Illis namque Comitiis 1398
Iustitia hic præfuit: & ipsi Regi, quamdiu vixit, & in Curia, & in Foro, ac domi quoque officiosissimè operam suam, studiumque nauauit. Sed omnes eius, quas paulo ante commemoraui, eximiæ virtutes in quarto illo Interregno enituerunt magis, quod nobis post Martini ipsius interitum datum fuit. Tunc enim hic Ioannes ad Remp. nostram fulciendam non modò vt Architectus, sed quasi faber accurrens, illam propè cadentem suis in humeris totam Magistratus auctoritate sustinuit, effecitque vt exteræ aliæ nationes intelligerent, q̃ forte incredibile, & falsò memoriæ proditũ iudicabãt; fuisse nostros Aragonenses homines quondam ea in statuendo Regno sagacitate, & prudentia, vt vnius, & plurium imperium, media huiusmodi forensi Præfectura interposita, in nouam quãdam speciem temperarent, nobisque hanc, qua nunc fruimur, Reipub. rationem con-

ſtituerent. Ex quo euenit, vt ipſi Reges noſtris populis, tametſi liberis, præeſſe malint, quàm aliis, quantumuis ſeruitute conſtrictis, imperare; quòd ob eam ipſam cauſſam magis ſtabilem ſuam, quàm ceterorum Regum, fortunam arbitrentur. quaſi iſte noſter Magiſtratus, ita ſit in ſpeculis, ac communibus inſidiis collocatus, non ſolùm vt Rempub. dum à Rege regatur, illius furore conquaſſari non ſinat: ſed vt eam ad Interregnum adductam, ſaluam, ac incolumem futuro Regi conſeruet, omnesque motus à ratione auerſos, qui Reipub. afferantur, prohibeat; ne ſeditioſe, populariterve, ſed moderatè, cautè, & quietè ei ſoli, ad quem iure pertineat, Regnum deferatur. Quod tandem in quarto illo Interregno factum videmus: & hoc noſtrum vniuerſum imperium ad Ferdinandum Infantem Caſtellæ, non ferro, aut armis, ſed grauiſſimo illo forenſi, ac concertatorio genere iudicii perueniſſe: quodque ſummum fuit, libertatem noſtram, Diuino numine, iſtius Magiſtratus inſtitutione initio natam, & auctam; tunc nobis fuiſſe eodem numine, atque eiuſdem Magiſtratus præſidio, & auctoritate retentam. Sed hac de re iam quoque multa ſatis dixiſſe videor in quarti ipſius Interregni narratione. Et ea quidem magnopere digna ſcriptione eſt: nuſquam enim tantam fuiſſe cauſſam exiſtimo, intra domeſticos parietes in ciuili diſceptatione verſatam; & tam felicem, quod caput eſt, exitum habuiſſe. Atque vniuerſum hoc fuit primæ ab eodem Ferdinando ad noſtros habitæ orationis argumen-
1412 tum, Ann. Chr. ∞ CDXII. paucis poſt diebus, quàm à ſelectis Iudicibus Caſpi fuerat declaratus Rex. Cæſarauguſtæ namque ad capeſſendum Regnum Comitiis inſtitutis, in Templo maximo illius Ferdinandus ipſe, longè dilatato ſermone, multiſque & grauiſſimis verbis iſtius facti laudem, atque Aragonenſis nominis gloriam celebrauit. Quibus Comitiis Iuſtitia iſte præfuit: & in eis Rex ipſe fidem ſuam, patrio more, interpoſito iureiurando deuinxit, nihil ſe eſſe contra Regni ſcita, libertatem facturum, aut leges. Sed nouas nullas edidit, nec diu poſteà vixit Ferdinandus: ſiquidem Ann.
1416 ∞ CDXVI. mortuus fuit, Alfonſo filio, totius ſui imperii inſtituto herede. At verò Alfonſus non, qua pater, beneuolentia Iuſtitiam hunc proſecutus eſt. quinimmo acerbè, & penitus odiuit illum, poſtquàm Aluarum quemdam Garauitum, Regis domeſticum, à Baiulia generali Aragonum, Magiſtratus auctoritate, prohibuit, quòd alienigenam eo munere fungi publica lex noſtra vetaret; Garauitus autem ortu Caſtellanus eſſet. Quod tam moleſte tulit noſter ipſe Alfonſus Rex, vt quoquomodo poſſet huic Ioanni Iuſtitiatum abrogandum conſtitueret. Nondum enim Magiſtratus ea erat difficultate abrogationis ſeptus, qua nunc eſt. Itaque eò rem perduxit Alfonſus (tametſi non proditur, quæ efficiens cauſſa anteceſſerit) vt Iuſtitia hic ſponſionem de Magiſtratu deponendo faceret, quotieſcunque id fieri, Regi placeret: neque vt ſe verbis obligaret ſolùm, ſed vt chirographi ſui cautionem daret, quo ea, dum opus eſſet, manifeſta res deferretur. Ac Surita quidem id ſponte à Iuſtitia factum affirmat. Aliter tamen hanc ob rem exiſtimo, quòd illum obſeruarim vehementer poſteà, vt ab ea ſe fide abduceret, pugnauiſſe. Etenim cum nonnullis interpoſitis diebus ab illo Rex, quam ſibi dederat, fidem poſtularet; ille verò tergiuerſationem, ac moram interponens, licentius reſpondiſset, eam, in qua danda quis fraudetur, nullam eſſe fidem; qua reſponſione laceſſitus Rex, cùm ab eo vehementius, vt quod promiſerat, præſtaret, contenderet; nec voluntati ſuæ Iuſtitia ſatisfaceret: eidem tandem Magiſtratum abrogauit, perinde eſſe decernens, ac ſi Iuſtitia ipſe, fidem ſuam liberans, ſe ſemetipſum munere abdicaſſet. Et quod ſummum fuit, Rex ipſe palam per omnes vrbis vicos, ac plateas à præconibus prædicari id iuſſit, quô magis perſpicuum fieret; conſtaretque inter omnes, deinceps Ioannem hunc non publicam, & grauem Magiſtratus, ſed priuatam ſolummodò perſonam ſuſtinere. Iuſtitia vero ita ſe Regis ira perculſum ægrè ferens, haud eſſe duxit opitulandi ſibi præciſam poteſtatem, quin ad tuendum Magiſtratum, Magiſtratus ipſius præſidia compararet. A Ioanne igitur Petri Caſſeda Iuriſperito, eius Locumtenente, Iurisfirmam, quam diximus, impetrauit: qua ſine vlla exceptione, vt eſt conſuetudo, ea Regis ſuſtulit interdicta. Nihilominus tamen aliquot poſt dies Iuſtitiatum depoſuit: noluit enim hac de cauſſa contendere iurgio cum Rege. Atque is fuit iſtius Ioannis Iuſtitiatus finis. Cuius etſi incerta ſunt tempora: fuit tamen abſente Rege, in Neapolitanum Regnum traiecto. Neque enim Cerdanus ipſe vllam aliam iſtius rei temporis deſignationem adhibuit. Ego verò dicam ad ea, quæ aliquando dicta ſunt à me: ſed ita tamen, nihil vt affirmem. Hunc itaque Cerdanum Magiſtratu abiiſſe coniicio non infra Ann. ∞ CDXXIII. Exploratius autem nihil habeo. Nec ſum oblitus me aliquando illius finem longius produxiſſe, in Annum

ſcilicet

ſcilicet ∞ cdxxiv. Verùm à me tunc erratum puto: & habui auctorem, quem ſequutus ſum, & Cerdanum ipſum: qui me in eum, quem ſupra dixi, errorem induxerunt. Sed ea nunc lectito, quæ me in dubitationem adducunt maiorē. Namq; in Regni Tabulario nuper publica monumenta comperi Ann. Chr. ∞ cdxx. in quibus idem Ioannes Petri Caſſeda, ſe Regentem Officium Iuſtitiatus Aragonum, ipſo Officio vacante, profitetur: ſic enim, iure noſtro, eo caſu conſtitutum eſt fieri. Tum in aliis monumentis ſimillimis, Anni tamen ∞ cdxxii. eumdem Ioannem Petri Caſſedam, Locumtenentem Ioannis Eximini Cerdan Iuſtitiæ Aragonum, vocatum inuenio. Præterea Cerdanus ipſe perhibet, ſe ſe triginta, & tres annos Magiſtratum geſſiſſe, poſtquàm in patris locum ſuffectus fuit. Vnde videtur illius Iuſtitiatus tempus ad dictum Ann. ∞ cdxxiii. produci debere; cùm tot interſint ab Ann. ∞ cccxc. quo orſum fuiſſe ſuperius indicaui. Sed dictum Ann. ∞ cdxxiii. vt ſuſpicor, nequaquam exceſſit: quòd eo exeunte conſtet Alfonſum Regē in patriā reuertiſſe, eoq; abſente Cerdanus ipſe Magiſtratū à ſe depoſitū fuiſſe teſtetur. In tanta deniq; confuſione fit, vt id dicā, quod meū animū quadā probabilitate percutit: nēpe Caſſedā in ſuo decreto fluctuaſſe, Cerdanumq; ob eā cauſā in contrarias interdum partes iiſdem fluctibus fuiſſe iactatum, eueniſſeq; tunc, vt modò Magiſtratu depulſus, modò eidem præpoſitus cenſeretur. Nec quidquam hac de re magis certi habeo, quod dicam. Poſt Magiſtratum autem depoſitum ita diu vixit, vt trium Iuſtitiarum ætatibus implicaretur. Nam ætate proceſſit, vſq; ad Iuſtitiatum Martini Didaci Auxii: ad quem ſcripta exſtat nobilis illa, cuius toties mentionem fecimus, epiſtola Ann. Chr. cdxxxv. data: in qua præter publicas multas res; & priuatas ſuas diligenter perſequitur. Vxorem habuit D. Martinam Petri *del Sou*: ex eaq; filios quatuor: Iacobum; Ioannem; Gombaldum; & Martinum, qui Turiaſonenſis Epiſcopus fuit. Filias totidem; Catherinam, Beltrando Coſconio, Mozotæ domino nuptam; Martinam, Philippo Vrrieſio Ayeruii dominatori; Beatricem, D. Ioannis Lunæ, qui Villæfelicis dominatum tenuit, vxorem: & aliam, cuius nomen non proditur; quæ Raimundo Murio, Baiulo Generali Aragonum nupta fuit: vt huic Cerdano defuiſſe nihil, neq; ad honorem, neq; ad gloriam adquirendam videatur: propter ſpoliationem autem muneris, minimè quiquam ademptum de fortuna. Tandem eodem Ann. Chr. ∞ cdxxxv. quantum coniicere poſſum, interiit. In eo ſepulchro, quod pater, ſibi, ac poſteris in Eccleſia de Pilari decreuerat, conſtitutus eſt. Vxorem verò in Sancti Auguſtini cœnobio ſepultam comperio.

XXXX.

BERENGARIVS BARDAXINVS.

IN Cerdani autem locum ſucceſſit Berengarius Bardaxinus: idem ille ſummus, ac ſpectatus vir, qui vnus ē ſelectis nouem inclytum illud quod paulo ante retulimus, de imperii noſtri hereditate adeunda in Caſpenſi opido iudicium iudicauit. Horum namque duorum ſic tunc officia quaſi demenſa, & paria exſtiterunt; vt ab altero iacta fundamenta, ab altero operi faſtigium impoſitum videamus: ſed ita tamen, vt cùm alter ex alterius laude partem, ſuam vterque integram totam, haberet. Atq; ita etiam vtriuſque fortuna propemodum pari momento ſortis fuit, honoriſq; eadem, quæ fuerat æquatio laboris. Quamquam autem Cerdano tantum tribuo, quantum ſupra dixi: verùm in eo genere ſic ſtatuo, Berengario hoc nihil fuiſſe in noſtra Ciuitate præſtantius. Neque enim facilè quem dixerim, plus operæ, & officii, quàm illum ad componendam Rempublicam contuliſſe. Cumque dicundi iuris magnum fuiſſe vſum & apud Vitalem, Salanouam, Cerdanos ambos, & apud alios fortaſſe, nec verò iam multos, audierimus; artem in hoc vno: longè vt non eorum modò; ſed vt aliorum omnium, quorum tunc vbiuis induſtria vigebat, in iure ciuili princeps cenſeretur. Maximè autem hæc omnia illius generis ſplendor decorabat. Ortus enim erat Bardaxinorum illuſtri, ac vetuſta ſtirpe; ab eo ſiquidem, vt coniicio, Berengario, claro, & præpotenti viro profectus, qui Ann. ∞ clvii. cùm Bardaxinæ ita vocatæ Vallis in Ripacurtienſi tractu potiretur, eamdē, ac ſemetipſum Aſſanienſis cœnobii ſocietati, vt antiquus mos erat Surita teſte, donauit. Quem etiā ſuſpicor, illius Eximini Fortunionis fuiſſe filiū aut ſaltē gentilē, cuius in ſecundi Iuſtitiæ narratione mentionem feci, in monumentis Ann. ∞ c xxvi. *Seniorem*

in Calasanz,& Bardaxin, Ricorum hominum more, vocatum inueniri. tam altè videtur istius nobilis familiæ initium peti posse, vt pæne cum ipsa nostra antiquitate adæquetur. Itaque Bardaxinus iste hanc tantam nobilitatem suam, tametsi satis maiorum laude illustratam, denuo ipse nominis sui celebritate honestauit, suamque etiam multorum opidorum dominatione progeniem. Atque vt de illius laudibus vnico Regis testimonio concludam, idem Alfonsus V. apertè nimis (idem ipse inquam Magnanimus, ac Sapiens Rex noster) cùm hunc Iustitiam nomine esset affatus, totam hanc illius mentis aciem, fidemque & naturam perpaucis huiusmodi verbis explicauit, dum dixit, vt est apud Suritam in tertiodecimo, vt suspicor, Annali: *Si cui vni possent rectissimè omnia committi; Bardaxino parem, aut secundum, inuenirem neminem.* Et voluissem certe, aliquid eidem libuisset scribere: cùm enim sui, tum etiam multam, quam collegerat, nostræ antiquitatis notitiam reliquisset nobis. Sed planè nihil scripsit. Neque inertia puto: sed quod nullum sibi tempus à maximarum rerum curatione vacaret: vel fortasse, quòd sui ingenii in posterum nullam desideraret memoriam, cùm se satis magnam fuisse duceret gloriam consequutum, eamque etiam maiorem visum iri, si non sua scripta in existimantium arbitrium peruenirent. Iam verò, vt redeam ad seriem annorum, quô ea fuit mihi in Cerdani exitu dubia, eô fit modò in istius initiis incerta. Decreui tamen non amplius in hac confusa disputatione contendere. Quapropter quoniam hoc est certissimum, id solum affirmabo; Iustitiam hunc Cerdano, nullo alio interposito, successisse. Atqui ego
1423 illum, eodem Ann. Chr. ∞ CDXXIII. iam Iustitiam nominatum inuenio; eundemq;
1432 Cassedam tunc illius locum tenere. Sed Ann. Chri. ∞ CDXXXII. Bardaxinus obiit Barcinonæ. Qua de re statui nonnulla, ex iis, quæ a Molino obseruantur, depromere, atque hunc in locum conducere, etsi nostris sint trita, & vulgata, quod multam nostræ antiquitatis commemorationem contineant, veterumque exemplorum prolationem. Sic igitur ille in suo Repertorio in verbo, *Mors*, testatum reliquit. *Mortuus quando fuit Berengarius de Bardaxi Iustitia Aragonum, & quando mortuus fuit Franciscus de Zarzuela eius successor in Iustitiatu, eorum mortes fuerunt habitæ pro notoriis. Et reperi in antiquis scripturis, quòd hoc fuit sæpe determinatum in consilio per antiquos Foristas. Et nota, quòd quando Iustitia Aragonum est mortuus, interim ꝙ Dominus Rex prouidet de Iustitiatu, Locũtenentes appellantur de Foro, Regentes Iustitiatum. Et circa prædicta est notandum, Quod in Ann. ∞ CDXXXII. die XII. Aprilis fuit certum in Ciuitate Cæsaraugustæ, quod mortuus erat dictus B. de Bardaxi Iustitia Aragonum. Et Locũtenentes ipsius erant, dominus Sanctius de Francia, & dominus Alfonsus de Mur: qui fecerunt congregare oẽs sapientes ad consilium in domo dicti B. de Bardaxi quondam Iustitiæ Aragonum, vbi aliàs solitum erat congregari dictum consilium. Et fuit concorditer determinatum in dicto consilio: Primò: quod dicti Locumtenentes absque aliqua alia notificatione mortis, postquam eis erat nota dicta mors per literam filii dicti B. de Bardaxi, & alias erat notoria: quod sine alia inuestigatione dictæ mortis, aut notificatione debebant procedere in suo Officio, vocando se Regentes iuxta Forum: quia mortes Iustitiarum Aragonum, & Regentium Officium gubernationis habebantur pro notoriis, sicut mortes Nobilium, & Prælatorũ. Item fuit ibi cõclusum in dicto consilio: quod dicti Locumtenentes debebant procedere in exercitio sui Officii, sine aliqua alia præstatione Iuramenti per ipsos de nouo facienda. Et fuit ibi dictum, quod sic fuerat factum tempore, quo dictum Officium vacabat per renuntiationem domini Ioannis Eximini Cerdan, qui renuntiauit Iustitiatum in posse Reginæ Mariæ. Item fuit conclusum in dicto consilio: quòd dicti Locumtenentes debebant mandare fieri vnum sigillum nouum cum armis propriis dicti Locumtenentis, cum quo sigillarentur prouisiones Curiæ Iustitiæ Aragonum, donec dominus Rex prouideret de Iustitiatu. Item fuit ibi conclusum: Quod dicti Locumtenentes intimarent mortem dicti B. de Bardaxi, Bayulo generali domini Regis, & Procuratori Fiscali, ex quo dominus Rex Alfonsus erat absens à Regno: & etiam quod intimarent dictam mortem Deputatis Regni: & quod publice sedentes in Curia notificarent dictam mortem omnibus ibi stantibus: & quod de cetero coram eis comparerent illi, qui volebant enantare, tamquam coram Regentibus prædictis, donec fuisset prouisum de Iustitiatu per dominum Regem. Et obiit dictus Berengarius de Bardaxi die prima Aprilis Ann. ∞ CCCXXXII. Cuius anima requiescat in pace. Amen.* Consultò enim prætereo, quòd Berengarius iste An. ∞ CDXIV. ad Castellanum Regem orator missus fuit: tum, quòd Comitiis præfuit Turoli habitis Ann. ∞ CDXXIIX. itidem & iis, quæ sequenti Ann. ∞ CDXXIX. ad Valderobres opidum celebrata fuêre: & ea etiam quæ Ann. ∞ CDXXX. & Ann. ∞ CDXXXI. in domesticis nostris, ac ciuilibus rebus effecit. In his namque omnibus, præterquam in Comitiis, non Magistratus, sed extrinsecus aliam, quam sibi tempus, ac Resp. imposuit, personam sustinuit. Sua enim ad quam-

quamcumq; rationem aptissima esse censebatur. Neq; verò in illius Iustitiatum periculosæ vllæ de patriæ libertate contentiones, quemadmodum in aliorum Iustitiarum tempora inciderunt: quippe cùm ea esset in nostro Rege, eodem siquidem Alfonso V. moderatio, ac temperatio naturæ, omnis vt sedatio ciuilium perturbationum, & quasi modus rerum positus cerneretur. Itaq; hic Iustitiatus eo ipso memorabilis est, quòd domestica omni de publico iure disceptatione caruerit. Et fortasse Berengarius iste, sua prudentia, & consilio, Alfonsum ipsum in eandem temperantiam inducebat, iurisq; ac cõsuetudinis nostræ rationem, quandoquidem apud eum plurimum constat auctoritate, & gratia valuisse: ac deniq; is vir fuit, qui quamdiu vixit, Rempub. totam tractauit, & tenuit. Eius corpus è Barcinonensi ad nostram vrbem allatum fuit, & in beati Iacobi sacello, quod est in Ecclesia de Pilari oppositum Capellæ Cerdanorum, honorificentissimo in sepulchro constitutum. Vxorem duxit D. Isabellam Ram, maxima cognatione cum D. Dominico Ram, Episcopo Oscensi coniunctam, qui inclyti illius iudicii sibi socius fuerat. Ex ea filios suscepit: Ioannem; Berengarium; ac Georgium: priorem quidem, ipsius Regis, vt vocant, Camarlengum, Baroniarumq; Pertusæ, & Antillionis dominum: alterum, Olieti, & Arcaynæ ditionibus donatum à patre: postremum verò, Pompelonensem primùm, postea Turiasonensem Episcopum, in Cerdani Episcopi locum, creatum: filiam autem vnicam, D. Mariam, lectissimam feminam: quæ D. Petro Vrreæ, primario nobilissimo viro, à quo Arandenses Comites fluxere, nupta fuit, vt hoc ad Bardaxinorum gentem illustrandam accederet etiam insigne.

XLI.

FRANCISCVS ZARZVELA.

Et istius Zarzuelæ Iustitiatus, eiusdem Sanctii Franciæ arbitrio, & voluntate gestus, non obscurus fuit. Franciam enim iuris valde peritum fuisse constat, & ipsius Zarzuelæ locum tenuisse. Zarzuelam verò in tanto numero fuisse non video neq; summi ingenii, sed probabilis cuiusdam industriæ. Ab ampla tamen, & honesta familia originem ducebat, atq; in Valentino Regno illustris Comitatus, Exericæ ditionis, potiebatur. Neq; verò vita sibi tantum campum dedit, in quo posset ingenii sui, si quæ erat in eo, facultas excurrere. Magistratum enim biennium non habuit. Siquidem mense Aprilis, quo Bardaxinus mortem obiit, Iustitia factus fuit: sequenti verò Ann. Chr. ∞ CD.XXXIII. Non. Septemb. graui morbo oppressus, 1433
interiit. Ad Iustitiatũ autẽ quasi gradibus quibusdam ascenderat. Etenim primum, Martini Regis Consiliarius fuit, illiusq; Curiæ & Iudex, & Auditor: quæ olim erat fori consuetudo. Postea Quæsturam Regis iniit: & in Quæstura demum factus est Iustitia. Neq; verò illius Magistratum alia re nota insignem inuenio, nisi ea, quam dudum in Regni Tabulario comperi. Etenim cùm mercatores nostri, Hiberum fluuium nauigantes, à Catalanis tractarentur iniuriosius quàm aut per publica macrocola liceret, aut tanta animorum, ac vicinitatis coniunctio postularet: Francia ipse, Magistratus auctoritate, (cuius amplo Locumtenentis fungebatur, vt dictum est, munere) A. D. XIV. Kal. Septẽb. eiusdem Ann. ∞ CDXXXII. Catalanis edicto suo sanxit: vt ab Hiberi alueo quam cito remouerent, quæq; omnia possent nauiculatoribus nostris obstare, quominus à Cæsar- 1432
augustana vrbe ad Dertosam vsq; perquàm facilis ipsa nauigatio pateret. Quod si fieret, optimè; sin minus, iudicium se se edixit daturum iniuriarum, quod nostros homines ab omnibus his molestiis vindicaret. Ac Catalanos ferunt huiusmodi consiliis statim paruisse. Et ego libenter id credam: nam ea natio semper fuit in suum cuiq; tribuendo facilis. Mihi verò vitio dandum statui, si quod Locumtenenti ipsi tunc magnæ laudi ab omnibus datum fuit, silentio præterirem: cùm eo etiam tendat, vt præteritorum temporum momenta perpendentes, fuisse olim eam nostri Magistratus vim, ac dignitatem ostendamus, quę domesticorum non solum, sed vicinorum, tametsi alieni iuris, auersos nonnumquam à ratione motus, ipsius rationis regula, ad quam tandem totus dirigitur, temperarit. Ceterùm Zarzuela Exericæ sepultus iacet. Ex Vrsula vxore filiam reliquit Francinam, & Franciscum filium, quem hæredem fecit testamento. Sed vxoris gentilicium nomen exploratum non habeo. Constat autem eam, ortu Valentinam esse, & inde etiam Zarzuelæ maiores duxisse genus suum.

XLII.

MARTINVS DIDACI AVXIVS.

ATTAMEN istius Martini antiquitas generis ab Aux, nobili Galliæ vrbe,profecta perhibetur. Nam inde ferunt in nostram patriam circ. Ann.Chr. ∞ CCL. strenuum quemdam virum, Ioannem Didaci vocatum,aduenisse.Qui tametsi à Regibus nostris Bielsæ opido donatus fuit;illud tamē Auxii,à patriæ suę nomine,cognomen à se sumptum & retinuit ipse,&posteris suis hereditarium reliquit:quemadmodum illustris,& præclarus Didacus Casteionius, disertissimus tēporib nostris patronus;ac Philippi Regis in amplissimo Ordinū Senatu Cōsiliarius,in ea,q̄ collegit sui generis memoriā, obseruauit;vt huic Auxensiū nobili,atq; amplæ familiæ,qua cum ipse erat coniunctus cognatione, illatam labem, quæ ad eumdem Senatum delata fuerat,disceptatione,& cognitione veritatis,elueret, veterumq; rerū prolatione,nihil in ea vmquā vitiosum,nec maculatum fuisse demonstraret. Omninoq; in eo fuisse errorem puto: quòd antiqua adhuc nostrorum nominum ratio satis nota non esset.Immo cùm eam ignorarent, qui obtrectarunt; falso eidem ignobilitatē illā obiecerunt,Didaci id nomen in Auxensium familia,quod videmus esse commune cum multis,non patronymicum, sed omnino gentilitium fuisse existimantes. & simillimo errore plerosq; video frequenter duci in nostrorum hominum familiis distinguendis. Verùm huic inscitiæ iam me aliquod lumen prætulisse opinor, in ea, quam supra sum aggressus,de antiquis Aragonensium nominibus disputatione. Ac fortasse ea re præstiti,quod non parui ducerem:nempe vt multitudine nostrorum nominum,adhibita illa à nobis ipsorum varietate,perspecta,facilius deinceps singularum familiarum distinguantur gradus, ne propter eorundem confusam rationem,ex multarum summa indignitate similis labes aliarum summæ dignitati aspergatur. Is igitur Ioannes Auxensium nobilitatis princeps proditur:hic verò Iustitia, amplificator. In quo si non fuisset pertinacia tanta,ac tanta cupiditas Iustitiatus,vt fuit in eo bene gerendo curiosus, longè multos gloria superasset. Nam & industria valuit, & vsu complurium negotiorum multum:prætereà is vir fuit, qui ex Comitiali decreto Regni nostri scita,quæ Salanoua, Hospitalis,& alii veteres eorum Obseruatores collegerant, vndiq; tamquam flosculos carpens,coegit in genera, in illudq; redegit, quod nunc sub Obseruantiarum nomine connexum exstat legibus nostris volumen.Qua in re eorum omniū diligentiā superauit; auctoritate verò longe operam vicit, quandoquidem huic eius labori is magnus cumulus dignitatis accessit,vt publicarum legum instar, publica ipsa lege, sanciretur. Sic fecit,q; quisq; eorū fecit;&q; omnibus defuit,expleuit. Doctrinę porrò in eo tantū fuit,q; esset in priuatis rebus sibi,& amicis;in publicis autem Rei publicæ dignitati satis:prudētiæ verò sibi,vt mihi quidem videtur,non satis. Ante Iustitiatum autem eam gessit, quam Baiuliæ generalis Locumtenentiam appellant;cùm Aluarus ille Garauitus, Baiulus generalis esset. Ac IoanneLupi Gurrea in Garauiti locum deinde suffecta,eodem Probaiuli,vt ita dicam,perfunctus est munere. Postremò in altiorē gradum, ipsius scilicet Baiuliatus ascendens,Baiulus generalis à Rege effectus fuit. Tandem Iustitiatum adeptus Februarii mense Ann.Chr. ∞ CDXXXIV. Sed cùm illa sequor, quæ scribenda insti-
1434 tui,tum hoc non in postremis,de quo cœperam exponere; si Iustitia hic stetisset in promissis,nec splendorem suum nomine calumniæ maculasset:nihil eo fuisse præstantius. Verùm eo ipso, & Regis,& bonorum omnium odio se magis irretiuit, quo noua interdum constituta lege, sese credidit interuertere posse Iustitiatum. Ita enim rem gestam exponit Martinus Pertusa,iuris,& literarum peritissimus,huic ætati adiunctus proximè; quem constat, tum ciuem grauem, tum in magnorum patronorum numero habitum fuisse illis temporibus. Nam & Zalmetina fuit,& multa de legibus nostris scripsit, quæ exstant apud nonnullos,non edita;ex quibus eum colligitur ingenii acumine floruisse nimium. Is ergo dum Forum, *Tatsia. De Officio Iustitiæ Aragonum*, editum in Co-
1436 mitiis Alcagnicii, Iustitia hoc assidente, Ann. Christ. ∞ CDXXXVI. habitis, interpretatur: *Nota* (inquit) *hunc Forum, prærogatiuam singularem continentem Iustitiæ Aragonum, Locumtenentium suorum, & Notariorum principalium, & Virgariorum Curiæ suæ, vt pro quibusuis delictis, aut caussis, vel rationibus non valeant conueniri, nisi*

Coram

Coram Domino Rege, & Curia coniunctim, nec capi, nec accusari, nec capti detineri. (nam eadem ipsa lex est, quam supra, dum grauem illum de Magistratus vi, ac potestate locum tractauimus, loquentem induximus, vt doceremus, nemini fas esse, Magistratum, etiam iure priuati, apud alium, præterquam apud Regem, & Regnum simul criminari.) *Et vt accepi, Forus iste fuit procuratus, vt ita fieret, per dominum Martinum Didaci de Aux Iustitiam Regni Aragonum cum amicis suis: ne per dominum Regem, aut eius Locumtenentem, vel alios Iudices posset iudicari, nec contra eum aliquo modo per eos procedi, nec compelli posset ad renuntiandum officium Iustitiatus, quod renuntiare promiserat, mediante quodam cartelo, propria manu scripto, toties quoties sibi restitueretur Officium Bayuliæ generalis Regni Aragonum per Illustrißimum dominum Regem Alfonsum. Et quia requisitus per dominam Mariam Reginam Aragonum, dicti Domini Regis Locumtenentem generalem, vt dicto Officio cederet, & renuntiaret iuxta tenorem dicti carteli, cùm sibi restitueretur realiter dictum Officium Bayuliæ generalis; noluit cartelum seruare, nec contenta in illo adimplere, immo recusauit, quod sibi mandabatur ex parte dicti domini Regis, adimplere. Et cùm in cartelo diceretur, quòd si renuntiare dicto Officio recusasset, quòd incurreret in pœnam, quam dictus dominus Rex vellet; fuit requisitus pluries, vt adimpleret promissa, pro parte dicti domini Regis per dictam dominam Reginam eius consortem, & Locumtenentem generalem: & dixit se potius velle incurrere in pœnis in dicto cartelo suo contentis, & per dominum Regem declarandis, & perdere potius vitam, quàm renuntiare. Fuit declaratum, illum fore priuatum Officio Iustitiatus in pœnam: & illud Ann. ∞CDXXXIX. fuit datum domino Ferrario de Lanuza. Et dictus dominus Martinus captus, apud Exatiuam mortuus fuit. Cartelli autem, de quo hic in præsenti carta fit mentio, tenor fuit tenoris sequentis. A vos muy Excellente Principe, e Segnor Don Alfonso por la gracia de Dios, de Rey Aragon, de Sicilia, etcetera: prometo yo Martin Diaz de Aux, olim Bayle general, & Receptor general en el dito Reyno de Aragon, & nueuament por vos proueydo del Officio de Iusticia del dito Reyno: Que toda vegada, que por Vnestro Excellencia me seran tornados, dados, e commendados por todo el tiempo de mi vida, los ditos Officios de Bayle general, en la forma quo los tenia, en el tiempo, que fuy proueydo por Vuestra Segnoria del dito Officio de Iusticia, e con las prouisiones e seguredades, que por mi part seran a Vuestra Segnoria demandadas; e fere metido por Vuestra Segnoria, de vuestro mandamiento, en possession pacifica de los ditos Officios, e cada vno dellos; y aquel, o aquellos a quien los ditos Officios por Vuestra Segnoria seran dados, e acomandados, en las ditas collacion, e comanda, e adepcion de posession hi hauran consentido; e la carta publica del cōsentimiento dellos me sera librada en publica forma: Yo resignare el dito Officio de Iusticia en manos de Vuestra Segnoria. E posado, que en el dito caso recusasse, o dilatasse resignar el dito Officio: quiero ser encorrido ahora por la hora en la pena, que a Vuestra Segnoria plazera. E en testimonio de aquesto fago la present escritura de mi propria mano en Caragoça a dos dias del mes de Febrero, Año de mil y quatrozientos treynta y quatro.* Alfonsus enim quando huic Martino Iustitiatum commisit, istius chirographi cautionem interposuit, vt fiduciæ acceptæ id publicum semper testimonium exstaret: quasi iam illius animus futuram inconstantiam præsentiret. Neque verò eidem posteà huiusmodi calumniam solam, sed & alia etiam crimina obiiciebat. Iustitia verò de obiectis nihil confitebatur: quoad fiduciam autem id agebat, vt si fieri posset, temporis procellam deuitaret: nam interposita Regii iudicii reiectione, se nouæ legis præsidio defendebat, iamque de suis factis nullum fieri iudicium posse, nisi institutis Comitiis, affirmabat. Verùm neque Regi, neque populo, ac vix cuiquam ex suis ea excusatio probabatur. Quòd si suæ salutis spem in aliquo honesto præsidio, aut in ipsius Regis gratia collocasset, meliùs suæ consuluisset incolumitati, vitæ, & fortunis. Ergò ille cùm in proposita sententia permaneret, nec quem exitum habitura res esset, prouidisset satis: id denique effecit, vt quò minimè volebat, eò reuolueretur imprudens. Anno siquidem ∞CDXXXIX à Maria Regina, Alfonsi Regis vxore (Neapoli enim 1439.
Alfonsus tunc aderat, ea verò ipsius vicem, & locum tenebat apud nos) siue, vt Surita perhibet, à Ioanne, Nauarræ Rege, Alfonsi eiusdem fratre (qui apud nos etiam assiduè versabatur) euocatus, sæpiusque vt Iustitiatum deponeret, interpellatus, & monitus, non eo solùm, sed & libertate se miser abdicauit. Etenim cùm se insolenter in eodem illo congressu iactauisset; concubia quadam nocte comprehensus, clam ad Valentinum Regnum ligatus, deductus fuit, Sætabique nobili Contestanorum vrbe, coniectus in carcerem: vbi infelix, & ærumnosus interiit A. D. VII. Kal. August. Ann. Chri. ∞CDXL. quamuis hac de re varia est opinio: nonnullaq; scripta feruntur, ex quibus illius Iustitiatum, ac vitam fuisse longiùs productam apparet: sed nequaquam tamen

meliores exitus habuisse. Sic tandem omnes eius conatus ad sui ipsius perniciem desciuerunt. Inde illius corpus Cæsaraugustam allatum est, & in beati Francisci templo conditum in marmoreo sepulchro, quod ad claustri ianuam nunc exstat. Liniana autem superstes vxor illud marito, sibi, & posteris faciundum curauit. De reliquo hæc habeo, quę dicam. Patre natus fuit Ioanne Didaci Auxio: matre verò D. Martina: quos Darocæ habuisse domicilium comperio. Filios verò plures reliqui, ex coniugibus scilicet duabus susceptos: è priori quidem, quæ D. Isabella Cerdan dicta fuit; Martinum Didaci Auxiū, qui Alfonsi Regis Cubicularius fuit, & Alfoceæ opidi, dum vixit; Ferdinandum quoque qui penè infans decessit. E posteriori autem, D. Maria Eximini Liniana; Ioannem Didaci Auxium, quem paterni domicilii heredem fecit; Catharinam Didaci Auxiam; & Ludouicum Didaci Auxium: quibus bona sua singillatim aspersit testamento. Lautum enim patrimonium confecit. Nec dubito, quin magis amplum reliquisset suis, nisi tam magnum in se odium ipsius Regis Alfonsi concitasset. Simus igitur omnes ea mēte, vt qui fiduciam accipiat, fidem esse præstandam arbitretur: sciatq; nec quidquam aliud, quod omnino grauiter sit pertimescendum, accidere cuius posse, præter culpam.

XLIII.

FERRARIVS LANVZA I.

QVAM multi autem iam Iustitiæ Aragonum commemorati sunt, & quamdiu in eorum enumeratione versamur, cùm tamen ad geminos, vt ad Sessessios, Artassonas, Tarinos, atque adeò alios, dudumque ad Cerdanos; sic nunc ad Lanuzas, institutum ordinem sequentes, peruenimus. Sed de eis omnibus sic equidem statuo, vt in vna familia ad illius laudem, & antiquæ nobilitatis memoriam; vnum, aut alterum, fuisse Iustitias satis putem: & si in qua tres; eam omnino iudicem clarissimum indicium honestatis, magnum insigne honoris, ac monumentum gloriæ consequutam. Et verò tot video in Lanuzarum gente Iustitias exstitisse, vt ad sempiternum eorum nominis decus, ac splendorem, vel ea in re sola statuam esse plus etiam, quàm satis, indicii, atque argumenti constitutum, neque quod ipsis solis satis, sed quod multis aliis satis ad suam nobilitatem illustrandam esset. Atque hæc quoque iure potest, & clarissimæ eorum gentis, & quasi communis esse ipsius Magistratus laus, cùm hanc tantum Iustitiarum Aragonum copiam effuderit; neminem ex eis amplissimum istum fuisse honoris gradum adeptum, qui non omni studio, virtute auctoritate, & fide ad conseruandam Rempub. incubuerit. In quos cùm intueor, occurrit mihi maximè hic Ferrarius. Cuius tantus fuit animi splendor, tanta præstantia, & magnitudo, vt omnia quæ clarissimorum virorum essent, & sumpsisse sibi, & summa cum dignitate retinuisse semper, visus sit. Quamquam multis ante eum annis, Iacobi scilicet II. temporibus, alium quoque Ferrarium Lanuzam floruisse laudibus, atque omni genere virtutis comperio. Siquidem eum constat, cùm opidorum, *de Escuer, Arguisal, & Essun de Bassa*, in iis Regni nostri confiniis, quæ Pyrenæos montes attingunt, potiretur, neque solum in illis ipsis municipiis, ex quibus eius generis antiquitas profecta erat, sed in tota ea regione amicis, opibus, ac potentia valeret: in prima Sardiniensis Regni expugnatione circiter Ann. ∞ CCCXXIII. in ipsius Iacobi Regis exercitu militasse, posteaque sibi Alfoceæ opidum eiusdem Regis, vt suspicor, beneficentia adsciuisse. Is duos filios reliquit: Lupum, ac Ferrarium: quorum virtus maximè etiam nobilitata fuit illis temporibus. Ferrarius enim à Petro IIII. Ann. Chr. ∞ CCCLVII. suppositus fuit Ioannis Lupi Sessessii imperatoriæ operæ ad defendendam vrbem vicarius, quando eidem Castellæ Rex Petrus ferrum, ac flammam minabatur. Lupum autem tametsi non ita bellicarum rerum laude celebratum inuenio, tamen clarum, & potentem virum fuisse constat: atque D. Vrracam Ferdinandi Tarbam, Galaciani Tarbæ, Iustitiæ Aragonum, ex filio neptem, vxorem duxisse: in quam omnis Tarbarum hereditas nominis, ac gloriæ peruenit. Quorum ipsa cupiens intermorientem memoriam suscitare, Martinum Lupi Lanuzam, filium minorem natu, heredem sibi instituit testamento, & quasi à se adoptatum, ex Lanuza Tarbam fieri iussit. Vnde Martinus ipse & Galacianus Tarba, vocitatus est. Illius verò frater maior natu, Ferrarius Lanuza dictus, paternam,

paternam, & auitam hereditatem adiuit; ac Iuſtitiam hunc ê Galaciana Egidii Caſtrò
ſuſcepit. Quam ſuſpicor, illius D. Petri Caſtri, cuius in vita Stephani Egidii Tarini meminimus, filiam fuiſſe, aut certè gentilem: & quia à Tarinis ipſis ducebat genus ſuum,
illud ſibi Egidii, vſitatiſſimum eorum patronymicum nomen, in illorum memoriam,
reſeruaſſe: ideoque Galacianam Egidii dictam eſſe. iam vt in ipſo Iuſtitiatu eadem ipſa
Lanuzarũ gens tam altas egiſſe radices, inque ſui generis, ac ſeminis ſtirpe, ingenerata ei
hæc tanta frugalitas videatur. Sed maiores ſuos Iuſtitia hic gloria ſuperauit. Tam auſpicatò autem primus in domum ſuam ipſum intulit Iuſtitiatum, vt perquàm facilem viſus
certè ſit poſteris eundem adipiſcenti gradum reliquiſſe: apud omneſque Reges, qui Alfonſo ſucceſſerunt, perinde atque apud eum, valuiſſe iſtius, etſi mortui, tam bene de
Repub. meriti, ſenem memoriam. Cùm vero Iuſtitia factus fuit, Baiuliam generalem
gerebat; qui fuerat in Martini Didaci Auxii locum ſuffectus. Sed Martino, vt paulo
ante diximus, Iuſtitiatu abeunte, eidem in ipſo etiam Iuſtitiatu ſucceſſit: ſibi autem in
Baiulia Martinus Lupi Lanuza, germanus frater, vir equidem illuſtris, & clarus. Sic hoſce ambos fratres, quos erexerat virtus ad laudem, extulit ad gloriam fortuna; vt puncto temporis eodem, atque iiſdem pene literis, alteri Baiuliatus, alteri Iuſtitiatus mandaretur. Ferrarius autem Magiſtratum iniit Kal. Iul. Ann. ∞ CCCCXXXIX. Et verò
quamuis iuris ſcientia nudatus; ſua tamen prudentia, quæ ſumma in eo fuit, non Ma- 1439
giſtratus ſolam, ſed quam multi, & varii caſus priuatim ſibi impoſuerunt, magnificentiſſimè perſonam ſuſtinuit. Et longinquus à nobis eiuſdem Regis abſceſſus tot, ac tanta
attulit publicis rebus incommoda, vt in earum procuratione Iuſtitiam hũc aſſiduè multis officiis implicatum, & conſtrictum eſſe oportêret. In primis ergò Comitiis præfuit,
quæ Alcagnizii fuêre Ann. ∞ CDXLI. inſtituta, Cæſarauguſtæ verò ſequenti anno 1441
peracta. In quibus noſtri in proximorum Iuſtitiarum exemplis periclitati, publica ea 1442
lege, *Como ſegunt la ment de los Fueros antigos.* ſub tit. *De Officio Iuſtitiæ Aragonum*:
quæ tunc lata fuit, Magiſtratum ipſum maxima abrogationis difficultate ſepſerunt,
decernentes pacta omnia, & promiſſa, quæ in poſterum quo quomodo de eodem deponendo fierent, irrita futura, & infecta, ac nullam prorſus vim fœderis habitura. Quin
Iuſtitiam Aragonum, poſtquàm à Rege præfectus ſit muneri, ad ſolius Regis nutum
nequaquam pendêre: neque Magiſtratum eidem, præterquàm à Rege cum Regno
ſimul, abrogari iam poſſe. Quam legem loquentem induximus, cùm de iſtius Magiſtratus vi, ac poteſtate diſputauimus. Verumenimuero cùm ea Comitia, abſente Rege, à Maria vxore habita fuiſſent, quia in Mariæ gubernatione Alphonſus maritur, in Neapolitana expugnatione occupatus, vniuerſum hoc noſtrum imperium
poſuerat; & quamuis ipſe ad ſeruandas leges, quæ tunc editæ fuerant, hoc pignore
cenſebatur eſſe obligatus ſatis, quòd pro eo Regina ſpopondiſſet, quæ Regalem
omnem poteſtatem habebat: nihilominus tamen volentes noſtri maiorem quoque
cautionem adhibere, ſtatuerunt, ſponſionem eam ab ipſo Rege in ipſius Iuſtitiæ Aragonum verba fieri debêre; cùm eæ præcipuæ partes Magiſtratus ſint, publicæ nempe à Regibus noſtris recipiendæ fidei. Itaque iſtius rei cauſſa, in Neapolim Iuſtitia hic
legatus eſt à noſtris: deque ipſo Rege, decreta omnia approbante, fidem recepit ſollemni religione conſtrictam, ſe ab eis nec tranſuerſum vmquam vnguem diſceſſurum.
tanti ſua maiores illi noſtri putarunt, ac noſtra quoque ad retinendam libertatem intereſſe, eam legem manêre, quæ iis Comitiis fuerat de abrogandi muneris difficultate rogata. Et Iuſtitia ipſe in ea legatione tantopere Regi officium ſuum probauit,
vt ab eo diſcedens Ann. Chr. ∞ CDXLV. nouo, & magno afficeretur honore. Ete-
nim Ioanni fratri, Nauarræ Regi, intimus Conſiliatius ab eodem Alphonſo datus fuit, 1445
totiuſque bellicæ rei gerendæ rationis adminiſter. Neque id Ioannes acerbe tulit: imo deinceps illius opera, & conſilio aſſiduè vti non ſolùm in publicis, ſed in priuatis ſuis, ac domeſticis rebus conſueuit. Cumque Ann. ∞ CDXLVII. Calataiubium 1447
tenderet, vt cum Ioanna, Almirantis Caſtellæ filia, matrimonii dignitate coniungeretur: eum ſibi aſſeclam iuſſit eſſe vnà cum nonnullis aliis ad tantam rem ex Optimatibus noſtris ſelectis. Sed intereà dum hæc gerebantur, Metimnæ Zelin Comes, D.
Gaſtonius *la Cerda*, in ſuis opidis, quæ in iiſdem ipſis confiniis ſunt, contra noſtrum Regnum inſidias inſtruebat. Cui oppoſitus erat Rudericus Rebolledo, clarus, & fortis vir.
Erat quippe inter noſtros, ac Caſtellanos à ſingulis Regibus bellum indictum. Cùm
igitur hi ambo duces Ann. Chr. ∞ CDXLIIX. in conſtitutum certamen deueniſ- 1448
ſent; Gaſtonius à Ruderico comprehenſus, Cæſarauguſtam captiuus ductus fuit, & ab
eodem Ioanne Rege huic Iuſtitiæ in cuſtodiã traditus. Ipſe verò in ſuam Bardallurẽſem

arcem Gastonium deduxit, ibidemque biennium illum in liberali custodia inclu-
sum asseruauit. Ceterum eo tempore adhuc ille mos antiquus manebat, vt in Comitiis
nostri Ordines Deputatos Regni, & Inquisitores Officii Iustitiæ Aragonum, adhibitis
suffragiis renuntiarent. Ob quam caussam confusa, & perturbata ea res omnino versa-
1450 batur. Cui vt prouideretur incommodo, Comitiali decreto Ann. Chr. ∞ CDL. (nam i-
dem Ioannes tunc nostris Cæsaraugustæ habuit, absentis fratris nomine, Comitia) D.
Dalmatio Murio, Cæsaraugustano clarissimo, & nobilissimo Antistiti, & huic Iustitiæ,
soluta optio data fuit ad ea munera, quos ipsi vellent, ex nostris eligendi; & emendandæ
etiam ea in re ipsius antiquitatis potestas. Ipsi verò amplissimos viros elegerunt: atque vt
ea omnis suffragiorum in posterum confusio tolleretur, horum munerum sortitionem
constituerunt, non expressam eam, quæ nunc viget, sed ad illius prope speciem adum-
bratam. Inde enim informata videtur, quæ Ann. Chr. ∞ CDLXI. decreta fuit: & quæ
tandem nobis mansit Ann. Chr. ∞ CDLXVII. rogata. Sed ne in iis ordinem annorum
turbem, multum quoque operæ Iustitiam hunc posuisse constat, vt si fieri posset, maxi-
mæ illæ inter inter ipsum Ioannem, & Carolum filium, Vianæ Principem, concitatæ di-
1453 scordiæ sedarentur. Iamque Ann. Chr. ∞ CDLIII. Cæsaraugustæ Comitiis institutis
consilia ea de re fuisse inita videmus: eosque ambos, Carolum, & Ioannem, fidem suam
in ipsorum Comitiorum facie, interposito iureiurando, Iustitia hoc assidēte, deuinxisse,
omnia se esse, quæ pacta fuerant, seruaturos. Quocirca paulò post Iustitia iste in Castel-
lam missus fuit. Atq; tunc obiit pacificatoriam illam legationem præclaram, tantopere à
Surita in suis Annalibus celebratam: in qua non solùm prudenter, & cautè mandata ef-
fecit, quæ receperat; sed solus ipse opiniones eorum superauit, quos Castellanus Rex in
concilium sibi istiusmodi de rebus adhibuerat. Inde pręterea cùm domum suam Iustitia
hic reuenisset: in Neapolim iterum eorumdem negotiorum caussa legatus est Ann.
1455 ∞ CDLV. Nam etsi aliquandiu eidem Alfonsus succensuerat, quòd suis mandatis Ma-
gistratus auctoritate obstitisset, cùm pro illegitimarū filiarum dotibus nostra opida tor-
queri iubebat, quemadmodum dum de Alfonso egimus, explicauimus; sed iam multa il-
le animi ergà hunc Iustitiam mitigati dederat signa; quòd ea esset Alfonsi temperantia,
ac moderatio naturę, vt quam lenissimè ferret interdictiones quasuis, suis tametsi actio-
nibus aduersantes, modò æquitate iuris, aut latarum legum scripto niterentur. Neq;
Rex tunc, vt ipse posteà sententiam suam aperuit, plus quidquam volebat, quàm quā-
tum permitteret ius. Itaq; istius Iustitiæ legatio perquàm grata Alfonso, ac iucunda fuit.
Ab eo autem sequēti anno dimissus, in patriā reuertit, vt institutę rei exitum expediret.
Nec diutius multò omnia hæc acerbissimo Alfonsi eiusdem interitu perturbata fuêre.
1458 Obiit enim Neapoli An. ∞ CDLIIX. Et eum tunc Regem amisimus, cui similis in terris
non erat. Cùm multis autem illius mors accidisse incommodè videretur, tum verò huic
Iustitiæ: eum vt omnes crederent, & industriæ suæ, & fortunæ fructus simul perdidisse.
Nam magni illum Alfonsus Rex fecit ad grauissima quæque negotia gerenda; sic vt plu-
ris neminem. Iam verò Ioannes Nauarrę Rex, postquàm fratris mortui adeptus fuit im-
perium, eidem huic Iustitiæ libenter concessit suorum omnium consiliorum summam:
quippe qui iampridem singularem eius fuerat industriam expertus. Priusquam autem
ad gubernacula nostra sederet, Cæsaraugustæ eodem ipso anno fidem suam in istius Iu-
stitiæ verba solito nexu obligauit. Mox Valentiam proficiscens, eumdem secum duxit:
præceperat enim, vt quoad posset, ab illius latere numquam discederet. Atque eum-
1459 dē ipsius Ioannis nomine An. Chr. ∞ CDLIX. interuenisse cōperio in eo fœdere, ꝙ tūc
1460 ibi cū Galliæ Regis legatis ictū fuit: tū etiā in Comitiis ad Fragæ opidū An. Ch. ∞ CDLX.
1461 celebratis: & amplissimis iis, quę An. Chr. ∞ CDLXI. ad Calataiubiū ab eodē Rege habi-
ta fuerunt. De quorū vbertate libet modò præclarū Molini testimoniū afferre, vt ei, ꝙ
protulimus, cōnectatur. Nā sic est apud illū in suo Repertorio. *Fori conditi in his Curiis
Calataiubii, fuerunt multi, & valde notabiles. Nam ex variis Determinationibus Consilii Iu-
stitiæ Aragonum fuerunt per Ioannem del Rio, magnum Iurisperitum, socerum domini Martini de
Larraga collecti.* Et quoniam horum patronorum est facta mentio; fuêre hi ambo illis
temporibus in forensibus caussis nimium versati, & in tanto numero habiti apud nos,
vt eis duobus nemo ferè tertius suis ætatibus adnumeraretur: quamquàm multorum
iudicio, gener socerum, iuris intelligentia, anteiuit. Et idem aliquot post annis ad si-
milem laudem, atque etiam maiorem, suum illum gentilem excitauit, Hieronymum
Larragā, clarum, & doctum virum: quem constat Procancellarii Regis munus gessisse,
fuisseq; omnino iustitia, & integritate præstantem. Atque hoc memoria patrum
teste dicimus. Sed vt ad hunc Iustitiam, à quo digressi sumus, reuertamur, Iudex præ-
fuit

fuit Comitiis Cæsaraugustæ habitis Ann. ∞ CDLXVII. in quibus inducta nobis fuit præclara, quæ nunc viget, exercendi Inquisitorum, ac Septemdecim virorum in hunc 1467
ipsum Magistratum formula iudicii. vt illius statuendæ ab initio, Ferrarius iste videatur effector, auctor, & parens exstitisse. Præterea Ann. ∞ CDLXXV. Lazarus Borau, qui 1475
eius locum tenebat, in Alagonis opido interfectus fuit, cum Manlienem tenderet, vt litigiosæ cuiusdam à se cognitæ, & iudicatæ rei persequeretur extrema. Quod tam immane scelus, atque in omni vita inauditum, Ioannes Petri Caluilius, potens, & factiosus homo commisit: qui rei iudicatæ stare ostenderat non placere. Eoque maior illius audacia, & maiori supplicio digna, visa est, quòd in totius Regni conspectu (Cæsaraugustæ enim eo tempore Comitia habebantur) tantum virum necare ausus fuisset. Cæsaraugustam verò ipsius opidi fines attingunt. Quamquam autem illico ingens Comitiorum motus, & ipsorum Ordinum concursus, istius sceleris vindex, factus fuit: verumtamen ii impetus fuerunt inanes. Interfectores enim statim aufugerunt. Neque vero adhuc quas dependerint pœnas, inueni. Denique Ann. ∞ CDLXXVIII. cùm iam Iu- 1478
stitiatus hic in exitu esset, insignem illam Marchionis Oristanni bonorum omnium fuisse factam apparet, contendente Rege, Magistratus verò auctoritate interposita, proscriptionem. Atque eodem ipso Ann. Chr. ∞ CDLXXVIII. exeunte, vt coniicio, ab hoc Ferrario Iustitiatus depositus fuit, statimque Ioanni Lanuzæ, illius filio, tertio loco nato, eiusdem Ioannis Regis beneficentia, delatus. Qua de re scio aliter Suritam scripsisse: & me etiam aliquando, Archiepiscopi nostri Ferdinandi monumenta sequutum. Sed nuper in publicis ipsius Magistratus Commentariis, Ianuarii mense sequentis anni, Ioannem Lanuzam filium, Iustitiam Aragonum sæpius nominatum, iuridicundo præfuisse obseruaui. Neq; tamen exploratius in eis quidquā inueni, tametsi quæq; potui, scrutatus sum. Sed vt vt se res habeat, hoc ibi certum ponitur, videlicet: *Die nona mensis Ianuarii Ann. Chr. ∞ CDLXXIX. interfuit in Consilio dominus Ioannes de Lanuza, Iustitia Aragonum: & hoc fuit primū consiliū dicti domini Iustitiæ.* Vnde sequi mihi necessario videtur, anteriori anno exeunte fuisse ab hoc Ferrario Magistratum depositum. Et vero ex Agnete Garauitia, quam duxit vxorem (erat autem illius Aluari Garauitii, cuius meminimus, & Violantis Lanuzæ filia) vnicam filiam; ac tres filios suscepit: D. Dianirā nēpe Lanuzam, quæ D. Petro Lunæ, primario viro, Illuecæ dominatori nupta fuit; Martinum Lupi Lanuzam; Ferrarium; & Ioannem Lanuzam, quem paulo ante diximus, parenti successisse. Ac Martinus quidem, filius maior natu, Bardallurensis, ac Placentinæ ditionis institutus heres, fuit omnino fortissimus, & clarissimus vir. Ad cuius posteà filium Ioannem idem iste Magistratus peruenit. De quibus infra dicendi locus erit, cùm de iis, qui interpositi fuerunt, pauca dixerimus. Ferrarius autem, Azayliæ, & Cosculluelæ dominatum tenens, D. Mariam Lunam, D. Ioannis Lunæ, Villæfelicis dominatoris, & D. Angelinæ Cosconiæ filiam, vxorem duxit. Quæ verò de Ioanne Lanuza, tertio filio, dicenda sunt, proximo, & continenti sermoni reseruabo: tantùm est enim propositum mihi colligere eos, qui hoc sunt functi munere apud nos.

XLIIII.

IOANNES LANVZA I.

ITAQVE in paternæ quasi hæreditatis partem Ioannes hic Lanuza, cùm primum pubesceret, vt in iisdem Commentariis scriptum est, Ann. ∞ CDLXXVIII. exeunte, Iustitiatum iniit, viuo adhuc Ioanne, sed 1478
iam extremo pene spiritu confecto, Rege: vt idem prope annus, ac mensis ferè, qui ipsius vitæ finem fecit, dedisse huic Iustitiæ istius muneris initium videatur. Superior autem Ferrarius Iustitia ita bona sua partitus est cum filiis, vt duobus aliis grandioribus singulas eas, quas diximus, ditiones legaret: huic autem Ioanni, qui minor natu fuit, auita illa, *de Escuer, Arguisal, & Essundebassa*, oppida relinqueret. Et eidem quoque hereditatis loco curauit, & obtinuit, vt amplissimum hoc à se depositum munus mandaretur. Neque vero inferior, quàm pater, fuit nominis splendore, aut virtute: quin certè laudibus iisdem ornatus: honoribus autem eò processit, vt & parentem suum gloria superarit. Etenim cùm in Iustitiatu gerendo magnam præstan-

tis viri speciē indicaret,eaq; inesse in se solertiā,quæ esse posset ad res maiores obeūdas satis:interuallo nec longo interiecto, munificentissimo decreto honestatus,summo cū imperio ad Valentinum Regnum, ac Cathaloniæ deinde Principatum Prorex missus fuit. Atque eodem prorsus munere, & Almirantis simul in Siciliensi Regno perfunctus posteà,visus est certè,cum militari fortitudine domesticam prudentiam adæquasse: nā multa fecit & in bellicis,& in ciuilibus rebus præclara,quæ illius,tametsi mortui,viuam tamen semper memoriam tuebuntur. Quæ verò ea fuerint, non est mihi propositum enarrare,cùm extra Iustitiatum gesta fuerint. Ac vix quidquam in eum incidisse memoria dignum comperio, quod obseruem. Hæc enim tempora planè nobis tranquilla fuêre: & verè vt dicam, actiones omnes tum Catholici Regis Ferdinandi, qui cum hoc Iustitia fuit ætate coniunctus;tum Caroli V. Maximi,Imperatoris;ac Potentissimi Regis nostri Philippi,ad quos gradatim ipsius Ioannis II. Regis hæreditas omnis peruenit,Magistratū hunc otiosum reddiderunt.Nā quisq; eorū ꝓ singulari sua benignitate videtur,certatim quasi,nō ad turbandā,sed ad tranquillandā Rēpub.cucurrisse. Cùm verò Catholicus Rex,postquàm Ioannes pater interiit,gubernacula nostra prendere concupiuit;fidem suam huic Iustitiæ, Reipub. nomine, A.D. IIII. Kal.Iul.eius-
1479 dem Ann.Chr. ∞ CDLXXIX. se nihil contra patriæ iura facturum esse, solito more,
1481 interposito iureiurando deuinxit. Et illud idem similiter Ann.Chr. ∞ CDXXCI.tum idem Rex,tum Isabella vxor, pro Ioanne filio, Asturiarum, & Gerundiæ Principe, illius tutores adscripti,quòd puer infans esset, spoponderunt; quando illum futurum eorum heredem à nostris acclamandum decreuêre. Cumque Ann.Chr. ∞ CDXXCV.
1485 interuenisset ille, quem retulimus, de Sancti Inquisitoris morte grauissimus casus: Iustitia hic clarissimi iurisiurandi princeps fuit,quod quatriduo post in Templo maximo à Magistratibus vrbis,sollemnibus verbis,factum est: quoniam quidem ad eam,quæ erat Catholicæ Fidei,caussam non minori studio, quàm ad animarum salutem incumbere oportere iudicauit,iamque Sanctissimum ipsum Inquisitionis Officium(quod tūc in Remp.ad Iudæorum delicta comprimenda inducebatur)& Magistratuum omnium potentia,& priuatis singulorum præsidiis fultum esse.Neque enim pro illius statu Iustitia hic tunc solam Magistratus opem,sed & priuatas suas, suorumq; fortunas,auctoritatem,gratiam,& copias spopondit. Atqui eumdem aliquandiu constat simul eodem tēpore & Iustitiatu ipso,& singulis aliis muneribus fuisse perfunctum. In Valentiam siqui-
1492 dem circiter Ann. ∞ CDXCII. Proregem missum: post autem aliquanto, in Cathalo-
1495 niam:anno verò ∞ CDXCV. amplissima illa duo, quæ paulo ante diximus, Siciliensis
1497 Regni munera obiisse.Sed Iustitiatum suum nequaquam Annum ∞ CDXCVII. excessisse,in Magistratus Commentariis,quos dudum peruolutaui,certum inuenio:eius autem vitam longiùs productam.

XLV.

IOANNES LANVZA II.

NAm in Magistratus Tabulario, in quo dicti Commentarii sunt reconditi,sic comperi librum inscriptum. *Liber primus consilii magnifici,& circumspecti viri domini Ioannis de Lanuza iunioris, Militis, Serenissimi domini Regis Consiliarii, ac Iustitiæ Aragonum, de Anno Christ.* ∞
1498 CDXCVIII. In his verò Annorum,qui antecesserunt,Codicib. quorum plurimi exstant,Ioannis Lanuzæ Iustitiæ Aragonum expressum nomen,ac sæpius repetitum in ipsis Diariis inuenitur. Quod ad superiorem Iustitiam referendum esse, aperta res est. Atque inde etiam colligitur, vno, & eodem tempore, & Iustitiatu,& Regiis aliis muneribus potitum fuisse.Hæc autē tanta nominum similitudo non paruam creat in horum Iustitiarum annotandis temporibus confusionem.Quæ de ipsis enim monumenta loquuntur,ac iidem ipsi, quos dixi, Commentarii,semper Iustitiæ Aragonum nomen non exprimunt:aut si fortaſse exprimunt, nequaquam semper iis, quæ nos adiicimus, signis, quasi articulis,posteriorem hunc Ioannem à superiore discernunt:quibus facillimè ea omnis confusio tolli posset. Vnde fit,vt quæ personis distinguūtur, nominibus interdum confundantur; atque vt tametsi singulafacta fidenter obseruentur, ad quem tamen eorum referenda sint, non ita queant fidenter annotari. Sed maiore laude aliis in rebus, quàm in hac vna enucleatè easdem perscribendi,nostra semper omnis versata est antiquitas. Hanc autem à me

me nunc adhibitam vniuscuiusque eorum temporis notationem, exploratam possumus
habere, vt coniicio. Ingenuèque fateor vulgarem eam, quæ hactenus versata est apud
nos, quæq; tum dictum Archiepiscopum Ferdinandum, tum alios, quos sum sequutus,
decepit, in me facilius, quàm debuerat, cum primum illos edidi Fastos, irrepsisse. Apertè
itaq; ex dicti codicis inscriptione colligitur, iam dicto Ann. ∞CDXCVIII. superiorem Io- 1498
annem Iustitiatu abiisse: hunc autem in illius locum fuisse suffectum. Iunior autem pro-
pterea dictus est, quod superioris Iustitiæ filius esset, è nobilissima D. Beatrice Pimente-
lia vxore, procreatus. Quod si anteriores ambo, ipsius scilicet pater, atque auus,
tantum, quantum supra dixi, omni genere laudis floruerunt: nequaquam Iustitia hic
degenerauit ab eis: quin si vita sibi suppeditauisset; ad easdem ipsas, ad quas pater, for-
tunas, ac maiores fortasse peruenisset. Sed vterque eorum cecidit in cursu: pater qui-
dem, Neapolitanus Prorex, Guntisalui illius Ferdinandi Cordubæ, clarissimi, summi,
ipsoque nomine dignissimi imperatoris, loco designatus: hic verò Ioannes filius; cùm
in patris locum Prorex etiam in Siciliam mitteretur. sic iam ad paternam gloriam per
eosdem ipsos gradus ascendebat. At verò in gerendo Iustitiatu omnino fuit auitam i-
psam laudem consequutus. Prudens namque habitus est, industriusque in agendo; ma-
ximi animi, summi consilii vir: conseruandæque Reipub. studiosus. Catholico autem
Regi acceptissimus fuit. Cùmque paulo ante, quàm Magistratum iniret, Ioannes Prin-
ceps Salmanticæ obiisset sine prole, quamobrem iure, futura illius hereditas ad Isabel-
lam sororem, Portugaliæ Reginam perueniebat, quæ Catholicorum Regum gran-
dior filia fuit: parentes eam, virumque Emanuelem, futuros Reges à Castellanis viris
salutari, Toleti Comitiis institutis, impetrarunt. Cæsaraugustam inde confestim ad-
uenientes, indictis etiam Comitiis, Iustitia hoc assidente, contenderunt, simillimam
nostrorum Ordinum auctoritatem adeundæ istius hereditatis exstare. Nostri tamen,
ne incautè quid agerent, in ea, quæ huiusmodi de re memoriæ prodita essent, inqui-
rere cœperunt. Quod Catholica Regina visa est ægrè ferre. Sed cùm interea dum hæc 1498
agerentur, Emanuelis vxor, Augusti mense iam dicti Anni ∞CDXCIIX. Michae-
lem filium peperisset: huic nostri statim, quam Castellani parentibus dederant, fi-
dem de futura successione dederunt, sollemni religione obligatam; prius tamen solito
cum auis Regibus icto fœdere; quibus Iustitia iste ad eam rem, quemadmodum cum
Ioanna Principe factum fuerat, ipsius tunc nati nepotis tutellam commendauerat. At
Michaelis mater quàm mox tunc interiit. Nec Michael ipse biennium plus vixit. Qua-
propter in destinatam hanc, desponsamque ipsis hereditatem auspicato sanè vocata fuit
Ioanna, Catholicorum Regum secunda filia: quæ Philippi, Archiducis Austriæ, Maxi-
miliani Imperatoris primogeniti filii, vxor erat. De quibus Iustitia idem iste etiam, vt
assolet, A. D. VI. Kal. Nouemb. Ann. Chr. ∞DII. publicam fidem de legibus, ac li- 1502
bertatibus seruandis recepit, priusquam ad eos publica rogatione, & consilio futura ea
successio deferretur. Quinquennio autem post, Anno Chr. ∞DVII. Iustitia hic, paterq;
ipsius, ambo siquidem paucis interpositis diebus, Neapoli obierunt, in aperto eo ad ma- 1507
iores honores cursu, quem dixi. Inde eorum cadauera adducta fuêre in patriam
quamcitò, & in nobilissimo sacello, quod sanctissimam Virginis *de Pilari Capellam* con-
tingit, constituta: vt & ipsæ eædem scopulosi, & infesti inferi Maris vndæ visæ equi-
dem sint, diu pati non posse, quos viuentes ad tantam laudem, & gloriam virtus
extulerat; mortuos iam tanto honore optimæ istius sepulturæ carere. Ex nobi-
lissima vxore, D. Ioanna Rocabertina, Ioannes hic II. vnicam filiam reliquit, D. Ma-
riam Lanuzam; quæ D. Petro Martini Lunæ, primario nobilissimo viro, Moratæ nu-
per Comiti, nupta fuit: eorumque deinde vnica etiam filia, D. Maria Luna illustris-
simo Sastagensi Comiti collocata; ad quem iure horum Iustitiarum amborum commu-
nis peruenit hereditas bonorum, & gloriæ. Et iisdem ferè temporibus quibus hic
Iustitia, sed longe maior natu, apud nos floruit Alfonsus Lacaualleria, interpres iuris
præclarus: cuius ea ætate tam magnum nomen in patronis fuit, vt ad munus Pro-
cancellarii gerendum idoneus haberetur. cui tandem à Catholicis Regibus præfe-
ctus fuit. Atque eidem proximè adiunctus, ætate tamen inferior, in publicis iu-
diciis versatus est, Michael *del Molino*; non tam communis iuris, vt accepimus, quàm
priuati nostri peritus vir. Cuius illud exstat, ad iudiciorum certamen opus vtilis-
simum, *Fororum & Obseruantiarũ Aragonum Repertorium*, inscriptũ: à quo fateor me sump-
sisse multa; ne si negarem, fateri cogerer surripuisse. Nec dubito præteritos à me esse nõ-
nullos, in ipsa iuris ciuilis scientia præstantes; & fortasse fuisse eosdem ipsos, quos retuli,
clariores, quàm quoquomodo à me inducti sunt. Sed hoc quidem ignoratione. Nihil e-
nim scribi potest de iis, de quibus ipsorum nulla, aliorum verò pauca admodum monu-
menta loquuntur.

XLVI.

IOANNES LANVZA III.

1507 CÆterum eodem Ann.Christ.∞ DVII.hic Ioannes Lanuza III. Iuſtitia factus fuit. Antecedentis autem Iuſtitiæ frater patruelis erat patre nempe natus, Martino Lupi Lanuza, Ferrarii I.grandiori, vt diximus, filio: quem clariſſimum etiam, ac fortiſſimum virum fuiſſe cõſtat. Nec vellem ſanè, dum tantopere laudo hos Lanuzas, ne fingi videantur hæc, vt à me quodammodo dicantur ita, ad propoſitas nunc mihi ſingulas eorum narratiunculas illuſtrandas. Res tamen ſic habet, vt non tam digne, ac merentur, eos à me eſſe exiſtimem commendatos. Ac iſtius quidem Martini nota eſt valde excelſi, atque inuicti animi magnitudo, virtutiſque præſtantia; eaque publicis literis teſtata ſatis: in quibus Rex Ioannes II. cuius ætate fuit, tantum ei laudis impertit, quantum nemo tribuere alteri in communicanda gloria debuiſſet, niſi eadem ipſa iuſta gloria verę illius virtuti, tãquã honeſtiſſimus fructus, deberetur. Eum ſiquidẽ prodit aſſidue ſecum verſatum in militia, magnoq; ſibi & in periculis adiumẽto, & ſolatio in laboribus, & gratulationibus in victoriis fuiſſe: atq; Cathalonico bello (quã tandem prouinciam in militari labore totã peragrauit) aliquãdo eũdem, non aliorum militum fortitudine, ſed ſua eximia virtute, ac præſtantia manu conſertum quẽdam Signiferum hoſtem in ipſius Regis conſpectu iugulaſſe. Quæ tanta illius virtus vt clara, & illuſtris manêret in poſterum, ex eaque exſtaret generi, ac nomini ſuo perennis aliqua gloria conſtituta; ampla rogatione Rex detulit Martino, ac ſuis, vt priuata familiæ ſuæ Inſignia geſtarent cum clariſſimis Regiis Inſignibus implicata: quaſi, inſigni ea Inſignium permiſtione, Rex duceret, ipſis rebus communiter geſtis, Martinum ipſum penè ſimul ſecum triumphare fas eſſe. Et eum ſane permultas res magnas, ſine Ioanne Rege in eo bello geſſiſſe conſtat: Regem ſine ipſo vix vllam. Itaque de præſtanti illius virtute verè quidem affirmari poteſt, ad eum ex bellica laude neminem vnquam ſuorum aſpiraſſe; ſuoſque omnes habere in eo domeſticum ad imitandum exemplum, illuſtre, & præclarum. Ex iis igitur continuis honoribus familiæ ſuæ, maiorumque ſuorum, hic Ioannes quodammodo iure viſus eſt ad hoc munus gerendum acceſſiſſe. Cumque illius nomen, propter memoriam patris, in ſplendore eſſet (cum namque Martinus procreauerat filium ex vxore, quæ *D. Grayda de Torrellas, & Perellos* dicta fuit) & ipſe quoque cognitus eſt, magnus, & excelſus homo ad honeſtatem, ad temperantiam, ad fortitudinem, ad integritatem, & fidem; ſic denique ad virtutes omnes fictus à natura, vt quouis honore dignus, etiam ſine vlla maiorum commendatione, haberetur. Iſtius autem præſtantiæ ſuæ priuatus magna ſigna dedit; ſed in Magiſtratu maiora: & verò præcipuè iis
1510 Comitiis, quæ eo Iuſtitia habita fuerunt Ann.Chr.∞ DX.∞ DXIX.& ∞ DXXIIX. poſte-
1519 riora duo, à Carolo V. priora verò, à Catholico ipſo Ferdinando Rege. In cuius locum
1528 Carolus ex filia nepos ſuffectus fuit; & vnà cum Ioanna matre eodem Ann. ∞ DX X. à noſtris Auguſtiſſimus heres acclamatus, de eo, vt moris eſt, à Iuſtitia hoc priùs recepta fide. Neque tamen æquum eſſet hoc loco, de Antonii Auguſtini, Gul.F. Ant.N. clariſſimi Iuriſconſulti, Catholici Regis Conſiliarii, integerrimi, ac præſtantiſſimi viri, laudibus ſilêre, qui prioribus Comitiis interfuit, cùm Procancellarii ipſius Regis perſonam ſuſtineret, fuitque Illuſtriſſimi, ac Reuerentiſſimi Ant. Auguſtini, Tarraconenſis Archiepiſcopi, pater: nam vt ceteri ex patribus, ſic iſte, qui tantum illud lumen progenuit, ex filio eſt nominandus. Is igitur Procancellarius magno vſui Reipub. fuit in iis rebus, quæ tunc ſeſe obtulerunt, tranſigendis; & in eo munere gloriam illam adeptus, quam neſcio, an poſt fuerit quiſquam conſequutus. Etenim non apud eam ſolum Citerioris Hiſpaniæ partem, quam Aragonii imperii fines circumſcribunt, ſupremum illud in ipſius Catholici Regis Senatu iudicium exercuit; ſed apud Neapolitanum, & Siciliæ Regna, aliarumque Inſularum, in quas iidem ipſi fines protenduntur: prætereà tum ad Galliæ Regem, tum ad Iulium II. Pont. Max. grauiſſimis de rebus decretus fuit legatus; ipſiuſque deinde Caroli V. Regno, eodem Procancellarii munere glorioſè perfunctus. Ac ne quid prætermittamus, quod videatur ad honorem illius clariſſimi viri pertinêre; cum aliquando Reipub. male actæ inſimularetur, in Septimancam arcem, graui

cuſtodia

cuſtodia ſeruandus, miſſus eſt. Inſequenti vero anno, Regni ſummam D. Franciſco Eximini Ciſnerio, Archiepiſcopo Toletano, moderante, vadibus datis, cuſtodia abiit: & honori ſuo conſulens, de Archiepiſcopi voluntate, qui primo quoque tempore poſtquã Remp. gerendam ſuſcepit, ipſius Antonii cauſſam terminandam curauerat, ad Belgas conceſſit, Caroli cognitionem imploraturus. Cumque totius litis bene inſtructus iudex, & ante actæ vitæ teſtimonium, ſigillo Regio obſignata, ab eodem Archipiſcopo Toletano, aliiſque ſupremi Ordinis iudicibus ad Carolum mitterentur: cauſſa Ioanni Saluagio Cancellariæ præfecto; Garſiæ Padilliæ, viro optimo, & integerrimo, Commendatario Calatrauenſi maximo: Montalto Regenti; Iodoco Fiſci Aduocato; viris prudentibus, & iuris vtriuſq; apprime conſultis, iterum inſpiciẽda tradita fuit. Qui accuratè litem retractantes, rurſuſque Antonio facultatem concedentes alia in ſui patrocinium allegandi, cum nihil ille amplius adiiceret, prima ſcilicet, quæ apud Hiſpaniã facta fuerat, defenſione contentus; viri optimi innocentia perſpecta, omnium iudicum calculis abſolutus; Bruſellis in totius Aulæ Palatinæ conſpectũ, ſententiam dignitatis, & honorificentiæ pleniſſimam reportauit Ann. Chr. ∞ DXVI. IX. Cal. Octobris. Quod tum Archiepiſcopo, tum aliis ſupremi Ordinis Iudicibus, qui illius integritatem, & præſtantiam ſatis cognitam, & probatam habebant, gratiſſimum fuit. Nec verò huiuſmodi honorum amplitudine, tametſi clariſſima per ſe ea, ac pulcherrima quidem monumenta ſunt, iam ille eget ad ſui nominis memoriam propagãdam. Habet aliud maius, & clarius monumentum; quod filium, ad tantam laudem natum ſuſcepiſſet: illum ipſum nẽpe Archiepiſcopum Tarraconenſem; cuius nos honore ornari, dignitateq; augeri non ſolum omnes eius ſtudioſi exiſtimamus, ſed & illud idem tota hæc noſtra regio, ipſius natalis ſedes, atque Hiſpania cuncta arbitratur. Cui, quod mirari ſatis vix queo, Romanam antiquitatem tractanti Italia ipſa cedit: cuius admirabilem quandam, incredibilem, ac penè diuinam in antiquis legibus interpretandis ſcientiam omnium mortalium fama percelebrat: cui incorrupto totius Orbis iudicio, ipſorumque doctiſſimorum virorum inter ipſos conceſſu, tributum eſt ita, vt cùm immenſam illius aciem ingenii taciti omnes admirentur (nam quis hoc non facit?) cum in omnibus ſcriptis, omnique literarum varietate nonmodo ſibi ipſis, ac iis, qui hodie viuunt, ſed & iis, qui multis ante ſeculis fuerunt, libenter anteponant: cui denique nullus honos tribui, non debitus, poteſt. Atque hæc omnia, tametſi ſumma ſunt; longè nimis vitæ ſuæ integritas vicit: iam vt tanto Paſtore Tarraconenſem Eccleſiam potuiſſe frui, inuidendum ſit; iactura verò, quæ illius interitu vniuerſæ Reip. facta eſt, vix conſolabilis videatur. Mihi vero in graui iſto caſu dolendum magis, quòd eum amiſerim, ad quem, tamquam ad mercaturam bonarum artium ſæpius me fuiſſe profectũ præmefero, neque tamen inanem rediiſſe, cùm ab eo tum plurimis in rebus doctior, tum ad peruulgandum hoc opus audacior factus ſim. Sed huiuſmodi meritorum erga me gratiſſimam, quamdiu vixero, memoriam conſeruabo. Verùm neceſſe non eſt, vt ſummum hunc virum, viuorum, & præſentium atteſtante iudicio, commendemus. Quamobrem præſtat me tacere: ne in eo laudando ſermo noſter ipſius oratoriæ vbertatis ſiti exareſcat. Vt ad Iuſtitiam ergò redeamus, ad ſui generis ſplendorem hoc habuit illius Iuſtitiatus inſigne: quod A.D. XVI. kal. Iun. An. ∞ DXX. Ioannes Lanuza alius, Aragonum Prorex conſtitutus fuit. Sic cernimus Lanuzarum gentem, vno, & eodem tempore, duplici apud nos decore cumulatam: cùm alter ampliſſimum Prorege munus, alter Iuſtitiatus, quaſi pro ipſo Regno, perſonam ſuſtineret. Nam & is fuit iſtius Iuſtitiæ gentilis. Qua tamen cognatione teneretur, non comperi. Verum Iuſtitia ann. Chr. ∞ DXXXII. A.D. V. kal. Decembr. mortuus eſt: & in ſuperiorum Iuſtitiarum ad Virginis ædem conditus ſepulchro. Illius fratres fuere: Claudius Lanuza; & Hieronymus Lanuza, Pinnatenſis Monaſterii Abbas. Sorores vero: D. Grayda Lanuza: & D. Martina Lupi Lanuza: hæc Franciſco Ferdinandi Herediæ, Gubernatori Aragonum nupta, de qua mox dicemus; illa autem Vgonis Vrrieſii, Ayeruii dominatoris, vxor fuit. Iſtius autem Iuſtitiæ, D. Beatrix Eſpes, dicta; fuit ea quidem lectiſſima, & ſpectatiſſima femina. Filii autem: Ferrarius; Ioannes; & Martinus. Filia, D. Grayda itidẽ vocata, D. Franciſco Borgiæ, nobili viro Valentino nupſit. Filiorum, poſterior Mediolani obiit; priorum autem vterque Iuſtitiatum adeptus eſt: ſed interiecto alio, qui huic Ioanni III. continenter ſucceſſit.

XLVII.

LAVRENTIVS FERDINANDI HEREDIA.



ATVERO is fuit, Laurentius Ferdinandi Heredia, Francisci Ferdinandi Herediæ, & D. Martinæ Lupi Lanuzæ, superioris Iustitiæ sororis, vt dictũ est, filius: vir amplissima familia natus: summa probitate, singulariq; fide preditus; integer; prudens, ac tũ domi nobilis tũ
1533 apud Sardos (ad quos deinde se contulit) gratiosus. Iustitiatũ iniit A.D.
1547 VI. Kal. Maii Ann. Chr. ∞ DXXXIII. nam sic est in illius Commentariis scriptum: eoque postea se abdicauit Ann. Chr. ∞DXLVII. vt ad Ferrarium, auunculi filium grandiorem, qui è pueris excesserat, deferretur. Sic Lanuzarum genti redditus fuit gradus istius Magistratus, & honos. Laurentius autem Prorex in Sardiniam missus, maximis in rebus ibi fuit: vt non ita sibi multum sit ex Iustitiatus laude repetendum. Nullius namque similem Præfecturam, in Sardinia vmquam accepimus fuisse gratiorem. Et Iustitiatus ipse non obscurus fuit: ea autem re clarior, quod Ann. ∞DXLII. Philippus noster, à Regni Ordinibus Caroli patris salutatus heres, in istius Iustitiæ verba iurauit, se patrias libertates, ac leges perpetuò seruaturum spondens. Cuius promissi constantiæ, otium, quo nos fortunam regimus, ac status, quem tenemus, indicio esse potest: cum æquitate, ac iustitia præceptrice, in summa tranquillitate positi viuamus. Vnde fit, vt cũ omnia istius nostri clarissimi, ac præstãtissimi Regis consilia, & facta ad publici semper salutẽ referantur, Iustitiatus hos omnes, videamus otiosiores, quàm alios, exstitisse: nobisq; etiam ob eã ipsam caussam necesse sit. singulas eorum narratiunculas breuioribus, atq; angustioribus verbis circumcludere, cum ceteroquin vnusquisq; illorum verissimis, ac iustissimis laudibus abundârit. Laurentius ergo, deposito Iustitiatu, in Sardiniam profectus est cum vxore D. Anna Albione: vbi nulla relicta prole mortem obiit Ann. ∞DLVI. Callari iacet sepultus.

XLIIX.

FERRARIVS LANVZA II.

LAVRENTIO Ferrarius successit; natura mitis, comis, ac humanus; sed qui tamen magnam quoq; fortis, & constantis viri speciẽ præ se tulit. Hic Ioannis Lanuzæ III. filius erat, Ferrarii I. vt paulo ante diximus, pronepos. Cuius haud nominis solã, sed similitudinẽ quoq; virtutum arripiens; & fama populari eam, & vera bonorum laude est meritus. Incredibile est enim, quàm fuerit omnibus illius opera grata, & iucunda. Sed in gloriæ cursu consedit. Etenim cum A.D. IV. Non.
1547 Maii ipsius An. Chr. ∞DXLVII. vt iisdem in Commentariis notatur,
1554 Iustitiatum iniisset, Prid. Id. Mart. An. Chr. ∞DLIV. ætate florẽs, ingenio, & amicis, mortuus est; & in gentilitio eo tumulo, quo pater, collocatus. Cõnubii expers decessit; postquàm in Comitiis, superiori Anno Montisoni habitis, fecerat ille quidem officio cumulatè satis.

XLIX.

IOANNES LANVZA IIII.

IAM tandem ita traxit temporum ordo sermonem, vt ad Ioannem Lanuzam IIII. qui nunc Iustitiatum gerit, venerimus. Nam statim ipso Ann ∞ DLIV. ab eodem Carolo, cum apud Belgas esset, A. D.
1554 XVI. Kal. Maii, in Ferrarii proximi, germani fratris, locum suffectus fuit: vt ad quem mœror illius morte veniebat, ad eumdem quoq; am-
1588 plissimus iste honos perueniret. Atque ab eo vsque ad hoc tempus ipsius dignitate, magno, quem videmus, applausu, prudentiaq; & integritate perfungitur. Inter ceteras autem illius virtutes, quibus maioribus suis sic æque respondet; hæc certe sibi vel maximæ laudi esse potest; quòd toto animo, ac

mo,ac mente in eam curam incumbat, vt à ſuis Locumtenẽtibus, quibus ea iſtius muneris pars eſt conceſſa,ius omnibus ſemper æquabiliter,ac diligenter dicatur. Sed taciturnitatem me præſtat experiri,cum de illius ſedulitate,diligentia,ac ſtudio,fideque in Rempub.tacita eius grauitas,& amplitudo aperte loquantur, neque orationis meæ ornamentum deſiderent.Enimvero illud ego fidenter Ioanni Lanuzæ,grandiori eius filio,quem ex nobiliſſima vxore, D.Catharina Vrrea, demortui Arandenſis Comitis ſorore,ſuſcepit, denuntiabo, quandoquidem inſigni,ac ſingulari Regis noſtri beneficentia dudum,futurus poſt patrem Iuſtitia deſignatus eſt; illuſtrem, ac latam ad bene ſe gerendum patere ſibi in tanto hoc Magiſtratu viam,cum ea ſit ſtirpe profectus,quæ à tam retro longe repetito initio,glorioſum idipſum iter,apertum demonſtrarit.

Itaque Magiſtratum hunc, poſt captam Cæſarauguſtam vrbem, vndequinquaginta viri conſequuti ſunt. In quos omnes ſi attente, & diligenter inquiramus; vix quemquam reperiemus commendatione,& gloria non dignum. Si quis vero fortaſſe laudatus ſatis nequaquam ſit; inertiæ noſtræ largiatur: nam ſic ſtatuimus, vt pro vniuſcuiuſque dignitate,parum; pro noſtra voluntate,non nimium; ſed pro noſtra facultate; ſatis,ſuperque de eis nos dixiſſe arbitremur.

E T *quoniam ad perorandum ſpectare videtur ſermo noſter: hæc denique eſt Reipubl. qua fruimur, à maioribus noſtris ratio conſtituta, inter Monarchiam, & Polyarchiam alia quædã interiecta noua, vnam quaſi in ſpeciem temperata, vicina ambarum, vtriuſque particeps, vel vtriuſque potius non expers; tanquam ad puncti inſtar medium expetens locum, æquabiliter vndiq; conglobata: quæ cum ex Regibus, & legibus conſtet; Regibus paret: ſed quæ tamen à ſeuero eorum imperio, à quo mœnibus vix potuiſſemus, Iuſtitiæ Aragonum Magiſtratu interpoſito, tutos nos reddit: populumq; ac Regem hac vna coniunctione deuincit, vt in omni actione ſecum ipſa conſentiens, à ſolis legibus Regum benignitate regatur. Quæ vero de huiuſmodi argumento plura ſcribi poſſent, iam iam fas erit, vt reliquorum Hiſtoricorum otio concedamus.*

LAVS DEO.

CON ARMAS BLANCAS
SIC EXCVSSA VIRTVS

ANT. AVGVSTINVS Archiepiſcopus Tarraconenſ.

HIERON. BLANCÆ S.

RATVLOR *tibi in primis, vt debeo; quod Hiſtorici noſtræ Reip. nomẽ, atq; ſplendorem,* Hieron. Zuritæ *ſuffectus, magno conſenſu ſuffragantium Patrum, & totius Ciuitatis approbatione fueris adeptus. Mihi autem valde gaudeo, quod illi, quem magnopere dilexi propter eius inſignes animi dotes, & amicitiam non vulgarem, tu quoq; ſucceſſeris; qui neq; in me amando, neq; in Latina hiſtoria ſcribenda ei ceſſurus eſſe videaris. Commẽtariorum tuorum ingens volumen libentiſſime perlegi; tum quod tua ſint, quem magnopere diligo, tum quod de his rebus agatur, quæ ad patriæ dignitatẽ, ac decus maxime pertineãt. Itaq; ſi te ab eorum editione deterrerem, ingratus in patriam, ac tuæ gloriæ inuidus iudicarer: cum laborem iſtum tuum facile omnes probaturos ſperem, futurumq; vt quæ de inſigni iſto Magiſtratu, Iuſtitiæ nomine, magno Dei munere noſtris ciuibus conceſſo, diuinaq; appellatione inſignito: Deus enim ipſa iuſtitia recte appellatur, non tantum iuſtus; vt vera ſapientia, non tantum ſapiens: ſcribere es aggreſſus; & peregrinis hominibus & vero præcipue noſtris ipſis ciuibus gratiſſima ſint. Non enim Ephori Lacedæmoniis, aut Tribunicia poteſtas Romanis magis aut grata, aut vtilis fuit, quam in iſta Vrbe eſt publica iſtius Magiſtratus tutela. Quare noli amplius differre, quin ea quamprimum manibus omnium terantur; vt ad patriæ noſtræ ornamentum, nouum hoc tuum, graue tamen, & vtile, ſcriptionis genus accedat. Quod vero de laudibus Cæſarauguſtanæ iſtius Vrbis, & de veteribus Pontificibus eiuſdem, ſi quid ex antiquis ſcriptoribus, aut ex actis Conciliorum, aut aliunde aliquando collegeram, ad te quamprimum mitti deſideras; pauca quædam his literis, licet fortaſſe, noctuas, quod aiunt, Athenas, & quæ tibi ſunt notiora, perſcripſi. Atq; vt omittam, quid C. Plinius de Cæſarauguſtana immuni colonia, olim Salduba dicta, & de Conuentu ampliſſimo ſcripſerit; Strabo quoq; eandem laudat, habereq; togatos ciues ait, nihil ex veteri Celtiberorum contumacia, atq; duritia retinentes. His addit Pomponius Mela: Vrbium de mediterraneis in Tarraconenſi clariſſimæ fuerunt, Pallantia, & Numantia; nunc eſt Cæſarauguſta. Vixit autem Mela Tib. Cæſaris, Caligulæ, & Tib. Claudii temporib. & in Hiſpania natus eſt. Quod vero ex verbis Melæ elici non nemo putat, eaſdem eſſe Numantiam, & Cæſarauguſtam, irridendũ magis, quam improbandum eſt; cum Strabo inter eas* DCCC. *ſtadia collocet. Venio nunc ad laudes ſanctiſſimorum Virorum: laudari enim à laudato viro, vt tu optime in huiuſce operis initio dixiſti, maximum eſt; idq; cum ſit ob religionis cultũ, longe præſtat. Ex his primus eſt, Cyprianus Carthaginenſis Martyr lib.* 1. *Epi.* 4. *quam cum multis Epiſcopis ſcripſit Felici presbytero, & plebib. conſiſtentibus ad Legionem, & Aſturicæ. in ea poſtquam Felicis, & Sabini Pontificum mentionem feciſſet, ait: vtq; alius Felix de Cæſarauguſta, Fidei cultor, ac defenſor veritatis litteris ſuis ſignificat. Proximus huic, longo ſed proximus interuallo, ſit Prudentius, qui in libro de Coronis, Encratin, & Socios* XVII. *Martyres, & duos Confeſſores, Caium, & Clementem laudans, Cæſarauguſtã appellat, plenam domum magnorũ Angelorum, eamq; præfert cæteris vrbib. quod tam multis ornetur corporibus Sanctorum. Ex eadem Vincentium fuiſſe Martyrem tradit, & domum infulatã ſacerdotum Valeriorum, hoc eſt, eius Vrbis Pontificum. Conſtat autem multorum teſtimonio Valeriũ, Dei confeſſorem, Epiſcopum fuiſſe Cæſarauguſtanorum, eiuſdemq; Diaconum Vincentium. Sed & in Concilio Eliberritano Valerium, eiuſdem vrbis Epiſcopum, ſubſcripſiſſe nouimus, anno Chriſti plus minus* CCCXXV. *Sic duos poſſumus poſt Felicem Epiſcopos Valerios numerare. Ipſa vero vrbs laudatur carminibus quoq; duorum poetarum Chriſtianorum, Pontii Paulini, qui poſtea Nolanus Epiſcopus fuit, & Auſonii Galli. His addamus Concilium Cæſarauguſtanum contra Priſcillianum, ex teſtimonio Sulpicii Seueri, libro poſteriori extremo hiſtoriæ ſacræ, Anno plus minus* CCCXXC. *Fuerat paullo ante Concilium Sardicenſe contra Arianos: in quo ſubſcriptum inuenimus Caſtum Epiſcopum. Sic enim in veteribus libris eſt, non Coſtum, vt in vulgarib. anno* CCCXLVII. *vt quidã putant. Poſt hæc inuenio cuiuſdam Epiſcopi Cæſarauguſtani fieri mentionem, tacito eius nomine, in epiſtula quadam Aſcanii Tarraconenſ. Archiepiſcopi ad Hilarium Pontif. Max. quæ in Concilio Romano eſt relata Anno, vt ex Conſulibus apparet,* CDLXV. *Sed mox in Concilio Tarraconenſi Vincentius eiuſdem vrbis Epiſcopus ſubſcripſit anno Chriſti* DXVI. *Non hic eſt Vincentius Arianus Epiſcopus, de quo Iſidorus ſcribit. Ille enim temporibus Mauricii Imp. vixit; hic Anaſtaſii, & Iuſtini. In veteribus collectionibus Conciliorum, poſt Tarraconenſe Concilium, Gerundenſe po-*

situm est, habitum anno vertente. in quo septem ex illis Episcopis, qui in superiori Synodo fuerant, conuenerunt. in his Vincentius non est. Post Gerundense, Cæsaraugustanum collocarunt XII. *Episcoporum, quorum nomina scripta sunt; sed quibus Ecclesiis præessent, subticuerunt. Hi Canones scripserunt octo: ex quibus vnus est à Gratiano relatus; Ne quis ieiunet die Dominica &c. de consecrat. dist. 3. Hi, qui putant hoc illud esse Concilium, quod Seuerus contra Priscillianum habitum dixit; sola duorum Episcoporum nominis similitudine ducuntur, & loci. namq; ille refert Idatium Emeritensem, & Ithacium incertæ vrbis Episcopum, infensos Priscilliano fuisse; contra quem, & socios Cæsaraugustæ Synodus habita est. in qua etiam Aquitanos Episcopos interfuisse ait; & in ea damnati absentes sunt, & contumaces Instantius, & Saluianus Episcopi, Helpidius, & Priscillianus laici, qui Damasum Romanum, & Ambrosium Mediolanensem interpellarunt, & ab eis fuerunt reiecti. Qui ex Hispania Episcopi interfuerint, non narrat. tantum Adyginum scribit Cordubensem ad Idacium retulisse Emeritensem, qui in eos est inuectus. In Conciliis editis bis Italii nomen scriptum est. id mutant in Idacium, & Ithacium: quod facile recipi posset, si cætera conuenirent. Nihil enim est in hac Synodo, quod cum alia Synodo consonet, quæ in Aquis Cælinis contra Priscillianistas habita est anno Christi* CDXLVII. *exstatq; coniuncta cum Toletano primo Concilio. Ea Synodus habita est iussu Leonis Pontificis, vt apparet ex epistula Leonis* XCIII. *ad Toribium Asturicensem; in qua etiam errores eorumdem hæreticorum damnantur. Isidorus in libro de Viris illustribus Idatium Lemicæ vrbis Hispaniarum appellat, & Vrsatium Episcopum eius socium; fuisseq; communione priuatos, & in exilium missos, quod Priscillianum accusauerint coram Maximo tyranno, & damnatus occidi fuerit iussus. Sed aut in Isidori libro, aut in Seueri mendosa sunt nomina. Prosper Aquitanicus in Chronicis cum Isidoro facit, qui anno* CCCXCII. *eadem de Ithacio, & Vrsatio Episcopis ait. In Barcinonensi Synodo non edita Ioannes Cæsaraugustanus Episcopus interfuit anno plus minus* DXL. *Eundem putamus in Ilerdensi Concilio cum Sergio Tarraconensi conuenisse. sed non recte in editis libris Ilerdense, & Valentinum ante Gerundense edita sunt, cum fuerit posterius dicto anno* DXL. *In Toletano tertio maximo Concilio subscriptio exstat Simplicii Episcopi Cæsaraugustani. id habitum anno* IIII. *Reccaredi Regis, Christi* DXXCIX. *Hactenus Gothi hæresim Arianorum tenuerunt: nostri tamen maiores Catholicos Pontifices habuerunt, ipsaq; ciuitas in Catholica religione perseuerauit. Hoc loco referri potest, quod Sanctus Gregorius Turonensis lib. 3. cap. 39. historiæ Francorum & Ado Viennensis ætate sexta in Chronicis, & Aimoinus monachus lib. 2. cap. 19. & 20. historiæ Francorum scripserunt de vrbe Cæsaraugusta à Francorum Regibus obsessa Childeberto, & Clothario, anno plus minus* DXXXII. *quæ obsessio soluta est, data ab Episcopo stola B. Vincentii Martyris, quæ Parisiis in Ecclesia eidem dicata posita est. Sigebertus Gemblacensis hæc an.* DXLII. *refert. Inter Ioannem, & Simplicium, infelicem illum Vincentium Episcopum collocemus Arianum, aduersus quem Seuerus Malacitanus Antistes edidit libellum, vt Isidorus ait in libro de Viris illustribus, tempore Leouigildi Regis præuaricasse testatur Rudericus Toletanus lib. 2. cap. 14. Post Concilium Toletanum, aliud Cæsaraugustæ Concilium habitum est anno* VII. *eiusdem Reccaredi Regis. in quo subscribunt Artemius Tarraconensis, & alii* XII. *Episcopi. in quibus Simplicius est. nomina Vrbium singularum omissa sunt. tres Canones ediderunt contra Arianos. Anno proximo Oscensis Synodus habita est. tamen in ea Simplicium interfuisse, nobis incertum est. Sed in Barcinonensi anno* XIV. *eiusdem Regis habita, Maximus Cæsaraug. Episcopus subscripsit. De Maximo Isidorus in extremo libro de Viris illustribus hæc refert. Multa versu, prosaq; componere dicitur: scripsit & historiolam de his, quæ temporibus Gothorum in Hispaniis acta sunt: multa quoq; alia scribere dicitur, quæ nec dum legi. Isidorum Hispalensem & Maximum inuenio subscripsisse Toletano Concilio non edito, quod anno primo Gundemari Regis habitum est anno Christi* DCX. *Eundem Maximum in Egarensi Concilio cum Eusebio Tarraconen. anno tertio Sisebuti Regis, hoc est, anno* DCXIV. *fuisse, vetus liber ostendit, in quo non edita Concilia, quæ retulimus, Cæsaraugustanum, Oscense, Barcinonense, Toletanum, & Egarense, conscripta sunt. Post Maximum, Ioannem, Braulionis fratrem, sedisse annis* XII. *B. Ildefonsus in libro de Viris illustribus testis est, temporibus Sisebuti Regis, & Suinthilani. Patrem eum olim monachorum appellat, & virum in sacris litteris eruditum, hilarem, & munificum; de Ecclesiasticis Officiis quædam eleganter, & sono, & oratione scripsisse refert, & de Paschali sollemnitate. Ioanni successisse Braulionē testatur, qui* XX. *annos Episcopus fuit temporibus Sisenandi, Chintilæ, Tulcani, & Childasuinti Regū. Ad hunc Isidorus librum etymologiarū extremo suæ vitæ tempore misit: qui in eius vita fatetur se eum librum in* XX. *libros diuisisse: exstantq; initio eiusdē voluminis epistulæ Isidori ad Braulionem, & Braulionis ad Isidorum. Vitam quoq; B. Æmiliani monachi idem scripsit. quod præter Ildefonsum, asserit Osualdus in martyrologio prid. Id. Nou. Alia quoq; scripsisse eundē, Ildefonsus ait. Eius subscriptio exstat in quarta, & quinta Synodo Toletana. quod etiā Rudericus Toletanus lib. 2. cap. 19. refert, eumq; illustrem appellat his verbis. Huic Synodo quintæ Braulio Cæsaraug. Episcopus præ cæteris illustris effulsit, atque piam doctrinam Christianis*

mentibus

mentibus decenter infudit: cuius & opuscula nūc vsq; Ecclesia veneratur. Huius eloquentiam Roma vrbium mater, & domina per epistulare alloquium est mirata. Est etiam in Toletano Concilio sexto eius nomen adscriptum: quod habitū est anno secundo Chintilani Regis anno Christi DCXXXVIII. At in septimo non interfuisse crediderim, tum quia in quibusdam non editis subscriptionibus eius nomen non sit, tum quia apud Rudericum legatur in eod. Concilio fuisse desideratum à patrib. librum Moralium B. Gregorii. Vnde Princeps, sacro Concilio, inquit, approbante, Taionem Cæsaraug. Episcopum, religione, & litteratura præstantem, & sollicitum scripturarum, ad Romanum Pontif. pro libris Moralium nauigio destinauit. nota est historia, quo pacto somnio admonitus fuerit loci, in quo hi libri conseruarentur. quo enarrato Pontifici, Taio extitit, inquit, Romæ gloriosus, quo antea despicabilis habebatur. & reperto, & accepto libro in Hispaniam est reuersus, & tam Romæ, quam in Hispaniis habitus est venerandus. Idem lib. III. *cap.* XV. *inter sanctos Pontifices laudat Leandri, Isidori, Helladii &c. atq; Taionis Cæsaraug. claram doctrinam. Mendose autem Talonis, pro Taionis, editum est. Apud Ildefonsum, post Braulionē de Eugenio posteriore, Toletano Antistite, agitur: qui cū Ecclesiæ regiæ clericus esset egregius, vita Monachi delectatus est. Qui sagaci, inquit, fuga vrbē Cæsaraug. petens, illic Martyrum sepulchris inhæsit; ibiq; studia sapiētiæ, & propositū Monachi decenter incoluit. Taio autem subscripsit in actis Toletani* VIII. *Concilii, vt in omnibus libris scriptum est. Item in actis Toletani* IX. *licet omissum sit in editis. Habitum autem est anno* VI. *Reccesuinthi Regis, Christi* DCLXV. *Ceteris Toletanis editis nullus Episcopus* C*æsaraug. interfuit. Ex veteribus libris Toletano* XIII. *anno quarto Eruigii Regis,* C*hristi* DC XXCIII. *subscripsit Fredeualdus Abbas, agens vicem Balderedi* C*æsaraugustani Episcopi. Toletano* XV. *anno primo Egicani Regis,* C*hristi* DC XXCVIII. *idem Balderedus interfuit. Mox anno quarto eiusdem Regis* C*æsaraugustanum tertium, siue quartum* C*oncilium habitum est. nomina Episcoporum desiderantur. Sed idem Balderedus erat Episcopus, quia idem subscripsit Toletano* XVI. C*oncilio, quod habitum est anno* VI. *eiusdem Regis. Hæc habui, quæ de Episcopis, &* C*onciliis* C*æsaraugustanis scriberem, quorum memoria exstat apud me, ante cladem illam, Arabum, & Sarracenorum irruptione, illatam. Tu his alia addes, maximisq; ornamentis & rerum, & verborum illustrabis.* C*ura, vt valeas. Tarracone: Kal. Febr.* ∞ DXXCIV.

INDEX
REGVM, REGINARVM, COMITVM, AC IVSTITIARVM ARAGONVM;
ANTISTITVM CÆSARAVGVSTANENSIVM, Regulorumque Arabum; Ricorum hominum, & Mesnaderiorum.

Suprarbienses Reges

Garsias Eximini.
Garsias Innici I.
Fortunius I.
Sanctius Garsiæ.
Innicus Eximini, Arista.
Garsias Innici II.
Fortunius I I. Monachus.

Aragonum Comites.

Azenarius.
Galindus Azenarii.
Eximinus I. Azenarii.
Eximinus I I. Garsiæ.
Garsias Azenarii.
Fortunius Eximini.

Reges Aragonum.

Sanctius I. Abarca, Cæso.
Garsias I. Abarca, Cæsonis F.
Sanctius II. Abarca, & Galindus.
Garsias II. Abarca, Tremulus.
Sanctius III. Maior, Imperator.
Ranimirus I. Christianissimus.
Sanctius IV. Ranimiri F.
Petrus I. Sanctii IV. F.
Alfonsus I. Bellator, Imperator.
Ranimirus II. Monachus.
Petronilla Regina, & Raim. Berengarius, Barcinonēsis Comes, eius vir.
Alfonsus II. Castus.
Petrus II. Catholicus.
Iacobus I. Expugnator.
Petrus III. Magnus.
Alfonsus III. Munificus.
Iacobus II. Iustus.
Alfonsus IV. Benignus, & Pius.
Petrus IV. Cærimoniosus.
Ioannes I. Petri IV. F.
Martinus, Petri IV. F.
Ferdinandus I. Honestus.
Alfonsus V. Sapiens, & Magnanimus.
Ioannes II. verè Magnus.
Ferdinandus II. Catholicus.
Carolus, Rom. Imp. V. Maximus, & Fortissimus.
Philipp⁹, Caroli V. F. Monarcha.

Reginæ Suprarbii.

* *Innica, siue Enenga; Garsiæ Eximini, Suprarb. Regis I. vxor.*
* *Tota, Garsiæ Innici I. Suprar. Regis II. vxor.*
* *N. . . . . Fortunii I. Supr. Regis III. vxor.*
* *Theuda, siue Innica, seu Enēga; Aristæ Suprarb. V. Regis vxor.*
* *Vrraca, siue Enenga; vltimi Aragonensis Comitis filia; ac heres, Garsiæ Innici* II. *Supr. Regis VI. vxor fuit.*

Reginæ Aragonum.

* *Tota, Vrraca, ab aliis Theuda; Abarcæ Cæsonis vxor: vel duæ fortasse, singulis hisce nominibus appellatæ.*
* *Theresia Galindi, Garsiæ I. Cæsonis F. vxor.*
* *Vrraca Ferdināi, seu Ferdinaldi, Abarcæ Galindi vxor.*
* *Eximina; quæ ab aliis Costātia, ab aliis Epiphania, ab aliis Eluira dicitur, Tremuli Regis Garsiæ vxor fuit.*
* *Nunia, siue Munia; ab aliis Eluira; Geloyra, siue Geloyda ab aliis; & ab aliis Domna Maior dicta; Sanctii Maioris, Imperatoris vxor; Sāctii Castellæ Comitis filia fuit; Garsiæ Infantis, ad Legionem Septimamgeminā interfecti soror.*
* *Gisberga, siue Ermissenda; à non nullis Gilbiga: Bernardi Rogerii Comitis, & Garsindæ Comitissæ filia; Ranimiri I. vxor.*
* *Beatrix; prima Sanctii IIII. vxor.*
Felicia, Armengolis, & Clemētiæ, Vrgeli Comitum filia; secunda eiusdem Sanctii IIII. vxor.
* *Agnes; prima Petri I. vxor.*
Bertha; secūda eiusdem Petri I. vxor.
* *Vrraca; Castellæ Regis filia; Alfonsi I. vxor.*
* *Agnes, seu Mathilde, siue Vrraca; Aquitaniæ Ducis, Pictonumq; Comitis soror; Ranimiri II. vxor. Ex qua filia nata*
* *Petronilla Regina Aragonum: quæ Raim. Berengario, Barcinonensi Comiti nupsit.*
* Sanctia; *Castellæ Regis filia; Alfonsi II. vxor.*
* *N. . . . . Folcalquerii Comitis sobrina; prima Petri II. vxor.*
Maria; Mōtespisulani Comitissæ; secūda eiusdē Petri *II. vxor.*
* Eleonora; *Castellæ Regis filia; prima Iacobi I. vxor fuit.*
Violans, siue Iolans; ab aliis Hiolesia; ab aliis Andreua *dicta, Vngariæ Regis filia; secūda eiusdem Iacobi I. vxor.*
* *Costantia; Siciliæ Regis filia; Petri* III. *vxor.*
* Eleonora; *Angliæ Regis filia Alfonso* III. *desponsa fuit: sed Regnum non iniit.*
* *Blanca; S. Ludouici, Tolesani* Ep*iscopi, germana soror; prima* Iac*obi II. vxor fuit.*
Maria; Regis Cypri filia; secunda eiusdem Iacobi II. vxor.
E*lisenda; D. Petri Moncadæ, & Bergæ Pinos filia; tertia eiusdem* Iac*obi* II. *vxor.*
* *Theresia; D. Gombaldi* Entē*zæ, & Costantiæ Antillionis filia; prima Alfonsi* IV. *vxor fuit; sed antequam matritus* R*egnum obtineret, mortua.*
E*leonora; Castellæ Regis filia; secūda ipsius Alfonsi IV. vxor.*

* *Maria*

* *Maria; Nauarræ Regis filia; prima Petri IV. vxor.*
Eleonora; Portugaliæ Regis filia; secunda eiusdem Petri IV. vxor.
Eleonora; Siciliæ Regis filia; tertia eiusdem Petri IV. vxor.
Sibilia; Bernardi Forciæ filia; quarta eiusdem Petri IV. vxor.
* *Matha, seu Mathæa: Armeniacensis Comitis soror; prima Ioannis I. vxor fuit.*
Violans; Barensis Ducis filia; secunda eiusdem Ioannis I. vxor.
* *Maria; D. Lupi Lunæ, Lunensis Comitis filia; prima fuit Martini Regis vxor.*
Margarita; D. Petri Pradesii filia; secūda ipsius Martini vxor.
* *Eleonora, Vrraca prius dicta; Sanctii, Alburquequensis Comitis, Henrici Castellæ Regis fratris, filia; Ferdinādi I. vxor.*
* *Maria; Castellæ Regis filia; Alfonsi V. vxor.*
* *Blanca; Nauarræ Regis filia; prima Ioannis II. vxor.*
Ioanna; Almirantis Castellæ filia; secūda eiusdem Ioannis II. vxor.
* *Isabella, Regina Catholica: Henrici IV. Castellæ Regis soror, atque heres: prima fuit Catholici Regis Ferdinādi II. vxor.*
Germana; Nauarræ Regis filia, secūda eiusdē Ferdinādi II. Catholici Regis, vxor.
* *Ioanna, Regina, Catholicorū Regum filia, Caroli V. Imperatoris mater.*
* *Isabella; Portugaliæ Regū filia; Augustissima fuit ipsius Caroli V. vxor.*
* *Maria; Portugaliæ Regū filia; prima Philippi nostri, Potētissimi Regis, vxor.*
Maria; Angliæ Regina; eiusdē Regis nostri Philippi secunda vxor.
Isabella; Galliæ Regis filia; tertia ipsiusmet Philippi nostri vxor.
Anna; Maximiliani Imperatoris filia; quarta eiusdem nostri Inuictissimi Regis Philippi vxor fuit.

Iustitiæ Aragonum.

Petrus Eximini.
Sanctius Fortunionis.
Sanctius Galindi.
Lupus Sanz.
Fortunius Azenarii.
Ioannes Pelaius.
Atho Sanz.
Ioannes Didaci.
Petrus Monio.
.:.:.: Didaci, Ioann. Didaci F.
Petrus Medalla.
Galindus Garsiæ.
Sanctius Garsiæ Sancta Olalla.
Petrus Ferdinandi Castrus.
Sanctius Touia.
Stephanus.:.:.:.:
Petrus Sessesius.
Petrus Petri Tarazona.
Ioannes Petri Tarazona.
Martinus Petri Artassona.
Petrus Martini Artassona I.
Petrus Sanctii.
Rudericus Castellezuelus.
Fortunius Ahe.
Martinus Sagarra.
Petrus Martini Artassona II.
Ioannes Egidii Tarinus.
Ioannes Zapata Cadreto.
Eximinus Petri Salanoua.
Sanctius Eximini Ayeruius.
Stephanus Egidii Tarinus.
Pelegrinus Anzanus.
Pelegrinus Oblitas.
Garsias Ferdinandi Castrus.
Galacianus Tarba.
Ioannes Lupi Sessesius.
Blascus Ferdinandi Heredia.
Dominicus Cerdanus.
Ioannes Eximini Cerdanus.
Berengarius Bardaxinus.
Franciscus Zarzuela.
Martinus Didaci Auxius.
Ferrarius Lanuza I.
Ioannes Lanuza I.
Ioannes Lanuza II.
Ioannes Lanuza III.
Laurētius Ferdinādi Heredia.
Ferrarius Lanuza II.
Ioannes Lanuza IV.

Antistites Cæsaraugustani.

Episcopi.
A nascentis Ecclesiæ initiis vsque ad Arabum in Hispaniam aduentum.

S. Athanasius.
S. Felix.
S. Valerius I.
Valerius II.
Clemens.
Castus, siue Costus.
Vincentius I.
Lucius.
Valerius III.
Vincētius II. qui fuit Arianus.
Simplicius.
Maximus.
Ioannes.
S. Braulio.
Taio.
Baldifredus, seu Balderedus.
Bentius.

Post Hispaniæ autem cladem, quamdiu Arabes Vrbe sunt potiti.

Senior.
Heleca.
Paternus.
Vincentius III.
Petrus I.
Bernardus I.

Post Arabes tamen Vrbe pulsos.

Petrus II. Librana.
Stephanus I.
Garsias I. Guerra de Maionez.
Gulielmus.
Bernardus II.
Petrus III. de Villabeltran.
Petrus IV. Tarroia.
Bernardus III.
Petrus V. Eximini.
Stephanus II.
Petrus VI. de Turrerubea.
D. Raimūdus I. de Castellezuelo.
D. Rudericus I. Rocabertinus.
D. Raimundus II. de Castrocol.
D. Garsias II.
D. Sanctius I. Ahones.
D. Bernardus IV. de Montagudo.
F. Vincentius IV. Monachus.
D. Rudericus II. de Ahones.
D. Arnaldus de Peralta.
D. Sanctius II. de Peralta.
D. Petrus VII. Garsiæ de Ianuas.
D. Fortunius de Vergua.
D. Vgo de Mataplana.
D. Eximinus Martini de Luna.

Archiepiscopi.

D. Petrus Lupi de Luna.
D. Petrus Azenarii de Rada.
D. Gulielmus, Cardinalis.
D. Lupus Ferdinandi de Luna.

D. Garsias Ferdinadi *de Heredia.*
D. *Franciscus Clemens Perezius.*
D. Alfonsus de Arhuello.
D. Dalmacius Murius, & Cerbellonius.
D. Ioannes Aragonius I.
D. Alfonsus Aragonius.
D. Ioannes Aragonius II.
D. Federicus Portugalius.
D. Ferdinandus Aragonius.
D. Andræas Santos.
D. Andræas Bouadilla, & Cabrera.

Mauri Cæsaraugustanenses Reguli.

Ibnabala.
Marsilius.
Muza Aben Heazin.
Aben Alfage.
Aben Haya.
Mudyr.
Imundar.
Almugdabyr.
Yra Almundafar.
Zulema.
Hamen Aben Huth.
Iuceph Aben Huth.
Almozaben.
Abdelmelch.
Hamat Almuzacayth.
Abuazalen.

Rici homines de Natura: quasi maiorum gentium patricii.

Cornelii.
Lunæ, Martinii.
Lunæ, Ferrenchii.
Lunæ, Lupii.
Azagræ.
Vrreæ.
Alagonii.
Romæi.
Focii.
Entenzæ.
Lizanæ.

Rici homines de Mesnada: quasi minorum gētium patricii.

Verguæ.
Mazæ.
Tramacetii.
Atrosillii.
Antillionii.
Ortizii.
Atorelliæ.
Ataresii.
Tizonii.
Caxalii.
Santacruzei.
Pardi.
Castellezuelii.
Huertæ.
Podii.
Peraltæ.
Vidaurii.
Peniæ.
Sessesii.
Ahonesii.
Naiæ.
Benauentii.
Ayeruii.
Stadæ.
Calasanzii.
Espesii.
Alcalæ, siue Alcalani.
Artuselliæ.

Mesnaderii: siue Palatini, illustriores.

Fontouæ.
Pinæ.
Alberii.
Gudales.
Pomarii.
Lirii.
Vallimanæ.
Gurreæ.
Valtorresii.
Abarcæ.
Embunii.
Azlorii.
Toniæ.
Ruedæ.
Vrrozii.
Funesii.
Liborrii.
Zapatæ.
Vrriesii.
Lanuzæ.
Veræ.

LAVS DEO.

CODI-

SEQVVNTVR GENEALOGICAE TABVLÆ ALIQVOT

ET PRIMVM REGVM ARAGONIÆ, & Illustris Aragonicæ Familiæ Lanuzarum, ex BLANCA.

Tabulæ post pagin. 840. subiiciendæ.

DEINDE GENTIS NORDMANNICÆ quæ Apuliam, Calabriam & Siciliam ab Anno 1035. vsque ad Annum 1195. rexit, ex Authoribus, qui Suritæ Annalibus succedunt.

TERTIO ILLVSTRISSIMÆ PER TOTAM HISPANIAM & Antiquissimæ Gironum Familiæ: & simul Ducum, Principum & Comitum, qui per Gironas vxores Familiam propagarunt: quæ sunt XXXVII. Tabulæ.

AD LE

AMVS Aragonenſium Regum diligenter explicatam,& à pri
Blancę libris ſumpta,iure cum illis in vno volumine conueniun
ri tabula adiecimus, tanquam librorum qui Suritæ indices in h

Statutum erat,aſcribere in aliis tabulis,& ſub vnum ſimul c
politanos Reges, quos domi magno ſtudio ex authoribus opti
mus, vt Praga,quô nos pro more vocauerat,ſtatim ad Bibliothe
beret: interim vero Typographicæ noſtro iuſſu inchoatæ opera
non poſſent,tres illas ſuperiores, quas in ſchedis noſtris caſu rep
chartis deſcriptas euulgare debuimus:in quo lector neceſſariar

Tamen vt gratiam abs te iniremus,& tabularum quas diximus,leniremus deſider
itinere,& in tabulas 37. contraximus:mutilas illas & annis non ſatis diſcriminatas pleraſ
niam nondum vidit, & quæ tibi, lector, in iſta hiulca & annorum vidua narratione mag
ſtius argumenti edemus, his iucunde fruere, Ex Duſſeldorfio pridie Non. Iulii Ann

INDEX TAB
LOGICAR

TOREM.

em percurſam ſeriem: addita Aragonicorum procerum vnica Lanuzarum familia: quæ ex
ordmannorum in Calabria, Apulia, & Sicilia Comitum, Ducum & Regum, ſtirpem in ſingula-
untur, breue compendium.
biicere, omnium Caſtellæ, Legionis, Luſitaniæ, Siciliæ, Balearium inſularum, Nauarræ & Nea-
tos & correctos habemus. Nec enim permiſſurum libenter Inuictiſſimum Cæſarem dubitaba-
is domum. At cum Maieſtas illius in Belgium ad diuerſos Electores & Principes proficiſci iu-
antibus præſertim nundinis, & noſtro ante autumnum deſperato reditu, diſtineri ſine iactura
eliquarum comitatu, quæ in quartum deinde Tomum venient, ſolas iam & ex præſentibus
reniam.
Hiſpanicum quem de Gironum familia in vidulo noſtro circumferebamus, conuertimus in
quæ domi multo plenius proponi & illuſtrari potuiſſent: ſed interim tales, cuiuſmodi Germa-
atem & vtilitatem afferent. Vale igitur & dum paulo poſt eadem pleniora & ſimul plura i-

IOANNES PISTORIVS *D. Cathedralis Eccleſiæ Vratislauienſis præpoſitus, S.C.M. à conſiliis, &c.*

ARVM GENEA-
E SEQVVNTVR.

INTEGRA ET PERFE[...]

REGVM FAMILIA EX HIER[...]

Pompel[...]

Primorum Sobrarbiæ Regum familia ex diuersis.



NOVA FAMILIA REgum Sobrarbiensium.



Á I.

EXPLICATA ARAGONIÆ

LANCA: ADDITIS INTERDVM

obrarbienſibus.

FAMILIA Comitum veterum Aragoniæ.

ex ducibus Cantabriæ occi-
Mauris.

Eudo *vel Hedo vel Haydo dux Aquitaniæ ex vxore* = Vxor *hæres ducatus Aquitaniæ.*

Menina *vel Munina vel Mumerana, vxor quibuſdã Froylæ Regis Legionis.*

Hunoldus.

Vifarius.

Azenarius *exutus paternis bonis fugit in Cantabriam. Aliis primus Aragoniæ Comes.*

filia, *nuptiis coniuncta cum Maurorum principe Munnitz.*

Hedo, *Dominus Vizcayæ*

Azenarius *fit armis primus Aragoniæ Comes. Obit circa An.* 795.

nobilis *Sobrarbienſis.*

m, præterito huius altero fratre, fit cadit ſtatim in bello contra Mau-

Galindus *Azenarii, ſuccedit patri: Comes II. Aragoniæ, viuit Anno* 815.

filia *vxor Sanctii Regis IIII. Sobrarbæ.*

Eximinus *Azenarii Comes III. Aragoniæ poſt patrem, Obiit Anno* 816.

Endregotus *poſt fratrem prætereritus cedit comitatum patruo.*

Teuda *vel Tota vxor Bernhardi primi Comitis Ripacurtienſis.*

Aragoniæ quintus, obit cum Sanctio quarto Rege Sobrarbienſi in bello contra Mauros Anno 832.

ex vtero matris exectus à milite Gueuara Abarca (vnde Cæſonis cognomentum habet) pro filio educatus: ſed adultus probata vera origine, ſuſcipitur ab Aragoniis, REX I. NIÆ *ſalutatus, dictus Sanctius Cæſo Abarca, obiit circa An.* 933.

ndus
9.

Eximina.

Thereſia *dicta Florentina.*

Garsias Abar[illegible]
malè nomin[illegible]
quitur

Hermigilda — Ranimirus — Sanct[illegible]

Vrraca *Ferdinandi* = *& Ga[illegible] ter[illegible] is q[illegible] Re[illegible]*

Garsias *Tremulus, Rex IV. [illegible] dictus Garsias Abarca, ve[illegible] Sanctii, Regnat vix 10. ann[illegible] tuus anno* 1000.

Vxor *domina Nunnia vel Munia: Aliis Eluira vel Geloyra vel Gelayda: Aliis domina Maiora (in priuilegio) filia Sanctii Comitis Castellæ & post fratrem Garziam hæres.*

REGES POMPELONÆ ET NAVARRÆ.

Stephana *vel Magdalena filia Petronini Comitis Perticensis* = Garsias *à patre declaratus Rex solius Pompelonæ, Mortuus anno* 1053. *in bello.*

Ferdinandus *ex patris testamento Comes Castellæ, fit ex vxore primus Rex Castellæ, & per arma Rex Legionis, Obiit anno* 1067. = Sanctia *vidua Sancti[illegible] stellæ, cuius tantum [illegible] filia Alfonsi quinti, [illegible] Legionis hæres regni.*

Sanctius *Rex Pompelonis interfectus à fratre Ranimiro: Aliis à Ramondo* — Ranimirus *fratricida dominus de Calaborra.* — Ferdinandus — Ramondus — Ermesonda — Ximenia — Maiora — Vrraca *vxor Comitis Garciæ*

Huius posteros vide in familia Regum Castellæ & Legionis.

Alfonsus *Rex XXVI. Leg[illegible] nis & tertius Castellæ post fr[illegible] trem obit anno* 1190. *vide ib[illegible]*

Vxor II. *Cōstantia Franca.*

Sanctius = Placentia

Ranimirus = Filia *Cidi Roderici Didaci.*

Garcias (*Aliis frater Ranimiri, non filius*) *mortuo Alfonso Imperatore Rege Castellæ & Aragoniæ, Rex rursus Pompelonēsis ex electione dominus Montionis, Obit Anno* 1150. = Mergelina *Rotronii Perticarum Comitis filia & hæres.*

Concubina = Garcias

Henricus, *à sorore Regina factus Comes Canosii in Sicilia.*

Vrraca *vnica filia, vxor propinqui* = Alfon[illegible] *Re[illegible] que[illegible]*

Vxor[illegible] *me[illegible] Co[illegible] fiu[illegible]*

Sanctius *succedit patri. Vide* Reges Nauarræ. — Blanca *nurus Imperatoris.* — Margareta *vxor* Wilhelmi *primi, Regis II. Siciliæ.*

ius) Rex II. Aragoniæ, ...d nepoti conuenit vt se- = Theresia *Endregoti non istius qui Galindi II. Aragoniæ Comitis filius erat, sed alterius filia.*

Vrraca

Eximina

...si & Garsennis ...l Galindez vel ...s Abarca, Rex ...ompelonæ (non ...uit, sed alius) ...z ad 990.

...mina (*ex priuilegio*)

...ex quintus Aragonum, ...arbii dictus Imperator ...xore simul Castellæ Co... ...nis 33 plus minus, Mo... = Vxor II. *Caya matrona illustris domina Ayuariæ. Aliis Concubina.*

...isaluus *à patre factus ...bii & Ripacurtiensis ...us, & tandẽ Rex, oc... ...a Romaneto de To... ...i, vel vt alii volunt à ...nnan, moritur* ἄπαις.

Ranimirus *Rex solius Aragoniæ ex patris voluntate, sed mortuo Gundisaluo fratre, Rex Sobrarbæ & Ripacurtii, Rex sextus (non primus) Aragoniæ, accepit titulum Christianissimi a Gregorio VII. Pontifice, interfectus in bello à Sanctio Rege Castellæ fratris filio Anno* 1063 *vel* 1067. = Concubina

...rga, *dicta Er...da, filia Bern... Rogerii Co... & Garsindæ, Anno* 1036. ...*ur error)*

Sanctius *Ranimiri, Comes Ayuariæ & Ripacurtii obit* ἄπαις *rege relicto hærede.*

Vrraca

Sanctius IV. *Rex septimus Aragoniæ & armis simul Sobrarbiæ & Pompelonis interfecto patruele Sanctio. Obit in bello contra Mauros anno* 1094. = Vxor I. *Beatrix Illustris fœmina.* = Concubina

Garsias *Episcopus Iaccensis.*

Sanctia *vxor Comitis Tolosæ.*

Theresia *vxor Comitis Prouinciæ.*

Ferdinandus *dominus Ripacurtiæ.*

Petrus *primus successit patri. Vide folio* B. *sequente* ʒ

Ranimirus *Rex post duos fratres. Vide folio* B. *sequente* ♃

Isabella *obiit Anno* 1104.

Vxor *Vrraca (vt prius) vnica filia Regis Castellæ & Legionis, vidua Raymundi Burgundi, (aliis Comitis Tolosæ.)*

Alfonsus *primus bellator, post Petrum fratrem Rex nonus Aragoniæ (in qua simul Sobrarba, Pompelona & Ripacurtium) ex vxore rex Castellæ & Legionis. Inde dictus Imperator summus Hispaniæ, Victor Maurorum tricies, tandem in ludicro bello, mortuus anno* 1134.

Vxor *secūda Bertha.*

Vxor I. *Agnes.*

Petr… o… g… c… A… p… ri…

Isabella *innupta ante patrē obiit.*

Petrus *ante patrē mortuus.*

Domina *Sol Cidi filia.*

Sanctius *moritur ante patrem.*

3. Eleonora *vxor Comitis Tolosatis Raymundi patris.*

2. Sanctia *vxor alterius Comitis Tolosatis, qui Raymūdi filius erat.*

4. Dulcia *monialis Xixenæ cum matre.*

2. Alfonsus.

Concubina.

Constantia *vxor Gulielmi Raymundi Moncadæ.*

1. Petrus *secundus … trem numero X… goniæ, dictus … Moritur in ar… næ obsidione … Idibus Septem…*

Vxor *secunda Mariæ filia & hæres Comitis Montpessuli neptis ex filia Imperatoris Constantinopolitani, repudiata à marito, sed frustra. obit Romæ paulo post maritum.*

Concubina *filia Beringuela Alfonsi infantis Molinæ filia.*

Theresia *Ægidii Vidaure filia vxor, sed à Pontifice reiecta, tamē vt liberi essent legitimi: sic fit Monialis.*

Iacobus I. *nominis, Rex* XIV. *Aragoniæ, Comes … tis Pessuli ex matre, natus anno* 1202. *decenni… tuo patre. Vxorem ducit anno* 13. *ætatis. M… senex anno ætatis* 72. *Valentiæ anno Christi* 1… VI. *Calend. Augusti, sepultus Populeti.*

Eleonora *Alfonsi Regis Castellæ filia, dimissa propter propinquitatem, obiit in Monasterio.*

Iacobus *dominus Exericæ, vnde illustris familia Exerica.*

Petrus *dominus Ayeruii, vnde familia Ayeruia.*

Alfonsus *declaratus Regni successor, obit antè patrem*

Constantia *Garstonis vice Comitis Benehernensis.*

Isabe… *xor … pi … Galli…*

rex
desi-
ipa-
illia
pro-
Mo-

♃

Ranimirus *post duos fratres cum Monachus, Sacerdos & Rotensis Episcopus esset, ex dispensatione vsq; ad susceptam prolem, Rex X. Aragoniæ (sed sine Pompelona, quam Garcias verus hæres per electionẽ recuperat) Ignauissimus Rex à Castellæ Rege variè vexatus, redit ad Monasterium, vt sub regiis vestibus semper habitum Monasticum gestauerat. Moritur* XVII. *Cal. Sept. anno* 1147.

Agnes (*vel Mathilda vel Vrraca*) *Aquitaniæ Ducis filia vel soror.*

...dus *Berengarius Comes Barcinonæ, ex vxore ...ndecimus Aragoniæ, viuente adhuc socero, ... Berengarii Comitis Bracatæ. Obit ann.* 1162. *... Id. Augusti.*

Petronella *vnica filia & hæres promissa in infantia Regis Castellæ Alfonsi maiori natu filio, sed reuocata ab ordinibus Regni nubit Barcinonensi, regnat post maritum. Moritur anno* 1173. III. *Idus Octob.*

Raymundus *dictus Alfonsus Castus, sub tutela matris vsque ad annum* 1163. *vbi duodecimo ætatis anno Rex* XII. *Aragoniæ declaratur, mortuus an.* 1196. VII. *Cal. Maii.*

Petrus.

Dulcia *vel Adoncia vxor Sanctii Lusitaniæ Regis.*

Sanctius.

Eleonora *vxor Armengali vel Ermengandi Comitis Vrgellensis.*

rago-
sis &

æ &
era-
rtia
a.

4. Ferdinandus *conspirat cum fratre contra nepotem Regem.*

3. Sanctius *Comes Ruscinonensis, tutor nepotis Regis, sed rebellis.*

1. Constantia *vxor primum Emerici Regis Hungariæ: secundò Friderici Regis* II. *Romanorum & Siciliæ.*

...or prima,
...rna Co-
...tis Folcal-
...uerii.

...da vel
...iolan-
... filia

Concubina *filia Sanctii Antilionis.*

Ferdinandus *Sanctii, dominus de Castris, vnde barones de Castris.*

Concubina *Beringuela filia Ferdinandi.*

Petrus *Ferdinandi, dominus in Ixaris, vnde Comites Belchises.*

Marchesia *Theobaldi Regis Nauarræ filia.*

2. ...obus *primus ...x Balearium ...sularũ factus ...atre. Vide ...am familiã.*

1. Petrus *tertius nominis, Rex XV.* Verte *& vide signũ* Æ

3. Ferdinandus *Rossilianus Comes.*

4. Sanctius *Archiepiscopus Toletanus, cadit in bello contra Mauros.*

2. Constantia *vxor Emanuelis Regis Portugaliæ.*

6. Sanctia *Deo viuens edit miracula post mortem.*

1. Iolinda *vel Violanta vxor Alfonsi Regis Castellæ, electi Roman. Imperatoris.*



Vxor *Constantia filia Manfredi Regis Siciliæ, sepulta Barcinonæ.*

1. Isabella *vxor Dionysii Regis Portugaliæ, relata inter sanctos post mortem.*

2. Constantia *(vel Violanta) vxor Ruperti Regis Neapolitani.*

Petrus *maritus Wilhelmæ Moncadæ ex comitibus Benehernensibus ἄπαις.*

Alfonsus *nominis tertius, primogenitus, Rex XV. Aragoniæ, dictus Munificus, coronatus in festo Paschali Anno 1286. Moritur An. 1291. peste, XIV. Cal. Iulii, ætatis 27. sepultus Barcinonæ, Mortuus sponsus ante nuptias.*

Eleonora *filia Edoardi Regis Angliæ, sponsa, ante nuptias moriente sponso.*

Iacobus *nominis secundus, Rex XVII. Aragoniæ post fratrem, cum prius fuisset Siciliæ Rex. Moritur post res multas gloriosè gestas an. ætatis LXVI. Christi 1327. IV. Nonis Nouembris.*

Vxor *prima Blanca Caroli Neapolitani Regis filia ducta 1295. sanctissima matrona, obiit Barcinonæ An. 1310.*

Petrus *Comes Ripacurtiæ factus à patre.*

Raymundus *Berengarius Comes Pratensis.*

Ioanna *soror Comitis Fecensis.*

Iacobus *Rex designatus, ipse se abdicat regno, factus eques Rhodius.*

Eleonora *Ferdinandi Regis Castellæ filia, intacta repudiata.*

Constantia *vxor nepotis Regis Portugaliæ.*

Alfonsus *dux Gandiæ, Comes Ripacurtiæ, moritur senex Ann. 1412. Non. Martii.*

Ioannes *Comes Pratensis ambit regnum mortuo Martino Rege.*

Violanta *Arenosia.*

Alfonsus *Comes Deniæ & Ripacurtiæ, Constablius Castellæ, Marchio Villenæ.*

Sic habet AVTHOR *Historiæ Gironum. Alii paulò aliter.*

Constantia *vxor Iacobi Regis Maioricarum, qui obiit Anno 1347.*

Vxor *tertia Eleonora Ludwici Regis Siciliæ soror, ducta Anno 1349.*

Petrus *Marchio Villenæ.*

Ioanna *filia Henrici II. Regis Castellæ ex matre de Vega.*

Iacobus *Astrologus Marchio Villenæ, sed relicto Marchionatu fit Comes de Cangas & Tineos.*

Maria *de Albornoz domina infantadgi.*

Ioannes *Rex Castellæ.*

Leonora *vxor Ioannis Regis Castellæ, mater Ferdinandi.*

Alfonsus.

Vxor *Maria D. Lupi Lunæ Comitis filia & hæres. Moritur Anno 1407.*

Martinus *à patre factus Comes Exericensis & magnus Constablius Aragoniæ, Dux Momblanci factus à fratre, & post eum Rex XXI. Aragoniæ. Factus post filiū Rex Siciliæ 1409. Moritur 1410. 2. Cal. Iunii.*

Ferdinandus *infans Castellæ, filius Ioannis Regis ex electione Rex XXII. Aragoniæ. Vide in sequente folio signum)(*

Reliquos. *Vide inter Reges Castellæ.*

Margareta *infans obit.*

Martinus II. *Rex ... ex vxoris testam... Moritur ante pa... Anno 1409. VIII ... lend. Augusti, ... patre Rege Siciliæ*

Concubina *alia Sicula Tersia.*

Maria *Fridrici Regis Siciliæ filia hæres, ducissa Athenarū & Neopatriæ, ducta 1396. Moritur Anno 1401.*

Fridricus *à patre factus Comes Lunensis, ad spem regni vocatus sed rebellans Ferdinando electo, moritur exul misere.*

Petrus *natus Anno 1398. XV. Cal. Decemb. mo...*

XV. Aragoniæ & simul Valentiæ ...ulo Rex Siciliæ An. 1282. Mo... 285. IV. Idus Nouembris.

Concubina.

Concubina Agnesia Zapata.

Iacobus. Ioannes. Beatrix.

Petrus. Ferdinandus. Sanctia. Theresa.

...liæ ...ge ...es

Concubina.

...Regis filia, non ducta propter sanguinem.

...ror Henrici Regis Cypri, obiit 1318.

...oncada Petri Moncadæ nobilis viri filia.

Iodocus dominus loci in Sardinia.

Blanca priorissa Xixenensis.

Maria vxor Petri infantis Castellæ.

Alfonsus quartus nominis, benignus & pius, Rex XVIII. Aragoniæ coronatus Anno 1328. III. Non. Aprilis in Paschatis festo, Moritur IX. Calend. Febr. Anno 1336. sepultus Ilerdæ.

Violanta vxor primum Philippi despotæ Romaniæ. Secundo Lupi Comitis Lunæ.

Ioannes Archiepiscopus Tarraconensis & Toletanus, Patriarcha Alexandrinus.

...resia Entenza Gombaldi Entenzæ & ...ntiæ Antilionis filia, hæres Vrgelita... ...ucta 1314. Moritur anno 1327. in

Vxor secunda Eleonora Ferdinandi Regis Castellæ filia repudiata à fratre Iacobo.

Ioannes. Ferdinandus.

5. 2. 4. 1. 3.

...ius in partu ...tuus cum ...re.

Petrus nominis quartus Rex XIX. dictus ceremoniosus, natus septimo mense, coronatus Anno 1336. in festo Paschatis. Moritur Anno 1388. VIII. Id. Ianuarii sepultus Populeti.

Fridricus moritur puer.

Alfonsus moritur paruulus.

Iacobus Vrgelitanus Comes ex matre.

Cæcilia filia Comitis Comengis.

Petrus Comes Vrgelitanus.

Margreta filia Marchionis Montferrati.

Vxor secunda Eleonora Alfonsi & Beatricis Regum Lusitaniæ filia, obiit Anno 1348. primo anno matrimonii.

...a Phi... ...Na... ...ia, ob... ...puer...

Vxor quarta Sibilia Forzia Bernhardi Cataloni equitis filia, Artalli Focii vidua.

Isabella nubit Vrgelitano Comiti Iacobo.

...onstantia. Ioanna. Maria.

Iacobus Comes Vrgelitanus affectans regnũ, mortuo Martino Rege cõtra Ferdinandũ Regem electũ, moritur in carcere.

Thadæus. Ioannes. mortui ante patrem.

Sponsa ante nuptias mortua Anno 1370. Ioanna filia Philippi Valesii Regis Franciæ.

Ioannes dux Gerundæ viuo patre, deinde Rex Aragoniæ XX. Moritur in venatione, cũ ex equo decidisset XIV. Cal. Iun. Anno 1395.

Vxor secunda Violanta Roberti Barrensis Ducis filia, neptis Ioannis Regis Galliæ.

Vxor prima Matthæa Ioannis Armeniacensis Comitis soror.

Iacobus. Ioannes. paruuli mortui.

...bina Aretusa Sicula.

Ioanna vxor Matthæi Fecensis Comitis, ambit regnum mortuo patre. Moritur ἄπαις.

Iacobus. Ferdinandus. moriuntur infantes.

Violanta vxor Ludwici ducis Andegauẽs. ducta Anno 1392. Mater Ludwici Calabriæ ducis.

...Nieblæ.

...ca Caroli Regis Nauarræ filia ducta Anno 1402.

...7.

X

Eleonora *vxor Edoardi Regis Portugaliæ.*

Maria *vxor Ioannis* II. *Regis Castellæ.*

Alfonſus, *primum Marchio Villenæ, poſteà Rex* XXIII. *Aragoniæ poſt patrem, Rex ſimul Siciliæ & Neapolis. Moritur anno ætatis* LXV. *Chriſti* 1458. *Neapoli* XXVII. *Iunii cognomento* SAPIENS & MAGNANIMVS.

Concubinæ *variæ.*

Vxor II. *Ioanna Fridrici Admiralii Caſtellæ filia ex*

Ferdinandus *à patre deſignatus Rex Neapolitanus, magnus Princeps, author iſtius familiæ.*

Ioanna *vxor Ferdinandi Regis Neapolitani.*

Vide *familiam ſuo loco.*

Ferdinandus *Rex Aragoniæ* XXV. *& vltimus, vnito deinde regno cum regno Caſtellæ. Factus eſt enim Rex Caſtellæ ex vxore, & ſimul Siciliæ & Neapolis, Dominus primus Americæ, capit Granatam, Rex totius Hiſpaniæ præter Luſitaniam. Moritur Anno* 1516. X. *Cal. Febr. ætatis* LXIV.

Concubinæ *tres diuerſæ.*

Iſabella *Henrici* IV. *Caſtellæ Regis ſoror & hæres, ducta* 1469. *obit ætatis* LV. *Chriſti* 1504. VI. *Cal. Decembris, ſcripta hærede Ioanna filia.*

Ex matre nobili Catalona Aldoncia Yborra.

Ma... L... R... lia...

Tota *monialis ex matre Tota Vizcaya.*

Maria *monialis ex matre Luſitana Pereyra nobili.*

Ioanna *vxor Bernhardini de Velaſco Conſtablii Caſtellæ.*

Alfonſus, *Cæſar Auguſtanæ Eccleſiæ rector, Pater Ferdinãdi Aragonii Archiepiſcopi.*

Ioannes *natus & mori...*

Ioannes *Rex deſignatus, Princeps Aſturiarum & Gerũdiæ. Moritur ante patrem & matrẽ.*

Margareta *fili... Maxmilia... ni I. Imp. Ro... mani.*

Michael *natus An... Caſtellæ & ...*

Ferdinandus. *Vide... alio loco.*

FINIS ARAGONICI SI...

Castellæ, filius Ioannis Regis, Marchio pri-
& ex vxore dominus Albuquerquæ, ex iure
one Rex XXII. *Aragoniæ, electus Anno*
io, coronatus statim III. *Non. Sept. Mori-*
16. IV. *Non. April. sepultus Populeti.*

= Eleonora, *dicta prius Vrraca, filia Sanctii Comitis Albuquerquæ ex regia familia.* Vide *in tabulis familiæ Gironum, quæ sequuntur.*

er
.
is
I.

Henricus *Magister militiæ S. Iacobi, Marchio Villenæ, dominus & Dux Segorbii.* = Catharina *filia Henrici* IV. *Regis Castellæ.*

Inde *familia ducum Segorbii.*

Ioannes *ex vxore Rex Nauarræ, deinde post Alfonsum fratrem Rex* XXIV. *Aragoniæ, dictus* MAGNVS, *in senectute cæcus factus. Moritur Barcinonæ* XIV. *Calen. Feb. Anno* 1479. = Concubinæ *variæ.*

Sanctius *(Ferdinandez) Magister militiæ Alcantaræ sine liberis.*

anca filia & hæres Caroli Regis Nauarræ, vidua
tini filii Martini XXI. *Regis Aragoniæ.* =

Ex matre Nauarra, familiæ Ansarum.

Ioannes *Archiepiscopus Cæsar Augustan⁹ ex matre nobili ab Auellaneda.*

Alfonsus *Magister Calatrauensis ex matre Eleonora de Escabor.*

Ferdinandus. Maria. *Obeunt prima ætate.*

Leonora *vxor Ludwici Viamõtesii, Cõstablii Nauarræ.*

Maria *Iunquesca.* =

Ioannes *Aragonius dux Lunensis, Comes Ripacurtiæ, vnde sunt Aragonii duces Villæformosæ & Comites Ripacurtiæ.*

Leonora *vxor Gastonis, hæres regni Nauarræ.*

Blanca *vxor Henrici* IV. *Regis Castellæ repudiata.*

Carolus *ex matre Rex Nauarræ impeditur à patre. Mortuus ante patrem anno* 1461. IX. *Cal. Octobr. ætate* 40. *annorum.* = Concubina *Maria Armendaria vxor Francisci de Barbastro.*

Anna *vxor Ludwici Ducis Medimnaceli.*

atre Rex
Vide *suo*

Concubina *Cappa Sicula* =

Ioannes *Episcopus Oscensis.* Philippus *Magister militiæ S. Mariæ Montesæ.*

= Emanuel *Rex Lusitaniæ.*

Ioanna *tandem à populo & matre designatur regina Castellæ, Aragoniæ & Siciliæ.* = Philippus *Maximiliani I. Imp. filius, Archidux Austriæ, &c. ex vxore Rex Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Siciliæ &c.*

itur 1500. *declaratus Rex*

Maria *vxor Emanuelis Regis Portugaliæ, cuius vxor prius fuerat Isabella huius soror.*

Catharina *vxor primum Arturi Regis Angliæ, & eo mortuo vxor alterius fratris Henrici* VIII. *Regis Angliæ, ex quo Maria Regina Angliæ, vxor prima Philippi II. Regis Hispaniæ.*

astellæ. Legionis, Aragoniæ,
. Imp. Romanus, &c. Vide
Castellæ.

Sorores *quatuor. Vide alibi.*

QVOD DEINDE IN HISPANIÆ
etur.

TABVLA I.

REGES SICILIÆ EX ARAGONIIS.

VIDE INTER REGES ARAGONIÆ.

Petrus III. *Rex XV. Aragoniæ ex uxore & testamento Chunradini Sueviæ ducis Siciliæq; Regis, factus Rex Siciliæ Anno* 1282. III. *Cal. Aprilis, Gallis cæsis & eiectis omnibus.*
== Constantia *filia Manfredi Regis Siciliæ.*

...*filia Caroli Andegaven-sis Neapolitani Regis secundi.* == Fridricus *à Iacobo fratre factus Siciliæ in hac familia tertius Rex Anno* 1296. *relinquit Carolo Gallo Neapolitanum regnum. Moritur Anno* 1336. XII. *Cal. Iulii, anno ætatis* 65.

Alfonsus III. *Rex XVI. Aragoniæ.* Vide alibi.

Iacobus II. *à patre factus Rex Siciliæ secundus, mortuo Alfonso fratre Rege, Siculum regnum cedit fratri Fridrico, ipse Rex XVI. Aragoniæ factus: vbi inuenies.*

...*Aragonius spurius.*

Ioannes *Marchio Randacii, Comes Menæi post Wilhelmum fratrem. Obit Anno* 1348. *in Aprili.* :::: ==

Wilhelmus *dux Caltasimi Athenarum & Neopatriæ. Obiit Anno* 1338. *herede Ioanne fratre.*

Elisa, *vxor Stephani ducis Bauariæ.*

Elisabetha *filia (non Tarentini, sed) Carynthiæ ducis Othonis, Comitis Tyrolensis ex matre Euphemia.* == Petrus *Rex quartus Siciliæ in hac familia viuo patre Anno* 1321. *natus Anno* 1304. *Moritur Anno* 1342. VI. *Idus Augusti.*

Constantia, *vxor Regis Cypri. Redit domum intacta.*

...*dux Athenarum, Marchio Randacii. Moritur sine filiis ... Anno* 1355.

Ioannes, *moritur puer An.* 1359.

Euphemia *vicaria regni An.* 1359.

Beatrix, *vxor Ruperti Branditz Electoris Palatini.*

Leonora, *vxor Petri IIII. Regis Aragoniæ.*

Violanta.

Fridricus II. *Rex Siciliæ sextus post fratrē, dux Athenarum & Neopatriæ. Moritur Anno* 1368. *Anno regni* XIII.

Vxor *prima Constantia Petri IIII. Regis Aragoniæ filia, ducta Anno* 1360. *Obiit An.* 1363. ==

== Vxor *secunda Antonia Francisci Baucii, ducis Andrii filia.*

== Vxor *tertia vel Sponsa tantum moriente ante nuptias sponso Antonia Bernabonis Vicecomitis Mediolan. filia, vxor deinde Eberhardi Wirtembergici.*

Blanca N. *Abbatissa Messanensis.*

Ludwicus *natus Catanæ* 4. *Febr. Anno* 1338. *Rex V. Siciliæ, puer quinquēnii coronatus An.* 1342. 8. *Decemb. Moritur* 16. *Octob. Anno* 1355. *sine vxore & liberis.*

Maria *vnica filia, & hæres regni nubit Martino secundo, Regis Aragoniæ filio. Vide in familia* Aragonica.

FINIS HVIVS FAMILIÆ, REDEVNte regno ad Aragonios.

TABVLA II.

REGES NEAPOLITANI EX ARAGONIIS.

Ferdinandus *Castellæ Regis filius, Rex factus Aragoniæ & Siciliæ.* Vide alibi.
== Vrraca *Leonora Comitissa Albuquerquensis.* Vide suo loco.

Ioannes. *Vide hunc & reliquos in Aragoniis.*

Concubina *Valentiana Hispana.* == Alfonsus *ex patre Rex Aragoniæ & Siciliæ vt prius, Rex Neapolitanus armis & ex testamento Ioannæ Reginæ. Moritur Anno* 1458.

== Maria *vxor, filia Henrici III. Regis Castellæ & Legionis.*

Concubinæ variæ. == Maria.

Vxor *secūda Ioanna, filia Ioānis Aragoniæ & Siciliæ Regis.* == Ferdinandus *post patrem Rex Neapolitanus, dux Calabriæ Obit Anno* 1494. 17. *Ianuarii.* == Vxor *prima Isabella, filia Tristani Comitis Cupertini de claro monte, ex matre Catharina filia Raymundi Vrsini, ducis Tarenti.*

Leonora, *vxor Marini Marzani qui filius erat Ducis Suessani, cum dote ducatus Rossani.*

...*dux ... Alone...* Henricus *Marchio Geracii factus à patre.* == :::: Cæsar *Comes S. Agathæ Gotthorum.*

Filius *cedit de Marchionatu, factus Cardinalis.*

Ioāna *vxor Ferdināndi ex fratre nepotis, regis Neapolitani, moritur sine liberis vidua.*

Franciscus *dux S. Angeli.*

Ioannes *Cardinalis.*

Beatrix, *vxor Matthiæ Regis Hungariæ.*

Vxor *Hippolyta Sforzia, Francisci ducis Mediolan. filia, ducta Anno* 1455. *Moritur anno* 1488. == Alfonsus *Princeps Capuæ, succedit patri in regno, cedit filio regni Anno secūdo Anno* 1495. *Nouemb.* 18. *die.* == Vxor *secunda Elisabeta filia Bal cii principis altæ Muræ.*

Concubina. == Ludwicus. Filia.

== Ferdinandus *Rex Neapolitanus eiectus à rege Franciæ, restitutus ab Hispano, obit regni Anno II. Anno* 1496. *prid. Non. Octob.*

Isabella, *vxor Ioannis Galeacii Sfortiæ, ducis Mediolanensis.*

Ioannes *vel Petrus obiit puer.*

Fridricus *Rex Neapolitanus post nepotem, eiectus ab Hispano & Gallo, mittitur in Galliam vbi moritur in carcere, Rex infelicissimus.* == Vxor *prima Anna filia Amedei ducis Sabaudiæ.*

Leonora *vxor Herculis Atestensis, ducis Ferrariæ: sponsa prius Mariæ Sfortiæ, filii ducis Mediolan. Francisc.*

Alfonsus *Rex Neapoli in hac familia postrem°. Succedit Ferdinādus Hispaniæ Rex, eiecto bello.*

Carolotta, *vxor Nicolai Guidonis comitis Lavalli.*

...*comitissa, vidua ... Catholici, nubit tertio Marchioni Brande...* == Ferdinandus *dux Calabriæ factus fugiente patre exulat in Hispania.*

Iulia *sponsa Ioannis Georgii Marchionis Montferratensis postremus sponso in nuptiis moriente Anno* 1534.

N. *filius cum patre missus in Galliam.*

Cæsar *obiit Ferrariæ.*

Elisabeta *exulat in patria.*

TABVLA III.

REGES MAIORICÆ ET BALEA-RIVM INSVLARVM EX ARA-GONIIS.



SVCCEDIT Petrus IIII. Rex Aragoniæ: & post eius filium Ferdinandus Castellæ Regis filius, Rex Aragoniæ electus: vnde hodie Reges Hispaniæ possident.

TABVLA II.

FAMILIA ARAGONICA

DOMINORVM ALFOCEÆ, ES



...VZARVM,

Aragonum, obiit Anno 1349.

IVSTITIAM Aragonum nominant Aragones summum regni officium, quod in administranda iustitia consistit, & cuius amplissima potestas est, vt ne Reges quidem exempti sint.

...*ti* N. Vxor *Cerdani.*

Dianira *vxor Petri Lunæ, domini Illueca.*

= Beatrix *Pimentela.*

...secundus post patrem Iu... Anno 1498. *prorex Si...* 1507. *paucis diebus post* = Ioanna *Rocobertina, nobilissima matrona.*

Maria *Lanuza, vnica filia.* = Petrus *Martini Luna, Comes Morata.*

...r Mediolani.

Maria *Luna, vnica filia, vxor Illustrissimi Sastagensis Comitis.*

...oror.

TERTIA TABVLA, AD[...]

Nordmannoru[...]

TABVLA IN QVA PRIM[...]

AVERSÆ, TARENTI, ASCOLI, MELI[...]

Capuæ, Barri, &c. Comitum & P[...]

Nord[...]



M APVLIÆ, CALABRIÆ,
CEI, ABAGELARDI, CAPITINATÆ,
m, Comitum & Regum Siciliæ

mos, militatum in Italiam Anno 1035. *mittit, qui* *suam faciunt.*

Vxor *secunda Fresenda.*

1. 2. 7. 4. 5. 6.

Filia *vxor domini & Principis Auersæ, mater inde filii Iordanis et ex hoc nepotis Richardi principum Auersæ.*

Robertus *Guiscardus primum Comes in Calabria, & post Hunefridum fratrẽ & huius filium Comes quintus Apuliæ An.* 1057. *Dux tandem à Papa factus dimidiæ Calabriæ & totius Apuliæ Anno* 1060. *Moritur in Bello Bulgarico, anno* 1084. *ætatis* LX. *annorum, sepultus Venusii.*

Malgerius *Comes Capitinatæ in Apulia.*

Filia *vxor Comitis Cõuersanæ, mater Gotfridi Comitis.*

Rogerius *primum Meliti & Scyllacei Comes, dominus dimidiæ Calabriæ, tãdem Comes, & dominus totius Siciliæ. Verte et quære signum*]:[

Aluearedus.

Humbertus.

Tancredus.

or prima dimissa propter propinquitatem.

Vxor *secunda Gayta vel Guta vel Sigelguta, filia Guaymarii, soror Gisulfi principum Salerni.*

2. 1.

arcus dictus Boamundus, Princeps Tarentinus, cedit Apuliam fratri Rogerio, profectus cum Bullonio in Syriã, vbi creatur prim⁹ Antiochiæ Dux. Mortuus Anno 1108.

Mabilia *vxor* Wilhel*mi Marchionis de Grante maniol, affectans contra affinẽ Rogerium Apuliã, exulat Constantinopoli, sed eandem reconciliatus recepit omnia præter Castrũ S. Mauri.*

Robertus *moritur statim post patrem.*

Rogerius *cedẽte Boamũdo fratre dux Apuliæ & dominus dimidiæ Calabriæ primus. Moritur Salerni Anno* 1093.

Filia *elocata filio* IMPERATORIS *Cõstãtinopolitani.*

mus Marchio de te manil.

Adela *filia Roberti Frisii Comitis Flandriæ, vidua Canuti Regis Daniæ.*

Guilielmus *dux secundus, Apuliæ & dimidiæ Calabriæ dominus à Papa confirmatus Anno* 1114. *Moritur Anno* 1120.

Sponsa *non ducta propter Spõsi mortẽ, filia* IMPERATORIS *Constantinopolitani.*

Tancredus *profectus in Syriam, fit dux Galileæ, & mortuo auunculo Boamundo, cum huius filius infans per ætatem gubernationi impar esset, electus secundus princeps Antiochenus. Moritur Anno* 1112.

Wilhelmus *moritur in itinere in Syriam.*

Cæcilia *filia Philippi Regis Galliæ.*



Filia *vxor Gualteri de Brenna qui Ioannis Regis Hierosolymitani frater erat, & vxorio iure regnum Neapolitanum contra Henricum* VI. *Imperatorem affectabat.*

Constantia *Sponsa Arturi qui nepos Henrici* II. *Regis Angliæ ex filio Gotfrido fuit.*

Rogerius (*non Wilhelmus*) *viuo patre Dux Apuliæ, mortuo Rex quintus Siciliæ, sed in aditu regni reiectus ab Henrico* VI. IMPERATORE, *amitæ suæ marito, & captus atq; castratus, moritur in carcere.*

Wilhelmus.

Irena *Isaaci A*
Constantinopo
nubit secundo
Barbarossæ IM
RIS *filio, frat*
VI.

FINIS MASCVLÆ NORDMANN
Familiæ in Regno Siciliæ. *Succedit Henricus VI. Imperator ex Con*
stantiæ vxoris iure.

e Comes &
les. Mori-
e Iulio.

== Vxor *prima Delicia, dicta Erenberga filia Comitis Moritonii vel Mortanensis ex familia Ducum Nordmanniæ soror Arnoldi Comitis in Sicilia Anno 1061. in bello mortui & Roberti Abbatis S. Euphemiæ, ducta Anno 1062. obiit Anno 1088. vel 1089.*

ratre / ala- / rtuo / Si- / rtuo / mo / liæ, / æ & / 20. / ipuæ / Ro- / mus / nno / ma- / ipa / tur / itis

4. Busilla *Almi Regis Hungariæ uxor ducta 1097.*

1. Machilda *uxor Raymundi Comitis Prouinciæ ducta Anno 1080.*

Gotfridus *factus leprosus moritur ante patrem & nuptias.* == Sponsa, *soror nouercæ, neptis Bonifacii Marchionis Montferrati ex fratre, forte illa quæ nupsit Iordano Sponsi fratri spurio.*

3. Filia *uxor Chunradi Regis Italiæ, filii Henrici IV.* IMPERATORIS. *ducta An. 1095. Pisis.*

2. Emma *Sponsa Philippi regis Galliæ adulteri, sed uxor Comitis Clarimontis in Gallia anno 1085.*

5. Filia *uxor Hugonis Guerreræ Normanni, Alii Hugonem Gozectam vocant, qui a Saracenis in Sicilia occiditur, Anno 1175. (videtur error in anno.)*

== Alberia *vel Eluira vel Geluira Alfonsi VI. Regis Castellæ & Legionis filia ex Isabella Franca uxore quinta.*

Adæ, / x fecit / & do- / ntatus / i Co-

2. Anfusus *(vel Alfonsus) Princeps Capuæ a patre factus. Moritur ante patrem.*

1. Rogerius *a patre viuo designatus dux Siciliæ & Apuliæ ante patrem mortuus sine uxore.*

4. Wilhelmus *primus nominis, Rex Siciliæ secundus, Princeps Apuliæ, cognomento Malus, annorum* XLV. *moriente patre coronatus a patre. Moritur Anno 1165. ex dysenteria.*

Constantia *Rogerii primi Regis, non Guilielmi filia, (erat enim anno 119 . quinquaginta annorum) Monialis et ex Monasterio ad regni spem & successione ducta Anno 1190 parit filium Anno 1191. quinquagenaria, moritur anno 1 99. vel 1200. circiter. Nata Anno 1141. cum Wilhelmus primus Rex esset infans.* == Henricus VI. *Imperator, Barbarossæ Imperatoris filius, rex factus Siciliæ Anno 1195. Moritur Anno 1199. sepultus Panormi.*

5. Filius *de quo nihil exstat.*

3. Tancredus *a patre factus Barrensis Princeps, obit ante patrem.*

eta *filia Garçiæ Regis Nauarræ qui Anno obiit, soror sancti Regis & Henrici Spurem in Sicilia fecit Comitem Canosii, obiit 1183.* ==

Princeps / testamē- / moritur / m.

Wilhelmus *secundus, Siciliæ Rex tertius, dictus* BONVS, *vndecim annorum moriente patre, iuuit Alexandrum III. Papam contra Imperatorem Barbarossam, venit subsidio Christianis in Syria. Mortuus Anno 1189. ætatis* XXXVI. *Regni* XXV. == Ioanna *Henrici II. Regis Angliæ filia, soror Richardi: Nubit secundo Raymundo Tholosæ Comiti.*

Rogerius *puer designatur Rex contra patrem a subditis: sed moritur ante patrem.*

Fridricus II. IMPERATOR *natus Anno 1191. coronatus Anno 1200.* *Vide huius familiam inter Sueuicos Siciliæ Reges.*

SVCCEDIT PER VIM TANCREDVS

Patruus spurius. *Vide præced. paginam.*

FAMILIA GIRONV
QVISSIMIS I

RODERICVS Consalui *des Giron, vixit Anno* ɔcccxci. ═ N.

Consaluus *Roderici Giron, vixit ex literarum testimonio* c ɔxxii

Rodericus *Consalui, vixit cum P*

Consaluus *Roder*

Rodericus *Cons* *so* VI. *Rege*

Sanctia *filia Alfonsi* VI. *Regis Asturiæ & Legionis ex matre Isabellâ Ludwici Regis Galliæ filia. Vide* Reges Legionis. ═

Consaluus *Roderici, primus Giron de Cisneri*

Rodericus *Giron occisus in bello c*

Petrus *Roderici.* ═ Sanctia *Pelagia filia domini Petri de Valladores ex Vrraca filia Alfonsi Regis* I. *Portugaliæ.*

Teresia *Petri, vxor Aluari Diaz de Asturias, vnde sunt domini de Asturias, & domini (sed ex matre) de Hinoiosa.*

Nonnius *Roderici.*

Rodericus *Roderici.*

Consaluus *Roderici* *& Henrici* I. *Castell* *Legionis Regum pos* *mann, vixit Anno* *Moritur ante ann* *hospitalium, magnu*

Vxor *secunda domina Marquesa.* ═

7. Maiora.

6. Agnes.

5. Leonora *vxor Ioannis Alfonsi domini de Albuquerque.* Vide *Familiam de Meneses Albuquerquensem. sequent. Tab.* VII.

1. Petrus *Consalui.*

2. Munnus.

3. Nunnus.

4. Maria *vxor Martini, (qui filius erat Alfonsi regis Leonis) ex Teresia Gil, vnde Ferdinandus Gil & Alfonsus Gil.*

Berenguela *vxor Lupi de Haro dicti breuis.* Vide *in familia dominorum de Haro, Marchionum de Carpio. Tab.* XXII.

Eluira *Diaz filia Iacobi Comitis de Castineda.* ═

2. Consaluus *Roderici* *gister S. Iacobi* XV

Rodericus *Consalui Giron de S. Romano.*

Consaluus *Roderic* *Giron.*

Eluira. ═

Consaluus *Roderici, obiit circa Ann.* 1350.

Maria *vxor Roderici Iohannidæ de Assueris.* Vide *inter Assueros, Comites Lunæ. Tab.* XXIII.

Maria *Tellez de Meneses filia Roderici Consaluidæ, dicti vulpis vel Raposa.* Vide *Marchiones de Villareal. Tab.* VII. ═

Petrus *Giron Commendator de Martos ordinis Calatrauæ.*

Rodericus *Consalui.* ═ N.

Maria *vxor Ioannis Alfonsid* *nides, supremi iudicis Regis*

Ioannes *Alfonsus Giron obiit ante annum* 1369.

Vrraca *Galina.* ═

Petrus *Alfonsides Giron obiit cœlebs.*

Maria *vxor Petri Consaluidæ de Baçan.*

HISPANIA EX ANTI-
DOCVMENTIS.

I.

70.

ria circa Anno 1100.*vixit sub Alfon- ...uit gener.*

Maiora *Nonnez de Lara.*



...Martinez de Guzmann. Vide *ho-* ... XV.

...z (ex matre) Giron occeditur ...Anno 1356. VI *Ianuar.* = N.

Ferdinandus *Roderici (ex auo) seruit Regi Petro vbi obiit in bello.*

Petrus *Alfonsides Giron occiso patre abiit exulatum in Lusitaniam.*

... Giron, postremus huius familiæ. = N.

Teresia *Tellez Girona, vltima & hæres totius familiæ.* Vide *sequent. Tabula* II.

SECVNDA GIRON

EX C

TERESIA Girona Tellez transfert nuptiis familiam ad dominos de Acunna, vxor prima domini Martini Vasquez de Acunna. = Martinus Vasquez de A
vxore secunda. Vide

Leonora vxor Ioannis de Castro, domini de Dabela in Portugalia.

Beatrix vxor Ioannis de Valencia Marschalci Castellæ ex Regia familia. Vide Dominos Valẽtiæ, Marschalcos Comaræ. Tab.xix.

Filia, vxor Ferdinandi Ducis Bregantiæ filii Alfonsi & nepotis Ioãnis regis Lusitaniæ.

Alfonsus Tellez Giron, ex vxore domin⁹ Belmõtis. Viuit Anno 1431. = Maria Pacheca, domina Belmontis hæres & filia Ioannis Ferdinãdi Pacheci. Vide Dominos Pachecos veteres. Tab.VIII.

I.

Concubina. = Ioannes Pachecus Giron, Magister S. Iacobi XXXIX Anno 1467. factus, Marchio Villena à Rege Castellæ Ioanne designatus, ex prima vxore dominus de Moguer, Obiit Anno ætatis LV. Calendis Octobris Anno 1474. = Vxor prima Maria Portocar
Petri domini de Moguer
Tabul.III.

Ioannes spurius.

Vxor secunda Maria de Velasco, filia Petri Ferdinandez primi in familia Condestablii Castellæ ducta 1471. Vide Velascos Tab.XXXI.

Mentia vxor Iacobi de Cardenas ducis Maquedæ. Vide dominos de Cardenas. Tab.XX.

Beatrix (aliis ex prima vxore) vxor Roderici Portocarreri. Vide Tab II. Portocarreros Comites Medellini & S. Stephani. Vxor secũdò Alfonsi de Sylua. Vide Comites de Sylua. Tab.X.

Francisca vxor Innigi Lopez de Mẽdoça Marchionis de Mondejar. Vide in Mendoçis de Mondejar. Tabul.XVI.

Maria vxor Ferdinandi Aluarez de Toleto Comitis secũdi Oropesæ. Vide Familiam Tabul.XXVI.

Ioanna vxor Iacobi Ferdinandez de Corduba primi Marchionis de Comares. Vide in harũ Tab. XIX.

Catharina vx
de Corduba d
Aguilar. Vid
nos de Cordu
chiones de I
Tab.XVI.

Vxor secunda Ioa
na Henriquez

Magdalena Pacheca vxor Petri Portocarreri, Marchionis de Villanoua. Vide Tab.III.

Isabella Pacheca vxor Roderici Pontii primi ducis de Arcos sine liberis. Vide Tab.XXVI.

Agnes Pacheca vxor Iacobi de Bobidilla Comitis de Chinchon.

Franciscus Pachecus d
Escalonæ, March
quartus.

Gabriel.

Iacobus Lopez Pachecus.

MILIA, ET TABVLA,

·ILIA.

ima, Comes Valentiæ ex *um Acunnæ.* Tab.VI. — Vxor *secunda, Maria infanta filia Don Ioannis infantis Portugaliæ, Comitissa Valentiæ facta ab Henrico* III. *Rege Castellæ, ex matre Constantia Regis Castellæ secundi filia.* Vide *Dominos de Herrera.* Tab.XXXIII.

nchii Manuelis *uelum familiam:)* *z de Haro.* (*vide* *nes Carpii.* Tab.

Huius matrimonii procreationem, vide in Familia dominorum de Acunna. Tab.VI.

2.

Petrus *Giron, Magister* XXVIII. *Calatrauæ, dominus in Pennafiel, Urenna, Tiedra, Villafrechos, Ossanæ, Gelues. Moritur ex angina 2. Maii Anno* 1466. *ætatis* XLIII. *in magna Henrici* IV. *Castellæ Regis gratia.* Vide *in seq. pag. signum* [:]:[:]

S VILLENÆ.

2. Petrus *Surdus Portocarrerus, Giron autor Marchionum de Villanoua.* Vide Tab.III.

Vxor *prima Maria de Luna Comitissa S.Stephani.*

3. Alfonsus *Tellez Giron, author Pachecorum de Puebla & Mõtaluan.* Vide Tab.IV.

4. Alfonsus *alius Commendator de Villa Franca.*

5. Rodericus. 6. Lupus. *Fratres Cœlibes.*

Beatrix *vxor Rodrici Põtii de Leon ducis de Cadiz.* Vide Duces de Arcos. Tabul. XXVII.

Maria *altera vxor Roderici Pimentelii, quarti Comitis de Beneuentæ.* Vide *familiam Pimẽtel.* Tabul. XXIV.

Isabella *vxor Petri Lopez de Padilla maioris Præfecti Castellæ.*

... *Bo-*

Ioannes *Pachecus Comes S.Stephani ex matre, prima patris vxore. Obiit ante patrem ἄπαις.*

Iacobus *Lopez Pachecus dux Escalonæ secundus, Marchio Villenæ tertius.* — Ludwica *de Cabrera Marchionissa de Moya.*

...eto filia Ferdinandi ... Toleto, Comitis O-... *...e* familiam Tabul.

Antonia *Pacheca sanctimonialis.*

Ludwica *de Cabrera (ex matre) vxor Ioannis Sarmienti de Aragonia, Comitis de Ribagorça.*

Ioanna *Pacheca vxor Petri de Cunniga, Comitis de Miranda.*

...ecus, ...Mar-

Franciscus *de Cabrera, Marchio de Moya.*

Maria *Pacheca.*

Concubina *Agnes de Meneses.* = Petrus *Gir*
Marchi
vt prius.

Agnes *vxor Francisci Heuriquez de*

3.

Maria *Girona.*

Ioannes *Tellez Pachecus post fratrem Alfonsum secundus Comes Vrennæ An.* 1469. *obiit Ossunæ ætatis* LXII. *Anno* 1528. XXI. *Maii.* = Leonora *de Vega & Velasco, filia Petri Ferdinandez Constablii Castellæ, obiit An.* 1552. *in Decembri.*

Al

Ioanna *vxor Rodrici Pontii ducis de Arcos.* | Maria *vxor primum Henrici de Guzmann quarti ducis Medinæ Sidoniæ: secūdo vxor Rodrici Pōtii ducis de Arcos tertia.*

Hæ duæ sorores vni marito nupserunt. Vide Tab. XXVII.

Anna *Abbatissa S. Claræ in Villa Frechos.*

Beatrix. Catharina. Bernardinus. Gabriel. *In iuuentute mortui.*

Alfo

Mentia *de Guzmann filia Ioannis Alfonsi ducis* ... *tii Medinæ Sidoniæ.* Vide Guzmannos Tab. X

Maria *vnica filia, Girona, vxor Ian* ...
familia quinti. Inde mater vnica ...

Alfonsus *Tellez Giron.* F

r.

Anna *altera obiit infans.*

Maria *Girona nata Anno* 1553. *in Februar. vxor Ferdinandi de Velasco, Comitis Hari.* Vide *Velascos,* Tab. XXXI.

Leonora. Leonora *altera.* Leonora *tertia.* *Infantes obierunt.*

Ioannes *Tellez obi* ...
puer.

Anna *Maria de Vela* ...
Constablii, (vide V ...

Petrus *Giron natus Anno* 1574. XVII. *Decembris.*

Petru ...
pue ...


lenæ
onis
Concubina pro vxore ducta & habita, Isabella delas Casas, ex Equestri nobili familia in Seuilia.
Sponsa in senecta sed non ducta, Ioanna Castellæ infans, vel Isabella, vxor postea Ferdinandi Regis Catholici.
e Comes
nsus &
1469.
Blanca Herrera filia Garciæ de Herrera. Vide Herreræ dominos Tab.XXXIII.
Rodericus Magister XXIX. Calatrauæ, moritur in obsidione Loxæ XXIII. Iulii Anno 1482. ætatis XXVI. annorum.
Maria de Torres Concubina.
Catharina de Pernia.
Petrus Giron spurius Roderici, vt suprà, Castellanus Osuriæ apud patruum.
istophorus
Franciscus Pachecus.
Alfonsus Tellez.
Obeunt in Indiam.
Ferdinandus Tellez Giron Castellanus Pueblæ.
Maria de Oliuares.
Francisca Morejon.
Petrus Giron Castellanus Archidionæ.
Catharina Girona, vxor Francisci de Ouiedo.
2.
3.
Rodericus Tellez Giron miles, moritur ante patrẽ sine vxore & liberis anno 1526. XXIX. Nouemb.
Ioannes Tellez Giron, author Scholæ Ossunensis, Comes Vrẽnæ quartus post fratrem Petrum, obiit Anno 1558. XIX. Maii, ætatis LXIV.
Isabella vxor Bertrami de Cueua ducis tertii Albuquerquensis, vbi vide Tab.XXX.
Mentia vxor Henrici de Acunna Comitis de Valentia. Vide Tab.VI.
Maria vxor Ferdinandi Henriquez quinti admiralii Castellæ. Vide Familiam Henriquez Tabul.XXI.
Leonora vxor Ludwici Ferdinandez Portocarreri primi Comitis Palmæ. Tabul. III.
Maria della Cueua filia Francisci ducis Albuquerquensis (vide familiã Tab.XV. Vidua fit Magistra Gynæcei Philippi II. Regis Hispaniæ, obiit anno 1566. ex colica XIX. Aprilis.
langæ, Constablii Castellæ in ista
XXXI.
ia Girona vxor Manrici de Lara
cis IV. Nauarræ. Vide Dominos
unna & Manriquez. Tab.VI.
Petrus Giron, Comes quintus Vrennæ, dux primus Ossunæ Anno 1562. factus à Rege Philippo II.
Magdalena vxor Georgii de Alencastre ducis primi de Auero. Vide Alencastrenses. Tab.XXXV.
Leonora vxor Petri Fajardi, hæredis Marchionatus de Veles ex Galicia. Moritur Anno 1566. VI. Iulii Anno ætatis XXIIII. in partu filiæ Mariæ, quæ & ipsa statim obiit.
ora Anna de Guzmann filia
nis Alfonsi ducis VI. Medi-
doniæ (vbi inuenies.) Obiit
1573. XXIII. Nouembris.
Vxor secunda Isabella della Cueua filia Iacobi, neptis Francisci ducis Albuquerquensis. Ducitur Anno 1575. in Februar. Tab.XXX.
2.
3.
4.
Ioannes Tellez Giron Marchio primus de Pennefiel à Rege factus, An. 1568. nascitur Anno 1554. XX. Octobris.
Petrus Giron miles ordinis Calatrauæ, natus Anno 1557. XXIV. die Augusti.
Anna Gironia monialis, nata an 1558. VII. Decembris.
Leonora moritur in prima ætate.
Anna obiit infans.


Concubina.
Alfonsus *Ferdinandi dominus de Moguer.*
Vxor.
Alfonsus *spurius.*
Vxor *ex familia Horozko.*
Martinus *Ferdinandi Portocarrerus, dominus de Moguer.*
Francisca *Portocarrera, vxor Ægidii Bocca nigræ domini Palmæ: vnde sunt Portocarreri Comites Palmæ.* Vide Tab. XII.
Petrus *Portocarrerus* [...] *nus de Moguer.*
Maria *filia* [...] *Mogu*[...]
Rodericus *Portocarrerus, maritus Beatricis Gironæ filiæ Ioannis primi Marchionis Villenæ: vnde sunt Portocarreri Comites Medellini & S. Stephani.* Vide Tabula XII.
Beatrix *Girona.*
Reliqui liberi ascripti. Vide *præced. Tab.* II.
Pe[...]
Vide Portocarreros, Comites S. Stephani & Medellini. Tabula XII.
Maria *calebs.*
Alfonsus *de Cardenas (ex matre) Comes de Puebla.*
Petrus *Archiepiscopus Granatensis.*
Leonora *Abbatissa S. Agnetis in Seuilia.*
Ioannes *Portocarrerus primus Villanouæ Marchio del Fresno.*
Eluira *de Figueroa, filia Gomesii Comitis de Feria ex matre Maria filia ducis Albæ.*
Maria *Osoria, filia Petri Aluarez Osorii.*
Maria *Osoria, vxor Ioannis Portocarreri Comitis Medellini.* Vide *Tab.* XII.
Christophorus *Osorius (ex matre) vltimus Cõmendator Estepa.*
Vxor *secũda Maria Henriquez.* Vide *Tabul.* XXI.
Maria *Manuela filia Manuelis de Villena, Lusitani.*
Vxor *prima Magdalena Pacheca filia Iacobi Gironis, secũdi Marchionis Villanouæ. Vide Tabul.* II.
Petrus, *succedit patri 29. Marchio Villanoua.*
Vxor *secũda Maria de Morales in Ecija.*
Alfonsus *Portoca*[...]
Christiana.
Leonora *vxor Alfonsi de Arellano.*
Alfonsus.
Petrus.
Ioannes *Portocarrerus.*
Ioanna [...] *trueli.*
Gabriel *Clericus.*
Laurentius *de Cardenas (ex auia.)*
Laurentia *domina de Balda.*
Garcias *de Toledo (ex auia materna.)*
Filia *Ludwici de Toro in Herena.*
Ioanna *vxor* [...] *Tellez Giron* [...] *mini de Pue*[...] *Montaluan.* [...] *in seq. pag.* [...]

GIRONES, PORTOCARRERI,

MARCHIONES DE VILLANOVA ET Alcala, Comites de Puebla, Domini de Cardenas & de Moguer, ex muliebri GIRONA origine.



GIRONES, PACHECI, D

DE MONTALVAN, EX

attingitur familia Chaco

Ioannes Pachecus, *Giron, Magister S. Iacobi, primus Villenæ Marchio, vt prius.* = Maria *Portocarrera, vt prius.*

Alfonsus *Tellez Giron, dominus de Puebla in Montaluan.* = Maria *de G[...] domini d[...]*

Isabella. Catharina. Francisca *Pacheca.* Sanctia *vxor Alfonsi Carilli de Acunno, domini de Pinto, mater inde Ludwici Carilli de Toleto.* Petrus *Pac[...] Episcopus [...] Cardinali[...]*

Consaluus *Chacon, dominus de Casaruuios del monte, filius secũdus domini Ioannis Chacon Præfecti Murciæ.* = Francisca *Pacheca.*

Ludwica *Chacon vxor Ioannis Mendozæ de Monte acuto.* Franciscus *Chacon dominus de Casaruuios.* Maria *vxor Ferdinandi de Royas Commendatoris de Almodouar del campo.* Consaluus *Chacon dominus de Couarruuios.* Ioannes *Pachecus Commendator S. Iacobi.* Antonius *de Gueuara (ex auia.)* Ia[...]

Terosa *filia domini de Ayala, hæres fratris.* = Franciscus *Chacon.*

Ioannes *Pachecus* = Isabella *de Mendoça, filia Comitis de Monte acuto.*

Andreas *Pachecus.* Iacobus *Lopez Pachecus, Commendator ad S. Iacobum.* Chaspar *Giron gestat habitum ordinis S. Iacobi.* Leonora *Girona vxor Ludwici Carillii domini de Pinto, mater inde Ludwici.*

TABVLA V.

FAMILIA ANTIQVISSI

IN TALAVER



HACTENVS DE GIRONIBVS ANTIQVIS ET NOVIS

DE PVEBLA, COMITES
MATRE, VBI ETIAM
n de CASARVVIOS.

dron,



M GIRONVM

oannes *Suarez Caruajal (factus Episcopus de Iugo mortua vxore.)*

inus de Pennaluer obi.
Vxor *prima Maria Manuela de Haeredia, ex matre Anna Sermienta.*

nes *Suarez Caruajal.* *Alii quinq; filii.*



SEQVVNTVR ALIÆ F

CVM GIRONIBVS CONIVNCTÆ NVPTI

de Acunna, Comitum Valentiæ & Buen
Roæ & M



Fili

Vxor secunda filia Ioannis Manuelis, ex
Catharina ex Castella.

Ludwica de Acunna hæres patris, Comitiss

LIÆ EODEM MODO
RIMVM FAMILIA DOMINORVM
le Giion, Dominorum

matre Exa.

aes, filia Roderici Martinez de No-
rice Annez, filia Ioannis Perez Re.

Ferdinandez Pacheci. Vide Veteres Pachecos. Tabul. VIII.



PARS FAMILIÆ MA

Co

Ludwica *de Acunna, Comitis quarti Valentiæ Henrici vnica filia & hæres, vt prius.* = Manricus *du*

Manricus *de Lara, Dux Najaræ quartus, Com sextus.*

Don Manricus *de Lara, Comes Valentiæ.*

TA

FAMILIA DOMINO

GIRONA MATRE, VBI S

Regibus Castellæ, & Domini veteres

lareal in Portugalia, Comitibus i

montis in Cast

Rodricus *Consalui Giron.* Vide Tabul. 1. = Maiora *Nunni de Lara filia.*

Teresia *vxor prima Alfonsi Tellez de Meneses.* = Alfonsus *Tellez d Meneses.*

Maiora *vxor Roderici Gomezii de Tristamara.*

Teresia *vxor domini Men Consalui, domini de Sosa.*

Tellus *Alfonsi.*

Maria *Iannez, filia domini Ioannis Ferdinandez de Limia.* = Alfonsus *Tellez de Corduba, sic dictus, quia vrbem defenderat.*

Io

Alfonsus *Tellez Giron.*

Rodericus *Alfonsi.*

Maiora *vxor te domini Infant Molina.*

Vxor *prima.* = Alfonsus *de Molina filius & infans Alfonsi noni regis Legionis & Castellæ.*

Vxor *secunda.* Vide *alibi.* =

Maria *vxor domini Sanctii, Regis Castellæ & Legionis, mater Ferdinandi quarti Regis Castellæ & Legionis & Beatricis vxoris Alfonsi quarti Regis Lusitaniæ.*

Alfons *Mene*

T

Maria *filia Alfonsi Infantis Portugaliæ, ex matre Violanta Manuela.* =

Isabella *d*

SIC ALBVQVERQVA ET

ex vxore Comes V. Valentia.

aria *Tellez Girona, filia Ioannis Tellez quarti Vrenna Comitis, obiit Anno* 1562. *post partum, ætatis* XXIV. Vide Tab. II.

anrica de Acunna. Ioannes *Manriquez.*

VII.

I DE MENESES, EX
NFANTES DE MOLINA EX

nterponuntur, cum Marchionibus de Vil-
Comitibus Neibæ & Fariæ, Dominis Bel-
itibus Cantenedæ,

Teresia filia Sanctii Regis Portugaliæ, ex matre Maria Paez de Ribera.

us Albuquer-

Leonora *Consalui Girona, filia Consalui Ruyz ex secunda vxore.* Vide Tabul. I.

Consaluus *Ioannis de Meneses. Huius familiam vide in seq. pag. sign.* Z

Rodericus *Ioannis dominus Albuquerquæ.*

Ioannes *Alfonsus, dominus Albuquerquæ.*

omini Petri Asturias.

Alfonsus *spurius Sancti ... Lusitaniæ, fit ex vxore dominus Albuquerquæ.*

Teresia *filia & hæres vnica patris.*

Ioannes *Alfonsus dominus Albuquerquæ, & ex vxore dominus in Meneses, exuitur omnibus bonis à Petro Castellæ Rege.*

Martinus *Gil de Meneses, obiit sine liberis.*

NIVNTVR REGNO CASTELLÆ.



3 Consaluus *Ioannis de Meneses & Albuquerque filius*
Girona matre, vt prius.
Maria *de Meneses.*
Beatrix *vxor Ioannis Perez de Noboa.*
Alfonsus *Tellez de Meneses, habitat in Portugalia, vbi moritur.*
Consaluus *Iannez de Ouinal & Aguilar.*
Consaluus *Consalui, dominus de Aguilar.*
Ferdinandus *Consalui dominus de Aguilar.*
Concubina.
Tellus *de Aguilar author familiæ Tellorum de Aguilar de Eciia.*
Maria *vxor Consalui Mendez de Vasconcelos.*
Ioan
Vxor Maria *Coronella.*
Vxor Guiomara *Pacheca.*
Tellus *de Meneses.*
Leonora *Tellez de Meneses.*
Ioannes *Alfonsus de Meneses Comes Vianæ.*
Alfo
Filia Ioannis Ruyz *Portocarreri.*
Petrus *de Meneses Comes Vianæ primus, Capitaneus generalis Ceuræ.*
Duardus *de Meneses Comes Vianæ, Capitaneus generalis de Alcaçar.*
Beatrix *de Meneses.*
Ferdinandus *de*
Gijon, qui fili
Henricus *de Meneses Comes Vianæ, Capitaneus generalis de Arzila.*
Petrus *de Meneses generalis Ceuræ, & primus Marchio de Villareal in Lusitania.*
Ioannes.
Henricus.
Antonius.
Ferdinandus *de Meneses, Marchio secundus de Villareal.*
Maria *de Freyre, Comitissa de Alcontim.*
Petrus *de Meneses, Marchio tertius de Villareal.*
Beatrix *filia Constablii de Portugalia.*
Michael *de Meneses Marchio quartus de Villareal, moritur sine liberis.*
Manuel *post fratrem Marchio quintus de Villareal.*
Iuliana *vxor Ioannis de Alencastre nepotis Ioannis II. Regis Lusitaniæ, primi ducis Aueri.* Quære *Alencastrenses* Tabul. xxxv.
Margareta *de Sylua, fili*
Antonius.
Leonora *monialis.*
Petrus *de Meneses dominus de Canteneda.*
Agnes *de Cunniga, filia Fridrici domini de Cunniga.*
Ioanna.
Margareta.
Ioannes.



Ferdinandi Coronelli.
tii Suarez de Valladares.
Rodericus Consalui de Meneses, dictus vulpes (Raposo.)
Maria Daça.
Beringuela vxor Nunni Martinez Barreti.
Maria de Meneses, vxor Consalui Giron, filii Roderici. Vide Tab. I.
Alfonsus Tellus Meneses.
Aldoncia de Vasconcellos.
ra Tellez de Meneses vxor Ferdinandi Lusitaniæ, mater cis vxoris Ioannis Regis Castellæ.
Ioanna vxor Ioannis Alfonsi Pimentel de Bregança, primi Comitis Beneuenti in Castella. Tab. XXIV.
Maria vxor primò Aluari Diaz de Sola, & secundò Infantis Ioannis de Portugalia.
Consaluus de Meneses Comes de Neiba & Faria.
Ioannes Alfonsus Admiralius Portugaliæ.
Soror Ferdinandi Alfonsi domini de Albuquerqua.
Martinus Tellus de Meneses.
Ioannes Ferdinandus Pachecus, dominus Belmontis in Castella.
Agnes de Meneses vxor domini Belmontis Castellæ.
tis de
ducis Bregantiæ.
Ferdinandus de Meneses.
Maria Pacheca vxor Alfonsi Tellez Giron, filii Martini Vasquez de Acunna. Vide Tab. II.
Ioannes de Meneses.
Rodericus.
Petrus de Meneses Comes Canteneda.
Ioannes.
Aliæ diuersæ Vxores legitimæ.
Leonora de Castro filia Comitis de Monsanto.
Garcias.
Alfonsus.
Isabella vxor Admiralii Azebedo.
Alexius.
Isabella.
Georgius de Meneses dominus de Canteneda.
Manuel.
Leonora Manuela filia Ioannis de Sotomajor, domini de Alconchel.
oannes de Meneses, dominus de Canteneda.
Petrus de Meneses dominus de Alconchel.
Filia D. Bernhardi Manuelis.
Manuel de Meneses.
Beatrix de Villena.
r D. Ma- Comitis de
Iacobus.
Guiomara de Sylua, filia Antonii domini de Faria.
Georgius de Meneses.
Franciscus.
Ioannes de Meneses.
Petrus.
Michael.

VIII: T

FAMILIA PACHECO

TANDEM TOTA IN GIRO

fonſum Tellez Martini Acunnæ filiu

Bejar, Belm

Avthor *familiæ* Lucius Iunius *Pachecus, de quo Aul. Hircius. Vnde post aliq ſeculanatus Ferdinandus Jeremias, ſeruit Henrico primo Comiti Portugaliæ, A no* 1100.

Tereſa *filia Petri Ferdinandez de Caubra,*
Majora domina de Noruega.

Ferdinandus *Rodrici*
cum Alfonſo Re

Alfonſ

/ETERVM, QVÆ
NNENSES PER AL-
ınt dominatus Ferreiræ,

z filia *Assueri Viegas fundatoris cœnobii in Ferreira.*

== Teresia *de Acunna, filia Ranimiri Consaluidæ de Acunna.*

ri, dominus de Fer-

Viuit Anno 1250.

== Constantia *filia Alfonsi Ioannis de Ribadebizela, ex matre Vraca Petri de Ribera.*

nes Ferdinandus Pachecus, dominus de Ferreira.

== Stephana *Lupi Ruyz filia.*

N. == Lupus *Ferdinandez Pachecus interior Alfonsi* IIII. *Regis Lusitaniæ consiliarius Anno* 1330. *præfectus maior regni, & maior domus Regis Petri.*

== Vxor *secunda Maria de Villalobos, filia Roderici Gil de Villalobos, ex matre Teresia filia Sanchii Regis Castellæ.*

ta Pacheca, vxor Martini Vasquez de Acunna. Vide *Tabul.* VI.

Iacobus *Lopez Pachecus, dominus de Ferreira, occidit in Regis Alfonsi* IV. *gratiam Agnetem de Castro Petri Regis Concubinam. Itaq; per Petrum Regem eiectus in Castellam, & inde in Aragoniam fit dominus de Bejar. Tandem placatus Regi redit in Lusitaniam. Viuit Anno* 1379.

== Iohanna *Vasquez filia Vasquonis Perreiræ.*

ses, filia Consalui Comitis de Neiba ced. Tab. VII.

== Ioannes *Ferdinandus Pachecus, cum in odio esset Ioannis Lusitaniæ Regis, redit in Castellam, factus ab Henrico* III. *Castellæ Rege dominus Villa Belmontis in Aragonia. Viuit Anno* 1421.

na domi- == Maria *Pacheca, hæres & domina Belmontis.*

TA

FAMILIA PACHECO

LAS PADILLAS IVD

miliæ Manricor



T

FAMILIA PACHECOR

REIO, ALCONCHE

Piqueras



LIA, QVÆ DICITVR DE- STELLÆ: VBI PARS FA- de Valle Ezeario.

Magistri S.Iacobi, Marchionis



Antonius *Manricus dominus de Val d'Ezeario.*



X.

OMINORVM DE VILLA- ACER, ALBALADEIO, a, Cifuentes.

Magistri S.Iacobi, Marchionis primi Villenæ.



TABV

FAMILIA PACHECOR

MARSCHALCORVM DE CA

Alarçon, Albaladejo, Ocampo, vbi
minorum de A

Alfonsus *Rex X. Legionis & Castellæ Imperator Germaniæ electus. Moritur Anno* 1284.

Sanctius *Rex post patrem.*

Blanca *filia Ludwici Regis Franciæ.*

Ferdinandus *de la Cerda, moritur ante patrem.*

Ferdinandus *author familiæ de la Cerda.*

Vxor *secunda Mar de Haro, domina caya.*

A

Blanca *Pacheca.*

Alfonsus *Tel ca An.* 14

Ferdinandus *Tellez.*

Alfonsus *Tellez Giron.*

Guiomara *de Sandoual in Huete.*

Marina *Girona.*

Gomezius *Carillus de Albornoz.*

Marina *Girona vxor Roderici Diaz de Caruajal.*

Leonora *de Herrera.*

Consaluus *Tellez Giron.*

Ioannes *de Valentia, dominus de Piqueras.*

B

Be

Aluarus *Carrillus de Albornoz, dominus de Ocentejo & Baltablado.*

Alfonsus *Canonicus Cuencæ.*

Garcias *Roderici de Alarçon, dominus de Albaladejo.*

Guiomara *Girona de V mina & hæres de Piq*

Ferdinandus *de Alarçon.*

Garcias *de de Alarçon.*

Ioanna *priorissa Belmonti.*

Maria.

Alfonsus *Ruyz succedit patri & matri.*

Ioanna *Pacheca.*

Aldara *abbatissa Escalona.*

Beatrix *vxor domini de Alturejos.*

A

Vide *præced.* Tab. x. *signum* ЭЄ

FAMILIÆ PLVRES PACHECOR
SEQVVNTVR SVO LOCO.

Mariana *de Tapia in Alcales de Henar*

)MINORVM VALENTIÆ,

)OMINORVM DE PIQVERAS,

logiæ Manricorum & Vargarum,& Do-
itejo & Baltablado.

gonia filia.

ins egregius miles, atre dominus Va- campos. = Vxor *prima Margreta filia Ludwici Marchionis Montferrati. Moritur in primo partu.*

Alfonsus *dominus Valentiæ.* = Ioanna *de Castro filia Ferdinandi Ruyz de Castro, ex matre Violanta filia Sanctii Castellæ Regis, peperit post mortem mariti duos gemellos.*

ipus Zamo-

Gemelli.

Ferdinandus *Alfonsus posthumus & gemellus.* = Filia *legitima Alfonsi Regis Portugaliæ.*

Alfonsus *de Valentia.*

Ioannes *de Valentia Marschalcus Castellæ in Zamora, factus ex uxore Giron & Pachecus.*

Ferdinandus *Monachus, dictus Hieronymus.*

a, filia Martini Vasquez de Acunna = (Ioannes) Vide Tab. I. & II.

cir-

Ferdinandus *Commendator S. Iacobi.* = Concubina.

N. *de Acunna Licentiatus, auditor Consilii Caroli* V.

Iacobus *de Valentia Marschalcus.* = Aldoncia *de Bracamonte, filia Admiralii Franciæ.*

Beatrix *uxor Ioannis Benauides domini de Jabal.*

Alfonsus *de Valetia, Marschalcus postremus.* = Ioanna *de Sotomajor filia Ioannis de Portas in Zamora.*

Ioanna *uxor Hurtadi de Mendoza, præfecti de Cazorla.*

Lupus *de Ocampo ex uxore.* = Sanctia *Garcia de Ocampo.*

Florianus *de Ocampo, historicus Caroli* V.

ii Jacobi de iambræ.

steneda. =

oannes Manricus. =

cus Manricus fit ex uxore minus Valentiæ. = Antonia *hæres patris, transfert familiam ad Manricos.*

Beatrix.

Cathari-na.

Ioãnes *Manric⁹.* = Anna *de Cardona in Barcelone.*

Antonius *Eps Pampelonæ.*

Fridricus *Manricus de Valentia.* = Leonora *Manrica in Seuilia.*

Georgius *Manricus de Valẽtia hæres patris & matris.* = Leonora *Cunniga filia Petri de Reynosa, domini de Antillo.*

Maria *uxor Ioannis de Ayala, domini de Peromoro in Toleto.*

Ioãna *uxor Garciæ Manrici in Malaga. Vidua viuit An. 1577*

Anna *uxor Hieronymi de Mendoza in Valledolid.*

Antonia *Manrica de Valentia, hæres.* = Padrique *de Vargas in Madrite.*

Gutterius *Manricus Capitaneus, obiit Tunets.*

Franciscus *de Vargas Manricus.* = Francisca *Chacon filia Francisci de Casarubeos.*

Georgius *Manricus.* = Maria *de Lara in Valledolid.*

XII. T

FAMILIA PORTOCARR

COMITVM PALMÆ, COM

lini, Dominorum



...RVM, BOCCÆ NIGRÆ,
...STEPHANI ET MEDEL-
...llanæ.

...lfonſus *Ferdinandi dominus de Moguer.* Vide Tab.III. = Concubina.

Alfonſus *ſpurius.* = Vxor *ex familia Horozko.*

...*li Portocar-* ... *Moguer.* =

...o- ... *ralii Caſtellæ.* = Petrus *Portocarrerius, dominus de Moguer.*

...Maria *vnica filia & hæres.* = Ioãnes *Pachecus Giron.* Vide Tab.II.

...*ieros* ...II. — Beatrix *Girona, nubit ſecundo Alfonſo de Sylua.* Vide Tab II. & X. = Rodericus *Portocarrerus dominus ex vxore, & poſtea à Rege Comes primus Metellini.*

...*uides,* ...*pha-* — Ioannes *Portocarrerus, Comes ſecundus Medellini.* = Agnes *filia Perafani domini de Ribera, præfecti Andaluziæ.*

Maria *Girona vxor ſecunda Ioannis Ariæ de Auila primi Comitis de Punno in roſtro.* Vide *ſeq.* Tab.XIII.

Agnes *de Ribera, vxor Petri de Solis, incolæ in Badajoz.*

...nora *filia Fridrici de Toledo ducis Aluæ.* Vide Tab.XXIX. = Rodericus *Portocarrerus. Moritur ante patrem.*

Maria *de Mendoça.* = Ioannes *de Orellana veteri dominus.* Vide *ſeq.* Tabul.XIIII.

...acobus *de Benauides, S. Stephani quartus Comes.*

Maria *de Benauides, vxor Iacobi Baca de Sotomajor.*

Agnes *vxor Alfonſi de Analos ...*

Ioannes *Portocarrerus Comes III. Medellini poſt auum.*

Alfonſus. = Maria *filia Antonii Boccanegra in Seuilla.*

= Maria *Oſoria filia Ioãnis Portocarreri primi Marchionis Villanouæ.* Vide Tab.III.

Iſabella *vxor Ioannis ducis de Aſtrada, mater Ferdinandi ducis, q. duxit Bracaydã Mãricã de Ayala.*

Maria *vxor Capatæ Cõmẽdatoris, vnde natus.* =

...*Bena-* ...*nes S.* — Rodericus *de Benauides.*

Maria *vxor Chriſtophori domini de Benauides.*

Ioanna *de Corduba filia Ludwici Ferdinandez de Corduba, ſecundi Marchionis de Comares.* Vide *Cordubenſes.* Tab XIX. = Rodericus *Portocarrerus Comes IIII. Medellini.*

Ioãna *vxor Ludwici Gironis de Alarçõ, domini de Alualadejo & Piqueras.* Vide Tab.XI.

Maria.

Leonora *nubit patrueli.* = Ludwicus *Capata.*

...*tu, ſucceſſor patris.*

Ludwicus *Portocarrerus.*

Petrus *Puertocarrerus.*

TA

FAMILIA DOMINOR

COMITVM DE



TAB

FAMILIA DOMINORV

PORTOC



XIII.

RIARVM DE AVILA

IN ROSTRO.

= Eluira *Consalui.*



V.

ORELLANA VETERI,

ORVM.



FAMILIA GVZMA

GIRONVM: IN QVIBVS

Gibraleon, S. Odolla, Mendibil, Co

Marchiones Casa

Petrus *Roderici Guzmann, maior dominus Regis Alfonsi* VIII.



Anna *de Sylua, filia Principis de Eleoli.*

ORVM EX NVPTIIS
NI DE ORGAZ, GIDELEM,
rgazii,Oliuares,Duces Medinæ Sidoniæ,
Mendoçarum gentis.

ameros.



TA

FAMILIA DE CISNERIS

INDE DOMINORVM DE VEG

Caſtellæ, Marchionum Santillanæ, Ducu

Marchionum de Montes

Dominoru

Teresa Girona, *filia Gironis Conſalui Ruyz ſecundi, vide* Tab. I.

Stephanus *Rode Ciſneris.*

Maria *Girona Tereſa ex fratre proneptis filia Conſalui Ruyz. Vide* Tab. I.

Ioannes *de Ciſneris.* — Menti

Mentia *de Ciſneris ha res.*

Leonora *res V*

Gomezius *de Figueroa, filius Magiſtri S. Iacobi.*

Eluira *Laſſa.*

Aldoncia *vxor* Vide Tab. xx

Garcias *Laſſus, Commendator in Montiſon.*

Laurentius *Suarez de Figueroa, ex quo ſunt Duces de los Arcos.*

Petrus *Suarez, vnde ſunt domini de Batres.*

Mentia *vxor Petri Ferdinandez de Velaſco Cõſtablii.* Vide Tab. XXXI.

Leonora *vxor Gaſton dela Cerda comitis Me dimna cali*

Maria *de Luna, filia Aluari de Luna Conſtablii.*

Innigus *Lopez de Mendoza, neſcio cuius filius, ſed eſt ex primi Infantadgi ducis familia.*

Iacobus *Hurtadus de Mendoça, dux tertius Infantadgi.*

Maria *Pimentel Pacheca, filia quarti Comitis Beneuenti.* Tab. XXIV.

Maria *Pimentel.*

Rodericus *de Mendoza Marchio de Montes claros.*

Innigus *Lopez de Mendoza, quartus dux Infantadgi.* Vide *ſeq.* ƏЄ

Eluira *de Mendoz dela Cerda, Marc*

Franciſca *de Mendoza, filia Lupi Hurtadi de Mendoza.*

Catharina *de Vargas, filia Quæſtoris r*

Ioannes *de Mendoça, Marchio de Montes claros.*

Iſabella, *filia Antonii Manrici ex matre Ludwica de Padilla, filia Iudicis Caſtellæ.*

Ioannes *de Mendoça & Luna.*

Innigus *de Mendoza, Commendator de Socuellanos. Moritur ex vulnere ante fanũ S. Quintini in Belgio.*

Franciſcus *de Mendoça, gubernator delas minas, & generalis in mari.*

Frãciſca *vxor Alfonſi de Corduba, Comitis II. de Alcau*

Soror *patruelis Catharina Bernhardini filia.*

Anna *Arag*

Catharina *vxor Alfonſi de Cardenas, Comitis Puebla (niſi ſit error, & eadem quæ ſuprà.)*

Bernardinus.

Inn

GIRONVM NVPTIIS, ET
ENDOCARVM ADMIRALIVM
omitum Tendillæ, Corunnæ, Saldannæ,
r, cum particula Familiæ
c de Vega.

Cisneris.

a, dominus Vegæ.

; Hurtadus de Mendoça Admiralius Castellæ.

Innigus *Lopez de Mendoza, Marchio Santillanæ.* = Catharina *de Figueroa, filia Laurentii Suarez, Magistri S. Iacobi.*

cobus *Hurtadus de Mendoça primus Dux Infantadgi.* = Brianda *de Luna.*

Petrus *Consalui Archieps Toleti, Cardinalis.*

Maria *vxor Perisani de Ribera Iudicis Andaluziæ.*

Laurentius *Suarez Mendoza, Comes Corunnæ, maritus Isabellæ Borbon.*

Innigus *Lopez de Mendoça, Comes primus Tendillæ.* = Eluira *filia Iacobi Ferdinandez de Quinnones.* Vide Tab. XXIII.

Petrus *Lassus de Vega.* =

Catharina *vxor Petri, domini de Castella, vnde sunt Lassi de Castilia.*

cor Beltrami de la Cueua, Ducis ni Albuquerque.

Innigus *Lopez de Mendoza, Comes II. Tendillæ, Marchio primus de Mondejar, Vicerex Granatensis.* = Frãcisca *Pacheca Girona, filia Ioannis Marchionis primi Villenæ, vide* Tab. II.

de Mencerex nonniæ & in

Isabella *Mendoça, vxor comitis Mõtis acuti.*

Maria *vxor Ioannis de Padilla in Toleto.*

Frãciscus *Eps de Inen.*

Ludwicus *Hurtadus Comes tertius Tendillæ, Marchio secundus de Mondejar.* = *harina Mendoça, filia Comitis de Monte acuto.*

Iacobus *Hurtadus Mendoza, orator Caroli V. Romæ, sine vxore.*

Bernhardin' *de Mendoza, generalis in mari.* = Eluira *Carilla.*

ca vxor Bal- Ladron de a, hæres Pe- ini Maçæ.

Catharina *vxor Alfonsi de Cardenas, Comitis Pueblæ.* tab. III.

Innigus *Comes IIII. Tendillæ, Marchio tertius de Mondejar, dictus Lopez de Mendoça.* = *s Infantadgi.* Vide *seq. pag.*

Frãciscus *dictus Maurus Cõmendator S. Iacobi.*

Ludwicus *Hurtadus de Mendoça, Comes quintus Tendillæ.* =

Catharina *vxor primum Francisci de las minas patruelis sui (vide ad latus) secũdò nubit alterius patruelis filio, comiti V. Tendillæ.*

Hierõnyma *vxor Balthasaris de la Cerda.*

Ioãnes *de Mendoza, generalis in mari, magnus miles.* = Ioãna *de Cardenas, filia Guttierri ex Mentia Carilla, domina de Albornox.*

Beatrix *vxor Simonis Perez de Corellis, Comitis Concentainæ.*

Bernardinus *de Mendoza, Commendator Meridæ.*

Eluira *Carilla, vxor Gomezii de Guzmann, filii & hæredis domini de Fuentes. Moritur paulò post nuptias.*

Innigus *Lope*…
tadgi, vt…

Anna *Aragonia vxor Ludwici Ferdinandez Manrici Marchionis de Aguilar.* Martinus. Aluarus. Iacobus *Hurtadus de Mend*…*za, Comes Saldannæ. Obiit an*…*te patrem.*

Maria *de Mendoza, Marchionissa de Cenete.*

Rodericus *de Camera Regis.* Antonius *Franciscanus.* Henricus *Aragonius.* Aluarus. Ludwicus. Petrus…

Ludwica *Henriquez, filia Ludwici Admiralii sexti Castellæ.* Vide…

TAB…

FRAGMENTA FA…

Petrus *de Lara, author familiæ.* = Ermesinda, …

Manricus, *aliis Almericus.*

Blanca *Pimentelia, filia Alfonsi quinti, Comitis de Benauentæ.* Tab. XXIV. =

Ludwicus *de Aguilar Marchio.* Antonius. Anna *Manric*… *Viceregis*…

TABV…

PACHECI ET GI…

MINI CORDVBÆ, MA…

las Naues, Domini Almun…

Feriæ, Man…

Catharina *Pacheca Girona, Ioannis Magistri S. Iacobi Marchionis primi Villenæ, filia.* Vide Tab. II. = Alfonsus *de Cordu*…

Franciscus *Pachecus (ex matre.)* Petrus *Ferdinandi de Cordub*… *Marchio de Priego.*

Maria *de Corduba, filia Iacobi Ferdinandi de Corduba, Comitis de Cabra, domini Almunnæ.* = Franciscus *Pachecus (ex matre.)*

Catharina *Pacheca, vxor Manuelis Pontis de Leon, Comitis de Baylen, mater inde Roderici Pontii de Leon, Comitis de Baylen.*

Alfonsus *Pachecus de Corduba, dominus Almunnæ.* = Theresa *de Hoces & Corduba.*

Franciscus *Pachecus, Episcopus Malagæ.*

Iacobus *Ferdina*…*dus de Cordub*…*dominus de A*…*munna.* = Anna *Maria Lassa, hæres fratris.*

Franciscus. Philippus. Catharina. Iacobus. Maria *de Corduba, vxor Ioannis Centurionis, Marchionis secundi Estepæ.* Garci… …

Antonius *Iesuita.* Alfonsus *Ferdinandi de Corduba & Aguilar, ex vxore Marchio tertius de Priego.* =

Petrus *Ferdinandi de Corduba & F*…

us dux Infan- = Iſabella *Aragonia, filia Infantis Fortunæ.*

xor Innigi Lopez de Mendoza, ii de Mondejar. Vide Tab. XVI. | Henricus. | Guiomara *vxor Franciſci de Cunniga, ducis de Bejar.* | Innigus. | Petrus *Conſalui Epiſcopus Salamancæ.* | Alfonſus *de Aragonia.*

Lopez de ça, dux V. dgi. | Iſabella *vxor Roderici Marchionis Mexiæ, Marchionis dela guardia.* | Anna, *vxor Ludwici Henriquez Admiralii ſeptimi.* Tab. XXI. | Iacobus. | Ioannes.

VII.

Æ MANRICORVM.

bonæ.

Manrique r.

z, | Maria *Manrica, vxor Bernhardini Sarmienti Comitis de Salinis.*

Reliqva habes hinc inde ſparſa in genealogiis aliis. Interim ſperamus perfectam totius ſtirpis explicationem, quam acceptam in tom. IIII. proponemus.

I.

S EX NVPTJJS, DO-

S DE PRIEGO ET DE-

ieroa, Comites & Duces ni.

lit in bello.

enrici Henriquez maioris domus Regis Catholici.

s. Tereſa *Henriquez, ſine nuptiis: fundat Monaſterium virginũ in Aguilar.* | Eluira *de Corduba.* = Petrus *Manricus, Comes Oſſorni.* | Catharina *Marchioniſſa de Priego, hæres.* = Laurentius *Suarez de Figueroa, Comes de Feria.* = Vxor *alia Maria Maquela, domina de Meneſes.* | Maria *vxor Petri de Auila, Marchionis delas naues.* Vide *ſeq. pag. ſign.* ♃

Gabriel. Aluarus. Eluira. | Maria *Marchionis de Viana vxor.*

iquez, Comitis Aluæ de Liſte filia.

aurentius *Figueroa, Monachus S. Dominici.*

Anna *Pontia de Leon, filia Roderici I. ducis de Arcos.* Vide Tab. XXVII.

Gomezius *de Figueroa, primus dux Feriæ. Succedit in Feriæ ducatu Laurẽtius Suarez, dux delos Arcos.* Vide Tab. XXVII.

Maria *de Toleto, vxor Ludwici ſecundi ducis de Arcos.* Tabul. XXVII.

ex auia Marchionatus Priegi.

i.

Maria de Corduba, vt prius. ═══

Ioannes in habitu S.Ioannis miles. Petrus de Auila Marchio de-las naues. Maria de Cord... vxor Fridrici ... riqueZ Tab.xx...

Hieronyma de GuZmann, filia Comitis Alua de Liste. ═══ (Petrus de Auila)

TABV...

FAMILIA ALIA DE CO...

COMARES, COMITVM A...

los Donzele...

Alfonsus FerdinandeZ de Corduba vixit Anno 1340.

Consaluus Ferdinandez de Corduba, fit dominus in Aguilar ab Henrico II. Rege Castellæ.

Dominicus NunneZ. ═══ Gisala.

Gisala. ═══ Ferdinandus Nunnez de TemeZ in Galicia.

Alfonsus Ferdinandez. ═══

Alfonsus Ferdinandez de Corduba.

Martinus de Corduba. ═══ Hieronyma de Nauarra, Marchionissa de Cottes.

Iacobus de Corduba, Episcopus Calahorræ. Alfonsu... duba & ... secundus... Alcaud...

Leonora Pacheca. Eluira de Corduba. Iacobus.

TAB...

DOMINI DE CARDE...

BORNOZ, DVCES MAQ...

ex matribu...

Ioannes Pachecus Giron, Magister S.Iacobi, Marchio primus Villenæ. Vide Tab.II. ═══ Ma...

Mentia Girona P... checa.

Comes de Fuensalida. ═══ Magdalena de Cardenas.

Succedit Petrus Comes de Ayala.

Bernhardinus de Cardenas, dux secundus Maqueda. ═══ Isabella de Velasco, filia Innig...

Magdalena, vxor N. de MendoZa, comitis de Monte acuto. Mentia, vxor comitis de Sirnela. Bernhardinus Marchio de Elcha, obit ante patrem. Angela, vxor Fra... gonia ducis Sog...

Bernhardinus (Marchio de Elcha) ═══ Ioanna de Portuga... cis Bregantiæ.

Isabella. Bernhardinus de Cardenas post auum dux tertius Maqueda. Iacobus.

rchio delas naues, vt prius.

is Iacobus de Auila, Abbas Alcadæ. Hieronyma de Corduba, vxor Antonii de Toleto, domini de Horencada. Alfonsus de Corduba & Cunniga ex vxore. = N filia Ludwici de Auila & Cunniga, domini de Mirabel.

BA, MARCHIONVM DE ÆE, CASTELLANORVM DE-

checorum nuptiis.

na Pacheca, filia Ioannis Gironis Marprimi Villenæ. Vide Tab. II. = Iacobus Ferdinandez de Corduba, Castellanus delos Donzeles, & primus Marchio de Comares.

artinus de Corduba, primus Comes Alcaudetæ. Ludwicus Ferdinandez de Corduba, Marchio II. de Comares. = Francisca della Cerda, filia Comitis Cabræ.

Petrus moritur in studiis. Ludwicus Ferdinandez, obit iuuenis. IACOBVS Ferdinandez de Corduba, dictus de Africa, Marchio tertius de Comares. Anna de Corduba, vxor Antonii de Guzmann, marchionis de Ayamõte. Maria Ferdinandez de Corduba, vxor Francisci Ferdinãdez, quarti ducis Albuquerque. Vide Tab. xxx. Ioanna de Corduba, vxor Roderici Portocarreri, Comitis quarti Medellini. Vide Tab. XII.

Antonii de Mendoça Viceregis in Peru. raced.

Ioanna Aragonia, filia & hæres ducis Sogorbæ. = Comares.

& Velasco, detæ.

Alfonsus Ferdinandez de Corduba. Ludwicus Ferdinandez de Corduba. Francisca.

E CARILLO ET AL- ARCHIONES ELCHÆ,

cis.

trus Commendator maior, inus de Cardenas. = Teresa Henriquez, filia Alfonsi Henriquez Admiralii. Vide Tab. xxi.

Iacobus de Cardenas, primus dux Maquedæ, & primus Præses regni Granatæ.

mmenda- = Mentia Carilla de Albornoz, domina de Betetay.

Alfonsus de Cardenas. = Maria Pacheca, filia Joannis Pachecí de Puebla in Montaluan. Vide Tab. IIII.

dinus de Cardet in pugna nauaa Turcam An-

Iacobus de Pacheca & Cardenas. Alfonsus Pachecus. Petrus de Cardenas.

= Agnes de Cunniga, domina de Villoria & Guelamo.

a Carilla. Ludwica de Cardenas, Carillo & Albornoz.

TA[B]

FAMILIA REGIA EX [...]

SVNT HENRIQVEZ, ADMI[...]

Medinæ de Ruyſeco & Alcalæ, Marc[...]

mites Traſtamaræ, Aluæ de[...]

Auth[...]

Maria *Girona, Conſalui Ruyz filia.* Vide Tab.I.& XV. = Petrus *Martinez de* [...]

Alfonſus *de Guzmann.*

Leonora *Nu*[...] *mann.*

Sanctius *Comes Albuquerqueſis.* = Beatrix *filia Petri Regis Portugaliæ ex Agnete de Caſtro, vera vxore Regis.*

Eleonora (*prius dicta* Vrraca) *vxor Ferdinandi Regis Aragoniæ, qui filius erat Ioannis Caſtellæ Regis, vnde hodierni Reges Hiſpaniæ.*

Ferdinandus. Petrus. Didacus. *Occiſi à fratre Petro Rege.*

Tellus. Fri[...]

Ioanna, *vxor Ioannis Alfonſi de Bacça & Haro*[...]

Iſabella *de Caſtro, domina de Lemos & Sarria.* = Petrus (*Comes Traſta*[*]*maræ.*

Fridricus *dux Ariona.* = Aldoncia, *filia Iacobi Hurtadi de Mendoza Admiralii Caſtellæ.*

Beatrix *de Caſtro, domina de Lemos & Sarria, vxor Petri Aluarez Oſorii domini de Carrera & Ribrera, vnde sũt Marchiones Sarriæ.*

Beatrix, *vxo*[...] *mini de* [...]

Marina *fili*[...] *Marſ*[...] *Corduba*[...] *prima.*

Catharina *de Ribera.* = Petrus *Henriquez, Iudex Andaluziæ.*

Filius *primus.*

Agnes *Portocarrera, Petri Surdi Gironis filia.* Vide Tab.III. = Ferdinandus *filius ſecundus.*

Maria *vxor Petri Portocarreri Marchionis Villanouæ ſine liberis.*

Mariana *de Corduba, filia Petri de Auila, Marchionis delas naues.* Vide Tab.XVIII. = Fridricus *Hẽriquez Præſes conſilii ordinum, Marchio Villanouæ del Camion.*

Ioanna. Agnes. Petrus. Ferdinandus *Henriquez Marchio primus Villanouæ del rio.*

Ferdinandus *Henriquez de Ribera, dux ſecundus Alcalæ poſt fratrem.* = Ioãna *Corteſia filia Marchionis I. dela Valla.*

Agnes. Ioanna. Anna. Ferdinandus *Marchio Tarifæ.* = Anna, *ducis Oſſunæ filia, ſponſa, non vxor.*

Ioãna *vxor Ioãnis Marchionis Barlangæ.* Vide Tab.XXXI.

Perafanus *de Ribera, dux prim⁹ Alcalæ Vicerex Neapoli.* = Leonora, *filia primi ducis delos arcos.* Tab.XXVII.

Ioannes *de Ribera Archiepiſcopus Valentiæ, & Patriarcha Alexãdriæ.*

Catharina, *vxor Petri de Ribera, domini de Malpica.* Tab.XXVI.

Alfonſus *Henriquez Admiralius tertius.*

Ferdinandus *poſt fratrem Admiralius quintus.* = Maria *Girona, filia Ioannis Tellez Gironis, Co*[...]

Ferdinandus *Henriquez Archidiaconus Madriti.*

Ludwica, *vxor Antonii Alfonſi Pimẽtel, Comitis Beneuenti.* Tab.XXIV.

Fridricus *Henriquez Adm*[...]

Fridricus *H*[...] *maior domu*[...] *Infantis, fili*[...] *pi ſecundi.*

Mariana, *vxo*[...] *Commenda*[...] *le.*

VM NVPTIIS, IN QVA
ITELLÆ, DVCES ARIONÆ,
nouæ del Camion & del Rio, Co-
ini de Lemos & Sarria,

I. *Rex Castel-*
ionis. = Vxor *Maria, Alfonsi IIII. Regis Portugaliæ filia.*

Petrus *Rex Castellæ & Legionis.*

sus Henriquez, primus Castellæ in hac familia Admiralius. = Ioanna *Mendoza, filia Petri Consalui de Mendoza.*

cus Admi-
ius secundus
stellæ, magn⁹
les. = Vxor *secunda Teresia de Quinnones.* Vide Tab. XXIII.

Henricus *Henriquez Comes Aluæ de Liste.* =

Ioanna *Henriquez, vxor Iacobi de Quinnones primi Comitis Lunæ.* Tab. XXIII.

Maria *Henriquez, vxor Garciæ de Toleto primi ducis Aluæ.*

Vxor *secunda Catharina de Toleto, Garciæ ducis Aluæ filia.* Vide Tab. XXIX. = Iacobus *Henriquez (nescio an Henrici filius) Comes Aluæ de Liste.* = Vxor *prima.*

Teresa *vxor Garciæ Ferdinandez Manrici, Comitis Ossorni.*

Henricus *Henriquez Comes Aluæ de Liste.*

Maria *Henriquez, vxor Ferdinandi ducis Aluæ quarti.* Tab. XXIX.

Maria *de Toleto, soror Ferdinandi ducis Aluæ quarti.* Vide Tab. XIII. = Henricus *Henriquez Comes Aluæ de Liste.*

Ludwicus *Henriquez, Admiralius sext⁹ Castellæ.* = Anna *de Cabrera, Comitissa de Modica.*

Leonora *Henriquez, vxor Petri Pimentel, Marchionis de Tauara.*

Iacobus *Henriquez Comes Aluæ de Liste.* = Maria *Vrrea Comitissa Arandæ in Aragonia.*

Hieronyma, *vxor Petri de Auila, Marchionis delas naues.* Vide Tab. XIX.

Henri-

Ioãna *Henriquez, vxor Ioannis de Vrrea, Comitis Arandæ.*

Francisca *Henriquez, vxor Francisci de Royas, Marchionis de Poza.*

Anna *de Cabrera, vxor Petri de Cunniga, Marchionis de Aquila fuente.*

Ludwicus *Henriquez de Cabrera, dux Medinæ de Ruyseco, Admiralius septimus Castellæ.* = Anna *vel Maria de Mendoza, filia Marchionis de Cenete.*

Ludwiga *Henriquez, vxor Innigi Lopez de Mendoza, ducis V. Infantadgi.* Vide Tab. XVI.

TABV

EX MATERNA LINEA

BACCA, GVARDIA,

Marc



NES, DOMINI DE HARO,
ORBAS, ET LVBRIN,

ium.

egionis & Aſtorra Anno 1346.

*e Leon,domini de Marchena,vnde ſunt duces de Arcos.*Tab xxvii. Iſabella,*vxor Garciæ Ferdinandi Manrici.Vnde ſunt Marchiones de Aguilar.*

*Regis Alfonſi IX.*Vide *præced.*Tab.xxi.

bi Hurtadi de Mendoza,
tre Tereſa Carilla.

*era, filia Petri Gironis domini de Moguer.*Tab.III.

a de Haro. Iacobus *Lopez de Haro, primus Marchio Carpii.* Ludwicus *Mendez de Haro, Camerarius Regis.*

itis de Siruela.

Beatrix *de Haro,nubit patruo.*

TA

EX MATRE GIRONI

DE VIGIL, DE

Maria *Girona, filia Roderici Gironis, soror Consalui.* Vide Tab.I. = Rodericus *Ioan*



Ioannes *Roderici de Assueris.* =

Constantia *Ferd* *de Eccija.*

Ferdinandus *Diaz, dominus de Vigil.* =

Iacobus *Ferdinandez de Vigil.* = L

Iacobus *Ferdinandez* *nes, Maior Asturia.*

Teresa *de Quinnones, vxor Friderici Henriquez, Admiralii Castellæ II.* Vide Tab.xxi.

Maria, *vxor Alfonsi Pimentel, Comitis de Benauenti.* Vide Tab.xxiv.

Eluira, *vxor Innigi Lopez de Mendoza, Comitis I. Tendillæ.* Vide Tab.xvi.

Pet

Franciscus *de Quinnones Cardinalis S. Crucis, Episcopus Coriæ,*

Antonius *de Quinnones*

Isabella *Osoria, filia March* *nis Astorgæ.*

Franciscus *de* *Lunæ.*

Maria *filia Bernhardini de Mendoça, Comitis de Corunna.* =



Ioannes *de Quinnones.*

Claudius *de Quinnones, Comes IIII. Lunæ.* = Vxor Vid

Lu

Catharina, *filia Alfonsi Pimentel, Comitis de Benauent.* Tab.xxiiii. =

Ludwicus *de Quinnones, Comes sextus Lunæ.* = Maria *Cortesa,*

Catharina, *vxor Ioannis Pimentel, Comitis* *Benauenti.* Vide Tab.xxiv.

ALIOS COMITES LVNÆ D

III.

MINI DE ASSVERIS,

IES, ET NOVI

domina de domo Luna.

filia Ferdinandi Aluarez de Toleto, domini de Val de Corneja.

ri de Acunna, Comitis Valentiæ. Vide tab. VI. Mentia, *vxor Petri Baçan Vicecomitis de Valduerna.* Assuerus *de Quinnones.* = Leonora, *filia Ioannis de Touar.*

ones, primus = Ioanna *Henriquez, filia Henrici primi Comitis Aluæ de Lista.*

Beatrix *de Quinnones, vxor Petri Aluarez Osorii Marchionis Astorgæ.* Ioanna *de Quinnones, vxor Ramiri Nunnez de Guzmann.*

N. *vxor Ioannis de Vlloa.*

tertii ducis Albuquerque. Vidua Comitis de Lerona.

e.

IBI.

TA

FAMILIA PIMEN

NICIS NVPTIIS, CO

chionum de Villafr

IOANNES Alfonsus *Pimentel de Breganza, primus Comes Beneuenti in Castella.* = Ioanna, *filia Martini*

Alfonsus *Comes Beneuenti.*

Rodericus *Beneuen*

Ludwicus *Pimentel, Marchio de Villafranca.* = Beatrix *Osoria, filia P*

Maria *Pimentela, v*

Maria *Osoria Marchionissa Villafrancana, vxor Petri de Toleto Viceregis* *erat Alua ducis filius.* Vide Tab. xxix.

Ioannes *Cubicularius Regis.*

Ioannes *cleric⁹.*

Alfonsus *generalis in bello ante Guletam.*

Maria, *vxor Alfonsi de Azebedo, Comitis de monte rey, mater Hieronymi.*

Petrus *Pimentel, Marchio Viana in Galicia.* = Maria, *filia Petri Man*

Catharina, *vxor Clau*

Beatrix *de Tol*

Ludwica *Pimentela, vxor Ioannis Aluarez de Toleto, Comitis quinti Oropesæ.* Vide Tab. xxvi.

Maria, *vxor Fridrici de Toleto ducis de Hues* *erat Ferdinandi Alua ducis.* Vide Tab x

TABV

ORDO MARCHIONV

Constantia, *filia Amedei III. ducis Sabaudiæ.* = EMANVEL Infans, *filius Ferdinand* *Regum Castellæ & Legionis, pr*

Violanta.

Filia *Ferdinandi dela Cerda, nepotis Alfonsi X. Regis.* = Ioannes *Manuel, Marchio secundus Villenæ.*

Ferdinandus *Manuel tertius Marchio Villenæ.* =

Sanchius *Manuel.* *Quære* Tab xxviii.

Ioann

Blanca, *heres Marchionissa quarta Villenæ, sine liberis.*

SVCCEDIT Rex Petrus sine titulo Marchionis, sed Regi frater Henricus ex iure vxoris quintus M mitis Pratensium & Emporiarum, nepoti Iacobi Regis II. Aragoniæ ex Blanca Regis Neap & huic iterum filius Iacobus octauus Marchio Villenæ, quem Petrus ex Ioanna filia Henric cui Maria de Albornoz domina Infantadgi nupserat, priuatus à Rege Marchionatu relinqui Rex Aragoniæ & Siciliæ factus filio Alfonso, decimo Villenæ Marchioni (sed penè sine eff nandi Regis, vndecimus Villenæ Marchio & primus istius loci dux. Sed cedit accepta alia næ Marchio Ioannes Pachecus Giron, Magister ordinis S. Iacobi, cuius posteri hactenus obti

RVM, EX GIRO-
ENEVENTI, MAR-
de Aſtorga.

de Tab.VIII.

Ioannes *Giron Pachecus, Magiſter S. Iacobi, Marchio primus Villenæ.* Vide Tab.II.

Maria *Portocarrera, &c.*

Maria *Pacheca Girona.*

za, tertii ducis Infantadgi. Vide Tab.XVI.

Alfonſus *Pimentel, Comes quintus Beneuenti.*

Beatrix, *vxor Garciæ de Toleto, qui obiit ante patrem ducem Aluæ.* Vide Tab.XXIX.

na de Velaſco & Herrera, filia Bernhardini onſtablii, ex matre Blanca de Herrera.

.Tab.XXIII. Maria *Pimentelia, vxor Petri Aluarez Oſorii Marchionis Aſtorgæ.*

Blanca *Pimentela, vxor Ioannis Ferdinandez Manrici Marchionis de Aguilar.* Vide Tab.XVIII.

Antonius *Alfonſi Pimentel, Comes ſextus Beneuenti, filius Alfonſi.*

Petrus *Aluarez Oſorius, Marchio Aſtorgæ.*

Ludwica *Henriquez, Ferdinandi Admiralii Caſtellæ quinti filia.* Vide Tab.XXI.

Aluarus *Perez Oſorius, Marchio Aſtorgæ.*

tertii.

arez Perez Oſorius, Marchio Aſtorgæ.

Ludwicus *Pimentel, Comes* VII. *Beneuenti. Moritur ſine vxore.*

Ioannes *Pimentel, Comes octauus Beneuenti.*

Catharina *de Quinnones, Comitiſſa Lunæ.* Tab.XXIII.

DVCVM VILLENÆ.

: Alfonſo Comiti de Denja, primo Conſtablio Caſtellæ, filio Raymundi Co-
nſus ille ſextus eſt Villenæ Marchio: ſuccedit filius Petrus Marchio ſeptimus:
æ de Vega ſuſceperat. Iacobus verò octauus Marchio, dictus Aſtrologus,
nfantem Ioannis Caſtellæ Regis, Marchionem Villenæ nonum: qui deinde
Succedit enim ſtatim Henricus Magiſter S.Iacobi, frater Alfonſi, filius Ferdi-
e Ioanne Caſtellæ Rege. Sic tandem à Rege declaratur duodecimus Ville-
b.XXVIII.

TAB

EX GIRONA ET P

NI DE TOLETO, CO

etiam Ribera



TA

FAMILIA EX MATRE

TIORVM DE LEON,

los Arc



CA MATRE, DOMI-

ROPESÆ, NONNVLLI

i & Malpicæ.

ɔbi,



VII.

NA, EX PATRE PON-

DE CADIZ ET DE-

æ.



TAB

FAMILIA MANVELV

ET CERRALVI, COMITVM C

rum dela Cerda, Sarmientorum, de Aya



Genebra Girona, Martini Vasquez de Acunna filia. Vide Tab.

'III.

RCHIONVM VILLENÆ

ET SALVATERRÆ, DOMINO-

unćta nuptiis cum antiquis Gironibus.



SEQVVNTVR aliquot familiæ ex Gironibus non procrea
posterorum cum illis coniu

FAMILIA DOMINORVM DE
CORNEIA ET ALVÆ DE TOR
Duces Aluæ & Huesci, C

Ferdinandus *Aluarez de Toleto, dominus de Vallecor*
Marschalcus Castellæ.



Maria (*Ferdinandi filia, sed incertum, an huius, tamen vero sim*
vxor Iacobi Ferdinandez de Quinnones. Tab. XXIII.

Garcias *de Toleto,*
Anno 1510 *in e*

Beatrix *Pimentela, Roderici quarti Comitis Beneuenti filia.* Vide Tab. XXIIII.

Isabella *de Toleto, vxor Petri de Cardenas, Comitis Pueblæ.* Vide Tab. III.

Bernhardinus *obit ante Tunetum.*

Maria *Osoria Pimentela Marchionissa de Villafranca, Ludwici filia.* Vide Tabul. XXIV.

Petrus *de Toleto, Vicerex Neapolitanus, filius secundus ducis Aluæ (puto Garcia.)*

Ma
F
d

Filia, *vxor ducis Florentiæ.*

Filia, *vxor Comitis Arendæ.*

Agnes *Pimentela filia Bernhardini Pimentel, Marchionis de Tabara.*

Fridricus *Osorius Marchio. Moritur sine liberis.*

Filia, *vxor Comitis Altamiræ.*

Iacobus *de Toleto, Constablius Nauarræ, Comes de Lerin.*

Ferdinandu

Brianda *de Biamonte.*

ꝛe & interdum propinquitate

ETO ET VALLE-
QVIBVS SVNT

ANTIQVA origo ducum Aluæ ducitur à Petro quodam græco ex Palæologorum familia, qui deuicto ab Alfonso VI. Rege Toleto multis ibi Anno 1085. prędiis donatur, vnde cognomentum de Toleto.

Petrus igitur ille reliquit filium Illan Perez: Hic rursus filium Petrum Illan, qui Stephanum Illan & hic Ioannem, & Ioannes Consaluum, semper pater filium hæredem & successorē habuit. Tandem Ferdinandus Aluarez ex illis exstitit, cuius hic genealogiam explicatam vides.



TAB

FAMILIA DOMINORV

MARCHIONVM ADRAD

Vicecomitum de G

DOMINOS veteres Albuquerquenses explicauimus præced. Tab. VII. Post illos igitur Albuquerqua rediit ad regnum Castellæ. Sed post Petrum Regem Sanctius eius frater declaratur rursus Comes Albuquerquæ: cuius tamen filia Albuquerquam nuptiis iterum ad maritum Ferdinãdum Infantem & Regem transfert: donec tandem dominis à Cueua, quos hic in tabula proponimus, sub Ducis titulo decernitur.

Iacobus *Ferdina* *comes de G*

Ioannes *de Cueua, primus dominus de Soliera.*

Ludwicus *de Cu* *nus Soliera.*

Ioannes *militat Carolo* V.

Isabella, *vxor Francisci de Benauides, Comitis quinti S. Stephani.* Vide Tab. II.

Iacobus *de la Cueua.*

Maria, *vxor Ioann* *næ.* Tab.

Maria *delas Cardenas, filia Ioannis de Castella.* Tab. xxxi.

Isabella *Girona, Ioannis Tellez G* *næ filia.* Vide Tab. II *b*

Francisca *dela Cueua, vxor primũ Bernhardi D. de Royas, Comitis de Lerma: secũdò D. Claudii de Quinnones Comitis quarti Lunæ: moritur sine liberis ex vtroq; marito.* Tab. xxiii.

Maria, *filia Ludwici Ferdinandez, Marchionis II. de Comares.* Vide Tab. xix.

Isabella *dela Cueua, vxor secunda Petri Gironis ducis primi Osunæ, ducta An.* 1575. *in Februario.*

Beltramus *della Cueua, ex vxore dux sextus Albuquerqua.*

Isabella *post* *um Gabrie* *buquerqua* *tum.*

CVEVA, ET SOLIERA,
M ALBVQVERQVENSIVM,
a familiæ de Castro, Mar-

Majora, *domina de Mercado.*



TAB

FRAGMENTA DE F

VELASCO ET TOVAR

Comitum Hari, Marchio
de Alebedo, Comi

Sanchius *Sanchez de Vela*
& Vega.

Ferdin
f

Beatrix *Manrica, filia Petri Manric*
fidis in regno Legionis.

N. *dominus*
& Ve

Innigus *Ferdinandez, heres patri*
Constablius secundus.

HIC DEESSE ALIQV

Innigus *de Touar, Constablius*
Castellæ. Maria *de T*

Ioannes *Sanctius de Touar, Mar-*
chio Barlangæ.

Antonius *Manricus de Mendoça, Comes de Castro.* Isabella *de Velasco.*

Iuliana. Bernhardina. *Monachæ.*

Ioannes.

Anna *Aragonia, filia Ioann*
næ cæli de Guzmann

Gometius *Manricus de Mendoza, filius maximus natu.*

Ioannes *de Velasco.*

Aluarus *de Mendoza.*

Agnes *de Touar.*

Catharina *Manrica.*

Isab

Isabella. Iuliana. Leonora. *Sanctimoniales.*

Petrus *Sanctius de Touar, Marchio Barlangæ.*

Agnes. Vicentia. Innigus *de Velasco.* Bernh

Maria *Girona, filia Petri ducis Ossunæ, nata Anno* 15

Innigus *Ferdinandez*
lasco.

A DOMINORVM DE
BLIORVM CASTELLÆ,
mentio simul Dominorum
astro : Item Manri-

rilla.

ora *de Casteneda.*

= Maria *Garzia Sarmienta.*

Velasco &
= Maria *de Solier, filia Monsieur Arnoa de Solier, domini de Villapando ex Gallia.*

rdinandez primus
Hari.

doza, filia In- = Petrus *Ferdinandez, primus in hac familia Constablius Castellæ.*
rchionis San-

eonora, *vxor Ioannis Comitis II. Vrennæ. An.* 1552. Tab. II. *b*

Isabella, *vxor Ioannis Alfonsi de Guzmān, ducis tertii Medimnæ Sidoniæ.* Tab. xv.

V R.

di Henriquez, soror Ferdinandi
. Tab. xxi.

= Innigus *Ferdinandez de Velasco, Constablius V. ex hac familia.* = Maria *vnica filia Petri Gironis Comitis tertii Vrennæ.*

Filia, *statim mortua.*

Franciscus.

Agnes *de Velasco.* = Hieronymus *de Azebedo, Comes de Monterey.*

Balthasar *Pimentel.*

Melchior *de Fonseca.*

Casparus *de Cunniga & Azebedo, Comes de Monterey.*

Maria *Pimentel de Fonseca.*

ndez
Comes

Ioanna *de Velasco, vxor Francisci domini Boriæ, Marchionis de Lombay.*

Bernhardinus *de Velasco.*

Anna-Maria *de Velasco, vxor Ioannis Gironis Tellez, primi Marchionis de Pennafiel.* Vide Tab. II. *b*

nora *Anna de Velasco.*

TAB

FAMILIA REGIA DO

Petrus *Rex Portugaliæ.* = Ioanna *de Ca*

Ioannes *de Castella.* = El

Petrus *de Castella viduus ... scopus.*

Maria *de Cardenas, vxor*

TABV

FAMILIA DOMINORV

TVGALIA, DOMINORV

de Cigales, de

Petrus *Rex Portugaliæ.* = Agnes *à Castro.*

Ioannes *Infans, dominus Valentiæ.* = Constan

Beatrix *Infanta Portugaliæ.*

Petrus *Ninnus.* = Beatrix *Infanta Portugaliæ.*

Maria, *vxor Martini Vas*

Maria *de Portugalia & Ninno, domina de Cigales.* = Garcias *de Herrera, dominus de Pedra*

Blanca *de Herrera, domina de Pedraza.* = Alfonsus *Tellez, pr*

TABVL

FAMILIA DOMINORV

MARCHIONVM PESCARÆ ET

Rodericus *Lopez Daualos, magnus Cubicu... Regis Neapolitani.*

Inni...

Martinus *Comes Montedorosi.*

Alfonsus *Daualos, ex matre Marchio Pescaræ.* =

Ferdinandus *Marchio Pescaræ, moritur ἄπαις.*

Constantia *Comitissa Cerræ, & secundò ducissa Francouillæ.*

Innigus *Daualos Marchio de Va... Friderici, & simul dominus*

Ferdinandus *Daualos, Marchio Pescar... Siciliæ.*

XII.

RVM DE CASTELLA.

lesia.

Eril.

,Angla ex nobilissima familia.

Iacobi de Cunniga, Comitis de Nieua.

Maria de Cardenas ex matre Zapata.

s secundi Albuquerqua Francisci frater erat. Tab.xxx.

XIII.

FANTVM DE POR-

NTIÆ, DE NINNO,

draza.

stellæ filia.

.Vide Tab.vi.

de Tab.II.b

IIII.

AVALOS ET ISCLÆ,

OMITVM MONTEDOROSI.

de Aquino, filia & heres Bernhardi Chaspari de Aquino, Marchionis de Pescara.

Capitaneus, Marchio Pescaræ
lis) & Vasti (ex patre.)

or ducis Mantuæ.

TA

PARS FAMILIÆ RE

NIS, VNDE DVC

Ioannes II. *Rex Por tugaliæ.*

Concubina. = Georgius *de Alenca dux Coymbræ.*

Duo spurii Monachi.

Filia. Filia. Filia. Helena. Magdalena *Granata e*

Moniales.

TA

FAMILIA DOMINOR

ET VALENTIÆ

Iofred *zol.*

Rodericus, *Cardinali ducatum Candiæ pr*

Petrus *Ludwicus, primus dux Candiæ, sed moritur antequam Papa esset pater.*

Ioannes *succedit fratri, dux secundus Candiæ.* = Maria *Ne*

Iofred

Ioannes *tertius, dux Candiæ.*

Vx

Franciscus *quartus, dux post procreatos liberos, factus Iesuit & societatis generalis.*

Filius, *dux quintus.*

TA

IVDICVM CA

Teresia N

R

Ximena. =

Iodocus *Roderici de Biua patrem in bello.*

Eluira. Sola.

XXV.

DE ALENCASTRO ET

BRÆ ET DE AVERO.



XVI.

RGIARVM, DVCVM CANDIÆ

ESQVILLACII.



VII.

FAMILIA.

Eluira *Nunna bella.*

n-

Egelona.

n Nunnus.

CODICIS LEGVM WISIGOTHORVM LIBRI XII.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI De Gothis Wandalis & Sueuis Historia siue Chronicon.

Ex Bibliotheca PETRI PITHOEI I.C.

PROCOPII CÆSARIENSIS RHETORIS ex lib. VIII. Histor. locus de Gothorum origine qui in exemplaribus editis hactenus desideratur.

Anno MDCVI.

P. PITHOEVS

C.V. FRANC. ROALDESO I.C.



ITERAS *tuas V. Non. Octob. ſcriptas Idib. demum Ia*
accepi, ſerius profecto quam vellem, ſed ea tamen ani
lacritate qua te tuáſque ſingulares virtutes complector a
ſens mentis potius iudicio quàm oculorum fide, quib. & h
ægre eſſe doleo. De exemplari gratias habeo: referre
etiam lubens. Sed vereor ne tu non tanti eſſe putes quæ
tuo nomine appareant. Ac vix ſane illud mihi de W
ſigothicis legibus permittere potui, quas niſi quotidi
nis pene conuitiis à quibuſdã flagitari audiſſem, facile p
ſurus fui aut ſupprimi diutius, aut aliorum opera edi, quibus vel otii plus vel di
gentiæ eſſet. Et verò id pridem Ioann. Metello Sequano detuleram, viro &
ruditionis & humanitatis, vt audio, ſummæ, cuius etiam eo conſilio exemplar impe
fectum ex noſtris ſuppleri curaueram. Sed cum id ille maioribus fortaſſe negotiis occ
patus non præſtaret, & librarii noſtrates neſcio quo fato Gothicis rebus operas vou
ſent, rogatus, pene dixi coactus eorum tandem imperiis ceſſi quibus & hæc reliquis a
iici Bonum *factum viſum eſt. Quod velim omnium bona gratia ſic candide accipi*
ſimpliciter geſtum eſt. Nam exemplaria, vt verum fatear, vix relegere datum eſt, t
tum abeſt vt recognoſcere & recenſere accuratius licuerit: quin ne de huius quide
gentis & *aliarum legibus, iuriſque Romani in* Occidente *poſt Iuſtinianum vſu, qu*
ſtatueram præfari. Tantum illud, hunc eſſe legum codicem ab Eurico ceptum, à Le
uigildo dein, poſt à Chindaſuindo & Receſſuindo filio recognitum, demum à Dom
Eruigio Spaniarum (vt verbis ſeculi de barbaris barbare dicam) rege perfectum, q
Liber Iudicis dicitur in illo tuo exemplari Curialium (ſic appellant) vſuum qu
Raymundus Berengarius vetus Comes & *Marchio Barcinon. Hiſpaniæ ſubiugat*
& Almoides coniunx de feudis aliiſq; negotiis obſeruari iuſſerunt, cum Gothicæ l
ges omnibus cauſis non viderentur ſufficere. Hæc poſtea Ildefonſus, Petrus, Iacobus
lii atq; alii Aragonum reges variis conſtitutionibus ſupplerunt antequam Alfonſus t
dem circa annum Chriſti M.CC.XLI. ius Romanũ in Partitas ſuas digeri curaſſe
Sed hæc tute melius noſti, & nos maiore otio plenius aliâs apud alios exſequi cogit
mus. Illud tamen & hic ſciri par eſt. harum legum recognitionem ab eius gentis ſcr
ptoribus neſcio quo iure Iſidoro Hiſpalenſi tribui, cuius eſt illa potius breuis hiſtor
quam præfiximus ad Siſebutum vſq; per Eras, quibus Hiſpani tempora numerarũt
anno quarto Octauiani Cæſaris qui eſt ante Chriſtum natum XXXVIII. quo pr
mum apud eos cenſus actus & indictum tributum dicitur. Præfiximus & Sollii Ap
linaris epiſtolam de Theoderico, non illo Italiæ ſiue Oſtrogothorum, ſed Wiſigothoru
rege cui Auitus Imp. Aquitanias *conceſſerat: ſimul & Procopii Cæſarienſis locum*
Getarum origine ex Ponti Euxini deſcriptione quam inter cætera eius auctoris La
ne edita tamdiu deſiderari miror. Quidquid id eſt, tibi do dicóq; lubẽs merito, cupio
in poſterum extare teſtimonium obſeruantiæ erga te meæ, amicitiæ tuæ, cuius mihi ſa
cta & venerabilis memoria perpetuo futura eſt. Bene vale V.C. *Lutet. Pariſior.*
Non. Mart. M.D.LXXIX.

E

EX DESCRIPTIONE PONTI EVXINI QVÆ DESIDERATVR APVD PROCOPIum libro quarto belli Gothici, qui est vltimus ogdoadis historiarum.

* * *

Περθεν δὲ σαγίδας, οὐννικὰ ἔθνη πολλὰ ἵδρυνται. τὸ δὲ ἐντεῦθεν εὐλυσία,
μὲν ἡ χώρα ὠνόμασται, βάρβαροι δὲ αὐτῆς ἄνθρωποι, τά τε παράλια καὶ τὴν
μεσόγειον ἔχουσι, μέχρι ἐς τὴν μαιῶτιν καλουμένην λίμνην καὶ ποταμὸν
τάναϊν, ὃς δὴ ἐς τὴν λίμνην ἐσβάλλει. αὕτη δὲ ἡ λίμνη ἐς τὴν ἀκτὴν πόντου
τοῦ εὐξείνου τὰς ἐκβολὰς ποιεῖται. ἄνθρωποι δὲ οἳ ταύτῃ ᾤκηνται, * καὶ μέρι- * κιμμέριοι
οι μὲν τὸ παλαιὸν ὀνομάζονται, τανῦν δὲ οὐτουργοῦροι καλοῦνται. καὶ αὐτῶν
καθύπερθεν ἐς βορρᾶν ἄνεμον τὰ ἄντων ἄμετρα ἵδρυνται. παρὰ δὲ τὸν χῶρον αὐτόν, ὅθεν ἡ τῆς λίμνης
ἐκβολὴ ἄρχεται, γότθοι οἵ τε τραξῖται καλούμενοι ᾤκηνται, οὐ πολλοὶ ὄντες, οἳ δὴ τὰ χριστιανῶν
όμιμα σεβόμενοι, περιστέλλουσιν οὐδενὸς ἧσσον. τάναϊν δὲ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι καὶ τὴν ἐκβολὴν
ταύτην ἐκ λίμνης * ἀρξάμενοι τῆς μαιώτιδος ἄχρι ἐς τὸν εὔξεινον πόντον ἥπερ διήκει ἐς ὁδὸν ἡ- * ἀρξαμένην
μερῶν ὥς φασιν εἴκοσι. ἀλλὰ καὶ τὸν ἄνεμον ὃς ἐνθένδε πνεῖ, ταναΐτην προσαγορεύουσι. εἴτε δὲ τῆς
ρείου δόξης ἐγένοντό ποτε οἱ γότθοι οὗτοι, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα γοτθικὰ ἔθνη, εἴτε καὶ ἄλλο τι ἀμ-
φὶ τῇ δόξῃ αὐτοῖς ἤσκητο, οὐκ ἔχω εἰπεῖν, ἐπεὶ οὐδὲ αὐτοὶ * ἴασιν. ἀλλὰ φιλίᾳ τε τανῦν καὶ ἀπραγ- * ἴσασιν.
μοσύνῃ πολλῇ τιμῶσι τὴν δόξαν, οὗτοι ὀλίγῳ πρότερον, λέγω δὲ ἡνίκα πρῶτόν τε καὶ εἰκοστὸν ἔ-
τος ἰουστινιανὸς βασιλεὺς τὴν αὐτοκράτορα εἶχεν ἀρχήν, πρέσβεις τέτταρας εἰς βυζάντιον ἔ-
πεμψαν ἐπίσκοπον σφίσι τινὰ * δεόμενον δοῦναι ἐπεὶ ὅστις μὲν αὐτοῖς ἱερεὺς ἦν, τετελευτήκει οὐ * δεόμενοι
πολλῷ πρότερον: ἔγνωσαν δὲ ὡς καὶ ἀβασγοῖς ἱερέα βασιλεὺς πέμψειε. καὶ αὐτοῖς προθυμότατα
στινιανὸς βασιλεὺς ἐπιτελῆ ποιήσας τὴν δέησιν, ἀπεπέμψατο. οἱ δὲ πρέσβεις οὗτοι οὔννων τῶν οὐ-
τουργούρων ἐς μὲν τὸ ἐμφανὲς αὐτηκόων πολλῶν ἀποσομίζοντες * ὅτου δὴ οὕνεκα οἴκοιεν ἄλλο οὐ- * ὅτου δὴ ἕ-
δὲν ὅτι μὴ τὰ ἀμφὶ * τῶν ἱερέα βασιλεῖ ἤνεγκαν: ὡς λατραιότατα τε * ἤγγειλαν ξυγγενόμενοι ἅπαν- νεκα ἥκοιεν.
τα φράζουσιν ὅσα συνοίσειν τῇ ῥωμαίων ἀρχῇ ἔμελλε, ξυγκρουομένων ἐς ἀλλήλους ἀεὶ τῶν σφίσι * τὸν ἱερέα * ἤλικαν
προσοίκων βαρβάρων. ὅν τινα δὲ τρόπον οἵ τε τραξῖται καὶ ὅθεν ἀναστάντες ἐνταῦθα ἱδρύσαντο, ἐρῶν * προσοίκων
ἔρχομαι. Πάλαι μὲν οὔννων τῶν τότε κιμμερίων καλουμένων πολύς τις ὅμιλος τὰ χωρία ταῦτα
ἐνέμοντο ὧν ἄρτι ἐμνήσθην. βασιλεύς τε εἷς ἅπασιν ἐφειστήκει. καί ποτέ τις αὐτῶν τὴν ἀρχὴν ἔ-
σχεν ᾧ δὴ παῖδες ἐγένοντο δύο, ἅτερος μὲν, οὐτουργοὺρ ὄνομα. κουτριγοὺρ δὲ ὁ ἕτερος. οἵπερ ἐπει-
δὴ αὐτοῖν ὁ πατὴρ τὸν βίον συνεμετρήσατο, τήν τε ἀρχὴν ἄμφω ἐς σφίσιν αὐτοῖς διεδάσαντο καὶ τὴν
ἐπωνυμίαν τοῖς ἀρχομένοις αὐτοῖς ἔδοσαν. οἱ μὲν γὰρ, οὐτίγουροι, οἱ δὲ κουτρίγουροι καὶ ἐς ἐμὲ ὀνο-
μάζονται. οὗτοι μὲν ἅπαντες, τῇδε ᾤκηντο κοινὰ μὲν τὰ ἐπιτηδεύματα ξύμπαντα ἔχοντες, οὐκ
ἐπιμιγνύμενοι δὲ * ἀνοῖς. οἱ δὲ, τῆς τε λίμνης καὶ τῆς ἐνθένδε ἐκροῆς ἐς τὰ ἐπιθάτερα ἵδρυνται, ἐ- * ἀλλήλοις
πεὶ οὔτε διέβαινόν ποτε τὰ ὕδατα ταῦτα, οὔτε διαβατὰ εἶναι ὑπώπτευον, πρὸς τὰ εὐκολώτα-
τα * περίφοι ὄντες. τα * μηδὲ ἀποπειράσασθαι αὐτῶν πώποτε ἀλλ' ἀμελέτητοι τῆς διαβάσε- * περίφοροι.
ως παντάπασιν εἶναι. Λίμνην δὲ τὴν μαιῶτιν καὶ τὴν ἐξ αὐτῆς ἐκβολὴν ὑπερβάντι, εὐθὺς μὲν * μηδένα
αὐτὴν που τὴν ταύτης ἀκτὴν οἵ τε τραξῖται καλούμενοι γότθοι τὸ παλαιὸν ᾤκηντο ὧν ἐπε-
μνήσθην ἀρτίως. πολλῷ δὲ αὐτῶν ἄπωθεν γότθοι τε καὶ οὐισίγοτθοι καὶ βανδίλοι, καὶ τὰ ἄλλα γοτθι-
κὰ γένη ξύμπαντα ᾤκηντο. οἳ δὴ καὶ σκύθαι ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις ἐπεκαλοῦντο, ἐπεὶ πάντα τὰ ἔ-
θνη ἅπερ τὰ * ἐκείνῃ χωρία εἶχον, σκυθικὰ μὲν ἐπὶ κοινῆς ὀνομάζεται: ἔνιοι δὲ αὐτῶν σαυρομάται * ἐκεῖ
ἢ μελάγχλαινοι ἢ ἄλλο τι ἐπεκαλοῦντο. προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου φασίν, εἴπερ ὁ λόγος ὑγιής ἐστι, τῶν
κιμμερίων νεανίας τινὰς ἐν κυνηγεσίῳ διατριβὴν ἔχειν: ἔλαφον δὲ μίαν πρὸς αὐτῶν φεύ-
γουσαν, ἐς τὰ ὕδατα ἐσπηδῆσαι ταῦτα: τούς τε νεανίας εἴτε φιλοτιμίᾳ εἴτε φιλονεικίᾳ τινὶ ἐχο-
μένους ἢ καί τι δαιμόνιον αὐτοὺς κατηνάγκασε, τῇ ἐλάφῳ ἐπισπέσθαι ταύτῃ, μηχανῇ τε μεθίεσθαι
τῆς οὐδεμιᾷ ἕως ξὺν αὐτῇ ἐς τὴν ἀντιπέρας ἀκτὴν ἵκοντο: καὶ τὸ μὲν διωκόμενον ὅ τι ποτ' ἦν,
θὺς ἀφανισθῆναι. δοκεῖ γάρ μοι ὡς οὐδὲ ἄλλου τοῦ ἕνεκα ἐνταῦθα ἐφάνη ὅτι μὴ τοῦ γενέσθαι κα-
κὸν * τοῖς δεωκημένοις βαρβάροις. τοὺς δὲ νεανίας τοῦ μὲν κυνηγεσίου ἀποτυχεῖν: μάχης δὲ ἀφορ- * τῇδε ᾠκημένοις

μὴν καὶ λείας εὑρέσθαι. ἐς ἤθη γὰρ τὰ πάτρια ὅτι τάχιστα ἐπανήκοντες, ἔνδηλα πᾶσι * καὶ μετ-
*κιμ. ρίοις πεποίηνται ὅτι δὴ ταύτῃ βατά σφίσι τὰ ὕδατα εἴη. ἀνελόμενοι οὖν αὐτίκα τὰ ὅπλα,
πανδημεί τε διαβάντες, ἐγένοντο μελλήσει οὐδεμιᾷ ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ. Βανδή-
λων μὲν ἤδη ἐνθένδε ἀναστάντων ἐπί τε Λιβύης ἱδρυσαμένων, ἐν Ἱσπανίᾳ δὲ Οὐισιγότθων
οἰκησαμένων. Γότθοις οὖν τοῖς ἐς τὰ τῇδε ᾠκημένοις πεδία, ἐξαπιναίως ἐπιπεσόντες,
πολλοὺς μὲν ἔκτειναν, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐτρέψαντο ἅπαντας. ὅσοι τε αὐτοὺς διαφυγεῖν ἴσχυσαν,
ξὺν παισί τε καὶ γυναιξὶν ἐνθένδε ἀναστάντες ἀπέλιπον μὲν τὰ πάτρια ἤθη· διαπορθμευσάμε-
νοι δὲ ποταμὸν Ἴστρον ἐν γῇ τῇ Ῥωμαίων ἐγένοντο. καὶ πολλὰ μὲν τοὺς ταύτῃ ᾠκημένους δεινὰ ἔδρα-
*μεταδόν- σαν, * μετὰ δὲ δόντος βασιλέως ᾠκήσαντο ἐς τὰ ἐπὶ Θρᾴκης χωρία· καὶ τὰ μὲν ξυνεμάχουν Ῥω-
τος δὲ μαίοις, τάς τε συντάξεις ὥσπερ οἱ ἄλλοι στρατιῶται πρὸς βασιλέως κομιζόμενοι ἀνὰ πᾶν ἔτος
καὶ φιδεράτοι ἐπικληθέντες· οὕτω γὰρ αὐτοὺς τότε Λατίνων φωνῇ ἐκάλεσαν Ῥωμαῖοι· ἐκεῖνο οἶμαι
παραδηλοῦντες ὅτι δὴ οὐχ ἡσσημένοι αὐτῶν τῷ πολέμῳ Γότθοι, ἀλλ' ἐπὶ ξυνθήκαις τισὶν ἔν-
σπονδοι ἐγένοντο σφίσι. φίδερα γὰρ Λατῖνοι τὰς ἐν πολέμῳ καλοῦσι ξυνθήκας ᾗπέρ μοι ἔμπρο-
σθεν δεδήλωται λόγοις. τὰ δὲ καὶ πόλεμον πρὸς αὐτοὺς διέφερον οὐδενὶ λόγῳ ἕως ᾤχοντο ἀπιόντες
ἐς Ἰταλίαν Θευδερίχου ἡγουμένου σφίσι. τὰ μὲν οὖν τῶν Γότθων τῇδε κεχώρηκεν. Οὖννοι δὲ αὐτῶν τοὺς
μὲν κτείναντες, τοὺς δὲ ὥσπερ ἐρρήθη, ἐξαναστήσαντες, τὴν χώραν ἔσχον. καὶ αὐτῶν Κουτρίγουροι μὲν παῖ-
*ᾠκ. δας μὲν καὶ γυναῖκας μεταπεμψάμενοι, ἐνταῦθα ἱδρύσαντο οὗ δὴ καὶ ἐς ἐμὲ * ἔκηνται· καὶ δῶρα μὲν
*ἐς ἀεὶ πολλὰ πρὸς βασιλέως ἀνὰ πᾶν ἔτος κομίζουσι, καὶ διαβαίνοντες ποταμὸν Ἴστρον καταθέουσιν
*καθιζόμε- *ἐς αἰεὶ τὴν βασιλέως χώραν, ἔνσπονδοί τε καὶ πολέμιοι Ῥωμαίοις ὄντες. Οὐτίγουροι δὲ ξὺν τῷ ἡγου-
νοι μένῳ ἐπ' οἴκου ἀπεκομίζοντο μόνοι τὸ λοιπὸν ἐνταῦθα * καθιζησόμενοι, οἵπερ ἐπειδὴ λίμνης τῆς
Μαιώτιδος ἀγχοῦ ἐγένοντο, Γότθοις ἐνταῦθα τοῖς Τετραξίταις καλουμένοις ἐνέτυχον. καὶ τὰ μὲν
πρῶτα φραξάμενοι ταῖς ἀσπίσιν οἱ Γότθοι, ἀντικρὺ τοῖς ἐπιοῦσιν ὡς * ἀμυνούμενοι ἔστησαν, σθένει
*ἀμυνόμε- τε τῷ σφετέρῳ καὶ χωρίου ἰσχύϊ θαρσοῦντες. αὐτοὶ γὰρ ἀλκιμώτατοι ἁπάντων εἰσὶ τῶν βαρβά-
νοι ρων. καὶ ἡ πρώτη τῆς Μαιώτιδος ἐκροή, οὗ δὴ τότε οἱ Τετραξῖται Γότθοι ἵδρυντο, ἐν κόλπῳ ξυνοῦ-
σα μηνοειδεῖ, περιβάλλουσά τε αὐτοὺς ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον, μίαν ἐπ' αὐτοὺς εἴσοδον οὐ λίαν * ὀρθί-
*εὐρεῖαν αν τοῖς ἐπιοῦσι παρείχετο. ὕστερον δὲ (οὔτε γὰρ Οὖννοι χρόνον τινὰ τρίβεσθαι σφίσιν ἐνταῦθα ἤθελον,
*οὔτε *οἵτε Γότθοι τῷ πολεμίων ὁμίλῳ ἐπιπολὺ ἀνθέξειν οὐδαμῇ ἤλπιζον) ἐς λόγους ἀλλήλοις ξυνία-
*ἱδρύονται σιν, ἐφ' ᾧ ἀναμιχθέντες κοινῇ ποιήσονται τὴν διάβασιν· καὶ οἱ Γότθοι * ἱδρύσονται μὲν ἐν τῇ πέ-
ρας ἠπείρῳ παρ' αὐτὴν τῆς ἐκβολῆς μάλιστα τὴν ἀκτήν, ἵνα δὴ καὶ τανῦν ἵδρυνται: φίλοι τε καὶ
ξύμμαχοι τὸ λοιπὸν Οὐτιγούροις ὄντες ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ σφίσιν ἐνταῦθα βιώσονται, τὸν πάντα
αἰῶνα. οὕτω μὲν οὖν οἵδε οἱ Γότθοι τῇδε ἱδρύσαντο, καὶ τῶν Κουτριγούρων, ὥσπερ μοι εἴρηται, ἀπο-
λελειμμένων ἐν γῇ τῇ ἀποθατέρᾳ τῆς λίμνης οὔσῃ, μόνοι Οὐτίγουροι τὴν χώραν ἔσχον πράγματα
Ῥωμαίοις ὡς ἥκιστα παρεχόμενοι, ἐπεὶ οὐδὲ αὐτῶν ἄγχιστα ᾤκηνται, ἀλλ' ἔθνεσι πολλοῖς διειργό-
μενοι μεταξὺ οὖσιν ἀκουσίῳ ἀπραγμοσύνῃ ἐς αὐτοὺς ἔχονται. Ὑπερβάντι δὲ λίμνην τε τὴν Μαιώ-
ἧς σπερ ἐφ- τιδα καὶ ποταμὸν Τάναϊν, ἐπὶ πλεῖστον μὲν τῇδε πεδίων Κουτρίγουροι Οὖννοι, ᾗπερ μοι εἴρηται, ᾠκή-
έτης σαντο. μετὰ δὲ αὐτοὺς Σκύθαι τε καὶ Ταῦροι ξύμπασαν ἔχουσι τὴν ταύτῃ χώραν * ἧσπερ περάτης
ἧσπερ οἱ σκύ- Ταυρικὴ καὶ νῦν ἐπικαλεῖται, ἵνα δὴ καὶ τῆς Ἀρτέμιδος τὸν νεὼν τοῦτον γεγονέναι φασὶν * ἧπερ ποτὲ
π τῇ χώ- ἡ τοῦ Ἀγαμέμνονος Ἰφιγένεια προὔστη. * καίτοι Σκύθας τε τῇ χώρᾳ τὸν νεὼν τοῦτον γεγονέναι φασί,
τοὔνομα Σκύθας τε τηνικάδε ξύμπαντας καλεῖσθαι τοὺς ἐνταῦθα ἀνθρώπους τεκμηριούμενοι τοῖς ἀμφί
το τε Ὀρέστῃ καὶ πόλει Κομάνῃ δεδιηγημένοις μοι ἐς ἐκεῖνο τοῦ λόγου. ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων λεγέ-
ἕκαστος, ὥσπη αὐτῷ βουλομένῳ ἐστί. πολλὰ γὰρ τῶν ἑτέρωθι γεγενημένων ἴσως δὲ καὶ οὐδαμῆ ξυμπε-
πρια πτωκότων ἄνθρωποι προσποιεῖσθαι φιλοῦσιν ὡς * πάτρια ἤθη, ἀγανακτοῦντες ἢν μὴ τῇ δόξῃ
τῇ αὐτῶν ἅπαντες ἕπονται. μετὰ δὲ τὰ ἔθνη ταῦτα, πόλις θαλάσσιος οἰκεῖται Βόσπορος ὄνομα
Ῥωμαίων κατήκοος γενομένη οὐ πολλῷ πρότερον. &c.

SVPRA

* * *

SVPRA Sagidas Hunnicæ variç nationes sitæ sunt. Dehinc autem Eulysia regio appellatur. Barbari autem eius incolæ & mediterraneis locis & ad maris litora habitant ad Mæotim vsque paludem & Tanaim fluuium qui in eã paludẽ influit. Ea autem palus in Euxini ponti litus labitur. Eius autem regionis accolæ olim quidem Cimmerii nominabãtur, nunc autem Vturguri: ... supra eos ad Aquilonẽ Antorum Amera. vltra eum autem locũ vnde palu...is eruptio incipit, habitant Gothi Traxitæ nomine, non multi, sed qui Chri...ianorum legem colentes, eam accurate tuentur. Vocant autẽ incolæ Tanaim ...tiam illam eruptionem quæ à Mæotide palude incipiens ad Euxinum vsq; põ...um pertinet, itinere, vt aiunt, dierum viginti. quin & qui inde spirat ventum ...anaitem appellant. An autem Gothi isti, quemadmodum & Gothicę gentes ...ęterę, Arianam olim secuti sint perfidiam, an aliam aliquam, non dixero, quã...o nec ipsi id sciũt. sed hodie amore multo & trãquillitate hãc doctrinã colunt. ...ii paullo ante, nimirum XXI. anno imperii Iustiniani, legatos quatuor Bizantiũ ...isere, Episcopum sibi concedi postulãtes, quando qui ipsis sacerdos erat, mor...em haud ita dudũ obierat. Inaudierãt autem & Abaugis ab Imperatore missum ...e Pontificem. Et Iustinianus quidẽ promtissime, eorũ annuens precib. ad eos ...piscopum misit. * Legati autẽ isti Hunnorũ Vtigurorum cum à multis quam ...b causam ad Imp. venissent, rogarentur, publicè nulla alia de caussa quã sacer...otis accipiendi iter sibi susceptum testabantur. Postquã verò interius admissi ...am conuenerũt, quomodo res Romana commissis inter se qui sibi vicini erãt ...rbaris, iuuaretur, aperiunt. Quî autem & vnde profecti Traxitæ isti, sedes ibi ...osuerint, dicam. Olim ingens Hunnorum, qui Cimmerii tunc dicebantur, ...ultitudo ea quæ dixi loca inhabitabat, iisq; princeps vnus præerat. Contigit ...tem olim quendam ex iis duos habere filios, alterum Vturgur nomine, alte...um Cutrigur. qui post parentis mortem imperio inter se diuiso, cognomen ...um populis sibi subiectis quiq; tribuerunt. Hi enim Vtiguri, illi Cutriguri ho...eq; nominantur. Isti omnes ibi habitant studiis quidem inter se per omnia si...iles, impermixti autem inter se. Hi verò in altera paludis eiusque eruptionis ...rte sedent, qui olim aquas illas neq; traiiciebant, neq; traiici posse existima...nt in expeditiora loca facile migrantes, cum neq; transmittere tentarent, neq; ...lliciti de traiectu vllo modo essent. Paludem autem Mæotidẽ eiusq; eruptio...em transgredienti, statim occurrebãt olim ad eius oram Gothi Traxitę nomi...ati, quorum modo memini. Longe autem ab iis Gothi, & Visigothi, & Van...li, & cæteræ Gothicæ nationes omnes qui & Scythæ superiorib. temporibus ...cebantur. quandoquidem cõmuni vocabulo Scythicæ nominabantur natio...es ęę omnes quæ loca ea incolebãt, earum autem aliquę Sauromatæ, aut Me...nchalæni, aut alio quo nomine. Procedente autem tempore ferunt, si vera est ...rratio, iuuenes quosdam Cimmerios venatione se exercere solitos, in ceruam ...cidisse, quæ eos cum fugeret, in aquas illas insilierit, iuuenesq; laudis cupidi...., an victoriæ amore, an diuino cogente numine, ceruam persecutos donec si...ul cum ea in aduersam paludis marginem peruenisset. Et id quidem quod in...quebantur quidquid illud fuerit, statim euanuisse. Videtur enim mihi nulla ...a de caussa ibi apparuisse quam vt male esset barbaris, qui ea loca incolebant. ...uenes igitur istos venatu frustratos, pugnæ prędæq; occasionẽ nanctos. Quã-

primum .n. ad patrias ſedes reuerſi, Cimmerios docuerunt trāſmitti aquas illas
poſſe Raptis igitur armis omnes ſimul tranſgreſſi, confeſtim in altera ripę parte
exſtiterunt, Vandilis iam inde digreſſis & in Africa cōſtitutis, Viſigothis autē in
Hiſpania habitātibus. Gothos igitur locorum incolas agreſſi multos necant, cę-
teros in fugam vertunt omnes. Quicunq; autē eorum vim effugere potuere, aſ-
ſumtis liberis vxoribuſq; inde profecti ſedes patrias reliquerūt, & Iſtro fluuio trāſ
ito in Romanorū regione conſtiterunt, vbi cū grauiter incolas vexaſſent in vici-
nis Thraciæ locis concedente Imp. conſederunt. Et partim quidem Romanis
auxiliares erant, & quotannis ſtipendium ab Imp. ſicut cæteri milites, accipie-
bant, Fœderati cognominati (ita enim Latina voce eos Romani dixere, illud o-
pinor ſubinnuentes non bello à ſe victos, ſed pactionibus certis amicos factos
Gothos. Fœdera enim Latini pactiones quæ in bello fiunt adpellant, ſicut ſupe-
rius à me dictum eſt.) partim autem bellum cum eis meditabatur donec Theu-
derico duce in Italiam peruenerunt. Et Gothorum quidem res ita ſe habent.
Hunni autem eorum partem mactantes, partem, vt dictum eſt, excubantes, re-
gionem obtinebant. Et ex eis quidem Cutriguri liberis vxoribuſq; adſumtis ibi
conſederunt, vbi hodieq; habitant, & munera ab Imp. multa ſingulis annis per-
cipiunt, & tranſuecti Iſtrum fluuiū, ſemper Imp. ſubiectam regionē populātur,
fœderati ſimul & hoſtes Romanorū. Vtigouri vero cum ſuo duce domum redi
erunt, ſoli in poſterum eā regionē obtinentes. Hi cum prope Mæotidem palud
applicuiſſent, in Gothos & eos qui Traxitæ dicuntur inciderunt. Ac primo qui
dem Gothi ſcutis armati obuiā aggredientib. proceſſerunt ſeſe defenſuri tā vi
rib. ſuis quā locis fidentes. Hi. n. ſunt barbarorum omnium fortiſſimi, & prim
Mæotidis eruptio ad quā tunc Traxitę Gothi habitabāt, in Lunę ſpeciē ſinuata
eoſq; vndiq; prope ambiens, ingreſſum ad eos vnicum eumq; admodum angu
ſtum inuadentib præbebat. Poſtea tamen cum neq; Hunni multū temporis ib
terendum ſibi eſſe conſtituerent, neq; Gothi pares ſe hoſtium multitudini cer
nerent, inter ſe collocuti, traiicere omnes ſimul deliberant, ea cōditione, vt Go
thi in cōtinente vltra ripam ad eruptionis ipſius oram ſedes figant, vbi etiamn
habitāt, & amici ſociiq; de cętero ſint Vtigurorum in perpetuum pari cū Hun
nis iure Ita igitur Gothi ibi habitarunt, & Cutriguris in vlteriore Mæotidis pa
ludis continente, ſicut dictum eſt, relictis ſoli Vtiguri eam regionem tenuerun
negotium Romanis minime exhibentes, quorū neq; ſunt vicini admodum, &
interiectis multis nationib. otiū vel inuiti colunt quātum ad Romanos attine
Tranſmiſſa autē Mæotide palude & Tanai flumine, Cutriguri Hunni, ſicut d
ctum à me eſt, magnam partem eius tractus incolunt Poſt eos Scythæ & Tau
*Lacinia. totam occupant eam regionem quæ * Spina Taurica hodieq; dicitur, vbi & Di
næ aiunt fuiſſe tēplum cuius Agamemnonis filia olim fuit antiſtita. Pręterea Sc
thę aiunt tum regioni id nomē fuiſſe, tum etiā Scythas vocari eos omnes qui
loca habitāt, id ex iis cōiiciētes quæ de Oreſte & Comana vrbe narrata à me ſu
cū de iis mentio incidit. Sed de his ſuum eſto cuiq; iudicium. Pleraq; enim qu
vel alibi geſta ſunt, vel etiam nunquā acciderunt, quidam comminiſci gaude
tanquam ſint genuina & vbi nati ſunt geſta, ægrè ferentes niſi ſuam opinione
cæteri omnes tueantur. Poſt eas verò gentes, vrbs maritima habitatur Boſph
rus nomine, non ita dudum Romanis obediens, &c.

Vetus interpres Horatii ad eum locum ex lib. 1. Car. In Maſſagetas Arabaſq;.

Maſſagetæ iuxta Gothos incolunt. vnde & Gothi Maſſagetæ aliquando dicuntur. Vocant
etiam aliis nominibus, Oſtrogothi id eſt Orientales, & Veſigothi id eſt occidentales Got

HIST

HISTORIA SIVE CHRONICON GOTHORVM.

GOTHORVM antiquissimum esse regnum certum est, quod ex regno Scytharum est exortum. Isti enim sunt quos Alexander vitandos pronuntiauit, Pyrrhus pertimuit, Cæsar exhorruit. Per multa quippe sæcula & regno & regibus vsi sunt: sed quia in chronicis adnotati non sunt, ideo ignorantur. Ex illo autem in historiis inditi sunt, ex quo aduersum se Romani eorum virtutem experti sunt: quorum oportet tempora & reges per ordinem cursim exponere, & aliqua eorum gesta de historiis libenter retexere.

ERA CCXIIII. anno* Valeriani & Galieni Impp. Gothi descensis Alpibus, quibus inhabitabant, Græciam, Macedoniam, Pontum & Asiam, atque Illyricum vastauerunt: ex quibus Illyricum & Macedoniam XV. fermè annis tenuerunt. Deinde à Claudio Imperatore superati, sedes proprias repetunt. Romani autem Claudium Aug. pro eo quòd tam fortissimam gentem à finibus reipubl. remouisset, insigni gloria honorantes, in foro illi aureum clypeum, in Capitolio autē auream ei statuam collocauerunt.

ERA CCLXVIIII. anno XXVI. Constantini Imperatoris, Gothi regionem Sarmatarum aggressi, copiosissimis super Romanos irruerunt agminibus. Aduersus quos idem Constantinus aciem instruxit, ingentique certamine vix superatos vltra Danubium expulit; de diuersis gentibus virtutum gloria clarus, sed de Gothorum victoria amplius gloriosus: quem Romani, acclamante senatu, publica laude prosecuti sunt, quòd tantam gentem vicerit, quòd pacem reipublicæ reformauerit.

ERA CCCVIII anno Valentis V. Gothorum gentis administrationem Athanaricus accepit, regnans annos XIII. qui persecutionem aduersus fidem communem voluit exercere contra eos qui in locis suis Christiani habebantur: ex quibus plerique, quia idolis immolare non adquieuerunt, martyrio coronati sunt: reliqui autem coacti sunt de regno suo exire, & in Romanam transire regionem.

ERA CCCCXV. anno* Valentis Imperat. Gothi aduersum se in Athanarico & Fridigerno diuisi sunt, alternis se cædibus populantes: sed Fridigernum Athanaricus Valentis Imp. auxilio superans, huius rei gratia cum omni gente Gothorum in Arrianam hæresim deuolutus est. Tunc Galfilas eorum episcopus Gothicas literas adinuenit, & scripturas sacras in eandem linguam conuertit.

ERA CCCCXVI. anno XIIII. Valentis Imperatoris, Gothi qui primum Christianos à terra sua expulerant, postmodum ipsi ab Hunis expulsi sunt, transitoq; Danubio fluuio, Valentis Imp. potestati se, non depositis armis, dederunt, accepta ab eo ad habitandum Thracia. Sed vbi viderunt se opprimi à Romanis contra consuetudinem propriæ libertatis, resumptis armis rebellando Thraciam ferro incendiisq; depopulantur, deletoq; Romanorum exercitu, ipsum Valentem iaculo vulneratum in quandam villam fugientem incendunt: vt meritò, iuxta cuiusdam sententiam, ipse ab eis temporali crematur incendio, qui tam pulchras animas ignibus æternis tradiderat.

ERA CCCCXVIIII. anno imperii Theodosii Hispani tertio, Athanaricus cum Theodosio ius amicitiæ disponens, mox Constantinopolim pergit: ibiq; XV. die, ex quo fuerat à Theodosio fauorabiliter susceptus, interiit. Gothi autem proprio rege defuncto, aspicientes benignitatem Theodosii Imperatoris, inito fœdere, Romano se imperio tradiderunt.

ERA CCCCXLVI. anno XIIII. Archadii & Honorii Impp. post Athanaricum duo reges Gothis imperauerunt, qui pacis fœdere rupto, ad deprædandam Romaniam se dederunt. Quorum vnus Radagaisus Scytha atque paganus, cum CC. ferè millibus Italiam belli feritate aggreditur, promittēs sanguinem Christianorum diis suis litare si vinceret. Cuius exercitus à Romanis in montuosis locis conclusus, fame est potiùs quàm ferro consumptus: ipse postremùm rex captus est & interfectus.

ERA CCCCXLVII. anno Honorii & Archadii Imperatorum, alter ille Alaricus Christianus quidem, sed hæreticus, pro consorte regni amisso in vindictam sanguinis suorum profectus in Italiam, vrbem irruit, & obsessam capit: sicque Roma irruptione atque impetu magnæ cladis euersa est. Tantum autem Gothi clementes ibi extiterunt, vt votum antea darent, vt si ingrederentur vrbem, quicunq; Romanorum in locis Christi inuenirentur, in eos agere belli iure non liceret, sed ibi & feriendi refrenaretur immanitas, & captiuandi cupiditas coercere-

tur. sicque post hoc votum aggredientes vrbem, quoscunque in locis sacris Christi vel martyrum vel basilicis confugientes inuenerunt, in vastatione vrbis non miserunt, nec cruentus sæuiit in eos gladius, commiserantibus hostibus. Sed & qui extra loca martyrum erant, & nomen Christi vel sanctorum nominabant, & ipsis simili misericordia hostilis furor pepercit. Sic euaserunt multa millia Romanorum, quibus Gothi propter Christum misericorditer pepercerunt. Vnde & hucusque Romani, qui in regno Gothorum consistunt, adeo amplectuntur, vt melius sit illis cum Gothis pauperes viuere, quàm inter Romanos potentes esse, & graue iugum tributi portare. Gothi autem post tertium diem quo Romam ingressi sunt, nullo hoste cogente sponte discedunt.

ERA CCCCXLVIIII. anno primo Theodosij minoris, Alarico mox post captam vrbem defuncto, Athaulfus Gothus Italiæ regno præficitur annis septem. Iste quinto regni anno de Italia succedit ad Gallias, ibiq; Placidiam filiam Theodosii principis, Archadii & Honorii Imperatorum sororem, quæ à Gothis Romæ capta fuerat, vxorem sibi assumpsit nullo ex ea semine subsistente. Qui dum à Constantio Romano patricio admoneretur, vt relictis Galliis Hispanias peteret per quendam Gothum apud Barcilonem inter familiares fabulas iugulatur.

ERA CCCCLIIII. anno VII. Theodosii minoris, post Athaulfum Gothis Sigericus princeps electus est, qui dum ad pacem cum Romanis esset promptissimus, mox à suis est interfectus.

ERA & anno quo suprà, Vallia succedens tribus annis regnauit, belli caussa princeps à Gothis effectus, sed ad pacem diuina prouidentia ordinatus. mox enim vt regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit: Placidiam sororem eius honorificè reddidit: Romani quoque nominis causa intra Hispanias cædes magnas Barbaris intulit: Wandalos Silingos in Betica omnes bello extinxit: Alanos, qui Wandalis & Sueuis potentabantur, adeo * * * vt extincto Vtaco rege ipsorum, pauci qui superfuerant oblito regni nomine, Gunderici regis Wandalorum, qui in Gallia resederant, se patrocinio subiugarent. Isti sunt Wandali qui postea Sueuorum obsidione relicta ad Beticam transierunt, captaque Hispali in Africam migrauerunt. Vallia autem confecto bello Hispaniæ, dum instructa uauali acie in Africam transire disponeret, in fretum Gaditani maris vi tempestatis interceptus, in Hispaniam redire coactus est. Qui deinde per Constantium Romanum patricium ad Gallias reuocatur, data ab eo Gothis ob meritum victoriæ ad habitandum secunda Aquitania vsque ad Oceanum, cum quibusdam ciuitatibus confinium prouinciarum.

ERA CCCCLXVII. anno* Theodosii minoris, Theudoridus post Valliā regnat annis XXIII. qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recusat, exercitum mouet, Arelatem nobilissimum oppidum Galliæ obsidet: a cuius obsidione imminente virtute Aëtii Romanæ militiæ ducis remotus abscedit. Extincto autem à Valentiniano Imperatore Eëtio, dum Theudoridus Narbone esset insertus, rursus Theudo à Litorio duce Romanæ militiæ Hunis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primum res prosperas aduersus Gothos gessisset, denuo responsis dæmonum deceptus, in bello à Gothis amisso exercitu miserabiliter superatur: & qui antea hostium millibus cæsis feliciter vicerat, dum fallacia dæmonum oracula quærit, ignobiliter victus interiit, Theudoridus autem sumpto contra Hunos prælio in campis Chatalaunicis superatus occubuit. Gothi autem dimicante Turismodo Theudoridi regis filio adeo extitere victores, vt Attila rex Hunorum prælio victus, metu insequentis exercitus, nusquam comparuisse dicatur.

ERA CCCXC. anno Marciani Imp. primo, Turismodus filius Theudoridi regnauit anno vno: qui postquam de Hunis triumphauit, dum multa ageret insolentius, à Theudorico & Frigdarico est fratribus interfectus.

ERA CCCXCI. anno II. Marciani Imp. Theudoricus post fraternam necem in regnum succedens imperauit annis XIII. qui pro eo quod Imperatori Auito sumendi imperialis fastigii cum Gallis auxilium præbuisset, Aquitanias cum ingenti exercitu & cum ingenti licentia eiusdem Auiti Imperatoris ingreditur. Cui cum magna copia rex Sueuorum Rectiarius occurrens, duodecimo Asturicensis vrbis milliario, apud fluuium qui Vrbicus appellatur, inito mox certamine superatus est, cæsis suorum agminibus, aliquantis captis, plurimisque fugatis, ipse postremum rex telo sauciatus fugit. Theudorico autem cum exercitu ad ciuitatē Bragarensem pertendente, die Dominico, etsi incruenta tamen satis lamentabilis eiusdem direptio ciuitatis, & Romanorum magna captiuitas fuit. Rectiarius vero ad locum Portuculæ profectus, regi Theudorico captus adducitur. Quo perempto cæteris qui de priori certamine superfuerant sese tradentibus, aliquantis nihilominus interfectis regnum Sueuorum pœnè destructum est & finitum. Reliqui Sueui, qui remanserant in extrema Galliciæ, Massilæ filium nomine Masdrum sibi regem constituunt, regnumque reparatur Sueuorum. Theudoricus autem de Gallicia ad Lusitaniam victor succedens, dum Emeritensem vrbem deprædari moliretur, beatissimæ Eulaliæ martyris terretur ostentis. Mox aduersis sibi nunciis territus, de Emerita egressus, Gallias repetit, & partem exercitus, cum suis ducibus, iterum ad campos Galliciæ dirigit, qui cæsa Asturicensi regione rursum reuertuntur ad Gallias. Nec mora Gothicus exercitus duce Ceurila à Theudorico ad Hispanias missus succedit, ad Beticam. Post quem sequenti anno

anno Sigericus cum alia parte exercitus dirigitur, & Ceurilas reuocatur ad Gallias. Pars autem Gothici exercitus à Sunierico & Nepotiano ducibus ad Galliciam directa, Sueuos apud Lusitaniam deprædatur. In Gallias autem Agripinus Comes & concius Egidio Comiti Romano æmulus, vt Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theudorico. Post aliquot legati Sueuorum ab Arismodo rege Masdræ filio, rege Sueuorum, missi ad Theudoricum venerunt, pacem amicitiaq; poscentes. Similiter Theudoricus Arismodo remittit, cum armorum adiectione, munera, directa etiam & coniugi quam haberet. Sallanem quoque legatum denuo Theudoricus mittit ad Arismodum, qui reuersus ad Gallias Theudoricum ab Eurico fratre suo repperit interfectum.

ERA DIIII. anno imperii Leonis octauo Euridicus, pari scelere quo frater, succedit in regnum annis XVIII. in quo honore prouectus & crimine, statim bello desæuit, parteisque Lusitaniæ deprædatur. Qui prius capta Pamphilona, Cæsaraugustam inuadit, totamque Hispaniam superiorem optinuit. Terraconensis etiam nobilitatem, quæ ei repugnauerat, exercitus irruptione peremit. In Gallias autem regressus, Arelatum & Massiliam vrbes capit, suoque regno vtramque subiecit. Iste quodam die congregatis in colloquio Gothis, tela quæ habebant omnes in manibus, à parte ferri, alia vidi, alia roseo, alia croceo colore mutata, naturalem ferri speciem aliquandiu non habuisse nperit. Sub hoc rege Gothi legum instituta scriptis habere cœperunt: nam antea tan moribus & consuetudine tenebantur. Obiit Arelato Euricus morte propria fun-

RA DXXII. anno XI. Zenonis Imperatoris Eurico mortuo, Alaricus filius eius apud Tolosen m vrbem princeps Gothorum efficitur, eosque rexit annis XX. tribus. Qui cum à pueritia vitam in otio & conuiuio peregisset, tandem prouocatus à Francis, in regione Pictauensis vrbis prælio inito, extinguitur. eoque interfecto regnum Tolosanum occupantibus Francis destruitur.

ERA DXLV. anno XVII. Anastasii Imp. Geselicus superioris Regis ex concubina filius Narbonæ princeps efficitur, & regnauit annis quattuor: sicut genere vilissimus, ita infelicitate & ignauia summus. Denique dum eadem ciuitas à Gundebaldo Burgundionum Rege direpta fuisset, iste cum multis vi, dedecore & cum magna suorum clade apud Barcinonam se contulit. Ibi moratus, quo vsque regni fascibus à Theudorico fugæ ignominia priuaretur. Inde profectus ad Africam, Wandalorum suffragium poscit, quo in regnum posset restitui. Qui dum non impetrasset auxilium, mox de Africa rediens, ob metum Theodorici Regis, Aquitaniam petiit. Ibi anno vno delitescens Hispaniam reuersus ab Ebbaue Theudorici Regis duce, duodecimo à Barcinona vrbe milliario commisso prælio superatus in fugam vertitur, captusque trans fluuium Druentium Galliarum occiditur.

ERA DXLV. anno XXVI. Anastasii Imperatoris, Theudoricus iunior dum iampridem à Thracia & Pannonia veniens, fugato Arnulfo Rege Ostrogothorum, regnasset in Italia annis X. & octo, rursus expulso Rege Wisigothorum Geselico, regnauit in Hispania annis XV. Sicque prius Italo regno potitus, postea Hispaniam rexit, quam superstes eiusdem Amalarico nepoti reliquit. Per hunc dignitas vrbis Romæ non parua est restituta. muros enim eius iste redintegrauit. ob quam causam à senatu inauratam statuam meruit.

ERA DLXIIII. XIIII. anno Iustiniani Imperatoris, defuncto Theudorico, Amalaricus nepos eius quinque annis regnauit. Qui cum ab Hildeberto Francorum Rege Narbonæ prælio superatus fuisset, Barcinonam fugiens venit, omniumque contra se odio excitato, apud Narbonam in foro ab exercitu iugulatus interiit.

ERA DLX. nona Iustiniani Imp. tempore, post Amalaricum Theudis in Hispania creatur in regnum per annos XVI. menses quinque. Qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ dei, vt licentiam Catholicis Episcopis daret in vnum apud Toletanam vrbem conuenire, & quæcunque ad Ecclesiæ disciplinam necessaria existerent, dicere licenterque disponere. Iste Francorum Reges quinque Cæsaraugustam obsidentes, omnemque fere Terraconensem prouinciam bello depopulantes, misso duce Theudisclo fortiter debellauit, atque à regno suo non pace, sed armis exire coegit. Vulneratur autem à quodam in palatio, qui iamdiu dementis speciem, vt regem deciperet, simulauerat. Finxit enim arte insaniam, & quasi furore repletus perfodit principem. quo vulnere prostratus occubauit, & vi gladii indignantem animam exalauit. Fertur autem inter effusionem sanguinis coniurasse homines suos, ne quis interficeret percussorem suum, dicens recepisse se dignam vicissitudinem, quod & ipse priuatim ducem suum sollicitatum occiderat.

ERA DLXXX. anno XII. Iustiniani Imperatoris Interempto Theudi Theudisclus Gothis præficitur. Regnauit anno vno, mensibus VII. Hic pari coniuratorum manu inter epulas cœnæ, gladio confossus extinguitur.

ERA DLXXXIIII. *anno* XVI. *Iustiniani Imperatoris, extincto Theudisclo, Agila Rex creatur; regnans annis quinque. Cuius tertio anno Athanagildus tyrannidem regnandi cupiditate arripuit. Gothi autem Agilam apud Emeritam fide sacramenti oblita interimunt, & Athanagildo se tradunt.*

ERA DXCIII. *anno* XXXVIII. *Iustiniani Imperatoris, Agila perempto, Athanagildus regnum, quod inuaserat, tenuit annis* XVI. *Iste cum iamdudum sumpta tyrannide Agilam regno priuare quæreret, militum sibi auxilia ab Imp. Iustiniano poposcerat, quos postea submouere à finibus regni molitus non potuit. aduersus quos huc vsque confligitur. Nam frequentibus antea prælijs cæsi, nunc vero multis casibus fracti ac diminuti sunt. Decessit autem Athanagildus Toleto propria morte, vacante regno mensibus quinque.*

ERA DCVIII. *anno secundo Iustini minoris post Athanagildum Liuua Narbonæ regno præficitur, regnauitq; annis tribus. qui secundo anno postquam adeptus est principatum Leuuigildum fratrem suum socium regni constituit, Hispaniæq; administrationi præfecit. ipse autem Galliæ regno cõtentus est. sicq; regnum duos capit, cum nulla potestas patiens consortis sit. Huic autem in ordine temporum vnus tantùm annus reputatur, reliqui, Leuuigildo adnumerantur.*

ERA DCVIII. *anno secundo Iustini minoris, Leuuigildus adepto Hispaniæ & Galliæ regno ocium periculosum ratus, regnum bello ampliare statuerat. Subegit Aregenses. cæpit Sabariam. Crospida ab eo deuicta est. Cesserant etiam armis illius omnes rebelles Hispaniæ vrbes. fudit quoque diuerso prælio militem, & quædam castra ab eis occupata dimicando recepit. Erminigildum deinde imperiis suis tyrannizantem obsessum exsuperauit. Postremò bellum Sueuis intulit, regnumq; eorum iniuria gentis suæ mira celeritate transmisit, Hispania penè tota potitus. Nam antea gens Gothorum angustis finibus artabatur. Sed obfuscauit in eo error impietatis gloriam tãtæ virtutis. Denique iniquæ perfidiæ furore repletus, in Catholicos persecutione commota, plurimos Episcoporum exilio relegauit, & Ecclesiarum reditus & priuilegia tulit. multos quoque terroribus suis in Arrianam hæresim & pestilentiam impulit: plerosque sine persecutione, illectos auro rebusque decepit. Ausus quinetiam inter cætera hæresis suæ contagia, rebaptizare Catholicos, & non solùm ex plebe sed etiam ex sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium Cæsaraugustanum de Episcopo apostatam factum, & tanquam à cœlo in inferna proiectum. Extitit autem & quibusdam suorum perniciosus. nam vi cupiditatis & liuoris quosque potentes vt vidit, aut capite damnauit, aut opibus ablatis proscripsit. Aerarium quoque ac fiscum primus iste auxit: primusq; inter suos regali veste opertus, solio resedit. Nam antè eum & habitus & consessus communis vt genti, ita & regibus erat. Condidit autem ciuitatem in Celtiberia, quam ex nomine filij sui Recopolin nominauit. In legibus quoq; ea quæ ab Eurico inconditè constituta videbantur correxit, plurimas leges prætermissas adiiciens, plerasq; superfluas auferens. Obiit propria morte Toleto anno regni sui* XVIII.

ERA DCXXXV. *Leuuigildo defuncto filius eius Recaredus regno est coronatus, cultu præditus religionis, & patriis moribus longè dissimilis. Namque ille inreligiosus & bello promptissimus, hic fide pius & pace præclarus. ille armorum artibus gentis imperium dilatans, hic gloriosus eandem gentem fidei trophæo sublimans. In ipsis enim regni sui exordiis Catholicam fidem adeptus, totius Gothicæ gentis populos inoliti erroris labe detersa, ad cultum rectæ fidei reuocauit. Synodum etiam ad condemnationem Arrianæ hæresis congregauit, cui concilio idem gloriosissimus princeps interfuit, suaq; eum præsentia & subscriptione firmauit. In belli quoque gloria satis clarus ac præcipuus extitit. Francis enim cum sexaginta ferè millibus armatorum copiis Gallias irruentibus, misso Claudio duce aduersus eos, glorioso triumphauit euentu. Nulla vnquam in Hispaniis Gothorum vel maior vel similis extitit. Prostrati sunt enim & capti multa millia, residua pars exercitus in fugã versa, Gothis post tergum insequentibus vsq; regni sui finibus cæsa est. Sæpe etiã & lacertos contra Romanas insolẽtias & irruptiones Wasconũ mouit, vbi nõ magis bella tractasse, quàm potiùs gẽtem, quasi in palæstra eludii, pro vsu vtilitatis videtur exercuisse. Prouincias autem pater prælio cõquisiuit, iste pace cõseruauit, æquitate disposuit, moderamine rexit. Multi quoq; aduersus eũ tyrãnidẽ assumere cupientes, detecti sunt, suæq; machinationis consiliũ implere non potuerunt. Fuit aũt placidus, mitis, egregiæ bonitatis, tantamque in vulgus gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem gessit, vt in omnium mentibus influens etiam malos ad affectum sui amoris attraheret: adeò liberalis, vt opes priuatorũ, Ecclesiarũ prædia direpta à patre & fisco adsociata, iuri ꝓprio restitueret. Adeo quoq; clemens fuit, vt populi tributa sæpe indulgentiæ largitione donaret. Multos etiam ditauit rebus, plurimos sublimauit honoribus, opes suas in miseris, thesauros suos in egenis recondens. sciẽs ad hoc illi fuisse collatum regnum, vt eo salubriter vteretur, bonis initiis bonum finem adeptus. fidem enim rectæ gloriæ quamprimum percepit, nouissimè publica confessione pœnitẽtiæ cumulauit. Quintodecimo anno Toleto morte propria decessit.*

ERA DCXL. *anno post Recaredum principẽ filius eius Liuua regin suscepit sceptra annis duobus:*

...us ignobili quidem matre progenitus, sed virtutum indole insignitus: quem in primo flore adolescentiæ Vittericus sumpta tyrannide innocuum regno deiecit, præcisaq; eius dextra occidit, anno ætatis XX. *regni verò secundo.*

ERA DCXLII. *extincto Liuua Vittericus regnum, quod viuente illo inuaserat, sibi vendicat annis* VII. *vir quidem strenuus in armorum arte, sed tamen expers victoriæ. Namque aduersus Romanum militem bella sæpe molitus, nil satis gloriæ gessit, præter quòd milites quosdam Sagontia per duces obtinuit. Hic in vita plurima illicita fecit. in morte autem, quia gladio operatus fuerat, gladio periit. Mors quippe innocentis inulta in illo non fuit. inter epulas enim prandii coniuratione suorum est interfectus. Corpus verò eius viliter est exportatum atque sepultum.*

ERA DCXL. *octaua. Gundemarus post Vittericum princeps efficitur annis duobus. hic* W*ascones vna expeditione vastauit, alia militem Romanum obsedit. Toleto propria morte decessit.*

ERA DCLI. *Sisebutus post Gundemarum regali fastigio euocatur, regnans annos* VIII. *menses sex. qui in initio regni sui Iudæos ad fidē Christianā permouēs æmulationē quidē Dei habuit, sed non secundum scientiam. Potestate enim compulit, quos prouocare fidei ratione oportuit. Sed sicut scriptum est, siue per occasionem, siue per veritatem, Christus adnuntietur. Fuit autem lingua nitidus, literarum studiis ex parte imbutus. In bellicis quoque causis fauorem habuit præliorum. Astures enim rebellantes misso exercitu per ducem suum Richilanem in ditionem suam reduxit. Roccones arduis montibus vndiq; circumseptos similiter per duces deuicit. De Romanis quoq; præsens feliciter triumphauit, & quasdam vrbes pugnādo subegit: adeo clemens post victoriam, vt pœnè omnes ab exercitu suo hostili præda in seruitutem redactos precio dato absolueret, eiusq; thesaurus redemptio captiuorum existeret. Hunc alij morbo alii veneno asserunt interfectum. Hi sunt anni Gothorū regū, ab exordio Athanarici regis vsque ad istum Sisebutū; anni* CCL. *vnus.* ERA DCLXVI.

Explicit historia Gothorum.

INCIPIT HISTORIA WANDALORVM.

ANDALI *cùm Alanis & Sueuis pariter Hispanias ingrediuntur. Hi pace inter se inita, sorte ad inhabitandum sibi prouinciarum diuidunt regiones. Galliciam* W*andali & Sueui occupant. Alani Lusitaniam & Carthaginensem prouincias.* W*andali autem cognomine Silingi Beticam sortiuntur. Hispani autem per ciuitates & castella residua barbaris dominantibus se subiugunt. In Hispanias Gundericus primus rex VVandalorum successit, regnans in Gallicię partibus annis* XVI. *qui dum rupto fœdere pacis Sueuos in Neruosis montibus obsideret, relicta tandem Gallicia cum omnibus* W*andalis ad Beticam transiuit: captaque Hispali cum inreuerenter in Ecclesias ipsius ciuitatis manus extendisset, mox Dei iudicio dæmone correptus interiit. Cui Giesericus frater suus ex Catholico apostata factus succedit in regnum annorum sexaginta: qui de Beticæ prouinciæ litore ad Mauritaniam venit, & Africa relicta in Hispaniam transfretauit. Cui Valentinianus occidentis Imperator non valens obsistere, pacem mittit, & partem Africæ quam* W*andali possederant tanquam pacifico tradidit, conditionibus ab eo sacramenti acceptis ne quid amplius inuaderet. Ille autem sacramenti religione violata Carthaginem peruadit, Siciliam deprædatur, Panormum obsidet, Arrianam pestilentiam per totam Africam intromittit, sacerdotes Ecclesiæ expellit, martyres plurimos efficit. Aduersus quem Theodosius minor Orientis Imperator bellum præparauit, quod ad effectum non venit. Hunis enim Thraciam Illyricumq; vastantibus, exercitus* W*andalorum à Sicilia reuocatur, & ad defendendos Thraces & Illyrianos transmittitur. Geisericus autem non contentus solis Africæ vastationibus, nauibus aduectus Romam ingreditur, direptisque opibus Romanorū per quatuordecim dies, relicto Valentiniano, filias eius multaq; millia captiuorum secum tulit. moxq; Carthaginē rediit, & per legatos postulata pace à Valentiniano filias eius ei Constantinopolim mittit. sicq; post multarum prouinciarum clades & Christianorum spolia atq; neces moritur regni sui anno sexagesimo. Hunericus autē filius eius regnauit annis septem, mensibus quinq;, habens in coniugio Imperatoris Valentiniani filiam, quam pater eius Roma captiuam cum matre abduxerat, qui & ipse Arriano suscitato furore Catholicas per totam Africam atrocior patre persequitur Ecclesias, tollit sacerdotes, & cuncti ordinis clericos in exilium mittit: monachos quoque atque laicos quatuor circiter millia exiliis durioribus relegauit, martyres fecit, confessoribus linguas abscidit, qui linguis abscissis perfectè vsque ad finē suum locuti sunt. Tunc Lætus Leptensis ciuitatis Episcopus glorioso martyrio coronatur. Venericus aūt inter innumerabiles suarū impietatū strages, quas in Catholicos exercuerat, octauo regni sui anno vt Arrius pater eius interiorib. cūctis effusis miserabiliter vitā amisit. Cui succedēs Guntabūdus regnauit* XII. *annis, qui statim pacē Ecclesiæ donauit, & Catholicos protinus ab exilio reuocauit. Quo defuncto Trasemūdus regnauit annis* XXVII. *mensib. quatuor. Iste Arriana insania plenus Catholicos insectatur, Ecclesias claudit, in Sardiniā exilio ex omni Africana ecclesia* CXX.

Episcopos mittit. Apud Carthaginem moritur. Post quem regnauit Hildiris ex filia Valentiniani Imp. genitus à Geiserico captiuata, quæ Hunerico filio suo fuerat iuncta. Regnauitq́ Hildiris annis septem & tribus mensibus. Iste sacramento à prædecessore suo Trasemundo fuerat obstrictus, ne Catholicis in regno suo Ecclesias aperiret, aut priuilegia restitueret. priusquam regnaret, ne religionem sacramenti violaret, præcepit sacerdotes Catholicos ab exilio reduci & Ecclesias aperiri. Quem Gilimer assumpta tyrannide regno priuauit, & cum filiis carceris custodia mancipauit. Post hæc Gilimer tyrannus regnauit annis tribus, mensibus octo: qui multos nobilium Africæ prouinciæ crudeliter extinxit, multorumq́ substantias tulit. aduersus quem Iustinianus Imp. incitatione Læti Episcopi, qui ab Hunerico Wandalorum rege martyr fuerat factus, exercitum in Africa Belisario magistro militum duce mittit: quem Belisarius cum omni gente Wandalorum prælio fugauit. Africam cepit centesimo XVII. Wandalorum ingreßionis anno. In ipso autem Belisarii occursu, priusquam congreßio fieret, Gilimer tyrannus Hildirim regem cum quibusdam generis eius affinibus occidit. Belisarius Gilimerum tyrannum capit, & eum cum diuitiis suis ex rapinis prouinciarum Africæ conquisitis Constantinopolim Iustiniano Imperatori duxit: sicq́ regnum destructum est & finitum Wandalorum. Fiunt simul à primo anno Gunderici Regis, quo in Hispaniam ingressus est, vsq́ ad Gilimeri casum & Wandalorum interitum anni CXX. tres & menses septem.

Explicit historia Wandalorum.

INCIPIT HISTORIA SVEVORVM.

SVEVI duce Hermerico rege cum Alanis & Wandalis simul Hispanias ingressi sunt ERA CCCCXCVII. Hi Galliciam cum Wandalis occupant. Wandalis autem transeuntibus Africam, Galliciam soli Sueui sortiti sunt; quibus præfuit Emericus annis quatuordecim. Gallici autem in parte prouinciæ regno suo vtebantur quos Emericus aßidua vastatione deprædans tandem ob morbi dolorem eis pacem dedit: quo morbo diutißime per annos septem oppressus interiit. Post quem Riccila filius eius succeßit & regnauit annis octo. Hic iubēte patre ab eo missus Vndebotum Romanæ militiæ ducem cum suis omnibus copiis ad Singillium Beticæ fluuium inito bello prostrauit, magnis eius auri argentiq́ copiis occupatis. Post obitum autem patris suscepto regno, Hispania ab eo optenta cum Betica, Carthaginenses prouincias in suam redegit potestatem. Quo defuncto Rectiarius succedit in regnum annis nouem. Hic accepta in coniugio Theudoridi regis Gothorum filia in initio regni sui* deprædatur. Mox ad Theudoridum socerum suum profectus Cæsaraugustanam regionem cum auxilio Gothorum rediens deprædatur, irruptaq́ per dolum Ilerdensi vrbe egit ibi magnam captiuitatem. Ad vltimum dum Theudoridus rex Hispaniam ingrederetur, inito prælio aduersus eum, primò fugatus, deinde captus occiditur. Occiso Rectiario Sueui bifariè diuisi pars Fratan, pars Masdram sibi regem constituunt. Masdras autem cum manu Sueuorum statim Lusitaniam deprædatur, acta illuc Romanorum cæde prædisq́ contractis. Ciuitas etiam Olisipona sub specie pacis intratur. Nec mora, Fratan mortuo, Sueui, qui cum eo fuerant, ad Masdram reuertuntur: regionem Galliciæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Masdras autem peracto tertio anno regni sui iugulatur. Quo extincto inter Frumarium & Remismundum Masdræ filium oritur de regni potestate dissensio. Sed Frumarius, cum manu quam habebat, Flauiensem ciuitatem grandi euertit excidio. Remismundus autem vicina sibi pariter Arigensium loca & Lucensis conuentus maritima populatur. Frumario autem mortuo, Remismundus omnes Sueuos in suam ditionem reuocat, pacem cum Gallicis reformat, legatos fœderis mittit ad Theoderidum regem Gothorum: à quo etiam per legatos et arma & coniugem quam haberet, accepit. Tertio regni anno ad Lusitaniam transiit, Cimbricam pace deceptam diripit. Olisepona quoque ab eo occupatur: ciues verò qui illic præerant custodiendos tradidit Lusidio. Huius tempore Alax natione Galata, effectus apostata & Arrianus, inter Sueuos regis sui auxilio fidei Catholicæ hostis emersit. cuius seductione Sueui à fide Catholica recedentes, in Arrianum dogma declinant. Post multos deinde reges regnum Sueuorum suscepit Theudemirus qui fidem Catholicam adeptus, Arrianæ impietatis errore destructo Sueuos vnitati fidei reddidit. Huius temporibus Martinus monasterii Dumiensis episcopus fide & scientia claruit. Cuius studio & pax ecclesiæ reddita est, & multa monasteria condita. Post Theudemirum, Miro Sueuorum princeps efficitur, & regnauit annis XIII. Hic bellum secundo regni sui anno contra Roccones intulit: deinde in auxilium Liuuigildi Gothorum regis aduersus rebellem filium ad expugnandam Hispalim pergit, ibiq́ vitæ terminum clausit. Cui Eburicus filius in regnum succedit: quem adolescentem Audicas assumpta tyrannide regno priuat, & monachum factum in monasterio damnat, pro quo non dilata est sententia. mox enim Liuuigildus Gothorum rex Sueuis bellum inferens, o-

ptent

nto eodem regno Audicam deiecit, atque detonso eo, post regni honorem, presbyterii officio conse-uit. Sic enim oportuit, vt quod regi suo fecerat, rursus idem ab alio congrua meriti vicissitudine reretur. Regnum autem Sueuorum deletum in Gothos transfertur, quod mansit annis centum . sex.

Explicit historia Sueuorum.

CHRONICA REGVM WISIGOTHORVM.

ERA *quadringentesima, in Gothis primus Rex Atanaricus efficitur. Post hunc Alaricus. Quo in Italia mortuo, Ataulfus eligitur. Isto regnante, Gothi relicta Italia, Gallias ac postea Hispanias occupant. Anni vero regũ hac summa notantur.*

Atanaricus regnauit annos XIII.

laricus regnauit annos XXVIII. *in Italia.*

aulfus regnauit annos VI

gericus regnauit annos VII. *alibi semis tantum* D̄.

alia regnauit annos III.

eudcredus regnauit annos XXXIII.

urismodus regnauit annos III. *alibi vnum.*

eudericus regnauit annos VII. *alil i* XIII.

ricus regnauit annos XV.

llaricus regnauit annos XXIII.

sælicus regnauit annos III. *& in latebra annum* I. *alibi* XV.

eudericus de Italia regnat in Hispania tutelam agens Amalerico nepoti suo per consules annos XLI.

nalaricus regnauit annos V.

eudi regnauit annos XVI. *menses* VI.

eudisclus regnauit annum I. *menses* VI. *dies* XIII.

ila regnauit annos V. *menses* VI. *dies* XIII.

hanagildus regnauit annos XV. *menses* VI.

cat regnum menses V. *& alibi* XIII.

iuua regnauit annum I.

uuigildus regnauit annos XVIII.

ccaredus regnauit annos XV. *menses* VI. *dies* X.

m Liuua regnauit annum I. *menses* VI.

itericus regnauit annos VI. *menses* X.

ndenarus regnauit annum I. *menses* X. *dies* XIIII.

Sisebutus regnauit annos VIII. *menses* XI. *dies* XVI.

Item Reccaredus regnauit annos III.

Suuintila regnauit annos X.

Sisenandus regnauit annos IIII. *menses* XI. *dies* XVI.

Chintila regnauit annos III. *menses* VIII. *dies* VIIII.

Tulga regnauit annos II. *menses* IIII.

Chindasuuindus solus regnauit annos VI. *menses* XIII. *dies* XX.

Item cum filio suo Recessuindo rege regnauit annos IIII. *menses* VIII. *dies* XII. *obiit pridie Kal Octobris, Era* DCLXI.

Recessuindus solus regnauit annos XXIII. *menses* VII. *dies* XI.

Obiit Kal. Sept. D. IIII. *feria, hora* III *Era* DCCX. *anno incarnationis domini nostri Iesu Christi* DCCLXXII. *anni Cycli decennoualis* VIII. *luna* III. *Idem cum patre suo regnauit annos* IIII. *menses* VIII. *dies* XI.

Suscepit autem dominus Wamba regni gubernacula eodem die quo ille obiit in supradictis Kalend. Septembribus, dilata vnctionis sollemnitate vsq; in diem XIIII. *Kal. Octobris, luna* XXI. *Era qua supra. Idem quoque gloriosus Wamba Rex regnauit annos* VIII. *mens.* I. *dies* XIIII. *Accepit quoq; pœnitẽtiam prædictus princeps die Dominico exeunte hora noctis prima, quod fuit pridie Idus Octobris, luna* XV. *Era* DCCXVIII.

Suscepit autem succedente die secunda feria gloriosus dominus noster Eruigius regni sceptra, quod fuit Id. Octobris, luna XVI. *Era* DCCXVIII. *dilata vnctionis sollemnitate vsque in superuenientem diem Dominicum, quod fuit* XIIII. *Kalendas Nouembris luna,* XXII. *Era qua supra.*

INCIPIVNT TITVLI LIBRO RVM XII. LEGIS WISIGOTHORVM.

LEGI

LEGIS WISIGOTHORVM LIBER PRIMVS.

Index Capitulorum Tituli Primi qui est, DE LEGISLATORE.

I. *Quod sit artificium condendarum legum.*

SALVTARE datuti in legum constitutionem præconium, ad nouam operationis formam antiquorum studiis nouos artus aptamus; referantes virtutem tam formandæ legis quàm peritiam formantis artificis. Cuius artis insigne ex hoc decentius probabitur enitere, si non ex coniectura trahat formam similitudinis, sed ex veritate formet speciem sanctionis: neque syllogismorum acumine figuras imprimat disputationis, sed puris honestisque præceptis modestè statuat articulos legis. Etenim vt ars operis huius se in hac dispensatione componat, ordo magnę ratiocinationis exoptat. Namque cùm experimenta rerum manus tenet artificis, ad dispositionem formæ frustra quæritur inuestigatio rationis. In inprouisis certè acuta se expetit ratio indagatione cognosci: in non ignotis autem, experimento faciendi se properat referari. Latentis ergo rei, quia species ignoratur, non immerito considerationis ordo requiritur: Cum verò expertos visus in speculo visionis fides veritatis adducit, non iam materia formæ ratiocinationem dicti, sed operationem facti deposcit. Vnde nos melius mores, quàm eloquia ordinantes, non personam oratoris inducimus, sed rectoris iura disponimus.

II. *Quo modo vti debeat artifex legum.*

FOrmandarum ergo artifex legum non disceptatione debet vti, sed iure: nec videri cōgruum sibi contentione legem condidisse, sed ordine. Ab illo enim negotia rerum nō expetunt in theatrali fauore clamorem, sed in exoptata saluatione populi legem manifestam.

III. *Quid requirendum est in artifice legum.*

TVnc primum requirendum est, vt id quod inducitur, possibile credatur. Nouissimè ostendendum, si non pro familiari compendio, sed pro vtilitate populi suadetur: vt appareat eum, qui legis lator existit, nullo priuato cōmodo, sed omnium ciuium vtilitati

communimentum præsidiumque opportunæ legis inducere.

IV. *Qualis erit in viuendo artifex legum.*

* cõstitutio.

ERit consequenter idem lator iuris ac legis mores eloquiis anteponens: vt† contio illius plus virtute personet quàm sermone: sicque quid dixerit, amplius factis quàm dictis exornet: priusque promenda compleat quàm implenda depromat.

V. *Qualis erit in consiliando artifex legum.*

* paruis.

ERit in adinuentione deo sibique tantummodo conscius, consilio probis & †paucis admixtus, assensu ciuilis populisque communis: vt alienæ prouisor salutis, commodius ex vniuersali consensu exerceat gubernaculum, quam ingerat ex singulari potestate iudicium.

VI. *Qualis erit in eloquendo artifex legum.*

*prodiderit.

ERit contionans eloquio clarus, sententia non dubius, euidentia plenus: vt quicquid ex legali fonte† prodierit, in riuolis audientium sine retardatione recurrat: totumque qui audierit, ita cognoscat, vt nulla hunc difficultas dubium reddat.

VII. *Qualis erit in iudicando artifex legum.*

*prauidẽdo.

ERit iudicans in indagando viuax, in †præueniendo fixus, in decernendo non anxius, in percutiendo parcus, in parcendo assiduus, in innocente vindex, in noxio temperatus, in aduena sollicitus, in indigena mansuetus. Personam tanto nesciat accipere quanto & contemnat eligere.

VIII. *Qualis in publicis, qualis in priuatis erit artifex legum.*

ERit, quæcunque sunt publica, patrio recturus amore: quęcunque priuata, herili dispensaturus ex potestate: vt hunc vniuersitas patrem, paruitas habeat dominum. sicque diligatur in toto, vt timeatur in paruo: quatenus & nullus huic seruire paueat, & omnes eius amorem morte compensandum exoptent.

VIIII. *Quod dare debeat legibus disciplinam artifex legum.*

† cõsiderãdo
* enim vt cuicunque.

TVm deinde sciat in hoc maximè stare, grauitatis publicæ gloriam, si det & ipsis legibus disciplinam. Nam cùm salus tota plebium in † consecrando iure consistat, leges ipsas corrigere debet antequam mores. Veniunt † etiam vt cuique libet in contentione, & leges pro arbitrio suo ferunt. Induunt sibi fictam de grauitate ac pudore personam. adeo vt illis sit lex publica, inhonestas priuata. Sicque obtentu legum, contraria legibus adoperiunt, qui, vigore legis, obuia legibus euellere debuerunt.

II. TITVLVS DE LEGE.

I. *Quid obseruabit legis lator in legibus suadendis.*

ITem in suadendis legibus erit plena causa dicendi, non vt partem orationis meditandi videatur gratia optinere, sed desideratum perfectionis optinuisse laborem. In earũ namque formationibus non sophismata disputationis, sed virtutem iuris mauult causa discriminis. Quęritur etiam illic, non quid contentio dicat, sed quid actio promat. Quia & excessus morum non coercendi sunt cothurno loquutionum, sed temperamento virtutum.

II. *Quid sit lex.*

† nuncia.

LEx est æmula diuinitatis, antistes religionis, fons disciplinarum, artifex iuris, boni mores inueniens atque componens, gubernaculum ciuitatis, iustitiæ † nunciatrix, magistra vitæ, anima totius corporis popularis.

III. *Quid agit lex.*

LEx † agit omnem ciuitatis ordinem, omnémque hominis ætatem: quæ sic fœminis datur, vt maribus: iuuentutem complectitur & senectutem: tam prudentibus quàm indoctis, tam vrbanis quàm rusticis fertur. Quæ summum salutis principum ac populorum culmen optinet, & cum manifesto præclaroque præconio in modum lucidissimi Solis effulget. † regit.

IIII. *Qualis erit lex.*

LEx erit manifesta, nec quemquam in captionem ciuium deuocabit. Erit etiam secũdum naturam, secundum consuetudinem ciuitatis, loco temporique conueniens, iusta & æquabilia præscribens, congruens, honesta & digna, vtilis, necessaria. In qua præuidendum est ex vtilitate quæ prætenditur, an plus commodi, an plus iniquitatis oriatur: vt dinosci possit, si plus veritati prospiciat publicæ, quàm religioni videatur obesse: † ac sic honestatem tueatur, vt non cum salutis periculo arguat. † an &.

V. *Quare fit lex.*

FIeri autem leges hæc ratio cogit, vt earum metu, humana coerceatur improbitas, sitque tuta inter noxios innocentium vita, atque in ipsis improbis formidato supplicio frenetur nocendi præsumptio.

VI. *Quid triumphet de hostibus lex.*

HIs in domestica pace ita perfectis, totaque primo à principib. secundo à ciuibus, exhinc à populis & à domo iurgiorum peste seclusa, eundum est in aduersis, & obuiandum hostibus potentialiter & fidenter, tanto in externis spe fida victoriæ, quãto nihil erit quod in externis formidari valeat aut timeri. Pacis enim oleo, & legum vino, tota plebiũ massa in statu salutari concreta exseret hostib. inde inuictos vnde illæsos artus producere videntur iustis adiuta legibus tela. Erũtque viri melius æquitate quã telo muniti, vt contra hostem ante iusticiam dirigat princeps, quàm vibret spicula miles. Fœlicior iam domestica æquitas anteibit: quia & sæuiores erunt in hostium populatione mucrones, quos de domibus modestè produxerint leges. Experimentum enim naturalis est rei, vt iusticia illa confodiat hostem, quæ tutauerit ciuem, & externam inde perimat litem, vnde suorum internam possederit pacem. Sicut ergo modestia principum temperantia est legum, ita concordia ciuium victoria est hostium. Ex mansuetudine etenim principũ, oboritur dispositio legũ. Ex dispositione legũ, institutio morũ. Ex institutione morũ, concordia ciuiũ. Ex concordia ciuiũ, triũphus hostiũ. Sicq; bonus princeps interna regens & externa cõquirens, dum suam pacem possidet & alienã litem obrumpit, celebratur & in ciuibus rector, & in hostibus victor: habiturus post labentia tempora requiem sempiternam: post luteum aurum, cœleste regnum: post diadema & purpuram, gloriæ coronam. Quin potius nec deficiet esse rex. quoniam dum regnum terrenum relinquit, & cœleste conquirit, non erit amisisse regni gloriam, sed auxisse.

DE NEGOTIIS CAVSARVM LIBER SECVNDVS.

TIT. I. DE † IVDICIIS ET IVDICATIS. † iudicibus.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De tempore quo debeant leges emendatæ valere.

PRAGMA suum emendatis legibus assignantes, illud primum in ordine præfationis & loco præmittimus, quia sicut legum euidentia populorum est excessibus vtilis, ita sanctionum obscuritas turbat ordines æquitatis. Nam plerumque dum quædam bene ordinata nebuloso verborum tractu consistunt, ipsa sibi repugnantia nutriunt, dum litigantium controuersias lucidè non excludun Sicque vbi debuerunt finem ferre calumniis, ibi nouos contra se pariunt laqueos captionis. Hinc ergo † diuersitas causarum exoritu hinc cōtrouersiæ litigantium generantur. Hinc etiam hæsitatio iudicum nascitur, ita in finiendis vel compescendis calumniis habere terminum nesciant, quę vtique nutantia semper approbantur & dubia. Et ideo quia perstringi tota quæ in controuersia veniunt breui complicatione non possunt: saltim vel quæ in contentione pertractand sese gloriosis nostræ celsitudinis sensibus ingesserunt, ea in hoc libro specialiter corrig & elimata probitatis sententia decreuimus ordinari. Euidentia videlicet dubiis, præstantia noxiis, clementiora mortiferis, ad apertionem clausis, perfectionem cœpt imprimēs institutis, quo nostri regni populos, quos vna & euidens pax nostri regimin continet, hæc deinceps institutio correctarum legum ordinandos astringat atq; retēte Et ideo harum legum correctio, vel nouellarum nostrarum sanctionum ordinata con structio, sicuti in hoc libro & ordinatis titulis posita, & subsequenti est serie annotat ita ab anno secundo regni nostri, à duodecimo Kalendarum Nouembrium, in cunct personis ac gentibus nostræ amplitudinis imperio subiugatis innexum sibi à nostra glo ria optineat valorem, & inconuulso celebritatis oraculo valitura consistat: vt sicut subl me in throno serenitatis nostræ celsitudine residente videntibus cunctis sacerdotibu de

† aduersitas.

dei, Senioribusque palatii atque Gardingis, earum manifestatio claruit; ita earundem celebritas vel reuerentia in cunctis regni nostri prouinciis debeat obseruari. Leges sane quas in Iudæorum excessibus nostra gloria promulgauit, ab eo tempore valituras esse decernimus, ex quo his confirmationem gloriosa serenitatis nostræ renouatione impressimus.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod tam regia potestas quàm populorum vniuersitas legum reuerentiæ sit subiecta.

OMnipotens rerum dominus & cõditor vnus, prouidens commoda humanę saluti, discere iustitiam habitatores terræ sacræ legis sacris decenter imperauit oraculis. Sed quia solius tam immensæ diuinitatis imperiis hęc cordibus imprimuntur humanis, conuenit omnium terrenorum quamuis excellentissimas potestates illi colla submittere mentis, cui etiam militiæ cælestis famulatur dignitas seruitute. Quapropter si obediendum est deo, diligenda est iustitia: quæ si fuerit dilecta, erit instanter operandum in illa: quam quisque tunc verius & ardentius diligit, cum vnius æquitatis sententia cum proximo semetipsum astringit. Gratanter ergo iussa cœlestia amplectentes damus modestas simul nobis & subditis leges: quibus ita & nostri culminis clementia, & succedentium regum nouitas adfutura vna cum regiminis nostri generali multitudine vniuersa obedire decernitur ac parere iubetur: vt nullis factionibus à custodia legum quæ iniicitur subditis, sese alienam reddat cuiuslibet persona vel potentia dignitatis, quatenus subiectos ad reuerentiam legis impellat necessitas principisque voluntas.

III. NOVITR. EMDTA. FLS. RCDS. REX.

Quòd nulli leges nescire liceat.

OMnis scientia sana ordinabiliter vitat ignorantiam execrandam. Nam cum scriptum sit, Noluit intelligere, vt bene ageret, certum est quod qui intelligere noluit, bene agere contempnit. Nullus ergo idcirco sibi existimet inlicitum faciendi licere quodlibet, quia se nouit legum decreta sanctionesque nescire. Nam non insontem faciet ignorantiæ causa, quem noxiorum dampnis implicauerit culpa.

IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quòd antea ordinare oportuit negotia principum & postea populorum.

BEne deus conditor rerum disponens humani corporis formam, in sublime caput erexit, atque ex illo cunctas membrorum fibras exoriri decreuit: vnde hoc etiam à capiendis initiis caput vocari percensuit, formans in illo & fulgorem luminum, ex quo perspici possent, quæcunque noxia concurrissent, constituens in eo & intelligendi vigorem, per quem connexa & subdita membra vel dispositio regeret, vel prouidentia ordinaret. Hinc est & peritorum medicorum prępcipua cura, vt ante capiti quàm membris incipiant adhibere medelam. Quæ ideo non immerito ordinabiliter exerceri cæteris censetur, cum ab artificis peritia hæc dispensari patescunt. Quia si salutare caput extiterit, rationem colligit, qualiter curare membra cætera possit. Nam si arcem molestia occupauerit capitis, non poterit in artus dare deriuationes salutis, quas in se consumpserit iugis causa langoris. Ordinando igitur sunt primò negotia principum, tutanda salus, defendenda vita. Sicque in statu & negotiis plebium ordinatio dirigenda, vt dum salus competens prospicitur regum, fida valentibus teneatur saluatio populorum.

V. FLS. RCDS. REX.

Item de tempore quo debeant leges emendatæ valere.

QVoniam nouitatem legum, vetustas † malorum exigit, & innouare leges veternosas peccaminum antiquitas impetrauit, ideo leges in hoc libro conscriptas ab anno secundo † bonæ memoriæ domini & genitoris † mei Chindasuindi regis in cunctis
† *Vitiorum.* † *diuæ.* † *nostri.*

perſonis ac gentibus noſtræ amplitudinis imperio ſubiugatis omni robore decernimus
ac iugi manſuras obſeruantia conſecramus : ita vt relictis illis, quas non æquitas iu-
dicantis , ſed libitus impreſſerat poteſtatis , euacuatiſque iudiciis & omnibus ſcri-
pturis earum ordinatione confectis , hæ ſolæ valeant leges , quas aut ex antiquitate
iuſtè nouimus , aut tenemus , aut idem genitor noſter , vel pro æquitate iudicio-
rum vel pro auſteritate culparum viſus eſt non immeritò condidiſſe , prolatis ſeu
connexis aliis legibus quas noſtri culminis faſtigium iudiciali præſidens throno
coram vniuerſis Dei ſanctis ſacerdotibus cunctiſque officiis palatinis iubente domino
atque fauente, audientium vniuerſali conſenſu edidit & formauit,ac ſuæ gloriæ titulis
annotauit:ita vt tam hæ quæ iam prolatæ conſiſtunt,quàm illæ, quas adhuc exoriri no- 1
uorum negotiorum euentus impulerit, valido ac iuſtiſſimo vigore perdurent,& æternæ
ſoliditatis iura retineant.

VI. FLS. RCDS. REX.

De principum cupiditate dampnata, eorumque initiis ordinandis, & quo modo conficiendæ ſunt ſcripturæ in nomine principum factæ.

EMinentiæ celſitudo terrenæ tunc ſalubrius ſublimia probatur appetere,cum ſaluti
proximorum pia cernitur compaſſione prodeſſe. Vnde ſolet contingere, vt plus
commodi de aliena ſalute conquirat, quam de propria vtilitate quiſque percipiat. In 2
multis enim quia multorum ſalus attenditur, maioris lucri ſumma percipitur: in ſe au-
tem,quia priuati commodi fructus appetitur, non ſatis eſt ſi vnius beneficii præmia cō-
quirantur. Hinc & illa regendarum tantumdem ſalus eſt plebium,quæ non ſuos fines
priuata voluntate concludit; ſed quę vniuerſitatis limites communi proſperitatis lege
defendit. Quapropter ne ſalutaris ordo imperialibus videatur verbis potius optineri
quam factis,de ſublimitatis optentu reclinamus ad vota ſupplicum tranquillæ viſionis
aſpectū: vt inde ſalutaris compaſſio habeat commodum,vnde turmæ plebium adeptæ
fuerint ſupplicationis effectum.Cum igitur præcedentium ſerie temporum, immode-
ratior auiditas principum ſeſe prona diffunderet in ſpoliis populorum, vt augeret rei
propriæ cenſum ærumna flebilis ſubiectorum,tandem ſupernę reſpirationis afflatu no-
bis eſt diuinitus inſpiratum : vt quia ſubiectis legis reuerentiam dederamus, principum
quoque exceſſibus retinaculum temperantiæ poneremus. Proinde ſincera manſuetu-
dinis noſtræ deliberatione,tam nobis quam cunctis gloriæ noſtræ ſucceſſoribus adfu-
turis deo mediante legem ponimus, decretumque diualis obſeruantiæ promulgamus:
vt nullus regū impulſionis ſuę quibuſcunq; motib.aut factionib.ſcripturas de quibusli-
bet reb. alteri debitis ita extorqueat,vel extorquendas inſtituat quatenus iniuſtè ac no-
lenter debitarum ſibi quiſque priuari poſſit dominio rerum.Quòd ſi alicuius gratiſſima
voluntate quippiam de rebus à quocunque perceperit, vel pro euidenti præſtatione
lucratus aliquid fuerit, in eadem ſcriptura patens voluntatis ac præſtiti conditio anno-
tetur, per quam aut impreſſio principis aut conferentis fraus euidentiſſimè detegatur.
Et ſi patuerit à nolente fuiſſe ſcripturam exactam , aut reſipiſcat improbitas prin-
cipis & euacuet quod male contraxit , aut certe poſt eius mortem ad eum
cui exacta eſt ſcriptura vel ad heredes eius res ipſæ ſine cunctatione debeant reuocari.
Illæ autem res, quæ ſecluſa omni compreſſionis argumentatione directo modo tran
ſierint in principis poteſtatem , in eius perenniter iure perdurent ; & quicquid e
rebus ipſis idem princeps ordinare voluerit, ſuæ poteſtatis arbitrio ſubiacebit. Ve
rum, vt omne huius negotium actionis roboret ſinceritas veritatis , cum quarun
cunque rerū ſcripturæ in principis nomine extiterint factæ, mox teſtes,qui in eadē ſcri
ptura ſubſcriptores acceſſerint, ab his quos elegerit princeps diligētiſſime perquirātu
ſi non aliquod indicium aut de impreſſione principis, aut fraude ſcripturam facienti
modo quocunque cognouerint. Ac ſic aut ritè facta ſeries ſcripturæ permaneat,aut irr
tè confecta euaneſcat.Similis quoque ordo de terris, vineis atque familiis obſeruetu
ſi ſine ſcripturæ textu tantummodo coram teſtibus quælibet facta fuerit definitio. D
rebus autem omnibus à tempore Chintilani regis hucuſque à principibus acquiſiti
aut deinceps ſi prouenerit acquirendis, quæcunque forſitan princeps inordinata rel
quit ſiue reliquerit,quoniam pro regni apice probantur acquiſita fuiſſe,ad ſucceſſore
tantundem regni decernimus pertinere,ita habita poteſtate, vt quicquid ex his eleg
rit facere,liberum habeat velle. In illis autem rebus, quæ ipſi aut de bonis parentu
aut de quorumcunque prouenerint ſucceſſionibus proximorum,ita eidem principi
iuſq

iusque filiis, aut, si filii defuerint, heredibus quoque legitimis hereditatis iura patebunt: sicut etiam cæteris lege vel successione patere noscuntur. Quòd si aliquid ex rebus de quorumcunque parentum aut proximorum non solùm successione, sed etiam qualibet collatione, aut quolibet contractu ad ius ipsius peruenisse patuerit, si contingat hæc inordinata relinqui, non ad successorem regni, sed ad filios vel heredes eius qui conquisiuit, specialiter omnis eadem conquisitio pertinebit. Nam & de illis rebus, quas idem princeps ante regnum aut ex proprio, aut ex iustissimo conquisitu dinoscitur habuisse, irreuocabili ordine aut faciendi exinde quod voluerit potestatem habebit, aut certè filiis eius successio plena patebit. Quòd si filii defuerint, legitimis heredibus, ex his quæ inordinata reliquerit, hereditatem adire licebit. Huius sanè legis sententia, in solis principum erit negotiis obseruanda, atque ita perpetim valitura: vt non antea quispiam solium regale conscendat quàm iuramenti fœdere hanc legem se in omnibus implere promittat. Quemcunque verò aut per tumultuosas plebes, aut per absconsa dignitati publicæ machinamenta adeptum esse constiterit regni fastigia; mox idem cum omnibus tam nefariè sibi consentientibus, & anathema fiat, & Christianorum communionem amittat; tam diræ percussionis vltione collisus, vt omnis diuini ordinis cultor, qui illi communicare præsumpserit, simili cum ipso damnatione dispereat, & pœna tabescat. Nam & si quis legis huius seriem ex officio Palatino maliuolè detrahendo lacerare voluerit, aut euacuandam quandoque, vel silenter musitans, vel apertè resultans, proloqui detectus extiterit, cunctis Palatinæ dignitatis, & consortiis & officiis mox nudatus, omnium rerum suarum dimidiam partem amittat, & in deputato sibi loco redactus, a totius Palatii maneat societate seclusus. Religiosus etiam qui se in eadem culpa deuoluerit, simili rerum proprietatis suæ dispendio subiacebit.

VII. NOV. EMDAT. FLS. GLS. RCDS. REX

De his qui contra principem vel gentem aut patriam † refugiunt vel insolentes existunt. † refugi vel.

QVantis hactenus Gothorum patria concussa sit cladibus, quantisque iugiter quatiatur stimulis profugorum ac nefanda superbia deditorum, ex eo pęnè cunctis est cognitum, quòd & patriæ diminutionem agnoscunt, & per hanc occasionem potius quàm expugnandorum hostium externorum arma sumere sæpe compellimur. Vt ergo tam dira temeritas tandem victa depereat, & in huiusmodi transgressoribus manifesta scelera non relinquantur vlteriùs impunita, hanc omne per æuum valituram legem sancimus, vt quicunque ex tempore reuerendæ memoriæ Chintilani principis vsque ad annum regni nostri Deo fauente secundum, vel amodo & vltra ad aduersam gentem, vel ad extraneam partem perrexit siue perrexerit, aut etiam ire voluit vel quandoque voluerit, vt sceleratissimo ausu contra gentem Gothorum vel patriam ageret, aut fortasse conetur aliquatenus agere, & captus siue detectus extitit vel extiterit, seu ab anno regni nostri primo vel deinceps quispiam intra fines patriæ Gothorum quamcũque conturbationem aut scandalum in contrarietatem regni nostri vel gentis facere voluerit, siue ex tempore nostri regiminis tale aliquid agere vel disponere conatus est aut fuerit, atque quod indignum dictu videtur, in necem vel abiectionem nostram siue subsequentium regum intendere vel intendisse proditus videtur esse vel fuerit: horum omnium scelerum vel vnius ex his quisque reus inuentus, irretractabili sententia mortem excipiat, nec vlla ei de cætero sit viuendi indulta libertas. Et si nulla mortis vltione plectatur, & pietatis intuitu à principe illi fuerit vita concessa, effossionem perferat oculorũ, secundum quod in lege hac hucusque fuerat constitutum: decaluatus tamẽ & flagella suscipiat, & sub artiori vel perpetuo erit religandus exilio pœnæ, & insuper nullo vnquam tempore ad Palatini officii reuersurus est dignitatem; sed seruus principis factus, & sub perpetua seruitutis cathena in principis potestate redactus, æterna tenebitur exilii religatione obnoxius: quatenus nec excidium videat quo fuerat nequiter delectatus, & amarissimam vitam ducere se perenniter doleat. Res tamen omnes huius tam nefarii transgressoris, vel eius qui morte est pro tali scelere perimendus, vel illius cui vita propter suam nequitiam infœlicissimè reseruabitur, in regis ad integrum potestate consistant: & cui donatæ fuerint, ita perpetim securè possideat, vt nullus vnquam succedentium Regum causam suam & gentis vitiaturus has vllatenus aut vlteriùs auferre præsumat. Verùm quia multi plerumque reperiuntur, qui dum his & talibus prauis

meditationib.occupantur,argumento quodam fallaci in ecclesiis,aut in vxoribus vel filiis atque amicis,seu in aliis quibuscunque personis suas inueniuntur transduxisse vel transducere facultates,etiam & ipsa quæ fraudulenter in dominio alieno contulerāt, iure precario reposcentes, sub calliditatis studio in suo denuo dominio possidenda recipiāt: vnde nihil de suis rebus visi sunt amisisse,nisi solùm concinnatione falsissima, fictas,quasi veridicas videantur scripturas conficere vel proferre. Ideoque hanc nequissimam argumētationem præsentis legis decreto amputare elegimus:vt calcatis vel euacuatis seu rescissis scripturis hac fraude cōfectis quicquid eo quisq; tēpore possidere reperiatur,quo fuerit in prædictis criminib.deprehensus,totum continuo fisci viribus ad integrum applicetur: vt concedere iam dictas facultates,sicut suprà dictum est, cui Rex voluerit,vel facere exinde quicquid elegerit, in suæ potestatis consistat arbitrio. Alia vero quæcunque ab hac fraude aliena inuenta extiterint ordinata legibusque confecta,vigore legum maneant solidata:illis ab huius legis sententia personis euidenter exceptis,quibus à præcedētibus regibus culpa dinoscitur fuisse concessa.Nam si humanitatis aliquid cuicunque perfido Rex largiri voluerit, non de facultate eius, sed vnde placuerit principi,tantum ei solummodo concessurus est, quantum hereditatis eiusdem culpati vigesimam portionem fuisse constiterit.

VIII. NOVT. EMDATA. FL. GL. RCDS. R.

De non criminando principe nec maledicendo illi.

SIcut in persona principis omnibus prohibemus,aut commouere nequitiam cogitationis,aut manus iniicere vltionis;ita etiam nullum patimur in eum , aut notam ponere criminis,aut verba congerere maledictionis. Sacræ namque auctoritas scripturæ, & non iubet accipere opprobrium aduersus proximum suum , & hunc , qui maledixerit principem populi sui,demonstrat existere reum. Quapropter quicunque in principem aut crimen iniecerit,aut maledictū intulerit,ita vt hūc de vita sua nō humiliter & silēter admonere procuret,sed huic superbè& cōtumeliosè insultare pertēptet,siue etiā in†detrectationis eius ignominia, turpia & iniuriosa præsumat:si ex nobilibus idoneisq; personis fuerit,siue sit religiosus,siue etiam laicus,mox detectus fuerit & inuentus, dimidiam omnium rerum suarum partem amittat,de qua idem princeps faciendi, quod sibi placuerit,potestatem optineat. Nam si de vilioribus humilioribusque personis fuerit,aut certè quem nulla dignitas exornauit,quod de illo, vel de rebus eius princeps voluerit iudicandi licentiam habebit. Simili quoque præcepto, defuncto etiam principi ausum opportune interdicimus detrahendi.Incassum etenim is qui viuit detractionis in defunctum iacula mittit,cùm iam defunctus nec †institutionibus imbui,nec increpationibus possit argui.Sed quia pro certo illius insania innotescit, qui frustra in nō sentientem detractionis verba transmittit, ideo idem præsumptor l. verberibus vapulabit, & præsumptioni suæ oport una silentia dabit. Reseruata cunctis hac pleniùs libertate, vt principi tam superstite,quàm mortuo,liceat vnicuique pro negotiis ac rebus omnibus, & loqui quod ad causam pertinet, & contendere sicut decet, & iudicium promereri quod debet.Ita enim proponere nitimur humanæ reuerētiam dignitati, vt deuotiùs seruare probemur iustitiam Dei.

† detractionis.

† constitut.

VIIII. FLS. CNDS. REX.

De remotis alienarum Gentium legibus.

ALienæ gentis legibus ad exercitium vtilitatis imbui & permittimus & optamus: ad negotiorum verò discussionem & resultamus & prohibemus. Quamuis enim eloquiis polleant,tamen difficultatibus hærent: adeo cùm sufficiat ad iustitiæ plenitudinem,& præscrutatio rationum,& competentium ordo verborum,quæ codicis huius series agnoscitur continere,nolumus siue Romanis legibus siue alienis institutionibus modo amplius conuexari.

X. NOV. EMDAT. FLS. RCDS. REX.

Ne excepto talem librum,†qualem hunc qui nuper est æditus, alterum quisque præsumat habere.

† qualis hic

Null

NVllus prorsus ex omnibus regni nostri, præter hunc librum qui nuper est æditus, atque secundum seriem † huiusmodo translatum librum alium legum, pro quocunque negotio † in iudicio offerre pertentet. quod si præsumpserit xxx. libras auri fisco persoluat. Iudex quoque si vetitum librum sibi postea oblatum disrumpere fortasse distulerit, prædictæ dampnationis dispendio subiacebit. Illos tamen à dampno huius legis immunes esse iubemus, qui præteritas & anteriores leges non ad confutationem harum legum, sed ad comprobationem præteritarum causarum proferre in iudicio fortasse voluerit.

† huiusmodo. † iudicii.

XI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De diebus festis & feriatis, in quibus non sunt negotia † exaudienda.

† exsequenda.

DIe Dominico neminem liceat exsequutione constringi; quia omnes causas religio debet excludere. In quo nullus ad causam dicendam, neque propter aliquod debitum fortasse soluendum quenquam inquietare præsumat. Diebus Paschalibus nulla patimur quemlibet exsequutione teneri, id est, per xv. dies, septem qui Paschalem solemnitatem præcedunt, & septem alios, qui sequuntur. Natiuitatis quoque Domini, Circũcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis & Pentecostes, singuli dies simili reuerentia venerentur. Nec non & promessiuis feriis à xv. Kal. Augusti vsque ad xv. Kal. Septembris. In Carthaginensi verò prouincia propter locustarum vastationem assiduam à xv. Kal. Iulii vsque ad † xv. Kal. Augusti messiuas ferias præcipimus obseruandas. Et propter vindemias colligendas à xv. Kal. Octobris vsque ad xv. Kal. Nouembris. Omnibus hac constitutione concedimus, vt per hæc tempora, nullus ad causam dicendam venire cogatur, vel sub exsequutione aliqua deputetur, nisi fortè causa de qua compellitur cœpta iam apud iudicem fuisse videatur. Nam procul dubio si inchoata fuisse actio reperitur ad peragendum negotium absque vlla feriatorum dierum obiectione cogendus est ille, qui pulsatur: ita, vt si persona est cui facile credi possit, placito districtus abscedat: si certè sit de cuius fide dubitetur, pro se fideiussorem adhibeat, quatenus peractis temporibus supradictis ad finiendam cum petitore causam, vbi iudex elegerit, remota dilatione occurrat: præter, qui tale crimen admiserint, quos necesse sit sententia mortis puniri. Qui etiam in talibus omnino diebus, & comprehendendi sunt, & ardua in vinculis custodia retinendi, quousque peracto die Dominico, vel feriis supradictis, debita subsequatur eos vltio iudicantis. Messiuis sanè, vel vindemialibus feriis, in criminosas & dignas morte personas, legalis nullatenus censura cessabit. Sed nec illũ ista lex excusatũ habebit, qui nec dũ ad iudicium ante cõpulsus, sed tamen sciens se esse quãdoquidem cõpellendum, reliquis se temporibus dilatãs, ad hoc in prædictis feriis illi à quo pulsandus est se indubitanter ostendit, quia putat se ad causam dicendam nulla legis sanctione posse teneri: quẽ tamen aut per placitum distringi præcipimus, quando cum petitore caussam finire sit præstus. Aut si forte talis est, de quo despecta sit placiti fides, neque fideiussorem pro se adhibere potuerit apud iudicem, sub custodia maneat: vt expleto tempore feriato, causa pro qua compellitur finem accipiat. Si quis autem contra decretum legis huius agere præsumpserit, & ad iudicem ex hoc querela peruenerit, l. ictus flagellorum publice extensus accipiat.

† in Kal. Aug.

XII. ANTIQVA.

Vt nulla causa à iudicibus audiatur, quæ legibus non continetur.

NVllus iudex causam audire præsumat, quæ legibus non continetur; sed comes ciuitatis vel iudex aut per se aut per exsequutorem suum conspectui principis vtrasque præsentare partes procuret. quò facilius & res finem accipiat, & potestatis regiæ discretione tractetur, quatenus exortum negotium legibus inseratur.

XIII. FLS. RCDS. REX.

Vt terminatæ causæ nullatenus reuoluantur: reliquæ verò ad huius seriem libri terminentur: adiiciendi leges principibus libertate manente.

QVæcunque causarum negotia inchoata sunt, nondum verò finita, secundum has leges terminari sancimus. Illas autem causas quæ antequam istæ le-

ges à nostra gloria emendarentur, legaliter determinatæ sunt, id est, secundum legum modum, qui ab anno primo regni nostri in præteritis obseruatus est, resuscitari nullatenus patimur. Sanè leges adiiciendi, si iusta nouitas causarum exegerit, principalis electio licentiam habebit: quæ ad instar præsentium legum vigorem plenissimum optinebunt.

XIIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod nulli liceat dirimere causas, nisi quibus aut princeps, aut consensio voluntatis vel informatio iudicum potestatem dederit iudicandi.

DIrimere causas nulli licebit, nisi aut à principibus potestate concessa, aut ex consensu partium electo iudice trium testium fuerit electionis pactio signis aut subscriptionibus roborata. Nam & hi qui potestatem iudicandi à rege accipiunt, siue etiam hi, qui per commissoriam comitum vel iudicum iudiciali potestate vtuntur, vices suas aliis quibus fas fuerit scriptis peragendas iniunxerint, licitum illis per omnia erit: similemque & ipsi, qui informati à iudicibus fuerint, in iudicando, sicut & illi, à quibus determinandi acceperunt vigorem, habebunt in discernendis vel ordinandis quibuscunque negotiis potestatem.

XV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quales causas audire debeant tyuphadi, & qualibus personis causas audiendas iniungant.

CVm cæteris negotiis criminalium etiam causarum tyuphadis iudicandi concessa licentia sit, criminosos a legum sententiis ipsi iudicare non audeant, sed debitam in eis, vt competit, censuram exerceant. Qui tyuphadi tales eligant quibus vicissitudines suas audiendas iniungant, vt ipsis absentibus illi causas, & temperatè discutiant, & iustè discernant.

XVI. FLS. RCDS. REX.

Vt iudices tam criminales quam communes terminent causas.

OMnium negotiorum causas, ita iudices habeant deputatas, vt & criminalia & cætera negotia terminandi sit illis concessa licentia. Pacis autem assertores, non alias dirimant causas, nisi quas illis regia deputauerit ordinandi potestas. Pacis autem assertores sunt, qui sola faciendæ pacis intentione regali sola destinantur auctoritate.

† RCDS.

XVII. FLS. † CHDS. REX.

De dampnis eorum qui non accepta potestatè præsumpserint iudicare.

NVllus in territorio non sibi commisso, vel vbi ille iudicandi potestatem nullam habet omnino commissam, quemcunq; præsumat per iussionem aut saionem distringere, aut in aliquo molestiùs conuexare, nisi ex regia iussione, vel partium electione, siue ex consensu, vel commissoriis atq; informationibus comitum, siue etiam iudicum sicut in lege superiori tenetur iudex quisque institutus. Certe qui non prædictus iudex præsumptuosus inlicitè hæc quæ prohibentur præsumpserit agere, confestim cum causa peruenerit ad prouinciæ ducem, an per se velit, an per quem ipse præceperit, tam inlicitam præsumptionem coercere procuret. Et illi siquidem cui præsumptuosus extitit, si solum contumeliam vel iniuriam fecerit, libram auri coactus exsoluat: si vero rem aliquam temeranter abstulerit, vel auferre præceperit, tantundem cum eadem re quam tulerat, aliud tantum de suo coactus exsoluat. Quod si quicunque iudex seruum suum, vel alienum ad discutienda negotia elegerit deputandum: pro his quæ idem seruus cōtra iustitiam & leges adtemptauerit agere, ad omnem satisfactionem legis iudex qui hunc ordinauerit, se nouerit detineri. Saio vero seu quisquis fuerit, qui huic obsequens præsum-

præſumptori, alium conſenſerit comprehendere, diſtringuere, vel aliquid rerum auferre, c. publicè ictus flagellorum accipiat, & præſumptionem tali emendatione coerceat.

XVIII. FLS. † CHDS. REX. †RCDS.

De his qui ammoniti iudicis epiſtola vel ſigillo ad iudicium venire contemnunt.

IVdex cum ab aliquo fuerit interpellatus aduerſarium querelantis ammonitione vnius epiſtolæ vel ſigilli ad iudicium venire compellat: ſub ea videlicet ratione, vt coram ingenuis perſonis, is qui a iudice miſſus extiterit, ei qui ad cauſam dicendam compellitur, offerat epiſtolam vel ſigillum. Et ſi tali ammonitione conuentus, aut ſe dilatauerit, aut ad iudicium venire contempſerit, pro dilatatione ſola quinque auri ſolidos petitori, & pro contemptu quinque alios iudici coactus exſoluat. Quòd ſi non habuerit vnde componat, l. flagellis contemptor idem vel dilatator coram iudice verberetur: ita vt non ei flagellorum iſta correptio inducat notam infamiæ. Si autem ſolummodo contemptor extiterit, & non habuerit, vnde compoſitionem exſoluat, abſque vlla teſtificandi iactura, triginta flagella ſuſcipiat. Is autem qui pulſatur, ſi ad accipiendam ammonitionem iudicis, ſeſe dixerit nullatenus dilataſſe vel contempſiſſe, & hoc nullo potuerit teſte conuinci, dum ſacramentum reddiderit, quod per nullam occaſionem vel contemptum hoc fecerit, à dampnis vel flagellis ſuperius comprehenſis, habeatur indempnis. Quòd ſi quislibet epiſcopus ammonitionem iudicis, fretus honore ſacerdotali, contempſerit, & pro ſua perſona aſſertorem dare diſtulerit, confeſtim à iudice negotii, ſeu à prouinciæ ſuæ duce vel comite compulſus l. ſolidorum damnum excipiat. Ex qua ſumma pecuniæ xx. ſolidi iudici pro contemptu proficiant: xxx. verò ſacerdotis ipſius petitor conſequatur. Si certe presbyter, diaconus vel ſubdiaconus, atque clericus vel monachus, ad accipiendam iudicis epiſtolam vel ſigillum ſe dilatauerint, aut pro ſui perſona ad reſpondendum minimè direxerint proſequutorem, aut cōtumaciter fuerint contemptores, vnuſquiſque eorum iuxta legis ſententiam, quæ in laicis ſuperius lata eſt, indicta dampna ſuſcipiat. Et ſi non habuerit vnde componat, eius epiſcopus moneatur, vt pro eo, ſi voluerit, ſatisfacere licentiam habeat. Si autem noluerit, ſacramentis coram iudice ſe nouerit obligandum: quòd ſupradictis perſonis talem diſtrictionem exhibeat, vt per triginta dierum ſpatium ieiuniis continuis affligantur. Sufficiatque illis circa Solis occaſum per dies ſingulos panis & aquæ refectionem accipere, quæ contumacis vitam rationabili poſſit diſtrictione corrigere. Illa omnino diſtrictione ſeruata, vt ſi ætatis vel ægritudinis inſtantia patuerit, quæ hanc diſciplinam ſuſtinere non poſſe demonſtret, tam in clericis cuiuſcunque ordinis, quam in laicis, non tam duriſſimam ſententiam caſtigationis inſtantia compleat iudicis, ſed adhibita conſideratione in ægritudine vel ætate ita contemptorem corrigat, ne ipſe cōtēptor, aut langorem maximum, aut debilitationem vel mortem incurrat. Ille verò qui ad implendam communitionem iudicis contemptor extiterit, ſeque ita dilatauerit, vt eum iudex tam facilè reperire non poſſit, & ſi poſt tempus indictum in diebus quatuor non occurrat, ſi quinta die venerit, omnem huius legis ſententiam ſe nouerit euaſurum. Pari modo & qui longiùs c. millibus conuenitur, ſi ad xi. diem poſt tempus inſtitutum occurrerit, hunc nullatenus ſanctionis huius pœna dampnabit. Similiter & qui in ducētorum millium ſpatio conſtitutus, in xx. prima die poſtquam iuſſus fuerat, ſe ipſum iudici præſentauerit ad audiendum, eo modo à iactura legis huius habeatur indempnis. Similis quoque ſeruabitur ordo, vbi fuerit amplior itineris longitudo. Hi denique quibus tam rationabile tempus adiectum eſt, ſi ſe vlterius dilatantes minimè ad inſtitutū diem ſuperadiectionis occurrerint, confeſtim iudex ea quæ pars petit querelantis, reſeruato negotio dilatatoris, tradere non differat petitori: ita vt ſi contemptor in poſtmodum ad negotium dicendum ſucceſſerit, ſi xx. primum diem tranſcenderit, xx. auri ſolidos cogat exſoluere. Nam & is qui de c. millibus ſuperiorem ordinem præteriens, conſtitutionem xi. diei fuerit ſupergreſſus, & idem x. ſolidorum dampnum excipiat. De quibus dampnis ſuperius inſtitutis medietatem ſibi iudex acquirat, alterā verò medietatem pars petentis optineat. Si tamen ammonitum, aut ægritudo ad veniendum nulla ſuſpenderit, aut inundatio fluminum non retinuerit, vel aditum non obſtruxerit, in quo montes tranſituri ſunt, conſperſio ſuperflua niuium. Quæ neceſſitas, vtrum eui-

denter euenerit, an per excusationem videantur opponi, aut idoneis testibus, aut suo iuramento firmabitur.

XVIIII. FLS. CHDS. REX.

Si iudex interpellantem audire contempnat, vel vtrum fraudulenter an ignoranter iudicium promat.

SI quis iudici pro aduersario suo querelam intulerit, & ipse eum audire noluerit, aut sigillum negauerit, aut per diuersas occasiones causam eius protraxerit, pro patrocinio aut amicitia nolens legibus obtemperare, & ipse qui petit hoc testibus potuerit approbare, det ille iudex ei pro fatigatione eius tantum quantum ipse ab aduersario suo secundum legale iudicium fuerat accepturus: & ipsam causam ille qui petit, vsque ad tempus legibus constitutum, ita habeat reseruatam, vt cum eam proponere voluerit, debitam sibi percipiat veritatem. Certe si fraudem aut dilationem iudicis non potuerit petitor approbare, sacramento suam conscientiam iudex expiet, quòd eũ nullo malign tatis obtentu, vel quolibet fauore, vel amicitia audire distulerit, & propter hoc culpabilis idem iudex nullatenus habeatur. Eidem tamẽ iudici liceat, vt in vna hebdomada, duobus diebus, vel omnibus meridianis horis, † si voluerit, absque causarum audientia, suæ vacet domui pro quiete. Reliquo verò tempore, prolata sibi negotia frequens, & absque dilatione qualibet examinet.

† *si noluerit.*

XX. NOVIT. EMDATA. ANTIQVA.

Si iudex per commodum aut per ignorantiam iudicet causam.

IVdex si per quodlibet commodum male iudicauerit, & cuicunque iniuste quicquam auferri præceperit; ille qui à iudice ordinatus, ad tollendum fuerat destinatus, ea quæ tulit restituat. Nam ipse iudex contrarius æquitati, aliud tantum de suo quantum auferri iusserat, mox reformet: idẽ ablata re simpla redintegratione cõcessa, pro satisfactione suæ temeritatis aliud tantum quantum auferri præceperat, de sua facultate, illi quem iniustè dampnauerat, reddat. Quòd si non habuerit vnde componat, tantum quantum abstulit saltem vel idipsum ex toto quod habere videtur, illi quem dampnauerat pro omni compositione restituat. Quòd si ex omnibus nihil rerum habuerit vnde compositionem exsoluat, l. flagella publicè extensus suscipiat. Si autem per ignorantiam iniustè iudicauerit, & sacramento se potuerit † excusare, quod non per amicitiam vel cupiditatem aut per quodlibet commodum, sed tantummodo ignoranter hoc fecerit, quod iudicauit non valeat, & ipse iudex non implicetur in culpa.

† *expiare.*

XXI. FLS. GLS. CDRS. REX.

Si iudex dolo vel calliditate aut vnam aut ambas causantium partes dispendia faciat sustinere.

TRanquillè ac sollicitè instantia † magnitudinis nostræ præmonet iudices omnes non debere dilatare causidicos, ne graui dispendio aliquatenus onerentur. Quòd si dolo vel calliditate aliqua ad hoc videatur iudex differre negotium, vt vna pars aut ambæ naufragium perferant, quicquid dispendii super octo dies à die cœptæ actionis causantes pertulerint, reddito sacramento totum eis iudex reddere compellatur. Si autem vel ægritudo vel publicæ vtilitatis inductio suspenderit iudicem à peragendo negotio, nullam moram exhibeat litigantibus: sed sub hac eos definitione confestim absoluat, vt ad causam expediendam, competenti tempore, indubitanter occurrant.

† *mansuetudinis.*

XXII. ANTIQVA.

Quid primùm iudex seruare debeat vt causam bene cognoscat.

IVdex vt bene causam cognoscat, primùm testes interroget: deinde scripturas inquirat, vt veritas possit certiùs inueniri, ne ad sacramentum facile veniatur. Hoc n. iust

iæ potius indagatio vera commendat, vt scripturæ ex omnibus intercurrant, & iurandi ecessitas sese omnino suspendat. In his verò causis † iuramenta præstentur, in quibus ullam scripturam vel probationem, seu certa iudicia veritatis, discussio iudicantis inuenerit. In quibus tamen causis, & à quo iuramentum detur, pro sola inuestigatione iustitiæ, in iudicis potestate consistat. †sacramēta.

XXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si cuiuscunque honoris aut ordinis iudex dicatur haberi suspectus, vel si iudex contra leges præsumat iudicium dare.

SI quis iudicem vel comitē aut vicariū comitis seu tyuphadū suspectos habere se dixerit, & ad suum ducēaditum accedendi popoścerit, vel fortasse eundem ducem suspectum habere se dixerit: non sub hac occasione petitor, ac præsertim pauper quislibet, atiatur vltra dilationem: sed ipsi qui iudicant eius negotium, vnde suspecti dicuntur haberi, cum episcopo ciuitatis, ad liquidum discutiant atque pertractent; & de quo iudicaerint, pariter conscribant subscribantque iudicium. Et qui suspectum iudicem habere dixerat, si contra eundem deinceps fuerit querelatus, completis prius, quæ per iudicium statuta sunt, sciat sibi apud audientiam principis appellare iudicem esse permissum. ta vt si iudex vel sacerdos reperti fuerint nequiter iudicasse, & res ablata querelanti reituatur ad integrum, & à quibus aliter, quàm veritas habuit, iudicatum est, aliud tanum de rebus propriis ei sit satisfactum. Si certe iniuste contra iudicē querelam intulerit, causam de qua agitur iuste iudicatam fuisse constiterit, damphum quod iudex sortiri debuit, petitor sortiatur: & si non habuerit vnde compositionem exsoluat, c. flagellis xtensus publice in eiusdem iudicis præsentia verberetur. Nam si forte quisquam pro tilitate regia aliquid scire se dixerit, aditus ei ad conspectum nostræ gloriæ negari non oterit.

XXIIII. FLS. GLS. CNDS. REX.

Iudex qualiter faciat iudicatum.

SI de facultatibus vel rebus maximis, aut etiam dignis, negotium agitetur, iudex præsentibus vtrisque partibus, duo iudicia de re discussa conscribat, quæ simili textu & ubscriptione roborata litigantium partes accipiant. Certe si de rebus modicis mota fuerit actio, solæ conditiones, ad quas iuratur apud eum qui victor extiterit, pro ordine iudicii habeantur. De quibus tamen conditionibus, & ille qui victus est, ab eisdem testibus robora um exemplar habebit. Quòd si pars, quæ pro negotio quocunque compellitur, professa fuerit apud iudicem, non esse necessarium à petitore dari probationem, uamlibet paruæ rei sit actio, conscribendum est à iudice, suaque manu iudicio roborandū, ne fortasse quælibet ad futurum ex hoc intentio moueatur. Si vero ordinante iudice vna pars testes adduxerit, & dum oportuerit eorum testimonium debere recipi, ars altera de iudicio se absque iudicis consultu substraxerit, liceat iudici prolatos testes ccipere; & quod ipsi testimonio suo firmauerint, illi, qui eos protulit, sua instantia consignare. Nam ei, qui fraudulenter se de iudicio sustulit, producere testem alium omnino erit il icitum: qui scilicet hoc sibi tantum nouerit esse concessum, vt antequam testes illi qui testimonium dederunt, moriantur, si habuerit quod rationabiliter in eis accuset, patienter audiatur à iudice. Et si accusatus testis fuerit euidenter conuictus, eius testimonium pro nihilo habeatur. Vnde & si duo testes non remanserint, qui digni in eodem testimonio maneant, ille qui prius testem optulerat, infra trium mensium spatium testes alios, qui cœptum negotium firment, inquirere non desistat. Quòd si inuenire nequiuerit, rem vniuersam ille recipiat, qui eam ante visus fuerat possedisse. Iudex sane de omnibus causis, quas iudicauerit, exemplar penes se pro compescendis controuersiis reseruare curabit.

XXV. NOVT. EM. FLS. GLS. CNDS. REX.

De commodis atque dampnis iudicis vel saionis.

COgnouimus multos iudices, eo quod per cupiditatis occasionem supergredientes legum ordinem, ex causis tertiam sibi præsumunt tollere partem: propterea nunc

præſenti lege conſtituitur, vt hæc talis iudicum cupiditas auferatur, & non amplius iudex pro labore ſuo & pro iudicata cauſa ac legitime deliberata, quam ſicut conſtitutum fuerat in lege priori de xx. ſolidis vigeſimum ſolidum præſumat accipere. Quòd ſi quacunque fraude quiſquam ſuper hunc numerum plus auferre temptauerit, omnia quæ legitime debuerat accipere, perdat. Illud verò quod iniuſte contra huius legis ordinem ſuper vigeſimum ſolidum tulerit, duplum illi exſoluat, cui hoc auferri præcepit. Similiter quoque quia cognouimus, quòd ſaiones qui pro cauſis alienis vadunt, maiores pro labore ſuo mercedes quam merentur accipiunt, propterea ſimili modo decreto huius legis adiicitur, vt qui pro cauſis alienis vadunt, decimum tantundem ſolidum, pro ſuo labore conquirant. Quod ſi aliquis ſuper hunc conſtitutum numerum vſurpare præſumpſerit, & mercedes, quas legitimè debuit accipere, perdat, & quidquid ſuper decimū ſolidum fraude quacunque perceperit, duplū illi, cui abſtulit, reddat. Quam datam commodi ſummam ex lege tam iudex quam ſaio de reſtitutæ rei compoſitione conquirant. Id tamen nouiter adiiciendum huic legi innectimus, vt ſi talis cauſa occurrerit, vnde compoſitio exſolui minime poſſit, tunc ab illo ratio præſcripta commodi exigenda eſt iudicis vel ſaionis, qui aut commodatam ſibi rem conſtituto die reddere non occurrerit, aut qui rei alienæ debitor, vel iniuſtus poſſeſſor extiterit. Pro celebrandis autem diuiſionibus, ſi cauſa extiterit, iam quoque ſi vtraque pars rei competentia ſibi iura repoſcit, & debitam ſibi partem portionis requirit, ab vtriſque partibus prædicta commoda exigenda ſunt. Similiter autem & in huiuſmodi cauſis, vbi nulla eſt culpa præſumptionis vſurpata, vel debitum poſſeſſorum, hic ordo ſeruabitur, vt commodum iudicis vel ſaionis, de vtriſque cauſantium partibus exigatur. Quòd ſi diuiſionem quiſque cupiens celebrare, dilationem ab herede ſuo pertulerit: cum hæc cauſa ab eo, qui dilationem pertulit, iudici intimata extiterit, ab eo iudex commodum ſuum, vel ſaionis exigere debet, qui tardus pro ipſa diuiſione extitit facienda. Quod ſi ea quæ iudex ordinare decreuit, ſaio † callidus implere neglexerit, res de qua agitur, ſi vnciam auri vel infra valere conſtiterit, illi cui res debita eſt idem ſaio de ſuo auri ſolidum reddat. Si certè plus valuerit, per ſingulas vncias, ſingulos ſolidos pro ſua tarditate perſoluat. Idem vero ſi ſuper duas vncias vſque ad libram auri eadem res valere probatur, x. flagella ſuſcipiat. Ac ſic creſcente auri numero, creſcat & pœna flagelli. Iidem verò ſaiones, cum pro cauſis alienis vadunt, ſi minor cauſa eſt & perſona, duos caballos tantum, ab eo cuius cauſa eſt, accipiat fatigandos. Si verò maior perſona fuerit & cauſa, non amplius quam ſex caballos, & pro itinere & pro dignitate debebit accipere.

† tepidus.

XXVI. FLS. GLS. CHDS. REX.

Quod omnis qui poteſtatem accipit iudicandi, iudicis nomine cenſeatur ex lege.

QVoniam negotiorū remedia multimodæ diuerſitatis cōpendio gaudent, adeo dux, comes, vicarius, pacis aſſertor, tyuphadus, millenarius, quingētenarius, cētenarius, decanus, defenſor, numerarius, & qui ex regia iuſſione, aut etiā ex conſenſu partiū, iudices in negotiis eliguntur, ſiue cuiuſcunque ordinis omnino perſona, cui debite iudicare conceditur, ita omnes in quantum iudicandi poteſtatem acceperint, iudicis nomine cenſeantur ex lege: vt ſicut iudicii acceperint iura, ita & legum ſuſtineant ſiue commoda ſiue dampna.

XXVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt omne vinculum quod poſt datum iniuſtum iudicium à cauſidicis violenter fuerit exactum, omnino habeatur inualidum.

VIdimus interdum iuſtitiam ab iniquis iudicibus & ſuo loco ſecluſam, & debito vigore ſolutam: iniuſtitiam autem & loco iuſtitiæ introductam, & multis modis decretorum vinculis alligatam. Quidam enim poſtquam iudicia iniuſta conſcripſerint, aut vnam aut ambas cauſantium partes, placitorum inter ſe nexibus ligant, ne iniuſte datum iudicium quandoque iuſta contentione reſoluant. Adeo vbi non directus, & bene placitus eſt conuenientiæ modus, ſed vbi pro comprimenda iuſte cauſantis intentione vel voce reperiuntur quocunque modo definitionum vincula colligata, omnibus modis habeantur inualida, nec ſint adinuentionis alicuius connexione firmata.

XXVIII.

XXVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt iniustum iudicium & definitio iniusta regio metu vel iussu à iudicibus ordinata non valeat.

NOnnunquam grauedo potestatis deprauare solet iustitiam sanctionis: quæ dum sæpe valet, certum est, quod sæpe nocet. Quia dum frequenter vigore ponderis ıstitiam premit, nunquam in statum suæ rectitudinis hanc redire permittit. Ideoque uia sæpe principum metu vel iussu, solent iudices iustitiæ interdum legibus contraria ıdicare, propter hoc tranquillitatis nostræ vno medicamine concedimus, duo mala ınare decernentes, vt cum repertum fuerit, qualecunque scripturæ contractum, seu ıuodcunque iudicium non iustè, vel debitis legibus, sed iussu aut metu principum es- confectum, & hoc, quod obuium iustitiæ, & legibus iudicatum est atque concretum, ı nihilum redeat, & eos qui iudicauerint vel hoc facere coegerint, nullius infamiæ ıota conspergat vel rei alicuius dampnum affligat. Qui tamen iudices tunc erunt à le- ıum dampnis immunes, si se iuramento firmauerint, non sua prauitate, sed regio vi- ;ore nequiter iudicasse.

XXIX. FLS. RCDS. REX.

De data episcopis potestate destringendi iudices nequiter iudicantes.

QVia multimodè occurrere debet miserorum penuriis nostræ remedium pietatis, ideo quemcunque pauperem constiterit causam habere, adiunctis sibi aliis viris honestis, episcopus inter eos negotium discutere vel terminare procuret. Ita vt si contempni se à comite, vel nolle eum adquiescere veritati sacerdos inspexerit, potestatis eius sit eundem comitem legis huius permissione constringere, & emisso iusto iudicio cum rei compositione rem de qua agitur petentibus partibus consignare. Quod si comes iudicium episcopi fuerit contemptus implere, tantum episcopo pro contemptu solo dare cogatur, quantum quintam partem valere constiterit, de re illa vnde actio cōmota esse videtur. Si vero episcopus, fraudis communionem cum comite tenens, repertus fuerit pauperi facere dilationem, eandem quintam partem eidem episcopus querelanti coactus exsoluat: stante nihilominus sic quoque negotio pauperum, donec iudicium inueniatur veritatis: & comes vel iudex qui hunc audire noluit, vltionem sustineat legis quæ inuenta fuerit iudicio æquitatis.

XXX. ITEM ALIA LEX. DE QVO SVPRA.

De data Episcopis potestate ammonendi iudices nequiter iudicantes.

SAcerdotes dei, quibus pro remediis oppressorum vel pauperum diuinitus cura commissa est, Deo mediante testamur, vt iudices peruersis iudiciis populos opprimentes paterna pietate commoneant, quo malè iudicata meliori debeant emendare sententia. Quòd si hi qui iudiciaria potestate funguntur, aut iniustè iudicauerint causam, aut peruersam voluerint in quoslibet ferre sententiam: tunc episcopus in cuius hoc territorio agitur, conuocato iudice ipso qui iniustus asseritur, atque sacerdotibus vel idoneis aliis viris, negotium ipsum vna cum iudice, communi sententia, iustissimè terminabit. Quod si peruersa contentione iudex ipse permotus iniquum à se datum iudicium exhortante episcopo noluerit reformare in melius, tunc episcopo ipsi licitum erit iudicium de oppressi caussa emittere. Ita vt quòd à iudice ipso peruersè iudicatum, quódve à se correctum extiterit, in speciali formula iudicii sui debeat adnotare. Sicq; idē episcopus, & eū qui opprimitur, & emissū à se de oppressi causa, iudiciū nostris procuret dirigere sensibus pertractandum: vt quæ pars veritatis videatur habere statum glorioso serenitatis nostræ oraculo confirmetur. Iam verò si iudex eum qui malè opprimitur episcopo dare distulerit, quomodo nostræ gloriæ debeat præsentari, iudex ipse duas auri libras nostræ gloriæ partibus persoluebit.

XXXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt iudex, si à quocunque fuerit pulsatus, nouerit se petenti reddere rationem.

IVdex si à quacunque persona fuerit pulsatus, sciat se vel ante comitem ciuitatis, vel ante eos, quos ad suam personam comes elegerit, rationem plenissimã legali ordine redditurum. Sane si regia in hoc negotio fuerit † præstolata præceptio, remoto episcopo aliisque iudicibus, causam qui fuerint iudices instituti terminare curabunt. Et si cœpta iam apud iudicem aut finita, seu apud sacerdotem, siue apud comitem actione, causidicus ille iterũ cũ regali iussione occurrerit, is qui causã iudicare cœpit seu finiuit, illis rei gestæ redditurus est rationem, qui per regium decretum instituti sunt iudices: quatenus, si malè iudicasse conuincitur, iuxta leges satisfaciat petitori. Certè si iniustè fuerit aduexatus, legali se nouerit petitor sententia dampnaturum.

† postulata.

XXXII. FLS. RCDS. REX.

De dampnis iudicum aliena contingentium.

CVm constet iudices causa remediorum esse creatos, quidam ex his per contrarium quod debuerunt iudicii æquitate defendere, illatis contendunt præsumptionibus impugnare. Accepta nanque auctoritate iudicii præsumunt non debitam in alienis rebus exercere licentiam, & prout cuique libet non metuunt aliorum bonis inferre dispendia noxiæ potestatis. Proinde quicunque iudicum contra iussa & ordines legum de alienis rebus quippiam auferre, vel in eis aliquid noxium præsumpserint agere, iuxta omnem censuram dampni, qua poterant alios iudicare, seueritas legis illos debeat condempnare.

XXXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui regiam contempserint iussionem.

QVicunque ingenuorum regiam iussionem contempnere inuenitur, aut taliter se egisse probatur, quo sub calliditatis aliqua fictione proponat & dicat eandem iussionem se nec vidisse nec accepisse, dum calliditatis huius fraus manifeste patuerit: si nobilior persona est, tres libras auri fisco persoluat. Si autem talis sit quæ non habeat vnde rei summam adimpleat, siue suæ infamia dignitatis centum ictus accipiat flagellorum. Quod si euentus ægritudinis, commotio tempestatis, inundatio fluminis, consperſio niuium, vel si quid ineuitabile noxiæ rei obuiasse veris patuerit indiciis, non erit reus regiæ iussionis, aut dampni indicti, cui obuia fuit causæ manifestæ necessitatis.

XXXIIII. FLS. GLS. EGIGA. REX.

De his qui ob noui principis fidem seruandam iurare distulerint, vel de illis qui ex Palatino officio ad eius præsentiam venire neglexerint.

CVm diuinæ voluntatis imperio principale caput regnandi sumat sceptrum, non leui quisque culpa constringitur, si in ipso suæ electionis primordio aut iurasse, vt moris est, pro fide regia differat; aut si ex Palatino officio fuerit, ad eiusdem noui principis visurus præsentiam venire desistat. Si quis sane ingenuorum de sublimatione principali cognouerit, & dum discussor iuramenti in territorio illo accesserit, vbi eum habitare contigerit, quæsita occasione se fraudulenter distulerit, in eo vt pro fide regia conseruanda iuramenti se vinculo alliget: aut ille, qui sicut præmisimus ex ordine Palatino fuerit, minimè regis obtutibus se præsentãdum ingesserit: quicquid de eo vel de omnibus rebus suis principalis auctoritas facere vel iudicare voluerit, sui sit incunctanter arbitrii. Quod si aut ægritudo illi obstiterit, aut quælibet publicæ vtilitatis actio eum retinuerit, vt regis obtutibus se nullatenus præsentet, dum regiæ electionis sublimitas quibuslibet modis ad eius cognitionem peruenerit, statim per suam iussionem idipsum clementiæ suæ auditibus intimare procuret: qualiter fidei suæ sinceritatem ostendens, huius legis sententiam euadere possit.

IL Ti-

II. Titulus DE CAVSARVM EXORDIIS.

I. ANTIQVA.

Quod nullus se ideo denegare poterit respondere petenti, quare causam cum petentis auctore non dixerit.

NVLLVS quemcunque repetentem hac obiectione suspendat: vt dicat idcirco se non posse de negotio conuenire, quia ille qui pulsat, causam cum eius auctore non dixerit, nec eum aliqua repetitione pulsauerit, excepto si legum tempora obuiare monstrauerit.

II. FLS. RCDS. REX.

Vt nulla audientia clamore aut tumultu turbetur.

AVdientia non tumultu aut clamore turbetur, sed in parte positis qui causam non habent, illi soli iudicium ingrediantur, quos constat interesse debere. Iudex autem si elegerit auditores alios secum esse præsentes, aut forte causam quæ proponitur cum eis conferre voluerit, suæ sit potestatis. Si certè noluerit, nullus se in audientiam ingerat, partem alterius quacunque superfluitate aut obiectu impugnaturus, qualiter vni parti nutriri possit impedimentum. Quòd si ammonitus quisquam à iudice fuerit, vt in causa taceat, ac præstare causando patrocinium non præsumat, & ausus vltra fuerit parti cuiuslibet patrocinari, decem auri solidos eidem iudici profuturos coactus exsoluat. Ipse verò in nullo resultans contumeliose de iudicio proiectus abscedat.

III.

Vt de plurimis litigatoribus duo eligantur, qui suscepta valeant expedire negotia.

SI pars aduersariorum litigatores vna plures habeat, & alia pauciores: iudicantis inter eos erit electio, vt vtræque partes impugnantes se inuicem eligant, qui eorum negotia suscipiant. quia omnes ad causam dicendam consurgere non debebunt. Sed vt diximus ab vtraq; parte electi in iudicio ingrediantur, vt nulla pars multorum intentione aut clamore turbetur.

IIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Vt ambæ partes causantium à iudice vel saione placito distringantur, quo possint ad prosequendum negotium pariter conuenire.

SÆpe negligentia iudicum vel saionum dum duarum partium sponsio non exigitur, vna pars superflue conuexatur. Nam occurrente vno ad placitum & alio differente

non paruum dispendium vni parti concutitur. Statuimus ergo, cunctosque iudices, vel
quibuscunque iudicandi potestas est, commonemus: vt quotiens pro quocunque nego-
tio per sponsionem placiti constituendum est tempus, quando, aut vbi causa dicatur vel
debitum fortasse reddatur, pars vtraque, hoc est, tam petentis quàm petiti, ita placito di-
stringatur, vt in constituto die, aut per se aut per mandatarios suos, præsti sint in iudicio;
qualiter aut propositum negotium finiatur aut debitũ reformetur. Et pars quę distulerit,
ac sese à præfinito die suspẽderit, aut si infirmitas eum vel itineris necessitas impedierit,
& hoc ipsum suo iudici aut causidico suo non intimauerit, neq; ad peragendũ negotium
infra tempus alia lege constitutum occurrerit, stãte negotio pœnã placiti sui illi cogatur 1
exsoluere, quẽ iuxta suam promissionem in iudicio adesse cõstiterit. Quòd si iudex hæc
aut saio implere distulerit, & vnam partem placito distringens alterã prætermiserit, pœ-
nam illam qua illum dampnare voluit, quem solũ sub placito misit, de suo illi adimple-
at, cui placitum visus est exegisse. Certe si in dampno partis alterius, placitũ quod ab al-
tero exegit, alteri parti iudex vel saio reddiderit: aut fortasse ruperit vel absconderit, pœ-
nam quidem, quæ in placito inserta fuerat, de suo illi persoluat, pro cuius causa contri-
ptum placitum esse constabat: actionem tamen ille, cui competit, ad peragẽdam insistat.
Dampnum sane quod per placitum in nomine iudicis aut saionis institutũ esse dinosci-
tur, non ad saionem vel ad iudicem ex omnibus pertinebit, sed saluo negotio veritatem
habentis, medietatem sibi iudex & saio, & medietatẽ pars petentis per omnia vindicabit. 2

V. FLS. CHDS. REX.

Quòd ab vtraque causantium parte sit probatio requirenda.

QVotiens causa auditur, probatio quidẽ ab vtraque parte, hoc est tam à petente quã
abeo qui petitur, debet inquiri, & quæ magis recipi debeat, iudicem discernere
competenter oportet. Tamen si per probationem rei veritas inuestigari nequiuerit, tũc,
ille qui pulsatur, sacramentis se expiet, rem vel si quid ab eo requiritur, neq; habuisse, ne-
que habere, neq; aliqua de causa vnde interrogatur se conscisum esse, vel quicquam in-
de veritatis scire, nec id quod dicitur & illi parti cui dicitur commisisse. Et postquam ita 3
iurauerit qui pulsatus est, quinque solidos ille qui pulsauit cogatur exsoluere.

VI. FLS. CHDS. REX.

De quantitate itineris quo alium quisque innocentem fatigare præsumpserit.

REmoueri debet iniuria ab his quorum probatur innocentia, & à molestiis improbo-
rum existere aliena. Proinde cum quisque alium ad principis conspectum, vel ad
discussionem quorumlibet iudicum, iniuste compulerit ad prosequendum negotium,
& mox probata fuerit non iusta petentis esse contentio: si supra quinquaginta millium
vel infra quinquaginta millium quamlibet paruum spacium compulsus iniuste extiterit
conuexatus, quinque solidos pro iniusta tantundem petitione a petitore percipiat. Si
per sexaginta millia, idem iniustus petitor VI. solidos reddat. Ac sic deinceps crescente
X. millium numero, singulorum solidorum crescat & numerus: vt per C. millia indebi-
tè fatigato X. solidi à petitore dentur iniusto. Sicq; ex hoc per quinquaginta millia soli-
dos V. & per C. millia crescentibus solidis X. vsque adeo perueniat summa compositio-
nis per quinquaginta millia, vsquequo peruenerit eductus itineris.

VII. FLS. CHDS. REX.

Si quilibet ex alterius iudicis potestate, in alterius iudicis territorio habeat causam.

SI quisdam ingenuorum atque seruorum extra territorium in quo commanet, in
alterius territorio iudicis causationem habuerit: iudex ad cuius ordinationem idem
petitor pertinet, epistolã sua manu subscriptam atque signatam eidem iudici dirigat
in qua præmoneat, vt negotium querelantis audire & ordinare non differat. Et si ad v-
nam conuentionem ipse rationem eius implere distulerit, tunc ille iudex, de cuius ter-
ritori-

ritorio est ille qui petit, de rebus iudicis illius ad quem direxit epistolam, in quibuscunque locis repperire potuerit, tantum vsurpet, quantum res illa esse dinoscetur, de qua petitor querelam intulerit: quod eidem petitori possidendũ nihilominus dabit. Quam rem ita possideat qui acceperit, vt conseruatis aliis rebus de solis frugibus vsum & expensas optineat. Cum verò ille iudex, qui ad epistolam alterius iudicis negotium querelantis audire noluerit, iustitiam ex eodem negotio querelanti priori fecerit, ea quæ ille iudex qui commonuit de rebus eius abstulerat, ipse alteri iudici sine retardatione restituat. De frugibus verò rationabiliter expensis ille qui expendit nihilominus reddat. Quòd si postea, iustissimè discusso negotio, inueniatur iudex ille per iniustam petitoris querelam rem indebite amisisse, tunc iniustus petitor, rem quam accepit, illi iudici cuius fuit, ex integro reddat, & aliud tantum de suo ei coactus exsoluat. Quod si iudex ille qui dilationem fecit, rerum suarum possibilitatem in vicino non habet, vnde alter iudex qui commonuit, petitori repenset; tunc de territorio eiusdem iudicis differentis cuiuscunque rei tantum auferat, quantum petenti consignet, aut certe obsignatam petitori faciat cessionem, in qua pigneris quantitatem adnotet, per quam petitor præsumendi sibi habeat potestatem. Dum vero ille qui pigneratus extiterit, regi, duci vel comiti, pro tali fuerit pignere querelatus, eadem pigneris dampna quæ idem suggerens pertulit, in quadruplum ei de suo iudex ipse dilationis coactus restituat. Quòd si de rebus debitoris petitor pignus abstulerit, ad superiorem satisfactionem iudex teneri nõ poterit. Certe si idem iudex ammonitus absque dilatione causam audierit petitoris, in qua eum proueniat habere nullatenus veritatem, iudicium per quod eius iniustitia patuit, euidentibus scripturis emittat. De cuius textu exemplar fideliter translatum, suaque manu subscriptum atque signatum iudici, à quo ammonitus fuerat, dirigere non moretur. Et si post hoc æquitatis iudicium patuerit præsumptio pignerantis, ingenuus siquidem ea quæ causa pigneris abstulerit, duplam idem amissam rem, cum simili re in satisfactione restituat. Seruus autem qui talia commisisse detegitur, c. ictus accipiat flagellorum, atque turpiter decaluatus in integrum mox reformet rem quam causa pigneris occupauit. Illi vero qui ad pignerandum conuenerint, si serui sint, & sua sponte concurrerint, centenis & ipsi verberentur flagellis. Si vero ingenui, aliud tantũ domino restituant, quantum ei abstulisse probantur, sequestrata illius compositione, qui pignus indebite fecisse conuincitur.

VIII. ANTIQVA.

De his qui in causis alienis patrocinare præsumunt.

QVicunque habens causam ad maiorem personam se propterea contulerit, vt in iudicio per illius patrocinium aduersarium suum possit opprimere, ipsam causam de qua agitur, & si iusta fuerit, quasi victus perdat: liceat iudici, mox vt viderit quemcunque potentem in causa cuiuslibet patrocinare, de iudicio eum abiicere. Quod si potens contempserit iudicem, & proterue resistens de iudicio egredi vel locum dare iudicanti noluerit, potestatem habeat iudex, ab ipso potente duas auri libras, vnam sibi, alteram parti eius, cui potens ipse aduersarius extitit, profuturas exigere, & hunc cum iniuria violenta à iudicio propulsare. Reliqui vero ingenui siue serui, qui ammoniti à iudice abscedere de iudicio non consenserint, singuli publicè extendantur, & quinquagenis flagellorum ictibus verberentur.

IX. FLS. CHDS. REX.

Vt petenti seruo alieno respondere ingenuus non recuset.

SVperflue excusantem lex ideo corripit, vt omnis præsumptio coerceri facillimè possit. Nonnulli enim ingenui seruos alienos ludere prompti sunt, & ad serui petitionem iudicio adesse contempnunt, asserentes se vtique cum eo causam dicere non debere, à quo eis componi non poterit, si victores extiterint. Sed ne sub hac dilatione, dum etiam serui dominus, supra quinquaginta milliaria absens est, aut vtilitati domini sui fiat impedimentum, aut ipse seruus indebitè perferat fortasse periculum: ita consultissime decernendum eligimus, vt nulli penitus audientia denegetur. Sed si cuiuscunque seruus cum quolibet se asseruerit seu suum siue domini sui vel dominæ habere ne-

gotium, statim ille contra quem habet, prę́stus esse ad iudicium compellatur, aut petenti procul dubio responsurus, aut compositionis summam legaliter impleturus, si à seruo fuerit iustissime superatus. Ita vt si seruus quod proponit, conuincere non potuerit, ingenuus idem conscientiam suam expiet sacramentis, se nihil horum vnde appellatur, scire vel habere, neq; fecisse vel fieri præcepisse. Et post tale sacramentum, seruus pro iniusta petitione sicut & ingenuus componere non moretur. Nec tamen pro eadem cōpositione vltrà resultet dominus eius: tantū vt si minor est actio, quàm decem solidi possunt valere, seruus compositionis medietatem, hoc est duos semis solidos cogatur exsoluere. Quòd si infra quinquaginta milliaria, serui dominū esse constiterit, non aliter seruus ingenuum petere poterit, nisi forte per se dominus eius in iudicio adesse non possit, & ad proponendum à seruo negotium, epistolam manu sua subscriptam per eundem seruum iudici destinauerit. Quòd si seruus domini sui proponens negotium, aut fraude aut negligentia, domini sui vitiauerit vel perdiderit causam, liceat domino eius, eamdem vitiatam causam aut per se aut per legitimum mādatarium suum reuoluere, & iustissimis iterum vocibus partis suæ negotium reparare.

X. FLS. GLS. EGIGA. REX.

De his qui negotia sua iuris principalis appetunt examine finienda, & postea renuentes inter se citra principale iudicium ad conuenientiam redeunt & pacificare præsumunt.

SI cœpta causantium negotia, dirimentis non terminet discreta censura, non solùm difficile sedantur altercantium iurgia, sed aduersis causatur obiectibus iustitia perquisita. Solent enim plerique, postquam suarum intentionum iurgia principali appetūt examine finienda, quandoque resoluti licentia, legalem fugiendo censuram, ad conuenientiæ finem deducere, quam Regis auditibus protulerant causam. Ne ergo sub fraudis huius sacramento pars causantium iudicialem fori æquitatem effugiat: ideo præsentis legis sanctione decernimus, vt quicunque deinceps causam suam regio intimauerit culmini decernendam, nulla ratione se de iudicio submoueat, nec quamlibet cum suo aduersario conuenientiam agat; sed tandiu cœpti negotij propositionem intendat, donec regalis clementia speciale partibus iudicium promat. Quod si inchoatum negotium coram principe, vel quos idem princeps arbitrio suo elegerit, expedire neglexerit, & quamcunque cum suo causidico definitionem peregerit, tam petitor quàm pulsatus tātum regię potestati persoluere se nouerint, quātum ille cuius petitio extiterit, pro causa ipsa conquirere poterat: ita videlicet, vt quod regia potestas exinde facere vel iudicare decreuerit, in arbitrio voluntatis suæ subiaceat. Simili quoque dampno & illi mulctandi sunt, qui iurgia intentionum suarum iudiciali appetunt examine finienda, & post causæ initium renuentes iudicium de inchoato præsumpserint inter se depactire negotio. Sic quoque vt tam iudex quàm saio dampni ipsius exsolutionem inter se diuidere debeant, suoque iuri habituram optineant. Quod si ipsi causidici non habuerint vnde dampnum ipsum persoluant, centenos ictus flagellorum vtriq; accipiant. Et sic denuo iudex ille causam ipsam terminandi licentiam habeat. Illos tantundem à legis huius iactura indempnes efficiant, quibus aut regia iussio licentiam deliberationis indulserit, aut quos iudex ille qui causam terminat, inter se pacificandos absoluerit.

III. TIT.

De mandatoribus & mandatis.

VII. *Vt*

I. FLS. RCDS. REX.

Quod principum & episcoporum negotia, non per eos, sed per suos sint agenda.

MAgnorum culminum excellentiam, quãto negotiis rerum dare iudiciũ decet, tanto negotiorum molestiis sese implicare non debet. Si ergo principem vel episcopum cum aliquibus constiterit habere negotium, ipsi pro suis personis eligant, quibus negotia sua dicenda committant: quia tantis culminibus videri poterit contumelia irrogari, si contra eos vilior persona in contradictione causæ videatur assistere. Cæterum & si rex voluerit de re qualibet propositionem assumere, quis erit qui ei audeat vllatenus resultare? Itaque ne magnitudo culminis eius euacuet veritatem, non per se, sed per subditos agat negotium actionis.

II. RCDS. REX.

Vt iudex primum à litigatore perquirat, vtrum propria an aliena causa sit prolata.

IVdex primùm à litigatore perquirat, vtrum propriam causam dicat, an alienam fortasse susceperit. Interrogetur etiam cuius mandatum habeat. Et postquam causam iudicauerit iudex, comprehendat in iudicio, quem aut ex cuius mandato audierit negotium prosequentem, ac præterea mandati exemplar accipiat illius assertoris apud se, cum iudicati exemplaribus reseruandum. Liceat tamen illi qui pulsatus est, mandatum à petitore coram iudice petere: vt quam ob causam fuerit iudicio præsentatus, vel quid tenor mandati contineat, indubitanter possit agnoscere.

III. ANTIQVA.

Vt qui per se causam non dicit scriptis assertorem informet.

SI quis per se causam dicere non potuerit, aut forte noluerit, assertorem, per scripturam suæ manus, vel testium signis aut subscriptionibus roboratam dare debebit. Ita vt si isdem assertor aliquod † conludium fecerit, qualiter ab aduersario suo possit in iudicio superari, aliud tantum de facultate sua mandatori restituat, quantum de rebus eius perdidit aut euertit, vel etiam quæ ipse mandator optinere seu adquirere debuit. Seruo tamen non licebit per mandatum causas quorumlibet suscipere, nisi tantum domini vel dominæ suæ, ecclesiarum quoque vel pauperum, siue etiam negotiorum fiscalium. * *colludium.*

IIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Vt in personis nobilibus quæstio per mandatum nullatenus agitetur, & qualiter humilior ingenuus siue seruus per mandatum quæstioni subdatur.

QVæstionem in personis nobilibus nullatenus per mandatum patimur agitari. Ingenuam verò & pauperem personam atque in crimine iam ante repertam, non aliter ex mandato, subdendam quæstioni permittimus, quàm vt mandator de eadem perso-

na, non seruo sed ingenuo, per mandatum manu sua subscriptum, vel triũ testiũ adnotatione firmatũ, specialiter cõmittat agendũ. Et si fortasse innocentẽ fecerit tormentis affligi, sciat se idem mandator, censura illius legis noxium retineri, quæ continetur in lib. VI. tit. I. era secunda: vbi præcipitur, pro quibus & qualibus rebus ingenuorum personæ subdendæ sint quæstioni. Reliquas autem criminales causas ita per mandatum liceat committendas, vt, sicut prædictum est, contra personam ingenuam, ingenuo assertori questionis actio committatur. Seruum verò per mandatum subdere quæstioni, tam ingenuo q̃ seruo iure conceditur, hac videlicet constitutione seruata: vt si tormẽta vel dampna innocentibus fuerint irrogata, ad omnem satisfactionem mandator iudicis compellatur instantia. Nec dimittendus est tamen is qui mandatum accepit, donec aut mandator sit coram iudice præstus, aut satisfactionem adimpleat legum. Et tamen qui quæstionem ex mandato agitaturus est, ante se vel vt proprii iuris dominus, per placiti vinculum à iudice nouerit obligandum.

V. ANTIQVA.

Vt si dilationem in causa patitur qui mandatum fecit, liceat ei immutare mandatum.

QVi causam alicuius ex mandato susceperit, vt negotium peragatur insistat. Quod si protrahit tempus, & causa quæ forsitan celeriùs poterat expediri, aut occasionibus superfluis aut fraudulenta dilatione suspenditur, mandator recurrat ad iudicem: & qui mandatum acceperat, si malitiæ alicuius aut cupiditatis vel negligentiæ vitio, aduersario præsente vel iudice, susceptum negotium vltra X. dies absque præcepto iudicis dilatauerit, is qui mandauerat, aut per se proponere aut alicui quem elegerit suam liceat committere actionem.

VI. ANTIQVA.

Ne causam suscipiat femina per mandatum, liceat verò ei vt propria exsequatur negotia.

FEmina per mandatum causam non suscipiat, sed suum proprium negotium in iudicio proponere non vetetur. Maritus sane non sine mandato causam dicat vxoris, aut certè ante iudicem seu alios quos iudex elegerit, se tali obliget vinculo cautionis, quod vxor negotium eius non reuoluat: & si reuoluerit, dampnum quod cautio demonstrat maritus excipiat, qui sine mandato causam dicere præsumpsit vxoris. Quòd si maritus causam q̃ sine mandato coniugis suæ prosequebatur amiserit, vxor nullum præiudicium pertimescat: sed aut per se negotium prosequatur, aut cui voluerit ea quæ ipsi competunt prosequenda commendet. Ita vt si marito per iudicium iustè superato, denuo ad causam dicendam aduersarium illum, qui victor extiterat, pars mulieris crediderit conuexandum, atque in iudicio secundo patuerit eundem eius maritum non indebitè victum fuisse: nouerit eadem mulier non solum se iudici, qui causam prius examinauit, sed & illi causidico, quem iteratim ad iudicium compulit, iuxta legis sententiam esse satisfacturam.

VII. ANTIQVA.

Vt sicut lucrum ita & dampnum reuertatur ad mandatorem de commodis etiam mandatum accipientis.

SIcut lucrũ ita & dampnum, iuxta conditionem mandati, ad eum qui causam mandauerit reuertatur. Ita vt qui causam ex mandato dixerit, & fideliter vt negotium peragatur, institerit, ab eo mandator nec mandatum repetat, nec ipsam postea ad alium transferat actionem. Quia iniustum valde est, vt mercedem sui laboris amittat, qui pro suscepta causa fideliter elaborasse cognoscitur. Ita vt is qui negotium prosequuturus est, ante causæ principium cum mandatore definiat, quantum pro commodo sui laboris finito negotio ab eo sit accepturus. Quod si receptam rem prosequutor infra tres menses reddere neglexerit mandatori, quicquid de eadem causa pro quacunque definitione consequi

ſequi potuit perdat,& mandator iudicis inſtantia rem ſibi competentem accipiat.

VIII. ANTIQVA.

Vt ſi mortuus fuerit is qui mandatum accepit,commodum illi debitum heredes eius accipiant.

QVi mandatum fecit,ſi mortuus fuerit,antequam cauſa dicatur,mandatum quod fecerat,non valeat:& qui mandatum ſuſcepit,ſi antequam cauſa dicatur fuerit morte præuentus,mandatum nullam habeat firmitatem. Quòd ſi antequam moreretur,cauſam dixiſſe dinoſcitur,atque per ſuam inſtantiam ad fines vſque legitimos perduxiſſe, & tamen quocunque caſu intercedente necdum finita res aut exacta remanſit: ſi ad hunc fo tè terminum fuerit cauſa deducta, quo eam ille qui per mandatum ſecutus eſt iam an acceleraueat,omne lucrum quod ipſe fuerat habiturus,heredibus eius à mandato.. partibus exſoluatur.

VIIII. FLS. GLS. CHDS. REX:

Qualibus perſonis potentes & qualibus pauperes proſequendas actiones iniungant.

NVlli liceat potentiori quàm ipſe eſt qui committit, cauſam ſuam vlla ratione committere, vt non æqualis ſibi eius poſſit potentia opprimi vel terreri. Nam etiam ſi potens eum paupere cauſam habuerit,& per ſe aſſerere noluerit,non aliter quàm æquali pauperi aut fortaſſe inferiori à potenti poterit cauſa committi. Pauper verò,ſi voluerit, tam potenti ſuam cauſam debet committere,quàm potens ille eſt cum quo negotium videtur habere.

X. FLS. CHDS. REX.

Quòd liceat his quibus commiſſus eſt fiſcus,pro re fiſci quibuſcunque voluerint iniungere rationes.

NVllus quidem rerum fiſcalium temerator debet exiſtere. Tamen ſi quandoquidem pro iure fiſci contra quemlibet prouenerit intentione moueri,ille cui commiſſa res eſt , apud comitem ciuitatis vel iudicem habebit decentiam legaliter negotium proſequendi . Quem ſi abſentem à loco vbi res agenda eſt eſſe contigerit,vel occaſio eum quæcunq; ſuſpenderit,aut etiam per ſe proponere fortaſſe noluerit, eandem vtilitatis publicæ actionem per mandatum iniũgere proſequendam cui elegerit,ſui ſit indubitanter arbitrii.

IIII. TIT.

DE TESTIBVS ET TESTIMONIIS.

XII. *Vt contra extraneos parentela & propinquitas testimonium minimè dicant.*

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De personis quibus testificari non liceat.

Omicidæ, malefici, fures, criminosi, siue venefici, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos diuinosque concurrerint, nullatenus erunt ad testimonium admittendi.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod testibus sine sacramento credi non posit & si vtraque pars proferat testem, cui debeat credi, & si vera testificari neglexerit testis.

IVdex causa finita, & sacramento secundum leges, sicut ipse ordinauerit, à testibus dato, iudicium emittat. quia testes sine sacramento testimonium perhibere non possunt. Quod si ab vtraque parte testimonia æqualiter proferantur, discussa prius veritate verborum, quibus magis debeat credi, iudicis æstimabit electio. Certè si ammonitus quisquam à iudice, de re quam nouit testimonium perhibere noluerit, aut si nescire se dixerit, id ipsum etiam iurare distulerit, & per gratiam aut per venalitatem vera suppresserit: si nobilis fuerit, testimonium postea in nullo iudicio dicere permittatur, nec testimonium ipsius recipiatur vlterius. Quod si licet ingenuæ, minoris tamen fuerint dignitatis personæ, & testimonio careant, & centena flagella infamati suscipiant. quia non minor reatus est vera supprimere, quàm falsa confingere.

III. FLS. CHDS. REX.

De inuestiganda iustitia, si aliud loquatur testis, aliud scriptura.

QVotiens aliud testis loquitur, quam ea scriptura continet, in qua ipse subscripsisse dinoscitur; quanuis contra scripturæ textum diuersa verborum à testibus sit impugnatio, scripturæ tamen potius constat esse credendum. Quod si testes dixerint, eam quæ offertur scripturam minime roborasse; prolator eius probare debebit, vtrum ab eisdem testibus scripturam fuisse roboratã constiterit. Et si hoc ipse quibuslibet aliis documentis conuincere fortasse nequiuerit, experientia iudicis id requirere sollerter curabit. Ita vt pro manus comprobatione testis ille qui negat, iudice præsente scribat qui etiam plus cogatur scribere, vt veritas facilius innotescat. Vbi scilicet hoc omnino quærendum est, vt scripturæ quærantur & præsententur, quas antea fecit siue subscripsit. Et si tota ista † defuerint, tunc conditionibus æditis iurare non differat, quod nequaquam illi subscriptor accesserit. Et si postea quocunque modo patuerit, pro extinguenda veritate mentitum eum fuisse, falsitatis notatus infamia, si honestior persona fuerit, quantum ille perdere potuerat, cuius parti testimonium perhibere contempsit, tantum dupla ei satisfactione compellatur exsoluere. Si certe inferior est persona, & vnde duplam rem dare debeat non habeat; & testimonium amittat, & c. flagellorum ictus extensus accipiat. In duobus autem idoneis testibus, quos prisca legum recipiendos sanxit auctoritas, non solum considerandum est, quam sint idonei genere. hoc est, indubitanter ingenui, sed etiam si sint honestate mentis perspicui, atq; rerum plenitudine opulenti. Nam videtur esse cauendum, ne forte quisque compulsus inopia, dum necessitatem tolerat, præcipitanter periurare non metuat.

† *defecerint.*

IIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Seruo non credendum, & qualibus Regis seruis debeat credi.

SEruo penitus non credatur, si super aliquem crimen obiecerit, aut etiam si dominum suum in crimine impetierit. Nam & si etiam in tormentis positus exponat quod obiicit, credi tamen illi nullomodo oportebit: exceptis seruis nostris, qui ad hoc regalibus seruitiis mancipantur, vt non immerito Palatinis officiis liberaliter honorentur: id est stab

stabulariorum, gillonariorum, argentariorum, coquorum quoque præpositi: vel si qui præter hos superiori ordine vel gradu præcedunt. quos tamen omnes & regia potestas iugiter non habet incognitos, & nullis eos esse constat prauitatibus aut criminibus implicatos. Quibus vtique vera dicendi vel testificandi licentia, sicut & cæteris ingenuis, hac lege conceditur. De reliquis autem ad Palatinum seruitium pertinentibus, quicunque aliquem ad testimonium crediderit aduocandum, non aliter ei fides accommodabitur, nisi regiæ potestatis electio iusta & honesta permiserit esse credendum, quod ille à se nouerit esse testificandum.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne testes per epistolam testimonium reddant, & qualiter iniungi testimonium possint.

TEstes non per epistolam testimonium dicant, sed præsentes quam nouerint non taceant veritatem. Nec de aliis negotiis testimonium dicant, nisi de his tantummodo, quæ sub præsentia eorum acta esse nóscuntur. Certè si iidem testes, aut parentes, vel amici, siue ætate decrepiti, vel infirmitate grauati, aut in alia & longinqua prouincia constituti, de re quæ ipsis est cognita testimonium aliquibus iniungendum putauerint: & si nō sint omnes de vno territorio qui testimonium dicendum committūt, in eo tamen territorio, vbi ille commanet qui plus ex his videtur idoneus, congregentur: & ante eiusdem territorii iudicem, vel coram his quos iudex elegerit: & mandatum faciant idoneis ingenuis quibus voluerint, & de quo illis est cognitum per conditionis seriem iurare procurent, qualiter quibus testificandi vicissitudo committitur, id indubitanter vbi necesse fuerit suo sacramento confirment, quod iurare mandatores suos iustissime & euidentissime per semetipsos audierint. Aliter autem mandatum de talibus negotiis æditum apud omnes iudices erit semper inualidum.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui falsum testimonium dicunt.

SI quis contra alium falsum testimonium dixerit, & in mendacio inueniatur, aut si ipse certè dixerit, quod falsum testimonium dedit: si maior loci persona est, det illi de propria facultate sua, contra quem falsum testimonium dixit, tantum quantum per testimonium eius perdere debuit, & se testificare vltra non nouerit. Quod si minor loci persona est, & non habuerit vnde componat, ipse tradatur in potestatem illius, contra quem falsum testimonium dixerat, seruiturus. Nam omnino per talium testimonium, qui se primitus falsa testificasse prodiderint, causa ipsa reuolui non poterit: excepto si aliter euidentior ordo veritatis claruerit: id est, aut per legitimū alium & melioratum testem, aut per iustos & legales ordines scripturæ. Quicunque autem vel beneficio corruperit aliquem, vel circumuentione qualibet falsum testimonium dicere persuaserit, dum euidens huius rei commentum patuerit, tam auctor sceleris qui in interitum intendit alterius, quam is qui rerum auiditate cupidus testificandi præbuit falsitatis assensum, pari simul sententia vt falsarii teneantur, atque insuper ad aliorum terrorem centenis flagellis, & turpiter decaluati perenni infamiæ subiacebunt.

VII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

De his qui falsum probantur testimonium protulisse: & de spatio sex mensium, quo testem liceat infamare, siue vt super mortuum non liceat testimonium dicere.

FAlsorum testium obstinata nequitia, nescit habere modum falsa dicendi, sed crimini crimen nititur copulare periurii. Et ideo quia detestandos huiusmodi sceleris præsumptores diuina lex mortis sententia dampnat: illos scilicet, quos contra fratrem suum falsum dixisse testimonium potestas iudiciaria comprobat: nos proinde tam nefariis personis ausum secundò testificandi subducimus, quos non humanis sed diuinis vocibus iam mortuos approbamus. Et ideo si quis testimonium pro qualibet re in pre-

ſentia iudicis dederit, & cauſa per eius teſtimonium probata extiterit, ſi fortè in poſtmodum fauore, terrore, vel munere pulſatus illius cauſidici, qui victus primum per eius teſtimonium fuit, dicat ſe idem teſtis falſum dixiſſe teſtimonium quod primitus protulit, & ſecundò aliud teſtificare, vnde prima quæ dixerat ſubuertere velit, ſtante ſuperiore lege, id nouella tenendum ſanctione præcipimus: vt nec teſtificare illi ſecundò ſit licitum, nec cauſa ipſa de qua ipſe periurus teſtis ante iurauerat, vlterius per eius teſtimonium reuoluatur: excepto ſi aliis melioribus & legitimis teſtibus, ſiue etiam veridicis ſcripturis, reuolutio ordinatæ cauſæ poſſit accidere, vt ſecunda determinatione iudicii per alium ſicut dictum eſt teſtem, vel veriſſimæ ſcripturæ oſtenſionem, licentia ſit negotium reparandæ cauſæ retexere. Nam & ſi quis cauſæ ſuæ cupiens accelerare propoſitum, teſtem in iudicio protulerit: ſi ille contra quem cauſam habet præſens adfuerit, & quid in reprobatione oblati teſtis opponat, neſcire ſe dixerit; res ſiquidem ipſa de qua agitur, per oblatorum teſtium teſtimonium, in iure illius, à cuius parte teſtificauerunt, iudicis inſtantia contradatur. Illi tamen perſonæ, quæ ſe in derogatione prolati teſtis, neſcire ſe dixerit quod obicere poſſit, licentiam conſulta pietate porrigimus, qualiter infra ſex menſes, & vitia ignorati teſtis perquirat, & cauſæ ſuæ negotium reparare intendat. Quod ſi infra ſex menſes non potuerit, & vitia prædictorum teſtium quærere & coram iudice eorum infamiam comprobare, tranſactis ſex menſibus, nullum iam ei vltra temporis ſpatium dabitur, quo aut prolatum teſtem infamem eſſe conuincat, aut alium teſtem pro eadē cauſa in iudicio proferat: ſed quod teſtimonio eorum extiterit alligatum, valebit perpetuo modis omnibus inconuulſum. Et tamen ſi is cui licitum eſt per ſex menſes vitia teſtium accuſare, legitimam fortaſſe infra conſtitutum tempus probationem inuenerit, qua prolatum contra ſe teſtem infamem poſſit conuincere, ſupra eos quos viuentes potuerit infamare, licitum erit cauſidico adductum teſtem producere. Nam ſi aliquem de numero illorum teſtium, qui primum iuraſſe noſcuntur, conſtiterit fuiſſe defunctum, nullum ſuper mortuum teſtimonium dabitur. Nec in talibus vel quibuslibet aliis cauſis teſtimonium viui ſuper mortuum vllo modo admittetur: excepto ſi per legitimum & manifeſtum ſcripturæ textum, vbi ipſe qui defunctus eſt, aut reum ſe criminis eſſe agnoſcens ſubſcripſit, aut iuſto æquitatis iudicio publice denotatus apparuit. Et hæc quidem de infamatione; qua quiſquis ille obnoxius, ad dicendum teſtimonium non admittatur, dicta ſufficiant. Cæterùm ſi debitum defuncti vel præſumptio accuſetur, iuxta legem aliam licitum erit cauſidico, aut per veridicum teſtem, aut per legitimam ſcripturam, debitum mortui vel præſumptionem conuincere, & propoſitum partis ſuæ negotium conſummare.

VIII. FLS. CHDS. REX.

De his qui ad falſum teſtimonium dicendum alios prouocant, vel ſeruos alienos ad libertatem impellunt.

SI quis contra hominem ingenuum & aduerſus libertum, aliquem prouocaſſe conuincitur falſum dicere teſtimonium, tantum illi componat quem per falſam teſtificationem conabatur addicere vel damnare, quantum, ſi iuſte eum optinuiſſet, poterat de ſtatu vel de rebus eius adquirere. Si verò teſtis ſimpliciter ab alio ad teſtimonium inuitatus falſa contra ingenuum atque libertum teſtificaſſe dinoſcitur, qualiter per eius teſtimonium in ſeruitutem quiſquam humiliaretur: & tamen ille qui teſtem protulit conſcius fraudis huius non inuenitur, ſolus teſtis ipſe ſuperiori ſententia, id eſt, ſicut ille qui teſtem ad falſum teſtimonium prouocauit, ei, quem ſuo teſtimonio decipere voluit, obnoxius maneat. Ita vt ſi non habuerit vnde componat, in poteſtate eius, cum hoc quod habere videtur, perenniter ſeruiturus tradatur. Id autem & de illis decernimus obſeruandum, qui vt ſeruos alienos ad libertatem perducerent, aut falſum teſtimonium dixiſſe reperiuntur, aut eam intentionem adhibere conati ſunt, vt ab eis prouocati per eorum inſtantiam ad ingenuitatis libertatem indebita poſſint aliquatenus inſultatione venire.

VIIII. FLS. RCDS. REX.

In quibus cauſis poſſint teſtificari ſerui.

QVod vtilitati multorum eſt congruum, non eſt noſtræ legis decreto prætermittendum: ne tanto cuiquam pateat nocendi † facultas, quanto nihil eſſe putat ex lege quod

*facilitas.

quod metuat. Quia ergo multotiens inter ingenuos reperitur exorta cædes, & nullus adesse ingenuus, qui cædis ipsius patefaciat euidenter scelus; adeò si nullus ingenuorum adfuerit, credi seruis omnino oportebit: vt qualiter inter eos cæsio facta constiterit, agnosci eisdem testificantibus possit. Verum quia & interdum iustitiæ cognitio deperit, dum ingenuorum dignitas aut longe posita aut de proximo ignota consistit: tunc credi permittimus seruis, cùm ingenui nullatenus adfuerint, qui aut vicini sint, aut de re qua agitur cogniti habeantur. Certè nec de aliis causis, nec de maioribus rebus esse sibi credendum sciant, nisi de minimis quibuscunque rebus, ac de terris aut vineis vel de ædificiis, quæ non grandia esse constiterint, propter quod solet inter heredes aut vicinos possessores † instantia exoriri. Sed & de mancipiis credendum est eis, quare contingit ea vel ab aliis occupari, vel indebitè retineri, aut etiam à dominorum iure inlicitè euagari: vt per eorum veram cognitionem valeant res ipsæ dominis reddi, & ipsorum indubitata notitia iustè possit intentionis causa sopiri. Non tamen illis aliter credi poterit, nisi & ab omni crimine alieni extiterint, & graui oppressi paupertate non fuerint. Ita vt contra ingenuorum dignitatem, eorum testimonium accipi nullatenus possit, nisi, vt supra dictum est, cædem exoriri contigerit. † intentio.

X. FLS. CHDS. REX.

De his qui se placitorum scriptis obligant, ne pro aliorum causis veritatem dicant.

PLerosque cognouimus, ita se interdum per placitum obligare, vt pro sua suorumque vtilitate testificari non differant: si quis autem contra eos habuerit testimonium dicere, nullatenus adquiescant. Quod quia satis est contrarium veritati, hanc omnes iudices se nouerint habere licentiã, vt talia commenta instanter inquirant, & inuenta disrumpant: atque quos eadem placita nominauerint, centenis flagellis verberandos instant. Ita tamen vt ista disciplina non ad infamiæ notam eis pertineat; sed testificandi quod cognitum habuerint, sit illis ex lege concessa semper & indubitata libertas.

XI. FLS. GLS. CHDS. REX.

De quibus annis possunt testificari minores.

HÆc ætas erit constituta in minoribus annis ad testimonium admittenda: vt postquam puer aut puella quatuordecim vitæ suæ annos impleuerint, sit illis in causis omnibus testificandi indubitata licentia.

XII. ANTIQVA EMENDATAQVE NOVITER.

Vt contra extraneos parentela & propinquitas testimonium minime dicant.

FRatres, sorores, vterini, patrui, auunculi, materteræ, siue eorum filii: item, nepos, neptis, consobrini, vel amitini, in iudicium aduersus extraneos testimonium dicere non admittantur: nisi forsitan parentes eiusdem cognationis inter se litem habuerint, aut in causa de qua agitur aliam omnino ingenuitatem deesse constiterit.

V. TITVL.

De scripturis valituris & infirmandis, ac defunctorum voluntatibus conscribendis.

I. IN NOVIT. EMD. FLS. CHDS. REX.

Quales debeant scripturæ valere.

SCripturæ quæ diem & annum habuerint euidenter expressum, atque secundum legis ordinem conscriptæ noscuntur, seu conditoris vel testium signis fuerint aut subscriptionibus roboratæ, omni habeantur stabiles firmitate. Simili quoque & illæ scripturæ valore constabunt, quas & si auctor subscribere ægritudine obsistente non valuit, in eis tamen qui subscriptores accederent postulauit: sicque subscriptionem vel signum ad vicem illius auctoris, ille qui est rogatus impresserit. Hoc tantum est obseruandum, vt si cõditor talium scripturarum de hac ipsa ægritudine qua detinebatur reualuerit, si hoc ipsum quod in huiusmodi scripturis testatus est firmum esse voluerit, manu sua illud solita subscriptione corroboret, & sic plenam quod testari visus est obtineat firmitatem. Si autem eũdem testatorem de hac ægritudine mori contigerit, testis ipse qui ab eo rogatus accessit, iuxta aliam legem infra sex menses subscriptas à se scripturas roborare curabit.

II. ANTIQVA.

De pactis & placitis conseruandis vel conscribendis.

PActa vel placita quæ per scripturam legitimè ac iustissimè facta sunt, dum modo in his dies & annus sit euidenter expressus, nullatenus immutare permittimus.

III.

Ne incognitam sibi scripturam quisquam testis subscribere audeat aut firmare.

QVarumlibet scripturarum seriem aduocatus testis, si non aut per se antea legerit, aut coram se legẽtem audierit, subscribere penitus non audeat. Quòd si præsumpserit, testimonium eius quod illic incautè perhibuit, in nullo permittimus accipi: quia incognitos illic subscriptor accessit. Nec stabilis illa iudicabitur scriptura, quam nulla testium firmauerit cognitio vera.

IIII. ANTIQVA. FLS. GLS. EGIGA. REX.

Contra priorum definitionem filio vel heredi non licere venire.

FIlio vel heredi contra priorum iustam ac legitimam definitionem venire non liceat. Quia iustè repellitur præsumptio illius, qui facta seniorũ iniustè conatur irrũpere.

V. FLS

V. FLS. CHDS. REX.

De dampnis eorum qui contra pacta & placita sua venire contendunt.

QVi contra pactum vel placitum iuste ac legitime conscriptum venerit, quod non forstan persona potentior violenter extorserit, antequam causa dicatur, pœnam quæ in pacto vel placito legitime continetur exsoluat: deinde quæ sunt in pacto vel placito definita seruentur. Pactum vero vel placitum conuenienter ac iustissime inter partes conscriptum, si etiam pœna in eis incerta non fuerit, reuolui aut immutari nulla ratione permittimus. Et ideo quæ in pactis vel placitis continentur vel monstrantur scripta, plenam habeant firmitatem, si tamen quisquis ille pactum vel placitum iustissime & de re sibi debita conscripsisse videatur.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne valeant definitiones vel pacta seruorum, sine iussu dominorum.

ET honestas hoc habet, & iustitia hoc adfirmat, vt quæ serui non iubentib. dominis, seu per scriptum paciscuntur, siue per testem. definunt, nullo firmo robore penitus habeantur. † *definiunt.*

VII. FLS. RCDS. REX.

De turpibus & illicitis rebus.

DE turpibus & illicitis rebus inter quascunque personas, sicut nullum pactum aut mandatum vel placitum, ita nec dampnum nec quancunq; definitionem ex omnibus nullo tempore decernimus posse valere.

VIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Ne sub vnius nomine causæ res alia, vel persona callidis definitionibus obligentur: de pœna etiam quæ sit placitis inseranda.

PRauis ac malignis moribus improborum iustitiæ semper est sententiis obuiandum. Ideoq; quia dira peruersorum cupiditas ita sæpe plurimos nonarum fraudium molitione conlaqueat: vt cum pro re qualibet adimplenda sit pactio, res eorum simul obligent & personas: hoc fieri omnimodo prohibemus. Sed quotiens vndelibet placitum cōscribitur, non amplius in transgressoris pœna, quam duplatio reddendæ rei vel triplatio † rerum in satisfactione taxetur: res tamen omnis aut persona nullatenus obligetur. Quia iniustum penitus approbamus, vt vnius causa debiti, rerum fiat omnium perditio vel personæ. Quodcunque igitur contra legis huius decretum, conscriptum placitum siue definitio facta fuerit, vbicunque sit reperta, vacua omnimodis & inualida reputetur. Sola vero potestas regia erit in omnibus libera, qualemcunque iusserit in placitis inrere pœnam. † *numerum.*

VIII. ANTIQVA. † — † FLS. CHDS. R.

Quod omnis scriptura vel definitio quæ per vim & metum extorta fuerit, valere non poterit.

PActum quod per vim & metum extorserit persona potentior vel inferior, siue placita vel reliquas scripturas, id est, si ille qui paciscitur, aut in custodia mittitur, aut sub gladio mortem forte timuerit, aut ne pœnas quascunq; vel ignominiam patiatur, vel certe si aliquam iniuriam passus fuerit: huiusmodi pactio vel scriptura quælibet nullam habeat gimitatem.

X. FLS. GLS. RCDS. REX.

† & super ordinem legis confectis.

De superfluis scripturis † confectis.

PLenæ discretionis ordo est incertis adhibere cognitionem, & dubiis coniicere fidē. Quia ergo de statu scripturarū solet dubietas in controuersiis exoriri: ideo præcepto decernitur euidenti, vt quicunque virū orac feminarum, testamenta, donationes, dotes vel quascunque scripturas conficit, amplius quàm lex iubet, in quibuscunq; partibus siue personis, vel contra sanctionem legis, de quarumcunque rerum distributione decreuerit, non ideo ex toto habeantur inualida, quia ordo præfixus videtur esse transgressus: sed manentibus cunctis, quæ salubriùs ex legis auctoritate subsistunt, illa sola decidant, quæ contra legem inueniuntur manere descripta atque decreta. Huius rei euidenter iudices negotiorum hoc tenore descripta ordinabunt: vt ille qui plus conficitur per scripturæ seriem quàm oportuit, hoc solum accipiat quod auctoritas legis demonstrat, & reliqua hi quibus legitimè debentur vigore iustitiæ consequantur.

XI. FLS. GLS. CHDS. REX.

Quæ scripturæ valere poterunt, si ab his factæ fuerint qui sunt in annis minoribus constituti.

IN minoribus annis constituti, si testari de rebus suis, vel alias quascunque definitiones facere, seu per scripturam, siue per idoneum testem, in quibuscunque personis elegerint, infra quartum decimum annum non illis aliter licentia erit: nisi grauis languor occurrerit, per quē eos fortasse mori suspicio sit. Quòd si eos necessitas huius causæ cōpresserit, vtrisq; à decimo ætatis ipsorū anno faciendi quod voluerint libertas plena manebit. † Quòd si ab ægritudine conualescere potuerint, quicquid eos ordinasse constiterit, totum inualidum erit: donec aut rursus ægrotantes iterum quæ ordinauerant noua ordinatione reforment, aut venientes vsque ad plenum quartumdecimum annum in omnibus iudicandi de rebus suis liberam habeant absolutamq; licentiam. Ab infantibus verò vel in qualibet ætate dementes effecti, & in eo vitio absque intermissione temporis permanentes, nec testimonium reddant; nec si quam fortè voluntatem ediderint, nullā poterit firmitatē habere. Nam † si per interualla temporum vel horarum salutem videntur recipere, & integra interdum mente persistere, de suis ferre iudicium prohiberi non poterunt.

† Qui.

† qui.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Qualiter confici vel firmari conueniat vltimas hominum voluntates.

MOrientium extrema voluntas, siue sit auctoris & testium manu subscripta, siue vtrarumque partium signis extiterit roborata, seu etiam & si auctor subscribere vel signum facere non præualeat, alium tamen cum legitimis testibus subscriptorem vel signatorē ordinationis suæ instituat: siue quoq; si tātummodo verbis corā probatione ordinatio eius qui moritur patuerit promulgata. hæc ordinationum quatuor genera omni perenniter valore persistant. Id tantum magnopere procurandum est, vt scripturæ illæ, quæ secundum primi & secundi ordinis confectionem sunt alligatæ: id est, siue quæ auctoris & testium manu subscriptæ, seu quæ vtrarumque partium signis extiterint roboratæ, infra sex menses iuxta legem aliam sacerdoti pateant publicandæ. Et si forsitan cōtigerit, vt in huiusmodi scripturis auctor, qui subscribere debuit, signū impresserit; hoc ipsum testis, qui in eadē scriptura subscriptor accessit, iurare curabit, quia signum ipsum à conditore factū extiterit, & tunc stabilis erit. Illę verò scripturę, quæ sub tertii ordinis alligatione sunt editæ: id est, in quib. aduocatus à cōditore legitimus testis subscripsit, tunc omni habeantur stabiles firmitate, quādo infra sex menses, & ille qui in eadē scriptura ad vicem morientis subscriptor accessit, & reliqui testes qui ab eo rogati sunt, coram iudice cōditionibus factis iurauerint, quòd in eadem scriptura à se subscripta nulla sit fraus impressa, sed secundum voluntatem ipsius conditoris habeatur conscripta, & quod ab eo qui eam condere voluit, rogati extitissent, vt in eadē scriptura subscriptores accederent,

& ad

& ad vicem conditoris eam legitimè roborarent. Illa verò voluntas defuncti, quæ iuxta quarti ordinis modum verbis tantummodo coram probatione promulgata patuerit, quæ instante quocunque periculo conscribi nequiuerit, & tamen ab eo qui moritur iussa fuerit alligari, tunc robur plenissimum optinebit; si testes ipsi, qui hoc audierint & rogati à conditore extiterint, infra sex mensium spatium, hoc quod iniunctum habuerint sua coram iudice iuratione confirment, eiusdemque iuramenti conditionem tam sua quàm testium manu corroborent. Dumque hæc res plenum venerit in effectum, pro instātia sui laboris, iidem testes ex defuncti bonis †trigesimæ precium portionis prosequantur in solis tantummodo nummis, chartarum instrumentis & librorum voluminibus sequestratis, quæ pertinebunt ad heredes integritate successionis. Qui testes infra sex menses procurent illi denunciare, in cuius nomine per talē ordinationem res translata dinoscitur extitisse. Quod si omne legis huius decretum, testes illi quibus commissum est, infra constitutum tempus distulerint adimplere, nouerint se † falsorum dampno mulctari: excepto si se aliorum fraude vel calliditate, seu etiam regia iussione, qua id infra sex menses explere nequiuerint, impeditos se esse probauerint.

†tricesimæ precii portionem.

†falsorium.

XIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Qualiter firmentur voluntates eorum, qui in itinere moriuntur.

IN itinere pergens, aut in expeditione publica moriens, si ingenuos secū habeat, voluntatē suam propria manu conscribat. Quod si litteras nescierit, aut per languorem scribere non potuerit, eandem voluntatem seruis insinuet: quorum fidem episcopus atque iudex probare debebunt. Et si nullatenus antea fraudulēti fuisse patuerint, quod sub iuramenti testatione protulerint conscribatur, & sacerdotis atque iudicis subscriptione firmetur; ac postmodum auctoritate regia roboratum, firmum quod decreuerit habeatur.

XIIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Vt defuncti voluntas ante sex menses coram sacerdote vel testibus publicetur.

SCripta voluntas defuncti, ante sex menses coram quolibet sacerdote vel testibus publicetur. Et si quis eandem qualibet fraude suppresserit, tantum illis, quibus scriptura facta esse dinoscitur, de proprio cogatur exsoluere, quantum per eiusdem scripturæ seriem conquirere poterant vel habere.

XV. FLS. GLS. CHDS. REX.

De comprobatione manuum, si scriptura vertatur in dubium.

OMnes scripturæ, quarum auctor & testis defunctus est, in quibus tamē subscriptiō vel signum conditoris atque firmitas testium repperitur, dum in audientia prolatæ extiterint, ex aliis chartarum signis vel subscriptionibus comprobentur: sufficiatque ad firmitatem, vel veritatis huius indaginem agnoscendam, trium vel quatuor scripturarum similis vel euidens prolata subscriptio. Quod si talibus scripturis legum tempora obuiauerint, pro certo decernitur, quia valere non poterunt.

XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De olographis scripturis.

QVia interdum necessitas ita sæpe concurrit, vt solempnitas legum libere adimpleri non possit: ideo vbi qualitas locorum ita constiterit, vt non inueniantur testes, per quos iuxta legum ordinem vnusquisque suam alliget voluntatem: manu propria scribat ea, quæ ordinare desiderat. ita vt specialiter adnotentur quæcunque ordinare voluerit, vel quę de rebus suis habere quenque elegerit. Dies quoq; & annus habeatur in eis euidenter expressus. Deinde toto scripturæ textu conscripto, rursum auctor ipse subscribat. Et dum hæc scriptura infra xxx. annos, ad eum in cuius nomine facta est vel ad successores eius peruenerit, eam episcopo vel iudici infra sex menses non differat præsentare. Quam sacerdos idem vel iudex allatis sibimet tribus aliis scripturis, in quibus

teſtatoris ſubſcriptio reperitur, ex earum conprobatione conſiderent, ſi certa & euidẽs ſcriptura eſt quam idem conditor olographa ratione conſcripſit: & dum iſta præuiderint, eadem chartula quę offertur, vera nihilominus habeatur: atque etiam continuo ſacerdos ipſe vel iudex, ſiue alii teſtes idonei, eandem olographam ſcripturam ſua denuo ſubſcriptione confirment, & ſic voluntas ipſius teſtatoris pleniſſimam obtineat firmitatem.

XVII. FLS. RCDS. REX.

De comprobatione ſcripturarum & earum pœna ſoluenda.

SIcuti vbi conuenit miſeranter occurrere, ſalutaria remedia non negamus: ita vbi contentio irrationabilis exoritur, cenſuram ponere iuſte debemus. Proinde cum de quibuslibet ſcripturis parentum, quas tamen iuſtiſſime ac legitime de rebus ſibi debitis patuerit eſſe conſcriptas, fuerit exorta contentio: ſi ille, cui ſcriptura profertur, neſcire ſe dixerit ipſius ſcripturæ veritatem, mox prolator ille iurare cogatur, nil fraudis vel læſionis in ea quandoque aut à ſe factum eſſe, aut ab alio quocunque factum omnimodo cognouiſſe vel noſſe: ſed ita manere, ſicut auctor eius eam voluit ordinare vel roborare. Deinde ille qui eam renuit accipere, cogatur iurare ſe hanc ſcripturam veram eſſe neſcire, nullaque euidenti cognitione ſapere, ſeu ab auctore ſuo legitime confectam exiſtere, neque ſubſcriptionem vel ſignum auctoris veridicè factum cognoſcere. Poſt hæc quærenda ab vtriſque partibus in ſcriniis domeſticis inſtrumenta chartarum: vt comprobatis aliarum ſcripturarum ſubſcriptionibus atque ſignis poſſit agnoſci, vtrum habeatur idonea, an reprobetur indigna. Iam tunc ſi in domeſticis ſcriniis ſcripturæ auctoris repertæ non fuerint, ad quarum ſimilitudinem ſcriptura prolata † formetur; ita demum ille, qui ſcripturam profert vbicunque potuerit, alias ſcripturas auctoris procuret inquirere, per quarum ſimilitudinem, ſcripturam quam profert, veram eſſe confirmet. ſicque per talem conuenientiam latenti veritate reperta: nec ille qui ſcripturam profert, in conuincendo eam eſſe idoneam, ex longinquo teſtes adducens, damna ſuſtineat; nec ille qui hanc contempſit recipere, pœnam ſcripturæ cogatur implere. Quibus ita actis, ſi ille qui ſcripturam illam indignam eſſe contendit, non pro veritatis cognitione, ſed pro ſola commotione partis aduerſæ ad conuincendam dignitatem ſcripturæ, & in adducendis teſtib. & in ſuſtinendis diſpendiis laborare fecerit aduerſantem; tunc ipſe, qui ſcripturam profert veram, exhibitis teſtibus eſſe idoneam & illæſam ſcripturam adfirmet: ac poſtea ſic ille, qui per contẽtionẽ indebitam, in adducendis teſtibus laborem intulit aduerſanti, pœnam dampni, quam ſcriptura continet, euidenter adimpleat. Certè ſi aut tanta res non eſt vnde pœnã ſuppleat, quã auctor eius inſtituit, cùm de rebus ſuis legitimum iudicium ferret: aut etiam ſponte ſua hanc ipſam pœnam † voluerit implere, rem quæ illi de eiuſdem auctoris competit, iure ei, quem conuexauit indebitè, cogatur ceſſionis ordine dare. Hanc ſane legem in ſolis parentum ſcripturis ſeruandam eſſe decernimus: propter quod filios vel nepotes iniuſta contentione ab alterutro, aut ſe, aut extraneorum partes, videmus conuexare. Iſta euidenti conditione ſeruata, vt ſi ex aliis oppoſitionibus legum eadem ſcriptura dicitur cõuellenda, vox impugnantis pro certo ſit libera.

† *firmetur.*

† *noluerit.*

XVIII. FLS. GLS. EGIGA. REX.

Ne aliud quis per teſtem aliud per ſcripturam alligare præſumat.

CVm ſiue ſint verba, ſiue ſcripturarum quædam indicia, quæ tamen vera eſſe oporteat atque ſimplicia, per quæ vnus in alterius cognitionem transferat notitiam ſuam: nouellis nunc peragitur argumentis, vt in donationibus & tranſactionibus ſcripturarum prompta videatur quorundam donatorum voluntas, quæ tamen teſtibus aliud alliget occulte, quam quod patule per ſcripturæ ſeriem noſcitur definiſſe. In qua bifariæ duplicitatis aſtutia quid aliud quam duplex comprobatur voluntas? Quia ſimplicitatis puritate excluſa, aliud foris publicat, aliud per occultum alligat teſtem. Quapropter cum quiſquis de quibuslibet rebus, ſcripturam donationis, vel venditionis in alterius faciens nomine, aliud reperiatur con ligare per teſtem, quàm quod per manifeſtam ſcripturam cognoſcitur definiſſe: nouerit ſe parti illi pœnam ſcripturæ perſoluere, cui circumuentione callida noſcitur illuſiſſe, & inſuper cum infamia ſuæ perſonæ quod ſemel eum conſtat dediſſe, nulla vnquam poterit repetitione repoſcere. Nec teſtis

is illic ad testificandum aliud admittatur, qui aliquid aliud protestetur, quam quod voluntas donatoris scriptura testatur: vt res quæ deinceps omni argumentationis sollicitudine, quicquid per manifestam & legitimam scripturarum seriem definitur, nulla vnquam sub ordinati testis machinatione deuocetur in irritum. Et hæc quidem lex inter æquales gradu vel ordine promulgata seruabitur. Ceterum si eiusdem potestatis atque conditionis sit ille, qui scripturam se accepisse obiecerit, vt potius exacta ab eo quam oblata ei scriptura credatur, quicquid de huiusmodi occasionibus ab auctore scripturæ conuinci poterit, tunc & ipsa scriptura inualida erit, & res in donatoris iura possessura transibit.

XIX. FLC. EGIGA REX.

Vt nemo deinceps citra fidem regiam vel propria causarum negotia in deceptione regiæ potestatis, vel cuiuslibet alterius, se iuramenti vinculo alligare præsumat.

PLerumque solet humani generis inimicus prauis corda hominum suggestionibus irretire, & fidelium animos pestifero veneni poculo sauciare. Proinde quia quanto plebs regiæ celsitudinis culmen sincera debet reuerentia honorare, tanto amplius vel in eius deceptione, vel aliarum personarum, videtur mentes plebium excitare. Quidam enim dum sententiam illam canonis Toletani attendunt, in qua decretum est neminem licere, citra manifestæ euidentiam culpæ induci ab honore sui ordinis, vel seruitio domus regiæ deiici, & nec antea vinculorum nexibus illigari, vel quæstionibus subdi, nisi prius in publica fuerint examinatione deducti, subtili se quodammodo iuramento in necem vel abiectionem regiam perfidiæ nituntur fraudibus alligare: ne ea quæ fraudis moliuntur peragenda consiliis, ab alterutro cernantur quandoquidem propalari. Quod & temporibus nostris detectum facinus, manifestis eorum confessionibus retinetur, qui nostram gloriam conati sunt, aut gladio interimere, aut mortifera veneni potione decipere. His igitur nefariæ argumentationis consiliis congruit obuiare censuris legalibus: quo ut nec principalis honor qualibet possit † grauitate deuolui, & infidelium pectora condigna debeant vltione retundi. Vnde speciali edicto decernimus, vt nemo deinceps citra fidem regiam vel propria causarum negotia secum alio præsumat vinculis nectere iuramenti, aut in deceptione potestatis regiæ vel cuiuslibet alterius tam scelerata fraudis audeat actione constringi. Si quis vero amodo aliter, quam præmissum est, huiusmodi iuramento se alligare præsumpserit, illius se nouerit legis perculi sanctione, quæ perfidis noscitur & contra regem agentibus promulgata existere.

† sapientiæ.

DE ORDINE CONIVGALI
LIBER TERTIVS.
Titulus I.
DE DISPOSITIONIBVS NVPTIARVM.

I. FLS. RCDS. REX.

Vt tàm Gotho Romanam, quàm Romano Gotham matrimonio liceat sociari.

Ollicita cura in principe esse dinoscitur, cum pro futuris vtilitatibus beneficia populorum prouidentur. Nec parum exultare debet libertas ingenita, cùm fractas vires habuerit priscæ legis abolita sententia; quæ incongruè diuidere maluit personas in coniuges, quam dignitas compares æquauerit in genere. Ob hoc meliori proposito salubriter censentes, priscæ legis remota sententia hac in perpetuum valitura lege sancimus: vt tam Gothus Romanam quàm etiam Gotham Romanus, si sibi coniugem habere voluerit, præmissa petitione, dignissima, facultas eis nubendi subiaceat: liberumque sit libero, liberam, quam voluerit honesta coniunctione consulta perquirẽdo, prosapiæ solemniter consensu comite permittente, percipere coniugem.

II. ANTIQVA.

Si puella contra voluntatem patris alio nubat, quæ sit alteri disponsata.

SI quis puellam cum voluntate patris, aut aliorum propinquorum parentum, quibus ex lege huiusmodi potestas tribuitur, sponsatam habuerit: & ipsa puella contemnẽs voluntatem parentum, ad alium tendens parentibus contradicat, vt illi non detur cui à parentibus fuerit pacta: hoc ita eam nullo modo facere permittimus. Quòd si ipsa puella contra voluntatem parentum, ad alium quem ipsa cupierat forte peruenerit, & ipse eam vxorem habere forte præsumpserit: ambo in potestate eius tradantur, qui eam cum voluntate parentum sponsam habuerit. Et si fratres vel mater eius aut alii parentes malæ voluntati eius cõsenserint, vt eam illi traderent, quẽ ipsa sibi contra paternã vel parentũ voluntatem cupierat, & hoc ad effectũ perduxerint: illi, qui hoc machinauerunt, libram auri dent, cui Rex iusserit: sic tamen vt voluntas eorum non habeat firmitatem; sed ipsi, sicut superiùs diximus, ambo tradantur cum omni substantia sua illi cui antea fuerat sponsata. Eandem legem præcipimus custodiri, si pater de filiæ nuptiis definierit, & de pretio conuenerit. Ac si ab hac vita transierit, antequam eam pater suus nuptui tradat, vt illi puella tradatur, cui à patre vel a matre pacta constiterit.

III. FLS. CHDS. REX.

De non reuocandis datis arris.

DVm præteritorum facta recolimus, futuris ponere præsumptionibus terminũ consultissimum arbitramur. Quia ergo sunt plerique, qui factę sponsionis immemores, nuptialium fœderum definitionem differant adimplere, abrogare decet huius rei licentiã, vt non vnusquisq; pro suo velle, alteri dilationẽ exhibeat. Ideoq; à die huius legis latæ decernimus, vt cùm inter eos qui disponsandi sunt, siue inter eorũ parentes aut fortasse propinquos, pro filiorum nuptiis coram testibus præcesserit definitio, & anulus arrarũ nomine datus fuerit vel acceptus, quamuis scripturæ non intercurrant, nullatenus promissio violetur, cum qua datus est anulus, & definitio facta coram testibus. Nec liceat vni parti suam immutare aliquatenus voluntatem, si pars altera præbere consensum noluerit, sed secundum legum ordinem, altera constitutione dotis impleta, nuptiarum inter eos peragatur festi celebritas.

IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne viri minoris ætatis maioribus feminis disponsentur, & de biennio placiti.

IVs naturæ tũc directum in spem procreationis futuræ transmittitur, quãdo nuptiarũ fœdus totius solempnitatis concordia ordinatur. Nam si aut ætate aut personarum incompetenti conditione adnectitur copula nuptialis, quid restat in procreationis origine, nisi vt quod nasciturum est, aut dissimile maneat aut deforme? Nec enim poterit in pacis concordia nasci, quod per discordiam originis noscitur seminari. Videmus enim quosdam non auidos amore naturæ, sed illectos cupiditatis ardore, filiis suis tam inordinate disponere fœdera nuptiarum, vt in eorum actis nec ætate concors sit ordo nec mori-

moribus. Nam cùm viris res illa dederit nomen quòd in feminas agant, isti per repugnātium naturæ conamina maribus puellas anteponunt, dum infantibus adulescentulas disponsationis copula coniungunt. sicque per ætatis præposteræ tempus, honestatis lucrū dilabi cogunt ad impudicitię lapsum, dum puellarum auidior & maxima ætas seros tardosq; virorum contempnit expectare prouentus. Vt ergo malè ordinata propagatio generis in ordinem transductionibus reducatur illicitis, huius sanctione decernitur legis, vt feminæ minoris semper ætatis viris maioribus in matrimonio disponsentur. Aliter disponsatio facta, si vna pars contradicere videatur, nullo modo manere iubetur. A die verò sponsionis vsq; ad nuptiarū diē non amplius quàm biennio expectetur: nisi aut cognationis vel certè sponsorū ipsorū, si perfectę sint iā ætatis, honesta & cōueniēs adfuerit cōsensio voluntatis. Si autē in hoc fœdere inita pacta vel definitiones pro elongatione nuptiarum communis voluntas immutare† decreuerit, aut si per necessitatem vna persona defuerit, non amplius quàm duorum annorum tempus prolongatio continebit. Et si rursus vel quotiens fieri † non conuenerit, biennii tantùm in definitione spatium erit. Aliter quandoque aut arrarum aut scripturæ celebrata confectio non valebit. Si quis autem constitutum definitionis tempus absque necessitate vel voluntatis consentione implere distulerit, suamque voluntatem à promissione coniugali remouerit, & pœnam quæ in placito continetur adimpleat, & quod definitum est immutare non liceat. Mulierem autem, quam constiterit aut vnum aut plures habuisse maritos, post eorum virorum obitum, alii ei quem vnius vel plurimarum coniugum vita distribuit, honestè ac legaliter nubere nullatenus inlicitum est.

† Voluerit.

† ita.

V. FLS. CHDS. REX.

De quantitate rerum conscribendæ dotis.

CVm de dotibus diuersa sæpe inter nubentes oriatur intentio, plurimorum fit vtilitati consultum, si euidens huius rei institutio nihil vltra relinquat ambiguum. Decernimus igitur, ac legis huius perpetim seruatura sanctione censemus: vt quicunque ex Palatii nostri primatibus vel senioribus gentis Gothorum filiam alterius vel cuiuslibet relictam, seu sibi seu filio suo popofcerit in coniugio copulandam, seu quisquis ex prædictorum ordine vxorem sibi elegerit expetendam, non amplius vnusquisque in puellæ vel mulieris nomine dotis titulo conferat vel conscribat, quam quod decimam partem rerum suarum esse constiterit. Quod si contigerit, vt quicunque parentum pro filio suo, in nurus suæ nomine, dotem conscribere debeat: eodem modo de eo, quod eidem filio post obitum parentum suorum in portione euenire poterat, decimam exinde partem per dotis titulum conferat, quod mulier vel puella nuptiis traditura optineat. Atque insuper decem pueros decemque puellas & caballos xxx. seu in ornamentis quātum mille solidorum valere summam constiterit, sit illi conscribendi dandique cōcessa libertas. Ita vt de his omnibus rebus in coniugio mulier assumpta, si non reliquerit filios, facere quod voluerit liberam se nouerit habere licentiam: aut si intestata discesserit, ad maritum, aut ad propinquos mariti heredes eadem donatio redeat. Nec erit vltra licitum puellæ parentibus, seu etiam puellæ vel mulieri, ab sponso vel ab sponsi parentibus plus quicquam petere, vel in suo nomine conscribendum optare, nisi quantum nunc legis huius institutio continet. Aut si fortè iuxta quod & legibus Romanis recolimus fuisse decretum, tantum puella vel mulier de suis rebus sponso dare elegerit, quantum sibi ipsa dari popofcerit. Quod si forsitan præuentus sponsus scripturæ alicuius vel sacramenti vinculo nuptiarum tempore alligetur, amplius se sponsæ daturum, quam quod hac lege constat esse permissum, id postea ipse conuellere, & in iuris sui potestatem reducere, libero potietur arbitrio. Si autem iuramenti reuerentia pauidus, aut vt assolet negligentia deditus, quod amplius sponsæ dederat reuocare aut euacuare noluerit vel nequiuerit, non oportebit vnius tepiditate multis ad futurum damna nutriri. Sed dum sponsi parentes vel propinqui tale factum agnouerint, vniuersaque, plus quam supra taxatum est, sponsæ conlata sunt, suo iuri absque cuiusquā præiudicio perenniter vindicabunt. Certè si iam vir vxorem habens, transacto scilicet anno, pro dilectione vel merito coniugalis obsequii, ei aliquid donare elegerit, licentiam incunctanter habebit. Nam non aliter infra anni circulum maritus in vxorem, seu mulier in maritum excepta dote, vt prædictum est, aliam donationem conscribere poterint, nisi grauati infirmitate periculum sibi mortis imminere perspexerint. De cæteris vero qui nubendi voluntatem habuerint, salubri etiam proposito prouidendum decernendum-

que curauimus: vt qui in rebus omnibus decem millium solidorum dominus esse dinoscitur, ad mille solidos rerum vniuersarum comprobatione habita, in nomine sponsæ suæ dotem conscribat. Cui autem mille solidorum facultas est, de centum solidis talia de ratione dotem facturus est. & sic ista constitutio dotalis tituli ab vltima vsque ad summam omni controuersia sopita perueniat. Data & confirmata hęc lex pridie Idus Ianuarii, anno feliciter tertio regni nostri, in dei nomine Toleto.

VI. ANTIQVA.

Vt dotem puellæ pater exigat & conseruet.

DOtem puellæ traditam pater exigendi vel conseruandi ipsi puellę habeat potestatem. Quod si pater aut mater defuerint, tunc fratres, vel proximi parentes, dotem quam susceperint, ipsi consorori suę ad integrum restituant.

VII. ANTIQVA.

Vt patre mortuo, vtriusque sexus filiorum coniunctio in matris potestate consistat.

PAtre mortuo, vtriusque sexus filiorum coniunctio in matris potestate consistat. Matre vero mortua, aut si ad alias nuptias forte transierit, fratres eligāt cui dignius puer vel puella iungatur. Quod si fratres eius ętatis non fuerint, vt eorum iudicio debeat germanus aut germana committi; tunc patruus de coniunctione eorum habeat potestatem. Certe si germanus iam adulescentię habet ætatem, & proximorum renuit sollicitudinem, sit illi potestas condignam sibi coniunctionis quærere copulam. De puella vero, si ad petitionem ipsius, is qui natalibus eius videtur æqualis accesserit petitor, tunc patruus siue fratres cum proximis parentibus conloquantur, si velit suscipere petitorem: vt aut communi voluntate iungatur, aut omnium iudicio denegetur.

VIII. ANTIQVA.

Si fratres nuptias puellæ differant, aut si puella impudicè nuptias præsumat.

SI fratres nuptias puellæ sub ea conditione suspendant, vt ad maritum illa confugiens iuxta legem portionem inter fratres suos de bonis parentum non possit accipere, & bis aut tertio remouerint petitorem: puella quia fratrum calliditate perspecta maritum natalibus suis æqualem crediderit expetendum, tunc integram à fratribus, quæ ei de parentum hæreditate debetur, percipiat portionem. Quod si rursum nil fratres contra sororem meditentur aduersum, & idcirco morentur vt sorori prouideant digniorem; & illa honestatis suæ oblita, personæ suæ non cogitans statum, ad inferiorem forte maritum deuenerit: portionem suam, siue diuisam siue non diuisam, quam de facultate parentum fuerat consequuta vel consequutura, amittat. In fratrum vero & sororum & aliorum parentum hæreditatem ingrediendi ei concedimus potestatem.

VIII. FLS. RCDS. REX.

Ne sine dote coniugium fiat, & vt de quibuscunque rebus dos conscripta fuerit firmitatem optineat.

NVptiarum opus in hoc dinoscitur habere dignitatis nobile decus, si dotalium scripturarum hoc euidenter præcesserit † manus. Nam vbi dos nec data est nec conscripta, quod testimonium esse poterit, in hoc coniugio dignitatem futuram: quando nec coniunctionem celebratam publica roborat dignitas, nec dotalium tabularum hanc comitatur honestas? Proinde cùm quisquis aut pro se, aut pro filio, aut etiam proximo suo coniunctionis copulam appetit: aut de rebus propriis, aut de principum dono conlatis, aut de quibuscunque iustis profligationibus conquisitis iuxta modum legis datæ conscribendi dotem habeat potestatem. Quodcunque autem legitimè in dote conscripserit, modis omnibus plenum robur habebit.

† munus.

II. Titul.

DE NVPTIIS INLICITIS.

V. Si

v. *Si quicunque seruo alieno ancillam suam, vel seruo suo alienam coniungat ancillam.*
vi. *Si mulier absente viro alium sibi maritum assumat.*
vii. *Si domini seruos suos esse mentientes ingenuos, mulieribus eos coniungant ingenuis.*
viii. *Si absque voluntate parentum mulier ingenua marito sese coniungat ingenuo.*

I. ANTIQVA.

Si post mortem mariti infra annum mulier nubat.

SI qua mulier, post mortem mariti sui, se cum alio infra annum coniunxerit, vel adulterium fecerit, medietatem rerum suarum filii sui ex priori cõiugio procreati recipiant. Aut si filii desunt; alii propinquiores heredes defuncti viri per iudicis instantiam, ipsarum rerum consequantur medietatem. Quam idcirco mulierem præcipue huic volumus subiacere dispendio: ne hæc quæ à marito grauida relinquitur, dum immoderato desiderio ad secundi cõiugii vota festinat, vel adulterium perpetrat, spem partus sui priusquã nascatur extingat. Illas tantumdem à legis huius sententia iubemus manere indempnes, quas principalis auctoritas, infra tempus hac lege constitutum, cuilibet in coniugio decreuerit copulandas.

II. ANTIQVA.

Si mulier ingenua seruo vel liberto proprio sese coniungat vel commisceat.

SI mulier ingenua seruo suo vel proprio liberto se in adulterio commiscuerit, aut forsitan eum maritum habere voluerit, & ex hoc manifesta probatione cõuincitur, occidatur. Ita vt adulter & adultera ante iudicem publice fustigentur & ignibus concrementur. Cũ autẽ per reatũ tam turpis admissi, quicunq; iudex in quacunq; regni nostri prouincia cõstitutus, agnouerit dominã seruo suo siue patronã liberto fuisse coniunctã; eos separare non differat: ita vt bona eiusdem mulieris, aut si sunt de alio viro, idonei filii euidenter obtineant, aut propinquis eius legali successione proficiant. Quòd si vsque ad tertium gradum defecerint heredes, tunc omnia fiscus vsurpet. ex tali enim cõsortio filios procreatos constitui non oportet heredes. Illa verò, seu virgo siue vidua fuerit, pœnam excipiat superius comprehensam. Quod si ad altaria sancta confugerit; donetur à Rege, cui iussum fuerit perenniter seruitura.

III. ANTIQVA.

Si mulier ingenua seruo alieno, seu ingenuus ancillæ alienæ sese coniungat.

SI mulier ingenua seruo alieno, siue Regis se in matrimonio sociauerit, siue etiam per adulterium iungere præsumpserit; statim vbi primum hoc iudex agnouerit, eos ad separandum festinare non differat, vt pœnam quam merentur excipiant. hoc est singuli eorum centena flagella suscipiant. Et si post hanc contradictionem se iterum coniunxerint, eos iudex comprehendi iubeat, & in sua præsentia exhiberi: vt vnicuiq; eorum iteratim centena flagella imponere non desistat. Quòd si tertia vice se separare noluerint, similiter centena flagella eis imponi iubemus, & ipsa mulier parentibus suis in potestate tradatur. Quòd si postmodum eam parentes retrorsum dimiserint, sit ancilla domino eius serui. Filii tamen & quandocunq; & quanticunq;, qui ex ea iniquitate fuerint procreati, conditionem patris sequantur, vt in seruitio permaneant. Facultatem verò mulieris propinqui sui legali successione conquirant. Quòd si hi qui de tali contubernio extiterint geniti, per triginta annos per testem legitimum se ingenuos mansisse docuerint, à seruitutis cathena soluti, ingenuitatis se gaudeant titulo decorari. Si tamen parentes illorum infra illud tricennium, quo filii ipsorum se ingenui esse probauerint, nihil de conditione seruitutis dominis suis persoluerint, vnde ipsi filii eorum videantur obnoxii seruituti, ipsam autem legem præcepimus custodiri. Et de viris ingenuis, qui regias ancillas, vel etiam cuiuscunque habuerint copulatas conditionis, vt hæc forma seruetur.

IV. ANTIQVA.

Si mulier liberta seruo alieno, vel libertus ancillæ se societ.

SI mulier liberta seruo alieno sese coniunxerit, aut in matrimonio sociauerit, cõtesteturei tertiò dominus serui, præsentibus tribus testibus; vt ab hac coniunctione discedat. Et post trinam commonitionem vel contestationem; si se separare noluerit; sit

ancilla domino eius, cuius seruo se coniunxit. Si verò non contestata fuerit, antequam filii nascantur, illa in libertate permaneat. Agnatio autem serui domino deputetur: quia liberi esse non possunt, qui ex tali cōditione nascūtur. Similis & de manumissis viris, qui se cum ancillis alienis miscuerint, huius legis forma seruetur. Nam si cum domini volūtate & permissione seruo alieno manumissa se fortè coniunxerit, & cum ipso domino serui placitum fecerit, omnino placitum ipsius iubemus stare.

V. FLS. GLS. RCHDS. REX.

Si quicunque seruo alieno ancillam suam, vel seruo suo alienam coniungat ancillam. 1

QVicunque ancillam suam seruo alieno sine conscientia domini sui vxorem dederit, & hoc certis probationibus inueniatur; dominus serui ancillam ipsam cum filiis sibi omnimodis vindicabit. Similiter & de illis ordinamus qui seruo suo ancillā alienam coniunxerint, vt conditionis hæc forma seruetur.

VI. ANTIQVA.

Si mulier absente viro suo alium sibi maritum assumat.

NVlla mulier absente viro suo, alteri viro se præsumat coniungere, vsque dum de viro suo certis cognoscat indiciis si verè mortuus fuerit. Quòd similiter & ille in- 2
quirat, qui eam sibi vult in coniugio copulare. Si verò hoc facere distulerint, & sic se inlicita præsumptione coniunxerint, & postmodum prior maritus reuersus fuerit, ambo in eius potestate tradantur: vt quid de eis facere voluerit, seu vendendi, siue quid aliud faciendi, habeat potestatem.

VII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si dominus seruos esse mentientes ingenuos mulieribus eos coniungat ingenuis.

REsistendum est prauorum ausibus, ne prauitatis amplius frena laxentur. Plerique enim studio cupiditatis illecti solent interdum mulieres ingenuas puellasque prauè 3
decipere, & simulantes ad tempus seruos suos esse ingenuos, hortantur eas maritos illos accipere, quos postea natis prolibus in seruitutem facilè possunt redigere. Vt ergo fraudis huius aditus extirpetur, præsenti iugiter mansura lege sancimus: vt deceptores rei istius manifestè detecti crimine notentur infamiæ, & illi quos sub nomine ingenuitatis antedictis personis repperiuntur associasse, sic ingenui cum filiis suis perenniter maneant, sicut eos ipsorum domini ingenuos professi iam antea fuerant. Sed & res omnes à tempore nuptiarum acceptas seu promissas, mulier vel puella sibimet vindicabit, si per idoneam probationem conuicerit, maritum de quo agitur sub ingenuitatis spe sibi sociatum fuisse. Certè si puella vel mulier, aut etiam ipsorum parentes, id quod prædictum est, ita factum approbare nequiuerint, seruos pariter & eorum filios vnà cum rebus om- 4
nibus indubitanter petitor optinebit. Hic & de illis ancillis ordo seruandus est, quæ viris ingenuis tali noscuntur fraude esse coniunctæ. Nam & de libertis, quos ita constiterit copulatos existere cum ancillis aut seruis, huius seruanda erit sanctio legis.

VIII. ANTIQVA.

Si absque voluntate parentum mulier ingenua marito sese coniungat ingenuo.

SI puella ingenua ad quemlibet ingenuum venerit ea conditione, vt eum sibi maritū acquirat; priùs cum puellæ parentibus conloquatur: & si obtinuerit, vt eam vxorem habere possit, precium dotis parentibus eius, vt iustum est, impleatur. Si verò hoc non potuerit optinere, puella in parentum potestate consistat. Quòd si absque cognitione & 5
consensu parentum eadem puella sponte fuerit viro coniuncta, & eam parentes in gratiam recipere noluerint; mulier cū fratribus suis in facultate parētum non succedat, pro eo quòd sine voluntate parentum transierit pronior ad maritum. Nam de rebus suis si aliquid ei parentes donare voluerint, habeant potestatem. Ipsa quoque de donatis & proflicatis rebus, faciendi quod voluerit libertatem habeat.

III. TITVL.

DE RAPTV VIRGINVM VEL VIDVARVM.

I. *Si ingenuus ingenuam rapiat mulierem licet illa virginitatem perdat, iste tamen illi coniungi non valeat.*

II. Si

I. ANTIQVA.

Si ingenuus ingenuam rapiat mulierem, licet illa virginitatem perdat, iste tamen illi coniungi non valeat.

SI quis ingenuus rapuerit virginem vel viduam: si, antequam integritatem virginitatis aut castitatis amittat, puella vel vidua potuerit à raptu reuocari, medietatem rerum suarum ille qui rapuit perdat, ei quam rapuerit consignandam. Si verò ad immunditiam quam voluerit raptor potuerit peruenire, in coniugio puellę vel viduę mulieris quam rapuerit per nullam compositionem iungatur; sed cum omnibus rebus suis tradatur ei cui violentus fuit, & ducentos insuper in conspectu omnium publicè ictus accipiat flagellorum, & careat ingenuitatis suæ statu, parentibus eiusdem cui violentus extiterit, aut ipsi virgini vel viduæ quam rapuerit, in perpetuum seruiturus: ita vt ad eius quam rapuerat coniugium nullo vnquam tempore redeat. Quòd si factum fortasse constiterit, quicquid de raptoris rebus pro contumelia sua perceperat, vnà cum ipso raptore amittat, illis proculdubio parentibus profutura, quorum hoc negotium fuerit exequutum instantia. Quòd si vir de alia vxore filios habens legitimos, raptum postea fecisse conuincitur, ipse videlicet solus in eius quam rapuit seruiturus potestate tradatur. Res tamen raptoris, filii eius legitimi optinebunt.

II. ANTIQVA.

Si à potestate raptoris puellam parentes eripere potuerint.

SI parentes mulierem vel puellam raptam excusserint, ipse raptor parentibus eiusdem mulieris vel puellæ in potestate tradatur, & ipsi mulieri penitus non liceat ad eundẽ virum se coniungere. Quod si facere præsumpserit, ambo morti tradantur. Si certè ad episcopum vel altaria sancta confugerint, vita concessa omnimodis separentur, & parentibus raptæ seruituri tradantur.

III. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si consentiant raptori parentes de disponsata puella.

SI parentes raptori consenserint, pretium filiæ suæ quod cum priore sponso definisse noscitur, in quadruplum eidem sponso cogantur exsoluere. Idem verò raptor legibus sponso inexcusabiliter maneat abdicatus.

IIII.

Si fratres, viuo aut defuncto patre, consentiant raptori sororis.

SI viuo patre fratres raptori consenserint, aut in raptu sororis conscii conprobantur, excepta morte, dampnum quod de raptoribus est constitutum excipiant. Si verò post obitum patris fratres sororem suam raptori tradiderint, vel raptori leuandam consenserint, pro eo quod eam vel vili personæ, vel contra voluntatem suam nuptui tradiderint, cuius etiam honorem debuerant exaltare, medietatem facultatis suæ amittant, ipsi nihilominus sorori tradendam: & insuper in præsentia aliorum à iudice quinquagena flagella suscipiant, vt hoc alii terrore commoti formident. Adiutores vero raptoris qui cum ipso fuerint, disciplinam accipiant, sicut est in lege alia constitutum. Raptor

autem inexcusabiliter superiori lege, & in rebus, & in status sui dignitate dampnetur.

V. ANTIQVA.

Si quicunque rapiat alienam sponsam.

SI alienam sponsam quicunque rapuerit, de raptoris ipsius facultatibus medietatem puellæ, aliam vero medietatem sponso iubemus addici. Quod si minimam aut nullam habeat facultatem, is quem suprà memorauimus, cum omnibus quæ habuerit tradatur ad integrum: ita vt venundato raptore de eius pretio æquales habeant portiones. Ipse autem raptor, si peractum scelus est, puniatur.

VI. ANTIQVA.

Si quispiam de raptoribus occidatur.

SI quispiam de raptorib. fuerit occisus, ille qui percussit ad homicidium non teneatur, quod pro defendenda castitate commissum est.

VII. ANTIQVA.

Infra quod tempus liceat accusare raptorem, & si parentibus vel puellæ cum raptore conueniat.

RAptorem virginis vel viduæ infra xxx. annos omnino liceat accusare. Quod si cum puellæ parentibus, siue cum eadem puella vel vidua, de nuptiis fortasse conuenerit, inter se agendi licentia negari non poterit. Transactis autem triginta annis omnis accusatio sopita manebit.

VIII. FLS. CHDS. REX.

Si serui mulierem ingenuam rapuerint.

AEquitatis opportunitas exigit legem ponere sequuturis, vnde dubitationis occasio inter præsentes occurrit. Serui igitur si sciente domino vel iubente raptum facere præsumpserint, ad omnem legalem satisfactionem seruorum dominus iudicis instantia compellendus est. Quod si extra voluntatem domini, serui talia perpetrauerint, iudicis † idem sententia comprehensi, ac decaluationis fœditate mulctati, trecenteni insuper singuli flagellorum ictibus verberentur. Ille tamen seruus, qui ingenuæ mulieri per rapinam copulari quæsiuit, pœnali sententiæ subiacebit.

† eiusdem instantia.

VIIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si seruus mulierem libertati traditam rapuerit.

SI seruus libertam rapuisse detegitur, quoniam iam non vnius conditionis esse noscuntur, ideo, si idoneus seruus est, qui talia commisisse detegitur, & idoneam libertam rapuisse inuenitur: si voluerit dominus eius, c. solidos pro eo componat: si certè noluerit, eundem seruum tradere non desistat, ita vt ipsi mulieri vltra non liceat eundem raptorem sibi in coniugio copulare. Quòd si ad eius aliquando coniugium venerit, & filii exinde fuerint procreati; dominus ille, cuius seruus rapti crimen admiserat, & seruu& agnationem sibi vindicet seruituram. Sin autem rusticus aut vilissimus seruus esse noscatur, & similem libertam rapuisse cognoscitur; quantum ipsum seruum valere constiterit, tantum pretium dominus serui prædictæ mulieri persoluere procurabit. Ipse verò seruus, centenis flagellorum ictibus verberatus, ac turpiter decaluatus, in potestate domini sui erit perpetim permansurus.

X. FLS. CHDS. REX.

Si seruus ancillam alterius rapuerit.

SI seruus ancillam iuris alieni rapuerit, ducentorum flagellorum verberibus cæsus ac decaluatus; ab ancilla etiam, si dominus ancillæ voluerit, absque dubio separetur.

XI. FLS. CHDS. REX.

De sollicitatoribus filiarum & vxorum alienarum vel etiam viduarum, ac de his qui puellam aut viduam ingenuam absque regio iussu violenter dare marito præsumpserint.

OMne quod honestatem vitę commaculat, legalis necesse est vt censura coerceat. Idcirco sollicitatores adulterii vxorum vel filiarum alienarum, atque viduarum

ve

vel sponsarum, si per ingenuum vel ingenuam, seu per seruum aut ancillam, atque etiam libertam aut libertum, mox manifestis indiciis talium scelerum mandata deferentes patuerint, cum eis etiam à quibus missi fuerint, iudicis instantia comprehensi, in eius potestate tradantur, cuius vxorem vel filiam vel sponsam sollicitasse reperiuntur: vt illi quoque de his quod voluerit sit iudicandi libertas; quem coniugalis ordo, vel parentalis propinquitas, huius vltorem criminis legaliter esse demonstrat. Illi quoque qui puellam ingenuam vel viduam absque regia iussione marito violenter præsumpserint tradere, quinque libras auri ei cui vim fecerint, cogantur exsoluere: & huiusmodi coniugium, si mulier dissentire probatur, irritum nihilominus habeatur.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De ingenuis atque seruis quos in raptu interesse constiterit.

QVi in raptu interfuisse cognoscitur, si liber est, sex auri vncias reddat, & quinquaginta ictus flagellorum publicè extensus accipiat. Nam si seruus fuerit, & sine domini voluntate hoc fecerit, c. publicè flagella suscipiat. Quòd si seruus in raptu interfuerit cum domini voluntate: dominus ita pro eo componat, sicut & de ingenuis est constitutum.

IIII. TITVLVS.

DE ADVLTERIIS.

I. ANTIQVA.

Si connibente aut non connibente vxore cum alio viro adulterium fiat.

SI quis vxori alienæ adulterium intulerit violenter, si ipse adulter filios habens legitimos talia perpetrauerit, ipse solus absque rebus addicatur marito mulieris. Si autem filios legitimos non habuerit quibus facultas sua deberi legitimè possit, cum omnibus rebus suis in potestatem mariti mulieris deueniat, vt in eius potestate vindicta consistat. Quod si mulieris fuerit fortasse consensus, marito similis sit potestas de his faciendi quod placet.

II. ANTIQVA.

Si puella vel mulier disponsata adulterasse reperiatur.

SI inter sponsum & sponsæ parentes, aut cum ipsa forsitan muliere quæ in suo consistit arbitrio, dato precio, & sicut consuetudo est, ante testes facto placito, de futuro coniugio, aut cum parentibus eius quibus lex potestatem tribuit, facta fuerit definitio, & postea puella vel mulier adulterium commisisse detegatur, aut fortasse alteri viro se dispondisse, vel in coniugio sociasse probatur, vna cum adultero siue iniusto marito,

vel ſponſo illicito, quem ſibi contra priorem definitionem ſociare præſumpſit, in poteſtate prioris tradantur ſponſi, cum rebus ſuis omnibus ſeruituri: ſi tamen filios de priori coniugio adulter ille vel tranſgreſſor ſeu mulier ipſa non habuerit. Quod ſi filios legitimos habere probantur, tunc omnes res ad eoſdem filios pertinebunt. Ipſi tamen, id eſt, tam mulier ipſa ſcelerata, quam etiam vir ille qui illam adulteraſſe, vel ſponſaſſe, vel in coniugio ſibi ſociaſſe dinoſcitur; in poteſtate illius cui primum prædicta mulier pacta fuerat, ſeruituri tradantur: vt de his quod voluerit faciendi habeat poteſtatem, & pretium ad illum ſponſum qui dederat, reuertatur.

III. ANTIQVA.

De adulterio vxoris.

SI cuiuslibet vxor adulterium fecerit, & deprehenſa non fuerit, ante iudicem competentibus ſignis & indiciis maritus accuſet. Quod ſi mulieris adulterium manifeſte patuerit, adulter & adultera ſecundum ſuperioris legis ordinem ipſi tradantur: vt quod de eis facere voluerit in eius proprio conſiſtat arbitrio.

IIII. ANTIQVA.

Si adulter cum adultera occidatur.

SI adulterum cum adultera maritus vel ſponſus occiderit, pro homicida non teneatur.

V. ANTIQVA.

Si pater vel propinqui in domo adulteram occiderint filiam.

SI filiam in adulterio pater in domo ſua occiderit, nullam pœnam aut calumniam incurrat. Si certe eam reſeruare voluerit, faciendi de ipſa & adultero quod voluerit, habeat poteſtatem. Similiter & fratres ſiue patrui, poſt obitum patris, faciendi habeant poteſtatem.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod ſerui præuentos adulteros occidere non iubentur.

SIcut parentibus in domo repertos adulteros necare conceditur, ita præuenti à ſeruis perimi non iubentur: ſed cum eos ſerui repererint, ſub honeſta cuſtodia teneant, donec aut domino domus, aut iudici præſentandos exhibeant, & detectos certis indiciis legalis pœna percellat.

VII. ANTIQVA.

Si puella vel vidua ad domum alterius pro adulterio venerit, eamque vir ipſe coniugem habere velit.

SI puella ingenua ſiue vidua ad domum alienam adulterii cauſa venerit, & ipſam ille vxorem habere voluerit, & parentes, vt ſe habeant, acquieſcant; ille pretium det parentibus quantum parentes puellæ velint, vel quantum ei cum ipſa muliere conuenire potuerit. Puella vero de parentum rebus nullam inter fratres ſuos, niſi parentes voluerint, habeat portionem.

VIII. ANTIQVA.

Si mulier ingenua ſponte adulterio cuicunque ſe miſceat viro.

SI ingenua mulier cuicunque viro ſe adulterio volens miſcuiſſe detegitur: ſi eam ipſe vxorem habere voluerit, habeat poteſtatem: ſi autem noluerit, ſuæ imputet culpæ quæ ſe adulterio volens miſcuiſſe cognoſcitur.

IX. ANTIQVA.

Si mulier ingenua alterius marito ſeſe adulterii † iungat ſtupro.

† *miſceat.*

SI qua mulier ingenua marito alicuius adulterio ſe ſociauerit, & ex hoc manifeſtis indiciis & probatione conuincitur, addicatur vxori, cuius marito ſe miſcuit, vt in ipſius poteſtate vindicta conſiſtat.

X. ANTIQVA.

Pro adulterio torquendos ſeruos & ancillas in capite dominorum.

PRo cauſa adulterii etiam in domini domineve capite ſerui vel ancillæ torquẽdi ſunt vt veritas & certiùs poſſit inueniri, & indubitanter agnoſci.

XI

XI. ANTIQVA.

Si pro celando adulterii scelere mancipium libertati tradatur.

SI quis pro occultanda veritate, mancipium manumittat, ne possit pro adulterii probatione torqueri, libertas data non valeat.

XII. FLS. CHDS. REX.

De adulterorum coniugum rebus.

PRæteritæ quidem legis sanctione constitutum recolimus, adulteram mulierem pariter & adulterum marito eius tradi debere. Tamen quia de rebus eorum sæpe iudices dubitare contingit, ideo specialiter decernere necessarium extitit: vt si vxoris adulterium proponente viro manifeste patuerit, & tam adultera quam adulter de priori coniugio legitimos filios non habuerint, omnis eorum hæreditas marito mulieris adulteræ cum personis pariter addicatur. Certe si filios legitimos de priori coniugio adulter habuerit, ipsis eius hæreditas ex omnibus pertinebit, & huius tantum persona marito adulteræ subiacebit. Vxor autem adultera, si de priori coniugio & de postremo legitimos filios habere dinoscitur, sequestrata filiis de priore coniugio portione, & in eorum potestate relicta, sic suorum filiorum, ex eadem quæ postmodum in adulterio conuincitur coniuge creatorum, maritus eius portionem optineat, vt post suum obitum eisdem filiis possidendam relinquat: ita tamen, vt postquam vxor adultera in potestatem fuerit mariti redacta, nulla sit illi vlterius vel fornicandi cum illa, vel in coniugio illam sibi sociandi licentia. Nam si fecerit, ipse quidem de rebus eius nil habiturus est. Omnis tamen mulieris facultas, aut filiis eius legitimis, aut, si filii defuerint, heredibus mulieris ex toto proficiat. Similis ratio & de sponsatis forma seruetur.

XIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De personis quibus adulterium accusare conceditur & qualiter perquiri vel conuinci iubetur.

SI perpetratum scelus legalis censura non reprimit, sceleratorum temeritas ab adsuetis vitiis nequaquam quiescit. Ideoque quia quorundam interdum vxores viros suos abominantes, seseque adulterio polluentes, ita potionibus quibusdam, vel maleficorum factionibus, eorundem virorum mentes alienant atque præcipitant, vt nec agnitũ vxoris adulterium accusare publice vel defendere valeãt, nec ab eiusdem adulteræ coniugis consortio vel dilectione discedant: id in causis talibus omnino seruandum est, vt si eiusdem adulteræ, vel decepti mariti ætate sunt legitimi filii, ipsis iuxta quod maritus adulteræ requirere poterat, sit apud iudicem mulieris adulterium accusandi vel comprobandi licentia. Certe si aut filii desunt, aut non eiusdem ætatis vel solertiæ qui hoc expedire legitime possint, ne fortasse, dum dilatio vlciscendi adulterii intercedit, aut deceptum maritum fraudulenter adultera perimat, aut facultas eius filiis suis vel propinqui ex hac occasione depereat, propinquis mariti adulteræ sub hac discretionẽ accusandi adulteram lex ista constituit: vt si accusationis huius fiduciam assumentes, adulterium mulieris eorum inquisitione coram iudice manifestè patuerit, tunc adulter siue etiam adultera, qui hoc scelus conuicti fuerint commisisse, cum omnibus rebus suis illi †incunctanter tradendi sunt seruituri, qui hanc † causationem secundum institutionem legis visi fuerint iustissime prosequi, saluis tantùm animabus, quas ad lamenta penitentiæ pietatis indulgentia reseruamus. ea tamẽ quæ in *detrũcatione vel flagello corporis in eis impertire voluerint, licentiam per huius legis sanctionem decernimus. Veruntamen, tam eiusdem adulteræ filii ex ipso iam tempore, quo conuicta fuerit tale facinus perpetrasse; quàm etiam propinqui sui, post eius viri obitum, si filii defuerint, adulteræ mulieris optineant facultatem. Si autem filii post eius obitum superstites extiterint, & tamen aut non eiusdem ætatis, aut non talis experientiæ, qui mulieris adulterium accusare vel conuincere competenter intendant; tunc ille propinquus mariti, qui manifestum mulieris adulterium vltus fuerit, quintam partem facultatis adulteræ pro labore suo percipiat: quatuor autem partes ad integrum prædictorum filii sibi vindicent ac defendant. Nam si aut propinquorum in hac parte tepiditas, aut filiorum negligentia, vel fortassis muneris acceptio, vtrosque corrumpens, minime fuerit eadem

† cõcitẽ

†causam, al. accusationem.

*damnatione, vel

actio à talibus personis quæsita; dum ad regiam cognitionem eadem causa peruenerit, ipse proculdubio pro mercede sua constitutus est vel à quo debeat tale negotium prosequi, vel quantum persequutor de rebus sceleratæ mulieris pro commodo sui laboris incunctanter consequi possit. Verùm quia difficile fieri potest, vt per liberas personas mulieris adulterium indagetur, dum frequenter hoc vitium occulte perpetrari sit solitum: proinde quando ad conuincendum adulterium accusatæ mulieris ingenuitas omnino defuerit, prædictis personis quibus eius adulterium accusare præsenti lege permissum est, hoc etiam aperte licitum erit, vt per quæstionem familiæ vtriusque domini accusare mulieris adulterium coram iudice iustissimè requiratur.

XIIII. ANTIQVA.

Si ingenuus siue seruus virginem aut viduam ingenuam violenter polluisse adulterio detegatur.

SI virginem quisque vel viduam ingenuam violenter adulterandam compresserit, vel stupri forsitan commixtione polluerit: si ingenuus est, c. flagellis cæsus, illi continuo cui violētus extitit seruiturus tradatur: seruus verò cōprehensus à iudice ignibus concremetur. Ingenuus tamen pro huiusmodi scelere traditus, nullo vnquam tempore ad eius quam compressit vel stuprauit, peruenire coniugium admittatur. Quòd si hęc ipsa mulier quæ violentiam pertulit, postea eum sibi traditum seruum acceperit, aut qualibet occasione eum sibi in coniugio copulare præsumpserit; tunc ipsa mulier, turpissimæ factionis suæ sentiens damna, cum omnibus rebus suis propriis hæredibus seruitura subiaceat.

XV. ANTIQVA.

Si ingenuus siue seruus sciente aut nesciente domino alienam consentientem adulterasse conuincitur ancillam.

SI extra domum domini sui se adulterio volens ancilla miscuisse conuincitur, ancillam tantummodo iudicandi dominus habeat potestatem. Si vero ingenuus aut seruus cum ancilla ex consensu in domo domini ancillæ reperiantur talia commisisse: ingenuus quidem pro idonea ancilla absque infamia centum verbera ferat, pro inferiori vero quinquaginta: seruus autem cl. flagella suscipiat.

XVI. ANTIQVA.

De adulterio ancillæ, si cum adultero violenter id fecisse † conuincitur.

†*probetur.*

SI ancillam quicunque violenter compresserit alienam, eamque adulterauerit, & ve[l] in domo domini sui fuerit comprehensus, vel in quocunque loco violentus exti[ti]sse conuincitur, seruus quidem ducentos ictus accipiat flagellorum: ingenuus ver[o] quinquaginta, & insuper xx. solidos ancillæ domino coactus exsoluat. Dominus ta[men], si id seruo faciendum iussisse probatur, superiori ingenuorum & dampno & fla[gello] subiaceat.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De meretricibus ingenuis vel ancillis, aut si earum scelus iudices perquirere vel corrigere recusent.

SI aliqua puella ingenua siue mulier, in ciuitate publicè fornicationem exercens, me[re]trix agnoscatur, & frequenter deprehensa in adulterio, nullo modo erubescen[s] iugiter multos viros per turpem suam consuetudinem attrahere cognoscitur, hui[us]modi à Comite ciuitatis comprehensa trecentenis flagellis publicè verberetur, & di[s]cussa ante populum dimittatur: sub ea conditione, vt postmodum in turpibus viti[is] nullatenus deprehendatur, nec vnquam in ciuitatem ei veniendi aditus detur. Et [si] postmodum ad pristina facta rediisse cognoscitur, iteratim à Comite ciuitatis trecen[tena] flagella suscipiat, & donetur à nobis alicui pauperi, vbi in graui seruitio perman[e]at, & nunquam in ciuitate ambulare permittatur. Et si fortè contingat, vt cum consc[i]entia patris sui vel matris adulterium admittat, vt quasi per turpem consuetudinem [et] conuersationem victum sibi vel parentibus suis acquirere videatur, & ex hoc pater v[el] mater fuerint pro hac iniqua conscientia fortasse conuicti, singuli eorum centena fl[a]ge[lla]

gella suscipiant. Si vero ancilla cuiuscunque in ciuitate simili conuersatione habitare dinoscitur, à iudice correpta trecētis flagellis publicè verberetur, & decaluata domino reformetur, sub ea conditione, vt eam longius à ciuitate faciat conuersari; aut certè tali loco transuendat, vbi penitus ad ciuitatem accessum non habeat. Quod si forsitã nec ad villam transmittere, nec vendere voluerit, & hęc iterum ad ciuitatem reuersa fuerit, huiusmodi dominus in conuentu publicè l. flagella suscipiat. Ipsa vero ancilla donetur alicui pauperi, cui Rex, vel Iudex, aut Comes eligere voluerint: ita vt postmodum ad eandem ciuitatem illi veniendi aditus non pręstetur. Quòd si contigerit, vt cum domini voluntate adulterium commisisset, adquirēs per fornicationem pecuniam domino suo, & ex hoc publice fuerit conuictus, ipse dominus eundem numerum flagellorum, qui superius de eadem continetur, ancilla suscipiat. Similiter & de ipsis præcipimus custodiri, quæ per vicos & villas in adulterii consuetudine fuerint deprehensæ. Quòd si iudex per negligentiam aut fortasse beneficio retentus, talia vitia requirere, aut contestari, vel distringere noluerit; à Comite ciuitatis c. flagella suscipiat, & xxx. solidos reddat ei cui nobis fuerit ordinatum.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De immunditia sacerdotum & ministrorum.

QVia quanto magis munditiam carnis sacra auctoritas imperat, tanto hanc appetere ipsius ministros eius clamor informat: ideo & nos ponere finem inlicitis ausibus ritè compellimur, quoniam & ipsi diuinis nutibus deuotissimè placere conamur. Igitur quemcunque etiam presbyterum, diaconum atq; subdiaconum, Deo votæ, viduæ pœnitenti, seu cuicunque virgini, vel mulierculæ sæculari, aut coniugio aut adulterio cõmixtum esse euidentissimè patuerit, mox hoc episcopus siue iudex, vt repererint talē commixtionem, disrumpere non retardent. Redacto autem illo in sui pontificis potestatem, sub pœnitentiæ lamenta iuxta sacros canones deputetur. Quam districtionis seueritatem, si pontificum torpor implere neglexerit, idem pontifex duas libras auri fisco persoluat, & commissum malum vindicare non differat. Quòd si corrigere hoc nequiuerit, aut concilium appellet, aut regis hoc auditibus nunciet. Mulieres verò, quæ illis fuerint prędictis immunditiis † implicatæ, centenis flagellis à iudicibus verberentur, † *copulatæ.* & commiscendi se illis aditus omnino denegetur: seruata ab episcopis etiam super hoc celere in vtroque sexu patrum sententia, quæ canonum decretis agnoscitur ordinata. In vlciscendis autem talibus sceleribus non passim damus accusandi vel puniendi licentiam, nisi aut manifestis indiciis patuerit scelus, aut legitimè fuerit idipsum malum accusatum atq; conuictum: quatinus nulla videamur intentione vel ordine patrũ transgredi præcepta sanctorum, aut obuiare sacris regulis antiquorum.

V. TITVL.

DE INCESTIS ET APOSTATICIS ATQVE masculorum concubitoribus.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De coniugiis & adulteriis incestiuis.

Vllus præsumat de genere patris vel matris, aui quoque vel auię seu parentum, vxoris, † fratris etiam desponsatam aut viduam vel propinquorum suorum relictam, sibi in matrimonio copulare, vel adulterio polluere: ita vt vsque ad sextum generis gradum nulli liceat sanguinis propinquitatem libidinose fœdare, vel in coniugio appetere; exceptis illis personis, quas per ordinationem atque consensum principum, ante hanc legem constat adeptas fuisse coniugium: quæ nequaquam per legis huius edictum teneri poterunt ad reatum. Similis & de mulieribus ordo seruandus est. Qui verò contra hanc constitutionem præsumpserint facere, iudex eos non differat separare, vt à tam nefanda pollutione diuisi, iuxta qualitatem sexus, in monasteriis delegentur illic iugiter permansuri. Quid verò de eorum facultatibus obseruari conueniat, subteriùs correctæ legis sententia manifestatur.

† patris.

II. FLS. GLS. RCHDS. REX.

Item de coniugiis & adulteriis incestiuis seu virginibus sacris ac viduis & pœnitentibus, laicali veste vel coitu sordidatis.

VNiuersis prouinciis domino ordinante ad regni nostri ditionem pertinentibus. Noxa præteritorum operum prauitas fecit futuris temporibus legem ponere, & vitiosis facinoribus licentiùs inolitis termino iustitiæ obuiare. Audetur denique à multis, contra diuinæ legis monita vel contra honestos vitæ communis mores, deuotas deo virgines, & continentiam viduitatis cum benedictione sacerdotis iuxta morem canonum profitentes, seu affinitate consanguinitatis coniunctas fœminas, aut violenter, aut per consensum sibi coniuges sumere, & deo dicatam castitatem vel reuerendam generis copulationem, inconcessæ libidinis immunditia sordidare. Quæ temeritas, dum vel à viris vel à fœminis eiusdē professionis admittitur, & castis abhorret morib; & fidē verā impugnat. Zelamus .n. pro veritate zelo dei, atq; Ecclesiā sanctam catholicam, hi fidei nostræ cōmonemus decretis, vt deinceps, sicut & canones Ecclesiastici prohibē nullus deo deuotam virginē, nullus sub religionis habitu consistentē, siue viduitatis cōtinentiā profitentē, seu agentē pœnitentiā, vel sui proximā generis, aut eam de cuius admixtione incestiuæ notam possit subire infamiæ, non licito connubio, aut vi, aut consensu accipiat coniugem. quia nec verum poterit esse coniugium, quod à meliori proposito deducitur ad deterius; & sub falsi nominis copula, incestiua pollutio & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc verò nefas si agere amodo prouinciarum nostrarum cuiuslibet gentis homines sexus vtriusque temptauerint, insistante sacerdote v iudice, etiamsi nullus accuset, omnibus modis separati exilio perpetuo relegentur, ne aliqua in defensione sui, quo vsque vixerint, longitudine temporis excusentur. Eorum verò bona qui talia gesserint, & pro talibus culpis dampna legis huius exceperint, si e de priori coniugio filii defuerint, ipsorum filiis absque infamiæ nota omnino profic ant. quia licet sint scelerate concepti, sunt tamē vnda sacris baptismatis expiati. Quòd filii fortasse defuerint, illi ad capiendam hereditatem succedant, quibus priscarum l gū sanctio legitima successione indulget. Similis quoque de religiosis forma seruabitu quibus nubere canonum sententia prohibetur: illis tantùm feminis ab hac sententi segregatis, quæ violentiam cōiunctionis indebitæ sine præcedenti vel sequenti confessione protulerint. Sacerdotes verò vel iudices, si talia cognoscentes vlcisci fortasse dist lerint, quinas auri libras fisco cogantur exsoluere. Quòd si fortè id redarguere voluerin nec potuerint, regis hoc auditibus insinuare procurent: vt quod eorū non potuit vinc care sententia, principalis dampnet omnino censura.

III. FLS. GLS. CHDS. REX.

De viris ac mulieribus tonsuram & vestem religionis præuaricantibus.

APostaticę calamitatis opprobrium ex hoc merito funditus extirpare compellimu ex quo dominum nobis fore propitium confidimus. Si enim cum minima pecc ta corrigimus, pietatem eius fautricem nobis efficimus; quanto magis, si scelus in di nitate commissum seuerissimæ censuræ falce rescindimus? Ideoque hac in perpetuu valitura lege sancimus: vt quicunque religionis habitum per honorabile † tonsur signum, aut tempore pœnitentiæ susceperint, aut non fraudulenta sed pia pare tum oblatione meruerint, aut propriæ voluntatis deuotione tenuerint, & ad laicale conuersationem postmodum apostatizando redierint, iuxta sententiam canonicam eun

† censura signaculum.

eundem religionis ordinem quolibet prosequente reducantur inuiti, atque infamiæ nota resperli, & in monasteriis perenniter religati, districtori macerentur pœnitentia, corrigendi. Illis tantum supplicio seueritatis huius indulto, quos aut alienæ fraudis coegit impulsio, aut ad ordinis omissi regressum voluntatis propriæ reduxerit votum: si tamen nec vir post hæc vxorem duxerit, nec mulier maritum alterum acceperit. Illos etiam ab hac sententia immunes efficimus, qui sic inualescente langore ad pœnitentiæ vel tonsuræ peruenerint ordinem: vt id se nec accepisse tunc nouerint, nec petisse meminerint. Præuaricantium verò bona, eorum filiis aut propinquis hac discretione pertineant: vt vir habens vxorem, si filios etiam ex eadem habuerit, & donatum aliquid ab ipsa perceperit: si superstes vxor est, ita possideat, vt post suum obitum communibus filiis possidendum relinquat. Certe si aut ipsa discesserit, aut communes filii desunt, proprietatem præuaricatoris viri propinqui eius heredes incunctanter optineant. Nam quod ab vxore quolibet tempore donatum fortasse perceperat, propinquis vxoris heredibus absque dubitatione proficiat. Hæc etiam de feminis omnino seruabitur forma: vt pœnitens virgo vel vidua, si veste religiosa deposita, secularia denuo sumpserint indumenta, aut inierint fortasse coniugia, similis eas & in amissione rerum iuxta superiorem de viris taxatum ordinē, censura redarguat, & districtionis pœna percellat: ita videlicet vt proprietatem feminæ eius filii aut heredes habeant: donationem autem à viro perceptam propinqui mariti, à quo conscripta donatio dinoscitur, deberi sibi cognoscant. Et quoniam apostatizandi præcipitatio fraude potius mulierum sæpissime perpetratur, id etiam oportuit præsenti lege censendum: vt quicquid à viro seu ante nuptias, seu post nuptias, in nomine sponsæ vel vxoris titulo fuerit dotali conscriptum, non mulieris eius heredes, sed heredes eius qui dotem conscripsit, sibimet per omnia nouerint vindicandum. Personis verò talibus accusandi, vel testificandi, atque aliena negotia prosequendi licentiam penitus abnegamus. Quia non poterunt in negotiis secularibus fideles existere, qui deuotionem sanctam ausu comprobantur sacrilego temerasse.

IIII. IN NOMINE DOMINI FLS. GLS. EGIGA. REX.

De speciali viduarum fraudulentia compescenda.

SOlet quarumdam infelicium viduarum astutia fraudem deuotioni admiscere, & permixta vestium † simulate, transgressionis sibi cùm voluerit aditum reserare. Agūt enim tempore luctus sui vt religiosa veste fortè se induant, & postea trangressionis meditantes insaniam, replicatos abintus clauos suis tunicis insuunt, quos induisse sub tali fraudum argumentatione contendunt. Sicque per hoc intuentium fallunt oculos: quia aliud in eis publice videre non possunt, quam quod foris patula omnibus cognitione monstratur. Quapropter v omnis de cætero † simultatis amputetur occasio, id tenendum præsenti sanctione legis decernimus, vt abinceps quæcunq; vidua isto se fraudum argumento excusare voluerit, vt abintus aliud replicet, aliudque ostendat in superficie tunicæ, hoc illi religionis deputetur insigno, quòd ex transgressionis delictis admissa vel adnisa est argumento: quia non quod illa ad transgressionem sibi vsurpat, sed quod intuentium fides clamat, hæc certa, hæc vera religionis approbanda sunt signa. Iam verò vidua quæ deinceps tali se voluerit obiectione defendere, vel excusatione celare, non solum quasi præcisæ vocis huius sustinebit iacturam, sed transgressionis omnimodæ nexibus illigata, constituta canonum & legum non effugiet dampna.

† simulata.

† simulatis.

VIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

De masculorum stupris.

NOn relinquendum est scelus inultum, quod detestādum semper & execrabile morum prauitate censetur. Masculorum ergo cōcubitores, vel ii qui talia consentientes pertulerint, ista sunt legis huius sententia feriendi: vt vti scilicet mox tale nefas admissum iudex euidenter inuestigauerit, vtrosque continuo castrare procuret: & tradens eos pontifici territorii ipsius, vbi id perpetrari contigerit, sequestratim arduæ † mandentur detrusioni, vel inuiti saltem luctui commissa, qui voluntariè perpetrasse noscuntur inlicita. Hoc interim horrendum dedecus, si inferens quisque vel patiens, non voluntarius sed inuitus expiere dinoscitur: tunc à reatu poterit immunis haberi, si nefandi huius sceleris ipse detector extiterit. Ille proculdubio tenendus est ad pœnam, quam in hāc

† al. mancipentur.

† insaniam. sponte deuolutum constat† infamiam. Habentes autem vxores, qui de consensu talia gesserint, facultatem eorum filii aut heredes legitimi poterunt obtinere. Nam coniugi sua tantum dote percepta, suarumque rerum integritate retenta, nubendi cui voluerit, indubitata illi manebit & absoluta licentia.

VI. FLS. RCDS. REX.

De violantibus paternum ac fraternum thorum.

SVperiori quidem lege de propinquorum incestu quid debeat obseruari, decretum est: tamen quia non minoris esse constat sceleris, paternum thorum siue fraternum commaculari, constituentes adiicimus, vt concubinam patris sui vel fratris, aut eam quam scierit patrem suum aut fratrem vel semel adulterasse, seu sit libera siue ancilla, nullus vnquam propinquorum adulterare, præsumat: neque pater adulteratam à filio stupri fœditate aliquatenus polluat. Quòd si talia quisque sciens facere fortasse præsumpserit, facultatem eius, si filios legitimos non habuerit, heredes quos successio expectat optineant. Ipse verò sub pœnitentia relegatus, perennis exilii dampnationem excipiat.

VII.

De sodomitis, qua debeant vltionis sententia perculi.

† regalem. ORthodoxæ fidei ratione compellimur, † legalem censuram in honestis exhibere moribus, & continentiæ freno restringere carnis lapsibus implicatos. Nam tunc potius genti ac patriæ nostræ clementi pietate consulimus, cum & prauorum funditus scelera extirpare curamus, & in male actis vitiorum terminum ponimus. Illud sane facinus detestandę libidinis abrogare contendimus, quibus masculi masculos inlicita stupri actione, immundis sordibus maculare non metuunt, tantique se flagitii coinquinationibus polluunt, quanto ea & diuinis aduersa cultibus & contraria castitati conspicimus. At vero licet huiusmodi lapsus & sacræ scripturæ auctoritas, & mundanæ sanctionis prohibeat omnino censura; nouellæ tamen legis necesse est abrogari sententia, ne dum emendatio opportuna differtur, peioribus crescere vitiis dinoscatur. Et ideo huius legis edicto decernimus, vt quicunque amodo vel deinceps, seu de religiosis siue ex laicis, cuiuslibet ætatis aut generis homo præscripto fuerit scelere quibuscunque indiciis manifeste detectus, mox iubente principe vel quolibet iudice insistente, non solum castrationem virium perferat; sed insuper illam in se iacturam accipiat vltionis, quam pro his causis, nuper, in anno videlicet tertio regni nostri, sacerdotalis decreti promulgata sententia euidenti descriptione deprompsit.

VI. TITVLVS.

DE DIVORTIO ET DISCIDIO SPONSORVM.

I. ANTIQVA.

Si mulier viri sui iuste vel iniuste diuortium patiatur.

MVlierem ingenuam à viro suo repudiatam, nullus sibi in coniugio sociare præsumat. Quod si facere quicunque præsumpserit, mox vt comes ciuitatis, vel vicarius, aut territorii iudex, tale nefas commissum agnouerit: si nobiles fuerint fortasse personæ, quos iudex distringere aut separare non possit, nostris id auditibus confestim publicare non differat: vt seueritatem legis, quam merentur, excipiant. Nam si minoris loci personæ sunt, iudex eos continuò separare nequaquam moretur. Ita vt tam mulier, quæ se adulterio extra voluntatem mariti prioris in coniugium copulauit, quàm etiam ille qui eam sibi assumere vxorem præsumpsit, in potestate tradantur anterioris mariti: vt quid de eis facere voluerit, sui sit incunctanter arbitrii. Si tamen causam inter priorem maritum & vxorem adhuc inauditam manere constiterit, aut si idem maritus alteri se mulieri in matrimonio non coniunxerit. Certe si maritus vxorem iniuste reliquerit, & donationem dotis amittat, quam ei contulerat, eidem mulieri proculdubio profuturam, & de rebus eiusdem mulieris nihil se habiturum esse cognoscat. Sed quicquid etiam de facultate ipsius mulieris vel alienasse vel fraudasse dinoscitur, ad integrum distringente iudice mulieri restituat. Quòd si mulier sub metu viri sui consistens, quo-

quocunque argumento persuasa siue decepta, aliquam de suis rebus, in nomine illius viri qui eam reliquit, scripturam conscripserit, huiusmodi scriptura nullam omnino firmitatem habebit: sed vniuersa, quæ per eandem scripturam mulier dederat, iuri suo perenniter vindicabit.

II. NOV. EMD. FLS. CHDS. REX.

Ne inter coniuges diuortium fiat.

SI alienam coniugem violare, sine crimine non est; quanto magis illam contemnere, quã sponte sua vnusquisque possidendã sortitus est? Quia ergo plerosque tam præcipites habet, vel rerum ambitio, vel effrænata libido: vt quadam fraude, coniugibus suis spretis, alias videantur vxores appetere, constitutionis huius est perenniter forma seruanda. Vt nullus virorum, excepta manifesta fornicationis causa, vxorem suam aliquãdo relinquat; & neque per testem neque per scripturam, siue sub quocunque argumento, facere diuortium inter se & suam coniugem audeat. Sed si adulteram maritus dixerit fortasse redarguendam, iuxta legem aliam, eius publice scelere comprobato, à iudice sibi faciendi de ea quod voluerit, sit illi potestas. Certe si conuersionis ad † dominum voluntas extiterit, communem assensum viri scilicet & mulieris sacerdos euidenter agnoscat: vt nulla postmodum cuilibet eorum ad coniugalem aliam copulam reuertendi excusatio intercedat. Quòd si aliter quisque vxorem suam spernens, quamcunque calliditatem scripturarum ab ea sibi suisque † voluntatibus profuturam exegerit, non solùm tale vinculum quandoque repertum fuerit, nihilominus firmitatem habebit: sed eadem mulier, tam facultatem suam quàm dotem ab ipso viro acceptam sibi in omnibus vindicabit: & si quid aliud facultatis eiusdem pessimi viri fuerit, cunctis eorum filiis ad integrum pertinebit. Quòd si aut communes filii, aut eiusdem viri ex cõiugio præcedenti non fuerint, vniuersam viri facultatem mulier quæ per nequitiam illius à coniugio resoluta est, incunctanter poterit optinere. Et hanc causationem vel accusationem, si mulierem constiterit fortasse defunctam, eius filii in cuiuscunque voluerint proponendi iudicio licentiam habituri sunt: vt reperto tali crimine vir vtique huius sceleris istius legis mulctetur sententia, & omnibus filiis, seu ex eodem pari coniugio, siue ex præcedenti ipsius viri, vt diximus, procreatis, æqualiter facultas eius optinenda patescat. Certè si nec communes filii, nec ex priori ipsius viri coniugio geniti superstites extiterint: & ea forsitan mulier, quæ relicta est, ex priori digno coniugio filios videatur habere, ipsis proculdubio licitum erit maternam vocem asserere: vt eorum instantia cum fuerit, iuxta præsentem legem, scelerati persona damnata, facultatẽ eius indubitanter optineant. Iam verò si prædictarum personarum, vel viri vel mulieris, secundum præfatum ordinem, filii deesse noscuntur; contemptæ mulieris hereditatem tunc recte propinquis eius capiendi licitum erit, si despectum propinquæ vindicaturi, spernentis viri præsumptionem legaliter condemnandam institerint. Maritus autem, qui vel diuortii vel securitatis à coniuge scripturam quamlibet exegerit, seu fortasse non exigens, contempta tamen vxore, aliam sibi vxorem assumpserit, ducentis publice verberibus flagellatus, ac turpiter decaluatione fœdatus, aut perpetuo condemnetur exilio, aut si donare illum cuicunque principis potestas elegerit, in suo consistat arbitrio. Sed & mulier, quæ sciens, aut occasione qualibet agnoscens, virum habere superstitem vxorem, eius vanitati consenserit, vt ipsi se in coniugio copulet, illi protinus mulieri tradenda est. quæ contempta ab eodem marito, quem illa sortita esse dinoscitur: ita vt vita tantum concessa, faciendi de ea quod elegerit, sit illi libertas. Certe si post mulieris obitum, filiorum eius assertione tale nefas fuerit comprobatum; aut si filii desunt, à propinquis heredibus extiterit huius rei negotium persequutum: ipsis similiter præuaricatrix mulier tradatur in potestatem. vt eodem iudicio, quo mulier contempta debuerat, de persona eius, absque mortis interitu, sententiam ferat. Sane, quia per mulieres etiam, huius rei interdum fieri solet scandalum, vt fauore regum vel iudicum, viros proprios spernere videantur: ideoque, si quæcunque mulier, siue principis ope, aut quocunque ingenio, seu cuiuslibet auxilio, intenderit inter se & virum suum diuortium fieri, vel ad alterius viri coniugium transire consenserit; in eiusdem legitimi viri sui cum omnibus rebus suis potestatem redacta, eadem quæ superiùs maritum pœna constringit, vel quæ de rebus eorum est sententia constituta, sceleratæ mulieris damnetur temeritas Similis quoque & de viris forma seruabitur, qui vxorẽ alterius vel spõsam sibi in coniugium sociare præsumpserint. Ea tantũ conditione retenta, vt si mulieris

† al. & eum

† voluptatibus.

maritus, masculorum concubitor approbatur, aut si eandem suam vxorem, ea nolente, adulterandam cuicunque viro dedisse vel permisisse conuincitur, quia tale nefas fieri nequaquã inter Christianos oportet, nubẽdi mulieri alteri viro, si volũtas eius extiterit, nullatenus inlicitum erit. Nam si in coniugio positis, vxore videlicet & marito, maritum fortè constiterit iustè cuilibet seruum addictum; si noluerit mulier manere vel habere illum in coniugali secum consortio, tandiu se nouerit castæ vitæ fræno manere constrictam, nec nubendi alteri viro concedi sibi licentiam, donec eius maritus, de quo dictum est, debitam extremæ vitæ mortem exsoluat.

†RCDS. III. FLS. † CHDS. REX.

Ne inter sponsos discidium fiat.

AEquali placet trangressum damnatione mulctari, quod illæsum æquali præstabat dignitate manere. Igitur iuxta præsentem superiorem legem de viris & mulieribus sponsatis tam in personis quàm in rebus forma seruanda est: qui post arrarũ traditionem, aut factam secundum leges definitionis sponsionem, coniugale fœdus contẽnentes, aliis se personis in coniugium copulauerint, seu sine pari consensu aut ægritudinis fortasse manifesto periculo, ad religionis propositum, calliditate magis quàm deuotione conuersationis, aspirare præsumpserint, superiorem legem præcipimus permanere.

DE ORIGINE NATVRALI, LIBER QVARTVS.

Titulus I.

DE GRADIBVS.

I. ANTIQVA.

De primi gradus natura.

PRIMO gradu continentur superiori linea, pater, mater: inferiori filius, filia, quibus nullæ aliæ personæ iunguntur.

II.

De secundi gradus affinitate.

SEcundo gradu continentur superiori linea, auus, auia: inferiori, nepos, neptis: transuersa, frater & soror. Quæ personæ duplicantur: auus enim & auia, tam ex patre quàm ex matre. Nepos, neptis, tam ex filio quàm ex filia. Frater & soror, tam ex patre quàm ex matre accipiuntur. Quæ personæ sequentibus quoque gradibus similiter per substantiam earum, quæ in quoquo gradu consistunt, ipso ordine duplicantur: & istæ personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur, quia duo aui & paternus & maternus. Item duo genera nepotum sunt, siue ex filio siue ex filia procreati. Frater & soror ex transuerso veniunt, id est, frater patris, aut frater matris, qui aut patruus, aut auunculus nominantur. Qui & ipsi hoc ordine duplicantur.

III.

III.

De tertii gradus parentela.

TErtio gradu veniunt suprà, proauus, proauia, infrà, pronepos, proneptis: ex obliquo, fratris sororisque filius, filia, Patruus & amita, id est, patris frater & soror. Auunculus & matertera, id est, matris frater & soror.

IV.

De quarti gradus consanguinitate.

QVarto gradu veniunt suprà, abauus, abauia: infrà, abnepos, abneptis: ex obliquo, fratris & sororis nepos, neptis. Frater patruelis, soror patruelis. i. patrui filius filiave, Consobrinus, & consobrina, id est, auunculi & materteræ filius, filia, amitinus, amitina, id est, amitæ filius, filia. Itemque consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur. Quibus adcrescit patruus magnus & amita magna, id est, aui paterni frater & soror. Auunculus magnus & matertera magna, id est, auiæ paternæ & maternæ frater & soror. Hic plus exponi opus non est, quàm lectio ista declarat.

V.

De quinti gradus origine.

QVinto gradu veniunt, supra quidem, atauus, atauia: infra, adnepos, adneptis: ex obliquo, fratris & sororis pronepos proneptis. Fratris patruelis, sororis patruelis, amitini, amitinæ, consobrini, consobrinæ filius, filia. Proprius subrinus, subrina, id est, patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ, filius, filia. His adcrescunt, propatruus, proamita, hi sunt proaui paterni frater, & soror, Proauunculus, promatertera, hi sunt proaui materni frater & soror. Hæ species, nec aliis gradibus, nec aliis vocabulis declarari possunt.

VI.

De sexti gradus extremitate.

SExto gradu veniunt suprà, tritauus, tritauia: infrà, trinepos, trineptis: ex obliquo, fratris & sororis abnepos abneptis. Fratris patruelis, sororis patruelis, amitini, amitinæ, consubrini, consubrinæ, patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ, nepos, neptis, Proprii subrini filius, filiave, qui consubrini appellantur. Quibus ex latere adcrescũt propatrui proamitæ proauunculi, promaterteræ filius, filia. Abpatruus, abamita. hi sunt abaui paterni frater, & soror. Abauunculus, abmatertera. hi sunt abaui materni, frater & soror. Hęc quoq; explanari amplius nõ possũt, quã auctor ipse disseruit.

VII.

De personis septimi generis quæ legibus non tenentur.

SEptimo gradu qui sunt cognati, recta linea supra infraque, propriis nominibus non appellantur, sed ex transuersa linea continentur: fratris sororisue abnepos abneptis, consobrini consobrinæ, filii filiæ. Successionis autem idcirco gradus septem constituti sunt: quia vlteriùs per rerum naturam, nec nomina inueniri, nec vita succedentibus propagari potest.

II. TITVLVS.

DE SVCCESSIONIBVS.

I. ANTIQVA.

Vt sorores cum fratribus æqualiter in parentum hereditate succedant.

SI pater vel mater intestati discesserint, tunc sorores cum fratribus in omni parentum facultate, absque aliquo obiectu, æquali diuisione succedant.

II. ANTIQVA.

Quod in hereditatis succeßione filii primi sunt.

IN hereditate illius qui moritur, si intestatus discesserit, filii primi sunt. Si filii desunt, nepotib. debetur hereditas. Si nec nepotes fuerint, pronepotes ad hereditatẽ vocẽtur. Si vero qui moritur, nec filios nec nepotes, seu patrẽ vel matrem relinquit, tunc auus aut auia hereditatem sibi met vindicabit.

III. NOV. EMD.

Si de superiori vel inferiori genere directi ordinis personæ defuerint, tunc à latere venientes facultatis capiant portionem.

QVando supradictæ personę desunt, quę aut de superiori aut inferiori genere discreto ordine veniunt, tunc illæ personæ quæ sunt à latere constitutæ requirantur, vt hereditatem accipiant defuncti, qui intestatus discesserit. Nam illæ personæ quæ sunt à longioribus constitutæ, nihil se existiment illis prioribus posse repetere.

IV. ANTIQVA.

Qui succedere poßint in eorum facultatibus, qui nec scriptis nec testibus suam alligant voluntatem.

DE successionibus eorum qui sic moriuntur, vt nec donationem nec vllum faciant testamentum, nec præsentibus testibus suam ordinent voluntatem; qui gradu illis proximi fuerint, eorum optinebunt hereditatem.

V FLS. CHDS. REX.

De succeßione fratrum & sororum, siue illorum qui de diuersis parentibus generantur.

QVi fratres tantummodo & sorores relinquit, in eius hereditate fratres & sorores æqualiter succedant: si tamen vnius patris & matris filii esse videantur. Nam si de alio patre vel de alia matre, alii esse noscuntur, vnusquisque fratris sui aut sororis, qui ex vno patre aut ex vna matre sunt geniti, sequantur hereditatem. Filii tamen qui ex diuersis patribus, & vna matre sunt geniti, ad accipiendam maternam facultatem æquali successione deueniant. Similiter quoque hi, qui de diuersis matribus & vno patre oriuntur, diuisionis ordinem teneant.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si is qui moritur, auos relinquat aut auias.

QVotiens qui moritur, si auum paternum & maternum relinquat, tam ad auum paternum quàm ad auum maternum hereditas mortui vniuersa pertineat. Si autem qui moritur, auum paternum & auiam maternam reliquerit, æquales capiant portiones. Ita quoque erit, si auum maternum & paternam auiam, qui moritur, relinquere videatur. Et hæc quidem æquitas portionis de illis rebus erit, quas mortuus conquisi-

se cognoscitur. De illis vero rebus quas ab auis vel parentibus habuit, ad auos directa linea reuocabitur hereditas mortui.

VII.

Si is qui moritur, sorores relinquat patris aut matris.

QVi moritur, si tantummodo amitam, hoc est, patris sororem, & materteram, hoc est, matris sororem relinquit, & intestatum eũ obisse contigerit, æquali iure succedant in hereditatem defuncti, qui intestatus discesserit.

VIII. ANTIQVA.

Si is qui moritur, filios fratris vel sororis relinquere videatur.

QVi moritur, si fratres aut sorores non reliquerit, & filios fratrum & sororum reliquerit: si ex vno fratre sit vnus filius, & ex alio fratre vel sorore forsitan plures, omnem hæreditatem defuncti capiant, & æqualiter per capita diuidant portiones.

VIIII. FLS. CHDS. REX.

Quod in omni hereditate femina accipi debeat.

FEminæ ad hereditatem patris vel matris, auorum vel auiarum, tam paternorum quã maternarum, ad hereditatem fratrum vel sororum, siue ad has hereditates quæ à patruo vel à filio patrui, fratris etiam filio vel sororis relinquantur, æqualiter cum fratribus veniant. Nam iustum omnino est, vt quos propinquitas naturæ consociat, hereditariæ successionis ordo non diuidat.

X. ANTIQVA.

Item vt in omnem hereditatem femina accipi debeat, & quod qui gradu alterum præcedit, ille successionem vicinior capiat.

HAs hereditates, quæ à materno genere venientibus, siue auunculis, siue consobrinis, seu materteris relinquuntur, etiam feminæ cũ illis qui in vno propinquitatis gradu æquales sunt, æqualiter partiantur. Nam omnem hereditatem, qui gradu alterum præcedit optineat.

XI. ANTIQVA.

De successione mariti & vxoris.

MAritus & vxor tunc sibi hereditario iure succedant, quando nulla affinitas vsque ad septimum gradum de propinquis eorum vel parentibus inueniri poterit.

XII. ANTIQVA.

De hereditate clericorum vel monachorum.

CLerici vel monachi, siue sanctimoniales, qui vsque ad septimum gradum non reliquerint heredes, & sic moriuntur, vt nihil de facultatibus suis ordinent, ecclesia sibi cui deseruierint, eorum substantiam vindicabit.

XIII. ANTIQVA.

Vt post mortem matris filii in patris voluntate consistant, & quid de rebus filiorum agere conueniat patrem.

PAtre mortuo filii in matris potestate consistant. Quod si marito superstite vxor forsitan moriatur, filii qui sunt de eodem coniugio procreati in patris potestate consistant, & res eorum, si nouercam non superduxerit, ea conditione possideat, vt nihil exinde aut vendere, aut euertere, aut quocunque pacto alienare præsumat; sed omnia filiis suis integra & intemerata conseruet. Fructus tamen omnes cum filiis suis pro suo iure percipiat, & vna cum ipsis filiis suis, communibus consumat expensis. Quod si pater nouercã superduxerit, quia valde indignum est, vt filii eius, patris potestate vel gubernatione relicta, in alterius tuitionem deueniant, filios suos pater ille qui nouercam induxerit, nõ relinquat; sed filios & res eorum, iuxta superiorem modum tuitionis, ordine regat. Ita tamen vt inuentarium, de rebus filiorum suorum, manu sua conscriptum coram iudice, vel heredibus defunctæ mulieris, strenue faciat, & tali se placiti cautione in heredum illorum nomine constringat, quibus tutela ipsa pertinere, si pater defuisset, legitime poterat: vt nihil de rebus filiorum suorum euertat, sed filiorum suorum vitam sollicito voto vel actu seruare intendat: & res eorũ absq; aliqua perditionis diminutione tuendas accipiat, si tamen voluerit. Quod si pater ipse, qui nouercam duxerit, tuitionem

fuscipere filiorum noluerit;tunc à iudice propinquior ex matre tutor eligendus est,qui tuitionem pupillorum accipiat.Cum verò filius duxerit vxorem, aut filia maritum acceperit,statim à patre de rebus maternis suam accipiat portionem: ita vt vsufructuario iure,patri tertia pars prædictæ portionis relinquatur. Pater autem tam filio quam filiæ, cum xx.annos ætatis impleuerint,mediam ex eadem,quam vnumquemq; cōtigerit, de rebus maternis restituat portionem,etiamsi nullis nuptiis fuerint copulati.Medietatem verò,dum aduixerit,pater sibi vindicet,filiis post obitum relinquendam.Qui autem nouercam superduxerit,omnes facultates maternas filiis mox reformet;ne, dum filii cum rebus suis ad domum transeunt alienam, nouercæ suæ vexentur iniuriis. Eadem quoq; & de nepotibus forma seruetur. Quod si pater de his rebus aliquid euerterit, aut super tempus,quod constitutum est,res filiorum tenere præsumpserit,omnia de rebus eius,filiis illis,de cuius matre res esse videbuntur,& reddenda sunt omnimodis & sarcienda.

XIIII. ANTIQVA.

Si mater in viduitate permanserit,æqualem inter filios capiat portionem,& quid de rebus filiorum agere conueniat matrem.

Mater si in viduitate permanserit, æqualem inter filios suos,id est,qualem vnusquisque ex filiis suis vsufructuario iure de facultate mariti habeat portionem,quā vsque ad tempus vitæ suæ vsufructuario iure possideat. Ceterum nec donare,nec vendere, nec vni ex filiis conferre præsumat. Quòd si eam portionem filii, matrem euertere,seu per negligentiam, siue per odiū,fortè perspexerint,ad Comitē ciuitatis,vel ad iudicem referre non differant;vt matrem suam contestatione commoneant, ne res quas vsufructuarias accepit,euertat.Nam vsum fructum quē ipsa fuerat † interceptura,dare cui voluerit filio vel filiæ non veretur. Sed & quod de ipso vsu sibi debito iustè conquirere potuerit,faciat quodcunq; illi omnimodis iustissimè placuerit. Verùm si ex ea vsufructuaria portione aliquid probatur euersum filiis post mortē matris de eius facultatib. sarciatur.Post obitum verò matris,portio,quam mater acceperat, ad filios æqualiter reuertatur,quia non possunt de paterna hereditate fraudari.Quòd si mater ad alias nuptias fortè transierit,ex ea die vsufructuariam portionem,quam de bonis mariti fuerat cōsecuta, filii inter reliquas res paternas,qui ex eo nati sunt coniugio,vindicabunt.

† al perceptura.

XV. ANTIQVA.

Ne vxor sibi vindicet,quod maritum cum seruis eius acquisisse constiterit.

Maritus si cum seruis vxoris suæ aliquid adquisierit,vel in expeditione aliquid lucri fuerit consecutus,nihil exinde vxor à viro præsumat repetere, nec ipso viuente, nec post eius obitum: sed vir qui vxorē suam secundū sacram scripturam habet in potestate,similiter & in seruis eius potestatem habebit,& omnia quæ cū seruis vxoris suæ vel suis in expeditione acquisiuit, in sua potestate permaneat. Pro eadem scilicet ratione: quia si ipsi serui, dum cum domino suo in expeditione conuersabantur, aliquid admisissent fortè dampnosum,ille qui eos secum duxerat,& ei aliquid fecerant augmēti ,ipse pro eis & responsum daturus esset,& compositionem,si culpabiles fuissent inuēti. Vnde bene iubetur, vt sicut lucrum, ita & dampnum ad se dominus nouerit pertinendum.

XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his quæ vir & vxor in coniugio constituti conquirere potuerint.

Dum cuiuscunque dignitatis aut mediocritatis mariti persona & † vxoris fuerit nobiliter atque competenter adiuncta,& pariter viuentes aliquid augmētauerint, vel in quibuscunq; rebus quidpiā profligasse visi fuerint, atq; perueniat vt vnus ex his maioris rei & facultatis dominus sit: de omnibus augmentis, aut profligationibus pariter conquisitis,tantam partem vnusquisq; optineat,quantam eius facultatem fuisse omnimodis sibi debita vel habita possessio manifestat. Ita vt si æquales abundantiæ domini sunt,pro paruis rebus contentionis intemperantiam non assumant.Quia difficile est,vt in tanta æquitate facultas eorum possit æquari,ne in quocunque videatur vna pars alteri superesse. Nam si euidenter vnius facultas alterius possibilitatem transgredi videatur, vt superiùs dictum est,iuxta quantitatē debitę possessionis erit & diuisio portionis. Quā sibi post vniuscuiusq; mortem vindicabit persona superstes,& aut filiis suis aut propriis relinquat heredibus,aut certe de ea facere quod voluerit licentiam optinebit. Eadem quoque

† al. vxori.

quoque ordinationis forma, tam in viris quàm in vxoribus, erit omnimodis obseruanda. De illis autem rebus, quibus in amborum nomine inueniuntur scripturæ confectæ, iuxta conditionem ipsius scripturæ, pertineat illis & diuisio rei & possessio iuris. Quod verò maritus, aut de extraneorum lucris, aut in expeditione publica acquisiuit, aut de principis, aut patroni, atque amicorum collatione promeruit, filii vel heredes eius ad integrũ vindicabũt; aut quod exinde voluerit iudicare, licenter illi erit plenam potestatem habere. Similis & in mulieribus conditio erit, si quorumcunque munere videantur aliquid percepisse.

XVII. FLS. GLS. † RCDS. REX. † CHDS.

De paruulo qualiter hereditatem capere possit.

INterdum rem dubiam, nisi ratiocinationis disceptatio deducat in lucem, frequenter hanc ambiguitas præcipitat in errorem. Contendunt namque plurimi, si genitus infans, non longe defunctus, hereditatis parentum possit iura sortiri: quorum litibus hos ponit ratio modos. Naturæ ratio ita condita manet, taliq; vsu decurrit, ne is qui nascitur, prius aliud quam se suscipientem assumat heredem: & de tenebris genitalibus prodiens, illarum rerum sentiat tactum, quarum hunc partibus constat esse concretum. Quo ergo ordine, liberè capiet hereditatem terrenæ possessionis, qui vix extremæ capit primordia lucis? Quique sortitus vix est vsum elementorum, quibus concretus est, quomodo sortietur bona rerum, ad quarum dominium natus non est? quémque non hereditauit producta lux cæli, qualiter mortis contractu improuisa ditabit portio mundi? Quáve etiam ratione aggredietur viuentium iura, cui vicinius fuit, mortem adisse quàm vitam? Sicque naufragus in medio lucis angustias mox genitales exiit, mox fatalibus lapsus est in tenebris. Vt ergo proximis parentibus ad successionem huius aditus referetur, & ipsa defuncti vita comprobetur, si verè clara sit vita, atque hanc ipsam licet parui temporis vitam comitetur æternæ participatio vitæ, non aliter in vtroque sexu hereditatem capiat qui nascitur, nisi post natiuitatis ortum, & sacri baptismatis gratiam cõsequatur, & decem dierum spatiis vixisse probetur: vt successoris patris vel matris personæ, quæ per hunc paruulum terrenæ cupit hereditatis acquirere commoda, antè moriturо æternæ mansionis præparet vitam, & ita demum assequatur viuens cum rebus labantibus terram. Sicque salutari commercio, dum hereditat ille cœlum, hereditet iste sæculum: dum illi prouidentur cælestia, isti permittantur adire terrena: dumque assequitur ille vitalia, conquirat iste caduca. Vt & si defunctus terrena huius nõ potuit possidere; terreno saltem comparato iure, cœleste lucrum valeat optinere.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

Qualiter hereditatem paruuli parentes assequi possunt.

PAtre defuncto si filius filiave decem siue amplius vel infra diebus viuens baptizatus ab hac vita discesserit, quicquid ei de facultate patris competere poterat, mater sibi debeat vindicare. Itemque matre defuncta non aliter defuncti filii portionem pater optineat, nisi natum filium filiamve decem diebus, siue amplius, vel infra vixisse, fuisseque baptizatos edoceat. Ita vt pater aut mater, quibus ista successio competit, si filios nõ reliquerint, integram & intemeratam eandem luctuosam hereditatem, diuidendam omnibus nepotibus derelinquant, nec meliorandi quemcumque nepotum amplius quam de tertia parte huius rei habeant potestatem. Nam si ecclesiis vel libertis seu cuilibet largiri de eadem facultate voluerint, de quinta parte, secundum superiorem legẽ, potestatem habebunt. Sin autem nec filii, nec nepotes, nec pronepotes superstites extiterint, quod de eadem facultate facere vel iudicare voluerint, habeant potestatem. Quòd si intestati decesserint, tunc alii parentes defuncti patris aut matris, qui gradu proximiores fuerint, prædictam facultatem proculdubio consequantur. Ita vt mortuo filio, si pater qui filii defuncti successionem capierit, intestatus discesserit, heredibus patris ex lege propinquioribus eadem facultas pertineat. Similiter & si mater luctuosam defuncti filii hereditatem capierit, & intestata discesserit, omnis successio eiusdem facultatis ad propinquos mulieris heredes pertinere debebit. Ea conditione seruata, vt nepotes ex filio vel filia, qui patre vel matre superstite mortui fuerint, integrã de rebus aui vel auiæ, quam pater vel mater eorũ si vixissent fuerant habituri, percipiant portionem. Quod si filius, habens vxorem & filios, patre viuente discesserit, antequam ei pater suus, omnem portionem, quæ ei contingebat, implesset: & filii, quos reliquerat, viuente auo mortui fuerint, tunc illa relicta hoc tantummodo accipiat, quod in ma-

ritum pater antea sequestrauit.nec plus illa vidua à socru vel cognatis requirat. Si verò filius cum patre in cõmune viuens,nihil ab eo portionis acceperit;tunc illa vidua tantũmodo accipiat,quod ei tẽpore nuptiarũ maritus eius donationis titulo noscitur cõtulisse. Si verò filius patri seruans obedientiã, res quæ ei de materna successione cõpetebãt, patrem possidere permiserit: & postmodum eandem facultatem filio debitam, quam pater possidebat,idem filius vxori suæ vel cuicunque concesserit: firma talis donatio in nomine vxoris,& cuiuscunque conscripta manebit, si tamen filii de eodem coniugio non fuerint.Nam si filii superstites extiterint, ordo superioris legis incunctanter seruandus est.

XVIIII. FLAVIVS GVNDEMARVS REX.

De posthumis.

DIuini principatus quodammodo peragimus vicẽ,cum necdũ genitis misericordiæ porrigimus opem.Ideoq; quicunq; vir præuentus sorte fatali fœtu grauidam cum filiis reliquit vxorem, eum qui nascetur postmodum,cum cæteris qui nati sunt,fieri ecẽsemus heredem.quod si nusquam fortè reliquerit sobolem, & suam quibuslibet donauerit facultatem,quarta rerum portio his diuidenda seruetur. Tres verò quæ super sunt, posthumus absque dubio sortietur. Quòd si vir & vxor in coniugio positi, antequam filios habeant inuicem sibi vnus in alterius nomine,de facultate propria donationis faciant scripturam & post huius testationis ordinem filios talibus habere contingat: talis parentum testatio,si filii superstites extiterint,omnino non valeat, sed ex toto huius tam indiscretæ ordinationis voluntate disrupta,debitam sibi omnem parentum facultatem filii accipiant & assumãt:de quinta tantùm parte parentibus,si aliquid inde testasse contigerit,potestate concessa. Ceterum si vnus ex ambobus,id est, vir aut vxor, antequam vnius copulæ societatem adissent, quicunque ex ambobus in alterius nomine scripturam de rebus suis probatus fuerit conscripsisse, omni vigore valitura consistat: & talis testatio per eorum vocem, qui postea ex illis nati fuerint, non erit vllo modo conuellenda.

XX. FLS. RCDS. REX.

Vt qui filios non reliquerit,faciendi de rebus suis quod voluerit,habeat potestatem.

OMnis ingenuus vir atque femina,siue nobilis siue inferior,qui filios vel nepotes aut pronepotes non reliquerit,faciendi de rebus suis quicquid voluerit, indubitante licentiam habebit:nec ab aliis quibuslibet proximis ex superiori vel ex transuerso venientibus poterit ordinatio eius in quocunque conuelli. quia recta linea decurrens non habet originem,quæ successione naturæ hereditatem possit accipere. Ex intestato autem,iuxta legum ordinem,debitam sibi hereditare poterunt successionem.

III. TITVLVS.

DE PVPILLIS ET EORVM TVTORIBVS.

I. FLS. RCDS. REX.

Quòd vtroque relictus parente,pupillus vocetur.

DIscretio pietatis est,sic consultum ferre minoribus, vt iustæ possession[...] dominum sustinere damna non patiamur. Ob hoc licet hactenus, à patr[...] tantum relicti paruuli filii,pupilli nuncupentur: tamen quia nõ minore[...] curam erga filiorum vtilitatem,matrem constat frequenter impendere, [...] deo ab vtroque parente, hoc est, patre vel matre infra XXV. annos, filio[...] post mortem relictos,pupillos per hanc legem decernimus nuncupandos.

II. FL[...]

II. FLS. CHDS. REX.

Ex quo incipient computari anni in actionibus pupillorum.

QVotiens de amissione rerum intentio vertitur, illos annos in pupillorum actionibus computandos esse censemus, quibus parentes illorum, pater videlicet aut mater, re caruisse noscuntur: id est, vt ex eo tempore cum pupillaribus annis ad quinquagenarii summam pertendant, de quo à prædictis eorum parentibus esse rem constat amissam. Si verò parentes pupilli dum viuerent, rem per xxx. annos amiserint, pupillus propter hoc vltra loqui non poterit.

III. ANTIQVA.

Qualiter pupillorum tutela suscipiatur, vel de rebus eorum quæ pars tutoribus detur.

SI patre mortuo, in minori ætate filii relinquantur, mater eorum tutelam, si voluerit, suscipiat: si tamen in viduitate permanserit, ita vt de rebus filiis debitis inuentarium faciat, per quod postmodum filii hereditatem sibi debitam quærant. Quòd si mater alium maritum acceperit, & aliquis de filiis iam ad perfectam, id est, vsque ad xx. annorum perueniat ætatem; ipse iuniores fratres sua tuitione defendat, & res eorum nec ab ipsis, nec ab aliis permittat euerti, nec aliqua negligentia deperire. Quòd si eas ipse fortè consumpserit, aut vendiderit, vel donauerit, aut per negligentiam suam perire permiserit: cùm fratres adoleuerint, ea, quæ per negligētiam suam deperierint, de sua illis portione restituat. Cui tamen de fructibus ad victum præsumendi partem decimam non negamus: vt non hæc, quæ debet minoribus reseruare, nimiis euertat expensis. Si quis verò de suo pro communibus necessitatibus aut negotiis expensas fecerit, facta præsente iudice ratione, de ea quæ ipsis à patre communis relicta est substantia, quod expenderit, consequatur. Quòd si fratres eius ætatis vel meriti non fuerint, qui defensionem suscipiāt orfanorum, tunc patruus vel patrui filius, tutelæ, qualem de fratribus constituimus, †conditionem suscipiat. Quod si nec patruus, nec patrui filius, qui digne tutelam suscipiat orfanorum fuerint, tunc tutor ab aliis parentibus in præsentia iudicis eligatur: & siue mater tutelam, siue quicunque susceperit, præsentibus testibus vel propinquis, de omnibus rebus quas pater reliquit, breuis factus trium vel quinque testium subscriptione firmetur: & præsentibus ipsis qui ad breuem faciendum testes interfuerint, Episcopo aut presbytero quem parentes elegerint, breuis commendetur, minoribus dum adoleuerint reformandus. Statuentes etiam, vt si quæ contra minorum personas aduersæ accesserint actiones, his intentionibus tutor si elegerit, debet parare responsum. Certè si neglexerit, repetenti quæ postulat à iudice restituantur: saluo tamen minorum negotio, dum adoleuerint, ad integrum reformando. Ille verò qui ad præsens rem ipsam petere cœperat; si in iudicio, dum ipse minor adoleuerit, ab eodem fuerit victus, id quod acceperat, cum retroactorum temporum fructibus siue seruitiis, ipsi minori aut parentibus eius, seu ad quem ipsa facultas iustè transierit, vel cui collata fuerit, indubitanter restituat: & pro præsumptione sua, quia quod in iudicio petierat vindicare non valuit, insuper x. solidos coactus exsoluat. Nam & si tutor pro pupillorum lucris vel eorum rebus intendere vel causare voluerit, licentia illi indubitata manebit. Quòd si negotia pupillorum, negligentia tutoris fuerint vitiata vel deperdita, pupillis eam vicem ad futurum permittimus reparandam.

† *tuitionem.*

IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne tutores ab his quos in tuitione habent quascunque scripturas extorquere sinant.

DVm minorum ætas in annis pupillaribus constituta, nec se, nec bona sua regere possit; bene legibus est decretum, eos, sub tutoribus esse, & in eorum negotiis, quot statuti anni debeant computari. Quia verò quidam tutores, aut persuasione, aut indignatione circumueniunt eos, quos tueri gratissimè debuerunt, & de rebus reddendæ rationis securitates accipiunt, vel certè diuersarum obligationum scripturas ab illis exigendas insistunt; quo extinctis vocibus eorum, quæ illis competunt, nunquam inquirere vel recipere permittantur: Ideò, vt melioris mercedis partem nostra clementia consequatur, dum competentem curam eisdem minoribus irrogare perpenditur, hæc custodienda modis omnibus conditio ordinatur: vt siue in minori ætate, seu etiam quamuis quartumdecimum ætatis annum videantur pupilli transire: tamen si tutores adhuc, vel ipsos, vel eorum res in sua potestate noscuntur habere; quamcunque scri-

pturam securitatis, aut alicuius obligationis atque transactionis, ipsis tutoribus, vel cuicunque personæ, factione tutorū fecisse reperiantur, omnia inualida & exinanita penitus reputentur. Cum vero tempus illud aduenerit, quando eum qui sub tuitione fuit rem in sua potestate oporteat redigere, tunc ille tutor coram sacerdote vel iudice, pupillo de cunctis rebus reddita ratione, ab eo quem tuitus est securitatis scripturam procuret accipere. Sicque remota omni occasione pressuræ, aut recipiat pupillus quod iustè sibi deberi cognouerit, aut libero arbitrio de rebus suis, vtrum cessionem, an qualem voluerit ordinare definitionem, plenam habeat libertatem. Si verò proueniat, vt cum in tuitione est, mortali langore vexetur; quid de sibi debitis rebus iudicare elegerit, à decimo ætatis suæ anno, iuxta ordinem qui in alia lege est definitus, plenissimam potestatem habeat. De rebus verò tutoris seu viuens siue moriens, idem tutor eas an filiis, an quibuscunque personis reliquerit, si pupillis reddita ratio non fuerit, iuxta inuentarium quod tempore acceptæ tuitionis est factum, siue quod euidenter apud tutorem fuisse extiterit manifestum, qui res tutoris habuerint, pupillis indubitanter omnia reformabunt. Huius sane legis remedium cunctis pupillis dabit indubitanter consultum: excepto si † aliud tempus aduenerit, quando eorum vocem quinquagenario numero lex sopiri decreuit.

illud.

IIII. TITVLVS.

DE EXPOSITIS INFANTIBVS.

I.

Vt pro exposito infantulo ingenuo seruiat qui proiecit.

SI quis puerum aut puellam vbicunque expositum misericordiæ contemplatione collegerit, & nutritus infans à parentibus postmodum fuerit agnitus; si ingenuorum filius esse dinoscitur, aut seruum vicarium reddat, aut precium. Quod si facere fortasse neglexerint, à iudice territorii de proprietate parentum expositus redimatur, & parentes huius impietatis auctores exilio perpetuo relegentur. Si verò non habuerint vnde filium redimere possunt, pro infantulo seruiat, qui proiecit; & in libertate maneat propria, quē seruauit pietas aliena. Hoc verò facinus cum fuerit vbicunque commissum, iudicibus & accusare liceat & dampnare.

II. ANTIQVA.

Si seruus vel ancilla consciis vel nesciis dominis proiicere videantur infantem.

SI seruus vel ancilla, in fraudem fortasse dominorum infantem exposuerint, & ipsis insciis infantem proiecerint; infans cum fuerit nutritus tertiam partem precii nutritor accipiat. Ita vt iuret aut probet dominus, se quòd serui sui infantem exposuerint, ignorasse. Si vero consciis dominis, infans probatur fuisse iactatus; in eius, qui nutriuit, potestate permaneat.

III. ANTIQVA.

Qui à parentibus infantulum acceperit nutriendum, quantum mercedis pro nutritione accipiat præmium.

SI quis à parentibus infantulum acceperit nutriendum, vsque ad decem annos, per singulos annos, singulos solidos pretii pro nutrito infante percipiat. Si verò decimum annum ætatis excesserit, nihil postea mercedis addatur: quia ipse qui nutritus est, mercedem suam suo potest compensare seruitio. Quòd si hanc summam, qui repetit, dare † voluerit, mancipium in nutrientis potestate permaneat.

† noluerit.

V. TITVLVS.

DE NATVRALIBVS BONIS.

IIII

I. FLS. CHDS. REX.

De non exheredandis filiis, & quod iudicium ferant parentes de facultatibus suis.

DVM inlicita quæque perpetrari cognoscimus, legem ponere secuturis opportunè compellimur. Pleriq; enim indiscrete viuentes, suasque facultates interdum vel causa luxuriæ, vel cuiusdam malæ voluntatis assensu in personas extraneas transferentes, ita inoffensos filios vel nepotes, aut non ex graui culpa forsitan obnoxios, inanes relinquunt, vt vtilitatibus publicis nihil possint omnino prodesse, quos oportuerat cum virtute parentum iniunctũ sibi laborem inexcusabiliter expedire. Sed ne sub hac occasione aut vtilitati publicæ quãdoque depereat, quod perire non debet; aut naturalis pietas suspendatur à filiis vel nepotibus, quam circa eos exerceri competenter oportet: ideo abrogata legis illius sententia, qua pater vel mater, auus siue auia, in extraneam personam, facultatem suam conferre si voluissent, potestatem haberent; aut etiam de dote sua mulier facere quod elegisset, in arbitrio suo cõsisteret: ista magis seruetur à cunctis moderata censura: qua nec parẽtibus nec auis adimatur iudicandi de rebus suis ex toto licentia, nec filios aut nepotes à successione auorum vel genitorum ex omnibus repellat indiscreta voluntas. Igitur pater aut mater, auus aut auia, quibus quempiam filiorum vel nepotum meliorandi volũtas est, hanc seruent omnino censuram: vt super tertiam partem rerum suarum meliorandis filiis aut filiabus, vel nepotibus atque neptibus, ex omnibus rebus suis amplius nihil impendant, neque facultatem suam ex omnibus in extraneam personam transducant, nisi fortasse prouenerit eos legitimos filios vel nepotes non habere superstites. Hoc tamen rationis intuitu prælucente, obseruandum adiicimus: vt pater vel mater, auus vel auia, de supradicta tertia parte rerum suarum, si in nomine filiorum suorum atque nepotum aliquid specialiter scriptis conferre decreuerint, iuxta testationis eorum ordinem, cuncta erunt obseruanda perenniter, qualiter testatio talium de eadem tertia portione, iuxta quod eam in singulos voluerit prælargiri, plenam & inconuulsibilem optineat firmitatem. Nec liceat filiis atque nepotibus, qui de hac tertia portione aliquid meruerint à parentibus suis vel auis percipere, quodcunque aliud iudicare, excepto si à parentibus vel auis nulla adfutura videatur pro collatis rebus testationis conditio intercessisse. Sanè si filios siue nepotes habentes, ecclesiis vel libertis aut quibus elegerint, de facultate sub largiendi † facultatem habuerint extra illam tertiam portionem, quæ superius dicta est, quinta iterum pars separabitur: de qua quinta parte, iudicandi potestas illis indubitata manebit. Sed siue tertia rerum pars, quæ meliorandis filiis impendi præcipitur: siue quinta, quæ pro collatione ecclesiarum, vel libertorum, seu quorumlibet impensione, separari iubetur, de propriis tantundem rebus separabitur. Nam quod quisque ille per auctoritatem percipere meruerit principum, nullo modo in annumeratione huius tertię vel quintæ partis quolibet titulo admiscetur: sed iuxta legem aliam, qui hoc à rege perceperint, habebunt licitum, quale voluerint de collatis sibi rebus à principe ferre iudicium. Exheredare autem filios aut nepotes, licet pro leui culpa, inlicitum iam dictis parentibus erit. Flagellandi tamen & corripiendi eos quamdiu sunt in familia constituti, tam auo quàm auiæ, seu patri quàm matri, potestas manebit. Nam si filius filiave, nepos vel neptis, tam præsumptuosi extiterint, vt auum suum aut auiam, siue etiam patrem, aut matrem, tam grauibus iniuriis conentur afficere, hoc est, si alapa, aut pugno, vel calce, vel lapide, aut fuste, vel flagello percutiant, siue per pedem, vel per capillos, ac manum etiam, vel quocunq; inhonesto casu abstrahere contumeliosè præsumpserint, aut publice quodcunque crimen auo vel auiæ seu genitoribus suis obiiciãt, tales siquidem manifeste cõuicti, & verberandi sunt ante iudicem quinquagenis flagellis; & ab hereditate supradictorum, si idem auus aut auia, pater vel mater voluerint, repellendi. Tamen si resipiscentes à suo excessu, veniam à suprà scriptis, quos offenderint, implorauerint, eosque in gratiã receperint paterna pietate, aut rerum suarum successo-

† Voluntatẽ.

res instituerint: neque prohiberi ab eorum hereditate, neque propter disciplinam, quâ correpti sunt, infamiam poterint vllatenus sustinere.

II. NOV. EMD. FLS. CHDS. REX.

De quota parte liceat mulieribus iudicare de dotibus suis.

QVia mulieres quibus dudum concessum fuerat de suis dotibus iudicare quod voluissent, quædam reperiuntur, spretis filiis vel nepotibus, easdem dotes illis conferre, cum quibus constiterit nequiter eas vixisse: ideo necesse est illos exinde percipere commodum, pro quibus creandis fuerat assumptum coniugium. Denique constituentes decernimus, vt de dote sua mulier habens filios vel nepotes, seu causa mercedis ecclesiis vel libertis conferre, siue cuicunque voluerit, non amplius quàm de quarta parte, potestatem habebit. Nam tres partes legitimis filiis aut nepotibus, seu sit vnus siue forsitan plures, absque dubio relictura est. De tota interim dote, tunc facere quid voluerit, erit mulieri potestas, quando nullum legitimum filium filiamve, nepotē vel neptem superstitem reliquerit. Verumtamen feminas, quas contigerit duobus viris aut amplius nubere atque ex eis filios procreare, non eis licitum erit dotem ab alio marito acceptam, filiis aut nepotibus ex alio viro genitis dare: sed vnusquisque filius filiave, nepos aut neptis, ex ipsa linea procreati, dotem, quam auus aut pater illorum concesserat, post mulieris obitum per omnia consequuturi sunt.

III. FLS. CHDS. REX.

De his quæ parentes tempore nuptiarum filiis dederint.

QVicquid indiscreta parentum voluntate decernitur, legali necesse est vt censura coerceatur. Idcirco, quia plerumq; parentalis calliditas exigit, id tempore nuptiarum filiis donare, quod quandocunq; voluerint auferēdi habeant potestatem: abrogata deinceps eadem qua prædictum est, parentum calliditate, hanc perpetim legem mansuram per omnia nouerint: vt si quid seu per traditionem rei, seu per scripturam, siue donationem cuiuslibet rei, vel coram testibus traditæ, extra quod in ornamentis vel vestimētis, vel reliquis speciebus, sicut fieri assolet, pro dignitate nuptialiū fœderum, ab aliis fuerit fortasse acceptum, quod vtique commodantibus erit reddendum, in mancipiis, terris, vineis, ędificiis, vestimentis atque ornamentis, fuerit à parentibus, siue nuptiarum tempore, siue post nuptias, filiis quocunque modo donatum, quodcunque inde filii iudicare voluerint in eorum consistat arbitrio. Eodem tantum ordine reseruato, vt post parentum obitum, dum filiis patuerit adeunda successio, excepto hoc quod parentes filiis suis iuxta leges fortasse donauerint, eadē inter heredes coæquatio fiat: vt quod nuptiarū tēpore filius vel filia à parentib. iuxta prædictū ordinē, possidendū accepit, & licentia sit illi exinde quod voluerit iudicandi, & post parentum obitum, adæratione adhibita, contropactis his, quæ tempore nuptiarum promeruit, atque heredibus cæteris eadem compensata æqualitate, quicquid superesse de parentum hęreditate constiterit, æqualiter teneant, ac sequantur diuisione.

IIII. FLS. CHDS. REX.

De filiis ex diuersis parentibus natis, & qua discretione parentum assequantur hereditatem.

SI prouenerit vnum virum plures habere vxores, atque ex omnibus filios procreare, & aliquem filiorum aut filiarum contingat intestatum ab hac vita discedere; facultatem eius, si filios non reliquerit aut nepotes, illius fratres aut sorores apprehensuri sunt, sibiq; vindicaturi, quos ex vno patre vel ex vna matre cōstat esse progenitos. Quod si ex vno patre & diuersis matribus filii nati fuerint, facultates quæ de patre venerint, illi tantū inter se erunt æqualiter diuisuri, qui ex vno patre fuerint procreati. Similiter & si de vna matre & diuersis patribus filii nati fuerint, id præcepimus obseruari. Nam & si vna mulier de pluribus maritis filios habeat, similiter fratrum sororumque hereditatem, tam à paterna quàm à materna successione sibi debitam, eorum qui ex his intestati, vel absque prole siue nepotibus discesserint, illius tantum fratres vel sorores habituri sunt, qui vnius patris, vel matris filii filiæve fore noscuntur. Ita vt iuxta aliam legem qua constitutum est, trientem nepotes non perdere, licitum sit etiam nepotibus aut neptibus, qui patres aut matres amiserint, in omni facultate auorum vel auiarum, cum patruis aut auunculis æquales succedere. Illo tantùm

tum ordine permanente, quo superius decretum est, parentes vel auos de rebus suis filios nepotesque meliorare, aut in extraneam personam quamlibet quodcunque conferre.

V. CHDS. REX.

De his quæ filii patre viuente vel matre videntur acquirere.

Filius qui patre vel matre viuente aliquid acquisierit de munificentia regis, aut patronorum beneficiis promeruerit, & exinde aliquid cuicunque vendere vel donare voluerit, iuxta eam conditionem, quæ in aliis nostris legibus continetur, in ipsius potestate consistat. Nec sibi aliquid, dum viuit, exinde pater vel mater vindicare præsumat. Quòd si inter leudes quicunq; nec regis beneficiis aliquid consequutus, sed in expeditionibus constitutus, de labore suo aliquid adquisierit: si communis illi victus cum patre est, tertia pars exinde ad patrem perueniat: duas autem filius qui laborauit optineat.

VI. IN NOMINE. FLS. GLS. WABA. REX.

De coercitione pontificum, qui pro rebus quas à suis ecclesiis auferunt tricennium intercessisse causantur.

Deus iustus iudex, qui iustitiam intemporaliter diligit, non vult seruire iustitiam tempori, sed tempora potiùs æquitatis lege concludit. Ipse igitur Deus, iustitia est. Deo ergo datur, quicquid à fidelibus in Dei ecclesiis iustissima deuotione offertur. Nã & fidelis quisque iustitiæ seruiens, Deo mediante, qui iustus est, vota sua astringit. Semper enim iusta vota soluenda sunt, quæ à iustitia processerunt, & per iustitiam illigata noscuntur. Deo igitur fraudem facit, qui iustitiæ aliquid subtrahit. Ergo & iustitiam rescindit, quisquis aliena vota corrumpit. Cum igitur, vt dictum est, Deus iustitia sit, qua præsumptionis insania agitur, vt de manu Dei quis auferat, quod tricennali temporum præscriptione se tenuisse contendat? Multorum enim mentes pontificum, inlicito cupiditatis ausu præcipites, quædã de his, quæ in eorum diocœsi fundatis ecclesiis, pia fidelium oblatione donantur, insatiabili rapacitatis studio, aut † iuri ecclesiæ principalis innectunt, aut donanda aliis vel sub stipendio habenda distribuunt; sicque non solum aliena disrumpunt, sed & sacrilegium operantur. in eo quòd ecclesiæ Dei fraudatores existunt. Ecclesiam quippe fraudare, sacrilegium esse à maioribus approbatur. Vnde & cum eos euidens ratio persuadeat ad reddendũ, aut tricennium in re possessa opponunt, aut non se fecisse respondent, quod decessores suos egisse non nesciunt, & tamen scita emendare refugiunt. Sicq; cupiditatem tricennio fouent, & rapacitatis studia temporum proscriptionibus cumulant: & qui admissum facinus ad momentum delere debuerunt, annosa id oppositione solidare contẽdunt. Quantę igitur impietatis ille credendus est, qui ad hoc laborat, ad hoc etiã propositionis suæ voces exaggerat, vt per tricennium se recognoscat, Deo iniuriam intulisse, quam tamẽ exacto tricennio renuat emendare? Nunc verò cũ hæc & talia nequissima, iustitiæ defensione prolata sint; nos tamen non præterita ordinamus, sed futura disponimus: nec præcedentium regum, sed nostri regni tempora definimus. Abrogata ergo deinceps totius cupiditatis licentia, nulli pontificum vltra licebit quicquam ab ecclesiis diocœsis suæ auferre, aut ablatum quodcunque per oppositionem tricennii vindicare. Non enim in hac causa deinceps tricennale tempus accipiendum est: sed quandocunque fuerit veritatis origo mõnstrata, iustitiam partis suæ recipiat. Quia & vt multiplex annorum series sine repetitione pertranseat, facit hoc præeminentis dura potestas: quæ sic subdita sibi sacerdotum comprimit colla, vt pro ablatis rebus intendere contra præeminentis personam nec audeant nec præsumant. Proinde ne talium silentio vox perenniter spoliatæ ecclesiæ conquiescat, licitum erit, huius præsumptionis admissum & per quemcunque & quandocunque accusatum detegi, & imminentis ipsius causæ negotium expediri: sub isto videlicet ordine, vt si heredes fundatores ecclesiæ adsunt, ipsi talia prosequantur. Si autem non fuerint, aut etiam si sint, causare tamen noluerint, tunc ducibus vel comitibus, tyuphadis atque vicariis, siue quibuscunque personis, quos cognitio huius rei attigerit, & aditus accusandi & licentia tribuitur exequendi. Quicunq; ergo episcoporum hæc quæ missa sunt in præteritis fecerit, & tricennium iam in hac peruersa possessione impleuerit, ea ipsa quæ in præteritis per xxx. annos tenuit, Deo potius vindicãda relinquimus, quàm nostro rescindenda iudicio definimus. Quicunq; verò vsq; ad tempus, quo lex ista conderetur, in hoc ipsum quod rapuit, tricennium non

† *in re.*

impleuit; rem ipsam, quæ ablata est sine aliqua satisfactione, in omni integritate ecclesię, cui testata est, reformare cogatur. Iam verò à die huius latæ legis vel tempore, quicunq; pontificum de his quæ à fidelibus in Dei ecclesiis testata vel collata esse noscuntur, aliquid exinde abstulerit, suoq; iuri vel ecclesiæ principali, seu cuicunq; personæ quolibet modo quodcunq; tale concesserit, nulla temporū lōgæuitate securus, iuxta præmissum ordinem quandocunq; & per quemcunq; talia fuerit commisisse detectus, ea ipsa quæ præsumpsit, vna cum legitima satisfactione rei propriæ, illi ecclesię cui tulit vel in quam deliquit, reformare cogendus est. Quòd si de rebus propriis non habuerit vnde componat, in omni integritate ea quæ præsumpsit, ecclesiæ cui tulit, restituat: & ipse pro excessibus suis, iuxta canonem Toletani Concilii vndecimi, excommunicationis plectē-
(* Ideo.) dus erit sententia. † Id est, vt si decē solidos rē ipsam quā tulit valere cōstiterit, xx. dierū pœnitentiæ satisfactione admissum facinus expurgabit. Similiter siue maioris sit pretii, siue minoris, q͂ præsumpsit, geminata hoc sēper dierū satisfactione vel pœnitētia emēdabit. Simili quoq; & ille sententia vel dāpno mulctādus est, qui à decessore suo ablata deinceps quæcunq; diocœsanis ecclesiis, apud se tenere præsumpserit. Quicunque tamen iudicum tenorem huius legis adimplere neglexerit, quo aut iudicare talia differat, aut iudicanda regiis auditibus nullo modo innotescat, omnem rei taxationem, quam episcopus ille persoluere debuit, qui talia fecerit, totam ecclesiæ illi de sua idem iudex proprietate debebit componere, cuius accusatum sibi negotium destitit iudicare. Hæc igitur lex, non solùm pro rebus, quæ in ecclesiis absolutis vel diocœsanis collatæ sunt, obseruabitur: sed sub generali nomine omnium ecclesiarum, id est, tam in monasteriis virorum quàm etiam feminarum, omnimoda constitutione complebitur: Id tamen adii-
(* suas.) ciendū huic legi manifesta ratio persuasit, vt episcopi omnes quoscunq; per ecclesias † siue diocœsis sacerdotes rectoresq; ordinādos elegerint, cognitiores eos efficiant de vtilitatib. ecclesiæ illius, in quib. fuerint ordinati? Id est, vt q̄cquid vnusquisq; episcoporū de scripturis ecclesiæ diocœsis suæ apud se conseruationis causa habere se nouerit, mox rectorem ecclesiæ cuilibet prætulerit, statim ei, quem ordinauerit, vtilitates ecclesiæ vel scripturas in manifestam cognitionem deducat, necnon tantum ignorantia ordinati, sed quod peius est obcelatione vel vitio ordinantis voluntas in quocunque lateat testa-
(† authenticorum.) toris. Id tamen erit, vt & competentia sibi sacerdotes rectoresque ecclesiarum † authentica videant, & aut exemplorum ipsorum exemplaria manu sui episcopi roborata pro omni firmitate à pontifice suo accipiant: qualiter per ea ipsa exemplaria, & negotia ecclesiæ sibi commissæ absque hæsitatione proponant; & veritatem partis suæ iustitia intercurrente recipiant. Data & confirmata lex, à die vndecimo Calendarum Ianuariarum, anno fœliciter quarto regni nostri, in Dei nomine Toleto.

VII. FLS. GLS. GABA. REX.

Ne hi qui retento obsequio ecclesiæ manumittuntur, ingenuarum personarum audeant adire coniugium.

MAgna est confusio generis, vbi dissimilitudo vnius parentis, statum degenerat progenitæ prolis. Hoc enim necesse est, vt inueniatur in frutice, quod tractum est ex radice. Quomodo enim absoluti decoris titulum reportabit, cuius parentes obligatio †
(† ad hoc.) adhuc innexa constringit? Et hæc quidem præmissa sunt, pro eo quod multi de familiis ecclesiarum libertate donantur, nec tamen absolutæ libertatis licentia potiuntur: in eo quod illi ecclesiæ, de qua originem ducunt, per obsequium illigantur: qui tamen dū
(† peruerso.) † diuerso ordine ingenuarum personarū connubium expetunt, contra naturam, quod ipsi non possunt, generare intendunt; & quod in augmentum publicæ vtilitatis debuit crescere, hoc in manifestam illigationem personæ vel rerum cognoscitur deuenire:
(† obsequēs.) dum is, qui de tam infami coniugio nascitur, inferioris parentis * exequens sexum, vnà cum rebus suis omnibus ecclesiasticæ seruituti addicitur. Quapropter vt talis de cætero amputetur præsumptio, præsenti lege præcipimus: vt quicunque de familiis ecclesiæ retento patrocinio ecclesiæ ipsius, de cuius seruitute exiuit, libertatem à sacerdote acceperit, ingenuam sibi non audeat in matrimonio sociare personam. Illi tamen absoluti ab obsequio ecclesiæ, per canonicam sententiam debito ordine manumittuntur, & ingenuarum mulierum innecti copulis poterunt, & in prole omnimodæ dignitatis testimonium optinebunt. Quòd si hi qui sub ecclesiarum obsequio manumissi sunt, ingenuarum mulierum deinceps ausi fuerint se coniugio sociare: vbi hoc primum iudex agnouerit, sub trina verberum vltione vel commo-

monitione, ſicut de ingenuis & ſeruis lege alia cõtinetur, eos ſeparare nõ differat. Quod ſi ab inuicem ſeparari noluerint, vniuſcuiuſq; perſonæ, ſicuti fuerat conditione manẽte; quicquid ex illis natum fuerit, in principis poteſtate ſeruiturum deueniat. Res tamen omnes ſiue facultates, quæ de perſona ingenua in talium libertorum iure quolibet modo transfuſæ ſunt, cum his etiam quæ ſibi ex talium ſexu progenitus filius potuit profligare, conquirere vel habere, totas in integrum aut heredes illius ingenuæ perſonæ poſſidendas optineant: aut ſi heredes ei defuerint, in principis iure deueniant poſſeſſuræ, qualiter iudicare de his quid voluerit abſolutæ poteſtatis potiatur licentia. Hæc lex non ſolum in viris, ſed & in feminis obſeruanda eſt: id eſt, ſiue ſit libertus eccleſiæ ſiue liberta, quæ ſibi perſonam ingenuam ſociare præſumat. Hoc tamen in hac lege ſeruandum eſt, vt quicunque de præteritis vſque modo quo hæc lex conderetur, de talibus parentibus repperti fuerint intra tricennium generati non obligationem ſequantur illius parentis, qui eccleſiæ per obſequium illigatur; ſed conditione omnimodæ ingenuitatis aſſumpta, cum omnibus rebus, quæ de parente nobili in ignobili parente quolibet modo transferant, in ingenuitatis forma, vel decore abſoluti perſiſtant. Data & confirmata lex à die decimo Kalendarum Ianuariarum, anno feliciter quarto regni noſtri Toleto.

DE TRANSACTIONIBVS, LIBER QVINTVS.

Titul.

DE ECCLESIASTICIS REBVS.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De donationibus eccleſiis datis.

SI famulorum meritis iuſtè compellimur debitæ compenſare lucra mercedis, quanto iam copioſius pro remediis animarum diuinis cultibus, & terrena debemus impendere, & impenſa legũ ſoliditate ſeruare? Quapropter quęcunq; res ſanctis Dei baſilicis, aut per principum, aut per quorumlibet fidelium cognationes collatæ reperiuntur, votiuè ac potentialiter pro certo cenſemus, vt in earum iure, inreuocabili modo, legum æternitate firmentur.

II.

De conſeruatione & redintegratione eccleſiaſticæ rei.

COnſultiſſima regni noſtri credimus prouenire remedia, dum pro vtilitatibus eccleſiarum, quæ debeant opſeruari noſtris inſeri legibus præcipimus. Ideoque præſenti ſanctione cenſemus, vt mox epiſcopus fuerit ordinatus, ſtatim rerum inuentarium de rebus eccleſiæ, præſentibus quinque ingenuis viris, facere non moretur. Quod inuentarium de rebus eccleſiæ, ingenui viri coram quibus factum fuerit, ſua ſubſcriptione corroborent. Poſt epiſcopi vero ipſius obitum, dum alter fuerit epiſcopus ordinatus, ſecundum rerum inuentarium, res requirat eccleſiæ: & ſi aliquid diminutum de rebus eccleſiæ prouenerit; proprij heredes epiſcopi, vel quibus facultas eius pertinere vel relicta eſſe videatur, de præcedenti ſatisfaciant facultate. Quòd ſi & aliquid de rebus eccleſię vendere præſumpſerit, ſuccedens epiſcopus, reddito precio quod à venditore ſuſceptum eſt cum omni augmento, rem ad eam reducat eccleſiam, & nullam calumniã pertimeſcat. Quam legem & de presbyteris vel diaconibus, ſicut ſuperius ſcriptum eſt, in omnibus obſeruari & valere præcipimus.

III. ANTIQVA.

De venditionibus & donationibus ecclesiasticarum rerum.

SI quis episcopus aut presbyter, vel quicunque ex clericis, præter consensum cæterorum clericorum, aliquid de rebus ecclesiæ vendiderit vel donauerit, hoc firmum non esse præcipimus: nisi ita fuerit facta venditio siue donatio, quemadmodum sanctorum canonum instituta constituunt atque decernunt.

IIII. ANTIQVA.

De rebus ecclesiæ ab his possessis qui sunt ecclesiæ obsequiis mancipati.

HEredes episcopi seu aliorum clericorum, qui filios suos in obsequium ecclesiæ cōmend auerint, & terras vel aliquid ex munificentia ecclesiæ possederint: si ipsi in laicos reuersi fuerint, aut de seruitio ecclesiæ, cuius terram vel aliquam substantiam possidebunt, discesserint, statim, quæ possidebant amittant. Sed & in omnibus clericis, qu de rebus ecclesiæ quæcunque possederint, seruetur hæc forma: ne quamuis longa possessio dominium ecclesiæ à rebus sibi debitis quandoque secludat, quia & canonum auctoritas ita commendat. Sed & viduæ sacerdotum vel aliorum clericorum, quæ filios in obsequium ecclesiæ commendāt, pro sola miseratione, de rebus ecclesiasticis, quas pater tenuit, non efficiantur extorres.

II. TITVLVS.

DE DONATIONIBVS GENERALIBVS.

I. ANTIQVA.

Ne valeat violenter facta donatio.

DOnatio quæ per vim & metum fuerit extorta, nullam habeat firmitatem.

II. FLS. CHDS. REX.

De donationibus Regis.

DOnationes regiæ potestatis, quæ in quibuscunque personis conferuntur, siue coll tæ sunt, in eorum iure consistant, in quorum nomine eas potestas contulerit regia ea videlicet ratione, vt ita huius regalis munificentiæ collatio adtributa, in nomine eiu qui hoc promeruit, transfusa permaneat: vt quicquid de hoc facere vel iudicare voluerit, potestatem in omnibus habeat. Quòd si etiam is qui hoc promeruerit, intestatus d cesserit; debitis secundum legem heredibus res ipsa successionis ordine pertinebi & infringi collatæ munificentiæ gratia nullo modo poterit: quia non oportet princip statuta conuelli, quæ conuellenda esse † præcipientis culpa non fecit. † per.

III. ANTIQVA.

De rebus marito vel vxori à Rege donatis.

SPeciali iure decernitur, vt de rebus regia collatione collatis, si in nomine mariti fu rit conscripta donatio, nil sibi exinde mulier, excepto quod in dote percepit, debe vindicare. Ideoque & si in nomine mulieris inuenitur facta donatio, nihil sibi vir exin de post eius obitum adtemptet aliquatenus vsurpare, vel iuri proprio mancipare, ni quod meruerit vxoris largitate percipere.

IIII. ANTIQVA.

De rebus extra dotem vxori à marito collatis.

SI mulier à marito extra dotem, de quibuscunque rebus quacunque donatione v profligatione conquisitis aut illi debitis, quocunque tempore, quodcunque don tum acceperit, si filii de eodem coniugio fuerint procreati, mulier vsque ad diem ob tus sui, & secundum voluntatem vel ordinationem testatoris secura possideat, & quinta tantundem parte earum rerum faciendi quod voluerit potestatem optineat. F

ct

ctus tamen sicut testator ipse, qui hoc testauit, expendendi vel vtendi potestatem habere potuit: ita & illa quæ vsu hoc ad possidendum percepit, omnia dum aduixerit, sine cuiuslibet inquietudine, suis incunctanter vtatur expensis, si tamen idem testator aliquam specialem testationem de ipsis frugibus non instituerit. Post obitum vero suum, reliqua integra & intemerata filiis ex ipso viro procreatis derelinquat, & nulla occasione cuiquam exinde, excepta vt dictum est quinta parte, quicquam aliud mulier alienare præsumat. Quod si ex ipso coniugio filii non fuerint procreati, quicquid mulier de rebus sibi donatis, iuxta præscriptum testatoris ordinem facere elegerit, liberam habeat potestatem. Cæterum si intestata discesserit, ad maritum eius, si superstes extiterit, donatio reuertatur. Si aũt maritus non fuerit, ad heredes mariti qui donationẽ conscripsit, eadem donatio pertinebit. Similem rationem de viris præcipimus custodiri, de his quæ ab vxoribus tempore quocunque donata præceperint.

V. ANTIQVA.

De rebus à marito mulieri concessis, vel si mulier fuerit adulterasse detecta.

MAritus si vxori suæ aliquid donauerit, & ipsa post obitum mariti sui in nullo scelere adulterii fuerit conuersata, sed in pudicitia permanserit, aut certe si ad alium maritum honesta coniunctione peruenerit, de rebus sibi à marito donatis possidendi & post obitum suum, si filios non habuerit, relinquendi cui voluerit, secundum voluntatem testatoris habeat potestatem. Cæterum si filios non relinquens intestata discesserit, aut ad maritum eius, si superstes extiterit, aut heredes mariti qui donationem cõscripsit, eadem donatio pertinebit. Si autem per adulterium seu per inhonestam coniunctionem se miscuisse conuincitur, quicquid de facultate mariti sui fuerit consecuta, totum incunctanter amittat, & ad heredes donatoris, vel ad filios legitimos reuertatur.

VI. FLS. CHDS. REX.

De rebus traditis vel per scripturam donatis.

REs donatæ, si in præsenti traditæ sunt, nullo modo repetantur à donatore. Quod si etiam prouenerit, vt quod donatur sit longe positum, pro eo donatio euacuari nõ poterit: quia tunc videtur vera esse traditio, quando iam apud illum scriptura donatoris habetur, in cuius nomine cõscripta esse dinoscitur. Hoc tantũ obseruandũ est, vt si donator dixerit, nec dedisse nec direxisse scripturã, sed sublatã sibi fuisse: tunc ille, cui res donatæ sunt, per testẽ conuincat, ab ipso donatore candẽ rem aut traditã sibi aut directam, vel ex eius voluntate in potestate sua redactam: & dum probauerit stabilis habeatur. Quod si probare neglexerit, tũc ille qui scripturam fecerit, iuraturus est, quia eandẽ scripturã, neq; per se dedisset, neq; direxisset, neq; per voluntatẽ suã factũ esset vt eadẽ scriptura in manus eius veniret, a quo eam videtur repetere: & sic inualida remanebit, si tamen qui donauit voluerit. Illud sane addi placuit, vt si quisq; scripturam de suis rebus in quibuslibet personis ædiderit, si eam viuendo illi in cuius nomine scripta est non tradiderit, quamlibet tradita non sit, tamen dum post eius obitum repperta fuerit, ille sibi eam vindicabit cum omnibus rebus, quæ ibi conscriptæ sunt, in cuius nomine dator eam fieri voluisse agnoscitur. Quoniam iustum omnino est, vt talis scriptura robur plenitudinis habeat, quam viuens donator ita saluauit, vt nequaquam videatur aliquatenus immutata. Nam si scripturam ipsam vel rem conditor, dum viueret nullomodo tradiderit, sed apud se retinuit, & voluntatem suam postmodum immutauit; illud potius firmissimum erit, quod post testationem non traditæ scripturæ definisse cognoscitur. Quod si ipsum, cui res donatæ fuerant, fatalis casus ab hac vita subduxerit, antequam rem sibi donatam caperet, ad donatorem vel ad heredes donatoris res ipsa pertineat. Qui vero sub hac occasione largitur, vt eandem rem ipse qui donat vsufructuario iure possideat, & ita post eius mortem ad illum cui donauerit res donata pertineat: quia similitudo est testamenti: habebit licentiam immutandi voluntatem suam quando voluerit, etiamsi in nullo læsum fuisse se dixerit. Ille vero qui falsa donatione circumuentus, aliquid in vtilitate donatoris expenderit, aut ab ipso donatore recipiat, aut ab eius heredibus: ne iniuste damna sustineat, qui lucrum se habere de inani promissione putabat. Certe si quisquis ille rem donatam, siue per traditionem conditæ scripturæ siue per consignationem vel traditionem rerum, in iure suo perceperit, & complacuerit ei vt donator rem ipsam per voluntatem eius qui eam donatam percepit possideat, iam si in postmodum fortasse contigerit, vt ipse qui rem donatam perceperat, viuente donatore moriens, ab hac vita discedat, quicquid de re sibi donata iudi-

care voluerit licentiam habeat. Quod si intestatus discesserit, non ad donatorem, sed ad heredes eius qui rem donatam percepit, res eadem sine dubio pertinebit.

VII. ANTIQVA.

De rebus inter maritum & vxorem inuicem datis.

MAritus si vxori suæ aliquid donauerit, de hoc quod ipsa habere voluerit, scripturã manus suæ subscriptione vel signo confirmet: ita vt duo aut tres testes ingenui subscriptores vel signa facientes accedant, & sic voluntas ipsius habeat firmitatem. Similis & de vxoris voluntate, quæ in maritum conferre voluerit, donationis hæc forma seruetur: si tamen violenter à viris non fuerit exacta donatio. Seruata legum in omnibus sanctione, quæ in discendis facultatibus dinoscitur ordinata consistere.

III. TITVLVS

DE PATRONORVM DONATIONIBVS.

I. ANTIQVA.

Si is qui in patrocinio constitutus est, vel filii eius, patronum aut filios patroni relinquat.

SI quis ei quem in patrocinio habuerit, arma dederit, vel aliquid donauerit, apud ipsum quæ sunt donata permaneant. Si vero alium sibi patronum elegerit, habeat licentiam cui se voluerit commendare. Quoniam ingenuo homini nõ potest prohiberi, quia in sua potestate cõsistit: sed reddat omnia patrono, quem deseruit. Similis & circa filios patroni vel filios eius qui in patrocinio fuit, forma seruetur: vt si tã ipse qui in patrocinio fuit, q̃ filii ei⁹, filiis patroni obsequi voluerint, donata possideãt. Si vero patroni filios vel nepotes ipsis nolentib. crediderint relinquendos, reddant vniuersa quę parentibus eorum à patrono donata sunt. Quicunq; autem in patrocinio constitutus, sub patrono aliquid acquisierit, medietas ex omnibus in patroni vel filiorum ipsius potestate cõsistat. Aliam verò medietatem idem buccellarius, qui acquisiuit, optineat. Quòd si buccellarius filiam tantummodo reliquerit, & filium non reliquerit, ipsam in potestate patroni manere iubemus: sic tamen vt ipse patronus æqualẽ ei prouideat, qui eam sibi possit in matrimonio sociare, & quicquid patri vel matri fuerit datum ad eam pertineat. Quòd si ipsa sibi contra voluntatem patroni inferiorem fortè maritum elegerit; quicquid patri eius à patrono fuerat donatum vel à parentibus patroni, patrono vel heredibus eius restituat.

II. ANTIQVA.

De armis quæ dantur saionibus in patrocinio constitutis, & de acquisitionibus eorum.

ARma quæ saionibus pro obsequio donantur, nulla ratione à donatore repetantur. Sed illa, quæ dum saio est acquisiuit, in patroni potestate consistant.

III. ANTIQVA.

De rebus in patrocinio conquisitis, vel à patrono collatis.

SIcut superius dictum est, si quis cum aliquo patrocinii causa consistat, & aliquid dum cum eo habitat, adquisierit: si ei inueniatur infidelis, vel eum de relinquere voluerit, medietas adquisitæ rei patrono tradatur. Aliam verò medietatem qui adquisiuit optineat, & quicquid ei ipse donauit recipiat.

IIII. ANTIQVA.

De rebus in patrocinio acceptis & conquisitis.

ITa, vt suprà præmissum est, quicunque patronum suum reliquerit, & ad alium tendens

dens forte se contulerit, ille cui se commendauerit, det ei terram. Nam patronus quem reliquerit, & terram & quæ ei dedit optineat.

IIII. TITVLVS.

DE COMMVTATIONIBVS ET VENDITIONIBVS.

I. ANTIQVA.

Vt ita valeat commutatio sicut & emptio.

COMMVTATIO si non fuerit per vim & metum extorta, talem qualem & emptio habeat firmitatem.

II. ANTIQVA.

Vt si non fuerit idoneus venditor fideiussor detur.

SI venditor nõ fuerit idoneus, ingenuum fideiussorem dare debet emptori & emptio habeat firmitatem.

III. ANTIQVA.

Ne valeat violenter facta venditio.

VEnditio per scripturam facta plenam habeat firmitatem. Ceterum si etiam scriptura facta non fuerit, & datum precium præsentibus testibus comprobetur, plenum habeat emptio robur. Venditio verò si fuerit violenter & per metum extorta, nulla valeat ratione.

IV. ANTIQVA.

Si arris datis precium non fuerit impletum.

QVi arras pro quacunq; re acceperit, id cogatur implere quod placuit. Emptor verò si per ægritudinẽ aut grauẽ necessitatem, quę vitari non potuerit, ad cõstitutũ non occurrerit diem, quem voluerit pro se dirigat, qui precium tempore definito † percomplaceat. Quòd si ad constitutum diem nec ipse successerit, nec pro se dirigere voluerit, arras tantummodo recipiat quas dedit, & res definita non valeat. †percõpleat.

V. ANTIQVA.

Si pars precii data non fuerit.

SI pars precii data est, & pars promissa non adimpletur, non propter hoc venditio facta rumpatur. Sed si emptor ad placitum tẽpus non exhibuerit precii reliquam portionem, pro precii parte quam debet, soluat vsuras: nisi hoc fortè conuenerit, vt res empta venditori debeat reformari.

VI. FLS. RCDS. REX.

Si fraus in precio rei venditæ fiat.

SI in contractu venditionis, minus precium datum fuerit, & per fraudem aut etiam contra voluntatem vendentis amplius datum precium nuncietur: quantum de iusto precio fraudatum est, tantum duplum emptor restituat venditori.

VII.

Si dicat quis rem suam vili precio vendidisse.

VEnditionis hæc forma seruetur: vt seu res aliquæ, vel terræ, siue mancipia, vel quod libet animalium genus venditur, nemo propterea firmitatem venditionis irrumpat, eo quod dicat rem suam vili precio vendidisse.

VIII. ANTIQVA.

De his qui aliena vendere vel donare præsumpserint.

QVotiens de vendita vel donata re contentio commouetur, id est, si alienam fortasse rem vendere, vel donare quemcunque constiterit, nullum emptori præiudicium fieri poterit: sed ille, qui alienam fortasse rem vendere aut donare præsumpserit, dupla rei domino cogatur exsoluere. Emptori tamen preciũ quod accepit redditurus, & pœnam quam scriptura continet impleturus: & quicquid in profectu comparatæ rei emptor vel qui donatum accepit, studio suæ vtilitatis acceperat, a locorum iudicibus æstimetur atque ei qui laborasse cognoscitur, a venditore vel donatore iuris alieni, satisfactio iusta reddatur. Similis scilicet & de mancipiis, & de omnibus rebus, atque brutis animalibus ordo seruetur.

IX. ANTIQVA.

Quod rem in contentione positam non liceat vendere vel donare.

REm in contẽtione positam, id est, quam alter aut petere cœpit, aut recipere rationabiliter poterat, optinere non liceat, nec donare, nec vendere, nec aliquo loco transferre.

X. ANTIQVA.

Si se permiserit ingenuus venundari.

QVicunque ingenuus se vendi permiserit, & precium cum venditore partitus est, vt circumueniret emptorem, proclamans postea, nullatenus audiatur; sed in ea seruitute, quam voluit, permaneat. Quoniam non est dignus vt liber sit, qui se volens subdidit seruituti. Et tamen si ipse, qui se vendiderit, vel venundari permiserit, precium vnde se redimat habere poterit: aut si parentes eius redemptionem pro eo qui se vendidit, dare elegerint; reddito ad integrum precio, quod pro venditi persona emptor accepit, ad ingenuitatis titulum ille qui se vendiderat, poterit reuocari.

XI. ANTIQVA.

De viris ac mulieribus ingenuis a seruo vel ingenuo venditis.

SI ingenuus ingenuum vendere, vel donare præsumpserit, huiusmodi præsumptorem iudex comprehendere non moretur: ita vt ingenuus ille in statum suum redactus centum auri solidos a præsumptore percipiat: aut si non habuerit vnde componat, centum flagellis publice verberatus, in potestate eius seruiturus tradatur, quem vendere vel donare præsumpserat. Seruus vero in ingenuam personam talia facere fortasse præsumens, comprehensus a iudice ducentorum flagellorum ictibus publice verberetur, & decaluatus turpiter, eius perenniter seruitio addicatur. Atque etiam de mulieribus ingenuis venditis vel donatis, huius ordinis forma seruetur.

XII. ANTIQVA.

Non licere parentibus filios suos quocunque contractu alterius dominio subiugare.

PArentibus filios suos vendere non liceat aut donare vel oppignerare. Nec ex illis aliquid iuri suo defendat ille qui acceperit, sed magis precium vel sepositionis commo du-

modum quod dederat perdat,qui à parentibus filium comparauit.

XIII. FLS. CHDS. REX.

De seruorum venditis rebus.

RES iuris alieni sine domini voluntate ab eo qui non habet distrahendi potestatem, alienari non patimur. Ideoque cum promulgata iuris antiqui sanctio non sine dominorum dispendio seruorum venditiones in irritum præceperit deuocari, prouidentiori decreto consulimus,si leges patrias ad æquitatis regulam redigamus; sicque melius earum statuta corrigere,quàm cum eis pariter oberrare. Quapropter si quis seruum vel ancillam alienam sciens,ab eis deinceps,domum,agrum, vineam, seu mancipium, sub quacunque definitione percepit,donatio siquidem vel sepositio de talibus personis contracta non valeat.Ita vt nec datum commodum pro sepositione reddatur. Venditio verò cum dispendio comparantis irrupta,sic ad serui vel ancillæ dominum in integrum reuocetur,vt emptor precium ex omnibus perdat. Iustè enim quod per ambitionem dederat videtur amittere,qui suo dominio rem census alieni nititur applicare.Prædictæ verò seruiles personæ si animalia quælibet bruta vendiderint,seu res quascunque & ornamenta distraxerint,quæ tamen aut sui sint peculii,aut à dominis suis vel aliis negotiandi occasione distrahenda perceperint,ita perenniter firma subsistant : vt si dominus eiusdem serui vel ancillæ qui vendidit, rescindere venditionem ipsam voluerit, seu rem domini quæ vendita est, non serui peculium, sed sui esse proprii domini asseruerit, non aliter venditio rescindatur, nisi ille qui rescindendam venditionem proponit aut per testes legitimos,aut per sacramentum suum, non serui peculium sed suum proprium doceat esse quod quærit,& sine voluntate sua venditum fuisse , quod acquirere cupit. Et hoc quidem de vilibus aut paruis rebus:nam de maioribus & necessariis in domini potestate erit infringere aut stabilire negotium.

XIIII. ANTIQVA.

Si seruus venditus in priorem dominum crimen obiiciat.

SI quis seruum suum vendiderit,& ipse seruus priori domino aliquod crimen obiecerit;ille qui vendidit,recipiat,quem vendiderat,precium redditurus emptori : vt ipse in seruo suo crimen quod sibi obiectum est inquirere vel vindicare studeat. Id autem & de ancillis præcipimus custodiri. Idem tamen seruus vel ancilla, seu venditi, siue donati,vel commutati,in priorum dominorum capite non torqueantur: neq; credatur eis, si in prioribus dominis crimen obiecerint.

XV. ANTIQVA.

Vt serui venditi facultatem dominus quærat.

SI quis seruum suum vendiderit nesciens eius facultatem , habebit inquirendi liberam potestatem,vt sibi vendicet ille qui vendidit, cum potuerit inuenire rem serui venditi.

XVI. ANTIQVA.

Si seruus sit de suo peculio emptus.

SI seruus de peculio suo fuerit emptus, & hoc dominus eius fortè nescierit,de domini sui potestate non exeat: quia non precium, sed res serui sui dominus dum ignorat accepit.

XVII.

Vt nullus seruum suum vendat inuitus.

SÆpissimè leges oriuntur ex causis : & cum aliquid insolitæ fraudis existit, necesse est contra notandæ calliditatis astutiam præceptum nouæ constitutionis apponi. Comperimus multorum seruos vel ancillas ad ecclesiam quorundam sollicitatione confugere,& illic de iniusto dominorum imperio sæpissimè querelari: vt ita intercedentibus clericis, religionis obtentu , domino necessitatem venditionis extorqueant. Hinc etiam plerumque domino error imponitur: vt aut clericus,aut quicunque alius se velut emptor interponat precium traditurus alienum.& sub huius argumẽtatione colludii,interdum domino nesciẽte seruus vendatur inimico: atq; eueniat,vt in vicinia forsitan longa constitutus,eum ille possideat, qui publicæ nullatenus ad contractum venditionis accessit.Proinde hac lege profutura omnibus sancimus,vt nullus seruum suum vendat inuitus. Sed clericus aut ecclesiæ custos, sicut in aliis legibus continetur, ex-

cusatum a culpa domino seruum amota dilatione restituat. Satis enim videtur indi gnum, vt in eo loco serui contumaciam rebellionis assumant, vbi castigationis discipli na & obtemperandi prædicantur exempla. Si quis itaque dominum suum in hunc in ducit errorem, precium qui per suppositam personam comparauit amittat. Quod ill aut ipso commercii tempore, quo inducebatur, vsurpet, suæ proprietati habiturus: au si hoc postea quam fuerat inductus agnouerit, iudicis exequutione percipiat, & seruum nihilominus suæ vendicet potestati. Is autem qui se ministrum fraudulenter venditio ni ingessit, alium paris meriti seruum domino cui instruxit insidias reformare coga tur: & tam notandæ fraudis improbitas, præcepti huius coerceatur obiectu.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

Si seruus pro crimine quocunque contractu ad dominium transierit alterius.

NOn prætermittendum est legali sanctione decernere, vnde plerumque impugna tionis occasio videatur existere. Idcirco, si criminis reatu seruus obnoxius, ad al terum fortasse dominum donationis, venditionis aut commutationis titulo transier seruiturus; idem prior dominus aut seruum pro culpa tradere, aut pro eo componer compellendus est. Nam qui talem seruum comparasse dinoscitur, si respondere vel sa tisfacere pro crimine eius noluerit, hunc priori domino precio recepto restituat, & ip quoque pro scelere serui, redditurus est petenti responsum, sub cuius dominio seruum constiterit perpetrasse reatum.

XIX. FLS. CHDS. REX.

De non alienandis priuatorum & curialium rebus.

SI cura rei familiaris omitti non debet, quanto magis vtilitatis publicæ, quam sempe exerceri vel augeri necesse est? Curiales igitur vel priuati, qui caballos ponere, vel i arca publica functionem exsoluere consueti sunt, nunquam quidem facultatem suam vendere aut donare, vel commutatione aliqua debeant alienare. Et tamen si contigeri aut voluntate aut necessitate eos alicui, siue venditione aut donatione, siue commuta tione, omnem suam † facultatem dare: ille qui accepit censum illius, a quo accepit ex soluere procurabit, & hanc ipsam summam census, eiusdem scripturæ suæ ordo per o mnia continebit. Sed & qui medietatem facultatis talium personarum, vel partem al quam in mancipiis, terris, vineis, domibusque perceperit, iuxta quantitatem accept rei, functionem publicam impleturus est. Qui autem de talibus personis accipien aut per scripturam illius a quo accepit, non ostenderit quid exinde functionis exsolua aut vno forsitan anno reddere censionem ipsam distulerit: mox regis auditibus siue co mitis aut iudicis huius rei actio innotuerit, possessor amisso precio & siquid e contra d derat, id etiam quod accepit ex omnibus perdat. Ita vt principis potestas, seu illi qui d derat reddere voluerit, siue alii fortasse conferre, licentiam habeat. Ipsis interim cu rialibus vel priuatis inter se, vendendi, donandi, & commutandi, cui licitum erit, vt il qui acceperit, functionem rei acceptæ publicis vtilitatibus impendere non recuset. N plebeis glebam suam alienandi, nulla vnquam potestas manebit. Amissurus procu dubio precium vel si quid contigerit accepisse, quicunque post hanc legem, vineas, te ras, domosque seu mancipia, ab officii huius hominibus accipere quandocunque pra sumpserit.

† facultatulam

XX. ANTIQVA.

Si res illa vendatur aut donetur quæ prius debuerat per iudicium optineri.

SI quis rem, quæ est per iudicium repetenda priusquam aduersarium iudicialiter s peret, ita vendiderit vel donauerit alicui, aut forte tradiderit occupandam; vt abs audientia iudicis, priuetur dominium possessoris: ipse qui possedit per exequutione iudicis, rem quæ occupata fuerat statim recipiat, nec de eius postmodum repetition contendat, etiamsi bona sit causa petentis. Ille vero qui hoc vendidit aut donauit, v occupari præcepit, quod iuste vindicare nullatenus * poterit; eiusdem meriti rem a precium ei a quo victus fuerit repensare cogatur: quia rem antequam * vinceret fec inuadi.

* potuit, * vindicaret

XXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De mancipiis ab hostibus occupatis vel venditis.

QVæcunque mancipia de regionibus nostris ab aduersis hostibus extiterint occup a, si ab hominibus regni nostri repetiatur excussa, ille qui ab hoste abstulit, ex qu vnum

vnumquodq; mancipium valere iustè constiterit, tertiam partem precii habeat, & mācipia domino nihilominus reddat. Quòd si venditum ab hostibus mancipium fuerit acceptum, cum iuramento manifestetur precium datum: ac tunc illo qui dedit integrū precium, & quantum mancipium meliorauit acceptum, à domino recipiat, moxque illi suum mancipium inexcusabiliter reddat.

XXII. FLS. CHDS. REX.

Quo præsens liber debeat precio comparari

VT omnis de cætero & improbitas distrahentis, & dispendium temperari possit emptoris id præsenti sanctione decernitur legis: scilicet vt quotiescunque hunc codicem constiterit venundari, non amplius quàm XII. solidorum numerum accipere venditori, vel dare licebit emptori. Si quis verò super hunc precii numerum accipere vel dare præsumpserit, C. flagellorum ictibus à iudice verberari se nouerit.

V. TITVLVS,

DE COMMENDATIS ET COMMODATIS.

I. ANTIQVA.

De animalibus in custodiam placita mercede susceptis.

SI quis caballum vel bouem, aut quodlibet animalium genus placita mercede ad custodiendum susceperit: si id perierit, alium eiusdem meriti, ille qui commendata vel commodata susceperit, exsoluat: si tamen mercedem fuerit pro custodia consequutus, vel pro conducto. Quòd si ille qui nullum placitum pro mercede susceperat, rem mortuam esse probauerit, nec ille mercedem recipiat, nec ab illo aliquid requiratur. Ea tamen ratione, vt præbeat sacramentum ille, qui † commodata susceperat, quod non domino per suam culpam neque per negligentiam, animal morte consumptum sit, & nihil cogatur exsoluere. Similis & de* commodatis forma seruetur. †commen. *commen.

II. ANTIQVA.

De animalibus in angaria præstitis.

SI quis alicui iumentum aut caballum aut aliud animal præstiterit, & per aliquam infirmitatem apud eum qui accepit moriatur, sacramentum præbere debebit, quòd non per suam culpam neque per negligentiam morte consumptum sit, & nil cogatur exsoluere. Sin autē nimium sedendo, vel fasces carricando, aut quocunq; onere vel percussione mortuum fuerit, eiusdem meriti animal domino sine aliqua excusatione restituat. Si verò præstitum animal, alicui aliquid debilitatis intulerit vel dampni, ille componat qui eum apud se susceptum habuisse dinoscitur.

III. ANTIQVA.

De rebus præstitis incendio vel furto exterminatis.

SI alicui aurum, argentum aut ornamenta vel species fuerint commendatę, siue custodiendæ traditæ, aut forte vendendæ: id si perierit, vel in domo ipsius qui accepit cum rebus eius fuerit incendio concrematum, vnà cum testibus veniat, & breuem det ille, cui commendata susceperat, & præbeat sacramentum, quòd nihil exinde suis profuisset compendiis, & nihil cogatur exsoluere, excepto auro & argento quod ardere non potuit. Et si quis, dum domum flamma consumit, se quasi auxilium præbiturus ingesserit, & aliquid forte rapuerit, dominus domus diligenter inquirat: & si eum inuenire potuerit, ille qui rapuit in quadruplum rapta restituat: & si de commendatis rebus apud susce-

ptorem aliquid fortè reppererit, domino reſtituere non moretur. Si vero quæ commo-data fuerant, furto probantur ablata ei qui commendata ſuſceperat, ſpatium tribuatur, vt ordo docet, donec furem ſua inueſtigatione perquirat: & ſi eum inuenerit, commē-datori res ſuas proprias tantummodo reformare cogatur. Compoſitio verò furti ad eum qui habuit commendata pertineat. Certè ſi fur non fuerit infra ſtatutum tempus inuē-tus, medietas rerum commendatarum domino à ſuſcipiente reddatur, vt dampnum ex medio vterq; ſuſtineat. Et ſi poſtmodum dominus rerum apud eum cui commendaue-rat, quæ fuerant ſuppreſſa fortè reppererit, cum hæc ille ſe prius dixerit perdidiſſe, vel furtim fuiſſe ſublata, ſicut fur pro his quæ celauit, ſecundum legum ſtatuta, compoſitio-nem implere cogatur.

IIII. ANTIQVA.

De pecunia perdita & vſuris.

SI quis pecuniam ſub conditione ſuſceperit, daturus vſuras, ſi per caſum pecunia peri-erit, non culpa aut negligentia debitoris: ille qui pecuniam commodauit, ſolam pe-cuniæ ſummam recipiat, & non requirat vſuras. Si vero per ipſius fraudem vel culpam factum eſt, & pecuniam & vſuras ſoluat. Quòd ſi aliqua lucra eſt ex ea pecunia conſe-quutus, & poſtmodum contingat vt pecunia pereat; ſi tanta ſunt lucra quanta pecunia fuit, & pecuniam & vſuras reſtituat.

V. ANTIQVA.

De rebus commendatis & caſu quocunq; in naufragium miſſis.

QVi cōmendata vel cōmodata ſuſceperit, & de ruina aut de incendio vel hoſtilitatis naufragio, ſeu quolibet ſimili caſu, ſua omnia liberauerit, & aliena perdiderit, quod accepit ſine aliqua excuſatione cogatur exſoluere. Si vero partē aliquam de rebus pro-priis liberaſſe cognoſcitur, illi cuius res ſecum habuerat, iuxta modum perditæ rei vel liberatæ reſtituat, qualem iudex ratione deducta æſtimauerit portionem. Si autem ſua omnia perdidit, cum liberaret aliena, & de liberatis & de perditis rebus ſimilis ratio deducatur, vt partem, arbitrio iudicantis, qui liberauit accipiat. Iuſtum eſt enim in ſimi-li caſu, vt ille non dampnum ſolus excipiat, qui ſe grauibus obiecit periculis; & dum ali-ena minora conatur liberare, ſua maiora perdidiſſe cognoſcitur.

VI. ANTIQVA.

De rebus ſeruo neſciente domino commendatis.

QVod neſciente domino ſeruo fuerit commendatum, ſi id perierit, nec dominus nec ſeruus vllum dampnum incurrat. Suæ enim imputet culpę qui ſeruo alieno res ſuas commendauerit, domino neſciente. Si vero alicuius animal ſit, & per fraudem paſtorū din inutum repperiatur, hoc reddere compellatur. Similis & de commodatis forma ſer-uetur, ſi fraude aut malitia conſumpta aut diſſipata noſcuntur.

VII. ANTIQVA.

Si ſeruus mentiatur dominum petere commodata.

SI dominus per ſeruum ſuum quodcunque ſibi petierit commodandū, & ſeruus cum rebus commodatis in fugam fuerit elapſus, tunc dominus obligetur vt commodata reſtituat. Si vero ſeruus petiſſe dominū mētiatur, & ſic quaſi deportāda ad dominū ſuſce-perit & quę ſuſceperit aut euerterit, aut forte perdiderit, & fugitiuus nō potuerit inueniri dominus ſerui præbeat ſacramentū, ſe eundē ſeruū vt ſuſciperet non miſiſſe, & cū id pe-teret ignoraſſe, & nihil calumpniæ pertimeſcat. Seruum tamen tam dominus quàm ille qui commodauit, quærere ſolicite procurabunt. Hæc eadem & de commendatis præci-pimus cuſtodire.

VIII. ANTIQVA.

De reddendis vſuris.

SI quicunque pecuniam commodauerit ad vſuram, non plus per annum quam tres ſeliquas de vno ſolido poſcat vſuras, ſi tamen fuerit vnde detur. Sed de ſolidis octo no-num ſolidum creditori, qui pecuniam ad vſuram dedit, exſoluat: & ſic ſummam pecu-niæ & vſuras ille qui dederat, à debitore recipiat. Quòd ſi cautionem vltra modum ſu-perius comprehenſum per neceſſitatem ſuſcipientis creditor extorſerit, conditio cōtra leges inſerta non valeat. Si quis autem contra ordinationē hanc fecerit, eam rem quam commodauerit, recipiat: & quæ cautæ fuerant, in nullo ſoluantur vſuræ.

VIII.

VIIII. ANTIQVA.

De vsuris frugum.

QVicunque fruges aridas & humidas, id est, vinum & oleum, vel quodcunque annonę genus alteri commodauerit, non ampliùs ab eo propter vsuras, quàm tertiam partem accipiat, idest vt super duos modios, qui accepit, tertium reddat. Quam legem, ad solas fruges præcipimus pertinere. Nam de pecunia commodata, secundum superiorem legem valere & obseruare censemus.

X. ANTIQVA.

Cui debeant testamenta vel scripturæ commendatæ restitui.

TEstamentũ ab eo cui fuerit commendatum, postea quã hoc ante testes publicauerit, sicut est in legibus constitutum, illi, qui maiorem partem de eodem testamento est consequuturus, reddatur heredi. Quod si alii redditum fuerit, vel aduersario eius traditum; qui tradiderit duplam compositionem restituat, quàm illi cui fraudulentus fuerit, inferre voluerat. Illas verò scripturas, quæ simul tradi partibus debent, si commẽdatas quicunque susceperit, id est, testamenta, iudicia, pacta, donationes, vel cætera talia, si alteri altero absente tradiderit, ille qui dederat reuocet quod dedit; & omnibus quibus in commune debebatur, restituere non moretur.

V. TITVL.

DE PIGNERIBVS ET DEBITIS.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De non pignerando.

PIgnerandi licentiam in omnibus submouemus: alioquin si non acceptum pignus præsumpserit ingenuus de iure alterius vsurpare, duplum cogatur exsoluere. Seruus autem simplum restituat, & c. flagella suscipiat.

II. ANTIQVA.

De pignere deposito & furato.

SI quis pignus alteri deposuerit pro aliquo debito, & illud, ipse qui deposuerit, furatus fuerit, pro fure teneatur.

III. ANTIQVA.

De pignere si pro debito deponatur.

PIgnus, quod pro debito deponitur, si per cautionem fuerit obligatũ, & ille qui pign⁹ deposuerat ad tempus constitutum, debitum reformare dissimulet, post diem cautionis exactum, vsque ad decem dies pignus saluum domino suo reseruetur; aut eidem domino, si in propinquo est, reportetur, atque vt restituat debitum moneatur. Quod si per negligẽtiam suam debitor, ad diem constitutũ adesse neglexerit, aut debitum implere distulerit, addantur vsuræ. Cæterùm si adesse vsque ad decẽ dies, sicut suprà dictũ est, aut quod debet, reformare* dissimulauerit: tunc creditor iudici vel præposito ciuitati pignus ostendat, vt quantum iudicio eius, * vel trium honestorum virorum fuerit æstimatum, sit licentia distrahendi, & postmodum de precio venditi pigneris, creditor quantum ei debebatur, sibi euidentius tollat, & reliquum ille recipiat qui pignus deposuerat. *distulerit *&.

IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si pignus repræsentato debito non reddatur.

SI quis ei qui rem pro pignere crediderit, ad constitutum tempus, repræsentato debito, pignus acceptum distulerit reddere, & hoc aut ante tempus lege superiori taxatum vendere, vel in vsus proprios atque in alienos conterendũ præsumpserit ad tem-

ptare, vel malitiose differens noluerit assignare pignus quidem quod accepit, integrum reddat, & medietatem quantum pignus valere constiterit, domino pigneris coactus impendat.

V. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si vna persona reatu vel debito multis teneatur obnoxia.

SI vna persona plurimis rea vel debitrix maneat, qui prior in petitione præcesserit, & aut per placitum, aut per probationem siue per professionem eius, eum sibi reum vel debitorem esse docuerit, ipsi nihilominus aut iuxta qualitatem debiti satisfacere compellendus est, vel damnandus a iudice. Quod si quibus reus vel debitor manet, vno eodemq; tempore contra eum agere cœperint; secundum quantitatẽ debiti vel reatus, aut reddere omnib. aut omnibus addicendus est seruiturus. Quærere tamen a iudice ad liquidum oportebit, cui magis reus vel debitor maneat, vt ipsi maiorem partem reddi præcipiat. Et de reliquo, quod de facultate rei vel debitoris remanserit, quantũ reddatur cæteris iudex ipse manifeste perpendat. Certe si non fuerit vnde compositio exsolui debeat, cum hoc saltim quod videtur habere, pro debito vel reatu perpetim seruiturum iudex petentibus tradere non desistat.

VI. FLS. CHDS. REX.

Qualiter defuncti debitum aut violentia post mortem possit inquiri.

SI viuentis cuiuslibet manifesta culpa non apparet, nefas esse non dubitandum est, vt eum quisquam post obitum mansisse sibi reum accuset. Ne ergo in fraude heredis defuncti quicunque post hæc talia conetur præsumere, huius legis redargui sanctione se nouerit: scilicet, vt si quis quemlibet defunctum sibi violentum, aut peruasorem suæ rei, siue direptorem seu debitorem fuisse adstruxerit, eumque quodcunque inlicitum secundum superiorem ordinem dixerit perpetrasse; non aliter eius assertioni credatur, nisi per quamcunque scripturam aut testificationem legitimam id verum esse indubitanter edoceat. Quod si tale aliquid quisque conuicerit, & defunctus ille de quo agitur, filios non relinquens, facultatem suam suis libertis aut quibuscunque personis dinoscitur contulisse: ipsi liberti vel aliæ personæ, iuxta quod possident de rebus defuncti, quæ defunctus debuit vel commisit, insistente iudice, cogatur exsoluere. Nam si filios reliquerit, & ipsi omnem eius optinent facultatem, ipsi proculdubio cogendi sunt illa supplere, vnde auctor eorum, debitor aut præsumptor conuincitur extitisse. Si certe prædictarum causarum obnoxius sic ab hac luce discesserit, vt de suis rebus nil videatur aliquatenus ordinasse; propinqui eius, vel qui facultatem ipsius adierint aut possederint, petitori de re vel causa quam repetit, cogendi sunt reddere rationem: ita vt si ille, qui debitor aut præsumptuosus dicitur extitisse, nil rerum suarum moriens dinoscitur reliquisse, ab omni calumpnia repetentis eius filii vel propinqui habeantur immunes. Sin autem quodcunque defunctus reliquit, & maius est quod petitur quam quod reliquisse videtur; si filii eius aut propinqui, aut qui eius possident bona, noluerint pro reatu eius vel debito satisfacere, de rebus a defuncto dimissis non morentur petenti facere cessionem.

VII. TITVLVS.

DE LIBERTATIBVS ET LIBERTIS.

XVI. De

I. ANTIQVA.

Si mancipia siue per scripturam seu per testem manumittantur.

SI quis moriens per scripturam aut præsentib. testib. manumiserit mancipia sua, voluntas eius habeat firmitatē, dūmodo infra sex menses, trium aut quinque testium, quibus credi possit, testimonio comprobetur. Sed & libertis si quid donauerit qui eos manumittit, aut libertatis ipsius scriptura contineat, aut testes qui adhibentur agnoscant; & res apud libertos donata permaneat.

II. ANTIQVA.

Si alienus seruus vel commune mancipium manumittatur.

SI quis alienum seruum vel commune mancipium manumiserit in fraudem domini, libertas data non valeat. Ille verò qui manumiserit alienum mancipium, alterum præter illum domino dare cogatur. Si verò dominus adquieuerit vt ille liber sit, duos vicarios seruos pro manumisso seruo percipiat, & libertas data habeat firmitatem. Hæc eadem & de ancillis præcipimus custodiri. Si quis sanè vult ex integro manumittere cōmune mancipiū presbyterū qui præsens est vel diaconū cōmonemus, ne huiusmodi libertatē se fieri præsentib. permittāt, quia hæc manumissio stare non poterit. Si quis autē commune mancipium vult à iugo seruitutis absoluere, prius cum consortib. suis diuidat, & suæ vindicet potestati: aut certè cum his qui ei consortes sunt, id fieri vel precio vel precib. elaboret: & *si sic voluerit præsente presbytero vel diacono manumittat, & libertas data firmetur. Quòd si aliquis coram sacerdote vel diacono commune mancipium ex integro manumiserit, proprietatis suæ partem de mancipio amittat, & mancipium ad integrū consors ille qui non manumisit, optineat. Nam si partem suam quæ in eodem mancipio illi debetur, absoluere voluerit, prohiberi non poterit.

**se si nol.*

III. ANTIQVA.

De his qui se liberos proclamauerint esse.

SI mancipia se in libertate proclamauerint, spatium & tuitionem arbitrio iudicis accipiant, vt testes possint ad libertatis suæ documenta perquirere. Sed tantum temporis spatium mancipiis concedatur, vt nec seruitia dominis, nec beneficia proclamantibus denegentur.

IIII. ANTIQVA.

Si ad seruitium repetatur qui in libertate est constitutus.

SI in libertate constitutus ad seruitium repetatur, non liceat eum in custodiam mitti ab illo à quo repetitur, sed iudicis reseruetur arbitrio si debeat sub fideiussore consistere, dummodo nihil violentiæ à pulsante patiatur.

V. ANTIQVA.

Si ei qui ad seruitutem repetendus est aliquid auferatur.

SI quis homini ingenuo vel liberto aliquid tulerit, & postea eum sibi voluerit seruum addicere, prius reddat quod tulit, & sic de eius conditione contendat.

VI. ANTIQVA. FLS. RCDS. REX.

Si eum quem aliquis coram iudice liberum esse dixerit, posteà in seruitio repetere velit.

QVi † sub testimonio coram iudice, quemlibet liberum esse dixerit, & postmodum eum ad seruitium inclinare voluerit, aliud illi mancipium è contrario reddat: & quem opprimere nitebatur, in libertate permaneat.

† *suo testamento.*

VII. ANTIQVA.

Si timore compulſus quisquam ſeruum ſe eſſe dicat.

QVi timore compulſus ſeruum ſe eſſe extra iudicium dixerit, nullum præiudicium libertatis incurrat, donec in iudicio præſentetur: vt libertatem ſuam ſi probauerit, præſente iudice optineat; aut ſi ſeruus conuincitur, ſtatim domino reformetur.

VIII. ANTIQVA.

Si ingenuus ad ſeruitium repetatur, vel ſi ſeruus ſe liberum eſſe dicat.

SI quis ingenuum ad ſeruitium addicere voluerit, ipſe doceat quo ordine ei ſeruus aduenerit: & ſi ſeruus ingenuum ſe eſſe dixerit, & ipſe ſimili modo ingenuitatis ſuæ firmam oſtendat probationem. Iudex verò eorum teſtimonium recipere debet, quos meliores atq; pluriores eſſe prouiderit. Quòd ſi muneris acceptione corruptus iniuſtè turbauerit innocentem, tam iudex quàm petitor ſecundum legem aliam de his qui iniuſtè indicauerint, componere non merentur.

VIIII. ANTIQVA.

Quare data libertas debeat reuocari.

QVi ſeruo ſuo vel ancillæ libertatem donauerit, & præſente ſacerdote vel aliis duobus aut tribus teſtibus hoc factum eſſe conſtiterit, id eſt, ſi ipſe aliam libertatis ſcripturam coram legitimis teſtibus manifeſte tradiderit, atq; ita per eãdem libertatis ſcripturam definierit, vt ex tempore conditæ ſcripturæ liber ipſe qui eſt manumiſſus permaneat, nihil ſibi in eo conditionis reſeruans, huiuſmodi libertatem reuocari non liceat: excepto ſi manumiſſori, eum qui manumiſſus eſt iniurioſum aut contumelioſum vel accuſatorem, aut criminatorem eſſe conſtiterit. Pro quibus iniuriis data libertas poterit reuocari. Si verò ipſe qui manumiſit, dicat quòd ſub aliquo placito aut definitione eum libertauerit; ſi per ſcripturã definitio ipſa minime claruerit, teſtes qui præſentes fuerint ante iudicem ipſum placitum vel definitionem dicere non grauentur; & poſtmodum quod placitum & definitum fuerit, ſtare iubemus.

X. ANTIQVA.

Si libertus iniuriam faciat manumiſſori.

SI libertus manumiſſori ſuo iniurioſus fuerit, aut ſi patronum ſuum pugno aut quolibet ictu percuſſerit, vel eum falſis accuſationibus impetierit, vnde ipſi capitis periculum cõparetur, addicendi eum ad ſeruitutem habeat poteſtatem, ita tamen vt apud iudicem probet cauſas ſuperius comprehenſas.

XI.

Ne contra patronũ vel filios eius teſtificari audeat manumiſſus.

FIlio vel heredi manumiſſi libertatem reuocare non liceat, ſed prioris ſui vel parẽtum factum ſine excuſatione cuſtodiat. Ita tamen vt nec contra filios filiorum, libertus, vel omnis poſteritas eius teſtimonium dicere permittantur: & ſi dixerint non credatur à iudice, ſed redeant ad priſtinam ſeruitutem. De aliis vero rebus aut cauſis, contra patroni filios aut nepotes tantum pro ſuo iure iuſte contendant.

XII. FLS. RCDS. REX.

Ne teſtificent manumiſſi.

LIbertus vel liberta in nullis negotiis contra quenquam teſtimonium dicere admittantur, excepto in aliquibus cauſis, vbi ingenuitas deeſſe cognoſcitur, ſicut pręmiſſũ eſt & de ſeruis. Quia indignum penſat noſtra clementia, vt libertorum teſtimonio ingenuis dampna concutiantur. Qui vero de iiſdem fuerint procreati, omnimodis ad teſtimonium admitantur.

XIII. ANTIQVA. FLS. GLS. RCDS. REX.

De rebus manumiſſorum, ſi abſque legitimis filiis moriantur.

SI manumiſſus ſine filiis de legitimo cõiugio natis tranſierit, & ei patronus in libertate aliquid donauerit, aut forſitan de eius ſeruitio diſceſſerit, & alio ſe contulerit; omnia ad patronum, ſiue ad eius heredes, ſine dubio reuertantur. Quod ſi forſitan in terra ipſius patroni conſiſtens, qui eum manumiſit, aliquid de labore ſuo acquiſierit; medietas

dietas acquisitę rei exinde in patroni potestate cōsistat,& de alia medietate libertus faciendi quod voluerit in eius potestate permaneat. Quod si alium patronum sibi elegerit,& sub eo aliquid adquisierit, medietas adquisitæ rei ad manumissorem concurrat. Alia verò medietas ad manumissi proximos, siue serui sint siue liberi, sine dubio reuertatur, vel in quē voluerit hanc medietatem conferendi habeat potestatē. Illud verò quod ei manumissor donauerit,in patroni potestate permaneat. Similis & circa ancillas manumissas forma seruetur. Hoc tantum iustitia suadente adiicimus, vt nullus libertus siue liberta, à domino vel à domina sua libertate percepta, manumissores suos dum aduixerint derelinquant. Quod si facere præsumpserint,& rem quam perceperunt amittant,& ad domini vel dominæ suæ inuiti reducantur obsequia.

XIIII. FLS. CHDS. REX.

De conditionibus à manumissore in scriptura manumissi conscriptis.

QVi mancipium suum per scripturam liberum faciens, constituerit fortasse non licere ei de peculio suo aliquid iudicare; si quid exinde libertus libertave vel distraxerit aut donauerit, modis omnibus inualidum erit. Patronus eius scilicet aut patroni filii omnia sibi vindicaturi sunt. Certe si nulla talis conditio intercesserit, liberum erit illi qui liber est redditus de peculio suo facere quod voluerit. Aut etiāsi inordinatus moriens filios legitimos non reliquerit, vel aliam quamcunque conditionem dominus eius per eandèm libertatis scripturam non instituerit, ad patronum aut ad patroni filios vniuersa res eius ad integrum pertinebit.

XV. FLS. GLS. CHDS. REX.

De libertatibus seruorum fiscalium.

SI res ambigua nequaquam occurreret, nulla futuris temporibus legem dandi necessitas immineret. Quia ergo sub libertatis obtentu, fiscalium sæpe subreptione seruorum, fisci vires attenuantur, non inuidemus bene meritis, sed obuiamus fraudulenter incautis: statuentes scilicet vt non aliter deinceps collata seruo fisci libertas vllatenus valeat, nisi regiæ manus fuerit stilo subscripta.

XVII. ANTIQVA.

De libertis & rebus fiscalium seruorum.

SEruis nostris sine permissu nostro libertatem mancipiis suis dare non sinimus. Quod si dederint, libertas data non valeat. Sed hæc tantummodo libertas habeat firmitatē, quæ ex nostra pręceptione conceditur. Simili modo seruis nostris mācipia sua aut terras ad liberos homines nō liceat venditione trāsferre, nisi tantūmodo aliis seruis nostris vēdendi habeant potestatem. Quod si terras siue mancipia ecclesiis siue pauperibus donare voluerint, donatio hæc vel voluntas nulla ratione subsistat. Illud enim eis tantum pietatis contemplatione concedimus, vt pro animabus suis ecclesiæ vel pauperibus de aliis facultatibus largiantur: & si præter terras vel mancipia nihil habeant facultatis, tunc de terris atque mancipiis eis vendendis tribuimus potestatem. Ita, vt sicut supra dictum est, à seruis nostris tantummodo, quod conserui eorum vendiderint, comparetur: nec liber vllus ad contractum huius emptionis aspiret. Precium autem quod de terra vel mancipiis accesserit, erogare pro animabus suis ecclesiis vel pauperibus non vetentur.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne liberti vel progenies eorum cùm posteritate patroni aut coniugia connectant, aut eis insolentes existant.

INterdum vidimus excessum licentiamque seruorum, & dolere coacti sumus ignominiam dominorum. Quidam enim à dominis suis libertate percepta, generationis progenie decurrente, attemptant aut ipsi aut posteritas eorum, cum progenie dominorum vel indecens copulare coniugium, vel molestias inferre posteritati manumittentium. Sicque in aduersum parte conuersa, quia ingenita libertas gratiæ dono fit nobilis, eo generosa nobilitas inferioris tactu fit turpis. Atque inde claritas generis sordet commixtione abiectæ conditionis, vnde abdicata seruitus attollit titulos libertatis. Ergo & naturę splendor ortus sui dignitate non careat, & seruitus sibimet reminiscēs debita & incōcessa non apperat, bene iubetur: vt si quorumlibet quicunq; liberti, siuē eorum stirpe quandoq; progeniti, ex genere manumissorum, vel ex eis decurrente,

quamuis longa progenie, coniugium præsumpserit attemptare: aut manumissores, vel eorum posteritatem, ipsi vel eorum progenies, extra iusta negotia sua, propter suas vel propter †aliorum actiones conuexauerint, aut læserint, eisq; molestias siue dampna cõcusserint, vel aliquid aduersus eos factione quacunq; egisse visi fuerint, in eorum quos molestauerint euidentem seruitutem mox redeant. Quia impium satis est, vt dum conditio seruitutis absoluitur, dignitas libertatis impediatur: & dũ seruus erigitur, filius abdicetur: atque inde filii dampna sustineant, vnde ad nocendum potiuntur serui licẽtia.

†alienorũ.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne liberti religiosi ad obsequium reducantur heredis.

QVoslibet de quorumcunq; libertis aut specialiter de ecclesiastici dignitas sublimauit honoris, aut præfixis sanctorum locis deputauit vel ordo religionis vel ordinatio manumittentis, non erunt ad hominum patrocinium reducendi contentione qualibet heredis. Quod enim gloriosius Deo adhærere censetur, obsequiis hominum religari honestate nulla finitur.

XVIIII. FLS. GLS. EGIGA. REX.

De his qui ob noui principis fidem seruandam iurare distulerint, vel de illis qui ex palatino officio ad eius præsentiam venire neglexerint.

CVm diuinæ voluntatis imperio principale caput regnandi sumat sceptrum, non leui quisque culpa constringitur, si in ipso suæ electionis primordio aut iurasse vt moris est pro fide regia differat: aut si ex palatino officio fuerit, ad eiusdem noui principis visurus præsentiam venire desistat. Si quis sanè ingenuorum de sublimatione principali cognouerit, & dum discussor iuramenti in territorio illo accesserit vbi eum habitare cõtigerit, quæsita occasione se fraudulenter distulerit, in eo vt pro fide regia cõseruãda iuramenti se vinculo alliget: aut ille qui sicut præmisimus ex ordine palatino fuerit, minimè regis obtutibus se præsentandum iniecerit: quicquid de eo vel de omnibus rebus suis principalis auctoritas facere vel iudicare voluerit, sui sit incunctãter arbitrii. Quod si aut ægritudo illi obstiterit, aut quælibet publicæ vtilitatis actio eum retinuerit, vt regis obtutibus se nullatenus præsentet, dum regiæ electionis sublimitas quibuslibet modis ad eius cognitionem peruenerit; statim per suam iussionem id ipsum clementiæ suæ auditibus intimare procuret, qualiter fidei suæ sinceritate ostendens, huius legis sententiam euadere possit.

XX. FLS. GLS. EGIGA. REX.

De libertis regum, eorumque posteritate qualiter exercitus tempore ad regiam potestatem concurrant, vel cum quibus eos in publica vtilitate proficisci oporteat.

TVnc rectè nostri regiminis patriam, promulgatis legum censuris, †legaliter procuramus, cũ & his qui contra hostes gloriæ nostræ decertant, vtilitate maxima prouidemus, & vindicatores terrę nostrę proculdubio cernimus. Et licet fauente Deo gentis nostræ affluant copia bellatorũ, nil tamen officit si de illis augeatur insuper nostræ acies ad repulsionem hostium externorum, qui ex familiis fisci per regias auctoritates gratiam meruerunt libertatis. Vnde quia necesse est vt illic præbeant ex †ratione suffectum, vnde meruisse lætantur absolutionis statum: ob hoc speciali sanctione iubemus, vt deinceps tam ipsi quàm omnis eorum posteritas, tempore exercitus, omnes ad regiam celsitudinem incunctanter occurrant. Vt cum quibus exercitus expeditionẽ peragere possit, præsentaliter eos clementia principalis instituat. Quicunque verò ex eis, vt dictũ est tempore exercitus domi residere præsumpserit, & minimè cum cæteris, sicut regalis ordinatio fuerit, in publicam expeditionem perrexerit: nouerit se ad propriæ seruitutis iugum reuerti, ex quo ereptus libertatis meruerat personam assumere. Illi tantummodo hanc erunt sententiã euasuri, qui ordinante principe, duce vel comite suo, aliquid iniunctum pro publicis vtilitatibus ad peragendum acceperint, vel quos patens ægritudo aut quorundam impedimentum nullatenus properare permisit.

†regie.

†natione.

XXI. FLS. EGIGA. REX.

De transgressoribus libertorum.

SÆpe audiuimus multosq; cognouimus libertos, relinquentes manumissores suos quos & dominos esse testamur: quia voluptuosa voluntate, dum relaxato freno seruitutis erumpunt, æquales se dominis suis vel eorum successoribus esse affirment. Quo-

nos modo & debita veneratione & salubri ordinatione valituræ legis censemus atque iubemus: vt quicunque libertus aut liberta, vel filii libertorum, si manumissoribus suis siue etiam filiis prolibusq; vel nepotibus eorum vel qui ex eis fuerint geniti; quocunq; tempore superbientes ac inobedientes extiterint, aut quocunq; tempore de eorum patrocinio, quacunq; subtilitate aut ingenio vel argumento fraudis, vel leuiter de eorum patrocinio se auferre voluerint, tunc in tempore transgressionis eorum careant libertate. Filii tamen qui de iisdem fuerint geniti† sic errantes, prædicta superioris legis constitutione perenniter seruituri tradendi sunt. †ob.

DE SCELERIBVS ET TORMENTIS LIBER SEXTVS.

TITVL. I.

DE ACCVSATIONIBVS CRIMINOSORVM.

I. ANTIQVA. FLS. CHDS. REX.

Vt domino vel senioribus loci petatur seruus in crimine accusatus.

SI seruus in aliquo crimine accusatur, iudex prius dominum, villicum vel actorem eius loci, cuius seruus fuerit accusatus, admoneat vt eum in iudicio præsentet. Quod si reum præsentare noluerit, ipse dominus vel actor aut villicus, donec seruum præsentet, à comite ciuitatis vel iudice distringatur. Certe si dominus, vel quibus commissa res est, difficulter ad locum approximent, à iudice tenendus & discutiendus est† reus. †seruus.

II. FLS. CHDS. REX. NR. EM.

Pro quibus rebus & qualiter ingenuorum personæ subdendæ sunt quæstioni.

SI in criminalibus causis discretionis modus amittatur, criminatorum malitia nequaquam frenatur. Ideoque si in causis regiæ potestatis vel gentis aut patriæ, seu homicidii vel adulterii, æqualem sibi nobilitate vel dignitate palatini officii, quicunque accusandum crediderit, habeat prius fiduciam comprobandi quod obiicit, & sic alienum sanguinem temptet impetere. Quod si probare non potuerit, corã principe vel his quos sua princeps auctoritate præceperit, trium testium subscriptione roborata inscriptio fiat, & sic quæstionis examen incipiat. Ita, vt qui subditur quæstioni si innoxius tormenta pertulerit, accusator ei confestim seruiturus tradatur: vt salua tantum anima, quod in eo exercere voluerit, vel de statu eius iudicare elegerit, in arbitrio suo consistat. Quod si cõponi sibi ab accusatore voluerit, tantum ei pars accusatoris componat, quantum ipse qui quæstioni subiacuit, inlata sibi taxauerit suorum tormentorũ supplicia. Iudex tamen hanc cautelã in iudicio seruare debebit, vt accusator omnem rei ordinem scriptis exponat, & iudici occulte præsentatã sic quæstionis examinatio fiat: & si eius professio qui quæstioni subdendus est, compar fuerit cum verbis accusatoris, criminis reus incunctãter habendus est. Certe si aliud dictio accusatoris habuerit, aliud eius professio qui subditur quæstioni, quia dubitari non potest, quod per tormẽta sibi crimen imponat, oportebit accusatorẽ superioris legis hui9 sentẽtię subiacere. Quod si accusator pri9 ꝗ occulte

iudici notitiam tradat, aut per se aut per quemlibet de re quam accusat, per ordinem instruxerit quem accusat; non liceat iudici accusatum subdere quæstioni, cum iam per accusatoris indicium detectum constet ac publicatum esse negotium. Similis quoque & de cæteris personis ingenuis ordo seruandus est. Nam si capitalia quæ supra taxata sunt, accusata non fuerint, sed furtum factum dicitur, vel aliud quodcunque illicitum, nobiles ob hoc potentioresque personæ, vt sunt primates palatii nostri, eorumque filii, nulla permittimus ratione quæstionibus agitari. Sed si in hac causa pro qua compellitur probatio defuerit, suam qui pulsatur debeat iuramento conscientiam expiare. Inferiores vero humilioresque ingenuæ tamen personæ, si pro furto, homicidio, vel quibuslibet aliis criminibus fuerint accusatæ, nec ipsi inscriptione præmissa subdendi sunt quæstioni, nisi maior fuerit causa, quam quod quingentorum solidorum summam valere constiterit. Si autem † actio minoris est quantitatis, quam quingenti sunt solidi, per probationem conuictus qui accusatur, secundum leges alias componere compellatur. Aut si conuinci non potuerit, sacramento se expians compositionem accipiat, quæ de mala petitione legibus continetur. Speciali tamen constitutione decernimus, vt persona inferior nobiliorem se vel potentiorem inscribere non præsumat. Sed si petedum in causa putauerit, & probatio fortasse conuincendi rei defuerit, nobilior ille vel potentior conscientiam suam sacramentis purgare non differat, quòd nec amiserit, nec habeat penes se vel retineat rem, pro qua fuerit petitus: & reddito iuramento, ille qui male petit, sicut alia lex continet, ei componere non moretur. Veruntamen, seu nobilis, seu inferior, seu ingenua persona, si quæstioni subdita fuerit, ita coram iudice vel aliis honestis viris a iudice conuocatis, accusator tales pœnas inferat, ne vitam extinguat, aut quamcunque ipse, qui quæstioni subiiciendus est, membrorum debilitationem incurrat. Et quia per triduum quæstio agitari debet, si imminenti casu, qui tormentis subditur, mortuus fuerit, & ex malitia iudicis vel aliquo dolo, seu ab aduersario accusati corruptus beneficio, talia tormenta fieri non prohibuit, vnde mors occurreret, ipse iudex iniquitatis proximis parentibus simili vindicta puniendus traditur. Si certe suo se sacramento innocentem reddiderit, & testes iurauerint, qui fuerint præsentes, quod nulla sua malitia vel dolo, aut corruptione beneficii mors ipsa prouenerit, nisi solo tormentorum euentu, pro eo quod indiscretus iudex superflua non prohibuit, quingentos solidos heredibus mortui compellatur exsoluere. Quod si non habuerit vnde componat, ipse seruiturus proximis heredibus mortui contradatur. Accusator autem in potestate proximorum parentum mortui traditus, eadem mortis pœna mulctetur, qua ille mulctatus est qui per eius accusationem morte damnatus interiit.

*accusatio.

II. IN NOMINE DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI FLAVIVS GLORIOSVS EGIGA REX TOLETI NOVITER EMENDATA.

*EGIGA ET HVNITA REX.

FLS. GLS. *WITIZA. REX.

*Quomodo iudex per examen * aquæ feruentis causam perquirat.*

* caldariæ.

MVltas cognouimus querelas, & ab ingenuis multa mala pati, credentes in eo. solidis quæstionem agitari. Quod nos modo per salubrem ordinationem censemus, vt quamuis parua sit actio rei facti ab aliquo criminis, eum per examinationem * aquæ feruentis à iudice distringendum ordinamus: & dum facti temeritas patuerit, iudex eum quæstioni subdere non dubitet: & dum suam dederit professionem superiori legi subiacebit. Quod si per examen aquæ feruentis innoxius apparuerit, petitor nullam pertimescat calumniam. Hic quoq; & de suspectis habitis personis, id est de vilibus scilicet & infamia notatis, qui ad testimonium venerunt dicendum ordo seruabitur.

* caldaria.

III.

Pro quibus rebus & qualiter serui vel ancillæ torquendi sunt in capite dominorum.

SEruus vel ancilla in capite domini vel dominæ non propter aliud torquendi sunt, nisi tantum in crimine adulterii: aut si contra regem, gentem vel patriam aliquid dictum vel dispositum fuerit: seu si falsam monetam quisque confixerit, aut etiam si causam homicidii vel maleficii quærendam esse constiterit. Ita vt serui vel ancillæ pro talibus criminibus torti, si conscii & occultatores sceleris dominorum repperiuntur, pariter cum dominis, secundum quod voluntas principis extiterit, condemnentur. Certe si

tè si sua sponte iudices veritatis extiterint, sufficiat eis quòd pro veritatis indagine quæstioni subditi tormenta pertulerint, à mortis tamen periculo habeantur immunes. Seruus autem vel ancilla in tormentis positi & de se interrogati, si etiãde dominis sunt confessi, & fuerit culpa mortalis, ac declaratis signis potuerit approbari, eadem damnationis censura mulctentur, qua eorum domini fuerint condemnati.

V. FLS. CHDS. REX.

Pro quantis rebus & qualiter seruus aut libertus tormenta portabunt.

SI seruus in aliquo crimine accusatur, antea non torqueatur, quàm ille qui accusat hac se conditione constringat, vt si innocens tormenta pertulerit, pro eo quod innocentem tormentis tradidit, alium eiusdem meriti seruum domino reformare cogatur. Si verò innocens in tormentis mortuus aut debilitatus fuerit, duos æqualis meriti seruos cum eodem domino reddere non moretur: & ille qui debilitatus est, ingenuus in patrocinio domini sui permaneat. Nam & iudex, qui temperamentum in tormentis non tenuit, & ita discretionem legis excessit, vt is qui quæstionatus est mortem violenter incurrerit, eiusdem meriti seruum domino mox reformet. Verum vt de seruorum meritis omnis ambiguitas cesset contentionis, non pro artificii qualitate excusatio videatur haberi, sed pro seruis quæstionandis, contropatio adhibeatur ætatis & vtilitatis: vt si artifex fuerit qui debilitatus est, & huius artificii seruum, non habuerit, qui insontem debilitauit alterius artificii seruum, iuxta prædictum ordinem domino cogatur exsoluere. Ita vt si artificem non habuerit seruum, & alium seruum ille, cuius seruus quæstioni addicitur, pro eo accipere noluerit, tantum precii eiusdem serui artificis qui quæstioni subditur, eiusdem domino persoluatur, quantum ipse artifex à iudice vel bonis hominibus rationabiliter valere fuerit ęstimatus. Ita tamen seruandum est, vt nec ingenuum quisque nec seruum subdere prius quæstioni præsumat, nisi coram iudice vel eius saione, domino etiam serui vel auctore præsente districtè iurauerit, quod nullo dolo vel fraude aut malitia innocentem faciat quæstionem subire. Et si subditus quæstioni mortuus fuerit, atque ille qui subdidit vnde componere non habuerit, ipse subdendus est seruituti qui innocentem fecit occidi. Si autem dolose seruum alienum quispiam subdendum quæstioni intenderit, & dominus serui qui accusatur per probationem eum potuerit de obiecto crimine reddere innocentem, accusator eius alium paris meriti seruum accusati domino cogatur exsoluere, & dispendium quod dominus eius in approbationem innocentis serui pertulerit, prout rationabiliter iudex reddi perpenderit, ab iniusto accusatore exactum domino serui restituatur. De rebus verò minimis culpa serui reperta, si dominus serui voluerit, componendi licentiam habebit. Ita vt omnis fur, iuxta qualitatem culpæ flagella suscipiat. Pro maiori verò noxa, si compositionem dominus noluerit soluere, seruum pro crimine non moretur tradere. Ingenuus sanè, si quemlibet libertum idoneum, pro capitali crimine siue pro aliis scelerum causis, quæstioni pulsauerit addicendum, non aliter eum impetere poterit adscribendum, nisi ducentorum quinquaginta solidorum quantitatem causa ipsa valuerit, pro qua eum accusator conatus fuerit subdere quæstioni. Nam si inferior fuerit atque rusticanus quem liberum esse constiterit, tunc in eo permittatur quæstio agitari, si causam ipsá vnde agitatur centũ solidos valere cõstiterit. Quòd si indiscretè, qui quæstioni subditur, in quacunq; parte mẽbrorũ debilitationẽ incurrerit, tũ iudex qui tẽperamẽtũ in tormentis non tenuit, ducentos solidos illi qui tormenta sustinuit persoluet. Ille vero qui eum iniuste quæstionandũ appetit, ccc. solidos ei dare cogendus est. Certe si in tormentis positus mortem incurrerit, pręd ictam summam solidorum tam iudex quam petitor propinquis parentibus mortui persoluent. Similiter & de inferioribus illis libertis, si debilitatione vel morte quis per intemperantiam fuerit condemnatus, medietas satisfactionis, quæ supra de libertis idoneis constituta est, ei qui indebite quæstionatus est, si tamen vixerit; aut suis heredibus, si ipse inde mortuus fuerit, exsoluenda est.

VI. FLS. GLS. CHDS. REX.

Qualiter ad regem accusatio deferatur.

SI quis principi contra quemlibet falsa suggesserit, ita vt dicat eum aduersus regem,

gentem vel patriam aliquid nequiter meditatum fuisse aut agere vel egisse : seu in auctoritate vel præceptis regiæ potestatis, aut eorum qui ordinatione iudiciaria funguntur, fraudulenter quippiam immutasse, atque etiam scripturam falsam fecisse vel recitasse, falsamque monetam ferisse : sed & si veneficium vel maleficium aut adulterium vxoris alienæ fortasse prodiderit : horum vel similium criminum accusator, quæ ad capitis periculum vel rerum amissionem pertinere videntur, si vera repperiantur quæ dixerit, nullam omnino calumniam sustinebit. Si certè quod opponit falsum esse constiterit, & per solam inuidiam id fecisse patuerit, vt iacturam capitis aut detrimentum corporis vel rerum dampna pateretur, quem accusare conatus est, in potestatem tradatur accusati. Ille hanc pœnam in se suisque rebus suscipiat, qui hoc alium innocentem pati voluerit. Ita vt ille qui aliquid scire se dicit, quod ad cognitionem principis possit deduci, & in eo loco fuerit vbi tunc regiam potestatem esse contigerit, aut per se statim suggerat omne quod nouit, aut per fidelem regis eius auditibus denuntiandum procuret. Quod si procul a rege eum esse prouenerit, & per aliquem principi mandandum crediderit, quod ad accusationem alterius dinoscitur pertinere, coram illo, cui hoc suggerendum committit, talem epistolam faciat, per quem euidenter quid mandet exponat. Quam etiam epistolam tres testes, quos sibi nouerit esse fideles, euidentibus signis aut scriptionibus simul cum ipso confirment, vt postea quod mandauerit negare non possit.

VII. FLS. CHDS. REX.

De reseruata principi potestate parcendi.

QVotienscunque nobis pro his, qui in causis nostris aliquo crimine implicati sunt supplicatur, & suggerendi tribuimus aditum, & pia miseratione delinquentibus culpas omittere nostræ potestati seruamus. Pro causa autem gentis & patriæ huiusmodi licentiam denegamus. Quod si diuina miseratio tam sceleratis personis cor principis misereri compulerit, cum adsensu sacerdotum, maiorumque palatii licentiam miserandi libenter habebit.

VIII. ANTIQVA.

Quod ille solus culpabilis erit, qui culpanda commiserit.

OMnia crimina suos sequantur auctores. Nec pater pro filio, nec filius pro patre, nec vxor pro marito, nec maritus pro vxore, nec frater pro fratre, nec vicinus pro vicino, nec propinquus pro propinquo vllam calumniam pertimescat. Sed ille solus iudicetur culpabilis, qui culpanda commisit, & crimen cum illo qui fecerit, moriatur: nec successores aut heredes pro factis parentum vllum periculum pertimescat.

II. TITVLVS.
DE MALEFICIS AC CONSVLENTIBVS EOS, atque veneficis.

I. FLS. CHDS. REX.

Si ingenuus de salute vel morte hominis vaticinatores consulat.

QVi de salute vel morte principis vel cuiuscunque hominis ariolos, aruspices, vel vaticinatores consulit, vna cum his qui responderint consulentibus, ingenui siquidem flagellis cæsi, cum rebus omnibus fisco seruituri associentur, aut a rege cui erunt donati perpetuo seruitio addicantur. Quod & si filii eorum tales fuisse repperiantur, parentibus crimini socii, simili dampnatione plectantur. Si vero ab scelere parentum habeantur extranei, & dignitatem & rerum omnium possessionem quam parentes amiserint, plenissime obtinebunt. Serui vero diuerso genere * pœnarum afflicti, in transmarinis partibus transferendi vendantur, vt seueritas vindictæ non habeat excusatos, quos propriæ voluntatis excessus, nefariæ præuaricationis facit obnoxios.

* tormentorum.

FI

FLS. CHDS. REX.

De veneficis.

DIuerſorum criminum noxii, diuerſo ſunt pœnarum genere feriendi. Ac primum ingenuos ſiue ſeruos veneficos, id eſt, qui venena conficiunt, iſta protinus vindicta ſequatur: vt ſi venenatam potionem alicui dederint, & qui biberit mortuus exinde fuerit, illi etiam continuò ſuppliciis ſubditi morte turpiſſima ſunt puniendi. Si certè poculo veneni potatus euaſerit, in eius poteſtate tradendus eſt ille qui dedit: vt de eo quod facere voluerit, ſui ſit incunctanter arbitrij.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

De maleficis & conſulentibus eos.

MAlefici & immiſſores tempeſtatum, qui quibuſdam incantationibus grandinem in vineas meſſeſque mittere perhibentur, & hi qui per inuocationem dæmonum mentes hominum conturbant, ſeu qui nocturna ſacrificia dæmonibus celebrant, eoſq; per inuocationes nefarias nequiter inuocant: vbicunque à iudice vel actore, vel procuratore loci repperti fuerint vel detecti, ducenténis flagellis publicè verberentur, & decaluati deformiter decem conuicinas poſſeſſiones circuire cogantur inuiti, vt eorum alii corrigantur exemplis. Quos tamen iudex, ne vlterius euagantes talia facere permittantur, aut in retruſione faciat eſſe, vt ibi accepta veſte atque ſubſtantia ita viuāt, ne viuentibus nocendi aditum habeant: aut regiæ præſentiæ dirigat, vt quod de illis ſibi placitum fuerit, euidenter ſtatuat. Hi autem qui tales cōſuluiſſe repperiuntur, in populi conuentu ducentorum ictus accipiant flagellorum: vt impuniti non remaneant, quos culpæ ſimilis reatus accuſat.

II. FLS. CHDS. REX.

De his qui in hominibus aut animalibus, vel quibuſcunque rebus qualiacunque ligamenta, aut quodcunq; contrarium repperiuntur feciſſe.

PRæſentis legis ſuperiori ſentētia dampnari iubemus, ſeu ingenuus ſit ſeu ſeruus, vtriuſque ſexus, qui in hominibus vel brutis animalibus, omnique genere quod mobile eſſe poteſt, ſeu in agris vel vineis, diuerſiſque arboribus, maleficium, aut diuerſa ligamēta, aut etiam ſcripta in contrarietatem alterius excogitauerit facere, aut expleuerit, per quod alium lædere vel mortificare, aut obmuteſcere velit, aut dampnum tam in corporibus quam etiam in vniuerſis rebus feciſſe repperiantur.

V.

De perſonis iudicum ſiue etiam cæterorum, qui aut diuinos conſulunt, aut auguriis intendunt.

SIcut pia veritas mendacij aſſertione non capitur: ita non eſt conſequens, vt latens veritas mendacio inueſtigetur. Omnis igitur veritas ex Deo eſt. Mendacium verò ex diabolo eſt. quia & ipſe diabolus ab initio mendax eſt. Cùm ergo vtraque res ſuos principes habeat, quid opus eſt, vt veritas cuiuſcunque mendacio admittatur exquiri? Quidam enim ex iudicibus feruntur Dei ſpiritu † pleni, qui acta maleficiorum dum inueſtigare ſubtili perquiſitionis perſpicacia nequeunt, execrabiles diuinorum † propitiationes intendunt. Veritatem enim ſe inuenire non putant, niſi diuinos & aruſpices cōſulant: & eo ſibi repperiendæ veritatis aditum claudunt, quo veritatem ipſam per mendacium addiſcere concupiſcunt. Dum enim maleficia per diuinationes comprobare pertentant, quaſi tertio loco ipſi ſe diabolo ſeruituros illaqueunt. Quapropter ſi quis ex quolibet iudicum gradu vel ordine, per diuinos aut eorum ſimiles aliquid ſciſcitare tentauerit, vel approbare intenderit: ſi quis etiam hominum cuiuſlibet ſit ordinis vel perſonæ, qui à talibus aut ſalutis aut ægritudinis reſponſa popoſcerit, vel conſulendos eos pro quibuſcunque rebus crediderit, ad legis illius teneatur ſatisfactionem obnoxius, quæ in hoc libro ſexto, ſub titulo ſecundo, era prima, eos, qui de ſalute vel morte principis aut quorumcunque hominum vaticinatores, quoſque conſulere prætentant, ſtatuit ſerenitatis ordine reſecari. Illi tantum iudices ad huius legis non tenebuntur

† Vacui.
† pronunciationes.

ſententiam condemnandi, qui diuinos ipſos atque eorum ſimiles non ſciſcitandi, ſed viſciſcendi voto coram multis perquirendo detribuerint, id eſt, ſi non vt aliquid de eo ſcire inquirenda intendant, ſed detegi ſibi hoc ſolum, vnde feriantur, exquirant. At nunc, quia & auguriis deditos eodē modo nouimus odibiles Deo: ideo ſpeciali legis ſanctione decernimus, vt quicunque ſunt illi, quibus augures vel auguria obſeruare contigerit, quinquagenis publicè ſubiiciantur verberibus coercendi. Qui tamē ad ſolitum vitium vltra redierint, perdito etiam teſtimonio, ſimili erunt ſententia flagellorum ſubiiciendi.

III. TITVLVS.

DE EXCVTIENTIBVS HOMINVM PARTVS.

I.

De his qui potionem ad auorſum dederint.

SI quis mulieri prægnanti potionem ad auorſum aut pro necando infante dederit occidatur: & mulier, quæ potionem ad auorſum facere quæſiuit, ſi ancilla eſt CC. flagella ſuſcipiat, ſi ingenua careat dignitate perſonæ, & cui iuſſerimus ſeruitura tradatur.

II. ANTIQVA.

Si ingenuus ingenuam auortare fecerit.

SI quis mulierem grauidam percuſſerit quocunque ictu, aut per aliquam occaſionē mulierem ingenuam auortare fecerit, & exinde mortua fuerit, pro homicidio puniatur. Si autē tantummodo partus excutiatur, & mulier in nullo debilitata fuerit, & ingenuus ingenuæ hoc intuliſſe cognoſcitur, ſi formatum infantem extinxit * CCV. ſolidos reddat. Si vero informem, centum ſolidos pro facto reſtituat.

III. ANTIQVA.

Si ingenua mulier ingenuam auortare fecerit.

SI mulier ingenua per aliquam violentiam aut occaſionem ingenuæ partum excuſſerit, aut ex hoc debilitaſſe cognoſcitur, ſicut & ingenui ſuperioris dampni pœna mulctetur.

IIII. ANTIQVA.

Si ingenuus ancillæ partum effuderit.

SI ingenuus ancillam auorſum fecerit pati, xx. ſolidos domino ancillæ cogatur inferre.

V. ANTIQVA.

Si ſeruus ingenuæ partum excuſſerit.

SI ſeruus ingenuæ partum excuſſerit, ducentenis flagellis publicè verberetur, & tradatur ingenuæ ſeruiturus.

VI. ANTIQVA.

Si ſeruus ancillæ partitudinem læſerit.

SI ancillam ſeruus auortare fecerit, decem ſolidos dominus ſerui, ancillæ domino dare cogatur, & ipſe ſeruus ducenta inſuper flagella ſuſcipiat.

VII. FLS. CHDS. REX.

De his qui filios ſuos, aut natos, aut in vtero necant.

NIhil eſt eorum prauitate deterius, qui pietatis immemores, filiorum ſuorum necatores exiſtunt. Quorū quia vitium per prouincias regni noſtri ſic inoluiſſe narratur, vt tam

vtram viri quàm fœminæ sceleris huius auctores esse repperiatur, ideo hanc licentiam prohibentes decernimus: vt seu libera seu ancilla natum filium filiamve necauerit: siue adhuc in vtero habens, aut potionem ad auorsum acceperit, aut aliquo quocunque modo extinguere partum suum præsumpserit, mox prouinciæ iudex, aut territorii vt tale factum repperetit, non solùm operatricem criminis huius publica morte condemnet: aut si vitæ reseruare voluerit, omnem visionem oculorum eius non moretur extinguere. Sed etiam si maritum eius talia iussisse vel permisisse patuerit, eundem etiam vindictæ simili subdere non recuset.

IIII. TITVLVS.

DE CONTVMELIA, VVLNERE ET DEBILITATIONE.

I. FLS. CHDS. REX.

De cædibus ingenui atque serui.

SI ingenuus ingenuum quolibet ictu in capite percusserit pro liuore det solidos v. pro cute rupta solidos x. pro plaga vsque ad ossum, solidos xx. pro osso fracto solidos c. Quod si ingenuus hoc in seruo alieno commiserit, medietatem superioris compositionis exsoluat. Si verò seruus in seruo hoc fecerit, tertiam partem eiusdem compositionis adimpleat, & L. flagella suscipiat. Si autem seruus ingenuum vulnerauerit, ita componat, sicut cum ingenuus seruum vulnerauerit alienum, & septuaginta flagella suscipiat. Si verò dominus noluerit pro seruo componere, seruus tradatur pro crimine.

II. ANTIQVA.

De præsumptoribus & operibus præsumptorum.

SI quis euaginato gladio, vel quolibet genere armorum munitus, præsumptiuo modo in domum alienam intrauerit, cupiens dominum domus occidere, si ipse fuerit occisus, mors eius nullatenus requiratur. Si autem ipse qui in domū alienam intrauit, hominem occiderit, continuò & ipse moriatur. Quòd si non criminalem culpam admiserit, secundum legum ordinem componere non moretur, iuxta quod damnum in eadem domo fecerit. Nam si ille, qui in domum alienam violenter ingressus fuerit, aliquid exinde rapuerit vndecupli satisfactione quæ leuauit cogatur exsoluere. Quòd si non habuerit vnde componat, ipse sine dubio seruiturus tradatur: & si aliquid in domum, quam ingressus fuerat, damni non fecerit, nec aliquid subtraxerit, pro eo quòd ingressus fuerit, x. solidos cogatur donare, & centum flagellis publicè verberetur. Quod si non habuerit vnde componat, cc. flagella suscipiat. Si verò aliqui ab ingenuis, cum eo in eadem domo, non ab illo iussi, neque in eius obsequio vel in patrocinio constituti, vnanimes tamen vel consentientes præsumptori ingressi fuerint, vnusquisque eorum simili damno & pœnæ subiaceant. Quod si non habuerint vnde componant CL. flagella suscipiat. nam testimonium non amittant. Quod si in patrocinio vel obsequio præsumptoris retenti ab illo hoc facere iussi fuerint, vel cum eo hoc eos fecisse constiterit, solus patronus ad omnem satisfactionem, & pœnæ & damni teneatur obnoxius. nam illi non erant culpabiles, qui iussa patroni videntur esse complentes. Si autem seruus hoc domino nesciente commiserit, cc. flagella suscipiat, & quod abstulerit, reddat. Si verò conscio domino seruus hoc fecerit, ipse dominus pro eo componat, sicut de ingenuis superius est comprehensum.

III. FLS. GLS. RCDS. REX.

De reddendo talione, & compositionis summa pro non reddendo talione.

QVorundam sæua temeritas sæuioribus pœnis est legaliter vlciscenda : vt dum me-
uit quisque pati quod fecerit, saltem ab illicitis inuitus abstineat. Quicunque er-
go ingenuus ingenuum pertinaciter ausus decaluare aliquem, aut turpibus maculis in
facie vel cætero corpore, flagello, fuste, seu quocunque ictu feriendo aut trahendo ma-
litiose fœdare vel maculare, siue quamcunq; partem membrorum trucidare præsum-
pserit, aut etiam ligauerit, vel in custodia aut in quocunq; vinculo detinuerit, seu ligari
ab aliquo aut custodia vel vinculo mancipari præceperit, iuxta quod alii intulerit vel
inferendum præceperit, correptus a iudice in se recipiat talionem. Ita vt is qui ma-
le pertulerit, aut corporis contumeliam sustinuerit, si componi sibi a præsumptore vo-
luerit, tantum compositionis accipiat, quantum ipse taxauerit qui læsionem nosci-
tur pertulisse. Pro alapa vero, pugno vel calce, aut percussione in capite, prohibemus
reddere talionem : ne dum talio rependitur, aut læsio maior aut periculum ingeratur.
Sed si quis hæc sine periculo membrorum aut aliqua læsione præsumptuosus intulerit,
pro alapa x. flagella, pro pugno vel calce xx. pro percussione vero in capite, si sine san-
* xxx. guine fuerit, ab eo quem percusserit * xx. flagella suscipiat. Certe qui læsit, vel læden-
dum dicitur instituisse, si non ex priori disposito, sed subito exorta lite & cæde commis-
sa, aliquo casu id conuicerit se nolente perpetratum fuisse, pro euulso oculo det solidos 2
centum. Quod si contigerit, vt de eodem oculo ex parte videat, qui percussus est librã
auri a percussore in compositione accipiat. Quod si in naribus ita percussus est, vt na-
sum ex integro perdat, c. solidos percussor exsoluat. Si vero nasus ita collisus est,
vt pars turbata narium pateat, iuxta quod deturpationem iudex inspexerit, damnare
non morabitur percussorem. Quod etiam similiter & de labiis vel auribus pręcipimus
custodiri. Cui ponderositas facta fuerit, centum solidi dentur in compositione. Qui
manum ex integro absciderit, vel etiam quolibet ictu ita percusserit vt ad nullum opus
ipse prodefaciat, centum solidos percussor componat. Pro pollice autem quinquaginta,
pro sequenti digito quadraginta, pro tertio triginta, pro quarto xx. pro quinto x. solidos
compositionis exsoluat. Quæ scilicet summa & de pedibus erit implenda. Pro singu-
lis autem excussis dentibus duodeni solidi componantur. Qui cassos alteri fregerit, &
ex hoc qui percussus est debilis apparuerit, libram auri percussor componere procura-
bit. & ista quidem inter ingenuos obseruanda & implenda sunt. Si vero seruus hoc in-
genuo fecerit, vel etiam ingenuum decaluauerit, in eius potestate tradendus est, vt sui
sit arbitrii de eo facere quod voluerit. Si certe ingenuus seruum alterius decaluauerit,
aut decaluare iusserit rusticanum, det eius domino solidos x. Si vero idoneum, c. fla-
gella suscipiat & supradictam summam c. solidorum serui domino coactus exsoluat.
Quod si qualibet corporis parte seruum truncauerit, vel truncare iusserit alienum, du-
centorum flagellorum ictibus verberetur, & alium eiusdem facultatis & meriti seruum
cum eodem proprio domino reddere compellatur. Quod si de supra taxatis capitulis
quodcunque libertus ingenuo facere præsumpserit, pro eo quod æqualem statum non
habet, & quod fecerit similiter in se factum recipiat, & centum insuper flagellorum icti-
bus extensus accipiat. Quod si ingenuus in liberto hoc fecerit, tertiam partem compo-
sitionis, quæ de ingenuis continetur, exsoluat. Si seruus seruum inscio domino decalua-
re siue truncare præsumpserit, & quod fecit patiatur, & centum flagellis publice verbe-
retur. Si vero seruus domino nesciente ingenuum comprehendere vel ligare præsum-
pserit, ducentis publice verberetur flagellis. Quod si cum domini voluntate seruus hoc
fecerit, ipse dominus tantundem & pœnam & damna, quæ de ingenuis in hac lege te-
nentur, suscipiat. Ingenuus autem si seruum alienum ligauerit innocentem, det do-
mino serui solidos tres. nam si seruus seruum ligauerit absque voluntate domini sui,
cẽtũ flagellis publice verberabitur. Si certe conscio domino suo seruus hoc admiserit,
idem serui dominus tres idemque solidos componere compellendus est. Tamen si
ingenuus seruum alienum innocentem die ac nocte in custodia detinuerit, vel ab a-
lio fecerit detineri, pro vno die tres solidos, & pro vna nocte similiter tres solidos
domino serui componat : & si per plures dies id seruus ab ingenuo innocens pertu-
lisse conuincitur, eandem trium solidorum summam per singulos dies ac noctes
iisdem ingenuus serui domino coactus exsoluat. Ingenuus sane, si seruum alienum
fuste, aut flagello, vel quolibet ictu indignans percusserit, vt sanguis & liuor ap-
pareat, per singulas percussiones singulos solidos domino serui persoluat : aut
si gra-

si grauis percussio fortasse patuerit, per quam aut mortem aut debilitationem qui percussus est videatur incurrere, quantum pro tali re componere debeat, iudicis æstimatio competenter inspiciat. Si verò seruus in seruo talia fecerit, idemque iudex constituat, quantum vel à seruo vel ab eius domino, iuxta liuoris vel plagarum qualitatem, media pars de ingenuis componi debeat. Seruus tamen pro præsumptione sua L. flagella extensus accipiat. Omnis autem sententiæ legis huius tam in viris quàm in fœminis obseruandæ sunt: ita vt capitula, quæ in hac lege vel in aliis legibus ad arbitrium iudicis reseruantur, eius instantia celeriter terminentur. Quòd si iudex amicitia corruptus vel præmio iuxa æstimationem rei liberare neglexerit, neq; continuò vlciscendum institerit, iudiciaria protinus potestate priuatus, ab Episcopo vel Duce districtus, illi, quem admonitus vindicare contempsit, secundum quod idem inspexerint, iuxta contemplationem de facultate propria componere compellatur: quatenus ipse suarum rerum compulsus dampna sustineat, qui voluntarius defendere recusauit interpellantis iniuriam.

IIII. ANTIQVA.

Si itinerantem quis retinuerit iniuriosè aut nolenter.

SI in itinere positum aliquis iniuriosè sine sua voluntate retinuerit, & ei in nullo debitor existat, quinque solidos pro sua iniuria consequatur ille qui retentus est: & si non habuerit vnde componat, ille qui eum retinuerit, L. flagella suscipiat. Quòd si debitor ille fuerit, & debitum reddere noluerit, sine iniuria hunc territorii iudici præsentet, & ipse illud quod iustum est ordinet. Quòd si seruus hoc sine iussione domini commiserit, C. ictus accipiat flagellorum. Si autem domino iubente hoc fecerit, ad superiorem cōpositionem dominus teneatur obnoxius.

V. FLS. † CHDS. REX. †RCDS.

Vt qui alteri ea intulerit quæ legibus non continentur, ea recipiat quæ fecisse conuincitur.

NOn minoris est noxæ, legum statuta nescire quam sciēdo praua committere. Quapropter quicunque hactenus vel post hęc illicita perpetrans, aut leges nescire se dixerit, aut in cuiuspiam damno vel periculo illa præsumpserit excogitare vel agere, quæ dicat in legibus non contineri, atque ideo non posse reatui subiacere: huius rei causa conuictus præsumptor, ea continuò pericula, ignominiam, tormenta atque cruciatum vel damna sustineat, quæ alii intulit, vel inferenda molitus est: atque insuper publicè centum flagellorum verberibus cæsus, ad perennem infamiam deformiter decaluetur.

VI. FLS. CHDS. REX.

Ne sit reus, qui percutere volentem antè percußerit.

NOn est putanda resistentis improbitas, vbi violenter conspicitur præsumentis audacia. Quicunque ergo incautè præsumptuosus, fuste vel gladio, seu quocunque ictu, percutere aliquem iratus voluerit, vel percusserit, & tunc idem præsumptor ab eo quem percutere voluit, ita fuerit percussus, vt moriatur, talis mors pro homicidio computari non poterit, nec calumniam patiatur qui præsumentem percusserit. Quia commodius erit irato viuentem resistere, quàm se post obitum vlciscendum relinquere. Ille sanè, qui prior contra quemlibet iratus eduxerit gladium, quamlibet non percusserit, X. tamen solidos ei quem percutere voluit, pro præsumptione sola dare cogendus est.

VII. FLS. † RCDS. REX. †CHDS.

Si seruus ingenuo fecerit contumeliam.

QVamuis idoneus seruus personæ nobili & illustri nullatenus indebitè contumeliosus aut seditiosus præsumat existere. Quod si fecerit, quadraginta verberibus coram iudice subiacebit. Seruus autem vilior L. flagellorum ictibus addicetur. Certè si eadem persona, vt sibi fieret contumelia, seruum prius excitauerit alienum, suæ negligentiæ imputet, qui oblitus honestatis & patientiæ, quod merebatur a seruo excepit.

VIII. ANTIQVA.

Si ingenuus ingenuum percutiat.

SI quis ingenuus ingenuo vulnus inflixerit, ita vt continuò qui vulneratus fuerit, mo-

riatur, percussor pro homicidio teneatur: & si qui percussus fuerat, statim non extinguatur, percussor deputetur in carcere, aut certe sub fideiussore habeatur: & si euaserit vulneratus, pro sola præsumptione det ei solidos xx. Aut si non habuerit vnde componat, cc flagella publice extensus suscipiat, & extra hoc compo[siti]onem vulneris implere cogatur, sicut à iudicibus fuerit æstimatum.

VIIII. ANTIQVA.

Si ab ingenuo seruus debilitetur alterius.

SI quis ingenuus seruum volens debilitauerit, alterum paris meriti seruum eiusdem domino dare non moretur. Illum verò debilem suo studio & sumptu ad curandum, donec recipiat sanitatem, retineat. Postea verò, si sanari potuerit, pro vulnere compositio detur, prout iustum visum fuerit iudicanti. Ac sic postea seruus domino reddatur incolumis, & suum seruum recipiat. Insuper autem pro facti temeritate, vt cædem euadat, pro eo quod seruum alienum vulnerare præsumpserit, x. solidos domino serui persoluat.

X. ANTIQVA.

Si seruus percutiat ingenuum.

SI seruus ingenuo sine domini iussione percussionem intulerit, & ille exinde moriatur, percussor pro homicidio puniatur: & si qui percussus fuerit statim non moriatur, ipse seruus continuò tradatur in carcerem. Et si euaserit vulneratus, ille qui percusserat cc. flagella suscipiat. Dominus vero si voluerit, pro seruo summam cōpositionis exsoluat, quantum à iudicibus fuerit æstimatum. Sin autem noluerit, seruum pro culpa tradere non moretur.

XI. ANTIQVA.

Si seruus seruum debilitet.

SI seruus seruo debilitationem intulerit, excepta vulneris compositione, c. flagella suscipiat. Et si exinde debilitatus agnoscitur, quantum deterior extiterit ipse seruus, iudex poterit æstimare. Et si ipse dominus compositionem accipere noluerit, similem seruum aut pretium serui ab illo cuius seruus eum debilitauit accipiat, & † illum debilitatum seruum sibi vsurpet. Hoc ipsum etiam & de ancillis præcipimus custodiri.

† ille.

V. TITVL.

DE CÆDE ET MORTE HOMINVM.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis nesciens occiderit hominem.

QVicunque nesciens hominem occiderit, & nullum contra eum odiū habuerit, iuxta do-

sta domini vocem reus mortis non erit. Non enim est iustum, vt illum homicidæ damnum aut pœna percutiat, quem voluntas homicidii non cruentat.

II. ANTIQVA. FLS. CHDS. REX.

Si quis hominem, dum non videt, occiderit.

SI quis hominem, dum eum non videt, stantem, venientem vel prætereuntem ignorando occiderit: si nulla occasio inimicitiæ antea cum eo fuerit, & ille nolens homicidium admiserit, atque ante iudicem hoc potuerit approbare, securus abscedat.

III. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis impulsus occidat hominem.

SI quis aut casu aut re quacunq; impulsus, vel præcipitatus in alterum corruerit, hominemque occiderit, pro homicidio nec damnis nec pœnis damnabilis erit. Si certe homo impulerit alium, cuius impulsione illisus perimat alterum, si ille qui impulit absque mala voluntate hoc fecerit, auri libræ damnum habebit, quare læsionem vitare neglexerit.

IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si aliquis alterum percutere volens, alterum occidat hominem.

QVicunque exorta lite, dum eum cum quo contendit percutere quærit, alterum nolens occiderit: quærendum est, à quo cædes exordium habuerit. Et si ab illo, quem percussor voluit percutere, exortam cædem esse constiterit: ille qui concitauit litem, licet euaserit percussionem, quia tamen per ipsum constat homicidium esse commissum, c. auri solidos det. Ille vero qui percussit, L. solidos reddat, defuncti nihilominus proximis profuturos. Ideo enim ambo damnum habebunt: quia ille volens aditum mortis dedit, iste autem nolens mortem iniecit.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si homo exorta cæde moriatur.

SI exorta cæde ad faciendam pacem quicunque ingenuus aduenerit, & eum percussione litis mori contigerit, atque ille qui percussit aut suo sacramento aut testibus numero & dignitate idoneis approbare potuerit, quod hoc vt fieret voluntatis eius non fuit; quia percussor nec percutere nec occidere voluit, libram tantum auri parentibus persoluat occisi. Similiter & qualecunque vulnus tali casu fieri prouenerit, tertiam partẽ compositionis qui percussit exsoluat. Quia mors eius inulta esse non debet, qui pacis præmium vt conferret aduenit.

VI. ANTIQVA.

Si dum leuis iniuria infertur, homicidium committitur.

SI dum quis calce vel pugno ac quacunque percussione iniuriam conatur inferre, homicidii extiterit occasio, homicidio puniatur.

VII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si iocans aut indiscretus occidat hominem.

QVicunque incautus aut indiscretus aut iocari volens aut in multitudine cuiuscunque rei ex improuiso ictu noxium admittens percussisse atque occidisse quempiam videatur, cum aut sacramento aut testibus conuictum fuerit, quia id disposito malitiæ spiritu aut nocendi voluntate commissum non fuit, non quidem erit percussor vel homicidio infamis vel morte damnabilis: quia mortuum voluntarie non occidit. Quare tamen indiscrete percussit, nec vitare casum studuit, libram auri proximis occisi persoluere procurabit, & quinquaginta flagellorum ictibus vapulabit.

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis per incautam disciplinam occidat hominem.

QVemcunque discipulum, in patrocinio aut in seruitio constitutum, si à magistro, patrono vel domino comperẽti & indiscreta disciplina percussum fortasse mori de flagello contingat, cum nihil ille qui docet aut corripit, in hunc inuidiæ aut malitiæ habuerit: qui cecidit, homicidio nec infamari poterit nec affligi. quia dicente Dei sacra scriptura: Qui disciplinam abiicit, infelix erit.

VIIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si ingenuus seruum casibus præscriptis occidat.

SI ingenuus seruum non voluntate, sed suprascriptis casibus diuersis occiderit, medietas compositionis quæ est de ingenuis constituta, erit à percussore domino serui reddenda.

X. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si seruus ingenuum casibus præscriptis occidat.

SI seruus ingenuum non voluntate sed suprascriptis casibus diuersis occiderit, eam compositionem exsoluat, quam de ingenuis casu occidentibus superior sententia taxat. Quòd si dominus pro seruo componere noluerit, mox seruum tradere oportebit.

XI. ANTIQVA.

Si homo voluntariè occidatur.

OMnis homo si voluntate non casu occiderit hominem, pro homicidio puniatur.

XII. FLS. CHDS. REX.

Ne domini extra culpam seruos suos occidant: & si ingenuus occidat ingenuum, vel truncauerit.

SI criminis quisque reus vel nefandi consilii socius nequaquam debet indemnis relinqui, quanto magis qui ex studio malitiæ temeranter homicidium dinoscitur perpetrasse? Ideoque, quia sæpe præsumptione crudelium dominorum extra discutionem publicam seruorum animæ perimuntur, extirpari decet hanc omnino licentiam, & huius legis ab omnibus perenniter adimpleri censuram: scilicet vt nullus dominorum vel donatorum seruorum suorum vel ancillarum, seu quaruncunq; personarum, extra publicum iudicium quādoquidem occisor existat. Sed si talis seruus vel ancilla seu quicunque crimen admiserit ex quo possit mortis debitam damnationem excipere, eumque dominus vel domina propter aliquod pessimum facinus occiderit vel occidendum præceperit, dum hoc ad cuiuscunque iudicis cognitionem peruenerit, confestim ipse dominus dominave ad iudicium ire cogendi sunt. Qualiter per probationem seruorum vel ancillarum sibi suo sacramento confirmēt, quod tale facinus admiserint vnde digni essent, mortis vltione percelli. Nam si ex disposito malitiæ, seruum suum vel ancillam, seu per se seu per alium quemlibet extra publicum examen occidere quicunque præsumpserit, pro facti huius temeritate libram auri fisco persoluat, atque insuper perenni infamia denotatus testificari ei vltra non liceat. Qui verò alienum seruum vel ancillam ex deliberatione suæ voluntatis occiderit vel occidendum præceperit, duos eiusdem meriti seruos seu ancillas, occisorum dominus de facultate homicidæ consequuturus est: homicida tamen secundum superiorem ordinem perennis exilii pœnam indubitanter excipiat. Nam si dominus fortasse vel domino, in ancilla vel seruo, tam propria quam extero, vel incitatione iniuriæ vel ira commotus, dum disciplinam ingerit, quocunq; ictu percutiens homicidium perpetrauerit, & vel testibus probari potuerit, vel certè sacramento suam conscientiam expiauerit, nolendō tale homicidiū cōmisisse, ad huius legis sententiam teneri non poterit. Veruntamen si serui vel ancillæ, instituentibus vel consentientibus dominis, in conseruis suis vel quibuscunque personis dixerint se homicidium perpetrasse, & per actionem tormentorum eosdem dominos suos talia sibi constituisse taxauerint: serui quidem vel ancillæ talia perpetrantes, cētenis flagellis publicè verberādi sunt, ac turpiter decaluandi. Eorum vero domini, si iurauerint nil tale ordinasse, ad legis huius sententiam nullatenus teneantur. Atque illi qui suos conseruos occiderint, in potestate domini sui eorum causa consistat, vt faciendi de eis quod voluerint licentiam habeant. Si verò alienum quis occiderit seruum, ei proculdubio traditurus est cuius seruum vel ancillam dinoscitur occidisse. Quæcunque autem persona ingenua propter furti rapacitatem in itinere vel domi positum quemquam insidians occidisse detegitur, homicida continuò pro homicidio puniatur. Et quoniam consilio quisq; vel iussu homicidiū faciendū insistens, noxior iudicandus est, quàm ille qui homicidium opere perpetrauit: id specialiter constituendum oportuit, vt excepta causa seruorum, de quibus supra taxatum est. Si ingenuum vel ingenuam, per seruum vel

vel ancillam, dominus dominave occidendum præceperit, & per discussionem apud iudicem talia de dominis fuerint manifestè confessi, si hoc per legitimum testem firmare nequiuerint, seruis super dominis suis credi non oportebit. Sed ipsi tunc domini, qui talia iussisse dicûtur, coram iudice se suo sacramento innocentes reddere non morētur. Ipsi verò qui homicidium fecisse confessi sunt, aut pro homicidio puniantur, aut occisorum parentibus vel propinquis tradantur, vt quod de eis facere voluerint habeant potestatem. Quòd si domini eorũ iurare nequiuerint, seruus proculdubio vel ancilla tam noxia perpetrantes, ducentenis verberati flagellis, turpiter etiam decaluandi sunt. Domini verò, quib. iubentibus tale nefas admissum est, capitali se nouerint supplicio perimendo. Nã si ingenui quilibet ex cõmuni consilio homicidiũ perpetrare deliberauerint, illi qui fortasse percusserint, aut quocũque ictu hominem interfecerint, morte dãnandi sunt. Illi verò qui cum eis consilium habuisse repperiuntur, quanuis non percusserint, propter iniquum tamen consilium, ducentorum flagellorum ictus publicè extẽsi, & decaluationis fœditatem passuri sint, atq; insuper proximis occisi parentibus quinquagenos solidos componere compellantur. Aut si non habuerint vnde componant, perenniter seruituri tradantur.

XIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne liceat quemcunque seruum suum vel ancillam quacunque corporis parte truncare.

PRæcedentium non vitia sed virtutes æmulando conlectas, inuenimus hanc legem iustissimè editã, iniustè abrasam. Et ideo ne humanis excessibus turpandæ imaginis Dei frena laxentur, in nomine Domini, ego Flauius Egiga Rex, ipsis verbis, ipsisque sententiis, illo dudum eam iterum ordine introduxi, quo dudum illam præuiã iudicij principalis auctoritas collocauit, quæ sic incipit. Superiori quidem lege, dominorum indiscretam sæuitiam à seruorum occisione priuauimus. Nunc etiam ne imaginis Dei plasmationem adulterent, dum in subditis crudelitates suas exercent, debilitationem corporum prohibendam oportuit. Ideo decernimus, vt quicunque dominus dominave, absque iudicis examinatione, & manifesto scelere seruo suo vel ancillæ manum, nasum, labium, linguam, aurem etiam vel pedem absciderit, aut oculum euulserit, seu quamcunque partem corporis detruncauerit, aut detruncare vel extirpare præceperit, trium annorum exilio sub pœnitentia relegetur apud Episcopum, cuius in territorio aut ipse manere aut factum scelus esse videtur. Omnes verò facultates ipsius, si filios habuerit, qui tamen non sint sceleris eius participes, tueantur atque gubernent, reddituri cum redierit rei domino rationem. Si certe filii legitimi de fuerint, aliis parentibus ita iudex facultates eius custodiendas committat, qualiter cum redierit de rebus suis ratio illi reddatur. Sin autem nullus de proximis fuerit, iudex ipse curam habebit qualiter cuncta gubernet atq; conseruet, & de eisdem rationem postea reddat.

XIIII. FLS. CHDS. REX.

Vt homicidam cunctis liceat accusare.

SI homicidam nullus accuset, iudex mox vt facti crimen agnouerit, licentiam habeat corripere criminosum, vt pœnam reus excipiat quam meretur. Nec enim propter accusatoris absentiam, aut aliquod fortasse colludium sceleris, debet vindicta differri: sed iam vxor mortem mariti si quid noxium ab alio forte pertulerit, quàm etiam maritus si simile aliquid vxorem pati contigerit, licitum habebit inquirere, & iuxta qualitatẽ criminis legaliter vlciscendum insistere. Ita vt si manente aduersus reum tali intentione maritus & vxor vitam finierint, & imperfectam causam reliquerint, eorum filii seu propinqui, quibus ad capiendam hereditatem legitima successio competit, accusare reum vel homicidam, ac sicut parentes facere poterant, instanter persequi habeant potestatem. Nec enim dignum est parentum aut propinquorum habere facultatem, si non reus vel homicida debitam sententiam condemnationis excipiat. Quod si iudex admonitus huius rei vindex esse distulerit, & dilatans accusantes ad regiam cognitionem ex hoc querela peruenerit, sciat se pro mortuo, quem vindicare noluerit, medietatem homicidii, hoc est, CC. quinquaginta solidos petenti esse daturum. Facultates omnè eius, qui pro suo scelere est puniendus, non antea cuiquam vsurpare conceditur, nisi per iudicium vltionis ex lege sententia detur.

XV. FLS. CHDS. REX.

Quod & proximis & extraneis homicidam conceditur accusare.

CVm cæterorum criminum reos pœnas semper oporteat excipere quas merentur, nefas esse putandum est homicidas vnquam indemnes relinquere, quos seueriori magis condecet atrocitate puniri. Ne ergo possit euadere homicida quod fecit, aut aliquis scelus eius præsumat forsitan excusando celare, primo proximis occisi conceditur licentia accusandi. Quod si idem proximi ad quærendam defuncti mortem aut tepidi fuerint aut forte distulerint, tunc accusandi homicidam omnibus generaliter, tam aliis parentibus quam externis, aditum pandimus. Ita vt qui homicidam fraudulenter excusare conatus fuerit vel defendere, commodum quod propterea fuerat consecutus, in duplum compellatur accusatori persoluere. Nam homicidii reus nunquam potest esse securus, cum contra eum accusationem deferre nulli penitus licentia denegetur.

XVI. FLS. CHDS. REX.

Si homicida ad Ecclesiam confugiat.

præcepisse. NOn sumus immemores, de homicidis hactenus atque maleficis diuersas quidem legum sententias * præcessisse, & iuxta qualitatem sceleris pœnas esse propositas, quas vnusquisque eorum merebatur excipere. Tamen quia nequitiæ huius auctores, quantum in malis amplius prompti sunt, tantum ad euadendum supplicium occasiones sæpe prætendunt: ac se plerumque Basilicarum Dei defensioni committunt, qui contra diuinum præceptum scelera perpetrare non metuunt. Ideoque quia nunquam debet hoc scelus inultum relinqui, quod & vitam perimit, & quorundam mentes ad deterius frequenter impellit, hoc omne per æuum mansurum damus edictum: Vt quemcunque homicidam seu maleficum lex puniri præcipit, & præterea qui ex suo dispositio vel malæ voluntatis assensu tale nefas committit, nulla hunc occasio nullaque vnquam ab hac sententia potestas excuset. Sed etiamsi contigerit eum ad altare sanctum fortasse confugere, non quidem præsumat eum absque consultu sacerdotis persequutor eius abstrahere. Consulto tamen sacerdote ac reddito sacramento, ne eundem sceleratum publicæ mortis pœna condemnet, sacerdos eum sua intentione ab altari repellat, & extra chorum proiiciat: & sic ille, qui eum persequitur, comprehendat. Cui ab Ecclesia eiecto, non alias mortiferas inferat pœnas, sed in potestate parentum, & eorũ cuius propinquus occisus fuerit, contradendus est: vt excepto mortis periculo, quicquid de eo facere voluerint, licentiam habeant. Quatenus dum malorum prauitas conspicit constituta sibi supplicia præterire non posse, vel metu saltem territus à malis abstineat, quem malæ voluntatis intentio ad illicitum facinus sponte sæpe præcipitat.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De parricidis & eorum rebus.

DVm nullum homicidium voluntate commissum, nostris legibus relinquatur inultum, & illum magis oporteat mortem excipere qui consanguinitate proximum præsumpserit occidere: proinde hoc omne per æuum promulgamus edictum, vt quicunque parricidium fecerit, hoc est, patrem aut matrem, seu fratrem aut sororem, vel quemcunque sibi propinquum, proposito vel intentione prauæ voluntatis occiderit, confestim comprehensus à iudice eadem morte puniatur qua ipse alium punire præsumpserit. Ita vt si vir siue mulier sit qui parricidii crimen admiserit, si filios non habuerit, omnis parricidæ hereditas ad heredes & propinquos occisi pertineat. Si verò filios de alio coniugio habuerit, medietas facultatis eius filiis occisi proficiat, & medietas filiis parricidæ, si tamen in scelere patris aut matris conscii non fuerint approbati. Nam si conscios eos scelus parentum habuerit, omnis parricidæ hereditas filiis occisi proficiat. Quod si neque parricida neque occisus filios reliquerint, tunc omnem facultatem parricidæ, parentes occisi aut propinqui sibimet in omnibus vindicabunt: vel proximi, qui eius mortem vlciscendam institerint, iuri suo applicare non dubitent.

XVIII. ANTIQVA. NOVITER. EMENDATA.

De his qui proximos suos sanguinis sui occiderint.

SI pater filium aut filius patrem, seu maritus vxorem aut vxor maritum, aut mater filiam aut

liam aut fili matrem, aut frater fratrem aut soror sororem, aut socerum gener aut generum socer, vel nurus socrum aut socrus nurum, vel quemcunque consanguinitate sibi proximum aut suo generi copulatum occiderit, morte dampnetur. Quòd si propter hoc homicida ad Ecclesiam vel altaria sancta concurrerit, in potestate parentum vel propinquorum occisi tradendus est: vt salua tàtum anima quicquid de eo facere voluerint habeant potestatem. Omnem verò substantiam suam heredibus occisi, iuxta legis superioris ordinem, iubemus addici, aut etiam fisco si heredes proximos occisus non reliquerit, sociari. Nam homicida nec facultatibus suis liberatus vtetur, etiamsi pœnā mortis euadere mereatur.

XIX. ANTIQVA.

Si à proximo sanguinis casu proximus occidatur.

SI pater filium, aut mater filiam, aut filius patrem, aut frater fratrem, aut quemlibet sibi propinquum, grauibus coactus iniuriis, aut dum repugnat occiditur, & hoc idoneis testibus, quibus meritò fides possit adhiberi, apud iudicem potuerit approbare, quòd parricidium dum propriam vitam tuetur admiserit, securus abscedat, nec vllum vitæ periculum aut dispendia facultatum vel tormenta formidet, illa discretione seruata, quæ in cunctis casibus est de homicidis constituta.

XX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si seruus seruum casibus præscriptis occidat.

SI cunctis suprascriptis casibus, seruus seruum occidisse detegitur, omnem compositionis summam, quæ de casu tali est occisione taxata, serui dominus ex medietate domino serui persoluat. Quòd si pro eo satisfacere contemnat, seruum sine dubio tradat.

DE FVRTIS ET FALLACIIS, LIBER SEPTIMVS.

I. TITVL.

DE INDICIBVS FVRTI.

I

De indice & his quæ indicare dicuntur.

IVDEX reum qui accusatur antea non torqueat, quàm ille qui accusat, si indicem præsentare noluerit, se per placitum trium testium roboratione firmatum ea conditione constringat, vt si is qui accusatus est manifestis indiciis innocens comprobatur, ipse pœnam quam alii intendit excipiat: & tamen postquam innocētia patuerit accusati, accusator à iudice distringatur, vt pro agnoscenda rei veritate indicem præsentet inuitus. Quem si præsentare nequiuerit, saltem quis sit ex nomine manifestet, vt districtus à iudice vera conuincat esse quæ indicauit. Quòd si eum ipse iudex per alicuius potentis defensionem aut patrocinium seu metu regiæ potestatis discussioni suæ præsentare non potuerit, ad regiam id cognitionem si prope est deferre procuret. Si autem longe est, Episcopo vel iudici renuntiet, vt eorum maior auctoritas, hunc iudicio faciat præsentari. Quòd si neglexerit nuntiare, de propria iudicis facultate omne quod periit iussu principis vel Episcopi atque iudicis querelanti restituatur. Index autem si non potuerit probare quod indicauit, pro omni satisfactione teneatur obnoxius. Quòd si rei causa est, si ingenuus est cum infamia nouecuplam, seruus verò sexcuplam com-

positionem exsoluat, & c. insuper flagella idem seruus accipiat. Quod si idem ingenuus vnde componat non habuerit, & ei quem infamare tentauit, & ei cui mentitus est, pariter seruiturus tradatur. Seruus verò si compositionem pro se exsoluere non potuerit, aut si noluerit pro eo satisfacere dominus, seruum pro reatu tradere non moretur.

II. ANTIQVA.

Non credendum indicanti seruo nisi cum domini testimonio.

SI seruus sine conscientia domini sui aliquid indicauerit, aliter ei non credatur, nisi dominus pro persona serui testimonio suo dixerit esse credendum, de honestate mentis eius proferens testimonium verum.

III. ANTIQVA.

Si index furti sit conscius.

SI index furti conscius comprobatur, nullam pœnam incurrat, sed dampnum absolutionis euadat. Mercedem verò pro indicio non requirat, cui sufficere debet vt securus abscedat. Qui si forsitan rem quæ furtim ablata est, cum furti ipsius consorte diuiserit, quæ in portionem suscepit, & apud se retinuit, † sumpta tantum restituat.

† *simpla.*

IV. ANTIQVA.

De mercede indice.

SI quis furem prodiderit, si tamen furti ipsius conscius non est, non plus pro indicio accipiat, nisi quantum res valuerit quę furtim ablata est: si tamen domino rei compositio fuerit exsoluta. Sin autem talis sit fortasse conditio, vt necesse sit illum qui fur probatur occidi, & nihil de eius facultatibus inueniatur: aut si seruus fuerit, & dominus serui substantiam eius suæ vendicet potestati, & in compositionem qui perdiderit res suas, nihil fuerit consecutus: tunc tertiam partem de repperta re, pro mercede iudicii consequatur, & delator nil amplius iam requirat.

V. ANTIQVA.

Si innocens in quocunque crimine accusetur ab indice.

QVicunque accusatur in crimine, id est, veneficio, maleficio, furto, aut quibuscunq; factis illicitis, accusator eius concurrat ad comitem ciuitatis, vel iudicem in cuius territorio est constitutus: vt ipsi secundum legem causam discutiant: & cum cognouerint crimen admissum, reum comes & iudex comprehendant. Et si capitalia non admiserit, tunc ei cui reus est aut componere compellatur: aut si non habuerit vnde componat, seruiturus tradatur. Si verò innocens approbatur, de iudicio securus abscedat. Ille verò qui accusauit, & pœnam & dampna suscipiat quæ debuit pati accusatus, si de crimine fuisset conuictus. Comes tamen aut iudex nullum discutere solus præsumat, ne aliquod possit esse colludium, vt innocens fortasse tormenta sustineat. Prius tamē pœnæ non subiaceat, quàm aut sub præsentia iudicum manifestis probationibus arguatur, aut certè sicut in aliis legibus continetur, cum accusator inscribat: & sic in præsentia iudicum superius nominatorum quæstionis agitetur examen.

II. TITVL.

DE FVRIBVS ET † FVRATIS REBVS.

† *furtiu.*

XIII.

I. ANTIQVA.

Vt exponat quid quærit qui furtiuam rem se quærere dicit.

QVi rem furtiuam requirit, quid quærat iudici occulte debet exponere; vt ostendat per manifesta signa quid perdidit: ne veritas ignoretur, si non euidentia signa monsttauerit.

II. ANTIQVA.

Si seruus ante datam seu & post datam libertatem faciat furtum.

SI quis in seruitio constitutus furtum admiserit, & postea à domino suo fuerit manumissus, illa quæ antea admiserat ad dampnum domini non pertineant, sed ipse sic seruus pœnam & dampnum legibus suscipiat constitutum, qui illicita perpetrasse dinoscitur. Quod si post datam libertatem hoc fecerit, ita vt seruus & compositionem & cētum flagella sustineat. Quod si tale factum non fuerit propter quod seruituti tradatur, in libertate accepta nihilominus permaneat.

III. ANTIQVA.

Si seruus ad alium dominum transiens quodcunque committat illicitum.

SI seruus dum ad alium dominum transiens, aliquid de rebus prioris domini inuolauerit aut abstulerit seu quodcunque aliquid damnosum intulerit, dum pro crimine cupiditatis cupit addici, discutiatur à iudice: & si hoc crimen admisisse conuincitur, posterior dominus si voluerit pro seruo dampnum compositionis exsoluat. Certe si noluerit seruum, secundum criminis qualitatem tradatur ad pœnam.

IV. ANTIQVA.

Si ingenuus cum seruo alieno faciat furtum.

SI quis ingenuus cum seruo alieno in crimine inuentus fuerit, vt furtum forsitan faciant & aliquid rapiant, aut illicitum quodcunque committant; secundum superiorē legem medietatem eiusdem cōpositionis exsoluant, ita vt ambo publicè fustigentur. Et si noluerit dominus pro seruo satisfacere, ipsum seruum pro compositione tradere non moretur. Quod si capitalia forte commiserint, simul seruus cum ingenuo morte dampnetur.

V. ANTIQVA.

Si dominus cum seruo suo faciat furtum.

SI dominus cum seruo suo ad furtum faciendum ierit, hanc compositionem non seruum sed dominum implere iubemus. Ita tamen vt dominus eius iuxta leges cētum flagellis fustigetur. Seruus autem ideo erit indempnis, quia domini iubētis obediuit imperiis.

VI. ANTIQVA.

Si seruus alienus suadetur ad illicita facienda.

SI quis seruum alienum ad furtum faciendum aut alias ad quascunque res illicitas

committendas, vel etiam aduersus seipsum forte persuaserit, vt domino eius perditionem exhibeat, quo facilius eum per malam & iniquam persuasionem ad suum seruitium fraudulenter addicat, & fraus ipsa iudicis fuerit inuestigatione detecta: dominus serui nec seruum perdat, nec vllam calumniam pertimescat. Sed ipse cuius colludio vel suasione seruus crimen admiserat, vt eum sibi per aliquam occasionem ad seruitium potuisset addicere; ipsi eius serui domino, quantum ille inuolauerit, aut quantum culpabilem rem admiserit, septuplam compositionem implere cogatur. Ipse autem seruus in conuentu publice centum flagella suscipiat, pro eo quòd dominum suum despiciens insidianti consenserat, & sic postmodum domino suo seruus red-
datur. 1

VII. ANTIQVA.

De his qui cum furibus conscii fuerint.

NOn solùm ille qui furtum fecerit, sed etiam quicunque conscius fuerit, vel furtim ablata sciens susceperit, in numero furantium habeatur, & simili vindictæ subiaceat.

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si de fure quis nesciens comparauerit.

VNiuersam rem nulli ingenuo liceat de incognito homine comparare, nisi certe fi- 2
deiussorem adhibeat cui credi possit, vt excusatio ignorantiæ auferatur. Quod si aliter fecerit, qui comparauerit, à iudice districtus auctorem præsentet infra tempus sufficienter à iudice constitutum. Et si fur ipse habuerit vnde compositionem exsoluat, integram aut similem rem domino rei sarciat: possideat autem emptor si particeps fraudis non inuenitur, secure quod emit: vel si dominus voluerit rem furtiuam sibi recipiat, & furem cum omni compositione furti tradat emptori. Si autem non habuerit fur vnde sicut dictum est compositionem domino aut emptori exsoluat, legibus institutus teneatur modus. Quem si non potuerit inuenire, approbet se aut sacramento aut testibus innocentem, quòd eum furem nescierit: & quod apud eum agnoscitur, accepta precii medietate restituat. Atque ambo datis inuicem sacramentis promittant, quòd furem fide-
liter quærent. Quod si omnino fur inueniri nequiuerit, rem tantum, quæ empta est, 3
domino rei emptor ex integritate reformet. Si verò dominus rei furem nouerit, & eum publicare noluerit, rem ex toto amittat, quam emptor quiete possideat. Hæc de seruis forma seruetur.

VIIII. FLS. RCDS. REX.

Si de fure quis cognitus comparauerit.

SI quis rem furtiuam sciens à fure comparauerit, ille qui emit suum præsentet auctorem, & postea tanquam fur componere non moretur. Si verò furem non inuenerit, duplam compositionem quæ à furibus debetur exsoluat. quia apparet & illum furi esse similem, qui rem furtiuam sciens comparasse cognoscitur. Quòd si seruus hoc fecerit, aut medietatem compositionis de ingenuis persoluat, aut hunc seruiturum dominus tradat.

X. ANTIQVA.

De pecunia & regis rebus furto sublatis.

SI quis de thesauris publicis pecuniam aut aliquid rerũ inuolauerit, & in vsu suo transtulerit, nouecuplum restituat.

XI. ANTIQVA.

De tintinnabulis furatis.

SI quis tintinnabulum inuolauerit de iumento vel boue solidum reddat. De vacca tremisses duos. De berbicibus vel quibuscunque pecoribus tremisses singulos cogatur exsoluere.

XII. ANTIQVA.

De instrumentis molini furatis.

SI quis de molinis aliquid inuolauerit, quod furatum est restituat, & insuper componat, sicut de aliis furtis lege tenetur, & extra hoc c. flagella suscipiat.

XIII.

XIII. FLS. RCDS. REX.

De dampno furis.

CVIuslibet rei furtum, & quantalibet precii æstimatione taxatum ab ingenuo nouies, a seruo vero sexies, ei qui perdidit sarcietur, & vterque reus centum flagellorum verberibus coerceatur. Quod si aut ingenuo desit vnde componat, aut dominus cōponere pro seruo suo non annuat, persona quæ se furti contagio sordidauit, seruitura rei domino perenniter subiacebit.

XIV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt fur captus perducatur ad iudicem, & vt ingenuus cum seruo faciens furtum vnam compositionem exsoluat.

FVr si captus fuerit, perducatur ad iudicem: ita vt ingenuus nouecuplo sublata restituat, & extensus publice coram iudice centum flagella suscipiat. Quod si non habuerit vnde componat, careat libertate, illi seruiturus cui furtum fecerit. Seruus autem sexcupli compositionem cogatur exsoluere, & centum flagella ante iudicem extensus accipiat. Ipse vero in custodia a iudice teneatur, quousque dominus eius pro eo admoneatur, vt aut pro seruo suo componere non moretur, aut si certe distulerit, eum pro crimine cui malum fecit tradere non moretur. Id denique in hac lege seruandum est, vt si seruus & ingenuus, seu serui & ingenui, vnum animal aut quamcunque vnam rem pari consensu furauerint, vnam compositionem exsoluant: Id est ingenuus medietatem nouecupli, & seruus idem medietatem sexcupli, flagella tamen secundum superiorem ordinem accepturi. Nam & de maioris summa furti, a seruo & ingenuo vel seruis & ingenuis facta, prædicta forma seruabitur. Et quemadmodum superius constitutum est, ante iudicem flagellandi sunt.

XV. ANTIQVA.

Si fur se gladio vindicans occidatur.

FVr qui per diem se gladio defensare voluerit, si fuerit occisus, mors eius nullatenus requiratur.

XVI. ANTIQVA.

Si fur nocturnus dum capitur occidatur.

FVr nocturnus captus in furto dum res furtiuas secum portare conatur, si fuerit occisus mors eius nullomodo vindicetur.

XVII. ANTIQVA.

De malefactis & indebite contractis rebus, & vt tantum de illa re compositio fiat quæ fuerit sublata.

SI quis res aut vestimenta aliena malè tractauerit, aut in itinere constitutum in aliquo contigerit, vel furtim ei quodcunque sustulerit, non pro omni sarcina solutionem implere cogatur, sed de hoc quod furtim abstulit, vel male tractauit, secundum legem componere non moretur.

XVIII. ANTIQVA.

De his qui aduersis naufragiis rapiuntur.

QVicquid de incendio, ruina vel naufragio raptum fuerit, & aliquis ex hoc quicquam ab alio susceperit siue celauerit, in quadruplum reformare cogatur.

XIX. ANTIQVA.

De hereditate & successionibus furis.

SI quis furi mortuo in hereditatem aut ex testamento aut ex sanguinis propinquitate successerit, quia crimen cum fure defecit, pœnam quidem non sustineat, sed damni satisfactionem exsoluat, quod fur si vixisset fuerat soluturus. Si autem maius est damnum quam hereditas, faciat cessionem.

XX. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui fures aut reos captos excusserint.

SI quis furem captum aut reum alicui excusserit, si maioris loci persona est, exten-

sus coram iudice pro sola præsumptione c. flagella suscipiat, & quem excussit repræsentare cogatur. Quod si alter eum prendiderit cuius causa non est, de ea compositione quam fur facere potuerat pro labore suo quartam partem accipiat. Si autem fur inuentus non fuerit, iam tunc & pœnam furis qui hunc excussit perferat, & tantum de suo ipse componat, quantum fur quem excusserat conuictus satisfacere potuerat. Si certe minor persona fuerit, & furem præsentauerit, pro præsumptione sola & ipse c. flagella suscipiat. Si autem furem inuenire non potuerit, & pœnam furis & dampna ipse sustineat. Nam si præter furem alterius criminis quicunque reum excusserit, similiter c. flagella extensus accipiat: & si eum inuenire vel præsentare nequiuerit, eidem continuo vindictæ subiaceat, quam reum illum qui excussus est legalis sanctio pati demonstrat. Si vero seruus domino nesciente ista commiserit, pro præsumptione sola ducenta flagella suscipiat, & quem excussit præsentet. Quem si non præsentauerit, dominus eius si voluerit pro eo summam compositionis exsoluat. Quod si componere noluerit, iuxta crimen admissum, seruum aut pro dampno aut pro supplicio tradat.

XXI. ANTIQVA.

Si seruus domino vel conseruo fecerit furtum.

SI seruus domino suo vel conseruo aliquid inuolauerit, in domini potestate consistat quid de eo facere voluerit; nec iudex se in hac re admisceat, nisi dominus serui fortasse voluerit.

XXII. ANTIQVA.

Infra quod tempus fur captus iudici præsentari debetur.

SI quis furem aut quemcunque reum comprehenderit, statim perducat ad iudicem. Cæterum suæ domui amplius quam vna die ac nocte eum retinere non audeat. Si quis contra hoc fecerit, v. solidos pro sola præsumptione iudici cogatur exsoluere. Et si seruus hoc sine domini sui conscientia fecerit, c. flagella suscipiat. Si vero seruus cum domini voluntate id commiserit compositio redundet ad dominum. Ita vt si honestioris loci persona est, x. solidos iudici cogatur exsoluere: ex quibus medietatem sibi iudex vsurpet, aliam vero medietatem illi det qui dampnum noscitur pertulisse.

XXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si furtiue alienus quadrupes occidatur.

SI quis caballum alienum aut bouē aut quodlibet animaliū genus nocte aut occulte occidisse conuincitur, nouecupli compositionem dare cogatur. Quod si cōuinci nō potuerit quod talia fecerit, sacramentum euidentissimè dabit. Si vero hoc seruus immittente domino commiserit, & ex hoc manifestis indiciis inuenitur, dominus serui tanquam fur nouecupli compositionem implere cogatur. Quòd si seruus non conuincitur inscribatur: & cum inuentus fuerit talia commisisse, aut sexcuplum reddat, aut cui dampnum fecerit ipse seruiturus subiaceat. Quod si innoxius fuerit inuentus, iuxta quod aliis legibus est decretum satisfaciat petitor domino serui.

III. TITVL.

DE VSVRPATORIBVS ET PLAGIATORIBVS MANCIPIORUM.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis mancipium alienum vsurpet.

QVicunque ingenuus mancipium vsurpauerit alienum, eiusdem meriti mancipium alterum cum eo compellatur domino reformare. Si vero seruus hoc fecerit, ipsum mancipium illi domino reddat, & c. flagella susci-

suscipiat. Quòd si vsurpatum mancipium præsens non fuerit, dominus serui eiusdē meriti mancipium illi domino det, qui mancipium amisit, donec qui ablatus est restituatur, & sic ille qui pro eo donatus fuerat, seruiturus domino reformetur.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si seruum vel ancillam ingenuus plagiasse detegatur.

SI quis ingenuus seruum alienum vel ancillam alienam plagiauerit, quatuor seruos vel quatuor ancillas domino dominæve reformare cogatur, & c. flagellis publice verberetur. Quod si non habuerit vnde componat, ipse subiaceat seruituti.

III.

De ingenuorum filiis plagiatis.

QVi filium aut filiam alicuius ingenui vel ingenuæ plagiauerit aut sollicitauerit, & in populos nostros vel in alias regiones transferri fecerit, huius sceleris auctor patri aut matri fratribusque si fuerint siue proximis parentibus in potestate tradatur, vt illi occidendi aut vendendi eum habeant potestatem. Aut si voluerint, compositionem homicidii ab ipso plagiatore consequantur, id est, solidos † ccc. quia parentibus venditi aut plagiati non leuius esse potest quàm si homicidium fuisset admissum. Quòd si eum ex peregrinis ad propriam regionem potuerit reuocare plagiator, † cl. solidos hoc est medietatem homicidii exsoluat. Aut si non habuerit vnde componat, ipse subiaceat seruituti.

† quingētos.

† ccl.

IV.

Si seruus plagiauerit seruum alienum.

SI seruus seruum plagiauerit alienum domino nesciente, seruus qui hoc fecerit, cl. flagella coram iudice extensus accipiat, & sic etiam postmodum qui plagiatus est domino reformetur. Ille vero cuius seruus plagiatus fuerat, mercedem capturæ à plagiatoris domino non requirat. Ita tamen vt si fortasse qui plagiatus est tarde repperiatur, plagiatoris dominus alium eiusdem meriti mancipium aut etiam eundem plagiatorem ei cuius seruus vel ancilla plagiata est dare compellatur, tandiu sibi seruiturum quandiu suus seruus aut ancilla ei restituatur, & ita ille postmodum domino reformetur.

V. ANTIQVA.

Si seruus ingenuum plagiauerit domino imperante.

SI seruus ingenuum plagiauerit ex domini iussione, ipse dominus compositionem quæ est de ingenuis constituta compellatur implere. Ita vt dominus c. flagella publice suscipiat, & seruum iussa domini complentem molestia non attingat.

VI. ANTIQVA.

Si seruus ingenuum plagiauerit domino nesciente.

SI seruus sine conscientia domini sui ingenuum plagiauerit, parentibus plagiati sine aliqua dilatione tradatur, vt quod de eo facere voluerint in eorum consistat arbitrio. Quod si qui plagiatus est reduci potuerit, & dominus pro seruo componere voluerit, libram auri pro iniuria ingenui dabit.

IIII. TITVLVS.

DE CVSTODIA ET SENTENTIA damnatorum.

Si iudex pro crimine interpellatus postea contemnatur.

SI quis pro furto interpellauerit iudicem,& eum contemnens postea sine conscientia eius aliquid dederit vel ab eo in compositionem acceperit, pro præsumptione sua v. solidos iudici inuitus exsoluat. Quòd si hoc seruus sine conscientia domini sui fecerit, c. flagella suscipiat, & dominus serui nullam calumnaim pertimescat. Nam si cum domini voluntate hoc fecerit, ipse dominus compositionem superiùs comprehensam compellatur exsoluere.

II.

Vt comes iudici auxilium præbeat pro comprehendendis in crimine accusatis.

QVotiens Gothus seu quislibet in crimine aut in furto vel aliquo scelere accusatur, ad corripiendum eum iudex insequatur. Quod si forte iudex solum illum comprehendere vel distringere non potest, à comite ciuitatis quærat auxilium, cùm solus sibi sufficere non possit. Ipse tamen comes illi auxilium dare non moretur, vt criminis reus insultare non possit.

III.

Si carcerem quis frangat aut custodi persuadeat.

SI quis carcerem fregerit, aut custodi persuaserit, vel ipse carcerarius aut custos quos compeditos habuit, sine iudicis iussione aliqua fraude laxare præsumpserit, eandem pœnam vel damnum quod ipsi rei fuerant excepturi sustineant.

IIII.

De tollendis commodis ab his qui in custodi retinentur.

IVdex si aliquos in custodia retinuerit, vel hi qui reos capiunt aut custodiendos accipiunt, ab his quos in custodia miserint innocentes, cathenaticii nomine nil requirãt, nec pro absolutione eorum aliquid beneficii consequantur. Quos verò culpabiles in custodia retinuerint, per singulos quos capiunt, singulos tremisses sibi præsumere non verentur. Si vero talis sit fortasse conditio vt ille qui captus fuerat ad exsoluendam compositionem relaxetur, ipse iudex eandem compositionem cogatur implere. Quæ cum ad eum, cui debetur ad integrum, ipso insistente peruenerit, pro labore suo decimum consequatur. Si quis amplius quàm nos statuimus, accipere fortasse præsumpserit, ei cui abstulit reddat in duplum.

V. ANTIQVA.

Si iudex criminibus fauens criminosum absoluat.

SI iudex quolibet beneficio corruptus aliquem innocentem occiderit, simili morte dampnetur. Si verò eum qui morte dignus est criminosum absoluerit, septuplum quantum pro eius absolutione acceperat, illi cui erat culpabilis cogatur exsoluere. Et de iudiciaria potestate repulsus, infamis à sibi successore iudice distringatur vt eum quẽ relaxauit præsentet in iudicio, qualiter de crimine conuictus pœnam excipiat quam meretur.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De dampno iudicis criminosum indebite absoluentis.

IVdex criminoso non parcat pro patrocinio aut amicitia alicuius. Nã si fauens criminibus non iudicauerit innocentem, & absoluerit criminosum, non quidem moriatur, aut debilitationem corporis patiatur, sed tam pro homicidio quàm pro omni negotio summam compositionis exsoluat.

VII. ANTIQVA.

Vt reus non in absconso sed publicè percipiat sententiam legis.

IVdex quotiens occisurus est reum, non in secretis aut in absconsis locis, sed in conuentu publice exerceat disciplinam.

V. TITVLVS.

De falsariis scripturarum.

I.

De his qui regias auctoritates & praeceptiones falsare praesumpserint.

SI qui in auctoritatibus nostris vel praeceptionibus aliquid mutauerint, demerint, subtraxerint aut interposuerint, vel tempus aut diem mutauerint siue designauerint, & qui signum adulterinum sculpserint vel impresserint: persona honestior mediam partem facultatum suarum amittat, † fisco omnibus profuturam: minor verò persona manum perdat, per quam tantum crimen admisit. Quòd si contingat illos auditores vel iudices mori, quibus audiencia vel iussio destinata fuerat: aut episcopo loci, aut alio episcopo, vel iudicibus vicinis territorio illius, vbi iussum fuerat, negocium terminare liceat, & datam praeceptionem offerre, & eorum iudicio negocium legaliter ac iustissimè ordinare.

† *fisci commodis.*

II. FLS. CHDS. REX.

De his qui scripturas falsas fecerint vel falsare tentauerint.

SI quis scripturam falsam fecerit aut recitauerit, vel supposuerit sciens, vel in iudicium protulerit, & qui veram suppresserit, subtraxerit, disruperit & designauerit aut diluerit, & quisquis signum adulterinum sculpserit, fecerit vel impresserit, talium scelerum rei, eorumque conscii, dum fuerint publicati: si potentiores sunt, quartam partem facultatum suarum amittant. Si verò alieno iuri debitam scripturam subtraxerint aut vitiauerint, eandem scripturam subtraxisse vel vitiasse coram iudice sua professione depromant. quae professio à testibus roborata praedictae vel vitiatae scripturae robur obtineat. Quod si euidentissimè quid scriptura continuerit recordari non potuerit, tunc ille cuius scriptura fuit, habeat licentiam comprobare per sacramentum suum aut testem quid ipsa scriptura continuit euidenter; & ita datum veridicè testimonium, scripturae reparet veritatem. Si verò minor extiterit facultas eorum quàm quod alii facere conati sunt damnum: ipsi proculdubio, cum his quae habere videntur eius seruituti subiiciantur, cui fraudem fecisse noscuntur. De quarta verò parte quam dari praecipimus, principe ordinante vel iudice tres portiones ille accipiat, qui damnum pertulit aut pati potuerit. Quarta vero regiae potestati seruetur, vt quid exinde fieri debeat, in arbitrio eius consistat. Humiliores sanè vilioresque personę, qui talia detecti fuerint commisisse, & iuxta superiorem ordinem conscribere debebūt professionem, & perpetuò cui fraudem fecerint addicantur ad seruitutem. Insuper autem tam humiles quam potentes personae centenis flagellorum erunt verberibus coercendę. Quod si serui hoc fecerint, & eos alieni iuris esse patuerit, illis consignentur perenniter seruituri, quibus scripturam subtraxisse aut celasse vel lęsisse fuerint approbati. Quòd si iubentibus dominis suis talia fecerint, omne damnum redundet ad dominum. Ita etiam & de his praecipimus obseruari, qui lucro suo studentes, aliena testamenta vel alias scripturas suppresserint aut vitiauerint, vt his quibus competunt, impedire aliquid possint: & hi similiter tanquā falsarii teneātur, & iuxta qualitatē personę superiori dāno mulctentur. Quod si de suprà taxatis capitulis nil videatur accidere, id est, qui scripturam alterius repperiatur vitiasse, disrupisse, falsasse, celasse, vel si quid in hac lege constitutū est, admisisse: sed sola negligentia, casu atq; incuria, suā quisq; perdiderit scripturā, vel sibi dixerit fuisse ablatā; si testis q in eadē scriptura subscripsit adhuc superstes existit, per ipsū poterit corā iudice

omnis ordo scripturæ perditæ reparari. Quòd si testem ipsum, qui in ea scriptura subscriptor accessit, mortuum esse contigerit; tunc si legitimi & cognitiores reperti fuerint alii testes, qui eandem scripturam se dicant vidisse, & omnem textum vel firmitatem eiusdem scripturæ plenissimè nosse, similiter publica iudicum inuestigatione per eorum testimonium ille qui scripturam perdidit, poterit suum reparare, & percipere veritatem.

III.

De his qui sub nomine regis aut iudicis commonitoria falsa siue finxerint siue detulerint.

QVi falsa commonitoria sub nomine Regis siue iudicis nesciens protulerit non incurrat falsitatis inuidiam, sed eum qui commonitorium dederit, non moretur ostendere. Quod si eum noluerit nominare, aut quod ab eo commonitorium acceperit noluerit approbare, pro qualitate personæ, ipse reatum falsitatis incurrat, sicut superius continetur de his qui falsas scripturas confecerint. Quod si ambo falsitatis conscii habeantur, ambo falsarii teneantur.

IIII.

De his qui testamentum contra viuentis voluntatem aperuerint.

QVi viuentis testamentum aut ordinationis eius quamcunq; scripturã contra ipsius falsauerit vel aperuerit voluntatem, vt falsarius iudicetur.

V.

De his qui voluntatem defuncti celare vel falsare temptauerint.

QVi defuncti celauerit voluntatem, aut in eadem aliquid falsitatis intulerit, lucrum quod forsitan iudicio testatoris per ipsam scripturam fuerat habiturus amittat, illis quibus fraudem facere conatus est profuturum, & insuper pro falsitate ferat infamiam. Nam si paruam aut nullam rem exinde consequi potuisset, vt falsarius condemnetur.

VI.

Si quisque sibi nomen falsum imponat aut parentes vel genus mutet.

QVi sibi nomen falsum imponit, vel genus mutat, aut parentes finxerit, aut aliquã imposturam fecerit, reus falsitatis habeatur.

VII. FLS. CHDS. REX.

De callidè & fraudulenter anterioribus scriptis confectis.

QVorundam sæpe calliditas exigit, vt nouæ sanctionis constituamus edictum, dum eorum noua & abhorrenda fraudis molimina in aliorum deceptionem concinnata cognoscimus. Proinde quia sunt pleriq;, tanto alios circumueniendi studio dediti, vt sub vnius causæ nomine in multis capitulis per scripturæ seriem interdum aliquos obligent, huius perpetim valituræ legis constitutione decernimus: vt quicunque cum alio de negotio speciali definiens generalem scriptis constitutionem subintroduxerit, atque ita circumuenerit aliquem: vt dum de vna causa fit conuenientia, callidè per scripturam intexat vnde omnem de aliis negotiis alterius vocem extinguat: vel etiam fortasse proueniat, vt non quidem per scripturam sed sub aliis verbis, aliud simulans quicunque aliquem dolosè ac fraudulenter in quocunque decipiat: huius rei præsumptor, & publicè notetur infamia, & ei quẽ circumuenerit manens obnoxius eandem quæ de falsariis lata est censuram legis incurrat. Simili quoque dampno vel pœna multandi sunt, qui propter euacuandam fraudulenter posteriorem scripturam, per anteriorem scripturæ seriẽ res easdem quas posterior scriptura continet, in alterius nomine callidè obligasse reperiuntur. Ita vt tam ille qui sub hac fraude talem scripturam fecisse detegitur, quàm ille in cuius nomine factam fuisse constiterit, si conscius fraudis huius inuenitur, eadem, qua supra taxatum est, & in rebus & in corpore iactura dampnetur; & euacuata priori scriptura, firma nihilominus posterior habeatur.

VIII. FLS. CHDS. REX.

De callidè & fraudulenter posterioribus scripturis confectis.

Non

NOn immerito cogitur debitum hæredis exſoluere qui ſucceſſor hæreditatis noſcitur extitiſſe. Quia ergo nullius fraudis neceſſe eſt occaſionibus excuſari, huius perpetim valituræ legis ſanctione cenſemus: vt quicunque cuilibet per cuiuſcunque ſcripturæ contractum res quaſcunque dederit, quæ tamen repperiantur quandoquidem, aut non eius iuris fuiſſe qui dedit, aut id quod dediſſe videtur, per priorem ſcripturam aut quamcunque definitionem in cuiuſcunque prius nomine obligaſſe; & ſub quodam argumento id poſtmodum alteri dediſſe, aut quod ſuum non erat, aut iam prius alteri dederat, dum fraudis huius commentum manifeſte patuerit: ipſe quidem qui fecit, ſi ſuperſtes eſt, & promiſſionem & pœnam, quam ab eo edita ſcriptura teſtatur, ſupplere cogendus eſt. Si verò poſt eius obitum eadem quæ prædicta eſt fraus inueniri potuerit, id quod auctor ſpopondit de re eius, aut hæredes cum pœna etiam ſcripturæ compellendi ſunt petenti perſoluere. Aut ſi fortaſſe maior eſt auctoris ſponſio vel pœna per ſcripturam taxata, quàm eſſe conſtat eius hæreditas, ſi noluerint hæredes ſatisfacere pro auctore, de eo ſaltim quod ex rebus eius poſſident cogendi ſunt cauſidico facere ceſſionem. Quòd ſi hæredes non ſint, ab iis quibus res ipſa vel facultas quæ relicta eſt poſſeſſa fuerit, vniuerſa reddi iuxta præſentem ſententiam oportebit. Eadem etiam in cauſis talibus ratione ſeruata, vt ſi reppertum fuerit conſcio illo eandem fraudem interceſſiſſe, in cuius nomine prior ſcriptura conſcripta dinoſcitur, tam ille qui fecit quàm ille qui conſcius extitit, ad ſatisfactionem promiſſionis vel pœnæ quam poſterior ſcriptura continet, ſecundum ſuperiorem ordinem æqualiter teneantur: atque etiam iuxta tenorem ſuperioris legis, de his qui falſas ſcripturas confecerint, in corporibus & in rebus damna pariter ſortiantur.

VI. TITVL.

DE FALSARIIS METALLORVM.

I. ANTIQVA.

De torquendis ſeruis in capite dominorum pro corruptione monetæ, & eorum mercede qui viſi extiterint reuelaſſe.

SERVOS torqueri pro falſa moneta in capite domini dominæve non vetamus, vt eorum tormentis veritas facilius poſſit inueniri. Ita vt ſi ſeruus alienus hoc prodiderit, & quod prodiderit verum extiterit, ſi dominus eius voluerit, manumittatur, & domino eius à fiſco precium detur. Si autem noluerit, eidem ſeruo à fiſco tres auri vnciæ dentur. Si vero ingenuus fuerit, ſex vncias auri pro reuelata veritate merebitur.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui ſolidos aut monetam adulterauerint.

QVi ſolidos adulterauerit, circumciderit ſiue raſerit, vbi primum hoc iudex agnouerit, ſtatim eum comprehendat: & ſi ſeruus fuerit, eidem dextam manum abſcindat. Qui ſi poſtea in talibus cauſis fuerit inuentus, regis præſentiæ deſtinetur, vt eius arbitrio ſuper eum ſententia depromatur. Quod ſi hoc iudex facere diſtulerit, ipſe de rerum ſuarum bonis quartam partem amittat, quæ omnimodis fiſco proficiat. Quod ſi ingenuus ſit qui hæc faciat, bona eius ex medietate fiſcus acquirat: humilior vero ſtatū ingenuitatis ſuæ perdat, cui rex iuſſerit, ſeruitio deputandus. Qui autem falſam monetam ſculpſerit ſiue formauerit, quæcunque perſona ſit, ſimili ſententiæ & pœnæ ſubiacebit.

III. ANTIQVA.

De his qui acceptum aurum alterius metalli permixtione corruperint.

QVi aurum ad facienda ornamenta ſuſceperit & adulterauerit, ſiue æris aut argenti

vel cuiuscunque vilioris metalli permixtione corruperit, pro fure teneatur.

VI. FLS. GLS. RCDS REX.

Si quorumcunque metallorum fabri de rebus creditis repperiantur aliquid subtraxisse.

AVrifices, argentarii, vel quicunque artifices, si de rebus sibi commissis aut traditis aliquid subtraxerint, pro fure teneantur.

V. ANTIQVA.

Vt solidum integri ponderis nemo recuset.

SOlidum aureum integri ponderis, cuiuscunq; monetæ sit si adulterinus non fuerit nullus ausus sit recusare, nec pro eius commutatione aliquid monetæ requirere, propter hoc quod minus forte pensauerit. Qui contra hoc fecerit, & solidum aureum sine vlla fraude pẽsantem accipere noluerit, aut petierit pro eius commutatione mercedem, districtus à iudice ei cui solidum recusauerit tres solidos cogatur exsoluere. Ita quoque & de tremisse seruandum.

DE ILLATIS VIOLENTIIS ET DAMPNIS, LIBER OCTAVVS.

I. TITVLVS.

DE INVASIONIBVS ET DIREPTIONIBVS.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt solus patronus vel dominus culpabiles habeantur, si eisdem iubentibus ingenuus vel seruus inlicita operentur.

HOc principaliter generali sanctione censetur, vt omnis ingenuus, atq; etiam libertus aut seruus, si quodcunque inlicitum iubente patrono vel domino suo fecisse cognoscitur, ad omnem satisfactionem & compositionem patronus vel dominus obnoxii teneantur. Nam qui eius iussionibus obedientiam detulerunt, culpabiles haberi non poterunt, quia non suo excessu sed maioris imperio id commisisse probantur.

II. ANTIQVA.

Si possessor per violentiam expellatur.

QVicunque violenter expulerit possidentem priusquam pro ipso iudicis sententia procedat, si causam meliorẽ habuerit, ipsam causam de qua agitur perdat. Ille verò qui violentiam pertulit, vniuersa in statu quo fuerant recipiat quæ possedit, & securus teneat. Si verò illud inuasit quod per iudicium optinere nõ potuit, & causam amittat, & aliud tantum quantum inuasit reddat expulso.

III. ANTIQVA.

Si ad faciendam cædem turba coadunetur.

QVi ad faciendam cædem turbas congregauerit, aut qui seditionem alteri vnde cōtumeliam corporis sentiat, fecerit vel faciendam incitauerit aut præceperit; mox vt iudex crimen agnouerit, eum comprehendere non moretur. Ita vt captus huius sceleris infamia notatus, extensus publice coram iudice sexaginta flagella suscipiat; & oēs qui cū eo venerint, vel qui id fecerint, nominare cogatur. Vt si in eius patrocinio non sunt, vnusquisque ingenuorum quinquagena flagella suscipiant: serui autem huius criminis socii, si alterius domini sunt, singuli in conuentu publico, ad aliorum terrorem extensi, coram iudice ducentos ictus accipiant flagellorum.

IV. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si intra domum vel ianuam suam violenter aliquis includatur.

QVicunque dominum vel dominam intra domum vel cortis suæ ianuam violenter incluserit, eisque aditum egressionis negauerit, siue vt id fieret aliis præceperit, pro ausi temeritate auctor sceleris det domino vel dominæ auri solidos numero xxx. & insuper centum flagella suscipiat. Hi vero qui malis voluntatibus eius consenserint, auxiliūve vt hoc fieret, præstiterint, si in eius patrocinio nō sunt, singuli ingenuorū quindenos solidos illis quibus violentiā intulerunt cogantur inferre, & pro admissi præsumptione centena flagella suscipiant. Serui autem si id domino vel domina non iubente commiserint, ducentos ictus accipiant flagellorum. Si verò ita dominus vel domina à violento vel præsumptore extra suam domum vel ianuam excludatur, vt continuò, quod est grauius, potestas eius ab ea domo vel familia cæterisq; rebus auferatur, commissor sceleris damnum inuasionis incurrat, atque etiam centum ictus accipiat flagellorum. Ingenui autem huius criminis socii si in eius patrocinio nō sunt, c. flagella suscipiant, & singuli xxx. solidos cogantur exsoluere, illis proculdubio profuturos, quibus hanc iniuriam intulisse noscuntur. Quod si hoc serui ignorantibus dominis sua sponte commiserint, serui pœnam sustineant superius comprehensam, domini verò nihil iniuriæ vel detrimenti perferant. Idipsum etiam patiantur, qui domum alienam sua auctoritate, sine regis vel iudicis iussione, apprehendere, discribere aut obsignare præsumpserint.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt nulla res ab alio possessa absque iudicio vsurpetur.

NVllus comes, vicarius, villicus, præpositus, actor aut procurator, seu quilibet ingenuus atque etiam libertus aut seruus, rem quæ ab alio possidetur, post nomen regiæ potestatis vel dominorum suorum ausu vsurpare præsumat ante iudicium. Quod [...]i non expectata discussione id quod ab alio possidetur aut iuris alterius esse dignoscitur inuaserit, omne quod abstulit & præsumptuosus inuasit tam in mancipiis quam in [c]æteris rebus in duplum ei restituat, de cuius iure visus est abstulisse, ac singulorum an[n]orum fruges quas inde fideliter collegisse iurauerit petitori compellatur exsoluere. [...]t tamen si seruus absque domini voluntate hoc fecerit, cc. insuper extensus flagella suscipiat. Ita vt si dominus pro rei duplatione noluerit satisfacere, rem quæ ablata est in [...]o statu cum frugibus restituat, & eundem seruum pro facti temeritate insistente iudi[c]e ei cuius res inuasit vel abstulit seruiturum tradere non desistat. Omnimodis tamen [...]t sollicitè perquirendum, ne qualibet suasione vel fraudis alicuius commento idem [se]ruus cum illius domini voluntate hoc fecerit, cuius rem ablatam esse constiterit: & si [...]a repper[t]um fuerit, iuxta legem aliam dominus qui suasit vel malum fieri fraudulen[te]r permisit, quantum seruus tulerat, septuplum dominus rei domino serui persoluat; & [se]ruum suum dominus eius securus possideat.

VI. ANTIQVA.

Si ad diripiendum quisque aliōs inuitasse repperiatur.

SI quis ad diripiendum alios inuitauerit, vt cuiuscunque rem euertant, aut pecora vel animalia quæcunque diripiant, illi cuius res direpta est in vndecuplum

quæ ſublata ſunt reſtituantur. Hi vero qui cum ipſo fuerint, ſi ingenui ſunt, quinos ſolidos componere compellantur. Aut ſi non habuerint vnde componant, l. flagella ſuſcipiant. Si vero ſerui hoc ſine domini voluntate commiſerint, cl. flagellis verberentur, & ab eis res omnis in ſtatu ſuo reddatur.

VII. ANTIQVA.

Ne abſente domino vel in expeditione publica conſtituti cuiuſquam domus inquietetur.

NVllus domum inquietet abſentis, nec in expeditione publica conſtituti: & ſi quod per iudicium recipere potuiſſet, abſente eo quem fuerat conuenturus, inuaſerit reddat in duplum. Si verò inuaſerit quod per nullum iudicium ei debebatur, reddat in triplum. Si quis autem antequam in expeditionem proficiſcatur, ad negotium dicendum iudicis fuerit ammonitione conuentus, aut per ſe cauſam dicere non moretur, aut per mandati ſcripturam perſonam eligat, quæ aduerſario ſuo iudice præſente reſpondeat. Quod ſi nec mandatum dederit, nec reſpondere voluerit, & ſic in expeditionem profectus cauſam non dixerit, poſtquam fuerit conuentus à iudice, iudex aduerſario ſuo quæ repetebat iubeat reformari. Illi tamen dum reuerſus fuerit, actio reſeruetur.

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si aliquid inlicitum faciant ſerui eius qui in expeditione eſt publica conſtitutus.

SI illius ſerui, qui in publica expeditione eſt conſtitutus, in aliquo crimine aut inlicito facto præuenti extiterint vel detecti, à iudice corripiantur, & ſecundum legem iuxta qualitatem culpæ dampnentur. Quòd ſi res ad componendum & ad eoſdem ſeruos tradendos fuerit, in cuſtodia teneantur à iudice, donec dominus veniens, aut compoſitionem, ſi voluerit, adimpleat: aut ſi noluerit, eos euidentius tradat. Si verò ſeruus iniuſte occiſus fuerit, aut ſubditus quæſtioni, contra iudicem dominus ſerui, cùm reuerſus fuerit, cauſam dicere non vetetur.

VIIII. ANTIQVA.

De his qui in expeditionem euntes aliquid auferre & deprædari præſumunt.

QVi in expeditionem vadunt, quæ abſtulerint quadrupli ſatisfactione reſtituant. Quòd ſi non habuerint vnde componant, rem ſumptam reddant, & cl. flagella ſuſcipiant. Quòd ſi non iubentibus dominis ſerui hoc fecerint, rem ablatam in ſtatu reforment & cc. flagella extenſi ſuſtineant. Cuius rei exactionem, prouinciarum comites vel iudices aut villici ſtudio ſuo non morentur impendere: quia prouincias noſtras, nolumus hoſtili prædatione vaſtari.

X. ANTIQVA.

Vt ſocios nominet apud quem pars rapinæ inuenta agnoſcitur.

APud quem ſcelus aut pars rapinæ fuerit inuenta, ſtatim ſocios ſuos cogatur nominare. Quòd ſi nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quòd ſi honeſtioris loci perſona eſt, aut pro ſcelere rationem reddat, aut quæ ablata vel euerſa fuerint, vndecupli compoſitione reſtituat, & c. publicè flagella ſuſcipiat. Si certè apud ſeruum rapinæ pars reperitur, cc. flagella publicè extenſus ſuſcipiat, & ſocios ſuos nominare non differat.

XI. ANTIQVA.

De his qui diripienda indicare repperiuntur.

QVicunque ingenuus vel ſeruus aliqua diripienda indicauerit, vt cuiuſcunque res euertatur aut pecora vel iumenta diripiantur, & ex hoc certis probationibus publice conuictus inuenitur, pro eo quod indicauerit, centum flagella publice extenſus accipiat.

XII. ANTIQVA.

De his qui iteranti vel in opere ruſtico conſtituto aliquid abſtulerint vel moleſtiam inferre præſumpſerint.

QVi in itinere vel in opere ruſtico conſtituto, aliquid violenter intulerit vel abſtulerit, vbi ex hoc à iudice fuerit interpellatum, ille qui abſtulerit quadruplum reſtituat. Quod ſi aliud aliquid cædis vel dampni fecerit, legaliter ſatisfaciat. Quod ſi hoc ſerui

seruus domino nesciente commiserit, & centum flagella suscipiat, & dominus pro seruo compositionem exsoluat. Nam si dominus componere noluerit seruum tradere non moretur.

XIII. ANTIQVA.

Si ille qui diripit, in ipsa direptione morte necetur.

QVi aliena diripit, si in ipsa direptione percussus aut occisus fuerit, ille qui percussit nullam calumpniam patiatur.

II. TITVLVS.

DE INCENDIIS ET INCENSORIBVS.

I.

De his qui siue in ciuitate siue extra ciuitatem domibus immiserint ignem.

QVi alienæ domui in ciuitate ignem subposuerit, correptus à iudice ignibus deputetur, & de bonis eius domino domus, si tamen aliquid dampni pertulerit, componatur, ac precium domus reddatur incensæ. Sed ille cuius domus incensa est, coram testibus, quantos statuerit sententia iudicantis, præbeat sacramentum, se fideliter quod in domo sua habuit profiteri, nec plus quàm illic conditum fuerat postulare, nec domus suæ precium amplius taxare quã valuit. Et si post datum sacramentum aliquid fefellisse conuincitur, in duplum quæ sunt supra modum debitę compositionis exacta illi cogatur inferre qui compositionem exsoluerat. Quod si in domum, sicut superius diximus, ignis immissus ad proximas domos forte, transierit, iuxta modũ dampni inter eos etiam, qui domos vel res suas incendio perdiderunt, eius substantia diuidatur: si tamen post compositionem illius in cuius domũ ignẽ misit, impletam aliquid de facultatib. eius cognoscitur residuum esse, ita vt simili modo coram testibus sacramento defendant se non amplius repetere, quàm incẽdio perdiderunt. Et si post datum sacramentum periurasse noscuntur, hæc quæ amplius exegerint, in duplum ei quem fraudulenta ambitione dampnare voluerant, cogantur exsoluere. Qui vero extra ciuitatem in domum mittit incendium, omnia quæ sunt in domo incensa restituat, & precium domino domus reddere non moretur. Sed is cuius domus incensa est corã testib. iurisiurandi interpositione cõfirmet, se non amplius postulare quàm perdiderat: & si post datum sacramentum amplius quàm perdiderat exegisse dinoscitur, in duplum ei qui damnum sustinuit coactus exsoluat. Quod si etiam vicinæ domus ex eo quod immissum est incendium forte cõsumptæ sunt, si de bonis eius superfuerit vnde eis etiam componatur, hi quoque amissa recipiant. Prius tamen cum sacramento coram testibus proficeantur, se non amplius quam perdiderant postulare: & si periurasse noscantur aut amplius exegisse, in duplum ei quem tali fraude dampnauerint male exacta restituant. Ita vt pro correptione qui domum incenderat c. flagella suscipiat: & quicunque tale dampnum admittens nõ habuerit vnde componat, seruituti subiaceat. Si certe cuiuscunque seruus siue in ciuitatem seu extra ciuitatem incendium intulisse cognoscitur, dominus, si seruum tam nocentis admissi voluerit liberare à supplicio, pro eius crimine non moretur componere. Ita vt ipse seruus publice cc. ictus accipiat flagellorum: sed ille, cuius domus incensa est, iurare cogatur se amplius non repetere quam in eius domo flamma consumpsit. Et si componere dominus pro seruo noluerit, tradatur seruus ad pœnam, vt supplicio capitali admissa persoluat.

II. ANTIQVA.

Si ignis immittatur in siluam.

SI quis qualẽcunque siluam incenderit alienam, siue piceas arbores vel caricas, hoc est ficus, aut cuiuslibet generis arbores cremauerit, correptus à iudice centum flagella suscipiat & pro damno satisfaciat, sicut ab his qui inspexerint fuerit æstimatum. Quod si seruus hoc domino nesciente commiserit, CL. flagellorum verberibus addicetur. Et si pro eo dominus componere noluerit, cùm duplum aut triplum dampni fecerit, quam quod eundem seruum valere constiterit, ipsum seruum pro facto tradere non moretur.

III. ANTIQVA.

Si dum iter agitur, ignis longius dilabatur.

QVi in itinere constitutus cuiuscunque forsitan campo applicauerit, & ad coquendum cibum aut frigoris necessitate compulsus ignem fecerit, cautus sit ne ignis longius dilabatur. Aut si in spinis siue in pabulis siccis, in quibus plerunque flamma nutritur, incendium conualescat, ignem cùm crescit extinguat. Quòd si se longiùs flamma extenderit, & messis aut area vel vinea aut domus siue pomarium incendio concremetur, tantum quantum flamma cōsumpsit reddere vel componere compellatur: quia ignem, quem fecerat, neglexit extinguere.

IIII. TITVLVS.

DE DAMNIS ARBORVM, HORTORVM VEL frugum quarumcunque.

I. ANTIQVA.

De compositione arborum incisarum.

SI quis inscio domino alienam arborem inciderit: si pomifera est, det solidos iij. si oliua, det solidos v. si glandifera maior est, det solidos ij. si minor est, det solidū vnum. Si vero alterius sunt generis & maiores atque prolixiores, binos solidos reddat, quia licet non habeant fructum, ad multa tamen commoda vtilitatis præparant vsum. Et hæc quidem compositio erit si tantundem abscisæ fuerint. nam si præsumptiuè incisæ alicubi ferātur: aut similes arbores cum illis incisis dabuntur, aut prædictum precium duplo soluetur.

II. ANTIQVA.

Si hortum quis vastauerit alienum.

SI quis alienum hortum vastauerit, statim iuxta damni æstimationē à iudice coactus domino horti cogatur exsoluere. Ita vt si seru⁹ hoc fecerit super compositionē ipsius damni, l. flagella extensus accipiat.

III. ANTIQVA.

Si de incisæ arboris ruina debilitatio vel homicidium perpetretur.

SI quis arborem inciderit vel aliquid dampni fecerit, aut si dum cadat arbor aliquem occiderit, dāpnum qui incidit persoluat. Quod si in circuitu arboris homines fuerint, priusquam cadat arbor ammoneat. Et si de ramis arboris corruentis, postea quam commonuerit aliquis debilitatus aut mortuus fuerit, nullam ille qui arborem incidit, calumniam pertimescat. Certè si aut debilem, aut dormientem, aut senem, aut qui sibi cauere non potuit, aut pecudem fortasse ruina huius arboris debilitauerit vel occiderit, pro quadrupede vno, domino alium eiusdem meriti mox reformet, & pro occiso homine tanquam homicida teneatur. Pro debilitato vero iuxta formam legum satisfacere compellatur. Et si aliquis alienam arborem inciderit per violentiam, com-

componere non moretur. Quod si dominus arboris incisorem fuerit contestatus, & postea incisor fuerit dum incidit occisus, mors eius nullatenus requiratur.

IIII. ANTIQVA.

Si arbor ex parte incisa siue combusta damna concutiat.

SI arbor ex parte incisa sit aut ex aliqua parte igne combusta, & illo qui inciderat vel incendere cœperat absente arbor ceciderit, nulla ei pro damno, quod per ruinam arboris factum est, calumnia moueatur.

V. ANTIQVA. NOVITERQVE EMENDATA.

De vinea incisa vel euulsa siue concremata, atque de frugibus vsurpatis.

QVi vineam inciderit, eradicauerit, vel incenderit alienam, aut in desertum produxit, duas æqualis meriti vineas, domino eius vineæ reformare cogatur, & præterea dominus vineæ illius desertæ hanc ad† vsum suum reuocare non dubitet. Si vero per †*ius.* violentiam fruges collegerit, & frugem in duplo restituat, & quidquid euertit, redintegrare procuret, ita tamen, vt cum sacramento colligentium per tempus vindemiarum duplum ipsius frugis compositionem restituat. Serui vero sine dominorum iussu talia facientes per singulas vites decena flagella extensi accipiant, & fruges domino restituant: aut si dominus componere noluerit, per sex vites solidum reddant. Quod si maius damnum creuerit, & dominus componere noluerit, seruum tradere festinabit.

VI ANTIQVA.

Si sepes incidatur vel incendatur.

SI quis per aliquod spatium sepes incenderit vel inciderit alienas, si maioris loci persona est, sepes reparet, & pro damno satisfaciat. Si quid tamen damni domino de fructibus accidisse cognoscitur, & damnum soluat sicut inspectio habuerit æstimantium, & præterea decem solidos reddat. Sed & de eodem campo qui fructus habet vel habuit, & de prato siue de concluso v. solidos compellatur exsoluere. De eo vero campo, in quo nulli fructus sepibus claudebantur, sepem tantummodo reformare cogatur. Si vero hoc persona inferior fecerit, soluat damnum de æstimatis fructibus, ac sepem reparet, & l. flagella publice suscipiat. Quod si seruus hoc domino nesciente fecerit, & damnum soluat & sepem reparet, & c. flagella suscipiat. Quod si de casu factum fuerit, sepem tantummodo reformet quæ collisa est. Quia crimen videri non potest, quod non est ex voluntate commissum.

VII. ANTIQVA.

Si pali de sepibus incidantur.

QVi de sepibus palos inciderit vel incenderit alienis, cum campus ille fructus vllos eo tempore non habuerit, in quadruplum reformare cogatur. Si autem fructus aliqui de his sepibus claudebantur, per singulos palos singulos tremisses compellatur exsoluere: ita vt ex fructibus si aliquid perierit, ex integro reformetur. Eadem & de hortis sepe conclusis præcipimus custodiri.

VIII. ANTIQVA.

Si in aliena silua quis cum vehiculo capiatur.

SI quis aliquem comprehenderit, dum de silua sua cum vehiculo vadit, & circulos ad cupas aut quæcunque ligna sine domini iussione aut permissione asportare præsumpserit, & boues & vehiculum alienæ siluæ præsumptor amittat, & quæ dominus siluæ cum fure aut violento comprehenderit, indubitanter optineat.

VIIII. ANTIQVA.

Si loca fructifera vel pascuosa nimia angustia coartentur.

SI quis cum frugibus vineam, pratum vel pascua habere cognoscitur, & fossas per circuitum pro solo terrore constituat, vt non nisi per vineam aut messem transitus esse possit, dampnum, quod viator intulerit, ad viatoris culpam redundare non conuenit. Campos autem vacantes si quis fossis cinxerit, iter agentes non hæc signa deterreant, nec aliquis eos de his pascuis præsumat expellere.

X. ANTIQVA.

De animalibus voluntarie in messem vel vineam missis.

QVi iumenta vel boues aut quæcunque pecora voluntarie in vineam vel messem immiserit alienam, dampnum quod fuerit æstimatum cogatur exsoluere: & si maior

persona est, pro caballis aut bubus per singula capita singulos solidos reddat: per minora vero capita singulos tremisses ei cui dampnum factum est compellatur exsoluere. Certe si inferior est forte persona, & dampnum ex integro reddat, & compositionem ex medietate restituat, atq; quadraginta flagella publice extensus accipiat: Si vero seruus hoc sine iussu domini fecerit, omne dampnũ aut ipse aut eius dominus reddat, & ipse seruus sexaginta flagella suscipiat.

VI. ANTIQVA.

Si cuiuslibet animalia in frugibus dampna concutiant.

SI cuiuslibet qualiacunque animalia vineam vel messem euerterint alienã, ille cuius animalia dampnum intulerint, tantum vineæ vel agri cum frugibus eius meriti domino de suo restituere non moretur, quantum exterminatum esse cognoscitur. Ita vt collectis frugibus ille recipiat, qui dedisse videtur. Quod si non habuerit agrum aut vineam vnde componat, tantum de frugibus reddat, quantum in æquali parte agri vel vineæ fuerit æstimatum.

XII. ANTIQVA.

Si pratum defensum à pecoribus naufragetur.

QVi in pratum eo tempore quo defenditur, pecora miserit, vt postmodum ad secandum non possit herba succrescere: si seruus est, qui hoc fecerit, xl. ictus flagellorum accipiat, & fœnum reddatur domino eius quantum fuerit æstimatum. Si liber & inferioris loci persona est, pro duobus capitibus tremissem vnum reddat, fœnum nihilominus iuxta æstimationem ei qui dampnõ pertulit redditurus. Si vero maior persona est, pro duobus capitibus solidum vnum reddat, & fœnum habita æstimatione restituat.

XIII. ANTIQVA.

Si fructifera loca ab animalibus fuerint dissipata.

SI quis caballũ aut pecus alienũ, in vinea, messe, prato, vel horto inuenerit, nõ expellat iratus, ne dum de dampno expellit euertat: sed ad domum suam inclusurus adducat, & dominum caballorum vel pecorum faciat certiorem, vt præsentibus his aut vicinis eorum dampnum quod illatum fuerit æstimetur, & ad campum vtrque partes cõueniant, vt postquam dampnum inspexerint, pars campi vel vineæ siue prati vel messis quæ defracta fuerat mensuretur, & donec fructus colligantur, expectetur vt tantumdem de impasto loco ei, cui dampnum intulerit, facta spatii exæquatione tradatur præsentibus testibus: & de eo loco qui euersus est, & de eo qui est integer, fructus colligantur: & quidquid minus in his locis quæ à pecoribus euersa fuerint reppetitur, ille cuius pecora fuerint, reformare cogatur. Pecora verò, postquam ipsorum locorum spatia mensurauerint, sicut est in legibus constitutum, domino reformentur. Et si pecora, dũ per iracundiã immoderationis expellit, euerterit, domino pecorũ dampnum simpla tantummodo satisfactione restituat, & sibi quæ debilitauit aut occidit vsurpet, si tamen vt quæ euertit ante persoluat. Quod si pecora per casum non culpa dum expelluntur debilitentur, aut pereant, aut in sudes siue in palos dum expelluntur inciderint, dampnum soluatur ex medio. & quæ superioribus legibus sunt statuta permaneant.

XIIII. ANTIQVA.

Si expellenti de frugibus pecora quisquam excutiat, vel de clusura furto aut violentia tollat.

SI quis expellenti de frugibus pecora excusserit: si honestior est forte persona, det solidos v. & duplum dampnum quod fuerit æstimatum cogatur exsoluere Si certe humilioris loci persona fuerit, & non habuerit vnde componat l. flagella suscipiat, & duplum dampnum exsoluere compellatur. Si vero seruus hoc fecerit, ante iudicem centum ictus accipiat flagellorum, & domino eius nulla calumpnia moueatur. Quod si de domo eius aut † clusa inuolauerit, aut per violentiam tulerit, octo solidos qui iniuriam pertulit consequatur, & præterea duplum dampnum ille qui abstulit reddere compellatur. Si vero seruus hoc fecerit, c. flagella suscipiat, & dominus eius nil dampni sustineat.

† *clusura.*

XV. ANTIQVA.

De animalibus in vinea, messe vel prato præuentis.

SI quis in vinea sua, messe, prato vel horto iumenta, vel pecora inuenerit aut prendide-

diderit, statim domino pecudum ipsa aut altera die nunciaturus includat. Quod si dominus pecorum mittere vel venire noluerit, dampnum a vicinis quod factum est æstimetur, & ad satisfactionem ille cuius pecora fuerint iudicis exsequutione venire cogatur, & dampnum exsoluat. Si tamen probauerit aut certe iurauerit ille qui prendidit dampnum ipsum ab ipsis animalibus factum fuisse, ille vero cuius pecora sunt si ad æstimationem dampni aut pecora recipienda non venerit, adaquentur tantummodo ac triduo teneantur inclusa. Et pro retentis triduo pecoribus nullam calumpniam inferre poterit, qui ad æstimationem venire neglexit. Post triduum autem animalia dimittantur, & dimissis animalibus si dominus eorum venire contempserit, pro contemptu ipso, quia inspicere noluit, iuxta æstimationem testium in duplum cogatur exsoluere. Quod si ille cuius pecora sunt ad eum cui dampnum factum est venerit, rogans eum vt ad æstimationem dampni accedat vt pecora relaxentur, & ille non adquiescat volens pecora interficere: si hoc ita fecisse conuincitur, per singula capita maiora singulos solidos reddat, per minora singulos tremisses. Similiter hæc lex continet & de illis qui ante triduum pecora clausa non publicauerint. Si autem seruus hoc fecerit sine domini voluntate, c. flagella suscipiat, & dominus eius nihil dampni sustineat.

XVI.

Si priusquam expellantur animalia de frugibus exierint.

SI iumenta vel pecora de frugibus priusquam expellantur exierint, ea non licet comprehendi, quia vtrum ipsa dampnum fecerint nescitur. Nam si ea ipse cuius sunt aut quicunque vicinus expulerit, dominus iumentorum vel pecorum æstimationem dampni implere cogatur.

XVII. ANTIQVA.

Si in frugibus suis animalia præuenta quacunque aliquis detruncatione turpauerit.

SI labia pecoribus aut cæteris animalibus vel aures quæ in frugibus suis comprehenderit, inciderit; illa quæ deformauit optineat, & domino pecorum alia sana & similia restituere non moretur.

IIII. TITVLVS.

DE DAMPNIS ANIMALIVM VEL DIVERsarum rerum.

I. ANTIQVA.

Si caballus vel animal alienum, aut de ligamine tollatur, aut extra voluntatem domini in alieno fatigetur.

SI quis caballum alienum vel aliud animal de pedica siue de ligamine tulerit sine conscientia domini sui, vnum solidum ei det: & si per hanc occasionem perierit, eiusdem meriti caballum vel animal restituat. Quod si cum aliquo ambulare coegerit vel laborare fecerit domino nesciente, alium æqualis meriti cum eo dare cogatur, si tamen ipsa aut altera die eum dominus suus inuenerit. Quod si tertia die animal inuentum non fuerit, ille qui animal alienū præsumpserit pro fure teneatur.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si præstitum animal contra defensionem & voluntatem domini fatigetur.

QVicunque citra voluntatem eius qui pręstitit animal supra definitionem cursu, oneribus vel itinere fatigauerit, per decem millia det solidum vnum. Quod si minus quàm decem millia fuerint, æstimato itinere pro labore æstimetur & compositio dampni. Nam si debilitatus & mortuus fuerit, debilem sibi habeat & similem reddat. Pro mortuo vero viuum talem sine excusatione restituat.

III. ANTIQVA.

Si caballi aut cuiuscunque animalis coma vel cauda turpetur.

SI quis alieni caballi comam turpauerit aut caudam curtauerit, eiusdem meriti alium cum eo sine dilatione domino restituat. Si vero alterum qualecunque animal curtauerit, per singula capita singulos trientes reddere compellatur.

IV. ANTIQVA.

Si alienum animal testiculis desecetur.

QVi alienum animal, aut quemcunque quadrupedem, qui ad stadium fortasse seruatur, inuito domino vel nesciente castrauerit: vel bouem vel quæ non secantur castrauerit, domino in duplum cogatur exsoluere: quia propter inuidiam hoc videtur intulisse dispendium.

V. ANTIQVA.

Si cuiuscunque animalis partus excutiatur.

SI quis quocunque pacto partum equæ prægnantis excusserit, pulletrum anniculum cuius fuerit mox reformet.

VI. ANTIQVA.

Si cuiuscunque animalis partus excutiatur.

SI quis vaccam prægnantem auortare fecerit alienam, talem aliam cum vitulo domino reformare cogatur; & illam cui patrum excusserit, ipse accipiat: hæc de aliis quadrupedibus forma seruetur.

VII. ANTIQVA.

Si qualiacunque animalia ab inuicem euertantur.

SI cuiuslibet iumenta vel armenta aut alia pecora se inuicem forte colliserint vel occiderint, dominus iumenti vel aliorum animalium eiusdem meriti domino reddat & illud

& illud debilitatum siue occisum sibi optineat.

VIII. ANTIQVA.

Si dampno vel iniuria impellente aut sine dampno alienum animal occidatur.

SI quis alienum animal occidisse aut vulnerasse conuincitur non dampno qualicunque compulsus, alium eiusdem meriti reformare cogitur. Et si seruus est L. flagella suscipiat. Ingenuus vero quinque solidos det. Nam si eundem dampni commouit iniuria vt eũ occideret aut debilitaret, precium pecudis aut animalis reddatur occisi vel debilitati & nihil patiatur iniuriæ.

IX. ANTIQVA.

Si bos alienus sine domini voluntate operibus subiugetur.

SI quis bouem alienum iunxerit sine conscientia domini sui ad aliquid carricandum siue pro voluntate sua retinendum, eiusdem meriti cum eo alium domino reddat.

X. ANTIQVA.

Si qualiacunque animalia aliena trituris areæ fatigentur.

SIquis caballum aut aliud quodcunque animal alienum in aream miserit, per singula capita singulos solidos reddat: & si per hanc occasionem animal mortuum fuerit, & solidum reddat, & eiusdem meriti animal domino cogatur exsoluere.

XI. ANTIQVA.

Si pecus absque dampno in clusuram mittatur.

QVi absque aliquo dampno inclusum pecus detinuerit alienum, si seruus hoc nesciente domino fecerit, tantummodo quadraginta ictus accipiat flagellorum. Si ingenuus fuerit per duo capita tremissem vnum, ei cuius pecus inclusum est cogatur exsoluere. Quod si ex ipsis pecoribus aliquid debilitatum aut mortuum fuerit, iuxta superiorem legem compositio fiat.

XII. ANTIQVA.

Si animal cuicunque faciat quodcunque dampnosum.

SI cuiuscunque quadrupes aliquid fecerit fortasse dampnosum, in domini potestate consistat. vtrum quadrupedẽ noxium tradat, an ei qui dampnum pertulit & aliquid excepit aduersi iuxta iudicis æstimationem componat.

XIII. ANTIQVA.

Si quodcunque animal quacunque percussione debilitetur aut occidatur.

SI quis alienum iumentum percusserit, ita vt debile efficiatur, aut de ipsa fortasse percussione mortuum fuerit, ille qui percussit, alium eiusdem meriti domino reformare cogatur, & illud debile suæ vendicet potestati. Quod si iumentum non habuerit, pretium iuxta æstimationem domino iumenti restituat. Et similis ordo tam de caballo quã de boue & reliquis animalibus ab omnibus obseruetur.

XIIII. ANTIQVA.

Si pecus alienum sciente aut ignorante domino gregi alterius misceatur.

SI cuiuslibet pecora cum alicuius se miscuerint, & hoc ipse perspexerit, & sic de ipsius grege abierint, vt nullam ex hoc conscientiam habeat: dominus pecorum sacramẽta ab eodem accipiat, quod non ipsius fraude vel culpa exinde abscesserint, & nec sibi ea præsumpsit nec alicui tradidit: & nihil cogatur exsoluere. Quod si ad domum suam adduxerit, & iudicem non monuerit vel in conuentu publice infra octauum diem non contestauerit, in duplum satisfaciat.

XV.

Si animal quodcunque pauidum inligetur per quod ruptum aut debilitetur aut moriatur.

SI quis caput mortui pecoris aut ossa vel aliquid vnde animal terreatur, ad caudam caballi crediderit alligandum, & per hoc currendo ruptus probetur aut mortuus, alium sanum caballum domino reformare non moretur, quia legum statuta transcendit. Quod si caballus nihil debilitatis incurrerit, quinquaginta ictus accipiat flagellorum. Si seruus hoc fecerit, C. verberibus addicatur.

XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si vitiosum animal, cùm apud dominum est, cuiuscunque hominem videatur ætatis occidisse.

SI quis bouem aut taurum vel quemcunque quadrupedem noxium habuerit aut vitiosum, eum, antequam noceat alicui, non moretur occidere. Quòd si de vitio quadrupedis ex vicinorum contestatione cognouerit, & postea eum reseruauerit aut pauerit vel distulerit occidere, ac postea alicui mortem aut debilitationem siue vulnus intulerit, iuxta hanc legem componere non moretur, sicut est de homicidiis: id est viris ac mulieribus, infantibus, seruis vel ancillis, compositio constituta. Ita vt si iugulauerit aliquem, ipse quadrupes in annis xx. ccc. solidi componantur: & ab hoc vsque ad eum qui annos l. habuerit, vnam compositionem iubemus stare. A quinquaginta autem an- 1
nis, vsq; ad illum qui habet sexaginta quinque, cc. solidi componantur. Qui verò super
†cxl. hoc habuerit, c. solidi componantur. Qui quindecim annos habuerit, cl. solidi cōponantur. Si in quatuordecim annis fuerit, †clx. solidi componantur. Si in tredecim, cxxx. solidi dentur. Si in xii. cxx. solidi componantur. Si in vndecim, cx. solidos det. Si in decem, c. Si vero nouem aut octo annorū fuerit vel septem, nonaginta solidi componantur. Si sex
†reddat. aut quinq; aut quatuor annorū fuerit, octaginta solidi componantur. Si certè trium aut duorum annorū, septuaginta solidos† det. Nam si vnius anni fuerit, sexaginta solidi cōponantur. Et si filiam alicuius aut vxorem iugulauerit, à decimo quinto anno vsque ad quadragesimum, ccl. solidi componantur: & à quadragesimo vsque ad sexagesimum, ducenti solidi componantur. Quòd si superior annorum numerus fuerit, c. solidi com- 2
ponantur. A quinto decimo vero anno aut inferius, sicut & de pueris est constitutum, medietatem compositionis eius, secundum ætatis vel sexus ordinem reddere compellatur. Pro libertis autem medietas huius compositionis, sicut superius est comprehensum, pro eo qui occisus est in satisfactione dabitur. Si autem seruum alicuius occiderit, duos eiusdem meriti seruos dominus eius qui occisus est in satisfactione recipiat.

XVII. ANTIQVA.

Si animal vitiosum quis à se abiiciat, vel non abiectum detineat.

SI quis bouem aut aliud animal nocuum vel vitiosum habuerit, eum occidere nō moretur vel à se proiicere: ita vt vicinis omnibus notum faciat, quia eum à se proiecit. Quod si eum non occiderit sed reseruauerit, quicquid dampni postea admiserit ille componat, qui eum apud se reseruasse cognoscitur.

XVIII. ANTIQVA.

Suæ habendum culpæ si irritatum animal noceat irritantem.

SI quis vitiosum bouem aut canem vel aliud animal contra se irritatum concitauerit, quicquid passus passus fuerit, culpæ eius qui hoc pertulerit, oportet adscribi.

XIX. ANTIQVA.

Si iustè aut iniustè concitatus canis quempiam debilitasse vel occidisse probetur.

SI aliquem canis momorderit alicuius & de morsu illius aliquis debilitatus probetur, aut mortuus, domino canis nil calumpniæ moueatur: si tamen eum canem vt morderet non irritasse cognoscitur. Quod si canem suum vt furem aut quemcunque criminosum comprehenderet irritauit, & ita momorderit fugientem, si de morsu illius fuerit debilitatus aut mortuus, nihil ex eo causationis exsistat. Nam si eum ad innocētem for-
†iniuriandum. sitan †irritatum incitauerit, tanquam si ipse vulnus intulerit, iuxta leges componere non moretur.

XX. ANTIQVA.

De cane dampnoso.

SI cuiuslibet canis dampnosus fuerit, & deuastet berbices, & alia pecora forte euertere cœperit, & deprehensus fuerit: ipse dominus canis, vbi ex hoc fuerit commonitus, eum illi tradat cui dampnum primitus constat fuisse inlatum, vt eum occidat. Quod si eum occidere noluerit vel illi tradere cui dampnum primitus fecit: quicquid postmodum canis dampni admiserit, dominus canis duplam compositionem reddere non moretur.

XXI.

XXI. FLS. RCDS. REX.

De læsione vestis.

SI quis qualibet occasione vestem absciderit vel ruperit alienam, atque sordibus maculauerit,& talis macula in veste patuerit,vt extra fœditatem minimè tolli possit; pro facti crimine obnoxius teneatur, ita vt similem vestem integram restituat. Quod si talem vestem nõ habuerit,huius vestis pretium, quantum integra illa quæ rupta vel scissa atque maculata est, valere potuit, tradere compellatur: vestem verò ruptam vel quæ maculata est ille accipiat, qui hãc compositionem exsoluerit. Si verò seruus hoc fecerit, & dominus pro eo componere noluerit,seruum pro qualitate criminis tradere non moretur.

XXII. ANTIQVA.

Si fraudulenter quis ambulans in laqueos feris præparatos incidat.

SI quis sudes in vinea posuerit, siue in campo propter feras, & ibi aliquis dum furtum facere tentat, inciderit, culpæ eius oportet adscribi, qui vulnus excepit,quod in rem alienam fraudulenter ingressus est.

XXIII. ANTIQVA.

Vt qui laqueos feris ponit,& loca discernat in quibus ponat,& vicinos ammoneat.

SI quis in terris suis foueas fecerit,vt feras in eisdem foueis comprehẽdat, aut laqueos vel arcus prætenderit, seu balistas in locis secretis vel desertis, vbi nulla via est, quæ consueuerit frequentari, nec vbi pecudum possit esse accessus: si alicuius animal, per hanc occasionem quæ ad feras paratur,extinguatur aut occidatur, pecus quod periit incautus venator exsoluat, quia quadrupes sibi ea cauere non potuit.Omnes vero proximos & vicinos venator ante commoneat: & si post commonitionem quisquam in hæc incautus irruerit,nihil ex hoc calumpniæ venatori oportet opponi: quia se ille periculo, qui commonitionem audire neglexit,obiecit.Si quis vero de locis longinquioribus veniens,qui nõ fuerat ante commonitus,ignorans inciderit, & fuerit debilitatus aut mortuus; hic qui feris insidias vel laqueos præparauit, tertiam partem compositionis exsoluat,quæ fuerat hactenus debilitatis hominibus vel occisis in legibus comprehensa. quia in itinere hominibus hoc periculum nescientibus apparare non debuit.

XXIIII. ANTIQVA.

De dampnis iter publicum concludentium.

SI iter publicum clausum aut constrictum fit, rumpenti sepem aut vallum nulla calumnia moueatur. Ille vero qui viam clauserat vel constrinxerat, quæ consueuerat frequentari,si seruus est à iudice perducatur ad sepem, & c. flagella suscipiat, & per districtionem iudicis priorem viam aperire cogatur, etiam si messis ibidem esse videatur. Si vero id fuerit à potentiore commissum,exigantur ei solidi xx. Reliquæ autem personæ talia committentes decenos solidos exsoluere compellantur, ita vt omnis huius rei compositio fici † viribus inferatur. *idribus.*

XXV. ANTIQVA.

De seruando spatio iuxta vias publicas.

VIam per quã ad ciuitatem aut ad prouincias nostras ire cõsueuimus nullus pręcepti nostri temerator existat vt eam excludat vel adstringat: sed vtrinque mediatas aripennis libera reseruetur, vt itinerantibus applicandi spatium non vetetur.Si quis autem huiusmodi legis præcepta transcenderit, si maior persona est det solidos quindecim: inferiores vero personæ octonos solidos soluant fisco profuturos. Qui certè iuxta huiusmodi viam messem aut vineam vel pratum siue conclusum habere cognoscitur, sepe vtrunque concludat. Quod si propter paupertatis angustiam campum sepibus non possit ambire,fossatum protendere non moretur.

XXVI. ANTIQVA.

Si de campis vacantibus iter agentium animalia expellantur.

SI aliquis de apertorum & vacantium camporum pascuis, licet eos quisq; fossis præcinxerit, caballos aut boues vel cætera animalia generis cuiuscunque iter agentium

ad domum suam inclusurus adduxerit, per duo capita tremissem cogatur exsoluere. Si vero vt non pascantur expulerit, per quatuor capita tremissem accipiat, qui excepit iniuriam. Quod si hæc & quæ superius dicta sunt, seruus nesciente domino commiserit, à comite ciuitatis vel à iudice c. flagellorum ictibus verberetur, & dominus serui nullum
* calūpniā. †dampnum aut detrimentum sustineat.

XXVII. ANTIQVA.

Ne iter agentibus pascua non conclusa vetentur.

ITer agentes in pascuis quæ conclusa non sunt deponere sarcinam, & iumenta vel boues pascere non vetentur: ita vt non in vno loco plusquam biduo nisi hoc ab eo cuius pascua sunt optinuerint, commorentur. Nec arbores maiores vel glandiferas, nisi præstiterit siluæ dominus, à radice succidant. Ramos autem ad pascendos boues non prohibeatur competenter incidere.

XXVIII. ANTIQVA.

Vt qui in transitu fluminis culturam facit, laborem sepe circundet.

QVi in eo loco vbi transitus fluminis est culturam fecerit vel præruptum ripæ, aut vbi pecora transeunt potuerit excludere, & fecerit fortasse culturas, sepem etiam facere non moretur. Quod si non fecerit, & aliquid dampni fuerit per hanc negligentiæ suæ inutilitatem perpessus, nihil compositionis ab aliquo accipiat: quia negligentiam illius ad dampnum alterius redundare non conuenit.

XXVIIII.

De discretione concludendorum fluminum.

FLumina maiora, id est per quæ mesoces aut alii pisces maritimi subriguntur, vel forsitan retia aut quæcunque commercia veniunt nauium, nullus ad integrum contra multorum commune commodū suæ tantummodo vtilitati consulturus excludat, sed vsque ad medium aluenm, vbi maximus ipsius fluminis concursus est, sepem ducere non vetetur, vt alia medietas diuersorum vsibus libera relinquatur. Si quis contra hoc fecerit, exclusa ipsius à comite ciuitatis aut iudice sine aliqua excusatione rumpatur: & si honestioris loci persona est, x. solidos det illis quos impedire conatus est. Si vero inferior persona fuerit, quinq; solidos det & l. flagella suscipiat. Quod si ab vtraq; parte huius fluminis duo manserint, non liceat integrum flumen excludere vt dicat vnusquisque eorum quod medietatem suæ partis excluserit: sed alter superius alter inferius clusuram facere ex medietate fluminis non prohibeatur. Si vero locus non fuerit nisi tantum modo in vno transitu, sic excludatur, vt & naues & retia per mediū discurrere possint. Quod si comes ciuitatis aut aliquis cuiuscunque clusuram contra hanc ordinationem nostram euertere præsumpserit, v. solidos domino clusuræ dare debeat. Certe si minor
†l. persona hoc fecerit, quinque solidos clusuræ domino cogatur exsoluere, & †v. flagella à iudice eius loci accipiat. Si seruus hoc fecerit, c. verberibus subiacebit.

XXX.

De confringentibus molina, & conclusiones aquarum.

†xx. SI quis molina violenter effregerit, quod fregit infra † xxx. dies reparare cogatur, & insuper triginta solidos cogatur exsoluere. Quod si infra statutum tempus non repa-
*xx. rauerit, alios * xxx. solidos implere cogatur, & centum insuper flagella suscipiat. Eadem & de stagnis, quæ sunt circa molina cōclusiones aquarum, præcepimus custodiri. Quod si seruus talia præsumpserit, & disrupta reparet, & centum verberibus subiacebit.

XXXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De furantibus aquas ex discursibus alienis.

MVltarum terrarum situs si aquis indiget pluuiis, foueri aquis studetur irriguis: cuius rei iam experimentum tenetur, vt si defecerit aquarum solitus vsus, desperetur confisus ex fruge prouentus. Proinde vbi maiores aquæ sunt, si qui furtiue aut malitiose aquam ex decursibus substraxerit alienis, per quatuor horarum spatium det solidum
†minores. vnū. Vbi autem †minorū sunt deriuationes aquarū, per quatuor horas exsoluat tremissem vnum. Aqua vero quantis horis alibi dilapsa conuincetur, tantis ad irrigandum

dum competenti tempore domino reformetur. Seruus si sua sponte ista præsumpserit, pro maioribus aquis c. flagella suscipiat, pro minoribus verò l. verberum cessionibus succumbat.

V. TITVLVS.

DE PASCENDIS ET ANIMALIBVS DEnuntiandis alienis.

I.

De porcis in glandem præsumptiuè aut placito missis.

QVi porcos in silua sua tempore glandis inuenerit, primum custodiæ aliquid velut pigneris tollat indicium, & domino pastoris vel parentibus mandet, vt si conuenerit vsque ad tempus decimarum porcos in silua sua permittat, & pignus quod pastori tulerit reformare procuret. Quod si noluerit porcos illius in silua sua intromittere decumandos, & ille eos alia vice in sua silua inuenerit, etiam si porci pauci fuerint, vnum exinde qui siluam suam defendit occidat. Si autem plures porci fuerint, duos tollat & præsumat occidere, & nullam calumpniam pertimescat. Et nihilominus tertia vice eum cuius porcos inuenit admoneat, vt porcos suos in siluam suam si voluerit introducat, & decimam iuxta consuetudinem soluat. Quòd si nec tùnc voluerit de dandis decimis definire, & ille eos tertia vice in silua sua qui introduxit inuenerit, decimam ex omnibus pro suo iure præsumat. Si vero aliquis sub pactione decimarum porcos in siluam suam intromittat alienam, & vsq; ad brumas porci in silua alterius pauerint, decimas sine vlla contradictione persoluat. Nam si post brumæ tempus porcos suos in silua quam conduxerat noluerit retinere, vicesimum caput sicut est consuetudo domino siluæ cogatur exsoluere.

II.

De porcis inter consortes ad glandem in communi fructu susceptis.

SI inter consortes de glandibus fuerit orta contentio, pro eo quod vnus ab alio plures porcos habeat: tunc qui minus habuerit, liceat ei secundum quod terram diuidet, porcos ad glandem portione sua suscipere, dummodo æqualis numerus ab vtraq; parte ponatur. Et postmodum decimas diuidant, sicut & terras diuiserunt.

III.

Si porci ad pastum in glande suscepti, ante datas decimas furto leuentur.

SI quis ad glandem sub placito decimarum porcos in siluam intromittat alienam, & eos occultè priusquam decimentur amouerit, pro fure teneatur, & decimam abiecta furti compositione restituat. Si verò seruus hoc domino nesciente commiserit, c. ictus accipiat flagellorum: & dominus nullum dampnum aut detrimentum sustineat, sed reddat decimas quas debet. Si autem hoc domino iubēte commissum est, ipse qui iussit furti compositionem cogatur exsoluere.

IIII.

De porcos errantibus in silua præuentis.

QVi porcos errantes in silua sua inuenerit, aut contestari vicinis debet, aut claudere. Et si dominus porcorum non affuerit, vnum porcum prima vice præsumat, & iudici qui fuerit in proximo nuntiet, apud se porcos qui vagabantur inclusos. Deinde si dominus porcorum vel pecorum non inueniatur, custodiat tanquam suos, & pro glandib. decimam consequatur: & cum dominus affuerit mercedem custodię, facta præsentibus iudicibus ratione, de temporis spatio percipiat.

V. ANTIQVA.

Si quorumcunque animalium grex in pascua intrauerit aliena.

SI in pascua grex alienus intrauerit, siue ouiũ siue vaccarũ, hoc quod de porcis constitutum est, præcipimus custodiri. Consortes verò vel hospites nulli calumniæ subiaceant: quia illis vsum herbarum quæ conclusæ non fuerant constat esse communem. Qui vero sortem suam totam fortè concluserit, & aliena pascua absente domino inuadit, sine pascuario non præsumat, nisi fortè dominus pascuæ voluerit.

VI.

Vt pro inuentis animalibus erroneis publicè denuntietur.

CAballos vel animalia errantia liceat occupare, ita vt qui inuenerit denuntiet aut episcopo, aut comiti, aut iudici, aut senioribus loci, aut etiam in conuentu publico vicinorum. Quòd si non denuntiauerit, furis dampnũ habebit. Similis & de aliis rebus ordo manebit.

VII.

Vt errantia animalia occupata qui inuenerit, diligenter habeat & conseruet.

QVi errantia animalia & sine custode inuenerit, ita diligenter occupet vt non euertat: sed sicut proprium diligat atque custodiat. Quòd si dominus qui perdidit caballum suum vel animal, non euersum sed dilectum & sanum inuenerit, per singula capita maiora quaternas siliquas, ille qui inuenerit accipiat, & quãtum in substantia ipsius caballi expendisse iurauerit à domino caballi recipiat. Cæterùm si euertit, duplum animal domino cogatur exsoluere.

VIII.

Ne animalia errantia occupata, aut tondantur, aut caractere notentur, aut in alienum ius deducantur.

CAballum captum errantem nullus tondere aut vendere præsumat. Caballis etiam aut bobus vel aliis quibuslibet pecoribus errantibus nulli liceat caracteres infigere. Quòd si quis inuentum animal vendere aut dare præsumpserit secundum leges sicut fur teneatur. qui verò totonderit, tres solidos compulsus exsoluat. Ita erit etiam ei qui caracterem infixerit.

VI. TITVLVS.

De apibus & earum dampnis.

I.

De inuentis apibus † *defendendis.* †*deuend.*

I quis apes in silua sua aut in rupibus vel in saxo aut in arboribus inuenerit, faciat tres decurias, quæ vocantur caracteres: vnde potius non per vnum caracterẽ fraus nascatur. Et si quis contra hoc fecerit, atque alienum signatum inuenerit & irruperit, duplum restituat illi cui fraus illata est, & præterea xx. flagella suscipiat.

II.

Si dampnum faciant apes.

SI quis apiaria in ciuitate, aut in villa forsitan construxerit, & alii dampnum intulerit; statim moneatur, vt eas in abditis locis transferre debeat, ne fortè in eodem loco hominibus aut animalibus dampnum inferant. Et qui hæc præcepta aut testationem neglexerit, & dampnum suffocationis in quadrupedes intulerint: quod mortuum fuerit, duplum restituat: quod vero debilitatum, ille obtineat: & simule dampno reddat, & pro judicis contestatione quam audire neglexit, v. sol. coactus exsoluat.

III.

III.

De furatis apibus.

SI quis ingenuus in apiario furti causa fuerit comprehensus: si nihil exinde abstulerit, propter hoc quòd ibidem comprehensus est, tres solidos soluat, & l. flagella suscipiat. Cæterùm si abstulerit, nouecuplum cogatur exsoluere & prædictum numerum flagellorum excipiat. Si seruus verò nihil ingrediens abstulerit, c. verberibus addicatur. quod si abstulerit, sexcuplum reddere compellatur. Pro quo si dominus satisfacere noluerit, eum seruiturum illi qui damnna pertulit tradat.

DE FVGITIVIS ET REFVGIENTIBVS, LIBER NONVS.

I. TITVLVS.

DE FVGITIVIS ET OCCVLTATORIBVS FVGAQVE PRÆVENTIS.

I. ANTIQVA.

Si ingenuus vel seruus fugitiuum celasse repperiatur.

SI quis ingenuus fugitiuum celatum habuerit, alium paris meriti cũ eodem seruo domino dare cogatur. Si verò seruus sine cõscientia domini sui fugitiuũ celauerit, serui ambo publicè centena flagella suscipiant, dominus vero huius serui nihil damni sustineat.

II.

Si fugitiuus vinctus quocunque ligamine absoluatur.

SI quis alienum seruum in fuga lapsum, ferro vinctum, aut in quocunque ligamine constitutum absoluerit: pro præsumptione sua qui hoc fecerit det domino serui solidos decem. Si verò non habuerit vnde componat, à iudice c. flagella suscipiat, & seruum requirere ac domino restituere non moretur. Quod si eum non potuerit inuenire, seruum æqualis meriti domino reddere non moretur: aut si non habuerit vnde componat, ipse subiaceat seruituti, illi cuius seruum laxauerit addicendus. Quod si hoc seruus fecerit sine domini voluntate, coram iudice centum flagella suscipiat. Et si vinctus inueniri non potuerit, seruus qui soluit tradatur in seruitio domini vinculatus.

Quandocunque autem qui vinctus fuit inuentus extiterit, domino reformetur, & datus pro eo seruus ad proprium dominum reuertatur. Si autem conscio domino id fecerit, ipse dominus componat, sicut est de ingenuis superius constitutum.

III.

Infra quod tempus mancipium latens inuentum iudici debeat præsentari.

SI cuiuslibet seruus ad aliquem latens aduenerit, statim eum præsentari iudici non differat. Quod si eũ non præsentauerit, & vsque ad octauam noctem apud eum moratus fuerit, aut si ad longinquiora loca transierit, duos eiusdem meriti seruos domino cogatur exsoluere. Nam si apud eum mancipium quod susceperat subcelatum inueniatur, alterum cum eo dare domino non moretur. quia intra diem legibus constitutum noluit contestari.

IV.

Si nesciens quis fugitiuum susceperit humanitate concessa.

SI quis nesciens fugitiuum susceperit, & ei humanitatem dederit, & non amplius ibidem fuerit quàm vna die vel nocte immoratus, domino quærenti fugitiuum suum præbeat sacramentum, se nescisse quod fugeret. Aut si certè potuerit approbare quod fugitiuum non celauerit, ab omni calumpnia liber abscedat. Si vero ibi biduo aut triduo aut quatriduo pro reparandis sumptibus vel cuiuscunque occasionis causa præteriens moras afferre voluerit, conuentus à domino vbi postea manserit, vel à quo humanitatem fugitiuus susceperit, cogatur ostendere: & infra sex menses aut inueniat fugitiuum, aut eos apud quos postea fuerit, ostendat. Quod si non potuerit inuenire, conscientiam suam ex hoc sacramento purgare debet, & apud quem nouissime venit: aut repræsentet qui fugit, ant paris meriti seruum domino reddat. Et si seruus postea fuerit inuentus, illum quem pro eodem dederar recipiat, & ab omni calumpnia securus abscedat.

V. ANTIQVA.

Si alienum mancipium quis persuadeat vt fugiat, vel humanitatem impendat.

† detonderit. SI quis alieno mancipio persuaserit vt fugiat, aut ei cum sciret fugitiuum humanitatem dederit, aut fortè † detruderit fugientem: si fugitiuum poterit inuenire, duos cum eodem paris meriti domino reformare cogatur. Si autem inuentus non fuerit fugitiuus, tres seruos eiusdem meriti domino compellatur exsoluere. Eadem quoque & de ancillis præcipimus custodiri.

VI.

Si ignotus homo susceptus multis diebus apud alium commoretur.

SI apud quemcunque v. aut vi. dies homo ignotus aut latens moretur, ille qui eum hospitio suscepit vel humanitatem dedit, ante diem testetur octauum iudici vel vicario proximæ ciuitatis aut territorii, vt secundum legem de susceptione fugitiuorum quam nuper edidimus, idem ipse qui fugit, illius qui in loco maior est interrogatione discussus, quis sit aut propter quid venerit, possit agnosci: sicque omnis constitutio prædictæ legis, de susceptione scilicet fugitiuorum, quæ † nuper à nostra gloria condita esse dinoscitur, in omnibus impleatur. In limitibus præterea prouinciarum maior sollicitudo præstetur, ita vt ipsa aut altera die eius publicetur aduentus. Quod si intra hos octo dies non contestatus fuerit qui suscepit, & omnem constitutionem præmemoratæ legis implere neglexerit, & mancipium in domo sua moram amplius fecerit, alium talem cum eo domino restituat, quia noluit contestari. Si vero in fuga celatus euaserit, hospes requirat fugitiuum: quem si non potuerit inuenire, duos æqualis meriti domino cogatur exsoluere.

† nouiter.

VII. ANTIQVA.

Si seruus fugitiuum sciens viam ostenderit fugiendi.

SI seruus alterius fugitiuum sciens viam ostenderit, si fuerit fugitiuus inuentus, siue etiam non potuerit inueniri, seruus qui iter monstrauit, tantummodo centum flagellorum ictibus verberetur, & domino eius nulla calumnia moueatur.

VIII. FLS. ERVIGIVS. REX.

Vt ad cuius domum fugitiuus aduenerit, vicinis sex loci prioribus contestetur.

AD cuius domum venerit fugitiuus, prioris loci illius villicus atque præpositus quibuscunque testetur: & si eum in domum suam retinere voluerit, habeat potestatem. Quacunq; hora dominus eius superuenerit, recipiat, & nullam calumniam qui suscepit incurrat. Quod si se fugitiuus ad alia loca transtulerit, sacramentum præsentib. illis quibus testis est præbere debebit, se vt fugeret non persuasisse, vel præcepisse, & se vbi lateat nescire, & posthæc nullam calumniam patiatur.

IX. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

De susceptione fugitiuorum: si dominus vel seruus suscipiat alterius fugitiuum.

AD cuius domum transiens aduenerit fugitiuus, si accepta ex incognito eleemosyna confestim alibi pertransierit, calumpnia illi qui quasi peregrinus ad horam hospitio suscepit, moueri omnino non poterit: cùm se huiusmodi susceptor sacramentis purgauerit, quia incognitum habuerit eum, cui prætereunti eleemosynam dedit. Quod si duobus aut tribus diebus fugitiuus apud alterum quolibet modo permanserit, statim ille qui eum susceperit, secundum quod superiori lege præcipitur, ante diem octauum prioribus loci illius, iudici, villico, atque præposito coram † idoneo teste, eum quem suscepit præsentare procuret. Sicque interrogetur ac strenuè perquiratur à iudice, aut cuius sit seruus, aut quando à domino suo fugerit, aut quando aut vbi ille qui eum præsentat susceperit. Sicque tota in vnum collecta atque conscripta iudex aut alii qui adfuerint manu sua hæc quæ perquisita fuerint vel inuenta subscribere debeant. Ita vt & fugitiuũ & hoc ipsum q̃ scriptis de eodẽ † alligatũ est, ille qui eũ præsentauit in potestate sua recipiat, qualiter eum infra dies octo suis dominis reddat. Quod si dominus fugitiui longe fortasse sit positus viginti per dies singulos millibus computatis spatio ille qui fugitiuum suscepit sibi concesso in præfinito die, vbi dominum fugitiui repperit, fugitiuum ipsum domino suo, aut per se aut per quem voluerit, seruiturum restituat: & commodum suum, quantum lege altera constat, per triginta millia tremissem vnum à domino fugitiui accipiat. Quod si eidem, qui fugitiuum susceperit, grauosum fortasse extiterit propter terrarum longinquitatem fugitiuum domino suo præsentare, saltem vel vbi vicinas possessiones domini fugitiui agnouerit, auctori vel procuratori fugitiuum coram legitimo teste præsentet: & accepta superioris commodi summa, securus ipse qui fugitiuum suscepit abscedat. Iam vero si fugitiuum iudici præsentauerit, & à iudice perquisitus ipse qui præsentauit, cuius seruus sit nullo modo dixerit; apud iudicem ipse qui eum præsentauerat, eundem fugitiuum relinquat. Iudex vero sub ardua custodia eundem qui præsentatus est, infra tempus, & iuxta modum superiùs constitutum regiis obtutibus pręsentare non differat: vt principali potestate manente manifeste quęsitus, vbi cunctorum constat adesse conuentum, cognitio fugitiui per plurimos habeatur. His igitur omnibus necessaria sanctione præmissis, quicunque deinceps fugitiuum cognitum vel incognitum, non sub isto quo præmissum est ordine, aut iudici non præsentauerit, aut suo domino non reddiderit, domino fugitiui & ipsum qui fugerit & alium cum eo in satisfactione restituat seruiturum. Quod si fugitiuus perierit, duos similes seruos à susceptore dominus fugitiui recipiat. Hoc quoq; & iudex damno multabitur, si ordinem implere distulerit superiùs constitutum. Si verò seruus contra voluntatem domini sui fugitiuum alterius susceperit, extensus coram iudice centum flagella suscipiat, & fugitiuus petenti domino mox reformetur. Quod si idem qui à seruo susceptus est fugitiuus minime reppertus extiterit, alium similem seruum pro eo dominus serui susceptoris reddere compellendus est. Certè si dominus pro seruo componere noluerit, seruum ipsum tradere non moretur.

† idoneis testibus.

† alleg.

X.

Vt bis venditus seruus, per fugam rediens, in libertate permaneat.

SI quis proprium seruum extra prouincias nostras ad alias regiones venditione transtulerit, ac postmodum seruus reuersus fuerit, & dominus eum iteratim venundauerit, cogatur à iudice vt eum ab emptore recipiat, & receptum deinceps seruum nullo modo inquietet, sed liber permaneat. Ipse vero qui eum ex peregrinis locis ad patriam remeantem notanda iterum cupiditate distraxerat, alium seruum paris meriti priori reddat emptori: nihilominus & illi qui postea comparauit pretium

redditurus. Sed tamen ſeruum ex peregrinatione reuerſum, nec vendere prior dominus, nec ſeruitio ſuo applicare præſumat, ſed perenniter idem ſeruus in libertate perſiſtat.

XI.

Vt diſcutiatur mancipium fugitiuum, ne propter lucrum capiendum fuerit ad domum ſuſcipientis immiſſum.

MAncipium fugitiuum diſcutiatur, vt nomen domini ſui exprimat, & diligentius præſente iudice requiratur, ne forte propter lucrum capiendum ad domum fuerit ſuſcipientis immiſſum. Et ſi ita eſſe conſtiterit, dominus tantæ fraudis inuentus illi, quem in crimine occultati ſerui implicare conatus eſt, damnum quod occultatoribus impoſitum eſt, ipſe perſoluat. Æquum enim eſt, vt tam nocentium inſidiarum reatus in ſuum recurrat auctorem.

XII.

Si ingenuum ſe eſſe mentiens ſeruus ſub mercedis conditione apud alium commoretur.

SI ſeruus fugiens ingenuum ſe eſſe dicat, & vnde ſit ignoretur: Sicque apud quemlibet fuerit immoratus ſub certa conditione mercedis; ſecundum ſuperiorem legem iudici ante præſentetur & diſcutiatur. Et ſi mercenarium eum non fugitiuum inueſtigatio iudicis perquirentis inuenerit; ſi in poſtmodum apud quemlibet fuerit inueniatur à domino, non poteſt tanquam reus teneri, qui neſciens fugitiuum mercenarii loco ſuſceperit. Dominus vero fugitiui, mercedem quæ placita fuerat conſequatur. Quod ſi ſeruus à domino de fuga reductus iterum fugerit, & eũ iterato fugientẽ receperit, qui mercenariũ eum ante ſuſceperat, cõtinuo aut iudici tradat, aut domino remittere non moretur. Cæterum ſi hoc non fecerit, damnum occultatoris accipiat.

XIII.

Si fugitiuus in domo cuiuſcunque fuerit inuentus.

SI fugitiuus in domo potentis, aut cuiuslibet fuerit inuentus, qui liberum ſe eſſe dicat, aut fortaſſe non dicat, repetenti ſine dilatione reddatur. Ille vero qui recepit, ſe iudicio caueat adfuturum, nullis ante iudicium tormentis eum traditurus, donec aut iſte ſuam vindicet libertatẽ, aut certe ille approbet ſeruum qui repetit. Quod ſi petitor iſta cauere noluerit, fugitiuus ille ſub illius apud quem inuentus eſt fideiuſſione tandiu conſiſtat: quandiu agnoſci poſſit, quid de eodem rationabiliter iudex abſque retardatione definiat.

XIIII.

De mercede eius qui prendiderit fugitiuum.

SI quis fugitiuum comprehenderit, per xxx. millia vel infra tremiſſem accipiat: per centum autem millia vnum ſolidum pro beneficio conſequatur. Sicque dum creuerit numerus millium, creſcat & numerus ſolidorum: ita vt qui inuenerit fugitiuum eum cum rebus omnibus quas cum eo inuenerit præſentare ſuo domino non moretur. Quod ſi fugitiuus ab eo quo fuerat captus fugerit, dominus ſerui ab eodem ſacramentum accipiat, quod non ipſius fraude vel ſtudio fugitiuus euaſerit, & nullam poſtea calumniam pertimeſcat. Et ſi poſt datum ſacramentum aliquid à fugitiuo conuincetur accepiſſe mercedis, aut eius fraude doceatur admiſſum vt fugitiuus ad longinquiora pertenderet: ſi fugitiuus fuerit inuentus, paris meriti alium ſeruum domino reformare cogatur. Sin autem inuentus non fuerit, duos eiuſdem meriti ſeruos domino eius compellatur exſoluere.

XV. ANTIQVA.

Si ſeruus fugiens ſe eſſe mentitur ingenuum.

SI ſeruus in fuga poſitus ad ignotos aduenerit, & ſibi mulierem ingenuam in coniugio copulauerit, eo quod dicat ſe ingenuum eſſe: & hoc mulier vel eius parentes ita factum conuicerint, aut certe iudex talem probationem à parte mulieris inſpexerit: dum dominus ſerui hanc veritatem agnouerit, nihil ipſi mulieri damni aut calumniæ moueatur, ſed ſi libera, & filii qui ex eis ſunt procreati conditioni

man

matris sequantur. A seruo vero si voluerit non separetur, si tamen hoc & dominus serui voluerit.

XVI.

Si seruus fugiens dicat se esse ingenuum, & ob hoc mulieris ingenuæ connubio sociatur.

QVia sæpe, dum serui dominos suos fugiunt, mentientes se esse ingenuos, mulieribus ingenuis contra legum decreta in coniugio copulantur: ideo huius legis valitura promulgatione decreuimus, vt si quis seruus in fuga positus, vel quibuscunque modis de iure domini sui euagans, ad quemlibet peruenerit, vtrum ingenuum se esse dicat, aut fortasse non dicat. Et sub hac occasione ingenuæ mulieri petierit copulari. Quicquid de tam inhonesta coniunctione fuerit procreatum, conditionem patris proculdubio sequatur: vt dum eius dominus aduenerit, non solum eundem fugitiuum, sed & filios exinde progenitos, omneque eorum peculium suo debeat vindicare dominio. Similis quoque & de ancillis ordo seruandus est, quæ fugientes dominos suos viris ingenuis se copulare præsumpserint.

XVII. ANTIQVA. FLS. CIND. REX.

De his quæ seruus fugiens adquisisse videatur.

SI seruus in fuga positus, aliquid dum in ea fuga est de artificio suo vel quocunque isto labore adquisierit, dominus eius dum eum inuenerit sibi vindicet omnia. Cæterum si cum rebus furatis eum dominus suus reppererit, nihil exinde sibi defendere poterit, sed ei qui perdidit reddere non tardabit. Si vero damnum aut quodcunq; crimen isdem fugitiuus admisisse conuincitur, ille componat qui latebras ei præbuisse conuincitur.

XVIII.

De his qui præuentos seruos dominis reformare contendunt.

DVm plerique controuersiis vacare nituntur, legum quasdam sententias inique peruertunt, & pro eo quod antiqua lege decretum est, vt dum fugitiui dominus superuenerit, eum recipiat, differunt eius domino reddere fugitiuum: vt sub hac fortasse occasione dilatio prætenditur, sibi eum cum prolixitate temporis vindicent seruiturum: præsertim quia sit omnino superfluum, & pro vilis interdum serui persona dominum ducentis aut trecentis millibus vel amplius fatigari: & talis obiectio callide magis quam veraciter videtur opponi. Proinde constituentes decernimus, vt quicunque domino seu per se, siue per hominem suum requirenti fugitiuum suum & agnoscēti reddere distulerit, vel comprehensum excusserit: quatuor eiusdem meriti seruos, & eundem fugitiuum domino eius reddere compellatur. Aut si idem fugitiuus perierit, quinque proculdubio similes seruos exsoluere non moretur: vnum ex eis ille qui composuit postmodum recepturus, si vel ab ipso vel a domino suo fugitiuus inuentus, in seruitium proprii domini fuerit restitutus: ita vt si talia nesciente domino seruus admiserit, si voluerit dominus, duos eiusdem meriti seruos pro eo serui domino det. Si autem voluerit, seruus tradatur fugitiui domino perenniter seruiturus. Et talis etiam de ancillis ordo seruetur.

XVIIII.

Si ingenuus vel seruus latrones celandos susceperit.

SI quis ingenuus vel seruus sciens latrones celandos susceperit, præsentet quos celauit, & ducentos ictus accipiat flagellorum. Quod si non præsentauerit absconsos, pœnam quam illi merebantur incurrat.

XX.

Vt iudex cum omnibus rebus cum quibuscunque fugitiuum inuenerit domino aduenienti restituat.

VT id quod iudex apud reum aut fugitiuum inuenerit, absente eo qui reum aut fugitiuum persequitur, comiti ciuitatis ostendat, & sic apud se retineat, ei qui perdidit cum adfuerit redditurus.

II. TITVLVS.

DE HIS QVI AD BELLA NON VADVNT, AVT de bello refugiunt.

I.

Si hi qui exercitui præsunt commodis corrupti aliquem de expeditione domum redire permiserint, vel à domibus suis exire non coegerint.



SI thiufadus ab aliquo de thiufadia sua fuerit beneficio corruptus, vt eum ad domum suam redire permitteret, quod acceperat in nouecuplum reddat comiti ciuitatis in cuius est territorio constitutus. Et si ab eo nullam mercedem acceperit, sed sic eum dum sanus est ad domum dimiserit, vel de domo in exercitum exire non compulerit, reddat solidos xx. quingentenarius vero xv. & centenarius x. si certe decanus fuerit v. solidos reddere compellatur: & ipsi solidi diuidantur in centena, vbi fuerint dinumerata.

II.

Si compulsores exercitus aliquid, dum exercitum ad hostem compellunt, de domibus eorum auferre præsumpserint.

SErui dominici, id est, compulsores exercitus, quando Gothos in hostem compellunt exire, si eis aliquid tulerint, aut ipsis præsentibus vel absentibus, sine ipsorum voluntate, de rebus eorum auferre præsumpserint & hoc ante iudicem potuerit approbari, ei cui abstulerint in vndecuplum restituere non morentur. Ita tamen vt vnusquisque eorum in conuentu publicè quinquaginta flagella suscipiat.

III.

Si præpositi exercitus relicto bello, aut domum redeant, aut alios redire permittant.

SI quis centenarius dimittens centenam in hostem, ad domum suam refugerit, capitali suplicio subiacebit. Quòd si ad altaria sacra vel ad episcopum confugerit, trecẽtos solidos reddat comiti ciuitatis, in cuius est territorio constitutus, & pro vita sua non pertimescat. Ipse tamen comes ciuitatis notum faciat regi, & sic cum nostra ordinatione partiantur solidi illi ad ipsam centenã, quæ ei fuerit ascripta. Ipse autem postmodũ centenarius nullomodo præponatur, sed sit sicut vnus ex decanis. Et si centenarius sine conscientia aut voluntate præpositi hostis aut thiufadi sui de centena sua ab aliquo pro beneficio persuasus aut rogatus, quemquam ad domum suã redire permiserit, vel in hostẽ vt non ambularet relaxauerit, quantum ab eo acceperit in nouecuplum comiti ciuitatis, in cuius est territorio constitutus, satisfacere compellatur: & sicut superius diximus comes ciuitatis nobis in notitiam referre non differat, vt ex nostra præceptione diuidatur inter eos in cuius centena fuerat ascriptus. Quod si centenarius ab eo nullam mercedem acceperit, & sic eum ad domum suam ambulaturum dimiserit; ille centenarius, sicut superius est comprehensum, det comiti ciuitatis solidos x.

IV. Si

IV.

Si præpositi exercitus, aut relicta expeditione domum redeant, aut alios exire minimè compellant.

SI decanus relinquēs decaniam suam de hoste ad domum suam refugerit, aut de domo sua cum sanus est exire & ad expeditionem proficisci noluerit, det comiti ciuitatis solidos x. Quod si alicui fortè mercedes dederit, reddet solidos v. comiti ciuitatis in cuius est territorio constitutus: & ipse comes ciuitatis notum nobis faciat, † vt cum nostra iussione diuidantur inter eos in quorum centena fuerat ascriptus. Quod si aliquis, qui in thiufadia sua fuerat numeratus, sine permissu thiufadi sui, vel quingentenarii, aut centenarii, vel decani sui de hoste ad domum suam refugerit, aut de domo sua in hostem proficisci noluerit, in conuentu † merentium publicè centena flagella suscipiat, & reddat solidos decem.

† Vtrum.
† mertantiū

V.

Si compulsores exercitus, beneficio accepto, aliquem sine ægritudine domi stare permiserint.

SErui dominici qui in hostem exire compellunt, si ab eisdem aliquis se forte redemerit, quantum ab eo acceperint, in nouecuplum comiti ciuitatis cogantur exsoluere: & eos quos rogauit num esset sanus, vt eum in expeditionem non compellerent, etiam si ab eo nullam mercedem acceperint, illi qui eum relaxauerint reddant pro eo comiti ciuitatis solidos v. thiufadus verò quærat per cētenarios suos, & centenarii per decanos: & si potuerint cognoscere quia per precem aut redemptionem ad domum suam confugerint, aut de domo in hostem proficisci noluerint; tunc thiufadus præposito comitis ciuitatis notum faciat, & scribat comiti ciuitatis in cuius est territorio constitutus: vt comes ciuitatis vindictam quæ in lege posita est his qui pro se rogant, aut qui se redimunt à thiufadis, vel centenariis, aut decanis, vel seruis dominicis, omnia ad integrum implere non differat. Quod si exegerit, & celauerit, & in notitiam non protulerit, omnia quæ exegerit in nouecuplum reddat. Et si corruptus ab aliquo vel rogatus exigere distulerit, in duplum de propria facultate satisfaciat illis qui inter se hanc solutionem fuerant diuisuri. Quòd si post exactam rem notum regi non fuerit, vt ipse hoc iubeat in thiufadia sua cui debeatur diuidere, aut comes ciuitatis reddere fortasse dissimulet, † vndecupli compositione eis satisfacere non moretur.

† in decupli.

VI.

De his qui annonas distribuendas accipiunt, vel fraudare præsumunt.

HOc iustum elegimus, vt per singulas ciuitates vel castella quicunque erogator annonæ fuerit constitutus, comes ciuitatis vel annonæ dispensator, annonam quam eis est daturus, ex integro in ciuitate vel castellis iubeat exhiberi, & ad integrum eis restituere non moretur. Quod si contigerit vt ipse comes ciuitatis aut annonarius, per negligentiam suam nō habens, aut forsitan nolens, annonas eorum dare dissimulet, comiti exercitus sui querelam deponant, quod annonas eorum dispensatores tradere noluerint: & tunc ille præpositus hostis hominem suum ad nos mittere non moretur. Ita vt numerentur dies ex quo annonæ eorum iuxta consuetudinem eis impletæ non fuerint. Et tunc ipse comes ciuitatis vel annonarius in quantum temporis eis annonas consuetas subtraxerat, in quadruplum eis inuitus de sua propria facultate restituat. Similiter & de his qui in thiufadia numerati fuerint obseruari præcipimus.

VII.

Quam mercedem accipiat qui mancipia vel quaslibet res de manu hostis excusserit.

QVicunque de vitæ suæ statu desperans inimicos fuerit aggressus, vt mancipia vel quodcunque genus pecuniæ aut aliarum rerum ab inimicis possit excutere, & certus rei dominus apud eum videatur aliquid agnoscere, de eis ex toto duas partes pro intuitu misericordiæ domino certo restituat: tertiam vero partem pro laboris sui præmio consequatur. Similiter & si quis qualecunque mancipium ab inimicis sollicitauerit, & ipsi mancipio patrocinium aut consilium præstiterit, & eum

ad certum dominum perduxerit: quicunq; fuerit agnitus hoc fecisse, decimam partem mercedis pro tali causa aut euentu omnino excipiat habiturus.

VIII. In. Nomine. Domini. Wamba. rex.

Quid debeat obseruari si scandalum infra fines Hispaniæ surrexerit.

COgit nostræ gloriæ saluberrima intentio, vt sicut in dirimendis negotiis populorum, legum est auctoritas promulgata: ita in rebus bellicis mutuo suffulta præsidio habilis ad expugnandum maneat, fraternitatis dilectione retenta. Prodesse enim hominibus tranquillitas nostra non ambigit, si cunctorum animos ad bonum propositum classica legis tuba euocando constringat: scilicet vt quæ in præteritis non bene ordinata discurrunt, deinceps disposita opitulante domino in melius profici- 1
scantur. Et ideo huius malè vsitatæ consuetudinis mores nostra clementia perhorrescit, & tædiosè tolerat, quod per quorumdam incuriam frequentia occurrant patriæ dampna. Nam quotienscunque aliqua infestatio inimicorum in prouincias regni nostri se ingerit, dum nostris hominibus, qui in confinio externis gentibus adiunguntur, hostilis surrexit bellandi necessitas: ita quidam facillima se occasione dispergunt, modò transductione loci, modò liuore odij, modò etiã impossibilitatis dissimulatione subnixi, vt in eo præliandi certamine vnus alteri fraterna solatia non impendat: & sub hac occasione, vt qui præsentare se pro publicis vtilitatibus audacter voluerit, casu imminẽtis periculi ab aduersariis perimatur. Ideo præsenti sanctione decernimus, vt à die legis huius prænotato vel tempore, si quælibet aduersitas inimicorum contra partem 2
nostram commota extiterit, seu sit episcopus, siue etiam in quocunque ecclesiastico ordine constitutus, seu sit dux aut comes, thiufadus aut vicarius, gardingus vel quælibet persona, cui aut ex ipso sit commissum, vbi aduersitas ipsa occurrerit, aut ex altero qui in ciuitate adiungitur, vel quicunque in easdem prouincias vel territoria superueniens infra centum millia positus, statim vbi necessitas emerserit, mox à duce seu comite, thiufado vel vicario, aut à quolibet fuerit admonitus, vel quo modo ad suam cognitionem peruenerit, & ad defensionem gentis vel patriæ nostræ paratus cum omni virtute sua qua valuerit non fuerit, & quibuslibet subtilitatibus vel requisitis occasionibus alibi se transferre vel excusare voluerit: vt in adiutorio fratrum suorum promptus atque alacer pro vindicatione patriæ non existat: & superueniens aduersariorum hostilitas aliquid dampni vel captiuitatis in populos vel in prouincias regni nostri amodò intulerit: quisquis tardus vel formidolosus, vel qualibet malitia, timore vel tepiditate succinctus extiterit, & ad præstitum vel vindicationem gentis suæ & patriæ exire vel intẽdere contra inimicos nostræ gentis tota virium intentione distulerit: si quisque ex sacerdotibus vel clericis fuerit & non habuerit vnde dampna rerũ terræ nostræ ab inimicis illata de rebus propriis satis faciat, iuxta electionem principis destrictiori mancipetur exilio. Hæc sola sententia in episcopis, præsbyteris & diaconibus obseruanda est. In clericis verò non habentib. honorem iuxta subtiliorem de laicis ordinem constitutum omnis sentẽtia ad implenda est. Ex laicis verò, siue sit nobilis siue mediocrior viliorque persona, qui talia gesserint, præsenti lege constituimus, vt amisso testimonio dignitatis redigatur protinus ad conditionem vltimæ seruitutis: & de eius persona quicquid princeps vindicare voluerit, potestas illi indubitata manebit. Nam iustũ est, vt qui nobilitatem generis sui & statum patriæ, quod priscæ gentis adquisiuit vtilitas, constanti animo vendicare nequiuit, legis huius sententia feriatur, qui nobiliter superioribus culpis adstrictus degenerat, qui inutilis repperitur. De bonis autem transgressorum, laicorum scilicet atq; etiam clericorum qui sine honore sunt, id decernimus obseruandũ: vt qui deinceps hoc fortasse commiserint, inde cuncta dampna terræ nostræ vel his qui mala pertulerint sarciantur, vt rectè doleat, & dignitatem se amisisse nobilium, & prædia facultatum, cuius maligna vel timida factio, nec lædentem repulit hostem, nec se ostendit in aduersariorum conuersione virilem. Nam & si quilibet infra fines Hispaniæ, Galliæ, Galliciæ, vel in cunctis prouinciis quæ ad ditionem nostri regiminis pertinent, scandalum in quacunque parte contra gentem vel patriam nostrumque regnum vel etiam successorum nostrorum mouerit aut mouere voluerit, dum hoc in vicinis locis ipsius partis iuxta numerum milliorum suprascriptum nuntiatum fuerit: aut etiam specialiter quisquis ille à sacerdotibus, clericis, ducibus, comitibus, thiufadis, vicariis, vel quibuslibet personis iuxta ordinem suprascriptum admonitus fuerit, vel ad suam cognitionem quoquomodo peruenerit: & statim ad vindicationem aut regis, aut gentis & patriæ, vel fidelium præsentis Regis contra quem ipsum scandalum excitatum extiterit, non citata deuotione occurrerit, & præstitum se in eorum adiutorio ad destruendum

dum exortum scandalum non exhibuerit: si episcopus vel quilibet ex clero fuerit, aut fortasse ex officio palatino, in quocunque sit ordine constitutus, vel quælibet persona fuerit dignitatis, aut fortasse inferior, huius infidelitatis impublicatus scelere, non solum exilio relegetur, sed & de eorum facultatibus quidquid censura regalis exinde facere vel iudicare voluerit, arbitrio illius & potestati per omnia subiacebit. Illos tantum a superioribus capitulis lex ista indemnes efficiet, qui ita ab infirmitate fuerint prægrauati vt progredi vel proficisci in consortio fidelium secundum superiorem ordinem minime possint. Qui vero & si ipsi morbis quibuslibet fuerint præpediti, omnem tamen suam virtutem in adiutorio episcoporum vel clericorum atq; fratrum suorum sinceriter pro vtilitate regiæ potestatis, gentis & patriæ fideliter laborantium dirigebunt. Quod si hoc non fecerint, superiori sententia pariter cum transgressoribus feriantur. Persona autem illa tunc erit a superscripta dampnatione innoxia, dum per idoneum testem conuicerit ita se esse per ægritudinem impossibilem, vt nullum habuisset in tempore præstandi vel proficiscendi vigorem: vt vitium, quod ex præteritis temporibus male vsque hactenus inoleuerat, & seuera legis huius censura redarguat, & consors atque vnanimis assensio quietem plebium & patriæ defensionem adquirat.

DATA ET CONFIRMATA EST LEX DIE KALENDARVM NOVEMBRIVM, ANNO FELICITER SECVNDO REGNI NOSTRI.

VIII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

De his qui in exercitũ constituto loco vel tempore definito non successerint, aut refugerint, vel quæ pars seruorum vniuscuiusque in eadem expeditione debeat proficisci.

SI amatores patriæ hi proculdubio approbãtur qui se periculis vltroneè pro eius liberatione obiiciunt, cur desertores potius non dicãtur, qui vindicatores eius esse non desistunt. Nam quando hi tales voluntarie terram saluaturi credendi sunt, qui etiam † animo acri pro liberatione patriæ non insurgunt, dum aut de bellica profectione se differunt, aut (quod peius est) remorari contra monita cupiunt, vel destituti contra ordinẽ proficiscuntur: cum quidam illorum laborandis agris studentes, seruorum multitudines cædunt, & procurandæ salutis suæ gratia nec vigesimam quidem partem suæ familiæ secum ducunt. Quin potius auctiores volunt fieri fruge, quam corporis sospitate: dum sua tegunt & se destituunt, maiorem diligentiam rei familiaris quam experientiam habentes in armis, quasi laborata fruituri possideant, si victores esse desistant. Consulendum est ergo talibus per disciplinam, quos studia vtilitatis propriæ non inuitant. Vnde id cunctis populis regni nostri sub generali & omnimoda constitutione præcipimus, vt in constituto ac præfinito die vel tempore, quo aut princeps in exercitum ire decreuerit, aut quemlibet de ducibus vel comitibus profecturum in publica vtilitate præceperit: quisquis ille siue admonitionem cuiuslibet suscipiat; seu etiam nec admonitus, qualibet tamen cognitione id sentiat, vel quocunque sibi indicio innotescat, quo in loco exercitus bellaturus accedat, domi vlterius residere non audeat, vel qualemcunque remorationem vel excusationem profecturus exhibeat: sed definitis locis atq; tẽporibus iuxta quod eum vel iussio principalis monuerit, vel admonitio ducis vel comitis: vicarii seu cuiuslibet curam agentis tetigerit, præstitum se vnusquisque definito loco vel tempore exhibeat. Iam vero si quisquis ille admonitus vel etiam si nec admonitus, & tamen qualibet cognitione sibimet innotescente non nescius, aut progredi statim noluerit, aut definitis locis atque temporibus præstitus esse destiterit, si maioris loci persona fuerit, id est dux, comes siue etiam gardingus, à bonis pro his ex toto priuatus, exilii relegatione iussu regio mancipetur: ita vt quod principalis sublimitas de rebus eius iudicare elegerit, in suæ persistat potestatis arbitrio. Inferiores sane vilioresque personæ, thiufadi scilicet, omnisque exercitus compulsores, vel hi qui compelluntur, si aut in exercitum venire distulerint, aut in loco vel tempore constituto minime occurrerint, vel proficisci neglexerint, seu de expeditione publica quocunque fraudis commento effugiendo se subtraxerint, non solum ducentenis ictibus flagellorum verberati, sed & turpi decaluatione fœdati, singulas insuper libras auri cogantur exsoluere, quas principalis potestas cui largiri decreuerit, sui maneat incunctanter arbitrii. Quod si non habuerit vnde hanc compositionem exsoluat, tunc regiæ potestatis sit licitum huiusmodi transgressorem perpetuæ seruituti subiicere: vt

† *ammoniti.*

quod de eo suisque ordinare decreuerit, habeat sine dubio potestatē. Illos sane ab huiusmodi legis sententia decreuimus permanere innocuos, quos aut principalis absoluerit iussio, aut minoris adhuc ætatis retinuerit tempus, aut senectutis vetustas, aut etiam ægritudinis cuiuscunque grauida represserit moles. Si tamen is qui in ægritudinis langore in exercitum proficisci nequit, omnem virtutem rei suæ ipse ægritudine prægrauatus, secundum legis huius institutionem, in publicis vtilitatibus cum duce vel comite suo dirigere non moretur. Nunc vero quia de generali omnium progressione prædiximus, restat vt de progressorum virtute vel copiis instituте ponamus. Et ideo id decreto speciali decernimus, vt quisquis ille est, siue sit dux siue comes atque gardingus, seu sit Gothus siue Romanus, necnon ingenuus quisque, vel etiam manumissus, seu etiam quislibet ex seruis fiscalibus, quisquis horum est in exercitum progressurus, decimam partem seruorum suorum secum in expeditionem bellicam ducturus accedat: ita vt hæc ipsa pars decima seruorum non in armis existat, sed vario armorum genere instructa appareat: Sic quoque vt vnusquisque de his, quos secum in exercitum duxerit partem aliquam, zauis vel loricis munitam: plærosque vero scutis, spatis, † scramis, lanceis, sagittisque instructos quosdam etiam fundarum instrumentis, vel cæteris armis, quæ nouiter forsan vnusquisque à seniore vel domino suo iniuncta habuerit, principi, duci, vel comiti suo præsentare studeat. Si quis autem extra hanc decimam partem seruorum suorum in exercitus progressionē accesserit, omnis ipsa decima pars seruorū eius studiose quæsita atque descripta: quidquid minus inuentū fuerit de hac instituta decima parte seruorum in bellicam vnumquemque secum expeditionem duxisse, in potestate principis reducendum est: vt cui hoc idem princeps prælargiri decreuerit, in eius subiaceat potestate. Quicunque vero ex palatino officio ita in exercitus expeditionem profectus extiterit, vt nec in principali seruitio frequens adsistat, nec in vuardia cum reliquis fratribus laborem sustineat, nouerit se legis huius sententia feriendum: excepto si eam manifesta languoris ostensio comprobauerit morbidū. Nam & si quisque exercitalium in eandem bellicam expeditionem proficiscens minime ducem aut comitem suum aut etiam patronum suum secutus fuerit: sed per patrocinia † diuersorum se dilatauerit: ita vt neque in vuardia cum seniore suo persistat, nec aliquem vtilitati publicæ profectum exhibeat: non ei talis profectio imputanda est, sed superiorum ordinem, quæ de vilioribus inferioribusque personis in hac lege decreta sunt, in semetipsum nouerit sustinere. His igitur ordinatis atque compositis restat vt frænum cupiditati eorum ponamus, quos ad peragenda negotia vtilitatis nostræ impingimus. Et ideo nullꝰ dux comes, thiufadus, seu quislibet cōmissos populos regēs, accepto beneficio vel qualibet occasione, seu pessimæ voluntatis, quemquam de suis subditis de bellica profectione dimittat, aut admonitiones ipsas quæ fieri debent progressione exercitus, vel indictione armorum, sub ista quasi admonitionis occasione interferant, vnde quemquā illorū militare præsumat. Nā quisq; talia agens pro his (vt dictum est) causis à quolibet aut oblatum quodcunque perceperit, aut ipse cuicunq; exegerit: & quidē si de primatibus palatii fuerit, & illi à quo tale accepit, in quadruplum satisfaciat, & principi pro eo solo quo se munificare præsumpsit libram auri soluturum se nouerit. Minores vero personæ, ab honore vel dignitate ingenuitatis priuatæ, in potestatem principis sunt redigendæ: vt quod de eis vel de rebus eorum iudicare elegerit, suæ subiaceat modis omnibus potestati.

Marginal notes: † scramis. † seruorum.

III. TITVLVS.

DE HIS QVI AD ECCLESIAM CONFVGIVM FACIVNT.

I.

Ne ad ecclesiam confugiens abstrahatur, nisi armis defensus.

NVllus de ecclesia ausus sit aliquem violenter abstrahere, nisi ad ecclesiam confugiens armis se fortasse defensare voluerit.

II.

Si ad ecclesiam confugiens, dum suis armis defenditur, occidatur.

QVi ad ecclesiæ porticus confugerit, & non deposuerit arma quę tenuit: si fue-

fuerit occisus, percussor in loco sancto nullam fecit iniuriam, nec vllam calumpniam pertimescat.

III.

De dampno hominem ab ecclesia abstrahentis.

SI quis de altaribus seruum suum aut debitorem non traditum sibi à sacerdote vel ab ecclesiæ custodibus, violenter distraxerit: si honestioris loci persona est, vt primùm de eo iudici fuerit relatum altario, cui iniuriosus fuit, cogatur exsoluere solidos cẽtum. Inferioris verò loci persona det solidos xxx. Quod si non habuerit vnde persoluat, correptus à iudice, in cõuentu c. flagella suscipiat. Dominus verò seruum siue creditor debitorem recipiat excusatum.

IIII.

Vt debitor siue reus de ecclesia non abstrahantur, sed quæ sunt debita reddant.

EOs qui ad ecclesiam vel ecclesiæ porticus confugerint, nullus contingere præsumat: sed præsbytero vel diacono repetat, vt reformet. & seu debitor, seu reus qui confugerit, si non meretur occidi, apud repetentem ecclesiæ cultor interueniat, vt ei veniam det, & exoratus indulgeat. Quod si debitor aliquis ad ecclesiam cõfugerit, eum ecclesia non defendat: sed præsbyter aut diaconus debitorem sine dilatione restituat: ita vt ipse qui debitum repetit, nequaquam cædere aut ligare eum præsumat, qui ad ecclesiæ auxiliũ decucurrit: sed præsente presbytero vel diacono constituatur intra quod tempus ei debitum reformetur. Quod licet ecclesiæ interuentui religionis contemplatione concedatur, aliena tamen retinere non poterunt. De homicidis autem, maleficis aut veneficis in eorum titulis leges sunt requirendæ.

DE DIVISIONIBVS ET TEMPORIBVS ATQVE LIMITIBVS, LIBER DECIMVS.

I. TITVLVS.

DE DIVISIONIBVS ET TERRIS AD PLACITVM DATIS.

I. ANTIQVA.

Vt valeat semel facta diuisio.

Aleat semel facta diuisio iusta, vt nulla in postmodum immutandi admittatur occasio.

II.

De non reuocanda diuisione inter fratres, etiam si sine scriptura sit facta, solum si idoneo teste conuincat.

DIuisionem factam inter fratres, etiam si sine scriptura inter eos conuenerit, permanere iubemus: dummodo à testibus idoneis comprobetur: & diuisio ipsa plenam habeat firmitatem.

III. ANTIQVA.

Vt quod à pluribus & melioribus in diuisione est constitutum, à paucis & deterioribus non liceat immutari.

SI plures fuerint in diuisione consortes, quod à multis vel à melioribus iustè constitutum est, à paucis vel deterioribus non conuenit aliquatenus immutari.

IIII. FLS. VNS. REX.

Vt liceat vni heredi respondere, si ab aliquo petitur: & petere, si causa qualicunq; compellitur.

CVm priscæ legis auctoritate fuerit constitutum, vt is qui ad dicendam causam compellitur, non nisi præsente eo, qui religiosè consors est, audiatur: satis ex hoc peritorum negotia superfluè conspeximus dilatari: cum ad dicendam causam pro sua vnusquisque persona sufficiat. Igitur ne callida oppositione causantis, dum excusatio prætenditur, pro consorte tricennalis obuiet annositas petitori: prouidentissima deliberatione sancimus, vt remota excusatione consortium, tam pro eorum quàm pro sua persona, is qui iudicia iter pro communibus rebus fuerit appellatus respondeat, nec vllum præiudicium consortis absentia, si coheres eius iustissimè seu etiam per commentum aut per ignauiam fuerit superatus, incurrat: sed si separare negotium legaliter intenderit, permittatur. Abrogata denique suprà fatæ legis tam inconuenienti sententia, hoc salubre decretum per vniuersos regni nostri populos omni decernimus reuerentia valiturum. Ac similis etiam ordo seruabitur, si vnus forsitan ex consortibus quemquam crediderit lite pulsandum.

V.

Si placitum quis diuisionis irrumpat, diuisam partem vsurpans.

QVi placitum diuisionis irruperit, & quamlibet partem alienæ portionis inuaserit, tantum de suo, quantum de alieno occupauit, amittat.

VI.

Si vineam aut domum quis in consortis terra construxerit.

SI quis domino sciente vel consentiente vineam in consortis terra plantauerit aut domum fecerit, vel certè si ipse qui vineam plantat vel domũ facit, aut ignorauit quod portio sit consortis: dum hoc aut testibus aut iuramento firmauerit, aliud tantum paris meriti domino illi in cuius terra vineam plantauit, restituat, & qui posuit vineam securus obtineat. Si verò domino contradicente plantauerit, iuste perdat qui rem alienam domino contraeunte plantauit. Similis etiam de ædificiis forma seruetur. Hoc tamen adiicimus, vt si quicunq; alteri terram vendiderit, aut donauerit, siue commutatam acceperit, quæ tamen reperiatur quandoquidem non iuris eius fuisse qui dedit, si ille qui terram ipsam acceperit in eadem terra domum ædificauerit, aut vineam plantauerit, siue oliueta, † horta, vel * pomaria fecerit, siue etiam si quid vtilitatis ibi aut laboris adiecerit: & dominus terræ illius, cui terra ipsa debita fortasse manebat, callidum se seruans contestari noluit, aut fortasse longe commanens idipsum aut nescierit aut contestari neglexerit: vt in postmodũ laboratũ ibi auferre aliquid possit, dum hoc ipse cuius eandem terram esse patuerit, coram iudice propulsauerit, ab auctore qui terram ipsam iniuste alteri dedit, alteram & similem terram in duplo recipiat: & ille qui in eadem terra labores suos exercuit, id quod laborauit nullo modo perdat.

† hortos.
* pomeria.

VII.

VII.

Si vineam in aliena terra quis plantauerit, in qua sortem non habet.

QVi vineam in alieni fundi territorio, in quo ipse consors non est, sine permissione domini, siue per vim, aut forsitan domino nesciente, vel absente plantauerit: etiam si ei contradictum non fuerit, vineam quam plantauit amittat: Quia sufficere ei debet, quod ad duplationem rei non addicitur, qui aliena peruasisse dinoscitur.

VIII.

De diuisione terrarum facta inter Gothum & Romanum.

DIuisio inter Gothum & Romanum facta de portione terrarum siue siluarum, nulla ratione turbetur, si tamen probatur celebrata diuisio: nec de duabus partibus Gothi aliquid sibi Romanus præsumat aut vendicet: Aut de † terra Romani Gothus sibi aliquid audeat vsurpare aut vendicare: nisi quod de nostra forsitan ei fuerit largitate donatum. Sed quod à parentibus, vel vicinis diuisum est, posteritas immutare non tentet. † tertia.

VIIII.

De siluis inter Gothum & Romanum indiuisis relictis.

DE siluis quæ indiuisæ forsitan resederunt, seu Gothus seu Romanus eas assumpserit, & fortasse fecerit culturas: statuimus vt si adhuc silua superest, vnde paris meriti terra eius cui debetur portioni debeat compensari, siluam accipere non recuset. Si autem paris meriti quæ compensatur, silua non fuerit, quod ad culturam scissum est diuidatur.

X.

Quod ea quæ seruus non iubente domino fecerit, excepto quod lex iubet, valere non poterit.

QVidquid seruus domino iubente diuiserit vel fecerit, excepto quod lex permittit, firmum non esse iubemus: si id dominus serui noluerit custodire.

XI.

Qui terras ad canonem acceperit, placitum seruet.

TErras quæ ad placitum canonis datæ sunt, quicunque suscepit, ipse possideat, & canonem domino singulis annis qui fuerit defunctus exsoluat. quia placitum non oportet interrumpi. Quod si canonem constitutum singulis annis implere neglexerit, terras dominus pro suo iure defendat. quia sua culpa beneficium quod fuerat consecutus, amittat: quia placitum non impleſſe conuincitur.

XII.

De terris quæ definito annorum numero per placitum dantur.

SI per precariam epistolam certus annorum numerus fuerit comprehensus, ita vt ille qui susceperit terras, post quodcunque tempus domino reformaret: iuxta conditionem placiti terras restituere non moretur.

XIII.

Si ille qui ad placitum accepit terras, extendat culturas.

QVi ad placitum terras suscepit, hoc tantum teneat, quod eum terrarum dominus habere permiserat, & amplius non præsumat. Quod si culturas suas longius extédisse cognoscitur, & sibi alios ad excolendos agros fortasse coniunxerit: aut plures filij vel nepotes in loci ipsius habitationem successerint: aut campos quos ei dominus terræ non præstiterat occupauerit: aut siluā quæ ei data non fuerat propter excolendos agros, aut conclusos, aut facienda forsitan prata succiderit: quidquid amplius vsurpauit quàm ei præstitum probatur, amittat: & in domini consistat arbitrio, vtrùm canon addatur, an hoc quod domino præstitit, dominus ipse possideat. Quod si tantummodo alicui ager sit datus, & data silua vel campus non fuerit: sine domini iussu nihil de silua vel campo qui agrum cepit, vsurpet.

XIIII.

Si inter eum qui dat & accipit terram aut siluam contentio oriatur.

SI inter eum qui accipit terras vel siluas, & qui præstitit, de spatio vnde præstiterit,

fuerit orta contentio:tunc si superest ipse qui præstitit, aut si certe mortuus fuerit, eius heredes præbeant sacramenta,quod non amplius auctor eorum dederit,quam ipsi designanter ostendũt.Et si postea quam iurauerint,præsentibus testibus eis quæ obseruẽtur signa constituant:vt pro ea re nulla deinceps accedat causatio. Si vero consortes eius non dignentur iurare aut forte noluerint:vel aliquam dubietatem habuerint,quantum vel ipsi dederint vel antecessores eorum : ipsos aut animas suas non condempnent,nec sacramentum pręstẽt: sed ad tota aratra,quantum ipsi vel parentes eorum in sua sorte susceperant,per singula aratra quinquagenos aripennes dare debent:ea tamẽ conditione,vt quantum occupatum habuerint,vel cultum mixu quinquaginta aripennes concludant, nec plus quã in eisdem mensuratum fuerit aut ostensum,nisi terrarum dominus forte præstiterit, audeant vsurpare. Quod vero amplius vsurpauerint,in duplum reddant inuasa.

XV.

Qui ad colendam terram accepit,sicut ille qui terram dedit,ita & censum exsoluat.

QVi accolam in terram suam susceperit, & postmodum contingat, vt ille qui susceperat,cuicunque tertiam reddat,sicut & patroni eorum, qualiter vnum quemque contigerit.

XVI.

Vt si Gothi Romanorum tertia quippiam tulerint,iudice insistente Romanis cuncta reforment.

IVdices singularum ciuitatum,villici,atque præpositi,tertias Romanorum ab illis qui occupatas tenent auferant,& Romanis sua exactione sine aliqua dilatione restituant: vt nihil fisco debeat deperire.Si tamen eos quinquaginta annorum numerus aut tempus non excluserit.

XVII. FL. CIN. REX.

De mancipiorum agnitionibus diuidendis,atque eorum peculiis partiendis aut decernendis.

PRouidentissimi iustique iuris est,vt formam inueteratæ censuræ, quæ ab æquitatis ratione dissentit,nouellis etiam sanctionibus emendemus. Nec immerito prius nascendi causas expedit arbitrari,& ita demum legẽ ponere nascituris.Si enim filius ab vtroque parente gignitur & creatur, cur idem ad conditionem tantum pertineat genitricis,qui sine patre nullatenus potuit procreari?Hac rationabiliter naturę lege compellimur agnitionem ancillæ,quæ seruo alieno iuncta peperit, inter vtrosque dominos æqualiter diuidendam. Quod si vnus tantum filius ab eisdem parentibus fuerit procreatus:quoniam ambobus dominis modo placito non poterit deseruire: iste filius apud matrem vsque ad ætatis annum duodecimum edoceatur,donec ætas eius in exercendis laboribus ferre seruitium pubertatis incipiat. Post hæc autem dominus ancillæ domino serui,cui hæc ancilla coniuncta est,pretium ex medietate persoluat, quantum isdem filius à bonis hominibus valere fuerit æstimatus. Similis forma seruetur & de cæteris filiis,qui in pari numero fuerint procreati. Peculium vero mobilis rei, quod seruus & ancilla profligauerint sub contubernio constituti, ad vtrosque dominos decernimus pertinendum. Sane si in fundum alterius domini, ad cuius ius idem seruus vel ancilla non pertinent,præter ædificium agrumque vel aliquid quod esse possit immobile, à seruis talibus in re mobili fuerit conquisitum:non aliter quam agnationem rem huiusmodi æqualiter eorum domini sibi debeant vindicare. Quod si vnus ex his dominis contubernia famulorum conatus fuerit irrumpere, statim eos separare non differat:ea tamen conditione seruata, vt postquam ad dominorum cognitionem contubernia seruorum peruenerint,si eos in hoc dominorum voluntas perseuerare noluerit,infra anni spatium ipsum contubernium resoluere non morentur. Cæterum si hoc rationabile tempus,quod hac lege indultum est, negligentia dominorum excesserit, quidquid post expletum annum fuerit procreatum, vtrique domino æqualiter sexus numeri vel ætatis contropatione nouerit diuidendum. Quod si super annum tempus excesserit,& hoc vnus dominus vel ambo nescierint: quodcunque nasci potuerit, similiter in diuisionis æquali portione manebit.

XVIII.

quæ vt refelli possit compendio breuitatis vti conuenit. Omnis ergo res quæ mobilis immobilisque consistit, cuiuscunque fuerit generis, siue formæ: an peculii, an peculiaris nomen habuerit, vnius intelligentiæ vim euidentiamque obtineat: vt ex hoc omnis de mobilibus immobilibusque intentio conquiescat.

XIX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si pro acceptis rebus promißio non soluatur.

SI quis terram, vineam aut aliquã rem aliam pro decimis, vel quibuslibet commodis, præstationibusq́; reddendis, per scripturam aut quamcunq́; definitionem, ita ab alio acceperit possidẽdam: vt ille qui dat sic sub alicuius exsolutionis debito det, ne videatur huius rei suæ vsum amittere voluisse: sed quidquid debet, qui rem accepit etiam sine sollicitudine domini ipse sollicite reddat. Nam quamuis consuetudo vel promissio exsoluta non fuerit, de rebus suis pars domini excludi non poterit. Quia non voluntate istius qui dedit, sed fraude illius qui rem accepit, videtur commotio rei domino commoueri. Si vero ille qui rem accepit consuetudinem aut promissionem differat adimplere: quodcunque de promisso vel constituto debet, rei domino in duplum exsoluat. Nam si ita reddere promissum aut consuetum dissimulet debitum, vt dominum rei legum tempus excludat, vsque ad quinquaginta annos rem suam cum augmento solius laboris quod illic fecit amittat.

II. TITVLVS.

DE QVINQVAGENARII ET TRICENARII TEMPORIS TEMPTATIONE.

I.

Ne post quinquaginta annos sortes Gothicæ vel Romanæ amplius repetantur.

SORTES Gothicæ & Romanæ, quæ intra quinquaginta annos non fuerint reuocatæ, nullomodo repetantur.

II.

Ne mancipia fugitiua post l. an. ad seruitium reuocentur.

MAncipia fugitiua, quæ intra l. annos inuenta non fuerint, non liceat ad seruitium reuocare.

III.

Vt omnes causæ tricennio concludantur.

OMnes causas, siue bonas, siue malas, aut etiam criminales, quæ intra xxx. annos definitæ non fuerint, vel mancipia quæ in contentione posita fuerint, aut sunt, ab alio tamen possessa, si definita atque exacta non fuerint, nullo modo repetantur. Si quis autem post hunc xxx. annorum numerum causam mouere tentauerit, iste numerus ei resistat, & libram auri † cui Rex iusserit coactus exsoluat. †cum.

XIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt exceptis fiscalibus seruis tricennale tempus valeat in omnibus causis.

SÆpe contemptis in debita re solutio iuris euanescere facit statutum tempus iustæ possessionis & quod nulla generis nobilitas decorauit, indebita licentia libertate contradicit. Tricennalis ergo transcursio temporum cum iam sic constanter inoleuerit in negotiis actionum, vt non iam quasi ex instructione humana, sed veluti ex ipsa rerum processisse natura videatur: ideo valitura sanctionis huius æternitate decernitur, vt si per tricennii tempus, seu fiscus de † quorumlibet iure quodcumque tenuerit, seu quislibet de fisci extra mancipia fiscalia aut cuiuspiã rebus aliquid fortasse possede- †quolibet.

rit, perenni sibimet iure vendicet & retentet. Nec contra hunc numerum (in quo etiam veritas perfectè completur ætatis) attentet commoueri vox cuiuscunq; petitionis. Serui verò fisci, quorum de stirpe seruili euidens origo patuerit, quamuis resoluti atq; per diuersa vagantes nihil in pensione tributi persoluerint: quamuis fuga vel latebris, seu patrocinio quorumcunque defensi latuerint, seruitutis conditionem non erunt penitus euasuri, sed in originem pristinam absq; temporum præiudicio redigēdi. Ab huius sententia legis illis tantummodo segregatis, qui percipere valuerunt regia collatione remedia libertatis.

FL. CIN. REX.

De interruptione tricennii.

SÆpe proprium ius alterius longinqua possessio in ius transmittit alterius. Nam quod xxx. quisque annis expletis absque temporis interruptione possidet, nequaquam vlterius per repetentis calumphiam amittere potest. Vt ergo tam petenti quam possessori hinc competenter possit esse consultum, id ab omnibus obseruandum est: vt quicunq; rem quæ ab alio per quindecim annos aut suprà, infrà triginta tamen possessa est, sui iuris esse astruxerit: & possessor fortasse siue à iudice siue à repetente commonitus, vel reddere distulerit, vel rationabiliter responsum parare contempserit, aut quamcunque dilationem videatur afferre: siue etiam eiusdem rei quæ petitur absentem possessorem, hoc est in alia prouincia, aut in expeditione publica positum esse constiterit: tunc iudex id quod reposcitur, id est, siue possessio siue quodcunque fuerit, pro interruptione temporis corā duobus testibus aut tribus ingenuis petenti consignare procuret: ita vt si iudex rem ipsam petenti saionis instantia præceperit consignari, per epistolam manu sua subscriptam eundem saionem iuxta modum subterius comprehensum informet. Et si forte possessio est vbi repositio alicuius substantiæ sit, ne per rationales excusatio fiat, anulo iudicis aut saionis qui locum consignat, eadem ostia, vbi res est reposita, per illos octo dies maneant obsignata. Et ille qui accepit, octo tantum diebus possideat, & nihil exinde expendere aut euertere vel alienare præsumat: sed in eo tantum loco quidquid voluerit aut potuerit laboris exerceat. Post octo autem dies rem intemeratam dimittat, ab eo quem possidentem inuenerat indubitanter apprehendendam, & nullam ex hoc ille qui octo diebus possedit, calumpniam pertimescat: ita tamen vt si vel ipse, vel pars eius aut posteritas infra xxx. annos à die interrupti temporis rem quam sibi consignari poposcerat, sui iuris esse conuincat. Nam si conuinci eadem actio taliter non potuerit, ille quidem qui superstes est, vt qui dominium alienum inquietauit, rei domino velut iniustus satisfaciat petitor. Aut si aliquod expenderit aut euerterit, in quadruplum reddere compellatur. Parti vero eius aut posteritati nulla ex hoc vlterius calumpnia moueatur: illa euidentissime conditione taxata, vt si per diuersas res, aut in diuersis locis hæc de qua agitur fuerit dispersa facultas, & ex omnibus his quæ ad eandem pertinent repetitionem vnumquemque fuerit secundum legis præsentis decretum à iussione iudicis consignatum, pro traditione teneatur omnium rerum.

Exemplar epistolæ informationis.

ILle iudex saioni illo, Informamus te, vt locum illum, quem ille repetit, & nunc in dominio illius esse videtur, iuxta legis ordinem, corā duobus aut tribus ingenuis illi consignes, octo tantum diebus possidendum: ita vt si aliquid ibi repositionis habetur, & anulo domini sui non est signatum, propter auferendam excusationem rationalium per illos octo dies anulo tuo maneat obsignatum. A te vero nihil exinde aliquatenus auferatur.

VI. FLS. RCDS. REX.

Ne tricennale tempus impediat religatis.

QVantò pressuris conditio vrgetur humana, tanto multis remediis clementiam principalem necessitati consulere decet humanæ. Quapropter cum quisque nobilis atque inferior, ingenuus siue etiam seruus, regio iussu in custodiam vel exilium extiterit deputatus, & contingat eum quandoque aut liberationem inuenire, aut ad sua bona reuerti: si quamcunque rem in repetitione videatur habere, non illud tempus pro tricennali vel quinquagenario annorum numero in eius actione iūgatur, quod ipse

ipse in custodia vel in exilio fuisse dinoscitur: sed remoto omni illo tẽpore, quo euidenter eidem personæ in pressuris & in penuria constitutæ sibi debitum negotium prosequi non licuit. De cætero vero iuxta legum decreta vel tempus in eius obiectione legalis ordo maneat constitutus.

III. TITVLVS.
DE TERMINIS ET LIMITIBVS.

I.

Vt termini & limites conseruentur.

ANTIQVOS terminos & limites sic stare iubemus, sicut antiquitus videntur esse constructi, nec aliqua patimur eos commotione diuelli.

II.

De collisis & euulsis limitibus.

QVi studio peruadendi limites complanauerit, aut terminos fixos fuerit ausus euellere: si ingenuus est, per singula signa vel notas xx. solidos cui fraudem fecit cogatur inferre: si seruus est, per singula signa l. flagella suscipiat. Si quis dum arat, aut pomaria vel vineam plantat, terminum casu non voluntate conuellerit, vicinis præsentibus restituat terminum: & postmodum ex hoc nullum dampnum aut periculum vereatur.

III.

Quid obseruetur, si de terminis contentio oriatur.

QVotienscunque de terminis fuerit orta contentio, signa quæ antiquitus constituta sunt oportet inquiri: id est, aggeres terræ siue arcas, quas propter fines fundorum antiquitus apparuerit fuisse constructas atque congestas: lapides etiam, quos propter indicia terminorum notis euidentibus sculptos constiterit esse defixos. Si hæc signa defuerint, tunc in arboribus notas, quas decurias vocant, conuenit obseruari: sed illæ quæ antiquitus probantur incisæ.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si alter intra terminos alienos possidere dicatur.

SI quis intra terminos alienos, per absentiam aut per ignorantiam domini, partem aliquam fortè possederit: ita vt diuturna mansio, ac sic etiam multo tẽpore inolita, vel amplius quàm l. annis hominum, partis eius habitatio publice & immobiliter consistere aut permanere nullatenus comprobetur: statim cum per antiqua signa euidentibus inspectoribus fines loci alterius cognoscuntur, amittat domino reformanda. Nec contra signa euidentia debitum dominium vllum longæ possessionis tempus excludat: sed hoc si ex his contendentibus vnius possessoris siue auctorũ eius dominiũ reperiatur aduenisse postremũ. Nã si tanta tẽpora excesserint, vt nec ipsi nec auctores eorũ nouerint, cuius primum aut dominium aut possessio fuit: sed nec per testem aut per scripturã poterit postremus possessor ostendi: quia † dubium primæ possessionis patet indiciũ, vnusquisq; quod possidet irreuocabiliter possidebit. Verùm vbi vnus possessor sine alterius dominii mansionibus publicè possidens per euidentia signa locum ex integro indicare videtur: nulla ratio finit, vt quamuis per longa tempora eius possessionis integritas decerpatur. Vnde si alter illic, sed per præsumptiuam, introduxerit nouitatem, nihil nocere poterit possessori. Si verò idem aliena appetens, aliquid ex hoc repetit, non præsumptiue sed per iudicium, si meretur obtineat. Nam si incondite & improuise attentet aliquatenus accedere velle: liceat hunc domino verè, vt violentum accusare aut inuasorẽ, per iudicium legibus abdicare. † *nullum.*

V.

Vt si aliqua pars de alio loco tempore Romanorum remota est, ita persistat.

SI quodcunque ante aduentum Gothorum de alicuius fundi iure remotum est: &

aliquam poſſeſſionem, aut vẽditione, aut donatione, aut diuiſione aut aliqua tranſactione translatum eſt: id in eius fundi, ad quem à Romanis antiquitus approbatur adiunctum, iure conſtat. Cùm autem proprietas fundi nullis certiſſimis ſignis aut limitibus probatur, quid debeat obſeruari eligat inſpectio iudicum quos partim conſenſus elegerit: ita vt iudex quos certiores agnouerit vel ſeniores, faciat eos ſacramenta præbere, quòd terminos ſine vlla fraude demonſtrauerint. Et tamen nullus nouum terminum ſine conſortis præſentia aut ſine inſpectore conſtituat. Quod ſi forſitan liber hoc fecerit, damnum peruaſionis excipiat quod legibus continetur. Si verò id ſeruus admiſerit domino neſciente, cc. flagella publicè extenſus accipiat; & nullũ ex hoc præiudicium domino computetur.

DE ÆGROTIS, MEDICIS, MORTVIS ATQVE TRANSMARINIS MERCATORIBVS, LIBER VNDECIMVS.

I. TITVLVS.

DE MEDICIS ET ÆGROTIS.

I.

Ne abſentibus propinquis mulierem medicus flebotomare præſumat.

NVLLVS medicus ſine præſentia patris, matris, fratris, filii, aut auunculi, vel cuiuſcunq; propinqui, mulierem ingenuam flebotomare præſumat: excepto ſi neceſſitas emerſerit ægritudinis, vbi etiam contingat ſupradictas perſonas minimè adeſſe, tunc aut coram vicinis honeſtis, aut coram ſeruis aut ancillis idoneis, ſecundum qualitatem ægritudinis, quæ nouit pendat. Quod ſi aliter præſumpſerit, decem ſolidos propinquis aut marito coactus exſoluat. qui a difficillimum non eſt, aut ſub tali occaſione ludibrium interdum adhæreſcat.

II.

Ne medicus cuſtodia retentos viſitare præſumat.

NVllus medicorum vbi comites, tribuni, aut iudices, aut villici in cuſtodiam retruduntur introire præſumat ſine cuſtode carceris: ne illi per metum culpæ ſuæ mortem ſibi ab eodem explorent. Nam ſi aliquid mortiferum his ab ipſis medicis datum vel indultum fuerit, multum publicis rationibus deperit. Si quis hoc medicorum præſumpſerit, ſententiam cum vltione percipiet.

III.

Si medicus pro ægritudine ad placitum expectetur.

SI quis medicum ad placitum pro infirmo viſitando aut vulnere curando popoſcerit: vt viderit vulnus medicus, aut dolores agnouerit, ſtatim ſub certo placito cautione emiſſa infirmum ſuſcipiat.

IIII. ANTIQVA.

Si ad placitum ſuſceptus moriatur infirmus.

SI quis medicus infirmum ad placitum ſuſceperit, cautionis emiſſo vinculo infirmum reſtituat ſanitati. Certè ſi periculum contigerit mortis, mercedẽ placiti penitus non requirat, nec vlla inde vtriq; parti calumnia moueatur.

V.

V.

Si de oculis medicus ypocismata tollat.

SI quis medicus ypocisma de oculis abstulerit, & ad pristinam sanitatem perduxerit infirmum, v. solidos pro suo beneficio consequatur.

VI.

Si per flebotomum ingenuus vel seruus mortem incurrat.

SI quis medicus dum flebotomum exercet, ingenuum debilitauerit, c. solidos coactus exsoluat. Si vero mortuus fuerit, continuo propinquis tradendus est, vt quod de eo facere voluerint habeant potestatem. Si verò seruum debilitauerit aut occiderit, huiusmodi seruum restituat.

VII. ANTIQVA.

De mercede discipuli.

SI quis medicus famulum in doctrina susceperit, pro beneficio suo duodecim solidos consequatur.

VIII. ANTIQVA.

Ne indiscussus medicus custodiæ deputetur.

NVllus medicum inauditum (excepta homicidii causa) in custodiam retrudat. Pro debito tamen sub fideiussore debet consistere.

II. TITVLVS.

DE INQVIETVDINE SEPVLCHRORVM.

I.

De violatoribus sepulchrorum.

SI quis sepulchri violator extiterit, aut mortuum expoliauerit, & ei aut ornamenta aut vestimenta abstulerit: si liber hoc fecerit, libram auri coactus exsoluat hæredibus mortui, & quæ abstulit reddat. Quod si hæredes non fuerint, fisco nostro cogatur inferre: & præterea c. flagella suscipiat. Seruus verò, si hoc scelus admiserit, ducenta flagella suscipiat, & insuper flammis ardentibus exuratur: nihilominus redditis cunctis quæ ausus est abstulisse.

II.

Si sepulchrum mortui auferatur.

SI quis mortui sarcofagum abstulerit, dum sibi vult habere remedium: duodecim solidos iudice insistente heredibus mortui cogatur exsoluere. Quòd si domino iubente seruus hoc admiserit, dominus pro seruo componere non moretur. Seruus vero, si ex sua voluntate hoc admiserit, nihilominus c. flagella suscipiat: & quod tulerat, & loco & corpori proprio reformetur.

III. TITVLVS.

DE TRANSMARINIS NEGOTIATORIBVS.

I.

Si transmarini negotiatores furtiua vendere detegantur.

SI quis transmarinus negotiator aurum, argentum, vestimenta, vel quælibet ornamenta prouincialibus nostris vendiderit, & competenti pretio fuerint venundata: si furtiua fuerint postmodum approbata, nullam emptor calumniam pertimescat.

II. ANTIQVA.

Vt transmarini negotiatores suis & telonariis & legibus audiantur.

DVm transmarini negotiatores inter se causam habuerint, nullus de sedibus

† *a telonariis suis.* nostris eos audire præsumat, nisi tantummodo suis legibus audiantur † apud telonarios suos.

III.

Si transmarinus negotiator mercenarium de locis nostris secum transtulerit.

NVllus transmarinus negotiator de sedibus nostris mercenarium audeat in loca sua transferre. Qui contra hoc venire tentauerit, inferat fisco nostro auri libram vnam, & præterea ducenta flagella suscipiat.

IV.

Si transmarinus negotiator mercenarium pro commercio suo susceperit.

SI quis transmarinus negotiator mercenarium de sedibus nostris pro vegetando cōmercio suo susceperit, det pro beneficio suo sol. III. per annum vnum, & nihilominus impleto placito seruum domino reformare cogatur.

DE REMOVENDIS PRESSVRIS, ET OMNIVM HÆRETICORVM SECTIS † EXTIRPATIS, LIBER XII.

† *extinctis.*

I. TITVLVS.

DE TEMPERANDO IVDICIO, ET REMOVENDA PRESSVRA.

I. FLS. GLS. * REX.

De commonitione principis, qua iubetur vt iudicium temperent iudices.

QVI necessariam culpis hominum seueritatem disponimus, conuenit vt Deo placita miseris remedia impendamus. Obtestamur itaque iudices omnes, cunctosque quibus iudicandi potestas concessa est, teste virtutum omnipotente domino, commonemus ad inuestigandam quidem rei veritatem in causis omnib. solertes existere, & absq; personarum acceptione negotiorum omniū contentiones examinare: circa victas tamen personas, ac præsertim paupertate depressas seueritatem legis aliquantulum temperare. Nam si in totum iudicii proprietas attendatur, misericordiæ proculdubio mansuetudo deseretur.

II. FLS. RCDS. REX.

Vt nullus ex his qui populorum accipiunt potestatem & curam, quoscunque de populis, aut in sumptibus, aut in indictionibus inquietari perempte.

OMnes quos regni nostri felicitate tuemur, nihil aliud eorū vtilitatib. consulentes, momentis omnibus statuimus, nisi vt nullam dispendiorum suspicionem patiantur. Quid est enim iustitiæ tam proximum vel nobis familiare, quam piam fidelib. manum porrigere, & iuste hos quos regimus in diuersis negotiis adiuuare? Decernentes igitur, & huius legis nostræ seueritate constituentes iubemus, vt nullis indictionib. exactionibus operibus, vel angariis, comes, vicarius, vel villicus pro suis vtilitatib. populos aggrauare præsumant: nec de ciuitate vel de territorio annonam accipiant. quia nostra recordatur clementia, quod dum iudices ordinamus, nostra largitate eis compendia ministramus. Simili auctoritate iubemus rectorem prouinciæ, siue comitem patrimonii, aut auctores fisci nostri, vt nullam in priuatis hominibus habeant potestatem, nullaque eos molestia inquietent: sed si priuatus cum seruis fisci nostri habuerit causam, actor vel procurator commonitus in iudicio rectoris prouinciæ, vel iudicis territorii, vbi causa fuerit intromissa, suam repræsentet personam & minorem, vt discusso negotio districtione legali vniuscuiuscunque emendetur excessus. Et quia dum regali cura actores nostrarum perquireremus prouinciarum, comperimus quod numerarii vel defensores annua vice muten-

tentur: qua detrimentum de causa nostris non ambigimus populis euenire: ideoque iubemus, vt numerarius vel defensor qui electus ab Episcopo vel populis fuerit, commissum peragat officium: ita tamen, vt dum numerarius, vel defensor ordinatur, nullum beneficium iudici dare debeat, nec iudex præsumat ab eis aliquid accipere vel exigere. Quod si quis iudicum hanc nostram transcenderit constitutionem, honore priuatus x. libras auri fisco nostro coactus resoluat. Sacerdotes verò, quos diuina obtestatione conuenimus, si excessum iudicum aut auctorum scierint, & ad nostram non retulerint agnitionem: nouerint se iudicio concilii esse plectendos: & detrimenta quæ pauperes eorum silentio pertulerint, ex eorum rebus illis esse restituenda.

III. FLS. RCNS. REX.

In Nomine Domini Lex In Confirmatione Concilii Edita.

EXimia synodalis auctoritas, & veneranda est pariter, & tremenda: quæ in tantum per donum sancti spiritus agitur, vt ex diuersitate multorum animorum & cordiũ, vnum cor vnamque animam fecisse monstretur: dum numerositas aggregata Pontificum non per sententiam discrepat, non per stilum diuersa obiectat, nec per iudicium aliud vnus quàm vniuersitas affirmat. Ideo reuerendum mihi conuentum synodalis concilii, in cuius medio præsentia sancti spiritus se habitare promisit deuotè venerans, instanterque honorans, ea quæ illorum ore, nostræque gloriæ oratu digesta sunt, in notitiam deducimus singulorum. Illa dicimus synodalis concilii gesta, quæ anno iiij. regni nostri in Toletana vrbe noscuntur esse confecta. quorum institutionum euidentia, vt sine cunctatione hominibus innotescat: hinc ea specialiter prælegimus renotanda. Est igitur primus Canõ de reddito testimonio dignitatis eorũ, quos profanatio infidelitatis, cum paulo traxit in societatem tyrannidis, quos celsitudo nostra, vna cum filiis, per huius nostræ legis edictum, & testimonio nobilitatis pristinæ vti, & rebus quas per auctoritatis nostræ vigorem perceperint decernimus reuestiri.

Item secundus est Canon de accusatis sacerdotibus, seu etiam optimatibus palatii atque gardingis: sub qua eos iustitiæ cautela examinari conueniat, quos nostræ gloriæ mansuetudo iuxta ipsius Canonis constituta, nullis tormentorum generibus ante publicam discussionẽ subiici censuit. Sed omnes qui deinceps fuerint accusati, iuxta sanctionem prædicti capituli erunt proculdubio iudicandi. Vnde id specialiter obseruandum fore censemus: vt quidquid contra hanc regulam sententiæ nostræ, vel prædicti Canonis institutionem, aut in personam cuiusquam fuerit actum, aut de rebus accusatæ personæ extiterit iudicatum, iuxta prædicti Canonis instituta nullo vigore subsistat: quò persona ipsa, aliter quàm decernimus iudicata, aut testimonii sui dignitatem amittat, aut quæstu rei propriæ careat.

Tertius quoque Canon est de tributorum principali relatione in plebe, vbi nostræ gloriæ auctoritate simul & exhortatione sancitum est: vt omne tributum præteritorum annorum, vsq; in annum primum regni nostri, quod in priuatis siue in fiscalibus populis nostris reiacet, absolutionis perpetuæ debeat sanctione laxari: ea tantum præcipientes publicis thesauris exhiberi, quæ exacta non illata fecisse constiterint.

Quartus post hæc sequitur Canon, de monitione regia, quam prompto voluntatis * effectu omnis conuentus sacerdotum atq; etiam seruorum condere prælegerint. * *admisſa.*

Quintus Canon sequitur, ne defuncto principe relictam eius coniugẽ quisquam sibi aut in coniugio aut in adulterio audeat copulare.

Sextus deinde sequitur Canon, vt, exceptis seruis vel libertis fiscalibus, nullus de seruitu quorumlibet aut libertis deinceps ad palatinum transeat officium. Quod si fecerint, præsentis legis nostræ edicto ad propriæ seruitutis iugum modis omnibus reducendi sunt, qualiter aut dominis suis, si superstites sunt, aut eorum propinquis (quib. decedentium successio ex lege debetur) seruituri tradantur.

Post hunc septimus est Canon, de his qui pro accidentia iurgiorum altaria nudare præsumunt, vel luminaria Ecclesiæ subtrahunt.

Octauus quoq; sequitur Canon, ne admonente metropolitano quisquam ex confinitimis ad locum vbi inuitatur venire contemnat.

Nonus quoq; Canon subsequitur, de confirmatione concilii Toletani duodecimi, quod factum est anno primo gloriæ nostræ.

Decimus huic Canon adiungitur, vbi speciali sententia definitur, vtrum audeant ministrare hi, qui pœnitentiam in sacerdotio constituti accipiunt.

Vndecimus quoq; Canon habetur, ne quis alienum clericum, vel monachum suscipiat fugientem.

Duodecimus post hæc Canon scribitur, de non excommunicandis à proprio Episcopo personis illis, quæ ad metropolitanum suum negotia sua suggesturi accesserint.

Vltimus & tertius decimus post hunc Canon subsequitur, de relatione gratiarum, quæ post peractionem concilij, Deo & principi persoluantur. Quæ omnia præmissa synodalium institutionum decreta, à præsenti die, vel tempore omni cura, omnique vigilantia, per cunctas regni nostri prouincias decernimus obseruanda: qualiter & perspicuũ auctoritatis validę vestigium subeant, & perpetuo vigoris ordine solidati persistant. Quamobrem sacræ huius legis oraculo, omnibus generaliter religiosis, atque etiam laicis sub regni nostri ditione manentibus, interdicimus pariter & iubemus, vt prędicta synodalia gesta nullus contempnat, nullus etiam præterire aut conuellere audeat. Nemo notus harum constitutionum iura resoluat. Nemo incognitus nesciensi se obiectibus excusare coniiciat. Nam à præmemorata subterius die vel tempore, & auctoritatis debitæ vigore pollebunt, & institutionum suarum legibus, vel regulis cunctorum vniuersalitas adstringetur. Si quis autem huius nostræ legis violator extiterit, ac non potius ea quæ prȩmissa sunt custodierit, & diutinam Ecclesiasticæ disciplinę excommunicationẽ accipiat, & decimam partem rei suæ fisci partibus sociandam amittat. Quòd si nihil habuerit facultatis vnde prædictam compositionem persoluere possit, absque aliqua infamia sui I. eum oportebit ictibus verberari. Huius igitur nostræ legis decretum, quod in confirmatione huius sacri concilii noscitur promulgatum, gloriosæ manus nostræ exaratione subscripsimus, & ad perennem memoriam valorem ei perpetuum innodamus. Ita lex in confirmatione concilii Toleto, sub die Id. Nou. ERA. septingentesima XXI. anno quoq; feliciter IIII. in Dei nomine Toleto.

II. TITVLVS.

DE OMNIVM HÆRETICORVM ATQVE IVDÆOrum erroribus amputandis.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod post datas fidelibus leges, oportuit infidelibus constitutiones ponere legis.

HACTENVS per arduas culparum semitas iudiciorum cautos direximu[s] gressus, & per humanæ adinuentionis præcipites & immoderatos excessus ordinatæ grauitatis emisimus cursus. Egisse namque nostram illis intentionem conspicuum est, vt dissuaderet quod male suasum erat & prohibe-

re

retq; turpe, & auferret quod malè actum & à decore honestatis abhorreret. Vt enim legalis ordo malè consciarum sibi mentium abdita penetrauit: ita legalis censura, & morum praua correxit, & scelerum commissa truncauit. Verùm hanc pudicitiam animorū non egimus alibi quàm intra Ecclesiam dei viui: quæ diuersitatem simul nationum & hominum vnius tunicæ immortalitate vestiuit, vnius etiam sacræ religionis sibi vinculis religauit. Ibi enim licet excellentiam nostri vigoris à virtutū Deo fuerit terrenæ gloriæ sublimata culminibus, interdum tamen motu compassionis, interdum acie iudicantis, & peccandi licentiā solicitè vetare curauit, & peruenta delicta modò temperanter diminuēdo subtraxit, modò vehementer stirpando collisit: non solùm sequens nobiliū illustriumque gentium mores, quæ rationabilibus & modestis legibus ordinare curauerunt illicitos populorum excessus, sed sanctissimorum quoque patrum tota terrarum orbe felicium & regulas imitans, exemplaque præsumens, quò posset amplitudo nostræ mansuetudinis in illorū præceptis, velut in forma operis, imitationem exprimere actionis: Et ex hoc debere cognoscere proximis subiectisque plebibus honestatis competentia indidisse decreta, ex quo aut culparum merita sunt euidenter impressa, aut à sanctorum patrum sententiis prorsus non inueniuntur externa: duo mihi dona vno diuinitatis præmio prouenire confidens, vt & cum proximis salutari temporum perfruar pace, & diuinis iudiciis munere regiminis peracta mercede dispositis, dehinc populorum fidelium legibus, atque in domo sanctæ fidei verè vt propriis membris confecto medicamine salutari & ordinata charitatis decentissimæ pace euidenter in virtute Dei aggrediar: hostes eius insequar, æmulos eius persequar, aduersus eos contendens viriliter, perseuerans instanter, aut comminuere illos vt puluerem excussum, aut delere vt lutum † sordentium platearum. Certè aut de illis & fidei conquirere lucrum, & gloriæ Dei dare trophæum: vt dum fideles populos in religionis sacræ pace possederim, atq; infideles ad concordiam religiosæ pacis adduxerim, & mihi crescat in gloria præmium: vt virtutem Dei dilatem, atq; augeam regnum. † *sordidum*

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

De omnium hæreticorum erroribus abdicatis.

Diuinæ virtutis æternum consilium, & in vltimorum serie sæculorum pietatis eius reuelatum arcanum, per retroactorum dierum tempora omnem (vt cernimus) à cunctis nostri regiminis finibus, & perfidiam dissipauit errantium, & dogmatum abdicauit commenta prauorum. Veruntamen ne dum nostris consistimus in diebus, tempus illud occurrat, de quo vas electionis olim protulit, dicens: Erit tempus quo sanam doctrinam non sustinebunt: sed secundum sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur: Conuenit & ea quæ in luce fidei manent, à tenebris contradictionem edicto legali defendere; & ea quæ exoriri obuia forsan error impulerit, gestis legalib. propulsare. Nullus itaque cuiuslibet gentis aut generis homo proprius & aduena, proselitus & indigena, externus & incola cōtra sacram & singulariter vnam Catholicæ veritatis fidē quascunque noxias disputationes eandem fidem impugnans palam pertinaciter aut constanter vel proferat vel proferre silenter attemptet. Nullus Euangelii decreta conuellat. Nullus apostolica instituta decerpat. Nullus antiquorum patrum impugnationibus suis sacras definitiones irrumpat. Nullus modernorum discernentium congruentes fidei tractus spernat. Nullus contra omne sanctum dictum & factum vel veræ fidei sacramentum, aut cogitationes ruminet cordis, aut verba patuli proferat oris. Non in contradictione controuersiam perfidus excitet peruicacis, non improbitatis contentione litem statuat aduersantis. Nam quæcunque persona ex his in cunctis istis vetitis extiterit deprehensa, siquidem ex quacunque religionis potestate vel ordine fuerit, amisso loci & dignitatis † ordine, perpetuo reatu erit obnoxius, rerum etiam cunctarum amissione multatus. Si verò ex laicis extiterit, & honore solutus & loco, omni rerum erit possessione nudatus: ita vt omnis transgressor sanctionis istius, aut æterno exilio mancipatus intereat, aut diuina miseratione respectus, à præuaricatione conuertatur, & viuat. † *honore*.

III. FLS. GLS. CHINDS. REX.

De datis & confirmatis legibus, super Iudæorum nequitiam promulgatis.

VEtitis & seclusis generaliter omnium hæreticorum præsumptionibus execrandis, nunc specialiter nobis est de præsentibus ordinandum. quoniam & in præsentibus de his cognoscimus esse præsumptum. Nam cum virtus Dei totum vniuersaliter acie verbi sui radicitus hæresium extirpauerit fomitem vel surculum, sola Iudæorum nequitia ingemiscimus arua nostra esse polluta regiminis nostri. Vnde per spiritum Dei vindicare conabimur pacem nostram, quæ gentibus quidem stultitia est: eisdem verò Iudæis scandalum: nobis autem credentibus, idem Christus, Dei virtus, & Dei sapientia: cuius miseratione præuenti concutimur intentione fideli, tam vetustis erroribus ponere finem, quàm futurorum exordiorum concidere nouitatem. Quapropter æterna lege iubemus, & sacrorum scriptorum iussu decernimus, tam nostrarum legum edicta, quam prædecessorum nostrorum Regum legali serie promulgatas sententias, quæ contra eorum perfidiam & personas data consistunt, æterna consecratione inuiolata persistere, & perenni custodia obseruata manere. Quæ si quis eorum temerator detectus extiterit, & subter iacentium legum damnis obnoxius erit, & specialibus vltionum sententiis subiacebit.

IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De cunctis Iudæorum erroribus generaliter extirpandis.

† *vnctione.* NVllus Iudæorũ sacræ religionis Christianã fidẽ, quã sancti percepit † vnctione baptismatis, aut profanet aliquatenus, aut relinquat. Nullus hãc factis, nullus dictis impugnet. Null⁹ huic abscõse, nullus palã insultet. Nullus fugere ad hãc euadendã contẽdat: nullus, vt hãc effugiat, quibuscũq; latibulis se occultãdũ iniiciat. Nullus spẽ quãdoq; profanationis iterandæ contineat. Nullus confidentiã renouãdi erroris adsumat. Nullus prorsus perfida mente, Christianæ religioni obuiam sectam corde teneat, verbis promat, factis ostendat. Nullus ex his quæ in eorum placitis sunt conscripta eorumque publica subscriptione notata temerare studeat, vel reuelare præsumat. Nullus omnium horum vetitorum conscium vel operatorem celare attemptet. Nullus inuentum latentem publicare retardet. Nullus auditam latebrã denuntiare recuset. Cunctorum namque eorum quisque transgressor inuentus constitutæ legis, erit supplicio afficiendus.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi more suo celebrent pascha.

NVllus Iudæorum XIIII. luna mensis alicuius faciet pascha, neque dierum ipsorum (vt soliti sunt) solempnia celebrabit. Non dies festos omnis solempnitatis mediocres aut summos quisque eorum venerabitur, aut intendet errorem, vel honore vetusto non ferias custodiat. Non sabbata & omnia festa ritu obseruantiæ suæ deinceps aut colant, aut contingere quandoque præsumant. Nam præuenti mox speciali dampnationis suæ multabuntur vltione.

VI. FLS. GLS. * REX.

Ne Iudæi more suo fœdus copulent nuptiale.

NEmo ex Iudæis propinquitatem sanguinis sui coniugio copulet, aut adulterio polluat, aut incestu commaculet. Nullus vsque ad sextum generis gradum coitu quãcunque personam contingat. Nullus festa nuptialia, aliter quàm Christianorum mos est vel appetat, vel vsurpet. Nam detectus dampnationis datæ vltionibus punietur.

VII. FLS. GLS. * REX.

Ne Iudæi carnis faciant circuncisiones.

NVllus Iudæorum circuncisionem operabitur carnis. Nullus hanc sibi fieri patietur indempnis. Non seruus, non ingenuus aut libertus, incola, vel extraneus eiusdem detestandæ † sectionis opprobrium quacunque occasione aut perferat, aut alteri inferre præsumat. Nam quicunque sponte talia fecisse vel sustinuisse probabitur, datæ legis seueritate plectetur. † *secta.*

VIII. FLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi more suo diiudicent escas.

CVm beatus Paulus Apostolus dicat: Omnia munda mundis: coinquinatis autem

tem & infidelibus nihil est mundũ: merito Iudæorum detestabilis vita, & discretionis horrendæ immunditia, omnium sordiũ horrore immundior, & refelli oportet, & abiici debet. Ne quis ergo ex his primæ ritu traditionis, & vsuati consuetudine moris mũdas ab immundis diiudicet escas: nemo sumenda inhoneste reiiciat, quæ valde bona esse sui conditio probat. Nemo ex his aliquid priuet, aliud vsurpet, nisi tantum ille discretione seruata, quæ ab omnibus Christianis tenetur salutaris, & congrua. Alioquin in trãsgressione quisque detectus, constitutis erit suppliciis addicendus.

IX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi quæstionem Christianis inscribant.

SPecialiter hoc decreto censetur nulli Iudæo pro qualicunque negotio quandoque licere contra Christianum quamuis humilis seruilisque personæ testimonium dicere, neque pro qualibet actione ad inscriptionem Christianum impetere, aut pro Iudæorum causis qua cũque factione hunc tormenta subire præsumat. Profanum etenim satis est infideles fidelibus anteponere, & membra Christi aduersariorum eius molestiis subiugare. Sane si idem inter se causarum negotia reperiantur habere, & testificandi aduersum se, & in seruis suis tantumdem coram Christianis iudicibus quæstionem iniicere, sit illis liberum ex lege licere.

X. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi contra Christianos testificentur & quando ex illis progenitis testificari sit licitum.

SI coram hominibus repertum mendacium, & infamem facit, & dampnis affligit: quanto magis in diuina fallax fide præuentus non erit penitus ad testimonium admittendus? Merito ergo testificari prohibiti sunt Iudæi, seu baptizati, siue non extiterint baptizati. De stirpe autem illorum progeniti, si morum probitate & fidei plenitudine habeantur idonei, permittatur illis inter Christianos veridica quidem testificandi licentia: sed non aliter, nisi sacerdote, rege, vel iudice mores illorum & fidem omnimodis probante.

XI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De pœna qua dirimenda est transgreßio Iudæorum.

HÆc de sinu fortissimarum legum sententia emaneat, ad puniendam perfidiam Iudæorum: vt quicunq; aut superioribus vetita legibus, aut suis innexa placitis temerare voluerit, vel frustrare præsumpserit, mox iuxta sponsionem ipsorum gentis suæ manibus, aut lapide puniatur, aut igne cremetur. Quod si denotatum crimine reum principalis pietas reseruauerit victurũ, illi cui placuerit seruiturus à rege donetur. & omnia bona eius aliis possidenda tradantur. Sicque fiat, vt nec rem amissam recipiat dominus, nec libertatem reparet seruus.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi Christianum mancipium circuncidant.

NVlli Iudæo liceat Christianum mancipium comparare nec donatum accipere. Quod si comparauerit vel donatum acceperit & circunciderit, & precium perdat, & quem acceperat liber permaneat. Ille autem qui Christianum mancipium circunciderit, omnem facultatem suam amittat, & fisco aggregetur. Seruus vero vel ancilla qui contradixerint esse Iudæi, ad libertatem perducantur.

XIII. FLS. SISEBVTVS REX.

De mancipiis Christianis quæ a Iudæis aut vendita aut libertati tradita esse noscuntur.

SAnctissimis ac beatissimis Agapio, Cecilio, item Agapio episcopis siue iudicibus ibidem institutis, similiter & reliquis sacerdotibus & iudicibus in territorio Arbi, Vrgi, Sturgi, Illiturgi, Biaciatui, Agatugiæ, Ebagri & Epagri consistentibus. Dudum latæ constitutionis auctoritas à domno, & præcessore nostro Recaredo rege sufficere poterat: vt mancipia Christiana nullatenus in Hebræorum iure manerent obnoxia. Sin postmodum contra iustitiæ instituta eorum prauitas subripiendos principum animos aliqua sibi iniusta non poscant beneficia. Proinde quia Deo adiuuante legem fieri decre-

uimus,& fraudibus eorum per diuersa capitula obstitimus: ideo pro eo quod retro tempore fuerat vitiatum, iuxta edictum ante dicti imperatoris decernimus: vt si qua Christiana mancipia eo tempore quo auctoritas data est, in eorum iure fuisse probantur: seu sint libertati tradita, seu forte ad libertatem non fuerint perducta: ad ciuium Romanorum priuilegia, iuxta nostræ legis huius edictum transire debeant. Nam & si qua illicito ausu de eiusdem mancipiis, quæ per constitutionem regiam fuerant absoluta, in iure cuiuslibet per quamcunque scripturam transegisse visa sunt: rescissa tali colligatione ad statum ingenuitatis recepto iuxta leges pretio à venditoribus reuertantur, & prænotati in polipticis publicis atque secundum eorum peculium iustissima de ratione censiti vitam in propriis laboribus in ingenuitatem transire valeant. Si qua vero mancipia post metas dierum, in qua auctoritas sæpe dicti principis promulgata est, ab illis quoquolibet titulo iustissime conquisita sunt, aut vendere, aut libertare, prout maluerint, vsque ad Kalendas Iulias licentiam illis tribuimus. Hi vero Christiani, qui ab Hæbreis quocunque tempore circuncisi sunt, vel in ritu eorum sunt, legali ordinatione multentur. Nam & de his qui per legem absoluti esse cernuntur, quia ab ipsis Hebræis serui addicti sunt, vel huc vsque detenti, sicut de ingenuis legibus eis satisfacere non morentur. Iudæi igitur qui ad fidem sanctam confugium visi sunt fecisse, portionem sibi debitam ex successione parentum aut mancipiis accipiant: venditionum verò quæ factæ fuerant, quas in vnum tempus venditionis inuenerit parentum vel filiorum, nulla sit in distrahendo diuisio, sed in vnum ad comparantis transeant dominium. Nam & quisquis de Iudæis sub nomine proprietatis fraudulēta suggestione aliquid à prædecessoribus nostris visus est promeruisse, exacta eius auctoritate fisco nostro faciatis sociari. Mancipia vero Iudæorum, quæ ad baptismi gratiam fecerunt confugium, vbicunque reperta fuerint exigantur, & libera dominis suis reddantur: ita & qui habet suum peculium, in ea libertate illi conferatur; & qui non habuerit, à manumissore prout vires habuerit illi concedatur; & descripti, sicut & cæteri eorum liberti, censūs pro eo peculio illis imponatur.

XIIII. FL. SISIBVTVS REX.

Vt nullis modis Iudæis mancipia adhæreant Christiana, & ne in sectam eorum modo quocunque ducantur.

VNiuersis populis ad regni nostri prouincias pertinentibus. Salutifera remedia nobis gentiq; nostræ conquirimus, cum fidei nostræ coniunctos de infidorum manibus clementer eripimus. In hoc enim Ortodoxa gloriatur fidei regula, cum nullam in Christianis habuerit potestatem Hebræorum execranda perfidia. Abominanda ergo sunt in Christianis funesta Iudæorum imperia, & reducenda est sub amore Catholico plebs Deo sacrata in gratiam. Ob hoc hac in perpetuum valitura lege sancimus, atque omni cum palatino officio futuris temporibus instituētes decernimus, vt nulli Hebræo ab anno regni nostri feliciter primo Christianum liberum, vel seruum mancipium in patrocinio, vel seruitio suo habere liceat. Nullum ex his mercenarium nullumque sub quolibet titulo sibimet adhærentem hæc diualis sanctio fore permittit: vendere tamen infra fines regionū nostrarū in his locis, vbi cōmanere videntur, cū omni peculio Christiano, cui fas fuerit, iustissimo pretio libera facultas subiaceat: nec liceat venditorib. in alias eos regiones transferre, nisi vbi eorumdem mancipiorum cessio iudicatur & mansio. Quod si ita proueniat, vt hi qui transacti fuerant, nihil in suo videantur habere peculio: tantum his mancipiis à venditoribus dari præcipimus, quantum illis sufficere ad excolendum, vel gubernandum se inuenerit cōparantis electio: ne sub nomine emptionis non tam transactio, quàm videatur esse exilium. Libertare vero seruum Christianum Hebræus si maluerit, ad ciuium Romanorum dignitatem eundem manumittere debebit, nulli scilicet Hebraico vel quolibet obsequio reseruato: sed vitam suā vbi voluerit manumissus procul ab Hebræorum consortio transigendi habeat potestatem. Quod si calliditatis fraudulentia Hebræus effectus venditionem atque libertatem tali sub dolo confecerit, vt quædam deceptionis argumentatio, vel venundatio, vel manumissio futuris temporibus inuido dolo præueniat, quatenus hunc captiositas ementis atque vendentis dolo malo decipiat: huius nefandi sceleris argumentum ingenuus si prodiderit, facultatem sibi profuturam in omnibus Iudæi percipiat. Christianus vero re vera, quem similis præsumptio reum fecerit, nullis si fuerit facultatibus dilatatus, in seruitium cui princeps voluerit redigatur. Si rerum illi certe ambitio fuerit, medic-

medietatem fisco coniunctam perpetua ipse infamia notetur. Seruus vero huius calli ditatis detector liberum se gaudeat futurum, & in eius consistat assiduus patrocinio in cuius cernitur hactenus fuisse seruitio. Vt autem eius firmissima libertas permaneat, vicarium à fisco seruum dominus pro eodem accipiat: & insuper libra auri ab ipsis, quorum reuelabit scelera, illi exacta proficiat. Quod si Hebræus circunciderit Christianum, aut Christianam in suam sectam, ritumve transduxerit, cum augmento denuntiantis capitali subiaceat supplicio, eiusque sine dubio bona incunctanter sibi vendicet fiscus. Mancipia verò quæ ex Christianorum & Hebræorum cœnobiis nata vel genita esse noscuntur, id obseruari censuimus, vt Christiana efficiantur. Si certe hi, qui in ritũ Hebræorũ traducti sunt, in ea perfidia stare voluerint, vt minime ad sanctam fidẽ perueniant: & in cœtu populi verberibus cæsi atque turpiter decaluati, & alicui Christiano (cui a nobis iussum fuerit) perpetuo seruituri tradantur. Quod si tam illicita connubia fuerint præuenta, id elegimus obseruandum: vt si voluntas subiacuerit, infidelis ad fidem sanctam perueniat. Si certe distulerit, nouerit se coniugali consortio diuisum atque diuisam in exilio perenniter permanere. Inter cætera hoc adiicientes præcipimus, vt dum quispiam ab Hebræorum certa deuotione in Catholicam confugium fecerit fidem, & purificationis vnda lauacrum sanctum susceperit, quidquid eodem tempore in omnibus rebus comprobatur habere, remota cunctorum molestia, vt vere fidelis, sibi perpetim vindicet. Hoc vero edictum intra diem Kalendarum proxime succedentium Iuliarum implere cunctos per nostras a Deo collatas regiones modis omnibus permonemus. Quibus euolutis Kalendis, apud quemlibet Hebræorum Christianum repertum fuerit mancipium, medietas substantiæ huius Hebræi fisco subiaceat, & libero reddito, qui per suam proditionem fuerit apud eum repertus, nihil sibi Hebræus de persona eius, vel peculio vltra defendat. Hanc ergo legem quam pietatis & religionis amore concepimus pro nostro populique nostri remedio, in perpetuum suffragante auctore domino valituram esse censemus. Successores quoque nostros legis huius instituta seruantes victrix Christi victores faciat dextera; & eius soliũ in veritate corroboret, cuius in hoc fidem inspexerit diuina clementia. Et licet huius legis prolatam sententiam a nemine temerari posse credamus: audacia tamen transgressoris, & non venerabiliter conuersantis, sit in hoc seculo ignominiosior cunctis hominibus, & vita illius eodem in tempore concidat: quod sinistræ partis assensum in tam nefaria cum voluntate perduxerit detestanda temeritas, tantumque obnoxius in æternum peccatorum mole detineatur, in quantum transgressus fuerit legis huius salubre decretum. Futuri etiam examinis terribile cum patuerit tempus, & metuendus aduentus domini fuerit reseratus, discretus a Christiano grege perspicuo ad læuam cum Hebræis exuratur flammis atrocibus, comitante sibi diabolo: vt vltrix flamma in transgressoribus æterna pœna desæuiat, & locuples remuneratio Christianis fauentibus hinc in æternum copiosa detur.

XV. FLS. GLS. RCDS. REX.

De interdicto omnibus Christianis ne quisque Iudæum quacunque factione atque fauore vindicare vel tueri pertemptet.

IN conclusione omnium præteritarum legum, quæ ad conterendam perfidiam Iudæorum tam nostra intentione quam prçcessorum nostrorum studia decreuerunt, oportuit hanc nouissime legem ad robur soliditatis adiicere, & competenti munimento promissa ex ordine roborare. Postquam enim dedimus sacræ fidei profanis hostibus competens repudium, & cunctis † inuentionibus perfidorum posuimus exoriri terminum, debite compulsi sumus, & ea quæ concreta sunt solidare, & quæ solidata sunt pulchritudine venustare: vt quanto artifex viuacius expressit ingenium cogitationis in artem, tanto vigorem simul & decus adsumat qualitas formæ. Ne ergo quibuscunque adinuentionibus calliditas Iudæorum indefinenti persequenda conatu subrepat, aperiens profano iuri licentiam, hoc euidenter in legis huius decernitur sanctione: vt nullus de religiosis cuiuscunque ordinis vel honoris seu de palatii mediocribus atque primis, vel ex omnibus cuiuslibet qualitatis aut generis, aut principum vel quarumcunque potestatum, aut obtineat, aut subprimat animos Iudæos, siue non baptizatos, in suæ obseruationis detestanda fide & consuetudine permanere: siue eos qui baptizati sunt ad perfidiam ritumue pristinum quandoque redire. Nullus sub patrocinii nomine eos pro suæ prauitatis licentia conetur in quippiam defensare. Nullus quocunque argumento aut factione illis hanc defensionem conetur impendere, per quam liceat eis obuia san-

† adinuentionibus.

ctæ fidei & Christiano contraria cultui palam aut occulte aliquatenus attentare, nequiter proferre vel tangere. Quod si quispiam hæc præsumpserit temerare: si episcopus fuerit aut etiam ex cæteris clericis atque religiosis, vel certe ex cunctis laicis quisque deprehensus extiterit, à conuentu Catholicorum seclusus, & excommunicatione ecclesiastica ferietur, & quartæ partis omnium suorum bonorum amisione mulctabitur, quæ fisco non dubie quantocius connectetur. Dignum etenim est eos aliquandiu à fidelium Christi societate diuelli, & rerum dampno mulctari, qui apponunt Christi amorem & veritatis speciem consensu inimicorum eius detestabiliter impugnare: in legum transgressoribus illa immobiliter sententia permanente, quandiu piæ memoriæ Sisebutus Rex visus est in huiusmodi actione superiorem legem sanxisse. 1

XVI.

Placitum Iudæorum in nomine principis factum.

CLementissimo ac serenissimo domino nostro Recesuindo Regi, omnes nos Hebræi Toletanæ ciuitatis atque Hispaniæ gloriæ vestræ qui infra subscripturi vel signa facturi sumus. Bene quidem ac iuste nos meminimus compulsos fuisse, vt placitũ in nomine diuæ memoriæ Chintilani Regis pro conseruanda fide Catholica conscribere deberemus, sicut & fecimus. Sed quia perfidia nostræ obstinationis & vetustas parentalis erroris nos ita detinuit, vt nec veraciter in Iesum Christum dominum crederemus, nec Catholicam fidem sincere teneremus: idcirco nunc libenter ac placitè spopondimus gloriæ vestrę, tam pro nobis quàm pro vxoribus & filiis nostris, per hoc 2 placitum nostrum, vt deinceps in nullis obseruationibus, in nullis incestiuis vsibus Iudaicis misceamus. Iudæis etiam nobis baptizatis nullo penitus execrando consortio consociemur. Non more nostro propinquitate sanguinis, vsque ad sextum gradum incestiua pollutione in coniunctione vel fornicatione iungamur: nõ coniugia ex genere nostro, aut nos, aut filii nostri, vel nostra posteritas vllaten⁹ sortiamur: sed in vtroq; sexu deinceps Christianis iugali copula connectamur. Non circuncisionem carnis operemur, non pascha & sabbata cæterosque dies festos, iuxta ritum Iudaicæ obseruationis, celebremus. Non escarum discretionem vel consuetudinem teneamus, non ex omnibus quæ Iudæorum vsus & abominanda consuetudo vel conuersatio agit, aliquatenus faciamus, sed sincera fide, grato animo, plena deuotione in Christum filium Dei viui, secundum quod Euangelica & apostolica traditio habet, credamus, atque hunc confiteamur ac veneremur. Omnes etiam vsus sanctæ Christianæ religionis, tam in festis diebus vel in coniugiis & escis, quam in obseruationibus vniuersis veraciter teneamus & sinceriter amplectamur: nullo reseruato apud nos aut oppositionis obiectu, aut fallaciæ argumento, per quod aut illa quæ facere denegamus iterum faciamus: aut hæc quæ facere promittimus, minime vel non sinceriter compleamus. De suillis vero carnibus id obseruare permittimus: vt si eas pro consuetudine minime percipere poterimus, ea tamen quæ cum ipsis decocta sunt absque fastidio & horrore sumamus & comedamus. Quod si in his omnibus quæ supra taxata sunt, in quocunque vel minimo transgressores inuenti fuerimus, & aut contraria Christianæ fidei agere præsumpserimus, aut quæ congrua Catholicæ religioni promisimus, verbis aut factis implere distulerimus: iuramus per eundem patrem & filium & spiritum sanctum, qui est vnus in Trinitate & verus Deus, quia si ex nobis horum omnium vel vnus transgressor inuentus fuerit, aut nouis ignibus, aut lapidibus perimatur. Aut si hunc ad vitam gloriæ vestræ reseruauerit pietas, mox amissa libertate, tam eum quàm omnem rei ipsius facultatem cui volueritis perenniter seruiendam donetis: vel quidquid ex eo, vel ex rebus eius fieri iusseritis, non solum ex regni vestri potentia, sed etiam ex huius placiti nostri sponsione potestatem liberam habeatis. Factum placitum sub die XII. Kalendas Martias anno feliciter sexto regni gloriæ vestræ. In Dei nomine Toleto.

RCDS. XVII. FLS. GLS. † CIN. REX.

De Iudaizantibus Christianis.

SIcut deflendum est à Christianis eorum scelus, qui in Christo præuaricatores existunt: ita modis omnibus decernendum, vt nullus omnino veniam mereatur, qui à meliori proposito ad deterius declinasse conuincetur. Quia ergo crudelis & stupẽda psumptio crudeliori debet extirpari supplicio: ideo legis huius edicto decernimus, vt quicun-

quicunque Christianus & præsertim à Christianis parentibus ortus, sexus scilicet vtriusque circumcisionem vel quoscunq; ritus Iudaicos exercuisse reppertus est, vel (quod Deus auertat) potuerit vlterius reperire, conspiratione & zelo Catholicorum tam nouis & atrocibus pœnis afflictus turpissima morte perimatur, quàm horrendũ & execrabile malum est, quod ab eo constat nequissimè perpetratum. Eorum verò bona sibi proculdubio fiscus adsumat: si heredes vel propinquos talium personarum facti huius error consentiendo commaculet.

III. TITVLVS.

DE NOVELLIS LEGIBVS IVDÆORVM, QVO & vetera confirmantur, & noua adiecta sunt.

XXVIII. *Vt episcopi omnes Iudæis ad se pertinentibus libellum hunc de suis editum erroribus tradat, & vt professiones eorum vel conditiones in scriniis Ecclesiæ condantur.*

In Nomine Domini.

I. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

De commemoratione priscarum legum, quæ in Iudæorum transgressionibus promulgatæ sunt, atque de nouella confirmatione earum.

PERFIDA Iudaici erroris sæpe calliditas eo vehementius durescit in crimine, quo institutis contra se legibus nititur frequentius contraire. Et ideo posituri tot tantisque eorum erroribus nouitatis ordine leges, libet tamen illas primum à dominis & præcessoribus nostris promulgatas in eorum transgressionem constitutiones intendere, & ordinatim præcedentium edicta retexere: vt ex hoc collata cum veteribus noua & vetera in his quæ recenter sunt edita confirmentur, vt condecet, & noua sic ordinentur, ne præterita citra rationem videantur confundere: quo vniformis membri compago, ex vtriusque legibus ordinata, clara hic iustitiæ manifestatione eluceat. Si quod in præteritis legibus confirmatione sit dignum, quidve nouitatis edictu inconuulsibile censeatur, eo luce clarius pateat, quo complexa hic ex vtrisque veritas extiterit declarata. Et ideo in eisdem præcedentium legum statutis reperimus legum, quæ de omnium hæresum erroribus abdicandis promulgata consistit: in quali lege id abiiciendum emendandumque euidens ratio persuasit: vt si cuiuslibet hæresis permotus quisque insania contempserit ipsius legis in aliquo instituta, cuiuscunque sit generis ordinisve persona: si publica, peruersum dogma defensione vindicare voluerit, sub arduo erit pænitentiæ exilio relegandus: eius quoque bona in principis potestate consistant: qualiter si ipse peruersi erroris sectator corrigi vsquequaque destiterit, & ille ab exilii nullo modo reuocetur ærumna, & res eius, cui eas princeps conferre voluerit, inconuulsè deseruiant. Cæterum si quis ignorantiæ præcipitio deditus cuiuslibet erroris sectam aut corde tenuerit, aut verbis vendicare voluerit, vel factis quibuslibet ostenderit, ad Episcopum loci vel quemlibet sacerdotem se instruendum remittat, qualiter ab eo vna cum consensu Metropolitani formulam rectæ institutionis accipiat. Iam vero si ab his hæreticus quisquis ille commonitus vel instructus se distulerit corrigere, superioris sententiæ iacturam ordine superius adnotato sustineat. Idque in illos est latum, qui publica defensione aduersam nostræ fidei iudicauerint sectam. Denique ab hinc speciales relaturæ sunt leges, quæ in Iudæorum sunt transgressionibus positæ: id de datis & confirmatis legibus supra Iudæorũ nequitiã promulgatis, siue de cũctis Iudæorũ errorib. generaliter extirpandis, & ne Iudæi more suo celebrẽt pascha, neq; vt more suo fœdus nuptiale copulare præsumant & vt carnis circuncisiones non faciant, neque more suo iudicent escas, ac ne quæstionem Christianis inscribant, neque contra Christianos testificentur: & ne Iudæus Christianum mancipium circuncidat: De mancipiis quoque Christianis, quæ à Iudæis vendita aut libertati tradita esse noscuntur, qualiter statũ libertatis obtineant, & vt nullo modo Iudæis mancipia deseruiant Christiana: de interdicto quoque omnibus Christianis, prohibetur ne quisque Iudæum quacũq; factione atq; fauore vindicare vel tueri pertẽptet, atq; de Iudaizantib. Christianis. Harũ igitur fortissimarum legum sententia in prędictorum Iudæorũ perfidiã promulgata, exceptis duobus subter adnexis capitulis, cæterisq; aliis quæ contraria inueniuntur, & his iustitię regulis, & his institutionib⁹ nostris, omnia, vt dictum est iugi temporũ æternitate valitura censemus, & inreuocabili glorioso serenitatis nostræ oraculo confirmamus, atq; in tãtum eis consultum valitudinis robore celebriori porrigimus, in quantũ nil repugnans habuerũt, cum his quæ nouitatis nostræ sententia definimus. Nã in quibusdam ipsis legibus, q nobis inconueniens videtur atq; contrarium, & duo interim inter cætera repugnantia rationi vel institutioni nostræ capitula cõtinet: quæ licet tẽpta vsq; hactenus nullo modo, nullius tamen vigoris deinceps valetudinẽ retinebũt. Illa siquidẽ in his sententiis prima est per q̃ Iudæis datur execranda licentia manumitti Christiana mancipia. Secundum sanè capitulum non solum reprehensibile nobis videtur, sed impium, vbi totius vniuersitas culpæ ad vnius redigi-

redigitur dampnationem vindictæ. Nam quædam legis sicut culparum habent diuersitates, non ita discretas in se retinent vltiones, sed permixta scelera transgressorum ad vnius permittuntur legis pœnale iudicium. Nec secundum modum culpæ modus est adhibitus culpæ, cũ maior minorque transgresio, vnius non debeat multationis prædampnari supplicio: præsertim cum dominus in lege sua præcipiat. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Vnde lex ipsa quæ inscribitur de pœna qua perimenda sit trãgressio Iudæorum: quia Deus mortem non vult, nec lætatur in perditione viuorum pro eo quod in se peremptionem continet mortis, in nullo veræ valetudinis retinebit statum. Proinde iam nunc ad operiendum malitiæ caput, ad denegandum infidelitatis cõmentum, ad perimendum profanationis elogium, alacri intentione procuram, nisu validæ oppugnationis obsistam, fortia in perfidis præceptionum tela obiiciam.

II.

De blasphematoribus sanctæ Trinitatis.

SI veritas sacri Euangelii prædicat, prolatum in fratrem contumeliæ verbum iudicio reum adsignat. Quanto magis peccantem in spiritum sanctum diuinæ animaduersionis sententia dãpnat, quod irremiscibile hic & in futuro saluator ipse denunciat? Et ideo si quis Christi filii Dei blasphemauerit nomen, eiusque sacrum corpus & sanguinẽ aut contempserit sumendum percipere, aut perceptum visus fuerit reiecisse, vel quemlibet iniuriarum blasphemiam in sanctam dixerit Trinitatem, id est, in patrem, & filium, & spiritum sanctum: tunc instantia sacerdotis vel iudicis, in cuius ciuitate, castro vel territorio hoc malum exortum fuerit, blasphemator ipse centenis decaluatus flagellis subiaceat, & ardua in vinculis constitutus perpetui exilii conteretur ærumna. Res tamen eius in potestatem principis redactæ manebunt, qualiter in iure eorum, cui eas potestas conferre elegerit, inconuulse persistant.

III.

Ne Iudæi, aut se aut filios suos, aut famulos baptismi gratiæ subtrahant.

CVm veritas ipsa petere, quærere & pulsare nos doceat, præmonens quòd regnum cælorum violenti diripiant: in nullo est dubium, quod ille indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non festinet. Proinde si quis Iudæorũ, de his scilicet qui nondum sunt baptizati, aut se baptizare distulerint, aut filios suos vel famulos nullo modo ad sacerdotem baptizandos remiserit, vel se, suosque de baptismo subtraxerit, & vel vnius anni spatium post legem hanc editam quispiam illorum sine gratia baptismatis transierit: horum omnium transgressor, quisquis ille repertus fuerit, & c. flagella decaluatus suscipiat, & debitas multetur exilii pœna. Res tamen eius ad principis potestatem pertineant: qualiter si incorrigibilem durior eum ostẽderit vita, perpetua in eius, cui eas princeps largiri voluerit, potestate permaneant.

IV. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi more suo celebrent pascha, vel carnis circuncisionem exerceant, ne Christianum quemque à fide Christi dimoueant.

SI obstinata Iudæorum perfidia non tam figuris quàm veritati obseruantiam legis impenderet, nunquam gloriæ dominum crucifixissent. Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Et si cordis nobis circumcisione gauderet, adumbratam illam corporis expoliationem nullo modo in carne exprimeret, propheta dicente: Circuncidimini domino, & auferte præputia cordium vestrorum. Vnde nos, non tam figuris prętereuntibus inhærentes, sed veritatis promissionibus certiores, id omnino obseruandum præcipimus: vt si quis Iudæorum ritu suo pascha celebrauerit, centenis verberatus flagellis, & turpiter decaluatus exilio diutino mancipetur, & eius res fisco adsociandæ sunt. Illis verò qui carnis circuncisiones in Iudæis vel Christianis exercere præsumpserint: quisquis hæc aut intulerit alteri, aut fieri ab altero permiserit sibi, veretri ex toto amputatione plectetur, & res eius fisci iuribus sociandæ sunt. Mulieres tamen quæ aut circuncisiones exercere præsumpserint, aut circuncidendos quisque cuilibet circuncisori obtulerint: naribus abscisis, & rebus omnibus in principis potestate redactis lugeant facinus suæ præsumptionis. Simili quoque & illi pœna plectendi sunt, qui Christianum vel Christianam à fide dimouerint Christi, vel ad ritũ Iudaicæ præuaricationis adduxerint.

V. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi sabbata cæterasque festiuitates ritu suo celebrare præsumant.

FIguris præeuntibus quempiam operum indesinenter exhibitiones impendere, quid est aliud quam veritatis amatorem non esse? Vnde reprobabile id dominus per prophetam insinuans ait: Neomenias, sabbata, & solempnitates veras odiuit anima mea. Ob hoc nobis, quibus Apostolico præceptum est ore, vt potius in nouitate spiritus, quã in vetustate litteræ ambulemus, id infidis fideli intentione præcepimus: vt si quis Iudæorum Neomenias, seu festiuitates tabernaculorum vel sabbata, ferias quoque vel cæterarum festiuitatum solempnitates & ritus, suo more peregerit, vel celebrare præsumpserit, & centenis decaluatus flagellis subiaceat, & exilii debita multetur ærumna. Bona quoque eius ad principem redeant: qualiter ea aut perfecte conuerso illi aliquando restituat, aut eo in malis perdurante, aliis quibus fas est, seruitura concedat.

VI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt omnis Iudæus diebus Dominicis & prænotatis festiuitatibus ab opere cesset.

IN nullo est dubium illum manifeste fidei Catholicæ aduersari, qui reuerentiam diebus Dominicis non impendit. Vnde negatores vel disturbatores fidei nostræ iustissime insequentes, id religiosa sanctione iubemus: vt siue sit Iudæus, siue Iudæa, quodlibet opus ruraliter diebus Dominicis exercens, vel lanificia faciens, seu quascunque operationes in domibus, agris vel cæteris talibus agens, extra quam nobilium honesta Christianorum consuetudo permittit: præsumptor huius rei decaluatus verberibus cętenis subiaceat. Quod si forsitan serui eorum vel ancillæ in his, & talibus diebus repe}riantur supradictis laboribus occupati, tunc & ipsi simili sunt sententia feriendi. Domini tamen eorum, si seruos suos promiserint talia agere, c. solidos auri fisco compellendi sunt reddere. Dies tamen ipsi qui ab iisdem Iudæis sollicita deuotione sunt obseruandi hi sunt: id est Festum sanctæ virginis Mariæ, quo gloriosa conceptio eiusdem genitricis domini celebratur. Item natalis Christi, vel circuncisionis, vel apparationis suæ dies. Pascha quoque sanctum, vel dies sacratissimi octauarum. Inuentionis quoque sanctæ crucis dominicæ festum, necnon & Ascensionis dominicæ diem, vel Pentecostem, seu etiam concurrentes toto anno dies Dominicos, religiosa Christi fide venerabiles.

VII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

Ne Iudæi more suo diiudicent escas.

ILlud sane quod Iudæorum detestabilis conuersatio Iudaica superstitione pollutior, mundas ab immundis diiudicans escas, aliud adsumit, aliud reiicit, in quacunque huius obseruantia inuentus fuerit error, id est, vt aliter id faciat quam honesta Christiani moris est consuetudo: tunc iudicis instantia, in cuius territorio actum extiterit, turpiter decaluetur, & centenis verberibus feriatur. Huius sane legis omnimoda præceptionis integritas, sicut de escis, ita & de poculis obseruanda est, scilicet vt superioris iacturæ supplicium perferat. Simili quoque ordine & illi, qui a Christianis poculis se abstinere præsumpserint, patiantur. De escis tamen, id est de porcinis tantum carnibus, id discreta, nec remissa pietate decernimus: vt quicunque ex illis de suillis forsan carnibus vesci penitus abhorrescunt: si forte natura fastidiente refugiunt, & non more illo peruersitatis hoc ipsum diiudicantes contemnunt, pręsertim si in cęteris operibus Christianis similes habeantur, & Christianitatis ab eis non defuerit votum, atque omnimodę operationis studium: tunc hi tales, qui fideles in reliquis conuersationibus approbantur, pro hac sola reiectione suillarum carnium ad iacturam legis superius comprehensam teneri non poterunt. Quia valde videtur æquitati contrarium, vt quos manifesta operum Christi nobilitat fides, pro sola reiectione vnius cibi teneantur notabiles.

VIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi ex propinquitate sui sanguinis connubia ducant, & vt sine benedictione sacerdotis nubere non audeant.

NVlli Iudęorum in vtroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel vxoris suę, atque etiam virorum, iuxta legem quę in Christianis est lata, vsque ad sextum generis gradum connubia ducere, vel incestum macula operari. Huius igitur fœdæ

fœdæ permixtionis illecebra tali multabitur pœna, vt separati ab inuicē, & centena publice decaluati flagella suscipiant, & exilio relegati sub pœnitentia maneant: eorumque bona ad filios, quos de præcedenti coniugio habuerint, redeant. Si tamen & ipsos aut in nullo Iudaicæ præuaricationis maculauerit noxa, aut nulla incesti venationis sordidauerit macula. Quod si aut nullos habuerit filios, aut animos, vt dictum est, vel Iudaicus inuoluerit error, vel incesti fœdauerit natio: tunc facultas prædictorum omnimoda in principis potestate consistat, qualiter principali discretione res ipsa aut in Christianis eorum hæredibus concessa permaneat: aut si hæredes huiusmodi dignitatis defuerint, fisco nostro sociata deseruiat. Illud tamen modis omnibus obseruandum fore præcipimus: vt si quis Iudæus, siue Iudæa nouiter nuptiale festum celebrare voluerint: non aliter quàm cum præmisso dotis titulo, quod in Christianis salubri institutione præceptū est, vel sacerdotali benedictione intra sinum sanctæ Ecclesiæ percepta, coniugum cuiquam ex his adire permittimus. Quód si vel sine benedictione sacerdotis quisque Hebræorum nouiter coniugium duxerit, vel solempnitatem legis pro dotali titulo in quocunque transcenderit, aut c. principi solidos coactus exsoluat, aut centum publicè verberatus flagella suscipiat. Hæc scilicet dampna vel verbera sigillatim vnusquisque percipiat: videlicet tam ille qui nupsit quàm ea quæ nupta est, vel etiam parentes eorum vnusquisque pro se iacturam legis huius suscipiet.

IX. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

Ne Iudæi religioni nostræ insultantes sectam suam defendant, ac ne à fide refugientes alibi se transducant, & ne quislibet refugientes eos recipiat.

IAm sanè si quis Iudæorum palam vel occulte religioni nostræ Christianæ insultare præsumpserit, si quis etiam Christianam fidem verbis subuertere, aut sectæ suæ nisus fuerit defendere vanitatem, nec non quisquis disciplinam fidei Christianę refugiēs, aut in terram nostri regiminis se occultandum iniecerit, aut in aliis partibus se latitandū transduxerit: si quis etiam huiusmodi transgressoribus latibulum in quocunque præbuerit, aut eius fugæ conscius fuerit: cunctorum omnium capitulorum quisquis ille fuerit transgressor inuentus, & centenis decaluatus multabitur plagis, & reb. eius in principis potestatem redactis, exilii conteretur ærumnis.

X. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

Ne Christianus à Iudæo quodcunque munus contra fidem Christi accipiat.

QVam sit extraneum à Christianæ fidei regula, qui defensorem se veritatis insimulat, & veritatem ipsam munerum acceptione commaculat, audiat contra se Prophetam dicentem: Pro eo quód vendidistis argento iustum, & pauperem pro calceamento: ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno, & peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam, & robustus corde inter fortes nudus effugiet. Quis enim hic venditus argento iustus accipitur, vel pauper pro calceamēto, nisi vnigenitus filius Dei patris, cuius innoxius sanguis xx. olim à Iudæis taxatus argenteis, cotidie venundatur ab illusoribus veritatis? Et ideò sunt quidam ex fidelium numero, qui quasi zelo fidei Iudæorum culpas se detegere vel plectere valida intentione promittant, quos tamen deprauat solitæ cupiditatis illecebra. Nam si talibus quodcunque forsan fuerit à perfidis in munerum collatione oblatum, illico reticescunt, & errores talium, quos vindicare & detegere ante præmissum sibi beneficium nitebantur, percepto miserabili quæstu impunitos transire permittunt. Vnde nulli Christiano licebit cuiuscunque sit generis, aut dignitatis, ordinis, siue personæ, siue ex religiosis, siue etiam ex laicis, quodcunque beneficium contra fidem Christi, à quolibet Iudæo vel Iudæa, siue etiam per eorum internuntios, quodcunque sibi illatum accipere, neque se ob talium vindicationem contra regulas fidei Christianæ oblatis sibi præmiis implicare. Si quis autem qualibet beneficiorum exhibitione corruptus, aut agnitos errores Iudæorum celauerit, aut, ne prauitas talium feriatur, quolibet modo obstiterit, & antiquis patrum regulis erit obnoxius, & tantum in duplo fisci erit partibus illaturus, quantum à Iudæo quisque ille accepisse fuerit comprobatus.

XI. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

Ne Iudæi libros illos audeant legere, quos Chriſtiana fides repudiat.

ILlis commodare lectionibus ſenſum, quibus fas non eſt præbere aſſenſum, impietatis eſt potius quam pietatis indicium. Et ideò ſi quis Iudæorum libros illos legerit vel doctrinas attenderit, ſiue habitos in domo ſua celauerit, in quibus malè contra fidem Chriſti ſentitur, & publicè decaluabitur, & centenorum flagellorum verberatione plectetur. Qui tamen cautionis vinculo alligabitur, ne vnquam talium libros vel doctrinas apud ſe aut habere præſumat, aut attendere audeat, aut ſtudiis meditandi aſſumat. Iam verò ſi poſt emiſſum placitum quodcunque tale repetere temptauerit, & decaluatus centenis flagellis ſubiaceat, & amiſſis rebus ſub perpetui exilii conteretur ærumna: vt quia iam ſecundò viſus eſt erroris ſui iteraſſe veſtigium, perenniter illis res eorum deſeruiant, quibus principali fuerint collatione conceſſa. Hæc & ſimilia illi percipient, qui quemlibet infantium talia præſumpſerint docere, id eſt, vt doctor ipſe iniquitatis in prima tranſgreſſionis fronte deprehenſus, & centenis ſubiiciatur decaluandus verberibus & placiti ſui polliceatur cautione ſe talia vlterius neminem debere docere. Quòd ſi primæuæ huius ſponſionis maculans fidem contingat illi ea quæ abiecerat repedare, omni eius facultate in principis poteſtate redacta ipſe decaluatus, centeniſque verberibus adiudicatus perpetuo erit exilio relegādus. Infantes tamen ipſi vel pueri tūc erunt à ſupradictis dampnis atque verberibus alieni, ſi hanc perfidię doctrinam intra x. annos ætatis ſuæ poſiti meditaſſe fuerint viſi. Cæterum ſi poſt exemptos decem annos quiſquis illorum talia attendere vel meditari præſumpſerit, ſuperioris conſtitutionis dampna vel verbera ordine ſuperius adnotato ſuſtineat.

XII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

Ne Iudæis mancipia ſeruiant vel adhæreant Chriſtiana.

IMportabile ſatis Chriſtiano, cui videri debet flagitium vt gens Iudaica, contra dominum rebellis ſemper & impia, Chriſtiana mancipia ſuis habeat ſeruitiis religata: & verſa vice religionis noſtræ honorabile Chriſti membrum humilietur ante filios perditorum; & portio dicata Chriſto per lauacrum, perfidorum obſequiis ſubiugetur. Sicque corpus Chriſti videatur obſequi Antichriſti miniſtris: cùm præpoſtero ordine ipſi qui noſtram oppugnant moribus fidem, obſequentes habent ad impietatem famulos fidei noſtræ. Proinde legem illam quæ à glorioſo præceſſore noſtro diuæ memoriæ Siſebuto rege eſt edita, in huiuſmodi cauſis tenendam eſſe ſancimus, & omnem textum legis ipſius, excepto vbi mortis vltio ponitur, glorioſo ſerenitatis noſtræ oraculo confirmamus: qualiter iuxta prædictæ legis edictum, vbi tranſgreſſores legis ipſius, ſucceſſores ſcilicet regni, ſub perpetua maledictionis cenſura obſtrinxit. Nullus ex Iudæis mancipium Chriſtianum habere præſumat, nec quidquam contra eiuſdem legis monita agere præſumat, excepto hoc vno cum eiuſdem Iudæis penitus non licebit ſecundùm quod lex ipſa permittit, vt Chriſtianum mancipium Iudæus audet manumittere. Quia valde indignum eſt, vt quos cœnoſa ſeruitus perfidiæ maculat, libertatis titulum Chriſtianis imponant. Non enim eſt conſequens, vt tenebræ lucem obnubilent, aut ſeruitus præroget libertatem, præſertim cum hoc in primęua tantummodo editione legis ipſius, cùm ad fidem primitus vocarentur, illis videatur fuiſſe conceſſum. Nunc verò Chriſtianum quemquam mancipium manumittere omnino non poterunt, quia contra legis ipſius edictum, vt verè vtiq; tranſgreſſores Chriſtiana habere mancipia cōprobantur, quibus ſufficiat ſi pro præteritis tranſgreſſionibus non damnentur. Nam modò illis hæc licentia penitus denegatur: quia contra interdicta legum, & Canonum agere præſumpſerint. Hoc tantum illis more concedimus pietatis, vt à primo anno regni noſtri, id eſt à Kal. Feb. vſque ad ſexageſimum diem habeat quiſque ille Iudæus iuxta tenorem prædictæ legis licentiam Chriſtiana venundare mancipia, non tamen ſine cognitione ſacerdotum vel iudicum, ad quorum territoria pertinere noſcuntur: ne & hi qui venundandi ſunt, dampna mortis perferant vel ſalutis, & his qui venditores exiſtunt, locum agendæ fraudis vel inferendæ repediant vltionis. Iam verò à prædictis Kalendis tranſacto ſexageſimo die nulli Iudæorum licebit mancipium Chriſtianum habere, non ingenuum, non etiam ſeruum. Sed poſt peractum huius temporis ſpatium, id eſt ſexagint adierum apud quemcunque Iudęum mancipia Chriſtiana repperiantur, cum col-

lato

lato ſibi à dominis ſuis peculio per huius noſtræ legis edictũ liberi erũt modis omnib. permanſuri, ſi tamen ſe violenter à dominis ſuis obcelatos eſſe probauerint. Iudæi tamen ipſi qui expleto temporis ſupradicti ſpatio tenere, ſeu habere, vel occultare ſiue celare mancipia Chriſtiana præſumpſerint, aut etiam aliis quibuslibet modis hanc ſanctionem ſerenitatis noſtræ implere diſtulerint: aut medietatem rerum ſuarum fiſco ſociandam amittant, aut ſi viliores perſonæ fuerint, & non habuerint vnde componant, centena decaluati flagella ſuſcipiant.

XIII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

Si ſe Iudæus Chriſtianum eſſe teſtetur, & ob hoc non velit reiicere à ſe mancipium Chriſtianum.

SI quorundam Iudæorum fraudulenta ſubtilitas, cauens quæſtum rei ſuæ amittere, Chriſtiano more ſe intimet conuerſari, & ob hoc dicat non ſe amittere debere Chriſtiana mancipia, quia & ipſe Chriſtianam videatur ducere vitam: his ordinibus comprobandum eſt, quò nec aſtuta fraus excuſationem obtendat, nec ſincera cõuerſio, caſum cum cæteris pereuntib. perdat. Ac per hoc id omnimodo ſanctione decernimus, vt omnes Iudæi per vniuerſas regni noſtri prouincias cõſtituti ab anno primo regni noſtri, Kal. ſcilicet Feb. vſque in ſuperuenientibus præſentis anni Kal. April. aut vendendi Chriſtiana mancipia iuxta præmiſſæ legis ordinem licentiam habeant, aut ſi ea apud ſe retinere voluerint, his ordinibus ſe Chriſtianos oſtendant. Concedimus enim eis, id eſt his tantum de quibus euidens periurii ſuſpicio non habeatur, vt habeant lx. dierum vſque in Kal. præſentis anni Aprilibus ſalutare ſpatium, in quo poſſint qui ex illis ſaluandi vel Chriſtianæ fidei aggregandi ſunt, ad Epiſcopos locorum concurrere, & manus ſuæ ſignis, vel ſubſcriptionibus roborata illis ſuæ profeſſionis fœdera publicare: in quas profeſſiones id curabit quiſque ille innectere, quia ritus omnes Iudaicos abneget, & in nullo ſequatur ſectam præuaricationis antiquæ. Et quia ex toto corde priſtinos errores relinquens ad fidem religionis conuerſus fuerit Chriſtianæ, cum ſymboli quoque interpoſitione, & quod vltra ad vomitus ſui nullo modo reuertatur errorem, vel cætera ſecundum conſcriptum profeſſionis ipſius ordinem, quem poſt hanc legem curauimus adnotare. Has ſanè profeſſiones ne nudis tantummodò verborum promiſſionibus proferant, & aliud verbo promant, aliud corde retineant, ſicque in eorum promiſſis ſimulatio potius, quam veritas locum ſuum inueniat: ſollicita Epiſcoporum, iudicumque inſtantia, illi ipſi, qui ſuperioris profeſſionis ſuæ patefecerint votum, allatis cõditionibus iurare debebunt, quia quæ eorum profeſſio continet ſincero & non maculato corde profiteantur ſe donec aduixerint conſeruare. Sicq; fiet vt hi tales, quos & profeſſio cum operis effectu dignos eſſe probauerint, & iuriſiurandi pollicitatio deuotos fore monſtrauerit, poſſint, vt pote Chriſtiani, Chriſtianorum mancipiorum ſeruitiis vti. Nam non aliter poterunt Chriſtiana mancipia illorum dominio ſubiugari, niſi & ipſi euidenter comprobentur veriſſimi Chriſtiani, & frequenter Chriſtianorum ſocietate coniungi. Iam vero qui poſt datam profeſſionem reddito ſacramento iuxta ſuperiorem ordinem, Chriſtianum ſe eſſe deuouerit, & in quolibet ritu Iudaicæ ſectæ cultor ac promiſſionis ſuæ tranſgreſſor eſſe reperiatur, quia & nomen domini Dei ſui auſus eſt profanare, & Iudaici erroris cœno polluere, amiſſis rebus omnibus, & in principis poteſtatem redactis, & c. flagella decaluatus ſuſcipiat, & exilii debita pœna conteratur. Illos tamen qui obdurato corde, obſtinatione malitiæ intercluſi, infra dierum numerum ſuperius conſtitutum, aut profeſſiones ſuas publicare deſtiterint, aut extra prædictum tempus Chriſtianum mancipium habere præſumpſerint, ad damnationem præmiſſæ legis, quæ de Chriſtianis mancipiis lata eſt, vt Iudæis non ſeruiant, teneantur obnoxii: id eſt, vt aut medietatem rerum ſuarum fiſco ſociandam amittant, aut, ſi viliores perſonæ fuerint & non habuerint vnde componant, centena decaluati flagella ſuſcipiant. Mancipia tamen Chriſtiana, quæ retinere apud ſe contra legum vetita præſumpſerunt, quia ſe ipſa prædicti temporis ſpatio Chriſtiana fuiſſe non prodiderunt, in eorum ſeruitio quibus à Rege donati fuerint, ſeruituri perpetualiter permanebunt.

XIIII.

Profeſſio Iudæorum, quomodo vnuſquiſque eorum ad fidem veniens, † indiculum profeſſionis ſuæ conſcribere debeat. † *indicium.*

EGo ille abrenuncio omnibus ritibus & obſeruationibus ſectæ Iudaicæ, abomi-

nans in toto solemnitates vel ceremonias siue obseruationes omnes quas in præteritis obseruaui vel tenui. Ita vt deinceps nihil de ritu vel celebritate earundem obseruationum exerceam, nihil de vsu præteriti erroris assumam, id est, vt nec affectu talia quæram, nec opere quodcunque tale perficiam. Proinde abrenunciatis his omnibus quæ Christianitatis doctrina abominatur & prohibet.

Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ: visibilium omnium & inuisibilium conditorem. Et in vnum dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, ex patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Natum, non factum, homousion patri, hoc est eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo, & quæ in terra. Qui propter nos & propter nostram salutem descendit de cælo. Et incarnatus est de spiritu sancto, & Maria virgine. Homo factus. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus. Tertia die resurrexit. Ascendit in cælos, sedet ad dextram patris. Iterum venturus in gloria iudicare viuos & mortuos. Cuius regni non erit finis. Credo & in spiritum sanctum dominum & viuificantem. Ex patre & filio procedentem. Cum patre & filio adorandum & glorificandum. Qui locutus est per prophetas. Vnam Catholicam atque Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Expectans resurrectionem mortuorum. Vitam futuri sæculi.

Hæc quæ in huius Symboli fidem a me præmissa sunt veraciter credens, fideliter retinens, & cum toto mentis meæ affectu amplectens, promitto vt nullo vnquam tempore ad vomitum superstitionis Iudaicæ redeam. Nunquam obseruationes vel ceremonias, quas Iudæi soliti sunt custodire, amodo aut opere impleam, aut cordis affectu retineam, abnegans in toto Iudaicam sectam, respuens in toto Iudæorum perfidiam, abiiciens quidquid Christianam fidem impugnat, & ita me abinceps veraciter in sancta Trinitate profiteor credere: vt Christiano more deinceps viuere debeam, & Iudæorum amodo consortia fugiens cum honestis Christianis me semper adiungam, qualiter siue cum illis siue absque illis Christianos semper cibos accipiam, & ad Ecclesiam Dei, vt vere fidelissimus Christianus, deuotissime & frequentissime concurrere debeam. Sed & in festiuitatibus Dominicis, siue etiam in Martyrum festis, quas Christianæ religionis pietas obseruandas decreuit, ita promitto eas ipsas festiuitates deuotè suscipere, & cum summo amore amplecti, & in his ipsis diebus semper cum Christianis honestissimis interesse, sicut honesta & pia Christianorum consuetudo id facere vel suscipere consueuit. Facta est fidei vel credulitatis meæ professio sub die vel anno Regis.

XV.

Conditiones Iudæorum ad quas iurare debebunt hi qui ex eis ad fidem venientes professiones suas dederint.

IVro primum per Deum patrem omnipotentem, qui dixit, per memetipsum iurabitis, & non periurabitis nomen domini Dei vestri, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & mari posuit terminos dicens: vsque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos: qui dixit cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Qui primum Archangelum superbientem de cælo proiecit: ante cuius conspectum aditat omnis exercitus Angelorum cum tremore: cuius aspectus arefecit abyssos & indignatio tabescere montes facit. Qui primum hominem Adam in Paradiso constituens, ei præceptum dedit, ne de vetito pomo comederet ligni, quo degustato, & de paradiso est proiectus, & catenæ præuaricationis vinculo se vna pariter cum genere humano adstrinxit. Qui Abel sacrificium libenter accepit, & Cain indignum iuste reprobauit. Qui Enoch in huius vitæ corpore in paradiso conseruans cum Helia, in extremo huius sęculi fine morituros ad medium reducturus est. Qui Noe cum vxore & tribus filiis, cum vxoribus vel animalibus aut volatilibus atque reptilibus in archa tempore diluuii conseruare dignatus est, per quod vnumquodque genus recuperaretur. Qui de Sem filio Noe, Abraham & omnem Israeliticum populum propagare dignatus est. Qui Patriarchas & Prophetas elegit, & benedixit Patriarchis Abrahę, Isaac, & Iacob. Per eum qui sancto Abrahæ promisit dicens, in semine tuo benedicentur omnes gentes, dans ei signum circuncisionis in fœdere sempiterno. Iuro per eum qui Sodomam subuertit, & vxorem Loth aspicientem retrorsum in salis conuertit statuam: & per eum qui luctatus est cum Iacob, & tangens neruum eius claudicare eum fecit, & dixit, Non vocaberis Iacob, sed Israel. Iuro & per eum qui Ioseph liberauit de manu fratrum suorum, & eum gratiosum in oculis Pharaonis fecit, vt per eum a fame saluaretur omnis Israel. Iuro & per eum qui Moysen de aquis liberauit, & ei in rubo igneo apparuit: quiq; per manum

manum ipſius Moyſi decem plagas Ægyptiis intulit,& populum ſuum de ſeruitute Ægyptia liberauit,& per mare rubrum per ſiccum eos tranſire fecit, vbi contra naturam fluentis elementi, tamquam murus aqua ſe ſolidata exhibuit. Iuro per eum qui Pharaonem & exercitum eius in mari rubro demerſit. Iuro per eum qui per diem in columna nubis populum Iſraeliticum,& per noctem in columna ignis præceſſit. Iuro per eum qui Moyſi montem Sinai fumigare fecit, vidente populo Iſrael. Iuro per eum qui Aaron ſibi primum elegit ſacerdotem, & eius filios in tabernaculo igne conſumpſit, quare ignem alienum auſi fuiſſent offerre coram domino. Iuro per eum, qui Dathan & Abiron ſuo iuſto iudicio, vt eos viuentes terra abſorberet, iuſſit. Iuro per eum, qui amaras aquas immixtione ligni in ſaporem dulcedinis commutauit. Iuro per eum, qui ſitienti populo Iſraelitico in Horeb percutiente Moyſe virgam in petra immenſas aquarum inundationes exhibuit. Iuro per eum, qui XI. annis populum Iſraeliticum in eremo pauit, eorumque veſtimenta, ne vſu attererentur, integra vſquequaq; ſeruauit. Iuro per eum qui irreuocabili iuſſu decreuit, ne quis de filiis Iſrael in terram repromiſſionis intraret, ob hoc ſcilicet, quare verbis domini non crediddiſſent, exceptis Ieſu Naue & Caleph, quos illuc intraturos prædixit. Iuro per eum qui præcepit Moyſi, vt erecta manu ſua contra Amalechitas victor populus Iſraeliticus exiſteret. Iuro per eum, qui patres noſtros per manum Ieſu Naue Iordanis fluuium tranſire iuſſit, & vt XII. lapides de eodem fluuio in teſtimonium tollerentur, inſtituit. Iuro per eum, qui omni Iſraeli vt tranſito Iordane lapideis cultris circumciderentur præcepit, & per eum qui muros ciuitatis Hierico ſubuertit. Iuro per eum, qui Dauid regni gloriam decorauit, & de manu Saul vel filii ſui Abſalonis eum eripuit. Iuro per eum qui ad orationem Salomonis nebula templum repleuit, & ſuam inibi benedictionem infudit. Iuro per eum, qui Heliam Prophetam per turbinem in currum igneum à terra ſubleuauit, & cælorum ſedibus intulit. Et per eum, qui ad orationem Heliſei percuſſo pallio Heliæ aquas Iordanis diuiſit. Iuro per eum, qui omnes ſuos Prophetas ſuo ſancto ſpiritu repleuit, & qui Danielem à rabidis & immaniſſimis leonibus liberauit. Iuro per eum, qui tres pueros in camino ignis ardentis ſub oculis Regis infeſti conſeruare dignatus eſt, qui tenet clauem Dauid, & claudit quod nemo aperit, & aperit quod nemo claudit. Iuro per eum, qui omnia mirabilia & virtutes & ſigna in populo Iſrael vel in aliis gentibus fecit. Iuro & per ſacra X. præcepta legis. Iuro & per Ieſum Chriſtum filium Dei patris: ſanctumque Spiritum, qui eſt in Trinitate vnus & verus Deus: & reſurrectionem domini noſtri Ieſu Chriſti, eiuſque ad cælos aſcenſionem, & glorioſum, ac terribilem eius aduentum in quo venturus eſt iudicare viuos & mortuos, mitis apparens iuſtis, terribilis autem impiis. Atque eius venerandum corpus, & pretioſum eius ſanguinē, qui cæcorū oculos aperuit, ſurdos audire fecit, paraliticos ad ſua mēbra reduxit. Qui linguas mutorum reſoluit, dæmonio vexatos ſanauit, claudos currere fecit, & mortuos ſuſcitauit, qui ſuper aquas pedibus ambulauit, & Lazarum morte reſolutum, cum iam putredine ſe caro ſoluiſſet, vitæ ac ſaluti reſtituit, & in gaudium lamentum mutauit. Qui eſt factor ſæculi, lucis principium, ſalutis auctor. Qui mundum ortu ſuo illuminauit, paſſione ſua redemit, qui ſolus inter mortuos liber fuit, & à morte teneri non potuit. Qui tartarea clauſtra comminuit, & de inferno beatorum animas potentiæ ſuæ maieſtate eripuit. Qui deuicta morte carnem, quam de terris aſſumpſit, in cælum poſt mundi victoriam deportauit, ſedens ad dexteram Dei patris omnipotentis, accipiens ab eo æterni regni poteſtatem. Iuro etiam & per omnes cæleſtes virtutes, & per omnium ſanctorum & Apoſtolorum reliquias, ſiue & per quatuor Euangelia, quæ ſuperpoſitis his conditionibus in ſacroſancto altario illo, quod manibus meis contineo vel contingo: quia omnia quæcumque in profeſſione mea renotanda curaui, vel colligere potui, quam tibi domino meo illi illius ſedis epiſcopo manu mea ſubſcriptam dedi, ſinceriter totam inibi dixi, & ſub nullo argumento vel fraude ea quæ in profeſſione comprehenſa ſunt protuli: ſed omni ſinceritate ſicut eadem profeſſio continet, & omnes ritus vel obſeruationes abinceps Iudæas abnegaui, & omni cordis mei intentione in ſanctam Trinitatem crediturus ſum, & numquam in nullo ad priſtini erroris mei vomitum rediturus ſum, aut conſortio Iudaici erroris ſociandus: ſed in his omnibus & per omnia Chriſtiano deinceps more viuens, & Chriſtianorum participium habiturus ſum, & quidquid in eadem profeſſione, quam de ſanctę fidei obſeruatione conſcripſi, comprehenſum eſſe dignoſcitur, omni fidei puritate cuſtodiam, qualiter iuxta Apoſtolicam traditionem vel ſacri Symboli regulam deinceps viuere debeam. Quod ſi in aliquo aborbitans, aut ſanctam fidem

maculauero, aut ritus Iudaici ſectam in quocumque obſeruare intendero, ſeu ſi vos in quocumque per huius iuramenti mei promiſſionem illuſero, vel ſub ſpecie cuiuslibet iuramenti ea quæ promiſi, non ea intentione perfecero, ſicut à vobis me profitente, audita vel intellecta ſunt: veniant ſuper me omnes maledictiones legis, quæ in contemptores mandatorum Dei ore domini promulgatæ ſunt. Veniant etiam ſuper me, & ſuper domum meam, & filios meos omnes plagæ Ægypti & percuſſiones eius, & ad terrorem cæterorum ita iudicium Dathan & Abiron ſuperueniat, vt viuentem me terra deglutiat. Sicque poſtquam hac caruero vita æternis ignibus mancipandus ſim, habitatoribus Sodomæ & Iudæ particeps in pœnali ſupplicio comburendus: vt dum ante tribunal metuendi iudicis & glorioſi domini noſtri Ieſu Chriſti peruenero, in ea parte adnumerer, quibus idem terribilis & glorioſus iudex minando dicturus eſt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius. Latæ conditiones ſub die.

XVI. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

De Christianis mancipiis Iudæorum, quæ ſe non prodiderunt Christiana, ſiue de publicatoribus eorum.

HEbræorum mancipia religionis ſanctæ titulo conſecrata, ſi dominorum ſuorum qualibet perſuaſione illecta, abinceps nullo modo ſe fuiſſe prodiderint Chriſtiana, qualiter ſub eorum dominorum ſuorum iugo perſiſtunt, taliter indultæ libertatis religati catena modis omnibus tenebuntur. Hi tamen per quos hoc fuerit manifeſte decretum, ſi & ipſe Iudæus fuerit, & Iudæi cuiuslibet ſeruus extiterit, conuerſus ad Chriſti fidem in libertate perſiſtat. Sin autem quilibet ex Chriſtianis hoc prodiderit factum, quinque ſolidos per vnumquodque mancipium Chriſtianum accipiet, ab eo ſcilicet, qui eos apud ſe poſt data hæc decreta conuictus fuerit tenuiſſe.

XVII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi à quolibet poteſtate accepta extra regiam ordinationem Chriſtianum quemque imperare, plectere vel diſtringere audeant.

NVLLVS Iudæorum à primo anno regni noſtri, id eſt, à die quinto Iduum Ianuariarum, vllam adminiſtrandi, imperandi, diſtringendi, coercendi vel plectendi curam vel poteſtatem ſuper Chriſtianos exerceat: excepto ſi princeps aliqua vtilitatis publicæ id fieri permiſerit cauſa. Si quis autem Iudæorum accepta à quolibet poteſtate, Chriſtianum quemcumque diſtringere, plectere, coercere vel in eum deſæuire præſumpſerit; aut quicquam ei contra legum vetita, aut excogitata quæ in lege non ſunt inferre temptauerit: aut medietatem rerum ſuarum fiſco ſociandam amittat, aut ſi nullis fultus fuerit rebus, c. decaluatus flagella ſuſcipiat. Illi tamen qui hanc eis poteſtatem ſuper Chriſtianos exercere permiſerint: ſi nobilis qui hoc fecerit perſona extiterit, decem libras auri fiſco coactus exſoluat: minimæ tamen vilioresque perſonæ, v. libras auri fiſco perſoluendas amittant. Quod ſi non habuerint vnde componant, centenis decaluati flagellis ſubiaceant.

XVIII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

Vt Iudæorum ſerui necdum adhuc conuerſi ſi ad Chriſti gratiam conuolauerint, libertate donentur.

CVm vas electionis Paulus Apoſtolus prædicet dicens, ſiue per occaſionem ſiue veritatem, dum modo Chriſtus adnuntietur, ſalubre ſatis eſt votum, ſi ſicut fideles libertatis prouocamus ad gratiam, ita infidelibus præbeamus occaſionem veniendi ad vitam. Et ideo ſi quis Iudæorum ſeruus & ſeruituti eorum implicatus & moribus, ad Chriſti gratiam conuolare deſiderat, nullius eum ſeruitutis catena retineat: nul-

nullus huic tali resistat: nullum à quolibet fidei offendiculum habeant: sed mox vt se & professione & iusiurandi attestatione Christianum ostenderit, & dominorum suorum præuaricationes manifeste prodiderit, ab omni seruitutis catena illico solutus, cum omni etiam peculio à domino suo dimissus, libertatis erit effectibus contradendus. sicque proueniet, vt in omnibus omnino rebus ordo ille omnis in eum impleatur, qui de Christianis mancipiis est constitutus.

XVIIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi administratorio vsu sub ordine villicorum atque actorum Christianam familiam regere audeant, & de dampnis eorum qui his talia ordinanda iniunxerint.

SI quis Iudæorum à quolibet ex laicis commissam curam, vel potestatem supra Christianos acceperit. i. vt Christianis familiis præsit: quidquid administrationis suæ cura visus fuerit imperare, totum fisco adplicare debebunt. Ita vt ipsi qui hanc administrandi susceperint curam, & c. flagella decaluandi suscipiant, & medietatem rei suæ fisco sociandam amittant. Sane si Episcopus, vel quislibet ex sacerdotibus vel ministris, clericis quoque vel monachis, administrationem Ecclesiasticæ rei illis supra Christianos explendam iniunxerit: quamtum id ipsum fuerit quod imperandum eis præceperint, tamtum de bonis proprietatis suæ fisco nostro adplicandum amittant. Quod si rebus expoliatus extiterit, exilio subiacebit: quo diutius detritus pœnitentiæ dampnis discat, quam sit impium, infidos fidelibus præponere Christianis.

XX. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt Iudæus ex aliis prouinciis ad regnum nostrum pertinentibus veniens, Episcopo loci vel sacerdoti se præsentare non differat, vel quæ huic in toto obseruare conueniat.

SI quis Iudæorum de alia ciuitate vel prouincia nostræ gloriæ oriundus quolibet loco successerit, episcopo vel sacerdoti, siue iudici loci ipsius se illico præsentare debebit: nec à sacerdote illo tamdiu est recessurus, quamdiu sabbata, ritusque cæteros atque festiuitates, quæ illi è vicino possunt occurrere, incontaminatus videatur sacerdotali testimonio transegisse: ne dum variis huc illucque per loca cursibus promouetur, erroris sui repperiat in quocumque latibulum. In ipsis tamen diebus, in quibus eos quolibet loco remorari contigerit, conuersationem cum Christianis probatissimis habituri sunt: qualiter cum illis & cibos sumere, & participationes communionis Christianæ videantur habere. Concursum tamen in ipsis diebus, quos ritus sui more vti soliti sunt, ad Ecclesiam, ad Episcopos vel sacerdotes habebunt, qualiter eorum semper salutaribus monitis instruantur. Quod si forte placitorum innodatione se esse asserant inligatos, vel cuiuslibet ineuitabilis necessitudinis causa constrictos, quo illos non liceat diutine immorari: tunc corā sacerdote loci ipsius ad quē accesserant relaxati, placiti sui cautiones promittant, vbi occurrentes per viam festiuitates vel sabbata ritus sui, sine testimonio sacerdotali non transeant. Ipse quoque sacerdos loci epistolas manu sua subscriptas eisdem sacerdotibus, per quos se Iudæus quisquis ille transiturum dixerit, distinabit: vt euacuata omni fraudis suspicione, tam stantes quam properantes eos districtio religiosa coerceat. Si quem autem eorum aliter egisse contigerit, tunc Episcopo loci ipsius vel sacerdoti, vna cum iudice potestas tribuatur centenis eos verberare flagellis. Nec aliter eos ad propria redire permittimus, nisi cum epistolis Episcoporum vel sacerdotum, in quorum territorium visi fuerint accessisse: in quibus tamen epistolis sollicite dierum summa notabitur: id est, & quo die ad Episcopum ipsius ciuitatis accesserint, & in quot diebus apud ipsum eos remorari contigerit, vel quo die de eo ad propria reuersuri exierint.

XXI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Qualiter concursus Iudæorum diebus institutis ad Episcopum fieri debeat.

OMnis Iudæorum conuentus, in quibuscumque locis vel territoriis habitare videntur, ad episcopum loci vel sacerdotem, diebus sabbatorum, vel cæterarum festiuitatum quas celebrare solent, concurrere & conuenire debebit, ne in his & talibus diebus concessæ sibi licentiæ vacatione vsuri sint: sed quamdiu excursus dierum ipsorum pertranseat, quorum de celebritate suspiciones verentur, alibi citra sacerdotis sui * conibentiam nullo modo mouebuntur. Diebus tamen sabbatorum concursus eorum, & lauacro nitidus, & perceptione benedictionis deuotus, ad Episcopum vel sacerdotem semper est peruenturus. Sane in locis illis vbi sacerdotalis præsentia defuerit, concursus eorum omnis vel conuersatio, aut cum iudicibus, aut cum Christianis honestissimis erit: qualiter sic eorum societati inhæreant, vt audenter de eorũ conuersatione bonum perquisiti testimonium dicant. Mulieres sane Iudæorum, coniuges scilicet atque etiam filiæ, in præmemoratis omnibus festiuis diebus, quibus errore proprio abutuntur, nec vllius erroris nec peruersitatis repperiant locum. Id omni modo obseruabitur, vt viris earum præsentibus prouida in eis episcoporum vel sacerdotum ordinatio fiat: vt quemadmodum viri earum de præsentia se sacerdotali non differunt, ita & ipsæ per excursum omnium dierum ipsorum electione sacerdotum, atque pontificum, cum quibus, vel qualibus honestissimis feminis commorari debeant ordinentur. Si quis autem huic præceptioni visus fuerit euenire contrarius, publica decaluatione turpatus, centenorum flagellorum erit suppliciis feriendus. Id tamtum præcipue obseruandum est, ne quorumdam sacerdotum carnalium corda dum vis libidinis execrabili contaminatione exagitat, occasiones quaslibet inquirant, per quas libidinis suæ votum efficiant. Vnde id arctiori sanctione decernimus: vt sic omnis sacerdos hæc instituta legum nostrarum in iam dictis feminis Hebræorum adimpleat, vt nullius peculiaritatis locum cum eisdem mulieribus habeat, per quod se ordinare intendat. Quod si quemlibet sacerdotum contigerit, vt zelum, quo pro Christi nomine vti debet, frequenter ad libidinis suæ sibimet occasiones vsurpet: tunc sacerdos ipse ab hoc honore depositus, exilio erit perpetuo mancipandus.

* coharentiam

XXII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt quicumque Iudæum secum obsequentem habuerit, expetente sacerdote, eum apud se retinere non audeat.

SI quis laicorum quoscumque ex Iudæis, virum scilicet vel feminam, secum obsequentes habuerit, vel in patrocinio retinuerit, & sublato ex eis pontificum, vel sacerdotum priuilegio, priuata eos sibi potestate defenderit, neque eos ad episcopum vel sacerdotem diebus debitis instruendos vel iudicandos remiserit: excommunicationis ab eodem episcopo, cui id fecerit, sententia feriatur, & amissis illis, quos vindicare nititur, trium librarum auri multatione pro vnoquoque dampnabitur, quæ partibus principis profuturæ manebunt.

XXIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt cura omnis distringendi Iudæos solis sacerdotibus debeatur.

HOrum omnium præceptorum multiplicem curam, & exercendam in perfidis disciplinam, illos nostra gloria vt impleant exhortatur, quibus id agendum diuina auctoritate committitur. Ait enim spiritus ille, cuius orbem veritas implet, Stabũt sacerdotes in iudiciis meis, & iudicabũt leges meas, & præcepta mea. Proinde de omni sacerdote hæc implenda decernimus, ita vt nullum Iudæorum pro ritu suo patiatur ab aliquo defendi, nullum tueri: sed exemptos ab eorum patrociniis, qui eorum fauoribus

bus tueri videntur, in potestatis suæ curam redactos, pro eorum saluatione quid illis catholice agendum forte conueniat diligenter instituant. Atque in hoc illis erit sollicitior cura, ne in quibuslibet supradictis capitulis hæc institutio serenitatis nostræ tepescat.

XXIV. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

De dampnis sacerdotum vel iudicum, qui in Iudæis instituta legum adimplere distulerint.

COnsulendum est pie sacerdotibus Ecclesiæ Dei, ne pro delinquẽtis populi impunitate teneamur obnoxii. Quid enim prodest si non puniatur quisque suo, cum tamen possit alieno puniri peccato? Et ideo ad horum talium iniuriam execrandã vim præceptionis è factione decernimus: vt si quislibet pontificum, aut cupiditate inlectus, aut malignæ voluntatis incuria tepidus, prædicta hæc quę iussa sunt in Iudæis decreta contempserit adimplere, scilicet vt detecta vel nuntiata sibimet errata perfidiæ nulla videatur æquitatis censura corrigere: & trium mensum excõmunicationis sententiam proferat, & vnam libram auri de suis rebus propriis fisco sociandam amittat. Quod si non habuerit vnde componat, sex mensibus sub digna excommunicationis censura persistat; & insuper ad tepiditatem illius zeli socordię corrigendam sit cuilibet Episcopo licitum, in quo zelus dei fuerit excitatus, vice illius episcopi talium perfidorum errata corrigere, & hæc quæ neglexerat emendare. Quod si *aliena ista simulatione vel incuria episcoporum, alter in alterius correctione zelo excitante diuinitus nõ fuerit excitatus: tunc principis præceptione & eorum arguetur socordia, & perfidorum vlciscentur errata. Hic etiam ordo eodem modo & ordine, sicuti superius de episcopis constitutum est, in cæteris quoque religiosis est obseruandus: id est, in presbyteris, diaconibus vel etiam clericis, quibus horum infidelium episcopo suo cura commissa est. Iudices tamen, qui eorumdem Iudæorum crimina comperta vel nuntiata sibi, legali non dampnauerint vltione: tunc, sicut de episcopis constitutum est, vnam libram auri fisco compellendi sunt soluere. Tunc tamen & sacerdotes & iudices vel supradicti omnes, quibus regendi hæc cura commissa est, ab his dampnis erunt penitus alieni, cum impeditos se fuisse pro talium districtione agere probauerint.

* *alterna.*

XXV.

Ne indices quidquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conibentiam iudicare præsumant.

IVdices omnes nihil de perfidorum excessibus citra sacerdotum conibentiã iudicaqunt, ne cupiditas secularium fidem nostrã maculet acceptione munerum. Et tamẽ si, vt adsolet, præsentia defuerit sacerdotum, sola potestate iudicum distringendi sunt. Sane si episcopo etiam de sede sua contigerit, aut in vicino, aut longe forsitan progredi: talem ex sacerdotibus pro sui vice relinquat, qui vna cum duce territorii hæc instituta sine muneris acceptione perficiat.

XXVI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt episcopi tunc immunes habeantur à dampnis, cum eorum præsbyteri ea quæ ipsi non correxerint ad eos non remiserint corrigenda.

PResbyteri, diacones, seu cætera religiositas vniuersa, vel iudices per vniuersa loca vel territoria constituti: prout vnusquisque conuentum Iudæorum ad se pertinere cognouerit, secundum totius instructionis nostrę decreta, eos constringere non differant. Ea vero quæ ab ipsis nequiuerint corrigi, ad agnitionem principis atque pontificum emendanda redeant. Sicque fiet vt constituta dampna non ferat, si suis quisque pontificibus innotescat. Episcopi quoque ipsi tunc constitutum non percipient dampnum, quando eis criminalia non fuerint per subditos nuntiata.

XXVII.

De reseruata principibus miserendi potestate in his qui conuersi ad fidem Christi veraciter fuerint.

HAnc *sacræ præceptionis multiplicem diligentiam, quam ordinatis lineis superius in toto disseruit nostra serenitas, vbicumque superius offensorum culpas ita mo-

* *sane præceptionum.*

derari decreuimus, vt exutos rebus sub ærumna exilii religemus: hanc nobis vel successoribus nostris miserendi licentiam reseruamus, vt si quandoque à laqueis diabolicis eripi contigerit, & probabiliter in sanctam Trinitatem crediderint: hoc quod illis sacerdotes vel iudices, in quorum territoriis degunt, testimonium dixerint, atque opera eorum cum veridico eorum testimonio concordauerint, erit nobis nostrisque successoribus in his ætatibus & miserendi votum, & efficiendi propositum: id est, vt postquam eorum præcessio iurisiurandi ad testimonium regiæ agnitionis claruerit, licitum habeat principalis pietas, & rebus nos iterum reuestire, & ab exiliorum ergastulis reuocare. Iam vero si quis ex eis postquam se professus fuerit Christianum, ad erroris proprii redierit vomitum, & quodcumque in eos reppertum fuerit præuaricationis indicium, ita in eos secundum modum culpæ quæ incurrerit, inreuocabilis dictabitur dampnationis sententia, vt ad veniam vlterius nullatenus redeat: sed siue capitalis, siue minoris culpæ sit pœna, sine vlla retractatione inremissibili lege suscipiat.

XXVIII. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX.

Vt episcopi omnibus Iudæis ad se pertinentibus libellum hunc de suis editum erroribus tradant, & vt professiones eorum vel conditiones in scriniis Ecclesiæ condant.

SOlet interdum latebrosæ mentis peruersitas ignorantiæ opponere angulum, in eo quod se simulat ignorare præceptum: vt eo quodammodo se excusabilem à pœna pronuntiet, quo se nouellæ sanctionis ordinem defendat penitus ignorasse. Et ideo ad huius excusationis depellendam malitiam, id episcopis omnibus vel sacerdotibus tenendum forte præcipimus: vt vnusquisque conuentum ad se pertinentẽ Iudæorum, de his in se visionibus, quæ in eorum perfidiam nuper edidimus instruat, & libellum hunc aperiat, qui & manifeste illis in conuentu relegatur Ecclesiæ, & quẽ semper secum pro testimonio instructionis reportent. Iam vero postquam illis publice in Ecclesia fuerit lectus iste liber vel traditus: si quis eorum postea, aut se defuisse cum legeretur contendat, aut ignorasse se quæ inibi præcepta sunt astruat, in nulla se vnquam is poterit excusatione defendere: sed in quocumque fuerit postea quisquis ille præuaricator inuentus, in nullo erit legum istarum sententiam euasurus. Nam & illud necessarium huic legi adiicimus, vt omnium professionum, atque conditionum scripturas, quas quisquis ille Iudęus sacerdoti suo à modo obtulerit, sollicita diligentia vnusquisque sacerdos eas ipsas professionum scripturas in archiuis suæ Ecclesiæ recondat, qualiter pro eorum perfidorum testimonio studiosius conseruatæ persistant.

FINIS.

LECTÆ SVNT LEGES SVPRASCRIPTÆ OMNIBVS IVDÆIS IN ECCLESIA SANCTÆ MARIÆ *Toleto, sub die* VI. *Kalend. Februar. anno feliciter primo regni gloriosissimi domini nostri Eruigii Regis.*

OBSER-

OBSERVATA QVÆDAM, INTER EXCVDENDVM QVALITERCVNQVE commiſſa.

PAGINA 5, verſu vltimo, lege prædones
ibid. prædas
6,25 Februarii
7,24 iterum prædones
7,48 Libycæ
21,25 traditur
22,14 Maii
40,45 vrget
43,22 montes
50,47 Caſtellæ
53,35 conſederant
55,4 coloniamq́
56,4 Celtiberũm vel Celtiberorum
61,41 præſtaturos
ibid.v.56 diaconis, & quidẽ virgula ſequente
62,18 Peſſulani
71,1 mercedis
72,2 Maii
74,43 prædones
76,15 prædæ
102,45 Murciam, vnde & Murcienſes ſcribendum
105,53 rege
107,1 puriſſimam, certiſſimam, & mox, veritatem
ibid.v.5 ſcriptura
ibid 6 per tuas
ibid 18 apparuit
121,54 equite, vel equitio
122,26 f.pentadactylos
127,58 factionis
131,19 præteruectus
132, in fine ver. 35 lege na-
& in f.v.36 ſeq. In
in f. ſeq. feciſſent
in f.ſeq. honos
141,45 f.Simon pro Sinon
144, 6 vexilliferum
151,14 reges
ibid.23 Eomet ipſo vel Eo met ipſo
ibid.40 Toletanus
152,24 eius
ibid.46 Granatenſes
ibid.58 Turritani
154,9 Sardinia
160,11 maxima adornata
186,45 Cypri
206,58 quem à quarto &c.
207,31 Sertoria
210,28 perfidè
220,49 in ſtationes
226,9 Fiſcampenſis
229,12 annona, & mox tantùm finem
238,3 delendum alterum in
238,50 f.Martham
240,46 Bernhardi
241,9 anni
ibidem verba, meſſis enim nulla præterito anno fuerat, parentheſi rectè includerẽtur
242,18 Sibyllæ
244,38 verſaretur, pollicetur
246,12 depacta
251,2 Peloponneſum
253,8 Regis Siciliæ F.
259,41 Ruſcinonenſem
259,53 populetum, niſi quid ſubaudiendum ſit, more Græco.
260,25 Fuxenſe, nimis abeſt à voce bellum
265,13 Leonardus
267,35 faciendum
269,15 Andegauenſis
281,31 cognominatur
290,40 f.Humfredum
291,57 proſequuntur
292,5 f.ſeminent
294,1 f.dietim
ibid.54 liberorum
340,39 Melfam
341,28 Bellegradæ
ibid.37 Leſcaſtrenſem, vel
ibid.24 Leſcatrenſem legendum
354,3 quæcunq;
359,41 Nuceriam
360 in marg.v.14 Radulfus
361,v.8 in marg. pro quas, legẽ quæ
380,45 habenda
386,13 Farracenorum
393,3 præſtaturos
399,9 pro Senato f. legendum ſigno
401,18 Cæterum
413,5 Abonefii
ibid.43 Petri
414,43 Paſchaſii
ibid.51 Cæſarauguſtam
ibid.55 Quæres
418,40 fieremitarum
422,1 oppido
ibid.43 Monarguefium
424,45 ducenteſimus
ibid.v.59 f.veruntamen
425,42 Latii
ibid.43 verumetiam, & mox trophæis
432,48 Colubraria
433,24 Palumbariam
436,39 obſederunt
437,33 cryptas
441,59 Portopinea
442,2 ſuſtinentibus militibus
445,3 cum
ibid.59 appellere
448,56 præſtaturum
455,31 Zaene
ibid.54 Zaenem
ibidem 39 portoriorum
449,42 Portugallenſis, ſic & alibi per ll leges
461,51 Dertoſam
465,40 Hæc
469,32 præſtaturum
471,42 permultos
476,55 Hoſpitalis
ibidem 58 pro Verumenim, legendũ forte Verumenimuero
477,2 Dominicani
478,9 Almugauares
482,15 in comparentes
488,21 xyſtis
489,34 aliquot
ibid.39 Lemouica
491,32 ἀπὸ τῆς ῥώμης
494,36 argento
497,1 phænomena
500,5 aliisq́
ibid.46 querimonia
506,18 Vgone
ibid.53 mento
507,42 filia
508,35 adfuturam
509,5 Vizcaia
ibid.31 f.Saixium, ſic enim ſæpe præceſſit
ibid. ſi Mugarra rectè ſcriptum eſt, forte perperam pagina 508,57 eſt Bugarra
ibidem 43 Aragonenſem
510,8 Albalatius, vel mox pro Albalatii, legendum Albalati
ibidem 12 Carthuſienſium
512,4 Bonifacianum
ibidem 22 occurreremus
ibidem 36 ætate
513,55 Villa Martiana
514,59 cum magna
515,2 aſtaturum
ibidem 32 Galletiæ
ibidem 55 melius pro eaq́ legeretur ea
517,50 Veruntamen vel Verumenimuero legendum videtur
526,13 pityuſarum
530,5 aut quamtumuis, aut licet abundat, niſi quantum vis diuiſim legendum ſit
ibidem 7 conſeruatam
531,13 aliam
ibidem 2 omnis vel pro reip. legendum rerump.
ibidem 57 liberis ex iuſtis nup. legendum videtur
537,20 Sancteulaliæ, vel certe Sanctæ Eulaliæ
538,28 Septentriones

ibidem

ibid. 40 *Scytharum*
ibidem 53 *sub dio*
ibidem 57 *Palæstina*
540,3 *populoq; Toletano*
ibid. 43 *Palæologi*
ibidem 33 *Morabatinorum*
ibidem 11 *Palæologum*, & mox, *præstaturos*
542,15 *Victoriatorum*
ibidem 18 *f. Citadellæ*
ibidem 30 *f. Cingense*, à Cinga fl.
ibidem 37 f. pro *Marchetu* legendum *Marquetii*, vt v. 29 præcessit
543,33 *Palæstina*
544,24 *Verumenimuero*, vel *Enimuero*, non cõmode positum videtur
ibidem 30 *inferiora*
548,21 *Murciensis*
ibidem 43 *Vidauria*
550,51 *Clemens*
ibidem 58 *percipiens*
552,51 *vidua*
554,19 *antequam*
556,50 *in pristinam*
558,30 *iniquè*
559,20 *est Besantiorum*, pro quo v. 22 legitur *Bissantiũm*
549,36 *Viennam*
560,50 *inferret*
565,27 *vtramq;*, & mox *neq;*
577,38 *Cæsaraugusta*
578,7 *Cyprianus*
ibidem 10 *decima*
ibidem 11 videtur legendum *dinum* pro *dinam*
579,59 Parochia
580,31 *f. loci*
582 (numerus enim 580 falsus est) 33 *trecenti*
587,23 *Ptolemæo*
590,7 *Arabuesti*
ibidem 50 *cyanei*
597,3 *centum*
601,50 voci *rex* dimidium colon subiiciendum fuisset
602,25 mallem legere *In priuilegiis namq; fere omnibus*
ibidem pro *sancto*, lege *Sanctio.*
603,7 *quartum*
ibidem 39 *quarti decimi*, vel certe *quater decimi*, quod tamen non puto
ibidem 56 *sexcentorum*
604,44 post *remissione* deest *peccatorum*
ibidem 46 virgula post *quemadmodũ* voci omniũ in versu seq. subiici debuisset
ibidem 55 *primum*
605,41 *exarchatum*
610,45 *montanorum*
611,52 *reliquus*
612,40 *Paradisi*
613,11 *Sanctius*
614,10 *hoc*
ibidem 22 *sedem*
620,12 *Ferdinandi*
622,24 *eripuit* vel certe *abripuit* quod & ipsum tamen vix esse potest
624,19 *omne*
638,30 *leuamen*
641,26 *sub iussione*
ibidem 16 *Aldefonsi*, sic enim præcessit
ibidem 30 *Comitis*
643,31 *vndetricies*
644,18 *coaceruato*
647,55 *conditione*
650,14 *f. labante* legendum prò *labente*
652,24 *f. magnatum* pro *magnatorum* legendum
653,1 *f. Vidauria*
ibidem 59 *sint*
655,44 *cuditionem* positum pro *cusione*, quod tamen & ipsum vix inuenias
671,8 *f. Sibyllam*
677,56 comma ponendum fuerat post *subiuncto*
679,11 *f. obuiam iri oportere*, vel *obuiatum ire*, vel *iri oportere*
680,13 *quingentorum*
717,32 delendum videtur *haud*
723,51 *iussa populis*
732,11 *Alias*, & mox *fractæ* pro *cartæ*
878,52 *credi*
879,11 *possit*
883,34 *inserenda*
ibidem 51 *valere*
886,46 *allegare*
ibidem 54, *alleget*
888,17 *desponsata*
ibidem 50 *desponsentur*
902,19 *percelli*
924,46 *obtineri*
925,16 *custodiam*
936,45 *reperiuntur*
948,20 *indicis*
793,28 *Sanctius.*

INDEX
TAM RERVM QVAM VERBORVM CVM PRIMIS MEMORABILIVM

in hac tertia rerum in Hiſpania geſtarum parte occurrentium locupletiſſimus: in quo tamen, ne nimium vaſtus euaderet, ad principalia vocabula fere ſemper digitum, non aliter quam ad fontem, intendimus.

C

E

F

G

Galc4

Oppo-

S. Sene-

FINIS.

IOANNIS

MARIANÆ HISPANI E SOC. IESV

HISTORIÆ HISPANICÆ APPENDIX.

LIBER *scilicet* XXI. *& nouem ceteri ad* XXX. *vsque, qui viginti illos in Tomo hoc II. Rerum Hispanicarum ordine sequuntur.*

Additus & his est suus INDEX.

FRANCOFVRTI,
Apud Claudium Marnium, & hæredes Ioan. Aubrii.

M. DCVI.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXI.

Bellum Aragonium. Cap. I.

VIEVERAT Hispania superioribus annis bello fessa, Regibus inter se multiplici cognatione atq; affinitate deuinctis. Cum Mauris Granatensibus induciæ fuerant, aut modicè lacessita pax. studium non deerat ardens impiæ gentis opprimendæ intestinis factionibus, & dissidiis tumultuantis, pronæq; in exitium. Nouum hac tempestate bellum exortum est inter Reges Aragoniæ, Vasconum, atque Castellæ maiori conatu quàm successu. Huius belli causas, & originem euentumq; scribere pergimus, alternantisq; fortunæ ludos atque Aluari è fastigio casum quo secūdo præcipitare cœpit, malorum omnium, & dissidiorum concitator præcipuus. Partam is malis bonis artibus potentiā quacumque ratione tueri constituens, quamprimum in curiam rediit, proceres quos nouis officiis placare debuit, ii vt ab aula pellerentur & prosè quisque domos abire cogerentur, auctor Regi extitit: pessimum consilium, exitialeq; ipsi imprimis consultori futurum. Velascus, Stunica, Pimentelius, Magistri Calatrauæ & Alcantaræ cognita Regis voluntate discesserant. Supererant Aragonii fratres maiori auctoritate & potentia, quàm vt facile euerti possent. In hos etiam pari temeritate est factus impetus. In Vasconem primum, quem in regnum amandandum vulgus, sed & maiori auctoritate homines clam & in circulis disputabant. Sua eum negligere, curare aliena pari vtrunq; vitio vituperationeque. Hæ voces non ingratæ Aluaro, non ingratæ Castellę Regi erant, pro ingenio Principum æqualem honore in ditione non ferenti. Missi qui Castellæ Regis verbis profectionem denunciarent: Blanca etiam vxor tempestate prouisa, de viroque solicita, legatum miserat Petrum Peraltam, qui profectionem vrgeret. Sic omnes regni ordines flagitare. id priuatim, id publicè fore salutare. Ægrè Vasco Aluari machinationes tulit. parendum tamen necessitati iudicans, Castellæ Regem Vallisoleti conuenit, vbi conuentus regni erant. Fœdus inter Reges Castellæ, Aragoniæ, & Vasconum instauratur. Scribuntur conditiones: iureiurandoq; à duobus Regibus confirmantur. Idem vt Aragonius faceret, earum conditionum exemplum ad eum mittitur, legato in eam rem Diegho Franco iureconsulto. Rebus ad hunc modum constitutis, Vasco quidem in regnum abiit: Aragonius autem tempus extrahendo Franci conatus diu ludificatus, tandem Barcinone respondet, eas sibi conditiones non placere: videri quædam immutanda. simul idoneum hominem nactus occulta ad Aluarum mandata dat: Petrum Manricum omnium dissidiorum esse facem: in omnes se facies vertere, varios subinde colores assumere mobilitate ingenii rerum nouarum cupiditate. si se, si res, si Regem saluos vellet, quàm primùm submouendum videri: neque permittendum, vti ad aliquam reipubl. partem accederet. In alia parte Alfonso Arguello Cæsaraugustano Præsuli vincula sunt iniecta. de exitu non vna opinio fuit, aliis in flumen præcipitatum, aliis gulam fractam dicentibus. idem de aliis ciuibus Cæsaraugustanis factum. initæ cum Aluaro societatis crimen obiectum: re nimium pacis studiū exitio fuit, cum Castella ante pactæ: libertasq; loquendi. Regem cogendum, conuenta pacis seruare: ne regiæ temeritatis respub. pœnas daret. Barcinonis Episcopus Franciscus Clemens in Arguelli locum renunciatur. simul cum Rege Vasconum iniurias bello vindicandi Aluarique euertendi consilia communicantur. Henricum fratrem Aragonius ad se euocat, principio mensis Aprilis salutis anno MCCCCXXIX. duorum fratrum colloqui-

Hæc annectenda pag. 801. tom. 2. Rer. Hispaniæ.

um Turuli habitum. de inferendo Castellæ bello, sociandisq; viribus agitatum euentus docuit. Vasco colloquio non interfuit, regni variis curis implicitus, ipsaque regni inauguratione. quod eatenus factum non erat, Pompelone Maii mensis Idib. Rex & Regina regiis insignibus desumptis, atque Gotthorum instituto, duobus clypeis militaribus procerum humeris sustentati, Reges proclamati sunt. In vtraq; prouincia delectus militares occultè habiti. species erat rebus Gallicis opem ferendi: re Castellæ arma inferre parabant. Id non latuit Castellæ Regem. missis vtrinque legationibus nihil profectum est. Reges Harisam accedunt, (quod oppidum veteribus Arci fuit in Areuacis) ea parte in Castellæ fines incurrere destinantes. à Sandoualio Castri Comite, Pennafielis municipium præsidio militari munitur. eodem Petrus Aragonius Medina Campestri aduocatus venit. Contra hos conatus Castellæ Rex ingentes delectus habere tota prouincia. proceres nominatim euocare, imprimis Henricum Aragonium, & Fridericum Castrium Arionæ Ducem (Friderici is nepos erat D. Iacobi militum Magistri.) Nouo sacramento cuncti ordines in verba Regis adacti, fortem & fidelem operam eo bello nauaturos: indicaturosq; si qui contra molirentur. Additæ execrationes si fidem fallerent, expiando scelere Hierosolymam nudis pedibus ituros. Iusiurandi gratiam concedi, petituros nunquam. Palentiæ mense Maio extremo, conceptis de scripto verbis in Regis verba iurarunt, primus Aluarus Luna, Contrerius Toletanus Præsul, Lupus Mendoza Compostellanus Archiepiscopus, Fridericus maris Præfectus, Ludouicus Cerda Medinæ Celinæ Comes, Calatrauæ & Alcantaræ Magistri, Guterrius Toletus Palentinus Episcopus, Stunica, Manricus, Pimentelius, Sarmentus, Ioannes Touarius Valeranicæ regulus, proceres alii magno numero Regem secuti, quò fidē obsequiumq; probarent prompta celeritate certantes. ex eo numero quatuor continuo finibus tutandis Duces præfecti: Aluarus ipse, maris Præfectus, Petrus Manricus, atque huius gener Petrus Velascus. duo equitum millia sequebantur, nomen magis exercitus, quàm robur Aragoniis viribus par. Stunica modico interuallo sequi iussus cum noua equitum manu. Rex cum multò maxima copiarum parte Pennafielem oppidum expugnandum suscepit. admota mœnibus castra: voce præconis oppidani ad officium inuitati: si resisterent, morarenturq;, reos maiestatis futuros. facta deditione, Petrus Aragonius, Comesque Castri in arcem se receperunt. oppidanis quod non continuò portas aperuissent data venia. arci vim admoueri non est visum, ne in longum obsidio duceretur. Reges Aragoniæ & Vasconum in Castellæ fines irrumpentes ad Cogolludium, quod oppidum in Carpetaniæ, & Areuacûm finib. situm est, loco plano, & patenti posuerunt castra: Castellæ Duces in colle sex fermè inde passuum millibus: Aragonii, & Vascones ad duo millia & quingenti equites erant, pedites mille, egregiè armati, & multis bellis exerciti. in Castellæ castris, mille septingenti equites numerabantur, pedites quadringenti. Reges pugnandi cupiditate, proxima luce ipsis Iulii Kalendis die Veneris instructas acies promouent pauca pro tempore milites cohortati, per agmina atq; manipulos. Paucorum scelere conuulsam rempubl. euersas leges, sanctitates violatas. Se quos maximè rebus perditis patrocinari conueniebat, patria pulsos, bonis spoliatos, liberis, coniugibus, amicisq;. Mutui commercii ius sublatum. Ne factam quidem potestatem Castellæ Regē conueniendi, eum monendi, seq; excusandi. necessariò ad arma ventum. In eius pugnæ euentu publicam pacem, salutem vtriusq; gentis, dignitatemq; versari. proinde parati intentiq; essent, signo dato, hostes inuaderent. Si plures essent, aduersus tamen inerme hominum genus, atque imbelle pugnare, quid vetaret? eo armorum vsu esse, ea scientia pugnandi. Nunc numero & virtute præstatis. nulla illis castra sunt, nulla munimenta. Præclari numina facinoris casum dant, nobis propitia, hostibus eripuerunt mentem. Audete ergo, atque hoc die omnes victorias, labores, gloriamq; confirmate. Ventum in conspectum erat: cum Aluarus cognito periculo carros copiis circunduci mandat, nisi de suo loco non pugnare constituens. Ab Henrico Manricoq; in colloquium ventum. probra inuicem iactata, nihil aliud. Expedita vtrinque arma. leuia certamina committi cœpta. cū Cardinalis Fuxensis inter vtrasq; acies oberrans, nunc hos, nunc illos monendo peruicit tandem, vt quoniam multum diei processerat, in proximam lucē certamen reiicerent. Vna nox interposita saluti fuit. Aragoniæ Regina virilis animi fœmina in castra delata, erecto in ipsa planicie tentorio medio inter vtrasque acies, pacem honestis conditionibus composuit. quas postquam Castellæ Duces iureiurando cōfirmarunt, ab armis est discessum. Castellæ copiæ iis locis substiterunt. Aragoniç, & Vasconū Reges sese retro sine maleficio retulerunt. Henricus Aragonius, qui diebus superiorib.

Toletum

1429.

Toletũ fraude tentarat, ac tantùm non ceperat, cùm is conatus frustra fuisset, sese sub ipsum pugnæ tempus fratribus iunxerat. Seguntia Vrcesiam abiit, pactæ pacis spe tutus: aut si id non contingeret, factionis viribus nouos concitaturus motus. Festinabat cum copiarum robore Castellę Rex, equites decem amplius millia, pedites ad quinquaginta millia sub signis habẽs. Aragoniæ Regina, Fuxensis Cardinalis accedunt: pactæ concordiæ monent, hortanturque vti discedat ab armis. Ille spe ferox, & vindictæ studio ardens negat iniussu suo pactas conditiones fore ratas. Regum insolentiam malo vindicandam. Ad Belamasanum in Durii ripa castra erant: cùm Fridericus Arionę Dux Trastamarę Comes eò delatus in vincula duci iussus est: atque in Penafielis arce, quę in potestatem venerat custodiri: vbi proximo anno decessit, meliori exitu dignus, siue ætatis commiseratione, siue regia propinquitate, siue quod nulla expectata fide ad Regem venit: conscientia credo fretus, aduersus maiestatis quod obtendebatur crimen, cum Aragoniis fratribus conspirasse. & est discordia ciuilis multarum suspicionum mater, innocentiæ sæpè aduersa: boni quàm mali suspectiores sunt, præsertim si otium amant. Sepulcrum eius in monasterio, cui Beneuiuere nomẽ est, prope Carrionẽ in Vaccęis cum inscriptione cernitur, à Petro Ruizio Sarmẽto sororis filio, primoq; Salinarum Comite positum. In Aragonios subinde fines penetratum est. ingens trepidatio, pauorq; eo tractu: simul fuga agrestium, pecorumq; in munita loca facta. desertis pagis iniecti ignes: vastati agri. Harisam promota castra, iis locis munitum oppidum operibus, arceq; arduo in colle posita. fugientibus in eam arcem incolis oppidum direptũ incensumq; magna ex parte. Quo tẽpore quasi in omnes partes signo dato in Vasconũ etiã fines non vno loco irruptiones factæ. à Petro Velasco Vincentii fanum vi expugnatũ, incensũq; est: quoniã retinere nõ sperabãt arce in fide veteri perstãti. Ab Episcopo Calagurritano, & Diego Stunica fratris filio Guardia oppidum, & arx coniũcta præsidiis occupantur. Beneuentanus cum copiarum parte Henrici Aragonii oppida, vti iussus erat, carpere non desistebat. Henricus Ocania deserta Seguram abiit, quæ arx ad Portugaliæ fines Anãq; pertinet: vxoreque in ea arce relicta, ipse castra Iulia festinauit, si cæteris amissis oppidis ea parte iniurias vindicare posset. præsto Petrus Aragonius fuit Medina Campestri metu tempestatis in ea loca delatus, magno iuuenis animo, præcipua rei militaris scientia, bello Neapolitano comparata.

Belli Finis. *Cap. II.*

SATIS profectum videbatur siue ad nominis existimationem tuendã, siue ad iniurias vindicandas, Aragoniorum, & Vasconum audacia castigata, vexatis finibus. Harisæ arci assidere longum erat, exiguum moræ pretium. ergo à Castellæ Rege copiæ Medinam Celinã reductæ sunt, victoria lætiores, quam præda. regni fines validis ea parte pręsidiis firmati: reliquę copię in hiberna sunt dimissę. Rex Medinam Campestrem ad regni conuentus festinauit, autumno præcipiti. eius discessu, hostibus animus creuit. Vasco ad regnum tutandum abierat: Aragonius copiis contractis in Castellæ agros incurrit: qua parte Soria in Celtiberis sita est. Desa oppidum improuisò captum: arces Ciria, & Borobia in potestatem redactæ sunt, atq; Bosmedianum Præfecto pręsidii venali. magna pecoris & frumẽti pręda fuit. multi mortales in captiuitatẽ acti. copię vnde venerãt Calataiubam incolumes rediere. Ad fines Portugalię, qua parte Anas decurrit, ab Aragoniis fratribus maiori licẽtia direpta pecora, quibus ea regio abũdat propter lætissima pascua, atque in Portugaliam missa. eorum conatibus comprimendis par Beneuentanus non erat. eò Aluarus contendit euocato etiam Petro Pontio Marchienæ regulo in Bætica præpotenti copiosoq;. actum de præda per feciales: nihil præter verba datum à Lusitano Rege, ex arcano Castellæ calamitate lætãte, motibusq;, regno, quod occuparat, firmando opportunis. Addita noua ab Aragoniis fratribus iniuria est. cùm pares se Aluaro fore non sperarent, Castra Iulia, combustis suburbiis muniũt: ipsi finitimum Lusitanis Alburquerquium improuiso aduẽtu occupãt. graue id detrimentũ visum est, prouidentibus, ne se Lusitani eius oppidi possessione munirent, nondum cum ea gẽte stabili pace facta. Rex eò accurrendum iudicauit Aluari accitu: quo maior esset auctoritas, & confecti belli laus, penes ipsum esset. longè aliter accidit. Castris Iuliis, & arce Muntangio quamuis ex deditione captis, Alburquerquium non potuerunt redigere in potestatem. Sic relictis ea parte Alcantaræ magistro, & Ioanne Petri Pontii filio, Rex & Aluarus Medinam Campestrẽ redierunt. Noua ad Arauianæ planiciem, quæ ad Cauni montis radices protensa est, altera iam Castellæ calamitate locus infaustus, clades accepta ipso Diui Martini festo die à Mendozio cognomento Caluo cum quadringentis Vasconibus equitibus,

Enecus Mendoza Fitæ regulus cum minori numero obuiam progredi auſus victus acie, cęteris fugatis omnibus, ipſe cum paucis occupato tumulo euaſit. pauci interiere, pleroſq; velocitas fugæ, regio ignota hoſtibus, noctis tenebræ tutatæ ſunt. Caſtellæ conuen-
1430. tus Medinæ Campeſtri erant, principio anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi. Catalaunorum Dertuſæ vtroq; Rege præſente. ſumma difficultas erat pecuniæ in ſubſidia belli redigendæ, quod diuturnum fore putabant. Aragonii reditus exigui: Caſtellæ opes aulæ ſūptibus exhauſtæ. Et eſt frugalitas Principis, inſtar vectigalis maximi, bello paceq; ſufficientis. vtrobiq; de fide procerum diſceptatum. Aragonius Fridericum Lunæ Comitem ſanare cupiebat, ad hoſtes reſpicientem (erepti regni dolor vrebat: inconſtantem iuuenis animū leuiſsimi homines in ſpem vindictæ, & maiorum opum cum Caſtellæ auxilio erexerant) fruſtra ea cura ſuſcepta. ditio, quam ampliſsimam obtinebat, publicatur. idem à Caſtellæ Rege, de Aragoniis fratribus factitatur. niſi quod eorum oppida, ſolita profuſione, an quo reſtitutionis ſpes nulla eſſet, aliis proceribus attributa ſunt. Magiſtri D. Iacobi ditio Aluaro quaſi ſequeſtro commendata. Harum municipium Velaſco, Ledeſmia Stunicæ, vtriq; Comitis nomine Petro Manrico Paredes, Pimētelio Beneuētano Maiorga, Petro Pontio Medinilla, Eneco Mendozio oppida Catharinæ Principi ad Caracam data, Guterrio Toleto Palentino Epiſcopo Alba in Salmanticenſi agro ſita. aliis alia oppida data. vnde noui extitere in Caſtella principatus, mutatis nonnulli familiis & poſſidentium cognominibus ad noſtram ętatem perſtātes. Friderico Lunæ Comiti ex Aragonia profugo, atque per idem tempus Medinam Campeſtrem delato principales honores habiti ſunt. Cuellar & Villaloniū donata prius, deinde Ariona, vnde familiæ ſumptus ſeq; toleraret. Eleonora Aragoniæ Regina Tordeſillam euocatur: atque in Diuæ Claræ Virginum collegio includitur: arces etiam tres, quę ipſius prędidio tenebātur, iuſſa tradidit: ne filiis re, aut conſilio opitularetur, prouiſum ſcilicet. Burgis tamen id mutatum ſubeunte poſt factum humanitatis memoria: & quoniam iniquum erat filiorum peccata parentis pœna lui. reddita ergo libertati, arceſq; reſtitutę ea lege, ne filiorum cauſam eo bello iuuaret. Multum in eam rem legatio à Luſitano miſſa contulit. quod de induciis inter Reges Caſtellę & Aragoniæ petebatur, dum dati vtrinque arbitri de pacis conditionibus diſceptarent, ſtatuerentque, re nondum matura denegatum. Peninſulę die Dominico Palmarū quinto Idus Aprilis, & proximo die Iouis è tumulo Benedicti Pōtificis tantum odoris afflatum ſuauiſſimi, vt totam arcem perfunderet. ſic nonnulli ſcriptores tradunt, gratia potius, quam ex fide, ſic arbitror. mouit tamen ea opinio Ioannem Lunam vt patrui corpus Illuecam transferendum curaret, ſuę ditionis oppidum: ea tamen lege, vt profano ſepulchro compoſitum funeris honore careret. id contumacię ſupplicium fuit. Erat Caſtellę Rex bello parando intentus. magniſquè delectibus numeroſas copias contraxerat, maiori impetu parans in Aragonios fines incurrere. ſimul Friderico maris Præfecto mandauit claſſe inſtructa Aragoniæ ditionis litora, & maria infeſta hoſtibus vt faceret mota caſtra: Vxamamque peruentum. Aragonius Turiaſone bellum comparabat: Vaſco Tudelæ, maiori conatu quam ſucceſſu: quod vtraq; gens eam militiam quaſi impiam infauſtamque auerſabatur, collato conſilio, miſſi in Caſtellam legati Vxamam appulere ad octauū decimum kal. Iulii. datus continuo Senatus: Ilerdæq; Epiſcopus Dominicus legationis princeps, facta dicēdi poteſtate, quāta beneficia Caſtellæ Regum in Aragonios extitiſſent, accurata oratione explicuit. eorum beneficiorum memoriam fore perpetuam. Procerum quorundam fraudibus, qui regiis auribus & facilitate abuterentur, & propinquis ſubmotis regnum ipſi conſtituere cogitabant, præſenti gratia tumidi, & malis artibus ambitioſi, vt ne Regis quidem conueniendi facerent poteſtatem, compulſos arma ſumere. poſituros libēter modo æquis conditionibus. quanta hominum cædes, quanta vniuerſæ gentis calamitas conſecutura eſſet, ſi omnibus copiis decertarent, neminem ignorare. gladios ſemel cognato ſanguine delibutos haud facile elui. Peremptorum manes per domos & familias vagari, furoremq; animis iniicere. Epiſcopi oratione perſtricti proceres Caſtellæ Aluarus & Beneuētanus pro ſe & cæteris reſpondent. ventum ad iurgia: & rixę initium quæri videbatur. Raymūdus Perellus è legatorum numero ſe offert ſingulari certamini væcordia ferox, ſiquis experiri armis, & contra diſputare audeat. ſed præſente Rege non vltra verba proceſſum. Solutus conuentus. legati tamen Aragonii Caſtellæ proceres ſigillatim ambiendo, ſolicitando perpulerunt, vti ad fœdus animos inclinarent. Caſtellæ caſtra ad Garai pontem erant, vbi vetus Numantia fuiſſe ex regionum interuallo magis quàm vllo antiquitatis veſtigio creditur. inde ad Magianum progreſſum. eo loco magna legatorum contentione impetratum, vt induciæ inter Reges eſſent. Aluarus & Lupus Mendoza Compoſtellanus Epiſcopus deſignati

signati qui cum Regum legatis de conditionib. disceptarent. Induciæ tādem quinquennes his legibus pactæ sunt. Vt positis ab vtraq; parte armis cōmercii mutui inter eas gentes ius esset. Aragonii fratres Alburquerquio intra dies sexaginta discederent: neque in Castellæ fines ingrederentur toto induciarum tempore. quæ in eorum ditione supererant, Castellæ Rex ne attingeret. Ab Aragonii, & Vasconis iniuria Lunæ Comes, & Gotifredus Marchio Cortesius Caroli Regis Vasconis filius, qui in Castellam profugerant, tuti essent. Controuersiis finiendis quatuordecim pari ab vtraq; parte numero arbitri designarentur. iis Agreda in Castellæ, & Turiaso in Aragoniæ finibus designatæ vbi manerent. Eæ conditiones cùm Regibus probatæ essent, induciæ voce præconis in Castellæ castris ipso D. Iacobi festo die promulgatæ: idem per vrbes & oppida factum. magna omnium gratulatio fructu præsenti lætantium, & diuturnæ pacis spe. legati in omnes partes dimissi, eam lætitiam nunciatum: ac nominatim ad Lusitanū: qui missa legatione, & multa flagitatione Regū controuersias componere conatus sæpe erat, lætus ea tempestate Isabella filia recens pacta Philippo Burgundo Duci ex secundis nuptiis cælibi. Ex hoc coniugio Carolus cognomento Audax Burgundiæ quondam Dux natus est, non magis amplitudine rerum gestarum quàm tristi vitæ exitu nobilissimus in paucis Aragonius missa in Lusitaniam classe, fratres Alburquerquio euocat se in Italiam comitaturos: de qua dies noctesq; cogitabat. Castellæ copias Vxama dimissas, ad prima veris signa redire mādatur. bellum in Mauros inchoare erat destinatum. Rex ipse Madrigale in Vaccæis, vbi Regina erat, reliquum æstatis extraxit.

Bellum Granatense. CAPVT III.

ARAGONII belli finis gemini belli initium fuit Maurici, & Neapolitani: vt nunquam Reges quiescunt, præsertim imperio latè fuso: aliæ ex aliis aptæ, & connexæ in dies controuersiæ nascuntur. Ambitio dominandi, sæuum atque impotens malum nullis finibus resistit: plura cupit pluribusque eget, qui plura habet. O miseram & fœdam conditionem naturæ mortalis. tametsi Ioannem Castellæ Regem studium excusare potuit, Christiani nominis proferendi, gentis Mauricæ in Hispania quidem extirpandæ. Mahomad cognomento Læuus restitutus in regnum, vti ante monstratum est, tributum repræsentare recusabat, quod ipse & maiores pendere consueuerant. ea causa inducias petenti in ipso Aragonii belli procinctu, neque negatæ præcise erant, neque apertè concessæ: Alfonsum modo Lorcam legari Granatam placuit, qui barbarum distineret, tempus extraheret. Noua nunc legatione Maurica Castellæ Rex de induciis interpellatus negat vllam fœderis conditionem sibi cum Mauro fore, nisi quod pepigerant vectigali repræsentato. Simul Alfonsus Lorca ad Tunetanum Regem legatus cum amplis muneribus, expositis mandatis, accusataque Granatensis perfidia & contumacia, eum neq; periculo moueri, neque respondere in amore, vnde prouocatus fuerat, facile impetrauit, ne in bellum auxilia mitterentur ex Africa. Et habent barbari fidem venalem: magisq; vtilitati seruiunt, quam religioni honestatique. an barbari tantum, & non etiam plerique Principes qui veræ religionis nomine gaudent? Salmanticæ in regni conuētibus pecunia in id bellum imperata. propensa omnium ordinum voluntate, quoniam contra Christiani nominis hostes futurum erat, maiora etiam quam poscebantur data. fine anni in Maurorū ditionem variæ irruptiones factæ sunt. à Gonsaluo Giennensi Episcopo, & Diego Ribera Bæticæ Antelato, collecta manu in qua equites octingenti erant, pedites ad tria millia, in Granatæ planiciem penetratum. geminæ insidiæ dispositæ locis idoneis. Præcursores octoginta ad vrbem missi, Mauris ad pugnam eliciendis inducendisq; in fraudem cassesq;. egrediuntur illi, sed cautè veriti quod res erat, subesse fraudem. Qui in primis insidiis erant, vt erat constitutum, vix tentato certamine, & ipsi fugiunt. Mauri tunc quasi periculo omni sublato effuse nostros sequi, solutis ordinibus, nullo certo imperio. Ventum ad locum, vbi copiarū robur erat. Re insperata perculsi Mauri (vnde illis terror nostris animus creuit) cæduntur omni ex parte. ducenti occisi, centum capti. Cæteris vicini colles perfugio fuerunt: quibus maurici equi assueti erant, nostris locorum insolentia & asperitate retentis. In Arundæ agros Fernandus Toletus Vallis Cornegiæ regulus Astigi tunc præsidio præfectus, cum alia militum manu incurrit. Non eadem fortuna fuit. concurrentibus incolis exæquata vtrinque clade, atque periculo discessum. Perea Casorlæ Antelatus alia inuectus parte improuiso aduentu hostium, amissis fermè omnibus suis vix ipse ignobili equo exitium vitauit. à Ferrerio Marescalo Semena municipium vi expugnatum, ereptumq; Mauris. Sic secundæ res atq; aduersæ variabant. Et erat iniquū anni tempus: continuisq; imbribus impeditæ luto viæ, inflati amnes. Omnino in Vasconibus Aragone fluuio ripis superfuso Saguessæ oppidi pars magna euersa est, insigni rerum strage, damnoq;

oppidanorũ. Sandoualius Caſtri Comes, Sotomaior Alcantarę magiſter à Caſtellæ Rege euocati, venire recuſarunt inimicorũ vim veriti, ſiue ex cõſcientia digna metuentes. conſtabat etiam cum Aragoniis fratrib. ſentire: neque factis induciis mutatos animos. In ipſo belli apparatu Aluarus priori vxore Eluira Portocarreria defuncta, Ioannã Beneuentani filiam duxit. ad Palentiam nuptiæ celebratæ modica lætitia, ob nouæ nuptæ auiam Ioannam Mendozam, quæ Henrici maris Præfecti vxor fuerat, per eos dies defunctam, Rege tamen & Regina auſpicibus nuptiarum. Nihil tum nimium videbatur, creſcente Aluari

1431. tum gratia, tum auctoritate. Hæc principio anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi primi gerebantur, quo tempore Martinus Pontifex Aragonio æquanimior factus Gallorum odio, an alta ſimulatione, euocato tamen in Italiam Alfonſo Rege, Romæ importuno tempore extinctus eſt ad decimũ Kalend. Martii. Idonei auctores ſequentem annum deſignant: mirari poſſis in tam recenti memoria tempora annalium diſſentire. In Martini certe locum Gabriel Condelmerius Cardinalis, natione Venetus cooptatus eſt, Eugenii quarti nomine, quinto Nonas Martias. Ope potiſſimum Iordani Vrſini Cardinalis ad eum gradum euectus, Vrſinis fauere cœpit, quæ Romæ potentiſſima factio eſt, columnas proceres inſectari. Ioanna etiam Neapolitana mutabili ingenio fœmina Antonio Columnæ Salernum abſtulit. prioris Pontificis donum ereptum in noui Pontificis gratiam, an ob aliquam offenſam, vnde noui motus, ſpes aliæ. Caſtellæ Rex Petro Manrico rebus gerendis, iuriq; dicundo præfecto dum bellum Mauricũ eſſet, Medina campeſtri Toletum abiit. in eius vrbis templo numine propitiando noctem peruigilẽ armatus egit. ſic in more erat, iis qui balteo militari donandi erant. luce, Sacerdotum precatione vexilla luſtrata. inde feriis actis, inſtauratis ſacrificiis, votis nuncupatis ad bellum itum. Ciuitas Regia in medio itinere eſt. in ea vrbe ſecunda hora poſt meridiem, ad octauum Kal. Maii, die vigeſima quarta Aprilis terræmotu concuſſa ædificia, arcis nonnullæ pinnæ diſcuſſæ. Rex in apertum prodire metu compulſus eſt. Magna trepidatio, Regis præſentia, & periculo maior. Leue detrimentum, nulli homines periere. maior ea clades ipſo anno in Aragonia, Catalaunis, & Ruſcinonenſi agro fuit: quædam oppida euerſa, dirutaq; templa, vi terræmotus inuenio. Granatæ etiam, & in Caſtellæ caſtris ſub ipſum pugnæ conflictum terra mouit. Ancipiti præſagio, vtriuſq; nationis animi menteſque concuſſæ. Variæ excitatę religiones, multiplices ſignificationes captatæ: quibus rebus vulgus hominũ mouetur maximè, quaſi prænunciis futurarum, mobile ſuperſtitioſumq;. Barcinone per idem tempus Violantes diẽ obiit grandæua Regina, Ioanni olim Aragonio Regi primo, connubio iuncta, Ludouici Andegauenſis, cum quo de regno Neapolitano lis erat, auia. Cordubam menſe Maio Caſtellæ Rex appulit: cum valida manu præmiſſus Aluarus, Illoræ agrũ, Granatæ planiciem ſoli cæliq; facie in paucis lætiſſimã, amœnitate æque ac prouentu inſignẽ depopulatus eſt. deliciæ ciuium, horti, villæ ipſis cernentib. flamma vaſtatæ. ipſum etiam Regis Maurici nobiliſſimũ prætoriũ incenſum. neq; his tamẽ iniuriis, ac ne Aluari quidẽ literis & conuitio ad certamen prouocati prodierunt. cauſæ in incerto fuere: ſuſpenſa arbitror ciuitate ad expectationem maioris mali. Cordubæ interea de ratione belli deliberatur. variæ dictæ ſentẽtiæ. pars agris decernebat vaſtitatẽ: neq; vllo certo loco conſiſtendum videri. pars validam aliquã vrbem obſidendam diſputabat: vt tantorũ laborum certus aliquis Regi fructus exiſteret, prouidendũ. in qua plus dignitatis erat, ea vicit ſentẽtia. Granatã regni caput petendã, & collatis ſignis pugnandum. ad id Gilayrus Maurus fortè an conſilio Cordubã delatus, qui à puero captus inter barbaros Chriſtiana ſacra eiurarat, quamuis noſter tamen erat animo, vehementer incitabat: pollicebaturq;, cũ primùm in vrbis conſpectum ſe dediſſent, Iuzephum Benalmaum Mahomadis Rufi Regis, eius qui Hiſpali occiſus fuerat, nepotem in noſtra caſtra venturũ. Eo conſilio Regina eatenus proſecuta, Carmonem amandata, regia caſtra ad Aluendinũ oppidum mẽſe Iunio dimidiato promota. dum omnes copiæ cõueniunt, extracti dies aliquot. octoginta hominum millia conuenerunt nihilominus. plurimi genere & factis nobiliſſimi. caſtrorũ metatores Diegus Ribera Antelatus, & Ioannes Guſmanius deſignati. cõtra veteris militiæ leges id munus Mareſcalis detractum. Secundis inde caſtris ad fines Maurorum peruentum. iuxta ac ſi hoſtes adeſſent, reliquio itinere inſtructæ acies. Aluarus primum agmen ductare iuſſus: in quo duo millia & quingenti equites grauis armaturæ erant. Cum robore peditatus ſequebatur Rex multis adiunctis procerib. poſt principia aulici, & viri togati magno numero. Io. Cereſola Vxamenſis, Guterrius Toletus Palẽtinus Epiſcopi. Vtrunq; latus Hẽricus Nieblæ Comes, Velaſcus, Stunica, Beneuentanus, Giennenſis Epiſcopus muniebãt. Præcedebãt aliquanto ſpacio metatores duo, cũ mille equitib. leuis armaturæ. ab his initiũ pugnę factũ. Tertio Kal. Iul. egreſſi Granata Mauri magno clamore. Cau' locus & pręruptus

qui inter vtrosq; erat, à nostris superatus est. ventum ad manus. vincebant numero barbari:atque pro vulneratis atque defessis recentes ex vrbe,quæ prope erat, Mauri submittebantur.idem à nostris fit: Velascus submissus:cuius impetum barbari non tulerunt: sensim se in vrbem receperunt pugnantes tamen. auersum hostem eo die nemo vidit. ad Eluiræ mōtis (Illiberrinū dixere veteres) radices regia castra vallo, atque fossa munita. Mauri quinque millia equites erant, pedites ad ducenta millia pars in vrbe, pars tendentes in vicinis castris: cum tantam multitudinem vrbana ædificia non caperent. Die Dominico Maurorum acies ad pugnam productæ. In Calatrauæ magistrum, cui agri complanandi cura erat aggeribus riuisque inæqualis,impressio facta est. periculo cognito, Henricus Nieblæ Comes, atque Stunica qui è nostris propiores erant, munimenta trangressi, ad opem ferendam iere. cum ardore meridiani solis incalescebat pugna: neque se nostri sine periculo explicare poterant. Rex indignatus quod eo die pugnare non constituerat,suorumq; temeritatem incusans Aluarum mittit iussum inhibere pugnam: prælium que dirimere. Eo res perducta erat, vt circūfusis vndique Mauris receptus fugę similis esset futurus.quod vbi Rex cognouit, instructa pro tēpore acie, pauca locutus: cū iis certamen fore quos antea vectigales habuerint. neque duces, neque animos mutatos. Regem barbarum abesse ciuium voluntate diffisum:quorum pars maxima Benalmaum sequitur,qui ad nostrum se præsidium recepit. Parati intētique in hostes inermes atque imbelles irruite. Neque multitudo terreat:ipsi se in pugna impediēt. quo ore quisquam vestrum nisi victor domum repetet?quos Aragonii,quos Vascones,Gallique timuerunt, hos incondita & collectitia barbarorum multitudo terrebit? absit tantum nefas: superi omen auertite.Hic dies,aut omnes labores & victorias confirmabit:aut quod horret animus dicere,nomini nostro,gentique sempiternam ignominiam inuret. His dictis datum tubis signum. sublatus clamor. factus in Mauros impetus. aliquandiu immotæ acies substiterunt: facies pugnæ varia,incerta,fœda atque miserabilis. pars cedere, alii insequi. arma,tela,equi,viri,Mauri nostrique permixti: nihil consilio,neque imperio agi. Rex inter primos progressus testis virtutis, incitatorque tantam alacritatem suis addidit: vt restitutis ordinibus,tum primum pugnam iniisse videretur.Fuga moxeffusa hostes in vrbem compulsi. pars colles petiit locorum notitia, & asperitate confisi. cædendi finem nox fecit.Supra decem hostium millia ceciderunt. (sic creditum, certus numerus iniri non potuit)castra Maurica, quæ vineta inter & olиueta erant à Io. Ceresola capta. Redeuntem in castra Regem sacrata cohors cum infulis & velamētis obuia, lætaque excepit. numini pro victoria actæ gratiæ. decem diebus iisdem in locis expectatum. Mauri ne ad vineas quidem prodire ausi, nullam tamen de fœdere mentionem fecerunt, nimia sui fiducia, aut veniæ desperatione: forte insolitus stupor occuparat mentes plebis & principum. ager vastatus à nostris,nullo vetante.Calatrauę magister,Ribera Antelatus designati, qui finibus præsidio essent. Benalmaus regio nomine imposito cum ipsis relictus:si factionis opibus regni Granatensis occupandi sese offerret occasio. Hic exitus Granatensis expeditionis fuit præliique nobilis, quod à ficu loco pugnæ extante nomen apud vulgus habuit.è nostris pauci nullus magni nominis, neque in pugna, neque toto bello desiderati. eo syncerior lætitia vniuersæ gentis fuit.

Pax inter Reges Castellæ & Lusitaniæ. CAPVT IV.

ABscesserat annis superioribus Nunnius Pereira equitum in Lusitania magister Barcelosii & Oreni comes, non armis modo,sed etiam curis ciuilibus:seq; Olisipone in Carmelitarū cœnobio,quod è belli manubiis construxit,grauior annis incluserat,humanarū rerum inconstantiā veritus, ne longa vita cū multis vertēti fortunæ tribueret: simul delicta prioris ætatis expiandi, & diuini numinis promerendi cura solicitabat, pauperum inopiā subleuando,Diuorum templis exædificandis, quæ nō pauca in Lusitania extant: Aliubarrotæ vnum D.Georgii nomine,D.Mariæ alterum ad Villā vitiosā, susceptæ pietatis monimēta præclara, partæ de hostibus victoriæ insignia trophæa.His operib. intentum mors oppressit,ætatis anno septuagesimoprimo,ex quo magister equitum factus erat, quadragesimosexto: eius semper in Hispania viuet auctoritas, memoria vigebit. Corpus in eodem cœnobio est compositum. Funus Rex ipse curauit insigni apparatu, omnium ordinum concursu. id pignus amoris defuncti meritis dedit: cui debebat imperium. Ex Beatrice filia vnica & Alfonso Brigantii Duce susceptis nepotibus ditionem omnem antea diuiserat. Amici obitu admonitus Lusitanus Rex æquali sibi vitæ exitum instare, quod semel & iterum tentatum erat, maiori conatu, no-

uaque legatione de pace Castellæ Regem appellare constituit. Abscesserat is Granatæ finibus præpropere. quibusdam videbatur, magnas discessu agendi opportunitates corruptas: vnde in vulgus opinio iactata Aluarum auro Maurico corruptum fuisse inter caricas Granata misso. fides habita, quod nihil magnæ rei, nihil paruæ nisi eius arbitratu agi constaret; & est procliuis in deterius populi persuasio. Ad tertium decimum certe Kalend. Augusti Cordubam ventum est: inde Toleti persolutis votis, actisque numini gratiis pro data victoria Medinam Campestrem festinatum, quo regni conuentus edicto regio habendi erant, nulla re insigniores, quam induciis, quæ cum Lusitano erãt, pace perpetua mutatis. Fœdus honestis conditionibus inter vtramque gentem est factum. tertio Kalend. Nouembris in Castellæ conuentibus, atque Olisipone promulgatum, legato è Castella in eam rem Franco iureconsulto. Castri Comes maiestatis lege damnatur. Alcantaræ magistri oppida publicantur, regiisque præsidiis occupantur. Velascus, Ferdinandus Toletus, Palentinus Episcopus, Guterrius Toletus in custodiam traditi. cum Aragoniis fratribus conspirasse, Aluaroque exitium comparare rerum nouarum studio, crimen opponebatur. Graues ex ea re motus animorum consecuti sunt: aduersus Aluari potẽtiam & fraudes nemini præsidium nisi in armis fore proceres iudicabant: presertim Enecus Mẽdozius Fitam ad omnes casus præsidio & armis munire. In belli maurici sumptus noua pecunia ordinum consensu imperata. vbi res propemodum confecta videbatur, à Ribera Antelato, & Calatrauæ magistro multis oppidis ad deditionem compulsis: Arunda Cambile, Illora, Archidona, Septinilio, aliis. Loxa etiam firmissima ciuitas venit in potestatem. arci quoniam voluntate nihil facturam sperabant vis admota. Iosephus Abensarraxius Granata obsessis præsidio accurrens, victus acie à nostris, atque occisus est. fidei constantia malo fuit, in tanta inclinatione prouincialium, odio præsentis imperii ad Benalmaum respicientium propensissimis voluntatibus. quibus Mahomad Læuus cùm se imparem sentiret, alia tempora expectaturus Granata relicta. vbi aduersæ factionis studia vigebant maximè (& nouis nostrorum artibus amplius erant erecti aduersæ factionis animi) Malacam abiit. Benalmaus ipsis Kal. Ianuarii, salutis anno millesimo quadringentesimo trigesimo secundo in vrbem exceptus est. Maurorum is annus erat octingentesimus trigesimus quintus mensis Iamad prior. Eo mense Eduardo Lusitano filius ex vxore Eleonara, natus Sintræ est. Alfonso infanti fuit nobile calamitatibus nomen maiori facto. Vrbis Granatæ ciues erga nouum Regem nouis officiis certabant: plerique synceris animis, alii tempori seruientes, eoque obsequio promptiore, lætiore vultu, qui maximè simulationi seruit. Rex ipse sacramento confirmauit se in Castellæ clientela futurũ: auri pondus annuũ tributi nomine, cum fide repræsentaturum. de tota re publicæ confectæ tabulæ. Res optime cõstitutas fortuna seu vis altior, per omnia humana dandis maxime principatibus potens breui euertit obitu Benalmai. is annis grauis intra sextum regni mensem decessit ad octauum Kal. Iulii, Maurorum mense Xauel. Mahomad Læuus Malaca vbi exiguæ spei exitũ expectabat, æmuli obitu nuntiato, nõ minori studio quam erat pulsus, denuò vocatus ad regnum, exceptusq; in vrbem est. tantum sæpe exiguũ tempus potest rebus atque animis commutandis. Et erga exulem & profugum successerat multis humanitas. Is in Abensarraxii locum Andilbarẽ iuridicundo Prætorem Granatæ constituit. à Rege breues modò induciæ Mauro concessæ. Tumultus ad Lusitaniæ fines erant ab Aragoniis fratribus concitati. vtrique bello impar ærarium continuis sumptib. exhaustum. aliquid etiam Tunetani Regis gratiæ datum, pro amico Rege & necessario missa in Castellam legatione laborantis. Ad Alcantaræ magistrum sanandum, & ab Aragoniis diducendum Aluarus Isorna Conchensis Episcopus missus erat: si pro pontificia auctoritate, & propinquitatis iure, quæ inter eos erat, ruentem in exitium retineret: & ad meliora traduceret. leuis ea necessitudo fuit. re infecta discessum. Haud multo post facta pœnitentiæ fide, Franco demandata cura hominis conciliandi, atque in partes trahendi. magister mobili ingenio & rerum nouarum auido, cui ingrata erant quæ tuta, in temeritate spes, repente quasi furore percitus Alcantaræ arcem Petro Aragonio tradit: Frãcum Henrico. insigni facinore aditus ad Regis gratiam penitus interclusus, inuidia ad populũ cõcitata, iure gentiũ violata fraude impudenterq;. Friderico maris Præfecto, Petro Manrico Antelato Alburquerquii obsidẽdi, & Aragonios fratres impugnandi cura est imposita. adiũcta valida militaris manus. A Guterrio Sotomaiore Alcãtaræ Promagistro, Petrus Aragonius in lecto nocturna vi captus ipsis Iulii Kal. incertũ auũculi magistri monitu, cũ eius saluti ab Aragoniis timeret: an q; susceptũ ipse ab auunculo Aragoniis adhærẽdi con siliũ improbaret, Regemq; insigni officio promereri studeret. prẽmiũ certè fuit in auũculi locum cooptatio. Rege enim annitente, Alcantaræ militib. in comitia conuenientibus Io. Soto-

Io. Sotomaior, de multis criminib. postulatus, atq; gradu motus. Guterrio auunculi honos est datus. vtriusque consilia pares exitus nacta: merces consentanea meritis. Castellæ proceres, qui in vinculis erant, redditi libertati, nullius probri comperti: seu quia dissimulare magnis sæpe Principibus necesse est, præsertim crimine latè fuso: ne id tantum diligentia assequantur, vt palã fiat, quibus flagitiis sint vires impares. Verum hæc aliquanto pòst intermissa repetamus.

Bellum Neapolitanum. CAPVT V.

ALFONSO Aragonio Rege in Hispaniam reuerso, vti est superius demonstratum, magna rerum inclinatio, Neapoli, maior animorum erat facta. multo maxima eius imperii pars in hostium ius ditionemq; redacta erat. pleriq; proceres Andegauensibus fauebant: pauci iiq; occultè Aragonii maiestate tenebantur. Aragoniæ vires vix vni pares in multa bella vno tempore distractæ. externa tamen quæsita, cùm tantum belli domestici esset in manibus. Fregosii potentissima inter ciues Genuenses factio vrbe patria & principatu à Philippo Duce Mediolanensi pulsi, supplices ad externa præsidia confugientes Petrum Aragonium Neapoli, vbi tunc res gerebat, exiguaque spe fraternas opes sustentabat, cum classe auxilio euocarant. Accurrit ille non inuitus noui principatus spe iniecta, iniurias certè vindicandi studio ardens superiori bello acceptas. Vanus conatus non fuit. iunctis cum Fregosiis Fliscisque viribus multa oppida & arces tota ora Ligustica de Philippo captæ. maior tota prouincia belli terror illatus, erectis prouincialibus ad spem studiumque rerum nouarum. Ea cura Philippus incensus, ne Genua amissa de veteri principatu periclitari necesse foret, de pace cum Aragoniis agendum censuit. missis in Hispaniam legatis Bonifacium Corsicæ caput, de qua insula tandiu cum Genuẽsibus fuerat concertatio, traditurum se Aragonio pollicetur, insciis Genuensibus. oblatæ amicitiæ haud leue pretium, conditioq; reiicienda non erat. missi ab Aragonio legati in Italiam, qui in re præsenti disceptarent. obsistente Genuensi senatu Portus veneris atque Ilicis seu Ericis (nunc Lerise) arces loco munitæ in ora Ligustica pro Bonifacio Aragoniis traditæ sunt. Petrus rebus constitutis è Sicilia, quo se retulerat, euocatur. arces præsidiis munit: sexque triremibus Philippi Ducis stipendio relictis, quæ eam oram tuerentur, cum classe reliqua abscedit. Cercina demum Afrorum insula vastata, è captiuis, quoniam insigni sunt robore, remigum numerum supplet; rebusq; in Sicilia & Neapoli, vt præsens ferebat status, constitutis in Hispaniam, vti antea dictum est, nauigauit, fratribus auxilium Hispaniensi bello: neque magnam, neque nullam spem ferens regni Neapolitani recuperandi. Terrebant aduersariæ factionis vires Aragoniis validiores. Confirmabat animum gentis ingenium, externa imperia facilius parare armis quã retinere solitæ: vt sæpe magnis Principibus artes desunt, quibus subiectos populos in pace regant, potiusquam quibus hostes armis superent. Vtriusque nationis Gallicæ, atque Neapolitanæ varios mores esse cogitabat: studia contraria. accessuram breui discordiam extremum malorum. à Regina & aulicis quasi à capite malorum contagionem in reliquum reipub. corpus diffundi. perituram breui, ituramque in præceps, etiamsi nullus impelleret. Inanis ea cogitatio non fuit. Andegauensis in Calabriam ablegatus: bellum inde curare iussus, neque alias imperii partes attingere. auctor consilii Caracciolus, quò solus vti ante consueuerat, amoto æmulo regnaret, alieno nomine, sua inuidia, communi malo. Ab hoc principio auctis odiis, Aragonius etiam à Caracciolo in regnum reuocatur: omnia prona fore, Gallicam potentiam mora consenuisse, se suosque in eius fide & potestate futuros. incertum ex animo ea polliceretur, an quemcunque cursum fortuna dedisset, rebus suis præsidium parans, ingenio cautus & sagax. Simplicius Antonius Vrsinus Tarentinus Princeps Aragonii amicitiam colebat, homo nobilis impiger, factiosus, potentiæ & copiarum auidus. conuitio propemodum Aragonium euocabat: Gallicæ leuitatis, & arrogantiæ tædere cœpisse (sic ille loquebatur) integra factionis studia superesse: ex aliis plerosq; secum voto stare. se modò in conspectum daret, odio turpitudinis vniuersam multitudinẽ in partes accessuram. si moraretur spem, externa tamen conquisituros præsidia. His Aragonius literis famaq; excitatus, neq; multũ magnificis pollicitis credere, neq; oblata studia reiicere. nisi Regina volẽte de imperio Neapolitano rursus armis contẽdere graue erat. fratrib. tamen in Hispania relictis, ipse classe instructa, in qua sex & viginti triremes erant, naues onerariæ nouẽ, Africæ litora tentare constituit. ad tuẽdam id auctoritatẽ pertinere, & factionis studia ex propinquo sustentanda. Ad decimũ Kal. Iunii soluẽs è Valentino litore, legensq; Sardiniam, in Siciliã appulit. inde Trupiæ Brutiorum arci munitissimæ ab Andegauẽsib. obsessæ, atq; ad conditiones redactæ: deditionem facturam, nisi intra diem vigesimum auxilia venirent, in tempore opitulari non potuit, maris tẽpestatib. impeditus. in eius oculis

deditio arcis facta. Messanæ ad Aragoniā classem septuaginta nauigia accesserūt. Gerbis petita (quā nōnulli Lotopliagitē aut Menyngē veterib. fuisse credunt.) Ad litus Africæ ea insula posita est, minori Sirti vicina, locis vadosis incertisq; (cum tempestate maris limo atque arena mutantur) à continenti circiter quatuor millia passuum diuulsa, frequens cultoribus, lætaq;. Qua ad occasum vergitur propior, ponte mille passuum longitudine, continenti committitur. Difficilis oppugnatio erat, propter loci munitionem, circumfusas ad litus barbarorum copias. Bofferricius enim Tunetanus Rex cognito Alfonsi consilio accurrit. ponte primo impetu nostrorum capto, cum barbaro etiam Rege dimicatum acie est. victi Mauri, atque intra munimenta compulsi. ad regium tentorium aliquandiu dimicatum. ex hostium numero fortissimus quisque cadit. Bofferricius rebus disperatis equo impositus euasit. cæteri fuga dispalati. minor quam pro tanta victoria cędes fuit, minorque fructus. viginti bellica tormenta capta, insula in potestatem non venit. Dum Punica fraude cōditionibus retractandis tempus extrahitur, Aragonia classis, quod futurum barbari expectabant, inopia commeatus Messanam repetere compulsa est. De Neapoli recuperanda, consilia agitata: vbi Ioannes Caracciolus inimicorū conspiratione, dum ficta fraude ad Reginam vocatur, ferro peremptus erat ad quintumdecimum Kal. Septemb. Princeps consilii auctor Cobella Rufa Antonii Suessę Ducis cōiux: quæ præcipuum gratiæ & auctoritatis locum apud Reginam nacta erat, eoque implacabili odio in Caracciolum, ferebatur. Viam superi regni recuperandi Alfonso aperiebant: neque is occasioni deerat. quin Neapolitanis proceribus solicitatis missaq; ad Reginam legatione Ænariam insulam contendit, ex propinquo omnia diligentius exploraturus. Simulabat Ioanna sese pacē non aspernari: icti cum Andegauensi fœderis pœnitere: atq; ad priora consilia cupere animum reuocare: modò facultas esset, & sine armis. retractandis conditionibus reliquum æstatis extractum. Eò ventum vt Regina Ludouico Andegauensi abdicato, Alfonsi Aragonii adoptionem instauraret, fœderis prius icti meminisse potius simulans, quam initæ nefariè cum Gallis societatis. vtrumque arcana syngrapha, quo res occultior esset, factum. vtrumque Cobellæ consilio, & hortatu, qua multum & familiariter Regina vtebatur: alienis semper imperiis obnoxia, nunc fœminæ. vsque eò vt belli, pacis consilia vna maximè administraret. pudendam ignominiam. sed prona tamen ciuitas in luxuriam, morum vitio affluentique copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ, terrestrisque, modò præsentibus frueretur, nulla honesti cura mouebatur. plebem maxime nulla honesti inhonestiq; cura solicitabat. Sic erant studia hominum ea tempestate. Aragonii interea fratres in magno discrimine esse: captus alter, Henricus intra Alburquerquium obsessus. maioris belli metus ostendebatur, mota fœderis fide: de qua re Castellæ legati cum Vascone, qui vtriusque regni finibus præsidio erat, iussi expostularunt. vt Alburquerquio dedito, aliisque oppidis & arcibus vniuersæ Castellæ finibus abscederent impetratum Lusitani Regis opera, & auctoritate. icto fœdere, ambo fratres, Catharina Henrici vxor, Sotomaior Alcantaræ ante Magister, Cauriæ Episcopus ad Olisiponē nauibus impositi Valentiā vrbem Edetanorum delati sunt, nouas inde spes captaturi in Hispania, si minus certè in Italiam nauigaturi: quò à fratre Aragonio Rege conuitio euocabantur, cura Neapolitani imperii armis recuperandi: cum non ignoraret Reginam sibi speciosa verba dare, animo ad æmulum inclinatam. Nihil intestina discordia occultum esse patitur. bona malaque consilia vulgantur. ad Aragoniæ fines Turiaso, & Calataiuba Friderici Lunæ Comitis variis artibus tentatæ: si Castellæ præsidiis occupari possent: id fugæ pretium extare cupiebat homo immodicus, mobili ingenio, audax, temerarius. rei perficiendæ occasionem suppeditabat, suscepta iis locis de Toletano Primatu controuersia, minimè idoneo tempore hac causa. Io. Contrerius Toletanus Episcopus inter septem arbitros controuersiis cum Aragonio finiendis à Castellæ Rege datus, Agredæ prius, deinde Turiasone crucem potestatis insigne præferebat. contra morem id maiorū vsurpari Turiasonenses querebantur scitaq; gentis. Dalmatii Cæsaraugustani Præsulis, cui Turiasonensis Episcopus contributus est, dignitatem à Tarraconensi manantem lædi. Toletanorum sæpe audaciam cōpressam: non esse nouo exemplo veteres mores, iuraq; violāda: neq; laturos iniuriam. Toletanus factum, antiquis Romanorum Pontificum tabulis tuebatur. se tamen Agredę tenens Aragoniis finib. abstinebat: ne res à verborū disceptatione procederet ad manus. Importuna contentione suscepta, nihil communi cōsensu gerebatur, resq; communes præ priuatis cupiditatib. negligi videbantur: ac periculū erat, ne decurso induciarum tempore, denuo rediretur ad arma. quo metu nihil ab vtraq; parte de sua cōparatione omittebatur. pecuniæ redigendæ summa difficultas erat, Aragoniis maior, tot iam annorum bellis exhaustis.

Concilium Basiliense. CAPVT VI.

SVSPENSIS Hispanorum animis ad noui belli expectationem noui terrores de cælo o-
stentati: Mirobrigæ maximè, quo Castellæ Rex accesserat aduersus Aragonios fratres,
flamma ingens visa: qua magno spatio discurrente ingens tonitruum est editũ: auditum-
que vltra triginta passuum millia. Ineunte salutis anno millesimo quadringentesimo tri- 1433.
gesimo tertio, in Vasconibus & Aragonia niues quadraginta dies cõtinuatæ magna stra-
ge quadrupedũ, alitumq;. feræ necessitate famis ad oppida concurrebant occidi, aut oc-
cidere paratæ. Madritũ ex vrbe Mirobriga petitum ad regni conuentus. tanta hominum
frequentia fuit, vt amplum municipium multitudini non sufficeret: pleriq; in vicinis pa-
gis diuersarentur. de bello Granatensi est actum. missus Fernandus Toletus Vallis Cor-
negiæ regulus, decursis induciis aliquot Mauris arces eripuit. cætera quietus annus Hi-
spaniæ fuit. Madriti inter proceres magnificentia, elegantiaq; certatũ. ludi militares ma-
gno apparatu, sumptuq; commissi. omnia ad imperii splendorem ea ætate voluptatemq;
gentis relata: atq; ea maior, quàm rei bellicæ cura erat. Olisipone hic annus grauis peste
fuit. multi mortales absumpti. Ioannes Lusitanus Rex extinctus est pridie Idus Augusti,
extrema ætate: sex enim & septuaginta annis vixit, mensibus quatuor, tribus diebus: re-
gnauit annis quadraginta octo mensibus quatuor diebus nouem, fundato posteris impe-
rio, in tanta temporũ atrocitate, tantaq; reipub. perturbatione in paucis clarissimus. Suc-
cessit patri Eduardus, in magna procerum frequentia continuò Lusitaniæ Rex proclama-
tus, confirmata ætate annos natus vnum & quadraginta, mẽses nouem, dies quatuorde-
cim: cui ad cæteram felicitatem numerosa proles fuit, ex vnis nuptiis suscepta: Alfonsus
primus, cui patre superstite inter Lusitanos primùm Principis nomen est inditum, Ferdi-
nandus hoc ipso natus anno, Philippa breuis æui, Elionora, Catharina, Ioanna magnis cũ
ætate pactæ iunctæq; Principibus. Ipso inaugurationis die à Iudæo Medico Gudialla, no-
uum Regem monitum aiunt, cæremoniam pomeridianis horis peragendam videri: astra
si festinaret, infelicem euentum designare: perstitisse tamen contemptu talium, vt for-
tuitorum. Suscepta regni cura, pestisq; lue Olisipone sedata, nihil prius habuit, quàm de-
functi parentis manibus solenni ritu parentare. corpus celeberrimo apparatu atque ad
eam diem inaudito, Aliubarrotam delatum, atque in monasterio compositum, quod vi-
ctoriæ de Castella parte monimentum extructum fuisse, ante est demonstratum. funus
prosecuti Rex ipse, fratres, proceres, viriq; sacrati magno numero, verissimis lacrymis. Im
perii à pietate inchoati principiis media, atque exitus consentanei fuerunt. Hæc in Hi-
spania. Extremo Pontificatus anno Martinus Romanus Pontifex Concilium Episcopo-
rum Basileam indixerat, ad mortalium mores, qui collapsi à veteri sanctitate erant casti-
gandos, Bohemos ad fidem officiumq; reuocandos. Iulianus Cæsarinus Cardinalis vir ea
tempestate præclarus, Roma concilio inchoando legatur. Eugenius Martini successor
Episcopos in Italiam transferre conabatur, ratus locorum propinquitate minorem ad res
nouandas fore opportunitatem. resistebat Sigismundus Cæsar Germaniæ æquior, quam
Italiæ. cæteri Principes ab vtraque parte solicitati: ac Aragonius nominatim, in vnam ob-
tinendi Neapolitani regni curam intentus maximè, vnde melior spes affulgebat, adhære-
re Sigismundo visus est: oratoresque ex Aragonia Basileam destinari mãdauit, Alfonsum
Borgiam Valentinum Episcopum, duos alios, è Theologis vnum, alterum ex nobilitate.
idem eius exemplo faciunt alii Reges Hispani à Lusitano Diegus Oreni Comes legatus
est adiunctis Episcopis, & viris sacratis. Ineunte anno millesimo quadringentesimo trige- 1434.
simo quarto, Alfonsus Carillius Cardinalis Basileæ decessit, vir præstanti doctrinæ pru-
dentiæq; opinione, columen nostræ gentis, atq; præsidium. in auunculi locum Alfonsus
Carillius Iunior Seguntinus Episcopus creatus est. qui deinde fuit Toletanus archiepi-
scopus. eò maiori studio ad concilium oratores amandati. à Castellæ Rege Aluarus Isor-
na Conchensis Episcopus, Ioannes sylua Cifontanus regulus vexillifer regius, Alfonsus
Carthagena Paulo Burgensi Episcopo natus, pari eruditione, & virtutum omnium indo-
le, Decanus tunc Compostellanus, & Segobiensis, annis sequentibus, patre Aquileiæ Pa-
triarcha renunciato, in eius locum Burgensis Episcopus est creatus. ea gratia meritis pa-
ternis propriisq; virtutibus est habita: id præmium datum Castellæ dignitatis Basileæ in
patrum conuentu defensæ, aduersus oratores Anglos qui priora sibi vendicabant. defen-
sionem de scripto conceptã cum patrib. obtulisset, Anglorum audaciam fregit. Hoc fe-
runt aliquando Romã ituro, dixisse Eugenium Põtificẽ. Si Alfonsus venerit, quo pudore
nos Petri sedẽ occupabimus? rem miraculo cõparandam: extitisse in Hispania, qui stirpis
Iudaicæ ignobilitatẽ, atq; inuidiã, virtute superaret. nimirũ meritis magis, quã maiorum
imaginibus honos est datus. Sed Aragonio tamen par à Sigismundo gratia reddita nõ est.

Romæ anno ſuperiori Auguſtus renunciatus cũ corona imperii, quaſi mente repẽte mutata, cum Venetis, Florentinis, Philippo Mediolanenſi fœdus ineundum atq; armorum ſocietatem conſtituendam curauit, atque perfecit. Aragonios vniuerſa Italia pellere deſtinabant. Pontificiis magis precibus datum, quàm ſyncera voluntate geſtum. Sed longè aliter res accidit, vti ſequens narratio declarabit.

Ludouicus Andegauenſis defunctus. CAPVT VII.

FRIDERICO Lunæ Comiti ad veterem inuidiam, nouum in caſtella crimẽ acceſſit. vir acer, quietis impatiens, amplo in Aragonia principatu amiſſo, quæ in Caſtella acceperat oppida pretio vendiderat, Arionã Aluaro, Villaſonium Beneuẽtano, de ſuo profuſus, alieni auidus, nullam inopiæ ſupplendæ ſpem fore, niſi in ſcelere ratus, Hiſpalim lautiſſimam vrbem diripere conſtituit, nauali, Trianaque ſuburbio occupatis: vnde in ciuium fortunas graſſari cogitabat, Nieblæ Comiti infenſus maximè præcepſq; in vindictam. Res tanta ſine ſociis patrari non poterat. adiuncti quos ſimilis inopia & mali mores ſtimulabant: quibus libido, atque luxuria, ex magnis opibus, nihil reliqui fecerant. in primis duo Hiſpalenſes patritii nefarii conſilii participes effecti: quorum nomina, vt memoriæ prodantur non eſt neceſſe. Latere is conatus non poterat. Medinæ campeſtri, quo Rex fuerat anni principio Fridericus captus, Vreniamq; primum, deinde in vicinam Olmedo arcem in vincula duci iuſſus eſt, eundem carceris & vitæ terminum habiturus. eò minore gentis commiſeratione, quod transfugæ eum nomen, inuidioſum ſuis, Caſtellæ ſuſpectum effecerat, de ſociis capitale ſupplicium ſumptum. Violantes Nieblæ Comitis vxor pro vincto fratre precatura, ne facta quidem Regem adeundi poteſtate Cuellarem amandata: vetitumque inde iniuſſu Regis diſcedere. ſuſpicio erat, ſororis opibus confiſum ſcilicet, id facinus agitaſſe. hunc exitum Friderici ſpes & conatus habuerunt, meritis & actionum inconſtantiæ conſentaneum. Cordubæ in templi maximi exedra, eius ſepulchrum ligneum monſtratur, eleganti opere Arionæ Ducis nomine, à matre poſitum, vti vulgi opinio eſt, filium in Caſtellam ſecuta. Ariona vetus Aurigi quibuſdam fuiſſe creditur, aliis municipium Vrgauonenſe: vti indicio eſt lapidis inſcriptio, quæ in D. Martini eo oppido legitur, Hadriani quondam Auguſti ſtatuæ ſubiecti his verbis.

IMP. CAESARI DIVI TRAIANI PARTHICI FILIO, DIVI NERVAE NEPOTI TRAIANO HADRIANO AVGVSTO PONTIFICI MAXIMO TRIB. POT. XIIII. COS. III. PP. MVNICIPIVM ALBENSE VRGAVONENSE DD.

Non deterruit Friderici calamitatis exemplum in ſimili cauſſa Aragonios fratres: quin prohibiti quamuis Caſtellæ finibus, & ditione ampliſſima ſpoliati, turbandæ reipublicæ conſilia verſarent. Querebatur Caſtellæ Rex icti fœderis conditiones violatas: ſi induciaſ ſtare vellent, Aragonios fratres ex vniuerſa Hiſpania amouendos. auditis de ea re Caſtellæ legatis, Vaſco auctor fratribus extitit, in Italiam nauigandi, ipſe breui ſubſecuturus. regno Neapolitano parto, cuius nonnulla ſpes erat, haud defuturam occaſionem veteris in Caſtella ditionis recuperandæ diſputabat: Italiæ victoribus cætera in Hiſpania prona fore. Ventum in Siciliam, vti conſtitutum erat nauibus. vnde Alfonſus frater in omnem occaſionem intentus erat, imperii Neapolitani obtinendi, eos proceres in partes trahendi, cæteros Italiæ Principes conciliandi, Eugenium maximè Pontificem, quem ſuis conatibus in primis aduerſari erat expertus. rei perficiendæ opportunitas ſeſe dabat, diuturna valetudine Reginæ, diſſidio procerum, ipſius Pontificis caſu, Roma fugere compulſi. Columnæ Salernitani Principis in vrbem aduentu, facilè populus ad arma eſt concitatus. & erat in magno odio Pontificis nomen, pro eo quod Columnas proceres exagitandos ſuſceperat: & ager Romanus recens erat à Philippi Mediolanẽſis copiis ductu Franciſci Sfortiæ, culpa Pontificis deformatus. auctario Tiberi euaſit, quamuis Franciſcano cucullo, veſte pontificia mutata, telis & lapidibus ab vtraque ripa petitus. indignum facinus: ſed tantum poteſt, concepta à populis indignatio. in Hetruriam paratis ad oſtia Tiberis triremibus abiit. Pontificis ignominia per omnes prouincias vulgata, variè Principum animos affecit, vt cuiuſque ſtudium erat. dignum ea calamitate nonnulli iudicabant: importunis actionibus ſuos, vicinos, longinquos exacerbare: ſanctiſſimis patrum Baſilienſium conatibus pro pietate ſuſceptis, vnum maxime obſiſtere: ex conſciẽtia ſcilicet, digna formidare. plerique indignum facinus accuſabant, armis etiam vindicare

parati,

arati. Caſu eo Aragonius nunciato, Panormi vbi ſe tenebat, ad ſeptimum Idus Iulii, dolebat, vti par erat, Chriſtiani nominis probrum, pontificiæ maieſtatis ignominiam. ſed in dolore lætabatur tamē, veniſſe occaſionem inſitæ pietatis proferēdæ Pontificis promerendi. miſſi legati, qui mœrorem exponerent, opem offerrent, hoſtibus vindicandis, ſedando populo. Lętatus ea legatione Pontifex, ſtudia tamen Aragonio remiſit. tempeſtate intra quintum menſem pacata, Romani tumultus compoſiti, ciues ad officium reuocati, leges & magiſtratus accepere, in capitolio militare præſidium: religione exoluti, qua ob violatum Pontificē erant obligati. In Hiſpania Io. Contrerius Toletanus Archiepiſcopus deceſſit ſextodecimo kal. Octobris. corpus in tēpli Toletani maximi ſacellum, cui à Diuo Illefonſo nomen eſt celebri funere illatum. habitis comitiis de ſucceſſore creando, cum ſententiæ variarēt inter Guſmanium Archidiaconum, & Villaquiranum Decanum, diuiſis ſtudiis, Ioannes Cereſola Aluari vterinus frater, ex Vxamenſi Epiſcopo nuper Hiſpalenſis factus, Rege annitente Toletanus Præſul renunciatus eſt. Coniuncto funere Henricus Villena Madriti, vbi Rex erat, extinctus eſt. amiſſas opes, atque ampliſſimos honores ablatos, iniuriamque fortunæ honeſtis ſolatiis ad extremam ſenectutem tolerauit. tanto eruditionis ſtudio, vt ne à magicis quidem ſacris abſtinuiſſe feratur. libri iuſſu Regis Lupo Barriento Dominicano, Henricique Principis magiſtro examinandi ſunt traditi. quorum parte combuſta, multorum vituperationem incurrit: libros exiſtimantium magno comparatos, eruditorum vſibus ſine periculo noxaque ſeruari debuiſſe. regiam ille de ſcripto concepta defenſione, voluntatem excuſauit, cui repugnare fas non eſſet. Neapolitani proceres odio rerum præſentium, fœmineoque feſſi imperio, ad Aragonium inclinare cœperant. Nicolaus Picininus magnus ea tempeſtate in Italia Dux Braccii propinquus, ad Aragoniam militiā magnis præmiis inuitatur. cum Tarentino & neceſſariis. quæ potiſſima factio Andegauenſis, & Iacobi Caldoræ armis exagitata, ad Aragoniū præſidium confugerat, fœdus Panormi factum: Aragonii in fide fore, ſi tantum copiarum auxilio mitteretur, quantæ ad defendendum bellum eſſent ſatis, duo millia equitū, pedites mille Aragoniis ſtipendiis: validæ copiæ, impares tamen aduarſariorum potentiæ. Breui Tarētinus ditione ampliſſima ſpoliatus, paucas vix arces, & oppida retinuit, ſitu, aut opere munita. confecto ferme bello diſceſſum ab armis. Conſentiæ, quæ Brutiorum vrbs eſt, Andegauenſis corpore tantis militiæ laboribus fracto, loci inſalubritate tentatus morbo, atque oppreſſus eſt menſe Nouembri dimidiato, in ipſo ætatis flore, in medio felicitatis curſu, ipſoque in regni obtinendi limine: vix nuptiarum lætitia peracta, ducta recens Margarita Amedei primi Ducis Sabaudi filia, inſigni formæ venuſtate. Sic fortuna ludis in rebus humanis. Sic nos noſtraque verſamur. Aragonio nimirum cælum viam ad regnum ſtruebat, cui nihil eſt arduum, eo maiori feſtinatione, quod Regina ipſa Neapoli deceſſit, ad quartum Nonas Februarii, ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto, morbi diuturnitate victa moleſtiaque oppreſſa, quam ex filii morte concepit grauiſſimam: atque adeo vt ſemet incu- 1435. ſaret, quod ſummis ac perpetuis Andegauenſis officiis in amore non reſpondiſſet: dura atque ingrata optimo Principi mortem conciliaſſet. Corpus Reginæ in Annunciatæ Virginis ædem illatum eſt; modico ac tumultuario funeris apparatu. Andegauenſis & Reginæ obitu fortunæ partiū cōuerſæ: vireſq; Aragoniæ confirmari amplius cœptę: Andegauenſes debilitari: tametſi Neapolitanus populus nullo Principū conuentu habito, nullo ordine, quod Reginæ etiam teſtamento cautum erat, Renatum Andegauenſem Regem pro defuncto fratre iuſſerat. Parum in eo præſidii erat, qui ſuperiori tēpore dum de Lotaringiæ principatu Carolo Duce ſocero defuncto, cum Antonio Vallemontenſi Comite eiuſdem fratre certat armis, libertatem amiſerat, captus in pugna atque in Burgundi Ducis poteſtatem traditus: cum quo armorū ſocietas Antonio erat. Ex vtroque caſu quantum dolorem Violantes Regina Andegauenſium mater ceperit, explicare ſuperuacaneum ſit. res ipſa indicat. multum ei familiæ ſuperi per hæc tempora aduerſati videntur, Gallorum genti infenſi, an Aragoniis propitii. Sed eſt fere, vt aliarum rerum ſic felicitatis orbis. per varias gentes, atque familias inerrat nulli propria. Neapoli à multitudine, qui ſummæ rerum præeſſent, Otinus Caracciolus, Georgius Alamanus, & Baltaſſar Ratta delecti, Andegauenſis factionis facile principes, ſtudio, arteque multitudinis concitandæ præſtantes. Deceſſere etiam magni in Hiſpania viri. In eo numero Rodericum Velaſcum Palentinum Epiſcopum miſerabili caſu, familiæ cocus peremit, Ioannes nomine. Emota forte mente nodoſum ſtipitem eccur geſtaret, rogantibus ioco aulicis reſpondere erat ſolitus, mactando Epiſcopo. Vocem barbarā (erat enim natione externus) non intelligentibus riſum mouens, mox veriſſimas lachrymas excuſſit, heri ſe-

curi capite eo ſtipite comminuto. Adeo tenui filo ſuſpenſa ſunt ſalus opeſque hominum.

Bellum Mauricum. Cap. *VIII.*

FOEDA hyems fuit in Hiſpania, continuis imbribus; fluuiorũ illuuie, viç luto impeditæ, vix vt commeandi facultas eſſet. multa ædificia vi inundantium aquarum euerſa. Valliſoleti, atque Medinæ Campeſtri, vis mali maximè incubuit, molæ frumentariæ impeditę diebus quadraginta, cocto frumento homines vixere. Hiſpali Bætis ad ſumma vrbis mœnia minus duobus cubitis excreuit. ciues in metu pars naues ſcandere: pars diu noctuque rimas omnes ſtipare nequa penetraret aqua. Ad quintum kalendas Nouembris cœptę tempeſtates, ad octauum kalen. Aprilis tenuerunt. Magna caritas annonæ. ſolicitudo par. belli tamen Maurici cura non intermittebatur, inter aduerſa & ſecunda variantis. Diegus Ribera Antelatus impugnanda Alora, ſagittæ ictu ex muro emiſſæ periērat. alia parte Ioannes Fagiardus Alfonſi Antelati filius, fuerat à Mauris in pugna tumultuaria occiſus. Diego Peraſanius filius ſuffectus eſt à Rege, quindecim quamuis annos natus. ea gratia paternis meritis habita eſt. & erat præclara indole virtutis, vt in ea ætate. Solicitudinem noſtrorum animis ex iis caſibus incuſſam nouus nuncius mitigauit. à Roderico Manrico Petri Antelati filio Oſcam in Baſtetanis firmiſsimum municipium, admotis ſcalis vi captum. Validam etiam Maurorum manum, quæ auxilio ſuperuenerat. Caſorlæ Antelati, & vallis Cornegiæ reguli accurſu fuſam cæſamque: Maurorum fuga deditam noſtris arcem. Lætitia ex ea victoria ſuſcepta breui euanuit, maiori quàm intulerant accepta clade. Guterrius Alcantaræ Magiſter Archidonam expugnaturus cum octingentis equitibus, peditum dimidiato numero in eos fines inuectus, cognito ex ſpeculis eius itinere, atque fumo ſignificato finitimis, iniquis ad tranſitũ locis circumſeſſus à quingentis hoſtibus; qua ſagittariis, qua funditoribus, ferme omnibus ſociis amiſſis, vix ipſe cum paucis aufugit. improuiſo barbarorũ aduentu, & contemplatione periculi, ſtupor omnium animos occupauit: & quaſi torpore quodam membra diriguerunt. Cautior alieno periculo cladeque Ferdinandus Vallis Cornegiæ regulus Huelmæ propemodum captæ obſidione diſceſſit: cum validas Maurorũ copias auxilio obſeſſis venire, eſſet nunciatũ. & eſt non minoris virtutis aliquando cedere quam in pericula irruere: maioris hoc aliquanto animi, illud prudentioris conſilii, ſe atque ſuos ad meliora tẽpora conſeruaſſe. vti tunc accidit. auctis enim mox viribus, adiunctoque Giennẽſi Epiſcopo, cum mille & quingentis equitibus, ſex peditum millibus Guidixenſem agrum vrere, maturas ſegetes corrumpere, magna incolarum calamitate. Maior equitum numerus Granata venerat, ad quadraginta millia pedites. cum ea multitudine conferre ſigna non eſt veritus. conſilium non fuiſſe temerarium, vnde audacia famã habet, euentus docuit, victoria à noſtris parta. quadringenti hoſtes ceciderunt: fugerunt alii metu vincente pudorem. Fugiẽtes nox texit. Pereę Antelati eo die virtus emicuit. confoſſo equo, crureque vulnerato in pedes deſiliens, circumfuſos hoſtes magno animo ſuſtinuit, ſubmouitque mortis contemptu validior. incruẽta noſtris victoria non fuit. ſauciati non pauci. nonnulli deſiderati. In Conteſtanis non procul Oſca duo oppida erant, modico ſpatio diſiuncta, vtrunque Velis nomine. Rubri alterum, alterum Albi. Hæc oppida à Fagiardo Antelato circũſeſſa ſunt. cõpulſi malis barbari, legitima deditionis verba nuncuparunt: ſi eiſdem quibus antea legibus viuerent, nec maiora vectigalia pendere cogerentur. Tribus hæc annis cum Mauris geſta coniunximus, ne memoriam diſperſa confunderent. Annus vnde digreſſi ſumus, pace inter Gallos & Burgundos ex tantis motibus facta maxime illuſtris fuit. odia cruore ciuium exatiata erant. Carolus Rex Galliæ de Burgundo amice honorificeque loquendo pœnitentiæ fidem fecerat: neque cædis Burgundi Ducis auctorem extitiſſe. acceſſere tres Roma Cardinales ad eos Principes legati. iis vltro citroque commeantibus impetratur, vt à tribus Principib. oratores Atrebates conuenirent. de pacis ibi conditionibus agi cœptũ. disceſſere è conuẽtu Angli, regni Francorum riuales: ęquiorem Burgundus ſe præbuit ſanandis reip. malis cupidior. Memoriæ Ioannis cæſi Ducis, vt honores à Franco haberentur mandatum, loco vbi cæſus erat, templo eius impenſa exędificato, collegioque ſacris faciendis inſtituto. Matiſco, Altiſiodorum perpetuo iure, alia oppida ad Somonam amnem data, pignoris modo loco, dum quadringenta aureorum millia mulctę nomine redderentur. Nihil nimium Franco videbatur præ cupiditate Burgundi conciliandi, diſtrahẽdiq; ab Anglorũ ſocietate: haud ignaro, eo fœdere Galliæ opes, quæ nimium acciſæ erant, breui reſtitutum iri. vti factum eſt. Ad famam eius fœderis ciues Pariſienſes excitati arma in Anglos corripuerunt: regia-

que

que vrbs ad pristinum rediit imperium. reliqua procliuia esse cœperunt, quæ catenus fuerant ardua atrociaque. Nostræ historiæ pace Atrebarensi facienda, Isabellæ Burgundo nuptæ præclaram extitisse operam confirmant: & cum Rege Gallo coram colloquio habito de conditionibus egisse aiunt: ex fide, an ex gratia gentis Lusitanæ in incerto habeo. Illud constat Reginis Aragoniæ, & Vasconum, cum viri Reges Caietam obsidione premerent, vti mox est explicandum, à Castellæ Rege qui Madrito Butracũ Enneci Mendozii inuitatu contendebat, ludis & conuiuiis remissurus animum, datũ, vt induciarum tempus ad Nouembris kalendas prorogaretur. Ioannes Luna Illuecę dominus, in eam rem legatus, Aluaro id gentili suasit, læto ad reliquam felicitatem filii natali: quem recens vxor Madriti pepererat. infanti Ioanni nomen fuit, magna lætitia Regis & procerum: quæ omnia quanto magis simulata erant, eo maioribus officiis Aluari gratiã promereri certantium.

Aragonius, & fratres capti. CAPVT VIIII.

CARACCIOLI, Ludouici Andegauẽsis, Ioãnæ Reginæ funerib. Aragonius ad Neapolitanũ regnum tantũ non trahebatur, sine capite, sine viribus prædæ opportunũ, nullo ciuium consensu, nullis externis opibus imbecillum. multi proceres quod necesse erat prouidentes animis, an plebis imperium auersari, in qua nihil est modicum, consilio communicato, Capua vrbe cum arce occupata, in qua bello gerendo magnæ commoditates inerant, legato in Siciliam Reginaldo Aquinate studia sua, opesque Aragonio offerũt: festinaret modo, neque moraretur spem. celeritate opus esse, priusquam se aduersa factio viribus confirmaret. erant cum Aragonio tres fratres excellenti indole, idonea omnes ætate. Petrus in Sicilia relinquitur ætate minimus, qui reliquam classem colligeret. cum Vascone Henricoq; & septem tantum triremibus, è portu Messanensi Alfonsus soluit. Pontiam insulam itum: deinde Aenariam, mox Suessam: vbi proceres magno numero Capua profecti eius aduentum expectabant: atque in his princeps Antonius Marsanus Suessę Dux. In ea vrbe de ratione belli collatis sententiis desideratum. Caietam primùm impugnare visũ est. Maii Nonis classe Aragonia & terrestribus Neapolitanorum procerum copiis, terra marique circumsessa. affuit Tarentinus cum copiis euocatus. trahebatur obsidio: Aragoniusque Orlandi monte, qui vrbi imminet occupato, in spem venerat, breui eam ciuitatem obtinendi, commeatus inopia non minus quam externo metu laborantem. Ciues ad deditionem inclinabant. Genuenses, quorum erat in ea vrbe magnus numerus mercaturę exercendę per causam, vnde genti amplissimę opes publice priuatimq;, obstinatis animis vrbem defendendam censent, ductore impulsoreq; Francisco Spinula. inutilis turba eiicitur: quos Aragonius benigne habitos, ciboque recreatos in pacata loca dimisit. multum ea humanitate tum obsessorum ciuiũ, tum totius prouinciæ animi conciliati sunt. Genuensis senatus, & suorum commiseratione, & Philippi Mediolanensis iussu incitatus instructam classem auxilio mittit, frumento & commeatu onustam. Dux classi datus Blasius Assaretus propter rei militaris & nauticæ peritiam ex infimo loco, nam precarium quęstum iuuenis fecerat, ad eum honorem euectus. Duodecim onerariæ erant, duæ triremes, vna biremis. Aragonius cognito Genuensis classis aduẽtu, instructis ipse onerariis quatuordecim, vndecim rostratis nauibus obuiam hosti procedit. Sequũtur proceres ferme ad vnum Regis exẽplo prouocati, certaq; victoriæ spe. Ad Pontiam insulam Aragonii, ad Terracinæ litus hostium classis erat. Genuenses misso caduceatore denunciant Regi Aragonio, non pugnandi voluntate, sed opitulandi ciuibus commeatumque importandi missos. si id detur, discessuros sine certamine. magno id Aragoniorum risu est auditum: neque à conuitiis temperatum. expediũtur arma. ante pugnæ initium tres Genuensium naues à reliquo agmine seiunctæ, altum petere cœperunt eo consilio, vt in ipso conflictu secundis à puppi flatibus hostilem classem à tergo adorirentur. Aragonii fugam interpretati, nullo ordine hostilem classem inuadunt, quasi ad prædam, victoriamq; illud metuentes ne celeritate euaderent. Aragonius in hostium prætoriam impetum facit. Blasius circunducta repente naui regiam nauim à puppi magna vi telorum, lapidumque obruit pondere grauem, & saburra vniuersa in alteram partem inclinatam. idem à reliquis factum nauibus. ferreis inter se vncis iunctę veluti in solo pugnabatur. vincebant Aragonii numero, sed sua multitudine impediti, & pleriq; nausea ex mari laborantes, oneri potius quam vsui erant. Genuenses mari assueti nautę ac milites, scientia talium rerum superabant. triremiũ nullus vsus propter iunctarum inter se nauium magnitudinem. ad multum diei pugna processerat: cum tres Genuensium naues, quas fugientium speciem præbuisse dictum est, flexo cursu in regias

impactæ pepererunt victoriã. In regiam nauim trãsgressi, hostes ad deditionẽ hortabantur. fœda rerum facies, permixtus cædentium cęsorumque clamor. nihil imperio, neque consilio geri. fors omnia regere. Nauis regia fatiscente carina aquam accipere. periculo nunciato, Aragonius Philippo Duci deditionem facit quamuis absẽti. In ea naui Tarentinus & Suessanus capti sunt. aliis duodecim nauibus quæ in hostium potestatem venerunt, ingens captiuorum numerus fuit; Rex quoque Vasconum, quem in ipso conflictu Rodericus Reboledus lateri adhærens à cæde seruarat, & Henricus Aragonius. de Petro auctores variant: quidam pugnę interfuisse disputant, & cum tribus triremibus euasisse nocte tectum, alii ad Aenariam insulam appulisse cũ reliqua ex Sicilia classe aiunt, sub ipsum pugnæ tempus. Capti præterea Raymundus Boillus Prorex Neapolitanus, Diegus Sandoualius Castri Comes, & filii Fernandus, Diegusque, Ioannes Sotomaior, Enecus Daualus Dauali Magistri equitum filius, nepósque ex Bertrãdo filio Enecus Gueuara, Reges ex Hispania ad hoc bellum secuti. Secundum victoriam facta à Caietanis eruptione nostrorum castra capta, direpta spolia castrensia, & ampla Principum supellex quæ relicta erat. Præsidii castrensis pars in hostium potestatem venerunt, alii per deuia loca, & occultos tramites fuga euaserunt. Cæcas hominum mentes, improuida consilia, varios & commutabiles rerum casus. quis non existimaret de rebus Aragoniis in Italia actum, amissa victoria & quasi de manibus elapsa? victis ad regnum facilius recuperandum factus est gradus, erepta libertas maioris gloriæ occasio extitit: quis crederet? sic humanæ cogitationes in contrarium sæpe vertuntur, non temeritate fortunæ, sed arcano & altiori consilio gubernatæ die Veneris Augusti Nonis pugnatum ad Pontiã insulã est.

Aragonius & fratres libertati redditi. CAPVT X.

COMMISSA pugna Reges, atque è trecentis amplissimo genere captiuis, pars maxima Mediolanum à Blasio victore deducti, amplissimi triumphi species, neque à multis annis visa. alii Genuæ relicti, vt nauatæ operæ ea merces esset. tota Italia expectatione euentus suspẽsa, ecquo pacto Dux nobilissima victoria vsurus esset, cogitabat. illius opes ante formidolosæ finitimis, nunc etiam à longinquis timebatur. Ne totius Italiæ imperium inuaderet ardenti Princeps ingenio, imperii auidus, continuis bellis exercitus. Multum ille cum animo deliberare, quid facto opus esset. A captiuis Regibus iniquas conditiones extorqueret? libertatis pretium exigeret? præsenti id fructu lætum esset: verendum tamen, ne acceptam illi iniuriam vindicarent suis, & amicorum armis: victique, vt erant soliti, cum victoribus tamen certamen grauius instaurarent. Magnifice exceptos coleret, & gratuita libertate sibi deuinciret? gloriosum id consilium toto orbe terrarum foret: sed ne captando inanen nominis famam, imperii amplificandi occasionem amitteret, atque ancipitis aleę spem subiret considerandum raro ex sententia cedentem. magna homines beneficia cum soluẽdo non sint, insigni maleficio compensare consueuisse. Vicit laudis studium. Principes splendide domi habitos, vt socios, vt amicos cum amplissimis muneribus dimittere constituit. Aragonium etiam cum assensu audiuit, disputantem coram multisque exemplis confirmantem, Gallis immodicum ingeniũ esse, neque vllis imperii finibus resistere. Mediolanenses Duces euertendi consilia sæpe agitasse: neque animos esse mutatos. si Italiæ litoribus assueuissent, parto Neapolitano imperio Ligures Galliæ finitimos amicosque haud diu in fide futuros. neq; nouãdarum rerũ finem fore nisi vniuersa Italia occupata. Io. Galeacio patri, maioribus aliis Gallicos spiritus suspectos sẽper fuisse. Hæc agebantur Mediolani in arce: cùm Isabella à viro Renato, quem captiuum teneri dictum est. præmissa mari Genuam primum, deinde Caietam, Neapolim postremo, ad quintumdecimum kal. Nouembris appulsa factionis opes vehemẽter confirmauit, copiis etiã ad Eugenio Pontifice adiuta: clarissima fœmina, præstanti ingenio, eximia morum suauitate. Hispania Regũ calamitate solicita, mœstaque varia belli pacisque cõsilia versabat. Cæsaraugustæ conuentus Aragonii habiti sunt. actum referente Regina de classe comparãda, ad retinendũ Sardinæ Siciliæq; imperiũ: in quas à victorib. fore impetũ suspicabatur, nulla iã de imperio Neapolitano spe conatuve. Sorię ad Castellę & Aragonię fines colloquio Castellę Regis & sororis Aragonię reginę, inducię inter eas gẽtes antea pactę, in quinq; alios mẽses productę. Alienę calamitati insultare iniquũ videbatur. euicerat iusta cõmiseratio Castellę Principũ animos. Soria dicessũ, & Eleonorã reginã Medinę Cãpestri decessisse nunciatum est, dimidiato mense Decẽbri, dolore interclusa anima, quem ex filiorum casu accepit grauissimum scilicet. repentinus obitus eam opinionem confirmauit præ dolore extinctam, lectissimam fœminam & tantorum Principum matrem.

trem. multis locis iuſta exequiarum magnifice facta: Cõpluti à Caſtellæ Rege, à Regina vxore Madrigale. Defunctę tumulus in D. Ioannis matronarum cœnobio compoſitus, quod ſua impenſa conſtructum domicilio ipſa delegerat. Mediolani inter Ducem & Reges fœdus factum, eoſdem ſine exceptione amicos inimicoſque futuros. Dux ad regnum Neapolitanum obtinendum vires & copias eſt pactus. Rex impugnandis Mediolanenſis hoſtibus omnem opem eſt pollicitus. magnam id fœdus ſolicitudinem incuſſit tũ Italis, tum externis nationibus. Rex Vaſco in Hiſpaniam dimittitur cum ampla poteſtate rem Aragoniam gubernandi. conquirenda pecunia erat, nouę conſcribendę militares copiæ, numeroſa claſſis inſtruenda. Tarentinus, & Sueſſanus amandati Neapolim, vt ſuorum animos confirmarent: Petrum iuberent cum claſſe è Sicilia rebus opitulari. ſecuta Regis præceptum induſtria militum feſtinatioque. Aenariam appulſa Siculorum claſſe, Caieta venit in poteſtatem, dedente Lanſaloto ciue Neapolitano eius vrbis præfecto, ad octauum kal. Ianuarii ineunte anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto. Proximis 1436.
dieb. Aragonius libertati redditus, (memorabilẽ omnib. ſeculis Philippi liberalitatem) Portum Veneris abiit: quod oppidum, atque Ilicis inter tantas procellas in fide Aragonii manſerant in Genuenſi litore, magis Aragonii præſidii metu, quã ſyncera oppidanorum voluntate. Aduerſas ſecundaſque Aragonii res oſtentis de cœlo ſignificatas memorant. iis quantam fidem res meretur ex ſe quiſque ſtatuat, adiungatque. vulgata receptaque paſſim præterire conſilium non erat. Quo die ad Pontiam pugnatum eſt, pontis qui ad Cæſaraugustã Ibero imponebatur, ampliſſimo in paucis & nobiliſſimo ſtructuræ genere, præcipuus arcus ſub meridiem nulla certa cauſa collapſus, quinque homines oppreſſit. Fortuita, ais, vulgi rumoribus in prodigium ſæpe poſt res factas vertuntur, & religionem. eſto. Quid ea quæ ſequũtur? triginta ſex paſſuum millibus infra vrbem Cæſerauguſtam oppidum Vililla ad Iberi ripam ſitum eſt, ex Celſæ Romanorum in Ilergetibus coloniæ ruinis conſtitutum: nullaque re hac tempeſtate, & auorum memoria nobilius, quam campana. cuius nullo mouente, inſolito inſolentique pulſu nobiliſſimos in vtranq; partem euentus ſignificari, iis hominibus perſuaſum eſt. inepte an vero non diſputo: ſed oculati tamen eius miraculi teſtes citantur, viri non leues. Eam campanam pridie eius diei quo capti ſunt Reges, ſua ſponte pulſatam ferunt: iterum ad tertium kal. Nouembris, proximi Ianuarii menſis Nonis tertio ſonuiſſe: quo tempore compoſito Mediolani fœdere Aragonius eſt in libertatem reſtitutus. Iis prodigiis auertendis data piacula: ſacrificatumque hoſtia diuina. Solicitæ prouincialium mentes, nuncio ex Italia allato cura leuatæ: mœrorq;, quem ex aduerſo caſu ſuſceperant, metuſque noui mali, quod impendere ex iis oſtentis ſuſpicabantur, publica gentis lætitia mutatus eſt.

Pax inter Reges Caſtellæ & Aragoniæ. CAPVT XI.

MOTA GENVENSIVM arma ſunt: palamque à Ducis Mediolanenſis auctoritate diſceſſum. graue erat partę ſuo periculo & virtute de Regibus victoriæ fructum ad alios recidiſſe: gratiam factę pacis dimiſſorumque cum muneribus captiuorum, vni Philippo Mediolanenſi ceſſiſſe. odium in ſe Aragoniæ, & Catalaunicæ gentis excitatũ: cũ quibus graues ab antiquo inimicitę extitiſſent. patrocinium Mediolanenſium Ducum, ad quod neceſſitate confugerant, imperio atq; adeo dura ſeruitute mutatũ eſſe, vrebat ſcilicet. Hac indignatione permoti, armorum ſocietate cum Eugenio Pontifice & Renato Andegauenſi occulte conſtituta, arma corripiũt. Paccinus Alciatus pro Philippo Duce, Genuę cum poteſtate Præfectus, in populari tumultu perimitur. gladii intentati aliis. & vulnerati quidã, necatiq;. obſeruare ſermones, vultũ habitũq; notare: ſi vultus indignitate auerſari præſentia, & Mediolanẽſib. fauere videretur. Ergo ꝙ in ſeditione populari fit, vnde plures erãt, breui omnes fuerunt. ſi qui contra ſentiebãt, palã tamẽ aſſentiebãt, aſſentabãturq;. Auctor ſeditionis Frãciſcus Spinula defenſa nuper Caieta nobilis magnoſq; ex ea re ſpiritus gerens: ac ꝙ caput erat Fliſcis & Fregoſiis, qui Aragoniis fauebãt inimicus. Genuę auctoritatem pleraq; eo tractu oppida ſecuta, & ad libertatis dulcedinem excitata defecerunt, pulſo Mediolanenſi præſidio. Hiſpani captiui in cuſtodia retẽti. Septuaginta aureorum millia ab Aragonio Rege numerata eorum redemptionis pretium. Cum Siculis mitius actum. vetuſta inter vtranq; gentẽ hoſpitii atq; commercii iura extabant. ſine pretio dimiſſi. tres modo Ioannis Vintimillii filii diu Genuæ retenti ex odio, an maioris pretii ſpe incertum. Sed Aragonius tamen Philippi Ducis hortatu, Genuenſium motus compeſcere aggreſſus ea claſſe quæ à Petro fratre Caieta miſſa erat, deſtitit conatu: cum id longum eſſet in tanta gẽtis conſternatione: & feſtinãti ad Neapolitana ſceptra omnis

mora esset grauis, haud ignaro in bellis ciuilibus diem & horam potius, nisi prouisum sit, magnas sæpe agendi opportunitates corrumpere. nihil esse festinatione salutarius. Ergo è Portu Veneris Henricus missus est in Hispaniam Emporitano principatu donatus, quoniam induciarum tempus exibat, rebus præsidium si se ea parte Castellæ arma commouerent. Rex ipse Caietam classe appulit ad quartum Nonas Februarij. Terracina interea à Petro fratre occupata, magno Eug. Pontificis dolore, in cuius ditione erat, tantum sibi Aragonios sumere, vt Neapolitano imperio non contēti, de vniuersa Italia cogitarent: neque sacrosanctæ maiestatis reuerētia, neq; religione moueri vlla feroces & barbaros, durumq; hominum genus & asperum conquerebatur scilicet. Neapolitanorum procerum & militum concursus Caietam factus est. copiarum Dux Franciscus Picininus renunciatur. Philippi Ducis gratiæ datum, apud quem Nicolaus Francisci pater præcipuum auctoritatis locum rebus omnibus occupabat, clarissimus ea tempestate copiarum Dux, magno rei militaris vsu, cum veteribus comparandus. Ardebat Italia armorum apparatu. aliæ vrbes ad noui belli expectationem suspensæ: aliæ ad pellendos Aragonios fœdere inter se facto coniurabant, Veneti, Florentini, Genuenses maximè, adiutore impulsoreque Eugenio Pontifice, odio gentis nostræ, an Galliæ amore vires conferebant. In Hispania bellum Mauricum trahebatur. inter alios Reges sancita pax, magna Vasconis contentione multoque conatu, vires gentis in Italiam vertere cogitantis, posita rerum Hispaniensium cura. Geminæ arces Galea & Castillegia Mauris dedentibus agente Roderico Manrico in potestatem sunt redactæ. concepta ex iis rebus lætitia breui mœrore mutata, tristi casu Nieblæ Comitis: quem Heracleam ad freti Gaditani angustias positum oppidū, obsidentem (in eo virtutem ostentare & Regi suo gratificari cupiebat) in tumultuaria pugna sese ad classem recipientem cum quadraginta sociis submersum fuisse nunciabatur, accurrentium pondere euersa oppressaque cymba, quo se maximè tempore Oceani æstus statis horis concitabat. Ioannes Gusmanius paterno casu perculsus, & de summa rerum diffidens soluta continuo obsidione Hispalim abiit. Hic in Assidoniæ Ducibus primus fuit, Regis dono post aliquantum tempus. is honos doloris blandimentum, nauatæ operæ merces accessit nobilissimæ Gusmaniorum familiæ, atque in paucis præpotenti in Hispania. Toleti Castellæ Rex erat, quo Compluto & Madrito lustratis sese retulerat. ludis regia, & festa lætitia personabat, modica aut nulla belli cura. nouæ & maioris lætitiæ materia adiuncta, sancita in ea vrbe pace inter Castellam Aragoniā & Vascones ad quartum Nonas Septemb. Alfonsus Borgia Valentinus Episcopus, Io. Luna aliiq; viri Principes ex Aragonia legati. his adiuncti Toletanus Præsul, Calatrauæ Magister, Rodericus Beneuentanus sermone vltro citroq; & longa disputatione habita, has fœderis conditiones scripserunt. Blanca Vasconis filia maior Henrico nubito Castellæ Regis filio. Dotis nomine Medina, Olmedum, Roa, Villenæ principatus puellæ dantor. Si proles ex coniugio nata non sit, ea oppida ad Castellæ ditionem redeunto. Eo euentu Vasconi pacto annuo auri pondere ablata oppida compensantor. Henrico Aragonio omnino quinq; florenorum millia quotannis dantor, vxori tria millia. Capta ad regnorum fines oppida & arces, ad veteres dominos redeunto. Perfugis venia concessa esto: præterquam Comiti Castrio: & Alcantaræ Magistro, præterea Gotifredo Cortesio Marchioni: quem Vasco excipiendum iudicauit, hominem inquietum, cupidum rerum nouarum & memoria generis in regni cupiditatem impulsum. His conditionibus induciæ pace mutatæ: armaq; sociata aduersus omnes gentes Principesq;. excepti modo Lusitanus Gallusq; à Castellæ Rege sunt: ab Aragoniis Mediolanensis Dux, Gasto Fuxensis Comes, qui Ioanne patre nuper defuncto eum principatum obtinuerat, quindecim annos natus Vasconis gener Eleonora minori filia in coniugium pacta. Data ob hæc templis dona: ludi, conuiuia, omniaq; lætitiæ instrumenta, per vrbes & oppida instaurata. belli metu sublato, noua rerum facies futura in Hispania videbatur. Castri Comes venia breui impetrata, Castellæ est redditus, constantior aliquanto in fide futurus, diuturno castigatus exilio. Interea Alfonsus Aragonius Neapolitanorum animos pertētare non desistebat, consilioq; vires adiuuare. Baltassar Ratta Casertæ Comes, è gubernatorum rerum publicarum numero in partes attrahitur. idem facit Raymundus Vrsinus Nolæ Comes, ex regio sanguine vxore pacta Eleonora Vrgelitani Comitis dudum extincti filia. Capua Rex, vbi belli apparatus erat, votis nuncupatis profectus S. Seuerini Vallem, Salernum vrbem, Amalphitanū litus armis præsidiisq; capit. Sic Aragoniæ vires confirmatæ, debilitatæ hostium. Neapolis regni caput petenda erat, haud exigua victoriæ spe in tāta animorum inclinatione, tantusq; factionis copiis. confirmabant animum geminæ arces vsque adeo malis temporib. in ea vrbe præsi-

præsidiis tamen Aragoniis retētæ: quod miraculi instar erat, ad totius belli summā omen præclarum.

Clades à Lusitanis in Africa accepta. CAPVT XII.

HORRIDA gelu & niuibus hyems fuit in Hispania, quantum mortales non meminerant. Caracæ, vbi Rex Castellę erat, septem agasones lignatum in vicinas syluas egressi, ipsis Ianuarii kal. anno MCCCC trigesimo septimo, cōstrictis præ frigore membris oppressoque calore vitali extincti sunt. niues glacie, glacies Circio concretæ multis exi- 1437 tio fuere. Rege iniquo anni tempore, viis à multa niue impeditis in Castellā Vlteriorem ituro, quo reipu. cura necessario vocabat, à trecētis operis summota in vtranque partem niue equitis altitudine, cumulis extātibus aggeris instar, ægre montes superati quibus vtraque prouincia dirempta est. Roa mense Maio Vxamam itū. in ea vrbe Rex substitit: Henricus Princeps Alfarum missus lautum municipium ad Vasconum fines. sequebantur è proceribus amplissimus quisque. eminebat inter omnes Aluarus recēs importunis precibus Montalbino Reginæ extorto, & ad Scalonē in Carpetanis adiecto. auctis opibus, incēsa magis inuidia, cui nulla potentia par est. Post biduum Regina Vasconum Alfarum cum filiis accessit, & splendido suorum comitatu Episcopo Pompelonensi, Petro Peralta regiæ procuratore, procerib. aliis. Duodennibus spōso sponsæq; solenni apparatu rituque sponsalia data sunt. Cæremoniæ antistes, Vxamensis Episcopus regio genere superbus. quatuor in ea lætitia diebus consumptis Vasconum Regina sponsaque filia se se retulere in patriam. Abs Rege Castellæ & Henrico Principe Medinam Cāpestrem itum. est in eo oppido Petrus Manricus Antelatus Aluari, & Beneuētani consilio captus, iussu Regis Fontidoniam arcem in custodiam amandatur, mense Augusto. nouum initium turbandæ reipub. quod magna rerum moles est consecuta. causæ non sunt proditæ. Aluari euertendi consilia agitasse cum aliis proceribus euētus docuit. quod maiestatis crimen esse ea tempestate putabatur. Fuit hic annus Lusitanis infaustus maxime, clade in Africa memorabili à Mauris illata. ardebāt quinq; Lusitani Regis fratres cupiditate proferendi nominis, opes amplificandi. in Hispania qui possent angustis regionis finibus pace cum finitimis nuper sancita? in Africam maiori gloria transferre arma cogitabant aduersus infensissimam Christiano nomini gentem. Pecuniæ in stipendium redigendæ difficultas retardabat. ab Eugenio Pontifice venia peccatorum impetrata est, Oreni Comitis legati Lusitani opera, omnibus qui cruce insigni sacram militiam susciperent. Pontificis indulgentia euulgata, incondita multitudo ad arma concurrit. Ferdinandus Auisii Magister cęteris fratribus ardentior se multitudini ducem offert. Disputatur in concilio gentis de expeditionis summa, Ioannes D. Iacobi in Lusitania Magister, vnus è regiis fratribus de scripto etiam concepta sententia, negat nisi vniuersis regni copiis petendam Africam. armis, equis, virisq; potentem esse eam prouinciam. Sæpe infeliciter lacessitam futuram nunc exitio, nisi suis se viribus metiantur. audaciam præcipitem frętandam videri. Vtinam, inquit, falsus vates sim. nisi impetum animorum tenetis, atque ad rationem reuocatis. Africani campi nostro sanguine redundabunt. His ne copiis cōfiditis? feroces ante certamen maximè, in ipso discrimine ignauissimi erunt nullo armorum vsu, nullo animorum vigore. An Mauros contemnitis? næ hic contēptus magno luetur malo. gentem in pericula promptam, numero infinitam, pro aris & laribus, pro liberis & vxoribus fortiter dimicaturam irritabitis. Numinis patrocinium aderit. sed maiori morum probitate conciliatum, qua quos video ad arma maxime accensos. sed si mature, si prudenter capiantur arma. temerariis votis, impuris precibus frustra superos fatigabis. Ne hic furor vestris conceptus animis magno constet, vereri me cogit, nonnullus rerum vsus, ardens patriæ & vestræ omnium salutis amor. Hæc sententia cautissimo cuiq; probabatur: in primis Petro & Alfonso regiis fratribus. vnus Henricus Ferdinandi conatus subleuabat, generis nobilitatem paresque opes literarum studiis illustrans. quod sæpe accidit, maior & sanior pars à minore & deteriore victa est. Communi consensu bellum decretū. Comparata classe, sex millia militum in naues imposita. fama vero semper maior eum numerum duplo maiorem prædicabat. id quoque incommode accidit. pridie Idus Augusti vela explicata intra dies quindecim peruentum in Africam Septæ de ratione belli disceptatum. omnibus copiis Tingis obsessa, vrbs olim Romanorum nobilissima, tunc modica, exaduersum Tartessi ad fretum posita. multa circum glarea, eoque ager frugibus infœcundus: nisi qua parte excauatæ valles vicini fontis aquis, consitis

hortis eximia amœnitate prouentuq; sunt. Obsessi dies septem & triginta magno conatu impugnati nunquam remiserunt animos, cum spe propinqua auxilii ad defensionem incitati. Phuthensis & Marrocius Reges, aliiq; Africani Principes auxilio accurrũt. sexcenta millia peditum, septuaginta equitum millia sub signis, fortassis ementiente verũ fama, traxisse feruntur. His copiis qui possent Lusitani resistere? pugnatum initio acriter, deinde multitudine circumfusa, intra munimenta nostri obsessi. in repentino terrore mœsti, fixis in terram oculis, neque respondere, neque rogare. quantum tempus dabat, abditi per tentoria, & lucem ipsam vitantes. De fuga consultum: sed quo, aut qua irent locis omnibus occupatis. victi necessitate, legatos de pace mittunt. barbari vllam fœderis conditionem fore negant, nisi Septa dedita, vniuersa Africa decedatur. graue id erat, neque in ipsorum potestate situm. pollicentur tamen modo incolumibus ire liceat. dati obsides Ferdinandus ipse Dux, aliique viri primarii. reliqui illuuie corporum deformis acies Septam primum, deinde in Lusitaniam fine anni abierunt. De sancito fœdere in concilio Principum Eboræ disputatur. iniussu Regis conditiones pactas, irritas videri communi eorum qui aderant consilio decernitur. religionem, si qua erat gens obligata, eo fœdere, satis exolui obsidibus in hostium potestate relictis: vt suis capitibus luerent, quæ stultè & temerariè promiserant. An si eadem superbia Lusitaniæ deditionem polliceri barbari vniuersæ coegissent, conditioni esset standum? Mauriciq; imperii iugum reponendum Hispaniæ? quid alia, quæ multa polliceri & indignissima potuissent? num iis gens Lusitana teneretur? Ergo Ferdinandi captiuitas perpetua fuit. Sepulcrum eius in vrbe Phuthensi loco sublimi monstratur, erectum videlicet de nostra gente trophæum. penes quem facti culpa præcipua erat, is siue casu, siue consilio Dei pœnas temeritatis princeps exsoluit.

Petrus Aragonius ad Neapolim cæsus. CAPVT XIII.

IN Hispania nouorum tumultuum metus ostendebatur, procerib. Castellæ magna ex parte abs Rege suo alienatis, Petro Manrico iniuria (sic illi prædicabant) in vincula tradito. Inter viros sacratos graue vbique de religione certamen erat. Basiliensem conuentum Episcoporum Eugenius Pontifex ab ipso pontificatus initio suspectum habens, dissoluere conatus erat. Ea via inuenta erat eludendi atque debilitandi conciliorum vires: quæ Pontificib. esse cœperant formidabiles. Reuocauit tamen, ab Imperatore Sigismundo & Cæsarino legato grauissimis literis castigatus. Patres Basilienses plus sibi auctoritatis sumentes, quàm fortasse par erat, & noua ea iniuria prouocati, Eugenio Pontifici denunciarunt, nisi ad conuentum veniret, se in eum constituturos quod in desertores sacræ causæ solitum esset. Obsequi recusantem, deponendum fremunt abrogata pontificia auctoritate. Ita animatis Episcopis, Principum toto orbe Christiano non vna mens erat. alii consilio repugnare quasi præcipiti & temerario, memoria vulnerum quæ superiori schismate rei Christianæ erãt inflicta, vix dum cicatrice obducta: in primis obstitit Sigismundus Imperator quamuis à Pontifice alienatus. verum in ipso rei perficiendæ conatu decessit ad quintum Idus Decembris ecclesiæ pace ante fundata, & nunc defensa, quam diuturno imperio nobilior. Res Germanicæ in eius generum Albertum Austriæ Ducem, iam Regem Romanorum translatæ sunt. imperii insigne desumptum ipsis Kalen. Ianua-
1438. rii ineunte anno eius seculi trigesimo octauo. Quo tempore, in Hispaniæ oppido Maderuelo, quod in ditione Aluari erat in Vaccæis, lapidibus pluit, singulis puluini magnitudine, innoxiis tamen propter materiæ leuitatem. Ioannes Agreda regius præcursor ea causa missus, de re tota quæstione habita, Roam ad Castellæ Regem ex eorum lapidũ numero quosdam attulit: tristi an læto omine dubitatum. Ac ne ex euentu quidem belli Maurici, quid ea res portenderet satis intellectum. nam Huelma (Onoua veteribus) copia defensorum & mœnium firmitate munitum oppidum de Mauris Granatensibus captũ, Eneci Mendozæ Fitæ reguli ductu virtuteq; Giennensi limiti præfecti. lætitia haud diuturna fuit: Roderico Perea Casorlæ Antelato, cũ in Maurorũ fines inuectus esset, à multo maiori hostiũ numero cæso. ex mille & quadringẽtis sociis, viginti tantũ seruati fuga. neque Mauris incruenta victoria fuit. cũ multis Dux ipse Abensarraxius Granatæ Prætor in conflictu cecidit, acceptæ cladis nonnullũ leuamẽ. Ab Eugenio Põtifice Aragonius auersus. Basiliẽses conatus iuuare videbatur priorib. iniuriis irritatus, & nũc Ioanne Vitelesco Patriarcha Alexãdrino, cũ valida militari manu in fines Neapolitanos immisso. cuius aduẽtu magna immutatio animorũ facta erat: seq; Tarẽtinus & Casertæ Comes põtificiis partib. adiunxerãt, homines in fide parũ constãtes, ingenio mobili ac vario. cõtra Antonius Colũna Aragonio cõciliatus, spe Salernitani principatus, qui ereptus ante erat, ex pacto Regis beneficio,

beneficio recuperãdi. breui victus Patriarcha, & Neapolitani regni finib. decedere coa-ctus est, diris quãuis & milite armatus. Duo alii Principes ad officiũ reuocati ipso tẽpore: quo Renatus Andegauensis pretio tandẽ redempta libertate Neapolim cũ classe appulit ad quartum decimum Kalendas Iunii. parũ præsidii in Renato fuit: nulla pecunia in belli sumptus allata. multorum tantum animi ad spem rerum nouarum erecti sunt: multis locis belli flamma excitata: sed vis maior in Marsos, & Pelignos incubuit: vbi Iacobus Caldora tanti vsus Dux Renati partes sustentabat. Accurrit Renatus ipse haud magna spe, cũ Aragonii opes indies confirmarentur. multa eo tractu oppida & arces Aragoniis præsidiis occupatæ. & Renatus tamen hostem ad pugnam prouocare non dubitauit, missa chirotheca militari. id ex animo, an vt existimationem tueretur, non satis constat. Inanis certè conatus fuit, de die & loco pugnæ controuersia nata. A Rege Franco in Biturigibus omnium ordinum conuentu, placita Basiliẽsia sancita ea lege sunt (Pragmaticam sanctionem vocant) vnde ius dici mandatum: magno Eugenii dolore, quod Pontificatus maximus prope in ordinem redigi videretur, sacerdotiis conferendis, litibus diiudicandis. eo amplius in consilium incubuit soluendi Basiliensem conuentum: vnde tot iniuriæ & noui metus extabant. nouo edicto concilium se Ferrariam transferre pronunciat. Cæsarinus legatus cognita Pontificis voluntate, & cum eo quinque è septem qui aderant Cardinalibus Ferrariam abeunt. duo perstitere. Mutandi loci species erat, aduẽtus Ioannis Palæologi Augusti, & Patriarchæ Constantinopolitani, ad conciliandam pacem inter Orientis Occidentisque Ecclesias. Ii Ferrariam delati ibiq; culti sunt. sed peste grassante, Florentiam itum Hetruriæ caput. vbi de controuersiis, quæ latinos inter & Græcos erant, multorum dierum labore disceptatum, maiori in præsenti spe, quàm in futurum prouentu. Basilienses patres, & ante conati Græcos ad se auertere, & nunc contra Eugeniũ Pontificem amplius irritati quam territi, in Cæsarini locum Ludouico Cardinali Arelatensi substituto, turbida consilia agitare cœperunt, reipublicæ exitialia. Eugenium loco se moturos minabantur abrogato iure clauium, nouoque subrogato Pontifice. In Italia Renato Andegauensi in Pelignis occupato iis arcibus impugnandis, quæ in hostium potestate erant: Aragonius rebus secundis elatus Neapolim vrbem belli regnique caput petere constituit, iuuentutis discessu Renatum secutæ præsidio nudatam: ac ne commeatu quidem in multos dies comparato. Erant in Aragoniis castris ad quindecim hominũ millia: quatuor triremes, septem onerarias, plura minora nauigia classis numerabat, subuectionibus à mari prohibendis idonea. hoc apparatu vrbs nobilissima in paucis, numero ciuium, ędificiorum maiestate, imperii amplitudine, mari terraque circumsessa ad decimum Kal. Octobris. aderant Matthæus Aquauiua Andriæ Dux, Comes Nolanus, Ioannes Vintimillius, Petrus Cardona. castris munitis, scalæ, aliaq; machinamenta comparata. copiæ locis idoneis distributæ, dum impetum in vrbem facere parant, fortuna quæ in humanis rebus ludere consueuit, & prosperis aduersa confundere, cuncta Aragonii consilia tristi casu conturbauit, & vno momento euertit. Petrus Aragonius ad decimum Kal. Nouemb. speculandi gratia paulum à castris mane progressus, è D. Mariæ Carmelitanæ tẽplo, tormento percussus occubuit. pila tertiò ad terram illisa, quarto ictu eius caput comminuit. corpus ad D. Magdalenæ delatum. Alfonsus frater accurrens extincti pectus exosculatus. Aliam, inquit, à te frater lætitiam expectabam. æternum patriæ decus, laborum & gloriæ nostræ particeps vale. simul ad adstantes conuersus: militiæ florem, atque omnis elegantiæ, hoc die, milites amisimus. quanto hæc cum dolore? In ipso iuuentutis vigore, viginti septem natus annos decessit, cælibe vita, multis bellis cum laude perfunctus. tumulus ad Oui arcem translatitio funere compositus. vulgus militum, sed & populi multitudo Petri cædem in religionem vertebat, præsertim continuis imbribus, oppugnatione impedita. Ioannes Vintimillius Renato, qui obsessis auxilio accurrebat, ad furcas Caudinas obuiam ire iussus eum compulit alio itinere in Nolanum agrum descẽdere. improuiso Vintimillii aduentu, aliquot ex hostibus capti sunt. mox composito agmine Neapolim rediit. Alfonsus soluta obsidione Capuam discessit maiori impetu bellum reparaturus, cum primùm se hibernum tempus aperiret, duosque reliquos fratres eo consilio ex Hispania euocare constituit: præ cupiditate Neapolitani imperii paterna regna contẽptui habens: quæ à valida Gallorũ manu rapto viuere assueta vexari latrocinio cœperant, ductorib. Alexandro Borbonio Ioannis Borbonii filio notho, & Roderico Villandrando: qui Vallisoleti in Hispania natus Gallo aduersus Anglos fortem operam nauarat, & ex gregario milite ordines duxit, decem millibus nonnunquam imperator. Robusto corpore fuit, iracundia maxima. Ergo iis ducib. rapto viuere, & prædas agere assuetis, impetus in Ruscinonensem agrum est factus, magna prouincialium, Reginæque Aragoniæ, & Regis Vasconum solici-

tudine. breui tamen ea tempeſtas ſedata eſt. Galli propter anni tempus hibernum in aliam partem flexere. Fuit hic annus Luſitanis triſtis infauſtuſque ob recentem cladem Africanam, tum peſtis lue, quæ vniuerſa ferme prouincia graſſata eſt. multi mortales exſtincti. Rex ipſe Eduardus ad Tomarem cœnobium, quo ſe ad vitandum periculum contulerat, febri correptus deceſſit die Veneris ad XIII. Kalend. Octobris ipſo interlunio. litteris valde deditus librum etiam de regni moderatione ſcriptum reliquit, nulla re præterea memorabili geſta, imperio breui. Omnino annorum quinq; dierum ſeptem & triginta. Filios reliquit Alfonſum regni ſucceſſorem ſexennem, Fernandum Viſei Ducem Dieghi & Emanuelis patrem, Eleonoræ & Iſabellæ. Eduardi Regis filiæ fuere Eleonora Auguſta vxor Friderici tertii Imperatoris, Catharina innupta, Ioanna Caſtellæ Reginæ. Regni Luſitani procuratio Eleonoræ viduæ viri teſtamento demandata eſt. tulere id ægrè Luſitani fœminæ imperium, externæ præſertim auerſantes. Itaque in comitia euntes eo teſtamento abdicato, Petrum Conimbricæ Ducem pueri Regis patruum regni procuratorem nominarunt. Graue id decretum Reginæ fuit: deditque litteras de iniuria tum ad fratres, tum ad Caſtellæ Regem: nihil tamen ea diligentia profecit.

Caſtellæ motus. CAPVT XIV.

EVASERAT menſe Auguſto ſuperiore Manricus Antelatus ex arce Fontidonia, vbi captus tenebatur, vxorq; & filiæ duæ funibus per feneſtram demiſſi, conſciis & adiutoribus Gometii Carrillii cuſtodiæ præfecti nonnullis domeſticis, vnde noui tumultus extiterunt. cum eo enim Fridericus maris Præfectus, Petrus Stunica Ledeſmię Comes, data fide acceptaq; euertendi Aluari, conſilia inter ſe communicarunt. adſciti in ſocietatem Ioannes Arellanus Camerorum, Petrus Mēdoza Almaſani reguli, Ludouicus Cerda Medinę Celinæ Comes. adiecti paulo poſt Vxamenſis Epiſcopus multis in ea temporis perturbatione occupatis arcibus magnum factioni momentum, præter hos Beneuentanus, Touarius, Quignonii fratres. Rei perficiendæ haud facilis erat via, in tanta Aluari gratia, potentia, auctoritate. Medinæ, cui à Riuo ſicco nomen eſt, equi, arma, milites, cæteraq;, quæ ex vſu belli futura erant, diligenter comparata. tanti conatus celeritate erant occu-
1439. pandi. Rex Caſtellæ Madrigale vbi ſe tenebat menſe Februario principio anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi noni, Roam profectus eſt. ſequebantur Henricus filius, Aluarus ipſe, Comites Hari Caſtriq;, Calatrauæ Magiſter, Epiſcopi Toletanus & Palentinus. præterea Lupus Barrientus nuper Segobienſis Præſul creatus. ea merces fuerat Henrici Principis iuuentutis literis informatæ. Literæ à coniuratis ad Regem ſupplices miſſę. Earum ſumma erat: Se quidem paratos eſſe imperata facere, vt ſubditos deceret, iis maioribus natos, ea nobilitate: modò Regis & filii Principis arbitratu. Rempublicam ad cuiuſquam priuati voluntatem inuerti, Regemq; ipſum in alieno mancipio eſſe, neque leges prouinciæ pati: neque tantam ipſos ignominiam tolerare debuiſſe. An æquum videretur aduerſus vnum hominem, neque imperia magiſtratuum, neque nobilitatem, neq; leges valere? Id ſi eſſet mutatum, arma ad prohibendas iniurias neceſſario ſumpta, continuò poſituros. Ad has literas nullum abs Rege reſponſum datum eſt. Venerat ex Gallia Villandrandus cum quatuor equitum millibus auxilio, Ribadei principatu à Rege Caſtellæ inuitatus. Aragonii fratres Vaſco, Henricuſque Caſtellæ turbationem, ſuam occaſionem facere conſtituentes, atque in ſtudium incitati priſtinæ ditionis recuperandæ, quingentis equitibus ſtipati in Caſtellæ fines ingreſſi. vno tempore à Rege & coniuratis ad ſocietatem inuitantur. conſilio illi inter ſe communicato, Vaſco quidem Cuellarem, vbi Caſtellæ Rex erat, profectus eſt: Henricus Pennafielem abiit, ſuæ antea ditionis oppidum, quorſum res commotæ euaderent expectare conſtituens: atque iis ſe adiungere paratus, vnde maior certiorque ſpes oſtenderetur priſtinarum opum recuperandarum. Valliſoletum interea ab Eneco Stunica Ledeſmii Comitis fratre occupatum erat, præſidio quingentorum equitum. Id municipium magnum, atque opulentum, ibique frumentum magna copia, & commeatus affatim, quæ poſt quam à coniuratis comperta ſunt, eo ſeſe frequentes contulerunt. Caſtellę Rex eo nuncio perculſus: fatali ſuorum defectione ne reſpublica grauem plagam acciperet, Olmedum abiit, ex propinquo imminentes motus procurare ſatagens: ac in primis Henricum Aragonium traducere in partes. eo conatu varia Principum colloquia habita: Renedi primum, deinde Tudelæ, poſtremo Tordeſillæ. Sed ea res fruſtra tentata: cùm Henricus operam ſuam aliquandiu licitatus, coniuratis demum ſe Principib. adiunxiſſet, Vaſconis (ſic eſt creditū) conſilio: vt quicunq; cōtentionis exitus eſſet, apud vtroſq; pręſidiū ipſorū reb. eſſet paratū. & procerū magna pars poſſeſſione eorū oppidorū cōtaminata, quæ Aragoniis detracta erāt, morā paci variis artib. afferebāt. q̄ niſi iis oppidis reſtitutis, coaleſcere nō poſſe exploratū erat. Solicita prouincia,

&ad

& ad expectationē belli ciuilis ſuſpēſa, affuere viri ſancti quib. aut morū probitas, aut eruditionis opinio auctoritatē maximè dabāt. Principes adeunt, docentq́; quāto cū periculo pax publica importunis diſſidiis turbaretur. Si maximè viribus fiderēt, incerta pro certis ſtultè mutari. Bellum ſumere facile eſſe, exitū fore proculdubio exitialem, alteri minimū parti. Proinde ſibi & reipublicæ conſulerent: neque florentes Caſtellæ res importuna contentione perditum irent. Societatis, amicitiæque coniungendæ fore copiam, gladiis nondum fraterno ſanguine infectis. Conſtitutum multo labore, vti ad Caſtrum Nunnium Principes colloquerentur, de conditionibus pacis coram diſceptaturi. Quo tempore ex Italia nunciatum eſt, Arcem nouam, quæ Neapoli Aragonio præſidio tenebatur, diuturna obſidione fatigatam redactamque ad ſupremam annonæ difficultatem, hoſtibus deditam, nono Kalendas Septembris, Aragonio nequicquam opem ferre omnib. copiis conato. Sed eam tamen iniuriam Salerno in Picentinis recepto, multiſque aliis oppidis ad ditionem ſubiunctis egregiè compenſatam. Inter Caſtellæ proceres fœdus tandem ad Caſtrum Nunnium his conditionibus eſt factum. Aluarus Curia abeſto ſemeſtri ſpatio, ſublata etiam literas ad Regem ſcribendi facultate. Aragoniis fratribus oppida & honores, quæ ablata erant redduntor: aut pecuniæ tantum annuæ, quantum arbitri iudicabunt. Copiis militaribus miſſio eſto. Vrbibus coniurati occupatis præſidia detrahunto. Neu fraudi cuiquam eſto Aragonias partes ſuperiori tempore, nunc coniuratos proceres fuiſſe ſecutos. Sic Henrico quidem D. Iacobi Magiſterium reſtitutū eſt: Vaſconi Cuellar municipium. Aluaro æqua permutatione Sepuluega pro eo oppido datum. Caſtellæ Rex Taurum digreſſus. quo tempore nunciatum eſt, Catharinam ſororem Hērico nuptam, dolore partus Cæſarauguſtæ obiiſſe ad quartum decimum Kalendas Nouembris; nulla relicta prole. miſſi Segobienſis Epiſcopus, & Ioannes Luna Prior Hoſpitalarius, qui Principis luctum in ea calamitate leuarent. Aluarus Sepuluegam abiit ad quartum Kalendas Nouembris ſupra bonum, atque honeſtum perculſus, neque frenare iram, neque moderari linguam, vir egregius alioqui. vno ſolatio exilium ſuſtentans quòd breui rerum mutationem fore prouidebat animo. Abeuntem Ioannes Sylua regius Vexillifer, Petrus Acunius, Gometius Carillius, alii nobiles proſecuti: beneficiorum memoria, an meliori in futurum ſpe. In conuentu Baſilienſi damnato tandem Eugenii nomine, Amadeus Sabaudus Pontifex ſalutatur Nonis Nouembris, Felicis quinti nomine indito. Is primum Comes Sabaudiæ, deinde Dux cùm quadraginta annis fuiſſet, abdicato principatu, ac aulæ cultu relicto, in eremum abiit, purioris vitæ ſtudio incenſus, ſex ſenioribus ex ſuorum nobilitate comitibus. id Eugenii felicitati tributum eſt, quòd parum ea electione Principes ſunt commoti: ne Philippus quidem Mediolanenſis Amadei gener, Eugenii, ac Venetorum hoſtis: neque Aragonius eidē infenſus cauſam Renati hoſtis ſummo ſtudio defendenti, nouum Pontificem venerari in animum induxere: memoria credo ſuperioris diſſidii, vnde tantæ calamitates extiterant. aut Baſilienſium Patrum auctoritate fluxa, quæ fortaſſe celeritate valuiſſet. Tametſi ad annum eius ſeculi quadrageſimum ſeptimum in conuentu perſtiterunt. quo tempore Ludouici Galliæ Delphini armis diſturbati, & Friderici Imperatoris, qui Alberto ſucceſſerat præcepto prohibiti, ſoluto raptim cōuentu redierunt in patriam. Felix ipſe nouus Pontifex aliquanto poſt pontificiis inſignib. poſitis honore purpuræ & Sabaudiæ legatione à Nicolao Pōtifice Eugenii ſucceſſore annis conſequentibus donatus eſt. Hic finis non vno tempore Caſtellæ atq; Eccleſiæ diſſidiorum fuit, nouarum rurſus rerum initium. quod alia narratione explicandum eſt.

Noui in Caſtella motus. CAPVT XV.

CIVILIA in Caſtella arma cepiſſe finem videbantur, quaſi Aluari calamitate vniuerſa prouincia expiata. cùm repentè & præter opinionem noui tumultus concitati ſunt. Nullis finib. ambitio reſiſtit: in omne fas, nefaſq́; auida rapitur ferox importunaq́;. Regis imbecilla mens erat, neque curis imperii ſatis idonea, niſi alieno præſidio, conſilioq́; adiuta. ea re cognita proceres primum gratiæ, & auctoritatis locum apud Regem variis artibus captare: ante omnes Fridericus maris Præfectus: cuius erat ingenium varium, flexibile, multiplex: & quem Aluarus pro ſe maximè vicarium ſubſtitui rebus gerendis ſua apud Regem commendatione curarat. Aragonii fratres ſua ſe opinione deludi ægrè ferre: induſtriæque fructum pellendo Aluaro, ad quem minimè oporteret recidiſſe, dolere ſcilicet. rara fides inter ſocios aſſeclaſque aulæ. Metandis Tauri hoſpitiis inter vtriuſque partis domeſticos & neceſſarios conuitiis & probris initium rixæ quæri viſum. in Rege parum conſilii erat, parum auctoritatis proceribus

coercendis.conſilio eorum, qui Aluaro fauebant, Medina Campeſtri per ſpeciem vc-
1440 tionis egreſſus, raptim Salmanticam abiit,amplam munitamq; in Vectonibus ciuitatem,
ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo. Abeuntis veſtigia A-
ragonii fratres,Comites Beneuentani, Ledeſmiæ,Hari, Caſtanedæ, Valentiæ, præterea
Enecus Mendoza proſecuti Madrigale ſunt: adiunctis ſexcentis equitibus, vim facere
Principi ſi obſiſteretur parati.miſeram conditionem pudendamque.vix Caſtellæ Rex ac
ceptus Salmanticæ,procerum aduentu nunciato citato itinere Bonillam abiit, munitum
iis locis oppidum incolarum fide,mœniumque firmitate. Inde legati abs Rege miſſi ſunt
ad Aragonios fratres fide ab iis accepta Salmanticam prius, deinde Abulam, quo ſe pro-
ceres contulerunt,eius vrbis præoccupandæ ſpe, vtriuſque legationis princeps Guterri-
us Toletus Hiſpalenſis Præſul iuit, fidei erga Regem conſtantia in paucis ea tempeſtate
nobilis,qui illi gradus ad ampliores honores fuit.parum ea diligentia profectum. proce-
res tantùm idoneum hominem nacti,literas ad Regem dederunt,ſupplices quidẽ,pręce-
ptis tamen ex intima philoſophia petitis ad rem publicam gubernandam graues,q; caput
erat,in Aluarum criminoſas. Rempublicam impotenter habere ſolitum. Bona publica,
& priuata domum auertere. iudicia inuertere. neque humani quidquam, neque diuini
ſanctum ducere.Hæc partim vera,partim ex odio afficta eſſe Rex non ignorabat: verum
quaſi magicis cantionibus emota mente, aures ſurdas præbebat, ſalutaria monentib. ni-
hil reſponſi datum. contra à proceribus Hari & Beneuẽti Comites ad Regem legati per-
uicerunt, vti regni conuentus Valliſoleti eſſent. ibi Rex & proceres de vniuerſo reipu-
blicæ ſtatu deliberarent: arbitris iis Comitibus de tota controuerſia iudicaretur. Sic fa-
ctum,vt neque vrbes ante à coniuratis occupatæ redderentur, & denuo caperentur aliæ.
earum hæc ſunt nomina: Legio,Segobia,Zamora ſeu Sentica,Salmantica,Valliſoletum,
Abula,Burgi,Placentia,Caraca.præterea Toletum ab Henrico Aragonio recens occupa
ta eſt Petro Aiala dedente: qui arci præfectus, vrbi Prætor abs Rege datus, principem in
ea vrbe auctoritatis & potentiæ locum tenebat. Valliſoleti, quo menſe Aprili conuẽtum
eſt,nihil prius actum,quàm vt fide publica Aluarus reuocaretur. Ea cogitatio Regis pe-
ctori infixa erat: cuius voluntati repugnare periculoſum,obſequi miſerum erat. ſed vicit
tamen metus honeſtatem. ampliſſimis verbis literæ in eam ſententiam datæ ordinũ con-
ſenſu.officio quiſque Aluari gratiam præoccupare ſatagebat. Vrbes ad Regis poteſtatem
redierunt, Toletum in primis. De iudiciis reſtituendis actum: tuta non erat alioqui inno
centia in tanta temporum licentia; vis & latrocinia vigebant, fluxa auctoritate magiſtra-
tuum.Fruſtra is conatus ſuſceptus: quin nouæ enatæ difficultates, Henrici Principis Ca-
ſtellæ alienatione.Maligni ſideris vi factum arbitror,vt per hæc tempora præcipuam reb.
omnibus auctoritatem aulici obtinerent,argumento horum Principum patris & filii,qui
ea fuerunt mentis & prudentiæ imbecillitate, vt ſemper alieno imperio obnoxii viuerẽt.
Ioannes Paciecus Alfonſo Gironio Belmontis regulo natus,Hẽrico Principi à primis an-
nis aſſuetus, morum ſimilitudine, aut ingenii dexteritate, præcipua apud eum gratia &
auctoritate pollebat. is Aluaro euerſo, à quo Principis datus erat in familiam ſummũ po-
tentiæ locum,vt fecit,quærere videbatur. ea ſuperioribus Aluari meritis gratia fuit. Inter
Regem & filium enatæ ſuſpiciones ſunt. ſe Henricus Princeps die quodam à regia ſub-
duxit,niſi Regis conſiliariis quibuſdam loco motis, rediturum ſe vllo tempore negãs. vix
ad multam noctem agente Vaſcone ſocero ad patrem reuocatus eſt. eò maiori feſtinati-
one nuptiæ maturatæ. Blanca deducente matre ad fines Vaſconum, ab Alfonſo Cartha-
gena Burgenſi Epiſcopo, Comite Hari, Fitæ regulo, ea cauſa legatis Valliſoletum dedu-
cta.Nuptiæ celeberrimo apparatu ad ſeptimum Kalend.Octobris peractæ.ludicrum mi-
litare commiſſum,auctore Roderico Mendoza regiæ magiſtro: ſi ludus fuit,homines no
biles interfici.haſtis exacuto ferro pugnatum.inter alios proceres ſplendore cultus, con-
uiuiorum apparatu certatum. & erant earum elegantiarum non minus quam militarium
rerum periti.noua nupta tantum ex virgine mulier facta non eſt. id rumoribus primùm,
deinde fama vulgatum,publicam gentis lætitiam vehementer conturbauit. Ipſo tempo-
re in Gallia de pace inter Anglos & Gallos actum, Burgundi Ducis opera. negotium Iſa-
bellæ eius vxori datum,fœminæ regia maieſtate,Luſitani Regis amitę:more inter Gallos
recepto,vt auctoribus mulieribus de rebus maximis tranſigatur.ad Flandriæ fines,quo I-
ſabella ſe contulit,& oratores ab Anglo venerunt, de communi pace agi cœptum, re in-
gentis molis,ac lentioris ſpei. Libertas Carolo Aurelianenſi redempta quadringentis mil
libus aureorum,concedente Anglo in cuius poteſtate erat, Burgundo annuente, ea lege
vt obliuio iniuriarum inter Burgundos & Aurelianenſes eſſet: & cælibe is toro duceret
Margaritam filiam Cleuenſis Ducis ex ſorore Burgundi procreatam. ſic poſt annos vi-
ginti

ginti quinque, ex quo bellis superioribus ad Blangium captus erat, Aurelianensis patriæ & imperio redditus persancte affinitatem amicitiamq; coluit. Carolus hic filius & hæres fuit Ludouici Aurelianensis, quem à Ioanne Burgundo occisum fuisse docuimus.

Castellæ Rex captus. CAPVT XVI.

DEcesserat in ipsa nuptiarum Henrici & Blancæ lætitia Petrus Maricus in exiguo corpore magno vir animo, callidus, audax, pius tamen & in vtramuis partem se dedisset industrius. Aluari quamuis absentis (nam Scalone se tenebat) consiliis res communes gerebantur. id ægrè coniuratis proceribus erat. præterea Henrico Principi: prorsus vt Segobiam relicto patre discesserit fine anni, ad Aragonios propensus. Paciecus amicorum intimus ægro animo subdebat faces. Toletum rursus occupata est, Petro Aiala intra mœnia Henricum Aragonium accipiente, contra quam expresse mandatum erat. addita noua iniuria captis fecialibus: qui abs Rege missi erant de offensa expostulatum. Ergo Rex vt par erat commotus, eò magnis itineribus festinauit, modico comitatu, maiestate securus. aditu prohibitus ad D. Lazari substitit, ipsa militari via, qua Madritum itur. ab Henrico Aragonio ducenti equites foras portam educti. regiis in periculo aliquanta spes, timor amplior: quippe exiguo numero aduersus armatos. expedita arma: subitarii operis munimenta constructa. grauis eo die calamitas extitisset. Henricus ne maiestatem violando nouam inuidiam conflaret, sese in vrbem retulit. Villandrandus, cuius præcipua virtus extitit, depulsi periculi præmium tulit, extortis à Rege publicis tabulis, quibus Ribadei Comitibus perpetua lege dabatur ad mensam Regis accumbere, vestisq; qua Reges vterentur omnibus annis octauo Idus Ianuarii, præstitæ operæ monimentum, quoniam eo die ineunte anno millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, graui metu fuerunt liberati. 1441. Torrigios discessum. in eo oppido Pelagius Ribera Malpichæ regulus cũ centum equitibus relictus præsidio est. Rex Abulam contendit. eodem Aluarus abiit de instanti bello consilia communicaturus: eò coniuratorum Principum voluntates amplius exacerbatæ sunt: quorum pars maxima Areuali se tenebat: ipsa etiam Regina Castellę aduersus virum criminationibus aures præbens, in filium & fratres caritate propensior. Episcopi Burgensis, Abulensisq; in id oppidum legati: si qua via se daret resarciendæ concordiæ. parum ea legatione profectum est. A Diego Valera qui in obsequio Hẽrici Principis erat, ad Regem literæ datæ hac sententia: Quantas calamitates respublica ex fatali Principum discordia pertulerit, commemorare non attinet. Gentis ignominiam vulnera nostra stylo retractare graue, superuacaneumque. præterita accusare facile, remediũ adhibere necessarium. De malorum auctoribus disputare quid iuuat? cuiuscunque ea culpa sit, à Deo certè humano generi rector datus, diuinam benignitatem expromere maximè debes, condonatis subditorum peccatis. Tunc clementiæ præcipua laus, cum iræ causæ iustissimæ. Patrem te patriæ vocamus: caritatis paternæ te ea appellatio admoneat ad ignoscendum promptæ, ad vlciscendum tardæ. Sed impunè qui tantum iniuriarum prætermittatur? an non malo cogantur, quorum animi beneficiis vinci non potuerunt? Verum. sed in facto tamen cùm syncerus est animus, nulla offendendi voluntas, quamuis præpostero, iniuriæ nomen iniustè affingatur. Nulla re magis animi magnitudo, quæ magnorum Principum tibi similium virtus propria est, perspici potest, quam iniuriis hominum condonãdis. Varios & ancipites bellorum casus vitare æquum est: certamq; pacem dubiæ victoriæ præferre. quæ vt maximè esset explorata vtrauis parte cadente, tuo maximè detrimẽto constabit: ad quem subditorum calamitas referatur necesse est. Deum precor, vt suis muneribus perpetuitatem addat: gẽtis felicitatem tueatur, & propaget: nostris votis aures suas, tuas salutaria monentibus faciles præbeat. Lectæ coram Rege, deinde in senatu literæ, variè, vt cuiusque animus erat acceptæ sunt. sed tacentibus tamen cæteris, vnus Guterrius Toletus Antistes væcordi audacia elatus: Opem, inquit, Valera afferat: consiliorum satis habemus. Fuit Valera præstanti vir ingenio, bello bonus, ad cæteras dotes, quibus in tenui censu instructior nemo fuit, gemina legatione in Germaniam obita clarus. Extat ingenii monimentum, historia succincta de rebus Hispaniæ, cui ab auctore Valerianæ nomen est. Henricus Princeps patris accitu Abulam iuit: de incunda concordia actum. Duæ Reginæ mater & socrus ab Henrico Principe, cùm se Segobiam retulisset, Nieuam euocatæ sunt: si iis auctoribus factiones componi possent. In eo oppido Blanca Regina Vasconum decessit ipsis Kalen. Aprilis. corpus in celeberrimo eius oppidi templo tumulatum creditur. magni id auctores tradunt. verum regii sepulcri, neq; eo loco, neque in Diuę Mariæ Vxuensis, quo se transferri, testamento cauit, vllum vestigiũ ex-

tat: vt mirari poſſis memoriam rei vſque adeo recentis eſſe obliteratam. Dominicani eius loci ſodales tranſlata oſſa affirmant: ſed in quem locum non tradunt. Carolus Vianæ Princeps materni regni ſucceſſor, regio nomine abſtinuit à patre coactus, an ſponte, an matris monitu. ingenium ſtudiis dederat: non vt otio marceſceret, ſed vt præceptis ſapientiæ inſtructior ad rem publicam accederet. Extant ingenii monimenta. Libri Ariſtotelis de moribus vulgari Hiſpanorum lingua donati. Breuis de Vaſconum Regib. hiſtoria. pręterea verſus non inelegantes, quos ad lyram pangere ſolitus erat, iuuenis meliori fortuna, patreque benigniore digniſſimus. Erat vnum & viginti annos natus cum mater defuncta eſt. Eius obitu ineundæ pacis cōſilia diſturbata: ſeque Caſtellæ Regina Areualum retulit. belli flamma in Carpetanis multis locis excitata. præcipui coniuratorum duces Henricus Aragonius, maris Præfectus, Beneuentanus Comes. Aluarus, Scalonæ, vbi ſe tenebat, ſuis & Toletani fratris opibus vim præſtanti animo propulſabat. variabant ſecundæ aduerſæque res. Enecus Mendoza ad Complutum, quod oppidum Toletano abſtulerat, inſidiis hoſtium exceptus, ductore Ioanne Carrillio Caſorlæ Antelato, ſupremum vitæ periculum adiit. amiſſis ſociis ipſe accepto vulnere cum paucis euaſit. Eodem tempore ad Greſmōdam oppidum ab Aluari copiis victa coniuratorum manus. cecidit in conflictu Laurentius Daualus, Dauali quondam Magiſtri equitum nepos. infelicem iuuenis caſum, lugubri carmine Ioannes Mena Poeta Cordubenſis decantauit: præſtanti vir eruditione, ea tempeſtate: condēdis vulgari lingua carminibus in paucis celebratus. modi rudes temporis culpa. ingenium elegans fuit, amœnum, & auribus illius temporis accommodatum. Sepulchrum eius Tordelacunæ in agro Toletano monſtratur: vbi con ſequentibus annis extinctus eſt. eius ſemper in Hiſpania memoria vigebit. Vno tempore à Vaſcone cum validis copiis in Citeriorem Caſtellam itum, auxilium coniuratis, quoniam hoſtes meliora ferebant: diſperſi per agros & oppida ſpoliare, rapere, vi & ſtupris cuncta miſcentes. rerum miſerabilem faciem. à Caſtellæ Rege Medina Campeſtris atque Areualum, Vaſconi in cuius ditione erāt, detracta ſunt. Iis locis ad Naharrū pagū Eleonoram Reginam è Luſitania venientem conuenit. arcanis ſermonibus de pace nihil impetratum, Regis animo nouis identidem iniuriis exacerbato. Ad Luſitanas tantum controuerſias componendas legati ſunt, qui Petrum Conimbricæ Ducem officii admonerent. idem ab Alfonſo Aragonio factum ex Italia in eam rem miſſa legatio. nihil pręſtitum tamen. Petrus imperandi dulcedinem deguſtarat. gētis animi in propoſito externi imperii repudiandi perſtabant. malo cogere non vacabat cum vtriq; Principi tantum belli conficiendi ſupereſſet. itaque Regina Luſitaniæ orbata viro, diuulſa à filiis, imperio ſpoliata, ad vitæ finem in Caſtella permanſit. Aragonii fratres ſuarum rerum periculo permoti, relictis Carpetanis ſeſe in Vaccæos citato retulerunt, rebus præſidium. Areualum memoria veteris imperii continuo portas aperuit. Medinam promota caſtra, vbi Rex erat. leuia pro oppido prælia facta, haud memorando in alterutram partem euentu. diuturna obſidio non fuit. quibuſdam incolis aditum aperientibus, nocturno furto oppidum à coniuratis captum, ſine ſanguine tamen. Caſtellę quidem Rex ad periculum excitatus, plateas armatis equitibus occuparat. multitudo domi ſe continebat: periculi metu an ciuilis belli execratione ad arma ſegnis. Aluarus, Toletanus Pręſul eius frater, Magiſter Alcantarę, Regis monitu, hoſtes in eorum capita potiſſimum ſequituros, per auerſam portā fuga euaſerunt mutata veſte, inuolutiſque capitibus inter hoſtium cuneos ignoti. Armatum Regem coniurati quaſi ſupplices adeunt: ad genua prouoluti manum deoſculandam petūt: quaſi obſequio prompti, certanteſque minime grato in regiam vſque deducunt. tunc victi victoreſq; in mutuos amplexus ruunt. ciuilia arma mœſta lętitia deteſtantur, vnde ſpes & pręmia nulla, certa funera & luctus vtrauis parte vincēte. Accurrere Reginæ atq; Henricus Princeps: multoque ſermone & arcano cum Rege habito, aulę miniſteria mutant, Aluari odio. Guterrius Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Ferdinandus Toletus Albę Comes, Barrientus Segobienſis Epiſcopus, oppido diſcedere ſunt compulſi. fidei erga Regē conſtantia grauiſſimum crimen erat. amicitia illis tamē cum Aluaro inita opponebatur, motibus pacandis impedimento futura. Actum de fœdere: neque licebat repugnare, cum Rex captiui inſtar teneretur. arbitri delecti ſunt cū ſumma decernēdi poteſtate, Caſtellæ Regina, Hēricus filius, Fridericus maris Præfectus, Albę Comes ea cauſa curiā reuocatus. Ab iis ſententia in Aluarum pronunciata. Vt toto ſexennio intra deſignata ditionis oppida ſe contineret, mandatum. neue ad Regem ſcriberet, niſi exemplo literarum cum Regina, & Henrico Principe communicato. Ne noua fœdera faceret: aut milites ſuis ſtipēdiis aleret. In eam rem Ioānem filium & nouem arces intra diem trigeſimū obſidum loco traderet, ſequeſtris quibus à iudicibus eſſet mandatum. His rebus nunciatis, Aluarus

rus

rus supra quã dici potest cõmotus, neq; tenere lachrymas, neq; à cõtumelis tẽperare. q̃ alii ambitionem interpretabantur: alii bonum ingenium contumelia irritatũ excusabant. in ægritudine tamen casuq; nouas resurgendi excogitare rationes. verum parum fidei erga proiectum erat: & omnes aditus erant præoccupati. se coniurati nouis affinitatib. confirmabant. Ioanna Friderici maris Præfecti filia Vasconi, Henrico Aragonio Beatrix Beneuentani soror in coniugium pactæ sunt. Diegus Sandoualius Castri Comes, Henrico Principi ea tempestate assiduus magno vir ingenio vtriusque connubii auctor: quò deterlis inter Principes suspicionibus in vnam euertendi Aluari curam, vti fecerunt, coniunctioribus animis incumberent.

Neapolis ab Aragonio capta. CAPVT XVII.

SVblato ciuili bello, nonnulla quies esse cœperat in Hispania: festaque lætitia, per vrbes & oppida. Neapolitano bello Italia vniuersa æstuabat. Renati vires, mora consenuerant. vxor & filii Massiliam erant amandati. quæ res magnam desperatæ victoriæ significationem continebat. sic multitudo interpretabatur, prona semper in deterius credulitate. Magna famæ momenta in bello sunt. magnæ ex eo tempore animorum inclinationes factæ, præsertim Iacobo Caldora, in quo rebus certum præsidium erat, propter eximiam rei militaris scientiam, extincto. cum Circelli collem pontificiæ ditionis diripere pararet, repentè exanimatus, inter suorum manus in tentorium delatus, breui animam efflauit. reliqui Caldoræ, quæ familia præpotens erat, ad Aragonios respicere. Auersa capta. Brutii dediti. ad Troiam Apuliæ vrbem Sfortiani prælio victi. reliqua omnia prona erant. Ab Eugenio Pontifice, Venetis, Florentinis, Genuensibus, ad pellendos Aragonios tota Italia, vires denuò sociatæ sunt. Tridentinus Cardinalis cum decem millibus militum in fines Neapolitanos incurrit. in collectitio exercitu, moribus, voluntate, studiisq; discrepante, parum præsidii fuit. quin ipso tempore Aragoniæ copiæ Neapolim ductæ. Renatus (vbi belli summa vertebatur) vrbem defendere conatus sese intra mœnia tenuit: ciuium credo inconstantiam veritus, an viribus diffisus, si æquo marte confligeretur. Commeatus & auxilii aliquantum à Genuensibus est allatum: sed exiguum id leuamen erat præ vrbana multitudine. creuit annona, ingentiq; pretio tritici modius constabat. fuere qui in publico consilio, faciente animos fame, Renato suaderent, vti quacunq; ratione cum hoste pacisceretur. ducebatur obsidio. famis malum augebatur. duo fabri cæmentarii Anellus & frater, qui in castra transfugerant, vrbem haud magno periculo capi posse, docent. Si præmium operæ sit, aditum se mõstraturos. Erat aquæductus subterraneus, per quem ad vrbis commoditatem, ex vicino fonte aqua in puteos diducebatur: ducenti viri fortes delecti sunt: omnesq; trãsfugis parere iussi. ascensus erat difficilis, angustus aditus. plerisq; deterritis, aut pondere corporum impeditis quadraginta secuti sunt prægredientes fratres. Dolabris conuulsi lapides vbi morabantur transitum. timidos insolentia itineris, duces confirmant verbis exemploq;, leuantes nonnunquam manu. magno nisu ad priuatæ domus puteum peruentum. muliercula, cuius ea domus erat, visis militib. continuò exclamat: proditura insidias nisi celeriter oppressa vox esset. Sol exortus erat, nihilque Regi significatum, metu an negligentia. omnes cæsos esse creditum. copiæ tamẽ, quę paratæ erant ad muros succedere iussæ. remissa pugna est, cùm nihil in vrbe nouari cernerent. Quadraginta milites, siue ad clamorem pugnantiũ exciti, siue re necessaria compulsi (nam insidiæ detectæ erant) vicinam muri turrim desertam custodibus, occupãt: cui Sophiæ nomen est. accurrit Aragonius præsidio futurus: accurrit Renatus ad periculum. eratque turrim recepturus, deturbatis Aragoniis: sed subitò ac improuisò inuecti nostri pleno gradu, formidinem incusserunt. vnde illis terror, Aragoniis qui turrim ceperant, animus creuit. multis partibus oppugnatio erat. aliquot tandem portis refractis, in vrbem irrumpitur. Renatus, cui potissimum parti, aut loco succurreret incertus, cùm nullũ prudentis Ducis aut strenui militis officium prætermisisset (nam sua manu plures ex hostium numero trucidarat) in arcem sese recepit. Direptæ nonnullæ ædes, à cædibus temperatur. mox ingresso Rege, prædæ quoque finis est factus. Per hunc modum Neapoli Aragonii potiti sunt, Sabbatho postridie Kalend. Iunii salutis anno millesimo quadringẽtesimo 1442.
quadragesimo secundo. Milites pro concione laudati, donatique pro cuiusq; merito magnifice: ante alios Semenus Vrrea, Raymundus Boillius, Petrus Cardona, præcipui copiarum duces. neque Petrus Martinius militibus aquæductum subituris dux datus debito præmio fraudatus: ne transfugæ quidem, maioribus quàm eorũ fortuna caperet promissis ad audendum incitati. Notabant rerum periti, eodem prope fato & arte à Belisario eam vrbem de Gotthis fuisse captam. Renatus, amissa nobilissima vrbe, ac nulla reliqua spe, incolumitatem sibi suisq;, aliquando post pactus, ad Eugenium Florentiam, atq; inde

in Galliam concessit. Eius discessu reliqua procliuia fuere. Marsi, Peligni, Apuli breui ad ditionem subiuncti. quicunq; eatenus Aragonii imperii iugum subire detrectarant, superiores offensas officio compensare, certantes festinantesq;, ne morando victoris irā exacerbarent. Sic Italia pacata magna ex parte, Hispani nondum planè quiescebāt, quamuis diuturnis fessi malis, paceq; inter Principes facta, discordes antea, & tunc contēptu regentium minùs coercitis odiis. Minuta colligere longum: præcipua dissidia hæc fuerūt. Ludouici Gusmanii Calatrauæ Magistri salute desperata decumbentis locū, ambitione præpropera, duo præ cæteris eximii viri obtinere contendebant: Ioānes Gusmanius Promagister ordinis, Fernandus Padillia Clauiger. ab hoc militum animi præoccupati erāt: Ioannes nullam spem honoris adipiscendi, nisi in audacia, & temeritate ratus, cum manu militari Calatrauæ oppida occupare pergit. Clauiger eo conatu cognito, cū quadringentis equitibus obuiam procedit. ad Baragiam agrum in acie dimicatum. victus Ioannes ea ptusq; est. duo filii in pugna occisi. Oppressi æmuli præmium Padilliæ datum, quod petebat. in Magistri locum subrogatus est, quamuis obsistente Rege, atque eum honorē Alfonso Vasconis filio notho dari expetente: tanta contentione, vt nouo tumultu ad manus ventum fuerit. Dum Calatraua obsidetur ab hoste Vasconis filio, nouus Magister qui intra oppidum erat, lapide ictus est per imprudentiam, à suorum quodam in hostē emisso. eo sublato Alfonsus æmulus Calatrauæ Magister institutus est. Cantabri, gēs valida & indomita bifariam tumultuati. primùm hetæriis atq; societatib. inter se constitutis, atque à Rege confirmatis, impetus in nobilium arces & fortunas factus. Petrus Aiala intra Saluaterram suæ ditionis oppidum circumsessus, accursu Hari Comitis propinqui seruatur. In quo eximia fides fuit. nam lectis Aialæ literis, quib. Auxilium petebat, periculum renunciabat: in agro vbi fortè corpus exercebat, tentorium erigi iubet, nisi propinquo liberato tectum non subiturum iuratus. Mota præterea eo tractu vetus religio est. Fratricellorum sectæ semina Durāgi excitata impuræ fœdæq;. de infectis ea persuasione quæstiones tormentis habitæ. pleriq; viui combusti. Alfonsus Mella è Franciscano ordine Dux sectæ, iudicii metu Granatam fugit, puellas magno numero secum ducens: quæ turpem vitam exegerunt inter barbaros. ipse qua causa incertum, sed calamis tamē à Mauris per ludum petitus confixusq; periit. vitæ exitus consentaneus. huic Ioannes Mella frater fuit Zamoræ tunc Episcopus, deinde Cardinalis. In Lusitania Octobris fine, Ioannes Lusitani Regis patruus ad Salis arcem seu Salaciū decessit tres & quadraginta natus annos, Magister equitum, idem D. Iacobi Magister. ex Isabella vxore, Alfonso fratre Brigantino Duce nata, Diegum reliquit: cui paterni honores sunt dati: filias tres, Isabellam, Beatricē, Philippam. vnde magnorum Principum stirpes constabunt.

Viri insignes. CAPVT XVIII.

SCalonę se Aluarus tenebat, ex quo de gradu fuerat deiectus, neq; nulla neq; magna spe pristinæ auctoritatis recuperandæ. ingenii, satis diligentiæ habentē fortuna seu vis altior destituit. eius frater Toletanus præsul Talaueræ extinctus erat, pridie Nonas Feb. grauis calamitas tanto repente sublato præsidio. supererat Rodericus Luna, quē ex patruele natum, Compostellæ superiori tempore Episcopū dederat, quāuis non satis idonea ętate. verū parum in eo reb. asperis subsidii fore cernebatur. & erat ingenio prauo maloq;, perditis morib. Proceres in ea temporum perturbatione, id se habituros confidebāt, quę primi occupassent. à Petro Suario Ferdināndi Oropesiæ reguli filio Talauera capta, vix Rex ipse Castellæ, cū ex Vlteriori Castella accurrisset, in oppidū est exceptus. Defuncti Præsulis funus in tēpli Toletani sacellū delatū est: quę Aluari impensa extructū erat magnificētissimū. De successore deligendo cōtrouersia excitata. duo præ cæteris cādidati opib. præstabant. Garsiā Osorium Ouetensem Episcopū, Præfecti maris propinqui fauor subleuabat. Guterriū Toletum Hispalensem Præsulē Aragonii fratres: penes quos rerū potestas esse cœperat. is in contētione vicit magno vir animo, mediocri statura, conspicuus forma, candidus, flaua cæsarie, doctrina excultus, syncero reb. gerēdis animo, seuerior aliquāto, quàm ætatis mores ferre possent. eò nonnullā inuidiā cōflauit. breuis pontificatus, ac fere trium annorum fuit. Fernandū Albæ Comitē Casorlæ ipse Antelatū iussit. Guterrii ęmulus Garsias Hispalensi Episcopatu donatus est. Diegus Auriensi Ecclesia Ouetū translatus. Auriensis Ecclesia Ioāni Turrecrematæ cōmendata, ex Dominicano ordine Sancti Sixti Cardinali, multæ eruditionis viro, vti editi libri magno numero testantur. defensa de scripto Romanæ Ecclesiæ maiestate. in tāta tēporum colluuione labeq;, immortalem laudē consecutus est. Turrecrematæ æqualis, vt in minori ætate, fuit Alfonsus Tonstatus Madrigale in Vaccæis patria, scriptorū mole, cognitiōe antiquitatis, multiplici eruditione ad miraculū clarus. Sermonis elegantia defuit, nōnulla iniuria ne cū quouis antiquorum cōferatur.

annis

annis consequentibus Abulensis Episcopus creatus est. iunior Senis in Hetruria, vbi Eugenius Pontifex erat, theses magno numero ex intima Theologia depromptas, disputandas publice more Peripatetico proposuit. in iis, locis aliquot offendisse Eugenius Pontifex edito diplomate notauit. dicato opere Turrecremata Cardinalis: defēdit rursus Tonstatus libro, cui Defensorio nomen fecit, in Pontificum etiam auctoritatem inuectus, iniuriusque præ studio tuendi placita. Atq; hæc fere accusabantur capita. Christum Deum occisum ineunte ætatis anno trigesimo tertio: neque ad octauum kal. Aprilis, vt vulgò veterum sententia est, tertio Nonas eius mensis in crucem actum. Nulli quidem peccato veniam denegari, quantauis turpitudine ipsius, quacunqueve delinquentis conditione statuque: à pœna tamen & culpa Deum non absoluere. multo minus sacerdotes iure clauium. Quod ille dictum subtili interpretatione explicabat: plerosque nouæ vocis insolentia conturbabat.

Libri vigesimi primi Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXII.

Rerum Hispaniæ status. CAPVT I.

HISPANORVM Res in Italia meliori in statu, quàm in Hispania erant. in similibus ingeniis pro conditione rectorum mores fortunaque variabant. Aragonio Regi animus ingens erat, gloriæ maior cupido quam voluptatum: vigilare, laborare, locis omnibus adesse, corpus nullo labore fatigari, caloris ac frigoris peræquè patiens. quibus virtutibus, clementia, liberalitate, morum facilitate, vtriusque gentis studia prome reri non desistebat, haud ignarus in ciuiu beneuolentia certissimum præsidium rebus fore, in metu periculum, exitium in odio. In Castella non sublata Aluari potentia, sed dominus commutatus, Vascone alienæ dominationes nō vindice, sed vicario, Rege Castellæ nunquam sui iuris & mancipii: quæ magna calamitas fuit, nouorum dissidiorum origo. Inerant nonnulla bona, sed maiora vitia superabant. corpus procerum & candidum: verum elati humeri, facies indecora. iudicium intelligens poëtices & musicæ studiis oblectabat: venationi, & ludis militaribus deditus idoneusque. exiguus animus, curæ imperandi graues, atque adeò intolerandæ. breui auditu quamlibet magna transire, satis magnum imperii fructum ratus, si otio, desidia, voluptatibus marcesceret. Aulici, ac is maximè cui rerum permisisset arbitrium, Principum legationes audire, responsa reddere, fœdera facere, dare honores & magistratus, regnare alieno nomine, pacis, belli, legum, institutorum arbitri moderatoresque. pudendam Principis socordiam, ac turpitudinem fœdam. Exolescente nimirum veterum Castellæ Regum indole virtutum, non secus atque in satis, & pecudib. semina cælo, terra, tempore maximè mutantur, degenerantque, præsertim sede mutata. sic ardens Principum ingenium copia plerúmque voluptatum extinguitur in posteris, euanescitq; : ni vitia institutione corrigantur, coniugum delectu ex duriore hominum genere petitarum, sanguis flacescens excoquatur, & ad pristinum competentemque habitum reformetur, maiorum mollitie in fœtibus castigata. Magnis imperiis nihil est negligendum: audaciaque aulicorum, ante-

quam radices agat, in ipso exortu vindicāda. inueterata velut iure suo sæuit: neque euertitur, nisi magna multorum ruina, sępeque oppressis ipsis vindicibus. Accusare præterita superuacaneum esset: nisi ex alienis vitiis instituendę Principum vitæ atq; conformandæ præcepta repetantur: quantumque desidiæ vigor animi præstet, duorum Hispaniæ potentissimorum Regum exemplo dignoscatur. Aragonius post captam Neapolim cæteris vrbibus & arcibus, quæ in Andegauensium fide erant, ad deditionem subiunctis, confecto bello in nobilissimam vrbem triumphum inuexit quarto kalen. Martii, eius sęculi
1443 anno quadragesimo tertio veteri Romanorum instituto, curru inaurato sublimis agentibus quatuor eximii candoris equis, præcedente alio æque candido. currum pedibus sequebantur totius regni reguli optimatesque: prçibant viri sacrati cum infulis & velamentis Deo & superis concinentes carmen. circumfusa multitudo diuturnum, felix faustumque imperium acclamabat. Lauream capiti non imposuit, eum honorem superis habendum dictitans, quorum ope victoria parta esset. Viæ constratæ floribus, multa veste pretiosa tecti parietes, varia odorum suauitate cuncta fragrabant. nullus dies iucundior illustriorque illuxit, victis æque ac victoribus. Conciliandi Eugenii Pontificis cura solicitabat, minus iam ad Gallos propensi, Senis vbi Pontifex erat, Iulii Idibus fœdus ea lege factum: vt Neapolitanum regnum Aragonio cederet, & post eum Ferdinando filio, quem ex impari quamuis matre Rex in conuentu Principum eius quidem imperii hęredem designarat. Aragonius annuas vncias auri (genus id monetæ est) octo millia in Pontificum ęrarium inferret: operamque nauaret Francisco Sfortia impugnando: qui Mediolanensi affinitate superbus, Picenum magna ex parte occuparat. Plus præstitū, quam promissum. à Rege ipso capta arma, multaque oppida & arces in Piceno agro, Sfortianis detracta restitutaque Pontifici. quorum nomina, ac totius belli successus vt memoriæ prodantur, operę non est. Expetentibus Genuensibus pax ea lege est data: vt annuatim peluim auream iusti ponderis Alfonso quandiu viueret, penderet. quasi ex victis illis trophæum cum in populi conuetu accipere solitus esset, quia graue fœdus haud diuturnum fuit: neque vltra quartum annum stetit. Vasco etiam susceptam in Castella rerum potestatem acerbius exercebat: eo imperium minus diuturnum fuit. durant enim moderata. Castellę Regem captiui instar habebat. insignem audaciam confidentiamque. in alieno regno in pace, tanto Principi sermonis etiam liberi commercium abstulisse, adhibitis custodibus Henrico maris Præfecti fratre & Roderico Mendoza regiæ Magistro: qui sermones adeuntium Regem & vultus notaret. Erant in eandem fraudem inducti, Præfectus maris atque Beneuentanus Aragonia affinitate deuincti, Henricus Castellæ Princeps, atque Regina. Ramaga, Madrigale, Tordesilla Vaccęorum oppida abs Rege Castellę lustrata. Barrientus Abulæ Pontifex rei indignitate commotus, & ex arcano Aluaro fauens, eius restituendi tempus venisse ratus Ioannem Paciecum adit, rerum statum deplorat. Aragoniorum vęcordiam detestatur. Quidquid in Regem admissum esset Henrici Principis ignominia peccari. Quibuscunque moribus & ingenio, parentem esse tamen. Si rebus gerendis impar esset, non externos homines Aluaro prohibito in eius locum, sed ipsum potius reponi æquum fore, & paterna cessatione rerum moderationi admoueri.
,, Quid enim Aluari casu lætemur, si eo submoto nihilominus seruituri eramus,
,, peiori conditione propter acerbitatem, maiori periculo ob ambitionem imperantium?
,, An credis vicaria potestate fore Aragonios contentos? vt est animus mortalium inexple-
,, bilis, ad vlteriora (mihi crede) contendent. parto externo imperio feroces noua in Hi-
,, spania regna meditantur. An Henrici secundi memoriam excidisse putas? iniuria Castel-
,, lam occupasse animis infixum habent. exitium vestræ familię moliuntur, nisi perierint

perdituri. Mouebatur Paciecus Pontificis oratione: eumque vera prædicare, salutaria monere non ignorabat. conturbabat tamen viriū imbecillitas: & vt pares essent Aragōiis opibus verebatur. audendum tamen atque conandum visum est, tentādasque procerum voluntates: an satis esset animi ad euertendam Aragoniorum tyrannidem. Ea vt rectius perfici possent, Henrico Principi persuasum Tordesilla vitata se se Segobiam conferret, quasi venatione remissurus animum: inde ad Aluarum literæ datæ. Forte duo Comites Hari, atque Ledesmię, qui Regis dono Placentiæ iam Comes vocabatur, Curiele cōuenientes de Rege liberando consilia communicabant. ea res Henricum Principem Tordesillam necessario reuocauit. disturbati ii proceres atque fugati ab Aragoniis. nouorum dissidiorum fundamenta ponebantur. Vasconis & Ioanne nuptiæ ipsis Kal. Septembris
1444 salutis anno M cccc quadragesimo quarto omnium fere Principum, & duarum, Reginarum Castellæ nimirum & Lusitaniæ concursu, ad Lobatonem peractæ sunt. Henricus Aragonius per idem tempus suis ipse nuptiis Cordubę celebratis factionis opibus in

Bętica

Bętica confirmandis diligentem operam dabat. Ad Francorum Regem Diegus Valera legatus, per caussam Armeniaci Comitis nuper capti à Delphino, & Martino Alfonsi Gegionis Comitis filio, liberandi. cum Anglis sensisse crimen erat. data tamen libertas ea lege: vt si quando fidem falleret, oppidis Ribadeo, & Canicis, quæ in Asturibus possidebat dono Regũ Castellæ, an hęreditate spoliatus Cantabriæ etiam finitimæ viribus oppugnaretur. Cum Henrico Principi Aluari euertendi restituendiq; vno tẽpore consilia communicata. Vasco euertendum suadebat: in eam rem vires sociandas. Barrientus Paciecusque restituendum iudicabant: maturandumque priusquam eæ molitiones proditæ essent. eo consilio, ad Vasconem distinendum fallendumque de ineundo cum eo fœdere actum. Interea Henricus Princeps Segobiã rediit. Comites Hari, Placentiæ, Castanedę vt vires iungerẽt solicitati, adiũcti Albę Comes Ferdinãdus Toletus cũ patruo Toletano Pręsule, atq; Enecus Mẽdoza. Vbi ad Aragonios impugnãdos satis esse virium est visum, Abulã, quo Princeps abiit, fœderati cõuenire iussi sunt. mille quingẽti equites cõtracti, nomẽ magis exercitus, quam robur. eodem Aluarus venit. Pecunię redigendæ in stipendium difficultas opponebatur. Burgos festinatum: vbi alii fœderati proceres erant. Castellæ Rex Portillium amandatur. eius custodiendi cura, Comiti Castri imposita. Vasco raptim delectu habito, duo equitum millia in proceres ducit, nouis identidem copiis confluentibus validiores. Ad Pampliegam in Burgẽsi agro, castris collata castra sunt. vtræque acies patenti campo, modico distantes interuallo constiterunt. affuere viri sancti ad periculum exciti. iis auctoribus de pace agi cœptum. pene res confecta erat: cum leuis pugna cœpta temerè, confluentibus ab vtraquè parte militibus, in iustum prælium exarsit. multum diei processerat. nocte diremptum certamen est: seque Vasco virium conscientia tenebris tectus Palentiam retulit vrbem satis munitam. nouum Vasconi accessit incommodum. Rex Castellæ Portillio quasi ad venationem egressus, Mogiado oppido pransus apud Diui Petri Cardinalem, dimisso abs se Castri Comite ad filium in castra abiit. Regis libertate vires coniuratis concidere. Vasco ad reparandum bellum, in Vascones abiit. proceres coniurati ad sui quisque ditionis oppida: Henricus Aragonius Ocaniam. Aragonia oppida in Vlteriori Castella à Regiis occupata: Medina Campestris, Olmedum, Roa Arandaque. Henricus Aragonius ab Henrico Principe, atque Aluato fugatus in Contestanos, ab Alfonso Fagiardo (qui partibus infectus erat) Murciæ Antelato, Lorcæ intra mœnia exceptus est firmissimi iis locis municipii. sic in pręsenti vitatum periculum, nouæque auctoritatis & potentiæ recuperandæ spes tentatę. Hęc in exitu anni gesta sunt: quo anno Nonis Iulii Ferdinandus Lusitani Regis patruus in Africa decessit. corpus in vrbe Phuthensi tumulatum, consequentibus annis in maiorum sepulchra ad Aliubarrotam illatum est miraculis clarum: sic gens Lusitana persuadet, dedita religionibus, cultuique suorum Principum maxime. eius memoria consecrata templisque data non est: vita sancta, mores castissimi fuerunt, muliebri nunquam fœdati contactu. nunquam in vita mentitus est. Deum ardentissima pietate coluit. Quas virtutes in hoste admiratus Lazerachus, in cuius potestate erat, nunciata morte obstupuit primum. deinde, dignus, inquit, erat immortali laude, nisi Mahometi Vati tantopere infensus extitisset. Magnum atque admirabile virtutis numen, quod à prauis etiam & infensis pectoribus extorquet laudem. Ex Gastone Fuxensi Comite & Eleonora Vasconis minori filia, filius item Gasto natus est, breuis ætatis futurus, paternas auitasque opes, hęreditatemque Francisco & Catharinæ, qui postea sunt ex eo quidem & Magdalena coniuge geniti, relicturus: vti locis competentibus explicabitur.

Pugnatur ad Olmedum. CAPVT II.

PVlsis Aragoniis fratribus lux rebus aliqua affulsisse visa est, sublato tantisper bello magis quàm belli metu. Medinę Campestris Castellæ conuentus agitati: nouaque pecunia imperata est in stipendium: non quantam res exigerent, sed quantam populi pati possent, multiplici imperio fessi, & sæuissimum bellum execrantes. Eodem se Henricus Princeps & Aluarus retulerunt, D. Iacobi oppidis magno numero de Henrico Aragonio captis. de belli summa deliberatum: quod grauissimum imminere prouidebatur: & erat Vasco per Ariensæ fines, quod municipium præsidio obtinebat, in Carpetanos inuectus. sequebantur equites quadringenti, pedites sexcenti. maior quàm pro numero belli terror. prouinciales pars infecti partibus erant: plerique citra periculum fortunarum spectatores belli quam participes esse malebant. Torigia, Complutum aliaque oppida à Vascone capta sunt. Castellæ Rex, ne prima negligendo

ſerperet malum, copiis raptim contractis, Spinale abiit. Parum virium erat tantis molitionibus. Luſitaniæ Regina Toleti obiit Februarii die octauo decimo anno MCCCC quadra-

1445 geſimo quinto ineunte. paucis poſt diebus Maria Caſtellæ Regina, ad Villacaſtinum in Segobienſi agro deceſſit. noxio medicamine herbiſque lethalibus corrupta, vtrique vitalia coniuncta funera, repentinique obitus indicio fuerūt: maculiſq; Mariæ extinctæ Reginæ corpus reſperſum. auxit vulgi opinionem, quod haud ſatis honeſte pudicitiam habuiſſe, frequenti rumore iactabatur. Luſitaniæ Reginę corpus in D. Dominici regio virginum collegio, vbi domicilium habebat, compoſitum eſt : inde Aliubarrotam translatum filii Regis cura. alterius funus in Guadalupeum templum illatum. obierat per idem tempus Lupus, Mendoza Compoſtellanus Præſul. in eius locum Aluarus Iſorna Concha eſt tranſlatus. Barrientus Conchenſis Epiſcopus inſtitutus, gratia meritis debita. Alfonſo Fonſecę Abulenſis Eccleſia data: vnde illi gradus ad maiores honores fuit, viro ardentis ingenii multarumque imaginum. Spinali Madritum Caſtellę Rex abiit: inde Cōplutum ab opidanis euocatur. Vicinis locis tendebat Vaſco Hērici fratris aduentum aucto militum numero, omnino ad mille & quingentos equites. cum his copiis vicinos montes occupat, vbi vetus Complutum ſitum eſt, arduo & difficili aſcēſu, niſi de ſuo loco non pugnaturus, virium conſcientia ſi æquo campo cōgrederetur. Ex iis locis Ferrerius Nuſa ad Aragonum legatur, ſi bello Neapolitano confecto in animum induceret in Hiſpaniam redire rebus pręſidium, belli paciſque arbiter. ad eundem à Caſtellæ Rege legati erant viri primarii, qui de illatis à fratribus iniuriis conquererentur. Nihil à Regiis ad Complutum motum. Aragonii ſuperatis montibus, quibus Tablatæ nomen eſt, Areualū feſtini contendunt: quo proceres coniurati venturi erant. iiſdem veſtigiis Caſtellæ Rex inſecutus, modico inter vtraque agmina ſpatio. vno die Areualum vtręque copiæ peruenerunt. à Vaſcone oppidum vi præoccupatum eſt : nam ſpe propinqui auxilii ei portas clauſerat. de conſilii auctoribus ſupplicium ſumptum. fides eximie culta exitio fuit, patriæque intempeſtiuus amor. Regia caſtra ad molas frumentarias, quibus ab abbatibus nomen eſt, metata. duo equitum millia erant, par peditum numerus. Henricus Princeps, Aluarus, Paciecus, Enecus Mendoza, Albæ Comes, Barrientus Pontifex venere. ad Aragonios maris Præfectus, Beneuentanus, Quignonii, Caſtri Comes, Ioannes Touarius. horum procerum aduentu mille equites adiuncti. colloquia principum vtriuſque partis ſunt habita. tempus extractum. Magiſtri Alcantaræ aduentum expectare arte cupiebant. ea Barrienti Epiſcopi calliditate Regiis viribus confirmatis, expedita ad pugnam arma. Aragonii neque obſidionem diu tolerare poterant, nullo commeatu: neque ad pugnam idonei erant, ob virium imbecillitatem. ad extremū illud ventum: miſſi in caſtra feciales Angulus, & Cuellar Vaſconis ſcrinio præfectus. ii facta conueniendi Regis poteſtate, cauſas exponunt cur iure licuiſſet arma ſumere, nulla nocendi voluntate, ſed neceſſitate prohibendi iniurias, reipub. in libertatem vindicandæ: quæ miſera ſeruitute premebatur. Si Aluaro amoto, vt inſtituiſti, tui arbitrio Rex regnū capeſſes, morā haudquaquā, modo æqua & honeſta cōditione paciſci liceat, paci faciem. Tu vide ne aures difficiles præbēdo, incēſæ, vaſtatæ, direptæq; prouinciæ cauſa exiſtas: quæ mala à nobis eſſe ſyncero animo deuitata, ſuperos homineſq; teſtamur: hancq; legationē nullo metu, ſed trāquillitatis ſtudio reuocādę ſuſceptā. Hęc cū ardenti oratione pronūciaſſent, ſcheda eadē continentē capita, Regi in manus tradiderūt. Eo maturius conſideraturū dictitāti, inter moras biduo poſt ad quartū decimū Kal. Iunii, qui dies Mercurii fuit, pugnādi neceſſitatē caſus attulit. Hēricus princeps iuuēta feruens, muro cū quinquaginta equitib. ſucceſſit, ad pugnā prouocaturus hoſtē. egrediūtur illi pari numero. à tergo cataphracti ſequebātur. ea ſpecie Regios equites territos, & in fugā verſos Aragonii ad ipſa caſtrorū munimenta inſequūtur. Grauis ea ignominia viſa eſt. regiæ copiæ inſtructæ ad pugnam, productęq; in aciē. In primo agmine Aluarus curabat: à frōte & laterib. quingēti cataphracti muniebāt, ductorib. præcipuis Alfonſo Carillio Seguntino Epiſcopo, eius fratre Petro Acunio Donniarū regulo, Eneco Mēdoza, Albę Comite. ſecundū agmē Hērico Principi eſt attributū. ſequebantur à tergo Guterrius Sotomaior Alcantaræ Magiſter cū trecentis triginta cataphractis. in Poſtrema acie Rex erat, Toletanus Epiſcopus, Hari Comes. claudebāt latera Prior Hoſpitalarius & Diegus Stunica ab vna parte: ab altera Rodericus Mēdoza regiæ Magiſter, & Petrus Mendoza Almaſani regulus. ad multā diem in acie perſtitū: neq; aliquid ex oppido mouebatur. Vix ſeptima diei pars reliqua erat: & regię copię in caſtra reduci iuſſæ. tum Aragonii clamorem tollere, atq; portis erūpere, rati noctem vicinam & victis munimento fore, & ſi viciſſent nullo impedimento : quod locorum notitia & equitatu valerent. Ab equitibus leuis armaturæ pugna cœpta, aliorum accurſu exarſit.

Arago-

Aragoniæ copię bifariam diuisæ, pars ductore Hērico Aragonio in Aluari agmē incurrit: Vasco, contra Henricū generum dimicauit. acriter ab vtraq; parte pugnatum est. Alcantaræ Magister, & Enecus Mendoza subsidio suis laborantibus accurrunt. metu vincente pudorem ab vtraque parte multi diffugiunt. Aragonii numero pauciores ab hostium multitudine vexati. iamque dies consumptus erat: cū Vasco Henricusque vterque cum turma peculiari, vagari per acies, laborantib. suis succurrere, hostes, vbi cōfertissimi erāt, inuadere, locis omnibus adesse. quoniam imperare cōturbatis omnibus nō licebat. noctis tenebris pudore sublato sese Aragonii in pedes dant. dilapsis sociis. Aragonii fratres Olmedū se receperūt. Beneuētanus & Præfectus maris in alia oppida cōfugerūt. Comes Castri, Henricus maris Præfecti frater, Ferdinādus Quignonius in pugna capti: præterea duceti alii. cędes exigua fuit, septē & triginta in acie ceciderūt; ex acceptis vulnerib. deinde periere plures alii. oppidi munitione diffisi Aragonii fratres in Aragoniā cōcubia nocta festinarūt, vitatis oppidis ne qua mora esset. Henricus Aragonius Calataiubę breui extinctus est ex vulnere, quod in sinistra acceperat, noxio, vt creditū est medicamine contabescente brachio, vir magni quidem sed inquieti tamen animi, neque otium patientis. Corpus in eo oppido sepultum. proles de nomine patris haud leuiores illo turbas concitabit. à victoribus lecta spolia: literæque in omnes partes sunt dimissæ: quibus parta victoria nunciabatur. loco pręterea vbi pugnatum est regia impensa, vota ædicula extructa, Sancti Spiritus nomine, pugnæ monimentum, vnde loco etiam Pugnæ indita appellatio est.

Nuptiæ Ferdinandi Neapoli. CAPVT III.

MEliorem In Italia cursum res Aragoniæ tenebant. cesserat Picenum Alfonsi Regis armis. Sfortiani vrbibus & oppidis, quæ iniuria occupauerāt spoliati, Rege digresso non quiescebant, memoria rerum in Italia gestarum insolentes. Aragonius rogatu Pontificis Eugenii, id bellum repetiturus, ad Populi fontem, quod oppidum non procul Theano est, cum copiis progressus, eo proceres cōuenire iussit. affuit cum aliis Antonius Centilia equites trecentos ducens. Is paterna stirpe Centilia, materna Vintimillius, fortem & fidelem operam bello superiori nauarat, Brutiis, Calabris, Consentinis, subiugandis, grandi etiam pecunia ex priuatis facultatibus in stipendium redacta. Henricotam Rufam, Cotronis Marchione genitam principatus hęredem, Rex Eneco Dauolo destinabat, pręstitæ operæ pręmium. dederatque negotium Antonio. puellam ille sibi festinatis nuptiis iunxit. aucta ex eo potentia creuit audacia. dissimulata in præsens offensa, mox redditum odium est. in necem prępotentis aulici Regique carissimi conspirasse postulatus, metu iudicii è castris regiis, quæ ad Populi fontem erant, profectus non prius constitit, quam ad Catantianum suæ ditionis oppidum est peruentum. Commotus ea re, vt par erat, Rex Lupum Vrream, & duces alios in Picenum mittit. ipse ne recenti imperio prima negligendo gliseeret malum: aut offensa negligendo, contemtui prouincialibus esset, impunitatisque spes audaciam confirmaret, Neapolim rediit. missi qui Antonium ad sanitatem reuocarent. surdę aures erant monentibus salutaria. ad arma ventum. Rex ipse in Brutios abiit. Roca Bernarda, Bellicastrum primo aduentu capta. Croto obsidione aliquot diebus sustentata, portas aperuit, maioris mali metu. Ad Catantianum, vbi Antonius vxor & filii ac supellex domestica erant, promota castra. leuia modo prælia fuere. desperata defensione, cum se alii proceres non commouerent, largi promissis, in periculo cauti, veniæ spem tentat, impetratque ea lege: si se Antonius suaque victoris fidei permitteret. Eam vrbem & Turpiam arcē dedere iussus, Neapolim cum vxore, liberis, & domestica supellectile missus est: grauique documento sancitum, in obsequio præsidium, in contumacia exitium esse. In Ioannem Nucæum Insubrem præcipuū defectionis auctorem, seque Consentiæ tenentem, impetus factus. in potestatem redacto venia est data, ob similem erga Mediolanensem Ducem, ad quem se contulit, fidei inconstantiam pœnas aliquanto post daturo. Flagitiis vindicandis Dei numen apparet. sic magni motus, quorum expectatione suspensa gens erat, breuem & facilem exitum habuere. Pacatæ totius prouinciæ lætitia nuptiis Ferdinandi, Regis filii celebrata auctaque est. Isabella Claramontia ante desponsa cōnubio, iuncta Neapoli tertio kal. Iunias die Dominico. Tarentino puellæ auunculo in fide confirmando, quoniam eatenus nutare visus erat, datum vt regio sāguini iis nuptiis misceretur. In media lætitia multiplex luctus allatus. sorores Reginas, Henricum Aragonium periisse nunciatum: victum Vasconem, Castellæque finibus pulsum. tristibus sępe iucunda variantur. Legato, Vasconis verbis, expetenti vti in Hispaniam Aragonius rediret, responsum datum: bellum in Piceno superesse, neque fidem suam, neque religionem pati, vti Pontificem in periculo desereret. eo confecto bello, venturum quidem in Hispaniam: ita tamen de eius aduentu con-

fiderent,vt nihil propterea de ſua comparatione remitterent. Vaſconem vicarium conſtituere,adhibitis in conſilium Cæſarauguſtano,Ilerdenſi,iiſque viris primariis. Vaſconum & Aragoniis opibus Caſtellæ viribus obſiſtere haud difficile fore. Cum Granatenſibus, quod Vaſco petebat, annuę induciæ fœdusque eſſet. Qua in gente imperii mutatio per idem tempus eſt facta.Mahomad cognomento Læuus motis inteſtinis in Caſtella armis,aliquot annis quieuerat. ſublato externo timore grauiſſima in gente diſſidia exorta ſunt. in tanta temporum labe diu quieſcere Mauri non poterant,hoſtibus, ſi foris non erant,domi natis.Duo patrueles Regiſque Mauri fratrum filii, Iſmael quidem temporum metu, an patrui iram veritus, Caſtellæ Regi militaturus diſceſſit:per quem ſperabat patriam,opes & priſtinum auctoritatis locum recipere: alter cui à vitio cruris Mohamadi Claudo nomen erat, Almeriæ vbi ſe tenebat, procerum conſpiratione facta, Granatæ arce Alhambra occupata, patruoque Rege in poteſtatem redacto, traditoque in cuſtodiam, gentis Mauricæ regnum inuaſit, menſe Septembri: qui menſis Arabibus Iamad ſecundus eo anno fuit. Sciſſa ex eo barbarorum ſtudia. Andilbar Granatēſis Prætor cum propinquis & neceſſariis Montem frigidum(arci munitiſſimæ id nomen erat, non procul Alcala Regia)occupauit Regis vincti reſtituendi exigua ſpes erat. Iſmael ad regnum capeſſendum euocatur. pecunia militeque à Caſtellæ Rege adiutus eodem feſtinauit.ſpes aliqua,metus amplior:quippe modicis viribus aduerſus multo maiorem gentis partem pugnaturo.officio ſeu adulatione noui Regis gratiam plerique aucupari, temporiq; ſeruire certabant.Hæc in exitu anni cōtigere.ad prætermiſſa narrationē reuocamus.

Aluarus Diui Iacobi Magiſter creatur. CAPVT IIII.

VIctoria Ad Areualum parta, de rerum ſumma deliberatur in Aluari tentorio, ſiniſtro crure vulnerato decumbentis.communi Regis & procerum ſentētia coniuratorum bona publicata. Cuellar captum,ad Septimancas caſtra poſita. Henrico Principi Fridericum maris Præfectum eximi à coniuratorum numero placebat: veniamq; delictis eſſe. recuſabant alii:diſtinguique eius cauſam à cæteris negabant: omniumque iudicio etiam durior erat,quod princeps cæteros ad arma ſumenda concitaſſet. ergo Henricus Segobiam abſceſſit. commotus ea re pater Rex, veritusque ne nouorum motuum id initium eſſet,Petro Sarmento curam dat, reliqua coniuratorum oppida occupandi. Nieuam ſeu Niuariam ipſe abiit. filius non ante in partes attractus,quam Giennio, Lugrunio,caſtris Cæciliis ſibi,Paciecho,Barcarrota,Saluaterra,Salualeone ad fines Luſitaniæ extortis.vnde reprehenſio & ſupplicium expectari debuit,inde relata præmia.Sic tempora erant.Ad Medinam etiam, cui à Riuo ſicco nomen eſt , poſitis regiis caſtris venia maris Præfecto data,ſi intra quartum menſem ad officium rediret,Ioanna Regina Vaſconum obſidis loco,facturum quæ oportebat retineretur.His legibus arx eius oppidi Regi tradita. reliqua oppida in vlteriori Caſtella breui de coniuratis ſunt capta.Initio belli auxilia è Luſitania euocata erant Aluari conſilio,Hari quamuis Comite, & aliis proceribus repugnantibus. ea auxilia Maiorgam,vbi Rex erat,appulſa Petro Petri Conimbricæ Ducis filio ductore: qui nuper in Ioannis patrui locum Magiſter equitum creatus à patre erat. duo milla peditum,equites mille ſexenti,ſerum auxilium confecto ferme bello. adoleſcēti tamen honores habiti,duces pro cuiuſque merito ſplendide donati. nullum præterea operæ pretium.Aluaro tantum agente,Iſabella Ioanne Luſitano Principe equitum antea Magiſtro nata,cum quo magna neceſſitudo fuerat,& mutuis officiis conciliatus amor,Regi Caſtellæ pacta ipſo inſcio.tantum ſibi auctoritatis Aluarus ſumebat. ſpecies vtilitatis prætenta facto eſt:parata ab ea gente auxilia:grandem pecuniam remitti,quę in militum ſtipendia impenſa erat. Dimiſſis Luſitanis auxiliis, Burgos itum.in ea vrbe proceribus aliis venia, etiam Beneuentano & Caſtri Comiti præter expectationem,cum exceptione tamen, ne biennio hic Lobatone ille Beneuento diſcederet:aliis præmia data vltra meritorum æſtimationem. Enecus Mendoza Sanctæ Iulianæ(vulgus Santillaniam ait)Marchio, Comes Manſanarii regalis renunciatur. Paciecho Villena data. Præterea Abulæ Aluarus Diui Iacobi Magiſter ſuffragio eorum militum inſtitutus eſt. fortuna ſublimē ferebat in præceps maiori caſu datura. Petrus Gironius,Alfonſo Aragonio,qui patrem bello ſuperiori ſecutus erat,amoto,Calatrauæ Magiſter creatur. gratia magis Paciechi fratris datū, quā ipſius meritis,quippe Aragonios fratres ante ſecuti.vterq; quaſi vitio creatus obtrectatoribus non caruit.Aluaro Rodericus Manricus obiectus eſt, Henrici Principis,vt mox dicetur fauore ſubleuatus:Petro Ioannes Guſmanius Calatrauæ Promagiſter: vnde magni motus,diuturnaque diſſidia extiterunt.Alburquerquium dedente Fernando Daualo in

regiam potestatem venit. Petro Aialæ Toletanæ arcis vrbisq; custodia adempta: Petroq; Sarmento concredita pessimo publico, vti euentus declarauit: haud leui Henrici Principis dolore, qui Aialæ impensè fauens, amici casum iniquo tulit animo. Dum hæc in Castella mouentur, Guterrius Toletanus præsul Talaueræ obiit exeunte hoc anno pridie Nonas Decembris. Constans fama perhibet eo oppido in sacrario templi maximi esse sepultum nullo tumuli honore, ne inscriptione quidem. Albæ in S. Leonardi Hieronymiano cœnobio sepulcrum è candido marmore visitur sine inscriptione, è medio templo, vbi locatum erat, ad dextram aræ maximè translatum, inane cenotaphium tamen, numquam defuncti corpore, contra quam ipse mandarat, in eum tumulum illato. Alfonsus Carillius Paciechi auunculus, defuncti Guterrii Toletani Præsulis in locum cooptatus est, ineunte anno MCCCC. quadragesimo sexto, magno vir animo, turbido tamē & inquieto, vti consequentes reipublicæ motus diuturni grauesque indicio sunt. Toleti Madritique de belli reliquiis consultatum. Atiensa, & Torigia tantum in Vasconis fide perstabāt 1446.
validis præsidiis ad omnes casus munitæ: vnde excursiones sæpe in finitimos agros factæ. pecorum & hominum prædæ abactæ. præterea de Vascone fama in dies grauior, nouum bellum comparare, & cura crescere prouincialib. Rex Maurus studio noui imperii auctoritatem sanciendi, & ab Aragoniis solicitatus, irruptione in fines Bæticæ facta, Benamirielem, & Bensalemam, munita iis locis oppida armis occuparat. maior ignominia metusque quam clades. Vtrisque hostibus occurrere non licebat. vnde maius periculum extabat, in Aragonios ductæ copiæ mense Maio. Atiensæ obsidione tribus circiter mensibus continuata, actum de pace. Placuit consensu, vti ea oppida Mariæ Aragoniæ Reginę quasi sequestræ darentur: dum delecti arbitri consensu partium, de controuersia pronunciarent, vtris reddenda viderentur. fœdere facto Castellæ Rex in oppidum admissus pridie Idus Augusti, cum mœnia quibusdam locis diruenda, ædificia incendi curasset, quasi violatis ab eo cōditionibus arce prohibitus, re infecta retro redire compulsus, Vallisoletum abiit. Toletanus tantùm Præsul, & Carolus Arellanus cum copiis relicti, qui Aragoniorum motus ea parte compescerent: & si qua occasio esset, ea oppida in potestatem redigerent. Aragoniis haudquaquam eo fractus animus. frequentes excursiones ex iis oppidis factæ & latrocinia Caracam vsque: vbi Toletanus Arellanusq; erant. factiosi non pauci tota prouincia sparsi, & reliquis permisti hostilia moliri. suspiciones inter Castellę proceres renatæ. in iis Vasco maiorem spem habere, quam in armis. Aluarus, Paciechusq; suas vterque opes ex aliena calamitate augere satagentes, dissidii semina inter Principes patrē & filium spargere. Sæuam dominandi cupiditatem, cæcum ambitionis impetum. quantas strages facis? vno in facinore quam multa scelera facta? Delectus militares ab vtraque parte habiti. Rodericus Manricus in eo magis quam in causa confisus, nominatione Eugenii Pontificis, Aragonii Regis suasu, nullo suffragio militari Diui Iacobi se Magistrū dicit. dum hic armis eius militiæ oppida occupare satagit, resistit Aluarus, clades acceptæ redditæque. In tantis prouinciæ motibus, tantisque dissidiis, externa sine cura erant. Mauri principio anni MCCCC quadragesimi septimi in nostros fines inuecti, prædas agere hominum pecorumq;, pagos incendere, vexare agros: oppida, Arenæ, Osca, vtrunque Veles Album Rubrumque in Contestanorum finibus modico dissita interuallo de nostris capta. Neque præsidio militari, neque commeatu satis instructa, hostilem impetum diu sustinere non potuerunt. domestici dissidii fructus hi scilicet erant, maioris mali expectatio. 1447.

Bellum Florentinum. CAPVT V.

HAud abs re fuerit, vt opinor, belli Florentini causas per idem tempus in Italia gesti, successumque compendio indicare. Philippi Mediolanensis filia notha Blanca nomine, Francisco Sfortiæ iuncta erat: dotis nomine aurei sexaginta millia pacti. dum ea summa penditur, Cremona vrbs opulenta pignoris loco data est. eam gener in spē principatus impulsus, quamuis pecunia oblata restituere socero recusauit, Venetorum ope fretus: qui eo tempore cum Florentinis & Genuensibus societate inita, mari terraq; potentes erant. Episcopus Nouariensis ad Alfonsum à Philippo legatur, si Florentinos bello peteret, se Venetis viribus parem Cremonam recepturum. Eugenius Pōtifex Venetis ac sociis infensus, Philippo amicus, Regem ad id bellum incitabat. plura quā petebātur præstitit. Raymūdum Buillū eximium ea ætate Ducē in Insubres maturare iubet: ipse hyeme quamuis per Latinos Tibur peruenit. dū ibi expectat quorsum res cōmotæ euaderet (nam

Florentini meliora pollicebantur) à Venetis magna pars Inſubrum occupata eſt. Re neceſſaria compulſus Philippus generum in gratiam recepit. idem eius rogatu Alfonſus facit. pecunia etiam mutua adiuuat. verùm repentè mutata volũtate Alfonſus ad Inſubrum imperium vltro à Philippo vocatur. recuſat ille, indignum facinus ratus tantum principem, ad priuatam fortunam redigi. Inter hæc Eugenius Pontifex magnum reb. momentum, ad ſeptimum Kalend. Martii Romæ decedit. feſtinatis comitiis, omnino intra diem decimum Thomas Sarzana Lucæ in Hetruria natus in defuncti locum cooptatus eſt, Nicolai quinti nomine. generis obſcuritatem veris virtutibus illuſtrauit. quem ob humanioris literaturæ reſtitutę in Italiam lucem omnes viri docti ament, laudentque neceſſe eſt. Virtute non modo, ſed etiam fortuna eo ſeculo admirabilis fuit. ea infimo loco ad id faſtigium ſublatus. pacis ſtudium, quanta belli cupiditas deceſſori fuerat. In Inſubrib. bellum vario euentu gerebatur. Philippus Venetorum exercitu Abduam flumen tranſgreſſo, curis anxius, ac ſibi diffidens, cum Ludouico Dezpuchio Alfonſi legato principatus deponendi Regique tradendi conſilia ſerio communicat, vitam principalem nullis non curis obnoxiam cum priuata & beatiore mutare ſtatuens. Neque ſenili corpore bellicos labores, neque animo moleſtias pati poſſe. Iuuene opus eſſe ardenti: qui exultantes Venetos audacia & perpetua felicitate compeſceret. dum Ludouicus cum iis mandatis ad Alfonſum it, reditque, Philippus in Mediolanenſi arce febri & dyſenteria diem obiit, Idib. Auguſti. Præterea vitæ tædio. quid enim tantum paulò ante Principem niſi longa ætas vertenti fortunæ tribuit? quid alios veteri recentiq; memoria? vt nonnunquam longior vita exoptanda non ſit, magnis ærumnis obnoxia. tempore deceſſiſſe in magni beneficii loco poni debet. Eo menſe Madrigale in Vaccæis Ioannis Caſtellæ Regis & Iſabellæ Luſitanæ nuptiæ confectæ ſunt. modicus apparatus fuit propter inteſtina Principum diſſidia, neque magna lætitia. Aluari tamen opprimendi inter Regem & Reginam conſilia collata. Nondum maturum erat. poteſtatem ille acerbè exercens exitium accelerabat. ea merces nouis nuptiis conciliatis auſpici comparata. Alfonſus vt erat conſtitutum à Philippo Mediolanenſis imperii hæres nuncupatus teſtamento eſt. à Raymundo Buillio, cui continuo arx tradita eſt, belli duces in Alfonſi noui Principis verba ſacramento adacti. Vrbana multitudo in ſpem libertatis arrecta arma capit. vtraque arx in poteſtatem redacta eſt plebis: atque à fundamentis euerſa. ab Alfonſo parum opis erat bello Florentino inchoato. Ripa Marancia in agro Volaterrano, Piſcariæ Caſtellio Aragoniis armis occupata, Florentini, vt in repentino metu, Fridericum Vrbini, Malateſtam Arimini regulos auxilio euocant. Plumbinum ab Alfonſo obſeſſum. vicina inſula, cui Lilii nomen, capta, promiſſa aurea patera quotannis tributi nomine, pondere aureorum quingentorum vitatum Plumbini periculum. A Florentinis etiam pax impetrata, cùm ſe Sulmonem Alfonſus retuliſſet, Lilii inſula & Caſtellione Piſcariæ tamen retentis. De Mediolanenſi principatu contentio ſubſecuta. vicit Franciſcus Sfortia expedito conſilio iuuenis: Mediolanenſibuſq; libertatem, Alfonſo deſtinatum imperium ſua virtute, & Venetorum opibus abſtulit. vnde nouorum Principum ſtirpes, nouorumq; ac magnorum motuum materia extitit. quæ Galliam, cum Italia, cum vtriſq; Hiſpanos ad noſtram ætatem commiſit, variante ſæpe belli fortuna, vti competentibus locis indicabitur.

Multi proceres in Caſtella capti. CAPVT VI.

CAſtellæ res quietæ non erant. inde Maurus imminebat aſſiduus atque infenſus Chriſtiani nominis hoſtis. inde Vaſco, maiorem ſpem in domeſtica Caſtellæ procerũ diſcordia, quam in ſuis viribus habens: quæ calamitas grauior erat. A Toletano atque Eneco Mendoza, qui in Arellani locum ſubſtitutus erat, Torigia diuturna obſidione fatigata deditionem facere coacta eſt, militum qui in præſidio erant, incolumitatem pacta. id damnum compenſatum in Soriæ agro, arce ab Atienſæ militib. capta, cui Rupi Alcaſari nomen erat. Noua iniuria Caſtellæ Rex excitatus, Soriam menſe Septembri Madrigale abiit. ſequebantur tria equitum millia, ad inuadendum Aragonios fines idonea manus. Ipſo tempore Cæſarauguſtæ eius gentis conuentus erant. belli cura ſolicitabat, tantuſq; in Caſtella apparatus haud temerè futurus. Delectus extraordinarii inſtituti. decimus quiſque ciuis ſortitione facta, arma ſumere compulſus eſt: quod niſi in ſummo periculo vſurpari non conſueuit. Enecus Bolea, Raymundus Palomarius Soriam legati, quorſum eæ molitiones & copiæ ſpectarent rogatum. Societatis amicitiæq; iureiurando confirmatæ meminiſſet. Quamquam opibus confideret, incerta tamen pro certis mutari correptis armis. Bellum facile ſumi: non in eiuſdem poteſtate initum eius, & finem futurum. Ad ea

Rex

Rex ſenatu ad duodecimum kalend. Octobris dato, placide, ſibi in more eſſe reſpondit,
gentis procerumque comitatu ſtipatum procedere. Aragonios commiſiſſe, vt hoſtium
loco eſſent, Vaſconem conſilio & viribus adiuuando. niſi mutatum eſſet, armis vindica-
turum feciales Surbanus Carabeuſque, qui de his iniuriis expoſtularent in conuētu Cæ-
ſaraugustano, amandati. Noua rurſus ab Aragoniis ad Caſtellæ Regem miſſa legatio eſt.
dum altercationibus tempus ducitur, Verdegium in Calataiubę agro arx, à militibus im-
prouiſo capta. ea cauſa pacis mentio intermiſſa: ventumque continuo ad manus eſſet, ni-
ſi nouus nuncius, proceres in Caſtella intima, inter ſe coniurationes facere, Regem Ca-
ſtellæ Valliſoletum neceſſario reuocaſſet. In eo municipio Chriſti Dei natalis dies cele-
bratus principio anni MCCCC quadrageſimi octaui. Quo tēpore à Vaſconū quidem ma- 1448
nu Campeſum captum: ab Albarracini autem præfecto Huelamum: quod oppidum in
Celtiberis ſitum eſt, non procul vrbe Concha. ad eum modum aduerſæ res ſecundæque
variabant. ſanandi Caſtellæ proceres præcipua cura erat: filiumque cum patre Rege con-
ciliandi, mobilitate ingenii nunquam ſatis fidum neque ſatis conſtātem. Aluari & Pacie-
chi ambitio impedimento erat. vterque æmulo proſtrato per eius ruinam ad faſtigium
nitebatur. Id Alfonſus Fonſeca Abulenſis Epiſcopus ſagaci vir ingenio conſiderans, pa-
cis inter eos atque amicitiæ ineundæ auctor extitit: cum diceret cōiunctis animis rerum
ſummam poteſtatem penes ipſos, in diſſidio exitum fore. Ad certam diem pleroſque pro-
ceres capere conſilium fuit. Regis & filii Principis in eam rem colloquium inſtitutum,
habitumque Medinam Campeſtrem inter & Tordeſillam ad quintū Idus Maii Sabba-
tho: quo die Diuini ſpiritus de cœlo in Apoſtolos illapſi memoria recurrebat. vti erat
conſtitutum Alfonſo Pimentelio Beneuentano, Ferdinando Toleto Albano, Henrico
Præfecti maris fratri, Quignoniis fratribus Petro Sueroque, vincula iniecta. Beneuenta-
nus, Henricus, Sueruſque Portillum in cuſtodiam amandantur. Albanus Petruſque Ro-
am. crimini datum quod Vaſconis in Caſtella reuocandi conſilia agitaſſent. Prona homi-
num in deterius perſuaſio. confictum id ad inuidiam eius facti procurandam fuiſſe vulgo
iactatum. Præfectus maris & Caſtri Comes forte an conſilio, vt ſui copiam facerent, ad-
duci non potuere: & allato rei geſtæ nuncio ſe ſe in Vaſcones receperunt. eorum proce-
rum oppida capta haud difficulter, quippe deſerta defenſoribus, neque cōmeatu inſtru-
cta. Præcipua fuere Medina à Riuo ſicco, Lobatonium, Aquilaria, Beneuentum, Maior-
ga, alia magno numero. de Diego Manrico Antelato Nauarreti & Treuigni arces, ipſo
dedente quaſi fidei obſides incertę dubiæque (ſic opinio erat). Læta hęc fædiſſimo cui-
que, apud bonos inuidiæ fuere: neq; ſanatæ voluntates ſed exacerbatæ ſunt amplius: ma-
ioriſque belli metus oſtendebatur. Cæſaraugustæ nondum ſoluto Aragonio conuentu,
menſe Aprili inter Aragoniam Caſtellamque ſemeſtres induciæ pactæ. pacis conſtituen-
dæ facultas an voluntas non fuit. Caſtri Comes in Vaſconibus ſubſtitit. Præfectus maris
Cęſaraugustam ad quartum kalendas Iunii peruenit. in ea vrbe cum Vaſcone de rerum
ſumma deliberatum eſt: atque vti in Italiam contenderet perſuaſum, acceptæ contume-
liæ teſtis: Aragonio auctor futurus in Hiſpaniam maturandi. Plumbinū, quod oppidum
ab Alfonſo Rege obſidebatur (vti antea dictum) vno tempore Præfectus maris & Garſias
Toletus Albani filius non eodem itinere peruenerunt. faciles eorum poſtulatis aures ab
Aragonio præbitæ: ſeque præſidio affuturum recepit, datis ad proceres literis hoc ex-
emplo. Amici, viri præſtantes. De veſtro caſu ex patrueli noſtro maris Præfecto cogno- "
uimus: quanto cū dolore explicare non attinet. Nobis curæ vos veſtraq; fore ac vero pro "
Caſtellæ incolumitate nullum neque impendium neque periculum recuſaturos rerum "
euentus breui indicabit. Valete. E Plumbini caſtris quarto Idus Augusti. Procerum op- "
pidis occupandis aliquot menſes extracti. conſilio inter patrem Regem & filium com-
municato præſidia ad fines regni contra Mauros diſponere idoneis locis viſum eſt.
Alfonſus Gironius Paciechi patruelis, Hellino & Humillæ in Conteſtanis præfectus du-
centique equites, pedites quadringenti. Cum ea manu Mauros ea parte inuectos cęcidit,
maiori animo quam conſilio, ſucceſſuque. Conturbati hoſtes propinquum collem occu-
pant: noſtros nimia animorum confidentia, legēdis ſpoliis occupatos ſecuroſque repen-
tè inuadunt, magno clamore ſublato. diſperſos ac toto campo palantes cędunt, neque
fugere, neque arma capere valentes: neque omnino facere neq; prouidere quicquam.
plerique interempti: paucos cum Duce fuga ſeruauit. arma & militaria ſigna capta. ad
alias Caſtellæ calamitates, noua ea clades Regis animum perculit. eo amplius, quod per
idem tempus Henricus Princeps Aluaro infenſus Madrito, vbi cū patre erat, Segobiam
ſe ſubduxit. Impleuit ea res Regis animum nouo dolore. conuentus regni Valliſoleti agi-
tare conſilium fuit. ſiqua ſe via daret ad tanta mala procuranda. Henricus patris monitu

Tordesillam accessit. eodem discessurus Rex conuentum procerum & aulicorum prius habet. Sibi in animo esse explicat, cum filio pacem conciliare: proceribus pro cuiusque merito præmia, pœnamve tribuere: ac omnino oppida, quæ de coniuratis erant capta, donare aliis. Regis consilium vrbium procuratores pro se quisque laudare: certare adulationibus: quod pessimum obsequii genus est, sed Principibus non ingratum. Vnus Valera Conchæ vrbis procurator, socio concedente primas in respondendo partes, insinuatione facta, haud obscure tamen Regi suadet, ne inauditos proceres damnari patiatur, ea nobilitate, iis maiorum meritis. fore alioqui iudicium iniustum, etiam si iusta decernantur. Fernandus Ribadeneira robusti corporis viribus præstans in paucis, vasto animo, procax ore, in Valeram inuectus, verba malo ipsi fore minatus est. Vocis temeritate conturbato Rex vultu, aut mox discessu castigauit. Octauo post die à Valera literæ ad Regem
,, datæ hac sententia. Da pacem domine in diebus nostris. Quanta in remp. mala, dome-
,, stica dissidia inuexerint, quid explicem? cum nostræ calamitates indicio sint. post homi-
,, num memoriam grauissimæ. vasta omnia, inculta, oppressa, deserta, miserabilem Hispa-
,, niæ faciem tertiò ruituræ, nisi maturè succurratur. Libet cum antiquis vatib. patriæ squa-
,, lorem, luctum, exitium deplorare. sed in publica tamen calamitate lamentari modò, neq;
,, aliud præter lacrymas remedium adhibere, vanum arbitror. ea res ad scribendum impu-
,, lit. In tua prudentia spes nostræ secundùm Deum sitæ sunt. Si minus nostra, tui certè im-
,, perii calamitas moueat. si quid erit offensum commune omnium damnum erit, tua vni-
,, us ignominia peccabitur. Fama atque fortuna hominum pares sunt. atque hac conditio-
,, ne regnatur: prospera ad omnes pertinent, aduersa vni Principi imputantur. Duabus reb.
,, communes res continentur præmio & pœna, seueritate & clementia: vti vsus docet, &
,, magni viri testatur. Est scilicet, vtriusque rei modus, sicut reliquarum, & quædam in vtro-
,, que genere mediocritas. sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare. Exempla
,, tum vetera, tùm recentia in vtramq; partem afferre, quid iuuat? Multos clemētia euexit,
,, seueritas paucos, nullum fortasse. Alexandrum, Cæsarem, Salomonem, Roboamum, Ne-
,, rones intuere. quæ asperitas rigorq; necessarius fortassis, importunè tamen susceptus ex-
,, ulcerauit: lenitate sananda sunt: diuersaq; via insistendum. Quatuorq; omninò præstan-
,, da, sic mea sententia est, vtinam tam felix, quàm pia. filius conciliandus. exules reuocan-
,, di. liberandi vincti. atque obliuio iniuriarum sancienda. At facilitas contemptum pariet.
,, verum, si in imperio contemneretur quisquam, nisi qui se ipse contempsit. Non sine pe-
,, riculo auctoritatem suam Princeps subditorum sanguine sanciet. At impunitas cōfirma-
,, bit audaciam: legibusq; improbitas, atq; infidelitas vindicari mandatur. esto: sed Regum
,, propria laus clemētia est: & omne magnum exemplum habeat aliquid necesse est, quod
,, reprehendi possit. si quid certe in leges peccatum erit, salute publica compensabitur. Ad
,, vota in extrema tabula confugio. Deumq; precor, vt à nostra ex syncero animo profecta
,, oratione, temeritatis suspicio absit: mentem tuam vt de rebus tantis statuas, lux maior, at-
,, que cælestis illustret, doceatq; quod opus sit facto. Eæ literæ Aluaro extitere graues. Regi & bono cuiq; gratissimæ. Quibus lectis Placentiæ Comes, Valeræ in familiam ascito, filium maiorem instituendum tradidit, hominis ingenio delectatus, & dicendi libertatem admirans.

Lusitaniæ Regis nuptiæ. CAPVT VII.

MAgnum reipublicæ vulnus inflictū erat, tot tantisq; proceribus, quà captis, quà Castellæ finib. discedere compulsis. eos restituendi in libertatem patriamq; ratio intus forisq; excogitata. timor impediebat obsequii magister haud satis fidelis futurus. reb. mutatis successit audacia. Beneuentanus è custodia elapsus. Alfonsus Leo (cui Diegus Ribera arci & custodiæ præfectus omnia credebat) magnis in præsenti donis, maioribusq; promissis quam pro eius fortuna corruptus, triginta militib. aditum in arcem patefacit. equi in vicino pineto relicti erant. iis conscensis Beneuentum Comes est deductus. incolæ regio præsidio deiecto venientes cupidissimè acceperunt. mox Alba, quæ ad Alistē est, obsidione liberata, qua à regiis premebatur: aliaq; minora oppida redacta in potestatē. Rei gestæ nuncio lætati boni, lætata multitudo. Rex conturbatus, Ocaniæ relicto Aluaro belliq; ei in Aragonios comparandi cura demandata, ipse Beneuentum festinauit. aduersus Regem nouo dolore irritatum, parum præsidii Beneuentano erat. munito oppido in Lusitaniam cōcessit, Regis sui nuptiis recēs celebratis lætam. Isabella Petro patruo, & regni procuratore nata coniugio iuncta, ante septem annos pacto. puella sanctissimis moribus, præcipua formæ dignitate erat. nati ex eo coniugio Ioannes prima ætate defunctus, Ioāna soror, Ioannes alter, cui vita diuturnior fuit, paternusque principatus obuenit. Regis ætas

tenera adhuc & regni curis impar erat. Petri diuturnum imperium graue cæteris proceribus inuidiosumq; esse cœperat. Multitudo rerum nouarum cupida, principum mutatione gaudet: futura semper præsentibus fore meliora credit. Alfonsus Barcelosii Comes ante alios Petri euertendi consilia agitabat: nulla neque fratris commiseratione, neq; memoria recens accepti beneficii. Gõsaluo enim Brigantii regulo, sine prole defuncto, Dux Brigantinus fuerat paulo ante renunciatus. Sic sæpe magna merita graui iniuria pensantur: naturæ iura, ambitio inuidiaq; resoluunt, violantq;. Rei perficiendæ parum spei nisi in fraude erat. Regi adolescenti rerumq; ignaro suadet, vti rempublicam capessat. Reginæ matris primum pulsæ, deinde peremptæ noxio medicamine, contumeliam, Petri quẽ auctorem prædicabat, capite vindicandam. superbè, auareq; eatenus imperasse, rempublicam prædæ habuisse. vt est humanus animus insatiabilis, eo quod lege conceditur, ad altiora & non concessa tendere. regnumq; cuius solum nomen desit, dies noctesq; cogitare. Commotus iis criminationibus Rex, Petrum vlcisci parat. Conimbricæ se is inclusit: ne in tam subita rerum mutatione se suosq; contumeliæ offerret, & quorsum quę cõmota erant euaderent expectaturus. magni animi ægre iniuriam ferunt. Olisiponis occupandæ proposito, cum eius vrbis ciuibus conspirauit. res tanta latere non potuit. cum manu militari eo profectus insidiis exceptus est: iustoq; prælio dimicatum salutis anno M CCCC 1449
quadragesimo nono, de mense non conuenit, auctoresq; in diuersum trahunt. Periit ipse cum multis. vindictam cælestem interpretabantur earum rerum curiosi, ab eius rebus auersi: quod medicata sagitta icto corde occubuisset, vir meliori exitu dignus longiori vita. tametsi annos vixit quinquaginta septem. magnus animus fuit, exacta prudẽtia, quam ex multo rerum vsu collegerat. Regem patrui & soceri necem ægre tulisse iactatum. fama frequentior resistit: & rerum euentus mendacium arguit. mortuo diu sepultura negata. ad Aliubarrotam tandem, vbi Regum sepulcra sunt, occisi manes ritè conditi sunt, iustaque exequiarum facta. Iacobus filius in prælio captus, deinde ad Isabellam amitã in Belgas abiit: ab ea Romam missus, purpura donatus est. Beatrix soror eodem subsecuta Adolpho Cleuensi data est vxor. diuturna pax in Lusitania excepit. Rex ætate confirmata sapienter rempublicam gessit. Bello Maurico felicior fuit, quàm quod extrema ætate aduersus Castellæ vires gessit. Pręcipua animi pietate liberandis captiuis, qui vincti in Africa erant, magnam vectigalium partem effudit: si effudisse, dicendus est, & non potius in salutem publicam sanctissimè collocasse. Aulicis se suaque regenda tradidit (id vnum in eius moribus accusatur,) temporis vitio sic arbitror, potiusquam suo. quæ labes à plerisque ea ætate Principib. suscepta, occulta siderum vi in alias etiam prouincias magnas calamitates inuexit.

Tumultus Toletanus. CAPVT VIII.

OCaniæ relictus Aluarus bello Aragonio pecuniam conquirebat: quæ maxima difficultas opponebatur. Toleto amplæ opulẽtæq; ciuitati pecuniæ haud magna summa imperata. aurei ad tria millia. paruæ sæpe res maiorum momentum fiunt. eius pecuniæ redigendæ cura Alfonso Cottæ ciui copioso commendata. restitere ciues: seq; ab eo initio vrbis immunitatem violari esse passuros negarunt. monitus Aluarus in cœpto cũ perstaret, æris pulsu è Diuæ Mariæ populus ad arma concitatur. Ioannes Alfonsus, & Petrus Galues Canonici Toletani primi incitatores. consternatæ ad arma multitudini se vtrium consarcinator quidam ducem præbuit. nomen non traditur, de facto constat. In Cottæ ædes impetus fit: ignis iniicitur. materia auidè concipiente flammam, regio ea, vbi Diuæ Magdalenæ templum est, mercatorum frequentia nobilissima, magna ex parte incensa. direptæ opes: miseris ciuibus iniecta vincula, nulla misericordia sexus aut ætatis. fœdum atq; atrox spectaculum ad septimum Kal. Februarii Toleti fuit: ciues à ciuib. non secus, ac si hostes essent, omni iniuria vexati. dira vrbis vastitas. In eos potissimum sęuitum, quos ex Iudæis maiorib. prognatos, ac nouos homines esse putabãt. gentis inuidia posterorũ pœnis vindicata. Sarmentus vrbis Prætor, & Marcus Garsia eius Legatus (Marquillum Mazarambrotium ignominiæ causa vulgus vocat,) in quib. præsidium esse debuit, concitatę multitudini faces subdiderunt. audaciam, vt fit, supplicii metus excepit. bellum ex ea re imminere dubitabat nemo. vrbis portæ occupatæ sunt. id vnum reliquum erat. scelus scelere cumulatum. læta in præsens, aliquanto post in perniciẽ vertere. In Aluaro tantis motibus pacandis parũ auctoritatis erat, præsertim Sarmento infenso. Rex eius monitu, Beneuento interea in potestatem redacto, ad incendium accurrit, veritus ne ex iis initiis maior rerum moles extaret. aditu vrbis prohibitus ad Diui Lazari nosocomiũ substitit. globi

tormento è propinquo muro displosi addita verborum procacitate: Ea pœna à ciuib. expectaret. Noua ex eo sæuiendi occasio Sarmento extitit: plures ciues in custodiam traditi, quasi vrbem Regi prodere tentassent. quæstiones tormentis habitæ. nonnulli dolore victi, plura etiam quam rogabantur confessi sunt. direpta bona, non paucis gula fracta. fœdam carnificinam, fidei crimen obiici, quietis studium accusari, grauissimum scelus inter rebellantes. Missi ad Regem, qui Torrigios concesserat, oratores (nomina ne memoriæ prodantur, eorum posteris & maioribus tribuendum puto) viri nobiles: Nisi Aluarus amotus esset, ciuitatibus sua immunitas staret, suę aliarumq; vrbium nomine mutationem imperii renunciarunt, in eius locum filio substituto. grauis contumelia audaciaq;: sed ne violaretur ius gentium, dataq; fides valuit. responsum datum non est. obsessa vrbs, Henrico Principe à rebellibus in auxilium euocato periculo erepta. neq; vindici tamē quamuis intra mœnia admisso, aut claues portarum vrbis aut arcis datæ sunt. Nihil in concitata multitudine moderatum. nisi pauent, terrent, impotenterq; rempublicam habent. plebiscitum factum ad octauum Idus Iunii, quo Iudæorum ex gente prognati honorib. muneribusq; publicis arcebantur: ac nominatim expressum erat, ne tabelliones essent, neve actores causarum, iuxta Alfonsi Sapientis legem: qua datum Toletanis affirmabant, ne in ea vrbe aut agro cuiquam ex ea gente, aut munus publicum, aut Sacerdotium esset. perturbatè omnia gerebantur: neq; inter arma vimq; quid legibus, aut more sanctū esset, considerare licebat. impotens tantum dominatus, atroces iniuriæ. Decanus Toletanus cuius neque nomē, neq; genus prodere necesse est, fretus opibus atq; eruditione, fretus Romana gratia, nam Magister Pontificiorum diplomatum Romæ fuit, procedente tēpore Cauriensis Episcopus creatus est (vti nonnulli tradunt à maioribus accepisse) vrbe egressus, atque ad Sanctæ Eulaliæ oppidum subsistens, id edictum temeritatis, atq; impietatis de scripto accusauit maiori animo, quam successu. Septem theses disputandas obtulit. in eam sententiam longiorem disputationem ad Barrientum Conchensem Episcopum dedit. in ea præter cætera nobilissimas Hispaniæ familias cum ipsius propinquis, aliisq; ex eadem natione sanguinem miscuisse, designatis etiam singulorum nominibus notauit: verò an simulatò, quò causam meliorem faceret non arbitror, curiosius indagandum. neq; in eo restitit commotus hominis animus: quin Nicolao Pontifici maximo auctor extitit (sic arbitror) eius diplomatis quo Toletani edicti capita omnia reprobantur, promulgandi tertio pontificatus anno: hoc est, eo ipso quo turbæ Toletanæ extiterunt. Eius diplomatis exemplum, si hoc loco subiiceretur operæpretium me facturum existimaui. Humaui generis inimicus illico quò verbum Dei cadere in bonam terram conspexit, operam dedit seminare Zizaniam: vt conculcato semine nullum fructum produceret, pro vt vas electio. Paul. Apost. præcipuus huius Zizaniæ extirpator refert: q̄ initio inter cōuersos ad fidem, differentia antelationis orta est, Iudæis cum Gentib. de prelatione certantibus, aliis aliter in Dei Ecclesia scissuram inducere cupientibus: cum alii Cephæ, alii Apol. esse certarent. Redemp. noster hæc præuidens ab initio nascen. Ecclesiæ ordinauit, qui huiusmodi Zizaniam extirparent, humanaq; imbecillitate peccantibus aut lapsis occurrerent. prout ipse Apol. ad Rom. scribens omne huius antelationis diffidium diuinis verbis euertit. atq; Petrus Apost. Princeps in singulis diœcesibus ordinatis Episcopis vniuersam schismatum occasionem submouit. Nos nostri Redemp. exemplo, cuius vice, ad huiusmodi potissimè tollenda diffidia, locum licet immeriti tenemus in terris, præfatorum exemplis edocti, omni vigili cura compellimur, operam dare, vt his quæ inter fideles possent diuisionem parere, nostri pontificalis officii auctoritate occurramus, vt inter fideles caritas, amor ac vnitas vigeat. Nihil enim est, q̄ tam inter fideles conueniat, quàm quod in omnibus, sit velle vnum, inquiente Apost. Sicut enim corpus vnum est, & membra multa habet, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum corpus sunt: ita & Christus. etenim in vno spir. omnes nos in v. c. Baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, omnes in vno spiritu potati sumus, vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vnā spem vocationis vestræ, v. Domi. v. f. v. b. v. D. & pater omnium. Percepimus quosdam nouos seminatores Zizaniæ affectantes huius vnitatis & pacis nostræ fidei salutare fundamentū corrumpere, ac quod per vas electionis Apost. Pau. extirpatum fuerat, diffidiū in diuersis partibus, maximè in regnis carissimo filio nostro Ioanni Castellę & Legionis Regi illustri subiectis, reuocare, ausu temerario asserere, quod qui aut ex Gentilitate, aut ex Iudaismo, aut ex alio quouis errore, Christianæ fidei veritatē agnouerant, & baptizati sunt, & quod grauius est, eorum filios, propter nouam assumptionem fidei non debere ad honores, dignitates, officia, tabellionatus, ad testimonium in Christicolarum causis perhibendū admitti, eos verbis & facto contumeliis afficientes. Quæ cū à Redemp. nostri institutis aliena sint,

ni sint,eodem Apost.Paulo testante,cum dicit.G.& honor & pax omni operāti.b.Iudæo & Græco.non est accep.personar.apud Deum.& omnis qui credit in illum non cōfund. Non enim est distin.Iudæi & Græci:nam idem Domi.omnium.diues in omnes qui inuocant illum.Et alibi:In Christo Iesu,nec circuncisio aliquid valet, nec præputium, sed fid. quæ per carita.operatur.Hos vt à veritate catholicæ fidei aberrantes, ad viam veritatis deducere:ac quatenus in præmissis excesserint animaduertere cupientes. cùm non tā præmissis diuinis auctori.contradicant,sed & Illustrium Principum quondam Alfonsi Sapientis cognominati,& Henrici, & charissimi filii nostri Ioannis moderni Castellæ & Leg. Regum,pro fidei augmento,perpetuis sanctionibus, authenticis literis,eorum sigillis munitis,grauib.pœnis vallatis,per nos visis,& maturè discussis: quibus sanxerunt, vt inter nouiter ad fidem conuersos,maximè de Israelitico populo,& antiquos Christianos,nulla in honoribus,dignitatibus,officiis tam Ecclesiasticis, quàm secularib. suscipiēdis & habendis,nulla discretio fieret.atque affectantes,vt quisque,quæ recta sunt sapiat,& qui contra Christianæ legis normam,falsa seminare, & proximos scandalizare, quæ vnitatis & pacis contraria sunt,præsumpsere,debitis pœnis affecti eorum errores agnoscant: præfatorum Principum ordinationes & decreta, vt iuri & sacris canonib. conformia super his edita, ex nostro proprio motu,& certa scientia approbamus & confirmamus,& Apostolicæ auctorita.munimine roboramus,ac omnibus & singulis,cuiuscunque status,grā.aut condi. fuerint Ecclesi.vel secularibus, sub excommunicationis pœna mandamus: vt omnes & singulos ad Christianam fidem conuersos,aut in futurum conuertendos, seu ex Gentilitate vel Iudaismo, aut ex quauis secta venerint, aut venire contigerit, ac eorum posteros, tam Eccle.quam seculares,catholicè, & secundum quod Christianos decet viuentes, ad omnes dignitates,honores,officia,tabellionatus,testiū depositiones, & ad omnia alia, ad quæ alii Christiani quantumcūq; antiqui admitti solent,admittant.nec propter fidei nouam receptionem inter eos,& alios Christianos,discretionem faciant. nec verbis aut facto, contumeliis afficiant, nec affici permittant. sed omni eorum possibilitate contradicant,& opponant,& eos omni caritate prosequantur.& profiteantur, sine personarū acceptione omnes Catholicos vnum esse corpus in Christo,secundum nostræ fidei doctrinam. Quos omnes tales esse,& pro talibus,ab omnibus haberi,harum serie decernimus & declaramus. Verum si qui ex his post baptisma reperiantur Christianorum fidem non sapere,aut Gentilium, vel Iudæorum errores sectari, vel dolo, aut ignorantia Christianæ fidei non seruare præcepta,quibus casibus in Toletanis conciliis,& maxime Cap.constituit,& alibi,contra huiusmodi à fide Christi apostatas,non pariter cum aliis bonis fidelibus,ad huiusmodi honores admittendos decreta sunt,locum sibi vindicant.prout præfati Reges rectè sacros canones intelligentes,in præmissis eorum cōstitutionibus, quasdam eorum regnorum leges interpretati sunt,aut alias minus quæ Christiano conueniat agere aut sapere.Qui de hoc scandalizatus fuerit, adeat competentem iudicem, & quod iustum est fieri publica auctoritate,iuris seruato ordine studeat. nec quisquam propria auctori.aut ordine iuris non seruato,contra diuina.humana.quæ legum doctrinam,aliquid in eos,aut eorum aliquem audeat attentare.Et quæ sequuntur. Datis Fabriani Camerin. diœcesis,anno Incarnat.Dominicæ M cccc xxxx viiii, octauo Kal.Octobris,Pontif.nostri anno tertio. Alterum eiusdem Nicolai Pontificis diploma biennio post datum tertio Kal.Decembris,vt inseratur operi non est necesse,de eodē argumento priori consonum. Hæc ferè ab annalium auctorib.prætermissa, ad inuidiam vt puto declinandam, ex schedis amici deprompta propter rei gestæ nobilitatem hoc loco referenda putauimus.de iure,iniuriave disputare non est necesse: liberum in vtramq; partem lectori iudicium esto, ex iis quæ exposita sunt,aliisq; de hac controuersia monimentis: quæ multa in vtramque partem circumferuntur,tranquillo neque infecto partib. animo syncerè si pronunciarit.

Nouæ procerum conspirationes. CAPVT IX.

SOlicitare Vasco Castellæ proceres non desistebat. ciuitates, Murcia, Conchaq; haud satis syncera erga suum Regem fide erant. inde spes aliqua pristinarum opum recuperandarum, Vasconi & procerib.aliis ostendebatur. Variè manus prædatum missæ.ad Requenam pecoris magna vis capta: incolæ etiam maiori animo quàm consilio obuiā progressi in pugna victi sunt. Murciæ occupandæ spes euanuit. Concha ab Aragoniis tētata, ductore Alfonso Aragonio Vasconis filio. Diegus Mēdoza euocarat,arcis præfectus:quę ea tempestate in summa vrbe posita erat.nunc rudera tantum & parietinæ extant nobilis ædificii reliquiæ vestigiaq;. Aragonii conatus vani euaserunt. Barriento Pontifex vrbem

magna virtute defendit. Eo periculo vitato nouæ molitiones in Aragonia extiterũt, Præfecti maris aduentu: quem in Italiam abiisse monstratum est. Vrbium procuratorib. Cæsaraugustam euocatis Aragonii Regis mandata in conuentu recitata sunt. secundum ea, vt vires gentis conferantur, bellumq; Castellæ denuncietur postulatum. excusant illi. pacem, quæ inter vtramq; gentem extabat, Rege absente ærario exhausto, bello importunè mutari. præsidia alia cõquisita. actum de coniugio Vianæ Principis cum filia Hari Comitis. de colloquio inter Castellæ proceres actum eos, quib. præsens rerum status displicebat. quod caput erat, Henricus Castellæ Princeps ad societatem ineundã inuitatur. Nondum gratia cum patre redintegrata, Toletum is in potestatẽ redegerat à multitudine populari adiutus. prioris tumultus concitatores Principe agente intra templũ maximũ, quo se receperant capti. duo Toletani Canonici, ad Diui Torquati in custodiam missi, diuturno, atque grauissimo carcere (qualis in eo oppido est) macerandi. ne capite pœnas darent ordinis sanctitati datum. Marcus Garsia & Fernandus Auila per plateas tracti, atq; omnibus tormentis excruciati, ciuium oculis. in quorum fortunas impotenter grassati erant, gratum spectaculum interitu præbuerunt, facinorib. consentaneo. Mauri præcipua licentia, frequentib. excursionib. finitimum Bæticæ agrum vexare, incendere, diripere: ingentes prædæ actæ: ad ipsa Giennii & Hispalis suburbia peruentum. pudendam nostrorum ignominiam. Domestica rerum perturbatio vsque eo animos extulerat, vt Vasconi delectus in Aragonia habẽti polliceretur Rex barbarus: si alia parte Castellæ fines inuaderet, non dubitaturum se Cordubam admouere castra: neque cessaturum, nisi nobilissima vrbe in potestatem redacta. gratiæ legatis actæ pro ea voluntate: dilatum id tamen: siue quia nondum maturum erat: seu ne noua inuidia factioni accederet. Cluniæ in Areuacis, procerum conuentus fuit ad septimum kal. Augusti. affuerunt Marchiones Villenæ, atq; Sanctillanius, Hari Comes, Præfectus maris, Rodericus Manricus, qui se Diui Iacobi Magistrum ferebat. Henricum etiam Castellæ Principem interfuisse non nemo ait. Aluari importunitate Castellæ nobilitatem exiliis, carcere, bonorum spoliatione multatã conqueruntur. nunquam illum maiori apud Regem gratia & auctoritate fuisse. nisi in mutua societate aliquid præsidii sit, afflictis nullã spem: cæteris confirmata Aluari audacia, omnib. vnà pereundum. constitutum, vti ad Augustum dimidiatum pro se quisq;, quammaximas copias cogerent: atq; in Henrici Principis castra venirent. quæ etsi designato tempore ad Pennafielẽ in Vaccæis posita sunt: à procerib. tamẽ cuncta serius administrata. suus quẽq; timor retardabat, & conatus toties irriti memoria. neq; satis Henrico Principi fidebatur, parum in vno proposito constanti. Præterea Vasco reb. domesticis & Gallicis districtus vno tempore erat, Maulisonium munita in Aquitania arx Vasconis præsidio obtinebatur Magistro equitum præfecto, Angli Regis beneficium. eam arcem Fuxensis Comes validis copiis, in quib. duodecim millia peditum, equitũ tria millia erant, impugnandã suscepit. vallo & fossa circumdata, castris maximis septa, aggere, vineis, turrib. oppugnata. Vasco raptim delectu habito ad periculum accurrit. vtraq; castra patenti campo modico interuallo constituta. Inter generum & socerum colloquium habitũ est. sed vt obsidionem solueret, adduci Fuxensis Vasconis oratione non potuit: cùm ad fidẽ Gallo datã pertinere iudicaret, nisi re confecta, arceq; capta ab obsidione nõ discedere. ita Vascone in Hispaniam reuerso ab obsessis deditio facta est. præsidiũ incolume dimissum. Vasconis & procerum mora de re concilianda inter Henricum Principem & patrẽ gratia denuo actum. spe pacis conficiendæ dimissæ copiæ. Castellæ Rex in Vaccæis substitit. Henricus Princeps Toletum cum abiisset, inter faustas populi acclamationes tripudiaq; more gentis in vrbem exceptus, Petrum Sarmentũ, quoniam rapinis & iniuriis neq; finis, neq; modus erat, arcis præfectura atq; vrbana prætura spoliauit, principio anni M. quadringentesimi
1450 quinquagesimi, multum conquerentem fortunæ vices, Principisq; fidem implorãtem. Præda ingens, aulæa, peristromata, vestis pretiosa, vasa auro & argento grauia ducẽtis iumentis sarcinariis exportata: impudentissimum furtũ, certissimum peculatum. Inter frementis populi clamores, quæ iniustè erant ablata, vi extorquenda dictitãtis, euasit tamen data à Principe fide munitus. prædæ tamen pars in itinere intercepta. pars maxima ad Gumielem oppidum, vbi vxor & filii erant, iussu Regis occupata. Sarmẽtus ipse in Vascones abiit. venia postea data à Romano Pontifice, cum quo res communicata est, eius iussu cæteris bonis ablatis ad Bastidam, quod oppidum in Vlteriori Castella relictum modò erat, vitam exegit morbis grauissimis, timoriq; obnoxiam, rerum gestarum maculis turpẽ. In socios rapinarum grauior ira fuit. Variis in vrbib. capti, exquisitis cruciatib. perempti sunt. crudele exemplum: sed paucorũ calamitate, populi inuidia, numinis ira, religio tantorum scelerum, ignominiaq; expiata est: ac documentum cæteris datum, ne magistratum violenter & sordidè gerant.

Res

Res *Aragoniæ.* CAPVT X.

VIx Toletana vrbe pacata, nouus Segobiæ, quo se Hēricus Princeps retulit, tumultus concitatur. Paciechus, de quo crimine incertum, sed delatus tamen est dignum vinculis cōmisisse facinus. Petrus Portocarrerius, qui gratia Principis valere cœperat, index; adiutoribus Conchensi Episcopo, Ioanne Sylua Vexillifero regio, Pelagio Ribera Marescalo. Monent ii Principem vt omnem diligentiam ad dignitatem conseruandam adhibeat. vnde perspexisset fraudem paratam, in eum vteretur iure suo. pœnam de Paciecho sumptam, cæteris documento futuram, ne ingentia beneficia perfidia compensarēt. consilio approbato, vt caperetur decretum est. rei perficiēdæ haud facilis patebat via. Magnæ opes suppetebant reo: ipseq; cognita Principis ira, vrbis regione occupata, munitaq; vim propulsare parabat. ne pars cum parte pugnaret armis, vti Turueganum suæ ditionis oppidum concederet datum. Petro Portocarrerio conciliando opera data. gener factus filia Paciechi notha connubio iuncta. Metellinum amplum ad Anam flumen municipiū dos dicta. ea arte inimicorum potentia debilitata est: Principisq; offensa mitigari cœpta. Cum Aragoniis bellum erat haud magno conatu moleq;. fessæ vires magis, quàm dissidia sublata. Bordalua arx ad fines Regni de Aragoniis capta: rursusq; amissa. In Vasconem maior ira, nempe malorum omnium auctorem. opportuna vindicandi iniurias occasio. domi inter Vascones dissidiis enatis, pars Vianæ Principi suadebat, vti maternum regnum capesseret. patrem iniuriam ætati, iniuriam genti facere. ex externa gente regium nomen nullo iure occupare. magnorum motuum fundamenta ponebantur. Vasco Cæsaraugustæ erat: vbi conuentus Aragonii adulto vere habiti sunt. De quæsitoribus, quibus Præfectus Iustitiæ Aragonum quasi legatis vti consueuit, disceptatum. eorum munus certis legib. circumscriptum: ne concessa ad salutem potestate ad iniuriam abuterentur. Bona de quibus lis esset, penes sequestrum publicum deponi mandatum: ne iudicibus litium prorogandarum occasio essent, eorum arbitrio permissa, atq; in eorum relicta potestate. Alfonso Aragonio res Hispaniæ eatenus curæ erant, vt missis legationibus ad Principes, hortaretur ad pacem: si bellum esset in fratrem gentemq; propensior. alioqui obliuio patriæ cepisse videbatur: neq; vti in Hispaniam rediret adduci potuit, de ea re quamuis identidem appellatus. illecebræ omnis amœnitatis maritimæ terrestrisq;, in Italia detinebant: atque in nobilissima prouincia primum potentiæ & auctoritatis locum nactus. inter Hispanos in secundis, quod necessarium fore prouidebat, numerari recusabat. laborum fructus opima pax erat, famaq; nominis: qua inter sui temporis Principes celeberrimus fuit. vt finitimi longinquique eius amicitiam certatim expeterent, missis in eam rem honestissimis legationibus Græci maximè Principes Turcarum armis exagitati: qui feroces tantis victoriis, omni ex parte circumfusi vrgebant assidui atque formidabiles. nobilissimi imperii scilicet, appetebat interitus. ægra gentis spes vnius Constantinopolis munitione, amplitudineque stabat. præsidium id inualidum, atque imbecillum erat. Externa auxilia conquisita à Demetrio Palæologo (is Constantini Augusti frater erat Atticæ & Peloponnesi Princeps) missa ad Aragonium legatio. Si vires conferret, Turcici belli profligati amplas prouincias præmium futurum, idem ab Aranito factum Epiri Comite (Albaniam vulgus vocat.) Georgii Castrioti propter eximias viri virtutes, gloriamq; bellicam, legatio in eam rē missa prætermittenda non est: eaq; de illo Principe hoc loco dicenda quæ consequentibus commemorandis cognoscendisq; lucem afferant. Amurati Turcarum Principi datus fidei obses à patre Ioanne Castrioto in Epiri parte ea principatum obtinente, vbi olim Emathia fuit, à puero Mahumeticis sacris institutus Scanderberchius, hoc est Alexander vocitatus est. ætate confirmata id specimen præbuit, vt fortissimi Ducis in eo indoles appareret, in omni contentione atq; certamine æqualibus maior: procero compactoq; corpore, conspicua forma, animo magno, gloriæ appetentior quam voluptatum. Itaque eius ductu magnæ sæpe res breui confectæ. Patriæ inter hæc religionis amor incitabat, paternique principatus spes vrebat iniuria ablati. Insigni edito facinore transire ad nostros cogitanti, rei perficiendæ opportunitatem casus attulit. insigni ad flumen Morauam prælio à Ioanne Hunniade Turcis profligatis, Georgius fuga seruatus, literis nomine Imperatoris confictis, Croiam vrbem paternæ ditionis caput Præfecto decepto improuisus occupat: vrbes finitimas & oppida capit. Magnum Georgii facinus dolorem barbari Principis animo, magnam curam ingessit. literæ vltro citroque missæ. sublata spe voluntate quidquam facturum, Turcæ ad incendium accurrunt. multa prælia fuere, magnę sæpe hostium copiæ à paucis piis profligatæ. tantum in vnius viri virtute, præsidii rebus erat. Diui etiam locorum præsides aderant. qui enim humanis viribus & consilio

tamdiu ſuſtentare potuiſſent?inuictaſque barbarorũ copias toties ſuperare? Singula commemorare longum eſſet:nominis certè gloria veteres heroas exæquaſſe viſus eſt,& auſpicio nominis Scanderberchii,virtute haud diſſimili felicitateq́;. Vires exiguæ erant,& tantis conatibus impares. externa auxilia euocata ſunt. Veneti adiuncti: Romani Pontifices ad opem ferendam ſolicitati:ad Aragonium Regem Caietam,vbi ſe tenebat ineunte an-
1451 no M CCCC quinquageſimo primo legatio venit. Si milite & pecunia,in id bellum iuuaret,in eius fide futuram prouinciam,annuumq́; vectigal repræſentaturos cum fide,quod Turcarum Principibus pendere ſoliti erant. Benignum reſpõſum datum: præſtita etiam auxilia. ſed quantulum id erat, in tanta hoſtium potentia frementium tandiu bellum ea parte ſuſtentari? Fuit hic annus Hiſpaniæ maximè fauſtus.Iſabellæ Principis exortu: cui Caſtellæ imperium defunctis fratribus numina deſtinabant. vulnera maiorum ſocordia reipublicæ inflicta,animi magnitudine,& perpetua felicitate ſanatura (egregium Hiſpaniæ decus æternumq́;) ad nonum Kal.Maii Madrigale, vbi parentes erant, nata eſt. Alia parte Henricus maris Præfecti frater,quem captum ante tres annos,cum aliis proceribus diximus,è turri Langa,vbi prope Gormatium detinebatur,hoc aſtu aufugit. Monitis occultè ſuis quæ fieri vellet,nocte quadam veſtem in ſtrato ita componit,vt dormientis ſpeciem præberet pileolo nocturno impoſito: ſeq́; è conclaui ſubducens in ſummam turrim euaſit.Cuſtos de more conclaui luſtrato, dormire Henricum credens obſerata ſilẽtio ianua diſcedit. Ille quietis omnibus glomere fili euoluto, reſtim nodis diſtinctam à ſuis accipit:cuius ope librato corpore reptanſq́; manibus, & pedibus magno niſu,magno animi vigore incolumis euaſit,lætus ouanſq́; non minus felici temeritate quam recepta libertate.Friderico Cæſari per legatos expetenti Eleonora Luſitani Regis ſoror promiſſa cõiux. data ſponſalia Oliſipone quinto Idus Auguſti,die Lunæ.mox puella nauibus miſſa longa & difficili nauigatione Piſas,Senaſq́; in Hetruriam peruenit.

Bellum ciuile inter Vaſcones. CAP. XI.

NOuis fœderibus inter proceres,quod ictum erat fœdus,diſſipatum eſt. Vaſco præſidio nudatus domeſtico externoq́;. vtrunque Aluarus conſilio perfecit (cuius capiti omnis ea concitari cœpta tempeſtas minari videbatur) in periculo ſæpe ab ingenio præſidium petere ſolitus.quod antea ſæpe proſperè ceſſerat,nunc exitio fuit. ſuperi vix ſinũt fraudes impunè abire. eo tamen auctore, fœdere in ſpeciem cum Vaſcone facto, Præfecto maris,& Caſtri Comiti venia denuo data. reſtituta etiam ditionis oppida ſunt. Alfonſo Vaſconis filio Calatrauæ magiſterium promiſſum: neque venienti præſtitum tamen. cùm ſe Petrus Gironius & Almagrum in Oretanis milite & cõmeatu ad vim prohibendam comparaſſet. ergò re infecta in Aragoniam ſeſe referre compulſus eſt, ægrè ferente Vaſcone deluſum ſe fraude eſſe: idoneumq́; viſum, qui dolis circumueniretur. Acceſſit noua iniuria: Aluari conſilio Henricus Princeps patri conciliatus eſt.Præterea (qui grauiſſimus dolor fuit) belli flamma in Vaſconib.concitata diuturni,ciuilis,ſæuiſſimi hac de cauſa.ſciſſa eius gẽtis ſtudia ab antiquo erant in Beamontios Agramontioſq́; infauſta Vaſconib.nomina: ex Gallia quidẽ aduecta, nobiliſſimis tamẽ atq; adeo regia ſtirpe familiis affecta,Lerini Comitibus,Corteſijs Marchionibus,quæ capita duarũ factionũ erãt. Agramontii Vaſconis maieſtate tenebantur.ægrum Vianæ Principis animũ Beamontii ad ſumenda arma incitabant.iniuria interceptũ regnũ,bello vindicandum dictitare.diuinas & humanas leges à patre violatas.Si vires humanæ deeſſent,tamen æquiſſimam cauſam ſuperis curæ futuram.Cum Caſtellæ Galliæq́; Principib.ſocietas armorum conſtituta.Caſtellæ Principes affuturos ſe pollicentur,ſi modò palam moueantur arma.Tantundẽ pollicetur Gallus,omni Aquitania recepta de Anglis,finitimus opportunuſq́;. & erat per idẽ tempus Baiona in poteſtatẽ redacta,candida cruce in cælo ſub conflictum viſa. ſiue vera ſpecies fuit,quod nubium natura ferre poteſt, ſiue oculorũ ludibrium præſtigiæq́;, in omen verſum melioris deinde fortunæ.Crux rubra,quo bellico inſigni vti conſueuerant, Galli candida ex eo cruce mutata.nihil in continenti relictum Anglis præter Calitiũ,& ei contributum anguſtum agrum. Motis inter Vaſcones ciuili diſſidio armis oppida & vrbes, pars à Beamontiis occupata,Pompelo regni caput, Olitum, Ayuar municipium: In fide Regis multo plura manſere. nam tempeſtate prouiſa fidiſſimos quoſque rebus & præſidiis præfecerat: ſeq́; ad omnem occaſionem magna diligentia cõparauerat. Vianæ etiam principatus in poteſtatem redactus. Ab Henrico Caſtellæ Principe Stella munitum oppidum eſt impugnatum. eodem Rex pater appulit. intus Regina Vaſconum erat. Vaſco ſuarum rerum periculo permotus eo Cæſarauguſta citato abiit ad quartumdecimum kalend.Septembris.Exiguus comitatus erat,neque in Aragoniis ſatis virium ad motus prouinciæ compeſcendos. maiores delectus in Aragoniis habiturus, Cæſarauguſtam ipſe,

Caſtellæ

Caſtellæ Rex & filius quaſi bello confecto, Caroli Principis hortatu ſeſe Burgos retulere. Mite ingenium malo fuit. collectis à patre copiis, virtute magis & vſu pugnandi, quàm numero validis ad Ayuarem caſtra poſita, copia defenſorū & magnis operibus munitum oppidum. accurrit filius auxilio. caſtra iuxta poſita. acies ad pugnam productæ quinto Nonas Octobris. viris ſanctis inter vtroſq; commeantibus, quibus graue erat, ac deteſtandum videbantur propinquos & neceſſarios inter ſe confligere, filium aduerſum patrem, tentatum ſi reconciliata gratia conſenſu ponerentur arma. Carolus faciles aures præbebat, his modò conditionibus: Vt venia omnibus à patre eſſet, etiam Ludouico Beamontio Lerini Comiti equitū Magiſtro. Vianæ, principatus reſtitueretur. Regni vectigalium dimidium ipſi cederet: vnde vitam aulæq; cultum ſuſtentaret. Fœdus id conſenſu Caſtellæ Regis ſanciretur: vti iureiurando Carolus pactus erat. Ex his capitibus, quædam Vaſco tolerabat, reiiciebat alia. filius ſpe ferox, quoniam multitudine ſuperabat, pugnæ ſignum dat. Idem ab hoſtibus factū. concurrere acies. primum Vaſconis agmen loco pulſum. vnus Rodericus Rebolledus Vaſconis cubicularius cæteris fugatis, hoſtes ſe ferociter inferentes ſuſtinuit. eo virtutis exemplo reliquæ copiæ in pugnam inuectæ: ii etiam qui terga dederant, ignominiam fuga ſuſceptam virtute audaciaq; delere ſtudebant. eorum impetum aduerſarii non tulerunt, in fugam conuerſi, initio à Bæticis equitibus facto. collectitius exercitus par veterano non fuit. minor cædes quàm pro victoria. captiui multi. ipſe Vianæ Princeps circumfuſis omni ex parte hoſtib. periculo proximus, gladio, & chirotheca militari Alfonſo fratri traditis, deditionem fecit. Nobilis in paucis pugna, fœda initia, deteſtandi progreſſus, exitus miſerabilis. pugnantium cæſorumq; numerus memoriæ non eſt proditus: ac ne de prælii ordine auctores conſentiunt: ne de tempore quidem quo eſt factum, noſtrorum ſcriptorum pudenda ſocordia. Carolus Tafallæ primum, deinde Monroii ſeruari à patre iuſſus eſt. toto captiuitatis tempore infectis veneno cibis ne perimeretur formidaſſe, fama eſt: neque allata poſt conflictum bellaria attingere auſum, antequam frater guſtu exploraſſet. Lætus victoria Vaſco Cæſarauguſtam rediit. ſecuta eſt vxor, breuique prægnans facta eſt. neq; Beamontii poſuere arma, neq; demiſere animos. & Henricus Caſtellæ Princeps infenſus ſocero, illis auxilio accurrit. Præterea Aragonii proceres Caroli cauſæ fauere cæperant, & de eo liberando inter ſe conſilia inire. miſerabilis rerum conditio in Vaſconibus maxime. in agris vagabantur milites latrocinantium more: intra oppida factiones diſſidiaq; vigebāt: ex eo rixæ, pugnæ, cædes. In Bætica Maurorum audacia ad Arcobrigam caſtigata. equites ſexcenti, pedites octingēti ea parte prædatum inuecti, à minori noſtrorum numero, cæſi fugatiq; ſunt quinto Idus Februarii anno M CCCC quinquageſimo ſecundo. ductor Ioānes Pontius Arcobrigæ Comes, Marciæ 1452
ſeu Marchenæ regulus. Maior ei gēti clades proximo menſe in Cōteſtanis eſt illata. ſexcēti Mauri equites, pedites mille & quingenti ad Eliocrotam (noſtris Lorca eſt) in pugna ſuperati, præda etiam ingens ablata, quadraginta millia maioris minoriſque pecoris. noſtri trecenti equites erant, pedites ad duo millia: ductores Alfonſus Fagiardus Murciæ Antelatus, eiuſq; gener Garſias Manricus: præterea Dieghus Ribera Murciæ iuridicūdo Præfectus. ſic barbarorum conatus aliquandiu reſtiterunt: verſaq; fortuna partium eſt. Mauri à Rege Claudo alienati ad nouum imperium retulere animos. nihil præterea hoc anno memorabile accidit in Hiſpania: niſi quod Vaſconi Regi filius ſuſceptus eſt ſexto Idus Martii. Soſii, qui pagus ad Vaſconum & Aragoniæ fines eſt, ipſo itinere, quo ſe ad viſum Sangueſſa referebat, Reginam repentinus dolor partus inuaſit: fœtumque maturum excuſſit: cui nomen Ferdinando fuit: ampliſſima regna & immortalis gloria, ob res præclarè geſtas bello, paceq;. Senis Fridericus Cæſar, & Eleonora ſponſa conuenerunt. Repetita ſponſalia. cæremoniæ antiſtes Æneas Syluius, Principis gratia, & eruditionis fama nobilis. Nuptiæ Romæ ex ritu Chriſtiano ſacratæ, ab ipſo Pontifice: de cuius etiam manu ſunt coronati. Feſta nuptialia Neapoli celeberrimo poſt hominum memoriam apparatu celebrata ſunt. noua in ea vrbe nupta ex ſponſa coniux eſt facta.

Aluarus Luna captus. CAPVT XII.

IMmerito rerum humanarum inconſtantiam mortales accuſant: quaſi fluxæ, caducæ, incertæ paruo momento in contraria vertantur, temeritateque potius fortunæ, quàm certo conſilio regantur. cùm contra vitia & mores accuſandi eſſent: quæ prauos homines in præceps ſæpe agunt. Quid enim mirum ſi inerti iuuenta ſenectutem egeſtas premit? ſi luxu gulaq; maiorum opes effunduntur, pereuntq;? Si poteſtas ſordidè habita

aufertur? si superbiam inuidia sequitur, certaq; pernicies? Nimirum vera rerum vocabula amissa sunt. aliena largiri, sua prodigere liberalitas vocatur. temeritas in laude ponitur, præsertim euentu secundo confirmata: ambitio decori ducitur: impotēs dominatus, atque violentus seueritatis nomen induit. Rarò à moribus fortuna discrepat. nos inepti rerum æstimatores alienas infelicitatis causas perscrutamur: quæ latent sæpe, nonnullæ tamen existunt. Hæc præfari volui, funestum Aluari Lunæ exitū scripturus. Ab humili ducta fortuna ad summum peruenerat, in præceps ambitio dedit. Bona inerant in natura moribusq;, inerant mala: vtra magis euentus indicat. ardens ingeniū, perspicax iudicium, aptus sermo & cum aculeo facetus, quadam tantùm hæsitantia tardior, profunda calliditas, atq; simulatio, audacia, superbia, ambitio: ex quibus atque ex fraude, compositus videbatur. corpus exiguum, sed firmum, & bellicis laboribus idoneum: facies minuta, venusta tamen cum dignitateq;. hæc à primis annis suscepta, confirmauit ætas, auxitq;. Accessit contemptus hominum, commune potentium malum, aditus difficiles. ætatis flexu ira peruicacior fuit. quasi fera in cauea petita iaculis, deinde emissa, inimicorum odio exacerbatus, impotensq; successu, quas non strages dedit vindictæ studio ardens? His moribus non corruisse mirum est, sed tandiu perstitisse pudendum. Sępe antea occultis criminationib. de maiestate postulatus fuerat, tanquam ingentes opes supra fortunam, supraq; conditionem nactus augere non desisteret. euersa nobilitate graue etiam imperium in Regem exerceret. Nihil illi ad regnum præter nomen deesse. studia ciuium habere, munitissimas arces: auri & argenti immensam vim: exhaustum esse publicum ærarium. Vera esse, quæ obiiciebantur Rex non ignorabat: sępe etiam apud Reginam de iniuria ignominiaq; conquestus erat, cum aliis communicare non ausus, libera etiam gemitus sublata facultate. Euertendi hominis opportunitatem exoptatus casus attulit. Petrus Stunica Placentię Comes, se Begiare ditionis oppido continebat, publico in ea temporum colluuione abstinens. id Aluarus odium interpretatus, eius perniciem molitur. Garsias Albani filius è Petrafita, quæ arx vicinis locis sita est, prædas agere non desistebat, paternæ iniuriæ, quoniam vinctus tenebatur, vindex. Aluarus eius obsidendi consilium dat, improuiso etiam Placentiæ Comitem occupaturus. Sic animus erat, numina, quod parabat aliis exitium, in eius caput verterunt. fraus fraude petita. Hari Comes, Santillanius Marchio Placentiæ Comitis suasu, facta conspiratione in Aluari necem coniurant. quingenti equites missi Vallisoletum sunt: (quò Rex Burgis venerat in Bellum intentus, quod inter Vascones gerebatur) incautum Aluarum oppressuri. tametsi alia species erat Beneuentano opitulādi aduersus Petrum Osorium Trastamaræ Comitē, cum quo dissidium erat. Procerum consilio indicato Burgos auctore Aluaro reditum. quod saluti fore credebatur, maturauit exitum. Arcem eius vrbis Enecus Stunica obtinebat. Eneci frater Placētiæ Comes cum præsidio militari hostem vt opprimeret euocatur, quò res occultior esset legata abs Regina ad auunculum, Ribadei Comite principe fœmina prudentiq;. In Casses Aluarum incidisse: irretitumque teneri. omnium telis quasi feram petendum: communesq; iniurias vindicandas eius interitu. Neruis æger Comes venire non potuit. Aluarus filius missus, dum Curiele oppido Burgis vicino euocat equites, Aluarum Lunā Rex monet, vti in ditionem discedat: quanta inuidia flagret nō ignorare. sibi in animo esse, procerum consilio rempublicam gerere. consilii nimirum suscepti pœnitentia subierat: aut rei exitum formidabat. Recusat ille nisi Toletano Archiepiscopo euocato: quem pro se vicarium substituere cogitabat. præterea Regis ex sermone (neq; enim temere fuisse putabat) odoratus insidias nouū facinus designauit. Deus illi mētem eripuit. Alfonsum Biuerum, qui Regi à consiliis erat, domi obtruncat, atq; è cancellis in subiectum fluuiū præcipitem dat, nihil tēporis sanctitate motus tertio Kal. Aprilis, ipso die Veneris Christi cruciatuum memoria sacro, salutis anno M CCCC quinquagesimo tertio. Extrusus cōtinuò qui Alua-
1453 ri Stunicæ aduentū vrgeret. Præcessit is obuoluto capite. Sequebantur modicis interuallis octoginta equites. ad arcem noctu ciues quidā euocati, monitiq; vti cū armis vrbis plateas obsiderēt. Rumores tota vrbe iactati Aluaro proxima luce parari vincula: nemo tamē renunciat. stupor animos occupauerat. vnus è familia Gotor, denunciato periculo, vt nocte in suburbanum hospitium se subduceret hortatur: salutaria monenti nō paret. Variis consiliis agitatus, quod probaret non habebat. quò enim se reciperet? vbi lateret? cui salutem crederet, vrbanis auxiliis infidis, longinquis arcibus, quas habebat fortissimas? Gotore ablegato, rei euentum expectare constituit. Si verum fateri conuenit, quoniam sibi confidebat, contemnebat hostes: vtrunque in periculo nimium, exitialeque malum. Rebus comparatis Nonis Aprilis, cùm dies Iouis lucesceret, ædes Petri Carthagenæ, vbi Aluarus Luna erat, armati obsident. vim adhibere non est visum, nonnullis quamuis

militibus

militibus è fenestris ædium vulneratis. Internunciis commeantibus, quod necesse erat, Aluarus Luna deditionem facit syngrapha à Rege missa: nihil eum per iniuriam passurum. speciosa verba rebus vacua. In eisdem ædibus custodiæ mandatus, Abulensem Episcopum è fenestra conspicatus Regis lateri adhærentem (nam eisdem ædibus pransurus sacris operatus veniebat) apprehenso mento suo: Pœnas, inquit, sacrificule huius nostræ iniuriæ dabis. ad quem ille: Deum testor, respondit, nullam me huius consilii partem fuisse. nondum domita malis Aluari ferocia erat. Peracto prandio, remotisq; mensis, cũ Regis conueniendi potestas facta vincto non esset, codicillũ in hanc sententiã mittit. Quintus & quadragesimus annus, Rex est, ex quo in tuis obsequiis sum. De præmiis non queror. maiora meritis, maiora expectatione fuerunt: non negabo. vnum felicitati meæ defuit, tantæ fortunæ tempestiua moderatio. Dum otio, quod magnorum virorum exemplo petendum fuit, negotium præfero à me debitum, tibi vt putabam, necessariũ, in hanc incidi calamitatem. Eripi libertatem, quam tibi non semel vt redderem magnis periculis vitam & fortunas obieci, graue est. Plura dicere dolor prohibet. Multis meis peccatis numina irritata certo scio. his malis si placantur, satis habeam. Opes vltra sustinere non possum: quarum tantam copiam in me cumulasse malo fuit. iis libens cederem nisi in tua potestate omnia essent, erepta nobis facultate hominibus probandi, eum ad summa euexisse te, qui res humanas vt parare, sic possit contemnere: atque vnde acceperit resignare. Illud obtestor, vt quoniam ærarii inopia inductus, vnde minime debui, decem aut duodecim millia aureorum redegi, quæ in loculis seruantur, ea reddi quibus sunt ablata cum fide facias. Hoc si nostris officiis qualiacunque fuerũt, non impetro: æquitati postulati concedere necessarium arbitror. Ad hæc Rex: Quod de obsequio & præmiis diceret, non negare, maiora tulisse, quam ab vllo Rege, aut Imperatore ab vlla memoria priuato contigissent. Eius causa ereptam sibi libertatem, eo adiutore redditam, non minus mereri vituperationis, quam laudis. Regiæ inopiæ ab eo potissimum factæ, suis copiis opitulari æquius futurum fuisse, quam aliena iniuria, se tamen ex eius bonis, iis qui damna pertulerant, facturum satis. maiore in eo conscientiæ ratione habita quam iniuriarum. Mirum est, in tanto numero eorum, qui Aluari beneficiis obstricti erant, nullum in periculo ad præsidium accurrisse. Verum miseros studia destituunt, cum aulæ gratia in contrarium circumacta. Tanti hominis supplicio Hispanis annum insignem, vniuerso orbi Christiano luctuosum reddidit, vrbis Constantinopolis casus, à Turcis vi captæ. Mahomad gentis Imperator multis de nostra gente victoriis insolens, cæteris circum vrbibus & oppidis in Thracia captis, ad Constantinopolim castra posuit. Mari terraque vrbs nobilissima dies quatuor & quinquaginta omnibus operibus impugnata. A Lõgo Iustiniano Genuensi aditus in vrbem hostibus est patefactus ad quartum kalendas Iunii. A quibusdam superior annus falso haud dubium & per errorem designatur, Pentecostis feria secunda, de die mensis non discrepantibus. Omnia barbaræ crudelitatis exempla in miseros edita, nullo sexus aut ætatis discrimine. Horret animus gentis ærumnas, nostram ignominiam meminisse, florentissimi quondam imperii opes momento temporis euersæ. violatæ fidei, quam in Concilio Florentino Ioannes Palæologus Imperator dederat, consentanea merces fuit. Frater Constantinus, qui in imperio successerat, ne ludibrio maiestas esset, cum hostes videret irrumpere, posito paludamento, inter confertos pugnans occubuit, turpi seruituti honestam mortem præferens. id vnum virtutis specimen præbuit. eius fratres Demetrium & Thomam ad maiorem ignominiam fortuna, Deus verius, seruauit. Perculit ea res, vt par erat, piorum toto orbe animos, intempestiuæ lacrymæ erant, post acceptam cladem. Ex eo vrbs illa Turcici imperii sedes, domiciliumque fuit, suis copiis & nostris malis nobilis atque præclara. Carolo Vianæ Principi, Cæsaraugustam deductos agentibus Aragoniis cum patre reconciliata gratia, libertas est reddita decimo Kal. Iulii, Icti fœderis caput fuit. Vt ipse in patris potestate esset. Ex vrbibus & arcibus, quæ in eius fide erant, præsidia deducerentur. Fidei obsides dati Ludouicus Beamontius Lerini Comes equitum Magister, eiusque filii, aliique Vascones viri primarii, breuis lætitia fuit, noui motus sunt breui concitati, paterna auiditate filii impatientia, respublica diu iactata.

Aluari Lunæ supplicium. CAP. XIII.

VNo tempore à Rege Castellæ Aluari oppida, & thesauri occupabantur, ipse è vinculis causam dicere est compulsus: quæ bona esse non poterat, aduersum Regem tantis præsertim iniuriis exacerbatum. Dati iudices, maiestatis damnarunt. Portilio, quo deductus erat, Vallisoletum relatus, pœnitentiaq; & eucharistia procuratus, ad supplicii locum mula vectus est per plateas, voce præconis sententiæ summam de more incla-

mantis,his verbis:Hoc supplicium huic crudeli tyranno abs Rege esto. Quod præcipiti temeritate & amentia cum regiæ maiestatis diuinæ in terris vicariæ sugillatione, aula in potestatem redacta, rep.que vniuersa ad arbitrium reuocata.Supra conditionem,supraque priuati hominis modum elatus superbia, in Deum, Regemq; contempta regia maiestate, regii patrimonii magna iactura,fœda iudiciorum perturbatione,ea crimina, flagitia,maleficia,peculatus perpetrauit,pro quibus securi subiicitur: vt diuina regiaq; vindicta sancita vnius supplicio,cæteris documentum detur similis audaciæ vitandæ. Sic qui deliquit,pœnas dato.In medio foro suggestus erat amplus,cruxq; in eo, & geminæ faces accensæ tapete substrato.eo conscenso,crucem veneratus aliquotq; passibus confectis,amanuensi puero signatorium annulum,galerumq; dat.Hæc inquiens,postrema à me munera habe.Ingens pueri ploratus,circumstantium gemitus consecutus est.variæ rerum imagines mentibus occurrebant. proximæ fœlicitatis cum præsenti fortuna comparatio, inimicis etiam excusserat lacrymas.Aderat Barrasa Henrici Principis stabulo Præfectus. Huic ad se vocato.Vade,inquit,Principi ex me dicito,famulis gratificandis ne Regis hoc exemplum sequatur.Erat vncus ferreus sublimi ligno cõfixus. rogat carnificem ecquem in vsum paratus esset?Seiunctum,ille,à trunco vti imponatur caput.Post mortem,subdit Aluarus,de corpore vt libet,facito.viro forti mors turpis esse non potest: neque immatura tantis honoribus defuncto.Hæc dixit: simul diloricatis tunicis intrepidè securi caput subiecit,tertio Nonas Iulii, vir verè magnus, ipsaq; fortunæ varietate admirandus. Triginta circiter annos ita in aula dominatus est, vt nihil neq; maioris neq; minoris rei, nisi eo arbitro gereretur: ne vestes quidem Rex, aut tibi genus, aut aulæ ministeria, nisi eius voluntate mutabat.Sed exemplo tamen calamitatis,monendi sunt aulici,vt amari à Principibus quam metui malint: qui metus domini exitium serui est: & fata vix sinunt superbos famulos feliciter mori.Alfonsus Spina monachus Franciscanus morienti affuit.is qui fortalitium fidei edidit,splendido titulo, voce barbara, eruditum opus & diuinarum rerum cognitione præstanti. Truncus tribus diebus in suggestu relictus pelui iuxta posita, ad stipem colligendam,qua sepeliretur homo paulo ante Regibus potentia exæquandus. sic res humanæ variant.In Diui Andreæ vbi cæteri supplicio affecti,sepultus est. inde in Diui Francisci translatus intra idem oppidum.annis consequentibus in templum Toletanum,instaurato ab amicis funere,Regum permissu.Vulgo fertur, consulenti vatẽ Aluaro prædictum,Cadahalsum exitio fore. eum, quod ad suggestum referre debuisset (id ea vox Hispanis significat) oppidum interpretatum illo in Carpetanis nomine,suũ quam uis per totam vitam vitasse.Nos hæc,vt vana,parum curanda putabamus. Ad Scalonam regia castra erant.id oppidum post Aluari exitum,deditum ea conditione ab vxore est:vt viri thesauri æquis partibus ipsa,& Rex partirentur.cætera omnia fisco addicta. Ioannes Luna Aluari filius, Sancti Stephani oppidum à patre datum retinuit. huius filia nupta Diego Paciecho cum Villena paternum comitatum iunxit. filia altera iusta Aluaro fuit Ioanna nomine. ex impari matre Petrus Luna Fontidoniæ regulus: filiaq; vxor Ioannis Lunæ propinqui, Soriæ vrbis præfecti. De Aluari casu hactenus. Ab Ismaele Mauro,quẽ annis superioribus ad Mauros abs Rege remissum fuisse monstratum est, factionis opib. nostrisq; auxiliis confirmato,Rex Claudus patruelis regno spoliatus est:quo tẽpore non traditur: de facto nemo dubitat.acceptæ superiori anno calamitates studia gentis auerterant,alioqui nimium in Principum mutationem pronæ.Ismael regno suscepto, fide erga nostros haud diuturna fuit:in tenui fortuna benignus amicusq;, post victoriam accepti beneficii immemor.In Lusitania nummi aurei recens percussi cum primis probi, cruciati ex eo dicti,quòd per idem tempus venia concessa Lusitanis est:quicunque cruce insigni aduersus Christiani nominis hostes, pro religione arma sumerent. Aluarus Gonsaluus Lameci Episcopus, eam veniam à Romano Pontifice Nicolao quinto abstulit, vir in ea gente clarus prudentia, doctrinæ opinione præstanti.

Castellæ Rex obiit. CAPVT XIV.

SVblatus Aluarus Luna, neque rerum conditio tamen magnopere in Castella mutata. Regi quidem propositum erat,si diuturnior vita contigisset,rempublicam per se gerere adhibitis in consilium Conchensi Episcopo, & Guadalupeo Priore Gonsaluo Illescas viris ea ætate integerrimis sanctisq;: iis adiutoribus incommoda accepta maioribus com modis sanare: summæ diligentiæ summam imperii seueritatem addere: quæ sæpe inani specie clementiæ salubrior est.Itaque vtrumq; Abulam eo consilio euocauit:quo Scalona discesserat. Octo millia equitum ad continendam in pace prouinciam, externã vim prohiben-

prohibendam ordinariis ſtipendiis alere cogitabat. Regia vectigalia ſingulis vrbibus exigenda tradere, toto genere mancipum & publicanorum amoto: quoniam omnes vias pecuniæ norunt, & pecuniæ cauſa ingentes fraudes ſuſcipiunt. Cœperant Luſitani extima Africæ littora anniuerſariis nauigationibus tentare: aperireque, longiſſimo tractu vſque ad Bonæ ſpei promontorium: quod litoribus vtrinque in cuſpidem extenuatis, vltra mediam cęli plagam triginta quinque gradibus porrectum eſt. vnde genti magnę opes acceſſere, gloria par. Henricus Luſitani patruus cognitis aſtrorum conuerſionibus, cuius rei peritiſſimus erat, & in ſtudium incitatus, Chriſtianæ religionis amplificandæ, auctor primus extitit. quo nomine immortalem laudem habeat neceſſe eſt. Caſtellæ Rex ea Africæ litora ad ſuum ius pertinere exiſtimabat: neque interceptum à Luſitanis iri, paſſurum. legatus de ea re Ioannes Guſmanius, ni mutarent minas addidit: bellũ ſæuiſſimum finibus illaturos. à Luſitano mite reſponſum datum. Putare ſe nihil contra ius factum eſſe: atque fidere, niſi re diiudicata Caſtellæ Regem haud moturũ arma. Medinam is Campeſtrem & Valliſoletum abierat, ſi mutato cœlo morbum pelleret, quo lento ſed diuturno cœperat laborare. Vno tempore Ioannes Guſmanius è Luſitania cũ eo reſponſo rediit: & Aragoniæ Regina ſpe Principes Hiſpaniæ facta pace inter ſe conciliandi, Valliſoletum appulſa eſt. Inanis conatus non fuit, Regina rem ſuſceptam magna cura adminiſtrante, cunctis fere Hiſpaniæ prouinciis diuturno bello feſſis, exhauſtiſque. etſi noua offenſionis occaſio extiterat. Blanca ab Hẽrico Principe repudiata remiſſaque ad patrem eſt, quaſi maleficio, ſacriſque magicis veneris vſu prohibita. is erat prętextus: re alienæ culpæ pœnas direpto coniugio dedit, viro præpoſteræ libidinis auido, (quod ſæpe vitium caſtigare pater conatus erat,) conceſſæ neque cupido neque potenti præſertim vitiandis virginibus. ſic conſtans opinio fuit, multis argumentis confirmata. A Ludouico Acunio Segobienſis Eccleſiæ Cardinale Ioanne Ceruante Adminiſtratore, diuortii ſententia pronunciata primum: confirmata deinde ab Archiepiſcopo Toletano, Nicolai Põtificis permiſſu, datis ad eum literis ea de re, non ſine admiratione orbis terrarum, dimiſſa Blanca, neque Henrici toro (quod fuiſſet conſentaneum) diu cælibe. Caſtellæ Rex noua prole eſt auctus, Reginæ ad Tordeſillam partu menſis Decẽbris die ſeptimodecimo. Alfonſo illi nomen fuit: neque vltra adoleſcentiæ annos vixit, belli cauſa grauis & diuturni prouincialibus, magis quã dux aut auctor futurus. vti rerũ euentus declarabit. Aragoniæ Regina annitente, Caſtellæ & Aragoniæ arma vt ponerentur mandatum: idem de Vaſconibus conſtitutum patre filioque, dum ſtabilis pax æquis conditionibus ſanciretur. in eam rem proximi anni induciæ conceſſæ. rem prope confectam Regis Caſtellæ obitus moratus eſt. Ingraueſcente valetudine, ſacris omnibus procuratus, Valliſoleti deceſſit ad tertiumdecimum kal. Auguſti eius ſeculi anno quinquageſimo quarto. Corpus in Burgenſi cœnobio, quod à patre extructum, Carthuſianis ipſe monachis dederat, vt tumularetur teſtamento cauit. Extemporale ſepulchrum in Diui Pauli Valliſoleti paratum. funus magnificè factum. iuſta exequiarum per oppida & orbes perſoluta. Ipſa etiam vrbe Neapoli menſe proximo. vbi inter atratam cohortem & luctus vnus Venetus legatus in oſtro põpę funerabili interfuit. Inſolenti ſpectaculo lacrymæ riſu mutatæ. accẽſis tamen funalibus lignei tumuli, quod in medio templo ad funus peragendum dandas inferias extructum erat, magna pars arſit. Alfonſo Infanti nuper nato Sancti Iacobi militia commendata à patre teſtamento eſt, idem præterea Magiſter equitum renunciatus. vtrũque in Aluari locum. tutores deſignati Conchenſis Epiſcopus, Prior Guadalupeus, Padillia Cubicularius. eum ne regni ſucceſſorem nuncuparet imbecilla ætas tenuit, & maiorum motuum metus. cogitaſſe ſatis conſtat. Iſabellæ Cuellarem oppidum legauit, ingenſque auri pondus. Reginæ coniugi Soriam, Areualum, Madrigalem: vnde vitam principalem, viduitatis incommoda ſuſtentaret.

1454.

Henricus Rex Caſtellæ renunciatur. CAPVT XV.

Regis obitu Caſtellæ res in Henricum filium, vt erat neceſſe, translatæ ſunt. in cõuentu procerum, quorum pars aderat, alii ad rei famam confluxerãt, quarto poſt die infulis, & cæteris regni inſignibus exornatus eſt. Albę, & Treuigni Comitibus libertas continuo data: quod inaugurationis lætitiam vehementer auxit. cęteri proceres, qui capti fuerunt, alius alia cauſa euentuve fuerant antea liberati. paternæ aulæ miniſtri omnes retenti ſunt. de Hiſpaniæ pace denuo agi cœptum abs Regina Aragoniæ, penes quam viro & Vaſcone deferentibus, decernendi poteſtas erat. Hæ conditiones ſcriptæ, Vaſco, Alfonſus filius, Henricus Henrici Aragonii filius, iis oppidis & honoribus, quæ in Caſtel-

la erant, abscedunto. Pro iis designatum auri pondus quotannis Castellæ Rex cum fide pendito. Præfecto maris, Henrico eius fratri, Ioanni Touario Valeranicæ regulo, ceterisque Vasconis partes secuti, potestas esto in patriam ditionemque redeundi. Castri Comes Diegus Sandoualius extinctus erat, atque Borgiæ tumulatus. præmium fidei cultæ erga Aragonios fuit Dianium & Lerma in Valentino agro, atque vlteriori Castella: quæ oppida Ferdinando filio reliquit. Is cum paucis è coniuratis exceptus est, ne in Castellam rediret, nisi à nouo Rege prius facultate impetrata. Sancitum præterea, vt arces ad fines Castellæ & Aragoniæ belli tempore captæ, ab vtraque parte restituerētur. Atiensa quindecim florenorum millibus de Vascone redempta, aliquanto post tentatum, si bellum Vasconum pace mutaretur. minor spes erat, prouentus nullus, quoniam maioribus odiis gerebatur, quippe inter filium & patrē. quo maior necessitudo eo simultas grauior. Dum fœderis conditiones Principum, quorum intererat, consensu firmantur, in annum proximum induciæ prorogatæ. His rebus constitutis, Regina quidem in Aragoniam sese retulit: Villenę Marchio sine riuali gratia noui Castellæ Regis & opibus validus, Ferrerius. Nusa Reginę Aragonię Comes antea datus, Ioannes Beamōtius Ludouici Magistri equitum in Vasconibus frater, tres hi trium Principum legati, Henrici, Vasconis, Caroli
1455 Agredam conuenere, ineunte anno M cccc quinquagesimo quinto. Loci commoditas inuitabat: quoniam ad fines Vasconum & Aragonię in Castella situm est, vt colloquio deligeretur: & Henrici maiestati datum, in cuius ditione erat. parum profectum fœderis conditionibus nondum a Vascone & sociis consensu firmatis, occultis Paciechi artibus inter patrem & filium impedita pace, formidantis, ne rebus tranquillis minus ipsi potentię & auctoritatis esset. Inducię modo ad mensem Aprilē partium consensu continuatę. spes concepta prouincialium animis breui euanuit. res communes, quasi turbato ventis mari sęuaque procella inflatis fluctibus cum agitatur nauis, viro & gubernatore opus habebant: quod vnum maxime deerat, Nouus Rex socordia patri persimilis, neque impendentia mala considerare: neque satis animo prouidere tempestates. Ardenti quidem erat ingenio, pusillo tamen, oppletoq; fœditate. reipublicę curę grauissimæ. Paciechus rerum arbiter, cautior Aluaro modestiorque, an felicior, nam ad vitę finem perstitit. Caput Regi magnum, lata frons, cęsii oculi, nasus non natura sed casu simus, cęsaries subflaua, vultus rubedinem fuscedo temperabat: toruus aspectus ac ferus, statura procera, crura oblonga, forma non indecora, totius corporis habitus firmus, vereque militaris. venationis & musices pręcipuum studium. cultus moderatus, aqua potus, cibus nimius, mores dissoluti, atque omnibus turpitudinum maculis vita deformis. quibus rebus corpus labefactatum, atque morbis obnoxium fuit. nulla actionum constantia. Liberalis illi atque Impotentis cognomina vulgo affixa sunt: alterum naturę vitio, alterius causa profusa liberalitas extitit: prorsus vt donandis oppidis, pro fundendis sine iudicio, eoque nulla gratia, quos auide congesserat, thesauris maiores omnes superasse videretur, imperii etiam maiestatem imminuisse, vires debilitasse, alieni appetens, sui prodigus. Data beneficia obliuisci: accepta recordari: eaque properantius compensare quam ęs mutuum. Mitis sermo atque comis fuit: quosuis benigne appellare. clementia nimia, quę nisi seueritate astringatur non minora sępe mala, quam crudelitas affert. Legum contemptus, impunitatis spes prauorum audaciam alit, atque confirmat. hac morū varietate factum, nulla vt tempora turbulentiora extiterint, quam Henrici regno, quod annorum viginti fuit, mensium quatuor, dierum duorum. Prudentia non magis ad ciues in pace regendos defuit, quam intestinis regni motibus pacandis.

Pax Italiæ. CAPVT XVI.

MOta in Italia arma ante tres annos hac occasione erant. Francisco Sfortię post Mediolanenses subactos, imperii partem, quę ad Abduam est, repetenti de Venetis, & quoniam non reddebatur, bellum meditanti, Florentini fauere cęperant occulta armorum societate constituta. id ęgre Venetis fuit. Florentini omnes finibus commercioque prohibiti. Leonelli Ferrariensis Marchionis opera, Aragonius ad socianda arma impulsus: si Florentinis in suis sedibus bellum inferret, Sfortiam iniurię fore opportunum. facto fœdere Guillelmus quidem Monferratus Aragoniis stipendiis in Alexandrię fines immissus est, cum quatuor equitum millibus, duobus peditum. Ferdinandus Aragonii filius Calabrię Dux (trinę iam prolis pater, Alfonsi, Friderici, Eleonorę) quo maior esset auctoritas, maiorque hostibus terror, in Florentinos amandatur. adiuncti sex millia equites, pedites duo millia: nobiles Duces copiarum Neapolio Vrsinus atque Vrbini Comes.

In

In Cortonę Aretiique fines impetus factus. vastatus ager, direpti; incensique pagi sunt. Foianum oppidum expugnatum. Astor Fauentinus, qui primus opem Florẽtinis laturus eorum inuitatu accurrerat, acie victus. nonnullæ præterea eo tractu arces occupatæ. alia parte Vadum in agro Volaterrano Antonius Olzina de hostibus ceperat: finitimosque agros vexare incursionibus non desistebat. In Insubribus bellum non minori conatu administratum est. Renatus Andegauensis à Francisco Sfortia ex Gallia euocatus, spe facta, Cisalpino bello confecto communibus armis regnum Neapolitanum pulsis Aragoniis recuperandi, à Sabaudo atque Monferrato Alpium aditu insesso Venetorum hortatu, ipse binis nauibus Genuam appulsus est. exiguo comitatu deformi aulæ cultu, contemptui esse cœpit. Paruæ sæpe res magnarum momentum afferunt. A Ludouico Delphino, qui postea Rex Galliæ fuit, eo nomine vndecimus, copiæ terrestri itinere Astam vsque perductę. Gallorum alacritas cum qua expeditionem susceperat, breui consenuit. tribus exactis mensibus, de causa non constat, sed repente se se in Galliam retulerunt, Renatum accusantibus sociis, imperioque ineptum iudicantibus. venerat in periculum summa rerum. Insubres, & Florentini à sociis deserti, impares hostibus fore videbantur. Aliena calamitas saluti fuit. Constantinopolis amissę nuncius, famaque animos ad concordiam reuocare cœpit. nam barbarus victoria insolens factus, de Italia cogitare, propemodum affore nunciabatur. metus ab intestina discordia reuocauit animos. Simone Camerino Augustiniano monacho, viro prudente, magis quam erudito, vltro citroque commeante pax inter Venetos, Insubres, & Florentinos æquis conditionib. ad Laudum oppidum facta erat, proximo superiori anno ad quintum Idus Aprilis. Societas armorum adiecta Venetiis tertio kal. Septembris. Vtrunque Aragonio ægre fuit, se inscio fœdus factum, Venetorum inconstantia atque infidelitate (sic ille putabat.) Ferdinandus filius Neapolim reuocatur. Tanto Rege placando, in quo certissimum præsidium fore rebus credebatur, opera data. à Venetis, Insubribus, & Florentinis oratores missi, qui fœdus festinatum excusarent, viri pręstantes. Celeritate opus fuisse: ipsi locum relictum: ac vero primas partes datas. Siquid offensum esset, publicæ vtilitati, atque saluti Italiæ priuatam iniuriam, vti facere consueuisset, condonaret. A Nicolao Pontifice Dominicus Capranicus Cardinalis Firmanus præcipua probitatis, pietatis, modestiæque opinione, innocentia, atque doctrina singulari, quo maior esset auctoritas, aliis oratoribus adiunctus Caietæ, quo Rex venit, sociis sacratæ dignitati deferentibus, remotis arbitris hac sententia orationem habuit. Rem facilem vltroque tibi expetendam ad te, Rex, oratum venimus: pacem societatemque tibi honorificam, hoc tempore necessariam. Quo vniuersum Christianum orbem ingens ex præterito luctus, maior in futurum metus occupauit. Nostra cessatione (ferme dixerim socordia, amentiaque) grauissima plaga, maior ignominia accepta est. Sit semel peccasse satis. sit errantibus medicina, mala esse passos. Quæ acta sunt redargui magis, quam mutari possunt: ea pessima malorum præteritorum conditio est. Sed dum priuatas tamen cupiditates publicis cõmodis potiores ducimus, dum mutuis dissidiis digladiamur, nulla pietatis, nulla religionis cura, alter Christianæ reipublicæ oculus lumenque extinctum est. quanto hęc cum dolore loquor. sed vltro tamen manantes lacrymas, motumq; animi tenere necesse est, dum cætera differo. Incommoda sane intestinis dissidiis accepta, concordia publica sananda sunt, aut hæc, aut nulla faciendæ medicinæ via est, in tam recenti vulnere publico priuatoque. In nostris ruinis atrox Christiani nominis hostis ferus ac barbarus insultat. Orientis prouincias vastauit, diripuit, incendit: ipsa Constantinopolis lux orbis terrarum, atque arx, subito vno incendio concidit. Versatur ante oculos tristis eius diei imago, & furor gentis in ciuium cæde bacchantis. matrum familias captiuitas, fuga puerorum, sacratum virginũ vexatio, violata tẽplorum sanctitas. horret animus tantæ cladis cõmemoratione. Cõstrata classibus maria sunt. Aegeum mare conclusum nauibus nostris. Orientis commercio prohibemur. Quæ si vehementer videntur, vt sunt, misera atque miseranda, debent animos nostros ad sumendam vindictam concitare. Sed quid vindictam expetamus alienę iniuriæ? de patria, de libertate laborandum. neque enim eatenus resistit furor. de Italia meditantur: Romam caput ac sedem religionis in potestatem redigere satagunt. Proh scelus audaciamque intolerandã. Manabit, mihi credite, malum, non solum per Italiam, verum etiam transcendet Alpes obscure serpens: reliquas Occidentis prouincias, nisi resistitis, occupabit. Paruum quiddam instar eorum quæ sæpe ac vasto animo conceperunt, euersum Græcorum imperium est. id agunt, moliunturque vt oppressis omnibus è piorum natione, nemo ne ad deplorandum quidem rei Christianæ nomen, atque ad lamentandum communem calamitatem relinquatur. Scythę, Syri, Afri, gentes militum nume-

ro; corporum robore, & bellandi vſu formidabiles hoſtium ſequuntur caſtra. Num æquum videatur in tanto periculo ad reipublicæ præſidiū non excitari? patrięq; & religioni atque adeo humano generi non ſuccurrere? Si Italiæ tranquillitatem rogaremus, erat humanitatis tuę morem gerere. quid enim aut ad dignitatem honeſtius, aut ad laudem glorioſius, aut ad fructum ſalutarius, quam nobiliſſimæ prouincię diuturno bello afflictę publica pace mederi? nunc non de tranquillitate vnius prouinciæ agitur: ſed de ſalute, de incolumitate, de libertate vniuerſæ piorum nationis. Eam opem à te potiſſimum reſp. præſtolatur. & quoniam ductore eſt opus, ad quem ſumma imperii in bello redeat: te Ducem atque Imperatorem negotio maritimo, qua parte bellum grauiſſimū imminet, vniuerſa Italia iubet. qui honos ante te nemini eſt habitus. Omnia abunde ſuppetunt, prudentia, vigor animi, auctoritas, pugnandi ſcientia. bellica gloria, multis in Italia, Gallia, Africa victoriis parta, hac vna expeditione illuſtranda eſt. eo amplius quod abſque inuidia erit: quippe aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes. Pone ante oculos Carolum, cui res pręclare factę Magni cognomen pepererunt, Gotifredum, Sigiſmūdum, Hunniadem gratiſſima genti nomina. an alio itinere putas ad cælum fama euectos, quam piis bellis fortiter adminiſtrandis? nō alia cauſa tot populi, & Principes conſenſu poſuerunt arma, quam vt tuis potiſſimum auſpiciis pro ſalute communi, pro vindicandis religionis iniuriis, vires ſociarent, ſanctiſſimum bellum gererent. Id eorum omnium nomine nobiliſſimi oratores, quos ex meo ore locutos puta, omnibus precibus flagitant. Id ſanctiſſimus ſenex Nicoalus Pontifex lacrymis toto ore manantibus, (quo habitu reliquerim ſuccurrit animo) cum imperare poſſet, precatur, vix ęgram dolore animam vna ſpe ſuſtentans pace publica Italiæ facita, iniurias acceptas vindicādi. qua ſublata non dubitanter occidet. te non arbitror tam durum fore vt his vocibus, precibus, gemitibus non mouearis. Ad hęc Rex, neque ſe belli cauſam fuiſſe, neque moram paci facturum. in bello pacem, non in pace bellum quęrere ſolitum. Nolo, inquit, conſentienti Italiæ deeſſe. Quod fœdus me inſcio eſt factum, libenter quidquid id fuit iniuriæ communi cauſę condono. Pontificis Maximi auctoritatem, ſtudia populorum ac Principum, pro eo ac debeo, plurimi facio: duxque vel comes in hanc expeditionem ire non recuſo. Fœderis à Venetis cum Franciſco, ac Florentinis nuper icti tabulæ recitatæ, in hæc ferme verba. Amicitia, fœdus, ac ſocietas Venetis, Franciſco Sfortiæ, ac Florentinis, eorumque fœderatis cum Alfonſo Rege pro communi Italiæ quiete, & ſalute, potiſſimum pro reprimendis Turcarum conatibus, à quibus graue bellum Chriſtianæ genti imminet, his legibus inuiolabilis in annos quinque & viginti eſto: & eo amplius quoad cunctis ſociis placuerit. Alfonſus Venetorum, Franciſci & Florentinorum, ac fœderatorum ſtatum aduerſus eos qui bellum inferant, aut laceſſant, ſiue Italicus, ſiue externus hoſtis fuerit, tāquā iuris ſui res ſit, defendito. Rebus quietis mutuę opis cauſa, ſi qua forte repentina vis ingruat, Alfōſus, Veneti, ac Franciſcus, ſinguli octo millia equitum, peditum quatuor millia, Florentini quina millia equitum, duo peditum in armis parata habento: ſingulique, militibus, & copiis ſuis ſtipendia perſoluunto. Si bellum alicunde oriri contingat, nulli partium, niſi de communi omnium cōſenſu pacem componere liceto. nec Regi, nec ſociis cū vlla Italica natione ſocietatē, aut fœdus facere abſque communi conſenſu fas eſto. Premente bello ſinguli dimidiam ſaltem equitatus partem, & peditatus auxilio ad eum quē laceſſiri continget, impigre mittunto: nec illud donec patratum ſit bellum, inde reuocanto. Si cōtingat auxilia ad aliquem è ſociis mitti belli cauſa: qui auxilium acceperit, auxiliarib. copiis loca in quæ diuertant aſſignato: annonamque & cętera neceſſaria eodem pretio, quo popularibus ſuis venundato. Si quis fœderatorum bellum intulerit, fœdus ex eo violatum, quoad cæteros pertineat, non eſto, ſed integrum atque incorruptum habento: cæterique laceſſito auxilium præbento non minore ſtudio, quā ſi is qui laceſſat in ipſo fœdere comprehenſus non eſſet. Si cui ſociorum bellum inferatur, nulli reliquorum per eorum fines trāſitū concedere, aut commeatus pręberè fas eſto: ſed omni vi laceſſētis conatibus obſtanto. Hæ conditiones paucis immutatis abs Rege probatæ ſūt. omnes Italiæ ciuitates, ac reguli cōprehēſi. Genuēſes tātū, Sigiſmūdus Malateſta, Aſtor Fauētinus abs Rege excepti. Genuēſes quidē q; pacis ante aliquot annos ictę cōditionibus nō ſtetiſsēt: Sigiſmūdus, & Aſtor q; accepta Aragonia in ſtipendiū pecunia, ad hoſtes ſe bellis ſuperiorib. cōtuliſſent.

Calixtus Pontifex. CAPVT XVII.

ERecta vniuerſa Italia; ac vero reliquę prouincię ad meliorem ſpem erant, publica pace fundata: cum Nicolaus Pontifex, in cuius humeros rerum moles incumbebat maxime, annis curiſque grauis deceſſit ad nonum kal. Aprilis. eius obitu cęptæ molitiones impeditæ ſunt, ac penitus diſturbatæ. tametſi de ſucceſſore deligendo continuo comitia habita:

habita: & quoniã res cunctationem non recipiebat, intra diem quartumdecimum Alfonsus Borgia Cardinalis in defuncti locum cooptatus, voto se obstrinxit belli Turcici instaurandi: quod se facturum si Pontifex renunciatus esset, in minori fortuna scripta scheda nuncuparat, Calixti etiam nomine designato. tanta fiducia erat eius honoris adipiscendi, ex Vincentii Ferrerii vaticinio (sic vulgus prædicat) à prima ætate concepta. Meritis & sanctitati gratia data. consecratus Vincentius, ac templis dicatus est. is honor Emundo etiam Anglo communicatus. vtrunque noui Pontificis decreto. Is Setabi in Valentino regno natus, ingenium sublime, erectumque, ac maioribus rebus aptum, in minori ætate literis dedit. cõsequentib. annis per omnes honorũ gradus decurrit. Rom. Pontificatũ acta ferme ętate adeptus est. nihil in eo humile tamẽ, nihil sordidũ apparuit. Aragonio Regi maxime infensus fuit: siue dignitatis tuẽdæ studio, seu quia insitũ natura est, vnde ingentia merita extiterũt, quasi creditores auersari. Itaq; rogatus, vt nouo diplomate regni Neapolitani iura Alfonso filioque confirmaret, adduci non potuit. Propinquis augendis vehementius incubuit, quàm ea ætas, & sacrosanctæ personæ, quã gerebat, dignitas paterentur. Id maximè in eius moribus accusatur. Sororum filios Catharinę quidem Ioannem Milam, Isabellæ autem Rodericum Borgiam, vno die nouo exemplo Cardinales creauit. Petrus Borgia Roderici frater imperio Pontificio Præfectus pro auunculo Vicarius. vnde Alexander Pontifex, Valentinus Dux, adeo inuidiosa nomina auorum memoria, prodierunt. Inter Castellam & Aragoniam pax firmata. Vasco iis oppidis cessit, quę in Castella ablata erant. annui vectigalis, vt conuenerat, compensatio facta. Vasconum tumultus nondum quiescebant, scissa prouincia in partes. Carolo Vianæ Principi passim fauebatur, arma tenenti, iure potiori. (sic plerisque visum) fauebat Blanca soror pro virili parte, tanta ex eo Vasconis molestia, vt fœdere cum Fuxẽsi genero iuncto, Vasconum regnum in eum trãsferre cogitaret Carolo & Blanca repudiatis. satis idonea causa, quod in patrem rebelles existerent, nisi iniuriam prior fecisset. ad id fœdus Rex Gallus solicitatur. Henricus Castellæ Rex Caroli partes subleuabat: ac periculum erat ne cum Gallia vires Hispaniæ committerentur. Tametsi Henricus Rex belli Granatensis, nouique coniugii apparatu vno tempore districtus erat. Cuellare vbi regni conuentus fuerunt, quasi classico summi, medii, infimi, ad sumenda arma excitati. & pro se quisque nouis officiis certabat Regi fidem, diligentiamque approbare. Toletanus Archiepiscopus, Hari Comes Vallisoleti relicti sũt rerũ moderatores & arbitri, ad quos sũma imperii, & iudiciorum rediret, dum Rex abesset. Primo quoque tempore validis copiis contractis, in quibus quinque equitum millia erant, semel Granatæ suburbanus ager, mox noua irruptione Malacitani fines omni belli iniuria vexati tanta celeritate, quanta vix eques in pace tantum spatii oculis lustrare, pedibus peragrare potuisset. Ioanna Alfonsi Lusitani Regis soror, Castellæ Regi per legatos desponsa erat. Nuptiæ Cordubæ celebratę ad duodecimum kalendas Iunii magna gentis & procerum lætitia, ex vniuersa prouincia magno numero ad bellum confluentium. Sudibus inter se milites in modum iustæ pugnæ concurrere. alii ludi & spectacula commissa. Quoniam in medio belli, & armorum fragore id coniugium est perfectum, in omen à quibusdam vertebatur, quasi ex eo coniugio magnæ calamitates impenderent: lætumque in pręsentia, exitu fœdum futurum suspicio erat. nuptiarum auspex Turonensis Pręsul à Carolo Galliæ Rege in Castellam legatus: cum qua gente Gallo fœdus erat. cum Anglis simultas, infensis ac diuturnis Gallici nominis hostibus. Ad belli Maurici famam nouæ militum manus identidem conuenire, equites quatuordecim millia, pedites ad quinquaginta millia, rebus magnis perficiendis exercitus par. cum iis copiis tertio in Maurorum fines penetratum. ipse Granatæ vrbis ager in ciuium oculis incensus. vt iusta pugna confligeretur cum hostibus se ex omni parte ostentantibus, consilium Regi non fuit. animus modo erat, triennio corruptis segetibus barbaros ad supremam annonæ inopiam redigere. Vulgo milites in cõsiliis rapidi, ac lingua immodici ignauiam interpretari: seque, quando tantæ commoditates amitterentur, cum vellent Duces, ac iuberent non esse pugnaturos. Proceres etiam inter se coniurare, Rege capto alia ratione bellum administrare statuebant. coniurationis auctor præcipuus Petrus Gironius Calatrauæ Magister. Enecus Mendoza tertius Santillanii filius, Regi suadet vti Alcaudeto, vbi vis parabatur, se citato Cordubam conferret, aliis confictis causis. sic periculum in pręsentia vitatum. insidiæ nondum indicatę. quib. cognitis tandem Cordubę propter anni tempus milites quidem persoluto stipendio in hiberna dimissi sunt, ad prima tamen veris signa redire iussi. Proceribus missio data vacatioque. ea vindicta concepti sceleris fuit. Rex ipse Abulam & Segobiam venatione remissurus animum contendit. In studium tamen concitatus Bæticam primo tempore

repetendi,ad clypei limbum geminos maligranati ramos affingi iussit inter se cōplicatos: quoniam Regum Granatæ ea insignia sunt,quasi destinata voluntate, nisi Maurico bello confecto,genteque ab stirpe excissa,ab armis non discedendi. Neapoli ineunte proximo 1456 anno M cccc quinquagesimo sexto Aragonii Regis nepotes, Alfonsus Capuæ Princeps, & Eleonora, Francisci Sfortię filiis Hippolytæ, & Sfortiæ Mariæ, connubii lege iuncti sunt: ea necessitate, vtriusque familię opes vehementer confirmatæ: haud obscuro dolore Calixti Pontificis, cuius conatibus eæ molitiones opponebantur. A Castellę Rege bellum Mauricum remotis proceribus, nouo impetu, eodem consilio administratū est. agri modo vastati, direptique: neque quid maioris rei factum, gemente quamuis exercitu, ,, atque quoniam pugnare prohibebatur, ad arma consternato. Rex concione aduocata: ,, Aequum, inquit, fuerat ciues militem ab Duce regi, non regere. Expectare signa non ex- ,, torquere. Parendo potius quam imperia Ducum sciscitando res militares continentur. ,, Fortissimus in discrimine est, qui ante conflictum modestus maxime. Vobis arma & ani- ,, mus sit, mihi consilium, & virtutis vestræ regimen relinquite. Arte potius, quam viribus ,, hostes superandi: quod nobilissimum victoriæ genus est. Inter circumfusos barbaros, ,, sine ignominia seruasse exercitum: sine vulnere, sine sanguine tantum confecisse bellum, ,, quanta gloria? multo certe maior, quàm hostes innumeros peremisse. vestra salute nihil ,, nobis milites carius: pluris vnius vestrum vitam, quàm mille barbarorum cædem facio. Regis verbis milites indignatione compressa magis quam pacata, Cordubam reducti sunt: domosque diuersi amandati. Rex fine anni Madritum festinauit. Quo tempore à Lusitano Rege valida classis instructa, missaque in Italiam sociali classi auxilium. etsi ardor Italiæ Principum refrixerat: nouique motus Senis Genuęque importuno tempore concitati erant. Ea causa Lusitani apparatus inanis fuit. & quoniam pridie Idus Decembris Isabella Regina Eborę in Lusitania extincta est, non absq; noxii veneni suspicione, prouinciæ luctu maximo. Rex in viridi quamuis iuuenta, ad multam ætatem cęlibem vitam exegit. Fuit hic annus Neapolitanis terræ concussione infaustus, iuxta ac nobilis desidentis terræ hiatu. multa oppida & arces sunt euersæ. vis mali ad Iserniam & Brundusium in extrema Italiæ ora inualuit maxime. non pauca ædificia suis conuulsa sedibus deciderunt. ex Boiano oppido lacus factus, æternum tantæ cladis monumentū. magna hominum strages fuit. ad sexaginta millia capitum periisse memorantur. Pius secundus, & Antoninus Florentinus eum numerum dimidiatum ponunt.

Regis Aragonii obitus. CAPVT XVIII.

QViescere Hispania non poterat, diuturnis quamuis vexata motibus. tumultuabātur Vascones maioribus quam vnquam odiis. finitimi Cantabri licentia temporum ad arma consternati erāt, cędibus inter se factis feri. plebē nobilitas prædę habebat, ædium præsidio: quas instar arciū vniuersa prouincia singula familiarū capita habēt. Eæ magno numero ab Henrico Rege disturbatæ euersæque sunt; cum ad periculū cū exercitu Segobia acurrisset mense Februario eius seculi anno quinquagesimo septimo. Sic pauco-
1457 rum supplicio prouincię motus pacati: cæteris documentum datum iniuriæ vitandæ. in ea expeditione Petrutius Munsarius Durangi municipis filius, in ætatis flore in familiam à Rege admissus, eo multum deinde & familiariter vsus est. Carolo Vianę Principi amico & fœderato, ne ex propinquo opem ferret, eius pręcipiti fuga factum est. Aragoniis & Fuxensis sororii armis impar futurus erat, & maior metus à Gallo Rege proponebatur. ergo vt eum conciliaret in Galliam abiit. verum repente mutato consilio, ingenii leuitate, an quia parum genti fidebat ab aduersariis præoccupatę, patrui Aragonii Regis accitu Neapolim festinare decreuit: si minus ęquitate causę rebus opem impetraret, in exilio vitam acturus. Ex itinere Romę conuento Pontifice patris acerbitatem, atque ambitionem accusauit: neque eius arbitrio recusabat vniuersam controuersiam permittere. Roma digressus via Appia, Neapoli splendide acceptus, & benigne habitus est, castigatus tantum cum verborum honore, quod in patrem arma sumpsisset. quantumuis ęquitate causę confideret, parendum tamen genitori fuisse, doloremque dissimulandum. id diuinis legibus sanctum, humanis honestū esse. Ad ea Carolus pauca in facti excusationem, ,, respondit, seque in eius potestate fore est pollicitus. Vt lubet, inquit, decernito, memor ,, modo omnes homines aliquo errore duci. hic in illo, sibi in hoc alius indulget. nonne ,, fecistis senes imprudentia ętatis quod à parentibus corripi posset? cogita ergo & me iuuenem esse, & parentem aliquando fuisse. Rodericus Vitalis in Hispaniam continuo amandatus, dū de fœderis cōditionibus inter Vascones agit, Carolus quāuis absens Pōpelone Rex est proclamatus. quo cognito pacis tūc quidē intermissa est mētio. Castellę Rex Vasconis inuitatu, acceptoque fidei obside Ferdinando eius filio, cū eo ad Alfarū municipium ad fines vtriusque gentis de mense Martio Victoria discedens, collocutus est. ve-

bere Reginæ Castellæ & Aragoniæ. plena omnia ludis hilaritateque fuere. Inter duos
Reges pax constituta. Ludouicus Dezpuchius Montesiæ Magister, nouus subinde ab
Aragonio legatus venit. eo agente fœdus quod inter Vasconem & Fuxensem Comitem
& istum ante fuerat, abrogatum est. totius controuersiæ arbitrium partium consensu,
Aragonio Regi permissum. spes diuturnæ tranquillitatis ex tantis molitionibus concepta
animis inanis fuit. Castellæ castra in Bætica ad Maurorum fines erant: eo Henricus Rex
mense Aprili venit. non minori quam antea impetu, neque minorib. copiis in Granatæ
fines penetratum est. dum ager vastatur, nostrorum manus iniussu Ducum cum circumi-
fusis hostibus pugnatum progreditur. à multis paucorum audacia compressa. Cecidit in
pugna Garsias Lassus D. Iacobi miles eximie fortis. viri nobilissimi casus Regem maiori
impleuit ira. non in segetes modo, vti antea facere consueuerat, sed in vineas & arbores
igne ferroque sæuitum, quibus antea parcere moris erat. Mena oppidum admotis copiis
vi captum. perempti incolæ absque discrimine. crudele exemplum, sed ea tamen clade
Maurorum audacia vindicata est. Supplicibus venia induciæque in annos aliquot con-
cessę tributi nomine, annua duodecim aureorum millia, sexcentosq; captiuos Christia-
nos, aut si non essent, parem Maurorum numerum pactis. ignominiosa conditio, sed tan-
tus terror eam gentem inuaserat. Additum vt qua parte Granatæ fines Giennium attin-
gunt, belli nihil omnius facultas esset. iis finibus Garsias Manricus Castanedę Comes
præfectus est. adiuncta duo equitum millia. In huius belli subsidium Calixtus Pontifex
anni huius initio Cruciatam indulserat, non modo viuentibus sed etiam vita functis. no-
uum in Hispania exemplum. Eius euulgandæ cura Alfonsus Spina Palētiæ, vbi Rex erat,
demandata monuit, ne pecunia ex ea redacta in alios vsus conuerteretur. Qui aut arma
sumeret contra Mauros, aut ducentos quadrantes conferret, ei quiuis sacerdos sub mor-
tem peccatorū omniū veniā dabat: etiamsi interclusa voce nil aliud quam conceptū ani-
mo dolorem signo aliquo declararet. Eadem venia vita functis cōcedebatur. Quadrien-
nium eius veniæ promulgationi pręfixū: quo tempore ad trecenta millia aurei in regium
fiscū redacta. Sed quantulū ex ea summa in bello sacro consumptum? Præterea legatus
Roma Madritum eo confecto bello ad Regem venit, ensem galerumque gestans Ponti-
ficis donum, sacra prece natalis Christi peruigilio lustratū, magnisque Principibus, qua-
lem esse Henricum fama ferebat, mitti solitum. additæ honorificentissimæ literæ. Nulla
syncera lætitia est. nuncius allatus, Castanedæ Comitem Maurorum manui obuiam pro-
gressum, exceptumque insidiis fuisse. captū ipsum, magna suorū strage. In eius locū Du-
ce alio substituto maioris animi, consilii, atque integritatis, magno is auri pōdere redem-
ptus est, induciis pace mutatis. hic belli Maurici finis fuit, nouarum rerum initium. In Ita-
lia bellum Genuense gerebatur. Aragonius Adurniis fauebat. Ioānes Lotaringius Renati
Andegauensis filius, qui se Calabriæ Ducem ferebat, Fregosiis opitulatum accesserat. eo
maior iniecta cura: cum Regem Aragoniū octauo Idus Maii eius seculi anno quinqua- 1458
gesimo octauo repēte morbus Neapoli inuasit: ex quo in Arce noua cum ad Idus Iunias
decubuisset, ingrauescente valetudine in arcem alteram, cui ab Ouo nomē est trāslatus,
si mutatione loci melius haberet, ad quintū Kal. Iulias sub auroram extinctus est, Prin-
ceps sua ætate clarissimus, nulli veterum posthabendus, Hispanæ gentis lumen, decus-
que perpetuum. Literas in pretio habuit: virisque eruditione præstantibus, tantū tribuit,
vt iis se inclinata quamuis ętate recoquendum præberet. Laurentio Valla familiariter est
vsus, Antonio Panhormita, Georgio Trapezuntio immortali laude viris. Bartholomęum
Faccium, cuius extant de rebus Alfonsi commentarii, mēse Nouembri superiori extin-
ctum tulit ægerrime. Rege quodam Hispano dictum referente quopiam, literas Princi-
pem nō decere: eam vocē nō Regis, dixit, esse, sed bouis. Faceta Alfonsi dicta, sales, iociq;
notātur magno numero, ad indiciū acuti ingenii, elegātis, prōpti atq; præstātis: quæ vt hic
referrētur visū non est. Ante obitum stella crinita visa Cancrum inter, & Leonem, cauda
duorum signorum longitudine. rem prodigiosam, & magnorum Principum capitibus
minantem. Testamentum pridie mortis nuncupauit, quo Ioannem fratrem Regem
Vasconum Aragonii regni hæredem scripsit. Neapolitanum imperium quasi armis par-
tum Ferdinando filio notho legauit: vnde magni motus concitati sunt, bellaque. Reginæ
nulla mentio. fama fuit, & magni viri testantur ea repudiata, Lucretiam Alaniam pel-
licē ducere cogitasse. Extāt Calixti Pōtificis literæ ipsius manu ad Reginā scriptæ: qui-
bus amplius quam matri sibi eam debere ait. sed rem tantam euulgandam non esse. Lu-
cretiam regio apparatu Romam venisse: neq; impetrasse tamen quod maximè sperabat:
concepti sceleris pœnas vnà cum illis dare noluisse. id maximè intemperantiæ vitium in
Alfonsi moribus accusare licet. Verum peccata sub mortem omnibus sacris humillimo

corporis habitu expiauit. corpusque ad Populeti, vbi maiorum sepulcra sunt, ipso templi aditu sepeliri mandauit, nullo excitato tumulo, modestiæ argumentum singulare. Alfonsus Carthagena Burgensis Episcopus per idem tempus decessit. eruditionis monumenta extant, Breuis historia de Regibus Hispaniæ, quã Anacephalæosim dixit: Defensorium fidei, aliaque. in eius locum Ludouicus Acunia cooptatus est.

Pius secundus Pontifex Maximus. Capvt XIX.

CVm Alfonso pax Italiæ sublata est, imperii Neapolitani opes concussæ: quæ aduersus omnes fortunæ impetus stabilitæ esse videbantur, nouo ac sæuissimo bello concitato, non tam retentæ quam denuo partæ. Erat Ferdinando Regi ingenium sublime, studiis iurisprudentiæ excultum non minus quam militaribus: quæ duo ad rempublicam bello paceque gubernandam aptissima præsidia erant. lucta, saltu, iactu, equestrique certamine nulli cedere: æstus, frigoris, inediæ, laboris patientia, morum comitas, ac modestia singularis: faciles aditus, nullum offendere, cunctos benigne appellare. His tantis virtutibus procerum inuidiam vitare non potuit, humani ingenii vitio noua imperia meditantium. Carolus Vianæ Princeps à plerisq; inductus ad capessendum imperium quasi legibus debitum. Ferdinandum obscuris natalibus esse: non liberis suffragiis reb. præfectum: sed vi ac terroribus gentis consensum expressum. faciles ille aures calumniis accommodare. magisque facultas deesse, quam voluntas eius imperii occupandi. Polliceri facile est, præstare difficile. adductus in suspicionem nauibus in Siciliam abscessit, quorsum res commotæ euaderent, expectatum, exilii tempore geminæ prolis pater, Philippi, Ioannisque, ex Capa infimo loco matre, quam nihil præter formam commendaret. Anãm tertiam prolem ex Maria Armendaria, quæ Francisco Barbastro nuptui data est, furto etiam susceptam, Ludouicus primus Medinæ Celinæ Dux vxorem habuit. annua duodecim aureorum millia ab Alfonso Rege legata exuli, Ferdinandus rata habuit. Caroli discessu procerum Neapolitanorum studia non conquieuerunt. à Tarentino Principe & Crotonis Marchione, Ioannes nouus Aragoniæ Rex ad capessenda Neapolitani imperii sceptra euocatus est. cautior ille, Hispaniæ opibus contentus, longinquas haud magnopere curabat: Tudelaque profectus Cæsaraugustæ mense Iulio Aragonii regni curã suscepit. non vt antea alienæ potestatis vicarius, sed propriæ arbiter. Maior à Calixto Pontifice, vnde minus expectabatur, tempestas extitit. qui notho deferendum regnum, Romanæ Ecclesiæ vectigale negabat. illiusque integrum ius ad se reuocatum contendebat. nimirum Petro Borgiæ, quem Spoleti in Vmbria Ducem crearat, noua imperia parabat, importuna ambitione, confecta senex ætate, & fortunæ in qua natus erat immemor. Apparebat Italiam bello arsuram, haud dubia pristinorum malorum specie renascẽte. lenire ægrum Pontificis animum Ferdinando curæ erat: plenas officii & humanitatis literas ad eum hoc exemplo dat. His diebus in media doloris acerbitate, beatissime pater, paternum obitum renunciaui. Breuis epistola fuit, quippe inter lacrymas data. Nunc collecto animo, luctuque tantisper mitigato, significandum duxi: patrem pridie obitus obtestatum, nihil vt in terris, vestra gratia & auctoritate præstantius duceret. Cum sancta Ecclesia non contenderem, ne prouocatus quidem. impios ausus raro feliciter cadere. His ego præceptis institutus, quod facturus alioqui eram, impensius, vt faciam, accepta beneficia hortantur. Neq; enim obliuisci possum, à primis annis me in tuam disciplinam traditum. Soluisse vna ex Hispania: prouectosque eadem naui ad Italiæ litus: non absq; Dei nutu, tibi iam Pontificatum summum, mihi nouum regnum destinantis: præclaro omine futuræ felicitatis, mutuæque concordiæ. Itaque à puero tibi traditus, tuus, ad mortem esse cupio: me in filium accipito: aut accepto potius, paternam gratiam & humanitatem exhibe, daturo operam, ac præstituro, ne aut grati animi obsequium, aut pietas debita in nostris actionibus requiratur. Vale. Neapoli Kalendis Iulii. Nihil his literis & pollicitationibus Pontificis animus mouetur. Principes & ciuitates Italiæ ad arma solicitat. magnæ molitiones Pontificis obitu dissipatæ. decessit octauo Idus Augusti. id commode Neapolitanis rebus accidit. Aeneas Syluius Senensis, ex Picolominea gente nouus Pontifex, Pii secũdi appellationem, pace Italiæ restituta sanxit, adhibitoque conatu ad piũ bellum instaurandum. Ferdinandum Regem nuncupat, ea duntaxat exceptione, ne id factum præiudicio cuiquam esset. Mantuam ex toto orbe Christiano Episcoporum & Principum conciliũ indicit, de expeditione aduersus Turcas acturus. Neq; cõstiterunt tamẽ semel cõmotæ Neapolitanorũ voluntates. Calabri ad arma concitati. Ioãnes Lotaringius cũ classe triũ & viginti triremium Genua euocatus, ad litus Neapolitanum venit. Belli præcipua fax Antonius Centillia Crotonis Marchio, susceptam Alfonso Rege ignominiam noua rebel-

rebellione vindicare parans, Aragonio, hoc est, suæ gentis imperio Gallicum præferre non dubitabat. furor animi agebat præcipitem. magni & diuturni motus fuerunt: quorum successum sigillatim explicare longum esset, in Hispaniam historia reuocante. Vbi ab Henrico Castellæ Rege noui homines honoribus aucti: Michael Lucas Irantius arcanorum omnium non particeps sed moderator, natus Belmontii in Celtiberis, Magister equitum creatus est: Agreda oppidum dono datum. præterea Veratonum & Voxmedianum arces. Gometius Solisius regiæ Magister, cui Castra cæcilia patria erat (vnde & Cacerius dictus est ab eius oppidi appellatione vulgari) suffragio militum, Regis volũtate Magister Alcantaræ in Guterrii Sotomaioris locum suffectus est. horum fratres nouis principatibus aucti. Valensola Prior Hospitalarius factus est. hos aliosq; pari conditione homines, infensis proceribus opponere cogitabat. prauo consilio par exitus. Rex ipse Madriti, vbi multus esse consueuerat, indulgere voluptatibus, vacuus curis, quibus idoneus non erat. Socordiam animi, vnde in omnia mala præcipitatũ est, satis indicat, quod tabulis ab aliis confectis, ne cognitis quidẽ subscribere erat solitus, alieno arbitrio semper obnoxius, quæ grauissima ignominia fuit. Pares insanis sumptibus aulæ, imperii opes non erant. Dieghus Arias ærario profectus monet, ministrorum turbam imminuendam videri. remp. arrodere plerosque annuis salariis, qui nihil opis conferrent. ingratum Principi consilium fuit. Itaq; vt finem dicendi fecit: & ego, inquit, si Arias essem pecuniæ magis quàm benignitati seruirem. Tu fortunæ in qua natus es consentanea locutus es: ego, quæ Regem decent, faciam, nullo paupertatis metu, ne nouis quidem vectigalibus imperatis. Regum officium est largiri, effundere, imperium non priuata vtilitate, sed publica multorum salute definire. is diuitiarum verissimus fructus est. Aliis dandum, quia vtiles sunt: aliis ne sint praui. dignam magno Principe vocem. cętera consentanea non erant. Ea tamen popularitas multitudinis studia adiunxit, nullo vt tempore obsequentior fuerit, alienata procerum pars maxima. Ioannes Luna Soriæ vrbis præfectura spoliatus est, atq; libertate. Paciechus consilii auctor. cum Aluari Lunæ ex filio Ioanne Luna neptim, quæ in Præfecti, quippe propinqui, potestate erat, patre puellæ defuncto, Diegho filio sponsam destinaret, & cum ea S. Stephani dotalem comitatum. Alfonsus Fagiardus Murcię Antelatus nouam Carthaginem, Lorcam, aliasq; arces in Contestanis licentia temporum occuparat. in eum Gonsaluus Sacuedra abs Rege missus nõ modo iis oppidis expulit, sed & paternis euertit, satis magnum beneficium arbitratum, quod vita relicta esset. Decessit Santillanius Marchio. filios reliquit Dieghum, Petrum tum Calagurritanum Episcopum, Enecum, Laurentium, Ioannem. ab his amplissimæ familiæ extiterunt in Hispania. Aragonię Regina vidua Valentiæ pridie Nonas Septembris decessit. corpus in virginum collegio, cui à Trinitate nomen est, tumulatum. funeris pompa neque nulla neq; magna. virtus animi ad cælum fama extulit. A Rege Lusitano valida contracta classe Alcassarum oppidum Septæ vicinum in Africa, de Mauris captũ quintodecimo Kal. Nouemb. qui dies Mercurii fuit, D. Lucæ memoria sacer. Ferdinãdus frater Visei Dux, atque Henricus patruus expeditionis comites. capto oppido Eduardus Menesius Præfectus, Maurorum impetum, qui Rege digresso magno numero concurrerant, semel & iterum magno animo sustinuit: fregit audaciam, Dux ea tempestate inter Lusitanos clarus. A Carolo Vianę Principe legati ad patrem è Sicilia missi, si veniam impetraret, se in eius potestate fore: iuuenili errore commissa Rex & pater condonaret, syncerus animus non erat: cum eodem tempore Castellæ Regem, & Franciscum Britannum Ducem ad fœdus ineundum solicitaret, pudenda iuuenis leuitate, armis vindicaturus, quod pater denegasset. ea cura & ne à Siculis, à quibus omnibus officiis cultum audierat, Rex præficeretur, promissa venia euocatus, ad litus Hispaniæ appulit principio anni Millesi. quadrin. quinquagesimi noni. inde in Balearem maiorẽ cõcessit, quid pater deliberaret in ea 1459
insula expectaturus, neq; magna neq; nulla spe materni regni recuperandi, vitæ exitu propinquo. Cõtinuatę ęrũnę miseros in pręceps agunt, atq; de statu mẽtis immutãt. Petebat legatis ad patrem viris primariis, sibi suisque veniam, datis obsidib. libertatem Ludouico Magistro equitum & necessariis. Iusiurandum, à populis non alium regnorum hæredem fore. Facultatem quacunque in vrbe vellet, morandi curia vitata. Vianæ & Gandiæ principatus sibi dati, ne inanes tituli essent, ditione & vectigalibus occupatis. Ea si data essent, ex vrbibus & arcibus, quæ in Vasconibus in fide perstabant, pręsidia primo tempore deducere non recusabat. Eleonoram sororem Fuxensi nuptam, rebus Vasconum gerendis præfici molestum erat: id etiam vt mutaretur adiectum. multum tempus consultationibus extractum: neque tamẽ concessa omnia: neq; quę sunt pacta, integra fide seruata. nouercę odio (sic creditum vulgo est) priuigno pernicies comparata, de filiis solicitæ, de seueritæ, si Carolo paterna regna patre defuncto obuenirent.

Prodigia in Castella visa. CAPVT XX.

MAgnorum in Castella motuum semina breui ad maturitatem venere. Insanis Rex amoribus occupatus erat, nulla reipub. cura: primum Catharinæ Sandoualiæ, quam noui probri compertam à se amouit, & aliquanto tamen post Toletanis D. Petri virginibus Præfectam dedit. disciplinam laxatam causabatur. honesta species, sed qui à regia pellice astringeretur? de eius amasio Alfonso Corduba, capitis supplicium Medinę Campestris sumptum. in Catharinæ locum Guiomaris substituta, cui forma præter Reginā comparari nulla poterat. puellæ Alfonsus Fonseca Hispalensis Pręsul fauebat: Reginæ Villenę Marchio. sic aulæ studia in ambas deducta erant: famulaq; in heram efferebatur. Ventum ex eo ad rixas, iurgiaq;. turpitudines & probra inuicem obiicere, neutra falsò. æmula aliquando à Regina pugnis male est mulctata. Addita noua turpitudo. Bertrandus Cueua regiæ Magister, Principis gratia potens, magnisq; ab eo opibus auctus ad Reginæ familiaritatem est admissus, nulla maiestatis cura. vulgus in deterius pronum persuasione, turpem consuetudinem interpretabatur: nonnullis etiam persuasum Rege conscio, & hortante: quo impotentiæ maculam elueret. Incredibilis turpitudo dedecusq;. In Regum Elisabethæ & Ferdinandi, cum rerum potirentur, gratiam conficta quidem fabula, probabilis tamen ex Principis ignauia, Reginæ vitæ licentia maxima. consequentibus certè annis aucta fides, cum Britanni legati aduentu, ludicrum militare Madritum inter & Pardum à Bertrando institutum est, additumque conuiuium priuatis opibus splēdidius lautiusq;. Sed tanta ex eo Henrici Principis lætitia, vt eodem loco cœnobium Hieronymianis monachis extruendū curarit, nulla maiori religione, quàm vt rei gestæ monimentum esset. vnde propter loci insalubritatem in locum, vbi nunc Madrito vicinum cernitur, translatum est. Principum exemplo lasciuire populus, neque voluptatibus, neq; vestium pretio modum facere. proceres nullo Principis metu inter se coniurare, priuati compendii spe inducti, an vt tantum dedecus depellerent. Impendentia ex his rebus mala multis prodigiis vno tempore significata creditum est. flamma in cælo ingens visa. qua bifariam disiecta, parte ad Orientem excurrente, euanescenteq;, pars altera aliquanto spatio perstitit. In Burgensi & Vallisoleti agro lapidibus prægrandibus pluit, magna pecorum strage. Ad Penaluerem, quod oppidum in Carpetanis est, Celtiberiæ vicinum, infans triēnis impendentes calamitates, nisi pœnitentia mutarent, denunciasse fertur. Segobiæ, vbi regii leones alebantur, fœda inter eos laniena extitit. A minoribus maior discerptus est, parte etiam deuorata. nec defuerunt, qui coniectarent, quoniam regium animal, id est, periculum Regi à regulis eo ostento portendi. His prodigiis territa multitudine procurandis, sacrificia peracta, nuncupata vota: quod præcipuum erat futurum, mores nihilo meliores facti sunt. Fœda sacrati ordinis licentia. nam per hæc tempora inuenio, à Roderico Luna Compostellano Episcopo, puellam virginem ex ipsa nuptiarum lætitia ad stuprum fuisse raptam. ingens scelus atque intolerandum. ad quod excitati prouinciales ductore præcipuo & vindice Ludouico Osorio Trastamarę Comitis filio hominem facinorib. fœdum, sede, bonisq; pulsum vindicarunt. meritis exitus consentaneus. noua ea inuidia deformis atque intestabilis in sordibus & egestate reliquam vitam exegit. Ita tantisper ex flagitio lætatus, grauissimas, atque sempiternas pœnas breui persoluit.

Libri vigesimi secundi Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXIII.

Concilium Mantuanum. CAPVT I.



NTEREA Pius Pontifex Mantuam confluentibus, vti erat edictum, Epiſcopis & Principibus magno numero, eodem ipſe contendit. Legati ex Hiſpania ad conuentum ſunt, à Caſtellæ Rege Enecus Mendoza Tendilliæ regulus: ab Aragonio Ioannes Margaritus Helenæ in Ruſcinonenſi agro Epiſcopus, Petrus Peralta Regiæ Magiſter. Finitimi longinquique ad iungendas vires aduerſus communem hoſtem ſolicitati. Dauid Trapezuntis Imperator, quæ vrbs ad pontum Euxinum eſt vetuſta admodum, Vsluncaſſanus Armeniæ Rex, Georgius qui ſe Perſidis Regem ferebat, numeroſas equitum & peditum copias validam claſſem miſſuros ſe auxilio pollicebantur, periculo proximi. his pollicitis quantum eſſet credendum, noſtri haud facilè ſtatuebant. In Occidentis prouinciis parum præſidii fore videbatur, inteſtinis diſſidiis in Italia, Gallia, Hiſpania vigentibus, prę iis communi Chriſtiani nominis cauſa poſthabita. Sic eſt, communis religionis iniuria parum ſentitur, vindictę ſi cupiditas priuatim ſtimulat. His difficultatibus Pontificis animus non vincitur. tentare omnia atque experiri conſtituens in frequenti totius Chriſtiani nominis conuentu orationem tēpori conuenientem habet: quod diſertiſſimo, atq; à prima ætate dicendi artem profeſſo facile fuit. Imperii nobiliſſimi caſum cum lacrymis explicuit: tot regna oppreſſa, tot prouincias Chriſtiano nomini ereptas. vbi Chriſti numen tot ſeculis ſanctiſſimè cultum erat, vnde viri ſanctiſſimi eruditiſſimique magno numero prodierunt, ibi impietatem & ſuperſtitionem vigere. Si verum fateri conuenit, non niſi nobis deſerentibus tanta plaga accepta eſt. nunc ſaltem has ſemianimes reliquias piorum ſeruate. Si parum publica ignominia mouet: at impendens ſingulis periculum excitare ad arma debet. conſpirandum vniuerſis, ne ſinguli ceſſatione noſtra prædæ, ludibrio, cædi ſimus. Formidabilis hoſtis eſt, tantis victoriis inſolentior effectus. ſeu vicit ferociter inſtat victis: ſeu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen. Eo amplius excitandi animi. iunctis noſtrorum viribus par non erit. aderit concordibus numen: quod continua diſſidia remouerunt. Veteres Duces ob oculos proponite: magnaſq; in Syria victorias de impietate, piorum conſenſu partas. Qui fortes & ſtrenui domeſticis diſſidiis ſumus: an ignaui reddamur in communi periculo, in religionis ignominia? Ecquis ſe bello ſacro Ducem profiteatur? Ecquis Chriſti Dei crucem humeris præferat ſecuturis aliis? Ecquis Chriſti miles eſſe velit? Profiteamur nos Duces, non deerunt fortes ſtrenuique viri ac generoſi comites, germanaq; maiorum ſoboles atque indoles. Stat animus ſi cæteri deſint, me piæ militiæ anteſignanum prębere. Ego ego in medias hoſtium acies cruce deſumpta irruam: noſtroq; ſanguine, ſi minus victoria parta erit, at certè placabo ſuperûm iram, veſtroſq; animos virtutis exemplo inflāmabo. Chriſto & Eccleſiæ quibus omnia debeo, ſupremum hoc obſequiū exhibere certum eſt. Mouebantur qui aderant, Pontificis oratione. ſed dum oratores Principum priuatis contentionibus & controuerſiis tempus terunt, tantus conatus euanuit. Ioannes Renati filius grauiſſimè expoſtulabat, Ferdinando hoſti ſuo, Neapolitanum regnum eſſe confirmatum. verbis modò ſacrum bellum decernitur: atq; illud edicto cautū, contra quā Pontifex in minori fortuna cum Baſilienſib. Patrib. ſenſerat, ne à Romani Pontificis ſentētia ad generale conciliū cuiquā prouocandi ius eſſet. cōuentus dimiſſus, octauo quā haberi

cœperat menſe. Aragonii Legati Neapolim abierunt, Ferdinando de nouo regno gratulaturi. Enecus Mendoza à Pontifice venia impetrata, iis qui pecuniam certam conferrēt, ex ea ſtipe nobile Tendilliæ cœnobium Iſidorianis Monachis, atque præclarum extruxit D. Annæ nomine. Huius interim fratri Diegho Mendozæ Carraca oppidū, hoc eſt Guadalaiara, quod incerto iure poſſidebat, ablatum Galindi ducis improuiſo aduentu, armiſque. aucta ex eo procerum offenſio eſt: factioniſq; vires amplius confirmatæ Regi aduerſæ. A Frederico maris Præfecto Aragonius gener ad iungendas vires ſolicitatur, atque ad mouendum in Caſtellam arma. Toletanus Archiepiſcopus, Gironius Calatrauæ Magiſter, Manricorum familia opibus & clientelis valida ſequebantur. Mendozæ adiuncti noua ea offenſa irritatis animis. honeſta ſpecies prætenta: rerum ſtatum immutādi, qui multis modis erat deprauatus. Eæ molitiones occultæ eſſe non poterant. ab Alfonſo Fonſeca Hiſpalenſi Præſule Henrico Principi indicatæ. Compoſtellana Eccleſia præmium fuit obitu Roderici Lunæ tum vacua Alfonſo Fonſecæ propinquo Decano Hiſpalenſi data. Inuaſerat eius eccleſiæ iura (vti paulo ante dictum eſt) Ludouicus Oſorius Petri patris Traſtamaræ Comitis potentia confiſus. auctoritate opus erat. permutatione facta Alfonſus Fonſeca ſenior Compoſtellanus Epiſcopus Regis conſenſu factus eſt. Alfonſus qui Iunior, Hiſpalenſis. Pompelonenſem Eccleſiam Martino Peralta eius vrbis Epiſcopo defuncto, Beſſario Cardinalis natione Græcus præſtanti eruditione vir, pietate pari, commendatam ſuæ curæ abſens adminiſtrabat.

Scanderberchius in Italiam tranſmittit. Capvt II.

Pii Pontificis conatus, dies noctéſq; de bello pio aduerſus Turcas cogitantis, Neapolitani motus maximè retardabant: bellumq; quod Ioannem inter Renati filiū & Ferdinandum nouum Regem geri cœperat, Italiæ ſtudiis in ambos diſtractis, pleraq; Neapolitana nobilitate Aragonio imperio feſſa, & ad Andegauenſes reſpiciente. qua ſpe? quibus viribus? cæcus animi impetus effecit, vt certis dubia præferrent. Princeps Antonius Centillia Crotonis Marchio mutatione temporum liber, in vindictamq; præceps arma ſumpſit: & hoc Ferdinandi celeritate oppreſſo, denuoq; capto, Marinus Martianus Sueſſę Dux ſpreta regia affinitate Eleonora coniuge Ferdinandi ſorore, ſe rebellibus ducem præbuit. Graue id vulnus fuit: pleriq; eo exemplo concitati dederunt nomina. Tarentinus Princeps voto, primùm clamq;, deinde apertè: Antonius Caldora, Petrus Io. Paulus Soræ Dux ſimplicius. minoris nobilitatis numerus iniri non poteſt. Franciſcus Sfortia Mediolani Dux, quibus diebus Mantuani conuentus habebantur, conſilium Pontifici præſens dat, vti cum Ferdinando Rege vires iungat. eam expeditiſſimam fore viam ad Gallos pellendos. Italia pacata, cætera prona fore. Intra Barlettam Apuliæ vrbem Ferdinandus obſeſſus tenebatur, in repentino periculo metuq; haud ſatis ad reſiſtendum paratus. Lōginquo itinere, viis ab hoſte præoccupatis, auxilia terra mittere promptum non erat. Georgius Scanderberchius, perpetua felicitate bellorum, ea tempeſtate clariſſimus miſſis in Epirum legatis auxilio euocatur. cognitis ille mandatis Pontificiis, Ferdinandi precibus præclaram occaſionem de religione benemerendi, ſuumq; ſtudium probandi, non eſſe prætermittendam iudicauit. Præmiſſo Coico Stroſio propinquo cum quingentis equitibus, eodem ipſe proficiſci parat. commodum accidit, inducias annuas cum Turcis eſſe. Comparata claſſe Raguſam tenuit: quæ vrbs veteribus Epidaurus eſſe creditur. inde breuiſſimo traiectu Barlettam nauigauit. Aduentum eius hoſtes non tulerunt. continuo motis caſtris procul receſſerunt. auctus iis auxiliis Ferdinandus, Pontificiis & Mediolanenſibus copiis confirmatus, factis aliquot leuibus præliis ad Troiam caſtra promouit. hoſtes Nuceriæ ſtatiua habebant octo inde millibus paſſuum. Medio ſpatio mons Segianus aſſurgit: quem montem qui priores occupaſſent, facturi operæpretium videbantur. eodem conſilio Scanderberchius, & Iacobus Picininus Andegauenſiū partium primarius Dux contendunt. præcedunt Epirotæ expeditiores & intempeſta nocte profecti. Cum luce vtraque acies inſtructæ ad pugnam ſunt. dato ſigno concurritur pari animorum ardore. Pugna ad veſperam tenuit. victis demum cæſis atque fugatis Andegauenſibus, cum victoria, rerum ſumma atque imperii penes Aragonios ſtetit, vrbibus & oppidis, quæ ab hoſtibus occupatæ erant, breui receptis. Scanderberchius ſplendidè donatus, ac nominatim Trano vrbe, & Siponto à Ferdinando acceptis, milites hoſtium ſpoliis lętos atque ouantes vertenti anno, ex quo venerant, reduxit in patriam. Nouis deinde victoriis de Turcis clarior quam ante ac perpetua felicitate admirabilis, ad Aleſſium ditionis oppidum graui morbo oppreſſus ſeptimo poſt anno deceſſit. Iohanne filio relicto in Vene-

Venetorum tutela quidem, iuſſo tamen Neapolim contendere: ibiq; ad iuſtam ætatem ſuſtentare iis oppidis legatis, quæ dederat Ferdinandus nauatæ operæ præmium. Ab hoc Caſtriotti nobiliſſima familia propagata eſt in Italia, Siponti (vulgus Sancti Angeli ciuitatem vocat) in Apulia principatu. Epiri res continuo conciderunt. tantum ſæpe præſidii rebus eſt in vnius viri virtute, conſilioq;. vſque adeo vnus homo pluribus præſtat. Scanderberchii pronepos fuit Ferdinandus Caſtriottus, qui proximo ſeculo diſciſſis habenis ad Ticinum periit manu Franciſci Regis Galli cæſus. In Hiſpania Carolus Vianæ Princeps conceſſa à patre ſibi quiſque venia, pactuſq; vectigal annuum, vnde vitam ſuſtentaret, è Baleari Barcinonem appulit ad vndecimum Kal. Aprilis, ſalutis anno Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo. Ignarus ad exitium feſtinabat. de eius & Catharinæ 1460 Luſitani ſororis nuptiis agebatur, miſſis ab vtraq; parte legatis. Henrici Caſtellæ Regis arte res propemodum confecta, diſturbata eſt. legati ab eo, electus Mirobrigæ Epiſcopus ſacerdos quidam cucullatus, cuius nomen proditum memoriæ non inuenio, & Dieghus Ribera Regius metator, Carolo perſuadent, Iſabellam Henrici Regis ſororem Luſitano coniugio vti præferret. Inito fœdere Caſtellæ opibus à duro patre impetraturum quæ cuperet. Faciles ille aures iis verbis præbere. Ita Luſitani coniugii mentio intermiſſa eſt. Catharina Princeps ea ſpe depulſa, ſe Oliſipone in D. Claræ virginum cœnobium incluſit: ibiq; ad vitæ finem perſtitit: extincta deinde in ipſo noui coniugii apparatu, quo Eduardo quarto Regi Anglo deſtinabatur vxor. corpus in eadem vrbe ad D. Eulogii ſepultum eſt, teſtamentum curauit Georgius Acoſta virginis à prima ætate inſtitutor. qui illi gradus ad magnos honores fuit: & factus Cardinalis Romæ conſequenti tempore obiit. Carolus, conatu eius à Frederico maris præfecto indicato, Ilerdam vbi Catalauniæ gentis conuentus erant, Aragoniæ Fragæ, à patre Rege euocatus diſſuadentib. nonnullis, ac fraudem ſubeſſe diſputantibus cùm veniſſet, oſculo quamuis à patre exceptus, duci in cuſtodiam iuſſus eſt, Decembris die altero. graue id, eo amplius quod contra opinionem accidit. Dant animum ad loquendum liberè vltimæ miſeriæ. Vbi, inquit, regia fides nobis priuatim data, atque in commune conceſſa omnibus ad conuentus generales venientibus? " qua clementia à regio oſculo amplexuq; paterno, in vincla ferrumq; trador? Præteritæ " offenſæ quales eæ fuerint non dico: ſed condonatæ ſunt certè. noui quid cõmeritus ſum? " quid amiſi? An vlciſci filium, noſtroq; ſanguine cruentari paternas manus æquum videa- " tur? faceſſat tantum nefas. apage dedecus familiæ, ignominiamque. Hæc flagrans oculis, " contenta voce, quò latius exaudiretur, ita effudit vt aſtantes permoueret. plura dicere conatus in cuſtodiam ducitur. Fremere populus: nouercales fraudes accuſare: proceres inter ſe conſpirationes facere, iurati niſi Principe liberato haudquaquam quieturos.

Caroli Vianæ Principis obitus. CAPVT III.

CVm Mauris pax conſtituta, triennio fermè ſteterat: nunc hac occaſione laceſſita eſt. erant Iſmaeli Granatenſi Regi duo filii præ cæteris inſignes maximè, Albohacenus Boabdelinuſq;. otii impatientia & virtutis oſtentãdæ ſtudio Albohacenus, exercitu ſcripto, in quo equites duo millia & quingenti erant, pedites ad quindecim millia, in Bæticæ fines incurrit. Aſtapæ ager omni iniuria deformatus: pecoris ingens abactus numerus. Nunciato periculo Rodericus Pontius Arcobrigæ Comitis filius, adiũcto Ludouico Pernia, qui Vrſaonis præſidio præfectus erat, & collectis ducentis ſexaginta equitibus, peditibus ſexcentis, ad hoſtem pergit grauem præda, atq; vt in nullo tali metu cura ſolutũ. vires noſtris exiguæ erant: furoriq; ſimile fore videbatur, cum tanta multitudine dimicare. Maurorum pars Equarum flumen cum præda tranſmiſerat: in poſtremo agmine equitatus reſtiterat. Id Rodericus ex vicino tumulo conſpicatus, quamuis ſuis exhorrentibus certamen, ſigna canere iubet. truci clamore impetus factus in hoſtes: quem illi trifariam diuiſi conſtanter exceperunt. diu pugnatum. victi tandem Mauri ſunt. mille & quadringenti ceciderunt. è noſtris equites triginta, pedites centum quinquaginta deſiderati. Ea nocte ad Petræ fontem perſtitum. Proxima luce, dum legunt noſtri ſpolia, pecora catervatim redire vident. fraudem primo, & ex nube pulueris hoſtium aduentum ſuſpicati, deinde quod res erat, intelligunt, fugatis prę metu cuſtodibus, inſtinctu quodam naturæ ſolita paſcua repetere. eo lætior victoria fuit, ditiorque præda. per vrbes & oppida pro diuino munere ad omnia templa ſupplicationes decretę. ad eum modum violato à Mauris fœdere, ab vtriſque in alteros ſępe excurſiones factę ſunt, & latrocinia euentu haud memorabili. Ioannes Guſmanius primus Aſſidoniæ Dux Nieblæ Comes, Heracleam, quæ ad freti anguſtias eſt, bello repetere cogitat, patris calamitate infelicique caſu magis irri-

tatus quàm territus. Maior belli moles in Aragonium Regem concitata erat domeſtici: Catalauni quia Vianæ Principi libertatem reddi miſſis legatis non impetrabant, à verbis ad arma veniunt. Barcinone magno numero progreſſi, Fragam in Aragoniç finibus occupant. miſſus a Caſtellæ Rege Gonſaluus Saauedra cum mille quingentis equitibus conſternatæ multitudini animos addit. Ductor vniuerſi exercitus Catalauni Ioannes Cabrera Modicæ in Siculis Comes. Alia parte Ludouicus Beamontius ſe ad fines Vaſconum in armis oſtendit, in Aragoniam irrupturus, niſi æquiſſimo poſtulato eſſet ſatisfactum. Re neceſſaria Aragonius compulſus, filio libertatem reddit. Morella vbi detinebatur, dimiſ-
1461. ſum Kal. Martii anno Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo ad Villam frācam Regina nouerca deductum Catalaunis de manu tradidit. vt Barcinonem ipſa iniret, non eſt datum. Principis libertate poſitis armis, animi non conquieuerūt. Carolus Catalauni principatus hæres gentis conſenſu inuito patre eſt renunciatus. extortum præterea vti, quod Regum filiis maioribus dari erat ſolitum, rerum moderator eſſet vniuerſo imperio pro patre vicarius: Catalauni principatus arbiter cum ſumma decernendi poteſtate. quod patri grauiſſimum erat, nomine modò Principis retēto, nobiliſſimam imperii partem detrahi, imminui maieſtatē. Gens ferox & ingenii durioris, niſi his poſtulatis conceſſis quietura non erat. iis conditionibus retractandis multum tempus eſt extractum. Quo tempore de Caroli & Iſabellæ nuptiis maiori quam vnquam contentione actum: & quaſi re confecta à Carolo miſſi legati in Caſtellam, puellam regiam, matremq; ſalutatum iuere Areualum, Ioannes Cabrera & Martinus Cruillius viri præſtantes. Bellum in Vaſconibus erat. Carolus Artieda Lumbierem oppidum Caroli Principis libertate nunciata eius nomine occupauit. Alfonſus, qui Villæ Formoſæ Dux fuit, patris Aragonii Regis iuſſu eò profectus circumſedit: atq; omnibus operibus impugnare cœpit. parum præſidii in factione erat. miſſi à Caſtellæ Rege Rodericus Pontius & Gōſaluus Saauedra obſidionem diſſiparunt. maiore mole bellum parabatur. Cum Caſtellæ Reginam, quæ Arādæ ad Durium erat, ferre vterum vulgatum eſt. Eo gratior fama quod præter opinionem accidit. Procliuis in deterius hominum perſuaſio, vulgò iactatum à Bertrando Cueua grauidam factam, obſcuris tum rumoribus. confirmata deinde opinio rerum potiente Ferdinando Aragonio, ex fide an ad gratiam memoria etiam recenti dubitatum. In locum Petri Caſtellæ, qui Valliſoleti è ſcalis domi graui caſu, extinctus eſt, Guterrius certè Cueua, Palentinus Epiſcopus eſt creatus. id Bertrandi fratris gratiæ datum: qua vnus maximè in aula ea tempeſtate valebat. Alfonſus Fonſeca Præſul è curia ablegatur per ſpeciem honoris: vt quoniam Rex de bello Vaſconum cogitabat, ipſe Valliſoleti rebus gerendis vicarius præficeretur. callidi conſilii auctor, æmulus Villenæ Marchio, quò ſolus in aula dominaretur, cæteris maior. Eo propenſius fides habita eſt, quod ad proceres conciliandos ſuam operam pollicebatur, Toletanum & maris Præfectum. nam Calatrauæ Magiſtrum fratrem ſuum antea ſubduxerat è coniuratorum numero. Ergo Alfonſo Fonſeca Valliſoletum amandato, Villenæ Marchione in Carpetanos profecto, Arandam Calatrauæ Magiſter venit, duo millia & quingentos equites ſub ſignis habens. cum iis copiis Caſtellę Rex Almaſanum verſus iter intendit. magnus Aragoniis terror: ſed belli impetus in Vaſcones abiit. Lugrunium, quod oppidum in Riuogia eſt, Maio menſe eſt ventum. confluentibus vndique copiis aucto exercitu, in Vaſcones penetratum. oppida: S. Vincentii fanum, & Guardia dedita: Viana obſeſſa, ac multis diebus impugnata, dedente Petro Peralta Præfecto ac Magiſtro equitum venit in poteſtatem. Lerinum loci munitione defenſum eſt. ſic bellum in Vaſconibus gerebatur, non eodem ſemper euentu. nam Abarfuſa oppidum ab Alfonſo Aragonii filio vi expugnatum eſt, cæſo captoque Caſtellæ præſidio. Cum Carolum Vianæ Principem morbus lethalis Barcinone inuaſit: quē animi ægritudo ac perpetuæ curæ conciliarunt. ſic nonnulli crediderunt. Inter Beamontios conſtanti opinione vulgatum, lento veneno, quò fortuitus morbus putaretur, corrupta in cuſtodia vitalia fuiſſe. deceſſit nono Kal. Octob. qui dies Mercurii fuit Teclæ virginis memoria ſacer, veniam à patre ſub mortem precatus. Corpus ad Populeti ſepultum. vixit annos quadraginta menſes tres dies viginti ſex perpetuis ærumnis, quàm re alia nobilior. virtuti & eruditioni fortuna non reſpondit. Oſias Marcus Carolo familiaris in primis fuit, pangēdis lingua Lemouicēſi carminib. in paucis ea ætate celebris. ſermo incōptus acutus tamen, multiſq; ſententiarum & ingenii luminib. illuſtris. Ad familię clypeū gemini moloſſi rictu diducto feroces, vnumq; os contentione arrodētes, à Carolo Principe affixi fuerāt. Inſigni argumento Galliæ & Caſtellæ Reges ſignificabat: quorum importunitate Vaſconum regnum ferme conſumptū erat. Alia Principū funera extiterunt: Caroli ſeptimi Galli Regis ſucceſſore Ludouico vndecimo. Henrici, Luſitani Regis patrui, cælibe vita, nulloque

fœmineo

fœmineo contactu fœdata. Septem & ſeptuaginta natus annos Sagrę ſuæ ditionis oppido ad Algarbium deceſſit Idib. Nouembris. Corpus Lacobriga, vbi extemporario ſepulcro erat compoſitum, Aliubarrotam deinde delatum eſt. Supererat ex omnibus fratribus Alfonſus impari matre Brigantinus Dux. hic etiam vertente anno extinctus eſt, ex vxore Beatrice Nunnii Pereiræ filia, Ferdinando filio relicto: vnde Brigantinis Ducibus nunquam interciſa poſt eorum ſobole, generis origo.

Motus Catalauni. CAPVT IV.

CAroli morte ſublata diſſidiorum cauſa, neq; diſſidia ſublata. tametſi Ferdinandus extincti frater, Calataiubæ, primùm vbi Aragonii conuentus erant, paterni imperii hæres eſt renunciatus, deinde Barcinone deducente matre. ſpes ex eo nōnulla futuræ tranquillitatis vana euaſit, vrbana multitudine repente ad arma concitata, infenſis Aragonio proceribus. Dolis nouercæ innocentem priuignum, ſanctiſſimum iuuenem, circumuentum oppreſſumq;, clam & in circulis accuſabant. Indignum facinus, impium ſcelus commiſſum. Ioannes Gualbes è Dominicano ordine ſeditioſis concionibus populum inflammare amplius: impium atque crudele imperium euerterent armis. quoniam tantum nefas eſſet commiſſum, ſi ceſſarent ipſi, cælitus ipſorum ſanguine vindicandū: ſe & gentem ea religione expiarent ſumpta prius vindicta. Commota multitudine Regina ſe ex vrbe ſubduxit, quaſi Emporitanorum tumultus pacatura, re, quoniam maieſtatem publico offerre metuebat in tanto animorum motu. Gerundæ quorſum res euaderent, in Auſetanis expectare conſtituit. ab Aragonio prouiſa tempeſtate externi Principes ad ineundum fœdus ſolicitati ſunt: Galliæ Rex vt opem ferret petitum. Caſtellæ, ne certè noceret: & quando Carolus, pro quo arma ſumpſerat, defunctus erat, præſidia militum è Vaſconibus deduceret. Ille ſe Madriti dimiſſis copiis tenebat, vxoris partu lætus. quā lecticariorum humeris eò deferendam curarat, ineunte anno Milleſimo quadringēteſimo ſexageſimo ſecundo. proli Ioannæ nomen inditum: atq; in eius verba à cunctis regni ordinib. iuratum, 1462
ſi vita ſuppeditaret, hęredem regni futuram. vidit Caſtella quod vltimum in ignominia erat: regiæ ſtirpi inſertam, quam furto genitam fuiſſe vulgo fuerat perſuaſum. habitus præterea honos patri, mercesque ſtupri data. Bertrandus, Ledeſmiæ Comes renunciatus eſt. Regiæ procuratore in eius locum Andrea Cabrera amico eius & familiari. qui gradus illi ad amplas opes fuit, non abſque multorum obtrectatione, priuati paulo ante hominis creſcentem felicitatem malignis oculis intuentium. Aderant Armeniacus Comes à Gallo Rege de pace legatus, Toletanus Præſul reconciliata cum Rege gratia rerum arbiter. Iudicum conuentus ſingulis ſeptem diebus, in eius ædibus iuridicundo haberi cœptus. Aragouii legati pacem flagitantes, fœduſque, vt fieret peruicerunt tandem. Ad decimum kal. Aprilis hæ Madriti conditiones ſcriptæ. Caſtellę & Aragoniæ pax eſto. Arces Guardiam, Sancti Vincentii, Arcos, Ragam, Vianam, Caſtellę Rex retineto, datæ fidei obſides. cætera reſtituito. pręterea ad fines Vaſconum & Aragonię Iuberam Cornagumque, in Conteſtanis Eliocrotam tradito, Toletano Præſuli, Calatrauæ Magiſtro, atq; Ioanni Galindo quaſi ſequeſtris, Aragonioq; in poteſtatē tradituris, ſi à Caſtellæ Rege fœdus violatum ſit. Oliti vbi Aragonius ſe tenebat in omnes partes proſpiciens, cum Gallo fœdus factum eſt pridie Idus Aprilis ea lege: Vti Gallus ſeptingentos cataphractos equites auxilio mitteret, ducenta aureorum millia in ſtipendium. Dum ab Aragonio redderentur, Ceretani Ruſcinonēſeſque pignoris loco eſſent: in Galli poteſtate neque pro vectigalibus tamen annuis, quę pendere conſueuiſſent, aliquid deduceretur de capite. Quo fœdus ſanctius eſſet, Regum Galli, & Aragonii colloquium inſtitutum ad Saluaterram in ditione Bearnenſi. Fuxenſi Comiti expetenti datum, vt Blanca Caroli ſoror, ad quam Vaſconum regni iura deuoluta erant, eius in poteſtate eſſet. grauis iniuria cum regno libertatem eripi. Sed quid non peruertis funeſta dominandi cupiditas? Olito deducta eſt vti conuenerat. multum ſuperûm hominumque fidem obteſtata, datis ad Henricum mandatis afflictæ miſereretur. ad alias ærumnas eripi libertatem: mox vitam ereptum iri, niſi quid in eo præſidii ſit perituram. fraternæ certe necis ſuarumque miſeriarum condignas pœnas expeteret, priſtini amoris memor, infelicis quidem ſed coniugis tamen. In Orteſia Fuxenſis arce aſſeruata, veneno haud multo poſt periit nullo vindice. Necis iniuſtæ atque crudelis fama diu compreſſa. ærūnæ vitæ infelici exitu terminatę. quos premere fata ſeu vis altior cœpit, hos vrget. Corpus in vrbe Leſcare tumulatū. Aragonius Tudelæ erat. Henricus Rex per Segobiā Arandamque Alfarū acceſſit. Internuncio Villenæ Marchione fœderis cōditiones, quæ Madriti ſcriptæ erāt, cōfirmatę ſunt. Quo tempore

Regina Aragoniæ intra Gerundam obsessa à Catalaunis est tertio kal. Iunii de filio magis, quam de sua salute solicita. ductor multitudinis Hugo Rugerius Pallasius Comes. propugnator acerrimus Ludouicus Dezpuchius Magister Montesiæ. Capta vi vrbs. in arcem veterem cui Gerundelæ nomen, vbi se Regina inclusit, impetus factus. superuentu equitatus Gallici vitatum periculum; vrbs etiam seditiosis ablata. Aragonius ad periculum aduolauit, de vxore filioque solicitus. multis locis prælia facta. incondita multitudo par militi veterano non erat. multis vrbibus & oppidis captis Barcinonem regia castra sunt promota. Castellæ Regina nouo sed immaturo partu de vita Arandæ, vbi relicta fuerat, periclitata. Solis radio per vitream fenestram scilicet capilli arserant. repentino terrore fœtus vtero excussus. tristis ex ea re nuncius lætitia mutatus breui est. Bertrando Ledesmiæ Comiti minor Marchionis Santillanii filia vxor data. nuptiæ maximo apparatu Regis & Reginæ præsentia Caracæ celebratæ sunt. Regina inde Segobiam amādata, Rex Atiensam abiit venatione, cui studio regio idonea est, animum remissurus. Ad eum Augusto mēse Caponius Barcinone legatus, si auxilia mitteret, tueretur que tumultuantes, gentis principatum est pollicitus. Magna res moueri videbatur. consilio habito duo millia & quingenti equites in auxilium missi, notis tramitibus in fines Catalaunos peruenerunt. cum spe defensionis animus multitudinis creuit. quę promiserant prętitere. Henricus Barcinonensis Princeps proclamatur: eius nomine pecunia signatur. Commota semel audacia gentem in præceps dabat. noua lætitia Henrico Regi allata: à Ioanne Gusmanio Assidoniæ Duce Heraclea capta de Mauris: à Calatrauæ Magistro Archidona. ad alia regnorum nomina publicis tabulis Heraclea adiici placuit, Abomelici Mauri exemplo: quem ex Merinorum familia se Heracleæ, hoc est, Gibraltaris Regem dixisse superioribus annis, monstratum est.

Regum Castellæ & Galliæ colloquium. CAPVT V.

ALię è Castella militum manus in Valentinos & Aragonios fines immissæ. ingens trepidatio terrorque. Aragonius ad periculum accurrit. Exhaustis atque exanguibus extorqueri imperium, & libertas potuit si quantę vires Castellæ erant, tantum ardoris
1463 Henrico fuisset. eius conciliandi pręcipua Aragonio cura. Principio anni sexagesimi tertii à Gallo Rege maris Gallici Præfectus Almasanum, vbi Henricus erat, legatus splendide acceptus atque habitus est. lauta conuiuia fuere, varii ludi. choreas ad lyræ modos pedibus, nunc plures, nunc cum singulis virginibus aulici singuli plausere. cum Regina Rege spectante iubenteque Gallus legatus, fine tripudio imposito obtestatus iureiurando est, habiti honoris memorem se cum alia fœmina nunquam choream ducturum. Si fallo, vindicate superi. Vt Reges Castellæ Galliæque inter se conuenirent decernitur, de cunctis controuersiis disceptaturi coram. vti conuenerat, sic est factū. ad Fonterrabiæ fines mense Aprili extremo colloquium fuit. cum Gallo Gastones pater, & filius Fuxenses Comites, Dux Borbonius, Turonensis Archiepiscopus, maris Præfectus erat. cum Hispano Episcopi Toletanus, Calagurritanusque, Villenæ Marchio, Alcantarę Magister, Prior Hospitalarius splendido cultu, ac plane singuli regio. ante omnes Ledesmię Comes, aurum distinguentibus gemmis peculiari nitore fulgebat. viles Gallorum vestes erant, Regis maxime: vnde scommata dicteriaque. Vedasum flumen multis cymbis à nostris traiectum: quod Gallicæ maiestati datum puto. nostrates historici factum affirmant, quoniam id flumen ad Hispanorum ditionem totum pertinet. Eo congressu sententia à Rege Gallo, cui rerum arbitrium permissum erat, quam Baionæ pronunciarat, recitata denuo est. Eius hæc summa capita fuerunt. Vt Castellæ copiæ è Cataulaunis, præsidia è Vasconibus deducerentur. Stella cum oppidis ei vrbi contributis Henrico cederet in parte Vasconum. Aragoniæ Regina filiaque Ragę, datę fidei obsides essent in Toletani potestate. Eo decreto vtraque gens offensa, Vascones maxime: quorum insigni detrimento fœdus factum querebantur. nullo maiori fructu ex eo conuentu est discessum. Verum de re tota, ac vero de toto hoc colloquiorum inter Principes genere Philippum Comineum nobilem in paucis huius ætatis Gallicæ historię scriptorem, veteribus comparandum præ-
,, stat audire, ex Gallico meis verbis loquentem Latine. Stulte inquit, pari potentia Princi-
,, pes faciunt, cum in colloquium conueniunt ipsi: decursis præsertim adolescentiæ annis,
,, iocisque & lusibus, quibus ea ætas est dedita, ęmulatione succedente. Neque sine pericu-
,, lo inuicem contingat: neque si id absit operępretium aliud sit, quam inuidia, odiumque
,, maius. vt cōmodius sit cōtrouersias inter Reges, & si quid aliud negotii est, per legatos
,, viros prudētes componi. Multa me vsus docuit. ex iis quędam exēpla proferre commo-
dum

dum arbitror. Nullæ prouinciæ in piorum natione maiori fœdere deuinctæ sunt, quam Galliæ Castella, amicitia Regũ cum Regibus, gentis cum gente omnibus execrationibus sancita. ea amicitia freti Rex (Ludouicus Galliç eo nomine xi) paulo postquam regium insigne desumpsit, & Castellæ Rex ad fines vtriusq; prouinciæ conuenerunt. Henricus Fonterrabiam accessit, septus splendido comitatu. magnus D. Iacobi Magister, Toletanus Archie. sequebantur, ante alios Ledesmiæ Comes Hẽrico intimus. Rex Gallus ad D. Ioannis fanum restitit, multis de more proceribus stipatus. pleriq; ex vtraque gente Baionæ erant, primo aduentu rixati grauiter. Affuit Regina Aragoniæ, cui cum Henrico lis erat de Stella aliisque Vasconum oppidis Regis arbitrio permissa. Ad fluuii quo ab Hispanis Gallia dirimitur, citeriorem ripam semel aut secundo sunt collocuti breuissime: quantum D. Iacobi Magistro & Toletano est visum: penes quos rerum arbitrium erat. Eo à Rege magnis culti officiis sunt, ad D. Ioannis oppidum accedentes. Ledesmiæ Comes auro intexto velo fluuium transmisit. cultus par ocreæ elegantes gemmisque distinctę erant. Henricus fœda facie, vestium forma ineleganti ingrataque Gallis Rex noster vili cultu conspicuus, breui veste, galero vulgari plumbea imagine assuta. Inde dicteria sannæque: cum Hispani sordes & auaritiam interpretarentur. sic nullo operæpretio conuentus solutus est: nisi quòd inter vtrosque proceres eę conspirationes sunt factę, quibus Henricum ad mortem vexatum, desertum à suis & ad miseram conditionem redactum ipse vidi. Aragoniæ Regina, pro Henrico à Rege nostro pronunciatum dolebat: tametsi bello Barcinonensi laborantibus tulit opẽ. excepit ex eo nouũ inter Aragonios & Gallos bellum, ad hanc diem sedecim iam annis continuatum. Ad alia est progrediendum.

Petrus Lusitanus à Catalaunis euocatur. CAPVT VI.

AFfuerunt colloquio Principum Cardona & Coponius Barcinonenses lagati: suamque gentem contra fœderis fidem iniuria deseri conquesti sunt nullo fructu. eorum vocibus aures Principum maioris compendii spe erant obturatæ. Tolosæ in Guipuscoa Gaon Iudæus populi concursu interfectus est pridie Nonas Maii: quod Regis pręsentia fretus, ad Fonterrabiam se tenentis, vectigal exigeret, cui postulato nomen est: de quo magnę olim contentiones genti extiterant. nunc immunitatem imminui ægre ferebant. Impune id facinus fuit. quin Segobiæ, quo paulo post se Henricus contulit, inter duos monachos contentio grauis exarsit. affirmabat alter pro concione, multos è piorum numero ad Iudaicam superstitionem traduci: liber cum Iudæis atque Mauris conuictus carpebatur. & sane multi ex vtraque gente à nostris alieni in aula, & per prouinciam libere vagabantur. negabat factum monachus alter, ad gratiam Principum magis quam ex vero: sic arbitror. Nunquam in Hispania maior labes morum & temporum fuit. Hispalis ciuili tumultu æstuabat. Alfonsus Fonseca maior Ecclesiam propinqui fidei datam repetebat: sic iura sancire: sic moribus susceptum: sic Romanum Pontificem iubere. Populo & nobilitate in partes distractis tumultus erat: ac periculum, ne pars cum parte dimicaret. Accurrit magnis itineribus Henricus. Ecclesia Alfonso seniori reddita, de sex pręcipuis seditionis auctorib. capitis suppliciũ sumptũ. A Lusitano valida classe repetita Africa. secuti sunt, Ferdinandus frater, Petrus patruelis equitum Magister. Catalauni Castellæ pręsidio nudati, Gallis atque Italis ab Aragonio occupatis, quod vnum supererat, longinqua auxilia euocare constituũt. Petrus Lusitanus equitum Magister Septa ad capessendum gentis principatum inuitatur, sibi debitum quoniam Vrgelitani Comitis maiori filia natus erat. desperata causa iura obsoleta tentantur. paret ille: conscensisque nauibus ad Barcinonense litus appulsus ad duodecimum kal. Februarii anno Millesimo quadringente- 1464
simo sexagesimo quarto, continuo Barcinonensis Princeps, Rex Aragonius proclamatus est. Inanis sine viribus audacia. honos exitio fuit. Petri quidem discessu, in Africa Lusitanæ vires imminutæ. Tingis tentata. repulsi cum cæde nostri à Mauris. Irruptiones in vicinos agros factę: nulla ad memoriam insignis: nisi quod ad Benasam montẽ Rex ipse Lusitanus cum copiis omnibus magnum periculum adiit. Eduardus Menesius de salute Regis solicitus, dum nullum virtutis finem facit, in conflictu periit. cecidere alii. Postremi agminis defensi laudem Villęregiæ Comes tulit regio etiam testimonio: ad se enim venienti, Hodie, inquit, penes te vnum fides perstitit. Henricus Hispali Heracleam concesserat. eo Septa soluens Lusitanus venit eius inuitatu. dies octo in ea vrbe consumpti. Ab Henrico Rege Astigi in Granatenses fines penetratum est: neque discessum, nisi vectigali accepto, quod Mauri pacti antea erant, aliisque magnificis muneribus allatis. Sic per Giennium vbi Irantius Magister equitum limiti præfectus erat, Madritũ festinatum.

Lusitanus Gadalupeo in tēplo vota soluturus eo venit. Ad Archiepiscopi pontē, in Carpetanorū finibus, eius & Henrici Regis colloquio affuit Regina Castellæ virū comitata, inuisura fratrem. Eo congressu gemina coniugia pacta cum Lusitano eiusque filio atque hærede, Isabellæ sororis Ioannæque filiæ Henrici Regis. dilatas in aliud tempus nuptias, mora tandem disturbauit. Aragonium imperiū Lusitano præstantius Castellæ imponere numina destinabant, non sine magno tamen ac diuturno Hispaniæ motu. quę mala ingens ventorum procella Hispali portendisse visa est, quantam non meminerant. par boum cum aratro per aera suspensum. E D. Augustini turri decussa campana, proculque proiecta: annosæ arbores euulsæ: ędificia multis locis labefactata: armatorū acies in cœlo visæ inter se concurrere: siue vera species fuit, siue pręstigiæ. nam à pueris tantum visas memorant. tres aquilę rostris & vnguibus diu in aere cruenta pugna dimicantes, exanimatæ exanguesq; ad terram decidere. His ostentis mortalium mentes in vota precesque conuersæ sunt, si forte numinum iram placarent.

Procerum Castellæ conspiratio. CAPVT VII.

TOletanum Paciechumque inuisos Henricus habere cęperat, cōtrouersiis Aragoniis haud satis fidos expertus. Itaque neque in Bæticam euntem secuti erant, neque ad Archiepiscopi pontem Regum colloquiis interfuerunt. quin vim veriti, aut simulato metu Madrito Complutum concessere. adiuncti mox maris Præfectus, Manrici reguli, Calatrauę Magister accessere paulo post Albæ, Placentiæque Comites Paciecho ad eos alliciendos occulte profecto. Aragonius magnis promissis ad idem fœdus est pertractus. Hęc sæuę tempestatis prima fundamenta fuerunt: qua diu vniuersa Hispania iactata est. Honesta aliqua coniurandi causa quærenda erat: optima visa est, Ioannę Principis abdicatio. quasi ex adulterio natę, Alfonsum & Isabellam regios fratres, qui Maquedæ cum matre erant, in potestatem vindicandi, idoneos arbitrati, per quos ima summis confunderent, turbarent omnia. Expetente Rege, datisque obsidibus Paciechus Madritum rediit, simulata beneuolentia, dolis & fraude armatus, proceres alios à Rege alienare satagens. Alfonsi Fonsecæ capiendi consilium dat, nisi eo amoto, se in aula tuto versari non posse causatus. Rege persuaso, geminata perfidia præuaricator Alfonsum imminentis periculi admonet. dictis ille fide habita, fuga subductus ad coniuratos re necessaria transiit. Ferocior Paciechus, Segobiæ, quo in æstiua itum est, die in regiam cū armatis impetum facit, ad Regem & fratres capiendos, refractis etiam conclauis foribus, quoniam id non successit Rege & Bertrando in penitiorem, atque munitiorem ædium partem in repentino metu subtractis, tenebris tantum facinus noua fraude tentat. Aderat nox: coniurati mutua fide læti expediebant arma: cum indicio facto vitatę insidiæ sunt. auctor sceleris in aula erat. ferro vinciendum plerique suadebant. Regem tanta socordia inuaserat, vt inanem clementiæ speciem saluti præferret, cum negaret fide publica tutum, violari æquū fore. sic periculum in præsentia vitatum: in peius tamen ruere omnia cęperunt. Bertrandus tantum Diui Iacobi Magister institutus est, concedente Romano Pontifice: fremente populo eum honorem Alfonso Principi Regis fratri iniuria detrahi. Sed audacia tamen Paciechi nullo alio supplicio præterquam æmulo aucto vindicanda videbatur. Nouo conatu tentatum, si insidiæ procederent, Rege Villacastinum per speciem colloquii attracto. Id etiam periculum indicio facto vitatum. Burgis, quo se coniurati detecta fraude contulerant, ciuium parte in fœdus attracta, contumeliosæ literæ ad Regem sunt datæ. earum hæc capita erant. Mauros apud eum versari, flagitiorum omnium impunitate concessa. Magistratus venales esse. D. Iacobi Magisterium Bertrando iniuria datum. Ioannā adulterio natam, regni hęredem contra fas & auspicia esse renunciatam. hæc si mutata essent, libenter posituros arma. Lectæ eę literæ Vallisoleti: neq; Regis tamen magnopere commotus animus. Excæcat diuina vindicta mētem, cum vim suam retūdi non vult, præposteris voluptatibus vires eneruatæ erant corporis atque iudicii. Aderat Barrientus Conchen. Episcopus: palamque armis vindicandam iniuriā propemodum cum conuitio hortatus, nil tamen profecit: obtestatus quamuis, quoniam salutaria monentibus parere recusaret, eum prę omnibus Hispaniæ Regibus ludibrio futurum, sera atque inutili pœnitentia præsentis ignauiæ. Concordiæ spes tentata denuo, quando displicebāt arma. Cabeçonium inter & Cigales, quę oppida in Vaccæis sita sunt, cum Henrico Paciechus qua fronte? qua simulatione? sed diu in patenti cāpo remotis arbitris collocutus, his conditionibus pepegit. Vti Alfonsus frater regni hæres esset iure suo, Ioanna vxore. Bertrandus se Diui Iacobi Magisterio abdicaret. Quatuor rerum arbitri essent, bini ab vtra-

que

que parte delecti. Alfonsus Oropesa ordini Hieronymiano Præfectus, quintus accederet. Quod maior pars in iis controuersiis sanxisset, id ius fasque esset. Fœdere facto Alfonsus Segobia in castra regia deductus est, annos vndecim natus. In eius verba à cunctis qui aderant, iuratum, Bertrando Alburquerquium Ducis nomine datum, Cuellar, Roa, Molina, Atiensa. quibus oppidis annui reditus in Bætica additi ablati honoris haud iniqua compensatio. Dati arbitri à coniuratis Paciechus & Placentiæ Comes: abs Rege Petrus Velascus, & Gonsaluus Saauedra Paciecho infensi Toletanus, & maris Præfectus Paciechi odio Regi conciliati sunt. breuis ea gratia fuit: aut vt vulgo creditum est simulata ad tempus. Alcantaræ Magister & Metellini Comes cum copiis abs Rege euocati sunt, ad quatuor iudicum potentiam comprimendam armis: à quibus perturbate omnia gerebantur. & verebatur Rex, si sententia esset pronunciata, ne inane illi imperii nomen relinquerent: cętera auferrent. Vnus ex eo numero Gonsaluus Saauedra, & pari perfidia Aluarus Gometius qui Henrico à secretis erat, eoque quamuis obscuro genere in Carpetanis Maquedam, Turregionium & Syluestri fanum adeptus erat, à Rege euocati sunt. Venientibus magno metu à quibusdam proposito, si Regi se crederent, persuasum est tũ his duobus, tum Alcantaræ Magistro, & Metellini Comiti, vti se ad coniuratos cum copiis conferrent. Ea re cognita, Turregionium Petro Ariæ ciui Segobiensi, cuius pater ærarii rationibus pręfectus fuerat, expugnandum conceditur. Petrus Velascus coniuratis se adiungit, ægre quamuis, patre Hari Comite filii leuitatem ferente: prorsus vt neque milite neque pecunia iuuaret: solusque aut cum paucis inter alios proceres viseretur. Quo tempore Pius Romanus Pontifex Anconæ Piceni vrbe decessit nonodecimo kal. Septembris. Conuocatis toto orbe Principibus ad pia arma, tentata quamuis valetudine eò delatus fuerat subeuntibus inuicem satellitibus lecticam, transmisso mari Supero, bello Turcico Dux futurus. ingens animi confidentia. breuis pontificatus fuit omnino annorum sex, ingens gloria. eius tamen obitu totus apparatus euanuit. In eius locum festinatis comitiis Petrus Barbus Cardinalis natione Venetus cooptatus est, tertio Kal. Sept. Pauli secũdi nomine vigẽte adhuc ætate, septimũ & quadragesimũ agẽs annum, propenso in Hispanam gentem animo, rebus in Castella asperis Henricũ ope, & auctoritate iuuit.

Aragonia bella. CAPVT VIII.

PEtri Lusitani aduentu, Catalaunis maiores viribus animi accessere spei aliquantulum, metus amplior, quippe victis aduersus eos qui sæpe vicerant pugnaturis: obstinatio maxima. Ilerda longa obsidione fatigata, vsto direptoque circum agro deditionem Aragonio facere compulsa est. multis vno tempore partibus belli flamma oppida, agrique vexantur. fœda rerum facies atque miserabilis. Ioannes Cæsaraugustanus Episcopus alter Aragonii filius ex impari matre præcipuus belli dux, armis quam infulis aptior. Burgundionum manus auxilio Petro missa est à Philippo Burgundiæ Duce, exiguum rebus præsidium: sed eorum aduentu tamen, copiæ Catalaunorum Minoresam conuenere, quod oppidum Manresa hodie est, duo millia peditum equites amplius sexcẽti. Cerueram oppidum pro Aragonio Pradis Comes obsidione vrgebat. Obsessis fame & rerum inopia oppressis, ac de deditione cogitantibus Petrus opẽ ferre constituit. ad Vasconũ fines Aragonii castra erant, motibus eius gentis pacandis intenti. Cum copiarum parte Ferdinandus filius festinare, seque cum Pradis Comite coniungere iussus est. tenera quamuis ætate ac omnino tredecim annos natus in eo bello tyrocinia posuit. sic in castris educato ad literas addiscendas otium non fuit. Ad Regis prata (loco nomen id est) Lusitana castra promota, prælio dimicandi destinato animo. sic exploratores nunciabant. locus vicinus erat. Ferdinandus rebus omnibus instructis, comparatisque, ad hostem pergit: tumulumque occupat, vnde in hostium castra despectus erat. idem Lusitanus facit: vicino colle castra munit, pugnam vt videbatur detrectaturus. acies ad pręlium instructæ tamen. In primo agmine Petrus Deza curabat: sequebantur Burgundi modico interuallo proximi. In secundo agmine Bertrandus & Ioannes Armendarii Vasconibus & Castellæ militibus duces dati. Postremum agmen ipse Petrus Lusitanus ductabat. Ferdinandi copiæ minori quamuis numero septingenti equites, mille non amplius pedites, hoc modo ordinatæ. Prima acies Pradis Comiti commendata, Hugone Rocabertio Ampostæ Præfecto, & Matthæo Moncada dextra læuaque munientibus. Henricus Henrici Aragonii filius in subsidiis collocatus. In postremo agmine cum multis proceribus Ferdinandus substitit. Peditibus Bernardus Vasco præfectus, ac montes vicinos radere iussus est: ne ab aperto latere impeterentur. Priusquam pugnæ signum proponeretur, nobiles aliquot à Ferdinando balteo militari donati sunt. Truci mox clamore edito pugna

à precursoribus inchoatur. primum ac secundum Lusitani agmen loco mota disiectaque Aragoniorum virtute. perculsis parum præsidii fuit in postrema acie, vbi Petrus Lusitanus erat, roburq; copiarum. Effusa fuga facta, peditum per vicinos montes, equitum per plana. Petrus Lusitanus posito paludamento, atque victoribus immixtus, proxima luce euasit incognitus. Burgundi, in quos primus impetus factus est, ad vnum ferme cæsi: nam in primo agmine dimicabant: & referre pedem in pugna gentis instituto in rebus turpissimis habent. Ex aliis plerique capti. in iis Pallasii Comes, belli præcipua fax. pugnatum 1465 est pridie kalend. Martii anno Millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto. eò victoria lætior quod paucis ex Aragoniorum numero vulneratis, nemo cecidit. Petrus Minoresam sese retulit. à Bertrando Armendario Ceruera oppidum, parte victi exercitus in illud inuecta munitum, nihilo minori animo, quam si victor extitisset. In Emporitanos vis belli conuersa, meliore quoque Aragoniarum partium fortuna quam Lusitani. victorib. cætera fore procliuia videbantur: eò amplius, quòd Beamontiis ad officium reuocatis, Vasconum tumultus tãdem cepisse finem videbantur. Ludouico Magistro equitum defuncto, Ludouicus & Carolus eius filii venia donati, bonis & honoribus pristinis restitutis. idem Ioanni Beamontio concessum Priori in Vasconib. Hospitalario, Ludouici Magistri equitum fratri. Regni hæreditas Gastoni Fuxensi confirmata, atque Eleonoræ vxori, iam Vianæ Principibus. Ismael Rex Granatensis cum opimæ pacis bonis florere cœpisset, diem obiit septimo Idus Aprilis, qui dies Dominicus fuit, Arabum anni Octingente. sexagesimi noni, mensis Xauam dies decimus. Successit in imperio Albohacenus filius magno vir animo atq; militari virtute præstans. huic duæ vxores fuere, altera stirpe Maurica, vnde Boabdiles filius est natus, cui Regi Paruo, deinde nomen fuit: altera Christianis sacris eiuratis Zoroyra nomine, filios peperit Cadum Nacremq;. hi Ferdinando Rege Catholico, quo tempore Granata capta est, nostri sunt effecti. maiori Ferdinando nomen inditum: minori Ioannis. mater filiorum exemplo ad nostram religionem reuocata Isabellæ nomen suscepit. Albohaceno Rege pax aliquandiu cũ ea gente fuit, Irantio Magistro equitum Giennensi limiti præfecto, Astigi Martino Corduba. Ferdinandus Neapolitanus Rex, victis ac profligatis hostibus tum domesticis tum externis imperium in Italia confirmabat. victus ad Sarnum in Campania insigni prælio cum hostibus facto ante annos quatuor, reparatis viribus adiutusq; nouis à Pontifice Romano, & Mediolanensi Duce copiis, atque Scanderberchio, vti antea dictum est, vertente anno, ex quo victus erat, hostem exultantem compresserat, ad Troiam Apuliæ vrbem acie victum. neque prius constitit, quàm Lotaringio Duce in Aenariam insulam pulso, procerum motib. compressis, prouincia pacata: sic vt Lotaringius rebus desperatis, inglorius in Galliam abire fuerit compulsus, par virtute maioribus, insigniq; probitatis fama, fortuna haud dissimili. Ad hunc modum Ferdinandus procerum Neapolitanorum bello finem imposuit, ancipiti atque diuturno: triumphumque nobilem de victis hostibus Neapolim inuexit octauodecimo kalend. Octobris. Ingredientem populus & proceres nullo non honoris genere cumularunt. gaudii lætitiæque signa promiscuè præbita sunt. Isabella Regina victoriam superis acceptam referens, templa adire paruos liberos præ se agens, ad omnia altaria procumbere, vota soluere, supplicia facere insigni pietate fœmina, dignaq; cui longior vita, & victoriæ fructus diuturnior contigisset, fataq; extenderent vitæ tempus. ferme in ipsa pacati regni lætitia extincta est. Ferdinandus pace parta, rebusq; ex sententia compositis, supra triginta annos regnauit. multa bella pro sociis, atq; amicis suscepta, gestaq; fortissimè eius ductu. Turcæ quoq; qui Hidruntem, bonamq; Salentinorum partem ex improuiso adorti occupauerat, Alfonsi filii virtute atque opera victi, Italiaq; expulsi sunt. Si quibus artibus initio regnum sibi comparauit, easdem in pace otioq; retinuisset, vt maximè felix est habitus, sic inter bonos Principes numerari potuit.

Alfonsus Castellæ Rex renunciatur. CAPVT IX.

CAstellæ motus haudquaquam conquieuerunt, AlfonsoRegis fratre in procerum potestatem contradito. quod ad concordiam videbatur excogitatum esse præclarè, maioris mali occasio extitit: malis consiliis pares adepti exitus. Rex Cabesonio, vbi colloquium fuerat, in Carpetanos discessit: coniurati proceres Placentiam: Calatrauæ Magister in Bæticam abscessit: vbi Vrsaonem ditione obtinebat (Vreniam in Vaccæis) eã gentem ad arma concitaturus, vario vir & inconstanti ingenio, amicitia parum firma, sancti honestique non tanta cura, quantum studium assequendi eius, quod destinasset animo. Valensolæ Priori Hospitalario is honos detrahitur. Giennẽsis Episcopus bonis spoliatur.

fides

fides malo fuit, grauissimum apud desciscentes crimen. vniuersa prouincia ad sociandas vires populi solicitati: reguli maximè, vt cuiusque res erant, multa iis pollicendo, magno numero ad commune fœdus inuitati, pertractiq; sunt, Hispalenses, Cordubenses publicè: Assidoniæ Dux, Arcobrigæ Comes, atque Alfonsus Aquilarius priuatim. Prouisa Hẽricus tempestate, Madriti de summa rerum deliberaturus, concilium aduocat. Ecquid facto opus sit rogat? num sumenda arma? an quando priora consilia non processerãt, noua concordiæ via tentanda? Toletanus cæteris tacentibus Alfonsum repetendum esse ait. Securæ pacis, certumq; pacti nuper coniugii pignus, apud quem melius quàm apud fratrem, & mox socerum futurum? nisi morem gesserint armis contumaciam vindicandam. In eam rem Salmanticam festinandum, bello computando ex propinquo opportunam ciuitatem. Syncero hæc animo dici videbantur: itaque aliorum consensu etiam expresso, ac nemine eorum, qui meliora iudicabant contra mutire auso, cùm non ratio, non æquitas dominaretur, sed vis & potentia, legatione ad proceres missa, militares copiæ Salmanticam conuenire iussæ sunt: quo Rex iuit. Inde Areualo, quod à proceribus occupatum erat à Rege obsesso, Toletanus persona detracta Abulam (quam vrbem paulo ante & Medinæ Campestris arcem ab Henrico expresserat ipsius præsidio teneri) proceres euocat. eodem ipse contendit. à Præfecto maris, ex composito Vallisoletum occupatur, belli sedes futura. Ad nouæ calamitatis & maioris periculi nuncium, Rex torpore tantisper discusso, remotis arbitris atque in genua procumbens, protensis ad cælum manibus, his verbis Deum compellasse fertur. Tuam Christe Rex, opem, per quem Reges regnant, & iura imperandi stant, supplex imploro: tibi fortunas, vitamq; committo, illud precatus modo, vt vindicta, quam minorem sceleribus esse fateor, mihi priuatim salutaris sit, data tuo munere constantia animi: minimoq; reipublicæ incommodo luatur. Hæc dixit: simul citato itinere se Salmanticam retulit. A coniuratis procerib. ingens facinus designatum. horret animus tantam nostræ gentis ignominiam recordari. sed dicendum est tamen: vt discant Reges hoc exemplo sibi primum, deinde subditis imperare: commotæ multitudinis quantæ sint vires: fulgorem regii nominis opinione potius, quam virib. stare. neque Regem, si propius inspicias, esse aliud, quam hominem deliciis emollitum, purpuræ splendore magna vlcera tegentem, molestiasq; graues. si ministeria detrahas, eo infirmiorem quod molli otio deditus imperare didicit non facere. Pro Abulæ mœnibus in patenti campo suggestum ex materia ædificatum est, imposita Henrici statua, cum trabea, reliquoque regio ornatu. conuenere proceres, infinitaque populi multitudo. Voce præconis, grauissima Henrici crimina publicata. ad singula sententiæ capita, statua sigillatim omnibus regiis insignibus nudata, ac tandem cum verborum contumelia in præceps est data. Nonis Iunii Mercurii die id accidit. Alfonsus, qui toti actioni aderat, suggesto impositus, atque humeris procerum elatus, Rex proclamatur Castellæ, regiis vexillis de more explicatis, atque Alfonsi & Castellæ nominibus promiscuo multitudinis clamore ingeminatis. Tanto facinore euulgato, non vna opinio fuit: aliis laudantibus, plerique factum accusabant. non sine exitio imperia mutari: neque geminos Soles in orbe esse: neque vnam prouinciam duos summos rectores tolerare. Burgi Toletumq; procerum auctoritatem continuò secutæ sunt. non pauci proceres Henrici causæ ardentius fauere cœperunt. post ignominiam misericordia successerat, & emendaturum putabant: quæ in moribus, quæ in repub. deprauata erant. Garsias Toletus Albanus Comes, iam antea conciliata gratia, præsto affuit, cum equitibus quingentis, peditibus mille. Regina Isabellaque ad Lusitanum ablegantur: si gratia, & auctoritate auxilium mitti impetrarent. Guardiæ ad Lusitaniæ fines colloquium fuit. præter verba nullum operæpretium. Coniuratorum copiæ Vallisoletum conuenere, regiæ Taurum. illæ obstinato animo: hæ numerosæ magis quam validæ. A coniuratis Penafloris mœnibus prostratis, Septimancæ obsessa, haud minori periculo obsidentium, quam obsessorum, propter Galindi virtutem: qui Tauro missus cum tribus equitum millibus, in oppidum est inuectus, tanta confidentia animorum, hostiumque contemptu, vt à calonibus per ludibrium sententia in Toletanum pronunciata, eius statua per plateas tracta, atque combusta fuerit. exiguum illatæ ad Abulam contumeliæ leuamen: impar vindicta facientium iniuriam accipientisque conditione non eadem. obsidio soluta. Nouis confluentibus copiis numerosus exercitus Tauri conflatur, octoginta peditum millia, equitum quatuordecim. cum iis copiis versus Septimancas itur. Ex itinere Ioannes Carillius ex hostium numero dux, in tumultuario conflictu vulneratus captusque ad Tordesillam, aduocato Henrico insidias eius capiti parari cum animam ageret, renunciauit: coniuratorum etiam nomina remotis arbitris edi-

dit:quæ Henricus perpetuo silentio texit,fortassis in gratiam, aut ex odio indicium confictum quamuis à moriente ratus.regia castra Vallisoletum promota. oppidum copia defensorum munitum expugnari non potuit:& regios torpor quidam occupauerat, incredibilis pudendusque exemplo rectoris.In agro vtriusque partis consensu, Henrici Regis, & Villenæ Marchionis colloquium fuit. multa promissa, nihil præstitum. Regi tamen persuasum,vt quoniam tantis sumptibus pares facultates non essent, copiæ dimitterentur. breui Alfonsum regio nomine abdicato, cum aliis proceribus, in eius potestate fideque futurum. Sic milites ab vtraque parte dimissi. Proceribus quamuis nullo operæ pretio facto,ingentia præmia data Medinæ Campestris sunt. Episcopo Calagurritano Petro Mendozę decumarum tertia pars:quę Regibus Caracæ atque in eius oppidi agro obuenire solita erat. Santillanio fratri in Asturibus Sancti Emeterii oppidum (Santanderium vulgo dicitur) Medinæ Celinę Comiti Agreda, Albano Carpium, Osorio Trastamarę Comiti Asturica in Calæcis Marchionis nomine. aliis proceribus alia dono data sunt. Coniuratis Areualum profectis,Vallisoletum ad regiam ditionem rediit. Alfonsus captiui instar tenebatur. Redire ad fratrem cogitāti minæ intentatæ: periturum veneno, nisi regnaret. miseram conditionem imperii, à subditis occupati inuersique in contrarium. De concordia tamen nouo conatu actum est. si Isabella Princeps Calatrauæ Magistro nuberet firmiores in fide fore pollicebantur, quam re alia, eum fratremq;: penes quos belli & pacis arbitrium esset. Auctor consilii Fonseca Hispalensis. Consensit Rex.re constituta,Duceque Alburquerquii,atque Calagurritano Episcopo è curia amandatis,iis infensus Magister Calatrauæ aduocatur. Iacebat Isabella ægro animo, luctu oppressa, vt in tali metu indignitateque. Cubiculo Præfecta Beatrix Bobadillia pro iure familiari, Ec- ,, qua mœroris causa sit rogat. Cum lacrymis illa & singultu. An nostram inquit ærūnam ,, non sentis? Regibus satam in spē melioris fortunæ, pudet dicere, homini propemodum ,, priuato coniugem destinari. Proh dedecus ignominiamque.plura dicere dolor prohibet. ,, Absit, vita,tantum nefas Beatrix ait.me superstite non erit, non patiar. hoc ferro (nudam ,, sicam ostentabat)per omnia sacra iuro,cum primum huc aduenerit,securi latus haurire, ,, vitamque eripere certum habeo. Virili animo virginē.Meliora superi. Almagro ad nuptias festinabat, cum repētina vi morbi in itinere oppressus Villarruuiæ diem obiit,prin-
1466 cipio anni Milesi.quadrin.sexagesi.sexti. Corpus Calatrauæ in proprio sacrario constitutum est.castissimas Isabellæ preces,tantum dedecus auersantis, auersata numina exaudisse vulgo persuasum:cui excellentius coniugium & maiora imperia destinarāt.in defuncti locum duo filii quamuis nothi Rodericus Gironius, Calatrauæ Magister institutus est, Pontificis diplomate in id superori tēpore impetrato, Alfonsus frater Vreniæ Comes ex patris testamento factus est. Ante Magistri obitum in agro Giennensi, tanta ciconiarum multitudo extitit, vt Solem auferrent. suspensæ ex eo mortalium mentes id ostentum vt sit variè interpretabantur. Similia homines magis euentis rerū moniti, quam ratione docti formidare cōsueuerunt. Quo tempore Romæ Rodericus Sanctius vtriusq; iuris cum primis peritus,moli Hadriani præfectus, de rebus Hispaniæ piam magis quam elegātem historiam conscribebat, Palentinam ex eo dictam,quod is Palentinæ Ecclesię cōsequentibus annis Episcopus est datus in Henrici gratiam, cui eam historiam nuncupauit, Pauli secundi Pontificis dono, cum quo vetus amicitia erat, multaq; familiaritatis iura homini Hispano.

Prælium ad Olmedum factum. CAPVT X.

RErum omnium perturbatio in Castella erat. misceri omnia: non modestia aut ratio, sed superbia libidoq; dominari. latrocinia vigere, iniuriæ, cædes, nullo iudiciorum metu,fluxa ad coercendum flagitia auctoritate magistratuum. Itaque per vrbes & oppida conspirationes factæ,societatesque institutæ, ad scelerum licentiam vindicandam, optimis legibus & institutis Regis concessu temperatæ.ne veterum calamitatum orbis recurreret,prudentes verebantur. quod Roderico Gotthorum Rege factum erat, Mauris ex Africa euocatis,non minori occasione,neque minori periculo,propter fatalem gentis discordiam,Principum libidinem ignauiáque. Itaque Toletanus vulgo Oppas ignominiæ causa vocabatur: quasi simili ingenio, paremque cladem allaturus patriæ. Ea res Fuxensem prouocauit, vt arma quibus Vasconum regnum inuadere cœperat spe imperandi impatiens,in Castellæ fines conuerteret, nimirum vitio humani ingenii, quod accusabat in leuiro Carolo,hoc sibi licere putabat,iniquus rerum æstimator. oppidaque in Vasconibus Castellę pręsidiis occupata extorquere illato bello,erat in animo. Primo impetu Calagurris capta. Alfarum circunsessum. Dieghus Castillius,qui Hērico à sacris,assiduus-

que in aula,de eius rebus commētaria cōfecit,ad Fuxenſem legatus, cùm monendo non proficeret,raptim contractis copiis effecit,vt obſidione ſoluta ſeſe vnde venerat citato referret.Calagurris etiam à ciuibus pręſidio deiecto ad Caſtellæ ditionem rediit:Sic in Vaſconibus res erant haud tranquillæ.In Catalaunis melior fortuna Aragoniis affulgere viſa eſt: hoſtibus non vno loco ſuperatis,multiſq; oppidis tota prouincia receptis: prǣterea, quod caput erat,Petro Luſitano ex morbo ſublato.Minoreſa Barcinonem contendebat, cū Granolliæ deceſſit die Dominico tertio kal.Iulii.Corpus ad D.Mariæ iuxta mare Barcinone tumulatum non abſq; funeris pompa.veneno extinctum vulgò creditum eſt,more ea tempeſtate nimium vſitato Principib.perimendis:aut quia de Principum exitu atrociora vero nunciat fama. Ipſe laboribus fractum corpus, moleſtia victum animum ſuſpicor:quem fructum collati principatus fuiſſe non alium,affictus inſignibus accipiter indicabat,his verbis ſubiectis.Moleſtia pro lætitia. Ioanni Luſitanæ iuuentutis Principi ſororis filio eum principatum teſtamento legauit.Dertuſa vrbs, aliaq; oppida Aragoniis armis ceſſere,interregni beneficio,haud diuturni. frequentes enim Catalauni Barcinone Renatum Andegauenſem, perpetuum Aragonii nominis hoſtem, Regem iuſſerunt, iræ potius quam conſilio & æquitati datum.Sed parum in Luſitano præſidii futurū erat: Andegauenſi euocato Gallicis auxiliis Aragoniū nudari erat neceſſe: atq; Fuxenſi in Vaſconibus tumultuante,vires impares vtriq; bello fore augurabantur.aduerſus eam tempeſtatem Sabaudus,Galeatius Mediolanenſis, qui Franciſco patri ſucceſſerat, ad iungendum fœdus ab Aragonio ſolicitati ſunt.Renatum noui principatus acceſſione,niſi prouideretur, finitimis Sabaudis,Inſubribus longinquis, memoria iniuriarum formidabilem futurum.Angli etiam inuitati.Petro Peraltæ Magiſtro equitum ineunte ſalutis anno Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo cura data,coniuratos Caſtellę Principes conciliandi, geminis nuptiis pactis Ioannæ Ferdinandique filiorum Aragonii,cum Alfonſo Principe Henrici Regis fratre, atque Beatrice Villenæ Marchionis filia.tanta erat auctoritas hominis paulo ante priuati,vt regio ſuum iterum ſanguinem inſerere tentaret,adiutore Toletano: Henrici Principis imbecillitatis haud dubium argumentum. Neutrum coniugium perfectum: & nuper Alfonſus Princeps è Toletani poteſtate ereptus erat. Beneuentanus cum Henrico reconciliata gratia,Portillium, quod armis ante temporum licentia occupauerat,vt daretur obtinuit.nouum beneficium inſigni aliquo officio cōpenſare parans,Alfonſum & Toletanum Toleto, vbi aliquandiu hæſerant,in Vlteriorem Caſtellam venientes hoſpitio accepit,Alfonſum in arce: aliis in oppido hoſpitia data. Proxima luce proficiſci maturantib. negat, Alfonſum in Toletani poteſtate amplius futurum. vim adhiberi non licebat,exiguo comitatu,nullis bellicis tormentis.Henricus nuncio lętus,expetenti nouam operæ mercedem,vt Diui Iacobi Magiſter eſſet concedit. regium donum Villenæ Marchionis calliditate interceptum eſt. cui rem omnem Beneuentanus indicauit, arbitratus generi honori haudquaquam eum moram facturum. Sed nullis legibus neceſſitudinis ambitioſus animus mouetur.inde internecina inter vtrunq; Principem odia,inſidiæq; comparatæ.verum id in præſentia occultatum.Beneuentanuſq; ſoceri ſuaſu procerib.coniuratis Alfonſum Principem reſtituit.ſic ſpes pacis diſturbata, reditumq; ad arma eſt,magno Henrici dolore,pacis cupidiſſimi,atque prę eo ſtudio maieſtatis immemoris. Itaque inter eum & Villenæ Marchionem Caucæ primū in Vaccæis colloquium habitum eſt:deinde Madriti,oppidi præſidio Hiſpalenſi concredito. nullum vtrobiq; operæpretium eſt factum: etſi Eleonora Pimentelia Comitis Placetiæ vxor,conſenſu partium euocata venit. magno animo fœmina, perpetua erga Regem fide idonea viſa,viro aliiſque coniuratis pace facta ſanandis. Inſidiis faciēdis Villenæ Marchio intentus,magis quàm Henricus vitandis cautus,nouo colloquio Placetiam deſignauit. verum is conatus à proceribus,qui Regem ſequebantur,diſturbatus eſt. Periculum fraudemq; ſubeſſe diſputabant:negabantq; ferendū callidi hominis ludibrio toties maieſtatem obiici.Segobiam itum æſtatis principio.à coniuratis Olmedum occupatum,oppidum dedente Petro Sylua præſidii præfecto. Medina Campeſtris à coniuratis vexatur, arcem obtinentibus Toletani nomine.periculum erat,ne id etiam oppidum occuparent. vtraq; iniuria Henricus prouocatus,magnos delectus haberi mandat. proceres nominatim euocati. affuit Medinæ Celinæ Comes,Epiſcopus Calagurritanus, Alburquerquii Dux, qui eatenus curia abſtinuerant. Petrus etiam Velaſcus impetrata ſuperioris defectionis venia, cum ſeptingentis equitibus,& valida peditum manu à patre miſſus, decumas mercium, quæ mari importantur, allati auxilii præmium impetraſſe memoratur, magis ducta per manus opinione,quam certo aliquo teſtimonio nixum. Ioanna Princeps Santillanio Marchioni fidei obſes à patre data,Butracumq; deducta eſt. grādis ignominia: ſed ſingu-

1467

li proceres cariſſime ſuam operam ignauo Principi venditabant, id habituros rati, quod rebus turbatis extorſiſſent. Idoneo exercitu conflato, Medinam verſus Rex iter inſtituit. Olmedum, quod deuium non eſt, ventum erat. Coniurati tranſitu regias copias prohibituri, inſtructa ad pugnam acie, portis egrediuntur. Henricus certamen exhorrebat: verum auctoritate fluxa, ardentibus proceribus cupiditate dimicandi prohibere non potuit. inſignis pugna fuit in paucis ea tempeſtate memorabilis. duodecimo kal. Septembris ipſo Diui Bernardi feſto die, magno impetu concurſum. diu pugnatum. ancipiti victoria eſt diſceſſum: eaque opinio præferebatur, vt vtrique victoriæ lætitiam celebrarent, noctis ſuperuentu dirempta pugna. coniurati ſe ſę Olmedum retulerunt cum Alfonſo Principe. regii duo millia pedites, equites mille ſeptingenti itinere inſtituto Medinã abierunt. Neque Henricus prælio interfuit, Petri Peraltę conſilio, periculo ſub ipſum conflictus tempus ſubductus (non abſque ſuſpicione fraudis, quod coniuratis ex arcano faueret ad eos legatus: Toletano amicus eſſet, filia paulo ante Troilo Toletani filio nuptui data) neque Villenæ Marchio militaribus Diui Iacobi comitiis in Carpetanis diſtrictus: vbi ſuffragiis militum ipſo tempore eius militię Magiſter inſtitutus eſt. Impudentiſſimum facinus, potentia immenſum aucta, atq; cęteris Principibus maxime formidabili, vniuerſæ tragœdiæ auctor princeps, atq; præclarus, vnde ſupplicia vereri debuit, noua præmia cumulabat, ſtruebat opes. In Vaſconibus Eleonora Fuxenſis pro patre Aragonio vicaria res gerebat. quo tempore Viana Pompelonenſis Epiſcopi Nicolai Echauarrii diligentia recuperata pulſo Caſtellæ pręſidio, natus eſt Eleonorę nepos Franciſcus, cui Phæbo inter eius gẽtis Reges cognomen fuit, ex Gaſtone Fuxenſis filio & Magdalena vxore. nouo deinceps partu Catharina edita eſt: qua fratris hęrede Vaſconum regnum ad Labretos tranſiit, nobiliſſimam in Gallia familiam: vti competenti loco eſt explicandum. Tarracone Aragonius intentus bello Catalaunico, multuſque erat. quamuis annis grauis, atq; vtroque captus lumine, viuidum ſpiritum retinens. In ea vrbe Eleonoram filiam notham Ludouico Beamontio Lerini Comiti connubio iunxit. data ſponſalia die vigeſ. ſecundo
1468 Ianuarii nouo anno Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octauo, auſpice Petro Vrrea Tarraconenſi Præſule Alexandrino Patriarcha. dos dicta quindecim florenorũ millia. id blandimentum ad eã Vaſconum familiam promerendam, cumprimis potentem ac validam datum eſt. Sed nullis beneficiis perfidia vincitur. Cęſarauguſtę Aragonii conuentus erant. Regina pro viro actionum præſes morbo oppreſſa, atque extincta eſt Idibus Februarii, magno viri luctu, atq; diuturno, ſe ſene, filio, puero rempublicam importuniſſimo tempore tali præſidio deſtitui dolentis. erat enim magno ac conſtanti animo, ingenio bellicis rebus iuxta ac ad rempublicam gerendam idoneo. Paulo ante obitum Exeæ ad Aragoniæ fines, cum Eleonora Fuxenſis vxore, priuigna ſua, collocuta, fœdus pacemque ſanxerat, eoſdem amicos inimicoſq; ambabus fore. Animum virilem, ſermonem militarem. defunctæ corpus ad Populeti compoſitum eſt, vna nota ad poſteritatem deformatæ, quod Carolum priuignum veneno peremiſſe credita eſt: flagitiiq; memoriam morientis animum in primis ſolicitum habuiſſe. conſcientiæ ſtimulis ſedandis, mœrore depellendo nullum ſatis idoneum remedium ſolatiumq; inueniſſe.

Alfonſi Principis obitus. CAPVT XI.

CAſtellæ motibus frequenti fama Romam perlatis, & ex Henrici literis ad Paulũ Pontificem, ſeditioſos Epiſcopos loco moueri, proceres anathemate feriri poſtulãtis, Antonius Venerius Legionenſis Epiſcopus cum poteſtate legatus in Caſtellã, prælio ad Olmedum facto, Henricum Medinæ Campeſtri priorem adiit. id maieſtati datum. à factioſis vix impetrata colloquii facultate ſemel & iterum cum verborum contumelia repulſus eſt. ne violaretur perſonæ, quam gerebat, dignitas valuit. diras denuncianti, Pontificis partes negarunt eſſe de republica ſtatuere: & ad concilium proximum ab ea denunciatione prouocarunt. Suſcepta prauitate in peiora præcipitat obduratus animus: neque vlla religione mouetur. Nouo incommodo Henricus perculſus. Ioannes Arias Segobienſis Epiſcopus, quòd Petrum fratrem ærarii rationibus præfectum, in cuſtodiam tradidiſſet, nulla culpa, Hiſpalenſis tantum fraude, memor iniuriæ, beneficiorum immemor, quamuis liberato fratre, Prexano eius vicario, Meſaq; Priore Hieronymiano conſciis, adiutoribuſq;, Segobiam coniuratis prodere ſtatuit vrbem munitam atque amplam montibus impoſitam, quibus Vlterior Caſtella à citeriori diſcluditur, Vaccęi à Carpetanis. Re conſtituta proceres aduolant. in repentino metu, Regina & Alburquerquii vxor vix impetrarunt, vti in arcem reciperetur, à Petro Munſario Præfecto infecto partibus ex arcano.

Iſabella

Isabella Regis soror conspirationis conscia, in regia restitit: vrbeque capta ad Alfonsum fratrem se contulit, eius partes secutura. Celeriter hęc fama, ac nuncii ad Henricum pręferuntur, Medinę Campestris se tenentem, nihil in vita molestius accidit ea vrbe amissa, quam patriæ instar habebat: vbi thesauri erant, & voluptatum instrumenta. Ex eo non minus consilii, quam auxilii inops aberrare mente nemini satis fidere: suos hostesque iuxta metuere: circumspectare omnia: seque repente in contraria vertere: nunc placere arma, rursus ad pacis consilia reuocare animum. quę ob insitam ignauiam præualuere. colloquio cū Villenæ Marchione Cauca oppidum designatum dissuadentibus suis, deinde quia nil proficiebatur deserentibus. Ergo Caucę nihil effectum est. in arce Segobiensi colloqui placuit. fœdus nihilo stabilius, quam priora futurum, in has tamen conditiones fit. Segobiæ arx Alfonso traditor. Thesauros inde mouendi, Henrico facultas esto, Madriti in arce asseruandos Petro Munsario præfecto. Regina, Hispalensis potestati permittitor asseruanda, datæ fidei obses. His rebus confectis intra sextum mensem rerum administratio Regi à proceribus redditor. Pudendam conditionem, miserum reipublicę statum. quam turpe leges Principi à subditis dici, ludibrio toties maiestatem haberi. Id ignominiosum maxime, quod Regina ad Alahegium arcem, à iuuene quodam, in quem procaces oculos ipsa coniecerat, stupro oblato prægnans effecta est. Proh nefas, dedecusque gentis Hispanæ. Sic opinio de eius fœminæ impudicitia suscepta animis, vehementer confirmata est: causaque coniuratorum procerum melior quam antea visa. Rex in tantis malis pene ab omnibus destitutus, mente etiam pererrare, vagarique priuati propemodum habitu, decem tantum equitibus stipatus. quod extremum erat, Placentiæ Comitis fidem experiri, seque eius potestati permittere consilium fuit. in eius vrbis arce splendide acceptus, habitusque quatuor mensibus hæsit. Quo tempore Ioanne Mella Cardinali defuncto (cui Seguntina ecclesia commendata erat à Pontifice, post Petri Luxeni obitum) Petrus Mendozius in eius locum cooptatus est, Diego Lupo Decano Seguntino deiecto: qui superiori tempore Canonicorum suffragio Mellæ Cardinali obiectus fuerat. Noua à Romano Pontifice legatione proceres ad sanitatem inuitati: & quoniam non parebant, piorum numero sunt exemti. Sic quoque non terrentur: graue id tamen decretum fuit. legati Romam amandati: neque facta tamen iis Pontificem conueniendi potestas, ac ne ad vrbem quidem accedendi, nisi iuratis Alfonso regios titulos haudquaquam adscripturos admissis tādem, grauissimisque verbis increpitis mandatur: vti Pontificis nomine diras omnes coniuratis denunciarent, nisi mutarent. Impios ausus nemini impune extitisse: neque fore ipsis vindicatura numina si homines cessarent. Iuuenem Principem alienæ culpæ reum immatura morte daturum pœnas. Inane oraculum non fuit: & eo Pontificis studio aliquid momenti Henrici rebus allatum. præsertim per idem tempus Toleto vrbe in potestatem redacta, hac occasione. Petrus Aiala Toletanis iura dabat vrbis Prętor. eius leuir Petrus Sylua ex Dominicano ordine Pacis augustæ Episcopus, consilio cum Maria Sylua sorore sua. Prętoris vxore communicato, Regem Placentia euocat. Ille nuncio lætus biduo peruenit festinato itinere: vt si quid à Toletanis moueretur, celeritate pręcurreret. Intempesta nocte in Dominicanorum cœnobium inuectus est: quod in ipso vrbis vmbilico eminet. Indicio facto, populus æris pulsu ad arma concitatur. Henrico in periculo Petrus Aiala, qui rei gestę erat ignarus, auctor impulsorque fit, ne in ea colluuione publico maiestatem offerret: ac potius de media nocte, cum tumultus resedisset, vrbe discederet. sic factum. deducentibus Perafanio Rifera Pelagii filio, atque duobus Petri Aialæ filiis Petro Alfonsoque mœstus abscessit. Petrus etiam Episcopus vrbem relinquere est compulsus. Successit facti pœnitentia. importunis vxoris precibus ac lacrymis victo animo, Prętor Henricum intra diem quartum reuocat. omnia opinione faciliora fuere. Importuna tantum plebis efflagitatione vetera vrbis priuilegia confirmata, noua extorta. Petro Aialæ fidei præmium fuit Fuensalidæ Comitem renunciari. eidem denuo vrbis cura est concredita. Henricus Madritum abiit: Petrumque Munsarium arci præfectum, quoniam in fide nutabat, vinctum pręfectura amouit: deinde liberum abire iussit. Toleti amissę nuncius coniuratos proceres perculit. Areualo profecti sese eam vrbem obsessuros minabantur. Eo consilio Abulam festinantes, res inopina luctu grauissimo perturbauit. In via pagus est Cardegniosa nomine. In eo pago Alfonsus Princeps repentina vi morbi oppressus, atque extinctus est ad tertium Nonas Iulii. Corpus Areualum relatum, & in D. Francisci sepultum, consequentibus annis in Burgense Carthusianorum monasterium translatum est. de obitu non vna opinio fuit, alii peste decessisse, quæ lues iis locis vehementer grassata est, plerique veneno affirma-

runt, tocta medicata: idque certis indiciis in corpore extincto à medicis deprehensum. Alfonsus Palentinus in Henrici Regis historia, qua in cęteris libertate, id pro certo ponere non dubitauit. tetri parricidii auctore etiam designato Villenæ Marchione. quid enim vir eximius tanto dedecore familiam fœdasset? aut quæ culpa in puero esse potuit vix sedecim annos nato? in tantis motibus, tantaque rerum omnium labe, vituperationibus æque ac laudationibus, corruptam huius temporis historiam arbitror.

Ferdinandus Rex Siciliæ renunciatur. *Cap. XII.*

RENATUS Andegauensis vltro delatum à Catalaunis principatum sine cunctatione arripuit, ambitione mala inductus, & in studium incitatus acceptas ab Aragoniis iniurias vindicandi. ætate grauis venire ipse non potuit. filius Ioannes Lotaringius, is quem ex Italia pulsum diximus, ad capessendum imperium amandatur, propriis viribus pollens, & Gallicis auxiliis formidabilis: quorum partem Gallus bello ciuili, atque difficillimo, quod cum fratre Bituricum Duce & Carolo Burgundo gestum erat, liberatus miserat, fœderis Aragonii immemor: pars aliquanto post à Ioanne Armeniaco adducta: cum quo Lotaringius non modo fœdus iunxerat, sed fraternum etiam ad rem bellicam nomen. Tantis præsidiis initia Lotaringio læta, parem exitum non habuere. venienti Barcino portas aperuit. versis ad arma animis, belli pondus in Emporitanos maxime incubuit. Accurrit Aragonius ad pręsidium mari, senex quamuis cæcusque. ad Rhodopem seu Roses Aragoniorum manus in pugna tumultuaria victa est. Gallicus exercitus Gerundam adductus: si pedem Roccabertus præsidio Præfectus, aliique Duces portis efferrent, acie decertaturus: si bellum mœnibus propulsarint, vrbem munitam & opulentam in potestatem assidendo redigere spes erat. Magno animorum ardore erumpentibus Aragoniis aliquoties pugnatum, maiori obsidentium quam obsessorum damno. Ferdinandi aduentu, cum copias omnes in vrbem induxisset, obsidio soluta est. Verum ea lætitia graui molestia commutata est, Ferdinando, ex vrbe egresso & ad Villademarium oppidum à parte Gallici exercitus acie superato cæsi ex Aragoniis multi. Princeps fuga euasit. Rodericus Rebolledus tanti nominis dux, dum eius tuendi studio nullum virtutis finem facit, in hostium potestatem venit. Gallorum primi impetus plusquam virorum validi, arte potius quam viribus sustentandi sunt. id consilium captum. præsidia modo locis idoneis disposita. appetente hyeme, Alfonso Aragonio eius belli cura concredita, Ferdinandus Cæsaraugustam abiit, vbi conuentus gentis erant: matrique Reginæ, vti paulo ante dictum est, ex morbo decumbenti atque agenti animum affuit. Matre defuncta, patre cęco ac septuagenario, rerum & belli moles in Ferdinandi humeros incubuit, in minori quamuis ętate, virtutum indole eximia, atque præstanti. Auctoritate opus erat ad tantas res administrandas. Siciliæ Rex in ea vrbe renunciatur paterni imperii ea parte consors, iisdem propemodum diebus quibus Alfonsum Castellę Principem decessisse monstrauimus. Superi illi ingens imperium destinabant in Italia, Hispaniaque: gloriamq; regni Granatensis sublati. Nunciata Cęsaraugustæ Alfonsi morte, continuo Petrus Peralta cum amplissimis mandatis & procuratione ad coniuratos Castellę proceres remittitur, Isabellam Ferdinando coniugem expetitum. Cæsaraugustæ Aragonius substitit: in Catalaunos Ferdinandus rediit: vbi bellum mari terraque gerebatur, magno periculo Aragoniarum partium. Lotaringio summa votorum erat Gerundam occupare. ea vrbe capta, cætera prona fore iudicabat. Eo consilio sese in Galliam retulit, ad belli subsidia colligenda. breui operæpretium factum. in Ruscinonensi agro & Ceretanis, quindecim millia hominum sunt scripta. iis copiis ad veteres adiunctis pares Aragonii non erant: neque ad Gerundenses denuo obsessos, magnoque conatu impugnatos quidquam commeatus inferendi facultas. Ioannis tamen Margariti eius vrbis Episcopi, atque aliorum ducum virtute & diligentia in magno periculo & inopia sustentatum. Ferdinandi Regis vires alio conuersæ: Bergaque oppidum ex deditione in potestatem redactum, Septembris die septimodecimo. Eo successu melioris fortunę omen apparuit, præsertim Aragonio restituta per eos dies videndi facultate. res comparanda miraculo. Abiabar Iudæus Ilerdensis artis medicę & astrologiæ peritissimus, curationi est adhibitus. Considerata astrorum positione ad tertium Idus Septembris acu dextri oculi albugo detersa est, lumenque repente oculo insinuatum. recusabat Iudęus tanti discriminis aleam rursus subire: negabatque astra nouo conatui fauere. alterius luminis vsum sufficere. quid humanis viribus maiora tentarent cum periculo? Consilium cautioribus probabat. Rege tamen vrgente ad

te ad quartum Idus Octobris repetita curatione ſiniſter oculus ſanatus etiam eſt. Suſceptam ex Regis ſanitate lætitiam, vti par erat ſingularem, ſoluta Gerundenſis obſidio, quo metu cunctorum animi ſuſpenſi erant, breui confirmauit. hyemis ſuperuentu & rerum difficultate alacritas, cum qua Galli venerant, concidiſſe videbatur. In Luſitania, Ioanni Regis Luſitani filio Eleonora patruelis deſponſa eſt. Ioannam Caſtellæ Reginæ filiam antea pactam, fuiſſe furto conceptam, matris male tectę libidines confirmarant. Eleonoræ nouæ ſponſæ pater Ferdinandus Viſei Dux claſſe inſtructa, ſua an Regis impenſa, tranſmittit in Africam: aliquotque victoriis de Mauris partis in patriam reuerſo, ſine anni ex vxore Beatrice Ioannis Diui Iacobi in Luſitania Magiſtri filia, proles ſuſcepta, cui Emanueli nomen fuit: conſequentibus annis, regnum Luſitanum hęreditate obuenit. In eius ortu ſigna in cælo viſa, quæ infantis gloriam & maieſtatem portenderent Luſitani memorant: gens ſuis Regibus celebrandis, colendiſque, atque earum rerum obſeruationibus cum primis addicta.

Caſtellæ regnum Iſabellæ oblatum. CAP. XIII.

ALfonſi Principis obitus multorum animos ad Henricum auertit. concordia haud ſtabilis fuit, mox bellum diuturnum & graue: quo Hiſpaniæ opes attritæ ſunt. Burgenſes Toletanorum exemplo ad Henrici imperium rediere. conſilii auctor Petrus Velaſcus. ab Hiſpalenſi, Beneuentano, aliiſque proceribus, qui Madriti cum Henrico erant, in eius verba nouo ſacramento iuratum. coniurati tanto repente pręſidio nudati, vt eſſet cuius nomine ipſi regnarent, Iſabellæ Areualo Abulam deductę, regni nomen & inſignia deferenda cenſuerunt. Toletanus puellæ animum longa oratione ad capeſſendum imperium incitare conatur, iure ſuum. Regiæ dedecus, ignauiam, ſocordiam, impudicitiam, ſuppoſitos partus in ſpem alieni regni, æternas gentis maculas commemorat, eius auctoritate & præſidio vindicanda. Nullum laborem, aut periculum patriæ denegare fas eſſe. Ad hęc illa. Pro veſtro ſtudio gratias, inquit, ago maximas, vtinam referre aliquando poſſim. ſed conatus iſtos tamen, optimo animo quamuis ſuſceptos ſuperis non placere, fratris heu immaturus obitus indicio ſit. Qui res nouari, & regna cupiunt mutari, q̀d aliud quã grauiora accerſunt mala? factiones, diſſidia, bella? quæ vt vitentur, alia reipub. vulnera diſſimulari, an nõ ſatius iudicatis? Duos Reges neq; rerũ natura, neq; dominandi conditio fert. Nullus eſt idẽ & diuturnus & præcox fructus. Ego ſerũ regnũ mihi obuenire cupio: vt vita Regi diuturna ſit, & æterna maieſtas. prius ab oculis mortalium auferri neceſſe eſt: quam ipſa imperii nomen inuadam. Henrico ergo regnum, reipublicæ pacem reddite. nobis veſtri huius ſtudii is erit fructus multo maximus. Expreſſit ea modeſtia non aſſenſionem modo ſed laudem, magnitudinẽ animi cunctis qui aderant admirantibus, contemnentis quod ab aliis per flammam gladioſque petitur: dignamque eo ipſo iudicabant imperio, quod offerebatur: ſed grauis erat tam longa reipublicæ iactatio. Itaque ad concordiam reuocati animi, præſertim miſſis ab Henrico legatis: qui propoſita venia coniuratos ad ſanitatem inuitarent. Hiſpalenſis procerum rogatu, Regis permiſſu Abulam contendit. Eo internuncio, annitenteq; Andrea Cabrera regię Magiſtro, hę conditiones ſcriptæ futuræ pacis. Iſabella fraterni regni heres renunciator, Abula, Vbeda, Medina Campeſtri, Olmedo, Scalonaque diſiunctis oppidis in eius poteſtatem contraditis, iuratæ modo, ne cuiquam nubendi fas ſit, niſi regio conſenſu. Regina filiaque in Luſitaniam amandantor, permiſſu Pontificis Romani, repudii libello dato. Coniuratis venia eſto, bonis omnibus reſtitutis & honoribus, quæ diſſidii tempore erant ablata. His rebus perficiendis quatuor menſium ſpatium deſignatum. Eę leges Sanctillanio Marchioni & fratribus, qui ſub idem tempus Madritum venerant, non placuerunt. Ioannam, quam in poteſtate habebant, præferendam iudicabant. confirmatum id ſtudium eſt Reginę fuga: quę adiutore Ladouico Mendoza è cuſtodia elapſa, noctu ad filiam Butracum abierat, magno Hiſpalenſis dolore, cuius fidei erat concredita, geminę prolis cuſtodię tempore mater effecta, Ferdinandi atque Apoſtoli: quos Toleti in D. Dominici regio virginum monaſterio educatos occulte, pro conſtanti traditur, pręfectę cura: quæ Petri Reginę conſtupratoris, eiuſdem arcto conſanguinitatis gradu Hiſpalenſem attingentis propinqua erat. Colloquio Principum nihilominus Guiſandi monaſterium delectum eſt: quod Cadahalſum inter & Cebretum oppida cernitur medio ferme itinere, quo Madrito Abulam itur. Eo loco multa fœdera ſunt facta. ſinguli proceres id habituros ſperabant, quod à Rege ſororeve extorſiſſent, bello defeſſis pacis auidiſſimis. Henricus & Villenius arcano collocuti memorantur. quid ſanxerint

memoriæ non eſt proditum.opes potentiamque Villenii iis ſermonibus confirmatam euentus indicauit. Aderat Antonius Venerius Pontificis legatus. ab eo proceres iuriſiurandi,quo ſe Alfonſo Ioanneque Principibus, obſtrinxerant,religione exoluti ſunt:quæ per ſe tamen rebus mutatis, & capitis diminutione ſublata erat. In Henrici verba nouo ſacramento adacti.Iſabella ſoror pari conſenſu & religione regni hæres eſt renunciata. vtrunque ad tertium decimum kal.Octobris die Lunæ peractum eſt.Cæteris proceribus venia data.in Arias fratres,qui Segobiam obtinebant,ira peruicacior fuit: cuius explendę occaſio venit.pace facta,reſtitutisque vrbibus,ii pręfectura amoti:atque Andreas Cabrera Segobiæ præfectus eſt datus: qui illi gradus ad magnam potentiam fuit, pareſque opes. In agro Toletano oppido Petromoro metentibus ſegetes, inter manus ſanguis copioſus effluxit è manipulis manans: quæ res in pręſenti miraculo fuit: deinde eas calamitates portendiſſe obſeruatum: quę Hiſpaniam oppreſſerunt. Villenius non minori quam antea gratia rerum arbiter eſſe cœpit,cæteris proceribus tantam inHenrico ſocordiam frementibus accuſantibusque. eo amplius quod cum Iſabella ſorore Ocaniã abiit,
1469. appetente anno Mileſi. quadringeſi.ſexageſi.nono, nunquam ſui arbitrii ſed in alieno mancipio futurus. & erat Villenio deſtinatum,Iſabellam Luſitano Regi connubio iungere: eiuſque ſuaſu legatus in eam rem venit è Luſitania, Alfonſus Noguera Oliſiponenſis Epiſcopus, adiunctis aliis viris primariis. Toletanus contra tendere: miſſoque Petro Peralta Iſabellę animum ne expugnaretur confirmare, ad Aragonium propenſæ.Ita de coniugio Luſitano appellata, pręciſe ſe id facturam negauit. Dabat conſilium Villenius, Iſabellæ vim adhibendam, maloque cogendam fraternis iuſſis obtemperare.Henricus ancipiti cura diſtractus, quod tutius videbatur, Luſitanos legatos in præſenti dimittit.rem nondum maturam eſſe,atq; in aliud tempus reiiciendam videri. & noua occaſio erat oblata. Cardinalis Atrebatenſis à Gallo legatus, Iſabellam Carolo ſui regis fratri Duci Bituricum coniugem dari expetebat. Ex eo procerum ſtudia in varias partes diducta: nouique diſſidii ſemina iacta,vix veteri ſublato. Bętica enim vna ex omnibus prouinciis,vt arma poneret adduci non potuerat:vbi Ioanne Aſſidoniæ Duce defuncto, Henricus filius nothus ſucceſſerat,paterni principatus non magis quam factionum & ſimultatum hæres.ei adiuncti Arcobrigę Comes, atque Alfonſus Aquilarius Iſabellæ nomine tumultus concitabant. Eo maturandum iudicatum. Dieghus Villenii filius patre expetente, Villenę Marchio renunciatur: ipſi Villenio Diui Iacobi Magiſtri nomen, & auctoritas,regia & Pontificia auctoritate cõfirmata,Iſabella Ocaniæ relicta,denuo niſi fratre conſcio,de ſuis nuptiis nihil conſtituturã iurata.Beneuentanus & Petrus Velaſcus Valliſoletum amandantur,reip. moderatores Rege abſente eius vicarii futuri.

Nuptiæ Iſabellæ & Ferdinandi. Cap. XIIII.

REbus ad hunc modum compoſitis, Henricus quidem in Bęticam abiit: ſequebantur D. Iacobi Magiſter, Epiſcopi Hiſpalenſis,Seguntinuſque. modicis itineribus ad Ciuitatem regiam peruentum: vbi Hiſpalenſis ſubſtitit morbo tentatus. Giennii ab Irantio Magiſtro equitum ſplendido apparatu exceptus, cultuſque Rex Cordubam mox Alfonſo Aquilario per conditiones dedente,in poteſtatem redegit: pacatiſq; vrbanis tumultibus qui inter eum & Cabræ Comitem Petrum Cordubam erant, Hiſpalim ęſtate feſtinauit. Par ibi ſucceſſus fuit.regia auctoritate motus procerum in ea vrbe pacati ſublataque diſſidia ſunt. Mauri quieſcebant, quod mirum videri potuit in tanta rerum noſtrarum perturbatione, motuque. verum limitibus præfecti præſtanti virtute Duces, atque in primis Magiſter equitum ad omnem occaſionem erecti, vigileſque vim inferri noſtris finibus vetabant: motuſque inteſtini recens inter Mauros concitati impedimento erant,bellum meditantibus. Alquirſotes Malacæ Præfectus, magna militari ſcientia, magnaque nominis fama, ea vrbe occupata, ab imperio Albahaceni defecit.Aderant gentis ſtudia à Rege Mauro alienę: & fere ea natio pro mobilitate ingenii imperiorum mutatione gaudet. Ventum ad arma. pars cum parte ferro conflixit. Alquirſotes viribus inferior & cauſa, Henricum Regem de fœdere appellare conſtituit. Archidona ad fines vtriuſque gentis oppidum, colloquio delectum eſt. eo Maurus cum magnis muneribus lætus venit. ab Henrico auxilia promiſſa: qua occaſione Albohacenus correptis armis ſæpe in noſtros fines incurrit, hoc & proximo anno.hominum pecorumque ingentes prædę ablatæ.agri atque oppida incenſa.Barbari dolore perciti eo prouecti ſunt,vt ſupremo conatu virtutis edito, multo longius quam antea terrorem belli cum circumferrent. magna clades ea fuit, ac veteribus comparanda. nullum tamen

inſigne

inſigne oppidum noſtris ablatum. variæ modo manus militares vniuerſa Bętica, & per Conteſtanos vagari: latrocinio bellum ſimile fieri. Ad Iſabellam referenda narratio eſt. quam Ocaniæ relictam,tot tantique vno tempore Principes in coniugium expetebant. Inerant magnæ virtutes, prudentia,pudicitiæ laus,forma conſpicua,idonea ætas,ſed dos multo ampliſſima. Pluribus licitantibus, Luſitano viduo,Bituricum Duci externo iuueni, Ferdinandus eſt prȩlatus,felici omine atque præclaro. multum Aragonii diligentia contulit: muneribus(quę ars nimium multorum experimentis tutiſſima viſa eſt)aulę aſſeclæ illecti.Principem auctoritatis &gratię locum apud Iſabellam Guterrius Cardenas inferre epulas, & explorare guſtu ſolitus, atque eius auunculus Gonſaluus Chiaconius obtinebant.hic oppido Caſarruuio, ille Maqueda promiſſis expugnati. addita plura alia dona promiſſaque. His & Toletano agentibus coniugii conditiones ſcriptę ſunt; quarum ſumma eo referebatur: Vt Henrico Regi ſuperſtiti ſua auctoritas conſtaret:defuncto rerum Caſtellę ſummam Iſabella adminiſtraret.neque Ferdinandus ſuo nomine quidquam donaret: ne magiſtratus externis mandaret. De immunitate,iure & legibus gentis ne quicquam diminueret: ac niſi vxoris voluntate reip. vllam partem attingeret. Hæc omnia arcano conſtituta ſunt. Ferdinandum Catalauni belli cura detinuit: vbi Gerunda nouo conatu ab Aragonii hoſtibus obſeſſa deditionem facere compulſa eſt. Noua etiam tempeſtas in Vaſconibus erat concitata,Nicolao Epiſcopo occiſo: quē Tafallam ad Eleonoram Principem venientem eius accitu, occiſum eſſe conſtabat,Petro Peralta cædis auctore. Miſſi, qui coram Aragonio ſcelus vindicandum diſputarent: ne impunitate confirmaretur audacia,& ſceleris religio non vindicati infixa animis, gentis calamitate lueretur.ab eo Tudelam fraude occupatam: præterea multis oppidis immunitates conceſſas abs Rege querebantur,quaſi de alieno liberaliter. Stellam & contributum agrum Caſtellæ imperio detraheret. Fuxenſis impatientia imperandi agitari,reſq; ſpectare ad arma videbatur. eo non minus Aragonio exoſus erat, quam eadem de cauſa antea Carolus.mite tamen reſponſum legatis Vaſconibus datum, ac tempori conuenïens. Petro Peraltę impune tamen fuit ſacram Pontificis perſonam violaſſe. Iſabella vim verita ſi diutius Ocanię ſubſiſteret,in vlteriorem Caſtellam abiit.Olmedo excluſa,quod oppidum Placentię Comitis præſidio erat occupatum, Madrigalem contendit, vbi eius mater erat. Tantæ molitiones occultæ eſſe non poterant. D. Iacobi Magiſter Hiſpalenſi Caucę ſe tenenti poſt confirmatam valetudinem, vt Iſabellam in poteſtatem redigat impenſe ſuadet. Illius conatus, Toletani & Præfecti maris celeritate occupantur. cum iuſto equitatu puella Valliſoletum deducta eſt, ampliſſimo municipio ſecurior futura, Toletani præſidio. Non minori ſolicitudine Ferdinandi animus angebatur. In ipſo belli ardore, quod in Catalaunis erat, Valentiam abiit,ad pecuniam redigendam,quæ ex pacto ſponſę numeranda erat, vnde aulę cultum ſuſtentaret. Inde Cæſarauguſtam repetens,quoniam res moram non recipiebat, diſſimulato habitu, tantumque quatuor comitibus, ad Vxamam Manricum Treuigni Comitem, qui in parte coniurationis erat, obuium habuit. Eo & ducentis equitibus ſtipatus Donnias peruenit: quod oppidum in Petri Acunii Comitis Buendiæ, Toletani fratris ditione erat. Sponſa conuenta,rebuſque omnibus inſtructis, Valliſoleti in ędibus Ioannis Biueri, qui ærarii rationibus præfectus erat, vbi nunc iuridicundo conuentus habentur, ſponſalia præbita die Mercurii ad quintumdecimum kalen. Nouembris. Proxima luce nuptiæ confectæ. lege propinquitatis Romanus Pontifex Pius ſecundus ſoluerat. hic à Toletano affirmatum inuenio, tempori accommodato mendacio: vti Sixti Pontificis de ea re diploma indicio eſt poſtmodum datum. Erat Ferdinandus ętate minor, ac vix ſedecim annos natus,conſpicua tamen forma,militari corpore. Litterę ad Pontificem,Henricum,Reges, aliosque Principes & proceres datę:quibus feſtinatas nuptias excuſabat. moderatus cultus fuit: precario pecunia in quotidianos ſumptus corrogata. Per idem tempus Henrico Aragonii filio Segorbii ducatus eſt datus: Alfonſo Aragonio Ripagorſa Comitis nomine, ea parte ſita vrbs, vbi Ceretani fuſi erant Hiſpaniam à Gallia dirimentes ea parte.

Ioanna Duci Bituricum deſponſa. CAP. XV.

HIſpali Rex erat, procerum controuerſiis componendis diſtrictus: cum à D.Iacobi Magiſtro,qui Cantillanæ vicino oppido ſubſtiterat,de ſororis nuptiis per literas certior eſt factus. Magno ex ea re dolore percitus,repente profectione denunciata Caſtra Iulia contendit: quam vrbem ad Bęticæ fines ſitam Alfonſo Stunicę Placentino Comiti dare deſtinabat, fidei cultæ rebus aſperis præmium. Res tanta latere non potuit. ciues

genus hominum inquietum feroxque, consilio cum Gratiano arcis præfecto agitato, se id passuros negarunt, armis parati susceptam à maioribus libertatem tueri. Repugnantes malo cogere periculosum erat. Areualum in Vaccæis eius permutatione datum: quod oppidum Placentino mutuæ pecuniæ pignus ab Alfonso Principe superiori tempore datum erat, de iniqua commutatione, Ducis adiecto honore & nomine aliquid mitigatum. In ea vrbe Magister Alcantaræ venia donatus est: Guterrius frater Cauria etiam vrbe. Id erat Henrici ingenium, vt plerique vnde vindictam merebantur, inde ampla præmia referrent. Allatę præterea ab Isabella literę, supplices quidem, sed graues; quibus delatum à morte fratris imperium repudiasse se prȩfata, matura ętate, Rege cessante nuptias acceleratas excusabat. Aragonium cæteris coniugiis, quæ offerebantur, magnis rationibus fuisse prælatum. Sibi matrique iniurias factas multas & graues obliuisci malle. Filiorum loco futuros se virumque, paternam modo beneuolentiam officiaque præstanti. His in conuentu literis recitatis, nullum aliud responsum datum: quam Regi Segobiam, quo festinabat, perlato eam rem curę fore. sic nuncius dimissus. Segobiam
1470. noui legati amandati sub principia anni Millesi. quadrin. septuagesimi, sui vti copiam faceret, seve adeundi nouis coniugibus potestatem postulatum, offensam egregiis officiis compensaturis, reipub. vulnera communibus opibus curaturis: quæ superiori tempore iactata, oppressaque erat. neque iis legatis aliud responsum datum, quam de re tanta consilio procerum statuendum videri. Ea causa prætexta est. re Isabellę infensus ad Ioannam, quam suam filiam dicebat, retulerat animum. Eam repetita legatione Ludouicus Gallus Carolo fratri suo, quem pro Bria & Campania ex fœdere nuper icto debitis, Aquitaniæ Ducem iusserat, coniugem expetebat. Legationis principes Cardinalis Albigensis idem antea Atrebatensis, atque Comes Bononiensis. Prȩterea Henricum postulabat, vti vires aduersus Paulum Pontificem, cum quo controuersia erat, sociaret ad indicendum ex toto orbe Christiano Episcoporum concilium. Hoc præcise negatum, nempe certissimum dissidiorum fomentum, tetri schismatis fons: cuius rei superioris tēporis memoria multū exempla suppeditabat. Quod de coniugio petebatur, in aliud tempus sustentari placuit, metu, arbitror, nouorum motuum: quibus proceres & populus defessi erant, veteribus dissidiis nondum plane sublatis. Nam quo hęc tempore Segobię agitabantur, Cordubæ Alfonsus Aquilarius Diegho Cordubæ Marescalo (is Magister castrorum est) ad senatum venienti securoque manus iniecerat, nulla memoria amicitiæ Rege arbitro cum patre Cabræ Comite nuper constitutæ. libertati is redditus Henrico mandante, cum ab eo iniuriæ vindictam non speraret fluxa auctoritate, socordi ingenio, Granatam profectus Mauro concedente aduersarium ad singulare certamen prouocauit, viridi iuuenta ferox, præceps in vindictam. suburbana Granatę planicie certamini designata, dies dicta. qua die Diegho in armis ad Solis obitū perstante, quia aduersarius non comparuit, eius effigies ad equi caudam raptata est, ignominię causa: missæque in omnes partes literæ in Alfonsum contumeliosæ, rei gestę pictura repræsentantes imaginem. Alia parte Alcantaræ Magister sui ordinis militibus imperium recusantibus, reque deducta ad arma, vnus multis, viribus impar Guterrii fratris opem implorare necesse habuit. pecunia in stipendiū quærenda erat. ea ab Albano affini & necessario mutua sumpta Cauria vrbe, dum pecunia redderetur, pignore. Ea occasione Albani reguli nobilem eius vrbis principatum nacti sunt, regio etiam consensu confirmatum, atq; in hoc tempus retentum. In eo bello nihil præterea memorabile gestum: nisi quod eę copiæ ab aduersariis Tagi fluminis transitu prohibitæ: ac deinde nullo successu dissipatæ sunt. Magister ditione spoliatus, & morbo oppressus quem animi ægritudo attulit, proximis annis decessit. Substitutus in eius locum Ioannes Stunica Ducis Areuali filius, militum consensu magna ex parte muneribus, aut terroribus expresso, in Alcantarę Magistris postremo loco numeratur. Ocaniæ se D. Iacobi Magister per idem tempus tenebat, febri quartana laborans, maiori quam vnquam gratia, & auctoritate. Iniecisse magicis sacris Regi amentiam fama erat, mendacio probabili: quod tantis iniuriis violatus, se suaque illi permitteret: prorsus vt Madritum, quo vicinior esset, se contulisse crederetur. venientem certe in curiā obuius ipse excepit, auxitque Scalonæ principatu. quem quia oppidani dominum recusabant, maioris beneuolentiæ argumento, nulla maiestatis memoria, eo profectus de manu tradidit. Armeniaci Comes Madritum venit ex Gallia profugus, insidias, vimque veritus: quod Fuxensis filiam inscio patre sibi connubio iunxisset. Splendide habitus, cultusque, fide publica quam Galli nomine Albigensis Cardinalis dedit, remissus in patriam est, exitium vrgente morum & vitę prauitate. Cantabri veteri instituto in factiones duas Ognios & Gamboinos scissi, per hęc tempora grauiter tumultuati sunt. Iis pa-

candis Petrus Velaſcus, qui patre eodem nomine recens defuncto,& ad Medinam Pomariam tumulato,Hari Comes renunciatus erat,Madrito amandatus,vtriuſque factionis principibus Petro Abendanio & Ioanne Muxica finibus prohibitis,tranquillitatem ex longo interuallo in eam prouinciam retulit. Erat à Paulo Pontifice venia peccatorum conceſſa,iis qui certam ſtipem contuliſſent (quatuor argenteos nummos qui maiori cenſu erant,medii trinos,tenuiores binos pendere iubebantur)adiecta lege, vt confectæ pecuniæ duabus tertiis in ſtructuram templi maximi Segobienſis collatis,pars tertia ipſi Pontifici ſeruaretur. Vt eam veniam obtineret,Henricus Madrito Segobiã abiit. Setubale in Luſitania Viſei Dux octauo Septembris die deceſſit, ſeptem & triginta natus annos hærede Diegho filio. Corpus è D.Franciſci,vbi translato ſepulchro in eo oppido iacuit,Pacem Iuliam translatum eſt,in Conceptionis tumulo extructo: quã ędem adiuncto virginum collegio vxor Beatrix extruendam ſua impenſa curarat. Valliſoleti iis diebus grauis tumultus concitatus à populo,correptis armis eſt,in eos qui ex Iudæorum ſanguine erant, Chriſtianis quamuis imbuti ſacris. Parum abfuit quominus Ferdinandus & Iſabella Donniis ad compeſcendos populares motus accurrentes armatorum concurſu violati fuerint. A parte quæ minus ſibi confidebat,maiorique inuidia flagrabat,quaſi Iudęis progenitoribus orti eſſent, Henricus aduocatus nobile municipium in poteſtatem redegit. Beneuentano eius cuſtodia concredita datis etiam Ioannis Biueri ædibus:qui factioni alteri impenſe fauens,magnoque ſtudio Iſabellæ & Ferdinandi partes complexus, Henricum Regem offenderat. Donniis,ex Iſabella Principe filia nata ad ſextum Nonas Octobris,cui Iſabellæ nomen fuit. Legati Galli denuo ea cauſſa venientes de ſuperioribus nuptiis nouo conatu appellabant. re conſtituta Ioanna Princeps à Sanctillanio Marchione deducta eſt. operæ merces tantique pignoris compenſatio Alcocerium,Valdoliuæ,Salmeroniumque fuere,ad veteres Carpetanorum & Celtiberiæ fines municipia præclara. Villenio cuius in ditione erant,cum vxore dotalia,Requena in Conteſtanis,vectigalque ex portorio & mercibus in eo oppido amplum datum. Ad Loſoiæ vallem,Segobiam inter & Butracum, vbi Carthuſianorum monaſterium nobiliſſimũ eſt Paularis nomine,Rex,Regina,filiaq; cõuenere:ꝑterea D. Iacobi Magiſter Hiſpalenſis,Areuali Dux,Seguntinus & fratres inſigni apparatu. Eo loco Iſabella publicis tabulis abdicata,Ioannæ Principis ſponſalia celebrata ſunt ſeptimo kalen. Nouembris,Rege & Regina iuratis iuſtam prolem eſſe,proceribus nouo Sacramento adactis non aliam regni hæredem fore. Bononienſis Comes pro Carolo vicarius, in manum traditam accepit. cæremoniæ antiſtes Albigenſis Cardinalis. fœda procella fuit. ventorum,imbrium,& niuiũ tantum,vt Gallis legatis,peracta eius diei celebritate,Segobiam repetentibus in vitæ diſcrimine,nonnulli è familia vi tempeſtatum perierint. Inauſpicatum ex eo coniugium fore quidam augurabantur otio curioſi alendis rumoribus apto. Inde honoris cauſa deducente Seguntino Epiſcopo Burgos vſque in Galliam ſeſe legati retulerunt rebus ex ſententia patratis lęti: noui & grauiſſimi belli inter Hiſpanos Gallosque parata materia,niſi numina de cœlo miſerata tempeſtatem auertiſſent. Gallo Regi paulo antea proles erat nata cui Carolo nomen fuit. Dux Aquitanus cum ſpe fraterni regni obtinendi hęreditate, vita etiam ſpoliatus eſt,non toto deinde biennio circumacto: quod competenti repetendum loco eſt.

Trium Principum obitus. CAPVT XVI.

VNo tempore Aragonię opes nouo coniugio auctę, multiſque partibus concuſſę ſunt. Vigenti in Catalaunis bello, in Sardinia,atque Vaſconibus mota arma occaſione non eadem, pari conatu. Sardi Duce Leonardo Alauona ſunt tumultuati. Natus is Saſtagi regulo, maternum genus ad Arboreas referebat,veterem in ea inſula & præpotentem familiam: quo fretus iure,Saluatore Arborea Oriſtani Marchione ſine filiis defuncto, eius principatum quoniam legibus non fidebat,armis petere conſtituit. Non vno loco pugnatum eſt. multa oppida & arces de Rege aliisque proceribus capta. in Prorege Nicolao Carrocio, plus auctoritatis ad compeſcendos inſulanos, quam virium & potentiæ erat. Eo bellum diuturnum fuit. Fuxenſis imperandi cupiditate armis correptis, adiunctiſque Beamontiis, magnam in Vaſconibus prouinciæ partem Aragonio detraxerat. Tudelam caſtra promouerat. parum ſpei erat voluntate ceſſaturum. premiſſo Cæſarauguſtano Epiſcopo, ipſe Aragonius eius pater,ea quamuis ętate,arma ſumpſiſſe memoratur,ſeptumque validis copiis coegiſſe generum,vti obſidionem ſolueret. Miſſis ab vtraque parte legatis, de compoſitione agi cœptum. Oliti tandem facto fœdere poſita arma ſunt. Regium nomen Aragonius retinuit. rerum adminiſtratio Fuxenſi

& vxori perpetuo eſt commendata. Cum vtroſque nuncius ex Gallia allatus vehementer perculit. Carolo Aquitaniæ Duce noui principatus, atque pacti cum Ioanna coniugii lętitiam, conuiuiis,ludis, ſpectaculis celebrante, in ludicro militari Gaſto Fuxenſis & Eleonorę filius,confractæ ipſiuſmet haſtę in aduerſarii pectore aſſula per caſtidis bucculam in os reflexa,lethali vulnere afflictus eſt,viginti ſex annos natus nono kal.Decembris,die Veneris.Cadauer Liburna,vbi extinctus eſt, Carolo leuiro curante funus,Burdigalam delatum,atque in Diui Andreę templo eius vrbis maximo tumulo eſt compoſitum. Franciſcum cognomento Phœbum, & Catharinam ex Magdalena vxore reliquit; teneris annis ineptos imperio,deinceps Vaſconum Reges. Tantis curis,tantoque dolore perculſum Aragonii animum,maior ſolicitudo de filii ſalute vrebat: quem neque in Caſtella relinquere tutum erat,multis aduerſariis circumfuſis, Rege infenſo: neque reuocare commodum,eius imperii ſucceſſionis ambiguo iure,euentu incerto. Toletanus,in quo certiſſimum rebus pręſidium erat,alieno eſſe animo ferebatur virum ambitioſum, cupidumque imperandi Ferdinandus offenderat adhibitis ad arcana conſilia Guterrio Cardena, Alfonſoque Henrico auunculo; ſuo.aliquando etiā iuuenili impudentia palam edixerat,ſibi deliberatum eſſe,nullius imperio ſeruire:quod aliis Principibus calamitoſum extiterat,ignominioſumq;.Altius id verbum in Toletani pectus deſcendit,quam par erat. de diſceſſu cogitantem arte Aragonius detinuit, filio per literas caſtigato,iuſſoque rebus omnibus Toletani conſilium cæteris præferre omnibus: vnumq; parentis inſtar omnibus officiis colere. Parum ea diligentia profectum eſt.omnem medicinam ęger Toletani animus reſpuebat.Belli Catalauni breui conficiendi magna ſpes affulſit Io.Lotaringio Barcinone,vbi erat in hibernis,morbo opportune ſublato,die Decembris ſexto decimo.corpus in templo maximo ſepultum,pompa funeris exigua,populariq;. Factioſi eo quamuis pręſidio nudati,haudquaquam animos remiſere. Gallū euocare cōſtituunt, haudquaquā recuſaturum ad Ruſcinonenſes Ceretanoſq; reliquā Catalaunorū prouinciam adiicere.eo conſilio,edicto ſanciunt neminem in arces vrbeſq; admittendū viduas rectore:niſi Renatus ipſe Andegauenſis veniret,aut nepos Nicolaus defuncti filius:qui iā ſe Aragoniæ Principem ferebat,Calabrię Ducem.inanes tituli,& ſine prouētu nomina. Vtriuſq; ætas inutilis bello erat: & occaſio quæri viſa eſt,eos Principes abdicandi,maioriq; præſidio mutandi.Proceres Caſtellæ variis artibus verſati agitatiq; ſunt ab Aragonio: Paciechus nouæ ditionis, cuius erat auidiſſimus, iniecta ſpe: Toletani animus ad mutandam fidem procliuis, vt videbatur, promiſſo amplo principatu filiis Troilo Lupoq;. vt cuiuſque ſtudia erant,aliis pecuniam,aliis honores,aliis oppida pollicebantur, fidem opemque magno licitantes.donis fallacibus neuter ceſſit. Toletanum quoque in partes attrahere Henricus Rex ſatagebat. nulla arte obſtinatus animus vincebatur,malo cogēdus viſus eſt.à Vaſco Contrerio Peralium illius oppidum præſidio occupatum. Toletanus omnis inſolentiæ impatiens,fortiq; ad ſuſtentandum fortunæ impetum animo, collectis copiis eo continuo aduolauit. ſequebatur Arias Segobienſis Pontifex. Henricus ne prima negligendo graue bellū exiſteret, Madrito quo Segobia celeriter abiit, nouo
1471. anno Mileſimo quadringenteſi.ſeptuageſi. primo octogentis equitibus ſtipatus, & numeroſo peditatu obſidionem diſiecit: Toletanoque Complutum profecto ſeſe ipſe Madritum retulit. Noua tentata via factioſos Pręſules ſanandi atque Henrico Regi conciliandi,cui erant vel maxime infenſi.à Pontifice Romano gemino diplomate ablato,altero Ariæ Romam dies dictus,ex eo die,quo denunciatio facta eſſet,nonageſimus.Toletano Præſuli diplomate altero vt mutaret,mandatum,Henricoque ſatisfaceret. Si obtemperare recuſaret,quatuor ſacerdotibus Toletanis cognitio data: quam de ſcripto conceptam Romam mitterent. Ii iudices à Collegio Toletano Sacerdotum ſummi templi deſignati,ne quod iuſſi erant præſtarent,Magiſtri Diui Iacobi arte impediti ſunt. Præuaricatio ea tempeſtate ignominioſa non erat,inter proceres maxime: quorum augendis opibus controuerſias exiſtere commodum erat, nulla honeſti cura,præ ambitione mala, cupiditateque.prorſus vt vniuerſa prouincia prædę haberetur.varia oppida proceres pro ſe quiſque occupabant. Alcaraſſum Diui Iacobi Magiſtro abs Rege data.Roderico,Pontio Arcobrigæ Comiti Gadeis inſula adiuncta eodem agente, Marchionis nomine quaſi dotalis de publico: quod per eos dies defuncto patre ſuo Beatricem Magiſtri Diui Iacobi filiam ſibi connubio iunxiſſet,idoneus,qui Aſſidoniæ Duci, cum quo eius ſocero grauis ſimultas erat,opponeretur. In Cantabria noui tumultus extabant, Abendanio & Muxica partium capitibus ab exilio reuerſis, ope Treuigni Comitis; quam ille libenter contulit Petro Velaſco à quo fuerant expulſi,ex priuata contentione infenſus. Ab vtroque collectis raptim copiis in Cantabriam penetratum. prælium ad Munguiam oppidum

pidum ancipiti marte factum ad tertium kal. Maii. Treuigni Comes peditatu præſtabat: equitum non magnus vſus erat locis aſperis, qualis omnis ea regio eſt, pro locorum conditione ingenia durata. Aduerſarii pulſi, cęſique. nonnulli viri nobiles deſiderati, plerique capti. Iis libertas eſt reddita Regis iuſſu; qui periculo cognito Burgos, Orduniamque magnis itineribus feſtinarat. Vtroſq; prouincię finibus diſcedere mandat, pactis induciis dum de compoſitione ageretur. Mox tota Caſtella magni delectus haberi: proceres nominatim euocati: vt collectis regni viribus Ferdinandus & Iſabella finibus diſcedere cogerentur. conſilio tamen D. Iacobi Magiſtri ceſſatum. arte potius quam viribus ſuperandos diſputantis: nobiliſſimum id victoriæ genus fore, reipublicæ tantis vexatę malis neceſſarium. Ea ſententia vicit nemine contradicere auſo: ne Rege quidem tametſi ſecus exiſtimabat. Toleti, atque Hiſpali vno tempore tumultus concitati. Toletani ciues veteri inſtituto in duas factiones diſtracti erant, Aialas, Syluaſque. his Cifontanus, illis Fuenſalidæ Comes caput erat. Annitente Petro Sylua Pontifice, coniugium pactum Cifontanum inter & Eleonoram Fuenſalidæ Comitis filiam. quod erat ad concordiam excogitatum non imprudenter, maius certamen accendit, Cifontano & Ioanne Ribera eius auunculo, quaſi ad communem lætitiam, in vrbem contra Regis voluntatem admiſſis. Reducto capite Sylue in aduerſarios armati ſæuire aggreſſi ſunt. Ea cauſa ab Henrico, cum ad periculum feſtinaſſet, vrbe pacata, Fuenſalidæ Comite vrbana pręfectura amoto, quam multos per annos continuarat, ſubſtitutus eſt Garſias Lupus Aſſiſtentis nomine, qui ciuibus iura daret. Marchio Gaditanus ab Aſſidonię Duce Hiſpali pulſus, duos aduerſarii fratres materno genere impares tumultuaria pugna ſuſtulit. Aſſidoniam expugnauit. contentio in iuſtum bellum exarſit: quam Enecus Mendoza Tendillię Comes eo miſſus, arte magis quam viribus pacauit, Aſſidonia etiam reſtituta. Motibus Caſtellæ pacandis magnum præſidium deceſſiſſe videbatur, obitu Pauli ſecundi Romani Pontificis octauo kal. Auguſti, cuius in noſtram gentem magna beneficia extiterant. Succeſſit quinto Idus Auguſti ex Minorum ordine Franciſcus Ruuereus Cardinalis, Sixti quarti nomine, haud minori probitate, humanitateque in noſtros. Io. Margaritum Gerundenſem Epiſcopum Romæ pro Aragonio Oratorem donauit purpura. cuius extant de rebus Hiſpaniæ Paralipomena: & Romæ ſepulchrum in D. Mariæ de Populo ad portam Flumentanam. Maurorum manus in Bæticę agros inuecta eſt: atque Alcantarę contributa oppida. ferro igneque vexata. tantum prędę & ſpoliorum auexere, vix vt explicare agmen poſſent. Gaditanus Marchio vindictę ſtudio, iuſſu Regis in barbarorum finibus Cardellam municipium vi cepit quidem: ſed infirmo præſidio munitum breui ad veterem ditionem rediit.

Carolus Aquitanus defunctus. CAP. XVII.

FElix hic annus Luſitanis fuit, felix Aragoniis. Alfonſus Rex Luſitanus inſtructa numeroſa claſſe, omnino nauigiorum maiorum minorumque trecentorum. Africam bello repetiturus, Oliſipone ſoluit Auguſto menſe dimidiato. Sequebatur Ioannes filius prima militiæ rudimenta in pio bello poſiturus: ex vniuerſa gente nobiliſſimus quiſque, promiſcui generis homines ad triginta millia. his copiis primo aduentu Arzilla vi capta eſt. è barbaris duo millia trucidata. captiuis ad quinque millia ſub corona venditis, magna pecunia in ęrarium redacta. victoria noſtris incruenta non fuit. cecidit nobiliſſimus quiſque: Aluarus Caſtrius, Ioannes Coutinus Montis ſancti & Marialuæ Comites. Huius cadauere cōſpecto Rex ad filium conuerſus: Vtinā te, inquit, talē tantumq; militē ſuperi præſtent. Arzillæ clade Tingitani Mauri territi, vrbe deſerta fugerūt. Captę ei vrbi Rodericum Merlum, Arzillæ, atque Alcaſſari Henricum Meneſium Valentię Comitem præfectos cum Rex dediſſet, tantis rebus breui patratis claſſem triumphans incolumem in patriam reuexit, Alfonſo Baſconſelo in ea expeditione Penellæ Comite creato: ea meritis continuis & maximis cōpenſatio fuit. In Catalaunis Gerunda vrbs poſt Lotaringii obitum, in Aragonii poteſtatem ciuium deditione redacta Octobri menſe. reliquię hoſtiū, quibus Reinerius Scānis Lotaringii filius nothus, Iacobus Galeotus præcipui duces erant, pars ad fanum Hadriani ad ripam Beſis fluuii obſeſſæ: pars quę Barcinone vicina obſeſſis opitulatū accurrit inſigni pugna ſuperata cęſaq; eſt ab Alfonſo Aragonio, qui ei bello fuerat à patre pręfectus. Ad Emporitanos ipſe ea q̄uis ætate, hoſtes magna diligētia perſequebatur. cui caſtris ad Toroellā poſitis, per quietem ſpeciē ſtrenui militis in eo bello occiſi oblatam memorant, monētis ne caſtra inde moueret: alioqui imminere malum Regem earum rerum contemptu quaſi fortuitarum, motis caſtris capta Rhodope,

obsessoque oppido Peralada, nocturno impetu Cāpobassi aduersarię partis Ducis ferme oppressum, vigiliis trucidatis inermem ac ferme nudum Figherę mœnibus salutem tutatum: sed proximo tamen die repetita obsidione, atque agrorum vastatione, deditionem tandem ab oppidanis factam: totoque eo tractu ad ditionem subiuncto, Barcinonem promota castra. Longa ea obsidio fuit. Vim prohiberi erat Aragonio destinatum: arteq; potius commotas ciuium voluntates sanare. Quid enim vrbem nobilissimam vastaret, deriperet, incenderet? quid militum prædam faceret? & non potius sibi à clementia immortalem gloriam quæreret, fructumque multo maximum, ciuium salute & opibus cōseruatis? In Vlteriori Castella Ferdinandus & Isabella multis oppidis tentatis, quibusdam etiam, atque in his Sepulueda deditis, Toletanum, qui se in Carpetanis tenebat, euocare constituunt. & quod Aragonius pater præceperat, se suaq; eius potestati permittere velle pollicentur. Fide fides obligatur maxime. Itaq; eo placato, atq; cum firmo equitatu prosequente Tordelacunam, quod oppidum in Carpetanis Toletano subditum est, fertilissimo agro migrarunt. Carolus Aquitanus Ioannę nuptiis contemptis, incertis natalibus, ambigua dote ad Burgundi filiam, patris inuitatu, suaque sponte animum retulerat.
1472. Ea re cognita Henricus, Segobia vbi se tenebat principio anni Millesi. quadringentesi. septuagesi. secundi, Pacem augustam ire pergit. eam vrbem Comes Feriæ obtinebat Magistro infensus: ita venientibus portæ clausæ. grauis contumelia fuit: neque melior colloquii successus: q; inter eam vrbē & Helbes (Heluiam quidā vocant) Portugaliæ oppidum, est habitum. de nuptiis Lusitani Ioannæque, qua potissimum causa is labor erat susceptus, nihil certi constitutum. Lusitano Paciechi Magistri fides suspecta erat, sese in omnes partes vertentis, vndecunque melior spes ostentaretur. Ferdinandi & Isabellæ in dies crescere vires in Castella considerabat, & ipsorum virtutib. & gentis beneuolentia excitata; & Toletani artibus, singulas ciuitates solicitari, trahique in partes. Ira in Comitem Ferię in præsens dissimulata. Madrito Henricus, quo se à Lusitani colloquio retulerat repetita Bætica, exceptus Cordubę Hispalis aditu abstinuit: eam vrbem Assidoniæ Duce cum numeroso equitatu obtinente Magistri, vt ferebat, metu: quem rebus suis infensum antea sæpe erat expertus. Nullo itaq; magno operępretio Toletum festinatum ad vrbanos motus pacandos: qui capta à Cifontano, cū in eā vrbē rediisset arce, quæ ad Diui Martini pontem erat firmissima, captoq; vrbis Præfecto, grauissimi extiterunt. vix ea seditione pacata Henrici præsentia, sacerdotumq; templi Toletani virtute & armis, Segobiā ciuili discordia ardere nunciatū est. magna iniecta solicitudo: quoniam regii thesauri in eam vrbē relati erant. eo quam primum festinatur. nulla erat facies mali, quam in ea temporum atrocitate vniuersa prouincia nō pateretur. rapinę, cædes, iniurię, promiscuę libidinis scelerum omniū licentia volitabat impune: sacra atq; profana iuxta contemtui erant: pecunia passim adulterata, magno mercatorū commerciiq; dāno. Ea sæpe de scripto capita Regi explicata: vt remedium adhiberet frustra postulatū. Henrici væcordiā, procerum artes, reipublicæ vniuersæ iactationem, pastoritio quidem, sed eleganti carmine Ferdinandus Pulgarius nobilis ea ætate scriptor, suppresso nomine ad vitandam inuidiam, deplorauit, lingua vulgari, eglogæ forma, satyrę amaritudine, Dominici & Egidii pastorū inter se colloquētium de reipub. statu affictis nominib. sermone dato. Hoc anno quarto Idus Maii Carolus Aquitaniæ Dux Burdigalæ diē obiit, in medio apparatu noui belli: quod eis, Burgundi, atq; Britanni iunctis viribus in Gallum parabatur. Aquitania omnis defuncto Carolo, Galli Regis Præfectos oppidis arcibusq; accepit. Burgundus inuidiam Regi conflare, parricidii insimulans, corruptis ab eo familiaribus fratrē veneno sublatū. ventum ad arma. quędam, sed ea ignobilia oppida vtrinq; capta: maiora frustra tentata. plus iratū Burgundo, plus virium atq; consilii Regi Gallo. Inducę sępe factę: ante diem sępe ruptę. verum totius belli successus, & qua ratione ab iis initiis Burgundus tandem quinto post anno in exitium pręceps datus, ad Nantium in Lotharingia ceciderit victus ab Heluetiis acie, historicis eius gentis explicandum relinquatur. Gasto Fuxensis Comes res Hispanię attingit, Eleonorę coniugis iure, Vasconum regni hæres futurus, si vita longior contigisset. In saltu is Vasconum ad Rocidam vallem hoc anno decessit: cum ex Gallia iret in Vascones, multis Gallicis bellis atque imperii finibus prolatis, in paucis ea ætate nobilissimus. fratrem habuit Petrum Lautrechii Vicecomitem pari virtute, gloriaque, bellis omnibus adiutorem, Lautrechiæ familiæ nobilissimæ conditorem, defunctus enim Mirandę, quod est Gallię oppidum, superioribus annis vxore grauida, posthumum filium habuit Ioannem nomine. ex hoc Odetus, atq; Andreas cognomento Sparrosus sunt geniti clari Duces: hic bello Vasconum, quo tēpore mortuo Ferdinando Rege Catholico ciuilia arma in Hispania mota sunt: ille Mediolanensi

& Neapolitano aduersus Carolum Cęsarem. præterea Thomas Lescunius iuxta nobilis in Gallia. Odeto filius Henricus fuit: cui vita longior cæteris fratribus contigit, ad nostram ætatem propagata.

Rodericus Borgia Cardinalis in Hispaniam legatus. Cap. XVIII.

HOnorem purpuræ Seguntinus nobilitati congruum, meritis debitam gratiam, à Pontifice Romano regia opera impetrare cupiebat. Aeger mora, impatiensque, animo vehementer alienatus, neque in Lusitaniam, neque in Bęticam euntem Regem prosecutus erat: multus alioqui in aula assiduusque. magnum in eo momentum rebus erat propter familiæ amplitudinem, paresque opes. ægri animi sanandi ratio excogitata. Magister Diui Iacobi obitu prioris vxoris domum secundis nuptiis vacuam, filiam Hari Comitis patre concedente duxit. Ea quoniam Maria Mendoza nata erat, Velasci Mendozæque reguli affinitate deuincti sunt; Assidoniæ Dux eo pręsidio nudatus, quod à Mendozis certissimum expectabat. & ipse aduersus inuidiam procerum aliorum, plus vnum omnibus posse dolentium, opes vehementer ea affinitate confirmauit, homo callidus, ingenii dexteritate ad versandos homines, vitādaq; pericula pollens in paucis. Purpuræ haud dubia spes Seguntino iniecta, Roderici Borgię Cardinalis Valentini aduentu: quem à nouo Pontifice legatum, patrium Valentię litus tenuisse ad duodecimum kal. Iulii, cultumque in ea vrbe, vt par erat, omnibus officiis, pedestri itinere Tarracone Ferdinandum Sicilię Regem conuenisse nunciabatur, per id tempus Barcinonem ad patrem profectum, eoque conuento, sese ad vxorem referentem. Suscepti à Ferdinando itineris aliæ caussæ vulgatæ sunt. illa verissima: de Henrici Segorbii Ducis, & Ioannæ connubio agi, renunciare cupiebat: quod disturbandum filius disputabat. pater non credebat, falsis sępe delationibus deceptus, ob ætatē cautior, & indulgentia in Henricum fratris filium propensus. Omnino Ferdinandus Tarracone in Valentinos abiit. Inde sese in Castellam festinus retulit, cura ne se absente à prauis hominibus, quorū erat magnus numerus, resp. turbaretur amplius. Cardinalis legatus Barcinonem ad Aragonium peruenit. Quo tempore obsessi ciues diuturnæ obsidionis fessi malis, atque rerum omnium inopia laborantes de obstinatione tamen animorum nihil remittebant, duro homines ingenio atq; aduersus mala peruicaci. Inuitati sæpe ad sanitatem, surdas aures salutaria monentibus præbuere. Aragonius literas testes sui animi, testes clemētiæ ad extremum dedit. Eo loco res esse, vt neque suis, neque alienis viribus stare diutius possent. Debere eos vrbis pulcherrimę, quę caput gentis esset, nulli in Hispania de nobilitate, atque elegantia concederet, ruina, incendio direptioneq; moueri. sibi decretum esse, dum spes esset, voluntate ad legitimum imperium redituros, neq; vim, neq; metum intentare: eoque nisi necessitate nō venturum & quasi viscera secantem sua. Huius sui animi testem inuocare Deum: nō alio loco neque habuisse quam filiorum, neq; habiturum vnquam. ac (per ipsos modo liceat) prouinciæ calamitatem omnibus regni opibus sanare proposuisse. His illi emoliti literis, ac spe defensionis abiecta legitime dedentium vrbes verba nuncupare constituunt. Dati iudices, qui de singulis controuersiis statuerent. Gallicum pręsidium Ioanne Lotharingii filio Duce dimissum. Venia omnibus data, quicunq; eo bello in Regem arma sumsissent. Vnus exceptus Pallasii Comes, quædā in Pyrenæi iugis oppida retinens, vnde Gallicis opibus fretus diu molestus finitimis extitit, sustentauitq;. Quæ gesta essent eo decennio, ex quo tempore bellum tenuit, atque decreta à ciuibus, approbata. Sic Octobri mense extremo Barcinonem Aragonius inuectus, nobilissimum clementiæ exemplum posteris reliquit, vrbe ea, vnde tantæ iniurię extiterant conseruata. cæteris omnibus clarius trophęum. Caroli filii sublati pœnitentia successerat: & pro eius salute, non pro externo hoste arma sumpta, optimo animo considerabat. Neapoli gemina coniugia pacta. duo Ferdinandi Neapolitani filii, Fridericus, Eleonoraq;, hæc Sfortiæ Mariæ Barensi Duci & Mediolanensis fratri, cui stipulatam diximus detracta, Herculi Astensi nupsit Ferrariensi Duci: Friderico Ioanna Aragonii filia desponsa est. Hoc tamē deinde mutatū. Eleonora Princeps cū Sanguessæ in Vasconibus esset, viro defuncto, vti paulo ante diximus, à Gallo solicitata est, vti in eius potestatē Vasconum arces contraderet. ad stabiliendū nepotibus imperium gentis, id maxime pertinere: firmissimumq; præsidium ad omnem statum dignitatis. eorum quippe sorore nati, ad aliquā solicitudinis partem pertinebant. Ea noua iniuria Aragonius prouocatus ad alias, quæ toto belli Catalaunici tempore multæ & graues extiterant, correptis in Gallum armis Ruscinonenses Ceretanosque ad ditionem reuocare constituit. Barcinone ad quartum kal. Ianuarii principio anni Millesi. quadringentesi. septuagesi. tertii profecto, accedentique ad fines Helena; Perpinia- 1473.

numque continuo portas aperuerunt. Gallico imperio fessis omnibus Aragonio victori passim fauebatur. Reliqua omnia similia fore credebatur. Cardinalis Legatus Aragonia discedens Madritum tenuit. acceptus splendido apparatu sub vmbella, prçeũtibus proceribus, sacratisq; viris in augusto ornatu, Henrico Rege sinistrum latus stipante: quod more gentis maximo honori ducitur. In id oppidum Episcopi ac Sacerdotes alii ex vniuersa ditione euocati à legato, frequentes conuenerunt. actum de pecunia, quã designato annorum numero, à sacerdotiis redigi in subsidium belli Turcici Pontifex postulabat. graues difficultates opponebantur, iactatione temporum exhaustis omnibus. Vicit tamẽ legati auctoritas, regia voluntate adiuta. subsidium Pontifici Romano, vti expetebat, decretum. imminuendę quamuis Ecclesiarum libertatis exemplum ab eo facto induci, alioque auertendi copias Hispaniæ considerabant. Inuaserat pudenda literarum inscitia in sacerdotes Hispanię: vsque eò vt pauci Latine scirent, ventri, gulęque seruientes. auaritia rapaces in Ecclesiam Dei manus iniecerat. emere sacerdotia olim simonia, tunc industria erat. neque intelligebant cęci Principes, cęcique Pontifices, irato Deo fieri impium commercii genus: quod facias an patiaris perinde est. Medicinæ faciendæ ratio, iis sacerdotum conuentibus excogitata est. impetratum à Pontifice Romano, vti in singulis ecclesiis cathedralibus bina sacerdotia, quos Canonicatus vocant, suffragio Episcopi, atque collegii Theologo vnum, alterum Iureconsulto obuenirent. Pontificium diploma, quoniam publice cognosci vtile foret, eius iniuria temporis sublati partem, diplomate altero post biennium concesso comprehensam, hoc loco subiicimus. Kal. inquit, Septem. Pontifi. nostri anno quinto per quasdam statuimus, & ordinamus: quod de duobus canonicat. & totidem præbendis, qui primo per cessum vel decessum, aut quamuis aliã dimissionem illos obtinentium extra Rom. curiam, in quibusuis mensibus simul, vel successiue vacarent, in qualibet Ecclesiarum earundem, etiã si dispositioni Apostolicæ ex quauis causa (non tamen prima vice) generaliter reseruati forent, perpetuis futuris tempo. quoties illos vacare pro tempore contingeret, vnus qui in Theologia Magister, seu Licẽti. & alter in vtroque, vel altero iurium Doctor seu Licenti. existeret, posset, & deberet ab Epis. vna cum capitulo cuiuslibet earum Ecclesiarum ordinaria auctoritate prouideri, in omnibus & per omnia, perinde ac si aliquæ gratiæ expectatiuæ speciales, vel generales reseruationis, & nominandi, seu nominatis conferendi facultates & mandata à nobis, seu sede Aposto. vel eius legatis, seu alias eius auctoritate, etiam Regum, Ducum, Principum vel Prelatorum, aut quauis alia consideratione nullatenus emanassent, seu in posterum emanarent. Ita tamen, vt de eis qui primo Doctori, vel cum rigore examinis Licenti. in altero iurium, & aliis qui post modum vacarent simul, vel successiue canonicati. & præbendis huiusmodi Magistro, vel Licentiato in Theologia prouideretur. Et si inter Doctores & Licen. eosdem ad illos pro tempore nominatos aliqui de nobili genere procreati forent, aliis non nobilibus: & inter ipsos nobiles, qui ex vtroq; parente nobiles forent, nobilibus ex altero tantum: & inter ex vtroque, & vno latere tantum nobiles de maiori nobilium genere procreati per eosdem ordinarios collatores & Capitula pręligeretur. qui si in eadem Ecclesia beneficiati & alias, si qualificati reperiantur, aliis præferantur. sicque perpetuis futuris temporibus obseruetur. Hactenus diplomatis pars.

Perpiniani obsidio. Cap. XIX.

PAcandis Castellæ motibus, componendisque dissidiis, magna à Cardinali Legato contentione adhibita, parum profectum: & ipse, vt natura cogebat, in Ferdinandum ex arcano propensior, ad confirmandam eius causam omnes neruos contendit. Complutum profectus, vbi Ferdinandus, Isabella vxor & Toletanus erant, inde Caracam, nõ alio consilio abiit, quã vt Mendozas regulos in partes traheret: ab Henrico Rege, & D. Iacobi Magistro deduceret, ingenio fretus ad simulandum, dissimulandumque idoneo. Vno tempore tumultus per vrbes & oppida concitati sunt in eos, qui Iudęorum ex sanguine prognati erant, profunda homines auaritia fraudeque. initium Cordubæ factum. ferro, rapinis, incendiisque in miseram gentem sæuitum, furente populo nullo supplicii metu. Numinum iram prudentes interpretabantur, ob abdicata passim ex arcano, quæ ante susceperant Christiana sacra. Cordubæ exemplum alia oppida & vrbes Bæticæ secuta sunt. vis maior in Giennium incubuit. Irantius Magister equitum gentem calamitosam ab iniuria vindicare ausus, seque furenti populo opponere, magnam inuidiæ flammam apud populares accendit. ita facta conspiratione ad aras, sacris operantem, crudeliter obtruncarunt. Therasia vxor, & filii vix arcem tenuerunt. Regii scrinii præfectura Segun-

Seguntino post Irantii cædem concredita. Hari Comes Magister equitum renunciatus est,honore antea per multas familias vagato, deinde in eius posteris statario ad nostram ætatem. Magna ea clades fuit: magnumq; præsidium Henrici rebus ob eximiam Irantii constantemq; fidem,sublatum.Magistri D.Iacobi arte conquisita alia. Henricus Aragonius ad certam coniugii cum Ioanna Principe spem,per Valentinos fines euocatus venit in Castellam: tum ipse, tum mater Beatrix Pimentelia, obuio ad Requenam Magistro ipso,deducenteque. maior expectatio,quam successus fuit. quem ex fama probarant, visum contempsere, insigni hominem arrogantia: qui proceribus complexum ferentibus, manum osculandam in os ingereret,nondum opibus fundatis,neque veritus rerum mobilitatem. Eiusdem magistri arte coniugium est impeditum. Erat enim ex arcano Henrico Aragonio infensus, repetituro paterna oppida, si imperium obtinuisset: Beneuentanumque metuebat, Henrici auunculum, memoria intercepti Magisterii in primis iratum. alia tamen obtendebatur species. magno aliquo Principe opus esse ad motus gentis pacandos. At regiam fidem fallere,ludere eum Principem,graue foreRegi videbatur. ad defendendum bellum magna pecunia opus esse Magister ait, Andreæ Cabreræ, cui thesauri cum arce Segobiensi concrediti erant,fraudem nectens. Vbi tumultum in gentem ex Iudæis maioribus ortam, Bæticæ exemplo Magistri fraude concitatum, atq; Cabreræ imprimis capiti minitantes populares quasi miseros tegeret, vix ipse arte & industria pacarat.Seguntino honos purpuræ datus Madriti, misso in eam rem proprio à Pontifice legato.noua muneri gratia addita,concessum à Rege,vt Hispaniæ Cardinalis vocaretur.Henricus Aragonius Madriti aditu prohibitus, Setaffii, qui pagus secundum viam militarem, qua Toletum itur protensus est, expectare iussus, Rege conuento in agro vicino,Odonem est amandatus.Pontificis Romani venia excusabant,nisi lege propinquitatis soluta,inita coniugia inter propinquos,neque esse iusta,neque fausta.sic ille delusus spe est.Henricus Rex Segobiam abiit, per causam expediendæ pecuniæ, quam Andreas Cabrera malignè suppeditabat, D.Iacobi Magistro infensus (quem Segobiēsis arcis præfecturam ambire exploratum erat, Madriti iam arce per speciem se muniēdi detracta eidem Cabreræ)in Ferdinandum ex arcano propensus,& suapte voluntate, & vxore Beatrice Bobadillia in Isabellæ Principis obsequiis educata. Contrà noui Cardinalis opes vehementer confirmatæ sunt, defuncto Caucæ Alfonso Fonseca, magni ingenii ardentisque animi viro.In eius enim locum Hispaniæ Cardinalis, Hispalensis Episcopus agente Rege est renunciatus,retenta Seguntina Ecclesia,nouo damnatoque exemplo. Sed ita erant eius ætatis mores: quod libebat,licitum videbatur. In Ruscinonensi agro Perpinianum obsessum tertio Idus Aprilis fuerat,Galliarum copiarum ad viginti peditum millia milleque cataphractos ductore Philippo Sabaudo.Aragonius intra oppidum erat,certus quoduis prius adire periculum,quam vt firmissimum municipium, quà aditus est in Galliam,hostibus desereret: quò maiores animos obsessis faceret, concione in templum aduocata iuratus,se inde pedem nisi obsidione soluta non elaturum. Insignis audacia, animique præstantia in ea ætate,exemplum nescio an probandum:cùm in vnius capite,summa rerum & imperii verteretur,si ab hoste esset intra oppidum captus. sed numina tantam calamitatem auerterunt. Oppidanorum virtus egregia fuit. In Regis oculis quisque supremo conatu propugnabat,dimicabatq;. Petri Peraltæ Magistri equitū in Vasconib. fides maximè celebratur.qui in veste Frāciscana Gallicæ linguæ sciētia,qua multū vtebatur, per medias hostiū acies tutus ad Aragoniū penetrauit, periculi socius futurus, à quo omnia acceperat,supremum id officium deberi ratus. Aragonii filii tres, Alfonsus cū patre erat: Cæsaraugustanus Helenam finitimam vrbem valido præsidio occupauit, paterna iussa facturus:Ferdinandus Talamanca cognito periculo profectus,quadringentos equites è Castella auxilio duxit.ei numero ex itinere centum alii sunt adiuncti.cum iis copiis mense Iunio ad opprimendum Emporias delatus,tantum hostibus terrorem iniecit, vt soluta obsidione ac mox ad mensem Octobrem pactis induciis, finibus discesserint. Sic confecto bello Aragonius, triumphi persimili specie,curru sublimis cyanea veste constrato,agentibus quatuor candidis equis, dextra læuaq; stipante nobilitate & magistratibus,effuso ad spectaculum populo,Barcinonem iniit ea porta,cui à Daniele nomen est,ipsa canicie,luminibus restitutis, rebusque gestis clarissimus. Corpus destitutum viribus vigor animi sustentabat.Abscesserat Ferdinandus filius Dertusam, Aragoniæ gentis conuentus agitaturus, pro patre Rege vicarius. cæterū morbo tentatus, conuitioque in Castellam reuocatus,vbi multa nouabantur,eo conatu destitit. Ferdinandi Auisii Magistri, quem obiisse in captiuitate dictum est, ossa per idem tempus à Mauro quodam è Phuthensi vrbe clam sublata,atque in Lusitaniam aduecta, ad Aliubarrotam, vbi maiores se-

pulti erant, composita tumulo sunt. Inferiæ defuncto ex ritu Christiano magnificè datæ.

Arandæ Concilium. CAPVT XX.

FVere hæc tempora cæteris quidē Hispaniæ prouinciis nulla re, nisi quod præcipuum est, festa pace nobilia. Vna Castella non quiescebat indies grauiori metu. fœdis Principum certaminibus modestia multitudinis corrupta, oppida & vrbes in factiones scissa erant. Ferdinandi & Isabellæ vires nouis accessionibus augebantur. Henrici Regis ignauia opes minui, plebisque alienatione. & vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est morbus, qui diffunditur à capite. In Cantabria tumultus erant. dum equitum Magister armis conatur, Henrici ad imperium reuocare duriore ingenio gentem propositiq; tenacem: Petrus Manricus Treuigni Comes Aragoniis partibus infectus defendere conatur, illata regioni vastitas per se sterili, & rerum omnium indigēti. Toleti noui tumultus concitati. Fuensalidæ Comes Paciechi fauore, qui in eam vrbem oculos etiam auidos cōiecerat, armis intra mœnia irrumpere conatur. atque Ferdinandum Ribadeneiram Marescalum Henrico fidum, vrbe deturbare. Verum ciuium concursu repressa audacia est: & Regis aduentu, qui periculo nunciato aduolauit, motus vrbani compositi. Sontib. venia data lex impunitatis confirmari visa est. Ex ea audacia Paciechus, siue inuidiam veritus, siue otii cupidus Pennafielem ad vxorem abiit. tot annis in aula assiduus satietatem absentia procurare cogitabat, misso tamen pro se Diegho filio vicario: quem Villenæ Marchionem renunciatum iam diximus. Venientem Henricus ea amoris significatione accepit, ac si ingentia beneficia à patre extitissent: & erat conspicua forma, ætas integra, fortunæ cultus par. Segobiam Toleto itum. In ea vrbe gratia frequenti vsu amplius conciliata. ad Villenium in Hieronymianum cœnobium, cui Parrali nomen est, hospitio datū Henricus quotidie ventitabat. Cum Andrea Cabrera actum, vti gratia cum Paciechis conciliata, in Henrici potestate esset, arce cum thesauris tradita, Moiæ permutatione: q; municipium ad Celtiberorum & Contestanorum atque Valentinos fines situm est, Conchæ vicinum Cabreræ patriæ. Eò faciles aures prębere pactioni videbatur. Res non latuit. oppidani animis ex eo vehementer offensis, Aragonium præsidium intra mœnia accepere Duce Ioanne Heredia, qui ad rem certam è Valentino tractu aduolauit. ægrè id fuit Henrico Regi. Illud grauius. Arandam, quod oppidum in Vxamensi diœcesi est ad Durii ripam, Isabella Princeps Tordelacuna, vbi se in Carpetanis tenebat viro absente, ab oppidanis consensu euocata, illud imperio subegit. Ioannæ Reginæ detractum. Fœminæ impudicitia, amoresq; male cauti, totius prouinciæ inuidiam commouerant, Regis etiam. Sed est quibusdam insitum, vti magis peccari nolint: quàm quod satis animi ad vindicanda delicta habeant. vti Henrico Regi per totam vitam accidit. Illa & filia Madriti in arce erant Villenii curæ concreditæ. Arandæ exemplum secuta est Agreda (prope olim Augustobriga sita fuit) magno dolore Medinæ Celinæ Comitis, cui Henricus id oppidum donarat. A Toletano, cùm Isabellam esset secutus, Arandæ, prouinciæ Episcoporum concilium indictum, habitumq; est. affuere Episcopi, atque Archipresbyteri ex vniuersa prouincia euocati, ex vtroque ordine viri non pauci. Disciplinæ ecclesiasticæ instaurandæ, species obtendebatur, vitio temporum labefactatæ. Propior tamē cura erat (sic arbitror) factionis vires confirmandi. Nonis Decembris quatuor tantum hæc decreta promulgata. Episcopi in publico semper linteati visuntor. Presbyteri minimum ter aut quater, diuina hostia annis singulis sacrificanto. Sacro ordine viris sese obsequiis procerum addicere, aut eorum stipendia facere, præterquam Regis, nefas esto. Cura ecclesiarum, & maiora sacerdotia, quæ Dignitates vocantur, ne cui creduntor, qui Latinè nesciat. Vix soluto conuentu Ferdinandus per Almasanum, & Valeranicam à Medinæ Celinæ Comite, & Petro Mendoza Almasani regulo, omnibus officiis ex itinere cultus, Arādam ad vxorem appulit, partium studia præsentia vt confirmaret. Decessere hoc anno in Castella quidem Fridericus Maris Præfectus & Gometius Cacerius Alcantaræ Magister successore Ioanne Stunica, vti paulo ante dictum est: in Gallia autem Nicolaus Ioannis Lotaringii filius Renato auo superstite. huius ex filia nepos Renatus auiæ maternæ iure Lotaringiam obtinuit, præclara virtutum indole Princeps: cæso Carolo Burgundo Audaci ad Nancium quarto post anno quàm re alia fama maiori. Ioannes Armeniacus Comes nunquam Regi Gallo fidus, gratusve ex quo in Hispaniam pulsum diximus, Burgundi copiis bello in Aquitania cōcitato, Petrum Borbonium Aquitaniæ Præfectum à suis proditum ceperat: neque dimiserat, nisi Lectorio oppido sibi restituto. In illum continuò missæ abs Rege Gallo copiæ ductore Albigensi Cardinali. Lectorium recuperatum, euersumque est.

Comes

Comes ipse cõtra datam deditio fidem peremptus, ancipiti fama facti: eo minori inuidia quod conficto pontificio diplomate, vt sibi ius fasq; esset sororem germanam ducere, ei vitium attulerat. Pudendam turpitudinem, probrumq;. Impietas suscepta, væsanaque libido sic est vltore numine exitio vindicata.

Libri vigesimi tertii Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXIV.

Isabella Henrico fratri conciliatur. CAPVT I.

ON quiescebant diuisa Castellæ procerum studia, maiori indies Aragoniarum partium fiducia viribusq;. neque D. Iacobi Magister desistebat opibus opes struere, præsidia præsidiis addere maiori habendi auiditate: metuque, ne si Aragonii rerum potiti essent, ipsi cedendum esset principatus magna parte: quam in eorum ditione fuisse superiorib. annis meminerat. Quo consilio Ferdinandi & Isabellæ coniugio aduersum se præbuerat, Henrici Aragonii & Ioannę pactas nuptias disturbare pergebat, alias ex aliis moræ causas & difficultates nectens, Rege quorsum ii conatus spectarent, præ socordia non intelligente, aut dissimulante præ ignauia. Ad Madriti arcem, Segobiensem adiicere contendebat si id assecutus esset, Regem quasi iniectis compedibus fore in potestate prouidens, & quemcunq; cursum res habuissent, certum rebus præsidium. ea summa votorum erat. Andreas Cabrera vnus maximè opponebatur & gratia Principis & ingenio pollens, neque eius pollicitis quamuis magna erant, satis credens. Exortis inter eos suspicionibus atque confirmatis, vterque dolos ad euertendum alterum nectit: cautus vterque & callidus, maiori Magister potentia atque opibus. Cabrera felicior omnes ingenii neruos intendit, vt Isabellam conciliaret Henrico fratri. æmuli absentia opportuna conatui erat, Villenii filii haud pari propter ætatem calliditate. Henrico assiduus, officiis ad tempus accommodatis amplius confirmata gratia, multo sermone persuadet, vti Isabellam sororem ad se accersat. Id publicè salutare fore, priuatim vtile, honestumque. Magistri conatus quorsum tendant ignorare neminem: vt republica turbata priuatas familiæ opes augeat, immensa auiditate ambitioneque, inconstanti fide atque venali. Quod reipub. motus eo concitatore graues & diuturni, me silente indicant, ex dolis atque fraude ingenium moresque compactos. At filię caritas mouet: indignumque iudicas innocentem ætatem paterna hæreditate spoliari. Sed liceat modò vera loqui, quî id populo persuadeas ex te genitam? & est prudentis non amplius in repub. conari, quàm quod ciuibus probare possis. Non vt corporibus, sic animis vis afferatur. Opinione multorum, quæ vna famæ vox est, stant imperia caduntque. Vtcunque res habeat, an duabus sororis filiæq; dotibus, amplitudini nobilissimi regni pares opes non sufficiant inter vtranq; per conditiones tributi? At imperii maiestatem imminui graue est. sed ciuili discordia, & perpetuis ex eo malis implicare rempubl. multo grauius. Mihi crede, aut hæc via aut nulla est tantis malis medendi. si quid priuatis rationibus contrarium est, id pacis studio, patriæ caritati condonandum censeo. Quanta mala ex ciuili discordia impendeant, debes cùm tempus est considerare: curare etiam, atque præstare. Mouebatur Cabreræ oratione Henrici animus, actionum consiliorumque mirabili per totam vitam inconstantia, regio

nomine indignus, soliique probrum. Cabreræ diligentia, hortatuque, Hērico in sententia euocandæ sororis confirmato, Beatrix Bobadillia viri suasu Arandam proficiscitur: quo res occultior esset, vecta asino, atq; in rusticana veste obuoluto capite. conueniendi Isabellam Principem opportunitatem nacta persuadet, vti quam primum Segobiam improuisa abeat: fratris, in eam procliuem animum explicat: si mutet arcis munitione fore ab iniuria tutam: si quid periculi subsit tamen, audendum magna conatibus. In eo rerum momento celeritate opus esse: cunctationem fore noxiam. Parua sæpe mora magnas fieri inclinationes. Re constituta Bobadillia se se ad virum refert. subsequitur Isabella haud magno proxima interuallo: seque in arcem Segobiensem infert ad quintum kal. Ianuarii principio anni Millesi. quadrin. septua. quarti. Vulgato eius aduentu varie, vt cuiusq; ani-
1474 mus erat, commouentur ciues, perturbantur aulici. Villenius fraudem subesse & coitionem ratus, conscenso equo Ayllonem vicinum oppidum se subducit festinus & pauidus. Henricus ex Balsaino nemore, vbi venationi dabat operam, Segobiam accurrit, sororem inuisit: magna lætitiæ significatione inter se salutant, in mutuosque amplexus ruunt, eo maiori studio quod ante multos dies non viderant. Arcanis sermonibus longum tempus consumptum. fine colloquii Isabella suam causam fratri commendat, iure minime dubio nixam. Rex sumpturum se tempus ad deliberandum ait. sic à colloquio discessum ad multam diem. die postero in arce cum sorore cœnatus Rex. tertio per plateas ciuitatis Isabella vecta est, honoris gratia, eodem equi habenas regente. Nullus illustrior dies ciuibus, atq; adeo Hispaniæ vniuersæ illuxit, certa concordiæ spe, malorum metu sublato. auxit opinionem, confirmauitque, Ferdinandi Principis rei gestę fama & vxoris literis prouocantibus, Turuegano (quo accesserat quorsum res euaderent expectatum) aduentus. Ad octauum Idus Ianuarias, qui dies Magorum memoria sacer est, Henricus, Ferdinandus, Isabella per vrbem vna equitantes, celeberrima pompa ciuium oculis gratissimum spectaculum prębuerunt. Post gestationem in Episcopi aula conuiuio ab Andrea Cabrera instructo, vt par erat splendido lautoque, excepti eidem accubuerunt mensæ. quartum adhibitum Rodericum Villandrandum Ribadei Comitem Castillius ait. lege in perpetuum lata patri datum erat, vti superius est demonstratum, vt Ianuarii Kalendis regiæ mensæ conuiua accederet. Remotis mensis lyristę, comœdi, cantoresque accesserunt. fine bellaria tragemataque illata. Celebritatis lętitiam Henrici valetudo nonnihil conturbauit, lateris dolore tentati oppressique: sic vt in regiam discedere necesse habuerit. casu factum, vti saniores iudicabant, insidias vulgus interpretabatur, prona semper in deterius persuasione. Eam opinionem, venenum inter epulas datum, Principis perpetua deinde valetudo confirmauit, ac non toto euoluto anno subsecuta mors. perpetua Ferdinandi & Isabellæ felicitas amplitudoque rerum gestarum, iis certe consciis factum scelus fidem abrogat, imperium à parricidio auspicatos fuisse. quod ęmuli in primis accusabant, accensis odiis, promiscua inter se affingendi crimina libertate. Pro Principis incolumitate supplicationibus ad omnia templa habitis, sacrificiis, precibus, votis placati superi: eiusque valetudo recreata est.

Magistri D. Iacobi obitus. CAPVT II.

VT Rex conualuit, de concordia agi cœptum est, per conditiones inter Principes sancienda. Petebat Isabella, vt sibi sacramento à regni ordinibus dicto successio confirmaretur iure debita. si id fieret, se & virum perpetuo in officio fore: neque recusabat filiam vnicam, Abulæ arcem quasi fidei obsides tradere in potestatem Cabreræ quasi sequestri. Vt Ioanna Henrico Aragonio nuberet, Beneuentanus amitini ludibrio commotus, conuitio postulabat, Henrico assiduus, ipso postulato gratior, nisi concederetur, fœdus disturbaturus. Nec consilium vnum inter proceres, nec voluntas erat. aulicorum pars Ioannæ fauebat. ad Isabellam plerique res trahere, animi consiliorumque Henrici potentes, sublato inter fidem, perfidiamque discrimine: quod Isabellæ causam vehementer confirmauit. Ad eam Mēdozæ proceres inclinare cęperant, opibus, numero, cliētelisque præualidi: eoque Toletanus nutare, atque ad Ioannæ partes respicere: vnde maiora præmia, certiorque spes ostendi videbatur. Ancipiti sententia suspensum Henrici Regis animum, D. Iacobi Magister arcanis literis impellit: vti nocturna vi vrbe capta, Ferdinandum atque Isabellam in potestatem redigat. præclari facinoris occasionem oblatā, quando veluti indagine cincti in arce tenerentur. in id operam industriamque suam pollicetur. Res tanta latere non potuit: nec diuinum consilium humana arte disturbari. Indicio facto Ferdinandus quidem raptim Turueganum abscessit: Isabella in arce Segobiēsi substitit,

ſtitit,quorſum eæ molitiones euaderent expectatura: nec ferens nobiliſſimę arcis poſſeſſione decedere: vbi erant theſauri regii, & ampliſſimus regiæ cultus: vnde regnandi principium fore prouidebat,magno fœmina animo,prudentia, conſtantiaque ſupra ſexus ætatiſque conditionem. Diductos Henricum Ferdinandumque, nouus caſus loco iunxit. Carrionem nobile in Vaccæis municipium, ſuperioribus annis licentia temporum, Beneuentanus Henrico concedente extortum,arte munierat.idęgre erat Santillanio,quod incolæ ab antiquo in eius clientela erant, eorum precibus præterea & lacrymis fatigatus Petro Manrico Treuigni Comiti ſuadet, vti improuiſa vi oppidum præſidio occupet. facit ille imperata. auxilio cum copiis Santillanius Caraca feſtinat. Beneuentanus ferro iniuriam vindicare parans,idem facit, Segobiæ eo nuncio perculſus. Diductis in vtramque partem aliorum procerum ſtudiis copiiſq;,periculum erat,ne inſignis clades acciperetur vtrauis parte proſtrata. Accurrunt Principes Henricus Ferdinanduſq;: hic adiutor Santillanio futurus,ſi ventum eſſet ad manus. ille pacis arbiter poſitis iuxta caſtris, inter vtraque agmina oberrans, vix tandem,vt arma ponerent,impetrare potuit. Regiæ auctoritati,Beneuentanus ſuum dolorem condonauit. Magano oppido à Toletano dato,Carrionis arx à fundamentis euerſa eſt. pace conſtituta, Sanctillanus quidem Iſabella ad Segobiam conuenta Caracam ſe ſe retulit, ad nouas ſpes penitus conuerſo animo ſuorumque. Henricus Valliſoleto obita,atq; Segobiæ tantiſper moratus cum D. Iacobi Magiſtro conſilia de republica communicaturus, eius conſilio & hortatu Madritum diſceſſit. Luſitano cōnubio Ioannam Principem elocandam,importunus auctor euicit, vt Henricus Rex ea cura ad Portugalię fines progrederetur, afflicta quamuis tenuique valetudine. Hæc ſpecies profectioni obtendebatur. ſed maior Magiſtro cura ſuberat, Caſtra Iulia in poteſtatem redigendi,immenſa habendi,opeſque ſtruendi auiditate ambitioneque pari. regiæ voluntati ciues paruerunt. Magiſtri artibus magna ſenatus parte præoccupata, nobilitatem plebs eſt ſecuta. arcis munitio opponebatur: quam Gratianus Seſę Præfectus dedere recuſabat ingentes de ſuo ſumptus factos excuſans: neque vacabat ad calculos impenſam reuocare. Henricus ingraueſcente locis inſalubribus valetudine, iniquo anni tempore Madritum repetiit. Magiſter ex morbo,quo & ipſe oppreſſus erat, tantiſper recreatus lecticariorum humeris Caſtra Iulia defertur. Ventum ad Sanctæ Crucis fanum: qui pagus ab ea vrbe ad Auſtrum diſſitus eſt,octo millium ſpatio. Præfecto ad dedendam arcem inducendo dabatur opera: cum inter eas molitiones maxillæ alterius inflatione abſceſſuque repente oppreſſus interiit, concreto in faucibus multo ſanguine, ex oreque manante & naribus: an arx eſſet tradita, intermorientibus vocibus ex aſtantibus, labentique animæ facilem exitum,placatos ſuperos precantib. quæritans,nihil aliud. Pulchrā in morte cogitationem, vitæ conſentaneam ſcilicet. obitus vſque ad deditionem arcis occultatus eſt. Felicis fanum in Calæcis Præfecto Gratiano datum iure perpetuo. quod illi infauſtum fuit. In tumultu populari, de cauſa non conſtat, ſed ab incolis tamen eius oppidi,lapidibus eſt oppreſſus ob fidem venalem vindicta numinum ſic vulgus interpretabatur,ad excitandos alendoſque id genus rumores aptum procliueque.

Ferdinandus Barcinonem abiit. CAPVT III.

DE Ruſcinonenſibus & Ceretanis Gallos inter & Aragonios lis erat: his repetentibus, atque ad ius ditionemque priſtinam reuocantibus, excuſabant Galli oppignerata ea oppida eſſe, neque pactum auri pondus in ſtipendium militare bello Barcinonenſi repræſentatum. Poſita per inducias vti ante dictum eſt, arma haud obſcure repetebātur. noſtris non minus timoris quam ſpei, quippe aduerſus ampliſſimas Gallię opes Regemque prævalidum bello futuro: Caſtellę rebus nondum compoſitis, vnde magna multaque negotia implicabant. Lutetiam de pace legati viri nobiliſſimi, Ioannes Folchius Cardonæ Comes, Hugo Rocabertius Ampoſtę Præfectus, quo maior auctoritas eſſet cum ampliſſimo comitatu, cauſas explicatum ob quas pecunia ea reddenda non videretur. Gallica auxilia bello Barcinonenſi neque tempore miſſa, neque vſui fuiſſe. Contra fœderis conditiones Ioannem Lotaringium Gallicis copiis adiutum. Expoſita legatione nihil profectum eſt: ac contra patriam ad Lugdunum cuſtodiæ circumdatæ, contra ius gentium, diuinas atque humanas religiones. Eorum periculo quaſi datis obſidibus oppignerati Aragonię gentis animi haud ſe fortiter ad reſiſtendum commouere: tametſi per idem tempus ineunte vere quingenti equites Galli ductore Ioanne Alone Aludæ regulo in Ruſcinonenſes inuecti, adiunctique ad reliqua Gallica præſidia Helenam vrbem obſederant, præ metu inferiore parte à ciuibus deſerta. Aragonius Barcinone vbi Catalaunicę gentis con-

uentus erant, comparando defendendoq; bello intentus erat, extrema quamuis ætate homo atque ex febri quartana laborans.longinqua euocata auxilia.quingenti equites nauibus à Ferdinando Neapolitano Rege missi,quantulum rebus præsidium?Ferdinandus Aragonii filius Iunio mense Tordesillam firmum in Vaccęis municipium vi occuparat, euocatus ab incolis aduersus Petrum Mendaniam Castri nūnii Præfectum, cum latronum manu (quorum magnus numerus tota prouincia vagabatur impune) iniurium,importunumque finitimis agris & oppidis.Re patrata cum se Segobiam ad vxorem retulisset, patris periculo & valetudine denunciata eo maturare contendit sexto Nonas Iulii, inuiso ex itinere ad Cōplutum Toletano: si æger offensa animus eo humanitatis officio sanaretur. Ad Caracam Sanctillanio in recenti fide confirmato, Cæsaraugustam peruenit. inde Barcinone patrem adiit strenuum senem & nunquam cessantem. Importuno tempore in Valentinis arma mota. Segorbium, & Exerica, firma atque munita in Edetanis oppida arma corripuerunt,pari conatu cōtrario studio.Exerica vt Sarsuelæ imperium depelleret:vnde magnæ iniuriæ extabant. Segorbium vt aduersus regiam voluntatem in Henrici Aragonii ditione permaneret. motus diuturni magis quam difficiles extitere. Ferdinandum Principem de bello Ruscinonensi consultantem, nuncius è Castella perculit Diui Iacobi Magistrum decessisse ad quartum Nonas Octobris. eius obitu seditionem inter proceres maiori mole coortam, hac occasione. D. Iacobi Magisterium multi reguli ambiebant contentione pari,causa dissimili. Alburquerquius,Beneuentanus,Sanctillanius, Assidonius opibus magis quam re alia freti.ante alios suffragio militari, duo erant designati geminis comitiis Legione atque Vrcesię, vbi eius ordinis cænobia sunt,inclyta diuitiis non sanctitate tantum. Legione Alfonsus Cardenas antea in Legionensi regno ordinis Promagister cæteris pręfertur.Vrcesię Rodericus Manricus Paredius Comes.Villenius regio fauore armatus,propriisque viribus pollens vtrunque deiicere satagebat,causatus sibi à Pontifice Romano,patre superstite eum honorem destinatum concessumque.sed pontificiæ voluntatis nullo prolato testimonio,confictum plerique suspicabantur,tempore extrahendo, dum nouus conatus in eam rem esset adhibitus:nouumque à Pontifice diploma esset allatum. Singulos proceres prehensanti atque incautius Villaregium progresso,per causam conueniendi OsorniComitem eius ordinis inCastella Promagistrum,manus iniectæ sunt:deductoque Fontidoniam erepta libertas. Grauis contumelia fuit. nouo dolore Henrico Regi irritato, quia nihil Osorni Comes facturus voluntate videbatur,vim adhiberi placuit. afflicta quamuis valetudine cum copiis Fontidoniam obsedit.affuere Episcopi Toletanus,Burgensisque,Beneuentanus, Magister equitum,Sanctillanius,Cluniensis,officio in Principem,& facinoris atrocitate commoti. grauis mora erat,Regis morbo recrudescente, alieno anni tempore. fraus fraude vindicata. Ferdinandus Lupus Acunius Toletani frater, qui non minus de Villenii iniuria laborabat,Osorni Comitis vxorem cum filio per speciem colloquii captam,Optam deducit.ea arte victo viri animo Villenius liberatus est,eo maiori gaudio,q̃ prope metū res fuerat. Sic Osorni Comitis conatus delusi sunt Villenio capto (quoniam Ioanna Princeps eius fidei erat concredita,& Scalonę seruabatur à matre disclusa ob eius impudicitiam) Ferdinandi Principis studia promereri, eoque annitente Magisterium D. Iacobi præripere cęteris omnibus cogitantis. His rebus Barcinone nunciatis, belli defendendi cura Aragonio patri relicta in Emporitanum tractum profecturo quam primum, Ferdinandus Princeps Cęsaraugustam rediit, si res Castellæ pateretur, conuentus Aragonios habiturus ad conquirendam pecuniam, cuius præcipua & maxima difficultas opponebatur: pręsertim nouis subindeGallorum copiis confluentibus ad nongentos equites,pedites decem millia.Helena, vt cœperant supremo conatu circūsessa oppugnataque: fames vrgebat,& rerum omnium inopia obsessi laborabant.Ita Nonis Decembris die Lunę deditionē facere cōpulsa est incolumi præsidio, Ducibusque:quib. plus inter se irarū,quàm aduersus hostes animi fuit.dePerpiniano grauis cura incesserat,Helena capta,propter hostium pręsidia omni ex parte circumfusa: ipsaque Perpiniani arx ab hostibus obtinebatur.ne diutius sustentare possent,metus solicitabat.Fuit hic annusSiculis memorabilis,Iudæorum per vrbes & oppida strage edita.multitudo incertum qua causa, sed lymphatis similes ad arma populariter consternati, ac ne Lupi Vrreę Proregis auctoritate edictisque,ne supplicio quidem de nōnullis sontibus sumpto coercito furore,multos ex ea gente peremerunt.Mauris quies erat:belli sacri nulla cura, in tanta rerum nostrarum colluuione. In Vasconibus intestinæ seditiones vigebant. Beamontiis Eleonoræ Principi studentibus , Agramontii Aragonii maiestate veteri instituto tenebantur Principum exemplo , furente etiam populo , atque ad arma concitato.

Henrici

Henrici Regis obitus. CAPVT IV.

INgraueſcebat indies Hẽrici Regis affecta dudum valetudo,ipſa agitatione itineris,curiſque grauibus morbus lethalis medicorum permiſſu Madritum relatus,nullis ſalutaribus herbis,ſucciſq; iuuantibus:contra lateris dolore denuo ſæuiẽte, ſalute prorſus deſperata,vicino exitu,ſacris omnibus ex ritu Chriſtiano expiatus,ad tertium Idus Decembris die Dominico,ſecunda hora noctis,placide efflauit animam ætatis anno quadra. quinto extremo.regnauit annis viginti,menſibus quatuor,diebus duobus & viginti. Nullum teſtamentum conſcripſit.pauca tantum Ioanni Oueto, qui ei à ſecretis erat, & cui multum credebat,excipienti dictauit. curatores eorum, quæ ſtatuebat nominauit Hiſpaniæ Cardinalem,atque Villenæ Marchionem. De ſucceſſore rogatus à Petro Maſuelo Hieronymiano Priore,qui morientis confeſſionem exceperat,ecquem ſibi ſubſtitueret,Ioannam Principem nominauit,curæ fideiq; concreditam,tum duorum teſtamenti curatorũ,tum Sanctillanii,Beneuentani,Magiſtri equitum,Ducis Areuali,quos maxime fidos fore exiſtimabat. Corpus propter maciem ex diuturno morbo,nullis odoribus curatum, in Diui Hieronymi Madriti extemporario ſepulcro compoſitum eſt, pompa funeris, neque celebri admodum,neque vulgari.deinde,vti ipſe moriens mandarat,in Guadalupeo tẽplo, prope matris ſepulcrum tumulatus eſt: Princeps nulla re magis quam fœdo vitæ genere, ignauia,ſocordia atq; imminuta ex eo imperii maieſtate nobilis, nulla virili prole ex Hẽrici nothi poſteritate Regum poſtremus,vt numero ſic fama. Subit memoriam admirari rerum inconſtantiam:neq; mori tantum homines,ſed & ingeniorum ſobolem exoleſcere,in Principum poſteritate,vbi minime oportebat, maximè: vtque ſinguli morituri naſcimur,ita indolem ſtirpium,ſatorum,animantium,atque familiarum ſuos veluti natales, incrementaq; habere,ac tandem conſeneſcere extinguiq;. Fuit in Henrico familiæ conditore viuidum ingenium, & ſupra ortus conditionem animus maior.in Ioanne filio felicitas multo minor,neque par induſtria vigorq;. In Henrico nepote ignea mens,animus orbis terrarum ac cæli capax: ſed imbecilla valetudine, breuique ætate præſtare diu non potuit,quas promiſerat virtutes.Ioannes eo nomine ſecundus ingenio fuit erudito magis literis,quam ad res gerendas idoneo.In huius filio Henrico,cuius res geſtas modo,& obitum explicauimus,conſenuit maiorum gloria fœdataque eſt: induſtriaque & virtus ſibi viam ad Caſtellæ regnum,atque adeo vniuerſæ ferme Hiſpaniæ patefecit,nouorumq; & magnorum Principum ſobolem, ambiguo tum iure, publico deinde commodo.

Ferdinandus & Iſabella Caſtellæ Reges.

CAPVT V.

HEnrici Regis obitu, omnia in Caſtella mutauere.plurima pars ad Iſabellam ſororem tranſlata eſt:non pauci in Ioannæ Principis fide perſtiterunt,Villenæ Marchio, Areuali Dux,horum propinqui & neceſſarii: quoniam tutorum primi erant,regni nomẽ penes eam futurum exiſtimãtes,regimen atque arbitrium rerum penes ſe,marito puellę de manu tradito: eo quem priuatis rebus (ea prima cura erat)commodum maximè iudicaſſent.horum auctoritatem totus ille tractus Caſtellæ,qui Toleto Murciã pertinet,ſequebatur: Calæcorum nobilium pars maxima,correptis etiam in Compoſtellanũ Alfonſum Azeuedium Fonſecam armis à reliquis diſſentientem. Segobiæ in foro, ſuggeſtu è lignis excitato Iſabellæ coram ab iis qui aderant, ſacramentum dictum, contactis more gentis ſacris: mox regiis vexillis explicatis concuſſiſque voce præconis nominibus inclamatis, Ferdinandus Iſabellaq; renunciati Reges ſunt.ſubſecutus aſtantium plauſus.petitæ oſculo manus.In trabea,equoq; impoſita Princeps ad templum maximũ deducta ſuperis pro diuino munere gratias agit,vt iis quæ dederant adderent perpetuitatem precata. Magna tunc procerum ſolitudo Segobiæ erat:Dynaſtæ,quos magnates dicunt,nulli primi Hiſpaniæ Cardinalis,Beneuentanuſq; celeritate fidem ſtudiumq; vt probarent, Segobiã feſtinarunt.ex interuallo Toletanus,Santillanius Marchio,Garſias Albanus Dux,Magiſter equitũ,Præfectus Maris,Alburquerquiuſq; ſubſecuti ſunt.ab aliis miſſi qui eo officio fungerentur,atq; ipſorũ nomine in Iſabellæ Principis verba iurarẽt.Ferdinando ſacramentũ dicere non placuit, niſi præſenti regniq; cõmoda & leges, gentis inſtituto, exẽplo vxoris iurato. Erat is Cæſarauguſtæ conuentib.Aragoniis diſtrictus, atq; in ſtudium pecuniæ in belli Ruſcinonenſis ſumptus redigendæ intẽtus.Ea ſpes quoniam in longum trahebatur, nũciata Henrici morte,Ioanna ſorore (paulo ante Ferdinando Neapolitano Regi erat pacta ex prioribus nuptiis cælibi) pro ſe ſubſtituta præfectaque conuentui,continuo in Ca-

ſtellam iter arripuit, in domeſtico diſſidio ratus nihil celeritate tutius fore: vbi facto magis quã conſulto opus eſt. Caſtellæ proceres fide & opera venali niſi magnis præmiis perſtituri in officio non erant. Eo ergo Almaſanum delato Ludouicus Medinæ Celinæ Comes miſſo Fräciſco Barbaſtrio Vaſconum regnum Annæ vxori debitum affirmabat, Caroli Vianæ Principis filiæ. vitium natalium ſubſecuto cum matre coniugio, veniaq; Pontificum procuratum: de quibus rebus publicæ tabulæ proferebãtur, veræ an cõfictæ non conſtat, magna ſanè confidentia animi, maiori quàm pro viribus conatu. niſi quid opis in Ferdinando eſſet ad id imperium obtinendum, aliunde præſidia fore. Gallici belli nimirum importunæ minæ, impudenſq; poſtulatum. Itaque Barbaſtrio repulſo, Turueganum continuato itinere peruentum eſt. Segobiam vrbem obire diſtulit, dum opportunus apparatus adornatur. 1475 poſtridie noui anni Milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſimi quinti, rebus omnibus inſtructis, in vrbem eſt receptus. ſummi, medii, infimi dixere ſacramentum manus regias deoſculati. De forma regiminis controuerſia excepit. Iſabellæ aulicis negantibus Ferdinandum ad aliquam reipub. partem accedere fas eſſe, ac ne Regis quidem Caſtellæ nomen adſcribere. de qua re è Neapolitano regno, non vnum exemplum proferebatur: vtraque Ioanna imperante, viros regio abſtinuiſſe nomine, coniugio contentos, atque eo honore, quem Regina vxor dediſſet. Magna ingenia in ea contentione iactata. Aragonii contra tendere: atque nulla Henrici virili prole diſputabant ad Ioãnem Aragonium ſtirpis maximum rediiſſe res. Verũ id Francorum moribus legeq; ſanctum, facilè eludebatur, multis tum nouis, tum antiquis exemplis prolatis, Ormiſindæ, Odiſindæ, Sanctiæ, Vrracæ, Berengariæ: quibus ad fœminas rerum in Caſtella ſummam rediiſſe ſæpe conſtabat. Ergo eo conatu deſtitere. Inter virum & vxorem fœdus his legibus eſt ſcriptum. Vt in regiis tabulis, edictis, moneta, Ferdinandi prius, deinde Iſabellæ nomen exprimeretur. Contra in communi clypeo, Caſtellæ inſignia Aragoniis potiorem locum occuparent. hoc gentis prærogatiuæ, illud viri dignitati datum eſt. Iſabellæ nomine arces obtinerentur. Eius ſacramento teſſeraq; quæſtores vectigalia regia adminiſtrarent. Sacerdotia vtriuſque nomine, Reginæ voluntate darentur, modo viris literatis. Ab ambobus cum vno loco eſſent, iura populi peterent finitimi longinquique: diſiuncti, quo loco vterque eſſet, ſuo nomine ius diceret. aliis vrbibus, & prouinciis, is penes quem eſſet regius ſenatus. Idem ordo Prætoribus iuridicundo creandis ſeruaretur. Graues hæ conditiones Ferdinando fuerunt: à ſubditis, vt acciperent, leges dici. Sed patientia firmato imperio, omnia ſui arbitrii fore iudicabat. Simul Iſabella Princeps pro inſita prudentia, ægrũ ,, viri animum accommodata oratione deliniiſſe memoratur. Suſcepta de iure regni diſce- ,, ptatio non minus mihi moleſta accidit & grauis. Quid enim iura imperandi diſtinguere ,, neceſſe fuit, inter quos amor caſtiſſimus & ſancti coniugii nexus conſtringit corpora, ani- ,, mos, fortunas? Sit coniugibus aliis liberum, ſecretum aliquid à viris habere propriumq;: ,, in cuius me ipſam poteſtatem animumq; contradidi: decus, opes, ſceptra, vitã non com- ,, municarem? tantumq; in mutuum amorem nefas committerem? ſtulta ſim, niſi vnum ,, omnibus imperiis maioris multo facerem. Vbi ego Regina, tu Rex, hoc eſt, rerum omni- ,, um domi foriſq; (nihil excipio) moderator, & arbiter. Hæc nobis ſententia ſtat, æternũ- ,, que animo ſtabit, vtinam tam felix quam certa, piaq;. Tempori aliquid dandum fuit: le- ,, guleiorum ſtudiis in vmbra, otioq; magnum prudentiæ nomen velantium. Rebus geren- ,, dis ſi hac contentione aulici & proceres aliquid ſe promouiſſe credunt, næ ſe ſua opinio- ,, ne deluſos breui ſentient. niſi te volente nihil impetrabunt, honores, magiſtratus, opes, ,, præfecturas. Duo tamen in hac moleſtia commodè accidiſſe arbitror. Cautum filiæ com- ,, muni, quã tuum ius aſſerẽdo à paterna hæreditate excluſam oportuit: quo quid iniquius, ,, nobiſq; ipſis moleſtius contingat? cautum in omne tempus Caſtellæ populis: nam hono- ,, res, regni arces, vectigalia, magiſtratus cæteris credere, neque ipſe velis neq; ſine inuidia ,, gentis motuq; contingat. Id niſi placet, tua ſum: de me, pro voluntate, proq; arbitratu ſta- ,, tuas licet. Hæc ſumma votorum eſt, deſtinataque voluntas. His verbis placatum Ferdinãdus animum ad rempublicam retulit, ſuperiorum temporum perturbatione, & imminenti noui diſſidii periculo multis partibus iactatam.

Luſitanus Ioannæ cauſam ſuſcipit.

Capvt VI.

FErdinandum principem, Alfonſumq; Luſitanum vno tempore Villenæ Marchio habere ludibrio viſus eſt, non minori quã pater ingenio, neq; maiori fide, in eã ſe partem daturus,

daturus, vnde certior spes ostenderetur priuatas familiæ opes augendi: quarum prima cura erat, nulla famæ memoria, ne æquitatis quidem. Petebat à Ferdinando, vt eius ope duobus æmulis quasi vitio creatis loco motis, ipse legib. auspicatoq; D. Iacobi Magister substitueretur. graue postulatum. hominis nunquam fidi potentiam immensum augeri eo adiuncto principatu. mite tamen responsum datum, temporiq; conueniens. Si Ioannam sequestro traderet idoneo coniugio elocandam, haud moraturos spem. ille præcise facturum se negare: neque commissurum, vt fidem falleret Herico Regi de filiæ salute datam. Eius vt patrocinium susciperet iure propinquitatis tutorum primus, rempublicamq; capesseret per fidos homines Lusitanum hortabatur. molliciem metumq; accusare: testari superos, monere ne innocentem ætatem, regiam puellam ex sorore natam Rex opulētus & maximus in periculo desereret. Superesse gentis studia, superesse procerum, eruptura cum occasione maiora. Ducem magis quam voluntatem deficiendi deesse. Erat Lusitanus Stremotii ad regni fines, quo tempore Henricus Rex obiit. De rerum summa, Villeniiq; postulatis consilio habito, variæ dictæ sententiæ. Plurimi bellum decernebant, continuoque armis in Castellę fines penetrandum, vaniloqui, feroces, procaces, neque bello neque pace boni. Ingentes thesauros pace congestos, peditum equitumq; nubes, numerosas mari classes iactant. Ioannes Lusitani filius eius consilii præcipuus auctor, belliq; funesti concitator, pro insita iuuenibus audacia temeritateq; præceps. Vnus Ferdinandus Brigantinus Dux ætate grauis, cautior prudentiorq;, quod alii metum interpretabantur, amoremve in Isabellam propinquam, fratris neptim, resistendum iudicabat: neque temere sumenda arma. Villenium, & necessarios eos esse, qui paulo ante contra Henricum Alfonso fratre Rege proclamato, Ioannam quasi adulterio natā repudiassent. Quod qua nunc fronte, quo nouo argumento mutarent, nisi venali pretio fide, vnde maiora præmia extarent eo vela daturi. Quas arces obsidum loco darent, fidem pari leuitate non mutaturos, si maiora præmia Ferdinandus polliceretur? Qui populi conceptam animis opinionem euellerent, Ioannam illegitimis natalibus esse, ab ipsomet Alfonso Rege confirmatam, cum Isabellam coniugem expetiuit, Ioannæ oblatas ab Henrico nuptias constanter repudiauit? Mentiendo nimirum iactandoq; vires, quas non habent, vana spe inflant, inflatique ipsi sunt. Timidi canes vehementer latrant. modici sæpe torrentes, quàm altissimi amnes, cum maiori sonitu fluunt. Eos proceres, easque ciuitates suam sectam esse secuturos affirmant, quos certò scimus, qua fide Henricum secuti sunt, eadem Isabellæ causam complexuros. Vtinam rerum statum subiicere vestris oculis possem, & vt corpora sic animi conspicerentur: Villenii vanitati minus credendum iudicaretis. Vera hęc esse prudentissimus quisque iudicabat. vicit tamen plurimorum sententia: quæ iniquissima conditio est, dum numerantur in consilio suffragia non ponderantur, apud Reges etiam rerum arbitros. Prius tamen quam se commouerent, Lupus Alburquerquius ad considerandum rerum statum missus, multorum procerum syngraphas abstulit, Eboramque ad Lusitanum adduxit fidei testes, si Ioannam Principem sibi connubio iungeret, tempore haud defuturos. Toletani alienatio commoda conantibus erat. Is multos annos in aula Regum assiduus, quæ res minus verendos magnos homines ipsa satietate facit, otii cupiditate (sic videri voluit) Segobia se subduxit Februarii die vigesimo, haud obscurè iratus nouis Regibus: à quibus inani spe lactatum se esse conquerebatur, nullis præstitæ operæ præmiis, contra exhausto patrimonio, magnisque sumptibus factis, vt ingratis Principib. regnum quasi de manu daret beneficium suum. Præterea Cardinalis crescentem gratiam malignis oculis aspiciebat, omnium apud Reges arcanorum arbitri, moderatorisque. Ad eum sanandum frustra conatus adhibitus: cum minaretur potius intellecturos æmulos quanti constaret Toletanum Archiepiscopum iniuriis violasse: læsæ irritatæque patientiæ suæ quantæ vires essent. inanes etiam fratris Petri Acunii Buendiæ Comitis preces obiurgationibus mixtæ fuerunt, ne se & familiam perditum iret obtestantis. dubia spe incertum præcipitare periculum. Superbum ingenium, immodicaq; lingua magis monitis irritabatur: ac præsertim Ferdinandus Alarconius, quē è domesticis vnum maxime intimum ingenii væcordia effecerat, incauti Principis auribus insidiando, noua identidem implebat eius animum ira.

Lusitanus se Regem Castellæ dicit. CAP. VII.

Mouit Toletani discessus, præcepsq; alienatio animi, iniecitque curam: ne suscepto aduersæ partis patrocinio more suo remp. turbaret ardenti vir ingenio, inquieto animo, magnis opib. eo maiori studio præsidia ab omnib. conquisita, domestica externaque.

ſanandi proceres cura præcipua. Henricus Aragonius ad officium eſt pertractus Segorbio, Emporitaniſq; reſtitutis, eorumque quæ commiſerat venia data. cum eo Beneuentanus amitinus in fide confirmatur. vtrunque eo procliuius factu fuit, quod coniugii ab Henrico Rege pacti ſpes intercisa erat, Ioanna Scalona, vbi tenebatur, Caſtra Iulia amandata, quaſi ad Luſitani nuptias: quem Villenę Marchio Aragoniis viribus opponere cogitabat, diſtractis bello Gallico, & inteſtinis Vaſconum motibus Perpiniani ſupremo periculo. Quod oppidum ex diuturna obſidione oppreſſum malis omnibus, nulla auxilii ſpe, ad deditionis conditiones compulſum eſt, pridie Idus Martii: legatis quos detentos in Gallia diximus, libertate conceſſa, oppidanis facultate, vt cuiuſque mens eſſet diſcedendi, reſiſtendive. ſemeſtres inducię inter vtranq; gentem additæ. Ad Gallũ à Ferdinãdo de pace Ruſcinonenſiq; principatu per conditiones reſtituendo, legatus benignũ reſpõſum tulit, ampliſſimaq; promiſſa. Si Ferdinandi filia Delfino nuberet, tantum ſe copiarum ſuppeditaturum annuæque pecunię, quantum ad Caſtellæ motus pacandos, regnumque confirmandum ſatis eſſet. De Ruſcinonenſi principatu non recuſaturũ iuris diſceptationem. quod dati arbitri iudicarent id ratum habiturum. In eam rem Guillelmus Garrus è Gallia miſſus benignis auribus audiebatur, magno Aragonii dolore: qui ſe inſcio res tantas moueri per literas accuſabat. Vrebat maxime acre Toletani ingenium alienatum eſſe: verebaturque ne delecto is Rege alio, rurſus ſui muneris remp. facere tentaret. Serum conſilium erat, vſque adeo exulceratis volũtatibus. Luſitanus ſe ad regni fines oſtentabat cum validis copiis: in quibus equitum quinque millia erant, peditũ millia quatuordecim, inſtructi omnes militaribus armis, vincẽdi confidẽtia maxima. Quod erat proximum, deſperata concordia bellum à nouis Regibus cõparatur. Cabrera quod eatenus facere diſtulerat, vt maior muneri gratia eſſet, amplioraque præmia, regios theſauros tradidit, belli ſubſidium certiſſimum. Moia illi ad Valentinos fines Marchionis nomine nobile municipium, ſed modicum datum eſt. Chincbionium in Carpetanis Comitis honore, arciumque Segobienſium Præfectura iure perpetuo acceſſere, meritis fideique conſtanter cultæ debitum præmium. Nam ſi verum fateri conuenit: parti retentique imperii Ferdinando & Iſabellę Regibus magna pars Cabrerę opera & induſtria fuit. Segobia cum Reges in belli curam intenti diſceſſiſſent, Medina Campeſtris in poteſtatem venit, forum rerum venaliũ vniuerſa Hiſpania maxime celebre, eoq; idoneum noua pecunia à mercatoribus redigenda. arcem Albanus eximia in nouos Reges fide venientibus tradidit: Valliſoletum copiæ militares euocatæ erant. eo Reges conceſſerunt. confluebant in dies copiæ equitum, peditumq; neque numeroſæ, neque validæ. Partita rerum cura Ferdinandus in Vlteriori Caſtella ſubſtitit: vbi maiora gentis ſtudia erant. Iſabella in Carpetanos abiit Toletanum ſi facultas eſſet ſanatum. Vitauit ille congreſſum: Briocamq; Compluto diſceſſit, exiguum oppidum, ſed loco & opere munitum. Literas interceptas accuſabat, quibus vitæ ſuæ inſidias fieri conſtaret. Ne Velaſcus quidem Magiſter equitum ad eum ſanandum à Regina miſſus quidquam profecit. Suſcepti itineris operæpretium fuit, Toletum in fide confirmata, præſidiis à Regina diſpoſitis, vti res atque tempus monebat, Ciſontano & Ioanne Ribera ex ea vrbe pulſis, quos Toletano eſſe addictos erat exploratum. Madritum vitatum arce in Villenæ Marchionis poteſtate. His rebus confectis Segobiam Iſabella rediens, argentum aurumque regium rude factumve in formam pecuniæ mutauit. Quo tempore à Ferdinando Salmantica in fide confirmata eſt, eius in eam vrbem aduentu, direptis aduerſę ſanctionis ciuium ædibus, quorum erat magnus numerus. Zamora eadem felicitate venienti portas aperuit, pontis præſidio à Franciſco Valdeſio prius tradito. dedita arx non eſt, eius præfecto Alfonſo Valentia Villenii propinquo & neceſſario. Vim experiri longum erat. Taurum locis vicinam vrbem adire non eſt viſum ob incertam Ioannis Vlloæ primarii ciuis fidem, ad Luſitanos procliuis, non tam Ferdinandi odio, quam metu ſupplicii: quippe regium conſultorẽ peremerat & multis aliis flagitiis erat obnoxius. Regibus Valliſoletum reuerſis, Alcaraſſum oppidum ad eorum imperium ſubiunctum eſt. Villenii imperium recuſantes oppidani arma corripiunt: arcem obſident. miſſi eo à Regibus Comes Paredius, atque Alfonſus Fonſeca Caucæ regulus cum ſibi cognomine Epiſcopo Abulenſi. Horum viribus Villenius, qui ad famam rei geſtæ cum copiis accurrerat impar, conatu diſſipandæ obſidionis deſtitit. eoque ardentiori ſtudio Luſitanum vti feſtinaret, datis ad eum literis monet: facto non conſulto in tali occaſione opus eſſe: ſeque ſi adiuuaret languentibus aliis aduerſarios oppreſſurum. Accepta iniuria irritatus, ferociaque maximum bonum in celeritate putabat. Erat Luſitanus ad Pacis auguſtæ fines menſe Maio. Quibus diebus omnino ad quintumdecimum Kal. Iunii, die Iouis natus ei ex filio nepos Oliſipone eſt, cui de aui appellatione

pellatione Alfonsus nomen fuit. Breuis ætas auiti regni spes intercepit. sacramentum tamen dictum illum defuncto quamuis patre hęredem auo futurum. Ex iis natalibus inter Lusitanos quidam expeditionem auspicatam fore ominabantur, fatum esse regno Castellæ potiri, leues homines & vani, nimium spei indulgentes, delusi euentu rerū. Ad Pacem Augustam Feriæ Comes erat in armis, fidus Ferdinando, Seria oppido iis locis capto de aduersariis (Xerez nunc vocant.) Ad dextram Lusitani deflectendum fuisset, vbi Carmo, Astigis, Corduba, causæ fauebant, vt capta Hispali nihil hostile à tergo relinqueretur: ad læuam verso itinere per Alburquerquii & Vectonum fines Placētiam peruenere, modicam vrbem lætissima soli facie, cælo graui. In ea vrbe Ioanna in Lusitani manus conuenit, celebratis sponsalibus. toro ne iungeretur, religioni datum est, priusquam propinquitatis vitium, venia Pontificum remitteretur. Iis tamen Regibus Castellæ proclamatis regium insigne est impositum. Lupus Alburquerquius in ipsa lætitia Penamacoris Comes creatur: vt esset gratia meritis, atque labori prehensandis Castellæ proceribus sumpto. Iura quibus causa nitebatur de scripto promulgata, atque in omnes partes missa sunt, prolixo codicillo comprehensa, verbis haud obscure in Reges aduersarios cōtumeliosis. Hæc in exitu Maii mensis gesta sunt: simul de ratione belli deliberatū, in quam partē primum impetum darent.

Zamora à Lusitano capta. CAPVT VIII.

BElli flamma multis vno tempore locis exarsit, certamine vti de regno par erat acerrimo, conatu supremo & maximo. Villenam & contributa oppida Valentinorum manus vexare cęperat. eo incolæ præsidio, & à Paredio Comite incitati, correptis consensu armis in fidem Ferdinandi concessere: ea lege vt in Regum ditione perpetuo manerent. Magistro Calatrauę Ciuitas regia erepta est, quam in Oretanis occuparat Lusitani partes secutus nullo meliori iure. Ad fines Bæticę, atque in Calęcis, ab vtraque parte in alteros excursiones factæ & latrocinia pręcipuo agrestium damno. à Petro Aluarado Tude vrbs Lusitani nomine occupata est. contra Burgensium multitudine ad arma consternata, Lusitani partes secuti Enecus Stunica arcis Præfectus, atque Episcopus Ludouicus Acunia impugnantur. Lusitani animus ancipiti sententia suspensus erat, incerti cui primū parti occurreret: aliis alio vocantibus, vt cuiusque res erant, proceribus maligne suppeditantibus, quæ prolixe erant polliciti, pecuniam, militem, commeatum, populis eam militiam quasi infaustam auersantibus. Ea res nouam inuidię flammam apud Lusitanos accendit. mens eorum & conatus labare cępit, præsertim cum Ferdinandus, cui vix quingenti equites erant quo tempore Lusitani primum in fines irruperunt, firmissimas copias numero, & virtute habere nunciaretur, equitum ad decem millia, peditum ad triginta. Ad Tordesillam, vbi statiua erant, lustratus recensitusque exercitus est, ad prohibendos Lusitani conatus ardentibus cunctorum animis, accensis studiis. Re is constituta Areualum prius, quod in fide erat, inde Taurum petiit, aduocante Ioanne Vlloa, præterea Zamoræ obtinendæ spe. Neque defuit euentus. vrbem vtramque Lusitanus occupauit sine sanguine. Locorum commoditas inuitabat, commeatu importando idonea: quoniam eę vrbes ad Portugaliæ fines sitæ sunt. Eo incommodo commotus Ferdinandus, continuato itinere ad Taurum positis castris per fecialem Lusitanos ad pugnam prouocauit, ardēti homines ingenio: certo periculo, si in aciem prodirent, quoniam minori numero erant, quinque equites millia, pedites ad viginti millia, sed lecta Lusitaniæ pubes Castellæ incrementis aucta: si detrectarent, minori deinceps audacia, bellique laude. Cautior Lusitanus copias dissipatas excusare: ad singulare certamen prouocare: in quo minus periculi erat, cunctationis maior occasio. non vltra verba processum. Ferdinandus, triduo statiua eo loco habuit; nulloque alio moræ pretio pecuniæ in stipendium commeatusque inopia pressus, quod itinera hostis occuparet, retro conuerso itinere Medinam Campestrem abiit. In eo oppido ordinum consensu concessum, vti ad belli necessitates templorum aurum dimidia ex parte mutuum sumeret, rebus tranquillis integrum fide integra redditurus. Eo subsidio ad obsidendam arcem Burgensem contendit. Varia regii discessus & itineris retro conuersi relicta Tauro vrbe, opinio fuit. Plerisque metum & res inclinatas interpretantib. Toletanus ea ętate cum quingentis equitibus mōtib. superatis ad Lusitanum ire pergit: ne bello confecto desertæ causæ culpam incurreret, cuius se fautorem præcipuum fore professus erat, nihil fratris Comitis lacrymis commotus, atque eius filiorum Lupi Casorlæ Antelati, Alfonsique qui in patrui gratiam Pompelonensis Episcopus erat creatus, Ferdinandi Petrique: quib. ægre erat patruū præcipiti temeritate in certum periculum ruere. Toletano atque Areuali Duce auctorib. Lusitanus cū mille

& quingentis equitibus, idoneoq; peditum numero, ad diſſipādam Burgenſem obſidionem ire pergens, intra Baltanaſiam arcem, quæ locis arduis impeditiſque Piſoricam inter & Durium ſita eſt, Beneuentanum ex deditione cepit: miſitq; Pennafielem. Ipſe ſatis ſe profeciſſe ratus ad fructum laudemq;, præda lætus, an diffiſus vt par Ferdinando eſſet, ſi venirent ad manus, repentè retro conuerſo itinere, conatu abſceſſit Burgenſem arcem iuuandi. Ioanna Zamoræ ſubſtiterat. Iſabella Valliſoleto, virili atque expedito animo Princeps, viri periculo permota, raptim iis locis delectu habito, Palentiam eſt progreſſa, Burgos ſi opus eſſet cum idoneis copiis continuò aduolatura. Expectatione tantæ rei ſuſpenſos omnium animos, hoſtium repentinus regreſſus ſedauit. A Caſtellæ & Aragoniæ Regibus legati Romam, quò maior eſſet auctoritas, viri principes, magnoq; numero, dato menſe Iulio ſenatu, mandata explicarunt: ſuoſque Principes in fide officioq; fore ſunt polliciti. Eatenus dilatum officium nouo Pōtifici debitum, propter inteſtinos prouinciæ motus & graues, excuſarunt. Benignè Pontifex reſpondit, rebus Aragoniis impenſe fauens, cum quibus ſanguinem miſcuerat, Leonardo fratris filio vrbis Præfecto, iuncta Ferdinandi Neapolitani filia notha. Ægrè id Luſitanis oratoribus fuit: & controuerſia nondum diiudicata affirmabant, debuiſſe eum mediam perſonam gerere belli ſpectatorem, aut arbitrum non participem. Ad id remedium recurſum, quo ſimiles diſceptationes ſanatas meminerant edictum, ne cuiquam Principi eo facto præiudicaretur. Legationis princeps Dezpuchius Monteſiæ Magiſter, bellicæ virtutis & prudentiæ fama per omnes prouincias celebratus, nouis Italiæ bellis parta: quæ ab Alfonſo Aragonio Rege geſta meminimus ſæpe eius ductu. Lupo is Semeno Vrrea, qui ipſo tempore Siculis præfectus cum laude fuerat, defuncto menſe Septembri, Rege deferente eum honorem conſtanter repudiauit, tantulum vitæ certus religionis & pietatis ſtudiis dare, in cœnobium ſeceдens non à bellicis tantum, ſed ciuilibus muneribus. Ioannes Aragonius Cæſarauguſtanus Præſul diem obiit in arce Albalate ad Sicoris ripam, ad tertiumdecimum Kalend. Decemb. patre Rege Aragonio, materno genere haud ignobili, magna auctoritate, par opib. Vniuerſo orbe hic annus celebris maxime fuit, venia ſeculari à Sixto Pontifice ad hunc annum, ac deinde ad quemq; vigeſimum quintum redacta. Qua inuitati multi mortales Romam confluxerunt: in his Ferdinandus Neapolitanus, ætate ingraueſcente maiori quàm antea religionis ſtudio.

Zamora Vrbs à Ferdinando recepta. CAPVT IX.

Fine anni Catalaunicæ gentis conuentus, Aragonius Barcinone agitabat ſenex ſtrenuus, neque ætate, neque laboribus fracto animo, de vtroque bello ſolicitus Gallico Luſitanoque. Nam violatis induciis Trahiguerus cum Gallorū manu, per Ruſcinonenſes in vicinos Catalaunorum fines inuectus Laurentii fano capto, magnā prouinciæ formidinem incuſſerat: prorſus vt quod in extremo periculo fieri conſueuit, omnes, quorum ætas ad bellum eſſet idonea, edicto ad ſigna euocarent. In Caſtella Luſitani arma vi gebant, ſpe allata nouas in Gallia copias comparari, inter eum Regem & Luſitanum nuper icto fœdere. quo ſtudio, Anglus Galluſq; eatenus infeſtiſſimi hoſtes in finibus Ambianorum ponte facto, inter ſe collocuti, pacem ſanxerunt. Britannus etiam eo fœdere comprehenſus eſt. præterea Burgundus Ludouico Lucemburgio Magiſtro equitū Galliæ, qui ad eum confugerat, Gallo donato. Indignum facinus viri inconſtantia excuſabat, fideſque ex fortuna ſemper ſuſpenſa: qua ſæpe vtroſque ludibrio habere viſus eſt. alii falſa inuidia laboraſſe affirmant, ex opulentia, vt fit nata. Sic ſunt res & opiniones humanæ. Aduerſus eas molitiones in Aragonia gente parum præſidii erat, diuturni belli ſumptibus exhauſtæ, anguſtis finibus prouinciæ. ad artes conuerſo ingenio, ab Aragonio menſe Nouembri induciæ vſque ad menſem ſeptimum inſtauratæ cum Gallorum gente. Belli Luſitani cura Toletanus ad colloquium inuitatur. Quanta beneficia in regiam Aragoniam extitiſſent non ignorare: quod par meritis gratia non eſſet reddita dolere maximè. ſi poſitis tantiſper offenſionibus ſui copiam faceret emendaturos. Repulit ille Aragonii preces, perdendi aut pereundi obſtinato animo: ſæpe vt comminatum fuiſſe fama ſit: Iſabellam à ſe Reginam factam: effecturum tamen, vt ſceptra colo mutaret. Regibus Caſtellæ hominis offenſæ curæ magnopere non erant verentibus, ne eo reuocato Cardinalis Hiſpaniæ, in quo tantum præſidii rebus erat, alienaretur, præſertim indies aucta potentia, confirmatis viribus. nam per idem tempus Villenio Almagrum profecto, Ocania quam in ditione retinebat, orta populari ſeditione ab illo defecerat. Aduentu Cifontani Comitis, & Ioannis Riberæ in fide ſtudioq; oppidanis cōfirmatis, id oppidum Paredio Comiti eſt reſti-

eſt reſtitutum, quaſi Diui Iacobi Magiſtro. Zamoram Ferdinandus ipſe euocatus Burgis à Franciſco Valdeſio, qui turribus præfectus aditum ſe patefacturum pollicebatur, occultus venit: vrbeque in poteſtatem redacta ſupremo conatu, arcem quæ Luſitano præſidio firmata erat, oppugnare ſtatuit, niſi re confecta non diſceſſurus. De colloquio inter Aragonium & filium actum: Eleonora etiam Vaſconum Principe euocata. pacandi eius gentis tumultus erant ex Biamontenſium & Agramonteſium diſſidiis, quæ fœminæ imperio maximè recruduerãt. & cura Gallici auxilii ſolicitabat: quod Iuone Duce accedere nunciabatur: ac per fines Vaſconum, ne in Caſtellam irrumperet, & ſe Luſitanis coniungeret verebantur. Cantabros ne ea parte Galli inuaderent, locorum aſperitas, commeatus inopia, & gentis virtus ſatis tutari videbantur. Ferdinando ad Zamoram reſidente, fratris Alfonſi Aragonii cura & virtute, qui dudum cum quinquaginta equitibus delectis auxilio ex Aragonia venerat, Burgenſis arcis præſidiarii milites ſpe defenſionis abiecta deditionem fecere ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Iſa- 1476
bella Regina, cui deditæ arcis laus eſt reſeruata, conſenſu vtriuſque partis, in id Valliſoletо euocatur. Magnum id momentum fuit, vrbe regia, atque arce penitus excluſis Luſitanis. arci præfectus eſt Dieghus Ribera, Alfonſi Principis inſtitutione ſorori Iſabellæ gratus, caruſq;. Madriti Ioanna Caſtellæ Regina deceſſit ad ſextumdecimum kal. Febr. quidam ſuperiori anno dicunt Idib. Iunii. Corpus ad D. Franciſci ſepultum. tumulus è candido marmore cum inſcriptione conſtitutus defunctæ cernitur ad aram maximam, motis ex eo loco Roderici Gonſalui Clauigii cineribus: qui legatione ad Tamerlanem Scytham functus, eam templi partem ſua impenſa conſtructam moriens ſepulturæ delegit. Sic ſunt rerum vices. tenuioribus etiam mortuis irrogatur iniuria. De obitu Reginæ varia & atrox fama fuit. quibuſdam ex partu extinctam affirmantibus, plerique veneno Luſitani Regis fraude periiſſe malunt. Alfonſus Palentinus in hanc partem inclinat: ex partu fama tenuit in peiora vulgi opinione prona.

Pugna ad Taurum Vrbem. CAPVT X.

RESTITERAT in Luſitania Ioannes Luſitani Regis filius rebus Præfectus. Indole is animi, ætatis ardore, & ſpe victoriæ ferox, cognitis reb. quæ geſtæ erant, fortunam partium inclinaſſe, in Caſtellæ proceribus haud ſatis præſidii eſſe: nouo delectu equites contrahit ad duo millia, peditum millia octo. ſed minor pars militaribus armis inſtructi: cæteri vt quemq; caſus armauerat bello haud vtiles admodum erant futuri. cum his copiis Ledeſmiæ ponte tranſmiſſo S. Felicis fano tentato, Taurum peruenit ad quintum Idus Februarii. vbi pater tria millia quingentos equites, pedites ad viginti millia habebat, vicinis locis in hiberna diſtributos. In collectitio exercitu plus animorum & fiduciæ, quam vigoris & præſidii erat: ſed ea tamen cura Ferdinandus cum Zamoræ arcem obſideret, minori multo numero, equitum ad duo millia & quingentos peditum duplicato numero, ex omnib. partibus copias militares euocat, nouo bello ſupplementum. Neque enim quieturi Luſitani erant, niſi Zamoræ arce liberata periculo, aut pugna commiſſa: cuius diſcrimen Aragonius vitandũ omnino per literas & nuncios diſputabat: monebatq; filium ne ſortem totius certaminis ſubiret ardenti iuuenis animo. Quid enim in vnius pugnæ euentũ, dubio ancipitiq; marte, rerum & imperii ſummam committeret? quid præcipitaret ſpes pulcherrimè fundatas exiguo fructu, vt maximè victoria eſſet explorata? ætatis impetum ratione, conſilioq; frænaret: parentiſq; monitis obtemperaret, ob ætatem à multo rerum vſu cautioris. Erant cum Ferdinando, Mendoza Cardinalis, Albanus Dux, maris Præfectus cum patruo Henrico Albæ ad Aliſtem Comite, Lemoſii Comes, Aſturicæ Marchio officio in Principem certantes. Validas equitum turmas ad Alahegium locis vicinum oppidum Ferdinandi Regis patruelis Henricus, Alfonſuſq; frater, præterea Treuigni Comes tenebant. Ipſa etiam Iſabella è propinquo, quàm poſſet opem latura viro, Burgis Tordeſillam accurrit. Luſitanum quamuis tantis auctum copiis, haud ignarum, numero virtutem non reſpondere, anxium in diuerſum arcis defendendæ, & vitandi periculi curæ trahebant. vicit tamen honeſti cura. obſeſſis opem ferre conſtituit. In Vaccæis ad Durii fluminis ripam geminæ vrbes ſitæ ſunt, Taurus Zamoraque. quibus Romanorum imperio nominibus fuerint vocatæ, ſæpe eſt dubitatum. plures inuenio qui Tauro Sarabis, Zamoræ Senticæ, vetera nomina adſcribunt: quos vt ſequar, inclinat animus. Agro vberi, ſoli amœnitate atque prouentu, cæli ſalubritate nulli cedunt. numero ciuiũ modico ſunt. in plano ſitas mœnium firmitas & arces muniunt. Zamora Epiſcopali ſede eſt illuſtrior, ab ea Taurus ſacra petit, alioqui nobilitate, cultuq; ferme par. modico diſſitas inter ſe in-

teruallo, flumen ad austrum alluit, gemino lapideo ponte iunctus. Tauro egressus Lusitanus, cùm speciem præbuisset rectà aduersarios petiturũ, mutato repentè consilio transmisso flumine ad D. Francisci quod cœnobium in aduersa ripa est, è regione Zamorę castra locauit ad caput pontis, quò aditus ex vrbe erat, tormentis etiam obiectis. Ita neque impugnationem arcis impedire poterat, interfluente flumine: neque pugnæ copiam faciebat. Verborum altercationib. tredecim dies sunt consumpti. nihil proficiebatur. Martii Kalend. die Veneris vasis ante lucem conclamatis discedit, Lusitanus pontis parte rupta, ne hostis insequi posset. Cognito hostium consilio Ferdinandus, cum copiis omnib. progredi statuit. dum pons reficitur, multum temporis consumptum est. Aluarus Mendoza cùm trecentis equitibus nouissimum hostium agmen carpere, atque pugna distinere iussus est. Sic acies hostium impedimentis graues Ferdinandus est consecutus, angustiis egressus in patentes campos, quinque millibus ab vrbe Tauro, vix reliqua exigua diei parte, nam præceps in occasum Sol erat. vitare pugnam hostis non poterat, Ferdinãdo propinquo, angusto ponte, quò transitus erat. conuersis agminibus acies ad pugnam instruit. Locus æquior, subsidium ab vrbe vicinum, victis perfugium, noctis tenebrę munimento futuræ faciebant animos. contrà Ferdinando curam iniiciebant. Prudentib. certamen exhorrentibus, Ludouicus Touarius studio pugnandi ardens, contentaque voce. Aut cedendum regno, inquit, aut dimicandum est. Opinione famaque virtutis imperia parantur, bellaq; constant. quid autem huc processimus, nisi pugnandi voluntate? quid detrectatum certamen, nisi metus significationem continebit? Tu quidem Rex, macte animo, virtuteq; esto: hostes pauidos, & quia tenentur, ad pugnam conuersos, in ea fluctuatione animorum citius opprimes quàm ventum ad manus erit. Hæc dixit. simul procerum sententiis exquisitis, pugna decernitur. Dato signo prælium ab equitibus incipitur. Erat in primo hostium agmine Ioannes Lusitani filius, octingentis equitibus pedites immixti, qui globos igneos disploderent. Eius impetum, Aluari Mendozæ agmen sustinere non potuit. fugati dispalatique equites sunt. Maius certamen inter Reges fuit. ibi aliquandiu est certatum. pugna nullo more prælii sed latrocinio similis fieri, sine signis, sine ordinibus. Ad regium Lusitani vexillum magnum certamen fuit. Sotomaior Almeidæ extorserat. confluentes ab vtraque parte milites concerpsere. Almeida ipse capitur. eius arma in templo Toletano appensa victoriæ monimentum in Regum sacello visuntur, vexilli concerpti vicaria. Ad extremum fugatis Lusitanis, Rex ipse cum paucis ad montes progressus non prius constitit, quàm ad Castrum Nunniũ peruenit: & cum fugæ nulla indicia extarent, occisum fuisse creditum est. Fugientes hostes insequi non licuit, tenebris prospectu adempto. Henricus Alistis Comes ad Tauri pontem prouectus, in reditu ab hostium manu captus est: eorum, qui cum Ioanne Lusitani filio integri ad multã noctem in armis perstiterunt. Eam manum Ferdinando, quamuis proximo cliuo occupato, inuadere consilium non fuit, suis dispalatis toto campo, atque ad prædam conuersis. vtriq; horis aliquot eisdem vestigiis perstiterunt, diutius Lusitani. Id solamen aliquod acceptæ calamitatis fuit, ignominiæ leuamen: quod historici Lusitani laudibus celebrant: atque à Ioanne Principe victoriam esse partam affirmant. Sic semper Christiani nominis hostes vincant. Ferdinandus Zamoram sese retulit: eoq; digresso Lusitani Taurum abeunt. Toletanus prælio interfuit, Ioannis Principis à latere nunquam discedens. Cædes minor quàm pro victoria fuit, neque captiuorum numerus magnus: præda maior direptis Lusitanis impedimentis magna ex parte.

Rex Lusitanus in patriam redit. CAPVT XI.

MVltis vno tempore locis mouebantur arma: nullaq; ferme pars à belli malis immunis erat. ex eo, vt fit, scelerum licentia confirmata. vniuersa prouincia milites vagari, dispersi per vrbes, oppida, & agros. cædes & latrocinia facere, vi & stupris cuncta fœdare, in omne nefas præcipites, atque venales. In magistratibus parum præsidii erat, aduersus eas calamitates. inter ciues, quod superiori tempore factum diximus, ad ea vindicanda scelera veteres societates instauratæ, nouæ institutæ, militibus in eam rem de publico stipendio dato. Auctor salutaris consilii Alfonsus Quintanilla ærario regio præfectus, consilio bonus manuque. eæ societates optimis legibus astrictæ institutisque temperatæ in vigesimum annum perstiterunt: cum externis hostibus victis, domesticis dissidiis compositis, rebus est reddita pax. Maior belli moles in extremos Cantabros incubuit, ea parte cui Guipuscoæ nomen vulgo est. Ad Olarsonem promontorium in extrema Hispania, arx imminet Galliæ finitima, maritimo atque terrestri situ inexpugnabilis: cui Hondarribiæ

darribiæ incolis nomen est. firmissimas munitiones longa dies addidit Gallicis irruptionibus prohibendis, quibus sæpe finitimi vexantur. In id oppidum à Gallicis copiis impetus primum est factus, ad Ferdinandi vires, quo tempore ad Zamoræ arcem assidebat, alio euocandas consilium callidum. Igneis tormentis, quorum conficiendorum librandorumque gens Gallica peritissima est, murorum pars maxima corruens cum fragore latè stragem fecit. Ruderibus completæ fossæ facilem aditum prębebant, exigua defensorum manu, atque iis, continuis vigiliis & laboribus imminutis. Dieghus Sarmētus Salinarum Comes, rerum summæ præfectus, cùm se in eam arcem intulisset, quoduis periculum adire certus, obsessis animus creuit, locorum asperitate ingenia quoque & corpora duratis. Eruptione facta in hostium munimenta prorumpunt. Disturbatis operibus, euersis atque incensis machinis, quoniam bene prima successerant, nouis copiis subinde è Gallicis castris ad periculum accurrentibus, acie cum hoste dimicare non dubitarunt. maior reddita, quam accepta clades est, neque obsidio dissipata. Madriti arx quæ in Villenii iure erat, magnum factioni præsidium, ab oppidanis correptis armis obsessa est. Petrus Arias, & Petrus Toletus primarii ciues multitudinem ad arma concitarunt. Missa à Regina auxilia sunt. affuit etiam Sanctillanius, quo maior esset auctoritas, vires maiores. Castra Iulia, Biatiaque vno tempore Ferdinandi nomine obsidebantur, in Bætica & Lusitania. In Contestanis Chinchilla, Almansaque orta inter oppidanos seditione defecerant: Valentinosque finitimos auxilio euocarunt, magno Villenii incommodo, cuius ditione ea oppida tenebantur: tametsi eius industria in officio tum quidem persliterunt. Aragoniis omnia secunda erant, aspera Lusitanis: eo amplius quod quartodecimo Kalendas Aprilis Zamoræ arx dedita Ferdinando est cum tormentis & omni apparatu bellico. Alfonsi Aragonii aduentus, vt deditionem maturarent, multum contulit, impugnandarum arcium scientia præstantis. Eo incommodo fractis Lusitanorum animis, vt extra periculum esset, Ioannes Princeps Ioannam nouercam amitinamque cum præsidio equitum quadringentorum, in Lusitaniam abduxit belli causam. cū pari numero Toletanus in Carpetanos abscessit, quasi vacillantes procerum mentes, & mutata repente voluntate locum gratiæ apud Ferdinandum quærentes, in fide confirmaturus, re victus tædio, nulla victoriæ spe. A Ferdinando Cantalapetra in Segobiensi agro obsessa: vbi Lusitanorum firmissimæ copiæ erant. ea tamen lege semestribus induciis ab eius oppidi impugnatione cessatum, si Villalba, Maiorga, Portillium, Beneuentano redderentur: quas arces fidei obsides pro libertate dederat Lusitano. Vrcesiam Rodericus Manricus, qui se eius militiæ Magistrum ferebat, occuparat: arcem obsidebat, quoniam Villenii præsidio tenebatur. ab eo & Toletano festinatum, si obsessis opem ferret. nullo operæpretio facto, repulsi cum ignominia, ac periculo sunt, tum Roderici patris, tum Georgii Manrici filii virtute; cuius hoc bello præclara rudimenta extiterunt. vitæ breuitas prohibuit, ne virtutis indolem, præclarique ingenii lumen exereret factis: vti alio loco est commemorandum. Sic bellum terra gerebatur: neque mari quies erat. Lusitaniæ litoribus Andreas Sunierus cum paucis Aragoniis triremibus imminebat assueueratque. Tot aduersis casibus debilitati Lusitani Regis, debilitati procerum Castellæ animi, quantum sibi virium decessisset non ignorantium, quantum studii popularis, infaustam militiam auersati, pars multo maxima ad sanitatem redire cæperunt. Primus Areuali Dux, Roderico Mendoza, cui præmium operæ in agro Toletano Pintus oppidum fuit, ad Isabellam legato illi sacramentum Madrigale dixit. Pro quibus supplicium merebatur, præmia amplissima retulit: ad veterem ditionem Alcantaræ Magisterium, de quo lis erat Alfonso Monroyo cum Ioannis Stunicæ Ducis filio, à regibus promissum, datumque. accessit Beatrix Paciecha Metellini Comes fratre Villenio cautior, fide haud constanti. Iisdem diebus, omnino quarto Nonas Maii coniugium Ferdinandum inter Neapolitani Regis nepotem, & Isabellam Ferdinandi filiā, pactum est. In cultum puellæ ducenta aureorum millia à Neapolitano promissa: tantundem quarta minus parte à patre, si alia proles mascula in spem regni esset suscepta. alioqui amplissimi regni spes dos esset. Fœderis maturandi occasio præcipua, ingens mutuæ pecuniæ vis oblata Ferdinando, magnum rebus momentum in earum rerum difficultate, ea inopia ærarii. Omnino Lusitanus ad eius rei famam, quam referentes, augebant, desperata victoria, temeritatem susceptæ expeditionis noua leuitate luere constituit, Castellaque deserta redire in Patriam. quoniam parum virium in domesticis opibus, parum in factiosis proceribus fore prouidebat, externa auxilia conquirere parat, Gallicaque arma in Hispaniam commouere. tentata tamen prius concordiæ spes, controuersiæ arbitrium Aragonio & Toletano permissurum profitebatur. Serum consilium lite martis arbitrio ferme diiudicata repudiatum. Marialbæ Comite Tauri cum præsidio relicto, ipse

tristis atque re male gesta deformis in Lusitaniam Iunii Idibus abscessit. Pauci exules ad omnem adeundam fortunam abeuntem sunt prosecuti, magis desperata venia, quàm factionis studio.

Lusitanus discedit in Galliam. CAPVT XII.

LVsitani opes in Castella eius discessu magis etiam inclinabant. In Ruscinonensibus & Ceretanis Gallica arma mouebantur, initique fœderis conditiones. Salsulæ arx munitissima Narboni obiecta, firmissimum ea parte Hispaniæ propugnaculū, aduersus Gallicos impetus ex deditione à Gallis capta: Lebia in Emporitanis circumsessa. Externa iniuria, intestina discordia aucta est: Ludouici Mudarræ milites, quorum præclara opera extiterat in Perpiniani obsidione, secessione facta tumultuantes, non tam nocendi voluntate, quàm ob stipendia multorum mensium non soluta, nonnullis oppidis captis ad arma spectare cœperunt: ac periculum erat, ne Gallos in societatem asciscerent. Non ante ea tempestas sedata, quam iustum auri pondus se breui persoluturos, à regiis Ilerdæ datis prædibus est cautum. Gallicæ excursiones prohiberi non poterant, exhaustis gentis viribus, Rege Aragonio longinquo, atque in Vascones profecto: vbi intestini partium tumultus nihil remittebant, meliori Beamontiæ factionis fortuna, à quibus Pompelo regni caput obtinebatur, Stella erat obsessa. His Ferdinandus fauere magna Aragonii Regis molestia. Sed ne Gallis ea parte aditu patefacto nouam tempestatem in Hispaniam attraherent, erat prouidendum. quibus erat persuasum de Vasconum imperio Ferdinando tradendo inter eum, Eleonoram, & vtriusque patrem Aragonium Regem consilia agitari: excluso Francisco Phæbo, quem ex Gastone Fuxēsi ortum diximus, Eleonoræ nepotem. Vt eos motus pacaret, Ferdinandus in Cantabros abiit de Hōdarribiæ periculo solicitus, euocare auxilia parans, comparare classem: cui Latronem Gueuaram nobilissimo loco natum præfecit. Patrem vt Victoriam accederet inuitauit. Isabella Tordesillę substiterat: quod oppidum Durio alluitur, & Lusitanorum excursionibus prohibēdis erat idoneum. Trecentorum equitum præsidium aderat ductore Alfonso Aragonio leuiro. Repetebat ille Calatrauæ Magisterium annis superioribus ablatum, neque magna neque nulla spe: nam Gironios conciliandi, præcipua Regibus cura erat. æger mora impatientiaq́; Eleonoram Sotum, quam adamare cæperat in Isabellæ obsequiis versantem, quamuis inclinata iam ætate vir vxorem duxit, professa castitatis lege à Pontifice Romano solutus. optimo sane publico ambitio importuna de Magisterio sublata est. quod molestum Aragonio patri accidit. adeo vt Ioanni, quem ille furto genuerat, Ripagorsam atque Villaformosam patri detractas daret: quas illi Rex adduxerat vindicato Iacobo Aragonio & occiso Barcinone: qui patris Iacobi Alfonsique aui Gandiæ Ducis iura, & secundum ea duo illa oppida repetebat, ferox conatu audacia exitiali. Ea maiorum meritis & nobilitati gratia fuit scilicet. Arx Segobiensis, vbi Isabella Ferdinandi filia erat, circumsessa in ciuium tumultu, ac ferme capta nunciabatur. Seditionis auctor Cabreræ ex re priuata infensus ob ablatam eius arcis præfecturam, Alfonsus Maldonadus, adiutoribus Ioanne Aria Episcopo, & Ludouico Mesa ciue primario. Isabella non magis filiæ, quàm arcis periculo permota, citato itinere ad incendium accurrit. Sic tranquillitas rebus & vrbi restituta est, seditiosis quà pulsis quà iudicio vindicatis. mense Augusto id gestum est. Quo mense Aragonius, cùm pede altero æger distulisset, Victoriam accessit. Nullus dies iucundior seni accidit. maximū vitæ fructū cepit, cū filiū aspexit, vnde ipse fuerat ereptis bonis omnib. cū ignominia reiectus, Castellæ Regem effectum. Et ô superi, inquit, vt huius diei lætitia propria sit, facite. nulla molestia obscuret, nulla calamitas. & quoniam fortuna ad summum perducta retro volui consueuit, date, vt mutationem eius ipse potius priuatim, si quid est peccatum, si vindicare paratis, sentiam: quàm publico incommodo, aut filiorum calamitate luatur. Hæc lacrymis toto ore manantibus precatus, in filii complexum ruit, primum honoris locum deferens, prohibito dextram deosculari, ad læuam assidens, atque ad hospitium vsque comitatus. Id Castellæ maiestati datum. Aderat Eleonora Vasconum Princeps, magna spectaculi pii, atque susceptæ lætitiæ pars. De rebus communibus consultatum: ac Aragonium constituisse scribunt, Aragonium imperium filio de manu tradere. quod in ea ætate verisimile est otii cupiditate tentatum: destitisse tamen ob Castellæ motus nondum compositos. Colora Gallicæ classis præfectus, Cantabriæ & Calæciæ litoribus tentatis, euastatisque in Lusitaniam discessit, vt Regem Lusitanum in Galliam ea classe veheret. Ad Olisiponem is erat, rebus omnibus, quæ ad profectionem opus erant, comparandis intentus. Inde conscensis nauibus in Africam nauigauit primum. Duo Brigantini

gantini filii euntem prosecuti sunt, Comes Penamacoris amicorum princeps, Ocrati Prior, Ioannes Pimentelius Beneuentani frater: pręterea duo millia, & ducenti milites Tingi Arzillæque præsidium. Septa soluens Illiberim tenuit mense Septembri: qui portus in Galli potestate erat. Inde Perpiniani, & Narbone regio cultu exceptus est. Lusitani aduentu maiori impetu concursum ad arma in Ruscinonensi tractu est. A nostris Laurentii fanum receptum: à Gallis Emporitani fines vsti, direptique. Domesticis dissidiis tumultuabantur prouinciales, eoque aduersus externam vim nullo cōmuni consensu. Quo tempore Aragonius se victoria Tudelam Vasconum oppidum retulerat, in vnam curam tumultus eius gentis pacandi incumbens. Ioanna eius filia in Catalaunis pro patre res gerens, imbecillitatis conscia bellum auersabatur. ablata tantum iure feciali vtrinque repetita frustra: & inducias tamen tenere placuit antea pactas. Lusitanus pedestri itinere Turonum vrbem tristis contendit: vbi Rex Gallus ea tempestate erat. splendide acceptus atque habitus die constituto secundum salutem hac sententia locutus fertur. Cogor prius oneri, quam vsui esse, quo nihil in vita molestius accidit. Sed bonis tamen nostri regni rebus gratorum sociorum officio functi sæpe, munus tamen officiumque nostrum vestris meritis minus fuisse scimus, fatemurque. Hæc mittantur. Est enim fœda meritorum miseris in ærumna iactatio. Nullæ mihi cum Rege Siculo inimicitiæ sunt, nisi quæ publicæ: nec gentem Aragoniam sed scelera sed latrocinium persequimur. Ereptus Ioannæ sponsæ ex sorore natæ paternus principatus, opesque, proh dedecus indignitatemque omnium gentium armis vindicandam, belli sumendi imposuit necessitatem, infelicis hactenus. sic est cælitibus visum, tristes sæpe casus solitis læto exitu mutare. Quod in tua manu Rex inuicte situm est. tu iusto pioque dolori mederi vnus potes, & in nostris malis vestras etiam iniurias vindicare, bellum Ruscinonense & Cantabricum optato exitu terminare, Vascones è faucibus eripere auidissimi tyranni. An eo imperio occupando, rationes defuturas creditis ei, qui dotale imperium armis inuasit, eripuit, oppressit nullo commodiori iure? An facultatem, Castellæ & Aragoniæ præsidiis circumsesso, regionibus modico? Erratis si vllis finibus ambitionem resistere putatis. Scimus auro & lectissima pube Galliam abundare: Neque vniuersæ quamuis Hispaniæ collatas vires, pares vnquam fuisse. Neque nos ita destituti sumus, tametsi supplices vestram opem imploraturi, tantum laboris suscepimus. supersunt integræ Lusitani regni opes, in Castella studia partium partim aperta, plura cum vsus erit, & victoriæ spes maior, eruptura. Vestris tantum auspiciis bellum, quod iam est inchoatum, geratur. Nihil vanitatis in nostra oratione est, & alioqui supplicibus Regibus opem ferre, malis publicis mederi, commodis omnibus, si nulla ostenderentur vt sunt maxima, honestatem, dignitatem, officium præferre, quorum nisi magnorum Principum, quales vos estis, munus est? Ad hæc Gallus pauca: sibi id curæ fore respondet, daturumque operam, ne frustra ad suam opem confugisse videatur. Verbis facta non responderunt. Lutetiæ quo discessum est vrgenti Lusitano belli gemini necessitatem aperte excusauit, cum Burgundo Angloque instaurati, ac maiori erumpentis impetu. Præterea lege propinquitatis irrito coniugio pia arma non fore. sic Lusitani conatus delusi sunt: etsi Burgundo is cognatione propinqua, nempe amitino & fœdere iunctus ad eum profectus pacis vniuersæ se interpretem auctoremque offerebat, nihilo feliciori conatu. Nouo Castellæ commodo in Gallia mouebantur arma. Ad Hondarribiam enim in ea rerum Gallicarum difficultate induciæ à Gallis concessæ sunt, breues primo, terraque tantum, deinde agente Cardinali Hispanię longiores & sine exceptione.

Taurus de Lusitanis capta. CAPVT XIII.

REges pater & filius Victoria digressi, rursus ad sextum Nonas Octobris Tudelam conuenere, si Vasconum tumultus componerent. Habebat vtraque pars suas clientelas & domesticas & externas: in aulis etiam eorum Principum factionum studia gliscebant. Euocati Lerini Comes & Magister equitum Petrus Peralta factionum capita, se & suos in auctoritate Regum fore professi sunt: quod illi sanxissent habituri ratum, si fallerent, dira caput suum obtestatione execrati. à Beamontiis etiam Pompelo Ferdinandi fidei quasi sequestro cōcredita, ab aduersa factione arces aliæ Aragonio contraditæ sunt. Aderat Alfonsus Carrillius Buendiæ Comitis frater Pompelo. Episcopus. Molestæ eæ molitiones Magdalenæ Fuxensis iunioris vxori acciderunt, coitionem & dolos suspicatæ, ac de filiis solicitæ: ne hereditate paterna excluderentur. Berengarius ad eam legatus constitutæ concordiæ causas & conditiones explicuit. Debere illam bono animo esse: de Regib. patre & filio secunda omnia expectare. Periculi amplius ex Gallia impende-

re. ne se in fraudem induci pateretur iungendo cum ea gente vires ad Hispaniam inuadendam. Esse quidem Gallum fratrem: cum Aragonio & filiis maiora necessitudinis iura suppetere. Ad hæc illa pro beneuolentia proq; officio gratias agere. De fide dubitasse nunquam: neque à fratre, de viribus sociandis appellatam. ne commissuram quidem, vt necessitudinis cum vtrisque initæ oblita videretur: & si facultas sit, pacis potius quàm armorum auctorem fore. In medio conatu Vascones pacandi, noua lætitia accessit. ad tertium Nonas Octobris legatis vltro citroque commeantibus, coniugii leges ipso in oppido firmatæ sunt, Neapolitanum inter & Ioannam Aragonii filiam antea pacti. Sponsalia Ceruerae præbita in Catalaunis, vbi sponsa res gerebat: ipsaque Neapolis Regina salutata est. Nouis nuptiis ea regia vacua effecta erat, Beatrice Neapolitani filia ad Matthiã Hungarum, cui erat desponsa, nauibus amandata, præstanti probitate pudicitiaq;, vêtre infœcundo, geminis quamuis nuptiis initis: his & deinde cum Ladislao Rege, qui in Matthię locum est annis insequentibus subrogatus neque pari virtute, neque felicitate. Non cessabat interea Isabella Regina. Taurus vrbs à Castellæ copiis, ductoribus Alfonso Fonseca Episcopo Abulensi & Friderico Manrico Roderici filio, nocturna vi, furtoque capta est. pastor quidam Bartholomęus nomine aditum in vrbem monstrauit, qua parte colle munitæ minor custodia adhibebatur. Re patrata circumsessa arx est. aduolauit ad rei gestæ nuncium Isabella Segobia: vbi priori seditione pacata, ciuibus confirmandis districta erat. Eius aduentu Maria Ioannis Vlloæ vxor defensione desperata arcem dedidit quartodecimo Kalend. Nouembris. Gener Marialbæ Comes vicina arce relicta, cui Villalfonso nomen erat, cum paucis qui supererant, Lusitanis militibus, magnis itineribus, notisque tramitibus in Lusitaniam abscessit. Magnum erat operæpretium factum. Supererat Castrum Nunnium, vnde Petrus Mendania latissimè prædas agere, & omnia circùm infesta reddere, vir ardenti animo, magna militari scientia. Vt Taurus est capta, in eam arcẽ promotæ copię sunt. tormenta atque alia impugnationi idonea aliquot dierum labore eò deuecta. si de hostibus esset recepta, omnia eo tractu fore pacata sperabant. Verum conatus ille inanis fuit. De Toletano, & Villenio conciliandis agebatur. Villenius æquiorem se præbebat: videbaturque supplex à Ferdinando pacem legesq; accepturus modo æquas, & Villena, ac viginti amplius oppidis quæ eo tractu erant, ablata, restitutis. Toletanus duriorem se præbebat: tametsi Aragonius non desistebat filium obtestari, vt tantum virum bonis malisve conditionibus pacaret: inconstantiam fortunæ vereretur, ex summo sæpe retro conuerti solitæ, ac verò præcipitare. Prioribus meritis, quæ maxima fuerant, nouas offensas condonaret. eo pacato Lusitani factionem penitus debilitatum iri. Rei perficiendæ nondum maturitas venerat: & iam tamen appropinquabat. Venia certè Villenio promissa, atque ditio vniuersa, arcibus quæ Madriti, & Castris Iuliis obtinebat, Ferdinando restitutis. Idem Toletano datum: qua spe Lupus Acunia eius ex fratre natus Optam dedidit, quam Ducis nomine Henrico Regi extorserat in ea temporum perturbatione, labeque. Interea duo magni Principes pari prope fato vno tempore occisi sunt, Galeatius Mediolanensis, Carolus Burgundus. Galeatius ad aram D. Stephani, eius memoria die celebri paucorum coniuratione, priuatos dolores vlciscentium, effusas Principis libidines. Carolus dum Nancium Lotaringiæ vrbem iterum obsidet, tempore anni alieno, atroci hyeme, male augurantibus suis, dissuadente Lusitano sub illud tempus ad eum profecto, Nicolao Campobasso deserente, cum Italorum parte, prodenteque hosti arcana, Nonis Ianuarii à Renato Lotaringio Heluetiisque, quorum ab eo tempore nomen celebre esse cœpit, acie victus cecidit, vnica filia Maria relicta: quæ Maximiliano Austriæ Duci iũcta, quantam belli molem atrocis ac diuturni attrahet in Hispaniam, captas continuò à Ludouico Gallo Burgũdias, Quintinum, Peronam, aliaq; ad Somonam amnem oppida, ad ius pristinum reuocare dum Burgundi dum nostri tentant maiori conatu, quàm prouentu. Maria tres filios peperit Philippum, Margaritam, Franciscum. quarto anno ex quo nupta fuerat, cùm esset grauida, ex equi casu concusso vtero periit. Ex Galeatio Ioannes Galeatius relictus est (Isabella ei Aragonia Neapolitani ex Alfonso filio neptis iuncta erat) impar ætate ad remp. gerendam: præterea Blanca Maria Maximiliani iam Cæsaris vxor altera futura infœcundo coniugio, tum Anna tertia Galeatii proles.

Arces aliæ receptæ. CAPVT XIV.

NOuam importuno tempore contentionem de D. Iacobi Magisterio concitatam Isabellæ prudentia cõposuit. Rodericus Manricus Paredius Comes D. Iacobi Magister mense

mense Nouembri decessit Vrcesiæ, præclaris maiorib. egregius ipse, Osca in Bastitanis de Mauris capta annis superioribus magnam adeptus famam. corpus ad aram templi maximam eo in oppido sepulcro illatum: supremusque honos defuncto est habitus. Optimi parentis obitum Georgius Manricus næniâ elegãti deplorauit: in qua multæ poeticæ virtutes insunt, clara ingenii & sententiarum lumina. æmuli mortem Alfonsus Cardenas suam occasionem facturus, Vrcesiam petere constituit, armato milite formidabilis vim adhibere paratus, si morarentur spem honoris adipiscendi. Tredecim viri, quorum eæ partes erant, ad comitia conuentu facto. Multis aliis proceribus bonis malis artibus eum honorem ambientibus, ne res ad arma deducerentur, periculum erat. Eo metu an ditionis amplissimæ auiditate, inter Ferdinandum & Isabellam consilia Tauri agitantur. armis vim coercere longũ erat. ad artes conuersis animis, Ferdinãdus Tauri substitit: Isabella Ocaniam Vrcesiamque contendit festinatione tanta, vt tridui itinere Vallisoleto Vrcesiam peruenisse Pulgarius sit auctor. Suadet militibus, vti concordię studio se Ocaniam sequantur. nobilis municipii amplitudine tutiores ad decernendum fore multis exemplis in eo Magistri palatio comitia celebrata fuisse confirmat. hortatur in eo oppido sermonum ministris Fonseca Abulensi Episcopo, & Fernando Aluaro Toleto à secretis Reginæ, vti ad vitandos tumultus eum ordinẽ consensu Romani Pontificis Ferdinando Regi administrandum ad tempus permitterent. Ad sanandas militũ voluntates reuocãdamque concordiam, haud minori auctoritate opus esse. Re deliberata milites Reginæ postulatis annuunt, parata multorum assentatione: plerique non tam certa obsequendi voluntate, quam excludendi deiiciendique aduersarios: quæ magna sed frequens comitiorum labes est. Id initium fuit, militum eorum potentiæ imminuendæ, exemplum, quod ad Calatrauæ & Alcantaræ ordines breui est propagatum: etsi Alfonso Cardenæ, paulo post datum est, vt ordinis Magister esset, magna multorum procerum offensione, vnum sibi prælatum dolentium, nullis meritis, neque comparanda familię nobilitate. sic illi conquerebantur. Ferdinandus rebus in vlteriori Castella compositis, factisque induciis cum Gallis & Lusitanorum reliquiis Ocaniam abiit initio anni Millesimi quadringen- 1477
tesimi septuagesimi septimi. Vreniæ Comiti Ioanni Tellio Gironio ad officium syncera voluntate redeunti, venia est data. Toleto, atque Madrito lustratis, nunciatum est, Lusitanorum varias manus Pacis Augustæ & Mirobrigæ fines vrere importunas infensasque. Gometio Figueroæ Feriæ Comite præmisso ad vim arcendam, partita reipub. cura, Isabella quidem ad Lusitanię fines abire constituit, rebus præsidium: Ferdinandus aliquot diebus Madriti consumptis, Toletani sanandi spe, nam pacatus ferox animus non erat quamuis paulo ante venia impetrata, eo regium colloquium, ad quod inuitabatur, vitante, ad nonum Kal. Aprilis die Lunę in Vlteriorem Castellam discessit cura Vascones pacandi: vbi nouo partium conatu multa mouebantur: recensque Stella ab imperio defecerat ab Agramontiis occupata: idque oppidum Eleonora Princeps suis & Castellæ viribus parabat impugnare. Quibus diebus nouus metus est allatus. Albohacenus Granatę Rex improuiso violatis induciis, quę aliquot annis steterant, cum quatuor millibus equitum peditibus ad triginta millia in Contestanos incurrit. securos incautosque opprimit. octauo Idus Aprilis, ipso Christi ad vitam reducis memoria sacro die Ciesam iis locis ignobilem pagum incendit, euertit incolis trucidatis. Magnæ inde prędę abactę pecorum armentorumque. Petro Fagiardo Murciæ Antelato quamuis ad defendendum excitato sese incolumes barbari in fines retulerunt, maiori incussa formidine, quàm damno illato. Sed noua moueri arma, & necessitatem impositam iniurias vindicandi graue erat, intestinis motibus nondum pacatis. Eo studio geminæ arces, quæ in Lusitanorũ fide erant, Cantalapetra, atque Castrum Nunnium nouo conatu circumsessæ impugnatæque, deditione facta in potestatem venerunt. Cantalapetra citius ad quintum kalend. Iunii: Castrum Nunniũ Mendaniæ virtute defensa diutius restitit. sed dedita tamen, atq; prouincialium concursu euersa est: ne latronibus receptui esset, quippe locis arduis sita. præsidiariis vtriusque arcis militibus facultas est concessa incolumibus, & cum supellectile in Lusitaniam migrandi. Mendanię septem florenorum millia adiecta, Duci, si nihil aliud fecisset, arce ea tandiu defensa nobili claroque. A Regina Castris Iuliis subigendis non minor opera data est, arcem Villenii nomine Petrus Biatia præfectus muniebat. de deditione appellatus, negare primo facturum, nisi Villena & contributis oppidis Villenio restitutis. (sic antea conuenisse dictum est) vir eximiè constans fortisque: Non recusabat Regina oppida ea tradere, quibus ille nominasset. penes eos quasi sequestros semestri spatio postquam fuissent, Villenio reddendam. Ille fraudem & dolum subesse ratus cunctari, recusareque. vix à Villenio ipso, in arcem ingresso, victa constantia viri, non tam de suis

rebus,quam de heri dignitate & commodo laborantis. Ita dedita is arce,amicitiam Villenio clientelamque renunciauit,ignauiam eius pertęsus:qui neque sua dignitate moueretur,neque de suorum salute laboraret: nam præ festinatione neque ipsius præfecti,neque militum incolumitatem fuerat pactus.Ferdinandum res Bæticæ,quò Isabella euocabat,& ipse in animo habebat,adire Vascones non permiserunt:neque Ioannam sororem priusquam in Italiam nauigaret amplecti. Mense illa Augusto classi imposita,qua Alfonsus priuignus,Petrus Gueuara Vasti Marchio,alii viri principes ad litus Barcinonense erant appulsi,omnibus officiis in Liguria culta,ad virum tandem peruenit.Nuptiarum lætitia Neapoli ludis,spectaculis,conuiuiis,cultuque & splendore ciuium celebrata est.

Bætica pacatur. CAPVT XV.

Reliquis Castellæ partibus vix quiescentibus,motus in Bætica extabant. proceres pro se quisque vrbes arcesq; præsidiis occupare: vt cuiusque vires erant prædæ remp. ludibrio maiestatem habere. Ab Assidoniæ Duce Hispalis obtinebatur: à Marchione Gaditano Cæsarianum:ab Alfonso Aquilario Corduba. species obtendebatur, se muniendi aduersus finitimos regulos,vim externam propulsandi Lusitania vicina. spoliis prouinciæ,augere opes erat in animo: quod malis reip.temporibus ferme accidit:imminutis publicis opibus priuatæ crescunt.Et erant intra eas vrbes factiones populares. Hispali ciuitate inter Assidonium & Gaditanum diuisa studiis,Cordubæ Aquilarium inter & Cabrę Comitem dissidia vigebant,vt si vllo tempore grauissima. Isabella prior Hispalim multis quāuis dissuadentibus,neq; enim iis venerat copiis, vt vi agere posset, delata tamē in eam vrbē,arcem naualeq; occupauit:detraxitq; Assidoniæ Duci,maiori,quam pro sexu,& viribus animo, Ferdinandus rebus in Vasconibus ferme desperatis, in Vlteriori Castella compositis, Ribadei Comite Petro Villandrando Calæcis præfecto, Alfonso Aragonio fratri, & Magistro equitum reliquæ prouinciæ cura data, ipse in Bæticam festinare constituit,rebus præsidium certissimum.Guadalupeum Virginis fanum ex itinere iniit venerabundus,supplicationesque habuit. Albano & Beneuentano sequi iussis, quoniam dubia fide inter se & cum aliis proceribus conspirare nunciatum erat, Hispalim idibus Septemb.peruenit. Gaditanus aduerso rumore erat, quasi Lusitanis fauens in Regum oculis Alcalam Guadairam præsidio obtineret. Actum de eo conciliādo.remotis arbitris noctu ad colloquium venit. de reddendis arcibus appellatus, facturum se negauit, nisi Nebrissa,Vtrera,aliisque arcibus ab Assidonio,Regi restitutis. se nudato pręsidiis,quid aliud quæri,quàm vt inimici potentia opesque crescerent? æqua postulare visum. ab vtroque arces Regi redditæ sunt.alii proceres horum exemplo haud difficulter imperata fecerūt: præsertim cum Granatæ Rege,in quo præsidii magnam partem ponebant,iisdem diebus pactis induciis, opera Dieghi Cordubæ Cabræ Comitis præstanti fide viri: cui cum Rege barbaro vsus erat,multa familiaritatis iura.sic in Bætica res erant sanitati proximæ. In Vasconibus desperatæ ob studia factionum nunquam satis composita. Eleonora Principe quamuis identidem obtestante, sedecim mensium tempus componendis controuersiis designatum Tudelæ in conuentu Principum ferme exiisse, quoniam in patre, fratreque parum præsidii esset, externam opem conquisituros. ad auctores rediturам culpam impositæ necessitatis.nisi occuparent gentis conatus, exitium instare. Dant animum ad loquendum liberè vltimæ miseriæ.æquissima postulata surdis auribus accipiebantur,longinquis Regibus,multisq; reipub.difficultatibus,aliis super alias. Aragonio præter Ruscinonense bellum, Siciliæ atque Sardiniæ res curæ erant. Raymundus Folchius Cardonæ Comes Siciliæ moderator Neapolim Ioannam Reginam secutus, res in Sicilia gerebat: cum in ea insula defuncto in minore ætate Ioanne Cabrera,paternum auitumq; Modicę Comitatum,ad Annam sororem hæreditate deuolutum,multi vno eum tempore ambiebant,alii exclusa puella,alii eam in coniugium expetentes. Aragonius,quoniam publicè referebat quē illa maritū ascisceret,ampla ditione opibusq;, Alfonso Aragonio Ferdinādi Regis filio notho eas nuptias destinabat. Verū Fridericus maris Præfecti filius iis nuptiis postmodum potitus nobilem principatum in suam familiam inuexit. Leonardus Alauona Oristani Marchio nunquam satis fidus,in Sardinia tumultuari cœpit,à Carrocio Prorege contra icti antea fœderis conditiones violatus.Inuictum Aragonii animum ætas imbecilla, tantæ curæ non obruunt: quasi in specula præsidens in omnes prospicit partes: Alauona more maiorum accusatus, vt spoliatione principatus puniretur sancitum est. sententia Idibus Octobris Barcinone pronunciata. exercitui supplementum naui missum, neque numerosum neque validum. sic bellum extractum in multos dies. Ferdinandi rebus in Bætica pacatis, spei mixtus metus solicitabat. Lusitanum in patriam

triam

triam relatum nauibus, quamuis venia nuptiarum à Sixto Pontifice conceſſa tandem nulla externa auxilia impetraſſe. Id ſolamen erat. à Toletano tamen euocatum fama ferebat: quæ vereri cogebat, ne occultæ inſidiæ ſubeſſent. Sed is vitio ætatis vacillante ſenſu parum prouidebat animo. ira conſilio inimica, atque ambitio impotens malum agebant præcipitem, oculiſque officiebant. & erat fama cognitum Luſitanum ante reb. deſperatis Lutetia noctu profectum, vt Romam & Hieroſolymam obiret, mutataque veſte monachum indueret, tædio magis quàm certa voluntate. eum aliquanto ſpatio progreſſum, è tribus comitibus vni claue data iuſſiſſe, vti ſcrinium quod Lutetiæ reliquerat aperiret. In eo geminæ literæ inuentæ. alteræ ad Gallum quibus conſilii ſui rationem aperiebat: filium monebat alteris, vti quamprimum regium nomen capeſſeret, ſui nulla cura quem ſuperi, hominéſque deſtituiſſent: delictis tamen veniam ſperare propitiaque numina deinceps fore, ea calamitate & ignominia placata. Eam ſummam votorũ eſſe. Lectis literis, filius cũ ſingultu & lacrymis regium inſigne deſumpſerat tertio idus Nouembris. A fuga pater conſilioque, Galli diligentia eſt retractus. deinde ad Caſcales oppidum appulſum, quinto die poſt inaugurationem filius ingenti lætitię ſignificatione mœſtum, atque inſolita macie deformem obuius excepit: in regnumque reſtituit. Ad hũc modum Luſitanus feroces primos impetus habuit: extrema ludibrio fuere. Proximum annum Milleſi. quadrin. ſeptuage. octauum fauſtum effecit Philippus in Belgis ex Maria Caroli 1478
Audacis filia & Maximiliano Auſtriæ Duce ortus decimo kal. Feb. imperii amplitudine & poſteritate felix futurus: breui quamuis vita in flore ætatis eſt raptus. Florentiæ, quæ libera ciuitas erat, in templo Liberatæ coniuratione ciuium in Mediceos fratres, quaſi libertati ciuium inſidiantes impetu facto, Iulianus occiditur, Laurentius ærarii ſacri munitione euadit. Eo facinore commoti ad arma populares. Saluiatus Piſanus Archiepiſcopus coniurationis conſcius & particeps, quaſi re patrata ad palatium, vbi Senatores iura dabant, aduolans inde populum ad arma concitaturus, facie turbata capitur: ac mox re cognita laqueo è feneſtris ſuſpenditur. crudele impiumque ſpectaculum. Cardinalem Sãcti Georgii, qui Florentiæ aderat, & coniuratis fauiſſe fama vulgabat, Pontificis auũculi metus, & perſonę ſanctitas, ne eodem impetu violaretur, tutata eſt. Noui id belli initium fuit, quo Florentinæ opes aliquandiu vexatæ ſunt, Pontificis & Neapolitanis armis. ciuib. Florentinis ob cæſum Archiepiſcopum in impiorum numero habitis, agente Franco Rege, atque nouos terrores ex Gallia oſtentante, conuentu Aureliæ inſtituto de Pragmatica ſanctione reſtituenda, ius tandem ſacrorum Pontifex, pacemque dedit, illibata vſq; dum eius vrbis libertate.

Ioannes Ferdinando naſcitur. CAPVT XVI.

BEllum in Sardinia erat atrox cruentum, anceps. Inſulæ copiis in duas partes æquas diuiſis, factioſi maiori quam regii ardore pugnabant, quippe pro ſalute libertateq;. ſpes victoriæ in externis conſtituta Genuenſes ne Leonardo ferrent opem ob antiquas neceſſitudines vtriuſque gentis, induciis Neapoli factis retenti ſunt. contra ex Aragonia & Sicilia noua auxilia miſſa ſunt. Comes ipſe Cardonæ Siciliæ Prorex cum claſſe ad periculum nauigauit. Leuia prælia multis locis facta. ad extremum ad Machomeram arcem collata caſtra: atque iuſta pugna eſt dimicatum. cæſo Artaldo filio, fuſis fugatiſque copiis, Leonardus Lembum ad litus nactus mari profugiens, cum in duas triremes Aragonias incidiſſet, à Villamarino claſſis Præfecto in Hiſpaniam deductus, Setabi in cuſtodiam eſt datus. bona fiſco addicta: oppidaq; omnia tum in Sardinia magna multaque, tum in continenti ablata. Oriſtanumque & Gotianum lege perpetua addicta Regibus, atque ad alios principatuum titulos adiuncta in tabulis publicus ab eo initio ſunt. Pugnatum eſt ad quartumdecimum kal. Iunias victoria non modo in præſens læta, ſed in futurum ſecuritati fuit, ea inſula penitus ſub imperio Aragonio quieſcente: de cuius poſſeſſione toties erat cum externis & cum domeſticis, & tanta animorum contentione dimicatũ. Ferdinandum nondum Bæticæ rebus compoſitis, vxore grauida, duæ res in Carpetanos reuocarant neceſſario. Toletanus ſanãdus erat, ne Luſitanũ denuo attraheret in prouinciam: quod facturus nunciabatur: Societates quas inter vrbes & oppida inſtitutas diximus annis ſuperioribus, ad latrocinia cædeſque prohibendas, nouo conatu ſanciendæ erant. quoniam feſſi prouinciales magnitudine vectigaliũ, languebant: quæ alẽdis de cõmuni militib. indicebatur per capita, ne ingenuis quidẽ immunib. magno reip. cõmodo, quãdo nõ modo ſcelerũ licentiã cõprimeret, ſed in magno vſu eſſet, belli ꝙ gerebatur ea cauſa Madriti cõuẽtus generales ſũt habiti. In iis cõuẽtib. Societates in tres alios annos cõſenſu

prorogatę ſunt. De Toletano nō idem ſucceſſus fuit: ſuſpicionibus quāuis detergēdis data eſt opera, quia homini erat perſuaſū inſidias vitæ ſuæ factas. Soluto cōuentu vicinus Iſabellæ partus Ferdinandum Hiſpalim reuocauit. Qua in vrbe oratores à Granatæ Rege miſſi eius verbis inducias, quæ inter vtranque gentem erant, concedi denuo poſtularūt. Negauit Ferdinandus niſi vectigali repræſentato, quod ab antiquo pendere eſſent ſoliti. legatis de ea re Granatam reſponſum à Barbaro Reges, qui vectigal pendiſſent, iam pridē eſſe extinctos: ea tēpeſtate in ædibus monetariis Granatę, neq; aurū, neq; argentū cudi: ſed lāceas, ſagittas, acinaces cōflari. Offenſus inſolenti reſpōſo Ferdinandus, parendū neceſſitudini iudicans inducias tamen conceſſit. Reginæ maturo partu quarto kalend. Iulias Ioannes eſt natus, hora vna ante meridiem, in ſpem paterni auitique imperii: niſi eum Hiſpaniæ fata in flore ætatis inuidiſſent. Aragonius non rerum modo pondere, ſed viuendo feſſus Aragoniis moribus imbuendum nepotem ad ſe mitti poſtulabat: ac illud verebatur maxime à multo vſu cautus, ne fidei alicuius concreditus, quod ſuperioribus annis factum in ſimili exemplo meminerat, occaſio eſſet male ſentientibus, res in Caſtella eius præſidio nouandi. Neque maior Aragonio contentio erat, de Cæſarauguſtana Eccleſia. vacuam enim Ioannis Aragonii obitu, Aragonius Alfonſo nepoti deſtinabat: quem Ferdinandus Cerueræ in Catalaunis ſuſceperat furto. vitium natalium facile ſupplebat Pontifex Sixtus. ætatis veniam vt daret induci non poterat puero ſexenni. Inter has contentiones vacuus diu pontificatus Auſię Dezpuchio Cardinali datus eſt, ſpe Aragonium Monteſiæ Magiſtri, cui erat Cardinalis ſanguine proximus, id meritis daturum. Non tulit ille tamen dolorem, adiunctis minis, atque in Cardinalis bona & cognatos graſſatus, peruicit tandem annitente præſertim Neapolitano Rege, cui multum Sixtus Pontifex tribuere erat ſolitus, vt ea Eccleſia Alfonſo puero iure perpetuę adminiſtrationis daretur. nouum damnatumque exemplum inductum, vincēte pontificiam conſtantiam Regum importunitate, in eccleſię iura inuadentium atque libertatem: quod ſemper accuſabitur, & ſemper erit. Et erat ea tempeſtate moribus vſurpatum, ne Epiſcopi eccleſiis Hiſpaniæ darentur, niſi quos Reges poſtularent, nominarentque. Qua occaſione paulo poſt noua cōtentio de Turiaſonenſi eccleſia orta eſt: cui Andrea Ferricio Cardinali defuncto, Pontifex Andream Martinum Epiſcopum dedit. reſtitit Rex Ferdinandus. vt Hiſpaniæ Cardinalis mutata ſententia daretur, contendit atque peruicit. Controuerſia finē accepit cum Raphaele Galeotto quarto poſt anno Conchenſi eccleſię tum vacuę à Sixto Pontifice propinquo præfecto, effecit Rex eo amoto Alfonſum Burgenſem regiæ conſcientię procuratorem è Dominicano ordine Cordubenſem Epiſcopum, rectorem Conchenſibus dari Caſtellę in perpetuum, vt quos ipſi expediiſſent, ii Epiſcopi præficerētur, addita prærogatiua. Dederat etiam ante quatuor annos idem Pontifex Henrico Regi, ne externi homines amplius in Caſtella ſacerdotia expectarent: de quo lis tandiu fuerat cum Romanis. Alfonſus in extrema ætate Palentinus Epiſcopus, ſuo ordini D. Pauli monaſterium Valliſoleti conſtruxit.

Inquiſitores Caſtellæ dati. CAPVT XVII.

MEliori Hiſpaniæ fato, quod eatenus factum non erat, quæſtionibus habendis aduerſus religionis deſertores, atque hæreticos, aliiſque in veram pietatem criminibus vindicandis, certi iudices deſignati in Caſtella ſunt, diſcreti ab Epiſcopis, (quorū eę partes ab antiquo erant) Romani Pontificis auctoritate, & fauore Principum armati, Inquiſitorum ab officio nomine. Morem in aliis prouinciis frequentē Italia, Gallia, Germania, ipſaque Aragonia, hoc demum tempore Caſtella eſt imitata. neque in ſtudio impios conatus vindicandi, ſe ab vlla gente vinci paſſa eſt. auctor conſilii Hiſpaniæ Cardinalis. Licentia ſuperiorum temporum, multa in ea prouincia erant deprauata Mauris Iudæiſque cum piis promiſcue verſantibus, nullo non commercii genere. Praua conſuetudine vſuque non paucos è piorum numero inſici neceſſe fuit: plures ſacra Chriſtiana, quæ ſuſceperant patria ſuperſtitione abdicata, fide inconſtanti, nullo vetante deſerebant. labes Hiſpali maxime eſt graſſata. in ea vrbe primum quęſtionibus arcano habitis, de ſontibus grauiſſimis pœnis vindicatum eſt. Nam maiori commiſſo delicto, igne poſt diuturnum carcerē & tormento necabantur. leuiori de cauſa, ignominia inurebatur familiæ perpetua. nō pauci bonis publicatis æternis tenebris vinculiſq; mādati. Rubra crux obliquis radiis ac decuſſatim in crocea veſte, quam S. Benedicti vocant, pleriſq; data inſignis, à cæteriſq; diſcreta: vt eſſent documento & magnitudine ſupplicii terrerent alios. Quod vſu ſalutare extitit, graue initio prouincialibus viſum eſt. Illa maxime: Parentum ſcelera filiorum

pœnis

pœnis lui. Occulto accuſatore reos fieri: neque cum indice compoſitos damnari. Contra quam olim factum erat, peccata in religionem vindicari morte. Illud grauiſſimum, adimi per inquiſitiones loquendi libere, audiendique commercium: diſperſis per vrbes & oppida & agros obſeruatoribus, quod extremum in ſeruitute credebant. Ita diſcrepantibus iudiciis, nonnulli mortis pœnam remouebant. cæterum ſuppliciorum acerbitates omnes complectebantur. In hoc numero Fernandus Pulgarius arguto atque eleganti ingenio. cuius extat de Ferdinandi Regis rebus geſtis hiſtoria. alii quorum melior ſententia fuit, qui fœdare religionem, & ſanctiſſimas cæremonias mutare conati eſſent, eos frui vita & communi ſpiritu non putabant oportere: bonis & ignominia multandos videri, nulla filiorum cura. Præclare id legibus comparatum, vt caritas liberorum cautiores parentes reddat. Occulto iudicio tergiuerſationes vitari: neque niſi de coniunctis aperte, aut confeſſis pœnas ſumi. In multis ſæpe antiquos eccleſię mores, prout res & tempora exigunt mutari: & maiorem licentiam maiori ſeueritate coercendam videri. Succeſſus opinionem ſuperauit. Ii iudices ne ampliſſima poteſtate ad quæſtum ſæuitiamque abuterentur, optimis legibus cautum initio. plures dies & maior rerum vſus adiunxit. Quod caput eſt, viri integerrimi atque ſanctiſſimi ei muneri præficiuntur, ex vniuerſa prouincia delecti: quorum arbitrio ſingulorum fortunę fama, ſaluſque permittitur, diſceptatque. Toti adminiſtrationi Thomas Turrecremata, tum quidem eſt præfectus, ex Dominicano ordine vir prudens doctuſque, præcipua apud Reges gratia, quorum peccata per pœnitentiam expiare conſueuerat, Segobienſi ſui ordinis cœnobio præfectus. Auctoritas initio Caſtellæ finibus terminata, quarto poſt anno in Aragoniam tranſit, Gualbe & Orteſio ex eo ordine veteri inſtituto Inquiſitoribus amotis. Ab eo competentibus locis, prout res erant, iudices delegati nullo ſtatario tribunali. conſequentibus annis ſupremus Inquiſitor, quinque viris adiunctis, iudicia religionis maiora exercet in curia regia: vbi ſuprema alia tribunalia ſunt, minora bini, terniue Inquiſitores. Certa loca iis deſignantur. Noſtra ætate Toletum, Concha, Valliſoletum, Calagurris, Hiſpalis, Corduba, Granata, Ellerena in Aragoniis Valentia, Cæſarauguſta, Barcino. A Turrecremata edictis propoſita ſpe veniæ homines promiſcuæ ætatis, ſexus, conditionis ad decem & ſeptem millia vltro crimina confeſſos memorant: duo millia crematos igne, maiori numero in vicinas prouincias fuga dilapſos. Ab hoc initio res in hanc auctoritatem creuit atque poteſtatem: qua nulla prauis hominibus toto orbe Chriſtiano formidabilior eſt, reip. vniuerſæ maiori commodo. preſens remedium aduerſus impendētia mala, quib. aliæ prouincię exagitantur, cælo datum: nam humano conſilio aduerſus tanta pericula ſatis caueri non potuit.

Aragonii obitus. CAPVT XVIII.

DIſceſſere Hiſpali Ferdinandus Iſabellaque Aſſidoniæ Duce, & Gaditano Marchione eius vrbis aditu prohibitis: ſic amotis factionum capitibus pax rebus reddita eſt. Lupus Vaſcus homo Luſitanus Moram cui erat præfectus ad fines Caſtellæ, Ferdinandi nomine occuparat. de ferendo auxilio actum. Ardebat Ferdinandus ſtudio in Luſitaniam irrumpendi: id ad ſanciendam imperii auctoritatem pertinere iudicans, ſi tantum audaciæ eſſe videretur, viriumq;, vt hoſtes in ſuis finib. bello implicaret, non modo illatū defenderet. Id neq; Aragonius pater, neq; prudentiores probarunt. quid enim haud magna ſpe in periculum ſuam ſalutem vocaret? quid de belli & rerū ſumma periclitaretur imperio fundato? Ergo ea cura D. Iacobi Magiſtro data eſt, adiunctis mille quingentis equitibus peditum millibus quindecim menſe Auguſto. quàm operæpretium apparatus maior: & Mora à Ioanne Principe Luſitano recepta, ii conatus præoccupati ſunt. Caſtra Iulia in fide firmanda erant. Eo Ferdinandus & Regina vxor acceſſerunt Corduba obita. Quo tempore in Gallia ad Laudum in Cadurcis tertio Idus Septembris coniugium eſt inſtitutum per oratores Fridericum inter alterum Neapolitani Regis filium, & Annam Amadei Sabaudi Ducis filiam. Nuptæ quoniam ſorore Galli Regis erat nata, ab auunculo dos dicta, amplus in Gallia principatus. dum is redderetur, & donec auri pondus, de quo lis erat, ab Aragonio eſſet repręſentatū, pignoris loco Ruſcinonēſes & Ceretani. Perculit ea res Reges patrē & filiū: ac in Neapolitanū maxime iram accendit: q; ea propinquitate Gallicam amicitiam Hiſpanę præferre videretur, atque principatum accipere quamuis oblatum, de quo ipſis cōtrouerſia eſſet bellūque. Induciarū quę cum Gallo erāt tēpus exibat: & periculū erat, ne rediretur ad arma importuno vtriuſq; gētis tēpore. nā Gallus Belgis magna ex parte occupandis diſtrictus, alia contemnere videbatur. In Caſtella nondum res erant plane quietæ, Luſitano nouum bellum comparante, Metellini Co-

mite virili animo fœmina,& Alcantaræ militię Clauigero alienatis. Camboa Hondarribiæ præfectus,& Almaſani Archidiaconus Ferdinandi iuſſu cum Galli legatis, qui Baionę ſe tenebant, de fœdere agunt. Eorum diligentiam induciæ pace mutatæ ſexto Idus Octobris,non aliis legibus,quam quæ ante belli tempus inter vtranque regiam ab antiquo fuerant, Aragonius etiam ea pace comprehenſus. quo quid aliud quam ludibrium continebatur,non reſtituto,de quo lis erat,principatu? Cautum modo vt binis ab vtraq; parte iudicibus tum ea controuerſia,tum aliæ componerentur. Publicam ex ea re Caſtellæ lætitiam duę res auxere: Henricus Ferdinandi propatruus libertati à Luſitano redditus Caſtra Iulia venit. Toletanus malo coactus (nam omnes reditus intercepti erant,& pleraque oppida ablata) tandem in Ferdinandi fide & poteſtate fore recepit, traditis tota ditione arcibus,vt regio præſidio tenerentur. Luſitanum Regem denuo in Caſtellam euocaſſe crimen erat.nouam hero veniam dari Tellius Archidiaconus Toletanus impetrauit,vir ea tempeſtate doctus & ſanctus. Præterea venia propinquitatis quæ facta erat Luſitano,Romę à Sixto Pontifice abrogata:Ioannæque coniugio eſt illi interdictum. In quo maior ratio eſt habita Neapolitano Regi gratificandi, id conuitio expetenti,quam vt quibuſdam videbatur,maieſtatis atque conſtantiæ. Miſſæ de ea re literę pontificię menſe Decembri in Hiſpaniam. De rebus omnibus,ac de Gallica pace collocuturi Reges pater & filius Molinam atque Darocam venire parabant: cum Aragonium Barcinone morbus oppreſſit extinxitque ad quartumdecimum kal. Februarii die Martis principio anni
1479 Mileſi.quadringenteſi.ſeptuage. noni. Corpus ad Populeti ſepultum. inferias vt darent funusque curarent, regius cultus oppigneratus eſt: tanta erat pecuniæ inopia. Vixit annos vnum & octoginta,menſes ſeptem,dies viginti,vegeto ſemper corpore,& belli ac venationis laborib. par,animo viuido,magnitudine & varietate rerum geſtarum,ac diuturnitate imperii magnis Regibus exæquandus.Extremam ætatem ſugillauit amoribus puellæ, cui Franciſcæ Roſæ nomen fuit, forma conſpicua, libidinis auidus magis quam potens.Eam Iacobo Aragonio,quem Barcinone occiſum diximus, vxorem deſtinabat. Teſtamentum decimo ante nono nuncuparat. In eo tum multa pie & prudenter, tum duo templa ſanctitatis opinione celeberrima, in domicilium Hieronymiani ordinis conformari mandauit: D.Engratię Cæſarauguſtæ vnum vrbis muro coniunctum, in Catalaunis alterum,cui D. Mariæ Belpuchiæ eſt appellatio. Vtrumque filius pręſtitit. Ad Aragonii regni hæreditatem nepotes Ferdinandi filii ex filia etiam, ſi maſcula proles deeſſet, filiabus eiuſdem præferendos ſanxit. Sic ſępe ad Regũ arbitrium iura regnandi cõmutantur.

Eleonora Vaſconum Regina. CAPVT XVIIII.

Aragonii obitu,vt erat neceſſe, & vt teſtamento eius cautũ erat, diuiſo imperio, Ferdinando Aragonii acceſſerunt, Eleonora Princeps materno iure Vaſconũ regnum obtinuit,annum iam ſeptimum viduata viro, eoque continuis & maximis ærumnis obnoxia. impiam ob cædem Nicolai Pompelonenſis Epiſcopi nondum religione exoluta, gens in factiones ſciſſa erat,meliori fortuna potentiaque partis Beamontiæ,Eleonoræ aduerſę. Principum familiam atque animos,Caroli Vianæ Principis & Blancę ſororis iniuria peremptorum manes tot annos peruagati ad expetẽdas pœnas non quieſcebãt,quamuis nullo ſonte relicto. Sic Eleonoræ regnum breuiſſimum fuit, ne menſtruum quidem. alioqui prole fœcunda fuit poſteritate felicior quam vita. quatuor filios genuit, Gaſtonem natu maximum,Ioannem,Petrum,Iacobum,filias quinque Mariam,Ioannam,Margaritam,Catharinam,Eleonoram. De ſingulis pauca dicenda ſunt: quoniam magnorum Principum ex iis ſtemmata texuntur. Gaſto obiit, vti ante dictũ eſt, Franciſco Phębo & Catharina relictis. Ioanni Narbonis auro paterno redemptę vrbis principatus fuit: filii Gaſto & Germana. ille cęde ad Rhauennam, hæc Ferdinandi Catholici nuptiis nobiles. Petrus literarum & pietatis ſtudiis exculto ingenio,à Sixto Pontifice purpurę eſt honore donatus. Iacobus magno animo bellica munera exercuit coniugio liber: ſolutę veneris licentia nõnullos filios ſuſcepit,neque magni in Gallia,neq; nullius nominis. Maria Guilelmo Montisferrati Marchioni,Ioanna Armeniaco Comiti Ioanni nupſerunt. Franciſco Britanno Duci,Margarita filiam enixa eſt Annam appellatione: quę dotis nomine paternum principatum in Francorum regiam intulit Caroli octaui,& Ludouici duodecimi vxor. Catharina Gaſtoni Fuxenſi Candallę Comiti iuncta,duos filios genuit,filiam vnam, cui Annæ nomen, Hungariæ regnum fuit Ladiſlai Regis coniugio. Eleonora natu minima in minori ætate deceſſit,iam viro matura. Eleonora tantorum Principum mater,fracto laboribus corpore,animo moleſtia victo,pridie Idus Februarii deceſſit. Tudela initium

tium regni, & vitæ finis fuit. Tafallæ Minorum ædem de ſuo extrui, teſtamento, eoque corpus ſuum & matris Blancę oſſa Nieua, quod eſt oppidum non procul Segobia, afferri ac ſepeliri mandauit. Imminutis, propter inteſtina diſſidia, regni vectigalibus tanta inopia laborauit, vt nullo fortunæ ſubſidio aurum in ornatum ad alendam familiam venderet. Succeſſit nepos Franciſcus, cui à formæ venuſtate Phæbo cognomen fuit, vndecim annos natus. Imperium Magdalenæ matris & Petri Cardinalis patrui auſpiciis, dum ad iuſtam ætatem perueniret, vt in ea temporum labe prudenter eſt gubernatum. In Caſtellæ Rege parum præſidii fuerat: eoque ne nominato quidem in Eleonoræ teſtamento, eius iuſſu ad Gallum, vt natura etiam cogebat, aperte inclinare cœperunt. quod malo fuit, & vetuſti regni ac nobiliſſimi opes breui euertit. Hęc in Vaſconibus gerebantur. Quo tempore in Caſtella vetuſtate fixę de religione opiniones mouebantur. auctor Petrus Vxamenſis, qui Salmanticę Theologicas ſcholas explicabat audaci ingenio prauoq; , librum vulgarat multis mendaciis fœdum: quorum vt hic numerus ineatur, non eſt neceſſe. In Romanæ Eccleſiæ maieſtatem, & Pœnitentiæ ſacramentum contumelioſus maxime, Romana reſponſa errori obnoxia affirmabat. Sacerdotes vim habere ad condonãda peccata, negabat: neq; à Chriſto Deo præceptum, ſed ab hominibus inuectum Pœnitentiæ remedium, non incommodum tamen ad hominum prauitatem coercendam ſanãdamque. Toletanus Compluti, vbi multus erat, iuſſu Sixti Romani Pontificis viris doctiſſimis in conuentum euocatis, re diu multumque deliberata, impia placita reprobauit: auctorem niſi mutaret, anathematis ignominia notauit, ſententia pronunciata ad nonum Kalend. Iunii. quam paulopoſt nouo diplomate Sixtus Pontifex ratam habuit. Ioannes Prexanus nobilis ea ętate Theologus, de ſcripto Petrum exagitandum ſuſcepit iuſto volumine, ſtilo rudi nempe eius ætatis, ſed arguto, atque ſcholaſtico. De Villenæ principatu bellum erat. Chinchillam obſidentibus regiis, Villenius præſidio accurrit. obſidione ſoluta duo regii Duces Alarconius & Georgius Manricus à Petra Biatia, ille ad Albercam eſt victus, Manricus etiam nouo ad Canauetem commiſſo prælio, vulnere afflictus, ex quo aliquanto poſt deceſſit: crudelitas fati ei ingenio & ætati non debita. Excuſabat Villenius in eo bello non contra fidem datam ſumpſiſſe arma, ſed neceſſitate regioru Præfectorum inſolentiam frænandi. neque cum Luſitano aut Toletano denuo conſilia communicaſſe. quæ tandem excuſatio valuit, ne quid in eum grauius decerneretur. Accidit in eo bello, vt regii, ſex è captiuis hoſtibus laqueis ſuſpenderent. Ioannes Berrius pro Villenio copiarum Dux è ſuis captiuis totidem ſorte lectos ad ſimile ſupplicium rapi ſanxit. In eo numero ne quidam, cui vxor & filii erant periret, minor natu frater & ipſe captiuus magna contentione & lacrymis euicit, vt pro fratre vicarius ſubſtitueretur, grata ſuperis victima, exemplum miſerabile.

Caſtellam inter & Luſitaniam facta pax. CAPVT XX.

IN Beturia, quæ noſtris Extremadura eſt, Ferdinandus & Iſabella erant, quo tempore Aragonii imperii hæreditate aucti ſunt, pacandis motibus inteſtinis diſtricti, qui à Metellini Comite Beatrice Paciecha, & Alfonſo Monroio Alcantaræ Clauigero fuerãt concitati. Illa maiori, quam pro ſexu animo, quippe filium aliquot annis vinctum tenuerat, ac domo tandem expulerat, Emerita vrbe præſidio occupata, ne ea poſſeſſione caderet. filio que cogeretur comitatum reſtituere, iudicio paternam hęreditatem repetenti, arma corripuit. Clauigerum erepti iniuria (ſic ille putabat) Magiſterii ſui ordinis, atque Ioanni Stunicæ dati dolor vrebat: multaque eius ordinis oppida armis occuparat. Pręterea bellum defendendum erat: quod à Luſitano omnium grauiſſimum imminere credebatur. Verum feſſis omnibus, ac bello ciuili nihil eſſe miſerius reputantibus, victoria nihil triſtius, quæ ferociores homines impotentioreſque reddit: cum multa victori eorum per quos vicit arbitrio facienda neceſſario ſint, alienaque calamitate, ſaginandi ſint ſocii periculi: de ineunda pace mentio iniecta: eo maiori Luſitanorum ſtudio, quod ad Albuferam octo ab Emerita paſſuum millibus à Magiſtro Diui Iacobi inſigni pugna victi fuerant, ad ſextum Kalend. Martii. Pauci ex fuga Emeritam tenuerunt: quę in Metellini Comitis poteſtate erat. Beatrix Iſabellæ Reginæ matertera, quæ Viſei Duci nupta fuerat, Ioannis Luſitani Principis ſocrus, magna auctoritate, parique prudentia fœmina, curã conciliãdi vtranque gentem ſuſcepit. Eius molitionis exitum expectare longum erat Ferdinando, noui regni hæreditatem cernere cupienti, vbi multa turbata erant: vt Vaſconum audacia fręnanda, qui in Aragonios fines irrumpentes, caſtella nõnulla temere munita ceperant, multamque prædam abigere non deſiſtebant, conuentus Aragonii nullo noui Re-

gis consensu essent indicti. Neque id flagitium in ea gente ducitur. Ita se mores habet. Ergo pacis conditiones sanciendi cura Isabellæ coniugi demandata, & Alcantara municipio designato consensu, vbi cum matertera de rebus omnibus constitueret, Ferdinandus obito Guadalupeo Virginis templo, votisque tum solutis, tum nuncupatis, per Eulaliæ fanum, quod oppidum Toleto vicinum est, atque per Harisam & Calataiubam Cæsaraugustam regni caput, ad quartum kalend. Iulias inuectus est, celeberrimo apparatu, plausuque ciuitatis ad spectaculum effusæ. Senatus princeps Ludouicus Naia regium latus de more claudebat. Rex ipse lugubri veste, trabea mutata auro intexta, galeroque pari pulchritudine, equo vectus, sub vmbella vrbem iniit, inter faustas populi voces, felix, diuturnumque imperium comprecantis. Iurisdictioni data opera. quicunque se iniuria læsos existimarent, iis facilis ad Principem aditus erat. Inde Barcinonem itum est. De Ruscinonensibus & Ceretanis ad ditionem reuocandis actum, inani tunc conatu, quoniam rei perficiendæ nondum maturitas venerat: & appropinquabat tamen. Iudices tantum quatuor, cum potestate omnes controuersias finiendi Regum Galli & Aragonii, sunt designati. Valentia petita. par locis omnibus lætitia celebrata. Noui tumultus extabant. Semenus Vrrea Biotæ Vicecomes, Iacobum Pallasium Cheluæ Vicecomitem & vxorem improuisa vi ceperat, Cheluam & Mansaneram oppida sui iuris facta obtendens. quod iudicio obtinere promptum erat, irritatis audacia iudicibus perdidit. Agente Rege in præsenti arma sunt posita. in annum tertium controuersia tenuit. Pro Iacobo Pallasio in causa est pronunciatum. Iisdem diebus Isabella & Beatrix, Alcantaræ vt placuerat, collocutæ inter se, has futuræ pacis conditiones scripsere. Vt Lusitanus Castellæ Regis appellatione & insignibus abstineret: idem de Lusitaniæ faceret Ferdinandus. Ioanna Princeps nuberet Ioanni Ferdinandi filio, cùm primum ad iustam ætatem perueniret. Si is sui arbitrii factus recusaret, centum aureorum millia mulctæ nomine penderentur. Ioanne liberum esset virginem sacram induere, si mora coniugii longa videretur. Alfonso Lusitani nepoti Isabella Ferdinandi filia iungeretur. Castellæ nobilibus ne ad res turbandas perfugium in Lusitania foret. Extima Africæ litora nauibus explorare, aperireque Lusitanis Principibus nullo obsistente, ius proprium fasque esto. Eas conditiones ratas fore, designati obsides sunt, Ioanna ipsa Princeps, Isabella Ferdinandi filia, Alfonsusque infans Ioanne Lusitano Principe natus, in Beatricis potestate futuri oppido Mora. Adiunctæ à Lusitano ad Castellæ fines quatuor aliæ arces fidei datæ pignus. Sic arma consensu posita: quæ tandiu viguerant, præcipuo vtriusque gentis incommodo, maiori Lusitanæ. Octobri mense ob ea quæ feliciter acta fuerant, superis decreta vniuersa Hispania supplicia. vtraque natio trepida antea & solicita de belli euentu, læta agere: meliorem spem animis agitare: de Beatrice fama præclara esse. Ferdinandus ea lætitia Valentiæ nunciata, Toletum accurrit: vbi fine anni Isabella coniux clarior quam antea atque nobilior pace suo commodo facta, eius aduentum morabatur. Nouum gaudium Regibus ortum. nouam Isabella prolem peperit, octauo idus Nouembris: cui Ioannæ nomen fuit, paterna auitaque regna superi destinabant. Præterea aliquanto post, Ioanna Princeps specie honoris obiecta, ludibrio se haberi cernens, Conimbricæ in Diuæ Claræ vestem mutauit: sacratæque virginis officium susceptum necessario, ad multam ætatem egregie præstitit, pertæsa rerum humanarum inconstantiæ varietatisque. & nihilominus Isabella Alfonsusque infantes, in Beatricis vt conuenerat, potestatem sunt contraditi, obsides reliquarum conditionum pacis. Metellini Comes, Alcantaræ Clauiger ad officium vltro reuocantur. Idem alii Castellæ nobiles faciunt, præsidium firmissimum Lusitanæ causæ, Villenius etiam in gratiam mutatis prioribus conditionibus receptus est, principio anni Millesimi quadringentesimi octogesimi.
1480 Scalonam Belmontiumque retinuit, Villena, Almansia, aliaque oppida Villenæ contributa, quæ contra eum arma sumpserant, Regibus cessere. & erat stultum sine vllo laboris effectu conari: dum veteres spes captat, de iis quæ erant reliqua periclitari. Imminutis Villenii opibus potentiaque, firma concordia fuit. Renatus Dux Andegauensis non modo aduersis rebus, sed etiam longa vita nobilis, mense Ianuario extinctus in Gallia est, ad vitæ finem se Aragoniæ, Siciliæ, atque Hierosolymæ Regem nominans, inani appellatione, præterea prouentu nullo, ne spe quidem, amissa recuperandi. Hæredem testamento reliquit Carolum fratris Caroli filium ex asse. Renato Lotaringio suo ex filia nepoti, Bari Ducatum legauit, quem satis amplum in Gallia obtinebat.

Luſitani Regis obitus. CAPVT XXI.

TOleti generales conuentus agitati omnino frequentes. voces liberæ fuerunt, ac plenæ expoſtulationum. nobiles in tenuiorum fortunas graſſari populi conquerebãtur: eorum auaritia regiũ ærarium exhauſtum, occupata vectigalia, imperari noua indies magna prouinciæ calamitate. remedium excogitatum. Dati in cauſa iudices, ab Henrico Rege factas imprudenter donationes, aut temporum neceſſitate extortas, iniuſtas fore pronunciarunt. Nobilium audacia coerceri nondum poterat, neque iudicia reſtitui magnopere labefactata. Menſe tantum Maio omnes ordines ſacramento adacti Ioannẽ Regum filium poſt eorum fata Caſtellæ Regem fore. ad ſanciendam maieſtatem, imperiumque ſtabiliendum id pertinere viſum eſt, dubiis prouincialium voluntatibus ea religione ſanandis, confirmandiſq; in fide. Sic rebus in Citeriori prouincia compoſitis, Medinã Campeſtrem atque Valliſoletum itum eſt. Iis locis regiæ ſeueritatis nonnulla exempla conſtituta, ſontibus vindicatis viris nobilib. Magnitudine ſupplicii deterriti alii. Calæci imprimis, vbi vis eius mali vigebat maximè, feroci homines ingenio, Lucus, Auria, Mindoniũ, Biuerum, atque Brigantinus portus imperata facere recuſabant. Ferdinandus Acunia, & Garſias Chinchilla iuriſperitus eo miſſi, conuentu gentis Compoſtellæ habito, Petro Pardo Mareſcalo, aliiſq; factioſis è nobilitate interfectis, latè terrorem vniuerſis incuſſerunt. ſic imperii maieſtas in ea prouincia ſancita eſt, legibus & magiſtratibus vetus auctoritas ex longo interuallo reddita: quamuis Ferdinando Rege abſente, atque in extremos Catalaunos hac occaſione profecto. Mahumetes Turcarum Imperator, curſu tot victoriarum ferox, Rhodum inſulam firmiſſimum ea parte piorum nationis propugnaculum, è mari claſſe, à terra poſitis ad vrbem caſtris impugnandam ſuſcepit. Tres ibi mẽſes fruſtra conſumpti. geminę à Neapolitano Rege onerariæ miſſæ, commeatus affatim & recentẽ militem ad obſeſſos cum intuliſſent. irrito Turcæ conatu cum claſſis parte Apolloniam Macedoniæ vrbem tenuerunt Adriatico ſinui imminentem vicinamq; Apulis. Ea claſſe Acomates Satrapes prouectus, in Italia Hydruntem expugnauit Idibus Auguſti. nemini armato inermive pepercere barbari. Excurſiones tota Apulia faciunt, ferro flammaq; ſæuiunt. Ingens terror oſtentatus reliquæ Italiæ, ſed & remotis nationibus Reges incitauit, vt coniunctis viribus oriens incendium comprimerent. A Ferdinando Gonſaluus Beteta in eam rem ad Sixtum Pontificem legatur, haud ſatis tunc noſtris rebus æquum: ꝙ multis antea argumentis perſpectum, recens confirmarat, Carrillio Toletano Præſule Legato in Hiſpania creato, nullo Regis conſenſu. Sed Principes antea diffidere inter ſe ſolitos, periculi nunc ſocietas iunxit. miſſo denuo Barcinone Io. Margarito Epiſcopo Gerundẽſi ad Italiæ Principes menſe Februario anno M. quadrin. octoge. primo per cauſam conſti- 1481
tuendæ ſocietatis, claſſem inſtrui curat, nauigiorum maiorum minorumq; quinq; & triginta. Idem Luſitanus facit, viginti nauibus comparatis. ſerius tamen opinione cũcta procedebant: Alfonſuſq; Calabriæ Dux iunctis Italiæ viribus ægrè in iuſtam obſidionẽ barbaros compulit. Mors Mahumetis nunciata fregit animos, extincti Nicomediæ in Bithynia ad quintum Nonas Maii. Turcæ incolumitatẽ pacti, quinto obſidionis menſe vrbem dediderunt. Eorum partem Calabriæ Dux retinuit ad mille quingentos, quorum opera vteretur aduerſus Florentinos: à quibus barbaros in Italiam fuiſſe euocatos rumor erat. multis ſuſpecta fraus Alfonſi ea fingẽtis: & paulatim in plures cœpit manare ſuſpicio. Mahumetis obitu, Byzantii graues tumultus extitere. alii Baiazetem pręferebant defuncti filium natu maximum: pars Gemen natum patre eodem iam Auguſto ad imperium vocabant. A Baiazete victus frater ad Pruſiam Bithyniæ, primum in Ægyptum, deinde Rhodum aufugit. Rhodii honorificentiſſimè exceptum cultumq;, multis expetentib. Principibus in Galliam tranſmiſere, gratum Ludouico Regi donum. In Aragoniis Luſitaniſque auxiliis parum opis fuit, poſt deditam Hydruntem appulſis ad ea litora noſtris claſſibus. & erant Regibus noua impedimenta nata, alieniſſimo reip. tempore Ferdinandus diſtrictus conuentu, qui Calataiubæ eſt habitus, ad quem Iſabella Regina viri iuſſu Ioannem communem filium adduxerat, Alfonſo maris Præfecto & Petro Velaſco Magiſtro equitũ, rerum in Caſtella cura commendata. Ab ea gente ſacramentum acceptum hæredẽ paterni imperii futurum, cæremonia peracta ad quartũ Kal. Iunii. idem factum Barcinone aliquanto poſt. Ferdinandum tantis rebus perficiendis intentum, noua de Vaſconũ regno cura ſolicitauit. Petrus Cardinalis, & Iacobus pueri Regis patrui, Cæſarauguſtæ dato ſenatu, gentis calamitates accurata oratione explicarunt. à factioſis vrbes & oppida occupari: à Beamontiis Pompelonem, ab aduerſariis Stellam, Sangueſſam, Olitum. Regiã maieſtatem ad inanem appellationem redactam. pupilli, imbecilli, ac propinqui Regis cala-

mitate moueretur. Ludouicum Lerini Comitem impotenti audacia virũ in aduersarios cæde,incẽdiis,direptionibus grassari. Petrum Nauarram, & Philippum Petri filium Vasconum Marescalos fraude peremisse. Defuncto Petro Peralta Magistro equitum, eo honore occupato ferociorem euasisse. Ex immanis cupiditatis faucibus reliquam remp. eriperet. In Troilo Carrillio Peraltæ genero, ad quem cæteræ opes soceri dotis nomine redierunt, haud satis virium erat ad resistendum ęmuli audacię. vnus vniuersis plus poterat publice priuatimq;. Pollicetur Ferdinandus sibi Francisci Regis res curæ fore. mittit cũ iis Principibus idoneos viros, qui eius verbis tumultuãtes, modestię monerent: obsequiumque Regi suo debitum commendarent. Tafallę gentis conuentu indicto, mandata ii exposuerunt. negant illi communi consensu factum, quominus Regi liber esset ad regnum aditus: paucorum tantum temeritate impeditum. Veniret modo, daturos operam, ne aliquod officium à subditis populis desideraret. Gratum id responsum fuit. de Rege Pompelonem deducendo consilia cum Ferdinando communicata. armato visum: ne in tanta rerum colluuione maiestas ludibrio esset. Regem Lusitanum iisdem diebus mors oppressit, Sintræ in quo conclaui erat natus ad quintum Kal. Septembris. Corpus ad Aliubarrotam tumulo est illatum. Gentis imperium Ioannes eo nomine secundus à morte patris suscepit, ab animi præstantia, & rerum gestarum gloria cognomento Magnus. Graues simultates cum Castellæ Principib. per totam vitam, quas pater simplicius, ipse callidius eoque implacabilius exercuit. Odium in proceres vertit: quos Castellæ reb. fauere suspicabatur, vti mox est explicandum. Clementia, pietate, seueritate in sontes, ingenio sublimi atque præstanti, expedita memoria atque tenaci, cæteros sua ętate Reges exæquauit: multos etiam vicit. Eius illa vox fuit: Imperium prudentes Principes accipere, aut facere commercio perpetuo hominum in omni sapientiæ parte præstantium: quales in aulis Principum ardenti ingenio versantur. & qui cum Principibus loquuntur, ii accurata prudentique oratione, quę dicunt seque probare illis conantur.

Trium Principum funera. CAPVT XXII.

TRibus annis totidem Principum funera continuata sunt. Massiliæ Carolus Andegauensis obiit fine huius anni, hęrede scripto Gallo Rege. Quantum id turbarũ & tempestatum in Italiam concitabit? nobiles sanè principatus Andegauensis atque Prouinciæ
1482 ei Regi accesserunt. Consequenti anno Mille.quadrin.octoge.secundo Alfonsus Carrillius Toletanus Archiepiscopus ipsis kalend. Iuliis, annis grauis, viuido ingenio, eoq; non ciuilibus modo, sed etiam militaribus muneribus idoneo: à quibus tamen necessitate magis temporum, iraque, quàm voluntate abscesserat. Tumulus defuncto Compluti, vbi extremam ætatem melioribus studiis propagabat, in D. Francisci, quod ipse monasterium construxerat, constitutus est ad aram maximam. Troili filii extincti consequentibus annis coniunctum ad læuam sepulchrum, incontinentiæ paternæ fœdum monimẽtum, Ximenius Cardinalis remouendum ab oculis multitudinis, atq; in monasterii exedram vbi conuentus monasterii sunt, transferendum curauit. Ad Troilum eiusq; filium Alfonsum, qui in Vasconibus Magister equitum fuit, Falcis Marchiones generis originem referunt. Carrillii Præsulis æmulus Hispaniæ Cardinalis, Reges in Aragoniam secutus Toletanam Ecclesiam regẽdam suscepit, vir magnus, maiorum gloria non magis, quam suis virtutibus clarus. Ea meritis gratia est habita, perpetuæque iuuandæ reipub. voluntati. Enecus Manricus Giennensis Episcopus in eius locum Hispali Præsul est datus. In Vasconibus nouum gaudium maiori luctu mutatum. Franciscus Rex ex Gallia, vbi se tenuerat, ob graues & diuturnos Vasconum motus, tandem vt erat constitutum, matre, patruis, atque pleraque ex vtraque gente nobilitate deducentibus. Pompelonem delatus, atque insigni plausu atque apparatu exceptus, in eius vrbis templo primario, regio insigni desumpto tertio Non. Nouembris Rex est proclamatus: in ipso ætatis flore quindecim annos natus, formæ dignitate, venustateque conspicua, indole virtutum omnium præstanti. Beamontios Agramontiosque inuidiosa exitialiaque nomina compellari capite sanxit. Ludouico Lerini Comiti vt Magister equitum esset confirmauit. Larragam aliaque oppida adiunxit hominẽ pręualidum promerendum blandimenta, Rex bonis artibus, bonoq; consilio popularis. Prouincia lustrata, sublata maleficia, auctoritas restituta magistratibus. cura posteritatis suberat. A Ferdinando Rege Ioannæ filiæ sponsus destinabatur. Gallus auunculus Ioannam alteram pręferebat, quamuis in Lusitania virginẽ sacratam Castellæ regni spe dotali, Gallicis armis recuperandi. Magdalena Vasconis mater fœmina ambitiosa ad Gallos propensa, eo magis cõsilio probato, vimque aut fraudẽ verita, au-

ctor filio extitit, uti Galliam repeteret: ubi ampla ditio erat. Vix eò delatũ mors oppressit ad D. Pauli fanum tertio Kal. Februarii, anno salutis Millesi. quadringentesi. octuage. tertio importuna inuida tristisque. Sic adolescentiæ flos quasi ventorum turbine decussus, occidit, cum primos honores ostentaret. Corpus Lescare sepultum est, Bearnæ vrbe. Soror Catharina Vasconum regnum suscepit, vt opus erat: initoque in Gallia coniugio imperium ad Gallos transtulit, neque diuturnum neque felix. Excepere varii rerum motus, multiplices hominum conatus, temporum conditio misera: qualem fuisse fides est, puella in minori ætate, regni hęrede matre in Gallia orta, eoque à rebus Hispaniæ auersa. 1483

Coniuratio in Lusitanum Regem. CAPVT XXIII.

IN Lusitania Ioannes Rex coniuratos in suũ caput proceres suppliciis vindicabat, comparatum parricidium multorum sanguine expians. Mores asperiores, seueritas iudiciorum, ad hæc linguę procacitas nobilitatem alienarat: atq; illud maxime, q; contra Maiorũ morem in regulorũ ditione iis inuitis lictores regii sontes plectere non dubitarent, Regis fauore & præceptis insolẽtiores. Irritati proceres iniuria, in commune consultant: armisque decernunt, si foret opus, vindicandam libertatẽ, & iura maiorũ meritis data. Duo Duces regia nobilitate, opibus validi, Ferdinandus Brigantinus, Iacobus Visei, cõiurationis capita erant. hos multi alii sequebantur, Montis maioris Marchio, Fari Comes, Brigantini fratres, Garsias Menesius Eboræ Episcopus cũ fratre Ferdinando, Lupus Alburquerquius Penamacoris Comes. Atrocis conspirationis indicium hac occasione factum est. Cõuentus gentis Eboræ à nouo Rege habebantur, omnino frequentes. In iis conuentib: tũ alia præclara sancita sunt, tum procerum libertas astricta lege, ne impune popularibus nocerent: neque plus legibus & æquitate possent. Conquerebatur Brigantinus, datam maioribus auctoritatem, violandam non videri. veteres schedas excuti mandat, Regumque diplomata Brigantinis Ducibus data. Inter eas schedas Lupus Figueredus rationum Magister inuenit tabulas, quibus cum Castellæ Rege inita consilia reipub. exitialia constabat. Eas clam desumptas ad Regem perfert. quibus ille cognitis dissimulare iubet, & exemplo transcripto, vnde acceperat, referre tabulas. Accidit vt Regina ex maturo partu decumberet Almerini primo vere ipso anno huius seculi octuagesimo tertio. Eius inuisendæ & confirmãdæ studio frater Visei, & sororius Brigantii Duces accedunt. splendide accepti abs Rege, atque omni comitate culti, die quodam, facto sacrificio, Brigantinum secreto in hunc modum Rex alloquitur. Dux amice. Sacris operati & ad sanctissimas aras verissima loqui, certo tibi persuadeas velim. Consilia contra nos cum Castella agitasse, neque tibi honesta, neque debita nobis, manifestus cum sis, vix credo tamen, tanta superiorem gloriam & merita, ignominia fœdasse. Quanto hæc cum dolore loquor? Sed quid quid id est tamen, perpetua obliuione delere fixum animo habeo: atque cum offensa beneficio certare: nouisque honoribus cumulare mutantem modo, nobiscumque sentientem: quem Deus huius imperii sceptra tenere voluit: te proximum potentiæ & auctoritatis locum occupare, opes regiis æmulas, coniugio certe parem, cum duas sorores habeamus vxores. Quis tanta vincula amicitiæ disrũpat? aut à quo expectare possis ampliores honores? Excæcauit mentem dolor nimirũ. sed si quid in nouo regno offensum est mutabitur. si à lictoribus nostris aliqua irrogata iniuria, exemplo patientiæ debuisti prælucere aliis. etiam ego cum me docueris, errata libenter emendabo. Ad tuendam remp. non consilium tantum à te expecto, sed arma. Quod vt eo studio, quo opus est facias, te rursus cupio exoratum. Commouit Brigantini Ducis animum oratio Regis. Ne faciles criminationibus præberet aures obsecrat. Se haudquaquam maiorum gloriam perfidia obscuraturum. Acceptis iniuriis maiora beneficia fuisse. Procul tantum facinus superi auerterẽt. Ne cogitasse quidem tantum nefas. Si falleret, dira caput suum imprecatione execratur. Sic à colloquio discessum est. Rex Scalabim abiit, Duces in suæ ditionis oppida haudquaquam mutatis animis. Ferdinãdus Talauera ex Hieronymiano ordine Prati Prior, Castellæ Regibus à sacris confessionibus in Lusitaniam legatus, vt cõmuni consensu firmato fœdere obsides reciperent, obtinuit. In veteri fœdere id mutatũ tantum est, vt Alfonso Lusitani filio Ioanna nuberet Ferdinandi Regis filia minor, ætate simili aucta dote. Extremo mense Maio Isabella ad parentes in Castellam missa, ad Lusitanum Alfonsus puer. Redeũtem ad patrem officii causa Brigantino prosecuto, Eboræ, vbi curia erat, iniiciuntur vincula. Nouo indicio cognitum erat, Petro Iusarte internuncio, cum Castellæ Rege vetera concilia repetita. Id Gaspar Iusartes Petri frater indicauit Regi. pro quo officio consequenti tempore honores vtrique fratri habiti sunt: Petroque

Arroiolium oppidum datum eſt. Dicta cauſa Brigantinus maieſtatis lege, capitis ſupplicium ſubiit ad decimum Kalend. Iulii. cęteris documentum datum eſt, res niſi magno diſcrimine magnoque motu non nouari, ipſis etiam perſępe oppreſſis auctoribus. Idem ſupplicium de ſex aliis nobilibus Luſitanis, qui in parte coniurationis erant, ſumptum eſt. Magiſter equitum cum aliis præceps è prouincia exturbatur. Brigantini fratres celeri fuga ſe ſe è periculo eripuerunt. Filii Philippus, Iacobus, Dionyſius à matre Iſabella in Caſtellam amandati, quam primum triſtem nuncium accepit, virum eſſe captum. Ex iis Philippus in Caſtella obiit. Iacobus rediit in Luſitaniam venia accepta. Dionyſius Lemoſii Comitem in Caſtella duxit. Viſei Ducem ætas tutata eſt. Proxima die à Brigantini ſupplicio verbis modo caſtigatum Rex, atque ferme periculo exanimatum incolumem dimiſit. Nihil neq; ſeueritate priori neq; noua clementia, animi coniuratorum mouentur. clanculum inter ſe conuenientes, temporum conditionem conqueruntur ſeruituti proximam. In paucorum potentiam, ius ditionemque conceſſiſſe: reliquos vulgus eſſe ſine auctoritate gratiaque: Brigantinum quoniam ea ferenda nō putaſſet, capite pœnas ſoluiſſe. ,, Eius exemplum ad ſingulos poſſe recidere. Quæ quouſque patiemur viri Principes? niſi ,, prauos conatus inſigni aliquo facinore occupamus, omnib. ſimul pereundum eſt. Quin ,, cædem cæde expiamus? & tyranni ſanguine, optimi atque innocentis Principis manibus parentamus? Id communi ſententia decretum. Rege ſublato Viſei Duci gentis imperium deſtinatur. Ingens cœptum, pertinax conatus, fœdus exitus. dum tempus rei perficiendæ expectatur, detecta Regi coniuratio eſt. Erat Diegho Tinoco ſoror Eborenſi Epiſcopo ſtupri conſuetudine familiaris. ea cognitum periculum fratri denunciat: ille Regi Setubale in oppido in veſte Franciſcana, quo indicium eſſet occultius. Idem Vaſcus Coutinus renūciauit, cuius frater Guterrius Coutinus coniurationis factę particeps erat. Vaſco indici poſt depulſum periculum Borbæ Comitatus, Stremotiūque præmium fuit. Regreſſo forte in agrum vicinum Rege, vt templum inuiſeret opinione ſanctitatis pręſtans, adſunt coniurati mutua fide læti: cuius documentum tot diebus fuerat ſilentium ſeruatū. Templo egreſſum perimere parabant. ſed fortuna Regis & Fariæ cubicularii diligentia protexit. Ad aurem denunciato periculo, cum coniuratos comiter appellaſſet, furorem illi continuerunt. Ad ſuburbium oppidi mareq; templum alterum eſt Antiquæ Virginis nomine. In id Rex diſſimulanter ingreſſus, dū plures aulici cōuenirent ad præſidiū moratus eſt, cū Vaſco Coutino de induſtria producto ſermone. Grauis erat cōiuratis mora, ſolicitis ne ex tanto numero aliquis fidē mutaret. Dies is Veneris erat ſexto kalend. Septemb. cum Rex vitato periculo, Viſei Ducem Palmela, vbi cum matre euentum morabatur, venire ad ſe iubet, confictis aliis cauſis. Pertinax eſt animus, quem ingens ſpes deuouit. in tanto quamuis periculo Regem adire non dubitat. Iuſſum in cœnaculū aſcendere paucis pręſentibus adacto in pectus pugione peremit. Illud modo fatus: Ito Brigantino renūcia con- ,, iurationis exitū ab ipſo inchoatæ. Erat is viginti annos circiter natus. mathematici gentis imperium quaſi ex aſtrorum inſpectione denunciarant, genus hominum fallax & vanum: cuius in omnibus nationibus mendacia viguerunt, vigebuntque. Emanueli occiſi Principis fratri omnia, quæ ille habebat, continuo ſunt data: vno tantum principatus nomine mutato, vt Pacis Iuliæ Dux vocaretur, imperatum. Huic numina imperium gentis deſtinabant, quod ſphęra orbis ſimilitudine clypeo adiuncta temerè, portendiſſe viſa eſt. Diegho Syluæ eius pędagogo inſtitutionis præclarę præmium fuit oppidum Portalegre Comitis nomine. E coniuratis aliis, nonnulli capti, Eborę Epiſcopus cū fratre Fernando Meneſio & Guterrio Coutino. maior pars in Caſtellam aufugit vagi, inopes, atque mœrore oppleti. Is finis tetræ cōſpirationis fuit, ea merces. Iiſdem diebus Ludouicus Galliæ Rex ad tertium Kal. Septembris in ſuburbano Turonum nemore deceſſit, poſtremis teſtamenti tabulis mandans Ruſcinonenſes & Ceretanos veteri Aragonii imperio reſtitui. Succeſſit Carolus filius tredecim annos natus imbecilla valetudine. Pater Amboſiæ educandum curauerat, præter domeſticos miniſtros, ceteris omnibus eius viſendi, conueniendique poteſtate ſublata, ne Latinę quidem linguę pręceptore dato, illud ſi ſciret ſatis fore dictitans: Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare. Verum longius prouectam narrationem retro reuocemus opus eſt, in Caſtellamque referamus nouo facto principio.

Libri vigeſimi quarti Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXV.

Belli Granatenſis initium. CAPVT I.

INITIVM nouæ narrationis, ſuſceptiq; operis optata meta bellum Granatenſe erit: quod Regum Ferdinandi & Iſabellæ auſpiciis ductuq;, decem annis geſtum eſt, plenum variis caſibus, atrox prælіis, ſucceſſu lætum fauſtumque Hiſpaniæ, piorumq; nationi vniuerſæ, barbarorum imperio ab ſtirpe conuulſo: quod ſeptingentis amplius annis, ea parte ſteterat in Hiſpania, magna noſtræ gentis ignominia probroq;. Terram è propinquo cernentibus, longa, ac difficili nauigatione iactatis detur occupare portum: & confirmatis ingenii virib. labori finem imponere. Cōcedite Superi votis parem facultatem. Bæticam inter & Carthaginenſem prouinciam Granatæ regnum iacet, vtriuſque prouinciæ pars, ambitu colligens ſeptingenta paſſuum millia, maiori longitudine, latitudine impari. Arunda enim Oſcam ducenta & quadraginta millia, Cambile Almunecarem vſque centum millia numeramus. Murciæ regnum, hoc eſt, veteres Conteſtanos ab ortu Solis terminum habet, à meridie Mediterraneum mare. ad Occaſum ſeptentrionemque, aliis Bæticæ regionibus clauditur. Lætiſſima cæli ſoliq; facies eſt. agri omni fertilitate terræ inter primos Hiſpaniæ conſpicui. Ipſi montes, quib. regio magna ex parte impedita eſt, aquis manantibus irrigui idoneique culturę, mites arbores alunt, perpetuaque viriditate amœni ſunt. vnde aeris temperies hyeme atque æſtate, corporibus imprimis ſalutaris, præſertim qua parte regni caput vrbs Granata ſita eſt, in paucis nobiliſſima frequentiſſimaque. De cuius nomine vniuerſæ prouinciæ appellatio facta eſt. ipſi ab ſpelunca longiſſima ad Alfaharium pagum pertinente: vbi arcanis olim ſacris, & damnatis artibus incolas operatos fama eſt. Gar enim Arabum lingua ſpelunca eſt: & ex Nata Syriæ vrbe, ſic aiunt, aduecti à Tariffio milites, oppreſſa Hiſpania iis locis fortunarum ſedes collocarunt. ab vtraq; voce Granatæ vocem conflatā maiori prudentia & eruditione auctores affirmant. alias notationes nominis afferunt alii. Sed chartas inficere, & abuti patientia, non eſt neceſſe incertis originibus & opinionibus commemorandis. Sanè eo tractatu vrbes quatuordecim erant, municipia ſeptem & nonaginta, quo tempore poſtremo bello petiti, oppreſſique Mauri ſunt. in eo numero Almeria, Malaca, Guidixium, quæ Plinio Acci eſt, maiori frequentia & nobilitate celebrantur. Belli cauſæ ab antiquo multæ extabant. Maurici nominis inuidia, diſcrepantes de rebus diuinis opiniones, regnum iniuria in Hiſpania conſtitutum, retentumque diu, pudenda ignominia nominis Chriſtiani, multæ & graues inter vtranque gentem iniuriæ: quod fere finitimis regnis accidit. Reliquias eius gentis ad Hiſpaniæ angulum redactas, noſtrorum Regum imbecillitas texit, prouincia in plures principatus diſtracta, fatali inter Principes diſſidio, nullo communi conſenſu: vt fere tantum de publicis damnis ſentimus, quantum ad priuatas res pertinere putamus: religionis amor parum mouet, prę cupiditate iniurias vindicandi, proferendi imperium. Si quando præclari conatus extabant, Africæ vicinæ vires opponebantur, vnde certa auxiliorum ſpes erat: ſæpeque torrentis inſtar ſeſe numeroſæ Afrorum copiæ infuderunt in Hiſpaniam rapidæ, feroces, formidabileſque. ſic factum, vt impiæ gentis imperium non toto triennio conſtitutum, tandiu ſteterit. ſic cælo viſum. noſtræ gentis peccatis iuſtiſſima ea merces fuit. Superis irritatis, atque nolentibus, inanis conatus omnis fit: placatis cuncta proſpere cadent: vti ea tempeſtate accidit. Quæſtionibus de religione conſtitutis, magiſtratuum auctoritate fundata,

quæ fluxa eatenus fuerat,iniuriis,latrociniis,cędibus vindicatis,continuò nouum lumen
affulſit. Rebus numine propitio, prouinciæ viribus confirmatis exciſi,oppreſſiq; Mauri
ſunt. Ad veteres belli cauſas noua acceſſit. Zahara munitum opere oppidum Arundam
inter & Aſſidoniam ſitum noſtrorum ditione tenebatur,à Ferdinando Ferdinandi Regis
auo captum de Mauris,vti ſuperius eſt demonſtratum.Præſidio præfectus Fernādus Sa-
hauedra,vt in nullo tali metu ſecurus, parum erat à milite & commeatu paratus. Id Re-
gem barbarum Albohacenum non latuit.cum ſuorum manu nocturna vi,improuiſo ad-
1481 uentu oppidum capit ad ſextum Kalend.Ianuarii,ineunte anno Milleſimo quadringen-
teſimo octuageſimo primo. & erat nox opportuna conatui, imbrium & ventorum tēpe-
ſtate turbida: oppidanis res trepidæ,metus ingens,repentinum malum. Pecudum inſtar
trucidantur,quicunque armis reſiſtere auſi ſunt. aliorum greges munito oppido præ vi-
ctoribus aguntur Granatam,nulla commiſeratione ætatis,ſexus,aut conditionis. Graue
id detrimentum viſum eſt, neque ferenda contumelia. nonnulli vt in malis lætabantur
iniectam neceſſitatem recentes & veteres iniurias vindicandi,impiæ gentis exitio.Ferdi-
nandus & Iſabella Medinæ Campeſtris, vbi nuncium rei geſtæ acceperunt, præfectis li-
miti & vicinis vrbibus mandant,ſe ſe ad bellum comparent:nihilque de diligentia & vi-
gilantia remittant:alienę calamitatis exemplo cautiores ſint: nullam barbaris fidem eſſe
ſanctam.Excuſabant illi indiciarum tempore latrocinia vtroſque in alteros exercere con
ſueuiſſe:prædas agere:carpere oppida,triduano modo conatu,nulliſq; in obſidionis for-
mam iuxta poſitis caſtris.Ea licentia,parique fiducia Caſtellarium atque Olbera tentatur
1482 à Mauris principio anni proximi Milleſimi quadringenteſimi octogeſimi ſecundi. No-
ſtri nouis identidem prouocati malis vindicare parant. Magna militari manu contracta,
qua parte irrumpendum in fines hoſtium ſit, deliberatur: cum cognitum eſt Alhamam
oppidum iniuriæ opportunum fore,exiguo pręſidio,imbecilloque,raris vigiliis. Id Die-
ghus Merlus Vrbanus Hiſpali prętor, cui rerum & belli ſumma erat à Ferdinando Rege
commendata,cum Roderico Pontio Marchione Gaditano communicat. auiis noctur-
niſque itineribus aduolant.ſequebantur equites duo millia quingenti,pedites,ad quatu-
or millia.Trinis caſtris ad vallem peruenitur,locis paulo ſuperioribus circūuentam.mili-
tes itinere feſſos docent duces,Alhamam non amplius duobus millibus paſſuum abeſſe.
decere eos libenti animo pati reliquum laborem,dū Mauros vindicent, perpetuos Chri-
ſtiani nominis hoſtes:præterea prædam oſtentant.Ex omni copia trecenti delecti præce-
dunt nocte intempeſta: omnia quieta eſſe in arce conſiderant. Admotis ſcalis in muros
conſcendunt. primus Ioannes Ortega: deinde Ioannes Toletanus ciuis, & Marti-
nus Galindus præcipua milites audacia. vigiles ſomno ſepultos perimunt, aliiſque
trucidatis, porta, quæ ad campos pertinet, patefacta, reliquæ copię admittuntur.
Oppidani improuiſo metu perculſi corripiunt arma: aditum obſident arcis. Lucen-
te die, Sanctius Abula & Martinus Rogius arcium pręfecti Carmonę Arcobrigæque
ſigno dato, in oppidum irrumpere ex arce primi conati infelicis audaciæ pœnas dant
in ipſo aditu ſtrati hoſtium telis. Res moram non recipiebat, quoniam id op-
pidum Granata abeſt triginta modo paſſuum millibus. Quantum ergo auctoritatis au-
dacia partum erat, tantum periculi ſuberat,niſi continuo oppidum in poteſtatem veniſ-
ſet. par vtrinque difficultas. Quidam euertendam arcem incendendamque diſputa-
bant: atque in pacata concedendum. Audaciores in temeritate ſpem habere, pericu-
lum, vulnera, cædes victoriæ & prædæ auiditate penſare ſoliti. ſupremum conatum
adhibere viſum eſt:oppidumque vno tempore variis partibus impugnare. Per muri rui-
nas quidam ſcandunt: dumque oppidanorum vim in ſe vertunt, data facultas noſtris
eſt, ex arce in oppidum penetrandi. pugnatur acriter in plateis. Noſtri virtute vin-
cebant, numero oppidani, ſed imbelles ferme, commercio dediti atque balneis,
quæ in eo oppido ſunt nobiliſſima emolliti, fractique viribus. præcipites tamen
deſperatio agit, acre in periculo telum. Pugna ad noctem tenuit. hoſtium obſti-
natio,noſtrorum conſtantia victa eſt.qui ad templum confugerant magno numero, pars
trucidati,alii in ſeruitutem capti ſunt.Sic amiſſę Zaharæ leuata ignominia,maiorique il-
lato,quam acceperant damno,vindicata iniuria eſt. Cruenti belli & diuturni hæc initia
prima fuerunt. Extat de ea victoria carmen vulgari lingua ea tempeſtate laudabile, ne-
que nunc inconditum, & agreſte ſi referatur. Alhama in poteſtatem redacta eſt pridie
kal.Martias.Magnus terror barbaris,magna noſtris cura incuſſa eſt. terrebat Mauros au-
dacia:finemque imperio Maurico ne appropinquaret verebantur.oſtenta de cœlo ange-
bāt,ſenexq; fatidicus Zahara capta clamaſſe fertur.Huius oppidi rudera, vtinā falſus va-
tes ſim, in noſtra capita incident. Imperii finem in Hiſpania veniſſe, præſagit ani-
mus,

mus. Eò maiori diligentia delectus vniuersa prouincia habentur. Rex ipse Albohacenus raptim Alhamam progreditur, tria millia equitum, pedites ad quinquaginta millia trahens. Terrebat nostros is apparatus: sed eò progressum erat, vnde sine pernicie & dedecore nisi victores redire non possent. Ea cura nuncios in omnes partes dimittunt, auxilia postulatum. Ipsi non nocte, non die ab oppido muniendo cessant: atque eas muri partes reficiunt, quæ hostibus opportunæ maximè erant. Præ festinatione hostes neq; tormenta adduxerant, neque machinas oppido expugnando. Id saluti fuit, inani hostium impetu, nostris egregiè pro muro defendentibus, saxaq; & alia, quæ ad manum erant, in subeuntes prouoluentibus. Ad vicinum fluuium maior pugna fuit: vnde quoniam oppidani aquabantur, nullis intra mœnia fontibus, ne cisternis quidem, Mauri alio auertere contendebant: multisque quamuis à nostris vulneratis, perfecere tamen. Bætici ad periculi famam excitantur. Corduba missi mille equites, pedites triplicato numero ductore Alfonso Aquilario, insessis ab hoste montibus retro redierunt. In Duce Assidoniæ Henrico Gusmanio, reliqua spes erat: tenuis tamen quoniam infensum ex priuatis contentionib. Gaditano, noua iniuria exacerbarant, eo inscio tantum facinus aggressi. Patriæ caritas generosum animum flexit. ante diffidere solitos, communis nunc periculi societas iũxit. Sublato Hispalẽsi vexillo, adiunctisq; aliis proceribus, Roderico Gironio Calatrauæ Magistro, Diegho Paciecho Villenæ Marchione opitulatum obsessis ire constituit. quinque millia equitum erant, pedites ad quadraginta millia. ex omnibus partib. voluntarii magno numero confluxerant, tanta erat cupiditas pro religione pugnandi. Ferdinandus Rex, quo die Alhamam fuisse captam, & de nostrorum periculo nunciatum est, Medina Campestri profectus Reginaq; sequi iussa, magnis itineribus festinat. Dat literas proceribus, ne se absente in hostium fines irrumpant, maiori conatu & viribus opus esse. Regiæ voluntati obtemperare integrum nõ erat. longius prouecti erant: maius in mora periculum obsessis, siti vehementer laborantibus. Consilium salutare fuit. nostrorum aduentum barbari non expectarunt. ne tentata quidem pugna ab obsidione discessum. Venientib. obsessi obuiam progrediuntur. arma posita. salutatio facta. dextræ iunctæ. in complexum itum. manantibus præ gaudio lacrymis, prior Gaditanus Assidoniæ Ducem complectitur. præsidium, columen appellat. Detersis simultatibus, quæ multis annis viguerant inter vtranq; familiam, ad totius belli summam, haud dubium prosperi euentus omen accipitur. Eam lætitiam parum abfuit, quin contentio inter milites exorta conturbarit. petebant auxiliarii spoliorum participes esse: fructum victoriæ non minus ad ipsos pertinere: qui tantum periculi tuendo oppido suscepissent. A verbis ventum esset ad manus, ni Assidoniæ Dux periculo cognito, suorum animos compescuisset. Sibi, inquit, spolia milites, quibus fortuna dedit, habeant: nos pro gloria, pro communi salute certauimus. Is fructus in præsenti esto: in posterum quoniam bellum ducetur, vniuersi imperii Maurici, opes vestræ virtuti profiteor paratas esse. Sic rixa pacata, oppidoque nouo militari præsidio munito, in pacata reliquæ copiæ concesserunt. Non defuit occasioni barbarus. repetita continuo obsidio maiori impetu est: variæ etiam manus prædatum in vicinos Bœticæ agros irruperunt. Erat superior Alhamæ pars loco munita, arduo ascensu, saxisque extantib. impedita. Eo minor custodia erat. nocte quadam albente cælo ad duodecimum Kal. Maii Mauri ea parte solitudinem intelligentes, ad summum montis egressi in oppidum transcenderant: cum ad periculum nostri exciti, pro extrema salute enixè dimicantes, barbaros alios trucidant, alios è muro deturbant præcipites. Sic ex magno periculo seruati sunt. Duo ciues Hispalenses Petrus Pineda, & Alfonsus Pontius defensi oppidi, præcipuam eo die laudem tulerunt.

Rex Albohacenus pellitur Granatâ. CAPVT II.

ALhama impugnabatur, simul de belli summa Cordubæ deliberatio erat. Cautioribus deserendam eam vrbem disputantibus, circumfusos hostes, auxilia procul, incertos belli exitus, martemq; communem, Regina virilis animi fœmina defendendam censuit: quid enim arcem desererent, se Regibus de Mauris primò captam? quid eo consilio nisi timoris turpissimi significationem contineri, vnde animus hostibus crescat, minuatur nostris? Ea valuit sententia. Quo maior esset auctoritas nouam expeditionem adornare visum est: Loxaq; obsidere firmã iis locis vrbẽ, nec procul Ahama dissitã. Astigim omnes copiæ conuenire iussæ. quinq; millia equitũ erant, peditũ octo millia, numero tãtis conatib. impares. cũ parte Rex digressis iã barbaris Alhamã nouo præsidio muniuit, eò delatus ad tertiũ Kal. Maii, præfecto Ludouico Portocarrerio Palmæ regulo, prǽstanti ea ætate viro,

mox Granatæ planicie vastata impune se se Cordubam retulit,reliqua quæ ex belli vsu futura erant,comparatum.& erat Regina vicina partui,quo geminam prolem enixa est, ad tertium Kal.Iulii, tempestiue alteram, cui Mariā nomen fuit.fœtus alter immaturus fuit: vnde anceps omen captatum vulgo,variisque sermonibus materia extitit. Mali suspicionem auxit insolitus mœror in vultu consideratus, eorum qui publica supplicatione instituta vexilla sacra precatione lustranda in templum detulerunt. Ab aliis hęc vt fortuita ridebantur. Die postero Astigim Rex petiit multis proceribus stipatus: & fere nullus erat alicuius nominis,quin eo cuperet reipublicæ operam nauare.Multis quamuis contra disputantibus,alioque contendendū affirmantibus,Merli sententia valuit, quoniam ei Rex multū credebat. Loxa petita. castra ad suburbia posita, inter vicina olueta: qua Singilis amnis labitur altis ripis difficili vado.Erat locus angustus,neq; idoneus equitatu explicādo: ponteq; à ciuib.munito difficilis trāsitus in vlteriorē partē.Erat prope cliuus Albohaceni nomine.Eius occupandi,quoniā,ad prohibēdas hostiū eruptiones idoneus erat,imminebatq; vrbi,cura dataCalatrauęMagistro,Villenio,atq;Gaditano.Erāt in vrbe ad tria millia equitū Duce impigro Alatare. Ab his tū aliæ eruptiones factę:tum dieSabbatho nouis auxiliis aucti, maiorum spe facta (nam Rex ipse Maurus Granata eo festinabat) bipartito agmine in nostrorum stationem,eorum qui in cliuo erant,impetum faciunt.Iis in fugam versis, reliqui milites in pugnam progrediuntur, nullo militari ordine, nulloque in castris præsidio. Quo cognito,alterum hostium agmen prope sine certamine castra cepit.Metus ingens,ex eo ac trepidatio pugnātes inuadit. In castra reuersi acriter pugnam instaurant frustra,cum ab vtraque parte hostium telis peterentur. Cecidit in conflictu Calatrauæ Magister,duabus sagittis vulneratus, alterius sub brachio ictu lethali, in flore ætatis, viginti quatuor annos natus. crudelitas fati tanto viro indigna importunaque.periere multi alii,pars effusa fuga seruati. Haud secus quam par erat,ea clade commotus Rex,feroque intelligens,vera fratrem Villæformosæ Ducem monuisse,castra imperite fuisse metata, neque vires idoneas tanto conatui: simul de hostium itinere certior factus proxima luce, vasis conclamatis, sese retro retulit: neque prius constitit,quàm ad Petram amantium ventum est, viginti octo inde millibus passuum. Saluti fuit, quod se intrepide receperunt:& in barbaros, qui postremum agmen carpere non desistebant, à Gaditano cum suorum manu impetus factus:quem illi non tulerunt, reiectiq; in vrbem sunt.Hic fuit exitus huius expeditionis. Nec deerant sermones, qui Ferdinando insidias à suis paratas euulgarēt, eaque necessitate discessisse. Ipse literis in omnes partes datis militum paucitatem excusauit:& plerique signa deseruerant, infrequentiaque reliquerant, ex vrbanis delectibus collectitii,suarumque vrbium stipendia facientes: quod necessitas temporum ęrariiq; inopia excusabat,alioqui magnis obnoxium incommodis,vti tunc accidit. Paruæ plerunque offensiones maximas trahunt. Mauri successu feroces Alhamæ obsidionem repetunt,non minori quam ante conatu. Obsessorum periculo commotus Ferdinandus,eo profectus,commeatum intulit in nonum mensem Augusti quartodecimo die:nouumque Præfectum dedit Ludouicum Osorium,quamuis in insulis Giennensem Episcopum destinatum, scientia militari magnoque virum animo. & quo maior esset auctoritas rursus Granatæ planiciem,agrosque incendio & direptionibus vastat.Sexcentos Mauros equites Granata egressos ad resistendum, Cabræ Comes, atque Calatrauę Promagister magna strage in vrbem reiiciunt. Rebus asperis in ea gente extremum malorum discordia accesserat. plerique ciues Granatenses correptis armis, Albohacenum vrbe expulerunt.Remp. impotenter habere accusabant, temerarioque conatu tantum bellum in ditionem attraxisse. In eius locum filius Mahomad Boabdiles cognomento Paruulus suffectus est, (Hali Muleius Alcadurbilis à quibusdam vocatur.) in Albohaceni fide Malaca, Basta,aliæque vrbes perstitere.sic diuisa in factiones gēs est: neque minus intestinis dissidiis,quam externis hostibus laborabant,conditio misera atque perturbata,qualem fuisse fides sit,duobus in exigua prouincia Regibus.Mirum videatur tamen in tanta quamuis discordia,à neutra parte nostros in auxilium fuisse vocatos: quin in ipso ardore belli ciuilis constat,tum alias irruptiones tentatas,tū Cagnetum oppidum ad confines vtriusq; gentis,de nostris captum fuisse. Insignem animorum fiduciā, audaciāque.

Nostrorum ad Malacæ montes strages. CAPVT III.

REges à Bello Maurico tantisper aliæ regni curæ euocabant in Carpetanos. Ergo Petro Manrico,quem nuper ex Treuigni Comite, Anagari Ducem crearant, Astigi, & Alfonso CardenaDiui Iacobi Magistro Giennii bellum curare, & limiti præesse iussis,at-

que

q́ue Ioanne Sylua Cifontano Comite in Merli defuncti locum Hispali Præfecto dato, Madritum ipsi hyeme appetente perueniunt. In eo municipio vrbium societates, quas ante aliquot annos institutas esse diximus, nouis astrictæ sunt legibus. ne concessa potestate abuterentur, prouidendum erat scilicet. subsidium etiam in belli Maurici vsus concesserunt, sedecim iumentorum millia ad comportandum commeatum. A Sixto Pontifice impetratum, vt centum aureorum millia sacerdotiis imperaret. data etiam peccatorum venia Cruciatæ nomine iis, qui aut voluntarii arma sumerent, aut certam stipem in ærarium conferrent. Quod tertio anno repetitum, neque intermissum consequẽti tempore, ab hoc initio magnam pecuniæ vim iam omnibus annis in regium ærarium infert. Eę viæ pecuniæ redigendæ nuper inuentæ, ab iis qui talia acriter speculando gratiã Principum aucupari solent, magis incommodæ, quam molestæ. vti tempus, & maior rerum vsus aperuit. A mensariis & subditis aliis, grandis præterea pecunia mutua sumpta est. Aragoniis Raymundum Folchium Cardonæ Comitem, rectorem destinatum accipere detrectantibus, legesque patrias excusantibus, quæ externum hominem rebus pręfici vetarent, filium Alfonsum Aragonium Cæsarauguſtæ præsulem rectorem dedit. De Lusitanis & Vasconibus maior cura suberat, ne resp. incommodo tempore, iis partibus, nouis motib. agitaretur. Lusitanus Ioãnam Henrici Castellæ Regis filiam cõnubio iungere Regi Vasconum cogitabat: Vascones ad Gallos propensi erant. Lusitani placandi cura Lupo Datouguiæ homini Lusitano, & Ioanni Orteghę Cauriensi Episcopo data est. ad Vascones Rodericus Maldonatus legatur vt Catharinam nouam Reginam fratre interim defuncto, in coniugium expetat Ioanni Ferdinandi filio, iussus prehensare, & sollicitare quoscunque idoneos inueniret, præsertim è factione Beamontensium: in quorum potestate Pompelo vrbs erat, & multo maxima regni pars. penes Principes nomen magis imperii, quam auctoritas imperandi. Abenæ quidem regulus pro Rege rebus præfectus erat homo Gallus præstanti prudẽtia, magnoque rerum vsu. Magdalena Reginæ mater, audita Castellæ legatione, siue vera siue simulata lætitia negat honestiorem vllam conditionem offerri posse: se moram coniugio non facturam. In Calæcis tumultus erant inter duas familias Magistrum equitum, & Beneuentanum. vtraque factio Episcoporum arces inuadebat, vnde in aduersarios grassarentur. Eas Rex Ferdinando Acunio prouincię præfecto præoccupare mandat. Petrus Osorius Lemosii Comes, dũ fratris Episcopi Lucensis patrocinium suscipit, ad eam vrbem obsessa ab eo arce pene iustũ bellũ exarsit. Ea necessitate Ferdinandus Madrito profectus ad tertiũ Idus Februarias, eius seculi anno octogesimo tertio. In ipso itinere nũciatur, Lemosii Comitem decessisse, ex filio Alfonso, 1483 Roderico nepote superstite: quem quamuis furto genitum, venia Pontificum hęredem scripserat, viuensque in principatus possessionem miserat. Ex ea re nouæ contentiones exarserunt, Ioanna defuncti Comitis filia quę nupta erat Ludouico Beneuentani filio, eum principatum ad se reuocante. ventum ad manus erat, eos Rex pacate constituit iussos abstinere ab armis, iureque potius & causa quam vi disceptare, in defuncti nepotem propensior. His rebus in Calęcia districto Rege, grauis clades ac qua nulla maior eo bello, a Mauris ad Malacam inflicta est. Petrus Henricus Bęticæ Antelatus Cagnetum suę ditionis oppidum receptum adiutore Gaditano, reficiendum curauit. Alia parte Alfonsus Aquilarius, & Diui Iacobi Magister, contracta suorum manu, quoniam prima successerant, elati in hostium fines incurrere constituunt. simili studio Ioannes Sylua Comes Cifontanus Hispali præfectus, cũ eius vrbis equitib. Zaharã Mauris eripere cogitabat. Frustra iis conatus fuit. sed communicato tamen Duces consilio, triplici agmine in Malacæ agros pergunt penetrare, bombycis artificio nobiles, eoque diuites præda præ aliis: cuius maior, quam religionis aut æquitatis cura erat. Studio par exitus. mõtes prope Malacam sunt dumetis & rupibus horridi. Ea parte nostri inuecti agros populantur: pecora abigunt: villas vicosque incendunt: nulli omnium rerum parcitur. nonnulli etiam è nostris equitibus iuuenta feroces ad ipsa Malacæ mœnia procedunt. Dementia non temeritas erat: qua Malacæ ciues irati, simul montani homines, quos locorum asperitas durauerat, dolor accenderat, se omnibus partibus effundunt. Duę in pacata ferebant vię: altera præter oram maris planior, sed longior, arceque Malacitana, & æstuariis impedita: altera qua venerant, breuior, sed saltibus, perpetuisque montibus aspera. Ac præsertim duo montes sunt, perpetuis circa se iugis clausi. iacet in medio profundã vallem mediam secans amnis. In eam vallem dimissos nostros, satis iam pauentes, prædaque graues vrgentibus à tergo Mauris, terribilior à fronte clamor exterruit. Erant duorum dierum itinere & inedia fatigati: neque procedere, neque regredi poterant. A Mauris plerique vulnerati, interemptique certo ictu, destinata ferire assuetis. Noctis tenebræ au-

gebant terrorem, perpetuo hostium clamore. Cum Magister. Quousq; quasi mutæ pecudes trucidabimur milites? Ferro animoq; aperienda via est. Prouidendum certè ne inulti moriamur. Simul cliuum ascendere cœpit. Ventum ad iuga. pugnatur acriter. pleriq; cadunt: plures è nostris iiq; nobilissimi genere, factisq;. Gaditanus duces itineris nactus, per occultos tramites, alia parte euasit. Cifontani agmen, quod postremum erat, maiorẽ cladem accepit. Ipse & Petrus frater capti sunt, Granatamq; deducti. Stupor omnium animos, ac velut torpor quidam insolitus membra occuparat. Ex bis mille septingentis equitibus, octingenti ceciderunt: in his Gaditani tres fratres, Iacobus, Lupus, Bertrandus, propinqui alii. Captiuorum numerus duplicatus ferme fuit: quadringenti è præcipua Hispaniæ nobilitate. Pauci cum magistro per tesqua & inuia Syngiliam fuga tenuerũt. alii quò quemq; spes ducebat, aut pauor, diuersi dissipantur. Ad duodecimum kal. Aprilis grauis ea clades accepta, diem D. Benedicti memoria celebrem & faustum, in atrum Hispaniæ vertit. Ductor Maurorum Abohardilles Albohaceni frater Malacæ Præfectus, magnam eo die opinionem virtutis apud gentem peperit.

Mahomad Boabdiles à nostris capitur. CAPVT IIII.

EX magno mœrore & luctu breui piorum animi recreati sunt. maiori quàm acceperãt reddita clade, frænata barbarorum audacia. Pertinaci inter se contentione duo Reges Mauri pugnabant, Albohacenus Boabdilesq;, aduersus gentem nostram consensu, odioq; implacabili, in eo spem aduersæ factionis superandæ habentes, si nostris insectandis vlciscendisq; laudem ad populum & fauorem conciliassent. Paterna victoria Boabdilem excitabat, vt vltro bello lacesseret. Ergo collecta numerosa manu equitum, peditumque, tum ex suis, tũ ex aduersaria factione in Astigitanos agros incurrere statuit, spe Lucenam expugnandi amplum magis & lautum municipium, quàm validum. Consilii auctor Alatar socer, quem ex infimo genere, cum scruta aromataq; iunior vendidisset, (id certè nomen significat) bellica virtus per omnes militiæ gradus ad eum honorẽ euexerat, paresq; diuitias. & erat nostris finibus assuetus, identidem Lucenæ agros vexare solitus. Dieghus Corduba regiæ aulicorum cohorti præfectus, cum aliis oppidis, Lucenam ditione obtinebat. Is Maurorum consilio cognito, patruo suo Cabræ Comiti periculum denunciat: post superiorem cladem raros ea parte equites superesse: incolarum animos metu debilitatos: Lucenæ mœnia haud satis firma esse ad barbarorum impetum sustentandum. Ad vndecimum Kalend. Maii Maurorum copiæ accedunt. Dieghus incolis in superiorem oppidi partem traductis, inferiora, in quę futurum impetum prouidebat, subitario opere, & militum præsidio munit: quos ex vicinis locis ducentos amplius equites, octingentos pedites contraxerat. Iis egregiè defendentibus, repulsi hostes sunt nonnullis occisis, pluribus vulneratis. in olíueta versa est rabies. prærerea Ametus Abensarraxius cum trecentis equitibus ad euastandos agros Montiliæ dimissus est. Erat illi vsus cum Diegho Corduba Præfecto, & contracta superioribus annis familiaritas: quibus Abensarraxii Granata pulsi, diu Cordubæ fuerant. Ergo perfecto opere, Lucenam reuersus Præfectũ ad colloquium inuitat, specie amicitiæ fallax insidiasque tendens. Fraus fraude delusa. spe deditionis tempus extrahitur, dum Cabræ Comes accederet: quem vt appropinquare barbarus cognouit, motis castris, retro redire cœpit, præda lætos milites reducturus in patriam. Cognito nostri consilio ex oppido egrediuntur, postremos inuadunt, moranturque iter. Interea Cabræ Comes adueniens turbatos hostes metu, impeditoq; incedẽtes agmine inuadere statuit. Vix hęc posteritas credat. Mauri decuplo maiori numero, nostrorum primum conspectum non tulerunt. Deus illis mentem eripuit: famaq;, vt fit, maiora vero de nostrorum numero prædicauerat. Torres sex passuum millibus abest ipsa militari via, qua Loxam itur, amœnis ripis multa fraxino, salice, myrica, & tunc vernis imbrib. auctus. Eo Mauri pedites transmisso, sese effusa fuga in pedes dant, prædam modo præ se agentes, nulla honesti cura. Equites simili metu perculsos, Rex barbarus retinet tamen. Quò ruitis milites inquiens? quis furor mentes inuasit? An obliti estis hos esse, qui nuper à minori numero nostrorum victi sunt? Erit igitur in hoc certamine is vobis illisq; animus, qui victoribus & victis esse solet. Parcite vobis, parcite famę. an torpentibus manibus, pedes saluti fore speratis? Parum ea oratione proficitur. Cum nostri pleno gradu inueherentur, & quadraginta equites paucis peditibus adiunctis à latere aggrederentur, ductore Alfonso Aquilario, qui Syngilia ad periculi famam aduolarat, maiorem numerum suspicati, diuinitusque incusso timore (sic interpretari iuuat) sese in fugam dant. Rex equo candido desiliens, quo insigni eo die vtebatur, vicini torrentis inter arbores & dumos se occultare

cultare parat. Iis locis à tribus pedibus, ipsomet metu mortis indicante cognitum, captumque, Præfectus regiæ cohortis, qui fugientium vestigia sequebatur, Lucenam mittit. fugientium magna strages vsque ad noctem facta est. Mille amplius equites ceciderunt. cum his Alatar ipse nonagenarius. Pedites ad quatuor millia, pars capti, pars cæsi sunt. pręda ablata. Rei bene gestę fama nunciusque Reges qui Madriti erant, excitauit vt partita rerum cura, Isabella quidem ad fines Vasconum contenderet, filii coniugio maturando, cuius prima cura erat, Gallis prohibendis Hispaniæ aditu, possessione Vasconum, Ferdinandus autem in Bæticam iuit res bellicas curaturus. Ad quartum kal. Maii discessum Madrito est. Cordubę de ratione belli deliberatur, maiori quam vnquam apparatu, impetuq;. & fuerat Albohacenus Granatæ acceptus: vniusque imperio deuincti barbari tenebantur. Capite tamen ablato manebat plerisque ciuibus conscientia prioris studii: nec deerant sermones senium, crudelitatem, auaritiamq; Albohaceni increpantium. Ingenti delectu sex mille equites, pedites ad quadraginta millia contracti. cum iis copiis bellum instauratur. ductor Ferdinandus ipse Illoræ suburbia vastat. Tagiara vicinum Granatæ oppidum vi expugnatum, euersumque est. In ea expugnatione Henricus Regis auunculus regiæque Magister accepto vulnere Alhamam curandus mittitur. In Granatæ planiciem mox ferrum ignesque circumferunt, castris loco munito positis: vnde vastatores cum iusto presidio in vicinos agros dimittebantur: eo minori periculo suo, maiori hostium damno, quod Albohacenus ciuium voluntate diffisus vrbe egredi non est ausus. Pauci modo milites sese per agros ostentare: vagos palantesque carpere, aut de suo loco pugnaturi. Missi tantum Granata legati: qui si Boabdiles Albohaceno patri traderetur, Comitem Cifontanum & nouem alios è precipuis captiuis æqua permutatione pollicerentur. addebat alias insolentes fœderis conditiones, ferox animo barbarus, & parta nuper victoria superbus: quas Ferdinãdus reiecit, venisse se dictitans, vt leges daret, non acciperet. Arma tenenti nullam pacis conditionem fore. Et erant nostrorum animi ad Boabdilem propensi. Fauor & misericordia acres impetus habent. Itaque Regi suadere non desistebat cum aliis Gaditanus, vt eum libertati redderet: factionesque potius inter eam gentem aleret, nostris conatibus inprimis opportunas. Motis castris, Alhamaque munita, Præfectus Enecus Mendoza Tentilliæ Comes iussus est, non modo tueri vrbem sed de hostibus prædas agere. Vbi Cordubam ventum est, Boabdiles Regis iussu Porcunę arce, quę veteribus Obulcũ fuit, adductus, in genua procumbens dextramque Ferdinandi deosculari contendens, amplexu & amicis verbis acceptus est. Erga Regem quamuis barbarum, & captiuum hospitii iura sacraque minuenda non videbantur. Fœderis conditiones hę fuerunt: Boabdiles filium natu maiorem obsidem dato, adiunctis duodecim aliis principum filiis, in fide & obsequio Castellæ futurum, patris sacris modo retentis. Duodecim aureorum millia quotannis pendito. Ad regni conuentus venito. Captiuos quadringentos reddito libertati, quinq; annorum spatio. Sic barbarus in patriam dimissus est. Ferdinandus nouis præsidiis limiti impositis, ac Ludouico Portocarrerio in D. Iacobi Magistri locum Astigitanis prefecto, Corduba discessit Reginam inuisurus. Cũ mille quingenti equites Mauri, pedites quatuor millia ductore Bexiro Malacitano Prefecto, in Vtrerę agros inuecti Portocarrerii & Gaditani accursu repulsi sunt: victiq; ad Lethem fluuium magna Maurorum strage, Gaditano data vestis, qua Reges vterentur sexto Idus Septembris, Virginis matris natali die, virtutis pręmium. lege in perpetuum lata. qui intra eundem mensem non vicisset modo exultantes Mauros, sed etiam Zaharam recepisset, vi improuisa expugnatam. Victorię Ferdinandus & Isabella erant, minori iam spe coniugii perficiendi: quod Magdalena mater à Rege Gallo persuasa, cœperat imparem Catharinę filiæ, Ioannisque ætatem excusare: hunc puerum, filiam viro maturam. similia coniugia infeliciter cadere. Ad eam vrbem Cabrę Comes, & Prefectus regiæ cohorti, Ferdinandi & Isabellæ iussu splendido apparatu excepti sunt cunctis proceribus & Episcopis obuiam progressis, deducente Toletano Cardinali Petro Mendoza. Is honos virtuti est habitus. meroes centena ęris minuti millia annua dum viueret, è regio fisco Comiti Cabrę data. Ad vetera gentis insignia, caput Regis coronatum adiectum est, circum oram clypei nouem vexilla de Mauris eo die capta, rei gestę monimentum, posteris omnibus incitamentum, ad audendum conandumque pro patria & religione pręclare. Hibernis aquis, Alhamæ muri pars magna repente corruit: militibusque de vrbe deserenda consultantibus, Enecus Tendilliæ Comes expedito consilio linteum prętendit ruinæ, imaginem muri, ita pictoris arguta manu mentiente, vt prius prostrati muri pars fuerit refecta, quam hostis periculum cognouerit, casumq;.

Res Vaſconum. CAP. V.

VAſcones quieti non erant,diſcordes olim factionibus,&nunc cõtemptu regentium minus coercitis odiis. nunquam fida inter eos pax iungi potuit. ſępe arma poſita ſunt, ſępe repetita. Ita vexatis rebus, vix vt ſe poſſent diuturna pace recreare,nouum aliunde bellum acceſſit. Ioannes Vicecomes Narbonenſis Catharinæ Reginæ patruus, rerum arbitrium ad ſe reuocabat:fœminæ imperium illegitimum accuſans,legibusq; vetantibus conſtitutum.præterea poſt mortem Gaſtonis fratris ſe Eleonoram matrem propius quam ex defuncto nepotes attingere.ſexus ętaſque Principis deſpectui erat.alioqui quo id iure vſurpare potuit:cum ſępe meminiſſent rerum ſummam in ea gente ad fœminas recidiſſe?patruis nepotes ex maiori filio pręferri,iuri & æquitati ſit conſonum ? Sed nimirum ſunt opportuni magnis conatibus tranſitus rerum:regnandi inexhauſta auiditas,nulla ęquitate mouetur.Sumptis armis in Fuxenſi ditione oppida & arces eius ſacramentum acceperunt, pars vi,alii voluntate parati imperata facere: paſſimq; eius conatibus fauebatur memoria ſuperiorum Principum,externi imperii metu inuidiaque. Iis pacandis motibus maiori præſidio opus erat: virum ac gubernatorem reſp. deſiderabat. Reginæ coniugium maturari placuit.Magdalena Principis matre ad Gallos propenſa, nouę difficultates exortæ ſunt. Vaſcones veteri gentis inſtituto diſputabant, ordinum conſenſu,de Regum ſuorum coniugio deliberari ſtatuiq; conſueuiſſe. matrimonia ipſis inſciis aut nolentibus inita,infauſta extitiſſe. Tudelæ ciues in fide Ferdinandi fore,ſi ſecus eſſet factum,profeſſi ſunt. Turiaſone is Aragonios conuentus agitabat, principio an-
1484. ni M.quadrin.octoge.quarti nulla re alia memorabiles, niſi quod Catalauni venire initio excuſarunt,maiorum inſtituto negantes, licere eos extra prouinciam vocare. Interea Catharina Regina Vaſconum Ioannni Labreto Alani filio nobiliſſimo, amplaq; ditione in Gallia Petragorios, Lemouices,Druides alioſque populos obtinenti iuncta eſt.Noui ex ea re motus animorum in Vaſconibus concitati. Alienam calamitatem, Ferdinandus ad occaſionem vertens,imperii proferendi repulſæque dolorem vindicandi,commutato ſuperiori conſilio, ipſe quidem iis locis ſubſtitit: Iſabellam coniugem in Bæticã amandauit ad bellum Mauricum comparandum:vnde nunciatum erat Albohaceni potentiã creſcere,vniuerſa ferme gente ſub eius imperium reuocata: filii maieſtate paucos teneri, ac vix Almerię mœnibus regiam appellationem tueri. Gens quaſi impium auerſabatur, & ad noſtra ſacra propenſum. concionatores per omnes partes à patre dimiſſi diris exe-crationibus eius caput defigere:ac furiali carmine deuouere non deſiſtebãt.Noſtri Cordubenſes Hiſpalenſesq; ſupra decem hominum millia,facta manu de menſe Aprili Malacę agros, vbi maturę ſegetes erant, depopulati ſunt, belli terrorem circumferentes, acceptamque ſuperiori anno iniuriam ipſis locis maiori damno vlciſcentes : ſperantesq; malis domitos Mauros, tandem in ditionem venturos:nullum ex Africa ſubſidiũ certe exiguũ,ea gẽte ſuis bellis implicata, an mari noſtris claſſibus cõſtrato,ne ſe poſſent commouere.Quæ res Genuenſes prouocauit vt Duce Iordieto Oria pirata, Catalauniæ Valentiæq; litora nudata præſidio,igne,ferro,direptionibuſque vexarent olim Aragonię glorię æmuli: & nunc recenti diſcordia,ad prohibendos eos conatus fluxa reip. auctoritate.Petrus Fregoſius gentis Dux à Paulo Fregoſio Genuenſi Præſule, & Cardinali vrbe & principatu pulſus erat,nullo propinquitatis reſpectu.Mediolanẽſes aduocare,ad vrbis imperiũ accuſabat:quos impotenter dominari erant experti,deguſtata libertate, nullius q̃uis leue imperiũ laturi.Ea neceſſitate noſtra litora tuendi, publico gẽtis ſtipendio noua claſſis inſtructa Valentię,Duce Matthęo Scriba ad piratarum excurſiones prohibendas. Sed & res eccleſiaſticę ſuo morbo laborabant: quę Ferdinandi pręſentia ſanandę erant. defuncto Dezpuchio Monteſiæ Magiſtro,quem ea ætas virum ſtrenuum & prudentem in paucis experta eſt,comitiis militaribus Philippus Boilus in eius locũ ſuffectus erat.Excuſabat Ferdinãdus,datum ſibi à Pontifice,ne nouus Magiſter,niſi eius voluntate crearetur. Regię voluntates vehementes ſunt.Boilo abdicato Philippus Aragonius Carolo Ferdinandi fratre Vianæ Principe natus,Panormitanũ epiſcopatũ,cui deſtinatus erat,Monteſiæ magiſterio mutauit.Pręterea Sixtus Pont.Max.in defuncti Eneci Manrici locũ,Rodericũ Burgiã Cardinalẽ Hiſpali Pontificẽ dederat.Verũ Ferdinãdo Rege multũ aduerſante atq; Petro Ludouico Gãdiæ Duce Roderici filio in vincula duci iuſſo, effectũ tãdẽ eſt, vt inducto priori decreto,Dieghus Mẽdoza Tendiliæ Comitis frater Palẽtinus tũ Epiſcopus,in defuncti locũ ſubſtitueretur Põtif.Hiſpalẽſis.gratiæ id &meritis patrui Cardinalis Hiſpaniæ datum.Alfonſus Burgẽſis Concha Palentiã migrauit.Cõcham, Abula Alfonſus Fõſeca.In huius locũ Fernãdus Talauera Abulẽſis Epiſcop⁹ creatur Prati Prior.Sic in Hiſpania nominãdi Põtifices poteſtas Regib. q̃rebatur,fundabaturq;.Sed res Eccleſię non

non minus in Italia turbatę, vt Principibus multa condonaretur, effecerunt. & erat bellum inter Venetos, & Neapolitanos, haud magna cauſa excitatum: quod reliquos Italię Principes traxit in partes: dum hi Herculem Ferrarienſem Ducē, qui Ferdinandi Neapolitani Regis filiam vxorem habebat, ab iniuria tuentur: impugnant Veneti. In eius belli ardore Sixtus R. Pont. obiit pridie Idus Auguſti. Succeſſit Ioannes Baptiſta Cybo Cardinalis, patria Genuenſis, Innocentii octaui nomine. Quo tempore Enęcus etiam Daualus extinctus eſt patre Roderico Daualo Magiſtro equitum, gratia ſuorum Principum magniſq; opibus & virtute militari in paucis ea ętate clarus. numeroſa prole felix, ex Antonela Bernardi Aquinatis Piſcariæ Marchionis filia, Alfonſum Piſcariæ Marchionem, Martinum, Rodericum, atq; Enecum reliquit Vaſti Marchionem, prӕterea Emundum, atq; Conſtantiam filiam. Ab his multorum Principum in Italia genus ducitur. Ex Alfonſo Ferdinandus eſt natus Piſcariæ Marchio: is qui parentum ætate rerum geſtarum gloria Italiam atque adeo vniuerſum orbem impleuit, magnus copiarum Dux, ac veteribus comparandus. Ex Eneco Alfonſus Vaſti Marchio haud minori fama virtuteq;: qui patrueli ſine prole defuncto, eius principatum cū ſuo coniunctum poſteris reliquit. Piſcariæ Vaſtiq; appellatione alternante, haud incōmodo tēperamēto, cuius pater Piſcarię Marchio dictus eſt, filius Vaſti Marchio vocatur: & ordine cōmutato more perpetuo.

Abohardilles nouus Granatæ Rex. CAPVT VI.

INterea Bætici milites ducesque & ſua ſponte, & Reginę hortatu in vnam belli Maurici curam incumbere, quoniam priora ex ſententia ſine offenſione ferme proceſſiſſent, reliqua proſpera futura augurantes. hoſtium cōſilia, conatus, itinera explorare: nihil neque apud ſe remiſſum, neq; apud illos tutum pati: non dies non noctes ceſſare, neq; per hyemem, neq; æſtatē: identidem incurſionibus fatigare, locis omnibus inſtare. De noua expeditione deliberatio Cordubæ erat, in quam maxime partem impetus eſſet futurus: ac Magiſtro D. Iacobi contra diſputante, in Gaditani ſententiam paſſim ibatur, Alloram petendam videri. Eſt id oppidum medio propemodum itinere, quo Syngilia Malacam itur, ignobili fluuio præterfluente, (veteribus quidam Saducam fuiſſe putant) firmum magis natura loci, nimirum magna ex parte impoſitum rupibus, quam mœnibus, aliave munitione. Contractis copiis Rex Ferdinandus pridie kalen. Iunii Turiaſone profectus continuato itinere ſuperuenit, belli particeps ductorque magno ad victoriam momento. ſuorum is conſilio approbato tectoque, quo barbari animus ancipiti periculo in varias partes traheretur, Alhamam nouo præſidio muniendi ſpeciem præbet. vbi Syngiliam ventum eſt, feſtinato itinere improuiſus cum omnibus copiis Alloræ aduenit. oppidanis metus ingens luctuſq;, portæ mœniaque obſeſſa. excuſſę tormentis ferreæ pilæ ſtrauere muros: Maurorumq; animos earum rerum inſolitos fregere. Deditionem faciunt pacti incolumitatem, libertatemq; diſcedēdi, efferendiq; res ſuas. Captum oppidum ad vndecimum kalen. Iulii eo maiori lętitia, commodoque, quod nulli ex noſtris ceciderunt: barbarique diu ſuſtentare potuiſſent, iugi aqua fluuio inter rupes præterfluente inediæ aſſueti. Cibus potuſque illi genti aduerſus famem atq; ſitim, non libidini neque luxuriæ ſunt. Sed noſtri eas difficultates cœleſti magis ope, quam humano conſilio ſuperarunt. Dum vicina tamen oppida tentantur, noſtrique ſtudio elati ad Caſarabolam tumultuaria pugna cum hoſtium manu dimicant, Guterrius Sotomaior Bellalcaſſaris Comes flore iuuentę, & regia affinitate ſuperbus, incautiuſque in acie verſans ſagittæ medicatæ ictu, confoſſus eſt. Eo nihilominus incommodo trecentis Calatrauæ militibus, præſidio Alhamæ impoſitis, nam Garſias Padillia ſe Alhamam defenſurum receperat, ea lege eius militię Magiſter factus in Gironii locum, cum reliquis copiis in Granatę conſpectum penetratur. Caſtra loco munito poſita ſunt, in quibus ſex millia equitum, pedites, ad decem millia vix erant. Intra vrbem ſeptuaginta millia militum numerabant. Sic vulgo iactatū. vt & multitudinē augeat fama, magnum tamen fuiſſe numerū ex mēdacio quis neget? ſic Rex Ferdinandus vaſtato circum agro, lateque terrore facto intra diem quinquageſimum, lætum victoria militem, ſpoliiſque Mauricis ſuperbum in patriam reduxit. Allorę Ludouicus Portocarrerius præfectus eſt; claſſibus Aluarus Mendoza Caſtri Comes magno viri animo, prudentiaque. & id prouidebant, nē quid ex Africa moueretur, haud ignari plerunque paruis offenſionibus corrumpi ſpes maximas conſueuiſſe. Aeſtate tranſacta bellum pari alacritate repetitum eſt. Septinilium arx locis munitis poſita, vicinaque Malacæ impugnantur. Eadem fortuna fuit. tormentorum fragore territi propugnatores arcē dediderunt: diſcedēdi quo vellēt facta poteſtate, additaq;

pecunia pro frumento,commeatuque,quantam delecti arbitri iudicarunt. Noſtrorum impetus Arũdam verſus eſt. Ea vrbs montanis inacceſſa locis modica quidem ſed valida: flumen circumductum mœnium maiorem partem cingit,cætera rupes horridę. Eius vrbis ciues à cultu prouincię, & humanitate alieni, feroces maxime habebantur,aduerſus hoſtes viris etiam,armisque muniti finitimis oppidis,quæ multa ſunt pari locorum aſperitate prę́ſidia inde petebantur. Eo vrbis potiũdæ maxima cupido noſtros inuaſerat,prouidentes eo propugnaculo ſublato,reliqua facilia fore Malacam vſque. Ergo ſitu luſtrato,vaſtata olìueta,hortique præcipua nobilitate ſunt. Pecuniæ in ſtipendium inopia,ne diutius iis locis morarentur compulit,malum magnis ſæpe conatibus aduerſum. Copiis in hiberna diſtributis,Rex & Regina Hiſpalim ad ſextum Nonas Octobris tenuerunt læti victoria,ſpeq; reliqui belli ex ſententia conficiendi. 1485. Media hyeme ipſo Ianuario menſe bellum repetitur ſalutis anno M.quadrin.octogeſi.quinto. Inuictum Regis animum & nunquam ceſſantem. Loxam nocturna vi capere ſpes erat:ſed ab itinere hibernę tempeſtates,& Orteghæ militis conſilium reuocauit, dementiam non temeritatem id videri diſputantis. Confluxere tamen nouæ è Caſtella copię: Petrus Magiſter equitum, Bertrandus Alburquerquius, Petrus Mendoza Caſorlæ Antelatus, Ioannes Stunica Alcantarę Magiſter cum ſua quiſque peculiari manu. D. Iacobi Magiſter,atq; Anagari Dux bellis etiam ſuperioribus interfuerunt. Iis auxiliis aucti noſtri,ad nouem equitum,peditum viginti millia erãt. Cum iis copiis bellum repetere viſum eſt,maiori quã ante impetu. Quo tempore aduerſus Boabdilem Regem Almeriæ ciues arma corripuerunt. vt impium gẽs illa auerſabatur:ignauiaq; eius accuſabant ſuperiora incõmoda fuiſſe accepta. Impetu in regiam facto Boabdilis frater interfectus eſt,mater capta. inteſtini fatalisq; inter patrẽ & filium diſſidii pars maxima. Rex ipſe Barbarus,cum ea vrbe abeſſet, nuncio calamitatis accepto,rebuſque deſperatis cum paucis Cordubam abiit. Arundę ciues numero imminuti erant metu maximo. Id Iuzephus Seriffius indicauit Gaditano Marchioni. ſic belli impetum quamprimum eo conuertere viſum eſt. prius tamen alia oppida tentata,captaque ſunt. Cohinum Alloræ vicinum vi expugnatur,ſoloque ęquatur,ob mœnium amplitudinẽ defenſione difficili. cecidit in ea expugnatione Petrus Alarconius,qui eo bello ſpecimen virtutis dederat ſingulare:multaq; præclare geſſerat. Cartama antiquum retinens nomen vnius modo permutatione literę,nam Cartima olim fuit, vnde vallis etiam ea appellationem habet, Petro Mendozę deditionem fecit. Eius oppidi tuendi cura Diui Iacobi Magiſtro, ipſo expetente eſt demandata. Vniuerſis copiis Malaca petita,vbi Abobardilles Albohaceni frater erat: in quo ſpes & opes gentis Mauricæ ea tempeſtate ſitas inuenio: & magnam virtutis opinionem nactus erat,noſtris ad Axarquiam ſuperatis,oppreſſisque. Inde leui prælio facto,eodem itinere quo venerant, reductis copiis Arunda petita eſt. Quina circum vrbem caſtra poſita. Rex ipſe cum maiori copiarum parte exaduerſum arcis conſtitit. vię circum occupatæ, ne auxilium obſeſſis adueniret: ne cõmeatus: & erat pars ciuium ad euaſtandos vicinos Bæticæ agros profecta. cõmodiſſime rebus noſtris id accidit. Periculi magnitudine,fœminarũ eiulatu,noſtrorum diligentia dies noctesque continuantium, victis barbarorum animis, deditio facta eius vrbis eſt decimo kal.Iunii. Ciuium nobiliſſimis Hiſpali,vt cõuenerat,agri dati:quos Gonſaluo Piconio,& aliis de religione poſtulatis Inquiſitores abſtulerant. Munita ea vrbe, Caſarabonela,Marbellaq; ad mare ſitũ oppidum deditionis verba nuncuparunt. Vniuerſam gentẽ inſolitus terror occuparat. In Regibus ſuis parũ præſidii rebus erat,altero profugo, Albohaceno morbis,oculorum caligine & ſenectute impedito. Noua conſilia captata. Muleus Abohardilles ad imperium gentis Malaca euocatur, magno vir animo conſilioque. Maurorum genus mobile, infidum, neque beneficio neq; metu, ac ne vllis quidem naturæ legibus coercetur. Oblatum imperium barbarus haudquaquam repudiauit. Eo maiori gloria ſpeque Granatam aduenit, quod nonaginta è noſtris equites Alhama prædatũ profectos,vſq; ad Granatæ mõtes,quos Niuoſos vulgus vocat, incautius tẽdentes oppreſſit. Triũphi ſpecie inuectũ Granatã,cupidiſſimis animis Regẽ ciues proclamant. Albohaceno,principio tumultus Almunecarem, vbi theſauri regii erant, profecto ab impio fratre vis infertur nullo crimine,imperii tantum nomen exitium attulit: & quorundam ſtudia fratris perfidiam ambitionemque auerſantium, ſeniſque commiſeratione diuerſa conſilia captantium. Quod ille periculum parricidio remouendum iudicauit, impius iuxta ac crudelis.

Catha-

Catharina Ferdinando Regi nascitur. CAPVT VII.

BArbarus cęso fratre,& parto per scelus regno,nomen sibi ingens fecerat magis quam clarum.malis artibus quæsita potentia haud erit diuturna. Nostris quo propior spes erat,eius imperii opes euertēdi crescebat ardor animorū,curaq; ne duce mutato crescerent animis hostes:maioriq; periculo bellū esset. Quantū animi esset,quantū viriū noua expeditione tentare Ferdinandus statuit,cæteris q̄uis cōtra disputantibus,dandaq; militi quietem affirmantibus, continuatis laboribus defatigato. Sed omnes difficultates Regis constantia peruicit,exemplumq; virtutis, cum nullum ipse laborem recusaret primus in acie,castrensia opera obire primus solitus. Sic est,displicet hominibus imperatum obsequium. exemplo facillime obtemperamus. Alcalam Regalem,quoniam id oppidū ad fines hostium pertinebat,copias conuenire iubet.eodem ipse Corduba proficiscitur kal. Septembris,nondum in ea regione sedatis ardoribus æstatis. Ardebat Cabræ Comes cupiditate virtutis ostentandæ.res ab aliis proceribus præclare gestę ad audendum conandumq; incitabant. Expetenti datum,vt in Maurorū fines primus incurreret.cum sua manu equitū septingentorum,peditum ad tria millia,adiuncto Alfonso Montemaiore,Moclinum tentare iubetur:quod oppidum Granatę vicinum est, situ & opere munitum. eodem se pollicetur Rex cum copiis omnibus venturum.Comes noctem continuato itinere Abohardillē improuisus opprimere cogitabat, vicinis locis castra habentē,equites mille quingentos, maiori pedites numero. Id consilium hostem non latuit. subductis in collem copiis luceq; expectata,iniquis angustisque locis nostros circumuētos opprimit. cecidit optimus quisque: ac maiori peditatus parte prostrata, Comes Gonsaluo fratre desiderato,ipse vulneribus acceptis cum nonnullis equitibus in eam partem fuga euasit, vbi Garsias Padillia Magister Calatrauæ erat pręcedentium vestigia subsecutus. Ferdinandus cognita suorum clade,paulisper mœstus è conspectu abiit: deinde ægritudine animi residente. Comitis,inquit,imprudentia, & nimia obsequentia reliquorum hoc incommodum accepimus:quod tamen celeriter maioribus commodis sanare est animus: atque vestra milites virtute pro ciuibus viris fortissimis atq; miserrimis pœnas capere. Erant ad fines hostium,qua Giennenses agros attingunt, geminę arces atq; oppida Cābile & Albahar interfluente aqua fluminis Frigidi, tenui quidē præsertim eo anni tēpore,sed coercita ripis eoque difficili vado. Ea oppida copiis omnibus circumsessa sunt. Imminet Albahari,quod in vlteriori ripa erat,cliuus propugnaculi instar in metę modū erectus. In eum montē hortatu Regis tormenta magno labore comportata,tantum obsessis terrorē ingesserunt, vt arces & oppida continuo dediderint. Ad nonum kal. Octobris in nostrorum potestatem redacta, antiquitus infausto die,quo ante centum viginti ferme annos, Petro Rege à Mauris ea oppida occupata meminerāt. Tantis victoriis Ferdinādus,totq; oppidis potitus ac plerisque exercitu incruento,maior & clarior haberi cœpit. omniū in ore esse. Ipse copiis in hiberna dimissis, Complutum cum vxore abiit. In eo itinere Alfonsus Aragonius Ferdinandi frater Villę formosæ Dux, in primis ea tempestate clarus, multisque bellis exercitus decessit. Corpus ad Populeti inter maiorum busta est compositum. multiplicem prolem reliquit: ex Maria quidem Iuncia concubina Ioannem Ripagorsæ Comitem,& Eleonoram. Ex aliis amicis Alfonsum,quem superior ætas Dertusæ prius,deinde Tarracone Pontificem vidit,Ferdinandum, Henricum. Ex iustis nuptiis Eleonoraq; vxore Alfonsum atque Marinam. hæc Roberti Salernitani Principis vxor, Fernandū peperit in eorum Principum numero postremum futurum. Alfonsus Villæformosæ Dux fuit: quē auctorem generis Villæformosæ Duces,Ripagorsæ Comites nominent necesse est. Toleti religionis desertores,ac Iudaicos ritus quos abdicarant, repetentes seuerissimis suppliciis ab Inquisitoribus vindicabantur. aliis maiori numero venia data,meliora in posterum pollicentibus. Hęret in domesticis narratio: sed externa quoque referre nexus rerum,& suscepti operis officium hortantur. Ardebant Neapolitani proceres bello, q̄ in Regem suum Ferdinandū coniurati, iunctis viribus comparabant, graues & frequenres iniurias vindicaturi. Innocentii Pontificis instinctū auspiciisque magis nomine, quam viribus iuuaturi propter ingenii imbecillitatem, curasque alias. Coniurationis capita,tres Principes erant Salerni, Bisiniani, Altamurę, Antonellus, Hieronymus, Pyrrhus Bautius, præterea Petrus Gueuara Vasti Marchio, alii magnis etiam à Rege beneficiis obligati. quin fama ferebat Fridericum Regis filium , spe regni accessisse in partes, vero an falso ne tunc quidem constitit. Alfonsus Calabrię Dux magnam eius inuidiæ partem patri Regi conflauit, incommodus moribus: in quo nec luxuria crudelitati obstabat, nec crudelitas luxuriæ. Arte magis quam armis eos

tumultus Rex prouidus, & à multo vsu callidus composuit. Annitente Pontifice quia prima factiosis non procedebant, & Petro Fuxensi Cardinale deprecatore, quem ea spe Romam Pontifex ipse euocarat, venia tumultuantibus data est. Fuerat etiã à Ferdinando ad eos motus pacandos legatus Tendiliæ Comes. Is sui Regis nomine fideque, tutos fore proceres cõiuratos recepit: modo positis armis ad officiũ redirent: si falleret dira omnia precatus. Verum Rex Neapolitanus ea promissa ludibrio habuit, cum ætate præceps ad deteriora credenda, & ad irroganda supplicia: aduersus quasuis tempestates opibus fretus, quas à patre traditas habebat: & ipse longa imperii possessione ingentes cumulauerat. Fœdere facto opprimere aduersarios cogitabat. Sic specie nuptiarum, quæ in arce Noua Neapoli celebratæ sunt, Sarni Comes vnus è coniuratis cum aliis nonnullis comprehensus capite pœnas dedit. Principes Altamuræ Bisinianiq; variis temporibus capti cum multis aliis, diuturna custodia perierunt, lenta grauique morte, multũ quamuis expostulante per legatos Castellę Rege Ferdinando, minis additis, fidem suam haud quaquam ludibrio fore passurum. Sed vicit omnia peruicax Neapolitani animus, immemor rerum humanarum inconstantiæ. venturi securus euertendi imperii certissima fundamenta cęde procerum, inuidia prouincialium ponebat. vti breui factum est. verũ hæc aliquanto post. Compluti ex Isabella Decembris sexto decimo die, filia nata est, cui Catharina nomen fuit, gemino Anglicano coniugio propriaq; ad extremũ infelicitate sua, totiusque gentis Anglicæ nobilissima. Quantos ærumnarum fluctus innnocentissima fœmina tolerabis, vnam ob viri fœdam intemperantiam? Alienæ culpæ pœnas dabis. Sic visum superis. Fatalis mali fundamenta à dissidio gentis ponebantur. Nam Eduardo, & Richardo vinctis interfectisque, Richardus puerorum patruus regnum occupauit. Initiis media atque exitus consentanei fuerunt. Superbe imperantem Henricus Richemondæ Comes ab Armonico Duce Francisco, à quo fuerat captus, redditus libertati acie superauit, interfecitque. Oppressi tyranni merces fuit, imperium quod impie occupauerat. Huius Henrici filius, Henricus fuit, eo nomine octauus Angliæ Rex cum vxore Catharina, patria religione repudiata, omnibus turpitudinis maculis grauique impietate inuidiosum posteris nomen, infaustumque.

Aragonii motus. CAP. VIII.

Leues in Aragonia tumultus extiterunt: ciuilia in Catalaunis arma maiori contentione & periculo mouebantur. vtrique malo Regis Ferdinandi prudentia & auctoritate est occursum. In planicie ad Iberum flumen Cæsaraugusta sita est, ędificiorum elegantia, ciuium frequentia, copiis, cultu, nitore, amplitudine in paucis nobilissima, aduersus hostes armis, viris, mœnibusque munita: leui imperio & ob id fidelissima, nisi iura acceptę à maioribus libertatis imminuãtur. Qua caussa sæpe in ea tumultus concitatos inuenimus incredibili animorum ardore, ciuibus aliorum exemplo cautis: neque ignaris paruis sæpe offensionibus maiora incommoda existere, grauesque casus. vti hoc tempore accidit. Ioannes Burgius lictor regius, vt est id genus hominum insolens, senatus principem Petrum Cerdanum verborum procacitate violauit. aliorum accursu lictori iniectæ manus: dictaque è vinculis causa, gula laqueo fracta est, lęsa in ea Principis maiestate. In ipso procinctu belli Ferdinandus, cum Granatæ agros inuadere cogitaret, huius anni principio, vti paulo ante dictum est, re cognita Ioanni Heredię Prętori mandat, vti eius facinoris pœnas expetat sontibus vindicatis. Interim legatis à senatu missis se quidquam acerbe in eos statuisse negat callidus, sagaxque, ad simulanda negotia altitudine ingenii incredibili. Senatus princeps comprehendi non potuit, Pręfecti iustitiæ, cuius suprema & maxima auctoritas gentis instituto est, pręsidio tutus. De Martino Pertusa, qui proximum anctoritatis locum in senatu occupabat, & cæsi lictoris præcipuus auctor extiterat, festinato supplicium sumptum est, regiis literis ad populum continendum, qui ad arma erat cõsternatus, in sude prælatis. Sic gliscens in graui causa tumultus in ipso exortu est oppressus. vnius animaduersio, cæteros imperii oblitos admonuit, Regum feroces impetus esse, vires graues. Grauiori facinore aliquanto postea ciuitas vniuersa turbata est. Petrus Arbue quæstiones in ea vrbe de religione habere cæperat. Nonnullis irrogata supplicia, prauos quosdam homines libertino è genere natos, siue libertatis specie, siue ex conscientia similia metuentes incitarunt, vt coniuratione multorum facta Inquisitoris capiti insidias struerent. In strato nocturna vi opprimere cogitantes fenestrę qua irrumpẽdum erat, firmissimis clatris exclusi, speque falsi, in templo opprimere statuunt. Ad nocturnas preces progresso Septembris Idibus, qui dies Mercurii fuit, (biduo post alii tra-

tradunt) ad arma templi maximi procumbēti prope cancellos, vis illata. Vitalis Duranfius vnus è cōiurationis principibus, toruus & minax voce, vultu, oculis ardens in ceruice primum vulnus inflixit. subſecuti ſunt alii. Proxima nocte defuncto, nihilq; præter diuinas laudes eo ſpatio locuto, ſupremus honos eſt habitus. Corpus eodem loco, vbi vulnera ſunt inflicta, ſepulchro illatum: quo tempore feruere ſanguis viſus eſt, niſi oculorum ludibria fuerunt. Decreto ſenatus aliquanto poſt, addita lampas ſepulchro: quod niſi conſecratis hominibus, cæloq; dicatis non datur. Id etiam vt Pauli tertii Pontif. auctoritate fieret, Carolus quintus Auguſtus curauit. Sic meritis honos debitus eſt habitus. nam & quintodecimo Septembris die memoria eius celebratur anniuerſariis ſacris. De conſceleratis hominibus intra annum ſupplicia ſumpta. variis caſibus ad vnum periere. Proh magnum atque ineuitabile diuinæ vindictę numen, quam vitare praui homines haudquaquam potuiſſent, vt maxime humana ſupplicia liceret euadere. & habet neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi conſcientia carnifex eſt mentem eripiens. Inquiſitoribus deinde pręſidii cauſa datum, vt intra arcem habitarent, cui Algiafarię nomen eſt. In Emporitano tractu ſubditi, quos Pageſes vulgo vocabant, impotenti imperio à regulis, in quorum ditione erant, premebantur proxima ſeruituti conditione, neque ferenda inter Chriſtianas nationes. Quę vectigalia Mauri rerum domini imperauerant Chriſtianis grauiſſima, ea mutato quamuis imperio regulis pendere cogebantur ducta ex antiquo conſuetudine. eo vniuerſa prouincia aduerſo rumore erat. Quę illa tributa eſſent, neque gentis hiſtorię declarant: neque nobis diuinare licet. Malos tantum vſus à grauitate vocabant: à quibus eximi, niſi pretio redempta libertate ſeruorum inſtar, nemini concedebatur. Sic ſępe incolæ correptis armis, aut ſeruitutem depellere, aut miſeriis remedium, mortem imponere cogitabant. Et ſunt grauiſſimi impetus irritatæ neceſſitatis; ſed fallax ſine viribus multitudinis audacia. Appellati de ea re Reges Alfonſus prior, deinde Ioannes eius frater, & Carolus Vianæ Princeps ea vectigalia minui quodam temperamento mandarunt. ſed parum auctoritatis inerat ad coercendam nobilitatis audaciam, armis tueri paratæ, quæ maiorum virtute parta erant. Maiori maieſtate opus erat. denuo continuatis iam aliquot annis popularium motibus, Ferdinandus, qua in cęteris felicitate, fine impoſito, magnā ex eo prudentiæ & dexteritatis laudē peperit. Compluto is cum vxore Segobiam abierat, atq; Medinam Compeſtrem. Garſiam Toletum iam Ducem Albanum (abſceſſerat is militaribus curis Friderico filio pro ſe in bello Granatenſi vicario) Albę inuiſit, cum Petro Magiſtro equitum conciliaturus, vt fecit: quem & Alfonſum Fonſecam Compoſtellanum, rebus præficere in Caſtella deſtinabat, bellum Mauricum repetiturus. Eo conatu, ad Guadalupeum templum peruentum eſt, ad quartum kalen. Maii. eo loco in cauſa Pageſium ſententia pronunciata decreuit eam ſeruitutem tanquam piis hominibus grauem, neque vlla in gente vſurpatam, antiquandam videri, mitioreque conditione mutandam: vt ſubditi per capita ſexaginta ſolidos Barcinonenſes annuos penderent. Magnum vectigal libentiſſimis animis incolæ ſuſceperunt, pręſertim conceſſa poteſtatę redimendæ libertatis, ſi vnica penſione pro vno quoque annuo ſolido viginti numerarent. Sic ex diuturnis motibus, quæ eam Hiſpanię partem diu ſolicitam habuerant, pax facta eſt. In Luſitania ſublatis, vti ante dictum eſt, proceribus coniuratis, quies erat, Rege omnia ad ſplendorem imperii reuocante. Azamor Tingitanæ vrbs ad litus Oceani Atlantici, ad læuamq; egreſſis freti Gaditani fauces, veteribus Thymiaterium, vt quidam diſputant, ſuperiori tempore Luſitano vectigalis, denuo ſacramentum ſuſcepit: ſe in eius fide futuram, tributique nomine decem millia alauſas, quarum piſcatu abundant, miſſuram quotannis in Luſitaniam. Quod glorioſum erat genti, non modo imperium fundaſſe ancipiti iure, armis, virtuteque: ſed etiam remotis nationibus iugum ſeruitutis imponere potuiſſe, ad maiorem gloriam opeſque aditu patefacto.

Multa oppida de Mauris capta. CAP. VIIII.

FErebantur in pręceps Mauri, non minus domeſticis diſſidiis, quam externo metu laborantes. In ipſa vrbe Granata euocatus à factione altera Boabdiles Albaicinum occupauit. ciues cum ciuibus in ipſis plateis pugnabant pertinaci inter ſe contentione, à noſtris cum bellum ingrueret, ad defendendum conſenſu. maioris periculi metus animos ad concordiam reuocabat. eo ſedato ad ciuilia arma redibatur. Rebus deſperatis Mozerus, ex Alfaquinorum ordine, quorum eſt ſacrificia procurare, religiones interpretari, vt in ea gente vir ſanctus, quaſi diuino inſtinctu concitus. Quouſque ciues inſani-

tis (per compita & fora clamare) in ſanitate vęſani, quę grauior dementia eſt, alienis cu-" piditatibus & ambitioni ſeruientes, veſtræ ſalutis obliti, coniugum, liberorum, patrię? " Graue eſt dicere: ſed niſi à me auditis, quod noſtris malis remedium? Quin animos ad " virtutem erigitis? & ſi minus dedecus mouet, tantum certe periculum propulſatis? An " hos reges iuſtos putabitis, qui imperio gentis per ſcelus occupato, non præſidium rebus, " ſed inane ſine viribus nomen afferunt? An horum vmbra teget? Nimirum niſi iſtam igna-" uiam mature excutitis, inſtare exitium denuncio triſtis vates. Mouebatur his vocibus populus. etiam qui nolebant, probabant tamen. Ergo aliis ex eo numero Sacerdotib. annitentibus, & conditiones nuncupantibus, fœdus inter duos Reges Mauros fit. Vt Granata, Almeria, Malaca patruus retentis, reliqua Boabdili concederet. Albaicino Boabdilem diſceſſiſſe non arbitror, ac ne coaluiſſe pacem, etſi hiſtoriæ ſilent, magna ſcriptorum ſecuritate. Ac illud imprimis eo fœdere prouidebatur, vt quoniam Rex iunior Ferdinandi beneficiarius erat, ea ipſe ditione obtineret, in quę primū noſtrorum impetum fore exiſtimabant. Ea fraus noſtros non latuit. collectis vndiq; copiis Loxam petere ſtatuunt, certiori quā antea ſpe, vindictæ maiori cupiditate. Boabdiles ſiue tuēdæ inter ſuos auctoritatis neceſſitate, ſiue fortunā in conſilio habiturus, cū quingentis equitibus ea vrbe noſtris venientibus occurrit. Loca aſpera & impedita erant. ad ſuburbia pugnatur acriter. cæſis reiectiſque Mauris, trina caſtra circum vrbem metantur, rupto ponte erumpendi facultas hoſtibus ſublata. liberam noſtris commeandi vltro citroque facultatem, geminus pons ſublicius ſuppeditabat ſubitario opere magno commodo futuri. tormentis proſtrata mœnia: noſtriſq; per ſtrages lapidum in vrbem irrumpere parātibus, obſeſſi nono ex quo ventum erat die, deditionem faciunt, pacti libertatem efferendi, quæcunq; ex ſuis bonis poſſent. Boabdili in caſtra progreſſo, atque in genua procumbenti eodem animo fuiſſe ſemper, ſupplicantique ne fortunam conuerterent in culpam, æquum nō fore voluntatem ex neceſſitate interpretari, venia data eſt. Et erat commodus ad fatale gentis diſſidium alendū, vt maxime ſons eſſet. Ferdinandus ea vrbe munita, atq; Aluaro Lunæ Fontidonię domino concredita, alterius Aluari nepoti, ad alia oppida pergit. Pauca repugnātibus barbaris, plura ex deditione capit. Illoram ad quartum kal. Iulias, Zagram, Balnea, Moclinum. ex iis licet quędam, ita erant loco & opere munita vt diu ſuſtentare potuiſſent, in ipſiſque Granatæ oculis ob idque certiori auxilii ſpe. Nimirum cauſſis timoris maior timor erat. Illorę Gonſaluus Fernandus Corduba præfectus eſt, Alfonſi Aquilarii frater, ab his rudimentis quantus breui Dux futurus in Italia? Ipſi Granatenſes ciues ſoliti Illoram regni & vrbis dextrum oculum, Moclinū clypeū vocare, eo accepto incommodo ſpem ferme abiecerunt, præſertim vicino agro igne corrupto, luctuq; & cęde completis omnibus partibus. Abohardilles tamen, qui Singilis tranſitum prohiberet, ad Pinorum pontem multis ea tempeſtate Mauricæ gentis cladibus nobilem equitatus, peditatuſque partem mittit. Ipſe ne quid moueretur, in vrbe reſtitit. Poſtremum illi noſtrorum agmen, in quo Enecus Mendoza Infantatus Dux curabat, cum tranſitum prohibere non poſſent, pro more gentis magnis clamoribus inuadunt. reſiſtunt noſtri acriter. Verum Maurorum multitudine circumfuſa equites mille, pedites ad decem millia, proximi periculo, aliarum copiarum aduentu, ſeruati ſunt. reiectis Mauris noſtri à tergo inſtare, ruſus ad olivueta ſuburbana pugnatur. ſimilis fortuna fuit. In ea pugna Ioānes Ripagorſę Comes egregie pugnans, nunc ad prima ſigna, nunc in medio, nunc in vltimo agmine, confoſſo quamuis equo, magno adiumento fuit, paternamq; laudem æquaſſe viſus eſt. Adulta ęſtate, oppidis, quæ capta erant, militari præſidio firmatis, bello, paceque rerum moderator à Ferdinando eſt conſtitutus Fridericus Albani Ducis filius. Ad amouendam contentionem, quæ inter Bæticos proceres, de ea præfectura eſſe cœperat, remedium opportunum, longinquum hominem Ducem creauit. Regem, Calæciæ motus in eam prouinciam vocabant: vbi Lemoſii Comes contra Regis edicta auctoritatemque Pontemferratum firmiſſimum iis locis municipium, tanquam ſuę ditionis pulſo regio præſidio occupauerat. Ferdināndo, Iſabellæque in ea loca delatis, continuo oppidani portas aperuerunt. fraudem milites excuſabant. Id Regis voluntate factum Comitem prædicaſſe. Ipſi etiam nihilominus ad Regem profecto, ſequi in eius poteſtate fore profitenti, eo & aliis oppidis detractis, & ad regiam ditionem ſubiunctis, mulctato quidē venia eſt data. Sic vno tempore Mauri acriter impugnati: proceres ſuperbia ab hoc initio domita, cœperunt æquo cum cæteris iure viuere in Hiſpania, inſoleſcere antea atque in miſerorum fortunas graſſari ſoliti. præſertim cum Reges votis ad Compoſtellanū templum perſolutis, Salmantica, vbi principio anni Milleſi. quadrin. octogeſi. ſeptimi aliquandiu
1487. hæſerunt, nouum conuentum iuridicundo in Calæcis conſtituiſſent, antea ſolutę legibus

gibus prouinciæ perturbatæque, iudicibus datis, cum suprema decernendi potestate. Ardebat interea Fridericus Albanus studio se proferendi, probandique insigni aliquo facto. Nunciatum erat Malacæ in arce magnum captiuorum numerum in subterraneis carceribus inclusos teneri: & spes erat eius arcis obtinendæ, si nostrorum superuentu ab iis ex composito, rupta vincula essent. sexcenti equites ad id missi, inflatis continuis imbribus fluuiis impediti, inani conatu destiterunt. Intra vrbē Granatam nō minor quam antea contentio erat inter Reges barbaros. Abohardilles nouis militib. Guidixio & Basta euocatis, impetu facto in Albaicinum irrupit. Boabdiles, vt in tali periculo, cum suorum manu occurrens hostem repulit. pugna acerrima ad ipsum templi maximi forum multi ex vtraque parte ceciderunt. Ferdinandus, Rex Salmantica Cordubam delatus ad sextum Nonas Martii, amici Regis periculo, vti par erat commotus, auxilia misit, Fernando Gadea Duce: quibus ille confirmatus, non illatam vim propulsare, sed vltro hostem lacessere non desistebat, ferox formidabilisque magnam miserorū ciuium strage, quorum periculo ambo Reges delirabant.

Malaca capitur. CAPVT X.

Cordubæ deliberatione suscepta, de belli Maurici ratione cum sententiæ variarent, aliis Bastam, alii Guidixium petendas primo confirmantibus, Malacam Rex censuit: auxiliis, quæ ex Africa transmittebantur haud inualida, excipiendis idoneam angusto mari, breuique traiectu. Consilio tamen occultato Corduba proficiscitur ad septimum Idus Aprilis. sequebantur equitum duodecim millia, peditum quadraginta. postquam ad fines hostium peruenerunt, consilio Rex indicato, paucis milites alloquitur. Ad certam eos se victoriā ducere ait: quippe imbecillis hostibus dissidio metuque. Vires quæ supererant, in plura præsidia distractas esse. Si, qua alacritate consueuissent antea, festinarent, haud dubiam victoriam fore. Gloriæ quidem ex re bene gesta fructū, prope omnem ipsorum fore. Magna parte prouinciæ subdita, aliis oppidis & vrbibus vectigalibus, quid tandem hosti prçter nomen superesse? casurum impellente nemine: & postremum tamen conatum rem totam confecisse visum iri. Quo fauore piorum, quo concursu expeditio celebretur vniuersa prouincia cernere ipsos. & sane quacunque iuerant viri, pueri, mulieres vndique ex agris effusi in vota ac preces conuersi, illos reipublicç columen, vindices Christianæ religionis, imperiique vocare. In eorum dextris communem salutem ac libertatem esse repositam. faustum iter felixque, maturam ex hostibus victoriam comprecari, votaque suscipere. Inuitare pro se quisque, vt quibus opus haberent, abs se potissimum sumerent. Modestia certare milites: nihil morari, nec ab signis discedere. Maiori animo alacritateque postquam Regis consilium cognouere, quo vellet duceret, aiūt. Ipsius auspiciis ductuque nullum periculum aut laborem recusaturos profitentur. Motis castris Veles, quod oppidum prope Malacam situm est, primo impugnare constituunt. Ad præterfluentem amnem castra faciunt. Erumpunt portis oppidani. Calçcos nulla disciplina militari turmatim, vt quemque sors conglobauerat, pugnantes durum hominum genus cçdunt: aliorum superuentu cçduntur ipsi, ad ipsa oppidi mœnia compulsi. suburbia capta. mœnium impugnatio instituta. Accurrunt circum pagani ad oppidi præsidiū, maiori conatu, quam profectu. Abohardilles Granata, nostrorum consilio cognito, obsessisque opem ferre constituens, in eius vrbis discrimine considerans rerum & imperii summam verti, Roduanum Vanegam vrbis Prætorem ducem impigrum, cum cohortibus expeditis, & trecentis equitibus præire iubet, se post paucos dies eodem venturum pollicitus. Nihil à Roduano præstitum: qui nocturna vi nostros opprimere & tormenta clauis defigere, qua parte concipiunt ignem, cogitabat. subsecutus Rex barbarus, arduis impeditisque locis, prope oppidum castra metatur: in quibus mille equites erant, pedites viginti millia. Numero & virtute minores nostris, locorum munitio tutata non est. Castris impedimentisque exuti qua cuique data via est, fuga dissipantur. Barbarum Regem victum studia etiam hominum destituerunt. amisso exercitu redeuntem, Granatæ ciues Boabdile æmulo in Regem consensu salutato mœnibus excluserunt, anxium ac miserantem fortunas suas. Obsessi spe defensionis abiecta, Roduanoque interprete, cui cum Cifontano, ex quo tempore Granatæ captiuus fuit, vsus erat, conditionibus deditionem faciunt ad quintum kalen. Maii. Vt incolumibus liceret res suas quo vellent efferre. Eo oppido in nostram potestatem redacto, integro exercitu ac ferme incruento, Bentomitium vicinum oppidum Velis exemplo leges præsidiumque accepit. Petrus Nauarrus præfectus ei oppido est, ex obscuro loco, nauteq; arte, magnus Dux præsertim

conſequentibus annis. Vicinos Malacitanos ingens pauor inuaſit, ne diu ſuſtentare poſſent, externi auxilii nulla aut modica ſpe. Connixa præfectus vrbe egreſſus de deditione agit. internuncius Ioannes Roboreus diu Malacæ captiuus. Iis molitionibus cognitis Afri, qui eam vrbem præſidio obtinebāt, veriti ne ipſi hoſti traderentur, ſimul indignantes, quod rem tantam non cōmunicaſſent, facto impetu, præcipuam arcem, cui Alcaſabæ nomen ſupra vrbem eſt, occupant. deiecto trucidatoque pręſidio, ipſo etiam Connixę fratre, ad mœnia aduolant: colloquia ciuium interrumpunt, interficiuntque, ſi quos contra conari deprehendunt: magnitudine ſupplicii cæteros deſiſtere compellunt. Ergo tormentis maioribus Syngilia comportatis, noſtrorū caſtra ad Malacā promota ſunt ipſis Maii menſis Idibus. Eſt ea ciuitas in plano ſita, niſi qua parte collis aſſurgit gemina arce munitus (inferiori Alcaſabæ, ſuperiori Gebalpharo nomen eſt) modica ſpatiis, elegans tamen in paucis, & pro amplitudine frequens, portu atque nauali nobilis, qua parte alluitur mari. A tergo montes erigit vineis, hortis domiciliiſque nitentes. Vtranque arcem geminus murus coniungit munitione perpetua. ager conſpicuus: lęta cœli facies: late in vicinum mare proſpectus: commercio Africæ, atque Orientis ea tempeſtate nobiliſſima copioſaque. Erant in Regis caſtris D. Iacobi Magiſter, Præfectus maris, Villenius, Beneuētanus, Alcantaræ Magiſter, Andreas Cabrera Moię Marchio, plerique omnes Bæticę reguli, ex Aragonia valida auxilia. Eam vrbem foſſa, valloque à mari ad mare ductis circumuallare conſilium fuit. collemque vbi minor arx erat, præſidio occupare. vtrunque factum. In nouis caſtris Gaditanus curare iuſſus eſt. Regina in caſtra abiit, deducentibus Petro Mendoza Cardinali, atque Ferdinādo Talauera: quem ex D. Hieronymi monacho ſpectata vitæ probitas (vti ante dictum eſt) ad Abulenſem Epiſcopatum euexerat. Priuſquam opera perficerentur, Maurorum eruptione leuia ſæpe pręlia facta. Contra à noſtris in mœnia impetus fit. cecidit in conflictu quodam Ortegha, capta Alhamæ arce, multiſque aliis pręclaris facinoribus hoc bello nobilis. Tria millia Mauri ad quartum kalen. Iunii vrbe egreſſi, Gaditani caſtra improuiſi inuadunt: vigiles qui in prima ſtatione erant, obtruncant: mox in munimenta penetrant. In repentino metu Gaditanus nihil territus, nec prorſus demiſſo animo inſtructis reliquis obuiam progreditur. fit acris pugna. multi è noſtris ceciderunt. Gaditanus ipſe vulnus accepit. hoſtium maior ſtrages fuit. vicinum perfugium cęteros ſeruauit. Noua in Regis caput, fit in vrbe coniuratio. Maurus in ea gente ſanctus vir, deſtinata voluntate Regem interficiendi, ſe capiendum vltro præbet. Rege quieſcente ad tentorium Marchionis Moræ deductus Reginę iuſſu, cum ex apparatu reputaſſet, prętorium eſſe, diſtricto acinace in Aluarum Portugaliam (is forte cum Beatrice Bobadilia colloquebatur) irruit ferox, toruoque ac minaci aſpectu. Corporis inclinatione ictus vitatus, aliorumque accurſu Maurus comprehenſus peremtuſque eſt. ſic diuino beneficio periculum deuitatum. Auctus noſtrorum numerus aduentu Aſſidonię Ducis. è Belgis Maximilianus Auſtriacus mox Cæſar, duas onerarias miſit onuſtas omni bellico apparatu Latrone Gueuara ductore. Auctus & hoſpitum numerus. nonnulli per ſtationes mari vicinas in vrbe penetrarunt, auxilium obſeſſis. Famis malum vrgebat: neque Afrorum contumacia remittebat. Ciuibus tamen vt in maiori periculo, metuque, ad deditionem propenſis, Dordux ex eo numero præcipua auctoritate & opibus in caſtra progreſſus, de conditionibus agit. Negat Rex vllam conditionem fore, niſi vrbe ad eius voluntatem dedita. ex arcano tamen Dorduci pollicetur, ſi fortem & fidelem operam præſtet, ipſum & propinquos omnes inuiolatos fore, magnis beneficiis additis. Fide data, noſtrorumque præſidio adiuncto in arcem aditu patefacto, in ſumma homagii turri regia vexilla explicat. Ciuibus Africaniſque magnus terror iniectus ſpei mixtus. Reputantib. incolis Dorduci promiſſa facta, ad cæteros pertinere, ac colligentibus ſarcinas ſtudio diſcedendi, concurſu noſtrorum bona omnia, & libertas eſt ablata. Idem de vicinarum arcium præſidiariis militibus fit, ſimili errore ad mare progreſſis. Afri etiam cum eorum duce Zegri venerunt in poteſtatem. Transfugis, quorum erat magnus numerus, irrogata ſupplicia, ac religionis deſertoribus, qui ex Iudaica gente noſtra ſacra ſuſceperant, ignis pœna fuit. Aliis Iudæis atque ciuibus Mauris permiſſum, vt moderato pretio redimerent libertatem. Ad quintumdecimū kal. Septembris vrbs nobiliſſima capta. dies feſti vniuerſa Hiſpania agitantur. ſuperis aguntur gratiæ. votorum damnati, ea promptiſſimis animis perſoluunt. Sedes Epiſcopi captæ vrbi reſtituta, Pontificum venia, Gothorum ætatis exemplo qua proprium Epiſcopum habuit. Lætitiam nonnihil obſcurauit metus ex Oriente allatus. Baiacetū Turcarū Imperatorē cōtracta valida claſſe de Sicilia cogitare vires noſtrorū in eā partē à bello Granatēſi auertere cogitabat pace etiā cū Ægypti Sultano facta.

In

In Aragonia ciuitatum ſocietates inſtitutæ. CAP. XI.

FErdinandi Regis armis premebantur Mauri Granatenſes ruinę proximi. Simul Luſitani ad Orientis prouincias viam aperiebant anniuerſariis nauigationibus. quod ab Henrico Principe inſtitutum fuiſſe diximus ſuperioribus annis, extima Africæ litora explorare, longiuſque in ſingulos annos prouehi non deſiſtebant. Tantis laboribus fructus non reſpondebat. Beatas Indiæ prouincias adire, opeſque celebratas fama, quas benigna cælum manu iis gentibus copioſius quam aliis dedit, in patriam auehere cogitabant aromata, gemmas, margaritas, aurum, ebur, argentum, aliaque quibus hominum ambitio, magis quam vitę neceſſitas pretium adiunxit. Summas rerum nunciat fama, maiora ſæpe vero: ſyluas eſſe proceribus, & in maximam altitudinem editis arboribus, cynamomi, caſſiæ, garyofoli, piperis, zinziberis vim magnam: prodigioſas animantium formas, hominumque inſolentes mores, habituſque. Non prudentia, ſed temeritas fore videbatur, relegatas in vltimam terrarum regionem, gentes opesq; perſequi, exiguis Luſitaniæ viribus, immenſo terrarum ſpatio Oceanique diſiunctas. ſed omnes difficultates auaritia habēdi, & glorię cupido ſuperabat. Ergo ſuperiorib. annis Bartholomeus Diacius rei nauticæ in paucis prętās, miſſus abs Rege ſuo, vt Bonæ ſpei promontoriū adiret: vbi extenuatis vtrinque litoribus, Africa ad Auſtrum procul porrigitur. Eo promontorio tranſmiſſo ad flumen cui in altera parte Infanti nomen effecerunt, nauigando peruenit. Ingens cœptum, pertinax conatus. Antonius ex Franciſcano ordine Bartholomeo ſocius datus vir acer, impiger, ſolers, atque audax, inde pedeſtri itinere Africę, atq; Aſiæ magnis ſpatiis luſtratis, Hieroſolymam peruenit. Inde in Luſitaniam ipſe terra Bartholomeus mari reuerſi, viſa ambo Principi gentiq; nunciarunt. Quoniam prima ſucceſſerant maius ſtudium acceſſit perficiendi, quę inſtituta erant. Duo viri ardenti ingenio, magnoque rerum vſu, & quod caput erat, Arabicæ linguæ cognitione præſtantes delecti operi perficiūdo ſunt: Petrus Couillanius, Alfonſus Payua. Claſſem inſtruere magni ſumptus erat. terra iuſſi ſunt Africę, atque Aſiæ regiones intimas conſiderare. Ii Idibus Maii Oliſipone egreſſi, obitis Neapoli, Rhodo, Hieroſolyma, Alexandria, Cayroque Aegypti vrbe primaria, diuerſi Petrus quidem Ormucium, quæ inſula ad ſinus Perſici fauces iacet, Calicutiumq; obiuit: Alfonſum autem Aethiopię interioris regiones luſtrantem mors oppreſſit. Petrus literis abs ſuo Rege acceptis, vt niſi prouinciis omnibus conſideratis non rediret in patriam, in Aethiopiam profectus, cum gentis Imperatori Alexandro, quem vulgus præſto Ioannem vocat, Nahu, & Dauidi ſucceſſoribus, operam & ingenium probaſſet, diſceſſu eſt prohibitus, coniuge data atque amplis poſſeſſionibus, vnde vitam ſuſtentaret. De ſcripto tamen ad Regem Luſitanum viſa explorataq; renunciauit. Calecutium nobiliſſimum emporium eſſe totius Orientis maxime celebratum. Gentem fuſco colore, viribus imbellem, morum inſolentia maxima: ſuperiori corporis parte nudos crura lumboſque veſte tegere, pleroſque auro purpuraque diſtincta: lacertos & brachia margaritis onerare: ex humeris acinacem pendere: nuptiis coire fœminam vnam multis maritis: eoq; incerta prole, patribus non filios ſuccedere, ſed ex ſororibus natos. In Aethiopia late fuſas gentes, nigro omnes colore, atque Chriſtiano nomine eſſe: veterem religionem ſylueſcentem, plurimum ex Iudæorum ritu & hęreticorum erroribus confuſam eſſe: Regi parere potentiſſimo innumeras copias equitum & peditum alenti, tendentique ſub pellibus: gentis ſanandæ magnam ſpem eſſe, ſi vltro citroque miſſis ad eam legatis in ſocietatē aſciſcerent. Verū hæc cœpta hoc tempore, conſequentib. annis geſta ſunt. Ferdinandum capta Malaca operi inſiſtentem, Aragonii tumultus in eam prouinciam euocarunt: vbi ſcelera, latrocinia, cædeſq; vigebant maxime. Valentiæ à Philippo Aragonio Monteſiæ Magiſtro, cum ex bello Granatēſi rediiſſet, Ioannes Valterra obtruncatus erat magna nobilitate iuuenis, atq; in amoribus Eleonorę Crotonis Principis riualis, quod exitiū attulit. Ea res tumultus graues in ea ciuitate concitauit. Ferdinandus Iſabellaq; Corduba profecti, Cæſaraugustā ad quintū Idus Nouēbris tenuerūt. In ea vrbe creādi vrbanos magiſtratus ratio vetus immutata eſt: ſenatuq; cōcedente, ciuib. detracta poteſtas ea, vniq; Regi permiſſa, vitandis contentionibus, atq; tumultibus remedium opportunum. Præterea Caſtellæ exemplo ciuitatum inter ſe ſocietates inſtitutæ, ſtipendio militari imperato, vnde centum & quinquaginta equites alerentur: qui in omnes partes ſcelerum licentiam & maleficia, aut metu prohiberent, aut pœna vindicarent. Additum, vt vniuerſæ ſocietati nō niſi Cęſarauguſtanus ciuis è trib. quos ſenatus nominaret, à Rege delectus præficeretur, circumſcripta certis legibus poteſtate. Id principio conſequentis anni geſtū eſt M. quadringente. octogeſimi octaui. Quibus diebus à Rege Neapolitano 1488.

legatus Leonardus Toccus domo Græcus atq; à Græcis Augustis genus ducens, opulento principatu à Turcis euersus, profugus in Italiam de nuptiis appellauit pactis superiori tempore, Ferdinandi Capuæ Principis cum Isabella Ferdinandi filia. Eo conatu impedito, quoniam Isabellam Ferdinandus Gallo Regi, aut Lusitani Regis filio coniugem destinabat, æternum concordiæ inter eas gentes vinculum (sic putabant) Maria altera Isabellæ soror in eius locum est substituta priori modo pacto inducto, irritisque sponsalibus. sed neque hoc coniugium effectum est. Valentiam quo Reges Ferdinandus Isabellaque abierunt, Alanus Labreti Regis pater improuisus forte aduenit, cura ditionem aduersus Galli vires muniendi, magna ex parte detractam: Vascones pacandi, vbi tumultus vigebant, à Beamontiis magna prouinciæ parte occupata, exclusis aditu Regibus. tametsi ante tertium annum fœdere cum Lerini Comite facto, ei & necessariis honores & oppida concesserant, quæ maiores tenuerant, multis de nouo additis homine sanando. sed nullis meritis perfidia flectitur. Franciscus Dux Armoricus erat tuendus: quem quod virili prole careret, Annæ hæredis coniugium multis expetentibus Gallica arma solicitabant. defendebant Labretus Aurelianusque Maximilianū Cæsarem Brugenses ciues captum custodiis circundederant, impetu in regiam facto feroces & rapidi: vnde noua cura accesserat Labreto confœderato, nostrisq; amici Principis calamitate cōmotis. Cum supplici Alano, neque vllas pacis conditiones recusanti, fœdus est factum, societasque armorum constituta, aduersus omnes Principes, vno excepto Rege Gallo: cui fidem fallere neque tutum erat, neque fas, quod Labreti ditio subdita vniuersa Gallico imperio esset atque finitima. Verum ea speciosa verba erant, rebus vacua, quando præsidia externa contra Gallum maxime quærebantur. Additum, vt in ora Cantabriæ classem ædificandi, delectusque militares habendi facultas esset, Iohāne Gralla homine Catalauno ductore earum copiarum. De eo fœdere tabulæ geminæ confectæ sunt, ad duodecimum kal. Aprilis. quarum exemplum subiicere non est necesse.

Bellum Mauricum repetitur. CAP. XII.

VAlentinæ gentis conuentus in ea vrbe inchoati Oriuhelæ ad exitum peruenere, sceleribus vindicandis, quorum non minor in ea gente quam in Aragonia licentia erat. Ex propinquo Ferdinandus iis motibus pacatis, per Contestanos in Mauricos fines nouo conatu apparatuque incurrrere festinabat. vbi Abohardilles imperii nomen ægra iam spe, sustentabat: quamuis æmulo maior potentia, Guidixio, Almeria Basta subditis mōtibusque Granata ad mare pertinentibus, maiori prouentu, quod à belli malis locorum asperitas eatenus seruarat immunes, & ex bombyce certissima genti vectigalia constarent. Accedebant studia prouincialium, à Boabdile auersa, quasi ignauus, impiusq; esset, & nomine tenus Maurus, pectore noster. Auxerat auctoritatem irruptio per saltus, impeditaq; loca, in Alcalæ regalis agros facta, nostrisque inopinantibus remissisq;, quod prope Boabdilis ditio esset, præda ingens Guidixium abacta, domiti pecoris maioris minorisq;. sed eam iniuriam Ioannes Benauidius iis finibus præfectus continuo vindicauit, Almeriæ agris incensis, vexatisq;. Regis Ferdinandi bellicus apparatus haud satis animo respōdebat (& Bætica hoc & superiori anno pestis lue vehementer laborarat) si vires suppeterent, maiora conaturus. Murciam vbi ipse erat copiis cōuenire iussis, Verā quod oppidum, ad mare situ Melæ Vergi fuisse creditur, aut Varea Antonino, impugnare statuit. Nec mora oppidani defensione desperata, ad quartum Idus Iunias deditionem faciunt. Veræ exemplū Muxacra (quæ veteribus Murgis fuit) sequitur, vtrunque Veles Albū Rubrumque: multa alia castella, & oppida temere munita, aut sine præsidio accesserunt. magnus terror, neq; minus periculum hostium animos fregerat, ne agri vastarentur ad deditionē inclinatos. Almeriæ locis finitimæ aditu, Taberna arx situ inexpugnabilis prohibebat. Eē nouo pſidio firmatū Rex senior Guidixio accurrit, mille eqtes, vigintimillia peditū sub signis habēs. simul insidere saltus nostrosq; dispalatos carpere cogitabat, in casum vniuersæ dimicationis non venire ex conscientia suarū imbecillitatis viriū: quod collectitius exercitus exiguo rei bellicæ vsu. Cum pugnam barbari detrectarent, nostri ferociores facti, multas passim manus ad campestria deuastanda dimittunt. vis mali in Almeriæ planiciē maxime incubuit: deinde Bastæ agri vastantur aquis irrigui, ob idq; insigni prouētu & amœnitate. Riuis, quib. ea planicies distinguitur, impediti nostri, haud leue damnū accepere. cōcurrentib. Mauris multi ceciderūt. in eo numero Philippus Aragonius Mōtesiæ Magister iuuenta ferox, ferox nobilitate. Imminuto copiarū numero Ferdinandus idoneis locis præsidia disponit. ipse Oscam primū vicinā Bastæ vrbē, deinde secundum Staberi fluminis ripā, Murciā contendit. Toletum inde atq; in vlteriorem prouin-

prouinciā,quo aliæ regni curæ vocabant,discessurus.Eius digressu Rex barbarus, oppida quæ amissa erāt,aggreditur.quædā partim spe,partim metu in potestatē reuocat. Interim Gausini incolæ, ꝙ oppidum satis munitum prope Arundam situm erat, nostrorum imperio fessi,aut pro more gentis ingenii leuitate perfidiaque,inter se coniuratione facta, milites præsidiarios obtruncant palantes securosque,vt in nullo tali metu. Lętitia diuturna non fuit: vicini Mauri,ne ipsi quasi facinoris cōscii pœnas darent, manu facta Gausinum obsident. Gaditanus Cifontanusque Hispali cum noua manu ad vindictam accurrunt. Sic recepto oppido,incolæ pœnę cuncti,aut prædę fuerunt. Ferdinando Vallisoletū appulso ad octauum Idus Septembris, qui dies Sabbathi fuit, noua se se occasio obtulit Placentiæ vrbis recuperandæ,ignauia superiorum Regum alienatæ, Stunicisque regulis addictæ. Aluaro Stunicæ per eos dies defuncto, nepos eodem nomine ex maiori filio successerat.litem iuueni Dieghus Stunica patruus intendebat,quasi potior iure. Familiæ clientumque studiis in vtranque partem diductis,Caruaialiis factioni in ea vrbe præualidæ opportunas data est,vrbis in potestatem redigendæ.Impetum in arcem factum præsidiarii sustinuerunt.Ferdinandus per speciem eos tumultus pacandi, in eam vrbem aduolauit:dedenteque Aluaro nouo Duce,atque Begiarem digresso in potestatem redegit, Ledesmiæ permutatione datam à Iohanne secundo,Petro Stunicæ Aluari proauo. Magnus procerum timor,ne quę perturbatione temporum superioribus Regibus extorserant,restituere cogerentur Regi,maiori potentia consilioque. In Aragonia noui tumultus extabant. proceres ciuitatum societatem nuper initam disturbare cogitabant quasi grauem nimiumque priuatis ipsorum commodis obsistentem : neque prius restiterunt, quam ea societate in decem annos abrogata,comitiis Turiasone habitis consequentibus annis. Ad Maximilianum è custodia Brugensi liberandum,legati à Regibus in Belgas Ioannes Fonseca atque Aluarus Arronius rem ex sententia confecerunt.expetenti tamen in coniugium Isabellam Regum filiam Maria priori vxore defuncta, denegatum,spe facta Philippo eius filio,atque hęredi futuro,vnam ex Isabellæ sororib. ætate idonea collocandi. quem Austriæ Archiducis per eos dies nomine, Augusti indulgentia, nepotem auxerat nouo exemplo: (nam maiores Austrię Duces vocabantur) nouisque honoribus augere destinabat, Hispanicæque affinitati idoneum præstare. Medina Iureconsultus, & Bernardinus Caruaialius in locum Garsiæ Toleti Asturicensis tunc Episcopus, deinde Cardinalis & Placentinus Episcopus,apud Romanum Pontificem pro Ferdinando legatorum partes implebant.iis mandatum, vt Maximiliani legatis, quos ad Pontificem miserat præter morem maiorum,vt quidam disputabant superstite patre Augusto,ita priores partes concederent,si Galli Regis oratores idem facerent:medios assidere non paterentur. Multum ad Maximilianum liberandum classis fama contulit à Labreto,vt conuenerat, in Cantabriæ litoribus ędificatæ. Terra tamen in Britannia Armorica grauis clades accepta est. ad fanum Albini à Galli Regis copiis victi Aurelianus Dux sociiq; sunt. Ioānes Gralla quoque Hispanorum Dux amissis suis magna ex parte,in victorum potestatem venit.

Tres vrbes de Mauris captæ. CAPVT XIII.

VNo tempore Castellæ regia nouis opibus augebatur, à Turcis ingens metus extabat assiduis atque infensis Christiani nominis hostibus,mari terraque potentibus.Defuncto fine anni Garsia Padillia Calatrauæ Magistro (sepulcri inscriptio, quod in eo oppido ad aram templi maximam cernitur,superiori anno ait) extincto certe,multisque vna ambientibus,Ferdinandus Rex concedente Innocentio Pontifice,eum honorem,paresque opes vtendas,fruendas , administrandas stabili possessione suscepit : quod exemplum ad alios militum ordines manauit,effecitque, vt aucta Regum potentia eorum militum auctoritas euanesceret.cum præmia virtuti dari solita emeritæ militiæ viris, rebus conuersis aulæ asseclis plurimùm cedant. At tumultus in comitiis vigebant:regiique ærarii tenuitas erat supplenda. recte, nisi omnia mala exempla ex bonis initiis deriuarent. Verum hæc reip.vulnera sanare quis possit in tanta assentatorū frequentia? prætermittere satius arbitror.Tametsi quis ęquo animo ferat, opes maiorū pietate concessas ad profligādos Christiani nominis hostes effundi nullo certe exiguo reip.fructu?quantum iis terræ marisque parari potuit? Ex Oriente fama percrebuerat, numerosas equitum & peditum copias à Baiaceto Turcarum Imperatore contractas esse, valida classe constratum mare.ne in nostros fines sæua verteret tempestas, metus erat : neque voluntas barbaro deerat ad occasum proferendi imperium,vlciscendi dolorem, ob denegatum Gemem fratrē. Aegypti Sultanus morabatur spem , Turcarum incrementis maxime inuidens. Ergo in eū con-

uerſo impetu, vndecim prædatorum biremes à reliqua claſſe diuulſæ, Melitem inſulam pene omnem prædę habuerunt,& direptioni, ipſa etiam ciuitatis ſuburbia: quę gemino portu quãtumuis magnæ claſſis capax eſt,vtrumq; portũ cuſpide terræ diſtinguẽte, cui à Sancto Anſelmo nomẽ eſt.ea parte propugnaculum ędificari viſum,prohibẽdis hoſtibus: ne eam inſulam belli ſedem efficerent,aſſueti noſtris litoribus. Aduerſus prędones,ex Sicilia quidem miſſa claſſis eſt,ductore Patela. ſerum auxilium hoſte cum præda dilapſo. Ex Hiſpania noua claſſis dimiſſa nouo Sicilię Prorege Ferdinando Acunia,non modo ad noſtros fines tutandos, ſed tentanda etiam Africæ litora idonea. Cum Angliæ atque Auſtriæ Principibus fœdus inſtauratum aduerſus Galli Regis potentiã.Ea præſidia comparari dubitabat nemo ad Neapolitanum regnum armis occupandum: ad quod proceres Neapolitani patria exules, pars Ferdinandum, pars Gallum, vnde maior ſpes erat,o-
1489 pes validiores prouocabant.Quo ſtudio proximo anno M cccc octogeſimo nono mille equites,duplicato peditum numero Annę Britãnæ defuncto patre Armorico Duce,mitti decretum eſt ex Hiſpania aduerſus Galli potentiã auxiliares. ductor Petrus Sarmentus Salinarum Comes.De bello Maurico maior cura erat:& quo propius ſpes admouebatur imperii Maurici opes euertendi,creſcebat animorum ardor.Sic Reges ad ſextum Kalen. Aprilis Medina Campeſtri bellum inſtauraturi inBæticam conceſſere.Giennii bellici apparatus erant.Corduba obita luſtrato exercitu,inuentum duodecim millia equites,pedites quinquaginta millia ſub ſignis eſſe. delecta vniuerſa ditione inuentus,bello viuida virtus.Ex vna Cantabria & vicinis locis numeroſa manus aduenerat: quæ gens molli imperio ob idque fideliſſima apud Reges eſt,locorum aſperitate duratis corporibus militiæ laboribus idonea.Cum his copiis Baſtam obſidere viſum eſt. Cuiar oppidum in ipſo aditu captum:quoniam munito loco erat,ne noſtrorum conatus impediret.Ineunte menſe Iunio ad Baſtam caſtra ſunt poſita.Perſpecto Vrbis ſitu Ferdinandus adhortatus pauca pro tempore milites,obſeſſos impugnare conſtituit. Ipſum erat oppidum in collis latere: cuius collis partem & ſubiectam planiciem flumen alluit ignobile, ex aliis partibus colles aſſurgunt. in vrbe virorum atque armorum ſatis magna vis, frumentum in quindecim menſes comparatum.locus opportunus vineis agendis,aliiſque machinationibus.Egreſſis ex vrbe præſidiariis militibus prælium in planicie fit. ſumma vi ab vtriſque contenditur.laborantibus noſtris,atque inter riuos,quibus aqua diducitur in agros,& cæcas foſſas impeditis cadentibuſque,nouę è caſtris copiæ ſubmittuntur. ſic noſtris animus creuit. hoſtes in vrbem reiecti ſunt maiori damno accepto, quod multo minori eſſent numero, ad tria millia milites,tertia equites parte.Sic ſæpe erumpentibus Mauris pro caſtris munitionibuſque pugnatũ eſt. Noſtri ſegetes,hortoſque corrumpere, magno ciuium dolore. Cecidit Ioannes Luna Illuecæ regulo natus,prima iuuenta & gratia Regis florens,multiſque præclaris factis nobilis: vti Petrus Martyr Mediolanenſis: qui præſens de hoc bello commentaria confecit auctor eſt,patria Mediolano vetus Hiſpaniæ hoſpes. Pares noſtri tumultuaria pugna Mauris non erant,aſſuetis,ſe in fugam vertere, pugnamque incredibili celeritate repetere,vulnerare,cædere.Locus & genus pugnę pro hoſte erat:noſtri numero & virtute vincebant.Sic obſidio in multos dies ducta eſt. Rex anxius trahere cum animo ſuo, omitteret ne incœptum,quoniam fruſtra erat an exitum expectaret, quo ſæpe proſpere vſus fuerat.Terrebat maxime anni tempus multis funeribus lugubris.Inſalubrium ciborum noui ſucci vulgauerant morbos: peſtiſque lues nondũ plane ſedata multos indies abſumebat.Gaditanus Regio conceſſu per eos dies Marchionis nomine inDucis honorem transformato,mouenda caſtra diſputabat:neque tanti exercitus periculo,ignobilem vrbem emendam videri. Vbi periculo reſpõdent præmia,& ſecundis reb. am-
,, pliorem fructum eſſe,& aduerſis ſolatium maius.Si obſidio in hyemem ducatur, inflatis
,, fluuiis,quæ ſpes,quis receptus?Pereundum vnà omnibus,niſi mature conſulimus. Hor-
,, ret animus meminiſſe,tua tibi ſalus vilis Rex eſt: cuius ſpiritu omnes viuimus, vincimuſque. Vera Gaditanum prædicare nemo ignorabat.vicit tamen Regis conſtantia.Ignauos premunt numina,fortes iuuant. Aſſidere vrbi conſtituunt, mœnia circumuallare. foſſa circumducta eſt.ſepeſque labro prætenta. Nouem caſtella ex interuallo poſita: quibus in caſtellis ſtationes diſponebantur,nequa ſubito irruptio fieret. copiæ diſtributæ idoneis locis ſunt. Gaditanus cum quatuor equitum millibus apud tormenta agitare iuſſus. Sed externis quamuis auxiliis prohibitis, commeatus affatim in vrbe erat. contra in caſtris rei frumentariæ inopia, pecuniæque in ſtipendium. Nouæ in dies manus auxilio aduentare. Menſe Octobri Duces Petrus Manricus Anagari, Albæ Fridericus, ob nuper defunctũ patrẽ in veſte ſqualida, Fridericus maris Præfectus, Aſturicæ Marchio. ſubſecuta paucis poſt dieb. Regina eſt cũ Iſabella filia, Toletano atq; Epiſcopis aliis quo-

rum

rum aduentu (sic arbitror) fracti obsessorum animi sunt. repente enim Hacenus cognomento Senex vrbis Præfectus, ad quem bellici etiam imperii summa redibat, colloquio flexus Guterrii Cardenæ Promagistri Legionensis, cum diu sustentare potuisset, re cum suo Rege, qui Guidixii erat, communicata, deditionem facere constituit. Res comparanda miraculo visa nostris est. Conditionibus pridie Nonas Decembris nuncupatis, Rex Reginaque triumphi persimili pompa in vrbem die proximo inuecti sunt. deditæ vrbis cura Carsolæ Antelato Diegho Mendozæ, Cardinalis Hispaniç fratri concredita est. Ea formidine multa circum oppida vltro dedita, obsides, frumentum, & alia quæ vsui forent affatim prçbuerunt. Taberna, Seron, quod mirere amplius, Guidixium Almeriaque, quæ diuturnam obsidionem tolerare potuissent, ne tentata quidem defensione ipso seniore Regē dedente, captæ sunt. Ad Almeriam, Regem barbarum in castra venientem, Ferdinandus Rex obuius benigne accepit. paratum imperata facere, seq; & sua victoris voluntati permittere. Accessere præterea in victoriæ partem duç arces munitissimæ locis inter se coniunctç marique imminentes, Almunecar vbi regii Maurorum thesauri, cultusque esse consueuerat, & Salobrena quæ veteribus Selambina in Bastulis ad mare Ibericū fuit, locis arduis, ea munitione, vt Regum filiis & fratribus custodiendis, carceris instar esset. Ei arci Franciscus Ramirus Madriti municeps, tormentis bellicis præfectus, Prætor est datus: cuius præclara facinora multa hoc & bello Lusitanico meritaque præclara extiterant. Enituit etiam in Bastæ impugnatione Martini Galindi ciuis Astigitani vnius maxime virtus, Ioannis parentis laudes exæquare contendentis: quo fortior miles ea tempestate nemo fuit. Tantis rebus confectis, recensito ad Guidixium exercitu, pridie kalendas Ianuarii, ineunte salutis anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo, inuentū viginti 1490
millia capitum è nostris desiderari. tria millia in pugna ceciderāt: cæteros vulgati morbi, hyemis asperitas consumpsit, concretis frigore membris, corruptis tabo vitalib., morte tristius lethi genus: sed plerosq; è lixarum calonumque numero, eoque minori damno.

Alfonsi Lusitani Principis nuptiæ. CAPVT XIV.

Finis appetebat, iamque aderat, gentis barbaræ atque imperii inauspicatô in Hispania fundati. vrgebat Ferdinandus Rex, neque indulgenti fortunæ deerat, acer, impiger, solers, cautus, in acie ferox, post victoriam mitis. Supplici prostratoque Regi barbaro conditiones ferente Guterrio Cardena D. Iacobi Legione Promagistro, cuius magnus vsus eo bello fuerat, virtus prçclara, Fādaraxium donat, in montib. Granatç situm municipiū. adiicit alias circum villas & pagos, prædiaque vnde ad vitam sustentandam decem aureorum millia annua prouenirent, exiguum vectigal, leueque regni erepti solamen: eo minori commiseratione, quod imperium meminerant à parricidio inchoatum. Mauris recens subditis datum, vt retentis agris exclusi mœnibus, in suburbiis habitarent, nudati omni munitione. rebellandi facultate sublata, arma etiam & ferramenta detracta. Eo promulgato fœdere Guidixio Ferdinandus Isabellaque discedunt ad quartum Kalendas Ianuarii, per Astigitanos Hispalim petunt tantis rebus breui confectis, maiores augustioresque quam antea: per circumfusos studio visendi populos, ad cælum ferentes laudibus prædicationeque, tanquam cælo dilapsos in salutem patriæ magis quam mortales metuere & colere. Externi Principes rei gestæ fama permoti, missis legationibus gratulari, certatimque Hispanam amicitiam appetere Lusitanus maxime Alfonso filio, quod agi ante cœptum erat, Isabellam maiorem Regum filiam coniugem expetebat, pacis perpetuæ inter vtranque regiam, pignus securum. Ferdinando Sylueira iustitiæ Præfecto, & scrinii regii Magistro Ioanne Texeda è Lusitania legatis, fides nuptiarum Hispali data est quartodecimo kalend. Maii. Et erat spes Gallici coniugii intercepta, Gallo Rege ad Annam Britanniæ Ducem respiciente. Magna vtriusque gentis lçtitia fuit. Lusitanæ minor, Ioanna sponsi amita lectissima, de cuius pietate multa ea gēs prædicat, proximo mense Aueri extincta cælibe vita. Castellæ haud diuturna. Puella ad tertium Idus Nouembris Constantina in Lusitaniam missa est, deducentibus Hispaniæ Cardinali, Ludouico Osorio Giennensi Episcopo, Diui Iacobi, & Alcantaræ Magistris, Comitibus Gometio Figueroa Feriæ, Beneuenti Alfonso Pimentelio, multa alia nobilitate. Omnia ad decorem imperii composita, suscepto inter eas gentes de splendore, cultu & elegantia certamine. Ad Caiam quod flumen Pacem Augustam, Helbesque interfluit, noua sponsa in Lusitanorum procerum potestatem contradita: qui non minori numero obuiam processerunt, cum Emanuele Duce: cui iam numina id coniugium regnūque destinabāt. Ad Stremotium Lusitaniæ oppidū Rex Lusitanus & filius præsto fuere. media spōsa ad sinistrā socer assedit. In

eo oppido in ſponſi manum conuenit ad octauum Kalen. Decembris: qui dies Mercurii fuit. ſacra nuptialia die proximo peracta antiſtite Bracarenſi Epiſcopo: cuius inter Pontifices Luſitaniæ primæ honoris partes ſunt. ludi nuptiales Eborę atque Scalabi in ſextum menſem continuati. Nihil eſt ſyncerum conſtanſque in rebus humanis. Lætitiam vniuerſæ gentis inopinus caſus conturbauit. Regem in eo oppido ad ripam Tagi fluminis die quodam ſub veſperam progreſſum, Alfonſus Princeps honoris cauſa comitatus, cum Ioannem Meneſium ad currendum admiſſis equis prouocaſſet, ferocis quo ferebatur, equi repentino caſu oppreſſus eſt, breuique extinctus. quanto parentum & ſponſę, atque totius prouinciæ luctu dicere non eſt opus. Tot ſpes, tot gaudia, diem vnum in contrarium vertiſſe veriſſimis lacrymis querebantur. Corpus ad maiorũ ſepulcra tumulo cõtectum, & inferię more patrio datæ, Rege & reliqua nobilitate atrata in veſte funus proſequentibus. Iſabella vix primis gaudiis delibatis, tam breui ſpatio ſponſa, coniux, vidua ad parentes in Caſtellam contecta lectica remiſſa eſt. Sic res humanæ & gaudia leui momento permutantur. Regem ſocerum ex mœrore lentus morbus inuaſit, oppreſſitque quarto poſt filii obitum anno, fundato ſub vitæ finem Oliſipone regali xenodochio nobiliſſimo: cuius fundamentis auri ſtipes ipſe ſubiecerat, perpetuitatis omine. Nulla iuſta prole relicta, Georgium ex Anna Mendoza pellice ſuſceptum, in primis quamuis annis, Auiſii atque D. Iacobi Magiſtrum renunciandum curauit, atque perfecit. Noua Regum ſtirpes excepit in Luſitania. Emanueli Regis extincti patruelis, Ferdinandi Viſei Ducis filius, iure propinquitatis cæteris deferentibus imperiũ gentis ſuſcepit. Ex eo Ioannes eſt natus. Ex Ioanne filius eodem nomine: quem ætatis breuitas ad imperium paternum auitumque peruenire non conceſſit, eius Sebaſtiani patrem, qui auo proximus, gentis Rex in Africa graui ac perpetuo ſuæ gentis luctu occiſus, Philippo Caſtellæ Regi Emanuelis ex Iſabella filia nepoti feliciſſimo, Luſitanum regnum reliquit, tertio anno antequam hęc ſcriberemus. Sic in fatis Hiſpaniæ erat, quibus nihil eſt arduum. Verum hæc maiori eloquentia & eruditione viri explicabunt: nos ad iter Granatam redeamus.

Granatæ planicies vaſtata. CAPVT XV.

BEllum Mauricum conficere cogitanti Ferdinando, vnius modo Granatæ vrbis munitio opponebatur: fideſque Boabdili Regi ſuperiori tempore data, cum ſuis omnibus inuiolatum fore. Eius ſubigendę præclara occaſio eſt oblata. ciues ne externo quidem metu coerciti, correptis armis Regem, quod ſæpe fecerant, intra Albaicinum compulerant, ægra ſpe non iam de imperio, quod pereunte obſequio nullũ erat, ſed de ſalute, de libertate laborantẽ. Cõmota multitudo indignari, fremere, tumultuari, minari exitiũ. Amicũ Principẽ in periculo deſerere auxilia poſtulantẽ iniquũ erat, tametſi noui ex Oriẽte terrores oſtẽtati erant. Aegypti Sultanus potẽtiſſimus, niſi incepto deſiſteret Ferdinãdus gẽtis Mauricæ impugnandę, eiſdem imbutæ ſacris, cæde vindicaturum ſe omniũ, quicunq; ex piorum natione in Aegypto, atque Syria reliqui erãt minabatur: ne à ſacris quidem & templis temperaturum. legatus in eã rem Antonius Millanus Franciſcano monaſterio Hieroſolymæ Præfectus, eadem Neapolitani Regis verbis, eo ex itinere cõuento, monuit, vt fama ferebat, Mauricæ genti æquioris quam honeſtum eſſet, & fas Principi Chriſtiano. Nulla iniuria prouocatum debere ab iniuria temperare, neque mouere vnde grauiores calamitates extarent. Sacris quamuis diſcrepantem gentem temere violandam non videri. Neque barbari minis, neque Neapolitani præceptis Ferdinandus eſt territus. Ad Sultanum tamen bello peracto Petrus Martyr legatus eſt facti rationem redditurus: ad Neapolitanum in ipſo nouę expeditionis procinctu, codicillis explicatæ cauſæ, cur iure Chriſtiano imperium iniuria conſtitutum ab antiquo, & vnde multæ recentes offenſæ prouocarent, euertere honeſtum faſque eſſet. De piorum ſalute laborare: ſed tẽperaturos dolori barbaros cognita veritate: neque commiſſuros vindictæ ſtudio, vt vectigalia amitterent, quæ genti grauiſſima imperabant. Nominis ſanctitas non modo tutum à periculo indignitateque Antonium legatum præſtitit: ſed effecit, vt reuerentiſſime officioſiſſimeque haberetur, dimitteretur que. Simul ad Granatenſes ciues miſſi, qui Ferdinandi verbis nunciarent. Si poſitis armis imperata facerent, eadẽ conditione, qua cæteri dedititii futuros. Commouit ea denunciatio vtranque factionem, vt poſitis odiis de communi ſalute conſultarent. Neque ignorabat barbarus Rex, Ferdinandum magis nomen ad præſidium eius quam vires afferre. pro ſe verbo, pro ſe ipſo re pugnaturum: neque ceſſaturum, niſi vrbe in poteſtatem redacta. Viri in ea gente Sancti inter vtroſque commeantes ad concordiam prouocare, obteſtari, monere, quod in rem foret. Seu finis belli

eſſet,ſeu reſumere arma mallent, vnicum genti in pace præſidium: diſſidio vtroſq; prædæ fore. Ergo ſancita concordia inter Mauros, noſtri prædabundi in Granatæ planiciem irrumpunt Rege ductore, Regina Moclini relicta. vaſtatæ circum ſegetes magno ciuium dolore, metuque, ne fame premerentur. Ioannes expeditionis comes à patre Rege balteo militari donatur, laboris præmium, ad maiora incitamentum. Abacta Cordubam præda, lateque terrore iniecto, Villenæ Marchio limiti præficitur. Alfonſi fratris in ea irruptione amiſſi ſolamen, dextrique brachii debilitati haſtæ ictu: dum quendam è ſuis à Mauris circumfuſum periculo eripit, magno Princeps animo, magnoque rei militaris vſu. Mauri vix metu depulſo, ductore Boabdile Alhendinum arcem noſtrorum præſidio recens munitam euertunt. Ea iniuria vindicata, noua irruptione vaſtatis abs Rege panico millioque quæ vna ſpes ſupererat vitæ, ſequenti anno ſuſtentandæ. quindecim diebus ea clades continuata eſt. Guidixienſes Mauri correptis armis tumultuantes, noſtros, qui in arce erant, adacta vi perimere parabant: ſed Villenii celeritas ſeruauit. Per ſpeciem Fandaraxium impugnandi, quod oppidum ab imperio Abohardillis defecerat, Guidixiũ inuectus cum valida manu equitum peditumq;, Mauros vrbe egreſſos quaſi numerũ luſtraturus, clauſis portis aditu prohibuit: noſtroſque periculo eripuit. Rurſus Ferdinandus de menſe Auguſto in Granatæ fines igne, ferroque populationes fecit. Nouo Boabdiles conatu Salobrenam obſidebat: ſed magna virtute & diligentia Franciſco Ramiro defendente, nouoque à tergo terrore vrgente, incœpto abſiſtere, Granatamque ſe ſe referre compulſus eſt. Abohardilli datum ſubditis tumultuantibus recuſantibusque eius imperiũ, vt in Africam traiiceret, ampliſſimis muneribus donatus: vti erat in ſuperiori fœdere cautum.

Granata obſeſſa. CAPVT XVI.

HYeme Hiſpali exacta, Reges Ferdinandus Iſabellaque bellum repetunt. ad Alcalam Regalem Regina cum filiis reſtitit ad omnes caſus parata, breuique iiſdem veſtigiis ſecutura, gloriæ & periculi futura particeps. Ferdinãdus procerum aduentu, & militum quos vrbium conuentus ſuis ſtipendiis ſubmittebant, aucto exercitu, trinis caſtris in Granatę conſpectum Sabbatho ad nonum kal. Maii ſalutis anno Milleſimo quadringenteſi- 1491
mo nonageſimo primo ad Guetaris (id pago nomen eſt ſexto ab vrbe lapide) ſcaturigines, cum ventum eſſet, ex iis locis Villenæ Marchionem & tria equitum millia in vicinos montes prædatum mittit: ipſe ſe eodem ſubſecuturum, cum copiarum robore pollicetur præſidio futurus: ſi quid montani homines durum in armis genus, aut ex vrbe hoſtes mouerent. Fecit imperata Marchio Rex verſus Padulium progreſſus repulſis Mauris, qui ad premendum noſtrorum agmen, ex vrbe erant egreſſi, coniectiſque in fugam, Marchionem re ex ſententia patrata nouem pagis Maurorum incenſis, multaque præda redeuntem accepit lætus, & quoniam prima proſpere euenerant, in vlteriores montes belli terrorem infert. late populationes, direptioneſque factæ. Mauri equites pediteſque notis tramitibus montium, qua tranſitus erat, anguſtias obſidentes victi deiectique ſunt. Cœptis fauebant numina. quindecim alii pagi direpti euerſique: magnaque præda capta: cuius copia erat, montanis à belli ſuperioris malis immunibus, idoneiſque in vrbem commeatus affatim importando: quod omnino prohibendum erat. His rebus ſine vulnere confectis, intra triduum vnde diſceſſerant, læti redierunt. factis caſtris munimenta addunt, ſubitarii operis foſſam, vallumque. Quinquaginta millia militum erant, quinta equitum parte, Hiſpanę iuuentutis flos ingenti delectu contractæ, viuida virtus, vigenſq;. Vrbem equitum peditumque numeroſæ copiæ muniebant: quoſcunque belli ſæuitia reliquos fecerat, magno rei militaris vſu. In vrbana multitudine parum pręſidii rebus erat, in pace feroci, in periculo ignaua. Vrbs Granata natura loci, opere, muris, propugnaculis inexpugnabilis tutaq; erat. Ab occaſu panditur planicies agri optimi, multo effuſo in ea ſanguine, vberi gleba, centum decem millium ambitu. longitudo maior quam pro latitudinis modo fontibus qui ex vicinis montibus ſex & triginta deriuantur ac riuis irrigua, amœnaq; ac humano prope cultu felicior. Ab ortu Illiberritanos montes erigit, vbi quondam Illiberris ſita fuit: Niuoſos ad auſtrum iugis perpetuis inter ſe ſerie cohęrentibus ad Mediterraneum mare. Latera leniter decliuia, & cultura lęta & domiciliis frequentia ſunt. vrbs gemino impoſita colle, Darro amne interfluente tenui aqua quem Singilis mediam interſecans planiciem, vrbe dilapſum excipit. Mœnia validiſſima ſunt, mille & triginta turribus diſtincta, horrentiaque ſpecie minaci, ſeptem olim portis, nunc duodecim. Circumuallari coronaque militum cingi non poteſt, egregiis etiam à planicie vnde aſcenſus æquior eſt, operibus propugnaculiſque firmata. Ea parte templũ eſt maximum,

Mauris rerum potientibus rudis ſtructuræ,noſtra ætate eleganti opere, eiſdem veſtigiis perfectum humano prope cultu auguſtius,ſanctum omnibus circa populis, inclytũ non tam diuitiis,quam Sacerdotum numero probitateque. Prope forum ducentos pedes latum triplo longius ad lineam directum ędificiis ambientibus & mercatorum tabernis elegans.Geminæ arces ſunt:ad auſtrum nobiliſſima pertinet,vrbi imminens,proprioque cincta muro, cui Alhambrę hoc eſt,Rubræ nomen vicini ſoli color effecit, an ex alio oppido eiuſdem nominis eam appellationem ſumpſit, ſpatiis iuſtæ ciuitatis inſtar. Fundamenta Mahomad cognomento Mirus poſuit.extruxere conſequentes Reges: ſed gloriam perfecti operis Iuzephus cognomento Bulhagix tulit. Supra eius arcis portam in læui marmore inſcriptio legitur Arabicis literis, eo Rege demonſtrans fuiſſe perfectum opus,dedicatumque gentis anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, ad noſtram rationem anno Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto.Eundem, Albaicinum in aduerſo colle ſitam vrbis regionem,proprio muro cinxiſſe conſtat:eo ſumptu,vt arte metal la permutaſſe,cum opes regni non ſufficerent,fama ſit.Reliqua vrbs interiecta eſt, vicis deformis,anguſtis plateis,vitio gentis Mauricæ ædificandi oppida minime curioſæ. Domorum ſexaginta millia complectebatur, ingens numerus, ac vix fidem facturus. illud mirabilius quod à legatis Iacobi ſecundi Aragonii Regis Clementi quinto Romano Pontifici, Vienenſes conuentus habenti,affirmatum inuenio.Ducẽta millia capitum Granatæ eo tempore,numerari, vix tamen ex tanto numero quingentos ex Mauris parentibus auiſq; prognatos eſſe: quinquaginta millia Chriſtiana ſacra eiuraſſe:pios ad triginta millia captiuos teneri.Illud certius,ciues in viginti tres tribus noſtra ętate diſtinctos. de numero ciuium laborare non attinet, nihil ad liquidum fama perducitur in eo genere maxime.Ex vrbe & ex reliqua prouincia ſeptingenta aureorum millia Mauris Regibus prouenire erant ſolita.Inſana vectigalia erant: ſeptimaque frugum & pecorum pars pendebatur.decedentib.ſine liberis Reges hęredes ex aſſe erant,cæteris pro portione quantum vnus ex filiorum numero.Regina cum filiis venit in caſtra. Quo tempore Romæ, Pompelonenſis eccleſia Alfonſi Carrillii obitu vacua,Cæſari Borgiæ tunc Protonotario, deinde Cardinali pridie Idus Septembris commendata eſt. Ferdinando Regi animus erat, ſupremo abhibito conatu eam vrbem in poteſtatem redigere:agris identidem vaſtatis ciues ad extremã inopiam redigere, locis vbi caſtra erant ædificata vrbe cui à ſancta Fide nomen fecit.Surgebat incredibili celeritate opus:breuique ad faſtigium peruenit. Intra mœnia ſuis quæque partibus tentoria deſcripta, tum tendentium ordine, tum itinerum interuallis ſpecie mirabili, adinſtar iuſtę vrbis. Interim variæ manus prędatum dimiſſæ, cum Mauris ex vrbe egredientibus ſæpe pugnare.captis aliquando tormentis, magnoq; hoſtiumque numero malo compulſos in vrbem reiicere. muro ſuccedere propius quam ante meminerant.turres vnam & alteram capere,earum quibus prope vrbem & ſpeculis & munitione hoſtes vtebantur.Succeſſu lætos inopinatus caſus conturbauit.Ad ſextum Idus Iulii noctu in Regis tentorio incendiũ excitatum, maioris periculi metum incuſſit. Erant tabernacula ex ramalibus plurimum intexta. iis auide concipientibus flammam (candela forte à Regina neglecta) repente tum prætorium tum vicina tentoria arſerunt. neque ſiſti ignis poterat.Fraude Rex hoſtium id contigiſſe putabat. In publicum nudus prodit arrepto clypeo militari.Certe periculũ erat,ne Mauri occaſione captata, in noſtra caſtra impetum facerent.Gaditanus eo metu cum equitatus parte totam noctẽ in armis, qua parte hoſtibus tranſeundum erat,ſuſtentauit. Maior turbatio,quam periculum fuit. Proxima luce populationes repetitæ:variæ etiam manus diebus conſequentibus in montes miſſæ prædatum, nihil hoſti tutum faciebant, enixe quamuis locis omnibus propugnabat,deſperatione,qua nihil eſt acrius,faciente animos.Verum noſtris nihil remittentibus, Mauri malis omnibus domiti ad deditionem flexere animos. Bulcacino Mulcho vrbis Prętore in caſtra egreſſo, atque è noſtris vltro citroque commeantibus Gonſaluo Fernando Corduba,& Fernando Safra,qui Regi à ſecretis erat,hæ conditiones conſenſu ſcriptæ ſunt,atque vtriuſque partis ſacramento firmatę, ad ſeptimum kalendas Decembris. Intra dies ſexaginta vtranque arcem, turres, portas Mauri traderent. Regis Ferdinandi ſacramentum acciperent, in fide & poteſtate futuros. Chriſtianos captiuos ſine pretio mitterent.Dum ea eſſent perfecta,intra diem duodecimum obſides quingentos darent,ciuiũ nobiliſſimorum filios.Iidem poſſeſſiones retinerent, arma, equoſq; tormentis modo cõtraditis,templa ex ritu gẽtis,patriaq; ſacra.Suis legibus viuerent iudicib. ex gẽte creatis:quorũ cõſilio regii Prętores iura dicerẽt Mauris. Vectigalia triennio remitterẽtur magna ex parte:neque deinceps maiora imperarentur,quam ſuis Regib.pendere

conſueuiſſent.

consueuissent. Qui in Africam nauigare mallent, iis sua pretio vendendi facultas esset: nauigia cum fide darentur quibus ipsi portubus nominarent. Boabdili filius ac cæteri superiori tempore fidei obsides, Moclino, vbi erant, deducti redderentur. Vrbe dedita nullo amplius fidei pignore opus fore.

Tumultus in vrbe concitatur. CAPVT XVII.

HIs conditionibus pactum fœdus, haud magna occasione disturbatũ ferme est. Vulgus, Maurorum maxime infidum, mobile, seditiosum, quieti & otio aduersum. Maurus quidam, cuius nomen nõ proditur, quasi panicis actus, turbida oratione ad arma concitare populum non desistebat. In simulatione beneuolentiæ, proditionem, fraudem, insidias contineri. Boabdilem & proceres nomine Mauros esse, voto cum hostib. stare. Perpetuæ seruitutis iugum imponitur, adeste animis. Sed præsentes miserias & pericula ferre graue est? Animi est ista mollities, paulisper in malis tolerare non posse: minora, ac temporaria mala perpetuis, & grauioribus mutare. Quid vero ad spem affertur inuiolatos vos fore. de bonis non ago, quæ pari vanitate integra fore persuadent: nempe nouos ciues alienus ager sustentabit? An ignoratis quanta vestri sanguinis hauriendi sitis sit? superiorib. bellis parentibus, propinquis magna ex parte desideratis, vindicare prætermittant? Vetera omitto. annum iam circumuallatos & nos macerant, & ipsi non minores clades pertulerunt, circa munimenta sæpe trucidati, neque magis obsidentes, quàm obsessi, nouæ vrbis munitione bellum defendentes. Ferrei sint, nisi vrbe dedita vestris capitib. peremptorum manibus parentarint. Quasi bestiæ cæco impetu, ac rabie concitatæ sitiunt sanguinem. Sed viri sane non sumus. alioqui mecum sustentate. Aderit numen, Mahometesque vates. responsa vetera, & siderum motus fauent fortibus, sed destituunt ignauos. At annonæ inopia premit. sed si parcitis, & quæ à priuatis recondita sunt, in commune confertis in multos dies possumus tolerare: iisque consumptis eorum corporibus, qui ad bellum inutiles sunt, famem propulsare quid vetet? Graue, inquis, & horrendum facinus. sed exemplum tamen à veteribus in simili periculo si non haberemus, instituti denuo, & posteris prodi pulcherrimum iudicarem. Stat sententia: si mortem recusare fas non sit, cruciatus contumeliasq; vitare. Capi, diripi, incendi patriam non videbo: matres, virgines, pueros ad stuprum & in seruitutem rapi. Idem si persuadeo corripite viri arma: fœdus importunũ disturbate. nec cunctatione opus est, vbi perniciosior est quies quàm audacia. Hæc ardentibus oculis, vultu minaci per compita & plateas voce væcordi concionatus, viginti hominum millia ad arma concitauit. Furore & rabie, & causis incertis, eoq; difficilioribus remediis agitabantur. Boabdiles nulla iam auctoritate, ne in tanta colluuione, ludibrio haberetur, intra Alhambram arcem se tenuit. Feroces primos impetus multitudo habet: mox conquiescit, sine capite, sine viribus vano conatu. Idem sedatis tantisper animis, proxima luce in Albaicinum descendens, vbi gentis studia integra erant, consternatas suorum mentes sanare contendit. Vestra inquit, causa nõ mea, vt quidam inuerecundè suspicati sunt, huc monitorem venisse, vel hæc fides sit, quod arce in nostra potestate posita, hostem aduocare nolui, vestra salute neglecta quamuis nouis iniuriis prouocatus: neque antea dum vestris viribus restitistis, dum auxilia aliunde sperastis, dum frumẽtum in vrbe fuit, pacis constituendæ vnquam auctor fui. Mittantur vetera. sæpe à nobis peccatum esse confiteor, fide hosti habita, regno aduersus patrem sumpto: sed pœnarum nihil minus datum est. Rebus desperatis fœdus pepigi cum hoste, ne honestum dicam, tempore certe necessarium. Quid fanatici homines, vt pacem pulcherrime institutam euertant afferre possint, non intelligo. Si alicunde præsidium est, pacta conuenta mecum fallite. sed si omnia sublata sunt, opes, præsidia, cõmeatus, mens propemodum ipsa: quid furore perciti, vel alieno si prouidetis, vel vestro si morem geritis in perniciem irruitis? E duobus cum necessaria sunt, minus incommodum suscipere sapientes decet. quales vos esse considerem, nisi superior tumultus hanc opinionem debilitasset. Sed cùm omnia victoris sint, cum necessitas vrgeat, quidquid relinquitur pro munere habituri estis. De fide hostium non disputo. non semel violatam fuisse confiteor. Verum fides obligatur fide. obsides exigere accipereque quid prohibeat, aut arces, aut viros principes. belli conficiendi cupidine omnia hostis dabit. Hac oratione commoti multitudinis animi conquieuerunt. Sic sæpe popularis tumultus non maiora remedia, quam causæ sunt. Quid Mauro multitudinis concitatori sit factum non inuenio. fuga euasisse suspicabar. Sed præterito Boabdiles periculo admonitus, interiecto dierũ spatio, multa rursus nouari posse, literas continuò ad Ferdinandum Regem dat: munusq; adiicit duos equos

generosos,acinacem,ephippia. Quæ in vrbe contigerant, renuntiat.celeritate opus esse, exiguam sępe moram magnorum motuum causam extitisse.Quod felix faustumq; esset, quando superis ea sententia staret, Alhambram proxima luce iniret. de manu se arcem regnumque victori traditurum.

Granata capta. CAPVT XVIII.

EÆ literæ ipsis Kalend.Ianuarii vertentis anni missę in castra sunt:quibus Ferdinādus lectis, quanta sit lætitia affectus diiudicare promptum est. Rebus in diem proximum comparatis,qui dies in fastis Granatensibus eius vrbis captæ memoria sacer est,veste lugubri ob Alfonsi Lusitani Principis casum,trabea repente mutata,instructas armatasque acies quasi ad pugnam in arcem vrbemq; ducit,gratum oculis spectaculum.Regina filiique ex interuallo sequebantur: intertextis auro vestibus proceres luxu pretioq; ornatus certantes.Ea pompa apparatuq; accedenti propius arcem Regi, Boabdiles obuiam egressus,quinquaginta equitibus stipatus occurrit.In pedes desilire,regiamq; victoris manum deosculari prohibitus,demissis in terram oculis haud læta fronte,id modo elocutus. Tui Rex inuicte sumus,tibi imperio & vrbe cedimus,vtere vt libet moderato vt speramus,& leni,arcis claues in manum dedit,ille Reginæ,Regina filio. Ab eo Enecus Tendilliæ Comes arci præfectus, belloq; dux in ea prouincia futurus acceptis clauibus, cum valida equitum manu in arcem ingressus est. subsequebatur splēdidus procerum & Sacerdotum ordo. In quib. Toletanus Hispalensisque Episcopi eminebant, D.Iacobi Magister, Gaditanus Dux. ante omnes Fernandus Talauera ex Abulensi Præsule captæ vrbi designatus Archiepiscopus,sacra precatione è libris pontificalibus recitata,vti moris est,legitima capientium vrbes verba nuncupauit:simul crucem,quam Toletanus præferebat potestatis insigne,in summa turri constituit,gemino vexillo addito Regio & D. Iacobi. subsecutus est plausus,& lætitiæ permixtus clamor militum & procerum. viri sacrati hymnum Deo pro diuino munere concinuerunt. Regem in genua procumbentem, atque humillimo corporis habitu gratias agentem numini,quod suo ductu dedisset gētis impiæ imperium, & nomen in Hispania excindi:crucemque insignem erigi,vbi diu impietas viguerat altis stabilita radicibus:atque vt ea rata,propria,fixaq; essent precantem,peracta oratione proceres adierunt, gratulantesq; de nouo imperio, dextram ex ordine deosculati sunt in genua procumbentes. Idem officium Reginæ,filioque Principi cum esset præstitum, peracta eius diei pompa,post prandium,secundum vicinam vrbis portam in castra eodem ordine reditum est.Purchenæ vallis in Contestanis paulo ante Mauris erepta Boabdili tradita est:vectigaliaq; designata,in Africam nauigaturo tandem,tædio vitæ priuatæ,cui impares Reges sunt. Quingenti captiui, vt conuenerat, libertati redditi sine pretio, habita supplicatione Regem sacrificio peracto die altero supplices adiuerunt.militibus,quod sibi patriam,se patriæ restituissent, egere gratias: quod pro religione, pietate,Hispaniæ salute,& gloria res humanis maiores confecissent,accurata oratione collaudarunt,restitutores,parentes,vindices nuncupantes. Vrbem ingredi non est visum,priusquam omnia tuta essent,portis,turribus,propugnaculis,præsidiis occupatis. Priori persimili pompa in vrbem inuecti quarto post die, ad aras procubuere, laudes diuinas hymnosque repetētes Duces militesq;:concelebrantes numen,quòd victorias victoriis cumularet,triumphosque de hostibus Christiani nominis præberet.Ferdinandus,Isabellaque augustiores solito visi sunt,splendido cultu,vigenti ætate, nouo imperio,tantoq; bello confecto cōspicui paresq;: maiores conditione mortali. cælo certe dati ad salutem Hispaniæ, constituenda iudicia,quæ labefactata erant, leges sanciendas, vnde iura populis dantur, vindicandam religionem, pacem publicam fundandam domesticis externisque dissidiis sublatis: proferendum imperium non in Hispania modo, sed ipso tempore ad extremas cæli oras: ingenia prouincialium ad virtutis, & eruditionis studium excitanda, præmiis, quæ sunt amplissima in Hispania, non maiorum imaginibus, neque ad cuiusquam gratiam, sed ad veram meritorum rationem tributis. Doctrinæ cultu suscepto, quantum profectum sit, explicare non est necesse. res ipsa indicat. maiori eruditione & sanctitate Sacerdotes & Episcopi, maiori prudentia & integritate magistratus,vbi terrarum inueniantur? Itaque ante hæc tempora paucos quosdam literarum laude præstantes numerare licet: qui deinceps in Hispania in omni eruditionis genere excellentes fuerint,recensere quis audeat? Erat vtrique statura mediocris, omnibus membris æqualis & congruens, facies honesta, maiestas in vultu incessuque par, aspectus gratus. colorem candidum nonnulla

fuscedo

fuſcedo temperabat, Regi maximè militiæ laboribus aduſtiori. ſpadicea & prolixa cæſaries erat, barba detonſa, lata ſupercilia, caluum caput, os exiguum, labia rubra, dentes minuti & rari, lati humeri, erecta ceruix, vox acuta, ſermo expeditus, perſpicuum ingenium, iudicium graue, mores faciles. Se adeuntib. comis clemenſq;, bellicis fuit iuxta ac ciuilibus muneribus par: tam aſſiduus in negotio, vt labore refici ac reparari videretur. Corpus nullis mundiciis emollitum, ſed cultu & victu frugali & parato militare. Equos arte incitare, atq; in varios orbes flectere cum dexteritate. Iunior teſſeris & alea, maior aucupio animum curis grauem remittere ſolitus. Regina præſtanti formæ venuſtate, flauis capillis fuit, cæſiis oculis, nullo fuco mentita facie, totius oris dignitate modeſtiaq; ſingulari, religionis ſtudiis dedita, atq; literarum, viri amans ſed cum zelotypia ſuſpicionibuſq;. Latinæ linguæ non planè expers fuit. quo præſidio Ferdinandus caruit, nullo literarum cultu in minori ætate: cognoſcendis tamen ex hiſtoria maiorum geſtis, & literatorum hominum colloquiis animum oblectabat. Quo die natus eſt Ferdinandus (ſic affirmatum inuenio) Neapoli quidam è Carmelitano ordine vir ſanctus, Alfonſo Regi. Hodie, inquit, in Hiſpania citeriore puer tui generis eſt natus: cui cęlum noua imperia pollicetur, ingentes opes, felicitatemq;, pio præ cæteris, religioniſq; cultori, & amplificatori præclaro. In tantis virtutibus quædam vitia ineſſe propemodum neceſſe fuit: vt nihil eſt in rebus humanis ſyncerum. Sed auaritiam tamen, calamitas vectigalium excuſare potuit: ſeueritatem, temporum morumq; labes. Callido ingenio fuiſſe fidemq; ex commodo nonnunquam mutaſſe externi auctores accuſant, ex fide, an ex inuidia gentis non diſputo. & ſolet hominum malitia virtutib. veris, vicina vitiorū nomina affingere: ſicut è contrario fallunt, atq; laudātur vitia, quæ virtutes imitātur. Magnos ſibi principes toto orbe Chriſtiano affinitate deuinxit, Luſitanos, Auſtriacos, Anglos. Plures regias propinquitate complexus eſt, Ferdinādi Neapolitani patruelis, Annæ Britannæ, quæ Galliæ Regina fuit, tū Catharinæ Vaſconum Reginæ auunculus maior. Id etiam in Ferdinandi actionib. accuſatur: quod Catharinam & virum nullo conſanguinitatis reſpectu, immenſa imperādi ambitione, auito regno expulit in Galliam conſequentib. annis. Sed ſpecies religionis prætenta facto eſt, & Romani Pontificis iuſſa: vnde diuturni graueſq; motus extiterunt. Henricus Labretus his Principib. natus, paternum regnum repetiit maiori conatu quam ſucceſſu. Ex hoc & Margarita Franciſci Regis Galliæ ſorore, Ioanna principatus hæres nata eſt, Antonio Borbonio Vindomienſi Duci coniux: eius Henrici mater, quem ducta Margarita trium Regū Galliæ ſorore Franciſci, Caroli, Henrici, proximum affinitate, proximum ſanguine per viros ſtemmate generis continuato, peruerſæ de religione opiniones, patriaq; ſacra repudiata, præcipitem agunt: aliis procerib. eum negantibus imperio Gallico idoneum videri, qui prauis de religione opinionib. infectus ſit: ſucceſſoremq; alium nominandum eſſe affirmantibus, ſi Henricus Rex eius leuir ſine prole deceſſerit. Eam controuerſiam tempus Marte arbitro diiudicabit. Ipſe portu occupato ſub finem laborum vela traham: & longæ feſtinem ſcriptioni finem facere. Obita à Regibus, atq; luſtrata vrbe Granata, Mauri ſub Chriſtianum imperium ſuperis auctoribus, auſpicato, in æternum, ea in Hiſpaniæ parte conceſſerunt, ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecūdo, octauo Id. 1492
Ianuarii: qui dies Veneris fuit, anni Arabum octingenteſimi nonageſimi ſeptimi, menſis Rabih Haraba, dies octauus. Piis omnibus, vt Magorū memoria ſacer veteri inſtituto celebriſq;, ita recenti victoria vniuerſæ Hiſpaniæ ſalutaris, fauſtuſq; illuxit: cū ſublata euerſaq; impietate, ſuperior gentis ignominia depulſa eſt: Hiſpaniæq; pars non exigua in formam prouinciæ redacta magiſtratus legeſq; accepit. Lętitiæ particeps reliquus orbis fuit. Literę ad Innocentium Pont. Max. Regeſq; datæ: ac miſſi qui gaudiū ingens nunciarent. Confectum Mauricum bellum, cæſos, domitoſq; hoſtes, impoſitum Granatæ iugum, vbi quondam noſtrorum ſpoliis extructæ ſuperbęq;: ac Chriſto redditum tandem vniuerſæ Hiſpaniæ imperium. Eo nuncio vrbes & prouinciæ finitimæ, longinquæ, dies feſtos agitare: ludos & ſpectacula inſtituere. Omne genus, ætas, ordo, conditio, templa adire, ad aras procumbere, vota perſoluere. Romam pace ante triduum Pontificem inter & Neapolitanos Principes facta, lætam Ioannes Strada à Ferdinando nuncius ex Hiſpania, ipſis Kalend. Februarii noua ea lætitia cumulauit. Supplicatione ad D. Iacobi Hiſpanorum ædem decreta habitaq; Regum & Hiſpaniæ laudes præconiis haud immeritis accommodata tempori oratione celebratæ ſunt.

Libri vigeſimi quinti Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER XXVI.

Iudæi ex Hispania pulsi. CAPVT I.

CONFECTO Granatensi bello, Hispaniæ totius gloria fructuque maximo. conuulsoque in ea Maurico imperio tandem: quod multis sæculis steterat altis nixum fundamentis: Ferdinandus & Isabella reges ad noua, & illustriora bella, conatusque retulerunt animos. Generosi principes & nunquam cessantes, qui dies noctesque nil cogitabant aliud, quam ad exitum qua ratione perducerent ea consilia, quæ pro pietate & vera religione susceperãt præclare: & qua via cæperant ad laudem & immortalitatem nominis peruenirent. Neque verum erat pace Hispaniæ & felicitate fundata in medio ætatis cursu conquiescere, vitæ se mollis iucunditatibus dare: ac ne pati quidem, nobiles milites, quos superioribus bellis magno numero parauerant militię claros & fide maxime insignes, otio & voluptatibus, qui fructus victoriæ est, in patria & vmbra marcescere: sed quando in Hispania nulli hostes supererant, nulla laudis bellicæ materia, procul eos ad nouas spes tentandas amandare, longinquas subiugare nationes: vti in præsenti accidit, quo prouentu dicere non est necesse: res ipsa indicat. Ab eo enim tempore eoque aditu nomen Hispanorum eatenus ignobile, certe angustis Hispaniæ finibus inclusum, breuissimo deinceps tempore non modo Italiam, Galliam, Africamque cursu victoriarum maximo peruasit, sed ad extremos orbis terrarum fines peruenit vltra solis vias & ipsius Oceani limites. Magna rerum moles incumbit humeris, grauiusque onus quam imbecillæ nostri ingenii vires sustinere possint: pelagus immensum, quo tranando par esse quis audeat? Itaq; quod sum initio præfatus huius operis in Granatensi bello resistere, neque vltra procedere deliberatum erat. Nimirum suo se quemque pede metiri neque maiora viribus conari æquum est: præter alia incommoda quæ eo loco sunt à nobis indicata. Verum ab ea sententia vt tantisper deflecterem amici fecerunt viri eruditione præstantes conuitio historiam mutilam relinqui accusantes earum rerum explicatione sublata, ad quas lector festinare solet, minori veterum cura. Porro quæ proximis annis ab Hispanis gesta sunt propter amplitudinem rerum & gloriã quibus iacta sunt fundamenta eius imperii, quod hodie tenet Hispania latissimum, magnam operi gratiam à fine pulcherrimo allatura contendebant scilicet. Quod negligendum pręceptum non erat: sed curandum potius, vt extrema narrationis pars, quasi postremus actus fabulæ, multo quam cætera elegantior, illustriorque esset. Hæc illi afferebant viri prudentes & graues. Quid facerem? quod consilium captarem potissimum? Repugnarẽ nihilominus? cautus essem: idem ne præfractus viderer & durus cauendum erat. Obtemperarem amicè monentibus? modestiæ fortassis laudem tenerem: sed ne inconstantiæ vitium incurrerem, metus suberat. Quid ergo? morem eatenus gerendum duxi, vt recẽriori nihilominus memoria deuitata, proximis modo annis gesta explicarem. Sic enim sine aliqua offensione cogitabam commemorari po nique in extrema historia posse ea: quæ amplitudine & gloria longe superant quæcunq; ab omni memoria à nostra gente gesta sunt: ac nescio an ab vlla vnquam natione tã breui spatio res æque illustres sint perfectæ, finesque adeo imperii & famæ prolati tantopere. Verum priusquam iis rebus explicandis stilum applicamus, meminisse operæpretium erit quod alio loco dictum est: Francisco Britanno Duci nupsisse annis superioribus Margaritam filiam Eleonoræ, quæ Regina Vasconum fuit, soror Ferdinãdi Regis. Ex eo con-

iugio

iugio Anna & Iſabella natæ ſunt, nulla proles maſcula. Harum virginum nuptias multi principes ambiebant,pari contentione ſucceſſu vario. Annæ imprimis in paternas opes ob ætatis prærogatiuam ſucceſſuræ. In ea contentione Carolus octauus Galliæ rex riuales alios facile ſuperabat opibus maior propinquiori principatu: præter alias neceſſitudines,quæ cum Armoricis Britannis erant,quippe Galliæ Regum beneficiariis.Tametſi & ipſi Gallo Regi à ſuperioribus annis Margarita pacta erat Maximiliani Regis Romanorum filia: & is Princeps poſt Mariæ vxoris obitum cælibe toro, ſibi Annam Britanni filiam iungere cupiebat pactis adeo puellæ patre concedente ſponſalibus.Verum Gallo neque vires deerant neque artes ad præoccupandum aliorum Principum conatus. Religionis atque honeſti exigua cura,quoniam de proferendo imperio agebatur.Sumit in Britannum arma, quaſi Gallos proceres ad ſe confugientes tegeret: ac nominatim accuſabat,quod Ludouicum Aurelianenſem ducem ſororium ſuum Ioanna vxore,Galli ſorore iuniore,à ſe alienatum ditione tectoque accepiſſet.Magnum videlicet crimen amitinum texiſſe.Carolo enim Aurelianenſis,Britannus Caroli ſorore Margarita nati erant.Verum filiæ nuptias extorquere ea ſimulata ſpecie ſatagebat. In eo diſcrimine Britannus ad Angliæ Germaniæque opem ſupplex confugit.Ac in primis Alanum Labretum,Vaſconum Regis patrem & ipſi ſpe facta eius coniugii à multis tantopere expetiti in Hiſpaniam legauit: qui ſuperiori tempore Ferdinando Rege Valentiæ conuento, ab eo impetrauit vt claſſe ad Sebaſtiani fanum in extrema Cantabria inſtructa auxilia in Britanniam mitteret.Claſſis ductor deſignatus Ioannes Gralla natione Catalaunus inferre,& explorare guſtu epulas regias ſolitus. Inter Gallos Britannoſque varia extitere certamina, quæ ſigillatim recenſere operę non eſt.Ad Albini fanum tandem iuſto prælio eſt dimicatum. Vicere Galli.Labretus fuga euaſit.Aurelianenſis Grallaque capti: tum Ioãnes Auraneius princeps,qui Catharina ſorore Britanni natus auunculi in eo bello partes eſt ſecutus. Vix dimidia pars Britanni exercitus ſuperfuit:è Gallis mille ducenti cecidere nihilominus.Pugnatum eſt menſe Auguſto eius ſeculi anno duodenonageſimo. Poſt eam victoriam in fœdus itum eſt.Gallus captiuis dedit libertatem quamuis non vno tempore omnib. neq; vna de cauſa. Britannus niſi conſenſu Galli Regis filias nuptui non daturum recepit. Id præſtitit proximo anno ſublatus morte.Filiarum tutelam Britãniæ Mareſcalo, quem imprimis fidum erat expertus,moriens commendauit, ad Labreti nuptias propenſo ante fœdus cum Gallo ictum pactas. Reſtitere Dunenſis & Britanniæ Cancellarius ei coniugio: ante omnes Auraneius qui propinquitate fretus virgines ſorores in ſuam redegit poteſtatem earum nuptias ſui arbitrii facturus.Vnde noui motus extitere.Mareſcalus, Angliæ opem implorauit,Auraneius Ferdinandi Regis. Vtrinque miſſæ ſunt militares manus: ac ex Hiſpania mille equites duce Petro Sarmento Salinarum Comite initio anni M cccc xc in Britanniam appulere.Hiſpanica auxilia Britanni pleriq; habuere ſuſpecta. Scilicet nationis odio,veritique ne verbo pro illis,re pro ſeipſis pugnarēt. Sic parum profectum eſt. Princeps ipſa accerſa ab aliis ad Regem Romanorum erat propenſa:idque iniri coniugium decretum eſt.Sic Labretus ea ſpe depulſus: ac ne Iſabellæ minoris Britanni filiæ cum filio ſuo item minori,de quo etiam actum erat,coniugium ſperans per hoc ipſum tempus vita functæ,dolore repulſæ facile ad Gallos animum retulit. Nannetes, quæ vrbs Britanniæ caput in poteſtate erat, tranſitionis pignus dedit equitum magiſterio illectus maxime,qui honos in Gallia præcipuus & maximus mutatæ fidei pretium offerebatur. Ab eo aditu cætera procliuia Gallo fuere:Ferdinandus etiã rex copias ſuas euocauit ſpecie quaſi parum proficeretur ob alienatos prouincialiũ animos,re quoniam in ſpem venerat Ruſcinonenſes & Ceretanos recipiendi.Sic Galli reddituros ſe pollicebantur,in eo Ludouici vndecimi Regis Galli ſecuti voluntatem. Is enim ſub mortem conſcientia victus, & Fráciſci de Paula Minimorum conditoris monitis caſtigatus,quem ab extrema Italia acciuerat ſalutis à medicis deſperatæ tutelarem , Lumbenſi Epiſcopo & Dunenſi Comiti Perpiniani reſtituendæ negotium dederat. Verum Rege interea defuncto ab itinere re infecta reuocati ſunt ab iis qui ad Galliæ gubernacula patre defuncto,Rege pupillo ſedebant.Hiſpanorum qui in Britannia erant,diſceſſu Gallus maximam eius principatus partem armis præſidiiſque occupauit. Anna eius ſoror natu maior Borbonii vxor pro ea poteſtate qua res omnes in Gallia ad nutum moderabatur, vt ſpretis nuptiis Margaritæ ob maturam ætatem,Annam Britannam duceret auctor fratri extitit. Hoc coniugio nobilis principatus ad reliquam ditionem adiunctus, opeſque & vires eius gentis magnum incrementum accepere.Prorſus vt Galli pacatis eius regni motibus,de Italia ſubinde cogitare cæperint. In Hiſpania Ferdinandus & Iſabella Reges bello Maurico exempti, quam primum de pellendis vniuerſa ditione Iudæis, quæ alia peſtis ſupererat, inter ſe conſulta-

bant.Eo conſilio Granatę,vbi morabatur,mēſe Martio ſalutis an. M CCCCXCII per edictū voce præconis denunciarunt, Iudæi omnes, niſi mutarent, vti ex omni ditione diſcederent. Parando exilio quatuor menſes dati ſunt, cum facultate eo ſpatio vendendi bona ſecumue,quo vellent aſportandi. Id edictum noua Thomæ Turrecrematæ Inquiſitoris ſanctione amplius eſt aſtrictum menſe Aprili piis omnibus vetantis cum ea gente commercium:grauique ſupplicio ſancientis ſiquis eo decurſo tempore victu aut re alia quapiam eos homines iuuaret.Sic innumera Iudæorum multitudo mari ex Hiſpania ſoluentes, tum Africam, Italiam & orientis ſolis oras tenuerunt : vbi in hunc diem patriam Hiſpanorum linguam mordicus retinent:tum plerique in Portugaliam viciniam abiere.Fecit eo migrandi poteſtatem Ioannes eo nomine ſecundus Portugaliæ Rex ea tamen lege, vt per capita octonos aureos ſinguli penderent hoſpitii pretium: atque intra certum tempus rurſus ex iis finibus commigrarent, captiuitatis pœna propoſita iis qui ſecus feciſſent. Itaque multi in ſeruos eo tranſacto tempore dati ſunt: quos omnes tamen Emanuel Ioannis ſucceſſor,cum primum regni infulas ſuſcepit,mitiori cenſura reddidit libertati. Iudæorum multitudinem,qui ex Hiſpania diſceſſerunt, ad certum numerum reuocare promptum non eſt. Plerique ſcriptores centum & ſeptuaginta familiarum millia abiiſſe confirmant: quidam ad octingenta millia capita perueniſſe ait. Ingens numerus,ac vix fidem facturus.Sed vnde tamen multis occaſio extitit hoc decretum accuſandi gentem copioſam,& quæ omnes vias pecuniæ nouerant amouere,à prudentia Ferdinandi alienum exiſtimantibus. Magno vtique compendio fructuque earum prouinciarum, ad quas copiarum Hiſpaniæ magnam partem, aurum, argentum, gemmas, veſtemque pretioſam ſecum detulere. Multi ex eo numero,ne patria carerent,Chriſto dedere nomina, pars ſynceris animis: alii ſimulata pietate tempori ſeruientes breui ad ingenium fraudes & mendacia redierunt.

Alexandri Sexti Pontificis electio. CAPVT II.

INterea Romæ Innocentius Pontifex deceſſit ad octauum Kalendas Auguſti. Patres conclauis, vbi comitia haberentur, cuſtodiam cum aliis Ferdinandi Hiſpani Regis legatis credidere. ii erant duo epiſcopi Aſturicenſis,atque Pacis Auguſtæ. Ignotus ille,hic Bernardinus Caruaialius ab his initiis maiorem famam quam laudem olim conſecutus. Die proximo in ſuffragia deſignando ſucceſſore conuenere,diuiſi ſtudiis bifariam pertinaci inter ſe certamine. Pars Iuliano Rouereo adhærebat ingentis ingenii Cardinali, ſi minus ſibi pontificatum obtineret, in Georgium Acoſtam Portugaliæ Cardinalem propenſius haud obſcurè. Alii Aſcanium Sfortiam Ducis Mediolanenſis fratrem, & Rodericum Borgiam Vicecancellarium ſequebantur diuitiis & amplitudine ſenatus facile principes.Qui plura largiri poterat,turpi,vti fama tulit,ambitu victor in ea contentione.Borgia pontificatum adeptus bonis malis rationibus Alexandri ſexti nomen deſumpſit.Multum illi Aſcanii tum diligentia tum gratia & auctoritas contulit ad conciliandas collegii voluntates:eoque merito,vt merces operæ eſſet,Vicecancellarius continuò S. R. E. eſt deſignatus. Primo dein Patrum conuentu Ioannem Borgiam Archiepiſcopum Montis regalis nouus Pontifex ex ſorore natum donauit purpura. Ex inuidia odioque nationis multa afficta Alexandro Pontifici crimina ſuſpicabamur: maiora certe vero atrocioraq; prædicatione hominum eſſe facta. Et eſt vulgus ad deteriora credulitate pronum. Natus eſt in Hiſpania vrbe Valentia,pater Gotifredus Lenzolius,mater Iſabella Borgia.Renunciata Calixti auunculi electione, ad non dubiam purpuræ ſpem continuo Romam iunior aduolauit.Cardinalis factus tum alia intemperantia fœdus extitit,tum iuſtę propemodum vxoris loco & cultu habuit Zanoziam Romanam puellam:ex qua quatuor filios genuit:Petrum Ludouicum natu maximum,Cęſarem,Ioannem,Gotifredum,filiam vnam nomine Lucretiam. Petrum Gandię Ducem fecit auro redemptæ,vſque adeo erat locuples. theſauros ab auunculo Pontifice relictos opimis ipſe ſacerdotiorum vectigalib. auxerat.Defuncto maiori filio antequam ipſe eſſet Pontifex prætermiſſoque Cæſare, vnde illi irarum cauſæ,Ioannem in eo principatu ſubſtituit: deditque coniugem Mariam Aragoniam Alfonſi ſecundi NeapolitaniRegis filiam notham. Vnde natus eſt Ioannes Franciſci pater,eius quem abdicato paterno & auito principatu noſtri ordinis ſocium deinde Præpoſitum generalem vidimus,præcipuum noſtræ ætatis miraculum. Incidit Alexandri Pontificis electio in tertium Idus Auguſti:diadema capiti impoſuit ſeptimo Kalendas Septembris. Quo die Valentiam patriam metropolitano iure paulo ante donatam eſſe, nouo ipſe diplomate ratum habuit:ſimul eius eccleſiæ Archiepiſcopum Cæſarem filium ſuum

ſuum dixit relicto illi etiam PompelonenſiEpiſcopatu,famæ perſonæque quam gerebat, nulla cura. Proximo anno duodecimo kalendas Octobris eundē in Cardinaliū collegiū cooptauit,quaſi Dominici Ariniani cui Zanozia nupta erat, iuſtum filiū. Impotens eſt animus, quem ingens cupiditas deuouit, vecordia viribus armata neque pudore mouetur,neque veritatis conſcientia.legibus,vt ita crederetur,cautum multorum ad gratiam loquentium teſtimonia confirmarunt. Contra hiſcere nemo Rotæ iudicum,nemo Cardinalium,cum quibus rem communicauit, auſus eſt. Tantam improbitatem tam perditos eius ſeculi mores ingemuiſſe orbem Chriſtianum arbitror.Hinc vero proxima mala quibus premimur: Gotifredus minimus natu Alexandri filius, ab Alfonſo Neapolitano Rege annis conſequentibus Squilatii principatu in extrema Italiæ ora donatus eſt. vxor Sanctia eius Regis filia ſed ex obſcura matre.Lucretia Piſaurienſi regulo primū deinde Alfonſo Aragonio Viſelis duci eius Alfonſi Regis filio ex impari etiā matre nupſit.Atque hoc à Cæſare leuiro qui abdicata purpura, Dux Valentinus vocabatur immaniter interfecto,poſtremo coniux data eſt Alfonſo Ateſtino Herculis Ducis Ferrarienſis filio maiori. Hoc Pontifice quatuordecim Hiſpani Cardinales in ſenatum lecti ſunt: in hoc numero Bernardinus Caruaialius ardenti atque inquieto ingenio vir Aſturicenſis prius deinceps Paceſis,Carthaginenſis,Seguntinus ac Placētinus in Hiſpania Epiſcopus. Hæc initia quanta conſequentur mala? Mouebantur Vaſcones nunquam plane quieti. Hinc Ioannis Narbonenſis Vicecomitis arma premebant: inde Lerini comitis conatus ſollicitabant ſuis ſemper regibus infenſi. Fortuna eorum Principum contemtui erat homini factioſo & regia Aragoniæ affinitate ſuperbo. Narbonenſis quidem iniuriam ſibi factam expoſtulabat Franciſco & Catharina Gaſtonis fratris filiis in regni eius ſucceſſione deinceps prælatis:cum Gaſtone defuncto ſuperſtite Cleonora matre ad ſe qui matri propinquior quam nepotes erat,ſucceſſionis ius pertinere diſputaret. Lis hæc ſæpe exagitata,neque vnquam ſatis compoſita recurret tamen. Lerini Comes Pompelone pridem in poteſtatem redacta vrbe primaria, Olitem recens aliasq; arces occupare non deſiſtebat. Miſerabilis rerum facies, fæda malorum colluuies. Ad Ferdinandum Regem Hiſpanum conſenſu decurſum : vt pro ea neceſſitudine quæ illi cum iis regibus eaque gente erat, ſua auctoritate & arbitrio eas controuerſias componeret.Ille in Vicecomitis Narbonenſis cauſa,ſe Regibus non defuturum indicauit quaſi potioribus iure, neque paſſurum vti iniuria auito regno pellerentur à patruo. Ea tunc mens fuit. Eo reſponſo Narbonenſis haudquaquam quieuit. Correptis armis in Fuxenſem principatum inuaſit : vbi aliquot oppidis captis,ſimul lite conteſtata Pariſienſium iudicum opem implorabat,quoniam is principatus in parte Gallię poſitus, Galli Regis in fide ditioneque erat. Verum fœdere inter diſſidentes tandem facto, tunc quidem ea cōtrouerſia finem habuit rurſus eruptura. De Lerini Comite conſenſu eorum principum ſanxit Ferdinandus rex, vti quę per vim occupabat ac Olitē nominatim reſtitueret. Simul Vaſconum finibus perpetuo abiret cum vxore (quamuis Ferdinandi ea ſoror erat) & filiis Ludouico & Ferdinando. Oſca in Baſtetanis data Marchionis nomine exilii ſolamen , amiſſæ patriæ nonnulla compenſatio: præter alia quæ inpoſterum ſunt promiſſa. Quæ omnia ad eos Reges promerendos gentisque motus pacandos expectabant. Verum anno proximo hæ conditiones agitatæ,non ante tertium poſt annum finem habuere. Ad intermiſſa redeat oratio.

Nauigatio ad Indos occiduos inchoatur. CAP. III.

ORbem terræ vniuerſum tres in partes antiqui diuiſerunt. inuentæ demum auorum ętate nouæ nationes,terrarum tractus immenſi quartam adiacere: quę reliquis omnibus magnitudine ferme par noui orbis nomen inuenit,ad quem nullæ antiquorum litterę nulla penetrarunt arma. Rem plane mirabilem,maioribus denegatam laudem, noſtris hominibus noſtroque ſeculo ſeruatam, qua nihil ab omni memoria contigit in Hiſpania, neque ad dignitatem honeſtius, neque ad celebritatem illuſtrius,neque fructu vberiori. Id qua ratione contigerit,& quibus opibus & induſtria ad Indos occiduos maris Atlantici fluctibus ſuperatis fuerit peruentum,explicandum eſt.Nauis quædam in Africæ commercio occupata ſuperioribus annis, ventorum violentia. abrepta ad ignotas terras & littora appulit. In reditu vectoribus & nautis fame extinctis, Nauarchus cū tribus aut quatuor ſociis Maderam inſulam,quæ in ditione Luſitanorum erat, tandem tenuit mortuo quam ſpiranti ſimilior. Agebat forte in ea inſula Chriſtophorus Columbus natione Ligur (nam & vxorem in Luſitania duxerat) ingentis animi vir, ſingulari induſtria,quod erat pręcipuum rei nauticæ imprimis peritus. Excepit is hoſpitio Nau-

archum: qui longinquæ nauigationis laboribus fracto corpore, breui extinctus commentaria quæ de tota nauigatione confecerat, Columbo reliquit. Quę si vera causa fuit: siue ex Astronomica disciplina, aut à quodam Marco Polo medico Florentino edoctus statuit quasi rem minime dubiam, trans noti orbis terminos etiam ad occidentem solem, magna terrarum spatia patere, nouas & incognitas gentes habitare lingua, moribus, superstitionibus dissonas. Hanc sui animi cogitationem cum Lusitano Rege primum, deinde cum Henrico septimo Angliæ Rege communicauit. Somnia vtriusque afferre visus est. Auctoris humilitas contemnebatur, vt maxime probabilia afferret. Repulsus tamen non destitit non quieuit. Quin ad Ferdinandum Regem Hispanum se contulit, & cum nihilo magis audiretur septennii patientia peruicit tandē, quo tempore Granata de Mauris capta est, vt tres naues regiis sumptibus instructæ eo duce experirentur an promissis responderent facta. Decem & septem millia aurei mutuo sumpti, propter inopiam ęrarii bello Granatensi exhausti tantæ molitioni initium præbuere. Sic solent ex paruis momenta maximarum rerum pendere. Instructis Columbus nauibus ad Palos Bæticę portum in Oceanum Atlanticum egressus tertio nonas Augusti passis velis Canarias primum insulas petiit. Inde in occasum directis proris superatisque vasti pelagi fluctibus, cum quibus non maior illi lucta fuit quam cum sociorum contumacia & desperatione conuitio efflagitantium temerario vt incœpto absisteret: neque eos in certum exitium raperet: tandem de mense Octobri insulas plures inuenit ad eius regionis spatiosa littora quam Floridam deinde dixere. Ea & insulas Lucaias ab incolis nuncupatas, ipse in Regis gratiam Principis dici voluit. Dum terrę eius conditionem & diuitias explorat, atque agrestes ferosque hominum mores cicurare contendit, aliquandiu in illis insulis moratus, deinde extructa arce in qua triginta octo è sociis reliquit. Diegho Arana duce, decemque ex incolis in naues impositis rediit in Hispaniam confectæ nauigationis nuncius lętissimus, auri & copiarum, quas ea terra fundit secum deferens specimen, atque primitias. Prouocauit is successus tum Reges tum prouinciales, vt maiori studio in eam nauigationem incumbetent. Itaque Columbus repetitis nauigationibus plures alias insulas, in his Hispaniolam & Cubam spatiis præ cæteris latiores, magnamque continentis partem explorauit, eius quod à freto Magellanico ad Boiadoris promontorium, immenso marium & littorum tractu ab Antarctica ad Arcticam plagam excurrit vltra quinque millia leucarum legentibus littora. Ad medium quidem spatium sinuosa ea littora & exesa efficiunt, vt à portu Nominis Dei, qui ad mare nostrum est, vsque ad Panamam aduerso atque Austrico mari adiacentem vrbem, vix decem & octo leucas conficiant, quibus ea iter est. Vtriusque maris litora ad septentrionem longissimo tractu nostrorum diligentia sunt explorata: neque hactenus tamen cognitum, an occidui Indi cum orientalibus sint coniuncti: an vero supra Cataium Sinarum portum, supraque Cipangrim aut Iaponem dirimantur freto aliquo. Obiit Columbus post annos quatuordecim vir immortali gloria, æterno pręconio prædicandus. Viuo & mortuo honores habiti, minor meritis gratia (neque enim par merces esse poterat) dux quamuis Beraguæ præfectus maris Indici fuerit constitutus. Nouis alii nauigationibus tum Columbo superstite, tum maxime defuncto, eius imitatione varias insulas & littora aperuerunt ad occasum: singula recensere longum esset. Sed in hoc numero tamen Americus
1500. Vespucius Florentinus Emanuelis Lusitani Regis auspiciis anno primum M.D. Bresiliam vniuersam explorauit partem haud dubium noui orbis. Tametsi inuentæ Bresilię laudem historici Lusitani ad Petrum Aluarum Capralem ablegant, vti alio loco explicabimus. Post littora omnia ad mare nostrum decursa Vascus Nunnius Balboa Pacis Augustæ ciuis magnorum spirituum vir apprime pugnax, constans aduersus metus Isthmū, qui castigatis immensum ab vtraque parte littoribus à portu Nominis Dei ad Panamam pertinet, primus nostrorū aperuit: mareq; Antarcticum inuenit anno M.D.XIII. magna nostrę gentis gloria fructuque. Ex Columbi & Americi nauigationibus Castellę & Lusitaniæ regibus orta lis est. Contendebat Lusitanus ignoti orbis exploratione venia Pontificum Romanorum, ac nominatim Eugenii quarti ad ipsum vniuersam pertinere. Quid Castellæ rex in alieni iuris prouincias inuaderet? Quid nouo conatu alieni laboris & industrię fructū occuparet: Ille contra Alexandri Sexti diplomate causam tuebatur anno M.CCCCXCIII. cōcedentis, vt linea cogitatione descripta per vtrumq; cæli cardinē centum omnino leucas vltra insulas Hesperides, quæ ad viride promontorium iacent, quidquid terrarum ad solis occasum inueniretur, ipsi cederet, cætera Lusitano relinqueretur: quod aliquanto post nouo diplomate correxit, additis ad centum leucas priores aliis trecentis & septuaginta, vt Bresilia recens reperta intra fines Lusitanię conquisitionis com-

comprehenderetur. Oſorius in Emanuelis Regis vltra Oliſiponis meridianum triginta ſex gradus ad occaſum lineam cogitatione deſcriptam affirmat. Omnino ex ea concordia, eaque pactione lis noua nata eſt apta nexaque ex priori. Malucas inſulas, vnde aromata aduehunt, Caſtellani contendebant, intra eam orbis partem comprehendi, quę ipſis eſt à Pontifice attributa. Negabant Luſitani, & per lunæ deliquia, quæ vna ratio eſt terræ longitudinis dimetiendę, obſeruatum aiunt, Indi fluminis oſtium Oliſipone diſtare nonaginta non amplius gradibus: inde ad meridianum qui per extremas Molucas mente deſignatur, duos & quadraginta gradus abſolui: cui ſummæ ſi adiiciantur triginta ſex gradus, qui Oliſipone verſus occaſum numerantur, vnde ea nauigatio inchoatur, nondum ſubducta ratione peruenietur ad centum octoginta partes è trecentis ſexaginta, in quas terrarum longitudo vniuerſa vulgo tribuitur. Illud conſtat Ferdinandum Magalianem natione Luſitanum à Rege ſuo alienatum quod diu in India orientali verſatus & multis ſtipendiis factis Alfonſo Alburquerquio Prętore paria meritis non accepiſſet præmia, poſt mortem Ferdinandi Regis catholici, Carolo eius nepoti perſuaſiſſe, Caſtellæ naues directis inter occaſum & meridiem proris poſſe nouo itinere ad Malucas inſulas peruenire. Opem monitis addit: datiſque quinque nauibus Hiſpali ſoluit ſalutis anno M.D.XIX. Canarias primũ inſulas non deuias, tum Braſiliam petit: emenſiſque iis littoribus ad gradum tertium & quinquageſimum vltra mediam cæ- 1519.
li plagam fretum inuenit, quod de eius nomine Magellanicum eſt dictum. In aditu eius freti nauis vna ad ſcopulos fracta eſt: altera tædio nauigationis obſcurę noctis tenebris tecta Hiſpalim rediit. Tranſmiſſo freto poſt multorum dierum nauigationem per mare vaſtiſſimum ad Subum tandem inſulam excenſione facta ducem & ſocios aliquot, barbari ſpecie amicitiæ fallaces conuiuio exceptos perfide peremerunt. Eorum cæde quoniam in tres naues neque nautæ neque vela ſufficiebant, incenſa vna naui, qui ſupererant, ad Molucas tandem non longe diſſitas peruenerunt. Noua ibi laborum facies, noua diſcrimina. Ad Tidorem tamen vnam ex iis inſulis aromata in naues imponunt petitum ex iis locis ſpecimen. Atque è duabus nauibus vna amiſſa, quoniam ſentina aquam accipiebat, quę reliqua erat, diuerſo itinere ſuperato Bonæ ſpei promontorio poſt multa & varia diſcrimina Hiſpalim peruenit tertio anno poſtquam inde diſceſſerat. Nauis Victoria Nauarchus Ioannes Sebaſtianus Canus Cantaber, Guetaria patria, animi conſtantia & inaudita felicitate promeritus, vt nomen ipſius æternitati conſecretur. Tentarunt alii conſequentibus annis ſemel iterum, & tertio ea nauigatione ad Molucas penetrare: ſed quoniam fructus labori & impenſę non reſpondebat, tandem deſtiterunt. Ac Ioannes tertius Luſitaniæ Rex Carolo Cęſari trecenta quinquaginta millia aureos mutua dedit ea lege, vt à comercio Malucarum tandiu ipſe & poſteri abſtinerent, donec ea ſumma cum fide reddita eſſet, litem pecunia diremit. Hoc tempore ea controuerſia penitus ſedata eſt, vniuerſa Hiſpania ad vnius poteſtatem ditionemq; reuocata. Vltra Iſthmum noui orbis ad mare Auſtrale noua Hiſpania ad dextram iacet latiſſimis fuſa ſpatiis, vrbſque Meſſicana regionis caput in palude ſua humilibus cæciſque circa vadis. In ea & finitimis regionibus late imperabat Motezuma, quem Ferdinãdus Corteſius anno M.D.XX. intra ſuum palatium viuum cæpit. Eo tamen per impruden- 1520.
tiam ictu lapidis à ſuis occiſo, quos tumultuantes atque in noſtros exitium parantes è feneſtra prolato capite pacare volebat: pulſi prius vrbe Hiſpani, deinde refectis viribus reuerſi vicere aduerſarios. Sic latiſſimæ illę prouincię Carolo Cæſari ceſſerunt. Corteſius tanto ſubiugato imperio immortalem ſibi laudem peperit, poſteris opimum principatum Valleſiis Marchionibus. Ad Iſthmi læuam Franciſcus Pizarrus anno M.D.XXV.
Peruam inuenit, & ſexto poſt anno capto occiſoq; Atabalipa eius prouinciæ imperatore, 1525.
vniuerſam eiuſdem Caroli Cęſaris ſubegit imperio, omniũ, quæ repertæ ſunt, venis auri & argenti beatiſſimam gentem, ſi ſua noſſet commoda, adeo vt domeſticum omne inſtrumentum ollæ & caldaria & lebetes ex auro & argento conflarent. Ingens miraculum. Prædam, quam credi poſſit, maiorem Pizarrus cum Almagro pręcipuo eius expeditionis ſocio non optima fide diuiſit. Vnde irarum cauſæ & cędes mutuę. Sed ſingulis tamen gregariis militibus ex ea præda ſupra nouem aureorum millia obuenerunt, quanta ſpolia ſatis conſtabat nunquam ab vlla memoria, vllaue gente relata. Ii milites trecenti circiter ſupra centum millia indigenas commiſſo pręlio vicerunt gentem inermem & imbellem ſcilicet ſudes tantum & ſagittas ferentem nullo pręfixas ferro. Ex copia inſolentia nata ſuperbiaque opulentię comes. Ferdinandus Franciſci frater Almagrum palam hoſtilia molientem vi adacta peremit. Almagri ex impari Indicaque matre filius Dieghus in Franciſci Pizarri ædes dato impetu eius ſanguine perempti patris mani-

bus parentauit. Hunc alter Franciſci frater Gonſaluus adiutore Vaccacaſtrio regio deinde Prætore interfecit: & ſucceſſu ac copiis elatus poſtea ſuperbia, à regia auctoritate palam defecit. Verum ſuis & multorum opibus præualidum, tam procul ab Hiſpania vi opprimere difficile erat. Ad artes conuerſo ingenio Petrus Gaſca ſacerdos ad eos motus pacandos miſſus à Carolo Imperatore in toga vicit rebelles: easque regiones motusque ſumpto de præcipuis factionis capitibus ſupplicio pacauit. Reuerſus in Hiſpaniam Palentino primum deinde Seguntino Epiſcopatu donatus ad vltimam proceſſit ętatem maiori induſtriæ & integritatis fama, quam opibus. Ferdinandus Pizarrus è tribus fratribus diu ſuperſtes in Hiſpania, quo vltro venerat Almagari cædem excuſatum, cauſam è vinculis dicere multis annis eſt coactus. Sic ira cęleſtis occiſi crudeliter Atabalipæ innocentis manes vlta, ac per omnes domos aduerſariorum vagata, nullo innoxio relicto breui tempore pœnas à ſingulis improbæ cupiditatis & cædis iniuſtę habuit.

Ruſcinonenſes & Ceretani Regi Aragonio reſtituti. CAPVT IIII.

ARdebat Carolus octauus Rex Galliæ incredibili cupiditate Neapolitanum regnum armis occupandi ſuorum conſiliis propter ętatem imbecillitatemque obnoxius. Ad vetera iura, quæ certiſſima exiſtimabat, nouæ cauſę noueq; commoditates accedebant. Vires opesque ad perficiendum, quæ verſabat animo, deeſſe non poterant florentiſſimum regnum poſſidenti viris armisque præualidum. Hęc cogitanti Regis Romanorum ira opponebatur ad priores offenſiones intercepta recens ſponſa Britanna, repudiataque Margarita filia denuo irritati. Simul ne à tergo eo in bello longinquo diſtricto aliquid Rex Aragonius moueret, verendum erat patrocinio Neapolitanorum ſuſcepto pro ea neceſſitudine quę illi cum iis erat ſanguine iunctis: proque ſtudio Ruſcinonenſes & Ceretanos, de quibus lis erat, ad veterem ditionem reuocandi. Ergo de Aragonio conciliando in fędusque attrahendo primum actum eſt. Conſtitutum vt delecti ab vtroque Principe viri primarii ad fines vtriuſque ditionis conuenientes de pacis conditionibus ſerio conſultarent. Regi Gallo præ ſtudio expeditionem Italicam maturandi omnis mora longa erat: & quacunque ratione paciſci, ſtatutum cum animo ac deliberatum habebat. Ferdinandus & Iſabella Reges ne occaſioni deeſſem, quæ momento temporis prætervolat feſtina & pręceps, relicto Granatę Eneco Mendoza Tendillię Comite, quem Alhambræ arci præfuerã:, bello ea parte ducem, in Aragoniam feſtinare conſtituunt. Eo conſilio Iunii menſis initio in viam ſe dant. Sequebantur filius & princeps & filię, ſplendidus procerum numerus. Borgiam ventum ad confines Vaſconum & Aragoniæ: quo vrbium ſocietates ante aliquot annos ad prohibenda ſcelera inſtitutas venire iuſſerát geſtæ reipublicę rationem reddituras. Eo conuentu ſoluto Cæſarauguſtam feſtinatum eſt. In ea vrbe, ne vrbani magiſtratus ciuium ſuffragio, vti facere conſueuerant, ſed nominatione Regis deinde legerentur nouo decreto cautum, quod non diu ſtetit. Antiquis homines ſtare malunt, vt maxime vſus manifeſte arguat quam nouis inſtitutis, pręſertim iis quibus ius libertatis minui videtur. Barcinonem tandem menſe Octobri eſt peruentum. In ea vrbe atrox facinus in Regem nihil minus cogitantem commiſſum eſt. Conſueuerat ſingulis hebdomadis ſtato die publice omnibus ſe adeuntibus aures dare, vindicare iniuria oppreſſos. Ad ſeptimum Idus Decembris die Veneris diutius ſolito in ea auditione moratum equo cænatione egredientem proditionis ſecurum Ioannes Canamarius natione Catalaunica Remenſæ natus nemine eorum, qui aderant, conſiderante propius accedens diſtricto repente gladio ſecurũ ſub aure vulnerauit. Atroci temeritate commoti aulici, conturbata ciuitas, pro eo ac par erat, de conſcelerato homine quæſtione tormentis habita cognouerunt, nullo auctore nullo ſocio tantum flagitiũ deſignaſſe. Sed furore percitum per quietem ſomniaſſe Rege interfecto fore ſucceſſorem. Ea re & quoniam leue vulnus fuit concepta animis moleſtia eſt mitigata. Neq; tamen excuſatio valuit, quo minus fanaticus homo exquiſitis cruciatibus perimeretur. laniato occiſoque corpori ignis à victimariis ſubiectus. Agebatur interim de fæderis inter duos Reges faciendi conditionibus. Conuenere ab vtraq; parte legati viri primarii pro Gallo Ludouicus Amboeſa Albigenſis Epiſcopus, pro Aragonio Ioannes Coloma, ipſi à commentariis. Ad Figueras oppidum in finibus Ruſcinonenſium & Emporitanorum de conditionibus coram diſceptatum eſt primum, deinde Narbone. In ea vrbe ad
1493. quintũ decimũ kal. Februarii anno M.CCCC.XCIII. conſenſu hæ conditiones ſancitæ ſunt. Pax Regib. Gallo & Hiſpano eſto fędusq; aduerſus omnes principes vno excepto Pontifice Romano. Filias ne Ferdinandus Rex cuiq̃ principi iungito niſi ex Galli Regis volũtate Ruſci-

Ruſcinonenſes & Ceretani ad Aragonium imperium ditionemque redeunto detractis inde præſidiis Gallicis. Eo beneficio habere ſibi Gallus Hiſpanos obſtrictos volebat: quod aliquot menſes dilatum eſt priuſquam ea redderētur oppida. In rebus magnis nouæ identidem ſuboriuntur difficultates: ægreque homines imperii antiqua poſſeſſione decedunt. Supererat Maximilianus Rex Romanorum: cum quo poſt multas quidē difficultates fœdus item eſt factum. Margarita filia reſtituta, quæ eatenus in Gallia erat, cum dote Arteſiæ comitatu, certaque ſpe Burgundiæ etiam reddendæ, de quo principatu à Gallis per vim antea occupato maior lis erat, retractata ſæpe neq; ad hanc diem compoſita. Hoc fœdus ipſo tempore ſancitum eſt, quo Fridericus Cęſar grauis annis vix trahebat animā, ætate & laborib. fracto corpore ac nup̄ enato Carcinomate noxio; ꝙ ne latius ſerperet, crus alterum eſt præciſum. Vim doloris ſenex ſuſtinere non potuit. Subſecuta continuo mors eſt ad quartum decimum kalendas Septembris. Eius obitu imperium Romanum, aliique defuncti auiti principatus in Maximilianum filium, vti opus erat, tranſlati ſunt iam Regem Romanorum cui Ludouicus Bari dux Ioannis Galeatii ducis Mediolanenſis patruus illius ſororem Blancam Mariam toro iungere parabat. Dotis nomine quadringenta aureorum millia oblata: ea vtrumque lege, vt pro ea auctoritate qua fungebatur, Mediolanenſem principatum imperatorum beneficium ipſi donaret iure quoque optimo poſſidendum fruendumque. Immane facinus, diram dominandi cupiditatem: eo amplius quod ſummę pactę vadem dedit Ioannem ipſum Galeaciū, in quem eæ machinationes comparabantur. Vnius hominis ambitio quantas procellas concitabit. Iniquiſſimæ pactionis ſpecies erat: quod neque Franciſcus Sfortia neque eius filius Galeacius vnquam eas tabulas ab imperatore impetraſſent. Eoque eum principatum quaſi legitimo poſſeſſore vacuum, & ad imperii ius reuocatum dari denuo pluris licitanti poſſet. In Aragonia & Catalaunis moram trahebat Ferdinandus quorſum euaderent Gallorum promiſſa expectans. Ita menſe tandem Septembri Ruſcinonenſes & Ceretani reſtituti ſunt Aragonio imperio, Gallicis præſidiis ex omnibus arcibus vt pacti erant, detractis. Quam liberalitatem omnes admirati ſunt: Hiſtorici ac præſertim Gallici ſine fine vituperant, dum maiora incerta ſpe captant, opimos principatus reliquiſſe, ac tandem amiſiſſe vtraque ex euentu nimirum, vt vulgo fit, de conſiliis Principum temere pronunciantes. Plerique Albigenſem Epiſcopum auro Hiſpano corruptum ſugillant vero an falſo dicere non poſſum, confictum ſuſpicabar.

Militarium ordinum magiſteria Ferdinando Regi data. CAP. V.

VNo tempore Ruſcinonenſes & Ceretani Aragonio imperio ſunt redditi: & in aduerſa extremaque Hiſpania Gadeis inſula ad Caſtellæ Regum ditionem rediit anguſta quidem ſpatiis, agri tamen omni fertilitate feracis & amœni, commercio externarum gentium propter portus celeberrimi commoditatem frequens & copioſa cum primis. Henricus quartus Caſtellæ Rex qua in cæteris profuſione eam Ioanni Pontio Leoni Arcobrigæ Comiti Marchionis Gaditani nomine dono dederat: quod poſteri retractarent. Eo enim defuncto aliquot menſibus poſtquam Granata capta eſt, Roderico Pontio eius nepoti, qui in auitas opes ſucceſſit, Regum iuſſu detracta eſt, & ad regiam ditionem reſtituta. Datum tamen oppidum Caſares in Africa, tum Comitis Arcobrigæ nomen ducis appellatione eſt mutatum, leuis vtraque ablati eius principatus compenſatio. Sed Regum imperium ferendum eſt quamuis graue. Illud ſine inuidia, quod Palma inſula vna è Fortunatis Alfonſi Luci virtute & ductu, Regum Caſtellæ auſpiciis & ſumptu domita ſubditaque eſt. Nihil tamen ad memoriam præclarius in hunc annum incidit ea mutatione, quæ in tribus ſacris militaribus Caſtellæ ordinibus facta eſt. Multum ii milites iuuerāt Mauris ex vniuerſa Hiſpania deturbādis impio imperio euertēdo, genere & factis nobiliſſimi, ſtrenui, pugnaces. Confecto Granatenſi bello, cū parū iam terroris ab hoſte eſſet, pro gratia odiū redditū. Dolebant Reges ab eorū poteſtate Magiſtros eorū ordinum eſſe liberos, iis opibus eaque auctoritate vt Regibus formidabiles eſſent, tumultus & bella ſæpe in prouincia concitarent. Ea ſpecies facto eſt pretenta, vera an conficta non diſputamus. Certe in comitiis non lex & æquitas ſæpe valebant: ſed vis & ambitus. Itaque ab Innocentio octauo diploma eſt ablatum, quo ſublatis Magiſtris eorum ordinum adminiſtratio procuratioque omnis Regibus credebatur. Sic Garſia Padillia defuncto ante ſex ferme annos Calatrauæ Magiſtro, eius locum Ferdinandus Rex occupauit nullo amplius militum ſuffragio, vti moris erat, Magiſtro ſubſtituto. Quod exemplum ad diui Iacobi ordinem manauit hoc anno. Alfonſo Cardena

eius militiæ magiſtro defuncto. Et vt finis eſſet, proximo anno à Ioanne Stunica Alcãtaræ Magiſtro impetratum eſt, vt eum honorem in Regis gratiam Hiſpalenſi Pontificatu mutaret. Acceſſit eidem poſt aliquot annos purpura Pontificis dono Regis auctoritate & gratia. Sic Regi tres illi ordines ceſſerunt vt dum vita maneret, eorum ditionem & opes ipſe procuraret. Alexander Pontifex ad Innocentii veniam adiecit porro in ea adminiſtratione Reginam ſociam cum iure ſuccedendi, ſi quid viró humanitus contigiſſet. Poſtremo Hadrianus ſextus in gratiam Caroli alumni, cui debebat pontificatum, ei & ſucceſſoribus conceſſit lege perpetua ius præſentandi Epiſcopos Hiſpaniæ, qui ante ad eorum ſupplicationem precario à Pontificibus Romanis inſtituebantur. Et vt eos ordines in omne tempus ipſi adminiſtrarent, liberalitas quam nulla poſteritas taceat, cuncti admirentur, nemo retrectet. Ioannis Stunicę iam Cardinalis in familiam aſcriptus fuit Antonius Nebriſſenſis immortali laude vir, eique dictionarium Latino Hiſpanum nuncupauit, eruditione & ob reſtitutam in Hiſpaniam Latinam linguam barbarie profligata promeritus vt nomen eius Hiſtoriis Hiſpaniæ inſeratur; ſed & multorum librorum editione: in quibus de belli Granatenſi & Vaſconum commentaria confecit atque reliquit, aliquanto quidem maiori diligentia & fide quam dictionis elegantia. Multis procerum funeribus hic annus inſignis fuit. Deceſſere præter Marchionem Gaditanum, & diui Iacobi Magiſtrum, Henricus Guſmanius Aſſidonię dux, Petrus Fernandus Velaſcus magiſter equitum in Caſtella. tum Petrus Henricus Bęticę Antelatus. ſucceſſere filii parentibus Aſſidonię duci Ioannes Guſmanius, Magiſtro equitum Bernardinus Velaſcus: cui nupſit Ioanna Aragonia Ferdinandi Regis filia notha. Ex hoc coniugio nulla maſcula proles ſed filia tantum Iuliana nomine ſuſcepta eſt, de qua rurſus mentio redibit.

Belli Neapolitani cauſæ.

CAPVT VI.

QVieſcebat Italia viris, opibus & fama florens. Italis Principibus inter ſe & cum liberis ciuitatibus qua iunctis ſanguine, qua multiplici deuinctis fœdere. Cum repente periculoſum & graue bellum, vnde minime putabatur, exortum eſt. Neapolitana expeditione ſuſcepta qua nihil per hæc tempora illuſtrius extitit maiorique fama, Carolus octauus Gallię Rex Italicas rationes atque adeo vniuerſę Europæ tranquillitatem vehementer conturbauit: Tanti mali origines & prima initia explicare, operæpretium erit. Vrbanus ſextus Carolum Dirrachii Principem ex Hungaria euocarat olim aduerſus Ioannam Neapolitanam Reginam Clementi ſeptimo eius ęmulo, vt in nomen Pontificatus inuaderet, auctorem præcipuam, quo facto eccleſiæ pax turbata eſt vniuerſus orbis Chriſtianus ſciſſus in partes. Ludouicum illa Andegauenſem Ioannis Regis Galli minorem filium, quem opponeret aduerſario ex Gallia operę amplo præmio excitum ſucceſſorem adoptauit. Fruſtra is conatus fuit, vita & regno Regina ſpoliata. Ludouici filius item Ludouicus cum Ladiſlao Caroli filio Neapolitano Rege bellum geſſit, nihilo tamen meliori euentu quam pater. Nepos item Ludouicus à Martino quinto Pontifice euocatus aduerſus Ioannam Ladiſlai ſororem Reginam etiam Neapolitanam haud maiori quam ſuperior pudicitiæ laude, Alfonſum Aragonium Regem ea ad depellendam tempeſtatem adoptatum, deinde ob enatas ſuſpiciones reſciſſa adoptione abdicatum expulit in Hiſpaniam. Ludouico tertio ſine prole defuncto Renatus frater ſucceſſit: cum quo Alfonſus conuerſa fortuna diu bellum geſſit extincta iam Neapolitana Regina in Galliamque redire compulit. Renati filius Ioannes Lotaringius Ferdinandum Alfonſi filium bello fatigauit eo quod à proceribus Neapolitanis eſt concitatum eorum dux. Victus tamen atque ex Italia deturbatus non quieuit. Quin bello Catalaunico aduerſus Ioannem Alfonſi fratrem Regem Aragonium è rebellibus ducem præbuit: eoque Barcinone in ipſo belli ardore extincto Carolus Renato patruo ſucceſſit. Hic teſtamento hæredem ſcripſit Ludouicum vndecimum Galliæ Regem, quoniam in Renato Lotaringio Renati Andegauenſis ex filia nepote propinquo ſuo ad euertendas Aragonias opes Neapolitanũ regnum occupandũ, cuius rei prima cura erat, impares vires fore prouidebat. Belli Neapolitani hæc prima origo extitit. Acceſſit altera Galeacio duce Mediolanenſi à ſuis occiſo, vt eſt ſuperius indicatum, Ludouicus Sfortia dux Barenſis ob teneram ætatem Ioannis Galeacii, qui extincti fratris filius erat Mediolanenſis principatus procurationem arripuit apprime ſagax & cautus. Habebat is in matrimonio Beatricem Herculis Ducis Ferrarienſis ſororem

ſororem. Alfonſus quoque Calabriæ dux Ferdinandi Neapolitani Regis filius Hippolytam duxerat Sfortiam Galeacii & Ludouici ſororem : vnde Ferdinandus & Iſabella ſunt nati Ferdinando quidem auitum atque paternum regnum poſt aui fata & parentis abdicationem obuenit : Iſabella autem Ioanni Galeacio duci Mediolanenſi data eſt coniux. Hæc geminæ iam prolis mater facta ; iniuriæ impatientia virili animo fœmina patri auctor extitit , vt Ludouico patruo euerſo ; qui haud obſcuro ſuo quam alieno nomine dominari malebat ; principem generum in maiorum opes reponeret: eam ignominiam diutius in Aragonia gente hærere nefas eſſe. Non deeſſe ciuium ſtudia cum occaſione eruptura haud dubium. tantum ſe viros eſſe oſtenderent iis maioribus ea nobilitate ſenſit Ludouicus tempeſtatem, quæ in eius caput parabatur. Ad artes conuerſo ingenio,quoniam viribus par non erat, Carolum octauum Galliæ Regem iuuenta ferocem gloriæ cupidum, in arma promptum, magnis pollicitis & certa victoris ſpe, aduerſus Neapolitanos Principes armauit. Veniſſe tempus vindicandi iniurias, quæ ab Aragoniis extabant repetendi antiqua iura nobiliſſimo principatu occupato. Eos conatus Stephanus Belcarius ei Regi in primis carus, quippe à pueritia nutritius omniumque adeo arcanorum non particeps modo, ſed moderator & arbiter, & Guillelmus Briſſonetus ærario præfectus Maclouienſis Epiſcopus homo copioſus iuuabant. Accedebant plerique Neapolitani proceres ob ſæuitiam Ferdinandi Regis extorres patria. In eo numero Antonelus & Bernardinus Sanſeuerini Salerni & Briſiniani Principes finem malis & exilio exoptantes , incenſum Regis animum quaſi nouis facibus admotis ad eam expeditionem inſtigare non deſiſtebant. Eo ardentiori ſtudio quæ in Gallia initio quamuis benigne accepti, parca deinde manu adiuti vti Comineus ait,multa ea nobilitate indigna patiebantur haud idoneis in alimenta vectigalibus datis. Ergo inopiæ malo & moræ impatientia adacti, ſeque in omnes partes verſantes , vnde ſpes aliqua proponebatur priſtinarum opum,Ferdinando item Aragonio Regi, Neapolitanum regnum obtulerunt , de alieno munifici ſcilicet vitium natalium in Neapolitano Rege accuſantes. Verum is cautior eos proceres vindictæ tantum cupiditate incitari nulla æquitatis cura intelligens , eoque continuo daturos vela vnde melior ſpes affulgeret patriæ recuperandæ & auitos principatus , eorum pollicitis ſurdas aures præbuit. Ac illud potius deliberatum habebat, quacunque ratione poſſet, ſubleuandi Neapolitanos , Regem Gallum ab eo conſilio deducere Italiæ bello vexandæ. Quod erat plane difficile, longius prouectis rebus omnibus & apparatu bellico,quam vt reſiſtere poſſent. Sic ab vtraque parte præſidia conquiſita diligenter ſunt concordiæ ſpe ſublata. Ludouicus Sfortia cæteros Italiæ principes ſibi & cum Gallo fœdere conciliare, auxilia vndique comparare. Vni Florentini ex vniuerſa Italia à Ludouici conſiliis auerſi initio quidem ab Aragoniis ſteterunt. Veneti,vti facere conſueuerunt, quorſum eæ molitiones euaderent expectare decreuerunt belli ſpectatores potius quam pars , ex euentu conſilium capere vt res ſe darent. Alexander Pontifex , tametſi initio ſe auerſum ab Aragoniis oſtendit , mox ſpe facta filios in Neapolitano regno nouis principatibus augendi , ad hæc annua ipſi penſione promiſſa, mutata voluntate ad eos inclinare conſtituit , vnde maiora beneficia extabant proxima ſpes oſtendebatur maioris vtilitatis. Honeſtatem reſpexiſſe non arbitror. Ipſi Neapolitani principes haudquaquam ſe in periculo deſeruere quos poterant omnes ad communicandas opes ſolicitarunt communi patriæ opitulandum. Excitato ſimul incendio cunctorum opes arſuras. Ac in primis ad Ferdinandum Aragonium legarunt, qui eorum nomine omnibus precibus patrocinium imploraret. Debere eum & patruelis & regis & ſororii periculo moueri , eiuſque calamitatem ſuam ducere. Quod ſi iura propinquitatis & amicitiæ parum valerent, Siculis ſaltem rationibus moueretur , quæ Neapolitano principatu à Gallis euerſo in manifeſtum periculum veniebant. Rebus integris ſuccurreret , perditis inanem , certe intempeſtiuam opem fore. Cupiebat Ferdinandus Aragonios principes propinquos & neceſſarios periculo eripere , vera eſſe , quæ prædicabant , non ignorabat , memoria tamen recentis fœderis & ſacramenti religione detinebatur , ne in Gallum arma ſumeret. Ac in præſenti ſatis habuit Garſiam Laſſum prudentia iuxta & nobilitate virum conſpicuum , facundum , callidum , audacem Romam legare , qui Pontificem in voluntate & ſententia confirmaret tegendi Neapolitanos. Simul Alfonſum Siluam Cifontani fratrem , Calatrauæ Clauigerum miſit in Galliam , vt cum Regem à conſilio inuadendi Neapolim deduceret : ſin minus admoneret principum eorum res ſibi curæ fore, conſanguinitatis & neceſſitudinum, quæ cum iis erant

iura postulare, ne iniuria opprimi pateretur. Hæc omnia ineunte salutis anno M.
1494. ccccxciv.gesta sunt. Quo tempore Ferdinandus & Isabella reges qui eatenus in Aragonia substiterant, Cæsaraugusta profecti Tordesillam abierunt. Inde Vallisoletum & Medinam Campestrem. In eo municipio est allatum Ferdinandum Regem Neapolitanum obiisse diem. Decessit ad octauum kalendas Februarii annis grauis de belli euentu solicitus & periculo, quod ingenii ipse sęuitia fecerat. Eo felix tamen vt in malis quod regni paulo ante sua & patris industria florentissimi euersas opes non vidit. Opportuna mors exitio domus eripuit. Successit Alfonsus extincti filius ciuibus nihilo gratior quam pater. Coronam capiti imposuit Ioannes Borgia Cardinalis ab auunculo Pontifice ea caussa Neapolim legatus. Castellę item Regibus ab Alexandro Pontifice exemplo maiorum datum est, vt decumarum ecclesiasticarum tertiam non modo in Castella & Legione, sed etiam in nouo Granatensi regno verterent in vsus belli Maurici. Tordesillæ magna contentione viri delecti fines vtriusque nauigationis Indicæ designabant occiduę & ad orientem. Consensu tandem ad septimum Idus Iunii decretum est, vt triginta sex gradus vltra Olisiponis meridianum nauigatio occidua Castellæ, inde etiam Lusitanica sed versus orientem inchoaretur. Et quoniam de Africa haud multo minor inter eos Reges disceptatio erat: per idem tempus vt Pluthense regnum Lusitanis armis cederet, Tremesenium Castellæ conquisitionis haberetur constitutum est spaciis ad vtrumq; mare Mediterraneum & Oceanum extensum nulla designatione tunc limitum accuratiori, vnde nouæ controuersiæ deinde extiterunt.

Rex Galliæ Neapolitanum regnum occupauit.

CAPVT VII.

INgenti delectu Rex Gallus vires imperii & copias vniuersas in vnum conferre, certus in Italiam primo quoque tempore transmittere belli dux. Apparatui vniuerso sedes Lugdunum delecta est ciuitas ampla lautaque. Alpes vicinæ qua transitus erat infesto rigore & æternis pressæ niuibus in cęlum surgentes. Eo Iulianus Ruuereus Cardinalis sancti Petri ostia digressus vbi se tenuerat infensi metu Pontificis accurrit expeditionis instigator & particeps. Contra Alfonsus Silua, vti erat iussum, eum Regem obtestari quotidiano conuitio, vti desisteret tranquillum Italię statum solicitare, quod nationes alias in partes traheret. Intempestiuæ eę voces accidebant atque auribus ingratę in eum statum perductę, vnde regredi sine ignominia non liceret. Itaque Rex Gallus Petro Borbonio sororio suo in Gallia relicto, qui rebus se absente pręesset, ex ea vrbe cum copiis omnibus mouit die Martis ad decimum kalendas Iulii. sequebatur Regem Galliæ nobilitas vniuersa viginti millia pedites, equites ad quinque millia inuictum copiarum robur. Pecunia in stipendium quærenda erat, mutua à proceribus sumpta: à Genuensi mensario præterea centum quinquaginta Francorum millia. Sed quantulum id erat tanto bello perficiendo; cælestes quibus fauent, iis omnia prona faciunt, ardua aduersariis sicut in pręsenti accidit. Alfonsus Neapolitanus rex ad occupandos Galli conatus, bellumque procul à finibus remouendum classe valida instructa misit Fridericum fratrem in Ligures, vt Genuensium ditionem & littora vastaret: eamque vrbem deduceret à Ludouici Sfortię hostis imperio. Simul Ferdinandum filium Calabriæ ducem magnę spei iuuenem cum validis copiis terra misit, vt Mediolanenses fines inuaderet bello illato. Prudenter destinata vis altior euertit. Fridericus mari parum præstitit. post Macram amnem quo ab Hetruria Ligures dirimuntur, gemini deinceps sinus neque vasti neque angusti panduntur. Ac in priori quidem Ericis portus occurrit nunc Lerice, exaduersum Lunæ seu Veneris tum promontorium tum portus ab insula quondam Veneri sacra proxime obiecta ea appellatione desumpta. In medio sinu Spedia est ad mare generoso vino nobile oppidum. Posterioris sinus ad fines extremos inde vrbs Segesta Tiguliorum est, hinc Delphini portus, nunc Portofinus. In sinus dorso Rapallũ Genua viginti non amplius millib. iacet parum ea tempestate munitum oppidum. Classe Fridericus in ea littora delatus tentato frustra Veneris portu, inde repulsus Rapallum cepit. Diuturna possessio non fuit. Genuensium & Heluetiorum accursu receptum est oppidum, atque præsidiariis male mulctatis, retro se cum ignominia damnoque Neapolitana classis retulit. Sic mari res erant. Terra Ferdinandum Calabriæ ducem Gallię & Mediolanenses copiæ Obenigno ductore pręcipuo obuiam factę, ne vltra Flaminiam procederet, ac vero vt retro flecteret iter, coegerunt. Romam abiit si quid opis in Pontifice esset aduersus

uersus

ticrſus imminentem vndique tempeſtatem. Rex Gallus continuato itinere ſuperatis Alpium Coctiarum iugis Aſtam tandem peruenit ad quintum Idus Septembris. Ea vrbs Aurelianenſis ditione tenebatur. Regem cum cæteris ad id bellum ſecuti, certa ſpe totius Mediolanenſis principatus occupandi iniuria vti præ ſe ferebat, ab Sfortiis occupati vindicaturus, ſi qua ſe rebus turbatis occaſio daret. noua ex eo tela diſſenſionum texebatur. In eo exercitu legatus Hiſpanus profecto malignis oculis viſebatur. Multa indigna perſona, quam gerebat, pati porro neceſſe erat, quæ vir prudens alta diſſimulatione deuorabat, dum ne officio deeſſet. Eo tamen Galli ardenti ingenio gens ſunt progreſſi, vt Vienæ diſcedere è Gallia iuberent. Aſtæ etiam nullum regii metatores hoſpitium deſignarent. Sic neceſſario ex ea vrbe profectus Genuam abiit Ligurię caput. Tædere iam Ludouicum Sfortiam cæperat conſilii ſuſcepti Gallos in Italiam pertrahendi communi incendio ne ipſe quoque inuolueretur veritus non ſine cauſa. Cum eo Alfonſus Silua per litteras egit, vt rupto Gallico fędere ad Aragonias partes fædusque tranſiret. Suadere facile fuit tum mutanti cum ſpe iniecta regiæ affinitatis Ferdinandi regis filia illius filio maiori iuncta coniugio. Honeſtiſſima is conditione illectus viro alioqui animo vaſtus & immodicus ex eo tempore mutare conſtituit. Aſtam tamen ſe contulit ob Regis Galli aduentum ſimulata lętitia pectore anxio: eique pecuniam in ſtipendium militare continuo numerauit ex fędere certe debitam. Eo ſubſidio Gallus & Ludouico Aurelianenſi Aſtæ relicto ad ſpem occupandi vniuerſum principatum Mediolanenſem cui imminebat, cum copiis Ticinum caſtra promouit. In ea vrbe Ioannem Galleacium ducis Mediolanenſis nomen & vmbram agentem animam ex diuturno morbo tabeque inuiſit, officium humanitati debitum & propinquitati; quippe è duabus ſororibus Ludouico Duce Sabaudo genitis erant nati. Rege Placentiam verſus digreſſo dux deceſſit ad duodecimum kalendas Nouembris lento, vti creditum eſt & multa teſtabantur ſigna veneno ſenſim venis illapſo conſumptis vitalibus. Quæ fama ſeu vera ſeu falſa extitit, in ſanum quantam Ludouico patruo inuidiam conciliauit, ad arreptum principatum vitam quoque crudeliter abſtuliſſe cunctis videlicet deteſtantibus. Ipſo die, quo is Princeps defunctus eſt, Placentiam Rex Gallus peruenit, deducente Ludouico Sfortia honori id datum. Ex ea vrbe cognita ducis morte continuo Mediolanum aduolauit: ſeque eius verbis ducem dixit ſolemni ceremonia plauſuque gentis in adulationem Principum pronæ. Tametſi defunctus princeps quinquennem filium reliquerat Franciſcum nomine in ſpem aucti principatus ſuſceptum duas filias, præterea vxorem prægnantem. Diram dominandi cupiditatem, quæ omnia humanitatis & modeſtiæ iura ſubuertis nulla famæ memoria, nulla honeſtatis. Quin eodem die tum ad alios tum ad Alfonſum Neapolitanum Regem litteras dedit; quibus generi principis obitum renunciabat. Se ſumma procerum & populi voluntate pro eo ducem ſalutatum. Non dubitare id ipſi gratum fore haud ignaro qua voluntate & ſtudio eius ſalutem, atque totius regni incolumitatem eſſet curaturus. Ludibrium ipſa iniuria multo triſtius. Sic ludunt homines callidi in aliena calamitate. Placentia Gallus in Hetruriam abiit. Confluebant vndique legati de aduentu in Italiam gratulatum, amicitiam & pacem oratum. Ante alios Veneti ſuos oratores deſtinarunt, maieſtati debitum officium. Senenſis etiam Cardinalis à Pontifice legatus Piſas appulit, ſed Regis conueniendi denegata facultate propter auunculi Pontificis memoriam quondam ad Aragonios propenſi irrita legatione diſceſſit. Florentini ſenatus princeps Petrus Medices obuiam Gallo progreſſus, à quo ſe auerſum oſtenderat, eius promerendi placandique pręcipiti cupiditate arces quinque firmiſſimas tradidit in Apenini iugis. Eæ fuerunt Sereſana, Sereſanola, & Petra ſancta olim fanum Feroniæ. præterea Piſana & quinta Liburni prope Arni fluminis oſtium, qua parte mittit in mare Mediterraneum, Labronæ olim ſtatio; tanta ex ea re indignatione populi Florentini, præſertim cum demandatę poteſtatis fines eſſet prætergreſſus, & maiorum modeſtiæ oblitus videretur moribus aliis, vt eo & fratribus Ioanne Cardinali & Iuliano exilio mulctatis ædes etiam diripuerint, gemmas, veſtem pretioſam, aurum, argentum, immenſas opes multos congeſtas per annos: quæ auferri non poterant, publicarint. Piſis Rex aliquot dies ſubſtitit: vrbe quondam cum opum amplitudine, tum rei naualis gloria inter cæteros Italiæ populos clariſſima: eorumque ciuium precibus libertatem dedit à Florentinorum imperio. Quantas ea indulgentia calamitates afferret, quantas clades, populo velut ex diutina ſiti nimis auide hauriente liber-

tatem? Sic vota hominum in contrarium vertuntur. Inde digressus Florentiam iniit, quo die Picus Mirandula in ea decessit è vita quatuor & triginta natus annos rarum ingenii atque eruditionis lumen, Phœnicis ex eo cognomen consecutus. Actum cum Florentinis ciuibus de fœdere. Conuenit inter eos vti peracto bello Rex arces redderet, neque Mediceos vnquam restitueret in patriam. In stipendium ciues publice centum & viginti florenorum millia numerarent. ęstuabat Roma inter metum & spem suspensis omnium animis. Cardinales & proceres studiis discrepabant. Gallicas partes Columnii sequebantur Prosper & Fabricius: Neapolitanas cum familia Virginius Vrsinus homo præpotens & factiosus. Columnii adiuncto Ascanio Sfortia Cardinali Ostiam occupauerant: prohibitisque ex mari subiectionibus, vnde plurimum Roma alitur, non secus ac si hostis pro portis esset angustia annonæ erat. Persuasum vulgo Pontifici decretum esse cum Gallo pacisci, aut si minus id contingeret vrbe deserta migrare alio. Ea noua turbarum populo occasio extitit. Pontifex ad pellendum eum metum sedandumque tumultum in conuentu publico Cardinalibus & nobilitati obtestatur: sibi stare sententiam in ea controuersia, causę æquitatem sectari nulla personarum ratione habita. quod si Gallus in vrbem irrumperet, omnibus viribus obsistere: ac vero si res ferrent sanguinem pro officio vitamque profundere. Magnificis promissis parum mouebatur populus, obstabat metus. alii super alios aduentare Regem iamque affore nunciabant. Pontificiæ ditionis oppida indies à Gallicis copiis occupari. Itaque Pontifex ipse, neque suis neque Neapolitanis viribus parem se fore hosti prævalido confidens, ex vrbe dimisso Ferdinando Calabrię duce, qui in suburbio tendebat cum copiis rebus præsidium, in molem Hadriani firmissimam arcem se recepit. Ne ludibrio sacrosancta maiestas in ea colluuione esset, prouidebatur. Denique Rex cum omnibus copiis Flumentana porta Romam iniit pridie kalendas Ianuarii ineunte anno M. CCCC. XCV. inter ingentes populi
1495. plausus, faustasque voces & certantia multitudinis vota, sed & Cardinales quidam eius aduentum haud obscuris lætitiæ signis concelebrarunt, sic ad diui Marci deductus est ex lapidibus amphitheatri à Paulo secundo Pontifice constitutum palatium elegantia visendum & amplitudine. Hæc Romæ. In Hispaniæ vrbe Caraca Petrus Gonsaluus Mendoza Cardinalis obiit tertio Idus Ianuarii vir pari nobilitate & prudentia republica administranda magna per totam vitam auctoritate. Cupiditatibus non satis imperauit inter obsequia fortunę, contra quam non satis causa est humana imbecillitas. Vacuam eius obitu Toletanam ecclesiam Franciscus Semenus Cisnerius è Franciscano ordine tenuit maiori spiritu vir, quam pro humili fortuna, in qua natus atque educatus est. In omne argumentum sanctimoniæ grauitatisque compositus: atque eo tempore Reginæ Isabellę à confessionibus. Accessit deinde purpuræ rebus gestis & pro meritis debitus honos. Magnum rex Gallus suo in vrbem aduentu terrorem commouerat. Actum de fędere inter eum & Pontificem. Annitentibus viris primariis sancitur; vti Valentię Cardinalis regia castra sequeretur obsidis loco legati nomine. Gemes Turcę frater in eius potestatem traderetur idoneus rebus in Oriente turbandis, quoniam de bello Turcico cogitabant Galli. Præterea arces vrbis veteris Terracinę & Spoleti dum bellum maneret. Quo confecto non eas modo restitueret Rex sed etiam Ostiam; ac vero Pontificem pręsens veneraretur obsequiumque de more deferret, vti paulo post fecit ad D. Petri. Multum contulit ad fęderis conditiones constituendas purpura per eos dies Brissoneto Episcopo Maclouiensi à Pontifice data. Fœdere facto Gallus ad quintum kalendas Februarii Roma discessit petiturus Neapolim. Copiarum pars in Præcutinos Aprutiumque missa est ductore præcipuo Fabricio Columna. Ibi omnia prona fuere vrbs Aquila eo tractu multaque alia oppida vltro in Gallicam ditionem venere. Interea Ferdinandus Rex cognitis rebus quæ in Italia gerebantur, Gallum aduersus Neapolitanos principes festinare, ac pro eo studio Pontificis maiestatem contemptui habitam, Gallicis conatibus obsistere palam constituit: atque in eam rem Ocania, vbi fine superioris anni se tenebat, Antonium Fonsecam & Ioannem Albionem in Italiam extrusit, qui Gallo eius verbis obtestarentur ne Pontifici grauis existeret, neue eius ditioni bellum inferret; alioqui, vti in superiori fœdere exceptum erat, ecclesię incolumitatem sibi curæ fore. videret ne præposteris actionibus superûm iram, hominum inuidiam commoueret. Impios conatus tristi sæpe exitu terminari. Simul Triuenti Comitem eius classis ducem designauit, quam ad Illicis littus paratam instructamque habebat. Gonsaluum item Fernandum à Corduba virum strenuum, quãtum ducem bre-

breui futurum, quingentis equitib. præfecit, quos Neapolitano Regi auxiliares mittere destinabat, non minori Siciliæ cura. Legati quidem Romam peruenerunt ipso die quo Gallus ex ea vrbe discessit. Nec mora communicato cum Pontifice consilio festinatoq; itinere Regem cõsecuti, in agro litteras dederunt suæ legationis testes. Monuerunt subinde ne vlterius progrederetur, priusquã ecclesię Romanæ ac pontifici satisfaceret. Ea legatione eaque denunciatione & audacia turbatus Gallus respondit tamen Velitris, quo eo die perueniendum erat, dicendi quæ vellent fore potestatem. In eo oppido dato procerum senatu coram, pluribus verbis exposuerunt mandata. Eorum summa erat de iniuria Pontifici facta expostulare. Obtestari simul ne arma Neapolitanis finibus inferret, priusquam iudicio vinceret aduersarios, seque iure potiorem esse confirmaret. Vim intempestiue intentare, æquum non videri. Multis vltro citroque verbis consumptis multisque ab vtraque parte iactatis in alteros probris & querimoniis qua veris qua falsis, Gallus tandem responsum dedit vlterius esse in ea expeditione progressum, quam vt retractare liceret: bello peracto non recusare de iure cum aduersariis certamen. Verba ea erant rebus vacua: quis enim Gallos crederet nobilissimi regni possessionem iudicum arbitrio permissuros; quis de victorię fructu legibus disceptaturos aliquando? Ergo Antonius Fonseca. Quando inquit, ô Rex æquissimis postulatis obtemperare detrectas, & vim admouere ac metum paras, armis & viribus ferox, Deus innocentiæ vindex omnis insolentiæ inimicus; huius controuersię iudex esto: eius arbitrio atque patrocinio rem totam permittimus. Rex enim vero noster hac denunciatione sin minus cęteris, suæ certe conscientiæ satisfecit, vt deinde liberata fide suis viribus & copiis in eam partem sedet, quam æquiorem iudicabit. Hæc dixit: simul coram rege & proceribus, qui in conuentu aderant, initi antea fœderis tabulas lacerauit. Audax facinus imprimis, neque ferenda Gallis contumelia visa est: ne tamen violaretur ius gentium valuit. Romam dimitti placuit. Hæc legatio quamuis re nulla impetrata pro qua erat suscepta vana prorsus non extitit. Pontifex enim confirmato erectoque ex eo ad meliorem spem animo, dignitatis memor decreuit icti nuper cum Gallis fœderis conditionibus hau dquaquã stare. Ipse etiam Valentiæ Cardinalis proxima nocte minus intentis in eius custodiam Gallis dissimulato habitu Velitris egressus non prius constitit, quam Spoletum ventum est firmam Pontificiæ ditionis in Vmbria vrbem. Romam consulto vitauit, ne voluntate Pontificis aufugisse videlicet è castris crederetur.

Rex Gallus Neapolim ingreditur. CAPVT VIII.

IPso tempore quo Rex Gallus Romæ morabatur, Alfonsus Neapolitanus defensionis & victorię spe penitus abiecta, de eo imperio abdicando, nondum integro anno euoluto à patris obitu, serio cogitabat. Eo consilio Ferdinando filio è castris euocato atque in procerum conuentu hac sententia locutus fertur. Quo in statu res nostræ sint, viri nobiles mecum pariter consideratis. Hostis ferox & validus pro portis. Nostri in fide parum constantes. Haud maiori celeritate Galli irrumpunt, quam prouinciales deditionem faciunt: vrbes & oppida in eorum tradunt potestatem vexillis hostium passim sublatis. Auxilia externa longinqua: & qui opem maxime afferre debuissent, hos nostra calamitas, periculum, & ignominia parum mouent. Hostes amicosve incusare eius est, qui viuere & regnare velit. Plura dicere argumentum ignauiæ. Meis delictis irã cæleste irritatã fateor: qui deliquit pœnas is dato iustissimas morte, ignominia, omnibus malis. His suppliciis si placantur numina, si expiantur noxę, satis habeam: Vitę fines pręscribere non licet: neque vero ex hac veluti custodia migrare Dei iniussu: qui pro voluntate viuendi spatia restringit & laxat. Quod meum est tamen, hanc coronam regiam quia sum indignus, hoc sceptrum pono. peccatorum hoc piaculum esto. Alii diutius hoc imperium tenuerint: nemo libentius reliquerit nemo fortius. Filium tamen pro me (qua spe quibus virtutibus & prudentia:) Regem in posterum iubeo haud iniqua permutatione pro sene & valetudinario, florenti ętate iuuenem, corpore firmo, inuicto animo. Quam cuperem vti eo in statu res nostrę essent, quo orbi terrarum probarem quanti facerem ea, quæ prima ad felicitatem putantur. Sed quando eam animi magnitudinem ostentare non licet: certe non erit minoris prudentiæ cedere necessitati, cuius inuictæ sunt vires. Hinc posteritas de nostro ingenio statuat. Neque enim semper prudens nauclerus fœda procella inflatis fluctibus obsistit. Sed demissa antenna versaque in obliquũ naui expectat dũ ventorum violentia transacta pelagi sęuitia

componatur. Hæc nostra sententia est, certaque voluntas. & quando patriæ charissimę præsidio esse in periculo non possum, quod instar mortis est, ea relicta in exilium abire deliberatum habeo. Regni equidem paulo ante florentis atque domus nostrę ruinam non videbo: fortassis etiam hoc quasi sacrificio Deum placabo vindicta vt leuior sit, hominum misericordiam commouebo, vt maiori animo in nostræ caussę patrocinium incumbant. Vobis, qui pręsentes estis, quique absunt, obsequium erga nouum Regem cõmendare, superuacaneum fore arbitror: ne ipsi quidem pręcipere vt ciues omni comitate & beneuolentia complectatur, vestrisque meritis magnis, & perpetuis debitam gratiam rependat. Hęc abdicationis cęremonia in Oui arce peracta est ad decimum kalendas Februarii translati imperii tabulas dictante Iouiano Pontano. Mox Alfonsus domestica supellectile, quæ erat pretiosissima, in naues imposita in Siciliam concessit statues Mazarę, Ioannæ nouercę dotalis, amæni & tranquilli secessus vrbe melioribus studiis, vitę reliquum exigere veste in sacerdotis formam mutata. Litteras ad principes dedit, quibus sui facti rationem explicabat: ac nominatim ad Ferdinandum regem perscripsit imbecilla valetudine compulsum vitam principalem abdicasse, ac vero voti religione se quondam id facturum implicasse, qua conscientiam exoluere æquum erat, ac prorsus necessariam. Sic ille credi voluit. Propius tamen vero est, odium popularium sustinere in eo rerum discrimine non potuisse: filiumque cogitasse, quod apprime gratus ciuibus esset ad bellum defendendum fore commmodiorem. Seroq; intellexit principum opes beneuolentia suorum quam ferro satellitum esse tutiores. Obiit Alfonsus non toto circumacto anno ex quo regni procurationem deposuit domestica procella iam magna ex parte mitigata. Corpus Messanę ad dextram arę in templo eius vrbis primario positum est cum inscriptione subiecta tum eleganti tum acuta:

Alfonsum Libitina diu fugis arma gerentem.
Nunc positis (quæ nam gloria?) fraude necas.

Nouus rex cum primum regnum arripuit per plateas vrbis circumductus gratum populo spectaculum prębuit. Quacunque incedebat pompa, multa vestis pretiosa visebatur, multa odoramenta spirabant, faustæ personabãt voces felix diuturnumq; imperium comprecantium. Leui momento populi gratia circumagitur. tantundem intra paucos dies pro hoste fecere. Ferdinãdus sane delatum regnum à grato initio auspicari cupiens vinctis magno numero è plebe atque nobilitate dedit continuo libertatem. Eius benignitatis expertes tantum fuerunt Marini Martiani filius Ioannes Baptista Rosani princeps, Suessæ Dux, & populi Comes in custodia quamuis diu seruati, ex quo procerum bellum profligatum fuit, quippe Aragoniæ genti ad insaniam infensi. Celebritate peracta ex vrbe Rex ad diui Germani fanum abiit totius prouincię claustra occupatum & montium coeuntium fauces in Cassinati agro, qua Gallis transitus erat: vbi Neapolitano copię tendebant arcendis Gallis intentæ: quoniam id oppidum ad confines Neapolitanos & pontificię ditionis est positum. Verum cognito capta Aquila Gallos in Campaniam deflectere, ne à tergo & à fronte circumuenirentur; necessario è Cassinati saltu Capuam se recepere vrbem operibus & militari præsidio firmatam. Cum copiis Gallus ad sanctum Germanum applicuit, vim afferre nisi vltro deditionem facerent paratus. Sic ciues defensione desperata portas aperuerunt. Promotis Gallicis inde castris maiori quamuis difficultate Capua in potestatem venit. Triuulcius Mediolanensis patria dux strenuus Neapolitanis desertis ad Gallicas partes, vnde melior spes affulgere videbatur; modica fidei cura traductus præcipuus deditionis auctor extitit. Abscesserat Ferdinandus rex à Friderico patruo quem rebus præfecerat Neapolim ad tumultum ciuium pacandum turbulenta consilia de ea vrbe dedenda agitantium euocatus. Virginius Vrsinus & Petilianus eximii copiarum duces amissa Capua intra Nolam quo se ex fuga receperunt, capti sunt. Earum vrbium amissarum fama cum peruasisset omnia repente ad Gallos inclinarunt. ipsa etiam vrbs Neapolis regni caput, nemine obsistere auso ac vero incredibili populi plausu victorem intra portas admisit ad octauum kalendas Martii. alium crederes populũ, aliũ senatũ, tanta leuitate vniuersi circumacti sunt nullo iudicio sed suscepto more quemcunque principem adulandi clamore studioque inani. In eam vrbem ingresso Rege Gallo, aut vt alii malunt Capuæ dum morabatur Comes Baiazeti Turcarum imperatoris frater decessit. Nouus rex vix prima dominandi dulcedine delibata, vrbe deserta consilii inops à plerisque desertus ad arcis nouæ præsidiũ confugit, vbi Ioanna regina cum filia eiusdẽ nominis erat; Fridericus patruus aliiq; proceres cõuenere haud exiguo numero fidẽ & officium victoris gratia potiora arbitrati. Quod in ea rerum colluuione pro miraculo erat. Ex ea arce in alteram se contulit, ab Ouo dictã, rupi impositã mari

mari omni ex parte circumfluo, eoque firmiſſimam triremibus, quas paratas habebat, in Ænariam inſulam traiicere, & ſi res ferrent, in Siciliam diſcedere deſtinans breui ſperãs rerum conuerſionem fore, quod rerum humanarum incõſtantia & vtriuſque gentis ingenia non lingua magis quam moribus diſcrepantium ſuadebant. Tametſi res Gallicæ abſque vlla offenſione proſperum curſum hactenus tenuere: atque ita vt intra non totos quindecim dies vniuerſi regni vrbes & arces, quam late ditionis Neapolitanæ fines patẽt, victoris fortunam ſecutæ fuerint. Ipſas etiam Neapolitanas arces Germani duces cuſtodiæ præfecti, ô homines venales, pretio prodiderunt ad turpia ſeu honeſta iuxta leues. Caietanam arcem vi Galli admota cæperunt, in paucis quamuis firmiſſimam: inerantq; milites & prouiſi antea commeatus. Pauca tantum in Brutiis oppida in fide priſtina perſtiterunt. Sed quantulum id erat? Ea quoque indies carpebantur nulla ſpe à ſuo Rege nullis auxiliis. Is ſe ad Ænariam tenebat, rebus perditis nõ præſidium, ſed magis acceptæ ignominiæ deformis tum ſpectator tum teſtis, quanto animi cum motu dicere non eſt neceſſe. Rhegium denique victoribus ceſſit exaduerſum quamuis Meſſanæ poſita in oculis claſſis Hiſpanicæ nulla à ſuo Rege allata agendi facultate prorſus inutilis in periculo. Ex diſtantibus locis præcepta ſæpe & conſilia poſt res afferuntur. Sic nobiliſſima prouincia puncto temporis Gallicæ ditionis facta eſt: vix vt credam adeo celerem & facilem rerum conuerſionem in vlla gente ab omni memoria contigiſſe.

Fœdus Principum contra Regem Gallum. CAPVT IX.

POſtquam ad Neapolim Gallis ferme omnia ceſſerunt, cæteri principes tum Itali tum externi reputare ſecum atque inter ipſos communicare cæperunt, quam graue eſſet eius gentis imperium futurum, ſi diu in Italia inueteraſſet. Ferdinandus Rex Hiſpanus proximus periculo videbatur Gallis confecto Neapolitano bello de Sicilia, vti fama erat, cogitantibus auctore & impulſore Salernitano è numero Neapolitanorum exulum maxime infenſo nomini & genti Aragoniæ. Cupiditas præterea dominandi vltro incitabat cunctis affectibus flagrantior, tetrum malum, neque vllis reſiſtens finibus. Ergo Ferdinandus Rex alios principes de iungendis contra Gallum viribus vltro appellare, vt cui pares ſinguli non erant, communicatis opibus ſuperiores euaderent. In mutua ſocietate certiſſimum rebus fore præſidium. Eo Laurentium Suarium Figneroam ad Venetos legarat, recenſque Ioannem Dezam ad Ludouicum Mediolanenſem dimiſit alliciendum non ſpe modo regiæ affinitatis, de qua iam actum erat, ſed etiam regni totius Galliæ Ciſalpinæ. quæ voces ambitioſi hominis auribus gratiſſimæ accidebant. In id fœdus facile Maximilianum Cæſarem & Anglum acceſſuros ſperabat: quos ſibi affinitate deuincire cogitabat: ac in primis Ioannē principē & Ioannā filios permutatis nuptiis Philippo Archiduci & Margaritæ ſorori coniuges dare. Quæ coniugia ante agitata, Franciſci Rogii opera ad Belgas ideo profecti tandem pacta ſunt. In belli ſumptus, quod difficile & diuturnum fore prouidebatur, pecunia quærenda erat. Eo ſtudio in Aragonia gentis conuentus ſunt indicti: quibus Rex Catharinam filiam præficere cogitabat; & cum id non eſſet imperratum agente veteris moris tenaci. ipſemet neceſſario in eam prouinciam ad conuentum habendum conceſſit. Tantæ molitiones arcanis quamuis conſiliis agitatæ, irritæ non fuerunt. Venetiis, quo legati Principum conuenerunt, exeunte menſe Martio inter Pontificem, Cæſarem, Regem Aragonium, Venetos & Mediolanenſes armorum ſocietas eſt conſtituta, quam ſanctiſſimam dixere. Pactionis ſumma capita erant. Vt viginti quinque annorum ſpatio communi impenſa pro facultate cuiuſque ſociorum & copia collatis viribus triginta quatuor millia pedites, equites viginti octo millia ſub ſignis omnes haberent. Ingens numerus, opinione atque ſpe maior Eccleſiæ libertatis tuendæ, qua reipubl. firmamentum continetur, ſpecies erat: atque à ſingulorum finibus iniuriam prohibendi. Re Gallos vniuerſa Italia deturbare ſatagebant par modo votis ſucceſſus contingeret. Arcanis hæc tractata conuentibus mirum eſt in tanta multitudine de fœdere diſceptantium non erupiſſe. Omnino Philippus Comineus prudentia & vſu rerum præſtans Venetiis pro Gallo Rege legatus eo tempore, nihil eorum quæ agebantur odoratus, fœderis præter opinionem facti cauſas ex Auguſtino Baruadico Veneto Duce audiens, quaſi repente conſternata mente rogauit ſuo ne Regi foret reditus in Galliam facultas! Magna ex hoc tempore rerum immutatio facta eſt, magna conuerſio. Neapolitanos Gallici imperii tædere iam cæperat ſuæque leuitatis. Frequentibus contumeliis victores morumque inſolentia & linguæ procacitate grauiſſimum odium in animis popularium commouerant: plerique etiam iniuria bonis

euerſi finem malis exoptabant proni in vindictam, cum nullam opem à principe expectarent. Dux quoque Mediolanenſis recens Nouaria ab Aurelianenſi intercepta & ad reliquam ditionem haud obſcure aſpiranti de imperii ſumma dubitare cogebatur. Gallo præſertim claſſe ſua Genuam occupare cogitanti, vti idoneis auctoribus fama vulgabat. Ita in periculo ad Venetos confugere habuit neceſſe & omnibus precibus eorum opem implorare. Contra Gallus tempeſtate prouiſa, quæ eius capiti minabatur, & patriæ deſiderio ne reditu prohiberetur, Italia relicta eo continuo proficiſci maturauit. Prius autem quam ſe in viam daret duces alios per vrbes & prouincias diſtribuit, ac Obenignum imprimis Magiſtrum equitum dictum Brutiis præfecit, Lucanis Perſinum Alegrii fratrem, Gilbertum autem Mompenſerium regia nobilitate deſignauit: qui cum copiarum parte rebus præeſſet Neapoli ſumma bello paceque decernendi credita poteſtate. Simul à Pontifice poſtulauit per legatos, vt ſibi more maiorum poſſeſſionem parti imperii pontificio decreto & diplomate confirmaret. Ea ſumma votorum erat. Et quoniam de repetenda Gallia cogitaret, cupere oppido, Roma bona eius venia repetita coram de rebus magnis conſilia communicare. Colloquendi Pontifici idoneum tempus non eſt viſum Romanis Gallici nominis odio adeo incenſis, vt colloqui ſine tumultu non poſſent. Neapolitanum imperium cuiquam addicere niſi cauſa iudicum prius arbitrio diiudicata æquum non erat. In eam ſententiam reſponſum eſt datum, Gallo minime gratum non certamen iuris quærenti ſed vim. Eo amplius profectionem vrgere inſtitit: Diſceſſit Neapoli ad tertium decimum Kalendas Iunii Romam iniit ipſis Iunii Kalendis. In ea vrbe pontificem non inuenit Peruſiam elapſum metu ne itinerum maieſtas in tanta rerum colluuione eſſet ludibrio. Ex vrbe breui profectus Rex, & Senis aliquandiu moratus vitata Florentia Piſas peruenit. Eam vrbem Florentinis contendentibus vti ad eorum ditionem reuocaret, in eoque fidem ante datam liberaret, contra Piſanis cum lachrymis obteſtantibus vt datum beneficium tueretur, neque nobiliſſimam ciuitatem pateretur ad ſeruituti proximam conditionem redire, duriſſima premi tyrannide: in neutram partem ſentẽtia pronunciata diſceſſit in Inſubres miſſis tamen prius Fregoſiis qui factionis opibus Genuæ & totius Liguriȩ imperium Mediolanenſi detraherent. Qui conatus fruſtra fuit. Regi ad Tarri ripam progreſſo occurrit cum copiis Franciſcus Mantuanus Marchio à Venetis delectus copiarum dux. Ex Apenini iugis dilapſus amnis præceps inter ſaxa inȩquali alueo delatus patentibus demum campis in Padum euoluitur. Recuſabat pugnam Gallus non ignarus imminutum ſuorum militum numerũ: ac ſecum Aurelianenſi coniungere cupiebat imprimis, modo ex iis anguſtiis daretur euadere. Hoc regis votum erat: neceſſario tamen ventum eſt ad manus. Ad Tarri fluminis ripam tribus millibus paſſuum ab vrbe Parma caſtra collata ſunt caſtris. Venetorum copiæ ad Forum nouum erant ad montium radices ſitum pagum. Gallus ad vicinȩ vallis qua montes coeunt fauces reſtitit. Eo loco prælium eſt commiſſum in paucis nobiliſſimum fama. Inſtruuntur acies, tollitur clamor, ab omni parte concurritur. Itali prima Gallorum acie profligata, verſiſque intempeſtiue ad prædam militibus ſpatium victis dedere ſeſe colligendi, ac reſtitutis ordinibus pugnam repetendi ex impetu eoque animorum vigore quem aduerſarii non tulere diſperſi per agros & graues præda. Magnum Rex vitæ periculum eo die adiit prætorianis ferro peremptis vix aliorum ſuperuentu eſt ſeruatus. Victoria quidem parta trium dierum inducias à victis impetrare tamen non potuit. Sic per occultam teſſeram profectione denunciata ſilentio motis caſtris ex iis locis euaſit. Ne graue damnum acciperet in diſceſſu inflatis repente eius fluminis aquis atque ex ea hoſte tranſitu prohibito factum eſt. Leuis tãtum armaturæ equites abeuntis veſtigia ſunt ſubſecuti. Ab iis atque ab incolis iniquis ad tranſitum locis cædes factæ atque magna impedimentorum pars eſt ablata. In pugna ſuper quatuor Italorũ millia ceciderunt. Cum reliquis copiis Mantuanus Claſtidium prius, mox Nouariam feſtinauit. eius vrbis obſidionem, qua Aurelianenſis incluſus à Ludouico Sfortia premebatur, vrgere erat deſtinatum. Rex ſeptimis caſtris præter Placentiam & Derthonam Aſtam nemini infeſtus peruenit. lætuſq; vitatis periculis vltro inſtaurabat numini & diuis tutelaribus ſacrum.

Ferdinandus Rex Neapolim eſt ingreſſus. CAPVT X.

VIx dum Gallus Neapoli abierat cum fortuna partium mutata & in contrarium verſa eſt. Eæ ſunt rerum vices. Hiſpanica claſſis Meſſanæ in portu erat ductore Triuentio. Eo reges pater & filius domo profugi conuenerunt Alfonſus & Ferdinandus, præterea Ioanna

Ioanna regina vidua Alfonsi nouerca rebus profligatis remedium quæsituri. Gonsaluum Fernandum cum equitibus eius fidei concreditis & sua peculiari classe aduersæ tēpestates in Baleari maiori & in Sardinia plures opinione & voluntate dies tenuerant: neque ante nonum Kalendas Iunii Messanæ portum tenere potuit. Quo iam tempore Ferdinandus Rex Rhegium exaduersum Messanę impositam freto vrbem cum arce aliaque finitima in Brutiis redegerat in potestatem: vbi Eberardus Obenignus natione Scotus dux strenuus rem Gallicam virtute & prudentia sustentabat. Gonsaluo Rhegium Croto, Amantia aliaque eo tractu oppida sunt continuo tradita pignoris loco dum sumptus in bello futuri & facti compensantur. Siciliæ quoque rebus propter vicinitatem præsidium & securitas ea possessione quęrebatur. Fridericus cum paucis triremibus ad oram Apulię missus iunctus Venetæ classi bellum alternante fortuna gerebat. Caieta à Gallis porro defecit, sed breui tamen subacta suo malo didicit furentis populi graues impetus esse, conatus inanes. De ratione gerendi belli in Brutiis deliberatū. In pari voluntate non vna mens cunctis erat, neque sententia eadem. Regi stabat continuo Neapolim ire: quo à ciuibus conuitio vocari cœperat etiam ante Galli discessum: vt sunt benigni in calamitate & dolore mortales, maiora viribus pollicebantur. Vbi in vrbem veniret, concursum ab importuni imperii odio ad iustum & legitimum regem ex vniuersa ditione extemplo futurum. Gonsaluo graue videbatur accepta in Brutiis oppida hostium iniuriæ permittere absentia sua debilitare spem atque conatum reliquę ferme prouinciæ se suaque omnia in ditionem Hispanicam certatim offerentium. Placuit vti iunctis viribus Semenariam obsidione soluerent, qua premebatur à Gallicus copiis. Persiuus è Lucanis aduocatus Gallorum vires & animos confirmarat. Obenignus nostrorum consilio cognito qua necessario iter Regi erat ferox processit. Recusabat Gonsaluus certamen. Rex iuuenta feruens eo consilio repudiato pugnare dereuit. Victus tamen in prælio, equoque prolapso in fuga ne viuus in potestatem hostiū veniret, Ioannes Andreæ Altauilæ frater constanti raraque fide à puero in Regis obsequiis educatus atque in omnia familiaria iura assuetus eius periculo perspecto in pedes destitutus suum equum vltro obtulit. Euasit rex desultoriæ artis peritia in equum desiliens oblatum. qui dedit pro eo hostium accursu cecidit grata superis atque hominibus ob fidem præstantem victimā. Pugnatum est ad vndecimum Kalendas Iulii. Fugientibus & male mulctatis regiis Semenaria propinqua effugium fuit, quibusdam incitamentum ne supremo conatu pugnarent. Syluæ quosdam & vicini montes texerunt. Victoriæ eius cum primis nobilis vt minor fructus Gallis victoribus esset ipsorum incuria Regis diligentia effecit. Profectus ex eo oppido in Siciliam abiit destinata voluntate Neapolim petendi priusquam acceptæ cladis nuncius accensa pro se ciuium studia restingueret Gonsaluus defendendæ Semenariæ spe abiecta, ea deserta in vicina loca dilapsus breui operæpretium fecit multis circum oppidis vi aut voluntate occupatis, neque vero destitit priusquam Brutiorum regionem ferme vniuersam Gallis detractam ad ditionem subiunxit. Rex cum sexaginta nauibus, quas in Messanensi portu inuenit milite vacuas, ac turba tantum nauali instructas, sublatis velis ad Neapolitanum littus appulsus per mediam hostium classem in eam vrbem est inuectus ipso die quo ad Tarrum pugnatum est pridie nonas Iulii. Ciues incredibili gaudio elati correptis armis in Gallos impetum dant repente omnia in contrarium versa. Armati per vrbem ciues implacabili odio Gallos insectari, plenæ cædibus viæ, cruenta fora templaque refractæ direptæq; ædes, & qui resisteret trucidatus, ac nominatim Salernitani & Bisiniani ædes domestica supellectile sunt spoliatæ. Mompenserius motui plebis furentis impar in arcem nouam se recepit adiuncto Salernitano. Neapolis exemplum Capua secuta est locis vicina, item Salernum & Apuli innumeræque adeo ciuitates pulso Gallico præsidio Ferdinandi Regis vexilla præferre, ingeminare nomen. Ad hæc pugnæ ad Tarrum commissæ vulgato nuncio Columnii proceres Prosper & Fabricius, eatenus Gallicas partes secuti se ad Neapolitanas transtulere. Vrsini contra siue ab insita æmulatione eius familiæ siue necessaria re impulsi ad Gallos transierunt, quippe Pitilianus Comes & Virginius Vrsinus eius familiæ principes à Gallis capti tenebantur. Arces Neapolitanas, quæ in hostium potestate manebant, regii supremo conatu impugnare dies noctesque. In sanctę crucis monasterio, quod arcis iustæ instar munitum. Noueque arci coniunctum erat, inter milites præsidiarios Maurus quidam Alfonso Daualo Piscariæ Marchioni notus, quippe in eius familia quondam versatus seruili ingenio & fraude, si pretium operæ sit, aditum se monstraturum pollicetur. Re constituta, nocte quadam accedit Marchio speculaturus locum nihil veritus insidias, venturi plane ignarus, incauti guttur transfigit Maurus sagitta emissa. Tanti viri casū vniuersa ciuitas luxit: luxere milites ob spectatā multis

in rebus virtutem paremque induſtriam omnium copiarum à Rege ducem deſignatum. Filius in tenera ætate Ferdinandus relictus eſt ſtrenuus & nobilis conſequentibus annis dux copiarum futurus veriſſima patris imago. Occiſi locum Proſper Columna ante ad Aragonios traductus ex Regis voluntate obtinuit. Homini præpotenti promerendo id blandimentum eſt datum. Neapolitanæ arces diuturnæ obſidionis malis nullis ex Gallia ſubſidiis premebantur exigua ſuſtentandi ſpe. Obenignũ de ferenda ope appellare conſtituunt. Neque defuit ille vocantibus. Gallicum vigorem extinxerant Neapolitanæ illecebræ & voluptates vrbis cum primis amœnæ. vulgati prætetea morbi plerosque extinxerant. & ſane malorum colluuione fœdum bellum amplius inſigniuit nouum genus morbi in ea expeditione viſi. Corporum libidinoſo contactu vis mali ſerpebat maxime nullis idoneis remediis, vt in tabe recenti, vſq; dum excogitatis: vnde crebræ in vulgus mortes. Morbum Gallicum dixere Itali, Galli Neapolitanum, Afri Hiſpanicum nulla certa origine mali, opiniones vacillarunt. Ex nouo orbe vbi ſæua contagio multum viget in Europam diffuſam peritiores arbitrantur: atque hoc tempore à militibus Hiſpanis in Italiam atque Neapolim delatam luem qua caput & barba depilari ſolent, facies miſerum in modum enatis bubonibus deformari, exedi viſcera atque corrũpi ac ſequi tandem interitum. Tenariffe poſtrema è Fortunatis inſulis claſſe ad id miſſa domita atque ad Regum Caſtellæ ditionem ſubiuncta tandem eſt. Inſulæ eius Rex nauibus in Hiſpaniam delatus, inde Venetias tranſmiſſus donum iis ciuibus ab inſolenti habitu & ſpectaculo non ingratum. Amicitiam nuper conſtitutam & fœdus ea beneuolentiæ ſignificatione aſtringere certabat Hiſpanus. Alfonſo Luco Tenariffes & Palmæ ſubiugatarum præmium fuit Antelati honos & nomen in Canarias inſulas ſeu Fortunatas conceſſum. Sic omnes illæ inſulæ in Hiſpanorum poteſtate regiaque Caſtellæ ditione conquieuere tandem expeditionibus ſæpe repetitis: bellumque id ante multos annos inchoatum hoc tempore finem habuit.

Rex Luſitanus obiit. CAPVT XI.

NOn ceſſabat interea Ferdinandus Rex Hiſpanus Regem Luſitanum & Anglum ad commune Principum aliorum fœdus aſciſcere per legatos, præſidia vndique conquirere. Strenuum principem & rebus maximis natum. Excuſauit Luſitanus amicitiam cum Gallo à multis annis ſtabilem: non videri temere violandam. Et erat Pontifici ſubiratus: à quo impetrare non potuerat vti Georgium ex impari ſed nobili matre filium iure legitimo donaret. Nullo enim reſpondente in ſucceſſione regni mutare aliquid non eſt viſum. Luſitano quidem deliberatum erat eum hæredem ſcribere ex aſſe, ſi minus venia Pontificis certe Maximiliani Cæſaris amitini iure ſucceſſionis illi debito, ſic interpretabantur eius voluntate in Georgium tranſlato. Quod ſane quid erat aliud, quam pulcherrime ſtantem reip. pacem præpoſtera ambitione & cupiditate turbare? nouorum motuum materiam quærere? Ab Anglo non fœderis ſocietas petebatur, ſed etiam nouæ affinitatis vinculum Arcturo Angli hærede & filia Ferdinandi Hiſpani Regis iunctis connubio. Vtrumque factum, ſed conſequenti tempore Luſitanus aqua intercute laborabat indies grauiore tum valetudine tum vitæ periculo. Pellendo morbo ad aquæ calidæ ſcaturigines abiit quæ in Algarbio atque Turdetanis habentur totius Luſitaniæ maxime ſalutares. Sæpe remedia in contrarium vertuntur. Morbi vis eo remedio nihil remiſit: quin aucta potius Albore oppido deceſſit ad octauum decimum Kalendas Octobris, magno atque ardenti ingenio Princeps callidus, facundus, in vindictam tamen præceps. Succeſſorem ex parte correcta ſuperiori voluntate teſtamento deſignauit patruelem Emanuelem patruo Ferdinando natum Pacis Iuliæ Ducem, Georgio filio ſubſtituto ſi eum contingeret ſine prole decedere. Longinquum id erat & incertum neque ſatis æquitati conſentaneum. Sed Regum voluntates vehementes ſunt. In præſenti ergo militiæ magiſterio donari volebat, eius cui à Chriſto nomen eſt Conimbricæ ducem eſſe. Ab eo certe Aueri duces generis ſtemma deriuant nobiliſſimi. Inerant haud dubium in defuncti Regis moribus & ingenio bona, inerant mala. animus erectus, excelſus, magna appetens, maiora ſæpe viribus, ſcelerum vindex, ſtudioſorum & fortium hominum fautor. Multo effuſo ciuium ſanguine inuidiam apud ſuos commouit, tametſi pro argumento inſigni ad clypeum. adiecerat pelicanum roſtro lacerantem pectus alitem vt pullos ſuos in vitam proprio ſanguine reuocet. Corpus tranſlatitio funere in Syluenſi æde compoſitum, Aliubarrotam inde delatum eſt eorum regum

gum ſepulchris, ſed & victoria de Caſtella olim parta nobile oppidum. Regium Luſitaniæ inſigne publico omnium conſenſu ad Emanuelem, vti opus erat, delatum eſt Salaciæ eo tempore agentem cum Regina ſorore regiaque vexilla eius nomine ingeminato more gentis ſublata explicataque ſunt. Etſi Maximilianus Cæſar id regnum ſibi deberi contendebat iure ſanguinis in pari propinquitate maior natu. Inter eos qui à latere defunctum regem ſanguine attingunt non ſtirpe, ex viro an fœmina ſint nati, ſed in pari propinquitatis gradu ſexum atque ætatem in ſucceſſione eſſe conſideranda. Vtiq; Ferdinãdus Viſei dux, vnde Emanuel eſt natus, & Eleonora Auguſta Maximiliani mater, patruus & amita defuncti regis erant. Porro Luſitani ſexum in imperio non diſcernunt: neque ſtirpem conſiderant, ſed capita. Verum de hac tota controuerſia alio loco copioſius dictum eſt. Emanuelis cauſam gentis ſtudia iuuerunt, præclaræque corporis & animi dotes, quibus nulli ea ætate principum inferior extitit. Ruſcinonenſi limiti Henricus erat præfectus Albæ ad Aliſtem Comes. Is iuſſu ſui Regis in agros Narbonenſes cùm manu militari irrumpens late terrorem incuſſit. Idem Petrus Manricus fecit ſed per extremam Cantabriam in Aquitaniæ fines inuectus. Nihil tamen memorabile eſt geſtum. prædæ tantum hominum & pecorum abactæ. Quod præcipuum fuit Gallo qui diu Aſtæ ſubſtitit, iniecta neceſſitas fœderis cum Ludouico Mediolanenſi maturandi, ne verſis ad Italiæ bellum terga nudarentur, ſed potius ea ſolutus cura reduxque in Galliam conatus Hiſpanos & irruptiones prohiberet. Et erat ſtultum aliena curare, ſua negligere. Fœderis leges fuerunt: vt Nouaria Mediolanenſi redderetur quinquaginta aureorũ millibus numeratis Aurelianenſi. Arx Genuæ, quam Galli ceperat, penes Sequeſtrum eſſet Ferrariæ ducem. Gallicis copiis per Inſubres volente duce liberum iter eſſet, additis etiam de ſuo ad recuperandum Neapolim auxiliis. His rebus conſtitutis Gallus præcipiti autumno cum copiis trans Alpes in Galliam rediit. Graue Neapolitano regi extitit Ludouicum Mediolanenſem ducem contempto publico Principum fœdere ſibi priuatim, quod erat nefas, conſuluiſſe: vnde præſidium rebus expectare debuiſſet, ab eo nullo propinquitatis reſpectu, erat enim eius auunculus, rationes Neapolitanas ſecundo vehementer conturbari. Re ille neceſſaria excuſabat cum hoſte pepigiſſe. Alios principes parum opis præter nomen in eo periculo communicaſſe, quid factũ vituperarent: haud dubium exitium, niſi ita feciſſet rebus inſtare. Ergo Neapolitanus Rex aduerſus tempeſtatem ex Gallia rurſus imminentem præſidia vndique comparare, ac Ferdinandum Regem Hiſpanum ſibi amplius deuincere ſatagebat filia eius in cõnubium expedita. Non abnuebat conditionem Hiſpanus, ſed belli ancipitis exitum expectare malebat ex euentu ſumpturus conſilium. Moræ impatiẽtia Neapolitanus & Ioannæ Reginæ viduæ ſuaſu eius filiam eodem nomine duxit ſoluta lege propinquitatis à Pontifice, quoniam amita eius erat. In ipſa nuptiarum lætitia, res bellicæ curæ erant. Veneti ad ferendam opem ſolicitati ægre quidem ſed conſenſere tandem. Mantuano ductore auxilia decreta equitum peditumque: præterea in præſenti quindecim aureorum millia mutuo in ſtipendium data. Dum ea pecunia redditur, ſumptuſque neceſſario in bello futuri compenſantur, Brunduſium, Hydruns, Tranũ, Monopolis, Poliganum in Apulis nobiles vrbes & Lautæ pignori datæ Venetorum votis ſæpe expetitæ, quoniam alluuntur mari ſupero Orientis commercio commodiſſime vnde genti certiſſima vectigalia conſtant. Nouas ad tempeſtates concitandas hi apparatus pertinebant. Ferdinandus quoque Hiſpanus haud minori cura bellum repetere parabat, quod per fines Ruſcinonenſes nuper erat inchoatum. Ea expeditio proprie ad Aragonios pertinebat. In eius gentis conuentibus, qui ſuperiori anno Turiaſone ſunt cæpti, de publico auxiliares ducenti grauis armaturæ equites, leuis armaturæ trecenti toto triennio decreti ſunt, cum eo vt in ſeptem turmas tributis duces Rex è gente quidem deſignaret. Contra vt aliqua gratia eſſet, quod antea conſueuerant, datum eſt à Rege vt publica ciuitatum munera & magiſtratus tribuerentur. deinde ciuium nominatione è deſignatis coniectiſque in vrnam ſorte ducta. Deinde in Dertuſanis Catalaunorum conuentibus, qui ſuperioribus menſibus inchoati ad anni Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi ſexti initium tenuerunt, ſimile decretum auxiliis iuuandi Regem eſt factum eo propenſiore voluntate, quod Ruſcinonenſes in quorum finibus 1496
primus belli impetus futurus erat, proprie ad Catalaunos pertinent, eorum imperio contributi ditionis pars. ſimul de coniugiis cum Auſtriaca familia actum magna contentione eſt: tametſi Archiducis animus affinitatem Hiſpanicam auerſari videbatur contumax propter ætatem, parumq; in futurum proſpiciens, patriſve obtemperans voluntati votiſque.

Galli à finibus Neapolitani regni depelluntur.

CAPVT XII.

BEllum Neapolitanum gerebatur ſupremo partium conatu, vt de regno diductis in ambos prouincialium ſtudiis & viribus. Galli quamuis imminuti numero firmiſſimas tamen arces & vrbes retinebant. Caietam obſidebat Neapolitanus Rex: in Brutiis & Magna Græcia Hiſpanorum arma duce Gonſaluo felicem curſum tenebant: vt oppidis & arcibus magno numero ad ditionem ſubiunctis vix Gallis ea quidem parte ſupereſſet, vbi pedem ponerent tutò. Firmatus vſu miles Hiſpanus nulla diſcordia corruptus, nulla acie exhauſtus, ſed belli Maurici domitor ſæpe meliora ferre. Perſiuus & Obenignus Gallorum præcipui in ea prouincia Duces contempto proprio periculo haud ignari quanto in diſcrimine arces Neapolitanæ eſſent, ibi belli & rerum ſummam verti in ea fortunæ inclinatione conſilio inter ſe communicato decreuere tamen, vt Obenigno relicto, qui Hiſpanorum conatibus obſiſteret, Perſiuus cum copiarum parte Salernum ditionis tum Gallicæ vrbem abiret, ſi liceret ea ope Neapolitanas arces tueri, ſin minus iunctis cum Mompenſerio viribus bellum eo tractu inſtauraret, ſi qua ſe daret occaſio Neapolis recuperandæ. quæ prima cura ſolicitabat. Sic factum. Perſiuus ex itinere multis oppidis ex deditione adiunctis quatuor porro Neapolitanorum millia iuſſu ſui Regis obuia ad Ebulum Picentinorum oppidum non procul Sylari amne ductore Matalonio, acie ſuperauit. Læta ea victoria Gallis in præſens fuit exiguo in futurum vſui: territis quidem aduerſariis nulla manus numero aut viribus inſignis prodire in aciem, obſiſtereque eorum conatibus audebat. Rex tamen priuſquam acceptæ cladis nuncius ad obſeſſos perueniret, de arcium deditione tranſegit, niſi intra certum diem idonea ſuperuenirent auxilia. Acceſſit Perſiuus victor ad Neapolis conſpectum, ſed cum intra arces nihil moueretur, & Rege extra mœnia tendente penetrare ipſe ad obſeſſos non poſſet retro flexit iter. Sic arces omni præſidio deſtitutæ elapſis paulo ante Mompenſerio & Salernitano abeuntibuſque Salernum, vt pepigerat deditæ ſunt. Pecunia Gallis ducibus in ſtipendium deerat. Ad quam redigendam in Apuliam concedere ſtatuunt portorio è pecoribus: vnde præcipua & maxima vectigalia iis regibus conſtant. Eo conſilio Mompenſerius, Perſiuus atque Virginius Vrſinus vires conferunt: præcipui Gallorum duces hi erant, minores multi alii, tum Italici generis tum Gallici. Neapolitanæ copiæ in varias partes diſtractæ erant. Rex ipſe receptis Neapolitanis arcibus de belli ſumma ſolicitus Beneuentum abiit: quam vrbem Pontificiæ ditionis Fridericus patruus ab ingruentibus vndique Gallis defenderat. Inde cognito Gallorum conſilio Fogiam abiit quæ ex Harporum ruinis creuit. Eo etiam Mantuanus cum Venetis auxiliis appulit. Id commode accidit. Sexcenti tamen Germani duce Fabricio ad Regem contendentes, cum eo inuito Nuceriam digreſſi eſſent, vbi altera eius nationis manus expectabat, quam deducere ſecum cogitabant, quo maior gratia eſſet validius ſubſidium, forte in hoſtiles copias incidentes ferme ad vnum cæſi ſunt: etſi ſupremo conatu pugnarunt, multoſque & ipſi ex hoſtium equitibus peremere. Tanta ex eo Gallorum ſuperbia vt ad Fogiæ mœnia promotis caſtris Regem ad pugnam prouocare non dubitarent: quam ille eo incommodo & ſuperiori ad Semenariam ignominia cautior caſtigatuſque detrectauit copiis nondum in vnum locum contractis. Leuia tantum fuere certamina: & ab vtraque parte cædes, captiuique neque nullius neque magni nominis. Galli vlterius progreſſi portorii partem redegerunt, partem Rex. pars alia in ea perturbatione periit à neutris exacta. In ea colluuione non oppida & vrbes modo ſed ipſi paſtores aruaque, vt hoſtile ſolum vaſtabantur. Gallorum ferociam comprimere cupiebat Rex haud ignarus ea parte victis reliqua procliuia fore. Gonſaluus in Brutiis vniuerſa prouincia ferme in poteſtatem redacta ipſaque adeo vrbe Conſentia capta arcem obſidione graui premebat. In Obenigno parum præſidii erat ad extremum Italiæ angulum compacto ſuſtentanteque maiori locorum fiducia quam virium. Monuit Gonſaluum Rex vt cæteris prætermiſſis in præſenti ad ſe actutum feſtinaret: belli capite confecto reliqua ſecutura. Sibi ad ducendum bellum virium ſatis eſſe, ad laceſſendũ prælio hoſtem maiores copias optare. Gonſaluus vera Regẽ prędicare non ignorabat. In diuerſum tamen variæ curæ anxium trahebant. Omittere inceptum graue erat, ſed regi opitulari neceſſarium. Ergo obtemperandi decreto Ludouicum Aragonium Cardinalem cum parte copiarum in Brutiis relinquere ſtatuit, qui bellum ſe abſente ſuſtentaret

ret castris quam insulis aptior. Is Ferdinandi Regis patruelis erat Henrico natus Alfonsi quidem Regis fratre, sed ex impari matre. Agrestes homines magno numero spe prædæ, an vt iter impedirent, iniquis ad transitum locis se in armis ostendunt. Nihil terretur Hispani cum Mauris Granatensibus in præruptis locis & arduis pugnare assueti. Impressione in vicanos facta ad Muranum oppidum magno eos numero ceciderunt, nisi quos fuga dilapsos vicini saltus seruarunt. Ex captiuis quæstione habita cognitum est nobilium magnam manum ad Laynum seu Laum contractam destinata voluntate Consentinæ arcis disturbata obsidione tuendæ. Gonsaluus ne pulcherrimæ occasioni deesset tota nocte itinere continuato, sub auroram in id oppidum irruptione facta nobilium magnam partem peremit, cepit alios, quos mari ad Regem misit Principes in eo numero erant Nicastri Comes & Honoratus Sanseuerinus Bisiniani frater. In diuersa parte Galli Cercellum in Samnitibus obsidebant decem millibus Beneuento dissitum oppidum. Rex vt eam obsidionem dissiparet Frangettum finitimum accurrit cum copiis, vbi Gallicum præsidium erat. Suorum periculo permotæ Gallorum copiæ opitulatum venere. Serum auxilium fuit oppido iam tunc capto à Rege tum incenso ne præda miles impediretur scilicet hostique opportunus ex eo esset. Constitere duæ acies exaduersum duobus occupatis collibus valle interiecta: quam transcendere neutri sunt ausi. Res Gallicæ inclinare cæperant: animos & corpora peregrinæ voluptates eneruarant. Rex quoque re cum suis communicata deliberatum habebat, nisi suo commodo, ac explorata victoriæ spe cum hoste non confligere, neque sua festinatione committere, vt casus aliquis partium fortunam permutaret. Gonsalui in aduentum certe sustentare visum est quem festinare & prope diem affore fama & idonei testes nunciabant. Neque fefellit spes, breui in castra Regia peruenit, tametsi Mompenserius obuiam progressus, eius iter impedire omni studio conatus erat. Quo tempore Rex vestigiis omnibus vrgere Gallorum copias annonæ angustia laborantes, iamque detrectantes pugnam & de Apulia cogitantes. Verum premente Rege conuerso itinere se se intra Atellam incluserunt & euentu huius belli nobilem cum primis vrbem, & tunc Amalfitani Principis ditioni contributam. Rex quo minus id oppidum occuparent, sua diligentia impedire non potuit, quod proximum erat, circumuallare constituit. Ducebatur obsidio pari defensorum & impugnantium conatu, neque dispari spe, cum Gonsaluus diu expectatus in castra tandem regia peruenit ad octauum Kalendas Iulias, qui dies Ioannis Baptistæ natali sacer est. Eius aduentus obsessis grauis exitialisque, obsidentibus lætissimus accidit rerum gestarum fiducia vtrisque cogitantibus eius virtute fore bello grauissimo finem. Accessit ad lætitiam plausus. Consensu duces & milites venientem Magni ducis titulo & nomine honestarunt factis præclaris consentaneum, quod ab hoc initio susceptam & aliarum nationum eximio fauore confirmatum in morem abiit, vt hoc potius nomine quam natiuo cognoscatur. Ac sane alii duces in Italia quamuis per se strenui cum eo comparati multo inferiores rebus omnibus videbantur. Erat enim ingenio magno belli & pacis artibus peræque instructus, præcipua morum suauitate, colligendæ militaris beneuolentiæ eximius artifex, in præsenti grande ad victoriam momentum. Opinionem de eius virtutibus susceptam confirmabat ipse industria, satis decorus facundia, omniumque quæ diceret atque ageret, arte quadam ostentator. Ita cum primum Atellam peruenit situ considerato ipsis Kalendis Iulii cum suorum manu molas frumentarias, vnde obsessi alebantur, momento temporis occupauit, valido inde hostium præsidio deiecto. Fregit ea res Gallorum spiritus, regiis fiduciam addidit breui opprimi ac profligari aduersarios posse. Ex paruis sæpe initiis magnarum rerum exitus pendent. Leuia aliquot prælia fuere pro oppido, casus varii: Salernitanus & Bisinianus in ditione delectus habere destinata voluntate Gallicas partes à casu sustentandi, opem obsessis ferendi. Verum ea diligentia nihil est præstitum: ac contra Mõpenserius, Virginius Vrsinus, & Persiuus obsidionis malis fatigati se & oppidum dedere decreuerunt. Leges consensu scriptæ. si intra trigesimum diem idonea auxilia non mitterentur ex Gallia, copiæ Gallorum ex vniuersa Italia decederent cum bona venia impedimenta, equos, arma secum asportandi. Arces & oppida Regi restituerent vniuersa ditione Caieta, Venusia, & Tarento modo retentis, præterea quidquid Obenigni & Montii Ducis armis occupatum esset. Discedentibus Rex mari naues, terraque iter tutum præstaret. Mense Iulio hæ conditiones sunt iureiurando & datis obsidibus confirmatæ: in iis tabulis mirum enimuero videatur Gonsaluo Magni Ducis nomen consensu adscriptum. Dedita vt conuenerat ea vrbe aliisque arcibus Galli profecti, exiguo numero

tamen in patriam peruenerunt. morbis & variis casibus consumpta multo maior pars: ipse etiam Mompenserius ad Vesæuum afflicta valetudine, an ex molestia periit. Virginius Vrsinus & Iordanus filius in custodiam dati fœderis in eo fide violata. Sed Alexandri Pontificis iussa vrgebant, cui obsistere Regi tutum non erat pro imperio id mandatis. atque pro Pontificia auctoritate concepti eum iurisiurandi religione soluentis. Affuere in hoc bello Ioannes Borgia Cardinalis Amalfitanus Episcopus Pontificis ex sorore natus, non idem de quo eodem nomine Episcopatu alio est commemoratum, sed tamen pro auunculo Pontifice legatus, tum Dux Gandiæ Pontificiæ manus quam subsidio ei Regi misit, ductor. iis meritis Vrsinorum facta iniuria gratificatum est. Gonsalui discessu res Gallicæ in Brutiis & Magna Græcia resurgere, Hispanorum vires debilitari cœperant. Ita die proximo post fœderis conditiones ad Atellam firmatas eam prouinciam repetiit: cuius partem multo maximam eius absentia Obenignus ad Gallicam ditionem reuocarat acerrima belli fax, virtutis & prudentiæ spectatæ magis quam felicis ob præualentē aduersarium. Eius enim diligentia locis omnibus prementis in commune aliorum Gallorum fœdus consentire, ac vero relicta Italia in Galliam redire est compulsus. Quo tempore omnino dimidiato mense Augusto in Castella vlteriori Isabellæ Reginæ mater Isabella decessit è vita annis postremis parum sui compos. Corpus extemporario funere Areuali sepultum, vbi extremam ætatem exegerat, consequentibus annis in Burgense Carthusianorum monasterium translatum est: loco vbi vir eius Ioānes eo nomine secundus Castellæ rex fuerat compositum. Ad vndecimum Kalendas Septembris defunctę neptis Ioanna nomine classe ad Lauretanum portum instructa in Belgas abiit ad pactas nuptias cum Philippo Austriæ Archiduce. Regina mater filiam vsque ad portum est prosecuta, Fridericus Henricus maris Præfectus Belgas vsque. In coniugii eius celebritatem ludorum apparatum omnemque lætitiæ significationem intentos. Ab Alexandro item Pontifice Ferdinandus puellæ pater Catholici cognomentum accepit in posteros cum regno transfusum stabili possessione. Honorum titulos Principibus diuidere Pontificibus Romanis datur. Erat in more vt in litteris Apostolicis adscriberetur, Regi Castellæ illustri. Ergo deinde noua indulgentia adscribi placuit, Regi Hispaniarum catholico, non sine obtrectatione & inuidia Regis Lusitani, quando Ferdinandus imperio vniuersam Hispaniam non obtineret, eius tum non exigua parte penes alios Reges. Contentio ab eo tempore excitata ad nostram ætatem tenuit. Maiori motu exarsisse Gallum verisimile est, si quod Comineus ait, Pontifici erat destinatum Christianissimi appellationem, qua reges Gallos ante aliquot annos simili exemplo in Ludouico vndecimo Pius secundus Pont. Max. honestauit, in Ferdinandum transferre rerum gestarum amplitudini gratiam consentaneam.

Reges Lusitani. CAPVT XIII.

EManuel Lusitaniæ Rex cum primum regium insigne desumpsit. Montem maiorem regni ordines ad generales conuentus euocauit de rebus grauissimis consilia communicare volens. Eo Georgius accessit defuncti Regis filius, ætatis agens annum quartū decimum, Diegho Almeyda deducente Priore Hospitalario, quem sagax pater delegerat, qui pueri imbecillam ætatem regeret consilio, imbueret moribus eo loco dignis. Venientem Rex benigne accepit, quin ad eius amplexum lachrymas fudit indices beneuolentiæ, decessoris tum memoria tum desiderio expressas. Filii eum loco futurum promisit charissimi, se patre dignum præstaret. Simul legatos dimisit ad varios Principes, nominatim Castellæ Regibus suæ inaugurationis gaudium nunciare voluit: Alexandro Pontifici more maiorum suo nomine obsequiū debitum deferri. In noui Regis aula principem gratiæ locum obtinebant Dieghus Silua, quo morum institutore & magistro creuerat; tū Ioannes Emanuel Ioanne Guardiæ Episcopo natus & Iusta Roderica illius amica, quæ Emanuelis Regis nutrix fuit. Dieghum Portalegris Comitem esse iussit operæ & disciplinæ præmium, Ioannem regio cubiculo præfecit. Ex vsu familiari parique ætate gratia aucta, adeo vt cæteros aulicos facile rebus omnibus anteiret. In iis conuentibus edictum est vt Iudæis omnib. à defuncto Rege in seruos datis redderetur libertas. Superiorem seueritatem noua censura mitigare æquum videbatur; miseræ gentis calamitatem subleuare. Auxilia in Africam decreta atque militare supplementū: vbi Septam freto imminentem Ioannes Rex eo nomine primus eripuerat Mauris. Tingini & Arcillam ad extremum occasum atq; ad Oceani littus Alfonsus Emanuelis patruus. Inuecta virtute posteri retinuerant: felicibus sæpe armis submouerant hostes, agris finitimis attulerant vastitatē. Arcillæ præfectus Ioannes Menesius cupidus nouo Regi suam industriam probandi multis circa

pagis

pagis cõsuetũ vectigal pẽdere recusantibus, cõmunicato cõsilio cum Tingitano Præfecto atque cum eo iunctis viribus in eos ducens, forte in Barraxam & Almandarinum incurrit strenuos Afrorum magnique nominis duces. Non detrectauit certamen Menesius etsi numero vincebatur. Commissa pugna victi fugatique hostes sunt, virtuti cessit multitudo. Læta ea victoria in præsens fuit, rerum maiorum initium. Interea ad Montem maiorem conuentus celeberrimi, multis quamuis & magnis rebus nondum constitutis necessario sunt dissipati pestis ob luem in ea regione grassari incipientem. Ipse adeo rex dimissis ordinibus raptim ex eo oppido discessit huius anni initio; atque sub ieiunii Christiani tempus Setubaliam sese contulit. Quæ profectio non incolumitati tantum est data sed officio studioque duas sorores viduas inuisendi Eleonoram Reginam, & Isabellam Brigantino antea nuptam. Eo congressu nihil prius actũ quam de Aluaro Brigantini Ducis occisi fratre ducisque filiis, qui in Castella profugi durum exilium tolerabant, patria extorres in patriam, paternasque opes & pristinum dignitatis locum reponendis. Id Ferdinandus Rex Castellæ enixe contendebat; innoxios nihilque mali promeritos eriperet supplicio: sorores tantundem cum lachrymis flagitabant, ardentius Isabella quam eæ calamitates propius attingebant eodem momento orbata viro filiisque, familiæ vniuersæ miserabili luctu. Ante omnes Beatrix Visei Dux precibus Regem filium fatigabat, eique pro materno iure mandabat, vti sanguine & necessitudine coniunctos subleuaret. Non tibi, inquit, solum, regnum cœlitus datum sed matri, sororibus, & propinquis; omnib. denique qui in te spem emergendi iure collocarunt, partem aliquam imperii communicandam & felicitatis cogitare debes. Fructum ex nostro fundo nostraque ex arbore decerpere quis vetabit? Quæ si nos spes fefellerit animis nostris concepta, quo ibimus? ad cuius opem confugiemus? An importuna seueritate committes vnde cunctos nos pigeat te ad culmen dignitatis & gloriæ peruenisse? Cum eras priuatus, nostram sortem & miseriam deplorabamus: nunc ad eam acerbitatem, iniuriam importuna seueritate factam adiungere erit necesse. Quare si vlla tibi æquitatis, si vlla pietatis cura est, si labores eius quæ te peperit, si amorem quo te sum perpetuo prosecuta memoria retines, matri filiam restitue, sorori filios, auiæ nepotes, memet denique totam mihi redde, meaq; membra disiuncta locis & lacera & disiecta in vnum quasi corpus salutari ista manu compinge. Atque eum acceptæ potestatis præcipuum fructũ cogitato, hoc quasi initio accepti principatus specimen dare cæteris ad bene sperandum hoc quasi salutari signo sublato. Cupiebat Rex iustissimis matris & sororũ votis satisfacere. Verũ ne repente defuncti Regis censura mutata in leuitatis suspicionem incurreret, verebatur: ac simul prouidendum erat ne eorum animos irritaret qui bonorũ exulib. ablatorum se attactu & longa possessione cõtaminauerant. Vicere tamen omnes difficultates pietatis respectus, matris & propinquorũ postulata. Quib. bona & honores exulũ sunt ablata, eos aliis pro præsenti copia datis munerib. pacauit. Nullus vt regiam clementiã accusaret, contrà laudarẽt multi & perpetuo præconio celebrarent, qui nollent etiam factũ probantib. Regii cõiugii cura solicitare, & prolis in spẽ regni suscipiendæ. Ætas matura erat quippe sex & viginti annorũ. Nulla conditio Castellæ regũ affinitate potior erat: neq; id gens Lusitana ignorabat. Ferdinãdo & Isabellæ Regib. de eo coniugio appellatis placebat Emanuelẽ generum adoptare: cęterũ vt maiorem filiã coniugem darẽt, non adducebantur. proxima in Belgas abierat. Catharina etiã Arcturo Anglo pacta erat. Mariam omniũ minimam coniugẽ Lusitano libenter destinabant. Abnuit Lusitanus: neq; aliũ Principẽ sibi præferri in coniugio maioris filiæ ferebat pro gentis ingenio nulli de dignitate concedens. Adamabat pręterea Isabellã & forma & indole oblectatus ex quo tẽpore fuerat in Lusitania Alfonso Principi nupta. Agebatur de eo coniugio: eaq; ex re Ferdinandus Rex Catholicus occasione captata Lusitanũ solicitabat, vt se ad Principum fœdus contra Galliæ opes & Regẽ adiungeret. Isabella quoque Princeps inter coniugales leges Mauros & Iudęos Lusitani regni finib. deturbari iubebat voti peruicax qui perfidã gentẽ tueretur à Christianis institutis abhorrentẽ, ei vt toro iungeretur adduci nõ posse. Cupiebat Emanuel vtriq; postulato satisfacere puellę amore ardẽs impatiensq; moræ. Verũ ne Ferdinãdo obtẽperaret, amicitiã cũ Gallis à multis annis stantẽ & mutuis officiis cultam excusauit. Hispaniæ finib. ab iniuria tuẽdis vires & fœdus libenter offerre: vt se externis bellis implicaret, alienum à suis rationib. putare. Ad Isabellæ gratiam promerendam ægre quidem, sed datum tamen, vt nouo edicto, quod sub huius anni finem promulgatum est, Mauri & Iudæi omnes iuberẽtur finibus Lusitanię abscedere seruitutis metu proposito, si qui post designatum tempus restitissent. Solutum antea pœna noua lege sanciri placuit. Mauri quidem in Africam continuo sine recusatione transmiserunt. Iudæis non eadem facultas extitit: quibus paulo post nouo edicto

filii ſunt detracti quatuordecim annis minores, atque ſalutaribus aquis per vim adhibiti. Inſolens decretum à legibus & inſtitutis Chriſtianis abhorrens maxime. Malo cogas homines Chriſtiana ſacra ſuſcipere? libertate cælo data in re omniũ grauiſſima ſpolies, quos Deus ſui arbitrii eſſe voluit? Graue id piaculum ſit: ac ne filios quidem à parentib. eo ſtudio abſtrahere liceat. In vtroque tamen gens Luſitana peccauit, pueris enimuero ſine voluntate parentum ad baptiſma violenter raptis, atque maioribus natu, vt Chriſto darent nomina, conuitiis & contumelia vexatis. ac nominatim diſcedendi facultate per fraudem ſublata, cuius neceſſitas erat impoſita. Ita plerique ſeruitutis metu dederunt manus, quidam ſyncera voluntate, pars multo maxima tempori ſeruientes animo ſimulato: cuius rei deinde clara documenta extiterunt. multi ad patriam ſuperſtitionem, quam reiecisse, viſi erant, cum ignominia Chriſtiani nominis reuerſi. Ergo Iudæi variis modis & indignis ſunt in Luſitania vexati. Ab Alexandro Pontifice impetratum eis qui tribus ordinibus militaribus ſe deinceps in Luſitania adiungerent, perpetuæ caſtitatis venia, indulta certe facultate coniugii: quo eatenus erant veteri inſtituto prohibiti. Eius indulgentiæ grauiſſimas extitiſſe cauſas non dubito tempori accommodatas. Libidinis effrænatæ licentia, natalium macula inuſta proli ex iis militibus genitæ. Cæterum res ea obtrectatione non caruit, vt omnia noua, aliis moderationem laudantibus, alii maiorem cautionem requirebant & conſtantiam. Sæpe etiam quæ prudenter excogitata videbantur in perniciem vertuntur. Ea eſt humani ingenii imbecillitas. Ab hoc certe aditu opima eorum ordinum vectigalia non hominibus militaribus, vt antea, attribui, ſed in aulicorum delicias, qui caſtra nunquam viderunt, conferri cœperunt. quanta peruerſione & bonorum gemitu dicere non attinet. Præmiorum ſpe certa ſublata quotuſquiſque non potius delicatam & amœnam vitam, quam militiæ labores & puluerem complectatur.

Ferdinandus Rex Neapolitanus obiit. CAPVT XIV.

MOtus Italiæ non quieſcebant nondum in malaciam compoſiti. Anglus cum affinitate Hiſpanica ad commune fœdus contra Galli conatus adiecit animum: ſeq; cæteris Principibus adiunxit. Cæſar etiam venturum in Italiam profitebatur Galliæ Ciſalpinæ & Hetruriæ cura vbi multa mouebantur. Sic Dux Mediolanenſis à Gallico fœdere diſcedere conſtituit. Cognita præſertim Delfini tum infantis morte, & Galli Regis eius patris valetudine perpetua, ne res Gallicæ ad Aurelianenſem iuratum hoſtem reciderẽt, haud temere metuebat: atque ex ea re exitium, quoniam is princeps eius rationib. vel maxime erat infenſus, in Mediolanenſi principatu ab antiquo riualis. In Neapolitano regno Apuliæ partem Veneti obtinebant, Gonſaluus ſui Regis nomine Rhegium, Amantiam, aliaque in Brutiis oppida & arces. Andegauenſium in poteſtate non paucæ, neque contemnendæ arces ſupererant, neglecta in eo icti nuper cum Gallis fœderis fide. Ad eas impugnandas Rex, Cæſarem patruum furto conceptum Tarentum amandauit. Vrbinatem, qui eo bello iuuerat, in Pelignis & Samnitibus curare iuſſit. Atque hic quidem breui omnibus circa oppidis ad ditionem regiam ſubiunctis cum Proſpero Columna Romam abiit. Caietæ ſubiugandæ maior cura ſolicitabat: quam mari Triuentius & cum eo Venetæ triremes acriter, ſed irrito conatu impugnabant. Terra obſidere parabat Rex omnibus copiis, cum id cogitantem dyſenteria in villa apud Veſæuum, ac ex eo mors oppreſſit Nonis Octobris Neapoli, quo ſe deferendum curauit. Quid flos ætatis iuuit? quid gaudia & aliæ vitæ iucunditates? quid victoriæ de hoſtibus partæ regnumq; receptum? omnia ſubuextit importuna mors & ſæua. Vix deguſtato primi regni fructu eſt raptus. Miſerabile iuxta & inſigne exemplum humanæ felicitatis inconſtantiæ. Luxere extinctum ciues veriſſimis lachrymis: vnum virum ducemq; ſpreta aliorum ſegnitia laudibus ad cœlum ferre. Accurrit Caſtellonio, vbi tum agebat, Fridericus patruus cognito regis periculo: atque ipſo quo deceſſit die Neapoli Rex eſt proclamatus quippe proximus ſanguine. Salerni & Biſiniani principes, Meliti & Lauriæ Comites, qui in ea vrbe erant infenſi maxime Aragonio nomini ſibi per conditiones adiunxit, ſed fide parum conſtanti. Intempeſtiuo quidem eius principis obitu, multorum animi ad nouas ſpes nouaſq; molitiones excitati ſunt; ac nominatim Neapoli & Romæ ad Regem Catholicum res Neapolitanas recidiſſe quidam prolatis de ſcripto vetuſtis iurib. & tabulis confirmabant. Eæ voces Pontifici & aliis Italiæ principibus accidebant ingratæ, iis etiam qui vera dici iudicabant. Sua cuiq; tuendi præcipua cura erat, graue Hiſpanorũ Regis potentiam noui & magni principatus acceſſiõe augeri. Imbecillũ Regẽ vicinũ habere potius volebãt. Gõſaluus qui aliorũ conatib. obſiſtere vnus poterat, arce Cõſentina impugnãda diſtrictus, ea capta

& Obenigno

& Obenigno in Galliam pulſo, vniuerſaque adeo Brutiorum prouincia breui ſubdita, Nolam abiit: atque in ea vrbe relicto milite, Neapoli Reginas matrem & filiam inuiſit, luctum & mœrorem, quo erant oppreſſæ, ſua præſentia & accommodatis officiis leuaturus. Vrgebat contractis copiis nouus Rex Caietam obſidione, atque omnibus viribus impugnabat: quo tempore Obenignus pedeſtri itinere Romam petens forte an conſilio in ea loca peruenit. Is Regis conceſſu in vrbem ingreſſus obſeſſis auctor extitit deditiones per conditiones maturandæ. Defenſionis ſpem nullam ſupereſſe Gallia longinqua ſuo Rege aliis curis diſtricto. Satis moleſtiarum diuturna obſidione toleraſſe. Non videri amplius laborandum. Ita vrbe dedita Galli roſtrata naui & duabus onerariis diſceſſerunt in Galliam. Miraculo eſt habitum è duabus nauibus alteram mari hauſtam ad littus alteram Terracinæ eiectam fregiſſe. A templorum ſpoliatoribus dona auro & argento grauia & ſacrorum inſtrumenta reliquumq; apparatum nulla religionis cura vehentibus eas pœnas ſcilicet habuerunt locorum præſides tutelareſq; diui. Sic opes male partæ pereũt, perduntque poſſeſſores. Cæſar, vti erat pollicitus tranſcenſis Alpibus in Inſubres armatus irrupit. Mille equites, pedites quinque millia ſequebantur nomen magis quam robur exercitus. Præcipua ſpes in Italicis copiis. Itaque Mediolanenſis Dux ſe cum illo coniunxit. Sabaudus & Monferratus imperii beneficiarii, quamuis Aſta euocati venire neglexerunt. inane ſine viribus maieſtatis nomen ſpreuere. Idem fecit Ferrarienſis Dux tametſi Mutinam & Rhegium Imperatorum beneficium obtinebat. Genuam tueri erat propoſitum aduerſus Galli conatus miſſa claſſe & ope Rouerei Sancti Petri Cardinalis aliorumque ciuium eam redigere in poteſtatem contendentis. Piſanos præterea tegere animus erat aduerſus Florentinos omnibus viribus conantes eos ad priſtinum ius ditionemque reuocare oppreſſa quam à Gallo acceperant libertate. Illi quoniam pares viribus non erant, vt arreptam libertatem retinerent, ad aliorum Principum opes ſupplices confugerant. Ac Venetos nominatim ad vires communicandas ſolicitarant quiduis perpeti obſtinantes, ne iugum ſeruitutis grauiſſimum atq; intolerandum à Florentinis reponeretur, extremum malorum. Eam prædam Dux Mediolanenſis Venetis eripere cupidus ac vero eius vrbis poſſeſſionem ad ſuum principatum adiungere, auctor Cæſari extitit vt Piſanorum patrocinium ſuſciperet. Quod ille libenter fecit: ac Liburnum vltra Arni fauces poſitum oppidum nobile portu circumſedit præſens. Conatus inanis fuit; obſidione ſoluta cum ignominia diſceſſit. Pudenda actionum inconſtantia agebatur: neq; ſatis principibus fidebat, à quibus erat euocatus. Ita de reditu in Germaniam cogitare cœpit nulla decoris cura. De ea re Ticini deliberatione ſuſcepta, cui conuentui cum aliis Dux Mediolanenſis interfuit, Bernardinus Caruaialius Cardinalis à Pontifice legatus, vt Principum fœdus promoueret, accommodata oratione perſuaſit, vti dilata tantiſper profectione rebus Genuenſibus opem ferret, quæ in periculum veniebant propter Galli conatus eam vrbem ſuæ ditionis facere cupientis. Cũ ex Hiſpania eſt allatum inducias enimuero Reges Gallum inter & Hiſpanum pactas ſpe haud dubia pacis porro perpetuæ inter ſe ſanciendiæ. Id Italicas rationes vehementer conturbauit: ac Cæſar vt ardentius in diſcedendi voluntatem incumberet effecit. Induciæ ab Hiſpano hac occaſione ſunt cōceſſæ. Quo tempore bellum ad Neapolim maiori impetu gerebatur. Hiſpanis noui ex Gallia terrores oſtentati. Irruptionibus quæ per Ruſcinonenſes identidem fiebant irritata ea gens vindicare haud dubium parabat. Delectus militares in Gallia ingentes ac reliqui bellici apparatus, imminere Hiſpanis finibus tempeſtatem manifeſte indicabant. Ea cura Ferdinandus Rex Catholicus eo propius accedens Gerundiæ aliquandiu ſubſtitit cum delectis copiis, quæ ex omni parte ad periculum confluxerant gentis in arma promptæ. Verum autumno præcipiti cum nihil ex Gallia moueretur, dimiſſis Rex copiis & pleriſque militib. alio atque alio dilapſis in Caſtellam redire atque Burgos feſtinare conſtituit: quo Reginam occurrere mandauerat filii principis nuptias cum Margarita ſponſa celebratum. Ea profectione cognita Rex Gallus Ruſcinonenſes idoneo præſidio nudatos atq; opportunos iniuriæ cōtracto raptim exercitu, decem & octo millia milites ductore Carolo Albonio Sanctanderii regulo pro duce Borbonio Narbonenſi limiti ea parte præfecto in Hiſpaniæ fines irrumpere mandat. Sic ad quintum decimum Kalendas Nouembris qui dies Veneris fuit, Salſulæ in aditu Hiſpaniæ poſita arx iis copiis eſt circumſeſſa. Murus erat veteris ſtructuræ, neq; idoneus tormentorum ictib. ſuſtētandis, quæ peſtis igneo vomitu & globis ferreis obuia quæq; proſternit. Militum qui erant in præſidio virtus hoſtilē impetum diu ſuſtinere nō potuit. Die proximo oppido per vim expugnato, arx etiā ad deditionis cōditiones redacta eſt. Aduolauit Hēricus Comes ad pręſidiũ, & cũ iis copiis, quas contrahere potuit, ad Ribaſaltas conſtitit quatuor paſſuum millibus diſſitum oppidum,

Serus opitulator arce iam amiſſa. Quod erat proximum ad nominis exiſtimationem tuendam, hoſtem, qui deſerta arce quam tueri non ſperabat, ſe ad vicinos montes receperat locorum aſperitate magis confiſus quam viribus inſecutus eſt pugnandi ſi copia eſſet, certa voluntate. Conſtiterunt ferme in conſpectu vtraque caſtra dies aliquot. Ventum ad manus non eſt: actum tamen per internuncios de fœdere. Sanxere itaque vti ea parte quidem poſitis armis inducię eſſent vſque ad octauum decimum diem menſis Ianuarii 1497 anni proximi Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi ſeptimi. Nihil eſt in bello tam leue quod maiorum rerum momentum non ſit. Itali principes ex iis induciis ſuſpicati Regem Hiſpanum communi cauſa & fœdere deſerto ſibi priuatim conſulere. Quæ ſuſpicio manauit latiſſime. Cæſaremque iam dudum de reditu cogitantem impulit, Italia deſerta nullo tantæ molitionis pretio in Germaniam extemplo vt feſtinaret præceps & pauidus.

Dux Gandiæ occiſus. CAPVT XV.

SImul Virginius & Iordanus Vrſini ad Neapolim vincti ſunt magna multorum inuidia, & vinculorum ſuaſor auctorque Alexander Pontifex in eius familię oppida & ditionem inuolauit, quam obtinebant ampliſſimam in agro Romano. Præcipui duces ei bello deſignati Gādiæ Dux, Vrbinas, atque Fabricius Columna aliquot initio oppidis captis Bracianum obſidebant ſitu & ope firmiſſimam arcem. Carolus Vrſinus & Vitelocius pecunia ex Gallia aduecta, delectibuſque militaribus inſtitutis equitum peditumque, obſeſſis opem ferre decreuerunt. trecētos grauis armaturæ equites, leuis armaturæ quadringentos, pedites bis mille & quingentos ſub ſignis habebant. Cum his copiis Vaſanum Pontificię ditionis oppidum impugnare ſtatuunt. Validum municipium auferre Pontificiis è re famaque videbatur: Certe Pontificios auxilio venturos ſoluta Braciani obſidione haud inepte cogitarunt: futuramque pugnæ copiam ex æquo. Non fefellit coniectura. hoſtes quamuis minori numero Vrſinis obuiam procedunt pugnandi deſtinata voluntate: in victore exercitu amiſſi eius oppidi ignominiam hærere graue exiſtimantes atque intolerandum. Ventum ad manus ad nonum Kalendas Februarii. Motæ loco initio Vrſinorum acies in vicino colle conſtiterunt loci munitione magis quam armis fretæ. Fabricius Columna cum copiarum parte æquiorib. tramitibus circuire collem, hoſteſque adoriri à tergo parabat: cum illi Pontificiorum paucitate qui in acie perſtabant, conſiderata in eos præcipites feruntur eo impetu, quem illi imminuti numero nihilque minus expectantes non tulerunt. Cæſi omnes verſique in fugam. Gandiæ Dux vulnere in facie accepto euaſit, Vrbinas captus eſt. Nobilis victoria ad famam, vſu ſalutaris fuit. Oppida quæ erant ablata ad victores ferme redierunt. Ipſe quoque Alexander Pontifex maioris mali metu & re neceſſaria magis quam ſyncera voluntate Vrſinos recepit in gratiā. Gonſaluus quamuis bello Neapolitano nondum confecto Romam cum militari manu profectus Pontifici adiutor, eius concordię conſtituendæ præcipuus auctor extitit: eoque merito Vrſinorum familiam viris armiſque præualidam Regi ſuo conciliauit. Quibus rebus conſtitutis Pontificis hortatu eiuſque in gratiam Oſtiam abiit, quæ vrbs Gallico vſque dum præſidio tenebatur. Menaute Guerri Præfecto, tanta ex eo moleſtia vrbis Romæ, vt non ſecus ac ſi hoſtis pro portis eſſet & circū mœnia, annonæ anguſtia laborarent. Magnæ difficultates opponebantur, ardua arcis mœnia, munitiones adiectę validum præſidium, in multos dies comparatus cōmeatus. Virtuti ceſſere difficultates. intra octauum diem ab Hiſpanis admotis ſcalis capta per vim: & Præfecto tamen ſe tandem dedenti vita multaque blandimenta in fidem accepto data ſunt. Multum ad eam vrbem capiēdam Garſiæ Laſſi pro Rege catholico legati apud Pontificem induſtria virtus que contulit, atque ea prudentia qua nemini ſua ætate conceſſiſſe viſus eſt. Gonſaluus cupiebat ea expeditione confecta in regnum Neapolitanum redire arces impugnatum, quæ à Cardinali Sancti Petri Iuliano Ruuereo Gallicis partibus addictiſſimo ad fines eius prouinciæ obtinebantur. Adit Pontificem, diſcedendi facultatem petit, ſermone longius producto Reges Ferdinandum & Iſabellam in eius ære eſſe Pontifex ait, neque in officio reſponderet tamen, vt erat opus, & collata beneficia poſtulabant. Ingenium eorum nemini æque ac ſibi eſſe notum. Credo equidem, Gonſaluus ſubdit, tibi eſſe notos quorum in ditione es natus. Quod vero addis nulla eorum in te officia extare: nimirum oblitus es eorū Regum ope & auctoritate ſtare tibi pōtificatum, in tanta quamuis licentia actionum aulæq; vniuerſæ morum peruerſitate. Ergo quæ collapſa ſunt, ſeueriori cenſura in priſtinum ſtatum reſtituas moneo priuſquam meus Rex religione prohibeatur ei fauere qui ſuis moribus vniuerſum orbem Chriſtianum fœdare, prauoque vitæ exemplo multis exitio eſſe videatur.

videatur. Adiecit alia quæ ira dedit: recensuitque sigillatim beneficia collata à suis Regibus multa & magna. Pontifex victus conscientia scilicet & audacia hominis militaris perterritus, cui loquendi fiduciam misera temporum & morum conditio dabat, mutire non est vltra ausus. Malorum etiam colluuies, qua ex eo fonte orbis Christianus premebatur, Castellæ & Lusitaniæ reges impulit repetitis legationibus Gonsalui exẽplo tantundem à Pontifice vt postularent. Verum frustra omnis opera sumebatur frænanda impotentis ingenii prauitate, ita formatis auribus vt acerba quæ vtilia, & nihil nisi iucundum & nociuum acciperent. Quin paulo post in Cardinalium cætu vbi de regno Neapolitano Friderico confirmando actum est, Beneuentum Pontificiæ ditionis vrbem Gandiæ duci, vt traderetur, serio agitauit. Præterea destinatum habebat iis Regibus tributi, quod annuatim ecclesiæ Romanæ pendere iure fundi consueuerant, gratiam facere, mutare principatu, quem Gandiæ Duci dari volebat in ditione centum aureorũ millia valore exæquantem. Restitit coram Garsias Lassus effræni cupiditati augendi suos: ac disertis verbis denunciauit suo id Regi curæ fore si secus esset decretum: neque passurum vt Beneuentum in cuiusquam gratiam ecclesiæ detraheretur quocumque tandem prætextu, rationeue. Parum ea diligentia fuisset profectum, nisi quem neque ratio à furore neque pudor à prauitate continere poterat, eius rationes conturbasset Ducis Gandiæ repentina sæuaque mors. Id qua ratione contigerit explicandum est. Nocte quadam ad octauum decimum Kalendas Iulias ex hortis, vbi cænati erant, dux & duo Cardinales Valentinus & Borgia se domum referebant. Diuertit de via dux cum vnico à pedibus famulo: quem etiam à se dimisit arma quæsitũ. Fecit ille vt erat imperatum: verum in reditu herum non inuenit: neque vero die proximo omnino intelligi potuit vbi esset. Mula tantum qua vehebatur ad Flaminiam portam Vrbis est inuenta indicium aduersi alicuius casus. Maiori diligentia & inquisitione cognitum è nauiculario est de media nocte è cymba in qua pernoctabat, vidisse hominem è mula qua portabatur ab alio in clunibus insidente & duobus ab vtroque latere ad extremum pontem vbi ventum esset, in subiectũ flumen præcipitem datum. Rogasse qui in mula sedebat, an mergeretur: ac duobus affirmantibus, discessisse omnes. Loco à nauiculario designato vrinantes ad imum vsque flumen quæsitum diligenter corpus inuenere nouem fœdatum vulneribus cum vestibus ac reliquo omni ornatu. Autor cædis qui esset, explorari non potuit. Multi suspicionibus exagitati. Quidam ab Vrsinis occisum putarunt, iram in patrem conceptam in filium expromentibus scilicet. Alii Ascanium Sfortiam Cardinalem sugillare haud minori odio incensum in Borgias. Cæsaris Valentini Cardinalis fraus suspecta erat aliis, & paulatim in plures cœpit manare suspicio. Quæ fama præualuit, quasi inuidia stimulatus, quod in Gandiæ principatu minor ætate frater ipsi esset antea prælatus, dolorem ea cæde vindicasset. Verum quis statuere possit? quis vulgi linguam & pronunciandi temeritatem frænare? odium in Pontificem conceptum efficiebat, vt procliui in deterius persuasione populos sinistra interpretatione cuncta acciperet. Nempe infensum semel principem alienæ sæpe culpæ grauant. Ex Duce filius item Ioannes nomine relictus est paterni principatus hæres diu superstes atque ex duobus coniugiis numerosæ deinde prolis pater.

Ioannis Principis Hispaniæ nuptiæ. CAPVT XVI.

QVa classe Ioanna princeps in Belgas nauigauit, Margarita Archiducis soror ex aliquanto interuallo in Hispaniam vecta est, ad Ioannis Principis nuptias permutatione alterna inter fratres sororesque pacta. Mense Martio ad Santanderii portum appulit. Rex socer & sponsus obuiam sunt progressi. Ad Reinosam in manus conuenere: nuptiæ Burgis initio mensis Aprilis celebratæ apparatu & lætitia post hominum memoriam singulari. Nuptialia sacra Toletanus antistes peregit, auspices adhibiti Fridericus maris Præfectus & mater Maria Velasca. vt in aula Margaritæ, ministeria mutarentur Rex nõ permisit: ac dedit potius vt suo arbitratu retineret eos aulicos, qui gratissimi ob communem originem, linguam, moresque essent. De pace inter Regem Catholicum & Gallum per conditiones constituenda agebatur. Ferdinando Stradæ in Galliam pro legato ire iusso rei perficiendæ imprimis demandata cura. Pacis sanciẽdæ facultas nondum erat, neque tempus opportunum. Lugduni huius anni initio induciæ generales sunt pactæ cum Hispanis quidem ducto principio à quinto Martii die, cum aliis autem fœderatis principib. si vti vellent, septimum Kalendas Maii. Earum finis esset Kalendis Nouembris omnibus sine discrimine. ea enimuero causa Gonsaluo extitit discessus ab vrbe Roma maturandi, ne ob pactas à suo Rege inducias cogeretur arma ponere prius quam arces quæ à Cardi-

nali Sancti Petri in regno Neapolitano tenebantur, in poteſtatem venirent. Quod præſtare tamen non potuit militari ſeditione intempeſtiue excitata. Pactis induciis agebatur inter duos Reges nihilominus de pace, ne ad arma redire eſſet neceſſe. Fridericum Regem Neapolitanum Galli propter paternos natales vitioſos iniuria id regnum occupare priores accuſarunt. Eo excluſo ius regnandi ad Gallum neceſſario, aut Hiſpanum pertinere. Præſtare poſitis armis illud inter ſe per conditiones partiri. Non diſplicebat ea conditio Ferdinando, neque dubitabat totam cõtrouerſiam Cæſaris arbitrio permittere. Recuſabat Gallus ius ſuum minime dubium, vt ipſe videbatur, ad iudicum examen vocare. Ferdinando tamen ſi regnum id ſibi cederet, æquam compenſationem offerre aut in pecunia, aut alia quapiam ratione: vſque eo vt Vaſconum regnum ſe daturum polliceretur: quorum reges habere Ferdinandus ſuſpectos cœperat, Labretis & Fuxenſibus, vti natura cogebat, ad Gallos nimium propenſis. Ad Medinam Campeſtrem quo Galli legati venerant, de re tanta diſceptatio erat inſtituta. Studio ii prouecti ſui Regis nomine Brutios & magnam Græciam in extrema Italia pacis pretium promittebant; ea tamen exceptione, vt ſi reliquo regno ſubdito victor Gallus eam etiam prouinciam ſuæ ditionis facere vellet, Vaſconum regno mutare liceret: additis tamen triginta aureorum millibus annuis exæquarentur cum eius prouinciæ, minora Vaſconum regni vectigalia. Gallicis pollicitis ita mouebatur Ferdinandus, vt belli potius odio mallet Friderico regnum confirmari tantum pecuniæ daturo Gallis quantum delecti arbitri pro factis in ſuperiori bello ſumptibus iudicaſſent, annuo quinetiam tributo adiecto, quod in omne tempus penderetur. Quo fœdus eſſet ſtabile, Ferdinandus Dux Calabriæ Friderici filius natu maior Borbonii Ducis filiam ex Regis Galli ſorore natam duceret, dotis nomine veniam & pacem in eam regiam illaturam. Honeſta conditio. Sic Gallici legati ſunt dimiſſi. Et quoniam induciarum tempore decurſo metus ſuberatredituros ad arma Gallos Rex Catholicus nihil de ſua comparatione remittere à multo vſu cautus attentuſq;. Vaſcones imprimis frænare erat propoſitum, vnde bellici terrores vel maxime oſtentabantur. Ita ab iis Regibus arces in ſuam poteſtatem contradi fidei pignora volebat, certe arcium præfectos nouo in eius verba ſacramento fidem aſtringere. Ad hæc Bernardinum Velaſcum equitum in Caſtella magiſtrum limiti ea parte præfecit, ne ſe Vaſcones poſſent commouere. Non minor de Ruſcinonenſibus cura erat, ne per eos fines Galli in Hiſpaniam irrumperent duce deſtitutos. Quoniam in populari tumultu inter milites & ciues forte Perpiniani concitato Henricus Comes ad ſedandas iras egreſſus lapide ex ſolario temere iacto ictus perierat. Ergo in eius locum Fridericus Albanus Dux Gallorum conatus ea parte reprimendi curam ſuſcepit. Claſſis etiam Hiſpanica ad ea littora accurrere iuſſa eſt. ductor Enecus Manricus. Atque hi bellici apparatus in Hiſpania erant neque nulli neque maximi. In Italia Fridericus Rex de ſuis rebus ſolicitus delectus habere auxiliaque vndique conquirere. Ducem Mediolanenſem imprimis in partes attrahere ſatagens geminis nuptiis oblatis eius, quoniam Hippolyta vxor ſuperiori anno deceſſerat, cum Carlota ſua ex priori vxore, ſorore Sabaudi Ducis, filia. Maximiliano Ducis maiori filio Iſabellam Aragoniam coniugem deſtinabat, ſibi item ex Iſabella natam Principis Altamuræ filia ſuperſtite coniuge. Honeſtæ conditiones neque repudiandæ prorſus præcipiti vtriuſque familiæ caſu caruerunt effectu. Simul à Romano Pontifice vt ſibi regni eius poſſeſſionem ſuo diplomate confirmaret enixe contendebat, aduerſus imminentes tempeſtates non leue ſtabilimentum. Id vt aſſequantur Borgiis ſe multa largiturum pollicitus. Ita exorato Pontifice non multo poſt Valentinus Cardinalis miſſus Neapolim iurato in pontificis verba quaſi beneficiario coronam capiti impoſuit. Affuit toti cæremoniæ Archiepiſcopus Conſentinus. Populus non ſecus ac ſi pacata prouincia eſſet prompta adulatione gratia haud diuturna, eius diei lætitiam ludis, conuiuiis, & exquiſito apparatu, ac ſumptu celebrauit. Rex etiam ſe in eos munificum exhibuit, quorum præclara opera extiterat. Itaque peractis ſacris voce præconis Proſperum Columnam Traiecti Ducem Fundanum Comitem eſſe iuſſit, Fabricium Columnam Talliacozi ducem, Gargani Magnum Gonſaluum. Piſcarii Marchionis extincti fratrem Enecum Daualum Vaſti Marchionem denunciauit. Plura alia multis è nobilitate largitus eſt. his debita dimittere, aliis dare immunitates nulla in poſterum cura regnum lacerare. Omnium voluntates ea beneficentia promereri erat propoſitum, qua popularium animi maxime capiuntur. Munificentiam celebrabat vulgus, quidam etiam pecuniis mercabantur. Sapientes irrita iudicabant, quæ neque dari neque accipi poterant incolumi imperii maieſtate. Antonelus Sanſeuerinus Salerni Princeps celebritati non interfuit. vocata quamuis per edictum

ctum vniuersa nobilitate venire renuit. Nouorum motuum ea fundamenta erant: præsertim ad eam noxam munitis arcibus denuo atque armis & commeatu comparato. quæ noua culpa erat, alienatæ voluntatis argumentum haud dubium.

Lusitani in Indiam penetrant. CAPVT XVII.

VNo tempore Europæ quidem prouinciæ ac præsertim Italia præsenti malorum pondere, maiori impendentium metu fatiscebat, extrema autem ad Solis occasum Lusitania diuturnæ pacis bonis omnibus & felicitate florebat domi; foris conspicua imperii fines ad remotissimas gentes proferre, Euangeliiq; lucem ad postremos orbis terrarum fines accendere, ad ipsosq; adeo Indos penetrare cogitabat. Consiliũ ausu temerariũ visum, euentu salutare extitit ingentemq; deinde gloriam genti peperit paresq; opes. Henricus Eduardi Regis frater ingenti spiritu vir primus omnium in eam cogitationem incubuit nouas orbis regiones inuestigandi: anniuersariisq; classib. Australem cœli plagam explorare iussis ad extima Africæ littora, qua inflatis immensum Oceani fluctib. quatitur, nouas insulas, gentes incognitas inuenit. Præclaros eius conatus abrupit mors: quæ incidit in salutis humanæ annum millesimum quadringentesimum sexagesimum ætatis septimum & sexagesimum. Clarissimum Principem immortali gloria, tum ob alias virtutes & castitatis cultum nullo per totam vitam fœmineo contactu fœdatæ, tũ præsertim propter eam nauigationem ingenti ausu tentatam. Per se parum (etenim non multum processit) magni momenti locum obtinuit tẽpore consequenti. Destitit Alfonsus Rex Eduardi filius incœpto non voluntate certaq; sententia, sed motu temporũ impeditus & continuis calamitatib. aliis super alias ad vitæ exitum exercitus. Eius filius Ioãnes eo nomine secundus, ardenti ingenio princeps eo repetito conatu dimissis identidem classib. Africæ & Æthiopiæ littora longe lateq; aperuit vltra mediam cœli plagam antiquis incognitam inaccessamq;. Neq; cessauit in opere priusquam immẽsa Africæ littora in promontorium desinere cognitum est flexu terrarum in Orientem facto, cui à cõtinuis maris tempestatibus Procelloso nomen fecere nautæ. Rex ipse ominis causa Bonæ spei nuncupauit, & quoniam eo circumflexo sperabat ad Asiæ & Indiæ Orientalis oras posse nauigando penetrari, inconcessam laudem vlli antea mortalium; Orientisq; opes immẽsas & copias in Lusitaniam auertere. Sic promontorio, id est nomen loquentium vsu confirmatum. De iis regionibus certiora allaturos terra prius Petrum Couillaniũ & Alfonsum Paiuam Asiæ atq; Africæ penitiores recessus exploratum misit, vti competenti loco explicatũ est. Couillanius quidem Asiæ littorib. emensis Cairum Ægypti vrbẽ primariam rediit. Inde Paiuæ obitu cognito, quẽ initio mors oppressit magnis sæpe aduersa conatibus, in intimam Æthiopiam, qua late PrestoIoannis imperium patet, penetrare porro institit. Ab eo principe reditu in patriam prohibitus ad suum Regem tamen visa explorataq; de scripto concepta explicataq, sigillatim cunctorum ratione misit: nullaq; deinde dandi litteras facultate pro mortuo habitus est: donec consequenti tempore, quid illi acciderit Lusitani aduentu suo in Indiam cognouere. Interea post IoannisRegis fata Emanuel rerum cura suscepta continuo animum ad eam maturandam expeditionem retulit. De re tamen tanta in consilio prius deliberatione suscepta, variæ, vt fit, dictę sententiæ. Pars longinquã adeo nauigationẽ auersari. Ingẽtia pericula, exigua cõmoda, parum spei. Si gloriã si vtilitatẽ sequererẽtur, ex Africano cõmercio & Æthiopico mari satis magnos fructus suppetere. Quid maiora viribus captarent? quid præcipiti temeritate in certum exitium ruerent? Præstare gentem Lusitaniæ campis desertisq; latissimis colendis exercere, quam maioris lucri spe otio & desidia prouinciales corrumpi, mores patrios inuerti. Quod deinde malum emendari non posset. Alii procedendum in opere contendebant. Neq; enim eatenus esse cur incœpti pœniteret: vti aucta ex eo commercio vectigalia regia argumento erant. Magnis conatib. aditus primos arduos semper à generosis animis vinci, iisdem difficultatib. ignauos homines obrui. Si cauti nimium esse velimus, quis ingentia facinora vnquam aggredietur? Nihil gratis mortalibus natura dat. Timidos fortuna seu Deus destituit, fortibus adest. Modum quibusdam placebat nauigationi præscribere. Africæ littora explorari vniuersæ, neq; vltra procedere. Honestum & commodum certis finibus includi: cupiditati nisi frænos iniicias, immensum efferri: neq; cessare nisi in præceps dato eo, qui obtemperandum duxerit. Lusitaniæ viribus & copiis si extensas immensum Africæ regiones aperirent, fore satis. Suo se quemq; metiri pede esse verum. Inter variantes sentẽtias, in qua plus dignitatis erat, ea vicit in concilio; & secundum eam Rex incœpto progrediendi destinata voluntate, quatuor naues instrui omnib. rebus mãdat. iis Vascus Gama præficitur

magnorum ſpirituum vir, eôque vel maxime idoneus ad nouum iter nouamque nauigationem tentandam, qualem ab vlla memoria aggredi nemo auſus fuerat. Socii adiuncti Paulus Gama frater & Nicolaus Cœlius, aliique viri præſtantes, ad hæc centum & ſexaginta pars nautæ pars milites. Exigua manus, ingens incœptum. Regium vexillum ſacra precatione luſtratum de more in Diuæ virginis templo ab Henrico olim Principe primo totius nauigationis auctore in littore Oliſiponenſi extructo: quibus deinde veſtigiis, auctis Indico commercio vectigalibus Emanuel Rex nobile monaſterium Bethleem dictum Hieronymiano ordini conſtituit. Ex eo loco conſcenſis nauibus ſoluerunt ad ſeptimum idus Iulii, inter multorum qui abeuntes ad littus proſequebantur lachrymas & lamenta, vt non felicem nauigationem precari, ſed funus efferre viderentur, quos nunquam viſuros certo ſibi perſuadebant. Illi tamen læta fronte, anxiis animis explicatis velis Fortunatas inſulas petiuerunt: inde Viridis promontorii inſulas: quas antiqui Heſperidas dixere. Eas inſulas prætervecti, atque quæ in eo numero eſt præcipua & à diuo Iacobo nomen habet relicta, directis ad ortum proris ſinu vaſtiſſimo enauigando multis procellis obnoxio tres menſes conſumpſerunt, priuſquam terram è Charcheſiis intueri omnino poſſent. Cœlum vndique tantum & mare. Donec vltra mediam cœli plagam decem gradibus viſa terra ad amœni fluminis oſtium applicuere naues multis opacum arborib. aquandi neceſſitate, & vt ſe à iactatione maris reficerent. Gens erat colore fuſco, capillo criſpo & breui, nudis corporibus, tiguria è paleis & ramalib., piſcibus ſole duratis, pomis, & herbis quas ſponte terra fundit, vitam tolerant, nullo in mutuos vſus ne cum finitimis quidem commercio. Cum iis per nutus, quoniam lingua prorſus erat ignota, inito commercio, vilibus ſcrutis regionis fructus & pecora mutarunt, commeatum reliquæ nauigationi. Sinui ſanctæ Helenæ flumini diui Iacobi indita ex eo tempore nomina. Repetita nauigatione Bonæ ſpei promontorium ſuperare conantes, continuis atq; ſæuiſſimis tempeſtatibus iactati identidem de ſalute deſperabant. Prorſus vt ſocii ducẽ circumſiſterẽt obteſtarenturq; ne præcipiti temeritate rueret in exitiũ, quid cũ maris ſæuitia, quid cũ cœlo luctaretur? quid negatã omnib. viã temerario conatu tentaret? De reditu cogitaret potius, eam ſalutis vnam ſpem eſſe ſcilicet reliquã, tenuem quamuis & exiguã. Inuicto Gama poſtulabat animo, neque ſociorũ lachrymis & obteſtatione mouebatur. Contra hortari fortibus animis inanes ponerent metus. Adeſſe finem omnibus votis expeditũ, iam nihil gloriæ deeſſe, nihil obſtare virtuti, labore non maximo incognita niſi immortalibus eſſe viſuros. Salutaria monẽti metus obſtruxerat aures. In necem eius conſpirant, vnius capite aliorum omnium ſalutem redimere cogitantes. Indicata à Paulo fratre coniuratio ne naucleros in vincla ferrumque dat: ipſe nauis qua vehebatur gubernandæ curam arrepto clauo ſuſcipit. Summa contentione ad extremum promontorium tandem luctando cum fluctibus peruenit. Frequentes & amœni agri viſebantur, ſyluæ præcipua viriditate, proceris & opacis arboribus veſtita littora. Eo promontorio circumducto ad duodecim. Kalendas Decembris, quo tempore ſolis ad Auſtrum inclinantis vicinitate maximi æſtus in iis regionibus vigent emenſiſque porro quinquaginta circiter leucis ſinus occurrit, cui à ſancto Blaſio nomen eſt factum. In medio ſinu inſula iacet ſpatiis anguſta vitulis marinis referta. Ad eam inſulam applicuerunt naues aquandi neceſſitate. Incolæ ea parte ſimiles iis erant qui aduerſa littora Africæ late tenent, fuſco colore, nudo corpore, genitalibus modo in ligneam vaginam conditis. Elephantos terra alit, & boues quib. pro iumentis vtuntur ſarcinariis. Aues viſuntur implumes anſerum magnitudine alis membranaceis veſpertilionum in modum. iis non ad volatum vtuntur, ſed ad curſus velocitatem incitandam. Ex iis locis profecti lenta quamuis nauigatione propter maris rapidi & reciprocantis fluctus aduerſos, ad regionem tandem peruenerunt, quam incolæ quidem Zanguebarem dixere, noſtri à Chriſti natali nominarunt à die quo eo applicuerunt, indita ſinui appellatione fluuium, qui ea parte in mare mittit Regum dixere, quoniam quo die Magorum ad Chriſtum aduentus memoria anniuerſaria celebratur egreſſi aquatũ è nauibus in littus ſunt. Maris æſtus nihil remittebat, neque aduerſæ & fœdæ tempeſtates. Ergo vitata terra in altum progreſſi, Zofala non viſa tunc, quod præcipuum in iis littoribus oppidum occurrit, venis auri imprimis nobile, vltra illud prouecti gentem conſiderarũt, minus quam priores coloratã, cultu aliquanto elegantiorem, quantũ ex geſtibus & ſignis licebat coniicere, maiori humanitate & moribus cultioribus. Æneas armillas in brachiis geſtabant: viri inſuper pugiones ſtãneis capulis. Lingua erat prorſus ignota, niſi quod inter alios quidam Arabice noſtris ſecundam ſalutem renũciauit: nõ procul verſari in cõmercio naues Luſitanis haud abſimiles tum forma tum magnitudine. in iis homines colore candido negociari. Ea denunciatio gratiſſima

accidit,

accidit; quod quiuis ex ſuo ſenſu æſtimare poteſt. Indiam enim ex iis notis à barbaris ignaris deſignari intellectum eſt.Itaque in vota preceſque conuerſi Deo gratias immortales egerunt concinentes hymnum, vt tantis muneribus cumulum, tantis laboribus felicem exitum adderet cum lachrymis poſtularunt.Simul ex eo flumini vicino Bonorum ſignorum indidere nomen tantæ lætitiæ poſteris monimentum. ad hæc columnam in littore erexerunt Raphaelis archangeli indita appellatione, quod ad eum terrarum & maris tractum nomen ex eo deriuauit: atque è decem hominibus, quos capitalia in Luſitania promeritos morteque in exilium mutata ſecum adduxerant ea cauſa, duos ibi reliquerunt, qui gentis linguam addiſcerent, & totius regionis ingenium, mores & naturam explorarent. lætitiam ex ea ſpe conceptam maximam haud dubium, multorum aduerſa valetudo obſcurauit.Gingiuis intumeſcentibus multi abſumpti ſunt. Grauitatem cœli quidam accuſabant; alii ſalſamenta, quibus tandiu ſuſtentarant vitam. Inſalubrium ciborum inſolentes ſucci, itineris labor, animi ægritudo, nouumque cœlum morbos vulgarunt. Menſem integrum iis in locis traxere moram non minori periculo quam moleſtia. Inde Moſambicum itum eſt vrbem in inſula exigua poſitum è quatuor continenti proximis quinto decimo vltra æquatorē gradu, vigeſimo à Bonæ ſpei promōtorio commercio nobilem propter confluentes vndique magno numero ex iis regionibus mercatores. Incolæ religione Mahumetani erant colore ſubnigro, bombycinas veſtes diſtinguente auro, tegumenta capitum è linteo in ſpiram complicato præcipua magnitudine. Ex humeris pendebant acinaces, læua geſtabant ſcuta. In eo habitu conſcenſis myoparonibus ad viſendas noſtras naues venerunt. Accepti benigne atque habiti. Ex iis ſciſcitando cognitum eſt vrbem eam Abrahemi Regis Quiloæ ditione teneri vrbis in iis littoribus nobilis vlteriuſque poſitæ. Rebus ab eo gerendis præfectum Prætorem, quem Arabice Xequem vocant, & alioqui proprio nomine tunc Zacoeya nuncupabatur. In eius Prętoris gratiam datis muneribus inſinuati noſtri impetrarunt duos naucleros maris peritos, qui nauium curſum in Indiam dirigerent ne in vada aut ſcopulos inciderent. Atq; initio quidem incolæ noſtros Sarracenos occiduos perſuaſi eos humaniter acceperunt: ea vero initæ amicitiæ cauſa. deinde cognito Chriſtianæ religionis eſſe cultores benignitatem odio mutarunt: ipſi quinetiam nauigationis duces natatu fugientes naues in alto deſtitutas deſeruerunt. Tormentis Luſitani in vrbem directis verſantes in littore quoſdam peremere magno reliquorum omnium terrore: quorum ad oculos & aures ea fulgura & tonitrua inſolita prorſus accidebant. Prætor imprimis ad imas preces deſcendens placare iram quacumque ratione cupiebat. Ergo condonata noxa nauclerum accepiſſe itineris ducem ſatis habuerunt haud minori perfidia quam priores. Omnino eos Quiloæ Regi in poteſtatem tradere ſatagens gentem Chriſtianam ea loca tenere prædicabat, ex iis quos Abiſſinos vocant. Si ad eam vrbem appellerent hoſpitii ius commeatuſq; omne genus fore facultatem. Blandis verbis & pollicitis deceptos & periculo proximos diuinum numen eripuit. Inflato repente mari eum portum tenere non potuere. Alioqui in apertum diſcrimen veniſſent, vrbe præualida, Regeque ob ea quæ ad Moſambicum geſta audierat vehementer infenſo atque in vindictam prono. Non deſtitit tamen Sarracenus nauclerus noſtris continuata perfidia dolos nectere. Ergo ſuaſit vti Mombazam peterent vrbem rupi impoſitam mari circumfluo ferme omni ex parte, portuque ex eo commodiſſimo inſignem. Ex ea vrbe multi noſtros ſtudio viſendi proceſſere obuiam: cū quibus arcano conceptam perfidiam perfidus communicauit haud diſſimili hominibus ingenio. Vis numinis quanta eſſet eo etiam loco apparuit in Luſitanos benigni hoſtibus infenſi. Vaſcus Gama in ipſo portus aditu, ne in proxima breuia incideret, repente demitti vela, ancoras iaci præcepit. Ibi nauclerus ex repentino nautarum diſcurſu & ex conſcientia perfidiam detectam veritus ſe in mare deiecit proxima terra. Idem eius exemplo fecerunt quidam eius vrbis ciues qui è nauibus nondum abierant. Naues tres tantummodo erant: nam quarta commeatibus deſtinata, iis conſumptis & propter nautarum paucitatem iam dudum fuerat incenſa. Gratias noſtri egere ſuperis, quod manifeſto eos periculo eripuiſſet: præterea nauclerum nauigationis ducem commodiorem breui nacti ſunt. Sublatis inde velis continuato itinere gemina Sarracenorum nauigia ceperunt, atque in iis captiuos omnino tredecim, nam alii in mare omnes proſiluerunt. Ab iis cognitum Melindem vrbem haud procul abeſſe ferme æquatori ſubiectam. Regem inſigni humanitate eſſe, beneficum atque in aduenas hoſpitalem. Ea denunciatione animati noſtri eo contendere decreuerunt. Vera eſſe quæ à captiuis audierant, deprehēdunt. Regi, eorum aduentus gratus extitit: & quoniam ſenio ipſe prohibebatur naues inuiſere, filium pro ſe vicarium miſit: cum quo omni comitatis & benignitatis genere à noſtris certatum

eſt. Secundum ſalutem & munera vtrinque data gratiſſimos ſermones miſcuere. Dedit is princeps nauclerum noſtris. Gama contra tredecim, quos paulo ante ceperat, Sarracenos donauit gratiſſimum ei principi donum. Sic comparato commeatu nauibuſque refectis, Luſitani diſceſſerunt fide data in reditu eodem ſe venturos benignitatis regiæ memores, & vt facultas eſſet oratorem in Luſitaniam mittendi per cauſam Emanuelis Regis amicitiam expetendi. Lenta nauigatio eatenus fuerat. Chriſti in vitam reducis memoria ſacri ſolemneſq; dies tranſacti. Melinde tamen ſoluentes ſecundis prouecti flatib. vno & viginti diebus in Indiam laborum metam diu optatam peruenerunt ſeptingentis ferme leucis inde diſſitam. Ad tertium decimum Kalendas Iunias terra ab ſpeculatoribus viſa paulo poſt duobus à Calecutio millibus iactis ancoris cõſtitere. Caret ea vrbs quamuis totius Orientis celeberrima portu, & tempus erat minime tutum, quippe iis in regionibus hyems vel maxime ſæuire cæperat, magnum naturæ miraculum, in quo mens humana conſiderando fatiſcat. Malabaris regionem, vbi Calecutium eſt, erecti in nubes perpetua iuga montis interſecant, in promontorium deſinentis quod Cori dixit antiquitas, nunc Comorinũ vocatur. Ab vtraque parte pari altitudine cœli cardo ſurgit, media cœli plaga pari ab vtriſque diſtantia, & citra montes tamen menſe Maio continuis imbribus hyems incipit marique fluctus intumeſcunt, vltra montes æſtatis ardorib. torrentur campi & oppida, pelagus in malaciam componitur. Rem plane mirabilem, atque ſine exemplo. Rationem eius diſcriminis reddere, diuinæ ſapientiæ pelagus ſcrutari mente, explicare oratione num quis poſſit? Acutiſſima ingenia hac diſcutienda quæſtione cæcutiant plane atq; hallucinentur, mentis oculis velum ſæpe natura prætendit, ne poſſit recondita & arcana eius mortalitas aſſequi.

Quid Vaſcus Gama Calecutii geſſerit. CAPVT XVIII.

PRiuſquam quid à Vaſco Gama Calecutii ſit geſtum explicamus, operæpretiũ erit, earum Aſiæ prouinciarum amplitudinem compendio deſignatã ob oculos ponere. India omnis ab occaſu Arachoſiæ & Gedroſiæ, & Paropomiſſadarum finibus terminatur, ad ortũ extremos Sinas attingit, ad Septentriones Imao monte, qui eſt pars Caucaſi clauditur. Ab Auſtro Indico mari alluitur Oceani parte. In duas vniuerſa diuiditur, partes, quæ citra, quæq; eſt vltra Gangem. tametſi noſtri Indiæ nomine anguſtius vſurpato appellant Indiam regiones modo Indo & Gange fluminib. comprehẽſas. nam & indigenæ eum terrarum tractum Indeſtam vulgo vocant, & quæ vltra Gãgem vaſtis terrarũ ſpatiis extenduntur, alia nomina habent. Inter hæc duo flumina montes eriguntur perpetuis iugis tendentes ad Oceanum, deſinuntq; ad Auſtrum Comorino promontorio conſtituto. Ad ea littora multæ gentes fuſæ ſunt. Præcipuæ inter alias, Cambaia ab oſtio Indi fluminis latiſſima prouincia, mox Malabares. In medio inter has gentes ſpatio exigua inſula iacet, mare à fronte tergum & latera fluuius claudit in gemina diductus brachia. In ea nobiliſſima vrbs Goa regni Decani pars nũc Luſitani in iis regionib. ſedes imperii. Malabares gens ineptis deorum ſuperſtitionib. miſerrime ſeruiens in quatuor genera hominum tributi ſunt. nobiles quos Caymales vocant; Sacerdotes, qui & Brachmanæ ſunt, præcipua auctoritate homines: milites Nayres dictos; poſtremo plebem ex agricolis & opificibus conſtantẽ. Mercatores ferme ſunt externi. Fuſco colore omnes, vmbilico tenus nudi incedunt, cætera vſque ad tibias bombycina aut goſſipina veſte contegunt, acinaces ex humero pendent ſpectaculum noſtris inſolens. Ritus & mores gentis inſolentiores plane ſunt & feri. Ex vno cætera coniice. Fœminæ multis pro libidine viris nubũt. Ita patres teſtamento filios quippe incertos hæredes non inſtituunt ſed ſororum liberos. Multos in Reges diuiſa gens erat. Regi Calecutii tanquam domino parebant cæteri, ex eo Zamorinum vocabant hoc eſt imperatorem. Opes & à maioribus relictas habebat, & ipſe lõga imperii poſſeſſione ingentes cumulauerat. Lauta imprimis ciuitas & ampla Calecutium eſt, mercatorum ex locis omnibus confluentium frequentia & mercatu aromatum præ cæteris celeberrimum Orientis emporium. In media regione ad mare poſita. Latiſſima ſpatiis quoniam domus inter ſe coniunctę non ſunt. Sed late ſpatiantibus ſyluis & viridariis diuiſæ. Regia tantum & deorum templa è lapide extruuntur: priuatorum ædes è materia palmarum foliis & ramalibus contectæ: neq; plurib. ſublatæ tabulatis ſed humiles. Sumptuoſius ædificare nobilib. iuxta ac plebi eſt vetitum. Is erat Calecutii rerum ſtatus, ii gentis ritus & mores: quo tempore Vaſcus Gama ad eas regiones applicuit. Accurrunt continuo multæ cymbæ ad naues ſtudio viſendi gentem inſolenti vultu, habitu cultuque corporis. Gama è damnatis vnum in terram eiecit, mirabile ſpectaculum genti. Itaque ex omni

omni parte magno numero circunſtant: neq; ſatiantur aſpectu. Aderant inter alios duo mercatores Mauri Tuneti nati. iis ex habitu cognito Hiſpanum eum hominem eſſe, alter eorum nomine Monzayda Hiſpanice rogat, ex qua Hiſpaniæ regione eſſet? Reſpondet ille è Luſitania. Tunc Maurus domũ deductum aduentus cauſam & totius nauigationis ordinem rogat: edoctuſq; omnia ad naues ducem ſalutaturus accedit. Acceptus benigne exponit, quo tempore Ioãnes Luſitanus Rex Tunetũ mittere ſolitus erat, qui arma telaq; compararent, ſe fidelem & aſſiduam operam in negotio præſtitiſſe. Ad hęc de regione vniuerſa quæ ſcire opus erat, cuncta ſigillatim expoſuit. Diuinitus datum interpretem diceres. Poſtremo opem & induſtriam, ſi vti vellet, vltro obtulit. Die proximo Gama duos nuncios cum Monzayda in vrbem miſit, qui regi veniſſe ſe in eas oras renunciarent, niſi eius venia in terram nolle deſcẽdere. Impetrata facultate ſui ad eum Regis litteras perlaturum, & mandata quæ coram cõmunicanda de reb. magnis deq; iungenda amicitia acceperat. Agebat tunc Rex Pandarane oppido duob. ab vrbe millib. paſſuum. Eo in oppido Gamæ nunciis facta conueniendi poteſtate dicendi quæ vellent, reſpondit nauiũ ad ea littora appulſum gratum accidiſſe. Ad ſe Dux Luſitanus porro veniret: colloquiũ fore gratiſſimum. Miſſurũ qui ad ſe deduceret. Interim ex loco vbi in ancoris ſtabat, propter hibernum anni tempus procellis obnoxium ad Pandaranis commodiorem ſtationẽ appelleret naues. Sic factum. Poſt aliquot dies venit vrbis Prætor (Catualem ipſi dicunt) vt Gamam in Regiam deduceret. Ille fratre ſuo pro ſe in nauib. vicario relicto cum mandatis, quando Regis colloquium detrectare non licebat ſupremo quamuis ſalutis diſcrimine, ſi quid aduerſi contingeret, reb. aliis neglectis in Luſitaniã ſublatis velis rediret quam primum Emanueli Regi totius expeditionis rationem nunciatum: & nihilominus ad omnes caſus nauium ſcaphæ ad littus ſibi præſto eſſent. His datis præceptis ex omni copia duodecim ſibi ſocios adiunxit ſplendenti omnes cultu formaq; & corporum habitu præ cæteris præſtantes. Nullus ea tempeſtate inter Indos equorum aliorumve iumentorum vſus facultaſve erat. Ita Gamam deſignati ad id baiuli ad regiam vſque portarunt humeris ſellaque ſublatum. Accedentem honoris cauſa obuiam facti nonnulli Caymales exceperunt; & cum iis Brachmanorum antiſtes more gentis linteatus. Is hoſpitem manu apprehenſum per multas cænationes induxit, quarum in vno quoq; oſtio decem milites cuſtodiæ adhibiti ſcilicet excubabant. Ventum tandem ad conclaue ſpatioſum eteromallo viridi & bombycino ſtratum. parietes aulæa veſtiebant ſericum diſtinguente auro viſendo contextu. Gradus in theatri formam diſpoſiti circum conclaue ſurgebant, procerib. deſtinatæ ſedes. Rex in ſtrato ornatiſſimo decumbebat goſſipina veſte indutus candoris eximii aureis diſtincta roſis. In capite pileus aureus tiaræ ſimilitudine, brachia & crura de more gentis nuda ornabant armillæ aureæ annuliq; manuum & pedũ digitis inſerti iunctis gemmis aliiſq; pari ſplẽdore pretioſis lapillis. Color erat ſubniger, corpus procerum, habitu & geſtibus dignitatem regiam & maieſtatem haud dubie repręſentans. Gama ſecundum ſalutem ſedere vna cum ſociis iuſſus facta dicendi poteſtate in hũc modum locutus fertur. Emanuel Luſitaniæ Rex inclytus magnuſq; princeps in ſtudiũ incitatus noua inauditaq; inueſtigandi, cum principib. longinquis amicitiam fœduſq; iungendi, qui præ cæteris fama ab animi magnitudine & potentia celebrantur, ac nominatim cõmotus iis quæ de huius regni nobilitate tuaq; præſtanti virtute toto orbe terrarum prædicantur; ex vltimis cœli oris ad Solis occaſum, nos miſit eius te nomine ſalutatum tuamq; amicitiam expetitum. Nihil ad voluntates conciliandas morum ſimilitudine pariq; animorum præſtantia potentius eſt in Regib. maxime, quorum maieſtas proxime ad diuinam conditionem accedit; & quo ipſi maiores ſunt, eo plures amicitia & beneuolentia complecti ęquum arbitror. Sit ergo pretium primos in expetenda tua amicitia extitiſſe. in amore reſpondere à quibus fueris prouocatus generoſi animi eſt. Quam coniunctionem, ſi vtilitas ſpectatur fore vtriſque commodiſſimam arbitror commercio duarum gentium tantis maris & terrarum ſpatiis diſſitarum. Erit certe honorificũ per omnes terras vulgari fama ex poſtremis cœli plagis veniſſe ius commercii vobiſcum pacemq; rogatum. Secundum hæc verba litteras quas afferebat, obtulit Luſitanice Arabiceq; conſcriptas, cũ munerib. quæ ex pręſenti copia parauerat, neq; nullius pretii neq; magni, ſed ſua nouitate ſpectanda. Lætus ea legatione Rex barbarus paucis: fratris ſui Emanuelis Regis voluntatem gratam extitiſſe ait: placere commercium fœduſq; inter vtramq; gentem ſtare. Deinde multa tum de tota nauigatione tum de Luſitaniæ reb. ſciſcitatus ducem & ſocios hoſpitio ſplendido accipi mandat. His rebus, vt fit, continuo fama & populari rumore vulgatis Sarraceni inſtitores, quorum erat in vrbe magnus numerus, veriti non ſine cauſa ne à Luſitanis quæſtus ſpes maximi interciperetur, & ab inſito odio in Chriſtianorum nationem

vniuerſam, re inter ſe communicata Regem & aulicos adeunt, mendaciis & fictionibus inuidiam Luſitanis conflare. Piratas eos eſſe, immaneſque latrones humani generis hoſtes. Iis Calecutium admiſſis nouas ſibi ſedes neceſſario alia domicilia quærenda. Viderent an paucis prædonibus & toto cœlo diſiunctis hominibus, deberent veteres amicos certiſſimis compendiis rem Malabaricam augere ſolitos poſthabere nulla præſertim ſua noxa. Malabares ingenio mobili ſunt, parumque in fide data conſtantes, leui momento in varias partes verſantur. Sarracenorum verbis & fraude decepti, Luſitanis inferre necem parant. Indicatis à Monzayda inſidiis, occultis Gama itineribus ægre quamuis ſe ſe ad naues refert. Molitur actutum ancoras. progreſſus in altum Indo cuidam litteras ad Regem perferendas dat expoſtulationum plenas aduerſus Catualem imprimis: quem in beneuolentiæ ſignificatione hoſpitii iura violaſſe accuſabat per ſummam perfidiam. Præterea Luſitanos quoſdam & merces quæ præ feſtinatione in terra manſerant, ad ſe mitti poſtulabat. Purgare ſe ad eas querimonias Zamorinus. culpam veteri Regum inſtituto in miniſtros conferre. daturos noxæ pœnas. Verbis pulchris quia facta non reſpōdebant, Gama ad vim conuerſus nauim, quæ prima ſe obtulit, facto in eam impetu cepit, atque in ea ſex homines primarios cum famulis aliquanto numero. Eos vt liberaret Rex Luſitanus & merces ad Gamā miſit, tum ad Emanuelis Regis litteras breue reſponſum. Cum eo reſponſo Luſitani in patriam redire conſtituunt aditæ Indiæ confectæque nauigationis longiſſimæ lætitiam nunciaturi. Malabares reſtituti non ſunt, idonei vtique quos in Luſitaniam deferrent gentis ſpecimen & primitias, inſtituta certe prouinciæ, inſolentes mores & ritus cæteraque omnia ex iis cognoſcere fore promptum munus Emanueli Regi Luſitaniæque vniuerſæ oculis ſpectaculum ipſa nouitate gratum.

Vaſcus Gama redit in Luſitaniam. CAPVT XIX.

PRiuſquam Luſitani ſublatis velis ex hoſtili regione diſcederent, Monzayda ſe in naues recepit, veritus ne fraudi eſſet cum externa & inimica gente commercium: nam capiti eius inſidias quoque parari certū erat. Ea hoſpitii & initæ cum Luſitanis amicitiæ merces. Et eſt omnis malitia ſuſpicax. Præ feſtinatione bona in ea vrbe reliquit in Luſitaniam nauigare conſtituens: vbi ſacro deinde fonte ablutus Chriſtiani hominis officium reliqua vita conſtanter impleuit. Vindicare iniurias Zamorinus non potuit claſſe propter anni tempus in terram ſubducta: id vero ad audendum Luſitanis animos fecit. Sexaginta modo myoparones, quos inſtruere armatis potuit, in naues noſtras inuecti coorta ſæua tempeſtate diſiecti ſunt: noſtris è contrario, qui lente nauigabant ea ventorum vi data facultas eſt celeruis ſe ſubducēdi à Calecutii cōſpectu. Ad inſulas paruas delati quæ ea vaſti maris parte occurrunt, octo biremes piratæ nomine Timoiæ inuentas forte inuadunt, atque vna earum capta cæteras in fugam agunt. Anchediuam inde prouecti ſunt ſexaginta leucis inde diſſitam inſulam continenti vicinam. In ea inſula dum armamenta componunt, multi ex vicino littore viſendi ſtudio ad naues traiiciunt. Inter cæteros quidam Gamam Italicis verbis & more cum ſalutaſſet, ſecundum ſalutem Goam vrbem propinquam eſſe nunciauit. Zabaium eius vrbis dominum, cum quo ipſe vſum haberet, eius amicitiam percupere. Roganti Gamæ vnde domo eſſet? ex Italia reſpondit. Qui in eas regiones veniſſet tam procul à patria? nauigantem in Græciam in piratarum manus incidiſſe. Sic variis mutatis dominis ei Sarraceno principi in ſeruitutem datum. Ex vultu Gama, & quoniam reſponſa non ſatis conſentiebant, dolum & fraudem ſuſpicatus illum quæſtioni ſubiecit. Expreſſa tormentis veritas. Iudæum religione, natione Sarmatam eſſe, atq; à Zabaio principe ſpeculatorem miſſum. Mox recognita cum claſſe impugnatum eſſe venturum. Ea denunciatione Gama diſceſſum ex iis locis quanta potuit feſtinatione maturauit. Iudæus in Luſitaniam porro abductus, & ſalutaribus aquis expiatus Gaſparis nomine ſumpto, vt erat acuto ingenio magnique vſus, fidelem & diligentem operam Emanueli Regi in magnis rebus exhibuit. Lenta nauigatio erat, incommodum anni tempus. Obtinendo tamen tempeſtatibus & mari Africæ promontorium quod primum redeuntibus occurrit & Guardafui vocatur, ægre quamuis ſuperarunt. Hinc Magadaxo, quæ proxima vrbs eſt, quoniam ciues Sarraceni erant deuitata, ac tormentis modo è nauibus diuerberata, aliquotque nauibus in portu iaculando demerſis, vlteriuſque octo Sarracenorum nauigiis, in quæ forte inciderunt, fugatis, Melindem, vti erant in diſceſſu polliciti, incolumes appulerunt. Ab eo Rege benigne accepti recreatis ex maris iactatione corporibus comparatoque commeatu, legatum ſecum abduxerunt in Luſitaniā ab eo principe per cauſam fœderis amicitiæque

cum

cum Luſitano Rege ſanciendæ. Nauis cui Paulus Gama præerat, præ aliis ſitu confecta quaſſataque erat, nautæ præterea deerant & armamenta; eam incendere viſum eſt Paulo Gama in Prætoriam tranſuecto. Iter proſecuti Zanſibarem appulerunt inſulam cum cætera amœnitate præcipuam, tum arboribus aromata omnium generum ferentibus ſalutarem à littore Africæ ſex tantum leucis disiunctam. Melindem, & Quiloam inter Mombaza vicina. Vltra ea loca Moſambicũ delati erecta ibi columna ex iis quas ſecum deferebant, inſigni tum ad Sancti Blaſii littus aquatum lignatumque egreſſi. Bonæ ſpei promontorium ad ſextum Kalendas Maias tranſmiſere. Heſperidas demum & vaſto circuitu Tertias inſulas appulſum: vbi Paulus Gama deceſſit laboribus fractus & morbo, quo multis diebus fuerat conflictatus. Ex iis inſulis ſoluentes Oliſiponem tenuerũt menſe Septembri biennio iam exacto ex quo primum in Indiam diſceſſerant. Gratiſſimus eorum aduentus tum Regi extitit, tum ciuitati vniuerſæ. Egreſſos in terram circumfuſa vndique turba quaſi à morte reuocatos; de rebus Indicis ac de tota itineris ratione ſine fine perquirere, nobiles conatus, felicem exitum laudibus ad cælum ferre, pericula & tempeſtates, quas erant paſſi libenter audire: neque ſatiare oculos aſpectu earum rerum quas ad oſtentationem mercium & copiarum Indicarum ſecum quaſi ſpecimen attulerant. Neque minori miraculo erant homines ex iis regionibus vecti ab inſolenti vultu, lingua & corporum cultu. Gamam ſocioſque quaſi delapſos è cœlo heroes maiores conditione mortali intueri, venerarique. Tametſi è quatuor nauibus duæ tantum ſupererant, è ſociis tertia pars paulo amplius. Quæ clades & pericula nihil mouerunt gentem in arma & labores promptam, quominus plerique priorum exemplo ſuam operam certatim & induſtriam ad progrediendum vlterius in cœpta nauigatione deferrent. Honoris ſpes blandiebatur; leuiores vt viderentur difficultates lucri cupiditas efficiebat, qua nihil eſt acrius.

Nauigatio qua hodie in Orientalem Indiam itur.

CAPVT XX.

AD hunc modum Vaſcus Gama iter in Indiam aperuit nauigatione cõfecta omnium quæ à condito orbe celebratæ ſunt, abſque controuerſia nobiliſſima, ſiue longitudinem ſpectes, vaſtumque mare ad vtrumque cœli axem porrectum, ſiue difficultates & pericula, eo maiora, quod via prorſus ignota, neque exploratis eatenus alternantis ampliſſimi maris agitationibus hallucinari initio atque offendere ſæpe neceſſe fuit. Dies & vſus & maior rerum cognitio, eam nauigationem multo faciliorem effecit, atque ita vt quo ad tempus, quo inchoari conuenit, & quibus cæli & maris regionibus progrediendum ſit multa fuerint obſeruata immutataque, quæ hoc loco ſi attingerem operæpretium me facturum exiſtimabam; quo lector, ſi quis in hæc inciderit, tantæ rei leuem certe cognitionem accipiat. Verum antequam id explico, vaſtiſſima ea littora deſcribenda ſtylo ſunt, atque ob oculos ponendæ regiones tum numero multæ, tum amplitudine mirabiles. Freti Gaditani faucibus tranſmiſſis ad læuam Africæ littora latiſſime excurrunt magno leucarum numero Atlantici maris ſæuis verberata fluctibus citra & vltra mediam cœli regionem. Ac primum Atlas mons nobiliſſimus perpetuis, ac in cœlum erectis iugis magnam Africæ partem dirimit in mare Oceanum è tribus primum promontoriũ Ampeluſium mittens. Deinde occurrit quod Luſitani promontorium Non dixere, quippe perſuaſi, qui præcipiti temeritate illud traiiceret, eum haudquaquam ad ſuos redire amplius. Succedit Boiadoris promontorium viginti octo graduum altitudine inſulæ Palmæ obiectum è Fortunatarum numero. Atque hæc duo poſteriora promontoria Atlantis montis extremæ quoque ſunt partes. Sequitur in eodem littore Album promontorium vnius & viginti graduum altitudine, atque prope illud exigua inſula Argina dicta, vnde & totus is ſinus nomen accepit: nam Argini ſinus dicitur. Inde ad Viride promontorium proceditur, vicinaſque inſulas decem numero, quarum præcipua à D. Iacobo appellationem habet, vniuerſas antiqui vocarũt Heſperides fabuloſis poetarum carminibus inclytas. Non deſunt tamen qui eo nomine comprehendi etiam contendant omnes inſulas ad ſolis occaſum recenti memoria ab Hiſpanis inuentas. Diſtat promontorium Viride ſedecim gradibus à media cœli & orbis plaga. citra illud Sanaga fluuius in mare mittit, vltra alter amnis decurrit quem à latitudine Magnum fluuium dixere. Suſpicio eſt (pro certo ponere neutrum licet) vnius fluminis duo ea brachia eſſe. Addunt Nigir fluuium eſſe ab antiquis celebratum, quod cum Nilo communes habeat ſcaturigines. Sane iiſdem temporibus augentur exundantque atque in iis quod in Nilo, Crocodilli & equi marini viſuntur ad originis indicium & naturæ haud

abſimilis. Traiecto Magni fluminis oſtio, quod vndecim graduũ altitudine iacet, octauo gradu Serraleona ſurgit immenſum, ſic dicta quod propter ſublimitatem tonitruis perſtrepat, & fulguribus perpetuo coruſcet. Et quoniam incolæ propter locorũ perpetuum æſtum noctu ad opus accẽſis facibus egredientes faciũt, (quod alio loco dictum eſt) campi & colles ardere vtique flammis videantur. Hunc montem à Ptolemæo Currum deorum dictum putant, quinque quamuis graduum per errorem altitudine ab eo deſignata, quod mirum non eſt, Æquatori ſubiecta. D. Thomæ inſula non procul à continenti tenditur diues ſacchari prouentu, quantum cœli grauitate fœda & infamis. Sexto vltra eam inſulam gradu aurifodina ad continẽtis littus occurrit, vnde aurum eruitur puriſſimum. Mina hoc eſt ſectura ex eo ab Hiſpanis vocata. D. Iacobi flumen poſt hæc in mare deuoluitur, & ſanctę Helenæ ſinus late extenditur: quo Vaſcus Gama vti dictum eſt, naues appulit aquandi neceſſitate. Sunt alia peculiaria flumina, variaque promontoria, vt in tanto interuallo terrarum maris & littorum eſt neceſſe: nos nobiliora tantum attigimus. Bonæ ſpei promontorium, quod extenuata in metæ formam Africæ littora extremum faciunt vltra æquatorem triginta quinque gradibus porrigitur. Quo circumducto aduerſa littora excurrunt latiſſime, promontoriis multis & fluminibus diſtincta. Inter quæ ſancti Blaſii, Nauitatis, & Bonorum ſignorum fluuii præ cæteris maxime nobiles ſunt, quouſque Zofalam perueniatur venis auri præcipuum in iis littoribus oppidum. Zofalam quidam Tharſis eſſe diſputant vrbem diuinis litteris celebratam: quo Salomon Rex per mare rubrum claſſes mittere ſolitus erat aurum aliaſque natiuas copias aſportatum Hieroſolymam. Ipſi etiam indigenæ libris ſuis & monimentis ære priſco atque ſaxis antiquis expreſſum id eſſe confirmant. Alii malunt eſſe Praſſium promontorium, quod Ptolemæus vltra medium cœli quindecim gradibus deſignat modo. Zofala ſupra viginti gradus Auſtralem cœli cardinem à terra ſurgentem videt. Vltra Zofalam ad dextram D. Laurentii latiſſima inſula iacet, quam indigenæ Madagaſcarum dixere. Ad læuam Mozamhique nobile Africæ vlterioris emporium propter portus commoditatem altitudine graduum quindecim Auſtralium. Eo tranſuecto portu paribus ferme interuallis Quiloa & Mombaſſa Zanzibare inſula coniuncta, tum Melinde ad ipſam mediã cœli regionem occurrunt. Tuta nauibus ad Mombazam ſtatio eſt: Melindis littora importuoſa plane & aſpera. Magadaxum quinto inde gradu ad ſeptẽtrionem pertinet, decimo poſtremum Africæ promontorium ad ſinus Arabici fauces, quod Guardafu hodie nautarum vulgus vocat, Ptolemæus Aromata dixit. Propinqua Socotora quam à Chriſtianis habitatam inſulam inuenere ſterilem tamen omnis vitæ cultioris & amœnæ commoditatis indigam locorum natura immitia quoque efferauit ingenia. Hanc à Ptolemæo Dioſcoridis inſulam vocari quidam putant. Succedunt haud magno interuallo ſinus Arabici fauces, intra quas ad Africę littus Ercoſus portus panditur regni quidem Barnagaſſi pars imperio tamen latiſſimo Preſto Ioannis contributi. Exterius in Arabiæ ora Ademum ſita eſt munitiſſima vrbs iis faucibus imminens. Sinum Arabicum inter & Perſicum Arabia felix poſita eſt, atque in medio eius dorſo qua parte Oceani vndis alluitur promontorium. Siagrum, quod Eſcafalla tum dixere, ſeu Fartaquem atque in extremo littore qua parte ſinus Perſici fauces ſunt promontorium Corodamum, quod vulgo Roſalgate nominatur. Intra ſinus Perſici fauces Ormutia inſula (cuius nominis in nauigatione Nearchi apud Arrianum mentionem inuenio) viſitur ſpaciis anguſta, macro ſolo, cæterum commercio eo confluentium mercatorum copioſa cum primis & beata. Sexto & vigeſimo gradu ab æquinoctiali circulo diſſita quidem eſt: parique altitudine vlterius ad oſtium Indi fluminis Dium inſula arxque ſuccedit celebri fama ob ea quæ à Luſitanis fortiſſima edita ſunt facinora eam arcem defendendo primum contra Sulthanos Aegypti, deinde etiam contra Turcarum vires & conatus. Dio tranſuecta & Bazaino non procul diſſita Luſitanorum arce, Ciaulum & Dabulum occurrunt & ipſæ Cambaiæ vrbes portubus inſignes exiguo inter ſe interuallo. Inde littora multum ad Auſtralem plagam excurrunt, vſque ad promontorium Comorinum ſeu Cori pertinentia. In iis littoribus ad occaſum Goa vrbs nobiliſſima poſita eſt ad ſextum decimum gradum ab æquatore, ad duodecimum Calecutium, quas inter Cananor vrbs iacet & ad promontorium Cocinum Coulanumque Malabaris ciuitates, commercio omnes aromatum piperis quoque prouentu fama celebratæ & inſignes. Malabarium è regione Maldiuaris inſulæ ſunt, ſic dictæ à nomine eius quæ inter cæteras principatũ tenet. Mille amplius numerantur exiguæ ſpatiis ſæpeque ita inter ſe coniunctæ vt vix eæ anguſtiæ euripique nauigãtibus ſint peruii. Præcipuus prouentus è palmis nuces ferentibus, quas Cocos vocamus, mirabili arboris commoditate, quæ genti victũ neceſſarium cultumq;, in naues & armamenta materiam funes & vela vna ſuppeditat.

ſuppeditat. Ad ortum Comorino promontorio Zeilanum inſula adiacet anguſto freto à continenti dirempta, Cinamomi prouentu vna maxime celebrata & diues. Succedunt Narſinguæ & Pegu regna vaſtiſſima: iiſque interiectum Bengalæ regnum, vnde ſinus ampliſſimus nomen habet ad vrbem Malacam pertinens & ipſam nobiliſſimam: cui Somatra inſula vicina eſt æquinoctiali ſubiecta. Eruditorum plerique Somatram à Ptolemæo Tapobranam vocari contendunt, Malacam Auream Cherſoneſum. neque deſunt qui perſuadeant Malacam in diuinis libris Ophir dici: quo Salomon Rex claſſes mittere erat ſolitus auro argentoque vehendo magna gloria pari compendio: quin Peguenſes haud diffiti ſe ab iis Iudæis progenitos ferunt: quos Salomon ad aurum Ophir effodiendum in eas regiones dimiſerat. Quod ſi minus hodie iis locis ea metalla eruuntur, fiebat olim, quod ipſum Aureæ Cherſoneſi nomen indicat. In itu & reditu Salomonis naues triennium ponebant, quod certe de Tharſis nauigatione explicant diuini libri. Magnetis vſu nondum ad nauigandi eximiam commoditatem inuento legebant littora: neque ſe alto permittere nauigantes audebant. Ea vero longæ moræ tardæque nauigationis cauſa extitit. Malacæ ad ortum dextramque ex interuallo obiectæ ſunt Moluccæ inſulæ Caryophilli prouentu maxime celebres, quod vnæ omnium ferunt alioqui ita ſteriles vt cuncta pene ad victum & cultum aliunde petant. Sic bona ſua diuina prouidentia diſpenſat, præcipuæ quinque numero ſunt. Arbor Caryophilli trunco & foliis lauri ſpeciem reddit flore imprimis odorato. Is duratus fructus eſt menſis maxime expetitus. Ad læuam ſeptentrioneſque Malaca in Sinas itur gentem late fuſam copiis opibuſque prævalidam. In aditu eius prouinciæ Macanum inſula eſt Luſitanorum mercatorum hoſpitium, quoniam in continentem penetrare gentis inſtituto nulli aduenæ datur. Diſtant ab ea inſula Iaponii gens extrema, quo Luſitanorum arma peruenerunt, trecentis circiter leucis ſeptentriones verſus. diuiſi Iaponi ſunt in tres maiores inſulas pluribus aliis minoribus circumfuſis interfluo euripo diſiunctas, ortum præter ſeptentrioneſque à trigeſimo altitudinis gradu vſque ad quadrageſimum porrecti. Summa longitudo leucarum bis centum, latitudine, qua ſe maxime pandunt, octoginta leucas non excedunt ab ortu Nouæ Hiſpaniæ obiecti, à ſeptentrione Scythas, ab occaſu Sinas aſpiciunt. Tributi in multa regna pluribus regib. ſeruiunt, litterarum alioqui ingenio capaci bello dediti gloriæ ſiqua gens auidiſſimi. Indicæ nauigationis ratio hoc pacto noſtro tempore inſtituitur. Oliſipone menſe Martio nauigaturi ſoluunt certe Aprili ineunte. Inſulam Maderam primum petunt centum quinquaginta leucis ſatis lato ab Hiſpania mari periculoſoque diſiunctam, deinde Canarias trecentis leucis nihilominus remotas Oliſipone. Ad promontorium Album ex iis inſulis proceditur atque inſulas Heſperides. Recta vlterius progredi continuis ab Auſtro flatibus prohibiti relictis Africæ littoribus magno circuitu parique niſu occaſum inter & Auſtrum directis proris in Braſiliæ ſæpe conſpectum partem haud dubiam noui orbis procedunt. In iis littoribus diui Auguſtini promontorium imprimis celebre decimo vltra æquatorem gradu poſitum eſt. Id promontorium quæ nauis ventorum violentia aut propter anni tempus ſuperare non ſinitur, relicta nauigatione, quoniam fruſtra conatus omnis eſſet, vnde ſoluerat neceſſario reuertitur. Quibus ſuperare id promontorium cœlo contingit, ii nouo circuitu proris Auſtrum inter & ſolis ortum directis Bonæ ſpei promontorium tranſmittere contendunt, ad quadrageſimum gradum ad Auſtrum declinantes ad vitandas procellas, quæ ad extremam Africæ cuſpidem excitantur perpetuo ſæuiſſimæ, immanes aquarum moles illiſu reciproco toto littore franguntur. Tranſuecto eo promontorio Zofalam aut Mozambicum tenent. Quibus locis, niſi nauigatio ſit proſpera hyemare coguntur. Alioqui enauigato eo mari atque æquatore denuo tranſmiſſo haud multis diebus Goam laborum & nauigationis vniuerſæ metam peruenitur. Graues plerumque caſus in ea nauigatione interueniunt, Malaciæ longiſſima tædia, reflantes venti, ſæuæ & frequentes procellæ, ex nauſea cibi faſtidium, ex immodica æſtus & frigoris viciſſitudine, vitiato cibo & potu, ſentinæ teterrimo halitu varia morborum genera, Lethargi, abſceſſus, tumores, oris vlcera, affectæ tabo gingiuæ. Quinque menſes ſi in tota nauigatione ponantur feliciſſimam putant, ſæpius anno amplius conſumitur. Goa Malacam ad aliaſque regiones magis Orientales ſtatis nauigatur temporibus. Hiſpaniam repetituri menſis Decembris finem expectant, ventorum vices continuis ab ortu flatibus ac dudum explorata nauigandi ratio idoneum maxime id tempus eſſe docuerunt. Menſibus Martio aut Aprili

Bonæ ſpei promontorium tranſmittitur. Ad ſanctæ Helenæ in reditu inſulam appellunt iis locis non deuiam, quam in vaſtiſſimo mari tanquam diuerſorium diuina prouidentia diſpoſuit reficiendis nauigantibus feſſiſq; recreandis corporibus arborum fructibus, venatu, piſcatu, quibus bonis abundat, nullo quamuis cultore propter locorum anguſtias & quoniam procul à continenti diſiuncta eſt. Per Tertias tandem inſulas magno circuitu propter ventorum viciſſitudines confecta nauigatione longiſſima, vnde diſceſſerant, Oliſiponem appellunt plurimum menſibus Auguſto & Septembri.

Libri vigeſimi ſexti Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXVII.

Ioannis Hiſpaniæ Principis obitus. CAPVT I.

Es Hiſpanorum vno tempore in Italia quidem proſperum curſum tenebant, in Hiſpania autem, vt eſt fere conditio mortalium inter dulcia & dubia variabant. Gemina Ferdinandi Regis filiarum coniugia ſunt pacta. Catharinæ profecto cum Arcturo Vualiæ principe Herici ſeptimi Regis Angli filio maiori. Iſabellæ autem principis connubium cum Emanuele Luſitano Rege poſt multas & graues difficultates & moras non ſtipulatum modo ſed & tandem coniunctum eſt. Nouis affinitatibus tantos Principes habere deuinctos & ad Auſtriacos adiungere magnum, glorioſumq; Regi Hiſpano, rebus intus foriſque præcipuum ab alterna ope præſidium. Catharinæ ſponſalia in Anglia aſſumptæ in cœlum Virginis memoria ſacro die in palatio Vuodeſtochio data ſunt Ioanne Puebla quo agēte connubiales conditiones conſtituerant, pro ſponſa abſenti vicario ritu & more inter Principes ſolenni. Affuerunt cæremoniæ Rex & Regina, ſplendiduſque procerum cætus. Ad Luſitanum connubium paciſcendum miſſus in Caſtellam eſt Ioannes Emanuel magna apud eum Regem gratia quippe ipſius collactaneus. Eius aduentu atque opera ſancitum tandem, vti Ferdinandus & Iſabella Reges filiam deducerent ad Luſitaniæ fines. Eo veniret Emanuel Rex pridie Kalendas Octobris ad ineundum coniugium. Regum conuentui nuptiarumque celebritati primum Ceclaminum oppidum deſignare placuit: deinde propter regionis ſterilitatem annonæ anguſtiam nullo circa florēti lautoque oppido, vnde pararetur commeatus tantæ multitudini, Valentia Alcantaræ delecta. Vbi triduū Reges moratos vniuerſamq; nuptialem lætitiam conturbauit nuncius de Ioannis Principis graui valetudine intempeſtiue ſcilicet allatus. Tertio die poſtquam Salmanticam cum vxore venerat in febrim incidiſſe: qua diebus tredecim eſt extinctus. Accurrit Valentia citato itinere Rex pater, Salmanticamq; peruenit, ægroto agente animam ſed integris ſenſibus. Ita agnito patre obiit tamen ad quartum Nonas Octobris. magno atque miſerabili non parentum modo ſed & totius gentis luctu. Quantas ſpes, quanta gaudia dies vnus abſtulit Hiſpaniæ? Ferebat vterum vxor exiguum mœroris concepti ſolamen & improuiſæ calamitatis præſertim immaturo partu intra paucos dies. Extincti corpus Abulæ tumulo eſt compoſitum in Dominicano celeberri mo cœnobio, Diui Thomæ nomine in ea vrbe conſtituto patris Regis impenſa. Triſtis nuncius Valentiam peruenit nuptiarum

lætitia nondum peracta, quæ poſt diſceſſum porro Ferdinando Regis celebratæ ſunt. Rogauit ſocrum Emanuel Rex mœrore tantiſper diſſimulato atque vultu ad lætitiam compoſito, monitiſque aulicis vt tantumdem facerent, ne quid ad nouam nuptam iam Luſitaniæ Reginam manaret. Erat difficile in tanto luctu publico priuatoque diſſimulare diu. Ita quamprimum in Luſitaniam abducta Eboræ tandem fratris obitu nunciato ingentem animo moleſtiam accepit eo intempeſtiue ſublato quem diligebat vnice. Hiſpaniam vniuerſam tanto Principe orbatam, in qua acquieſcebat ſpe, dolebat ſcilicet impenſe. Parentes ſingulari conſtantia patientiaque eam plagam tulerunt: in quo excelſi atque inuicti animi præbuerunt argumenta non minus illuſtria, quam victoriis multis & clariſſimis eatenus & in poſterum partis ex quanto motum animi tenere, quam hoſtes ſubiugare eſt præſtantius. Et eſt natura fixum, vt caduca pereant, fragilia quæ ſunt facta conterantur: æquiſſimum vt Deo noſtrarum rerum, aut ſuarum verius arbitrium mortali conditione homines permittamus. Neapolitanæ res haud ſatis tranquillæ erant. Salernitanus nunquam ſatis fidus cum cæteris eius ſectæ proceribus non quieſcebat: ac neceſſabat quidem ſuæ ditionis oppida & arces diligenter munire. Alienatæ voluntatis primum argumentum extitit abfuiſſe Neapoli quo die Fridericus Rex ſolenni cæremonia de manu Pontificii legati coronam & regni inſulas ſuſcepit. Et erant per edictũ proceres ad ſolennitatem euocati ne qua eſſet excuſatio, ipſeque Salernitanus antea affuerat quo primum is tempore ciuium conſenſu Rex fuit renunciatus. Nunc ob factos ſuperiori tempore ſumptus pecuniæ inopiam excuſabat: neque ſine idoneo cultu & comitatu venire par fuiſſe. Verior interpretatio ea ſpecie tegi infenſum animum rerum nouarum ſtudium. Accurrit quidem die poſtero Biſinianus ſui facti rationem redditurus. Ad Salernitanum quin etiam ſanandum & ad Regem perducendum pro ea gratia & auctoritate qua valebat maxime quippe ſecundum eum factionis princeps Regi operam obtulit. Nihil tamen ea diligentia profectum, an ludibrium erat & compoſita inter duos præuaricatio & fabula. Vim parari & arma placuit, vt metu cederet, cuius perfidia & contumacia vinci benignitate non poterat. Collectis copiis à Rege intra Dianum circumſeſſus eſt præcipuam arcem è multis quas firmiſſimas ditione is obtinebat. Gonſaluus reditum in Hiſpaniam adornabat, quaſi bello Neapolitano peracto moræ idonea cauſſa non eſſet amplioris. Eo maturando diſceſſu in Brutios iuerat, atque in Siciliam. Inde rebus conſtitutis hoc tempore Neapolim reducem per cauſam nouum Regem & Reginas ſalutandi priuſquam ſe in iter daret, rogarunt enixe vt correptis denuo armis Diani obſidioni intereſſet, multis impeditæ difficultatibus, multis intus defenſoribus, infidis Regi prouincialibus. Ea de eius virtute opinio ſuſcepta erat, vt victoriam & felicitatem ſecum ferre crederetur. Annuit ille Principum fœminarum votis & precibus. Collectis Hiſpanis quingentis parique Germanorum numero abs Rege dato propius muro ſuccedens eo loco ſtatione delecta, non ſine ſuo periculo obſeſſos dies noctéſque fatigatos ad deditionem compulit his legibus. Salernitanus, quique eum comitari vellent, regni finibus abſcedunto. Iis omnibus incolumitas eſto facultaſque ſua cuique efferendi. Salernitani principatus arces omnes Regi traduntor commeatus & tormenta bellica ac reliquum bellicum apparatum idoneo pretio compenſaturo. Sic ad quintum kalendas Ianuarii inſtante ſalutis anno M.CCCC.XCVIII. Salernitanus legitima dedentium arces verba nun- 1498.
cupauit. Eius Senogaliam Piceni vrbem Ioannis Rouerei Præfecti in ditione Gallicis partibus addicti deducendi cura Amalfitano Principi demandata eſt, è neceſſariis Conciæ & Lauriæ Comites eum in exilium ſunt ſecuti. Capacius graui ætate impeditus cautiorque annis & vſu Regis fidei ſe ſuaque permittere ſatius duxit venia parata. Huius anni autumno à Ioanne Aſſidoniæ Duce claſſis in Africam miſſa & Melillam occupatum Almeriæ obiectum oppidum à Mauris quibuſdam de cauſſis deſertum. Facti in ea expeditione ſumptus compenſati ſunt, eo oppido Regis beneficio Duci & ſucceſſoribus perpetuo iure contradito. Gerbis item ſeu Meningis inſulæ regulus (Xequem incolæ vocant) quo noſtrorum viribus eum principatũ tueretur à Regis Tunetani imperio detractum in fidem Ioannis Nucæi Proregis Siculi & clientelam conceſſit incolumi religione maiorum & arrepta libertate, Regis adeo Catholici factus ſtipendiarius. Cum præſidio ergo Hiſpanico Margaritus dux curare ibi iuſſus eſt inſulæ imperium à Maurorum iniuria tuendo & aduerſus eius Regis arma. Hoc initium magna rerum moles annis ſequentibus eſt ſubſecuta.

Carolus octauus Rex Galliæ obiit. CAP. II.

REgibus Galliæ & Hispaniæ fędere vinciendis conatus adhiberi ante cęptus erat, neque vsque dum intermittebatur. De conditionibus disceptatum: qua causa honestissima legatio ex Gallia ad Regem Catholicum venit tunc temporis Compluti morantem. Legationis princeps Claruis regulus dato senatu accommodatam tēpori orationem habuit. Eius summa erat: vt iunctis inter se viribus Gallus Hispanusq; bellum Italię inferrent. E Neapolitano regno Brutii & Magna Gręcia Hispano cederent, ea tamen lege vt eam prouinciam cum Vasconum regno mutādi facultas Gallo relinqueretur, adiectis annuis triginta millibus auri ad exęquandum ablati principatus cum dato scilicet vectigalia. E reliquis vrbibus Mediolanum & Genuam cum contributa vtrique ditione obtineret Gallus: cętera ex æquo inter se partirentur bona fide. Hæc ille. Et de Neapolitano quidem regno quod proponebatur Hispano non displicebat: alias tamen vrbes inuadere non inducebat in animum præsertim Cæsare inconsulto: cuius in iure res Italię patrocinioque erant. Responsum ergo legaturum se in Galliam viros idoneos qui de conditionibus agerent & concordia, qua nihil esset antiquius. Agebantur hęc. Simul Regi Catholico mores gentis collapsos acriori censura astringere curæ erat: ac præcipue monasteria quorum perturbatione temporum vita laxior & seueris iudicibus parum probata, ab eoque Claustralia vulgo vocabantur, ad seueriorem disciplinam & veteris moris normam reuocare satagebat. Grauissimus est morbus qui à viris sacratis tanquam à capite in cætera membra defluit. Eo maior ad id hominũ genus curandum diligentia adhibeatur opus est. Paruere Regię voluntati pręsertim æquissimæ adiutæque Pontificis decreto Castellæ monachi continuo & facile Dominicani, Augustiniani, Carmelitæ: Franciscani deinde ęgre quamuis cum reliquis consensere. Pręclarum enimuero facinus dignam Rege Catholico curam. Compluti, vti constitutum erat, delecti qui in Galliam irēt Ferdinandus Strada & duo socii eo appulerunt; quo tēpore Ruscinonenses inuadere Gallis destinatum erat, Perpinianumq; occupare positis iuxta castris. Verũ eos metus & conatus Galli mors intercepit Amboesę extincti ad septimũ Idus Aprilis. Pila ludentes è superiori pergula prospectantē repētina atq; lethalis vis apoplexis oppressit annos natũ septem & viginti. Nulla ex eo prole relicta res Gallicæ in Ducem Aurelianensem iure sanguinis per viros ducto stemmate reciderunt, Ludouicũ duodecimum dictum inter Galliæ reges. Anna Borbonii ducis vxor defuncti soror natu maior regnũ sibi quippe propinquiori deberi disputabat. Parũ proficiebat tamen intempestiua disceptatione populo & proceribus legi Salicę nimium addictis regni hæreditatem in fœminas transferri vetanti. Non destitit tamen neq; se in causa deseruit; vt regno excluderetur, contendebat nihilominus quæ regibus aduētitia hæreditate obuenerant, ea certe sibi deberi. Profecto prouinciam Phocæensem atq; Andegauos recenti memoria ad reliquos principatus adiuncta. quo enim iure qua lege detraherent. Ne id quidem impetratum, iure an iniuria disputare non est necesse. Regis Catholici legati Blesis, vbi nouus rex erat, eo salutato gaudioq; functi ob nouum regnum in ea vrbe atq; Aureliæ de iungendo fœdere summa contentione adbibita, pręter verba, gratam fore concordiam, retulere nihil alud. Erat ei Principi deliberatum comitate & benignitate cunctos se adeuntes complecti, nihil denegare cuiquam, dum regnũ, quod nouitate nutabat, vt omnes principatus, tempore cōfirmaret. Simul prouidebatur ne diuortio, quod cũ vxore adornabat aliquis impedimentum afferret, coniugiumve disturbaret quod inire cũ Regina vidua parabat profectionē in Britanniam adornanti nobili principatu dotali: Ea summa votorum erat & destinata voluntas. Neq; fefellit spes. Diuortii gemina causa afferebatur. A Rege socero de sacro fonte susceptũ, neq; venia Pontificis sacrę ex eo propinquitatis legem sublatam. Deinde non sponte sed terroribus propositis priorem vxorē duxisse. Sic veteri cōiugio dirempto Britanna coniux in regium torum est ascita. Vnde duæ tantũ filię sunt natæ. Maior Claudia nomine Francisco Valesio nupsit soceri successori; minor Renata duci Ferrariēsi nupta, viro defuncto diu superuixit in Gallia Caluinianę sectę patrocinio suscepto maiori fama quã laude. Carolo Rege superstite, vt Cęsar Borgia ad exitiũ Italiæ natus veste mutata relictaque purpura nouas spes sequeretur castris quam sacræ purpurę aptior agebatur. Nouum damnatumque exemplum, & ad turbandã Italię ac vero totius orbis pacem comparatum. Eę molitiones haud ingratę ei Regi accidebant quippe iuueni. Quin ad promerendum Pontificem idoneum principatum in Gallia ei daturum pollicebatur. De Auenione etiam in eius gratiam pontificię ditioni subtrahēda est agitatum vincente pudorem tetra cupiditate. Carlotam etiam coniugem offerebat Friderici Regis ex priori

vxore filiam, consobrinam suam & tunc in Gallia morantem. Verum pater virginis consultus postulati fœditate offensus adduci non potuit vt coniugio male cohęrenti Aragonium sanguinem & stemma generis sugillaret præsertim Tarēti Principatu dotali, quod expetebant, vnde haud obscure ad regnum Neapolitanum occupandum gradum facerent. Mediolanensis Dux eiusque frater Ascanius Cardinalis conuitio monebant, ne in eo articulo discrimineq; rerum suarū Pontificem sibi infensum redderet repulsa, dignitatis speciem non esse tanti, vt propterea Gallos iterum induceret in Italiam in eius certam perniciem. Qui terrores vani non extitere. Regi Catholico hos conatus non probabant, etsi ad aucupandam eius gratiam Pompelonensem Valentinumque episcopatus ex eius voluntate quibus nominaret daturum Pontificē pollicebantur Cæsaris Borgię abdicatione. Pompelonensem ecclesiam Innocentius octauus regendam commiserat. Valentinam pater in eundem transtulerat Pontifex factus. Offendebatur orbis Christianus iis molitionibus, eaq; fœditate recenti memoria Aleriæ Cardinali meminerāt facultatem ab Innocentio Pontifice denegatam purpura eiurata monachum induendi. Num eo honore abdicato Cardinali & Diacono turpe non videbatur continentiæ lege soluto vxoris porro ducendæ facere potestatem. Enimuero Romę ea morū turpitudo vigebat (an Romæ tantum & non etiam intra Pontificis regiam?) vt cuicumque peruersitati locus esse videretur. Piis viris occasio data palā Pontificia instituta, mores & tempora accusandi. In eo numero Hieronymus Sauaranola patria Ferraria ex Dominicano ordine celebris concionator, qui Florentiæ rebus gerendis multum annis superioribus auctoritate potuerat, quod è suggestu magna dicēdi libertate sæpe in Pontificem esset inuectus, eius iussu cum duobus sociis in foro eius vrbis publice fuit combustus die Palmarum Dominico, nempe postridie obitus Regis Galli iure an iniuriā ne tunc quidem cognosci penitus potuit. Multi ad hanc diem extinctum in martyrum numero habent. Ab aliis temeritatis accusatur, quorum sententia magis placet. Neq; Florentiæ tantum mores Pontificis accusati sunt: sed coram Garsias Lassus Vega pro Rege Catholico Romæ legatus eum libera voce increpuit ex sui Regis litteris obtestatus nisi mutaret, si homines cessarent, grauia cælitus imminere piacula propter grauē offensionem totius orbis Christiani, quā late Romanæ prauitatis fama manarat. Verum quid iuuat sanare velle, quem diuina vltio in præceps agit, luceque subtracta suarum cupiditatum carnificinæ tradit? Commotus ea increpatione Pontifex vehementer in verba contumeliosa minasq; prorupit nullo porro maiori fructu. Pectus in peius indurauit vsque eo vt paulo post Cæsar Borgia in conuentu Patrum publice excusans Diaconum se non sponte neque libera voluntate factum, petierit continentiæ legis ex eo sibi fieri gratiam, atque purpuram & sacerdotia abdicandi esse potestatē. Multi è Patrum numero non expectandū existimabant, dum homo impotens sacros honores abdicaret, quod honorificū ipsi erat, sed iudicio potius spoliandū, siue quod malis rationibus eos honores ac pręsertim purpurā esset cōsecutus, siue propter morum prauitatem & libidinis licentiā vix etiam in profano homine tolerabilē, vti legatus Hispanus dicere erat solitus. Nemo tamen mutire est ausus: ea erat Pontificis impotentia & temporum conditio misera prorsus & profligata. Itaque collegium ea postulata rata habuit contra fas, contra auspicia, cōtra omnia ęquitatis iura: Nouus Galliæ rex Valentiā in Allobrogibus dedit Ducis nomine: quæ vrbs Auenioni vicina & aliquando Pontificię ditionis ad Regum Galliæ ius ab annis superioribus trāsierat. Eo principatu prouocatus & spe facta promissi cum Carlota coniugii veste mutata, morū prauitate haud deposita in Galliam maturauit flagitiorū omnium vitiorumq; princeps. Magni honores aduenæ habiti, coniugii tamen concepta animo spes euanuit regia virgine eam fœditatem constanter auersanti. tanta ex eo indignatione Ducis, vt de Gallia deserenda cogitaret. Leniuit irati animū Rex Carlota Fuxensi Labreti filia sorore Regis Vasconum coniuge data, haud iniqua permutatione neq; nobilitate minori. Adiecta ampla dos, atq; ex ærario regio annua vectigalia. Tanti fuit impotentem hominem eo tempore promereri: quippe industria quamuis flagitioso inerat, & vt virtutibus boni, sic ille econtrario vitiis valebat. Ex eo coniugio filia nata est, quę annis consequentibus extincto patre in auunculi regis potestate patrocinioq; mãsit. Ipso anno præcipiti æstate Gōsaluus Magnus dux instructa classe Neapoli soluit in Hispaniā. Ingens gentis decus & gloria propter animi magnitudinem, industriam, bellicas artes, victoriasque nobilissimas, Neapolitani regni felicitatem fundatam pulsis Gallis, res cæteras ex sententia compositas.

Isabellæ Lusitaniæ Reginæ obitus. CAPVT III.

DEfuncto Ioanne Castellę Principe, vt dictum est, magna eius parentes de stabilienda successione solicitudo inuaserat haud ignaros nisi hęres certus sit, procellam in re-

publica concitari Regum morte eſſe propemodum neceſſe: Margaritæ vterus morabatur quorſum ea ſpes euaderet. Dolor curaq; ingeminata fœtu fæmineo immaturo Cōpluti excuſſo, vbi Reges hyemarunt. Continuo ergo Emanuelem Regē monuerunt ad Caſtellæ ſceptra hęreditatēq; vxoris iure vocari: rumperent porro moras, quod felix fauſtumque eſſet venirent in Caſtellam. In eorum verba populos ordinesq; more maiorum ſacramentum dicturos poſt parentum fata non alios Reges fore. id præcipuum ſucceſſionis inter Hiſpanos ſtabilimentum. Simul in Belgas miſerunt, qui Philippū generum & vxorem monerent, vti inani Principum Caſtellæ appellatione, quam neſcio quid ſecuti an quodam veluti pręſagio vſurparant, deinde abſtinerent. Gentis inſtituto eum titulum Regum maioribus filiis hæredibus porro dari, neq; communicari cum aliis. Ergo Luſitani Reges ea denunciatione Pacem Auguſtam petiuere Caſtellę vrbem ad vtriuſq; regni fines. Pręſto affuerunt Medinæ Aſſidonię Albęque duces aliique proceres qui eos exciperent deducerentq; ad parētes deſtinati. Chriſti cruciatuū memoria ſacros dies ad Guadalupeum Virginis fanū morati Toletum tandem peruenerunt ad ſextum kalendas Maias, vbi eos Reges Catholici expectabant. Tertio poſt die, qui dies Dominicus fuit, vti erat conſtitutum ſolemni ritu & more iureiurando confirmata Regibus Luſitanis Caſtellæ regni hęreditas: moxque Caſtellę Principes dicti ſunt. Aragoniis non eadem voluntas erat, neq; par tranquillitatis ſtudium. Henricus Segorbii dux Regis Catholici patruelis gentis inſtituto & legibus fæminas ab Aragoniis ſceptris arceri diſputabat. Sibi proinde & Alfonſo filio, regiæ hæreditatis ius poſt Ferdinandum relinqui, genus à Ferdinando Rege auo per viros continuato ſtemmate deducentibus, Henrico patre vno è Ferdinandi filiis. Vt ſanarent gentis voluntates, vincerentpue eas difficultates & moras Caſtellæ & Luſitaniæ Reges Cæſarauguſtā abierunt. In ea vrbe ad octauum decimum kal. Iulias in conuentu gentis referente Rege Catholico de ea cōtrouerſia varię ſunt dictę ſententiæ. Plerique nouum induci in Aragoniam exemplum confirmabant, exhorrebantq;, nulli vnquam fæminę quaſi hęredi futurę dicto ſacramento, multorum etiam Regum lege à ſucceſſione eum ſexum excluſum penitus & amotum. Quod ſi id antiquatū, aut contraria lege abrogatum contenderent, poſtremo Ioannis poſtremi Aragonii Regis teſtamento ſtarent filias & neptes ſancientis ad ſceptra tū demū vocandas, ſi filius Ferdinādus Rex ſine filiis ſineq; nepotibus decederet maſculis ex filio filiaue natis. Eius rei nondum veniſſe tempus, neq; futuros euentus eſſe exploratos: ꝙ intempeſtiue diuinarent? quid feſtinatione prępropera futuri ſpem reſcinderent, recens inſtituta mutarent, ac Emanuelem Regem Aragoniæ principem dici non ferebant exemplo calamitatum caſtigati, quę recenti memoria in Vaſconibus extitere, quod Ioannem Aragonium Blancæ coniugio eius regni hæredis, Vaſconum principem præpoſtera facilitate iuſſiſſent. Alii contra tendere ac fęminis conceſſum diſputare ius regni: neque Aragoniis legibus in ſucceſſione regni ſexum diſtingui. Cuius rei Petronillæ exemplum proferebatur idoneum Ramiri Regis filiæ cognomento Monachi. Deinde Alfonſi ex ea nati teſtamentum, qui matris, quę ſecus ſanxerat, in eo voluntate repudiata, lege in omne tempus lata regnū obtinendi fęminis facultatem ſanxit, ius dedit. Gōſaluus Garſia à ſancta Maria nobilis ea tempeſtate in Aragonia iureconſultus diſputationem eruditè in eam ſententiam de ſcripto cōceptā Regi Catholico in manus dedit. Tempori ſeruire adulariq; voluiſſe interpretabantur multi: adeo nihil motū ex antiquo probabile eſt inter Aragonios præſertim gētis inſtituta mordicus tueri ſolitos iura libertatis. Tempus altercationib. trahi Iſabellæ Reginæ moleſtum accidebat Caſtellę gentis obſequio aſſuetę: atq; adeo vt die quodā dicere nō dubitarit. Satius fore armis eam gentem maloq; ſubigere, quam prouincialium cōuentuum inſolentiam, gentiſq; vniuerſę irreuerentiam tolerare. Aderat forte ſermoni Alfonſus Fonſeca. Is Reginę oratione offenſus libera voce. Non arbitror, inquit Aragonios peccare tuendo libertatē & priuilegia quæ à maioribus acceperunt, qui pollicitis cauti ſacramentoq;, in fide ſemel ſuſcepta ſunt apprime conſtantes, Regumq; ſuorum obſequio imprimis dediti. Hactenus nulli Regum filię regni hæreditate publico conſenſu decreta, vituperandi non ſunt ſi nouum exemplum inducere detrectant veriti ab eo principio ne ius imminuatur patrię libertatis. Controuerſia finem habuit Iſabellæ Principis obitu ad decimum kal. Septembris ſubſecuto die Iouis in ea vrbe ex partu extinctæ vix hora decurſa ex quo filium pepererat, cui Michaeli nomen fuit, vita breuis, gaudio luctus maior. Toletanus Archiepiſcopus Regē iter proſecutus labenti animę pacem & veniā precatus accommodata etiam prudentiq; oratione rerum humanarum contemptum, & cæleſtis felicitatis morienti ſpem ingeſſit. Rex Luſitanus vxore lectiſſima repente ſpoliatus continuo in patriam rediit. Defunctæ corpus translatitio funere in diui Franciſci ſepultum, deinde

deinde Toletum delatum in cænobio virginum composuerũt quod Isabellæ nomine pater constituerat auiæ maternæ ędibus in monasterium conformatis. Iustis persolutis Aragonii sine mora regiæ voluntati obsecuti sunt, recẽtis calamitatis misericordia animos ad obsequium flexerat, & difficultates prius propositas magna ex parte sublatas videbant. Ita ad decimum kal. Octobris infanti sacramentum est dictũ, ea modo exceptione, si Ferdinandus Rex mascula prole careret: alioqui iusiurandum ex eo irritum & inane fore pronunciarunt. Eo temperamento libertati gentis consultum, cuius cura maxime solicitabat. Ocaniæ idem paulo post Castellæ princeps hæresq; solenni ritu pronunciatus est. Verum priusquam Rex Cæsaraugusta discederet Alfonsum Siluam Calatrauæ Clauigerum in Galliam legauit, qui nouo Regi de suscepto regno gaudium nunciaret, & aliis legatis iunctus de concordię legibus disceptaret, statueretq;. Magna ii contentione adhibita rem ex voto confecerunt. Philippus quoq; Belga priuatim patre & socero inconsultis cum Gallo æquis conditionibus pepigit. Multum his constituendis fœderibus Georgius Amboesa Rhotomagensis Archiepiscopus iuuit pro ea gratia & auctoritate, qua apud suum principem valebat maxime omnium arcanorum non particeps modo, sed pene moderator & arbiter. Accessit mense Septembri purpura Pontificis dono crescenti gratiæ & sed & propriis virtutibus datus honos. Rex quoq; Gallus iuncta cum vicinis principibus amicitia oppido cupiebat in Italiam transire Mediolanensem principatũ sed & Neapolitanum regnum armis occupaturus iure, vti existimabat sua, iniuria ab aliis occupata. Cæsaraugusta item Enecus Corduba Comitis Egabri frater & Philippus Pontius iureconsultus Romam amandati sunt, vt sui Regis verbis Pontifici denuntiarent Beneuentum ne ecclesię Romanę imperio detraheret, curiæ Romanæ vitia acriori censura castigaret, domesticam licentiam fręnaret quæ maxima erat cum magna verę pietatis labe. Idem soceri hortatu Lusitanus fecit. In patriam reuersus Rodericum Castriũ & Henricum Coutinum Romam legauit cum mandatis monendi Pontificem tantundemque obtestandi consilio prius cum soceri legatis communicato. Fecerunt illi diligenter quod erat mandatum. Pontificem quæ erant iussi hortati, eo prouecti sunt, die quadam vt remotis arbitris obtestationẽ in tabulas referret Garsias ipse Lassus notarii Apostolici munere fungens. Tulit ægerrime Pontifex audax facinus: secundum minas eos ausus impune non fore, supplicio vindicaturum, subiecit tamẽ Beneuentum Pontificio imperio detractam non esse, ne velle quidem, tametsi Patrum collegium cõsenserat vt Gandiæ Duci daretur iure fundi penes ecclesiam Romanã retento. De curię & palatiis castigãdis quod præscriberent, multum sibi Reges in eo sumere dixit, aliaq; subiecit stomacho plena, quæ furor dabat. Intra paucos tamẽ dies, iussu, vt interpretabantur Pontificis, filii Gotifredus & Lucretia cum coniugibus Rege Neapolitano natis è palatio Romaq; discesserunt. Horum vero atq; Cæsaris Borgiæ morum licentia, & fędæ libidines magnam inuidiæ partẽ Pontifici conciliarant, offensis ea dissimulatione ciuitate atq; adeo orbe Christiano vniuerso. Odiũ quidẽ in Garsiã Lassum conceptũ altius in Pontificis pectus descendit, q̃ vt sedari possit. Itaq; Roma discedere necesse habuit. Subsecuti sunt Lusitani legati initio anni M.CCCC.XCIX. palã offensi parũ ea diligẽtia fuisse profectũ, contra in peius cuncta ruere. Romana vitia omnẽ medicinam respuere. Alii Castellę legati restiterunt in ea vrbe dum Laurentius Suarius Figueroa Venetiis, vbi oratorem agebat vir exacta prudentia Romam veniret in locum Garsiæ Lassi fratris legati ordinarii munere imposito. 1499.

Ludouicus Mediolanensis dux eo principatu spoliatur. CAPVT IIII.

INuictum Regis Catholici animũ curæ non obruunt multæ quãuis & graues, p̃sidet in speculis, indeq; late ꝓspicit in omnes partes. Res Italicæ proximę periculo Rege Gallo vetera eadẽq; minime dubia, vt ipsi videbatur, iura armis repetenti quoniã certare legib. & causa longum erat. Satis ex se inflammato ad maturandã expeditionẽ subdebãt faces. Pontifex arcano Friderici Regis vlciscendi præcipiti cupiditate, à quo se lęsum putabat filię nuptiis denegatis. Pręterea augendi suos spes ostendebatur ac præsertim ducẽ Valẽtinum ambitioso virum ingenio prauoq; Veneti apertius Duci Mediolanensi irati erãt pro Pisanis prius sociũ, deinde hostẽ fœdere cum Florentinis facto. Pacta ergo cũ eo Rege amicitia & societate mille ducentos equites obtulerũt sex millia Heluetios Germanosve contra ducẽ Mediolanensem ea tamen lege vt pretium operę, impensę cõpensatio, Cremona & Geradada essent ei principatui detractę & ad Venetã ditionem subiunctæ post victoriã. Dux cognito periculo rerum suarum, parum opis in Christianis Principib. fore, quos infensos alios alia causa suspicabatur extremum malorum Turcis suasit, vt instructa classe Venetorum ditionem inuaderent; si bello ꝓprio implicarentur, aduersus Gallum vires aliunde nõ defuturas. Magna piis omnib. solicitudo inicta: plus inuidię ex eo Duci

quam virium accessit. Antonellus Salernitanus in Vrbini Ducis ditione propinqui & necessarii decessit Roberto filio successore nō tā nominis & fortunarū q̃ odii in Aragonios perpetui, q illi odiū male tandē fuit Cęsaraugustę Gonsaluo Garsię iureconsulto celeberrimo irrogata atrox iniuria mense Iulio. Facinoris auctor cognosci nō potuit certo. Multi suspicionibus subiecti prę cæteris Ebuli Vicecomes magnis argumentis vindicta nulla. Vasconum Reges q̃dam à Rege Catholico extorquere veteris ditionis oppida ipso tēpore moliebantur. Ludouicus vndecimus Gallię Rex quo tēpore ad Baionā in Tarbellis cum Henrico quarto Castellę Rege est collocutus tum alia p̄stitit, tū in controuersia q̃ ipsum inter & Vascones erat, consensu partiū arbiter factus, sententia pronunciata sanxit, vt dū sumptus cōpensarentur q̃ Carolo Vianæ principe tuendo à Ioanne Castellæ Rege ipsoq; Henrico facti erant, seq; eā pecuniam soluturū, Carolus obstrinxerat, Stella vrbs cū cōtributis oppidis Henrico cederet. Vrbs quidē nunquā est tradita, alia tantū oppida: & ea ipsa à Vasconibus, vti sese offerebat occasio, erant recepta pleraq; & ad veterē ditionem imperiumq; subiuncta. Castellæ tunc præsidiis Arcus modo, Guardia & Vincentii fanum tenebantur. Hæc enimuero oppida restitui Vascones postulabāt, vitiosam Galli sententiā extitisse accusantes, prętereà affirmantes Regē Catholicū superiorib. annis pollicitū se ea oppida redditurū. Si minus æquitate postulati moueretur, certe regiā fidē ea restitutione liberaret. Ne res ab altercatione ad arma deduceretur & vim erat p̄iculū, turbidamq; cōciret è Gallia tēpestatē. Verū Italicæ expeditionis apparatu districtus Gallus aliena curare q̃ posset? & vtiq; numerosus exercitus superatis Alpiū iugis Astā peruenit vrbē à Philippo Vicecomite Mediolanensi Duce datā olim Carolo Aurelianensi eius Regis patri, ea lege vt contra Venetos sociaret arma, opē ferret, bello eū sub vitæ finē fatigantes. Pręcipui Gallicarum Duces Stuardus Obenignus & Ioannes Iacobus Triuultius Asta mēse Augusto motis castris omnia opinione faciliora inuenere. Alexandria, Ticinum, Placentia breui ad ditionē subiunctæ. accessere minora oppida magno numero. Veneti quoq; haud minori felicitate Cremonā, Geradadā, Laudē & quidquid Mediolanēsis principatus eo tractu erat victricibus armis præsidiisq; occuparūt. Tantis vno tēpore cladib. Mediolanenses ciues conterriti correptis repēte armis magnisq; clamoribus Ludouico abdicato per vrbis plateas Gallica signa sustulerunt. Ad tumultum popularem sedandum Dux neque virium neque animi satis habens, neque iubendi vetandive potens non tam princeps iam quam belli causa ad arcem necessario cum confugisset rebus desperatis Ascanium Cardinalē & sui scrinii Præfectum cum filiis thesaurisq; in Germaniā præmisit: eodem ipse paulo post postridie kalen. Septembris de nocte ne appellatis quidē militibus est subsecutus. Exilii atq; itineris socii Atestinus Cardinalis & Galeacius Sanseuerinus eius gener & copiarum dux pręcipuus. Sic imperium malis artibus quæsitum non fuit stabile; ambitionem, inhumanitatem cupiditatemq; superi vindicarunt. Ipse principatu deturbatus, amissis amicis, quorū plerosq; p̄posteris actionib. alienarat, vagus incertusq; agebatur, non magis virium inops quam consilii. Princeps alioqui eximie sagax, neq; illi res vlla, neq; quisquam hominum satis placebat. Tertio post mense in partē victoriæ Genua concessit vltro ne tentata quidem defensione. Restiterat Gallus Lugduni quorsum res euaderent expectans. Inde nobilissimæ victorię fructum percepturus & vt parti principatus rationes cōponeret, in Italiam maturauit. Mediolanum ineunti triumphi persimili pompa populus obuiā portis est fusus magna significatione lætitię fausta omnia, vitam longæuam, felicitatē perpetuam cōprecari tantundē facturus pro aduersario si vicisset, quę mobilitas plebis est. Dux Valentinus Regis iter prosecutus Flaminiæ vrbibus ad veterem ditionem Pontificiam reuocandis trecētos grauis armaturę equites regiis stipendiis dari impetrauit Iuone Alegrio duce, prętereà quatuor millia Heluetios impensa Pōtificis & auspiciis militaturos. Decreta etiam Gallica auxilia Florentinis aduersus Pisanos libertatem tuentes. Mediolanensi bello confecto ex sententia, continuo Gallus ad Neapolitanum regnum animum adiecit, sua sponte currentē Pontifex subditis stimulis certaq; victoriæ spe concitabat. Placuit tamen reficere copias priusquam in eam expeditionem se daret, eoq; in Galliam redire. Genuę Philippum Rauastainum, Mediolano Ioannem Iacobum Triuultium spectata virtute fideq; viros præfecit alterum Germanici generis Italici alterum. Franciscum Ioannis Galeacii Mediolanēsi principatu à patruo spoliati filium, ne quid turbarum ea occasione existeret, secum in Galliam abduxit: vbi in sacerdotis morem detonsus annis sequentibus ex equi casu inter venandum in Heduis periit, nulla neq; vitæ neq; mortis laude. Italiæ motus Regē Catholicū solicitū habebant, ne velut ex continentibus tectis diffusa flāma inuolui & ipsum necesse esset. Itaq; Friderici Regis nomine honestissimas conditiones Gallo offerre, ad pacem hortari. Recusabat

ille

ille partem, vniuersas regni florentis opes spe vasta & cupiditate complexus. Ad eas ergo conditiones recursum, quę à Gallis dudum propositę, fuerant ab Hispano repudiatę. Fridericum propter parentis natales iniustum Regem esse Gallus & Hispanus certiori iure iunctis viribus Neapolitanum regnum expugnatum inter se per conditiones partirentur. In eius fœderis maturandi curam intentus agebat tunc Rex Catholicus Granatę, quo Ioanna soror Neapolitana Regina ex Italia in Hispaniam redux appulit. Margarita simul princeps ex ea vrbe profecta in patriam abiit, deducente Alfonso Fonseca Cōpostellano præside ad Galliæ fines, qua iter erat. Simul ex aulæ asseclis quidam cuius nomen non proditur, in Galliam amandatur iussus cum Michaele Ioanne Gralla apud Regem Gallum legato consiliis communicatis suo ipsorum nomine ad eam pacis conditionem recurrere, si forte eadem mens Gallo esset, quæ antea, an victoria ferocior esset factus. Fecit ille quod erat mandatum. Rhotomagensi Cardinali, ex cuius arbitrio cuncta belli & pacis consilia prodibant eæ molitiones haudquaquā displicebant: ne Clario quidem regulo proximum auctoritatis & gratiæ locum in ea aula occupanti. Accedebat vtilitas huic quidem facta Crotonis obtinendę Magnę Gręciæ maritimę vrbis: cuius se Marchionem dicebat. Iis adiutoribus fœdus breui coiturum dubitabat nemo. Fridericus Rex aduersus ex Gallia imminentem tempestatem, an harum etiam molitionum non ignarus, si armis peteretur, aduocaturum Turcarum classem in Italiam minari. Tentauit etiam Pontificem placare Theani principatu & Suessa, quæ vrbes in Gandię ducis ditione fuerant. Valentino vltro oblatis ingenti pecunia adiecta, pręterea Alfonso Aragonio fratris filio, cui nupserat Lucretia Borgia, Salerni & Sanseuerini principatum pollicitus, largus in periculo, & nimius quæ retractaret parta pace. Ea est timoris natura. Honestissimas Pontificis conditiones Valentini litteræ disturbarunt ex Gallia, vbi tunc erat, renunciantis eius concordię intempestiua mentione Gallorum animos vehementer esse turbatos: proinde eo commercio prorsus absisterent. Huius anni fine in Belgis Eleonora est nata Archiducis filia maior annis sequentibus Regina prius Lusitaniæ, deinde Galliæ priori coniugio quam posteriori felicior, in vtraque fortuna salua probitatis fama.

Montani ad Granatam Mauri rebellant. CAPVT V.

QVo tempore Rex & Regina Granatam abierunt, Archiepiscopus Toletanus Compluti hæsit schola in eo oppido cōstituenda intentus ad exemplar Parisiensis in Gallia modicis tunc initiis deinde præclarum literarum domiciliū. Collegii præcipui & maximi, cui à Diuo Illefonso est nomen, fundamenta primum sunt iacta pridie Idus Martii. Architectus Petrus Gumiel in ea arte apprime versatus & nobilis, formacei initio parietes. frontem è candido lapide pulcherrimam tempus adiunxit. Nouum Granatæ regnū stabiliendi Regibus cura erat. Si Mauri, quorum magna multitudo supererat, Christiana sacra susciperent, fore consultum videbatur ne à cęteris ciuibus in religionis placitis discreparent. Quippe in religionis dissidio concordia animorum inter ciues constare non potest. Euocato in eam rē Toletano præsule & quid facto opus esset monito, Reges Hispalim discesserunt. Archiepiscopi Toletanus & Granatensis communicato consilio parique ardore in opus ingressi vitæ probitate similes & promouendę religionis studio incensi ex æquo ad Mauros sanandos diligentē nauare operā statuunt. Mauros quosdā Elches vulgo dictos, qui Christi sacra, quæ prius susceperant, eiurarāt, inquisitorū permissu, quorū ea cura erat, malo cogere visum est: ac præsertim teneros filios per vim auulsos sacris fontibus eluēdos adhibere. Id vero turbarum initium extitit. Etsi gentis sacerdotes præterea, quos Alfaquinos dicunt, multa Præsulum benignitate, donisq; victi è promiscua Maurorū multitudine plerosq;, vt se Christo adiungerēt, auctoritate & exemplo effecere. Intelligebantur artes, offendebantq; Maurorū vulgus. Ergo promoti animis & in rabiem acti Albaicini Mauri, q̄ magno numero erant, correptis armis, q̄ abscondita tenebant, plateas transuersis trabib. vicosq; muniere. Toletanū quoq; intra ędes suas p̄ noctē obsederūt perimere destinantes. Ingēs ea nocte trepidatio, & ciuitatis permixtio pauidę tumultuantisq;. Cū luce Tendillię Comes, quippe belli dux arcisq; Alhambrę Præfectus, militib. in vrbē euocatis neutri vti nocerent inter se auctoritate & minis effecit. Missæ ad Reges litteræ periculū renunciatū. In quo accidit exigua quidē sed memoria digna res. Litteras Toletanus ad Reges Æthiopi perferendas dedit, viginti leucas pedibus conficere die vno solito nihilominus. In quo peccatū fuisse grauissime euentus docuit. Ad primū enim aut alterū diuersoriū tantū vini miser haurit (& est ea gēs in ebrietatē effusa) vt emota mēte diē integrū indormire crapulæ opus habuerit. Fama aliiq; sup̄ alios de re tāta rumores nūtiiq; vti necesse erat Hispalim

præcurrerant. Mirabantur reges nihil à Toletano literarū venire. Reginā negligentię pudebat, plerosq; sermones in eius nomen erumpere, qui ea auctore in sublimem dignitatis locum conscenderat. Rex quoq; ad superiorē molestiam, quoniam eum honorē Alfonso Aragonio filio suo destinarat antea, & tunc nouo tędio concepto haud obscuris verborum aculeis Reginā perstringens, En, inquit, tuum Antistitē pręclarum scilicet & magnum. Appulit tandem AEthiops: Toletanusq; ex ea mora pudore suffusus Frācisc um Ruiciū ex eodem ordine socium suum misit: qui factum excusaret, & totius rei ordinem Regibus explicaret, calumniamque detergeret, quę multi eius imprudentia accusabant Mauros fuisse concitatos in furorem. Præterea accusare quā mutare facilius est. Sed Granatæ tamen & Toleti anniuersariis sacris ad quintum decimum kal. Ian. eius diei memoria renouatur omnibus annis, quo tria Maurorum millia sacro fonte abluta fuerunt. Ad quęstiones habendas puniendasq;, quorū noxa in eo tumultu grauior extitisset, missus cū potestate iudex, voce pconis veniā edixit tamen omnibus, qui Christiana sacra syncera mente susciperet. Supplicio de quibusdā sumpto, aliis in vincula traditis, tū hi, tum eorum exemplo cęteri Mauri, qui Albaicinum incolebant, se Christi religionem velle profiteri renunciarunt supplices in timore animo peruicaces atque insaniam repetituri, vbi facultas esset, tantundem fecerunt alii qui per Granatam reliquam sparsis domiciliis habitabant, quippe in villis suburbanis vitam terræ cultu tolerabant, omnes ad quinquaginta millia capitum. Templa simul superstitione Maurica fęda, ex ritu Christiano sacrata sunt. Simulatio, haud potest esse diuturna: neque metus officii magister satis idoneus. Montani ad Granatam Mauri locorum natura freti simulantes an vero persuasi reliquos per vim nostros fuisse factos, tumultus passim cōcitare cōspiratione inter se facta consilio cōmunicato. Initium rebellandi Huegiaris incolæ fecerunt munitione magis quam viribus confisi: quippe locis asperrimis est oppidū. Accurrunt magna celeritate Tendilliæ Comes & Magnus Gonsaluus, forte eo tēpore agens Granatæ, ne prima negligendo serperet malū. Capto per vim oppido in plerosq; rebelles ferro est sæuitū. Cæteros vicina mōtium iuga syluęq; texere. Eodem impetu alia circum Maurorū oppida capta: neq; sisti tamen malū potuit fatali defectione quasi pestis lue per late patentes mōtes diffusa grassanteq;. Atq; ita vt non modo sua tueri parati essent, sed de finitimis prędas agere, vastare agros, carpere quoq; oppida, cædes facere. Marxenam imprimis obsederūt quod oppidum in Promagistri Castellę ditione erat. Aduersus hos conatus Petrus Fagiardus, qui Almeriæ cum exigua manu militari tunc erat, Alhamillam vicinum Maxenæ oppidum de Mauris cum arce cepit: eoq; terrore Marxenæ obsidio soluta est, hostes dissipa-
1500. ti. Salutis anno Millesi. quingentesimo auspicante hæc gerebantur. Ipso tempore Regina Hispali relicta Rex Granatam rediit in vnam comprimendi eos motus curam intentus, metu ne ex Africa quæ vicina est, & vnde auxilia rebelles petere decreuerant, graui aliquo bello implicaretur Hispania vix è superioribus cladibus recreata: ipseq; intestini belli mole impeditus cogeretur ab Italiæ cogitatione cessare: quod eius rationes vehementer conturbaret. Itaq; Bęticæ ciuitatibus & nobilitate vniuersa ad arma signaq; euocatis, numerosum exercitum magis quam validum conflauit. Cum iis copiis ipsemet kalendis Martii Granata profectus Langiaronem versus contendit locis pręruptis situm oppidum. Obstinatis Mauri animis nihil voluntate facturi videbantur. Vi admota captum direptumq; est oppidum. Lerini Comes aliique proceres copiis in plures diductis manus ac per eos montes dissipati multas ea parte arces & oppida pari felicitate expugnarunt. Sæua ac deformis eo tractu vniuerso rerū facies. Victa malis ferocia Mauri rebelles se dedere decreuerunt. Imprudenti impetu cępta; initiis valida, mora languescunt. Data omnibus venia modo pacatis ea lege vt intra dies quatuor Castellū ferreum, Adram, Bugnoliumq; restituerent, q̄ oppida motuū initio de nostris ceperant, & quamuis infirma ante iniuriæq; opportuna diligenter ipsi ad omnes casus vimq; arcendam munierant. Arma telaq; omne genus traderent. Pręterea quinquaginta millia auri duabus pensionibus. Obsidesq; fidei, ita facturos in Magni Ducis potestatē triginta quatuor è præcipuis Mauris. Motib. ad hūc modum cōpositis Rex Granatę substitit ea gente ad Christum adiungenda abluenda salutarib. aquis districtus. Ea diligentia paulo post montani Mauri, quique Almerię, Bastæ, & Guidixii habitabant aliisq; locis nostra sacra populariter suscepere. Missi ad eos cōfirmandos, sanandos cęteros pii in omnes partes concionatores sunt adiuncti militari præsidio. Dignitatis specie ne violarentur impune agebatur, si qui male cogitarent. Et est gēs Maurica mobili ingenio, fluxa fide. Quod prudenter ad salutem comparatum videbatur in contrarium vertit, sic humana consilia sępe deluduntur. improuidas hominum mentes. Vulgatum rursus fama ex eo apparatu vim & metum Mauris nouo

nouo conatu intentari. Incolę Belefichi & Nixarii, quæ oppida iugis montium asperrimis sita sunt, arma hyeme proxima corripuerũt patriæ superstitionis libertatem supremo conatu, tueri destinantes. Horum exemplum pleraq; eo tractu oppida montana sunt secuta: signumq; sublatum, quo confluerent cæteri Mauri. Qua spe quibus viribus? cęcus animi impetus miseram gentem in furorẽ agebat patriæ superstitionis amore qua nihil est potentius. A Rege qui vsq; dum Granatæ morabatur bello dux designatus regiæ aulicorũ cohorti Pręfectus cõtinuo collectas copias Belefichum admouit: Impugnatum oppidum omnibus virib. & machinis. Obsessis tamen strenue tuentibus à mœnib. repulsi sunt nostri non sine multorum strage. Inter quos viri genere factisve clari cecidere. Ducebatur obsidio tamen. Mauri sola desperatione sustentabant, pro nostris causa erat, & parta sępe victoria. Obsessi tãdem siti victi positis armis, iisq; & reliquo apparatu bellico victori traditis oppidum arcemq; dediderunt vnã incolumitatẽ pacti. Bona & libertatẽ arbitrio victoris permisere de regia clementia confisi: Eo terrore Nixarii incolæ iisdem conditionibus venere in potestatẽ, ea tantũ exceptione, vt libertatẽ publice redimẽdi viginti quinq; aureorũ millib. facultas esset. Festinatæ deditionis id prẽmiũ fuit. Ad Regẽ præterea placandum Mauri supra decem millia Seronis Tiiolę aliorumq; eo tractu pagorum incolæ sacris fontibus sunt admoti. Magnus numerus, ad pacandã gentem reiq; summam emolumenti parũ. Nam eodẽ tempore in Arundę & Villalongæ cõfragosis montib. Maurici tumultus publice sunt concitati. Cõmotus, vt par erat, noua rebellione Rex voce quidem præconis edictoq; denunciari mandauit omnib. Mauris qui in iis montibus, vbi motus erãt, habitarant, vt in Castellã discederent. parando discessu dies non amplius decẽ dati, cũ eo tamen arcano concessit, si qui nostrã religionẽ susciperent, iis manendi in patria suaq; cuiq; retinendi venia esset. Deinde Vrenię Comiti & Alfonso Aquilario Magni ducis fratri maiori, præterea Ioanni Siluę Cifontano Comiti tunc Hispalẽsi Prætori belli cura est demandata. Mauros indigenas eo terrore proposito facile animos ad sanitatẽ reuocãtes Gandules gens Africana quæ auxilio rebellib. venerat, ab ea mẽte deducere conabãtur. quibus in temeritate & in contumacia spes, nihil pręcipuũ in Hispania. Saniores tamẽ Arundam positis armis vltro magnoq; numero venerunt Christianæ religionis amorẽ simulantes. Maior pars in incæpto perstitit: & qui immunita loca tenebãt in montẽ Rubrũ præcipua asperitate se suos suaq; contulerunt loci ardui natura confisi magis q̃ vera virtute. Iisdẽ vestigiis regiæ copiæ prosecutæ prope Monardam ad radices eius montis posuerunt castra. Mauri ad mõtis latus in armis se ostentare ascensu prohibere hostes parabant. Cõmoti eo spectaculo pauci è piorũ numero cupiditate prædæ ducũ iniussu sublato raptim vexillo transmissoq; torrẽte, qui ea parte decurrebat præceps inter saxa niti per ardua cæperunt. Secuti sunt alii ne primis desertis in periculo ignominia aliqua cladesq; acciperetur. Vrgebant de superiori loco Mauri, nostrosq; ascensu magna virtute prohibebant. Si premebantur turpe nõ ducebant loco cedere, seq; in altiora iuga recipere quę ex interuallo exæquata munitaq; quasi propugnacula habebant. Instantib. nostris ad planiciẽ latam peruentũ tandẽ est summumq; fastigium montis vbi Maurorum vxores filiiq; erant atq; impedimenta, incitamentũ vtrisq; vt supremo conatu alii tuerentur, alii conarẽtur prædam rapere. Nostros cupiditas arcebat, aduersarios desperatio, si victi essent, in rabiẽ agebat. Cessit tamẽ virtuti sine viribus furor. Mauri qua parte nostri impressionẽ fecerunt, terga verterunt. Institere in primo agmine Alfonsus Aquilarius & Vreniæ Comes cũ duob. filiis. Ne victoria integra esset, praua cupiditas obstitit importunũq; inter ipsos certamẽ hoste neglecto spolia consectandi. Maior pars quasi victoria parta ad prædam versi sunt turbatis ordinib. militaris disciplinę nulla cura. Multis horis in ascẽsu pugnaq; consumptis nox superueniens victos texit locorum peritos, nostris temeritas exitio fuit. Ductor Maurorum Feruis Benastepar collectis ex fuga suorum reliquiis vir strenuus & sagax, hostium perturbatione ratus rei bene gerendæ opportunitatẽ oblatam, circumfusos milites pro tempore hac sententia oratione acuit. Quo milites ruitis, quæ causa fugiendi, Bona, vxores & filios quo loco relinquitis? Nisi vestrę vos manus texerint & arma, quis nam malis medeatur, quis erit præsidio? An quo vos fugietis, eodem rabidi hostes non poterunt penetrare? Furor est in pedibus spem ponere, quorum dextræ ferro sunt armatę. Quę ignauos terrent, & timidis videntur ardua, virtuti peruia sunt. Hostium perturbationem considerate (forte sulphurei pulueris cado incenso late diffusa flamma dispalatos prędantesque monstrauit.) Ergo pensato agmine in hostes dissipatos irruite vestris spoliis graues impeditosque. Præcedam ipse, ferroque secuturis iter pandam. Vobis nisi exemplum milites dedero, verbis meis ne amplius fidem adiungatis. Ducis verbis inflãmati Mauri pugnã magnis animis repetunt. Non audacia sed temeritas videbatur victores nouo conatu lacessere. Ignauos tamẽ necessitas acuit, & desperatio, q̃ sæpe spei

cauſa extitit. Dux Maurus forte an conſilio in Alfonſum Aquilarium delatus, qui vſquedum cum paucis pugnam ſuſtentabat, vt erat thorace propter æſtum diloricato, eius pectus graui vulnere ſauciauit. Ingeminarunt alii ictus eo vulnerum numero, vt deformatum corpus in hoſtis poteſtate relictum vix poſtea dignoſci à domeſticis potuerit. Perierunt cum eo plures ducentis, atque in eo numero Franciſcus Ramirus Madriti ciuis dux magnus virtute fama pari toto bello Granatenſi parta. Petrus Corduba Alfonſi Aquilarii filius periculo ægre ereptus ad Vrenium euaſit cum globo militum hoſtis ſucceſſu ferocientis impetum comprimere paratum. Ciſontanus paulo inferius in mõtis latere cum Hiſpalenſi vexillo reſiſtens multis ex fuga ad eius præſidium ſe recipientibus ſaluti fuit, ſuique agminis & fugientium armis hoſtium vim vſque ad auroram ſuſtentauit. Cum luce Mauri fracti metu an pugnando defatigati montis faſtigium conuerſis ſignis repetierunt. Sic Alfonſus periit genere & factis inter Hiſpanos nobiliſſimus heros. Hoſtes eripuere vitam: de eius laudibus nunquam bona poſteritas conticeſcet quandiu Hiſpanicę res ſtabunt. Arundæ Rex tunc erat commotus, vt par erat ea clade, Gentis perfidiam vlciſci correptis armis deſtinabat. Placuit tamen Anagari ducem Daydinum impugnare oppidum non ſatis validum, neque ſatis munitum. Vrenio & Ciſontano mandatum vti infauſtos montes nouo conatu ſuperandi, qua parte ante aſcenderant, ſpeciẽ præberent. Hoſtes nouo terrore propoſito deſperata victoria de compoſitione vltro appellare conſtituunt, veniam poſitis armis fore non deſperantes. Datum abs Rege vt in Africã diſcedere volentibus libera facultas eſſet nauibus etiam ad Aſtapę portum ad traiiciendum integra fide paratis, per capita tantum denos aureos ſinguli traiecturi penderent libertatis pretium: qui patria carere nollent Chriſto ii ſyncere nomina darent. Firmato iis conditionibus fędere multi in Africam abiere: multo plures reſtiterunt in Hiſpania inſimulatæ Chriſtianæ religionis ſpecie nihilo abeuntibus ſaniores ingenio peruicaci. Sic diuturni motus qui Hiſpaniam ſolicitam habebant, & mala quæ ex iis impendere grauiſſima videbantur, faciliorem opinione exitum habuere. Verum Alfonſi Aquilarii mors in proximum annum incidit. Ad ſuperiora rationemq; temporum reuertamur.

Res Mediolanenſes. CAPVT VI.

MOntani Mauri ad Granatam tumultuabantur, ſimul à Rege Catholico inſtructa claſſe Gonſaluus deſtinabatur Venetis auxilium aduerſus Turcas eorum ditionem inuadentes armis, imminentes reliquę Italiæ ſpei occupãdę accitu, vt ferebat fama tum Mediolanenſis Ducis tũ Regis Neapolitani ſua vt tueretur à iuratis aduerſariis inclinatis rebus grande momentum, ſic illi putabant. De Sicilia quoque cura erat, cui illa procella quippe è vicino minabatur maxime. Simul à Valentino Põtificis nomine, Gallicis armis bello ad Flaminiam illato de variis tyrannis eo tractu vrbes & oppida capiebantur, nullo relicto innoxio qui reſiſteret. Ita forum Cornelii occupauit, atq; Forliuium, cuius vrbis Comitem principem fęminam cepit. In Piſauri regulũ ardentior ira: cui antea ſoror Lucretia nupta fuerat. Grauiſſimũ eſt odiũ, quod inter propinquos & neceſſarios excitatur. Prouiſo ille periculo vrbe, vt tempus dabat munita fuga euaſerat, quam vrbem obſidere Valentinus inſtitit. Magnorum motuũ ſęuæ tempeſtatis hęc initia erant: Magnum Italię malum parabatur: Ac pręſertim Ludouicus Sfortia ad principatum recuperandũ ab Imperatore & Germanis Principibus aliis auxilia patrociniumq; implorare non deſiſtebat. Ea diligentia Heluetiorum & Griſonum conflato idoneo exercitu Aſcanium Cardinalẽ fratrem Ianuario menſe pręmiſit in Inſubres: vbi faciliora omnia opinione ſunt inuenta, priorẽ inuidiã miſericordia mitigarat. Erga eiectũ & exulẽ ſucceſſerat humanitas. Arces & vrbes certatim venienti ſe dedere, feſtinatione fidem ſtudiumque approbare cupientes. Ipſa etiam vrbs Comum & oppida lacui Lario adiacentia vltro portas aperuere. Ad eam famam Mediolanenſes ciues arreptis pro Ludouico armis Triuulcium in arcem ſe compingere compulerunt. Vnde die tertio cum equitatu Ticinum verſus diſceſſit. Ipſo die Aſcanius Cardinalis quaſi victoria de hoſtibus parta triumphi ſimili pompa vrbem iniuit. Subſecutus eſt Ludouicus frater, arce quamuis Gallico pręſidio detenta. Ticinum, Laus, Dertona, Placentia ad vetus imperium aliarum vrbium exemplo ſponte redierunt: aliæ pulſis Gallicis præſidiis ſe dedere duci ſatagebant. Clandeſtinis hæc agitata conſiliis alto ſilentio premebantur, dum votis opportuna ſe daret occaſio. Gallici exercitus robur Nouariam ex condicto confluxit, ſi auctis viribus poſſent ducis conatibus obſiſtere, prodire in aciem. Gallicę etiam copiæ, quę in Flaminia curabant eodem conuenere cõmeatu petito. Quæ cauſa extitit Duci Valentino id bellũ inter-

intermittendi Pisauro quamuis nondum expugnata, Romã repetendi, quo fratres porro redierant cum Pontifice redintegrata gratia videlicet. Romæ Valentinus apparatu, incessu, excubiis, vindicandis hominibus vim Principis complexus, nomen imperii Pontifici modo relinquere vsque eo obnoxio vt nihil magnæ rei nisi eo arbitro gereretur. Rerum conditio miserabilis fœdaque. Gandaui, vbi Ioanna Princeps agebat, Carolus Archiduci natu maior filius est natus felici sorte ipso Matthiæ Apostoli memoria sacro die: cui amplissima imperia, immensę copiæ victoriæ de hostibus multæ & præclaræ cęlo destinatæ erant. Octauo ab ortu die Margarita amita in eam vrbem appulsa infantem de sacro fonte suscepit vna cum Margarita altera posteriori Caroli Audacis coniuge vsque dum superstite. Ducem Lucemburgium vocari infantem placuit veteri more mutato: nam ante Ducem Burgundiæ maiores filii Carolesii Comites vocari moris erat. Impleuit ea res Hispaniam noua lætitia. ipsa Isabella Regina die natali nunciato, subdidit ex diuinis litteris: Cecidit sors super Mathiam. vaticinium vanum non extitit, neque coniectura falsa. Enimuero de incolumitate Michaelis Principis ob eius imbecillitatem exigua spes erat: ac paulo post Granatæ obiit. Eius plane obitu Philippus Archidux & vxor Castellæ & Aragoniæ Principes dici cæpere, haud dubio hæreditatis iure indicioq;. E Lusitania post Vasci Gamę reditum classe tredecim nauium Petrus Aluarus Capralis Indiam iussus repetere, profectus, Olisipone ad octauum Idus Martii ex itinere Brasiliam primus mortalium inuenit, tametsi eam laudem alii ad Americũ Vespuciũ Florentinum natione ablegãt, litem dirimere non est tanti. Inde magno flexu Calecutium delatus, atq; in ea vrbe benigne primum acceptus, deinde quę est gentis perfidia & leuitas, violatus iniuria, necessario ad vim & manus venit. Hæc in India. In Lusitania Iacobi Visei ducis filius ex impari matre ab Emanuele Rege patruo Magister equitum in Lusitania constitutus hoc tempore, annis consequentibus filia vnica relicta decessit: quæ Villeregalis Comiti vxor data est postmodum. Bellum in Insubribus ducebatur meliori sorte ducis Mediolanensis multa denuo carpentis oppida & ad reliqua aspirantis. Alexandria vltro in eius potestatem concessit. Nouariam eo admotis copiis ex deditione cepit, arcem in Gallica fide perstantem impugnabat. Haud diuturna felicitas fuit. Cum aduersariis, qui non procul ea vrbe tendebant, iusto prælio decernere parans vnaq; victoria molesto bello finẽ imponere, copias foras vrbem produxit sane sedecim millia qua Germanos qua Heluetios. Instructa acie datoq; pugnæ signo Heluetii contra morẽ gentis contraq; spem detrectarunt contra Gallos & qui ex sua natione ab illis stabant, ferro dimicare suorum iniussu magistratuum. Ea species est proditioni quęsita. Dux necessario sese in vrbem copiasq; retulit ab ea mente Heluetios si posset deducturus. Fefellit eum spes, & est omnis incauta securitas. Ingenti pecunia venditum prodiderunt Gallis infensis importunisq; hostibus. Delatus mox in Galliam atq; in arctam custodiam datus vitæ & vinculorũ eundẽ finẽ habuit egregius alioqui Princeps, nisi à scelere principatum esset auspicatus: quod superi ea calamitate vindicarunt. Ascanius Cardinalis fratris miseria grauiq; casu nunciato continuo arcis Mediolanensis, quam impugnabat obsidione soluta, Placentiam versus discessit, quingenti equites sequebantur ad reparandã domus ruinam exigua manus, spei tamen aliquantũ euadendi, metus amplior. A Carolo Vrsino Venetorum, qui eo tractu militabant, duce ex itinere victis fusisq; cęteris Cardinalis ipse captus, atq; in Galliã quoq; missus est gratũ Gallo Regi munus ruinæ fraternæ socius. Eius iussu Biturigũ in vrbe aliquandiu detetus ex aliquanto interuallo libertatẽ obtinuit. Is honor purpuræ sacræ habitus est & Rhotomagensis Cardinalis gratię: cuius ad arbitriũ cunctæ in Gallia res vertebantur. Ducis filii Maximilianus Franciscusq;, ne sequa domus suæ ruina vna opprimerentur, in Cæsaris curia relicti à patre, diu apud Germanos morati sunt inopes, exules, sine lare familiari vagi. Post victoriã Mediolanẽsis principatus haud ęgre quidẽ Gallo cessit vniuersus. Ciuitates eæ, quæ Duci aduenięti sine mora deditionẽ fecerant, ingenti singulæ in stipendiũ pecunia sunt mulctatæ. Sic Italia suis copis & virib. in sua viscera vertebat arma, suo quin etiã sanguine vincebatur. Venerat in Italiã Rhotomagẽsis Cardinalis bello antea à Gallo dux cum aliis destinatus. Parta victoria Mediolani agebat, rerũ Italicarũ bello paceq; arbiter habebatur. Eo promerendo datũ expetenti à Pontifice est, vt totius Gallię vna excepta Britannia, legatus esset annuo & semestri spatio tunc: quod deinde tempus est additionibus sępe amplificatum, ac proprium redditum dum vita mansit. De Vasconum regibus multa Rex Catholicus suspicari accipiendis delationibus pronus in eos principes maxime. Amicitia cum Gallo multis officiis culta, magnęque cum ea gente necessitudines vereri cogebant, ne monstri aliquid Hispanię parerent. Ita annis superioribus pręter sacramentum ab arcium Præfectis in

verba Regis Catholici vniuerſa ditione factum, Sangueſſam & Vianam quaſi fidei pignora penes ſequeſtrum eſſe conſtitutum fuerat deſignato quinque annorum ſpatio. Eo decurſo tempore Vaſcones ea oppida repetebant: neque reſtituebat Hiſpanus aliam ex alia moræ cauſam obtendens. Vt controuerſias componeret Rex Vaſconum Hiſpalim adiit menſe Aprili, vbi reges Catholici morabantur. Ea diligentia Magdalenaque filia vnica fidei pignore in Caſtellam amandata, vt in aula Reginę creſceret, litibus tunc quidem finis eſt impoſitus, eaque oppida reſtituta, de quibus erat diſceptatio. Contra Lerini Comiti in Caſtella exuli à Vaſcone venia data, ademptique principatus pars multo maior reddita eſt. Equitum adeo magiſterium reſtitutum non ſine inuidia Alfonſi Peraltæ ſancti Stephani Comitis, cui graue erat honorem antea delatum nullo ſuo merito in gratiam inquieti & factioſi hominis detrahi. Vnde noui motus & moleſtiæ metuebantur extitereque.

Gonſaluus Magnus dux in Italiam redit. CAP. VII.

SEcularem annum more maiorum Pontifex clauſit, venia peccatorum inuitati innumeri mortales ex omnibus prouinciis Romam confluxerunt finitimi & longinqui pietatis ſtudiis certantes plenam maieſtate & numine vrbem inuiſere, religionis arcem, veritatis magiſtram. Morum licentia vigebat inter viros ſacratos vt ſi qua in parte orbis maxime. Eam turpitudinem vindicare Deus viſus eſt euentu mirabili Pontifice caſtigato cęteris territis exemplo. Apoſtolorum Petri & Pauli ſacro die hora quarta poſt meridiem violentus turbo extitit imbris & grandinis, qualem non meminerant. Ventorum vehementi procella tubus vaporarius euerſus ſupra cænationem cui à Pontificibus eſt nomen, vbi forte Pontifex tunc agebat familiari ſermonę tempus fallens. Supra eam cænationem Valentini domicilium erat. Procidentis tubi pondus tabulatum primum traxit, atque è tribus Florentinis ciuibus, qui expectabant dum à Valentino debita pecunię ſumma redderetur, ſecundo tabulato confracto duos ad pedes Pontificis exanimatos & occiſos proiecit, tertium quoque ſpirantem, ſed graui vulnere ſaucium. Multi cum lateres tum tabulę ne Pontificis caput comminuerent ſuperſtantis vmbellæ tegmine factum eſt. Eadem inuoluto capite ne puluere ſuffocaretur, valuit. Accurrunt aulici. exanimatum Pontificem inter rudera repertum capite & manu grauiter ſauciatis, expiranti ſimilem nec ſatis compotem mentis in ſtrato componunt. Capuæ Cardinalis, & quidam alius, qui ſoli cum Pontifice erant ſub feneſtrarum abſidibus & receſſibus vitam ſeruarunt. Multi apud populum coniectandi ſuperſtitioni ad inſaniam deditum, Romæ pręſertim rumores ſunt ſparſi. Variæ ſignificationes & prodigia captata lingua procaci. Septuageſimum annum impleuerat Pontifex. tractata vulnera recrudeſcere videbantur. Vulgi ſermonibus multi ſucceſſores in Pontificatu ſenatus principes deſignabantur. Valentinus ipſe auxilia Gallica conquirere, alia pręſidia ab aliis, ad eum conſtituendum Pontificem, quem priuatis quiſque rationibus opportunum maxime iudicabat, nulla reip. cura. Verum eas omnes molitiones reſtituta breui Pontificis valetudo frænauit. Ipſo tempore Gonſaluus inſtructa idonea claſſe nauium ſupra triginta adiunctiſque aliquot triremibus, biremibus, Malacæ è portu ſoluit. Vehebantur ea claſſe pedites quatuor millia, equites grauis armaturę trecenti. Viri inter cæteros nobilitate factisque pręſtantes. In eo numero Dieghus Lupus Mendoza Hiſpanię Cardinali natus, Alfonſus Silua Calatrauæ Clauiger. Lenta nauigatio fuit. Secundo prouecti flatu ad Balearem maiorem atque Sardiniam appulſi impeditique multis malaciis, tandem Meſſanæ in Sicilia portum tenuerunt ad quintum decimum kalendas Auguſti. Eo Hiſpani milites per Italiam diſperſi atque ex bellis ſuperiorib. relicti magno viri animo pugnandi ſcientia præſtantes confluxere, naues quoque alię conuenere ſeque adiunxere ad Hiſpanicam claſſem. A Turcis mari terraque vrbs in Peloponneſo pręclara Methone obſidione premebatur. Veneti, quorum in ditione erat, Gonſaluum, vti ſe cum eorum claſſe coniungeret, conuitio ſolicitabant. Cupiebat is obſequi iuſtiſſimis poſtulatis. Magnis tamen impeditus difficultatibus non ante quintum kalendas Octobris vrbe iam à Turcis capta ſoluit Meſſana, ſerum rebus perditis auxilium. Inter alias moræ cauſſas illa præcipua. Gerbis regulus noua militũ ſubſidia poſtulabat mitti, inſulanos frenare cupiens noua ope, Margariti ducis & militum, qui ſub eo erant, licentia, rapinis & iniuriis exacerbatos, ac in ipſum Africa vniuerſa commota quaſi rebus noſtris faueret, Maurus nomine tenus eſſet. Mauro ſatisfacere integrum non erat alio properantibus. Spe depulſus Margaritum & ſuos arte in poteſtatem redactos deinde dimiſit liberos arce tamen & vniuerſa inſula prohibitos. Hiſpanica claſſis

classis Corcyram maris Ionii Venetæ ditionis insulam tenuit postridie Kalendas Octobris. Eius aduentus salutaris fuit insulanis. Turcæ inuadendi eos mutata voluntate Naupliam Peloponnesi vrbem & nauale cum primis olim nobile admota eo classe impugnare decreuerunt. In gallia per idem tempus magna legatorum contentione pax tandem inter Reges gallum & Catholicum facta est. Conditiones aliæ honestæ fuerunt. De Neapolitano regno sancitum, vt facta diuisione Apuli & Brutii Hispano cederent. Reliqua obtineret gallus. Vectigalia modo ex pecoribus in Apulia colligi solita ex æquo partirentur: ac vero regni prouentus vniuersos ita vt neutris amplius cederet quam alteris. omnino exæquari redditus vtriusque partis bona fide volebant. Fœdus lubricum neque futurum stabile. Species facto prætenta præter vetusta vtriusque Regis iura Turcis pro religione bellum illaturos. Fridericum, cui cum ea gente fœdus erat & iuncta amicitia, quamque auxilio euocare decreuerat, ne pro religione susceptos conatus impediret, ditione spoliare visum est. Idonea species scilicet magis quam vera causa consona iuri & æquitati. Clandestinis primum hæc agitata consiliis alto silentio tegebantur. Pontifici dein significata gratissima ei extiterunt, quin vtrique Regi Pontificia auctoritate partis decretæ imperium suo diplomate quasi beneficiariis Romanæ Ecclesiæ confirmauit. Gallo Neapolitani & Hierosolymitani Regi Hispano Apuliæ Ducis titulos. Friderici Regis odium incitabat: spesque ex communi præda suos nouis augendi principatibus, haud obscure à gallo & Hispano facta. Cælestis vindicta quos premere cœpit, in præceps agit. Veteres domini non magis viribus quam consilio destituti vagi, incerti, virtuti an fidei popularium minus crederent dubitabant sæpe in fuga ac paulo post in armis spem habentes. Hispana classis è Corcyra profecta Zazynthum appulit Nonis Octobris. Eo porro Veneta classis se cum Hispana coniunxit, duæque onerariæ ex gallia venere cum militibus octingentis auxilium à Gallo Rege promissum pretiumque Ascanii Cardinalis in eius potestatem antea contraditi. Turcæ soluta Naupliæ obsidione siue propter anni tempus in hyemem vergentis, seu nostris classibus vt pares essent, veriti, qui in sinu Corinthiaco classem hiberno tempore continere consueuerant ad Venetorum ditionem ipsamque Italiam ex propinquo vexandas, circumducto Peloponneso ad Euripum & Chalcidis littora constiterunt. Ad Zazynthum de belli ratione à nostris disputatum est, non vna sed varia ducum sententia. Magno gonsaluo Methonem tentare placebat expugnatu facilem priusquam operibus muniretur assuesceretque Turcico imperio. Plerique Cephaloniam peti maluere centum & quinquaginta millium ambitu, tutissimo ad occasum portu cum optimis totius orbis comparando Corcyram inter & Zazynthum positam insulam Sinus Corinthiaci faucibus obiectam. Eo consilio probato Gallisque Zazyntho abeuntibus specie quasi non solueretur stipendium, cæteri Georgii fanum petiuerunt præcipuum Cephaloniæ oppidum. Neque mora: ipso die positis iuxta castris, tormentisque mœnium parte strata nostri irrumpere per strages & rudera intra oppidum conantur. Trecenti Turcæ præsidiarii milites eximie fortes magno animo eum impetum sustinuerunt. E nostris vulnerati aliquot, cæteri à mœnibus sunt repulsi. Tempus erat minime idoneum, imbribus continuis & frigoribus impediti milites dies tamen aliquot sustentarunt pro ingenio gentis aduersus mala peruicaces. Ipso tandem peruigilio diei Christi ortu celeberrimi supremo conatu adhibito admotisque scalis periculi omnis immemores intra horæ spatium in oppidum penetrarunt. Periere in conflictu Turcæ centum septuaginta. Alii quinquaginta qui se in turrim receperant desperata defensione Magni Gonsalui arbitrio salutem & libertatem permiserunt de clementia confisi. Primus in oppidum Martinus Gometius centurio vulnere quamuis accepto irrupit, Turcis etiam ex aditu quem obsepserant deiectis. Ea insula superiori tempore in Leonardi Tocci græci reguli ditione fuerat. Huius fratri Veneti detractam tradiderunt Turcis. De illis nunc captam Magnus gonsaluus Venetis restituit, magnum ea moderatione ab animi magnitudine decus omnium prædicatione & fama consecutus. Et alioqui commodissima Venetis classibus ea statio erat præsertim post Methonem amissam, Hispanico imperio ob longitudinem parum commoda possessio. Sic classis Hispanica ex ea insula dubio cœlo profecta sæuaque tempestate disiecta, incolumis tamen Syracusas tenuit extremam Siciliæ ad ortum vrbem gemino portu & vetusta imprimis nobilitate præclaram. In Siciliam Veneti Magno Gonsaluo miserunt, qui sitæ ciuitatis ius darent, donaque offerrent vasa argento grauia vestemque pretiosam nauatæ operæ & impensi beneficii monimentum. Ille Veneti modo cuius honore

contentus cætera ad ſuum Regem in Hiſpaniam remiſit cum elegantibus litteris; & erat natura acutus & ſalſus. Hæc omnia ipſo tempore gerebantur, quo Valentinus Dux poſt cæſum immaniter Viſelium ſororium ſuum Romæ repetito bello Flaminię vrbes carpere non deſiſtebat. Piſaurum & Ariminum ne tentata quidem defenſione portas aperuerunt. Impotentis hominis iracundia timebatur. Fauentia tamen diu reſiſtit ope Ioannis Bentiuolii freta Bononiam ditione obtinentis. Hoſtem præualidum externo bello diſtinere pars conſilii quietiſque erat. Præterea ipſo anno pontificia ſententia diuortium confirmatum eſt: quo Ladiſlaus Hungarus Rex Beatricem Aragoniam thoro expulerat vxorem quondam Matthiæ deceſſoris Regis inclyti, Ferdinandi ſenioris Neapolitani Regis filiam, eoque Catholici Regis propinquam. Secundum Pontificis ſententiam Ladiſlao iuncta connubio eſt Anna gaſtonis Fuxenſis Candalæ reguli filia, neptis Eleonoræ Vaſconum Reginæ: quæ Ferdinandi Catholici ſoror extitit. Sic Hiſpano nouæ nuptæ maiori auunculo ad aliorum principum affinitates Hungarica porro iis nuptiis acceſſit.

Luſitani Regis coniugium. CAPVT VIII.

QVatuor Regi Catholico filiæ fuerant. Iſabella natu maior deceſſerat ex partu, Ioanna & Catharina Auſtriaco & Anglico Principibus nupſerant. Supererat Maria natu minima magnis & ipſa expetita connubiis. Fridericus filio ſuo Duci Calabriæ coniugem dari cupiebat, regni, quod nutare tempeſtate videbatur, ab ea affinitate ſtabilimentum. Luſitano par votum erat, poſt vxoris deceſſum thoro cœlibe, maiores nempe è propinquo ad obtinendum vires. Itaque ea præferebatur conditio, lege propinquitatis ſoluere id coniugium primoque affinitatis gradu vt iuſtum eſſet, ardua plane res erat, neque probabilis exempli. Ipſe etiam Pontifex alioqui minime ſuperſtitioſus ea venia concedenda ſeſe oppido præbebat difficilem Galli Regis interceſſione præciſe negans niſi futura ex eo incommoda præſtarentur, minæque intentatæ, ſe vnquam quod petebatur facturum. Multi dies in ea altercatione conſumpti. Vt Calabriæ Duci Ioanna Regina, quæ Ferdinando ſecundo Neapolitano Regi fuerat iuncta vxor daretur, Rex Catholicus curabat, in ea prouincia relicta quadringentis aureorum millibus patris teſtamento dotalibus. Non diſplicebat ea conditio Friderico Regi, graue ducenti eam pecuniæ ſummam ſorori viduæ numerare. Cupiebat tamen inter connubiales leges paciſci vt Rex Catholicus res Neapolitanas in clientelam ſuſciperet in ſponſæ gratiam ex ſorore natæ. Quod ille detrectabat facere molitionum conſcius & particeps id regnũ per conditiones diuidendi cum Gallo. Ac vero eo fœdere maturato Friderico quamuis ad id quod ante offerebatur, propenſo, ſimpliciter, coniugiũ coire non eſt paſſus. Prouiſa quæ imminebat tempeſtate. Fridericus Rex Gallum omni ratione pacare contendebat. Recuſabat ille pacem veniamque dare, niſi Caietana arce fidei pignore, filioque Calabriæ Duce in galliam amandato, iunctaque eidem connubio germana Narbonenſis reguli & Mariæ ſuæ ſororis filia; ſi conditio non placeret, certe Engoliſmenſis ſororem duceret. Præterea decies centum aureorum millia exigebat in præſenti, deinde annua viginti quinque millia lege perpetua. Grande gallicæ amicitiæ pretium videlicet ac graue Fridericus recuſauit. Atque aliis conditionibus reiectis decies centum millia aureos ſe daturum tamen recipiebat. Sic neque fœdus coiuit, neque vllum eorum coniugiorum coaluit. Pontifex quoque Luſitano ſublata mora, affinitatis cum noua ſponſa gratiam fecit. Ita Granatæ menſe Auguſto id coniugium confecit Aluarus Portugalenſis pro Luſitano vicarius. Nullis ludis neque illo principali apparatu ea lætitia celebrata tunc eſt. Gemina filiorum Ioannis & Iſabellæ funera recurrebant animis. Pridie Idus Septembris in ea quidem vrbe conceſſum, vt qua patera Reges biberent. Diuæ Luciæ memoria feſto die omnibus annis, ea cæderet Moiæ Marchionibus fidei cultæ difficillimis temporibus, monimentum inſigne poſteritati, quoniam eo die meminerant ab Andrea Cabrera regiam ipſis ſupellectilem theſauroſque traditos in arcibus Segobienſibus aſſeruatos, grande momentum bello ex ſententia conficiendo, obtinendo regno vniuerſo, de qua poſſeſſione cum Luſitanis certabant. Nouam nuptam vſque ad Luſitaniæ fines proſecuti ſunt, princeps Dieghus Furtadus Mendoza Hiſpalenſis præſul idem Alexandriæ Patriarcha Tẽdilliæ Comitis frater, cui tũc purpuræ honos acceſſit, nomenque Cardinalis Hiſpaniæ patrui item Petri Cardinalis exemplo. præterea Villenæ Marchio, aliique viri principes haud exiguo numero. Accurrit ad Luſitaniæ fines Brigantinus haud

haud obſcure quamuis offenſus honoribus quos Emanuel Rex in Georgium Ioannis Regis filium cumulabat ſupra merita ſupraque ætatem. Duci quin etiam Conimbricenſi renunciato vti pater ſub mortem mandarat, vxorem Beatricem dedit Aluaro Portugalenſi & Philippa Melo natam. Brigantinum plerique nobiles Luſitani comitabantur. Ab iis noua nupta excepta oſt ad tertium decimum Kalendas Nouembris. Rex Salaciæ eius aduentum morabatur, eoque in oppido decimo deinde die nuptiæ celebratæ ſunt, ludis omne genus, couiuiis, ac reliquo omni principali apparatu. Prole numeroſa fœcundum id coniugium fuit felixq; multis ex eo filiis ſuſceptis, vti ſuis locis indicabitur. Haud magno interuallo Margarita Auſtriaca Philiberto Allobrogi iuncta eſt coniugio haud feliciori quam antea, hoc quoque viro breui extincto Ægypti Sulthanus Regi Catholico iratus erat ex quo tempore Mauros Granatenſes bello oppreſſit. Ex eo periculũ ne in Chriſtianos eius imperio ſubditos Sarracenis confuſos conceptam iram effunderet: neque noſtris libera facultas eſſet, vt antea, adeundi Hieroſolymã Chriſti Dei vita & obitu ſanctiſſimam ciuitatem plenam præſenti numine. Lenire animum barbari viſum eſt legato ad eum qui facti cauſas & ordinem coram explicaret. In eam rem Petrus Martyr Angleria domo Mediolanenſis à regiis ſacris perſpecta prudentia vir deligitur. præclare is officio functus, expoſitiſque mandatis, quæcumque voluit, agendi dexteritate ab eo Principe impetrauit. tum iiſdem veſtigiis ſe ſe retulit in Hiſpaniam anno in ea legatione integro conſumpto. Obſequii merces fuit Granatenſis decanatus ſacerdotium donũque honeſtum magis quam opimum. In ea vrbe conſequentibus annis defunctum, vti ipſe teſtamento ſanxerat, in ſella amici & familiares compoſuerunt veſte pretioſa indutum, quam Sulthanus dono dederat, ſed in ſacræ modum conformata. Id virtutis monimentum eſto eruditionis, Decades quas de bello Granatenſi, de legatione ſua, de noui orbis inuẽtione confecit maiori aliquanto diligentia & fide quam ſtyli felicitate.

Bello Neapolitano deſignati duces. Capvt IX.

SVſpenſis mortales animis toto orbe Chriſtiano expectabant, quid bellici apparatus tanti parituri tandem eſſent. Aduerſus Fridericum Regem, galliæ atque Hiſpanæ vires atque in eius perniciem conſenſu conferri plerique mirabantur, alii non credebant. Granata tamen Kalẽdis Martii anno Milleſimo quingenteſimo primo, miſſi qui magno 1501
Gonſaluo ſui Regis verbis renunciarent vti ad nouum bellum inchoandum Turcico dimiſſo continuo ſe ſe Meſſanam referret cum claſſe. ibi certiora mandata expectaret: & vt maior eſſet auctoritas paulo poſt regius vicarius in Apulia & Calabria nõdum domitis eſt dictus. Aduerſus Turcarum conatus tum à Rege Luſitano tum à gallo impetratum Ferdinandi ſuaſu, vt ſuis claſſibus Orientis oras tuerentur ab iniuria, ferocienti barbaro frænos iniicerent, ab Italia arcerent. Obtemperauit Luſitanus tum æquitate poſtulati inuitatus, tum vt ſocero gratificaretur. Inſtructæ claſſi Ioannes Meneſius regiæ Magiſter Tarrocæque Comes delectus, ex itinere Maſalquiuirum portum in Africæ littore Orano vicinum expugnare tentauit, commercio opportunam & Hiſpaniæ littorum ſecuritati poſſeſſionem. Inde irrito conatu repulſus Corcyramque delatus nullo nauigationis longinquæ pretio ſe ſe tandem in Luſitaniam retulit. gallo etſi ſuam & ipſe claſſem miſit Turcici conatus curæ admodum non erant præ ſtudio belli Neapolitani maturandi. Satis per ſe ad id incitato acres addebant ſtimulos plerique Neapolitani proceres qua domo extorres, qua infecti partibus. Ludouicus Armeniacus Namurſii dux Armeniaci guiſæque Comes bello dux à gallo præficitur, Ludouico Lucemburgio Lignio Comite repudiato, qui eum honorem ambiebat obtinẽdi Altamuræ principatus ſpe, quoniam Pyrrhi Baucii neptim ex giſota filia vxorem habebat: cui Ferdinandus ſenior bello procerum detractum eum principatum Friderico filio dederat quaſi Iſabellæ minoris Pyrrhi filiæ, quam illi iunxit, dotalem. Metus ſuberat ne ea contentio in prouincia aliquid turbarum daret. Namurſius belli quamuis cura ſuſcepta diu ſubſtitit in gallia. Feſtinantibus omnis cunctatio grauis erat. Obenignus Magiſter equitum dono galli Regis Neapoli antea dictus ex Inſubribus vbi erat, cum copiis omnibus mouit, & cum eo gaiaci Comes vir nobilis patria exul. Dum noui belli apparatus ſolicitam habent Italiam in Laurentii Suarii locum miſſus ex Hiſpania eſt Franciſcus Rogius, qui pro Rege Catholico oratoris partes Romæ impleret, vir eximie ſagax & callidus, ad verſandos hominum animos arte præditus & ingenio. Apud Imperatorem ab annis ſuperioribus eodem munere legati fungebatur Ioannes Emanuel ardenti vir ingenio & inquieto, alioqui magnis animi & corporis dotibus, facetus natura acutus & perſpicax. In gallia Ioannes Michael gralla,

Ioannes Clauerius Neapoli. Acceptis Gonsaluus sui Regis mandatis continuo Messanam accurrit: vnde Panormum cum Ioanne Nusa Siciliæ Prorege de noui belli ratione deliberatum, pecuniam in sumptus & militem in supplementũ eo adiutore conquisitum subsidia omne genus. Intempestiua de potestate inter duos contentio excitata agendi opportunitatem ferme corrupit. Et est superioris non modo sed etiam consortis impatiens dira dominandi ambitio. Valuit tamen obsequendi regiis mandatis studium. Magnusq; Gonsaluus delectu vt tempus dedit, instituto redactaque pecunia aliquanta, Messanam breui recurrit, vbi bellici præcipue apparatus & copiæ erant. Obtinebat is in Apulię parte Garganum Friderici Regis dono operæ præmium datum cũ inaugurationis die multos principatus inter belli duces distribuit numerum magnitudine potius quam morum constantia amicos meritus magis quam nactus. Ergo Gonsaluus Focio centurione Neapolim legato necessitatem parendi excusauit, eôque principatu vltro abdicato iurisiurandi gratiam fieri sibi postulauit,& fidei qua ea de causa Friderico erat obstrictus. Dedit Rex quam petebat veniam relicto etiam quem abdicabat principatu cum multo verborum honore, cupere se multo ampliori munere eius promerita compensasse, porro excusationem accipere: tantum ne ex iis arcibus bellum regiis finibus inferret, aut de finitimis prædas ageret, quod erat æquissimum postulatum. Ex hac tamen Gonsalui denũciatione intellexit plane rebus suis exitiũ instare. Legati præterea ex Hispania monere nullam in Rege Catholico opem rebus fore: Hispaniam in armis esse, bellicis apparatibus, equis, militibus omnia perstrepere: quo ii conatus eæque molitiones pertinerent, dubitare neminem. Tum demum quasi ex alto sopore excitatus in omnes partes circumspicere, neque illi consilium vllum, aut quemquam hominum placere. Sic miseri solent. Quid certe faceret? quod captaret consilium infidis prouincialibus, modicis viribus, nulla in externis spe filium Ferdinandum Tarentum ablegauit vrbem in extrema Apulia atque Italia ad mare sitam firmam imprimis & validam. Quin & in Apolloniam exaduersum Italiæ misisse fama prædicabat, qui Turcarum auxilia aduersus eam tempestatem excirent, nulla in timore honesti cura. Delectu item habito quantas maximas copias contrahit, octingentos grauis armaturæ equites, pedites quatuor millia. Sed quantulum id erat præsidii ad sustentandum Galliæ atque Hispaniæ vires. Imminens cœlo clades nulla diligentia moueri potuit. Capuam munire decreuit quasi belli arcem futuram. tuendæ cura Fabricio Columnæ & Hugoni Cardonio cum ducentis cataphractis mille & sexentis peditibus commendatur. Gonsaluus vt erat sagaci ingenio atque eximie cautus intelligebat plane fœderis nuper icti inter duos Reges conditiones haud fore stabiles. Gallorum ingenium nullis finibus resistere, ne pati quidem consortium regnandi ambitionis malum sæuum & impotens: diuidenda præda magnas futuras difficultates, noua iurgia prouidebat animo. Proinde nihil festinatione salutarius arbitratus, ad id omnes industriæ neruos intendit, vt Gallorum conatus occuparet, efficeretque celeritate ne sibi impedimento esse possent, quo minus partem certe attributam obtineret, de reliquo facturus vt se res darent. Ac primum classis multo maximam partem Apuliæ littora misit Diegho Mendoza ductore Turcas, si id tentarent, Italiæ aditu prohibitum. Classis Lusitana vt erat constitutum lenta nauigatione prohibita in eam vsui non fuit, vti est antea indicatum. Cum classis parte misit Enecum Lupum Aialam Neapolim, qui Ioannam Reginam Neapolitanam in Siciliam abductam belli periculis eximeret. Dedit Fridericus discedendi facultatem non inuitus tametsi antea recusarat, eo retento pignore auunculum Regem sibi obstringere scilicet satagens. Hispanorum copiæ secundum hæc transmisso freto in Italiæ littore constiterunt. Eæ erant trecenti cataphracti, totidem leuis armaturæ equites, pedites tria millia octingenti. Ad eum numerum sexcenti Hispani milites accessere, quos Franciscus Rogius legatus Roma subsidio misit, ex iis qui in Flaminia Valentino militarant magno armorum vsu. Ex Sicilia præterea quadringenti grauis armaturæ equites indigenæ adiuncti sunt ex vniuersa insula lectissima pubes. His copiis Brutii & Magna Græcia breui in potestatem concesserunt. Præter Giracium & Agathæ fanum firmissimas arces, reliqua Gonsaluo ditionem fecerunt. Messanensi freto superato Hispanicæ copiæ in Italiam traiecerunt postridie Kalendas Iulias, Gallicæ Roma obita ad fines Neapolitanos alia parte tertio post die peruenerunt. Omnia iis etiam opinione speque faciliora. Quacumque iter erat oppida & vrbes cupidissime aperiebant portas paratæ commeatu, pecunia, & rebus aliis iuuare. Pari animorum consternatione Aprutium, parte Gallici exercitus eo dimissa, in ditionem venit nullo repugnante Gallici imperii iugum subire. Capua præsidii fiducia resistens, quamuis admotis

castris

castris obsessa Gallorum impetum diu frænare potuit: nisi Palenæ Comes eius vrbis ciuis Gallis mutata repente fide patefecisset aditum. Ingressi in vrbem victores implacabili odio ciues consectari, diripere opes publicas priuatasque, nihil vsquam secretum aut clausum pati: plenæ cædibus plateæ foraque. Fabricium Columnam, Hugonem, aliosq; duces, qui erant in pręsidio, viuos ceperunt. Rei gestæ nuncio ad quartum Kalendas Augusti Nicastri accepto Gonsaluus excitus Consentiæ arcem expugnat magna velocitate; eique vrbi Ludouicum Mudarram præficit; Aieli Comitem fidum expertus prouinciæ vniuersæ pro se vicarium magno rerum vsu virum industriaque. Ipse in Apulos proficisci destinabat cupiens ea quoque prouincia potiri priusquam à Gallis Neapolis esset capta. Eo ventum & imperata cæterę vrbes & arces eo tractu continuo fecerunt deditionis celeritate certantes Regis Catholici ac Hispani ducis gratiam aucupari per eum modum satagentes. Tarentum restitit ducis Calabriæ præsentia & præsidii virtute, suaque munitione confisa. Admotis copiis obsidere & vim admouere visum est. Interea Galli vrbi Neapoli imminere tum suis viribus tum Valentini ope: qui Fauentia in Flaminia atq; in Hetruria Plombino captis Regi Gallo operā in eo bello nauaturus citus aduenerat, tum propensa in eam gentem voluntate vt se Cæsarem Borgiam è Gallia diceret; gentilicii clypei præcipuam partem lilia, Gallorum Regum insignia distinguerent, concepti in Hispanos odii clarum ab vtraque re argumentum. Sic mores erant: vnde flatus aliquis fauoris ostendebatur, eo vela dandi destinata voluntas. Neapolis defensione desperata in tanta gentis consternatione tam lubrica fide, Fridericus non iam præsidium rebus, sed belli causa cum Gallis ducibus pepigit Iulio mēse extremo, vt vrbe cum arcibus dedita & sexaginta aureorum millibus in belli sumptus numeratis, ipsi in Ænariam discedendi cum thesauris reliquis, regiæ cultu & familia vniuersa facultas esset, intra sex mēses inde quocumque gentium vellet ituro. Facto fœdere discessit pullo amictu mœsta circum familia in eam insulam cum vxore & filiis. Regina Hungariæ, Isabellaque Ioanni Galeacio vero duci Mediolanensi nupta secutæ sunt. Neque erat quisquam adeo saxeus quem non commoueret ille aspectus. Opulenti regni dominum, relicta fortunę suæ sede, per medios populares exire de vrbe in exilium. Eodem confluxerunt tum Prosper Columna tum Fabricius pecunia iam liber quem stantem secuti erant, eidem deiecto adhærere decreuere, rerum commutationem breui futuram suspicantes. Deseruere alii proceres. Rebus prosperis certaturi ad obsequium prostrati fortunam detrectabant. Neapoli subdita ac vero reliquis prouinciis in fœdere designatis momento domitis, Galli ad reliqua & non concessa aspirare. Militares animos frænare quis possit? imperandi ambitionem quæuis intra modestiæ fines coerceat? In Castella Mariam Paciecam Beneuenti Comitem inter & Alfonsum Pimentelium eius filium magnæ controuersiæ extiterant de tutela & coniugio neptis Marię Comitio, cui Villafrancæ iure paterno principatus obuenerat. Id coniugium Infantatus & Albæ Duces ambiebant filiis suis opima illecti dote, tum Alfonsus ipse virginis auunculus Beneuenti Comes sibi. Vicit in contentione tandem Albanus. Si Beatrix virginis eius matertera Garsiæ Ducis maiori filio nuberet, datum vt ea virgo Petro Toleto iungeretur Garsiæ minori fratri sic est factum. Petrum nostra ætas vidit eximium bello paceq; virum, sanguinem cum magnis Principibus miscuisse; posteris ex eo coniugio tum Villafrancæ Marchionibus tum Florentiæ Ducibus.

Neapolitani regni descriptio. CAPVT X.

Capta Neapoli continuo nouæ cōtrouersiæ inter victores extiterunt, aliæ ex aliis nexæ: vti erat necesse inter Gallos & Hispanos moribus, ingenio, & institutis discrepantes vel maxime nationes, & tunc ob recentem victoriam maiori quam antea insolentia. De summa initio nulla extitit controuersia. De quibusdam modo parti regni prouinciis disceptatio suscepta non expressis in superiori fœdere, quæ quib. attribui deberent. Eæ erant Basilicata veterib. Lucania, Capitinata atque Principatus tū Citerior tum Vlterior. Galli pro innata ingeniis confidentia ne appellatis quidem confœderatis Capacii filium miserunt, qui in ditione, Lucaniæ parte populares in Galli Regis verba sacramēto adigeret. De Amalfitano principatu, qui in eadem prouincia est, cum eo principe trāsegere inscio Gonsaluo. ab ipso quin etiam Rege Gallo Ioāni Iacobo Triuultio ante donata ea ditio fuerat anticipata quasi de suo munificētia, vnde noua iurgia extarent. Ad hæc nōnulli proceres, quos Reges Neapolitani iunctos tenebant, libertati redditi, atq; in eo numero Ioannes Baptista Martianus quadraginta ferme annorum vinculis non domita, sed irritata ferocia, Rosanum in Magna Gręcia occupare tētauit paternæ olim ditionis opimum

principatum. Simili exemplo Ludouicus Arsius è præcipuis Gallorum ducibus, Ludouici Lucemburgii nomine & auctoritate Altamuram in Apulia armis præsidiisque occupauit. Quod quid erat aliud quam cuncta sibi arrogare, vna summis miscere, socios contemnere, vnde nouorum bellorum occasio & materia existeret? Nondũ tamẽ tantis quamuis iniuriis violato fœdere ab Hispano expediebantur arma. Concordiæ viam prius tentare placuit. Appellati de ea re primum Obenignus, deinde Mamursius qui cõfecto tandem bello captaque Neapoli in prouinciã appulerat belli & pacis de cætero arbiter. Ne in prouinciis iuris minime controuersi alterutri quidquam in alteros mouerent, neq; sibi auctoritatem arrogarent consensu decretum. De quibus lis erat, donec consulti Reges quid placeret, certe delecti consensu arbitri pronunciarent, quæcumque oppida Gallica vexilla explicarent, iis Hispanica porro adiungerent, tantundem è contrario facerẽt Hispani, commodum temperamentum, si verbis & pollicitis responderent facta; & quod de vectigalib. annuis & forma regiminis in eam sententiam pari moderatione sanxerũt, diu tenuisset. Verum maior lux erit rebus, faciliusq; intelligetur vtra partium certiori iure niteretur, si hoc loco Neapolitani regni forma partesque eius summa explicata ob oculos fuerint posita. Extremam Italiam, quæ à saltu Terracinensi Pontinisq; paludib. per Volscorum fines Sabinorum & Marsorum montes per Furconenses & Ferentanos in Picenum ad ostia Truenti pertinet, supero atq; infero mari circumfluis diu Neapolitani Reges imperio tenuerunt. Perpetuis iugis sicuti reliqua Italia Apenini montes vniuersa prouincia dirimitur: qui mons ab Alpib. diductus progreditur arduus plerumq; mollior aliquando, vsq; ad Magnæ Græciæ finem: desinitq; in Armorum promontorium. Ambitus totius regni mari terraq; milliaria numerat mille quingenta sexaginta octo. Adeuntib. eã prouinciam ad eius montis dextram Campania primum occurrit à Leboriis olim populis habitatus tractus, vnde nomen hodie quoq;. Præcipuæ ea parte vrbes Caieta, Nola, Capua, ipsaq; Neapolis regni caput. Vetus quidem Cãpania olim præterea continebat quidquid terrarum à Terracinensi saltu ad Tiberim pertinet Pontificiæ nunc ditionis regionem gemina appellatione: nam quæ pars ad mare vergit Maritima seu Maremma dicitur, interiora Prænestinum post agrum vsq; ad Aquinates fines Campaniæ vsq; dum nomen retinent. Ad sinistram Aprutium est multos ex antiquis populis complexu coercens, nempe Sabinos vbi Asculum erat Piceni etiam pars. Marrucinos, vbi Theate nunc cernitur. In Vestinis Aquila numeratur, in Pelignis Sulmo vetustior. In Marsis Talliacotium & lacus Fucinus, Samnitum etiam pars: ad eandem prouinciam pertinet vsq; ad Campaniæ fines, ad quam pars altera Samnitum spectat inter Austrum & occasum fusa, ac fere quib. nunc locis Beneuentum cernitur. Recentiori memoria Aprutium in citerius vlteriusque Aterno amne seu Piscaria interfluẽte dirimitur. Atq; hæ duæ prouinciæ Campania & Aprutium in fœdere, Gallis sunt contributæ. Vtra Aprutium in eodem latere Apulia iacet trifariam vulgo diuisa in Capitinatam, vbi mons Garganus assurgit, & Barensem tractum Trano & Monopoli quæ ex veteris Egnatiæ ruinis creuit, vrbibus insignem: atq; Hidruntis territorium Brundusio Tarentum pertinens vrbẽ in extrema Italia mari imminentem loco & operib. munitam ad Magnæ Græciæ fines austrum inter & ortum sitã. Supra Neapolim exaduersum Apuliæ principatus consequitur olim Picẽtini Salerno prouinciæ capite. Basilicata deinde quæ magna ex parte Lucania veterib. fuit, montes tenet, quib. ab Apulis dirimuntur. Brutii ad mare inferum vergentes Cosentia vrbe primaria & ad Messanense fretum Rhegium vrbs sua antiquitate quam ciuium frequentia aut elegãtia operum hac certe tempestate nobilior. Interiora Magna Gręcia tenet Rosano & Catanciano aliisq; oppidis insignis. Brutios & Magnã Græciam vno Calabriæ nomine vulgus loquẽtium comprehendit. Et Calabria quidem Apuliaq; absq; controuersia Hispaniæ ditioni relinquebantur. De principatu dubitari poterat ad vtros iure pertineret. Nam qui Calabriæ finib. eum tractum comprehendebant, passim refellebantur. Tantundem de Basilicata statui potest: tametsi non deerant, qui quod in montib. sita sit, negarent seiungi ab aliis prouinciis debere, sed qua parte ortum spectat ad Apuliæ qua occasum ad Brutiorum seu Calabriæ fines pertinere: Itaq; à Regib. vt duas eas prouincias rursus ex æquo diuiderent facile admittebatur. Maior de Capitinata supererat lis quippe prouentu præ cæteris celebri. A Frentone ea pars, quod nunc flumen Fertorium est, Aprutii finis, ad Aufidum extenditur. In ea Manfredonia olim Sipontus dicta, Garganus & Troia visuntur. Atq; id Capitinatæ nomen tractui adhæsit, ex quo tempore Græcis ea Italiæ pars subdita erat, ad hanc ætatem retentum. A Præfecto, qui Catapan vocabatur, regio Catapaniata primũ dicta est. Inde vero Capitinatę nomen paucis commutatis litteris, tum Capitanei vox fluxit prætorem vrbanum vulgo in Italia, sed & ordinum in bello ductorem significans. Et quidem

dem Apuliæ finibus eam regionem comprehendi, satis indicat mons Garganus in Apulia à Ptolemæo quidem collocatus. Frentoque fluuius à plerisq; Aprutii & Apuliæ communis terminus designatus. Recentiores quoque Capitinatam Apulis annumerant. certe ea parte vectigal è pecoribus Apuliæ exigi solet magni prouentus ac quo nullum est opimum magis iis Regibus vectigal. Furor erat tantis præsidiis fultam munitamque sententiam velle contumacia euertere. Verum de re tota cuiq; liberum esto iudiciũ. Quod ad rem præsentem attinet, ex eo plane arrepta occasione Hispani Gallique inter se distinxere arma, marte arbitro dirimere litem destinantes, quando Reges quamuis de ea re sæpe appellati statuere quid certi eatenus noluerant, viribus credo pro se quisque confisi aduersus æmuli potentiam. Propius vero parte contempta vniuersum regnum vterq; spe & cupiditate erat complexus. Et sordent concessa, cum noua speramus. vitium id mortalitatis. Verum ad hæc loco competenti oratio recurret. Nunc Fridericus Rex ex Ænaria insula, in quam per conditiones traiecerat, Regi Catholico infensus maxime à quo se euersum videbat, nullo propinquitatis respectu, in Galliam concedere constituit triginta annua Francorum millia ab eo Rege in alimenta pactus, vnde vitam calamitosam toleraret in exilio. Ergo cum vxore & liberis eo contendit. Beatrix soror Hungariæ Regina restitit in ea insula: vnde breui in Siciliam discessit. Isabella fratris filia Ioannis Galeacii antea coniux & ipsa Barim se contulit Apuliæ vrbem. Miserum Aragoniæ familiæ naufragium & ruina regiæ in varias partes & quasi fragmenta dissilientis. Galli se fidei Fridericus credebat: simul cum Philippo Austriaco magna contentione agebatur, vt quam primum in Hispaniam ipse & vxor venirent sacramentum, vt fit, à populis accepturi tantorum regnorum hæredes post facta parentum fore. Noua prole hoc anno auctum, cui Isabella nomen, prouidus socer in Hispaniam abstrahere cupiebat prouinciæ moribus, lingua institutisque imbuendum, vitia correcturum, quæ ætatis imprudentia, & aulicorum præpostero obsequio & adulatione generosam alioqui indolem deprauasse cognouerat. Illis Belgica licentia assuetis & principis facilitate ad sua commoda abutentibus graue erat in Hispaniam venire, socer cautus & callidus verentibus ne principis liberati suisque cupiditatibus agendi dexteritate & auctoritate paterna frænos iniiceret. Ioannes quidem Fonseca Cordubensis Episcopus Regi à sacris notæ prudentiæ vir in Belgas propterea legatus profectionem vrgere non desistebat importunus exactor. Rex item Gallus quod erat futurum prouidens, vt per Galliam iter faceret omnino suadere instituit. Quod factum est tandem. Sed & ex Hispania classe ad Brigantinum portum parata Catharina regia puella in Angliam ad pactas antea nuptias discessit. Granata, vbi tum parentes agebant, profecta multis iter prosequentibus ad octauum Kalendas Septembris è portu soluit. Alfonsus Fonseca Compostellanus præsul, Egabri Comes cum vxore & pleraque nobilitate sponsam in Angliam ægre quamuis deduxere. Tranquillo profectos mari repente exorta vis ventorum tempestasque distulit. Pars nauium ad Angliæ littora appulerunt; plurimæ in Lauretanum se portum intulere. Inde sedata procella postridie Kalendas Septembris explicatis denuo velis in Angliam secunda nauigatione peruenerunt. Nuptiæ virginis & Arturi sponsi continuo principali apparatu celebratæ sunt, lætitia haud diuturna. Quantæ te miseriæ manent innocens puella vnius ob væcordiam impotentis viri sui minime compotis? Ipso mense agente Regina Isabella Beatrix Castria Lemosii Comitis filia & hæres futura nupsit Dionysio Iacobi Brigantini filio à Ioanne Lusitano Rege perempti. Puellæ Patri Sarria, Castrum, atque Oterum iuris controuersi oppida abs Regib. dono data quasi in partem dotis, atq; in coniugii gratiam. Tridenti vrbe in faucibus Alpium sita, qua montes inter se coeunt, Cæsarem inter præsentem & Gallum Regẽ misso ea causa legato pax facta ea potissimum lege est, vt Carolo Philippi Belgæ filio Claudia nuberet Galli maior filia: quod sæpe coniugium retractatum nunquam coaluit.

Philippi Belgæ aduentus in Hispaniam.

CAPVT XI.

CLasses è Lusitania & Gallia auctore Rege Catholico Venetis contra Turcas auxiliares missæ nullo operæpretio sese retro retulerunt, vti paulo ante est indicatum de Lusitania quid gesserit. Gallica Chium delata Genuensis tum ditionis insulam spatiis angustam, prouentu masticis celebrem, impedito tantum vectigali, quod Turcis pendere consueuerant, cætera peste, tempestatibus, hostium incursu

consumpta, milites vix mille superstites in Apuliam vicinam appulsi Gonsalui iussu benigne accepti atque habiti sunt. Erga afflictos misericordia valuit, & societatis nondum plane disturbatæ memoria. Veneti quoque in hiberna receperunt quinque & viginti triremes haud satis instructi bello defendendo aduersus Turcarum arma. Rem periculo proximam cœlites sunt tutati nulla Turcica classe hoc anno è naualibus in piorum perniciem educta. Alioqui aduersus eam potentiam parum præsidii in piorum viribus bello inter se districtis nostrorumque comparatione fuisset. In Castella à Regibus edicto sancitum Mauros tota prouincia ac in Bætica præsertim cum piis confuso nullo non commercii genere Mudegiares vulgo dictos nisi Christo darent nomina Christiana religione suscepta, finibus certe intra diem certum discederent. Belli præterea ciuilis metus ostentati magno prouincialium motu, nisi mature esset occursum nascenti malo. Ludouicus Cerda Medinæ Celinæ dux sub mortem concubinam duxit, Ioãnem filium ex ea susceptum stupro iure legitimo hæredem principatus destinans. Ægre id tulit Enecus Cerda ducis fratris post fata eam hæreditatem spe & cupiditate complexus. Eneci filio Ludouico nupserat filia ducis Infantatus. Obstinatus est animus quem ingentes spes deuouerunt. Generi iuraret armis tueretur socer opibus & clientelis validus, collectis raptim copiis Cogolludium obsedit, id oppidum & vero reliquam defuncti Ducis ditionem armis præsidiisque occupaturus, quoniam legibus non fidebat. Verum à Rege monitus ne regnum importune turbaret, neque vim potius quam iuris certamen quæreret, necessaria re atq; si pergeret, maioris mali metu militares copias dimisit. Sic Ioannes absque controuersia paterno principatu potitus est, propriumque posteris reliquit. Iis sedatis motibus ac vniuersa prouincia graui solicitudine erepta, nunciatum est Philippum Belgam & vxorem itinere per Galliam arrepto festinare: prope diemque ad fines Hispaniæ affore. Magni honores toto itinere venientibus sunt habiti, festi vbique dies omni iucunditate agitati. Ac Lutetiæ præsertim ludi omne genus & spectacula ad eorum Principum aduentum Galli iussu sunt instituta. In ea vrbe sancita antea ad Tridentum pax inter eos Principes, ab vtroque noua sacramenti religione & execrationibus confirmata est. Ac Belga omnibus actionibus & cæremoniis se Flandriæ nomine Galli beneficiarium gentis instituto exhibere non recusauit. Vxor cautior patriæ dignitatis memor nulla re priores Gallo partes concedere visa est. Ex ea vrbe digressi per Aurelianẽses, Pictones & Aquitaniam, Fonterrabiam tandem in extrema Hispania peruenerunt ad quartum Kalendas Februarii
1502 salutis anno Millesimo quingentesimo secundo. In eo oppido præsto fuere à Regibus destinati Magister equitum Castellæ Anagari dux cum filio Treuigni Comite, præterea Castellæ Promagister Guterrius Cardenas. Quo maior lætitia esset soluti cultus antea præscripti legibus prouinciales, vt bombycina veste vterentur ac vero versicolore, sunt vltro nouo edicto inuitati. Veteris gentis modestiæ id argumentum esto, & quantum ab antiquo mores in Hispania mutarint. Huius anni principio Lucretia Borgia Alfonso Atestino nupsit Herculis ducis Ferrariensis filio maiori. Dos dicta centũ millia auri, & aliquot oppida in agro Bononiensi, præterea tributi annui, quod ii Duces quasi beneficiarii pendere consueuerant ecclesiæ Romanæ in dotis partem, gratia facta est. Vnde nouæ controuersiæ extarent. E Fonterrabia Principes Burgis Vallisoleto, Medinaque Campestri obitis superatisque Segobiensibus montibus, qua vtraque Castella dirimitur, Madritum tandem peruenere. Reges Granata obuiam genero & filiæ profecti per Vectones Guadalupeum fanum petiuerunt. Eo loco duci Valentino Adriam vrbem principis nomine aliaque oppida Neapolitanæ ditionis dederunt. Nihil immodicum videbatur tunc homine vasto & immodico promerendo. Actum porro vt à Catholico Galloque Regibus idonea vectigalia designarentur, vnde Fridericus Rex & filius vitam & aulæ cultum sustentarent in exilio. Secundum hæc Toletum ventum ad decimum Kalendas Maias. Eodem Principes appulerunt ineunte eo mense serius aliquanto quam vellent propter valetudinem Philippi Principis ad Oliam vicum aliquot dies decumbentis. insolitum cœlum, noui ciborum succi, potus indulgentia conciliauerat morbum. Magno in eam vrbem excepti sunt plausu apparatuque incredibili: mox rebus ex sententia constitutis sacramentum in eorum verba Rege coram & Regina sine mora atque difficultate dixere ad vndecimum Kalendas Iunii, primi Dieghus Mendoza Cardinalis, Toletanus Archiepiscopus, multi alii antistites. Inde Bernardinus Velascus Magister equitum. Alburquerquii Infantatus, Albæ, Begiarisque duces, Villenæ Marchio, magno numero proceres luxu & familiæ splendore certantes. Cautum vt hæreditate suscepta genti ex suis legibus iura darent, mutandi ex antiquo nulla facultas esset. Aduentu tantorum principum Hispania læta, vrbes & oppida ludis & festa hilaritate personabant: cũ in Anglia verissimis lachrymis Ar-

his Arturi principis obitus lugebatur in flore ætatis extincti, vix delibatis primis coniugii recentis gaudiis vxore virgine quamuis quinto an te menſe confectis nuptiis. Sic fama vulgauit, & idonei auctores teſtantur; ob Principis ætatem probabilis, nati quatuordecim tantũ annos, eâ imbecillitate corporis vt libidinis magis auidus eſſe videretur quam potens. Continuo tamen abs Regibus Catholicis miſſus eſt in Angliam, qui luctu eũ Regem ob amiſſum filium leuaret. Simul de Catharina principe vidua ſuperſtiti filio iungenda ageretur. Verum Rex ille neq; dotem reſtituere, neque expedire quod expetebatur coniugium infelix ſcilicet & infauſtum. Nec bonis æternis fruitur, nec malis perpetuo ingemiſcit natura mortalium, triſtibus læta miſcentur. Moleſtiam quidem ex iis rebus conceptam mitigauit, tum Philippi Principis præſentia, tum partus Mariç Reginæ Luſitaniæ filium in ſpem paterni regni enixç Oliſipone pridie Nonas Iulii, cui Ioanni nomen fuit accedentibus annis ſtudio religionis amplificandæ, cultuque bonarum artium atque imperii moderatione eximium Principem ſua ætate, atque præſtantem in paucis Regem futurum.

Dux Calabriæ in Hiſpaniam miſſus. CAPVT XII.

ASſidebat Tarento Gonſaluus cum copiis, vti dictum eſt, in magna ſpe Ferdinãdi Ducis Calabriæ, qui intra eam vrbem erat, ad pacis conditiones perducendi. Ita quo die ad eam vrbem Hiſpanorum caſtra ſunt poſita, de fœdere continuo agi cœpit. Dum conueniunt de conditionibus, interprete Octauiano Sanctio inducias duorum menſium ſanciri placuit; nouari interea nihil donec Fridericus Rex per legatos conſultus, quid ſuç eſſet voluntatis ſignificaret. Ad deſignatum tempus nullum ab eo Rege reſponſum venit. Rebus deſperatis mens quoque & conſilium miſeros deſtituit. Inducias tamen iiſdem conditionibus ad finem ſuperioris anni ampliari datum eſt. Exiuit annus, neq; à Friderico certi quidquam in rem afferebatur. In duos denuo menſes induciæ ſunt prorogatæ, vrbe penes ſequeſtrum Bindum Ptolemæum Regis Catholici ſubditum multis in rebus ſpectatæ fidei virum, ea lege vti eo decurſo tempore eam in poteſtatem Gonſalui traderet. Duci tamen Calabriæ diſcedendi quo vellet, libera eſſet, regiæ cultum & familiam ſecum efferendi poteſtas. Sic Tarenti res erant. Giracii arx duodecim à littore millibus deditionem Hiſpano fecit. Simul Salernitanus ad Gonſaluum venit præcipua belli vniuerſi fax. vt ſibi ex Biſiniano paterni principatus reſtituerentur offenſas priores nouis officiis compenſaturis poſtulabat in timore largus promiſſis. Petebat præterea Lauriæ ditionem adiici & quinque aureorum millia annua, quæ maioribus ſuis priores Reges honorarii nomine pendere conſueuerant, ingens videlicet nouæ amicitiæ, pretium animi non ſatis pacati domitique malis haud dubium argumentum. Itaque re infecta diſceſſit. Meliori fide proceres plerique Fridericum Regem in Ænariam ſecuti quaſi diminutione capitis ſacramenti religione ſoluti ſeſe ad Gonſaluum contulere, grande momentum ad bellum ex ſententia conficiendum. Ille benigne acceptos in præcipuo etiam honore apud ſe habuit, eos maxime quos rebus gerendis belloque defendendo idoneos maxime arbitratus eſt: ac imprimis Columnios Proſperum ac Fabricium omni comitate eſt complexus ne ad Venetos ſe conferrent, à quibus magnis præmiis annuoque ſtipendio inuitari habebat exploratum. Magnarum rerum fundamenta ponebantur. Nam Dieghus Mendoza atque Enecus Aiala Manfredoniam ſeu Sipontum vrbem aſſidendo in poteſtatem redegerunt. Præfectus quoque arcis Friderici Regis nomine, ad deditionem perductus eſt, tametſi Alegrius Iuo cum copiis obſeſſis opitulatum accurrerat. Ad extremum vrbs Tarentum vti conſtituerant, dedita Gonſaluo eſt, deditæ arces. Dux Calabriæ conceſſa eundi quo vellet facultate, Barim vrbem migrauit in fide quidem paterna eatenus perſtantem, haud firmam tamen aut mœnibus aut arce, neque diu, ſi vis admoueretur, ſuſtentaturam. In ea vrbe tamen fera licet mandata à patre expectare voluit, à cuius voluntate diſcedere, atque priuatim paciſci cum Hiſpano nefas iudicabat. Gonſaluus cupiebat apprime facili & minime mala iuuenem indole cum Rege ſuo conciliare, ne in Galliam patris exemplo profecto in poſterum aliquid turbarum exiſteret ea cauſa, haud ignarus ſæpe ex parua ſcintilla magnum excitari incendium, nihil in bello negligendum. Agebatur de fœdere triginta aureorũ millia annua qua in regno Neapolitano, quà in Hiſpania oblata ſunt ditione data vnde ea ſumma proueniret, eiecto haud contẽnenda conditio. Neque illi diſplicebat, ſi modo patri probaret, & verbis reſponderent facta. Iſabella patruelis ne cum amita Hungariæ Regina in Siciliam, quo inuitabatur iret, in eam Apuliæ vrbem delata monendo ſuaſit, vti litteras ſua manu conſcriptas ad Gonſaluum daret:

quibus rogabat, vt nullo libertatis pactæ respectu, quando pater quod ipsi erat commodum negligere, alioque tendere videretur, eum ad Regem Catholicum amandare non dubitaret. Hanc sui animi destinatam sententiam esse patris quamuis reuerentia id nollet in vulgus prodire. Quæ si vera fama fuit siue conficta, certe non videtur diu in eo proposito perstitisse, ætatis inconstantia, mentis imbecillitas varia & sibi contraria subiiciebat menti. Et quis est cuius animus in rebus asperis non vacillet? Friderici patris voluntas eum ad se euocantis retardabat, Gonsaluum adeo conuitio monentis vti memor fidei datæ, memor nobilitatis eum liberum, vti erat pollicitus, dimitteret. Verum is custodiis circumdederat ne iniussu quoquam discederet, ea diligentia, vt liber quamuis per Apuliæ oppida discursus esset, vix sine arbitris daretur ad venationem egredi. Eum tamē promerendi cura Regis Catholici nomine denuo coniugium offerebatur, cum Ioāna Neapolitana vidua ex Regis Catholici sorore nata, aut cum filia eius Catharina Arturi Vualliæ principis item vidua, conditiones honestissimæ, voto speque maiores: quando rebus perditis dabatur, quod integris vix speraret. An ludus erat. iuuenem vanis promissis lactabant. Ioannes Gueuara Potentiæ Comes pro ea gratia & auctoritate, qua valebat maxime, incauti Principis animum in quam volebat partem versabat. Summâ. Duci persuasum tandem effectumque prorsus vti Tarentum rediret. Inde in Hispaniam mitti consultum fore visum est. Ad id delecta triremis: ac Ioannes Concillius qui præesset missus cum mandatis daret operam ne qua arte is Princeps euaderet, quā celerrime nauigationem conficeret. Coram facilius de re tota & conuentionis conditionibus conuenturos disputabant. Accommodatis blandimētis rati iuuenis animum victum in fide atque officio erga Catholicos Reges propinquos & necessarios fore constantē. Id velamen obtendebatur, ea species pollicitis haud satis syncera fide seruatis. In bello promissorum constantiam quis requirat? an in re militari tantum & non etiam inter Principes in pace, præsertim cum de imperio proferendo aut conseruando quacumque ratione agitur? Quæ magna peruersitas est: sed tanti libido dominandi.

Belli Neapolitani initia. CAPVT XIII.

NOndum de regno Neapolitano Galli & Hispani inter se mouebant arma. Duces tantum vtriusque gentis cum suis Regibus de ratione componendi controuersias consultabant. Vtrique inter metum & spem variabant. Fidentiores Galli læta bello gens. Sed est nemo tam promptus ad arma, qui non quietem pari pretio potius amet. A Rege Gallo Corconius ea de re legatus in Hispaniam paulo ante quam Philippo Belgæ sacramentum diceretur, Toletum appulit. Legationis summa erat. Prouincias Gallo in Neapolitano regno attributas annuis vectigalibus inferiores esse iis quas Hispanus occupauit. Prouentu, vti æquum erat, & initæ amicitiæ leges postulabant, exequando Capitinata Gallis relinqueretur. Ad hæc Rex Catholicus: si factæ diuisionis Gallum pœniteret permutationem se prouinciarum minime recusare, copiis quas prædicabat maiores esse, se volente frueretur. Si ea conditio non placeret, certe diuisis principatu & Lucania æqua fieret compensatio. Capitinatam Apuliæ opimum tractum intercipere neque ius neque fas esse. Nisi hæc placerent, pacis studio tamen controuersiam omnem Pontificis & Cardinalium arbitrio se libenter permissurum. Harum conditionum nulla placebat Gallo: multo minus prouinciarum commutationem fieri, ne vrbe Neapoli decederet regioque titulo eius vrbis atque Hierosolymæ per cōditiones fœderis dato, in quo dignitas erat prouentu potior. Ventum ad minas, facturos Hispanos vi quod voluntate recusarent. Itaque die quodam Hispanis legatis coram Gallo affirmantibus à Rege suo nullam sanciti fœderis conditionem violatam integra fide minuta quæque religiose seruasse: Gallus respondit tantundem præstitisse se: si quis contra affirmaret nō recusare cum Rege Catholico singulari certamine ac ne cum Rege quidem Romanorum tueri dignitatem. Ad hæc Gralla suum Regem iustissimum principem esse ait vt si quis in toto vrbe terrarum, si res exigeret, non recusaturum martis arbitrio litem permittere armisque tueri innocentiam à cuiuscumque calumnia. Verum subdit Gallus, Rex Hispanus me maior esse non debet. Ne ipse quidem meo Rege priores tibi arrogare Gralla addidit. Neque dubium est Regis Catholici animum ad pacem quam ad arma procliuem magis fuisse, Gonsaluum per litteras monuisse ac vero pro imperio mandasse, vti in vnam curam pacis incumberet, ne ue arma sumeret nisi necessario. Gratius id fore, quam si bello vniuersum regnum subditum daret. Belli prima fundamenta præter alia minora Alegrius posuit, quo tempore Manfredoniam seu Sipontum Hispanorum obsidione liberare aggressus est, vti est superius

tius indicatum. Et quo minor excusatio esset, notius quo tenderent, Gonsaluo ad Tarenti mœnia assidente districtoque ea obsidione, Galli Troiam Capitinatæ vrbem aliaque circum oppida armis occuparunt. Missi, qui iure fæciali ablata repeterent, obtestarenturque ne importuno conatu pacta conuenta disturbarent, cuius è vestigio pœniteret. Nihil tamen ea diligentia est impetratum. Tantum ne vlterius armatis progredi esset necesse duo duces vti colloquerētur est decretum. Sic Gonsaluus rebus Tarenti constitutis Atellam venit Amalfim Namursius Lucaniæ oppida. Medio interuallo Antonii nomine sacellum est: quod colloquio idoneum vtrique iudicarunt. In eo sacello de controuersiis Leguleii ab vtraq; parte delecti multis verbis ac clamore prope concionali disceptarunt, non argumentis & ratione, sed conuitio & linguę petulantia, fructu præterea nullo. Conquerebantur Galli Hispanis attributas prouincias septuaginta millia aureos quotānis reddere amplius quam Gallicæ. Compensationem vectigalium fieri æquum videri. Restitere Hispani ac restitui Capitinatam, qua erant iniuria pulsi imprimis postulare, id iure communi sanctum esse, priuato haud aduersum: vbi in eo satis factum esset, de exæquatione vectigaliū minime recusare. Re infecta è colloquio discessum. Duces tamē inter se verborum honore certarunt, quanto magis falsa erant, quæ fiebant, quæque dicebantur omnia, dissimulatione maiori, & accuratiore comitate. Desperata ex eo concordia ad arma vimque ventum est. Quo in statu res essent, vtrique suis regibus significarunt per litteras. Necessaria resumi arma. si bellum ex sententia confici vellent, milite & pecunia iuuarent. Simul Gonsaluus propter annonæ difficultatem iis locis graue, copiarum partem in Principatus oppida dimisit. Dux Scalada cum cohorte peculiari Atripaldam, pulsis Gallis qui in eo oppido erant in eo tractu occupauit triginta millibus ab vrbe Neapoli. Tantundem de aliis oppidis finitimis fecerunt alii Hispani cēturiones. Ad hæc Galli fremere, Hispanorum væcordiam accusare in circulis, & per litteras ad Regem suū. Commotus ille eo nuncio quæcumque Hispanorum in Gallia bona & merces repente fisco addici mandauit. Erat iniquum neque denunciato voce pręconis bello, neque præfinito, vt fit, ad discessum ex prouincia die raptim inuolare in hospites, rem familiarem detrahere. Sed tanti iracundia fuit consilio inimica atque æquitati. Rex Catholicus contra monere suos vt Gallos quacumque ratione placarent relictis etiam oppidis quæ in Capitinata ii cœperant, prouinciæ profecto maiorem partem. Pacis enimuero studio flagrabat, exhorrebat arma. Rursus ergo duces siqua se via pacis daret, in D. Antonii sacellum cōuenere. Designati ab vtraque parte viri diuisione instaurata prorsus ex Gallorum commodo & voluntate Lucanos, Principatum & quod erat caput, Capitinatam ex æquo partiti sunt. Gallos modo pacarent & promerentur, nihil tunc nimium videbatur. Venere interea ex Gallia mille Heluetii, ducenti grauis armaturæ equites pecuniæ in stipendium affatim. Eo subsidio Galli confirmati rupere moras. Venusiam in Apulia occuparunt, vrbem dedente Petro Nauarro militum qui in præsidio erant, suasu & obtestatione quoniam sustentare posse non sperabant. Quaratam eodem impetu ceperūt Camilli item Carraccioli deditione. Vtrumque oppidum duodecim passuum millibus Barletta distat, vbi forte Gonsaluus statiua tunc habebat cum multo maxima copiarum parte. Viselis, Altamuræ principatus nobile oppidum ad Gallos defecit vltro. Atque nostrarum triremium accursu receptum breui superuenientes Galli pulsis Hispanis suæ ditionis rursus fecerunt. Grauis ignominia visa est neque dissimulanda contumelia. Æstas erat in præcipiti, Gallique qui Quaratæ morabantur aquæ penuria, annonæ difficultate laborabant infestis itinerib. à nostro equitatu. Ergo relicto ii oppido qua iuerant regredi decreuerunt. Ad Aufidi ripam castra habentibus Gallis Augusti fine, Gonsaluus Barletta egressus pugnæ copiam fecit. Detrectarunt illi certamen, instituto que itinere Amalfim versus sunt progressi. Nostri equites aliquanto numero abeuntes vrgere ac postremo præsertim agmini molesti & graues cædere dispalatos: neque cessare nisi magna impedimentorum hostilium parte capta. Namursius etiam atque Obenignus præcipui copiarum duces priuatæ supellectilis haud exiguam partem in tumultu amiserunt. Mille alios Heluetios Neapolim iam appulsos, & quadringentos equites qui Florentiam peruenerant, Galli prope diem expectabant. Sine eo supplemento summam certaminis sortem periclitari recusabant. Gonsaluus quoque à suo Rege classem submitti postulabat, atque in ea in supplementum quadringentos leuis armaturæ equites, bis mille Calæcos Asturesque gentem locorum asperitate & tenui à primis annis propter locorum sterilitatem victu duratam, ex eo bello idoneam. Ad Ioannem Emanuelem scripsit, vti duo millia Germanos ære conduceret quos Hispanis mitteret, & in pugna Heluetiis opponeret. Ad eos excipiendos & mari

ſupero tranſmittendos Malferitum notæ induſtriæ virum Anconam Piceni vrbem deſtinauit. Rex Catholicus quando pacis conſilia non proceſſerant, ad bellum conuerſo animo, triremium inſtructa claſſe cui Bernardum Villamarinum præfecit, ducẽtos grauis, totidem leuis armaturæ equites, adiunctis peditibus & pecunia in Italiam mittere ſtatuit. Simul Cæſarem monebat, vti pro imperii iure Italiæ finibus arma inferret. Mediolani in poſſeſſionem mitteret, è duobus Ludouici pulſi eo principatu filiis alterum: qui inopes, exules, ſine lare familiari in Germania viſebantur: Ac quod mirum videri poſſit, Florentiam Hetruriæ caput Valentino duci dari volebat Regis nomine & iure ſed quaſi imperii beneficiario. Pontificem aliena munificentia promereri erat deſtinatum, quem in partes attrahere fœduſque niſi ſpe emolumenti maximi & honoris ſpecie non ſperabat bello Neapolitano ex ſententia conficiendo magnum momentum allaturum.

Philippus Princeps in Belgas abiit. CAPVT XIIII.

TOleti Rex Catholicus aliquandiu Principum aduentum ludis & omni hilaritate celebrauit: iis dein cum Regina in ea vrbe relictis Cæſarauguſtam diſceſſit ad octauum Idus Iulii. In eam vrbem conuentus indictos ad quartum decimum Kalendas Auguſti, ex itinere in longius tempus ſuſtentari placuit. Gentis promerendæ prima cura erat, ne Principibus ſacramentum dicere detrectarent libertatis à maioribus ſuſceptæ in ſtudium imprimis incitati. Sub initium Septembris quo iam tempore Rex Cęſarauguſtã peruenerat, Magni Gonſalui precib. & importunitati claſſem ſubmitti expetenti datum eſt, vt noua inſtructa diligenter claſſe, cum parte Emanuel Benauidius quadringentos equites pari numero cataphractos & leuis armaturę, præterea pedites trecentos auxilio veheret, cum reliquis nauibus conſequeretur Ludouicus Portocarrerius Palmæ regulus, bello Granatenſi ſpectatæ virtutis. Quo maior honor eſſet, exæquatæ cum Gõſaluo poteſtate bellum curare placuit. Dati trecenti cataphracti, quadringenti expediti equites, pedites ad tria millia. Rebus in arcto poſitis præſertim in Brutiis & Magna Græcia haud minori ſubſidio opus erat. Venetos præterea in partes attrahere cupiebat, ad Hiſpanum fœdus vt videbatur propenſos. In eam rem miſſus denuo Venetias Laurentius Suarius Figueroa, vt pro ea gratia & auctoritate, quam ſuperioris legationis tempore apud eos ciues natus erat, rem conficeret, faceret quin etiam ſpem vires communicandi opemque ad Mediolanenſem principatum, aut Aprutios ad ditionem adiungendos quibus prouinciis cupiditate imminebat. Die conſtituto cõuentus gentis Aragoniæ inchoatur. In eis Rex petiit Michaele principe extincto in Ioanę Principis nẽpe maioris filiæ inq; Philippi eius viri, q̃ æquũ erat, verba iurarẽt, eius regni hæredes fore. Additũ præterea vt bello Neapolitano, q̃ ad eã gentẽ propriè ſpectabat, auxilia decernerent. Vtrumq; & tunc propitiis aurib. auditũ, & poſtmodum obediẽter factũ eſt. Dum de ſubſidio tamen in bellum Neapolitanũ deliberatur in cõuentu, à Rege Catholico princeps Philippus & vxor ſunt moniti, quam primum vt eo feſtinarent: agendi opportunitatem non eſſe prætermittendam. Fecerunt illi quod imperabat. Appulſis acceptiſque in eam vrbem ſplendido regioque apparatu, ad ſextum Kalendas Nouembris ſacramentum eſt à cunctis ordinibus dictum more maiorum ea cæremonia, iiſque cautionibus, quæ in ea celebritate adhiberi in ea gente ſunt ſolitæ. Ita nouo exemplo fœminæ nondum extinctis parentibus regni hæreditas Aragonii iuramento ordinum eſt confirmata. Neque enim Petronillæ quamuis in Reginam ſuſceptæ ſimili cæremonia ſceptra ſunt data, ac ne tunc quidem is ſacramenti ritus in vſu erat. Sub hæc Philippus Madritum diſceſſit, iiſdem veſtigiis paulò poſt ſubſecutam vxorem Rex pater comitatus eſt, relicta ſoror Regina Neapolitana quæ cõuentui Aragonio ad finem præeſſet. Nam Granata diebus ſuperioribus, vbi Rex & Regina erant, profecta in ea loca venerat voluntate deſtinata traiiciendi in Italiam filiæ ſolamen atque præſidium vnicæ viduæque. Dum ea profectio maturatur, datum vt Aragoniæ gentis remp. procuraret pro fratre vicaria in locum Alfonſi Aragonii Regis filii Cæſarauguſtani antiſtitis eatenus Aragoniis rebus præfecti. Philippo principi mora in Hiſpania moleſta erat, aulicis graues Hiſpanorum mores multum à Belgica facilitate diſcrepantes. Ii incauti iuuenis ætatem pro voluntate verſabant obſequio & gratia heri potentes. Præ cæteris præſtabant tum Biſſuntinus Archiepiſcopus qui eum Principem in Hiſpaniam comitatus, in ea diebus ſuperioribus obierat: & ſecundum eum Verius regulus proximum auctoritatis locum occupabat, vterque Gallicis partibus, nec mirum, plus ſatis addictus. Honeſta profectioni ſpecies quæſita eſt, viſa optima. Belgas eius diſceſſu præſidio nudatos vt in nullo tali metu, bello inter Gallos & Hiſpanos repente concitato, ne aliquod incommodum

dum

dum acciperetur, eius præsentia indigere. Reges ab ea mente ægrum Principis animum abducere, vxorem vtero graui relinquere ac partui vicinam videri inhumanum. Salutaria monentibus obturatæ aures erant: obduratus animus. ne impetratum quidem, vt Gallicum iter vitaret, reb. adeo turbatis se in hostis potestatem vltro ne daret. Excusabat ille se potius arbitro cum ea gente conuenturam concordiam: ad quam Gallus propensus tunc quidem videbatur, siue Friderico consensu in regnum paternum restituto, siue trãslato ab Hispano quidem in Carolum Austriacum nepotem, à Gallo autem in Claudiam filiam pacti inter eos exante condicto coniugii eo regno dotali. Verum hæ molitiones inanes visæ sunt, atque eo pertinere vt Rex Catholicus fœderis fiducia curam belli remitteret, Hispanique adeo duces non satis à milite & pecunia parati facilius opprimerentur. Intelligebantur artes: sed pars prudentiæ erat tantisper dissimulare. Ergo Philippus Madrito tandem discessit vxore cum parentibus relicta. In Aragoniam & Catalaunos itum, atque Perpinianum. Eo à Ludouico Gallo fides publica venit iter fore tutum. Ita in Galliæ fines ingressus continuato itinere Lugdunum appulit, vbi Gallus morabatur & Rhotomagensis Cardinalis Pontificis nomine in Gallia legatus. Verum hæc fine huius anni & subsequentis principio gesta sunt: ad bellum Neapolitanum narratio recurrat celeberrimum præ cæteris ea ætate.

An Regem Catholicum in Italiam abire fuisset consultum.

CAPVT XV.

Bellum Neapolitanum interea ducebatur flamma per omnes partes excitata. vis maior in Apuliam Brutios & Magnam græciam incubuit vbi Salernitanus, Bisinianus, & Rosanius, atque Meliti Comes Gallicas palam partes inueterato studio sectabantur. Gallis consilium fuit eo cum robore copiarum accurrere: atq; vt id expeditius esset nullo à tergo damno, Alegrium cum trecentis equitibus in Capitinata relinquere cum pari equitatu & mille equitibus Palicium tueri, quæ in Barensi tractu per vim occuparant. Lucaniæ præsidio Ludouicum Arsium designarunt attributis quadringentis equitibus & idoneo peditatu. Namursius in Brutios ducere volebat grauis armaturæ equites ducẽtos pedites mille. Obenignum ad Spinasolam subsistere cum reliquis copiis Barlettæ obiectum, vbi erat Hispani robur exercitus, ad viginti quatuor inde passuum millia. Restitit Obenignus magnam græciam & Brutios sibi prouinciam deposcens. Terranouæ principatum occupãdi spe, dono Regis Catholici Gonsaluo attributum, ipsi detractum. Decretũ vti eo ambo contenderent coniunctis viribus gesturi bellum. Prius tamen quam eo mouerent castra, Obenignus Barim versus abiit cum centum & quinquaginta equitibus peditib. mille. Namursius specie famaque quasi in Brutios duceret, Tarentum versus flexo itinere, Materam & Castellanetam occupauit haud firma oppida. Materæ Comitem & Mazaræ Episcopum, qui Materæ erant, acie vicit. Parta victoria exigua quamuis elatus vlteriusque progressus ad Tarentum castra posuit, ibi Calabriæ ducem esse ratus. Verũ ille commodum ante nouem dies in Siciliam abierat. Hispani milites eam vrbem præsidio obtinentes facta eruptione & impetu hostium castra incurrerunt, quem aduersarii non tulerunt. Cum ignominia se retro referre compulsi ad arcem viginti duobus millibus Tarento dissitam castra posuerunt, ad Barensem agrum contendere destinantes, vbi iunctis cum Obenigno viribus Bitontum occupare cogitabant, si minus id contingeret, certe in Brutios vim vertere. Accidit interea vt Galli qui in Lucanis erant, robur exercitus Gallici litteras ad Dieghum Mendozam testato descriptas per fœcialem mitterent, quibus vndecim Galli equites, Hispanos pari numero ad certamen prouocarunt die proximo, hora post meridiem tertia designato. Locum certamini Barlettam inter & Viselim campum medio spatio in omnes patentem partes ipsorum fide ab insidiis vique tutum. Addita lex vt victi victorum captiui essent, darent & caperent opima spolia equos & arma neque sæuirent inter se amplius. Breue tempus Hispanis visum est ad se comparandum, tuendum tamen, quod virtute pepererant dignitatis ac famæ decus iudicans Gonsaluus certamini annuit. Delecti ex omni copia notæ virtutis vndecim viri, quorum nomina vt prodantur non est necesse. Sed in eo numero tamẽ Dieghus Garsias Paredius toto hoc bello in paucis fama præstans. Is belli initio in Brutios transmiserat sexcentis peditibus dux. Die proximo cum luce certamini necessaria singuli compararunt, equos, arma, splendidas vestes. Profecturos seq; mutuis cohortationibus ad depromendam virtutem incitantes, Gonsaluus item Columniis Fabricio & Prospero coram, Termẽtino duce aliisque proceribus multis, his verbis ad certamen acuit. Quicumque singulari certamine experiri parant, iis «

prima cura esse debet æquitatis causæ, quam tuendam suscipiunt, alioqui ne pro victoria luctum & ignominiam referant numine vindice, verendum est. Hæc non vestrum priuata paucorum est, sed cum gente vniuersa & Rege nostro communis totius orbis consensu & approbatione probabilis, iuri consona causæ æquitatem certa cōsequetur victoria, adeste milites animis. Proinde diuina humanaq; spe pleni, quo soletis impetu in pugnam irruite, præsidio inter vos estote, memores in huius pugnæ euentu totius gentis dignitatem verti, patriæ decus, Regum nostrorum gloriam, cunctorum lætitiam & cōmoda, pro quibus singulis sanguinem vitamque profundere si fortes viri estis, æquissimum est. Nisi victoria pacta milites, quo vultu redibitis in castra? quibus vos oculis socii aspicient: vel in morte victoriam, vel in victoria salutem, famam & præmia constituta putate. Ad hæc milites paucis, mori se posse dixerunt: officio tamen non deesse, neque ignauiæ notam suscipere fixum habere. Secundū hæc verba itur in arma. Quatuor tibicines præcedebant, quemq; comitabatur suus armiger. Ingens ad rei famam tum militum tum indigenarum cōuenerat multitudo. Ad locum certamini designatū Hispani vna hora prius quam aduersarii accesserunt. Illorum aduentu magno animorum ardore pugna inchoatur. A neutris victoria aperte stetit. E gallis tamen cæsus vnus, alter deditus, nouem vulnerati, totidem equi occisi sunt. Ex Hispanis nemo cecidit, vnus deditionem fecit, duobus impositæ plagæ, tres equi perierunt. Ad noctem pugna tenuit, neque gallos tamen tanto quamuis incommodo accepto potuerunt Hispani ad deditionem cogere, in pedes destitutos equorum iacentium corpora texerunt. Hispanorum equi ad eum aspectum exhorrentes propius vt accederent, adigi non poterant, si premerentur, domitis frænis retro vertebantur, aut cum fremitu in pedes erigebantur. Is finis certaminis fuit neutris ignominiosi. Quod Gonsaluus tulit ægerrime Hispanos milites pugnam non sustentasse, dum aduersarios penitus frangerent, victoriæ integrum decus auferrent. Interea Rex gallus in Italiam maturare constituit è propinquo in belli apparatum incumbere volens: Ex remotis locis sæpe remedia post morbū venire non ignarus: In Insubribus tamen substitit. Regi Catholico eodem traiiciendi voluntas erat: eoque consilio Cæsaraugūstam abierat. Maiorum exempla ad audendum incitabant: qui sua præsentia in Sardinia, Sicilia, & ad Neapolim ea perfecerunt, quæ per alios ægre aut nullo modo potuissent. Maximi momenti res visa est, digna consultatione. Magnis viris adhibitis in cōsilium de ea profectione Rege referente disceptatur. Variæ, vt fit, sentētiæ fuerunt. guterrius Cardenas Castellæ Promagister prouecta ætate vir, ex eo multo vsu rerum cautus in conuentu hac sententia orationem habuit. In re grauissima audire potius quam loqui esset satius. iussus tamen consilium dabo vtinam tam felix quam fidele. Quicumque magnum facinus aggredi vult in primis prouentus spem cum periculo quod proponitur, debet comparare vbi paria sunt periculum & pręmium, & prosperis rebus vberior fructus est, & aduersis solatium maius. Obnoxii enim animi est rerum difficultate terreri sed non minoris temeritatis exigui spe fructus in maiora incommoda certamque perniciem incurrere. In pręsenti deliberatione si nominis existimationi consultum volumus, qua fere bellorum euentus constant, (magna esse famæ momenta quis neget in bello magis?) maiorem fore con fidero à ducibus victoria parta, victis minorem ignominiam, vtrumque è contrario Rege præsente. Ac illud considerandum: ante nostrum appulsum si bellum confectum sit, quod fieri posse quis dubitet? redire inglorios necesse erit labore frustra suscepto. nam à nostris victoria parta confecti belli laus penes alios erit, nostra in casum molestia cedet. Si ab aduersariis steterit, ad bellum instaurandum nullæ vires satis erunt, ne totius quidem Hispaniæ in vnum collatæ. Italiæ principes suspensis hactenus animis bellique spectatores tantum, si conceperint animis vires gentis nostræ imbecillas esse, neque bello profligando idoneas nisi Rex adsit, vt sunt ingenio mobili nouas fortasse spes captabunt. Non ea sum mente vt Reges velim in otio vitam consumere & quasi in lustris ignauia animalia solent consenescere, seque iucunditatibus dare: sed neque eorum salutem in periculum voco nisi re necessaria. Quis in longinqua adeo nauigatione maris sæuitiam, ventorum vices non metuat. Quis Genuensium vires & arrogantiam non cōsiderat pręsertim si gallicæ classes adiungantur, vt est verisimile, ad nostrā classem certe impugnandam? Quis vitam & salutem Regis prælio nauali committat in quo sors plerunque dominatur virtute potentior in mari. Documento sit Alfonsus patruus à paucis Genuensium nauibus victus captusque vna cum fratribus. De offensione procerū nihil dicam facultateque turbandi res, absentia eius cuius prudentia intra modestiæ fines cōtinentur quasi asperioribus frænis domita contumacia. Vt cætera absint, qui possis Reginam relinquere valetudine ægra grauiorem morte eam profectionem haud dubium habituram?

Si qui

Si qui Aragonii Reges mare transmiserunt; temporum conditio enatæque occasiones excusarunt: ne maiores quidem semper saniora consilia sectati sunt. Arma bellumque deposcere in castris à primis annis versatum non miror, non vitupero, sed si tanta cupiditas induendi arma solicitat, vt bello Galliæ fines è propinquo lacessamus statuo: quo hostium viribus ad defensionem patrii soli conuersis Neapolitani conatus debilitentur & de imperio Mediolanensi porro decedere contingat. Hæc mea sententia est si commoda vtimini, si contra syncerae voluntati detur venia. Quod placebit Rex consilium, id optimum iudicabo. Si traiiciēdi in Italiam sentētia stat, hac quamuis ætate, esse comes non recusabo. primus me itineri accingam, certus vitam & fortunas periculo potius quamuis graui obiicere, quam vt videar officio defuisse. Verum consultoris liberæ voces esse debēt, Principis ad audiendum patientes aures, libera diiudicatio. Magna assensione astantium Guterrii oratio excepta est, valida argumenta visa, dignaque ea prudentiæ opinione viro. Ea vulgata tamen, Episcopus quidam, cuius nomen non exprimitur, quamuis minime rogatus codicillum Regi vltro in manus dedit, hac ferme sententia verbisque. Quod nullo rogante consilium iniussus do, hæc siue temeritas siue licentia veniam mereretur. De re communi loquendi nulli, sit ille quicumque, facultas merito denegatur. Incommoda & pericula si sigillatim cuncta, vt Promagister fecit, siue examinanda, nemo rem arduam aggredietur. Neque agricola culturæ & sationis labores arripiat, neque nauclerus procelloso mari nauim committat, ac ne miles quidem cum tanto salutis discrimine induat arma, procedat in aciem. Nullus denique erit, qui si in difficultates omnes respexerit, suo muneri satisfaciat. Hęc est humanæ imbecillitatis cōditio, hac lege viuimus. Nihil magnum Deus aut natura mortalibus dat sine multo labore & sudore. Primam Regibus rei militaris curam esse nemini est dubium, militum delectus habere, exercitus regere, siue bellum defendendum sit siue hostis lacessendus. Ecquid aliud gladius quo es præcinctus significat, quam patriæ tutorem esse, quod sine bello non contingat. Ac ne id quidem quæstitionis est, commodius bella à Regibus quam per duces sint illi quicumq; geri. Regem ad bellum euntem prosequuntur ciues. summi, medii, infimi turpe ducunt domi residere, deliciis incubare, quorum Princeps in acie & in puluere atque in periculo pro communi salute, pro imperii dignitate versatur. Nemo quantauis dignitate tali ductore arma sumere recusat, cum plerique proceres æquali, aut fortassis minori obtemperare turpe ducant, atque eius ad arbitrium verti. Documento sit præsens tempus. Quis enim è numero procerum, rogo, ad bellum Neapolitanum est profectus excellēti quamuis eximiis dotibus duci data belli cura? Deinde pecuniam in stipendium, bellicos commeatus, ac cætera necessaria Rege præsente expedire prōptum est. Enatis difficultatibus facilius prudentiusque occurritur, absente consilia post res afferuntur inepta sæpe: quoniam auribus fideliores sunt oculi, & in horas agendi occasiones mutantur. Beneuolentia militum, qua nihil est in bello potentius, cognitione conciliatur & vsu: quippe homines militares canibus similes, vt Plato ait, domesticis blandiuntur, externis allatrant. In oculis principis, à quo præmia virtutis expectant, viri fortes leonibus pares euadunt, ignauos ad audendum pudor solicitat, metusque ignominiæ. Homerus quidem deos ipsos in pugnam inducit inflammare pugnaces iuuenum animos. Agamēnonem fingit etiam gregarios milites nomine compellantem. Alexander, credo, & Cæsar nunquam orbi iugum imperii imposuissent, si domi deliciis indulgentes res bellicas per vicarios administrassent. Quæ res imperium Romanum è culmine ad terram afflixit? sane principes belli tempore domi desides, ducum virtute confisi. Sed mittantur vetera. Mauri haud dubium hodie in Hispania viuerent, nisi ipse bello Granatensi interfuisses copiarum ductor ac totius expeditionis particeps. Carolus Galliæ Rex quanta celeritate suo in Italiam traiectu Neapolitanos domuit: eius discessu, quæ fuerant breui parta, ad veteres dominos redierunt. Regium corpus vt labore frangatur, verendum non est, si assuescas, emollitur molestia. Aulæ præterea obsequia, & ministeria, atque aliæ vitæ principalis commoditates nunquam desunt. Plausus quin etiam cunctorum, molestiam minuunt, armato atque inermi circumfusa omni ex parte multitudo theatri instar est omnium oculis in ipsum coniectis, laudibus celebrans quæcumque facit, laude vegetatur animus corpusque. Multo minus maris pericula moueant. quem enim Regem submersum vidimus? Quod si Alfonsus Rex, quo nos exemplo tantopere terrent, naualem pugnam recusare voluisset, nemo pugnandi necessitatem imponeret. Sui fiducia hostium contemptus vtrumq; exitiale malum, in ea præcipitarunt incommoda. Vnde tamen regia eum maiestas in maiorem gloriam euexit, viresque contra aduersarios nouas adiunxit. Quod si durum tamen videtur Regem interesse bello, incertæ præliorum sorti caput & sal-

uum obiicere, quid prohibeat Siciliam finitimam adire rebus eius inſulæ compoſitis, regio aſpectu ea gente recreata in belli Neapolitani apparatum diligentius incumbere? Hæc noſtra ſententia eſt verior fortaſſe quam grata multorum auribus. Verum ea remedia ſæpe ſalubria exiſtunt quæ acerbiora ægrotorum palato: neque vtilia ſemper quæ dulcia. Epiſcopi libertas pleriſque placebat, vera dicere videbatur. ii etiam qui contra tendebant magis nolebant quam non probabant ſententiam. Vicit tamen Promagiſter, quippe cunctorum auribus gratiora locutus cautiorque. Acceſſere Henricus regis auunculus, Aluarus Portugalẽſis, regio ſenatui Præfectus, Garſias Laſſus, Antonius Fonſeca, Ferdinandus Vegha magna auctoritate magnaque prudentiæ opinione proceres idem cum Promagiſtro iudicantes. Acceſſit per litteras Gonſalui in eam ſententiam ſuffragium victoriam haud dubiam ſuo ductu de hoſtibus pollicentis. Quæ aſſeueratio in magnis ducibus vituperatione carere non ſolet. Belli ſucceſſu nihil incertius. Metus profecto ex Gallia finitima oſtentati frequentes Regem ex Hiſpania abire tum quidem non ſunt paſſi.

Rurſus Galli ab Hiſpanis ad pugnam prouocantur.

Capvt XVI.

CÆſarauguſtæ Aragonii in Philippi & vxoris verba iurabant, res Hiſpanorum in Brutiis & magna Græcia in præcipiti erant. Siciliæ Prorex eo periculo permotus Meſſanam accurrit anguſto ab Italiæ ora diremptam freto. In ea vrbe militum externorum numerum legit, rebus inclinatis præſidium. Roma etiam Goliſani Comitis duo fratres Cardonii Hugo Ioanneſque relicta honeſtiſſima conditione, quam apud Valentinum obtinebant, ſuaſu Franciſci Rogii legati eodem appulerunt cum ducentis & quadraginta delectis militibus. Nec mora: cum ea manu aliiſque militibus, quos legere potuerunt è portu Meſſanenſi fretum in tempore tranſmiſere. Nam Meliti Comes Biſiniani frater Terranoua, quæ Thurium veteribus fuit, capta, arcem impugnabat ſupremo conatu. Hugo eo profectus Comitem, qui obuiam proceſſerat, acie ſuperatum obſidionem ſoluere compulit. Simul Salernitanum & Biſinianum Conſentiæ obſidione raptim dimiſſa reſarciendo detrimento in planiciem Terranouæ dilabi. Cõmiſſa ea pugna fuit quarto die priuſquam Emanuel Benauidius copias, quas ex Hiſpania vehebat quindecim nauibus, in Meſſanenſem portum inferret. Ea claſſe inter alios duces Antonius Leiua in Italiam venit ſtrenuus imprimis miles, ac deinde eximius copiarum dux prudentiæ & virtutis opinione maxima. Eæ copiæ breui tranſmiſſo freto ſe cum Hugone Cardonio & cæteris coniunxerunt. Contra Salernitanus & Biſinianus Melito, quo ſe receperant, vt is Comes cum ſeptingentis Heluetiis aliquanto equitatu, & maiori prouincialium numero Conſentiæ obſidionem repeteret, conſenſu decreuerunt. Suſcepta is demandata cura ad Motam Calameræ caſtra promouit Roſano diſſitum oppidum tribus modo millibus paſſuum, vbi Hiſpanici exercitus multo maxima pars ſtatiua habebat. Ii rati opprimi aduerſarios poſſe noctu ſtrenue facto itinere improuiſi ſuperuenere. dubia luce in oppidum inuadunt, & quoniam clauſum mœnibus non erat, momento temporis capiunt. Repentino in terrore hoſtes pars fugere, pars cædi. cum Comite pars maior ſeſe in arcem eius oppidi receperunt. Vim arci admouere non licuit cognito Obenignum cum omnibus copiis in ea loca delatum forte, an conſilio ad ferendam opem Comiti feſtinare propediemque affore. Hæ Hiſpanicæ copiæ Roſanum reductæ ſunt haud maiori operæ pretio facto. Alia parte Fabricius Geſualdus Conſæ Comitis filius, idem Amalfitani Principis gener Tarentino limiti pro Gallis præfectus cum manu militari ad vaſtandos eius vrbis agros progreſſus, Ludouici Ferreræ & Petri Nauarri, qui Tarentum præſidio obtinebant, accurſu iniquis ad tranſitum locis cæſis militibus omnibus, vix vt tres tantum euaſerint, captus Comes ipſe venit in poteſtatem. In Apulia reliqua eo maiori ardore bellum gerebatur, quod vtraque pars vectigal ex pecoribus, quo præcipui eius regni redditus conſtant, exigere à paſtoribus feſtinabat. Nec deerat egentiſſimus quiſque ex plebe ſpe prædæ fingere ſtudia partium. Conflictus peculiares varios & multos recenſere longum eſſet. Prouincialium ingens damnum, quando à Gallis & Hiſpanis certatim gentis miſeræ pecora diripiebantur. Rapiendi licentia miſericordiam non recipit. Duces partium accendendo bello acres, frænandis iniuriis impares. His malis vt occurreret Namurſius Canuſii, vbi erat, cum vniuerſis copiis decreuit Aufido impoſitum põtem euertere ad quartum à Barletta lapidem: quo ſublata Hiſpanis libera commeandi facultate, prædandi in Apulia modus eſſet, præſertim hibernis pluuiis inflato amne difficili vado. Obenignus item cum primum in Brutios peruenit,

peruenit, Terranouam vrbem occupare constituit. Mœnia erant infirma, neq; commeatus affatim ex ante conuecto comparati. Hispanorum copiæ, qui in ea vrbe erant, desperata defensione per montes ad aduersi atque Orientalis maris littora se recipere constituunt. Prudenter destinata Gallorum celeritas occupatis confragosis locis, qua iter erat, importune disturbarunt. Repentino in terrore Hispani pedites se in pedes dant: ex equitibus ad quinquaginta capti sunt qua grauis armaturæ qua leuis ac fere ex Antonii Leiuæ ala, qui in eis angustiis omnium prædicatione & fama eximii bellatoris laudem tulit. His rudimentis ad summum decus contendebat. E nostris plerique Giracium se atque in finitimas eo tractu arces ex pauore recepere. Secundum eam victoriam magna rerum commutatio facta est: ac fere Magna Græcia & Brutii Obenigno deditionem fecerunt mobili ingenio gens, fideque sæpe ex fortuna suspensa. Pugnatum est ad septimum Kalendas Ianuarii. Quarto post die Namursius vti erat constitutum, cum copiis ex statiuis egressus pontis Aufido impositi tormentorum ictibus mediam fornicem euertit, turrimque ex quo illac transierat semidirutam, qua pontis aditus claudebatur. Gonsaluus hostium consilio cognito, milites Andria haud exiguo numero euocauit. grauis festinanti eorum militum mora fuit. Sed iis tamen ad alias copias adiunctis celeritate correxit tarditatem. Itaque in hostium conspectum venit, retro conuersis vestigiis, vnde venerant, redire destinantium. Misso tubicine Gonsaluus Namursio renunciauit festinare se. proinde eius aduentum expectaret, si causæ confideret, se martis arbitrium non recusare. Respondit ille tum demum fore pugnandi copiam, si Gonsaluus Fernandus Canusium accederet, quam prope ipse Barlettam. Sic in Italia res erant, quo tempore Illicim appulsus Calabriæ dux inde Madritum abiit, vbi reges erant. Captiuo quamuis honores habiti non secus ac Regis filio, excipiendoque in vrbem principalis apparatus decretus. Exilii molestiam ablati regni dolorem iis blandimentis mitigare æquum erat. In Flaminia bellum Valentinus instaurarat pari conatu feliciori euentu quam ante. Kalendis enim Ianuarii salutis anno Millesf. quingentesf. tertio Senogallia vrbs detracta 1503.
Præfecti filio ex deditione venit in potestatem. In ea vrbe Franciscum Vrsinum Grauinæ ducem ad se vltro venientem, venturi securum cepit, vna cum Paulo Vrsino Vitellocio, & Oliueroto Firmensi viris primariis eximiis bello ducibus. Eo nuncio lætus Pontifex Romæ Vrsino Cardinali manus iniecit. Hæ molitiones eo pertinebāt, vt Columnensium exemplo, qui vitam calamitosam in exilio propagabant fortunis euersi, Vrsinorum porro familia opprimeretur, ditioque eius familiæ omnis in agro Romano Pontifici cederet, nulla memoria icti paulo ante cum ea gente fœderis, religionis in eo violatæ nulla cura. Perusiam paulo post Valentinus felicibus armis Pontificiæ ditioni restituit, Tifernumque. His successibus spe vasta & cupiditate elatus. Senenses preterea, Lucenses, Pisanosque liberas & validas ciuitates ad deditionem adiungere parabat. Galli tantum Regis metus frænabat ingentes spiritus superbiamque, earum vrbium patrocinio suscepto nacti opportunitatem copias militares è Gallia Neapolim vsque transmittendi, nullo qui transitum impediret, quod ad alendum bellum quod erat in manibus commodissimum putabat. Tametsi Florentinos inter & Pisanos bellum ducebatur. Pisanique Hispaniæ viribus cupientes arreptam libertatem tueri, superiori tempore se libertati incolumi in Regis Catholici obtulerant clientelam. Abnuit ille tunc, ne importuno tempore nouum ordiri bellum esset necesse, quod Galliam & Italiam in partes traheret, cū vtrisque committeret Hispaniam. Mutata deinde sententia cum ad spreta paulo ante consilia recurrere destinaret, occasio iam abierat, quæ momento temporis irreuocabilis labitur, populari voluntate nihil leuius, paulo momento in contrarias partes circūagitur. E Lusitania duo patrueles Alfonsus Franciscus Alburquerquii cum ternis quisque nauibus in Orientis oras missi sunt. Quanta rerum moles exigua hæc initia consequetur? Ab hoc tenui principio rudimentisque Alfonsus maxime in quantum ducem euadet?

Palicius ab Hispanis capitur. CAPVT XVII.

BArlettæ Magnus Gonsaluus rebus suis in arcto positis, varia atque contraria consilia in animo versare. Hinc in aciem prodire nisi Germanorum aduentu & auxiliis Hispanicis, quæ in horas expectabat confirmatus, certa vincēdi spe recusabat. Inde annonæ angustia solicitabat, compellebatque iis locis relictis pugnæ discrimen periclitari. Morbini enim, vbi Namursius, Canusii atq; Cirinolæ statiua habebat maior commeatus copia suppetebat. In ea cogitationū anxietate, vitatis extremis mediā tenere viam placuit. Diuisis enimuero copiis varias manus ad prædandum finitimos agros dimisit, consilium

salutare ad tuendam nominis existimationem militem exercendum, alendasque præda copias. Sed quantulum opis id erat in angustia? Sic ad octauum decimum Kalendas Februarii Barletta digressus Diegho Mendoza duce cum trecentis expeditis equitibus præmisso, qui vicinos agros Labelum vsque viginti quinque inde passuum millibus percurreret, vbi portorii Apuli bona pars redigitur, ipse ad quartum à Monorbino milliare castra posuit Gallis prohibendis si Mendozæ obuiam prodire tentarent. Haud incommode irruptio cecidit. Prædæ actæ latissime. supra quadraginta ouium millia domum auersa præcipuo agrestium damno luctuque. Ciriniola egressi ducenti equites cataphracti, sagittarii totidem, iuncti pari numero militum, qui Canusii erant, re cognita prædam Hispanis ablatum abierunt. Gonsalui copiæ occurrunt ex aduerso, intercipere iter Gallorum cupientes. Ne maius operæ pretium existeret imprudentia militũ factum est. locum aduersariis relinquerunt sese Canusium referendi paucis modo ex suo numero desideratis. Namursius neque priori incommodo neque noua iniuria irritatus in aciem prodire noluit. quo consilio exploratum non est, Hispanis certe cum præda se ad suos recipiendi facultas data. Post quatuor dies nunciato Palicium cum quingentis equitibus Barlettæ fines vastare acceptæ ignominiæ vindicta solamen. Gonsaluus & Dieghus Mendoza diuisis bifariam copiis locorum angustias insederunt: quibus Gallis necessario transitus erat. Equi casu in ipso egressu ad terram prostratus Palicius vlterius non est progressus. Vicarius tamen Mota nomine cum septuaginta qua equitibus, qua sagittariis prædatum porro pergens in insidias præcipitauit. Socii omnes præter duos qua cæsi, qua capti sunt. Mota dux viuus in Dieghi Mendozæ venit potestatem. Is in familiari sermone quamuis captiuus ingenio arroganti. lingua procaci in Italorum nationem probra conuitiaque iactare. Enecus Lupus Aiala contra idoneis argumentis Italos tueri, Galli conuitiis aduersari. Disputandi calore incensus Mota, si decem Itali cum Gallis totidem pugna decernere auderent, vna se cum aliis, vera esse quæ dixerat marte arbitro confirmatum edixit. Vagatus is sermo in castris (neque Gallus occultauit, neque sine arbitris fuit) prouocauit Italos, qui Hispanorum castra fortunamque sequebantur, vti Gonsaluum frequentes adirent. Iniuriam genti factam vniuersæ conqueruntur, vindicandi petunt facultatem. Idem flagitare Hispani quamuis nullo suo incommodo in sociorum iniuria se despectos tamen cogitantes. Annuit ille libenter decoris apprime tenax de virtute confisus Italorum. De loco certaminis, deque militum ab vtraque parte numero disceptatio fuit. Consensu Andriam inter & Quadratam septum pugnæ designatum, decretumque vt tredecim ab vtraque parte non amplius equites dimicarent. Idibus Februarii ad certamen est progressum. Prospectus in omnes partes erat, neque opportunus insidiis. locus Gonsaluus tamen cum copiis omnibus prope Andriam substitit iniuriam, sicunde existeret prohibere paratus. Iam Hispani, Galli, Itali ad spectaculum pugnæ eius frequentes exierant, incolæ studio visendi proximos campos & colles repleuerant. A delectis iudicibus vtrisque loca designata. Vehemens ventus flare cæperat Gallis aduersus propitius Italis quippe à tergo. Vt locorum mutatione exæquationeque ex obliquo ab vtrisque flatus exciperetur, postularunt Galli. Nihil impetratum tamen. Ergo infensis hastis concurritur, quas etsi venti impotentia Gallis omnibus excussit de manibus, nihil tamen aduersi accidit, nemo ad terram prostratus ne vllus quidem equus occisus. Ad gladios clauasque perducta pugna Gallis Itali longe superiores extiterunt, tum agilitate equorum obedientium, tum pugnandi dexteritate. Horæ spatio vno cæso, atque altero grauiter sauciato, Galli reliqui è loco certaminis pulsi victique sunt. Ex Italis vni tantum leue vulnus est inflictum. Victoria parta clari lætique victores Barlettam ea nocte redierunt duodecim captiuos præ se agentes, defensa gentis dignitate, vindicata procacis hominis contumelia nobilissimi. Excepti ab omnibus insigni plausu, à magno Gonsaluo ad cænam etiam adhibiti. virtuti atque felicitati debitus honos. Is euentus pugnæ fuit in paucis eo tẽpore celebratæ, nomina pugnantium vt sigillatim referantur operæ non est. Interea Ludouicus Ferrera & Petrus Nauarrus Tarento eductis copiis Castellanetam ex deditione, aliaque circum oppida vi aut voluntate occuparunt. Cum maioris rei oblata opportunitas est. Palicius qui se Aprutii Proregem ferebat & cum eo Amadeus Curtonus Sabaudi ducis vicarius Rubi morabantur decem & octo passuum millibus Barletta: cum iis supra quingentos pars equites grauis armaturæ pars sagittarii. Eos inuadere Gonsaluus oppido cupiebat, hostium aliorum vicinitas metusque ex eo retardabat. Commodũ Namursium cognouit abiisse spe Castellanetę recuperandæ. Amalfitanum cum robore exercitus Gallici Canusii substitisse. Rubum denuo centum quinquaginta

ginta equites missos augendo eius oppidi præsidio. Aduolat Gonsaluus cum mille equitibus peditum tribus millibus, & aliquot igneis tormentis sub noctem profectus ad octauum kalendas Martii, qui dies Mercurii fuit. Continuato strenue tota nocte itinere sub auroram Rubum improuisus accedit. Nec mora tormentis murus quassatur. Longum erat militibus expectare dum aditus prorsus patefieret globis ignitis strato muro. Iniussu scalis superare mœnia contendunt. Nullo ductore sibi quisque auctor incitatorque erat. Defendunt aduersarii acriter. Hispanos subeuntes contis saxisque deturbant: ac retro redire compellunt præter ignominiam tamen nulla alia clade. Tormentorum rursus continua iaculatione muri magna parte prostrata, ignominiæ prioris demendæ studio ardentiores milites feliciori quam ante conatu per ruinas & rudera in oppidum irrumpere parant. Defendunt rursus eximia virtute aduersarii. Pugnatur acerrime: multum effunditur sanguinis. Ad extremum victa defensorum constantia in oppidum penetratur. Recens iracundia sanguine expletur. cædes per vias ædesque factæ nullo militum & populi discrimine. E Gallis ducenti ceciderunt: multo plures vulnerati. Palicius quamuis capite sauciato fugam meditatus per auersam portam in limite captus est. Sabaudi Ducis vicarius se in arcem recepit sustentaturus dum maiora è propinquo auxilia aduentarent. Directis tamen eo tormentis maioris mali metu deditionem fecit sine exceptione ad victoris arbitrium. Capti sunt item multi alii viri præstantes cum magno rei Gallicę detrimento inclinationeque. Ex Hispanis pauci desiderati, neque quisquam magni nominis. Diegho tantum Mendozæ in oppidi ingressu lapidis ictu concussa galea sensum excussit nullo præterea maiori nocumento. Victoria parta direptoque oppido continuo se victores retulerunt in pacata, priusquam ad rei gestæ famam ex vicinis locis Gallicæ copiæ ad vindictam confluerent. Festinatio salutaris fuit. Namursius enim Gonsalui consilio indicato dimissa Castellaneta reuertebatur, vt iunctis cum Amalfitano viribus Rubi ad præsidium accurreret. Rebus perditis serus opitulator variatis consiliis neutri parti opportunus aduenit. Ex hoc plane tempore res Gallicæ aperte inclinare cœperunt exitio proximæ. Ac Præianes quidem miles Hospitalarius in prouincia Phocæensi natus, qui è Rhodo cum quatuor triremibus, duabus biremibus Gallis auxilio venerat, impeditoque Hispanis commeatu, captisque quibusdam nauibus Apuliæ littora infesta habere pergebat, victus est. Lezcanus rei nauticæ apprime callens cum quatuor triremibus Apuliæ littora ab hostili iniuria tueri iussus quingentis militibus in triremes impositis Gallum impugnaturus Brundusium versus nauigauit. Eius aduentu hostis territus consilio detrectandi certaminis in Hydruntis portum se intulit Venetorum, in quorum ea vrbs ditione erat, præsidio confisus sustentare posse. Nihil ea re moratus Lezcanus duas naues quæ extra portum in ancoris stabant, aliaque minora nauigia cepit, maiora moliebatur, in portum irrumpere. Creuit ex eo hosti terror. Ita ne tentata quidem defensione per noctem nautis & militibus expositis in terram atque nautica supellectile sublata, triremes biremesque cum tormentis submersit, ne Hispanus iis potiretur; quæ magna desperatio fuit. Villamarinus cui Præfecti maris nomen erat datum, in portu Messanensi cum aliquot triremibus ea littora tuebatur, quasi ex specula in omnes partes despectu quocumque vocaret necessitas paratus accurrere. Ad supplendum militum & nauium numerum Portocarrerii aduentum expectabat auide dudum ex Hispania profecti. Gonsaluus tamen vt continuo Apulię portum aliquem teneret, hortabatur. Emanuelis Benauidii exemplo veritus scilicet ne in Brutiis subsisteret, contra quam ipse mandarat, vt quam primum ad se festinaret viresque secum conferret. Ea parte bello profligato, vbi de summa certabatur, cætera in victoriæ partem facile accessura. Ludouico item Ferreræ & Petro Nauarro, qui Tarentum obtinebant, vt vires & ipsi conferrent mandatum est, tum Lezcano qui hoste profligato continuo quingentos milites in terram exposuerat, præterea Mazaræ Episcopo Calipoli curanti, profecto, vt cum sua quisque manu Barlettam aduolarent. Auctis ea diligentia viribus Hispanus cum hoste minus iam feroci signis collatis dimicare, vnoque prælio finem molestiis imponere & bello destinabat certa victoriæ spe.

Vasti Marchio Hispanorum partes amplectitur.

Capvt XVIII.

EAdem cura noua conquirẽdi auxilia Namursium Canusii solicitum habebat, eo amplius quod passim Galli milites ab Hispanis cædebantur magno rei Gallicæ detrimẽto

pari ignominia. Ad fanum Ioannis Rotundi Arriaran dux Manfredonia profectos ducentos Gallos nihilominus cæciderat. Parem hoſtium numerum acie fudere Ludouicus Ferrera & Petrus Nauarrus Tarento, vti erant iuſſi, digreſſi prope Grutallas tranſitu prohibere conatos, quinquaginta inſuper captiuis. Iidem vlterius progreſſi adiunctoq; Lezcano, Bitonti Marchionem quingentos tum equites tum pedites ad Namurſium, vt vires conferret, ducentem in conflictu victum ceperunt, cæſis Marchionis patruo Antonio Aquauiua eiuſque filio. Præterea Oliua Centurio Gallorum manum nactus pugna commiſſa trigintaque ex numero cæſis, cæteros fudit. Adhæc quinquaginta equites pedites ſeptuaginta Viſeli egreſſos vt Hiſpanorum pabulatores impeterent. Dieghus Mendoza, qui ſuis præſidio fuerat, momento in fugam compulit male mulctatos. Atque equites Viſelim præ metu redierunt equorum velocitate adiuti, pedites intra turrim, ad quam ſe receperant impugnati cæſique ſunt. His incommodis commotus Namurſius monet Obenignum vnaque Salernitanum & Biſinianum ſi rem Gallicam ſaluam cuperent, vt Brutiorum & Magnæ Græciæ oppidis pro præſenti copia munitis, ſtatuq; regionis compoſitis, ad ſe quam primum venirent. Cum hoſte feroci exultante ſucceſſibus vniuerſis viribus dimicandum videri. Ducis mandatis obtemperare non eſt viſum ſpem ſubiugandi penitus eam prouinciam, quæ ſe offerebat, prætermittendam non putabant. Non minori cupiditate Gonſaluus dimicandi cum hoſtibus ardebat haud ignarus annonæ difficultate creſcente indies, diutius in iis locis ſuſtentare non poſſe. Receptum fugæ ſimilem. magna in bello famæ momenta audaciam pro munimento fore. Veneta tamen nauis frumento onuſta Tranum appulit, qua Hiſpani ſunt potiti, exiguum leuamen. Sed ex Sicilia item quinque nauibus non vno tempore frumenti tria millia medimni allati ſubſidium famis maius, præſertim pecorum adiuncta frequenti præda ex vicinis agris. Aprutii vrbes ac nominatim Aquila gentis caput ad fœdus Hiſpanum iam dudum erant propenſæ. Arcano hæc agitata dum maturum eſſet, tegebantur. Capua quinetiam, Atella, Salernumque à Gallis defecturas ſe pollicebantur, tracturæ in defectionis ſocietatem finitimos. Conſtitutum, vt quam primum Hiſpanorum copiæ in apertum progrederentur, omnes eæ vrbes Gallica inſignia tranſitionis argumento Hiſpanicis vexillis mutarent. Muri Comiti venia eſt data merito quamuis grauia ſupplicia, qui primus in Lucanis vbi ditionem obtinebat Gallicas partes palam fouiſſet multis, vt idem facerent, auctor exemplo voceque. Salernitano parum fidebatur ad Hiſpanos tranſitionem pollicenti, expetentique adeo in coniugium Gonſalui Magni filiam ſanioris mentis indicio. Explorata multis & magnis in rebus viri inconſtantia dictis detrahebat fidem. De Amalfitano haud certior ſpes, facturum quæ pollicebatur, velle ad Hiſpanos tranſire. Maiori rei Hiſpanicæ commodo certiori fide Enecus Daualus Ænariam ſuæ ditionis inſulam, ſeque Regis Catholici palam obſequiis adiunxit haud leui ad victoriam adiumento. Origo illi ex Hiſpania fuit. Enecus Daualus Roderico Daualo equitum in Caſtella Magiſtro natus præcipua apud Reges Neapolitanos gratia & auctoritate Antolenam Aquinatem duxit Bernardi Gaſparis Aquinatis Piſcariæ Marchionis & Montedoriſi Comitis filiam & hæredem paternæ ditionis. Ex hoc coniugio Alfonſus Daualus natus eſt Piſcariæ Marchio, quem per fidem colloquii Maurus in obſidione arcis Neapolitanæ peremit infante relicto, cui Ferdinando nomen fuit. Alteri Eneci filio (quem Zurita Martinum vocat) Montedoriſi principatus obuenit nulla præterea laude. Minor duobus Enecus Daualus extitit, cui Fridericus Rex accedentibus annis operæ impenſæ præmium vaſtum dedit Marchionis nomine iure hæreditario Ænariæ imperium dum viueret, inſulæque prouentus omnes, ſecturas aluminis, atque arcis præfecturam. Horum procerum duo alii fratres fuerunt Rodericus, Emundusque vti alio loco dictum eſt, tum ſoror Conſtantia nomine Serræ Comes primum, deinde Francauillæ dux lectiſſima fœmina. Ergo Marchione promerendo datum, vt ad omnia quæ Regum priorum dono poſſidebat, Prochytam inſulam adiiceret, cataphractis centum, leuis armaturæ equitibus ducentis ſub ea ſtipendia regia darentur. Ferdinando item fratris filio Piſcariæ principatus eſt confirmatus, nomenque Regii cubicularii ſuo antea patrique à prioribus regibus datus honos. Cautum præterea, ſi Hiſpani eo regno pellerentur, idonea opum compenſatio in Hiſpania eſſet. Honeſtiſſimæ conditiones, ſed maiorum Enecique ipſius virtuti & meritis conſentaneæ. Iis rebus conſtituendis non pauci menſes ſunt conſumpti. Ea vero cauſa extitit non ante profeſſi ſtudii in Hiſpanos, quo alioqui erat ardenti, à Gallis penitus auerſus. Eneci filius Alfonſus, Piſcariam tandem Ferdinandi patruelis fine prole in flore

in flore ætatis atque in medio felicitatis cursu importuna morte extincti ad Vasti principatum adiunxit. Nepotem eiusdem Ferdinandum Piscariæ Marchionem annis superioribus Proregem Siciliæ vidimus, quo tempore in ea insula versabamur, ducta Mantuani sorore nobilissima, amplissima dote. Verum quo tempore Vasti Marchio se suaque Regis Catholici fidei permisit, Aquilera miles sacer vir impiger & bellicæ compos laudis, trecentos milites in Crotonis portum intulit auxilium à Francisco Rogio legato Roma opportune destinatum. Gometius item Solisius Consentiæ arcem obsidione liberauit vrbemque vi cepit, pulso Meliti Comite numero quamuis militum vinceretur ac vix quartam hostium partem exæquaret. Eo maior gloria, dedecus hosti, de Gallis ad Rubum captis disceptatio tenuit magno animorum motu diu vtrinque agitata. Conuenerat inter vtrosque vt bello modeste gesto quippe inter Christianos, equiti capto equo & armis detractis libertatem redimere fas esset annui stipendii quarta. Ceperant Galli diebus superioribus Theodorum Bocalum Epirotarum equitum ducem, Dieghum Veram rei tormentariæ magistrum, atque Escaladam centuriæ Hispanorum præfectum, aliosq; ad triginta. Et cæteros quidem missos fecerunt qua lege & pretio erat constitutum; retinuere tres modo causati duces eos esse, neque debere communi lege comprehendi: quorũ esset dignitas maior eximendos à vulgi conditione videri. Nunc quasi sui obliti postulabant tamen Gallos ad Rubum captos pacto prius pretio dimitti, scilicet non considerantes viros primarios esse, plerosq; etiam ordinum ductores. Præterea Gonsaluo renunciatum, legem eam militiæ Neapolitanæ, quarta stipendii equitem captum redimi, non extendi ad eos qui in iusto prælio, aut oppido per vim capto venissent in potestatem. Consulti milites veterani nobilesq; prouinciæ prouectæ ætatis consensu, non aliter prouinciæ moribus esse obseruatum vero an ad gratiam curiose inquirendum non arbitror, sed responderunt tamen. In eam certe sententiam Gallis responsum est datum: captiui vti de libertatis pretio cum iis constituerent, in quorum potestate erant: neque communi cæterorum priuilegio se tegerent. In quo non lucro paucorum consultum arbitror: sed ea excusatione cautum ne prælio viri pugnaces apprime interessent, quod vt res se dabant breui de summa rerum futurum videbatur.

Pax a Philippo Principe in Gallia pacta.

Capvt XIX.

Philippus Princeps discedendi ex Hispania certus ex Rege socero enixe cupiebat cognoscere, vellet per conditiones arma ponere cum Gallis instaurato fœdere: sibique potestatem esse paciscendi si forte Rex Gallus æqua videretur appetere. Recusauit initio Rex Catholicus vtrumque siue genero non satis fidens, multo minus eius aulicis, quos ad Gallos esse propensos multa indicabant, siue amicorum in Italia animos debilitare metuebat, si se conscio & volente generum principem per Galliam iter habere vulgaretur. Dedit tamen in eam rem angusta certe mandata, quæ transilire nefas esset. Profecto tamen eo Bernardum Buillium Abbatem iisdem vestigiis sequi iussit, testatoque descriptam paciscendi formulam ad eum perferre, qua ampla potestas continebatur finiendi pace facta controuersias. cum eo ne delegatæ potestatis exemplum communicaret cuiquam præter principem ipsum iuratum arcani fidem: ac ne Principi quidem Schedam crederet, si præscriptæ formulæ fines transgrederetur. Quo in Apulia tempore & magna Græcia arma mouebantur ardore quo vnquam maximo, Compluti ex Ioanna principe paulo post discessum viri filius est natus ad sextum Idus Martii, cui fuit Ferdinandus nomen, imperium & ampla regna annis accedentibus. Abluit infantem sacro fonte aquis salutaribus Toletanus susceptoribus Anagari Duce, & Villenio. Lugduni Rex Gallus & Rhotomagensis Cardinalis in Gallia Pontificis legatus aduentu Philippi principis continuo de fœdere sanciendo consilia agitarunt. De conditionibus disceptatio erat. Datæ potestatis fines & paciscendi formam ex Hispania missam negligi videbatur. Buillius Philippum Principem monet, ne suo Rege inscio quidquam nouaret, cassa fore contra eius decretum inita pacta. Ea monita vocesque contemnebantur: ac ne facta quidem potestas est nunciandi Regi Catholico per literas mutatis ad celeritatem equis, quæ agebantur. Mirabilis confidentia. coegerunt etiam minis atque terroribus concreditæ potestatis exemplum vt publicaret. Principi ipsi iniecta necessitudo est paciscendi, quoniam in Galli potestate erat. Aulici quoque homines Belgæ fœdus maturari cupiebant moræ impatientia, Regis in eo Catholici voluntate neglecta. Pecunia gallica corruptos fama vulgauit in deterius semper prona hominũ

perſuaſione. Initi fœderis ſumma duarum rerum optione continebatur. Rex Catholicus Carolo nepoti attributam regni Neapolitani partem cederet, Gallus Claudiæ filiæ quaſi pacti coniugii dotem inter infantes ineundi maiori vtriuſque ætate. Cum eo vt Catholici pars penes ſequeſtrum eſſet Philippum generum, aut quos ipſe nominaſſet: Gallus retineret ſua. Audax negotium dicerem impudens conatus. Neque magis æquum quod ſequitur. Si ea conditio minus placeret, vterque Rex attributas prouincias in priori fœdere poſſideret, Capitinata de qua præcipua lis erat, ſequeſtro daretur conſenſu deſignando. Fœderis vtraque pars Gallis erat propitia. Hiſpano aſpera, quando in altera Gallo ſua retinente Ferdinãdo detrahebatur, quod obtinebat, Hiſpanis præſertim ex ea prouincia deturbatis, quod ea gẽs imprimis cupiebat, ſi id contingeret reliqua prona fore perſuaſi, altera conditione ſuſcepta lis in eodem ſtatu perſtabat, nulla maiori ex eo tranquillitate: ne ſpe quidem vt in vnum ſequeſtrum conuenirent. Quis enim aut vnde neutri partium addictus? Interea Rex Catholicus Cæſarauguſtam redierat ad diſſoluendum gentis conuentum qui eatenus tenuerat. In ea vrbe ineunte Aprili menſe Regi præſenti decreta auxilia ſunt in bellum Neapolitanum ducenti grauis trecenti leuis armaturæ equites triennii ſpatio: adiecta lege, vt duces & milites ex ea gente legerentur. Breui ergo delectu habito mandatum omnibus, vt ad fines Ruſcinonenſes accederent, propter belli terrores ea parte ex Gallia oſtentatos. Britanniæ enim Mareſcalus & Dunenſis Comes cum ordinariis Galliæ militibus Carcaſonem confluebant, quo loco ex aliis gentibus copiarum concurſus erat futurus. Tanti apparatus quo pertinerent, dubitabat nemo. Tuendo limite Rex Catholicus copiis ſuis vt ad Figueras oppidum præſto eſſent limiti vicinum edixit: ſimul Sanctius Caſtella Ruſcinonenſi tractui Præfectus vir eximie fortis & cautus oppida & arces ad vim hoſtium ſuſtinendam muniebat, metu ne impendens tempeſtas imparatum opprimeret. Rex ipſe eodem accedendi voluntate Populetum delatus, in eo monaſterio Buillii, Abbatis litteras accepit renunciantis quod erat ipſe veritus, vim Philippo Principi minaſq; intentari, niſi in fœdus conſentiret, quamuis contra formam ab ipſo præſcriptam iniquum & graue. Reſcripſit Rex quid facto opus eſſet. Nihil profectum tamen ea diligentia. Voce præconis Lugduni euulgato fœdere Philippus Princeps Ioannem Hedinum aulę metatorem, Gallus Eduardum Bullotum in Italiam dimiſerunt, vt pro ſe vterque Gonſaluo & Namurſio confectæ pacis gaudium ingens videlicet nunciarent: & quod erat conſequens ſuorum Principum nomine mandarent poſitis armis ne in bello vltra procederetur. Sic Philippus in Allobroges abiit cum Margarita ſorore & Sabaudo Duce eorum inuitatu Chriſti in vitam reducis memoriæ dicatos dies celebraturus. Hedinus & Eduardus feſtinato per Romam itinere, lociſque omnibus factam pacem euulgantes Barlettam peruenere in ipſo procinctu prælii: cuius ſorti duo duces rerum ſummam permittere decreuerant. Gonſaluus imprimis aduentu ex Germania militum quingentorum ſupra duo millia lætus, victoriæ ſpe certa. iis ſupra Venetias ad Tergeſtum conſcenſa claſſe emenſoque nullo prohibente mari ſupero ad quartum idus Aprilis Manfredoniam appulere. Dedit Hedinus Gonſaluo litteras, quibus Philippus Princeps Regis Catholici nomine arma vt ponerentur, mandabat, pacem factam ne bello importuno violaret obteſtatus. Reſpondit (à ſuo Rege per litteras monitus Philippum per Galliam iter facere, ſi quid forte de pace induciiſue præſcriberet, iniuſſu ſuo ne quidquam mutaret) res in eo eſſe ſtatu vt Principis mandatis obtemperare integrum non eſſet, niſi Rege prius cõſulto quid in eo rerum articulo facto opus eſſet. Conſilia res magis hominibus dare, quæ in horas variantur, quam homines rebus. Gallos priores ſumpſiſſe arma: nunc re Gallica inclinata nefas eſſe importuno fœderi dare aures. Scire quod conſilium captare ipſe deberet: Ac vero Namurſio coram conueniens datum reſponſum. Sic factum. Rex quoque Catholicus ab eo fœdere auerſus animo, vt ſatisfacere omnium votis videretur, de reſtituendo in Neapolitanum regnum Friderico exule Rege per legatum rurſus egit. Verum Gallus ne facta quidem de ea re conueniendi poteſtate, legatum cum ignominia repulit. pactæ concordiæ Hiſpanos non ſtare tulit ægerrime, gnarus modicas vires eſſe ſibi, aduerſarium præualidum.

Obenignus victus & captus. CAPVT XX.

CLaſſe inſtructa Ludouicus Portocarrerius è portu Carthaginis nouæ ſoluerat dimidiato menſe Februario. Minime idonea tempeſtate profectos gemina procella diſiecit, prius ad Narbonenſem ſinũ, deinde in Panormitano littore. Velox tamen nauigatio

fuit,

fuit, viginti diebus nulla deſiderata naui Meſſanenſem portũ tenuerunt, magnis quamuis laboribus toleratis incolumes. Qua parte copias exponerent, diſceptatum in ea vrbe eſt. Quidam Gonſalui præceptis obtemperandum dicere, neque conſiſtendum priuſquam ad Apuliæ oram ventum eſſet, vireſque conferrent cum reliquo exercitu. Ludouico Portocarrerio importuna nauigatio viſa eſt præſertim milite aduerſa & lõga nauigatione iactato. Rhegium ergo traiecit, bellum ea parte geſturus, vti in Hiſpania miſſum erat. Obenignus poſt victoriam de Benauidio & Hugone Cardonio partam ad Motam Bubalinam cum copiis conſiſtebat, ſpe Giracium ſine vulnere obtinendi Hiſpanis fame ad deditionem adactis, qui è ſuperiori clade ſuperſtites magno ſe numero in id oppidum ad præſidium receperant. Biſinianus in ditionem abierat: Salernitanus & Meliti Comes Neapolim. Decreuerat Portocarrerius copias in aciem producere: eoque conſilio milites recenſuit cum lethali febri importuno tempore correptus eſt. Vis mali augebatur in dies, vt medici deſperarent. Ante obitum duces partium aliquot egregios Terranouam occupaſſe cognouit, vrbem cũ multis aliis oppidis claſſis aduentu nunciato à Gallis deſertam. Obenignum cognito eius morbo cum copiis continuo accurriſſe grauique obſidione premere mœnibus haud firmis ſalutem tuentes exigua ſpe niſi aliunde venirent auxilia, quoniam vincebantur numero, premebat inopia. Eo motus periculo Portocarrerius Fernando Andradio pro ſe ſubſtituto equitatum peditatumque mittit obſeſſis auxilium. Præfecto item maris Villamarino, vti triremes Gioiam admoueret præceptum eſt, quaſi mari terraque copiæ obſeſſis opitulatum mitterentur; ſi territi ea ſpecie aduerſarii deſiſterent. Feſtinarunt noſtri cognito obſeſſos annonæ inopiæ laborare ſuprema. Semenariam promota caſtra. Obenignus Terranouæ ſuburbiis relictis ad vicinos pagos abſceſſit. Sic Andradius ſoluta obſidione ſatis ſe profeciſſe ratus Semenariæ cum copiis ſubſtitit. Noui eo milites confluxere ac imprimis Benauidius, Antonius Leuia, Gõſaluus Daualus, Hugo & Ioannes Cardonii, quiſque cum ſua peculiari manu operæpretium facturi. Ex iis omnibus idoneo exercitu quamuis conflato, Melitum tamen redire deſtinãtes, Hugo ne pulcherrimam occaſionem, quæ momento præteruolat, ignauia prætermitterent hoſtis delendi auctor erat. Prudentes duces oblatam opportunitatem auide arripere, neque inutili cautione certam victoriæ ſpem corrumpere: cuius negligentiæ è veſtigio ſera pœnitentia ſubſequatur. Cunctatione rem Gallicam creſcere, aduentare auxilia vndique: nec collectitium militem, ſed veterem & aſſuetum armis. Excuſauit tamen Andradius prœlii committendi denegatam expreſſe facultatem. Quod voluntate tamen facere recuſauit, caſus paulo in neceſſitatem vertit. Obiit interim Portocarrerius. Corpus Meſſanæ in æde maxima amplo funere tumulatum exaduerſum Alfonſi Neapolitani Regis eo loco ſepulti. Eius obitu inter duces nonnulla diſceptatio extitit, quis defuncti in locum cæteris omnibus imperaret. In ſuis meritis æſtimandis nimium ſibi fauet ambitio mortalium. Arbitrio Proregis Siculi controuerſiam finire placuit. Ille defuncti voluntatem ſecutus denuo Andradium ſummum ducem nominauit. Cardoniis fratrib. ea nominatio moleſta accidit imprimis: neque moderari linguam viri alioqui modeſti, nimis molliter pati dolorem; exiguo vſu iuuenem præferri ſibi neq; generis nobilitate præſtantem, & minori multo armorum vſu, nulla gloria militari. Vicit tamen in generoſis animis dolorem de ſuo Rege benemerendi voluntas, officiiq; ratio, vt cum cæteris conſentirẽt. Ardebant Hiſpani cupiditate cum hoſtibus iuſto prælio confligendi. Vtraque caſtra vicina erãt, modico dirempta interuallo. Non minus ſe pugnæ cupidum Obenignus oſtendere memor ſuæ dignitatis & Gallicæ gloriæ. Miſſo tubicine aduerſarios prouocat ad certamen. Excuſauit Andradius accepti mãdati memor. Metum interpretatus hoſtis & quoniam Hiſpanos milites ægre ferre cognouerat ſtipendia non ſolui, in ſuperbiã elatus Roſano & Gioia eductis copiis propius Hiſpanorum ſtatiua promouit caſtra; ne dubitauit quidem ſe in Semenariæ conſpectum dare. Vadato flumine longius æquo per eam planiciem proceſſit magna Hiſpanorum ignominia probroque. Calæcos paulo ante tumultuantes quoniam ſtipendia nõ ſoluebantur, breui duces placarant gemmis priuatim ac reliquo cultu diuenditis, pretioq; inter milites diſtributo. In Gallico exercitu trecenti grauis, ſexcenti leuis armaturæ equites erant, mille & quingenti pedites, ſupra tria millia vicani numerus magis quam robur. Hiſpanorum copiæ competenti inſtructæ ordine Semenariæ egreſſæ octingenti equites pedites ad quatuor millia exultanti hoſti proceſſere obuiam certa pugnandi voluntate. Detrectato Obenignus contra opinionem certamine Gioiã copias reduxit. Inſtitere è veſtigio aduerſarii oppidum impugnare, aut ſi Gallus in aciem prodiret, ſigna conferre deſtinantes, certe perculſos vrgere, quoniam metus confeſſionẽ expreſſerãt. Leuia fuere certamina haud memorabili in alterutrã partẽ euentu.

Irritatis tantum animis sibiq; fidentes vtriq; ad vndecimum Kalen. Maii, qui dies Veneris fuit, quasi ex composito atque antecondicto copias in aciem produxere. Obenignus suos ad pugnam inflammabat, ad memoriam reuocata victoria quam iis locis se duce annis superioribus obtinuerant de Ferdinando Rege Neapolitano Gonsaluoque. Qui numerosum exercitum & validum iis ductoribus, milites, virtute profligastis; quantumque Gallica gens aliis nationibus præstet vigore animorum, scientiaque pugnandi, documento fuistis: an æquum videatur paucos inermes, seminudos Hispanos, neque satis inter se consentientes metuere? laudi & gloriæ partæ imponere maculam? Auertãt numina tantum nefas, neque patimini milites dedecus graue morte ipsa & sanguine procurandum. Is in pugna potius animus esto, qui victoribus esse debet, excelsus & magnus. Ergo in hostes impetum date memores nobilitatis vestræ, memores gloriæ & nominis Gallici. Hæc Obenignus dixit. Agmina per planiciem progrediebantur. Pars vtraque auerso sole inchoare pugnam satagebat, ne eius radiis oculorum acies obtunderetur scilicet. Hispani hac mente paulo superius traiecere fluuium. Galli metum fugamque interpretati perturbatis ordinibus in pugnam inuadunt. Neque magis ex disciplina tormentis globos displodunt nullo fructu nullo hostiũ detrimento, non minus fortuna Hispanis sæpe in hoc bello quam ratio affuit. Hispanæ acies in hunc modum instructæ erant. Læuum cornu tenebant. Hispani pedites Italique, dextrum equites expediti, mediam aciem cataphracti. Ab his ea impressio facta est qua Gallos fere omnes infensis auulsos hastis ex equis deturbarunt. Secundum Gallorum agmen, vbi pedites curabant, eo spectaculo territi ne tentata quidem pugna verterunt terga. Nostri fugientibus insistere vsque ad Gioiæ portas, quo se maior pars ex fuga recepere͂t. Capti pleriq; omnes Galli duces. Intra Gioiam Honoratus & Alfonsus Sanseuerini, hic patruelis ille frater Bisiniani, deditionem compulsi fecerunt. Obenigni fortuna eadem fuit. Intra Angiti arcem, quo se receperat, impugnatus acerrime in victorum potestatem viuus venit. eius captiuitate nihil de victoriæ gloria aut communi Hispanorum lætitia diminutum, si hostis maxime infensus & importunus fuga euasisset. Victoria in paucis ea ætate celebris fregit Gallorum animos. Brutii & magna græcia vniuersa momento temporis ad Hispanos inclinarunt, eiusq; imperii iugum volentes nolentes susceperunt. Nihil præterea deditis grauius imperatum.

Magnum ad Ciriniolam prælium. Caput XXI.

ANnonæ difficultate anxius Consalui animus in diuersa & contraria trahebatur. Tribus amplius diebus iis locis sustentare non licebat: neque facultas ostendebatur aliunde rei frumentariæ. Ne eo tractu oppida ad hostes auerteret verebatur scilicet, famis malum cunctos ex æquo premens. Hostes ad pugnam elicere fore optimum visum est: vnoque prælio si minus victoria certe morte ex iis difficultatibus euadere. Eo consilio Ciriniolam, seu Gerionem mauis, ducere oppidum haud satis firmum, sed multis in arce militibus præsidiariis munitum: quod caput erat à Gallicis castris sed modo passuum millibus positum. Ex eo pugnæ copiam fore suspicabatur: impugnati in oculis oppidi ignominiam Gallos non laturos. Sub discessum equitibus geminos aureos per capita distribuit, peditibus aureum dimidiatum, exiguum inopiæ leuamen. Sed tanta inerat pugnandi cupiditas, tantus animorum ardor, vt debita multorum mensium stipendia nemo flagitaret, nulla seditiosa vox audiretur totis castris. Die primo sub Cannis clade olim Romanorum nobili vico secundum Aufidi fluminis ripam Hispani constiterunt. Aberant hostium castra tribus modo passuum millibus. Cum luce proxima instituto itinere Ciriniolam pergere porro instructa acie propter hostium propinquitatem. Fabricius Columna & Ludouicus Ferrera cum præcursoribus præcedebant. In prima acie Dieghus Mendoza curabat duobus Hispanorum peditum millibus attributis ferox. Medium agmen Dux Termenstinus ducebat ducentis cataphractis & duobus aliis Hispanorum peditum millibus constans. Cum Germanis cataphractis aliquanto numero, & leuis armaturæ equitibus in postrema acie substitit. Magnus Gonsaluus vim hostium, si à tergo premerent, propulsare paratus. Regio arida erat imprimis, diei æstus maximus, longius opinione iter. Militum defatigatio tanta, vt siti è cataphractis nonnulli exanimati perierint repente vi ardoris interclusa anima, è Germanis item non pauci Hispanisque peditibus. Cognita Galli nostrorum lassitudine angustiam alienam suam occasionem facere destinantes hærere in terga ac vero vniuerso prælio dimicare statuunt. Eo consilio ex statiuis egressi quingenti grauis armaturę equites, leuis ad duo millia erant, quatuor millia qua Heluetii qua Vascones ex Gallia. Acies hoc ordine instructæ. Salernitanus in prima acie ducentos cataphractos ductabat pedites bis mille. Postremum agmen Amalfitano tributum est: in quo equitum turma erat, mille

vicani

vicani prouinciales paucissimi Vasconum numeri. Cum reliquis copiis mediam aciem obtinebat Namursius inscius nimirum ad exitium festinare. Nostri peditatu superiores erant, nisi sitis & ęstus fatigarent. Hostium equitatus potior videbatur armis equisque validior. Ad hunc modum instructis ordinibus Galli postremum nostrorum agmen lacessere, instare atque vrgere locis omnibus nullo ad respirandum spatio dato. Nostris cum molestia itineris & cum hostibus luctandum erat. Fessi ęstu passim sternunt corpora & infrequentia relinquunt signa. Ciriniolam vbi castra munita nostri habebant, peruenire nisi amissis impedimentis, magnaque peditum clade fas non erat, multis toto itinere ad terram proiectis præ siti æstuque. In iis angustiis Gonsaluus nihil perturbatus, ingens animus, equitibus mandat vt equorum clunibus pedites exciperent, qui maxime laborarent, exemplo ipse excitat alios, potum quin etiam deficientibus porrigit propria nonnunquam manu. Ducis constantia cæteri animati ad castrorum tandem locum peruenere. Nulla eatenus insignis accepta clades. Dies in noctem præcipitabat vix duabus horis reliquis ad solis occasum. Cum se Gallicus equitatus prope ostendit, integris formidabilis, quid ęstu, siti, labore debilitatis? Ex metu audacia orta est. Intra munimenta acies momento instructa certa pugnandi voluntate. Ad circumfusas legiones priusquã pugnæ signum daretur, Gonsaluus hac sententia orationem habuit. Militaris gloria, viri nobiles, ex victis paratur hostibus. Victoria sine labore & periculo non contingat. Molestiis multis & magnis assuetos an mutare æquum sit? Suscepti antea laboris & miseriæ fructus vberrimus ostentatur. Adeste milites animis, omnis facessat ignauia. Causæ, quam tuemur, æquitate, si maxime viribus hostes vincerent, de victoria tamen nõ diffiderem. Nunc rebus omnibus præstatis numero, scientia pugnandi, animorum vigore, vincendi consuetudine. Galli quid aliud quam præda victoribus? & tamen quod roboris sit, Itali nobiscum palam aut voto stant. Auide deposcebatis hostem: an pugnandi necessitudine iniecta cessatis, exhorretis certamen? Tantam superi ignominiam auertite. Hic dies, si viri estis, diuturnis molestiis finem afferet. In dextris opes, gloriam, superioris temporis fructum, instantis lætitiam, futuri felicitatem portatis. His dictis pugnæ signum datur. Namursius propter diei tempus in proximam lucem sustentare voluit. Iuo Alegrius vt continuo pugnaretur euicit ferox rapidusque in consiliis ac lingua immodicus. Blanditur sibi humanus animus sæpe concepta temere spe. Victus ea importunitate Namursius, Huc, inquit, arma puer. Quam vereor ne hic noster incitator maiorem in equi pedibus spem, quam in dextra ponat. Præsagium vanum non fuit. Tredecim ab vtraque parte tormenta maiora erãt. Displosa prius Gallica maiori fragore quam commodo. Hispanica late stragem quippe ex superiori loco librata in Gallorum agmine fecerunt. Verum ne maior esset clades Itali militis errore factum est: qui victos Hispanos imprudentia ratus pulueris sulphurei cados duobus curribus gestatos raptim incendit. Magna militum turbatio fuit. Latissime diffusa flamma plerique putarunt Hispanorum res esse perditas. In eo discrimine Gonsaluus præsenti animo hilari facie ad circumstantes. Bono, inquit, estote animo, datur cælo clara victoria, pręclarum flamma omen quasi incensis ad eam celebrandam facibus. Namursius clade incitatus, quam nostra tormenta intulerãt, sine mora in aduersarios incurrit, cum octingẽtis cataphractis. Hispanorum pedites in fronte erant dispositi, grauis armaturæ equites ab vtroque latere, obiecta fossa. Quæ res Gallos equites fefellit non satis discusso tormentarii pulueris fumo, qui velut atra nebula cęlum absconderat, coegitque nullo operæpretio retro se in gyrum referre. Nullum in conflictu leue peccatum est. Exiguæ sępe offensiones reliqua in præceps trahunt. Receptus multis equitibus exitium attulit. Germani milites ex propinquo plumbeis eiaculatis igne globis multos è Gallico equitatu prostrarunt ipsumq; adeo summum ducem. Sequebantur cataphractis proximi Heluetii & Vascones in hos è munimentis egressi Hispani pedites eum impetum tulerunt: cui pares hostes non fuerunt, cęsi fusique passim. Salernitanus & Amalfitanus, qui eo die in postrema acie curabant, promouerunt agmina si turbatis suis præsidio essent. Occurrit magnus Gonsaluus qua virtute quoq; vigore erat solitus. Singuli in sui ducis oculis strenue pugnabãt, ne ignauis quidem cessandi locus erat. Omnibus partibus sternebãtur Gallicæ copiæ cęde promiscua, multum locis omnibus effunditur sanguinis. Hispano vrgente breui fusa hostium agmina hærent in terga victores, insequunturque victos cum magna fugientium strage vsq; ad castra sex millibus dissita. Quæ & ipsa momento temporis capta sunt cum epulis ad cœnam paratis opipare, quibus Hispani opus habebant, continuo eius diei labore fracti, & annonæ ante penuria pressi. Copiosa spolia fuere aurum, argentum, multaque pretiosa vestis, scyphi sigillati, annuli gemmati, baccata monilia muliebrem cultũ æmulãtia.

Italię opes rapinis longo tempore accumulatę. Cædes minor quam pro victoria. nox & vicinæ syluæ effugium perculsis præstiterunt. Pugna hæc nobilissima ad quartum kalendas Maii commissa est die Veneris. Cecidit inter alios in primo incursu Namursius ipse dux; quem Gonsaluus Barlettæ ad D. Francisci insigni funere sepeliri curauit, honos extincto debitus leue superstitibus solamen. Cecidere item Morconis Comes, Chandiusque Heluetiis præfectus cum omnibus fere eius gentis centurionibus. Salernitanus Amalfitanusque & Lochiti Marchio acceptis in pugna vulneribus euasere tamen fuga: Alegrius quoque, vti Namursius erat vaticinatus. Metus pudore potentior. Gallica tormenta capta omnia & pleraque militaria signa. Quieuerunt ea nocte victores læti exultantesque. Die proximo Ciriniola portas aperuit præsidio se dedente ad victoris arbitrium. Idem trecenti milites fecerunt, qui ex fuga eius oppidi arcem tenuerant. Canusium item infulas & velamenta supplicum prætendit insignibus distincta Hispanicis. Præcipuam in ea pugna laudem omnium confessione tulerunt Hispani pedites; nam Germani præter grandinem globorum in cataphractos Gallos intio eiaculatam, in nullo deinde vsu fuerunt, alienæ pugnæ spectatores otiosi. Ante omnes ex Italis Dux Termenstinus excelluit. Ex Hispanis Dieghus Mendoza, de quo magnus Gonsaluus, eo die, inquit, operatum vt suorum auorum ex sanguine. Cæsis sepultura data. inuentum è Gallorum copiis tria millia & trecentos cecidisse nihilominus. Ex Hispanis in pugna nouem tantum desideratos, neque vllum magni nominis. Plures in itinere sitis extinxit. Mille quin etiam & quingenti ad aquā in puteis quibusdam forte repertam sine mente fusi ac sine vllo sensu iacentes ad ordines vt redirent, adduci nulla arte potuerunt.

Quo ambiguo magis euentu pugnantibus inter se vtrisque copiis, lætior victoria insigniorque extitit, victoribus fructus & gloria maior.

Libri vigesimi septimi Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXVIII.

Vrbs Neapolis Hispano deditur. CAPVT I.



PARTA ad Ciriniolam victoria magna rerum immutatio facta est: ac fere vniuersa prouincia ad victores inclinauit. Magnus Gonsaluus neq; victoria socors neq; insolens factus haudquaquam remittere animum gnarus rebus secundis securitatem succedere: ex ea ruinam sæpe infelicitatemque. Prospera difficilius quam aduersa tolerari. Ventis à puppi flantibus vigilanti gubernatore opus esse, neq; laborem curamq; remitteti, priusquam confecta nauigatione in optatū portum nauim incolumem inferat. Eo amplius excitandam diligentiam ac fortunę instandum iudicare, quod die postero partæ ad Semenariā victorię captiq; Obenigni nuncium accepit, serius quidem aliquanto quam fuisset opus, quoniam se Ferdinandus Andradius Gonsalui imperio immunem exemtumq; ferebat, quippe Portocarrerii successor. Quod dignitatis memor, osor insolentiæ Gonsaluus tulit ægerrime: atq; ita vt per litteras reditus in Hispaniā peteret à Rege facultatem. Sibi Andradium potestate exæquari non passurū. imperii conditionem natura incōmunicabilem. Breui tamē venere mandata Andradio vt desisteret, gonsaluo vti eius opera ad reliquam prouinciam subigendam bellum conficiendum vteretur: alæ cataphractorum præficeret. Sic intempestiuæ contentioni finis est impositus, & ad belli tamē reliquias ex sententia finiēdas geminę victorię fama multū contulit: ex qua sæpe bellorum successus pendent. Proceres quoq; vt quisque gratia & aucto-

auctoritate valebat plurimum. in varias partes dimissi Gallico studio rebelles docuerũt temeritatem fore exitialem, suo quemque furere malo, inanem sine viribus fore contumaciam. Ita breui Capitinata & Lucania ferme vniuersa sub imperium Hispanicum adiunctę sunt. Multa quinetiam oppida & proceres in Salernitano principatu in partes palam transierunt eadem fide consectantes Hispanum, qua fauerant Gallos. Eorum, qui è prælio euaserunt fuga, pleriq; in Campaniã concessere, Caietæ munitissimę vrbis præsidio sustentare destinantes, dum auxilia è Gallia aduenirent, & cætera bello instaurãdo necessaria, de reliquis vrbibus diffisi. Insecutus iisdem vestigiis cum numero equitum Petrus Pacius, effecit, vt Capua nõ deuia sublatis Hispanicis vexillis victoris fortunã sequeretur, & vt esset transitionis pretium, eorũ ciuiũ parte ad reliquam copiam adiuncta Galli cataphracti quinquaginta, quos nancisci potuerunt priusquam Caietam tenerent, obtruncati omnes sunt. Lochiti Marchio cum primum domum appulit, redacta quantam potuit ex re familiari pecunia, curatisq; vulneribus in pugna acceptis cum vxore Romam abiit ad auunculum Senensem Cardinalem in exilio toleraturus, dum melior spes affulgeret. Alii se proceres in varias vrbes receperunt: ac nominatim Alegrius & Salernitanus Amalfim initio tenuerunt: verum oppidi munitione parũ confisi, inde die proximo Neapolim festinarunt. Montelæ Comes, per cuius ditionem iter erat, victoribus fidem approbare cupiens euntes male mulctauit ex quingẽtis equitibus, quos secum ducebant, ducentis amplius qua cæsis quã captis. Ludouicus Arsius ex fuga Venusiam petiit oppidi arce confisus sustentare posse, quę erat firmissima. Locus propinquus. Ita cum copiis Gonsaluus actutum accurrit facturus operæpretium priusquã ducibus auctoritas militi fiducia rediret metu sedato. Ad Leonesam posuit castra oppidum Venusiæ & Amalfi finitimum. cum Amalfitano principe actum de deditione. Conuenit tandem, vti Amalfim victori traderet, in alio quopiam principatus oppido sustentare liberum esset, dum à Rege Catholico in gratiam reciperetur, iis legib. quas inter se sanxerant, superiores offensas melioribus officiis compensaturus. Sic ille pollicebatur, tametsi suspicio erat pro ingenii varietate, quorsum res Gallicæ euaderẽt, expectare etiam velle, ex euentu cõsilium sumere, quippe Gallicis studiis inueteratus. Fabricius Columna, populiq; & Montorii Comites in Aprutium ire iussi sunt amicæ factioni præsidium, terror aduersariis, omnibus auctores vti Gallicæ amicitiæ præferrent Hispanicam. Villamarino maris præfecto cum triremibus aliisq; nauibus, quascumq; posset cõtrahere, Neapolim versus nauigare mandatum est, quo Gonsaluus festinare decreuerat. Ita consilio ipsum regni caput petendi prudenter suscepto, Beneuentum cum copiis abiit, inde Gaudelum. Ex eo oppido litteras ad Neapolitanos dedit insigni molestia humanitateq;: Omnia benignitatis & comitatis à se officia expectarent. Modo per ipsos liceret, daturum operam vt omnis militaris vis, omnis insolentia ab eorum finibus amoueretur. Incruentam immunemq; à malis nobilissimam vrbem conseruare, id vero votorum summam esse. Materæ Comes & senatus princeps vrbe egressi de fędere agere cæperunt. Eorũ diligentia conscriptę honestæ conditiones, atq; vrbs dedita est magno militum dolore, qui prædam ex capta maluissent. Interea Venetiæ regulus vrbis in Armoricis sitę idẽ minor Labreti filius, cognita Galbrum clade Valentini Ducis, cui aduersus Vrsinos in agro Romano militabat, consensu, cum ducentis equitibus, peditum aliquanto numero Neapolim abiit rebus inclinatis subsidio futurus, Gallorum copiis adiunctus quæ ex Apulia, Brutiis Aprutioq; confluentibus gentis reliquiis ad Lirim amnem statiua habebant, neq; numero validę neq; animis. Iis ne se commouerent, quadringenti à Gonsaluo grauis armaturę equites Capuam ad Suessam obiecti erant. Nunc reliquas copias eo mittere decretum erat, mille modo retentis militibus, quem numerũ arcibus Neapolitanis impugnandis idoneum fore existimabat. Restitere Hispani in spem erecti Neapolis diripiẽdæ si qua se occasio daret. Facto species prętenta Gonsaluum pollicitum Neapoli debita stipendia daturum: vt se amplius ludibrio haberet, nõ passuros. Motus militaris instar torrentis inflati est, obuia subuertit. Commotæ multitudini tantisper cedendum iudicans Gonsaluus Hispanos pedites secum Neapolim ducere commutato consilio edixit, equitibus modo & Germanis cohortibus iussum Suessam prę̨cedere propediem iisdem vestigiis secuturum. Pacato ad hunc modum militari tumultu Neapolim est inuectus ad septimum decimum kalendas Iunii triumphi persimili specie. Præibant Hispani milites sublatis Hispanię vexillis feroces in suas turmas distributi visendo ordine, vestium pretio cultuque certantes. Proceres, vrbanaq; nobilitas processit obuiam læto cultu vniuersi. Populus per agros & vias cum filiis & coniugibus effusus plausu & vocibus faustis personare. Sacerdotes cum infulis intrantem ac diui ipsi prope exciti sedibus suis exce-

perunt. Fortissimi ducis habitum vultumque cuncti cum admiratione notare : victos fusosque toties hostes sine fine prædicare: victorias præsentes cũ superioribus comparare Ferdinando & Friderico Neapolitanis Regibus eo adiutore & ductore partis: de cœlo lapsum videri maiorem conditione mortali. Pompa per plateas ducta, quibus Reges procedere moris erat cum regium insigne infulasque susciperet, neque minori apparatu plausuq;. Parietes peristromata vestiebant auro purpuraque fulgentia, pauimentum floribus stratum, odorum vbique suauitas : vrbe vniuersa gratulatio festaque lętitia. Ii etiam, qui Gallicis partibus studuerant prę aliis, vultu, qui maxime simulationi seruit, ad lętitiam composito, obsequii promptitudine cæteros superare certabant, nouis officiis offensas priores inducere. Vrbs Neapolis, vnde vniuerso regno nomen, inter præcipuas Italiæ ciuitates numeratur copiis, amplitudine, numero ciuium & cultu, amœnitatis maritimæ terrestrisq; cõmodis. Ad inferi maris littus sita in montis latere septentriones inter & ortum sensim assurgentis. Plateæ insigni longitudine ad lineam directæ magnificis ædificiis regiarum adinstar distinctæ. prouinciæ proceres magno numero in ea vrbe assueti maiorem anni partem traducere, certatim magnifica palatia construunt structuræ genere superbo præcipua Salernitani Principis Grauinæque ducis. Sic factum vt nulla in vrbe plures proceres Comites Marchiones ducesque quam Neapoli numerentur. Cæli temperies inuitat. fertilissimus ager late spatiantibus campis serendis frugibus & vineis & alendo pecori bonus, affluensque rerum omnium copia, horti irrigui præcipua gratia, quorum ex omni parte magnus numerus est in quincuncem dispositis arboribus, herbarumque omne genus consitis areis viridantes insigni amęnitate. Vniuersa ciuitas in quinque regiones tribuitur publicæ in singulis domus, quas sedes vocant conuentibus ciuium seruientes de republica statis temporibus consultantium deq; annonæ copia. Templa, monasteria, Xenodochia numerosa præcipuaq; tota vrbe visuntur magnifico singula structuræ genere : in quibus quod ab Annuntiata Virgine nomen præfert pauperibus destinata domus maxime celebratur, quippe indies corrogata stipe supra quinquaginta millia aureorum expensa fert quotannis. Męnia firma cingunt vrbem distincta ex ordine turribus aspectu minacia, quatuorque nihilominus munita arcibus. In quibus principem locum obtinet, quod vulgo Castellum nouum vocatur, latum spatiis, munitum operibus prope molem in mare magnis cæmentis iactam portus adinstar. Ad septentriones Porta Capuana posita est olim firmissima arx, nunc regiis iudiciis & tribunalibus designata sedes. Castellum ab Ouo rupi est impositũ angustum quidem spatiis sed mari omni ex parte circumfluo inaccessum. Postremo quæ à sancto Anhelmo nomen habet arx cæteris eminet, nouis hodie operibus munita præcipua elegantia. Ex his arcibus duæ in Gallarum potestate manebant dedita quamuis vrbe Castella tum Nouum tum ab Ouo dictum. Et hoc quidem natura loci munitum à paucis militibus tenebatur, Castellum Nouum quingenti Galli nihilominus tuebantur. Gonsaluus peracta pompa continuo adiuncto Ioanne Clauerio aliisque nobilibus arcium earum situm cõsideraturus domo processit, qua parte admoueri opera & impugnari possent. Neque mora Castello Nouo vis admota. tormentorum ictibus quassati muri: actis cuniculis subruti. Propugnabant obsessi pro extrema spe strenue dimicantes ex omni Gallia lecta pubes. Cum classe Villamarinus septimo die post Gonsaluum ad eã vrbem appulsus, in ancoris stetit commeatum ne ad obsessos inferretur prohibere contendens. Inter hęc Romę Pontifex pridie kalendas Iunii nouis Cardinalibus senatum suppleuit. Atq; è nouem quos vna creatione donauit purpura, quinq; omnino Valentini homines erant, pro virtutibus cõmunis patria. Ab Hispanis obsessi intra arces Galli premebantur mari terraq; : ac post varios incursus vi tandem capta arx atq; à militibus direpta est pridie Idus Iunii. Ioannes Pelagius Berrius ciuis Giennensis idem è familia Gonsalui primus irrupit. id vero propius: tametsi multi deinde eam sibi laudem arrogarunt, torpor quidã aduersarios occupauit ni supremo conatu irrumpentibus resisterent. Impugnatæ arcis præcipua laus penes duos duces stetit. Petrum Nauarrũ agendi ex arce cuniculos dexteritate mirabili, & Numium Ocampum cui nauatæ operę merces fuit captæ arcis præfectura. ne alii quidem sua laude præmiis fraudati. Inter alios vinctos in ea arce repertus est Hugo Rugerius Pallasius Comes Regi Catholico & Ioanni eius patri supra quadraginta annos rebellis infensusq;. Is in Hispaniam missus Sedabi in agro Valentino lege maiestatis vinculorum & vitæ eundem finem habuit. Gallicæ & Genuenses naues Caieta opitulatum missæ fuerant obsessis Neapoli arcibus serum rebus perditis auxilium: tametsi obsidio supra vnum & viginti dies tenuerat. Maior terror à Gallica classe instabat, quinq; triremes, sex onerarias, minora nauigia multo plura aduentare fama erat, in vindictam

dictam ardenti ſtudio, quando tueri arces integrum non fuerat. Villamarinus vt par eſſet tanto apparatui veritus in AEnariç portum ſuam intulit claſſem. Ea obiecta munitione hoſtilis claſſis impetum eluſit ad impugnandum feſtinantis. In quo Vaſti Marchionis in ea inſula vſque dum morantis fides & virtus enituit vna maxime, tum claſſe tum vniuerſa inſula egregie defenſa. Qui caſtellum ſupererat quod dum caperetur Gonſaluo expectare longum erat. Ergo ea cura Petro Nauarro & Numio Ocampo demandata ex vrbe diſceſſit. Illi in proximo littore tormentis diſpoſitis, cymbis arci ſuccedunt. Coniectos ſuperius ignes & lapides ab obſeſſis coria, quib. tegebantur cymbæ, reſpuebant, tormentorum vſum propinquitas ademerat. Vectibus perforata rupe & ſulphurei pulueris cadis iniecto igne euerſa turris eſt, tormentis è terra maior præſidii pars cæſa. Viginti, qui ſupererant, vnam ſalutem pacti dedentium arces ſolennia verba nuncuparunt. Captç arcis cuſtodia Lupo Arriarano concredita eſt impigro viro in reliqua vita, ſed & in ea obſidione induſtriæ & virtutis notæ. Sic vrbs Neapolis vniuerſa nulla eius parte à Gallis retenta in Hiſpanorum poteſtatem venit magna in pręſenti lętitia, maiori in futurum ſpe. A Fabricio quoque Columna ſeptingentorum militum ope, quos Roma Franciſcus Regius ſubſidio miſerat, Aquila vrbs vi capta eſt in Pelignis Aprutii caput atque eo exemplo metuque reliqua prouincia mox victoribus ceſſit. Fracaſſus Sanſeuerinus & Hieronymus Goliofius Andegauenſium in ciuitate princeps euaſerunt in Pontificiæ ditionis proximos fines dilapſi fuga felici, quippe hoſtis aduerſus pericula ferox vigiliis parum erat intentus.

Caietæ obſidio. CAPVT II.

DIſceſſit Neapoli Gonſaluus ad quartum decimum kalendas Iulii Germani fanum verſus, Gallis obſiſtere cogitans vltra Lirim ſtatiua habentibus neque magna neq; nulla ſpe priſtinæ fortunæ: ſimul oppida quędam eo tractu ſubigere cupiebat Gallicarum profecto partium. Atellam ſeu Auerſam ex itinere Capuamque ciuium rogatu adiit. Omnibus officiis venientem colere Hiſpano nomini quantopere eſſent addicti oſtendere ciues cupiebant ſcilicet ex animo an tempori ſeruientes. Sed maiora tamen, quam erant polliciti præſtiterunt ſuſceptæ beneuolentiæ argumenta. Garſias Paredius & Chriſtophorus Zamudius eximii copiarum ductores cum mille & quingentis militibus præmiſſi ſancti Germani oppidum arcemque impugnare pergebant. Aduentu Gonſalui incolæ deditionem fecere. Caſſinatem arcem locis finitimam obtinens Petrus Mediceus cum valida Gallorum manu obſeſſis opitulari auſus nō eſt. quin deſperata defenſione, ſi eo Hiſpani ire pergerent raptim profectus tuendi oppidi & monaſterii celeberrimi fama curam ducentis militibus reliquit. Illi Hiſpanis Gonſaluoque vim veriti intra dies duodecim eam arcem tradituros, niſi à Gallis idonea eo ſpatio auxilia venirent ſunt polliciti. longum erat tandiu aſſidere obſeſſis. Ita illi violata pactione tantiſper in Gallica fide perſtitere. Alia parte à Magno Gonſaluo Roca Guillelma, & Traiectum Liri præterfluente oppidum, aliæque circum arces ad ditionem ſubiunctæ ſunt: præterea Caſtellonium & Mola Caietæ vicina oppida, quorum alterum Ciceronis Formianum fuiſſe olim eruditi perſuadent. Caieta ſupererat & ſua munitione vrbs & militum numero expugnatu plane difficilis. Sed nihil eſt virtuti conſtantięque inacceſſum. Ad eam Gonſaluus ipſis kalendis Iulii copias admouit poſitis iuxta caſtris impugnaturus ſcilicet. Ea vrbs circulo ferme vniuerſa alluitur mari, eoque firmiſſima vno tantum à terra aditu anguſto atq; arduo relicto. Mons Orlandus imminet vrbanis ędificiis arduus item aſcenſu & Gallicis in eo tormentis conſtitutis ignes obſidentibus exitiales euomebat, propius vt accedere ſine periculo non liceret. Quatuor millia & quingenti intus milites erant: in hoc numero equites mille quingenti qui ex omnibus partibus ad ſuſtentandum extremā ſpem eo confluxerant, ſi qua ſe via daret recuperandi opes amiſſas. Quod pcipuum erat, maris imperiū tenebāt Hiſpanica claſſe Gallicç impari. Sic neq; auxiliis obſeſſi neq; cōmeatu prohiberi poterant. Villamarinus quidē ad ea littora cū triremib. accurrit, ſi exiſteret occaſio rei bene gerēdæ, ſed virib. impar parū profecit. Gōſaluus bellica maiora tormenta, quę Neapoli reliquerat, deuehi iuſſit. Iis Orlandi montem impugnare votum erat, vnde in ſubiecta noſtrorum caſtra, ex propinquo apertoque diſplodebantur globi cum multorum ſæpe ſtrage miſerabili. Periit in eo numero Hugo Cardonius dux impiger, neque nobilitate maior quam ſcientia pugnandi. Annonæ anguſtia obſeſſos premebat, farinæ maxima nullis molis frumentariis. Ad octauum Idus Auguſti commeatus affatim mille & quingentos auxiliares milites duæ

onerariæ, rostratæ maiores quatuor intulerunt, pręterea triremes aliquot quibus Saluscius Marchio vehebatur in locum Namursii summus copiarum à Gallo dux designatus. Ingens obsessis gaudium, neque leuis spes posse rem Gallicam iis opibus restitui. Ita displosis eodem die ex Orlando monte tormentis Rabastenus Germanorum tribunus globo haudquaquam in spem tantæ rei misso periit. Nouo incommodo inductus Gonsaluus die postero copias Castellonium reduxit amæno salubrique cęlo oppidum, atque extra globi iactum. Multis diebus consumptis nullum tamen operæpretium extitit. neque enim vrbem inuadere licebat, quamuis magna muri parte ab Hispanicis tormentis strata: quoniam obsessi diruta magna diligentia munierant. Neque præsidiarii erumpebant ad conserendum manus. Quo die tamen nostrę copiæ reducebantur Castellonium duo millia & quingenti milites portis egressi postremum discedentium agmen carpere, vbi Germani erant. Cessere illi sensim, astu Gallos ex angustis locis in apertum pellicere cupientes. In delusos fraude exultantesque quadringenti Hispani repente conuersi eo impetu, quem illi non tulerunt, tergis fugientium hæsere, neque cesserunt priusquam ad Caietæ portas ventum est. ducentos è Gallorum numero in fuga cęsos Hispani victores in reditu nullo prohibente spoliarunt armis indumentisque. Caietæ obsidio ducebatur: simul vtraque gens in bellicos apparatus vndique conquirendos pro virili districta erat. Ac præsertim à Rege Gallo Caietanis auxilia decreta Tramullio duce; sexcenti cataphracti equites, Heluetii ad octo millia, præter Gallorum millia quatuor mari ad varios Liguriæ & Hetrurię portus appulsa. Parma vrbs designata, quo copiæ omnes conuenirent. Ferrarię dux, Mantuanus Marchio, aliique Itali proceres pręsto fuerunt in studium rei Gallicæ subleuandæ vehementer inflammati. Regii præterea in Gallia Scrinii magister Ambianensisque Pręfectus, qui prælio ad Ciriniolam facto interfuit Caieta Romam profecti expeditionem vrgere non cessabant belli duces vt festinarent vrgentes. Mantuano persuadere plerique nitebantur, vt Tramullio socius eius belli curam susciperet. Abnuere is initio Laurentii Suarii diligentia & auctoritate cautior: qui Mantuano per litteras & Venetis assiduus, vt Hispanorum potius partes vtrique in eo discrimine palam amplecterentur; auctor erat incitatorque priuatis id rationibus salutare fore vniuersæ Italię commodum si pro virili parte Gallicos spiritus frænarent. Cunctabantur Veneti, fluctuabat Mantuanus. Cognito tamen Tramullium valetudine impediri ne vlterius progrederetur, quasi riuali sublato Regi Gallo obsequium detulit. E contrario à Rege Catholico sex triremes, & in iis aliquanta pecunia in stipendium missæ duce eius classis Raymundo Cardonio. Sed neque iis quamuis triremibus ad alias Hispanicas adiunctis vniuersa classis Gallicę par erat triginta maiora minoraque nauigia nihilominus numeranti. Gonsaluus item omni ope Vrsinos Romæ factiosam familiam viris & armis validam in partes trahere satagebat. Conatus inanis non fuit. Gentis princeps Pitilianus Comes vltro offerebat, honestis modo conditionibus transitione facta cum quadringentis equitibus in castra venturum. Conuenit tandem pactione facta vt Bartholomæus Liuianus Vrsinorum dux esset ardenti ingenio vir inquieto tamen, ipsaque fortunæ inter aduersa & prospera consequenti tempore in bellis Italię, quibus interfuit alterantis varietate mirabilis, manu quam consilio melior. Vt Cæsar in Insubres irrueret Gallorum audacia frenanda agebatur serio in bellicos sumptus ingenti oblata pecunia scilicet. Simul à Pontifice contendebant rei Hispanicę patrocinium susciperet eo tempore ad neutros aperte inclinante, memoria personæ quam gerebat, an ex euentu consilium sumpturus. Valentini ingenium id erat, vt haud tuto eius constantię fideretur in omnes se partes vertere soliti, vnde melior affulgeret spes nulla famæ nulla ęquitatis cura. Verum has omnes molitiones Pontificis mors inopina disturbauit ad quintum decimum kalendas Septembris subsecuta noxio veneno corruptis vitalibus; eo quod Valentinus in hortis apud Hadrianum Cornetum Cardinalem cum Pontifice cœnaturus diluerat in exitium quorundam Cardinalium quos ad cœnam inuitarat. Deus scelerum vindex quam parabat fraudem, in eius caput & exitium conuertit. Mutatis per imprudentiam a ministro lagenis epotum auide propter æstus graues vinum medicatum, atque venis intimis diffusum Pontificem & Hadrianum Cardinalem propter ætatem extinxit quamuis omnibus frustra tentatis remediis. Valentinus felicior iuuetæ vigore adiutus & opportunis medicamētis euasit. recens exenteratę mulæ vtero inclusum calor imprimis iuuisse fertur. Morbus tamen ex eo diuturnus importunusque rationes eius vehementer afflixit, euertit male fundatas spes. Is exitus fuit Alexandri Pontificis paulo ante vniuersum orbem terrentis, an verius morum prauitate & vitæ licentia offendentis. tutelam

cære-

cæremoniarum gesserat annis vndecim. Multa de eius vita tum fama quę nulli parcat, tum de scripto proditę sunt, vero an ex inuidia haud facile dixerim, omnia conficta temere fuisse non arbitror. Pontificis certe obitu multi ad nouas spes erecti, variæ molitiones extitere, in quibus maiorem fiduciam adipiscendi honoris supremi quam in virtutibus eo loco idoneis reposuere quidam. Sic erant tempora moresque. iisdem diebus in Heduis ad Matisconem Fridericus Rex cum Gallo est collocutus. Benigne accepto restitutionis iniecta est spes. Eo maior quod à Rege Catholico eadem pacis faciendæ via tentabatur: verba pulchra rebus ad extremum vacua. collusio visa, & vterque princeps præuaricator. Sic miseris vbique deluditur. Friderici à commentariiis Actius Syncerius Sanazarius insignis vates fuit exilii indiuiduus comes. Hic & Iouianus Pontanus superioribus Regibus Neapolitanis item à secretis multa in Alexandrum Pontificem fortassis supra verum effudere certe stomachi plena conuitia. Abs Rege Gallo Sanazarii ingenio & eruditioni multi honores habiti sunt: eoque agente exuli in patriam restituto bona post malum reddita sunt satis ampla, ne datam hero fidem falleret relicta, eo indignior calamitate maloque.

Salsulæ arx à Gallis obsessa.

Capvt III.

Bellici terrores ex Gallia ostentati, atroxque tempestas imminere visa est. Copiis ex vniuerso Gallico imperio Narbonem confluentib. finitimi Ruscinonenses ne vexarentur belli flamma eo tractu excitata scilicet verebantur nostri. Ea cura Rex Catholicus Barcinonem accessit, ex propinquo, quæ bello defendendo necessaria erant comparatum. Simul ingenti delectu ex vniuerso imperio colligebat copias. Fridericus Albanus dux iis limitibus cum potestate pręfectus. Non deerant qui consulerent, vt vltro Gallicis finibus illato bello hostiles conatus occuparet. ad tuendam nominis existimationem id maxime pertinere, si audacię & virium tantum suppetere crederetur, vt hostes vltro lacesseret. De Vasconibus non minor quam antea cura erat, iis Regibus nomini Gallico vehementer addictis, atque ita vt Regis eius minor frater Venetię in Armoricis regulus ad Neapolim Gallicas partes palam sequeretur, Lubretum vtriusque patrem Aquitanię præficerent ad Hispaniæ nimirum limites ea parte inuadendos idoneum opibus & auctoritate. Ad hæc Lussę regulus ex Gallia in Ansi vallem Aragoniæ ditionis partem irrumpere parabat: atque in ea Virduni arcem occupare: irrita molitio nisi per Vasconum fines Roncalensesque adeo daretur transitus. His suspicionibus detergendis ii Reges intenti Magdalenam filiam quasi fidei obsidem in aula Isabellæ Reginæ educandam dederant, vti est superius indicatum. Minoris iam pretii id pignus erat prole mascula nuper iis Regibus nata in spem paterni regni, cui Henrico nomen fuit, vita molestiis obnoxia, ac ne longæua quidem. Isabella Regina de bello solicita Madriti, vbi morabatur, equitum Magistro, ducique Anagari mandauit ad ipsorum subditos propriosque milites adiunctis quingentis equitibus quos ipsa misit, ad Vasconum fines accederent. Ioannes item Ribera ei limiti à superiori tempore præfectus nihil de sua comparatione omittere, certus ex Gallia imminere Hispanię finibus tempestatem. Vanæ superstitiones non fuerunt. Gallis enim insano delectu omnibus regni amplissimi viribus contractis in Ruscinonenses irrumpere decreuit ferox oppidis, agris, hominibus vastitatē parans, Hispanos haud pares futuros ratus validis copiis in quib. viginti millia milites numerabātur, qua tyrones, qua veterani, pręcipuū robur decem peditum millia, mille equites, numerus alii ad terrorem comparatus. Multi proceres aderant genere & factis nobilissimi. Militaris imperii ac totius expeditionis summa penes Britanniæ Marescalum erat, qui Latine Castrorum metator dicitur: Collectis iis copiis Augusti fine ad Palmam agri Ruscinonensis pagum castra promouit. Eo in loco aliquot diebus consumptis dum vires omnes & impedimenta conueniunt ad Salsulas arcem progressi sunt per montes pedites, equites per plana, locis idoneis ex interuallo pręsidia toto itinere relicta, ne commeatus ex Gallia facultas ab Hispano interciperetur. Sabbatho ad sextum decimum kalendas Octobris ad Salsulas munierunt castra eam arcem impugnandi certa voluntate. Albanus Perpinianum vicinum municipium peruenerat mille expeditos, quingentos grauis armaturæ equites, pedites ad sex millia sub signis trahens. Quantulæ vires eæ erant cū Gallicis cōparatæ? Albani tamen aduentu Sanctius Castellæ Ruscinonensi limiti

t 4

antea præfectus Salsulas est ingressus obsidionis fortunam cum cæteris subire paratus. Egressi Hispani milites ducis iussu sunt hostium castra speculatum, & si qua se daret occasio pugnandi voluntate. Cum robore exercitus dux ipse Perpiniano relicta supra Salsulas supraque Gallica castra ad Ribas altas constitit ab hostium incursu tutus locorum asperitate accessum prohibente & in omnem occasionem intentus aut inuadendi hostes, aut obsessos subleuandi. Quin Gallos ad pugnam prouocare non est veritus misso feciali: audax facinus in ea militum paucitate, nisi loci, in quo erat munitio animos fecisset,& ab iniuria tutum prestaret. Quo tempore Galli ad Salsulas castra propius promouerunt aggere & fossa circundata in apparatum eius arcis impugnandę incumbentes,Romæ Cardinales intra conclaue more instituto clausi de sufficiendo in Alexandri locum Pontifice disceptabant. Multi honorem expetebant, maiorē in ambitu spem q̄ in vitæ probitate & modestia reponentes. Prę cæteris Rhotomagēsis Cardinalis se ostentabat, Gallici exercitus fauore fretus Romam contendentis: opeque Aragonii & Ascanii Cardinalium, quos secum ex Gallia adduxerat ambitionis adiutores scilicet pręclaros. Resistebat Iulianus Ruuereus Cardinalis alioqui Gallico nomini ad insaniam addictus, sed in Pontificatus petitione neminem præferri sibi patiens. Bernardinum profecto Caruaialium Magnus Gonsaluus subleuabat parta de Gallis victoria multisque ex eo adiunctis amicis validus in quamcunque se partem dedisset: quo studio vt Ioannes Columna Cardinalis ex Sicilia, vbi Alexandri Pontificis metu in familiam grassantis se eatenus tenuerat, ad comitia festinaret gratia & auctoritate & ope effecit. Simul Romam cum militari manu è castris Prosperum Columnam & Dieghum Mendozam dimisit. Facto species prætenta ne vis afferretur Patribus aliqua Gallorum aduentu: vnde noui motus existerent maioraque mala. Importunis contentionibus trahebatur tempus: magnique erant comitiorum æstus. Nihil tamen tres candidati sua diligentia profecerunt, Neapolitanus quidem Cardinalis spe ambitione tribus sed ex interuallo proximus. Decretum à Patribus consensu ante electionem, vt quicunque confectis suffragiis Pontifex renunciaretur, intra biennium proximum Episcopos in conuentum generalem cogeret: quod repeteretur deinde institutum singulis tribus annis lege in omne tempus lata. Superioris temporis licentiam frænare, sanare reip. vulnera erat Patribus propositum; orbi vniuerso id expetenti satisfacere. In eam sententiam cunctis, qui aderant, sacramento adactis post quinque & triginta dies maior collegii pars Senensem Cardinalem Franciscum Picolomineum Pontificem iussit vitæ innocentia & inculpatis moribus promeritum vt cæteris præesset, idoneum visum, per quem proximi Pontificatus vitia & vulnera multa & fæda sanarentur. Ad decimum kalendas Octobris ea nominatio facta est. In ipso nihil tumidum, arrogans, aut in rebus nouis nouum fuit, ea erat modestia. Pii tertii nomen desumpsit, Pii secundi auunculi grati Pontificatus instaurata in eo memoria. Ardebat cupiditate ecclesiæ mores astringendi acriori censura, ac præsertim vrbis Romę & curię totius tetrum odorem amouendi: idque consilium in quodam Patrum conuentu priusquam susciperet diadema palam exposuit, ac vero Episcopos ex toto orbe in conuentum vt cogeret nolle biennium expectare, sed rumpere continuo moras fixum animo esse. Numina orbis Christiani sceleribus irritata talem ac tantum Pontificem inuiderunt, sæua & importuna mors pręclaros noui Pontificis conatus disturbauit sexto & vigesimo die ex quo fuerat in Petri sede collocatus. Admixtus gaudio mœror electione atque obitu non vna omnibus via. Saniores lapsum de cęlo Pontificem iudicare, atque in eo numero Rex Catholicus. quidam secus existimare, pars superioris tēporis licentiam amantes, cautiores verebantur ne Italiam turbaret, Gallorum patrocinio suscepto, quibus Lochiti Marchio erat cum primis addictus eius ex sorore natus. Id cum multis Magnus Gonsaluus quoque metuebat à multo rerum vsu cautior, mentis humanæ altos esse recessus cogitans, mores sæpe in suprema rerum omnium potestate mutari raro in melius neminem cupiditate vacare, paucos sibi acriter imperare. seque ętate præsertim pręcipiti retexere. Parum in his comitiis Valentinus præstitit, quippe ex aduersa epoti veneni valetudine lecto affixus. Quæ res Romanæ quoque nobilitati bonis euersæ iniuria prioris temporis opportunitatem prębuit ablata recipiendi. Veneti rebus turbatis promiscuam odorati prædam accurrentesque vrbes aliquot in Flaminia occuparunt ex alienis incommodis vtique crescere soliti, ex finitimorum calamitate & iniuria fines imperii proferre. Sic in Valentini fide Forliuii & Arimini arces fere eo tractu tantum perstiterunt: momentoque temporis dilapsa sunt, quæ male quęsita fuerant; ludibrio habitus qui paulo ante terror vniuersę Italiæ erat.

Hos ludos fortuna seu vis superior facit, has vices mutat. Ipsa quin oppida & vrbes talem indignatæ dominum extemplo abrupere frænos: maleque cohærentis compages imperii multas repente in partes ac veluti in fragmenta dissiluit.

Salsularum obsidio soluitur. CAP. IIII.

GAlli supremo conatu actis occulte cuniculis, tormentorumque ictibus quassatis Salsularum mœnibus præcipuę turris partem. Propugnaculumque strauerunt recentis structurę neque plane perfectum opus. Eo patefacto aditu muro succedere non dubitarunt musculis tecti vectibus conuellere lapides quibus fundamenta continebantur. Magnum in periculum res erat adducta. In ea angustia obsessi propugnaculum illud, quoniam defendere non licebat, deserere decreuerunt, in subterraneis tamen cameris supposito tormentario puluere; quo incenso concipienteque flammas superstans area in sublime sublata dissiluit magna cum Gallorum strage, qui magno numero conscenderant per rudera quasi victoria explorata. Quadringenti amplius periere quidam ambusti flammis, aut discerptis membris ex alto præcipites, aut ruinis accumulati, pars ab iis cæsi, qui ex arce repente eruperunt. Confluentibus in dies militibus Albani augebatur exercitus: atque ita vt quadringenti cataphracti essent, mille & quingenti expediti equites, pedites ad decem millia. His fretus copiis ad quintum Nonas Octobris die Veneris ad Gallica castra successit propius: neque reduxit militem ante solis occasum. Pugnam detrectarunt Galli, quos tamen se intra munimenta tenentes displosis nostri tormentis nonnullo illato damno maiori aliquanto ignominia mulctarunt. Ferdinādus Rex ad Gerundā auxiliares copias è Castella festinantes morabatur, haud minori numero, quam quæ ad Perpinianum erant, & melius armatas. His adiunctis copiis Gallos si pugnam recusarent, intra castra vallumque impugnare certum erat. Classis quæ tutaretur ea littora comparata duce Stopignano nondum appulerat turbato mari aduersis ventorum flatibus prohibita. Hispanicis triremibus in bellum Gallicum intentis decem & nouem biremes Mauricæ Valentinam & Granatensem oram igne & direptionibus vexarant. Impune fore licentiam credebant. Martinus tamen Galindus Granatensibus littoribus tutandis præfectus cum iis ad Carthaginem nouam commissa pugna piraticas omnes biremes aut cepit aut submersit; prorsus vt ne vna quidem eam cladem euaserit. Eo nuncio lætus Rex quasi pręclaro omine ad belli totius summam gerunda cum Castellæ copiis profectus Perpinianum appulit ad quartum decimum kalendas Nouembris die Iouis. In magnum discrimen obsessorum salus venerat, nisi continuo operæpretium exstiteret. Missa manu militari, quæ ab hostium tergo itinera versus Galliam locis idoneis insideret: cum cæteris copiis continuo gallica impetere statiua visum est. Id vt cum maiori fructu certiorique victoriæ spe fieret, quo die Rex castra contulit castris ligneam turrim ab hostibus in vicina palude multis sublatam tabulatis, ne videlicet commeatus ex gallia facultas interciperetur, impugnare sine mora est aggressus. Capta turris, Regis aduentus, pugnandi decretum terruit vehementer gallos. Ipsa nocte ne conclamatis quidem vasis quo profectio occultior esset, tormentis via militari Narbonem præmissis relictaque prę festinatione impedimentorum bellicique instrumenti parte silentio mouerunt castra. Et quidem initio in planiciem flexo itinere quasi pugnam appeterent, continuo quasi mutato cōsilio Narbonem versus discesserunt. Aragonii & Catalauni equites abeuntium hæsere tergis postremo agmini graues imprimis. Quem hostes impetum non ferentes tormentorum, belli partem apparatus, tentoriaque non pauca, quæ deferebant secum deserere sunt coacti, fugientibus quam cedentibus propiores, quamuis seruatis ordinibus. Cum robore exercitus subsequebatur Rex pugnæ auidus. Magnam eo die cladem galli accepissent, nisi itineris festinatione propinquoque perfugio hostium aduentum & conatus occupassent. Rex quoniam abeuntes insequi non licuit, in galliæ fines vastabundus irrumpit, hominum & pecudum actę prædæ: Leucata aliaque ignobilia oppida eo tractu de hostibus capta. Inter hæc Olisipone Rege Lusitano Isabella filia nata est ad nonum kalendas Nouembris: cui cælum orbis Christiani imperium destinabat cum Caroli quinti coniugio, filium Philippum adiecta Lusitania matris iure Hispanię vniuersę Regem. Venere paulo post ex Gallia oratores: quorum opera induciæ quinque mensium inter duos Reges atq; vtramq; gentem pactę sunt, excepto Neapolitano tantum bello. Is finis nobilissimæ expeditionis fuit: ad cuius famam orbis Christianus vniuersus suspensus tenebatur quem

ſucceſſum habitura eſſet. Limiti præfectus tamen Bernardus Rogius Dianii Marchio, adiunctis mille cataphractis, bis mille expeditis equitibus, tribus peditum millibus ad omnes caſus paratum pręſidium. Obſeſſæ item arcis cura Dimæ Requeſenio eſt concredita. Rebus ad hunc modum compoſitis Barcinonem Rex rediit. Inde Michaelem Ioannem Grallam & Antonium Auguſtinum legauit ad Gallum, vti in fœdere recens icto erat cautum. addita mandata vt controuerſias de regno Neapolitano pactione aliqua finirent. Catholicum Regem ea contentio ſolicitum habebat, tum propter Gallicas copias eo feſtinantes, tum maxime Pii tertii Pontificis morte nunciata electioneque in eius locum Iuliani Ruuerei Cardinalis qui in Pontificatu Iulii ſecundi nomen edidit. ardens eius ingenium timebatur Gallicis addictum partibus. Ad conciliandas Patrum voluntates, eorum quos legerat in ſenatum Alexander Pontifex multum Valentinus contulit, odio enimuero Bernardini Caruaialii, cui collegii partem fauere erat exploratum. Iiſdem diebus Philippus Princeps ex Allobrogibus, vbi eatenus hæſerat, in Germaniam diſceſſit patrem inuiſurus. Filio is auctor extitit, ne pacem cum Gallo paulo ante pactam violari à ſocero ægre ferret multis obnoxiam incommodis docens. Pollicebatur quinetiam ſi pecunia ſuppeditaretur ab Hiſpano, irrupturum ſe in Italiam qua parte Inſubres late fuſi ſunt. Quod Ioannes Emanuel, & Guterrius Fuenſalida pro Rege Catholico in Germania legati perſuadere enixe conabantur. Rex Ferdinandus magnificis promiſſis quantum eſſet credendum non ſatis ſtatuebat Cæſaris ingenium varium & inconſtans expertus; ad omnem fortunæ curſum vt erat cautus & ſagax maius in pecunia ſua quam in alienis viribus pręſidium certiorem ſpem collocans. Tempus his molitionibus nullo emolumento extrahebatur. In Ioanna filia turbatæ mentis certe per interualla vacillantis haud obſcura argumenta viſebantur, quod parentibus vt par erat, moleſtiſſimum accidit: ac vero ea res felicitatis reliquæ lucem vel maxime obſcurauit. Sic ſunt res humanę: ea conditione viuimus, nulli ſyncera lætitia datur. Ad virum feſtinare cupienti mora omnis grauis erat. Mulcebat prudens mater ægrum filiæ animum, aliam ex alia moræ cauſam excuſare, clauſum mare aduerſo anni tempore ſæuis procellis. Nullis conſiliis ardor animi placabatur. Sic die quodam in rabiem acta è Medinę Campeſtris arce, vbi ſe tenebat, pedibus proficiſci in Belgas tentauit; quibus comitibus? quo vię ſubſidio? furor agebat præcipitem. Furenti quamuis manus iniicere maieſtas vetabat. Sublicium tantum pontem ſuſtulere cuſtodes. Ita egrediendi facultate prohibita ad arcis portas ſubſtitit, in vicina culina cibum ſomnumque capiens neque frigoris, quod ſæuiebat in ea regione eoque anni tempore maxime, neq; aeris nocturni iniuriis cedens. Ac ne vinci quidem potuit Ioannis Fonſecę Cordubenſis Epiſcopi, qui ei aſſiduus erat, precibus, ne auctoritate quidem Toletani Archiepiſcopi qui ad rei famam ſuperuenerat, vti ad priora cubicula rediret, ſaluti conſuleret in periculum adductę. Regina mater ad eius rei famam quamuis afflicta vehementer valetudine Segobia accurrens filiæ vt reſiſteret pro auctoritate materna perſuaſit. Simul vt eam placaret claſſem ad Lauretanum portum inſtrui mandauit, qua cum primum ſe anni tempus vernum aperuiſſet ad virum nauigaret in Belgas tandem reducem multis menſibus in Gallia & apud Allobroges conſumptis exigua vxoris cura.

Bis ad Lirim victi Galli. CAPVT V.

IN Italia Gallicę copię Neapolim verſus contendebant. Lentum iter erat neque ſolita militum alacritas quaſi tacita diuinatio imminentis mali. Florentiam Senamque nullo prohibente tenuerunt ductore Mantuano. Tramullius febri quartana impeditus retro ſubſtitit, cum copiarum tamen parte ex interuallo ſecuturus. Iactatione itineris & propter anni tempus ingraueſcēte valetudine Romæ hæſit belli cura abiecta. Aditu eius vrbis prohibitus Gallicus exercitus per pontem Miluium duum modo millium ſpatio diſſitum, Tiberim traiicere permiſſus ad Neapolitanos fines prope accedebat. Cōmotus ea re Gōſaluus ancipiti cura anxius erat. Caietā obſidione vrgere pſeueraret; iretve potius obuiam Gallicis copiis in obſeſſorum auxilium feſtinantibus. Multa apud animum ſuum cogitanti Roma magnum in periculo ad victoriam momentum, duo millia pedites venerunt centum expediti equites: quos Franciſcus Rogius ſuprema diligentia ex Hiſpanis Germanis Italiſque tumultuario delectu collegerat, præter ducentos alios Germanos & quingentos Italos, quos propediem ſe ſubſidio miſſurum, ac iam in procinctu eſſe ſignificabat. Ductor Hugo Moncada ſtudio in iis anguſtiis operam fidemque ſuo Regi probandi honeſtam conditionē reliquerat, quā à Valentino centum cata-

cataphractis pręfectus obtinebat. Commodissime id auxilium accidit: atque eo amplius quod Salsularum obsidio impediebat, ne ex Hispania milite aut pecunia partes iuuarentur. Nouis copiis auctus Gõsaluus cum hoste confligere statuit. Ergo cum primum Gallos Romam prætervectos esse, atque ad fines Neapolitanos accedere cognouit, Castellonio continuo cum copiis omnibus mouit, si hostes pręlio superasset ratus Caietam haud dubie in victoriæ partem accessuram. Primis castris ad Liris ripam peruentum. Eo loco Petro Pacio relicto, qui transitu fluminis Gallos prohiberet, ponti lapideo impositus custos cum valida militum manu, ipse vlterius progressus ad Germani fanum castra posuit. Gallicæ copiæ ad Pontecoruum erant ditionis Pontificiæ oppidum ad Liris ripam patentibus campis sex modo inde passuum millibus. Mille cataphractos bis mille expeditos equites, nouem millia pedites maiori ex parte Italos habere Gallos fama nunciabat. Maiora minoraque tormenta ignea triginta sex. Præcessit cum Hispani exercitus parte Petrus Nauarrus Cassinatem arcem occupatum vsque dum Gallico præsidio nomineque detentam. Nec mora arx illa vi expugnata Hispano cessit ferme in oculis Gallici exercitus, suis opem ferre non valentis, quæ magna ignominia fuit. Multum fama in bello potest. Eo maius dedecus extitit quod rumore vulgatum erat, Mantuanum linguæ intemperantia iactare solitum: cupere se cum ea colluuione Maranorum (sic Hispanos per contumeliam vocant) pugna experiri. Gonsaluus castra promouit posuitque in hostium conspectu mille passuum modo interuallo dissita. Inde misso feciali ad pugnam prouocauit hostem, quando tanta animi confidentia esset, tantus alienę virtutis despectus. Respondit Mantuanus ad Lirim fore pugnandi copiam; eo inuito traiecturum. Ex Aprutii montibus ortus is fluuius Germani fanum præter & Pontificiæ ditionis agros labitur altissimis ripis castigatus angustusque alueo profundo, vix vt vadari possit: neque alio ea parte iunctus ponte nisi qui ad Pontecoruum est. Placido cursu multisque mæandris Caietam quamuis citra flumen positam Roma adire nisi bis traiecto flumine instituto itinere ac breuissimo non licet. Alegrius Caieta profectus ad tria millia hominum ducebat Gallico exercitui supplementum. Is vt traiecto flumine continuo pugna experirentur, auctor erat oblitus scilicet cladis ignominiæque eius festinatione importunitateque ad Ciriniolam acceptæ. Dimidiato Octobri die Dominico Galli ad Ceperani vada traiecere. Hispanæ ditionis oppidum Rocasicca mille ducentis militibus tenebatur. Duces impigri Villalua, Pizarrus, Zamudius facta ex eo oppido eruptione in primum Gallorum agmen nullo ordine quasi per pacata tendentium inuecti amplius trecentis ex eo numero qua cæsis qua captis ad suos lęti ouantesque redierunt. Accurrere reliquæ Gallicæ copiæ socios vindicare destinantes oppidi ruina præsidii cæde. Fefellit eos spes temere concepta. Obsessi non modo vim omnem à mœnibus arcuere, sed erumpentes oppido rursus plus ducentis ex hostibus in pugna cæsis reliquos intra munimenta compulere. Cessit virtuti numerus. Die postero tria militum millia obsessis auxilio pręsto fuerunt, ductores Prosper Columna & Petrus Nauarrus. Simul cum copiis omnibus Gonsaluus festinabat, initio iudicans spem metumve gigni: prout prima cessissent fore reliqua. Galli quamuis specie repetendę impugnationis, veriti tamen si quid sinistri accideret, ne tormenta caperentur; & alioqui tempore exclusi multis imbribus impedito motis copiis vltra flumen retulere castra. Post biduum transmisso iterum fluuio in Aquinatem agrum deflexere sex millibus passuum à Germani fano, quo Gonsaluus in statiua redierat. Imbriũ tẽpestas ne pugna decerneretur impediuit. Inflato amne Galli ad Pontecorui pontem retro conuersi interiectum fluuium pro munimento hosti obiicere destinabant. Institit iisdem vestigiis Hispanus vltra Aquinates procedens vbi Gallos ad pugnam elicere tentauit. Cautiores illi loco idoneo delecto obiectisque tormentis in detrectandi certaminis sententia perstiterunt. Sic Gonsaluus & milites necessario solita statiua repetierunt pleni de cætero bona spe quoniam metum aduersariis posita, cum qua venerant, ferocia expresserant. Galli quoque trans flumen reduxere castra Nouembri mẽse auspicante. Quo Romæ mense Vrsini cum Columniis proceribus in obsequium Hispani Regis consensere legatorum tum Hispani tum Veneti opera & auctoritate facto fędere. Venetis Gallorũ felicitas grauis erat: ac ne libenter quidem ferebant pręualidi Principis vicinitatem. Quingentos grauis armaturæ equites Vrsini in id bellũ obtulerunt si à Rege Catholico sexaginta aureorũ millia annua pẽderentur. Ac sigillatim Bartholomeus Liuianus, cuius eo bello p̄clara extitit opera se ducturũ tria millia qua equites qua pedites obtulit inter præcipuos eius familiæ sed & vniuersæ Italiæ ea quidem ętate duces habitus. A Fabricio Columna Rocauandra capta vi est in oculis hostium auxilio accurrere impugnatis non

audentium. Sic res Gallica in præceps ire visa est. Quin secundum fluminis ripam mota Gallorum castra Germani fanum inter & Caietam medio ferme interuallo constitere. Ponte lapideo cui Petrus Pacius custodiendo erat impositus traiicere flumen destinabant. Mille & ducenti Hispani pedites præsidio relicti, & aliquot equites expediti vim vniuersi exercitus Gallici sustinuerunt, triduum diurno nocturnũ pugnæ laborem continuantes. Sic Gallis transitu prohibitis cum robore exercitus Gonsaluus accessit suorum periculo commotus: & de rerum summa solicitus, si hostes voti cõpotes euasissent. Eius aduentu parti pontis quæ lignea erat, subiecti ignes: Castraque ad pontis caput locata sunt. Eo loco maius ab intestina discordia periculum extitit. hyemis sæuitia Hispani milites & stipendii inopia in rabiem acti tumultuari, per vicina oppida & agros dispersi prædas agere præcipuo rusticorum damno, tum equites tũ pedites frequẽtes signa deserere. Insanum quanta extitit animorum consternatio, quantum in discrimen venere res. Pręcipui quin etiam duces militem in statiua reducendi auctores erant. cum locorũ & temporis iniquitate vnaq; cum hostibus pugnare non audaciam videri sed temeritatem. Regrediendum in munita, & excedendum potius quam pellerentur specie prudentiæ admonebant ignaui. Eo processum, vt die quodam hastam miles quidam Magni Gonsalui pectori admoueret minas intentans, nisi pareret necessitati. Verum is alta dissimulatione magnoque animo militares mulcebat iras. Corrogata quin etiam vndique pecunia binos aureos militibus per capita distribuit. Ducibus in consilio contra tendentibus suadentibusq; copias in aliud tempus seruaret. Probe, inquit, noui quo loco res nostræ sint, quanti referat cum hoste confligere. Ad sepulturam potius vel vno passu vlterius promoto procedere certum habeo: quam si retro tantundem conuerso pede centum annis sit propaganda. Hic meta laborum esto aut vitæ finis, si superis ea sententia stabit. Diuersum mihi nemo suadeat. Columnios proceres pręcipuos discedendi ex iis locis suasores, erant qui suspicionibus incesserent tanquam inuidia & æmulatione Hispaniæ incrementa ægre ferrent, Gallos subleuari cuperent. Ex eo sane inter Columnios & Gonsaluum offensiones diuturnæq; simultates extiterunt. Ducis diligentia & auctoritate quamuis sedato ægre tumultu militari contineri milites non potuerunt quin pleriq; castra signaq; deferrent. Imminuto Hispanorum numero hostibus facile fuit triremibus quibusdam & cymbis valido nexu vinctis ligneum pontem silentio noctis imponere nullo prohibẽte. Mille & quingenti Galli ea arte traiecto flumine in nostrorum qui nihil minus cogitabãt, stationes facto repente impetu, quoddam veluti propugnaculum pulso inde Hispanico præsidio ceperunt. Eo metu in castris Hispani ad arma vndique concurrere paucissimi equitum numeri pedites ad quinque millia. In discrimine Gonsaluus se ipso maior conscenso equo acies primũ instruxit, vt tempus dabat: mox in pedes destitutus arrepta militari securi inter primos in hostes ferox incurrit. Quinq; Gallorum millia flumen traiecerant, sequebantur alii, ad hæc tormenta in aduersa ripa disposita in Hispanas acies displodere non cessabant. Maior terror quam clades. Tantis quamuis præsidiis muniti hostes Hispanorum peditum incurrentium impetum & alacritatem pugnandi sustinere nõ valuerunt. Ac versi in fugam continuo pontem qua transierant repetierunt. Transeundi festinatione cum inter se prementes alii super alios ruerent, ad mille & quadringentos ex Gallorum numero pars ferro trucidati pars subiecti fluminis vorticibus mersi fęde perierunt. Gonsaluus nullo tormentorum metu ad pontis caput accessit: signa quin etiam & militum centuriæ quædam hostib. permixtæ in aduersam ripam vrgendo cædendoq; aduersarios euaserunt. In receptu tamen ex eo numero quidam tormentorũ globis sunt discerpti, atque inter eos viri præstantes nonnulli: alii vulnerati ac nominatim Lamudius qualis ac quantus dux. Ante alios vexilliferi virtus enituit, qui globi ictu amissa dextra vexillum sinistra arripuit: & ea quoque nouo ictu ablata vtroq; brachio vexillum complexus vestigio tamdiu immobilis constitit, donec Galli sunt pulsi. De viri nomine scriptores variant in facto non discrepantes, à plerisque Fernandus Illesca vocatur, virtute profecto promeritus vt præclara virtus viri famæ inseratur, iisque beneficiis dignus, quæ à suo Rege accepit ampla Gonsalui prædicatione auctoritateque adiutus. Pugnę huius euentus Gallorum animos fregit: prorsus vt ne interdicto quidem flumine se tutos arbitrati pontẽ valido pſidio munirent non tã traiiciẽdi victoriæve spe, sed ne nostris in aduersam ripam transeundi facultas esset, ipsorum castra impugnandi. Adhæc Mantuanum inter & Alegrium contentiones suspicionesq; exortæ sunt minime idoneo tempore. Res prosperas cuncti sibi vendicant, aduersas imputant aliis. Sic Mantuanus desertis castris retro redire constituit. Species discessui prætenta quasi Gallorum arrogantiam ferre non posset linguæ procacitatem tantam vt Cynedum appellere non dubitarent grauis-

grauissimam contumeliam. Verior interpretatio: cum perditis fortunas suas miscere noluisse. In eius locum dum abs Rege Gallo veniant mandata summa belli administrandi militari consensu ad Salucium defertur. Is ferox ingenio & viribus odioq; Hispani nominis à primis annis imbutus paulo ante Caietam appulerat, vti paulo ante dictum est, Proregis autoritate & nomine. Mantuani discessu Gonsaluus, quamuis militum numero inferior certiori victoriæ spe traiecto flumine prælio cum hoste decernere statuit. Difficilis conatus Gallis aduersam ripam obtinentibus. Supra eorum tamen pontem septem passuum millibus ponte carris cymbisq; sustentato flumen iungendi curam Liuiano demandat. Alto silentio hæ molitiones tectæ, ne hostis præsentiret disturbaretq; conatum. Iacto ponte Suessa vbi statiua Gonsaluus habebat, profectus cum bis mille Hispanis peditibus, Germanis mille & quingentis non amplius die Iouis ad quintum Kalen. Ianuarii flumen traiecit. Diegho Mendozæ & Fernãdo Andradio demandata cura equitibus ea nocte ex hibernaculis excitis, cum iis postera luce ad auroram præsto adesse. Id vbi Galli senserunt Hispanos transisse flumen motis continuo castris vicini montis iuga occuparunt loco magis quam armis confisi. Metum interpretata ignobilia aliquot oppida ad eam ripã Gallicarum partium ad Hispanos vltro transierunt. Ea nocte in agro nostri tolerata cum luce secundum ripam fluminis in hostes pergere. Qui in consilio detrectandi certaminis perstantes maiora tormenta ne, si terra traherētur, limo profundo haustis rotis hærerēt, cymbis imposita Petro Mediceo secundo flumine Caietam deuehenda commendarũt. Fecit ille quod iubebatur: verum ad ostium fluminis turbato quamuis sæuoque mari festinare porro contendens haustis cymbis tormentisq; ipse etiam est mersus. Reliquæ copiæ deserto ponte atq; tormentis maioribus, quæ supererant, tentoriis & impedimentorũ parte, vna hora ante lucem è castris egressæ Molam haud longinquam Caietæq; vicinam festinare decernunt eius mœnib. salutem tueri sperantes. Gonsaluus itinere hostiũ consilioq; explorato Prosperum Columnam cum expeditis equitibus præmisit, qui hostes à tergo premendo distineret, dum peditatus subsequeretur. Pleno passu cum primum ad Molæ pontem peruenit, qua Gallo transitus erat, pugnæ signum datur: Impetum & alacritatem nostrorum diu hostes non tulerunt. Versos in fugam, vsq; ad Molæ & Caietæ portas, quo victi non pauci confugerunt, victores in tergis hærentes sunt insecuti. Multi toto itinere ceciderunt, tormenta duo & triginta capta milleq; & quingenti equi. Clara victoria fuit confecto secũdum eam bello reliquis maior. Gallorum pars Fundos versus dilapsa, quiq; eo tractu in præsidiis erant Romam appetentes rusticorum ex vicinis agris spe prædæ facto cursu iniquis ad transitum locis magno numero interiere: pauci vt stragem euaserint forte magis quam consilio aut virtute. Præcipuam à fortitudine militariq; scientia vtroq; conflictu, sed & vniuersa expeditione omnium confessione ex Italis Liuianus ex Hispanis Hugo Moncada laudem tulerunt.

Caieta dedita. CAPVT VI.

CVpiebat Gonsaluus Gallorum turbationem ad occasionem vertere Orlandi montem eodem impetu occupandi Caietæ vrbi imminentem. Prudēter destinatã fœda tempestas imbresq; toto eo die molesti disturbarunt. Et miles labore continenti fameque nullo neq; eo die neq; superiori nocte cibo sumpto fatigatus vix arma portabat: vigor animorũ cædendiq; cupiditas fessa corpora sustentauit eatenus. Sic coactus destitit, copiasq; Castellonium reduxit ad priora statiua. Gallis ad Molam se munire decretum erat, minorib. tormentis quæ supererant, locis idoneis obiectis: nam primum impetum in id oppidum futurum non dubitabant. Verum Gonsaluo curatis militum corporib. atq; ex labore recreatis commodius visum est antequam ducib. auctoritas, militi obsequium vtrisq; fiducia rediret, metu sublato ipsum caput Caietam petere vimq; admouere voluntate nihil facturis. Facilior opinione expugnatio fuit. Aditu quem muri parte prostrata mensib. superiorib. tormenta patefecerant, haud ægrè Orlandi montem occuparunt, qui eũ præsidio tenebant vix spatium nacti sunt in vrbem euadendi. Sic quæ ex superiori pugna supererant, amissa sunt spolia mille equi capti geminaq; tormenta, quib. in priori obsidione late stragem in Hispanorum castris fecerant. Ad hæc debilitatis hostes animis præsertim Hispanorum castris ad vrbis mœnia promotis quinquaginta primum è Gallia Cisalpina cataphracti ductore Mirãdulano Comite portis egressi supplicũ habitu venerũt in castra supinas manus tendentes, veniam orantib. darent, iram in obstinatos seruarent. Subsecuti sunt nocte proxima tres viri primarii à Salucio de pace & deditione legati. Petebant ii facta dicendi potestate, vti captiuos pecunia redimere cōcederetur. Ea reiecta petitione

ad maiora porro procedentes, ſi captiui tum Galli tum Italici generis redderentur, Caie-
tam vrbem dedituros & arcem polliceri, Mondragonem quoq; Sinueſſę antiquę è rude-
rib. conſtitutam arcem. Præterea Hiſpanis & Italis, qui Hiſpanorum partes erāt ſecuti ca-
ptiuis libertatem ſine pretio daturos. Honeſtæ conditiones, neq; Gonſalui aurib. ingratæ.
Italos modo captiuos dimittere graue erat ac nominatim Matthæum Aquauiuam Bitōti
Marchionem, & Alfonſum Sanſeuerinum Biſiniani patruelem, quorum noxæ maiores
erant, vindicta ipſi digniores iraq;. Ita eorum cauſam de cæteris annuens ad Regē Catho
licum ablegabat, neq; ad ſuum arbitrium reuocabat, quid de illis ſtatuendum eſſet. Poſt
multam diſceptationē internunciis ab vtraq; parte commeantib. Galli de Italis captiuis
1504. remiſerunt tandē. Summa ipſis Ianuarii Kal. principio anni Mill. quingenteſ. quarti con-
ſenſu hæ conditiones ſcriptæ. Obenigno ac reliquis Gallis captiuis daretur libertas. De I-
talis captiuis ſupplicium ſumere, ac ne in eorum cauſa quidquam decernere fas eſſet, pri-
uſquam à Gallo legati pro iis deprecatores mitterentur in Hiſpaniam. Militib. cum armis
& impedimentis ac reliquo apparatu abſcedere liceret. Caietani ciues ſua omnia retine-
rent, qua ante bellū libertate iureq;. Reliquis tota ditione vrbib. cautum ne vnquā fraudi
eſſet Gallis adhæſiſſe partib. Fœdere ad hunc modum ſancito continuo, qui mari ituri e-
rant, naues conſcendere cœperunt. Theodorus Triuulcius cum Italis Galliſq; militib. pe-
deſtri itinere in pacata diſceſſurus pari celeritate vrbe eſt egreſſus. His reb. celeriter con-
fectis tertio Nonas Ianua. die Mercurii vrbi & arci deditis Ludouicus Ferrera eſt præfe-
ctus præmium laborib. virtutiq; debitum. Tarenti quam vrbē obtinebat, cura Petro Ni-
cueſæ demandata. Captiuis quicumq; præſto fuerunt reddita extēplo libertas eſt. eodem
poſt biduū appulit Obenignus & cum eo Galli captiui ad mille & ducētos. Et Obenignus
quidem continuo naues conſcendit: alii fide publica accepta terra abierūt. Pleriq; tamen
in reditu periere laborib. fracto corpore tentata valetudine: ipſe etiam Salucius ſummus
copiarū dux Genuæ deceſſit, nihil imperio militari aſſecutus niſi moleſtiā ignominiāq;.
Palicius è numero Gallorum captiuorū antea euaſerat Antonii Cardonii permutatione
quem Hugonis fratrē Galli ſuperiorib. menſib. in conflictu ceperant. Fidei difficilis reip.
temporib. eximie ab Antonio & fratrib. cultæ laborumq; ipſi priuatim præmium Padula
fuit Capacio detractū municipiū Marchionis nomine, adiecto, quo gratius honeſtiuſque
donum eſſet à Rege Catholico cōceſſum. Non deerant qui Gonſaluum cōſilii præcipitis
in ea re incuſarent. Tanti ciuitatē vnam alioqui breui in poteſtatē venturam non fuiſſe, vt
tot captiuis libertate reddita redimi ęquū videretur viris genere & factis nobiliſſimis. Pla
cere omnib. qui poſſet? iudicia ſingulorū linguaſq; fręnare? Patientia prædicabant quādo
hoſtes mœnib. clauſos teneret ſubdi eam vrbem cum cæteris licuiſſe: neq; cōmittendum
vt rurſus de rerum ſumma periclitarentur, ſi iis ducib. ea peritia bellū eſſet inſtauratum.
Ad eas voces Gonſaluus pluris eſſe ꝙ in ſulphureū puluerem & globos ferreos inſumere-
tur dicere, quam ꝙ iactabant periculū. Supremam vulneris curationem omnibus plagis
præſtare, quas Obenignus aliiq; captiui ferro facturi eſſent. Deniq; canē mortuū non la-
trare, neq; militem in fugā compulſum nocere. Horū alterum captiuis neceſſario euētu-
rum. Magnorū ducum conſilia haud merito temeritatis accuſari debent, aut imprudētię,
vt rationes maxime lateāt ignaris, vbi calceus premat. Si licet coniecturā facere, ſuſpicari
poſſumus pecuniæ in ſtipendiū ſuprema difficultate laboraſſe, neq; minori annonæ ino-
pia alendo exercitui. Ex eo tumultus militaris ne exiſteret metuere, paruis ſæpe mometis
in bello magnas conuerſiones fieri non ignarū. Ad hæc fama vulgatum ad ciuitatē vete-
rem duas onerarias cōmeatu & inſtrumento bellico onuſtas Caietā deſtinari præter alias
duas ad Foſſas Marianas in Narbonenſi littore reb. omnib. inſtructas parataſq; eodē na-
uigare. Ac illud ſolicitare maxime, ꝙ Pontificem facere Andegauenſib. exploratū erat, ac
nouo vinculo vti aſtringeretur amicitia, Finarii Marchionē in Galliam miſiſſe filiæ cōiu-
gium vt paciſceretur cum Lotaringii filio. Regno Neapolitano quaſi dotali armis ſua ope
ſubacto Hiſpaniſq; depulſis repetito maiorū ſuorum iure haud dubio vti ipſi prædicabāt.
Si id ex voto non ſuccederet vaſta animi cupiditate Franciſcū Mariam Præfecti fratris fi-
lium cogitabat iungere cōnubio cum filia Friderici Regis, facta patri puellæ ſpe regnum,
vnde erat eiectus recuperandi: Sic Principum voluntates vt vehementes, vno ſæpe tem-
pore tendunt in cōtraria. Deniq; ignorabat nemo ad conſiliū Friderici in maiorum opes
reſtituendi à Regib. Hiſpano Galloq; agitatum, acceſſiſſe Pontificē adiutorem. Eius moli-
tionis famam aduerſarios erexiſſe ad nouas ſpes, amicorum animos debilitaſſe imperium
negligentib. cunctis, ꝙ fore diuturnum non putabāt. Ita importuni conatus cōfecto bello
occupandi videbātur. Et vtiq; in ea cura, maxime omnium vrebat, ꝙ vrbes & quæſtores
regii pecuniam maligne ſuppeditarent in ſumptus bellicos, mutationē imperii cupientes
eam

eam pecuniam Friderico reduci donum seruare & sibi in posterum gratiam. vnde indies inopia crescere rerum quæ ex belli vsu essent, suprema annonæ angustia premi, neque in stipendium militare pecuniam suppetere. Ergo Caieta ad deditionis cōditiones redacta, priusquā noui aliquid incideret, ꝙ instituta præclare consilia perverteret: continuo Termenstinum Ducem in Aprutium amandauit eius prouinciæ moderatorem, simul vt Bitonti Marchionis arces eo tractu iugum detrectātes ad imperium adiungeret. Liuiano cura data est Ludouicum Arsium impugnandi se Venusię tenentem maiori aliquanto arcis munitæ fiducia quā viriū. Aduersus Cōuersanum regulū Materę Comes & Petrus Pacius abierunt. Capacium itē intra Laurinum obsederunt Egidius Nepos & Petrus Nauarrus. Obsesso huic ac de salute libertateq; solicito permissum Tranium discedere Venetæ ditionis in Apulia vrbem cum vxore filiis & domestica supellectile, relictis modo pecoribus, tormentis, & reliquo bellico apparatu. In magna Græcia à Gomesio Solisio Rosanius magna principatus parte adempta ægramq; spem seq; sustentans Sanseuerina tantum & Rosano vrbib. retentis: intra Rosanum ab eodem obsessus tenebatur. Erat præterea Gōsaluo destinatum Præfecti Ruuerei oppida, quæ in ditione Neapolitana obtinebat, admota vi carpere patrui Pontificis nulla cura. Sanior ille Hispanorum partes amplexus aut simulās continuo tota ditione sublatis Regis Catholici insignib. nomen Hispanū inclamari mandauit. Fides vt syncera videretur, vltro ad victorem venire ipse constituit. Accepit venientē Gonsaluus benigne venia data eorum quæ secus gesserat: tametsi non ignorabat animo alieno esse: ac tandiu perstiturum in fide, quandiu foret ex vsu non amplius. Sed Pontifici tamen placando data ea dissimulatio est, ne aperte aliquid turbarum daret, vt erat ardenti ingenio à primis annis atq; à maioribus hostis Hispani nominis.

Induciæ Gallos inter & Hispanos pactæ. CAPVT VII.

CAietæ captæ, vt impensæ parceretur, ea tuenda maximę haud dubium futuræ, & grauissimæ in ea ærarii calamitate, custodia Hispanis credita est eo in coloniæ formā deductis, è veteranis delectu habito. Mox Gōsaluus Neapolim aduolauit: vbi eō plausu eaq; lætitiæ publicæ veræ, an simulatæ significatione inuectus est, qua Regem è priorib. vnum ciuib. gratum ac de hostib. parto triumpho redeuntem maiori excipere non possent. Ad eam vrbē proceres priuatim, ciuitates publice edicto vocauit, vt qui eatenus nō fecissent, sacramento in Regis victoris verba suscepto fidem astringerent amplius. In eo conuentu eos qui bello industriā operamq; probarant, laudib. præmiisq;, vt cuiusq; merita erāt, honestauit. Liuiano nominatim annuos octo millia aureos designauit lege perpetua ex Bisiniano principatu detractos. Propinquis eius duo millia & trecētos tribuit, quo maior esset gratia præmio singulorū virtuti & pręclaris factis exæquato. Ea in Vrsinos munificētia Columnii vtebantur, priuatas inimicitias publicæ causę importune miscentes. inuidia in præceps agebat, qua plures sæpe inimici quā iniuria parantur, quæ pessima cōditio humanæ mortalitatis est. Perturbatus semel animus nunquā in vno gradu resistit. Prosper Columna in Hispaniā nauigare constituit, querelis aduersus præsentē rerum statū armatus, efficiendi spe vt Gōsaluo, cui maxime iratus erat, succederetur. Odii causæ acriores quia iniquæ. Fabricius Roma, quo iuerat, facultatem petiit Florentinis militādi: quam veniam Gonsaluus dedit re necessaria, ne iniussu sumpta vindicandi necessitatem imponeret. De constituēdis iudiciis serio in conuentu actum est: quæ vehemēter labefactarat bellorum iniuria, tēporum conditio; rapinæ, cædes omneq; genus flagitia impune exercebātur nullo vindice, ne ipsi quidē consanguinei inter se à mutuis iniuriis & cædib. tēperabant, tetra malorū colluuies. Quies prouinciæ sine armis, arma sine stipendiis, stipendia sine tributis non contingant. Curatum ergo, vt populis volentib. pecuniæ redigeretur quantum satis videretur impensis factis instantibusq;, alendisq; stipendio militibus: quos retinere omni ratione destinabat, atq; in oppida tribuere, vbi molestię foret minus annonę copia maior. Hispanorum modo centurias aliquot, quoniā inutiles erāt, quippe ex perditissimis hominib. conflatæ data aliquanta pecunia & cōmeatu procul in Hispaniā duab. nauib. amādauit, ea sentina exhausta cōmodiores fore reliquos milites ratus. Simul belli mala maiori diligētia resarcire instauratis mœnibus, munitis arcib. pręcipue Neapolitanis Caietanaq;. Capuā adhibitis propugnaculis adiunctisq; aliis munimentis ita firmauit, vt munitior videretur, quā si perpetuo muro cinxisset. Hæc omnia eo pertinebant, vt si quid denuo ab hoste moueretur, prouinciā ad defendendū paratā inueniret, atq; omnib. præsidiis septā. Ac pręsertim ciuium adiuncta beneuolentia; quæ pręcipua cura fuit, omnes difficultates vicit cunctis ad obsequium paratis, quęcumq; postulasset, nihilq; omnino, ꝙ placeret denegantib. Et est longe potentior amor ad obtinendum ꝙ velis quam timor. Ac vero tota Italia eam nominis existimationē erat consecutus, vt pleræq; vrbes certatim studia defer-

rent transitumq; ad Hispanorum partes. Genuæ imprimis Adornii & Fregosii, quamuis inter se aduersæ factiones, consensu polliciti sunt, si duo militũ millia mitteret, graue Gallorum imperii iugum de ceruicibus continuo excussuros. Iulianus Medicus Petri frater eius, qui ad Lirim mersus est, centum millia aureos annua ipsum ac propinquos daturos modo Hispaniæ viribus in patriam Florentiã, vnde exulabat, restitueretur. Pisani retinendæ libertatis, quam auide arripuerant, studio inflammati aduersus Florentinos non dubitabant vrbis patrociniũ, aut si id malet imperium Hispano deferre. Tantundem Aretini detulere Florentinorum imperio defessi, rerum nouarũ cupiditate immemores videlicet humanæ sortis, imperium vix nisi in peius mutari. Plombini sane regulo volenti expetentique datum vt sub vmbra Hispanicæ protectionis delitesceret, vrbis modicæ quidẽ, cæterum regno retinendo percõmodæ ad excipiendas ex Hispania classes idoneæ, propter egregium portum tutasque circa stationes, & aliam opportunitatem maritimam terrestremque. Pandulfus Petrucius Senensis suo & suæ vrbis homine Paulusque Ballionius Perusinus sibi Perusiæque veniam & pacem à Gonsaluo expetiere. Ex ipsa Mediolano vrbe sexcenti ciues clam cõmunicato inter se consilio studia & opes offerebant, si induceret in animum arma in eam partem conuertere, Galliæque Cisalpinæ bellum inferre belli & pacis ea tempestate arbiter in vniuersa Italia. Verũ hæ omnes molitiones disturbatæ sunt induciis à Gralla & Antonio Augustino trium annorũ in Gallia pactis comprehenso etiam in eo fœdere regno Neapolitano. Rex Catholicus Meioradæ sub finẽ mensis Ianuarii eam pactionem iureiurando firmauit. Sancitũ inter alias conditiones vt Neapoli voce præconis id fœdus enunciaretur Februarii die vigesimo quinto. Distulit Gonsaluus euulgare prius dictitans rebellibus contestandam videri. Rosanius eo vti beneficio noluit: ac potius Solisio cognita Regis voluntate oppugnationẽ remittente neq; vigiliis intentis ex vrbe copiis eductis Cherintiam obsedit, vastatis circum agris igne ferroq;. Ludouicus Arsius quãuis inducias amplexus Andriæ & Barlettæ pecora deprædatus, captiuos etiã incolas egit. Hispani in violatores fœderis posse animaduerti ex cõcepta in eo verborum formula rati vtrumq; male mulctare destinabãt. Et Venusiæ quidẽ arcem facile ceperunt haud satis munitã ab Arsio relictam, quib. diebus paulo ante Tranum abscessit, inde in Galliam iturus mari. Quod ad ostentationẽ audaciæ fecit, milites signis sublatis pulsatis tympanis per hosticũ quasi per pacata ducens, acceptæ ignominiæ leue solamẽ. Rosanũ vrbs tandem per cõditiones à ciuibus est dedita. Intra eam Rosanius & multi alii è nobilitate Neapolitana viri præstantes sunt capti. Rosani exemplo Sanseuerina quoque breui in partes accessit. Conuersanũ Petrus Pacius vi cepit. His captis vrbibus Brutii & Magna Græcia Hispano prorsus cesserunt. Prouinciæ illi vniuersæ in locum Aieli Comitis propter longæuam eius ætatẽ, rerum moli impares vires, Hugo Moncada est præfectus cum summa bello paceq; decernendi potestate. Secundum hæc sex tantum oppida eaq; procul à mari in vniuerso Neapolitano regno Gallis relicta sunt. Magna Regis Galli offensione oppida contendẽtis post diem induciis euulgandis præfixũ ab Hispanis capta restitui æquum esse: ac vero initi fœderis euulgatione dilata fraudẽ susceptam interpretabatur, quæ noxa patrocinari non deberet. Itaq; omnib. persuasum non diutius in fide data permansurum quã ex vsu esset: ac fœderis simulatione agere vt Hispanos imparatos inueniret. Confirmauit eam opinionẽ eodem tẽpore, quo induciæ sunt pactæ, summa imperii militaris per Italiam Ioanni Iacobo Triuulcio delegata viro nihil minus quam quietẽ concordiamq; patienti, ardentis ingenii, factiosoq;, neque tam præmiis periculorum quam ipsis periculis læto. Quinq; etiam Heluetiorum millia exspectabantur ventura propediẽ, ex Gallia quingenti grauis armaturæ equites Obenigno Alegrioq; ductoribus. A Mãtuano & Ferrariẽsi ingẽtes delectus instituti. tãti apparatus quo exspectarẽt dubitabat nemo. Decumbebat Gõsaluus Neapoli salute ferme desperata. Ex ea re & quoniam fama rursus nunciabatur Fridericũ in pristinas opes restitutum iri, ac vero à Põtifice agi, vt Gallicis copiis summus dux designaretur multis sermonibus materia extitit. In fœcunda gignẽdis inimicitiis ciuitate & ex otio serendis rumorib. apta multorũ odia eruperunt, quæ aduersus Gõsaluum eatenus pectoribus tecta tenebantur. In quo Columnii proceres longius prouecti linguę licẽtia multa in eum intẽperanter effuderunt. Verum eã procellam, quæ maiora incõmoda minabatur, ægroti valetudo breui recreata ac plane destituta disiecit. Ipse cõtinuo in bellicos apparatus diligẽter incubuit ad defendendum ꝙ omnium grauissimum imminere bellum videbatur de Neapolitano regno. Vbi & per vniuersam Italiã atq; Hispaniã maligna sideris in frugib. corruptis & satis, annonæ angustia maxima laboratum est. Nonis Apr. die Veneris sancto horrẽdi terræmotus extitere cũ magna ędificiorum strage: vis maior labesq; in oppida quędam incubuit secundum Bętis ripam sita.

His

His malis territi mortales votis & ſupplicíis irata placare numina ad omnia templa inſtauratis. Oliſipone valida claſſe inſtructa Lupus Suarius cognomento Aluarenga ſoluit Orientis regiones verſus Indoſq;. Prima Luſitani imperii in iis oris latiſſimi fundamēta ab iis exiguis initiis ponebantur: quibus magnæ ſtructuræ moles breui ex interuallo acceſſit.

Valentinus dux captus, miſſuſque in Hiſpaniam. CAPVT VIII.

OBtinebant in Flaminia Veneti vrbes, quas extincto Alexandro Pōtifice occuparant armis: & ad alias aſpirabant nihilo meliori iure. Valentinus Pontificiis opib. repente nudatus, ſociis infidis, ab amicis deſtitutus, imparq; Venetorũ virib. Iulium nouũ Pōtificē vltro inuitauit ad capeſsēdas arces, quæ eo tractu illius imperio parebāt. Facto ſic fœdere Petrus Ouetus Pōtifici à cubiculo, & antea è familia Valētini ipſius cōſenſu miſſus eſt, vt eas arces obtineret. Dux vt erat ingenio vario atq; inconſtanti, ſubeunte initi cōſilii pœnitentia aliud atq; aliud ſubiiciente animo, vti peruerſa ingenia facere ſolēt, ad Dieghum Quignoniũ eius nomine Cæſænæ præfectum litteras dat cũ mandatis Ouetũ necaret laqueo fracta ceruice. Fecit ille q, imperabatur diligenter. Pōtifex grauē, vt erat, ignominiā neq; diſſimulandũ iudicans auctorē necis intra Pontificiam aulam detineri iuſſit, dum eę arces redditæ eſſent: ac nominatim Cæſæna, Forliuiũ atq; Bertinorum. Cōmeantib. tamē internuntiis conſtitutum eſt, vt capto redderetur libertas cum primum eæ vrbes & arces Pōtificiis legatis eſſent cōtraditæ. Interim vinctus Oſtiæ cuſtodiretur Bernardini Caruaialii Cardinalis cura fideq;. Ita ipſemet petierat alibi ſe tutũ fore non ſperans multis & validis circũfuſis inimicis. In quo numero principes erant Guido Monteſeltrius Vrbini dux ipſeq; præfectus vrbis Pōtificis ex fratre natus. Additũ, vt traditis arcib. facultas capto eſſet geminis Pontificiis triremib. in galliā concedere: niſi dederentur in Pontificis rediret poteſtatē. Cognitis iis molitionib. Gonſaluus acre ducis ingeniũ, reb. turbandis idoneum veritus Neapoli Leſcanũ Oſtiam dimiſit, qui Cardinali eius verbis ſuaderet, vt vincto auctor exiſteret Neapolim potius quā in galliā abeundi. ſi quietē amaret, pecuniā & ſecreta Campaniæ offerret: ſi bellũ, honeſtam conditionē, opima ſtipendia; tantum ſe & ſua Ferdinādi Regis fidei permitteret. Ne incēdio ſcilicet late excitato malorũ orbis rediret metuebant q ſopita videbantur. Sane Valentino melius, quā vlli hominum Italica ingenia & conatus quorſum tenderent exploratũ erat. Metuebatur ab omnib. militum beneuolentiā ſibi adiunxerat, ac eorũ maxime qui habebantur audaciſſimi, temeritate prōptiores. Voluntas praua nōniſi ſcelere querebatur. Obtulit Cardinalis operā & induſtriā, quanti id referret nō ignarus fideq; publicā à Gonſaluo miſſam accepit tutũ apud ſe fore ab iniuria. Interea Cæſæna & Bertinorũ legatis Pōtificis traditæ ſunt. Idē vt faceret Gonſaluus Mirafontius domo Vaſco Forliuio Præfectus adduci non potuit niſi prius quindecim aureorũ millia numerarēt, q in munitiones & ſtipendia expēſa ferebat. Dux libertatis cupidus & quoniā inimicos eius vitæ inſidiari cognouerat. Venetis menſariis eam ſummā repræſentandam edixit datis nominib. Decreta ea pecunia neq; de ſolutione, neq; de Præfecti Forliuienſis fide dubitabatur. Sic Dux libertati redditus Cardinalis diligētia, multoq; ſuaſu relicta gallia Neapolim flexit iter. vrgens diuina vltio verſutũ alioqui hominē excæcauit. Dextram venienti Gonſaluus obtulit fidei amoriſq; pignus. Comiter acceptum dein omnib. officiis coluit. Ille tamē vt erat ardenti ingenio quietis impatiens cōtinuo milite & pecunia Forliuienſem arcē iuuandi cōſilia agitare inſtitit Pontificiis nōdum deditā: vaſto ſimul animo Plōbinum, Peruſiā, atq; Piſas occupandi varias rationes tentare audax, callidus & in quācumq; ſe partem dediſſet induſtrius aut prauus. neq; penſi habēs Piſas ſub patrocinio Hiſpano deliteſcere, eamq; ad tuendā vrbem in clientelā Hiſpaniæ ſuſceptā miſſos Neapoli peditũ equitũq; numeros. Subornare quin etiā tũ Germanorũ tum Hiſpanorũ cohortes, q in regno Neapolitano erāt iniecta maioris ſpe ſtipēdii: Importunę molitiōes latere equî poſſent inter infenſos circũfuſis vndiq; obſeruatorib.? Gonſaluus tamen ne hoſpitii iura dataq; fidē violaſſe videretur, cauere ſatis initio habuit: cuſtodiis diſſimulāter circũdare, ne impotentis hominis conatus vlterius procederēt. Offenſus ea re Valentinus diſpoſitis ex interuallo ad curſũ equis è Neapolitanis finib. fugere cogitabat. Suſcepti cōſilii Neapolim eundi pœnitētia ſubierat ſera iam: præſertim ex quo certior fuerat factus biduo poſtquā Oſtia ipſe diſceſſerat, Romā perueniſſe Finarii Marchionē cũ galli Regis mādatis honeſtiſſimas cōditiones offerentis, ſi eius auſpicia quā Hiſpani ſequi mallet. His conatibus, vnde magna incōmoda niſi occurreretur tēpeſtiue, extitiſſent, cōmotus Gōſaluus in arce noua ducem detineri mandauit, noua & diligenti cuſtodia adhibita ne fuga poſſet elabi. Tāetſi Pōtifex quoniā arx Forliuienſis nō reddebatur Oſtiā referri, aut ſibi tradi, vt antea decreuerāt enixe poſtulabat. Vt placaretur Pōtifex Gōſaluus vincto perſuaſit ea arce tradita data ſe fide liberaret. Miſſiq; ad id Artes quidā è familia Ducis & Ioannes Cardonius

Romã ad Frãciſcum Rogiũ legatum,cũ notis & teſſera,per q̃ arcis præfectus haud dubiũ intelligeret heri ea eſſe mãdata. Sic Forliuienſis arx tandẽ in Pontificis venit poteſtatem. Artes Ducis quãuis vincti timebantur. Ea anxius cura Gonſaluus poſtquã ſe in oẽs cogitationes verſaſſet,fore conſultũ iudicauit ſi procul ab Italia amãdaretur.Fidei violatę elui maculã,quoniam cõmiſiſſe videbatur,vt pacta non ſeruarẽtur. Ergo Antonio Cardonio & Leſcano eũ vt inHiſpaniã abducerent,cura data eſt,Italię,ac vero Chriſtiani orbis facẽ in vltimos fines amouerẽt,ne nouis incendiis cuncta rurſus flagrarent.De Valentini vinculis & in Hiſpaniã miſſione varii ſermones extiterunt.A pleriſq; Gonſalui fides & cõſtantia ſugillata eſt.Ipſi etiã Regi Catholico initio diſplicuit ancipitis fortunæ ſuſceptus conatus.Verum eo erat progreſsũ,vt retractare nõ liceret.Gonſaluus quoq; officii maiori cura quã famæ,damnis,quæ eius libertate fugaq;,ſi facultas cõtingeret, impendebant cõſideratis inanes rumores,& q.d alii iudicaturi eſſent,contẽnendos putauit.Magnis Principib. præceptum exemplumq; ſalutare: officium rumore iudiciiſq; hominum antiquius arbitrari.Præ aliis Regi Gallo graue extitit ducem vinctũ teneri,à quo reb.ſuis certiſſimum in Italia præſidiũ expectabat.Ad nuncium vero fuiſſe in Hiſpaniã abductum, dixiſſe fertur. Deinceps pro fide Punica merito ſubſtituamus Hiſpaniam.nihilo illa conſtãtior. Interea Vaſconum Rex & Regina miſſa honeſtiſſima legatione in Caſtellam Hẽrico Labreto filio & hæredi Iſabellam Philippi Principis filiam minorem,coniugem expetiere.Benignis aurib.ea legatio initio accepta eſt.Cõmodum videbatur eo vinculo fidẽ eorũ Principum & gentis nutãtem aſtringere amplius:ne ea parte procella aliqua exiſteret.Quam curam hactenus grauem auxerat recens Magdalenæ obitus ad Medinam Campeſtrẽ extinctæ, q̃ obſidis loco à Regib.parentib.fuerat miſſa annis ſuperiorib.Ioãnes Emanuel in exiguo quamuis corpore,vt ſe res dediſſent,induſtria mirabili acris ingenii ſed ambigui apud Cęſarem in Germania legati partes implebat Ferdinandi Regis nomine. Nũc Philippi Principis accitu iuit in Belgas,præcipua deinde gratia & auctoritate in ea aula futurus,in pręſentia reb.omnibus,quę Hiſpaniam attingerent pręcipuus conſultor & arbiter Principis voluntate conſtitutus:maiori aliquanto ex eo gaudio Cęſaris per eum ſperantis finẽ controuerſiis,q̃ cum filio erant, fore;quam Ferdinandi ſibi ab eius ingenio metuentis ne pro innata calliditate inſtituta apud generũ cõſilia & conatus diſturbaret. Quippe Carolum nepotem cupiebat in Hiſpaniam attrahere à primis annis imbuendum Hiſpanicis moribus,mutua gentis beneuolentia qua maius quam in armis præſidium continetur. Cæſari & filio cõmodius videbatur Carolum detinere ſpe coniugii cum Claudia,vti erat ante agitatũ,idonei maxime ad lites cõponendas q̃ Hiſpaniam inter Galliam atq; Burgundiam tot annorũ ſpatio extiterant.Ac ampliſſima præſertim dos inuitabat,Aureliæ, Britanniæ, Mediolani,& Burgundiæ, quos principatus Rex Gallus ſponſis ſe hæreditarios relicturũ pollicebatur, in id populis continuo ſacramento adactis. Largus promiſſis & quæ natura cupiditatis ardẽtis eſt,immodicus.Puellæ matri Reginæ conſultius videbatur eam Franciſco Valeſio Engoliſmorum duci,cui proxima regni ſpes deſtinabatur;connubio collocare.Omnino paſſurum eum nemo exiſtimabat regno ſuſcepto nobiliſſimos principatus detrahi ſeiungiq; à reliqua ditione:ne futurũ quidẽ caueri ſatis poſſe,niſi viuis parẽtibus, puellæ de manu traderẽtur;pręſidiis in eius verba iuratis,q. quis auderet ſperare:poſtulare quidem nefas.

Gonſalui poteſtas circumciſa. Capvt IX.

IN medio felicitatis curſu tantaq; gloria parta obtrectatorum linguas,fortunę incurſus vitare Magnus Gonſaluus nõ potuit.Et eſt natura datum vt proſperis dubia ſuccedant, poſt ſerenum atrox ventorum tempeſtas conſequatur. Ab externa vi nõ modo tutus ſed inuictus inteſtinis calumniis petebatur inſtantis periculi ignarus. Inuiſi ſuſpectiq; dominantib.ſunt,quos altius virtus euexit,quia meritis æquam cõpenſationem facere nõ poſſunt,malignis eos oculis intuentur. Minorum calumniis iidem obnoxii ſunt grauiter ferentium gloria & opib. præſtare, quos paulo ante in æquo viderunt. Omnino æmulatio naſcitur inter æquales,alitur contentione,exardeſcit inuidia,cuius finis eſt odiũ. Verum hęc mortalitatis humanę vitia ſunto.ad quę noua & validior acceſſit cauſa virũ præclarũ exagitandi. Omnibus,qui in ſuperiori bello ſtrenuam operam nauarant ſatisfacere non potuit ne dum ignauis,qui enim liceret,præſertim, vt eſt hominum ingenium vnoquoq; ſibi blandienti,pluriſq; quam erant propria merita æſtimanti,aliena contemnenti,pari vtrumq; vitio?Sic aliis collata præmia non minus vrebant, quam ſibi detracta, quæ deberi exiſtimabant.Ex fonte tetro fœdoq; plenę expoſtulationum voces prodierunt.Et tamen ægritudo priuata ſuuſq; cuiuſq; dolor honeſta boni cõmunis ſpecie velabatur.Eas querelas in Hiſpaniam pertulere quidẽ eo profecti,plures miſſis codicillis: excepere multi patulis auribus,eorum qui in aulis Principum magno numero viuunt vaniloq.,ignaui,nulla

propria virtute,sed Principum offensione perspecta,viros pręclaros criminando,ꝙ pessimum obsequii genus est,crescere opib.& potentia & gratia assueti. Capita accusationis multa erant. Hęc præcipua. Iulianum Ruuereum Cardinalē(qualem hominē & quanto Hispani nominis odio?) In Pontificatus petitione subleuasse.quo id argumento, quib.testimoniis? Certe conatus eius peruertere debuisse accusabant ex interceptis litteris interregni tempore cognitos & priuatim ex syngrapha nuda ipsiusmet manu,qua in Hispanos studia pollicitus, scilicet mente priori mutata, de se Gonsaluum summa sperare iubebat pontificatum adepto. Verum id ludibrium erat:neq; calumnia prudentib.probata. Nam Bernardino Caruaialio Gonsaluum fauisse dubium non erat nullo prauo ambitu,sed modesta voluntatis significatione: Franciscum Rogium legatum Neapolitano Cardinali, quāuis Galli eo nomini addicto,vt si quis alius,spe purpuræ,vt ferebatur iniecta. Vtriusq; conatus inanis extitit, pontificatum adepto,quem minime vellent. Communis molestia occasionem præbuit innoxium prorsus in eo facto criminādi. Hæc prima accusatio erat. Ex militari licentia sumebatur altera maiori specie veri. Milites belli tempore laxius viuere assuetos quippe, rapto,rei familiaris angustias in pace ægre ferentes per vrbes & oppida spoliare,rapere,vi & stupris cuncta polluere,non sacro nō profano abstinere. Alienę culpæ Gonsaluus reus agebatur sed cū sua implicatæ,quasi militib.omnia cōcederet,neq; seueritate legum eorum cupiditates frænaret,castigaret flagitia.Ex eo magnam inuidiam Hispanæ genti vniuersæ cōflari.Irritatis prouincialibus,ne noui motus extarent,verendū esse.Sic illi disputabant. Ad hæc Gonsaluus.Neq; milites à religione & modestia cōmendare,neq; eorum eleuare crimina,quando ob flagitia ne natali quidem solo eorum licentiam tolerante patriis finib.discedere compulsi arma induerant obærati, exules,capitalia ausi plerięq;.Ac vero præcipuā licentiæ causam regios quæstores præbere negatis diu stipendiis,vt miraculi instar esset inter tot labores tantaq; fame & nuditate corporū tandiu sustentasse seq; obedientes præstitisse,præsertim ad Lirim atq; Caietam annuis & bimestribus stipendiis debitis nullum tumultum cōcitasse,aut secessionem fecisse. Neq; tamē vllum crimen,vllamue iniuriam impune esse,quin ex legis præscripto vindicaretur. Crimina omnia impediri nulla diligentia posse,ne frænari quidem linguas in tanta colluuione nationum,diuersaq; indole hominum.Accusabatur deinde eius incuria ærariū publicum esse exhaustū,pudenda vectigalium calamitate, regiæ pecuniæ peculatu multiplici. Eo neq; eius regni redditus, qui erant amplissimi, neq; perduellium, ex bonis redactam pecuniā bellicis sumptib.fuisse satis.Quod caput erat,pecuniæ ex Hispania aduectæ nullas rationes extare accepti expensiq;. Verum ille Francisci Sanctii Regii opsonatoris, id quidquid esset,culpa factū excusabat, aliorumq; quæstorum,quos regiæ pecuniæ attactu se contaminasse videri poterat.quid alienam culpam ad se deriuarent? Vectigalia Neapolitana detractis oneribus ordinariis quadringenta & quinquaginta millia auri annua non excedere. Cum in militaria stipendia sumptusq; alios necessarios supra octingenta millia vno anno facta impensa creuisset.Ex bonis addictis fisco haud magnam pecuniā extitisse propter pręmia necessario data viris nobilissimis:qui magno numero Hispanorū auspicia secuti erāt. Idonea criminis depulsio:sed ex qua noua atq; omnium grauissima accusatio conflata est. Donare eum oppida,principatus,præfecturas quasi ex proprio,nō fiduciaria potestate. Peti à Pontifice ipsius nominatione episcopatus,quib.ipse vellet,inscio inconsultoq; Rege,cuius eę partes manifeste erant.E contrario regia beneficia retractare,haud minori offensa temeritateq;,non se sua conditione metiri sed regia. Ac nominatim Ioāni Clauerio Alfonsi Sanseuerini oppida regiæ munificētiæ donum denegasse,aliis præterea Regis mandatis sæpe non obtēperasse incredibili contumacia. Quod si rerū status secus videbatur postulare,qua fronte tantū sibi sumeret,vt ne rationē quidē facti reddendā per litteras iudicaret? Principum sæpe patientia seruos insolentes reddi alienoq; regnare nomine,peccare adeo,ꝙ vindicaretur malo.Sic illi prædicabant.Nec dubiū hac in parte offendisse Gonsaluū per incuriam corruptū animū in viro summa fide interpretari quis audeat? Sed cū iudicio excellēti esset, cōscientia securus fortassis vlterius progressus est quā vicarii cōditio pateretur,Principumq; ingeniū de minutissimis quoq; rationē reddi expectantiū.Nullus vtiq; sine culpa viuit,in hoc ille,is in re alia sibi indulget.Colūnii proceres præ cæteris accusando Gonsaluo præcipuā curam impendebant: ac nominatim Prosper Columna in Hispaniam profectus est apud Regem de acceptis iniuriis expostulatū effectumq; diligentia vt Gonsaluo in prouincia succederetur multis argumentis, quib.aduersarium prosternere cogitabat,ex aliena inuidia & infamia gloriam & honores captās. Ex arcano tamē nihil vrebat magis quā honores Liuiano habiti pluriū equitū pfectura data, quā ipsi Fabricioq; patrueli.Id vero grauius ipsa morte ducebat auctoris ruina vindicādū.

Gonsaluus parum ægritudine hominis offensaq; commoueri: tantum monere regem per litteras obtestariq; Prosperum vti omni benignitate complecteretur, munerum magnitudine mulceret iras, cum eo tamen ne Vrsini imminuto ipsorũ honore alienarentur. Referre tãti duas eas familias deuinctas obsequentesq; habere. Salutaria monita inuidia potentior euertit. Quotidianis expostulationib. & querelis commotus animo Rex haud vana prorsus esse quæ à tam multis dicebãtur, legato Neapolim ex familia Reginæ viro nobili Alfonso Deza de quibus postulabatur omnib. admonuit. Ac vero diserte mandauit, daret operam vt regia vectigalia maiori in posterũ diligentia fideq; procurarent. Militum licentiam frænaret, quorum bonam partẽ ex ea prouincia deduci mittiq; in Hispaniam bello quod in Africam tranferre volebat auxilium. Iudicia constitueret temporũ iniuria labefactata, ex legum priorum moreq; præscripto. Ioannes Spinelus Conseruatoris nomine abstineret genti vehementer inuidioso. Deniq; Proregis potestate contentus, iis finib. auctoritatem contineret maiora sibi relinqueret. Graue hoc postremũ mandatum Gonsaluo extitit: regni eius conditorẽ cum tanta Hispani nominis gloria questuq; in aliorum præfectorum ordinem redigi, angustis cancellis circunscribi potestatem, eam videlicet gratiam effusi sanguinis esse, præmiumq; toties victoriæ de hostibus partæ. In reliqua tamen molestia arcis Nouæ præfectura, quam ipse Nunnio Ocampo crediderat, in Ludouicum Peixum translata à Rege, ne ipso quidẽ appellato, vrebat maxime scilicet insignis contumelia, argumentum regii animi sine causa alienati. In Gallia de induciis pace mutãdis agebatur, Friderico in regnum Neapolitanum restituto, quod Rex Catholicus probabat cum eo si Ferdinandus eius filius Ioannam Neapolitanam Reginam viduã vxorem duceret Gallus restituto Friderico, filio eius Germanam Fuxensem & sorore natam vxorem omnino destinabat. Coniugium tamen Caroli cũ Claudia filia potius existimabat, si modo Hispanis deductis ex Italia regnum Neapolitanum penes sequestrum esset Philippum Caroli patrem. His conditionibus agitandis aliquot menses consumpti sunt haud magno fructu. Gallo placebat eas controuersias arbitrio Pontificis finiẽdas permitti. Hispanus adiungebat collegium Cardinalium. Ratio excogitari nulla poterat quæ ab vtroq; probaretur. Qui enim posset? Andegauensiũ restitutio imprimis opponebatur ardua prorsus rebus multum ab antiquo mutatis. Gallus enim Salernitano Bisiano, Amalfitanoq;, cum primum patria extorres se in Galliã receperunt, per publicas tabulas fuerat pollicitus nunquam cum Hispano facturum fœdus, nisi prius in detractos principatus illi reponerentur. Promissi fidem fallere graue erat. Multis disceptationib. parum proficiebatur. Ea re quoniam vexilla Hispanica Pisis fuisse sublata nunciatum erat offenso Gallus animo Hispanos legatos ex vniuersa Gallia discedere mandauit Grallam & Antonium Augustinum. Importunis actionibus belli pacisq; cõmercia sublata. Iis acceptis mandatis Regina legatoq; Cardinali salutatis, ac postero die Friderico Rege inuiso Regem suum propensa in eum volũtate esse monent. Per quẽ staret, quò minus restitueretur in regnũ dies superiores & conatus ab vtraq; parte documento fuisse. His defuncti officiis itineri se dederunt ad septimũ Kalẽdas Septembris ex ea curia digressi rectà petẽtes Hispaniam.

Fœdus contra Venetos factum. CAPVT X.

DImittendi è Gallia Hispanos legatos superior causa palam iactata est, maior tamen ex arcano cura solicitabat ne fœdus præsentia disturbarent scilicet, quod Cæsar & Philippus filius cum Gallo inire cupiebant. Sic fama vulgauit, quam vanam non fuisse mox rerum euentus confirmauit. Simul enim atque ii discessere Blesis, eodem Cæsaris & Philippi Principis legati superuenere. Eorum opera ad decimum kalendas Octobris suorum Principum nomine cum Gallo fœdus sancitum est, quod veram atque indiuiduam amicitiam vocari placuit. Præcipua pactionis capita. Ne Cæsar Insubribus arma inferret, neque alios Italiæ regulos Galli confœderatos impugnaret. Eorum ne cuiquam fraudi esset, si quid in imperii maiestatem cõmisissent ex quo Carolus octauus Galliæ Rex transcensis Alpibus in Italiam irruperat. Si quid in posterum deliquissent, vindicandi fas esset nullo in contrarium Gallico patrocinio. Publicis tabulis Mediolani principatus possessio Gallo iure hæreditario confirmaretur intra tres menses, pro ea indulgentia ducenta millia Francorum præsentia numeraturo. De regno Neapolitano ne Gallus pacisceretur cum Hispano nisi Cæsaris consensu. Si concordiam inire honestis conditionibus Hispanus recusaret, Cæsar Gallum copiis & armis iuuaret ad regnum recuperandum. Ludouici Sfortiæ postremi Mediolanensis Ducis filiis in Gallia oppida & vectigalia designarentur, quotiescumque eam prouinciam domicilio deligerent, vnde vitam sustentarent. Exulibus Mediolanensibus venia daretur, bonaque quibus fuerant euersi iure belli. Quatuor menses designati, intra quod tempus Hispano liberum esset, se ad eam

eam societatem adiungere,ea tamē exceptione si Carolo nepoti traderet Neapolitanum imperium iis conditionibus,quæ antea fuerant præscriptæ.Intra tres menses singuli amicos nominarent, quos hoc fœdere vellent cōprehendi. In quo mirum videri potuit, neq; à Cæsare neq; à Philippo Regē Catholicum inter amicos fuisse numeratū. Quæ res multis sermonē dedit,Regis animo molestiam. Atq; hoc quidem fœdus palam agitatū sancitumq;,quo totius Europæ arma mouebantur importuno conatu.Occulte enim eodē die noua armorum societas à trib.Principib. adiuncto ad fœdus Pontifice sancita est. Vires iungendi pro Christiana religione aduersus Turcas species facto prætenta. Venetos impugnare destinatum cunctis erat,animusq; vnicuiq; iniustis possessorib. detrahendi quæ superiori tempore singulis ablata iniuria occupare interpretabantur. Pontificio imperio Alexandri Pontificis post obitū & Valentini Ducis vincula Rhauennam,Seruiā, Fauentiam,Ariminum,Cæsenā cum subdito cuiq; agro,Imolæ,quę olim Forum Cornelii fuit, ditionis magnam partem detraxerant. Cæsar Roboretum,Veronam,Patauium,Vicentiam,Taruisium,& Forum Iulii quasi ad imperii & Austriacæ familiæ ius spectātes capere destinabat. Ad Mediolanensem principatum Bressam,Cremā, Bergomum, Cremonam &Geradadam cum suo quamq; agro à Venetis possessas Gallo reuocare certum erat.Sęua tempestas in nobilissimam ciuitatem, quasi increbrescente vento ex omnib. plagis & maiores voluente fluctus cōcitabatur,minori multorum cōmiseratione propter perpetuam eorum ciuium in prolatando imperii fines quacumq; ratione constantem cupiditatem. Monuit Laurentius Suarius harum molitionum Venetum Senatum spe inter eos & Regem Catholicum societate armorum constituta Neapolitanas res sustentandi,quę in periculum veniebant hoste prævalido Hispanis thesauris exhaustis vsq; eo, vt ex rationario regio cōstaret, posteriori eo bello vsq; ad tertium Idus Octobris supra decies centum aureorum millia in nominib.aut pecunia ex Hispania missa in Italiam. Ingens ea tempestate summa,nunc leuis impēsa: vsq; adeo res ab antiquo mutarunt paucis annis. Veneti nō facile verbis legati fidem adiungere:atq; more & instituto suo belli spectatores esse malle quam pars,ex euentu consilium captare destinantes quod è re ipsorum futurum maxime iudicassent. An Veneti tantum hoc sequuntur & non etiam Principes alii?Quin ipso tempore Ægypti Sulthanum solicitasse scribunt,vt Indici maris imperium Lusitanis eriperet, Orientis commercio prohiberet,quod illi suis classibus occuparant magno Venetæ reip. incommodo Aromatibus quę Alexandriam deuehi solita erant,in Lusitaniam auersis.Id vt facilius impetrarent legatum Cairum miserunt vrbem Ægypti primariam:cum eo ingens æris pondus,tormenta conflandi scientia, nauesq; more nostro fabricādi peritos artifices,Regi Calecutii, quod nobilissimum Orientis emporium est, subsidium quo Lusitani pellerentur Indicis oris. Egerunt præterea cum Rege Catholico vt eas cōtrouersias componeret, pro ea auctoritate quam apud Lusitanos paterna gratia necessitudo & ius propinquitatis dabat.Lucri cupiditas maximi aures Lusitanorum obturarat ne pacē fœdusq; orantes audirent.Ita Laurentii Suarii legati consilio dissimulare constituit, neq; in ea re mouere quidquam nulla proficiēdi spe. Enimuero magnis Principib. multa aggredienda non sunt ne dignitatis iacturam afferat irritus conatus,quia magna famæ momenta in vtramque partem sunt.

Fridericus Rex & Isabella Regina decessere. CAPVT XI.

PArum iucunditatis modestiæ plurimum plerisque horum Principum aderat, acerba vitæ conditio,& mortalitatis nostræ; quo plura suppetunt,pluribus eget. Cæsarē premebat inopia vectigalium filiiq; contumacia paternis consiliis repugnantis.Philippi principis vxor mente vacillabat.Matrem eiusReginam sub vitæ finem morbus prolixus & fœdus inuaserat breui finem allaturus vitæ, nullis idoneis remediis. Eius morte incommoda ne redirent & tumultus,prudentes merito verebantur,certe rerum & reip. moderandæ forma ne ab antiquo mutaretur. Regi Gallo quæ poterat esse tranquillitas præter alia spoliato amplissimi regni opibus,iniuria,vti ille putabat.FridericusRex anxio pectore nō cessabat apud animū suum agitare rationes in pristinas opes patriāq; redeundi. Obtestari Reges vt memores rerū humanarū,&fortunā suam moderarentur,& alienā miseriam ne vrgerent. Desertus tamen ab omnibus,ac inani tantū spe lactatus diu,eam atrę bilis vim toto corpore suscepit venis diffusā vt labefactata valetudine in febrim quartanā inciderit.quo pressus morbo Blesis post legatorum discessum Turones rediit,ordinario domicilio delectā vrbem propter cæli & agri præcipuā temperiē & amœnitatē. Rei familiaris angustia premebat,propinquorū fides fluxa,inter hostes infensissimos diuturnū exilium.

Fieri non posse considerabat, vt duo Reges in vnam sententiam conspirarent. Quod de sua restitutione proponebatur merum esse ludibrium ad orbem fallendũ se distinẽdum ea dissimulatione. Neque in eo decipiebatur, quando ab vtroque eæ conditiones proponebantur, quas alterum non probaturum minime dubitabant. His anxium curis maior ex arcano dolor vrebat. Filium Calabriæ Ducẽ cui proxima regni spes destinabatur, non ea esse magnitudine animi, industria, virtutibus quib. ad emergendum ex iis angustiis opus erat, ac se defuncto cogitabat facile obtemperaturum præsenti rerũ statui, haud magno ad superiora conamine. In quam sententiã sub vitæ finem litteras ad filiũ dedit, multis prudentiæ luminib. illitas, præceptisque saluberrimis distinctas. Debere se eum ita rebus præsentibus accommodare vt ad maiora niteretur, neque præposteris voluptatibus extingui vigorẽ animi, frangi corpus, neq; terreri difficultatib. quãuis maximis oportere. Se fortem & munificum vt præsens fortuna daret, cũctis exhiberet, corpus idoneis laborib. virile efficeret ac militare, modestia animũ firmaret. Ex quo intelligitur huic principi nõ consiliũ non prudentiã defuisse. Fortuna aut vis maior virtuti obstitit, contra quã non est satis cauta mortalitas. Hæc eius se conatibus perpetuo aduersam exhibuit. Atque ita vt nocte quadam ædes, vbi habitabat, improuiso igne concepto, lateque fuso incendio conflagrarint, vix vt cum vxore & filiis nudis nudus euaserit. Eo casu recrudescente auctoque vehementer morbo in ea vrbe decessit ad quintum Idus Nouembris, morte quam vita felicior nihil delato regno assecutus nisi labores curasq; graues. Duas vxores habuit. Ex priori Carlottam filiam reliquit eo iam tempore in Gallia nuptam, ex posteriori filios quinque. Isabellam, Iuliam, Alfonsum, Cæsarem, & qui cæteros ætate præstabat Ferdinandum Calabriæ ducem. Medinæ is Campestris se tenebat, Regibus assiduus cum de patris obitu nuncius aduenit. Prospero Columnæ id denunciandi, doloremque leniendi abs rege Catholico cura data est. Tametsi & ipsum proprius dolor vrebat ob Reginæ afflictam ac plane desperatam valetudinem. Proximo illa interitu Philippi principis & vxoris aduentum in Hispaniam solicitare moræ omnis impatiens metu ne motus existerent, idemq; ægrotæ verbis exposcebat Guterrius Gometius Fuensalida apud Belgas regius legatus. Excusabat princeps bellum à Gheldriæ duce finibus illatum. Ea species prætensa auersæ voluntati veniendi, imperii Hispanici quod deferebatur, contemptui, vti præse ferre videbatur. Inter has molitiones ingrauescente morbo in eo municipio decessit ad sextum Kalendas Decembris magno atque incredibili prouinciæ totius luctu, principẽ amisisse dolentiũ ea animi magnitudine & prudẽtia, ii virtutib. vt inter laudes eius minima sit, superasse lõgo interuallo Reginas alias quascũque Hispania vidit ab omni memoria, ac vero totius orbis à multis profecto seculis. Granatã sepulcro delegit. ibi quoniã regiũ sacellum nondũ extructũ plane erat, trãslatitio funere in Alhãbræ arce cõposita est. In funere atq; exequiis sago indui prouinciales vetuit, atq; ex eo tẽpore lugubris amictus insolẽtia tũc vsitati, mitiori luctu mutata est. Donationes vi magis quã volũtate sui regni initio expressas, fore iniustas testamẽto sanxit. A quo numero exemit tamẽ Moiam, quã vltro datã ob eximia merita affirmauit Andreæ Cabreræ eiusq; vxoris. proinde ratũ beneficiũ in omne tempus propriumque fore voluit. Hæredem ex asse Ioãnam filiã scripsit, vnaq; Philippũ eius virum. Addito tamẽ iuxta ea quæ ante biennium regni conuentus postularant, si valetudine absentia ve aut aliam quãcumq; ob causam Ioanna impediretur, aut omnino nollet regni curã suscipere: vti eius loco & nomine Ferdinãdus Rex remp. procuraret, dum Carolus nepos viginti nihilominus annos esset natus. Præterea vltra militarium ordinum magisteria Regi à Pontifice commendata, prouentuum omniũ dimidiũ ex insulis & continẽti noui orbis viro legauit. præterea viginti quinque aureorũ millia ex aliis vectigalibus regiis item annua. Testamẽti curatores Regem nominauit. Toletanum præsulem, Dieghum Dezam Palentinum episcopũ, Antonium Fonsecã, & Ioannem Velasquiũ rationũ regiarũ magistros, præter hos ab epistolis Ioannem Lupum Lezarragam fidos & industrios experta. Non deerãt tamẽ viri alioqui præstantes, qui stolida temeritate Reginæ testamẽto cõtempto Ferdinãdo Regi suaderẽt vti continuo in Regis Castellæ nomẽ inuaderet, quippe è Castellæ regib. genus ducenti per viros stẽmate ducto serie cõtinua. Ad tuendam auctoritatẽ id fore cõmodius quam vicarii administratoris nomen. Populorũ studiis & antea adiũctis, & nũc sublatis quibusdã tributis & edictis, quæ subditos male haberẽt, aucta gratia, de successu verẽdũ nil esse. Surdis auribus hæc accipiebantur, mirabili animi constantia spernentis, quæ ab aliis per ferrũ & ignes petũtur. Ita ipso die, quo Regina obiit post prãdium luctu in lætum vultum mutato, egressus regia è suggestu in foro excitato regia vexilla explicari, Ioannæ filiæ & Philippi viri nominibus gentis instituto inclamatis curauit. Fridericus Toletus

Albanus Dux vexilliferi partes impleuit. Eo exemplo per vrbes & oppida, quib. ea prærogatiua data est, similis cæremonia est perfecta, sed inclamato tantum Ioannæ Reginæ nomine, Philippi viri mentione nulla, tantundem in regiis diplomatis, atq; edictis publicis, quæ voce præconis euulgantur, obseruatum est. Enimuero sacramento veteres tabulas, priuilegia & leges regni confirmari à Philippo prius volebant, ne aliquid ab antiquo moueretur quod ciues improbarent, turbas conciret: Assuetis homines stari malunt, nisi quæ vsus manifeste arguit, ac nominatim ne externos in iudicum senatum legeret, neq; iis vrbes aut arces crederet, vti ab Isabella Regina testamento inter alia cautum expresse erat. Hoc mense & Decembri proximo vis ingens pluuiarum extitit, mira aquarum proluuies, atque ita vt agris superfusi amnes, corruptis satis famē grauissimam attulerint qua vt hoc anno sic proximo in Hispania laboratum est: famē excepit pestis lues per omnes partes diffusa cum magna multorum clade.

Controuersiæ de Castellæ administratione. CAPVT XII.

ISabellæ Reginæ morte contentiones molestæ extiterunt. Concordia & potentia vix vno vestigio consistunt. Ferdinando Regi & vxoris testamento Castellæ regnum administrationem retinere erat destinatum, haud dubio impedimento Ioannæ filiæ, quam in Belgis inclusam teneri vulgatum erat, sublata decernendi, atque quoquam egrediendi libertate. Id vt assequeretur, primum genero Regi per litteras renunciauit, ne sine vxore omnino in Hispaniam veniret. Cupere prouinciales, quod fama ferebatur, de eius valetudine certius cognoscere, idonea esset an secus rebus in Castella gerēdis. Deinde ex vniuerso regno proceres, & procuratores vrbiū Taurū euocauit ad conuētus generales. In iis conuētib. tertio Idus Ianuarii salutis anno Mil. quingent. quinto Garsias Lassus Vega Legionis promagister Præses cæteris datus ac vero reliqui procuratores vrbiū lecto 1505.
Reginæ testamēti capite de regni hærede eiusq; ad ministratione, defunctæ volūtate approbata secundū eam consensu sacramentū Ioannæ dixere quasi Castellæ Reginæ, matris hæredi, ac Philippo viro coniugis iure, præterea Regi Catholico administratoris nomine. Ac paucis inde dieb. in conuentu pronunciatum nouæ Reginæ valetudinē esse exploratā. Idoneis id testib. fama vulgarat, quæ nihil occulti esse patitur inter Principes maxime. arcana quoque populo proponit atque explicat. Proinde orare Regē omnibus precibus, vt vxoris carissimæ volūtati obtemperaret, rempublicā capesseret, neque desereret in sinum confugientē. Simul in Belgas nuncios misere cum litteris tertio Idus Februarii datis, quib. nouo Regi rerum à se gestarum rationē reddidere. Ab his initiis conceptā animis tranquillitatis spem multa turbarunt. Plerique rectoris mutationem expetebant humani ingenii initio futura præsentib. potiora fore putantes. quæ sæpe fefellit spes. Ac proceres præsertim iniquo animo ferebant Ferdinandum Regem rebus præesse. quemque suus vrebat dolor an spes incitabat. pars oppida Hērici Regis domo possessa diu, noua censura detracta moleste ferebant, alii quod postulati alicuius & voti cōpotes non euasissent, dolere scilicet impense. Illud vero cūctos male habebat, quod iudiciis cōstitutis, legibusque reddita vi potētiorum insolentia frænabatur, ne impune in tenuiores inuolarent, vti facere antea impune consueuerant. In eo numero Petrus Manricus Anagari Dux cæteris ardentior suis & suorum opibus palam Ferdinandi conatibus obsistebat. Secundum cum Dieghus Lupus Paciecus Villenæ Marchio se ostētare offensus eius principatus oppidis pridem ablatis, nisi rebus turbatis nulla recipiendi spe. Aliis proceribus idem animi erat, & si tempori seruire ac tantisper dissimulare decreuerant, eo daturi vela, vnde melior spes ostenderetur priuati commodi, quæ potissima cura erat. Vnus Fridericus Albanus Dux perpetuo à Ferdinandi partibus immotus stetit, viri fidem prædicandam si reip. amor tranquillitatis & nō potius propinquitatis respectus detinuit, ne cū cęteris sentiret. Hæc domestica erāt. Atrocior à Belgis imminere tēpestas videbatur. Philippus & amicorum principes offensos se putare importuno Ferdinandi Regis conatu. Quod Regis nomen adiungerent, & ad veniendum in Hispaniam inuitarent, id contumeliam interpretabantur. Quæ apud concordes vincula caritatis, apud infensos irarum incitamēta erant: Quorsum venturum dicebant? Regem cur vocarēt? Quid enim nisi ludibriū contineret, Regis nomē dare, & Regiā potestatem adimere? Quid in Castellam veniret: an vt acceptæ ignominiæ deformis testis viseretur? inani vmbra regiæ maiestatis, fructus penes alterum esset? Ægris cunctorum animis faces subdebat Ioannes Emanuel in exiguo corpore ardenti prorsus ingenio, multo in dicendo sale. Id veritus Ferdinandus conatus erat illum à Philippo genero abstrahere, ne latius incendium importuno afflatu

funderetur. Ac primum in Germaniam redire iussit iniunctas oratoris apud Cæsarē partes implere mandans. Philippus soceri arte perspecta discedere non permisit amica vi parata nisi obtemperaret: ac vero maiori deinde in gratia fuit omnium arcanorum particeps ac pene arbiter factus. Quia id non successerat, magnis pollicitis eius vxorē Catharinam Castellam non minoris animi fœminam tentare visum est, si benignitate præfractus viri animus expugnaretur. Multa & magna ipsi & filiis promissa. Parum tamen est ea noua diligentia profectum. Vir enim apprime sagax maiorē in principe & iuuene & munifico spem reponebat, quam in sene & callido & parco. Non restiterunt offensiones in vno gradu locoq;, sed in Italiam transgressæ effecerunt, vt Ferdinando Gonsalui fides esset suspecta, ne ad generum & Cæsarem inclinaret, regnumq; ex eo Neapolitanum eriperetur. Augebat suspiciones dissimulanter eoq; validius Prosper Columna suo in Hispaniam aduentu, quamuis sibi & propinquis ex aliena inuidia captans emolumentum, & consecutus adeo quæcumq; voluit. Ac nominatim datum, vt ala quadringentorum equitum Liuiano credita, ad ducentos redigeretur. Iussit prętereà Ferdinandus, vt mille & ducentis cataphractis, sexcētis equitibus expeditis, ac tribus peditum Hispanorum millib. Neapolitani regni retentis præsidio, duo millia pedites Hispani mitterentur in Hispaniam in belli Africani apparatum, germanis missio esset. Quæ omnia eo pertinebant, vt impensa minueretur, ac vero debilitatis Gonsalui viribus nocere ex Italia nemo posset, si res deduceretur ad bellum. Rebus enimuero Neapolitanis & litibus diiudicandis nouum in curia regia tribunal est constitutum, iudicibus designatis Thoma Malferito, Ludouico Sapata, Ludouico Sanctio Ærarii præfecto, Ioanne Baptista Spindo, deniq; Michaele Peresio Almasanio qui esset à commentariis, actaq; & decreta testato describeret, & actionum formulas dictaret. E Vasconibus Latro Mauleonius legatus Regum suorum nomine pacem & veniam petiit à Ferdinando, inter vtramque gentem constitutam confirmari amplius Philippi Regis filia iuncta connubio Henrico Vianæ principi, cui proxime post parentes regnum destinabatur Vasconum. Adiunxit postulatis Valentino libertatem reddi in arce Medinæ Campestris iuncto. Quod Cardinales item magno numero exposcebant in Alexandri Sexti ære, quippe ab eo in senatū allecti purpura data memores beneficii. Ad hæc Ferdinādus pacem fœdusq; probare; ac ne reiicere coniugium quod expetebāt. De Valentini libertate præcise negare tunc quidem opportunum fore. Hęc palam respondit ex arcano anxius, & de fide Gonsalui suspicione suscepta, sæpe in animo voluens; expediret Valentini opera vti in rebus Italiæ. Fidelis tantum obsequii pignus requirebat: ne accepta libertate ad hostes transiret pro ingenii varietate, & vinculorum diuturnitate amplius patientia irritata amplius noceret. Eo descensum vt Alfonsus Atestinus Ferrariensis Dux, patre per hæc tempora defuncto non dubitaret pro leuiro se vadē offerre; & est grauior & difficilior animi & sententiæ pro alio, sit ille quicumq;, quam pecuniæ obligatio. Ab Emanuele Lusitano Rege Romam legati Dieghus Sosa Portuēsis Episcopus & Dieghus Paciechus, qui gaudio ob delatum pontificatum fungerentur, & more maiorū obsequium debitum deferrent. Simul ad retinendum Indici maris imperium post varias classes annis superioribus missas in Orientis oras, placuit Prætoris nomine virum idoneum mittere, cui cęteri Lusitani obtemperarent, & cuius imperio deuincti, maiori animorum concordia in negocio versarentur. Franciscus Almeida delectus perspecta prudētia & virtute vir est, qui valida instructa classe quam primum eam prouinciā susciperet, multis impeditam difficultatibus. Nam & Veneti obstabant conatui, vti antea dictum est, & Ægypti Sulthanus siue vltro, siue iis incitatoribus, Lusitanos Indica nauigatione prohibendi negotium in se quasi proprium susceperat. Francisci monasterio Hierosolymitano Præfectus nomine Maurus vir Sanctus cum litteris ad Romanum Pontificem legatur in Ferdinandum contumeliosis, iniuria occupasse Granatæ regnum, maloq; Mauros compulisse ad Christiana sacra. In Lusitanum minacibus propter Orientis commercium interceptum, regionum vectigalium & singulorum priuati commodi incredibili calamitate. Nisi Pontificia auctoritate audaces conatus asperioribus frænis & censura ipse castigaret, excidium Hierosolymitani sepulcri, cum ignominia religionis Christianæ, ac vero piis omnibus, qui in eius ditione erant minitari. Ea legatione denunciationeq; minarum commotus animo Pontifex eundem Maurum misit in Hispaniam cum earum litterarum exemplo, vt iis consideratis Reges quid barbaro respondendum, quid faciēdum videretur mature perspicerent. De Ferdinandi responso nihil traditur minas, vt erat magno animo, contempsisse credam. Lusitanus quidem ad quem maxime eæ voces molitionesque spectabant, litteras ad Pontificem hac sententia dedit. Ex earum litterarum exemplo quas à Sulthano datas ad nos misisti, cognoui accusationes in Regem socerum meque

conflatas

conflatas laudes verius quam vituperationes. Quid enim gloriosius Principi Christiano contingat, quam impietati odio esse? Minæ quas adiungit, eo spectant, vt à Christiani nominis amplificatione desistamus. Quid Rex socer ad hæc responsurus sit, nō est nostrum statuere, ipse pro sua prudentia obiectis calumniis satisfaciet. De me illud plane affirmare possum, cupere oppido maiorem Sulthano expostulandi datam occasionem. Ac vero Indica nauigatione suscepta, nihil æque cordi fuisse, fateor, quam Mecchæ Mahometis sepulchro vrbis & ædis famosæ euersionem. Quod cum Deo futurum aliquando speramus. Tunc Sulthano licebit maledicta in nos effundere maiori stomacho. Exiguo nūc incommodo allato quid latrat? Interfecturum Christianos euersurumq; sacrum Hierosolymæ sepulcrum, quod minatur non arbitror tam fore præcipitem ac temerarium, vt vectigalibus carere velit; quæ ex ea natione ingentia rediguntur: ne commissurum quidem vt vniuersum orbem Christianum excitet in vindictam iunctis cunctorum viribus. Quod vt contingat, vestrum erit, Pater beatissime, curare ac vero præstare. Principum animos & vires in vnum consensum sociare euellendi ab stirpe gentem sectamq; nefariam. Hanc laudem ab Alexandro Pontifice, frustra expetitam expectatamq;, fortassis in vestra tempora cœleste numē seruauit. Quod responsum Sulthani litteris dari par sit, statuent sacri istius collegii Patres vestræ administri potestatis, neq; enim tātæ sapiētiæ quanta in Romanis sedibus versatur, quidquam perscribere nostræ modestiæ esset. Quid animi geram, quo tendant nostri conatus breui epistola explicasse satis habeam.

Offensiones inter duos Reges socerum & generum continuatæ. CAPVT XIII.

IN Tauri conuētibus leges promulgatæ sunt, quæ Isabella superstite sancitæ vulgò à loco leges Tauri vocantur, reip. imprimis salutares. Soluto conuentu Ferdinādus tamen in ea vrbe restitit vsq; ad Aprilis finem ex propinquo explorare cupiens Lusitani Regis animum, in quam partem se daret, in suscepta cum genero de Castellæ administratione controuersia. Proceres odio incitati eam moram in peius interpretari, Ioannam Henrici Regis filiam velle sibi connubio iungere, eius repetito iure, quod armis ante impugnarat inuitis genero & filia non Castellæ administrationem retinere, sed etiam regiam maiestatem. Insanum quantum ii rumores multorum animos alienarunt. Rebus turbatis multa finguntur libere, creduntur impune prona semper in deterius hominū persuasione. Omnino Alfonsus Caualleria regio scrinio præfectus suadere instituit, vt rectoris nomine posito, tutoris & vsufructuarii nomina sumeret, patribus iure data in filiorum bona eorum, qui nondum in suam tutelam venerunt. Ioannam Reginam in eo numero esse si minus propter valetudinem sensu imbecillo, & quoniam erepta libertate quidquam statuendi, procul à patria detinebatur. Adiungebat præterea regium nomē tum vsufructuarii iure, tum prioris coniugii quamuis vxore defuncta, exemplo Ioānis patris, qui defuncta quamuis priori coniuge filiisq; adeo ex eo coniugio relictis ad mortem nomen & potestatē Regis Vasconum retinuit regno dotali. Rectoris moderatorisque titulos esse imbecillos, obnoxios mutationi, Regiam maiestatem & nomen rebus gerendis, prouincialibus frenandis fore salutare. Henricum Trastamaræ Comitem parum initio profecisse, paucosque eius auspicia secutos: postquam Regis nomen arripuit, rerum continuo magnā conuersionem factam. Hæc ille. Castellæ proceres quique Philippo à consiliis erant, longe alia insistentes via, regni administrationem vniuersam ad nouum Regem ablegabant, quippe iustæ Reginæ virum cuius potiores quam parentis sunt partes, arctius vinculum caritatis. Reges si venirent rerum spectatores tantum sublata decernendi potestate fore tum ipsis tum gēti ignominiosum. Duos supremos rerum moderatores quis ferret? quis inter ipsos conciliaret? Prudenter facturum Ferdinandum, si quod erat necesse, sponte sua aliena procuratione relicta, in Aragoniam concederet: inde filios iuuaret pro virili atque ex eorum voluntate. Vi extorquere gubernacula fore noxium. De regnis Neapolitano & Granatensi non minus sententiæ discrepabant. Ferdinandus enim Granatensis imperii partem sibi tribuebat quippe coniugii tempore partum profectitium incremētum à Neapolitano consortium omne excludebat, nempe ex Aragoniæ gentis antiquo iure occupatum. Ita moleste tulit à genero in Gallico fœdere, de ea ditione, quasi de re sua fuisse statutum, ne appellato quidem se, cuius in iure mancipioque esset. Eo etiam Gonsalui fides suspecta erat quasi homo in Castella natus Castellæ incrementis faueret. Aucta suspicio misso Neapolim ex Germania, qui Cæsaris nomine rogaret ecquid animi gereret, si res ad arma deduceretur. Pontifex quoque quærere ex eo porro instituit, si cum Cæsare & Gallo Rege armorum ipse constitueret societatem contra Ferdinandum, vtri partium adhæsurus esset. Et Cæsarem quidem ambiguo responso suspenderat haud satis apertis verbis negata ope. Ad Pontificem plane: ignorare profecto eum quibus maioribus

esset natus, quantis ipse priuatim astrictus vinculis, ne Regi suo fidem datam falleret, ac vero ne turpitudine aliqua suscepta familiæ nobilitatem fœdaret. Sic in Italia res erant. Ferdinandus Tauro discedens per Areualum Segobiam in æstiua abiit. Ex ea vrbe Ioannem Fonsecam tunc Palentinum episcopum in Belgas legauit, vt filiæ assiduus eius imbecillitatem consilio regeret, Lupum quoque Concillũ Michaelis Peresi Almaśani propinquum, vt esset ab epistolis. Contra ad Regem Catholicum a Cæsare & Philippo filio legati venerunt, Andreas Burgius Cremonensis patria, & Philibertus, cui familiaris vsus cum Philippo erat, & Castellæ rerum ampla cognitio. Ferdinandus idoneum hominem nactus, querimonias in generum, in eius sinum effudit. rursusque Ioannem Emanuelem præcipuam discordię facem ab eo abducere tentauit. Excusauit ille discessum, palamque datam Regi Catholico fidem obsequiumque confectis tabulis renunciauit. Noua offensionum tela per hunc modum ordiebatur, præsertim Lupo Concillo in ferrũ & vincula tradito: vbi diu grauia incommoda tolerauit squalorem carceris aliasque graues miserias, quales infenso principe præsidio longinquo aduenã pertulisse fides sit. litteras ad Ferdinandum scripsisse crimen erat: quibus filia significabat, suæ esse voluntatis vt res in Castella ipse procuraret ex matris testamẽto. In intestina discordia nihil occulti esse potest. ita interceptis iis litteris lectisque Philippus iram vertit in eum qui minime noxius erat, quin & cæteris Hispanis vxoris ex familia eam alloquendi facultas sublata. Ex iis rebus aucta Reginæ molestia afflictaque amplius valetudine concussæ mentis, publico prohibere fuit necesse. Gonsaluus interim in Italia de sua comparatione nihil omittere haud ignarus suspicionum Regis, sed officiorum offensa certare constituens, obsequio fidem probare. Cum mille Hispanis peditibus, quos dimittere iussus erat, Nunnium Ocampum amandauit Plombino atque Pisis auxiliatem. Suscepta ille prouincia Plombino, quo primum appulit, Pisas profectus suo aduentu Florentinorum audaciam fregit, eripuitque vrbem è faucibus hostium soluta obsidione quam multis diebus pertulerat, ac amissa defensionis spe vix suis viribus sustentabat. Vt Lusitano creditus equitum numerus minueretur ex præscripto Ferdinandi Regis Columnii æmuli flagitare non desistebant. Dissimulabat Gonsaluus veritus hominis ingenium non laturi iniuriã dignitatis fœdatæ. Cognito tamen cum Pontifice in Hispaniæ perniciem occulte conspirare, ac nominatim suscepto Mediceorum patrocinio Florentinis bellum inferre velle imminuto equitum numero stipendiique militaris parte dimidia detracta continuo ille quasi persona posita Plombini occupandi improuisa vi consilia agitauit. Viribus maior conatus, præsertim Nunnio Ocampo in eam vrbem reuerso. Ita conuerso itinere Pisas ingredi cõstituit, quasi præsidio aduersus hostes futurus. Eæ molitiones vno tempore tum Gonsaluo tum Florentinis indicatæ sunt. Ac Gonsaluus quidem reliqui stipendii mulctam, atque vectigalium, quæ dono Ferdinandi obtinebat in Neapolitano regno indixit, si vlterius procederet. Florentini etiam ductore Hercule Bentiuolio obuiam profecti angustiisque obsessis prope Turrim sancti Vincentii quinque millibus Campilla dissitam Plombini ditionis oppido collatis vexillis profligarunt. Victus in ea pugna atque vulneratus, præterea Neapoli, vti indictum erat demptis bonis omnibus deformis iratusque palam desertis Hispanis aliena auspicia est secutus. Vulgi opinioni euentus respondit. cuncti ardenti ingenio & inquieto hominem non diutius in fide permansurum existimabant quam aliunde maioris spes commodi non ostenderetur. Milites, quos dimitti iussum erat, quamuis spe facta non ad otium sed ad bellum Africanum Gerbisque insulam occupandam amandari, tumultu concitato seditioneque facta magnam Gonsaluo iniecere curam, ne maior inde rerum moles exurgeret. Eam tamen diligentiam adhibuit mulcendis animis militaribus, qua arte plurimum valuit, vt breui contumacia deposita, ac imperata facere parati in Hispaniam nauigarint.

Varia cum Rege Gallo fœdera. CAPVT XIV.

CVpiebat Philippus Belga fœdus Blesis cum Gallo Rege sancitum patris Cæsaris consensu ratum esse. Colloqui visum ad Haguenaum imperii vrbem. Conuenere eo ad diem dictum tum Cæsar tum Philippus: Accessit Georgius Ambeosa Rhotomagensis Cardinalis cum ampla decernendi potestate quam Gallus dedit, ex eius cõsiliis rempublicam bello paceque regere solitus. Vt Mediolanensis principatus Cæsaris consensu Gallo confirmaretur, vti erat ante decretum, iure hæreditario concessũ, si mascula proles esset, sin minus Claudiæ & Carolo eius sponso dotis profectitiæ nomine cederet: cũ eo tamen vt si Galli culpa id coniugium non constitisset, ab eo in Austriacam familiã datum beneficium

beneficium transiret. Additum præterea, ne ea indulgētia cuiquam præiudicio esset. Hac exceptione Ludouici Sfortiæ filii causam tutati sunt, in paternas opes restituti postmodum. Priori conditione Carolus iam Augustus obitu Sfortiarum eum principatum ad se iure deuolutum occupauit, posterisque proprium reliquit. Sed vtique eo euentu Gallo restitui mandatum ducenta Francorum millia concessæ veniæ pretium in præsenti. Cardinalis Rhotomagensis sui Regis nomine in verba Cæsaris sacramentum dixit fidei debitæ pignus, quoniam is principatus imperii beneficium est potiori dominio semper penes Augustos retento. De Neapolitano regno in hoc colloquio nullum verbum, sed Caroli & Claudiæ coniugio decreto id imperium vltro in dotis partem accedebat. Ægre tulit Ferdinandus se inscio de rebus tantis constitui, fœdusq; haud obscure se aduersum fieri grauissimis verbis expostulauit, in generi consultores inuectus potissimum, simplicem Principis animum fraudibus circumuenire, idoneum ducere quem ludibrio haberent. Ac illud vrebat maxime Gallo Regi Mediolanensia iura confirmari, nulla Burgundiæ aut Neapolitani regni facta mentione, neq; aliunde compensatione pudenda siue incuria siue ignauia. Ita Austriacis infensus nulla affinitatis cū iis initæ memoria, ad Galli Regis occupandam gratiam adiecit animum, suis rebus ex eo præsidium parans, quemcumq; cursū cœptæ offensiones tenerent. Has cogitationes versanti, aliud atq; aliud subiiciente animo, fore optimum visum est cum Germana Fuxensi coniugium, quoniam eius Regis ex sorore nata erat caritate filiæ instar. Eo consilio Ioannem Enguerram, è Cisterciensi ordine Inquisitorem in Catalaunis, quo occultior esset conatus, ablegauit in Galliam cum mandatis & in eam sententiam litteris. Gratum imprimis id postulatū Gallo accidit: atque ita vt iura regni Neapolitani in Germanam eiusq; filios trāsferret quasi dotalia, addita tantum lege, vt nulla suscepta prole ex eo connubio, id imperium, absq; controuersia ad se & hæredes rediret; quingenta præterea aureorum millia decem annorum spatio æquis pensionib. Ferdinandus numeraret pro impensa in superiorib. bellis facta. Andegauensib. bona fide redderentur ablati maiorum principatus, q erat plane difficillimum. Captiuis Gonsaluus redderet libertatem ac nominatim Rosanio, & Bitonti Marchioni. Dux tantum Valentinus & Pallasius Comes ab hoc numero excepti, ne vinculis eximerentur. His legib. Gallus fidem obstrinxit adiutorem fore Ferdinando aduersus Cæsarem eiusq; filium, si Castellæ procuratione extorquere tentarent. Guiuardinus addit à Ferdinando Gastoni leuiro promissam item opem ad Vasconum regnum occupandum iure suo vti ipse existimabat. Magnarum rerum fundamenta ponebantur: quibus conditionibus sanciendis vere exacto, adultaq; æstate, tandem ad octauum Kalendas Sept. Segobia missi sunt Ioannes Silua Cifontanus Comes, Thomas Malferitus, ipseque Ioannes Enguerra cum ampla statuendi facultate, & publicis tabulis, quib. Neapolitanis captiuis libertas, exulib. patria bonaq; pristina reddi mandatum. Atq; vt maior esset fides, actū de coniugio est Roberti Salernitani cum Marina Aragonia, Alfonsi Aragonii Villæformosę Ducis Ripagorsæ Comitis filia. Tanta ex his reb. Galli lætitia vt Philippum Belgā Hispaniæ aditu prohibere conaretur misso idoneo homine, qui eius nomine denunciaret, ne prius se itineri daret, quam componeret cum socero controuersias. Verbis adiungit facta Gheldriæ Duce persuaso, vti maiori quam antea mole & copiis Belgam lacesseret. bello in ditione implicatum ab Hispanię cogitatione abducere erat destinatum. Hoc euulgato fœdere magni animorum motus extitere in Italia atq; per vniuersam Hispaniā. Exulum oppida qui possidebant inter se conspirare, sanguinis pretium tueri armis destinantes inter se præsidio fore. In eo numero Prosper Columna offensus maxime, Neapolitanis finib. abscedens Pontifici polliceri non dubitauit, si Gallus iure eius regni decederet, suis & suorum virib. ad ius ecclesiæ reuocaturum. Castellæ item proceres nouo coniugio cōmoti, eo amplius quod fama vulgabat, ab Isabella Regina Ferdinando rerum in Castella procurationem demandatam iurato prius cœlibem vitam, Cifontano suadere conuitio, ne in Galliam de iis reb. legatus proficisceretur, nisi vellet gentis vniuersæ inuidia deflagrare quasi saluti communi aduersus. Quidam etiam Gonsaluum accusare, quod tandiu cūctaretur Philippi Regis partes palam profiteri. Nouo coniugio id regnum Carolo Principi detrahi siue fœcundum extitisset filiis, siue nulla suscepta prole. Philippo quidem ipsi grauem molestiam attulit, non Regno Neapolitano per eas conditiones cadere, sed de vniuerso Aragonio imperio periclitari si proles mascula socero esset ex noua coniuge nata. Generi animo leniendo Petrum Aialam, qui legati munus obierat in Anglia, Rex Catholicus misit in Belgas, vt vna cum Fuensalida ordinario oratore fœderis initi generum admoneret: atq; suo nomine postularet Concillo libertatem, qui ad Villabordam arcta custodia vinctus tenebatur. Fecerunt illi diligenter q iussum erat. Responsum tamē placere

coniugium, neq; suæ modestiæ esse quidquam in eo præscribere, socero sui iuris, eaquô prudentia & rerum vsu quam vellet vxorem ducere fas esse. Quod de Consillo postularent vnum è familia esse annuo designato salario, vincto ob crimina dari libertatem fas non videri nisi ex legum præscripto vindicata prauitate. Veneti inter hæc quasi ludi spectatores procellam ipsis imminentem non considerare. Pontifici tantum in speciem placato retentis in Flaminia Fauentia modo & Arimino, Fori Cornelii & Cæsęnæ, quæ obtinebant oppida ex fœdere reddidere, suscepto præterea patrocinio Ducis Vrbini Vrbis Romæ Pręfecti quem Pontificis fratre natum, in eius gratiã Vrbinas adoptarat hęredem data coniuge Mantuani ex sorore sua filia. Gonsaluo missus qui pacem cum Gallo pactam nunciaret, cum mandatis quam primum in Hispaniam maturaret. Consilio eius & auctoritate ad res magnas componendas egere rempublicam. Ex arcano Cæsaraugustanus pręsul erat designatus successor in regni Neapolitani procuratione. lætatus Gõsaluus eo nuncio pacis fœdera voce præconis euulgari, publicaque lætitia celebrari iussit ludis conuiuiisque. Commissa spectacula. cõcurrere milites ad simulacrum pugnę. Quod de discessu iubebatur præsto se esse respondit, breuiq; facturũ. Ex animo an simulate ne tunc quidem cognosci potuit. Sane aduersis quandoq; tempestatibus sæuaque ventorum vi, aliquando vario rerũ euentu prohibitus, diu profectione sustẽtata maleuolis occasionem præbuit in deterius interpretandi, variis sermonibus materiam. Ioãnem quidem Lupum Vergaram, qui ei à secretis erat, miserat in Hispaniam syncerae ipsius voluntatis fideique rebus omnibus cultæ testem idoneum. modica dictis fides, quoniam verbis facta non respondebant.

Mazalquiuirum in Africa captum de Mauris. CAPVT XV.

NOn discedebat à Catholici Regis latere Toletanus Antistes, eius dignitatis in omnibus controuersiis acerrimus fautor; multos etiam auctoritate retinuit, ne studia verterent in contrarium. Ingenti præterea animo vir gloriæ cupidior, quam pro humili conditione in qua natus educatusque fuerat, Regi crebris sermonibus etiam tum superstite Regina suadere instititit, vt confecto Neapolitano bello in Africam arma verteret maiori gloria minori inuidia, neque contemnendo fructu. Quantum terræ parari potuit, eo, quem inter se Galli & Hispani fuderant, sanguine? Eo ventum vt Rex non exiguum militum numerum redire in Hispaniam iusserit, effeceritque ad eam expeditionem penitus conuerso animo. Tendilliæ quoque Comes si centum aureorum millia ex regio fisco numerarentur, Oranum & vicinum portum Mazalquiuirum aliaque oppida finitima se Mauris erepturum pollicebatur, reddito etiã quidquid ex ea summa superesset impensæ, quod deesset suppleturus de suo. Pactionem propemodum confectam Reginæ importunus obitus disturbauit. Verum ne is conatus inanis prorsus euaderet, neq; milites Neapoli aduecti otio marcerent, Toletanus in eius belli sumptus mutua dedit ad triginta aureorũ millia. Hoc subsidio in Bęticæ littorib. classis instructa primũ ad Tedeliciũ fraude occupãdum: q; oppidũ Bugiã inter & Algeriũ ad mare nostrũ situ est. Deinde quoniam tanti nõ erat, neq; cõmode retineri oppidum potęrat longinquis auxiliis nulla prope fida statione mutata sententia placuit classe Mazalquiuirum inuadere. Ea voce Arabice Portus Magnus significatur, quo nomine à Ptolemæo olim quoq; vocatus est Orano vrbi vicinus exaduersũ Almeriæ aliquanta tamẽ ad Orientẽ inclinatione. Instructa classe, in qua sex triremes maiora alia minoraque nauigia multo plura numerabantur, quinq; militũ millia, Dieghus Fernandus Corduba regiæ aulicorũ cohorti præfectus, delectusq; eius expeditionis Dux, ad quẽ summa imperii rediret, Raymũdo Cardonio rei maritimæ cura demandata, rebus omnib. comparatis è Malacensi littore soluit ad quartum kalendas Septembris. Dubio cælo profectos aduersæ tẽpestates coegerũt ad Almeriam subsistere aliquot dies. Ita ex eo portu sublatis denuo velis idoneis tempestatib. classem incolumẽ ad tertiũ Idus eius mensis Mazalquiuirum intulerũt. tametsi in aditu portus propugnaculũ erat ex disciplina militari prudenter ædificatum multis horridum tormentis. Exponere in terram milites difficile erat ad vada cæca & męandros quibus littus impeditur, tempus aduersum accedebat, marini fluctus inflati, ad hæc centũ & quinquaginta Mauri equites pedites tria millia prohibere descensum parati. Virtuti impedimẽta cesserũt. Alacres nostri mutua adhortatione in terram desilierunt. Primus Petrus Lupus Zagalius præcipua audacia miles. Secuti eius exemplo cæteri conserta pugna hostes Oranum reiicere. Quadringenti milites præsidiarii in Mazalquiuiri arce relicti occiso tormenti ictu præfecto & plerisque arcis tormentis, nostrorum globis disturbatis atque diffractis die tertio pro mœnibus supinas manus tendentes veniam orarunt. Irã in contumaces verteret supplicib. & se dedẽtib. parcerẽt. In quo duo cõmodissime accidisse notabant.

bant. Noſtrorum enim è Malaca diſceſſu cognito, ingens Maurorum multitudo in armis ad littus concurrerat excenſionem prohibituri. Sed exiguo cõmeatu, & quoniã ex mora ſuſpicabãtur, alio hoſtes diuertiſſe, poſt octo dies diuerſi domos rediere. Sic nauigationis tarditas cõmode accidit. Neq; minus ſalutaris deditionis factæ celeritas extitit. Alioqui Mauri ingenti numero accurrẽtes auxilio ſeq; in armis per vicina montiũ iuga oſtentantes, multo difficiliorem expugnationem reddidiſſent: niſi ipſo die arcem pręſidiarii dediſſent. Enimuero quib. Deus fauet hos ſubleuat excæcat aduerſarios. Sed ad Orani tamen copias ii Mauri adiuncti in aciem prodierunt, quaſi pugnandi voluntate. Noſtris tamen obuiam progreſſis totius certaminis ſortem ſubire detrectarunt. Leues modo dimicationes extitere a Mauris in lignatores noſtros & pabulatores impreſſiõe facta haud memorabili in alterutram partem euentu. Arcis cuſtodia aulicorum cohortis Præfecto credita eſt; quo honor amplior eſſet, ducis ſummi nomẽ adiunctum expeditionis Africanæ. Parta victoria & reb. aliis compoſitis Raymundus Cardonius ad octauum Kalend. Octobris ex ea quidem ora profectus incolumẽ victricemq; claſſem Malacam retulit. Mazalquiuirii præſidiariis militib. induciæ ab Orani ciuib. ſunt conceſſæ & ius cõmercii vtriſq; commodum Mauris neceſſarium ad Orientis continuandum commercium, vnde certiſſima vectigalia genti quæſtuſq; conſtabant. Venetæ enim triremes aromata & merces ex India aduehi ſolita Alexandriam Ægypti vrbem, redempta, atq; in naues impoſita ad Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Belgarũ, Angliæ, Daniæq; oras & portus magno ſuo & illarum gentium commodo anniuerſariis nauigationib. deuehere ſolitæ erant. Hac expeditione confecta magna nominis exiſtimatio omnium prædicatione Ferdinando acceſſit, quãdo parta Neapolitano bello laude non contentus ad noua & illuſtriora bella retulerat animum Africæ expeditionis ac Chriſtiani nominis amplificationẽ haud vano conatu. Praua ſunt hominum ingenia & varia. Maleuoli ex eo ipſo ſiniſtre ſuſpicandi occaſionẽ captare, ſpecie impugnandi Mauros vires collatas aduerſus Philippi generi conatus ſi venire in Hiſpaniam & datam procurationem extorquere vi tentaret. Toletanus quidem Archiepiſcopus à pulchro initio erectus ſtudio promouendi expeditionem Africanam in eo bello magnam vectigalium ſuorum partem impendere cogitauit: ac ne dubitare quidem ducẽ ſe ſacro bello dare, in Africamq; traiicere, vti poſtea factũ eſt, vir acer iuxta ac pius animi magnitudine ad miraculum præſtans. Hoc menſe dimidiato ex Ioãna Regina filia nata eſt Bruſſelis in Belgis, cui Maria nomen fuit, Hungariæ regnum Ludouico, Hungaro iunctæ coniugio conſequentib. tempore atq; annis. Arripuit eam occaſionem Ferdinandus de felici partu filiæ gratulatum Carolum Alagonium è familia in Belgas mittendi cum mandatis ad Philippum generum ac monitis concordiam cum ſecuritate potiorem vtriq; fore quam cum periculo contumaciam. Peſtis lue quæ Oliſipone graſſari cœperat, territus Emanuel Rex Almerinum conceſſit. Ea contagione per Hiſpaniam diffuſa fœdum annum, nobilem ſuperior victoria de Mauris parta effecit, inſigniuit etiã conuentus regius iuridicundo è ciuitate regia, vbi diu hæſerat, Granatã tranſlatus. Vrbis de Mauris non ita pridem captæ nouis incrementis nobilitandæ amplificandæque cura ſuberat. conuẽtus Præſes deſignatus eſt Aſturicẽſis Epiſcopus vir pręclarus ea ętate celebri fama.

Fœdus inter duos Reges ſocerum & generum factum. CAPVT XVI.

Segobiæ & in Balſaino regiæ venationi deſtinato nemore aliquot menſes ſubſtitit Ferdinandus. Inde ad tertium decimum Kalendas Nouem. Salmanticam abiit. In ea vrbe pax cum Gallo voce præconis per plateas euulgata eſt, minori aliquanto Caſtellæ quã Aragoniæ gentis lætitia plauſuq;. Diuelli imperii Hiſpanici compagem, quæ poſt lõga tempora coaluerat, regio coniugio, ſi maſcula proles extaret, moleſtum aliis, gratũ erat Aragoniæ genti Regem peculiarem atq; ex ſua gente habere cupientib. Sic ſunt res humanæ ꝙ vni iucundum exiſtit ex eo alteri mœſtitia naſcitur, nihil eſt ꝙ æquo omnib. placeat. Ad frænandos Philippi conatus hæc omnia ſpectabant, tanta importunitate circũacti vt datis Bruſſelis litteris proceres Caſtellæ ad arma pro ſe & aduerſus ſocerum concitaret, ac nominatim Villenium, Anagari ducem, Garſiam Laſſum, Aſſidonium Vreniæ Comitem ſtudio vel maxime incenſos rerum nouarum. Ipſi etiã maris Præfectus & Magiſter equitum quamuis arcto propinquitatis gradu cum Ferdinando coniuncti nutabant. Ioannes Emanuel per litteras ægris animis diſcordiæ ſubdere faces importunus & audax; acutus iuxta & ſagax. Tametſi omnib. ſermonib. pacis ſtudium præferebat coituræ facile, modo, ꝙ æquitas poſtulabat, Ferdinandus ſuo regno contentus, Caſtellæ tum poſſeſſione tum procuratione decederet, ſi id feciſſet cætera conuentura. Alioqui amiſſis, quæ in Caſtella

obtinebat,Aragoniũ imperium in diſcrimen venturum,ſi cæptę offenſiones in aperta odia prorupiſſent,ventumq; eſſet ad manus.Propinquorum ſanguine illita arma nõ facile elui. Philippum Regem haud dubie venturum idq; breui ſiue volente ſocero ſiue repugnante.Monuit Rex Gallus ſemel & ſecundo miſſis ad Philippum legatis ne ſe in id iter daret niſi controuerſiis prius cum ſocero compoſitis.Id vtriq; honeſtum ſalutareq; fore. nouæ neceſſitudini id datum:ſi bellum eſſet caritate in Philippũ pronior. Iis monitis parere integrum non erat multis è Caſtella euocantibus,ſexagintaq; nauib. nihilominus in Belgico littore paratis,conuenturis propediem plurib. Ita ſexto Idus Nouemb. Bruſſelis cum vxore ad claſſem iturus diſceſſit.Lentum iter fuit:atq; ita vt pleriſq; perſuaſum eſſet, expectare ipſum,dum qui partib. ſtudebant, palam arriperent arma. Villenius factionis caput ipſo tempore Toletũ ingreſſus in ſuſpicionem venit, accepta à Philippo poteſtate eam vrbem velle in partes traducere.Ea ſuſpicione ſuſcepta Siluæ factio præpotens inter eos ciues Ferdinandiq; in ſtudium incitati Prætori adiuncti vim propulſare parabant. Id veritus Villenius ne pars ciuium cum parte confligeret,ſuſpicionib.de ſe fortaſſe temere conceptis anxius ex vrbe diſceſſit.Præter Siluas,Albanum & Toletanum Ferdinãdo prę cæteris ſtudebant Bernardus Rogius Dianii Marchio, Guterrius Lupus Calatrauæ Promagiſter,Antonius Fonſeca & Ferdinandus Vegha, hic præter vſum familiarem, eidem à conſiliis.Vna omnium erat ſententia: omnib. virib. impediendum omniq; ope ne Philippus in Hiſpania pedem poneret,niſi prius controuerſiis diiudicatis. Id etiam placebat Ferdinando, & tamen vim intentare,armaq; aduerſus filios ſumere graue erat:ac ne ſatis fidebat id probaturum genti Reges legitimos prouinciæ aditu prohiberi. Varii rerũ motus,multiplices hominum conatus,temporum conditio miſera;qualẽ fuiſſe fides ſit duobus ea propinquitate de regno contẽdentib. Anxios metu prouincialium animos litteræ à Philippo in breue tamen tempus recrearunt:cupere vero cum ſocero concordiã cõſtitui.His eius legati mandatis ampla paciſcendi poteſtate data conſenſu. Salmanticæ ad octauum Kal. Decemb. ſubiectas conditiones ſocietatis & amicitiæ inter duos Reges ſcripſere. Duo Reges & Regina rerum in Caſtella moderatores ſunto trium pari poteſtate. Eorum ſyngraphis leges edicta diplomata,actionũ formulæ rata ſunto: certe ſingulorum nomina in actis omnib. exprimuntor. Cum primum Philippus & vxor in prouinciã venerint,ſacramentum à populis dicitor eis tanquam Regibus, Ferdinando quaſi moderatori,Carolo vt principi & ſucceſſori in imperio Caſtellę,Legionis atq; Granatę.Regia vectigalia ex æquo inter duos Reges diuiduntor deductis ordinariis & extraordinariis impẽſis: ne exceptis tum quidem ordinum militarium redditibus,quãuis Pontificum venia Ferdinando addictis. Arcium præfectos,vrbium Prętores ac reliquos magiſtratus legerẽt ſorte ſcilicet pari vtriq; Regi numero deſignato. His conditionib. fœdus factum qui tuerentur deſignati Pontifex,Cæſar,Angliæ & Luſitaniæ Reges. Additum præterea,vt ſi Regina rerum particeps eſſe recuſaret, in diplomatis tamen trium nomina exprimerentur, duorum modo Regũ ſyngraphæ. alterius in abſentia qui præſens eſſet ſolus ſubſcriberet, ꝙ is decreuiſſet,id ius faſq; eſſet. Huius fœderis exemplum cum fide deſcriptũ in Belgas miſſum,Philippo & ſuis,quib.omne poteſtatis conſortium ingratum erat,vehemẽter diſplicuit.Iureiurando tamen confirmare viſum eſt. Regis Galli opes timebãtur Ferdinãdo deuincti,magnarum reb.momentum in vtramq; partem.Et alioqui vbi pedẽ in Hiſpania poſuiſſent omnia ex ſententia ceſſura exiſtimabãt. Lupo quoq; Concillo vincto eatenus atq; horridi carceris malis vexato vehementer,libertatem reddidere. Fœdus Salmantin.
1506. per plateas octauo Idus Ian.ineunte anno Mill.quingent.ſexto voce pręconis euulgatum eſt maiori in præſenti lætitia q̃ in poſterũ fructu. Philippus, vti poſtea cognitũ eſt, vxorq; biduo poſt ſoluere è littore Belgico in Hiſpaniam ituri. Tẽpore anni minime idoneo profectos atrox ventorum tempeſtas diſiecit. Aliquot nauib.ſubmerſis procellæ ſæuitia,reliqua claſſis neceſſario Anglicum portum tenuit,cui Vuey manrico nomẽ eſt.loci opportunitate inuitati Philippus Angluſq; ad Vuindeſſorium inter ſe viderũt. Cõgreſſus inanis non fuit.Sancita inter eos Principes amicitia,vt Margarita Allobrogum Ducis vidua Anglo denuo nuberet,pactum, Maria Angli filia Carolo Auſtriaco;neutrum tamen coniugium coaluit, initi tantum fœderis & colloquii pretium fuit Suffolcius Dux Anglo hoſti ad non dubiam perniciem traditus contra fidem exuli à Philippo datam, tutum in Belgis fore.His reb.proficiendis,ludiſq; & omni hilaritate is mẽſis & proximus abiere. Sub exitum Februarii ad Falamuæ portum naueſq; redierunt in Hiſpaniam traiecturi haud longiſſimo traiectu.Ioannis Emanuelis acre ingenium offenſus animus timebatur. Sic Ferdinandus fœdere Salmanticæ euulgato ad eum litteras dedit humaniſſimas. Obliuioni traditis ſuperiorib.offenſionib.curaret,ad id ꝙ erat æquum,& propinquitatis iura poſtulabant,

labant, ſuſcepta beneuolentia Philippi animum reuocari. Sibi ſtare ſententiam beneficiis vincere maleuolos, officio cum offenſis & benignitate certare. Ad hæc quid Emanuel reſponderit hoc loco ſubiicere commodum fore arbitror, vt ex reſponſo viri libertas ingeniumq; haud inſulſum dignoſcatur. Accepti tuas litteras. iis obſequi certũ habeo, neq; vlla in parte deeſſe muneri mihi impoſito, offenſiones pro virili parte amouẽdi ſtabiliẽdi concordiam. Certus Regum ætate tuis præceptis & inſtitutione informata magna cõmoda publice & priuatim fore. Quod mihi ſemper fuiſſe antiquiſſimum Deus & cõſcientia idonei teſtes ſunt. Etſi nonnulli, forſitan & inter alios ipſe coniectura ex iis quæ ſum per iniuriam paſſus, diuerſum ſibi perſuaſerunt. Enimuero linguas frenare qui poſſim, qui iudicia hominum varia in deterius prona? Syncerę quidẽ voluntatis præmium neq; expecto neq; requiro. Ac ſatis habeã ſi ſuperiores labores & merita deleta è memoria tua prorſus non eſſent. Itaq; ſenectutem meam reputanti altamque noſtri obliuionẽ pro præmiis, quæ in hac vita expectabam ampliſſima, credam potius velle te preces mutare: inferiaſq; extincto dare. Quam ego laborũ compenſationem nolim, qui audierim Principes ſæpe miniſtris ſuis exitium cõciliaſſe: pro obſequio æterna ſupplicia reddita. Ab eorũ nemine, ne ſi Chriſtianiſſimus ſit quantum Rex Galliæ, ſubditum aliquem purgatoriis ereptum flammis fuiſſe aliquando. Ego tamen officio mihi neceſſario tibi debito nunquam deero ac ne ceſſabo quidem tuam monere benignitatem, vt ſi quæ ſuperſunt explicanda in fœdere, eam modeſtiam & prudentiam adhibeas concordiæ amore quam æquũ eſt & conſueuiſti tenere in omni actione omniq; vitæ parte.

Rex Catholicus denuo duxit vxorem. CAPVT XVII.

A Rege Catholico ad principes recentis fœderis vindices conſenſu deſignatos miſſi ſunt legati, qui gaudium nunciarent, confectam pacem, controuerſiis inter ſe ac generum finem allatum. Ac nominatim de Luſitano Rege cognoſcere cupiebat, ſi fœderis conditionibus non ſtaretur, quam ab ipſo opem ſperare poſſet. Reſponſum anceps fuit & frigidũ, verba generalia. Et vtiq; Philippum inter & Luſitanum iuncta multiſq; officiis firmata amicitia ſtabat. Atq; adeo vt ad eum excipiendum quoniam Bæticam iturus dicebatur, Luſitania non deuia ingens facti argenti auriq; pondus pararet, conflaretq;, ſiue ad oſtentationẽ opum, ſeu vt hoſpiti pretioſa dona darent vaſa auro & argento viſenda gemmis & arte. Tametſi peſtis lues ſolicitabat per vniuerſam ſe ditionem diffundentis atque Scalabi iam graſſantis. Quo metu Almerino, vbi ſubſtiterat, Abrantes abiit oppidum in colle ſitum, eoq; ſalubriori, puriorique aura. In eo oppido ex Regina ad quintũ Nonas Martii filius natus eſt, cui Ludouico nomen fuit, animi celſitudo præcipua, inſignis animi pietas præſertim accedente ætate, quæ longæua non fuit. Iunior ex humili loco fœmina filium ſuſcepit Antonium conſequentib. annis Ocrati Priorem facem patriæ futurũ, cum defuncto patruo Henrico & Rege & Cardinali, nihil veritus natalium vitium, ſe Luſitaniæ Regem dixit factioſorum & perduellium, atq; è plebis fæce hominum ope confiſus. Infans octauo die fontib. ſalutaribus eſt admotus ſuſceptorib. Brigantino Duce cum matre & Abrantis Comite. Eam lætitiam tumultus Oliſipone haud magna occaſione concitatus vehementer conturbauit. In diui dominici Chriſti Dei è cruce pendentis effigies ſculptilis viſebatur ſiniſtri lateris vulnus vitro tegente. Die quodam qui ſacris operabantur, vitri ſplendorem forte animaduerſum per errorem miraculũ putarunt cœlo editum. Repugnauit vnus quidam ex adſtantium numero procaciorib. verbis, quam eius conditio pateretur, quippe ex Iudæorum genere & ſanguine. Populus malitiam interpretatus, ferox vt ſolet in eiuſmodi rebus, & rapidus iniectis in miſerum hominem manibus, temploque abſtractum interimunt ac repente ſubdito igne pyra excitata comburunt. Quidam ex eo monaſterio monachus væcordi oratione furenti populo flammam addidit, vt Chriſto ab ea gente illatas omni tempore iniurias vindicarent è loco ſuperiori hortatur. Hæc ſinguli, hæc vniuerſi inconditis clamoribus vociferantur. Nulla res vehementius multitudinem inflammat quam religionis ſpecies quamuis ſimulata & inanis. Vbi ſuperſtitione capta eſt non ratione agitur ſed furore, alioqui impotens, ſæua væcorſque. Acti amplius in furorem populares quaſi ſigno dato in eius nationis ædes irruunt feroces formidabileſque, ſibi quiſque adhortator & dux. Crucem duo eius ordinis monachi præferebant vexilli adinſtar. Rabies in miſerorum cæde bacchantis populi tribus diebus omnino tenuit: ex quanto tempore ſupra duo millia homines ſunt occiſi plerique innoxii, aliqui etiam ex diuerſo genere per errorem aut ex ſimultate. Rebus turbatis cum omnes omnia audeant, minus inſignia ſunt quæ ſinguli faciunt, cuncta pari violentia voluuntur. Belgæ & Germani è nauibus, quæ in portu erant, concurrunt ad prædam participes futuri, aut manu ſua direptis domibus, aut à promiſcua plebe paruo

redemptis ſpoliis. Rex ex eo cõmotus, vt par erat, animo, ac vindicare certus. Dieghum Almeidam, & Dieghum Lupum, qui quæſtiones exercerẽt deſtinat. Duo monachi multitudinis concitatores dicta cauſa mandati lege de ſicariis, ignis ſupplicium extinctis fuit. De plerisq; ſontib. ſumpta vindicta ſed carptim & ſingulis, in multitudinis motu ſalutare remedium. Externi ſublatis velis euaſerunt cum nauib. copia miſeræ gentis onuſtis. Sic frequenti ac numeroſæ ciuitati tranquillitas rediit. tumultus popularis id remedium extitit, mali cauſis nibilo maius. Philippi & vxoris aduẽtum in Caſtellam indies ſingulos expectabant prouinciales non vno omnes animo: ſimul Ferdinandi cum Germana nuptiæ feſtinatæ. Obuii ſponſæ Salmantica Fonterrabiam in extrema Hiſpania iuere Cæſarauguſtanus Præſul officio in patrem incitatus, & cum eo nobiles tũ viri tum matronæ. Contra Reginæ Neapolitanæ mater & filia, tum Calabriæ dux atq; ſplẽdidus procerum comitatus Regem Valliſoletum proſecuti, inde Donnias abierunt. In eo oppido ad quintum decimum Kalend. Aprilis nuptiæ celebratæ ſunt neq; nullo neq; celeberrimo apparatu. Ferdinandus arcto propinquitatis gradu ſponſam attingebat, quippe eius auunculus maior Eleonoræ Reginæ Vaſconum, quæ auia puellæ fuit, frater. Soluit ea lege Põtifex Romanus ægre tamen Cæſare & filio connubio intercedentib. Reginam ex Gallia proſecuti erant Ludouicus Amboeſa Albigenſis Epiſcopus, Hector Pignatelus & Petrus Sãctanderius à Gallo legati. Eminebant in cætero comitatu Salernitanus Amalfitanuſque & alii Andegauenſes proceres ea profectione ſperantes malis & exilio finem compoſita pace. Proximo poſt nuptias die, noui coniuges ac cæteri Principes conuerſo itinere Valliſoletum redierunt. In eo municipio Rex nouo ſacramento ſuo & ſucceſſorum nomine initi nuper cũ Gallia fœderis capita omnia rata fore cõfirmauit, ſi falleret dira omnia in ſuum caput precatus. Paucis poſt diebus Andegauenſes proceres in coniugium verba quaſi Regum Neapolitanorum iuſiurandum dixere. Peracta nuptiarum lætitia Ferdinãdus Burgos abiit, per cauſam excipiendi Regem generum, quem exiſtimabat ad Lauretanũ portum, aut è vicinis aliquem propediem affuturum. Sequebantur Præſules Toletanus Hiſpalenſiſq;, Albanus, Magiſter equitum, maris Præfectus Comes Cifontanus, in ſtudium, vt videbatur, incitati curandi, vt regno adminiſtrando Iſabellæ Reginæ teſtamẽto explicata voluntas rata eſſet, nulla in contrarium exceptione. Peruenerãt Turrecrematã: cum nunciatum eſt Reges filios ad Brigantinum portum appulſos omnino ad quartũ Kalend. Maii. Lenta nauigatio longaq; mora vt eſſet, Regum in Anglia congreſſus effecit ludis & ſpectaculis celebratus in hoſpitum gratiam. Ad Falamuæ quoq; portum dum idonea ad traiiciendum tempeſtas expectatur, multi dies abierunt. Ad Brigantinum portum appellendi claſſem cauſa extitit Philippo iniecta à malitioſis perſuaſio; in Caſtellam ingredi fore commodum quam longiſſime à ſocero liceret. Eius abſentia ſi quid à procerib. moueretur, & in quam partem ſe populi darent facile cogniturum, ex euentu conſilium ſumeret, certus Salmantini fœderis conditionib. non ſtare niſi neceſſario. Totius machinationis auctor Emanuel Principis ſimplicitati & ingenuo candori illudens: vſq; eo vt in Bæticæ oram ducturus diceretur, Nerio promontorio claſſe circumducto, niſi aduerſi ventorum flatus vetuiſſent. Sub hoc tẽpus Gonſaluus Marignus Aſſidonii nomine Melillæ Præfectus Caſaſam oppidũ viginti inde millib. in Phuthẽſi regno ſitũ cum idoneo portu, improuiſus occupauit. Operæ & impẽſæ ab Aſſidonio factæ merces fuit id oppidum in eius, vti par erat, relictum iure hæreditario.

Ferdinandus generum cupit inuiſere. CAPVT XVIII.

PHilippi Regis aduentus, quo publicã felicitatem fundari, reb. tranquillitatẽ reddi par erat, ne contra reip. ſtatum pacemq; penitus conuelleret, vti ſe initia dabãt, Ferdinãdi prudentia, atq; animi magnitudo effecit. Qui reb. aduerſis ſe maior, diſſimulatione, comitate, agendi dexteritatẽ in bonũ vertit, quæ incendiũ exitiumq; reb. minitari videbantur. Non idẽ vtriq; animus erat, neq; vna agendi ratio ſed prorſus contraria. Philippus, quaſi vis pararetur Beneuenti & Lemoſii Comites ac reliquã Calæciæ nobilitatẽ, præterea Caſtellæ proceres ſingulos per litteras de cõmunicanda ope appellare, eiuſq; vt partes palam profiterentur hortari. Hoc quid aliud erat quã pro pace diſcordias ſerere, cõcitare tumultus temere imprudenterq;? Ab eo initio, quoniã conatus ex ſentẽtia proceſſerat, ſpeq; maior procerũ ad eũ cõcurſus fiebat ex omnib. partib. vlterius progreſſus palã profiteri cœpit Salmãtini fœderis legib. haudquaquã obtemperaturũ, ignarus videlicet rerũ humanarũ inconſtãtiæ. Soceri aulicos & miniſtros infenſos habere, malignis intueri oculis, vſq; eo vt die quodã Petrũ Aialã monuerit: multa in Belgis & Anglia ſe aduerſum agitata ſcire: diſſimulaſſe tamẽ in ſoceri gratiã; ſi pergeret haud impune conatus fore. quando vnus eſſet è ſubditorũ numero atq; in ſuo ære, attẽte conſideraret, quid facto opus eſſet. niſi obtẽperaret

raret

ſtaret malo vindicaturũ. Miſerat Rex Catholicus quatuor viros in curia rerũ capitalium, apparitores, ac reliquum forenſe miniſterium, vt penes nouum Regem ſuas quiq; præſtarent partes, munera exercerent. Honori datũ contumeliam interpretatus ſocerũ tantũ ſibi ſumere, vt miniſtros & famulos daret, ꝗ nullo pacto ferre habebat præiudicatum fixumq; animo, neq; tutorem pati neq; patruum, vti Ioannes Emanuel dicere ſolitus erat, eos vnde venerant, continuo remiſit. Sic eſt. Multa quæ apud concordes vincula caritatis argumentaq; ſunt, inter infenſos iras concitant. Philippi aulici & amicorũ princeps multa in Ferdinando accuſabant, nouo maxime coniugio irritati cũ Germana: quo filiis & nepotibus atrocem factam iniuriam ſcilicet interpretabantur regno Neapolitano detracto. In quo iure ac merito reprehendi poterat, niſi præpoſtera ipſorum ratio coegiſſet ad patrocinium Galli Regis, vt dignitatẽ tueretur, quacũq; conditione confugere, artemque eludere arte. Alioqui lõge alia mẽte Rex Catholicus erat, quã æmuli accuſabãt. Nam filiorũ aduentu nunciato continuo Raymundum Cardoniũ & Ferdinandũ Vegham miſit de aduentu gratulatũ. Ipſe etiam conuerſo itinere flexoq; legionem maturare conſtituit eos inuiſurus. Subſtitit tamen Asturicæ de eorum voluntate dũ certiora cognoſceret. Præterea Villeniũ cum ampliſſimo comitatu Burgos appulſum, atq; Anagari ducem propinquis accitis & cum manu militari ad nouos Reges ire parantem, monuit, vt mutato conſilio non plures comites ſolito ſecum ferrent. Eas molitiones delectuſq; legib. vetitas, ne tũc quidẽ fore impune, quippe minime neceſſarias, quãdo nulla belli ſuſpicio eſſet, cũctis amica pax. Generũ interprete Petro Aiala vt duo millia Germanos, quos ſecũ duxerat, dimitteret hortari porro, ne apparatu non neceſſario prouincialiũ animi offenderentur: ꝗ omni cura externo Principi prouidẽdũ iudicabat. Michaelem Almaſanium profecto, cui multum fidebat arcanorum participi, legauit vt Raymundo Cardonio Fernando Veghę, Petro Aialæ, & Guterrio Fuenſalidæ iunctus efficeret vt colloquio mutuo locus & tempus deſignaretur, cupere ſe oppido videre & amplecti filios cariſſimos. Fecit ille quod iuſſum erat. Primum vt Sarriæ congrederentur, deinde ad Pontem ferratum agitatum. Philippi intimis nullus locus placebat, metu, vt erat ſagaci ingenio Ferdinandus Philippus facili ingenuoque, ne colloquio inter ſe ſuſceptas ſuſpiciones detergeret, quod naturæ iuri & propinquitatis legib. conſonum priuatis aulici rationibus aduerſum omni conatu vitabant. Ita Emanuel, penes quem rerum omniũ erat arbitriũ Petro Aialæ die quodam de colloquio Principum ſermone inſtituto, palam edixit, Errare Ferdinandum inani fundamento magnæ, vt videbatur, molis iacto. idq; trifariam. Neque enim paſſuros in cõgreſſu de aliquo negocio fieri mẽtionẽ, hoc primũ ſibi perſuaderet. Deinde colloquiũ in agro fore non pari vtrinq; comitatu ſed Philippi multo maiori. Poſtremo falli ſi in filiæ beneuolentia ſpem aliquã reponeret inanem haud dubiũ futurã. Hæc Emanuel præ arrogãtia & faſtu ingentibus promiſſis contẽptis, quib. tum filiis factis eũ rurſus expugnare tentarunt, quippe Principis gratia vęcors atq; ſe ipſo inſolentior. Quo tẽpore hæc agebantur Valliſoleti Chriſtophorus Columbus obiit mẽſe Maio immortali laude vir primus noui orbis inuentor: vti alio loco dictum eſt. Villenius Beneuẽtanus, & Anagari Dux ad nouũ Regẽ venere feſtinatione fidem obſequiumq; probare certãtes. Acceſſere indies alii proceres in iis Begiaris Dux, Aſturicæ & Aquilarii Marchiones, ipſeque Garſias Laſſus, poſtremo Infantatus Dux eodẽ appulit. Tantis præſidiis munita factio ad maiora aſpirabat præſentiũ tædio nulla fœderis memoria. Ferdinandus Aſturica, vbi hæſerat ad Idus Maii, Rauanaliũ diſceſſit, Compoſtellã eũdi voluntate eã vrbem colloquio, de quo agebatur, oportunã fore ratus. Ex intimis quidã ne feſtinaret, monebãt. Incõſulti impetus cœpta initiis valida mora cõſeneſcere, ac prauos conatus debilitari. Quod praua ambitio ſolet, breui inter proceres & noui principis aulicos enatis odiis, quãdo ſinguli ſibi rerũ arbitriũ arrogarent, eas fore difficultates, quib. Philippus ſuo malo admoneretur, intelligeretq; quantopere ſoceri ope & cõſilio propterea indigeret. In eo ſtatu res Caſtellę erant, vt ſi apertũ bellũ demas, peior eſſe nõ poſſet. Italiæ Principes aliæq; nationes aduentu Philippi quid futurum eſſet auide expectare: ac cunctis erat perſuasũ Ferdinandũ, qui eatenus terrori fuerat, dẽptis virib. & potẽtia deinceps fore ludibrio. Ex eius calamitate & ignominia pleriq; nectere nouas ſpes. Eã opinionẽ vulgo ſuſceptã vehemẽter cõfirmabat cũctatione ſua Gõſaluus, cõtra quã iuſsũ erat, reſiſtens Neapoli. Virũ prudentẽ & magnũ profecto nõ ſine cauſa regiis mãdatis nõ obtẽperare. Ille tamẽ iis ſuſpicionib. cognitis equos & domeſticã ſupellectilẽ præmiſit quaſi mox ſubſecuturus. Deinde Petrum Nauarrum legauit in Hiſpaniam equis citatis moram excuſatum veris rationib. redditis ſui facti. Dum præſidia locis competentibus diſponit, militibus ſatisfacit pecuniæ in ſtipendium ob inopiam tumultuantibus re neceſſaria aliquot menſes extractos. Verum Ioannes Baptiſta Spinelus vna in Hiſpaniam profectus Gonſaluo infenſus

tum priuatim sibi factas iniurias cōqueri, tum praua interpretatione accusare quæcumque ab eo quamuis fideliter & prudenter gesta erant. Regiis & aulicorum aurib. ad eas voces & criminationes patulis innocentiam accusare facile erat. Sæpe etiam calumnia veritate valentior, acres certe primos impetus habet. Itaq; Cæsaraugustano Præsuli mandauit vt Neapolim profectus curam rerum ipse desumeret in Gonsalui locum confectis in eā sententiam tabulis. Consilium iuuare arte visum est. Ioanni Lupo Vergaræ Gonsalui à secretis data abs Rege scheda, qua iureiurando pollicebatur Diui Iacobi magisteriū se illi cessurum, cum primum in Hispaniam esset appulsus. Vere atq; ex animo id promitti, vt crederetur, ingentia Gonsalui merita faciebant: falso & fraude euentus docuit: & quoniam simul Petro Nauarro, quem Oliuiti Comitem dixerat, cuiq; multum credebat, vt filium Cæsaraugustanum præsulē secutus Gonsaluo in arce noua manus iniiceret, arcano mandauit: metu se suspecti hominis liberaret: q; eius dexteritate & audacia successurum confidebat. Decretum insolens prorsus & immane numina disturbarunt, ne ea iniuria obscuraretur æternum Hispaniæ decus clarissimum orbis sidus. Et forte litteræ à Gōsaluo ipso tempore ad Regem allatæ, accurata oratione, & accommodatis argumentis (& est magna veritatis vis) solis instar depulsa mendacii & suspicionum nebula lucem aperuerunt. In iis fidei constantiam sacramento nouo, & execratione firmauit: & in quamcumq; partem se res darent ei perpetuo adhæsurum, neq; cuiquam præter ipsum regnum Neapolitanum traditurum, & alioqui propediem in Hispaniam affore reb. cæteris prætermissis. His litteris tunc quidem sedata tempestas: vnde magna extitissent incommoda, ingēs Hispaniæ dedecus vniuersæ.

Ferdinandus ad filiam Reginam liberandam delectus haberi mandat. CAPVT XIX.

VIx proceres & reguli ad Brigantinum portum appulerant, cum inter ipsos & aduersus Belgas contentionum & inuidiæ ingens exarsit flamma. Ad Principem gratiæ & auctoritatis locum in ea aula singuli nitebantur ambitione væcordi, modestiæ nulla cura. Villenius ante alios sibi primas arrogare, cum sacris Princeps operabatur cortinæ regiæ proximus ex vno latere quippe regię Castellę procurator, ex altero Verius regulus, & ipse in Belgis aulæ magister proximum occupabat locum. De Regum colloquio sententiis inter se discrepabant. Hispani impedire pro virib. satagebant: ne mutuo congressu offensiones detergerentur scilicet. Belgæ simpliciores non abnuere à vulgi existimatione multum referre si colloquerentur rati, periculi parum ostendi. Quid variis imaginib. locum darent? Verio regulo præ aliis id placebat consilium, ex inuidia & æmulatione vti malitiosi interpretabantur, Ioannis Emanuelis crescentis gratia auctoritateq;. Sed vtique hoc tempore plura molestiæ signa quam lætitiæ visebantur in vultu, & cōcursu tot procerum quasi concussa mente vereri videbatur, ne alio prælato ipse è fastigio felicitatis caderet, in omni consilio circumscriptus & cautus. Cunctis tamen vna mens & oratio erat, Ferdinandi actiones accusare linguarum intemperantia. Quidam graue ducebāt, vectigalium regiorum illi dimidium attribui, neq; ordinum magisteria amplissimis redditib. venire in diuisionis partem. Aliis mirabile videbatur neq; tolerandum, tres in Castella Reges esse. Ioannes item Emanuel diploma proferebat in Gallia descriptū, quo se Ferdinandus Regem Castellæ dicebat. id ad faciendam inuidiam pertinebat. Accusabant nonnulli, arces & præsidia teneri Ferdinandi Regis nomine, nullo Philippo loco relicto præfectum aliquem nominandi, ne Prætores quidē ciuitatum, quādo eam quoq; auctoritatē sibi Ferdinandus sumeret. Quod præcipuum & maximum accusationis caput erat, delectus eum militares habere specie filiæ liberandæ: quæ propter valetudinem sensu turbato inclusa teneretur sublata eā visēdi omnib. promiscue facultate. Cōficta prorsus ea criminatio nō erat vtrumq; Principē perstringens. Vere enim à Philippo Regina tenebatur inclusa. Ferdinandus cura anxius se tuendi, si res ad bellū deduceretur, datis in omnes partes litteris delectus haberi militares mandauit. Honesta species molitioni prætenta grataq; popularibus liberandi filiam iis viribus & copiis. Dux quin etiam Albanus militum numerum haud exiguum conscripserat in Legionensi ditione Ferdinādi in fide solus inter dynastas perstans, in ea temporū atrocitate quamuis non ignarus quanto in discrimine versaretur si perseueraret cunctis obniti. Nam equitum Magister Ferdinandi gener & maris Præfectus eiusdem amitinus consultius fore iudicarunt tempori cedere, Philippumque amplecti eique præsto esse, quam inutili cunctatione se suosque in præceps dare. In ea procerum alienatione Ferdinandus haudquaquā abiecit animum. Cōflabatur exercitus: simul Iacobum Albionē in Aragonia nobili loco natū in galliā legauit, qui rerū cōditione

explicata pro iure initæ amicitiæ à Gallo postularet, daret operam bellū in Belgis maiori mole Gheldriæ Dux & Leodiensis Episcopus concitarent. Quo Philippus periculo frænatus ad æquiores pacis conditiones deduceretur. Hæc arcano parabatur præsidia, & de colloquio tamen non intermittebatur. Tempus altercationib. tractum. Moræ tædio Philippus Brigantino è portu digressus Compostellam abiit. Præcedebant germanorum cohortes in armis & cum bellicis tormētis non secus ac si per hosticum iter esset, prouinciā vi expugnare pararent. Ipso die nempe quinto Kalend. Iunii Ferdinandus & vxor Betansos Compostella abierunt. Alfonsus Fōseca Compostellæ Præsul Catholici Regis partes palam fouebat eo studio quo qui maximo, Philippi aulici id non ignorantes eam vrbem colloquio propterea idoneam non iudicabant, ac ne moræ quidē diuturnæ, fano quāuis præsenti numine sanctitatis opinione & religione celeberrimo: sed Orenes versus discesserunt. Ferdinandus substitit ad Villafrancam. locorū propinquitate inuitatus Philippus misit ad socerum, qui diceret, si ad se Toletanus mitteretur cum ampla decernendi potestate, fore controuersiis haud dubium finem optatum. Factum est ita. Verum Toletani diligentia atq; labore parum proficiebatur, procerum artib. concordia impedita, reb. turbatis cogitantium maiori in gratia, tranquillis auctoritatis & compendii minus fore. Ferdinandus Villafranca Bagniezam abiit, inde Matillam. Quo tempore pleriq; Episcopi & nobiles eius iter prosecuti procerū suasu, qui aduersas partes sequebantur, ad Philippum abiere senem Principem florenti ætate iuuene mutantes. Ea solicitudine eaq; animorum consternatione Ferdinandus admonitus si ad arma ventum esset, parem genero nō fore; quacumq; conditione pacisci decreuit. In rationem necessitas versa est. Id vt assequeretur, litteras ad generum dedit: quib. rogauit vt cunctatione omni & disceptatione sublata sui omnino copiam faceret. Colloquium vtrisq; salutare ne defugeret. Quid vereretur? quid fraudib. & malignitati aures præberet? cur orbi inutili cunctatione sermonem daret? Rescripsit Philippus multis se iniuriis violatum. Delectus contra ipsum haberi. Rumores fraude sparsos, vinctam se Reginam tenere. Inquisitorum, quorum est in Hispania potestas tremenda summæ proxima, auctoritati aduersari, ac vero propinquis eorum fauere, quos violatæ religionis reos in vincla illi & ferrum tradidissent. Quæ omnia ad faciēdam inuidiam pertinere, prouinciales fraude alienandos. Interea efficiebatur nihil. Philippi asseclæ Ferdinandi animum explorare, antequam in colloquium veniretur; vehementer cupiebant, an in fœderis conditionibus quæ Salmanticæ sancitæ erant, immutari aliquid pateretur. An Castellæ procurationem eiurare. Hic vero difficultatis & moræ nodus & cardo. In quo cautior Ferdinādus consilia detegere non inducebat in animū priusquam cum genero esset congressus, integra consultatione in id tempus seruata, ratus coram omnia facilius quam per interpretes conuentura.

Colloquium inter duos Reges. CAPVT XX.

MAgna quamuis diligentia Toletani parum de colloquio & cōcordia proficiebatur tamen. Vilæ regulus & Ioannes Emanuel negotio, à Philippo præpositi opponebantur. Toletan⁹ simplicius rē gerebat, vti personæ grauitatē decuit, illi calliditate & fraudib. armati. Ex cōmodo pacisci satagebant deceptis fessisue aduersariis: si id non cōtingeret, certe tēpus extrahere. Eum ad Philippū vndiq; fieri concursum vt breui magna penes socerū solitudine coactus Castella deserta in Aragoniā abiturus videretur. Id supremum & maximum tum duob. tum sociis votum erat. Ipse quoq; Toletanus concordiæ nulla spe certe tenui Ferdinando consilium dabat, vt tēpori cedens in Carpetanos sese referret retro conuerso itinere: arcib. & oppidis, quæ multa & firma Toletanus eo tractu obtinebat, tantisper sustentaret dum animorum æstus remitteret. Daret malorum pœnitētiæ, daret bonorum consensui spatium. Praua consilia initiis valida mora languescere, bona è contrario confirmari. Multa quæ natura impedita sunt, mora expediri. Dum eo perueniretur multa posse intercedere, præsertim tam lento itinere, eo anni tempore, victus, vt erat gēs, intēperantia, q; caput erat, multis inter Hispanos & Belgas enatis suspicionib. haud fore prouinciales tam væcordes, vt ex comparatione temporis præteriti cum præsenti errasse se non faterentur, cuperentq; emendare. Hæc Toletanus prudenter, vti euentus docuit, eo ipso iam Ferdinando suspectior: quasi tempori inseruiret, & ad Philippi gratiam cum cæteris niteretur se deserto: ex heri damno & ignominia cōpendium captaret. Nimirum vera monentibus is fructus esse solet, assentatio sine periculo peragitur. Verino, quo Philippus peruenerat, Dieghum Gueuaram miserat ad socerum cum mandatis, ne festinaret, cunctationem vtriusque fore commodiorem. Non destitit tamen Ferdinandus

filios videndi certus, quid graue ducerent dictitans si inermis alloqueretur armatum? Quæ malorum spectra fingerent animis? Vilæ regulus & Ioannes Emanuel, quando detrectare colloquium non poterant, Nellasa, quo Philippus venerat, ad Ferdinandum ire pergunt diem & locum congressui designaturi, misso tamen prius Albano specie negocium peragendi, sed re vt pro Ioanne Emanuel pignus esset, violatum fore. Interim Philippus Sanabriæ vicum, Ferdinandus Asturianos concesserant, octo millium modo interuallo. Eo in oppido Ioannes Emanuel & Vilæ regulus accepti à Ferdinãdo benigne sunt nulla offensarum mentione. Quin blandis eos verbis compellans ea dixit, per quæ intelligeretur, nullam se moram facturum concordiæ ex generi voluntate, mutatis, quæ viderentur, in superioris fœderis conditionibus. Inter ea oppida medio ferme interuallo villa est sita Remessal dicta. Ei villæ propinquum roboretum colloquio delectum. Die postero, vti erat constitutum, Reges duo ex hospitiis sunt profecti nõ pari sed lõge diuerso comitatu. Regem Catholicum ducenti sequebantur, mulis vecti atque inermes pacis habitu & cultu, Philippus milite & armatis stipatus. Prope Sanabriæ vicum duo millia hastati dispositi erant præter indigenas, qui ex omni parte cõfluxerant visendi auidi & studio in nouũ Regem suis sedibus exciti, equitum præterea valida manus, eorum qui proceres secuti fuerant. Præcessere mille Germani quasi locorum exploratores, aulicis subsecutis Philippus ipse clausit agmẽ in equo atq; sub veste tectus armis. Dextram Toletanus stipabat sinistram Emanuel. Ferdinandus occupato podio prætereũtes spectare animo sereno si ex vultu coniiceres. Accessere proceres ex ordine dextram gẽtis instituto osculatum, quos ille festiue excepit. Beneuẽtano complexũ ferens sensit armatum. Cũ risu, Comes, ait, qui solito obesior es factus? sensit ille aculeum dicti, responditq;, sane id tempore est factũ. Garsiæ Lasso, tu etiam, inquit, & ille. Enimuero cũ omnib. aliis. Secutus est astantium risus. Accessit Philippus haud læto vultu ex equo in pedes desilire volentẽ aliorũ exẽplo soceri dextrã osculatũ, occupauit ille cõplexu, & osculo læta renidẽtiq; facie. Ad vitãdam multitudinem, quæ circũ fluxerat verba habitũq; notãtes, aliquo concedere placuit. Prope erat sacellũ: in quod duo Reges secundum salutationem sunt ingressi: & cum eis Toletanus & Emanuel. Toletanus qua in cæteris libertate, ad Emanuelẽ. Nõ decet, inquit, priuatos Principum suorũ sermonib. interesse. Facessamus ergo. Non auso repugnare socio cum prope ianuã essent, egredere Toletanus addit, ego ianitoris implebo munus. Sic illo egresso clausaq; ianua in vicino podio assedit. Reges postquã inter se solita salutantiũ verba dixere, Ferdinandus prior aduersum vti flecteret, aut pacis cupidum vt vehementius accẽderet, hac sentẽtia locutus fertur. Si nostræ tranquillitatis & iucunditatis, quã commodi & honestatis rationẽ potius habuissem, susceptas hactenus contumelias & probra nunquam pertulissem. Verũ amoris vis magna est paterni maior, multa patitur, multa dissimulat. Huic studio parẽ gratiam redditam nõ esse, tua pariter ac nostra causa dolemus. Vt mihi Regina vxor rerum procurationẽ demandaret, ipse obsequerer iustæ voluntati, nulla praua ambitione factum est, ac ne plura quidẽ habendi cupiditate, multo minus cuiusquam dignitatem eleuandi voluntate. Satis diuitiarum diuino beneficio suppetit. Filiorum porro contemptus, quid aliud quam dedecus nobis pareret? Vestræ ętati, præsertim rerum vsu non magno, neq; probe cognitis gentis ingeniis, ne imponeretur vestręque illuderetur ingenuitati non sine causa verebamur. Astuti homines cõmoda sua suorumq; ex vestra ignominia publicaq; adeo calamitate captarent. Inde existerent dissidia & tumultus iis pares, quos Regum facilitas, aulicorum prauitas peperit superiori tempore quibus vulneribus vix nunc est cicatrix obducta. Verum quando nostra voluntas non ea mente, qua par erat, accipitur: quod alioqui rebus compositis facturus eram, continuo rerum procurationem abdicare certum habeo. Pluris enim animorum cõcordia, quam quid quam aliud esse debet præsertim alio vocantibus reb. magnis, quæ nostram absentiam gemunt, præsentia curabit. Omnia in te sunt, quæ aut fortuna hominibus aut natura largitur, ætas, opes, ingenium: neque studia gentis desunt: vt sint propria faxint superi. Illud monere non desinam, videndum, quibus fidere debeatis, quib. administris partem aliquam potestatis credere. Quam nisi tempestiue cautionem ac diligentiam adhibueris quod auertant numina, neq; ipse velim, magnæ difficultates & egestas implicabũt. Hunc Archiepiscopum sum expertus magno animo esse ac minime malo. Illi & similibus tuto fidas. Auri splendorem alia metalla imitantur, mentiuntur fuco probitatis illita vitia, sæpeque loca virtuti debita per simulationem praui homines occuparunt. Philippus Rex paucis respondit, vt erat ab intimis edoctus. Ea consilia magnum apud se pondus habitura: pro eo ac par erat obsequiũ deferre ac perpetuam voluntatẽ obtẽperandi præceptis ex amore profectò paterno profectis. Verba vocesq; non audiebantur. vultus procul visentibus

tibus notabantur Philippi proiectus & mœſtus Ferdinandi non inſultans ſed grauis & lætitiæ propior. Sic è colloquio diſceſſum nulla duabus quamuis horis inter colloquendum conſumptis mētione Reginæ neq; à patre facta ad vitandā offenſionis occaſionem, neq; à genero oblata eam videndi facultate. Quod certe fuit inhumanū vulgo ſed & proceribus ſermonū ac vituperandi materiam præbuit. Maiori plane animorum offenſione quam cum qua venerāt, digreſſi in oppida vnde diſceſſerant cōtinuo redierūt ipſo die ad memoriam inſigni Sabbatho ad duodecimum kalendas Iulias.

Alterum Regum colloquium. CAPVT XXI.

CONtinuato Reges itinere duodecim aut ſummum ſedecim inter ſe milliū interuallo Philippus ipſo D. Ioannis peruigilio Beneuentum tenuit. Ferdinandus ſolicitare non ceſſabat, concordia vt ſanciretur quibus id negocii datum erat, conſenſu Ferdinādo denunciarunt Caſtellæ procuratione in generum tranſlata, vti in Aragoniam abiret, ordinum militarium tamen retenta præfectura, aliiſque Iſabellæ Reginæ teſtamento legatis integris. Hac lege fœdus ſancitū eoſdē amicos inimicoſq; futuros nemine excepto. Hoc pactū à Ferdinando Villafafilæ ſacramento confirmatū eſt aſtantib. Toletano, Emanuele & Villæ regulo ad quintum Kalendas Iulii. tantundem die proximo Philippus Beneuenti præſtitit, victoria de ſocero parta per eum modum, cuius ex tēplo auctores & gentem pœniteret, lætus eo amplius quod ex arcano tabulis confectis Reginæ valetudinem reb. gerendis inutilem iidem conteſtati ſunt. Quod erat nihil aliud quam rerum ſummam ad ſe trahere & ſine riuali regnare. Conteſtatus eſt etiam Ferdinandus ſecreto coram Thoma Malferito, Ioanne Cabrero, & Michaele Almaſanio, qui erat à ſecretis neceſſitate coactum in eas conditiones veniſſe, quippe inermem aduerſus militum legionib. cinctum: cum liceret reuocaturum. Rebus ad hunc modum cōſtitutis Ferdinandus Tordeſillam abiit. Ex eo oppido litteras in omnes partes dedit kalendis Iulii conſcriptas: quibus ſibi deſtinatum affirmabat Caſtellæ procuratione cedere, cum primum filii applicuiſſēt. Eius voluntatis argumento Caſtella relicta velle ſuarum rerum curam arripere, ſuiſque ſubditis proſpicere diuturnam abſentiam ſui Regis ægre ferentibus, cum publico haud dubium multorum detrimēto coniunctam. Priuſquam Tordeſilla diſcederet, miſit ad eum Philippus qui denunciaret Reginæ contumaciam & iurgia Beneuenti extitiſſe. Orare proinde paterna auctoritate remedium. Huic legationi, quoniam inuidioſa res erat & Philippo certum vxorem includere, nihil certi reſpondere voluit. Rem modo omnem eius probitati & conſcientiæ permittere. Se quidem parentem eſſe, ipſum tamen virum, eam vtriuſque filiorum matrem, ſperare nihil tanta neceſſitudine indignum facturum: ſuaque prudentia ſaniora ſecuturum conſilia. Quod vt faceret, rogare enixe. Tordeſilla Tudelam itum eſt, nomen id vico non procul Valliſoleto. Philippus Muzientes acceſſit ex itinere in ſuam ſententiam pertractis proceribus ſyngraphaſque extorquens, quibus Reginam includi probarent. Præfectus maris conſenſum cum cæteris rogatus reſpondit: priuſquam miſſæ ad ſe in eam ſententiam deſcriptæ ſchedæ ſubſcriberet, cupere Regis voluntate cauſam explorato eius deliberationis cognoſcere Regina, ſi liceret, viſa & conuenta. Placuit poſtulatū fieri. Sic accepta venia Præfectus maris & Beneuētanus in eius oppidi arcem admiſſi Reginam in cœnatione inuenerūt maligna luce, in veſte nigra obſoletaq;, cucullo capiti impoſito, quo faciem fere velaret, ex iis credo, quib. in Gallia fœminis capiti imponere, & oris partem velare familiaris eſt vſus. Ad ianuam Garſias Laſſus erat, intus Toletanus præſul. Aſſurrexit illa viſo maris Præfecto, excepitque eo honore & ritu quo mater poſſet, niſi q. pedibus ſtetit. Rogauit num à patre veniret: & qua illum valetudine reliquiſſet. Reſpondit Præfectus pridie ſe Tudelæ lætum valentemq; reliquiſſe. diſceſſum in Aragoniam parantem, ac iam in procinctu eſſe. Tum illa incolumitatem orare: atq; oppido libenter viſuram dicere. Aliis inſtitutis ex profeſſo ſermonibus, nihil tamen abſonū excidit. Vrgebat Philippus includi cōtinuo. Præfectus videdū, inquit, quid facto opus ſit. ſine Regina Valliſoletum eundum nō arbitror: alioqui incommoda & animorum motum denuncio. Cōmota plebe & ad tantæ rei expectationem erecta caue ne proceribus male ſentientibus detur occaſio rerum nouarum Reginæ liberandæ ſpecie popularibus grata. Me quidē auctore vxorem nunquam à te ſeiunges: & quādo præcipua valetudinis cauſa Zelotypia continetur, non arbitror committendum, quo mēte amplius eo facto concuſſa morbus ſimul augeatur. Digna res viſa eſt, quæ ad conſilium deferretur. Collatis ſententiis placuit Valliſoletum deduci. Prius tamen quā ex iis locis diſceſſum eſſet, rurſus Reges inter ſe videre. Renedum vicus medio ferme ſpatio Tudelæ propinquior colloquio delectus. Re cōſtituta Ferdinandus generū monuit maiori quam antea beneuolētiæ ſignificatione accederet. Vtriuſq; intereſſe verū intelligi concordes vel

maxime diſceſſiſſe. Quid darent ſermonẽ orbi nouis offenſionib. ſuſceptis neq; deterſis prioribus? Tertio Nonas Iulii poſt prandium profecti ſunt Reges. Prior Ferdinãdus accedens in pagi templo expectauit dum gener accederet. Venienti obuiã progreditur, vt inter ſe viderunt, dextræ iunctæ, in complexum itum, magna vtrinq; comitate certatum. In templi ſacello remotis arbitris horam & dimidiam ſubſtitere. Monuit generũ Ferdinandus quid facto opus eſſet, quid vitandum vt ſine offenſione rempublicam gereret. Fine colloquii Toletano ad ſe euocato verba inter ſe dixerunt magnã amoris ſignificationem exprimentia. Quod ſi tam facile ſuorum mentes Philippus flexiſſet, quam ipſe ceſſerat, cõcordia inter duos facile potuit ſtare. Ergo è colloquio eſt diſceſsũ. Ac Ferdinãdus nulla præterea negocii alicuius mẽtione, ne filiæ quidẽ, cuius viſendę haud dubiũ ſtudio flagrabat, Renedo diſcedẽs in Aragoniã iter intẽdit. Albano veniã eius iter proſequẽdi Neapolim vſq;, quo breui erat iturus, roganti negauit præciſe multis quãuis precib. fatigatus, gratius facturũ excuſans ſi in Caſtella maneret prępoſitus iis quib. ſuarũ rerũ procurationem delegarat. Hi erant Guterrius Lupus Padillia Calatrauæ Promagiſter, & Fernãdus Vegha ordinum militarium iudiciis præfecti, tũ Ludouicus Ferrerius, qui oratoris partes apud generum impleret. His mandatum vt Albani voluntati non ſecus ac ſuæ cuncti obſequerentur, imperium reſpicerent. Diſceſſum, qui vniuerſo orbi vehementer ignominioſus eſt viſus, ea ipſe magnitudine animi pertulit, quo cęteros antea fortunę ſquientes fluctus, eo indignior iniuria quo eam æquiori animo pertulit. Proceres ſe adeuntes benigne accepit nulla moleſtiæ vel leui ſignificatione. Gentis ingratos animos forte accuſauit quiſquam aduerſus eum cui omnia deberent: magnis ſe potius obſequiis deuinctum dixit: daturum operam, quantum liceret, vt memori contuliſſe videretur. Ita demum diſceſſit eo vultu habituq; quaſi breui ſe rediturum, & in maiori gloria fore præſagiret animus. Et quidem cognita Principis indole, vtriuſq; gentis ingenio haud diu res eodem loco manſuras, breuiq; ex comparatione inſtantis temporis cum præterito, quantum ſenilis prudentia rerumq; vſus maximus iuuenis facilitati præſtaret non ſine gemitu & reuocandi voluntate intellecturos prouinciales, diuinare promptum erat.

Res nouæ in Caſtella. CAPVT XXII.

ET vtiq; vix Ferdinando digreſſo magna rerum immutatio facta eſt. E capite in corpus reip. ſalus labeſq; diffunditur. Rex Regi quantum præſtat? Indixerat Philippus regni conuentus Valliſoletum lautum & amplũ municipium, q; de Reginæ captiuitate cogitarat, ordinum conſenſu confirmari cupiens. Honeſta ſcilicet ſpecies parum mente valere neq; idoneam rebus gerendis videri. Subornatis proceribus Toletanus etiam accedens, vt in eius poteſtatem cuſtodienda traderetur quibuſdam vrbium procuratoribus auctoritate perſuaſit. Vnus maris Præfectus ex omnibus qui aderant, appellatus de conſenſu præciſe ſe paſſurum negauit: nouum atq; inſolens exemplũ induci. Neq; in eo reſtitit, ſed vrbium procuratores allocutus ne rei turpiſſimæ aſſentirentur palã monuit, q; ſine fidei Reginæ debitæ ſugillatione non contingeret. Vera iis prædicare videbatur, animorum tamen imbecillitati Principis obſiſtere voluntati nõ auſi per ſe, profeſſi ſunt tamẽ ſi quis procerum conatui faueret, aperte repugnaturos. Tum ille commune periculum fore ſacramento confirmauit in cauſa iuſtiſſima, quemcumq; exitũ haberet. neq; ſibi priuatim conſulturum, tantum viros ſe præſtarent. His verbis animata maior ſuffragiorũ pars crudele decretum abiecit, ac quæ in Tauri conuentibus ſanxerant, nouo iureiurando confirmari modo placuit in Ioannæ verba quaſi iuſtæ Reginæ & Philippi Regis eius mariti, tum Caroli Principis poſt matris fata non alium regni hæredem fore. Regium ærarium exhauſtum erat factis ſumptibus geminæ aulæ & militarib. ſtipẽdiis multiplici præterea peculatu. In bellum Mauricum pecunia decreta, aureorum millia ducenta & quinquaginta duobus ann s à populis redigenda. Graue ſubſidiũ fuit fame grauiſſima prouincia laborante, vſq; adeo vt aduectitio ex Sicilia frumento mediterranea quoq; vitam tolerarent. Carpetani & Celtiberi è Carthaginis nouæ portu petebãt, è Malacẽſi Bætica vniuerſa inaudita ad hæc tẽpora rei frumentariæ inopia caritate mirabili longinquę vecturæ impenſa aucta, & tanquã in ſumma abundantia pecuniæ illudebatur tamen paſſim ſine iudicio donatæ, in ludis & conuiuiis intemperanter conſumptæ. nouus quoq; Rex domeſticis præda erat. Excepit noua calamitas cũ magno religionis dedecore. Regii conſultores & miniſtri Inquiſitorum iudicia & auctoritatem labefactare cœperant, iis ſe immiſcentes cauſis temere promercali homines ingenio atque profani. Ac nominatim aures præbere Cordubenſis Inquiſitoris Dieghi Luceri actiones præpoſteras accuſantib. quaſi indigna atrociaq; tũ ipſe tũ cęteri adminiſtri pro poteſtate geſſiſſent, neq; quieturis niſi mouerentur & ordine & munere. Vinctis ea cauſa fauebant inter alios Egabri Comes, &

Prieghi

Prieghi Marchio validiſſimo conatu. Populares correptis armis quoſdam ex Inquiſitoris miniſtris in vincula rapuerūt, viq; in arcē irtupere Inqſitorū domiciliū. Accuſabāt p̃terea ſummū Inquiſitorē Dieghū Dezā eundē Hiſpalenſem quoq; præſulē, quiq; ei à ſupremis conciliis erant, Rodericū Mercadū, Azpeitiā, Fernandū Montemaiorē, Ioannē Tauerā, Soſamq;, viros quāuis integerrimos. Tauri ii ea tēpeſtate maiora de religione iudicia exercebant, vinctis multis ex eo numero, qui ad Iudaicam perfidiam, quam eiurarant ante, redierant viri alioqui copiis & clientelis præſtantes. cum iis mitius agi Philippi aulici cupiebant. Deinde ꝙ non minus gentem perturbauit, neq; minora attulit incōmoda, vno tempore abdicatis omnibus vrbium Prætoribus, arciumq; Præfectis, ipſiſq; adeo limiti deſignatis cuſtodibus, repente in eorum locum alii ſunt ſubſtituti. In quo trifariam atque grauiſſime peccatum eſt. primum enim Belgis magno numero iis honoribus concreditis indigenæ ſunt vehementer offenſi, non alienigenarum modo multitudine onerari prouinciam, ſed honores debitos ciuibus occupare. Deinde tam multis procurationibus vacuis idoneos homines deligere qui licuiſſet? temerario delectu pleroſque ſuffici nullá prudentia, tenui probitate neceſſe fuit, quæ magna labes extitit ac pudēda ſocordia. Non paucis aulicorū fauor pro virtutib. erat, aut pecunia qua honores & magiſtratus licebantur apud Belgas præſertim venales homines, pretioq; nihil denegare, ſolitos è calamitate reip. opes & potentiam aucupari. Poſtremo quibus ii honores ſunt detracti, præmia ſuæ & maiorum virtuti data iniuria & præcipitanter detrahi conquerebantur ſcilicet. Vnde veluti ex vitiato fonte expoſtulationes innumeræ extitere, odiaq; breui eruptura in apertas ſimultates. Harum rerū fama vero fortaſſis maior diffuſa in omnes partes honores & magiſtratus eſſe venales, tū prouincialib. tum Reginæ factam iniuriam, popularium auertit animos, atq; ita vt inter ſe conſpirarēt arcano, malis præſentib. quæ magna erant, maiora impendebāt, & atrociorā mederi ſatagētes. Alios proceres crederes alium populum. Addebat alimenta rumoribus Belgarū ingenium nihil diſſimulantiū ſed omnia conſilia & actiones in populi oculis proponentium. Ferdinandum deſeruiſſe dolebāt ſcilicet ſuſpirabantq; tā incenſo eius deſiderio, vt ſi conuerſo itinere retro rediret, paſſim ſecuturos prouinciales appareret nouo Rege deſerto. Nihil eſt in populo modicum: nunquam in vno gradu reſiſtit. Ex eo nouus Rex contemptui eſſe cœpit, prorſus vt Garſiam Laſſum, cum maxime vellet, neq; regio cōſilio præficere, neq; Ferdinando filio inſtitorē adhibere potuerit procerum interceſſione eo conatu impedito. Sic Ioannes Emanuel Præſidis vicarias partes implebat donec alius in eo munere proprie ſuccederet. In Bætica Aſſidoniæ Dux, Vrenię Comes, Prieghi Marchio atq; Egabri Comes ex antecondicto inter ſe arcano conuenere. Male coercitam famam ſupprimentes augere ſolent. De Regina liberanda conſilia communicaſſe vulgo iactatū. Ex his nubibus ne ſæua exiſteret tēpeſtas prudentes verebantur. Menſe Auguſto Rex & Regina Valliſoleto Segobiā diſceſſerunt, quoniam Moiæ Marchio, vt erat iuſſum, eam arcem Emanueli tradere recuſaret, vim adhibituri ſi amplius cunctaretur. Verū is cautior cognito delectus militares haberi ad eam arcem impugnandam tandem obſequium contumaciæ prætulit, haud ignarus Regū iras mora acriores exiſtere, æquū atq; iniquum Regis imperium ferendū. Sic Rex priuſquam Segobiam ventum eſſet, flexo itinere Tudelam abiit Durio præterfluente nobile municipium, inde Burgos atq; Victoriam iturus Gallicis copiis obuiam, quas ea parte irrumpere in Hiſpaniam velle fama vulgabat. Per Vaſconum fines ne aliquid moueretur, pro Ioanne Ribera ei limiti Anagari Dux eſt ſubſtitutus. Deinde cū iis Regib. fœdus factum Caſtellæ & Legionis regnis comprehenſis, de ſocero Aragoniaue nulla mentio, ꝙ vulgo homines accuſarent paſſim, atq; mirarētur, in eo fœderis leges ad Villafafillam cū ſocero conſtituti, ac vero in vno facto humanitatis & naturæ iura peruerti, quibus Deus parentibus obnoxios filios fore ſanxit.

Obitus Philippi Regis. CAPVT XXIII.

FErdinandus Rex per Montacutum è Caſtella digreſſus & Garizam, quæ Arci veterib. fuit, in Aragoniæ finibus oppidum, Cæſarauguſtam vrbē regni caput contēdit. Prior Regina deinde ſubſecutus Rex excepti in ea vrbe ſunt plauſu & lætitia gentis eo cumulatiore, ꝙ ex eo coniugio Regem peculiarem habituros ſe confidebant æquo cum cæteris iure à primis annis viuere aſſuetum, iuſto moderatoq; imperio, vti leges & inſtituta gētis poſtularunt ſuperiorum Regum exempla. Priuſquam è Caſtella diſcederet ex itinere à Rege genero magna contentione petiit, Valentinum Borgiam ſibi dedi iure captiuum ſuum. Velle eū in aliqua Aragoniæ arce diligēter cuſtodire, certe Neapolim deferre quippe rebus Italiæ ex ſententia componendis virum apprime idoneū. Nā propediē eo ire cogitabat. eôque claſſem Barcinone inſtrui mandaret. Philippum Regem ſocero obſequi

volentem (neq; enim tanti id erat) amici deterruerunt consilio communicato prius statuendum disputantes, ad quem captiuus spectaret vinctus & missus in Hispaniam à Gonsaluo, superstite tum Isabella Regina. Ex paruis sępe magnarum rerum momēta pendere. Importunis altercationibus extracto tempore nihil tandem impetratum quæ noua contumelia fuit, nouæ offensionis occasio. De magno Gonsaluo crescere cura: ex moræ diuturnitate alienum animū suspicari, ab æmulis præsertim & maleuolis varii rumores spargi quidam Cæsaris aduentum expectare affirmabant per mare superum parantis cum octo Germanorum millibus regnum Neapolitanum occupare. Accusabāt alii ad Gallum transire velle, conditiones transitionis nuncupare Rhotomagensem Cardinalem. Quibusdam erat persuasū interprete Ticinensi Cardinali fœdus cum Pontifice agitare. Omnino imperium militare suscepturum bello aduersus Ioannem Bentiuolum Bononiam ecclesiæ Romanæ antea imperii, tyrannide prementem. Neq; deerant sermones prædicantium Prospero Columna sibi adiūcto filiæ adeo coniugio cū illius filio pacto monstri profecto aliquid alere, certe eius familiæ præsidio aduersus omnes fortunæ ictus se tutum velle præstare. Nemo dubitabat quantum is poterat, velle tantundem, singulis vt fit, ex se alienum animum metientib. coniectura fallaci. Nunnium Ocampum mutatis equis ad celeritatem ire ipse in Hispaniam iusserat, suæ syncerę voluntatis testem, celeris aduētus vadem. Aduersus vulgi rumores tales ac tantos non satis fidei Nunnii affirmationi adiunctum, quoniam dictis facta contraria videbantur. Calumniæ apertæ aures erant malum innocentiæ aduersum. Sic Rex quam primum proficisci cōstituens Aragoniæ Proregem Archiepiscopum Cæsaraugustanum designauit, Catalauniæ Calabriæ Ducem detractis tamen è familia Italis, quorum partem se Neapolim comitari iussit. Gallū quin etiā sollicitauit vt Reginā Ducis matrem cum filiis reliquis ad se mitteret, vti in superiori fœdere cautum erat. Rebus securitas quærebatur. Negauit illa venturam, ac potius in Mantuani agri oppidum abiit comite Ludouico Gonzaga ex sorore Antonia Baucia nato, decē aureorum millia in familiæ alimenta à Gallo Rege pacta. Rebus ad profectionē paratis præmissus Neapolim est Carolus Alagonius regii aduentus nuncius, ac Columniis procerib. qui rebus suis timere videbantur, verbis Regis testatum nihil eos per iniuriam passuros. His rebus perfectis pridie Nonas Septembris Ferdinandus Barcinone soluit, & cum eo germana vxor Reginæ Neapolitanæ mater & filia: præterea splendidus procerum comitatus tum è Castella, tum præsertim ex Aragonia amplior. Catalauniæ triremium dux Raymundus Cardonius, Sicularum Tristanus Dolcius. Sequebantur plura alia nauigia maiora minoraq; in speciem validæ & numerosæ classis. Neapolitanæ triremes in eo littore substitere à Gonsaluo retentæ, vt iis venienti Regi obuiā procederet. Quo consilio Neapoli biduo postquā Rex Barcinone discessit, quoniam mare magnū erat, ventus aduersus pedestri itinere Caietam abiit. In ea vrbe ad duodecimum kalendas Octobris triremium aduentum sustentauit. Dux Termēstinus aliiq; Italici generis proceres euntem honoris causa prosecuti, è captiuis adiūcti Rosanius, Bitōti Marchio, Alfonsus Sanseuerinus, Fabricius Gesualdus: alios aduersa valetudo detinuit Neapoli. Interea Philippus Rex cum primum Burgos peruenit Magistri equitum quamuis ædib. hospitio delectis, Ioannam Aragoniam eius vxorem aula expuit: ne scilicet esset cū qua Regina suas molestias communicaret & cuius in sermone acquiesceret. De Albano maiestatis quæstiones haberi cæptæ. Fidei constantia erga Ferdinandum crimen erat ea tempestate grauissimum. Maris Præfecto minori iam gratia mandatum, vt fidei pignus è suis arcem aliquam traderet. Quod ille cum Villenio, Anagari Duce, & Beneuentano consilio communicato facere detrectauit. Magnum malum q ab his initiis reip. parabatur, atrocemq; tempestatem multorum capitibus & fortunis minitantem Philippi Regis improuisa valetudo, & mors importuna discussit. Febris pestilens nihil minus cogitātem inuasit, atq; intra paucos dies extinxit. Veneno corrupta vitalia sensim venis illapso exitiabili tarditate, suspicio quibusdam fuit inanis tamen, vti eius medici sunt testati, atq; in eo numero Ludouicus Marlianus, qui deinde Tudensi episcopatu donatus est in Calęcia, nimiam defatigationem verius intemperantiam exitio fuisse inter obsequia fortunæ minus quam ante suis cupiditatibus imperanti. Decūbenti semper Regina astitit: ac ne ab extincti quidē corpore diuelli potuit vlla procerum diligentia ac precibus, quāuis præter ordinariam valetudinē vtero graui ad septimum Kalēdas Octobris decessit prima hora post meridiē ætatis anno octauo & vigesimo. Granatæ corpus sepeliri mādauit. Dum id fieret, trāslatitio funere ad Miraflores Carthusianorum Burgense monasterium tumulo compositum est. Eo fine vitam clausit Philippus Rex vix regni inchoati primis fructib. delibatis. Ætatis breuitas effecit ne diu talem Principem præstaret, qualem eximia indoles polliceri videbatur. Quid nobilitas

bilitas profuit? quid ætatis flos, eximia totius corporis orisq; dignitas? Quid opes & potentia, quib. cæteros Principes Christianos facile superauit? Quid regia & splẽdidus aulicorum numerus? cuncta peruertit mors importuna pręcepsq;. Tantum sibi in reb. humanis sumit. Sola virtus non interit, cuius certa merces est aliis fundata radicib. Diuina consilia explorare quis ausit? Quis humanæ felicitatis incõstantiam pro dignitate admirari accusareq;? Multorum spes sunt euersæ, aliorum ad nouos conatus nihilominus erecti animi. Statura corporis iusta fuit, facies candida rubraq;, barba rara breuisq;, labiũ inferius porrectum cum gratia, oculi mediocres, promissa cęsaries: vniuersi corporis habitus cum venustate decorus atq; amabilis. Animus ingens, sed facilis: q; nisi cautio adsit & modus, in perniciem vertitur aulicorum abusu prauitateq;. Otio luxurioso oblectabatur, à negotiis abhorrens, eoq; intimorum libidini & imperio semper obnoxius. Id vnum fama accusauit, quæ nullum Principem innoxium patitur, si libido abesset, auaritiam sæuitiamq; non timeres. Mense Augusto crinitum astrum extitit octo diebus, cauda flammata porrectaq; occasum inter & austrum. Post fata creditum est huius Principis capiti minari: eiusq; obitu magnam rerum mutationem fore motusq; graues.

Libri vigesimi octaui Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXIX.

Ferdinando Regi obitus Philippi generi nunciatur. CAPVT I.

OBITV Philippi Regis magna rerum maior animorum immutatio facta est conuulsa penitus rep. maiori, quam meminerant periculo. Fluxa & inconstans humanæ vitę cõditio. Quis Castellæ felicitatem tantis munitã præsidiis, lõgo tempore fundatã, multorum annorum pacem, iustitię cultum, quib. bonis à nulla gente vincebatur, puncto temporis crederet, in pręceps itura: desitura in tyrannidẽ & rerum omnium permixtionẽ miserabilem ni cõtinuo succurretur? Magnam rerum sub cœlo inconstantiã, nostrę imbecillitatis clarum argumentũ. Hora vna aufert, q multis annis quæsitũ erat: quoq; nauis maior, eo sua mole amplius laborat, & proprio mergitur põdere, si nauclero destituatur & clauo. Vti in præsenti Castellæ accidit. Proceres inter se diffidebãt, nullo cõmuni consensu paucis iudiciũ aut reip. amor: plerisq; pſens rerum status displicebat; pari dolore aliena cõmoda ac suas iniurias metiebãtur. Immẽsæ ambitioni satisfacere quis posset, qs hiantẽ cupiditatẽ satiare ea multitudine hominum? Plurimæ pfecturæ & honores prouinciæ penes Belgas erant. Obsequii patriæq; desertæ ea scilicet merces. Hi redigẽdæ pecunię vias omnes inuestigare, quãuis cum prouincialiũ gemitu: pdæ habere rempub. pretio non æquitate iura describere, impotẽs dominatus ac sæuus. Omnino in Hispania diu hærere non cogitantes, nulla famæ cura cuncta venalia habere honores, magistrat9 præmia virtuti debita: ex iis pecuniã captare quasi breui principatu festinantes. Accẽsas aulicorum cupiditates ipsa Principis facilitas acuebat, minori metu, maiori qstu apud iuuenem & credulum. Prouinciales ea offensi peruersitate tantis malis aut finem aut modũ optabant: atq; procerũ exemplo scissi in partes, pleriq; supiora tempora tædio præsentium suspirare: quidã etiam à Ferdinando præpropere se desertos atq; inhumaniter accusare: cum ipsi priores eum deseruissent, atq; ignominiosi discessus culpã porro sustinerent. Hos tamen animorũ motus, offensionesq; graues Princeps præsentia auctoritateq; quamuis iuuenis: ac erroris cõmissi tradito reipub. clauo, cui minime cõueniebat, detractoq; ei, cui omnes amplius quã suis singuli parẽtib. debebãt, prouincia p tot annos opimæ pacis cõmodis florente, ac multis accessionib. amplificata eo duce rectoreq; memoria frẽnabat maxime: ne noui motus existerent. Leuius.n. ferunt homines, q sua culpa accersierunt mala. Defuncto tamẽ Philippo Rege cõtinuo erumpentib. odiis quasi fræno domito multorũ turbidi conatus extitere, maioris mali metus, nullo q prohi-

bere posset,contumaciamq; castigare,malis impendentib.remediũ afferre.Reginæ,q̃ res ea maxime attingebat, ob valetudinẽ & ingeniũ cura omnis grauis atq; intolerãda videbatur.Carolus filius imbecilla ætate,externis morib.& institutione,si pro matre suscepisset rerũ procurationẽ,alieno imperio obnoxius futurus erat. periculũ ne externi eius nomine regnarent cũ magna prouincialiũ inuidia motuq;.E duob.Caroli auis Maximilian⁹ Cæsar procul aberat. Si curã rerũ susciperet non minor suspicio:penes eos rerũ summam fore,q morũ Hispaniæ essent prorsus ignari reip. magno atq; incredibili incõmodo gentisq; offensione,ex recẽti memoria metus probabilis. Supererat Ferdinãdus idoneus maxime ob exactã prudentiã & animi magnitudinẽ eorum ẽt qui nolebãt cõfessione. Verũ is ex Hispania aberat suscepta ignominia irritatus.Ad hæc ex cõsciẽtia qui deliquerant, ne eius reditu meritas pœnas exoluerent,& arrepta potestate,vt sunt hominũ ingenia, vlcisci dolorem vellet verebãtur.Hac anxii cura varias cogitationes,abhorrẽtia cõsilia versabãt,fœdas rerũ imagines,aliud atq; aliud subiiciẽte animo, vt fit, cũ prima quæq; dãnamus.pridie obitus Philippi,salute iam à medicis desperata inter proceres tumultus extitit grauis belli ciuilis suspicio,nisi opportuno remedio occursũ esset. His malis,q̃ multorum capitib.minabãtur cõmoti Magister equitũ,maris Præfectus,& Infantatus Dux hi studio in Ferdinandũ palã incitati cũ AnagariDuce & Villenio q aduersæ partis capita erãt apud Toletanũ Archiepiscopũ cõuenere de reb.omnib.disceptaturi.Grauiores cõtrouersiæ erãt,maiores conatus q̃ vt cõponi sedariq; facile possent.Cõsensu definitũ,vt cũ Toletano sex alii viri ab vtraq; parte iudices designati de litib.statuerẽt:q essent sancitũ ius fasq; haberetur:nullus cõtra repugnaret. Ab iis Kal.Oct.fœdus percusũ atq; procerum sacramento confirmatũ est in tres menses anniq; finẽ his prorsus legib.Nulli militares delectus habẽtor.Proceres ne saluti aut fortunis inter se insidiãtor:neue omnino lędũto.Nemo Reginã q̃ Burgis erat,neq;Ferdinandũ filiũ,qui Septimãcis educabatur,in suã potestatẽ redigito. Qui secus faxit,reliqui pceres vindicãto.Petrus NũniusGusmanius Calatrauę Clauiger, cuiFerdinãdi instituẽdi cura data erat,procerũ conatus veritus ne infante p vim detracto turbarũ occasio existeret(nã Philippo nondũ extincto Dieghus Gueuara & Philippus Ala id facere tentarãt litteris patris nomine,vti creditũ est cõfictis(Vallisoletani cõuentus iudices eorumq; Præsidẽ instãtis periculi admonuit, nisi opẽ ipsi tulissent. Ea denũciatione illi Septimãcas haud procul sitũ oppidũ profecti puerũ Vallisoletũ deductũ ad D.Gregorii custodiendũ curarunt,collegiũ ab Alfonso Burgẽsi Palẽtino EpiscopoDominicanis,quẽ ipse ordinẽ professus erat,regia impẽsa cõstitutũ. Ea diligẽtia quorundã pposteri conatus elusi sunt,cautumq; publicæ trãquillitati.Sic res in Castella erãt. Ferdinãdus Catholicus, quo die inter proceres sancita cõcordia est,Genuæ portũ tenuit. Lẽta nauigatio fuit, aduersis tempestatib.prohibiti in varios Hispaniæ & Galliæ portus necessario classẽ intulerunt.Antequã Genuam ventũ esset, Cõsaluus obuiam Regi profectus suas secũ triremes ad reliquam classem adiunxit. Veniẽtem Rex accepit humanissime ingentiq; lętitia,quasi leuata superiori solicitudine syncero gaudio mens tum primũ vacaret, detersisq; suspicionib.eximiã viri fidẽ plane perspexisset. Additus verborũ honor publicũ priuatumq; pconiũ.Neq;.n.fas erat quidquã de merita laude sinistris rumorib.detrahi obscurari iniuria gloriã tantis virtutib.partã. Vulgo homines ac pſertim Italici generis nunquã sibi psuaserant ea prudẽtia heroẽ abiectis cõditionibus, q̃ multæ & honestissimæ offerebantur, se suaq; vnquã Regis potestati permissurũ callidi imprimis parciq; virorũ insigniũ promeritis æstimãdis cõpensandisq;.Noluit Rex eam ciuitatẽ inuisere,ne in terrã quidẽ descendere,quãuis ab iis ciuib.publice & priuatim magnis pmissis munerib.ad hospitiũ inuitat⁹. Primores tantũ ciuitatis se adeuntes monuit vt populares cõtinerent,quos nunciatũ erat Gallici imperii grauitate fessos vim & arma parare. Alioqui Regi Gallo fratri suo deesse studio & opera nequaquã posse,si secus factũ esset.Ea admonitione frænati tãtisper ciues metu Hispanicę classis aliquandiu irã continuerũt in Gallicã nationẽ conceptã diu,q̃ aliquanto post tñ effuderunt,ea cõtumacia correptis armis, vt Gallũ in Italiã ii motus necessario reuocarint.E portu Genuẽsi digressus Hispanus vẽtis nihilominus reflãtib. ad portũ Delphini substitit aliquandiu.Eo loco tertio Nonas Oct.de Philippi obitu tandẽ cognouit,ex Toletani litteris aliorumq; eius nomini studentium.Ii cõsensu flagitabãt oblitis vti priorib.offensionibus,q̃ primum in Castellã sese referret.Trãquilla omnia inuenturum, neq; minora gẽtis studia q̃ in Aragonia futura.Festinaret modo beneuolẽtiæ memor potius q̃ iniuriæ,neq; inutili cũctatione reb.nouis locũ daret difficili deinde remedio seraq; moræ pœnitẽtia.Eam ab ipso opẽ vniuersam gentẽ præstolari cũ gemitu & lacrymis. Nõ fore tã inexorabilẽ,vt iis vocib.& precib.non moueretur.Tantundẽ Aluarus Osorius flagitauit à PhilippoRege adiunctus socero comes oratoris munere.Has Ferdinãdus preces excelso animo repulit,& si nemo eo melius cognoscebat vera esse,quę de Castellę piculo

p̃dicabāt:nihilq; optatius cõtingere poterat ad Castellæ procurationẽ,vnde erat eiectus, reditu. Ergo in cõsilio perstans cœptũ iter prosequendi,litteras ad Episcopos,& proceres, & ciuitates dedit:quib. molestũ Philippi generi obitũ extitisse significauit. Rogare enixe vt fidei memores perpetuo erga suos Reges ab vniuersa gẽte cultæ,Reginæ obsequiũ deferrent. Se quidem deesse illis non posse:ac vero compositis Neapolitanis reb. breui,non moraturum spem votaq; gentis deesse optime meritæ. Cõuerso retro itinere rediturum, voluntate certa cunctis gratificandi, vt eorum merita & obsequia perpetua suo iure postularent.

Rex Catholicus Neapolim iniit. CAP. II.

E portu Delphini soluẽs Ferdinandus,quãuis aduersis tempestatib. in Caietæ portum tandẽ intulit classẽ. Ea in vrbe & Puteolis dies aliquot substitit, dum Neapolitani (qui nunquã sibi persuaserãt eo Regẽ peruenturũ,prę̃sertim ex quo de obitu Philippi cognitũ est) sese ad eũ excipiendũ cõparant. Maximus post memoriã hominum apparatus,lætitiæ publicæ & priuatæ significatio præcipua extitit. Eo lõgior aliquãto mora. Sed Puteolis ad Oui arcẽ abiit mari circumfusã omni ex parte. Ac Kal. Nou. reb. omnib. paratis ex Neapolitana mole portus adinstar viginti triremes egressæ insigni ornatu vexillis & flãmulis explicatis visendo spectaculo atq; ordine ad Regẽ accessere. Eo prætoriã ingresso displosere tormẽta de more primũ triremes,arces deinceps & naues,q̃ in portu & ancoris stabãt. Ingẽs fumus fragorq; auriũ & oculorũ vsum aliquãto spatio diẽ quoq; ipsum atra diffusa nebula abstulere. Discussa nebula redditaq; luce sensim triremes se ad molẽ retulere remis. Pontẽ ligneũ ad mare tibicinib. sustẽtatum cõtabulatumq; asserib. arcus ex eadẽ materia erectus claudebat. Eo loco Regi & Reginę ex cẽsuris Magnus Gõsaluus & vniuersa Neapolitana nobilitas prę̃sto fuere intertextis auro vestib. luxu sumptuq; certãtes. luctũ amissi Philippi splẽdenti cultu cũcti mutarãt,misti fœminis mares,ætatis teneræ maiorib. effusi obuiã omni ex parte. Rex ipse bõbycinã trabeã coccino colore gestabat. Regina aureo rigentẽ cycladẽ circũ humeros breue palliũ,viridi colore laqueis eximio decore distinctũ. Eã manu Gõsaluus vsq; ad põtis frontẽ arcumq; p̃duxit. Quo loco Rex eius vrbis tabulis & priuilegiis sacramẽto more maiorum cõfirmatis,in equum albũ cõscendit in mannum æque cãdidum Regina. Vmbellã ciuitatis primores gestabãt: vexillũ Fabricius Columna de manu Regis acceptum,vexilliferi regii ẽt honore addito. eius latera stipabãt gemini de more feciales. Subsequebatur Magnus Gõsaluus in veste exterius serica coloris purpurei, subtus aurea,ad dextrã Prosp Columna:mox alii proceres & Principum legati lõgo ordine. Põpæ vniuersæ lætitiã præ cæteris captiui auxere iã libertate donati diuturni carceris squalore deterso,meliori in posterum spe læti ouãtesq;. Agmẽ vniuersum clausere Borgia Sorrẽtiq; Cardinales post regiã vmbellã proximi. Hoc ordine p̱ plateas p̃cipuas circũducta põpa,sedesq; vrbanas quinq;, vbi ciues & matronæ expectabãt visẽdo ornatu cũ vocũ & instrumẽtorum cõcẽtu locis singulis mirabili,in tẽplum maximum tandẽ p̱uenit. Quo loco varii monachorum ordines ac reliq̃ viri sacrati eum ferculis & velamẽtis lętitię,collegiorum signis,dictorum insignib. veniẽtes excepere deo cõcinẽtes hymnũ. Quacumq; incedebat agmẽ,multa p̃tiosa vestis tegẽs parietes,multa erãt odoramẽta disposita. Ad arcẽ Nouã,vbi põpæ finis fuit,duæ Reginę Neapolitanę,& Hungarię Regina obuiã processere & ipsæ pristinæ felicitatis cum subsecutis ærumnis cõparatione nõ exigua spectaculi pars. Die postero Rex cunctis procerib. ac nobilitate prosequẽte post vniuersã vrbẽ obambulatã in Gõsalui hospitium diuertit,ea popularitate nõ Gonsaluo modo cõhonestato,sed & plebis gratiam promeritus:q̃ morum & actionum maxime facilitate capitur. Mox de reb. cõmunib. actum est ac imprimis de procerib. Neapolitanis in pristinum locum restituendis,vti erat in fœdere sanctum. De magnis & multis præterea reb. deliberatio futura erat. Ergo ad generales regni conuentus Neapolim edicto omnes regni ordines euocantur. In iis conuentib. Ferdinandi & Ioannæ filiæ atq; successorum sacramẽtum,a cunctis, qui intererant est susceptum nõ alios Reges fore. Germanæ Reginę nulla mentio magno multorum miraculo,fœderis nuper cum Gallo icti in eo legib. non stari. Germanę tamen valetudo excusata,& iam Vallisoleti Reginam Neapolitanam fuisse proclamatam. Honesta videlicet species,sed q̃ non omnib. probaret. Interea Castella dissidiis æstuabat ex arcano in partes scissa,palam nõdum arma mouebantur. Neq; mirum sublato capite omnia reip. membra laborare. Proceres inter se diffidebant discordes ante, & tunc contemptu regentium minus coercitis odiis. Regina neq; idonea ad res gerendas erat,neque volens. Regii cõsilii mandatis pauci obtẽperabant,iuuitus nemo:cogendi malo auctoritatis parũ & viriũ. Et est fluxa potẽtia nõ sua vi nixa. Nusquã imperium,nusquã obsequium,omnia soluta & turbata atq; etiam in deterius versa. Quidã regni conuentus indicendos iudicabant;atq; ordinũ cõmuni sententia regni rectores designãdos. Eius consilii principes au-

ctores Toletanus,Magifter equitũ & maris Prefectus extitere. Interceffit Albanus cõfilii, q̧ non ipfe dediffet,inimicus,an quia ita fentiebat,Regum tantũ effe conuentus indicere iudicans.Interregni tẽpore nihil nouarent.Mediã viã tentare visũ eft.conatui fufcepto re gii adiũgere nominis vmbrã. Regina de ea re appellata adduci nulla arte potuit vt edicta, quib.euocabãtur ordines,fua fubfcriptione probaret. Irrito eo conatu, q̧ erat proximum tamen,q Reginæ à cõfiliis erant,cõuentus Burgos indixere.Reginę prius valetudine publico teftimonio cõprobata ne lege maieftatis tenerẽtur.Reb.controuerfis pauci vrbium procuratores cõuenerunt edictis obtẽperantes:neq; quidquã ii præftiterunt tandẽ irrito conatu.Varii animorũ motus,multiplices conatus,rerũ conditio mifera.veterũ malorum ne orbis recurreret prouinciales verebãtur.Proceres nõ vna fententia,pleriq; tamen rerũ arbitrium Ferdinãdo deferebãt,in hoc numero Toletanus,Magifter equitũ,maris Præfectus,duces Alburquerquii & Begiatis.Non eadẽ tamen ne iis quidẽ mens omnib.neque cõfentiens oratio.q dam eius præfentiã requirebant, alii abfenti ẽt reip.curam delegabãt. id Toletanus fecutus fufpicionẽ pbuit rerum arbitrium ad fe velle reuocare.vfq; eo vt vicariã fieri poteftatẽ petierit regnum adminiftrandi qualẽ habuit, cũ ad cõtrouerfias cum Philippo cõponẽdas ante fuerat à Ferdinãdo miffus.Id fama vulgauit vero an falfo, haud facile dixerim. Reb.turbatis,multa temere finguntur,dicũtur impune.Sed fimul de ea re Reginã appellare nõ dubitaffe affirmatur.Anagari Dux, Alfonfus Tellius Villenii frater, & Ioãnes Emanuel cõtratendẽtes Ioãnæ Reginæ regni procuratione propter valetudinẽ detracta,pro mortua habendã conuẽtus regni pronunciare volebãt.Eo decreto haud dubiũ in Carolũ filiũ fceptra & ius imperii transferri.Verum neq; his plane confentiens fententia erat.Duci.n.placebat venire ipfum in Hifpaniã.reip.eius nomine moderatores ordinũ cõfenfu defignari.Alfonfus Cæfari poteftatẽ delegabat quippe Principis auo paterno,cui leges eius tutelã manifefte darent.Ea plerifq; opinio magis q̃ Ducis probata.Ipfeq; Cæfar oppido cupiebat eã procurationẽ arripere: atq; ita vt cæteris contẽptis in Hifpaniã propediẽ venturũ fe fignificaret.Nõ deerant,q Lufitanię Regẽ Caftellę moderatorẽ dari vellẽt,in Ifabellã filiã & Ferdinandum infantes iunctos cõiugio regno trãslato: quo iure? quib. virib.? Nimirũ cæcus animorũ impetus agebat in pceps, odiumq; externi imperii, cuius recẽs documentũ extiterat.Turpius alii ad Regũ Vafconiæ præfidiũ cõfugere,Vianę itẽ Principis,de quo actũ erat cũ Philippi filia coniugio.Priuatas finguli cupiditates vt fieri folet,fpefq; fequebãtur,publicę vtilitatis exigua,fi ab iis difcreparet,cura.quo morbo laboraffe ẽt Toletanũ rumor erat,fibi pręterea purpurã,focio Frãcifco Ruicio epifcopatũ aliquẽ deftinare.Infantatus Dux filiũ fuũ Palentinis Præfulẽ dari.Alburquerquius Segobienfẽ arcẽ Moiæ Marchioni,cũ quo amicitia erat,reftitui. Anagari Ducẽ male habebat Magiftri equitũ,Villeniũ Albani gratia & reb.omnib.auctoritas penes Ferdinandũ.Nullũ fine æmulo aulæ fauor effe patitur: neq; minus q̃ iniuria propria, vrit inimici felicitas. Beneuẽtanus Villalonio fuæ ditionis oppido nundinarũ ius à Philippo datũ quãuis Medinæ Cãpeftris detrimẽto ratũ effe cupiebat.Sic fingulos proprius dolor vrebat, aut incitabat cupiditas,eo vela daturos, vnde certior fpes affulgeret affequẽdi, q̧ animo deftinafsẽt omni alia cura foluti. Malis,q̃ ex eo fonte impẽdebãt, procurãdis Toletanus & delecti cũ eo arbitri in pcerũ cõtrouerfiis,nouo eos facramẽto adegere,neminẽ præfidio & ad reip. gubernacula euocaturũ Principẽ aliquẽ externũ, neq; cum eo facturũ fœdus.Rex quoq; Catholicus piculo cognito litteris ad plerofq; proceres pollicitus eft fe daturũ vltro,quæcumq; ipfi expetiiffent:fi obfequiũ cũ fecuritate quã contumaciã cũ periculo mallẽt. Ac nominatim Villenio Villenã Almanfamq; qetis pretiũ promifit.Anagari Duci rerũ vænaliũ decumã, q̃ in Anagari ditione pẽdi cõfueuerat. Nulla diligẽtia mala impendẽtia vitantur. Seu quia q̃ cælo manẽt,moueri nõ poffunt,feu quia turbidas hominum mẽtes fanare difficile eft.Procerũ diffidio factũ vt fcelerũ impune graffaretur licẽtia,multa prępoftere fierẽt,nullo qui vindicaret.Ac primũ quib.dieb.Ferdinandus Neapolim ingredi parabat, Valẽtinus Medinę Cãpeftris arce fune demiffus euafit.Sẽfere qui intus erãt fugę ftrepitũ. Sed ad prohibendũ pares nõ erãt.Parta libertate ad Beneuẽtanum abiit fugę adiutorem, deinde in Vafcones magno periculo rerũ Italiæ vbi præcipuã obtinebat auctoritatem ingenio prauo & malis artib. validus. Præterea Ioannes Gufmanius Affidoniæ Dux filium Henricũ cũ copiis mifit,vt Heracleã freto Gaditano impofitã vrbẽ occuparet,fuperiorib. annis fibi dono datã ab Henrico Rege. deinde à Ferdinãdo detractã iniuria,fic ille conq̃rebatur,reb.turbatis abfenteq; Rege impunitatẽ facto fore ratus. Arci Præfectus Garfiæ Laffi vicarius vim prohibere paratus,Tendilliæ Comes Granata,aliiq; Bæticæ vrbiũ conuentus ad periculũ aduolãtes effecerunt,vt obfidio folueretur prẹfertim Hifpalẽfi prẹfule admonẽte legib. q̃ armis caufa quã vi difceptare honeftius tutiufq; fore: q̧ fe abs Regina & Rege patre impetraturũ eft pollicitus vt cum eo de iure certarẽt. Importunos conatus

fore exitiales auctori maxime.Sic ab armis eſt diſceſſum.Maior aliunde tempeſtas oſtentata.Hi duo Aſſidonius & Hiſpalenſis Vreniæ & Egabri Comites,Prieghi Marchio quales & quāti reguli ad Toccinam Bæticæ oppidum conuenere. Ibi fœdere inter ſe facto tabulis cōfectis iureiurādo decreuerūt Reginę debitum obſequium ac totius regni commoda.Obtemperaturos ſe mandatis Reginæ atq; eorum qui a regiis conſiliis erāt.De regni conuentib.,quos adornabāt,conteſtari, ſi quid in iis eſſet cōſtitutum, q̄ Dei legibus Reginæ mandatis,aut publicæ vtilitati eſſet aduerſum nequaquam ratum habituros. Sic in Bætica res erant honeſta ſpecie turbidi conatus. Pleriſq; licentia placebat ſed honeſta conatibus prætēdebāt nomina.In alia parte Rodericus Mēdoza Ceneti Marchio Mariam Fōſecam ſibi toro iungere cupiebat.Exorta de eo coniugio lite,dum à ſacro iudice in cauſa eſſet pronunciatum,Reges Catholici ſponſam in variis monaſteriis cuſtodiri mandarant,ne qua vis interim afferretur.Marchio vt erat ardenti animo audax & præceps,rebus turbatis ex Olgarum Valliſoletano monaſterio, vbi poſtremo erat, vi admota detraxit,& amore & ſcelere male ſanus:q̄ noua prouinciæ turbatio gentiſq; fuit. Toleti tumultus hac occaſione extitit,Fuēſalidæ Comes apparitoris munere, quo Regum ab antiquo munere ea familia in illa vrbe fungitur,cōſilus Petrum Caſtellam Prætorē loco mouere eſt aggreſſus.Inſignem confidentiam virib. maiorē conatum milites Ocania à Ferdinando Vegha miſſi cōtinuo repreſſere,aduerſaq; Comiti Siluarum factio Prætori adhærens. Per eum modum motæ vrbi tranquillitas rediit. Madriti nō minor turbatio diſſidiumq; extitit inter Sapatas & Petrum Laſſum Ferdinandi partes ſectantes, aduerſus Ioannem Ariam eidem infenſum. Segobiæ item Moię Marchio portas & templum maximum armatis occupauit,arcis præfecturā iniuria detractam obtinendi ſpei imminens. Diſſidiorum flammam tumultumq; grauem vniuerſa prouincia multis cōcitantib. extinguebat nemo.Colluuies malorum qualem à multis annis Caſtella non viderat,quaſi cōuulſa ſuis ſedibus nutans atq; ruitura ſupra ſuo pondere,etiam ſi nullus impelleret.

Ioanna Regina Burgis diſceſſit. CAPVT III.

CAſtellę Regina impedita valetudine malorum occaſio magis quam leuamen,fluctuanti reip. opitulari non poterat,medicas prohibere à rep. manus poterat. Omnium ſanctorum anniuerſaria memoria feſtum diem ad Miraflores monaſteriū celebrauit. Ibi ſacris operata poſt prandium ſepulcrum aperiri mandauit, vbi viri corpus erat. Ingreſſa intro & loculo à Burgenſi Epiſcopo reſerato cadauer attente conſiderauit oculis, contrectauit etiam manu ſine gemitu tamen nulliſq; effuſis lacrymis ac prorſus nihil, vt videbatur,animo commota.Sic eodem die ſeſe in vrbem retulit.Suſpicatam crediderunt,in Belgas extinctum fuiſſe,ablatum ab ea natione hominibus, in familiam Principis adſcriptis. Verum illi cupidi in patriam quam primum redeundi mercedes potius annuas, & ſi quæ heri teſtamento debebantur legata,magna contentione exigere moræ impatientia vendita, ſi opus eſſet, defuncti ſupellectile, ne diu ſuſtentare neceſſe eſſet in Hiſpania nulla iam melioris fortunæ ſpe. Regina de ea re appellata, iuſtiſſimo poſtulato nil reſpondit aliud, quam viri manes expiandi precibus curam ſe, vti par erat, non neglecturam. Burgis vt diſcederet ſæpe agitatū vrbe diuiſa in factiones.Magiſtrū equitū,in cuius illa ædib. morabatur,maior ciuium pars ſequebatur.Ioanni Emanueli æmulo neq; ciuium ſtudia deerant neq; voluntas Reginæ in ſuam poteſtatē redigendæ arcis fiducia: cuius præfectura cum multis aliis tota prouincia à Philippo Rege fuerat donatus. Peſtis lues in ea vrbe graſſari incipientis diſceſſum vt maturarent effecit. Villenius etiam Eſcalonam ſuæ ditionis oppidum cupiebat deduci.Conatus omnes diſturbabat Reginæ ingenium conſilio repudiato niſi q̄ inſediſſet animo Ioannam Aragoniam ſororem cōtinuo à viri obitu reuocarat in regiam.Eam & Dianii Marchionis vxorem Salinarum Comitem cum nuru Maria Vlloa in primis gratas habere cęperat atq; cū iis libēter ſermones familiares miſcere.His auctorib. ad ſuburbanā domū egreſſa,graui vtero,ac proximo partu,relicta ea vrbe cōſtituit Turrecrematā diſcedere viri cadauere ſecū aſportato,quaſi ex eo oppido miſſura Granatā funere ſepulcroq; ſtabili. Eo conſilio pridie diſceſſus nēpe ad quartū decimum kalēdas Ianuarii Ioāni Lupo Lazarragæ à ſecretis mādauit,diploma cōficeret, quo donationis à Philippo viro poſt mortē Iſabellæ Reginæ factas abrogabat.Ea res quoniam ad multos pertinebat,grauiſſimos animorū motus cōcitatura videbatur. Cūctāte proinde Lazarraga atq; aliam ex alia morę cauſā excuſanti,quatuor è regiis cōſiliariis ad ſe Regina vocati quā primū tabulas in eā ſentētiam conficerēt, pręciſe iuſſit. pręterea ex ſuorū cōſultorum albo eradi quoſcūq; poſt matris Reginæ obitū ad eū numerū adiunxiſſet Philippus vir,atq; ita denunciari,quorum intererat. Die poſtero,priuſquā ſe in iter daret, vrbiū procuratores ſalutatū accedentes poſt varios ſermones rogarūt, vellet ne ex ipſorum numero binos ad Ferdinandū patrē ablegari oratū,vt quam primū veniret in Hiſpaniam

adiutor reb.gerendis. Aduentum respondit patris cupere:solatio æque ac voluptati fore. De regni procuratione nullum verbum. Ac iussit potius pro se quisq; in hospitia discederent: neq; iniussu conuentus agitarent. Quod erat nil aliud quam cõuentus soluere, prohibere incommoda q̃ multorum iudicio ex illis ne extarẽt timebatur. Reb.ita constitutis Regina Miraflores abiit die Dominico tertio decimo Kal.Ian. A prandio Philippi Regis corpus è tumulo detractum atq; lecto funebri impositum præmisit. Comites adiuncti Episcopi Giennensis & Mindoniensis, & cum illis Malacensis Præsul Dieghus Ramirus à Villascusa. Paulo post egressa Regina est neq; splendido neq; modico comitatu stipante: Villenius tamen aderat, & Ludouicus Ferrerius legatus Ferdinandi. Accessit mox Magister equitum multiq; alii in officium incitati nihil sentientis, sed maiestati datũ officium: Nocturnum iter erat accensis facibus. Ad mediam noctem Pauiam ventum, inde Turrecrematam, vbi Regina diu substitit. Burgis manserunt regii consiliarii, Toletanus, maris Præfectus, Anagari Dux. Tempus exibat, procerum in pacto fœdere & concordia designatum. Actum de eo prorogando. Non vna mens erat omnibus, neq; par cunctis oratio. Magister equitum abnuebat, eo fœdere causatus Reginæ maiestatẽ imminui. Maris Præfecto, ampliari placebat. Toletanus ad hanc sententiã adiiciebat de suo: regiis consiliariis auctoritatem imperandi sanciendam videri. aut eam viam aut nullã ostendi gerendæ reipublicæ sustentandæq; sine noxa vsq; ad Ferdinandi Regis aduentum. Multis grauis erat Ferdinandus, neq; rerum procuratorẽ volebant: Ergo vt id impedirent, de Reginæ coniugio actum est. Villenius Calabriæ Ducem coniugem destinabat, pari nobilitate quãuis è paterno regno magna fortunæ iniquitate deturbatum. Præferebãt alii Alfonsum Henrici Aragonii filiũ ex Aragonię & Castellę regio sanguine solũ superstitẽ stẽmate quidem per viros cõtinuato. Eo ventũ vt Mariæ Vlloæ, cui cũ Regina familiaris vsus erat, opimus principatus promitteretur operę merces si eius animũ exploraret. Fecit illa q̧ iussum erat molli occasione captata. Tũ Regina apage, inquit, tantũ nefas: nouo me cõiugio implicari vis? Nec deerãt q̃ Anglo iungi vellent, prouecta quãuis ætate eius cõnubii percupido. Incertis p̃ter hæc rumorib. fama vulgauit, vti paulo post mõstrabitur, Gastoni Fuxensi Narbonis Principi à Ferdinando eius magno auunculo & sororio, Reginã filiam vxorẽ destinari. Insanum quantũ is rumor quamuis confictus multorũ ab eo auertit animos, aliorum studia debilitauit alioqui in Ferdinandũ Regem accẽsa. Quod falso creditũ est, sæpe veri vicem obtinuit.

Neapolitanis exulibus Principatus restituti. CAP. IV.

REgis Catholici Italica profectione multorũ animi ad nouas spes sũt erecti. Ex omnib. Italię partib. legati Neapolim confluxere gratulatũ de aduẽtu, simulq; de reb. magnis. Inter alias molitiones opera Galli Regis curatũ est, ne Belgici principatus procuratio Cęsari ab ea gente demandaretur. Ea re neq; Carolũ Principem, neq; Cæsarẽ vẽturos in Hispaniã prouidebatur, q̃ potissima cura erat. Principe ea procuratione impedito Cęsare lõginquo. Contra Rex Gallus Ferdinandũ solicitare vt ad Venetos impugnãdos, detrahendasq; vrbes, quas iniuria de finitimis & lõginquis ceperant, secũ & cũ Pontifice vires iungeret. His Ferdinandus molitionib. libẽter accõmodabat aures ardẽs cupiditate recuperandi eas vrbes, quas in Apulię ora & ditione Neapolitana Veneti obtinebãt à superiorib. annis impẽsę in bello cõtra Gallos factæ pignus. Nouo tamen bello implicari exhorrebat priusquã fluctus Castellæ essent in malaciã cõpositi. Ac interim consultius fore iudicabat in amicitia perstare cũ iis ciuib. constituta industria potissimũ atq; auctoritate Laurentii Suarii sui in ea vrbe legati. Quem dieb. superiorib. extinctũ vniuersa ciuitas doloris argumento funere amplo & exequiis celeberrimis honestandũ curauit, filio Gonsaluo Ruizio Figueroa pro patre substituto, dũ à suo Rege venirent mãdata. Satagebat Põtifex Ioanne Bentiuolo pulso Bononiã Galliæ Cisalpinæ vrbẽ primariam & opulentã ditioni põtificiæ restituere. Præcipua rei ex sententia perficiendæ spes in Gallo erat equitũ & peditũ copias in eam expeditionẽ pollicito missurũ se. Ipse quinetiam Põtifex ad eã vrbem subigẽdam proficisci parabat. Ad ea p̃sidia Hispanici nominis vmbrã sin minus auxilia, adiũgere visũ est. De ea re appellatus Ferdinãdus misit q̃ suis verbis moneret. Bentiuolũ se quidẽ Pontifici æqua p̃sertim petẽti deesse studio & ope nõ posse. Copiis omnib. & virib. curaturum vt Ecclesię Rom. suum patrimoniũ sartum tectumq; esset, sua Pontificib. dignitas. His ille acceptis mãdatis tãtis virib. impar Pontifici per cõditiones vrbis obtulit imperium. Foro Cornelii, vbi Põtifex erat ad ciuiũ Bononiensiũ animos versãdos missus est Archiepiscop' Manfredoniæ, q̃ Sipõtus olim fuit, adiuncto Frãcisco Rogio Ferdinãdi legato. Iis agẽtib. tyrãno vrbe egresso, ciues cõtumacia posita suæ vrbis imperiũ Pontifici detulerunt elatis per cõpita eius vexillis, arcib. & propugnaculis in eius potestatẽ cõtraditis. Antonius Acunius Neapoli missus est ad Pontificẽ qui verbis Ferdinandi de victoria successuq; gaudio fungeretur.

fungeretur. Maior ex arcano cura suberat tẽpestiuis officiis regni Neapolitani iura promerendi expressis à Põtifice tabulis, quib. sibi & posteris eã possessionem confirmaret, nulla fœderis cũ Gallo icti memoria. In summa potestate id æquius, ꝙ validius. Regib. ꝓ vtilitate nulla honestatis cura est, neq; q̃d de ipsis fama loquatur tanti habent. Arcano hæc agitatã cõsilia accurate tegebantur. Fine quidem huius anni Egidiũ Viterbiensem Augustiniano ordini Pręfectum generalẽ, concionatorem ea ętate eximium, Bononiã vbi Põtifex erat, legauit cum mandatis. Paratum se esse pro eius incolumitate & Pontificia dignitate non virib. iuuare, sed sanguinẽ vitamq; profundere. Experiretur cũ vellet, siue ecclesiæ patrimonium tyrannis eripi vellet, siue bello peti Turcas, quo iam pridẽ animus ardẽti studio ferebatur. Hæc agebantur. Simul de Andegauensib. in maiorũ opes & principatus reponẽdis serio Neapoli disputabatur. ardua res & multis implicita difficultatibꝰ, ꝙ ea oppida contributa essent iis, qui superiorib. bellis industriã & operã nauarant. Sanguinis ii ꝓtium auferri quî æquis animis ferrẽt? Quæ impedita ꝓfecto erant, Regis prudẽtia & auctoritas expediuit. Quædam oppida possessorib. detracta, alia ditione aut annuis vectigalib. æqua cõpensatione mutauit. Integros etiã principatus de suo pecunia redemit, quos recẽs spoliatis donaret. Sed quantulũ id erat? multa oppida è regia ditione detrahere, & nouis addicere dominis necesse fuit. Alioqui omnib. satisfacere nõ potuisset, neq; motus animorũ frænare palã regiã munificentiam laudantiũ, si contingeret tamen sine virorũ fortiũ iniuria. In exulũ numero præcipui extiterunt Salernitanus, Amalfitanus & Bisinianus, Cosæ, Morchonis, & Monteleonis, Comites; præter hos Alfonsus Sãseuerinus. Suessa redempta pecunia Magno Gonsaluo ducis nomine data meritis ingentib. minor omniũ cõfessione gratia. Theani principatus, Ciriniola, Mõtefosculum, & Flumẽ empta itẽ pretio pro aliis oppidis permutata sunt. Quæ omnia in Ducis Gãdiensis iure erant amplissimã ditionẽ & principatus in regno Neapolitano obtinentis dono superiorũ Regũ, atq; in gratiã aui Alexandri Põtificis. Inter eos, quib. oppida ante dono data, nunc sunt abs Rege ablata, multi tũ Italici generis tũ Hispanici numerãtur. Præcipui tamẽ erant Petrus Pacius, Antonius Leiua, Fernandus Alarconius, Gomecius Solisius, Dieghus Garsias Paredius. Atq; hi oẽs æquissimis animis tulerunt, pro cuius dignitate sanguinẽ sæpe profuderãt, fortunas & vitã in discrimẽ vocarant, à suo Rege repeti prĕmia virtutib. data. Eo amplius ꝙ de reditu in patriã cogitantes, quamuis minorẽ compensationẽ in Hispania pluris fecerę q̃ maiores in Italia copias, hoc est, in exilio, vti illi interpretabãtur certe tã procul à patria atq; inter infensos. Colũnios & Vrsinos principes Romæ familias benignitate alliciendi, vinciendiq; beneficiis præcipua cura fuit propriis inter se quãuis dissidiis discrepãtes magno ad rerũ summã adiumẽto. Senenses præterea publicè, & Plõbini regulũ priuatim. Ad imperium Neapolitanũ tuendũ præsidia vndiq; q̃rebantur. Ipso tẽpore Lubianę Episcopus, & Lucas Reginaldus Neapolim appulerũt à Cæsare legati de Castellę cõtrouersiis, ad vtrũ ea procuratio spectaret. Hi Regẽ conueniẽdi facta potestate põstquã gaudio functi sũt ob felicẽ faustumq; aduentũ in Italiã & res alias ex sentẽtia fluentes, Castellę reb. fore saluberrimũ verbis Cæsaris significarũt, si eã procurationẽ retinerent, qui fuissent ante regni moderatores à gẽte designati. Deinde ne Andegauẽses in maiorũ opes restituerentur, enixe contendere. tantum hostium domi alere fore procul dubio exitiale. In nouo & lõginquo imperio nõ defuturã occasionem res nouandi, quib. animus non deesset. Actum prętetea de coniugio Caroli Principis cũ Claudia Galli filia, ꝙ probari Ferdinando cupiebãt, ac vero vt perficeretur, pro sua parte dare diligentẽ operam. De reb. tantis per interpretes constituere fore longum & difficile aliis conditiones ferentib. Si Cæsar & Ferdinandus inter se viderent, facile omnia, atq; ex sentẽtia conuentura. Et erat Cæsari deliberatum in Italiam transire, specie coronã imperij de manu Pontificis more maiorum suscipiendi: re vt Galli conatib. obuiã iret: de quo fama nunciabat velle Romã proficisci, sibiq; imperium, Rhotomagẽsi Cardinali Pontificatum destinare. Rumores eos fortasse inanes, quasi veros exploratosq; Cæsar Cõstantiæ in imperii conuentib. graui oratione accusarat. falsum sæpe veri locum habet. Auditis legatis Ferdinãdus nullo petito ad integrã consultationẽ spatio, continuo ad Reginã filiam Castellæ procurationẽ pertinere respondit. Quid aliena cura solicitaret? Ea impedita aut nolente res gerere, se quippe patrem vicarium substitui tum superstiti tum defunctæ. Eatenus nullos in Castella regni rectores à gente fuisse designatos. De Andegauensib, restituendis fidem astrinxisse, q̃ violare seq; mendacii religione astringere nefas esset. Quod de Caroli coniugio dicerent, Regem Gallum admonuisse regni ordines repugnare cõsilio. Mediolanum & Armoricos diuelli à reliquo imperio non laturos. Orare potius vti filiam Engolismorum Duci coniugẽ daret: cui regnãdi post eum proxima spes destinabatur. Deniq; cõgresũ Cęsaris fore gratũ cũ se eius rei opportunitas daret, nihil aliud. Tẽpus colloq̃o nõ dare, neq; alia polliceri, magnã cõcordiæ desperationẽ

afferebat. Non destitere tamen legati: rursus dato senatu eo sunt post multa progressi, vt Cæsari dicerent stare sententiam cum eo & ius & nomen imperii communicare. Italiæ certe imperio in ipso translato ad eamq; ditionem subiugandam virib. iuuare. Promissis speciosis sed inanib. nihil motus Ferdinandus, vt erat excelso animo, se passurum negauit, de imperii auctoritate quidquam diminui: neq; de Italia velle nisi ꝙ iure suũ erat. Actum præterea de armorum societate cum Cæsare, Gallo atq; Pontifice aduersus Venetos. Ad id postulatum, modo cæteri inter se consentirent, moram fœderi non facturum respõdit. Ad hæc Iacobum Concillum Giracii Pontificem ad Cæsarem legauit cum mandatis palam, diuersa ex arcano cura votisq;, daret operã, vt Belgæ rerum suarum procurationem ad Cæsarem deferrent nempe Caroli Principis auum eoq; legib. iubentib. tutorem eiusdem in minori ætate.

Ioannæ Reginæ partus. CAPVT V.

1507. IOanna Regina Turrecrematæ erat ineunte salutis anno Mille. quingentes. sept. mente vacillans nulla reip. cura. In eo oppido postridie Idus Ianua. die Iouis filiam enixa est cui Catharina nomen, regnum accedentib. annis Lusitania fuit. Partu de vita periclitata Regina est nulla obstetrice: ꝙ officium illi præstare Maria Vlloa cubiculo Præfecta præ cæteris gratiosa & familiaris necesse habuit maiori animo quam peritia artis. Valetudo officiebat, consilio & medicinæ remediis iuxta inimica. Aderant Toletanus, Magister equitum, aliiq; proceres officio incitati erga nihil sentientem imperantemue. Regii consiliarii cum ipsorum Præside Giennensi Episcopo Burgis substiterant. Atq; illi quidem oppido cupiebant flammam dissidiorum inter proceres maiores indies sumentem vires sedare. Auctoritatis parum erat: eorum mandatis atq; edictis pauci obtẽperabant, nemo qui nollet. Scelerum adeo licentia volitabat, colluuies malorum iniuriarumq;, pudendus rerum status. Tumultus Cordubæ contra Inquisitores pridem concitatus nondũ cessabat. Præcipua irarum occasio, de vinctis quæstione habita, plerosq; è nobilitate vrbana in tormẽtis fuisse delatos quasi criminum socios. Et est maligna calamitas: supplicio multorum acquiescit: an multis indicatis & scelerum infamia ambustis veniã cunctis fore sperabant. Populus tamen in eo fraudem Inquisitorũ & dolos interpretatus prona semper erga Præfectos in deterius fide vim & arma parare. Toleti Siluæ & Aialæ antiquæ aduersæq; factiones corripuerunt inter se arma. Aialæ recuperatori ad quęstiones habendas misso à regio cõsilio fauẽtes. Siluę Prętori, recuperatorẽ vrbis aditu prohibere destinanti. Virib. quãuis pstantes Siluas quippe vrbis portas & põtes obtinebãt, vicerũt Aialę populi cõcursu adiuti. Sic Prætor Petrus Castella ex vrbe est pulsus cædes tamẽ & vulnera extitere. Sæuitia mutuis odiis sanguine imbuta, deinde in auaritiã desiit. Nihil secretũ aut clausũ sinere quasi aduersarios occultarẽt. inde direptiones prędęq;. Madritũ turbare pergebãt Petrus Lassus studio in Regẽ Catholicũ incitatus, & Ioãnes Arias aduersæ factionis caput. vbiq; lamẽta & turbæ, in quib. pessimo cuiq; plurima vis. Vrbanũ Conchę senatum opprimebat. Philippus Acunius Prætor, ne Reginæ auctoritatẽ sequerentur. Dieghus Furtatus Mẽdoza correptis armis pulso Prætore effecit, vt à senatu duumuiri Reginæ nomine designati cõsensu popularib. iura darent. Segobiæ Moiæ Marchio arce obsessa aduersæ factionis ciues vrbe expulit, eo vsq; studio prouectus, vt D. Romani ædi ignes iniiceret, nihil mot⁹ loci sanctitate, p studio hostes vindicandi, quoniã eo se quidam ex aduersariis receperãt. Reginæ fluxa auctoritas erat tantis malis prohibẽdis, medicinæ impedimentũ magis ꝙ tutamẽ. In Bætica ad prohibẽdas iniurias frænandamq; audaciã Prieghi Marchio & Egabri Comes, cum Tendillię Comite Granatensis militię summo duce, & Murciæ Antelato vires & cõsilia sociarũt ex Reginę auctoritate & nomine res geri dũ Ferdinandus pater in Hispaniã rediret. Vreniæ Comes in curiã venerat, cupidus cõponendi procerũ dissidia. Et ipsum tamen proprius dolor vrebat suisq; adeo cupiditatib. agitabatur. Votorum summã finiebat sibi quidẽ Carmonẽsis arcis pfectura, quã abstulerant, Roderico autẽ filio sacræ militiæ alia quapiã pfectura: quã illi cõmẽdari exposcebat. Proceres expediebãt arma. Maris Pręfectus delectis copiis Villadadæ & Villauincẽtio minari, oppidis, vti ipse pdicabat, ab Albano iniuria occupatis. Anagari Dux multis stipatus armatis in curia agẽs eo audacię processit, vt die quodã hospitia regio cõsilio ad Villamedianã metata occuparet: qua illi necessitate Palentiã diuertere nulla audaciã vindicãdi facultate. Ioãnes Emanuel sexaginta grauis armaturę eqtes nihilominus Turrecrematã aduexit, nullã iam spẽ nisi turbatis reb. & in audacia ponẽs. Villenius itẽ & Magister equitum delectus habere, militum psidium cõquirere. Nõ publicum cõsilium vigebat, sed vis & immanitas dominabatur, vnoquoq; tantum sibi auctoritatis sumẽte, quãtæ vires inerãt. Aduersus hãc tempestatẽ Toletanus nõ nisi satellitib. stipatus in publicũ procedere certus, ne in ea colluuiõe dignitas ludibrio esset, cẽtum equites pedites trecentos cõduxit pecunia. Præterea stipendio equitibus regni custo-

gni custodiæ designatis de suo persoluto, eos Reginæ sibique nouo iureiurando astrinxit facturos quæ imperaret. Ad frænandum procerum licentiam hæc omnia præsidia referebantur: simul, ne à regio consilio responsa aliqua, mandatave prodirent, turbatę tempestati non satis consentanea. Hac diligentia commotus Anagari Dux maiori numero milites è ditione euocauit. Periculum erat nè pars cum parte confligeret: ac vero nocte quadam nihil propius est factum quam vt inter se Ducis & Toletani milites venirent ad manus. Id ne aliquando contingeret cautum, ne vlli milites Turrecrematę versarentur prætèrquam Reginę solius & Toletani. Ea denunciatione Dux raptim atq; iratus è curia discessit. Priusquam Ioannes Emanuel idem faceret, colloquio ad Grigiotam instituto, ipse & maris Præfectus, Villenius, & Beneuētanus, atq; Andreas Burgius pro Cæsare legatus consensu decreuerunt, Ferdinandum Regem aditu Castellæ prohibere, nisi prius eorum postulatis & querelis esset satisfactum. Magna rerū moles ab his initiis sæua procella imminere videbatur. Toletani prudentia potentiaque importunis conatibus opponebatur. Quem viribus superare non sperabant, fraude euertere aggrediuntur. Eorum quidam Donniis conuenientes rumores spargere in vulgus constituunt, quasi Reginam Toletanus & Magister equitum vinctam tenerent. Præterea Villaloniū profecti delectus militares habent, specie Segobiensem arcem defendendi aduersus intempestiuos Andreæ Cabrerę conatus. Villenium inter & Lusitanum Regem consilia agitata Ferdinandum reditu in Castellam prohibendi: Cæsarque vt aduecto Carolo nepote rerum procurationem tutelę iure & nomine arriperet, pro virili curandi. Roma ipso tempore venit Antonius Acunius inter alia reip. mala Zamoræ Episcopus renunciatus. Venienti Ferdinandus Rex dedit mandata, vt pro ea propinquitate qua Villenium complectebatur, eo sanando pacandoque operam daret; polliceretur que eius verbis. Villenam & Almansam, quas tantopere expetiisset, si idem quietis quam periculi pretium referre mallet. Nihil ea diligentia profectum. Nè Aluarus quidem Osorius Anagari Duce & Emanuele conuentis, ac de sanitate appellatis meliora tulit. Inuictus est animus, quē ardens studium ingentes spes deuouerunt. Antonio Acunio delatus episcopatus bifariam genti molestus extitit, atque iis penes quos rerum potestas erat. Equitum Magister inimicorum præcipuo data præmia, se nullis honoribus cohonestari conquerebatur scilicet. Deinde graue visum est, nulla Reginæ aut patris Ferdinandi, vti moris erat, nominatione Antonio eum honorem fuisse delatum. Nouo insolentique exemplo si dissimularent, de iure dignitateque regia multum decedere. Itaque regii consultores Decano & canonicis eius ecclesiæ per litteras mandarunt, Antonio eius ecclesiæ possessionem ne darent, si data esset impedirent vsum, vectigaliaq; interciperent. Sera diligentia inanisq; fuit, illo iam nullo prohibente possessionem honoris adepto. Quatuoruiri rerum capitalium in curia regia versantur legibus & fauore Principis armati, auctoritate summæ proxima. Ex eo numero audacem maxime & promptum Ronquillum nomine Zamoram misere, vt consilii exequeretur mandata. Illum Antonius cum manu militari intempesta nocte venientis captum in hospitio, in arcem Fermoselam perduxit. Grauis contumelia extitit, metus ne dissimulatione cōfirmaretur audacia. Salmanticensis Prætor & Albanus Dux consilii iussu cum manu militari impotentis hominis impetum, quasi equum tenacem & turbidum asperioribus frænis compescere aggressi nihil præstitere tamen. Rebus turbatis cum omnes omnia audeant, pleraq; facinora sunt impune. In pace bonæ artes vigent, rebus commotis praui homines maiorem vim habent. Itaque Antonio collatus honos incolumis extitit & proprius, magno deinde suo malo si consequētia tempora spectes, eiusdem enim Ronquilli, quem vinxerat, manu periit, cum factiosorum dux factus remp. turbaret, vitæ par exitus. Tumultibus plena omnia erant, varia consilia, conatus, querelæ, fœdum vere ac miserandum spectaculum. Meliores quoq; fidem & operam carissime vēditare, sibi, propinquis, & necessariis præmia extorquere, id singuli habituros rati, quod in ea rerum turbatione datum esset. Ferdinando Regi gladium in sontes distringere non placebat, ne vindicta inuidiæ esset. Sed neq; honestum videbatur largitione & donis redimere, quod iura legesque darent. Prudens consilium, æquum tamen & salutare omnes iudicabant, iniuria oppressos subleuare, frænare legibus prauorum hominum impotentiam. Ipso tempore regiis consultoribus visum est regni conuentus in quatuor menses sustentari. Ea prorogatione vrbium procuratores Burgis, vbi hæserant, domos quinque redierunt nulla rursus conuentus agitandi spe, nisi in commodiorem formam rebus mutatis.

Dux Valentinus occisus. CAPVT VI.

SIc res in Castella erant.Inter Vascones noui extitere motus hac occasione.Ioannes in ea gente Rex Ferdinandi,cuius metu frænabatur,absentiam opportunam conatui ratus Lerini Comitem in Vasconibus Magistrum equitum inquietum hominem & audacem vindicare constituit. Id cogitanti commode cecidit Valentini fuga:quem ad se dilapsum continuo bello,quod meditabatur,summum ducem præfecit idoneum hominem arbitratus per quem Lerini Comitem maiorum ditione spoliatum ex omnibus regni finibus deturbaret, haud innoxium. Eo consilio magnis pro præsenti copia delectibus exercitum contraxit velites ducentos centum &quinquaginta cataphractos, pedites ad quinque millia. Cum iis copiis ad sextum Idus Martii die Mercurii Vianæ arcem insedit Magistri equitum custodiæ creditam ante, & tunc Ludouico Beamontio vicario pro patre:q. Anagari Ducis gener erat magnæ spei iuuenis par opib.& nobilitate.Non latuere ii conatus Magistrum equitum. Filii & arcis periculo iuxta commotus ex Mendauia ditionis municipio duodecim milliũ spatio,ad pręsidium die altero obsidionis accurrit.Et erat nox opportuna conatui imbribus & ventis, horrida tempestas, deiecti nubibus turbines. Ducentos modo equites secum deduxit, pedites sexcentos in loco cauo terreo tumulo tectos reliquit. Munita arce, vti tempus dabat,sub auroram redeuntem sensere aduersarii.Totis castris regiis ad arma couclamatum est, septuaginta equites Valentinum sequuntur præ festinatione non satis armatum : Rex cum reliquis copiis subsequebatur lente tamen & ex interuallo , neque acie competenter instructa ne seruatis quidem ordinibus venturi securus. Dux, vt erat audax, impressione in cedentes facta captis ex eo numero quindecim,studioq; prouectus equitem porro quendam insectandi, in insidias præceps fertur. Conuersi tunc quatuor ex hostibus equites in eum irruerunt. Ex iis vnus hasta latus supra ilia hausit, ictuque ex eo equo deturbauit. Accurrere qui in insidiis erant. Pedibus eximie quamuis pugnantem lancea gemino prefixa ferro,plures tamen vnum peremerunt.Prostrato pleraque vulnera feritate & sęuitia sunt imposita,arma vestesque puncto detracta ne relicto quidem indusio. Duce cadente reliqui mæsti se se retuleruut in castra. Magister quoque equitum, quo securior esset, Mendauia Lerinum abiit loci munitione vim hostium propulsare constituens. Sic periit,vniuersę Italiæ paulo ante terror: ad cuius arbitrium belli & pacis in ea leges & fędera vertebantur, ingentis vir haud dubium animi, strenuus manu, sermone promptus,ferendę inuidiæ, & seditionum artifex, raptor, largitor,in pace pessimus,in bello maiori fama quam laude. Secunda sæpe fortuna vsum aduersa ad extremum exercuit. Superi præsenti interitu superioris vitæ & scelerum iusta exegere piacula. Notatum à curiosis hominibus intra diœcesim Pompelonensem occisum,quo primum episcopatu fuerat donatus, atque ipso quo eius possessionem iniit nempe magni Gregorii festo die. Vnicam filiam reliquit penes matrem atque auunculum Vasconum Regem. Eo quamuis incommodo accepto mæstus premebat obsessos Rex certus dolorem,rebellium malo vindicare & suis copiis & iis auxiliis equitum peditumque,quos è Castella Magister equitum miserat.Contra Anagari Dux cum manu militari ad Vasconum fines accessit Lerini Comiti pro necessitudine laturus opem.Ipse quin etiam Cæsaraugustanus Præsul delectus habere instiuit certa voluntate eundẽ tuẽdi,qui in Ferdinãdi patris clientela erat,porro sororis regiæ coniux.Verum hæc omnia vt in alieno periculo lente administrata.Sic Vianæ arx obsidionis fessa malis necessario facto fędere deditionem fecit. Rex quoq; cum copiis quæ ad sexcentos equites octo millia pedites excreuerant, Ragam impugnatum inde abiit. Regio Castellæ consilio Vasconũ motus curę erant. Iis pacandis missus Lupus Cõcillus arcanorum Reginæ particeps eius verbis Vasconum Regem obtestatum vt legibus potius cum Lerini Comite disceptaret, quam vi & armis. Trimestres si essent induciæ, eo spatio controuersias omnes præsertim Ferdinando Rege appulso & disceptatore pacatũ iri. Clementię laus tunc maior,cum irę causæ iustissimæ.Quid pacem importuno conatu turbaret,&cum Vasconibus Castellæ vires cõmitteret iniuriam non dissimulaturæ? Negauit Rex passurum se amplius vt vnius hominis importunitate vniuersa gens turbaretur scissa in partes. Neque fas esse neq; honestum prauos conatus,vllius Principis ope tegi,impunitate audaciam & scelerum confirmari licentiam. Daturum quidẽ sonti & extrema merito veniam,si modo coram peteret supplex,Lerinoque tradito & filiis vt in eius obsequiis versarentur,ipse vniuersi regni finibus in omne tempus abscederet. in vltimas terras diras secum & furias portaret. Hæc agebantur; neque is Rex tamen cessabat Comitis ditionem occupare. Dedita

Raga aliaque circum oppida sunt. Intra Lerinum quod vnum oppidum supererat cum filiis & clientibus extremam iam spem Comes sustentabat, quibus viribus? qua fiducia? animi obstinatio rapiebat in præceps. Breui enim id quoq; oppidum ad cætera accessit facta deditione. Comesq; bonis omnibus euersus ne pago quidem exiguo relicto, profugus in Castella primum deinde in Aragonia sine lare familiari vagari necesse habuit aliena ex misericordia inopem vitam sustentans, quasi in patria tranquillam & beatam ætatem exigere potuit. Is fuit contumaciæ fructus. Ducis Anagari patrocinium non parum obfuit, quoniam multorum inuidia flagrabat, vt ab equitum in Castella Magistro ac cæteris Ferdinãdi nomini addictis in periculo desereretur, adiuto quin etiã Vascone. Sic vnde opem sperabat pernicies certa extitit. Commode tamen cecidit Castellæ rebus Anagari Ducem bello Vasconum distentũ à turbanda prouinciæ tranquillitate tantisper quieuisse. Eo amplius quod Beneuentanus ad Ferdinandi partes accessit militiæ sacræ pręfectura quadam commendata & quingentorum aureorum vectigali annuo è regio fisco concesso. Præterea Villalonio gentilitio municipio nundinas cõcedendi, quod præ cæteris expetebat, facta porro spe. Begiaris quoq; Dux expugnatus est, quæcũq; exoptabat promissis. His duobus proceribus adiunctis ad reliquos, pars quæ Ferdinando studebat, eiusq; reditum optabat, validior esse cœpit: aduersa debilitari penitusq; concidere in causa quam superi hominesq; improbarent. Pestis lues Turrecrematæ inualuit: quod malum late diffusum hoc anno vehementer afflixit vniuersam Hispaniam. Superior annonæ angustia famesq; effecerat vt herbis plerique & fędis carnibus victitarent. Ciborum insalubrium noui succi morbos vulgauerant, qua tabe mortales innumeri perierunt. Nullis idoneis remediis campi, plateæ & domus stratæ cadaueribus erant, nullo qui efferret; metus & periculum animos efferauerant. Ac ne erant qui ægrotis assiderent: notis ignotisque imminentis facies mali misericordiam abstulerat. Fœdus annus atque ad memoriam insignis. Eo periculo Regina Fornellos abiit pagum exiguum, neque ab eo municipio dissitum amplius quatuor passuum millibus. Ex iis locis non discedere deliberatum erat, antequam pater veniret. In regium consilium redire qui matre superstite eo fungebantur munere iusserat: qui deinde accesserant viri nominatione amoueri. Sic Giennensis Episcopus domum abiit. Noui consiliarii quorum hæc sunt nomina, Aguirre, Guerrerus, Abula, atque Alfonsus Castella id mutari mandatum contendentes, summa diligentia nihil præstitere tamen. Sic Angulus, Vargas, & Sapata pristinum dignitatis locum, vnde erant deiecti, recuperarunt. Arcis Segobiensis obsidionem Moiæ Marchio vrgere non destitit. Propugnabant milites præsidiarii supremo conatu. Verum continuo sex mensium labore fracti & cuniculis subterraneis parte arcis euersa Idibus tandem Maii supplicum velamentis pro muro explicatis ex pacto venia data, verba dedentium arces pronunciarunt. Sic Marchio arcem iniuria ablatam recepit & suis viribus & ope primum Alburquerquii Ducis, qui obsidioni interesse voluit, deinde Magistri equitum, Albani, Antonii Fonsecæ missa à singulis militari manu. Ac fere qui Ferdinando Regi studebant, ii Ioannni Emanueli infensi Marchionis conatus subleuarunt.

Cæsar & Ferdinandus de Castellæ procuratione disceptant. CAP. VII.

CAEsaris legati Neapoli restiterant. Ab iis magno studio curatum vt Cæsar & Ferdinandus inter se viderent. Venturum Nicæam Cæsarem vrbem in ora Liguriæ, aut Ferdinandus Romam accederet, de qua ille cogitabat profectione ad imperii coronam. Die vno corã facilius conuenturos, q̃ multo tempore si per alios conditiones ferantur. Regi Catholico stabat sententia colloquium detrectandi. Eam voluntatem vt specie aliqua honestatis velaret. Illud præcipuum Castellæ res fluctuantes eam moram non pati, quæ aliquot mensium necessario futura erat. Hoc accepto responso legati coram contestati sunt, ne in Castellam rediret, nisi prius iis controuersiis compositis. Alioqui Cæsarem quoque venturum. Si quid ex eo incommodi existeret, penes eum culpam futurã, qui auctor extitisset, mali causa pręcipua. Ea denunciatione etsi belli potius minæ quam pacis voluntas exprimebatur: visum est tamen vt cum legatis Gonsaluus, adiunctis qui à cubiculo regio, & qui ab epistolis erat de iure vtriusq; Principis disceptaret: si qua via se daret concordiæ sanciendę. Eo instituto colloquio multa ab vtraq; parte dicta sunt vt in lite omnium grauissima. Præcipua fundamenta, quibus Ferdinandi causa incumbebat, ad tria capita reuocantur. Patrem esse ac proinde Reginę tutorẽ ex legũ omnium pręscripto. Id ipsum Reginę placere: cuius voluntatis multa extarẽt documẽta. Præterea

Iſabellæ Reginæ teſtamēto & volūtate nō aliter fuiſſe ſancitū. Quid nouis decretis certiſ-
ma iura mutarēt? q̃d in re minime dubia lites importune mouerēt? Hæc pro Ferdinando
valida haud dubiū & illuſtria argumenta. Sed & Cęſari nō minora ſuppetebāt neq; infir-
miora pręſidia. Regina valetudine impedita res in Carolū filiū translatas: in cuius tutela
nemo auo paterno potior erat, omnib. ipſe inito poſteriori cōiugio Ferdinandū tutelæ iu
re decidiſſe p̃ſertim fide Iſabellę cōiugi perpetui cęlibatus data. Quod vt negaret, cōſtare
plane nunquam ipſam Caſtellæ procurationē fore delegaturam teſtamento, ſi nouis nu-
ptiis ſe implicaturum putaſſet. Denique proceribus, vt ipſe rebus imponeretur rector nō
placere: neque verum eſſe eo conatu nullo gentis conſenſu turbare remp. dare male co-
gitantibus arma. Plura alia in vtramque partem præſidia ſunt producta: his tamen præ-
cipue vtriuſq; cauſa continebatur. Ventum ad conditiones concordiæ. Cæſaris legati
quatuor & viginti hominibus rerū Caſtellę curam delegabant. ita tamen vt ex eo nume-
ro Cęſar ſedecim nominaret nihilominus, octo Ferdinandus ſacerdotiorum, quæ ad re-
gium ius ſpectant, & magiſtratuum pars tertia arbitrio Ferdinandi Regis relinqueretur
reliqua gubernatorum delectui. Vectigalium regiorum quarta eidē cederet, tres quar-
tæ Reginæ. Præterea Caroli Principis ad ſtabiliendam ſucceſſionem, regni arces omnes
Cęſaris nomine & ſacramento tenerentur. Grauiſſimæ conditiones rebus turbandis op-
portunę magis quam conſtituenda pace: Additum, vt procerum nonnulli filii atq; è re-
liqua nobilitate principes in Belgas miſſi in Caroli obſequiis & aula verſarentur, vna
creſcerent, mutuæ inter ipſos & cum Principe beneuolentiæ alimentū. Ne cuiquā Phi-
lippi Regis partes eſſe ſecutum in poſterū fraudi eſſet. Iura Neapolitani regni ita à Ponti-
fice confirmarentur, ne Caroli Principis in eo imperio turbaretur ſucceſſio. Horū q̃dam
tolerari poterant: alia neq; concedi fas fuiſſet, ac ne multis quidē annis cōſenſu partium
cōponi. Ita Ferdinandus concordiæ ſpe abiecta, ſe ad profectionem cōparare, nihil ter-
ritus nouo Cæſaris conatu denunciationeq;. Miſſus Neapoli in Germaniā Bartholomęus
Samperius paulo ante ingenium & induſtriā in regia probarat. Cęſar idoneum hominem
nactus qui ſua mandata perferret, Ferdinandum ſuis verbis obteſtari iuſſit ne in Caſtel-
lam rediret nondum controuerſiis inter ambos diiudicatis, ſi ſecus faceret minax. Ve-
rum Rex in conſilio perſtans abeundi, miſit prius Romam qui eius nomine obſequium
Pontifici deferrent. Ii fuere Bernardus Dezpuchius Monteſiæ Magiſter, Antonius Au-
guſtinus, & è Valentina nobilitate Hieronymus Viquius, cui pręterea legati ordina-
rii in ea curia partes implere mandatum eſt, in locum Franciſci Rogii eatenus eo functi
munere cum dignitate. Dato legatis ſenatu pridie kalendas Maii Antonius Auguſtinus
eleganti & accurata oratione eius officii moram excuſauit multis enatis impedimen-
tis ſuſceptā neceſſario. Deinde obſequium obtulit viresq; vniuerſas ſui Regis ad profli-
gandā nequitiam ſacroſanctę eccleſiæ dignitatē tuendam aduerſus omnium hominum
conatus. Benigne Pontifex, ſi animus vultu æſtimaretur, ad hæc reſpondit læta & placi-
da fronte. Beneuolentiæ argumento roſam auream nocte Chriſti Dei natali prece ex li-
bris pontificialibus ſacrari ſolitam de manu tradidit Regi ipſorum perferendam amoris
ſui pignus. Ex arcano quoq; Gonſaluum inuitabat, ſi eccleſiæ copiarum Dux eſſe vellet
bello quod aduerſus Venetos meditabatur, gratiam meritis fore parem. Eundem hono-
rem deferebant Veneti, ſi eorum auſpicia ſequi malet. Ea enim ſuſcepta de eius virtute &
felicitate opinio erat, vt ſecum ferre victoriam perſuaſum omnibus eſſet, in quamcunq;
partem inclinaret. Honeſtiſſimas conditiones arte occupauit Ferdinandus promiſſo ei
rurſus Diui Iacobi magiſterio. Et ne verba viderentur inania rebus vacua, Antonio
Auguſtino, cum Romam eſt miſſus, mandauit, vti à Pontifice impetraret poteſtatē
Archiepiſcopis Toletano & Hiſpalenſi, atq; Palētino Epiſcopo eſſe, ipſius ceſſione eū ho-
norem in Gonſaluum transferendi cum primum in Caſtellam ventum eſſet. Id ne con-
tinuo faceret multa impedire: ac præſertim tumultus ſe abſente ne propterea exiſterent
non ſine cauſa vereri. Pontifex vt continuo Regis ceſſione Magiſterium Gonſaluo da-
ret, facile adducebatur, vt aliis antiſtitib. vicariam ad id delegaret poteſtatem perſua-
deri non potuit. Sic in præſenti dilatus honor eſt non ſine ſuſpicione Regis artibus vi-
rum inſignem ludibrio habitum, quo ex Italia ea fraude deduceretur. Opinionē vulgo
ſuſceptam confirmauit euentus nunquā eo dato honore, ac ne aliis quidē p̃miis. An ſu-
mus in timore benigni, poſt victoriā parci: quod vitiū late patet, & eſt in multis. Tametſi
iam Sueſſæ & Terranouæ Dux erat, ac Magiſter equitum Neapoli ampliſſimi honores ſi
ex ſe conſiderentur, ſi cum virtute & meritis tanti viri cōferantur tenues prorſus & mo-
dici. Fœdere cum Gallo icto Ferdinandi animus ſolicitus erat, verentis nulla ex Germa-
na cōiuge prole ne per conditiones imperium Neapolitanū ad Gallos rediret. Ea cura

Rho-

Rhotomagenſem Cardinalem expugnare eſt aggreſſus in pontificatus maximi petitione opem omnem pollicitus,ſi id eſſet eius opera & auctoritate mutatum.Et erat cõmodius iure & legibus cũ Gallo diſceptare quando Caroli Principis & Claudiæ retractato cõiugio,contra ſuperiora pactaMediolanum&Armoricos puellæ dotales principatus ablatos compenſari ęquum videretur inducta conditione de regniNeapolitani ſucceſſione,pręſertim dubia neque tanti.Controuerſiarum potius fontem poſteris perpetuum meliori cenſura adimendum videri. Verum his poſtulatis ſurdas aures Rex Gallus præbebat, offenſus ſacramento quod Ioannæ Reginæ & poſteris Neapoli dictum erat,nulla Germanæ ex ſorore natæ mentione contra quam in ſuperiori fœdere cauerant, haud dubium mutatæ voluntatis & fidei argumentum.

Ferdinandus diſceſſit Neapoli. CAP. VIII.

CVpiebat Ferdinandus quam primum ſe in iter dare, gnarus ad res Caſtellæ pacãdas, prauos multorum conatus frænandos quanti ſi adeſſet futurum. Feſtinanti omnis mora erat grauis. Verum Neapolitanæ rationes retardabant nondum plane compoſitæ. Regni eius iura poſſeſſionemq; diplomate à Pontifice,vt moris erat,impetrato ſtabiliendi prima & maxima cura erat. Agebat id diligenter Hieronymus Viquius legatus:magno tamen labore & diligentia parum promouebatur. Annuebat quidem PontifexRegis poſtulatis ,ſed cum eo ſi Hiſpaniæ viribus & copiisFauentia & Ariminum Venetis eriperentur in Flaminia iniuſtis plane ac violentis poſſeſſoribus.longæ eę molitiones erant.res ardua. Cum Caſtellæ res nullam paterentur moram, eo feſtinare quacunque ratione decernit. Sub profectionem tamen fidei atque innocentiæ Gonſaluo teſtimonium dedit tabulis publice in eam ſententiam confectis : maiores prædicatione hominum famaque res ab eo perfectas fuiſſe,integra ſemper fide.Earum tabularum exempla teſtatiõ deſcripta in omnes partes miſſa ſunt: ſi qui ſecus fuerant temere ſuſpicati, ea præclara teſtificatione omnem dubitationem animis eximerent. Venerat Neapolim Ioannes Nucæus Siciliæ Prorex.Hunc propter eximiam fidem excellenteſque virtutes Neapolitanum Proregem deſignarat Gonſalui in locum. Verum eo ante Regis profectionem & filio eiuſdẽ nominis,qui iam Aragoniæ Iuſtitia erat,intẽpeſtiue defunctis, locum tenuit Ioannes Aragonius Ripagorſæ Comes : quem Regis propinquitas quippe ex eius fratre genitum magis quam alię virtutes ſubleuabat. In Siciliam Raymundus Cardonius eſt miſſus, qui remp. gereret vicarii generalis indito nomine. Proregi conſiliarii de rebus ſupremis bello paceque adhibiti Andreas Caraffa Sanſeuerinæ Comes,nobile illi genus & bello paceque clara origo : tum Hector Pignatelus,Monteleonis item Comes,& Ioannes Baptiſta Spinelus detracto conſeruatoris nomine, quod dederat, in ea gente inuidioſo cum primis & graui. Adiecit mandata Columnios & Vrſinos proceres omni cura complecterentur. Bartholomæo Liuiano ditio reſtitueretur annuaque vectigalia ad obſequium modo retracto. Ad reliquas militares copias ducenti è nobilitate delecti equites,qui Continuorum nomine verſarentur in Proregis curia centum & quinquaginta aureorum annuo ſingulis ſtipendio. Venetos pacare ſupererat,quoniam de Regis voluntate dubitabant. Miſſus eſt eo ſtudio Philippus Ferrerius qui ordinarii legati nomine & munere in ea vrbe fungeretur. Rebus ad hunc modum compoſitis pridie Nonas Iunii die Veneris cum ſedecim triremium claſſe è littore Neapolitano Rex ſoluit,abducto ſecum Magno Gonſaluo, vt fama tulit, propter affectati regni ſuſpicionẽ. Onerariæ plures in ſpeciem numeroſę claſſis ante dies octo diſceſſerant ductore Petro Nauarro. Luſitania opima pace,opibus & fama florebat immortale decus vniuerſo orbe conſecuta. Cælo datum beneficium eo Rege ſceptra tenente, quo nullus præſtantior eſſet prudentia atque animi magnitudine, prętereà felix numeroſa pulchraque prole. Regina quoq; Nonis Iunii filium Oliſipone peperit, cui Ferdinando nomen fuit,breuis ætas: in adoleſcentiæ flore raptus diu præſtantium virtutum ſpecimen præbere non potuit, quas eximia indoles & litterarum amor polliceri videbatur. Luſitano Regi Caſtellę proceres nonnulli ac nominatim Villenius rerum in ea gente procurationem deferebant. Ad diſturbandum Ferdinandi Regis aduentum is conatus pertinebat.multorumq; mentes is morbus inuaſerat, nec deerant ſermones paſſim Ferdinandi ſenium & auaritiam increpantium.Verum Luſitanus cum ſuarum rerum periculo quantum iis procerum promiſſis fidendum eſſet non ſatis ſtatuebat ſuperioris temporis memoria & exemplis cautior.Ex arcano tamenCaſtellę rebus admouere manus oppido cupiebat:mutuo filiorum cum Reginæ filiis coniugio,tutelã Caroli generi,rerumq; procurationem obuenturam

vltro cogitans. Et erat commodiſſimum Indico commercio Africaniſq; expeditionibus Caſtellę opibus tenui cenſu Principem ſubleuari, ea cura poteſtateque ſuſcepta. Si id non contingeret Cæſarem in Caſtellam euocare quaſi iure conceſſum ac legibus ſanctum, fixum animo deliberatumq; habebat. Ad quod Rex quoque Vaſconum inuitabat, vſque dum tranſitum per prouinciam offerret magno itineris compendio. Sane ambos Reges Ferdinandi felicitas perpetuo vrebat, perpetuum Principum malum. potentiſſimi Regis vicinitas moleſta atq; intoleranda videbatur. Sed & Vaſconem metus proprie ſolicitabat, non quieturum Ferdinandum niſi eo regno occupato. Seu pręſagit animus vrgentem calamitatem atque inſtantem, ſeu ex conſcientia iram veritus. Sed & à Caſtellæ proceribus factioſis Cæſarem ad capeſſendam remp. prouocatum ſe in viam dare, atque in Hiſpaniam traiicere deliberatum habuiſſe litteræ argumento ſunt, quas ad Emanuelem dedit Conſtantia, vbi imperii conuentus erant, hac ſententia. Aliis litteris ſignificaui fixum mihi eſſe in Hiſpaniam proficiſci, Carolumque nepotem mecum ducere. Equidem Reginæ filię maieſtatem tueri aduerſus prauos hominum conatus, Principis imbecillam ętatem tegere, eiusque ſucceſſioni conſulere meo labore æquum arbitror. Eo feſtinatio maior erit, quod quædam in iſta prouincia nouari nunciatum eſt. Intra quatuordecim aut quindecim dies in Belgas ipſe diſcedam, vbi nepos Carolus agit. interim parabuntur iuſſu meo, quę ex vſu Hiſpanicæ profectionis erunt. Itaque, vt communicatis conſiliis cum oratore noſtro, aliiſque proceribus qui Principis partes ſectantur, quod hactenus feciſtis mea cauſa diligentius curetis hortor & mando, detis operam ne in Reginę libertatem, aut Principis ſucceſſionem quidquam inſolenter committatur. Certe id mihi fore curæ credite ac vero noſtro aduentu ne ſine fructu veſter labor contingat effecturum ac potius vt cultæ fidei ea gratia ſit, quam extincti filii in vos perſpecta beneuolentia, veſtraque obſequia videntur poſtulare. Vale Conſtantia noſtri imperii. vrbe pridie Idus Iunii anni mileſ. quingenteſi. ſeptimi.

Regum Galli & Catholici colloquium. Capvt IX.

Rex Gallus in Italia agebat Alpium fauces ante aliquot menſes cum validis copiis tranſgreſſus. Genuenſium motus priſtinæ libertatis ſpe Gallici imperii odio graues & incitati, veniendi neceſſitatem impoſuere. Anni enim ſuperioris fine plebs in nobilitatem incitata correptis armis lilia Galliæ inſigne ex locis omnibus eraſere. Commoti populares nunquam in vno gradu reſiſtunt. Ducem ex infima plebe Paulum Nonum ex lanas inficiendi arte ad rerum faſtigium euexere. Iis motibus incitatus Gallus numeroſo exercitu præmiſſo, ipſe paulo poſt præcedentium veſtigia ſubſecutus tumultuantes compeſcuit. Locorum vicinitas inuitauit vt Reges inter ſe conſilio communicato videre vellent. Sauona in ora Liguriæ vrbs, colloquio idonea viſa eſt, Regis Catholici nauigatio lenta fuit. Aduerſæ tempeſtates Caietæ in Romano littore atq; in Hetruriæ ora aliquandiu detinuerunt. Genuam tandem ad ſextum kal. Iulii peruenit incolumi claſſe. Gaſto Fuxenſis Regem auunculum atq; ſororium excepit cum quatuor triremibus obuiam factus eximia indole formaque adoleſcens. Hoſpitis aduētum Gallus Sauonæ morabatur. Petri Apoſtoli peruigilio ſublatis è portu Genuenſi ancoris egreſſus eſt Ferdinandus. Genuę Sauona finitima eſt exiguo diſſita interuallo. Ita eodem die accedentes Regem & Reginam ad littus progreſſus Gallus ſplendido accepit apparatu. In mutuos complexus itum, iūctę dextræ, ſalutatio facta ingenti tum vtriuſq; Principis tū omnium, qui inſigni ſpectaculo aderant, lętitia. Sub vmbella duo Reges & Regina in vrbis arcem deducti ſunt hoſpitio Hiſpani deſignatam. Maior vt honor eſſet Gallus relicta arce ad Epiſcopi ædes diuertit. Die poſtero qui diuo Petro ſacer erat, vna operati ſacris ſunt inſigni apparatu. Aulici vtrique ſplendenti cultu & veſtium pretio ſuperbi Hiſpani præſertim ſpoliis Neapolitanis inſigni elegantia. militum phalerę torqueſque ſplendebant, militari habitu ferociam cuncti ſpirabant. Ea nocte Regina apud Regem auunculū cōuiuio excepta eſt, cum Ferdināndo Rege Cardinales duo cęnarunt. Diuę Praxedis à Pontifice ad Reges de rebus magnis legatus, & Rhotomagenſis in Gallia item ab antiquo legatus. Die proximo duo Reges cænę Magnum Gonſaluum tertium adhibuere. multo prӕterea verborum honore & benignitate Gallus eſt cōplexus, virtutem, felicitatē, bellicas artes etiam in hoſte miratus, clariſſima victoriarum monumenta vbiq; relicta. Tantundē cum Obenigno Ferdinandus pręſtitit. atq; ita vt Venafram oppidum, ꝙ Comitis nomine in regno Neapolitano initio belli obtinuerat, ſibi is ex tanta benignitate polliceretur ſpe præpropera falſus. In eo congreſſu multa ſunt agitata, illud præcipuū. Aduerſus

Venetos, de quo antea actũ erat, arma viresq; ſociare arcano omnia ne prodita in vulgus vim perderent. Soluto conuentu repetitaq; nauigatione Ferdinandus in Hiſpaniã diſceſſit. Prolixa rurſus inde nauigatio fuit aduerſæ atq; importunæ tempeſtates. Ita non ante quartum Idus Iulias ad Cadaquium portum in ora Catalaunię claſſem intulit. Peſtis lues eo tractu graſſabatur. Vitando periculo non prius ceſſatum, quam ad littus Valentinum ventum eſt omnino ad tertium decimum kalendas Auguſti, quo cum cæteris nauibus ante decem dies appulerat Petrus Nauarrus. Magni honores in ea vrbe aduenientibus Regibus ſunt habiti commorantibusque. Regina ſub vmbella excepta deductaq; in arcem. Qui honos veteri inſtituto Regibus primum eam vrbem adeuntibus haberi conſueuit. Ferdinandi reditu nunciato Caſtellæ motus quierunt. Metus nonnunquam quam gratia potentior eſt. Ipſe quoque Villenius poſita contumacia obſequium detulit promiſſa ipſi compenſatione, ac vero reſtitutione omnium quæ iniuria fuiſſe ablata dati in cauſa iudices pronunciaſſent. Neceſſitate expreſſum officium quamuis, gratum tamen in primis extitit. Vreniæque Comes operæ Villenio patrueli ſanando nauatæ præmium tulit Carmonæ arcis præfecturam, quam ſui iuris eſſe & ſuperiori tempore iniuria detractam conquerebatur. Aſſidonio item pro vrbe Heraclea, quam ſui iuris putabat, ſpes compenſationis iniecta eſt interprete Magiſtro equitum data in præſenti pecunia aut in poſterum annuo è fiſco regio vectigali in omne tempus deſignato. Toletanus rebus omnibus pro virili parte iuuabat lætus ad alia quę Ferdinando dono antea acceperat, honore purpuræ à Pontifice eo annitente conceſſę, prҿterea Inquiſitoris generalis in Caſtella & Legione cura data Hiſpalenſis ceſſione: vti indicio ſunt litteræ a Ferdinando priusquam Neapoli diſcederet, ad Toletanum in eam ſententiam datæ: quarum exemplar autographum Compluti ſeruatur in Diui Illefonſi collegio eius opera & impenſa in eo municipio conſtructo magnifice. In Aragonia Inquiſitoris generalis munus & nomen Ioannes Enguerra retinuit Regis conſcientiam per confeſſionẽ ſolitus expiare. Iis proceribus in partes attractis cæteri fere ac vero prouinciales vniuerſi quieuerũt. Offenſionis & tumultus ſæpe cauſis remedia nihilo maiora ſunt. Illud aduerſo rumore fuit, ac paſſim improbatũ. quod Alfonſus Fonſeca Compoſtellanæ eccleſię eſt prҿfectus iuuenis ardenti ingenio moribus non ſatis probatis fauor Principis pro eruditione & virtutibus fuit. Eo maior fæditas quod in patris locum ſucceſſit, ea cauſa Alexandrini Patriarchæ tunc renunciati, inanis vmbra dignitatis & ſine prouentu nomen. Nouum exemplum & prauum ampliſſimam eccleſiam à patre in filiũ quaſi hæreditate transferri eumq; ſpurium, contra omnes honeſtatis leges. Verum patris in Regem merita eximia extiterant; rebusque turbatis multa præpoſtere fiunt, ipſeq; Alfonſus iunior Regis iter in Italiam proſecutus eius gratiam promeruerat actionum elegantia ingenii dexteritate apparatuque & impenſa principali. Sic iuuat facti inſolentiam ex parte aliqua excuſare, ac prҿſertim Regis pœnitentia ſubſecuta ac per totam vitam conſcientiam ſolicitãte. Et quis eſt Regum in tanta rerum varietate, tanta licentia, qui non peccet in aliquo? In aliquo tantum & non potius in multis labatur. Dux Anagari & Ioannes Emanuel ſupererant noxa maiori, nulla veniæ ſpe, eoque maiori contumacia. Acceſſit recens ad eum numerum Lemoſii Comes noua offenſa irritato Rege. Occupauerat in Galæcis Ponferratum regię ditionis municipium, & Villafrancæ contributos pagos & agrum magna ex parte. Ad ipſius ius ea pertinere diſputabat. Quod legibus petere debuiſſet, allata vi in crimen maieſtatis vertit. Fornellis, vbi Regina tunc agebat, de frænanda Comitis audacia actum. Conſilii regii decreto atque ex Toletani & aliorum procerũ ſententia Albano & Beneuentano ea cura eſt demandata. Delectu illi habito, bis mille equites, pedites tria millia contraxere facinus vindicandi voluntate. Brigantinus opem Comiti laturus videbatur Dionyſii fratris ſuaſu, cui Comitis filia & hæres iuncta coniugio erat. Deſtitit tamen à Rege Luſitano monitus pro imperio: Toletano quoque ſuaſit vt iuris certamen expetente Comite diſcederetur ab armis. Comes ab omnibus deſertus prҿſertim ex quo Ferdinandum appuliſſe Valentiam cognitum eſt, metuq; maioris mali, Ponferrato aliisq; oppidis quæ occupauerat, reſtitutis arma poſuit obſequium cũ ſecuritate, arrogantię cum periculo præferẽs. Ioannes Emanuel eius factionis facile princeps deſtinata voluntate in Germaniam abeundi, & in Belgas, quo prҿceſſerant Vilę Veriusq; reguli aliiq; ex ea gente Philippi Regis antea aſſeclæ, Burgenſem arcẽ Anagari Duci, Gienenſem Egabri Comiti cuſtodiẽdas cõmendauit. Appulſo Valentiã Rege hæc gerebãtur: ſimul ex Africa nuncius venit, regię aulicorum cohorti Præfectum Mazalquiuiro cum cẽtum equitib. peditib. ad tria millia maiori ex parte ex eorum numero, qui Neapoli venerãt, in fines Tremeſenios irrupiſſe: vaſtatisq; latiſſime hoſtiũ agris cũ ingẽti abacta pda

hominum pecorumque rediret, non procul Orano à Tremesenio Rege & innumera Maurorum multitudine; qui abeuntium vestigiis institerant, facta pugna fuisse victum. Cessit virtus numero. E nostris præda omni ablata plerique in pugna ceciderunt versi omnes in hostes. Ea cura etiam morientibus honesti exitus fuit. Præfectus cum septuaginta equitibus cuneo facto per medios hostes erupit Masalquiuirumq; abiit. Quadringenti tantum fuga euaserunt nocte & vicinis syluis tecti, captiuorum par numerus. Cóturbauit ea strages Hispaniæ gentis animos. Ferdinandus quoque eo percitus nuncio aliquot actutum triremes misit Masalquiuiro auxiliares, si opus esset & vim Mauri pararent. Neapolitani interea milites otii impatientia per prouinciam dispersi vi & stupris, & rixis cuncta polluere. Plerique ad rapinas conuersi. In eo numero Dieghus Garsias Paredius, vt erat vasto animo, audax & promptus piraticam exercere constituit largus priuatim, quod rapinis suppleret. Idem fecere Dieghus Aguaius & Melgaregius. Habendi cupiditas idonea iniuriæ faciendæ causa videbatur: Hoc discrimen inter vtrosque: quod Paredius ad Orientis oras profectus de hostibus Christiani nominis prædas agere instituit, minor ea noxa. Duo alii ad AEnariam insulam statione delecta promiscue, quicunque iniuriæ opportuni erant, eos spoliare fortunis & vita, ex aliena calamitate opes captantes propria & totius gentis inuidia. Missus à Prorege cum militum numero Michalotus Prateus domo Catalaunus rei bellicæ & nauticæ imprimis peritus piratas ob Beluederium nactus oppidum Bisiniano contributum captis biremibus interiora prouinciæ fuga petere coegit. Victoriæ lætitiam inopinus casus conturbauit. Subita ventorum vi naui, qua vehebatur oppressa periit, nullo qui morti eriperet quamuis multis è vicino littore cladem prospicientibus. Magnum rerum ludibrium conuersionemque. Violentia fluctuum compage laxata asseres interfluens vnda submersit nauim. Ipso tempore Alfonsus Alburquerquius superiori anno cum Tristano Acunio missus è Lusitania ad Orientis oras Francisco Almeidę successor, virtutis specimen præbere cupiens, ratus vt prima cessissent secutura alia, ex itinere Ormutium occupauit. Insula nobilissima ea est ad sinus Persici fauces, angusta quidem spatiis ac sedecim modo millium ambitu, tenui gleba, nulla aqua, æstu vehementi, frugum egens ac omnis amœnitatis: gemino tamen portu Orientis commercio idonea, atque ex eo omnibus quæ ad victum cultumq; necessaria sunt, quod caput est diuitiis auro, & argento gemmisque beata, & cum primis Orientis celebritate & mercatorum frequentia comparandum emporium. In Africæ item littore, quod Oceanus alluit Lusitani Mauris abstulerunt Saphinum vrbem copiosam, latam spatiis, incolarum numero frequentem, quondam Regi Marrocio subditam, tunc in iure & mancipio reguli peculiaris.

Rex Catholicus Reginam filiam inuisit. CAPVT X.

GErmana Regina Valentię substitit rebus gerendis pro viro vicaria, breui tamen in Castellam itura. Petrus Nauarrus cũ militum cohortibus, eorum qui in classe venerant, præmissus est Almasanum versus ad Castellæ fines situm oppidum. Subsecutus est Rex ad tertium Idus Augusti. Processere obuiam Cæsaraugustanus Præsul officio in patrem incitatus, Medinæ Celinæ & Alburquerquii Duces. Eo comitatu ad reliquam aulæ cohortem adiecto Montacutum primum Castellæ municipium peruenit ad duodecimum kalendas Septembris. Inde Almasanum Arandamq; itum est. Toto itinere proceres & Episcopi visendi studio & officio in Principem incitati salutatum accedebant, quidam metu, multi per adulationem, plerique ne aliis euntibus ipsi subsisterent festinationi studentes offensas priores tegere: ii quanto magis ficta erant obsequia, tanto magis plura beneuolentię argumenta præbere. Regina Fornellis hærebat incommodo satis hospitio: neque vt abscederet induci potuit, quamuis templi contignatione fortuito igne incensa: atque ita vt Philippi viri corpus necessario in regiam fuerit inde translatum. Nunciato tamen patris aduentu ex eo pago tandem digressa Tortoles abiit vicum Arandæ vicinum. Rex quoque Villauelam discessit duorum milliũ à filia interuallo. Sic Sabbatho quinto kalendas Septembris precibus vespertinis operatus Tortoles petiit. Processere obuiam Magister equitum & Villenius aliique proceres è Reginæ comitatu: pręterea Toletanus, Pontificius nuncius cum aliis Episcopis cuncti ex ordine vultu ad lætitiam composito dextram osculis more gentis appetere. Ventum ad paratum hospitium, vbi Regina patris aduentum expectabat. Ad eius aspectum cucullo, quo tegebat caput detracto se ad eius pedes osculatura deiecit. Rex detecto capite genu ad terrã flexo prostratam erexit. Amplexati inter se aliquanto spatio in domus cænationem cõcessere. Dua-

Duabus amplius horis in colloquio decursis Regina reuersa in Regiam est, quo Rex pater die postero illam inuisit. Remotis arbitris qui inter eos sermones extiterint cognosci certo non potuit. Ex Regis tamen in discessu hilari & placido vultu suspicati homines sunt de Reginę valetudine melius quam antea, regnique procurationem illi demandasse. Eam opinionem euentus cōprobauit rebus continuo ad arbitriū compositis, creatis vti visum est magistratibus atq; ministris aliis. Septem dies in eo pago morati octauo ad Diuę Marię Campestris fanū processere. In eo oppido ne purpuræ honor haberetur Toletano à Pontifice datæ Reginę intercessione factum est, nefas fore negantis quo ipsa loco esset viduata viro, oppressa luctu, lætitiā vllam celebrari. Sic Mahamudii cæremonia peracta est, oppido exiguo apparatu principali ac celeberrimo. Auctus honor nomine, nā Cardinalis Hispaniæ dictus est: q̄uis D. Balbinæ titulus Romæ fuerat adscriptus. Aderat in curia Andreas Burgius pro Cæsare legatus sagax, callidus, promptus ad simulanda negocia altitudine ingenii mirabili, ea audacia vt post Ferdinādi aduentū non dubitaret tamen solicitare, prehēsare singulos proceres, quos idoneos gratia aut offensa putabat, vt Cæsari rerum arbitrium deferrēt. In quo etsi dignum supplicio facinus cōmisisse visus erat, ius tamen gentium valuit vt inuiolatus è curia dimitteretur. Species prętēta facto referendi in Germaniam datis ipsi mandatis responsum. Adiunctus itineris socius Ioannes Albion cum nouis Regis & Reginæ nomine ad Cæsarem mandatis precantium, eum deinde legatum mitteret, qui publicæ tranquillitati magis studeret: reip. turbationem vtrisque fore noxiam, importunas molitiones periculo non vacare. Simul magistrum equitum, maris Præfectum, atque Albanū inter se conciliare sublatis mutuis offensionibus aggressus est. Ingens conatus neque fructus pœnitendus, quando vna opera sibi eos proceres ea auctoritate & opibus obnoxios præstare commodum erat; reip. vniuersæ salutare in vnam proceres sententiam conspirare priuatis dissidiorum causis amotis. Pręterea ad Bæticæ motus animum retulit, vbi non minora dissidia vigebant. Ac Cordubę Prieghi Marchio Dieghi Osorii Prætoris apparitoribus & ministris fasces per vim ademerat. Vbedæ factiosi ciues Molinæ dicti multa turbare Antonii Manrici fauore superbi, qui Anagari Ducis propinquus eius partes sequebatur, Hispalis quieta nihilo magis erat. Obitu Ioannis Assidonię Ducis Petrus Gironius Vrenię Comitis filius amoto Henrico defuncti filio Mariam vxorem substituebat opimi principatus hæredem & ipsam extincti filiam neque ex alia matre. Ad tantos motus pacandos viro & gubernatore opus erat. Cantabrię & Calæciæ portus muniti magna cura sunt aduersus omnes casus. Aczemosii Comiti, & Fernando Andradio magnis in Calæcia opibus & clientelis turbidos ex vniuersæ prouinciæ finibus discedere mandatum est. Par cura adhibita Gaditano Heracleæ & Malacę portubus muniendis, ac quoniam Mauris indigenis diffidebatur, effectum vt oppida omnia octo à mari millibus vacua incolis relinqueretur Heraclea Almeriam vsque. Pulsis eo littore Mauris veteres Christianos substituere animus erat, prohibere eius gentis scelera, quorum propter Africę vicinitatem magna ea parte licentia erat, sæpeque Christianos captiuos in eas oras abducebant. Verum is tandem conatus effectu caruit. Obtinebat Ioannes Emanuel Philippi Regis beneficio Burgensem, Giennensem, Placentiæ & Miraueti arces. Præfectis mandatum vt Regi eas sine mora darent. Burgensi arci Præfectus Franciscus Tamaius de ea re appellatus tempore extrahendo præter speciosa verba nihil p̄stabat. Digna temeritas vindicta & malo visa est. Rex Burgos ire constituit, simul Petro Nauarro cura data cum militarib. copiis, quas ducebat, & tormentis bellicis è Medinæ Campestris arce detractis, eam arcem impugnandi. Periculo considerato Pręfectus arcem dedere decreuit: quod exemplum aliæ continuo arces imitatę sunt. Sic Ioannes Emanuel omni p̄sidio destitutus propinquis lōginquisq; infensis, Rege irato p̄ Vascones in Galliam euasit, inde in Germaniam iturus ad Cęsaris pręsidiū. Vnus Anagari Dux ex ea factione supererat, sed quibus viribus? qua fiducia? quibus adiutorib. intra Anagarum sustentare cogitabat, munita vrbe & militibus, quos potuit, contractis? Cæcus animi impetus in præceps egit. Et alioqui erat persuasum Cęsarem propediem cum exercitu & Carolo nepote in Hispaniam venturum. Hac spe Isabellę Reginæ testamento, qua parte certe de regni procuratione statuit, assensum præbere, quo tempore conuentus Tauri habiti sunt, noluit: consequenti tempore cōsilii regii edictis non obtemperauit, ne quaquatuoruiris quidē rerum capitaliū aliisq; ministris curię vt regia mādata in eius ditione exequerentur cōcessit. Ad ea crimina delectus militares habere institit, tumultusq; cōcitauit. Studio quin etiā vlterius p̄gressus, quasi Caroli Principis vicari⁹ se Proregē dixit: & pro arrepta temere potestate, Prętorib. mādauit vti suo nomine tabulas edictaq; euulgarēt: q̄ Vbedę certe factū est Antonio Manrico Prætore patrui volūtati obsequēti, partes

secuto. Impotentes conatus, priusquam altiores malum radices ageret, frenandi erant. Eo consilio quæstiones maiestatis de eo in curia sunt habitæ. Simul è D. Mariæ Campestris fano Burgos ire Rex constituit. Arcos peruentum: quo ex oppido Fernandum Stradam regiis epulis præfectum ad Ducem misit arces vt traderet expetitum fidei pignus. videret ne noua offensa si recusaret ad priores addita, maioris seueritatis necessitatem imponeret. Detrectauit ille facere quod iussum erat incommodus & molestus. Rex in eo oppido relicta Regina quoniam Burgos ire noluit extincti in ea vrbe viri memor, ipse in eam vrbem abiit in vindictam intentus. Petro etiam Nauarro cũ copiis quas ducebat, & regni ordinariis equitibus bellicisque tormentis vniuersam Ducis ditionem eumque capere mandauit. Intercessere proceres ac nominatim Magister equitũ, Albanusque vt seueritati modus esset precantes meliora de Duce polliciti. Dux ipse metu proposito cessit, qui benignitate vinci non potuerat. Nauarreti, Treuigni, Oconis, Redecillæ, Daualilli, Ribæque arces tradidit, vti erat iussum: præterea Balmasedæ arcis regiæ datam antea præfecturam restituit. Albanus earum arcium sequester consensu designatus, atque ii Præfecti quos ipse singulis daret. Ita rex mitigato animo eorum quę prius commiserat supplici veniam dedit. Neq; multo post Antonio Manrico Treuigni Comiti Ducis filio sensim eas arces reddidit atq; dissimulanter. Clementia sæpius quam seueritate reip. sanantur vulnera. Dissidiorum certe nebula opportuna benignitate, quasi solis radiis depulsis vnde sæua tempestas instabat, lux rebus reddita est & optata tranquillitas. Errant, qui in populi & procerum beneuolentia nihil opis repositum putant, omnia regis metus. Itaque ad Ducem Alburquerquium amplius promerendum de Ioannæ Aragoniæ neptis ex filio Cæsaraugustano Præsule coniugio cum eius maiori filio consilia agitata. Quod tamen connubium non coaluit: ac puella Ioanni Borgiæ Gandiensi Duci postmodum data coniux est.

De variis coniugiis actum. CAPVT XI.

CAEsar vno tempore Regibus Gallo & Ferdinando infensus Ferdinandum accusabat in Castellæ rerum procurationem pręcipitanter inuasisse controuersiis cum ipso nondum compositis, neque lite diiudicata. Grauis ignominia visa est armisque vindicanda iniuria. Tria millia Germanorum vti ferebat fama, in Neapolitanos fines immittere cogitabat, quo gentem ad rerum nouarum studium concitaret. Simul vt Aragonii Cardinalis conatus iuuaret Calabriæ Duci in Italiam pertracto paternum regnum restituere parantis, præsidiis vndique ad id obtinendum petitis præ vindictæ studio nulla nepotis cura. Neq; deerant rumores suspicioni subiicientes Magnum Gonsaluum quasi præsentium rerum tædio quietis impatientia consilii eius particeps esset filia etiã maiori nupta Calabrię Duci. Destinare ꝑterea Põtifici obsequi, copiarũ eius & noui cõtra Venetos belli cura suscepta. Mẽdacio habita fides, quoniã ad id inuitabatur annuo stipẽdio aureorum sexaginta millium. Quia honestissima cõditio erat, famæ credebatur passim. Verum hæ suspicionis erant: inane prorsus quod de Cæsare ferebatur. Breui enim est intellectum vires illas, vnde rumores alebantur, velle in Mediolanenses fines & contra Venetos conuertere: vtrisque inferre bellum. Rex tamen Catholicus ex eo cautior, acriores custodias circumdedit Duci Calabrię, ne è curia se inscio posset elabi. Simul Ripagorsæ Comiti mandauit, vti Cardinalem Neapoli Romam prorsus amandaret. Facto quidem alia prætenta species est, sed rumoribus plane nulla fides habita ad id vt recurreretur, effecit. Gallię Regem expostulabat Cęsar Gheldrię ducem subleuare eo bello, quod Belgicis finibus importunus diu intulit. Præterea Burgundiæ fines armis vexasse, quo tempore in Italia Ferdinandus agebat, eius consilii particeps, vti ille accusabat. Ad hæc colloquium inter duos Reges Sauonæ institutum ante, suspectum monstri profecto simile aliquid allaturum credere. Coniugium Claudiam inter & Carolum toties pactum disturbari: ac ipso tempore agi de nuptiis regię puellę cum Engolismorum Duce dolebat dolebat scilicet impense: vbi resciuit impedire conatus Cardinalis Rhotomagensis opera. Cæsaris votis multa patrocinabantur. cęteris omnibus validius fundamentũ, in fędere ad Hagenaũ facto Mediolanensis principatus iura Gallo simul & Philippo Principi Cęsareo diplomate confirmata filiorum connubii inter eos spe certa fideque data. Coniugio disturbato indulgentiam concessam fore irritam. Ferdinando ea res curæ admodum non erat, quippe Mediolani principatus iacturam regni Neapolitani successore Carolo nepoti relicto satagebat compensare fędus violatum, alterius fœderis mota fide. Galli aures Cæsaris postulatis surdę erant. Sic ille animum in Angliam reuocauit

bit Mariam eius Regis filiam Carolo iungi cupiens. In quo eo vſque progreſſum eſt, vt in puellæ dotem deſignarent ducenta & quinquaginta aureorum millia: diem & locum celebritati nuptiarum præfigerent. Additum etiam vt Ferdinandi & Ioannæ Regum conſenſus expoſceretur, ac renuentibus nihilominus connubium conſtaret. Cupiebat Anglus hoc coniugium, in quo tantæ commoditates inerant coire. Maior tamen & propior cura ſolicitabat Ferdinandi voluntate ſibi toro Caſtellæ Reginam iungendi; quod ſperare non temeritas ſed amentia erat. Diſſimulabat tamen Ferdinandus ſpe inani ſenem lactans: ne ſe auerſum coniugio prçberet Catharinæ filiæ & Vualiæ Principis pacto. Anglus tempus extrahere aliam ex alia moræ cauſam nectere, ea cunctatione extorquere parans quod maxime optabat. Fraus vtrinq; eludebatur fraude, ac veluti cõtrariarum in vno corpore ægritudinum complicatio vtroſque male habebat. quo morbo fere Principes magni laborant, expugnantibus inter ſe ſtudiis vita componitur haud leui moleſtia labeq; eorum felicitatis. Mors Angli breui ſubſecuta intempeſtiuos intercepit conatus. Pleriq; vulgo Ferdinandum accuſabant, quaſi Gaſtoni Fuxenſi leuiro ſuo Reginam filiam coniugem deſtinaret ſuis & Galli auunculi viribus regnum Vaſconum adepturo: quod illi iniuria ereptum prædicabant. Sed & Hiſpanum peculiaris dolor incitabat, & ſtudium eos Reges vindicandi ob auerſum penitus à ſe animum: nullam prætermiſſam occaſionem ſuſceptam ſimultatem teſtandi. Recensque apertum odii documentum extiterat Lerini Comite ditione ſpoliato nulla ſui abſentis cura, quamuis gnari ſororii iniurias ac in eius præſertim patrocinio deliteſcentis, pro ſuis habiturum. Eo maiori offenſione quod legibus diſceptare, vti poſt ſuum aduentum expetierat, profugo ditione reſtituta recuſarant, parato quamuis mulctam ſubire, quam delecti conſenſu iudices iuxta leges indicerent. In Germaniam peruenerat Ioannes Emanuel minori iam apud Cæſarem gratia & auctoritate quam antea. Miſeros cuncti deſtituunt: neque mala in vno gradu reſiſtunt. Deluſus ergo ſpe ſua ac ſuſcepti fruſtra itineris pertæſus reuocare cupiebat, atque in Hiſpaniam redire. Eo conſilio petiit à Ferdinando è duobus alterum. Vt eius venia reduci bona priſtina reponeret, atq; eo loco haberet, quem generis nobilitas & priora merita poſtularent. certe cum vxore & liberis in Luſitaniam ire concederet. Quod ſi iuſtiſſimis poſtulatis non moueretur, facturum haud dubium quod ſolent homines deſperati. Nullam eſſe potentiam cui non ſit periculum etiam ab inualido, præſertim ſi ad vires furor accedat. Nullum reſponſum datum: maiores noxæ erant, quam vt veniam ſperaret. Ita è patria exul miſeriis coopertus ac profugus minori quamuis Principis fauore ingenii tamen acumine dexteritateque agendi, diſſidiorum inter eos Principes ſementem facere impedire concordiam nunquam deſtitit egregius diſſidiorum artifex. Iuuabat conatus Bernardinus Caruaialius Pontificis ad Cæſarem legatus. Sic vulgo ſuſpicati ſunt homines. coniecturæ accommodata fides propter turbidum vtriuſq; ingenium parem actionum varietatem. Et quoniam Cardinalis propinqui, à rebus Ferdinandi auerſi regni procuratorem eſſe conſtitutum ægre neque diſſimulanter ferebant. Suſcepta ſiniſtra aduerſus Cardinalem ſuſpicione Ferdinandus à Pontifice porro petiit Legati munere detracto eum actutum Romam reuocaret: acerrimam diſcordiarum facem amoueret. Quod ægre quidem ſed impetratum eſt tandem.

De Caroli Principis in Hiſpaniam aduentu actum.
CAPVT XII.

BEllicos apparatus à Cçſare inſtitutos declarauit euentus non ad occupandum Neapolitanum imperium, vti erant homines ſuſpicati & fama ferebat, pertinere: ſed aduerſus Gallum Regem pro Mediolanenſi principatu & Venetorum ditione. Ferdinandus Rex & Pontifex, ne ex eo initio veniretur ad arma, ſolicitare non deſiſtebant, ſin minus pace facta certe pactis induciis viam aliquam concordiç inirent. Id Cçſari nõ placebat pactum fieri niſi magno ſuo commodo adiunctis conditionib. quas Gallus non probare dignitatis memor, inſolentiæ omnis impatiens. Omiſſa igitur pacis mentione, Cæſar Margaritæ filiæ Belgarum procuratione delegata ſe in iter dedit Italiam verſus menſe Ianuario ſalutis anno milleſ. quingenteſ. octauo auſpicante. Proximo menſe Tridentum 1508. peruenit modicam vrbem in Alpium faucibus ſitam. In ea ſolenni cçremonia more maiorum, cum in Italiam ad imperii coronam contenderent, ſelectum Imperatorem dixit, nam antea Regis Romanorum nomen tantum prætulerat. Brandenburgenſi Marchioni imperii militaris ſummam detulerat ad iter profecuto. Copiæ exiguæ

erant, neque magnis conatibus idoneæ vires. AErarii inopia premebat magnis semper molitionibus aduersa. Regi tamen non poterat generosus ardor animi quin viribus maiora captaret. Bellum ad Cadori vallem ditionis Venetæ inchoatum est, cum repente nuncius Heluetiorum quinque millia Gallicis stipendiis in Italiam festinare, Cęsarem in Sueuiam reuocauit, si conuentus Sueuici auctoritate disturbaret eas copias. Nihil ea diligentia profectum. Nouo tamen nuncio, Gallicas copias in Lucemburgenses fines irrumpere eo continuo quasi belli Italici oblitus accurrit. Pudenda inconstantia ac cõsiliorum varietate circumactus irrito sæpe conatu cogebatur in medio cursu deficere: moliri multa, nihil ad exitum perducere cum ignominia labeque. Eius discessu maior Germanorum pars, qui in Cadori valle manserant, signa deseruere castraq;. Duo millia qui supererant, à Venetis copiis maiori numero somno meroque sepultos ante lucem impressione facta improuiso aduentu conciderunt. Longe alia Ferdinandi Regis ratio erat agendi. Arrepta quamuis atque certis præsidiis Castellæ procuratione stabilita, memor tamen rerum humanarum, quæ fluxæ & instabiles, sępe in contrarium migrant, neq; ignarus non paucos obstinata mente rerum nouarum consilia agitare, nullo loco deesse, vigilare, quosdam terrere metu, aliorum inuidiam beneficiis expugnare. In eo numero præcipue se ostentabant Alfonsus Manricus, Roderici Manrici Magistri D. Iacobi filius idem Pacis Augustæ pręsul, & Cataniæ in Sicilia Episcopus Petri Nunnii Gusmani Calatrauę Clauigeri frater. Ii postquam deserto Ferdinando Philippo Regi adhæserant, sublata emergendi spe dum is rerum potiretur, ex desperatione animos obstinauerant, priorem errorem nouo & grauiore cumulantes. Pontifex de ea re appellatus, Toletano & Burgensi Pręsulibus inquirendi in eos Episcopos potestatem fecit. Aduersus Regem tantis offensis irritatum tueri innocentiam qui possent? Alfonsus Manricus fuga in Belgas concedere tentauit. Captus tamen non procul Santanderio in Asturibus à Francisco Luxano Trasmierę seu Vltramontanorum tunc Prętore, aliquandiu in Atiensæ arce detentus, demum in Toletani potestatem, iuxta Pontificis mandata est contraditus. In Germania Iacobus Concillus Giracii Episcopus à Ferdinando legatus Cæsarem, vti erat mandatum, monere non desistebat: Carolum Principem in Hispaniam mitteret, prouincię moribus à prima ętate imbui ad stabiliendam successionẽ & studia gentis confirmanda, q̃ res alia fore salutarius. Ferdinando ipso superstite ausurum neminem ea iura mutare: eo sublato quin proceres Ferdinandum Infantem nota probataque indole natum educatumque in Hispauia fratri præferrent, neminem posse vlla arte aut viribus præstare. Rebus in Hispania turbatis, qui Italiæ imperium staret? Perspicaci & cauto Ferdinandus ingenio auertere mala cupiebat, quæ repudiato eius consilio in Hispania paulo post sunt subsecuta. Nunquam enim Cęsar adduci potuit, vt Carolum concederet in Hispaniam venire nisi rerum secum procuratione participata, regiorum vectigalium parte concessa, vnde inopiam suppleret subsidiaque parata haberet variis & arduis conatibus sæpe supra vires susceptis. Quibus promouendis præter alia mille & quingentos milites, Gallo à Ferdinando auxiliares datos ad se traduci postulauit. Verum Franciscus Omedes ad id à Ferdinando missus effecit vt in Galli fide & obsequio perstarent, nulla cura Brandenburgensis, qui eos quasi Cæsaris subditos neque iussis obsequentes neque respondentes ad nomina, maiestatis reos pronunciarat. Enimuero Cæsar rerum in Castella arbitrium arrogabat sibi: irritatis amplius voluntatibus, quod Andream Burgium rursus à Cæsare legatum Hispaniæ aditu prohibuissent. In quo grauissimam contumeliam contineri ille quidem interpretabatur malo vindicandam iniuriam, si vires voluntati pares suppeterent. Rex Lusitanus his contentionibus liber nominis famam per omnes Orientis oras latissime propagari, anniuersariis nauigationibus struere opes, nouis identidem victoriis maris Indici imperium occupare, inuicta virtute ducum pariter & militum, neque minori felicitate. Calecutii & Cambaiæ Reges maxime infensos Lusitanorum conatibus, eoque Cocini aliosque minutos Reges vexatos bello, quasi Lusitanos portubus exciperent, commercioque subleuarent victos sæpe acie multisque illatis cladibus castigarunt, quasi frænis asperioribus domita contumacia, pauci innumeros, indigenas aduenæ ex vltimis orbis partibus.

Ferdinandus in Bæticam abiit. CAP. XIII.

BAEtici proceres ægre tulerant nullam eorum rationem à Ferdinando Rege fuisse habitam, cum primum rediit in Hispaniam : & qui Castellę procerum voluntates magno redemerat, nihil ipsis, qui neque potentia neque opibus illis concederent, à sene parco esse datum. Inuidia in pręceps dabat alienis semper incrementis anxia : dignitatis tamen species obtendebatur. Cunctos ea molestia premebat. prę cæteris tamē Petrus Fernandus Corduba Prieghi Marchio & Egabri Comes de iniuria expostulare, parati dolorem vindicare, si qua se occasio obtulisset. Accidit vt in rixa populari temere Cordubæ concitata, regii ministri è fontibus vnum in vincla raperent. Ioannis Ariæ Cordubensis Episcopi aulici correptis armis captum per vim eripuere ne in custodiam daretur. Commotus ea temeritate Rex Burgis, vbi erat, misit Fernandum Gometium Ferreram quatuoruirum in curia rerum capitalium, vt quęstione habita noxam eam vindicaret legibus. Inchoata, vt erat mandatum, cognitione Prieghi Marchio monet, ne vlterius progrediatur priusquam abs Rege noua veniant mandata: esse quæ cum illo cōmunicanda videantur, interim tamen vrbe discederet. Non audacia sed temeritas erat, regia auctoritate armato iudici obsistere. leuius crimen grauiore cumulatū. Negat ille facturum quæ Marchio volebat, ac potius illi & fratri verbis Regis mandauit, continuo ex vrbe discessum. Grauis ea contumelia visa est, neq; dissimulanda iniuria. Contracta militari manu, reque cum vrbano senatu communicata, captum iudicem in Montillię arcem suæ ditionis custodiendū misit: ac deinde paulo post libertati reddidit iussum Corduba abstinere, malū indicto pareret minatus. Insolens facinus maiori Regē impleuit ira, tēpore minime idoneo turbari Marchionis importunitate rēp. Eo festinare cōstituit certus vindicare ne prauum exemplum dissimulatione in plures diffunderetur. Mensis Iulii fine Burgis profectus Arcos, vbi Regina erat peruenit. Tunc Ferdinandum Infantem vię comitem esse voluit, specie quidem valetudinis tuendæ, re à matre abstrahere erat destinatum, ægre quamuis ferente filii absentiam. Dies aliquot Vallisoleti consumpti. In eo municipio Ioanni Riberæ limiti Vasconum præfecto mandatum est vt eum suis cohortibus circū Arcos tenderet Reginæ præsidio futurus. Si qua vis existeret Magistri equitum maris Pręfecti, Albanique in eo tractu morantium, opem si opus foret adiungeret. Militari delectu contractas copias se comitari Rex voluit vlcisci iniuriam constituens: qua violata regia auctoritate, nisi esset occursum salutari seueritate periculum erat ne respublica tempore importunissimo turbaretur. Hispali quoq; Enecus Velascus Vrbanus Prætor voce præconis denūciauit, ciues vt sexaginta annis minores, maiores viginti, parati essent Regē prosequi cum armis, aut quē ille iussisset, Marchionis insolentiā vindicatum. Gonsaluus cognita Regis ira, iræque causa de euentu solicitus his omnino verbis ad Marchionem literas dedit. Super errore commisso id possum tantum scribere: fore salutare consilium si continuo ad Regem supplex venias in eius potestate futurus. Quod si feceris, vindictam denuncio sed tolerabilem, si renuis, exitium. Anxius ancipiti periculo Marchio patrui monitis obtemperare tamen decreuit. proceres etiam lenire Regis animum, gnari id exemplū ad omnes pertinere seu seueritatis seu clemētiæ. in vnius causa cunctorū fortunas & dignitatem disceptare. Gonsaluus præ cæteris querebatur acerbiorem, quā par esset, vindictam parari. Pœnitentiæ argumento ad Regem vltro venire, quid amplius sequire vellet? Imprudentis Iuuenis noxam Alfonsi Aquilarii patris meritis donari num æquum videretur, in bello non ita pridē occisi, vt maxime recētes ipsius labores & molestiæ graues de memoria excidissent? Regi certū erat, nullis precib. moueri, gratię inexpugnabilē se pstare. Ita Marchio omni alia spe destitutus Toletū, quo Rex pcesserat, veniens se suaq; eius clementię permittit. Iussus ad vigesimum lapidē à curia abesse arcesque tradere fidei obsequiiq; pignora continuo obtemperauit. Cordubam vbi ventum est, Regem prosequentibus equitibus mille, peditibus triplicato numero, Marchio è vinculis more gentis causam dicere est compulsus. Postulatus lege maiestatis à Fisci procuratore, nullum criminis responsum dedit, precatus tātummodo Regem si nō veniam certe vindictę modum. Maiorum meritis eam gratiam daret, noxamque condonaret, in posterum meliora polliceri. Peracta cognitione nonnulli e Cordubensi nobilitate, quorū maior noxa extiterat, capitis damnati sunt, aliis e plebe laqueus vitæ finis fuit. Alfonsi Carcami & Bernardini Bucanigię in tecta ędesque sęuitum est: quo supplicio perduelles gentis instituto vindicari solent, vt sint reliquis documento, & supplicii magnitudine perterreantur alii. Duorum noxa præcipua, cum quatuoruiro iniectæ sunt manus affuisse, Marchionem familiæ nobilitas tutata est, vltroque ad Regem venisse culpę depreca-

torem, vt leuior vindicta esset & tolerabilior. Exilii tamen indicta pœna ab ea vrbe perpetui, ex vniuersę Bæticæ finibus dum Regi placeret. Pręterea arces omnes demptę sunt, Montilliæ ædes arcis adinstar à fundamentis euersæ. Maius id tamen supplicium quibusdam visum est quam pro delicti modo. Ac Gonsaluus Regis seueritatem sæuitiæ proximam detestabatur: quem neque defunctorum, neque superstitum pręclara facinora flecterent: opes maiorum sanguine fundatas euerti impense dolebat scilicet. Occultis hæc sermonibus & inter fidos agitata ne infensus animus irritaretur amplius. Magister equitum apertius dolere, ac duo in causa accusare potissimum. Contra morem maiorum institutam contra Marchionem cognitionem, nunquam Magnatum seu Dynastarum causam aliis delegari iudicibus consueuisse. Regi soli in eos animaduertendi fuisse facultatem. Eum semper honorem ordinis dignitati habitum. Deinde se auctore Marchionem ad Regem venisse: sic in eius supplicio violatam fidem suam expostulare. Periculum erat ne alienato tanti viri animo, regnique finibus digresso noui aç turbulenti motus existerent, Ferdinandi nondum auctoritate satis firmata, multis in prouincia ex arcano æmulis. Corduba Henricus Toletus & Ferdinandus Tellius Iureconsultus Romam legati sunt verbis Reginæ obsequium Pontifici delatum, quod eatenus officium præstitum non erat temporum multa varietate. Iisdem diebus Bernardinus Caruaialius Cardinalis detracto legati munere, quo in Germania fungebatur Romam euocatus est. Ferdinandi id Regis votis ad amouendam suspicionem eum ad Cęsarem inclinare, datum. Neapoli Hungarię Regina decessit ea inopia vt funeri exequiisq; Prorex de publico pecuniam suppeditaret. Sepulta est in ea vrbe ad Petri Martyris: qua in æde Reginæ etiam matris tumulus extat. Corduba Ferdinandus præcipiti autumno discedens Hispalim iniit insigni ciuium apparatu, pompa, plausuque. Aderant Ferdinandus Infans, & Germana Regina præcipua spectaculi pars. Henricus Assidonius minor ætate à patre relictus in coniugium pacta Maria Gironia in Petri Gironii (puellæ is frater erat Comitis Vreniæ filius maior ardenti iuuenis animo) tutela ex patris testamento acquiescebat. Petrus & suis opibus & sororii viribus concitare in prouincia motus: ipsi quin etiam Prieghi Marchioni opem ferre tentauit. Feruor ætatis agebat in præceps. Assidonius neque iuuare eos conatus, neq; repugnare alieno imperio obnoxius propter ætatem & imbecillitatem sensus. Regi destinatum erat, conatus coercere, Assidonii arces in potestatem redigere. Eius iram, quo tempore Bæticam petens Vallisoleti substitit, Vrenię Comes veritus filium in potestate futurum recepit, arcesq; adeo traditurum Regi. Magister item equitum pro Assidonio sororis filio se vadem obtulit officio non defuturum. Promissis non responderunt facta. Rege Hispalim appulso tum Petrus tum Assidonius restitere Assidoniæ: neque Regem, vti par erat, salutatum accessere: ne euocati quidem nisi necessario cunctanterque. Hispalim tandem vbi venere, Petrum Gironium ea tutela moueri, atque Hispali & Assidoniæ finibus discedere iussum est. Contumaciæ merces exilium. Assidonio quoque mandatum arces, vti ante conuenerat, traderet. Graue mandatum est iussum: neque morem gerendum. Nocte quadam in Lusitaniam vterque discessere regia seueritate commoti: at præcipue suscepta suspicione Assidonio nouam sponsam destinari, priori pacto rescisso, filiam Cæsaraugustani Pręsulis, atque ex eo Regis neptim: mutatis equis festinantes retinere non licuit: quod erat vindictæ proximum, Pręfectis, vti arces dederent iussum est, malum nisi obtemperarent passuros. Nieblæ & Trigueri Pręfecti parere recusarunt. Mercado quin etiam quatuoruiro rerũ capitalium ad id misso, ac de deditione appellanti Nieblæ incolæ portas clausere. Graue facinus missę abs Rege copiæ breui vindicarunt oppido per vim capto direptoque. Crudele exemplum, paucorum culpam etiam innoxios luere: sed quo commoti cæteri mox imperata fecerunt. Hispalensi Præsuli aliis viris primariis quasi sequestris arces sunt traditę: ac regio consilio in Petrum Gironium cognitio permissa. Offensis noua seueritate proceribus Magister equitum litteras expostulationum plenas ad Regem dedit, qua in cęteris libertate fiduciaq;. Regi tamen deliberatũ erat procerũ contumaciam frænare fastumque contundere. Id dũ assequeretur quid homines loquerentur, pensi non habere. Toletanus qui Tordesillę substiterat, regios conatus consilio & opera iuuare, malis medendi prouinciamque pacandi eam tutissimam esse viam, ac vestigio sæpe calcandam omnibus sermonibus dictitans.

De Afri-

De Africa rebus. CAPVT XIIII.

DVm Bæticæ fluctus in malaciam componuntur autumnus abiit. Belli Africani cura sollicitabat: Lusitanisq; auxilia sunt missa in ea prouincia periculo proximis. Ferdinandus Rex quasi ex altissima specula in omnes partes despicere non cessabat, vniuersam Christianam rempublicam animo & prouidentia complexus. Ea tempestate spes atque opes cunctorum in eo sitæ erant. Phutense regnum cognitum est in partes diductum tumultuari, à Rege Mauro duobus eius fratribus diffidentibus. Opportunam ex eo occasionē oblatam rei Christianæ noua expeditione in Africa promouēdæ, Mauros impugnandi. Valida classis in Malacæ portu instructa. prædatoriæ Velesii Gomeræ biremes nostris nimiū assuetæ littoribus Granatensem oram nudatam præsidio nautico late deprędatæ sunt. Accurrit Petrus Nauarrus, cui expeditionis Africanę summa permissa erat. Aliquot biremibus captis nostris spoliis graues, cæteras est insecutus ad insulam Velesio obiectam commune piratarum perfugium. Arci eius insulæ, cui Penonio est nomē, impositi præsidio ducenti milites, visis nostrorum triremib. suspicati vrbem Velesiū petere, relicta arce in continentem traiecere ciuibus præsidio futuri. Arripuit occasionē Petrus Nauarrus arceq; continuo capta, quoniam portui imminet & exaduersum vrbis sita est excussæ inde tormētis pilæ nihil ciuibus tutum reliquere, prorsus vt in subterraneis specubus conditi salutem tutari necesse haberent. Capta est arx ad decimum kal. Augusti. Cōmoda imprimis ea possessio visa est de Africa cogitantibus, munitæ operibus militare pręsidium decernitur. Lusitanis ad oram Oceani maris cum Mauris bellum erat. Proferendi fines opportuna videbatur occasio oblata. Zeianus, Phutensis Regis patruelis, si se duce confiderent, Azamorem nobilem eo tractu vrbem venturam in potestatem pollicebatur. Maurica fides plerisq; suspecta erat: sæpe antea pacta conuenta ludibrio fuisse. Rex tamen Emanuel Mauri verbis confisus parata classe quadringentos equites pedites supra duo millia mittere in eam rem constituit ductore Ioanne Menesio magno rei militaris aduersus Mauros vsu, magna peritia viro. Olisipone ad septimum kal. Augusti profecti, idoneisq; tempestatibus ad littus Africæ prouecti opinione se falsos inuenerunt Maurica fraude delusos. Ciues enim, qui magno numero erant, vrbem eximie tutati sunt. Zeianus tamen impostor eo terrore à ciuibus quas voluit conditiones expressit, sicque Lusitanis desertis, quod fuerat initio propositum, ad hostes transiit. Irrito Lusitani conatu metuque maioris mali naues repetiere. Sæuiebat ventis mare: cæca & humilia vada prope vsu tantum indigenis nota, minori præterea ęstu, quod luna senesceret. Sic naues aliquot in iis vadis hæsere vnaque triremis. Reliqua classis quia cursum tenere non potuit, ad fretum Gaditanum deflexit. Necessitate factum vertit in bonum. Phutensis enim Rex Lusitanorum audacia irritatus, an nominis famam extendendi cupidus contractis numerosis copiis equitum peditumque Arcillam circumsedit ad quartum decimum kal. Nouembris die Iouis vrbis pręsidio præfectus Vascus Coutignus Borbæ Comes primo die hostium impetum magna virtute sustinuit. Verum die proximo muri parte strata ruinis adituq; patefacto Mauri in vrbē vi irrupere. Pugnatum est in plateis acriter multis cadentibus, Comes brachio sagitta icto in arcem se suosque, quos potuit in ea trepidatione, recepit, haud satis munitam instructamque commeatu, bellicoq; instrumento vt in nullo tali metu. Impugnata arx tormentis bellicis cuniculisq; vndiq; sub terra excauatis. Quanto in periculo obsessi versarētur, Tingi vbi Ioannes Menesius agebat, & Hispali, quo Ferdinandus venerat, breui nunciatum est. Menesius classe ad ea loca delatus instituto biduū cum hostib. certamine, pulsisque arcis propugnaculo, quod ceperant, obsessos supremo exitii periculo eripuit commeatu & milite in arcem illato. Petrus quoq; Nauarrus Heraclea, vbi cum sua classe erat, iussus à Rege est eodē festinare. Præcessit Ramirus Gusmanius Cęsariani Prætor naui trecentos pedites, aliquotq; vrbanos equites auxilio secum ferens. Cum spe defensionis obsessis animus etiam accessit. Menesio & Ramiro in arcem ingressis non tueri mœnia, sed eruptione facta cominus cum hoste pugnari ausi procul Mauros à fossa remouerunt. Aduentus Petri Nauarri eo delati tertio kal. Nouemb. fluctuantes inter spem & metū Lusitanorum animos porro confirmauit certa victoriæ spe. Continua enim globorum procella classis displosis tormentis quassatos afflictosq; ex aperto latere Mauros deserere castra coegit: ipsumq; Phutensem Regem incensa vrbe Alcasarquiuirum cum copiis redire. Clara in præsenti victoria, in posterum vsui fuit territa eo exemplo Maurica gente, ne eodē impetu alias Lusitanorum eo tractu arces inuaderent, quasi ex vicina Hispania ad vim arcendam auxiliis paratis. Eduardi Menesii pro patre Ioanne Menesio Tarocæ Comite, Tingi Præ-

fecti,& Roderici Sosę Alcasarum obtinentis animi sunt à metu confirmati,quem si Arcilla esset amissa ingentem conceperant diu & ipsos sustentare non posse. Misere duces in Lusitaniam & Castellam litteras de victoria laureatas læti successu. Emanuel Rex cognita victoria tum Petrum Nauarrum & Cæsariani Prætorem amplissimis verbis laudatos,sex cuique aureorum millibus muneratus est: quod illi munus accipere recusarunt contenti pręclarique operis conscientia & de regis sui munificentia maiora præmia sperantes; tum Regi Catholico ita gratias opportuni auxilii egit, vt non obscure se læsum significaret Penonio arce à Nauarro occupata,quippe regni Phutēsis parte,quod illi impugnandum iure finium erat per conditiones antea attributum. Excusauit Ferdinandus Velesium cum contributis arcibus sui iuris esse, neq; Phutensi Regi obnoxiam sed Regi proprio seruire. Vt res tunc erant oneri potius Lusitanis quam lucro, magna necessario impensa eam arcem retinendam fore, ne Granatensi littori ex ea profectò piratæ imminerent. Et alioqui si ad Phutense regnum pertinere esset exploratum,libenter ea possessione cessurum cum primum ea ipse parte Africæ bellum inferre fixum haberet. Interim alieno sumptu quid vexaretur? In Aragonia Lerini Comes mense Nouembri Arandæ oppido annis quidē grauis,maiori tamen animi ægritudine cōsumptus, propter exiguam opem à Rege leuiro rebus allatam decessit, filius Ludouicus Beamontius prioris aduersus Vasconum Regem simultatis non minus quam fortunarum iurium & actionum defuncti hęres.

Fœdus Cameraci ictum. Cap. XV.

IN maxima hyemis sæuitia, qualem non viderant Ferdinandus Rex Hispali relicta in Castellam redire necesse habuit. Festinationis gemina causa extitit. Petrus Gueuara Dieghi frater ex Germania indissimulato habitu vesteque plebeia per fines Cantabriæ in Hispaniam ingressus, atque ad Pancoruum captus fuerat. De eo Septimancis, quo deductus est,quæstione tormentis habita cognitum, multa proceres arcano cū Cæsare consilia agitare reip. exitialia. In eo numero atq; indicio principes erant Magnus Gonsaluus, Anagari Dux, Vrenię Comes. Quia probabilia,vera dixisse index creditus est. Sæpe etiam falsum quæstione expressum veri vicem obtinuit. Deinde Infantatus Dux cum aliis proceribus conspirare nunciabatur aduersus Ferdinandum Regem: quodq; vehementius vrebat Hispani Cardinali conscio atq; participe,ita tamen vt neq; flammam inuidiæ accenderet, neq; pro auctoritate penitus restingueret. Grauis plerisq; seueritas Ferdinandi erat,suum quisq; dolorem quasi ignem reip. ruina lenire non dubitabat. Suspecta imprimis Gonsalui & Magistri equitum familiaritas erat,atq; rebus omnibus animorum coniunctio. Offensus vtriusq; animus ingentesq; spiritus timebantur, oblatam doloris vindicandi occasionem non prætermissuros. Infantatus Duce placando sanandoq; Tendillię Comitis prudentia multum iuuit,pro ea propinquitate monentis eū monentis necessarios lubricæ viæ ne insisterent. væcordiā multis exitialē paucis commodo fuisse.si quid offenderet in rep. meliora in voto haberent, qualiacunq; tolerarent. Reliquos Rex ingenii dexteritate qua metu, qua blandimentis & beneficiis sedauit. Ac nominatim cum primum per Vectones Salmanticam appulsus est Villenium sibi deuinxit pro Villena & Almansa, quæ ille expetebat,oppida,annuo vectigali designato,quantum ex iis oppidis percipere esset solitus additis insuper, quo gratius esset donum,in Granatensi regno oppidis Toloxio & Monda. Honesta æquaq; compēsatio ipsi etiam Villenio visa est. Cæsari propositum erat cum Gallo Rege pacisci: æquum se omnib. controuersiis præbere si Ferdinandi amicitia renunciata, acceptas potius ab illo iniurias ferro & alienis viribus vindicaret,dolores vlcisceretur tum veteres multos,tum recētes Andrea Burgio legato suo finibus prohibito & capto Petro Gueuara internuncio,digna videlicet supplicio contumelia. Vti in colloquium de pace veniretur cōstitutum erat. Margarita Princeps pro patre vicaria, Rhotomagensis Cardinalis Pontificis & Galli Regis nomine de conditionibus disceptarent Cameraci vrbe ad confines Gallicæ & Belgicę ditionis primaria. Accessit vltro an inuitatus Iacobus Albion pro Ferdinando Rege in Gallia orator, Gallum inter & Cæsarem fœdere facto Ferdinandū excludere destinarāt. Summa tamen Pontificis cōtentione commutata repente voluntate, vt tres Principes inter se & cum Pontifice,de quo sæpe actum erat, armorum societatem constituerent,impetratum aduersus Venetos iniustos multarum vrbiū possessores: quas superiore tempore aliā alia de causa veris dominis detraxerant, Pontificū quoq; violata maiestate diuinę proxima. Initi ›› fęderis hę leges fuerunt. Sociis bellum cū Venetis esto donec singuli ereptas sibi vrbes ›› & oppida recipiant. Qui prior sua obtinuerit, alios nihilominus socios iuuato, dum & ipsi

ipsi suæ sint partis & voti compotes facti: Cęsar & Gallus per se ipsos bellũ administrãto: neq; id munus ducibus deleganto. Bello inchoando Aprilis kalendæ designatę sunt proximi anni. Quo tempore Cæsar pollicitus est Gallo Mediolanensia iura nouo diplomate confirmaturum, numeranti modo in præsenti centum aureorum millia in posterum fide data opem ferendi, dum Cęsar sui iuris vrbes Venetis auferret, neq; propterea ipse cogeretur Gallum iuuare in pari conatu detrahendi Venetis, quæcunq; ad Mediolanensem principatum spectarent. Controuersiæ inter Cæsarem & Regem Catholicũ ne fædus disturbarent, cautum vt continuo consensu iudices designarentur qui ex æquo & bono eam litem dirimerent, cum primum bello Veneto finis esset. Additum pręterea vt Allobrogum Ducem ad commune fædus inuitarent Cypri insulæ, quam Veneti occuparant iniecta spe. Item Ferrariensem Ducem & Mantuanũ erepta quoque ipsis oppida si communibus armis extorquere vellent. Rapitur in pręceps animus cupiditate inflammatus, neq; in mediocritate consistit. Gallus & Ferdinandus quorum arbitrio Florentini & Pisani suas controuersias permiserant pręstudio promouendi pactum bellum Pisanos Florentinis hostibus tradiderunt sententia pronunciata, nulla famę memoria. Sed honesta facto species prætenta est: Italiæ pacem aliter constare non posse, cuius prima cura erat scilicet noua bella & internecina meditantibus. Suspicio fuit Florentinorum viribus vti voluisse aduersus Venetos: ac centum aureorum millibus, quæ Florentini si secundum ipsos causa data esset, polliciti erant Pisanorum libertatem, qui se eorum fidei permiserant, turpi mercatu vendidisse; magno tantorum Principum dedecore infamiaq;, maiori Ferdinandi, cuius clientelę & patrocinio se suaq; Pisani permiserant. Verum quid attinet horum Principum peccata accusare? familiare est cunctis præstudio habendi plura, nihil præterea curare. Aut quis oblata imperii amplificandi occasione leges honestatis & pudoris respiciat? tetra libido dominandi cæteris affectibus maior. Cameracense fædus ad quartũ Idus Decembris sancitũ est. Margarita Princeps pace facta in Heduos discessit oppida quædam à Gallo acceptura, quæ ex pacto fædere erat Belgarũ imperio redditurus. Hoc ipso mense Robertus Salerni Princeps extinctus Neapoli est, Ferdinando filio in tenera ætate relicto hærede non magis principatus, quam perpetui atque exitialis in Aragonios odii: quod consequentibus annis tandem malo fuit. Pueri mater Alfonsi Ducis Villęformosę soror Marina Aragonia nupsit paulo post Plombini regulo ex Regis patrui voluntate. principio is anni proximi Vallisoleti corã Pontificis Nuncio Cęsaris & Galli Regis legatis initi fæderis conditiones iureiurando sanxit.

Classis a Sulthano in Indiam missa contra Lusitanos. CAP. XVI.

ARdebat magnus AEgypti Sulthanus Campson nomine, incredibili cupiditate exturbandi Lusitanos ex vniuersis Indiæ oris. Multa vt in eum conatum ingrederetur barbarum incitabant. Ac præsertim Calecutii & Cambaiæ Reges in eam rem opem omnem & vires polliciti. Accessere in partes Veneti, vti superius indicatum est. Merces Indicas & aromata post Lusitanorum in eas oras aduentum auersas in occasum, quę antea Alexandriam deuehi solitæ erant magno regiorum vectigalium incremento totius prouinciæ & vicinarum gentium fructu, dolebat scilicet impense Sulthanus, dolebant Veneti, propinqui longinquique. Quid faceret? quam rationem incommodo medendi instituerent? Bellum inferret? At multa ab eo conatu retardabant. Incerti bellorum exitus, classis ędificandę difficultas nulla in AEgypto cædua materia, pecuniæ in stipendium sublata ab hoste facultas. Tentare Pontificem visum est, si minis propositis excindendæ in suo imperio Christianę gentis à stirpe Lusitani desisterent. Ita Maurus Franciscanis Hierosolymę pręfectus in Italiam atque Hispaniam legatus in eam rem fuit, vti superius commemorauimus. Parum spei retulit facturos Hispanos quę cuperet. Vim adhibere & metum placuit. Materia aliunde aduecta & ad Cairũ elaborata ac tandem Sueciũ Rubri maris emporium, quę ciuitas heroum fuit tridui itinere camelis deuecta constructa classis triremium sex onerariarum quinq;. Octingenti Mameluci in eam classem impositi (sic milites vocant Christianis parentib. natos eius imperii robur apprime bellaces.) Vniuersæ administrationi Mirocemus pręficitur natione quidem Persa, cæterum rei militaris & nauticæ peritus in paucis. Suscepta is maritimæ expeditionis cura quamprimum è portu soluit, atq; Rubri sinus fauces egressus præter littus Arabicũ superato sinu Persico Dium appulit Cambaię insulam & vrbem nobilem fama & commercio eo confluentium mercatorum. Franciscus Almeida Prætor eius molitionis ignarus Laurentium filium cũ octo nauibus miserat ad tuendũ Indici maris imperiũ, simul vt nauibus, quæ onustę mercibus

Cocino in Lusitaniam ibant, præsidio esset, ne qua vis extaret. In eo itinere multis Maurorum nauib. in variis portubus incensis, ad Ciaulum in ancoris stabat expositis in terram copiis periculi securus. Eo loco de aduentu AEgyptiacæ classis est cognitū, seq; Melichiacium pro Cambaiæ Rege Dio Præfectum cum triginta quatuor prædatoriis biremibus Persæ adiunxisse. Priusquam moliri ancoras posset, aut se ad pugnam comparare, hostium legentes littora quinque tantum naues conspexere. Parum eo spectaculo Lusitani commoueri, quippe ex numero suspicati Alfonsum Alburquerquium, quem venturum propediem expectabant, iis nauibus vehi. Dum suspensis animis hęrent, percussa paulo acriore vento vela naues hostiles in portū intulere. Tunc Lusitani sua se opinione deceptos dolere: improuiso metu cōsternati, arma tamē expedire. Atq; eo die eminus tantum pugnatum est tormentis igneis vtrinq; displosis maiori fragore quam dāno. Die proximo Laurentius suorum virtute confisus si cominus ventum esset ad manus impetu facto, in Mirocemi prætoriam transilire tentauit. Frustra is conatus fuit. inicere harpagones ferreos in hostilem nauem non potuit, grauior nauis sua ne in vadis hęreret veritus, maris pręsertim æstu remittente aquisq; in suum recurrentibus fretum reciproca vicissitudine. Sagittis quoq; & globis ex hostili naui nempe altiori afflicti pleriq; è militū & nautarum numero: ipse gemina sagitta ictus est grauiter. Accepti incōmodi leuamen aliquod extitit quod Pelagius Sosa & Dieghus Peresius cum sua quisq; triremi inuecti in singulas naues hostium, vtramq; ceperunt. Is finis eo die pugnæ fuit haud satis cōmodæ. Die tertio Melichiacius qui in subsidiis manserat retro, cum suis biremib. in portum inuehitur. Eius aduentu desperata Lusitani victoria nouoq; metu proposito in altum cedere, suosq; certo periculo eripere tentant. Ergo de media nocte sublatis velis e portu egredi contendunt. Non latuit ea res hostes quippe propinquos neque desides: ac miseros plerumq; cuncta pſidia destituunt, cadunt præpostere q̄ prudenter erant cogitata. Cedentes vrgent barbari, atq; impetu in prætoriā facto q̄ postrema ibat, vnam multæ circumstantes premunt. Crebris tormētorum ictibus verberatis lateribus, laxataq; asserum cōpage vndā accipit: nouoq; aquæ pondere grauata hæret in vadis. Triremes opem ferre conantes recedens magno impetu ęstus impedit. id quoq; incommode accidit. Destitutam tamen hærentemq; nauim accedere prope hostes non audent. Tormentis eminus verberant, resistunt acriter Lusitani, vt tempus dabat quamuis exitio proximi virtutis memores. Acuit desperatio animos, certum in periculo præsidium, sæpe ex metu fiducia orta. Laurentio fæmur graui vulnere ictum est, globus alter paulo post in pectus impactum misere discerptum perimit. Cadente duce nauis tandē capta est: è centum epibatis, octoginta nihilominus cæsis, viginti tantum in hostium potestatem venere plerique vulneribus fœdi. Prætoria missa naues aliæ in altum prouectæ se in Cananoris portum intulere: inde Cocinum misere, qui Francisco Almeidæ tristem nuncium afferret, cæsum filium, prætoriam captam reliquas naues vix fuga seruatas, hostili classe Indicum mare constratum. Ille quamq̄ acri doloris sensu perstrictus lugeri filium vetuit. Eo virtutis extremo documento edito, vt parato ad euadendum lembo, sociis fugam suadentibus, vitā sanguinemq; profundere maluerit, q̄ suos in periculo deserere, laudib. potius celebrandū dictitans. Mortem omnibus à natura propositam laude vituperationeq; distingui. Si cunctis par exitus manet, nobilioris animi esse merito perire. Pugnatū est fine anni. Prætor Cananorem abiit in vindictam toto pectore intētus classisq; apparatū. Accessit paulo post Alfonsus Alburquerquius. Is suo aduentu ex regiis litteris cōtinuo tradi sibi prouinciā volebat. Excusauit Almeida, sustentandum tantisper dictitans dum Sulthani classem e mari Indico ipse depelleret. Priusquam noui Prætoris auctoritas coalesceret, multaq; nollent, fortassis ventura. Hęc palam: ex arcano autem Alburquerquii ingenium timebatur impotens ac temerarium, vti fama vulgabat. Ventum ad iurgia & rixæ initiū. Almeida in suscepto consilio perstans captum Alburquerquium Cocinum amouet. Mox instructa classe in mare egressus in Onoris portu aliquot Calecutii Regis naues nactus incendit. Inde in Dabulis portum prouectus, multis in eo nauib. ignes iniecit, eamq; vrbem captam diripuit. Discessum ex eo portu Nonis Ianuarii salutis anno millesi. quingen-
1509. tesi. nono. Dium versus directis proris vbi aduersaria classis stabat in ancoris. Mirocemus cognito nostrorum consilio in mare est egressus pugnandi voluntate. Substitit tamen in vadis, quoniam planiores carinæ erant, vrbe à tergo tormentis in pugna iuuatura, si nostræ naues propius accederent. Aduersaria classis tres magnas onerarias numerabat, tres rostratas maiores, sex triremes, & quatuor alias Cambaię naues, præter Melichiacii biremes. Almeida decē & nouē naues qua triremes qua alias ducebat: in iis Lusitanos mille trecentos, socios Malabares quadringentos incredibili omnes ardore pugnandi ad non

dubium

dubium victoriæ omen si ad manus ventum esset. Accessere classes ad tormenti ictum, sed repente cadente vento & noctis tenebris impediti à pugna destiterunt. Die proximo repetitum certamen. Præcedebat Nunnius Vascus Pereira in prętoriam Miroceni facturus impetum, à tergo aliis nauibus competenti ordine instructis. Almeida in subsidiis restitit ad omnem occasionem intentus iuuandi suos si qua parte laborarent. Magno animo pari vtrinq; clamore in pugnam inuaditur. Diu acriter dimicatur. primum tormētis dein gladiis & contis res geritur. Anceps victoria primum, deinde à Lusitanis stetit. Ex hostibus quatuor millia cecidere. in eo numero ex octingentis Mamelucis vix duo & viginti euaserunt. tanta pugnandi rabies fuit decoris studiū. Tres onerariæ submersæ sunt, præter biremium lemborumq; magnum numerum. Duę rostratæ, totidē triremes, quatuor onerariæ captę in potestatem venerunt. Duces Mirocemum & Melichiacium fuga seruauit proximo perfugio. Miraculo fuit è Lusitanis duo tantum & triginta cecidisse; vulnerati maiori numero circiter trecenti, nulla desiderata nauis. Insignis victoria par omnibus, quæ in India sunt partæ nobilitate fructuq;. Peracta pugna triumphi persimili specie Prętor Cocinum cum classe rediit. In ea vrbe ne controuersię inter Almeidam & Alburquerquium in aperta odia prorumperent, & pars gentis cum parte confligeret in ambos diductę studiis, peropportunus Ferdinandi Coutigni aduentus effecit. Is enim è Lusitania hoc anno missus cum mandatis Almeidam ex India dimittendi in eius locum Alburquerquio substituto, vti erat ante decretum, id tempestiue executus importunos Indicos motus pacauit, vnde maiora timebantur mala. Ferdinandus Rex Salmantica Vallisoletum inde Arcos discessit: vbi Regina filia substiterat hospitio minime cōmodo: atq; ita vt superiori mense Decembri prę frigore in morbum inciderit, aduersus salutaria monētes obstinato prorsus animo. Solus pater (tantū reuerentia valuit à teneris suscepta) vt locum vestemq; mutaret, blandis verbis obtinuit. Mense eam Februario Tordesillam deducit: & cum ea viri corpus ex eius oppidi templo detractum: quod annis cōsequentibus Caroli Augusti filii iussu Granatam delatum tumulo stabili conquieuit. Regina ad vitæ exitum in eo municipio restitit, nunquam ne ex interuallo quidem remittente valetudine, ne voluntate quidem capessendi legibus quamuis debitum à cunctisq; vltro delatum gentis imperium.

Angli Regis obitus. CAPVT XVII.

SIc Ioannę Reginę res erant, cum mortuis verius quàm viuentibus & spirantibus numerandæ: Si cultum respiceres seruæ quam Reginæ propior videri potuit, si victus rationem miserabilis, aulicorum exiguus numerus, procul omnis lętitia. Duarum eius sororum dispar sors. Lusitaniæ Regina bonis omnibus, quę prima ad felicitatem vulgus putat; opibus, delitiis, honestisq; solatiis affluebat. Ad hæc numerosa prole felix, hoc ipso anno filiū Eboræ peperit cui Alfonso nomen fuit, purpurę honos, vita breuis in flore ætatis extincto. Vualiæ Princeps Catharina in Anglia morabatur neq; cælebs prorsus neq; cōiux soceri asperitatem & rebus omnibus duritiem ęquo animo dissimulans, per eum modum satagentis extorquere sibi & filiæ coniugia magnopere ab ipso expetita cum Ioanna Regina & Carolo eius filio. Ratio præpostera & Regibus prorsus indigna: quod accōmodatis officiis & blandimētis deberet, velle malo & inconditis actionibus obtinere. Deuorauit illa omnes eas molestias magno & excelso animo: vt quę patientiæ sibi legem indixerat, & facie & morbus atq; animi magnitudine, præ cæteris sororibus matris expressam imaginem repręsentaret. Ne ea incōmoda diuturna tūc essent, eius Regis breui subsecuta mors effecit sabbatho extincti ad vndecimum kal. Maii. Eius obitu non multo post pactum iam coniugium cum Vualiæ Principe, qui regno à morte patris suscepto Henricus Octauus fuit tandem coaluit haud felix faustumq; sed multis potius miseriis obnoxiū. Atq; illi quidē secūdo in Anglia nubere non placebat, quasi tacita diuinatione imminentes ex eo calamitates præsagiret animus. Sic ad patrē scripsit. Orare obtēstariq; ne eo paciscendo coniugio priuatam ipsius commoditatem votaq; respiceret: sed quod e re sua modo futurum iudicaret. Et erat Regi patri commodum imprimis eum Principem noua affinitate iunctum tenere propter florentes Angliæ opes viresque Principis indolem, si ex facie considerares, non incommodam. Nequaquam tamen ad spem euentus respondit; ac contra breui ea lętitia luxuriauit. Henrico etiam promptum non erat eo loco vxorem alibi inuenire, pręter restitutionem dotis necessario futuram eo dirempto coniugio. AEtate inter ipsos discrepabant, sponsa aliquot annis maiori, magna sæpe beneuolentiæ inter coniuges labe, frequenter quāuis contēpta ratio pſertim inter Principes. Hērici corp⁹ & facies eximia elegātia fuit, incōditi mores accedentib. annis in

Venerem vita ſoluta. Enimuero ingenio indulgere quam imperare maluit, ſeq; frangere, plurium Principũ exemplo, vſque dum ab eccleſiæ imperio & placitis propterea deſciuerit, patefacto in ea prouincia hæreſibus peſtilentibus aditu, quibus miſere hodieq; conflictatur. Ita homo amentiſſimus conſiliis omnibus præceps & deuius ſuperſtite dum Catharina coniuge, ſpecie quaſi fratri maiori antea coniunctæ Pontifex ſibi nubendi veniam dare non potuiſſet, ea dimiſſa, ex qua tamen Mariam filiam ſuſceperat poſt patris & fratris fata Angliæ deinde Reginam, duxit palam Annam Bolenam, quam lege de adulteriis conuictam ſecuri ſubiecit Iſabellæ matrem quo hæc ſcribimus tempore Anglica ſceptra obtinentis. Anna occiſa Ioannam Semeram ſibi iunxit toro, quæ ex partu breui periit. proli tamen incolumi poſt patrem proxime Angliæ Regi Eduardo ſexto nomen fuit. Sic in regiã quartis nuptiis vacuam acceſſit Anna Ducis Cleuenſis ſoror. Hanc dimittere conſtituens quam ob offenſam incertum, ſed volens abdicare, vt factum honeſtatis ſpecie velaret, legem promiſcue tulit diuinæ aduerſam de ſoluendis coniugiis. Quinta Henrici vxor Anna Hauarda fuit & ipſa de adulterio conuicta, eoque ſupplicio ſubiecta, & quoniam delibato antea virginitatis flore ad Regis torum acceſſerat. Poſtremo Catharinã Parram viduam duxit. Hoc coniugium vt ſtabile eſſet nulla ex eo proles, mors Regis breui conſecuta præſtitit: quæ prauos conatus, impotentis libidinis licentiam rumpens, gaudium voluere & peſtiferum perpetua ignominia & infamia mutauit. Luxuria peſtis blanda quantas ſtrages facis? Verum ad priora redeamus. Catharinæ ob coniugium ſuſceptam lætitiam Ferdinandus Rex Valliſoleti celebrauit Ioannis Baptiſtæ feſto die, quo in Anglia confectum eſt. Militare ludicrum inſtitutum ex Maurorum imitatione. Qua alterius agminis pars primum procurrit in aduerſarios, miſſiſque arundinibus iaculorum imagine, retro conuerſis equis cedunt prementibus aduerſariis, quos excipit pars altera agminis quaſi in ſubſidiis relicta; hanc ex aduerſa parte alii ludo continuato. Sic equites inuicem inſequentes refugientesque nunc premunt aduerſos, nunc terga dant. Ludum per ſe gratum vt celebrius videretur, Rex effecit ea quamuis ætate in aciem progreſſus dux alterius agminis cultu ſplendenti & vario, vt alii omnes qui interfuerunt certamini. Maioris præterea lætitiæ argumento, vt Carolus nepos Angli ſorori iungeretur conceſſit, mandauitque Guterrio ſuo in Anglia legato vt puellæ dextram quaſi futuræ dominæ oſculo peteret. Quod Hiſpanorum more honori & obſequio ducitur. Eo in municipio ineunte menſe Maio ex Germana Regina filius eſt Ferdinando natus, cui Ioanni nomen fuit, magna parentũ lætitia & vniuerſæ Aragoniæ gentis, ſi vita longior contigiſſet. Verum intra paucas ab ortu horas expirauit. Corpus ad D. Pauli in eo oppido compoſitum, deinde Populeti ſepulchrum ſtabile habuit monaſterio Regum Aragoniæ tumulis deſtinato. Belli aduerſus Venetos comparandi prima cura erat. Arma neceſſario ſumi Rex videri volebat. Vrbes Apuliæ maritimas olim à Ferdinãdo iuniore Neapolitano Rege Venetis oppigneratas extorquere deſtinabat iniuſtis poſſeſſorib. bifariam. Quando neq; tunc pignoris legibus ſtetiſſent, & deinde pecunia oblata de redditione appellati ſurdas aures p̄berent, ac vero cõtumeliæ inſtar ducerent id poſtulatũ. Deinde maiorẽ pecuniæ Hiſpanicæ ſummam inſumptã, ſiue cum bello aduerſus Turcas captam Cephaloniam de manu Venetis victor Gonſaluus tradidit, ſiue cum per Hiſpaniæ fines Rex ipſe Galliæ bellum intulit eorum ſuaſu fideque annua quinquaginta millia numeraturos in bellicos ſumptus. Quos nunquam ſoluiſſe accuſabat, quamuis de facta promiſſione & ſolutione ſæpe appellati fuerant.

Cardinalis Hiſpaniæ in Africam tranſmittit.

CAPVT XVIII.

INterea vniuerſa Caſtella belli Africani ardebat apparatu. Milites, arma cõmeatus, naues conquiri magna diligentia concurſationeque. Incitator præcipuus Hiſpaniæ Cardinalis maiori quam pro ortus conditione, neq; fortunis minori animo. Et intereſt parum qualis ſit quisque parente modo ingenuus. Is ad promouendam expeditionem, non pecuniam modo large ſuppeditauit, ſed ducem bello ſe præbuit, tantus ardor erat Chriſti hoſtes extirpandi. Bellici commeatus Malacam collati. Militares copiæ Carthaginem octingenti grauis armaturæ equites regni cuſtodiæ deſtinati, alii prætereа pedites equiteſque, pars voluntarii alii ære conducti. Omnino in eo exercitu quatuordecim millia homines numerabantur militaribus omnes armis inſtructi, plerique Neapolitanis bellis magnam virtutis opinionem nacti vincere aſſueti. Curam rei tormentariæ tenebat Dieghus Vera; negocio maritimo Hieronymus Vianellus

nellus deſtinatur dux, ſumma expeditionis Petro Nauarro permiſſa. Menſe ſuperiori Carthaginis in portum claſſis vniuerſa conuenerat triremium decem, maiorum præterea minorumque nauigiorum ad octoginta. Priusquã ancoras molirentur ſoluerentq; militum ſeditio exarſit ſtipendia expoſcentium. Nauarrus inconditis moribus vir fraudibus & rapinis aſſuetus, ingenio militari magis quam commodo cuncta miſcere. Vicit tamen prudẽtia & patientia Cardinalis, ne præclaros conatus importuna diſcordia turbaret. Nauarrum male habebat motis quos ipſe deſignarat, quoſdam centuriones è familia Cardinalis fuiſſe ſubſtitutos, locaq; virtuti debita inertes aulicos gratia occupare. Annitentibus viris primariis diſſidio pacato Nauarrus nouo iureiurando in Cardinalis verba eſt adactus facturũ quæcunq; imperaſſet. Compoſitis controuerſiis ad ſeptimum decimum kal. Iunii die Mercurii è portu Carthaginenſi vela fecerunt bona ſpe pleni lætiq;. Die proximo, qui aſcendenti in cœlum Chriſto ſacer erat, ſecundo à puppi flatus claſſem in Maſalquiuiri portum intulere. Eo loco cognitum eſt aduerſus Oranum eam expeditionem ſuſcipi. Vrbs ea Tremeſenio regno contributa ciuium ſex millia ea tempeſtate numerabat. ad mare ſitam validi omni ex parte muri additis ex interuallo propugnaculis cingebant. ædificia partim planiciem occupant, partim in collis latus aſſurgunt. Plateæ & vici enormes nulla diſtinctione ſed paſſim erectę domus, neque dimenſis ad lineam directis & latis viarum ſpatiis, vt ſolet gens Maurica ædificandi minime curioſa, neque dedita elegantiis. Tremeſenio diſſita eſt centum & quadraginta millium ſpatio Carthagini Hiſpanicæ exaduerſum obiecta. Nobile quondam in iis oris emporium frequentia mercatorum Genuenſium & Catalaunorum eo propter commoditatem portus confluentium celebre imprimis & frequens : tantis ex eo copiis vt prędatorias biremes magno numero lembosque alerent ordinariis ſtipendiis magno incõmodo Bęticę littorum, quibus importuni imminebant grauesq;. Noctu noſtri in portum inuecti, luce proxima copias in terrã expoſuere. In eo acieq; inſtruenda multę horę abierunt. In quatuor quadrata agmina gens vniuerſa eſt tributa, in ſingulis bis mille & quingenti pedites conſtituti, vtraque latera equites muniebant. Cardinalis in templo arcis interea caſtiſſimis precibus dederat operam. prius tamen quam inſtructæ acies in Mauros mouerent vrbis aditu noſtros prohibere paratos, & iugis proximis ſe in armis oſtẽtãtes, vt noſtros aſcẽſu vtiq; montis arcerẽt, mula ad milites eſt egreſſus. multi ſacerdotes & monachi proſequebantur, crucem dignitatis inſigne pręferebat Ferdinandus ſuper ſui ordinis Franciſcana veſte gladio accinctus reliquorum exemplo Cardinalis iuſſu. Inſolens ſpectaculum multis quippe militari ingenio lingua procaci inter metum, riſum excuſſit. Tum Præſul ad circumfuſas legiones hac ſententia locutus fertur. Si meis verbis cogitarem, milites ad veſtros animos inflammandos opus fore: vt ducum aliquis in hoc genere præſtãs accõmodata oratione ad pugnã accẽderet, effeciſſem. nã neq; ego militarẽ facundiam exercui, & victoriæ ſpẽ precibus potius firmaui ad Deum fuſis. Intelligere quidem vos arbitror pro religione & communi ſalute eſſe certamen. pro ea ſi res feret, ſanguinẽ vitamq; profundere eſſe paratos, neq; incitatore indigere vllo veſtræ virtutis ſed fræno. Ita veſtræ alacritatis conceptiq; animi ardoris ex fronte oculisque emicantis victoriæ omen haud dubium, teſtis tantum ſpectatorq; veni. Audaciam, animorumque vigorem inuictum quem tot bellis milites præſtitiſtis, an æquum ſit contra Chriſtiani nominis hoſtes abiicere? eos inquam hoſtes qui Hiſpaniæ littora igne ferroque depopulati ſunt, pecora abegere, diripuere oppida & agros, matres, vxores, filios, fratresque in captiuitatem egerunt duriorem ipſa morte: ſiue ferro oneratos, inculta tenebris, odore tetra ergaſtula detineant, ſiue fœdis aliis obſequiis ex dominorum libidine mancipentur. Veſtrũ ex Hiſpania diſceſſum contemplatæ matres veſtra opera filios expectant, filii parentes: eôque proiecti ante aras ad omnia templa diuinam clementiam cum lachrymis & gemitu implorare non ceſſant, nulla piacula cæleſtibus placandis omittunt. An æquum videatur tantæ multitudinis ſpes & vota irrita cadere? partæ gloriæ inuri maculam? Apage tantum nefas, faceſſat dedecus ignauiaq;. Abſcedant inanes metus fortibus animis. Ego ego ipſe, ſi ceſſatis, in medios hoſtes irruam crucemq; illam Chriſtianæ gentis vexillum & ſpem inter hoſtium agmina collocare certum habeo. An erit qui ſui Pręſulis exemplum non ſequatur? qui euntem in hoſtes deſerat? Et ſane vbi nam vita paulo poſt interitura ſanguisq; maiori fructu ponatur, quam pro religione, pro patria, pro communi ſalute, gloriaq; vniuerſæ gentis Hiſpanę. Tueri omnib. viribus, quod à maioribus accepimus patrimonium dignitatis ac famę, patriæ religionis dignitatẽ tueri, & ſanctitatem. Id vero fixum eſt animo. Hæc ille dixit, ardentibus oculis, vultuq;, voce contenta, quo latius exaudiretur. Circumfuſi omni ex parte milites

ducesque enixe obteſtari, in templum rediret, pro cunctorum ſalute vota continuaret & preces; ſibi cum diuina ope deſtinatum eſſe ſin minus victoria, vti confidebant, certe morte operam induſtriamque probare niſi victis hoſtibus non redituros in patriam. Ceſſit Cardinalis ſuorum votis reuerſus in arcem. in D. Michaelis ſacello preces cum gemitu & lachrymis fundere non ceſſauit, dum pugna commiſſa eſt. Dies inclinabat in veſperum. Ancipiti Nauarrus ſententia an pugnam ſuſtentaret in diem proximum, quid factu opus eſſet Cardinalē conſuluit. Cenſuit ille non expectandum, dū mora, militum ardor remitteret pugnę ſignum expectantium. Quid maiorem hoſtium multitudinem confluere ceſſatione pateretur? Nocte interpoſita multos incidere ſæpe caſus. Secundum hæc verba continuo ſignum datur. In montem milites magno niſu & alacritate conſcendunt. Neque locorum iniquitas, neque Mauri ad duodecim millia equites peditesque faſtigio occupato proiicientes tela, prouoluentesq; in ſubeuntes ſaxa & quęcunque ad manum erant, deterruere noſtros, quo minus in ſummum iugum euaderent. Vęcordia militari quidam milites Caracæ vrbis ciues iniuſſu deſertis ordinibus impreſſioneque in hoſtes facta, non agmine ſed turmatim amiſſo Ludouico Contrerio cæteri neceſſario retulere pedem pudorem vincente metu. Cæſi caput in vrbem delatum per plateas à pueris rotabatur cum clamore, cęſum Alfaquinum. Sic Arabica lingua Cardinalem vocabant. Commotus eo rumore è captiuis quidam aliquando in Cardinalis familiam adſcriptus capite conſiderato diligenter, altero orbatum oculo, oris lineamentis longe aliis, negauit profecto id caput Alfaquini Chriſtianorum eſſe, ſed potius alicuius militis gregarii. Sed inter inconditos plebis clamores captiuo nulla fides. Dum pedites in montem euadunt, equites longiori circuitu per latus montis ad ſummum euecti cum hoſtibus dimicare cœperunt, tormentis quoq; diſploſis cæſi non pauci. In confertos & temere ſe offerentes non fruſtra cadebant tela. Pedites tandem addere gradum, impreſſione in aduerſarios facta, arduo aſcenſu quamuis feſſi montis partem occuparunt, cedentibus Mauris quouſque ad aquæductus quoſdam eſt ventum. Nouo conatu tormentis in ſummum iugum magno labore traductis, prędterea diſtrictis gladiis alius alium adhortati hoſtes ex vniuerſo monte depulſos in fugam compulere. Hærentes fugientium tergis, quoniam vrbis portæ clauſæ erant, victores iuxta ac victi ſolutis ordinibus hi in pedibus ſalutis ſpem ponentes, illi ſanguine nondum expleti vltra vrbem proceſſere. Arabes qui erant intra mœnia rei bene gerendæ occaſionem ex noſtrorum perturbatione veniſſe rati portis egreſſi duce vrbano Prætore pleno gradu in victores feruntur. A tergo adoriti pergētes nouus detinuit terror. Pars noſtrorū admotis ſcalis in muros cōſcendere tentabant. Dum hi in ſe vim ciuiū Arabumq; auertunt, ſocii militesque nauales à mari, nullo repugnante ſuccedentes muro ea parte imbecilliori neglectis cuſtodiis turres quaſdam occuparunt arcemque Alcaſabam dictam. Acceſſere manus aliæ militares. Captam vrbem momento diripiunt. Maurorum e pugna reliquię, quāuis Hiſpaniæ vexillis pro mœnibus explicatis cæco furore vrbē conantur repetere. Vana eſt ſine viribus temeritas. Noſtri victoria ſuperbi per auerſam portam egreſſi hoſtes à tergo & à fronte circumuentos magno numero cæciderunt. Occiſi eo die Mauri quatuor millia, capti ad quinque millia. Victorię nobiliſſimæ lætitiam auxere miracula diuinis non abſimilia conſiderantibus propter noſtrorum militum perturbationem nullam eo die militarem diſciplinam, nullū imperium obſequiumve extitiſſe. dein vix vrbe capta Tremeſenius Prætor cum numeroſo exercitu aduenit certiſſimum vrbi præſidium, niſi noſtri celeritate forte magis quam conſilio eius aduentum occupaſſent. Cardinalis cuius feruentiſſimis precibus & ſyncerę religioni non temere vulgo accepta victoria fertur, lętus ſucceſſu ouanſque in vrbem ingreſſus templum maximum ex ritu Chriſtiano ſolenni cęremonia Mariæ victricis nomine Mahumetanis ſordibus expiatis ſacrauit. Die poſtero profeciſſe ſe ſatis vrbe illa capta, inchoata feliciter Africano bello ſiue ad nominis exiſtimationem ſiue ad fructum arbitratus, conſcenſis triremibus Carthaginem nauigauit, captæ vrbis moderatore relicto Petro Nauarro dum à Rege noua venirent mandata. Carthaginem delatus miſit qui Ferdinando Regi gaudium ingens, partam victoriam, vrbem captam, ſe reducem nunciaret. Sic Complutum profectus, id municipium iniit quinto decimo die ex quo Oranum ceperat nullo principali apparatu, priuato quam victori propior. quippe victoriæ laudem non induſtrię humanę ſed diuino patrocinio tribuens an humanæ gloriæ contemptu, modeſtiaque animi. Et Cardinali quidem fixum erat opimis templi maximi Toletani ſacerdotiis Orani Abbatem recens inſtitutum adiungere, partæ victoriæ poſteris monimentum. Reſtitit minutus ac ſolo ferme nomine Epiſcopus Aurienſis ex indita à Pontifice ſorte appellatione

latione contendens eam vrbem ſui iuris fore deſignati epiſcopatus ſedem haud dubiam. Peritiores Oranum negabant olim proprio Epiſcopo fuiſſe attributam. Auriam ad ſolis ortum non modico interuallo diſſitam, quippe prouinciæ Carthaginenſis vrbem, quod certis monumentis monſtrabatur. Oranum & finitimos Tingitanæ potius prouinciæ finibus contineri. Quod lite conteſtata tandem valuit: & Cardinalis cauſę iis opibus ea laude parta paſſim fauebatur. Non minor Ferdinando Regi eius vrbis muniendę & nouis opibus firmandæ cura erat. Diui Iacobi militibus Valliſoletum ad generales eius ordinis conuentus euocatis, conſenſu decreuit Orani monaſterium ei ordini conſtituere, eo nobiles crucem inſigne eius militiæ ſumerent, operamque nauarent in bello Africano aduerſus Mauros Chriſtiani nominis hoſtes. Atque vt eſſet vnde noui monaſterii ſacerdotes & milites vitam tolerarent, à Pontifice Romano impetratum eſt, duorum monaſteriorum Villarii, & D. Martini, quæ ei ordini in Compoſtellæ & Oueti diœceſibus ſita ſunt redditus Oranum transferri. Salutare conſilium, vt in rebus magnis, enatæ difficultates neque conſpirantes ſententię diſturbarunt magnis ſemper conatibus aduerſę. Ne nouum quidem decretum magis valuit, Bugiæ & Tripoli, quas vrbes Nauarrus proximo anno de Mauris cepit, Calatrauę & Alcantaræ militibus ſimili exemplo collegia inſtituendi. Quod ne fieret, tum alia, tum Italica bella maiori quam antea mole renata inter alia reip. mala & labes ſalutare conſilium plane diſturbarunt.

Bellum contra Venetos. CAP. XIX.

IN fœdere Cameracenſi decretum erat, vt ſinguli confęderati bello Venetos laceſſerent per partes, cuncti tamen ne vltra kal. Aprilis bellandi principium ſuſtentarent. Ferdinandus Rex fidei datæ memor inſtructa in Hiſpania claſſe Zamudium tribunum miſit cũ duobus peditum millib. notæ virtutis, vt adiuncti iis militibus, qui ad Neapolim erant, quinq; millium numerum implerent. lente is apparatus proceſſit, tum Proregis ingenio parum rebus bello præſertim ſed & in pace adminiſtrandis idoneo; ac tunc ſuſpicanti Neapolitanos proceres inter ſe conſpirare nouarum rerum ſtudio, tũ Fabricii Columnæ conſilio bellum moueri detrectantis aduerſus Apuliæ vrbes, priuſquam claſſis inſtructa eſſet ad prohibendam iis littoribus Venetam venturam haud dubium obſeſſis opitulatum. Fraus quibuſdam viſa eſt, & in communi cauſa præuaricatio. Benignior & verior interpretatio, ſic per errorem iudicaſſe. Et quis eſt qui non aliquando fallatur? Primus Rex Gallus arma Venetis intulit. Tramullium miſerat cum pecunia ad conducendos idoneo numero Heluetios, reliquas copias Alpes ſuperare iuſſit, cum primum ſe anni tempus aperuit. Ipſe veſtigiis iiſdem ſubſecutus kalendis Maii Mediolanum iniit. Carolus Amboeſa in gratiam patrui Rhotomagenſis Cardinalis, ei vrbi pręfectus erat vniuerſæque Inſubrum ditioni bello paceque moderator. Regis iter proſecutus eſt Antonius Dux Lotaringius. Vniuerſæ copię hominum ad quadraginta millia in Venetorum ditionem facto impetu, facile oppida quæ ad Abduam fluuium obtinebant, Gallicis præſidiis occuparunt. Veneti in ſano delectu exercitum conflarant militum quinquaginta millium. Summi duces Pitiliani Comes & Bartholomæus Liuianus vterque ex Vrſinorum familia, Regi Catholico obnoxii, ob ea oppida & vectigalia quæ in regno Neapolitano obtinebant, nauatæ ſuperioribus bellis operæ pręmium. Ad ripam vlteriorem Abduę non procul Laude vrbe, Riuolta oppidum ſitum eſt paulo ante de Venetis captum. Ad id oppidum vtręque acies in conſpectum venere. Par vtriſque pugnandi cupiditas. Ardentiores Veneti in aduerſarios impetum priores fecere. Ancipiti diu marte pugnatum nihil ſtrenuus ab ignauo, ſapiens à prudenti, conſilia à caſu differre. cuncta pari violentia voluebantur. Italici pedites Gallico peditatu tantiſper loco moto meliora ferre viſi ſunt. Plerunque paruę res maximas trahunt, in bello præſertim ſæpe ex minimis maxima momenta exiſtunt. Gallica tormenta inter vepreta diſpoſita, atque in inopinantes Venetos repente diſploſa cum magna ipſorum ſtrage peperere victoriam. Venetorum pedites turbatis ordinibus, Gallici equitatus recens in pugnam inducti ſeque ſuperfundentis ex omnibus partibus impetum non tulere. verſi omnes in fugam cæſique magno numero ſunt. E ducibus Pitilianus cum paucis euaſit fuga, Liuianus cum multis in hoſtium poteſtatem venit. Nobilis victoria fuit in paucis. loco pugnę iuſſu Galli Regis ſacellum conſtructum eſt Mariæ victricis nomine rei geſtæ poſteritati monimentum. Ingens vtilitas, quando eius pugnæ euentu nobiliſſimæ ciuitates miſſis legatis pacem & veniam à victore petierunt. Hę fuerunt Crema, Cremona, Bergomum, & Brixia, enimuero omnes quę Gallo in fœdere de-

ſignatę fuerant. Eodem tempore Franciſcus Maria Ruuereus Pontificis ex fratre natus,iamque Dux Vrbini in locum auunculi Guidonis Vualdi bello in Flaminia contra Venetos cum copiis Pontificiis concitato Salarolum oppidum Fauentini agri primum de Venetis cepit, deinde Fauentiam ipſam & Ariminum. Rhauennam poſtremo atque Seruiam,quales & quantas ciuitates? certe quidquid de Ponficia ditione occupauerant. Prorex Neapolitanus quamuis lente cunctanterque exercitum tamen fine menſis Maii paratum habuit ad inuadendas Apuliæ vrbes ditionis tunc Venetæ. Proſper & Fabricius Columnæ, Amalfitanus, Hadrię Dux, Morconis & Nolæ Comites Proregē ad id bellum ſunt proſecuti. Pitiliano Nolani auo,atque Liuiano ante pugnam cum Gallis cōmiſſam denunciatum fuerat ne ſuo Regi deeſſent in bello, alioqui vindictam expectarent,aduerſus beneficiarios parere recuſantes legibus conſtitutam. Nihil illi ea denunciatione moti à Venetis ſtare maluerunt. Curam equitum Sanſeuerinę Comes tenuit, commeatūs Baptiſta Spinelus Cariati Comes. Villamarinus maris Præfectus idem Comes Capacii in portu Meſſanenſi duodecim triremes inſtructas habebat decem onerarias. Simul atque amica Gallica claſſis acceſſiſſet ductoribus Albaniæ Duce & Præiane viro induſtrio in Apuliam iturus ad ea tutanda littora arcendam Venetam claſſem. Ingentes apparatus ne diu eſſent neceſſarii, Venetorum prudentia effecit. Tranum obſidebat Prorex in magna ſpe vrbis obtinendæ, occulta ciuium machinatione: cum Venetiis legati venerunt arcanis inſtructi notis per quas intelligeretur haud dubium ſenatus eſſe mandata, Brunduſium, Hidruntum, Tranum, Molam, Polignanum continuo vti deditionem facerent ne defenſione quidem tentata. Ferrarienſis item & Mantuanus quędam oppida Venetis detraxerunt, ſua olim, vti videri volebant, & ex vetuſta memoria, & tabulis demonſtrabant. Aduerſus proſtratos obſoleta quoque iura ſolent valere. Cuncta elementa in perniciem nobiliſſimæ vrbis conſpiraſſe viſa ſunt,atrox ex omni parte ventorum procella inſtare,vt miraculo ſimile videatur penitus non concidiſſe. Ea eſt humanæ vitæ conditio, neque bona propria ſunt, neque mala perpetua, in orbem aduerſis ſuccedunt proſpera, triſtia ſecundis. Tanta certe in præſenti Venetorum conſternatio fuit,vt de vrbe dedenda Ladiſlao Regi Hungaro cogitaſſe fama ſit,eius viribus ſperantes afflictis rebus ac deſperatis propemodum, leuamen. Per tot ætates inuiolatam libertatem illius primum fidei ditionique permiſſuros. Cedit interdum generoſus ſpiritus neceſſitati, & ſæuientis procellæ viribus ſuccumbit. Piſani etiam Florentinis tandem ceſſerunt amiſſa libertate. Ad ſuperiora mala, quæ ſi fuiſſent extrema, intoleranda videbantur; atrocior Venetis certe ex Germania peſtis acceſſit. Cæſar & ſua ſponte & ſociorum exemplo excitatus cum copiis ineunte menſe Iunio Oenipontum venerat in Alpium iugis ſitam vrbem, Venetorum finibus ea parte bellum illatum. Italicis equitibus grauis armaturæ ducem deſtinarat Conſtantinum Cominatum Macedonię Principem. Ludouicus Gonzaga Mantuani patruelis, & Mirandulę Comes, aliique ex Italica nobilitate in ea expeditione Cæſari militabant. Italię viribus impugnabatur Italia. Acceſſere mille & quingenti Hiſpani, qui Gallo Rege tandem relicto ad Cęſarem ſe contulerant. Non ſe deſeruere tamen Veneti ad alia mala nouo exagitati periculo. cum primum Eſteranum Cæſar peruenit, eum de pace interpellare decreuerunt, iis conditionibus quas vellet imponere. Eius rei argumento ad eum chartam candidam miſere præter ſubſcriptiones ſenatus nullis impreſſam notis. Sic fama tulit. tueretur modo miſeros, atque in ea rerum omnium deſperatione nobiliſſimę vrbis patrocinium ſuſciperet. Repulit ille preces, quocunque ibat deditis oppidis primum quæ Benaco lacu alluuntur, deinde vrbibus Verona, Vicentia, & Patauio, ferme vt in Italia nihil Venetis ſupereſſet, ſuperbus rerum humanarum inconſtantię immemor, niſi vrbe ipſa Venetiis capta non videbatur quieturus. Et vtique eam mari terraque vrgere parabat tum Hiſpanica & Gallica claſſibus, tum terreſtribus ſuis & Galli copiis ſecundo Meduaco obſeſſos fatigare, commeatuque prohibere. Expugnatam iis viribus vrbem diuiſam quadrifariam totidemque impoſitis arcibus inter ſocios diuidebat cuique parte attributa: ſi pares ſomnio euentus contingerent, certa victoriæ ſpe pręſumpta. vnius vrbis in quatuor partes diuiſæ totidem inter ſocios imperium diuidi. Ingenium varium, inconſtans, multiplex, præpoſteræ cogitationes, vana conſilia, vani conatus. Non diſplicuit Ferdinando Regi Cæſaris conſilium initio, Apuliæ quamuis vrbibus receptis, dimitti Hiſpanos omnes, prętер quingentos quos Zamudium in Hiſpaniam referre iuſſit, claſſe modo in Italia relicta. Paulo poſt tamen repulit. Ne ipſi quidem neque Pontifici viſum eſt, è republica fore eius vrbis excidium. Attentius enim re conſiderata præter vanitatem eius molitionis prouidebatur, quidquid vltra

vltra præſcriptos in fœdere fines progreſſum eſſet, id totum ex Galli commodo fore. Propinquo Mediolanenſi principatu, ſociis longinquis, non dubitaturum pace facta, vniuerſam eam vrbem primo quoque tempore pulſis ſociis armis occupare. Ex eo ne ad Italiæ totius imperium aſpiraret, ac vero Romanæ eccleſiæ de manu dare Pontificem tentaret, verendum erat. Qui metus Iulium Pontificem ſolicitũ habuit, ne ſe viuo faceret validus opibus & ingenio. Vſque eo vt Cardinalem Rhotomagenſem antea riualem, Tridenti cum Cæſare collocutum fuiſſe, curaſſe etiam vt Cęſar & Gallus inter ſe viderent ægerrime antea tulerit. Certe monſtri ſimile aliquid verſare eos Principes animis in ſuam ac eccleſiæ perniciem. Fluxa eſt potẽtia & ſolita opinione magis hominum quam ſuis viribus nitens, qualis ſacerdotum eſt. Itaque eorum Principum colloquium impedire omni ope contendit: idemque Ferdinandus Rex curauit, per legatũ ſuum Iacobum Concillum tum Epiſcopum Catanæ Cæſare perſuaſo in Gallicæ amicitiæ ſpecie inſidias latere.

A Venetis Patauium receptum. Capvt XX.

Confecto Rex Gallus bello magna atque incredibili celeritate neq; gloria fructuque minori Mediolanum rediit, indeque in Galliam abiit quo regni curæ vocabant. Mille quingentos grauis armaturæ equites per vrbes recens partas diſtributos præſidio reliquit rerum moderatore Carolo Amboeſa Chaumantio regulo, magno Galliæ Magiſtro. gẽtis inſtituto maior quam Magiſtri equitũ is honor & auctoritas eſt. Cæſarei exercitus pars multo maxima in Taruiſinos & Friuolẽſes ſeu Foroiuliẽſes fines incubuit: quoniam imperata facere aliarumq; vrbiũ exemplũ ſequi detrectabant contumacia. Eo maior impetus feſtinatioque & ſpes, quod continenti Italiæ certe nihil præterea Venetis erat ex ampla ante ditione relictum. Nouus conatus, vnde periculum maius timebatur, victis reſurgendi opportunitatem attulit. Patauii ciues Germanorum imperium, relictumque adeo in vrbe præſidium graue ducẽtes defectionem meditabantur. Eam Veneti occaſionem arripientes, & quoniam hoſtiũ copiæ procul aberant, conſilio cum iis ciuib. occulte cõmunicato, rebuſq; omnibus comparatis, eam vrbẽ recuperarunt. Andreas Grittus cum mille equitibus grauis armaturæ & aliquanto peditum numero portis occupatis, accurſu præterea ciuium veteri imperio fauentium, cæſos Germanos compulit in arcem ſe recipere: quam die quoque poſtero ad deditionis conditiones adegit. Sic dies duos & quadraginta poſtquam ea vrbs fuerat amiſſa, in Venetorũ poteſtatem venit. Melioris ſpei initium id fuit, miſeriarum finis. Leui momento ſurgunt res humanæ caduntque. Amiſſæ eius vrbis nuncio Cæſar ad Maroſticam accepto oppidum in Alpium faucibus ſitum viginti quatuor millibus Patauio diſſitum, ne circumfuſis hoſtibus tranſitus impediretur, Scalam abiit ad Oenipõti Auſtriacæ ditionis fines. Continuato Veneti impetu Aſſulã ceperunt, centũ & quinquaginta Hiſpanis, qui in eo oppido erant, trucidatis. Simile exemplum in ducentos alios Hiſpanos editum eſt Caſtelfrancum præſidio obtinentes: vbi & centurio Aluaradus eſt captus. Tanta erat vindictæ rabies, vt ex mille & quingentis Hiſpanis, qui à Gallo ad Cæſarẽ tranſierant, & licentia militari incolas irritarant rapere, ſpoliare vi & ſtupris cũcta polluere per agros & oppida aſſueti pauci euaſerint, quin cæſi aut capti fuerint. Inuidioſum Hiſpanorum nomen auaritia eorum ac libido indigenis fecerat. Veronam ad Venetos & ipſam propenſam Patauiique exemplo defectionem meditantem Palicius accurrens cum copiis frænauit, dum à Cæſare idoneum imponeretur præſidium, copiarum è Belgis atque è Germania aduentum ad Alpium fauces ſuſtentante, atque ab Italiæ finibus abſtinente, ne maieſtas ludibrio eſſet ſi in tanta alienatione Italicæ nationis exiguis viribus bellum repeteret. Ergo iis copiis appulſis conflatoque exercitu hominum ad triginta millia, miſſis præterea à Gallo mille & trecentis equitibus auxilio, à Pontifice trecẽtis, nouo conatu in Italiam irrumpens Patauium obſedit Nonis Septembris. Pitilianus ac præcipui Venetorum duces præſidio accurrentes in vrbem ingreſſi ſunt, quiduis perpeti parati ne in hoſtis rediret poteſtatem. In duobus millib. equitum Epirotarum præcipua vis. ii frequenter eruptione facta ex vrbe nihil Cæſareis tutum relinquebant, ne reſpirandi quidem ſpatium. Diſpoſitis tormentis hoſtes magnam partem muri ad terram ſtrauere, per ruinas tamen in vrbem euadere ſupremo conatu tentantes ab obſeſſis ſunt repulſi pertinaci contentione, nouis identidem per Meduacum auxiliis confirmatis, prorſus vt ad viginti quinque millia defenſores in vrbe eſſent idoneus numerus non ad tuenda modo mœnia, ſed ad confligendum æquo marte patentibus campis. In primo impetu multi Hiſpani propugnaculo capto, tormentarii pulueris cadis, quos ſub terra condiderant incenſis diſcerpti ſunt Hiſpanicæ militiæ flos, quippe

ex Magni Gõſalui diſciplina pleriq;.Fregit hoc incommodũ hoſtium animos, vſq; eo vt honeſtam aliquam occaſionem dari cuperent diſcedendi ſine ignominia, nulla iam victoriæ ſpe. Itaque diſceſſere tandem Octobris initio, nulla famæ cura, quoniam metus periculi iuxta & moræ tædium fatigabat. Magna famæ vis, in bello maior. Intempeſtiuus diſceſſus effecit, vt magna repente rerum conuerſione facta multorum auerterentur animi. Cum ſpe vinci Germanos poſſe, acceſſit pugnandi animus. Vicentini primi correptis armis & à Patauio euocatis auxiliis in Gaſparem Sãſeuerinum & tria Germanorum millia præſidio Cæſaris nomine eam vrbem obtinentes impreſſione facta ſe dedere & vrbem relinquere coegerunt. Alia parte Venetorum copiæ non quieſcebant, ſed inſtandum fortunæ quæ conuerti videbatur ratæ, oppida prope Patauium à Ferrariẽſi dudum occupata inuaſere. Ex iis Ateſte, Monſilice, & Montagnana continuo imperata fecerunt. Vnde ſuſpicio ac vero certa fides inuitatu incolarum excitari bellum, neq; Venetorum vi aut inertia hoſtium, ſed fraude tot victorias conſtare. Ab his quidem initiis Veneti elati aduerſo Pado claſſem miſerunt Ferrariam vrbem obſeſſum. Terra eodem miſſæ copiæ ex itinere Poleſium, & Robigum de Ferrarienſi ſine ſanguine receperunt. Reſurgentibus paſſim fauebatur à gente hoſtibus infenſa. Ad Ferrariam non eadem fortuna fuit. Dux & Cardinalis frater auxiliis à Pontifice & Gallo Rege miſſis in aciem progreſſi tormentiſque in ripa Padi collocatis ſcienter, claſſem Venetorum quaſſatam merſere, atque ita vt è triremib. decem & ſeptem, amiſſis omnino quindecim ſoluere obſidionem non ſine ignominia fuerint cæteri coacti. Prius tamen quam id contingeret Franciſcus Mantuanus cum equitũ numero in ſuam vrbẽ pergens infeſſis itinerib. ab Andrea Gritto captus fuerat. Idoneus quem cum Liuiano permutarent à Gallis eatenus detento. Grande pretium: ſed ea erat virtutis opinione Liuianus, vt nihil Veneto ſenatui nimium videretur. Quamuis plerique accuſabant cladem ad Riuoltam eius temeritate & feſtinatione fuiſſe acceptam, eoque præceps ingenium vitandum, ne reſurgentes Venetorum ſpes noua imprudentia euerteret. Verona inter ſpem & metum fluctuabat, metus pro Cæſare ſuadebat, libido pro Venetis. Præſidio impoſitus Ioannes Emanuel cum duobus Hiſpanorum millibus, & Galli auxilio ſuperuenientes ad defectionem procliues retinuerunt. Gallici auxilii dux erat Obenignus, eius Obenigni ex fratre an ſorore nat⁹, quem in Neapolitano bello inter Gallicos duces à virtutis opinione inter primos celebrant iure hiſtorici Galli. Carolus Amboeſa cum robore Gallici exercitus Brixiam inter & Cremonam ſtatiua habere in omnem occaſionem intentus rei bene gerendæ, ſocios ſubleuandi. Triuulcio Brixiæ cuſtodia concredita. Veronæ in locum Ioannis Emanuelis ipſo miſſionem flagitante, Ludouicus Beamontius, qui ab annis ſuperioribus Gallica ſtipendia faciebat, tuendæ curam ſuſcepit magnus nobilitate, neq; minor induſtria virtuteq; domo Vaſco.

Controuerſiæ inter Cæſarem & Ferdinandum compoſitæ.

CAPVT XXI.

LErini Comitis obitu magna Ferdinandum Regem cupiditas inceſſerat efficiendi vt Ludouicus Beamontius in maiorũ opes & locũ reſtitueretur defuncti filius, atque ex Ferdinandi ipſius ſorore vſq; dum ſuperſtite natus. Maiori ardore in eũ conatũ incubuit, quo tempore bellũ in Inſubrib. magna contentione gerebatur: ſi agẽdi dexteritate offenſus animus flecteretur. Nihil neq; eius auctoritas, neq; diligentia valuit: ne inſontem quidem eſſe filiũ in iis quę pater peccauerat. Iniquum videri parentum peccata filiorũ pœnis lui. Vim adhiberi & metum placuit. Ac præſertim noua iniuria irritarant Sangueſſæ incolæ in Aragoniæ vicinos fines inuecti. Facto ſpecies prætenta, oppida Vlim & Fileram ad vetus eius municipii ius reuocandi. Aragonii conatum intempeſtiuũ vindicarãt in Sangueſſæ agros irruptione facta, atq; in oppidanorũ oculis planiciem ſubiectam municipio longe lateq; vaſtantes, ſegetibus, arboribus, tectis ignes iniecti. Maioris belli fundamenta ab his initiis iacta: ſed quoniam priuatæ controuerſiæ erãt nondum publice arma mouebantur. Ac Ludouicus quidem Beamontius precibus, patientia, & modeſtia impetrare ſatagebat, priuſquã ad vim procederetur, paternam ditionem honoreſq; alios. Sic in Vaſconib. res erant periculo proximæ. De cõtrouerſiis Cæſarẽ inter & Ferdinandũ Regem, ſanciendaq; per cõditiones cõcordia ſerio agebatur. Caſtellæ procurationẽ vtroq; ad ius ſuũ reuocãte Ferdinandus quamuis poſſeſſione potior liti finẽ imponere oppido cupiebat: proceribus quibuſdam, qui rebus nouis ſtudebant, ſanandis remedium aut hoc aut nullum fore idoneum ratus. Sed cum eo tamen ſi Iſabellæ vxoris voluntate ex

parte

parte mutata, dum Regina filia viueret rerum sibi administratio relinqueretur tutelæ iure à legibus haud dubium patri dato, quod Regina vxor neque voluit neque potuit immutare. Ea demum defuncta facile adducebatur Carolo nepoti sceptra de manu tradere, modo annos viginti nato, vti Regina sanxerat testamento. Ita suo tantũ commodo defunctæ voluntati stari volebat, mutari contraria. Et est humanus animus insatiabilis, cupiditas imperandi aliis affectibus maior. Iudices in causa consensu designati Galliæ Rex & Rhotomagensis Cardinalis blandimento accommodato eorum beneuolentiam amplius promereri destinabant scilicet: alioqui facturi quod inter se è re vtriusque fore præiudicassent. Vt conditiones nuncuparet Andreas Burgius in Hispaniam remissus, benigne acceptus atque habitus est. Apud Cæsarem Catanæ Episcopus de eadem re disceptauit Ferdinandi legatus. Duorum opera subiectæ leges scriptæ sunt. Castellæ procuratio penes Ferdinandum dum vixerit, propria esto, qua ratione ante est explicatum. Mascula proles si forte ex Germana Regina sit nata, certæ nihilominus in Castellæ regno successionis Carolo nepoti satis dato. Quo pignore, quibus vadibus? Nouo, si ita contingeret, sacramento in gentis conuentu adigi populos placuit, in Caroli verba eius regni hæredem fore. Ferdinandus Rex in primis Castellæ conuentibus rectam rerum administrationem iuraret. Vt Asturum principatus vectigalia Carolo cederent, Cæsar petebat, ne nomen principis esset inane. Negabat Ferdinandus vlli id Regum filio datum cælibi. Concessit tamen annua triginta aureorum millia, aucta quoque ea summa cum vxorem duceret, quantum iudicatum esset æquitati consonum, & ærarii tenuitas pateretur. Centum aureorum millia destinabat sibi Cæsar, inopiam sic supplere è Castellæ vectigalibus concordiæ haud magnum pretium. Excusauit Ferdinandus exhausto ærario reddenda necessario creditoribus quingenta aureorum millia mutua à mensariis sumpta & spatiis funebrib. aucta. Dare tamen quinquaginta aureorum millia à Florentinis ciuibus debita Pisanæ libertatis proditæ pretium. Missurum præterea bello aduersus Venetos trecentos cataphractos quadrimestri aut quinquemestri stipendio de suo. Additum præterea, vt quocunque tempore Carolus Princeps in Hispaniam venturus esset, instructa classis ad eum vehendum mitteretur. Eadem vbi venisset continuo Ferdinandus frater veheretur in Belgas. Tantarum molitionum ignari Ioannes Emanuel aliique ex Hispania nobiles in Germania versantes cum primum fœdus pactum resciuerunt, disturbare conati nihil profecere tamen. Ac potius vt importunos eorum conatus eluderent, res integra ad Margaritam Principem ablegata cum ampla patris nomine paciscendi facultate. Eius diligentia finis controuersiis est impositus: ac superiores conditiones sancitæ sunt. Ad hæc quadam simulatione ad Regem Gallum concordiæ capita, quasi re integra deferri visum est, vt adiuncto Rhotomagensi Cardinali, quod æquitati videretur consonum, id sententia pronũciata statueretur. Blesis vbi Gallus morabatur, disceptatores præsto fuere pro Cæsare Mercurinus Gatinaria Burgundiæ Præses, & Andreas Burgius eius ordinarius legatus deinceps in Gallia futurus: pro Ferdinando Iacobus Albio eius item penes Gallum orator, & Hieronymus Cabanillas in eius locum in posterum destinatus. Iis agentibus instituta cognitione liteque contestata perrogataque, atque sententia pronunciata pridie Idus Decembris fœderis cõditiones omnes comprobatæ sunt de quibus inter partes conuenerat. Ac secundum eas, iis qui Cæsaris aut Caroli Principis partes secuti erant, bona paterna sunt restituta facultasque concessa in patriam postliminio redeundi. Petro quoque Gueuaræ eatenus vincto reddita libertas. Hunc exitum diuturnæ controuersiæ habuerunt, quæ solicitam tenuerat Hispaniam. Inita concordia quidam è nobilitate quasi in Caroli Principis obsequiis aulaque versari vellent in Belgas discessere, quietis impatientia agitabat. In eo numero Alfonsus Manricus Pacis Augustæ Episcopus inquieti ingenii vir, alieno semper à Ferdinandi rebus animo, tædio præsentium exilium trãquillitati prætulit. Hoc tempore Pitilianus Veneti exercitus imperator ad Lonigũ agri Vicentini oppidum ex morbo decessit eo maiori studio Liuiani libertas expetita. De Lemosio Comite, quoniam turbulenta consilia cũ Belgis & Lusitanis agitare erat perspectum, nouo decreto statutum vt fidei pignus Sarriæ & Monfortii arces Pozæ regulo traderet ea tempestate Colæciæ rebus Præfecto. Raymundus Cardonius in locũ Ripagorsæ Comitis è Sicilia, vbi res gerebat euocatus Neapolim regendam suscepit. Siculos Hugo Moncada, vterque Proregis nomine potestateque. De abdicatione Ripagorsæ Comitis multa in vulgus iactata sunt. Pleriq; eius ingenium accusabant tantarum rerum procurationi non satis idoneũ. Excitat quosdam rerũ magnitudo, obtundit alios. Vrsinorum delationibus quidam de culmine deturbatũ suspicati sunt. Verum statuere quis audeat? quis plebis linguas frænare? Principũ offensionis & gratiæ

causas rimari, leui momento in contrarias partes circumactæ? Nullius enimuero tanta claritas est, quæ malignitatis dentes fortunæ vicissitudines possit vitare.

Bugia & Tripolis de Mauris captæ. CAPVT XXII.

ARdebat Ferdinandus incredibili cupiditate vertēdi arma in hostes Christinani nominis, maiori laude certiori fructu bellum quam quod tanta contentione cōtra Venetos gerebatur. Ita confecto eo bello, vti breui fore confidebant, & à quoque sociorum vrbib. sui iuris receptis nunquam placuit Venetorum remp. funditus euerti, sed stare potius incolumi libertate: suis viuere legibus & imperio. Ac in partem potius fœderis societatisque recipi Venetos volebat, vt communibus armis terra marique inuaderetur Turca communis atque infensus hostis piorum nationis. Discrepantes in eo voluntates dissidentia inter se vota in vnam sententiam pertrahere res ardua erat. Quod proximum videbatur, ad suas vires adiuncta ope quam pro se singuli Principes sponte cōmunicarent id bellum suscipere atque in Orientem proficisci sacræ expeditionis dux in animo fixum habuit, laudauit Pontifex eos tanti Regis pro pietate conatus, seque pro virili iuuaturum est professus. Neapolitanæ & Siculæ opes commodissimæ erant in bellum vicinis auxiliis parato commeatu. Hæc Rex ille præ se ferebat. Rerum statum attente considerantes absonum prorsus & alienum ab eius prudentia iudicabant, prouecta Principem ætate gentisque in Castella animis non satis pacatis tam procul ipsum à finibus discedere, cum bellum Africanum esset im manibus, longinqua & difficiliora meditari. Ergo eo conatu in præsenti reiecto, ad expeditionem Africanam, optimo principio, ad omen certissimum felicis exitus, antea inchoatum maiori mole promouendum retulere animos. Petrus Nauarrus in Masalquiuiro portu tredecim naues habebat lecto limite, & armamentis & rebus omnibus instructas. Ea conscensa classe in Ebusum insulam nauigauit: vbi Vianellus cum classis parte eius aduentum expectabat. Restitere vnâ dies aliquot, dum hyemis sæuitia & maris tempestates remitterent. Bugiam, quæ olim Thabraca fuit, petere consilium erat, eo loco inter milites vulgatum. Longa omnis mora ad prædam festinantibus, vrbis nobilissimæ in Numidiæ quidem littore sitæ non procul tamen Mauritaniæ Cæsariensis finibus, inter Tunetanos & Tremesenios Reges ex interuallo alternantis: donec Abufferricius Tunetanus Rex ad suum imperium stabili possessione adiunxit Abdulhazis à patre relictam regio nomine obtinuit ab imperio Tunetano liberam posterisque iure quo potuit optimo hæreditariam reliquit. Abdurrahamel ex illius posteritate eam in præsenti obtinebat pulso Muleio Abdalla, qui meliori iure niti videbatur, quippe ex ipsius fratre maiori natus. Odii causæ, quia iniustæ acerbiores, inter alias ambitio dominandi sæuum & impotens malum. Ad latus ardui mōtis sita erat, perpetuoque muro cincta veteri quidem sed valido. Arx satis firma in superiori vrbis parte eminebat. Supra octo familiarum millia eo tempore numerabat. publicis philosophiæ scholis, auditorum frequentia præter cæteras Africæ vrbes celeberrima. Ager inæqualis rupibusque impeditus, eoque serendis arboribus quam segetibus commodior, aliunde aduecto frumento vitam tolerabat.
1510 Kalendis Ianuarii principio anni millesimi quingentesimi decimi Hispani ex Ebuso soluentes quinque diebus littus Africæ tenuerunt. Copias eo die in terram exponere auersi flatus vetuerunt. E iugis montis se Rex Maurus ostentare decem millia pedites, & aliquot equitum turmas secum trahens. Eos ad littus appropinquantes, nostros vt excensione prohiberent, tormentis classicis excussæ pilæ procul arcuere. In terram expositas copias nullo prohibente in quatuor agmina Nauarrus distribuit. Eo ordine magno nisu superato monte ad pugnam festinabat, quam Mauri detrectarūt, præ metu in vrbem regressi mœnibus magis fidentes quam armis. Fefellit ea quoque spes, nostrorum pars per latus vrbis veteris desertæ à ciuibus, alii per superiora muro succedentes admotis scalis breui in vrbem irruperunt. insolitus pauor ciuium mentes occuparat. Ita intra vrbem nullo resistente in prædam auersi milites. Rex cum copiis deserta mox vrbe per auersam portam se foras proripuit. Terruit ea victoria vniuersam Africam, eo lætior quod Muleius Abdalla rebus turbatis è custodia elapsus, qua detinebatur à patruo ad nostros perfugit. Superi quos premere instituunt, in præceps dant. Nostri & virtute potiores & successu læti, vrbe egressi tyrannum ad trigesimum lapidem castra habentem denuo facto impetu compulere in fugam. Nihil neque apud se remissum, neque apud illum tutum pati. Ea diligentia successuque præteritæ finitimæ ciuitates certatim obsequium detulere Ferdinandi fidem patrociniumque implorantes, veniam & pacem oratum misere legatos. Princeps inter alias Algerium, quæ Cirta olim Masinissæ regia à quibusdam

quibusdam fuisse creditur, certe Arabũ lingua Gezer hoc est insula vocatur, ab ea quam in mari vicinam littori & obiectam habet, tunc modica viribus & ignobilis, hoc tempore Hispaniæ terror nostris spoliis extructa, superbaque iuxta ac clara. Algerii exemplum Teneccius Rex & vrbs Tedelicium secuti sunt. ipsi adeo Mostaganiincolæ & Tremesenius Rex nostros de pace & se dedendo appellarunt cuncta virtuti peruia fore territi barbari iudicabant, nihil Nauarro præsertim duce arduum. Leges omnibus impositæ, quibus in amicitiam fœdusque venirent. Præcipuæ erant, vt captiuis Christianis sine pretio libertas esset, & vectigal honorarium singulis annis cum fide repræsentarent. His rebus quamuis districtus Petrus Nauarrus bello interim maiori conatu apparando curam impendere, gnarus modicas esse vires sibi & instandum famæ, antequam consternatis hostibus fiducia rediret. Fama bella geri magis quam viribus. Quo tempore in Orientis oris Alfonsus Alburquerquius susceptam procurationem à præclaro initio auspicari cupiens, in Decano Indiæ littore Goam vrbem occupauit, sedem deinde imperii Lusitani in iis regionibus nobilissimam. Insula eiusdem nominis sita est, quam fluuius neque tenui neque multa aqua duobus ostiis in mare mittens efficit angustam quidem spatiis ac vix viginti millium ambitu, cæterum commodissimam Orientis commercio, propter maris & multarum gentium vicinitatem, quarum ad fines iacet. Rei bene gerendæ opportunitatem Zabaimus Idalcanus obtulit imperium tunc obtinens eius vrbis. bella enim longinqua defendendi necessitate milite vacuam reliquerat venturi securus. Timoia pirata cum quatuordecim biremibus de finitimis prædas agere solitus, re cognita Alburquerquium monuit opportunæ vrbis capiendæ occasionem non videri prætermittendam. Ille cognito piratam vera prædicare, salutaria monere cum classe in portũ inuectus haud ægre vrbem occupauit ad quartum decimum kalendas Martii. Longe alia Francisci Almeidæ decessoris sors fuit. Ad Bonæ spei promontorium epibatas & socios inter in littus aquatum & commeatum quærendum egressos & Æthiopes, quos Cafres vocant, concitata forte rixa, cum præsidio suis è nauib. accurrisset, in pugna periit durata præustaq; igne sude traiecto gutture. Crudelitas fati tanto viro non debita. Qui maiora sæpe pericula mari terraque euaserat, inuicta virtute magnam hominis celebritatem consecutus fuerat, gentis vilissimæ manu corruit. ipsa morte tristius mortis genus. Periit ipsis Kalendis Martii. Garsiam Toletum Albani Ducis maiorem filium expeditioni Africanæ ducem Ferdinandus destinarat, propter viri nobilitatem maiori auctoritate fore bellum prouidebat. Et quoniam Nauarri opera necessaria videbatur in Italiæ bellis, quæ maiori mole renascebãtur. Aliquot menses abiere priusquam is ex Hispania discederet. Moræ impatientia Nauarrus & quia insueti cœli æstus & grauitas morbos inter milites vulgauerat, ad septimum Idus Iunii Bugia soluens Fauignanam abiit: quæ insula Lilybæo Siciliæ promontorio vicina Cosyra veteribus fuit. Eo Neapolitanæ & Siculæ triremes adiũctis plurib. aliis nauigiis ex antecondicto appulere. Ad octo millia militum quæ Bugia venerant, nouæ classis appulsu accessere alia sex millia. His omnibus copiis apparatuque ex ea insula sublatis velis intra paucos dies in Tripolis conspectum se dedere vrbis vltra Numidiam inter duas syrtes sitæ in prouincia, quam peculiari nomine dixere Africam, Tunetano antea Regi subditæ, nunc eo excusso imperio peculiari regulo seruientis, quẽ Xequem vocant. Circumfluo plurima ex parte mari, non ita latum à terra additum turrito muro & fossam permeante aqua munitum habet. Inerant milites & prouisi antea commeatus. Numidæ quoq; equites, aliiq; Mauri ad præsidiũ accurrere, prorsus vt par nostris numerus militũ in vrbe esset. Nauarrus tamẽ expositas in terrã copias, bifariamq; diuisas, partẽ cũ Mauris pugnare iussit, qui ad littus prodierãt nostros vt excensione prohiberent, reliquis data cura vrbem impugnandi. Præterea à mari militum & nautarum manus egressa cum scalis ea parte in vrbem transcendere tentarunt. Acris pugna extitit, duabus horis magna contentione pugnatum victis tandem fusisque Mauris, in vrbem admotis scalis, qua parte Victoriæ porta cernitur ferro est penetratũ. Ioannes Ramirus gẽte Aragonius nobilis genere inter primos muros scandit secuti cæteri noua intra vrbem pugna instituta, difficiliora omnia opinione inuenerunt. Acuebat Mauros desperatio haudquaquã iam de victoria solicitos sed ne inulti caderent decori exitus cura. Cessit virtuti rabies furorq;. Occisi ex Mauris ad quinq; hominum millia sunt, capti plurimi, atq; inter eos vrbis regulus. Neq; nostris incruenta victoria fuit. præter gregarios milites non paucos, nonnulli genere aut factis nobilissimi ceciderunt. In hoc numero è Cabreris alter patruo regio cubiculario & propria virtute promeritus, vt memoriæ inseratur. Rodericus item Porres tribunus militũ periit, & Christophorus Arriarã maris Præfectus, magnus animo, prudẽtia par. Vrbs diripiẽda militib. est tradita, id nauatæ operæ præmiũ extitit, profun-

do ventre cum cæteris victarum gentium ſpoliis eam quoque copiam merſuris, futuri temporis nulla cura. Claſſis præſidio relictis captiui dati ſunt, mercesque intra vrbem inuentæ. Eo temperamento Nauarrus quando militum ſitim opulentæ quamuis vrbis ſpolia non ſedarunt (qui enim poſſent) tumultum & rixas compeſcere ſatis habuit.

In bello Italico parum promouebatur. Cap. XXIII.

BEllum contra Venetos ducebatur, minori ardore quam antea. Conatus initio validi mora languerant. Rex Gallus receptis ſui iuris vrbibus ſe feſtinus in Galliam receperat: in Germaniam Cæſar bello inchoato neque finito, quando Taruiſini & Foroiulienſes atque Aquileia ſubiugandi ſupererant, Padua impoſitũ iugum excuſſerat. Veronam cum ſubiecto agro Galli obtinebant, oppigneratam, dum ſexaginta aureorũ millia redderentur à Gallo Rege in belli ſumptus mutua Cæſari data, adiecta lege vt niſi intra annum ea ſumma eſſet reddita, vrbis imperium ſuo iure retineret. Pecuniæ in ſtipendium difficultas maxima Cæſaris conatus retardabat. Socios vti in Cameracenſi fœdere ſanctum præſcriptumque erat, de communicanda ope appellare, dum communibus armis eas vrbes ſui iuris efficeret, Venetis ereptas ad imperium adiungeret. Cæſarei exercitus dux ſummus Analthi Princeps nulla auctoritate, exiguo numero militum, q̃ debita ſtipendia non ſoluerentur. Æqua petere viſum eſt. Ita Carolus Amboeſa magnus Galliæ Magiſter valida auxilia communicauit: eaq; ope Vicentia recepta eſt ciuium deditione ad Cæſaris voluntatem. Neapoli Vincentium Capuanum Termenſtinũ ducem militari ſcientia præſtantem multis in rebus fidum antea expertus Ferdinandus Rex & cum eo quadringentos cataphractos miſit auxilio lectiſſimam manum ex eorum Hiſpanorum numero qui Neapolitana ſtipendia faciebant. A Pontifice nulli venere milites, nulla ſe lege teneri, vt auxilia mitteret, perſuaſo, ſiue in Gallum Regem ira Ducem Ferrarienſem hoſtem ſuum palam tegentem. Quod magis ſuſpicor Venetorum calamitate flexus ad miſericordiam, nobiliſſimam vrbem malis caſtigatam perire penitus non ferebat. Itaq; ſolutos anathemate quo erant impliciti, in gratiam fœduſq; accepit. Quod erat præcipuum, eorum ope vti volebat aduerſus Ferrarienſem Ducẽ quaſi Gallici patrocinii fiducia rebellẽ imperio. Odium acrius quam pro noxæ modo. Iis littoribus elluuie maris areſcente vnda ſal concreſcit. Ergo ſalem Comacii ditionis oppido conficere crimen erat, cum incommodo vectigalium quæ ex Pontificiis ſalinis ad Seruiam proueniebant. Præterea è mercibus quæ ſecundo Pado Venetias vehebantur, noua exigere portoria. Ab his initiis irritabili ingenio Pontifex euocatum Romam ad dicendam cauſam, ac venire recuſantem lege maieſtatis damnauit, principatus, quem beneficio eccleſiæ Romanæ obtinebat, iure decidiſſe. Ægre ſeueritatem Pontificis tulit Gallus Rex. vindicandi ardore Gallicos Cardinales & qui ſacerdotia obtinebant in Gallia, continuo Roma diſcedere per edictũ mandauit, niſi parerent atq; ſuas ſinguli eccleſias inuiſerent, ac per ſe regerent, annuorũ vectigalium mulctam comminatus. Ex his initiis magna diſſidiorum moles cõſecuta breui eſt. Et tunc Pontifex Venetis triremibus Genuam miſit Octauianum Campofregoſum, alioſq; Genuenſes exules, vt eorũ opera, ſuaq; auctoritate q̃ in ea vrbe obtinebat, quippe Sauonæ vrbe vicina natus, ciues ſub imperio Gallico quieſcentes ad mutandam fidem impelleret. Simul ſi quid ea diligentia in vrbe moueretur, Marcum Antoniũ Columnam Luca, vbi agebat, cum equitum & peditũ manu propius accedere, præſtoq; eſſe ad omnem rei bene gerendæ occaſionem mandauit. Conatui ſucceſſus defuit. A Venetis tamen Mantuanum dimitti è vinculis & captiuitate liberum impetrauit, idoneum hominem ratus quem Gallico, q̃ meditabatur, bello ducem præficeret, fidei obſide eius filio, quem tradi ſibi voluit à patre belli Ferrarienſis cura Franciſco Vrbinati Ioannis fratris filio demandata eſt. Vniuerſam eam ditionem occupare armis ipſamq; vrbem Ferrariam Pontificibus Romanis quippe directis dominis reſtituere deſtinarat, Galli nulla cura in cuius tutela erat, & Dux eius auſpiciis bello diſtrictus. Belli initia lęta fuerũt, triſtis exitus. A Põtificiis enim breui quæcumq; oppida & arces Ferrarienſis in Aemilia vltra Padum obtinebat, armis præſidiiſq; ſunt occupata. Lucus circunſeſſa accurrit præſidio ex Inſubribus Chatillonius cũ trecentis Gallis cataphractis ad quartum Kalendas Auguſti. Eius aduentu Pontificii veriti vt pares eſſent, Lucẽſis arcis obſidione ſoluta raptim Forũ Cornelii abiere mæniũ & munitionis fiducia. Præſidio deſtituta oppida præſertim veteri imperio, incolis ſtudentib. facile ad ditionẽ Ferrariẽſis rediere: ſed belli fortuna alternante rurſus amiſit. Cardinalis Ticinẽſis Mutinã ciuiũ quorundã fraude porro occupauit Pontificis nomine. Rhegiũ finitimã vrbem ne pari arte caperetur ad idoneã militũ manum à

Ferrarienſi

Ferrarienſi miſſam, acceſſere à Carolo Amboeſa ſummo Gallorũ duce & rectore in Inſubribus, ducenti grauis armaturæ equites. Sic in præſentia periculum vitatum. Vrbinas Bononia munienda nauare operam, metu ne Gallici exercitus robur in eius perniciem incumberet, repentina vi aut poſitis iuxta caſtris. Aduerſus Gallorum conatus bellumq; vt in Inſubribus excitaret Heluetiorum duodecim millia in Italiam attrahere viſum eſt gentem ferocem virtute militari præſtantem, octo millia ſtipendiis Pontificiis conducta quatuor alia Venetorum ære. Gallos ex Inſubribus deturbare, ac vero ex vniuerſa Italia, Maximilianumque Sfortiam in Germania exulem & vagum in maiorum opes reponere deſtinatum erat. Heluetios deducendi cura data eſt Epiſcopo Sedunenſi & ipſi genti Heluetio, quo maior diligentia eſſet, iniecta etiam purpuræ ſpe. Maiores viribus Pontificis conatus erant, ſed ingenio ipſius conſentanei ſuapte natura turbido, inquieto, ardenti, cuius rei per totam vitam multa & magna documenta extiterant Sixti auunculi pontificatu magnus diſſidiorum artifex architectuſque Innocentio Pontifice Neapolitanis proceribus auctor arma in ſuum Regem ſumendi, vti fama tulit, Alexandro Pontificatum adepto Gallis, vt venirent in Italiam, & publicã pacem turbarent præſens perſuaſit. Sic omni tempore pacis ſe impatientem oſtendit, turbarum amantem, quietis tædio nouas belli cauſas circumſpiciens Pontificis conſilia nõ latuere Carolũ Amboeſam. Mediolanum copias retulit, ſi quid moueretur, eius certe vrbis & Genuæ imperio conſulere parans. ea incolumi ditione reditura alia. Diſceſſus tamen alia ſpecies erat. Cæſare abſente nullum operæ pretium extare, tantis laboribus & ſumptu profici parum, neque conatibus euentum reſpondere præſertim Venetorum viribus identidem auctis nouis ex AEmilia aliiſque regionibus ſupplementis militaribus. Reſtitit tamen Triuultius cum valida cataphractorum manu, ne ſine eo præſidio Cæſarei impares hoſtibus eſſent: ac ne durare quidem in caſtris & campis patentib. poſſent, quippe aduerſariis inferiores. Mutata fortuna belli rebuſque inclinatis is metus Germanos inuaſerat, vt Vicentiæ munitione diffiſi tormenta bellica ex ea vrbe eiuſque arce Veronam comportanda iudicauerint, maiori ſalutis cura quã laudis. Gonſalui vxor Maria Manrica eatenus Genuæ reſtiterat. Suſpecta Gallis eius mora eſſe cœperat, quoniam virum Pontifex non ceſſabat in Italiam euocare, honeſtiſſima conditione oblata imperii militaris ſuarũ copiarũ. Vt eam amoueret ſuſpicionem, per hoc tempus mari diſceſſit in Hiſpaniam. Ad cuius prouinciæ fines, qua Aquitaniã ad Oceanũ attingunt, Fonterrabiæ municipes cum Hõdaiæ Aquitani oppidi incolis de Vedaſi fluuii vtroſq; agros interfluentis Galliãq; dirimentis ab Hiſpania, poſſeſſione diſceptabant vtrius oppidi iuris eſſet, non parum ſæpe armis. In controuerſia à Regibus dati iudices ripa ſua cuiq; oppido attributa fluuium communem fore pronunciarunt. ſalutari temperamento quieuere tandem ii motus.

Pontifex Ferdinando Regi Neapolitanum regnum attribuit. CAPVT XXIV.

FErdinandus Rex Aragonios, Valentinos & Catalaunos Montionẽ ad generales conuentus euocarat, duodecimo Kal. Maii in edictis adſcripto, quo die præſto cuncti eſſent. In ſubſidium Africani belli, cuius cura proprie eam gentẽ attingebat, pecuniam ordinum voluntate redigere, erat propoſitum propter inopiam ærarii tot bellis exhauſti. Ineunte vere ne occaſioni definitoq; tempori deeſſet, Madrito diſceſſit. In eo municipio Ferdinandus nepos & Hiſpaniæ Cardinalis ſubſtitere, præterea regium conſilium. Regem proſecuti ſunt Aſſidonius & Petrus Gironius, eorum quæ iuuenili errore deliquerant, venia iam impetrata, & Sãlucari tamen Nieblæ, & Huduæ arces quaſi fidei pignora retentæ. Duobus adiuncti ſunt Magiſter equitũ Prieghi Marchio, atq; Vreniæ Comes officio in Principẽ incitati, an proſequi eũtẽ iuſſi ne turbas cõcitarẽt. Hoc comitatu Cæſarauguſtã appulſus Montionẽ inde abiit. Magna gẽtis frequẽtia conuenit, ꝙ ii primum generales conuẽtus Ferdinãdo Rege in ea gente haberẽtur. Antea enim ſingulæ prouinciæ Aragoniis Regib. ſubditæ, per ſe ſuos conuentus agitarãt. His reb. diſtrictus quamuis Rex belli Africani atque Italici curã animo cõplexus à Rege Gallo imprimis cõtendebat, vt ſancita ante annos aliquot in fœdere lex de regni Neapolitani ſucceſſione, nulla ex Germana Regina ꝓle noua cẽſura immutaretur. His poſtulatis Gallus aures nõ accõmodabat ſpe cõcepta id regnũ obtinendi niſi iure & cauſa certe armis. Sic Ferdinãdi conat⁹ inanes extitere, præſertim Rhotomagẽſi Cardinali per hoc tẽpus defuncto, cuius penes Gallum præcipua gratia erat & reb. omnibus auctoritas, ſtudium haud obſcurum Ferdinando gratificandi, in iis quæ publicæ pacis intereſſent. Hac cura Ferdinando anxio ac dies noctesque varias cogitationes animo verſanti optimũ fore viſum eſt, odium Pontificis in Gallum conceptum in ſuum commodum conuertere, atque occaſionem ſuã facere. Prudẽs Princeps, qui quamcũq; rẽ è publica vtilitate fore prouidet, ea vtitur modo honeſta.

Vt Pontificia auctoritate ipsi & posteris regnum Neapolitanum quasi Romanæ ecclesiæ beneficium confirmaret, postulat. Graue id initio Pontifici visum est, neque ea indulgentia præiudicatum Gallo Regi quamuis infenso volebat. Deinde auctis odiis, bellis quæ erant in manibus & maiora meditabatur, ope ex Hispania iuuari expetens animum flexit: atq; vt indulgentiæ maior gratia esset, ita postulatis annuit vt amplius nihil desiderari posset, ne si Ferdinandus arbitrio suo diploma fingeret. Ab Alexandro Pontifice Gallus parte eius regni concessa fuerat Neapolitanus & Hierosolymitanus Rex dictus, vti superius est indicatum. Id decretum mouere præsertim Rege inaudito erat plane difficile, neque exemplum satis probabile. Ad artes conuerso animo pronunciare visum est, Pontificium beneficium irritum videri redditum dupliciter honorario vectigali ab eo Rege, vti erat iussum, nunquam repræsentato, præterea absq; Pontificis venia, cuius eæ partes erant, de regno Neapolitano superiori fœdere cum Ferdinando facto. Dignum videlicet abdicatione facinus. Hac pronunciata Pontifex sententia, quod erat consequens, regnum Neapolitanum Ferdinando & successoribus confirmauit vniuersum, ea lege vt Petri & Pauli festo die annuas octo millia auri vncias in Pontificium ærarium inferret, quolibet triennio equum candidum daret, in præsenti quinquaginta millia aureos. Tantundem successores cum primum Reges essent à Pontificibus dicti. Enimuero repetitæ in Ferdinando eæ leges sunt nihilo mutatæ, quibus Carolo eius nominis primo id regnum fuerat olim à Pontificibus delatum. Sed & eæ leges ineunte mense Iulio impositæ à Pontifice & Cardinalium collegio, paulo post mitiori censura castigatæ sunt omnino ad septimum Id. Augusti. Remisso enim annuo vectigali & quinquaginta aureorum millibus, equum candidum quolibet triennio repræsentari satis habuere, ac quoties in Pōtificia ditione bellum esset auxiliares mitti trecentos grauis armaturæ equites: qua vna è pactis antea conditionibus decedere non placuit, quoniam ea ope in bello Ferrariensi vti destinabant. Sic in præsenti decidere. Annis consequentibus à Leone Pontifice imperatum, vt ii Reges annua septem aureorum millia penderent, veniæ pretium Carolo Augusto concessæ imperii Romani nomen cum eo regno iungendi, contra quam leges olim Andegauensibus & Aragoniis Neapolitanis Regibus impositæ ferrent. Gallo Regi graue accidit, Neapolitana iura ea indulgentia à se in Hispanum translata. Ferdinandi se fraude delusum, Pontificis iracundia violatum accusare: vindicaturum ferro nisi esset id decretum abrogatum. De quo eius legatus coram Ferdinando Rege grauissime expostulauit Montione: vbi Aragonii conuentus erant diras minasq; detestatus. Inani verborum sonitu nostri parum mouebantur. In iis conuentibus Idib. Augusti ordinum voluntate in bellum Africanum quingenta aureorum millia decreta sunt, ingens summa siue tēpora consideres, siue gentis immunitatem. Sed tanti erat impiam gētem bello opprimere. Auxit studium animorumque ardorem nuncius iis dieb. de capta Tripoli allatus. Additum nouo decreto, si Regem priusquam conuētus esset solutus, alio aut belli cura aut Castellæ rerum procuratio euocaret, vt Germanam Reginam pro se conuentui præficeret. Facta etiam eidem copia denuo, si res ferrent, gentes ad conuentus euocandi, modo eam Rex pro se vicariam reb. in eo regno gerendis nominaret. Sancitum præterea vt in ea gente collegia soluerentur ciuium ante annos aliquot instituta latrociniis & cædibus vindicandis. Ab nullo non genere periculum non est, si cœtus & consilia & secretas cōsultationes agitare permittatur. Sæpe etiam quæ salubriter instituta erant, abusu hominum & ipso tempore deprauātur. Affuere conuentibus, vti erat necesse, Antonius Augustinus Vicecancellarius & Ioannes Nuza Aragonum Iustitia. Prima vox Alfonsi Aragonii Cæsaraugustani Præsulis fuit. In procerum ordine primi assederunt Belchiti & Arandæ Comites. Inter nobiles Michael Gurrea, & Michael Peresius Almasanius. Accessere procuratores Aragoniæ Valentiæq;, atq; earum vrbium & municipiorum, quibus ius suffragii gentis instituto in conuentib. dari solet. Legati Principum atq; è Castella, Neapoli, & Sicilia proceres magno numero Montione versabantur, conuentus quidem expertes, familiæ apparatu & splendore vestium elegantiaq; inter se certantes clari nobilitate opibus magni.

Garsias Toletus in Gerbis insula occisus. CAPVT XXV.

AD Malacam Bæticæ vrbem instructa classe vt Garsias Toletus in Africam transmitteret bello dux vrgebat Ferdinandus Rex. cunctabatur ille metu pestis Bugiæ grassantis. Ita non ante adultam ęstatem conscendit classem, qua septem hominum millia vehebantur, validum supplementum. Mollib. tempestatib. Bugiam vētum breui, ibi classis partem & tria militum millia reliquit vrbi pręsidium. Dieghus quoq; Vera rebus vrbanis composi-

compositis, ex eo portu soluit comes nauigationis, vnaque in Tripolis portum sedecim intulere naues. Opportunus eorum aduentus extitisse videbatur. Petro Nauarro octo hominum millibus in suam classem iam impositis propediem petituro Gerbim Tripoli ad occasum dissitam trecentis circiter millibus insulam præcipuam & maximam earum, quæ Africæ littoribus adiacent. Veteres Menyngem, Girbamque dixere. Iouius Girapolim, vnde? Campi plani atque arenosi, palmetis & oliuetis impediti grata oculis viriditate. Continenti proxima est adeo, vt ponte cum Africano littore iungatur. Circuitu sedecim amplius millia collegit, aquæ penuria, nullis fontibus, oppidum nullum villæ tantum & ad mare arx Principis domicilium. Tunetano olim Regi subdita, tunc peculiari regulo seruiebat, quem lingua gentis Xequem dicunt. Nauarri consilio probato breui cum copiis, quæ ad Tripolim erant, & classe eo discessere. Venere in conspectum ad quintum Kalendas Septembris die Iouis, Augustini memoria sacro. Milites nullo repugnante in terram desiliere insulam inter & continentem ad locum cui Pōtifracto est nomen. Copiis omnibus in septem agmina tributis, Garsias Toletus quamuis summam imperii militaris obtinebat, in prima acie cum peculiari nobilium manu ipsum secuta curare voluit. Quidam repugnante Nauarro defendunt, fama frequentior consensisse damnat fortassis, vt sine æmulo imperaret, aut potius ne ardenti iuueni repugnando rixam concitaret. Maurus sub signis habebat equites centum & quinquaginta pedites ad duo millia, plerosque tamen inermes sudibus & cōtis armatos, debilitatos metu, prorsus vt ne veniretur ad manus fœdus appeterent oblatis honestissimis conditionibus, quas nostri gentis contemptu spe certa victoriæ repudiarunt. Post meridiem mouere agmina ardēti iam sole, pene vt flammæ excitari in nudo & arenoso solo viderentur. Ab imperitis hæc ad nomen infelicis exitus vertebantur. Quod in pace fors & natura, in periculo prodigium & ira Dei esse creditur. Æstus & pulueris impatientia laborare omnes sine sensu & sine mente, in terram abiecti non pauci præ siti periere. Aliquanto spatio progressum erat, cum primum agmen ad palmeta quædam peruenit. Ibi cōspicati milites parietinas, atque ex eo suspicati eo loco puteos esse retineri non potuerunt quin desertis ordinibus relictisque signis ad explendam sitim frequentes concurrerēt. Mauri è propinquo conspicati nostrorum turbationem, suamque occasionem rati in vagos & palantes dedere impetum. Garsias & cæteri equites in pedes destituti arma expedire. Animaduerso periculo quidam vt desisteret, seque retro referret monere. Apage tantum nefas, ait, Inferte milites gradum. An huc processimus vt terga vertamus? Vitam eripere sors aduersa poterit, nos tamen non committemus vt nostræ nobilitati macula inusta, officii obliti videamur. Illud cauete socii ne inulti ponamus animam, nemo nisi in hostem versus cadat. Ea suprema cura esto. Hæc flagrans oculis, væcordi voce dixit simul de Aragonio quodam nobili, arrepta militari hasta in Mauros ingruentes inuasit. Neque ducis verba, neque virtutis exemplum mouere milites. Auersi in fugā ferme omnes continuo terga dederunt. sensum excusserat metus, proximo exitio pudore validior. Mauri cuneo facto in nostros inuecti primo impetu ex promptissimis quatuor peremerunt, Garsiam Toletum, Garsiam Sarmentum, Loaysam, & Christophorum Velasquium præcipua omnes nobilitate ordinum ductores. Fugientium consternatio tanta extitit, vt agmina integra, quæ retro sequebantur, trepidatione turbarent, densi & conglobati perfringerent ordines, prorsus vt omnes fugam arriperent. In eo periculo Nauarrus, quoniam nihil aliud supererat, præsidium à prudentia petens, agmina Dieghi Paciechi, & Egidii Nepotis quę in subsidiis secum reliquerat, locis idoneis insessis, qua nostri fugiebant, hostes transitu prohibere mandauit. Salutare consilium ne cuncti simul perirent. Alioqui inopinato casu turbata Nauarrus mente tanti quamuis vsus dux, quasi officii & virtutis oblitus inter primos classem conscendit. Mollior interpretatio, & fortasse verior, triremes, quæ propius littus in alto erant, vt milites acciperent pro imperio efficere voluisse. Multi enim deficientibus scaphis ad natantes quoniam metus misericordiam non recipit, conscensione in naues prohibiti inter fluctus peribant, in rabiem desperatione versi talesque nautis & militib. in periculo socios & commilitones precantes. E nostris quatuor millia desiderati sunt qua cæsi qua capti. Nobiles maxime pręter superiores perierunt Alfonsus Andrada, Santangelus, Melchior Gonsaluus Aragoniæ Conseruatoris filius, aliiq; genere & factis eximii. Garsiæ corpus victor ad se delatum aliquanto post, quoniam intelligeret è præcipua Hispaniæ nobilitate ac Regis esse propinquum in ligneo loculo seruari: facturumque quod placuisset, ad Hugonem Moncadam Siciliæ Proregem scripsit. Garsiæ filius Fernandus Aluarus Toletus in tenera à patre ætate relictus accedentibus annis in eximium bellatorem euasit, atque ita vt nulli

duci nostra & parentum ætate priores concessisse videatur magnus animo par prudentia felicitateque. ingenium paulo asperius & morum seueritas nocuit, ne cum quolibet antiquorum ducum conferatur. Garsiæ pater Fridericus Ferdinandi Regis consobrinus fuit. Auus Garsias primus ex ea familia Ducis nomen & honorem promeritus. cuius pater Fernandus Aluarus Toletus patrui Guterrii Toleti Archiepiscopi Toletani dono Albani municipium non procul Salmantica accepit, Comitis nomen Regis beneficio. Nauarrus priusquam ex hostili littore solueret Egidium Nepotem & Alfonsum Aquilarium ad Regem ablegauit nuncios & testes cladis acceptæ. Ducem occisum, plerosque milites periisse, grauiorem clade ignominiam. Dein triremibus Neapolim amandatis, vti erat iussum, cum reliqua classe aduersis quamuis tempestatibus per octo iactata dies, Tripolim tenuit ad tertium decimum Kalendas Octobris. Ad eius vrbis præsidium tria militum millia reliquit duce Diegho Vera. Parem numerum ætate aut vulneribus graues plerosque etiam integros missos fecit. Cum classe & quatuor millibus ex omni copia delectis ad vexanda Africæ littora processit Gerbim inter & Tunetum. Idoneum nauigationi tempus non erat: continuis procellis sæuienti mari, ad Lampodosam seu Lopadusam dum hyemis sæuitia remitteret, classem & militem continere necesse habuit, vnam ex insulis, quæ Africam inter & Siciliam obiacent. Safinum in ora Africæ Lusitanis subditam vrbem fine huius anni innumera Maurorum impugnabat multitudo. Venere ex Madera insula militum numeri. Opportuno auxilio confirmatus Ataydius præsidio præfectus vrbe acerrime defensa Mauros conatu abscedere compulit. Soluta obsidione in vicinos Maurorum agros irruptione facta, Almedinam vsque prædabundus processit triginta duobus millibus nihilominus dissitum oppidum. Variæ pugnæ cum Mauris factæ. magnam hominum pecorumque post collectam prædam tamen in reditu hostibus magno numero circumfusis amisere. Magna alioqui virtute dux consequenti tempore sæpe Mauris molestus & grauis extitit; aliquando ad ipsas Marrocii vrbis portas prouectus maiori aliquanto audacia quam fructu, facinus quod laudarent multi, cautiores accusarent. Sic sunt hominum tum facta tum iudicia. Pari studio in opere versabantur Ioannes Coutignus Arcillæ Præfectus pro patre Vasco Coutigno Borbæ Comite: Item Petrus Sosa cui Azamoris credita custodia erat. Duces apprime pugnaces Lusitaniæ ditionis fines & laudem gentis extendere in Africa non cessabant, latissima prouincia in multa diuisa imperia nulla imperantium concordia, eoque prona in exitium, neque par Hispaniæ futura, si pace Principes facta iunctisque viribus in eam curam incumberent impiæ gentis extirpandæ.

Libri vigesimi noni Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXX.

Quidam Cardinales ab auctoritate Pontificis diſceſſerunt.

CAPVT I.

VNo ferme tempore Ferdinandus Rex ſolutis Montionē Aragoniis conuentibus per Cæſaraugustā ſeſe in Caſtellam retulit, & Iulius Pontifex Roma digreſſus Bononiam feſtinauit Galliæ Ciſalpinæ vrbem primariam vterq; re neceſſaria. Regi deliberatum erat Caſtellæ conuentibus intereſſe, ad quos per edictum Madritum gētem antea euocarat. Maior tamen cura belli Africani ſuberat: quo ſe iturum videri voluit acceptæ vtiq; ad Menyngem inſulam cladis in vindictam inflammatus. Bellum Italicum animo porro & cogitatione verſabat: quo ſinguli Principes vocabant eius opem flagitantes certa victoriæ ſpe in quamcumque ſe partem dediſſet præcipua auctoritate par opibus. Vni ſe reſpublica totam tradiderat temporib. coacta & inteſtinis diſſidiis, quam late Chriſtianorum nomen patebat. Pontifex Bononia, quo Septembris fine peruenit in bellum Ferrarienſe maiori conatu incumbere deſtinabat: in quo Vrbini Dux copiis Pōtificiis Præfectus parum eatenus promouerat. Hoſtis & ſuo apparatu diligentiaq; confiſus, & Galliæ opib. ſuperbus & contumax, Pontificios vrgendo coegerat, ſeſe prope Mutinam munitis caſtris tenere. Spe aliquantum ſuſtentare poſſe, metus amplior. Madriti Ferdinandus pridie Nonas Octobris coram Cęſaris & Caroli Principis legatis atq; Pontificis Nuncio, vti Bleſis in fœdere ſancitum erat, cōceptis verbis Caſtellæ commoda pro eo ac par erat, procuratoriſq; munus exigebat, curaturū ſe iurauit. De Pontifice & Gallo cura anxius, qua ratione vtriq; ſatisfaceret ſine alterius offenſione mediā perſonam ſuſtinere ſtatuit. Ita Fabricio Colūnę mandat vt è Neapolitano equitatu trecentos grauis armaturæ equites ad Pontificias copias adiungat, cum eo tamen ne Gallicis finib. inferatur bellum, contra Ferrarienſem iuuare ſatis habeat. Ea ope quāuis neceſſario præſtita quippe debita Neapolitani regni cauſa & iure, ne Gallus offēderetur; quaſi exæquata lāce Villamarino maris Italici Præfecto cura data vndecim triremes recens à Nauarro ex Africa miſſas in Ligurię oram ducendi, eoq; præſidio Genuenſes ciues frænandi, ne Gallici imperii iugum excuterent: q; moliri videbantur. Termenſtinus Veronæ agebat cum quadringentis equitib. eius curæ cōmiſſis, Hiſpani Regis ſtipendio Cæſaris ex commodo bellum gerēs. Eam vrbem poſitis iuxta caſtris acri conatu impugnantes Venetorum copias numeroſas quamuis & validas ſoluta obſidione in pacata ſeſe referre tum præſidii virtus compulit, tū Caroli Amboeſæ cum quadringentis cataphractis obſeſſis opitulatum feſtinantis metus, ne à tergo & à fronte circūuenti pares vtriſq; nō eſſent. Maior aliunde atq; atrocior tēpeſtas extitit. In diſceſſu Pontifex Romæ Cardinalib. edixerat ſe vt cuncti ſequerētur nulla excuſatione accepta. Eorum quidam ingenii Pontificii aſperitate offenſi, an conſiliis occulte cum Gallo communicatis, atque in rerum nouarum ſtudium incitati Neapolim abire cogitarunt. Appellatus de ea re Prorex Cardinales finib. accipere detrectauit molitiones fortaſſis odoratus. Sic mutato conſilio & re neceſſaria Florētiam proceſſere. In ea vrbe Bernardini Carualii tentata valetudo ipſi & ſociis ſubſiſtendi opportunam occaſionem prębuit. Non ceſſabat tamen Pōtifex vt ad ſe cōtinuo venirent, in dies flagitare, ipſa flagitationis importunitate ſuſpectior, ſubeſſe profecto fraudē aut conſilia vulgata. Eo metu alias ex aliis nexas moræ cauſas excuſare, quē curſū cōmotæ res habiturę eſſent expectātes. Nā quo tēpore Pōtifex

Bononiæ erat, eius copiæ Mutinæ, magnus Galliæ Magister facinus aggressus est magis ad nominis famam celebre, quam ad laudem. Cum quadringentis equitibus, quos Veronam duxerat, ea soluta obsidione, flexo repente itinere adiunctisq; aliis ducentis equitibus, qui Rubieræ erant, Bononiam improuisus accessit vrbem occupare satagens. Vires conatui impares Bentiuoli ex ea vrbe profugi subleuabant expeditionis comites atq; factionis opibus polliciti continuo venienti portas patefactum iri. spei euentus non respondit. Pontifici tamen & Cardinalibus vt in tali periculo, ingentem metum incussum opportunus Fabricii Columnæ aduentus depulit, ciues in officio confirmauit, Gallorumque spiritus fregit penitus: atque ita vt obsidione soluta retro cõtinuo redierint. Abeuntes & trepidos vrgere Fabricius noluit in tergis hærens memor regii mandati, Gallos non esse lacessendos, neque eorum conatus ad gratiam cuiusquam vindicãdos. Nouæ subinde spes, fœdi conatus excepere, vix priori metu sedato. Grauis repente morb. in ea vrbe Pontificem inuasit. Sanitate à medicis desperata turpi Patres ambitu prehensare inter se, nulla decoris memoria nulla probitatis & modestiæ, præ cupiditate assequendi quod animis destinarant, summum honoris fastigium. Recreata Pontifex valetudine indicatas molitiones ægre, pro eo ac par erat, tulit. quin Patres ad se ad quartum Idus eius mensis euocatos graui increpatione castigauit. Se superstite de successore agitasse. dignum vindicta commisisse facinus. Et sunt inuisi suspectique dominantibus qui succedendi spem importuno tempore præsumunt. In posterum ergo seuero edicto simoniaca labes coercita in electione Pontificum: quod edictum initio pontificatus perscriptum eatenus promulgare varias ob causas distulerat. De Patribus cura crescere, qui ad Florẽtiam substiterant, neque iussis obtemperare voluerant. monstri simile aliquid profecto versare animo neque cessaturos priusquam orbis Christiani pacem turbarent. Itaque, quod ipsi expetierant, facile dabat, vt Neapolim migrarent in metu benignus & placidus. Recusarunt illi vlterius progressi, quam vt reuocare gradum facile esset. Duo quin etiam ex eo numero Bernardinus & Cosentinus Ticinum abiere certa sententia generalem Episcoporum conuentum indicendi. Insolẽti facto species obiecta honesta scilicet ecclesiæ moribus, qui nimium prolapsi erant, castigandi acriori censura, ipsoque Pontifice si opus esset abdicando non minori præsidio opus esse. Præclari quidem conatus, ratio præpostera magnisq; incommodis obnoxia Gallus & Cæsar iis se consiliis miscuere paucorum temeritas patroni Ferdinando etiam Rege tentato si posset in eam fraudem induci. Blesis sane nouo Cæsarem inter & Gallum fœdere per idem tempus constituto opera Matthæi Langi Gursensis Episcopi, qui Cæsari a secretis erat gratiosus & familiaris, accessit etiam in partem Cabanillas Ferdinandi legatus, sed cum mandatis, ne quid in Pontificis dignitatem decerni pateretur. Parum tamen ea cautione præstitum est. Inter cætera eius fœderis capita, expressum debere quidem reliquos socios virib. iuuare Cæsarem dum ditionis Venetæ partem sui iuris, obtineret armis: sic Cameracensi in fœdere præscriptum fuisse. hactenus non male. Additum tamen vt Põtifex iure potius quam armis cum Ferrariẽsi disceptaret. Si parere salutaria monentibus obtestantibusq; recusaret, à Cæsare in Germania eius nationis Episcoporũ cõuentus agitarentur nationales, idemq; in Aragonia & Castella fieret ad ea constituenda quæ paulo ante Gallicana ecclesia sanxerat Aureliæ primum deinde ad Turones conuentu gentis habito. Miseram temporum labem à profanis Christi Vicario leges imperandi præscribi. In vno peccato quot & quanta extitere peccata? sed præcipua capita erant, quibus pontificatus propemodum redigebatur in ordinem vt Gallici sacerdotes, ne exceptis quidem Cardinalibus aut in Pontificis familiam adscriptas suas singuli ecclesias regerent, in Galliam reduces. Si repugnarent intercepti annui redditus in templorum alios vsus & commoda vetterentur. Exitiale decretum ecclesiæ paci inimicum, dissidiorum fons. Pontifici vsq; adeo graue, vt diris & anathemate detestatus fuerit, quicumq; impio decreto obtẽperassent. Ac nominatim magnum Galliæ Magistrum atque Triuultium cæterosq; duces Gallica in Italia stipendia facientes, ad hæc quicumq; ecclesiæ Gallicanæ conuentibus interessent. Ne Ferdinando quidẽ Regi, Blesis recens ictum fœdus placuit: neque Gallicanæ ecclesiæ damnatum exemplum, ne importuni quidem Cardinalium conatus. Ac potius Cæsarem pro necessitudinis iure ab ea mente deductum Pontifici conciliare & cum Venetis in pace ponere tentauit. Quo tẽpore de Ioanna Neapolitana Regina Carolo Sabaudo Duci iungenda actum est. Ferdinãdus Reginæ auunculus coniugii conciliator præcipuus ducentis aureorum millib. in puellæ dotem cultumq; designatis. Ita quasi re confecta se illam Sabaudiæ Ducem dixisse huius temporis tabulæ indicio sunt. Neque tamẽ id conugium coaluit, qua causa incertum suspicor Reginæ ætatem displicuisse annis prouectæ: ac consequentib. certe annis

Beatricem

Beatricem Lusitani Regis filiam Carolo iunctam constat. Neapoli anni fine tumultus extitere plebe ad arma consternata offensaque vehementer aduersus Inquisitores qui more ex Hispania translato cœperant in ea vrbe iudicia de religione exercere, maiori seueritate quam mores gentis reciperent. Ierant Andreas Palacius Inquisitor, & illi adiunctus Archiepiscopi Vicarius. Malo commotos populares frænare non licebat. Sæuiente indies motu Prorex per edictum Iudæos omnes quique ex ea gente Christianis sacris abdicatis ex Hispania non ita pridem venerant, quorum erat magnus numerus, eius regni finibus arcuit. Exilio parando proximus mensis Martius designatus. Ea colluuione pulsa ciuium ac vero totius prouinciæ in veræ religionis constantia & animorũ pietate satis perspecta Inquisitionis & rem & nomen minus videri necessaria: proinde cessare & amoueri sancitum. Et vtiq; periti sæpe naucleri sæuientis pelagi fluctibus quandoq; obniti non audent, ventorum violentiæ cedunt. Pontifex ipse, cuius maxime dignitati Inquisitores seruiunt, ne incommodo tempore eo constituto tribunali turbarent tranquillitatẽ gentis, auctor erat. Sic populus conquieuit.

A Gallis Bononia occupatur. CAPVT II.

GAllus Rex Ferdinandum suspectum habere cœperat, ne Pontificis partes subleuaret cum eo nouo fœdere facto. Heluetiis magno numero Pontificis auro cõductis ne in Mediolanenses fines bellum verteretur, porro metuebat. Ea cura Pontificẽ placare constituit sibiq; adiungere interprete atque annitente Francisco Alidosio Ticinensi Cardinali, qui multum apud eum gratia & auctoritate poterat. In bellum Turcicum equitum peditumq; validis copiis oblatis, Ferrariẽsem præterea pollicebatur redditurũ Pontifici Centũ Plebemq; agri Bononiensis oppida, annuaq; quatuor aureorũ millia repræsentaturum vectigal pendi antea solitum. cęterum quo ab Alexandro Pontifice fuerat liberatus, eaq; oppida acceperat, dotis nomine vtrumq; cũ vxore Lucretia Borgia. Adiecit decessurum omnibus oppidis, quęcumq; in Flaminia obtinebat. Honestæ conditiones, nisi Pontifex animo speque vniuersam Ferrariensis ditionem cõplexus esset. Obfirmatur animus quem ingens spes percellit. Mutina occupata Rhegium Lepidi & Rubieram haud longinqua oppida adiicere cogitabat propediem. Põtificis conatus grauis Cæsari extitit Mutinam & illi contributa oppida imperii beneficiũ Ferrariensi datum quasi stipẽdiario detrahi se inscio, ne dum auctore. Monuit ne vlterius progrederetur, ac Mutinã potius sibi redderet. alioqui iniuriam curæ fore. Monuit ea denunciatio Pontificem facileq; adducebatur Mutinã Cæsari dare, sed cum eo si retineret sibi, certe ne eã Ferrariensi traderet, multo minus Regi gallo. Ferdinandum belli Africani cura imprimis solicitabat: neque Italiæ motus negligebat quasi ex specula in omnes dispiciens partes. Ita Termẽstino quoniam Cæsare absente, nulloq; idoneo exercitu parum ad Veronam proficiebatur, vt Neapolim rediret cum suis equitibus mandat. Fecit ille q̃ iussum erat, ex itinere a Pontifice quem ad Bononiam inuisit, benigne acceptus cultusq;. Madrito Rex reb. aliis omnibus prætermissis Hispalim abiit ineũte salutis anno mill. quingentesi. vndecimo in apparatus 1511
plane Africanos intentus. Cladẽ ad Menyngem acceptam vindicare destinãtem nouum præterea incommodum amplius irritarat, Vilanello tribuno ad Querquensiam insulam cum quadringentis militibus, qui aquatum egressi erant, obtruncato a Mauris: qui noctis silentio & tenebris tecti inopinantes & somno sepultos oppresserunt ipso Matthię Apostoli festo die. Pontifex quoque media hyeme, quæ fuit præter morem sæuissima, bello Ferrariensem ditionem fatigabat. Et quoniam eius & Venetorum copiæ parum proficiebant, vt erat ardens animus, mora omnis grauis, ipsemet nulla valetudinis memoria Bononia digressus Mirandulam impugnatum abiit. In qua obsidione accidit vt Pontificis de belli ratione cum aliis Patribus deliberantis tentorium euerteret globus tormẽto ex arce eiaculatus sed citra cuiusquam noxam, eorum qui aderant Patrum. Rei gestæ & diuinæ indulgentiæ monimentum pila ipsa in templo Lauretano celeberrimo appensa capitis humani magnitudinem exæquans in hunc diem coram beatę Virginis signo visitur, cui salutem acceptam Pontifex tulit. Intra id vtique oppidum Ludouici Pici Comitis vxor viro defuncto verita animum Pontificis irati irritati periculo, & vt viribus par esset, quamuis mœnibus armisque munita commeatuque instructa, id dedere tamen constituit. Ab eo initio obfirmato amplius Pontifex animo quasi certa victoria Bononiam ipse discessit, ad obsidendam tamen Ferrariam militem amandauit. Accessit Andreas Gritus cum Venetorum auxiliis. Conatus inanis fuit. Ferrariensis validis copiis & omni bellico apparatu instructus, atq; magno Galliæ Magistro cum equitatu, quem ad Veronam habebat, se se ad Padi ripam ostentante, dimicandi decreto, si opus esset, effecit vt Pontificii se se necessario retro referrent vtrisque viribus impares futuri si ad manus ventum

esset. Eo depulso periculo Galli flexo itinere Rhegium abiere: vbi Gasto Fuxensis curare vrbemque tueri iussus erat, præclara indole iuuenis regia nobilitate. Mutina ne eodem impetu caperetur, quamuis supremo à Gallis conatu impugnata Marci Antonii Columnę virtute & diligentia factum est, eam vrbem præsidio Pontificis nomine obtinentis quamuis deditam iam expetenti Cæsari auctore Ferdinando Rege. Pontifex quoniam priores conatus non successerant, denuo in ditionem Ferrariensis incurrere statuit. Rhauenna vrbs commoda visa est, per cuius fines Pontificiæ copiæ progrederentur, certiori (quippe mare proximum est) Venetæ classis ope, commeatu parato. Hoc consilio Bononia cum copiis rursus discessit. Euentus priori nihilo melior. Victi quin etiam Pontificii repulsique. neque classis Veneta aduerso Pado in hosticū penetrare est ausa: hostilibus tormentis in ripa eius fluminis dispositis memoria superioris temporis cautiores, ne insignis aliqua clades rursus acciperetur verebantur. Quo tempore Carolus Amboesa Chaumontius regulus, magnus Galliæ Magister ex morbo Rhegii decessit ad tertium Idus Februarias. Mense proximo Pontifex Rhauennæ nouem creatis Cardinalibus senatum suppleuit. In eo numero Sedunensis Episcopus lectus est, natione Heluetius, tum Gursensis antistes à Cæsare tunc in Italiam legatus de controuersiis, quæ illi cum Venetis, cum Gallo, & cum Pontifice erant. Vtrumque purpuræ honore dato promereri placuit, atque in partes traducere. In Chaumontii locum substitutus Triuultius militari prærogatiua, dū noua à Gallo venirēt mandata & sua spōte & Mirādulæ Comitis, quippe ex sorore natæ, iniuria prouocatus dolorē vindicare cōstituit. Præclara occasio se se dedit Bononiā vrbē occupādi discessu Pontificis præsidio vacuā, certe neq; valido neq; vigilanti munitā, ac potius in socordiam resoluto. Aduolauit cū milite Triuultius vrbemq; nulla difficultate obtinuit. Vrbinate præsidii pro Pontifice Præfecto cum militib. ac reliquis ducibus raptim profecto quoniam in repentino metu parem se hosti præsertim à parte ciuium adiuto fore non putabat. Discessit etiam Ticinensis Cardinalis Rhauennamque abiit, vbi apud Pontificem patruū Vrbinatem accusare acerrime nō dubitauit. Tantum gratia potest; quæ leui momento circumagitur apud Principes maxime. Eius culpa amissam Bononiā affirmare: ac vero consilia in Pontificem cōmunicasse cū Ferrariēsi: cui ex arcano bene cupiebat, Eleonora vxore ex Isabella Ferrariēsis sorore nata quæ Francisco Mantuano nupserat. Non latuit ea siue calumnia siue accusatio Vrbinatē. Sic fert aulæ consuetudo, vt nihil occultum esse patiatur plena delatoribus. Inuidia eo nocentior quo magis ex occulto grassatur. Ergo in vindictam præceps die quodam in Cardinalem ad Pontificem euntem, quamuis multis asseclis atque in iis aliquot centurionibus stipatum, in platea cum armatis irruit, adactoque in viscera gladio peremit. Quid Pontificis beneuolētia profuit? quid purpuræ sacræ pares opes? Insignis audacia, sed tanti iracundia fuit. Ne impii parricidii pænas daret, patruus Pontifex valuit: neque defuere sermones existimantium, vt sunt hominum varia iudicia, prona in deterius hominum persuasio, id facinus conscio profecto, atque auctore Pontifice fuisse factum, simulata fuga compositam inter duos atque peractam fabulam.

Ab aliquot Cardinalibus Episcopi ad concilium euocati. CAP. III.

SVperioribus comitiis pontificiis clausi intra cōclaue Patres consensu pro se quisq; sacramento sunt polliciti, quicumq; eorū esset Pontifex renunciatus intra bienniū Episcoporū è toto orbe conuentū habiturū: si falleret graui caput suū obtestatiōe deuinciēs. Sanandis reip. malis aut eam aut nullam spem superesse. Ab vniuerso ope expetitum remedium quid amplius morarentur? piorum vota diutius quid frustrari sinerent? Cōfectis suffragiis Iulius pontificatum adeptus, promissi immemor præsenti potentia viuorum odium restingui posteritatisque inuidiam existimabat præceps in consiliis & rapidus. Ne Constantiense quidem & Basiliense decretū tanti fuit quolibet decennio ea haberi concilia mandans, graui mulcta proposita, si quis saluberrimæ institutioni morā afferret. Accessere noua & multa dedecora Romanæ curiæ & aulæ pōtificię Alexādro pſertim & Iulio Pontificib. rerū Romæ potientibus, ꝙ pſens ætas accusaret & annaliū scriptores nobis vituperandum traderent. Pudet tēporis & fœditatis. Pleriq; modestia & probitate cōspicui tātis malis finē remediumq; optabāt. Medicinā facere quî possēt desperata ferme sanitate? peccādi cōsuetudo in morē trāsierat. metu omni pudoreq; sublato maiora nequitia præmia q̄ probitas & virt⁹ habuit. Miseram temporum conditionē. Et est morb. grauissimus, qui diffunditur à capite. Ad eam indignationem votaque multorum, adiuncta Cæsaris & Galli à Pontifice alienatio occasionem præbuit duobus Cardinalibus, qui Ticinum

cinum ſe contulerant, in partes attracto Narbonenſi itē Cardinali, vt ſuo & ſex aliorum Patrū nomine Epiſcopos ad generale conciliū euocarent. Ad terrendos Pontifices coercendamq; Romanam licentiam ea via inuenta erat magnis alioqui incommodis obnoxia: quod ſemper accuſabitur, & ſæpe recurret tamen. Et eſt nihil tam validum cui non ſit periculum à multitudine, ſi in cœtus coire permittatur. Itaque Mediolani, quo Ticino abierunt, in eam rem edicta euulgarunt in ipſo belli Ferrarienſis ardore; quib. cauſas explicarunt, cur iure Chriſtiano liceret, ac vero neceſſariū videretur, ad illud extremum atque vltimum decurrere, vt conuentus generales agitare curarent. Argumenta deeſſe qui poterant & cauſæ in tanta eius ſeculi prauitate tam corruptis moribus tum plebis tum ordinis ſacrati? Acceſſere Pariſienſis Epiſcopus aliiq; exciti ad edictum ex Gallia Præſules. Legati à Cæſare Hieronymus Nogarolus Comes & alii duo viri primarii à Gallo Rege totidem, qui ſuorum Principum nomine turbidos conatus adiuuarent. Ab his nouo exemplo edicta porro euulgata ſunt: quibus Cæſaribus & Gallis Regibus eccleſiæ Romanæ dignitatem curæ ſemper fuiſſe explicarunt. Malorum ad tyrannidē vindicandam ac publicam totius orbis ex eo fonte offenſionem amouendam, remedium ſalutare excogitaſſe Epiſcoporum ex toto orbe conuentum. In his omnib. edictis cōcilio vrbs Piſæ deſignatæ & Sept. Kalen. quo loco & tempore cuncti Epiſcopi præſto eſſent. Ac Cæſari quidem alia omnia placebant. Italiam tantum Germania mutabat, Conſtantia nominatim prælata, Piſis vrbi longinquæ, neq; tranquillę ſatis, rerum indigæ, quippe bello ſuperiori, quod diu cum Florentinis de libertate & imperio geſſit, exhauſtæ. Iis rebus cognitis Ferdinandus Rex Catholicus alienum ſe ab iis molitionibus oſtendit, eo maiori ſtudio, ꝙ in edictis in eam voluntatem, ipſum conſpiraſſe ſignificabatur. Cum Cæſare quin etiā agit, vt eo conatu deſiſteret. ſuperioris tēporis calamitatum exempla & vulnera recentia vix cicatrice obducta ſatis indicare, ea conſilia conatuſq; præpoſteros infeliciter cadere. Qui res nouari cupiunt, & imperia mutari, quid aliud quam ſibi & aliis exitiū parant? Quid ea ratione eoq; itinere quæri, q̃ diſſidiorum & tetri ſchiſmatis materiam? Præterea Cabanillæ ſuo in Gallia legato mandauit, blandis quidem verbis teſtato tamen Gallum Regem moneret, vti Bononiam cum ſubiecto agro Pontifici reſtitueret: neq; pateretur alia Pontificiæ ditionis oppida à ſuis occupari, ac multo minus eccleſiæ pacem turbari conſilio conuocato: ſi ſecus faxit, ne quid propterea reſp. detrimenti capiat, curæ fore. Excuſauit Gallus à Pontifice motam fœderis fidem neque pactis eum conditionibus ſtetiſſe. Bellorum euentus eſſe varios, victoriam cælo dari auferriq;: cuius voluntati nullus præſcriberet. Pacem non recuſare tamen modo æquam honeſtamq;: ſin bellum malent, neq; id timere. Ac nominatim petebat Cameracenſis fœderis conditionibus ſtari. Cardinales, qui à Pontifice diſceſſerant in priſtinum dignitatis gradū redire. Mantuano ſummo Veneti exercitus ductori iuriſiurandi gratiam fieri, qua ſe religione in eam militiā obſtrinxerat, reſtituto etiam filio, qui obſidis loco pro patre penes Pontificem detinebatur. Ferrarienſi veniā & pacem eſſe abrogatis ſententiis, quæ in eum fuerant pronunciatæ, neque propterea tamē oppidis decederet, quæ vltra Padū obtinebat, ne Cēto quidē & Plebe, quando dotis nomine erant data, vti paulo ante dictum eſt. Hæc ipſa Cæſar etiam per legatos flagitare. Quæ omnia grauia Pontifex iudicabat, & vt erat erecto animo, nō ferebat à ſubditis vt obtemperarent, imperandi leges dici. Ferdinandus nulla ſpe reliqua inſtantibus futuriſque malis auctoritate medendi, dolenſq; ſalutaria ipſius præcepta reſpui, vim adhibere ac metum ſtatuit. Ita depoſita media perſona palam ad Pontificem tranſiit tanto ſtudio eius dignitatem ab iniuria tuendi, vt Africano bello neglecto, quo ire cogitarat, in vnam belli Italici curā toto pectore incumberet. Eoq; mille ſagittarios perſoluto tamen ſtipendio dimiſit, qui Gadeis peruenerant Iunio menſe ab Anglo genero miſſi in bellum Africanum auxiliares. Ad hæc cum eo Rege ſanxit, vt niſi Gallus Bononiam reſtitueret Pontifici, neque à conatu concilium agitandi deſiſteret, ac potius finibus Hiſpaniæ arma inferret, Ferdinādus dū bello Italico diſtrict' eſſet, occuparet ipſe conatus, atq; ne nocere poſſet bello Aquitaniam implicaret. His reb. cōſtitutis Hiſpali Rex Burgos eſt profectus. Vētum ad Guadalupeum fanum loci religione ac præſertim Virginis matris numine celeberrimum. Ex eo loco Petro Nauarro mandauit, vt cum copiis eius curæ concreditis Neapolim actutum nauigaret, vbi Cardonius belli Africani ſpecie inſtructas parataſque habebat lectiſſimas equitū turmas ex vniuerſa ditione in vnū collatas. Sancitū præterea vt Tripolis nuper de Mauris capta Siciliæ contributa eſſet propter locorum vicinitatem auxilio atq; commeatu faciliori. Ad eam quoq; vrbem tuendā cū idonea claſſe miſſus ex Hiſpania eſt Iacobus Requeſenius Diegho Veræ ſucceſſor. Cuius opera Rex in bello Italico vti cogitabat tormentorum cura reſtituta propter inſignem collimandi, ac vniuerſi

tormentarii apparatus & fabricationis ſcientiam. Non diu Requeſenius Tripoli ſubſtitit; nempe militari tumultu in ea vrbe forte cōcitato, Prorex Siciliæ eo profectus motu compoſito, iiſque militibus cum duce in Siciliam abductis Tripolis præſidio Guillelmū fratrem maioriq; ex eo auctoritate ad frænandos milites, in eius locū Pręfectū, vrbiq; rectorem dedit.

Nouum à Pontifice concilium Lateranum conuocatur. CAP. IIII.

CVpiebat Ferdinandus Cæſarem ab amicitia Galli Regis diſtrahere eius rationibus & nominis exiſtimationi parum conſentanea. In eam rem & vt Catanēſi Epiſcopo ſuccederet, Petrus Vrrea legat' eſt cum mādatis Venetos Cæſari cōciliare facto fœdere curaret, Cæſarē Pōtifici. Ingenio Cæſar mobili & vario, vt in reliqua ætate nō ſatis ſtatuebat animo, quid facto opus eſſet, in q̃ ſe daret partem anxius. Inter multiplices tamen cogitationes fluctuāti viſum eſt, Gurſenſem quidē ad Pontificē legare, ſi eius opera cōtrouerſiæ inter ipſos facta pace cōponerentur, ad Venetos Petrum Vrreā, vt ſancito cū vrbe fœdere diſcederetur ab armis. Venetorum nomine Pōtifex dabat vt Cæſar Veronam & Vicentiā ditione ſtabili retineret, aliqua Venetis cederet de iis capta quaſi beneficiariis imperii, ducēta & quinquaginta auri millia numeraturis pro ea cōceſſione, annuaq; adeo triginta millia. Cæteræ cum iis cōtrouerſiæ ipſius & Ferdinādi Regis arbitrio finirentur. Honeſtiſſimæ conditiones: ſed quas Gurſenſis vaſto animo maiora cōplexus repudiauit immemor ſcilicet rerū humanarū varietatis & inconſtantiæ præſenti potētia inflatus. Ne Petrus quidē Vrrea quidquam apud Venetos Patres profecit erectos quippe in ſpē, vt res ſe dabant, breui Italia turbata ex aliena calamitate reſpiraturos. Ex longo rerum vſu haud inane vaticinium extitiſſe breui euētus cōprobauit. A Ferdinando Rege Cæſar & Margarita importuna efflagitatione expetebāt, virib. & pecunia iuuaret ad bellū defendendū q; Gheldriæ Dux Gallico patrocinio cōfiſus Belgicis finib. inferre pergebat porro, moleſtus imprimis & grauis. Verum id incōmodum tanti non erat Hiſpano p̄ cura atq; ſtudio rerū Italicarū. ne Cæſari quidem vſq; adeo, ne contra Gheldriæ Ducē motis armis in Galli offenſionē incurreret ad priores neceſſitudines ſpecie religionis, tūc qua nihil fallacius magis q̃ antea amicitia deuincti. Æſtate iā adulta ea moles rerū mouebatur. Quo tēpore ad oriētis ſolis extremas oras Luſitanica arma proſperū curſum tenebant; atq; ita nihil vt amplius deſiderari poſſet. Cognouerat Emanuel Rex annis ſuperiorib. vltra Goā vltraq; Calecutiū Malacam eſſe forum rerum venalium cum primis totius Indiæ nobile: vbi & incolere & mercari cōſueuerant ex omnib. nationib. innumeri mortales. Maris vicinitas & multarum circa gentium, quarum ad fines iacet, mutui vſus dedere celebritatem. Diegho Lupo Siqueirę, ante annos Oliſipone ſoluerat, negocium datum ea vrbe obita, viſa exploratàque Regi ſuo renunciandi. Fecit ille quod iuſſum erat, in reliquo comitatu Garſia Soſa & Fernando Magallane proſequentibus ad Somatram prius appulit inſulam ex aduerſum Malacæ ęquatori ſubiectam, latam ſpatiis in multa imperia diductam à Mahumetanis & inani gentium ſuperſtitione detentis hominibus cultam per partes, pingue ſolum bifero triferoque ſingulis annis prouentu. Cum ea gente inſtituto commercio iunctaque amicitia, Malacam haud procul diſſitam cognouit, olim Siami Regi ſubditam tunc peculiari Regi ſeruientem nomine Mahomadi. Siqueira vbi traiecit, cum eo Rege pace facta, atq; fœdere ſancito per conditiones Rodericum Aracium cum Luſitanorum numero intra vrbem deſignatis ædibus habitare voluit, vtriuſque gentis commercio id commodum fore ratus. Mahumetanus & ſuo ingenio ſuſpicax, & à Luſitanis mali aliquid imminere arbitratus, naues occupare conatur. Ea ſpe irrita Luſitanos, qui in vrbe erant, nihil minus cogitantes in ferrum; & vincula rapit. Et eſt leuiſſimum genus hominum ſeruituti natum, ad omnem auram ſpei mobilis inſidaque gens. longum erat iniuriam vindicare, neque vires idoneæ conatui in frequenti ciuitate, inimicis multis, Rege infenſo. Ita dux Luſitanus cum mercibus, quas potuit auehere Cocinum retro nauigās, inde in Luſitaniam ire perrexit. Alburquerquius iam rerum Luſitanarum cura ſuſcepta rei indignitate commotus collata in vnum claſſe iniuriam vlciſci conſtituit, ne neglecta animos cæteris barbaris faceret. Goa profectus, atque in Somatræ vicinæ portum inuectus Malacam tandem appulit. In eo itinere obuiam nauim cepit: in quam tranſgreſſi Luſitani, quaſi certa victoria, ingenti repente flamma excitata territi conatu deſtiterunt. Inanem fuiſſe metum deinde ex captiuis cognitum: ac innoxiam flāmam artificio quodam ad terrorem à barbaris excitari. Paulo poſt in nauim alteram inuecti eam ceperunt, tametſi Mahumetanus quidā Nahodabeguia Luſitano nomini maxime infenſus, ac Regi Malacitano capiēdi Luſitanos præcipuus auctor, venia deſperata ſi captus eſſet, enixe nauim eſt tutatus, donec multis cōfoſſus vulnerib. tādē occubuit. Miraculo res cōparanda; tot acceptis vulnerib. nullū tamē effundi ſanguinē. Verū ſpoliato corpore atq; in reli-

quo

quo conatu detracta armilla vno impetu sanguinis riui quasi amoto obice per oẽs partes latissime effluxere. Causam suscitati intellexere in ea armilla vinctum lapidem admirãdæ potestatis sistendi sanguinis, in Siami regno ex animantib. erui; quas Cabrisias vulgo vocant, an commentum est, rumore certe res maior facta. Peruenere Lusitani Malacã Iulii Kal. Cum ciuib. enixe pro extrema spe dimicantib. varia extitere certamina. Vrbs tãdem nobilis capta & ad Lusitanorum imperium adiuncta, patriam superstitionẽ vera religione mutauit. Sic Christianæ religionis cultus & nomen ad extremos orbis fines proferebatur. In Italia Pontificia maiestas diuinæ proxima nutare videbatur tetri schismatis metu, q̃ nisi exorata numina auerterent, importuni conatus profecto minabãtur. Ea cura Pontifex anxius omisso bello Romam redire constituit: si posset ingenii dexteritate vrgẽtem tempestatem sedare. Cogitationem in omnes partes versanti fore optimũ visum est, præposteras inimicorum molitiones occupare, tempori cedere. Ita ad quintum decimũ Kal. Augusti edicto promulgato, Episcopos toto orbe, quiq; more maiorum cõcilio interesse deberent, ad generales conuentus. Lateranum euocauit auspicandos instituendosq; anno proximo tertio decimo Kal. Maii. Insanum quantum ea denunciatio aduersariorum spiritus fregit, causam debilitauit. Supra bonum atq; honestum perculsus tamen Põtifex parum à procacib. verbis temperabat, alioqui ardenti ingenio in iracundiam procliuis. In eo conuentu Galliæ Reginam non iustam eius Regis vxorem esse pronunciandũ minari. Aquitanos & Nortmannos iniuria occupatos sacramenti religione exoluendos, quo Gallo fidem obstrinxerant, & ad Anglicum imperium restituendos. Hæc omnia qua ad dolorem vlciscendum pertinebant, qua ad Gallum terrendum frænandumq;. Verum ira quæ tegitur nocet, professa vim perdit. Gallus quidem eo proposito metu æquiorẽ se concordiæ sanciendæ præbere, velleq; adeo cum Venetis pacisci modo darent ipsi, quæ Cæsari erant oblata. Non diu tamen in eo perstitit, aliud atq; aliud subiiciente animo. cõcilio Pisano fauere vt cæperat, consultius fore visum est: q̃ Cæsar nouo conatu Veronam aut Tridentum transferebat. Neutro Gallus eius machinationis architectus præcipuus actionum moderator & arbiter, quod Veronæ graui cælo grassarentur morbi; Tridentũ exigua ciuitas esset; neq; idonea tantæ multitudini, quantam conuenturam existimabãt. Ac potius Cardinalib. auctor erat, vti quam primum moras rumperent, actiones concilii inchoarent, neq; amplius suspensum orbem tenerent. Florentinis etiam suasit, vti Pisas vrbem, dum conuentus essent Cardinalium potestati permitterent, quo maior esset auctoritas. Cautiores illi vrbi neq; validæ neq; frequenti salutem permittere detrectabant, nisi Galli & Cęsaris legati prius conuenirent, idoneusq; ex vtraq; gente Episcoporum numerus, communi multorum periculo fore se tutiores rati. Neq; interim tamen de concordia appellati audire recusabant, modo tuto liceret ad Põtificem redire idoneo loco attributo, in quem sese reciperent fide Pontificis tuti. Hæc omnia ludus erant, & in cõmuni causa præuaricatio tẽpore extrahendo dum inchoata stabilirent: an quemcumq; cursum res tenerent ad vtrosq; receptum parantes. Romæ quidem instituta in eos cognitione cõtestataq; atq; perrogata causa quatuor ex eo numero Cardinales pronunciata sententia sacerdotiis omnib. & purpura sunt spoliati Caruaialius, Cosentinus, Sanmalus, atq; Baius. Idem de Sanseuerino & Labrito sociis coniurationis vt statueretur, maturum nõ erat, & iam tamen tempus appropinquabat. Intercessere huic decreto initio maior collegii pars. Quidam etiam factiosos Cardinales excusatunt. Nihil eos aduersus leges cõmisisse conuentus vt haberetur expetentes ad castigandos mores sanciendam disciplinam veterem tum in membris tum in capite. Neq; deerant sermones increpantium, Pontificem tum ob sacramenti suscepti religionem motam, tum eo conatu impedito posse iure clauium interdici, iuxta decreta Basiliensia sessione vndecima promulgata.

Fœdus à Ferdinando cum Pontifice & Venetis factum. CAP. V.

Magna contentione de armorum societate Pontificem inter & Ferdinãdum Regem agebatur. Ventum ad conditiones. Rex pecunia in stipendiũ iuuari expetebat. Graue Põtifici videbatur spe incerta euentus, nudari eo tuẽdæ dignitatis pręsidio certissimo. Ea anxius cura nonnunquam ad Gallicum fœdus reuocare animũ æquis propositis conditionib. Id quoniã ex animi sentẽtia nõ successit, necessario ad Hispanũ pręsidiũ recurrit quippe certius atq; fide magis stabili. Ita re propemodum cõstituta Ferdinãdus magnam exercitus partem in Africam parati, Neapolim actutum ire mandauit. Ergo quingẽti cataphracti, velites sexcẽti, pedites duo millia Malacæ è portu in Italiã soluerunt. Peditũ cura Zamudio tribuno demandata est: omnib. copiis pręfectus Alfonsus Caruaialius Xodaris dominus, ad hunc militaris imperii summa redibat dum Neapolim accessissent. Africani belli ad fallendũ hostẽ species obiecta. Male cohærens cõmentum dissimulari qui posset?

quando ipso tẽpore,quo ii milites discessere Malaca Augusti certe principio, Petrus Nauarrus vti iussum erat, Neapolim detulerat mille quingẽtos milites squalidã quamuis & pannosam aciem sed bellis Africanis tamen exercitos & superiorem cladium reliquias. Apparatu belli districtis omnibus,nondum mouebãtur arma. Arte seu ex animo Gallus minorem filiam Ferdinãdo infanti vxorem obtulit,id si coiret coniugium decessurum se regni Neapolitani virib. Non abnuebat Ferdinandus oblatam vltro conditionẽ:sed cum eo si Bononiam Pontifici restitueret moram paci non facturum.Eam summam votorum esse.Excusauit Gallus rationes deesse,qui poterant possidenti, tenentiq; arma?His molitionibus extrahebatur tempus neq; belli initium erat, appetebat tamẽ omniũ,quæ erant gesta grauissimi. Gallus cum Bentiuolis inito fœdere vrbem Bononiam eamq; familiam in clientelam accepit. Gastoni quin etiam Fuxẽsi Namursio duci, quẽ Mediolano prǫfecerat, bello Italico ducem summum vt in eius vrbis præsidium mitteret quadringentos equites grauis armaturæ mãdauit; si res exigerent, ipse cum omnib. copiis iisdẽ vestigiis subsequeretur. eã omnino vrbẽ ab iniuria tueretur,retineret impio. E cõtrario ab Anglo ea causa in Galliã legatus eiq; adiunctus Cabanillas Ferdinãdi orator Gallum contestati sunt palã,vt Bononiam Pontifici redderet.Si recusaret pontificiam dignitatẽ & opes suis Principib. curæ fore.Belli haud obscura denunciatione cõmotus animo Gallus destinatũ sibi respondit Bononiam tueri,nõ secus atq; Mediolanum;neq; terreri minis, moram bello non facere, cum vellẽt experirentur. Accidit vt Pontifex ægrotaret salute ferme à medicis desperata.Cæsar quoq; mense Sept. Tridentũ accesserat vnde Catanensis Episcopus cõmeatu impetrato,se se retulit in Hispaniã. Vasto is Princeps animo Põtificatum erat cõplexus Iulii obitu,an etiã eo superstite.Sic fama tulit & annales testãtur. Nõ deerãt qui cupiditati fauerent vani assentatoresq;, quales in aulis Principum multi viuunt. Præ cæteris Sanseuerinus Cardinalis ei assiduus non Pontificatum modo pollicebatur,sed & Neapolitanũ imperium in partem accessurum,familiæ ope sed & totius Italiæ virib. odio nominis Hispani. Iret tantũ, suiq; in cõuentu Pisano copiam faceret, vbi cæteri factiosi Cardinales morabãtur.Inanes molitiones,spes vanæ,multumq; à Ferdinãdi Regis rationib.& consiliis discrepantes. Ergo ad quartũ Nonas Oct. societas tandẽ instituta est Hispanum inter Pontificẽ & Venetos,quam dixere sanctissimã Bononiam recuperandi decreto ac reliquam Pontificiã ditionem. Præterea tuendi Pontificũ dignitatem aduersus factiosos Pisanumq; adeo consiliũ.Leges scriptę,vt intra viginti dies ex quo fœdus euulgatum esset,Ferdinandus Rex mitteret in eã expeditionem mille & ducentos grauis armaturæ equites,velites mille,Hispanos pedites decẽ millia. Pontifex sexcentos cataphractos ductore Termenstino. Ad eas copias à Venetis conscriptus exercitus adiungeretur: maris imperiũ tueretur peculiaris Veneta classis cũ vndecim regiis triremib. collata. In stipendiũ regii exercitus Pontifex & Veneti singulis mensib. quadraginta auri millia numerarẽt,dum bellũ esset. Ac die quo fœdus euulgatũ esset,duplicatam eam summam in duorũ mensium stipendia. Vniuersi exercitus socialis imperator & ductor Regis nominatione præficeretur.Ita summã expeditionis Cardonio Neapolitano Proregi demãdauit. Veneti in hoc fœdere quãcumq; pecuniæ summã Neapolitanis Regib. ex Aragonia gente,mutuã olim dedissent,missam facere contestati sunt in defunctos nulla recipiendi iam spe munifici.Cæsar societatis particeps esse noluit:expressum tamen in fœderis tabulis eo factã conscio, ac vero fauente Anglo. Pontifici graues cõditiones extitere ac molestę,ac ꝙ de pecunia sancitũ est,grauissimũ:re tamen necessaria consensit. Primum quia eo ex morbo decũbente nobilitas populusque Romanus arreptis armis tumultuati erãt. Vrbana priuilegia infringi,ipsos tyrannica seruitute opprimi,ac iustũ singulos seruitium pati palã conquerebantur. Dein Florentinis Gallico nomine addictis verendũ erat:ne is Rex Romã vsq; armatus nullo prohibẽte procederet: ac vero Petri cathedræ Põtificem cũ vellet de manu daret.Quod præcipuũ erat.Pisanus conuentus solicitũ habebat, ne ꝙ fama vulgarat,eo deiecto,quasi iure suo neq; sine exẽplo nouũ Pontificem crearẽt; malorumq; superiorũ elluuies recurreret.Ipso tẽpore Dieghus Garsias Paredius notũ periculis & væcordi audacia nomẽ, de quo supra memoratum est, cõfecto Neapolitano bello piraticã exercuisse:delicti venia desperata se ad Cæsarem trãstulerat bello Veneto nauaturus operã.In eo semel & iterũ captus est prius ad Veronam Epirotas inter & Cæsareos tumultuario instituto certamine: deinde Vicentiæ ex morbo lecto affixus cũ ad ius Venetorũ ea vrbs rediit. Villamarinus maris Præfectus ex Hispania,quo iussus cum triremibus ierat, Neapolim se se retulit bello sociali & ipse destinatus dux classiarius. Berẽgarius Olmius cum aliquot triremib. ad custodiã Granatẽsis orę mansit in Hispania. Rodericus quoq; Basanius aliiq; duces & milites lẽbos piraticos, quos ad Tetuani fluminis ostium

se recipere

ſe recipere cognitũ erat, incenſum ire pergebant. Cum nunciatũ eſt Regẽ Phuthenſem cum numeroſis copiis ſeptam ire obſeſſum. Accurrere vtriq; continuo ad præſidium. locorum vicinitas inuitauit,& ſtudiũ barbarum impugnãdi,atq; in eo operã & induſtriam cunctis probandi. Septam vbi venere, Mauros Tingim proceſſiſſe cognouere, q̃ vrbem præſidio obtinebat Eduardus Meneſius præcipua nobilitate Luſitanus pari virtute & induſtria. Spei aliquantũ poſſe hoſtium impetũ aliquãdiu audacia ſuſtentari, metus amplior ob exiguum defenſorum numerum. Eo traiecere noſtri ſabbato ad quintũ decimum Kal.Nou. Obſeſſos premi ab hoſte inuenere, tormentis bellicis multos perẽptos, quaſſatum murum late ruinã feciſſe. In cuniculis maiori barbari ſpe propius vrbẽ promouere caſtra ex propinquo quoq; acrius impugnaturi oppidum ſub teſtudine parantes muri lapides vectib. conuellere. In ea anguſtia nouo auxilio confirmati obſeſſi à virtute petere præſidium conſtituunt. Fortes numina iuuant, ignauos deſtituunt. Ac primũ Rodericus Baſſanius & ſocii ex oppido egreſſi in quandã hoſtium ſtationẽ irruere eo impetu, quem illi nõ tulerunt. Multis è præcipuis cæſis cæteri deſeruere locũ. Succeſſu dein læti Luſitani equites die proximo cum Mauris dimicatum proceſſerunt. Leue certamẽ fuit, rari diſperſiq; pugnarunt nõ acie inſtructa ſed magno impetu procurrentes, ſi premerentur cedere nõ turpe rati. Sic eſt mos gẽtis Africanæ. cæterum Luſitani equites cum Mauris pugnare longo vſu edocti ea dexteritate preſſere aduerſarios, vt Barbarus amiſſa ſpe expugnandi oppidum ſoluta obſidione die tertio caſtra retro mouenda duxerit. Caſtellæ duces ſe & ſuos Heracleam retulere è faucibus potentiſſimi hoſtis erepta ea vrbe ſubleuatis Luſitanis læti ouanteſque bellicæ virtutis laudem Africanis ſpoliis potiorẽ exiſtimantes.

Bellum in Italia inchoatur. CAP. VI.

PRorex Neapolitanus copias in aciem producere, iterq; inſtitutũ arripere parabat. Cũ peditib. Petrus Nauarrus Caietæ & vicinis locis tẽdebat. Equitatus in procinctu erat, cunctiq; ad profectionẽ expediti. Proſper Columna ire in eam expeditionẽ excuſauit, indignũ ratus niſi ſe digna procuratione cõcredita ſigna aliena ſequi. Contentione honoris ſuſcepta magnæ ſæpe in bello opportunitates corrũpuntur. Eo Fabricio Columnę generalis in bello nomen & munus impoſitum eſt, ne & ipſe patruelis exemplo militiã detrectaret. Andreas quoque Caraffa Comes ſanctæ Seuerinæ ire recuſauit quamuis Gallico odio à maiorib. hęreditario. Notatum præ cæteris promptiores maioriq; alacritate ad induenda arma proceres Andegauenſes extitiſſe. Superiores offenſas nouis officiis cõpenſare deſtinabant, mutato domino non minorẽ quam antea feciſſent, conſtantiã pręſtare. Ardentiores præ cæteris Bitonti Marchio Adriæ Ducis filius, Atelæ itẽ Marchio Amalfitani filius vnicus, Traiecti Dux, filii Comitũ Matalonis & Aliani. Ne Biſinianus quidẽ ſua gloria fraudandus, etſi tentata valetudine deſtitit. Certæ tamẽ voluntatis argumento quoniam bellum contra Gallum erat Sancti Michaelis torquem Gallicæ militiæ & amicitiæ ſymbolum ad eum Regem remiſit quaſi renunciata fide & amicitia. Tantundem Amalfitanus, Adriẽſis, & Matalonius pręſtitere. Nauarrus cũ ſuis legionariis verſus Pontecuruum ſigna mouit. Paulo poſt omnino poſtridie kalendas Nouembris cum Prorege Neapoli equites proceſſere, ſplendido cultu & fulgentibus armis conſpicua acies. Ipſo tempore Cæſaris animus variis cogitationibus fluctuabat, curiſq; ſæpe inter ſe cõtrariis circumactus. Hinc à Cardinali Sanſeuerino inani ſpe lactabatur. Inde Petrus Vrrea ſi ſe confœderatis Principib. adiungeret, cauſamq; ſuſciperet, in qua ſalus publica vertebatur communib. armis ſumptuq; pollicebatur Mediolani principatũ, ſed & Gheldrię Ducem ne bello amplius laceſſeret impugnatum iri. Hęc illi via magis placebat quippe certior & tutior pro ingenio quamuis non ſatis quid facturus eſſet ſtatuens. Ad fœdus Venetũ reuocabat animũ iis conditionib. quas Gurſenſi Pontifex antea obtulit. Optima videbantur quorũ tempus effugerat. Sic ſolent homines inconſtantes infeliceſq;. Veneti. n. præter ſocialẽ exercitum, cui ſatis ꝑfidebant, mille equites cataphractos ſuis ſtipẽdiis alebant quib. alii ducenti acceſſere à Paulo Ballionio adducti ſuo delectu illorũ ſtipendio ſupra tria millia equites expediti maiori ex parte Epirotæ: ad hæc nouẽ millia pedites. Sic res Venetorũ erant virib. ſatis & cõſilio pollentes: Magna tamẽ contentione Hieronymi Viquii pro Ferdinãdo apud Pontificẽ legati, Cæſarem inter & Venetos inducię pactę ſunt. Quæ etſi in præſenti ex vſu ſocialis belli nõ fuerũt, neq; enim Venetorũ copię ad reliquũ exercitũ, q̃ agebatur ſeſe adiunxere, in poſterũ tamen ſalutares imprimis extitere. Interea Gallus Rex nihil de ſua cõparatione remittere ac Namurſiũ diligẽter monere q̃ primũ vt cũ hoſte decerneret ad eas copias, quas numeroſas habebat, nouis ex Gallia ſupplemẽtis adiũctis validus. In Heluetiis etiã ingẽtes delectus habere ſtatuit genteq; ferocẽ adducere, ne Põtificis patrociniũ ſuſciperet ſocietatis cũ hoſtib. virib. cõtra Cardinalis Sedunẽſis

conatus & diligentiã nouo purpuræ honore in studium Põtifici gratificãdi magis quam antea incensi. Simul vt Cæsarẽ distineret Andrea Burgio interprete pontificatum illi, si id cuperet, sin minus ex eius voluntate daturũ pollicebatur scilicet de alieno munificus. An fraus & ludibrium erat. Addebat quæcumq; Põtifices de imperio detraxissent, vt recuperaret, effecturũ. Demum è regno Neapolitano eam partẽ quã ipse expetiisset, Mediolanenses & Genuenses quoties bellũ esset, lege perpetua certa Imperatorib. missuros auxilia quasi tributi honorarii nomine. Magnifica promissa, eoq; minus fidei. Inter hæc Sanseuerinus Cardinalis à Cæsare impetrata venia discessit parũ lætus exiguo tantarum molitionũ prouentu. Cardonio Proregi deliberatum erat per Florentiã iter habere, nihil à tergo hostile relinquere: quoniam ea vrbs Gallo & factiosis Cardinalib. erat addicta. Restitit Pontifex, qua causa incertum, sed per Aprutii fines mãdauit vt in Flaminiã contenderet, inde Bononiã. Anni tẽpus aduersum erat, sæua hyems, loca aspera impedita itinera niuem glacies astrinxerat. Multorum è militum numero tentata valetudine pauci tamen periere. Cum copiis omnibus Forũ Cornelii peruentũ est. In ea vrbe necessario dies aliquot sustentatum, dum milites mora recrearet, tormenta veherentur. Quæ Manfredonia mari missa in Arimini portũ intulere ipso natali Christi die principio anni mil-
1512 lesimi quingentesimi duodecimi. Inde Forum Cornelii delata. Nauarrus cum legionariis vlterius progressus ad Lucum & Bagnacaballum continebat suos. Atq; ne tẽpus frustra tereretur & vt operæpretio facto terrorem aduersariis incuteret Bastidã impugnare constituit Ferrariensis arcem Pado impositam ducẽtis quamuis & quinquaginta Italici militibus munitam. Placuit Cardonio id consilium. Admotis copiis pridie Kal. Ianuarii impugnari cæpta est arx. Obstructas consilio obsessorum mentes, ne exitiũ quidẽ imminens aperuit. Pugnatum acriter ab vtraq; parte: ac tertio tandem impetu vi Hispani intra arcẽ irruperũt. Magna pro numero cædes fuit. Omnes ferme defensores & puberes cum duce Vestitelo ceciderunt. Eo exemplo metus finitimos inuasit considerãtes nihil arduum fore gẽti, quæ intra quintum diem munitissimam arcem expugnasset. spes erat metu domari gentem posse: ꝙ pulcherrimum est victoriæ genus. Ioãni Mediceo Cardinali in eo bello Legato Pontificio oppidum cessit, spolia militibus militaria magis quam ampla. Alfonsum Aragonium Friderici Regis secundum filiũ expetenti magnopere Gallo Regi mater permisit quamuis duodecim non amplius annos natũ. Ex eo Galli coniicere, prædicareq; profecto destinatum cum Gallica puerum classe Neapolim amãdare populumque & gentem vniuersam ad arma per eum modum concire nouo Rege quem cuperent de manu dato. Fides rumori eo maior fuit, quoniam id credunt homines ꝙ cupiunt: & in vrbe militibus nudata gens vniuersa summi, medii, infimi, vti antea habere consueuere, Regem peculiarem dari, expectabant, vitio humani ingenii præterita præsentibus potiora fore putantes: Hispanorum præterea militum licentia vniuersæ gentis inuidiosum nomen fecerat.

Bononia obsessa. CAP. VII.

BAstidæ captæ Nauarrus laude superbus se se Forum Cornelii retulit. Ex ea vrbe Butrium promotis castris, eo loco de ratione belli referente Cardonio consultatum est. Fabricius Columna, vt ad Centum & Plebem, quæ oppida Petrus Pacius cum expeditis equitibus per eos dies de hostibus ceperat, promotis castris Castellumfrancum impugnatum irent, auctor erat, commodissimum munitione situque, quippe Carpim inter, vbi Gallicæ copiæ statiua habebant, & Bononiam, quo ipsi erant ituri, positum oppidum. Indè diuisis in partes copiis agri Bononiensis pagos & oppida carperent priusquam vrbe obsessa de rerum summa periclitarentur. Eam esse conditionem bellorum vt facilioribus confectis, ad maiora & difficiliora procedatur. Nunciari preterea Namursium cum firmis copiis equitum peditumque auxilio festinare: intra vrbem Borbonium nothum, Alegrium, Robertum Marchiam cum trecentis cataphractis morari, ciues magno numero atq; bellaces. Quid certã victoriæ spẽ moræ impatientia euerteret? quid in pericula nõ necessaria intẽpestiua festinatione irruerent? Fabricii sententia aliis fere ducib. probabatur, satis gloriosa cõsilia esse quę cauta reputantib. nõ minus esse strenui ducis consilio quã armis vincere. Vnus Petrus Nauarrus vęcordi contẽtione Bononiã cõtinuo eũdum disputabat quindecim nõ amplius millib. dissitã. Fama bella confici, si alio recesserint aut cũctati fuerint, metꝰ & imbecillitatis infamiã subituros. Breui ac facile ea vrbe expugnata (sic videri voluit ex sua audacia de sũma iudicans) quasi dẽpto capite minora oppida in victorię partẽ accessura. Ea valuit sententia propter viri auctoritatẽ inter milites maximã, & quoniã segnẽ operã pręstare erat solitus, si ab eius iudicio recederetur, quo vitio ferme capitosi homines & ꝑfracti laborãt. Termẽstinus cũ copiis põtificiis Roma ea tẽpestate ꝓfectus quoniã in itinere obiit: neq; Vrbinas eã tũc curã suscipere voluit (& paulo post tamẽ

mutata

mutata sententia pro se misit in defuncti locum vicarium) Pontificiis militibus & ducib. à Pontifice mandatũ, vti Cardinali suo in eo bello Legato obtẽperarẽt, ac vero Cardonio summo duci copias traderẽt, eiusq; cũcti imperiũ respicerent, quẽ vt amplius promereretur, excitaretq; nouo honore, pileũ gladiũque misit munera magnis Principib. dari solita, ꝑterea vexilla inter sacra natalitia ab ipsomet prece ex Romano ritu lustrata. Veneti neque pecunia, vt erat sancitum, neq; milite cõmunem causam iuuerunt, ac nomen magis quam vires ad sociorũ ꝑsidium attulere, suarũ rerũ anxii cura, an ex aliena industria fructũ captãtes. Enimuero socialis exercitus vmbra tecti suæ ditionis vrbes à Cęsare occupatas recipere, & si posset viresq; suppeterẽt, tandundẽ de Gallo facere destinabãt. Ergo Butrio egressus Cardonius ad quartũ à Bonónia lapidẽ castra ꝓmouit subiectos inde agros contẽplatus cognouit loca aspera esse, acieq; explicãda incõmoda irriguo agro eoq; multis impedito riuis, atq; emissariis multoq; adeo luto hyemis maxime tẽpore. Die proximo ad sept. decimũ Kal. Feb. cũ copiis vlterius progressus locũ castris idoneũ cõsiderauit. Intra vrbem quingenti iã cataphracti erant, pedites ad duo millia. dux præcipuus Iuo Alegrius superioris belli memoria haudquaq̃ fracto animo. Accidit quo die Butrio Cardonius discessit, vt Ferrariẽsis cũ copiis Bastidã repeteret. Impugnatio acris fuit: intra horas viginti vi captã à fundamẽtis euertit credo in ea hostiũ vicinitate sustẽtari posse diffisus. Prætorium Bononiæ vicinum ad tormenti iactum Belpogii nomine Bentiuolæ familiæ gentilitium metandis castris à Cardonio est delectum. Vlterius cum peditatus parte Padulæ Marchio & Comes Populi monasterium stationi delegere cui à Diuo Michaele in saltu nomen est, extinctis ignib. quos ciues, quoniã vrbi imminet, quasi hostili loco, iniecerant. Sic bellum iura in contrariũ mutat. Eo loco tormenta aliquot constituere reliqua in colle, qui vltra id monasterium molliter assurgit, ea parte impressionẽ in vrbis mænia facere cogitãtes. Namursius interim Parmã, vbi erat, copias in vnũ cõferre: in quib. octingẽti cataphracti, mille expediti equites, tria millia pedites numerabat. Præter eũ numerum ad Finariũ viginti à Bononia passuum millib. Ferrariensis auxilia præsto esse Vasconum duo millia cũ aliquãto equitatu. Cum iis omnib. copiis Bononiæ obsidionem dissipare certe summã certaminis periclitari cogitabat ferox iuuenta opib. & nobilitate magnus. Fabricius Columna exercitus partẽ ad Centũ & Plebẽ cõtinebat, quoniam ea iter erat si Gallos trãsitu prohibere posset. Destitit tamẽ à Cardonio iussus se cũ cæteris copiis iũgere atq; in aduersum vrbis partẽ trãsferre, qua mõtes eriguntur ex Apenini iugis diducti. Traducere in eã partem muralia tormenta destinabant: atq; ea propter mæniũ imbecillitatem patefacto aditu per ruinas & lapidũ stragem in vrbem ferro penetrare. Verum paulo post nouo decreto, vt omnes copiæ intra vna castra coirent, visũ est, ad bellica tormenta tuenda, & transitu prohibendũ Gallica auxilia in consiliũ pertinebat. Michaelis inter ædem & Florẽtiæ portã disposita tormenta ad quintũ Kal. Feb. excussis ignitis globis late fecere stragẽ. Muri parte strata, per ruinas quidã milites turri vicina occupata vexilla in ea victoriæ argumẽto erexerũt. Ingẽs vtrinq; clamor sed dissonus disparq; victoriã hi ingeminare, arma illi arma. Periculo exciti obsessi magna vi eos milites tandẽ è turri capta deturbarũt. Erectã ex eo ad meliorẽ spẽ diui tutelares & superueniens tempestas sæuissima vrbẽ ab excidio seruauit. Triduũ continuatę noctu atq; per diem niues astrictis præ frigore mẽbris ac milite vix tenẽti arma, opportunæ conatui, Namursium inuitarunt vt in vrbem nocte cũ validis auxiliis penetraret. Quod fecit nõ tantũ nemine prohibente, quoniam castra procul aberant, sed ne à vigiliis quidem conatu perspecto. Ex eo mutata plane belli fortuna est, atq; in contrariũ cõuersa. Cardonius propter hyemis sæuitiam veritus ne aliquod insigne detrimentũ extaret: & alioqui minori iam spe vrbis nouis copiis firmatæ potiundę, retro cum copiis & tormentis ad Lazari fanum duobus à Bononia millibus se recepit. Pontificię copiæ vlterius metu prouectæ non prius cõstiterunt, quam Forũ Cornelii ditionis Pontificiæ vrbem ventũ est. Cardonius ad Petri fanũ castra promouit, reliqui duces per vicina circa oppida distributi, dum frigora remitterent & cœli sęuientis rigor mitesceret. Is fuit exitus Bononiensis obsidionis maiori apparatu quã fructu fama quã laude. A plerisq;, vt fit, Cardonius accusabatur inertiæ, quasi rigidissimo tẽpore elabi octo dies passus esset, priusquã aliquod operæpretiũ cõstaret, castra imperitè metata procul vnde debuissent. Cuniculis & aggerib. agendis nõ minus fuisse peccatum. Deniq; eam negligentiã atq; incuriã extitisse, vt hostis in vrbẽ nullo prouidente euaserit. Sic sunt militũ ingenia prospera omnes sibi arrogant, tristia imputãtur ducibus. Tempus enimuero conatui importunum prorsus extitit. id præ cæteris in Cardonio fama accusauit, quæ pretium reb. & nomen dat. Ne Heluetii quidem cõtra quã sperabatur & erãt pollici ad obsidionẽ accessere: ac ne à Venetis vlla auxilia venere vti ex fœdere debuissẽt.

Sic iuuat rei male gestæ culpam ex parte cum aliis communicari. Huic obsidioni præter cæteros Antonius Leiua, Aluaradusque interfuere atq; Ferdinandus Daualus Piscariæ Marchio ab his rudimentis quantus & qualis dux in Italica breui futurus? Diuersa in parte nihilo commodiori successu Henricus Angliæ Rex, cum primum se anni tempus aperiret, in Aquitaniam irrumpere parabat & sua sponte incitatus veterum de ea prouincia contentionum memoria, & Ludouici Carrocii à Ferdinando legati accurata diligentia, vt pollicitis staret, neq; communi causæ deesset sedulo obtestantis. Delectus in id bellum dux Thomas Grauis. Orseti Marchio gratia & auctoritate in paucis pollens, quippe Regem arcto propinquitatis gradu contingens. lente tamen conatus procedebat. Ferdinandus Rex vt intermisso interim bello Africano, copiæ porro Orano deducerentur statuit, iis tantum relictis militibus, qui ad tuendam vrbem opportuni & necessarii videbantur. Minor vt numerus esset sumptus leuior prouisum, suburbano agro & vrbanis domibus inter milites distributis ita vt ducenti equites pedites quadringenti ex iis prouentib. præsidiarii alerentur. Quo libentius ea domicilia transferrent, data nouis ciuib. tributorum omnium immunitas etiā decimæ rerum venaliū: singulis præterea addita ex regio fisco ordinaria stipendia, dupliciariis maiora. Sub idē tempus Olisipone pridie Kal. Februarii ex Regina filius est natus, cui Henrico nomen fuit, mores castissimi; cōsequenti tempore accessit purpuræ honor, ac postrema ætate mirabile seu ludo seu sorte extinctis propinquioribus magno numero Lusitaniæ regnum obuenit Sebastiani Lusitani Regis infelici casu. Miraculo habitum quo die natus est infans niuem copiosam decidisse insolitum in ea vrbe & rarum propter aeris cælique magnam temperiem. Niuis candorem affirmant quidam portendisse vitæ sanctitatem, castimoniæ laudem ad mortem sine vlla labe retentæ cultæq;, nullis ad mortem illecebris voluptatum victa constantia. Vultu inter omnes fratres & totius corporis habitu paternam imaginem proxime repræsentauit, animi magnitudine & constantia nō impar. cum regno q. annuū & septimestre fuit, nihil assecutus præter molestias & curas graues integra semper probitatis fama nō ita pridem decessit. Burgis Ferdinandus agebat. Ibi ad quintum decimum Kal. Martii extincto Bernardino Velasco Magistro equitum, vt Iuliana defuncti filia regia neptis nuberet Petro Fernando Velasco perfecit filio maiori Enesci Velasci, cui ad fratris defuncti opes dono Regis & nominatione Magistri quoque equitum honos & dignitas accessit.

A Pontifice Vasconum Rex anathemate deuinctus. CAPVT VIII.

NAmursii absentia Brixiæ & Bergomi ciuibus occasionem præbuit, quam illi arripuere auide, excusso Gallico imperio ad ius Venetorum vetus redeundi. arces tantum in fide perstitere præsidiis defensæ. Eo maior audacia visa est. Ne id exemplum ad alias ciuitates manaret, quæ Venetis ereptæ Gallo parebant, ac omnino ne dissimulatione latius serperet defectionis malum prouidendum videbatur. Ita Namursius Bononia liberata obsidione munitaq; competenter, eo continuo accurrere statuit Alegrio secū deducto, atq; in eius locum substituto Fulleta Gallo, qui Bononiam cum idoneis copiis tueretur. Eæ erant trecenti cataphracti & tria millia pedites, idonea rebus maioribus manus. Accedenti propius Namursio Grittus obuiam processit cum Venetorum copiis & Brixianorum proletariis incondita multitudine in speciem iusti exercitus. Patrati facinoris conscientia, veniæq; desperatio ciues reddebat audaces. Detrectauit Namursius certamē. cur enim etiam secundo prælio aliquos ex suis amitteret? cur fortunam periclitaretur? Ergo flexo ad montes itinere, nocte concubia in arcem ingressus, ea parte in vrbem vi irrupit. Vrbe capta in vicina Venetorum castra extemplo impetum dat. Acerrima pugna fuit, feruente cæde, ac pugnæ alternante fortuna multi ab vtraque parte cecidere: victoria tamen penes Gallos stetit. Capti Grittus ipse copiarum dux, & Antonius Iustinianus ei vrbi Prætor à senatu datus, Paulusq; Manfronius. De Ludouico Bogaro Comite quoniam vrbem Venetis prodiderat, quippe in ea natus multum apud ciues poterat, capto cum aliis in pugna, causa è vinculis dicta, quæ bona esse non poterat, lege maiestatis supplicium sumpsere. Eo exemplo seueritatis Bergomates moniti ad deditionem flexere animos. Namursius magnus antea & clarus, clarior & nobilior haberi cæpit, qui Bononia defensa, fugatis Hispanis, duas opimas vrbes ad imperium ea celeritate reuocasset. Reliqua consentanea non fuere. Obenigno cum valida manu Brixiæ curare iusso, ac reliquis copiis circum Veronam distributis, vt fructus aliquis victoriæ per otium esset, Mediolanum aduolauit, ludis & cōuiuiis, ad q. ætas vocabat, dies celebraturus, quos ante ieiunium anniuersariū vulgo homines cū lætitia agitare solent. Moleste id tulit Gallus Rex in eo rerum articulo

articulo intẽpestiue sane cessasse, vt cõtinuo in aciẽ copias producat, districte mãdat, Cardõio & sociis obuiã. Imminuto hostes suorũ numero, reb. in arcto positis, ex recẽti incõmodo nominis gloria obscurata, anteq̃ sublato metu fiducia rediret, ꝓfecto in p̄ceps impelli posse, tãtũ ne bene agẽdi occasiõi deesset. Cõuẽtus Pisani Patres ex Hispanorũ ignominia angustiaq; & Gallorũ felicitate cõfirmatis amplius animis, ex suo numero duos Cardinales designarunt Sanseuerinũ, qui Bononiæ in Italia, & Baiũ, qui Auẽnione in Gallia p̄essent vterq; legati nomine & potestate. Vt Venetos cũ Cęsare in fœdus conciliaret magna quãuis Pontifex cõtentione, iis conditionib. quas pridẽ obtulerat, repetitis parũ profecit tamen ne à Cæsare quidẽ impetratum, vt se ad pactã nuper armorũ societatẽ adiungeret, labantib. Hispanorũ reb. grãde momentũ allaturus. cautior ille belli socialis spectator esse mallebat quã particeps, cõsiliũ sumpturus vt res darent. Interim quidquid viriũ erat, aduersus Venetos cõferre decreuerat vindictæ auidus. Industria tamẽ & diligẽtia Hieronymi Viquii legati, inducię in tẽpus sunt pactæ certis cõditionibus: in quib. Veneti pecuniæ summam haud exiguã repræsentare Cæsari iussi sunt, inopia tamen minorẽ, neq; quanti litem ipse æstimaret Regi Gallo præcipua cura erat secundum bellũ Italicũ Nortmãniæ primũ, deinde Aquitaniæ littora & arces muniendi: in quæ Angli primum impetũ futurum prouidebat: ne dum longinqua captat, proxima amitteret. Simul Vasconum Regem sibi omnibus officiis deuincire studebat: ex arcano in Gastonem Fuxẽsem Namursium Ducẽ in controuersia de Vasconum regno pronior, atq; eã ditionẽ confecto bello Italico se illi de manu daturum pollicitus. Galli amicitia Vasconi exitialis extitit. Id qua ratione cõtigerit, paulo plurib. explicandũ est. Cognito Pontifex eũ Regẽ ecclesiæ hostib. fauere, ac vero Pisani conuentus Patres, suos hostes complecti ex animo, re cũ Cardinaliũ senatu cõmunicata ad illud extremũ atq; vltimum decurrit, ꝙ aduersus rebelles Principes sanitate desperata remediũ vsurpari consueuit. Senatus cõsulto Rex & Regina Vasconum execratione ritu Christiano deuincti ditione omni spoliãtur, ad cõmunem prædã eo decreto aliis Principib. inuitatis. Hæc sententia ad duodecimũ Kal. Martii est Romæ pronunciata. Suspecta Ferdinãdi Regis fraus erat, & paulatim in plures cæpit manare rumor, eo annitẽte seuerũ decretũ & graue prodiisse, coniectura probabilis, quoniã diu penes se arcano id diploma Pontificiũ occultauit, dũ variæ cogitationes recurrunt animo scilicet, quid fama locutura esset, sanandiq; eos Principes rationẽ mitiorem instituere satagit. Sic sub Martii finẽ Petrũ Hontanoniũ legauit, qui eos Reges officii admoneret, si saperẽt, ne cum Gallo rationes miscerent, neq; suis atq; ecclesiæ hostibus porro fauerent neq; per fines transitũ darent. Vtriusq; rei pignus Henricus filius esset in Castellam ablegatus certa coniugii spe ac fide cũ Isabella aut Catharina Ferdinandi neptib. Honestissima postulata feroci Vasco animo repulit Gallicis credo fretus opibus, si quid incideret aduersi. Quin Ferdinãdo studentib. molestus esse, nouos in ditione habere delectꝰ. Neq; cessare quamuis à Ioãne Ribera limitis Præfecto monitus. Res Gallorũ in Italia prosperæ, cõtra Hispanorũ afflictæ animos faciebant: quæ pleniora & vberiora pleriq; ad suos scribebãt, multa etiã afficta rumorib. supra verũ. Cardonius in agro Bononiẽsi cõtinebat copias, neq; retro redire, gnarus quãtũ scilicet in bello fama possit & nominis existimatio, neq; vlterius progredi ausus, etsi Põtifex monebat, vt in Mediolanenses fines irrũperet. hostes in ditione bello lacesseret. Verũ ne cõmeatus interciperẽtur, prouidẽdũ erat, dignitatis specie ne incurreretur in maiora mala. Rhauẽna lõginqua vnde annona deferebatur in castra, hoste virib. & fiducia præualido. Hyemis sæuitia imminutæ numero copiæ, multis extinctis plures alii signa deseruerãt atq; infrequẽtia reliquerant. Præterea hoste prope constituto sexcenti equites Pontificii cum Vrbinatis legato è castris vno impetu discesserant specie quasi nõ soluerentur stipẽdia, & ab Hispanis extarẽt insidiæ. Omnino Vrbini Dux occulta cũ Gallo cõsilia agitare nõ est veritus: & cõstat qua nouos delectus haberet pecuniam ipsi à Gallo decretã in nominib. apud Florentinũ mensariũ. Has ob causas sociali exercitu vehemẽter imminuto, Cardonio & Legato Põtificio visũ quatuor millia Italici generis in supplementũ cẽturiare. Põtifex octo millia iubebat, si fieret, pecunia cõtinuo oblata. Nouo supplemẽto cõfirmatis viribus q̃ primum vt cum hoste confligeretur, auctor erat, æger mora & spei impatiens. Cautior Ferdinãdus gnarus Gallorũ vires initio validas mora languescere, bellũ duci iussit dum Venetorũ copiæ aduenirẽt; ꝙ pactis cum Cæsare induciis facile erat modo volentib. Heluetiorũ præterea numerum adiungi, si eius rei facultas nõ esset, certe Germanorũ. Satis gloriosa cõsilia, quæ tuta, patiẽtia nisi vires iuuarẽt in præceps ituros. Id vt suaderet, Ferdinandum Valdesium cohorti prætoriæ Præfectum in Italiam amandauit, qui Pontifice Romæ de ea re conuento in castra delatus eadem Cardonio eius verbis denunciaret. Fecit ille mandata diligenter. Ad Cardonium venit ad quartum Kalendas Aprilis quo iam tempore vtraque castra in conspectu erant: vt vix

videretur poſſe detrectari certamen citra grauem nominis ignominiam iacturamq; partis quæ recuſaret. *Nobilis pugna ad Rhauennam facta.* CAPVT IX.

AD Petri fanum, Butrium, Cetum & Plebem agri Bononienſis oppida ſocialis exercitus ſtatiua habebat. Cardonius iis locis Gallos expectare conſtituit, ſi vellet prælio vniuerſo decernere locorum natura noſtris propitia faciebat animos; & incredibilis in milite ardor pugnādi. Superior ignominia incitabat & partæ toties de Gallis antea victoriæ. Promouere Galli caſtra, eiſq; adiunctus Ferrarienſis cum valida & numeroſa militū manu cultu fulgenti & armis conſpicua. Triduo vtræq; acies in conſpectu conſtitere; neque tamen ad manus eſt ventum; dum Galli locorum iniquitatem perhorreſcunt, Cardonius Regis ſui mandatis à Valdeſio allatis obſequi cupit, neque vniuerſi certaminis ſortē ſubire niſi re neceſſaria, certe de ſuo loco pugna commiſſa ad non dubiam victoriæ ſpē. Ergo Galli detrectata pugna, in cuius euētu rerum & imperii Italici ſumma vertebatur; pridie Kal. Aprilis mouere caſtra. Rhauennam petere deſtinatum erat. Ea vrbe capta, quoniam ex eo copioſo rerum venalium mercatu in hoſtium caſtra annonæ affatim in dies deferebatur, rei frumentariæ anguſtiam fore putabant. Eo metu Cardonius dieb. ſuperioribus Petrum Caſtrium cum centum equitib. expeditis & Ludouicum Dentichium Neapolitanum ciuem cum mille peditib. Italis præmiſerat ad vrbis præſidiū. Parum ſpei erat diu eos ſuſtentaturos aduerſus vniuerſas Gallicas copias: vrbs ea tanti, vt continuo iiſdem veſtigiis hoſtem ſubſequi conſtitueret. Trium non amplius millium ſpatio inter vtraque agmina. Et de Rhauenna tamen ſolicitus Marcum Antonium Columnam cum centum è ſuis cataphractis & quingentis Hiſpanis peditibus iubet præcedere; vrbemque ingreſſus tueri. Mari Adriatico Rhauenna adiacet inter duos amnes ſita facili ambos vado. Vno Ronco nomen, Montoni alteri. Aluei ita propinqui vt vrbis mœnia ſtringant, ad læuam Monto, Roncus dexter, inter duos petentibus vrbem, olim Vitis dictus. Ad eam vrbem inter fluuios caſtra poſuere Galli die Iouis Chriſti cruciatuum memoria ſacro ad ſextum Idus Aprilis. Die proximo muro ſuccedentes impugnant conatu acerrimo. Defendunt præſidiarii milites magna virtute. Inprimis Ludouicus Dentichius, qui inter pugnādum amiſſo fratre, ea & ipſe vulnera accepit ex quib. breui deceſſit. Cardonius ſecundū Roncum amnem gemina dirimentem caſtra exercituſq;, ad vrbem propius accedere pergit. Sabbatho duob. ab hoſte millibus conſedit ad molas frumentarias, foſſa ducta, ſæpeq; labro interiori prætenta. Diſceptatur in conſilio, deberent vltra procedere. Variæ extitere ſententiæ & contrariæ. Fabricio reſiſtere placebat eo loco. commeatus ipſis facultatem hoſtibus inopiam breui futuram dicere. Præterea ex eo loco vrbem tueri promptum, aut ſi hoſtes occupare auſu temerario tentarent, à tergo vrgentibus certam victoriam. Nauarrus contra diſſeruit homo ſui capitis, & inimicus conſilio etiam ſaniori, ꝙ non ipſe dediſſet. Magnam is pugnandi cupiditatem ſemper præ ſe tulit confiſus maxime Hiſpanorū virtute, quos aduerſus omnes hoſtium copias parabat obiicere. Non audacia ea ſed temeritas ſed furor erat. Cautiori ſententiæ prælata ea in qua plus dignitatis ineſſe videbatur, promotæ noſtrorum acies. leue certamen extitit, equitum Gallicorū numero in primum noſtrorum agmen inuecto. Nihil tamen ad memoriā eo die incidit inſigne. Hoſtib. tantū in ſua caſtra reuerſis, noſtri ea nocte ferme in conſpectu conſtitere, diurno nocturnum laborem continuantes ſubitaria munitione caſtra cinxere. Die proximo Dominico, qui Chriſti ad vitam reducis memoria celeberrimus fuit: tertio Id. Aprilis vtræq; acies quaſi ex condicto ad pugnam ſunt explicatæ. Galli viginti quatuor millia pedites numerabant, Gallos Vaſcones, Germanos, & Italici generis, duo millia cataphractos, equites expeditos pari numero bellica tormenta quinquaginta. In primo agmine Ferrariēſis & Palicius curare iuſſi ſunt. Medium agmen Nortmanniæ Seneſcalus & Sāſeuerinus Cardinalis conuentus Piſani legatus tenuere. Fridericus Rozolius aciem poſtremā. Namurſius cū lecta equitū turma ad ſubita manſit in ſubſidiis in eam partem daturus impetum, vbi maxime ſui laborarēt. In ſociali exercitu ementiente fama ad decē & octo millia pedites cōtineri, vero Hiſpani octo millium numerum non efficiebant. Italorum millia quatuor; mille & ducēti equites grauis armaturę, leuis duo millia. Tormēta quatuor & viginti nō amplius. Debuerat Cardonius ante aurorā mouere ſilētio agmina neq; cōclamatis vaſis, vt trāſitu hoſtes amnis acieſq; inſtruere ex diſciplina in aduerſa ripa prohiberet. In eo quoq; cōtra Fabricii monita Nauarrum aut ſuum iudiciū ſecutus. Sic hoſtib. facultas data ponte trāſmiſſo copias omnes loco patenti explicandi. Primum in ſociali exercitu agmē ductabat. Fabricius octingentis cataphractis, ſexcentis equitib. expeditis, peditum quatuor millib. conſtans. Reliquę copiæ oēs in gemina agmina tributæ ductorib. alterius Cardonio, alterius Petro Nauarro. Hoc ordine promouerūt acies. Duces pro ſe quiſq; ſuos milites ꝑ tur-

mas

mas & manipulos ad pugnam hortari, victoriam polliceri, inanes metus decederent fortibus animis. Namursius imprimis ad circumfusas legiones hac sententia locutus fertur. Quod diu milites, expetiistis cum hoste patentibus campis certamen fortuna seu vis maior, benignæ instar matris tot antea largita victorias, in præsenti annuit: offertque vobis opportunitatē illustrioris victoriæ, quàm quæ ab omni memoria ab vlla gente sit parta. Equidem vocem sæpe vestram audiui, Quando dabitur hostis, quando acies instruetur? En vota virtusq; in aperto, omnia vobis prona eademq; hostibus aduersa. Adeste animis, nihil in nostra oratione vanitatis est. Non Rhauenna, vniuersaq; AEmilia atq; Flaminia vestræ virtuti cedent: sed quantula pars erunt prœmii ex parta victoria parti? Nullo qui resistat in Italia reliquo, quis Romā vobis eripiat, vrbē & curiam Christianorū toto vrbe spoliis superbā? Iis copiis auro, argēto, gemmis, vesteq; pretiosa multos per annos structis ditari ad miraculū an vllus vetet? Roma Neapolim an pferre arma pigeat, atq; superioris tēporis iniurias multas & graues hostiū, qui fecerunt, exitio vindicare? quanta cū gloria & fructu dicere non attinet. Tantā felicitatē eripiat nemo: proxima victoria semper sequentis erit instrumentum. Quod virtus vestra pollicetur, fortuna, victoriæ frequentes, vultus alacritas & ferocia. Aduersarii ii sunt, qui turpi fuga Bononia discesserunt noctis tenebris tecti, qui fori Cornelii & Fauentiæ mœnibus asperis ve locis salutem tueri quàm dextris maluerunt. Is igitur vobis & illis animus erit qui fugacibus & victorib. esse solet, humilis illis & abiectus, vobis erectus & ferox. Nunq̃ hęc colluuies cum nostra gente de Neapolitano regno æquo marte pugnauit, sed fossis, aggeribus, aut fluminibus obiectis. Ne hos quidē eos esse milites credite, qui in bellis Neapolitanis inueterarūt, sed aut ex eo numero fugacissimi, ideoq; tandiu superstites, aut tyrones nullo vsu: certe cū Maurorum modo iaculis & retusis hastis pugnare soliti, atq; ab iis ipsis anno superiori victi fusiq; ad Mænyrigis insulā corporib. imbecillitatē animis ignominiam in acie protulere. Iam pridē Hispanorū acerrimi ciciderunt: ignaui & metuentes supersunt. Nauarrus quoq; tanti scilicet nominis dux ea prudentia, suo malo didicit quantum inter se differant ignitis globis actisq; sub terra cuniculis subruere mœnia, & hostē propius ferire. Nulla illis in vera virtute fiducia posita est sed in fraude. An hac etiam nocte non aduertitis se subitarii operis fossa, obiectisq; carris inclusisse, leui munimento scilicet, neq; intelligentes longe aliter q̃ fortassis cogitant, certamen fore. Igneę pilæ tormentis excussę, mihi credite, è cauernis & latebris in apertū producent. Ibi quantum Gallorum alacritas, Germanorum ferocitas, Italorum generosus ardor Hispanorū fraudib. præstet, facile dignoscetur. Illud vereor modo, ne aliquid ex vestra gloria decerpat numerus q̃ hostiū ferme duplo maior. Sed oblatā tamen cęlitus vincendi securitatē arripere, quis iure interpretetur ignauiā, & iure non potius temeritatē & insaniam hostium accuset? Quos ad pugnā non virtus non spes trahit, sed Fabricii Columnæ auctoritas alieno periculo satagentis Marco Antonio propinquo, vti est pollicitus, opitulari. Aut potius excęcat animos diuina vindicta, cū vim suā refringi non vult, Iulii falsi Pontificis superbia & sceleribus irritata, fraudib. Aragonii Regis & perfidia, nostri Regis simplicitati sæpe illudentis. Verum quid attinet nō necessariā orationem longius producere? Quid fortissimorum militum victoriā prolixo sermone morari? Reo auspice in hostes irruite. Hic dies meo Regi imperiū, vobis ditissima Italiæ spolia præstabit. Ego dux vester nulla salutis cura, vti facere sum solitus, omnibus partib. adero virtutis cuiusq; testis spectatorq;, adiutor in periculo, omnium ducum felicissimus maiorib. ex victoria diuitiis paratis q̃ vlli à trecētis annis milites in Italia retulerint. Excussæ mox tormentis pilæ stragem late in Gallorum prima acie fluuiū traiiciente fecerunt: multo maiora damna intulerunt nostris cataphractis Gallica vicissim displosa tormenta q̃ppe duplicato numero q̃ socialia, locoq; aperto scienter disposita, adhęc nullis obiectis exaduersum munimentis. In eo discrimine Piscarius cum expeditis equitib. impetū in hostes facit: vt pugna comin⁹ cœpta misceretur agmina. Cataphracti ab vtraq; parte subsecuti sunt haud satis seruatis ordinibus. Prælium varium, atrox, anceps fit, his rursusq; illis exitiabile. multi in vestigio pleriq; non inulti cadunt aduersis omnes vulneribus. Gallorū equitum numerus maior erat, alacritas conspicua. Multitudine hostium, nostri constantia victa loco tantisper moueri cœperunt. In eo conflictu Piscarius equo vulnerato viuus in hostiū potestatem venit, cecidit Petrus Pacius præstanti virtute Dux in bello Neapolitano ingenti laude parta. Tum Petrus Nauarrus cupidus victoriæ gloriā vniuersam ad se trahere equitum turbatione conspecta Hispanos pedites recenter in pugnā inducit trecentis à tergo equitibus, quos potuit colligere, firmatā aciem. Anteq̃ in Germanorum peditatū impressio fieret, Zamudius Tribunus animaduertit è Germanis centurionib. quendā Iacobum Empserum nomine prouectum à reliquis, eum quippe

fulgentibus armis conspicuum ad singulare certamen vocare. Correpta is atq; concussa militari hasta, ô Rex, inquit, quanti tua hoc die constant beneficia, leue profecto pretium hodierni periculi atq; ambigua sorte certaminis. His dictis in Germanum irruit, vastoq; hostem corpore primo ictu ad terram strauit. Reliqui eo spectaculo cōmoti, cęci furore in ferrum ac vulnera vęcordi audacia ruunt. Momentoq; tēporis fusis cæsisq; Germanis eodē impetu in Vascones & Italos inuecti cæsos in fugā auertunt. Maior aliorum fuga q̃ cædes, Germanis insita constantia exitio fuit. E duodecim eius gentis centurionib. nouē cecidere nihilominus, aliorum militum cædes par. Neq; destitere Hispani priusq̃ ad tormenta ventum est: capta etiam eodē impetu quidā scriptores affirmant, Gallici negant: atq; à Ienolaco Galeoto rei tormētariæ Magistro egregie fuisse defensa aiūt. Illud cōuenit, Gallicum equitatum ea strage & periculo perspecto conuersis in Hispanos signis eam impressionē fecisse cui pares illi non fuere: q̃uis aliquandiu fortiter pugnarunt, quippe diuturna pugna fessi, nullo equitatu defensi. Tunc Zamudius periit. crudele fatum tanti viri virtuti non debitum, periere plures alii duces. Petrus quoq; Nauarrus captus est. Reliqui atq; iis adiuncti qui ex prima acie superfuerant cladi, seruatis ordinib. se recipere cæperunt ex vno latere clausi amne, ex altero viæ publicæ aggerem pro munimento habentes. Cupiebat Namursius eo cęso agmine victoria integra potiri, neq; de publica lętitia quicq̃ diminui, si maior hostilis peditatus pars incolumis euasisset. Palicius satis eo die esse profectum disputare neq; cōmittendum vnde irritabile hominū genus amplius efferuesceret. sæpe ex desperatione spē ortam. Ille nihil his monitis est deterritus. cum paucis prouectū ac molestum esse porro pergentem conuersi Hispani ex equo præcipitem dedere, peremit miles gregarius nihil prostrati verbis motus, captiuum se habere Reginæ Aragonię fratrem. Incensus furore animus misericordiam nō recipit, an Gallica verba Hispanus non intellexit. Periere itē Allegrius & filius, Lautrechius pro mortuo inter iacentes relictus est. Sic secundo flumine ad tria millia milites abire sunt permissi. Fabricius interim cum suis & quos ex reliquo numero colligere potuit pugnā alia parte sustentabat, neque prius destitit quam duob. vulnerib. acceptis & cum equo prolapsus venit in potestatem Ferrariensis militum. Capto Fabricio nullo amplius repugnante victoria à Gallis aperte stetit tanta tamen strage afflictis, vt neq; ad insequendum hostem satis animi fuerit, neq; ad nouos conatus. De cæsorum numero nihil certi statui potest propter magnam inter scriptores varietatem, vulgato gentium affectui vno quoq; vt videtur, seruiente. Illud cōstat quinq; horas pugnam tenuisse aliquanto maiori quam hostium vincentiū clade, siue Namursii summi ducis cæde Germanorum ferme omnium strage occisisq; ex vniuerso exercitu nobilissimis præter Ferrariensem Paliciumq; siue socialis equitatus incolumitate, prorsus vt ea nocte ad tria millia equites versus Ariminum & Anconā sese receperint qua grauis armaturæ qua velites, ad hęc pedites Hispani sup quatuor millia euasere. Cardonius ex fuga Pisaurium primum, deinde Anconam abiit fugientes fusi exercitus reliquias collecturus. Factis & genere viri præstantes seruati sunt Traiecti Dux, Populi Comes, Rodericus Diacius Ceron, Alfonsus Caruaialius, Antonius Leiua quamuis duob. equis in pugna tormentis occisis. Fernandus Valdesius qui pugnæ interesse voluit, Iulius Mediceus miles Hospitalarius. Capti præter superiores, legatus, & Ioānes Cardonius Padulæ Marchionis frater, q. ex vulnerib. decessit, Fernādus Alarconius, Marchiones Atelę atq; Bitonti, alii pręterea quorum inire numerum longum esset. Captiui Mediolanū sunt deducti, Fabricius tantum, Alarconius & Ioannes Cardonius Ferrariæ mansere. Victoribus secundum prælium continuo Rhauenna portas aperuit. Obstructas antea consilio se dedēdi mentes metus aperuit. Pactis tamē in deditione conditionib. Galli non stetere rebus secundis feroces & accepta clade irritati. Egressis Marco Antonio Colūna atq; Petro Castrio Cęsenā versus, vrbē milites diripuere, sæuitia & cupiditas instigabāt, vbiq; lamēta & vlulatus & fęda captæ vrbis imago, nihil vsq̃ secretum & clausum, aut si resisteretur certa cędes. Adeo vt Hispani militis inuidiosa antea petulantia desideraretur. ne tēplorū quidē thesauris aut monasteriis pepercere. Gallici scriptores Iaquinū centurionē eius vęcordię auctorē extitisse, accusant: q. ex spoliis Brixię sacris, auro intertexta veste superbus. Simili cōpendio ductus, ꝙ capitale extitit, militib. suasit vt par impietatis exēplum Rhauennæ etiā constituerēt. plures certe opinione intra vrbē copię omne genus sunt inuētę. Forum item Cornelii, Forum Liuii, Cæsena, Ariminum, ac fere omnes Flaminię arces in victoriæ partem vltro concesserunt. Quas Sanseuerinus Legatus, Pisani conuentus nomine in fidē & tutelam accepit. Pręlii huius ꝙ inter Italica in paucis nobilissimum fuit, fama in omnes partes diffusa, Pontifex quidem non abiecit animū quamuis Romano populo ad arma consternato defectionemq;. Ac p̄cipue confirmauit Vrbinas delato exēplo

ſtudio cupiens priora errata emendare, ad patrui Pontificis redire gratiam: atq; Iulius Mediceus qui facultate impetrata viſendi legatum patruelẽ req; cum eo cõmunicata Romã delatus, quo in ſtatu res eſſent, anxio Pontifici renunciauit, ſuisq; & legati verbis bono animo eſſe iuſſit, maiorẽ cladẽ illatam Gallis q̃ acceptam: rerumq; breui conuerſionẽ fore. Ferdinando Regi perſuaſum minorẽ multo ſtragem vero extitiſſe. Quãdo ex eius litteris affirmatum inuenio, equites pedireſq; è ſuis copiis nõ amplius mille & quingentis ratione inita deſideratos. Magnũ tamen Gonſaluũ in Italiã remittere ſtatuit idoneum virum, qui ſua præſentia ea vulnera maiorib. commodis ſanaret. Sic litteris in omnes partes eſſe deliberatũ ſibi & fixum ſignificauit. Soliſio itẽ militi ſacro duo millia Hiſpanos attribuit Neapolim continuo auehendos in ſupplementum, melioris ſpei initium. Rex Gallus pugnæ euentu nunciato, Vtinam inquit, Italiæ vniuerſæ iactura mei Namurſii vitã redimerẽ. Similes victoriæ inimicis contingant. De iis enim ſcite vulgo dicitur. Qui victus eſt, ſuperatur quidẽ, ſed victoris tamen ruina. Venetis hac victoria erat perſuaſum, Gallis nõ Neapolim tantũ ceſſurã, ſed vniuerſæ Italię imperio ſpe & cupiditate imminere, iugumq; impoſituros. Fluctuantes atq; de tranſitione cogitantes Spinelus Cariati Comes pro Ferdinando in ea vrbe legatus erexit oratione tẽpori accõmodata, docens minora opinione damna extitiſſe: effecitq; ne ad nouũ fœdus reſpicerent reiecto veteri. Sorrenti Cardinalis pro Cardonio rebus Neapoli Præfectus, dum bellũ eſſet, Hugonẽ Moncadã è Sicilia aduocare in pręſidium, admonereq; pro impoſito munere Neapolis atq; Siciliæ ſummi ducis ne cunctaretur rebus aſperis ſuccurrere. Quod ille libenter præſtitit, Tripoli deductos milites, equitumq; numerum ſecum Neapolim deuehẽs. Eandem Cardonius Ancona profectus, vrbem iniit ad quartum Nonas Maii in vnam curam reparandi exercitum intentus, ac cætera bello neceſſaria conquirendi vt tempus & facultas darent.

Conuentus Lateranenſis inchoatur. CAP. X.

PRiuſquam id pręliũ committeretur, Pontifex Romæ in conuentus Lateranẽſis, quem indixerat, apparatus cura diſtrictus octo deſignauit Cardinales in ſenatu qui mature conſiderarent: q̃ comparare opus eſſet, ac vero diligentem operam nauarent morib. tum Romani populi, tum præcipue curiæ aulæq; Pontificiæ acriori cenſura caſtigandis. Neq; enim decebat vbi domicilium ſanctitatis & pudicitiæ eſſe debet, vnde leges prodeũt probitatis, à quib. iura ſacraq; petuntur, ibi vigere prauitatẽ altis nixã radicibus: q̃ oculos & animos offenderet Epiſcoporũ e toto vrbe confluentiũ. Enimuero ſummus Pontificatus ſanctos vel accipiat vel faciat æquũ eſt. Siculos & Neapolitanos p̃ſules priorib. edictis parere excuſantes maiori q̃ alios cura euocare. Ex Hiſpania quoq; ac nominatim Toletanũ Hiſpalenſemq; vt veniret, vrgere nobiles præ cęteris Antiſtites & graues. Eorũ præſentia honeſtare conuentum cupiebat actionib. auctoritatem maiorẽ conciliare, vſq; eo ſtudio prouectus vt Hiſpalenſi purpuræ honorẽ modo veniẽti deferret. Piſani conuentus exiſtimationẽ per eũ modo obſcurare cupiebat, à factioſis Cardinalib. indicti & haberi cœpti. Ii per hoſce dies Mediolanũ delati conuentu in eã vrbem translato, victorię ſuperbi ſupra verũ celebri fama, eo ſunt audacię progreſſi, vt edicta euulgarint in Pontificẽ cõtumelioſa & grauia. In iis præfati ſępe obteſtatos hortatoſq; Pontificem, vti ſui in concilio copiã faceret, certe e decem vrbib. vnam conuentui idoneã ipſe deligeret, libertate Patrib. decernendi data (quid enim ſi vox libera non ſit, liberum eſſe?) nihil profeciſſe. ac vero eius improbitate infinitã vim ſanguinis effuſam eſſe mutandi nulla ſpe. Ob ea flagitia clauiũ iure ſpoliatum ex præſcripta ſanctione Baſilienſi ſeſſione vndecima, quarta & quinta Synodi Conſtantienſis, eoq; in ſynodum Pontificiã omnẽ poteſtatẽ decernere trãslatã. Sententiæ exempla pro forib. templorum Mediolani, Florentiæ, Genuę, Veronę, atq; Bononiæ ſunt affixa. Proiectã audaciã probrũq; ingemuit orbis Chriſtianus: Pontifici ſtimulos addidit vt in cœptis feſtinaret. Ergo ad ſextũ Idus Maii Lateranenſis conuentus inchoationi Pontifex affuit actionũ præſes & moderator, affuere Cardinales atq; Epiſcopi magno numero ex variis regionib. in ſtudium iuuandi eccleſiã Piſanorũ Patrũ audaciã frænandi incitati. In primo conuentu Egidius Viterbius Auguſtiniano ordini Generalis Prefectus excellẽs ea ętate atq; p̃ cęteris clar' in Italia cõcionator, iuſſus e ſuggeſtu dicere ſubiecta ſententia elegantẽ ad Patres orationẽ habuit. Anni fluxere aliquot, ex quo p̃ vniuerſã Italiã ex Ioãnis Apoſtoli Apocalypſi dicendi ſumpta occaſione, magnas eccleſiæ calamitates inſtare ſum vaticinatus: certam tamen ex iis malis emergendi aliquando ſpẽ promitti, Lætor, Patres, atq; ex animo gaudeo noſtrũ vaticinium inane nõ extitiſſe. Rebus enimuero in extremũ diſcrimen adductis, & in tetrã malorũ caliginẽ, quaſi poſt obſcurę noctis tenebras melioris ſpei lumen oſtenditur, ſerenũ poſt ſęuam ventorum & turbinũ tempeſtatem. Hoc diſcrepant inter cætera a cœleſtib. terrena, q̃ illa inſtauratione nõ indigent q̃ppe æterna natura;

res humanæ propter innatam inconſtantiã & varietatem remediis opportunis ne penitus intereant ſoluanturq;,reparari identidem opus habent.Quod victus animantibus,q̧ cultura irrigatioq; plantis eſt,id in vita & morib.accurata diſciplina, ne noxiis vitiorũ ſentib, ſilueſcant atq; vaſtẽtur inſtar neglecti agri.Bonus agricola arbores vel adminiculis erigit, vel circumcidendo caſtigat,ſub aliena latentib.vmbra cælum aperit,ramorum denſitate impeditas interlucat,telluris vitio laborantib.mutat locũ:neq; rectas tantũ &fertiles colit, ſed deprauatas corrigit &minus fructuoſas:neq; ſudori parcit,modò p̃dia hortiq; niteſcãt. Tantundem de paſtoribus dici poteſt, ſed locum videtis. Ergo doctrina & exemplis excolantur animi; quę in populi moribus delapſa fluxere ſeueriorib.legibus aſtringantur. ea cultura eſto.Vos omnes cæleſtis pater huius agri cuſtodes & cultores dedit, ſui gregis curatores.An æquũ videatur inertiæ ſe dare?altũ ſtertere? & nõ poti' cui omnia debemus pro ea vitã ſanguinemq; profundere?Poſſunt quidẽ eam diligentiã paſtores in ſuis ſinguli caulis præſtare,tantum ne exitialis ſomnus inuadat,verum à tempore Magni Conſtantini vſu perpetuo edocti ſumus multo id commodius contingere,maiori efficacia; cum Antiſtites in vnũ locum conuenientes,diuinoq; afflatu adiuti inter ſe conſpirantes de ſalute publica in cõmune conſultant.Repetite Patres veteres hiſtorias,euoluite antiqua ſcriptorũ monumenta,reuocate in memoriam ſuperiores ærumnas & mala.Quis hæreſes antiquas & ſectas nefarias à ſtirpe conuulſit?concilia. Quis Principum inſolentiã frænauit, terrorem improbitati ne ſe efferret grauis & importuna quis incuſſit?an non id concilia pręſtitere? longum eſſet explicare ſingula;ſed certe quid eccleſię vniuerſæ maieſtatẽ tuetur, cultum religionis & ſanctiſſimas cæremonias illuſtrat,populi prauitatẽ coercet,fouet pietatẽ &legib.vt obtemperetur facit? An non hæc omnia à conciliis p̃ſtantur?Quod ſi labori &induſtriæ fructus non reſpõdet,ſi vitiorum peſtes in multorum perniciẽ &reip.dedecus maiori q̃ opus eſſet,licentia graſſantur:videte Patres,ne forte ſalutaris inſtituti intermiſſio eã conſciuerit labẽ.Magna vis horum conuentuũ exiſtit, ſaluberrima operatio,ita tamen ſi accedat inocẽtiæ in noſtris morib. & probitatis exemplum.Certiſſimum ſubſidium à vita rectorũ reliquæ diligentiæ paratur,noſtri capitis imitatione,& doctoris,qui vt diuinę perhibent litteræ, cœpit facere & docere. Salutaris doctrina eſt, ſed ſi docentis exemplis iuuetur.Diſplicet hominibus imperata correctio, actione facillime iubetur, exemplo facillime obtemperatur.mouent enim magis exẽpla quã verba,atq; vtinã ô vtinã tam multi bene operarentur,quã multi præcipiunt bene.Verum in re certiſſima hęrendum non eſt. Sed quis tamen non videat,non gemat huius æui ærumnas continuas &graues?mores populi in omnem licentiam ſolutos.Imperitiam,ambitionem,impudicitiam, vbi minus decebat graſſari?Intemperantiã & rapinas Principum an militum an vtrorumq;. Dicam audacter fortaſſe, ſed vt arbitror vere,ſiccis oculis quis aſpiciat Italiæ campos humano madentes ſanguine magis quam de cælo imbribus,vndantes per vrbes,& oppida gladios,innocẽtiam oppreſſam? Hæc aliaq; multa mala veſtram opem,Patres exſpectant,ea ſublata ſpe vnde remedium noſtris miſeriis petatur? Magnam prouinciã,Pater ſancte,ſuſcepiſti: multa aggreſſus es & perfeciſti præclare.Sublata latrocinia,aperta itinera,plures ad ſacrũ imperium vrbes reſtitutæ,quam à quoquam alio ab omni memoria Pontificum. Magna hęc ſunt atq; præclara,quis neget?quis non videat?Omnium tamen maximam à tua prudentia cuncti præſtolamur.opem Principibus Chriſtianis pacatis in communem hoſtem omnium opes viresq; conuerte.Id vt facilius cõtingat,poſitis abſonis armis ea arripiamus q̃ noſtræ militiæ ſunt cõſentanea.Iis vitia omne genus ſcelera multa q̃uis & fæda, ſunt impugnãda.Quando n.vita ſolutior?quãdo ambitio magis effręnis?Quãdo maior de diuinis rebus loquendi ſentiendiq;,vt cuiq; placet, licentia?laniena ſæuior an vllo tẽpore accidit, q̃ quę Brixię prius,deinde ad Rhauennam extitit? cruoris riuis nondum exiccatis?Quæ omnia quid aliud quam voces cæleſtes ſunt denunciantes quantopere ad hæc ſuprema remedia ſacramq; ancoram recurrere eſſet neceſſe. fructus vt cumulatior exiſtat,modeſtiæ ſtudio, clamores amoueantur & iurgia. Sed cum eo tamen ſi loquendi decernendiq; libertas ſit omnibus vt maxime q̃dam dolorem facere videãtur. Magna Deo à vobis Patres debetur gratia,quos lingua,moribus &genere diſcrepantes in hunc locum perduxit; magna laus vobis ab omnibus bonis,qui tantos labores ſumpſiſtis p̃ ſtudio iuuandi eccleſiã. Magna ſapientia in his auguſtiſſimis ſedib.verſatur,auctoritas par. Aderit Chriſtus ſuo numine,cuius agitur cauſa, ciuesq; cęleſtes omnes; vos imprimis Petre & Paule clara inter cæleſtes lumina,eccleſiæ ſanctæ atq; huius vrbis tutelares,clamores noſtri & ſingultus ad miſericordiam flectant. Eccleſiam veſtrã iuuate,veſtro,inquam,ſudore conſitã cultamq; vineam,diuinam Chriſti & veſtro ſanguine irriguam hæreditatem & quã à tyrannorum ſæuitia liberaſtis , ne eorum manibus extirpetur & pereat,qui ſe filios eius & familiares

pro-

profitentur, benigne facite. Cunctos hos Patres & sanctos Pręsules confirmare cęlesti ope, vt mentis oculis in Deum solum coniectis, ac nihil pręterea captantes, q̄ nostra vulnera postulant & tantæ miseriæ exigunt, ea adhibere remedia ne metuant.

Bellum Vasconum inchoatur. CAP. XI.

TRanquillæ tunc res in Hispania quidem erant finitimis Regibus partim affinitate deuinctis, partim icto fędere in amicitiam & societatem ascitis. Italiæ Principib. & militib. magis vires deerant bello fessis & fractis, q̄ voluntas repetendi arma: cum repente in vtraq; gente bellum exarsit atrox & graue euentu vtrobiq; Gallis exitiali. Id qua ratione contigerit explicamus. Cæsarem inter & Venetos pactę induciæ ad Sedunensis diligentiam adiunctæ, præterea prælii ad Rhauennam fama Heluetiis iniecere voluntatem in Italiam transeundi Pontificiæ causæ patrocinio suscepto. Quod alios terruisset gentis ferocis animos ad festinandum incitauit; atq; ita vt ad quartum decimum kal. Iunii ad Valcamonicam essent agri Brixiensis oppidum ad sedecim hominū millia cum tormentis campestribus decem & octo, pręter alia sex millia milites per Mediolanenses fines Nouariam versus cōtendētes, aliaq; duo millia Bergomū: incredibilis multitudo ꝓ angustæ regionis modo. Præerat his copiis Altosaxus militari laude præstans, illique adiunctus Sedunensis Cardinalis. Galli siue studio Aquitaniam tuendi ab Anglorum iniuria, sui Regis iussu, vt excusant scriptores Gallici, seu metu ne Heluetiis, Italis, Hispanis in Italia in eorum perniciem consternatis tantisq; apparatibus pares essent, deserta Italia in patriam frequentes rediere. Restitit Palicius in Insubribus cum modicis copiis, è quibus tamen indies milites dilapsi signa infrequentia reliquere. Veronā supra viginti Heluetiorum millia peruenere ad sextum kal. Iunii. Vrbs ea cum arce Gallis deserentib. sine sanguine venit in hostiū potestatem. Eo Veneti vt Paulus Capellus eius vrbis copias ad Heluetios adiungeret, senatusconsulto decreuere. Ea erant septingenti cataphracti, velites octingenti, pedites quatuor millia. Heluetii recentibus auxiliis aucti & Verona capta læti Valesium progrediuntur, quo se Verona deserta Galli receperant. Idē successus fuit, ne tentata quidē defensione locum deseruere; ne prohibitis quidē transitu hostibus ꝙ erat promptum Mincio flumine interiecto, ꝓpeditis ripis difficili vado. Iisdem vestigiis victores subsecuti, cedentibus nihil vt tutum esset, effecerunt Cremonā vsq;. Vi quadam abdita Galli in pauorē & fugam agebantur. Et Cæsaris industria Germani, qui in Gallico exercitu supererant, cōmeatu petito discesserunt, tanta ex eo Palicii consternatione vt non prius constiterit, quā Astam ventū esset Mediolanensis principatus ad fines extremos sitam, neq; procul Alpibus, Italiam deserendi certa voluntate, ꝙ magnā desperationis significationem continebat. Sic vrbes alię Gallico imperio repudiato detersis Galliæ insignib. defecere passim. Cremona Sedunensi imperii nomine se subdidit. Mediolanum ac ferme aliæ ipsi contributæ vrbes ad victores accessere. Cuncta elemēta in Gallos conspirasse visa sunt, impios in Pontificiam maiestatē ausus eorum qui fecerant, pernicie vindicare. Vt belli aduersus Gallos iustior causa esset, ardentius gentis studium, lætior successus, victoria facilior; Gursensis & Petrus Vrrea ea castra secuti Maximilianū Sfortiam in Italiam euocandum iudicabāt. Factiosi Cardinales in tam repentina rerum conuersione Mediolano diffisi in Galliam discessere. Vrbes Placentia & Parma in eo rerum motu vltro se Pontifici subdiderūt. Arripuit ille occasionem libenter imperii proferendi, ad suum ius pertinere contendens Rhauennæ quondam exarchatui contributas, quo tempore Græci Augusti Italiæ partem obtinuere. Obsoleta nimirum iura ex vetustis deprompta tabulis mouebantur, nunquam nisi armis valida. In Hispania Ferdinandus belli causas aduersus Vasconem quęrere videbatur, satis sibi dari damni ea parte illati, si qua vis ex Gallia ingrueret, postulans, Henricum filium quia dare fidei obsidem Vasco recusauit: certe sex arces traderet pignoris loco facturum quæ oporteret. Eas obtinerent Vascones quidem, Ferdinandi tamen nominatione sacramentoq;. Durum id quoque videbatur. Latro Mauleonius Burgos à Vascone legatur nulla tamen idonea paciscendi facultate. A Vasconum regno tutos Hispaniæ fines fore pollicitus, vt tantundem de aliis principatibus, quos ii Reges in Gallia obtinebant, & Hispaniæ limites attingunt, in fœdere caueretur; non satis adducebatur. Responsum ergo Vasconi post multas disceptationes, è duobus alterum eligeret. A neutra parte staret, sed mediū se gereret inter disceptantes. certe si virib. Gallicis Regem Gallum iuuaret Vasconum opes in auxilium Hispani & socialis exercitus conferret. Vasconi Ferdinandi felicitas erat suspecta, ne Namursio sublato, Germanę extincti sororis, iure repetito, regnum illud quasi dotale occuparet. Aduersus eas suspiciones Orbalis Galli apud Vasconem orator, si id cōtingeret, Galliæ vires vniuersas venturas auxilio polliceri, vt pleriq;, qui in aulis Principū viuunt, vaniloquus maria terras inani sonitu verborum complens. Quin Henrico Vasconis filio

adiecit nupturam minorem Galli filiam. Inanes pollicitationes rebus vacuæ, credulum Principem egere præcipitem, vt Hiſpani ea propinquitate contempta, contra diuinas leges & humanas ſe Gallo ſocium adiungeret. Inter hæc Orſeti Marchio ad finem Cantabriç appulit ad ſextum Idus Iunii cum claſſe, in qua quinque millia ſagittarios vehebat, exiguum numerum, delectam tamen Angliæ pubem. Ad Sebaſtiani fanum Fridericus Portugalia Seguntinus Epiſcopus expectabat, claſſi & militib. neceſſaria præbiturus Regis iuſſu. Delectu in Caſtella habito idoneus exercitus cõflabatur Albano ductore ſummo. Ferdinando Regi fore commodum videbatur, Vaſcones primum impetere: nullo à tergo hoſte in Aquitaniam demum inuadere: ſi ita eſſet factum, maiorem commeatus fore facultatem, cuncta faciliora. In eam expeditionem intẽtus gentis Aragoniæ conuentus agitare decernit actionum Præſide Germana Regina, milites ſcribere ex ea gente pleroſq; capite cenſos in ſubſidium eius belli, quod per ſe geſturum dictitabat. Decreta in eo conuentu auxilia in biennium & octo menſes, equites grauis armaturæ ducenti, leuis trecenti. Prouiſa tẽpeſtate Vaſco Petrum Nauarrum Mareſcalum ad Ferdinandũ de pace legauit. Arces quaſdam fidei obſides daturum, demptis tamen Stellæ & ſancti Ioannis arcibus, quas expetierat imprimis, & erant præcipuæ: vitio mortalitatis ad ea recurrebatur conſilia quę ante repudiarat, vtrũq; intempeſtiue. Vt Pompelo primũ peteretur viſum eſt: capite dempto reliqua prona fore. Idem vt Anglus faceret quamuis de ea re appellatus adduci non potuit. Sine ſui Regis mãdatis bellũ Vaſconi inferre nefas putare. Ac vero Ferdinandum conquerebatur ad inuadendam Aquitaniam copias paratas non habere. Occaſionem prætervolaſſe, certe in aditu prouinciæ Baionam occupandi tunc pręſidio nudatam vrbẽ: mora effeciſſe vt milite & rebus omnib. inſtructæ, difficilior impugnatio foret. Sic ex ſuo commodo Hiſpanum bella gerere: ad ſociorum præſidiũ præter nomen nihil opis afferre ſolitum: ac ludibrio potius præ faſtu habere cęteros, vilia arbitrari capita.

Vaſconum regnum occupatur. Cap. XII.

AD Victoriã Albanus ſui Regis mãdata morabatur, in q̃ partẽ cũ copiis iturus eſſet, ꝑ vicina Cãtabriæ & Riuogię oppida eo tẽpore diſtributis; Eæ erãt mille cataphracti mille & quingenti velites, peditũ ſex millia, eorum tribuni Rengifus & Villalba militari laude & longo militię vſu ꝑſtantes, viginti tormenta bellica Præfecto Diegho Vera. Vt Põpelonem duceret Vaſconum regni caput Albano duci mandata venere. Ille nihil cunctatus collecto exercitu, motiſq; continuo caſtris ad Vaſconum fines peruenit die Mercurii ad tertium decimum kal. Auguſti. In primo agmine Ludouicus Beamontius longo exilio irritatus, atq; doloris vlciſcendi cupidus curabat. Periculo cognito Vaſco Regina vxore cũ filiis in Bearnẽ amandatis, ipſe Pompelone reſtitit eam vrbẽ tueri conſtituens. Imbecillæ vires erant, neq; hoſtibus potentia par iter expeditum nullo repugnãte: opinione faciliora omnia extitere. Ita Vaſcone Lumbierrem oppidum profecto, accedẽti ad mænia Albano ciues ſupplicum velamenta explicarunt, ſupinas manus tendentes, verteret in noxios irã, ſe dedentib. parceret. Nuncupatis conditionibus vrbs dedita eſt ad octauum kal. Auguſti ipſo Iacobi Apoſtoli memoria ſacro die. Cætera eo regno oppida Põpelonis exemplo incitata, metuq; hoſtium ſecutura videbantur. Vaſco in ea ſuorum conſternatione conſilii inops tres viros idoneos ad Albanum mittit cum mandatis, facturum ſe quęcunq; eſſent imperata. Reſponſum, vti Ferdinandi voluntas expectaretur, ab ea nõ diſcederet. Miſſi de tota re legati acerbas conditiones retulere. Vaſconũ regnum traderet vniuerſum, in poteſtate Ferdinandi futurũ dũ bellũ ſociale eſſet & eccleſiæ diſſidia cõponerentur: ac deinde quandiu eſſet viſum. Fidei pignus eſſet Henricus filius in Caſtella educandus. Erat iniquũ filium & regnum poſtulare, neq; definire ante quẽ diẽ redditurus eſſet, vt ſi in omne tempus retineret, nulla tamen mẽdacii religione obſtringeretur. Ergo ea ſeueritate imperandi irritatus Vaſco & alioqui de rerũ ſumma in Hiſpania diffiſus in Galliam trãſcendit. Regis diſceſſu, Vaſconum oppida de deditione appellata, miſſis procuratoribus ſine mora iuſſa fecerunt. Stellæ tantum arx & Eſcuæ vallis incolę illa munitione, hi locorum aſperitate confiſi in fide veteri perſtitere. Roncaleſes quamuis & ipſi montium iugis & ſyluis contra irrumpentes defenſi, acceſſere ad reliquos cum ea exceptione ſi Aragoniæ legibus & inſtitutis viuere daretur. Interim ex Gallia miſſæ copię ad tuendum Vaſconẽ Bearnem peruenere. Maior expectatio famaq;, quã ſucceſſus. Monitus tamen periculo Ferdinandus Burgis Lugruniũ ad fines Vaſconũ abiit, è propinquo ſua ope cõſilio iuuaturus. Acceſſere cũ copiis viri nobiliſſimi, Emanuel Benauidius, Ludouicus Cueua, Enecus itẽ Velaſcus equitũ in Caſtella Magiſter cupidi operam in eo bello Regi nauandi. Antonius Acunia Zamorę Epiſcopus ſuperioribus diebus Pompelonẽ iuerat Pontificis verbis obteſtatũ, ne Vaſco cũ factioſis ac pacem eccleſiæ turbãtibus res ſuas miſceret: ſi ſecus eſſet factũ diras

in

in caput eius minas & extrema exempla deteſtari. Parum ea tunc diligentia profectũ. Hoc tamen tempore Ferdinandus idoneum hominẽ ratus, per quẽ Vaſconi pacis conditiones recẽs impoſitas denunciaret, eũ in Bearnem deſtinauit. Accedenti Saluaterrã iniectæ ſunt manus: ac quo minor excuſatio eſſet, iuſſu eius Regis Longauillæ Duci eſt traditus Aquitaniæ præfecto, Gallici item exercitus, qui opitulatum venerat, ductori. Neq; perſonæ dignitas valuit, neq; legati nomen etiam inter barbaros ſanctum. Etſi alia ſpecies captiuitatis prætenſa eſt: ac inter alias accuſationes obiectum, nuper prælio ad Rhauennam cõmiſſo interfuiſſe, dignum videlicet vinculis maloq; crimen. Paulo poſt tamen idem ſiue ſuccedente pœnitentia, ſeu quia commodum erat, mittitur ad Ferdinandum internuncius de pace, tribus fratris filiis pro ſe relictis obſidibus, rediturum quotieſcunq; iuſſus eſſet. Miraculo fuit ea facilitate celeritateq; vniuerſum regnum Vaſconum Hiſpano ceſſiſſe. Ex eo Galli coitionem & dolum profecto ſubeſſe ſuſpicari. Sponte Vaſconis excitari bellũ, cunctaq; quæ acciderant nõ gentis ignauia aut hoſtium virtute ſed cõpoſita fraude euenire. Suſpicionem late fuſam vt detergeret Vaſco ad Gallum contendit rei geſtę ordinem explicatum. Præterea Gallis Saluaterram dedit fidei pignus: & vt id oppidũ maiori præſidio munitum ab iniuria tuerentur. Gallo Regi deſtinatum erat vires vniuerſas in Aquitaniam mittere Delfino etiam copiarum Duce adiunctis militibus & ducibus præcipuis, qui ex Italia redierãt, pleriq; in Regis familiã adſcripti & claris orti natalibus. Cõtra Ferdinandus imperio recens capto ſtabiliendo dabat operam diligentem: ac nominatim à Pompelonis ciuibus ſacramentũ exegit, non iam quaſi ſequeſter, ſed Regis nomine. Facto ſpecies prætenta Ioannem Regem pactis conditionibus non ſtetiſſe. Sic regnum victori cędere belli iure, quo quę optimo. Cum Petro Nauarra Mareſcalo, & cum ſancti Stephani Comite, vt ad Ferdinandi partes accederent poſita contumacia per internuncios agebatur. Comes, quem paulo poſt Falcis Marchionem dixere, facile adductus eſt vt tempori ſeruiret. Mareſcalus cauſæ ſui Regis acerrimus propugnator, re communicata cũ propinquis, facturũ negauit, quod ſine dedecore & fidei datæ ſugillatione non poſſet. Tudela vrbs, etſi inter primas obſequium victori detulerat, ſacramento fidem vt obſtringeret adduci non poterat. Aragoniis legibus viuere cupientes ii ciues, hoc eſt vitę conditione libertati proxima, non ante deſtiterunt, q̃ Cæſarauguſtanus Præſul collectis copiis ad ea mœnia acceſſit vim admouere paratus & metum. Obſeratas cõſilio mentes timor aperuit, effecitq; vt qua cæteri conditione imperata facerent: neq; in cõmuni cauſa ſibi priuatim conſulerent. Aditũ in Galliam patefacere Caſtellæ copiis erat deſtinatum. Hoc conſilio ab Albano duce miſſus Villalba tribunus cum ſua legione peditum ad tria millia & trecentis cataphractis ſancti Ioannis municipium ad radices Pyrenæi montis Galliam proſpectans occupauit. Eodem paulo poſt cum robore exercitus acceſſit Albanus. ſuperuenere Fernandus Vegha Promagiſter Caſtellæ, & Dieghus Lupus Aiala, quibus Ferdinandus ob perſpectam prudentiam & agendi dexteritatem multum credebat. Albani in ea loca diſceſſus dupliciter commodus extitit, Gallis Hiſpaniæ aditu prohibitis, ne res in Vaſconibus turbarent, tum ad Aquitaniã inuadendam itinere patefacto. Orſeti Marchio ſolicitatus denuo, vt ſuis copiis ad Hiſpanias adiunctis in Aquitaniæ ſaltem fines irrumperet, redditis q̃uis multis & magnis cauſis ob quas neceſſe fuit prius bello Vaſconum finem imponere, præciſe ſe facturũ negauit, incõmodum tẽpus excuſans autumno pcipiti, prętereà ardorem cũ quo milites venerant extinctum, numerum imminutum, morbis inter milites ex cæli inſolentia vulgatis. Hæc palam ex arcano atq; inter ſuos Ferdinãdo infenſus, ludibrio gentẽ habuiſſe, atq; dum Vaſcones imperio adiiceret, de Aquitania nihil curare, omnibus ſermonibus accuſabat. Ex actionibus de mente coniectari facile eſſe. Fine, in Angliam maturare conſtituit quippe propinqua iã hyeme, nulloq; moræ in Hiſpania pretio, pter ſumptus inanes & militũ interitu numerũ imminutũ. Sic ille cõquerebatur, haſq; diſceſſus cauſas extitiſſe iactauit. non defuerunt tamen qui ſuſpicarentur, Nebriſſenſis in proprio cõmentario, quẽ confecit de hoc bello affirmatione probabile, auro eum Gallico emptũ excuſationes inanes ineptaſq; quaſi velamen prætendiſſe cupiditati.

Res Italiæ. CAPVT XIII.

MAgna rerum conuerſio in Italia poſt pugnam ad Rhauennam factã extitit: Galliq; victores non ſecus ac ſi victi fuiſſent, locis omnibus vexati. Sic repente aduerſis proſpera commutantur. Vrbinas cum copiis Pontificiis in fines Bononienſes inuectus depopulatus agros ciues ſuarũ rerum cura incẽſo in oculis agro inter primos Italię feraci, pulſis Bentiuolis compulit mutati imperii argumento Pontificia vexilla pro muro & per plateas explicare, demptis Gallicis. Sic vrbs nobiliſſima ad vetus imperiũ rediit. Cardinalis Strigonii Nannetenſiſq; in Gallia erant: acceſſit recẽs Finarii Cardinalis. Ab his vt Gallus cũ

Pontificē conciliaretur superioribus offensionibus detersis dabatur opera nōnulla initio proficiendi spe,irrito deinde successu.Seueritas Pontificia salutares abrupit conatus. Diplomate euulgato Regem Gallum furiali carmine deuouet,& iure Pontificio maledicit: gentē vniuersam sacris interdicit.Subditorū sæpe malo Principes peccāt.Elatus studio sacramenti religione quo fidē Gallo obstrinxerant,Nortmannos, & Aquitanos soluit.Lugduno,quoniam factiosos Cardinales intra mœnia acceperat, nundinarum ius Geneuam, vbi olim agi consueuerant,transfert vrbem ad lacum Lemanum sitā,nobilem olim,nunc hęresium colluuie fœdam.Contra ab Hieronymo Viquio,vt venia Ferrariensi esset & pax, diligenter est curatum.Fabricii Columnæ gratia & auctoritas ad emolliendumPontificis animū multum iuuit. Constitutum vt captiuis ipse libertate data, Romā supplex veniret. Sic factum.Fabricio ipso & Alarconio prosequentibus Romā abiit.In toga bōbycina eteromalla detecto capite, in Patrum senatum ingressum humillimo corporis habitu contumeliosis q̃uis verbisPontifex acceptum,q̄ pręceps iracundia dedit & ferox ingeniū,soluit quidem anathemate; Rhegium tamen vrbem,contra q̃ conuenerat, non restituit.Ac potius in vincla rapere statuit(cogitasse satis constat) maloq; Ferrariam extorquere voluisse. Neq; destitisset,vt erat ardenti obfirmatoq; animo,nisi importunos ille conatus celeri discessu occupasset. Sic ars arte victa est.Cardonius breui reparato exercitu Neapoli versus Aprutium discessit. Recensitis eo copiis, peditum septem millia sunt inuenta duobus adiunctis millibus, qui recens ex Hispania venerant. Horum cura Padulę Marchioni destinata est, & quoniam ad Aquilam in rixa quadam sibi ipse manū vulnerauit, eius locum tenuit Solisius magno vir animo. Cataphracti mille ducēti erant, leuis armaturæ equites quingenti & quinquaginta. Præter hunc numerum Prosper Columna cū quadringentis equitibus propediem venturus in castra expectabatur.Huic prima acies est data.In medio agmine Golisani Comes Traiecti Dux & Antonius Leiua curabant. Postremam aciem Alfonsus Caruaialius Xodaris regulus ductabat,illiq; adiuncti nobiles alii duces. In centurionum numero Ioannes Vrbinas fuit bellis deinde Italicis magnam consecutus laudem. Has Cardonius copias sub signis habuit, cum à Pontifice subeunte belli suscepti pœnitentia venere mādata,ne vlterius progrederetur,ac se potius finibus cōtineret. Insubrum bello confecto,quid nouo exercitu prouincias fatigarent, vexarēt agros & oppida? Honesta scilicet species dignaPōtifice cura. Altior tamē cogitatio pectori insederat, trāsalpinos omnes ex vniuersa Italia pellendi.Gallos quidē Hispanica ope & Heluetiorū viribus deturbarat:nunc Italiæ Principum copiis & armis tantundem de Hispanis fore confidebat.Cardonius tamen ea denuntiatione nihil territus cum omnibus copiis Aprutium transgressus,Firmum tenuit Piceni vrbem ad superū mare.Inde p̄ter Forliuiū & Fauentiā continuato itinere in agrū Bononiensem irruit. Ad sancti Petri oppidum in eo tractu positis castris legati ab Heluetiis venerunt contestatum,q̄ iussisset Pontifex, ne procederet amplius.Si negligeret,obuiam ituros. Gallos ex Insubribus pulsos, arcibus, q̄ in fide perstabāt, subiugandis idoneas ipsis vires suppetere. Quid se suosq; frustra importuno labore vexaret? Cardonius se sociali bello summum delectum ducem dicere: nisi Principum confœderatorum iussu cessare nō posse. Ita motis castris Bononiam primum,deindeMutinā abiit, cum Gursensi coram belli gerendi consilia Mantuæ, vti conuenerat inter eos, communicare constituens. Accessere Cariaci Comes & Petrus Vrrea dimidiato circiter Augusto mense. Collatis sententiis,quid opus facto esset decernere promptum non erat. Ad priores difficultates accessere Veneti cum cæteris Cardonium aditu Insubrum palam arcentes. Erat præterea illis destinatum Brixiam Cenomanorum impugnare Gallicarum tum partium vrbem,Venetæ ditioni detractāObenigno custode cum tribus amplius militum millibus.Cęsaris &Ferdinandi legatis alia mens erat;eam vrbem sociali exercitu occupari,sociorumq; adeo nomine obtineri. Vicit tamen sententia non esse eā possessionē tanti,vt Venetos tunc quidē propterea irritarent. Ac potius Cardoniū Mediceorū patrocinio suscepto Florentiā ducere visum est;exulesq; adeo in patriā , vnde fuerant iniuria pulsi,armis Hispaniæ restituere. Soluto Mātuano cōuentu,eoq; approbato cōsilio Cardonius Mutinam rediit, vbi reliquerat copias.Iulianus Mediceus iter prosequebatur. Ioānes Cardinalis Iuliani frater iam è Gallica captiuitate forte magis quam consilio liber, Bononiæ cum tormentis operiebatur.Maius momentum in Prospero Columna, qui tandem se suosq; reliquis copiis adiunxit. Moræ causa Pontifex extitit transitu per Picenum prohibito, reque necessaria longiori itinere facto.Sub idē tempus vt Maximilianus Sfortia,qui iam se in Germania Mediolanensem Ducem dixerat proxima paterni principatus spe , in Italiam veniret decretum erat, præsentia Insubres pacatum , si qui pręterea Gallica maiestate tenerentur. Pontificii Placentiam & Parmam præsidiis in ea ditione occu-

occuparant, vti paulo ante dictum eſt, quaſi antiquis temporib. iuris Põtificii extitiſſent. Romæ Paſchalis Burgenſis Epiſcopus deceſſit ex Dominicano ordine ſolitus quotannis Romana templa religionis ergo, plena maieſtatis & numinis venerabundus inuiſere. Et tunc Lateranenſis conuentus pari pietate inter paucos conſpicuus; ſi vera memorantur, clarus miraculis ante & poſt obitam mortem. Deceſſere prӕterea Archiepiſcopi Auennionenſis & Rhegienſis viri & ipſi præſtantes. Vulgati inter patres morbi ad alias cauſas adiuncti effecerunt, vt poſt primam & ſecundã actiones cõuentu ampliato, reliquæ actiones in proximi Decembris initium conſenſu reiicerentur. Pontifici erat deſtinatum Patrum ope bellum in Turcas decernere, quaſi claſſico excitis ad arma toto orbe Principibus. Baiazetis filiorum inter ipſos diſſidia conatui opportuna videbantur, ea contentione vt Selimus minor Baiazetis filius ope prætorianorũ militum imperio patri detracto, paulo poſt maiores fratres Achomatẽ & Corcutum obtrũcarit. Oblatam cælo occaſionem ferocem impugnandi, arripere Pontifex cupiebat oppido, cupiebant omnes boni. Non deerant tamen ſermones ſuſpicantium ea arte Hiſpanos ex Italia deducere deſtinaſſe. nihil ſyncere geri prauo homines ingenio credunt. Siniſtro rumori fides adiuncta paſſim eſt, quoniam Pontifici haud dubium votorum ea ſumma erat.

Magni Gonſalui profectio in Italiam impedita. CAP. XIIII.

CArdonius Neapolitanus Prorex, vti erat decretum, verſus Florentiam cum copiis omnibus mouit. Fama erat eam vrbem in libertatem aſſerere deſtinaſſe quorundã libidine & impotenti dominatu oppreſſam, atq; efficere vt pace cum Pontifice conciliata factioſis ne amplius faueret. Nemine repugnante Pratum appulit ab ea vrbe decẽ modo paſſuum millibus diſſitum oppidum. Inerant milites magno numero, & conuecti antea commeatus. Ita de deditione appellati facere recuſarunt. Vim admouere & metum placuit. Diſpoſitis tormentis atq; diſploſis quaſſata mœnia late ſtragẽ fecere. Aditu patefacto vi in oppidum per ruinas irrumpitur. In captos & miſeros incolas militaris ſæuitiæ auaritiæ & libidinis multa exempla extiterũt; cum omnia profana ſpoliaſſent, ne à ſacris quidem abſtinuerunt, conſtupratæ virgines, certa ſi quis reſiſteret cædes. Terruit ea res Florẽtinos vehementer; atq; ita vt ad fœdus faciendũ ſine mora animos flexerint, alioqui peruicaci ingenio & obſtinata aduerſus mala gens. Id quo liberius contingeret Vexilliferi munus, ſupremę poteſtatis bello paceq; nomen, Petro Soderino, quippe Gallis ad inſaniam addicto detraxere. Mox delecti viri primarii, qui de conditionibus cum Hiſpano diſceptarent. Ii à Cardonio benigne accepti atq; habiti pepigere fœdus, cuius ſumma capita erant. Vt Medicei & Pacii exules in patriam & bona paterna, vnde euerſi erant, inducto priori decreto reſtituerentur. Florentini publice ad fœdus Principum accederent pro eccleſiæ dignitate antea ſancitum. Gallicum patrocinium mutarent Hiſpanico, Ferdinandi Regis in clientelam accepti. Firmato illi in eas leges fœdere beneuolentię maioris argumento ſuarum copiarum ſummum ductorem dixere Padulæ Marchionem. Pecunia etiam, cuius penuria erat, in ſtipendium militare Cardonium iuuerunt. Tantundem Senenſes, Lucẽſeſque fecere in Ferdinandi Regis fidem & tutelam & ipſi accepti. Per idem tempus Ianus Maria Campofregoſus factionis opibus Genuã ingreſſus eius vrbis in gratiam Pontificis dictus eſt dux. Sic contributa Genuæ oppida paſſim ab imperio Gallico defecere, auide pleriſq;, quaſi ex diuturna ſiti arripientibus libertatem. Id vt eſſet ſtabile & ex ſententia cõtigeret, prouiſum vt Berengarius Olmius cum ſuis triremibus ad Liguriæ oram accederet. Ex eo cuncta Hiſpano in Italia proſpere fluere, nihil vt amplius deſideraret, etiamſi ex ſuo arbitratu fingere ſucceſſus daretur. Magni Gonſalui ex eo profectio in Italiam dilata primum, deinde penitus diſturbata eſt. Quod qua ratione cõtigerit, explicemus. Poſtq̃ ad Rhauennam Hiſpani male pugnarunt, omniũ oculi in Gonſaluũ ſunt coniecti certa ſpe, eius virtute & prudentia tantis malis fore ignominiæq; leuamen, quippe ea tempeſtate ſpes & opes cunctorum in illo ſitæ videbantur. Salus in vltimas anguſtias deducta nullum ambitioni nullum inuidiæ locum reliquerat. A pleriſq; Cardonii imperitia Nauarri temeritate accuſabatur, in eam cladem fuiſſe pręcipitatum. Gonſaluum hominẽ de cælo lapſum maiorem conditione mortali multo vſu & magnitudine animi cunctis haud dubiũ præſtare bellica ſcientia, induſtria, felicitate. Ferdinandus ipſe Rex, licet de tanti viri voluntate parũ fidebat, multis a ſe iniuriis exacerbati, & conceptum potius odium expromere cupiebat, re tamen neceſſaria eum in Italiam mittere decreuit rebus profligatis ſalutare præſidium. Burgos, vbi Rex erat, euocato profectio denunciatur. Otii ille inimicus, quo diu marceſcere videbatur, iuuãdi rẽp. libẽter oblatã cælo occaſionẽ arripuit. Et erat glorioſum vni ſe rep. tradere tẽporib. coactã & malis. In profectionẽ & apparatũ intẽtus Malacã abiit. Mirabile dictu q̃ multi Italica expeditione euulgata ex omnib. partib. confluxerint, vt in eã militiã

nomina darēt,cupidiſſimi eo duce induendi arma, pleriq; ſua virtute nobiles & claro ex genere orti. Regi tantus concurſus moleſtus extitit,& Gōſalui inuidia & quoniā de bello Vaſconū cogitabat. Et fere Regib. boni q̃ mali ſuſpectiores ſunt, ſemperq; alienæ virtutis plauſus formidinē facit, pręſertim ſi modū exceſſit. Ita definito numero mādat,quingentos grauis armaturæ equites duceret,pedites duo millia non amplius. Nihilo tamē magis ardore remiſſo in eum numerum viri nobiliſſimi legi ambiunt: multi ex prætoria cohorte Regis aut alioqui eius in Hiſpania ſtipendia faciētes miſſione impetrata, non deſerta militia ſed mutata in Italiam abire feſtinant,eius ducis auſpicia ſequi cupiētes,qui ſuæ fortunę eſſe videretur artifex,opes,victoriam, felicitatem ſecum ferre in quamcunq; ſe dediſſet partē. E Caſtella atq; Bætica ingens numerus in eam expeditionē volūtarii,ſuaq; impenſa militaturi ire parabāt,ſatis magnum operæpretiū fore rati ſi tali magiſtro prima militię tyrocinia poſuiſſent. Rex quo maior ardor erat,eo cūctari amplius,moræ cauſas alias ex aliis nexas excuſare, ſpe Cardonium præclaro aliquo ſucceſſu ſuperioris ignominiæ memoriā deleturum. Quem ea beneuolentia complecti viſus eſt, vt opinionem vulgo fortaſſis temere ſed ſuſceptā tamē confirmaret,ex eo genitum. Ergo rebus in Italia proſperum curſum tenentibus maiori indies incremento, Ferdinandus Rex poſita tandem perſona Gonſaluo denuntiauit,profectionem vſq; ad hyemis exitum ſuſtentaret: interim extraordinarios ſumptus excuſaret: daret porro operam,vt aulici & milites regiis ſtipendiis conducti ad bellum Vaſconum proficiſcerentur. Hæc mandata initio Septembris Cordubam ad Gonſaluum delata, pro eo ac par erat moleſta extiterunt tam ipſi quam militibus vniuerſis: prorſus vt è cataphractorum ducibus nullus ad bellum Vaſconum iuerit præter Guterrium Quixadam. Gonſaluus litteris expoſtulationum plenis tum ad Regem tum ad amicos datis aulę fraudęs conqueſtus eſt; cuius inſidias vitare quis poſſit? accuſare fortunā fluxam inconſtantemq;, inuidiam alienam, quæ nihil aliud ſcit quam obtrectare melioribus,corrumpere honores,& præmia eorum. Superiora merita qualia & quanta, ea ſcilicet mercede penſari. Vincitur interdum generoſus ſpiritus,& iracundiæ viribus ſuccūbit. In dolore tamen maximo duo pcipue extitiſſe moleſta. Nominis exiſtimationi labē inuri prona hominum in deterius ſuſpicione, profecto niſi magna de cauſa grauem ob aliquam offenſam ſuperius decretum haudquaquam iri mutatum. Populi rumores tolerare durū, neceſſariū tamen. Deinde, iis qui vt ſe proſequerentur, magnos ſumptus tolerarant, nullam compēſationem abs Rege eſſe, nullam gratiam: id vero grauiſſimum videri atq; intolerandum, ſua cauſa inſignem iacturam paſſos. Duriorem ipſa morte vitæ conditionem deinde exilio mutare conſtituens è familia miſit,qui à Rege facultatem peteret Terranouam ſuæ ditionis oppidum in extrema Italia diſcedendi, amœni ſeceſſus, & ab arbitris remoti. id ſummi beneficii loco futurum. Ad hæc Rex longo vſu edoctus fallaci vultu verbisq; blandis ſedare iras,reſpondit: eius operam minime fore neceſſariam Gallis ex Italia pulſis: neq; opportunum nouas ex Hiſpania copias mittere, quo tempore de Hiſpanis vniuerſa Italia pellendis conſilia Pontifex ſerio agitaret. Profectioni quam optabat duriorem ſe oſtendit, ac conſultius iudicabat tantis defuncto honorib. ea ætate Loxæ domi ſuæ conquieſcere, magnorum virorum exemplo vacatione impetrata. Leges maiorem annis otio reddere, quid negotia non neceſſaria captaret? gloriæ meritæ & partæ quid vltra periculum faceret? Præclara verba, ſi cætera reſponderēt. Sed alienati animi atq; offenſi multa deinde argumenta extitere. Pręter ſuſpiciones ſuperiores, reus in ſecreto ab aulicis agebatur nulla facultate calumnias detergendi. Inuidia eo nocentior, quo magis ex occulto graſſatur. Ita in Garſiæ Laſſi defuncti locum Legionis Promagiſter fieri cum cuperet atq; peteret, repulſam tulit Ferdinando Toleto prælato. Par euētus alterius petitionis fuit, qua Hornachos diui Iacobi militiæ oppidum vectigalq; honorarium ex eo commendari per idē tempus poſtulauit. grauem ignominiam clarum auerſi animi ſignum. Offenſionis ſuſceptæ præter alia duplicem cauſam inuenio. Altera propria. Enimuero Ferdinando Regi Gonſalui voluntas ſemper ſuſpecta fuit: & conſtat ſępe conqueſtū apud amicos, conſilia eum aliena agitaſſe. diſſimulatum tamen ſuperiorū meritorum memoria, haud dubiū ingenti numero moleq;. Cōmunis fere magnis Principibus altera: ac potius cūctis hominibus, beneficia eo vſq; grata ducentibus, dum videntur exolui poſſe, vbi modum exceſſere quos quaſi creditores aſpicimus, iis pro gratia odium redditur. Et eſt procliuius iniurię q̃ beneficio vicē repēdere, q̃a vltio placet, gratia plerūq; eſt oneri. Vtiq; ſi meritis paria pmia reddi non poterant, æquū profecto videbatur tali viro nihil denegari q̃ dono dignū eſſet. Verū præterita accuſare quis iuuat? Quis Regū offenſas pręceptis ſalutarib. frę nabit? Suſpiciones amouebit aulicorū præſertim calūmniis & fraudib. confirmatas, meliores criminando allatrandoq; eorum magnitudini, q̃ facillimū factu eſt, ex aliena iniuria & malo ſplendere volentium.

Pom-

Pompelo obsessa. CAP. XV.

AD sancti Ioannis oppidum Albanus morabatur neq; magno neq; vllo moræ pretio. Gallis tamen Hispaniæ aditu ea parte prohibitis variæ militares manus prædatum in vicinos agros progressæ pecora abigere, agrestium cædem facere, villas vicosq; incẽdere nulla pręterea re memorabili. Bellica tormenta deerant. Ea Dieghus Vera magno labore nisuq; propter locorum asperitatẽ superatis montib. trochlæis ergastisq; sępe in summas rupes sublata pariq; industria in subiectas valles demissa tandẽ id in oppidũ intulit. Borbonius, Longauilla, Mompenserius, Palicius atq; Lautrechius ad Saluaterram & finitima Bearnę loca statiua habebãt, atq; in iis octingẽtos cataphractos, pedites octo millia, Hispanicis copiis obiecti haud magno distiti interuallo. Præterea Delfinus ad Garriciũ validã continebat manum, paratus quocunq; res vocassent, in eam partẽ impetũ dare. Vasconis tantum aduentum cum suis peculiarib. copiis sustentabant, vt in Hispaniã irrumperent maiorum regnum recuperandi spe. Ea vulgata fama Sanazariæ & Roncalensis vallium incolæ veteris imperii amore nouum excutere tentarunt correptis armis. Marescalus quoq; Vasconum Petrus Nauarra, qui eatenus medium se gesserat, palam Gallicas partes amplexus est, Tudela vrbe raptim ad Gallos profectus sub aduentum Ferdinandi Regis eo delati ad excipiẽdam Germanam coniugẽ solutis Aragoniis conuentib. reuertentem. Ea res Vasconem excitauit, vt maiori festinatione renascentia suorum studia foueret, fugacia esse occasionum momenta non ignarus. E Vasconibus in Galliam atq; Bearnem gemina vallis pertinet in fauces desinens, quib. necessario trãsitus & iter est; altera Roncalis dicitur vulgo, vallis altera Roncarum. Roncali sancti Ioannis oppidum subiectum est ad montis radices qua in Galliam prospectat. In eo Albanus tendebat cũ copiis. Vasco in Vascones parte altera armatus Palicio adiũcto irrupit, mẽse Octobri dimidiato. Hispanis minores vires erant, q̃ vt in vnius pugnæ sorte de summa rerum auderent periclitari. Variæ tantum manus iniquis ad transitum locis, quacunq; montes in angustias coeunt, se ostentare, distinere hostem. Fernandus Valdesius in eo numero Burgium ingressus, id oppidum tueri tentauit. Leui imbecillaq; munitione inuitati hostes impetu facto, quamuis quadringentis ẽ suo numero amissis intra munimẽta irrupere. Ex obsessis cecidere nõ pauci, atq; inter alios dux ipse Valdesius egregie q̃uis pugnans. Indignatione in ea pericula irruisse fama fuit ex Regis verbis concepta, redeunti ex prelio ad Rhauennã facto dicentis, Boni vbi manẽt? Altius id verbũ hæsit quasi vibratũ telũ, q̃ vt euelli nisi morte posset. Albanus Põpelonis p̃iculo p̃motus relicto in sancti Ioãnis oppido Diegho Vera, vnaq; octingentis Legionariis ducentisq; cataphractis, & viginti bellicis tormẽtis, cũ reliquis copiis superare montes, & rebus Vasconũ opitulari constituit. Transitu redeuntes prohibere facile Vasconi fuit, quod facere omnino debuisset. Excæcauit nimirũ diuina vrgens vltio, Principes & gentem peruertere volens. Ac ne continuo quidẽ, vti opus erat, Pompelonem copias admouit pręsidio infirmo fluxa regentium, vti in nouo imperio, auctoritate, opportunam iniuriæ. Vtroq; errore factum, vt omnia in contrarium verterentur, accedentib. subinde ad præsidium nouis cohortibus, Albanoq; adeo cum exercitus robore in vrbẽ inuecto. Sic cũ spe defensionis ciuib. animus etiã accessit. Cęsaraugustanus quoq; Præsul sub idẽ tempus Exeã duxit ad sex militũ millia equites peditesq;, opportunũ in ea difficultate rebus præsidium. Inter cætera oppida, q̃ correptis armis à nouo imperio defecere, arcis munitione cõfisa Stella ampla vrbs rebellarat. Franciscus Nauarra eo delatus, ope quorundam ciuium, quibus noua defectio displicuerat, intra mænia admissus, oppidanorum copias militum suorum prædã fecit direpta vrbe. Arx impugnari nisi maiorib. viribus non poterat. Accessit cum copiis aulicorum cohorti Præfectus. metus sæpe officii magister obsessorum mentes aperuit, vt ferocia deposita supplicum velamenta præferrent pacem petentes & veniam, arce dedita. Id exemplum Cabrega, Mongiardinũ, & Tafallæ arces cũ primis munitæ, sunt secutæ facta item deditione. Vasconi omnia aspera erant, prona hostibus. Nã per Broti quoq; vallẽ & fauces quas coeuntes Lacetani montes efficiunt, Bigorræ Senescalus cum manu militari in Aragonios fines irrupit. Ager & frugũ vacuus pręsertim eo tempore anni. Torlam aggressus inter montium iuga situ oppidum vi admota cepit. Indigenæ eo tractu inter se inuitantes facta manu, atq; iis adiunctis qui ex oppidanis supererant, montani homines frigore & laboribus durati in hostes prædæ & direptioni intentos facto repente impetu, priusquam se colligerent, duobus amplius millib. ex eo numero cæsis, cæteros in fugã cõpulerunt, amissis impedimentis & aliquot minorib. tormentis, q̃ secum detulerant. Vasco sero quãuis octo tamẽ à Põpelone millib. ad Vrrociũ pagum castra promouit. In ciuiũ beneuolentia p̃cipua spes victoriæ, quos sub eius aduentũ aliquid p̃fecto moturos intra vrbẽ cõfidebat. Cõcepta haud temere fiducia

fefellit. Ducentis ciuib. ab Albano ea vrbe antea pulsis, quos suspectos maxime credidit, cæteri eorum exemplo pœnæ cautiores conquieuere. Simul ad Reginæ pontem haud dissitum oppidum nouæ militares manus confluebant Pompelonē tuendi, sed & prælio decernendi, si res ferrent, voluntate. Mille & quingenti pedites Vaccæorum è Căpania atq; ex Vltramontanis venere, Bugia nongenti duce Lupo Arriano Barcinonem paulo ante appulsi. Accessere eodem Aragoniæ copiæ. Summa imperii Anagari Duci erat permissa. Alfonsi Peraltę sancti Stephani Comitis inter Vascones præcipua rebus omnibus fides studiumq;. Amplius deuinciendo eius animo Marescali Vasconum nomen tunc est adiunctum in locum Petri Nauarræ lege maiestatis damnati, nec multo post aucta indulgentia Marchionis Falcis titulus & honos accessit. Hæc agebantur, neq; tamen obsidione Pompelonem hostes cingebant. Dum noua à Delphino Gallorum auxilia expectantur, tēpus est extractum maiori vrbis cōmodo q̃ hostium. Palicius moleste ferebat nihil ex voto speq; succedere: ac contra omnia in contrariū verti. Vt aliquod operępretium extaret, Vasconis castra eo loco posita, vnde ciues cōmeatus facultate prohiberent. Aliæ interim Gallorum manus eorum qui vltra montes tendebant, in Cantabriæ fines irruperūt. Hispanicas vires in plures partes diducere consiliū erat. Lautrechius iis copiis præfectus per Fontetrabiæ fines ad Sebastiani fanū castra promouit, oppidi modici quidē sed validi potiundi spe, ad mare positi Hispaniæq; fines extremos. Forte Ioannes Aragonius Cęsaraugustani Præsulis filius in eo oppido morabatur, dum in Belgas proficisceretur fidei pignus ab auo Ferdināo regnum illi Neapolitanum nequaq̃ destinari, cōtra q̃ Cæsar suspicabatur: Ioannes Nucęus Comes itineris ibat legati munere imposito in curia Caroli Principis. Eorū pręsentia saluti fuit. Oppidani q̃uis pauci pro ingenita audacia, & eo inflāmati præsidio magna virtute tutati oppidum hostes à mœnibus repulsos Renteriā reiecere: inde ne concursu prouincialium reditu prohiberentur, Aquitaniā festinato repetiere. Ad vires adiunctæ artes, q̃ incōmode Gallis cecidere: Ferdinandus Aragonius Calabriæ Dux sub idem tempus Gallicis promissis lactatus, Neapolitanum regnum tradituros iure suum possessione alienum, Lugrunio, vbi cum Ferdinando Rege erat, in Gallica castra dilabi deliberatum habuit. Res tanta sine consciis & adiutoribus peragi nō poterat. Indicio facto vincula iniecta tum ipsi sunt, tū quatuor infelicis consilii interpretib. administrisq;. Miseros omnia pfidia, mens quoq; sępe destituit. Ducis custodiæ Atiensæ primum arx, deinde Setabis in Valentino tractu designata est. Sociis maiestatis lege postulatis conuictisq;, per plateas tractis vncus & laqueus vitæ finis fuit. Extinctorum cadauera mēbratim dissecta. Conatus temere suscepti is exitus extitit. Anni tempus incōmodum erat, præceps in hyemē. Galli cōmunicato cōsilio festinave decernunt, moramq; superiorem maiori conatu & ardore corrigere. Gemina virginum sacrarum monasteria extra vrbē sita sunt, alterum Diuæ Engratiæ nomine, Claræ alterū. Hæc Galli collegia diripuere nulla locorum sanctitatis memoria metuve. Quidā quin etiam centurio Germanicus aperto sacrario, pixidem argenteā prędādi auidus Eucharistiam, q̃ in ea continebatur, in altare impius iuxta & temerarius proiecit. Virgo templi ęditua eo ,, spectaculo cōmota. Apage inquit, tātum nefas: Christiana sacra impiis attrectare mani- ,, bus non metuis? nō te pudet? cælo vindictā exspecta. Adest in limine, quē violasti, testis ,, idē & vltor Deus. Ad q̃ ille renidenti vultu. Hic ait, Hispanorum Deus est nō Germanorū. Ab his initiis tetri de religione dissidii paulo post in iis regionib. subsecuti fundamēta nō obscura ponebantur. Suscepta impietas impune non fuit. Iudæ instar proditoris diruptis effusisq; viscerib. periit. Hæc Nebrissensis fide probabilia, interest publice vt vera credātur. Displosis moxtormētis excussę igneę pilę strauere late muros. Per ruinas & strages lapidum semel & secundo magno impetu ingruentes Gallos repulere Hispani insigni virtute felicitateq;. Cæsi ab vtraq; parte multi, plura ruinis obruta cadauera. Defensæ vtraq;, impugnatione vrbis præcipuā laudē tulere Villalba tribunus militū, Fernandus Toletus, Fernandus Vegha, Antonius Fonseca, multiq; alii viri nobilissimi. Ioannes Albion periit Aragoniis maiorib. clarus suaq; pręstans virtute. Anagari Dux p iuga montis, quē Reniegā dicunt, se ostentare, sex millia pedites sub signis habens, equitumq; turmas paratus hostiū castra inuadere, cum vrbē ipsi impugnarent, certe cōmeatus intercipere, grauare annonā Segorbii & Villæformosæ Duces prosequebantur, Aquilarii Marchio, Montacuti & Ripagorsę Comites, ipseq; regię aulicorū cohorti Præfectus magnus nobilitate generis, & reb. gestis clarus. Galli tāto apparatui vt pares essent veriti tātis copiis, soluta obsidione per Maiæ mōtis angustias faucesq; Galliā repetere decreuerūt. Pridie kal. Decemb. mouere castra. Secuti abeūtes iisdē vestigiis Ludouicus Beamōtius in Vasconib. equitū Magister auunculi Regis beneficio, & Villalba tribunus è postremo agmine

cæsis aliquanto numero hostibus, tredecim etiam tormenta bellica cedentibus extorsere. Is finis belli fuit de Vasconum regno nobilis in paucis, is tantorum apparatuum exitus. Agramontẽses abiecta defensionis spe arces quas retinebant, victori dediderunt, obsequium cum securitate contumaciæ cum periculo præferẽtes. Pompelonis mœnia, quæ erant quassata, refecta diligenter: areaque excitãdæ arci designata est, quo munitior vrbs esset aduersus externam vim, ciues à defectione quasi iniecto fræno in posterum detinerentur. Aulicorũ cohorti Præfectus, genti rector designatur Proregis nomine, in Comaris Marchionem honoris causa mutato nomine, quo maior esset auctoritas, præsentibus & superioribus meritis gratia, incitamentũ ad maiores conatus. Dum is prouinciam demandatam domesticis rebus compositis capesseret, ab Albano Petrus Toletus filius est substitutus, Villæfrançæ Marchio, qui cum cæteris vrbem defendit præstanti iuuenis indole. accedentib. annis Neapoli multo tẽpore Prorex, prudentia ac animi magnitudine in paucis parentum & nostra ætate conspicuus, claris maiorib. & bonis artibus prędítus.

Cardonius Brixiam vrbem cepit. CAPVT XVI.

HVnc cursum habuit bellum in Hispaniæ parte concitatum. In Italia confecto bello Hetrusco Cardonius, qua felicitate dictum est, compositisq; Florentiæ ex sententia rebus, prioriq; adeo ignominia in laudẽ versa, ducere porro in Insubres pergit. Mutinæ, ditionis tunc Cæsareæ cũ ipso Gursensis, Petrus Vrrea, atque Andreas Burgius conuenere de belli ratione rursus in cõmune deliberatũ. Brixiam Gallico vsq; dum præsidio munitam obsidebant Veneti ad suum imperiũ reuocandi spe. Cæsar sui esse iuris disputabat, neq; passurũ vt ab alio quocumq; eriperetur. Heluetii ad Maximiliani Sfortiæ ditionem, cuius patrociniũ susceperant adiungi cupiebant, vim adhibituri nisi esset obtẽperatum. Trifariam in diuersa se intendentibus studiis ne graue incommodum extaret, verẽdum. Consensu Mutinæ decretum est, vt Cardonius occupatis disceptantium conatibus, eam vrbem admotis copiis captam de Gallis confęderatorum nomine obtineret, ei redditurus cui iure & legibus deberetur. Eo probato decreto Gursensis quidem Mutinæ substitit, Vrrea, Burgiusq; Romam abierunt Pontificis de ea re voluntatem mentemq; exploratum, simul pactam ex fœderis legibus in stipendiũ pecuniã extorquendi spe, quoniam ab aliquot mensib. reddita nõ erat. Abnuit Põtifex, ex quo ad Rhauennã erat dimicatum, excusans nullam pecuniam deberi quasi motis societatis legibus antiquato fœdere. Daturũ tamen sponte, si Cardonius Mediolanensem expeditionẽ Ferrariensi mutaret, quam vrbẽ occupandi nondum neq; spem neq; voluntatẽ deposuerat, mora feruentior & aduersus difficultates animo peruicaci. Omnino Vrbinas copias in aciem produxerat non alia spe: ac præter Italos Heluetiorũ duo millia ad Lucũ & Bagnacaballũ continebat. Minores conatu vires nisi aliũde esset adiutus. ac præsertim pecuniæ in stipẽdiũ ob inopiam passim dilapsi milites signa indies deserebãt. Vrrea & Burgius præter speciosa verba factu ros ꝗ. Pontifici placeret, nihil præstitere. Missus Bernardus Bibiena, cui purpuræ deinde honos accessit, Cardonium edoctum, quid Pontifex postularet & vellet. Commodum Piscarius pecunia redempta à Gallis libertate, Mutinam delatus cataphractorũ alæ continuo præficitur inter Hispanas lectissimæ, cui Gaspar Pomarius dux fuerat in tumultu quodã Mediolani nuper occisus. Ergo Kalendis Octobris Cardonius Mutina versus Mirandulã mouit, quo tempore bellum in Vasconib. vigebat maxime ardore præcipuo. Ad Ostiam Padum transmisit. Ibi recẽsitis copiis pedites nouem millia sunt inuenti Padulio summo ductore. Prosper Columna in dies expectabatur quadringentos amplius grauis armaturæ equites mille pedites in supplementum adducens. Moræ occasio, transitu prohibere Pontifex per ditionem frustra conatus. Non destitit præterea Sedunẽsem monere, efficeret ne Heluetii sinerent Cardonium in Insubres penetrare. Hispanos dictitabat ad imperium vniuersæ Italiæ aspirare. Quid Gallis eiectis profecissent, si Hispanis seruituri erant inopia, auaritia, peruicacia maiori? Non imperium externũ excussum, sed peiori seruitute, si id contingeret, mutatum iri. Veronam tamen Cardonius nullo prohibente peruenit, vbi Rocandulfus ad reliquas copias duo millia Germanorũ, equites expeditos quadringentos adiunxit, præterea tormenta bellica sex maiora, culebrinam vnã, minora atq; campestria viginti. Eo apparatu Brixiã versus mouere signa. Obenignus Venetorum obsidione fatigatus, & metu noui aduentantis exercitus cõmotus, vt par erat, Cæsaris vexilla è muro prætẽdit deditionis indicio. Tũ Bibiena in Hispanorũ castra delatus Põtificis mandata, vt erat iussũ, explicuit. Respondit verbis blãdis Cardonius, cupere vero Pontificis iussis obtẽperare, facturumq; adeo fuisse, si antequã Padum traiiceret in castra ipse

venisset nunc vlterius esse progressum, quã vt sine ignominia & dedecore reuocare liceret. Bello confecto facturum q̃ Patri & Pontifici placuisset. Digressus Verona Cardonius Piscariam ex itinere vna cũ arce Gallicæ tũ ditionis subegit. Ad Venetos & Paulum Ballionium summum Veneti exercitus ducem antequam Hispanorũ copiæ Brixiã peruenirent, qui suis verbis denunciarẽt legatos misit se quidẽ socialis exercitus summum ducem, ne deesset officio, venire, daturum operam vt cuiq; sociorum sua iura cõstarent. Proinde suos conatus iuuarẽt, viresq; coniungerẽt: in amore & officio vinci turpissimum ducerent. Verbis ludebatur. alioqui discrepantib. voluntatib. vel maxime atq; in diuersa tendentibus, q̃ poterant inter se cõuenire? Octo ab ea vrbe millibus Hispanorum castra erant, cum Galli ad deditionem flexere animos honestis modo conditionib. Datum vt Gallicæ copiæ, quadringenti cataphracti, pedites ad duo millia, cum equis, armis & impedimentis omnib. relicta vrbe irent quocumq; voluntas aut commoditas ferret. Mediolanensem modo arcem alias ve Gallicis præsidiis detentas vitarent. Pro magno habitum duobus exercitibus vallatos quãuis Gallos, nullaq; auxiliorum spe id expressisse. Verum hostium inter ipsos suspiciones afflictos iuuerunt, annitẽte præsertim Gursensi, cuius erat præcipua reb. omnibus auctoritas. Eædem conditiones præsidiariis arcis militib. sunt concessę pactis deditionem arcis cum tormentis & reliquo instrumẽto bellico, nisi intra vnum & viginti dies idoneæ copiæ auxilio superuenirẽt. Pacta Brixiæ deditione ad octauum kalendas Nouembris ipso die Cardonius ad Castanetolam non procul ea vrbe lustrato & recensito vniuerso exercitu, inuenit supra octo millia peditum in castris habere iis adiunctis, qui tunc cum Prospero Columna in subsidium accesserunt. Solisio impigro viro deditæ ciuitatis cura cõmendata est, militibus mille circiter in tutelã attributis. Reliquæ copiæ Bergomi arcem impugnatum, dedita interim ea etiam vrbe, abierunt. Villamarinus maris per Italiam Præfectus Neapoli cum septem triremibus discesserat Pontificiis triremibus, quæ ad Vrbem veterem paratæ erant adiunctis Genuam iturus Lanternæ arcem obsessum Gallico præsidio imperioq; eatenus detentam. In eo portu tres alias Venetas triremes inuenit senatus decreto rogatu Põtificis in id missas, præterea quatuor alias Genuensis ducis, sed milite, turba nauali, & tormẽtis parum instructas. Lente omnia procedebãt, obsidioq; in lõgum ducebatur. exigua proficiendi spes. Gallica classis multo minor sociali, sese ad Massiliam continebat sex non amplius triremium, & vnius rostratę maioris nauis, nihil nisi ex suo commodo ausura. Cardinales factiosi Lugduni institutos conuentus agitare porro pergebant, magnificis promissis Principes singulos lactantes prehensantesq; de alieno iure munifici. Hugo Mõcada Siciliæ Prorex validã classem in Tripolis portum intulit. eam vrbẽ arcesq; munire destinabat, bello Africano repetendo cõmodissimam possessionem. Vrbinas in Æmilia Rhauennam inter & Bononiam quingentos grauis armaturæ equites continebat, Heluetios mille. Italorum maior numerus, minor vsus licẽtia maior. E castris enim digressi ducum iniussu, rapere, spoliare, vi & stupris cuncta polluere, in omne fas nefasq; auidi atq; venales præcipuo agrestium damno. Belli aduersus Ferrariẽsẽ haud magno conatu ex interuallo repetiti is fructus extitit ꝑterea nullus.

Maximilianus Sfortia Mediolanum ingreditur. CAPVT XVII.

MAximilianus Sfortia Tridẽti atq; Veronæ aliquãdiu morã traxit. Vt Galli ex omni ditione pellerẽtur, ac Mediolani & Cremonæ arces reciperẽtur dum auide expectat, aliquot abiere menses. Simul Heluetiis vt pretiũ suscepti laboris esset, atq; in eã rem ciues Mediolanẽses pecuniæ affatim volẽtes decernerẽt, sedulo agebatur. Ii. n. in studium noui Principis tuendi quãuis incitati; neq; Principatus partem aliquã detrahi cõcedentes, ne Parmã quidem & Placentiã à Põtifice occupatas, nõ Astã, q̃ penes Gallos erat, ac ne Cremonã quidem & Geradadã Venetis ante aliquot annos ex fœdere datas cum Gallis icto; in partẽ tamen ꝑdæ venire cõstituerant de alieno munifici, de suo parci vitio vtrumq; humanæ mortalitatis. Cõuenit vt Mediolanenses duob. annis centum & quinquaginta millia auri illis numerarent, annua quadraginta millia in omne tempus tributi honorarii nomine. Fidei pignus tres in ditione arces essent penes eos relictæ. Principum aliorum non vna mens erat, neq; cõsentiẽtes voluntates. Cæsar vni ex nepotib. Mediolanum potius q̃ Sfortiis destinabat. Pares conatui vires nõ erant, Gallia infensa vniuersaq; Italia ex veteri stirpe Principẽ Mediolano dari expetẽte; si morarentur spem vi parata atq; armis: Gentis cõmunia vota vocesq; Laudis Põpeiæ Episcopo occasionem ꝑbuere de eo Principatu cogitãdi, quoniã Galeacii Mediolanensis Ducis fili⁹ erat sed stupro susceptus. Nõ displicuere ii conatus Sedunẽsi Cardinali rerũ in ea gente ꝑcurationem, q̃ obtinebat, retinẽdi alieno nõe regnãdi spe inães Principis titulos penes Episc. fore impiũ penes se quo minores vires essẽt, eo amplius aliena ope sustẽtari op⁹ fore. Ne Põtif. q̃dẽ auersũ se iis molitionib. ꝑbere visus est ob suspiciões susceptas in Maximilianũ parũ propẽsus. Cęsari & Ferdinãdo regi

obſtrictum maxime minus ſperabat fidum & obſequentem futurum. Ad hos conatus occupandos Brixia capta vt Maximilianus Sfortia quamprimum Mediolanum iniret curatum præſtitumque eſt. Vrbem iniit ad quartum Kalendas Ianuarii ineũte ſalutis anno milleſimo quingenteſimo decimo tertio proſequẽtib. Sedunenſi Gurſenſiq;, Cardonio 1513 & Petro Vrrea. Venienti obuiam vniuerſa ciuitas effuſa portis eſt, quaſi ex diuturna ſiti cuncti auide ſuum Principem expectabant. Heluetiorũ legati ſolenni cæremonia in manus dedere claues, cunctaque quondã veterib. Principib. exhiberi ſolita cõtinuo decreuit ſenatus. Peracta lætitia ſuperoſq; precati vt ſuis beneficiis fauerent, & tantis muneribus perpetuitatẽ adderent, ad bellum retulere animos. Gallis eripere quæcumq; retinebant neceſſe erat. Padulius cum peditatu Trezum arcem impugnatũ iuit ad Abduæ ripam operibus militeq; firmatam, breui tamen dedita eſt. Nouariæ arcẽ ſimili exẽplo Ducis copiæ Gallico præſidio pulſo ceperunt, non minus quamuis munitam, neq; minoris momenti poſſeſſionem. De induciis quæ Cæſarẽ inter & Venetos erant, pace mutandis agebatur, & quoniam pactum induciarum tempus cum menſe Ianuario exibat, menſis Februarius primũ deinde Martius eſt adiectus, vtrumq; Cariati Comitis diligẽtia auctoritateq;. Conditiones à Pontifice anno ſuperiori oblatas Gurſenſis æquior iã factus probabat. Veneti ad nullum fœdus veniebant niſi reſtituta Verona. Vim adhibere viſum eſt, Cæſaris, Hiſpaniæ, & Mediolanẽſib. copiis in vnũ corpus collatis. Heluetiorũ nulla mentio, quoniã Tramullii ad eos legati opera breui ad fœdus Gallicũ tranſituros ſuſpicio erat haud inanis euentu, & tunc magnis coniecturis fundata. Cardonio priuſquã in Venetos expedirent arma, Mediolanenſem principatũ ſtabilire inprimis placebat Gallis poſſeſſione deturbatis vrbiũ & arcium quæ magno numero vſq; dum in prouincia obtinebãt. Triuulcius quoq; quinq; peditum millib. nouo delectu collectis ac plurib. indies in caſtra confluentibus, denuo bellum reparare cogitabat, virtutis & prudentię dux opinione ſingulari. Eo Proſper Columna cum valida manu Aſtam vrbem tenere iuſſus eſt, tranſituq; Gallos arcere, quoniã in aditu Inſubrum ſita eſt, Subalpinis & mox Gallia propinqua. Ferdinãdus rex vt bello in patria implicaret Gallos diſtineretq;, Anglo genero auctor extitit. Anglicæ gẽtis inſociabile ingenium eſt. Haud facile in cuiuſquã alterius nationis cõſortium veniunt, cuius rei anno ſuperiori ſatis clarum documẽtum extitit. Curatum ergo vt Calitium ditionis Anglicæ vrbẽ traducto milite Normãnos laceſſerent. Aquitaniam acceſſuram in victoriæ partem, Angli commodo copiis Hiſpaniæ ſumptuq;: ꝙ facturum ſe Ferdinandus prolixe pollicebatur. Honeſta conditio, ſi verbis reſponderent facta. Ea ſpe incitatus Anglus claſſe quinquaginta vacuum nouem millia milites delectã ex vniuerſa Anglia pubem, cultu & fulgentibus armis viſendã aciem tranſmittere in Galliã conſtituit. Eo ardore vt à Rege ſocero alias quinquaginta naues in vſum eius belli mitti flagitaret. Tot vno tempore bella conatuſq; graues cura complecti, atq; ope qui poſſet Ferdinãdus præſertim valetudine afflicta, Bæticaq; diſſidiis æſtuante. Morbum cõciliauit poculum noxio medicamine fœdum, ꝙ Regina diluit Medinæ Cãpeſtris, ſpe prolem ex Rege concipiendi. Id Caruaialius & Petrus Martyr in propriis commentariis quaſi exploratũ pro certo poſuerunt, nominatis etiam amatoriæ potionis adminiſtris fœminis principibus: quarum nomina ne hoc loco exprimantur, earum tum maioribus tum poſteris tribuendum putabam. Nauſea ex eo Regem inuaſit cibi nulla appetentia: vt ad moleſtiã leuandam per ſyluas & ſaltus erraret, venationis ſpecie congreſſu hominũ deuitato. Acceſſere frequentia deliquia, & aquæ intercutis haud obſcura ſigna morbi lethalis. Sic in contrarium vertuntur, quæ imprudenter alio & temere deſtinãtur. Bæticæ motus extitere Henrici obitu Aſſidonii Ducis. Soror defuncto Germana erat Mencia Petro Gironio nupta. Præterea frater ex nouerca Alfonſus Pereſius Guſmanius. Teſtamento is heredem ex aſſe ſororem nominauit, poſteriori patris coniugio vitii damnato. Petrus Gironius leui eo præſidio munitus opimũ principatum vrbemq; Aſſidoniã ditionis caput occupare tentauit. Eleonora Stunica Hẽrici & Menciæ nouerca iuris certamẽ quærere pro filio ſolicita, potiori iure omnium iudicio, parata Regis ope, quippe in eam caritate pronior erat, præter æquitatẽ cauſæ ſpe atq; ſtudio nouo Duci iungendi Annam ex filio Cæſarauguſtano Præſule neptim. Suas vtraq; pars clientelas habebat ſuoſq; fautores viros Principes prouinciæ in ambos diductæ cauſis diuerſis ſtudio pari. Periculũ erat ne in bellum apertum eæ contentiones erumperent. Petri Gironii ardens ingeniũ timebatur omnis inſolentiæ impatiens, conſilio inimicum ꝙ non ipſe probaſſet. Vbi animorum motus conquieuere, ius valuit regio præſertim fauore munitum & gratia: principatuſq; ceſſit defuncti fratri. Bugiæ Gonſaluus Marignus erat Præfectus, Orano Martinus Argote pro Comaris Marchione legatus. Leuia prælia cõmiſſa cum Mauris, excurſioneſq; in vicinos agros factæ,

nullo prætereà euentu ad memoriam inſigni. Muleius tantum Abdala iis iniuriis prouocatus ſe cum copiis in Bugiæ conſpectum dedit. Nihil eſt tam firmum, cui non ſit periculum etiam ab inualido. Vrbe mœnib. & præſidio defenſa in ſuburbii tecta ſęuitū eſt igne ferroq;: nihil vt integrum manſerit, præter turrim, quo ſe Iudæi receperunt. Marignum temeritate accuſatur eam accerſiuiſſe cladem: quippe pactæ cum Mauris pacis conditionibus non ſteterat finitimis importunus & grauis. Ad gentem pacandam Marigno in ea vigilia & procuratione Raymundus Carrocius ſucceſſor datus eſt virtutis & prudentiæ opinione præſtantior.

Iulii Pontificis obitus. CAPVT XVIII.

IVlii quoq; Pontificis imbecillam diu valetudinem continuæ curæ grauabant. In affecto corpore quamlibet leuis cauſa maior exiſtit. Senem ſeptuagenarium lethifero oppreſſum morbo diu non poſſe ſuperuiuere vulgatum erat, tenaci febricula fluenteq; ſenſim aluo. Metus ſuberat, ne eo defuncto factioſi Cardinales Pontificatum ſui muneris facere aggrederētur quaſi Synodi auctoritate ad ipſos electionis ius recidiſſet, certe comitiis Pontificiis Romæ intereſſe vellent. Mediolanenſi Duci, Florentinis, Senenſibus, Lucenſibus vt itinera diligenter obſideant, mandatum à Cardinalium collegio eſt. Deceſſit Pontifex ad decimum Kal. Martii: corpus amplo funere ad Petri vincula illatū ſepulcro. Inter alia præclara opera curaſq; graues Vaticanum tēplum iiſdē veſtigiis mutata forma ſuperbo ſtructuræ genere primus inſtaurare eſt aggreſſus Bramantes architectus. Subſequentes Pontifices in opere proceſſere longius. Pius quartus & Gregorius tertius decimus maiori feſtinatione & ſumptu quam alii. Abſoluti & dedicati operis laudem Xiſtus quintus ante paucos omnino annos tulit. Pōtificis obitu Romanus populus ad arma conſternatus, tumultus concitare cœpit. Sic ſolent vacuo Pontificatu, tunc acrius maiorique impetu extincti Pontificis ſeueritate irritati, Columnis etiam, quibus infenſum ſe Iulius præbuerat, & Vrſinis quibus fauerat, inter ſe mutua æmulatione in vindictam inflammatis. Diui Pauli monaſterium Benedictini ordinis furentis populi concurſu diripitur. rapinæ aliæ & cædes factæ. Hieronymi Viquii diligentia & auctoritate vrbanis tumultibus magna ex parte compoſitis, Patres dimiſſo prius Mantuani filio, qui pro patre obſes erat, in comitia conuenere ad quattum Nonas Martii. Septimo poſt die Ioannes Mediceus Cardinalis Pontifex eſt ſalutatus. Iuniorum ſuffragia in petitione ſubleuarunt. maior numerus minorem vicit: neq; enim ſuffragia ponderantur ſed numerantur. In pontificatu ſe Leonem decimum dixit, ipſoque die teſtatus eſt velle ſe pactam armorum ſocietatem tueri: ac vero vt Cæſar & Anglus ad id fœdus accederent, daturum operam. Cardinales Caruaialius Sanſeuerinuſq; Lugduno, vbi minori quam vnquam fiducia exiſtimationeque partes tuebantur, in Italiam diſceſſerant comitiis Pontificiis intereſſe deſtinantes & ſuo iure & Proſperi Columnæ ope: qui & ipſe Romam proficiſci parabat, Pontificem de manu daturus orbi, ſic pollicebatur maius fortuna & viribus facinus. Imminentem ex eo tempeſtatem vis altior diſcuſſit. Proſperum diſcedere vetuit Cardonius metu ne eius aduentu motus Romæ exiſterent prompta in arma plebe: neu libertas decernendi Patrib. eriperetur extremum malorum fonſque. Duo Cardinales ad Arni fluminis fauces roſtrata excelſa naui appulſos cuſtodiæ deſtinati milites captos Piſas inde abduxere. Rei geſtæ nuncium Iulius Mediceus ad Pontificem patruelem miſit. Viterbium ille captos deduci primum iuſſit, deinde ciuitatem Caſtellanam eius vrbis arce ſatis firma cuſtodię deſignata, dum è vinculis cauſam dicerent. Magni honores habiti, multaque blandimenta data abs Iulio ſunt, tum duobus Cardinalibus, tum Solierio regulo, qui cum eis à Gallo Romam legatus ibat. operam fidemque Gallis probandi ſtudio tenebatur. Hinc vero conſequentibus annis in maiora incommoda præcipitatum. Mortuo priore Pontifice, noui auctoritate nondum fundata facile Mediolanenſi fuit Placentiam occupare, tentare Parmam. Cardonius in eam partem cum copiis accurrit metu noui à Gallis belli, neque idoneo tempore ad inuadendum Venetos, vti erat deſtinatum. Pecuniæ in ſtipendium ſuprema inopia premebat: neque eius redigendæ via alicunde oſtendebatur. Proxima quoque ſpes retinebat, Venetos cum Cæſare pace facta cōciliandi. profectiq; ea de cauſa erant in Germaniam Gurſenſis primū, deinde ſubſecuti Vrrea & Cariati Comes. De conditionib. pacis non conſentiebant. Cæſar Brixiā & Veronā tueri deſtinabat. Veneti ad nullum accedebāt fœdus, niſi veteri penitus imperio reſtituto. Acceſſit Gallus in ea altercatione aliorū diſſidia ſuā fore occaſionem ratus. Andreas Grittus iā vna cū Liuiano recepta libertate beneficii memor & Gallicis partib. inueteratus Galli conatus ſublevauit, Cæſaris euertit. Itaq; fœdere feſtinato Venetis quæcūq; ante bellum poſſidebant, conceſſa à Gallo ſunt Cremona & Geradada modo exceptis, quę Mediolanēſi ditioni, vti redde-

redderentur, expreſſit. In id bellum, quod opinione grauius futurũ erat, quippe de Mediolanenſi principatu Gallus certabat, de ablatis antea vrbib. Veneti, hi quidem mille grauis armaturæ equites peditum millia ſex copiarum duce Liuiano polliciti ſunt: Gallus autem mille & ducentos cataphractos, pedites duodecim millia. cura peditũ Roberto Marchiæ concredita, expeditionis ſumma Tramullio, adiuncto tamẽ Triultio propter ſummam Italiæ rerum peritiam, paremq; rei militaris ſcientiã. Is cũ continuo copiis, quas paratas habebat, Aſtam vrbem tenuit. Liuianus ad Venetorum exercitum abiit Veronã occupare parans, ſi id non cõtingeret, cum Gallicis certe copiis vires conferre. Nouo euulgato fœdere magna rerum & animorum conuerſio facta eſt: multæ Inſubrum ciuitates à Maximiliano Sfortia nouo Duce defecere: gens ad omnem auram ſpei metuſq; vmbram mobilis neq; ſatis conſtans in fide. Felicitatis humanæ quanta eſt inconſtantia, quanta labes? facili momento in contrariũ vertitur. Vix noui principatus primis gaudiis deguſtatis nouus Princeps in præceps ire cœpit. Feſtinati cum Venetis fœderis Gallo cauſam præcipuam extitiſſe inueniebam, alterius pactionis conficiendæ proxima ſpes auctore Caruaialio Cardinali. Enimuero à Ferdinãdo Rege inducias eſſe cupiebat citra Alpes quidem. Commodum id vtriuſq; Principis rationibus; Ferdinãdi quidẽ mora ſatagentis Vaſconũ regnum firmare, ꝙ nouitate mutabat, Galli aũt Inſubrib. imperii iugum, ꝙ excuſſerãt, reponere. Ea cura præcipua ſummaq; votorum. Regis Vaſconũ & Maximiliani Sfortiæ nulla, ac ne famæ quidem memoria præ cupiditate aſſequendi ꝙ animo deſtinarãt. vt hoſtes vlciſcerentur, amicos mutuo inter ſe & confœderatos donarunt: ſcilicet potentiã ſupbia, & ſuperbiæ affinis imbecilliorum contẽptus ſequitur. Induciis ſanciendis Iacobus Concillus Catanæ ad Ilerdæ epiſcopatum ipſo tempore translatus, in Galliam legatus Baionę cum Odeto Fuxenſi Lautrechii regulo, qui Aquitaniæ erat Præfectus, de conditionibus diſceptauit. Ex colloquio nullo fructu cum diſceſſiſſent, ad Ortuuiam arcem, menſe Martio dimidiato rurſus conuenere ditionis quidem Gallicæ, cæterum Fonterrabiæ diſſitam ſex tantum millib. paſſuum. In ea arce conſenſu hæ conditiones ſancitæ ſunt Kal. Aprilis. Ferdinando atq; eius confœderatis Anglo & Carolo Auſtriaco cum Gallo, Scotto Rege & Gheldriæ Duce ab eo die induciæ annuæ eſſent. Eo interuallo inter vtrãq; gentẽ commercii ius facultaſq; citra Alpes quidem, quã parte ponebantur arma. Rex Vaſconum in fœdere à Gallo neq; nominatus neq; comprehenſus eſt, ꝙ perinde videbatur, atq; in prędam hoſti dari nulla amplius emergendi ſpe. De Anglo & Cæſare ſtatutum, vt niſi intra duos menſes eas inducias ratas haberent, ne poſtmodum ad fœdus admitterẽtur. Moleſtum id fœdus Cæſari extitit ſe præſertim inſcio feſtinatum. Ferdinandi artes accuſabat. An id eſſet, ꝙ omnib. ſermonib. vſurpabat, communem ſecum fortunam habere, ſeiunctum nihil? iis pactis induciis intra octo dies Gallo Mediolanenſem principatum ceſſurum; mox Italiæ Principib. victoris fortunam haud dubium ſecuturis. Neapolitanum regnum victoriæ partem fore & quaſi corollarium ac vero reliquam Italiã nullo repugnãte daturam manus. Italia domita conuerſis in vtrumq; armis, qui veri hoſtes exiſtẽrent, vindicaturum ſcilicet iniurias pro voluntate arbitratuq;. In reliqua moleſtia accuſabat maxime, Caruaialii Cardinalis multis modis inuiſi infenſiq; conſilia. de re tanta audita Galli præcipuo cõmodo, cui ille eſſet addictus, originis immemor & patriæ caritatis. Si verum fateri conuenit acutiſſime is, vt erat ingenio perſpicaci & callido, viam ſolus conſiderauit eos Principes inter ſe conciliandi, niſi vtriq; obiecta propria vtilitate nunquam in vnum fœdus coituros. eam vt aſſequerentur, reliqua neglecturos vincula neceſſitudinum & honeſtatis. Sic erat horum Principum ingenium. Neque erat dubium vrbes Venetis à Cęſare nuper detractas pactis iis induciis cõtinuo ad vetus imperium nouo depulſo redituras. Id vero eius animum vrebat maxime, tametſi diuerſa dolori ſpecies prætendebatur.

De bello Vaſconum. CAPVT XIX.

ANte pactas cum Gallo inducias Lautrechius Baionæ in Tarbellis veteres copias inſtruere, nouas conſcribere, æneas baliſtas cõflare. Sancti Ioannis oppidũ Vaſconum inuadere parabat neque operib. neque militib. ſatis firmũ. Eo improuiſa vi occupato municipio, vti confidebat, neque erat difficile, tranſcenſis montib. in Vaſcones citramontanos irrumpere cogitabat. Eo metu Comarius per idoneos homines Roncaleſes finitimos pacare eſt aggreſſus nunquam ſatis fidos, & tunc rerum nouarũ ſpe proxima Gallis trãſitum per fines daturos, ſi obſiſteretur ferro viam inuẽturis, niſi prouideretur. pedites item equiteſque Diegho Verę miſit oppidi eius Præfecto, quo ipſe numero poſtularat. Verum has omnes ab vtraque parte molitiones, conatuſque pactæ, vt dictum eſt, induciæ diſtur-

barunt. Ferdinando prӕterea Regi occaſio extitit, non modo imperium recens partum confirmandi, ſed & nouis acceſſionibus amplificandi. Ioannes Rex Vaſconum quinque hominum millia ſub ſignis habebat, ſi ſpes aliqua melioris fortunæ affulgeret auerſæ eatenus, hoſtibus propitiæ. Simul Zamoræ Epiſcopum monuit, vt fidei datæ memor ad captiuitatem rediret. Diſceptata tamen cauſa Ferdinandus liberum eum, neque promiſſi reditus fide teneri pronunciauit, quod iure gentium violato captus fuiſſet legatus præſertim de iis, quæ ad tuendam Pontificiam dignitatem pertinebant, deinde Longauillæ obitu; cui fidem dederat, quaſi capitis diminutione, promiſſo fuiſſe exemptum. Vrgebat alia parte Mareſcalus Vaſconum, quem Corteſium quoque Marchionem dixere, cũ duobus aliis militum millibus in vicinos Santabriæ fines inuectus. Incolæ Ludouici Cueuæ iuſſu, qui Fonterrabiæ pro patre vicarius res gerebat, durum in armis genus in vnum agmen coeuntes, hoſtium conatib. reſtitere. Rediere illi Maiam Vaſconum arcẽ in Galliæ latere, qua parte in Aquitaniam eſt tranſitus. Inde de finitimis prædas agere, rapere, ſpoliare, ſi promererentur perfugio parato. Vrſuæ haud longinqui oppidi regulus Hiſpano addictus, Præfecti eius arcis abſentiam opportunam fore conatui ratus, cum manu militari impugnatum aduolat. Minor numerus erat quam pro molitione, & forte an conſilio Præfectus arcis ſuperuenit. Ita ſpe irrita diſceſſit. Ne Comarii quidẽ conatus initio meliorem exitum habuere. Dieghus Vera & Valenſola cũ maiori numero eius iuſſu ad impugnandam eam arcem profecti nihil præſtitere amplius. Cognito quin etiam tum Mareſcalum, tum Vaſconum Regem auxilio obſeſſis propediem venturos, raptim ſoluta obſidione retro ſeſe retulere tormentis prę feſtinatione Azpilcuetæ relictis loco minime tuto. Paucorum militum perfugium excindere, quoniam latronum in morẽ vicinos montes infeſtos reddebant igne ferro, prædiſq; abactis, oppido cupiebant noſtri. Comarius ipſe cũ duob. amplius militum millibus & tormentis maioribus, quam quæ ante detulerant, impugnatum acceſſit. Obſeſſi nulla ex Gallia auxilii ſpe & Regis ſui virib. hoſti imparib. intra dies paucos ſupplicum vexillis prætentis dedidere arcem. Læta in præſenti victoria fuit, in poſterum vſui Vaſconum deinde omni tractu pacato, qui vltra montes ad Galliæ fines pertinet. Comites Fuxẽſes ab antiquo in Catalaunis Andorræ vallem & Caſtelboũ prope Vrgeliam vrbem in Pyrenæi montis complexu poſſederant. Vtraque Catharinæ Reginæ Vaſconũ à maiorib. relicta iure quoque optimo, ad cætera mala victori acceſſerunt, armis erepta. Iiſdem dieb. Neapoli Sorrenti Cardinali ad comitia Põtificia profecto, Villamarinus maris Præfectus res gerebat minori q̃ opus eſſet auctoritate. Brutii & Apuli, p̃fectis earum prouincialium Ferdinando Alarconio & Padulæ Marchione Cardoniũ ad bellum ſecutis, ad hæc exiguo numero militum relicto quaſi domitis frænis motus cõcitarunt. Maiori peruicacia in regulos, eorum ſubditi ſunt debacchati quaſi indigna ſeruitute, impotẽti dominatu premerentur. Integra oppida corripuere arma vitæ acerbiſſimæ conditionem ſi minus victoria certe morte excutere deſtinãtes. Nihil in vulgo modicum aut timent aut terrent, tenuioreſq; opprimunt. multæ cædes, atrocia flagitia extitere, non ſacro non profano abſtinuere manus. Neq; erat, qui tumultuantes compeſceret. Deinde fama vulgabatur Turcam validam inſtruere claſſem ad euertẽdas piorũ opes. Incertum erat in quam partem ſęua tempeſtas irrueret. Rhodum plerique inſulam deſignabãt; non pauci de Sicilia, Apuliaue metuebant, iniuriæ opportunis neq; longinquis. Veneti quoq; ex quo ad Gallicum acceſſere fœdus, vrbes antea in Apulia poſſeſſas, vnde fuerũt eiecti, imperio reddere cum cæteris cogitabant ſi votis pares vires ſuppeterẽt. Omnia hæc iura cõplecti arduum Ferdinando quidem, ſed neceſſarium erat. Iis littorib. muniendis data eſt opera, terra diſpoſitis per vrbes præſidiis, à mari Villamarini claſſe ad omnes caſus inſtructa parataq;. Berengarius Olmius, qui initio Aprilis cum quatuor triremib. milite & reb. omnib. ſatis inſtructis Hiſpali diſceſſerat, improuiſo occupaturus piraticas biremes nonnullas quas ad Tituani flumen in aduerſo Africæ littore ſe recepiſſe. Luſitanus Tingi Præfectus nunciarat, iuſſus eſt reb. aliis prætermiſſis in Italiã vela dare, reliquæ claſſi ſubſidium. Sub idem tempus Genuæ grauiſſimi extitere motus. Adurnii patria pulſi, quamuis hactenus Aragonio nomini cumprimis addicti diuturno feſſi exilio ad Gallicũ fœdus verſi eius ope ſunt polliciti pulſis Fregoſiis ad Gallicum imperium Genuenſes redituros. Tantę molitiones latere non poterant, quamuis arcano agitatæ. Cognitum Fliſcum & fratres cum exulibus cõſpiraſſe. Ducis fratres conatu occupato, eum intra palatium peremere, quaſi lege maieſtatis conuictum. Occiſi fratres felici fuga vitata cæde, ſe Adurniis adiũxere: delectuq; militari habito ad vrbis mœnia acceſſere vindicare parati hoſtis exitio. tantundem Gallica claſſis mari fecit. Dux cum ſuis triremibus, Gallicis obuiam egreſſus cedentes metu an dolo dum longius inſequitur, Adurnii Fliſcique vrbem à terra occupa-

occuparunt. Sic lætis miſcētur aduerſa. Duce Plombinū delato claſſis eius Lunæ portum tenuit. In eiecti locum Octauianum Fregoſium conſenſu ciues Ducem dixere, quippe gratum vniuerſo populo vrbis tutelæ idoneū fratre Salernitano Archiepiſcopo, ipſoque Romano Pontifice propinquitate deuincto. Lætitia Adurniis diuturna non fuit Fregoſii omni alio præſidio deſtituti Cardonio ſupplices ſunt polliciti, ſi eius ope in patriam reſti tuerentur, vrbē eam in Hiſpani clientela fore. Nuncupatis fœderis initi conditionib. miſſus cum copiis Piſcarius vrbis imperium Adurniis ademptum amicæ factioni reddidit. De vrbis duce mutari nihil eſt viſum: quando gēte Fregoſius, beneuolentia etiā Adurnios quoq; cōplectebatur. Verū hæc aliquanto poſt acciderūt: ad prætermiſſa redeamus.

Galli ab Heluetiis ad Nouariam victi. CAPVT XX.

AD Aſtam & Taurinos Gallicæ copiæ coibant: neque Tramullius de ſua comparatione aliquid remittebat ardenti ingenio vir, gloriæ cupidior q̄ pecuniæ aut voluptatū. Acceſſere ex Gallia expediti equites quadringenti circiter. Italici generis Triuulcius ſocius & Sacromorus Vicecomes, hic deſerto Maximiliano Duce cuius eatenus auſpicia fuerat ſecutus perfidiam breui ſuperi eius capite vindicarunt. Liuianus cum Venetorum copiis Veronam obſidere porro parabat haud ignarus primis euentibus metum aut fiduciam gigni: pro vt initia ceſſiſſent fore alia. Mirum dictu præter hos duos exercitus Venetorum & Gallicū, tres alios in Gallicæ Ciſalpinæ atq; adeo Inſubrum variis partibus vno tempore ali potuiſſe: tanta hominum militarium colluuie prouinciam haud latam ſpatiis fuiſſe parem. Intra Veronam Germani quinq; millia tendentes, equites expediti ſexcenti Vicentiā vſq; agris, pagis, oppidis, importuni inſtabant nemine repugnante. Prope Placentiam Cardonius Prorex metatis caſtris mille & quadringentos cataphractos, equites expeditos octingentos pedites ad ſeptem millia cōtinebat. Italiæ ſpoliis ſplendidā aciem, & ſua virtute præſtantem. Heluetiis Maximilianus dux ſtipatus erat, quibus multum fidebat quaſi externis & quibus opes & principatum debebat. Octo millium ii numerum explebant, & quinq; alia millia propediem tranſcenſis Alpibus ventura expectabātur. Tantis quamuis paratis præſidiis metu Gallici apparatus vrgentiſq; belli, pleræque Inſubrum ciuitates Duce deſerto Gallica vexilla explicarunt, mutati imperii argumento, neq; fidei tenaces neq; conſtantes in perfidia. Dux ipſe ancipitis pugnæ aleam ſubire reformidans, patentibus campis non auſus ſuſtentare, Nouariam ſe cum copiis compegit pridie Kal. Iunii, in ea vrbe ab ea gente patrem Gallis fuiſſe vēditum, oblitus ominis ſcilicet, aut quęfortuito accidunt, parum curans. Cupere Cardonius ſignificabat ſe cum Duce coniungere. Inopia pecuniæ retardauit Roma à Viquio legato promiſſæ, neque allatæ tamen. & ex Hiſpania iuſſum erat, vt Neapolim copias referret: neq; Gallos irritaret. Sic Cardonii cunctationē hiſtoriæ noſtrates excuſant. Quod in ancipitibus deterrimum eſt, mediam tenere viam placuit. atq; iiſdem locis ſuſtentare nulla neq; Ducis neq; Gallorū gratia. Peditum curam Soliſio cōmendauit in Padulii locum Florentini exercitus ducis antea deſignati. Pro Soliſio Ludouicus Huardus Brixiæ præſidio & cuſtodiæ eſt Præfectus. Cremonæ Pontificias copias ſuſtentare voluit: & quo maius eſſet præſidium deinde Ferramoſcam eodē dimiſit adiunctis quadraginta equitib. cataphractis, peditibus trecētis Hiſpanis, Italis quingentis. Parum ea diligentia eſt profectum. Cum primum Liuianus cum copiis omnibus eo acceſſit, vrbem quamuis munitam vi occupauit: cæſiſque equitibus omnibus ad ducentos, Hiſpanis peditibus haſtas detraxit, gentem ferocem ea ignominia vltus. Rei geſtæ nuncio Galli amplius confirmati Nouariā copias admouere. enimuero octingētos equites grauis armaturæ, pedites octo millia: ex iis tria millia Germanos, reliquos temere collectos, quib. neque ex victoria gloria neq; ex fuga ignominiæ metus. Impugnandi vrbem ſpecie modo præbita deſtitere tamen, ſeque ad priora ſtatiua retulerunt Gaiam inter & Nouariam foſſa & vallo diligenter munita. Diſceſſus præter opinionem cauſa nuncius extitit auxilio obſeſſis aduentare Heluetios numero ad duodecim millia, præter alia quinque millia ductore Altoſaxo iiſdem veſtigiis ſequentes. Priorum aduentu obſeſſi in victoriæ certam ſpem erecti, ne expectato quidē Altoſaxo vrbe egreſſi continuo in hoſtes ſunt pugnandi certa voluntate, victoriæ ſpe, quoniā aduentu metum expreſſerant hoſti. Galli detrectare certamen gnari modicas ſibi vires: neque ita iuuari loco, vt non plus hoſti in virtute eſſet. Re tamen neceſſaria & decoris cura in aciem produxere copias. Gallis equitibus pugnandi voluntas aut animus non fuit. Inter pedites acerrime duabus horis dimicatum. Germani feroces hoſtium impetum magno animo ſuſtentarunt: iis victis victoria penes Heluetios ſtetit. Cædes quam pro numero maior. Supra ſeptem hominum millia ciciderunt, atq; in iis omnes Germani, viri quoq; nobilitate factiſq; clari Coriolanus, Triuulcius, atq; Ludouicus Beamontius Nobilis victoria

in paucis fuit & cum veterib. comparãda. Secundum eam, quæ ad octauum Idus Iunias est parta. Altosaxus ferus opitulator accessit sibi præreptam laudem frendens. Præterea Mediolanum ac Ticinum ac vero reliquæ Insubrum vrbes ad victoris imperium vltro rediere, nullo iam Gallorum metu: quorũ numerosas equitum peditumq; copias ab Heluetiis peditib. concisas considerabant. A Cardonio quadringẽti grauis armaturę equites ad Ducẽ submissi auxilio post victoriã quoniã equitatu carebat, hostiũ equites perstiterãt incolumes. Reliquæ Hispaniæ copiæ ad Trebiam non procul Placentia, vti instituerant, in statiuis perstiterunt. Multũ ex iis locis tamẽ Cardonius partes iuuit. Liuiano prohibito ne copias suas cum Gallicis conferret, victoriã certam reddidit si conaretur procedere, hæsurus in tergo, & opprimi poterat si Hispani & Heluetii mediũ clausissent. Cautior ille pugnæ ad Nouariã euentu cognito copias in pacata reduxit. eæ erant mille cataphracti, trecenti velites peditum quinque millia neq; virtute neq; cultu & armis cõspicua acies, sed ex plebis fæce. Diuturnis bellis Venetorum ærario exhausto pecuniæ in stipendium suprema inopia laborabatur vt à ciuib. cogerentur reddituum decimam rerũ venalium centesimam exigere magno populatium gemitu, graue onus neq; imponi solitum. Liuianus ex itinere Lignanũ cepit, q. oppidũ Villada & ei adiuncti milites obtinebãt pręsidio. Inde Veronã duxit impugnandi voluntate. Egressi tamen ex vrbe præsidiarii milites cæso ex iis copiis aliquanto numero, vt absisteret tamẽ conatu efficere non potuerunt. Sic in Insubrib. res erant, inter metũ & spẽ vtriusq; partis animi & vires alternantes. Romæ factiosi Cardinales posita contentione, atq; palã eiurata secta pœnitentiam professi, in gratiam Põtificis restituti sunt. Malis castigati & damnis cum ecclesia conciliati sacerdotia priora & pristinum purpuræ honorẽ recepere ad septimũ Kal. Iulii. Hũc exitũ superiora dissidia habuerũt grauia & diuturna, vnde sæua tempestas aliquãdo instare visa est. Vt Cardonius copias conferret, Maximilianus Dux solicitare non desistebat, ne reparatis Gallorum virib. de fortunis rursus periclitari cogeretur. Æquissimis postulatis ille obtemperare constituens trinis castris Sarrasinam peruenit. Ex eo loco Piscario Genuam ablegato, vti iam est dictum, ipse cum copiarum robore Veronam ire perrexit, Liuiani obsidione fatigatam, exitio proximam. In eo itinere cum primum Brixianum agrum attigit, Ponteuicus & Vrsonouũ, omniaq; oppida quæ Salo flumine alluuntur, ex deditione in potestatem redegit. Bergomũ quin etiam accedenti propius portas aperuit, pecuniæ etiam aliquanta summa iuuit in stipendium militare. Arx tantũ in fide Venetorũ perstitit. Vim adhibere longũ erat festinanti. In ea vrbe Puchio relicto pecuniã ex fœdere pactam vt redigeret Pesqueriã abiit. Rencius pro Venetis Cremæ præsidio impositus dux impiger, audax, callidus re cognita, cum Bergomi non procul dissitæ ciuibus consilio cõmunicato clam, noctu in vrbem admissus capta pecunia è Puchii sociis quosdam etiã viuos cepit, ipso vix duce munitæ domus præsidio sese tuente. Pesqueriã contra Cardonius occupauit, validũ quamuis oppidum opera milesq; firmauerat. Inde Patauiũ cõtendit adiuncto ex itinere Gursensi cũ auxiliis recens & Germania in ea loca delato. Copiis omnib. in eius vrbis conspectum est ventum sub initiũ mẽsis Augusti. Maior virib. conatus propter amplitudinẽ vrbis Liuianiq; virtutẽ soluta raptim Veronẽsi obsidione eo delati. Ita breui re infecta necessario discessere nostri maiori detrimento accepto q̃ illato. Leui. n. certamine cum Epirotis equitibus commisso Alfonsus Caruaialius strenuus dux & cum eo Cardenas & Espinosa centuriones capti sunt. Equites expeditos cũ Piscario Genuam amandasse nocuit, ad arcendos Epirotarũ incursus frænandamq; audaciã idoneos maxime. Hunc cursum res in Italia tenebant. In Hispania Ferdinandus Rex annis grauis, imbecilla valetudine, curis fatigatus de pace Gallum vltro appellauit, vtriq; concordiam q̃ bellum magis salutarem fore. De Ferdinãdi Infantis & Renatæ minoris Galli filiæ cõnubio actum est, fœderis stabile vinculũ quærebatur. Gallus in puellæ dotem cultumq; Mediolanenses & Genuenses daret, Ferdinandus nepoti Neapolitanum regnũ concederet lege perpetua, non incõmoda ratio, nisi mera ludibria essent votis verba contraria inani spe aduersariis ne nocerent, distinendis. Ac Gallum maxime tempestatis ex Anglia cura solicitabat. Nam rex Anglus cum quadraginta millibus peditum mille & quingentis equitib. Caletiũ traiecerat suæ ditionis in cõtinenti vrbem prævalidam. Ex ea vrbe in Morinos finitimos irruens Teruannam obsedit mense Augusto, Abeuillã haud procul dissitam Delfinus cum copiis accessit ad omnem occasionem attentus. Alia parte raptim collectæ Gallorũ maiores copiæ obsessis opem laturæ venerunt. Iusto prælio dimicatũ cum esset, victis cæsisq; Gallis Longauillæ Dux aliique proceres Galli in hostium potestatem capti venerũt. In victoriæ partem oppidum etiam accessit & ipsum vi captũ. Euersis arce, turrib. propugnaculoq; eius oppidi Anglicæ copiæ Tornacũ vrbem sunt admotæ, quo

tempore

tempore in Anglia Sorris Comes Scottũ Regem, qui in Galli gratiã in Anglicos fines irruperat, commisso prælio ad quintũ Idus Septembris victis fusisq; copiis occidit. Ea victoria nunciata Tornacẽses nulla amplius spe ad deditionẽ flexere animos. Ad eã vrbẽ Cęsar accessit Anglũ inuisurus, tũ Margarita Princeps, deinde Carolus Austriacus. Insulas mox inde concessere de rebus magnis colloquio instituto. Mora molesta erat Anglo, neq; facile de tantis rebus breui constituere. Delegata potestate Cæsaris, Angli, & Ferdinandi Regum legati cõsilio inter se communicato, consensu sanxere, vt quisq; triũ Principum, cum primũ induciarum tempus exiisset, per suos fines Galliam inuaderet: ac nominatim Aquitanos impugnandi Hispano cura est imposita suo sumptu & periculo, Angli compendio. An id erat pacem facere cum Gallo? Ferdinandum Regem neque id fœdus probasse, neque factum sua voluntate aut iussu fuisse euentus rerum satis indicat. Coniugiũm Carolum Austriacum inter & Mariam sororem Angli sæpe retractatum, nouo decreto confirmari placuit, proximo etiam anno celebrationi perfectionique designato. Autumnus in hyemem iam præcipitabat. Bello ergo in Morinis intermisso præsidiis tantum dispositis, vt res & tempus monuit, cum copiis Anglus mare rursus transmisit. Vix vnquam res Gallicæ in maiori angustia fuere, exitio viciniores. Heluetii præsertim auctore Cæsare in Heduorum fines inuecti grauissimum terrorem vniuersæ genti immisere, ne malorum colluuies rediret, quæ quondam ab Anglis pertulerant. Tramullius eo periculo ex Italia euocatus etsi ferocem gentem acie superauit à victis tamen, non secus ac si vicissent, leges grauissimæ hosti impositæ sunt. Eæ fuere ne Gallus amplius Pisani conuentus, vt fecerat, auctoritatem sequeretur, sed posita contumacia mutaret. Ex arcibus Mediolani & Cremonæ præsidia militaria deduceret. Et quod ignominiosum plãne fuit, certis pensionibus quadringenta aureorum millia genti repręsentaret, ingens pacis pretium. Quid amplius victores exigere potuissent? sed tanti fuit eam tempestatem à finibus arcere, vt præ metu parum ignominia moueret. Vi sane expressa stabilia non fuerunt. præter gratiam cum Pontifice conciliatam, aliis conditionibus Gallus nõ stetit, pollicitis in periculo benignus, rebus post tempestatem parcus.

Ad Vicentiam Cardonius Venetos vicit. CAPVT XXI.

DVm alii Christiani Principes mutuis odiis inter se digladiantur, viresque & opes frustra consumunt, Emanuel Rex Lusitaniæ bonis omnibus florebat. domi otium atq; diuitiæ, quæ prima ad felicitatem mortales habent, foris autem in Africa atq; in extremis Orientis oris secundo victoriarum cursu Christianæ religionis gloriam & cultũ lõge lateque proferebat maiorib. indies incremẽtis. Egressis Gaditani freti fauces ad læuã in Africę littorib. qua parte Oceanus orbẽ terrarũ amplexu finit, vrbs Azamor sita est Phuthẽsis regni pars ciuiũ numero ampla copiosaq;, diuite & feraci gleba. Rigat ea arua mœniaq; alluit fluuius, quẽ indigenæ Omirabihũ vocant: antiquis Asamã fuisse quidam putãt coniectura neq; certa neq; prorsus inani. Eam vrbem annis superiorib. Emanuel Rex occupare tentauit, vti antea dictũ est. Zeiami Mauri fraude & vanis promissis delusi Lusitani destitere conatu. Maurus, q͂ erat initio propositum, iis digressis vrbis imperium arripuit. Grauem iniuriam, atq; hactenus dissimulatam vindicandi occasionem commotæ in tyrannũ ciuiũ voluntates, auersa studia præbuerunt. Regũ iræ mora acriores existunt. Classe instructa numerosa peditũ viginti millia equites mille & septingentos in eam rem mittere cõstituit. Ioannes Menesius ac pleriq; è præcipua nobilitate secuti sunt. Summa expeditionis Iacobo Brigantino permissa regia nobilitate Duci quippe ex Regis sorore nato. Rebus omnib. cõparatis Olisipone soluere prouecta iam æstate vigenti æstu. Prolixa nauigatio extitit: malaciæ detinuere naues. Ventum tamẽ Azamorẽ sub initium autumni. Cum ciuib. qui multi erant, & iis qui auxilio venerãt leuia cõmissa certamina. Deinde dispositis tormẽtis excussæ pilæ strauere muros, ad hæc è præcipuis Mauris aliquot peremere. Eius procellæ metu reliqui Mauri ne expectata quidẽ impugnatione altera porta egressi noctu, qua parte minus acris custodia erat, frequẽtes in pacata abierunt. Deserta vrbs sub initiũ Sept. venit in potestatẽ. Accessere, vt fit post insignẽ victoriam alia eo tractu oppida ac nominatim vrbes Tite & Almedina. Brigãtinus valida manu ad vrbis tutelã relicta ductorib. Roderico Barreto & Ioãne Menesio clasẽ incolumẽ in Lusitaniã reduxit. Marrociũ vrbẽ impugnandã multi disputabãt victoria feroces vęcordi audacia in ferrũ & vulnera prõpti p̄dæ spe Dux cui cauta cõsilia cũ ratione temeritate potiora erãt, fiduciariã se operam obtinere excusauit; neq; inscio Rege rẽ tantã aggrediẽdã videri. Prospero euentu erectus animo Emanuel eã Africæ oram armis peragrare certus, Pinonii arcis

iure eatenus controuerſo cum Caſtella abſceſſit, ea lege tamen ſi Caſtellæ Reges illi permitterent, quidquid à fine Phutenſis regni ad Boiadoris promōtorium pertinet olim attributum iis Regibus, quippe Veleſii regni partem vtriuſq; maris littora fuſa ditione complexi. Bellum in Italia ducebatur. Cardonius Prorex Albareto, quo ſe receperat ſoluta Patauii obſidione, ad vaſtanda Venetorum oppida & agros eſt egreſſus. Auctor ſuaſorque Gurſenſis Cardinalis. Ac primum Montagnanæ itinere arrepto Buuolentam acceſſit ad ripam Bachilionis, quem Meduacum minorē dixere quidam, ſitū oppidum, cymbas & carros magno numero domeſtica multorum ſupellectile veſteque onuſtas, metu belli Venetias ſe ſuaq; recipere contendentium, militum prędam fecit. Grauem iis ſpoliis exercitum Plebem duxit Venetorum delitias, prætoriis ciuium ſplendidum oppidū, gratum oculis ab amœnitate & copiis ſpectaculum. Direptis ædibus iniecere ignes in Venetæ vrbis oculis magno ciuium dolore prędiis ſingulorum ædificiiſque fumantib. Meduacum impoſito ponte traiectis copiis Meſtrem eſt itum ſuburbii inſtar Venetiarum quinque millib. nihilo amplius ab vrbe diſſitum pagū. Capto ſimilis quæ cæteris fortuna fuit. Ad proximum mare domus quædā ruſtico opere ſunt, paliſq; & aggere littus ſtatu minatum, ne terram fluctus exedant ſcilicet, ab antiquo prouiſum. Inde quoniam ad tormenti ictum ab vrbe diſtat excuſſis ignitis globis vrbana ædificia petita, non ſecus ac ſi obſidione premerentur. Ad Diui Secundi monaſterium peruenere pilæ magno ciuium dolore non damnum, quod magnum eſſe non potuit, ſed ignominiam, ſupra quā dici poſſit, moleſte ferentium, hoſtes tam prope acceſſiſſe nullo qui dedecus vindicaret. Id imprimis vrebat ciues dignitatis apprime tenaces. Liuianus ſero quamuis, cum copiis tamē occurrit prælio vt dimicaret. Cardonius commotus periculo præſertim ex omni parte circūfuſis hoſtibus, ſatiſq; ad laudem & fructum profeciſſe ratus conuerſo itinere Vicentiam repetere decreuit. Profecti Meſtre primo die quatuordecim millia confecerunt, longum iter expedito agmini. Ipſi impedimenta & ſpolia direptæ gentis quingentis amplius carris vehebant. Ballionius Taruiſio, tum Patauini milites accurrere virib. cum Liuiano iunctis, cedentes Hiſpanos inuaſuri magna victoriæ fiducia, quippe maiori numero & recentes aduerſus feſſos & præda graues pugnaturi. Septem millia pedites vniuerſi erant, mille & ducenti equites. Præterea vicani ad decem millia ſe oſtētantes è vicinis montiū iugis: ſed quota pars militarib. armis inſtructi, cęteri ſparis & cōtis vt quemq; caſus armauerat. Meduaci tranſitu prohibere noſtros deſtinarant exaduerſum poſitis caſtris. Noctu illi ſilētio ſuperius ad ſex millia paſſuum vado tranſmiſere copias. Quod erat reliquum Liuianus re cognita Vicentiam inter, quo iter erat, & noſtrorum agmina idoneas conatui coeuntium inter ſe collium anguſtias obſedit poſitis caſtris prope Vlmum vicum. Intercepto itinere Hiſpani in ſupremum diſcrimē venerant. Neq; vlterius procedere licebat in ea locorum iniquitate, neq; regredi tutum hoſtili omni à tergo tractu. In ancipiti periculo optimum fore viſum eſt ſimulato receptu ac retro conuerſis repente ſignis, hoſtē in patentes cāpos elicere. Ita factum. Hoſtes fugam ex intempeſtiua feſtinatione interpretati, ne mora è manib. hoſtis elaberetur, pleni fiducia deſertis viæ anguſtiis, gradū inferunt prę feſtinatione, turbatis ordinib. Cardonius rei benę gerendæ ex eo opportunitate perſpecta cū Piſcario, qui peditib. Hiſpanis Præfectus in poſtremo agmine eo die curabat, quid faciendū videretur cōmunicat. Pugnandum ille ait, neq; cōmittendum cunctatione vt victoria elabatur de manib. idē Proſper Columna conſultus cenſet grauis armaturæ equitū dux in medio agmine conſtitutus. Primam aciē tenebant Germani in ſingulos dies cū Hiſpanis locum cōmutantes. Ii ducum voluntate decretoq; cognito verſi in hoſtem continuo eum impetum in Venetos dedere, quē illi non tulerunt. Auerſi momento in fugā ſunt hęrente in tergis Piſcario vſq; ad vrbis portas. Ciues eas præ metu clauſerāt, ne cum ſuis confuſus hoſtis irrumperet. Sic pleriq; fugientes fluminis vorticib. rapti perierunt: atq; inter alios Sacromorus Vicecomes intēpeſtiuæ proditionis vltore numine cum aliis merſus. Cardonius interim collecto milite cum Germanis & quibuſdam Hiſpanorū cohortibus, in peditatus equitatuſq; hoſtilis partē inuaſit. vicino colle cum quinq; tormētis ſe tenētes. Pari facilitate ii quoq; deturbati è loco ſeſe in pedes dedere vulnera tergis, animis ignominiā metumq; ferentes. Nonis Octob. pugnatum eſt. Cecidere è Venetorū copiis grauis armaturæ equites ſeptingēti, peditū maior ſtrages cæſis, niſi quos fuga ſeruauit. Captus Paulus Ballionius cū multis, duo & viginti tormēta bellica in prædæ partē ceſſerunt. E primorib. euaſere Liuianus ex fuga Patauiū delatus, Grittuſq; non ante conſiſtens, quā Taruiſium eſt ventū. Præcipuam eo die laudē è victorib. tulerunt Fernādus Alarconius, Garſias Paredius, Garſias Manricus, alii quorum inire numerum lōgum eſſet. moleſtū ſua ſingulos laude fraudare ſed neceſſarium. Antonius Leiua prælio non interfuit cum manu militari

sub id

ſub id tempus Cremæ vrbi obiectus. Magna clades ea fuit, magniſq; laudib. victoria celebrata: ad cuius famã cuncta pene victorib. ceſſerunt. Vicentiæ Cardonius copias aliquot dierum quiete recreauit. Bergomi arx eatenus in fide Veneta perſtans venit in poteſtatẽ vi capta. Paulus Ballionius è captiuitate eſt dimiſſus, iuratus modo reditum niſi Veneti eius permutatione Alfonſum Caruaialium redderent libertati. Pacti eius euentus is fuit. Caruaialius in vinculis obiit: neq; Ballionius tamen rediit, quaſi nulla mẽdacii religione obſtrictus. fidem ſeruare nolentib. argumenta nunquam deſunt, honeſtatis ſpecie prauitatem velante. An Caruaialii morte ſe ſacramento liberum credidit? Alioqui noſtris ad votum fluebant cætera. Mediolanẽſis arx graui & diuturna obſidione feſſa ad deditionis conditiones tandem venit, ſane ad duodecimum Kal. Decemb. Tantundem Cremonæ arx fecit. Sic Galli ex vniuerſæ Galliæ Ciſalpinæ finib. & Mediolanẽſi imperio deturbati. Lanternam tantum arcem retinuere Genuæ vrbis ceruicib. imminentẽ, durum iis ciuib. frænum. Nouus Dux collectis virib. eam arcem obſidere inſtitit, aduerſam Gallorum fortunam porro vrgere. Adurnii & Fliſci exules præſto fuere auxilio, factionis opib. confiſi patefacto aditu penetraturos in vrbem. Aduerſa factio cum de vigilantia curaq; nihil remitteret, nullo intra vrbem motu qui venerãt, retro ſe cum ignominia & iactura retulere neceſſario, tormentorum etiam parte amiſſa. Lucas Alagonius iuſſu Ferdinandi Regis in ea vrbe ſubſiſtens conſeruatæ vrbis atq; defenſæ magna pars fuit, quingentorum Hiſpanorum præſidio à mœnib. depulſo hoſte. Lateranenſes conuentus habebãtur Romæ. Ad eos Galli oratores sũt admiſſi factioſorũ patrocinio abdicato, Gallicaq; eccleſia Romanę ſubdita. quod palam teſtati ſunt. De Bonæ Ioannis Galeacii Mediolanenſis Ducis filia Iuliano Mediceo Pontificis fratri connubio iungenda agebatur. Ferdinando Regi ea conditio non diſplicebat. Villamarino etiam negotium dedit id curãdi. Appellata de cõſenſu Iſabella Aragonia virginis mater. Apage, inquit, tantum nefas, non patiar me viua non erit, dignitatis ſcilicet in aduerſa quamuis fortuna & ingenitæ nobilitatis memor, alioqui in Maximilianum Sfortiam pronior: quo genero adoptato Mediolanẽſis principatus iniuria detracti iura ad poſteros reuocabantur. Venetis ex arcano fauebat Pontifex. Nobiliſſimæ vrbis proximum exitium dolebat impenſe. Monuit Cardonium ne bello præcipitantes vrgeret amplius. Viam aliquã ſanciendę concordiæ prius quærendam videri. Quo tempore Aragonia mouebatur Comitum Ripagorſæ & Arãdæ diſſidio prouincia ſtudiis in ambos diducta. Ferdinãdus Rex ne à paruis initiis latius ſerperet malum, ex parua ſcintilla magnum ſæpe excitari incẽdium, poſitis armis pro imperio, iure vt diſceptarẽt, mandauit, paratus vindicare ſi quis nõ obtemperaſſet. lite conteſtata dictaq; cauſa Ripagorſæ Comitem iniuriam feciſſe pronunciauit, multæq; nomine Aragoniæ finib. iuſſit abſtinere, quandiu Regi placuiſſet. Eo pulſo conquieuere prouinciales. Brutii & Magna Græcia grauius atq; atrocius quã bello afflictabantur: ſed & aliis tota Neapolitana ditione regionib. multa oppida & incolæ dominorũ iniuriis irritati corripuere arma, miſeriis modum aut finem vel ipſa morte quærẽtes. Præcipua in eo numero ſancta Seuerina olim Siberena, Policaſtrum, Maturanumq;. Miſſus in Brutios Petrus Caſtrius pacata gente reb. tranquillitatem reddidit ægre quamuis & tempore inſumpto. Muri Comiti Apuliã demandatam prouinciam vt præſens gereret, mandatum eſt. Michaeli Aierui in Aprucium abire, cura & diligentia è ſaltib. latrociniis ſublatis effecturo vt magiſtratib. ſua conſtaret auctoritas temporum vitio collapſa penitus, nulla in ea gente facultate vindicandi flagitia. leges naturæ & humanitatis iura belli tempore in contrarium mutantur.

Induciæ Hiſpanum inter & Gallum prorogatæ. Cap. XXII.

Galliæ Regina deceſſit ad quintum Idus Ian. ſalutis anno mill. quing. decimo quarto. 1514
Lectiſſimæ fœminæ obitum luxit gens vniuerſa. Rex maxime eius vir neruis Bleſis tunc æger moleſtiſſime tulit tum eius deſiderio, tum veritus ne in Britãnia Armorica motus exiſterent imperii Gallici odio. Varii Principes qui eum inuiſerent luctumq; leuarẽt legatos miſere. In eo numero Germana Regina Bernardum Meſã Epiſcopum Trinopolitanum legauit cum mãdatis, ſecundum officium tẽpori & propinquitati debitum leuato Regis luctu, de quo antea erat actum, Namurſium & Narbonẽ reddi poſtularet aliaq; à Gaſtone fratre poſſeſſa ſorori atq; hæredi legitimæ. In Italiã profecto Ramirus Nunnius Guſmanius dimiſſus à Ferdinãdo Rege eſt, vt Romæ oratoris regii partes impleret, iuſſus ex itinere cum Genuẽſib. publice fœdus ſancire. Fecit ille diligẽter mãdata. Pactionis ſumma duob. cõprehẽſa capitib. Rex vrbis eius & Octauiani Fregoſii Ducis patrociniũ ſuſcipet. Genuẽſes è cõtrario vires cõferrẽt certo vt militũ numero Regis impiũ & dignitatẽ

tuerentur. Confectæ in eam ſententiam tabulæ ad tertium Nonas Martii: quo tempore Adurnii Heluetiorum ope moliebantur eius vrbis ſtatum commutare pulcherrime tunc vt videbatur, ſtantem. In gallia Trinopolitani Epiſcopi induſtria tum alia agitata ſed inani conatu ſunt, tum denuo de Ferdinandi Infantis & Renatæ minoris Galli filiæ coniugio actum. Aſtringi eo vinculo Gallum & Hiſpanum in vnam ſtabilis pacis voluntatem commodũ videbatur, ambos bello feſſos tenui valetudine. Ea re propemodũ confecta, vt Regi viduo de nouo coniugio meditati maſculæ prolis ſpe, Eleonora Caroli Auſtriaci ſoror nuberet. Serio agitatũ eſt. Simul Venetis cũ Cæſare conciliandis dabatur opera. Pontificis arbitratu cõtrouerſias finire placuit. Cõpromiſſi exemplũ Gurſenſis Romã detulit: in quo erat expreſſum ne in alterutram partem quidquam definiretur niſi ex Ferdinãdi Regis conſenſu & voluntate. Suſcepta Põtifex ea cura, inſtitutaque cognitione ad quintum decimum Kalendas Februarii pronunciata ſententia, vt Cæſari Verona & Vicentia Venetis Brixia & Bergomum cederent ſanxit. Præterea in præſenti à Venetis Cæſari ducenta quinquaginta millia auri penderentur, annua in omne tempus millia triginta. Irritus labor extitit. Dum Ferdinandus conſulitur de re tota, Veneti decreto Pontificis palam ſe obtemperaturos negarunt iniquum cauſati. Nondum optata pax Italiæ coaleſcere poterat quamuis bello omnibus feſſis exhauſtiſque. Induciarum Galliam inter & Hiſpaniam pactum tempus exibat. Vtriſque incommodum iuxta ac graue erat ad arma redire. Quintanæ Regi Hiſpano à ſecretis, eius nomine in Gallia res gerentis diligentia ſancitum, vt dum pax componeretur induciæ in annum alterum prorogarentur conditionibus antea pactis nihilo commutatis. Nihil eſt tam ſanctum, quod placere omnibus poſſit. Delfino quidem ea prorogatio grauis accidit verito ne in pacem deſineret: qua ipſe Mediolanenſis Principatus ſpe & hæreditate caderet. Cæſar parum curauit in belli Veneti cogitationem & apparatum incumbens: ac potius cupiebat inducias pace mutari. Angli modo impediti conatus ſunt bello Morinos & Aquitanos armis præſidiiſque obtinendi. Inter propinquos violata caritate acris ſequitur indignatio. Ita Anglus quia vindicare dolorem ex ea re ſuſceptum non licebat ſoceri molitionibus occupatis Gallum in fœdus prior attraxit Maria ſorore in coniugium illi pacta. Londini vrbe Angliæ primaria conuentu de tota re habito, pro Anglo Thomas Volſæus tũc Archiepiſcopus Eboracenſis & paulo poſt Cardinalis, Angliæ Mareſcalus, & tertius Epiſcopus Vintonienſis, Galli nomine Longauillæ Dux, & Nortmanni conuentus Præſes diſceptarunt corã. Fœdere facto ad ſeptimũ Idus Auguſti inter alia expreſſum eſt, vt certo militũ numero inter ſe iuuarent, ſi quis alterutrum bello laceſſeret, mox feſtinatæ nuptiæ ferales ſunt luctu ob amiſsã non ita pridem vxorẽ in lætum cultũ mutato. Notatũ, ab Anglo in fœderis tabulis inter ſuos confœderatos ne nominatum quidem Ferdinandum ſocerum eſſe. Conceptam animo irã placare Ludouicus Carrocius Ferdinãdi legatus hactenus in Anglia conatus: conata & Regina pro ea gratia quam apud gẽtem vniuerſam obtinebat maximã viro à ſe nondũ penitus alienato nihil vterq; diligẽtia perfecit. Paulo poſt Ludouico Carrocio in Hiſpaniã reuerſo, in eius locũ ſuffectus in Angliam Trinopolis Epiſcopus abiit. In Italia bellũ ducebatur alternãte fortuna dubio exitu. Sed à Cardonio tamen cũ copiis Citadela duob. à Meduaco amne millib. Patauiũ inter & Taruiſiũ, oppidũ ſitu, operib. & præſidio firmiſſimũ vi captum eſt. Proſper Columna cũ Mediolanenſis copiis Cremam impugnabat. Defendit Rẽtius pro Venetis vrbis præſidio præfectus. Itaq; expugnari nõ potuit. Garſias Manricus cum aliquot equitũ ad Robigum tendebat vt in nullo tali metu ſecurus. Liuianus vindictæ auidus ſuperiora incõmoda reſarciendi, ignominiam leuandi, atq; vt id aſſequeretur in omnem occaſionẽ intentus, cognita noſtrorũ ſocordia, vt fit ex reb. lætis nata, nocturna vi repente in oppidum irruit. Defendere Hiſpani vt locus & tempus dabat, vbi plurimum periculi, & laboris oſtendebatur, ibi maiore vi reſiſtentes. Viribus tamen impares deditione facta ſaluti conſuluerunt. Manricus & alii cum eo centuriones capti Vicentiam ſunt abducti: Rentius rei bene geſtæ fama permotus noctu in Mediolanenſis exercitus ſtationem Crema egreſſus incurrit; qui Siluio Sabello duce nil minus cogitabant, iis improuiſa vi fuſis momento Bergomum feſtinato itinere nullo prohibente cepit. Hiſpani qui in ea vrbe erant, ancipiti periculo & repentina vi territi in arcem confugerunt. Cardonius periculo nunciato cõtinuo auxilio accurrit ipſis kal. Nouembris. Victricibus copiis par virib. Rentius non erat. Tormentis quoq; icta pars muri corruens cum fragore late ſtragem fecit. Itaque vrbem per conditiones reſtituit tantiſper ex victoria lætatus. triſtibus ſæpe proſpera bellum commutat ſecundis aſpera. Et eſt prudentis ducis eas viciſſitudines præmeditatas habere neq; ſi quid aduerſi accidit frangi animo, ſed contra potius niti. Lanternæ porro arx Genuæ

vehementer

vehementer molesta in Octauiani Fregosii ducis potestatem tandem longa obsidione fatigata concessit. Ad intermissa stylum referamus.

Lusitaniæ res. CAPVT XXIII.

TVrcarum imperator bello liber, quod cum fratribus gesserat & Ismaele Persa qui eorum partes adiuuarat grauissimum, centum & quinquaginta triremium classem instruebat, vti fama ferebat, in Italiam Christianæ religionis caput arcemq;. Primum impetum in Piceni littora oramq; fore vulgo suspicabantur haud longinquam & Pontificiæ ditionis prouinciam. Metus externus ciues conciliare solet, vt positis mutuis odiis, detersis offensionib. in vnam communis salutis tuendæ conspirent voluntatem. Verum gladii sanguine ciuium & propinquorum delibuti non facile eluuntur. Ita efferati Principum animi videbantur, vt præ cupiditate inter se vindicandi, communi periculo parum mouerentur. Non abiecit tamen Pontifex animum. Cæsarem & Hispanum ad sociandas secum vires solicitauit: ne imparatos ferox hostis occuparet. Mediolanēsi Duce & Genuensibus ad commune fœdus attractis, cæteros Principes accessuros confidebat, ac præsertim Reges Gallum Anglum Lusitanum. Conditiones fœderis scriptæ: quarum ea summa fuere capita. Vt quicumque, è sociis aliquem bello lacesseret, quasi communem hostem cuncti vindicarent armis. Piorum prouinciis à Turcarum vi tuēdis singuli socii equitum certum numerum in commune conferrent: pecuniæ quantum designatum est delectib. militum habendis & in eorum stipendium. Ne pauciores sedecim Heluetiorum millib. ad signa euocarent. Prudenter & pie excogitata priuatæ Principum cupiditates euertūt. Saluti fuit aliis bellis Turcas distētos in piorum exitium arma vertere, tunc quidem non potuisse. Rempublicam sine viribus, sine consilio, sine capite fluctuantem texere numina. In vna Lusitania domi industria vigebat, foris arma prosperum cursum tenebāt. Lætus is Rex copiis quæ ex Indico commercio prouenicbant ingentes & belli Africani successibus, Romam honestissimam legationem fine superioris anni decreuit. Pontifici more maiorum obsequium delatum. Adiunxit ad ostentationem amplitudinis pretiosa dona. Sacrorum instrumenta, vestes Pontificales auro rigentes, eo splendore qui ex clarissimis gemmis esse debuit, ea varietate vt ars cum copia certaret. Specie, pretio, atque elegantia maiori quam vidissent homines in Pontificia aula, vasa auro & argento grauia artis plena. E Perside pantheram miræ pernicitatis priscis Romanorum ludis exhiberi solitum animal equi clunibus strati eleganter insidens. Indi rectoris ad signum syluas peterrare ferasque capere edocta. Accessit aureo strato turritus elephas assuetus inter alia flexo poplite venerari. Principem tybiæ sonum pedib. vastique mole corporis motu quamuis incondito modulari proboscide haustam copiosam aquam in circumfusam turbam effundere. Denique Rhinoceros vehebatur, non visum in Italia à multis seculis animal ferum truculentumq;, vt cum elephanto commissus natura inimicissimo, veteris magnificentiæ spectaculum Romanorum oculis repræsentaret. Verum qui ab vltimis oris aduectus, Oceani tremendos fluctus euaserat, ad Genuenses scopulos fracta naui periit in ventorum procella. catenis impeditus neque enare potuit, neque à vectoribus eripi naufragio. Eius legationis Princeps Tristanius Acunia rerum Indicarum longo vsu callens Romam iniit ad quartum Idus Martii. Paulo post dato senatu hac sententia orationē habuit è duobus legati collegis alter Iacobus Paciecus Iurecōsultus ad tredecimum Kalendas Aprilis. Rex Emanuel ab extrema Lusitania, Pater sancte, huc nos venire iussit de Pōtificatu delato gratulatum: quod felix diuturnumq; magnoque adeo ecclesiæ commodo fore auguramur, optamusq;: simul ad deferendum obsequium debitum quidem sed libentissime tamen oblatum. Moram re necessaria susceptam hactenus excusare debet prompta voluntas. Officio preces adiungit honestissimas atque tempore necessarias. Paterna cura prouidendum videri, vt superiores orbis Christiani iacturæ reparentur facta pace. Id fiet, si Principes Christiani priuatis singulorum dissidiis sublatis, vires in commune contulerint aduersus hostem communem infensumq;, in nostris ruinis exultantē nostraq; ex calamitate & spoliis superbum & magnum nouis indies incremētis. Quæ enim si gloria quæritur, honestior causa, si vtilitas fructuosior hac cogitatione esse potest? Facessat superior amentia: pœnarum satis est datum. Amentes prorsus & furiosi, qui in se ipsos ferrum stringunt væcordes & rabidi. Proderit Episcoporum conuentus continuari, neq; solui priusquam omnia ex sententia componantur. Patrum auctoritate diuinæ in terris æmula, id curari atq; præstari summopere exoptat, petitq; quoad vires tulerint, communi causæ nō defuturus, paratus etiam, si res ferent, pro communi salute & ecclesiæ dignitate

vitam sanguinemque profundere. Nihil in nostra oratione vanitatis est. Sed quid non expectare fas sit ab eo qui omnes cogitationes consumit in conatum religionis Christianæ amplificandæ, siue in vltimis Orientis solis oris, vbi vexillum crucis inter nationes feras & barbaras intulit atque erexit, vsque ad extremos orbis fines, quanto fructu & laude dicere non est necesse: siue in Africanis expeditionib. ærario consumpto & regni virib. exhaustis. Ex Indiæ spoliis & copiis primitias speciméq; offert, Pater beatissime, munera ex regionũ lõginquitate vnde aduecta sunt, & ex pietate Principis magis quã ex ꝑtio æstimãda speq; adeo certa fore aliquãdo, vt latissimæ regiões & gẽtes innumeræ ante vestros pedes ꝓstratæ Christo se subdãt. Pro Africanis spoliis minus gratiæ habituris, quo vsitatiora sunt postulatum offerimus honestum prorsus & sanctũ. Id est. Vt quoniã bello Africano gerendo pares regni vires & opes regiæ nõ sunt, susceptos conatus primum concessa peccatorum venia ex ecclesiæ thesauris iuues benigna manu; deinde concedas vt pars aliqua in Lusitania sacrorum vectigalium ad id bellum conferatur. Vbi enim melius ponantur, atque eorum qui eas opes templis legarunt voluntati magis consentaneæ? Cum quibus fructus & gloria communicatur, an iniquum videatur vt oneris partem ferant? Non arbitramur vestram benignitatem in re omnium æquissima denegaturam, quod aliis Principibus variis temporibus est datum. Læto vultu & placido Pontifex legati orationem audiuit. Breue responsum. Emanuelem Regem pro eo ac par erat magni facere: allata munera grata extitisse. Quod postularent curæ fore. piissimos tanti Principis conatus pro viribus iuuaturum. Confectis mox tabulis Cruciatæ veniã in opẽ belli Africani concessit. Adiecit decumarum ecclesiasticarum tertias in templorum fabricationes & sarta tecta cultumque consumi solitas. Præterea aliorum sacrorum vectigaliũ in vniuersa Lusitania decimam. In vsu harum concessionum graues difficultates extitere. ministri & collectores simulatione religionis inertiæ alimenta quærere; multas concipere fraudes. Et alioqui ex publicis vectigalibus quantum peculatus auertit. Iis incommodis commotus sacer ordo centum & quinquaginta aureorum millibus pristinam redemere immunitatem, ac non vltra triennium molestæ exactiones extitere. Populo graue videbatur eas copias in victum sacerdotum & templorum cultum destinatas alio conuerti, vnde in aulicorum delicias tandem desinerent rebus à prima origine mutatis. Optima sæpe instituta exitiali exitu terminantur, & fere mala exempla ex sano initio ortũ habent. Castellæ recens documentum redderet cautiores. vbi postquam in sacros templorum reditus Reges inuolarunt, maiori quam antea premebantur inopia. Enimuero qui exiguis olim vectigalibus, Maurorũ imperio conuulso, externas inuicta virtute gentes ad ditionem adiunxere, eos nouis indies tributis plebe fessa, & sacrorum vectigalium parte magna occupata, nullo idoneo operæ pretio sua mole ruere, & proprio laborare pondere. Priuatorum testamenta legibus sancta esse conquerebantur: eorum moueri, qui Christum hæredem scripsere. Dotem multis alioqui fulcitam prærogatiuis Christi sponsæ detrahi, ipsa inuita & qui dederunt repugnantibus. Regii ministri siue assentandi studio, seu quia ita sentiebant, facto honestatis speciem prætendere. Cuius in ope & patrocinio nõ profana magis vectigalia quam templorum sacri reditus delitescerent, ab vtrisque partem aliquam decerpi & ad reip. præsidium conferri æquum omnino videri. Et constat Ambrosii ætate templorum prædia Augustis tributum soluisse. Equidem de re tanta statuere non ausim, neque ad meum arbitrium reuoco inter disceptantes quid sentiendum sit, pronuntiare consentaneum tamen putarim vt à viris sacris in commune aliquid concedatur, ita tamen si non maius subsidium sit, quam pro copiarum modo rataq; portione. Itaq; si redituum prouinciæ aut prædiorũ quartã aut quintam obtinent, non maiorem neq; annui census partẽ neq; regiorum vectigalium in ærariũ conferant. Quod caput est, ne sua auctoritate id Principes faciãt, sed eius venia, vnde iura & leges sacræ petuntur, Romani certe Põtificis. Accedat etiã, quorũ interest, Episcoporum prouinciæ consensus & sacrati ordinis vti aliquãdo factũ scimus. Nã ordo sacratus peiori cõditione esse nõ debet, ꝗ̃ populi, quib. volentib. tributa à Regib. imperãtur. Verũ hæc in medio relinquãtur, ne in lubrico loco vestigiũ fallat. Is sane legationis Lusitanæ successus fuit. A Præstoioãne magno Æthiopiæ Imperatore Olisiponẽ legatus venit gente Armenus, professione monastica, Matthæus nomine. Princeps gẽtis Dauid dictus Regis Lusitani, ex quo Petrus Couillanius in eas regiones penetrauit, fama cõmotus, deinde Lusitanorum in India parta gloria amplius erectus in studium mutuo commercio vires cum ea gente iungendi, idoneum hominem nactus in Lusitaniam extremam ablegare constituit. Is ab Alfonso Alburquerquio benigne acceptus atq; habitus, quæ prima se dedit occasio, ad Lusitanum est missus. Vectores impostorem arbitrati, multis tota nauigatione contumeliis vexarũt. Iis Olisipone iniecta vincula; ne maior vindicta esset, Matthæus

intercessit, impetrauitque. Regis conueniendi facta potestate binas litteras protulit vna sententia diuerso idiomate & charactere Æthiopico Persicoq;. Adiecit ex auro crucem veræ crucis parte inclusa Aethiopum Imperatoris donum. Grata legatio extitit, lectæq; litteræ coram, adhibitis earum linguarum peritis. Matthæo hospiti honores habiti lautiaq; publice data. Ab eo ritus gentis & de diuinis rebus placita cognita sunt à Christiana pietate non parum sæpe abhorrentia: prorsus vt Christianæ religionis præter nomen vix aliquid retinuisse videatur. Omnia explicare longum esset. Pauca proferre exempla satis arbitror. Octauo die verenda circumcidunt mares iuxta & fœminæ. Quadragesimo abluuntur baptismate. In partu Iudaico instituto fœminæ expiantur. Lege veteri damnatis cibis abstinent. Ad obeuntem solem ieiunia producunt. Eucharistiæ diuinæ vtramque partem populus quoque sumit. Presbyteri vxores ducunt: monachi cælibes, & Episcopi quos ex monasteriis legunt sacra & ideo deuota iam capita. Peccata confessione expiare cõtendunt, cælestesq; venerantur cultu religioso. Sũma in eorum moribus & institutis, quædam merentur laudem, pleraque sunt absona. Rhegium Lepidi Pontifex obtinebat. Mutinam haud remotam à Cæsare accepit oppigneratam dum redderet mutua, quæ dedit, quadraginta aureorũ millia. Eas vrbes ad Parmam & Placentiam adiunctas Iuliano fratri destinasse fama fuit, vero an falso haud facile dixerim, sed daturum rumor erat iure fundi Pontificibus relicto, adiuncta quin etiam Ferraria, si vires voluntati pares suppeterẽt: eidem paulo post Filibertam vxorem Caroli Allobrogum Ducis sororem lectissimam in puellæ dotem & cultum de suo centum aureorum millia dedit.

Vascones Castellæ contributi. Cap. XXIV.

Anglicum coniugium Gallo Regi exitiale extitit breui consecuto obitu. Sic solent senes complexibus imtempestiuis indulgentes præsertim discrepante nuptæ nouæ, ætate, ipsorum imbecilla valetudine. Gaudium breui mærore mutatur. Anno nouo millesimo quingentesimo decimo quinto decessit. Supremus honor defuncto habitus corpusque in maiorum sepulcra illatum tumulo è candido marmore, superbo structuræ genere atq; eleganti. Insaniam ne magnis quidem imperiis tolerabilem æmulati proximi Reges effecere vt nouis sepulchris templi spatia non sufficiant alioqui vasti. Eius morte in generum Franciscum Valesium Engolismorum Ducem imperium Gallicum est translatum ardenti iuuenem ingenio, magnis animi & corporis dotibus, quas secum ipsa certas natura cõgessit. Vulgo psuasum erat nõ cessaturũ nisi Mediolano recepta, regnoq; adeo Vasconũ, q, spoliatis Regib. pollicitus erat. Rerum tamẽ Italiæ maior cura: eo bello districtũ ne aliq s à tergo terror reuocaret in Galliã verebatur. Ab Anglia metuebat nihil pace cum ea gente pulcherrime stãte. Carolum Austriacum, ne ex Belgis tempestas existeret, Renatæ gloti iungere tentauit. Honesta conditio videbatur, neq; repudianda prorsus. Nasai Comes & Michael Croius Principis cubiculo Præfecti ideo Lutetiam appulsi coniugium stipulati sunt nono Kal. Aprilis. Dos dicta sexcenta auri millia, ducenta in præsenti pecunia, pro quadringentis millibus Bituriges pignori dari decretum. Carolus Princeps in suam tutelam abierat, ab auo Cæsare & amita Margarita Belgarum procuratione permissa. His pacatis Principibus Ferdinandus supererat maiori prudentia, Rex q̃ vt arte caperetur. Lautrechius Aquitaniæ Præfectus negocio dato Comarium de induciis in tertium annum prorogandis vltro appellauit. Abnuit Ferdinandus cognita haud dubium Galli destinatione in omni consilio circũscriptus & sagax, nisi Italia porro comprehensa arma citra Alpes nequaquam positurum. Sic ars arte delusa. Quin etiã ad omnes casus ope parata, fœdus institutum vt nouo decreto firmaretur curauit, aduersus Turcas & ad singulorum sociorum ditionem communibus armis tuendam, Gallicos impetus retardatum iri, si id assecutus esset, animo neq; inepte prospiciens simul ad fœdus alterum inclinauit à Leone Pontifice expeditum Bernardo Bibiena Cardinali sanctæ Mariæ in porticu ad Cæsarem propterea legato. Eius fœderis leges. Vt Cæsar Veronã Vicentiam, Forum Iulii, & Taruisiũ teneret. Duci Mediolanensi cederent Brixia, Bergomum Crema. Harum trium vrbium permutatione Parmam & Placentiam Pontifici relinqueret Iuliano fratri Principatum. Eo temperamento Ducis Mediolanensis imperio firmato facile Ferdinandus adducebatur, vti ei è Caroli Austriaci sororibus coniux daretur certe Margarita Princeps aut Neapolitana Regina, arcta omnes deuinctæ necessitudine, quippe neptis prima, nurus altera, tertia sororis filia: Sfortiana nobilitate maiora cõiugia. Dies cruciatuum Christi Dei memoria sacros & lugubres Ferdinandus ad Meioradam transegit, in curã intentus vtriusq; gentis conuentus quã primum agitandi, Castellæ qui-

1515.

dem Burgis, Aragoniæ autem Calataiubæ lauto municipio. Olmedi edicta promulgata sunt pridie Idus Aprilis. Et Aragoniis quidem conuentibus inchoandis Maii mensis dies vndecimus designatus. Vt actionib. pro se vicaria præesset ex superioris gētis cōcessione, Reginam coniugē in Aragoniā amandauit, iussam iis solutis conuentib. Ilerdæ Calataunorum conuentus agitare, Valentinos postremo Valentiæ. Ipse Burgos festinauit ne designato tempore occasioni deesset ordinū voluntate redigendæ pecuniæ, cuius prima cura erat, magna inopia, maiorque quam ex Aragonia spes. Belli metus multiplicis impendebat: cui omnino occurrendum erat, nouo militum delectu supplendi exercitus, firmāda præsidia. Actum de ea re Burgis. consensu decretum est quadringentis aureorum millibus ærarii tenuitatem regios conatus iuuare. Magnum vectigal & graue vt exhaustis populis imperaretur Ferdinandi Regis beneficium euicit, vmbra quamuis dignitatis magis quam prouentus. Vasconum regnum in iis conuentib. Castellæ cōtribuit olim quamuis Aragoniis obnoxium, recensque ab Aragonio rege, & Aragoniis viribus ex parte auxilioque partum. Verum Regi, ne Vascones Aragoniæ institutis & legib. libertatē arriperent, prouidendum omnino videbatur, ab omni memoria inuidiosam seruiēdi rationem vnde magni motus extiterant, alioqui in suam gentē caritate propensior. Accessere sumptus Castellæ maiores in bello Vasconum tolerati maior multo militum numerus ex ea gente, ad defendendam in posterum prouinciā validiores multo vires. Sed ex eo tamen constat Ferdinando destinatum prorsus animo fuisse, eam ditionem nunquam abdicare, quasi sui iuris non secus ac alios principatus, neq; vlla religione moueri, vt ab ea sententia decederet. Sic variis sermonib. præ se tulit. Viribus potiori argumenta nunquā desunt ad retinendū quæcumq; armis occupauit. An Principatum aliquem vltro veteri domino redditū docere quis possit? Si verū fateri licet, nōnullis Ferdinādi causa pręsidiis fulciebatur neq; contemnēdis neq; prorsus inanibus. Primum Pontificis sententia Reges veteres fuisse ditione spoliatos: quos more maiorum extrema meritos exempla furiali carmine deuouit, & iure Pontificio maledixit. Deinde in Reges Castellæ translatū ius Claræ vxoris prioris Henrici Castellæ deinde Regis eo nomine quarti ipsius voluntate & donatione, quo tempore à patre sæuo ad non dubium exitium data est in Gastonis Fuxensis sororii potestatem, eius nece oppido cupientis, quæ iure potior erat, quippe maior natu, Vasconum imperium ad se trahere. Ita per omnes patrati parricidii affines & eorum posteros peruagata ira cælestis haud longo tempore pœnas à singulis improbæ cupiditatis exegit, manesq; innocentis puellæ mortuæ vindicta quā viuæ regiis opib., felicioris nullo inimicorū innoxio relicto tandem quieuerunt. Accessit ad cætera Ferdinandi præsidia Germanæ Reginæ ius Gastonis Namursii fratris in locum. Quod si eo iure contendas Castellæ Vascones contribui non potuisse. Suspicari licet quid enim vetat? cum prole careret factum eius consensu certaq; voluntate: quando post tres annos in conuentu Cęsaraugustano Vasconum regnum in Carolum Austriacum transtulit Castellæ iam & Aragoniæ Regem. Certior interpretatio Deum esse qui tempora sæclaq; commutat, euertit regna fulcitq;, quos numen subleuat, his dare imperia, vrgere quos decreuit premere. Neq; tantum propter iniustitias & iniurias transfertur regnum de gente in gentem, sed propter contumelias & dolos: vti diuini libri testantur. Cōuentus Aragonii Calataiubę habebantur. Vt à populis pecunia in stipendium redigeretur postulatum. Id proceres & nobiles facere, nisi subditis populis præcisa facultate regiam opem per appellationem implorandi recusarunt, tanta obstinatione vt conuentus aliquot menses impediri necesse fuerit. Afflicta Regis valetudo contemnebatur. Cæsaraugustanus Præsul magno quamuis labore promouebant parū. Nulla spe in conuentu irritatos Proceres quidquam pro sano facturos, singulas ciuitates appellare placuit de subsidio priuatim concedendo. His difficultatibus commotus Rex quamuis extrema valetudine atq; ita vt nocte quadam pro mortuo habitus fuerit, Burgis in Aragoniā festinare statuit, spe Proceres præsenti nihil denegaturos. Ex itinere Antoniū Augustinū regio Aragoniæ scrinio Præfectū ad se citato venire mādat. cōsilia de reb. magnis cōmunicaturū. Aduenienti ad Arandā Durio alluēte nobile oppidū, quo rex processerat, cōtinuo iniecta in hospitio vincula sunt. Gometius Ferreria in curia regia rerū capitaliū iudex captū in Septimācēsē deduxit custodię designatā arcē. de vinculorū causa multa sūt dicta, vt in reb. nouis & pręter opinionē, cōtingit. Quidam cum Carolo Austriaco consilia Regi ingrata aduersaq; communicasse interpretabantur. Alii petulātes oculos in Germanam Reginam coniecisse, ac vero de stupro appellasse. Verior opinio: cum Aragoniis Proceribus consensisse in conuentu: eiusq; malo voluisse regem cæteros officii admonere magis vsurpandi iuris causa, quā quod vnius culpa esset. Segobiæ cum Regio consilio Hispaniæ Cardinalis substitit. Rex adiuncto Ferdinando nepote Calataiubam festinauit. Frustra is labor fuit. Proceribus nulla diligentia persuaderi

potuit, neque vnius vincula tanti erant, vt deſiſterent niſi libertate quam petierant conceſſa æquitati prorſus aduerſa iniuriarum fonte. Regis morbus recrudeſcebat labore moleſtiaque auctus. Vilillæ quoq; nobili campana inſtare finem ſignificatum, magnorum euentuum nuntia Regumq; obitus. Sic fama tulit, Aragoniæ gentis communi perſuaſione confirmata. Verum diiudicare quis poſſit? In eiuſmodi rebus quanta ſæpe exiſtit vanitas. Ergo re neceſſaria, autumni tempore nullo publice pecuniæ ſubſidio in conuentu impetrato ſeſe Rex in Caſtellam retulit. Regina Calataiubæ conuentibus ſolutis Ilerdam proceſſit. Sic in Caſtella & Aragonia res erant. quo tempore ad Viennam Auſtriæ, Cæſar & duo fratres Sigiſmundus Poloniæ & Ladiſlaus Hungariæ Reges conuenere ad ſextū decimum Kalendas Auguſti. Colloquii pręcipua cauſa coniugia exſtiterunt Ferdinandum & Mariam Auſtriacos fratres inter & Annam atque Ludouicum iam Bohemiæ Regem Hungari filios inita ipſo Magdalenę memoria ſacro die. auſpex & antiſtes totius cęremoniæ Thomas Cardinalis Strigoniæ Pontificis legatus. Lætitia ludis, cōuiuiis & omne genus ſpectaculis atque Principum numero læto cultu, gemmis auro & purpura diſtinctis veſtibus plures dies continuata eſt. Interfuere ex ſponſis Ludouicus & Anna patrem Regem ſecuti; præterea Maria Auſtriaca. abſentiam Ferdinandi Cæſar eius auus ſuppleuit quaſi procurator ſponſalibus ſtipulandis. Notatum à curioſis non modo Ferdinandum & Mariam ſororem Ferdinandi Regis ex ſanguine fuiſſe eius nepotes, ſed & Ludouicum & Annam pronepotes Eleonoræ extitiſſe Vaſconū Reginæ, quæ ſoror Ferdinandi fuit, Catharinæ nimirum nepotes, quæ Gaſtoni nupſit Candalæ regulo. Gaſtonis enim filia Anna homine Ladiſlao Hungaro nupta Ludouicum & Annam nouos ſponſos peperit. Ita Ioannis Aragonii Regis Ferdinādo filio quam ſua virtute & rebus geſtis nobilioris, ſanguis omnium fere gentium regiis inſertus latiſſime eſt propagatus.

Alfonſi Alburquerquii obitus. CAPVT XXV.

MAgna & præclara ab Alfonſo Alburquerquio Indiæ Prætore toto ſuæ Præturę tempore opera ſunt perfecta. Immortalem à gente Luſitana laudem habeat, neceſſe eſt, quippe imperii Luſitani in extremis orbis oris conditor princeps. Annis grauem imbecilla valetudo vexare cœperat. Multi præterea æmuli (omnibus ſatisfacere qui poſſet? certe virtutem inuidia premit) in Luſitaniam delati criminabantur, virtutibus vicina vitiorum nomina affingentes calumnia & mendacio armati. Reus in abſentia agebatur criminationum iuxta ac criminantium ignarus, ſecuritateque quam conſcientia dabat incautus. Et quidem aperta odia depelli poſſunt fraus & dolus obſcura, eoque ineuitabilia. Emanueli Regi, vt ei ſuccederetur tandem perſuaſere. Delectus è nobilitate Luſitana Lupus Suarius, Aluarenga magnæ ſpei vir, qui res in India gereret. Comites adiuncti Matthæus Legatus Abaſſini Regis & Eduardus Galuanus vna in Æthiopiam iturus. Verum eam legationem obire importuna mors prohibuit. Atque in eius locum conſequentibus annis ſubſtitutus Rodericus Lima in ipſo Aethiopiæ aditu Matthæo extincto ad eum Regem legatus peruenit. Franciſcus Aluarus presbyter proſecutus euntem legatum de tota ratione itineris & regionis natura gentiſque inſtitutis commētaria patria lingua accurate deſcripta in lucem edidit. Nouus Prætor nauigatione vix quinquemeſtri præter morem à celeritate feliciſſima Oliſipone Goam peruenit, omnino poſtridie Kalendas Septembris. Sub id tempus quinto poſt die ex Luſitaniæ Regina filius eſt natus, Eduardus nomine, miti Princeps ingenio, modeſtia & comitate inſignis ſtudiis venationis & muſicæ imprimis deditus. In florenti ætate raptus, ex vxore tamen filium eiuſdem nominis breuis & ipſum æui & duas filias reliquit. Maior Maria dicta Alexandro Farneſio nupſit Principi tunc, deinde Parmenſi Duci, Catharina hodieque ſuperſtes Brigantino Duci eſt iuncta. Quibus diebus Lupus Suarius Goam appulit, Alfonſus Alburquerquius Ormutii ex diuturnis laboribus fluentis alui morbo lætali oppreſſus eius inſulæ reb. compoſitis Regeque perſuaſo, vt amicitiam Luſitanam conſtanter coleret, in ea fortunis ſuis certiſſimum præſidium repoſitum putaret; cupidus Goam delicias ſuas ante obitum inuiſendi, nauim conſcendit. In itinere de ſucceſſoris aduentu cognouit. Eo nuncio ſupra æquum & honeſtum perculſus vir alioqui egregius neque diſſimulare dolorem, neque tenere linguam. Proh Chriſte Sancte, inquit, quantæ me moleſtiæ circumuallant? " Si Regi pareo, in hominum calumnias incurro, ſi reſpicio homines, Regem offendo. Ad " aras. nullum alibi perfugium. Hæc truci voce ardentique vultu vt procul exaudiretur, " adſtantibus commouerant lachrymas. Commoti animi ipſe non ambitionem imperandi putabam. Quid enim alienius eo tempore? Sed morbi moleſtia victum, quæ omnia

reddit ingrata, aut excelso animo ægre tulisse interpretabar calumnias supra virtutem fuisse. Nam, vt ad se collecto tantisper animo rediit. Certe subdit, Regum corda Deus sua sapientia regit. Quid futurum putatis. Si me mortuo idoneus rector esset à Lusitania expectandus? quantum periculum rebus in India immineret? His dictis quieuit. Morbus nauigatione inualescebat minori in horas spe. E Goa propinqua euocari presbyterum mandat, cui erat solitus conscientiæ vulnera per confessionem detegere. Cum eo rebus omnibus communicatis, pœnitentiaque & oleo sacro ex ritu Christiano expiatus, die quodam ante lucem efflauit animam. Vir haud dubium insigni cum primis virtute, felicitate & pugnandi scientia comparandus eorum, quos ab vlla memoria Hispania genuit. Magnitudine animi, benignitate, prudentia, iustitiæ cultu maior fuerit in ambiguo est. Ex æquo hæ virtutes in eius moribus & vita colluxere: nulli earum vt palmam concedere fas sit. Corpus labore inuictum, animus expeditus in consulendo perficiendoque quidquid factu optimum iudicasset. Suis carus, hostibus formidabilis. Multum rei Lusitaniæ fauere numina duobus primis Prætoribus datis excellenti virtutum omnium indole, pari conatu, audacia, successu eorum quæ aggrediebantur felicissimis. In vna tamen voluntate Christi nomen amplificandi, & quodcumque periculum subeundi pro officio Regi suo debito & gentis gloria illustranda sententiis vel maxime discrepabant. Almeida primus Indiæ Prætor nolebat vires & classes Lusitaniæ ad expugnandas vrbes & arces conferri in illis oris, modicas esse vires Lusitanorum dictitans, auxilia longinqua; si in plures distraherentur partes, fore iniuriæ opportunos, neque pares tantis conatibus. Maris imperium tenerent modo, cætera in iis regionibus prona fore. Alburquerquius contra ex ipsa auxiliorum longinquitate & virium exiguitate contendebat pluribus coloniis ea littora occupanda videri. vnde quasi ex seminariis supplementa suppeterent, cômeatus facultas, cæduaque materia ad extruendas naues, armamenta comparanda. Alioqui neque maris imperium diu stare posse, neque commercii facultatem: quando siue maris tempestatibus seu hostium in classes aliquando disiici vincique necesse foret. Itaque fore commodum si portubus & arcibus, quam possent latissime vasta littora amplecterentur, ad omnes casus parato perfugio. Alburquerquii rationem fuisse commodiorem tempus indicauit, iudex testisque syncerus, & rerum euentus, qui consiliis fere pretium famamque constituit. Vxorem nunquam habuit: ex ancilla tamen susceptum filium reliquit. De eo solicitus sub mortem his verbis ad Regem scripsit. Inter frequentes singultus, & mortis instantis signa certissima has postremas litteras do. Filium vnicum habeo. eum tua benignitate complectare precor. Paternis meritis ea gratia esto. Quæ qualia sint, me silente opera ipsa testantur. Corpus amplo funere ac vere regio in diuæ Marię ædiculam ab ipso Goæ constructam illatum est. Omnis ordo & ætas obuiam effusa in veste sordida verissimis lachrymis gentis gloriam, salutare præsidium vna occubuisse atque eodem tumulo sepeliri sine fine dolebant scilicet: atque ita vt singulorum parentes aut fratres lugeri, omnes crederes vnius spiritu vixisse extincto perituros. Corpus occidit, & vita præsens ablata est multis obnoxia miseriis. Merces in cælo certa virtuti, inter homines nominis gloria non inanis sed solida perpetuo vigebit nullis seculis interitura. Rex ex interuallo cognito Alburquerquium obiisse, doluit impense. Filio ad se vocato benigneque accepto Blasii nomen à prima ætate inditum, Alfonsi appellatione mutauit in patris memoriam & gratiam; prædia & vectigalia dedit ampla vnde vitam sustentaret. quam ducta vxore lectissima deinde in multos annos propagauit non ita pridem extinctus; suaque impensa Diuæ Mariæ ædiculam Goensem, vbi pater sepultus fuerat, noua structura & spatiis in iusti templi formam amplificandam curauit. In Africa ad ostium Mamoræ fluminis, quod antiquis Subur fuit, Emanuel Rex arcem imponere cogitauit vltra Arcillam centum non amplius millibus passuum. Classe ducentarum nauium maiorum minorumque octo millia hominum in eam rem mitti placuit. Ductor Antonius Norogna, Olisipone digressi Idibus Aprilis ad ostium fluminis appulere nono Kalendas Maii. Infelix conatus extitit. Cœptam continuo ædificari arcem innumera Maurorum multitudo sub signis sese circumfundens ex omnibus partibus, disturbauit, amissisq; tormentis, quæ in noua arce erãt posita, & è Lusitanis media parte desiderata, classis coacta est cum ignominia & iactura sese in Lusitaniam referre.

Rex Gallus Mediolanum abiit. CAP. XXVI.

FRanciscus eo nomine primus Galliæ Rex simul ac regium insigne desumpsit, nobile regnum viris, armis, copiis & gloria florens post fata soceri adeptus, collecto numeroso exer-

ſo exercitu ad Mediolanum repetendum animum retulit. Non deerant Maximiliano Duci ſua præſidia fautoreſq;. Quindecim Heluetiorum millia ad periculi famam accurrere, tueri deſtinantes cuius patrocinium ſuſceperant, atque datum beneficium. Belli initia aduerſa extiterunt ad omen ſummæ vniuerſæ. Proſper Columna cum equitibus cataphractis tranſitu Gallos prohibere idoneo loco inſeſſo conſtituens, occupato ab hoſtibus conatu improuiſa vi inter cænandum ad Villafrancam eſt captus à Palicii militibus. Rex ipſe Gallus cum validis copiis in Inſubres irruens prope Mediolanum caſtra promouit, ea vrbe capta cætera prona fore ratus. Cardonius ad Abduæ ripam caſtra habebat. cum Pontificiis copiis Placentiæ morabatur Laurentius Mediceus Petri filius eius, qui ad Liris oſtium eſt merſus. Vtræque copiæ ſi cum Heluetiis iungerentur, magnum ad victoriam momentum. Id prouidens Dux Mediolanenſis fieri ita oppido cupiebat, curabatq; eo maiori ſtudio quod prope metum erat, Galli ad nutum rebus fluere incipientib. Alexandria quidem vltro in partes acceſſit. Nouaria capta eſt cum arce Petri Nauatri maxime induſtria. Nam is Hiſpano lente admodum de eo liberando conſilia explicanti infenſus, ad Gallum tráſiit viginti aureorum millib. ex regio ærario perſolutis libertatis pretio. Miſſi à Ferdinando Rege, qui magnis propoſitis præmiis ad officium reuocarent & priſtinæ fidei cultum, præſtitere nihil. Serum remedium animo penitus alienato. Quin fidei & amicitiæ renunciatæ argumento Oliuitum in Neapolitano regno Comitis nomine datum vltro remiſit confectis de ea abdicatione tabulis. Magni viri concedunt ſæpe iracundiæ & vindictæ ſtudio in maiora mala præcipitant. Cardonius Heluetiis non ſatis fidebat ferocis hominib. ingenii, & ambigui. & erat ſuſpicio arcano ad Gallum reſpicere. Ne Pontificiis quidem multum credebat, Parmam & Placentiam retinendi ſtudio ſpeq;, ſi affulgeret, quas vrbes eripere Heluetii contendebant, ad Gallos facile tranſituris. Ergo Marco Antonio Columna Veronæ, Brixiæ Ludouico Hicardo curare iuſſis ipſe ponte è cymbis confecto cum exercitus robore Pado tranſmiſſo conſtituit in agro Placentino ad Trebiæ ripam munitis caſtris ſe tenere. nihil eo itinere hoſtile extitit oppidis circum amicis. Diſplicuere ea conſilia eaq; cunctatio Heluetiis, haud dubium improuida exitialiaq; vti euentus docuit. Vim numinis quis auertat? Sed vnde ſuſpicio ſponte Hiſpani excitari bellum, cunctaq; quæ accidere non ignauia militum neq; hoſtium virtute ſed fraude ducum eueniſſe. Cardonii aduentus ſpe ſublata Heluetii tamen paucis adiunctis Italis Mediolano egreſſi cum vniuerſis Gallicis copiis confligere conſtituunt. non audacia id ſed temeritas erat. Dux neq; iubendi neq; vetandi potens, non iam Princeps, ſed belli cauſa. Furore militari cuncta agebantur. Caſtra Galli ad Marignanum & ſanctum Donatum ad ſextum ab vrbe lapidem munierant, ſpe ciues voluntate in poteſtatem venturos. Liuianus præterea feſtinabat vt cum Gallicis ſuas copias conferret. enimuero equites grauis armaturę nongentos expeditos mille & quadringentos, pedites ad nouem millia. Heluetiis feſtinandi ea cauſa extitit, vt Liuiani aduentum occuparent pugna facta, ſi vtræq; copię iungerentur de victoria diffiſi. Instructa acie foras vrbis portas erumpũt ipſa conatus magnitudine & mortis contemptu formidabiles. nullo duce ſibi quiſq; auctor erat, incitatorq;. Galli contra iis excipiendis in aciem & ipſi copias producunt. Primũ agmen Carolo Borbonio datum, poſtremum Palicio Rex in media acie curabat. Gallica tormenta multa & præſtantia in ſubeuntes munimenta Heluetios diſploſa late fecere ſtragẽ. Iuniores ex eo numero facto agmine rabie & furore cæci nouo impetu in munitiones facto, quãuis aduerſariis egregie reſiſtentibus, foſſa tamen profunda tranſcenſa & vallo tormentorũ partem occupant. Feruẽte vtrinq; cæde ac fortuna victoriam alternante, ne nox quidem ſuperueniens pugnam diremit, quandiu luna ſubluſtris fuit ad mediam fere noctem: tanta erat vincendi rabies. Heluetii proſperis feroces, Gallos pudor irritauerat & ſui Regis præſentia accenderat. pugna varia, atrox, anceps, his atq; illis rurſus exitiabilis. Rex ad primam aciem prouectus & inter primos iuuenili impetu pugnans in armis reliquum noctis ſuſtentare neceſſe habuit, ne galea quidem detracta neque ſomno capto niſi quantum corpore in tormenti currum tantiſper inclinato licuit, ne guſtato quidem cibo ſeptem & viginti horarum ſpatio. Ingens animi & corporis vigor: cum luce pugna redintegratur non minori quam antea rabie. A Ienolaco Galeoto tormenta perite diſpoſita librataque, ab aperto latere multam Heluetiorum cædem ſtragemque fecerunt. Accidit in medio pugnæ ardore vt Liuianus è propinquo audito tormentorum fragore cum aliquot equitum turmis ſuperueniret apprime pugnax dux. Heluetii cum omnibus copiis acceſſiſſe rati, ea opinione late per agmina vagata fractis animis deſperataque victoria Mediolanum verſus ſeſe recepere, ſed ſenſim atque ſeruatis ordinibus. Ex ea vrbe extemplo ſublatis ſignis Larium lacum verſus

discessere. In Idus Septembris & diem posterum in paucis memorabilis pugna incidit. Victori continuo cessere omnia. Mediolanenses eum intra mœnia accepere. Arx quo se Dux cum manu militari recepit acriter impugnata tormentis, atque cuniculis à Nauarro scienter actis intra trigesimum obsidionis diem deditionem fecit. Dux in Galliam amandatur in alimenta annuis triginta sex aureorum millibus decretis in exilio vitam calamitosam propagaturus ex pacto inter hostes tam procul à patria. Breuia ac fluxa mortalium gaudia. vix delibato suscepti principatus primo fructu, in quas ærumnas præcipitauit: si fructus & gaudium dici debent continuæ curæ, & terrores quibus is Princeps ex quo rerum summam obtinuit cruciatus est, alieno semper obnoxius arbitrio & imperio eorum, qui publicis vectigalibus occupatis, ac ingenti identidem pecunia imperata pacis legibus & belli ex commodo rogatis abrogatisque misero Principi præter vmbram nominis, nihil nisi seruitium sordes & egestatem reliquerant, ne gemitus quidem liberam facultatem. Cæteræ vrbes & arces Duce sublato eiusq; exemplo in victoriæ partem sine sanguine concesserunt. Cardonius extemplo Neapolim copias reduxit cura Neapolitanarum rerum nouarum cupiditate arripere arma volebant nisi metus maioris mali frænaret. Mænyngem quidem insulam petere distinendis copiis iussus erat, an timori ea species prætendebatur. Pontifex tempori inseruire constituens ex condicto Bononiæ victorem conuenit. In eo conuentu Rex quæcumque voluit facile impetrauit arma tenenti nihil denegare fas erat. Dedit etiam quasi mutua permutatione facta, vt Pragmatica sanctio abrogaretur sacrati in Gallia ordinis magno gemitu. Gentis voces liberæ fuerunt & plenæ expostulationum, nihil amplius. Sic solet populus sine capite. In Hispania Ferdinandum Regem nouæ porro curæ solicitabant. Magnum Gonsaluum in Belgas nauigaturum vulgatum est, adiunctis Egabri & Vreniæ Comitibus & Prieghi Marchione. Grandem pecuniam comparatam, vt cum res exegissent, nec facultas fugam nec inopia moraretur. Ea opinio cum late manasset Mangiaressius missus est abs Rege cum mandatis discessum prohibendi, & si foret opus in Gonsaluum iniiciendi manus. Tantum Hispaniæ dedecus auertere numina de cœlo. Mense Octobri Gonsaluus febri quartana laborare cœpit Loxę vbi morabatur. Simulata valetudine ludere suspicio erat: neque minor proinde cura custodiaque. Angli animo suscepta indignatio mora inualescebat. Ad eum placandum ne hostium conatus importuno maxime tempore iuuaret munera decreta vestis, vasa gemmis distinguentibus aurum, equique generosi auro strati. legatus in id Ludouicus Gilabertus miles sacer in Angliam appulit Reginæ vtero prægnanti lætam. Quo diutius expectarant in exigua spe, eo maiorem voluptatem vniuersæ gēti commouit. Thomæ quoque Volsæo purpura Roma delata ludis & conuiuiis celebrata. Ex infimo is loco ad primum dignitatis gradum in Anglia ascendit, vt ex rerum fastigio grauiori casu præcipitaretur. Gratia Principis, cui fuit intimus, & praua obsequia pro virtutibus fuere. Superbia atque ambitio exitium ipsi & vniuersæ genti attulerunt. Is ergo & Ferdinandi legatus mutuo aliquot dierum congressu, ad quintum decimum Kalendas Nouembris fœdus & amicitiam stabilem inter duos illos Principes sanxere. Ludouicus Requesenius nouem triremium dux ad Cossyram insulam, vulgo Pantalaream, tredecim piraticas triremes Siciliæ spoliis & præda onustas nactus commissa pugna vicit per æstatem. Aliquanto post Bugiam obsedit Omichus Turca cognomento Barbarossa, cum sua peculiari classe eo delatus. Multi præterea Mauri è vicino tractu Turcæ conatus subleuatum terra accurrerunt. In arcto res positas Raymundus Carrocius vrbi Præfectus supremo conatu defendit Michael Gurrea in Balearibus Prorex obsessis auxilio opportune superuenit. Ducebatur tamen obsidio, in aliquot menses cōtinuata. Obsessi annonæ inopia laborare cœperant. Cogitantes de facienda deditione nauis recreauit à Sardiniæ Prorege missa cum commeatu & bellico instrumento. Qua ope tamdiu sustentatum est, donec Turca abiecta spe vrbem occupandi soluta obsidione fine anni discessit.

Ferdinandi Regis Catholici obitus. CAPVT XXVII.

VAletudo tum Ferdinandi Regis Catholici tum Magni Gonsalui recrudescebat maiori in dies sæuitia inani medentium cura, vtriusque exitus vrgebat. Gonsaluus mortis angustiis exæstuans lecticariorum humeris Loxa Granatam abiit, si cœli mutatione melius haberet. Nihil ea diligentia est profectum. Altero Decembris die in ea vrbe decessit vir plane admirabilis animi magnitudine & perpetuo victoriarum cursu clarior omnibus dux, quos à multis annis Hispana terra tulit, alioqui magnorum virorum ferax. Extrema ætate magnis procellis iactatus numquam indignum quidquam est locutus,

cutus, & quamquam rebus aduersis integra semper virtutis & constantiæ fama. quippe solitus non minus in secundis tristia, quam in aspetis secunda cogitare. Aulicorum ex inuidia minor meritis Principis gratia, gloriam nō minuit, sed auxit: effecit certe ne postremis annis offenderet. Multos longæua ætas vertenti fortunæ tribuit: magnique sæpe viri quietis impatientia & rerum varietate superiorem gloriam obscurarunt: cum sit arduum mare frequenter sulcantem, nunquam fluctibus tempestateq; sæuiente iactari. Tempus vitam abstulit: virtutum memoria vigebit quandiu mundus stabit. Eius obitu in Eliuram filiam maiorem natu domesticæ fortunæ translatæ sunt: equitum Magisterium Neapoli vacuum Fabricio Columnæ cessit Regis dono in posteris porro ad hanc diem stabili, inanis vmbra & sine prouentu nomen. Ferdinandus Rex Hispalim ire constituens per hyemem mitioris cæli vrbem, Placentiam haud deuiā se contulerat & ipsam amœnitate præcipua. Ibi quamuis afflicta magis indies valetudine splendide à ciuibus acceptus, atque habitus ludis frequentibus & grata hilaritate, diebus aliquot ei ciuitati datis, Ferdinandum nepotem ad Guadalupeum oppidum ire iussit templumque sanctitate & miraculis celeberrimum, propter quod municipium inuisitur: nam alia visendi causa nulla est. Prosecuti sunt euntem Petrus Nunnius Gusmanius Calatrauæ Clauiger eius moribus formandis adhibitis & litterarius magister Aluarus Osorius Asturicæ Episcopus. Rex in Vectonum eam partem discessit, quam Serenam dicimus, ardearum volatu, quarum est eo tractu magnus numerus (& eo aucupii genere præ cæteris oblectabatur) animū curis & ægritudine grauem tantisper leuaturus. Maris Præfectus, Dux Albanus & Burgēsis Episcopus sequebantur, è regiis consultoribus tres Laurentius Caruaialius, cuius extat de rebus hoc tempore gestis diarium. Sapata & Franciscus Vargas rationibus Præfectus ex Agnete Caruaialia vxore, Guterrii Caruaialii Episcopi Placentini non ita pridem extincti pater. Eodem Hadrianus Belga Louaniensis Decanus, Caroli Principis magister appulit è Belgis missus de reb. magnis ad auum legatus. Vt Carolo annua quinquaginta auri millia darentur eo annitente constitutum est. Concessum etiam vt Castellæ procurationem Ferdinandus Rex, vti ipse expetierat, dum viueret propriam retineret, etiam post Reginæ mortem. Id vltro adiectum. Insignis munificentia sed vitæ exitu proximo, cuius rei manifesta signa perspiciebātur, leuis gratia. Per dies Christi Dei è virgine nati memoria celebres hæc agitata decretaq; sunt. Ad castra Iulia vicus Madrigalegium est ei vrbi contributus. In eo pago Regis ægritudo ipsa itineris agitatione grauior est effecta, prorsus vt medici diu victurum desperarent. Accurrit cognito periculo Decanus Louaniensis. Eius aduentus Regi molestus accidit. Vt Guadalupeum, quo iuerat Ferdinandum Infantem inuisum sese referret, atque ibi iussit suum aduentum sustentare. Mox testamentum confecit. Peccata Thomæ Matienso è Dominicano ordine sibi ante à confessionibus, aperuit. Regina Ilerdæ Regis periculo nunciato itinere festinato pridie quam testamentum nuncuparet, mœsta iuxta ac solicita accessit. Proximo die Mercurii post mediam noctem vna amplius hora animam placide efflauit decimo Kalendas Februarii auspicante salutis anno millesimo quingentesimo decimo sexto. Princeps iustitiæ cul- 1516.
tu, prudentiæ laude, animique præstantia excellentior omnibus, qui vnquam in Hispania extiterunt. Vitia deesse nunquam possunt. ea est humanæ vitæ conditio. ex inuidia quoque & malitia multa magnis viris immeritis affingi peccata procliue est. Imperii modestia religionis amore, bonarum artium studio, forma haud dubium iusti, mitis, benefici, ac vere Christiani Regis, ac speculum in quod omnes Hispani Principes intueantur, aureæ pacis in Hispania & publicæ securitatis atque elegantiæ & amplitudinis conditor.

Tria testamenta memor mortalitatis confecit. Primum Burgis ante tres annos. Alterum Arandæ ad Durii ripam anno superiori. Tertium sub mortem. In iis omnibus Ioannam Reginam hæredem, Carolum eius filium rerum procuratorem scripsit. Carolo absente in primo testamento, Ferdinando Caroli fratri regni procurationem demandauit. In duobus postremis eo capite mutato, rebus Aragoniis Cæsaraugustanum Præsulem præfecit eo euentu, Castellæ, Hispaniæ Cardinalem. Id valuit decretum. Decanus tamen Louaniensis productis in eam sententiam Caroli Principis mandatis & tabulis, Cardinali rebus gerendis consors accessit. Ferdinando nepoti in Neapolitano regno, vrbes Tarentum, Crotonem, Tropeam, Amantiam & Galipolim legauit, prætcrea annua quinquaginta aureorū millia ex eius prouinciæ regiis vectigalibus, dum a Carolo fratre Principatus aliquis in eo tractu daretur eam summam reddens quotannis. Vt Calabriæ Dux offensa quamuis multipliciter graui, redderetur libertati, mandauit, addito etiam Caroli munificentia idoneo principatu & vectigalibus vnde vitam principalem

sustentaret. Quod tamen decretum non ante annum millesimum quingentesimum tertium obtinuit. variæ causæ excusatæ, promptæ semper aduersus prostratos & paratæ. De Antonio Augustino Scrinii Magistro mentio nulla. Oblitus fuerit offensam, aut aliis plectendam relinquere maluerit etiam recenti memoria dubitatū est. Cardinalis certe Hispaniæ rerum arbiter factus paulo post vinctum in Belgas misit: vbi dicta causa pro eius innocentia dati iudices pronunciarunt proximo mense Septembri. Testamento curatores adhibiti Regina, Carolus nepos, Cæsaraugustanus Præsul, Cardonæ Dux lectissima fœmina, Albanus, Prorex Neapolitanus, Thomas Matiensus à confessionibus ab epistolis Michael Clemens, quo excipiente testamentum confecerat, extincti corpus Granatam delatum templi maximi sacello regio composuere, vnaque Isabellæ Reginæ ossa eatenus ad Alhambræ arcem extemporario tumulo contecta. Ex eorum numero qui agenti animam affuerunt, plerisq; dilapsis, vt est mortuorum obliuio parata, soli Ferdinandus Aragonius, & Bernardus Dianii Marchio, paucíq; è familia nobiles funus prosecuti sunt. Toto itinere populi obuiam progressi in sordida veste luctuque fœdati cum ferculis & velamentis veniam & pacem extincti animę precari. Cordubę celebrior pompa extitit Prieghi Marchione, Egabri Comite vniuersaque vrbana nobilitate curantib. Ciuitas omnis obuiam effusa cum coniugib. & liberis, sacerdotes cum insignibus, ac diui ipsi prope exciti sedibus suis exceperunt. Quem viuum infensum experti erant, erga mortuum in generosis animis successit humanitas. Granatæ tandem sacratus ordo, vrbanus senatus, regnisque iudicum conuentus certatim funus honestarunt. Lecto funebri nobilissimi quique humeros supposuere. Iusta apparatu celeberrimo facta sunt, dataeque extincto inferiæ, vti opus erat, expugnatori atque conditori vrbis eiusque atque adeo vniuersi Granatensis regni bonorum, felicitatisque optimo patrono, atque præclaro.

FINIS.

INDEX

INDEX GENERALIS HORVM DECEM LIBRORVM POSTERIORVM IO. MARIANÆ, IN QVO PRIMVS NVMERVS PAGINAM, SECVNDUS versum indicat.

D.

E.

F.

G.

Geor-

FINIS.